In effigiem Joh: Ludovici Woltzogenii.

Quem pia simplicitas, fides, facundia cælo,
Infractusque malis mens animusq; pijs
Commendat, pictor facie noviſſe docebit.
Muta tamen facies gaudia nulla parit.
At calamo, poſt fata loquens, oracla recluſit.
Heu quod non potuit pandere cuncta volens.

[Bibliotheca fratrum T. VIII]

JOHANNIS LUDOVICI WOLZOGENII

Baronis Auſtriaci,

Opera Omnia,

EXEGETICA, DIDACTICA,

ET

POLEMICA.

Quorum Seriem verſa pagina exhibet.

Cum indicibus neceſſariis.

IRENOPOLI

Poſt annum Domini 1656.

Samuel Manning

PRÆFATIUNCULA.

MUlti viri insignes & priscis & recentioribus temporibus, ob virtutem & pietatem tum alia aspera passi, tum exsulare coacti, interdum eò devenerunt, ut si non quod ad corpus, saltem quod ad spiritum attinet, injuria eis illata locum fecerit fortunæ meliori, Deo ita res ipsorum gubernante. Tale quid evenit inter alios *Johanni Ludovico à Wolzogen*, libero Baroni Austriaco. Qui cùm ex Austria patria sua, ob religionem à Pontificia dissentientem, & Calvini placitis consentientem, cum aliis quibusdam migrare coactus esset, maluit & patriæ & bonorum suorum, quàm conscientiæ jacturam facere. Cùm autem migrasset in confinia Poloniæ, ibi incidit in quosdam Fausti Socini libros, sententias à Calvini sententiis dissentaneas continentes. Ex quorum lectione, pro eo quo erat præditus perspicaci ingenio & acri judicio, tum etiam inprimis animo pietatis studioso, agnovit eam doctrinam, magis quàm Calvini, esse Christi doctrinæ, in Libris Novi Testamenti comprehensæ, consentaneam. Hanc igitur ut veriorem se invenisse gaudens, amplexus est, atque sese in Polonia Christianis unitariis & eorum Ecclesiæ associavit. Et quanquam interdum tum in Philosophicis studiis, ac inprimis Mathemathicis tractandis, tum in officiis Magnatum quorundam, qui ob eruditionem & prudentiam egregiam eo familiariter utebantur, (nam inter cætera & à Serenissimo Electore Brandeburgico, cùm sororem suam, Fratri Principis Transylvaniæ Rakocio nuptum dedisset, ad sponsam sponso deducendam atque tradendam; & ab Opalinio Palatino Posnaniæ, ad adducendam ex Gallia Regi Poloniæ Vladislao conjugem, proficiscenti, pro legationis secretario fuit adhibitus) nonnihil operæ impenderet; tamen maxime ad Theologicas meditationes, sibi magnopere gratas, animum applicabat: Quas etiam scripto consignatas reliquit. Eas quia tùm ad Sacrarum Literarum sensum pernoscendum, tum ad pietatis studium excitandum ac promovendum non parum momenti allaturas existimavimus, nunc in publicum emittimus. His benevole lector utere, & VALE.

Catalogus hoc volumine contentorum.

Commentarius in Euangelium MATTHÆI.
MARCI.
LUCÆ.
JOHANNIS.
A. W. in ACTA APOSTOLORUM.
in Epistolam JACOBI.
JUDÆ.
Præparatio ad utilem S. S. Litterarum lectionem, in qua de natura Religionis Christianæ agitur.
3 Conciones in Joh. 17. 3.
Compendium Religionis Christianæ.
Declaratio duarum contrariarum sententiarum de Uno Deo Patre & de uno Deo in essentia & tribus personis.
Annotationes ad *J. Slichtingii* quæstiones de Magistratu, Bello, & defensione.
Annotationes in Meditationes Metaphysicas Renati Discartis.
Responsio ad *Jonæ Slichtingii* Annotationes in Annotationes de Magistratu, Bello & privata defensione.

224057 III/5

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA

z Bibliotheki
Wrzesińskiej

PROLEGOMENA
IN
NOVUM TESTAMENTUM.

CAP. I.

De significatione vocum, Testamenti & Διαθήκης.

Testamentum est Latina vox, denotatque propriè, ultimam voluntatem atque ordinationem moribundi hominis, de eo quid post obitum suum fieri velit. Hîc autem impropriè ac per metonymiam sic vocatur Liber iste, in quo plurium sanctorum ac à Deo afflatorum virorum dignissima fide scripta, de rebus, quas Deus humano generi ad æternam salutem per Jesum Christum revelavit, continentur. Atque hunc titulum olim primi Christiani post Apostolorum decessum huic libro præfixerunt.

Græca vox Διαθήκη, quæ hîc reddita est voce *Testamenti*, significat propriè ordinationem vel dispositionem: ac potissimum de testamentis, id est, ultimis ordinationibus morientium usurpatur. Nihilominus etiam apud probatos scriptores Græcos accipitur in significatione *Fœderis*: inprimis apud LXX. interpretes Græcos Veteris Testamenti, qui ubique vocem Hebræam *Berith*, quæ notat Fœdus, reddiderunt Διαθήκη.

Habent autem Fœdera & Testamenta magnam inter se affinitatem, præsertim quandò hæres in testamento ad certas conditiones, ut plerumque fieri assolet, obstringitur. Quemadmodum enim in Fœdere pars utraque obligatur ad certa quædam facienda: ità in Testamento quoque, & qui id scribit, obligatur ad bona sua hæredi relinquenda, & hæres cui id inscribitur, obligatur ad servandas conditiones in Testamento expressas. Et quemadmodum olim omnia fœdera sanguine seu mactatione pecudis alicujus sancita & confirmata fuere: (unde etiam Vetus Fœdus, quod Deus cum Israëlitico populo pepigit non sine sanguine sancitum est Hebr. 9. 18.) sic etiam nullum est validum Testamentum, nisi mors Testantis interveniat. Ac propter hanc postremam similitudinem Auctor Epistolæ ad Hebræos utitur voce Διαθήκης in significatione Testamenti, atque ex eâ sumit argumentum suo proposito serviens; ut ibidem cap. IX. 15, 16, 17 videre est.

Ex his duabus significationibus vocis Διαθήκης, Testamentum & Fœdus designantis, huic loco magis apta est posterior significatio, ut liber hic potius *Novum Fœdus*, quàm *Novum Testamentum* vocandus esset. Non ideo, quod id quòd eo continetur non sit propriè Testamentum; (est enim voluntas Christi, quam ille morte sua confirmavit) sed propter oppositionem *Veteris* ac *Novi* Fœderis, quæ non in hoc solum Libro 2 Cor. 3. 6, 14. Gal. 4. 24. Hebr. 8. 9. IX. 15, 18. XII. 24, sed etiam apud Jeremiam Prophetam cap. XXXI. 31, 32 reperitur. Illud enim, quod Deus quondam per Mosen cum Israëlitis pepigit, non appellatur Testamentum, sed *Berith*, id est, Fœdus Exod. XXIV. 7, 8. Quamobrem etiam hoc, quod Deus per Christum cum humano genere pactus est, non Testamentum, sed Fœdus dicendum est: alioqui non constaret oppositio. Imò prorsus verisimile est, Christum in institutione Cœnæ Dominicæ illis verbis, *Hic est sanguis meus ille Novi Fœderis*, adhibuisse tale vocabulum in eâ, quâ usus est, linguâ, quod proprie Fœdus significat, cum sanguinis sui faciat expressam mentionem, eoque respiciat ad ad sanguinem illum, quo Vetus Fœdus sancitum est.

CAP. II.

De discrimine inter Vetus & Novum Fœdus.

INter plurimos errores, qui in Christianam Religionem irrepserunt, haud exiguus est, quod discrimen inter Vetus ac Novum Fœdus, seu inter Legem Mosis, & Euangelium Jesu Christi, non rectè intelligatur & explicetur; sed utraque ita confundantur, ut penè sciri nequeat, Christianine Judæi, an Judæi Christiani dicendi sint. Quapropter operæ pretium erit, ut hoc discrimen clarius exponamus, & quanta sit Novi Fœderis præ Veteri præcellentia atque perfectio, ob oculos ponamus.

Consistit autem discrimen ac differentia inter Vetus ac Novum Fœdus, adeoque præstantia & eminentia Novi Fœderis præ Veteri, potissimum in sex capitibus. 1. In Mediatoribus per quos utrumque Fœdus sancitum est. 2. In mandatis ac præceptis. 3. In promissionibus. 4. In confirmatione Fœderis. 5. In efficacia & operatione. 6. In amplitudine & ambitu.

1. *Differentia quoad Mediatores.*

Mediator Veteris Fœderis inter Deum & Israëliticum populum fuit Moses. Qui quidem ex tribu Levi fuit oriundus Exod. 2. 2, cæterum nihil singulare præ reliquis hominibus habuit: æque enim

ac alii homines vulgares è virili eſt conceptus ac prognatus ſemine. Quin ex tali natus eſt conjugio, quod deinceps ſub Lege pro inceſtu judicatum eſt. Levit. 18. 12. Genitus enim eſt ex amita patris ſui Exod. 6. 19. Quod conſervatus ſit in vita vigente tam ſevero edicto Regis Pharaonis de interimendis omnibus Hebræis infantibus, Exod. 1. 16. 11. 3, 4 erat quidem aliquid ſingulare, non tamen fuit miraculum.

Educatus fuit regalem in modum ſummo cum honore, tanquam filius filiæ Pharaonis Exod. 2. 10, quod ipſi maximam conciliavit auctoritatem; quod etiam ipſi, utpote Duci ac Principi tam potentis populi apprime erat neceſſarium. Eruditus fuit in omni ſapientia Ægyptiorum Actor. 7. 22. Cui rei tamen hæc annexa fuit imperfectio, quod impeditam linguam habuerit, & ſermone promtus haud fuerit Exod. 4. 10, id quod ipſi ad eloquentiam comparandam maxime obſtitit.

Mediator Novi Fœderis Jeſus Chriſtus, oriundus fuit è Regia tribu Judæ, idque non uſitato ac vulgari aliorum omnium hominum modo, è ſemine virili, ſed miraculoſa virtute Spiritus Sancti in utero puriſſimæ virginis conceptus atque ex ea genitus eſt Matth. 1. 18, 20. Luc. 1. 35. Non in aula Regia in regali ſplendore & honore fuit educatus, neque in artibus ac ſapientia mundana eruditus: ſed in domo parentum ſuorum, pauperum ac ſimplicium, qui labore manuum ſuarum victitabant, ubi præter Dei timorem, nullam alius ſapientiæ addiſcendæ occaſionem habuit. Et tamen nihilominus tanta fuit ejus ſapientia, ut ea Salomonem quoque ſupergreſſus ſit Matth. 12. 42. ut univerſus populus ſuper eam obſtupeſceret Matth. 13. 54. Lingua ejus non fuit ligata, ſed verba promanabant ex ore ejus aurei fluminis inſtar, tanta cum gratia, ut nemo non admiraretur. Luc. 4. 22. E quibus omnibus intelligitur, illum vitæ ſuæ & ſapientiæ auctorem, præter Deum Patrem ſuum, alium habuiſſe neminem.

Revelatio Moſi facta eſt per Angelum, non ſolum in rubo ardente Exod. 3. 2; ſed etiam in monte Sinaitico. Quod enim utrobique Angeli fuerint, qui Dei vices ſubierunt, & majoris auctoritatis conciliandæ cauſa verba ſic protulerunt, quaſi Deus ipſe præſens adeſſet, diſerte teſtatur Stephanus protomartyr Act. 7. 30, 38, & ex Hebr. 2. 2 idem colligitur. Chriſtus autem in ipſo cœlo apud Deum Patrem ſuum fuit, atque immediate ab eo mandata accepit, & voluntatem ejus didicit, eamque hominibus inde attulit Joh. 1. 1, 18. VI. 38, 46. XII. 28. Ut ita longe excellentiori ac magis proprio ſenſu de Chriſto, quam de Moſe dici queat, quod Deus à facie ad faciem cum eo locutus ſit, non tantum ſicut amicus cum amico ſuo, (quod de Moſe dictum eſt Exod. 33. 11.) ſed ſicut pater cum filio ſuo dilectiſſimo.

Officium Moſis præcipue in duobus ſitum erat: Primo, quod Iſraëlitas ex Ægypto eduxerit, ut eos in terram promiſſam introduceret, adeoque eos ex ſervitute in libertatem aſſeruerit. Deinde, quod Mediator inter Deum & Iſraëlitas fuerit, eis voluntatem Dei annunciarit, & apud Deum nomine eorum, quæ peragenda ipſis erant, egerit ac perfecerit.

Chriſtus Jeſus autem univerſum genus humanum è ſervitute ſpirituali peccati ac mortis liberavit, & ſempiterna redemtio per eum parta eſt Tit. 2. 14. Hebr. 2. 14. IX. 2. Factus quoque eſt multo præſtantioris Fœderis Mediator, quod in melioribus promiſſis ſancitum eſt Hebr. 8. 6.

Moſes fuit ſervus in domo Dei Num. 12. ℣. 7. Hebr. 3. 5. Chriſtus autem eſt filius, & unicus hæres, uti voce cœlitus emiſſa declaratus eſt Matth. 3. 17. XVII. 5. Hebr. 1. 1. Quanto igitur filius ac hæres unicus in domo ſublimior & excellentior eſt ſervo, tanto ſublimiora ac majora ſunt opera, quæ Paterfamilias per filium ſuum perficit, quam ea, quæ per ſervum.

Moſes fuit quidem magnis virtutibus prædirus, & gratus acceptuſque Deo ac hominibus, quemadmodum Sirachus initio Cap. 45 laudes ejus deprædicat; non tamen fuit abſque vitiis, dum divino mandato, cum ad Pharaonem legaretur, diu reluctatus eſt Exod. 4. 2, 10, 13, 14. Etiam in deſerto Zin, ut ipſi Judæi agnoſcunt, non parvam erga Deum diffidentiam ſuam demonſtravit, cum ad populum diceret, ſcipione ſuo aquam ex petra educturus: *Num etiam ex hac petra proferemus vobis aquam?* Num. 20. 11. quaſi dicat: Num fieri poterit, ut ex hac rupe aqua eliciatur? In his enim verbis ſita fuit diffidentia erga Deum, non vero in eo, quod bis petram percuſſerit. Tale diffidentiæ atque incredulitatis plenum fuit quoque dictum illud Saræ: *Num etiam vere paritura ſum, cum conſenuerim?* Gen. 18. 13, id eſt, nunquam pariam. Sic Moſes quoque vult dicere: Impoſſibile eſt, ex hac petra aquam proferre. Colligitur autem ex Pſal. 106. 32, 33, hanc diffidentiam conjunctam fuiſſe cum impatientia, quam in eo populus ſua inobedientia & murmuratione excitaverat: ex qua impatientia hæc diffidentiæ index (aut potius inconſiderata) locutio, profecta eſt. Quod enim de Dei omnipotentia aut voluntate nullam habuerit dubitandi cauſam, exinde patet, quod jam antea ſemel virga ſua ex rupe Horeb aquam eduxerat Exod. 17. 6. Hæc ejus diffidentia, impatientia, atque inconſiderantia in cauſa fuit, ut quod Iſraëlitico populo in Lege promiſerat, ipſe non ſit conſecutus. Nam in promiſſam terram ingreſſus non eſt, ſed in deſerto in perpetua contentione ac *lucta cum pertinaci ac immorigero populo vitam finiit.*

Chriſtus vero teſtimonium habet à ſuis, quod nullum unquam peccatum admiſerit 1 Petr. 2. 22, adeo ut eo fretus auſus fuerit provocare Judæos, & dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joh. 8. 46. In iis quæ alios docuit, exemplo præivit ſuo: tota vita ejus erat abſque fuco & fallaciis; in adverſis & in atrociſſimis cruciatibus ſpecimen ſummæ patientiæ ac fiduciæ in Deum edidit. Dilexit omnes homines, etiam ſibi infeſtiſſimos, qui eum rapiebant ad mortem, adeo ut etiam pro illis oraverit Luc. 23. ℣. 34. Præmium, quod aliis pollicitus eſt, ipſe primus adeptus eſt. Poſtquam enim reſurrexit, ſpectantibus duodecim diſcipulis ſuis in cœlum ſublatus eſt Actor. 1. 9. Inde ad demonſtrationem ſuæ divinæ poteſtatis, quam à Patre ſuo accepit, Spiritum Sanctum in diſcipulos ſuos effudit Actor. 2. 3, 4. X. 46 & ſeqq.

Jam ex hac Chriſti præ Moſe præſtantia, quam hic compendio

compendio tantum complexi ſumus, præſtantia quoque Novi Fœderis præ Veteri agnoſci poteſt.

2. Differentia, quoad præcepta & mandata.

Alterum, in quo Novum Fœdus à Veteri differt, ſunt mandata & præcepta. Lex Moſis triplicia continet in ſe mandata, Moralia, Ritualia, & Civilia ſeu Forenſia. Inter Moralia primarium eſt de charitate, ut ſcilicet *diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus* Deut. 6. 5, & *proximum noſtrum ſicut noſmet ipſos* Levit. 19. ℣ſ. 18. Quod utrumque Chriſtus maximum præceptum Legis vocat Matth. 22. 39, 40. Sed charitas, quam Deus ſub Veteri Fœdere æqui bonique conſulebat, non excedebat naturam illius religionis, ac inprimis promiſſionum, per quas carnali populo charitas ingenerari, & in eo conſervari potuit. At in Chriſtiana religione tam perfecta charitas erga Deum exigitur, ut perfectior venire homini in mentem nequeat: quandoquidem & promiſſiones tam perfectæ ſunt, ut omnia hominum vota & intellectum ſuperent. Charitas autem erga proximum tam perfecta eſt, ut idcirco Chriſtus præceptum ſuum de ea datum *novum præceptum* vocet Joh. 13. 34: quia nimirum perfectione par præceptum nullum vel Moſes vel legiſlatorum quiſquam unquam præſcripſit. Fere enim dici poteſt, nobis proximum noſtrum, in rebus ad hanc vitam pertinentibus, non ſolum ſicut nos ipſos, verum etiam ſupra nos ipſos amandum eſſe, dum obſtricti ſumus, non modo multa incommoda ejus in gratiam ſubire 1 Cor. 9. 19, 20 & ſeqq. magis ipſius quam noſtri habere rationem Phil. 2. ℣ſ. 4, propter infirmitatem ejus abſtinere ab iis rebus, quibus uti licite pro Chriſtiana libertate poſſemus Rom. 14. 13, 15, 20, 21; ſed etiam vitam pro fratribus ponere Joh. 13. 12, 13. 1 Joh. 3. 16. Imo charitas ſub Novo Fœdere etiam ad inimicos protenditur, ut eis benedicamus, benefaciamus, & pro illis oremus qui nobis maledicunt, odio atque injuriis nos infeſtant Matth. 5. 44. Cum contra ſub Veteri Fœdere permiſſum fuerit de quovis lædente, ſive amico, ſive inimico, ultionem ſumere, & oculum pro oculo, dentem pro dente exigere Levit. 24. ℣ſ. 20. Quod conjugalem amorem attinet, in ea Lex Moſaica permittit talia, quæ ei è diametro repugnant, ut polygamiam, uti patet ex Deut. 21. 15. 2. Sam. 12. 8, & divortium ob quamlibet cauſam Deut. 24. 1, 2 & ſeqq. Verum Lex Chriſti requirit, ut ſicut uxor uni marito animum conjugali amore devinctum gerit, ita viciſſim illa ſola à marito redametur, non ulla alia præter ipſam Matth. 19. ℣ſ. 9. 1 Cor. 7. 2, & præterea, ut maritus humanas infirmitates illas in uxore patienter ferat, quæ uxor quoque in marito ferre tenetur.

De aliis præclaris virtutibus, qualis eſt patientia, modeſtia in verbis, factis, ac geſtibus, ſobrietas in cibo ac potu, ut & ἀυτάρκεια virtus eximia, quæ facit, ut non plura quæramus aut deſideremus, quam neceſſitas poſtulat, ſed noſtra ſorte & quaſi demenſo contenti ſimus: de iſtis, inquam, omnibus, nullum extat præceptum in lege Moſis, neque de contrariis vitiis interdictum. Quia nimirum promiſſa Veteris Fœderis tantum ſpectabant felicitatem carnalem, uti poſtmodum intelligetur; ideo conceſſa erant omnia, quæ ad illum finem conducebant, & pro cujuſque inclinatione ac cupiditate gaudium atque voluptatem afferre poterant, dum modo cultus divinus haud negligeretur, nec ullum aliud mandatum cum comminatione pœnæ conjunctum violaretur. Quod enim quidam ex Scriptura demonſtrare conantur, exceſſum in edendo ac bibendo, ſuperbiam in veſtitu ac moribus ſub Veteri Fœdere prohibita ac pœnis obnoxia fuiſſe, id ſuo loco in Commentario refutabitur. Vide de priori 1 Cor. 6. 10, de poſteriori 1 Tim. 2. 9.

Quod autem ad haſce virtutes ſub Novo Fœdere attinet, in eo tanta patientia præſcribitur, ne cuiquam malo ulla ratione, cum noxa lædentis reſiſtamus Matth. 5. 38, tanta humilitas ac modeſtia, ut qui major eſſe cupit, infra alios ſe ſubmittat, omniumque miniſter fiat Matth. 20. 27. Quæ utraque virtus, ne pro minus neceſſaria & ſuperflua ſanctitate haberetur à nobis, idcirco Chriſtus utriuſque ſummam utilitatem & efficaciam in ſuo ipſius exemplo exhibuit, & per has virtutes ſummam gloriam conſecutus eſt. Quoad uſum bonorum temporalium, in Chriſtiana religione circa ea anxius labor & ſolicitudo interdum prohibetur: quia nimirum animus ſufficiens non eſt ad duarum rerum curam ſimul gerendam, quarum unaquæque totum requirit hominem, & quarum una alteram impedit; & quia illa anxia cura rebus terrenis impenſa, ac ſolicitudo de iis cuſtodiendis ac retinendis, magnam ſervitutem ac dolorem ſecum trahit, per quem ſperata ex iis voluptas tollitur; ac tandem, quia parvo natura contenta eſt, & non magno labore ei poteſt ſatiſfieri. Quod ſi ſupra neceſſitatem Deus aliquid largiatur, non jubet Chriſtiana Religio id in mare projici, ut nonnulli Philoſophi Ethnici inſipienter fecerunt, neque etiam inutiliter recondi ac aſſervari, vel etiam prodigi; ſed eo jubet aliorum hominum defectus ſuppleri, eorum neceſſitati ſuccurri: prout illos decet, qui norunt, ſe non eſſe dominos horum bonorum, ſed Dei ſupremi Domini ac Patris-familias adminiſtros ac diſpenſatores. Qua in parte Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ ſuo exemplo præluxerunt, qui etiam 2 Cor. 9. 2 è Macedonia & Achaja, pauperibus in Palæſtina exiſtentibus, largam ſtipem ſubmiſerunt, perinde quaſi totus mundus una domus eſſet. Et ne quis ſuæ avaritiæ aut tenacitati prætendere queat, ſe propter venturam ſenectutem & varios caſus indigere iis, quæ ipſi modo ſuperſunt, promittit Lex Chriſti Matth. 6. 26, 28, 30, peculiarem Dei curam ac providentiam iis, qui præcepta ejus obſervaverint, ponens eis ob oculos mirabilem conſervationem avium cæleſtium, & aliorum animantium, nec non ornatum graminis & liliorum agri: monſtrans præterea, quam abſurdum ſit, ſi optimo ac omnipotenti Deo, non aliter, quam malæ fidei debitori, credere velimus, niſi pignore ab eo in manus dato. Quid multa? quicquid lumen ſanæ rationis dictat eſſe *honeſtum, juſtum, purum, amabile, quicquid eſt bonæ famæ, ſi quæ virtus eſt, & ſi quæ laus*, ea cuncta ſectari nos jubet Dei Chriſti Philip. 4. 8. E quibus univerſis maximum diſcrimen inter Vetus ac Novum Fœdus hac in parte

clariſſime elucet, dum revera in Lege Moſis nonniſi umbra quædam illius ſapientiæ, quæ in vita virtutibus conſpicua conſiſtit, apparuit, quæ in lege Chriſti in ſua plena luce ſplendens, tanquam cæleſte aliquod lumen conſpicitur.

Ritualia præcepta ad cultum Dei pertinentia quod attinet, quia Judæi erant populus duræ cervicis & ad idololatriam proniſſimus, (quam cauſam etiam Judæi doctiores ipſimet agnoſcunt) ideo talia eis ſunt impoſita, quæ natura ſua neque bona ſunt, neque mala, adeoque Deo, remota conſideratione mandati ejus, & illorum obedientiæ, per ſe placere nequaquam poſſunt. Talia erant ſacrificia, circumciſio, ſtricta obſervatio Sabbati, delectus ciborum & ſimilia. At Chriſtiana Religio docet, Deo, qui eſt pura mens ac ſpiritus, pura mente, *in ſpiritu ac veritate* ſerviendum, & Joh. 4. 24 &, ut Apoſtolus loquitur Rom. 12. vers 1, *rationalem* ei *cultum* præſtandum eſſe. Sic eadem Chriſtiana Religio docet, non carnem circumcidendam, ſed vitioſas concupiſcentias Rom. 2. vers 28, 29, non certis diebus ab omni labore abſtinendum, ſed omni tempore mala opera eſſe vitanda 1 Cor. 5. 8. Deo non ſanguinem aut adipem pecudum, ſed noſtrum proprium ſanguinem propter nomen ejus eſſe ſacrificandum 1 Petr. 2. 21, imo pet integrum vitæ noſtræ ſpatium corpora noſtra eſſe exhibenda velut hoſtiam vivam, ſanctam, Deoque acceptam Rom. 12. 1, non à certis cibis abſtinendum, ſed omnibus cum gratiarum actione & modo utendum 1 Cor. 10. 24. 1 Tim. 4. ℣. 4. Aliquando etiam corpori cibum ſubtrahendum, ut animus ad rerum cæleſtium contemplationem ſit expeditior Matth. 6. 17, 18. 1. Cor. 7. 5.

In lege Moſis nullum reperitur mandatum de Orando, tametſi ſancti ac pii homines Deum religioſe invocaverint, non præcepti alicujus, ſed naturæ ipſius, ac neceſſitatis impulſu. Religio Chriſtiana autem etiam hanc eximiam cultus divini partem inſtituit, & non tantum orare imperat, verum etiam docet ſimul ſapientiſſime, quomodo, quando, quid, & quem orare debeamus.

Præcipua autem pars Chriſtianæ religionis conſiſtit in plena animi fiducia erga Deum, ut nos quanti quanti ſumus una cum anima & corpore in paternum Dei ſinum abjiciamus, ejuſque promiſſis abſque ulla hæſitatione credamus. Ex qua fiducia porro tum ſpes, tum inenarrabilis theſaurus tranquillæ conſcientiæ, quæ ſemper ac in omnibus ſeipſa contenta eſt, reſultat; nec non vera ac minime fucata charitas erga Deum & proximum. Ex hac charitate deinde naſcitur vera Deoque grata obedientia, efficitque ut Dei mandatis, non tanquam ſervi coacte, ſed tanquam filii ſponte, & ſummo cum animi deſiderio ipſi tanquam Patri ac benefactori noſtro placendi, pareamus.

Talis obedientia ſub Veteri Fœdere neceſſario haud exigebatur, ſed ſatisfaciebat ſuo officio, quiſquis externe & corpore ſuo peragebat penſum ſibi in Lege ſub comminatione pœnæ præſcriptum. Ad opera animi nemo proprie loquendo obſtrictus fuit, tametſi Lex eo collimaret, ut hominis animum ſanctum atque perfectum redderet. Quocirca nulla in lege pœna in eum erat conſtituta, qui Deum non ex toto corde diligeret, cor ſuum non circumcideret, qui non animo promto & alacri mandata Legis impleret. (Vide de hoc plura Matth. 5. 17.) At ſub Novo Fœdere talis obedientia exigitur, quæ proprie hominibus, id eſt, intellectu ac ratione præditis creaturis convenit, qui non egent freno aut lupato, ſicut equi ac muli, ſed qui ſe nutu Dei regi patiuntur Pſal. 32. verſ. 9: nimirum obedientia, quæ oritur ex animo hilari & promto, exque rationali conſideratione eorum omnium, quæ hominem ad talem obedientiam permovere atque adducere poſſunt.

Tertio forenſes & ad politiam ac boni ordinis conſervationem ſpectantes leges quod attinet, præcipuæ inter eas ſunt, quæ de pœnis inobedientium ac trangreſſorum Legis agunt. Hæ in Moſaica lege ordine perſcriptæ ſunt, & Judicibus pro norma judicandi, omnibus autem ad terrorem ſunt propoſitæ. Verum Chriſtus ſub Novo Fœdere nullas hujus generis leges judiciarias de pœnis corporalibus populo ſuo tradidit, neque ullum dedit mandatum de tranſgreſſoribus ſecundum Moſis aut aliarum gentium legem puniendis. Sed aliud multo perfectius Tribunal in Regno ſuo erexit, in quo nulla talia feruntur decreta, ad quorum exequutionem lictore aut carnifice opus ſit. Tribunal hoc eſt ſancta ejus Eccleſia, quæ per ſpiritum, qui in ea habitat, de tranſgreſſoribus fert ſententiam, & pro gravitate criminis inobedientes, tanquam putrida membra, Matth. 18. 17. 1 Cor. 5. 2, 13, à corpore ſuo reſecat, & judicio Chriſti ſupremi Judicis tradit. Is pro ſumma ſua ſapientia optime novit, quomodo unumquemque delinquentem ac præceptorum ſuorum contemptorem tractare debeat. Nam vel occulta ratione in tales judicia ſua exercet, vel procurat, ut nihilomines extra Eccleſiam illi in manus carnificis incidant, qui à ſpiritu ejus ſe regi atque corripi non ſinunt. Pœnæ autem ſub Veteri Fœdere citra miſericordiam executioni dabantur Hebr. 10. 28: neque integrum erat Judici eas cuiquam remittere. Lex vero Chriſti fragilitatis humanæ magnam habet rationem, ſummaque erga eam patientia utitur, non ſemper properat ad pœnam, nec recentia facta illico plectit, ſed dat locum pœnitentiæ, & ad eam incitat ac invitat. Quæ quando ſeria ac perfecta conſequitur, Chriſto eſt multo gratior, quam ſanguis gladio ultore effuſus, vel pretioſiſſimum ſacrificium. Quid hac re poteſt eſſe ſapientius ac juſtius? Ex adverſo pœnitere neſciis longe graviora ſupplicia ſub Novo Fœdere ſunt conſtituta, quam ſub Veteri: ita ut laſcivus ac libidinoſus aſpectus alienæ uxoris, pari ſupplicio cum adulterio, ira cum homicidio, & convitia igne Gehennæ, punienda ſint. Nimirum Lex Chriſti opera judicat atque æſtimat ex animo, non ex operibus animum. Eſtque omnino æquiſſimum, ut gravius animadvertatur in eos, qui non ſolum mandata, verum etiam longanimitatem ac patientiam tam boni ac æqui Judicis vilipendunt.

3. *Differentia, quod promiſſa.*

Tertia differentia inter Vetus ac Novum fœdus conſiſtit in promiſſionibus ac præmiis, quæ ſecundum tenorem Fœderis Dei viventibus propoſita ſunt.

Si in-

Si integrum Moſaicæ Legis volumen evolvatur, nulla ſublimior in eo reperietur promiſſio, quam ſtatus in hac vita tranquillus ac beatus, omnique voluptatum genere refertus: vita ſcilicet longa, bona valetudo, abundantia rerum, quæ ad hominis lætitiam ac delectationem faciunt, fertilitas terræ, pecoris ac hominum conſervatio, & victoria ſuper hoſtes, ac ſimilia. Quarum rerum omnium fruitio aſſignata erat in terrâ illâ promiſſâ, quæ propter ſummam fœcunditatem ita deſcribitur Exod. 3. 8, 17. XIII. 5 & ſeqq. quod lacte & melle fluat. Tales promiſſiones habentur nominatim Exod. 23. 25, 28. Levit. 26. 3 & ſeqq. Deuter. 7. 12, 13. xxviij. 2 & ſeqq. At promiſſiones à Chriſto fidelibus factæ ſunt, poſt mortem vita æterna ac beatiſſima: in hâc vero vita, præter paternam Dei curam de rebus nobis neceſſariis, & fidelem in periculis cuſtodiam, gratioſiſſimum auxilium & aſſiſtentia Dei per Spiritum Sanctum; per quem ſpes tanti præmii in noſtris cordibus obſignetur, nos ad omne bonum opus excitemur & impellamur, in afflictionibus ſolatio demulceamur, in infirmitate novis viribus reficiamur, in tentationibus præſervemur, animique noſtri adverſus mortis ipſius terrorem muniantur. De quo tam inſigni munere nulla quoque in Veteri Fœdere invenitur promiſſio, quia hoc inæſtimabile pignus Spiritus Sancti temporibus Magni Servatoris mundi reſervari debuit, & per illum ſic paſſim diſtribui.

Hanc tam grandem differentiam inter Moſaicam Legem & Chriſtianam Religionem, promiſſorum ratione, clariſſimis verbis expreſſit ſcriptor Epiſtolæ ad Hebræos, dum ait, *Chriſtum tantò præſtantius miniſterium ſortitum eſſe, quantò præſtantioris eſt Fœderis Mediator, quod præſtantioribus promiſſis ſancitum eſt* Hebr. 8. 6. Et Paulus Apoſtolus, dum inquit: *Chriſtum aboleviſſe mortem, & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxiſſe per Euangelium* 2 Tim. 1. 10. Si vita & incorruptibilitas per Euangelium in lucem producta eſt, ſequitur utique eam antè Euangelium in tenebris latuiſſe. Eodem ſenſu dicit Auctor ad Hebræos cap. 2. 3: *ſalutem noſtram initium prædicationis accepiſſe à Domino*, & cap. 7. 19, *Lex nihil conſummavit, ſed ſuperintroductio ſpei potioris, per quam appropinquamus Deo.* Vide quoque Joh. 1. 4. Hebr. 9. 8. 1 Joh. 1. 2. v. 11.

Atque hæc tam excellens promiſſio optime etiam congruit cum præceptis & obedientia Novi Fœderis. Cùm mandata hic ſint longe perfectiora & ſanctiora quàm ſub Veteri Fœdere, ipſa natura rei poſtulavit, ut perfectior quoque remuneratio hæc mandata ſervantibus conſtitueretur.

Præterea clarum eſt, ſpem vitæ æternæ è cognitione Dei pullulare, dum credimus, eum eſſe noſtrum Patrem, adeoque nobis ceu filiis ſuis veram illam & ſempiternam hæreditatem, quæ repoſita eſt in cælis, reipſa conferre decreviſſe. Talem ſe Patrem Deus ſub Veteri Fœdere non demonſtravit nec ab hominibus agnitus eſt. Etſi enim tunc quoque Pater vocatus ſit 2 Sam 7. 14. Pſal 68. 6. LXXXIX. 27, non tamen vera ac propria vis hujus nominis ſic fuit illo tempore patefacta, quemadmodum nos eam nunc ex Chriſti doctrina agnoſcimus: Chriſtus enim diſertè affirmat, quòd *nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare* Matth. XI. 27. Et Paulus Apoſtolus ait, quod *non acceperimus Spiritum ſervitutis rurſum ad metum*, (ſicut ſub Lege) *ſed quod acceperimus Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, Pater* Rom. 8. 15. Porro, fatentur eruditiſſimi Judæorum ipſi, promiſſiones Veteris Fœderis nonniſi temporarias eſſe, ut Philo, Joſephus, Albo, &c. Quanquam hoc addunt tamen, terrenas iſtas promiſſiones, quæ *Legi operum* propoſitæ ſunt, ſigna ac figuras fuiſſe cæleſtium bonorum, quæ *Legem Spiritus* conſequuntur.

In eadem ſententia fuere plures è veteribus Eccleſiæ Patribus, ut vocantur, inter alios Hieronymus, contra Pelagium, dicentem, Regnum cælorum etiam in Veteri Teſtamento fuiſſe promiſſum, diſputans ait: *Perſpicuum eſt, Regnum cælorum primum in Euangelio prædicari.* Et Chryſoſtomus inquit: *Legens Legem, legens Prophetas, legens Pſalterium, nunquam Regnum cælorum audivi, niſi in Euangelio.* Conſonat his Auguſtinus, de geſtis Synodi Palæſtinæ ſcribens, ubi exertè confitetur, in Lege Moſaica, ſeu in Fœdere quod Deus in monte Sinaï cum Iſraëlitico populo percuſſit, non alias quam terrenas promiſſiones contineri: idque probat loco citato è lege in Epiſtola ad Galatas cap. 3. 12: *Quiſquis ea fecerit, vivet per ea:* id eſt, non morietur tali morte, non lapidabitur, non gladio percutietur, aut aliquid ſimile patietur.

Cauſam verò, cur in Lege Moſis nonniſi terreſtria bona promiſſa ſint, hanc afferunt memorati viri docti è Judæis, quod Lex non ſapientibus duntaxat, ſed univerſo populo, quorum maxima pars intellectu minus valet, data ſit. Itaque oportuiſſe in lege tam univerſali talia proponi promiſſa, quæ omnes ac ſinguli è populo capere poſſent, quæ nimirum in externos ſenſus incurrunt, & corpore percipi ac ſentiri queunt. Nam quæ nudo intellectu percipiuntur, ea ſoli ſapientes intelligunt, ſed plebs promiſcua habet ea pro impoſſibilibus. Talia autem ſunt bona futuræ vitæ, quæ, ut Paulus loquitur 1 Cor. 2. 9, *oculus non vidit, auris non audivit, nec in ullius hominis cor aſcenderunt.* Quapropter mirandum non eſt, Deum craſſo iſti, ſtupido, & (qualem eum fuiſſe tota de actis ejus hiſtoria clare loquitur) carnali populo, ea manifeſte non promiſiſſe, quæ captum ejus ſuperabant, ſed ſe accommodaſſe ejus naturæ ac viribus, atque per viſibilium rerum pollicitationem ac exhibitionem, tam altè radicatam peccandi conſuetudinem tollere voluiſſe: non ſecus, ac patres ſolent immaturos ac teneros liberos ſuos, non ſpe hæreditatis, quam nondum capiunt, ſed partim levioribus beneficiis, partim metu verberum in officio continere. Adhæc divinæ quoque ſapientiæ erat conſentaneum, omni modo ac ratione cavere, ne homines in eas cogitationes venirent, vitam æternam deberi eis ipſo jure naturæ, tanquam naturalem hæreditatem. Sic enim fieret, ut hoc incomparabile bonum, & hanc ineffabilem Dei bonitatem, tanti quam par eſt non facerent. Idcircò Deus per tam multa ſecula homines carere promiſſo tam inclyti theſauri voluit, ut miſera ſua conditione agnita, ad meliorem adſpirarent, ad eamque ſummo ſtudio ferrentur, & ubi eam conſequerentur, Dei ſingularem gratiam

NB.

ac benignitatem tanto majoribus laudibus extollerent, & ſimul agnoſcere poſſent, tempora hodierna multis paraſangis felicitate anteire priora illa antiqua. Id quod Chriſtus quoque ipſe clare indicavit illis verbis: *Beati ſunt oculi qui vident quod vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerint videre quod vos videtis, & non viderint; & audire quæ vos auditis, & non audierint* Luc. 10. 24.

Quod autem hactenus dictum eſt, non in hanc accipiendum eſt partem, quaſi nullus ſub Veteri Fœdere ſpem habuerit vitæ æternæ. Nullum enim eſt dubium, ſanctos & pios majus aliquod præmium ſuæ ſinceræ obedientiæ à Deo expectaſſe, quam quod in hac vita conſequebantur; ſed non vi claræ promiſſionis, verùm dictante id eis altiori quodam ſpiritu, excitati ipſorum animi, quo ſe in profundam conſiderationem infinitæ bonitatis atque potentiæ Dei demerſerunt, & ex ea concluſerunt, neutiquam fieri poſſe (cum ipſi in hac vitâ tam paucis diebus tranquillis uſi ſint, cum in miſerabili ſtatu tempus vitæ hujus tanquam hoſpites ac peregrini conſumpſerint Hebr. xi. 13) quin Deus fidelem ipſorum operam atque obſequium aliâ poſt hanc vitam remuneratione penſaturus ſit. Quæ ipſorum fides atque fiducia, ex filiali corde profecta, tanto acceptior ac gratior Deo fuit, quia ſine præviâ promiſſione tam præclaram de ipſo opinionem conceperant. Itaque id extra omnem eſt dubitationis aleam poſitum, eos reipſa aliquando ſempiternæ ſalutis compotes evaſuros. Interminabilis enim Dei bonitas nunquam permiſſura eſt, ut tanta & tam plena candoris ac ingenuitatis fiducia præmio digno careat: & nihil præterea impedit, quominus Deus plura dare poſſit, quam promiſit. Hinc Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. xi. 39, 40 luculenter aſſerit, omnes illos ſub Veteri Fœdere viventes, quorum fidem hoc capite mirifice prædicavit, olim una nobiſcum conſummandos, ſeu ad æternam beatitudinem admittendos eſſe. Indubitatum & hoc eſt, Deum hanc ſcintillam fidei ac ſpei ipſorum, per ſpiritum ſuum magis magiſque auxiſſe, & majori ſubinde flammâ ardere feciſſe, eamque in animis ipſorum ad mortem uſque nutriiſſe ac conſervaſſe, ut incidentibus tot adverſitatum inſultibus non fuerit extincta.

Contrarium nihilominus tam manifeſte veritati hodie docetur, quod ſcilicet Iſraelitis ſub Veteri Fædere, æque ac Chriſtianis ſub Novo, promiſſio vitæ æternæ facta ſit; cum tamen è tota Moſaica lege ne unicus quidem locus produci queat, è quo iſthæc promiſſio evidenter & perſpicue demonſtrari poſſit. Omnia Teſtimonia quæ illi allegant, vel è Prophetis petuntur, qui aliquot ſeculorum ſpatio poſterius, quam Lex data eſt, vixerunt, & quorum vox non ad omnium Iſraelitarum aures pervenit; vel ex nonnullis peculiaribus exemplis, è quibus generalis promiſſio elici non poteſt, vel ex hujuſmodi locis Novi Fœderis, in quibus certa myſteria explicantur & in lucem producuntur, quæ ſub Veteri Fædere fuere abſcondita, neque ab ullo citra divinam revelationem potuere intelligi. Si autem vita æterna tam Iſraelitis, quam Chriſtianis promiſſa fuiſſet, utique debuiſſet in ipſa Lege, quæ ad omnes ac ſingulos ſpectat, clara & expreſſa ejus mentio extare. Scopus enim primarius promiſſorum, quæ legi alicui tanquam præmium obedientiæ adjunguntur, eſt, ut iis omnes qui ad ſervandam legem obligantur, ad tanto alacriorem ac promptiorem obedientiam inflammentur & excitentur. Quapropter promiſſa hujuſmodi ab omnibus his quoque clare & diſtincte debent intelligi. Quod adverſus eos notandum eſt, qui inter has duas ſententias media incedunt via, atque è generalibus promiſſionibus (qualis inter alias eſt illa, quod Deus *ipſorum Deus futurus ſit* Exod. 6. 7) probare conantur, quod etiam ſub Veteri Fædere generalis promiſſio vitæ æternæ facta ſit. De quo plura videantur dicta ad Matth. 22. 32.

Eorum autem locorum, quæ ex Veteri Teſtamento ad hanc rem probandam afferuntur, primus eſt Dan. 12. 2, 3, qui locus ad Joh. 5. 29 explicabitur. Alter eſt Ezech. 37. 12, 13. Tertius Job 19. 28. qui uterque locus in explicatione 2 Tim. 1. 10 examinabitur. Primus autem locus è Novo Teſtamento eſt Joh. 5. 39. Secundus Matth. 23. 31. Tertius Hebr. xi. 10, 14. Quartus Actor. 24. 15. Quintus Actor. 26. 7. Sextus 1 Petr. 1. 11. Quæ probationes omnes ex his locis in explicatione eorum ad ſtateram veritatis expendentur.

Quarta differentia, quoad Confirmationem.

Quartum diſcrimen inter Vetus ac Novum Fœdus conſiſtit in Confirmatione. Quod attinet Vetus Fœdus, ut Iſraelitæ Moſi in omnibus, quæ Deo mandante eis proponebat, fidem adſcriberent, Deus id admodum inſigni ratione confirmavit. Ante exitum enim ex Ægypto Moſes divina virtute præclara miracula permulta in conſpectu eorum edidit. Idem eos per mare rubrum traduxit, Pharaonem autem cum univerſo exercitu ejus fluctibus obruit Exod. xiv. 21, 22, 27, 28. Durante per deſertum itinere Deus perpetuam præſentiam ſuam plurimis ſignis ac prodigiis demonſtravit Exod. 7. 8, 9, 10, inter alia, dum eis indicem viæ columnam nubis de die, & columnam ignis de nocte dedit Exod. 13. 21, 23. Cumque Lex de monte Sinai à Deo promulgaretur, audivit populus ipſe vocem ejus, in monte autem exorta tonitrua & fulgura, & nubes atra montem operiens, & ſonus validiſſimæ tubæ, vehementer perculerunt populum Exod. 19. 16. Quibus rebus cunctis Deus palam teſtari voluit, Moſen tanquam Mediatorem illius Fœderis vere ab illo miſſum fuiſſe Levit. 26. 46. Deut. 5. 5. Gal. 3. 19, quin & metum ac terrorem populo incutere, ut impoſiti ſibi officii ſemper eſſet memor. Ad extremum hoc Fœdus eſt ſanguine vitulorum ac hircorum ſancitum, & populus eo conſperſus, juſque & acceſſus ad id eis obſignatus eſt Exod. 24. 8. Hebr. 9. 18, 19.

Aſt confirmationem Novi Fœderis quod attinet, illa multo excellentiori modo, quam fuit illa Veteris, facta eſt: & quidem partim à Chriſto hic in terris munus ſuum Propheticum obeunte, partim à Deo. Confirmatio à Chriſto ipſo peracta tribus in rebus ſita eſt. Primo in ſanctitate vitæ ejus omnibus numeris abſolutiſſima 1 Petr. 1. 22, qua in re nec Moſes, nec mortalium quiſquam in terris ei unquam par

par fuit. Nam non ſolum ipſe per integrum vitæ ſuæ curriculum ne ſemel quidem in via pietatis ceſpitavit aut impegit, verum in aliis quoque dilexit juſtitiam & odit iniquitatem Pſal. 45. 7. Hebr. 1. 9. Atque hæc eſt illa *aqua*, quam Johannes ponit inter teſtes id confirmantes, quod Jeſus ſit Chriſtus 1 Joh. 5. 8. Et ſane puritas vitæ egregie cum aqua conferri poteſt; ſiquidem aqua mundantur omnia. Cum igitur Chriſtus, Mediator Novi Fœderis, nobis proprio exemplo tam perfectæ innocentiæ in vita ſua præluxerit, abunde ex eo intelligitur, doctrinam ejus neceſſario veram, & ab omni fraudis ac doli mali ſuſpicione immunem eſſe. Tantæ perfectionis enim ſanctitas in nullo homine poteſt exiſtere, qui non ſit peculiariter à Deo miſſus, & divino ipſius Spiritu repletus: nulla quoque fallacia aut ſtudium alios ſeducendi cum tanta ſanctitate conſiſtere, atque in una fede morari poteſt.

Alterum, quo Chriſtus ipſe Novum Fœdus confirmavit, eſt miraculoſa vis Spiritus Dei, quo plenus fuit: qui eſt alter ille teſtis à Johanne productus, ad probandum, quod Jeſus ſit Chriſtus 1 Joh. 5. 8. Hac virtute divina inſtructus talia Chriſtus ſigna & miracula patravit, qualia ab Orbe condito nunquam fuere audita. Quod ipſum Chriſtus ipſe affirmat, inquiens: *Niſi opera feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* Joh. 15. 24. Et cæcus ille à nativitate, cui Chriſtus videndi facultatem reddidit, ait: *A ſeculo auditum non eſt, aliquem aperuiſſe oculos ejus, qui cæcus natus fuerit* Joh. 9. 32. Qua in parte Moſes cum Chriſto neutiquam eſt comparandus, ſive numerus, ſive magnitudo ac præſtantia, ſive aliæ circumſtantiæ miraculorum ab utroque patratorum ſpectentur. Primum enim, ut etiam hac in re Judæi Moſen ſuper omnes Prophetas extollant, ajunt, à nato Moſe uſque ad eundem denatum, id eſt ſpatio annorum 120. edita fuiſſe 76. miracula, partim ab ipſo Moſe, partim à Deo circa ipſum & propter ipſum. Miracula autem ab aliis Prophetis omnibus facta, & ſimul ſumta, ab incunabulis Mundi uſque ad everſionem primi Templi per Nebucadnezarem, id eſt ſpatio annorum 3360. eſſe numero 74. Verum animadvertendum eſt, Judæos 76 miraculis accenſere nonnulla ejuſmodi, quæ pro miraculis haberi non merentur, tametſi cæteroquin Dei providentia in iis eluxerit. Ut, quod Moſes in aquis fuerit ſervatus, & à filia Pharaonis repertus atque educatus Exod. 5. 6, 10 & ſeq. Item, quod oculi ejus non caligaverint, nec vires ejus imminutæ fuerint Deut. 34. 7. Item, quod ei Deus terram Chananæam univerſam ex alto monte ſpectandam dederit Deut. 31. 7, quæ omnia abſque miraculo evenire potuerunt. Dein annumerant Judæi iſtis miraculis etiam aliqua à ſe efficta: ut, quod Moſes ſupernaturali morte extinctus ſit, dum Deus oſculo dato, animam è corpore ejus reſpiratione ſua extraxit, quodque eum Deus propriis manibus humaverit. Tertio, pleraque miracula à Moſe deſcripta, ipſis Judæis fatentibus, non Moſes, ſed Deus ipſe fecit; Moſes vero tantum, quæ Deus erat facturus, juſſu Dei populo annunciavit, ut in exemplo, cum Manna pluit de cœlo Exod. 16. 4, 15. Et quicquid præterea miraculoſi accidit, id omne Judæi inter 76 miracula reponunt: ut quod Core, Dathan & Abiram à terra abſorpti ſint Num. 16. 20 & ſeqq. Huc ſpectant etiam illa miracula, quæ Deus quidem circa Moſen fecit, ſed ſine operatione ipſius, imo aliqua etiam abſque illius ſcitu. Ut cum Deus præcepit ei abjicere virgam, quæ poſtea in ſerpentem mutata eſt, nec non manum recondere in ſinum, quam mox leproſam eduxit Exod. 4. 3, 6: item quod ſuperficies faciei ejus reſplenduerit, ipſo id neſciente Exod. 34. 39. Pertinet quoque huc, quod terra Ægypti tenebris obruta terra Goſen lucis haud eguerit Exod. 10. 23, quod Deus populo dederit gratiam in oculis Ægyptiorum, ut ei aurea & argentea vaſa commodato darent Exod. 13. 36, quod interdiu columna nubis, & nocte columna ignis dux itineris populo fuerit in deſerto Exod. 13. 22, atque alia hujus generis plura miraculoſe facta, quæ ſcriptura aperte teſtatur, à Deo eſſe edita, abſque ulla Moſis mentione. Quæ omnia ſi de ſumma numeri 76, quem Judæi ſupponunt, ſubducantur, valde exiguus numerus miraculorum, quæ Moſes ipſe patravit, remanebit. Sed etiamſi integer numerus 76 miraculorum per annos 120 factorum, Moſi ipſi attribueretur, quantillum hoc eſt collatum cum miraculis Chriſti, quæ ille tantum ſpatio trium aut quatuor annorum, quibus in terris prædicavit, edidit. Tot erant numero miracula iſta, ut Johannes Apoſtolus haud veritus fuerit hyperbolico ac ſuperlativo dicendi modo uti, & affirmare, *ſi omnia ſcriberentur ſigillatim, ne mundum quidem ipſum capere poſſe eos qui ſcriberentur libros* Joh. 12. 25. Quo dicto innuit, tam multa fuiſſe Chriſti miracula, ut eorum numerus iniri non poſſit. Hinc turba apud Johannem in hanc erupit vocem: *Chriſtus cum venerit, num plura ſigna edet iis, quæ iſte edidit* Joh. 7. 31.

Secundo, neque magnitudine comparanda ſunt miracula Moſis cum miraculis Chriſti. Nullum enim mortuum ſuſcitavit, uti Chriſtus. Qua in re Moſes ne Eliæ quidem ac Eliſæo par fuit 1 Reg. 16. 22. 2 Reg. 4. 34, 35. Neque eſt veriſimile, Moſi in tam numeroſo populo, & ſpatio 40 annorum nullam fuiſſe oblatam occaſionem alicujus mortui in vitam reſtituendi. Unde apparet, Deum non ſine cauſâ, quæ à nobis quidem difficulter indagari ac divinari poteſt, noluiſſe eum ad tantam gloriam evehere. Sed ne tale quoque ullum miraculum inter Moſis miracula recenſetur, quale de Joſua legitur, quod ejus nutu atque juſſu ſolis curſus ſit inhibitus. Id quod ſacra ſcriptura tantopere laudat ac deprædicat, ut dicat: *Non fuit ſimilis diei illi ante eum, vel poſt eum ullus, quo Dominus auſcultavit voci hominis* Joſ. 10. 14. At Chriſtus non ſolum mari & ventis imperavit, quod non eſt minoris virtutis quam Soli imperare, ſed dæmonibus quoque ac immundis ſpiritibus, qui ad ejus mandatum ex hominibus excedere atque faceſſere cogebantur Matth. 8. 27, 32. Imo pleraque miracula Chriſtus fecit ſolo duntaxat juſſu ac verbo, multa etiam ne verbo quidem aut ſigno ullo adhibito, vi quadam arcana, quæ ab eo proficiſcebatur & exibat Matth. 9. 20. XIV. 36. Marc. 5. 27, 28. VI. 26 & ſeqq. Amplius, de Moſe uſquam legitur, quod cognitas habuerit hominum cogitationes, & corda eorum ſcrutari potuerit, quod

de Chriſto ſcriptura teſtatur Marc. 9. 4. XII. 25. Joh. 1. 18.

Tertio, Moſi non fuit ulla vis divina ita inſita, & in eo perpetuo manens, ut per eam pro arbitrio ſuo, quandocunque vellet, miracula edere poſſet, ſed ſemper illum oportuit eam calidiſſimis precibus à Deo impetrare, aut ea nonnunquam & certis temporibus tantum demonſtravit atque exſeruit, quando à Deo eam exercere juſſus eſt. Quod propter Judæos probe notandum eſt, qui præcipuam, imo unicam præſtantiam miraculorum Moſis præ omnium Prophetarum miraculis in eo collocant quod Moſes pro libitu atque arbitrio ſuo, abſque precum neceſſitate, miracula ſua patraverit, non aliter, quam ſi tota natura imperio ipſius eſſet ſubjecta. Quod enim de virga Moſis referunt, eam ipſi pro Regio ſceptro datum fuiſſe, ut ea pro arbitratu ſuo uteretur, ad miracula facienda, ejus contrarium potius patet: Cum virga hæc neque à Moſe, neque ab Aarone unquam ad ullum miraculum edendum adhibita fuerit, abſque prægreſſo Dei mandato, aut illorum oratione ac precibus. Vide Exod. 7. 8, 9, 10, 14. 15, 24, 25, 26. XV. 25. XVII. 4, 5, 6, 7, 11, 12. Num. 1. 1, 2, 12, 13. XVI. 20, 21, 22, 23. 24 35, 44, 45. XX. 6, 7, 8, 9. Aſt miraculorum Chriſti longe alia fuit ratio. Is enim virtutem miracula faciendi in ſe perpetuo habitantem geſſit, ut eam in ſe ſuſcitare, eamque exerere, quando, ubi, & quoties collibitum erat animo ejus, tam præſens, quam abſens potuerit (præterquam ubi obſtabat hominum incredulitas, ut Matth. 13. 58. Mar. 6. 5.) Vide Luc. 5. 17. Matth. 9. 6, 7, 8. Unicæ Lazari reſuſcitationi preces præmiſit. Sed cauſam ipſemet indicavit illis verbis: *Hoc dixi propter turbam circumſtantem, ut credant me à te miſſum eſſe* Joh. XI. 42.

Quarto, Moſes caruit facultate ſpiritum ſuum, quo edebat miracula, aliis communicandi. Legimus quidem, Deum de ſpiritu, qui Moſi inerat, accepiſſe, atque 70 ſenioribus indidiſſe Num. XI. 25, at is non fuit ſpiritus miraculorum, ſed intelligentiæ ac prudentiæ, quo ad regendum populum indigebant; deinde eum non Moſes, ſed Deus ipſe ſenioribus largitus eſt. Chriſtus autem libera nec limitata poteſtate præditus fuit, virtutem divinam miraculoſam etiam aliis conferendi, ut liquet Matt. 10. 8. Luc. 10. 19. Imo eam non aliquibus tantum, ſed omnibus fidelibus ſuis promiſit, & quidem non parvam, ſed divitem ejus copiam, dum inquit: *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora etiam his faciet. Et quicquid petieritis in nomine meo id ego faciam* Joh. 14. 12. Vide quoque Marc. 16. 17, 18.

Quinto, pleraque miracula Moſis erant ad terrorem duntaxat incutiendum comparata, & ad omnipotentiam divinam demonſtrandam, nec non ad perditionem hominum directa; quibus ſcilicet Deus metum & reverentiam erga majeſtatem ſuam populo ingenerare, aut refractarios ac immorigeros caſtigare voluit: qualia fuerunt miracula in monte & circa montem Sinai facta; item ea, quæ in Ægypto, & pleraque in deſerto edita, per quæ multa millia hominum interierunt. Pauca miracula Moſis fuerunt mera beneficia, quæ non in alicujus damnum aut pernicem redundarint. Contra Chriſti miracula omnia, nullo excepto, nihil fuerunt niſi mera beneficia, quæ nemini damnum aut mœrorem, ſed omnibus ſolatium & opem attulerunt. Si quis objiciat his damnum illud à Chriſto Gergeſenis illatum, cum dæmoniis poteſtatem fecit in gregem porcorum irruendi Matth. 8. 32, is inſpiciat ea quæ ad hunc locum dicentur. Ex his jam clare cernitur, etiam hunc alterum Confirmationis modum per miracula multo fuiſſe excellentiorem in Novo, quam in Veteri Fœdere, adeoque Novum Fœdus Veteri longe præferendum eſſe.

Tertia ratio, qua Chriſtus ipſe Novum Fœdus confirmavit, eſt ejus acerbiſſima mors ſanguiniſque fuſio. Quodvis Fœdus olim ſanguine, id eſt, mactatione alicujus pecudis ſanciebatur, ad indicandum ac teſtandum, quod quiſquis Fœdus ictum violaverit, perinde ſit morte afficiendus, atque illud pecus. Quod ergo attinet Vetus Fœdus, illud quoque ita ſancitum atque firmatum eſt, ut cum Moſes omnia mandata ſecundum Legem recitaſſet toti populo, ſumto ſanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina, & hyſſopo, ſimul & ipſum Librum & totum populum aſperſerit, dicens: *Hic eſt ſanguis illæ Fœderis, quod dedit vobis Deus* Exod. 24. 8. Hebr. 9. 19, 20. Chriſtus autem Novum Fœdus non ſanguine vitulorum & hircorum, ſed ſuo pretioſiſſimo ſanguine obſignavit. Videlicet, ſicut Moſes ceremonia illa aſperſionis Iſraëlitas Veteris Fœderi quaſi initiavit & inſcripſit, atque tum ad obedientiam mandatis in Fœdere ſcriptis præſtandam obligavit, tum plenum jus & aditum ad promiſſa in eo beneficia ipſis dedit: ſic Chriſtus quoque effuſione ſui proprii ſanguinis nos in communionem Novi Fœderis adſcivit, & tam ad obediendum ſanctiſſimæ ac perfectiſſimæ voluntati divinæ obſtrinxit, quam jus ſimul atque acceſſum ad fruitionem omnium bonorum, in Novo Fœdere promiſſorum, nobis conciliavit ac peperit.

Quo vero pacto mors Chriſti vim habeat hanc firmam fidem nobis ingenerandi, ne de veritate hujus Novi Fœderis ullo modo addubitemus, id eo loco, ubi de præſtantiſſimis mortis Chriſti fructibus agemus, latius explicabitur. Nunc hoc duntaxat unum dicimus, nullo modo exiſtimandum, quod Chriſtus, cujus tanta ſanctitas & ſapientia in tota vita ejus enituit, tam improbus ſimul & emotæ mentis fuerit, ut doctrinam ſuam, quam ſe à Deo accepiſſe dictitabat, ad mortem uſque profiteretur, illiuſque cauſa ſubiret infame ac ignominioſiſſimum ſupplicium, ſi probe ſciviſſet, eam non fuiſſe à Deo profectam, ſed ab illo ipſo ad ſeducendas multorum millium animas excogitatam. Accidit quidem, ut etiam ſanæ mentis homo falſæ doctrinæ alicujus gratia, ſed quam in animo ſuo ſibi veram eſſe perſuaſit, vitam ſuam profundat: at ut quis ob doctrinam, de cujus falſitate planiſſime in corde ſuo convictus eſt, mortem tam truculentam ſuſcipiat, id de homine non prorſus ſtulto credere abſurdum eſt. Atque hic eſt tertius ille teſtis à Johanne una cum Aqua & ſpiritu ad probandum adductus, quod Jeſus ſit Chriſtus, nempe *ſanguis* 1 Joh. 5. 8.

Jam ſequitur ultima & præſtantiſſima Confirmatio

Novi

Novi Fœderis, quæ à Deo ipſo peracta eſt, ex qua maxima eminentia Chriſti præ Moſe, ac porro etiam Novi Fœderis præ Veteri conſpicitur; ea vero eſt Reſuſcitatio Chriſti è mortuis. Etſi Moſes à Deo ipſo obtinuerit teſtimonium, quod *fidelis fuerit in tota domo ejus* Num. 12. 2. Hebr. 3. 5; non tamen eum Deus excitavit à mortuis, ſed mori eum in deſerto, extra fines promiſſæ terræ, ibique ſepeliri voluit, ita ut nec ſepulchrum ejus nec corpus reperiri potuerit: ne ſcilicet Iſraëlitæ id è ſepulchro erutum, in terram promiſſionis ſecum aſportarent; quo facto facile evenire potuiſſet, ut, quemadmodum ipſi Judæi agnoſcunt, in idololatriam inciderent. At Jeſus Chriſtus, quamvis probroſiſſima morte ſublatus fuerit è medio, & ſimiliter ac alii homines ſepultus, quamvis etiam ſepulcrum ejus Cuſtodia militum quam diligentiſſime fuerit circumſeptum, ne corpus ejus à diſcipulis furtim auferri poſſet; nihilominus eſt à Deo, quia inſons ac criminis omnis & reprehenſionis expers vixerat, tertia die redivivus à morte ad immortalem vitam reductus, nec multo poſt ad ſupremam gloriam ſupra omnes cælos evectus, ad dexteram majeſtatis divinæ collocatus, Dominuſque & Caput omnium hominum & Angelorum effectus, dataque ei eſt abſolutiſſima poteſtas, beata immortalitate omnes eos donandi, qui vera pœnitentia maculas prioris vitæ ſuæ eluerint, & omnes virium nervos ad obſequendum doctrinæ ejus contulerint. Quæ profecto ſumma gloria & dignitas eſt, ſupra quam nulla ſublimior cogitari poteſt. Hoc autem tam inſigne miraculum ita cedit in confirmationem doctrinæ Chriſti, & Novi Fœderis, quod Deus eo voluerit teſtari atque demonſtrare, Chriſtum non fuiſſe falſum Prophetam aut ſeductorem, ſed verum ſuum legatum. Impoſſibile enim eſt, ut Deus ſanctiſſimus ac juſtiſſimus, qui eſt omnis mendacii ac falſitatis hoſtis & oſor maximus Pſal. 5. 5, 7, tam præclaro & excellenti miraculo falſitatem confirmare, & ad ſeducendos tot millenos homines pios ac innocentes, eum à morte revocare voluerit, qui falſum legati ipſius titulum ſibi arrogaverat: præſertim poſtquam ille adhuc ante mortem id tanquam certiſſimum ſignum divinæ ſuæ legationis prædixiſſet, quod futurum ſit, ut tertia die à morte reſurgeret Matth. 16. 21. Luc. 18. 33. Adhæc obſervandum eſt, exaltationem Chriſti ad ſempiternam gloriam tam arcto vinculo cum ipſius reſurrectione connexam eſſe, ut ſacri Scriptores Novi Fœderis creberrime Reſurrectionis voci, non ſolum mox conſecutam immortalitatem, verum etiam ejus cæleſte Regnum includant. Vide Actor. 2. 32, uſque ad 37. Rom. 1. 4. Nimirum per reſurrectionem ejus non tantum palam fieri debuit, eum non eſſe falſum Prophetam ac Doctorem, dum ſe promiſſum illum à Deo Meſſiam ſeu Chriſtum eſſe affirmavit; ſed per eam quoque debuit reipſa Dominus ac Chriſtus effici, adeoque doctrina ejus perfectiſſima ratione confirmari.

5. *Differentia, quoad efficaciam & operationem.*

Quintum diſcrimen Veteris ac Novi Fœderis conſiſtit in efficacia & operatione, quam utrumque exerit in hominibus, ad obedientiam mandatorum Dei adducendis.

Lex Moſaica non tantum fuit grave ac intolerabile jugum Actor. 15. 10, dum in ſe continebat tantam copiam ejuſmodi præceptorum, ad quæ homo à natura non ducitur, quæque adeo toto vitæ tempore accurate ſervare difficillimum erat: verum etiam propter imperfectionem promiſſionum inefficax fuit & impotens, ad filialem ac ſpontaneam obedientiam in hominibus producendam. Maledictio fuit rigida ac ſevera: *Maledictus ſit quiſquis non præſtiterit omnia verba Legis, ut faciat ea* Deut. 27. 26. Præmium contra obedientiæ tale erat, ut etiam ſapientiores Ethnici, ſolo lumine naturæ perſpexerint, indignum eſſe homine, tam præſtanti & rationali creatura, ut hujuſmodi rebus delectetur. Unde factum eſt ut cum Lex homini nullam ſpem immortalitatis ac cæleſtium gaudiorum inſtillaret, è contrario autem bona terrena carnique grata tam diſertis verbis pollicitaretur, non ſolum vim non haberet concupiſcentias carnis refrænandi, ſed etiam eas potius accenderet & irritaret, adeoque homines in perpetua ſervitute peccati, ac conſequenter etiam mortis detineret Rom. 7. 7, 8.

At vero Lex Chriſti, dum non modo talia præſcribit præcepta, quæ cum humana natura apprime conveniunt, quæque ipſum lumen rationis dictat honeſta, bona, ac laudabilia eſſe, & etiam remoto ſingulari Dei mandato eſſe ſervanda; ſed etiam veram & ſempiternam pollicetur felicitatem, ejuſque indubitatam ſpem animis hominum inſerit, vim habet perfectiſſimam ad veram & filialem obedientiam in hominibus efficiendam. Ex lege Chriſti enim, ſeu ex Euangelio percipiunt immenſam gratiam & amorem Dei; vident ſe à Deo in filios eſſe adoptatos, & ad participationem cæleſtis hæreditatis vocatos; vident, ſe ex ſervitute Legis in præclaram libertatem filiorum Dei eſſe aſſertos. Ex quarum rerum clara cognitione naſcitur in hominum animis ſpiritus ille, ſeu vis illa divina, quæ eos ad amorem & obedientiam Dei ac Chriſti vehementiſſime inflammat, atque ad omnia Deo grata opera promtos paratoſque reddit. Amor enim & cupido rei alicujus omne laboris etiam graviſſimi tædium diſcutit, eumque levem ac facilem efficit. Cupido autem ac deſiderium excitatur & alitur ſpe præmii, idque tanto magis, quanto hoc majus eſt, & laboris noſtri meritum longiſſime excedit. Quo accedit auxilium Spiritus Sancti, quo debiles vires noſtræ ad obediendum Deo reficiuntur, ut in tanta carnis noſtræ fragilitate, & inter tot offendicula hujus perverſi mundi, curſum pietatis noſtræ inoffenſo pede & abſque crimine abſolvere queamus. Atque ad hoc inæſtimabile præmium ac paternum Dei auxilium per Spiritum Sanctum reſpiciens potiſſimum Johannes dicit, *mandata Dei gravia non eſſe* 1 Joh. 5. 3. Vide de hoc diſcrimine legis Moſis & Euangelii Chriſti Rom. 7. 5, 6. VIII. 1, 2, 3 & ſeqq.

6. *Differentia, quoad latitudinem & extenſionem.*

Sextum diſcrimen inter legem Moſis & Euange-

lium

lium Christi consistit in latitudine & amplitudine. Etenim Judaica Religio erat ad unam duntaxat nationem alligata, ad eam scilicet, quæ secundum carnem ex Abrahamo per Isaacum oriunda erat; neque Deus curavit, ut aliis nationibus quoque annuntiaretur. Quinimo natura Religionis Judaicæ ita comparata erat, ut aliis gentibus, præsertim longe ab Hierosolyma & Judæa dissitis, non posset esse communis. Quod vel ex solis sacrificiis cernitur, quæ non alibi quam in Judæa, & non ab aliis, quam à sacerdotibus ac Levitis è tribu Levitica descendentibus mactari, & nonnisi in Templo Hierosolymitano offerri poterant. Inde est, quod hodie Judæi ab omni sacrificio prorsus abstineant, quia è patria sua extorres ac remoti sunt. Sic etiam præcepta de primitiis ab aliis gentibus servari non poterant, quia illæ debebant inferri in domum Domini Exod. 34. 26, neque de decimis, quæ Levitis assignatæ erant Deut. 26. 12, neque de primariis ac solennibus festis, quibus comparere coram Domino Hierosolymis omnis masculus tenebatur Deut. 16. 16. Quomodo enim peregrinæ & procul dissitæ gentes his ac similibus mandatis, quæ certis locis ac personis adstricta erant, potuissent satisfacere? Et quamvis aliqui è gentibus externis, qui Ethnicam religionem ejurare, & Deo Israëlis secundum Legem servire volebant, in Fœdus per circumcisionem recepti fuerint, hi tamen non aliter potuerunt istud observare Fœdus, quam quatenus tanquam surculi trunco Israëlitici populi sunt inserti, & in Judæa aut prope Judæam habitarunt. Christiana autem Religio ita comparata est, ut non solum ad omnes nationes terræ pertineat, sed etiam in omnibus locis ac finibus terræ exerceri queat: *Christus enim est pax nostra, qui utrumque* (id est, Judæos & Ethnicos, qui propter diversitatem religionis perpetuo odio inter se flagrabant) *fecit unum, & intergerini parietis septum dissecit, inimicitias, id est, lege præceptorum, quæ in ritibus consistebat* (id est, lege ceremoniali) *per carnem suam abolitis, ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, constituens pacem &c. Quoniam utrique* (Judæi & Gentes) *per ipsum habemus aditum in uno spiritu ad Patrem* Ephes. 2. 14, 15, 18. Religione Christiana nemo adstringitur vel Hierosolymis, vel in monte Garizim Patrem adorare, sed *veri adoratores adorant eum in spiritu ac veritate* Joh. 4. 24. Pium ac sincerum uniuscujusque cor est Templum, quod Deus per spiritum suum inhabitat 1 Cor. 3. 16. VI. 19, quacunque in mundi parte is sit constitutus. Sacrificium Christianæ religionis non adipe pecudum, non primitiis frugum terræ peragitur, sed corde, quod ubique locorum ad obediendum Deo offerri ac sanctificari potest; & primæ, id est, validissimæ ac præmaturæ animi vires, maxime sunt aptæ ad *rationalem cultum Deo* præstandum Rom. 12. 1. Insuper Christiana religio per se & natura sua non servat certos dies ad divinum cultum peragendum; sed continuum ac perpetuum sabbatum cum celebratione nominis Dei ac Domini Jesu in puro & sincero corde viget. Sed de his jam satis esto.

CAP. III.

Cur hic Liber non potius Nova Lex, quam Novum Fœdus vocetur.

QUandoquidem in hocce libro Novi Testamenti Novum illud Fœdus, quod Deus cum universo humano genere pactus est, describitur, inde oritur quæstio, cur primi Christiani librum hunc non potius Novam Legem, quam Novum Testamentum, vel Novum Fœdus appellaverint? quemadmodum Judæi quoque, non modo quinque libros Mosis, sed omnia scripta Veteris Testamenti *Thorah*, id est, *Legem* vocant. Præsertim cum etiam Christiana religio optime Lex dici queat, & dicatur quoque in Scriptura Gal. 6. 2. Causa hujus rei hæc videtur esse, quod primi illi Christiani inprimis respexerint ad illa verba Christi, quibus sanguinem suum nuncupat *sanguinem Novi Fœderis* Matth. 26. vs. 28. Deinde quia etiam vox Fœderis singularem Dei bonitatem, & quasi ejus ad nos demissionem longe clarius ponit ob oculos, ut qui Christum ad nos mittens, non secundum rigorem juris, uti legislatores solent, nobiscum agere, neque nobis severitate ac minis, quas vox Legis innuit, terrori esse voluerit; sed magna lenitate atque bonitate adversus nos uti, non secus ac inter eos fieri consuevit, qui bona fide sese mutuo obligant. Hinc frequenter sacri scriptores doctrinam Christi Legi opponunt, & *gratiam* appellant Joh. 1. 17. Rom. 1. 14. Gal. 5. 4. Aut quamvis eam *Legem* vocent, mox tamen adjiciunt vocem ejusmodi, quæ duritiem significationis in vocabulo legis emolliat: ut cum eam appellant *legem fidei* Rom. 3. 27, *legem libertatis* Jac. 1. 25. II. 12. Itaque primævi Christiani, ut statim in ipso titulo atque appellatione salutarem Christi doctrinam commendarent, & eos, quibus adhuc incognita est, ad eam allicerent, optime & opportune librum hunc Novum Fœdus, aut Novum Testamentum potius, quam Novam Legem nuncuparunt.

CAP. IV.

De Auctoritate librorum Novi Fœderis.

Auctoritatem & divinitatem horum librorum Novi Testamenti seu Fœderis, non induximus in animum hoc loco adversus Judæos, Paganos, & alios, qui eos tanquam commentitios rejiciunt, demonstrare. Fecerunt id alii doctissimi viri solide ac copiose, F. Socinus. Lud. Vives. Ph. Mornæus. Hug. Grotius. & nos forte alia occasione in gratiam Christiani lectoris id faciemus. Sed nos hoc loco supponimus tanquam certum, omnia quæ in hisce libris continentur, Dei verbum esse, quod à Sanctis ac Spiritu Dei plenis viris primum ore prædicatum, postea vero una cum rebus gestis ad Novum Fœdus pertinentibus, quas partim oculis suis viderunt, partim ab irrefragabilibus testibus acceperunt, ad sempiternam hominum memoriam scripto consignatum est. Quare auctoritas horum librorum tanta est, quanta est Dei ipsius; adeo ut quando sacrum hoc volumen legimus,

aut

aut legi audimus, cogitare debeamus, nos Deum ipſum de cœlo loquentem audire. Hinc Chriſtus dixit diſcipulis ſuis: *Qui vos audit, me audit; qui vos reſpuit, me reſpuit; & qui me reſpuit, reſpuit eum qui me miſit*, Luc. 10. 16.

Verum enim vero poſſet aliquis ſciſcitari, unde ſciri queat, hos libros Novi Teſtamenti, quos habemus, eſſe vere ab iſtis ſanctis viris ſcriptos, quorum nomina ipſis præfixa ſunt? Teſtantur veteres Eccleſiæ ſcriptores (quod etiam ex Luc. 1. 1 colligi poteſt) olim plura quam hæc quatuor Euangelia, quæ hodie in Codice Novi Teſtamenti extant, circumlata fuiſſe: nempe Euangelium Hebræorum, Ægyptiorum, Nazaræorum, Ebionitarum; Euangelium Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Thomæ, Matthiæ, Andreæ, Petri, (cujus meminit Nicephorus) Judæ proditoris, duodecim Apoſtolorum, Nicodemi. Etiam mentionem facit Egeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 12 Euangelii Syrorum. Non pauci quoque ex hæreticis auſi ſunt pro libitu Euangelia fingere: ut inter alios Apelles, & Baſilides; Auguſtinus etiam meminit Euangelii Manichæorum Contr. Fauſt. lib. 33. cap. 3. Sic & alia nonnulla ſcripta, uti ex Euſebii lib. 3. cap. 25 liquet, pro Apoſtolicis venditabantur; qualia erant, Acta Pauli, Acta Petri, Conciones Petri, Apocalypſis Petri. Facit quoque Sozomenus lib. 7. cap. 19 mentionem Apocalypſeos Pauli, quæ Tharſis in Cilicia in domo Pauli in quadam amphora marmorea fuerit reperta. Circumfertur etiam Liber Hermetis, Paſtor dictus, quem Paulus in Epiſtola ſua ad Romanos Cap. 16. 14 inter alios Sanctos ſalutat: in eo varias viſiones & apparitiones deſcriptas fuiſſe perhibent. Euſebius teſtatur lib. 5. cap. 8, librum hunc ab Irenæo pro fide digno fuiſſe agnitum; quanquam hujus rei nullum in ſcriptis ejus, quæ ſuperſunt, extat veſtigium. Habemus & hodie Epiſtolam quandam Barnabæ, ad Corinthios, ſed in ea parum Apoſtolici ſpiritus cernitur. Fortaſſis hæc illa eſt, cujus meminit Euſebius lib. 3. cap. 25.

Porro fuere nonnulli olim, qui ſolum Matthæi Euangelium recipiebant, ut Ebionitæ: quanquam & hoc non integrum, ſed truncatum. Totam enim Chriſti genealogiam, uſque ad eum locum, ubi Chriſtus à Johanne baptiſatus eſſe deſcribitur, à corpore Euangelii Matthæi reſecabant. Quia nimirum credebant, Chriſtum non è Spiritu Sancto, ſed è commixtione Joſephi cum Maria conceptum fuiſſe. Aliqui nonniſi Marcum acceptabant, quos Irenæus reſellit, ſed non nominat lib. 3. cap. 11. Quidam ſolum Lucam, ut Marcionitæ & Cerdoniani: alii ſolum Johannem admittebant, ut Manichæi. Alogiani Johannem rejiciebant, admiſſis tribus prioribus Euangeliſtis: non enim initium Euangelii Johannis, in quo Chriſtus λόγος ſeu ſermo vocatur, ferre poterant, quia id non intelligebant. Hinc etiam nomen Alogianorum (quod eſt, *abſque ſermone*) ſortiti ſunt. Quòd aliqui è Photinianis (ut ſcribit Jacobus Rauppius Proleg. in Euang. & Petrum Carolinum allegat) primum Caput Euangelii Johannis plane rejecerint, eſt falſa criminatio. Cur enim tam inſigne teſtimonium de divina Chriſti excellentia, quæ ipſi tanquam homini à Deo communicata eſt, rejicerent? Eodem modo etiam de aliis libris Novi Teſtamenti in initiis primitivæ Eccleſiæ dubitatum fuit: ut de ſecunda Epiſtola Petri, de Epiſtola Jacobi, Judæ, de ſecunda & tertia Johannis, deque Apocalypſi Johannis; ut apud Euſebium & Nicephorum videre eſt.

Jam igitur quæſtio eſt, unde queat ſciri, utrum hi libri Novi Teſtamenti, qui verſantur in manibus noſtris, revera ab Apoſtolis aut Apoſtolicis viris fuerint conſcripti? Pontificii hic ſibi volunt hanc laudem & hanc gloriam præ aliis tribui, quod illi hunc præclarum theſaurum ab Apoſtolorum tempore hùc uſque incorruptum conſervarint, vera & fide digna ac genuina Scripta à falſis & ſpuriis aut interpolatis diſcreverint, Canonemque Novi Teſtamenti, collectis in unum omnibus Apoſtolicis ſcriptis, confecerint: ut ita nonniſi è teſtimonio Romanæ Eccleſiæ ſciri queat, hæc ſcripta eſſe vere Apoſtolorum aliorumque ſanctorum virorum opus. Sed pars quidem hujus gloriæ concedi illis haud gravate poteſt, imo eſt quod gratias eis quoque habeamus, quod ſacra hæc ſcripta adeo incorrupta, quod quidem alioquin ſpiritui eorum minime convenit, conſervarint. Attamen non debent ſibi plus juſto arrogare. Gloria enim hæc non ſoli Romanæ Eccleſiæ competit, verum etiam Græcæ; imo illi magis, quam illi: quia inter Græcos Apoſtoli magis verſati, quam inter Romanos, ad Græcos potiſſimum ſcripſerunt, & in ſcribendo Græco ſermone uſi ſunt. Itaque etiam abſque Romana Eccleſia tamen nobis codex iſte, Dei providentia, per Græcos ſervatus fuiſſet. Quin imo ſi per ſolam Eccleſiam Romanam ſtetiſſet, & Græca Eccleſia hoc κειμήλιον ſolicite non cuſtodiviſſet, ſine dubio libri hi aut prorſus ſuppreſſi atque extincti, aut certe in innumeris locis depravati atque adulterati fuiſſent. Non abhorret enim tam impium facinus ab eorum ingenio, qui ſanctiſſimum hoc Dei verbum, falſo obſcuritatis ac imperfectionis prætextu, & ſeductione ad omnis generis errores, laicis è manibus eripiunt. Nec eſt quod oggerant Pontificii, unam fuiſſe quondam Romanam & Græcam Eccleſiam, quæ utraque unum Papam Romanum tanquam caput univerſale adorarit. Unam quidem fuiſſe principio Græcorum & Latinorum Eccleſiam verum eſt, una quippe fides ac veritas Chriſtiana ab Apoſtolis pariter inter Græcos atque inter Latinos diſſeminata eſt, ſuntque omnes fidem hanc ſuſcipientes in unum ovile Chriſti, & ſub unum Paſtorem ac ſupremum Caput congregati. Sed initio Eccleſiam tam Græcam quam Romanam Papæ Romano, tanquam Capiti ac Vicario Chriſti fuiſſe ſubjectam, falſiſſimum eſt. Primatus enim Papæ invaluit demum ſub Cæſare Phoca, circa annum ſalutis 600, eumque primus ſibi vendicavit Bonifacius Papa, ejus nominis tertius. Vide Naucleſum, Sabellicum, Abbatem Urſperg. At Gregorius I. anteceſſor Bonifacii, animadvertens, jam ſuo tempore aliqua faſtus iſtius primordia, non dubitavit Antichriſtum appellare eum, quicunque titulum Univerſalis Capitis Eccleſiæ uſurpaverit.

Præterea tantum abeſt, ut è ſolo teſtimonio Romanæ Eccleſiæ, utpote cui ſoli à Spiritu Sancto facta ſit ea de re revelatio, ſciri poſſit, libros Novi Teſtamenti

Testamenti vere ab Apostolis esse conscriptos: ut etiam Ethnici & religionis Christianæ hostes infensissimi hac de re testari queant. Imo testimonium istorum ob id ipsum plus habet ponderis, quod hostes sint. Julianum sane Imperatorem, qui fuit Apostata, & flagrantissimi in Christianum nomen odii, apud Cyrillum legimus testatum aperte fuisse, quod illa, quibus gaudemus Novi Testamenti scripta, eorum sint auctorum, sub quorum leguntur nominibus. Quod si ipsa Juliani scripta nobis ad manum forent, etiam validius existeret hoc testimonium. Sciendum enim est, in rebus historicis, quæ inter homines palam gesta sunt, subjectaque oculis ac sensibus fuerunt, nullam aliam cognitionem vel testimonium requiri, quam eorum, qui vel ipsi oculati & auriti testes fuere, vel à talibus verum exquisivere: præsertim si nihil sit causæ, de fide testimonii eorum dubitandi, & plurimi magno consensu de eadem re testentur, tametsi locorum, temporum aliorumque discriminum divortio disjuncti. Ac tale sane testimonium sufficit etiam citra supernaturalem revelationem, ad veritatem rerum ejusmodi historicarum comprobandam. Ita, quis sanus postulet divinam revelationem aliquam, ut certus de scriptis Livii, Ciceronis, Virgilii, Aristotelis aliorumque esse queat, an ab istis consignata sint auctoribus, quorum gerunt nomina? Nonne sufficit, eos testari de istis scriptis, qui vel tempore his auctoribus suppares, aut non multo posteriores fuerunt? & rem optime rescire potuerunt? Atqui ne unicus quidem est horum, quos nominavimus, auctorum, de cujus scriptis certitudo tot testibus, & tanto testium consensu constet, quot testibus & quanto consensu nobis probatur Apostolicorum scriptorum veritas: adeo, ut plurimis quoque eorum, qui mallent illa Apostolorum non esse, vis unanimis consensus tot testium, ingenuam nihilominus hujus rei confessionem extorqueat. Quocirca cum quæritur: Cur scripta hoc libro Novi Testamenti comprehensa pro authenticis ac genuinis Apostolorum scriptis habenda sint? aut cur non plura vel pauciora pro talibus recepta sint? nihil aliud respondendum est, quam quod Veteres Christiani, tam Latini quam Græci, qui proxime ad Apostolorum tempora accesserunt, & rem exacte indagare atque explorare potuerunt, hæc tantum pro veris ac germanis scriptis Apostolicis agnoverint, reliqua autem tanquam supposititia & adulterina reprobarint. Quod ita esse, ex istis, qui extant, antiquorum Christianorum ac Doctorum Ecclesiæ scriptis, compertum habemus.

At dubitatum est, dices, aliquando à nonnullis veteribus Christianis de certis Novi Testamenti scriptis. Ita est: sed uti ex antiquorum auctorum Christianorum narratione novimus, dubitatum fuisse, ita ex eadem scimus, dubitari postea desitum. Cognitum enim est, quosdam non alia de causa nonnulla ex his scriptis in dubium vocasse, quam quod illorum non faverent dogmatis, atque ita ipsorum interesset, ea pro Apostolicis non haberi. Quin etiam proditum, fuisse missas aliquas Epistolas ad certas Ecclesias, quæ in harum archivis servatæ, sero ad aliarum Ecclesiarum notitiam pervenerint. Antequam ergo innotescerent omnibus, dubia fuit apud ignaros eorum auctoritas, re vero post melius comperta, sublata est omnis dubitatio. Quod si quispiam detractum auctoritati hujus divini libri eo nomine velit, quod ei multa absurda & contradictoria inesse statuat, ex quo constare queat, eum non instinctu aut dictatu Spiritus Sancti esse consignatum: ei in hoc nostro Commentario omnem scrupulum, de quo quidem nobis constat, cum bono Deo eximemus, dummodo ipsemet sit ad veritatem recipiendam idoneus.

CAP. V.

Argumentum & Partitio scriptorum Novi Testamenti.

ARgumentum hujus libri Novi Testamenti est, quod in eo contineatur descriptio earum rerum omnium, quæ ad Novum Fœdus, quod Deus per Christum cum humano genere iniit, pertinent: nempe historia Fœderis hujus annuntiati & confirmati, deinde & conditiones, quibus Deus & seipsum ultro atque ex mera gratia, & homines Fœdus hoc suscipientes obstrinxit.

Distribui autem omnia scripta Novi Testamenti queunt in tres partes. In prima continentur libri historici; quibus describitur partim Christi nativitas, vita, dicta & facta, dicunturque quatuor Euangelia: partim Apostolorum res gestæ, quomodo illi post ascensionem Christi in cælos, Dei spiritu fuerint repleti atque instructi, & Euangelium in diversis mundi plagis sparserint ac propagarint. In secunda parte continentur Epistolæ, quas Apostoli tum ad integras Ecclesias Christianas, tum ad singulares nonnullas personas sanctas scripserunt. Quæ epistolæ continent in se sufficientem & prolixam doctrinam de iis omnibus, quæ ad solidam religionis Christianæ intelligentiam, & ad sanctam Deoque placentem vivendi rationem sunt necessaria. In tertia parte continentur prophetiæ seu prædictiones, estque Apocalypsis Johannis, quæ librum hunc claudit, agitque de statu Ecclesiæ Christi usque ad mundi finem.

Hic etiam annotandum est, partitionem ac distinctionem librorum Novi Testamenti in certa capita & versiculos initio nullam fuisse: hinc etiam veteres Ecclesiæ scriptores in suis scriptis, loca scripturæ absque citatione capitum allegarunt usque ad tempora Bernhardi, id est, ad annum Christi 1120. Distinctio autem capitum in certos versiculos adhuc est multo recentior.

CAP. VI.

De significatione vocis Euangelii, & Euangelistæ.

Euangelium.] Vox hæc est Græca, denotatque nuntium bonum, lætum ac felicem. Hinc descendit verbum Euangelizare, id est, Euangelium prædicare, vel bonum nuntium afferre Matth. xv. 5. Luc. 1. 19. Act. 8. 35 & alibi.

Vox *Euangelii* in Novo Testamento præcipue tri-

triplicem habet ſignificationem. Primo ac potiſſimum per eam intelligitur doctrina Novi Fœderis ſeu Chriſti, de Regno Dei, de remiſſione peccatorum, & vita æterna. Et quidem ita, ut aliquando ſolæ promiſſiones divinæ, aliquando autem tota Chriſti doctrina, nempe & mandata & promiſſa Novi Fœderis, junctim per eam deſignentur. De hoc Euangelio prophetavit Eſaias cap. 52. 7: (uti Paulus eum locum allegat Rom. x. 15.) *Quam ſpecioſi ſunt in montibus pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, prædicantium ſalutem, & dicentium Sioni: Regnat Deus tuus.* Quibus verbis propheta doctrinam Meſſiæ venturi duplici ratione deſcribit. Primum dum eam vocat concionem ſeu prædicationem *Pacis*, id eſt, omnis felicitatis ac omnium bonorum, Hebræa phraſi. Deinde dum eam appellat Regnum Dei, illis verbis: *Deus tuus regnat.* Illud ſcilicet Regnum, quod Deus Davidi promiſerat 2 Sam. 7. 12. 2 Paral. 18. 12, & de quo Daniel quoque vaticinatus eſt cap. 2. 44. VII. 27. Ad hanc Prophetiam Eſaiæ reſpicitur, quando nova hæc doctrina tam à Chriſto, quam ab Apoſtolis appellatur *Euangelium Regni* Matth. 4. 23. IX. 35. XXIV. 14. Marc. 1. 14. Luc. 16. 16, ut & *Euangelium pacis* Act. 10. 36. Eph. 6. 15.

Secundo quia ad exactam deſcriptionem, explicationem ac confirmationem doctrinæ Chriſti neceſſario requiritur, ut omnes circumſtantiæ tam perſonæ Chriſti, quam prædicationis Euangelii ſufficienter cognoſcantur, ideo vox *Euangelii* etiam accipitur pro tota hiſtoria de Chriſto filio Dei, nempe de ejus generatione, vita, doctrina, actionibus, morte, ſepultura, reſurrectione & in cælum aſcenſione. Ut adeo in hac ſignificatione non modo doctrina Novi Fœderis, verum etiam totus Euangelicæ hiſtoriæ curſus, illo tempore confectus, quo Chriſtus in terris verſabatur & Euangelium prædicabat, ſimul comprehendatur. Hoc ſignificatu ſumitur vox *Euangelii* in inſcriptione hujus primi & trium ſequentium librorum, ut & apud Marcum bis cap. 1. 1. XIV. 9, alibi forte nuſquam. Quanquam & Acta Apoſtolica, non minus quam quatuor hi primi libri, hujus nominis ambitu comprehendi poſſent; ſiquidem illa omnino ad Euangelicam hiſtoriam pertinent, utpote in quibus propagatio Euangelii per Apoſtolos facta poſt exaltationem Chriſti deſcribitur. Tertio accipitur vox *Euangelii* pro prædicatione Euangelii: quæ ſignificatio inprimis apud Paulum Apoſtolum reperitur. Vide Rom. 1. 1. XVI. 25. 1 Cor. 4. 15. IX. 23. 2 Cor. 8. 18 & alibi.

Ab Euangelio nuncupantur *Euangeliſtæ*: quæ vox ter ſolummodo in toto Novi Teſtamenti volumine invenitur, nempe Act. 21. 8. Eph. 4. 11. 2 Tim. 4. 5. Quibus in locis Euangeliſtarum appellatione ii deſignantur, qui Apoſtolorum in peragrando orbe comites, atque in Euangelio ſeu doctrina Chriſti collaboratores fuerunt; quia etiam aliquando ad certas Eccleſias ab Apoſtolis relicti eiſque præfecti fuerunt, ut quod illi plantaverant, hi rigarent & perficerent.

Cæterum primæva Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora, nomen hoc Euangeliſtarum etiam illis attribuit, qui Euangelicam hiſtoriam de Chriſto, quatenus illa ad fidem in ipſum neceſſaria eſt, & ea quæ partim oculis ſuis uſurparunt, auribuſque à Domino exceperunt, partim ab Apoſtolis didicerunt, ſcripto complexi ſunt. Ut ita Euangeliſta eo ſenſu, qui à primitiva promanavit Eccleſia, jam nihil aliud ſignificet, quam Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptorem. In qua tamen ſignificatione nomen hoc nuſquam in ſacris literis reperitur: è contrario quoque hodie inter Chriſtianos nomen Euangeliſtæ in ſignificatione ea, quæ in ſacra Scriptura uſitata eſt, extinctum eſt; quia munus Euangeliſtarum, non ſecus quam Apoſtolorum & Prophetarum deſiit.

CAP. VII.

Scopus Euangeliſtarum & unius cum aliis comparatio.

QUod ſcopum attinet, quem quatuor Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lucas & Johannes in ſcribendo ſibi habuerunt propoſitum, is unus idemque fuit tribus prioribus: nimirum quod in animo habuerint deſcribere totam de Chriſto hiſtoriam, quomodo munus ſuum in terris peregerit. Sed quartus, nempe Johannes, qui pleraque ea tantum perſecutus eſt, quæ alii præterierunt & omiſerunt, (hiſtoria tamen paſſionis ac mortis Chriſti excepta) peculiariter ſibi ſumſit demonſtrandum, quod *Jeſus ſit Chriſtus filius Dei*, ut ipſe declarat mentem ſuam Joh. 20. 31, (quamquam & cæteri Euangeliſtæ tacite ad eundem ſcopum collimant.) Idcirco Johannes etiam è factis & dictis Chriſti ea præcipue ſelegit ac decerpſit, quæ ad hunc ejus ſcopum conducunt, cum præſertim ab aliis Euangelii conditoribus omiſſa eſſent, quorum ſcripta eum ante vidiſſe, Eccleſiaſtica tradit hiſtoria. Euſeb. lib. 3. cap. 24.

Et tribus prioribus Euangeliſtis, quibus propoſitum fuit univerſam de Chriſto hiſtoriam conſignare, Matthæus & Lucas præ Marco primas tenent, quia uterque rem longe fuſius & exactius executi ſunt: unde illi potiſſimas ac inſigniores Chriſti conciones quoque deſcripſerunt, quas vix leviter attigit Marcus, inprimis eas, quæ ad hiſtoriam ſtrictius ſumtam non pertinent, & occaſiones aliquas aliis rebus, quæ narrantur, non præbent, nec ex illis fluunt. Imo videtur Marci Euangelium propemodum compendium & breviarium Euangelii Matthæi eſſe: ideo & ordinem hujus in pleriſque ſequitur, & verba quoque ejus exprimere videtur. Quamquam & nonnihil, quod aliunde illi conſtitit, addidit, & in circumſtantiarum deſcriptione ab illo alicubi diſcrepat.

Quod ſi Matthæum & Lucam inter ſe conferas, quamquam utriuſque maxima ſit auctoritas, & eatenus par, quatenus nefas eſt alterutrius dictis ulla in parte fidem detrahere, Matthæus tamen duas præcipue ob cauſas ſupra Lucam eminet. Primum quidem, quod Apoſtolus fuerit, id eſt, unus ex diviniſſimis ac ſanctiſſimis poſt Chriſtum viris, primariiſque Euangelicæ doctrinæ præconibus: Lucas autem Euangeliſtis tantum, hoc eſt, Apoſtolorum cooperariis & veluti adminiſtris in Euangelio annumerari debeat, qui tertio ab Apoſtolis gradu numerantur: ut patet

Epheſ. 4. 11. Deinde, quod Matthæus maximam partem oculatus teſtis ac ſpectator eorum fuerit, quæ ſcripſit; Lucas autem, ut ipſemet teſtatur cap. 1. 2. ea quæ in Euangelica hiſtoria ſcripſit, ab iis accepit, qui ſpectatores ipſimet atque adminiſtri rerum iſtarum fuerunt: quanquam is tantam hic curam ac diligentiam adhibuit, ut nihil libro ſuo inſeruerit, de quo à fide dignis teſtibus non fuerit pleniſſime certior factus.

Hinc tertium quodammodo oritur inter utrumque ſcriptorem diſcrimen, quod aliquam Matthæi præ Luca eminentiam oſtendit: nempe, quod Matthæus, in pleriſque ſaltem, accuratiorem temporis rationem habuerit, & ordinem rerum geſtarum in narrationis ſerie exactius ſervaverit quam Lucas, qui potiſſimum id curæ habuit, ut ea fideliter ſcriptis mandaret, quæ à fide dignis viris didicerat eſſe veriſſima; ordinem autem temporis ac hiſtoriæ non putavit ſibi adeo neceſſarium eſſe ad aſſequendum finem illum, quem ſibi in ſcribendo Euangelio præfixerat. Quanquam fatendum eſt, Lucam in aliquibus temporis rationem, rerumve geſtarum ordinem exactius eſſe ſecutum, & diſtinctius nonnullos Chriſti ſermones retuliſſe, quam Matthæum. Verum in pleriſque tamen, vel ſaltem in pluribus, Matthæo palmo hac in parte tribuenda eſt.

Quod autem Johannem Euangeliſtam ſpectat, de eo Irenæus & Epiphanius ſtatuunt, quoniam poſt tres priores Euangeliſtas Euangelium ſuum concinuavit, ejus ſcopum atque propoſitum fuiſſe, non modo ea quæ alii ſilentio tranſmiſerunt ſupplere, verum etiam hiſtoriam meliori ordine, ratione temporis referre. Id quod tres primi Euangeliſtæ non tam accurate obſervarunt, ut qui rebus ipſis magis intenti fuerint, ne quid falſi ſcriberent. Atque hac in parte ſemper omnes, tam neoterici quam antiquiores Eccleſiæ Doctores & Interpretes Irenæi ſententiæ ſubſcripſerunt. Solus Andreas Oſiander omnibus contrariam & abſurdam tuetur ſententiam, quod tres priores Euangeliſtæ in ſuis narrationibus verum ac legitimum temporis ordinem ſervaverint, idcirco ab eo non eſſe recedendum. Hinc factum, ut cum non omnes unum eundemque ordinem tenuerint, ille coactus fuerit affirmare, Chriſtum ter mercatores & fœneratores è Templo ejeciſſe; bis Apoſtolos ſuos ad prædicandum Euangelium miſiſſe; bis aut ter Jairi filiam à mortuis ſuſcitaſſe; ter dæmonibus facultatem dediſſe, ut in porcos Gergeſenorum ingrederentur. Et ſic alia quoque complura, quæ revera ſemel tantum facta ſunt, coactus eſt multiplicare. Quæ nemo non facile agnoſcit eſſe longe abſurdiſſima.

CAP. VIII.

De Matthæi vocatione, vita & obitu.

SEcundum *Matthæum.*] Ita habent Græci Codices, id eſt, prout à Matthæo deſcriptum eſt. Hoc vero additur ad vocem Euangelii, ut diſtinguatur hic liber Euangelii, à libris Euangelii, quos aliis conſcripſerunt.

Matthæus ſeipſum vocat Apoſtolum cap. 10. 3. Marcus & Lucas eum appellant Levin Marc. 2. 14. Luc. 5. 27. Unde patet, eam binomium fuiſſe. Marcus etiam nominat patrem ejus Alphæum. Fuit ante publicanus Capernaumi, aut alicubi in vicinia, uti ex hiſtoria vocationis ejus colligere eſt. Ex eo quod magnificum convivium Chriſto in honorem inſtruxerit, apparet, ei non tenues ac modicas fortunas fuiſſe: quod in publicano mirum non eſt, cum iſtiuſmodi homines corrodendæ pecuniæ mediis deſtitui non ſoleant. Probabile quoque eſt eum jam antequam ad munus Apoſtolatus vocaretur, [Iohannis fuiſſe diſcipulum] nonnihil de Chriſti miraculis inaudiviſſe, quin & doctrinam ex ore ejus hauſiſſe, neque ab ea averſum fuiſſe: inde factum, ut vocationi tam prompte obſequeretur; quanquam Scriptura ejus rei nullam faciat mentionem. Vocationem autem ſuam ipſemet deſcripſit cap. 9. 9.

In qua orbis parte ille, poſt acceptum una cum aliis Apoſtolis die Pentecoſtes Spiritum Sanctum, prædicaverit Euangelium, de eo tacet ſcriptura. Sed legitur in libro edito ſub nomine Abdiæ (qui ſe Chriſtum in carne vidiſſe, & à Simone Cananite ac Juda Thaddæo, quos in Perſiam comitatus fuit, Epiſcopum in Babylonia conſtitutum eſſe affirmat) quod in partitione Orbis terræ ad prædicandum Euangelium, ipſi Æthiopia, quæ ſita eſt in India Orientali, obtigerit. Narratque inter alia, eum, cum veniſſet ibi in civitatem Naddaver, quæ erat ſedes Regis Æglippi, duos Magos, quorum alteri nomen erat Zaroes, alteri Arphaxat, quique Deos ſe eſſe fingebant, ac falſis prodigiis hominum permultos decipiebant, confudiſſe & ad incitas redegiſſe; quoſque illi afflixerant ac læſerant (nam cæcos & ſurdos reddebant homines) eum ſanitati reſtituiſſe: quin & duos Dracones, quibus comitati venire in urbem ſolebant Magi, eum confeſtim conſopiiſſe. Refert etiam aulicum Reginæ Candaces, quem Philippus baptiſavit Actor. 8. 27, 28. ad eum veniſſe, atque in domum ſuam eum recepiſſe. Refert idem, Matthæum Regis Æglippi filium à mortuis excitaſſe: quo miraculo motum Regem una cum Regina ac Regia prole, & univerſo populo ad Chriſtum eſſe converſum: Magos autem ſic fuiſſe hoc facto conſternatos, ut in Perſiam refugerint. Tandem tradit, Hyrtacum, qui poſt Æglippi mortem in regnum ſucceſſit, Matthæo cervicem præcidi curaſſe, ideo quod Hyrtacus defuncti Regis filiam Epigeniam ducere uxorem vellet, Matthæus vero contradiceret, nolletque Chriſto conſecratam virginem jugum ſubire matrimonii. Et multa alia hujuſmodi liber iſte de Matthæi doctrina rebuſque geſtis memorat: ſed ea maximam partem fabulis potius quam veræ hiſtoriæ ſimilia ſunt, neque cum Apoſtolorum doctrina & actis conveniunt. Nam quæ inter cætera narrat, quo-

quomodò Matthæus Dracones aggrediens crucis ſigno ſe muniverit, quomodo juſſerit ædificari Templum reſurrectionis, quomodo plures quam 200 virgines ſegregaverit ad cœlibem vitam ad mortem uſque ducendam, eiſque ſacrum flammeum ipſe impoſuerit, quomodo piaculum eſſe duxerit Cœnam Dominicam celebrare poſt ſumptum cibum, quomodo in Eccleſia Miſſam legerit, quomodo poſt obitum rurſus apparuerit, & quæ ſunt alia hujus farinæ; omnia ſunt talia, quæ longe poſt Apoſtolorum tempora in Orbem Chriſtianum invecta ſunt.

Nicephorus lib. 2. cap. 41 acta Matthæi multo aliter recenſet: nempe eum apud Anthropophagos in urbe Myrmena docuiſſe, atque ibidem clavis ferreis terræ affixum fuiſſe. Sed multa etiam in hac relatione occurrunt plena ſuperſtitionis, & prorſus contraria narrationi Abdiæ. Itaque nec huc, nec illi tuto fides haberi poteſt.

CAP. IX.

Qua lingua Matthæus Euangelium ſcripſerit.

QUa lingua uſus fuerit Matthæus in conſcribendo Euangelio ſuo, mirum eſt quæri inter eruditos; quum ignotum ſit nemini, reliquos omnes Apoſtolos Græco ſermone libros ſuos conſcripſiſſe. Sunt tamen non pauci ex antiquis auctoribus, ut Hieron. in Matth. Iren. lib. 3. cap. 1. Athan. in Synopſi pag. 141. Euſeb. lib. 3. cap. 24, quibus & hodiè multi adſtipulantur, qui Matthæum Hebraica lingua Euangelium condidiſſe tradant, idque ex Hebræo poſtmodum in Græcum ſermonem eſſe transfuſum, Hebræum autem authenticum non amplius ſupereſſe. Verum nequaquam credibile eſt, paſſurum fuiſſe Deum, cujus ſingularem circa ſacros libros curam merito omnes admiramur, intercidere prorſus ejus linguæ exemplaria vera, qua à Matthæo Euangelium contextum eſt. Neque etiam cauſa fuit ulla, cur Hebraice potius, quam Græcè ſcribere vellet Apoſtolus; cum lingua Græca illa tempeſtate communis fuerit omnibus gentibus, etiam Judæis, & per univerſum orbem latiſſime eſſet diffuſa. In Imperio ſane Romano plures erant Judæi, qui Hebraicæ linguæ, quam qui Græcæ eſſent imperiti. Hinc videmus, alios Apoſtolos & Sanctos viros, Petrum, Johannem, Jacobum & Scriptorem Epiſtolæ ad Hebræos, Judæis ſcribentes, non Hebraico, ſed Græco ſermone uſos. Ita & Paulus Apoſtolus Græce maluit ad Romanos, quam Latine ſcribere: tum quod Græce omnes intelligerent, tum quod vellet epiſtolam illam non à Romanis tantum, ſed & ab aliarum nationum hominibus, ac inprimis Judæis, contra quos potiſſimum in ea diſputat legi. Cur ergo Matthæus maluiſſet Euangelium ſuum ea lingua tradere, quæ Judæis ſolis, iiſque non omnibus, nota erat, quam ea, quam omnes gentes, etiam Judæi ipſi, intelligebant? Cur abſque omni cauſa communem totius Orbis utilitatem, quam reliqui omnes ſpectarunt Apoſtoli, ſuſque deque habuiſſet? Quid? quod teſtentur omnes ſupra memorati veteres Auctores, Græcum Matthæi exemplar, quod extat, vetuſtiſſimum eſſe, & ab ipſo Chriſtianiſmi initio per Eccleſias Chriſtianas receptum fuiſſe. Neque oſtendi poteſt, imo ne minima quidem conjectura extat, quis fuerit verſionis ex Hebræo in Græcum auctor. Athanaſius quidem narrat Jacobum Chriſti fratrem vertiſſe: alii Johannem Euangeliſtam; alii Barnabam, alii Lucam, vel Paulum &c. de quo vide Caſaub. Exercit. 15 ad Baron. Cap. 12. pag. 388. Quæ tam diſcrepantes ſententiæ argumento ſunt verum verſionis auctorem ignorari.

Non habent autem ii, qui contendunt Matthæum conſcripſiſſe librum ſuum Hebraico ſermone, aliud fundamentum, præter Papiæ teſtimonium apud Euſebium lib. 3. cap. 39. De quo Papia, qui fuit Epiſcopus Hierapolitanus, vulgo creditur, eum Johannis Apoſtoli diſcipulum fuiſſe; inque ea ſententia ſunt Irenæus, Nicephorus & Euſebius: alii autem tradunt, eum non Apoſtoli Johannis, ſed Ariſtionis & Johannis Preſbyteri ſeu Senioris auditorem fuiſſe. Euſebius vero ipſe tali teſtimonio Papiam ornat, ut eum dicat, fuiſſe *hominem modico judicio præditum*, & multa fabuloſa tanquam ab Apoſtolis tradita aſſeruiſſe: ut adeo teſtimonium ejus non poſſit pro indubitato ac irrefragabili haberi. Ab hoc igitur Papia, qui primus hunc errorem de Hebraico Matthæi Euangelio invexit, eum plures alii hauſerunt. Ac primum quidem Pantænus, celebris Philoſophus Alexandriæ, qui poſtea fidem Chriſtianam amplexus eſt. Is, poſtulante Indorum Legato, in Indiam profectus, ut eos religionis Chriſtianæ uberiori notitia imbueret, apud Euſeb. lib. 5. cap. 9 teſtatur, Euangelium Matthæi Hebraica lingua ſcriptum, quod Bartholomæus Apoſtolus ibidem reliquerit, adhuc ſuo tempore illic aſſervari. Verum exinde nondum probari poteſt, illud à Matthæo ipſo Hebreæa lingua conſignatum fuiſſe, ſed potuit eſſe exemplar verſum ex Græco in Hebræum. Hunc poſtea ſecuti Euſeb. lib. 6. cap. 24. & Hieronymus, Catal. illuſtr. doct cap. 3, in ea ſunt ſententia, quod Matthæus Euangelium Hebraice ſcripſerit: ſed nullum citant gravem ac probatæ fidei auctorem, cujus teſtimonio id confirmare poſſint. Hieronymus quidem meminit cujuſdam Hebraici exemplaris, quod in Bibliotheca Cæſareenſi, quam Pamphilus Martyr inſtruxerat, ſervatum fuerit. At merito quæri poteſt, cur Euſebius, qui Cæſareæ Epiſcopus & Pamphili ſummus amicus erat, ejus ne verbulo quidem ullam mentionem faciat, cum tamen alioqui de Hebraico Matthæi Euangelio diſerte loquatur? Imo Hieronymus ipſe non auſus fuit affirmare pro certo, illud exemplar Cæſareenſe, ut & Beroeenſe, quo etiam ipſius tempore Anno Chriſti 360. utebantur Nazaræi (cujus etiam meminit Epiphan. Hæreſ. 29, nec non Cerinthiani & Ebionitæ apud Iren. lib. 1. cap. 26. & Epiphan. Hæreſ. 30. eo gloriabantur) vere Matthæi fuiſſe. Quin teſtatur Hieronymus, exemplar illud Nazaræorum non Hebraico, ſed Chaldaico ſermone, Hebræis autem literis ſcriptum

fuiſſe. Vide Eraſm. in Cap. 8. Matthæi. Inſuper exemplar illud Nazaræorum, quod fuit Beroeæ, quodque Hieronymus manu ſua deſcripſit, ex eo prorſus redditur ſuſpectum, quod multa contineat à Matthæo haud ſcripta, quorum aliqua fabulæ ſpeciem præ ſe ferunt. Talis eſt inter alia hiſtoria de adultera, quam deſcripſit Johannes, Johan. 8. 3 & illud, quod de viro aridam manum habente Matth. 12. 10 refertur, eum cœmentarium fuiſſe, & admodum flebilibus verbis de miſeria ſua conqueſtum eſſe. In eodem & hæc poſt reſurrectionem Chriſti deſcriptam legebantur verba: *Poſtquam Dominus linteum Pontificis Maximi ſervo tradidit, apparuit Jacobo. Jacobus enim juramento ſe obſtrinxerat, panem nullum comedere ab ea hora, qua calicem Domini biberat, donec videret Dominum à mortuis reſurgentem. Cum igitur Chriſtus veniſſet ad Jacobum, mox dixit: Afferte huc panem & menſam. Acceptumque panem benedixit, fregit, & dedit Jacobo juſto, & dixit ipſi: Mi frater, ede panem tuum, quia filius hominis ſurrexit a dormientibus.* Narratur quoque in eodem Euangelio, quod cum Chriſtus expiraſſet in cruce, ſuperliminare Templi fractum fuerit. Alium adhuc locum producit Dialog. 3. cont. Pelag. Hieronymus ex eodem Euangelio: *Ecce mater Domini & fratres ejus dixerunt ad eum: Johannes Baptiſta baptiſat in remiſſionem peccatorum, eamus & nos, ut ab eo baptiſemur. Et reſpondit eis: Quid ego peccavi, ut me ab eo baptiſari poſtulem?* Hæ & ſimiles narrationes, quæ apud nullum Euangelii Scriptorem inveniuntur, & ex parte abſurdæ ſunt, in cauſa fuerunt, ut Nazaræorum Euangelium nunquam à primitiva Eccleſia, ſed ſolum Græcum fuerit receptum. Quæ cum ita ſint, omnino ſtatuendum eſt, Græcum Matthæi exemplar eſſe authenticum, illudque poſtea ab aliquo in Hebræam linguam tranſlatum: quemadmodum & de Johannis Euangelio, quod Græco ſermone ſcriptum eſſe teſtatiſſimum eſt, auctor eſt Epiphanius, lib. 1. Hæreſ. 50. illud in Hebraicum ſermonem converſum, atque in gazophylaciis Hebræorum apud Tiberiadem ſuo tempore fuiſſe aſſervatum. Et credibile ſane eſt, primam Hebraicam verſionem Matthæi probam & Græco textui conformem fuiſſe; ſed poſteà Judæorum, nec non hæreticorum manu eſſe interpolatam, plurimiſque fabulis maculatam: Græco interim Originali exemplari cura Numinis ab adulterantium ac depravantium injuria præſervato. Noſtro ſeculo duo Hebræa exemplaria in lucem ſunt edita, alterum à Tilio, alterum à Munſtero. Sed ii ipſi, qui alias fervide Hebraicum Matthæi Euangelium authenticum propugnant, agnoſcunt, neutrum horum Matthæi eſſe.

CAP. X.

De inſcriptione quatuor Euangeliſtarum.

OBſervandum etiam eſt hoc loco, inſcriptionem ſeu Titulum hunc, *Euangelium ſecundum Matthæum*, ut & inſcriptiones trium ſequentium Euangeliorum, non ab Euangeliſtis ipſis eſſe appoſitas, adeoque ad textum Euangelii non pertinere: quod inter alia ex Marco liquet, qui Euangelio alium titulum præfixit, dum ſic orditur: *Initium Euangelii Chriſti.* Non eſt enim veriſimile, eum unico libro geminos titulos præſcripſiſſe. Itaque credibile eſt, inſcriptiones iſtas à primis Chriſtianis poſt Apoſtolorum tempora eſſe factas: tum ideo, ut de auctoritate ſacrorum horum ſcriptorum dubitandi anſa tolleretur, tum, ut à poſteris quatuor iſta Euangelia tam inter ſe, quam ab aliis falſis Euangeliis diſcernerentur.

CAP. XI.

Argumentum & Partitio Euangelii Matthæi.

ARgumentum Euangelii Matthæi eſt, quod in eo deſcribatur tota hiſtoria ortus ac vitæ Chriſti Filii Dei: quomodo natus fuerit, quomodo in terris vixerit, & ſuum Propheticum ſeu prædicandi munus obierit: nec non quomodo per mortem ejus præparatio quædam & initium Sacerdotalis ac Regii muneris ejus factum ſit. Dividi autem liber hic poteſt in duas principales partes. In prima deſcribit Matthæus natales ac generationem Chriſti: quæ deſcriptio non ſolum per ſe ad plenam de Chriſto hiſtoriam pertinet, ſed etiam peculiariter neceſſaria erat, propter Judæos, qui probe norant, Chriſtum è Davidis familia juxta promiſſionem divinam naſci oportere; ita ut niſi conſtitiſſet certo, Chriſtum ex ea familia oriundum eſſe, illi anſam habuiſſent inde concludendi, eum promiſſum Meſſiam ac Servatorem mundi haudquaquam eſſe. Quapropter Matthæus in primis duobus capitibus explicat ea, quæ ad ortum ac nativitatem Chriſti infantiamque ejus pertinent, oſtenditque, non defuiſſe ea Jeſu Nazaræno, quæ in promiſſo Meſſia vel ex divinis promiſſionibus, vel aliam ob cauſam extare debuerunt.

Pars altera, quæ uſque ad finem Libri ſe extendit, iterum in tria membra diſpeſci poteſt.

In primo continetur deſcriptio eorum, quæ præparationem quandam ad functionem muneris ejus Prophetici ſpectant. Ubi docetur primum, quomodo Johannes Baptiſta viam Chriſto præpararit: deinde quomodo Chriſtus ipſe ad muneris ſui in terris functionem veluti præparatus fuerit, partim dum fuit à Deo ſolenni ratione, poſt baptiſmum in Jordane ſuſceptum, voce cœlitus emiſſa, & effuſo Spiritu Sancto, muneri iſti initiatus, ac veluti conſecratus; partim dum fuit, Deo ita volente, à Diabolo tentatus, & periculum fidei ac conſtantiæ ipſius, antequam rem tantam aggrederetur, captum. Hoc primum membrum ab initio Cap. 3 extenditur uſque ad verſ. 12 Cap. 4.

In ſecundo membro exponuntur tum dicta, tum facta Chriſti, præſertim miraculoſa, quibus doctrinam ſuam in terris confirmavit, & eorum etiam, quæ poſt ipſius in cœlum aſcenſionem geſta ſunt, fundamenta jecit. Quod quidem membrum protenditur uſque ad Cap. 26, narranturque in eo, pri-

primum res geſtæ, quæ electionem & miſſionem Apoſtolorum anteceſſerunt, uſque ad cap. 10. Poſtea electio ipſa & miſſio Apoſtolorum, de qua agitur toto cap. 10. Tertio ea quæ miſſionem Apoſtolorum conſecuta ſunt uſque ad ultimum iter Chriſti, quod Hieroſolymam ſuſcepit, ibidem mortem ſubiturus: quæ deſcribuntur à cap. 11 initio ad cap. 20. 17. Quarto ipſum iſtud iter, & quæ Chriſto paulo ante mortem acciderunt: & hæc narrantur uſque ad cap. 26.

Tertium membrum, quod terminum quendam complectitur muneris Prophetici Chriſti, & initium quoddam ſacerdotalis ac Regii, continet hiſtoriam paſſionis, mortis & reſurrectionis Jeſu Chriſti, tribus ultimis capitibus comprehenſam, adeoque ad finem libri uſque porrigitur. Reſurrectionis autem nomine complectimur hoc loco etiam ea, quæ eam ſunt proxime conſecuta, antequam nimirum in cælos Chriſtus aſcenderet. Et mors quidem ac reſurrectio, ut fuerunt confirmatio & ſanctio inſignis eorum, quæ Chriſtus antea docuerat; & eatenus muneri ipſius Prophetico accenſeri debent: ita aditus quidam fuerunt ad munus illud, quod in cælis nunc Chriſtus adminiſtrat. Et mors quidem initium quoddam fuit muneris ejus Sacerdotalis, cum ea ſit victimæ pro nobis oblatæ mactatio, atque ad eam offerendam inque cæleſti ſacrario exhibendam præparatio; reſurrectio autem fuit etiam initium quoddam muneris Regii.

L. W.

COMMENTARIA

IN

EUANGELIUM MATTHÆI.

CAPUT I.

Argumentum & Partitio.

Duæ ſunt hujus Capitis partes. 1. Deſcribit Euangeliſta genealogiam ſeu ſeriem majorum Jeſu Chriſti, inde ab Abrahamo uſque ad Joſephum virum Mariæ matris Chriſti. 2. Deſcribit miraculoſam conceptionem Chriſti ex Spiritu Sancto; & narrat, quomodo Angelus Dei, Joſephum de ea in ſomnio nocturno fecerit certiorem, eo fine, ut ſcrupulum in animo ejus ex graviditate Mariæ ſubortum eximeret, atque repudiandæ illius propoſitum diſturbaret: præterea quomodo Joſephus Angeli uxorem aſſumere jubentis mandato obſecutus fuerit, ita tamen, ut à concubitu ac commixtione cum ea, uſque dum Sanctus hic fœtus in lucem ederetur, abſtineret.

PARS I.

IN primitiva Eccleſia duæ fuere Sectæ, quæ genealogiam Jeſu Chriſti ab Euangelio Matthæi reſecabant ac rejiciebant. Una fuit Ebionitarum, qui non ab Ebione (cujus nominis an unquam aliquis fuerit, certi nihil habetur) ſed, teſte Euſebio lib. 3. cap. 27, ab Hebræa voce Ebion, quæ pauperem atque egentem ſignificat, nomen ſortiti ſunt, ea de cauſa, quod exilem de Chriſto ſenſum ac opinionem haberent, adeoque in doctrina ſua pauperes eſſent. Hi Ebionitæ, quia Chriſtum nihil niſi ψιλὸν ἄνθρωπον, id eſt, nudum hominem eſſe credebant, ut qui ex concubitu Joſephi cum Maria conceptus natuſque fuerit, repudiabant idcirco ea, quæ in ſecunda hujus capitis parte de conceptione Chriſti ex Spiritu Sancto recenſentur; atque una etiam præce-

dentem genealogiam, & ſubſequentia omnia uſque ad locum Matth. 3. 13, ubi baptiſmus Chriſti à Johanne adminiſtratus deſcribitur, omittebant. Quanquam Euſebius nonnullos tamen in ſecta hac extitiſſe perhibet, qui Chriſtum è Spiritu Sancto conceptum fuiſſe agnoverint.

Altera ſecta fuit Manichæorum, quorum auctor fuit Manes, qui Anno Chriſti 277. falſam doctrinam ſuam diſſeminare occæpit. Sententia ejus fuit, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed figuram tantum ac ſpeciem hominis geſſiſſe; paſſionem quoque ac mortem Chriſti negabat fuiſſe veram, ſed meras tantum præſtigias, aut hiſtrioniam quandam. Atque hanc ob cauſam ille genealogiam Chriſti, quæ originem ejus à Davide & Abrahamo deducit, reprobabat, cauſatus, eam neque Euangelium eſſe, neque ad Euangelium pertinere. Quam ipſius opinionem, & quicquid ille ad eam ſtatuminandam proferebat, abunde refutavit Auguſtinus. lib. 2, 3, 7, 23. contra Fauſtum.

Pertinet autem hæc Genealogia Chriſti eatenus ad Euangelium, quatenus ſcire refert plurimum, quod qui primus fuit Euangelii promulgator, revera ab iis originem traxerit, à quibus eam ex promiſſo divino trahere debuit, nempe à Davide & Abrahamo. Abſque hoc etenim ſigno ſi fuiſſet, actum fuiſſet de divina auctoritate Euangelii. Inde factum, quod Judæi Dominum Jeſum pro Meſſia recipere detrectaverint; quia ſcilicet eum non ex ſemine Davidis, ſed ex Galilæa oriundum eſſe autumabant Joh. 7. 41.

Verſ. 1. *Liber generationis.*] Nimirum in quo majores ſeu progenitores Jeſu Chriſti ſecundum carnem Rom. 1. 3. IX. 5, ſinguli ordine percenſentur. Græce: Βίβλος γενέσεως: quæ verba ſumpta eſſe videntur ex Geneſ. 5. 1, ubi ſcriptum eſt: *Liber generationum Adami*, id eſt, in quo poſteri Adami enumerantur. Græci enim una voce id efferunt, γενεαλογίαν appellantes. Apparet Judæos vulgo hunc titulum, qui è verbis Sacræ Scripturæ conſtat, ſuis genealogiis præſcripſiſſe, forſan ex peculiari Sanctitatis affectatione. Denotat igitur hoc loco vocabulum *Liber*, ex Hebraicæ linguæ conſuetudine, recenſionem vel enumerationem. In hac ſiquidem lingua, omnis Scripta recenſio, uti & quodvis breve ſcriptum, imo etiam epiſtola aliqua, *Sepher*, id eſt, *Liber* vocatur. Vide Deut. 24. 1. Eſth. 9. 25, 26, 30. Eſa. 37. 18. Jer. 29. 25, 29. XXXII. 10, 11, &c. Sic meetio ſit *Libri juſtorum* Joſ. 10. 13, hoc eſt, in quo nomina juſtorum deſcripta ſunt, & facta eorum recenſentur.

Non eſt autem titulus iſte, *Liber generationis Jeſu Chriſti*, totius Euangelii Matthæi, ſed ſolummodo primæ partis cap. 1, quæ extenditur ad ℣. 18, non abſimili modo, quam quo etiam prima verba Euangelii Marci, *Hoc eſt initium Euangelii Jeſu Chriſti*, haud ſpectant ad totum Marci librum, ſed duntaxat ad primos octo verſus, in quibus de baptiſmo & prædicatione Johannis Baptiſtæ agitur; quam marcus indicat fuiſſe initium Euangelii Jeſu Chriſti.

Sunt quidam, ut Sixtus Senenſis, Maldonatus, & alii, qui verborum iſtorum *Liber generationis Jeſu Chriſti*, hunc cenſent eſſe ſenſum: quaſi dictum ſit, *Liber vitæ Jeſu Chriſti*: ut ita verba iſta ſint titulus totius Euangelii Matthæi. Et ſane vocabulum *generationis* etiam hoc ſignificatu Hebraica locutione acceptum in Sacris Literis reperitur. Ut cum de Jacobo dicitur: *Hæ ſunt generationes Jacobi*, Gen. 37. 2, ubi tamen nulla in toto Capite majorum vel minorum ejus fit mentio: ſed ſimpliciter tantum res geſtæ Jacobi filiorumque ejus, & quæ inter Joſephum ac fratres ejus acta ſunt, referuntur. Similiter de Noacho ſcriptum eſt Geneſ. 6. 9. *Hæ ſunt generationes Noachi* (ſic habet Hebræus textus) cum tamen nulla ibi generis, ſed vitæ ſolum & actionum ejus contineatur deſcriptio. Verum ſententia iſta priori minus eſt veriſimilis. Cum enim hic apud Matthæum integra Chriſti genealogia particulatim recenſeatur, nulla eſt ſatis gravis cauſa, ob quam à propria atque uſitata ſignificatione vocis γενέσεως, *generationis*, diſcedatur, & impropria ac inuſitata præ illa eligatur: præſertim cum exempla dentur titulorum, qui non totum librum, ſed unicam duntaxat ejus partem reſpiciunt; qualia ſupra Gen. 5. 1. Mar. 1. 1, indicavimus. Adde, quod titulus hic Matthæi cum allegatis verbis Gen. 5. 1, ad quæ Matthæus omnino, uti dictum, reſpexiſſe videtur, egregie conveniant. Neque ſpernendum eſt, quod Syriacus interpres non aliter verba hæc, quam pro titulo primi Capitis acceperit.

Jeſu Chriſti.] Id eſt, Jeſu, qui eſt Chriſtus. Per *Jeſum* intelligit illum tunc temporis celebratiſſimum Hominem, qui è Maria genitus, & communiter pro Joſephi fabri filio habitus eſt Marc. 6. 3. Luc. 3. 23, qui totam *circuibat Judæam, benefaciens, & ſanans omnes à diabolo in poteſtatem redactos* Actor. 10. 38.

Quod vero Matthæus ad nomen *Jeſu*, nomen *Chriſti* appoſuerit, videtur id eo feciſſe fine, ut in ipſo mox ingreſſu animos lectorum ad ſedulam excitaret attentionem, innuens, ſe genealogiam Jeſu deſcribere, non tanquam vulgaris alicujus hominis, ſed ejus qui Chriſtus, ſeu omnium votis expetitus Meſſias ac ſervator mundi eſt, qui ſecundum promiſſa Dei ab Abrahamo & Davide oriturus erat: ac proinde promiſſa iſta jam eventu ipſo eſſe impleta. Idem ſubindicare videtur infra ad finem hujus genealogiæ verſ. 16.

Sciendum quoque eſt, omnia Hebræorum nomina, non tantum hominum, ſed etiam plerarumque civitatum, fluminum, quin & animalium, piſcium, aliarumque rerum, certi quid denotare. Ac hominum quidem nomina indebantur liberis à parentibus vel cognatis, tum arcano quodam Dei inſtinctu, tum proprio uniuſcujuſque conſilio atque arbitratu, & vel rem præteritam reſpiciebant, vel futuram deſignabant, vel votum aliquod felicis ominis continebant. Inprimis autem nomina, quæ juſſu divino dabantur (uti in nomine Jeſu factum) certam prædictionem ac ſignificationem rei graviſſimæ & quæ maximi momenti futura eſſet, complectebantur.

Jeſu.] Nomen eſt perſonæ, quod ei tempore circumciſionis impoſitum eſt. Luc. 2. 21. Ita tamen illud comparatum eſt, ut ſimul munus ejus, quod ſummo humani generis bono geſſit, connotet. De quo vide intra verſ. 21.

Chriſti.] Nomen eſt officii. Eſtque nomen Græcum, quod ſignificat Unctum. Hebræis dicitur Maſchiah, quod à Græcis effertur Meſſias Joh. 1. 25.

Eſt

Eſt autem nomen hoc multis commune. Nam in Hebræa lingua omnes Meſchiachim, ſeu uncti vocantur, qui ſingulari Dei beneficio in ſublimem dignitatem evecti, vel ad aliquod excellens opus perficiendum à Deo deſtinati fuere. Ita Abrahamus & Iſaacus uncti Dei appellantur Pſal.105. 15, uti etiam populus Iſraëliticus Habac.4. 13. Ita Prophetæ Uncti dicuntur: quod in Eſaia, ſi literalis attendatur ſenſus, cernitur Eſai. 61. 1. Pariter cum Deus mandat Eliæ, ut Eliſæum ſui loco Prophetam conſtituat, utitur voce *ungendi* 1 Reg. 19. 16. Sic Pontifex Maximus nuncupatur *Sacerdos unctus* Levit. 4. 3, 5, 16. Sic etiam omnes Hebræorum Reges generatim *Uncti* vocantur 1 Sam. 2. 10, 35. xxiv. 2. Pſal. 2. 2. Quin & Ethnicum Perſarum Regem Cyrum Deus appellat *Unctum* ſuum Eſa. 45. 1, quia eum deſignaverat ad judicium ſuper Babylonem exequendum. At in ſupremo gradu & perfectiſſima ſignificatione competit iſtud nomen *Uncti* ſeu *Chriſti* huic Jeſu, ut pote qui non terrenis ac vulgaribus beneficiis, cumulatus, non terreno oleo, neque etiam mediocri Spiritus Sancti menſura (ſicut alii Deo accepti homines, Prophetæ, Sacerdotes & Reges) ſed diviniſſimis plane ac cæleſtibus donis, atque oleo lætitiæ Hebr. 1. 9. id eſt, immenſo virtutis divinæ flumine inundatus ac unctus, nec non ad opus eminentiſſimum ac mirificentiſſimum, ad ſalutem nimirum humani generis perficiendam, delectus erat. Olim quidem in terris nomen hoc Chriſti reipſa obtinuit; cum mox poſt ſuſceptum baptiſmum Spiritus Dei columbæ inſtar in illum deſcendit. Matth. 3. 16, iſque per hanc cæleſtem virtutem divino muneri ſuo, ceu magnus ille, à Deo promiſſus Propheta Deut. 18. 18. Act. 3. 22, initiatus, & omnimoda potentia ad tantum munus, divinam voluntatem tum annunciandi ac declarandi, tum miraculis ac prodigiis confirmandi, neceſſaria inſtructus atque armatis fuit. Cujus muneris ſui reſpectu Dominus Jeſus ipſe nomen hoc Chriſti ſibi datum eſſe indicat, dum verba literali ſenſu de Eſaia Propheta prolata, myſtico ſenſu in ſe tranſfert: *Spiritus Domini ſuper me, ideo quia unxit me* Eſai. 61. 1. Luc. 4. 18. Hanc nominis iſtius rationem etiam Apoſtoli ſpectarunt, cum in oratione ſua ita Deum alloquuntur: *Congregati ſunt vere in hac civitate adverſus Sanctum Filium tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus* Act. 4. 20. Vide etiam Act. 10. 38.

Ad regiam autem dignitatem in cælis (ſub qua etiam muneris Sacerdotalis amplitudo comprehenditur) unctus eſt Dominus Jeſus *per Spiritum Sanctificationis ex reſurrectione à mortuis* Rom. 1. 4. *Dextera enim Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus Sancti à Patre accepta,* &c. *Dominus ac Chriſtus à Deo effectus eſt.* Act. 2. 33, 36. Et quoniam Chriſtianorum quoque ſinguli portionem iſtius Spiritus, quo Chriſtus unctus fuit, adepti ſunt; idcirco de omnibus Chriſtianis affirmatur, quod unctionem habeant 1 Joh. 2. 20, 27. Quam ob cauſam etiam jure nomen Chriſti illis competeret, & ſic appellari poſſent, niſi ſumma Domini Jeſu excellentia requireret, ut nomen iſtud ipſi tanquam ſoli proprium & in ſupremo gradu acceptum, relinquatur. Unctus enim ille eſt oleo lætitiæ *ſupra conſortes ſuos* Hebr. 1. 9. Spiritus Sanctus aliis omnibus hominibus datur *ſecundum menſuram* Eph. 4. 7. Chriſto autem datus eſt *non ex menſura* Joh. 3. 34. Præterea ita Chriſtus Spiritu Sancto unctus eſt, ut etiam eo alios ungere queat. Unde Johannes inquit: *Ex plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia* Joh. 1. 16. Et Paulus Apoſtolus: *Unicuique noſtrum data eſt gratia pro menſura doni Chriſti* Eph. 4. 7.

Cæterum Judæi hunc ſuum à Deo promiſſum tam excellentem Prophetam ac Regem, nomine Meſſiæ ſive Chriſti indigitandi, anſam ſumpſere è Prophetarum ac præcipue Danielis Cap. 9. 25, oraculis, ubi is expreſſe Meſſias denominatur.

Filii Davidis, filii Abrahami.] Vox Filii hoc loco poſita eſt pro uno poſteris, vel poſtgenito. Chriſtus enim non fuit proprie loquendo Davidis filius, ſed poſterorum ejus quartum & viceſimum membrum, ſecundum Matthæi computationem. Hoc pacto Chriſtus creberrime Davidis filius appellatur Matth. 9. 27. xii. 23. xv. 22. xx. 30, 31. xxi. 9. Mar. 10. 47. Luc. 18. 38, 39, &c.

Vox *filii* ante nomen Abrahami ſita, non ad nomen Jeſu Chriſti, ſed ad nomen Davidis referenda eſt. Senſus enim non eſt, Jeſum Chriſtum eſſe Davidis & Abrahami ſimul filium, quanquam id per ſe veriſſimum ſit, ſed illum eſſe filium Davidis, qui David eſt Abrahami filius. Similem loquendi modum (Appoſitionem vocant) vide 1 Sam. 1. 1. 1 Par. 4. 37. v. 8, 14. vi. 34, 50. Luc. 23. 24, &c.

Hic oritur quæſtio; quamobrem Matthæus è tam multis Chriſti progenitoribus, quos longo ordine recenſet, duos tantum ſingulariter nominarit, Davidem & Abrahamum, eorumque filium Chriſtum nuncuparit? Cauſa non alia eſt, quam quod ambobus facta ſit promiſſio de Chriſto ex ipſis naſcituro. Et Abrahamo quidem, in illis Dei verbis: *In te benedictæ erunt univerſæ nationes terræ.* Gen. 12. 3. Item: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Davidi autem in iſtis: *Quum completi fuerint dies tui, & occubueris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod prodibit ex utero tuo, & ſtabiliam regnum ejus &c. & firmabo thronum regni ejus uſque in ſeculum* 2. Sam. 7. 12, 13. 1 Paral. 18. 12. Et rurſum: *Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi ſervo meo: Uſque in ſeculum ſtabiliam ſemen tuum, & adificabo in omnem generationem ſolium tuum* Pſal. 89. 4, 5. Porro: *Juravit Dominus Davidi veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam in ſolio tuo* Pſal. 132. 2. Quæ promiſſiones & ſi ſecundum literam Salomonem ejuſque poſteros ſpectarunt, arcano tamen ac myſtico ſenſu ad Chriſtum pertinent, cujus figura fuit Salomon. Poſtmodum tametſi ſatis fuerat Davidem nominaſſe, quandoquidem quiſquis Davidis filius erat, abſque controverſia etiam Abrahami ſimul fuit filius, Matthæus tamen in enumeratione majorum Chriſti uſque ad primum auctorem Judaici populi, in cujus gratiam is inprimis hanc contexuit genealogiam, aſcendere voluit, nempe ad Abrahamum: à quo etiam Judæi ſuam amabant deducere originem, perſuaſi, id ſibi à Deo injunctum eſſe illis apud Eſaiam Prophetam verbis: *Intueamini petram, è qua exciſi eſtis, cavernam foveæ, è qua effoſſi eſtis. Intueamini Abrahamum Patrem veſtrum, & Saram, quæ peperit vos* Eſai. 51. 1, 2.

Ampliùs quæritur; qui fiat, quod Euangeliſta Davidem ante Abrahamum nominet, cum tamen Abrahamo prius quam Davidi promiſſio facta ſit? Prima hujus rei cauſa eſt, quia Davidi facta promiſſio multo clarior & auguſtior erat ea, quæ facta eſt Abrahamo: ideoque longe ſublimior erat præſtantia Davidis, tam excellentis Regis, quam una cum omnibus Judæis Abrahami filium vocari. Abrahamo nonniſi obſcura & generalis promiſſio facta, prætermiſſa certa tribus ac familiæ mentione. At in promiſſione facta Davidi tam certa tribus è poſteris Abrahami, Judæ ſcilicet, quam certa familia iſtius tribus, quin in familia hac certa perſona nimirum David, ac poſt eum Salomon, exprimitur, qui ambo Chriſti typum geſſere. Quod autem in promiſſione, quæ Abrahamo facta eſt, per ſemen illius, in quo omnes gentes terræ benedicendæ erant, non certa perſona, ſed in genere poſteri Abrahami intelligatur, patet ex eo, quod Gal. 3. 8, 9 de ſpirituali Abrahami ſemine legitur. Etſi enim Paulus eo loco v. 16 aſſerat, Chriſtum eſſe iſtud Abrahami ſemen, tamen nomine *Chriſti* illic non nuda Chriſti perſona, ſed ejus totum corpus, id eſt, univerſus Chriſtianus populus, ab illo tanquam à Capite denominatus, denotatur. Vide locum, & noſtrum ſuper eum Commentarium. Interim optime ac merito dicitur, etiam Abrahamo Chriſtum fuiſſe promiſſum, quamvis voce *ſeminis* non ſola Chriſti perſona deſignetur: ſiquidem Chriſtus fuit caput iſtius ſeminis, & ex divino decreto reliquum ſemen abſque illo exiſtere non potuit, nec debuit. Ratione iſtius ſummæ præcellentiæ Davidis præ Abrahamo, quod quidem promiſſionem de Meſſia factam attinet, ii qui Domini Jeſu opem implorabant, & quam honorificentiſſimo titulo eum ornare volebant, Davidis & non Abrahami filium ipſum vocitabant, dicentes: *Miſcere noſtri, Domine, Fili Davidis* Matth. 9. 27. xv. 22. xx. 30, 31 &c. Et ingredienti Chriſto in Jeruſalem, acclamabat tripudians populus: *Hoſanna filio Davidis* Matth. 21. 9. Sic cum Chriſtus Phariſæos rogaret: *Quid vobis videtur de Chriſto? cujus eſt filius?* non reſponderunt Abrahami, ſed *Davidis* Matth. 22. 42. E quibus perſpicuum eſt, illa tempeſtate promiſſionem Davidi factam adeo in ore, non Legiſperitorum ac principum populi duntaxat, verum etiam vulgi fuiſſe, ut promiſſio Abrahamo facta pene oblivione ſepulta fuerit. Quo accedit, quod ad conſtituendum Chriſtum neceſſario requirebatur, ut è familia Davidis naſceretur. Quamvis enim ab Abrahamo oriundus, non autem è Davidis familia prognatus fuiſſet, nequaquam pro Meſſia habitus fuiſſet.

Quidam * Interpretes hanc quoque addunt cauſam, cur Matthæus Davidis prius quam Abrahami mentionem fecerit, quod ſolenne ſit Hebræis vocem illam ultimo loco in ſermone collocare, de qua in ſequentibus plura dicenda ſunt, tametſi ordine naturæ ſpectato præcedere debuerit. Nimirum quia mox ſequitur: *Abrahamus genuit Iſaacum*; idcirco Matthæus in verbis ſuperioribus Abrahamum poſtremo loco poſuit. Similem loquendi modum vide Apoc. 1. 4, 5, ubi ſeptem Spiritus ante Chriſtum nominantur.

Atque hoc loco obſervandum, quam Deus in ſuis promiſſionibus verax ſit. Licet enim earum executio per diuturnum tempus differatur, tandem tamen reipſa implet, quæ ſemel eſt pollicitus. *Nam Deus non eſt homo, qui mentiatur, neque eſt filius hominis, quem pœniteat. An ipſe dixerit, & non faciet? an locutus fuerit, & non præſtabit illud* Num. 23. 19. Vide quoque 1 Sam. 15. 29. Malach. 3. 6. & Rom. 1. 4, ubi de iſta ſanctitatis Dei parte pluribus agitur.

Quo genealogia Jeſu Chriſti tanto firmius memoriæ imprimi queat, diſtribuit eam Matthæus in tres partes, quarum quælibet quatuordecim in ſe membra continet, uti verſ. 17 docet. Diſtributionem hanc inſtituit ſecundum diverſum ſtatum & inſigniores mutationes regiminis Judaici. Nam in prima parte complectitur illos Chriſti majores, qui partim in Ægypto, partim in terra promiſſa abſque Regno, præcipue ſub Judicum regimine vixere, ab Abrahamo uſque ad Davidem. In altera parte enumerat eos, qui Regio fuere ſub imperio, vel potius qui in Regali throno ipſi ſederunt, à Davide uſque ad tranſmigrationem Babylonicam, quæ ſub Rege Jechonia contigit. Tertia in parte recenſet majores Chriſti, poſt collapſum regnum degentes, cum vix umbra Regiæ dignitatis in familia Davidis ſupereſſet.

Verſ. 2. *Abrahamus genuit Iſaacum.* Hic incipit prima genealogiæ Chriſti pars, quam claudit David. Editus eſt in lucem Abrahamus Anno mundi 1948, ante Chriſti nativitatem 2000. Pater ejus fuit Tharah, qui ei non ſine arcana aliqua cauſa primitus Abrami, id eſt, Excelſi Patris, nomen impoſuit. Eo namque ſignificatum fuit, eum non vulgarem, ſed ſingularem & excellentem Patrem futurum. Deinceps verò, ubi Fœdus cum ipſo Deus pepigit, ſemenque ejus propogatum iri promiſit, commutatum eſt ipſi à Deo nomen, Abrahamque, id eſt, Pater excelſus multarum (ſubintellige, gentium) dictus eſt Geneſ. 17. 5. Quoniam vero Deus ejus ſummam probitatem animique rectitudinem, qua omnes tunc temporis ſuperabat, perſpexit, ideo eum è patriis penatibus, qui æque ac cæteri Chaldeæ terræ incolæ, idolorum cultu contaminati fuere, eduxit, dignatuſque eſt, ſe ei multo anguſtiori ac inſigniori ratione, quam hactenus aliis hominibus factum, patefacere, & cum eo fœdus contrahere. Inter alias eximias virtutes, quæ in Sacris Literis prædicantur, elucet potiſſimum ejus ſumma fides atque fiducia in Deum collocata, quæ etiam perfectiſſimam in eo operata eſt obedientiam. Cujus utriuſque virtutis præcipue ſpecimen dedit in eo, dum prompto ac alacri animo migravit è patria ſua in locum ſibi ignotum, Gen. xi. 31. xii. 4, 5, 6, & dum obtulit filium ſuum unicum Iſaacum, per quem genus ejus vi divinæ promiſſionis in immenſam populorum multitudinem excreſcere debebat Geneſ. 22. 2, 3, 9, 10. Jacob. 2. 21. Iſtius enim promiſſionis certitudo tam alte radices in animo ejus egerat, ut hoc validiſſimo tentationis divinæ vento ne tantillum quidem commoveretur: crederetque, Deum potius è mortuis ſuſcitaturum filium ſuum, quam promiſſa non ſervaturum Hebr. xi. 19. Per quam ſuam magnanimam fidem atque obedientiam etiam ſpiritualis omnium credentium pater evaſit, ita ut cuncti, illius fide præditi, cujuſcunque nationis

* Hieronymus Maldonatus.

nis ſint, & quidem ſoli, pro filiis ejus cenſeantur Galat. 3. 7. Inſuper non ſolum ipſe unum verum Deum, nomen ejus invocando Gen. 12. 8, (quæ potiſſima pars religionis veræ eſt) aliaque ſancta opera exercendo, candido ac ſincero corde per integrum vitæ ſuæ ſpatium coluit, verum etiam operam dedit, ut cognitio Dei ad poſteros ſuos propagaretur Geneſ. 18.19. Præclara ejus hoſpitalitas hanc domui ejus felicitatem conciliavit, ut Angelos hoſpitio exciperet Hebr. 13. 2. Hic inſignis vir in ea terra, quæ ipſi poſteriſque ejus in hæreditatem aſſignata erat, toto vitæ ſuæ tempore tanquam peregrinus & exul commoratus eſt. Non urbes illuſtres, non ſplendidas domos incoluit, ſed in tentoriis & tabernaculis habitavit, *expectans fundamenta habentem civitatem, cujus artifex ac conditor eſt Deus* Hebr. xi. 10. Nempe id divino factum eſt conſilio, ut ex ipſius exemplo diſcerent ſpirituales ejus poſteri, *non habere eos hic manentem civitatem, ſed futuram illis eſſe quærendam* Hebr. 13. 14. Divinus interim favor tantis eum cumulavit opibus, ut quamvis Rex non eſſet, Reges tamen debellare poſſet, dum Lotum nepotem ſuum cum tota familia in captivitatem abductum à Regibus, ex ipſorum manibus vindicavit Gen. 14. 14 & ſeqq. A qua pugna reduci occurrit Melchiſedecus Rex Salem Deique Sacerdos, & panem ac vinum opportunum fatigatis levamen offerens, ei benedixit. Cui etiam, ceu ſacerdoti divino, Abrahamus gratum animum pro reportata victoria erga Deum teſtans, decimas de præda omni dedit. Quod totum typice evenit, uti explicat Auctor ad Hebræos cap. 7.

Hic itaque vir tantus & tam celebris ſtirps & radix eſt Judaicæ gentis. Is quia tantopere Deo dilectus fuit, ut ipſum ſacra Scriptura excellentiſſimis ornet titulis, *Amicus Dei* Eſai. 41. 8. Jac. 2. 23. 2 Paral. 20. 7, *cui par in gloria inventus eſt nemo* Eccleſiaſtic. 44. 20 ipſum appellans: idcirco poſteri ejus tam præſtanti patre ſunt adeo gloriati ſemper, imo generis ſui fiducia tam tumidos geſſerunt Spiritus, ut crederent, ſe ob id ſolum, quod Abrahami ſemen eſſent Matth. 3. 9. Joh. 8. 33, gratia Dei nunquam poſſe excidere; quamvis tempore poſt ſecuto ne ſcintilla quidem virtutis ac pietatis Abrahamicæ in illis emicaret.

Annorum fuit CLXXV cum è vita deceſſit Gen. 25. 7.

Iſaacum.] Hic eſt primus ſurculus è ſtirpe Abrahami. Nomen Iſaaci riſum denotat apud Hebræos, eſtque ei impoſitum ideo, quia parentes ejus, accepto de conceptione ejus nuncio in ſenili & emortua ætate Rom. 4. 19, riſere Geneſ. 17. 12. Natus quippe eſt centeſimo patris ſui Abrahami, & nonageſimo Saræ matris ſuæ anno Gen. 17. 17. xxi. 5, non ſine miraculoſa Dei virtute. Inde eſt, quod à Paulo dicatur, cum *ſecundum Spiritum natum eſſe*, id eſt, modo ſupernaturali, opponiturque Iſmaëli, de quo dicitur, quod *ſecundum carnem genitus* ſit, id eſt, naturali atque uſitata ratione Gal. 4. 29. Quæ ipſius ſupernaturalis generatio figura fuit miraculoſæ generationis Chriſti, per virtutem Sancti Spiritus geniti: quemadmodum etiam ipſe Iſaacus Chriſti, ejuſque poſteri Spiritualium Chriſti liberorum figuram geſſere Rom. 9. 2, 8, 9. Quod vitam ac mores Iſaaci attinet, is ſic in Sacris Literis deſcribitur, ut de eo, quod communi fertur Proverbio, vere dici poſſit: *Non procul a proprio ſtipite poma cadunt.* Neque enim ſecundum carnem duntaxat, ſed etiam ſecundum ſpiritum, id eſt, in pietate, fide, & obedientia erga Deum, verus Abrahami filius fuit. Quamobrem Deus pactum cum Abrahamo initum cum ipſo renovavit, ac juramentum Abrahamo præſtitum confirmavit Gen. 26. 3. Dum à Patre ſuo immolari debuit Deo in holocauſtum, adumbratus in eo eſt ille inculpatus ac immaculatus Agnus, qui os ſuum non aperuit, cum ad mactationem duceretur Gen. 22. 9. Eſai. 53. 7. Quadraginta annos natus uxorem duxit Rebeccam Geneſ. 25. 20. Anno autem ætatis CLXXX rebus humanis exemtus eſt Gen. 35. 28.

Subnaſcitur hic quæſtio: cur in hac Chriſti Genealogia prætermiſſus ſit ſilentio Iſmaël, quem Abrahamus ex Agara ancilla Ægyptia ſuſceperat? Ejus rei non hæc eſt cauſa, quod Chriſtus ab eo non ſit oriundus: neque enim à fratribus Judæ vel Zara ortum duxit, quorum tamen in hoc atque ſequenti verſu facta eſt mentio. Porro nec iſta fuit cauſa, quod Iſmaël ferocem vitam egerit ac diſſolutam Gen. 16, 12: ſiquidem etiam poſtea parum pudicæ fœminæ hic referuntur. Denique neque hoc in cauſa eſt, quod Iſmaël non è libera, ſed è ſerva natus ſit: in genealogicis enim tabulis patrum inprimis, non matrum habetur ratio. Vera cauſa fuit, quod Iſmaël ad verum Dei populum, cui Chriſtus promiſſus erat, adque veros Abrahami poſteros minime pertinuerit, ſed rejectos cum poſteris ſuis atque extraneis populis annumeratus fuerit. Non enim cum illo, ſed cum Iſaaco Deus percuſſit Fœdus Geneſ. 17. 20, 21, per quod adumbrare voluit, non omnes ſecundum carnem ex Abrahamo ortos, ſemen ejus eſſe, ſed ſummodo filios promiſſionis, id eſt, fideles Rom. 9. 7. Gal. 3. 7 &c. Nihilominus eum Deus maximi populi parentem fecit Gen. 17. 20. xxv. 13, 14 &c. Ab illo enim ortum cepere Hagareni (qui poſtmodum Saracenorum nomen aſſumpſere, glorioſius arbitrantes à Sara, quam ab Agara nominari) aliique plures populi, qui totam inſederunt Arabiam, & longe lateque deinceps Aſiam, Africam & Europam impleverunt.

Iſaacus autem genuit Jacobum.] Anno mundi MMCVIII, antè natum Chriſtum MDCCCXL. Magni Iſaaci magnus filius, & magni Abrahami magnus nepos fuit Jacobus. Hi ſunt tergemini illi inclyti ac nominatiſſimi Patriarchæ, quorum Deus etiam poſt fata non erubeſcit ſe Deum appellare Exod. 3. 6. Matth. 22. 31, 32. Iſaacus è Rebecca gemellos genuerat, Eſavum primo in lucem editum, & Jacobum mox inſequutum Gen. 25. 24 &c. Eſavus natu major ferus ac profanus homo fuit, qui non ſolum jus primogenituræ ſuæ juſculo è lentibus permutavit Gen. 25. 33, 34, verum etiam cum ethnicis fœminis commixtione parentes ſuos ſummoperè contriſtavit Gen. xxvi. 34, Eſavus ex Hebræo ſignificat *factum* vel *perfectum*. Inditumque ipſi eſt hoc nomen propterea, quia totus piloſus, inſtar villoſæ togæ, & quaſi maturus atque adultus homo in lucem prodiit Gen. 25. 25. Dictus etiam fuit *Edom*, id eſt, *rufus*: ideo quod rufam à fratre ſuo offam petiit, & primo-

genia

genia ſua pro ea vendidit Gen. 25. 30. Iſte irreligioſus ejus animus in cauſa fuit, ut poſtea etiam, aſtu quidem matris Rebeccæ & fratris Jacobi, non tamen ſine directione Dei, benedictionem patris ſui amitteret Geneſ. 27. 35. Id quod ſummi odii inter eum ac fratrem anſam dedit Gen. 37. 41, ubi tamen Jacobus victoriam obtinuit, Deo ipſi auxiliante, qui eum præ Eſavo, adhuc in utero matris, antequam boni aut mali quid feciſſet, dilexerat, inque caput populi ſui elegerat Rom. 9. 11.

Cauſa cur Eſavi hoc loco ommiſſa ſit mentio, eadem eſt, quam omiſſi Iſmaelis attulimus: nempe quod à populo Dei ſegregatus, alius gentis, ad quam promiſſiones de Chriſto minime pertinuere, ſtirps caputque extiterit. Ab illo namque prognati ſunt Edomitæ ſeu Idumæi, qui fratribus ſuis Iſraëlitis ex Ægypto venientibus, tranſitum per terram ſuam denegarunt Num. 20. 18, contra quos Prophetæ multoties vaticinati ſunt. Vide Eſai. 21. 11. Jer. 49. 7. Ezech. 25. 12, 13.

Nomen Jacobi aliqui deductum putant ab Hebraico vocabulo *Hakeb*, quod *calcaneum* denotat: quia calcaneum Eſavi manu tenens natus eſt Geneſ. 25. 26. Alii deſumptum cenſent à voce *Hakab*, quæ ſignificat *ſupplantationem*; cujus nominis notationem ipſe Eſavus explicat, inquiens: *Juſte vocatum eſt nomen ejus Jacob; ſupplantavit enim me jam altera vice* (nempe fraude & aſtu uſus: Hebraicum enim vocabulum ſignificat pedem ſupponendo ſubvertere) *primogenita mea ante abſtulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam* Geneſ. 27. 36. Cæterum etiamſi utraque iſta ſignificatio nomini huic accommodari queat, probabilius tamen eſt, priorem ſignificationem, quam ipſius nativitas quodammodo ſecum attulit, ſpectatam eſſe, neque id, quod poſtea inter ipſum & fratrem ipſius circa benedictionem accidit, tunc cum nomen ei imponeretur, prorſus in mentem veniſſe.

Ob præreptam autem benedictionem patris, quia Eſavus adverſus Jacobum magno irarum æſtu flagravit, coactus eſt ſe oculis fratris ſubducere, & fugere in Meſopotamiam ad Bethuelem avum ſuum maternum Gen. 28 &c. In quo itinere per quietem ipſi ſcala cæleſtis apparuit, Deuſque Abrahamo factam promiſſionem repetens, eam confirmavit. Aſcendentium autem ac deſcendentium per ſcalam Angelorum viſio, ſignificabat perpetuam Dei tutelam atque cuſtodiam. In Meſopotamia Labani avunculo ſuo quatuordecim annis pro duabus ejus filiabus Lea & Rachele ſervivit Gen. 29 &c. Inde poſtea cum uxoribus ac liberis, nec non ingentibus divitiis, quibus divina adſpirante gratia, non ſine invidia avunculi ſui Labanis auctus eſt, in patriam ſuam reverſus eſt. Ubi in itinere gravis ei lucta atque certamen cum Angelo Dei fuit, in quo ille victor evaſit, aliudque nomen, ſcilicet *Iſraëlis*, quod Dei Principem, vel Victorem deſignat, adeptus eſt. Quo nomine Deus ipſi indicare voluit, nihil illi à fratre vel ullo hominum metuendum eſſe, quandoquidem tanta à Deo vi ac robore inſtructus erat, ut etiam Deum (ſeu potius Angelum, qui Dei loco fuit) potuerit ſuperare. Defunctus eſt anno ætatis CXLVII Geneſ. 47. 28.

Jacobus autem genuit Judam.] Anno Mundi MMCLXIX, ante natum Chriſtum MDCCLII. A Jacobo ortæ ſunt duodecim tribus populi Iſraëlitici, quarum capita fuere duodecim filii Jacobi; quorum nomina hæc ſunt: Ruben, Simeon, Levi, Judas, Dan, Naphthali, Gad, Aſſer, Iſaſchar, Zabulon, Joſephus & Benjamin Gen. 29. 30. xxxv. 18. Ex his non primogenitus Ruben, ſed in ordine quartus Judas à Deo deſtinatus eſt, ut ex eo Chriſtus oriretur; indicans, ſe in ſuis operibus ac beneficiis dandis non reſpicere carnales ullas prærogativas: quemadmodum etiam in exemplo Jacobi & Eſavi vidimus. Atque hanc Judæ ſupra reliquos fratres eminentiam Deus declaravit, dum in paterna benedictione tribui ipſius corona ac ſceptrum promiſſum eſt, non auferendum ab ea ante quam veniret Chriſtus Geneſ. 49. 10.

Et fratres ejus.] Etſi Chriſtus tantum è Juda ortus ſit, Euangeliſta nihilominus etiam fratrum ejus meminit; quandoquidem non ſolum pars populi Dei fuere, ſed etiam illo tempore viri inſignes in mundo, atque, ut ante indicatum, capita principeſque tribuum fuere, ideoque Patriarchæ dicti ſunt Actor. 7. 8, 9. Quin etiam hac ratione indicat Euangeliſta, Chriſtum ſecundum carnem omnes Judæos cognatione contingere.

Inter fratres Judæ penultimus Jacobi filius Joſephus, dignus eſt qui præ cæteris hic nominetur, ut qui miraculoſa ratione Chriſti typus fuerit. Cum enim, Joſepho hiſtoriographo teſte lib. 2. cap. 2, 3, tam ſtatura, quam dexteritate ingenii fratres ſuos exſuperaret, Deuſque ipſi per ſomnium imperium in fratres adumbraſſet, ſubnata eſt exinde gravis adverſum ipſum ſimultas, atque ex ea cæco impetu ſeſe opponens inevitabili Dei decreto reſiſtentia. Hinc factum, ut conſilium ejus interficiendi primo caperent, poſtea re melius perpenſa eum viginti argenteis Iſmaëlitis venundarent; à quibus in Ægyptum abductus à Potiphare aulico Pharaonis demptus eſt. Ubi vitæ ejus exordium per iniquam impudicæ uxoris Potiphari accuſationem multis calamitatibus obnoxium fuit Gen. 39 &c. Poſtmodum autem, divina ſic adgubernante providentia, è ſtatu miſero ad ſummum in Ægypto dignitatis faſtigium Regioque ſecundum emerſit Gen. 40 &c. Sicque illum affatus eſt Pharao: *Tu præeris domui meæ, tuiſque mandatis obtemperabit omnis populus; tantumque ſolio major te ero. Vide conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti &c. Ego ſum Pharao, & te ſine manum aut pedem ſuum movebit nemo in univerſa terra Ægypti* Geneſ. 41. 40, 41. Idem prorſus contigit Chriſto, qui à ſuis fratribus xxx argenteis ad necem venditus Matth. 26. 15, deinceps à Deo ab anguſtia liberatus Eſai. 53. 8, & ad dexteram Dei collocatus eſt, omniaque in cælis atque in terris (Deo ſolo excepto 1 Cor. 15. 27.) ipſius imperis ſubjecta ſunt Epheſ. 1. 20. Ita Joſephi innocentiam Deus ſummo affecit præmio, & ſimul eum miraculoſo modo Patris ſui domuſque ejus totius Mæcenatem curatoremque in ſumma annonæ caritate conſtituit. Etenim occaſione ingraveſcentis annonæ, Jacobus, ut prædictionem de ſervitute ſeminis Abrahami in Ægypto à Deo Geneſ. 15. 13, factam impleret ſeptuaginta animabus, quæ è lumbis

ejus

ejus natæ ſunt, comitatus in Ægyptum deſcendit Gen.46.27. Poſteri autem ejus, quod merito mirandum eſt, tranſactis CCXV annis (Jacobus enim in Ægyptum abiit anno Mundi MMCCXXXVIII. ante Chriſtum natum MDCCX, exitus autem ex Ægypto contigit anno Mundi MMCCCCLIII, ante natum Chriſtum MCCCCXCV) exierunt numero ſexcenta & tria millia cum quingentis quinquaginta, ſolis ad militiam aptis viris computatis, ſine uxoribus ac liberis, etiam omiſſa Levitarum tribu, quæ recenſita non fuit Num. 1. 46. Etſi enim ſuccedentes Ægypti Reges, quibus Joſephus ignotus erat, poſteros Jacobi intolerabili ſervitute preſſerint, divina tamen factum eſt cura, ut tanto ſub onere magis magiſque creverint, & fructuoſæ arboris inſtar in innumerabiles ramos ſe diffuderint.

Judas autem genuit Phareſum & Zaram.] Circa annum Mundi MMCCIII, ante natum Chriſtum MDCCXXV. Quomodo Thamara Socerum ſuum Judam mutatis veſtibus deceperit, ut eam imprægnarit, & gemellos ex ea genuerit, deſcriptum eſt Gen.38.14. Ubi notandum, ex omnibus circumſtantiis hiſtoriæ iſtius colligi, eam id non laſciviâ, ſed deſiderio hæredis ex Juda obtinendi feciſſe: quod tamen ipſius factum non excuſat.

Ad genealogiam ſufficiebat Phareſi, è quo Chriſtus ortus eſt, mentio: verum Euangeliſta etiam Zaræ meminit, non tantum propterea quod gemini eſſent, & hic cum illo de primogenitura in utero matris certarit Geneſ.38.38,39; ſed etiam quod Zara à Dei populo ac Fœdere non æque ac Iſmaël & Eſavus excluſus eſſet.

E Thamara.] Quæſtio hoc loco occurrit: Cur in tota Chriſti genealogia, præter ſanctiſſimam ejus matrem, cujus mentio omitti nullo modo poterat, nulla alia è ſanctis fœminis nominata ſit, ſed earum ſolum expreſſa ſint nomina, quibus in conjugio aliquid inſoliti contigit, quarumque facta non ſatis laudabilia, honeſtatique ac pudicitiæ mulicbri minus conſentanea, in Sacris Literis notantur. Ita hic Thamara memoratur, quæ Judam in facinus impudicum induxerit. Deinceps ℣. 5 Rachabæ fit mentio, cui ſacra Scriptura diſerte meretricis infame nomen attribuit, quæque præterea peregrina erat Joſ. 2. 1. Jac. 2.25. Hebr. XI. 31. Ibidem Rutha Moabitis ponitur, quæ ante nuptias concubitum Booſi concupivit Ruth.3.7,8. Tandem Betſabea commemoratur, cum qua David adulterium commiſit 2 Sam. XI .3. Prima cauſa, quam aliqui afferunt, eſt, quod eo ſignificatum fuerit, Deum voluiſſe, ut is qui peccatores ſalvaturus erat, etiam ex inſignibus ac gravibus peccatoribus ipſe naſceretur. Alii ſentiunt, Matthæo propoſitum fuiſſe, tumidum Judæorum Spiritum, qui ob natalium ſuorum decus ambas inflaverant buccas, deprimere, dum oſtendit, inter ipſorum majores, etiam inter Reges atque ſummos viros, res dictu audituque fœdiſſimas contigiſſe; ut ita diſcerent de ſuis genealogiis, quibus adeo ſuperbiebant, ſentire modeſtius. Vir Clariſſimus Epiſcopius hanc quoque addit cauſam, quod Matthæus hac ratione tacite occurre voluerit Judæorum obtrectationibus ac cavillationibus, contra exilem & tenuem parentum Chriſti conditionem. Cauſa enim nulla eſt, cur illa Chriſto obeſſe debeat, cum inter Meſſiæ majores (à quibus eum oriri oportuit, quiſquis tandem ille eſſet) etiam inhoneſtæ & vitiis pollutæ, adeoque multo indigniores perſonæ reperirentur, quam Chriſti parentes erant: qui etſi pauperes & humilis conditionis eſſent, vitæ tamen inculpatæ criminiſque omnis puri erant. Nulla ex his rationibus videtur eſſe ſpernenda; proxime tamen ad veritatem accedit illa, quod ſupervacua ac parum neceſſaria aliarum fœminarum mentio fuerit, in quibus nihil peculiare ac inſolitum accidit; de iis enim nulla fuit dubitandi occaſio, quod earum liberi pro legitimis cenſendi ſint. At de hic nominatis fœminis poterat jure merito dubitari; ideo Euangeliſta expreſſe poſuit earum nomina, indicans, iis quæ minus probanda in illis evenerunt, haud obſtantibus, liberos eorum pro legitimis habendos, neque è numero majorum Chriſti excludendos eſſe. Quanquam Scriptura ipſa omnem dubitationem ſuſtulit, dum filios illarum tanquam legitimos recenſuit, imo tanquam benedictorum meminit. Nam in libro Ruthæ Booſo univerſus precatur populus, *ut domus ejus fiat ſicut domus Phareſi, quem Thamara Judæ genuit* Ruth. 4. 12.

Phareſus autem genuit Eſromum. Eſromus autem genuit Aramum.

*Verſ.*4. *Aramus autem genuit Aminadabum. Aminadabus autem genuit Naaſſonem. Naaſſon autem genuit Salmonem.*] Genealogia integra à Phareſo uſque ad Davidem deſcripta extat circa finem libri Ruth. cap.4.18, & 1 Paral.2.5 & ſeqq. Ubi nuda tantum iſtorum referuntur nomina, & nihil præterea memorabile de iis narratur. De uno Naaſſone dicitur in Paralipomenis, ſicut & Num.1.4,7. quod Princeps filiorum Judæ fuerit.

E Patriarchis autem Iſaacus, Jacobus, Judas, Phareſus, Eſromus in Chananæa terra geniti ſunt Geneſ. 46.12. Aramus, qui idem & Ramus dicitur, nec non Aminadabus, nati ſunt in Ægypto, ibidemque vita functi ſunt. Naaſſon in Ægypto natus, in deſerto mortuus eſt, vel etiam una cum aliis principibus populi ſuſpenſus Num.25.4. Salmon ſine dubio in deſerto, non in Ægypto natus eſt: ex iis enim qui ex Ægypto exierunt, nemo terram Chananæam ingreſſus eſt præter Calebum ac Joſuam Num. 14. 24,30.

Verſ. 5. *Salmon autem genuit Booſum ex Rachaba.* Hæc Rachaba eſt meretrix illa Jerichuntina, quæ miſſos à Joſua exploratores occultavit, ne in manus quærentium eos in civitate inciderent Joſ. 2. 1,6.

Quod vero Rachaba iſta revera meretrix fuerit, id quod Judæi negant, demonſtrabitur in 1. hujus Capitis Appendice.

De contracto quidem inter Rachabam & Salmonem matrimonio, in Scriptura altum eſt ſilentium; ſed apparet Matthæum ex traditionibus Judæorum, vel ex eorum genealogicis tabulis, quæ ab eis diligenter aſſervabantur, aut etiam ex aliis libris ac monumentis, quæ ad nos non pervenerunt, iſtud accepiſſe. Neque eſt incredibile, quod fœmina iſta adeo de populo Dei bene merita, conſervando exploratores, tametſi olim meretrix fuerit, in magno apud Iſraëlitas honore habita, & primario viro in matrimonium data ſit: præſertim ſi Judaicam religionem ſuſcepit; quod quodammodo veriſimile faciunt illa ejus ad explora-

tores

tores verba: *Dominus Deus veſter eſt Dominus in cœlo ſurſum & in terra deorſum* Joſ. 2. 11. Judæis quippe non ſimpliciter interdictum erat matrimonio cum alienigenis fœminis; ſi illæ ſcilicet Ethnica religione repudiata ad Judaiſmum converſæ eſſent. Lex enim Exod. 34. 16. Deut. 7. 4 reſpiciebat duntaxat ſeductionem ad cultum idolorum, quæ per extraneas fœminas fieri poterat. Uti exempla ſubſecuta, inprimis autem Salomonis, ſatis docuerunt. Vide Num. 25. 1, 2. 1 Reg. x 1. 4. Qua cauſa remota, Lex quoque vim non habebat. Unde videmus, nec Davidem reprehenſum fuiſſe, quod Maacham Regis Geſſur filiam matrimonio ſibi junxerit 2. Sam. 3. 3, nec Booſum, quod Rutham Moabitidem duxerit.

Booſus autem genuit Obedem é Rutha.] Probitas Ruthæ, quæ prædicatur in Sacris Literis, in eo maxime enituit, quod relicta patria ſua & avitis Ethnicis Sacris, ultro veram religionem amplexa ſit, dum egenam ac viduam ſocium ſuam è Moabitica regione in Iſraëliticam terram ſecuta eſt, eamque ita adamavit, ita fidelem ei præſtitit operam, ut nulla germana filia fideliorem matri ſuæ præſtare poſſit Ruth. 3. 16, 17.

Obed autem genuit Jeſſen.] Quod Jeſſe Davidis pater, civis Bethlehemenſis, initio in re tenui & abjecta conditione fuerit, exinde colligere licet, quod Nabal, nec non ſeditioſus populus, Davidem per contemptum Jeſſæ filium vocent 1 Sam. 25. 10. 1 Reg. 12. 16. At nihilominus à Deo electus fuit, dignuſque æſtimatus, qui fieret ſtirps atque radix, ex qua enaſceretur benedictus ille *ſurculus, ſuper quem requieturus erat Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus* Eſai. x 1. 1.

Hoc loco incidit graviſſima quæſtio: Qui fiat, quod inter Salmonem & Davidem tantum tres viri interjecti ſint, Booſus, Obed & Jeſſe, cum ex ſupputatione temporum 366 annos interceſſiſſe conſtet. Solutionem hujus Quæſtionis vide in 2. Appendice hujus capitis.

vſ. 6. Jeſſe autem genuit Davidem.] Anno Mundi 2860 ante Chriſtum natum 1088. David Hebraice *dilectum* notat: videturque ipſi hoc nomen non ſine ſingulari Dei providentia inditum. Vere ſiquidem à Deo dilectus fuit, ita ut ab eo tam præclaro ornaretur teſtimonio: *Inveni virum ſecundum cor meum* 1 Sam. 13. 14. Actor. 13. 22. Scriptura vero de illo pronunciavit, *quod fecerit rectum in oculis Domini, & non declinarit ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, præterquam in re Uriæ Hettæi* 1 Reg. 15. 5.

Ejus ſinceri animi, obedientiæ ac fiduciæ erga Deum, ejus patientiæ atque conſtantiæ in multis afflictionibus, ejuſdem ſeriæ reſipiſcentiæ poſt gravem lapſum in negotio Uriæ, & in univerſum ejus ſummæ pietatis & zeli atque ardoris in religione clariſſimum & locuples teſtimonium, præter hiſtoriam vitæ & actorum ejus, præbent præſtantiſſimæ ejus Precationes ac Pſalmi.

Figura Chriſti fuit duplici ratione. Primo in ſtatu maximæ perſecutionis, quam à Saule aſſeclisque ejus contra ſe excitatam, eximia cum patientia perpeſſus eſt: quo potiſſimum inter alios Pſalmi 16 & 22, ſpectant. Poſtmodum in ſua ad Regiam ſublimitatem evectione, cum *lapis ille rejectus ab ædificantibus in lapidem angularem & columnam Iſraëlitici regni factus eſt* Pſal. 118. 22. Matth. 21. 42. Nempe cum à Deo collocatus eſt in Regio throno ſuper univerſam Jacobi domum, effectuſque eſt *primogenitus Dei, excelſior præ Regibus terræ* Pſal. 2. 6. lxxxix. 28.

Regni ejus initium incidit in Annum Mundi 2890, ante Chriſtum natum 1058. quo anno Saul ſibi ipſe mortem conſcivit, venitque Hebronem ad Davidem univerſus populus Iſraëliticus cum ſenioribus ac Principibus ſuis, percuſſoque cum eo fœdere unxerunt eum in Regem 2. Sam. 5. 1, 4.

Toto Regno in poteſtatem ſuam redacto duxit exercitum adverſus Jebuſæos, occupavitque Jeroſolymam, quæ tunc Jebus dicebatur Joſ. 15. 8. Jud. 19. 10. Quo etiam Arcam Fœderis ſumma cum pompa ac triumpho tranſportavit.

Conſtituerat quoque apud ſe Deo templum exſtruere, ſed Dei oraculo monitus eſt, hunc honorem filio ipſius eſſe deferendum: ipſum vero ideo haud idoneum eſſe ad hoc opus, quod multum fudiſſet ſanguinis, quodque plurima bella geſſiſſet 1 Paral. 22. 8. Et David quidem Domini bella geſſerat, nec tamen propterea Domino domum ædificare poterat. Quo pacto igitur coram Deo conſiſtent iſti, qui tantum humani ſanguinis, non divino juſſu, ſed ex mera ambitione profuderunt? Quod ergo bella ab illo geſta attinet, ſciendum eſt eum arma ſtrinxiſſe contra Philiſtæos, Moabitos, Idumæos, Ammonitas ac Syros, quos omnes ſpoliis opimis detractis prædaque acta perdomuit, ita ut eos ſibi tributarios faceret 2. Sam. capp. 5. 6. 7. 8.

Poſt tantam rerum ex voto fluentium proſperitatem, documento fuit David quam arduum ſit homini, qui non jugiter & ſummo ſtudio in voluntatem Dei intentus eſt, felicitatem ferre. Venuſtas enim Bethſabæ eum traxit in adulterium, quod porro etiam nefanda mariti ejus cæde cumulavit 2. Sam. x 1. Neque hanc rem tulit impunitam. Quamvis enim à Nathane admonitus ex animo ageret pœnitentiam, pœnaque in Lege conſtituta de adulterio atque homicidio Levit. 20. 10. xxiv. 17, à Deo ipſi remiſſa eſſet, Deus tamen, ſæviſſima perſecutione ipſi immiſſa per proprium filium Abſalonem, 2. Sam. capp. 15. 16. 17. 18. 19, ſtatuit exemplum in eo, ne Reges terræ ſupremi Regis cœleſtis mandata ſuſque deque habeant. Ita qui alterius conjugem violaverat, coactus eſt poſtea eandem contumeliam in ſuis propriis conjugibus 2. Sam. 16. 22, imo etiam in filia ſua 2. Sam. 13, pati. Poſteaquam autem ab omnibus iſtis ærumnis à Deo liberatus eſt, quietemque ab omnibus inimicis ſuis, tam domeſticis quam extraneis obtinuit, totus incubuit cultui divino inſtaurando, & inter ſacerdotes, Levitas, Cantores alioſque templi miniſtros peregregium ordinem inſtituit 1 Paral. capp. 24. 25. 26. Regnavit annis 40. Vixit 70.

Regem.] Euangeliſta ſolum Davidem & neminem ex ſequentibus appellat Regem. Principio, quia David primus populi Dei Rex, adeoque Regiæ ſtirpis Caput fuit. Saul enim non Dei, ſed rebellis populi voluntate Rex electus fuerat 1 Sam. 8. neque etiam erat ex illa tribu, cui olim ex Jacobi vaticinio ac be-

ac benedictione Gen. 49. 10 regia eminentia debebatur: atque idcirco Saul merito è numero Regum excluditur. Deinceps quia David primam genealogiæ partem claudit, transitque Euangelista ad partem secundam, quæ continet majores Christi in Regio statu existentes: ideo discrimen hoc indicaturus, vocat Davidem Regem, quia ab eo Regia dignitas in ipsius familia sumpserat initium.

David autem Rex genuit Salomonem.] Anno Mundi 2910, ante natum Christum 1038, Regni Davidis 20. Atque hic est glorioſissimus ille Rex, in quo *Deus Davidis ſolium ſe firmaturum pollicitus eſt in ſeculum* 2 Sam. 7. 13, ſub cujus felici regimine *floreret debere juſtum atque amplitudinem pacis, donec auferatur luna*, prædictum erat Pſal. 72. 7. Quod etiam Deus nomine Salomonis, quod pacem denotat, ſignificatum voluit; dum inquit: *Filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus. Faciam enim cum requeſcere ab omnibus inimicis ſuis undiquaque. Et ob hanc cauſam Pacificus vocabitur. Nam pacem & tranquillitatem dabo in Iſraële cunctis diebus ejus* 1 Par. 22. 9, 10. Neque id temere factum eſt. Typus enim in eo fuit illius, qui *Princeps pacis* eſt Chriſti Eſai. 9. 6; quo regnante *enſes in vomeres, & lanceæ in falces convertendæ erant: ubi lupi cum agnis & pardi cum hædis cubaturi erant* Eſai. 2. 4. xi 6.

Optione ſibi à Deo data quippiam petendi, ſapientiam potiorem cæteris rebus omnibus duxit: quæ ipſi etiam à Deo conceſſa eſt tanta, ut neque ante ſe, neque poſt ſe quenquam habuerit parem 1 Reg. 3. 12. Ad ſapientiam quam ſolam poſtulavit, inſuper Deus ei tantum otium ac tranquillitatem adjecit, ut Iſraëliticus populus nullo ſub Rege hac in parte felicior fuerit 1 Reg. 4. 13, quin & tantam divitiarum copiam, ut aurum eſſet inſtar ſtanni, & argentum inſtar lapidum 1 Reg. 10. 27. 2 Paral. 1. 15. Joſeph. lib. 8. cap. 2. Dominatus eſt ſuper univerſam Syriam, ab Ægypto uſque ad fluvium Euphratem, juxta promiſſionem Pſal. 72. 8. Hic Rex inclytus ad condendum Domino templum deſtinatus fuit 2 Sam. 7. 13, quoniam Davidem larga humani ſanguinis profuſio ad id perficiendum inhabilem reddiderat 1 Par. 22. 8. 1 Reg. 5. 3. Quam templi ſtructuram is quarto regni ſui anno exorſus, undecimo ejuſdem abſolvit, tanto cum ſpendore & magnificientia, ut opus hoc eximium tunc inter mundi miracula poneretur 1 Reg. 6. 1, 37, 38.

Rex iſte tantopere à Deo benedictus, præbuit nobis exemplum, quanta vis inſit bonis hujus vitæ ad corrumpenda etiam optima ingenia, ſi non cum modo atque in timore Domini adhibeantur. Vitæ enim ſuæ curriculum, quod egregie ac præclare auſpicatus fuerat, perperam concluſit, dum ætate provectior ab extraneis ſeductus mulieribus, quas ſibi contra legis divinæ præſcriptum Exod. 34. 16 adſciverat, cor ſuum à Deo avertit, ſecutuſque eſt Deos alienos Deut. 7. 3, ita ut fana variis Ethnicis idolis exſtrueret, atque una cum mulieribus ſuis thura eis adoleret ac immolaret. Joſephus lib. 8. cap. 2 ſtatuit, eum jam tum Legem tranſgreſſum eſſe Exod. 20. 4. Deut. 4. 16, cum æneos boves ſubter mare fecit, & imagines leonum ſolio ſuo impoſuit 1 Reg. 7. 44. 2 Paral. 9. 18, 19. Quod nos in medio relinquimus.

Si vera ſunt, quæ Joſephus de illo prodit lib. 8. cap. 2, etiam Magicis artibus fuit deditus. Noverat modum exorcizandi dæmones, morboſque omnis generis carmine pellendi. Atque hanc artem ſcripto conſignatam eum poſt ſe reliquiſſe, eamque ſuo tempore adhuc viguiſſe auctor eſt Joſephus. Narrat ſe quendam è conterraneis ſuis, id eſt, Judæum vidiſſe, cui nomen fuit Eleazari, qui in præſentia Veſpaſiani, filiorum ejus ac univerſi exercitus permultos dæmoniacos ad hunc modum ſanarit: Annulum ſignatorium habebat, cujus ſigillo incluſa erat radix quædam à Salomone inventa, eumque admovebat naribus obſeſſi à dæmone: & ſic odore iſtius radicis per nares cacodæmon extrahebatur. Omitto reliquas ineptias, quas præterea Joſephus recenſet. Neque vero adeo incredibilis eſt hæc de Salomone narratio. Facile enim fieri potuit, ut fama ſummæ ſapientiæ ejus exciverit etiam Magos ex Ægypto, Chaldæa, aliiſque regionibus hac arte infamibus Exod. 7. 11 & ſeqq. Dan. 2. 2, utque ipſis ad ſe confluentibus, ex nimia curioſitate cuncta ſciendi, aditum dederit, & maleficas iſtas artes ab eis didicerit.

Cum proinde Salomon tam turpiter à Deo deſciviſſet, merito Deus etiam gratiam ac promiſſiones ſuas eidem ſubtraxit, non tantum ipſo adhuc vivente, quietem Regni, excitatis variis hoſtibus turbando, ſed etiam poſt ejus obitum decem tribus à regno ejus avellendo, ita ut Roboamo filio ejus unica tribus Judæ (ſub qua quidem & tribus Benjamitica, ſed graviſſimo bello valde attrita atque attenuata Judic. 20. 46 continebatur) maneret reliqua 1 Reg. xi. Eaque non in gratiam Salomonis, qui indignus erat, à Deo relinquebatur, ſed in gratiam Davidis fidelis Dei ſervi.

Quo ætatis anno habenas regni ſuſceperit, Scriptura ſilentio tranſmiſit. Sed ſi Joſephi ſequamur computum lib. 8. cap. 2. natus tunc fuit annos 14, ſi Calviſii (cujus nos calculo utimur) 20 Regnavitque ſecundum ſcripturam 40 annis 1 Reg. xi. 42 ſecundum Joſephum annis 80.

De eo, an Salomon ante obitum ad Deum per veram reſipiſcentiam ſe converterit, vide 3 Appendicem hujuſce capitis.

Ex uxore Uriæ.] Id eſt, ex ea quæ fuerat antè uxor Uriæ: nempe ex Bethſeba. Similis loquendi modus eſt, *Simon leproſus* Matth. 26. 6, id eſt, qui antea leproſus fuerat. *Rachab Meretrix* Jac. 2. 25, hoc eſt, quæ quondam erat meretrix.

ỳ. 7. *Salomon autem genuit Roboamum.* Seu Rehabeamum. Ex Naama Ammonitide. Regni ejus initium cadit in annum Mundi 2969, ante Chriſtum natum 979, quo Salomon è vivis exceſſit. Hic fuit *nomine & re Vaſtator* populi. In Eccleſiaſtico vocatur *vir inſipientiſſimus ad regendum populum, cui defuit intelligentia* Eccleſiaſtic. 47. 28. Videtur Salomon id proſpexiſſe, quod talem habiturus eſſet ſucceſſorem in regno, conceptamque ex eo animi ægritudinem illis in Eccleſiaſtæ ſuo expreſſiſſe verbis: *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, utrum ſapiens an ſtultus futurus ſit: & dominabitur in laboribus meis omnibus* Eccleſ. 2. 18, 19.

Magnificentia Salomonis & admiranda illa ac ſumptuoſa

tuoſa ſtructura, non templi ſolum, verum etiam arcis Regiæ 1 Reg. 7. 1 & ſeqq. cui ſimilem humani oculi nunquam viderant, multis ſane, ad quos rei iſtius uſus redundavit, plurima commoda, ſed tenuioris fortunæ hominibus grave onus attulit. Cum ergo, Salomone fatis functo, populus per Jeroboamum peteret relaxari ſibi graviſſimum jugum, Roboamus aſpero reſponſo eum à ſe alienavit, adeo ut mota ſeditione ab eo deficerent decem tribus, creato ſibi Rege Jeroboamo, Roboamus autem non amplius quam unam tribum Judæ una cum Benjamitica retineret. Hoc modo domus Jacobi diviſa eſt, & ex illo tempore duorum Regum regimini ſubjecta, quorum alter nomen Regis Judæ, alter Regis Iſraëlis obtinuit. Idque duravit tamdiu, donec decem tribus à Salmanaſſare in Aſſyriam deportatæ ſunt 2 Reg. 17.6. Quæ diviſio regni poſtmodum graviſſimorum præliorum inter utroſque Reges, ac plurimarum calamitatum cauſa extitit 1 Reg. 15.16. Regum Judæ perpetua ſedes fuit Hieroſolymis; Jeroboamus autem in Sichemo exſtruxerit ſibi regiam, quæ poſtea Thirſam, ac tandem Samariam tranſlata eſt.

Reges Judæ.

I. *Roboamus.* Poſt Salomonem primus Judæ Rex Anno Mundi 2969, ante natum Chriſtum 979. Quamprimum ſciſſio regni facta eſt à decem tribubus, voluit ille, conſcripto centum octoginta millium exercitu, rebelles ad obſequium reducere. Sed per Semajam à Deo prohibitus eſt. Nullæ quippe humanæ vires tantæ ſunt, ut decreta Dei poſſint impedire aut reſcindere 1 Reg. 12.21 & ſeqq. Nihilominus confirmatum eſt ipſius regnum, non tantum quod jus regium, ut qui è tribu Judæ eſſet, retineret, ſed etiam quod probiores ex Iſraële cuncti ad Deum colendum Jeroſolymam ventitarent, ipſique faverent 2 Paral. xi. 16, 17. Propitium autem Deum Roboamus habuit, quamdiu ipſi integro corde ſervivit: at ubi, mutato pietatis curſu, ea facere cæpit, quæ diſplicebant Domino, auctorque fuit Judæ, ut idololatria & Ethnicis abominationibus ſeſe fœdaret, ſecit Deus, ut à Seſaco Ægypti Rege deſpoliaretur, qui omnes theſauros & vaſa pretioſiſſima è templo Domini abſtulit 1 Reg. 14. 22 & ſeqq. Mortuus eſt ætatis anno 57, regni 17 1 Reg. 14.21.

Roboamus autem genuit Abiam. II. *Abia* ſecundus fuit Rex Judæ, Anno Mundi 2985, ante Chriſtum natum 963. Genitus Maacha Abſaloni filia 1 Reg. 15. 2. Non diu regnavit, annos duntaxat tres, fuitque vir malus. Etenim inquinavit ſe omnibus peccatis patris ſui Roboami, neque integro corde Domino adhæſit 1 Reg. 15. 1 & ſeqq. Juge bellum inter ipſum & Jeroboamum fuit, quem etiam memorabili prælio vicit, & ſic altos Iſraelis Spiritus valde depreſſit.

Abias autem genuit Aſam.] III. *Aſa* eſt tertius Judæ Rex poſt Salomonem, Anno Mundi 2988, ante natum Chriſtum 960. Ejus mater, ſeu potius avia fuit Maacha, Abſalonis cujuſdam filia 1 Reg. 15.10. confer cum v. 2. Apparet Maacham iſtam etiam Michajam fuiſſe nuncupatam, & Abſalonem etiam nomen habuiſſe Urieſis de Gabaa 2 Paral. 13. 2. Superavit autem Aſa pietate patrem & avum ſuum, parque Davidi fuiſſet, ſi aras de excelſis ſuſtuliſſet, quas ille, populo iis adſueto gratificans, intactas reliquit, nec crimen iſtud quod 2 Par. 16.7, 10 narratur, commiſiſſet, ipſe Deum perfecto corde coluit. Ejecit è regno ſuo meretrices: idolum à patre conſtructum ſuſtulit; abominabile monſtrum, quod mater ejus Maacha in luco erexerat, eratque turpiſſimum ac pudendum ſimulacrum Ethnicæ Deæ Veneris vel Priapi, flammis exuſtum in fluvium Cedron conjecit. Quo factum, ut non tantum longo tempore, ſed etiam feliciſſime regni gubernacula adminiſtraret 1 Reg. 15.10 & ſeqq. Potitus enim eſt Deo favente incredibili victoria in prælio cum Æthiopibus: è quorum ingenti exercitu, qui decies centenis millibus conſtabat, ne unus quidem vivus evaſit 2 Paral. 14. 9 & ſeqq. Hoc bello cum Æthiopibus confecto, precatus ipſi felicitatem Azarias Propheta, monuit eum, ut terram ſuam diligenter tutaretur, utque prompte ſuſciperet eos, qui è tribubus Ephraimi, Manaſſis & Simeonis ſub ejus clientelam confugere

Reges Iſraëlis.

I. *Jeroboamus* poſt Salomonis obitum primus Iſraëlis Rex, Anno Mundi 2969, ante natum Chriſtum 979. Quamprimum regiam poteſtatem conſecutus eſt, regnum ſuum per idololatriam ſtabilire aggreſſus eſt. Metuens ſiquidem, ne cultus divini cauſa totus populus frequentando Jeruſalem, ſenſim ab eo averteretur, aureos duos vitulos, qui Iſraëlitis pro Diis eſſent, in utriuſque regni finibus erigi, & excelſa ædificari curavit, nec non ſacerdotes, qui ex tribu Levitica non erant, conſtituit 2 Paral. xi. 10 & ſeqq. Qua ratione ille abominandum idolorum cultum in Iſraële invexit, grandi cum poſterorum ſuorum ſcandalo. Omnes enim eum ſecuti Reges Iſraëlis, templum Dei, quod erat Hieroſolymis, contempſerunt, & modo hoc, modo illud Ethnicum idolum induxerunt. Hiſce irritatus ad iram adverſus Jeroboamum Deus, annunciari ipſi per Prophetam Ahiam curavit horrenda judicia ſua, totiuſque domus ejus interitum 1 Reg. 14. 10 & ſeqq. Nec multo poſt Jeroboamus ab Abia Rege Judæ graviſſima clade affectus eſt, qua cecidere in Iſraële quingenta millia virorum fortium. Ipſe quoque Jeroboamus miſerabilem poſtea ſortitus eſt finem Anno regni 22, 2 Paral. 13. 17, 19, 20. 1 Reg. 14.20.

II. *Nadab* ſecundus Rex Iſraëlis, patri ſuo Jeroboamo (qui ſecundo anno Aſæ regis Judæ obiit) ſucceſſit in regno, & ſimul in impietate. Eſtque poſt aliquot menſes à Baëſa, qui è tribu Iſaſchar oriundus fuit, interemptus 1 Reg. 15. 25, 26.

III. *Baëſa* tertius Rex Iſraëlis, funditus excidit domum Jeroboami, prout Ahias Propheta prædixerat 1 Reg. 15. 19 & ſeqq. Et quia ipſe quoque vitam egit nefariam, idem exitium domus ejus, quod domui Jeroboami contigerat, ipſi annunciatum eſt per Prophetam

fugere vellent. Atque hinc deinceps bellum inter Aſam & Baëſam Regem Iſraëlis exarſit. Aſa ſeptem Regibus Iſraëlis ſuperſtes fuit, eorumque vidit interitum nempe Jeroboami, Nadabi, Baëſæ, Ellæ, Simri, Thibni, & Amri. Migravit è vita anno 41 regni ſui, tertio Achabi Regis Iſraëlis.

℣. 8. *Aſa autem genuit Joſaphatum.* IV. *Joſaphatus* quartus Rex Judæ, Anno Mundi 3028, ante Chriſtum natum 920. Mater ejus fuit Azuba filia Siiki 1 Reg. 22. 41 & ſeqq. Regnare incepit anno tertio Achabi Regis Iſraëlis. Fuit Rex pietate ac probitate inſignis, inſiſtens viis patris ſui Davidis. Ejus præcipua cura erat, purum Dei cultum reſtituere, populumque per omnes civitates Judæ in lege Domini erudiri curare 2 Paral. 17. 4 & ſeqq. Vitio tamen ipſi datum eſt, quod non ſuſtulerit excelſa, quoniam populus corda ſua nondum plene ad Deum patrum ſuorum converterat 1 Reg. 22. 44. ut Hieroſolymis aliiſq; in urbibus Judæ judicia quam rectiſſime ſecundum juſtitiam adminiſtrarentur, ordinavit 2 Par. 19. 8 & ſeqq. Quæ res magnam nomini ejus gloriam conciliavit, metumque circumjacentibus regionibus incuſſit, ita ut Philiſtæi & Arabes muneribus gratiam ejus ambirent, & incrementa opum ac celebritatis indies caperet 2 Paral. 17. 10 & ſeqq. Notatum & hoc eſt in eo vitium, quod cum impio Iſraëlis Rege affinitatem fœduſque contraxerit. Athaliam enim, impii Achabi ac Jeſabelæ filiam in uxorem filio ſuo Joramo accepit, atque ſic cultum ſceleratum idoli Sidoniorum è Samaria in ſuam domum tranſtulit, & ad poſteros ſuos tranſmiſit 2 Paral. 18. 1. xxi. 6. Ab Achabo paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut in bellum contra Syros cum ipſo proficiſceretur, è quo ægre ſalvus ac incolumis evaſit: Achabus autem ſagittæ ictu occiditur 2 Paral. 18. Ob hanc minime neceſſariam expeditionem acriter poſtea correptus eſt à Propheta Jehu, quod impio homini auxiliatus fuiſſet, amaretque eos qui oderunt Dominum 2 Paral. 19. 2. Antequam autem Achabo comes iret in bellum, quod factum eſt regni ejus anno 17, in omnem caſum conſtituit Regem Joramum filium ſuum. Poſthæc Joſaphato ingens ingruebat infortunium, inſurgentibus ac conſpirantibus in eum tribus gentibus. Sed precatione humillima ac devotiſſima periculum avertit. Porro iterum cum Ochoſia Rege Iſraëlis paciſcitur de navigatione junctim inſtituenda: ſed Deus negotium quod ei diſplicebat, diſturbavit 2 Paral. 20. 36, 37, Anno ætatis 60, regni ſui 25 mortem oppetiit.

Joſaphat autem genuit Joramum.] V. *Joramus* quintus Rex Judæ Anno Mundi 3052, ante natum Chriſtum 869. Succeſſit patri poſt obitum anno quinto Jorami Regis Iſraëlis 2 Reg. 8. 16. Primogenitus fuit inter ſeptem fratres, quos omnes gladio percuti juſſit 2 Paral. 21. 3, 4. Habuit in matrimonio flagitioſſimi Regis Iſraëlis Achabi filiam Athaliam, inceſſitque impiis viis Regum Iſraëlis, quemadmodum & domus Achabi, atque ſic etiam eos qui Jeroſolymis erant, idololatria infecit 2 Reg. 8. 18. 2 Paral. 21. 6. Quamobrem ei Elias Propheta (vel ut alii volunt, Eliſæus: Elias enim jam tum non amplius in terris erat) ſupplicia divina per epiſtolam annuntiavit, quæ tandem etiam in eum irruerunt. Nam Philiſtæi & Arabes conjuges ac filios ejus (præter minimum natu Joachaſum) captivos abduxerunt, ipſeque in corpore inſanabili diarrhæa à Deo percuſſus eſt, ut ad extremum expletis duobus annis viſcera ejus effluerent. Qua morte ejus teterrima factum eſt, ut nec uſtio odoramentorum in funere ejus adhiberetur, nec in ſepulchris Regum humaretur. Cæpit regnare anno ætatis 23, regnavit annis 8 2 Paral. 21. 12, 13 & ſeqq.

Joramus autem genuit Oziam.] *Joramus* non fuit proprie Oziæ pater, ſed atavus: ut ita inter Joramum & Oziam tres deſiderentur generationes, ſeu viri, Ochozias, Joaſus & Amazias. Cauſa hujuſce rei in ſequentibus exponetur. Impræſentiarum nobis trium iſtorum à Matthæo omiſſorum Regum vita geſtaque quam breviſſime evolvenda ſunt.

VI. tam Jehu 1 Reg. 16. 1 & ſeqq. Regia ſedes ejus fuit Thirſæ. Regno præfuit annis 24. Deceſſit in anno 26 Aſæ Regis Judæ 1 Reg. 15. 33. xvi. 6.

IV. *Ella* Baëſæ filius quartus Rex Iſraëlis, a. m. 3013, a. C. n. 935, Fuit homo nullius judicii, temulentus & nequâ. Quamobrem poſt paucos menſes à Simri præfecto domus Regiæ interficitur, anno 27 Aſæ Regis Judæ 1 Reg. 16. 8 & ſeqq.

V. *Simri* quintus Rex Iſraëlis, A. M. 3014, a. C. n. 934 Regnum adeptus mox exſtirpavit totam domum Baëſæ, juxta vaticinium Prophetæ Jehu 1 Reg. 16. 11 & ſeqq. Verum exercitus, qui obſidebat Gibbethon urbem Philiſtæorum, facinus iſtud peroſus elegit regem Amri, qui ubi totius exercitus viribus Thirſam venit, Simri ſubjecto igne ſeſe una cum regia comburit. Quæ fuit juſta impietatis ejus merces: quippe in omnibus Jeroboami peccatis vixerat. Regni habenas non diutius quam ſeptem diebus tenuit 1 Reg. 16. 15 & ſeqq.

VI. *Thibni* ſextus Rex Iſraëlis, A. M. 3014, ante C. n. 934. Poſt mortem Simri ſcinditur Iſraël in partes: unaque adhæſit Thibni, altera Amri. Sed poſt geſtum annis quinque bellum moritur Thibni, regnumque Amri obtinet anno 31 Aſæ Regis Judæ 1 Reg. 16. 21 & ſeqq.

VII. *Amri* ſeptimus Rex Iſraëlis, A. M. 3019, a. C. n. 929. Hic in monte Samaria, à Benjamitica tribu empto, ſedem Regiam Samariam dictam exſtruxit. Omnes majores ſuo impietate præcelluit. Mortuus eſt anno 7, regni ſui, 38 Aſæ Regis Judæ 1 Reg. 16. 24 & ſeqq.

VIII. *Achabus*, Amri filius, octavus Rex Iſraëlis Anno Mundi 3025. ante Chriſtum natum 923 Regnum ſuſcepit anno 38 Aſæ Regis Judæ. Uxorem habuit Jeſabelem, Regis Sidoniorum filiam. Fuitque par conjugum improbiſſimum. Uterque enim Sidoniorum idolo Baali, quod Jeſabel ſecum attulit, ſervierunt, inque honorem illius domum & altare in Samaria erexerunt 1 Reg. 16. 29 & ſeqq. Quas abominationes aliaque Achabi ac Jeſabelæ ſcelera flagranti zelo deteſtatus eſt Elias Propheta, eaque de cauſa plurima mala paſſus 1 Reg. capp. 17. 18. 19. Juxta prophetiam Eliæ ambo atrociſſima morte perierunt. Nam Achabus Anno 22 regni ſui in prælio cum Syris ſagitta ictus occubuit 1 Reg. 22. 35. Jeſabel autem de feneſtra præcipitata, pedibus equorum conculcata, & à canibus devorata eſt 2 Reg. 9. 33, 36.

IX. *Ochozias*, Achabi filius, nonus Rex Iſraëlis, Anno Mundi 3044, ante Chriſtum natum 904. Vir mali commatis

VI. *Ochozias*, Jorami filius, ſextus Rex Judæ à Matthæo omiſſus, Anno Mundi 3056, ante Chriſtum natum 892, ſucceſſit patri ſuo. Matrem habuit Athaliam Amri filiam 2 Reg. 8. 25 & ſeqq. 2 Paral. 22 3. Vocatur illa Amri filia, cum potius revera Achabus ejus pater fuerit, Amri autem avus, (uti patet ex 2 Reg. 8. 18. 2 Paral. 21. 6. confer cum 1 Reg. 16. 29. & 2 Reg. 8. 27, ubi Joramus Ochoziæ pater Achabi gener appellatur;) nimirum eo modo quo Meſſias Davidis filius nuncupatur. Hebræorum enim more patris filius vel filia eſt etiam avi filius vel filia. Forſitan etiam propterea Amri potius quam Achabi filia dicta fuit, ne vel minima nominis Achabi mentio ſupereſſet. Extinctis enim à Jehu omnibus ejus liberis, ſola relicta eſt Athalia, quæ non Samariæ, ſed Hieroſolymis habitavit. Quanquam & illa poſtea vim divinæ maledictionis ſuper Achabum pronunciatæ experta eſt, uti porro dicetur. Quod vero Ochoziam attinet, fuit is homo perditiſſimus: quippe matrem ſuam Athaliam in omnibus delictis domus Achabi imitatus. Regnum exorſus eſt ætatis ſuæ anno 22, nec integrum regnavit annum, à Jehu peremptus 2 Reg. 8. 26.

Athalia, Ochoziæ mater regnavit Anno Mundi 3057, ante natum Chriſtum 891. Poſt ſublatum è vivis filium invadit ipſa regnum Hieroſolymis. Videnſque filium ſuum una cum tota domo patris ſui à Jehu exciſum, viciſſimi illa omnes de ſemine regio hæredes regni Judæ trucidari curavit, præter Joam minimum Ochoziæ filium (cujus mater fuit Sebia de Berſeba) quem ſoror Ochoziæ Joſaba una cum nutrice ejus clam è triclinio ſubductum occultavit. Delituit annis 6 in domo Domini, quibus regnavit Athalia.

VII. *Joas* Ochoziæ filius natu minimus, ſeptimus Judæ Rex, Anno Mundi 3063, ante Chriſtum natum 885, eſt alter qui à Matthæo omiſſus eſt. Poſtquam 6 annis in domo Dei propter tyrannidem Athaliæ latuiſſet, ſeptimo anno à Jojada Pontifice eſt regio diademate evinctus, Athalia vero è medio ſublata. Idque factum ſeptimo anno Jehu Regis Iſraëlis 2 Reg. xi. 1 & ſeqq. Vita hujus Regis proba fuit, quamdiu dictis Jojadæ Pontificis obediens fuit; quanquam excelſa tollere neglexit. Induxerat in animum domum Dei ab Athalia vaſtatam, quæque conſecrata erant Domino, & Baali dicata, inſtaurare; ſed ſacerdotes æs in proprios uſus converterunt 2 Reg. 12. 2 & ſeqq. 2 Paral. 24. 1 & ſeqq.

Poſtquam Jojada Pontifex rebus humanis exemtus eſt, Joas una cum principibus Judæ dereliquerunt templum Domini, ſervieruntque lucis & idolis. Quod ſcelus cum Zacharias Jojadæ filius divino redargueret zelo, Rex ei violentas afferri manus curavit. Idcirco non ſolum Syrorum opera Deus uſus eſt in eo caſtigando, verum etiam effecit, ut à ſuis famulis in lecto trucidaretur, anno regni ſui 40, 2 Paral. 24. 17 & ſeqq.

VIII. *Amaſias* Joæ filius, Octavus Rex Judæ, Anno Mundi 3103, ante natum Chriſtum 845, ſecundo anno Joæ filii Joachaſi Regis Iſraëlis: tertius à Matthæo omiſſus. Mater ejus vocata eſt Joadan de Jeruſalem. A ſuo parente diadema regium ei impoſitum eſt duobus ante obitum annis, inque ſocietatem regni adſcitus. Patrem eſt in vita ſua imitatus, & ex parte probus, ex parte improbus fuit: neque enim abſtulit excelſa. Percuſſores patris ſui ſevere ultus eſt. Clade affecit Idumæos; hinc ei crevere criſtæ, Joæque Iſraëlitarum regi bellum indixit, qui hominem à propoſito dehortatus, ubi vidit refractarium, prælio fudit, ac cepit, Hieroſolymaque diripuit. Anno decimo quinto poſt Joæ mortem Amazias Lachis neci datus eſt, anno Regni ſui 29, ætatis 54, 2 Reg. 14. 1 & ſeq.

IX. *Ozias*, alias Azarias, etiam Uſias dictus, Amaſiæ filius, nonus Rex Judæ, Anno Mundi 3129, ante Chriſtum natum 819, anno 27 Jeroboami regis Iſraëlis, regnum adeptus eſt. Hic eſt, ante quem Matthæus tres reges prætermiſit. Matrem habuit Jechaliam tis Baalis mancipium. Idcirco cita eum morte Deus exemit rebus mortalium. Altero enim regni ſui anno procidit per cancellos in cœnaculo ſuo Samariæ, de quo caſu conſilium petiit à Deo Accaronitarum Beëlzebule; ſed Propheta Elias ipſi à Deo mortis nuncium attulit 1 Reg. 22. 52. 2 Reg. 1. 2 & ſeqq.

X. *Joramus* decimus Rex Iſraëlis Anno Mundi 3045, ante Chriſtum natum 903, frater Ochoſiæ, qui nullo filio relicto deceſſit 2 Paral. 22. 6 & ſeqq. Regnum habuit annis 12 Paulo melior fuit patre & matre ſua; nam columnas Baalis abolevit. Cætera volutabatur in omnibus peccatis Jeroboami 2 Reg. 1. 17. 111. 1 & ſeqq. Joſaphatum invitavit ſecum ad bellum contra Moabitarum Regem, qui Achabi jugum excuſſerat: amboque redacti ſunt in magnas auguſtias propter penuriam aquæ; è quibus eos tamen explicavit Eliſæus Propheta 2 Reg. 3. 5 & ſeqq. Ultimo Joſaphati Regis Judæ anno Benadad Rex Syriæ obſidione cinxit Samariam: unde ſumma annonæ gravitas extitit, ut res inſuetas homines in cibum verterent, unaque mulier filium ſuum mactatum comederet. Tunc Eliſæus craſtino die viliſſimam omnium rerum annonam fore prædicit. Quod cum unus è ducibus Regiis audiens nullo modo credibile eſſe cenſeret, eas pependit incredulitatis ſuæ pœnas, ut immenſam quidem copiam allatam ex caſtris Syrorum, qui panico terrore & cæcitate à Deo percuſſi ſemet in pedes conjecerant, oculis ſuis videret, ſed ea non frueretur, in porta civitatis à multitudine conculcatus 2 Reg. 6. 24. vii. 1 & ſeqq. Denique in alio cum Syris prælio vulneratus Joramus Jeroſolymam delatus eſt, ubi à Jehu ſagitta interficitur 2 Reg. 8. 28, 29. ix. 24.

XI. *Jehu* undecimus Rex Iſraëlis, Anno mundi 3057, ante Chriſtum natum 891. Hic excitatur à Deo ad totam domum Achabi exſciendendam. Idcirco poſtquam ab uno prophetarum juſſu Eliſæi prophetæ in Regem Iſraëlis unctus eſt, protinus conſpirationem iniit adverſum Joramum Iſraëlis Regem, qui ex vulneribus à Syris acceptis decumbebat. Cum autem Jehu Jeſreëlem tenderet, & Joramus ei obviam iret ſciſcitatum, an veniret ut amicus, miſſa ſagitta Jehu tranſadegit cor ejus, ut illico animam efflaret. Idem infortunium Ochoziam Regem Judæ involvit. Is enim cum viſendi gratia ad Joramum in Jeſreële decumbentem veniſſet, & una cum illo in occurſum Jehu progreſſus eſſet, ſimul cum Joramo

chaliam è Jeruſalem. Faciebat quæ placita erant Domino, quamdiu ſe regi paſſus eſt à Zacharia, informante ipſum in rebus divinis: (excepto quod excelſa haud demolitus ſit) ideo ſecundavit eum Deus. Adverſus Philiſtæos feliciter pugnavit, nec non contra Arabes: & Ammonitæ munera ei obtulerunt. Plurima Hieroſolymis & alibi utiliter ædificavit: non defuit quoque ipſi robur belli ingens. At poſt elatus animo, cum temere in ſe ſumeret munia ſacerdotum, in templo thus adolens, lepra percuſſus, cumque ea uſque ad finem vitæ ſuæ conflictatus eſt. Sic illo à conſortio hominum remoto, regimen interea tenuit filius ejus Joathamus 2 Par. 26. 1 & ſeqq.

mo morte affectus eſt. Poſtea vero quam veniſſet Jehu Jeſreëlem, ſtatim Jeſabelem, ſceleratiſſimam Achabi conjugem, de feneſtra præcipitari, & ab equis conculcari, quæ deinde à canibus dilaniata eſt, curavit 2 Reg. 9. Deinde Jehu 70 filios Achabi Samariæ jugulari præcepit, quorum capita incophinis ipſi Jeſreëlem tranſmiſſa ſunt. Ita Jehu extinxit omnes, qui reliqui erant de domo Achabi in Jeſreële, omnes optimates ejus, & notos, & ſacerdotes, ut ne unus quidem ſuperſtes remaneret. Similiter Ochoziæ Regis Judæ nepotes ex fratre ſibi in via occurrentes, 42 viros comprehendi & morte mulctari curavit. Poſthæc cunctos, quotquot erant, Baalis ſacerdotes, obtentu ſolennis feſti in honorem Baalis celebrandi convocatos, trucidavit, & Baalis templa in latrinas convertit. Interea aureos vitulos à Jeroboamo in finibus Regni poſitos haud ſuſtulit Jehu, ſed perrexit in peccatis Jeroboami. Quod Deum male habuit, ideoque Iſraelem per Syros clade affecit. Mortuus eſt Jehu anno Regni ſui 28 2 Reg. 10.

XII. *Joachaſus* filius Jehu, duodecimus Rex Iſraëlis, Anno Mundi 3085. ante Chriſtum natum 863, anno 23 regni Joæ Regis Judæ. Pari cum aliis impietate in omnibus peccatis Jeroboamum ſecutus eſt. Quapropter Deus Iſraëlitas Syris atterendos atque caſtigandos tradidit. Obiit anno regni ſui 17 2 Reg. 13. 1 & ſeqq.

XIII. *Joas*, Joachaſi filius, decimus tertius Rex Iſraëlis, Anno Mundi 3099, ante natum Chriſtum 849, anno 37 Joæ Regis Judæ regnum adiit. Annis ſedecim Samariam inhabitavit, vitamque dedecoris plenam egit æque ac cæteri ejus prædeceſſores 2 Reg. 13. 10 & ſeqq.

XIV. *Jeroboamus*, filius Joæ, decimus quartus Rex Iſraëlis, Anno Mundi 3114, ante Chriſtum natum 834, anno 15 Amaſiæ Regis Judæ regnare cœpit. Majores ſuos impietate æquavit. Pauca laude digna præſtitit: præterquam quod terminos Iſraëlis avitos reſtituit. Decedit anno regni ſui 41 2 Reg. 14. 23 & ſeqq.

Anno Mundi 3154, ante nativitatem Chriſti 794 Jeroboamus defunctus eſt. Liquet autem, ſi recte ratio temporum ſupputetur, à morte Jeroboami interregnum annorum 11 fuiſſe in Regno Iſraëlis. Nam anno 15 Amaſiæ Regis Judæ, Jeroboamus Rex Iſraëlis creatus eſt, geſſitque regnum annis 41, Amaſias autem imperavit annis 29, & ſic mortuus eſt 14 anno Jeroboami. Eodem anno factus eſt Rex Judæ Ozias, regnavitque annis 52, ita ut mors Jeroboami inciderit in 27 annum Oziæ. Jam quia Scriptura dicit, Zachariam, Jeroboami filium, anno 38 Oziæ Regem Iſraëlis factum, inde colligitur, Iſraëlitas 11 annis Rege caruiſſe. Neque eſt improbabile, ea tempeſtate ſeditionum, bellorum & diſcordiarum in Iſraële plena fuiſſe omnia.

XV. *Zacharias* Jeroboami filius, decimus quintus Rex Iſraelis, Anno Mundi 3176, ante natum Chriſtum 772, anno 38 Oziæ Regis Judæ. Fuit homo facinoroſus, inſiſtens ſceleratis Jeroboami veſtigiis. Exactis in regno 6 menſibus à Sallumo occiditur, qui poſtea regnum invaſit 2 Reg. 15. 8 & ſeqq.

XVI. *Sallum* ſextus decimus Rex Iſraelis, Anno Mundi 3178, ante Chriſtum natum 770, anno 39 Oziæ Regis Judæ. Rex fuit unius menſis in Samaria, ubi necatus eſt à Manahemo, juſtas luens pœnas injuſtæ necis Zachariæ illatæ 2 Reg. 15. 13 & ſeqq.

XVII. *Manahemus*, decimus ſeptimus Rex Iſraelis, Anno Mundi 3178 ante Chriſtum 770 regnum ad ſe rapuit. Homo plenus flagitiorum, Jeroboami in omnibus ſceleribus imitator. A Phule Aſſyriorum Rege pacem redemit mille talentis argenti. Regnum adminiſtravit annis 10 Samariæ 2 Reg. 15. 17 & ſeqq.

XVIII. *Phacejas* Manahemi filius, decimus Octavus Rex Iſraelis, Anno Mundi 3188, ante Chriſtum 760, anno 50 Oziæ. Duos tantum annos regnavit Samariæ. Patris improbi improbus filius. A Pecaho interficitur 2 Reg. 15. 23 & ſeqq.

Jam nobis enodanda eſt illa quæſtio: cur Matthæus inter Joramum & Oziam tres generationes, nempe Ochoziam, Joam & Amaſiam prætermiſerit? Vera cauſa, quam & Hieronymus attigit, reliquiſque omnibus ab Interpretibus afferri ſolitis longe anteferenda, hæc eſt; quod Matthæus, uti ſuperius v. 1 indicatum, induxerit in animum totam Chriſti genealogiam in tres æquales partes diſpeſcere. Cum ergo in prima parte, ab Abrahamo uſque ad Davidem, ſecundum Scripturam quatuordecim reperiſſet generationem, & porro vidiſſet etiam in ultima parte totidem eſſe, placuit ei in ſecunda itidem quatuordecim ponere; ut ita omnes tres partes numero generationum æquales eſſent. Neque erat quod metueret, ne falſatæ genealogiæ à quoquam accuſaretur; quia res ipſa ſeu vera genealogia per ſe ſatis patet è Scriptura, nec difficile eſt lectoribus divinare cauſam, ob quam quoſdam omittere voluerit. Præſertim cum ad ejus propoſitum, quod non erat aliud, quam oſtendere, Jeſum eſſe Davidis, ac conſequenter Abrahami filium, ſufficeret ut ſciretur, Oziam à Joramo, tanquam à Davidis progenie ortum eſſe, tametſi non omnes perſonæ inter eos recenſerentur.

Cur vero hi tres & non alii tranſmiſſi ſint, ea videtur eſſe cauſa, (quam & Hieronymus & Hilarius annotant) quod Deus maledixerit ſemel atque iterum, ac diris devoverit domum Achabi, teſtatus ſe exciſurum in ea etiam mingentem ad parietem

1Reg.21.21. 2Reg.9.8. Quam maledictionem etiam hic Deus confirmare, treſque iſtos viros, qui maternum genus ex Achabi domo ducebant, è numero Regum, qui Chriſti majores erant, deleri voluit. Ochoziæ namque mater fuit Athalia Achabi filia. Licet vero omnes tres reipſa regnarint, propter illam tamen maledictionem, perinde eſt, atque ſi non regnaſſent: inde factum quoque, ut omnes triſti ac mala morte perierint. Si quis objiciat, hac ratione propter maledictionem, qua Achabus devotus eſt, etiam ſequentes reges, Oziam, Joathamum &c. omittendos fuiſſe, ut qui ex Achabi ſemine per Athaliam oriundi fuerint: animadvertendum eſt, Deum non ſolere ſupplicia pro parentum peccatis, ultra tertiam aut quartam generationem filiorum extendere: uti ipſemet teſtatur, zelum ſuum longius non procedere Exod. 20.5.

Verſ. 9. *Ozias autem genuit Ioathamum.*

X. *Joathamus*, decimus Rex Judæ, Anno Mundi 3192, ante Chriſtum 756, ſecundo anno Pecahi Regis Iſraelis. Matri ejus nomen fuit Jeruſa, fuitque filia Sadoci. Vir minime malus, æque ac pater ejus Ozias: niſi quod excelſa haud exciderit. Regni habenas moderatus eſt annis 16 Hieroſolymis, 2 Reg. 15. 32 & ſeqq.

Joathamus autem genuit Achazum.] XI. *Achaſus*, undecimus Rex Judæ, Anno Mundi 3207, ante Chriſtum 741, anno 17 Pecahi Regis Iſraelis. Vir nequam & perverſus. Liberos ſuos traduxit per ignem, imo exuſſit filium ſuum; in excelſis ſacrificabat, Baalis in honorem fuſiles fabricavit imagines, totamque regionem peregrinorum Deorum cultu complevit. Quam impietatem fieri non poterat ut impunitam relinqueret Deus, ſed acerrimos duos hoſtes incitavit contra Judam, ut inter ſe fœdere jungerentur, Raſis Rex Syriæ, & Pecah rex Iſraelis. Tametſi vero Hieroſolymam expugnare nequiverint, multi tamen in Juda cæſi, & Damaſcum abducti ſunt. Solus Pecah Rex Iſraëlis uno die in Juda percuſſit centum viginti millia, captiva autem duxit Samariam bis centena millia fœminarum & parvulorum: qui tamen, monente Obedo Propheta, omnes dimiſſi ſunt. Etiam filius regis Maaſias truculenta morte affectus eſt. Deus quoque Idumæos & Philiſtæos ſuſcitavit contra ipſum, qui infinitam prædam virorum, mulierum ac bonorum ceperunt. In periculo autem à duobus Regibus Syriæ ac Samariæ conſtitutus, imploravit auxilium Regis Aſſyriorum: quod in eo vehementer improbavit Eſaias Propheta Dei Eſai.7.1,2 & ſeqq. Vide Commentarium noſtrum in ℣. 23. hujus Capitis Matthæi. Anno 36 ætatis ſuæ defunctus eſt, regni ſui 16 Non eſt illatus ſepulchris Regum 2 Reg.16. 1 & ſeqq. 2 Paral.28. 1 & ſeqq.

Achaſus autem genuit Ezechiam.] XII. *Ezechias* ſeu Hiskias duodecimus Rex Judæ, Anno Mundi 3220, ante Chriſtum 728, anno tertio Oſeæ Regis Iſraelis regnum ſuſcepit, ætatis anno 25, imperavitque annos 29. Mater ejus fuit Abia filia Zachariæ.

NB. Dubium hîc ſuboritur, ſi Ezechias 25 anno ætatis ſuæ regnare cœpit, & Achaſus pater ejus 36 obiit, detractis 25 à 36, efficitur Ezechiam ab Achaſo XI. anno ætatis genitum eſſe. Quod permultis abſurdum videtur, cum ætas iſta generationi liberorum nondum ſit apta. Diverſæ hoc loco ſententiæ ac reſponſiones ab Interpretibus afferuntur, quas recenſere cunctas minus neceſſarium ducimus. Optima foret ratio nodi iſtius ſolvendi, (cujus meminit Hieronymus, In Epiſt. ad Vital. quod eam à Judæo quodam didicerit) nempe quod Ezechias non illico poſt mortem patris ſui regnare ceperit, fortè ob ſeditionem populi aut bella, aut alias temporum iniquitates. Sed obſtat huic ſententiæ ſupputatio temporum, quæ habetur in ſcripturâ. Nam 2 Reg.18. 1 refertur, Ezechiam regem factum in Juda anno 3 Oſeæ Regis Iſraelis: inde patet, Ezechiam regnum adiiſſe anno 15 Achaſi. Achaſus autem regnum geſſit annis 16: ſi igitur annus 16 Achaſi, ut non completus ſumatur, cæteri autem duo, nempe 12 annus Achaſi, & tertius Oſeæ ſumantur ut completi, emergit regnum Ezechiæ mox poſt mortem patris Achaſi cœpiſſe. Idcirco vel dicendum eſt, rationem non adeo accuratam temporum habitam eſſe in libris Regum, vel agnoſcendum, Achaſum filium ſuum Ezechiam in tam tenera ætate progenuiſſe. Fuit autem Ezechias præclarus ſurculus è deteſtanda radice. Laudes & gloriam patris ſui Davidis æmula pietate ac fiducia erga Deum æquavit. In omnibus enim rebus ſe ex voluntate Dei geſſit. Idola majorum ſuorum cuncta eradicavit, verumque Dei cultum reſtauravit, etiam æneum ſerpentem Moſis, cui Iſraelitæ thus adolebant, confregit, 2 Reg. 18. 1 & ſeqq. 2 Paral. 29. 1 & ſeqq. Ea fuit illius ſapientia & tam laudabilis morum tenor, ut ea in re Chriſti typus eſſet. Nam quæ Eſaias Propheta myſtico ſenſu de Chriſto vaticinatus

XIX. *Pecah* decimus nonus Rex Iſraëlis, Anno Mundi 3191, ante Chriſtum 757, an 52, id eſt, ultimo anno Oziæ Regis Judæ, regno potitus eſt. Functus eo eſt annis 20 Samariæ, non recedens à flagitiis Jeroboami. In diebus ejus Theglat-Phalaſar rex Aſſyriæ plurimos è populo Iſraëlitico tranſtulit in Aſſyriam. Tandem violentas Pecaho manus attulit Oſeas 2 Reg. 15. 27 & ſeqq. Cum Pecah 20 annis regnarit, & 17 anno Pecahi Achaſus regnum obtinuerit, conſequens eſt, Pecahum anno tertio Achaſi interemptum eſſe. Jam vero teſtatur Scriptura, Oſeam 12 regni Achaſi anno regnare incepiſſe. Unde colligere eſt, in Iſraele 9 annorum interregnum fuiſſe. Quo tempore ſine dubio Oſeas aditum ſibi ad regnum ſtruxit.

XX. *Oſeas*, filius Elæ, poſtremus Rex Iſraelis, Anno Mundi 3218, ante Chriſtum, 738 anno 12 Achaſi Regis Judæ 2 Reg.17.1 & ſeqq. Vita ejus minus placuit Domino: non fuit tamen majoribus ſuis impietate omnino par.

Anno ſeptimo Oſeæ, & quarto Ezechiæ Regis Judæ, Deus horrenda judicia ſua ſuper decem tribus Iſraelis executus eſt. Salmanaſſar enim Rex Aſſyriæ Samariam, poſt trium annorum obſidionem in ſuam poteſtate redegit, omnes Iſraelitas in Aſſyriam abduxit, & coloniam Ethnicorum populorum in illam terram deduxit 2 Reg.17.6,24. XVIII. 8, 9 & ſeqq.

Factum id eſt anno 256 poſt Salomonis obitum.

Atque hic fuit Regni Iſraelitici finis.

eſt

eſt *de virga oritura è trunco Ieſſe, & de planta proditura è radice ejus, ſuper quam quieturus erat ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ*, quæque præterea de ingenti tranquillitate ac felicitate ab eo prædicta ſunt Eſai. xi. 1, 2 & ſeqq. cuncta literali ſenſu de Ezechia præclaroque ejus regimine intelligenda ſunt. Cæterum revera Ezechias duntaxat figura tenuiſque umbra Chriſti fuit: ipſius enim regnum triſtibus crebro tempeſtatibus inhorruit.

Excuſſit jugum Aſſyriorum, & victoriam obtinuit ſuper Philiſtæos 2 Reg. 18. 7 & ſeqq. Feſtum Paſchatos per univerſas civitates Judæ & Iſraelis indici ac promulgari curavit, quod Iſraelitæ à temporibus Salomonis, uti & reliquum divinum cultum Hieroſolymis obire hucuſque neglexerant, nimirum ex quo impii Reges Iſraëlis, facto initio à Roboamo imperitarunt 2 Paral. 30. 1 & ſeqq.

Anno 14 Ezechiæ increbuit gravis procella adverſus Judam, à Sennacheribo Aſſyriorum Rege, qui faſtu turgidus Deum & regem probris inceſſebat; ſed ardentibus Ezechiæ, & Eſaiæ pro eo deprecantis orationibus motus, elatum Aſſyriorum ſpiritum depreſſit ac confudit Deus, deletis ab Angelo una nocte Aſſyriorum centum octoginta quinque millibus: atque ſic terra ab ejus immanitate ac ferocia liberata eſt 2 Reg. 18. 13 & ſeqq. xix. 1 & ſeqq.

Anno ætatis 39 morbo lethali corripitur Ezechias: ſed prece ſubmiſſa obtinet prorogationem vitæ ad 15 Annos. In cujus rei ſignum ac confirmationem Eſaias apud Deum effecit, ut umbra in ſolario per decem gradus retrocederet 2 Reg. 20. 1 & ſeqq.

Cæterum docuit Ezechias exemplo ſuo, quam arduum ſit rebus ſecundis non inſoleſcere. Elatum enim eſt cor ejus, ſed mox demiſit criſtas, uti faciunt omnes probi ingenii homines 2 Paral. 32. 25, 26. Culpa ejus fuit, quod legatis Babylonii Regis, qui ad eum viſendi gratia venerant, vanæ gloriæ & ambitionis ſtimulo actus, ſuos oſtentarit theſauros. Quamobrem ab Eſaia reprehenſus, divina Judicia ſibi nunciari audivit, poſt fata ejus demum ventura 2 Reg. 10. 12 & ſeqq. Moritur in alta pace anno ætatis 54.

Verſ. 10. *Ezechias autem genuit Manaſſem*, ante Chriſtum natum 697. An. M. 3251. XIII. Manaſſes tredecimus Rex Judæ, nomen matris ejus fuit Haphſiba. Homo omnibus improbitatis notis inſignis: nihil non faciebat eorum quæ diſplicebant Domino, deditus cunctis abominationibus Ethnicorum. Excelſa quæ demolitus erat Ezechias, reparavit: Altaria Baali erexit; fecit lucos ſicut fecerat Achabus Rex Iſraëlis; adoravit omnem exercitum cæli; traduxit filium ſuum per ignem; obſervavit auguria; inſtituit pythones & aruſpices, quæque plura nefanda ab eo commiſſa, inprimis autem, quod plurimum innoxii ſanguinis effuderit, Scriptura perhibet. Quocirca etiam Dei judicium ſeverum præſto fuit, ut catenis atque compedibus vinctus Babylonem deduceretur. Sed anxiis precibus tamen Deum exoravit, & hanc impetravit gratiam, ut in regnum reſtitueretur. Neque fructu ſuo caruit hæc illius caſtigatio. Repurgavit enim domum Dei à peregrinis idolis, quæ ipſemet ante in ea collocaverat, auctorque fuit populo Deum verum colendi 2 Reg. 21. 1 & ſeqq. 2 Paral. 33. 1 & ſeqq.

Manaſſes autem genuit Ammonem. XIV. Ammon decimus quartus Rex Judæ. Anno M. 3305, ante Chriſtum natum 643. Mater ejus fuit Meſſalemeth filia Haruſi de Jatba. Ne pilo quidem melior fuit patre Manaſſe. Imo in eo fuit deterior illo, quod non reſipuerit ac ſe coram Domino demiſerit æque ac pater. Cito proinde aſſecuta eum eſt divina vindicta: nam in ſuis penatibus à ſuis ſervis obtruncatus eſt, altero regni anno, ætatis 25, 2 Reg. 21. 19 & ſeqq. 2 Paral. 33. 21 & ſeqq.

Ammon autem genuit Joſiam.] xv. Joſias decimus quintus Rex Judæ. Anno mundi 3307, ante Chriſtum natum 641. Matris ejus nomen fuit Jedida, filia Hadajæ de Beſecath. Per hunc poſtliminio cæpit lux quædam ſolatii affulgere. Scriptura ſiquidem hoc eum decorat encomio, quod quæ grata fuere Domino, egerit, ac preſſo pede ſecutus ſit patrem ſuum Davidem. Optimæ ſpei ingenium prodidit ſe adhuc in tenera ætate. Octavo quippe ætatis anno, Regni admotus gubernaculis, cæpit quærere Deum patris ſui Davidis: anno 12 deſtruxit omnem idololatriam, reſecitque domum Dei.

Cumque ſummus ſacerdos Helcias inveniſſet librum Legis, qui hactenus, vigente impiorum Regum imperio, pulvere obſitus jacuerat, iſque Regi prælectus fuiſſet, lectione ejus exterritus, fuſis lacrymis ſciſſiſque veſtibus, ſuam coram Deo demiſſionem ac contritum animum teſtatus eſt. Qua ipſius pietate Deus commotus, infortunium Hieroſolymis vigore Legis imminens promiſit per Huldam Prophetiſſam nonniſi poſt fata ejus immittere. Hujus beneficii gratus ipſe, ſeſe una cum populo univerſo de integro ad obediendum Deo Sanctiſſimo fœdere obſtrinxit, ſublatiſque abominationibus, Paſcha magna ſolennitate ac religione celebravit, & omni ex parte purum Dei cultum reſtauravit.

Anno 13 Joſiæ incipit prædicare Ieremias Propheta, remoto omni metu ac perſonarum diſcrimine ſummis imiſque Dei mandata inculcans, eoſque ad ſeriam pœnitentiam exſtimulans. In quo zelo, non deterritus variis afflictionibus, in eum hac de cauſa redundantibus, uſque ad populi interitum & captivitatem perſeveravit Jer. 1. 2 & ſeqq. xxv. 3.

Exitus optimi Regis Joſiæ perquam lugubris fuit. Etenim bello parum neceſſario cum Nechaone Ægyptiorum Rege ſe implicuit, cum is non ipſum, ſed Regem Aſſyriæ peteret. In quo bello lethali vulnere accepto vitam cum morte cummutavit, anno 31 ſui regni, 39 autem ſuæ ætatis 2 Reg. 22. 1 & ſeqq. 23. 1 & ſeqq. 2 Paral. cap. 34. 35.

Super hujus eximii Regis obitu tradunt Rabbinorum nonnulli, Jeremiam Lamentationes ſuas ſcripſiſſe, ejuſque rei argumentum ſumunt ex illis Chronicorum verbis: *Jeremias luxit Joſiam, omneſque cantores atque cantatrices lamentationes ſuper ipſum fecerunt* 2 Paral. 35. 25. Verum Lamentationes iſtæ Prophetico Jeremiæ libro adjectæ, potius ſuper abductionem Judæ in Babylonem confectæ ſunt, uti ex argumenti iſtius ſcripti ſatis liquet. Unde patet haſce lamentationes ab illis eſſe diverſas, quarum in Chronicis fit mentio.

Verſ. 11. *Joſias autem genuit Joachimum.* Poſtquam Joſias exceſſit ex cœtu mortalium, populi ſuffragio delatum eſt regnum Joachaſo, primogenito Joſiæ, Anno mundi 3338, ante Chriſtum 610, anno ætatis ejus 23. Vir fuit nulla virtute redemtus à vitiis: ideo regnum ejus non amplius tribus menſibus duravit. Pharao enim Nechao eum in Ægyptum captivum una cum fratre Sallumo abduxit, (ubi etiam fato functus eſt) conſtituitque ejus loco Regem Judæ Eliachimum, alterum fratrem ipſius, cui etiam Joachimi nomen indidit: quod factum anno illius Joachimi 25, 2 Reg. 23. 31 & ſeqq. 2 Paral. 36. 1 & ſeqq.

Hic igitur *Joachimus* fuit decimus ſeptimus Rex Judæ, Anno Mundi 3338, ante Chriſtum natum 610, regnavit, annis 11. Vir ſceleratiſſimus fuit. Statim in initiis regni, eum Urias & Jeremias, Propheta uterque, ſcelerum ejus redarguit: id quod capite luit Urias, Jeremias autem principum quorundam depecantium ope exitium ægre evaſit.

Anno regni ejus 3 Nabopolaſſarus Rex Aſſyriæ miſit filium ſuum Nebucadnezarem, adverſus Regem Ægypti Pharaonem Nechaonem, quem ille tota Syria & cunctis regionibus, quæ inter Euphratem & Nilum jacent, exuit, & ſimul vires ſuas convertit contra Hieroſolymam, ſubjecitque ſibi Regem Joachimum 2 Reg. 23. 36 & ſeqq. 24. 2.

Anno regni ſui quarto librum Jeremiæ, comminationes divinas adverſus Judam continentem, conſcidit exuſſitque. Proinde alio libro ſcripto Jeremias ultimam ac irrevocabilem Dei ſententiam ipſi denunciavit, quod nullus de ſtirpe ejus in Davidis ſolio ſeſſurus eſſet, quodque ipſe cum liberis ſuis totoque Judæ populo mactandus eſſet infortunio jam olim ipſi prædicto Jerem. 36.

Ad extremum Joachimus deficit à Nebucadnezare, ac ſeſe vertit ad Regem Ægypti. Non paſſus id inultum Nebucadnezar, miſit contra eum exercitum, à quo in vincula conjectus eſt, eo ſcilicet fine, ut Babylonem deduceretur. Utrum vero reipſa deductus ſit, è libris Paralipomenon haud liquet 2 Paral. 36. 6. Judæus quidam ſcriptor libri *Seder Olam Rabba* cap. 25 ait, in Scriptura quidem dici, Joachimum vinctum fuiſſe catenis, ſed eum confeſtim in vinculis extinctum, ejuſque cadaver projectum à feris dilaniatum fuiſſe. Idque factum, ut impleretur vaticinium Jeremiæ, quo dicitur, *eum ſepultura aſini ſepeliendum, trahendum ac projiciendum ante portas Jeruſalem* Jerem. 22. 19. Etiam ex 2 Reg. 24 ferme colligitur, eum Hieroſolymis periiſſe. Nam ℣. 2 narratur, *Dominum immiſiſſe contra eum turmas hoſtiles* &c. *ad perdendum, eum ſecundum verbum Domini, quod locutus fuerat per ſervos ſuos Prophetas.* Et ℣. 6, *eum obdormiiſſe cum patribus ſuis.* Similiter teſtis eſt Joſephus lib. 10. cap. 8, eum à Nebucadnezare una cum aliis, Hieroſolymis interemptum, & juſſu ejus inhumatum ante mœnia ejectum fuiſſe. Porro abduxit ſecum tunc Nebucadnezar è Jeruſalem viros præcipuos ſupra 3000, quorum permulti fuere è regio ſanguine & nobilium pueri: inter quos etiam fuit Daniel, Ananias, Miſael & Azarias.

Hoc loco notandum venit, in pleriſque exemplaribus Græcis Novi Teſtamenti deſiderari hunc Joachimum, & hoc modo tantum legi: *Joſias autem genuit Jechoniam & fratres ejus*; cum tamen ex ſcriptura conſtet, Joſiam Jechoniæ avum, Joachimi autem patrem fuiſſe. Quod vero defectus iſte irrepere potuerit forte in alicujus exemplaris deſcriptione, è quo poſtea alia plura ſimul cum hoc errore exſcripta ſint, inde conjici poteſt, quod infra Matthæus diſertiſſime aſſerat ℣. 17, à Davide uſque ad tranſmigrationem Babylonicam fuiſſe generationes quatuordecim. At ſi omittatur Joachimus, non eſſent niſi tredecim. Quod ut clarius pateſcat, totius genealogiæ tabulam, in tres partes à Matthæo diviſam, hic ſubjiciemus:

I.	II.	III.
1. Abrahamus.	1. Salomon.	1. Jechonias.
2. Iſaacus.	2. Roboamus.	2. Salathiel.
3. Jacobus.	3. Abias.	3. Zorobabel.
4. Judas.	4. Aſa.	4. Abiud.
5. Phareſus.	5. Joſaphatus.	5. Eliakimus.
6. Eſromus.	6. Joramus.	6. Azor.
7. Aramus.	7. Ozias.	7. Sadocus.
8. Aminadab.	8. Joathamus.	8. Achim.
9. Naaſſon.	9. Achaſus.	9. Eliud.
10. Salmon.	10. Ezechias.	10. Eleaſarus.
11. Booſus.	11. Manaſſes.	11. Matthan.
12. Obedus.	12. Ammon.	12. Jacobus.
13. Jeſſe.	13. Joſias.	13. Joſephus.
14. David.	14. Joachimus.	14. Jeſus.

Ex ſubjecta hac tabula cernitur, *Joachimum*, qui decimus quartus eſt in ſecundo ordine, omnino hic inſerendum eſſe inter Joſiam & Jechoniam: Alioqui non quatuordecim ſed tredecim duntaxat generationes forent. Inprimis cum docti quidam viri, ut Stapulenſis & Robertus Stephanus, teſtentur ſe vidiſſe vetuſta exemplaria, in quibus nomen Joachimi expreſſum habebatur.

Joachimus autem genuit Jechoniam.] Jechonias iſte alio nomine etiam Joachin vocatur, eſtque Rex Judæ 18, Anno M. 3349, ante Chriſtum natum 599. Mater ejus fuit Nehuſta, filia Elnathani de Jeruſalem. In vita moribuſque nihil à patris ſui impietate diſceſſit. Anno 18 ætatis ſuæ regnum conſecutus eſt. Sed tribus menſibus elapſis Nebucadnezar poſuit caſtra ante Hieroſolyma. Sumque Jechonias ad eum exiviſſet ſupplex, una cum matre, uxoribus, primoribus populi, omnibuſque templi theſauris Babylonem abductus eſt. Qua in re ille patrem ſuum probitate vicit, quod dictis Jeremiæ obediens eſſet, neque ſe Nebucadnezari pervicaciter opponeret, ſed ei ſe ultro dederet ac ſubjiceret. Qua facilitate tum à civitate exitium avertit, tum ſe populique ſui vitam conſervavit. Captiva tunc Hieroſolymus abducta ſunt decem millia principum ac potentium in regione virorum; præterea ſeptem millia agricolarum, fabrorum ferrariorum ac lignariorum mille: Quæ ſumma in univerſum facit octodecim millia 2 Reg. 24. 15 & ſeqq. Captivorum iſtorum in numero fuit quoque Propheta Ezechiel Ezech. 1. 2. 11. 10. & ſeqq. 1v. v. Nam anno poſt hæc quinto, id eſt, anno quinto Sedeciæ ultimi Regis Judæ

dæ apparuit ei visio Dei, cujus in principio libri sui meminit. Ex qua deinceps de obsidione Hierosolymæ, deque universa calamitate, pauculis post annis sub Sedecia super Judam & Jerusalem veniente prophetavit.

Exactis in carcere Babylonica 37 annis, Jechonias seu Ioachin invenit gratiam in oculis Evilmerodachi Regis Babylonici, Nebucadnezaris filii, ut caput ejus extolleret, & honorifice ut Regem sustentaret 2 Reg. 25. 37.

Observandum est hoc loco, Jeremiam Prophetam septuaginta annos captivitatis Babylonicæ ab hac abductione Jechoniæ ordiri, Anno M. 3349, ante Christum natum 599. Etenim illo ipso tempore, quo Jechonias abductus fuit, monstravit Deus Jeremiæ corbem bonarum ficuum, innuens, se populum suum in terram suam reducturum, ædificaturum ac plantaturum Jerem. 24. 1. 6. Et eodem tempore Deus allocutus est captivos per Jeremiam: *Ubi impleti fuerint Babyloniæ septuaginta anni, visitabo vos & præstabo erga vos verbum meum illud optimum, reducendo vos in hunc locum* Ierem. 29. 1, 2, 10.

Post hoc triste spectaculum abductionis Jechoniæ, instituit Nebucadnezar Regem Judæ patruum ejus Mathaniam, quem etiam mutato nomine appellavit Sedeciam. Atque *hic fuit* 19 *& ultimus Rex Judæ*, Anno M. 3349, ante Christum natum 599, initio computationis facto à Roboamo. Nihil ipsi majorum ejus calamitas ad emendationem profuit, sed impietatis eorum secundum omnes abominationes Ethnicorum sedulus imitator fuit. Ad clavum regni concedit anno 21 ætatis suæ, tenuit eum annis XI Hierosolymis 2 Reg. 24. 17 & seqq. 2 Paral. 36.

Anno regni sui quarto una cum Seraja Pontifice Maximo profectus Babyloniam de novo juramentum subjectionis ac fidelitatis Regi Babylonico præstitit Jerem. 51. 59. 2 Paral. 36. 13. Verum inde reversus juramento non stetit, conspiratione cum Ægypti Rege adversus Babyloniorum Regem inita. Quare veniens anno 9 Sedeciæ Rex Babyloniæ cum ingenti exercitu, cinxit Hierosolyma, & affixit gravissima obsidione, annos circiter tres, anno M. 3357, ante Christum 591, & tandem fame ad deditionem adegit.

Jeremias Propheta, cui haud ignota fuit Dei sententia atque decretum, mox in ipsis regni primordiis Sedeciæ cum Idumæis, Moabiticis, Ammoniticis, Tyriis, & Sidoniis legatis, de conjungendis adversus Assyrios armis ac viribus Jerosolymis consultanti, auctor fuit, ut se Regi Babylonico submitteret, & subditus ejus fieret, promittens, eum hac ratione incolumem mansurum, neque in Babyloniam captivum abductum iri. Sed Sedecias, apud quem prævalebant falsorum prophetarum & stolidorum principum consilia, ac vana solatia, more omnium induratorum, non modo sprevit optimum consilium, verum etiam Jeremiam compegit in carcerem, ideo quod prædixisset quæ ingrata erant ejus auribus Jerem. 32. 2. Docuit vero tandem funestus exitus, Jeremiæ consilium non à carne & sanguine, sed à Domino profectum fuisse. Tertio namque obsidionis anno Hierosolyma fame edomita deditionem facere coacta est. Sedecias autem fuga sibi volebat consulere; sed à Chaldæis captus atque ad Regem Babyloniæ adductus est, Anno Mundi 3360, ante Christum natum 588, qui imperavit liberos ejus in conspectu ipsius trucidari, ipsi oculos erui, & catenis ligatum una cum 832 animabus Hierosolymis Babyloniam deferri. Id factum anno 18 Nebucadnezaris.

Porro venit anno 19 Nebucadnezaris princeps servorum ejus Nabuzardan cum exercitu suo, redegitque civitatem inclytam Hierosolymam una cum templo ac domo regia in cineres: & abduxit in Babyloniam plures adhuc de populo cum omnibus templi thesauris, & urbis ornamentis; abstulit quoque nobilissimas æneas columnas, & quicquid pretiosi reperiebatur, sola vili plebecula in solo relicta Jerem. 52. 2 Reg. 24. 18 & seqq. XXV. 1 & seqq. 2 Paral. 36. 11 & seqq. Sic celebre illud Templum, quod à prima sua fundatione per Salomonem facta, 427 annos duraverat, maximo cum omnium bonorum luctu igni conflagravit.

Atque hoc, quod XI annis post primam abductionem sub Sedecia contigit, fuit alterum lugubre spectaculum justi Dei judicii, quo Deus omnia Judæ peccata ultus est, quæ jam in cœlum usque ascenderant, iramque Dei provocaverant.

Jeremias memorat, eundem Nebuzardanem postea quoque anno 23 Nebucadnezaris, hoc est 5 anno post desolationem Templi, 745 animas ex Judæa abduxisse Jerem. 52. 20.

Et fratres ejus.] Hic existit nova difficultas. Jechonias enim unicum tantum habuit fratrem Sedeciam, de quo 1 Paral. 3. 16, uti ex tabella, quam mox subjiciemus, videre est. Ex qua patebit, hunc Sedeciam alium esse ab illo Sedecia, qui ultimus fuit Regum, quemque Nebucadnezar captivum abduxit, oculisque orbavit: hic enim fuit patruus Jechoniæ, alio nomine Mathanias dictus 2 Reg. 24. 17, confer cum 1 Paral. 3. 15. Verum hic quoque credibile est errorem in describendo in vulgaria exemplaria Græca irrepsisse, verbaque illa *& fratres ejus* cum Joachimo, non cum Jechonia conjungenda esse. Joachimo enim tres fratres fuere, primus Joachasus, cui etiam Johannan nomen fuit 1 Paral. 3. 15, alter Matthanias, postea Sedecias appellatus 2 Reg. 24. 17, tertius Sallumus. Ut ita integer textus hoc modo videatur esse legendus: *Josias autem genuit Joachimum ejusque fratres. Joachimus autem genuit Jechoniam sub tempus transportationis Babylonicæ.* Nam præter allegatam rationem, quod Jechonias nonnisi unum fratrem habueret, Joachimus autem tres; nulla etiam dari potest causa, cur Euangelista fratrum Iechoniæ, etsi eos habuisset, mentionem facere voluisset. Contra vero causæ satis erat, cur fratrum Joachimi meminisset, quia nimirum omnes, non minus quam Joachimus, Reges fuerant. De Joachaso & Matthania supra id probatum vidimus: de Sallumo autem ex Jeremia disci potest Jerem. 22. 11, ubi expresse Rex Judæ vocatur. Fortassis propterea, quod vel simul cum aliquo ex fratribus regnarit, vel etiam cum fratris sui filio. Quia vero in nullo hic enumeratorum Regum id contigit, ut frater fratri in regno successerit, præterquam in Joachimo, sed semper à patre ad filium devolutum fuit regnum: idcirco etiam

nullius

nullius horum Regum fratris mentio fit, quemadmodum hic fit fratrem Joachimi, nempe quia etiam iſti participes regni fuerint.

Tabella.

XV. *Joſias* Rex Judæ. Ejus filii ſunt

XVI.

1. *Joachaſus*, etiam *Johannan* dictus. Succedit in regnum patri Joſiæ: à Pharaone Nechaone in Ægyptum captivus deducitur, fraterque ejus Eliachimus ſeu Joachimus Rex conſtituitur 2 Reg. 23. 33, 34.

XVII.

2. *Eliachimus*, poſtea *Joachimus* nuncupatus. A Pharaone Nechaone poſt Joachaſum Rex conſtitutus. Ejus filii ſunt.

XVIII.

1. *Joachin*, ſeu *Jechonias*. A Nebucadnezare Babylonem abducitur 2 Reg. 24. 15, ſed exactis 37 annis dignitati reſtituitur 2 Reg. 25. 27. 2. *Sedecias* 1 Par. 3. 16.

XIX.

3. *Matthanias*, poſtea *Sedecias* dictus. A Nebucadnezare poſt fratris ſui filium Joachinem ſeu Jechoniam Rex conſtitutus eſt. Tandem ab ipſo capitur, & exoculatur 2 Reg. 24. 17. xxv. 7 & ſeqq.

4. *Sallum*. A Jeremia Rex Judæ vocatur Jerem. 22. 11.

Sub tempus deportationis Babylonicæ. Græce, *in deportatione Babylonica.* Id eſt, circa hoc tempus, vel cum jam deportatio iſta inſtaret, & à Deo decreta eſſet. Jechonias enim jam erat 18 annorum, cum regnare inciperet, treſque menſes regnarat, cum à Nebucadnezare deduceretur in Babyloniam. Ut ita Joachimus Jechoniam 18 annis ac tribus menſibus ante deportationem Babylonicam genuerit. Ideo autem Euangeliſta hujus deportationis meminit, ut notabilem diſtinctionem faceret inter ſecundam & tertiam partem genealogiæ Chriſti.

Verſ. 12. *Poſt deportationem autem Babylonicam.* Per deportationem Babylonicam, non tempus 70 annorum captivitatis Babylonicæ intelligitur, ſed illud miſerabile ſpectaculum, cum ſub Jechonia 18000 virorum optimorum è Juda abducta ſunt. Jechonias enim Salathielem non poſt captivitatem, ſed durante captivitate 70 annorum genuit.

Jechonias genuit Salathielem.] Hoc deſumtum eſt è 1 Paral. 3. 17 & ſeqq. ubi ſic diſerte habetur: *Filii autem Jechoniæ vincti, fuere Salathiel & Malchiram, & Pedajas, & Senneſar* &c. Hoc quidam intellectum volunt non de propriis ac germanis Jechoniæ filiis, ſed de ejus proximis conſanguineis: ex hac cauſa quod Jeremias Cap. 22. 30 de illo dixerit, eum ſine liberis fore. Verum hallucinantur in eo: neque enim hæc Jeremiæ mens eſt, Jechoniam nullos habiturum liberos, ſed quod nullos, qui in regno ipſi ſuccederent, liberos habiturus eſſet, ſicut majores ejus habuerant. Sic enim inquit Propheta ℣. 30: *Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium Davidis, & poteſtatem habeat ultra in Juda.* Et ℣. 28 clare ſeminis ipſius fit mentio: *Ah quam ejectus eſt cum ſuo ſemine, & in ignotam terram abjectus eſt.*

Hic quæritur: quomodo Jechonias liberos ſuos gignere potuerit, cum per annos 37 catenis vinctus in captivitate fuerit? Reſpondetur. Non eſt ſcriptum uſquam, Jechoniam tempore captivitatis ſuæ ſemper vinctum fuiſſe, ſed tantum, quod vinctus Babylonem abductus fuerit. Fieri poteſt, eum ut Regem in honeſta detentione fuiſſe habitum, & cohabitationem ei cum uxore fuiſſe conceſſam, tametſi forte primis captivitatis annis durius aliquanto tractatus fuerit. Dicitur autem apud Jeremiam de ipſius ſemine ſeu liberis, eos in ignotam terram projectos eſſe, ideo quod in ea tanquam captivi geniti ſint. Nec ſine emphaſi dictum eſt 1 Paral. 3. 17: Filii Jechoniæ *vincti*, ut indicetur, filios ejus, qui ibidem recenſentur, jam poſtquam captivus eſſet, natos eſſe. Etſi enim Jechonias tempore deportationis jam habuerit uxorem 2 Reg. 24. 15, apparet tamen, eum nullos adhuc habuiſſe liberos: alioqui dubio procul inter captivos memorati fuiſſent. Credibile quoque eſt Nebucadnezarem potius aliquem è filiis ejus, quam patruum ejus Regem creaturum & in locum ejus ſurrogaturum. Atque hac ratione fieri commodiſſime potuit, ut Zorobabel nepos ejus uſque ad tempus inſtaurationis Templi vixerit, atque poſt exitum è Babylone Princeps Judaici populi fuerit Eſr. 3. 2. v. 2. Neh. 12. 1. Agg. 2. 3.

Salathiel autem genuit Zorobabelem.] Hic gravis incidit difficultas. Allegato enim loco 1 Paral. 3, in Hebraico textu ita genealogia hæc refertur ℣. 17: *Filii autem Jechoniæ vincti, Salathiel filius ejus, & Malchiram, & Pedajas, & Senneſar, verſ. 18: Jecamias, Hoſama, Nadabias, verſ. 19: Filii vero Pedajæ, Zorobabel & Semei. Filii autem Zorababelis Meſullam, & Hananias, & Salomith ſoror eorum. Haſuba quoque & Ohel, & Berechias, & Haſadias, & Iuſab, & Heſed.*

Jechonias	Salatiel.		
	Malchiram.	Zorobabel.	Meſullam.
	Pedajas.		Hananias.
	Sennaſar.		Salomith.
	Jecanias.	Semei.	Haſuba.
	Hoſama.		Ohel.
	Nadabias.		Berechias.
			Haſadias.
			Juſab.
			Heſed.

Ex quo perſpicuum eſt, Zorobabelem non Salathielis, ſed Pedajæ filium fuiſſe: Pedajam vero Salathielis fuiſſe fratrem.

Quo igitur pacto Zorobabel ad Salathielem pertinuerit, vel ei conjunctus fuerit, de eo duæ ſunt præcipuæ interpretum ſententiæ. Aliqui ſic legunt verba ℣. 17: *Salathiel filius ejus, hujus autem (intellige filius) Malchiram, Pedajas, & Sennaſar. Et* verſ. 19: *Filii vero Pedajæ, Zorobabel & Semei.*

Secundum

Secundum hanc ſententiam Salathiel non Zorobabelis pater, ſed avus foret, eſſentque ſic à Jechonia ad Chriſtum, non 14 ſed 15 generationes. Verum optime hic annotat Piſcator, *iſtud ſupplementum vocis* hujus *υἱὸς λέγω ὄνομα videri*, id eſt nimis magnum poſtulatum, ſeu tale, quod ſi non recipiatur, nemini vitio verti poſſit. Vocabulum enim aliquod textui inſerere, cujus nullum veſtigium in ullo exemplari reperitur, nemini fas eſt, neque id recipere quiſquam tenetur. Si vero iſti amplius interrogentur, cur Matthæus Pedajam inter Salathielem & Zorobabelem omiſerit, reſpondent Euangeliſtam in eo ſecutum eſſe morem Scripturæ, quæ in aliis omnibus locis ſemper Zorobabelem Salathielis, nuſquam autem Pedajæ filium nuncupat 1 Eſdr. 3. 2, 8. v. 2. Neh. 12. 1. Agg. 1. 1, 12, 14. 11. 3, 24, atque ſic etiam Matthæum Zorobabelem Salathielis filium, nulla Pedajæ mentione facta appellaſſe. Cauſam autem, ob quam ſcriptura Zorobabelem non Pedajæ, ſed Salathielis filium vocet, affert doctiſſimus Judæorum Rabbi Kimchi, ſic ſcribens ſuper Prophetiam Agg. 1. 1: *Zorobabel iſte, cujus hoc loco fit mentio, non eſt Salathielis, ſed Pedajæ filius: & hic rurſus Salathielis filius, ut è* 1 Paral. 3 *conſtat. Caterum ex filiis ſuſcepti nepotes filiorum loco haberi ſolent. Quod autem hoc loco Salathielis tantum meminit, id inde fortaſſe factum eſt, quoniam Salathiel Pedaja vir multo inſignior ac clarior extiterit: quemadmodum & Zacharias filius Iddo appellatur* 1 Eſd. 5. 1, *patre tamen Barachia natus, qui filius fuit Iddo* Zach. 1. 1. E quibus doctiſſimi Rabbini verbis liquet, eum ejuidem ſententiæ fuiſſe, quod Pedajas Salathielis filius fuerit. Sed quia ſententia hæc fundatur in eo, quod è Scriptura demonſtrari nequit, imo quod Scripturæ aperte adverſatur, quæ Pedajam diſerte Jechoniæ filium, adeoque Salathielis fratrem vocat, non eſt facile admittenda. Durum præterea eſt ſtatuere, Matthæum etiam in hac tertia genealogiæ Chriſti parte generationem aliquam omiſiſſe, quemadmodum in ſecunda parte fecit. Sic enim prima pars tantum revera 14 generationes contineret, reliquæ duæ non item. Non eſt autem probabile, eum unius partis cauſa numerum duarum partium reliquarum immutare voluiſſe. Sed quod propter primam & tertiam partem, in quibus ambabus 14 generationes reperit, voluerit aliquas generationes in ſecunda parte omittere, non adeo eſt improbabile.

Altera ſententia, quæ claris Hebraici textus verbis innititur, adeoque veritati eſt magis conſentanea, eſt, quod Pedajas Salathielis frater fuerit.

Jam vero quæritur iterum; cur non tantum hic apud Matthæum, ſed etiam pluribus aliis Scripturæ locis ſupra citatis, quin etiam 3 Eſdr. 5. 5, 48, 56, & apud Joſephum lib. x1. cap. 3, Zorobabel non Pedajæ, ſed Salathielis filius perpetuo vocetur? Non eſt prorſus credibile, Scripturam Pedajæ oblitam eſſe, & ejus loco Salathielem ſemper ſubſtituiſſe: ſeu, eam Zorobabelem non in propria, ſed in impropria ſignificatione Salathielis filium ſemper nominare voluiſſe. Imo ex ejus uniformi conſenſu merito concluditur, apud Judæos paſſim notum fuiſſe, quod Zorobabel Salathielis verus ac proprius filius fuerit.

Hæc controverſia ut decidatur, triplex eſt modus. Primus eſt quandoquidem extra unitum locum 1 Paral. 3. 19, nuſquam in ſcriptura legitur, Zorobabelem Pedajæ filium fuiſſe, non eſſet abſurdum dicere, in loco 1 Paral. 3. 19, mendum aliquod ſubeſſe, quod in deſcribendo irrepſerit. Pari modo affirmant Interpretum quidam, ſimilem errorem eſſe commiſſum in loco Matth 23. 35, ubi Zacharias filius Barachiæ dicitur, cum tamen eum Jojadæ filium fuiſſe conſtet 2 Paral. 24. 20. Nec non in loco Matth. 27. 9, ubi nonnulli ſentiunt pro Jeremia legendum eſſe Zachariam. Reſponſio hæc rem conficere poſſet quodammodo, ſi nulla daretur melior. Neque enim facile Scripturæ error aut falſatio aliqua adſcribenda eſt, ſed ſatius eſt aliud aliquid, dum modo aliquam veritatis ſpeciem habeat, admittere.

Altera proinde reſponſio eſt; Cum Pedajas Salathielis frater fuerit, accidiſſe potuit, ut alter abſque liberis decederet, alter vero juxta legem Deut. 25. 5, mortuo fratri ex illius vidua filium, Zorobabelem ſcilicet, genuerit. Hac ratione Zorobabel unius verus ac naturalis, alterius legalis filius fuiſſet.

Tertia reſponſio, quæ cum præcedente de palma certat, eſt, quod Zorobabel, qui 1 Paral. 3. 19 Pedajæ filius dicitur, non ſit idem cum eo Zorobabele, qui hic à Matthæo & alibi in Scriptura Salathielis filius denominatur, princepſque Judæ poſt exitum è Babylonia fuit. Quæ ſententia eo confirmatur, quod in loco 1 Paral. 3, alii prorſus poſteri Zorobabelis recenſeantur, quam hic apud Matthæum & Lucam. Ibi enim Zorobabelis filii nominantur *Meſſulam, Hananias, Haſuba, Ohel* &c, apud Matthæum *Abiud*, apud Lucam cap. 3. 37 *Reſa*. Hoc tantum videtur huic opinioni obſtare, quod Zorobabel hic expreſſe illius Salathielis filius, qui Jechoniæ filius fuit, dicatur. Idcirco, quod in loco 1 Paral. 3. 19 Salathielis poſteri, ut Zorobabel filius ejus & Abiud filius Zorobabelis, & reliqui, qui apud Matthæum ſequuntur, omiſſi ſint, dicendum, Judæos tempore Chriſti aliunde quam ex Scriptura ſatis ſciviſſe, Zorobabelem illius Salathielis filium fuiſſe: de quo deinceps plura. Poteſt vero iterum objici, quod vix poſſibile ſit, ut ſcriptor Paralipomenon Pedajæ junioris fratris filios ac poſteros, uſque ad 2 generationem, ſicut patet 1 Paral. 3. 17 ad finem, enumerare voluerit, filiorum Salathielis majoris natu fratris nulla omnino mentione facta. Quod enim Salathiel Jechoniæ primogenitus fuerit, haud obſcure ex eo colligitur, quod 1 Paral. 3. 17 ſcriptum eſt, *Salathiel filius ejus*; quaſi dicere voluerit, *primus ejus filius*. Filii enim vox aliis filiis non eſt addita. Præterea ex illa deſcriptione poſterorum Pedajæ patet, librum Paralipomenon longo poſt exitum è Babylonia tempore conſcriptum eſſe. Qui proinde fieri potuit, ut ſcriptor iſte poſteros tam inſignis viri, qui Judæ princeps, & dux totius populi in exitu è Babylonica captivitate fuit, deſcribere negligeret?

Verum reſponderi poteſt, ſcriptorem Paralipomenon non id ſibi propoſuiſſe, ut omnia ac ſingula deſcriberet, quæ meritò deſcribenda erant, ne liber in immenſum excreſceret, ſed quæ præcipue memoratu digna erant, ea eum peculiari libro fuiſſe complexum, vel aliis annotanda reliquiſſe. Cum enim

enim tantus vir eſſet Zorobabel, par fuit, ut de eo ac poſteris ejus peculiaris genealogia conſcriberetur. Quæ tametſi ad nos haud pervenerit, inter Judæos tamen uſque ad Chriſti tempora aſſervatam fuiſſe credibile eſt.

Verſ. 13. *Zerobabel autem genuit Abiudem.*] Qui volunt, hunc Zerobabelem eundem eſſe, cum eo qui 1 Paral. 3. 19 Pedajæ filius dicitur, in novum ſe hic iterum labyrinthum induunt. Illic enim ſeptem filii Zerobabelis enumerantur, quorum nullus Abiud vocatur. Ac tribus quidem ſe illi modis hinc nituntur extricare. Nimirum aut ſtatuendum cenſent, unum ex illis Zorobabelis filiis binominem fuiſſe, atque alio nomine Abiudum appellatum: aut Abiudum non proprie Zorababelis filium fuiſſe, ſed aliquem ex ejus poſteris, qui in Scriptura non recenſentur; ut ita Matthæus hic quoque plures generationes prætermiſerit, quemadmodum ſupra v. 9 inter Joramum & Oziam ab eo prætermiſſæ ſunt: aut denique, licet Abiud Zorobabelis filius fuerit, eum tamen ejuſque poſteros deſpectæ & abjectæ conditionis fuiſſe, quos Deo permittente res anguſta inhumilem & ignobilem ſtatum depreſſerit, utut non minus quam alii regio Davidis ſanguine creti eſſent. Atque idcirco Auctorem libri Paralipomenon eorum mentione abſtinuiſſe, & illos potius nominare maluiſſe, qui tunc temporis fama ac dignitate eminerent. Sed quod primum ac ſecundum attinet, utrumque abſque probatione ac teſtimonio Scripturæ affirmatur. Equidem quod de duobus nominibus allatum eſt, poſſet locum habere, ſi certum eſſet, Zorobabelem Matthæi eundem eſſe cum eo, qui 1 Paral. 3. 19 Pedajæ filius nominatur, nec alia ſuppeteret difficultatis tollendæ ratio. Sic etiam alterum admitti poſſet, quod ſcilicet Euangeliſta inter Zorobabelem & Abiudum aliquas generationes tranſmiſerit, ſi de eo tam certo conſtaret, eque ſacris Literis demonſtrari id poſſet tam clare, atque demonſtrari ex iis poteſt, Matthæum inter Joramum & Oziam tres generationes tranſmiſiſſe. Sed quia tranſmiſſionis iſtius nullum in Sacris Scripturis reperitur indicium, & ut eo confugiamus, nulla nos cogit neceſſitas, merito hic cohibemus aſſenſum. Tertium quod attinet, quod ſcriptor libri Paralipomenon Abiudum, propter vilitatem conditionis ejus prorſus ſilentio præterierit; nulla ſane cauſa eſt, cur is Abiudum poſteroſque ejus adeo vilipenderit, cum tamen alius ſcriptor eos dignos æſtimarit, ut eorum genealogiam deſcriberet. Neque enim dici poteſt, Matthæum ex mera inſpiratione ac revelatione Spiritus Sancti poſteros Abiudi deſcripſiſſe. Quomodo enim is Judæis ejus rei veritatem perſuaſiſſet, quorum cauſa ille potiſſimum hanc genealogiam contexuit? Nihil certe præter riſum ac contumeliam lucratus fuiſſet. Sed ille omni dubio procul ex aliquo fide digno libro, ac certis Judæorum tabulis hanc genealogiam deſcripſit. Judæi ſumma diligentia in deſcribendo genere uniuſcujuſque utebantur, ſummaque cura iſtas deſcriptiones aſſervabant; inprimis autem circa eos accurati erant, qui ex tribu Judæ ac Levi oriundi erant. Hujus ratio ideo maxima habebatur, ne quis in Sacerdotium allegeretur, qui extra tribum ad id honoris à Deo deſignatam conſtitutus erat. Ad tribum Judæ verò attendebatur propter promiſſiones de Meſſia factas. Cumque promiſſiones iſtæ nominatim domui Davidis factæ fuerint, nullum eſt dubium, quin de poſteris Davidis major quam de aliis cura fuerit, ut ſciri poſſet, quis proprie à Davide, & quota generatione ab illo oriundus eſſet. Hæc Judæorum circa genealogias diligentia etiam ex Eſdra atque Nehemia perſpicitur 1 Eſd. 3. 59, 62. Neh. 7. 64, è quibus liquet remotos à Sacerdotio eos, qui ortum ſuum è Levitica tribu deducere nequiverunt. Præterea ad has genealogicas tabulas confugiebant Judæi, quando vel cenſus, vel alioqui dubitatio aliqua incidebat.

Ne vero genealogicæ iſtæ tabulæ adulterari poſſent, loco tuto apud Magiſtratum aſſervabantur, (in Templo ſcilicet) non ſecus atque hodie Baptiſatorum Catalogus in Eccleſiis aſſervari ſolet.

Tales genealogicos libros olim inter Judæos in uſu fuiſſe meminit etiam Euſeb. l. 1. c. 7, narratque inſuper, Herodem maximo ſtudio iis abolendis incubuiſſe, propterea quod ignobili ortu ex Idumæis eſſet, ſtuderetque genus ſuum à Patriarchis, adeoque ab Abrahamo & Jacobo, pariter ac alii Judæi, deducere.

Ut igitur ad propoſitum revertamur, relinquitur hanc eſſe optimam ac certiſſimam objecti ſupra dubii ſolutionem, quod Zorobabel Matthæi alius ac diverſus ſit ab eo, qui in ſæpius memorato loco 1 Paral. 3. 19 Pedajæ filius nuncupatur. NB.

Abiud autem genuit Eliakimum. Eliakim autem genuit Azorem. Verſ. 14. *Azor autem genuit Sadocum. Sadocus autem genuit Achimum. Achimus autem genuit Elindum.* Verſ. 15. *Eliud autem genuit Eleazarum. Eleazar autem genuit Mathanem.*

Mathan autem genuit Jacobum. Quod ad majores Chriſti ab Abiudo ad Joſephum attinet, nihil de eorum vita ac rebus geſtis ſcitur, cum nulla de iis extent hiſtoriarum monumenta. De eo vero, quid illa tempeſtate in Orbe, ac præcipue cum Judæis actum ſit, quatenus ad meliorem ſacræ Scripturæ Novi Teſtamenti intelligentiam illius cognitio poteſt conducere, pauca quædam in IX Appendice hujus capitis dicentur. Quod reliquum eſt, Chriſtianus lector è libris Eſdræ, Nehemiæ, Danielis, Maccabæorum, ex Joſepho aliiſque hiſtoricis diſcere poterit.

Verſ. 16. *Jacobus autem genuit Joſephum.*] Conciliationem Matthæi cum Luca, qui alios Chriſti majores enumerat, vide ad Luc. 3. 23.

De Joſephi vita ac conditione vide 4 Appendicem hujus capitis. Cæterum Euangeliſta hujus Joſephi cauſa totam hanc deſcripſit genealogiam. Hunc enim Deus ſelegit ut Pater Chriſti eſſet: Non ea quidem ratione qua ſupra memorati patres filios ſuos genuerunt, ſed alio omnino miraculoſo ac divino modo. Monſtrat igitur Matthæus, Chriſtum eatenus Davidis filium eſſe, quatenus Joſephus Davidis filius fuit.

Virum Mariæ.] De vita ac moribus Mariæ Virginis vide V Appendicem hujus Capitis.

Dicitur autem Joſephus Mariæ vir, etſi nuptiæ nondum conſummatæ eſſent, ſed illa tantum deſponſata ipſi eſſet. De quo vide infra vers 20.

Ex qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.] Non dicit Euangeliſta: Joſephus genuit Jeſum, quemad-

quemadmodum de ſuperioribus dixerat: Sed ait, Joſephum ejus fœminæ virum fuiſſe, è qua natus eſt Jeſus. Voluit enim hoc pacto cauſam indicare, cur Joſephi genealogiam recenſuerit; cum tamen quæſtio de genealogia Chriſti eſſet, atque id ſibi verſ. 1 propoſuiſſet probare, Chriſtum Davidis, ac porro etiam Abrahami filium eſſe. Cauſa autem non alia eſt, quam quod Joſephus Mariæ, è qua Chriſtus genitus eſt, vir eſſet, & quidem eo ipſo tempore (prout poſtea verſ. 19, 20 patebit) quo Chriſtus virtute Spiritus Sancti in ejus utero conceptus fuit. Quare nihil aliud Euangeliſta hac generis Joſephi deſcriptione indicare voluit, quam quod Chriſti genus & origo eatenus à Davide arceſſenda ſit, quatenus Joſephus matris ejus maritus è Davidico genere oriundus fuit.

Atque hac ratione quæſtio illa diſſolvitur, circa quam omni tempore Interpretes deſudarunt, quæque olim Chriſtianis ab Ethnicis, à Celſo? ut Origenes teſtatur, & à Juliano Cæſare Apoſtata, ut apud Cyrillum Alexandrinum videre eſt, objecta fuit: Nempe, qua ratione Chriſtus ad genealogiam Joſephi, & per eum ad familiam Davidis pertinuerit? cum Chriſtus non à Joſepho genitus, ſed ſine illius opera à Maria in lucem editus fuerit? Cenſent nonnulli Euangeliſtam accommodaſſe ſe communi Judæorum opinioni, qui Chriſtum pro Joſephi filio habebant Luc. 3. 23, ideoque eum Joſephi genus à Davide deduxiſſe, quia alioqui Judæi non fuiſſent credituri, Jeſum eſſe Chriſtum. Quam ſententiam Chryſoſt. fuſe proponit Homil. 3 in Matth. tom. 2. Verum ſententia iſta non poteſt conſiſtere. Primo quia nequaquam credibile eſt, Spiritum Sanctum voluiſſe rem veriſſimam falſo medio demonſtrare, Judæoſque in illorum falſa opinione confirmare. Secundo ipſe Matthæus ſtatim hanc Judæorum falſam opinionem refellit, dum clariſſime oſtendit, Chriſtum non è Joſepho, ſed ex Spiritu Sancto conceptum, atque è virgine genitum eſſe.

Alii plerique interpretes ſtatuunt, Chriſtum eatenus ad Davidis familiam pertinuiſſe, quatenus Maria ex Davidis familia ortum habuit. Sed neque hæc reſponſio rem conficit. Primum, quia genus non ſolet cenſeri è matribus, ſed è patribus: inprimis quando mater jam ceſſit in jura mariti; tunc enim non amplius matris, ſed mariti ejus familia ſpectatur. Hinc apud Judæos obtinet proverbium: *Familia matris non eſt familia.* Neque in Sacris Literis vel unicum reperitur exemplum genealogiæ alicujus per matrem vel à matre deductæ. Quod enim quidam loca 1 Paral. 1. 32. 11. 16, 17. XXI. 24. XXVI. 29. adducant, notandum eſt, ibi matres tantum eorum nominari, quorum genus ortuſque illo loco deſcribitur, non vero familias matrum recenſeri, vel eos è familiis matrum cenſeri. Quod liquido patet in primo exemplo 1 Paral. 1. 32. Ubi filii quidem Cethuræ, quos illa genuit Abrahamo, recenſentur, ſed filiorum tamen iſtorum genus ab Abrahamo, non à Cethura ejuſque majoribus deducitur. Nec ad rem quicquam facit exemplum Judithæ cap. 8. 1: illic enim Judithæ ipſius, non alterius per illam genus deſcribitur.

Secundo nihilominus remanet quæſtio: ſi Matthæus ex eo voluit demonſtrare, Chriſtum eſſe Davidis filium, quia Maria Mater ejus è domo Davidis fuerat, cur maluerit Joſephi potius, quam Mariæ genealogiam conſcribere? An poſſibile eſt, non ſolum Matthæum, ſed & Lucam, Joſephi, & non ſaltem unum eorum Mariæ genus deſcripturum fuiſſe? præſertim cum genus Chriſti per diverſos majores à Davide, ac Matthæus quidem per Salomonem, Lucas vero per Nathanem deduceret. An fieri ullo modo potuit, ut non vel uterque Euangeliſta, vel ad minimum unus, verbulo aliquo meminiſſet, Mariam ad eandum cum Joſepho familiam pertinuiſſe; quandoquidem caput rei, ſeu cauſa vera, ob quam Chriſtus Davidis filius erat, in eo ſita erat, quod ex ſemine Davidis prognatus eſſet, quam ad rem Joſephi genealogia nihil, aut non niſi ex accidenti aliquid faciebat? Quod autem nonnulli conantur demonſtrare, Lucam Mariæ genealogiam deſcripſiſſe, id ad Lucam refutabitur.

Tertio probari nequit, Mariam de domo Davidis fuiſſe ortam, ſed indicia potius aliqua extant, quod ex ea neutiquam fuerit oriunda. Diverſis enim locis, ubi Joſephi fit mentio, non ſine emphaſi, nec ſine cauſa ſingulari dicitur, quod filius Davidis ſit, vel quod ſit de domo ac familia Davidis. Ut infra verſ. 20, cum Angelus eum ſic alloquitur: *Joſephe fili Davidis*, & Lucas cap. 1. 27 refert, quod *Maria deſponſa fuerit viro, cui nomen erat Joſephus, ex domo Davidis.* Item cap. 2. 4, quod Joſephus aſcenderit Bethlehemum civitatem Davidis, *propterea quod erat ex domo & familia Davidis.* De Maria autem nihil ſimile uſquam legitur; cum tamen Euangeliſta ſat cauſæ & occaſionis habuerit dicere, *propterea quod ambo erant ex domo ac familia Davidis.* Qui factum, quod Angelus lætum ei nuntium de conceptione afferens, non etiam ſic eam affatus ſit: Ave Mariæ filia Davidis? Quæ indicia ſane ſufficiunt ad demonſtrandum, vel quod Maria non è domo Davidica fuerit, vel quod, ſi nihilominus fuit, id eo non ſpectavit, quod Chriſtus Davidis filius fuit.

Adde quod Maria Eliſabetæ cognata fuerit Luc. 1. 36, Eliſabeta autem erat è filiabus Aaronis Luc. 1. 5, adeoque è tribu Levi. Unde colligitur, Mariam quoque è tribu fuiſſe Levitica. Hinc Gregorius Nazianzenus ſcite id providentiæ divinæ tribuit, quod regia & ſacerdotalis tribus in Chriſti parentibus concurrerit, quia ſcilicet Chriſtus Rex ſimul & ſacerdos ſummus eſſe debuerit. Etſi vero fieri potuerit, ut Maria Eliſabetæ cognata ex matre eſſet, quia tamen nullum alibi extat ejus rei veſtigium, quod Maria è domo Davidis fuerit, multo eſt probabilius, quod reſpectu patris Eliſabetæ cognata, atque ſic ex eadem cum ipſa tribu Levitica fuerit. Quod altera iſta falſa opinio pro fundamento ponit, nempe ſi Maria ratione patris de tribu Levitica fuiſſet, non potuiſſe eam nubere viro, qui ex alia tribu erat: id hoc ipſo exemplo refellitur. Si enim Maria paternum genus ex domo Davidis, adeoque ex tribu Judæ traxiſſet, materni autem generis reſpectu Eliſabetæ cognata, (ut illi contendunt) fuiſſet, neceſſe foret, etiam Eliſabetam cognatam ipſius maternum genus itidem ex domo Davidis

duxiſſe, & vel patrem Eliſabetæ, vel aliquem ex ejus progenitoribus uxorem ex domo Davidis, atque adeo ex tribu Judæ habuiſſe. Neque id Legi fuit contrarium: nam & Jojada Pontifex, vir pius & acerrimus Legis defenſor, uxorem è regio genere, ac proinde ex tribu Judæ duxerat, nimirum Joſabam filiam Regis Jorami 2 Reg. xi. 2. 2 Paral. 22. 11. Etiam in libro Judicum legitur, Iſraëlitas ſeſe religione juramenti obſtrinxiſſe, non daturum quenquam filiam ſuam in uxorem viro de Benjamitica tribu Judic. 21. 1. Quo juramento nihil opus fuiſſet, ſi Lege id fuiſſet prohibitum. Quid, quod David quoque Saulis filiam, qui Benjamita erat 1 Sam. 9. 1, uxorem duxerit 1 Sam. 18. 27. Plura talia exempla in Scriptura inveniuntur. Cæterum Jojadam Pontificem quod attinet, ſi is, cum è tribu Levi eſſet, nihilominus è tribu Judæ uxorem ſumere potuit, quæ tribus erat præcipua & opulentiſſima; multo magis aliquis è tribu Judæ exiſtens, uxorem ex tribu Levi accipere poterat. Lex enim Num. 36. 8, 9, quæ fœminis nubere extra ſuam tribum prohibebat, nihil ſpectabat aliud, quam ne earum patrimonia in aliam tribum devenirent, neve ita cum tempore hæreditates, quæ unicuique tribui in prima terræ diſtributione aſſignatæ erant, commiſcerentur ac confunderentur. Sic enim ſonat Lex illa: *Nubant* (ſcilicet filiæ) *quibus volunt, tantum ut ſuæ tribus hominibus, ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſraëlis de tribu in tribum.* Jam vero Levitæ, è quorum tribu fuiſſe Mariam ſtatuimus, nullam terræ poſſeſſionem habuere Deut. 10. 9, nec propterea filiæ eorum in aliam tribum hæreditatem ullam tranſferre poterant. Sed è reliquis tribubus filiæ, & nominatim quæ ex familia Davidis erant, poterant ſecum tranſferre poſſeſſionem, ideoque eis permiſſum non erat extra ſuam tribum nubere. Attamen ſi ad paupertatem redactæ nulla paterna bona poſſidebant, aut ſi jure hæreditatis ſeſe exuere ultro volebant, licita illis erant extra ſuam tribum matrimonia. Inſuper, tametſi concederetur, Mariam Joſepho ſecundum Legem nupſiſſe, atque è tribu Judæ fuiſſe, nondum tamen ſequitur, eam fuiſſe è domo Davidis. Neque enim Lex Num. 36. 6 jubet, ut filiæ nubant viris ejuſdem familiæ paternæ, ſed viris tribus paternæ, cujuſcunque familiæ. Nimirum eandem tribum Lex ſpectabat, non eandem familiam. Itaque Legi ſatisfactum fuiſſet, ſi Joſephus & Maria ex eadem tribu Judæ fuiſſent, etiamſi uterque è Davidica familia non fuiſſent. Quod autem aliqui objiciunt, ſenſum legis iſtius eſſe, quod non liceat fœminæ, quæ unica hæres poſſeſſionis paternæ eſt, niſi viro ejuſdem domus ac familiæ, & quidem conſanguinitate proximo nubere; id ab eis abſque probatione omni aſſeritur. Imo dum Lex illa puellæ permittit nubere, cui velit, atque placuerit, nequaquam veriſimile eſt, eam ſic conſtrictam fuiſſe, ut ei extra familiam ſuam nubere nefas eſſet; neque credendum eſt, hanc libertatem ei abſque expreſſo Dei mandato eripi potuiſſe. Multo minus probari poteſt, puellam hujuſmodi debuiſſe neceſſario alicui de familia ſua, ſecum proxime ſanguinis nexu conjuncto nubere. Nullo certe modo credibile eſt Iſraëlitis eam ſervitutem fuiſſe impoſitam, ut non licuerit eis non tantum in eadem tribu, ſed neque etiam in eadem familia poſſeſſiones permiſcere. Proinde concludi omnino nequit, Mariam, etiamſi Joſephum proxima cognatione contigiſſet (quod tamen nullo oſtendi poteſt argumento, quamvis id Epiphanius, neſcio quam fabulam narrans, de qua ad Luc. 1. 35, affirmare non dubitet) ei nubere obſtrictam fuiſſe. Verum de eo fruſtra prorſus diſputatur, cum fundamentum iſtud, cui hoc totum ſuperſtruitur, tam ſit incertum, ut ne leviſſima quidem conjectura fulciri poſſit, tametſi Iſaacus Caſaubonus Exerc. 1. n. 30, ex Ephiphanio id probare ſatagat, nempe quod Maria unica patris ſui filia, atque hæres paternorum bonorum (intellige, fundorum & agrorum) fuerit, quæ vigore Legis nequibant in aliam familiam tranſferri. Quodnam enim ejus rei indicium in Scriptura monſtrari poteſt? Si ex hoc ſolo intelligendum eſt, quod Maria omnino ex familia Davidis, non minus quam Joſephus, orta ſit, & quod hac ratione Chriſtus quoque à Davide ortum trahat, eccur Euangeliſtæ id ne unico quidem verbo indicarunt? quandoquidem niſi hoc ſciatur, reliqua omnia nihil virium habeant ad demonſtrandum, quod Chriſtus è familia Davidis oriundus ſit. Quinimo ex vili hoſpitio in Bethlehemitico ſtabulo, ex paupere ſacrificio Luc. 2. 24, aliiſque circumſtantiis ſatis cernitur, exiguas utrique facultates fuiſſe. Quod vero Lex non ſolum ad præſentes poſſeſſiones, verum etiam ad futuras & obventuras hæreditates reſpexerit, nullam habet veriſimilitudinem. Quanta enim hæc fuiſſet ſervitus, ſi puella propter incertam aliquam hæreditatem, quæ ei obvenire aut non obvenire poterat, nubere viro alicui, qui animo non placeret ſuo, obligata fuiſſet? Aut quis è viris ejuſmodi conſanguineam ducere voluiſſet, ſi ipſi forte diſpliceret, quæ incerta duntaxat ſpe, ac non reipſa hæres erat? cum ex innumeris exemplis conſtet, quam ejuſmodi ſpes ſæpius fallant. Et Mariam quidem eo tempore, cum Joſepho deſponderetur, nullam habuiſſe hæreditatis ſpem, exinde colligitur, quod illa mariturque ejus etiam tum, cum Chriſtus jam munus prædicationis ſuæ auſpicatus eſſet, id eſt, cum jam 30 & amplius anni poſt ejus deſponſationem effluxiſſent, re valde tenui atque anguſta fuerint, & manuum ſuarum labore ſeſe ſuſtentarint: quam ob cauſam etiam Chriſtus filius ejus à conterraneis ſuis contemtus ac deſpectus fuit. Vide Matth. 13. 55 & Marc. 6. 3.

Eſt vero multo improbabilius, quod quidam aſſerunt, adeo paſſim notum fuiſſe, quod Joſephus & Maria non modo ex eadem tribu, ſed ex eadem quoque Davidis familia fuerint ambo, ut ſupervacuum duxerit Euangeliſta ejus rei meminiſſe. Quamvis enim daretur, id ita notum vulgo fuiſſe, erat tamen neceſſarium, ut partim propter poſteros, partim propter extraneos & abſentes (quorum rationem maximam in ſcribendo habuiſſe Euangeliſtas etiam illi ipſi fatentur, qui hoc improbabili effugio utuntur) uno ſaltem verbo id Euangelici ſcriptores indicarent. Videmus Matthæum in hac genealogica recenſione meminiſſe etiam talium rerum, quæ tunc temporis Judæis in univerſum compertiſſimæ fuere: ut, quod in ipſo mox refert initio, Davidem eſſe Abrahami filium, Abrahamum genuiſſe Iſaacum, & Iſaacum

genuiſſe

genuiſſe Jacobum, & quæ ſequntur, de quibus unicuique ex ſcriptis Veteris Teſtamenti ſatis conſtabat, atque conſtare poterat. Lucas quoque affirmat in ſui Euangelii principio, ſe ea ſcribere, quæ tunc Chriſtianis paſſim cognita fuere, & à quibus ea accurate ſciſcitando didicerat. Cumque is, ut ex nonnullis indiciis apparet, in ſuo ſcripto etiam peregrinorum Chriſtianorum habuerit rationem, quibus res iſtæ noni ta notæ fuerunt, atque iſtis, qui vixerunt Hieroſolymis, fieri nulla ratione potuit, ut id reticeret, quod illi ignorare poterant, imò quod ne ignorarent, volebat. Præterea, neutiquam credibile eſt, eo tempore cum Matthæus & Lucas libros ſuos ſcriberent (quod ab altero ad minimum octo, ab altero quinque annis poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem factum) multos fuiſſe è Judæis, qui natalium Mariæ benè gnari fuerint; quandoquidem, ut dictum, illa cum marito ſuo in ſumma rerum egeſtate conſtituta fuerit: quales homines paucis ſolent eſſe noti. Ad extremum, quia Euangeliſta genealogiam Chriſti eo potiſſimum fine ſcripſit, ut Judæis infidelibus, ſi forte pernegarent Chriſtum è Davidis ſemine ortum, os obſtrui poſſet; ſi in eo vera iſtius rei ratio & cauſa conſiſteret, quod Maria è domo Davidis oriunda fuerit, debuiſſet ille diſerte id exprimere, aut ſaltem aliquid tale addere, ex quo id certo ac neceſſario inferri colligique poſſet.

Poſtquam ſufficienter hactenus demonſtratum, nullo pacto veriſimile eſſe, quod Chriſtus eatenus Davidis filius dictus ſit, quatenus Maria è domo Davidis orta fuit, ſupereſt, ut veram cauſam explicemus, ob quam Scriptura de Chriſto affirmet, quod è familia Davidis fuerit oriundus. Jam paulo ante ſuperius indicavimus, ex utraque genealogia, quam tum Matthæus, tum Lucas deſcripſit, ſatis patere, Chriſtum ideo Davidis filium, ſeu unum è poſteris ejus dici, quia ex uxore Joſephi, qui de domo ac familia Davidis fuerat, natus ſit. Allaturus enim rationem Matthæus, cur initio dixerit, Chriſtum eſſe Davidis filium, deſcribit genealogiam Joſephi, eamque concludens & Chriſto applicans, nihil aliud ponit, quam quod Joſephus Mariæ vir fuerit, è qua natus eſt Chriſtus. Idem Lucas cap. 3. 23 ſubindicat, dum inquit, Chriſtum, ut putabatur, Joſephi filium fuiſſe. Etſi enim verba hæc, *ut putabatur*, innuant, non uſquequaque rem ita ſe habere; ſi quidem Chriſtus proprie loquendo non à Joſepho generatus fuit: voluit tamen ſignificare hoc dicto, ſubeſſe cauſam, cur ita putaretur, nec ullum hominem in toto orbe monſtrari potuiſſe, ad cujus familiam Chriſtus juſtius referri potuerit, quam ad Joſephi. Cur enim alioqui Lucas poſtea Joſephi genealogiam deſcriberet, & ad Davidem, imo ad Adamum uſque deduceret? Nam liquet abunde, eum genealogiam iſtam non tam Joſephi, quam Chriſti cauſa ſcripſiſſe. An vero hoc ille facere in animum induxiſſet, ſi Chriſtus nulla prorſus ratione Joſephi filius fuiſſet, ejuſque genus alio, ac magis proprio modo à Davide deduci potuiſſet? Quod enim aliqui ſtatuunt, Joſephum Heli (cujus filium fuiſſe Joſephum Lucas ait) fuiſſe generum, id ad Lucam ſuo loco refutabitur.

Neque nos ſoli in hac ſumus ſententia, ſed etiam alii ante nos fuere, & quidem antiqui nonnulli ſcriptores. Quos inter eſt quoque Auctor Quæſt. & Reſponſ. ad Orthodoxos (qui liber Juſtino Martyri vulgo adſcribitur.) Is in Reſponſione ad 66 & 133 quæſtionem ſcribit, Chriſtum ideo Joſephi filium dici, quia uxoris ejus ſit filius, neque ab alio viro ſit genitus. Quacunque enim ratione, inquit, viſum fuerit Deo alicui dare filium, ſive per carnalem cum uxore ipſius conjunctionem, ſive alio modo, pro vero illius filio habendus eſt, dummodo nullus alius hominum ulla ratione pater ejus fuerit: Ita ſentit quoque Janſenius Comment. in Conc. Euang. cap. 6, cujus hæc ſunt verba; *Cum Chriſtus putaretur eſſe filius Joſephi, ſicut revera erat filius Joſephi, non quidem naturalis, ſed legitimus (utpote legitimo matrimonio natus ex uxore) debebat etiam oſtendere ipſum Joſephum putativum & legitimum Chriſti patrem eſſe ex ſemine David.* Atque hic viri iſti rem acu tetigerunt. Cum enim maritus & uxor unum corpus, ſeu, ut Scriptura loqui amat, una caro, id eſt, unus homo eſſe cenſeantur, jure merito uxoris filius etiam pro mariti filio reputandus eſt, licet ipſa corporis ſui copiam ei non fecerit, ſi modo nec illi alteri viro fecerit. Si enim ſecundum Dei legem etiam is filius alicujus cenſebatur, qui poſt ipſius obitum, ex uxore ejus alteri viro nupta, natus erat, ac revera alium habebat patrem: quanto juſtius is dici poteſt alicujus filius, qui ex uxore ejus, ipſo adhuc vivente, & dum una adhuc cum ea caro exiſtit, naſcitur, nec alium in terris hominem genitorem habet. Hac reſponſione totum id ſatis ſuperque diluitur, quod olim Celſus, Porphyrius, Julianus, Fauſtus Manichæus, aliique Ethnici Chriſtianis objectabant, quod ſcilicet Chriſtus ideo promiſſus ille Meſſias non eſſet, quod Maria mater ipſius, de qua natus eſt, non ex tribu Judæ, ſed ex tribu Levi fuerit. De quo legatur Auguſtinus lib. 23 contra Fauſt. cap. 4. 9. 10. Huic ſententiæ opponi ſolet, Scripturam aſſerere, quod Chriſtus debuerit *egredi ex utero* (in Hebræo eſt, *ex viſceribus*) *Davidis* 2 Sam. 7. 12, & quod appelletur *fructus ventris ejus* Pſal. 132. 11, quem locum reſpiciens Petrus Act. 2. 30 inquit, *Deum juraſſe Davidi, ſe ex fructu lumbi ejus ſecundum carnem ſuſcitaturum eſſe Chriſtum.* Unde vulgo infertur, Chriſtum propria & naturali ratione à Davide ortum fuiſſe. Quod idem illis locis confirmari cenſetur, quibus dicitur de Chriſto, quod *natus ſit è ſemine Davidis ſecundum carnem* Rom. 1. 3. Act. 13. 23, aut quibus *Davidis ſemen* nuncupatur 2 Tim. 2. 8. Verum haud difficulter ad iſta reſponderi poteſt. Quod enim illa loca concernit, in quibus Chriſtum ex utero, vel ventre, vel viſceribus, vel lumbis Davidis naſciturum eſſe affirmatur, ſciendum eſt in Scriptura uſitatum eſſe, ut venter vel uterus uxoris appelletur viri venter vel uterus. Exempla ejus rei habes inter cætera Deut. 28. 4, 11, 18, 53, ubi Moſes viros Iſraëliticos alloquitur, & tamen *fructum ventris* ſeu *uteri* eorum ponit ſimpliciter pro liberis. Fructus uteri autem proprie non niſi de mulieribus dicitur, è quibus liberi tanquam fructus ab arbore proveniunt atque naſcuntur. Uti ſane vox Hebraica *beten* etiam de ventre mulieris ſeu utero uſurpatur Num. 5. 22. Quod vero in ſupra nominato loco Deut. 28, de uteri materni fructu ſermo ſit, è Pſ. 53 liquet, ubi inter alias maledictiones

dicitur: *Fructum ventris vel uteri tui comedes.* Quibus verbis clare ad illas matres respicitur, quæ liberos suos, gravissimâ famis necessitate a dact, comederunt: id quod in summa annonæ caritate Samariæ contigit 2 Reg. 6. 28. 29, nec non tempore obsidionis Hierosolymitanæ sub Tito, apud Josephum lib. 6 de Bello Jud. cap. 21. Ex dictis jam satis constat, liberos non alia de causa fructum ventris vel uteri virorum dici, quam quod sint fructus ventris vel uteri uxorum ipsorum. Quod quidem meritissimo dicitur, quando proles illa revera nullum alium ex hominibus patrem habuit, marituſque est istius prolis vera causa, catenus scilicet, quod illius causa ex ipsius uxore nascatur, quemadmodum hoc loco factum est. Deus enim hunc fructum Mariæ in ipsius utero concipi non fecisset, nisi vero tali desponsa fuisset, qui è familia Davidis erat. Hac quippe ratione Deus suas promissiones olim Davidi factas implere voluit. Quod vero de locis illis dictum, in quibus viscerum aut ventris Davidis fit mentio, idem de verbis Petri Act. 2. 30 statuendum, ubi lumbi Davidis nominantur. Quia enim Petrus diserte juramentum, quod juravit Deus Davidi, refert, adeoque clarissime ad verba promissionis alludit, in quibus mentio est viscerum seu ventris Davidis; nullo modo verisimile est, verbis Petri majorem inesse vim, quam ipsis promissionis verbis: cum necessario sensus utrobique unus ac idem esse debeat. Quare cum verba promissionis in Veteri Testamento commodissime Christo applicari queant, etiamsi proprie neque ex Josepho, neque ex ullo alio viro de familia Davidis oriundo genitus sit: nil causæ est, cur & verba Petri ad illum æque accommodari non possint. Estque observatione dignum, quod antiquus Ecclesiæ Doctor Irenæus lib. 3. 27, magni id esse momenti censeat, quod Psalm. 132. 11 non extet, *Fructus lumborum* sed *fructus ventris*: Ut inquit, *denotetur, de ortu Christi ex muliere, & non ex viro esse sermonem.* Apparet enim Irenæum putasse, *fructum lumborum* proprie nonnisi de viris dici; cum tamen id pariter ac *fructus ventris* proprie tantum de mulieribus dicatur; testantur Physici. Apparet quoque Iræneum in verbis Petri Act. 2. 30 non legisse, fructus *lumborum*, sicut hodie in omnibus Græcis Latinisque exemplaribus legitur, sed fructus *ventris ejus*: quemadmodum & Syriaca habet versio.

Porro sciendum est, verba divinæ promissionis Davidi non uno in loco veteris Testamenti factæ duplicem habere sensum, unum literalem, & mysticum alterum? Quorum ille Salomonem ejusque posteros, hic Christum respicit. Non esse autem verba ista mystico sensu necessario in eodem proprio significatu accipienda, in quo sumuntur sensu literali, ex ultima hujus vaticinii parte cernitur, ubi dicitur, fructum ventris Davidis super thronum ejus sessurum, seu hæredem regni Davidici futurum, ut ex Psal. cxxxii. 11, & ex verbis Petri Act. 2. 30 liquido patet. Certum enim est, Christum non proprie Davidi in regno successisse, neque proprie in throno Davidis sedere; sed tale regnum obtinuisse, cujus regnum Davidis exilis duntaxat umbra atque figura fuit. Unde potius dicendum, Christum in Dei throno, quam in throno Davidis consedisse. Similitudo, quæ est inter regnum Christi & Davidis, propemodum in hoc solo consistit, quod sicuti David proprie Rex populi divini seu Israelitici secundum carnem fuit, sic Christus quoque proprie Rex sit populi divini, seu veri ac spiritualis Israëlis, cui regendo atque servando à Deo præfectus est. Quid vero mirum est, cum verba de sessione in throno Davidis agentia, in ea sint significatione accipienda, quæ à proprietate longe recedit, ita ut Christus Dei potius, quam Davidis hæres esse censeatur, si idem quoque in præcedentibus divinæ promissionis verbis fiat? Quid, inquam, mirum est, si Christus quidem pro Davidis filio habeatur, ita tamen, ut magis Dei filius, cujus regnum hæreditario jure possedit (Regnum quippe Christi Dei regnum Matth. xii. 28. xix. 24, & regnum cœlorum Matth. 3. 2 dicitur) esse censeatur. Idque hoc pacto optime fieri potuit, quo Euangelistæ docent natum esse Christum, & nos ex iis supra commonstravimus: nempe quod absque virili semine ex Spiritu Sancto conceptus sit. Hoc modo sane Christus protinus à conceptione sua Dei filius extitit, sed ita, ut uni homini ex Davidis familia orto quasi agnasceretur, atque ex uxore ejus sic nasceretur, ut optimo jure etiam ipsius filius vocari posset. Istud vero potest ad mysticum promissionis divinæ sensum implendum sufficere, neque ulla ratione necesse est, ut is omni ex parte propriæ verborum significationi adstrictus sit. Quapropter (ut responsionem hanc in compendium mittamus) ad id, ut de Christo dici merito possit, eum ex utero, vel viscеribus, vel lumbis Davidis genitum esse, sufficit, quod is ita natus sit, ut generationis istius ratio quam proxime cum proprietate verborum promissionis conveniat, & ea duntaxat ex parte aliquid in ea desideretur, qua proprietas illa verborum aliquam imperfectionem, &, ut sic loquar, aliquid carnale, atque dignitati Christi minus conveniens in se complectitur, quod si in generatione Christi interveniisset, obstitisset, ne Christus à prima statim conceptione Dei filius, vel naturalis filius Dei dici posset. Qualem eum nunc esse novimus, quandoquidem is à nullo viro proprie genitus, sed virtute Dei conceptus fuit. Equidem multo magis decet, ut proprietas verborum promissionis excellentiæ Christi divinæ quodammodo cedat, quam ut hæc cedat proprietati verborum.

Quæ autem hactenus dicta sunt, etiam responderi possunt ad illa loca, quibus Christum è Davidis semine prosatum esse dicitur: qui quidem loquendi modus minus adhuc nostræ repugnat sententiæ, sive facilius interpretationem hujusmodi, qualem nos volumus, admittit. Si enim sub Lege is pro semine alicujus, seu filio ac prole censebatur, qui non ab illo ipso, sed à fratre aut proximo agnato ejus gignebatur (ut videre est ex Deut. 25. 5, 6 & Gen. 38. 8) multo certe potiori jure poterit Christus Davidis semen dici, seu pro filio ejus reputari, quem Deus, non per carnalem fratris aut cognati alicujus cum uxore commixtionem, sed modo longe excellentiore, dignitatique Christi convenientiore, tanquam filium ac hæredem Josephi in domum ac familiam inseruit.

Qui

Qui vocatur Christus.] Hoc intelligendum de eo tempore, quo Matthæus suum scribebat Euangelium. Nimirum indicat, sed de eo Jesu scribere, qui tunc passim Christus dicebatur, & revera Christus erat.

Vers. 17. *Omnes itaque generationes ab Abrahamo usque ad Davidem sunt generationes quatuordecim, & à Davide usque ad deportationem Babylonicam Generationes quatuordecim, & a deportatione Babylonica usque ad Christum generationes quatuordecim.*] De hac partitione genealogiæ Christi vide quid supra vers. 1 dictum sit.

Usque ad Christum.] Intellige Christum inclusive, qui est decimus quartus in tertio atque ultimo ordine.

Hoc loco annotare juvat, quod ab aliis quoque observatum, per hanc majorum Christi in tres ordines, quorum quilibet ex quatuordecim generationibus constat, digestionem, Euangelistam Judæis tacite innuere voluisse, quod, sicut in morbis septimus & quatuordecimus dies critici esse solent, quibus nimirum de exitu morbi judicium ferri potest, siquidem istis diebus notabilis ut plurimum mutatio ægris apparere vel ad mortem vel ad convalescentiam consuevit; sic etiam quatuordecima generatio insignem aliquam mutationem in Judaica politia portendat. Quia enim, postquam ab Abrahamo, cum quo Deus fœdus pepigerat, 14 generationes præterierunt, memorabilis adeo facta est mutatio, ut regnum in domo Davidis erigeretur; & rursus post 14 generationes circiter (nam parvum discrimen hic pro nullo habetur) regnum Judaicum in alium statum, videlicet in gravissimam captivitatem Babylonicam conversum fuit: videtur Euangelista indicare voluisse, quod nunc iterum, quoniam post Babylonicam captivitatem Christus decima quarta est generatio, nova rerum mutatio præsto sit, quodque credere debeant Judæi, vaticinia Prophetarum de ortu Christi jam eventu esse impleta.

PARS II.

SEquitur jam altera pars hujus capitis, in qua Euangelista recenset, quomodo conceptio & nativitas Christi facta sit, nempe unde & ex quo Maria fœtum suum in utero conceperit. Indicat enim Christum absque virili semine, sola virtute Spiritus Sancti in virgine conceptum, & à virgine in lucem editum esse. Ac de conceptione quidem paulo agit prolixius usque ad finem versus 24. Alterum autem de Christo è virgine nato, paucissimis verbis ℣. 25 innuit.

Vers. 18. *Jesu autem Christi generatio sic se habuit.*] Verba hæc continent summam seu argumentum eorum, quæ ab hoc versu ad calcem usque capitis narrantur. In generatione enim simul conceptio includitur. Errant proinde, qui hæc verba conclusionem esse præcedentis genealogiæ Christi statuunt.

Desponsata enim Maria matre ejus Joseph.] Vocula *enim* est superflua, quemadmodum etiam Luc. 12. 58 & alibi, aut sumi potest pro *nimirum*. Quasi dictum sit: Ita se habuit conceptio & nativitas Jesu Christi; nempe, cum mater ejus Josepho esset desponsata &c. Hoc autem versiculo totum conceptionis Christi negotium, compendio refertur, & quidem sic, ut nihil supervacue dicatur, sed omnia verba singularem vim atque emphasin habeant. Primum narratur, Mariam Josepho jam desponsatam fuisse, antequam reperta esset gravida. Fuit enim jam desponsata, cum nuncium de Christo concipiendo ab Angelo acciperet, adeoque antequam prægnans esset Luc. 1. 27. Quod etsi Matthæus hic clare non exprimat, subintelligi tamen vult. Non est autem id absque peculiari causa factum: nimirum ut tanto verius dici posset, Christum Josephi, atque sic Davidis filium esse; quippe qui jam tum, cum illa uxor ejus esset, non solum ex illa natus, sed etiam in illa conceptus fuerit. Etenim secundum Legem sponsa protinus pro uxore sponsi, & hic pro illius marito habebatur. Inde est, quod & Josephus infra ℣. 19, 20, etiam ante nuptias Mariæ, vir. & illa hujus uxor appelletur. Præterea & vitæ & famæ virginis hac ratione consultum est: quandoquidem Dei monitu postea factum est, ut eam Josephus domum duceret, & pro sua conjuge agnosceret.

Antequam convenirent.] His verbis virginitas Mariæ asseritur ac defenditur, causaque conceptionis ejus vulgo credita, quod scilicet ex Josepho imprænata fuerit, ab illa removetur. Reperta enim est prægnans, antequam illi convenirent. Quid vox συνελθεῖν *convenire* hoc loco denotet, non eadem est interpretum sententia. Non pauci doctorum virorum ea significari putant solam in ædes sponsi deductionem; quasi dicere voluisset Euangelista: antequam eam Josephus ad se in domum reciperet, eique cohabitaret, Hieronymus autem vocem hanc conveniendi denotare censet nihil aliud, quam rem matrimonii exercere. Quem sensum Erasmus & Piscator quoque calculo suo comprobant, estque revera priori præferendus. Non quod verbum συνελθεῖν id proprie significet, (generaliter enim omnem conventionem quacunque de causa factam significat) sed quia res ipsa hunc sensum exigit, uti mox intelligetur. Sic Euangelista honesto vocabulo indicare voluit id, quod propria voce elatum honestas læsisset aures. Idem vocabulum eodem significatu accipitur 1 Cor. 7. 5, ubi Apostolus conjugatis præcipit, ut postquam ex consensu ad tempus concubitu abstinuerint ad vacandum jejunio & orationi, iterum conveniant, id est, debitum matrimonii alter alteri præstet. Eodem modo phrasis προσελθεῖν τῇ γυναικὶ, accedere ad conjugem, sæpiuscule in sacris Literis pro commercio connubiali sumitur Gen. 16. 2, 4. xxx. 3, 4. Deut. 22. 13 & alibi. Quod autem etiam res ipsa hunc sensum requirat, inde perspicitur, quod Matthæus indicare voluerit, Christum non è Josepho conceptum fuisse. Hoc vero non satis expressisset, si tantum dixisset, Mariam fuisse gravidam antequam à viro in domum deduceretur, & una cum illa habitaret. Potuisset enim aliquis suspicari, Josephum ante cum ea rem habuisse, quam eam in ædes suas deduceret. At si dicatur, illam gravidam repertam fuisse, antequam connubialiter commiscerentur, inde multo clarius intelligitur, virginitatem Mariæ à Josepho prorsus illæsam mansisse. Quod autem Angelus infra ℣. 20 Josepho mandat, ut Mariam conjugem suam ad se recipiat, & ℣. 24 dicitur, Josephum mandato

dato Angeli obſecutum, conjugem ſuam ad ſe recepiſſe, id oſtendit quidem, Mariam cum primum à Joſepho inventa eſt gravida, nondum in domum ejus deductam fuiſſe: ſed non probat, vocem *convenire* hoc loco de ductione in domum ſponſi omnino accipiendam eſſe. Quanquam nos non prorſus inficiamur, quod etiam ſic accipi poſſit: ſed volumus ſimul & præcipue ac proprie conventionem in unum thorum conjugalem hic intelligi, atque ad eam Matthæum maxime reſpexiſſe.

Argumentum, quod ex hoc loco olim Helvidius aliique deſumebant, ad probandum Joſephum & Mariam, poſt Chriſtum in lucem editum, poſtea conjugali congreſſu eſſe uſos, infra ad ℣. 25 expendemus. Erat autem apud Judæos recepta hæc laudabilis conſuetudo, quæ ab eis etiam ad Chriſtianos dimanavit, ut poſt deſponſationem ſponſa in ædibus parentum vel conſanguineorum ſuorum in gynæceo maneret, uſque ad diem nuptiarum, quo cum precibus & ſolenni benedictione feſtum connubiale celebrabatur. Ante quod tempus ſponſo ſponſam attingere nefas erat. Vide de hac re plura inferius cap. 25. 1. Quod vero tempus illud inter ſponſalia & nuptias intercedens attinet, de eo quidem affirmat Chryſoſtomus, quod ſponſa confeſtim poſt peractam deſponſationem à ſponſo ſit domum ducta; fortaſſis quia illius temporibus hic mos fuit Antiochiæ in uſu: ſed Judæorum hac de re eſt diſcors ſententia. Ideo ſtatuendum, non eodem modo ſemper factitatum eſſe, ſed prout commodum erat ſponſo vel ſponſæ, morem hunc variaſſe. Rebecca Iſaaco adducta fuit ante nuptias Gen. 24. 59, 61. Samſonis uxor autem manſit in patris ſui domo Judic. 15. 1. Quod vero Mariam ſpectat, ejus domuductio & nuptiæ non ſine ſingulari Dei providentia ad non exiguum tempus videntur eſſe dilatæ, ut interim uterus ejus notabiliter intumeſcere poſſet.

Reperta fuit gravida ex Spiritu Sancto.] Hoc eſt tertium, quod Matthæus hoc in loco obſervari vult: ubi ſimul miraculoſam Chriſti ex Spiritu Sancto conceptionem exprimit, & cauſam ac fundamentum eorum, quæ poſtea recenſet, indicat, nempe cur Joſephus maritus ejus voluerit occulte eam dimittere, ac porro quomodo ea occaſione res tota ipſi per Angelum fuerit patefacta. Neque vero Matthæus ſimpliciter dicit, eam fuiſſe gravidam, quod de fœmina ſtatim poſt conceptionem dici poteſt: ſed, *eam gravidam fuiſſe repertam*, id eſt, uteri ejus pondus adeo inſigniter jam tum creviſſe, ut eam gravidam eſſe facile agnoſci poſſet. Credibile enim eſt, concepiſſe Mariam non ita multo poſt, quam ab Angelo facta eſt de conceptione certior. Teſtis autem eſt Lucas cap. 1. 56, eam mox poſtea iviſſe viſitatum Eliſabetham, & trium menſium ſpatio apud eam permanſiſſe. Quo tempore uterus ei conſpicue poterat intumeſcere. Et ſi Joſephus tunc temporis habitavit Bethlehemi, plus adhuc elabi temporis poterat, antequam de illius Nazaretham reditu reſciret, ipſeque ſe eo ad nuptias conferret.

Ex Spiritu Sancto.] *Ex* pro *à* phraſis eſt Hebræa. Ut Matth. 15. 5 *Munus, quo ex me* (id eſt, à me) *juveris* Joh. 7. 22 *Circumciſio non eſt ex* (pro à) *Moſe, ſed ex* (id eſt, à) *patribus.* Vide etiam Joh. 8. 42. Rom. 11. 36. Chriſtus enim non eſt è Spiritu Sancto tanquam ex materia genitus, ſed à Spiritu Sancto tanquam cauſa efficiente, ſcilicet vi & efficacia ejus interveniente. Unde liquet, eos nullum hoc loco ex voce *ex* argumentum petere poſſe, qui contendunt, Chriſtum carnem ſuam non è Maria, ſed ex eſſentia Spiritus Sancti ſumpſiſſe, eumque non aliter per uterum Mariæ tranſiviſſe, quam per canalem. Quam opinionem Irenæus Philaſtro, & Tertullianus Valentinianis tribuit: & hodie non pauci Chriſtiani eandem amplectuntur. Quod Chriſtus carnem habuerit ex Maria, argumento eſt, id quod fructus uteri ejus vocetur Luc. 1. 42, quod carnis & ſanguinis factus ſit particeps Hebr. 2. 14, quod ex Patribus ſit ſecundum carnem Rom. 9. 5. De natura atque eſſentia Spiritus Sancti, quid ille proprie ſit, non eſt hujus loci multa verba facere. Satis eſt ſcire, Spiritum Sanctum eſſe *virtutem Dei* Luc. 1. 35. Actor. 1. 8, non eam quidem, quæ naturaliter Deo ineſt, atque ad eſſentiam ac naturam Dei pertinet, quæ abſque diviſione divinæ eſſentiæ ab eo promanare, hominibuſq; communicari nequit; ſed eſt ejuſmodi efficacia, quæ naturali Dei ſpiritui & efficaciæ ſimilis eſt, & ab ea originem ſuam trahit. Hac virtute & efficacia Deus ſolet excellentiſſimas res peragere; & pro diverſitate operationum diverſa quoque ſortitur nomina. Hinc dicitur ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & fortitudinis Eſai. xi. 2, ſpiritus charitatis & prudentiæ 2 Tim. 1. 7. Quando vero operatione ſua efficit, ut homines ſingulari ratione Deo conſecrentur, atque à vulgi turba ſegregentur, Spiritus Sanctus nuncupatur. Quamobrem Spiritus Sanctus paucis verbis ſic deſcribi poteſt, quod ſit virtus Dei, qua homines ſanctificantur. Non eſt autem hæc mens Euangeliſtæ, quod unicuique compertum fuerit, Mariam è Spiritu Sancto factam eſſe gravidam (cur enim Joſephus ſiniſtre de ea ſuſpicatus fuiſſet, ſi ſciviſſet, eam abſque omni culpa ſua, virtute divina gravidam eſſe effectam) Sed adjecit verba hæc *ex Spiritu Sancto* ideo, ut Lectorem rei ignarum ſtatim erudiat, occurratque omni ſuſpicioni ſiniſtræ, quæ de conceptione Chriſti in animo legentis ſuboriri poſſet. Craſſum errant errorem ii, inter quos eſt Theophylactus, Baſilius Magnus, Heinſius, & alii, qui exiſtimant, Joſephum non ſolum gravidam eſſe Mariam ſciviſſe, ſed etiam è Spiritu Sancto concepiſſe: atque idcirco voluiſſe eam occulte dimittere, quod timeret, Judæis nunquam perſuaſum iri, ut rem tam inſolitam ac inauditam crederent; ac porro videret, ſibi id magno dedecori ac contumeliæ apud honeſtati ſtudioſos homines fore, ſi uxorem retineret eam, quæ, quanquam injuſte, pro mœcha atque adultera ab omnibus hominibus haberetur, juxta vulgare Hebræorum proverbium: *Qui adulteram uxorem retinet, impius eſt ac ſtultus.* Verum hæc ſententia nulla ſe commendat veri ſpecie. Quis enim credat Joſephum, virum tam pium, cujus virtus hic ab Euangeliſta prædicatur, unquam in animum admiſiſſe ſuum hanc cogitationem, ut propter incredulitatem Judæorum & propter evitandam ignominiam, virginem tantarum virtutum, tamque Deo gratam deſerendo, ſciens ac prudens opprobrio afficeret; imo opus Dei, quod iſta admirabili conceptione intendebatur (etſi is quo id collimaret, tunc ignorabat) de-

deſtrueret, prolemque, quam Deus cælitus per eum domui Davidis inſerere geſtiebat, rejiceret, & tanquam ſpuriam repudiaret? Hæc ſane non juſtitia fuiſſet (quacunque tandem ſignificatione vox hæc ſumatur) ſed extrema juſtitia & impietas. Præterea Joſephus de conceptione ex Spiritu Sancto non ante ſcivit, quam ei id per ſomnium ab Angelo revelaretur: quod tum demum factum eſt, cum ille jam de divortio faciendo cogitaret. Angelus enim cauſam afferens, cur timere non debeat aſſumere Mariam uxorem ſuam, non dicit: Non id tibi in ignominiam vertet, etſi Judæi non ſint credituri, uxorem tuam è Spiritu Sancto concepiſſe; ſed ait: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Omnis vero cauſa, quæ alicui proponitur ad aliquid perſuadendum vel diſſuadendum, atque qua aliquis movetur ac perſuadetur, talis ſit oportet, ut antea fuerit ipſi ignota. Si quis dicat, Joſephum non per hanc allatam cauſam, quæ ipſi ignota non fuerit, ſed per Angeli auctoritatem atque mandatum adductum fuiſſe ad mutandum ſuum propoſitum; dicet id, cujus nullum in textu reperire eſt veſtigium, in quo ſola hæc jam indicata cauſa affertur, cur Joſephus ſuam uxorem dimittere non debeat. Certe ſi Joſephus jam ante de conceptione uxoris ſuæ ex Spiritu Sancto habuiſſet notitiam, & tamen ab ea ſe ſeparare voluiſſet, ab Angelo fuiſſet ob tam neſariam ac impiam intentionem uno ſaltem verbo objurgatus.

Cur Matthæus aliique Euangeliſtæ nullam generationis Chriſti ex eſſentia Dei, ut nec Incarnationis divinæ mentionem faciant, de eo vide Luc. 1. 35. Ubi etiam oſtenditur, Spiritum Sanctum, ſi is perſona eſſet, neceſſario Chriſti patrem fore.

Verſ. 19. *Joſephus autem vir ejus, juſtus exiſtens.*] Inuſitatam Chriſti conceptionem, quam modo deſcripſit Matthæus, confirmat hoc & ſequenti verſiculo. Tria autem demonſtrat. Primo Mariam non á Joſepho imprægnatam fuiſſe. Secundo eam ex Spiritu Sancto gravidam eſſe factam. Tertio, eam puram & tam à Joſepho, quam ab alio omni viro impollutam virginem, dum conciperet, fuiſſe. Quoad primum, id demonſtrat hocce verſiculo, indicans, Joſephum voluiſſe eam dimittere. Si enim ipſe ſibi conſcius fuiſſet, ſe authorem fœtus in ea concepti eſſe, qui fieri potuiſſet, ut ejus dimittendæ conſilium, ideo quod eam gravidam inveniſſet, caperet? Nullo modo probabile eſt, eum tanta fuiſſe impietate, omnique naturali erga uxorem ac ſobolem ſuam affectione vacuum, ut etſi proprie ac legitime ipſius eſſet, omnem tamen ejus curam prorſus abjiceret: Præſertim cum Judæus eſſet, qui magnæ felicitatis loco reputabant, quando Deus eis legitimos hæredes largiebatur. Celebratur quoque ejus juſtitia, id eſt, ut mox intelligemus, ejus bonitas & facilitas, ac miſericordia, quæ plerumque plures alias virtutes ſecum trahit, quæque eum ab omni tanti flagitii ſuſpicione purgat. Non enim minus id fuiſſet ſcelus, quam fuit Ammonis 2 Sam. 13 qui cum ſorori ſuæ Thamaræ vi illata vitium obtuliſſet, eam eſt protinus averſatus, domoque eam ſua ejecit. Dicere quiſpiam poſſet non leviter ſe ſuſpectum redidiſſe Joſephum eo ipſo, quod voluerit Mariam *occulte* dimittere. Si enim ſciviſſet, eam ab alio quam à ſe gravidam factam, palam ipſam ignominia affeciſſet, & ſecundum legis tenorem pœna plecti curaſſet. Sed cur Joſephus id non fecerit, cauſam hanc reddit Euangeliſta, *quod fuerit juſtus*, id eſt, quod probi & benigni animi fuerit, atque adeo ad miſerendum & condonandum pronus: indeque factum, quod noluerit ſummo jure cum ea agere, neque eam manifeſtæ ignominiæ exponere, ſed voluerit tacite ab ea ſe liberare. Crebro autem vox *juſtus* & *juſtitia* in Sacris Literis uſurpatur pro *benigno* & benignitate. Ut Pſal. 36. 11: *Protende benignitatem tuam ſuper eos qui te norunt, & juſtitiam tuam ſuper rectos animo.* Ubi *juſtitia* idem ſignificat, quod in præcedentibus verbis benignitas. Apud Hebræos enim familiare eſt, maxime in Pſalmis & precibus, ut eandem rem aliis verbis, quæ idem ſignificant, repetant. Vide Gen. 49. 6, 7. Exod. 15. 2, 13, 16. Prov. 1. 26, 27: ij 4. Eſai. 5. 22. Sic etiam Pſal. 51. 16: *Libera me de ſanguinibus, Deus Deus ſalutis meæ! ut lingua mea cantet juſtitiam tuam* (id eſt, tuam benignitatem, quam hac in parte mihi exhibebis:) Item 1 Joh. 1. 9. *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus,* (id eſt, benignus) *ut remittat nobis peccata.* Vide etiam Pſal. 71. 1, 2. cxliij. 1, 2. cxlv. 7, 8, 17. Poſſent quidem verba iſta ὢν δίκαιος ὢν, *juſtus exiſtens* etiam adverſative ſumi, quaſi diceret Matthæus: Etſi fuerit juſtus, id eſt, probus ac benignus vir, ut eam nollet palam objicere ignominiæ, tamen clam voluit eam dimittere. Sed prior ſenſus huic eſt præferendus. Hoc modo enim non tam clare indicaretur cauſa, cur eam potius clam dimittere, quam palam ignominia afficere maluerit, nec ſuperiori objectioni occurreretur: ſed ſimplex tantum eſſet narratio, quod Joſephus quidem juſtus ac benignus fuerit, dum noluit ſtricto jure cum ea procedere, cæterum non fuerit tam benignus, ut hunc lapſum ei prorſus condonaret, ſed ad minimum occulte voluerit ab ea ſeparari. Multo minus* eorum expoſitio poteſt conſiſtere, qui vocem *juſtus* in alia accipiunt ſignificatione, quaſi dicere voluiſſet Matthæus: Tametſi Joſephus vir juſtus eſſet, ejuſque juſtitia omnino requireret, ut illa ad pœnam traheretur, noluit tamen id facere, ſed ab ea voluit clam ſecedere. Præterquam enim, quod vox *juſtitiæ* nunquam in ſacra ſcriptura vel de Deo, vel de hominibus tali ſignificatu uſurpetur, ut ejus vi quiſpiam jus ſuum perſequi teneatur, quemadmodum id alibi demonſtrabitur: Joſephus ſecundum hanc expoſitionem non fuiſſet juſtus, ſed injuſtus vir; ut qui ex amore erga conjugem ſuam, & ex intempeſtiva benignitate neglexerit juſtitiam, pœnamque quam Lex ſine miſericordia irrogari jubebat, remiſerit: cum tamen is hoc loco potiſſimum juſtitiæ nomine celebretur. Quin & abſurde nimis Matthæus locutus fuiſſet, partim natura ſua diſjuncta conjungendo, partim conſentanea diſjungendo & opponendo. Prius patet, quia ex iſtorum hominum ſententia ſic loqui cenſendus eſſet Matthæus: Joſephus autem vir ejus, etſi *juſtus* eſſet, id eſt, (ut eorum fert opinio) rigidus maleficii ultor, qui crimen ſtatueret omnino pœna dignum eſſe, & nollet eam palam ignominiæ exponere, exemplumque in ea ſtatuere, voluit tamen eam occulte dimittere. Ubi perſpicuum eſt, quod hoc ſenſu con-

jungantur ea, quæ & natura ſua & horum opinione ſimul ſtare nequeunt, nempe juſtum eſſe, ſeu rigidum ac ſeverum exactorum ſupplicii, & nolle exemplum in ea ſtatuere, quam ſupplicium omnino commeruiſſe credebat. Poſterius liquet, quia duo iſta, juſtum eſſe & uxorem dimittere, inter ſe oppoſuiſſet, quæ tamen ex parte poſſunt optime ſimul conſiſtere. Suam enim juſtitiam (id eſt, vindictæ ſtudium ac cupiditatum puniendi) in eo aliquatenus demonſtraſſet, quod eam, quam ream criminis putabat, repudiare atque à ſe removere voluerit. Ex his cernitur, ex horum hominum ſententia Matthæum non eo, quo verba textus ſonant, modo loqui debuiſſe, ſed hoc potius: Joſephus autem vir ejus, etſi juſtus eſſet, voluit tamen exemplum in ea ſtatuere. Quæ ſane abſurda locutio foret. Præterea ſi vox *juſtus* hoc ſignificatu, quo iſti volunt, accipienda eſſet, ante memorata objectio magis adhuc confirmaretur, non refutaretur. Multo enim magis dici potuiſſet; quandoquidem Joſephus ita ſe geſſit in hoc negotio, ut etiam leges juſtitiæ tranſgrederetur, dum Mariam merito ſupplicio affici noluit, ſed ab ea voluit clam diſcedere, apparet, eum ſibi conſcium, quod fœtus iſtius cauſa eſſet, fuiſſe.

Liquet etiam hinc, nec * illorum ſententiam admittendam eſſe, qui ſentiunt Joſephi juſtitiam in eo prædicari, quod tantus zelator patriarum conſuetudinum ac traditionum fuerit, nempe dum adulteram in matrimonio habere noluit, quia id moris non erat inter Judæos, qui honeſtatis aliquam habebant rationem, & turpe ducebatur. Nam uti modo intelleximus, juſtitia ejus eo nomine celebratur, quod eam noluerit palam ignominia afficere, ſed clam eam dimittere. Unde ſequitur, illum, ſi palam eam ignominia notaſſet, nequaquam juſtum, ſeu probum ac bonum virum futurum fuiſſe. At juxta alteram ſententiam nihilominus juſtus fuiſſet, id eſt, zelator laudabilium conſuetudinum ac traditionum patriarum, etſi eam adulterii ream publice peregiſſet, atque accuſaſſet.

Et nolens eam publica ignominia afficere.] Græca vox παραδειγματίσαι ſignificat proprie *exemplum facere*, vel *exemplum ſtatuere*, vel ita aliquem tractare, ut aliis exemplo ſit: quod fit, quando quis publicæ pœnæ ſubjicitur. Atque in hac ſignificatione Veteres Græci hac voce uſi ſunt. At apud recentiores Græcos idem plerumque valet hæc vox, quod *ignominia afficere*: ut Hebr. 6. 6. Huic loco utraque ſignificatio convenit: Joſephus enim non tantum eam noluit ad judicium publice citare, ubi juxta legem Deut. 22. 21, 25 non aliud quam lapidationis decretum eam manebat; ſed nec ulla alia ratione dedecus & ignominiam ei conciliare voluit; quin potius dedit operam, ut ſine noxa tum vitæ, tum famæ ejus ab ea fieret liber.

Voluit occulte dimittere eam.] Vera cauſa, ob quam Joſephus Mariam occulte dimittere voluit, hæc erat, quod ſuſpicaretur eam ab alio compreſſam eſſe, ſive ipſa conſentiente, ſive per vim. Quæ cauſa verbis illis Angeli confirmatur, qui ℣. 20 inquit ad Joſephum: *Ne time Mariam conjugem tuam aſſumere: quod enim in ea natum eſt, ex Spiritu Sancto eſt.* Qua de re poſtea. Neque eſt ullo modo amplectenda ſententia * eorum, qui Joſephum cenſent ideo voluiſſe divortium cum Maria facere, quod ſciret eam ex Spiritu Sancto gravidam factam eſſe, ac proinde ſe indignum judicarit poſt Spiritum Sanctum habere cum ea commercium. Eo fere modo, quo Petrus dixit Chriſto: *Domine exi à me, quia homo peccator ſum* Luc. 5. 8, & centurio ille: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum* Matth. 8. 8. Sed nec illi opinioni, quæ Pſeudo-Chryſoſtomo adſcribitur, dandus eſt locus, quod Joſephus ignoraverit quidem Mariam è Spiritu Sancto concepiſſe, ſed cum & ſe hac in re culpa vacare probe noſſet, nec aliam imprægnationis ejus cauſam comminiſci poſſet (nam de eo quod cum aliquo homine rem habuerit, cum ne ſuſpicatum quidem eſſe) tandem animi incertus, quid ea de re ſentire deberet, ſtatuerit eam occulte repudiare. Neque enim Joſephus tam ſimplex ac hebes fuiſſe putandus eſt, ut cum de conceptione ex Spiritu Sancto nihil ſciverit, credere aut cogitare potuerit, aliter quam per adulterium (ſive accellerit ejus conſenſus, ſive non) id fieri potuiſſe.

Occulte.] Eſt in quæſtione, quomodo Joſephus voluerit Mariam *occulte* dimittere? Maldonatus exiſtimat, cum voluiſſe ultro ab ea diſcedere in aliam regionem, virginemque prætextu gravium negotiorum deſerere, neque ad eam reverti, ne videretur eam ob vitium aliquod illius repudiaſſe. Verum hæc opinio non eſt probabilis. Primum enim actio talis prorſus fuiſſet inuſitata, & contra morem receptum: non eſt autem credibile, Joſephum voluiſſe aliquid communi conſuetudini contrarium hac in re facere. Deinde fuiſſet contra Legem, quam illum non ſui ſed alius perſonæ cauſa tranſgredi voluiſſe, vetat credere teſtimonium virtutis ejus, ab Euangeliſta ipſi perhibitum. Non licebat autem ſecundum Legem cuiquam, niſi dato legitime libello repudii, uxorem dimittere. Vide Deut. 24. 1 & Matth. 5. 31. E quo poſtremo loco Matthæi, quemadmodum & ex Matth. 19. 3, 7, 8, 9, (cum quo confer Marc. 10. 2 & ſeqq. Luc. 16. 18) patet, Maldonatum nullum ſententiæ ſuæ præſidium petere poſſe à voce ἀπολῦσαι, *dimittere* (proprie *ſolvere*) quaſi dimiſſio iſta alia ratione quam per libellum repudii fieri potuerit. In allegatis enim locis eadem vox de legitimis divortiis uſurpatur. Quare omnino ſtatuendum eſt, Joſephum ex conſueto more, exq; Legis ſententia voluiſſe Mariam, dato repudii libello dimittere. Neque in voce *occulte* ulla vis eſt, quæ Maldonati opinionem juvet. Vox enim iſta opponitur hic verbo παραδειγματίσαι, *publica ignominia notare*, vel *exemplum facere*, quod publicum ac manifeſtum eſſet. Etſi enim qui tanti facinoris coram judicio accuſabantur ac convincebantur, ſecundum Legem ſupplicio multarentur: nemo tamen per Legem obſtringebatur adulteram accuſare, ſed poterat divortium cum ea facere, vera cauſa ſuppreſſa. Permiſſum ſiquidem ſub Lege erat, quamvis ob cauſam uxorem repudiare, ſufficiebatque, ſi maritus diceret, uxorem ſibi non placere. De quo vide plura inferius cap. 5. 30. Imo non erat quoque maritus per Legem obligatus, ut dimitteret uxorem, etſi ſciret eam adulteram eſſe, ſed licuit ei, ſi vellet, eam retinere. Cu-

* Seldenus.

* Origen. Berhard. Hieronym.

jus

Cujus contrariam permulti è Veteribus Eccleſiæ Doctoribus tenuere ſententiam: unde id deinceps per decreta Eccleſiæ interdictum eſt. Vide de eo amplius Joh. 8. 7. Ex hiſce clarum eſt, divortium inter Joſephum & Mariam non tam occulte ac clam fieri potuiſſe, ut nemo de eo ſciret (tam enim divortia quam deſponſationes, & apud Judæos & apud Romanos; adhibitis arbitris ac teſtibus debebant fieri) ſed eum non indicata vera cauſa libellum repudii à Judice poſcere voluiſſe.

Habemus autem hic in Joſepho inſigne exemplum maximæ lenitatis, & quodammodo effigiem vivam manſueti ac mitis hominis, qui læſum ſe putans, non illico ira efferbuit, non cum tumultu ad Magiſtratum provolavit, non omnes plateas clamore ac querimoniis implevit, aut vindictam rigido jure flagitavit; ſed ægritudinem animi ſui tacitus concoxit, omniaque Deo commiſit. Nimirum in medio Judaiſmo quaſi Chriſtianum egit, à cujus animo omnis vindictæ cupiditas procul exulare debet Rom. 12. 19. Cui ne quidem per Magiſtratum talionem quærere integrum eſt: uti infra cap. 5. 39, 40, 41 pluribus demonſtrabitur. Credibile quoque eſt, quod Virginis optime noti mores ac virtutes, animum ejus ad mitiora conſilia flexerint, ut ſibi perſuaderet, ipſi invitæ forte vitium eſſe ab aliquo per vim oblatum. Amant enim proba ingenia omnia in meliorem partem interpretari, & molliorem de rebus ferre ſententiam. Contra vero malignorum & vindicta gaudentium eſt, omnia in ſiniſtram ac deteriorem partem trahere.

Hoc exemplo Joſephi etiam illa refellitur opinio, quæ inter Chriſtianos hodie obtinet, quod ſcilicet *juſtitia* omnino exigat, ut de delinquentibus pœna ſumatur, eique contraria ſit *miſericordia*, quæ peccatis veniam dare jubet. Atqui miſericordia non minus virtus eſt, quam juſtitia. Virtutes autem non ſunt invicem contrariæ; ſed inter ſe amice conſpirant. Nam & juſtitia debet eſſe miſericors, & miſericordia juſta. Ideo enim, quia Joſephus juſtus erat, non poterat ſtricto jure cum Maria agere, ſed mitiori via, quàm ex Lege didicerat, procedere maluit.

Verſ. 20. *Hæc autem illo cogitante, ecce apparuit ipſi Angelus Domini per ſomnium.*] Jam ſequitur alterum, quod Matthæus demonſtrandum ſibi ſumſit, quod Maria è Spiritu Sancto conceperit. Id autem probat teſtimonio Angeli, qui hoc ſecretum Joſepho patefecit. Deſcriptio vero hujus patefactionis quatuor partes in ſe complectitur. 1. Quando? 2. à quo? 3. quomodo? 4. quid patefactum ſit?

Prima pars his verbis comprehenditur, *Hæc autem illo cogitante.* Græcum verbum ἐνθυμέομαι ſignificat aliquid *in animo ſuo huc illuc volvere* ac verſare, ut Act. 10. 19. Hic autem apparet, Joſephum quidem diverſis cogitationibus fuiſſe diſtractum, & rem quam habebat præ manibus, varie agitaſſe, ſed ita tamen, ut ad divortium plane inclinaret, jamque firmum de eo faceret decretum. Tum demum advenit Angelus, cumque ex inquietarum cogitationem caligine evolvit. Ita Deus cum ſuis agere aſſolet, ut auxilium differat, donec periculum ad ſummum gradum veniat, eo ſcilicet fine, ut liberationis beneficium tanto miraculoſius, & liberatis tanto gratius lætiuſque ſit. Simile exemplum habemus in Petro Apoſtolo, quem Deus non ante liberavit è vinculis, quam cum jam jam ad necem eſſet ducendus Act. 12. 6.

Non defuit etiam hic peculiaris cauſa, ob quam Deus Joſephum non ante voluit ex zelotypiis cogitationibus educere, virgineſque innocentiam in lucem producere, quam fixum ſedilſet animo divortii conſilium. Nempe ut poſtea re patefacta, quod illa ante ductionem in domum gravida fuerit, tanto apertius conſtaret, Mariam neque ex ipſo concepiſſe (cur enim alioqui male ſuſpicatus fuiſſet?) neque ex alio viro. Cur enim ille alias tam repente animum mutaſſet ſuum, & gravidam aſſumpſiſſet, ac tanquam caſtam dilexiſſet? Id certe nec zelotypia ejus, nec virtus ac pietas permiſiſſet, quam paulo ante Matthæus, tanquam cunctis notam commemoravit, quæque facile efficere potuit, ut apud homines, quibus rem hanc narraret, fidem inveniret. Præterea vix fieri potuiſſe credendum eſt, quin ex verbis, factis, geſtibuſque ejus omnibus eluceret, aliter cum antea de uxore ſua ſenſiſſe, quam nunc, poſtquam eam domum deducere ſtatuit, tametſi forte animi ægritudinem antea quammaxime conatus fuerit celare. Ita res ipſa & exitus rei facile tum ipſius tum Virginis Mariæ dictis, de miraculoſa Chriſti conceptione, fidem facere potuit.

Ex eo quod Euangeliſta ſimpliciter dicit, Joſephum de divortio cogitaſſe, liquet, eum neminem hujus rei conſcium feciſſe. Quod arguit ejus ſummam taciturnitatem ac prudentiam. Eſt quidem ingens levamen mœrenti, ſi queat in ſinum fidelis amici ſuum dolorem deponere: non raro enim ibi invenit ſolatium, quod animus mœrore præpeditus ſuppeditare nequit. At experientia docet, in rebus gravioribus, quæ premi ſilentio atque celari volumus, ne intimis quidem amicis fidendum eſſe. Quiſque enim habet alium amicum, & hic rurſus alium, cui ſecretum concredat; atque ſic tandem ſecretum fit non ſecretum, ſed divulgatus rumor. Tritum eſt illud, ſed prudentiſſimum proverbium, quod anima conſiliorum ſit taciturnitas.

Ecce apparuit ipſi Angelus per ſomnium.] Hic exprimitur altera pars, à quo ſit Joſepho facta revelatio. Non immerito autem hic primum quæritur, cur Maria virgo non ipſa Joſepho indicarit ea quæ ab Angelo conceptionem annunciante acceperat? Cur non eum tantæ lætitiæ ac felicitatis participem fecerit? Eccur tam diu ſilentium tenuit, donec Angelus de cælo ad eum mitteretur, ut ab illo demum tam grande arcanum diſceret? Cur tam diu eum in fermento jacere, & ſuſpicionibus de violata pudicitia ſua indulgere paſſa eſt? Quod enim aliqui exiſtimant, Virginem ipſi omnia indicaſſe, ſed illum dictis ejus nullam adhibuiſſe fidem, id nullum habet fundamentum. Nam nec Matthæus id penitus reticuiſſet; ſed & Angelus hic neutiquam ad narrationem Mariæ provocat, verum de admirabili conceptione ex Spiritu Sancto ita loquitur, quaſi rem Joſepho prorſus ignotam proferret. Alii ad hanc quæſtionem reſpondent, quod Maria viro ſuo rem non indicarit ea de cauſa, quod ſe deſperaret apud eum fidem inventuram: ideoque rem miraculoſam etiam miraculoſo modo revelari ac confirmari oportuiſſe.

Verum

Verum hæc ratio non evincit, Mariæ officium non fuiſſe rem hanc marito patefacere, quæ non minus ad illum quam ad ipſam ſpectabat; ſed monſtrat tantum divina revelatione opus fuiſſe ad rem Joſepho perſuadendam. Quæſtio interim, cur Maria virum in tanti arcani conſcientiam non admiſerit, manet intacta. Si ex Scriptura probari poſſet, Deum prohibuiſſe Mariæ, ne marito ea de re quicquam diceret, res confecta eſſet. At Scriptura non modo de eo tacet, ſed etiam nulla fuit tam gravis cauſa, ob quam Deus id ipſi miraculoſe prohibere vellet. Eorum vero non abſurda eſt conjectura, qui verecundia virginis id factum putant, quod nova ſponſa, cum ſponſo nondum ſibi familiari, de ſua imprægnatione verba facere non fuerit auſa, præſertim ita ut ipſa prior & ultro de eo ſermonem ordiretur. Credibile eſt proinde, eam initio ab Angelo certiorem de conceptione factam Luc. 1. 35, antequam ad Eliſabetham iret, ideo nullum hac de re marito feciſſe indicium, quod præſens non eſſet, ultro autem domum ejus adire, virginem haud decuerit. Poſtmodum autem cum ab Eliſabetha rediiſſet, & jam ſatis manifeſta eſſent graviditatis ejus indicia, fieri potuit, ut expectarit, donec maritus ipſe loquendi de eo anſam præberet. Illo vero tacente, ipſi quoque pudor virgineus labia compreſſit. Quamvis autem credendum non ſit, Deum Mariæ imperaſſe ſilentium, non tamen ſine Dei conſilio ſpeciali evenit, quod illa tam alte rem texerit. Deus enim Joſephum ob ſupra indicatas cauſas ad ultimum divortii decretum devenire voluit: id quod factum non fuiſſet, ac porro quod Deus intendit, non veniſſet, ſi ipſi virgo rem narraſſet, & ille narranti credidiſſet. Saltem ipſi probe perſpecta virginis ſimplicitas non paſſa fuiſſet credere, eam rem tam incredibilem ac inauditam (nempe quod è Spiritu Sancto gravida ſit facta) fingere, ac viro cordato perſuadere auſuram, quam vix callidiſſimus aliquis homo, qui mendacia mendaciis ſine fronte ac intrepide pertegere novit, probabilem reddere poſſet. Itaque hac Mariæ narratione, ſi non plane fuiſſet perſuaſus, ad minimum in eam adductus fuiſſet dubitationem, ut decretum de divortio adhuc ſuſpendiſſet, & rei exitum amplius exſpectaſſet. Qua ratione tandem facile fieri potuiſſet, ut pariendi tempus ante adeſſet, quam virgo in Joſephi domum eſſet deducta.

Jam ut ad eum veniamus, per quem revelatio Joſepho facta ſit, is fuit Angelus. Nomen ἄγγελος, *angelus*, deſignat proprie nuntium ſeu legatum: eſtque pluribus commune. Uſitatiſſima autem ſignificatione hoc nomine appellantur cœleſtes illi Spiritus, quos Deus ad gloriam ſuam & ad ſervitia ſua creavit. E quorum præcipuis unus cum ingenti agmine Deo rebellavit, atque idcirco catenis caliginis conſtrictus eſt 2 Pet. 2. 4. Jud. ℣. 6. Officium vero Angelorum eſt primo Deum laudibus celebrare: cujus rei imaginem quandam habemus deſcriptam Eſai. 6. 3. Deinde Dei mandata exequi, quando in mundum mittuntur, vel ad annunciandum aliquid hominibus, ut Zachariæ Luc. 1. 11, Virgini Mariæ Luc. 1. 26, & hoc loco Joſepho: vel ad defendendum pios, eoſque è diſcrimine eripiendum, ut Lothum Gen. 19. 16, 17, vel ad puniendum malos, ut Ægyptios Exod. 12. 29, & Aſſyrios 2 Reg. 19. 35, vel ad alia opera Dei nomine peragenda. Sed hac de re non eſt copioſius hic agendi locus. Appellat autem Matthæus hunc Angelum, qui Joſepho apparuit, *Angelum Domini*: ut intelligatur, non malum fuiſſe Angelum. Quod etiam inde colligitur, quod ille occultiſſimas Joſephi cogitationes ac conſilia habuerit cognita; quam cognitionem Deus malis geniis communicare non ſolet.

Sequitur tertium, quomodo Joſepho facta ſit revelatio? Id innuit Matthæus primo vocula *Ecce*: oſtendens, id improviſo ac præter omnem ejus ſpem atq; exſpectationem accidiſſe: ita ut Joſephus nihil minus quam hoc futurum eſſe cogitaret. Sic nimirum inſperato ſolet Deus ſuis ſubvenire. Dein ait, id factum κατ' ὄναρ, *per ſomnium*. Abſque dubio Joſephus rem, quæ cruciabat animum ejus, noctu, ut moris eſt, apud ſe coquebat, & forte tunc dormiebat, cum jam ſtetiſſet ſententia, uxorem quam primum dimittere. Quocirca opportune ac tempori Deus adeſt, curamque ac ſolicitudinem ei eximit, antequam ſurgeret, conſiliumque ſuum executioni mandaret.

Obſervant non abſurde Hebræi, Deum quadrifariam voluntatem ſuam aut futura hominibus revelare. 1. Per apparitiones interdiu. 2. Per viſiones nocturnas, ſive per ſomnium. 3. Per vocem clare ſonantem. 4. Per occultam inſpirationem & inſtinctum Spiritus Sancti. De quo alibi plura.

Fuit igitur & hoc Joſephi ſomnium profeticum ſomnium: quæ ſomnia ita comparata ſunt, ut animum plane percellant, omnemque de eo, quod à Deo ſint, dubitationem adimant.

Recenſent autem * docti quinque ſpecies Propheticorum ſomniorum. Primùm, quando dormienti certæ imagines ac figuræ, myſticum ſenſum habentes, per quietem proponuntur: qualia ſomnia fuerunt, quæ apud Prophetas, Ezechielem, Danielem, Zachariam, & in Apocalypſi Johannis leguntur. Secundo, quando ſomnianti revelatur quippiam ſine figuris & imaginibus, clare & aperte, ita tamen, ut is à quo venit revelatio, non videatur, neque appareat. Talis revelatio facta fuit Samueli 1 Sam. 3. 3, 7, & Petro in carcere Act. 12. 8, 9. Tertio, quando revelans in ſpecie alicujus viri vel juvenis loquitur, ita ut vocem dormiens in ſomnio exaudiat, agnoſcatque loquentem, ac verba ejus diſtincte percipiat. Talis revelatio fuit illa Ezech. 40. 4. Quarto, quando Angelus in ſomnio hominem alloquitur, iſque eum audit ac intelligit. Qualis revelatio Jacobo facta eſt Gen. 31. 10, 11, hicque modus revelandi eſt uſitatiſſimus, contigitque ferme omnibus Prophetis. Hoc autem inter hanc & proxime præcedentem revelationem intereſt, & hac in re eſt perfectior, quod in hac clare cernatur, eum qui revelat, eſſe Angelum; in illa autem apparet is duntaxat in figura alicujus hominis vel viri: quanquam proprie loquendo vir iſte nihil aliud ſit quam Angelus. Quinto, quando, qui revelat, ita in ſomnio apparet, ut ſomnians videatur ſibi Deum ipſum audire ſecum loquentem. Quo referri poſſet illa revelatio Eſaiæ facta cap. 6. 1, & Michæ 1 Reg. 22. 19, ſi additum fuiſſet, revelationem iſtam in ſomnio eſſe factam.

Hic oritur quæſtio; quo pacto cognoſci poſſit,

* Epiſcopius Tom. 1. pag. 25.

eum

eum qui in ſomnio apparet, Angelum eſſe? Ad quam quæſtionem reſponderi poteſt, quod ſicut Satanas ſeu malus Angelus nunquam hominibus apparere ſolet, quin ſimul appareat ſignum aliquod, vel talis ſit figura ejus, vel talium rerum annuntiatio, aut poſtulatum ejus, è quibus cognoſci queat, eas bono Dei Angelo haud convenire: ita etiam Angeli cœleſtes certis ſignis dignoſci ab hominibus poſſunt. Legimus enim in Scriptura, Angelos ſæpius agnitos ex auguſta ſpecie, & cœleſti fulgore, quo fuere circumdati. Vide Dan. 10. 5, 6. Matth. 28. 3. Luc. 2. 9. Act. 12. 7. Aliquando etiam ipſi teſtantur, ſe Angelos Dei eſſe, nunquam tamen abſque peculiari nota, quæ verbis eorum fidem faciat. Sic Gabriel ſe Zachariæ indicavit Luc. 1. 19, fidemque dictis ſuis mox conciliavit, cum effecit, ut Zacharias fidem verbis ejus denegans obmuteſceret. Quod certe ex tali cauſa in homine tam pio malus genius efficere non poſſet. Eodem modo hic quoque Angelus Joſepho, ſe verum Angelum eſſe, comprobavit, dum, ut ſupra jam notatum, abditiſſimas cordis ejus cogitationes, quarum nullum adhuc mortalium conſcium fecerat, ſibi notas eſſe oſtendit: quod ſine divina virtute, quam Deus atris ſpiritibus non largitur, fieri non potuit. Sciendum vero, cum hodie ceſſarint miracula, ut fidei tanto major locus eſſet, non amplius nunc Prophetica ejuſmodi ſomnia contingere: & ſi contingat, ut verum ſomnium ex eventu appareat, potius id fit naturalibus cauſis, quam divina inſpiratione. Quanquam etiam interdum Dei providentia ac directio naturalibus ejuſmodi cauſis ſe immiſcet. Quare qui hodie plurimum in ſomniis ponunt, inſigniter vani ſunt. Satanas, qui Dei operum imitator eſſe ſolet, ſi videat homines minis credulos ac vanitati deditos, gaudet eos falſis ſomniis deludere. Belle proinde monet Syrachus de ſomniis cap. 34. 1, 2 & ſeqq.

Porro quæritur: Cur Deus rem hanc per ſomnium & non vigilanti Joſepho, ſicut Mariæ Virgini factum, annunciari curavit? Ejus rei hæc poteſt eſſe cauſa, quod hic, ubi Virgo Maria ſponſa quaſi Dei futura erat, omnino fides ac conſenſus ejus requirebatur, quem dormiens præbere non potuit (quemadmodum & Zachariæ fides requiſita fuit, cum ei Angelus conceptionem Eliſabethæ prædiceret) & quia ipſius intererat ſcire, qualem fœtum in utero geſtatura eſſet, ideo vigilanti & ratione clare utenti res ab Angelo proponi debuit. Joſephus autem, qui jam uteri Mariæ tumorem deprehenderat, dubiuſque, unde ille eſſet, hærebat, facilius induci potuit ad credendum, quod ejus auctor & cauſa Spiritus Sanctus extiterit, poſtquam ad bene notas Virginis virtutes ac pietatem qualiſcunque divina acceſſit revelatio. Quod enim jam factum eſt, facilius creditur, id divina virtute fieri potuiſſe, quam fieri poſſe, quod nondum factum eſt. Neque multum referebat, vigilans an dormiens Joſephus Angelum videret, dummodo certo ipſi conſtaret, vere Angelum fuiſſe: quod ille partim ex ante memoratis ſignis, partim ex eo ſcire poterat, quod eadem prorſus, quæ ab Angelo per quietem audiverat, vigilans deinceps ex ore Virginis Mariæ acceperit.

Dicens, Joſephe fili Davidis.] Jam indicatur quartum & ultimum, quid Angelus Joſepho revelarit. Ubi tria occurrunt notatu digna. Primò inſignis titulus, quem Angelus Joſepho tribuit. Deinceps, quomodo ipſi anxias ac perplexas cogitationes eximat. Denique quomodo ei futurâ quædam prænuntiet. Titulus talis eſt, *Joſephe, fili Davidis.* In Græco eſt, Ἰωσὴφ υἱὸς Δαυείδ, (per Enallagen nominativi pro vocativo, ὁ υἱὸς pro ὦ υἱὲ, uti Marc. 15. 34. Hebr. 1. 8, 9.) Tacite autem Angelus indicat, hoc titulo, à regiâ Davidis ſtirpe petito, eum qui de conjuge ejus proditurus erat, Davidis filium fore, illum ſcilicet, qui Davidi promiſſus erat, ut adeò mirari non deberet, quod circa ejus conceptionem inſoliti quippiam ac inuſitati contingeret, quandoquidem etiam hic conjugis ejus partus plane ſingularis & inuſitatus futurus eſſet.

Ne metue accipere Mariam uxorem tuam.] His verbis Angelus eximit Joſepho ſtupenti ac confuſo anxias ejus cogitationes. Ioſephus enim ſupra modum diſcruciabatur animo, inopſque erat conſilii, reciperene in domum ſuam Mariam deberet, eique cohabitare, an illam dato repudii libello dimittere?

Ne metue.] Id eſt, noli abhorrere, ne dubita, mitte omnem malam ſuſpicionem.

Mariam uxorem tuam.] Appellat Mariam Joſephi uxorem, quo confirmatur id, quod ſupra verſ. 16 & 19 indicatum eſt, nempe quod deſponſatæ fœminæ etiam ante nuptias ſponſorum ſuorum uxores ſint.

Errant autem vehementer, qui verba hæc ita exponunt, quaſi dicat Angelus: Ne metue Mariam pro uxore accipere; quaſi ipſa nondum ejus uxor fuerit. In Græco enim eſt, τὴν γυναῖκά σου, ad verbum, illam uxorem tuam. Oporteret autem ex Græcæ linguæ conſuetudine utramque vocem *illam* & *tuam* abeſſe, ſi is verborum iſtorum ſenſus eſſe deberet, quem hi volunt. Præterea jam ſupra oſtenſum eſt, Mariam revera Joſephi conjugem fuiſſe, ut nequaquam monitu Angeli ea in re, ut eam in uxorem acciperet, indiguerit. Sed quia Joſephus eam nondum domum duxerat, & an id faceret, dubitabat, ideò, ut id faceret, ab Angelo admonitus eſt. Quia vero cauſa dubitationis ejus erat, quod ſuſpicaretur violatam eſſe ejus virginitatem, idcirco Angelus hanc ſiniſtram ſuſpicionem ei eximit, mandatque ut ſine omni hæſitatione uxorem ſuam ad ſe recipiat.

Nam quod in ea genitum eſt, ex Spiritu Sancto eſt.] Hic cauſam affert Angelus, cur Joſephus dubitare non debeat, Mariam uxorem ſuam aſſumere. Quaſi dicat: Non eſt viri operâ aut commixtione factum, quòd illa prægnans ſit, ſed eſt Dei opus, qui id per Spiritum Sanctum effecit. Atque hoc eſt, quod Matthæus teſtimonio Angeli confirmare voluit, veram ſcilicet impregnationis Mariæ cauſam eo demon ſtrans.

Genitum ſeu natum eſt, dicit pro, *conceptum eſt*, quia fœtus iſte tunc jam non tantum conceptus, ſed ferme ad maturitatem perductus fuit. Hic iterum quæri poteſt; cur Angelus non dicat: quod in ea natum eſt, eſt ſummus Deus, ſecunda perſona Trinitatis? Sic enim loqui amant hodierni Chriſtiani, qui Chriſtum pro ſummo Deo habent. Deinde non immerito quæritur, quomodo dici, de ſummo

Deo

Deo queat, quod ſit ex vel à Spiritu Sancto? Ita enim argumentari licet: Quod in Maria genitum ſeu conceptum eſt, eſt ex Spiritu Sancto, id eſt, id à Spiritu Sancto effectum & efformatum eſt. Atqui Deus ſummus in Maria genitus ſeu conceptus eſt. Ergo Deus ſummus eſt ex Spiritu Sancto, ſeu à Spiritu Sancto effectus atque efformatus eſt. Major eſt Euangeliſtæ. Minor eſt adverſariorum. Concluſionem tamen ut abſurdam non admittent. Quare ut hanc abſurditatem vitent, huic debent ſubſcribere ſyllogiſmo: Quod in Maria natum ſeu conceptum eſt, eſt ex Spiritu Sancto, id eſt, id à Spiritu Sancto effectum atque efformatum eſt. Atqui ſummus Deus non eſt ex Spiritu Sancto, ſeu à Spiritu Sancto effectus ac efformatus. Ergo ſummus Deus non eſt in Maria natus ſeu conceptus.

Porro quæritur: An id quod in Maria genitum eſt, ſeu conceptum, perſona fuerit, nec ne? Reſpondetur, perſonam quidem fuiſſe, at non divinam, ſed humanam. Si enim divina fuiſſet perſona, ex Spiritu Sancto fuiſſet, ſeu à Spiritu Sancto fuiſſet effecta atque efformata. (Hic enim eſt ſenſus horum verborum, *ex Spiritu Sancto eſſe*, ut ℣. 19 oſtendimus) Id quod adverſarii haud conceſſerint. Quod ſi nulla fuiſſet perſona, Chriſtus, qui in Maria conceptus ac natus eſt, non fuiſſet perſona; quod abſurdum eſſe omnes agnoſcunt.

Verſ. 21. *Pariet autem filium.*] In ſuperioribus quid factum ſit, narravit Angelus, nunc prædicit, quid futurum ſit. Continetur autem his verbis tum eximia conſolatio, dum Angelus monſtrat, quam inſignem fœtum Maria in utero geſtet, tum confirmatio ejus, quod ſupra de Spiritu Sancto dictum eſt, eum cauſam & operatorem iſtius fœtus eſſe. Angelus enim vult Joſepho per rem futuram, præteritam, & ex re, quæ oculis ſubjecta erit, rem occultam probare atque demonſtrare: ut ubi viderit, facto ipſo impleri, quod ab Angelo ipſi annunciatum eſt, tanto magis credat ei, quod jam factum eſt, oculiſque cerni poteſt.

Cæterum ſi ſpectetur, quod primo poſuimus loco, ſeu conſolatio, quam hæc Angelica prædictio affert, vocula ℵ. *autem*, propriam ſuam ſignificationem retinere poteſt. Poſſunt enim verba hæc ita accipi, ut ſint præcedentium declaratio, in quibus Angelus in genere duntaxat de fructu ventris Mariæ locutus eſt, nulla de ſexu maſculino vel fœminino aliiſque circumſtantiis mentione facta. Itaque declarat proprie, qualis & quantus iſte fœtus futurus eſſet, quam Maria editura ſit. Quaſi dicat: Ut *autem* ſcias, quid ex Spiritu Sancto in Maria natum ſit, annuncio tibi, eam filium, non filiam parituram, nec vulgarem filium &c. Quod ſi vero alterum ſpectetur, quod de confirmatione dictum, accipienda erit vocula ℵ *autem*, pro *enim*. Hac enim prædictione id, quod hactenus narratum eſt ab Angelo, fortiſſime confirmatur, nempe quod fœtus in Maria conceptus ſit ex Spiritu Sancto.

Præſtantia maſculini ſexus præ fœminino nemini eſt ignota. Quamvis enim reperiantur aliquæ interdum fœminę inſignes, manet tamen immotum, quod ait Paulus: *Vir eſt imago & gloria Dei: mulier autem eſt gloria viri. Nam non eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Neque etiam vir eſt mulieris cauſa creatus, ſed mulier viri cauſa* 1 Cor. XI. 7, 8, 9. Angelus itaque Joſepho annunciat maximum gaudium, dum ei filium, non filiam promittit: multo magis autem, dum filio iſti tale nomen imponi jubet, ex quo facile intelligi poteſt, quantus ille vir futurus eſſet. Ait enim porro:

Et vocabis nomen ejus Jeſus.] Vocabis, id eſt debes vocare, Hebraica locutio; ut & Luc. I. 31. Non enim hic Joſepho, & apud Lucam Mariæ Virgini prædicitur, quid facturi ſint, ſed injungitur eis, quid facere debeant.

Vocabis nomen ejus.] Pariter eſt Hebraica locutio, pro, vocabis eum. Quod vero hic mandat Angelus Joſepho ſomnianti, idem Angelus Gabriel mandavit Mariæ vigilanti, conceptionem ei annuncians Luc. I. 31. Unde intelligitur, Angelum Joſepho idem jus dediſſe patrium ac poteſtatem ſuper puerum Jeſum, quod Mariæ competebat.

Quod autem de mirabili conceptione Chriſti dictum eſt, id his verbis dupliciter confirmatur. Primum quia Joſephus ex nomine divinitus indito colligere jure poterat, puerum hunc etiam divinitus conceptum eſſe. Non legimus enim cuiquam à Deo ante ejus nativitatem nomen eſſe impoſitum, niſi illis, quorum conceptionem divina virtus coöperata eſt. Ut Iſaaco, & Johanni Baptiſtæ Geneſ. 17. 19. Luc. I. 13. Deinde quia Joſepho idem in ſomnio injunctum eſt, quod poſtea ex Maria Virgine intellexit. Unde tanto plus cauſa habuit Virgini credendi, cum videret dicta ejus cum iis quæ ſomniarat, apprime congruere ac conſonare. Neque enim ullo pacto veriſimile erat, caſu factum, ut Virgo hoc idem nomen divinaret.

Jeſus.] Eſt nomen Hebræum, efferturque in illa lingua *Jehoſchua*: poſt Babylonicam captivitatem autem Judæi cœperunt dicere *Joſua*. (Vide Grotium). Græci pronunciant, *Jeſus*. Proprie ſignificat *Salutem*, *Auxilium*, *Liberationem* &c. * Improprie autem *Salvatorem*, *Auxiliatorem*, *Liberatorem*, *Servatorum* &c. id eſt, cauſam Salutis, Auxilii vel Liberationis. Similiter etiam Chriſtus dicitur noſtra ſapientia, juſtitia, ſanctitas & redemptio 1 Cor. I. 30, id eſt, cauſa horum omnium. Quod enim ſupra ℣. 2 indicavimus, omnia Hebraica nomina hominum certam habere ſignificationem, id in his potiſſimum cernere eſt nominibus, quæ ab ipſo Deo hominibus imponuntur, quæ plerumque tacitam prædictionem rerum futurarum, per hos homines gerendarum continent. Quemadmodum & hoc nomen *Jeſus* eſt quidem perſonæ ejus nomen, ſed ita, ut eo potiſſima pars officii ejus ſignificetur: uti mox videbimus. Unde Chriſto nomen iſtud, ſeu potius ſignificatio ejus in excellentiſſimo gradu competit, quamvis alioqui nomen hoc commune ſit, & aliis quoque tributum, ut Joſuæ filio Nun Joſ. I. 1, (confer Act. 7. 45. Hebr. 4. 8.) Joſuæ ſacerdoti filio Joſedeci Agg. I. 1. Ut Dominum Jeſum contumelia afficiant, Judæi diſcrimen faciunt hodie inter nomen *Jehoſchua & Jeſus*. Prius ajunt deſignare Servatorem vel Liberatorem; poſterius autem *Jeſus* denotare duntaxat ſimplicem ac vulgarem hominem.

NB.

* Metonym.

Ve-

Verum bene eſt, quod Judæi non tam facile poſſint Domini Jeſu divinam poteſtatem ac eminentiam imminuere, quam ex nomine ejus ſyllabam unam ſubtrahere.

Ipſe enim ſervabit populum ſuum.] His verbis ſimul ſignificatio nominis iſtius, & cauſa, cur id puero iſti imponendum ſit indicatur. Jeſus enim, ut dictum, notat Servatorem & Liberatorem. Quod vero nomen hoc infanti iſti revera conveniat, docet Angelus ita, ut & cui ſalus atque liberatio iſta eventura ſit, & qua in re conſiſtat, exponat. Primum exprimit vocibus *populum ſuum*, per quem intelligit Iſraëliticum populum: qui duplici ratione Chriſti populus dici poteſt. Principio, quod ex hoc populo oriundus ſit; non ſecus ac idem Iſraëliticus populus Noëmi populus dicitur Ruth. 1. 10, & Paulus Apoſtolus Judæos populum ſuum vocat Act. 24. 17. xxvi. 4. xxviii. 19, ſed & alibi eadem locutio occurrit, ut Gen. 17. 1. xxv. 8. xlix. 29. Exod. 22. 28. xxx. 33. Lev. 21. 1, 4. Num 24. 14. Deinde quod Iſraëliticus populus imperio ac poteſtati ejus aliquando ſubjectus erat futurus. Credibile autem eſt Joſephum hæc verba in primo, Angelum vero aut Deum per Angelum loquentem in ſecundo ſignificatu accepiſſe, quem ſenſum poſteriorem deinceps eventus ipſe in lucem protraxit.

Quod autẽ hic ſolius Iſraëlitici populi mentio fiat, cum tamen ſalus per Chriſtum allata ad totum genus humanum pertinere debuerit, cauſa eſt, quod Judaico populo ſoli claræ promiſſiones factæ ſint, aliis vero populis non item. Quod etſi ita ſe habeat, tamen poſtea etiam alii populi terræ ad participationem ſalutis hujus admiſſi ſunt, quatenus tanquam oleaſtri inſiti ſunt oleæ Iſraelitici populi, ut Paulus Rom. xi. 17 docet. Quare tametſi Angelus hic de ſolo Iſraelitico populo loquatur, non tamen reliqui populi orbis terræ à communione iſtius ſalutis excludendi ſunt, ſed eos nomine hujus populi comprehendi ſtatuendum eſt, quatenus illi ſunt inſiti. Si quis autem per populum Chriſti hoc loco omnem populum in genere intelligendum putet, ſupra quem Chriſtus habet imperium, quatenus ſcilicet ex Judæis & Ethnicis conſtat, cum eo non multum pugnabimus. Videtur tamen id, quod ante dictum, & menti verborum Angeli, & ſtatui illius temporis, quo Chriſtus præcipue ac nominatim Judaico populo promiſſus fuit, & ab eo exſpectabatur, magis convenire.

A peccatis eorum.] Hoc eſt alterum, quod hoc loco ab Angelo indicatur, nempe in quo ſalus illa ac liberatio, quam infans iſte populo ſuo afferet, conſiſtet. *Servabit*, inquit, *eum à peccatis eorum.*

Habuit Iſraëliticus populus plures olim Servatores. Inprimis autem eo nomine appellati ſunt Judices illi, qui ante conſtitutum in Iſraële Regnum populum hunc rexerunt. Vide Judic. 3. 9, 15. Nehem. 9. 27. At ſalus ac liberatio, quam iſti populo Iſraëlitico attulerunt, temporaria tantum & corporalis fuit: cum contra hæc, quæ per Chriſtum populo ejus contingit ſalus, ſpiritualis ſit & æterna. Joſua filius Nuni, qui Chriſti figuram geſſit, deduxit Iſraëlitas in terram lacte & melle abundantem. Noſter Jeſus deducet populum ſuum in cœleſte Patris ſui domicilium, in novos cœlos & in novam terram, ubi juſtitia inhabitat 1 Petr. 3. 13. Illi ſervatores populum à tyrannide ac ſervitute hominum liberarunt. Noſter vero ſervator Jeſus populum ſuum ex teterrima tyrannide peccatorum, ac porro etiam mortis, quæ ſtipendium peccati eſt Rom. 6. 23, eripit. Quam enim inenarrabiles cruciatus ac tormenta peccatum ſecum trahat, ubi evigilaverit vermis ille conſcientiæ, ex miſerabili querimonia intelligi poteſt, quam impii in libro ſapientiæ edunt cap. 5. 6, 7 & ſeqq. Ab hac immani tyrannide, qui populum Dei liberaret, in terris erat nemo. Moſes, qui de monte Sinaï Legem attulit, parum ad hanc rem conferre potuit. Imo ejus præcepta magis peccatum irritarunt, & vim ejus auxerunt: ut monſtrat Apoſtolus Paulus Rom. 7. 7 & ſeqq. & 1 Corinth. 15. 56. Ideo, *quod impoſſibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, id Deus effecit, mittens filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & propter peccatum damnavit peccatum in carne* Rom. 8. 3. Hic Dei filius hunc validiſſimum hoſtem ſuperavit, regnum ejus deſtruxit, egenumque populum ſuum ex carcere mortis, cujus condemnationi obnoxius erat, in libertatem aſſeruit: *Deus enim omnes* (homines) *in inobedientiam concluſit, ut omnium miſereatur* Rom. xi. 32.

Nunc quæritur qua ratione Chriſtus populum ſuum à peccatis eorum liberarit? Duplici modo id intelligi poteſt, pro duplici ſignificatione vocis *peccati*. Vel enim ea ſumitur in propria ſignificatione, nempe pro peccato ipſo, ſeu tranſgreſſione voluntatis divinæ, vel improprie pro reatu ac pœna peccati. Hic vero nullum eſt dubium, vocem hanc potiſſimum in poſteriori ſignificatione accipi. Quanquam interea & liberatio ab ipſis peccatis ſeu tranſgreſſione voluntatis divinæ, eatenus in liberatione à reatu ac pœna peccatorum includitur, quatenus illa eſt medium à Chriſto nobis propoſitum, liberationis hujus à reatu ac pœna peccatorum conſequendæ. Certum quippe eſt, Angelum hoc loco voluiſſe id ipſum exprimere, cujus gratia proprie nomen *Jeſu*, id eſt, ſervatoris Chriſto indi debuit, quodque præcipue ad illam felicitatem ſpectat, quam Chriſtus juxta hujus nominis ſignificationem ac præſagium populo ſuo allaturus erat. Felicitas autem illa ſita fuit per ſe non in liberatione ab ipſis peccatis, ſeu à tranſgreſſione voluntatis divinæ, ſed in liberatione à pœna eorum. Nam liberatio à peccatis ipſis, etſi etiam à Deo per Chriſtum proficiſcatur, & quadantenus in homine efficiatur, maximam tamen partem facit ad hominis ipſius officium. Altera autem liberatio, nempe a reatu ac pœna peccatorum, non ad hominis officium pertinet, ſed eſt merum Dei beneficium, quo quiſquis potitur, illam ipſam perfectiſſimam ſalutem ac felicitatem conſequitur, à qua Chriſtus nomen Jeſu ſortitus eſt.

Conſiſtit itaque liberatio ac Salus, cujus Chriſtus auctor eſt, primo ac potiſſimum in eo, dum lætiſſimum nuncium de remiſſione omnium peccatorum attulit, ac Novum Fœdus cum humano genere pe-

pigit, in quo his ſeſe Deus obligavit verbis : *Ero propitius iniquitatibus eorum, & peccatis eorum, nec tranſgreſſionum eorum amplius recordabor.* Vide Heb. 8. 12. Quod fœdus ut eſſet tanto validius, proprii filii ſui ſanguine id obſignavit. Eaque ratione omnis peccato vis, quam ad nos damnandos habuit, adempta eſt : hoc pacto terribilis illa maledictio ſublata eſt, qua lex Moſaica fulminis inſtar omnes peccatores perculit : *Maledictus ſit omnis, qui non perſeveraverit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat illa* Gal. 3. 10. Deut. 27. 26. Cui maledictioni totus Iſraëliticus populus fuit obnoxius. Sic & mors æterna jus ſuum ac dominium, quod in nos habebat, amiſit, eoque redacta eſt, ut amplius nobis nocere non poſſit, dum aculeus, qui eſt peccatum 1 Cor. 15. 56, ipſi exemptus eſt. Ut vero hæc immenſa Dei Chriſtique gratia conſtans ac perpetua eſſe poſſet, ne tyrannus iſte nos è compedibus peccatorum exſolutos, rurſus in ſuam poteſtatem redigat, & captivos perdat, largitur nobis Chriſtus ſufficientes vires, ut ſi velimus, ſemper peccatis reſiſtere, hoſtemque hunc repellere queamus. Hinc Apoſtolus : *Omnia*, inquit, *poſſum in eo, qui me corroborat, Chriſto* Philip. 4. 13. Has autem vires largitur nobis Chriſtus in ſuo Euangelio, inprimis inſignes promiſſiones æternæ ac immutabilis ſalutis proponendo, mortis ſempiternæ ſupplicium intentando, auxilium Spiritus Sancti ſubmittendo, de paterna Dei erga nos dilectione teſtando, intolerabile jugum Legis auferendo, quæ juſtificationem non niſi ex merito operum promittebat, facilioremque multo juſtificationis coram Deo obtinendæ rationem, per fidem ſcilicet, monſtrando : denique etiam exemplum tum obedientiæ perfectiſſimæ, quam Chriſtus præſtitit, tum ampliſſimi virtutum præmii, quo Deus Chriſtum renumeratus eſt, in ſe exhibendo. Quibus omnibus remediis cum deſtituta fuerit Lex Moſaica, magis per ſua interdicta vim peccatorum auxit, quam extinxit. Nunc autem per iſta media peccato ita vis omnis adempta eſt, ut Chriſtiano nihil tam arduum in via virtutum queat accidere, quod non fortiter poſſit ſuperare. Nondum vero ſatis eſt quod tum reatus ac pœna peccatorum, tum ipſum quoque peccatum per Chriſtum abolitum atque ſublatum ſit. Mors enim inevitabilis, quæ per primi hominis Adami peccatum in mundum ingreſſa eſt, dominatur etiamnum non ſuper impios ſolum, verum etiam ſuper ſanctos Dei. Reſtat proinde adhuc ultima pars muneris Chriſti, quam ille die noviſſimo ad effectum deducet : cum ſcilicet populum ſuum perfectiſſima ratione ſervabit, cum *abolebit omnem principatum & omnem poteſtatem ac robur. Oportet enim eum regnare, donec omnes inimicos ſuos pedibus ſuis ſubjiciat. Ultimus autem inimicus abolebitur, mors* 1 Cor. 15. 24, 25, 26.

Verſ. 22. *Hoc totum autem factum eſt, ut impleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem.*] Poſtquam Matthæus duo iſta demonſtravit, tum quod Maria non a Joſepho ſit gravida facta; tum quod virtute Spiritus Sancti conceperit, poterat hic ſubſiſtere. Sed ut omnibus occurreret effugiis, pergit adhuc tertium demonſtrare : nempe quod Maria prorſus inviolata virginitate Chriſtum conceperit, & tam à Joſepho, quam ab alio omni viro incontaminata fuerit. Idque demonſtrat partim Sacræ Scripturæ verbis, partim Joſephi facto. Verbis Scripturæ, dum inquit : *Hoc totum autem factum eſt, ut impleretur, quod dictum eſt &c.* Nonnulli ex antiquis Eccleſiæ Patribus ut Chryſoſtom. Euthymius hæc verba, ut & ſequentia uſque ad verſ. 24, cenſent adhuc eſſe Angeli verba. Sed falluntur. Non enim ſolent Angeli, parumque eis convenit, verba ſua teſtimonio Prophetarum confirmare, ita ut nomina eorum exprimant : ſed ſi quando Scripturæ verbis utuntur, faciunt id in ſua perſona ; ut Angelus Gabriel fecit Luc. 1. 31, 32, 33. Deinde familiaris admodum Matthæo eſt hæc locutio *ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino*, amatque peculiariter loca Veteris Teſtamenti ad res Novi Teſtamenti applicare. Vide infra capite. 2. 15, 17, 23. cap. 4. 14 &c.

Præterea verba hæc cum eo quod antea ab Angelo dictum, haud conveniunt. Cum enim unicam ſolum rem, quæ facta erat, Joſepho annunciaſſet, nempe quod Maria è Spiritu Sancto prægnans facta ſit, cauſæ nihil eſt, cur voluerit dicere, *Hoc totum factum eſt* &c. Vox *totum* plures res, quam unam, reſpicit, nec de una re uſurpari ſolet. Sunt igitur hæc verba Matthæi, qui poſtquam Angeli verba retuliſſet, pergit jam ſuæ narrationi fidem facere, & teſtimonio Sacræ Scripturæ confirmare id, quod de admiranda Chriſti ex Spiritu Sancto conceptione antea ſcripſit.

Hoc totum.] Vox *totum* non eſt trahenda ulterius, quam res, de qua agitur, poſtulat. Non enim omnia quæ ſupra narravit Matthæus, (uti eſt conſultatio Joſephi de divortio, nec non revelatio quæ ei per ſomnium facta eſt) pertinent ad impletionem ſequentis vaticinii Eſaiæ : ſed hoc tantum, quod Maria non ex Joſepho, neque ex alio viro, verum ex ſolo Spiritu Sancto, abſque omni virginitatis imminutione conceperit. Voluit autem Matthæus divinum teſtimonium, Joſepho per quietem atque in ſomnio perhibitum, alio divino teſtimonio, quod palam & non per ſomnium prolatum eſt, confirmare. Etſi enim Joſepho per illud ſomnium eſſet plene ſatiſfactum, nondum tamen lectoribus, quibus revelatio talis per ſomnium, qualis Joſepho, haud contigit. Potuiſſet enim aliquis objicere, frigidam nimis eſſe hanc à Matthæo allatam probationem, quæ non alio nititur fundamento, quam ſomnio. Quid autem eſt fallacius ſomnio ? Ut igitur ejuſmodi objectioni occurrat, & anſam irridendi incredulis lectoribus, atque inprimis Judæis præcidat, comprobat hoc totum, quod hactenus de virginitate Mariæ & ejus conceptione ex Spiritu Sancto narraverat, ac teſtimonio Angeli confirmarat, nova demonſtratione : ut intelligatur, hoc Joſephi ſomnium non fuiſſe vanum aliquod viſum nocturnum.

Ut impleretur.] Id eſt, hoc fine & hac cauſa totum id factum eſt, ut reipſa illud effectum

for-

ſortiretur ſuum, quod jamdudum Deus per Prophetam denunciari curavit. Hoc totum factum eſt, & eo impletum eſt &c. id eſt, dum hoc factum eſt, impletum eſt &c. Vide de his verbis plura in Appendice VI hujus capitis.

Hic quoque nobis diluendum eſſet vulgare Judæorum objectamentum, qui Euangelicos calumniantur Scriptores, quod falſo teſtimonia Veteris Teſtamenti allegarint; quandoquidem teſtimonia illa de aliis rebus fuerint prolata, quam ad quas ab illis applicantur. Sed hujus objectionis refutationem inveniet Lector in Appendice VII hujus capitis: ubi ſimul declarabitur, quæ ratione Scriptores Novi Teſtamenti teſtimonia Veteris Teſtamenti allegare ſoleant.

Quod à Domino dictum eſt per Prophetam.] Nomen Prophetæ non exprimit Matthæus, ſine dubio propterea, quod præclarum hoc Eſaiæ teſtimonium capite 7. 14, inter Judæos eſſet decantatiſſimum, & de Meſſia ab eis intellectum. Utque tanto major ſit teſtimonii hujus auctoritas, indicat, id non ex Prophetæ ipſius cerebro profectum, ſed à Domino ipſo editum. Ut etiam infra capite XI. 15 loquitur. Alibi ſimpliciter tantum dicitur *per Prophetam*, vel *per Prophetas*. Vide Matth. 2. 23. VIII. 17. XII. 17. XIII. 35. XXI. 4. XXIV. 15. XXVII. 9. Actor. 2. 16. Ubi tamen ſemper ſubintelligitur, *à Domino*, vel, *à Deo*. Vaticinia enim Prophetarum merito Deo adſcribuntur, quia is rem ipſam, ſeu ſenſum ac ſummam eorum quæ loquuntur, per Spiritum ſuum animis eorum indit, etiam os linguamque eorum ita regit, ne in iis, quæ loqui debent, errent aut fallantur. Quanquam non ſemper ſic, ut omnia ac ſingula verba, quæ pronunciant, ori eorum inſinuet. Unde Prophetæ ſæpe diverſis temporibus & ad diverſas perſonas de eadem re loquentes aliis verbis uſi ſunt.

Tantum vero abeſt, ut Eſaias id, quod hoc loco de Chriſto vaticinatus eſt, & poſt multas centurias annorum myſtico ſenſu impleri debuit, à ſeipſo & proprio motu locutus fuerit; ut ne quidem verba ſua, quo tenderent, quodque iis nativitas Meſſiæ ſignificetur, intellexerit. Eſt enim probe notandum, quod Petrus inquit: *Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit* (hoc eſt, Prophetæ ipſi ſuas prophetias intelligere & interpretari non potuerunt) *Non enim voluntate hominis allata eſt aliquando prophetia, ſed à Spiritu Sancto acti locuti ſunt Sancti Dei homines* 2 Petr. 1. 20, 21. Quæ verba non de tota Sacra Scriptura intelligenda ſunt, ut volunt Papiſtæ, ſed tantum de prophetiis Scripturæ, uti verba ipſa clare ſonant. Etſi enim omnis Scriptura Sacra à Deo inſpirata ſit, omneſque Sacri Scriptores quaſi amanuenſes Sancti Spiritus fuerint, longe tamen alio ac diverſo modo Deus per Euangeliſtas & Apoſtolos locutus eſt, qui ea, quæ ſub Euangelio geſta ſunt, deſcripſerunt, quique quæ ſciverunt, ante didicerunt, quam per Prophetas, qui de futuris rebus vaticinati ſunt. Nam hi quodammodo violenter à Deo rapi ſunt, ut ipſi haud intellexerint, quid loquerentur, & quorſum verba eorum ſpectarent: ideo Petrus utitur verbo φερόμενοι, acti, quod violentum impulſum denotat. Illis autem Spiritus Sanctus ſolummodo ita adſtitit, ut in deſcriptione eorum, quæ bene norant, memoria ipſorum infirma ac labilis ab errore lapſuque præſervaretur.

Dicentem.] Hoc loco & infra cap. 2. 15, vox iſta *dicentem* non ad Dominum, ſed ad Prophetam referenda eſt; ut ſenſus ſit; per Prophetam, qui dicit. Quemadmodum partim ex collatione cum aliis locis (Vide infra cap. 2. 17. III. 3, 4. XIV. 8, 17) partim ex eo intelligitur, quia alioqui inutilis tautologia foret. Jam enim ſemel Matthæus indicarat, à Domino dictum eſſe; cur igitur idem repeteret, & iterum Dominum dixiſſe exprimeret?

Verſ. 23. *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium.*] Hæc jam ſunt verba Eſaiæ Prophetæ, quæ Euangeliſta citat: ad quorum explicationem nunc accedemus. Locus hic eſt unus ex iis, qui duplicem habent ſenſum, externum unum ac literalem, qui reſpicit tempora Regis Achaſi, alterum myſticum, qui ad Chriſtum refertur. Literalis ſenſus hic eſt: cum tempore Achaſi Regis Judæ, duo Reges, Raſis Syriæ, & Pecah Iſraëlis Rex inter ſe conſpiraſſent contra Judam, magnoque cum exercitu ad expugnandam Hieroſolymam veniſſent (Eſai. 7. 1) conſternatus fuit ea re ſupra modum Achaſus (℣ſ. 2) Nec ſolum cura retinendi regni eum anxium habebat, ſed famem quoque ingentem aliaſque calamitates, quæ obſidionem comitari ſolent, pertimeſcebat. Quod diſcrimen ut effugeret, nullum aliud medium aut conſilium habebat in promptu, quam ut ſe in clientelam Regis Aſſyriæ, qui tunc potentiſſimus Regum in toto Oriente erat, daret. Verum Eſaias Propheta eum Dei nomine ab iſto dehortatur propoſito, atque ad collocandam potius in Deum fiduciam adhortatur, certo denuncians, non ſolum duorum iſtorum Regum Syriæ & Iſraëlis conatus inimicos ſucceſſum non habituros, & Jeroſolymitanum Regnum à poſteritate Davidis non eſſe auferendum ℣ſ. 3, 4, 5, 6, verum etiam potentiam Regis Syriæ non ſumpturam majus incrementum, ſed in ſuis terminis permanſuram: regnum porro Iſraëlis brevi eradicandum eſſe ℣ſ. 7, 8, 9. Cui conſolationi ab Eſaia allatæ cum fidem non adhiberet Achaſus, datur ei divino ex mandato optio poſcendi à Deo aliquod ſignum, pro confirmanda jam dicta conſolatione. Sed cum Achaſus (vſ. 12) modeſtis quidem verbis, impio autem ac incredulo corde id facere abnueret, primo eum Propheta graviter objurgat, quod onus eligendi ſigni in Deum devolveret. Poſtea indicat, Deum ipſum id facturum, quod illi quam minimum ſperarent, quodque futurum ſit pignoris inſtar ad reliquarum promiſſionum confirmationem. Nam non tantum terram tam Regis Syriæ quam Iſraëlis, interveniente utriuſque obitu, derelictum iri, Judæamque ab illorum exercitu fore liberam; ſed etiam interea temporis ciborum vitæque neceſſariorum penuriam quam metuebant, nullam fore. Hoc autem totum, quod futurum eſſe prædixit Propheta, iſti incluſit tempori (℣ſ. 14, 15, 16) quo puella, quæ tunc temporis adhuc virgo erat, nuberet, conciperet, pareret, & filium educaret: ante tamen, quam puer ille ad rationis uſum perveniret, bonumque à malo diſcernere, vel, ut Propheta cap. 8. 4

loquitur, patrem ac matrem ſuam nominare diſceret. Quod vero interea nulla penuria, ſed potius abundanti rerum neceſſariarum futura ſit in terra, indicat Propheta, dum ait, puerum iſtum illo tempore butyrum ac mel comeſturum. Hebræa enim loquendi conſuetudine butyrum ac mel, non tantum vitæ neceſſaria, ſed etiam eorum abundantiam ſignificat. Vide Exod. 3. 8. Levit. 20. 24. Num. 13. 28. Job. 20. 17. Sicut autem hac ratione Achaſum Propheta redarguit, quod Deo diffideret: ita in ſequentibus (verſ. 17, 18, 19, 20) oſtendit, quam eum fiducia in Rege Aſſyriæ collocata deceptura ſit. Sennacheribum enim Regem Aſſyriæ longe plus mali & calamitatis allaturum terræ Judæ, quam quod à Regibus iſtis Syriæ & Iſraëlis metuebatur. Imo plane contrarium ejus quod timebatur, eventurum: nempe, non tantum defectum rerum neceſſariarum non fore, ſed propter exiguum populi numerum, qui reliquus futurus ſit, maximam fore annonæ vilitatem, ut quilibet in terra exiſtens, butyrum ac mel comeſturus ſit ℣. 21, 22 ad finem cap.

Puer autem iſte, cujus nativitas ſignum futura erat Achaſo liberationis à Regibus Syriæ & Iſraëlis, fuit Prophetæ filius, quem ex uxore ſua ſuſcepit, quæ tunc cum id prædicebatur, adhuc virgo erat, & ex ea hunc filium in præſentia duorum teſtium Uriæ & Zachariæ genuerat, ut ſtatim initio cap. 8 legitur. Errantque ex Judæis illi (inter quos etiam fuit Trypho apud Juſtinum, & R. Kimchi) qui hoc vaticinium de regio aliquo puero, & quidem de filio Achaſi interpretantur, quem virgo aliqua ex illo concipere atque gignere debuerit: Idque colligunt ex verbis, quibus de Rege Aſſyriæ ait; *ille alas ſuas expandet, & ſic implebit latitudinem terræ tuæ, ô Immanuel* cap. 8. 8. Ubi terra Judæ, quam Rex Aſſyriæ exercitu ſuo impleturus erat, hujus pueri Immanuelis terra vocatur. Verum filius Achaſi, qui in regno ei ſucceſſit, fuit Ezechias, qui jam tum non ſolum natus, ſed etiam ad minimum novem annorum erat (uti recte R. Salomon advertit.) Achaſus enim regnavit annis 16 2 Reg. 16. 2, & 2 Paral. 28. 1. Poſt ejus deceſſum ſtatim regni gubernacula ſuſcepit, anno 25 ætatis 2 Reg. 18. 2. 2 Paral. 29. 1. Poſito igitur, hoc vaticinium Eſaiæ prolatum eſſe primo mox regni Achaſi anno, ſi 16 anni regni ejus detrahantur à 25 annis ætatis Ezechiæ, remanent 9, quos natus erat Ezechias, cum Achaſus regni adminiſtrationem adiit.

Quemadmodum autem Deus Eſaiæ in mandatis dedit (cap. 7. 3) cum prima vice Regem Achaſum adiret, ut filium ſuum *Sear-Jaſub* (quod nomen ſignificat, *Reliquiæ revertentur*) ſecum adduceret, in ſignum bonæ ſpei, quod adhuc aliqui Judæi ex inſtante calamitate ſalvi evaſuri eſſent: ita etiam huic puero duo nomina ſunt indita. Primum eſt *Immanuel*, cap. 7. 14, quod ſignificat, *Nobiſcum Deus*, indicatque, Deum populum Judæ haud deſerturum, ſed ab omnibus tyrannis liberaturum. Alterum eſt *Maher-ſchalal-Chaſch-bas*, id eſt *Feſtina ad ſpolium, celera ad prædam*, quo innuitur, Regem Aſſyriæ tam Syriam quam Samariam exſpoliaturum. Atque hoc eſt quod ipſe Eſaias dicit cap. 8. 18, filios ipſi datos eſſe in ſigna & prodigia apud Iſraëlem à Domino exercituum. Quod autem hic Eſaiæ filius idem ſit, qui ſupra cap. 7. 14. *Immanuel* appellatur, ex locutionum ſimilitudine ſatis intelligitur. Cum enim cap. 7. 16 dixiſſet: *Antequam puer diſcat malum reprobare, bonum eligere* (id eſt, antequam ad uſum rationis atque ad annos diſcretionis pervenerit) idem ſic effert cap. 8. 4: *Antequam puer clamare ſciat, ô Pater, ô Mater, aſportabitur opulentia Damaſci* (hæc fuit metropolis Syriæ) *& præda Samariæ* (hæc fuit metropolis Regni Iſraëlis) *per Regem Aſſyriæ*: id eſt, Aſſyrii, quicquid divitiarum ac opimioris prædæ de Regibus Syriæ ac Iſraëlis conſequentur, Regi ſuo deferent.

Porro quia permulti è Judæis domum Davidis flocci faciebant, quod humanis deſtitueretur viribus (id quod Propheta cap. 8. 6 per ſilentes aquas Siloæ, qui fuit Jeroſolymitanus fluvius Nehem 3. 15. Joh. 9. 17 ſignificat) maluiſſentque regnum ad Syros & Iſraëlitas tranſferri: idcirco prædicit Propheta verſ. 7 8, fore, ut cum victoriam reportabit Rex Aſſyriæ, ac triumphabit de Syris atque Iſraëlitis, etiam in terram Judæ clades inundet, Deum enim loco ſilentium aquarum Siloæ, fortiſſimas ac rapidiſſimas aquas fluminis (quo ſignificatur Euphrates, fluvius, figurate autem Rex Aſſyriæ, qui ad illum regnabat fluvium) ipſis immiſſurum, quæ terram Judæ quaſi inundaturæ, inque extremam calamitatem conjecturæ ſint. Addit tamen mox ℣. 9, 10 ſolatium, Aſſyrios tandem abſceſſuros, eorumque inimica conſilia contra Judam irrita fore. Quare? quia inquit, verſ. 10 *hic eſt Immanuel*, id eſt, Deus eſt nobiſcum, qui nos ab iſtis hoſtibus liberabit. Quod dicens Propheta ad nomen pueri Immanuelis cap. 7. 14 reſpicit.

Ex quibus jam ſatis intelligitur, locum hunc Eſaiæ Prophetæ à Matthæo allegatum, primo ac literali ſenſu de filio Prophetæ, qui imperante Rege Achaſo natus eſt, accipiendum eſſe. Cæterum ſenſu myſtico ac ſpirituali ſublimius aliquid & excellentius, nempe miraculoſa Chriſti conceptio atque nativitas, verbis iſtis ſignificata ac præfigurata eſt. Amplius enim aliquid & majus iis contineri, quam litera præ ſe fert, ex eo colligitur, quod ſic comparata ſint verba, ut non niſi duriter & coacte, ſenſuque valde exili trahi ad hunc Prophetæ filium queant. Primum enim clarum eſt, his verbis ſingulare aliquod, ingens & admirabile ſignum promittere Deum domui Davidis. Sic enim Achaſum affatus eſt Propheta: *Pete tibi ſignum a Jehova Deo tuo, vel è profundis, vel ex altiſſimis* (id eſt, ſive è profunditate terræ, ſive deſuper è cœlo, quæ maxime inſignia prodigia ſunt) Achaſus autem cum petere recuſaret, ſubjecit Propheta: *Audite jam ô domus Davidis! An parva res eſt vobis, quod moleſti ſitis hominibus* (Hebr. fatigetis homines) *ut etiam Deo moleſti ſitis? Idcirco dat Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium* &c. Cui jam veriſimile fiat, cum Achaſo data eſſet optio eligendi ac poſcendi ſignum aliquod certum atque inſigne, Deuſque ipſe poſtea, illo recuſante, ultro dare ſignum promiſiſſet, eum tam parvum & exile ſignum, parum aut nihil miraculi in ſe habens, daturum fuiſſe? Quid enim admodum miraculoſi in eo eſt, quod

Pro-

Prophetæ uxor, poſt conjugalem cum marito ſuo congreſſum (cap. 8. 3) filium enixura eſſet? Tota miraculi ratio in eo conſiſtit, quod Propheta ſciverit ante tempus, uxorem ſuam, ubi ſe cum ea commiſcuerit, concepturam, & non filiam, ſed filium parituram: quod ſane non adeo magnum miraculum fuit. Quare exinde cernitur, quod præter literalem ſenſum, qui puerum Prophetæ reſpicit, adhuc alius ſublimior ſenſus in verbis hiſce ſit reconditus, iiſque aliud miraculum fuerit indicatum: id quod ipſa verba quodammodo requirunt. Dicitur enim, *Virgo concipiet:* quod quatenus de conjuge Prophetæ intelligitur, non alium ſenſum habet, quam quod ea quæ hactenus Virgo fuit, mox conceptura ſit, filiumque genitura. Num vero id adeo ingens fuit miraculum? Profecto ſi quid miraculoſum & inauditum his verbis ſignificatur, oportet ut id miraculoſius ac divinius ſit, nempe quod virgo, à nullo cognita viro, conceptura & paritura ſit. Secundo, appellatur cap. 8. 8 terra Judæ pueri iſtius Immanuelis terra: quod tenui admodum ſenſu de puero Prophetæ dici poteſt, nimirum quia in illa natus fuit. Unde iterum apparet, alium puerum Immanuelem hic reſpici, cujus terra Judæa multo excellentiori ratione futura ſit, quam quod in ea eſſet oriturus, ſed quod illius propria, ipſiuſque imperio ſubjecta eſſet futura; præſertim cum Propheta ſermonem ſuum ad puerum ipſum convertat, dicens: *tuam terram, ô Immanuel, implebit.* Tertio etiam ex peculiari nomine *Immanuelis* (id eſt, nobiſcum Deus) huic puero indito colligere eſt, aliquid multo ſublimius eo ſignificatum. Divina enim illa liberatio, quæ tunc Achaſo contigit, non erat tanti, ut tam eximio & inſolito nomine indigitaretur. At ſi conſideretur inſignis illa liberatio, per Chriſtum populo Dei conciliata, facile intelligitur, nomen hoc Chriſto jure ac proprie, imo illi ſoli, non ulli alii competere.

Antequam autem pergamus in explicatione, objectiones nonnullæ & interpretamenta erronea hujus textus nobis refutanda ſunt. Prima eſt objecto Judæorum, qui ut nobis tam excellens teſtimonium de miraculoſa Chriſti generatione eripiant, vocem *Almah*, quæ ſignificat Virginem, falſa interpretatione pervertunt.

Quod Hebraica vox *Almah* puram atque ab omni viro intactam virginem denotet, arguit primo ejus origo. Derivatur enim à voce *Alam*, quæ ſignificat *occultare:* nimirum quia tam Hebræi quam Græci, omneſque Orientales populi innuptas puellas in gynæceis aſſervare ſolebant: non ita quidem, ne ab ullo virorum conſpicerentur, ſed ne ullum eis cum viris intercederet commercium. Deinde LXX. Interpretes vocem *Almah* tam hoc apud Eſaiam loco, quam Gen 24. 43, reddiderunt Græca voce παρθένος: quæ virginem notat, quæ nullum cognovit virum. Quin vox *Almah* majorem vim habet puram & intactam virginem deſignandi quam vox *Bethula*, quæ ut plurimum quoque virginem denotat. Voce quippe *Almah* exprimitur non tantum virginalis ſtatus, ſed etiam tenera ætas, & ſolers atque circumſpecta educatio, quod non corporis ſolum, ſed oculorum quoque virilium contactum effugerit. Jam vero hanc ſignificationem Judæi rejiciunt, ajunque vocem *Almah* deſignare puellam devirginatam, vel adoleſcentulam maritatam. Cujus ſignificationis tamen nullum exemplum proferre poſſunt. Hinc Hieronymus: *Oſtendant mihi, ubi hoc verbo appellentur nuptæ, & imperitiam confitebor.*

Vox hæc *Almah* non niſi ſepties in ſacris Literis reperitur, neque ex ullo eorum locorum demonſtrari poteſt, ea nuptam vel à viro defloratam fœminam deſignari. Primum uſurpatur de Rebecca Gen. 24. 43, ubi ſic loquitur ſervus Abrahami: *Ecce ego conſiſto juxta fontem hunc aquæ, eveniat ut virgo mox egreſſura ad hauriendum* &c. Quod autem Rebecca innupta fuerit, res ipſa demonſtrat, deque ea expreſſe dicitur verſ. 16, quod virum nullum cognoverit. Secundo hoc nomine vocatur Mirjam Moſis ſoror, quæ operam ſuam obtulit filiæ Pharaonis in accerſenda pro puero nutrice Exod. 2. 8. Quam innuptam adhuc fuiſſe, inque domo patris ſui habitaſſe, omnes circumſtantiæ indicant. Certe Judæi probare nequeunt, eam jam tunc maritatam fuiſſe. Tertio legitur hæc vox Pſalm 68. 26, ubi *virginum tympana pulſantium* fit mentio. Ubi potior Judæorum pars agnoſcit, puellas innuptas intelligendas eſſe, quarum mos erat, Deum miſicis inſtrumentis concelebrare. Quarto extat vox iſta in Cantico Canticorum Cap. 1. 3: *Nomen tuum diffuſum eſt velut unguentum, idcirco virgines diligunt te* Quo loco denotantur regiæ ſponſæ pediſſequæ atquæ miniſtræ: quæ utique nuptæ ac maritatæ eſſe non ſolent. Quinto ſcripta eſt vox iſta in eodem Cantico Cap. 6. 5: *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, virgineſque innumeræ.* Ubi per virgines non intelligi nuptas textus ipſe ſatis declarat, qui tria recenſet fœminarum genera; 1 nuptas fœminas, quas reginas appellat, 2 concubinos ſeu pellices, quæ ad thorum quidem admittebantur, ſed earum liberi hæreditate una cum aliis gaudebant, 3 virgines. Sexto legitur vox hæc *Almah* Proverb. 30. 19. Qui locus unicus eſt ex quo Judæi evincere conantur, vocem *Almah* etiam defloratam fœminam ſignificare. Is vero locus ſic ſonat: *Tria ſunt mirabilia mihi, & quartum haud novi: Viam aquilæ in cœlo, viam ſerpentis in rupe, viam navis in alto mari, & viam viri in virgine,* (Hebr. Almah.) Quem locum ſic interpretantur Judæi, quod priores tres viæ, aquilæ ſcilicet, ſerpentis & navis idcirco mirabiles ſint, quod nullum earum deprehendi poſſit veſtigium, vel indicium. Unde concludunt, Salomonem indicare velle, quod nec concubitus viri cum muliere, quæ hoc loco Almah vocatur, deprehendi ullo indicio poſſit: quod ille dicere haud potuiſſet, ſi vox Almah illibatam virginem denotaret. Verum longe alius eſt hujus loci ſenſus. Vult enim Salomon dicere, viam aquilæ in cælo, id eſt, in aëre, mirabilem eſſe ideo, quod tam alte volet: ſerpentis vero in rupe, quod ſine pedibus tam alte ſcandere poſſit: navis porro in corde, id eſt, in profundo maris, quod in profundum quaſi demergatur, & nihilominus rurſus emergat: viri autem viam eſſe mirabilem in virgine, quod ejus potiri queat, etſi quammaxime a parentibus cuſtodiatur, quinetiam ipſa ſuam virginitatem retinere laboret. Cujus rei exemplum in Ammone proſtat, qui tamdiu Thamare ſorori ſuæ inſidiatus eſt, donec ei virginitatis florem

Prov 30. v 19.

eriperet 1 Sam. 13. Quod ſi nihilominus Judæorum interpretatio in tribus viis prioribus admittatur, nihil aliud è quarta via colligi poteſt, quam quod fieri queat, ut quæ pro virgine habetur intaminata, reipſa talis non ſit. Inde tamen haud ſequitur, vocem Almah virginem non ſignificare. Sic enim dicendum eſſet quoque de Græca voce παρθένος, ac de Latina Virgo, quod illibatam non ſignificet puellam: quandoquidem omnes plerumque innuptæ puellæ, nullius impudicitiæ infames, hoc nomine appellantur; etſi interdum fieri queat, ut aliqua revera talis non ſit. Inde jam perſpicuum eſt, quoniam vox *Almah* omnibus in locis Sacræ Scripturæ caſtam & impollutam virginem deſignat, eandem ſignificationem etiam huic apud Eſaiam loco, qui ſeptimus eſt, competere. Quo accedit, quod, ſi Propheta hic illibatam non intellexiſſet virginem, loco miraculi rem plane ridiculam protuliſſet, ſuæque menti prorſus contrariam. Ideo enim ait Propheta, etiam literali ſenſu, virginam concepturam, ne quis ſuſpicaretur, fœminam illam, de qua loquitur, jam eſſe prægnantem, ipſumque id probe ſciviſſe, atque inde collegiſſe, non tantum quod paritura eſſet, ſed etiam ex certis indiciis comperiſſe, quod filium ſit enixura. Quapropter diſerte illam virginem nominat, quæ nullum cognoverit virum.

Secunda objectio Judæorum eſt, quod hoc loco de ejuſmodi nativitate pueri è virgine gignendi ſermo ſit, quæ Achaſo propoſita ſit a Propheta, in ſignum liberationis ejus ab impreſſione duorum Regum, Syriæ atque Iſraëlis: nativitatem autem Chriſti non poſſe eſſe hujus liberationis ſignum; quandoquidem illa aliquot centenis annis ſerius acciderit. Non poſſe autem, ajunt, id pro ſigno haberi, quod longe poſterius eſt re ipſa, cujus debet eſſe ſignum.

Objectio illa majorem in modum macerat ac torquet eos interpretes, qui in hoc Eſaiæ vaticinio nullum literalem ſenſum, qui prima vice impletus ſit, volunt agnoſcere, ſed præciſe urgent, Prophetam ſimpliciter ac primo ſenſu de Chriſto ejuſque miraculoſa generatione locutum.

Chryſoſtomus ſic reſpondent, quod hic Achaſo nullum promiſſum ſit ſignum, ſed toti Domui Davidis, quæ duratura eſſet uſque ad Chriſti nativitatem, cujuſque bono Chriſtus naſciturus eſſet. Sed præterquam quod etiam Achaſus de Domo Davidis fuerit, interpretatio hæc claris Prophetæ verbis contraria eſt. Expreſſe enim ad Achaſum atque ad eos, qui præſentes tunc erant, ſermonem inſtituens ait: *Audite vos de domo Davidis. An parum vobis eſt, quod hominibus moleſti ſitis, ut etiam Deo meo ſitis moleſti? Ideo vobis Jehova ipſe dabit ſignum. Ecce virgo concipiet &c.* cap. 7. 13, 14. Quomodo dici poteſt, non eſſe datum Achaſo ſignum, totique domui Davidis, quæ tunc in vivis erat, & cujus pars magna hæc verba auribus ſuis percipiebat, & quidem tale ſignum, quod non poſt aliquot centurias demum annorum exhiberetur, ſed quod ipſi oculis uſurparent ſuis, ne de divino contra hoſtes, duos nimirum Reges Syriæ atque Iſraelis, auxilio dubitarent.

Maldonatus non multum diſſimilem affert reſponſionem, inquiens, Prophetam quidem principio Achaſo eligendi atque poſcendi ſigni poteſtatem dediſſe, ex quo fieri poſſet certior, Deum ſibi adverſus Regem Aſſyriæ affuturum. Quod quia contemnens petere noluit, commutata oratione Propheta aliud majus ſignum, quam quod petere non auderet, majoris liberationis argumentum, Deum non jam Achaſo, ſed domui Davidis daturum, prædicit: quaſi dicat, quia vos petere negligitis, ipſe ultro dabit, non jam quale regi obtuli, ſore ut Deus populum ſuum à rege Aſſyriorum liberet; ſed longe majus, ſore ut liberet à peccatis à Diaboli tyrannide &c. At primo errat Maldonatus, quod pro Regibus Syriæ & Iſraëlis Regem Aſſyriæ ponit. Non enim ab hoc, ſed ab illis duobus Regibus liberatio Achaſo promiſſa eſt: uti patet ex verſ. 16, ubi inquit Propheta: *antequam puer iſte, (è virgine naſciturus) norit reprobare malum & eligere bonum, terra, quam averſaris, derelinquetur à duobus Regibus ſuis.* Per hanc *terram* intelligunt aliqui Judeam terram, quod ab hoſtilibus copiis duorum Regum fuerit liberanda. Verum eſt multo veriſimilis, per eam intelligi terram Syriæ & Iſraëlis, quam Achaſus averſabatur: quæque à Regibus ſuis derelicta eſt; quoniam uterque altero aut tertio poſt hoc vaticinium anno obtruncatus eſt. Ac Pecah quidem Rex Iſraëlis jugulatus eſt ab Hoſea Filio Elæ 2 Reg. 15. 30, Raſis autem Rex Syriæ cæſus eſt à Tiglath-Pilaſſaro Rege Aſſyriæ 2 Reg. 16. 9. Deinde negare tamen Maldonatus non poteſt, quod Achaſo promiſſa ſit ab hoſtibus ejus liberatio, quodque ejus rei ſignum ipſi datum fuerit à Propheta. Quod quia, ut Maldonatus ſentit, multo majus eſſe debebat, quam quod Achaſus petere non audebat, & quia ejus impletio poſt multos centenos annos demum ſperanda erat, quomodo, quæſo, Achaſus ex tali ſigno ſolatium aliquod & certam liberationis ſuæ ſpem haurire poterat? Domus ſane Davidis per plures annorum centurias durare poterat, poſt Achaſum, etiamſi ipſe tunc cum aliqua populi parte interiret. Quare reſponſio hæc Maldonati objectionem Judæorum nequaquam tollit.

Calvinus exiſtimat, Eſaiam Prophetam ad hunc modum cum Achaſo egiſſe, quaſi dixiſſet: *Tu quidem diffidis promiſſis Dei; is vero ea nihilominus implebit. Mittet enim Meſſiam, cujus gratia hanc civitatem* (Jeruſalem) *ſervabit.* Sed quænam rurſus hinc conſolatio ad Achaſum redundare potuit, quæ certitudo, quod eum Deus liberare atque tutari ab hoſtibus velit, ſi promiſſio, quæ hic fit, tam longo poſt tempore, in adventu demum Meſſiæ, id eſt, poſt aliquot annorum centurias implenda erat? Poterat enim Jeruſalem nihilominus manere incolumis uſque ad Meſſiæ ortum, tametſi ſub Achaſo Rege ab hoſtibus occupata, & Rex una cum multis aliis de domo Davidis oriundis interemptus fuiſſet. Ideo neque hæc reſponſio ad rem facit.

Piſcator, cui etiam Spanhemius adſtipulatur, alia rem ratione aggreditur, cenſetque Prophetam in hunc ferme ſenſum eſſe locutum: *Quam certum eſt, Deum ſervaturum promiſſionem ſuam Davidi factam, de Chriſto ex poſteris ipſius naſcituro; cui promiſſioni omnes vere pii fidem habent, nec ipſi hypocritæ derogare fidem audent: tam certum quoque eſt, ipſum ſervaturum promiſſionem hanc ſingularem de vobis liberandis à*

præ-

præſentibus hoſtibus, &c. Verum ſic Achaſo tamen nullum ſignum liberationis ab hoſtibus ejus daretur, quod tamen Propheta ei promittit, certaſque ejus circumſtantias deſcribit. At Piſcator ait porro: *Erit autem illa Chriſti naſcituri conceptio vere ſignum, id eſt, opus miraculoſum; quoniam fiet à virgine* &c. Verum id quidem eſt: ſed de tali ſigno hoc loco agitur, ex quo Achaſus vel domus Davidis intelligere poſſet, ſe à ſuis inimicis, duobus ſcilicet Regibus, liberatum iri. Tale autem ſignum neutiquam eſt hoc, quod Piſcator ſtatuit: quemadmodum ipſemet fatetur, inquiens: *Nomen ſigni hic uſurpatum eſſe per ἀντίπλασιν, diverſo paulum ſenſu ab illius acceptione in verbis præcedentibus, ubi Propheta Achaſo dedit optionem ſigni. Illic enim ſignificatur, Deum paratum eſſe ad promiſſionem Regi factam obſignandam, opere aliquo miraculoſo in omnium oculos incurrente. At hic non jam ſignificatur tale opus, quod in oculos incurſurum ſit, & quod jam jam ſit edendum; ſed opus miraculoſum illud quidem, atque adeo miraculorum omnium maximum: veruntamen arcanum, & ad Salutem ſempiternam omnium piorum neceſſarium.* Hactenus Piſcator. Sed quid cauſæ habet Piſcator, quod vocem *Signi* poſterius in alia ſignificatione accipiat, quam prius ab initio? Eccur dicit, Prophetam de tali ſigno loqui, quod in oculos non ſit incurſurum? Profecto tunc nihil plane ad rem pertinuiſſet, ſi Propheta de alio locutus fuiſſet ſigno, quam de tali, quod ad faciendam fidem liberationi Hieroſolymæ à duobus Regibus ſervire poterat. Etenim mens Prophetæ fuit, tam Achaſum quam totum populum (qui fidem ipſi & promiſſis, quæ Dei nomine offerebat, adhibere cunctabatur) externo aliquo ſigno, quod cuncti oculis ſuis perciperent, confirmare, & quodammodo convincere, ne res iſta ſola ipſius auctoritate, quæ apud ipſos evilverat, niteretur, utque non nudis ejus verbis, ſed ſuiſmet ipſorum oculis credere poſſent. At ex Calvini & Piſcatoris ſententia Rex atque populus, cum eis Propheta nomine Dei ſignum de miraculoſa nativitate Meſſiæ propoſuiſſet, non plus quam antea ſolatii & anſæ ad credendum promiſſo Dei de ſua liberatione habuiſſent. Tam enim hujus promiſſionis de Meſſia naſcituro, fides ac veritas, quam illius de liberatione ab hoſtibus, ſolis Prophetæ verbis, ac nudæ ejus auctoritati, nullo miraculo confirmatæ, innixa fuiſſet. Cum tamen auctoritatis ejus exiguum apud illos eſſet pondus, verbaque ejus fidem non invenirent, uti liquet ex ℣. 9. Sed nec verba ℣. 16 cum hoc ſenſu congruunt: *Antequam puer iſte ſciat diſcernere bonum a malo, terra derelinquetur.* Qui poſſunt verba hæc ad Chriſti tempora applicari? Vidit ipſe Calvinus ea nullo modo in Chriſtum quadrare. Ideo ſcribit, non eſſe veriſimile, quod promiſſio hæc de regni Syriæ ac Samariæ interitu, qui non multo poſt conſecutus eſt, poſt 500 annos, id eſt, in adventu demum Chriſti impleri debuerit: idque ait nimis abſurdum eſſe. Vult igitur Calvinus, verba hujus verſiculi non ad Chriſtum pertinere, ſed in genere de omnibus pueris intelligi; quaſi diceret Propheta: *Antequam* pueri, qui poſthac naſcentur, diſcernere poterint malum à bono, terra hæc, quam horres derelinquetur. Alii, ut Piſcator, exiſtimant, verſum 16 loqui de Sear-Jaſub filio Eſaiæ, cujus verſ. 3 fit mentio, ſolumque verſum 14 de Chriſto agere. Sed perquam perſpicuum eſt, in utroque verſiculo 14 & 16, de uno eodemque puero agi. Etenim verba verſ. 14, 15, 16 ita cohærent interque ſe nexa ſunt, ut ſine violentia divelli nequeant. Certum eſt proinde, eos Judæorum objectionem nulla ratione ſolvere poſſe, qui verba verſ. 14 ſimpliciter tantum de Chriſto puero ſumunt, nec literalem ſenſum, quo verba de alio puero, qui Chriſti figura fuerit, in quo prophetia Achaſi temporibus impleta fuerit, intelligatur, admittere volunt. E contrario, ſi duplex ſenſus illorum verborum ponatur, literalis alter, alter myſticus (uti ſupra declaratum) belle res tota & abſque omni coactione procedit, Judæiſque os commodo obſtrui poteſt.

Et vocabitur nomen ejus Immanuel.] Græc. καλέσει, *vocabunt*. Sic habent pleraque Græca exemplaria, & Syriaca verſio. Aliqua tamen exempla reperiuntur, quæ ex Hebræo vertunt, κλήσεις, *vocabis*. Res eodem recidit, ſive hoc ſive illo modo legatur.

Objectant hic rurſus Judæi Chriſtianis, Prophetiam hanc non poſſe Chriſto accommodari, quia ipſi non *Immanuelis*, ſed *Jeſu* nomen ſit impoſitum. Verum jam olim Patres Eccleſiæ, ut Maldonatus refert, hanc objectionem ſatis ſuperque diluerunt. Videlicet non hæc fuit Eſaiæ Prophetæ aut verborum ejus mens atque ſententia, proprium nomen Chriſti fore *Immanuel*, ſed rem ipſam hoc nomine ſignificatam ei competituram, ut jure merito ſic vocari poſſit. Non eſt enim in Sacris Literis inſolens, inprimis apud Eſaiam Prophetam, ut de certa aliqua re vel perſona dicatur, eam hoc vel illo nomine vocatum iri, non quod revera hoc nomen habitura ſit, ſed quod jure ita vocari potuerit, eo quod res nomine illo ſignificata ei competat. Ita Eſaias inquit de Jeroſolyma cap. 1. 26, eam vocandam eſſe *civitatem juſtitiæ*, & cap. 60. 14, eam vocatum iri *civitatem Jehovæ, Sionem Sanctorum Iſraëlis*, & rurſus 62. 4, nomen ejus fore *Deliciæmeæ*. Ezechiel quoque cap. 48. 35 dicit, Jeruſalem nominandam, *Hic eſt Jehova*. Similiter ait Jeremias cap. 23, eandem dicendam, *Jehova juſtitia noſtra*. Eodem modo etiam ſub Ezechiæ typo de Chriſto dicitur, eum vocatum iri, *Admirabilem, Conſiliarium, Deum fortem, patrem æternitatis* (id eſt, futuri ſeculi, uti expreſſe habet Græca & Latina verſio) *principem pacis* Eſai. 9. 6, non quod Chriſtus tot nomina habiturus eſſet, ſed quod res ipſæ nominibus iſtis indicatæ, in ipſo locum eſſent habituræ. Vide plura exempla Eſai. 8. 3. Jer. 3. 17. xxxiii. 16. Zach. 8. 3.

Quod eſt, ſi interpreteris, Nobiſcum Deus.] Immanuel eſt Hebræum nomen, ex pluribus vocibus compoſitum: & ſignificat *Nobiſcum* eſt *Deus*, uti ipſe Evangeliſta hoc loco declarat. Nam *Im*, eſt *cum*, *Immanu* eſt *nobiſcum*: & *El* eſt *Deus*. Sic ergo totius nominis ſignificatio eſt, *Nobiſcum Deus*: indicaturque hoc nomine, Deum nobiſcum fore. Quæ verba in Scriptura Sacra crebro uſurpantur, neque aliud iis innuitur, quam Dei favor, gratia & auxilium. Vide inter alia Joſ. 1. 5. Jer. 1. 8. Act. 18. 10.

Inde eſt, quod docti quidam viri, interque eos. Tertullianus contra Judæos peregregie, obſervarunt

voces *Jesu* & Immanuelis sono verborum tantum, non reipsa differre, inque Christo utriusque nominis significationem convenire. Ille enim est *Jesus*, id est, servator & liberator dictus, quia nos à peccatis & morte æterna liberavit, salutemque sempiternam nobis peperit. *Immanuel* autem vocatur, quia Deus, dum nobis in Christo æternam salutem obtulit, verissime ac perfectissimo modo se nobiscum futurum esse declaravit.

Hinc jam patescit, quam vana sit illorum opinio, qui ex hoc nomine *Immanuelis* Mysterium Incarnationis demonstrare conantur. Nimirum omnium ejusmodi errorum origo ex eo est, quod homines non ex Sacra Scriptura rectum sensum atque intellectum hauriant, sed suas præconceptas opiniones in Scripturam inferant, eamque ad suum sensum detorqueant. Profecto nisi quis hanc sententiam de Dei Incarnatione ante in animo foveat, ex hoc eam loco nunquam discere poterit. Ajunt quidem, præstantiam & perfectionem hujus Prophetiæ, quod Deus nobiscum futurus sit, quæ in Christo impleta est, omnino requisivisse, ut Deus ipse sese cum humana nostra natura uniret ac verus homo fieret. At unde probatur, rem id requisivisse, Deumque non potuisse alia ratione, quam hac absurda & natura sua impossibili, nobiscum esse? Verba ipsa certe, seu significatio nominis *Immanuelis* id nequaquam postulat. An enim toties Deus humanam naturam assumere dicendus est, quoties se declarat cum hominibus futurum, id est, illis gratia & auxilio adfuturum? Quod vero Deus perfectissimo modo per Christum nobiscum sit, quodque adeo Christo nomen hoc excellentissimo modo conveniat, id nullo pacto tam absurdam rem, qualis est incarnatio, nos statuere cogit: sed satis est, ut dicatur, Deum in Christo & per Christum gratiam suam perfectissimo modo nobis exhibuisse, eam scilicet gratiam, quæ in perfectissima peccatorum omnium remissione, & gratuita vitæ æternæ collatione consistit. Hic sensus est clarus ac simplex, qui cum tota Sacra Scriptura consentit: alter autem ille de Incarnatione Dei, non tantum est Scripturæ prorsus incognitus, sed etiam omni sanæ rationi contrarius. Cæterum objiciunt, colligi nihilominus ex hoc nomine posse, quod Christus sit ille ipse Deus altissimus, qui nobiscum sit futurus. Unde vero id Colligi potest? Inde inquiunt, quod nomen *El*, quod Deum notat, in nomine *Immanuelis* contineatur.

At ea ratione innumeros homines, nec non Angelos sequeretur esse Deum altissimum, nempe omnes eos, quorum in nomine nomen Dei *El* continetur. Ut Samuel, Michael, Gabriel, Raphael, Besaleel, Daniel, Abiel &c. Quin superius intellexi-mus, civitatem Jerusalem vocandam fuisse nomine, in quo nomen *Jehova*, quod Dei altissimi proprium ac peculiare nomen est, simul includebatur, nimirum, *Hic est Jehova* Ezech. 48. 35, & *Jehova justitia nostra* Jer. 23. 6. Dantur etiam nomina, quibus inest nomen Dei *Ja* (quod idem est quod Jehova, sed contractum) ut *Asarias*, Auxilium Dei, *Asanias*, *Jechonias*, à Deo præparatus, *Urias*, Dei lumen, *Usias*, Dei fortitudo &c. Latet autem error inter alia etiam in eo, quod nomen *El* Deus, à reliqua nominis parte *Immanu* divellatur. Esaias enim non dicit, eum *El* seu Deum appellatum iri, sed integrum hoc dictum *Immanuel*, *Nobiscum Deus*, nomen ejus fore. Quemadmodum etiam Ezechiel & Jeremias non asserunt, civitatem Jerusalem *Jehovam* vocatum iri, sed totam hanc enunciationem, *Hic est Jehova*, & *Jehova justitia nostra*, pro nomine ei fore; id est, rem hac tota enunciatione designatam de Jerusalem prædicatum iri. Talia nomina etiam apud Germanos vulgo in usu sunt: ut Godofredus, Godovaldus, Godlibius, &c. Nemo tamen ex his, qui ita nominantur, Deus est altissimus. Tertullianus optime ait: *Ita constat jam venisse illum, qui prædicabatur Immanuel, quia, quod significat Immanuel, venit*, id est, *nobiscum Deus*.

Vers. 24. *Excitatus autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.*] Versu superiori Matthæus demonstravit ex Sacra Scriptura, Mariam salva virginitate Christum concepisse: nunc idem probat ex proprio Josephi facto. Quam enim subito ille animum suum mutavit? Prius cum male suspicaretur de sua conjuge, magno curarum ac variarum cogitationum fluctuabat æstu, prorsusque decreverat cum ea facere divortium: at nunc post hoc somnium illico acquiescit, & conjugem ultro in domum suam recipit. Unde intelligitur, ipsi de illibata conjugis ejus castitate omnem scrupulum fuisse exemptum. Enitet autem hic Josephi ad obsequium promptus animus, dum è vestigio Angeli mandatum exequitur. Non fuit incredulus cœlesti visioni, uti etam Paulus de se affirmat Act. 26. 19. Poterat somnium istud vilipendere, poterat id pro vana & falsa imagine habere: sed quia videbat, somnium hoc tam cum moribus castissimæ virginis, quam cum iis, quæ ipsa postmodum narravit, optime convenire, idcirco facile fidem ei adjunxit, maluitque rationi, quam suis assensum præbere affectibus. Neque enim existimandum est, ejusmodi divinas revelationes, etsi talibus cum circumstantiis fiant, ut iis plane convinci animus possit, quod Deo auctore eveniant, eripere homini facultatem resistendi, seu libero hominis arbitrio vim facere. Inde est, quod Paulo quoque Apostolo, quamvis cœlitus vocato, concessum est spatium vocationi parendi, vel eidem se opponendi, dum ad Ananiam in urbem missus est, neque mox quid facere deberet, ei indicatum est Actor. 9. 10. Ex quo perspicere est, quam Deus nullam coactam, sed spontaneam omnino obedientiam ab homine requirat. Duabus autem in rebus Josephus obsequii sui promptitudinem testatus est. Primo dum Mariam uxorem suam assumpsit: deinde dum infanti, cum natus esset, nomen *Jesu* imposuit. De quo posteriori in sequenti agetur versiculo.

Vers. 25. *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.*] Hic Matthæus ostendit, Mariam non tantum ante conceptionem, sed etiam post eam, quin etiam in ipso partu, virginem fuisse. Ait enim, Josephum non cognovisse eam, id est (usitato in Scripturis loquendi modo Gen. 4. 1, 17, 25. XIX 8. XXIV. 16 &c.) non connubiali conjunctione cum ea usum, donec peperit filium suum primogenitum, Sanctum nimirum illum fœtum ex Spiritu Sancto conceptum.

Vocula

Vocula *Et* (*& non cognovit eam*) hic pro *autem* v.l *ſed* ponitur, quaſi dicat: Aſſumſit uxorem ſuam, ſed eam non cognovit.

Quod hoc loco ab interpretibus de partu Mariæ diſputatur, an læſo ac aperto utero pepererit, uti Scriptura de gignentibus loqui amat Exod. 13. 2. xxxiv. 19, an vero per clauſum uterum infans tranſierit (quemadmodum etiam non pauci de Chriſto credunt, quod per clauſam januam ad ſuos diſcipulos introierit Joh. 20. 19) in qua opinione ſunt Patrum permulti, & hodie plerique è Pontificiis, videtur eſſe revera inutilis ac curioſa controverſia. Non tamen illorum adeo abſurda & hæretica ſententia eſt, qui Mariam eo modo peperiſſe ſtatuunt, quo vulgo omnes parere ſolent fœminæ. Cum enim Chriſtus non imaginarium, ut Cerinthus, Valentinus & alii arbitrati ſunt, ſed verum corpus humanum habuerit, Maria quoque vera mulier fuerit; non eſt utique abſurdum, Chriſtum infantem modo naturali, quem ipſe Deus inſtituit, genitum eſſe. Neque virginitas Mariæ in eo conſtitit, quod clauſo pepererit utero, ſed quod ante partum à viro cognita non fuerit. Vide Luc. 2. 23.

In Joſepho propoſitum habemus ſingularis continentiæ atque caſtitatis exemplum, quod etiam in matrimonio ab uxore ſua abſtinuerit, ad quod faciendum non ullo mandato, ſed ſpontanea ac vere pia reverentia erga Sanctum uxoris fœtum impulſus eſt. Pontificii ſtatuunt, ſingulare votum Virginis Mariæ interveniſſe, quod illa antequam Joſepho deſponſata eſſet, voverit, ſe virginitatem toto vitæ ſuæ tempore ſervaturam, idque votum Joſephum violare nec debuiſſe, nec voluiſſe. Verum talia ſcribere ac credere illis ſane integrum eſt, quibus religio non eſt in religione, quicquid libet, fingere ac comminiſci: nobis autem nefas eſt affirmare ea, de quibus nobis neque è divina revelatione, neque aliunde certo conſtat. Mariam ejuſmodi ſe obſtrinxiſſe voto, nuſquam in Sacris Literis legitur. Et tametſi id feciſſet, probari tamen nequit, voto iſti parentes ejus conſenſiſſe: ſine quorum conſenſu filiarum vota omnia ſunt invalida Num. 30. 5, 6. Denique nulla eſt vel umbra probabilitatis, Joſephum calculo ſuo hoc votum approbaſſe. Imo quid opus fuiſſet ei omnino uxorem ducere, ſi naturale deſiderium ſuſcipiendi ex ea liberos explere non poterat? Præcipuum commentitii hujus voti à virgine Maria facti argumentum ſumunt Pontificii ex Luc. 1. 34, ubi Gabriëlem Angelum de conceptione annunciantem ſic Maria alloquitur: *Quomodo hoc fiet, quoniam virum non cognoſco?* Sed de eo ad Lucam cum Deo agemus. De opinione Helvidii, aſſerentis Joſephum & Mariam, poſt Chriſtum in lucem editum, conjugali conſuetudine uſos, pluresque genuiſſe liberos, Vide Appendicem 8 hujus capitis.

Primogenitum.] Titulus iſte ad dignitatem Chriſti exprimendam facit. Sub Lege enim (ut doctiores inter Judæos ad locum Geneſ. 49. 3 annotant) primogeniti triplici prærogativa præ cæteris fratribus gaviſi ſunt. Primo regnum in tribu Judæ. Secundo ſacerdotium in tribu Levi. Tertio duæ patrimonii partes, ipſis debebantur Deut. 21. 17. Quanquam prærogativa iſta in Chriſto, quatenus Joſephi ac Mariæ filius fuit, perexigua aut etiam nulla prorſus fuit. A Joſepho enim ille nihil accepit, præter filii Davidis appellationem, quia eum Deus modo ſupernaturali domui ejus inſeruit. Verum prærogativæ iſtæ primogenituræ in Chriſto, ſpirituali & multo excellentiori ſenſu conſiderandæ ſunt. Nempe ille eſt Rex cæleſtis regni Dei, cujus in ſolio reſidet: ille eſt Pontifex æternus, qui in cœleſti Sanctuario pro nobis apparet: eſt denique unicus hæres omnium cœleſtium bonorum Dei.

Et vocavit nomen ejus Jeſum.] Quia verba hæc in una ſerie cum antecedentibus cohærent, Matthæus autem in ſuperioribus egit præcipue de Joſepho, quomodo ſe erga uxorem ſuam geſſerit, probabile eſt, ea de Joſepho quoque intelligenda eſſe, quod ſcilicet ille nomen *Jeſu* infanti indiderit. Id quippe patribus inprimis, quando in vivis ſunt, competit. Alioquin idem quoque Virgini Mariæ ab Angelo annunciante conceptionem injunctum fuit Luc. 1. 31.

I. APPENDIX.

Ad verſ. 5.

Quod Rachaba Jerichuntina vere meretrix fuerit.

QUod Rachaba ex Jericho oriunda, quam duxit Salmon, vere fuerit meretrix, à Veteribus Eccleſiæ Doctoribus pleriſque non fuit dubitatum. Sed aliqui è Judæorum Rabbinis Salomon, Kimchi &c. quibus etiam Lyranus aſſentitur, negant eam meretricem fuiſſe, ſed hoſpitam vel tabernariam fuiſſe cenſent. Idque deducunt ex Hebræa voce *Sonah*, quem & *meretricem* & *hoſpitam* ſignificare contendunt. Equidem ſi origo vocis iſtius ſumatur ex Chaldaico vocabulo *Sun*, quod cibum denotat, vox *Sonah* ſignificabit altricem vel cibatricem, id eſt, hoſpitam, quæ cibum præbet hoſpitibus. Sed ſi derivetur ab Hebraico vocabulo *Sanah*, quod proprie eſt meretricari, fornicari, nihil aliud ſignificabit *Sonah* quam meretricem. Jam vero nullum exemplum produci poteſt, quod vox *Sonah* pro hoſpita aliquando, & aliter quàm pro meretrice accipiatur. Unde etiam lxx interpretes in loco Joſ. 2. 1, eam τὴν πόρνην, meretricem appellant: quos ſequuntur auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. xi. 31, & Apoſtolus Jacobus cap. 2. 25, à quibus etiam πόρνη, meretrix vocatur.

Quod hic contra opponitur Chaldaicus Paraphraſtes, qui in loco Joſ. 2 utitur verbis, *Ithka Bonerkitha*, id eſt, *mulieris cujuſdam hoſpitæ* (ut ipſimet interpretantur) incertum omnino eſt, an apud eum vox *Bonerkitha* hoſpitam ſignificet: is enim Judic. xi. 1. xvj. 1. 1 Reg. 3. 16 idem hoc vocabulum ponit in ſignificatione meretricis. Præterea teſtimonium Jacobi & Auctoris ad Hebræos longe præferendum eſt teſtimonio Paraphraſtis Chaldæi. Sed & res

ipſa

ipsa probabile facit, Rachabam, cum ut ex omnibus circumstantiis constat, hospita in diversorio fuerit, quæ itinerantes hospitio susceperit, simul etiam meretricem fuisse. In Oriente enim, non secus atque hodie in Italia & Hispania, non fœminæ sed viri Cauponiam exercent, & in diversoriis hospites excipiunt, qui tametsi etiam uxores habeant, eas tamen ut plurimum abditas habent, ut ab hospitibus peregrinis non conspiciantur. Quod si quando fœminæ viris carentes tabernariæ sint atque hospitarum fungantur officio, plerumque etiam simul sunt meretrices, aut si ipsæ ob ætatem provectam ad id idoneæ non sint, alunt eo fine ancillas juvenculas, ut tam ex hospitio, quam ex earum corpore quæstum habeant, hospitesque eo magis ad se alliciant. Cum igitur & hæc Rachaba à suis parentibus sejuncta fuerit ac separata (uti ex Jos. 2.18 videre est) cauponaria arte vitam toleraverit, neque vel ex ejus, vel ex Scripturæ verbis constet, quod virum unquam habuerit; dubitandum non est, quin illa quoque de grege ejusmodi impudicarum fœminarum fuerit: præsertim eo in loco, nec non in ea gente, in qua fornicatio neque pro peccato habebatur, neque infamis erat.

Si quis dixerit, exploratores in loco tam inhonesto non hospitaturos fuisse, ad id facile responderi potest. Unde enim illi scire poterant, qualis fœmina fuerit Rachaba? Et quem ea de re percontarentur, qui multorum hominum conspectum quàm maxime vitabant? Deinde diversorii commoditas eos potissimum invitavit, ut ad eam diverterent: situm enim erat prope mœnia urbis, in loco tam ad latendum quàm ad fugiendum opportuno. Cujus rei majorem illi habuerunt rationem, quam morum Rachabæ, qui illis neque periculum creare, neque sinistram suspicionem conciliare poterant.

II. APPENDIX.

Ad vers. 5.

Quomodo inter Salmonem & Davidem nonnisi tres viri recenseantur, cum interea 366 effluxerint anni?

INter Salmonem & Davidem tantum tres collocantur viri, nempe Boosus, Obed & Jesse. Hinc emergit quæstio: Quomodo id fieri potuerit, cum 366 hoc tempore intercesserint anni? Templum enim Salomonis ædificatum fuit anno 480, post egressum Israëlitarum ex Ægypto, regni autem Salomonis 4 anno 1 Reg. 6.1. Si igitur ab hoc numero annorum 480 detrahantur isti 4 anni regni Salomonis, & 70 anni vitæ Davidis 2 Sam. 5.4, & 40 anni commorationis Israëlitarum in deserto, post exitum ex Ægypto durantis usque ad expugnationem Jerichuntis (quæ facta est mox ubi transgressi sunt Jordanem Jos. 3.17. vt. 21) remanent ab expugnatione ista Jerichuntis usque ad nativitatem Davidis 366 anni. Cum vero Rachaba jam tunc propriam domum ac familiam habuerit, aque parentibus suis separata fuerit, ut ex Jos. 2.18 intelligitur, oportet eam non adeo teneræ ætatis fuisse, sed saltem 20 annorum fuisse. Posito autem, eam anno 66 ætatis suæ Boosum ex Salmone genuisse (quod profecto sine miraculo vix potuit fieri) manebunt adhuc 300 anni à nativitate Booſi usque ad nativitatem Davidis. Qui si dividantur in tres æquales partes, sequetur Boosum centesimo ætatis suæ anno Obedem, Obedem itidem centesimo anno Jessen, & Jessen similiter centenarium Davidem genuisse. Quod si quid de Rachabæ 66 annis, quibus Boosum genitum ponimus, detrahatur, id accedet annis trium istorum virorum Booſi, Obedis & Jesses, sequeturque vel quemlibet ex eis, vel unum aut alterum eorum supra centesimum annum filium suum genuisse. Atqui pro miraculo habetur, Abrahamum centenarium genuisse Isaacum Genes. 17. 17. xxi. 5. Siquidem corpus ejus jam ad procreandum liberos emortuum erat Rom. 4. 19. Quare hoc quoque absque miraculo evenire haud potuisset. Quamvis enim unius aut alterius natura vegetior robustiorque fuerit, non est tamen credibile, casu accidisse, ut omnes tres continua serie, tam provecta ac decrepita ætate genuerint, Scripturamque rem tam miraculosam silentio transmissuram fuisse.

Nec obscure colligitur, Rutham mox post consummatum cum Booso matrimonium gravidam factam esse, Obedemque genuisse. Quis vero credat, eam centenario viro nubere tam impense voluisse? Etsi enim Boosus illi concubitum suum expetenti dixerit: *Benedicta esto Jehovæ, filia mea, majorem tu nunc benignitatem mihi præstas priore, dum non es secuta ullum juvenum* &c. Ruth. 3. 10, non tamen exinde aliud inferri potest, quam Boosum tunc non fuisse juvenem. Potuit autem esse in ipso flore virilis ætatis 50 aut 60 annorum, ut à centum annis adhuc longe abesset.

Has rationes quisquis agnoscit esse validas ac prægnantes, statuat oportet, quod in libris Veteris Testamenti, è quibus Matthæus genealogiam hanc descripsit, aliqui omissi sint viri inter Salmonem ac Davidem, forte ideo quod obscuriores & ignoti essent. Cui sententiæ objici potest consensus libri Paralipomenen & Luc. 3.34, cum libro Ruthæ & cum Matthæo. Verum responderi potest Scriptorem Paralipomenon eum servasse in scribendo ordinem, quem in libro Ruthæ reperit: Lucam autem & Matthæum utriusque instituisse vestigiis. Qua responsione simul & illorum diluitur objectio, qui ajunt, Matthæum hac ratione non potuisse 14 generationes in primo genealogiæ Christi membro ponere. Non enim is plures tenebatur ponere generationes, quam in Scriptura erant expressæ: cum præterea absque peculiari revelatione (qua hoc loco opus non erat; Scripturæ enim testimonium adversus Judæos sufficiebat) sciri non posset, quot & quæ personæ nominatim omissæ fuerint.

Josephus lib. 5. cap. xi, historiam Ruthæ ac Booſi ad tempora Heli Sacerdotis refert, qui Samuelem Judicem Israëlis antecessit. Jam vero ab ingressu Israëlitarum in promissam terram usque ad tempora

Heli

Heli plures quam 300 anni elapſi ſunt: ſic oportuiſſet quoque inter Salmonem & Booſum aliquot generationes omitti. Verum autumant docti nonnulli viri, ſe ex ipſo Joſepho demonſtrare poſſe, eum in ſupputatione temporum erraſſe, hiſtoriamque Ruthæ longe ante tempora Heli accidiſſe.

III. APPENDIX.

Ad verſ. 6.

Utrum Salomon ante obitum ſuum reſipuerit?

SAlomonem Regem ultimo ætatis ſuæ tempore cor ſuum à Deo avertiſſe, Diiſque peregrinis addixiſſe 1 Reg. xi. 4 & ſeqq. deſcribitur. Vulgo autem creditur, Salomonem ante obitum ſuum reſipuiſſe, ac ita mortuum eſſe, ut nulla de ſalute ejus ſit dubitatio. Quæ ſententia ipſo Sacræ Scripturæ ſilentio refutatur. Si Salomon converſus fuiſſet ad Deum, ſuſtuliſſet excelſa, quæ Chamoſo, Molocho aliiſque idolis Ethnicis ædificaverat, removiſſet ex terra omnia ſcandala, ſolique vero Deo adhæſiſſet: quin & alienigenis uxoribus ſuis non permiſiſſet, Ethnica ſacra, maximo cum populi divini offendiculo peragere, ſanctamque terram profanare. Hæc ſi feciſſet, vera fuiſſet pœnitentia. At Scriptura nihil horum ab eo factum eſſe memorat: nec poſſibile eſt, quin ſi id factum fuiſſet, mentionem ejus rei feciſſet aliquam; quemadmodum de Davidis aliorumque Regum pœnitentia ac converſione meminit. Sed nec Joſephus de converſione Salomonis quicquam habet.

Argumentum reſipiſcentiæ ejus, quod vulgo affertur, eſt tam exiguum, ut vix dignum ſit commemorari. Nempe id ſumitur ex verbis, quæ habentur ad calcem in ejus Eccleſiaſte: *Summa totius ſermonis eſt. Deum reverere & ſerva ejus præcepta: hoc enim omnibus hominibus incumbit. Nam Deus omne opus adducet in judicium, quod occultum eſt, ſive bonum ſit, ſive malum.* Hiſce verbis putant quidam, turpem illam idololatriæ maculam jam eſſe aſterſam, Deumque plene conciliatum. Ita nimirum homines hodie liberales cœli diſpenſatores ſunt, ut ei quoque, qui totum vitæ ſuæ tempus in peccatis ac impietate tranſegit, ſi modo in agone mortis conſtitutus ſe ſoletur aliquo Scripturæ dicto, aut minimum tantum ſignum animi ad vitam æternam anhelantis edat, ſalutem certo aſſignent: cum tamen pleriſque potius circumſtantis & inevitabilis mortis imago, terrorque ob oculos verſantis abyſſi tenebrarum, tales ſententias exprimat, nec non deſiderium ſalutis in eis efficiat, quam vera erga Deum charitas & obedientia, quæ charitas nunquam animos eorum ſubiit, quæ eſt veræ pœnitentiæ fundamentum quæque non in momento, quo quis velit, ſe animo implantari ſinit, maxime in inſtantis mortis articulo, ubi vigor mentis jam ferme extinctus eſt. Unde experientia docet, ubi tales convaluerint, vix milleſimum ex eis vitam ſuam emendare, ſed conſuetum carnalis vitæ curriculum porro continuare. Sumunt autem pro conceſſo ii qui cœlum Salomoni deſpondent, quod probari nequit, Salomonis ſcilicet Eccleſiaſten poſt lapſum ejus inque ſenecta eſſe conſcriptum. Etſi enim multa ille verba facit de ſua omnium voluptatum experientia, earundemque vanitate cap. 2, tamen nihil impedit, quominus id ante lapſum ejus factum fuerit. Deinde ſi libellum hunc poſt ſuam ſcripſiſſet reſipiſcentiam, qui fieri potuiſſet, ut tam profana dicta, & Epicuri gregem redolentia, quæ in eo leguntur, ex ejus contrito & per pœnitentiam compuncto corde pullularent? Quale eſt inter alia, quod unus & idem ſit Spiritus hominum ac jumentorum, quodque interitus eorum ſit ſimilis cap. 3. 19, 20. Ubi etiam eſt vel unicum verbulum in eo, quo ſuum lapſum deploret, aut ſe coram Deo humiliet? quemadmodum David in Pſalmis ſuis facit, quamvis lapſus ejus multo fuerit minor, quam Salomonis, cujus cor prorſus à Deo adverſum fuit, cum Davidis ſemper manſerit integrum.

Salomoni autem accidit, quod omnibus ſub Lege conſtitutis (qualium & hodie ſub Euangelio non exiguus eſt munerus) apud quos carnales concupiſcentiæ lumine rationis potentiores ſunt prævalentque: quos Paulus Rom. 7. 14, 15 deſcribit. Apparet enim, ſummam ejus ſapientiam potiſſimum ſitam fuiſſe in cognitione terreſtrium ac naturalium rerum, inque plurimis inutilibus ac curioſis artibus, non in clara, rationali & firma notitia divinæ voluntatis ineffabiliſque bonitatis, quam erga homines, ſibi obſequentes & filiali amore ac fiducia adverſum ſe præditos, etiam poſt ſera eorum fata vult demonſtrare Deus: quam Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, David aliique Sancti probe cognitam habuerunt. Hæc enim ſola congnitio vim habet hominem adverſus omnes tentationes carnis ac mundi inculpatum conſervandi. Credibile quidem eſt, Salomoni haud ignotum fuiſſe Legis divinæ ſenſum: ex omnibus tamen factis ejus colligitur, intellectum ejus ſupra literam non aſcendiſſe altius, nec à ſapientia ejus majus atque excellentius bonum aut felicitatem fuiſſe ipſi monſtratam, vel ab ipſo quæſitam, quam quæ in lege promittebatur, quæ non alia fuit, quam vitæ hujus temporariæ proſperitas. Itaque totus carnalibus immerſus voluptatibus, caruit viribus in obedientia legis divinæ permanendi, adeoque gravia ipſi fuere Dei mandata, ut tandem in idololatriam incideret. Nam niſi caro à filiali Dei Spiritu intra obſequii cancellos contineatur, voluntatem Dei, quæ nonniſi intellectu ſublimiori ac illuminato cognoſcitur, ſervare nequit: quandoquidem illa à ſenſibilibus voluptatibus impellitur, eaſque aſſiduo ſectari cupit, ac reipſa ſectatur, quando ratio debilior eſt, quam ut carnis cupiditates reprimere, atque ex ſuperioris luminis dictamine frænare poſſit.

IV. APPENDIX.

Ad verſ. 16.

De vita ac moribus Joſephi, viri Mariæ.

JOſephi nomen ſignificat *augmentum*, vel *additionem*: deſcendit ab Hebræa voce *Jaſaph*, augere, addere: ut ex Geneſ. 30. 24 videre eſt. Vitam ac conditionem ejus quod attinet, vulgo creditur, eum civem & incolam Nazaretæ fuiſſe. Nicephorus autem auctor eſt, Joſephum & Mariam domum tam Bethlehemi quam Nazaretæ habuiſſe: quod cum ipſorum paupertate non ſatis videtur convenire. Fortaſſis media via non eſſet adeo abſurda: nempe ſi dicatur, Joſephum Bethlehemi habitaſſe (non in propria quidem domo, ſed in civis alicujus ædibus, unde deſcriptionis tempore Luc. 2 locum, extra ſtabulum, invenire non potuerunt) aut ſaltem in vicino aliquo Bethlehemi pago.

Quod viduus fuerit, multorumque liberorum pater, antequam Mariam ſibi deſponſaſſet, multaque alia fabuloſa in falſo Euangelio Jacobi recenſentur. Videtur autem ad hanc opinionem alia dediſſe auſam, nimirum quod Joſephus toto conjugii durantis tempore à concubitu cum Maria abſtinuerit, ideo ipſe ea ætate fuiſſe traditur à Scriptore iſtius Euangelii, quæ ad tam diutinam abſtinentiam aptior eſt, quam juvenum. Sed quia Joſephus non dubitavit juvenculam, qualem tunc fuiſſe Mariam maxime probabile eſt, matrimonio ſibi jungere, credibile eſt eum non adeo ſenem ac decrepitum fuiſſe. Non enim pietati ejus conveniſſet, tam inæquale conjugium inire: quod tamen à plurimis temerariis magis quam caſtis ſenibus fieri ſolet. Quid ipſi miraculoſi in conjugio cum Maria contigerit, id à Matthæo in ſecunda hujus capitis parte à verſ. 18 deſcribitur.

Quod eum Deus dignatus fuerit eo honore, ut pater unigeniti filii ejus, Regis Regum omnium evaderet, id teſtimonium inſigne præbet ejus ſummæ pietati, maximiſque virtutibus: tales enim Deus deligere ad præclara opera ſolet.

Quod in educando filio ſuo Jeſu, omnem paternam curam ac fidelitatem adhibuerit, demonſtrat ingens animi ejus ſolicitudo, qua diſcruciabatur, cum eum periiſſe putaret Luc. 2. 48.

Re fuit tenui atque anguſta; ideo manuum ſuarum labore ſe ſuſtentavit, artemque exercuit mechanicam ſeu architectonicam: quanquam Hilarius Can. 14 in Matthæum ſtatuit, eum fabrum ferrarium fuiſſe. Vide Matth. 13. 55. Marc. 6. 3.

Quando diem ſuum obierit, nuſquam ſcriptum eſt. Sed quia poſt inchoatum à Chriſto prædicandi munus, ejus nulla amplius fit mentio, apparet, eum jam ante è vita exceſſiſſe. Certe eum mortis Chriſti tempore in vivis non fuiſſe, exinde cernitur, quod Chriſtus matrem ſuam Johanni commendarit Joh. 19. 26.

V. APPENDIX.

Ad verſ. 16.

De vita ac moribus Mariæ matris Domini Jeſu.

MAria eſt nomen Hebraicum, atque hac lingua dicitur *Mirjam*, quemadmodum ſoror Aaronis appellata olim fuit Exod. 15. 20. Aliqui cenſent eſſe ex *Mariam*, perinde ut *Bileam* vel *Balaam*. Joſephus rerum Judaicarum ſcriptor, putat hoc nomen idem eſſe cum *Mariamne*, quo nomine dicta fuit Herodis uxor, Alexandri filii Ariſtobuli filia. Denotat autem Maria, *mare amarum*, ſeu *mare amaritudinis*. Ideo ſocrus Ruthæ proprio nomine vocari nolebat, quod erat Noëmi (id eſt, pulchra, hilaris, amabilis) ſed *Mara* dici voluit, id eſt, amara: quia eam Deus magno mœrore affecerat, ſublato una cum liberis marito Ruth. 1. 20. Sunt inter eruditos nonnulli, qui exponunt nomen *Mariæ*, *exaltatam*, ab Hebræa voce *Marar*, *exaltare*, *evehere*. Convenit utraque ſignificatio conditioni ac moribus ſanctiſſimæ hujus virginis. Supra omnes enim mulieres à Deo evecta eſt hac in parte, quod ex ea filium ſuum, Servatorem mundi, naſci voluerit. Quam exaltationem ſuam ipſa deprædicat in Cantico ſuo Luc. 1. 46, 47, 48. Hæc autem ejus exaltatio & præcellentia poſtmodum in ſummam amaritudinem converſa eſt, cum unice dilectum filium ſuum tam crudeliter affligi crucique affigi vidit. Tunc certe cor ejus quaſi gladio tranſfixum eſt, prout Simeon ei antè prædixit Luc. 2. 35.

Ortum & conditionem ejus quod attinet, vulgo creditur eam ex familia Davidis fuiſſe: eo quod alioqui Chriſtus non eſſet Davidis filius futurus. Alii cenſent eam fuiſſe ex tribu Levitica, quia fuerit cognata Eliſabethæ, quæ de tribu Levi atque Aaronis è familia oriunda fuit Luc. 1. 5. Quid de hac aut illa opinione ſentiendum ſit, in explicatione textus annotatum eſt.

Qui fuerint ejus parentes, Scriptura non indicat. Quod enim à pluribus aſſeritur, Lucam deſcripſiſſe ejus genealogiam, ac Heli ejus patrem fuiſſe Luc. 3. 23, nullum habet fundamentum, ut apud Lucam explicabitur. Matrem ejus Annam fuiſſe, certo caret teſtimonio, & in adulterino Jacobi Euangelio ſolum legitur. Magna ſunt indicia, Euangelium iſtud Jacobi eo inprimis ſine concinnatum eſſe, ut origo & natales Mariæ deſcriberentur, & quammaxime celebrarentur. In eo enim memoratur, Mariam è ſterili ac infœcunda matre genitam, & Angelum nativitatem ejus annunciaſſe: eam Deo dicatam atque devotam fuiſſe: intra ſex menſes ætatis ſuæ ſtare & ambulare valuiſſe: tertio ætatis anno in templum adductam, atque in eo educatum fuiſſe: non ſecus ac Papiſtarum veſtales in Monaſteriis educari ac aſſervari ſolent. Quæ cuncta tametſi fabulis pleniſſima ſint, Nicephorus tamen pleraque ſuffragio ſuo approbat.

Con-

Conſtitutionem corporis ejus ac mores deſcribit lib. 2. cap. 23 Nicephorus hoc modo: Forma ac mores Mariæ erant pleni gravitatis, pauca erat in ſermone, nec niſi neceſſaria loquebatur, aliorum ſermones patienter audiebat. Statura corporis ejus mediocris; abſque riſu, abſque ira, abſque inconditis geſtibus fuit. Intrepide alloquebatur homines. Facies fuſci coloris & quodammodo triticei: flavi capilli: glauci oculi & blandi aſpectu, non diſtorti, non vitio aliquo maculati, non huc illuc volatiles. Pupillæ erant ſubnigræ, & diſcrimine quodam diſtinctæ. Rectus naſus, rubra labia, inque ſermone ſuaviter movebantur: manus ac digiti longiores. Inceſſus carebat faſtu, & mere erat naturalis, non quæſitus, nec affectatæ humilitatis, neque ullam redolebat levitatem &c. Quam fide dignis teſtibus nitatur hæc Nicephori deſcriptio, ipſe optime novit.

Mariam Sanctam, puram ac plenam pietatis virginem fuiſſe, nemo negabit, qui in Sacris Literis paulum verſatus, nec religionis Chriſtianæ juratus eſt hoſtis. Inter eximias ejus virtutes, quibus exornata fuit, maxime enituit ſumma ejus modeſtia ac ſubmiſſio: quæ etiam in illius eluxit ſermone, dum ſe Domini ancillam vocavit, ſuamque agnovit indignitatem Luc. 1. 38, 48. Itaque in ea impletum eſt, quod Deus per Eſaiam cap. 66. 2 Prophetavit: *Ad quem ego reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Deus enim, ut illa canit in ſuo Cantico, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, & ideo prædicant eam beatam omnes gentes.*

Habitatio ejus Nazarethi fuit: an autem inde oriunda fuerit, item an apud parentes vel cognatos ſuos vixerit, aut etiam in miniſterio alicujus fuerit, certo ſciri nequit. Exiſtimant aliqui, Cent. Magd. lib. 1. cap. 10 eam Bethlehemiticam fuiſſe, quia Meſſias ibi naſci debuit (quæ ratio parum firma eſt) ſed propter divagantes militares turmas Nazarethum ſecuritatis cauſa eſſe delatam. Quæ omnia perincerta ſunt.

De ipſius cum Joſepho conjugio narratur in ſupra dicto Jacobi Euangelio, ejuſmodi miraculum, quod ex illius ſcipione columba evolaverit, ſuperque caput Mariæ conſederit. Oraculum enim fuiſſe, ut cujus viri ſcipio miraculo aliquo inſignis eſſet, ejus uxor Maria eſſet: idque ea lege, ut virginitatem ejus intactam ſervaret. Quod poſtremum etiam Nicephorus confirmat. Verum non eſt omnino dubitandum, quin conjugium inter eos contractum ſit more ſolito liberorum procreandorum cauſa: neque enim Euangeliſtæ, ſi ſecus factum fuiſſet, rem inſolitam ſicco pede præteriiſſent.

Facultates ejus fuiſſe exiguas, arguit hoc ipſum ejus cum Joſepho matrimonium: non enim facile ipſi data fuiſſet nuptui, ſi adeo lautæ res ejus fuiſſent.

Quæ præterea ei contigerunt, ſive miraculoſam conceptionem ex Spiritu Sancto, quæque illi annexa ſunt, ſive alias res geſtas ſpectantia, ea partim in ſecunda hujus cap. parte, partim alibi ab Euangeliſtis, à Luca imprimis cap. 1 & 2, nec non à Joanne cap. 2. 1. XIX. 25 deſcribuntur.

Quod unice dilectum filium ſuum Jeſum Chriſtum reſuſcitatum ex mortis viderit, vix videtur dubitandum, etſi ea de re taceat Scriptura. Par enim erat, ut inflictum alte cordi ejus per acerbiſſimam filii mortem vulnus, redivivi exhibitione ſanaretur. An vero etiam ejuſdem in cælum aſſumptioni adfuerit, non tam facile dici poteſt: ſatis quippe illa ſolatii ex reſuſcitatione ejus perceperat, nec tam ejus intererat videre illius aſcenſionem, quam Apoſtolorum, qui teſtes ejus eſſe debebant. Ideo nonniſi diſcipulorum fit mentio, qui exaltationis ejus ſpectatores fuerunt, Luc. 24. 50. Actor. 1. 11.

Circumfertur quoque Epiſtola, quam Maria ad Ignatium exaraſſe fertur: Sed merito ſuſpecta eſt, cum non ſolum illa Ignatii tempora non attigerit, ſed etiam nullus fide dignus auctor ejus meminerit. Epiſtola ita ſonat: *Ignatio dilecto diſcipulo humilis ancilla Jeſu Chriſti. Quæcunque abs Johanne de Chriſto audiviſti ac didiciſti, vera ſunt. Illis crede & adhære, ſervaque votum tuum. Veniam autem ad te una cum Johanne, teque tuoſque viſitatura. Eſto conſtans, & fortis in fide, ne te amaritudo perſecutionis commoveat; ſed Spiritus tuus ſit robuſtus, & gaude in Deo ſervatore tuo. Amen.*

Mors ejus, omniaque quæ illi acciderunt ab eo tempore, quo electioni Matthiæ interfuit, Act. 1. 14, (hoc enim ultimum eſt, quod de ea in Sacris Literis memoratur) non ſine Dei ſingulari conſilio, alto ſepulta ſunt ſilentio: ut ſcilicet anſa ſuperſtitioni omni atque idololatriæ præcideretur; quemadmodum olim etiam ob eandem cauſam Moſis ſepulchrum à Deo occultatum fuit, Deut. 34. 6. Eſt tamen non abſimile vero, Johannem, cujus curæ ac tutelæ eam Chriſtus moriens commendavit, non aliter eam, dum vixit, quam matrem ſuam, in oculis tuliſſe. Refert quidem Nicephorus, Mariam ad 58 annos produxiſſe vitam, inque domo Johannis ad montem Sion ſita eſſe defunctam; plurima quoque circa mortem ejus edita eſſe miracula. Quin etiam miraculoſe factum, ut omnes Apoſtoli, qui per univerſum orbem diſperſi erant, morienti adfuerint, ejuſque exequias celebrarint; cumque ab eis in villam Gethſemane portaretur, eam ibidem in cœlum eſſe tranſlatam. Teſtes ejus rei citat Dionyſium Areopagitam, & Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymorum. Sed hæc omnia tam ſunt ſubleſtæ fidei, quam ea, quæ ſuperius ex Nicephoro attulimus. Tempore quidem Apoſtolorum moris erat mortuos ſepelire, ſed nullæ celebrabantur certis cum ritibus ac ceremoniis exequiæ: mos iſte exequiarum poſterioribus demum ſeculis inolevit.

VI. APPENDIX.

Ad verſ. 22.

De vero ſenſu verborum, Ut impleretur.

CUm Scriptores ſacri Novi Teſtamenti, teſtimonia Veteris Teſtamenti allegantes, perſæpe utantur his vocibus, *Ut impleretur*; uti & in hoc Matth. capite 1. 22, factum: ex uſu fuerit, verum

earum ſenſum ſemel explicare. Sciendum igitur, vocularn ἵνα, ut & alteram ἕως, quæ utraque idem valet quod *ut*, proprie quidem ac principaliter cauſam rei finalem deſignare; ſed Hebræorum more etiam non raro hoc ſenſu accipi, ut non cauſa, ſed eventus ac conſequens tantum rei per eam denotetur. Prior ac propria ſignificatio nota eſt adeo, ut nihil opus ſit exemplis eam confirmare. Vide tamen inter alia Matth. 9. 6. XII. 10. XVII. 27. XVIII. 16. Marc. 7. 9. Luc. 1. 4. XVI. 9. Joh. 1. 7. III. 15 &c. In poſteriori ſignificatione ſumitur inter cætera Luc. 14. 10. ubi Chriſtus invitato ad epulas jubet infimum occupare locum, *ut*, inquit, *ubi venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice, aſcende ſuperius.* Quo loco non ea eſt mens Chriſti, ut velit hunc finem intendere eum qui inferiori loco aſſidet, ut ad ſuperiorem ac digniorem locum promoveatur: hoc enim medeſtiæ, quam hoc loco Chriſtus docet, præcepto, eſſet maxime adverſum. Sed hoc ſibi vult, quod ſi quis ultimum capiat locum, eventurum vel conſecuturum ſit, ut invitator eum jubeat aſcendere ſuperius. Sic etiam Rom. 5. 20, *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Ubi ſenſus non eſt, Legem eo fine ſubintraſſe vel interveniſſe, ut delictum ſeu peccatum tanto magis abundaret. (Lex enim potius eo fine data erat, ut peccatum coërceret, hominesque ab eo abſterreret) ſed hominum propria culpa id evenit, ut peccatum per Legem auctum fuerit & abundaverit. Vide etiam Matth. 5. 16. Joh. 9. 39. 1 Cor. XI. 19.

In poſteriori ſignificatione accepta vocula ἵνα *ut*, videtur habere vim particulæ *&*. Quaſi dicat Apoſtolus in loco proxime citato: *Lex ſubintravit, ET delictum abundavit.* In primo autem exemplo quaſi dicat Chriſtus: *Aſſide ultimo loco, ET cum venerit qui te invitavit, dicet tibi &c.*

Ut autem dignoſci poſſit, quando in locis, ubi de impletione certarum prophetiarum agitur, vocula ἵνα, *ut*, in priori vel poſteriori ſignificatione ſumatur, id eſt, quando finalem cauſam rei, aut eventum tantum denotet, hæc eſt obſervanda Regula. Quando res prædicta ex ordinatione atque conſilio divino proficiſcitur; aut quando allegatus locus præter literalem habet etiam myſticum ſenſum, quem Dei Spiritus intendit, quique adimpletus eſt, utramque ſignificationem vox *ut*, retinere poteſt. Significare enim poteſt, quod ideo atque hoc fine aliquid factum ſit, ut decretum Dei, vel res myſtico ſenſu intenta, ac per Prophetas prædicta impleretur: & ſimul denotare poteſt, dum hoc vel illud factum eſt, eveniſſe, ut quod Deus ante conſtituit, & per Prophetas prædixit, impleretur. Atque hoc poſterius fluit ex priore, perinde atque ſi dicat aliquis: Exivi in campum, ut heri mei mandatum exequerer. Ideo cum exirem in campum, heri mei mandatum executioni datum eſt. Quod ſi res, de qua dicitur, quod impleta ſit, non ex Dei ordinatione profluat, nec ſenſus prædictioni myſticus ſubſit, ſed ab hominum voluntate aliave cauſa, vel etiam à caſu dependeat, tum particula *Ut*, non finalem cauſam, ſed eventum duntaxat deſignat, ut cum Johannes cap. 12. 37, 38 inquit: *Tot autem eo ſigna faciente coram eis, non credebant in eum. Ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit. Domine quis credidit ſermoni noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit corda eorum; ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Ubi clare cernitur, id quod Johannes dicit ſecundum propheriam Eſaiæ impletum eſſe, non ex Dei proveniſſe ordinatione, ſed ex hominum incredulitate atque malitia. Idcirco talibus in locis nonniſi poſterior ſignificatio vocis *ut* locum habet. Non enim hic eſt loci citati ſenſus, quod ideo atque ea de cauſa in Chriſtum non crediderint, ut impleretur prophetia Eſaiæ (ſic enim in eorum poteſtate non fuiſſet credere, eorumque incredulitas à Deo ordinata fuiſſet) ſed ſignificatur, dum propria culpa atque pertinacia non crediderunt, idem vel ſimile quid accidiſſe ei, quod ab Eſaia dictum eſt. Quod vero locum Eſaiæ cap. 7. 14 attinet, quem Matthæus hujus capitis ℣. 23, ad miraculoſam Chriſti conceptionem atque nativitatem accommodat, extra dubium eſt, id factum fuiſſe ſingulari Dei conſilio atque providentia, quod Chriſtus non vulgari aliiſque hominibus communi ratione, ſed virtute divina in virgine conceptus atque ex ea genitus fuerit, ut eſſet verus, proprius ac naturalis Dei filius; Deumque id per Prophetam ante annunciari curaſſe. Quare procul omni dubio hic eſt ſenſus: admirabilem Mariæ conceptionem in hunc finem factam, ut decretum Dei per Prophetam Eſaiam annunciatum reipſa effectum ſuum ſortiretur. Unde porro ſequitur, quod dum hoc factum eſt, prædictio Eſaiæ, Deique conſilium impletum ſit: quæ eſt altera particulæ *Ut* ſignificatio.

VII. APPENDIX.

Ad verſ. 22.

Refutatio Objectionis, qua calumniantur infideles, Euangeliſtas falſo Veteris Inſtrumenti teſtimonia citaſſe. Cui adjuncta eſt Declaratio, quomodo teſtimonia Veteris Teſtamenti à Scriptoribus Novi Fœderis allegata ſint.

OCcurrendum nobis hoc loco eſt univerſali objectioni, quam & olim Celſus homo Ethnicus, nec non Julianus apoſtata, & tam olim quam hodie Judæi contra Chriſtianos urgent. Ea vero eſt, quod Apoſtoli loca Veteris Fœderis infideliter allegent, ac longe in alium ſenſum quam verba præ ſe ferant, detorqueant, ut in exemplo de loco Eſai. 7. 14 ajunt, non de Chriſto, ſed de Eſaiæ Prophetæ vel Regis Achaſi filio in eo ſermonem eſſe; qui filius non è Virgine, ſed ex adoleſcentula muliere genitus ſit. Aliaque inſuper huic loco objiciunt, quæ in explicatione textus refutata ſunt.

Sed in genere, contra id quod objicitur, Euangeliſtas falſo allegaſſe de Chriſto loca Veteris Scripturæ, ſcien-

ſciendum eſt, Apoſtolos teſtimonia Veteris Fœderis non hoc potiſſimum attuliſſe ſine atque intentione, ut iis Judæos convincerent, quod Jeſus ſit promiſſus Meſſias (pauca enim loca ſunt, quæ hoc fine allegantur, eaque talia, quæ ab ipſis Judæis tunc de Meſſia intellecta ſunt) ſed ſola miracula Chriſti inſignia, ac reſurrectionem ejus hoc ſine proponunt; quæ duæ res illud abunde demonſtrant, ut ſi quis hiſce duobus argumentis ad fidem in Chriſtum non adducatur, nulla alia re adduci poſſit. Verum hæc fuit Apoſtolorum mens, iis qui jam convicti erant Jeſum eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam, teſtimoniis Scripturæ Veteris Teſtamenti ob oculos ponere, quomodo Deus prioribus ſeculis Chriſtum, ejuſque opera & facta, ceu perfectiſſimam ideam atque exemplar, ſemper præ oculis habuerit, adque hanc normam reliqua omnia direxerit: hunc non ſolum in prophetiis plurimis, ſed & innumeris figuris ac typis, velut operum ſuorum archetypum, ſpectarit. Atque huc pertinet inter alia complura, quod Petrus ſcribit 1 Petr. 1. 20: Chriſtum *præcognitum* ſeu prædeſtinatum *fuiſſe ante jacta mundi fundamenta.* Et Paulus, *ſapientiam Dei* (quæ in eo conſpecta fuit, quod Chriſtum miſerit) *præfinivisſe Deum ante ſecula* 1 Cor. 2. 7. Inprimis autem huc facit, quod idem Apoſtolus inquit: *Hæc autem omnia typice contigerunt eis,* (ſcilicet iis, qui ſub Veteri fuerunt i œdere) *ſcripta vero ſunt ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum devenerunt* 1 Cor. x 11. Ait id factum *typice*: alludens ad pictorum, ſculptorum, & architectorum morem, qui præſtans aliquod opus præ manibus habentes, ſolent formam operis primum delineare, & poſtea ad eum modum opus elaborare. Sic indicat Apoſtolus, res geſtas Veteris Teſtamenti fuiſſe quaſi rudem formam ac delineationem earum rerum, quæ per Chriſtum ſub Novo Fœdere perficiendæ, & velut eximium ædificium conſummandæ erant. Eam ob cauſam tempus, quo Chriſtus venit in mundum, *plenitudo temporis* vocatur Gal. 4. 4. Eph. 1. 16. Ideo non ſolum tota Lex ritualis (ut Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 8. 5. x. 1, & Paulus Col. 2. 17 docent) ſed & præcipua acta Veteris Fœderis umbra ac typus Chriſti fuere. Quorum omnium Chriſtus, Apoſtoli, aliique Novi Teſtamenti Scriptores varia nobis exempla proponunt. Ex iis aliqua conſiderabimus. Agnus Paſchalis ſignum fuit liberationis ex Ægypto populi Iſraëlitici: liberatio autem iſta figura fuit noſtræ liberationis de ſervitute peccati & diaboli. Hinc Paulus aſſerit, Chriſtum per Paſchalem agnum fuiſſe adumbratum 1 Cor. 5. 7. Summam improbitatem Iſraëlitici populi Zacharias Propheta, Deo jubente, exili ære, id eſt, triginta argenteis, quibus Deum æſtimarunt, expreſſit Zach. xi. 13. Quo præfiguratus fuit contractus ille nefarius inter ſummos ſacerdotes & Judam Iſcariotem Matth. 26. 14. Apud Oſeam Prophetam cap. xi. 1 mentio fit ingentis beneficii, quod Deus Iſraëlitis exhibuit, ex Ægypto eos educens: quæ eductio ſeu liberatio, figura fuit ſpiritualis liberationis per Chriſtum factæ. Itaque ſi conſideretur, quid Chriſto acciderit, facile intelligitur, Deum linguam Prophetarum ita rexiſſe, ut quicquid ab eis de Iſraëlitico populo dictum eſt, pari imo meliori jure in Chriſtum quadret, ut ex loco Matth. 2. 15 patet. Verba Aſaphi Pſal. 78. 2: *Aperiam os meum in parabolis,* ad Chriſtum trahuntur Matth. 13. 35. Pſalmus ſeptuageſimus ſecundus, in honorem Salomonis Regis eſt compoſitus, ut ipſe titulus ejus indicat: & tamen doctiores Judæorum, ut Salomon Jarchi, Saadia Gaon ſuper Dan. 7. 14, ut & Chaldæus Paraphraſtes eum de Meſſia exponunt. Verba quæ Eſaias Propheta cap. 8. 1, de ſibi impoſito munere conſolandi populum ſpe liberationis protulit, Chriſtus Luc. 4. 18, de ſe in longe excellentiori ſenſu explicat. Sic & liberatio è Babylonica captivitate figura fuit ac typus beneficiorum per Chriſtum in nos collatorum. Porro, quia nemo ex antiquis fuit, quem Deus majoribus premi primum calamitatibus, & poſtmodum ad ſublimiorem evehi gloriam voluit præter Davidem: inde ſatis conſtat, id eo factum conſilio, quod Deus per eum adumbrare ea quæ Chriſto contigerunt, voluerit. Vide Pſal. 22. 19. Joh. 19. 24. Pſal. 35. 19. LXIX. 5. Joh. 15. 25. Pſal. 41. 10. Joh. 13. 18 Pſal. 69. 22. Joh. 19. 28 &c. Talia autem teſtimonia, ut & alia complura, quæ ſuo excutiemus loco, non pro argumento adducuntur, quod Jeſus ſit Chriſtus, ſed tantum ad confirmandum ac illuſtrandum ea, quæ jam ob alia irrefragabilia argumenta creduntur. Hinc Paulus Galat. 4. 21 & ſeqq. de duobus filiis Abrahami, quorum unus ex ancilla, alter ex libera natus erat, loquens ait: *Per hæc aliud quippiam figurari*, ſeu hæc per allegoriam dicta eſſe; nempe duo fœdera iis eſſe ſignificata. Atque hæc ratio interpretandi Scripturas, inprimis ſi primus ac literalis ſenſus maneat illibatus, non poteſt ullo jure à Judæis reprehendi: cum ipſi quoque in explicatione ſacrarum Literarum plurimum allegoriis tribuant, inque locis pluribus duplicem ſenſum, literalem ac myſticum, agnoſcant. Unde R. David Kimchi Pſalmum ſecundum tam de Davide, quam de Meſſia interpretatur. Imo hæc interpretandi ratio non à Chriſto primum & Apoſtolis introducta eſt, eorumque exemplo poſtea etiam ab aliis Judæis uſurpata: ſed longe ante Chriſtum apud Judæos in uſu fuit; quorum hæc fuit immobilis regula, omnia in Lege Moſaica eſſe typica, id eſt, arcanum ac myſticum in ſe continere ſenſum. Philo Judæus, ſapientia celeberrimus, qui Chriſti tempore vixit Alexandriæ in Ægypto, in explicatione librorum Moſis plane hoc utitur interpretationis genere, ut omnia in myſticum ſenſum trahat. Ex iis quoque, quæ de Eſſeis perhibet, intelligitur, eos perſimiles antiquas Scripturæ interpretationes à ſuis accepiſſe majoribus, ſeque in iis ſtudioſe exercuiſſe.

Si Apoſtoli exiſtimaſſent, omnia à Deo per Chriſtum & in Chriſto facta, clare ac ſine involucro eſſe à Prophetis propoſita, non dixiſſent, utique *Myſterium illud, quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc manifeſtatum eſſe ſanctis ejus* Col. 1. 26. 1 Cor. 2. 7. Eph. 3. 9. At ſi quis jam credat, Jeſum eſſe Chriſtum (id quod, ut ante indicatum, etiam abſque Prophetarum vaticiniis ſola miracula & reſurrectio Chriſto ſatis ſuperque demonſtrat) is liquido cernit, quam ſapienter ac provide Deus inſigniores res atque verba Veteris Teſtamenti ad Chriſtum, tanquam propoſitum ſibi ſcopum, direxerit. Quibus vero extrema

obſtat pertinacia, ut inducere in animum nequeant, Jeſum eſſe Chriſtum, eorum corda, dum Moſen & Prophetas legunt, velo obtecta ſunt: quod velum non auferetur ab eis, donec ad Dominum convertantur; ut Paulus loquitur 2 Cor. 3. 15, 16.

Jam ut de altero quoque aliquid dicamus, nempe quo & quotuplici modo Sacri Scriptores Novi Teſtamenti teſtimonia Veteris Teſtamenti allegarint, primo animadvertendum eſt, eos non ſemper fuiſſe verbis Sacræ Scripturæ Veteris Teſtamenti religioſe adſtrictos, ſed ſatis habuiſſe ſæpe, ſenſum atque ſummam eorum fideliter exprimere, lectorique proponere. Inde eſt, quod aliquando pro arbitrio ſuo, vel divini ſpiritus inſtinctu, textum Hebraicum à verbo ad verbum retulerint, aliquando vero Græcam LXX Interpretum verſionem, quæ tunc temporis recepta fuit, ſecuti ſint: aliquando etiam ſenſum Prophetarum arbitratu ſuo, & prout propoſito eorum ſerviebant, explicarint. Neque id Sacris Scriptoribus, ex Sancti Spiritus inſpiratione ſcribentibus, à Chriſtiano lectore ullo modo poteſt vitio verti, aut anſam dare, ut de eorum fide dubitetur, vel ab ipſis Chriſtiani nominis hoſtibus: cum id unicuique liberum ſemper ſit, ut quando Auctoris alicujus teſtimonium citat, mentem & ſenſum ejus ſuiſmet exprimat verbis. Hinc nihil uſitatius eſt, quam ut dicatur, hunc vel illum id ſcripſiſſe ſive dixiſſe, tametſi iiſdem ab eo verbis dictum aut ſcriptum non fuerit. Sufficit prorſus, quando fideliter ac bona conſcientia ſententia & argumentum ejus, quod allegatur, proponitur. Quare nihil habent Judæi, quod hic Sanctis Apoſtolis & Euangeliſtis objectent: præſertim cum ipſi tantum ſibi ſumant in allegandis Veteris Teſtamenti ſcriptis, ut non verba modo, ſed ſæpenumero ſenſum quoque ac ſcopum Sacræ Scripturæ immutent atque invertant. Et ſane vis & nucleus, ut ſic loquar, rei dictæ vel ſcriptæ, non conſiſtit præciſe in certis verbis, ſed in ſententia atque intellectu. Itaque eadem res diverſimode allegari poteſt, vel verbis iiſdem, vel aliis, iiſque vel amplificari, vel brevius proponi, ita tamen, ut ſenſus ac mens dicentis aut ſcribentis integra & immutata ſervetur.

Secundo, rem ipſam quod attinet, nempe quo ſenſu atque intellectu Sacri Scriptores Novi Teſtamenti teſtimonia Veteris Teſtamenti, de certis perſonis, rebus & factis prolata, de aliis perſonis, rebus & factis Novi Teſtamenti allegent, ſciendum eſt, id triplicem ob rationem fieri. Primum quia res illæ Veteris Teſtamenti figura ac typus fuere earum rerum, de quibus in Novo Teſtamento allegantur. Ita Matthæus ℣. 23 hujus capitis, locum Eſai. 7. 14, ad miraculoſam nativitatem Chriſti applicat, quia quod Propheta illo loco de ſua uxore filioque perhibuit, figura fuit hujus nativitatis. Ita & infra cap. 2. 5 Principes ſacerdotem & Legiſperiti locum Mich. 5. 2, de Chriſti ortu ex Bethlehemo explicant, quamvis literali ſenſu ad Zorobabelem reſpiceret, quia Zorobabel typus fuit Chriſti. Sic etiam eodem capite 2. 15 Matthæus locum Oſe. XI. 1, ſecundum literam de Iſraëlitico populo loquentem, trahit ad Chriſtum, quia Iſraëlitæ figura Chriſti fuerunt. Atque hic notandum eſt iterum, quod graviter errent, ſeque magnis difficultatibus cum Judæis involvant, qui in multis præcipuis locis, ex Veteri Teſt. ad Chriſtum applicatis, nullum ejuſmodi duplici ſenſum, quorum alter literalis & hiſtoricus, alter myſticus ſit, admittunt; ſed opinantur, Spiritum Sanctum iſtis in locis directe & ad literam Chriſtum, non quemquam alium ſpectaſſe. Ut ejus rei exemplum in loco toties nominato Eſai. 7. 14 habuimus, ubi cum Judæis nihil proficietur unquam, niſi hiſtoricus ſenſus, qui ad tempora Achaſi & ad puerum quendam tunc editum ſpectat, admittatur & agnoſcatur. Deinde ideo quoque certæ res Veteris Teſt. de certis rebus Novi Teſt. allegantur, quia etſi unum alterius figura non fuerit, tamen in certis circumſtantiis ſimilitudo quædam inter utrumque intercedat: quod in ſcholis dicitur, per alluſionem ſeu modum accommodativum fieri. Hujus rei habemus exemplum Matth. 2. 17, 18, ubi verba Jer. 31. 15, quæ ſecundum literam de miſerabili abductione Iſraëlitici populi in captivitatem Babylonicam loquuntur, de infanticidio Herodis allegantur, non quod abductio illa in Babylonicam captivitatem fuerit figura vel typus iſtius infanticidii, ſed quod hoc æque ac illud fuerit triſte admodum & miſerandum ſpectaculum. Sic Chriſtus loquitur ad Judæos ſui temporis: *Bene de vobis prophetavit Eſaias, dicens: Hic populus appropinquat ad me labiis ſuis &c.* Matth. 15. 7, 8, cum tamen Propheta verba hæc de populo ſui temporis protulerit. Non ideo Chriſtus ſic loquitur, quod Judæi ſub Veteri Teſt. viventes figura fuerint Judæorum ſuo tempore exiſtentium; ſed quod malitia atque pertinacia uterque populus ſibi ſimilis eſſet, ut quod de illo dictum fuerat, merito etiam de hoc pronunciari potuerit. Quaſi dixiſſet Chriſtus: Id quod olim locutus eſt Eſaias, in vos aptiſſime quadrat, non aliter quam ſi de vobis ipſis prophetaſſet. Atque hæc Scripturam allegandi ratio communis eſt, & omnibus temporibus uſitata. Ut in exemplo; ſi hodie concionator ad improbos Chriſtianos illa Eſaiæ verba applicet: *Bos novit Dominum ſuum, & aſinus præſepe heri ſui; at Iſraël non cognovit Dominum* Eſai. 1. 3. Aut, ſi quis ad inertes & nimis blandos Paſtores, in conſolando immodicos, in caſtigando ac reprehendendo perparcos, accommodet illa Eſaiæ ejuſdem verba: *Populi mi, conſolatores tui ſeducunt te* Eſai. 3. 12. Hoc loco advertendum, ſenſum iſtum, ubi ſimilitudo inter duas res intercedit, in primo, ubi res una alterius figura eſt, contineri. Eo ipſo enim, quia unum alterius figura eſt, ſimilitudo quædam eſt inter utrumque, nempe talis, qualis eſt inter imaginem rei & rem imagine expreſſam. Hinc fit, ut interpretes de nonnullis Veteris Teſt. teſtimoniis addubitent, num ab Euangeliſtis primo ſenſu, id eſt, ratione figuræ ac typi, an potius poſteriori ſenſu, hoc eſt, ratione ſimplicis ſimilitudinis citentur: de quo videbimus infra cap. 2. 15, ad locum Oſe. XI. 1. Verum poſterior hic ſenſus non attenditur in ullo eorum locorum, de quibus conſtat, quod in eis prior ſenſus, nempe ubi una res alterius figura eſt, locum habeat.

Tertio, teſtimonia Veteris Teſtamenti in Novo interdum ideo citantur, quia perſona una alterius, in eo, quod de utroque dicitur, vices gerit. Ita exempli gratia, quod in Veteri Teſt. de Deo dictum fuerat, in Novo dicitur de Chriſto, quia Chriſtus Dei locum in illa

illa re subiit, seu Deus id quod de ipso erat dictum, in Christo vel per Christum perfecit. Ut Hebr. 1. 6, verba Psal. 97. 7: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ in Psalmo de Deo prolata erant, ad Christum referuntur, ideo quia Christus Dei loco est, id est, personam ejus sustinet, dum ipsi regnum & judicium omne delatum est: ut ita Deo ipsi honor adorationis ab Angelis exhibeatur, dum Christum ejus vicarium adorant. Sic etiam verba Esaiæ cap. 49. 6, *Constitui te lucem gentium*, quæ mystico sensu de Christo loquuntur, in Actis cap. 13. 47 ad Apostolos quoque accommodantur; quia Apostoli in prædicatione Euangelii Christi vices ac locum subierunt. Ejusmodi autem loca non protinus duplicem habent sensum, ita ut verba de uno literali sensu, de altero mystico sensu accipi debeant: sed verba uno eodemque sensu accepta, de uno principaliter ac primario, de altero secundario, quia hic illi substitutus est, usurpantur. Quare etsi contingat aliquando, locum talem continere duplicem sensum, huc tamen id non pertinet. Nam, in exemplo, verba superius adducta ex Psal. 97. 7: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ proprie de Deo dicta sunt, proferuntur de Christo, non idcirco, quod literali sensu ad Deum, mystico ad Christum spectent, sed quia, ut indicatum, primo ac principaliter de Deo, de Christo autem secundario, tanquam de Rege Dei vices obeunte, intelligenda sunt. Sic quoque verba Esai. 49. 6, non loquuntur secundum literam de Christo, arcano autem sensu de Apostolis. Nam quoad literam loquuntur de ipso Esaia, mystico vero sensu loquuntur primario de Christo, secundario de Apostolis, Christi in prædicando Euangelio successoribus seu vicariis.

Insuper quoque observandum est, quando locus aliquis ex Veteri Test. de quopiam in Novo citatur, non semper omne id, quod de illo in Veteri Test. dictum fuerat, ad hunc de quo in Novo Test. sermo est, esse trahendum: sed locum illum solummodo tam late accipiendum esse, quam res permittit. Exempli causa, verba 2 Sam. 7. 14, quæ primo ac literali sensu de Salomone agunt, *Ero ei in patrem, & ille erit mihi in filium*: ad Hebr. 1. 5 ad Christum applicantur. Verum ibidem mox sequitur de Salomone: *Si inique egerit, arguam eum in virga hominum, & in plagis filiorum hominum*; quæ verba utique ad Christum accommodari non possunt, adeoque nullum mysticum sensum habent. Eodem modo infra cap. 2. 15, verba Oseæ XI. 1: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, ad Christum referuntur: quod vero mox subsequitur: *Vocaverunt eos, sed illi averterunt faciem suam, & sacrificarunt Baalimis*; nullo modo Christo convenit. Imo quamvis locus aliquis totus citetur, quia verba ad materiam subjectam proprie haud pertinentia, ab aliis commode separari nequeunt, non tamen locus ille latius sumendus est, quam res & scopus Scriptoris patitur: cujus rei clarum exemplum habemus Hebr. 1. 10. Quamobrem in singulis testimoniis, quæ primo sensu de alio aliquo agunt & ad Christum accommodantur, considerandum est, quid intentioni Auctoris & rei de qua agitur, nec non naturæ ac conditioni Christi conveniat, atque ex eo sensus illius testimonii eruendus, & de Christo accipiendus est.

VIII. APPENDIX.

Ad vers. 25.

Examen opinionis Helvidii aliorumque, qui Josephum ac Mariam, post genitum Jesum, matrimonio usos, & plures procreasse liberos statuunt.

OLim Antidico-Marianitæ apud Epiphanium, Hæres. 7. 8 Jovianus apud Augustinum Libr. de Hæresibus, & Hevidius, (qui circa annum Christi 380 vixit) apud Hieronymum Libr. adverss. Helvid. acriter contenderunt, Josephum, post Christum primo partu editum, Mariam cognovisse, & plures ex ea generasse liberos. Quæ opinio, quia hodie quoque non omnibus Christianis adeo displicet, digna est, ut à nobis prælius examinetur. Rationes Helvidii ejusque similium hæ fuere. Primo, quod Scriptura non affirmet, Mariam Josepho tanquam tutori atque custodi virginitatis ejus fuisse commissam, sed *desponsatam* matrimonii more, velut uxorem marito supra ℣. 18. Unde etiam post peractam desponsationem illa ipsius uxor, & ipse illius vir appellatur ℣. 16, 20, 24. Quod autem vir cum sua conjungatur uxore in eum finem, ut sobolem ex ea gignat (qui est præcipuus conjugii finis) à nemine in dubium vocari debet, nisi peculiaris causa claris exprimatur verbis, ob quam id factum non sit. Quod potissimum inter Judæos locum habuit, qui prolem pro parte felicitatis ac præmii sibi à Deo propter obedientiam promissi reputabant. Jam quia de Josepho ac Maria nihil aliud meminit Scriptura, quam quod ille hanc non cognoverit, donec primogenitum filium suum peperisset, id prorsus reticens, quid postmodum factum fuerit; quia etiam nullum interdictum, vel impotentia naturalis, vel spontaneum votum, vel aliud ullum qualecunque impedimentum demonstrari potest: prorsus absurdum videtur negare id factum esse, quod fert generalis consuetudo humani generis, & quodammodo ad naturam atque essentiam matrimonii, à Deo ipso ordinati, & ad conservandum genus humanum instituti, pertinet.

Alteram rationem desumunt Helvidiani ex verbis ℣. 18, ubi dicitur, *antequam* (intellige Josephus & Maria) *convenissent*, Mariam ex Spiritu Sancto gravidam esse inventam. Quod autem vox συνελθεῖν, *convenire*, ibidem non solam deductionem in ædes mariti, sed conjugalem commixtionem denotet, ad illum versum probavimus. Inquiunt ergo illi, locutionem istam, qua dicitur res aliqua facta esse vel futura, antequam alia fiat, hanc vim habere, ut ex eo concludi omnino queat, tam posterius hoc quam prius illud factum esse: nisi forte ea sit rei prioris, seu præcedentis natura, ut dum fit, rem posteriorem seu sequentem tollat atque impediat, ne fieri queat; vel etiam casus aliquis interveniat, qui rem fieri non permittat. Idque demonstrant omnibus exemplis, quæ sive in Scriptura Sacra, sive extra eam reperiuntur. Ut inter cætera, cum Jacobus ad Labanem inquit: *Exiguum erat, quod habuisti, antequam ad te venirem* Gen. 30 30, inde certe clare efficitur, Jacobum ad Labanem venisse. Sic Gen. 27. 33 Isaacus dicit ad Esavum: *Ex omnibus comedi, prius-*

Priusquam tu venires. Quis non exinde concludit, Esavum veniſſe? Similiter dicitur Geneſ. 37. 18: *Antequam ad illos accederet* (ſcilicet Joſephus ad fratres ſuos) *conſultabant de eo occidendo.* Ergo patet eum veniſſe ad illos. Item 1 Sam. 2. 15: *Priusquam adipem adolerent, venit famulus Sacerdotis.* Ergo poſtea adipem adolebant. Item 2 Reg. 6. 32: *Antequam nuncius ad eum veniret* (id eſt, ad Eliſæum) *dixit ad ſeniores.* Ergo poſtea venit iſte nuntius. Vide etiam Exod. 1. 19. 1 Paral. 1. 43. Jer. 1. 5. Syr. 46. 23. Marc. 14. 30. Joh. 1. 49, & alia loca complura.

Quod vero illa attinet exempla, quæ Helvidianis objici ſolent, in quibus poſterior res facta non eſt, ea omnia ita ſunt comparata, ut vel res antecedens ſequentem tollat ac impediat, vel alia aliqua cauſa, quæ protinus intelligitur, intervenit, ob quam res iſta facta non ſit, aut fieri nequeat. Ut cum Exod. 12. 34 dicitur, quod populus Iſraëliticus ex Ægypto excedens, ſubactam farinam aſſumſerit ſecum, *antequam fermentaretur:* non ſequitur, farinam illam poſtea fermentatam fuiſſe. Sed quare non fuit fermentata? Quia panis ex ea piſtus in fermentatus eſſe debuit. Cumque ergo ex farina iſta adhuc infermentata panis confectus ſit, fermentari poſtea non potuit. At hic quod Joſephum & Mariam attinet, res aliter ſe habet. Quod enim ex Spiritu Sancto gravida reperta eſt, antequam cum Joſepho conveniret, id eſt, matrimoniali commercio cum eo uteretur, id per ſe ac natura ſua non impediit, quominus poſtea potuerit cum illo convenire: quemadmodum piſtio farinæ impedimento fuit, quominus farina fermentari potuerit. Alterum exemplum affertur ex Eſai. 37. 27, ubi ſcriptum eſt; *Herba tectorum exaruit, antequam matureſcerent:* inde tamen colligi nequit, eam deinceps maturuiſſe. At reſpondetur; Certum quidem eſſe, id inde colligi non poſſe: res enim præcedens natura ſua tollit ſequentem, nempe quia exaruerat herba, ideo matureſcere non poterat. Atqui Mariæ conceptio ex Spiritu Sancto concubitum ejus cum Maria non impediebat. Tertium exemplum eſt ex Eſai. 66. 7, ubi ſic habetur: *Peperit, antequam parturiret, & enixa eſt, antequam dolores oborirentur.* Hic rurſus inferri non poteſt, fœminæ iſti, poſtquam peperit, dolores obortos eſſe. Sed reſpondetur iterum exemplum hoc eſſe priori prorſus ſimile. Generatio enim, quæ ante facta eſt, dolores partus ſuſtulit & antevertit. Non habent quippe dolores locum, ubi partus peractus eſt. At in Mariam multo aliter ſe res habuit, quam in exemplis allegatis. Hieronymus Helvidio opponit ipſe aliquot exempla, ſed quæ ſunt ſimilis notæ cum ſupra memoratis, ait enim Hieronymus: *ſi dixero, Antequam in portu ſumpſiſſem cibum, diſceſſi à littore. Hinc concludi non poteſt, me poſtea in portu cepiſſe cibum.* Reſpondetur, id quidem non poſſe concludi, quia diſceſſio à littore impediit ac ſuſtulit cibi ſumptionem in portu. Aliud exemplum proponit Hieronymus: *ſi dicam, Helvidius mortuus eſt, antequam ageret pœnitentiam, non poteſt inde inferri, quod poſtea pœnitentiam egerit.* Iterum reſpondetur: Omnino id inferri non poteſt. Mors enim tempus pœnitentiæ abſcidit. Verum utrumque exemplum non habet plus convenientiæ ac ſimilitudinis cum eo, quod hoc loco de Joſepho ac Maria reſenſetur, quam ante allata ex Scriptura exempla.

Tertium argumentum petunt Helvidiani ex v. 25 hujuſce capitis, ubi inquit Matthæus: *Et* (Joſephus) *non cognovit eam, donec peperit filium ſuum* &c.

Hic ajunt, vocem ἕως, *donec*, rei, de qua agitur, certum temporis finem ſtatuere, quo elapſo firmiter colligitur, rem iſtam poſtea factam eſſe. Sic hoc loco conſtituitur huic rei, quod Joſephus Mariam non cognoverit, id eſt, cum ea rem non habuerit conjugaliter, certus terminus, nempe donec filium ſuum peperiſſet. Unde concludi poteſt, eum rem cum illa poſtea habuiſſe. Quod vero hanc vim vox ἕως, *donec*, habeat, probant illi ſimiliter omnibus exemplis, quæ vel ex Scriptura vel extra Scripturam dari poſſunt: niſi forte ejuſmodi aſſignetur rei terminus, quo illa tollatur, atque ſic natura ſua nequeat exiſtere. Ut inter alia, cum Angelus Lothum alloquens dicit: *Non poſſum facere quicquam, donec ingrediaris* (ſcilicet oppidum Zoar) Gen. 19. 22, inde neceſſario colligitur, Angelum poſtea quam Lotus ingreſſus eſt in Zoar, feciſſe id, quod ei de Sodoma facere mandatum erat. Pariter ſervus Abrahami, qui miſſus erat adductum Rebeccam pro filio heri ſui Iſaaco, inquit: *Non comedam, donec res meas eloquar* Gen. 24. 33. Annon inde inferri poteſt, eum poſtea comediſſe? Eodem modo Rebecca Jacobo dicit: *Fuge ad Labanem fratrem meum, & habita ibi, donec requieſcat furor fratris tui,* (nempe Eſavi) Gen. 27. 44. Quis non exinde colligat, Jacobum poſtquam requievit fratris ejus furor, non amplius apud Labanem manſiſſe, ſed domum rediiſſe? Non abſimile eſt, quod dicitur, *Jacobum ſepties ſe inclinaſſe, antequam ad fratrem ſuum Eſavum veniret* Gen. 33. 3. Annon dici poteſt eum poſtea, cum ad eum veniſſet, ſe inclinare deſiiſſe? Plura exempla vide Gen. 34. 5. xxxviii. 11. xliii. 25. xlix. 10. Exod. 10. 26. xvi. 35. xxiii. 30. xxiv. 14. Lev. 12. 4. xvi. 17. xxii. 4. xii. 15. Matth. 10. 11. xiii. 33. xvi. 28. Luc. 9. 27. xv. 4. Joh. 9. 18. xiii. 38. Act. 8. 40. Rom. 11. 25. 1 Cor. xi. 26. Pſal. 110. 1. 1 Cor. 15. 25, &c.

Quod porro exempla illa attinet, quæ Helvidianis objiciuntur, ad infringendam eorum univerſalem regulam, regerunt, illa ſic comparata eſſe, ut rei is ponatur terminus, in quo illa deſinat ac ceſſet, ut natura ſua poſt illum terminum exiſtere nequeat, ut 2 Sam. 6. 23 dictum eſt, quod *Michol Saulis filia non habuerit liberos uſque ad mortem.* Unde non ſequitur eam poſt mortem habuiſſe liberos. Atqui terminus, qui hic rei, id eſt ſterilitati Micholis ponitur, rem ipſam tollit, eſtque adeo extremus rei finis. Poſt mortem enim nulli gigni poſſunt liberi, ſenſuſque non alius eſt verborum, quam ſi dicatur, Michol toto vitæ ſuæ tempore liberos non genuit; at Joſephi ac Mariæ negotium non eum ſe in modum habuit. Quod enim primogenitum filium ſuum enixa eſt, non fuit extremus finis, quo Joſephus à concubitu ejus abſtinuit, neque id concubitum plane impediit, ſicut mors partum Micholis impediit. Neque hic eſt ſenſus verborum, quemadmodum in ſupra allegatis exemplis, quod Joſephus toto vitæ ſuæ ſpatio eam non cognoverit. Non eſt diſſi-

dissimile alterum exemplum, quod contra Helvidianos affertur, ubi Jobus amicos suos sic alloquitur: *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea* Job. 27.5. Unde rursus colligi non potest, eum postquam defecit, seu exspiravit, ab innocentia sua recessisse. Nempe finis vitæ seu mors fuit ultimus rei terminus, in quo illa desiit ac penitus sublata est. Sed generatio Mariæ non sustulit concubitum Josephi. Eadem ratione se habet tertium exemplum, quod hoc loco affertur, de Jacobo, cui Deus in somnio dixit: *Non deseram te, donec perfecero omnia quæ locutus sum tibi* Gen. 28.15. Hinc itidem inferri nequit, Deum postea ipsum deseruisse. Verum facile intelligitur, sensum horum verborum non alium esse, quam si Deus diceret: Ego te nunquam deseram, sed perficiam omnia quæ tibi locutus sum. Effectio rei promissæ Jacobo à Deo fuit ultimus terminus, in quo *desertio* ipsa per se desiit & evanuit. Ubi enim Deus omnia fecit quæ locutus est ei, non eum amplius deserere potuit: quippe in eo ipse situm fuit illud *non deserere*, ut cuncta faceret, quæ locutus fuerat ac promiserat. Quartum exemplum est ejusdem farinæ, cum videlicet de Christo dicitur Matth. 12. 19,20: *Non rixabitur, neque clamabit, neque audiet quis in platea vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.* Quibus verbis ejus summa mansuetudo ac patientia, qua in docendo ac prædicando inter Judæos usus est, significatur. Ex quibus itidem concludi non potest, eum postquam ejecerit judicium ac victoriam, rixaturum & clamaturum. Nimirum quia ejectio judicii ad victoriam (de quorum verborum sensu vide ad Matth. 12. 20) est terminus ultimus, ut muneris ejus Prophetici, ita & patientiæ ac mansuetudinis ejusdem erga obstinatam gentem Judaicam. Postquam evectus in cœlum est, non potest amplius rixari, neque clamare, neque vox ejus audiri potest in plateis, præterea nec sapientia nec sanctitas ejus fert, ut diutius mansuetudine ac patientia erga eos utatur, qui ea tam diutino tempore abusi sunt. Hinc iterum perspicitur, exemplum hoc multum differre ab eo, quod de Josepho ac Maria hoc loco afferitur: posseque ex vocula *donec* firmiter colligi, quod Josephus cum Maria post genitum primogenitum ejus rem matrimonii exercuerit; quandoquidem neque generatio & partus Mariæ; neque alia ulla causa, quominus id fieret, obstitit. Imo si Josephus toto vitæ suæ spatio ab usu matrimonii cum uxore abstinuisset, aliter sine dubio locutus fuisset Matthæus, nec rem tam inusitatam & cum singulari laude summæ continentiæ istorum sanctorum conjugum conjunctam silentio involvisset, sed aliquo saltem verbo expressisset, ac dixisset, Josephum uxorem suam abhinc nunquam postea cognovisse: atque tum demum de partu Mariæ narrationem instituisset.

Quartum argumentum Helvidianorum est, quod fratrum ac sororum Christi in Sacris Literis fiat mentio: unde inferunt, Josephum liberos plures ex Maria suscepisse. Qua de re vide inferius cap. 12.55.

Quintum argumentum est, quod Christus *primogenitus* Mariæ dicatur. Hinc Helvidius colligebat, Mariæ plures fuisse filios, quorum Christus fuerit primogenitus. At Hieronymus recte repressit eum, docens, in Sacra Scriptura solenne esse, ut quilibet matris suæ primogenitus appelletur, ante quem nullus natus est filius, sive postea plures nascantur filii, sive non. Nam Exod. 13. 2, 12, 15 præcipitur Israëlitis, ut omnia primogenita mascula, uterum matris suæ aperientia, tam ex hominibus, quam ex pecoribus Domino consecrent, ac pecora quidem octavo Exod. 22. 30, homines autem quadragesimo die Levit. 12. 4. Si vero is duntaxat primogenitus diceretur, post quem plures filii, ab eodem patre proseminati sunt, non potuisset illa consecratio quæ Domino fieri debebat, intra præstitutum illud tempus, nempe die octavo & quadragesimo peragi: quia sciri non poterat, an plures adhuc filii postea secuturi essent, annon.

Neque tamen propter hanc causam consecratio illa dilata fuit: ut in exemplo infantis Jesu videre est Luc. 2. 23. Cæterum non absurde hic quæritur, cur Matthæus indicet id hoc loco, quod Christus primogenitus Mariæ filius fuerit; cum id satis per se intelligi potuerit ex eo, quod hactenus tam clare docuit ac demonstravit, nempe quod eum nihil violato virginitatis flore enixa sit? Non potest dici, ideo id factum, ut sciretur, Mariam nullos alios filios antea ex Spiritu Sancto concepisse. Cui enim res tam absurda in mentem venire posset? Atque hoc est quod Helvidius urget, quandoquidem Matthæus causæ nihil habuit cur Christum primogenitum Mariæ filium vocaret, etiamsi unicus tantum filius esset, factum id esse idcirco, quia post Christum plures geniti sint filii, ut notum sit, Christum omnium primum fuisse. At vicissim ex Helvidio quæri potest, quid Matthæus causæ habuerit, Christum ideo primogenitum appellandi, ut sciatur, eum plures, qui post eum geniti sint, habuisse fratres? Quid adeo id scire refert? Sed quod eum primogenitum appellet etiam absque consideratione ac respectu sequentium fratrum, potest hæc esse causa, quod hac appellatione ad dignitatem & excellentiam Christi respexerit: nempe ad triplicem illam prærogativam, qua primogeniti sub Lege gaudebant (de qua vide Commentarium nostrum supra) quæque Christo etiam nulla ratione aliorum fratrum habita eminentissimo modo competebat.

Ut vero jam nostram sententiam de cunctis istis Helvidianorum argumentis aperiamus, fatendum est, eorum quidem bonæ parti magnam inesse veri speciem, quandoquidem locutiones, quibus Matthæus tam vers. 18 quam 25 utitur, aliter se accipi non patiuntur, neque contrarium ex Sacris Literis probari potest. Attamen, si sublimis Christi præstantia perpendatur, & sanctitas generationis ejus, & parentum ejus virtus ac pietas, facile induci potest animus, ut credat, conjugium eorum postea magis in animorum conjunctione arctissima, quam in carnali corporum commistione situm fuisse, Josephumque merito reveritum esse corpus sanctissimæ istius matris corpore suo attingere, quod Deus tam sancto fœtu, quem ipsemet divinissima virtute sua operatus est, honorare dignatus est. Quanquam hujus rei fundamentum mere in pia tantum conjectura consistit. Si quis enim acrius instare vellet, posset regerere,

Joſephum tam diu, reverentia ductum erga ſanctum hunc fœtum, ab uxore ſua ſe continuiſſe, quamdiu ex ejus concubitu nulla erat ſpes concipiendæ prolis, nempe quamdiu ferebat uterum. Ut vero corpus Mariæ ex hoc primo uteri ſui fructu tantam ſanctitatem conſecutum eſſe ſtatuerit Joſephus, ut id attingere nunquam poſtea auſus fuerit, non eſt credibile, magiſque id ſuperſtionem quandam ejus, quam veram pietatem arguillet. Siquidem conjugium per ſe Sanctus & nullo pacto Deo diſplicens ſtatus eſt, ſi modo ſecundum rectam rationem atque in timore Domini, non pecudum ritu quis eo utatur. Inprimis autem apud Judæos numeroſa proles in parte felicitatis ponebatur: ut inter alia docet Pſal. 127.4,5,6. cxxviii. 3. Quæ omnia nos ea mente ſcribimus, non quod Helvidii opinioni plena cera ſubſcribamus, aut ejuſmodi caſtitatem ac continentiam impoſſibilem eſſe credamus (probo enim animo, divina accedente ope, nihil eſt impoſſibile ex iis, quæ ad alicujus virtutis laudem ſpectant) ſed ne nimia & non neceſſaria ſanctitas in eo ponatur, ubi nulla eſt, neve protinus atro damnentur calculo (quod Pontificii potiſſimum faciunt) quibus Helvidii ſententia non prorſus videtur reprobanda. Eccur enim res talis tanto fervore ac rigore urgeatur, de qua illi ipſi, qui eam maxime defenſitant, fatentur, quod ex Sacra Scriptura probari nequeat, ſed in ſola traditione primitivæ Eccleſiæ fundetur. Ut inter alios ambo Cardinales Bellarminus & Perronius, nec non Jeſuita Baillius teſtantur. Quod Matthæum attinet, dici vere poteſt, eum hoc ſolum intendiſſe ſcribere, quod ad ipſius propoſitum faciebat, & ad confirmandam veritatem loci ex Eſaia citati cap. 7. 14 erat neceſſarium, quod ſcilicet Chriſtus ex puriſſima virgine non conceptus modo, ſed natus quoque fuerit: quod utrumque ad excellentiam Chriſti & ſimul ad laudem continentiæ Joſephi ac Mariæ pertinebat, ut à concubitu abſtineret, uſque dum ſanctus iſte fœtus in lucem ederetur. Alterum autem illud, an Maria poſt partum à Joſepho intacta manſerit, tanquam rem neque ſibi narratu, neque nobis ſcitu neceſſariam, tacito pede prætereundam duxit.

IX. APPENDIX.

Ad verſ. 15.

Brevis recenſio rerum geſtarum memorabilium, quæ inde à captivitate Babylonica Judæorum, uſque ad ultimam urbis ac templi Jeroſolymitani deſolationem, ſub Babyloniis, Perſis, Græcis, Syris & Ægyptiis, nec non ſub Romano Imperio contigerunt Præcipue de ſtatu Judæorum: Ab anno Mundi 3342, *ante Chriſtum natum* 606, *uſque ad annum Mundi* 4019, *poſt Chriſtum natum* 70.

AD meliorem plurimorum Sacræ Scripturæ Novi Teſtamenti locorum intelligentiam, non fuerit abs re, nec, ut ſpero, Lectori Chriſtiano, rerum minus gnaro ingratum, ſi inſingnes quaſdam res in mundo geſtas, inprimis de ſtatu Judaici populi, quæque cum eo conjuncta ſunt, ſtrictim enarremus: & quidem ſecundum ordinem Monarchiarum Mundi, initio facto à Babylonica captivitate uſque ad Chriſti exortum; & inde uſque ad extremum urbis Jeruſalem excidium, templique ac totius Judaicæ Politiæ everſionem.

CAP. I.

De Monarchia Babyloniorum.

LEgimus apud Danielem Prophetam cap. 2 Regi Nebucadnezari per quietem apparuiſſe ingens Simulacrum ſeu Statuam, cujus caput erat ex auro optimo, pectus & brachia de argento, porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum pars quædam erat ferrea, quædam fictilis: poſtea autem lapis magnus de monte abſciſſus eſt ſine manibus, qui totam ſtatuam fregit ac comminuit. Per quam ſtatuam, ſecundum Danielis interpretationem, ſignificantur quatuor Monarchiæ ſibi invicem ſuccedentes. Prima Babyloniorum, altera Perſarum ac Medorum, tertia Græcorum, quarta Romanorum. Primæ Monarchiæ Babylonicæ caput & auctor fuit Nebucadnezar, Nabopolaſſaris Regis Babylonii filius. Tametſi enim etiam ante eum regnarint potentiſſimi Aſſyriæ & Babyloniæ Reges, nullus tamen ad tantum aſcendit potentiæ faſtigium, torque ſibi populos ac regna ſubjecit, quam Nebucadnezar iſte: uti ex Jeremia, Ezechiele & Joſepho patet.

I. *Nebucadnezar.* Geſta ejus, de quibus in Scriptura fit mentio, incipiunt anno Mundi 3342, ante Chriſtum natum 606, juxta ſupputationem Serhi Calviſii: nempe cum à patre ſuo Nabopolaſſare cum exercitu mitteretur ad rebelles Ægyptios, Judæos & Palæſtinos perdomandos, inque gyrum obſequii reducendos. Ac primo quidem fudit exercitum Pharaonis Nechaonis Regis Ægyptiorum, ad flumen Euphratem, ut in Ægyptum ſe recipere compelleretur Jerem. 46. 2. Poſtea obverſa adverſus Hieroſolymam potentia ſua, Joachimum Regem Judæ ſibi fecit ſubjectum. Cumque is rurſus recalcitraret 3349, 599, abduxit eum & plurimos primores è populo captivos in Babyloniam. Tribus menſibus exactis deinceps, abduxit Jechoniam Judæ itidem Regem, & paucos poſt annos 3360, 588, Sedeciam ultimum Regem Judæ: uti ſupra vſ. 11, ubi de iſtis Regibus actum, eſt narratum.

Immenſam ſtatuam ex auro confici curat, eamque ab omnibus adorari mandat; cui mandato parere dedignantes Sidrachus, Miſachus & Abednego, in ignem caminum conjecti ſunt.

Per quietem vidit arborem ſummæ magnitudinis, qua rejectio ejus, ad tempus facta, indicata fuit Dan. 4.

Ut mentis compos factus eſt iterum, deceſſit anno 43 poſt patris ſui obitum: regnoque admotus eſt filius ejus Evilmerodach.

II. *Evilmerodach.* Anno Mundi 3389, ante natum Chriſtum 560, regnat annos 2. Jechoniam Regem

gem Judæ poſt 37 annorum captivitatem in integrum reſtituit 2 Reg. 25. 27, interficitur.

III. *Belſazar*, regnat 17 annos. Sub hoc Rege Daniel vidit ſomnium de quatuor beſtiis, item de Ariete & Hirco Dan. 7 & 8.

Anno 17 regni ejus (ut Joſephus tradit, lib. 10. cap. 12, atque adeo anno poſt primam abductionem 62) ſumptuoſum inſtruit convivium, optimatibus ac proceribus ſuis: & per manum, quæ miraculoſe in pariete ſcripſit, redarguitur. Daniel ſcripturam illam explicat. Obtruncatur eadem nocte, ſine dubio à ſuis Optimatibus, quibus apparaverat convivium, qui cum Medis ac Perſis clam conſpiraverant. Illa enim ipſa nocte occuparunt Medi ac Perſæ urbem Babylonem aſtu improviſo. Sic Darius Medus potitus eſt Babyloniorum regno, non ſine auxilio & conſenſu Cyri Regis Perſarum, cognati ſui. Apud hunc Darium principio magna gratia floruit Daniel, fuitque præcipuus inter primores regni: ſed malignitas invidorum effecit, ut à Dario in ſpeluncam leonum conjiceretur, ubi tamen Deo protegente incolumis ſervatus eſt Dan. 6. Primo anno Darii didicit Daniel ab Angelo Gabriele numerum annorum, quibus venire Meſſias, & exſcindi, nec non urbs Jeruſalem deſolari debuit. Ii erant LXX ſeptimanæ, ſeu anni 490. Quæ LXX ſeptimanæ cœperunt à tempore editi edicti, ut Jeruſalem iterum ædificaretur Dan. 9. 25. Cyrum Perſarum Regem quod attinet, qui Darium in occupando regno Babylonico adjuvit, eum inſatiabilis regnandi cupiditas adduxit ad permulta ſanguinaria facinora. Redactis enim in poteſtatem ſuam variis regnis ac provinciis, tandem adoritur Babylonem, ſtratagemate urbem capit, Darium ad deditionem cogit. Sed non vitam ſolum ei donat, verum etiam eum præficit Carmaniæ.

CAP. II.

De ſecunda Monarchia Perſarum.

ATque hic fuit finis Babylonicæ Monarchiæ, quem ei accelerarunt Medi ac Perſæ, de quo Eſai. 13 & 45 extat prophetia: incipitque in Cyro altera Monarchia, quæ Perſarum dicitur. Sub hac Monarchia Deus populum ſuum oculis gratiæ ſuæ divinæ reſpexit, atque è captivitate Babylonica in eorum terram reduxit. Numerus & ordo Regum regni Perſici fuit talis:

I. *Cyrus*, Aſtyagis Regis Medorum ex filia nepos, anno Mundi 3414, ante Chriſtum natum 534, regni ſui Perſici 23 eripuit Dario regnum Babylonicum.

Anno Mundi 3418, ante natum Chriſtum 530, regni ſui Perſici 28, Babylonici 5, poſt primam abductionem in Babyloniam, quæ accidit ſub Jechonia XVIII Rege Judæ anno 69, Cyrus publico edicto Judæis dat licentiam in patriam redeundi, templumque Dei Hieroſolymæ reſtaurandi. Promittit quoque neceſſarios ſumptus, vaſaque Sancta, quæ Nebucadnezar expilato Templo abſtulerat reddi curavit. Anno ſequenti 70 captivitatis Babylonicæ, tribus Judæ ac Benjaminis exivit ex Babylone: princeps ac dux eorum fuit Zorobabel.

Ab hoc exitu è Babylone, qui fuit maximum beneficium Judaico populo per Cyrum à Deo præſtitum, novam temporum ſupputationem orſi ſunt, illumque annum primum Cyri appellarunt Eſdræ 1. 1.

Anno Mundi 3420, ante natum Chriſtum 528, jacta ſunt Templi fundamenta. At ædificatio iſta per falſam accuſationem vicinorum populorum, præcipue Samaritanorum, Joſeph. lib. 2. cap. 2, mox eſt impedita, ſumptus quoque à Cyro promiſſi denegati ſunt 1 Eſdr. 4.

II. *Cambyſes*, Cyri filius, ſuccedit patri poſt mortem in regno. Regnat 7 annis. Cum Cambyſes in Ægypto ſe teneret, Magi in Perſia crearunt regem quendam è ſuis nomine Oropaſtem, quem Smerden vocarunt, ſpargentes in vulgus eum Cyri eſſe maximum natu filium, adeoque verum hæredem regni Perſici. Dum ergo Cambyſes contra hunc Smerden ex Ægypto ducit exercitum, accidit, ut is forte ſeipſum proprio ſauciaret gladio, atque ex hoc vulnere moreretur. Principes Perſarum, ut intellexerunt Smerden hunc Cyri filium non eſſe, ſuſtulerunt eum è medio, poſtquam 7 imperaſſet menſes, & Darium, Hyſtaſpis filium in Regio ſolio collocarunt.

Erant autem Magi in Perſia viri Sapientes, ac ſimul Sacerdotes: tantaque erat ipſorum auctoritas, ut ſede Regia vacante, uſque ad novi regis electionem regimen penes ipſos eſſet.

III. *Darius Hyſtaſpis filius*, unus è principibus Perſarum, hinnitu equi adjutus ad regiam dignitatem emerſit. Regnavit annis 36.

IV. *Xerxes*, Darii filius. Hic fuit Ahaſuerus apud Eſdram cap. 4. 6, cujus regina fuit Eſthera. Regnavit ferme 21 annos.

V. *Artaxerxes Longimanus*. Hujus mentio fit 1 Eſdr. 4. 7. Regnavit annos 41. Quibus in annis etiam includuntur 2 menſes, quibus imperavit filius ejus Xerxes, & 7 menſes, quibus poſt Xerxem regnavit Sogdianus.

VI. *Darius Nothus*. Annis 19 imperium tenuit. Anno ſecundo regni ejus, Mundi 3528, ante natum Chriſtum 420, ſtimulantibus Prophetis Aggæo & Zacharia ab integro cœpta eſt templi ſtructura, & 4 annorum ſpatio, id eſt, ſexto regni ejus anno ad finem perducta 1 Eſdr. 4. 24. VI. 15, uti deinceps demonſtrabitur.

VII. *Artaxerxes Mnemon*. Regnavit annis 42. Hic eſt ille Artaxerxes, de quo 1 Eſdr. 7. 1. Septimo regni ejus anno, Mundi 3546, ante natum Chriſtum 396, Eſdras unus è præcipuis Legis doctoribus è Babylone Jeroſolymam profectus eſt, donis ingentibus, auro atque argento in miniſterium domus Dei à Rege inſtructus.

Anno 20 regni ejus, Mundi 3565, ante natum Chriſtum 383, mittitur Nehemias à Rege, ad extruenda urbis Jeroſolymæ mœnia, cunctaque in ordinem quam convenientiſſimum redigenda: cui rei 13 impendit annos. Muri quidem urbis ad neceſſariam defenſionem contra hoſtes intra 52 dies erecti ſunt, Joſeph. lib. XI. cap. 5, quamvis plurimi ex hoſtibus, inprimis autem Sannaballat Præfectus Samariæ, id impedire maximopere conarentur: ut liber

Nehe-

Nehemiæ teſtatur. Sed abſoluta conſummatio mœniorum una cum turribus, duos annos & quatuor menſes abſtulit. Quod reliquum fuit temporis de 13 annis, Nehemias ordinando ea quæ tam in populo, quam circa templum ac cultum divinum neceſſaria erant, conſumpſit. Poſthæc rediit Babylonem anno 32 Artaxerxis, & inde rurſus non multo poſt Hieroſolymam Nehem. 13. 6.

VIII. *Ochus*, 3558, 360, regnavit annos 23. Is per Ducem exercitus ſui Bagoam, Judæos ingenti tributo oneravit, multiſque aliis moleſtiis eos affecit, Joſeph. lib. 11. cap. 11. Tandem ab ipſo Bagoa trucidatur.

IX. *Arſes*, 3611, 337, regnavit annos 3. Ab eodem Bagoa interficitur. Hic poſtea regnum tranſtulit ad Principem Armeniæ, qui de poſteritate Cyri non erat, eique Darii nomen indidit.

X. *Darius Codomannus*, 3614, 334, regnavit annos 6. Hunc Alexander Magnus, poſt occupatam Babylonem, bello perſequitur, & antequam in manus Alexandri veniret, Beſſus ducum ejus unus illum cædit. Sic cum hoc Dario Codomanno Secunda Monarchia, quæ Perſarum fuit, finita eſt, & ab Alexandro Magno tertia Monarchia, quæ Græcorum dicitur, initium cepit Anno Mundi 3620, ante natum Chriſtum 328.

CAP. III.

De tempore quo ſtructura templi, à primo Cyri edicto cæpta, fuit impedita.

PRiuſquam ad geſta tertiæ Monarchiæ veniamus, dicendum nobis nonnihil eſt de tempore, quod inter primum Cyri edictum, de templo Hieroſolymis ædificando, & inter alterum edictum Darii, cum ſtructura templi iterum cœpta, eique ultima manus impoſita eſt, interceſſit.

Deſcribitur autem hiſtoria de hac templi ædificatione & reſtauratione Politiæ Judaicæ, à Propheta Daniele, Aggæo, & Zacharia, nec non ab Eſdra & Nehemia. Ex Aggæo cap. 1. 1, & Zacharia cap. 1. 1, & ex Eſdra cap. 4. 24 diſcimus, ſtructuram templi cœptam eſſe anno ſecundo Darii Regis Perſarum, & abſolutam ſexto ejuſdem regis anno. Quinam vero hic Darius fuerit, cum plures ejus nominis Reges in Perſia fuerint, controverſum eſt inter eruditos. Geminæ autem ſunt hac de re ſententiæ. Una eſt Joſephi lib. 2. cap. 4, quem poſtmodum Euſebius & plures alii Chronologi ac Hiſtorici ſecuti ſunt. Is aſſerit, alterum edictum de reædificando templo exiviſſe anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, tertii Regis Perſarum. Hac ratione à primo Cyri edicto, uſque ad alterum edictum Darii non amplius quam 11 anni forent. Quæ ſententia ſane commoda foret, ſi defendi poſſet. Quemadmodum enim à prima abductione in Babyloniam ſub Jechonia factam, uſque ad alteram abductionem, quæ ſub Sedecia contigit, quo tempore etiam templum ac civitas tota exuſta eſt, effluxerunt anni 11, primumque edictum Cyri 70 anno poſt primam abductionem prodiit: ita alterum edictum Darii anno 70 poſt alteram abductionem editum fuiſſet, atque ſic quoad utramque abductionem expleta fuiſſet divina promiſſio de captivitate non duratura diutius, quam 70 annos Jerem. 25. 11. xxix. 10.

Altera ſententia eſt eorum, qui ſtatuunt, edictum poſterius prodiiſſe anno ſecundo Darii Nothi, ſexti Regis Perſarum. Secundum hanc ſententiam à prima fundatione Templi ſub Cyro, uſque ad ſecundum annum Darii Nothi, præteriiſſent anni 108. E duabus hiſce ſententiis, plurimorum doctiſſimorum virorum judicio, poſterior priori eſt anteponenda: idque ob has ſubjunctas rationes.

Primum quia Eſdras capp. 4. 5. 6. 7 duos Reges Perſarum nominat, ſub quibus poſt Cyrum ſtructura templi impedita eſt. Si ergo Darius iſte eſſet Darius Hyſtaſpis, ut prima fert ſententia, tum Ahaſuerus apud Eſdram foret Cambyſes, & Artaxerxes foret impoſtor ille Smerdes. Quod plane ſimile vero non eſt. Smerdes namque in cenſum Regum Perſicorum non venit, ſed illi 7 menſes quibus imperavit, pro interregno quaſi, ſeu ſtatu tali, quo regnum Rege orbatum fuit, habetur. Præterea ab Eſdra eodem capp. 4. 8. 9 memoratur, quod cum Rehum Cancellarius, & Samſai ſcriba contra Judæos ſcripſiſſent epiſtolam ad Artaxerxem, & Hieroſolymam tanquam rebellem atque ad ſeditiones pronam civitatem accuſaſſent, Rex juſſerit recenſeri commentarios & libros veterum hiſtoriarum, quodque re comperta, præceperit, ut ædificatio intermitteretur. Quomodo autem Smerdes ille tam brevi ſpatio 7 menſium, quos in regno metuens ſibi tranſegit, tam fervide hoc Judæorum negotium tractaſſet; quo tempore ſine dubio aliæ curæ majoris momenti, quæque ad confirmandum ejus adhuc dubium regnum pertinebant, ipſum exercuerunt? Ahaſuerus eſt potius apud Eſdram is, qui apud Græcos Scriptores *Xerxes* appellatur, quartus Rex Perſarum, Darii Hyſtaſpis filius. Obſervarunt autem eruditi, poſt Magnum illum Cyrum, qui auctor fuit Perſicæ Monarchiæ, omnes Perſarum Reges, præter nomen ſuum proprium, geſſiſſe quoque nomen Xerxis vel Artaxerxis. Eſtque vocula *Arta* in nomine Artaxerxis adjectitia, quæ in plurimis reperitur nominibus, ut ſunt Artabanus, Artavaſdes, Artochmes, Artochætes, Artanes, Artagenes, & alia plura. Significat autem *Arta* Perſarum lingua idem quod Magnus, ut Herodotus interpretatur lib. 6: ut ita Artaxerxes nihil aliud ſit, quam Magnus Xerxes. Quod nomen Xerxes iſte proculdubio ſibi acquiſivit magnis rebus geſtis in Græcia, de quibus apud Herodotum lib. 7 legere eſt. Nec facile poteſt Græcum nomen *Artaxerxes* in Hebræa lingua aliter reddi, quam *Ahaſuerus*, quod periti linguæ Hebrææ intelligere poſſunt. Vide Hug. Grotium ſuper 1 Eſdr. 4. 6. Porro hæc ſententia, quod Ahaſuerus ſit Xerxes, confirmatur ex nomine conjugis ejus, quæ apud Herodotum nuncupatur Hameſther, id eſt, Ham-Eſther, quæ eadem Eſthera eſt, quæ antea Hadaſſa vocabatur, antequam eam Rex in Reginam aſciviſſet Eſth. 2. 7. Alios Perſarum Reges quod attinet, qui Ahaſueri ſeu Xerxis anteceſſores fuere, nempe Cambyſem & Darium Hyſtaſpis, hi quidem apud Eſdram non nominantur, ſed eorum duntaxat meminit Regum, coram quibus accuſatio contra Judæos inſtituta eſt. Apparet enim, Judæos poſt interdictum Cyri

toris

totis 43 annis, ſub Cambyſe & Dario Hyſtaſpis filio, ædificationem Templi intermiſiſſe. Verum ubi regnum ad Ahaſuerum devolutum eſt, denuo ſe ad ædificandum Templum accinxerunt, quemadmodum etiam ſub Artaxerxe, de quo utraque vice accuſati ſunt. Quod idem etiam ex eo intelligitur, quod illi in Epiſtola ad Darium ſcripta inter cætera dicant, *ex eo tempore*, quo Saſſabaſar poſuit fundamenta domus Dei Hieroſolymis, *uſque nunc templum ædificari*, *& necdum completum eſſe* 1 Eſdr. 5. 16. Quæ verba haud obſcure indicant, eos diſperſis vicibus circa ædificationem Templi laboraſſe. Hi vero apud Eſdram omiſſi Reges, apud Danielem recenſentur cap. XI. 1. *Ecce*, inquit, *adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide*, *& quartus ditabitur opibus nimis ſuper omnes*; *& cum invaluerit divitiis ſuis*, *concitabit omnes adverſum regnum Græciæ*. Hoc ſcripſit Daniel ſub Dario Medo, qui eum in foveam leonum conjici permiſerat, cuique Cyrus regnum eripuit. Quare tres illi Reges in Perſide futuri, erant Cyrus, Cambyſes & Darius Hyſtaſpis filius. Quartum autem Regem, qui magnas res in Græcia aggreſſurus erat, ita deſcribit, ut ferme digito monſtret Xerxem. Quanto enim apparatu atque potentia invaſerit Græciam (quod ſine ingenti opulentia fieri non potuit) ex Herodoto lib. 7 intelligitur, qui narrat, Xerxem exercitum bis mille trecentorum ac ſeptemdecem millium peditum, equitum autem octoginta millium contra Græciam collegiſſe, præter ingentem turbam mulierum & lixarum atque calonum, quorum numerus excedebat numerum ipſius exercitus. Poſt Ahaſuerum igitur, id eſt, Xerxem, nominat Eſdras cap. 4. 7 Regem Artaſaſtham ſeu Artaxerxem, qui ex iis, quæ hucuſque dicta ſunt non alius fuiſſe intelligitur, quam Artaxerxes Longimanus quintus Perſarum Rex. Hunc ſequutus eſt Darius Nothus VI Rex, is nimirum, cujus anno ſecundo ædificatio Templi iterum inchoata, ſextoque anno perfecta eſt 1 Eſdr. 4. 24. VI. 15. Poſt hunc Darium rurſus apud Eſdram Artaxerxis cujuſdam fit mentio, ſub cujus regimine Eſdras & Nehemias Babylone profecti ſunt 1 Eſdr. 7. 1. Neh. 2. 1. Ut ita ſenſus Scripturæ, (cujus longe potior eſt auctoritas quam Joſephi) revera non alius ſit, quam quod Templum ædificatum fuerit ſub Rege Dario, qui medius inter duos Artaxerxes regnavit, nempe inter Artaxerxem Longimanum, & inter Artaxerxem Mnemonem. Qui Darius non poteſt eſſe alius ullus, præter Darium Nothum.

Secundo, ſententia de ædificato Templo ſub Dario Notho, contra Joſephum & Euſebium ex eo demonſtratur, quod tempore Darii, in cujus altero anno cœpta eſt iterum ædificatio Templi, nemo quicquam ſciverit de edicto Cyri, quo libertas Judæis redeundi in patriam, Templumque extruendi conceſſa erat. Idcirco Darius bibliothecas & acta diligenter curat perluſtrari, num tale edictum, quod allegabant Judæi, & ſine dubio ejus exemplar exhibebant, præſto ſit. Tandemque poſt longam inquiſitionem repertus eſt liber quidam in arce Ahmetha in Media, in quo edictum hoc Cyri continebatur 1 Eſdr. 6. 1, 2. Non eſt autem dubitandum, hoc edictum Cyri unanimi conſenſu omnium Principum Perſicorum, qui à conſiliis Regum fuerant, eſſe factum. Neque etiam Judæi tam exiguo fuere numero, ſed grandi cum exercitu, conſtante ex 43000 virorum, (fœminis, parvulis & ſervis non computatis) ſexcentis equitibus, ſex millibus aſinorum, aliaque ingenti ſuppellectile & opulentia è Babylone egreſſi ſunt, ſuaque domicilia aç vineas cum multis aliis bonis vendiderunt. Quod certe intra tam breve 11 annorum ſpatium, ut Joſephi opinio ſtatuit, ex omnium hominum memoria non potuiſſet effluere. Oportet igitur aliquod valde longum tempus inter primum edictum Cyri, & inter alterum edictum Darii interceſſiſſe. Darius quoque Hyſtaſpis fuit unus è primariis Regis Cyri Conſiliariis: quandoquidem ex eorum deſumptus fuit numero, è quibus poſt Cambyſis mortem rex electus eſt. Itaque ſi, juxta Joſephi ſententiam, ſub hoc Dario quærebatur de edicto Cyri, nihil opus erat, ut tanta cura id in actis ac bibliothecis perquireretur, ſed ipſe facile ejus recordari potuit, ut qui conſultationi de eo interfuerat. Quapropter ædificatio Templi ad tempora Darii Hyſtaſpis neutiquam referri poteſt, ſed tantum temporis inter utrumque edictum elapſum eſſe neceſſe eſt, ut primum illud ex memoria hominum penitus exciderit.

Tertio ratio contra Joſephum deſumi poteſt, ex pœna, qua Deus Judaicum afflixit populum, propter intermiſſam Templi ædificationem, dum eos percuſſit ſiccitate, uredine, grandine ac ſimilibus plagis. Vide Agg. 1. 2 ad 12. 11. 16, 17, 18. Quam adeo gravem cauſam habuiſſet Deus, qui alioqui tardus eſt ad iram, hiſce plagis deſæviendi, ſi ſtructura Templi non diutius quam XI annis intermiſſa fuiſſet: præſertim cum minax interdictum à ſuprema ſeculari poteſtate, cui ſubjecti erant interveniſſet. Cui ſi ſe violenter oppoſuiſſent, ſuſpicionem de ſe auxiſſent, & accuſationem, qua tanquam rebellis ac refractarius populus deferebantur, confirmaſſent. Ex loco quoque Agg. 2 ferme colligitur, ſterilitatem illam pœnæ loco immiſſam per longum tempus duraſſe, ut populus Dei iram ex eo poſſet agnoſcere. Ex quibus omnibus merito concluditur, intermiſſionem ædificationis longiori tempore quam ad XI annos protractam fuiſſe, adeoque hunc Darium, ſub quo de novo cœpit templum ædificari, nequaquam Darium Hyſtaſpis fuiſſe.

CAP. IV.

De ſeptuaginta ſeptimanis Danielis 9. 24.

QUartam rationem pro poſteriori ſententia de Dario Notho, ſubminiſtrant nobis LXX Septimanæ Danielis c. 9. 24. Etſi enim neſcii non ſimus, quam multæ & variæ ſint inter eruditos ſententiæ tam de initio, quam de fine iſtarum ſeptimanarum, prout cujuſque exigit opinio præconcepta, illa tamen merito præ aliis omnibus recipienda eſt, quæ cum claris Scripturæ verbis quam maxime convenit. Sic autem Angelus Danielem alloquitur ℣. 24: *Septuaginta Septimanæ* id eſt, 490 anni; ſingulæ enim ſeptimanæ pro 7 annis numerantur. *Definitæ ſunt ſuper populum tuum*, *& ſuper urbem ſanctam tuam*, nempe à Deo. *Ut cohibeat tranſgreſſionem*, *& obſignet peccatum*, *& expiet iniquitatem*, *& adducat juſtitiam ſempiter-*

puernam.] id eſt, ut Meſſias per ſuum Euangelium univerſalem peccatorum remiſſionem annunciet, viamq; ad veram juſtitiam conſequendam commonſtret. *Ut obſignet viſionem ac Prophetiam*] id eſt, ut vaticinia Prophetarum de fœdere gratiæ reipſa impleat ac repræſentet. *Et ungat Sanctum Sanctorum*] id eſt, Sanctiſſimum ac perfectiſſimum cultum divinum in Spiritu & veritate inſtituat. Angelus reſpicit his verbis ad illud tabernaculum Sanctum, quod Moſes una cum omnibus, quæ in eo continebantur, rebus, jubente Deo unxit & conſecravit, Exod. 40. 9.

Verſ. 25. *Scito igitur & animadverte: ab eo tempore, quo exibit edictum, ut Jeruſalem ædificetur iterum.)* Edictum iſtud non fuit primum illud à Cyro promulgatum, quod mox eſt iterum revocatum, ſed alterum, quod non tantum à Rege Dario, ſed à Deo etiam ipſo per Prophetas Aggæum ac Zachariam 1 Eſdr. 5. 1 exiit. Itaque initium 70 ſeptimanarum ſumendum eſt à ſecundo anno Regis Darii Nothi, id eſt, ab Anno Mundi 3528, ante natum Chriſtum 420. *Uſque ad Chriſtum Ducem ſunt ſeptimanæ ſeptem & ſeptimanæ ſexaginta duæ.)* id eſt, 69 ſeptimanæ, ſeu anni 483. Quod intelligendum non eſt de natalibus Chriſti, vel de ejus Prophetici muneris inchoatione: his enim in terris magis ut ſervus miſer, quam ut Dux, apparuit, Philip. 2. 7. ſed de eo potius tempore, quo poſt ſuam exaltationem vere ſe tanquam Princeps & Rex populi ſui exhibuit, dum judicia ſua ſuper Judæos, qui eum occiderant, ac repudiarant, exercuit, eoſque ex urbe & terra eorum exterminavit. *Quo tempore area*) id eſt, domus & platea. *Et foſſa*, murorum. *Rurſum ædificabitur*) intellige intra 7 menſes, id eſt, ſpatio 49 annorum. Tot enim anni elapſi ſunt ab anno ſecundo Darii Nothi, quo cæpta eſt iterum intermiſſa ædificatio continuari, uſque ad 32 annum Artaxerxis Mnemonis, quo Nehemias poſt abſolutam ædificationem è Jeruſalem in Perſiam rediit Nehem. 5. 14. 13. 6.

Darii Nothi - - - -	18.
Artaxerxis Mnemonis	20.
Nehemiæ - - - -	11.
	49.

Calculus annorum hunc in modum ſe habet: Anno ſecundo Darii Nothi iterum cæptum eſt ædificari templum 1 Eſdr. 4. 24. Poſtea adhuc regnavit Darius annis 18. Regnavit enim 19 integros annos. Huic ſucceſſit in regno Artaxerxes Mnemon, cujus 20 anno Nehemias profectus eſt Hieroſolymam, Nehem. 2. 1, manſitque ibi annos 11, nempe uſque ad 32 annum Artaxerxis Mnemonis Nehem. 5. 14. 13. 6. Hunc numerum ſi in ſummam colligas, efficientur anni 49 ſeu 7 ſeptimanæ. *Quanquam in anguſtia temporum*) Sannaballat enim ejuſque conſortes modis omnibus ædificationem hanc impedire conati ſunt, Nehem. 6.

Verſ. 26. *Et poſt ſeptimanas ſexaginta duas*) quæ poſt primas illas ſeptimanas 7, quibus ædificationi finis impoſitus eſt, fluxerunt. *Poſtquam excindetur Chriſtus*) quod in illis 62 ſeptimanis accidet; nempe initio 49 Septimanarum. *Sed non ipſius cauſa*) id eſt, non ipſius culpa id fiet, aut merito. *Populus Ducis venturi civitatem & Sanctuarium evertet.*) Aliqui per hunc Ducem Chriſtum ipſum ſignificari putant, cujus populus appelletur exercitus ille Romanus, qui Titii auſpiciis civitatem delevit. Chriſtus enim non ſolum ſui electi populi Rex eſt, ſed etiam omnium populorum ac Regum terræ, qui miniſtrare ei coguntur, quando opera eorum indiget. At probabilius eſt, per Ducem iſtum Titum denotari, quandoquidem is à Meſſia diſtinguitur: nempe cum exciſus fuerit Meſſias ſeu Chriſtus, populus Ducis veniet &c. *Et finis ejus*) id eſt, civitatis & ſanctuarii. *Erit cum inundatione*) Tam ſubito ac repente, non aliter quam ſi ab inundantibus aquis abriperetur. *Et uſque ad finem belli fient deſtinatæ deſolationes*) Variæ afflictiones, ſeditiones, fames, peſtis, præcedent ultimum excidium. Vide Matth. 24. 7. Joſeph. lib. 6 & 7 de bello Judaico. Idque evenit elapſis 7 & 62 ſeptimanis, id eſt in ſeptuageſima ſeu ultima ſeptimana. Quare LXX ſeptimanæ finem ſumunt cum excidio urbis Jeroſolymæ & totius politiæ Judaicæ.

Verſ. 27. *Confirmabit autem fœdus multis*) id eſt, Chriſtus ſuis electis, qui eum recipient, vi fœderis gratiæ præſto aderit, atque ex omni eos periculo liberabit. Quod factum eſt, cum fideles Hieroſolymis degentes, ipſa deſolatione atque excidio jam imminente, ſunt divina voce admoniti, ut ſe in tutiorem locum aliquo conferant. Quod etiam fecerunt, ac ſe in regionem Peræam in oppidum Pellam receperunt, Euſeb lib. 3. cap. 15. *Una ſeptimana*) in ultima ſeptimana. *Et in medio ſeptimanæ ipſius abolebit hoſtiam & ſacrificium)* id eſt, tribus annis & dimidio ante finem ultimæ ſeptimanæ, qua exciſa eſt Hieroſolyma. Advertus enim Veſpaſiani in Judæam contigit anno poſt natum Chriſtum 68. in Majo: urbs cum Templo deſolata eſt 10 Auguſti anno Chriſti 71 & tandem 8 Septembris plane in cineres redacta eſt. Senſus itaque horum verborum eſt: vaſtationem, qua ad extremum deſtruetur Templum, & ſic ſacrificia abolebuntur, dimidia ſeptimana ante orituram eſſe. Eſtque veriſimile, mox poſt ingreſſum Veſpaſiani in Judæam, cum milites ejus per totam diſcurſarent terram, nec pecoris aut aliarum rerum quicquam in civitatem inferri ſinerent, cultum Dei non potuiſſe eo modo, quo antea, celebrari. *Et per legiones vaſtatrices abominationum uſque ad conſummationem præciſam effundetur deſolatio ſuper eos, qui deſolari debent.)* Per legiones intelliguntur copiæ Romanorum, quæ dicuntur *legiones abominationum*, quod plenæ eſſent idolorum Ethnicorum. Vide quæ ad Matth 24. 15. de eo dicentur. Hactenus fuit explicatio verborum Angeli de 1xx ſeptimanis. Uti vero hæc explicatio culpari non poteſt, quod vel textui vim faciat, vel cæteroqui abſurda ſit: ita etiam ex hac appoſita tabella patet, quam apprime temporum ratio ſecundum poſteriorem ſententiam cum hac explicatione conveniat. Nimirum ſi edictum de iterum

Calculus LXX. *ſeptimanarum eſt talis.*

A ſecundo anno *Darii Nothi* uſque ad regni ejus finem, ſunt	Anni 18.
Artaxerxes Mnemon regnavit	42.
Ochus regnavit	23.
Arſes regnavit	3.
Darius Codomannus	6.
Hunc vicit *Alexander Magnus* & poſt eum vixit	6.
A morte Alexandri M. ad excidium Hieroſolymæ	392.
Summa	490.

rum ædificanda Jeroſolyma (à quo edicto Angelus verſ. 25, 70 Septimanas inchoat) Dario Notho adſcribatur; invenientur à ſecundo anno regni ejus uſque ad excidium Hieroſolymitanum præciſe anni 490 id eſt, LXX annorum ſeptimanæ. Contra ſecundum priorem ſententiam Joſephi & Euſebii, quæ edictum illud ad Darium Hyſtaſpis refert, LXX ſeptimanæ multo ante excidium urbis Hieroſolymæ finiuntur.

Nunc nobis quoque paucis ad objectiones, quæ ſententia iſti de edicto Darii Nothi opponi ſolent, reſpondendum eſt. Primo objicitur teſtimonium & auctoritas Joſephi, qui ultimum edictum, ut ſupra indicavimus, Dario Hyſtaſpis adſcribit. Sed auctoritati Joſephi longe anteponenda eſt Sacræ Scripturæ auctoritas, qua poſterior ſententia maxime nititur. Etſi enim ordo Regum Perſicorum & tempus regiminis eorum è Græcis ſcriptoribus deſumptum ſit, ſciendum tamen, inter eos tantam eſſe conſonantiam, & tam certos characteres ac notas ſuæ ſupputationis eos habere, ut ne minimum quidem fallantur. Quod vero ad Joſephum, tametſi fatendum ſit, eum admodum diligentem fuiſſe in ſcribenda hiſtoria, jamdudum tamen in Chronologicis (in quibus facilis eſt lapſus) convictus eſt à doctis haud meliocrium errorum. Unum exemplum ſit inſtar omnium. Libro X antiquitatum, à vaſtatione Jeroſolymæ per Nebucadnezarem ſub Sedecia ultimo Regæ Judæ facta, ad primum edictum Cyri de reſtauratione Templi numerat ille 101 annos. Sic Babylonica captivitas tam longo duraſſet tempore; cum tamen ſcriptura eam tantum ſpatio 70 annorum definiat. Si igitur Joſephus in re tam clara tantopere hallucinatus eſt, fieri potuit, ut in cæteris quoque errore abriperetur.

Alterum, quod objicitur, eſt tempus nimis longum, quod interceſſit inter primum Cyri edictum, & alterum edictum Darii Nothi, eſtque annorum 108. Jam vero Zorobabel & ſummus Pontifex Joſue una è Babylone profecti ſunt, & uterque ædificationem ſub Cyro exorſi ſunt 1 Eſdr. 3. 2. Iidem autem etiam ædificationi ſub Dario præfuerunt. Quod ſi ponatur, quemlibet eorum tempore exitus ex Babylonia tantum 18 vel 20 annorum fuiſſe, ſequetur, eum circa tempus conſummationis Templi 130 aut 132 annos habuiſſe. Non videtur autem credibile, utrumque ſimul ad tam ſeram perveniſſe ſenectutem. Verum enim vero mirandum non eſt, Deum viris tam inſignibus, qui tantum ardorem ac pietatem in opere Domini demonſtrarunt, & bonum populi tantopere ſibi curæ cordique habuerunt, vitem coulque prorogaſſe, ut abſolutam Templi ſtructuram, quam tanto expectabant gaudio, ipſiſmet oculis ſuis aſpicere poſſent. Quanquam qui erant ex Sacerdotali genere ut plurimum longam vivebant vitam. Hinc à Salomonis temporibus ad captivitatem Babylonicam, nempe intra 431 annos, tantum ſeptem ſummi Pontifices fuere 1 Chron. 5. 10. De Jojada quoque Pontifice teſtatur Scriptura, eum 130 annos vivendo exegiſſe 2 Paral. 24. 15. Dein omnes, qui primam ſententiam Joſephi amplectuntur, ponunt profectionem Nehemiæ è Babylone in anno 20 Artaxerxis Longimani contigiſſe, id eſt, in Anno Mundi 3506. Neque aliter poſſunt. Nam ſi 20 annum Artaxerxis Mnemonis intelligerent, ſeu Annum Mundi 3566, forent ex ipſorum ſententia ab iterata ædificatione templi ſub Dario Hyſtaſpis, uſque ad profectionem Nehemiæ è Babylonia anni 135, quod abſurdum plane eſt, nec credibile urbem ac templum tanto tempore muris caruiſſe. Atqui jam tum ſub tempus profectionis Nehemiæ è Babylonia Sannaballat fuit Præfectus Samariæ (Nehemiæ quippe in ædificando magnopere obſtitit) vir magnæ auctoritatis, ac proinde non juvenilis, ſed virilis ac maturæ ætatis: quemadmodum Nehemias quoque vir perfectæ ætatis omnino fuit; quandoquidem Rex ipſi mœniorum exſtructionem & præfecturam ſuper Judæam commiſit. Uterque autem attigit tempora Alexandri Magni. Nehemias enim ſummi Pontificis Jaddi fratrem Manaſſem, propter nuptias cum filia Sannaballatis contractas rejecit Nehem. 13. 28. Sannaballat etiam ab Alexandro M. ferme ſecundo regni ejus anno obtinuerat facultatem pro ſuo genero Manaſſe Templum in monte Garizim non procul à Samaria exſtruendi. At à 20 anno Artaxerxis Longimani uſque ad ſecundum annum Alexandri M. ſunt anni 118. Poſito jam, quod tam Nehemias tempore ſuæ ex Babylonia profectionis, quam Sannaballat eodem tempore, non amplius quam 24 annos natus fuerit, conſequetur quemque eorum proviviſſe ad annum uſque ætatis 142, etiamſi uterque ſecundo anno Alexandri M. defunctus fuiſſet. Si proinde illa poſterior ſententia de tempore reſtaurati Templi, ob nimis magnum ſenium Zorobabelis & Joſuæ abſurda eſt: neceſſe eſt etiam priorem ſententiam ob eandem cauſam, nempe ob grande ſenium Nehemiæ & Sannaballatis abſurdam eſſe: inprimis cum in Sannaballate non habuerit ullum cauſa illa locum, quæ habuit in Zorobabele & Joſua, ob quam Deus vitam ejus tamdiu produceret.

Tertia objectio affertur ex Zachariæ cap. 1. 12, ubi Angelus cum Propheta loquens ſic Deum orat: *Domine exercituum, quouſque non miſereberis Hieroſolymæ & urbium Judæ, cui iratus fuiſti his ſeptuaginta annis?* Hoc autem factum eſt ſecundo anno Darii, quo reſtaurari cœptum eſt templum, atque adeo non multo poſt exitum populi ex Babylonia, id eſt, ſub Dario Hyſtaſpe. Reſpondeo. Prorſus incertum eſt, Angelum hoc loco per 70 annos intelligere annos captivitatis Babylonicæ. Nam etiam cap. 7. 5. anno quarto Darii rurſus ſeptuaginta annorum fit mentio, ubi Dominus ſic alloquitur Zachariam: *Loquere ad omnem populum terræ; Cum jejunaretis & plangeretis quinto & ſeptimo menſe per hos ſeptuaginta annos, nunquid mihi jejunaſtis?* Ex quo intelligitur, verba hæc de 70 annis non propriè accipi: non enim poteſt ſecundus & ſimul etiam quartus annus Darii eſſe ſeptuageſimus annus. Itaque iſta verba vel de alia afflictione, quæ 70 annos duravit, intelligenda ſunt, de illa videlicet, cum Deus populum ſuum puniret ſiccitate, uredine, grandine & aliis malis; vide Agg. 1. 5, 6, 7, 8, 10, 11, 11. 16, 17, 18, vel ſi ad illos 70 captivitatis Babylonicæ annos reſpiciunt, non ſunt tamen ita accipienda, quaſi tunc demum, vel paulo ante præterierint, ſed quaſi jam longo tempore deſierint. Neque in eo quicquam abſurdi foret, ſi Angelus in ſua oratione illos 70 annos

pro exemplo divinæ iræ adduxiſſet, tametſi jampridem effluxerint. Alioqui ſunt ab interdicto Ahaſueri ſeu Xerxis, de quo 1 Eſdr. 4. 6, ad quartum annum Darii circiter 70 anni: ad quos probabile eſt in verbis apud Zachariam reſpici. Fortaſſis, quia Judaicus populus cauſam inſtaurandi Templi non tanto ſtudio agebat apud Xerxem & illius ſucceſſorem Artaxerxem, ideo eum Deus per 70 annos variis afflixit plagis.

Quarta objectio eſt ex Agg. 2. 3, ubi Propheta inquit: *Quis inter vos relictus, eſt, qui viderit domum iſtam in gloria ejus prima? & quid vos hanc nunc aſpicitis? Nonne ita eſt, quod ad illam quaſi nihil ſit in oculis veſtris?* Verum exinde nondum concludi poteſt, tempore Aggæi aliquem ſuperfuiſſe, qui templum Salomonis viderit. Sed ſenſus verborum eſſe poteſt ex Hebræorum uſu: Si quis eſſet, qui domum hanc in ipſius priore gloria vidiſſet, hæc ad illam quaſi nihil eſſet in veſtris oculis. Talis loquendi modus eſt ille Luc. 15. 4, ubi Chriſtus ait: *Quis eſt ex vobis homo, qui habet centum oves & unam ex illis perdidit*, &c. id eſt, ſi quis inter vos haberet centum oves, & unam ex eis perderet, derelinqueret nonaginta novem in deſerto &c. Magnitudinem prioris domus poterant illi ex ejus fundamentis, quæ adhuc cernebantur, & ex ambitu montis Moriæ cognoſcere. Ac tempore quidem Zorobabelis, cum is Cyri edicto publicato è Babylone proficiſceretur, plures adhuc in vivis erant, qui Templum Salomonis viderant: ſed Aggæi temporibus, poſt abductionem ſub Sedecia factam 167 annis, ægrè potuit quiſpiam ex iis eſſe ſuperſtes.

CAP. V.

De Tertia Monarchia Græcorum.

Alexander appellatus *Magnus*, Philippi Regis Macedoniæ in Græcia filius, vir animi ſupra humanum modum excellentis, & gloriæ ſiti in immenſum ardens, cui explendæ univerſus Orbis ei parvus videbatur: poſtquam pater ejus Philippus tenue & obſcurum regnum Macedoniæ adeo amplificaſſet, ut totam Græciam aliaque regna ſibi ſubjugaſſet, poſtremoque à Pauſania viro equeſtris in Macedonia ordinis cæſus eſſet; hic, inquam, Alexander regno potitus eſt 20 anno ætatis, Mundi 3614, ante natum Chriſtum 334, quo anno etiam Darius Codomannus ultimus Perſicorum Monarcharum regnare cœpit. In regni ſui primordiis ulciſcitur patris ſui mortem: rebelles in Græcia domat; Thraciam, Illyricum & Pæoniam ſub ſuum redigit imperium. Inde arma vertit in Perſidem: magno prælio vincit Memnonem Perſarum Ducem, anno tertio Darii Codomani. Hanc victoriam plures aliæ porro excepere, in quibus Alexander plurimas urbes ac provincias ad obſequium ſuum coëgit.

Darii autem duce Memnone, cujus in prudentia ac conſilio omnia ſita erant, fatis functo, Darius ipſe deſcendit in aciem cum 500000 viris: ſed ab Alexandro, cujus exercitus non excedebat numerum 32000, ſuperatur. Hinc ducit Alexander exercitum in Syriam, capit Damaſcum, Sidonem & alias urbes. Cyprus & aliæ inſulæ dedunt ſe ultro: at Tyrus ei reſtitit 7 menſibus.

Dum Alexander circa Tyrum occupatus eſt, venit ad eum Sannaballat, qui paulo ante à Dario impoſitus erat Præſes Samariæ, nunc autem pro eo ac ventus fortunæ flabat, vela pandit, & Alexandro ſe ſubmittit. A quo impetravit, ut genero ejus Manaſſi liceret Templum condere in monte Garizim, vicino Samariæ (de quo ſuo loco) quod deinceps graviſſimorum bellorum inter Judæos & Samaritanos cauſa fuit Joſeph. lib. 12. cap. 1.

Durante obſidione Tyri, Alexander per literas poſtulat à ſummo Sacerdote Hieroſolymitano Jaddo ſubſidium, milites & annonam, imperat quoque eidem tributum, quod Judæi antea Dario pendebant: ſed hoc ipſi denegatum eſt. Tyro expugnata movit caſtra ad Gazam, munitiſſimam in Palæſtina civitatem: qua occupata feſtinus contendit Hieroſolymam. Pontifici Jaddo per quietem à Deo mandatur, civitatem ut Alexandro dedat. Egreditur igitur ille comitatus univerſo Sacerdotum agmine, pontificialique ſuo habitu indutus, & ſic proceſſit Alexandro obviam.

Quod ſpectaculum emollivit Alexandri animum: quia ipſi refricuit memoriam ſomnii, in quo olim adhuc in Macedonia ipſi apparuerat vir ejus formæ eoque ornatu, quali erat Jaddus, & agitanti conſilia Aſiæ debellandæ promiſerat, ſe in eo bello ductorem ejus fore, regnumque Perſicum in manus ejus traditurum. Intravit deinde civitatem, inque templo Sacra fecit, nec ſolum ampliſſimis muneribus Pontificem mactavit, verum etiam Judæos luculentiſſimis immunitatibus ornavit: maximo exinde perfuſus gaudio, quod ei Danielis Prophetæ monſtraretur vaticinium, quo continebatur, Regem quendam è Græcia venturum, & regnum Perſicum everſurum; quod vaticinium ille de ſe interpretatus eſt Joſeph. lib. 11. cap. 8.

Pergit hinc in Ægyptum, ubi odio Perſarum ab omnibus obviis ulnis excipitur. Urbem de nomine ſuo Alexandriam eodem loci condit ad conſervandam ſui memoriam.

Redeunti ex Syria ad flumen Euphratum occurrit ei Darius cum 800000 peditum, & 200000 equitum. Sed ab Alexandro funditur & profligatur, ut fugeret ad Bactrianos in Mediam. Poſtea admotis copiis Alexander expugnat Babylonem & Suſa. Darius autem redintegraturus bellum à Beſſo Præſide Bactrianorum perimitur: ut eum jam Alexander non repererit vivum. Hoc factum eſt Anno Mundi 3620, ante natum Chriſtum 328, anno ſexto Darii, cum quo Perſica Monarchia finem ſortita eſt, & Alexander totius Aſiæ imperio potitus eſt.

Cæterum his tam ſecundis fortunæ ſucceſſibus, inexplebilis gloriæ appetitus in Alexandro nondum reſtinctus eſt. Trajecit in Indiam, debellat potentiſſimum Regem Porum, quem cepit, ſed, ut generoſum animum ſuum oſtentaret, eum liberum dimiſit, & regnum ei dono dedit.

Redux ex India, Babylone ſe nimio vini potu ingurgitat, ex qua intemperantia morbum contraxit, eoque moritur Anno Mundi 3627, ante natum *Chriſtum*

ſtum 321, *ante excidium Hieroſolymæ* 392 *ætatis ſuæ* 33.

Poſt Alexandri obitum illico à Præfectis militiæ conſilia de adminiſtratione regni ineuntur: tandem concluſum, quandoquidem Alexandri filius Hercules impubis erat, ejuſque conjux Roxane gravida ſupererat, ut ejus expectaretur partus, interea vero Aridæus Alexandri frater Rex eſſet. Sed quia Aridæus mentis erat non bene ſanæ, Perdicas præcipuus è ducibus datur ei Curator, & ſupremus Babylonici regni Gubernator conſtituitur: reliqua regna ac regiones ab iis Principibus diſtribuuntur. Nam I. *Seleuco Nicanori* obtigit Syria. II. *Ptolomæo* Lagi filio Ægyptus, Africa, & his finitima. III. *Antigono* Aſia minor. IV. *Antipatro* Macedonia cum adjacentibus.

Hoc pacto ampliſſimum Alexandri Magni Regnum in quatuor alia regna diviſum eſt: quæ diviſio Danieli commonſtrata fuit divinitus in viſione de robuſto Hirco, cujus maximum cornu (quod Alexandrum Magnum deſignabat) fractum eſt, in ejuſque locum quatuor alia cornua (quæ ſignificarunt quatuor regna) enata ſunt Dan. 8. 8. xi. 4. Ex his quatuor regnis potentiſſima erant Syriacum & Ægyptiacum. Cumque de imperio inter utrumque certamen eſſet, & alterum alterius oppreſſionem intenderet, gravibus & diutinis inter ſe bellis conflictata ſunt. Sed utrinque æqualis fere potentia in æquilibrio utrumque continuit. Quo tempore Judæa inter utrumque ſita, multas perpeſſa eſt calamitates. De utroque hoc regno loquitur Daniel cap. xi. 5.

Cum vero nobis propoſitum ſit, geſta illorum temporum, potiſſimum quatenus ſtatum Judaici populi attingunt, enarrare: de ſolis Syrorum & Ægyptiorum regnis, quibus Judæi innexi & immixti fuerunt, nonnihil referemus. Hæc duo regna una conſtituunt quartum Regnum, quod per ferreas ſtatuæ Nebucadnezaris tibias ac pedes deſignatum fuit Dan. 2. 33.

CAPUT VI.

De quarto Regno, ſcilicet Syrorum & Ægyptiorum.

Genealogia Regum Syriacorum.

I. *Seleucus Nicanor*, regnat 32 annos.

II. *Antiochus Soter*, 19 annos.

III. Antiochus Theos 15 annos.

IV. *Seleucus Callinicus* 20 ann.

Antiochus Hierax.

V. *Seleucus Ceraunus* 3 annos

VI. *Antiochus Magnus* 36 ann.

VII. *Seleucus Philopator*, 11 ann.

X. *Demetrius*, Soter 16 ann.

Cleopatra Ptolomæi Epiphanis uxor.

VIII. *Antiochus Epiphanes* 12 ann.

XII. *Demetrius Nicanor* 1 ann. conjux ejus Cleopatra Philometoris filia.

XV. *Antiochus Sedetes* 8 ann. conjux ejus Cleopatra Ptol. Philom. filia.

IX. *Antiochus* Eupator 2 annos.

XI. *Alexander* Bala, Antiochi Epiphanis putativus filius 6 annos. Conjux ejus Cleopatra Ptol. Philometoris filia.

Seleucus.

XVII. *Antiochus Gryphus* 29 ann. Uxor ejus Tryphena Ptol. Phyſconis filia.

1. Seleucus.
2. Antiochus.

XX.

3. *Philippus.*
4. Demetrius Eucærus.
5. Antiochus Dionyſius.

XVIII. Antiochus Cyzicenus, conjux ejus Cleopatra Ptol. Phyſconis filia.

XIX. *Antiochus Euſeba*

XVI. *Alexander Sebina*, Antiochi Sedetis putativus filius.

XIII. Antiochus à Tryphone cæditur. Et regnat XIX, *Tryphon* 3 ann.

Genealogia Regum Ægypti.

I. *Ptolomæus Lagi* 36 annos
- Ptolomæus Ceraunus.
- Arſinoe Ptolomæi Philadelphi uxor.

II. *Ptolomæus Philadelphus* 38 annos. Conjux ejus Arſinoe ejuſdem ſoror.
- III. *Ptolomæus Euergetes* 25 ann.
  - Laodicea.
  - Berenice.
- IV. *Ptolomæus Philopator.* Euridice
  - Utraque uxor fuit Antiochi Theos dicti.
- V. *Ptolomæus Epiphanes*, uxor ejus Cleopatra Antiochi Magni filia. *A.*

A.
- VI. *Ptolomæus Philometor* 35 ann.
  - Cleopatra, uxor 1 Alexandri. 2 Demetrii Nicanoris. 3 Ptolomæi Lathuri.
- VII. *Ptolomæus Phiſcon.* Cleopatra 1. Fratis ſui Phyſconis uxor. 2. Antiochi Cyziceni.

VIII. *Ptolomæus Lathurus, B.*
- Alexander.
- Tryphena, Antiochi Gryphi conjux.
- Cleopatra, Ptolomæi Lathuri conjux.
- Selene 1. Lathuri. 2. Gryphi conjux.

B. VIII. *Ptolomæus Lathurus.*
- IX. *Ptolomæus Auletes.*
  - Ptolomæus Cyprus.
  - Berenice.
- X. *Ptolomæus Dionyſius*
  - Cleopatra.

Reges Syriæ.

I. SEleucus *Nicanor.* Primus Rex Syriæ poſt mortem Alexandri.

Principio ab Antigono, cui Aſia in diſtributione obtigit, filiumque ſuum Demetrium imponere regno Syriæ animus fuit, fugatur in Ægyptum ad Regem Ptolomæum Lagi. Perſequitur eum Demetrius, ſed à Ptolomæo ac Seleuco profligatur, atque ſic Seleucus ope Ptolomæi in regno Syriæ ac Babylonis confirmatur Anno Mundi 3638, ante natum Chriſtum 310.

Civitates multas condidit, ut Antiochiam, Seleuciam, aliaſque, quas Judæis incolendas dedit, magniſque eos immunitatibus donavit Joſeph. lib. 12. cap. 3. Regnavit annos 32.

II. *Antiochus Soter* 3669, 279, Seleuci filius, regnavit 19 annos.

III. *Antiochus Theos* 3689, 259 filius ejus, regnavit annos 15. Ex Laodicea Ptolomæi Philadelphi filia duos ſuſcepit filios, Seleucum Callinicum & Antiochum Hieracem. Grave & longum ipſi bellum fuit cum Ptolomæo Philadelpho, quod tandem nuptiis finitum eſt. Ptolomæus enim etiam alteram filiam Berenicen ipſi in matrimonium elocavit. Atque hoc fuit primum bellum inter prævalida regna Syriæ & Ægypti, de quo extat vaticinium apud Danielem cap. XI.

Berenice tanti regis Regina, & potentiſſimi Regis filia, omnibus nervis incubuit, ut poſt mariti deceſſum regnum ad ejus filios devolveretur. Quo animadverſo Laodicea, regem veneno ſuſtulit, filiuſque ejus Seleucus Callinicus regnum obtinuit.

IV. *Seleucus Callinicus* 3703, 244. Regnavit 20 annos. Inſidiatus eſt vitæ Berenices novercæ ſuæ, impulſu matris ſuæ Laodiceæ. Illa fugiens Daphuin petit, expectans ibi opem fratris ſui Ptolomæi Euergetæ. Sed hoc tardante, aſtu capitur, & una cum liberis totaque domo necatur. At ubi Ptolomæus exercitus robore ſuccinctus advenit, fidei ejus ac

Reges Ægypti.

I. PTolomæus *Lagi* filius, Soter quoque nuncupatus, primus Rex Ægypti poſt mortem Alexandri.

Prælio vincit una cum Seleuco Nicanore Demetrium Antigoni filium, quem pater collocare in regno Syriæ, Seleuco pulſo, voluit.

Poſtea Ptolomæus Judæam ſibi ſubjicit, occupat Hieroſolymam Sabbatho, quo Judæi nefas ducebant ſe defendere, plurimoſque è Judæis ac Samaritanis captivos deportat in Ægyptum.

Dein vero Judæos maximis affecit beneficiis, eximiiſque eos ornavit immunitatibus Alexandriæ. Joſeph. lib. 12. cap. 1.

Regnavit annos 39, regnumque ſuum juniori è filiis Philadelpho legavit.

II. *Ptolomæus Philadelphus.* Fuit minor natu è fratribus, quem regni hæredem pater inſtituerat.

Eo regnante alta fuit pax in Ægypto. Studioſiſſimus fuit bonarum artium omniſque ſcientiæ. Inſignem Bibliothecam Alexandriæ adornavit.

Ab Eleazaro ſummo Pontifice poposcit LXXII doctiſſimos Rabbinos, ut eorum opera Lex Hebræa in linguam Græcam transferretur.

Quod cum obtinuiſſet, Pontificem & Interpretes ut & Templum Hieroſolymitanum regalibus donis muneravit. Joſeph. lib. 12. cap. 2.

Poſthæc bella geſſit gravia cum Antiocho Rege Syriæ, qui Theos dictus eſt. Sed affinitate

poteſtati ſe committunt omnes munitiſſimæ urbes Aſiæ, quæ atrox hoc Seleuci facinus ſummopere deteſtabantur. Ac niſi Ptolomæum inteſtini motus in Ægyptum revocaſſent, Seleucum regno prorſus exuiſſet.

Ut receſſit Ptolomæus, rurſus Seleucus Aſiæ civitatibus potiri cupiens, ingentem apparavit claſſem: ſed iſta oborta tempeſtate diſſipata & deleta eſt. Nihilominus civitates Aſiæ ad obſequium ejus redierunt ultro, credentes, per illam calamitatem facinus adverſus novercam commiſſum ſatis eſſe expiatum.

Seleucus recuperatis civitatibus, contra Ptolomæum totus eſt in inſtaurando bello, & novam claſſem adornat: ſed adverſo Marte pugnavit, fuſuſque confugit Antiochiam, ac fratris ſui Antiochi Hieracis opem implorat. Ptolomæus nolens cum duobus rem habere hoſtibus, cum Seleuco redit in gratiam. Hieracem male habuit, quod frater ſe inconſulto reconciliatus eſſet Ptolomæo; itaque inſert fratri bellum & ſuperat eum primo adjutus à Gallis. Sed Seleucus ope Ptolomæi, altero prælio ſuperior evadit, regnoque fratrem privat. Is profugit ad Ptolomæum, cui ſe potius, etſi inimico, quam fratri permittere maluit. Sed cum inde rurſus fugam adornaret, obtruncatus eſt. Seleucus quoque ferme ſub idem tempus ex equo lapſus diem ſuum obiit. Hic finis fuit vitæ amborum fratrum.

VI. *Antiochus Magnus.* Regnavit 36 annos. Initia regni ejus turbulenta fuêre inteſtinis bellis.

Poſtea bello cum Ptolomæo Philopatore colliſus eſt: ac primum quidem favit fortuna, ſed deinceps tam improſperum Martem expertus eſt, ut tota Cœleſyria excideret.

Anno 3739, à Ptolomæo omnia recuperat in Syria ſibi erepta.

Anno 3746, cum Philippo Macedoniæ rege pangit fœdus adverſus Ptolomæum Epiphanem adhuc puerum, regnum ei adempturi, & inter ſe diviſuri. Sed Tutores pueri mittunt confeſtim Scopam Ducem cum exercitu in Syriam, ubi is occupat principio civitates non paucas, ſed tandem ab Antiocho debellatur, omneſque in Syria civitates rurſus amittit. Judæi ſponte in poteſtatem Antiochi conceſſerunt, militi ejus omnia neceſſaria ſubminiſtrarunt, etiam in oppugnatione arcis regiæ Hieroſolymis in Sione ſitæ, in qua præſidiarius ſcopæ miles ſe incluſerat, impigram ac fidem Antiocho operam præſtiterunt. Quam fidelitatem ille grato animo agnovit, dona ingentia templo, Judæis immunitates ſummas impertitus. Joſeph. lib. 12. cap. 3.

Bello dein ſe implicuit cum Romanis, ideoque affinitatem contraxit cum Ptolomæo Epiphane, data ei in matrimonium Cleopatra filia ſua, ac dotis loco Cœleſyria & Judæa. Profligatur autem à Romanis, & 15 talentis mulctatur. Quam mulctam ſolvere non valens, deſperatum init conſilium, expilandi noctu templum Jovis Didymæi: ſed in eo facinore occiditur.

VII. *Seleucus Philopator* Antiochi Magni filius. Regnavit annos 2, ipſe & frater ejus Antiochus Epiphanes dati erant Romanis à patre pro obſidibus. Ipſe vero liberavit fratrem, miſſo proprio filio ſuo Demetrio Romam in illius locum.

Hujus tempore contigit illa hiſtoria de Heliodoro, quæ habetur 2 Machab. cap. 3.

VIII. *Antiochus Epiphanes*, id eſt, illuſtris. Hic eſt *cornu illud modicum, quod de uno ex quatuor cornibus Hirci excrevit, quod grande factum eſt verſus Meridiem, verſus Orientem & verſus præſtantem terram* Dan. 8. 9.

Statim belli contra Ægyptum movendi occaſiones quæſivit, vilipendens ætatem immaturam Regis Philometoris, & Tutorum ejus imperitiam. Juvadit primum Syriam, cum Romanis fœdus renovat, aggreditur porro Cœleſyriam. Tandem tutores arma contra expediunt. Hoc ille fert indigne, & nitate ac nuptiis ditempta ſunt. Dedit enim nuptum Antiocho etiam alteram filiam Berenicen, poſt collocatam ei jam in matrimonium majorem natu filiam Laodiceam. Impio Ægyptiorum more etiam germanam ſororem ſuam Arſinoën in matrimonio habuit.

Regnum tenuit annis 38.

III. *Ptolomæus Euergetes.* Regnavit annos 25. Viguêre ſub eo omnes artes liberales Alexandriæ, quas invexerat pater. Munificus in Judæos fuit.

Ejus ætate Jeſus Syrach in Ægyptum venit, ibique librum ſuum, quem (ut ipſe refert in ſua præfatione) avus ejus Hebræa conſcripſerat lingua, auxit, atque in Græcam linguam tranſtulit.

IV. *Ptolomæus Philopator.* Regnavit 17 annos. A cæde matris & fratris auſpicatur regnum. Dat ſe otio ac voluptatibus.

Anno Mundi 3733, adverſus Antiochum Magnum ſecundo Marte pugnat, & tota eum exuit Cœleſyria: venienſque Hieroſolymam, ut perſolvat Deo grates, cupit rem divinam facere in ſancto ſanctorum, ſed à Pontifice ſummo prohibetur. Concipit inde implacabile odium adverſus Judæos, eorumque multa millia captiva duxit in Ægyptum, objecturus eos 500 elephantis in publico theatro. Sed cum elephanti contra naturam ſuam parcerent eis, Regem ſubiit facti pœnitentia, liberoſque Judæos dimiſit 3 Machab. 5.

Moritur tandem voluptatum atque laſciviæ fœdiſſimum mancipium.

V. *Ptolomæus Epiphanes.* Puer fuit 5 annos natus, cum regnum adipiſceretur. Pueritia ejus illecebra fuit Antiocho Magno & Philippo Macedoni, ut regno ejus imminerent. Etiam in tenera ætate Tutoribus atque cognatis ſuis propemodum præda fuit. Ipſi quoque Tutores inter ſe diſcordes fuêre, ut alter alterum morte afficeret. Duxit uxorem Antiochi Magni filiam Cleopatram, accepitque pro dote Cœleſyriam & Judæam. Regnavit annos 24.

VI. *Ptolomæus Philometor*, Epiphanis filius ex Cleopatra Antiochi Magni filia. In pueritia regnum accepit: tenuit 35 annos. Initio à matre & juniore fratre Ptolomæo Phyſcone ejicitur.

Hinc ſumit anſam Antiochus Epiphanes bello Ægyptum petendi, obtendens ſtudium fratris ſenioris in regnum reſtituendi. Sed inter fratres concordia coaluit interim, & regnum ſenior Ptolomæus Philometor recepit. Poſtea vero adhuc ſuperſtite Antiocho Eupatore, filio Antiochi Epiphanis, partiti ſunt regnum, &

& aliam quærit anſam adverſus Ægyptum belligerandi, prætextum ſcilicet in regnum reducendi Ptolomæum Philometorem, qui à minore natu fratre ſuo Ptolomæo Phyſcone & matre ſua Cleopatra regno pulſus erat. Ingreditur igitur Ægyptum grandi cum exercitu, quam brevi tempore totam in ſuam ditionem redegit, ſola Alexandria excepta, quam tenebat Phyſcon. Interea Phyſcon & Cleopatra legatos mittunt Romam ad Senatum, qui mox minaci imperio ſuo Antiochum arma deponere ac bello abſtinere cogunt. Excedit ergo Egypto, & revertitur in Syriam, Romanam potentiam ac minas pertimeſcens, majoremque natu Ptolomæum, in cujus gratiam (ut falſo ſpargebat) bellum ſuſceperat, relinquit Memphi. Joſeph. lib. 2. cap. 6. In reditu nefandam crudelitatem ac tyrannidem in Judæa exercuit, tandemque ſeleratam animam miſerabilem in modum efflavit, prout deinceps ex deſcriptione ſtatus Judaici populi intelligetur.

IX. *Antiochus Eupator*, Epiphanis Filius, cui pater principem è conſiliariis ſuis Philippum quendam tutorem reliquerat, cui etiam regni adminiſtrationem demandarat. At Lyſias, de primariis regni ſenatoribus unus (cujus mentio habetur 1 Maccab. 3. 32.) certior redditus de Regis morte, non paſſus eſt Philippum Tutorem clavum tenere imperii, ſed huic Antiocho diadema imponit, ac ſimul nomen Eupatoris. Non amplius duobus regnavit annis.

Nam anno 3788 venit Demetrius, Seleuci Philopatoris filius, qui Romæ pro obſide erat, & dolo quodam elapſus fuerat. Is ratus ſibi, tanquam genito ex ſeniore Antiochi magni filio, regnum jure deberi, conſcribit ingentem exercitum, ejuſque partes amplectuntur plurimi, quorum opera Lyſiam & Antiochum capit, & antequam in conſpectum ſuum venirent, eos jugulari juſſit. Joſeph. lib. 12. cap. 16.

X. *Demetrius* anno 3789, 159. Quamprimum auſpicatus eſt regnum, plures è Judæis ad eum deſciverunt, è quibus etiam fuit Alcimus. De quo ſuo loco, ubi de rebus Judæorum agetur.

Anno 3797, 151, oritur novus hoſtis Demetrio, Alexander quidam, qui ſe jactabat Antiochi Epiphanis filium, & potiori jure ſibi regnum competere contendebat. Hic ſuffultus auxilio Ptolomæi Philometoris aliorumque regum, maximam vim colligit. Cumque Demetrius non tantum apud omnes vicinos Reges ac Principes ſibi odium concilaſſet, ſed etiam ſubditorum ac militum ſuorum animos à ſe avertiſſet, facile Alexander potitus eſt Ptolomaide, per proditionem militum ipſius Demetrii, qui in præſidio erant.

Anno 3798, 150, offert Alexander Demetrio pugnam, in qua quidem Demetrius ſe ſtrenue geſſit, ſed in cœnoſo quodam loco telis confixus eſt, anno regni 10: ſic Alexander regnum obtinuit.

XI. *Alexander* 3798, 150. Regnat 6 annos. Anno ſecundo connubio ſibi jungit Cleopatram, Regis Ptolomæi Philometoris filiam.

Anno 3802 conſurgit adverſus Alexandrum hoſtis novus, Demetrius Nicanor, ſuperioris Demetrii filius.

Anno 3804, 144 Ptolomæus Philometor, inſtructus magna manu terra marique, advenit, ſpecie quidem opem Alexandro laturus, revera autem regnum ad ſe tracturus. Sed ubi venit Ptolomaidem, ſubolfecit, Alexandrum, qui fortaſſis certis indiciis in notitiam propoſiti ejus pervenit, vitæ ſuæ inſidiari. Ad quod flagitium ille exhorreſcens, filiam ſuam Cleopatram ei ademit, tradiditque eam Demetrio Nicanori. Inde ventum eſt ad prælium: Alexander cæditur, fugit in Arabiam, ſed Rex Arabum caput ejus amputatum mittit Ptolomæo. Ptolomæus autem in conflictu illo ſauciatus fuit adeo, ut ex vulneribus moreretur; caput tamen hoſtis ſui ante finem oculis ſuis uſurpavit.

XII. *Demetrius Nicanor*. Rex evadit poſt necem Alexandri. Duobus tantum regnat annis. Cum enim Demetrius improbitate ſua omnium irritaſſet animos, Tryphon Dux Alexandri in Arabia obtruncati, accerſit ex Arabia Antiochum Alexandri filiolum, ex Cleopatra genitum: caput ejus diademate revincit, poſtquam Demetrium prælio viciſſet.

XIII. *Antiochus* 3806, 142. Alexandri filiolus regnum adit, poſt Demetrium in fugam conjectum. Sed quia ex Ephebis nondum exceſſerat, regnum adminiſtrabat Tryphon.

VII. *Ptolomæus Phiſcon* 3805, 143. Poſt ſui fratris Ptolomæi Philometoris mortem ad regnum emergit. Regnat 29 annos. Homo plenus laſciviæ ac crudelitatis. Idcirco anguſtam reddidit ſuorum patientiam, ut hoſtili animo inſurgentes contra eum, regiam ejus ſubjecto igne concremarent. Quæ res coëgit eum fugam capeſſere, & in Cyprum ſe recipere.

Anno 3809, Demetrius, qui adhuc ſuperiorem Aſiam retinebat, movit contra Parthos: proſpera ei fuêre belli initia, ſed tandem à Mithridate Rege Parthorum vincitur, capitur, ac primum quidem contumelioſe, poſt vero honorifice habetur.

Ubi nuncius de hac Demetrii ſtrage ad aures Tryphonis perlatus eſt, mox curat Antiochum veneno tolli.

XIV. *Trophon* 3809, 139. Poſt ſublatum è medio Antiochum regnavit 3 annos. Poteſtate in milites crudeliter utebatur: hinc factum, ut eo deſerto, ad Cleopatram, Ptolomæi Philometoris filiam, primum Alexandro poſt Demetrio Nicanori nuptam deficerent. Hæc Tryphonem metuens advocat Antiochum Sedetem, Demetrii captivi mariti ſui fratrem, offert ei conjugium & regnum. Quas conditiones Antiochus Sedetes acceptat, & adverſum Tryphonem militem colligit. Eoque collecto ſuperat illum bello, obſidetque Doræ Tryphon elapſus mari fugit Apameam, quæ civitas expugnatur, & Tryphon trucidatur. Joſeph. lib. 13. cap. 12.

XV. *Antiochus Sedetes* 3802, 136. Regnat ad octavum annum. Ducem ſuum Cendebeum in Judæam ablegat, qui terram vaſtat, hominum magnam partem excindit, partem captivam abducit 1 Macc. 15. 18 &c.

Anno

Anno 3819 ſuſcipit Antiochus bellum contra Parthos, principio tribus prœliis victor evadit, Babylone quoque potitus. Poſtea Parthorum Rex Demetrium, quem antea captivum habuerat, mittit cum exercitu ad occupandum Syriæ regnum. Antiochum vero Parthorum Rex hyberna agentem adoritur, fundit ac cædit.

XVI. *Alexander Cebina.* Dum Demetrius Nicanor, poſt Antiochi Sedetis cædem, regnum Syriæ ſibi ſubjicere ſatagit, prodit Alexander Cebina, quem Ptolomæus Phyſcon tanquam Antiochi filium promovebat. Ope Ptolomæi glorioſe Demetrium prœlio ſuperat: qui fuga ſibi conſulens Tyrum venit, atque ſe in templo abdit; verum extractus inde jugulatur. Joſeph. lib. 13. cap. 17.

Demetrio interempto, filius ejus Seleucus ad regnum adſpirat, ſed à matre ſua Cleopatra interficitur, eo quod rem ipſa inconſulta fuerat aggreſſus. Hæc regno imponit fratrem ejus Antiochum Gryphum: qui collecto exercitu contra Alexandrum Cebinam, mortem patris vindicare geſtit. Alexander Cebina ſuperiori victoria, qua Demetrium cæciderat, elatus, jam etiam Ptolomæum alto deſpiciebat ſupercilio, cujus auxilio ad regnum emerſerat. Quapropter Ptolomæus eum ipſe debellat, ſubmiſſis Antiocho Grypho maximis copiis: cui etiam Tryphenam filiam ſuam nuptum dat. Vincitur ergo Alexander ab Antiocho Grypho, & pellitur Antiochiam: ubi cum aureum Jovis ſimulachrum tolleret ex templo, occiditur 4 anno regni ſui. Gryphus regnum obtinuit.

XVII. *Antiochus Gryphus.* Huic mater Cleopatra mortem accelerare veneno in ipſis regni initiis voluit. Sed is fraude deprehenſa cogit illam ipſam mortem ſibi in poculo paratam ebibere.

Anno 3833, nactus eſt æmulum regni fratrem ſuum uterinum Antiochum Cyzienum, qui duxit uxorem Cleopatram, Ptolomæi Phyſconis regis Ægypti viduam, & cum ea accepit validas copias. His inſtructus aggreditur fratrem ſuum Gryphum; ſed ab eo ſuperatur. Gryphus perſequitur victoriam, & Antiochiam, in quam ſe incluſerat Cleopatra Cyziceni uxor, obſidione circumvallat, tandem urbe potitur & Cleopatra, eamque ad Tryphenam conjugem ſuam mittit, à qua in templo occiditur. Antiochus Cizicenus reſumpto impetu congreditur cum Grypho, & victor evadit, capit quoque Tryphenam, & par pari referens, eam remittit uxori ſuæ trucidandam.

Anno 3854 Antiochus Gryphus interficitur, 29 anno regni ſui, & ſubſtituitur ei Seleucus ejus filius.

XIX. *Antiochus Euſeba*, Ciziceni filius. Antiochus alter Gryphi filius, mortem fratris ſui Seleuci voluit vindicare in Antiocho Euſeba, ſed ab eo vincitur & occiditur.

Philippus tertius Gryphi filius coronam capiti ſuo imponit, regnatque ſuper partem Syriæ. Sed Ptolomæus Lathurus quartum filium Demetrium Eucærum Regem creat Damaſci. Fratres ambo junctis viribus perſequuntur Antiochum, ſed ille fortiter reſiſtit, & obtinet regnum 9 annos.

Anno 3860 Demetrius infert bellum fratri ſuo Philippo. Hic opem quærit ac invenit apud Mithridatem Parthorum Regem, à quo Demetrius captus in Parthiam deducitur, ibique mortem oppetit. Sic Philippus totius Syriæ imperium fortitus eſt. Joſeph. lib. 13. cap. 22.

XX. *Philippus.* A. M. 3862. 86 Antiochus Dionyſius, quintus Gryphi filius, affectat principatum Damaſci, idque occupat: ſed mox iterum à Philippo eo exigitur.

Anno 3864 Philippus in bellum protractus ab Areta Rege Arabum, in prœlio occubuit. Aretas perſecutus victoriam, totam Cœleſyriam in ditionem ſuam redegit.

Anno 3880, cum per diutina bella valde debilitata eſſet Syria, Aretas quoque totam Cœleſyriam poſſideret, non poterat

A. M. 3821, 127. Horrendum dictu facinus admiſit Ptolomæus Phyſcon, dum ſororem ſuam Cleopatram, quam in matrimonio habuerat, repudiavit, & privignam ſuam, prius vitiatã, duxit. Ut vero intellexit Ordines Ægypti offerre regnum repudiatæ ab ipſo ſorori, filium ſuum ex ea ſuſceptum jugulavit, matrique caput, manus ac pedes pueri miſit, bellum ei ſimul indicens. Cum ergo Cleopatra fratrem metueret, invitat ad Ægypti defenſionem Demetrium Nicanorem, Antiochi Sedetis fratrem, quem Parthorum Rex miſerat in Syriam. Sed Ptolomæus Alexandrum Cebenam, quem Antiochi Sedetis filium eſſe prædicabat, in regio Syriæ throno collocavit, magniſque eum copiis adjuvit contra Demetrium. Poſtea rurſus hunc Alexandrum regno deturbari, Gryphumque pro Rege acceptari curat.

Anno 3834, 114. Obit Ptolomæus Phyſcon; teſtamento legat ſorori ac uxori ſuæ Cleopatræ regnum, ſed hac lege, ut alterutrum è filiis ſuis, quemcunque voluerit, in ſocietatem regni aſſumat. Ipſa quidem magis favebat minori natu Alexandro, ſed Ordines inſtirerunt, ut majorem natu Ptolomæum Lathurum regno participet. Neque illa detrectavit, facilitate ejus delinita, quod ad ipſius poſtulationem conjugem ſuam, quæ & ſoror ſimul erat, Cleopatram dimiſiſſet, junioremque ſororem Selenem in uxorem accepiſſet.

VIII. *Ptolomæus Lathurus.* A. m. 3834. 114 Mater ejus Cleopatra nubit Antiocho Cyziceno, dotis loco tradit ei exercitum defuncti mariti ſui, qui in Cypro ſtativa habebat. Perteſa autem conſortii in regendo filii ſui Ptolomæi Lathuri, Ordines Ægypti adverſus ipſum inſtigat, pellit eum ex regno, ereptamque ei uxorem ſororemque Selenem, (ex qua jam duos ſuſceperat filios) mittit eam Grypho, qui Ptolomæi hoſtis erat, ut ipſi pro uxore eſſet. Ptolomæus in Cyprum refugit: ejus vero in locum mater juniorem fratrem ſibi adſciſcit, ac conſortem regni facit. Verum is tyrannidem ejus paveſcens, ab ea diſcedit.

Porro Lathurus bellum ſuſcepit adverſus Alexandrum Regem Judæorum, cumque in eo felices arma ejus haberent ſucceſſus, Cleopatra advocavit filium ſuum Alexandrum, verita, ne Lathuri potentia nimium excreſceret, coëgitque eum rurſus in Cyprum ſe recipere.

Anno 3860, Cleopatra ſtruit inſidias vitæ filii ſui Alexandri. Sed Alexander matrem prævenit, eamque obtruncat. Ob hanc cauſam Ordines Alexandrum mittunt

rerat Seleuci poſteritas, quæ partem tenebat Syriæ, regnum retinere. Itaque regnum defertur Tigrani Regi Armeniæ. Qui illico advenit ſtipatus 500000 virorum, Syriamque & Phæniciam accipit in poteſtatem. At ubi intellexit Lucullum Romanorum Imperatorem perſequi Regem Mithridatem, (qui difficili ſe bello cum Romanis implicuerat) & porro in Armeniam tendere, refert pedem in Armeniam.

Poſtea indicit bellum Romanis, ſed à Lucullo bis effligitur.

Denique Pompejus Romanus, poſt debellatum Ponti Regem, Tigranis affinem ac fœderatum, aggreditur Tigranem: ſed is ultro dat ſe poteſtati ejus. Sic Syriæ regnum à Pompejo occupatur, inque provinciam redigitur, anno mundi 3885, ante Chriſtum natum 63. Atque is fuit finis Syriaci regni, poſtquam inde à Seleuco Nicanore 247 annis ſtetiſſet. Ab hinc Syria à Romanis Præſidibus adminiſtrata fuit.

in exilium, vocantque ex Cypro Ptolomæum Lathurum. Qui moritur anno 3870, ab eo tempore quo primum regnare cœpit anno 36.

IX. *Ptolomæus Auletes.* Regnat 29 annos. Cyprum fratri ſuo tradit. Ipſe in Ægypto 22 annis alta uſus eſt pace: præterquam quod Romanorum amicitiam omnixe ambiens, regiones ſuas intolerabilibus tributis onerarit. Alter Ptolomæus frater ejus Cypri Rex, fœdere erat Romanis junctus. Illi tamen contra omne jus ac fas regnum ei adimunt, Romanoque imperio adjungunt. Auletes, quia fratrem ſuum, (qui voluntaria morte, ſumpto veneno, periit) deſeruerat, nec opem ei laboranti tulerat, ab Ordinibus Ægypti pellitur, regnumque ſorori ejus Berenice confertur. Sed poſt exantlatam duorum annorum exilii calamitoſi moram, à Romanis reſtituitur Auletes, & exactis 4 annis è vita migrat.

X. *Ptolomæus Dionyſius*, Auletæ filius. Ducit ſororem ſuam Cleopatram, formoſam quidem, ſed impudicam ac improbam fœminam. Nonniſi 4 regnavit annos. Cum enim ſe rebus Romanorum immiſcuiſſet, Pompejumque interim curaſſet, Julii Cæſaris ad ſe diverrentis vitam appetiiſſet, denique ejus arbitrio in controverſia, quam habebet cum Cleopatra ſorore ſua, quam regno pepulerat, ſtare nollet, in graviſſimum ſe bellum cum Cæſare induit, absque eo ſuperatur. Fugiens ipſe ſcapham conſcendit, qua ſubverſa ſubmergitur. Julius Cæſar regnum dat Cleopatræ, quæ poſt fratris ſui obitum 17 annos, uſque ad 18 annum Auguſti, ei præfuit. Quo tempore illa ſimul cum Antonio poſt cladem ad Actium acceptam violentas ſibi manus intulit: atque ita Ægyptus in modum provinciæ Romano adjecta eſt imperio anno mundi 3920, ante natum Chriſtum 28. Duravitque hoc regnum à Ptolomæo Lagi 293 annos.

CAPUT VII.

De Romana Monarchia.

ROmanum Imperium à parvis initiis, tenerrimi infantis inſtar, fortibus factis prudentique politiæ adminiſtratione, ad tantum cum tempore pervenit faſtigium, & tantas vires, potentiam atque auctoritatem ſibi comparavit, ut omnium terræ populorum, inprimis finitimorum, maximus terror eſſet. Omnia enim armis ejus ſubjugabantur, quæ ſubjugari digna erant.

Urbs Roma Metropolis Imperii Romani nomen obtinuit, à Romulo, primo ſuo conditore: fundata eſt anno mundi 3198, ante natum Chriſtum 750, Jothami Regis Judæ ſeptimo. Regnata eſt à Regibus 244 annis; quorum primus fuit Romulus, ſeptimus ac noviſſimus Tarquinius, cognomento ſuperbus. Poſtea cum Reges poteſtate ſua tyrannice uterentur, Regia dignitas & adminiſtratio prorſus ſublata eſt.

In locum Regum delecti ſunt duo Rectores, quibus non Regum, ſed *Conſulum* nomen inditum eſt. Et ne hi quoque poteſtate ſua abuterentur, annui duntaxat fuerent, & gemini quotannis creati ſunt. Cæteroquin poteſtas eorum ac majeſtas Regia non erat minor, tametſi certis devincti eſſent legibus. Hæc regiminis forma duravit 60 fere annos: deinde *Decemviri* introducti ſunt. Sed quia horum quoque poteſtas vergebat ad tyrannidem, primo ſtatim anno abrogatum eis eſt imperium, Conſuleſque denuo conſtitui ſunt, quorum regimen, (etſi mutationes quædam interceſſerint) perſeveravit uſque ad Cæſaream ſublimitatem, quæ à Julio Cæſare ortum duxit: ut deinceps narrabitur.

Sub Regibus Romano populo tantum cum vicinis ſuis in Italia certamen fuit: in quo tam ſtrenue ſe geſſerunt, ut maximam Italiæ partem ſuo ſubjecerint imperio. Poſt reges abrogatos virilem quaſi conſecutus eſt ætatem, per ſubjugationem Italiæ haud exigua virium acceſſione auctus. Proinde arma eorum tranſgreſſa ſunt Alpes, & trajecerunt mare, Galliamque, Hiſpaniam, Siciliam, Sardiniam, potentiſſimum regnum Carthaginis, Lybiam, Græciam cum annexis inſulis, Illyricum, Pannoniam, Thraciam, bonam partem Germaniæ, ad Danubium uſque, tandem etiam Britanniam, Syriam, Ægyptum, Africam, totamque Aſiam uſque ad fluvium Euphratem perdomuerunt: atque hinc velut Domini Orbis omnibus gentibus fuerunt formidabiles, iiſque pro libitu mandata legeſque dederunt. At ubi imperium hoc ad tam excelſum potentiæ culmen aſcendiſſet, ut moles ſua ipſi jam gravis eſſet, cœpit per civilia bella decreſcere, & quaſi conſeneſcere. Quæ omnia in Romana hiſtoria fuſe exponuntur; nos ex ea pauca, & quidem illa ſolum, quæ ad meliorem intellectum Judaici ſtatus faciunt, excerpemus.

Tempore *Antiochi Euſebæ* decimi noni, & *Philippi* vigeſimi Regis Syriæ, nec non *Ptolomæi Lathuri* octavi, & *Ptolomæi Auletis* noni Regis Ægypti, regnarunt 4 Reges in Aſia. 1. *Mithridates* Rex Ponti. 2. *Tigranes* Rex Armeniæ. 3 *Nicomedes* Rex Bithyniæ. 4. *Ariobarzanes* Rex Cappadociæ; omnes Romanorum fœderati ſocii.

Mithri-

Mithridates in initiis fidem ſervavit Romanis: poſtea ingentes opes adeo ejus inflarunt animum, ut non Aſiæ modo, ſed & Europæ imperio flagrantiſſimo ſtudio inhiaret. Primum impetum vertit in Ariobarzanem, quem ejecit Cappadocia, Anno Mundi 3855, ante natum Chriſtum 93, hunc vero Romani per Syllam in regnum repoſuerunt.

Paucis poſt annis, id eſt 3860. 88, ſociale bellum graviſſimum, inter Romanos & circumjacentes populos Italiæ exarſit. Quod intra biennium ſupra 300000 pubis Romanæ abſorpſit.

Belli iſtius occaſione uſus Mithridates, non ſolum eripit Bithyniam Nicomedi, & Ariobarzani Cappadociam, ſed integram quoque Aſiam, & in Græcia Athenas cæteraſque civitates ſuæ ditionis facit.

Romani Syllam, qui illo anno 3861. 87, una cum Quinto Pompejo Rufo Conſul erat, faciunt imperatorem ad bellum cum Mithridate gerendum: quæ res novas internas turbas dedit. Nam Sulpitius Tribunus plebis, Marii impulſu, qui aliquoties jam Conſulatum geſſerat, legem tulit, ut revocato Sylla, Marius pro Imperatore ad conficiendum cum Mithridate bellum mitteretur. Id indignanti animo accepit Sylla, variæque eorum, qui ſe huic immiſcuerant negotio factæ ſunt cædes. Sylla nihilominus pergit ire contra Mithridatem, & non ſolum Athenas reliquaſque urbes in Græcia recipit, ſed duobus etiam præliis præclare Mithridatem ſuperat. Deinceps Mithridati pacem petenti concedit eam, certis legibus, revertiturque in Italiam. Ubi ad apertum bellum & acerrimum cum æmulis ventum eſt, quod duos continuavit annos, rerumque non parvam mutationem Romæ attulit.

Anno 3875. 73 diem obit Nicomedes Rex Bithyniæ, & regnum teſtamento legat populo Romano: ſic Bithyniæ regnum mutatur in provinciam Romani imperii. Mithridates contra novum adverſus Romanos orditur bellum. Romani mittunt adverſus eum Aurelium Cottam, ſed hic ab illo internecione cæſus eſt. Quam cladem mox reſarcivit Luculli ac Pompeji induſtria. Lucullus enim Conſul confeſtim anno inſequenti 3877. 71 contra Mithridatem mittitur, quem fundit & ab uno loco in alium fugat, donec ad generum ſuum Tigranem confugeret. Tigranes, qui præter proprium Armeniæ regnum, inſuper regno Syriæ potitus erat, accepto nuntio, quod Lucullus ſocerum ſuum Mithridatem in Armeniam uſque perſequatur, credidit ſibi ſatis eſſe virium ad reſiſtendum Romanis. Itaque cum exercitu occurrit Lucullo, ſed ab illo magna clade afficitur. Neque tamen huic bello cum ambobus potentiſſimis hoſtibus Mithridate & Tigrane Lucullus colophonem impoſuit, tametſi ſex annos ei impenderit: ſed Romam nondum confecto bello repetiit.

Abitus Luculli ex Aſia, anno 3884. 64 addidit animos Mithridati, qui mox Pontum, Cappadociam pluraque alia loca occupavit. Contra eum igitur miſſus eſt Pompejus: qui in Aſiam veniens illico acie vincit Mithridatem, ut ſe in fugam daret, & ad generum ſuum Tigranem ſe reciperet. Verum hic repulſo ſocero, in fidem Pompeji ſe ultro tradit: atque ita Syria acceſſio facta eſt Romani Imperii. Mithridates vero nullum uſquam ſalutis præſidium inveniens, ſibi ipſi mortem conſciſcit.

Dehinc factum, ut Pompejus veniret Damaſcum, ubi arbiter fuit litis inter duos fratres Hyrcanum & Ariſtobulum, qui inter ſe de regno Judeæ certabant. Quæ horum fratrum controverſia anſam Pompejo præbuit, Judæam Romano imperio adjungendi. Venit enim Hieroſolymam, intrat Templum & ſanctiſſima ejus adyta &c. De quo in rebus geſtis Judæorum ſub Hyrcano 23 Pontifice videbimus.

Anno Mundi 3889. 59 Pompejus ex Aſia Romam reverſus, clariſſimum egit triumphum, in quo res à ſe fortiter geſtas recenſuit, enumerans, quot regiones & regna Romano imperio lucrifecerit atque ſubjecerit. Qua re tantam ſibi gloriam atque auctoritatem apud Romanum populum conciliavit, ut ei nomen *Magni* imponeretur. Quæ dignitas ejus quidem animum mirum in modum erexit, ſed ſimul quoque apud alios tantam ei conflavit invidiam, ut atrociſſimum civile bellum inter eum ac Julium Cæſarem enaſceretur.

Julius Cæſar enim, maximis rebus geſtis in Italia, Luſitania, Gallia, Germania, Britannia &c. Non minori in gloria atque gratia apud populum Romanum erat, quam Pompejus; quæ res æmulos ejus urebat vehementer & metum eis incutiebat. Etiam ipſi Pompejo ſplendor potentiæ ejus ſudes fuit in oculis, & ne quando ab eo opprimeretur reformidabat. Cœpit ergo ſe Julio Cæſari opponere, cum tamen antea inter ſe pepigiſſent, ne alter alterius conatibus obſtaret. Atque hoc pacto ignis in cineribus ſepultus in apertam flammam erupit. Origo ejus rei talis fuit. Cl. Marcellus Conſul ejus anni, Pompejanarum partium, legem fert, ut Julio Cæſari abrogetur imperium in demandatis ei provinciis, quarum è numero etiam fuit Gallia. Quæ Lex cum non ab omnibus approbaretur, mutatur in aliud ejuſmodi decretum, ut Julius Cæſar exercitum dimittere, Romamque privatus venire juberetur. Cui decreto cum non pareret Cæſar, hoſtis patriæ judicatur ac proclamatur. Regreditur proinde is in Italiam, ſuccinctus validiſſimo exercitus robore: ad cujus adventum diffugiunt Conſules, & una cum Pompejo conferunt ſe Brunduſium, Julius Cæſar Pompejum impigre inſequitur, ſed is noctis beneficio elabitur. Inde Cæſar Romam venit, purgat ſe coram Senatu, obtendens, ſe ab inimicis ad ſuſcipiendam neceſſariam defenſionem eſſe compulſum. Poſtea abit in Hiſpaniam, ubi Pompeji erat exercitus, quem ad deditionem fame coëgit. Interea temporis urbem Romam Lepido, Italiam M. Antonio, fidiſſimis amicis ſuis, commiſit. In ipſius abſentia perfecit Lepidus, ut Julius Cæſar *Dictator* declararetur. Quo nulla ſublimior erat dignitas, quæque rariſſime, & non niſi periculoſiſſimo Reipubl. tempore conferri ſolebat. Dictator enim plenariam facultatem habebat cuncta tam bello, quam pace pro arbitrio gerendi. Ex Hiſpania ut Romam revenit Cæſar, habito conſilio cum Senatu de bono publico, deponit Dictaturam, inque annum proximum ſe cum Servilio Iſaurico Conſulem conſtituit.

De

De Romani Imperii converſione in Monarchiam, per victum à Julio Cæſare Pompejum.

I. *Julius Cæſar primus Imperator.*

Anno Mundi 3901, ante natum Chriſtum 47, primordia maximæ mutationis Romani Imperii jacta ſunt, dum prior regiminis forma in Monarchiam converſa eſt, cujus Julius Cæſar, devicto Pompejo hoſte ſuo, primus fecit initium, Octavius Auguſtus autem prudentia ſua & longæ pacis beneficio ædificium hoc perfecit.

Cum ergo Julius Cæſar illo anno Conſulatu fungeretur, navigavit cum copiis ſuis in Epirum, obſedit Dyrrachium, cui ſe Pompejus commiſerat. Poſtea fames eum inde diſcedere atque in Theſſaliam ire coëgit. Pompejus ejus inſiſtens veſtigiis ſequitur, conſligitque cum eo ad Pharſalam, ſed à Cæſare victus profugit in Ægyptum, ubi à Ptolomæi Dionyſii ſatellitibus obtruncatus eſt: Ptolomæus enim metuebat, ne bellum per eum in Ægyptum tranſferretur.

Interim Cæſar Pompejum perſequens in Ægyptum venit, ubi novo ac difficili bello implicatur. Nam Ptolomæus Dionyſius Cleopatram ſororem ac conjugem ſuam regno exterminaverat, ex quo inter eos bellum exarſerat. Julius Cæſar litem inter eos omni meliori modo componere geſtit: ſed Ptolomæus difficilem ſe præbet: inde bellum inter Cæſarem & illum exoritur. Cæſari non erant vires ad dimicandum aperto Marte: continuit ſe igitur in arce Alexandriæ, ubi à Ptolomæo graviſſima obſidione preſſus eſt. Dumque ibi adverſus ſe longe potentiorem hoſtem ſtrenue pro ſalute ſua pugnat, tulit ei ſuppetias Mithridates Rex Pergami, fidiſſimus amicorum ejus, adducens plures copias ex Syria, Aſia, aliiſque locis, quas è Pompeji reliquiis collegerat. Tum demum bellum quaſi ex integro reſurgit, & pugnatur vario Marte uſque in ſequentem annum. Exitus tandem is fuit, ut Ptolomæus à Cæſare fuſus terga daret, & ſcapha periculum evadere ſtudens, una cum ſcapha ponto obrueretur. Dehinc Cæſar Cleopatræ regnum reſtituit.

Huic arduo bello Antipater Herodis Magni pater quoque interfuit, Cæſarique egregiam navavit operam, conſilio & auxilio ei in rebus creperis adſiſtens. Nam cum 3000 Judæorum ſe cum Mithridate conjunxit, cum is duceret exercitum per Idumæam, nec omiſit exhortari Arabicos Principes ad ferendam Cæſari opem. Quo facto tantam ſibi apud Cæſarem concilavit gratiam, ut eum toti Judææ præficeret.

Poſt res tantas à Cæſare geſtas ad eum gradum fortuna ejus pervenit, ut non modo pater patriæ diceretur, ſed inter Deos quoque referretur. Sed cum Anno 3906, 42, M. Antonius regium diadema capiti ejus impoſuiſſet, paucis poſt ſeptimanis à Caſſio Brutoque multis vulneribus ictus extinguitur.

II. *Cn. Octavius Cæſar Auguſtus ſecundus Imperator.*

Julius Cæſar ante obitum conſobrinum ſuum Cn. Octavium ſibi adoptaverat, atque hæredem conſcripſerat: M. Antonio autem, ut & aliis nonnullis, tutelam ejus commiſerat. Octavius cum tunc temporis non eſſet major 19 annis, hæreditatem cernere nondum poterat: cæpit tamen ut Cæſaris filius ſe gerere, dum nomen ejus gentilitium aſſumpſit, & Octavius *Cæſar* vocari voluit: qua ratione omnium Cæſaris inimicorum, etiam Antonii odium in ſe vertit.

Interea Antonius multa facit inſolenter, adulterat ſcripta & commentaria Cæſaris, delet & inſcribit in eis quæ vult, per ſummam tyrannidem ac violentiam corradit pecuniam, officia ac dignitates diſtribuit pro libitu, aliis remotis. Octavium ſuſque deque habet: qui tamen Senatum habebat à ſuis partibus ſtantem, & populum ac militem ſibi faventem. Sed Senatus poſtmodum abalienavit ab eo animum; quod cum adduxit Antonii ambire amicitiam, in quam etiam facile receptus eſt. Hi duo tertium rurſus amicum Lepidum, qui tenebat Hiſpaniam, adſciſcunt, Romanumque Imperium tanquam hæreditatem inter ſe dividunt, ac Triumviratum conſtituunt. Cujus novi regiminis hic fuit fructus, ut mox 130 Senatores, nec non plurimi equeſtris ordinis proſcriberentur.

Caſſius ac Brutus Julii Cæſaris interfectores, novum hoc regimen nullo modo ferre volunt, & Philippis in Macedonia copias ingentes contrahunt. Sed Octavius cum Antonio, impreſſione in eos facta, ſternit eorum exercitum: Caſſius manu ſua ſibi mortem conſciſcit, Brutus manu ac opera ſervi ſui ad ſe interimendum uſus eſt. Factum id Anno mundi 3908, 40.

Poſt illud prælium in diverſa abeunt Octavius & Antonius: hic tetendit in Aſiam, ille in Italiam; partiti inter ſe Romanum imperium ambo, tertii amici Lepidi nulla habita ratione.

Antonius tranſiens Aſiam ac Syriam, onus graviſſimorum tributorum imponit omnibus Syriæ provinciis, adeoque & Judææ. Cum intraſſet Bithyniam, omnium gentium legati eum adeunt, cauſas ac controverſias ſuas illius judicio deferentes. Inter alios Judæi quoque adverſus Phaſælum ac Herodem coram eo accuſationem inſtituerunt; ut in hiſtoria Judaica legere eſt.

Antonius ut in Siciliam appulit anno 3909, 39. Cleopatram citat ad tribunal ſuum ex Ægypto, impacto crimine, quod Octavio nulla miſiſſet auxilia. Sed forma ac venuſtas ejus facile cauſam ipſius peregit, ut non modo abſolveretur ab Antonio, ſed etiam is amore ejus corriperetur.

Tunc ſecundo Judæi actionem Phaſælo & Herodi intendunt.

Antonius deductus in hyberna copiis, ipſe cum Cleopatra proficiſcitur in Ægyptum, ibique hyemen in amore ejus exegit, pari incuria res Syriæ atque Italiæ tranſmittens: excepto, quod ſocietate inita cum ſexto Pompejo (Magni filio, ad quem omnes

omnes à Triumviris proſcripti in Sicilia confluxerat) conjuravit in arma contra Octavium ſtringenda.

Anno ſequenti 3910, 38 in Italiam veniens auſpicatur bellum adverſus Octavium: ſed rurſus redeunt in gratiam.

Sub hoc tempus venit Herodes Romam, & adjuvante Antonio Rex Judææ conſtituitur.

Antonius per Græciam in Syriam, atque inde in Ægyptum ſe confert.

Anno 3913, 35 inter Octavium & Antonium nova oritur diſcordia, quæ Antonium retraxit in Italiam, ſed mox iterum ſopitur, & in priſtinam concordiam diſjuncti reduduntur animi.

Anno 3916, 32. amor Cleopatræ immodicus effecit, ut Antonius uxorem ſuam Octaviam, Octavii ſororem repudiaret, filioſque ſuos Philadelphum & Alexandrum ex Cleopatra ſuſceptos, Reges declararet, iiſque Ægyptum, Cyprum, Syriam, omneſque citeriores Euphratis provincias, ut & Africam atque Armeniam teſtamento legaret.

Anno proxime ſequente 3917, 31 ſerio Antonius redintegrat bellum adverſus Octavium: & contra eum Romæ & contra Cleopatram à ſenatu bellum decernitur.

Anno 3919, 29 conveniunt validiſſimi duo exercitus in Epiro ad Actium promontorium. Committitur prælium, Antonius & Cleopatra vincuntur. Hæc fugit in Ægyptum, ille in Aſiam. Octavius Antonio à tergo inſtat: qui Hiſpaniam petens, ubi falſus rumor de morte Cleopatræ ad aures ejus allapſus eſt, ferro ſibi mortem accerſivit. Cleopatra vero cum toto regno ſuo dat ſe ſponte in poteſtatum Octavii: ſed verita, ne in triumpho duceretur, admotis pectori ſerpentibus venenatis, acceleravit ſibi necem. Ita Ægyptus Romano Imperio adjungitur Anno 3920, 28.

Simul his quoque civila bella finem ſortita ſunt, paxque optata per univerſum Romanum Imperium, dexteritate ac fortitudine Octavii conſtituta eſt.

Anno 3921, 27 Romam redit Octavius, triplicem agit triumphum, & nomen *Auguſti* ei imponitur, à quo poſtea etiam menſis Auguſtus, ſicut à Julio Julius dictus eſt.

Anno Mundi 3947 Octavius Auguſtus deſcribi totum Imperium Romanum imperat: quo tempore JESUS CHRISTUS naſcitur, anno regiminis ejus 40.

Anno Mundi 3956 poſt Chriſtum natum 7, Archelaus Herodis Magni filius ab Auguſto Viennam in Galliam relegatur, & Judæa tanquam provincia regno Syriæ adjicitur. Abhinc Judæa à Romanis Præſidibus, qui rurſus Syriæ Præſidibus ſuberant, gubernata fuit.

Anno Mundi 3963, poſt natum Chriſtum 14, è vita migrat Auguſtus, poſtquam geſſiſſet imperium ab Actiaca cum Antonio pugna atque victoria annos 44 & 13 dies, à morte Julii Cæſaris annos 57 & ſex menſes 3 dies. Tiberius Cæſar illius privignus, quem ipſe ante annos 10 ſibi adoptaverat filium, in imperio ipſi ſuccedit.

III. *Tiberius Cæſar, tertius Imperator.*

Anno Mundi 3956, poſt Chriſtum natum 14, quo exemptus eſt rebus mortalium Auguſtus, incipit Tiberius imperare.

Anno Mundi 3878, Chriſti 29, Jeſus Chriſtus à Johanne Baptiſta tingitur in Jordane, ſecundum ſupputationem Calviſii.

Anno Mundi 3982, Chriſti 33, Jeſus Chriſtus crucis ſupplicio afficitur, 3 Aprilis, juxta Calviſium.

Anno Mundi 3986, Chriſti 37, moritur Tiberius, adminiſtrato imperio annos 22 menſes 6 dies 26. Capeſſit imperium Cajus Caligula.

IV. *Cajus Caligula.*

Hic fuit unus ex teterrimis, qui unquam vixere, tyrannis: innocentiſſimos quoſque, qui ipſi veniebant in mentem, tolli è vita curabat. Adorari tanquam Deus voluit: Jovem ſe eſſe & cum Diana Dea (id eſt, Luna) concumbere, ſcelerate fingens. Templum ſibi ipſi condidit, & equum ſuum ſacerdotem creavit. Etiam imaginem ſuam in Hieroſolymitano templo collocare conatus eſt. Tandem è vivorum numero exturbatur, poſt geſtum Imperium annis 3 menſibus 10 diebus 10.

V. *Claudius.*

Anno Mundi 3990, Chr. 41, Claudius fit Romanorum Imperator. Ejus ſub imperio fames illa gravis extitit, de qua vaticinatus eſt Agabus Act. xi. 28. Jacobus Apoſtolus ab Agrippa capita plectitur Act. 12. 2. Anno Mundi 4003, Chriſti 54, Claudio ab uxore Agrippina venenum propinatur, poſtquam in imperio fuiſſet 13 annos, 8 menſes, 20 dies.

VI. *Domitius Nero.*

Is fuit monſtrum horrendum & bellua immanis, nequitia par Caligulæ, aut etiam eo deterior. Neci dedit matrem ſuam, & duas conjuges ſuas, præter magnum numerum innocentium hominum. Multa millia Chriſtianorum per exquiſitiſſimos cruciatus enecavit. Ad extremum vicit crudelitas ejus inſatiabilis patientiam Romani Senatus, quem ille extinguere totum veneno conſtituerat. Itaque contra eum conſurgit: is ſe conjicit in pedes, denique ſeipſum ferro tranſfodit. Imperavit annos 13, menſes 7, dies 28.

VII. *Veſpaſianus.*

Poſt annum & 22 dies à Neronis nece elapſos, Veſpaſianus ab exercitu Imperator proclamatur. Interea ingentes factæ ſunt cædes, plurimumque humani ſanguinis profuſum eſt. Nam Sergius Galba, qui imperium affectabat, ab Otthone occiditur. Otthoà Vitellio ſuperatur prælio, & ſibi ipſe fata præripit. Vitellius ut de Veſpaſiani adventu nuntium accepit, fugæ ſe mandat, ſed è fuga reprehenſus ab exercitu necatur.

De

De Veſpaſiani filiique ejus Tibi bellis in Judæa, deque terribili Hieroſolymæ excidio, videatur hiſtoria de rebus Judæorum.

CAP. VIII.

De Statu Judaici populi ab exitu è Babylone, uſque ad Chriſti mortem; ac porro uſque ad Hieroſolymæ everſionem.

Deſcriptionem rerum Judaicarum in quatuor partiemur partes. Prima erit ab exitu Judæorum è Babylonia, uſque ad Mathathiam primum Ducem è ſtirpe Aſſamonæorum. Secunda à Matathia uſque ad regnum Herodis Magni. Tertia ab Herodis regimine uſque ad Chriſti mortem. Quarta à morte Chriſti uſque ad everſionem Hieroſolymæ.

I. PARS.

Ab exitu è Babylonia, uſque ad Matathiam Aſſamonæum.

I. *Jeſua*, primus Pontifex ſummus fuit poſt captivitatem Babylonicam Anno Mundi 3419. ante natum Chriſtum 529, ſub Cyro primo Rege Monarchiæ Perſicæ, tribus Jude & Benjaminis è Babylone emigravit, fuitque Dux eorum ac princeps Zorobabel, Jeſua autem ſummus ſacerdos 1 Eſdr. 3. 2.

Anno Mundi 3528, ante natum Chriſtum 420, ſecundo anno Darii Nothi, Templi reſtauratio, poſt elapſos à primo Cyri edicto annos 108, iterum cœpta eſt, & quatuor annorum ſpatio ad finem perducta. Samaritani offerunt ſociam operam ad templi ædificationem, ſed fucato animo: propterea rejiciuntur. Joſeph. lib. 2. cap. 5.

Veriſimile eſt hunc Pontificem Maximum, jam gravem annis ſub Dario Notho, paulo poſt conſummatam Templi ſtructuram vitam cum morte commutaſſe,

II. *Joachimus*, filius Jeſuæ, ſecundus Pontifex Maximus poſt egreſſum è Babylone Neh. 12. 10. Joſeph. lib. 2. cap. 7. Itidem ſub Dario Notho vixit.

III. *Eliaſib*, hujus filius Nehem. 13. 10. Joſeph. loco ſupra citato. Fuit ſub tempus Artaxerxis Mnemonis Pontifex. Nehemiam in mœnibus Hieroſolymæ condendis adjutat Nehem. 3. 1.

IV. *Jojada*, ſeu *Judas*, iſtius filius Nehem. 12. 10. Joſeph. Ibid. Pontificatus ejus incidit quoque in tempora Artaxerxis Mnemonis.

V. *Johannes* vel *Jonathan*, ejus filius Nehem. 12. 11. Joſeph. ibid. Hic in cauſa fuit, ut Bagoſa Dux Ochi Perſarum Regis Templum profanaret, & Judæos graviſſimis exactionibus attereret.

Germanum fratrem ſuum Jeſum obtruncavit, idque in Templo, ideo quod ei Bagoſa Pontificatum promiſiſſe ferebatur. Hanc ob cauſam Bagoſa totis 7 annis Judæos nullo non afflictionis genere divexavit. Joſeph. lib. 2. 7. Temporibus hujus Pontificis Eſdras adhuc in vivis fuit, ut cernere eſt ex 1 Eſdr. 10. 6.

VI. *Jaddus*, ſive *Jaddua*, Johannis filius Neh. 12. 11. Iſtius frater Manaſſes matrimonio ſibi copulat Nicaſo filiam Sannaballatis Regis Perſarum, præfecti in Samaria, hominis Ethnici. Pulſus propterea à Nehemia Neh. 13. 28, confugit ad ſocerum ſuum Sannaballatem. Qui à Dario Codomanno contendit, ut ſibi liceret pro genero ſuo Manaſſe extruere Templum in monte Garizim in Samaria, atque ibi eum creare Pontificem. Sed quia Darius diſtinebatur bello jam cum Alexandro Magno, obtinere id non potuit. Ut vero vidit fortunam in Alexandri partes inclinare, à Dario tranſfugit ad Alexandrum, & obſidenti Tyrum adduxit virorum 8000 in auxilium. Quod eum adeo Alexandro gratioſum fecit, ut poſt debellatum Darium ac penitus proſtratum, facile ei copiam condendi templi faceret.

Qua ratione Jaddus Pontifex Maximus Deo admonente urbem Hieroſolymam regi Alexandro Magno ſubdiderit, & quomodo Alexander inſignibus privilegiis Judæos donarit, ſupra cap. 4 narratem eſt.

Samaritani tantam Alexandri liberalitatem erga Judæos cernentes, Judæos ſe eſſe dictitarunt, & ſimiles ab eo immunitates flagitarunt, ſed nihil impetrarunt. Joſeph. lib. 2. cap. 8.

VII. *Onias*, Jaddi filius. Joſeph. lib. 2. cap. 8. Sub hoc Pontifice Ptolomæus Lagi Rex Ægypti plurima mala intulit Judæis, poſtea mutatus, maleficia beneficiis penſavit: ut ſuo loco relatum eſt. Etiam Samaritani limis oculis Judæorum proſperitatem aſpicientes, multis damnis affecerunt eos, terram vaſtarunt, & multos de populo abduxerunt. Joſeph. lib. 2. cap. 3.

VIII. *Simon Juſtus*, Oniæ filius. Ut nomine, ita & re juſtus ac pius vir fuit. Moriens infantem reliquit filium: idcirco frater ejus Eleaſarus fit Pontifex Maximus.

IX. *Eleaſarus*, Simonis Juſti frater. Hic fuit, qui Ptolomæo Philadelpho Regi Ægypti LXXII Interpretes legis Judaicæ miſit, muneribuſque ingentibus eſt affectus. Joſeph. lib. 12. cap. 2.

X. *Manaſſes*, Eleaſari patruus. Joſephus lib. 12. cap. 3.

XI. *Onias* II. Simonis Juſti filius. Ejus Pontificatus incidit in initium regni Seleuci Callinici Regis Syriæ; & Ptolomæi Euergetis Regis Ægypti. Renuit Ptolomæo Euergeti conſuetum pendere tributum 20 talentorum argenteorum. Qua contumacia parum abfuit: quin magno infortunio Judæos involveret, ni conſobrinus ejus Joſephus, vir eximiæ prudentiæ & magnæ exiſtimationis, Regis iram placaſſet, & rem in integrum reſtituiſſet. Joſeph. lib. 12. cap. 4.

XII. *Simon*, hujus filius. Joſeph. lib. 12. cap. 4. Hujus temporibus Jeſus Syrach librum ſuum compoſuit, in quo etiam honorificam ejus mentionem facit, laborem ejus circa Templi ædificium, & zelum ejus in adminiſtratione muneris laudibus extollens Syrach 50. 1 & ſeqq.

XIII. *Onias* III. Simonis filius Joſeph. libro & Cap. dicto. Incidit Pontificatus ejus in regnum Antiochi Magni Regis Syriæ. Cui ut Judæi ultro colla ſubmiſerint, & beneficiis ab eo cummulati ſint, ſupra dictum eſt.

XIV. *Ja-*

XIV. *Jaſon*, Oniæ frater. Ut primum Antiochus Epiphanes Rex Syriæ regnum ſuſcepit, illico ipſi 300 talenta obtulit, ut rejecto fratre Onia ſibi Pontificatus honorem conferret. Quod etiam conſequitur, non tamen ſine onere annui tributi.

Anno Mundi 3780. 168 Antiochus Epiphanes, mandantibus Romanis Ægypto abſcedens re infecta, eamque ob cauſam ira & furore plenus, totam depopulatus eſt Judæam, Hieroſolymam capit, ingreſſuſque Templum, auream menſam, candelabrum & omnes Templi theſauros aufert, 70000 Judæorum trucidat, totidem venundat, 40000 una cum conjugibus ac liberis in Syriam abducit. Joſeph. lib. 12. cap. 7. 1 Machab.

An. 3782. 166. Cum ſecundo Antiochus Ægyptum bello impeteret & iterum à Romanis coactus retrocederet, indignationem ſuam denuo in Judæam evomuit, Hieroſolyma occupata, muros diruit, implet Sionis arcem Macedonico milite. Expilat Templum, carnem ſuillam in eo offert: collocat in eo idolum Jovis Olimpii, de quo vaticinatus eſt Daniel cap. 2. 38. Vide 2 Macchab. 6. 2. Abolet juge ſacrificium, cogit Judæos violenter ad Ethnicorum profanos ritus. Quapropter plurimi Judæorum fiunt apoſtatæ à lege, Antiochumque ad quævis maleficia inſtigant. Ipſe Jaſon Pontifex Maximus quoque in eorum numero fuit, & condoceſaciebat ſuos more Ethnico vivere. Samaritanis Antiochus pepercit, quia Ethnicos ſe eſſe, Templumque ſuum Jovi Xenio dicatum eſſe aſſeverabant.

Exactis tribus annis mittit Jaſon juniorem fratrem ſuum Oniam (qui nomen Menelai aſſumpſerat) ad Regem ære ac donis inſtructum. Æs iſtud Onias ſuo nomine offert Regi, duplo quoque majus tributum pollicetur, quam pendebat Jaſon, petitque ſibi Pontificatum attribui; nec repulſam patitur 1 Machab. 5. 7 & ſeqq.

XV. *Menelaus*. Depoſitio Jaſonis magnos tumultus excitat inter Judæos, quorum quoniam potiſſima pars ſtabat à Jaſone, renuntiat quoque Menelaus Judaicæ religioni, & non minus quam Jaſon ſit patronus apoſtatarum adverſus probos, quos etiam ad defectionem Legis adducebat.

PARS II.

A Mathathia primo Principe Judæ, uſque ad regnum Herodis Magni.

ANN. Mundi 3783. ante natum Chriſtum 165. cum miſeria atque calamitas, in quam homo crudelis ac furibundus Antiochus Epiphanes Judaicum populum conjecerat, jam propemodum ad ſummum veniſſet, plurimique Judæorum à lege deſciviſſent: excitavit Deus Spiritum Mathathiæ, qui ſe Antiocho ejuſque præfectis maſculo animo oppoſuit. Erat è ſacerdotali genere; Simonis juſti, Haſſamonei dicti pronepos. Confer Joſeph. lib. 12. cap 8. cum 1 Macchab. 2. 1. Legem tulit, ut etiam Sabbato hoſtes armis arceantur. Totum vitæ ejus curriculum, quod ab eo tempore uſque ad obitum ejus, tantum unius anni fuit, vide 1 Macchab. 2. Morte ingruente filium ſuum Judam Macchabæum Principem ſuo loco inſtituit.

Sic Judas Macchabæus poſt ſui parentis fata Princeps Judæ, patriæque defenſor evaſit. Aggreſſus eſt rem egitque fervido zelo, tam contra hoſtes, quam contra apoſtatas. Aliquot vicibus egregiam de hoſtibus victoriam reportat, erigit divinum cultum, ſacraque peragit ritu in Lege præſcripto. Interea mors occupat Antiochum, qui ſtragem ſuorum à Judâ Macchabæo acceptam nullo modo concoquere poterat. In locum ejus ſurrogatur filius ejus Antiochus Eupator. 1 Macchab. 3. ad 6. verſ. 17.

Cum præſidium Macedonicum in arce Sionis reſidens, ſacra peragentes in Templo interciperet, Judas Macchabæus arcem caſtris circumdedit. Eam ob rem Menelaus legis deſertor Pontifex nomen Judæ detulit ad novum Regem, & magnis criminibus oneravit, effecitque, ut Rex in gentem trahens exercitum 100000. peditum, & 20000. equitum contra Judæos tenderet, & Hieroſolymam circum vallaret. ſed exortus in exercitu tumultus cogit eum revocare gradum. 1 Macchab. 6. 17 & ſeqq. Joſeph. lib 12. 13. Ut Antiochus ex Lyſia didicit, Menelaum Pontificem maximum omnium turbarum originem ac fomitem eſſe, abduxit eum ſecum in Syriam, & jugulari curavit, Alcimoque Pontificiam contulit dignitatem.

XVI. *Alcimus* ab Antiocho Eupatore loco interempti Menelai ſit Pontifex, tametſi è ſacerdotali non eſſet oriundus ſtemmate. Itaque à Judæa Macchabæo non recipitur.

Onias XIII, Pontificis Oniæ filius, cui Pontificatus jure competebat, fugit in Egyptum ad Regem Ptolomæum Philometorem.

Antiochus Eupator à Demetrio interficitur. Demetrius ejus vice ſit Rex Syriæ. Alcimus, cum è Sacerdotali non eſſet proſapia, ideoque à Judæis repudiaretur, de novo poſt Antiochi Eupatoris mortem petiit Pontificatum à Demetrio. Utque voti compos fieret, remittit Legi nuntium, tranſit ad partes apoſtatarum, fidelibuſque Judæis multa mala dedit. Iſti apoſtatæ criminantur Judam Macchabæum apud Regem Demetrium. Mittit proinde Rex Bacchidem, & dein Nicanorem (utrumque Ducem fama inſignem) adverſus Judæos. Sternitur autem uterque à Juda Macchabeo, Nicanori etiam caput detruncatur. 1 Macchab. 7. Joſeph. lib. 12. cap. 17, 18.

Alchymus Pontifex ſubito afflatus ſidere expirat. 1 Macchab. 9. 54.

XVII. *Judas Macchabæus*. Princeps ac Pontifex Maximus. Poſt extinctum Alcimum Judas Macchabæus unanimi omnium voce Pontifex maximus eligitur, anno 3791. 157. Ut vidit Onias, Oniæ 3 Pontificis Maximi filius, ſibi electione Judæ Macchabæi omnem ſpem obtinendi Pontificatus eſſe præciſam, contendit à Rege Ptolomeo Philometore & Cleopatra, ad quos refugerat, ut ſibi in Ægypto liceret templum collocare Hieroſolymitano ſimile, etſi magnitudine impar, & ſacerdotes Levitaſque ſui ordinis inſtituere. Permovitque Regem commonſtrato ei vaticinio Eſaiæ cap. 19. 19, 20, 21.

Poſt hæc Judas Macchabæus, potentiam regis Demetrii pertimeſcens, percutit fœdus cum Romanis.

Verum Demetrius Romanis perſuaſit, Judæos eſſe ſuos ſubditos, atque ſic nulla Romani ſubmiſerunt Judæ auxilia.

Demetrius re demonſtrans, ſe Judæorum eſſe Dominum, Bacchidem cum magna manu mittit adverſus Judam. Quem Judæi metu perculſi deſerunt, & terga vertunt. Judas autem circum fuſus undique hoſtibus necatur: anno tertio Pontificatus 1 Macch. 8. 9. 1. ad 19. Joſeph. lib. 12. cap. 18. 19.

XVIII. *Jonathan.* Princeps ac Pontifex. Poſt peremptum Judam Macchabæum Bacchides Judæos Apoſtatas extulit ad honores; hi vero Judæos in lege conſtantes variis diſcruciant modis. Idcirco Jonathani, Judæ Macchabæi fratri principatus defertur. Cum vero Jonathan militibus ſuis diffideret, maluit ipſe & frater ejus Simon ſalutem ſuam concredere deſerto Jordanis. Quo cum Bacchides veſtigia ejus perſequens accederet, ac Sabbatho eos impeteret, Jonathan occurrit ei intrepide, cæditque circiter mille viros. Repulſus Bacchides, communitis præſidio urbium Judææ præcipuis, ad Regem revertitur, paxque durat duobus annis. Apoſtatæ Judæi rurſus urgent Regem, ut Bacchides adverſum Judam mittatur. At ubi Bacchides adveniens popoſcit ab apoſtatis illis, dedi ſibi Jonathanem, hi vero id facere non poſſent, 50. ex eis primarios neci dari curavit. Poſt in Jonathanem impreſſionem fecit, cui pacem oranti haud gravate annuit. Joſeph. lib. 13. cap. 2. 1 Mach. 9. 58. ad finem.

Anno 3797, 151. Cum Demetrius novum nactus eſſet hoſtem Alexandrum, qui pro filio Antiochi Epiphanis haberi volebat: metueretque, ne Jonathan Alexandri partibus ſe adjungeret, detulit ei amicitiam ſuam, dimiſſis ex arce Sionis omnibus captivis. Hinc cœpit Jonathan iterum Hieroſolymis habitare, mœniaque reficere 1 Macchab. 10. uſque ad 14. Joſeph. lib. 13. cap. 3.

Alexander ut Jonathanem à Demetrio avelleret, longe plura ei pollicetur, mittit ei purpuram cum aurea corona, evehitque eum ad Pontificatum. Nec Jonathan, quod dabatur, aſpernatus eſt. Quæ res Demetrium peſſime habuit; ideoque miſſis ad Judæos literis, ſolicitat eos ingentibus promiſſis, omnium tributorum gratiam eis facit, arcem Hieroſolymitanam ſe eis traditurum pollicetur, largiturque religionis libertatem: dona denique annua templo promittit, nec non ampliſſima privilegia. Sed non invenit fidem apud Judæos: qui Alexandro adhærere non deſierunt 1 Maccab. 10. ad 48. Joſeph. lib. 13. cap. 3. 4. 5.

Anno 3798, 150. Demetrius in prælio cum Alexandro telis confectus occumbit.

Alexander tanto Jonathanem dignatus eſt honore, ut eum ad nuptias ſuas cum Cleopatra Ptolomæi Philometoris filia invitaret 1 Macchab. 10. 51 ad 67. Anno 3802, 146. cum inſurrexiſſet adverſus Alexandrum Demetrius Nicanor, & Jonathan cum Alexandro faceret, provocavit Demetrius Jonathanem ad conflictum. Hic prodit in aciem cum 10000 virorum, conſerit manus cum Duce ejus Apollonio, & potitur aliquot civitatibus. Quam fortitudinem ejus Alexander renumeratione dignam judicavit, miſitque ei regale donum, zonam auream. 1 Macchab. 10. 67 ad finem. Joſeph. lib. 13. cap. 8.

Alexander in Arabia occiditur. Ipſi ſucceſſit Demetrius Nicanor, ſub cujus regimine quæ fuerit fortuna Jonathanis, vide 1 Macchab. 11. totum, & Joſephum lib. 13. cap. 8.

Poſt mortem Demetrii Nicanoris, Antiochus Alexandri filiolus, opera Tryphonis, Syriæ coronam obtinuit. De quo vide 1 Macchab. 12. 1 ad 39.

Tryphon petebat inſidiis vitam pueri, regnoque imminebat, ſed quia Jonathanem formidabat, dolo & arte effecit, ut ſecum Jonathan iret Ptolomaidem, ubi captum cum filiis duobus eum obtruncat.

XIX. *Simon* Jonathanis frater, Princeps & Pontifex Maximus. Eligitur à populo poſt necem Jonathanis. Virum ſe præſtat. Expugnat Gazam, regium præſidium, quod erat in arce Hieroſolymitana, fame ad deditionem adigit; atque ſic Judæi ſolvuntur jugo Syriacæ ſervitutis Anno 3808, 140. Idque tantam lætitiam inter Judæos peperit, ut inde annos numerare in epiſtolis & actis ſuis inciperent hoc modo: *Anno primo Simonis Pontificis Maximi & Principis Judæorum.* Quæ ſupputatio vocatur æra *Haſmonæorum.*

Anno ſequente Tryphon puerum Antiochum jugulat 1 Macchab. 13. 31. Joſeph. lib. 13. cap. 12.

Simon redintegrat fœdera cum Romanis & Spartanis: Romanique Judæis multas immunitates largiuntur 1 Macchab. 14.

Cum Antiochus Sedetes affectaret regnum Syriæ, ne ſimul cum Tryphone & cum Simone collideretur, Simoni & Judæis confert magnas libertates, è quarum numero etiam fuit jus cudendæ monetæ. Quocirca Simon tam militem quam nummos Antiocho ſubminiſtravit.

Ut vero Antiochus Sedetes regni gubernacula conſequutus eſt, obliviſcitur omnium beneficiorum, quæ ipſi præſtitit Simon. Revocat quæ promiſerat: repoſcit Gazam, Joppen, & arcem Hieroſolymitanam. Qua in re cum pateretur repulſam, mittit ducem ſuum Cendebeum in Judæam, qui terram depopulatur, plurimos ferro demetit, nec paucos ſecum duxit captivos 1 Macchab. 15. 18 & ſeqq. Johannes Hyrcanus Simonis filius acceptis à patre ſuo copiis, congreditur cum Cendebeo, eumque fugat cæſis 2000 1 Macchab. 16. Anno 3815, 133. Simon una cum duobus filiis Mathathia ac Juda à ſuo genero nefarie perimitur.

XX. *Johannes Hyrcanus.* Simonis filius, Princeps & Pontifex Maximus. Statim obſidione cinxit arcem Dagon, ubi mater ejus à Ptolomæo, Phyſcone captiva facta detinebatur. Ptolomæus, qui ipſe præſens in arce erat, juſſit Hyrcani matrem in mœniis in ipſius conſpectu tormentis excarnificari. Quod effecit, ut Hyrcanus ab obſidione deſiſteret, præſertim jam inſtante Sabbatho. Ptolomæus tamen matrem ejus cum fratribus crudeliſſime enecari curavit Joſeph. lib. 13. cap. 15.

Antiochus Sedetes Judæos rurſus ſub jugum mittere cupiens, obſidet Hieroſolymam. Hyrcanus, quoniam propter annum Sabbathicum non multum annonæ ſupererat, plebem imbellem exegit ex urbe, quam Antiochus rurſum agebat in urbem. Hyrcanus

nus petiit inducias ad feſtum Tabernaculorum celebrandum, cui petitioni non modo annuit Antiochus, ſed victimas quoque immolandas ipſe mittit in urbem. Tandem pax coit inter eos, ea lege, ut Hyrcanus 500 talenta perſolvat Antiocho, & bella gerenti non mediocrem vim auxiliariorum præbeat. Tanta pecuniæ ſumma cum Hyrcano ad manus non eſſet, recluſo Davidis monumento reperit talenta ter millena: ex iis æs alienum diſſolvit, Regemque hoſpitio quam luculentiſſime excepit Joſeph. lib. 13. cap. 16.

Anno 3819, 129, Hyrcanus certior factus, Antiochum in conflictu cum Parthis cecidiſſe, miſſis Romam legatis conqueritur de graviſſimis oneribus populo Judaico ab Antiocho impoſitis, impetratque à Senatu reſciſſionem actorum Antiochi, & ab omnibus oneribus relaxationem. Poſthæc movit Hyrcanus in Syriam, proximaſque civitates nullo munitas præſidio, in ſuam poteſtatem redigit. Templum quoque Samaritanum in monte Garizim à Sannaballate ædificatum, poſtquam 200 ſtetiſſet annos, ſolo æquat Joſeph. lib. 13. cap. 18.

Hyrcanus decedit anno Mundi 3845. 103.

XXI. *Ariſtobulus*, Hyrcani filius. Hic primus fuit, qui poſt Babylonicam captivitatem ſumpſit diadema regium, & Rex Judæorum ſalutari voluit, tametſi non ex Judæ tribu, ſed ex ſacerdotali genere ortum duceret.

Fratrem natu minimum in ſocietatem regni aſſumit, reliquos autem tres fratres una cum matre, quam Reginam fecerat Hyrcanus, & regnum ei legarat, in carcerem compingit. Matrem ſame interire patitur: Antigonum ferro tollit è medio. Poſtea tanta facti pœnitudo ſubiit animum ejus, ut præmœrore moretur Joſeph. lib. 13. cap. 20.

XXII. *Alexander Jannens*, Ariſtobuli filius.

Anno Mundi 3852, 96. Regno conſtabilito, aggreditur Ptolomaidem, eamque obſidione premit. Obſeſſi evocant Ptolomæum Lathurum è Cypro, ſed ejus adventum haud præſtolati dedunt ſe Alexandro. Nihilominus Lathurus Judæam intrat; Alexander vero matrem Lathuri Cleopatram in auxilium vocat, blanditiis interim Lathuri gratiam aucupans. At hic ubi fraudem ac fucum deprehendit, facit Alexandro pugnæ copiam, ſtragem edit Judæorum 30000. devaſtat totam regionem, ferro ſævit in cunctos promiſcue, abſque ulla ſexus & ætatis reverentia, nec contentus ſimplici morte, alios in fruſta ſecari, alios ad terrorem imprimendum reſiduis coqui, tanquam cum ſuis militibus humanas carnes comeſturus eſſet, imperavit. Joſeph. lib. 13. cap. 20, 21.

Judæi erant Alexandro infenſiſſimi; aliquando contumelia eum afficiendi gratia mala Perſica in eum conjecerunt in feſto Tabernaculorum: quo facto irritatus 6000. Judæorum ad tartara miſit. Totis 6. annis bellum ei cum Judæis fuit: quo ſpatio ultra 50000. Judæorum perierunt. Joſeph. ibid.

Ubi tempeſtas iſta ſeditionis reſedit, curavit 800. Judæos uno tempore crucis affici ſupplicio, trucidatis prius in ipſorum conſpectu conjugibus eorum ac liberis. Joſeph. lib. 13. cap. 22.

Tandem quartana febris finem vitæ ejus attulit. Ante obitum Alexandram uxorem ſuam conſilio inſtruxit quomodo regni poſſeſſionem retinere poſſit ac debeat.

XXIII. *Hyrcanus*, Alexandri filius. Duos Alexander reliquerat filios, Hyrcanum & Ariſtobulum. Hyrcano Pontificale munus, uxori vero Alexandræ regnum teſtamento legaverat. Alexandra defuncto marito, illico Phariſæorum ſtudia ſibi conciliavit, adhibens eos ad conſortium regiminis. Hi efficiunt, ut Alexandra quam plurimos è domeſticis mariti ſui, eos inprimis, qui ipſi auctores fuere ad 800. illos in crucem agendos, interimi curaret.

Cum Alexandra incidiſſet in morbum lethalem, Ariſtobulus ſine mora Hieroſolyma ſe propipuit, in caſum mortis matris ſuæ omnia occupando regno neceſſaria præparans, etſi id Hyrcano potius, utpote Seniori jure competeret.

Alexandra defungitur. Joſeph. lib. 13. cap. 24.

Matre è vivis ſublata, fratrum par, Hyrcanus & Ariſtobulus bello de regno diſceptat, infeſtiſque concurrit armis. Hyrcanus ad indignas conditiones adigitur, ut ſcilicet regnum concedat Ariſtobulo, quin & Pontificatu ſe exuat. Sed leges hæ ſervatæ non ſunt. Joſeph. lib. 14. cap. 1. Fuit quippe Hyrcano amicus quidam notæ fidei, Antipater (ſeu Antipas) nomine, Herodis Magni proavus, natione Idumæus, vir dives opum ac ſoleris ingentio. Hujus filius etiam Antipater dictus ſuadet Hyrcano, ut Aretæ Regis Arabum auxilium imploret, ipſe itineris ad Aretam ſe comitem præbet, perſuadetque ei, uti in adipiſcendo regno Hyrcano opituletur. Aretas oppugnat Ariſtobulum, in Templum fugientem obſidet ſub tempus Paſchatis. Interea uterque fratrum mittunt ad Scaurum Pompeji Legatum, qui cum Pompejo in Aſiam venerat, & ab eo Damaſcum in Syriam miſſus erat: ipſe enim bello cum Tigrane impeditus venire non poterat. Scaurus pecunia ab Ariſtobulo corruptus, Aretam jubet ab Hieroſolyma diſcedere. Ariſtobulus ope Scauri congreſſus cum Hyrcano & Areta prælio eos fundit. Joſeph. lib. 14. cap. 2, 3, 4.

Haud multo poſt ipſe Pompejus Damaſcum venit, cujus benevolentiam captat Ariſtobulus miſſo munere 500. talentorum. Nec Hyrcanus omiſit legatos ſuos mittere. Pars utraque cauſam ſuam exponit: Pompejus, neutram in partem lata ſententia, utrumque jubet quieſcere uſque ad reditum ſuum: erat enim ipſi cum Nabathæis negotium.

Ut igitur reverſus eſt Damaſcum, præbuit aures Hyrcano & Ariſtobulo, nec non Judæis utrumque accuſantibus, ac declarantibus, nullos ſe Reges contra legem ſuam electos ferre poſſe, ſed tantum Pontifices. Hyrcanus quoque incuſat fratris iniquitatem ac inſolentiam. Pompejus etſi ſatis perſpiceret Ariſtobuli nequitiam, dimiſit tamen placide utrumque differens ſententiam ad ſuum in Judæam reditum. Joſeph. lib. 14. cap. 7. Ariſtobulus præſagiens peſſimum cauſæ ſuæ eventum, digreditur inde, & arces atque propugnacula munitiſſima ſui juris facit, præſidiiſque firmat: quod graviſſime accepit Pompejus. Itaque conſectatus eum cum exercitu, aſſequitur in caſtello Alexandrio, quod Ariſtobulus poſtulanti Pompejo, promptitudinem obſequii ſui oſtentans,

extemplo tradit, ipſe vero ſe recipit Hieroſolymam, ad defenſionem ſe comparans. Ubi autem Pompejus caſtra poſuit ad Jerichuntem, Ariſtobulus terrore perculſus, adit Pompejum, haud mediocrem pecuniam ei offerens, ac Hieroſolymæ deditionem. Sed miſſi à Pompejo legati fruſtrantur, neque pecuniam, neque civitatem conſecuti. Itaque Pompejus proceſſit ad mœnia Hieroſolymitana, ubi in duas partes ſciſſus erat populus. Ariſtobuli ſequaces occuparunt montem Templi, Hyrcani vero aſſeclæ, quorum major pars erat, receperunt in urbem inque arcem regiam Piſonem Pompeji legatum. Ariſtobulus profugit in Templum, Pompejus admotis machinis arietat in templum, eoque potitur: ubi tanta ſanguinis effuſio facta eſt, ut ab utraque parte plures quam 12000 caderent. Templum ipſe Pompejus intrat, etiam in ipſum Sacrarium Sanctiſſimum penetrat: nihil tamen ex templo effert.

Hyrcanum Pontificatu ornat, Regium titulum uſurpare vetat, Hieroſolymam facit Romanis vectigalem, mœnia quoque urbis demoliri jubet.

Inde Romam profectus Ariſtobulum cum geminis filiis Alexandro (qui in itinere elabitur) & Antigono, nec non geminis filiabus abduxit captivum. Joſeph. lib. 14. cap. 8.

Paulo poſt advenit Gabinius, Præſidis Syriæ officium gerens. Alexander vero Ariſtobuli filius, è Romanorum captivitate profugus, novam ſeditionis facem in Judæa accendit, inque univerſa regione rapinis ac latrociniis omnia pervertit. Hyrcanus Gabinium vocat in ſubſidium, Alexander prælio ſuperatur. Gabinius Hyrcanum in Pontificatu confirmat, mutatque regiminis formam in civitate. Diviſit quoque in quinque partes totam terram, & quinque erexit Synedria, Hieroſolymis, Gaderis, Amathunte, Jerichunte, & Sephoris. Joſeph. lib. 14. cap. 10.

Ariſtobulus cum filio ſuo Antigono Romæ clam ſe ſubducens cuſtodiæ, in Judæam revolavit, novos illic motus occœptans, ſed à Gabinio captus Romam remittitur.

Ubi Gabinius in Ægyptum abiit, auxilio Antipatris Regem Auletem in regnum reducens, Alexander novas dat turbas, ſed à reduce Gabinio profligatur. Gabinius Hieroſolymam veniens, ex conſilio Antipatris regimen ac politicum ordinem inſtituit. Dein Gabinius Romam revocatur, inque adminiſtratione Syriæ ac Judææ M. Craſſus ei ſuccedit.

Marcus Craſſus per Judæam tendens in Syriam, ingreditur quoque Hieroſolymam: utque ab eo intactum maneret Templi ærarium, Eleaſarus ærarii præfectus cum eo paciſcitur, & trabem auream lignæ trabi incluſam, cui velum Sanctuario prætenſum erat appenſum, pendentem 750 pondo, ei obtulit. Sed Craſſus haud ſtans pactis trabem una cum univerſo auferr theſauro. Joſeph. lib. 14. cap. 12.

Marco Craſſo, qui non ita multo poſt ſpoliatum Templum in pugna cum Parthis cecidit, ſuccenturiatur Caſſius, ſitque præſes Syriæ: qui 30000 Judæorum in captivitatem abducit. Joſeph. ibid. Ariſtobulus à Julio Cæſare carcere ſolutus, veneno eſt ſublatus, Alexander vero ejus filius, Pompeji juſſu à Scipione ſecuri eſt percuſſus. Petav. Rat. Temp.

Anno Mundi 3903, 45. Cum Julius Cæſar adnavigaſſet in Syriam, Hircanum & Antipatrum, qui ambo ipſi in bello Ægyptiaco adfuerant, & fidiſſimam ei operam dederant, magnis auxit honoribus: ac Hyrcani quidem Pontificatum firmavit, Antipatrum autem, qui præcipue illo bello ſe virum præſtiterat, Procuratorem Judææ fecit.

Anno 3904, 44. Antipater animadvertens, Hyrcani ſocordiam atque ineptitudinem ad regimen gerendum, conſtituit filium ſuum majorem Phaſælum Principem Hieroſolymæ & adjacentium ditionum, minori autem filio Herodi præfecturam Galilææ contulit, anno ætatis ejus 25. Herodes mox in ipſis primordiis egregium dedit ſpecimen ſuæ in rebus agendis agilitatis, dum Ezechiam quendam famoſum prædonem, qui confinia Syriæ latrociniis infeſta reddiderat, cum plurimis gregalibus captum è medio ſuſtulit. Quo pacto ſe & apud ſextum Cæſarem Syriæ Præſidem clarum, & apud Syros gratioſum fecit.

Judæi contra accuſant Herodem ob hoc facinus coram Hyrcano, quod proprio Marte id auſus fuerit, & latrones contra legis interdictum, abſque judiciali cauſæ cognitione ſupplicio affecerit. Citatur ergo Herodes ab Hyrcano ad cauſam coram Synedrio dicendam. Is vero nihil boni auguratus, comparet ſtipatus haud mediocri manu armatorum: quibus perterritus Senatus eum abſolvit: cum præſertim ſextus Cæſar quoque minaces ejus cauſa ad Hyrcanum dediſſet literas. Fuit autem in illo Synedrio Sameas quidam, qui ſurgens objurgavit Hyrcanum ac Senatum, quod ad tantam proterviam Herodis, qui non debita cum modeſtia, ſed manu armata induſque purpura, ac cincinnatus ſe ſtiterat, conniverent, ac impunitum abire ſinerent, prædicens, ipſos poſtmodum omnes ab Herode (uti quoque factum) punitum iri.

Hyrcanus, cumque eo univerſus Judaicus populus, à Julio Cæſare ſplendidiſſimas conſequitur libertates, & ſocius Rom. populi appellatur: quin & facultas eis ex lege vivendi conceditur.

Anno 3906, 42. Sextus Cæſar interimitur, ſitque Marcus Procurator Syriæ. Eodem anno Julius Cæſar à Caſſio & Bruto confoditur. Poſt patratam cædem Caſſius venit in Syriam, & per Judæam tranſiens, extorſit à Judæis penſionem 700 talentorum.

Antipater à Malcho quodam veneno tollitur. Joſeph. lib. 14. cap. 19, 20.

Anno 3908, 40. Antigonus in Galilæam incurſionem facit; verum ab Herode reprimitur: idcirco Hyrcanus Herodi Mariamnem neptim ſuam uxorem deſpondet.

Cum Octavius Cæſar cum Antonio Caſſium & Brutum, Julii Cæſaris percuſſores, ad urbem Philipporum proſtraviſſet, & inde Antonius veniſſet in Aſiam, Judæi intenderunt actionem Phaſælo & Herodi, affirmantes, Hyrcanum nomine duntaxat, hos vero re ac facto Reges eſſe. Sed Antonius ab Herode muneribus corruptus, ſupinis ac ſurdis auribus excipit eorum querimonias. Imo cum iterata accuſatione ipſi eſſent moleſti, quindecim ex eis ſecuri feriri curat, accuſatos autem Tetrarchas Judææ conſtituit. Joſeph. lib. 14. cap. 22, 24.

Anno

Anno 3909, 39. Cum Pacorus Rex Parthorum, Syriam occupaſſet, offert ei Antigonus Ariſtobuli filius mille talenta & 500 mulieres, poſtulans, ut Hyrcano remoto ſibi regnum tribuat. Herodes Hyrcano opitulatum cum haud modica manu venit Hieroſolymam ad feſtum Pentecoſtes: id concivit tumultum inter Judæos. Dum vero hi tumultuantur ecce adeſt Pacorus, & civitatem tanquam amicus intrat, ſed mox nudato animo mittit Phaſælum & Hyrcanum captivos in Galilæam. Herodes cum ſponſa ſua Mariamne totaque domo fuga ſibi conſulit, abitque in Idumæam. Orat, ſed non exorat opem ac nervum rerum gerendarum à Malcho Arabiæ Rege. Interea Parthi per vim regno Antigonum imponunt: Hyrcanum auribus truncant, ne Pontificalem dignitatem gerere poſſit; Phaſælus vero manu ſua vitam abrumpit.

Anno 3910, 38. Herodes ad Cleopatram in Ægyptum proficiſcitur, inde navigat Romam, Antonio triſtem rerum ſuarum ſtatum exponit, poſcitque auxilium. Antonius Herodem ſibi in bello cum Parthis, quod jam coquebatur, uſui fore ſperans, effecit apud Senatum, ut Herodes Rex Judæorum declararetur.

Paucis diebus interjectis, Herodes obtento regno, Roma redit in Syriam, à Ventidio ac Silone (Ducibus Romanis ab Antonio ad bellum cum Parthis gerendum delectis) juſſu Antonii in patrocinium ſuſcipitur. Itaque Hieroſolymis caſtra admovet, ſed cogitur inde mox referre pedem, quia Silo, cujus copiis comitatus venerat, pretio emptus ab Antigono, fronte duntaxat, non mente ipſi ſtudebat.

Anno 3912, 36. Subvenit Herodi Ventidius: qui ſimiliter nihil effecit, ab eodem Antigono pecunia corruptus.

Herodes relicto ad Machæram fratre Joſepho, cum copiis auxiliaribus ad Antonium profectus eſt, qui tunc Samſetam civitatem Aſiæ ad flumen Euphratem ſitam oppugnabat. Quam ubi in ſuam poteſtatem redegit, terris illis Soſium præpoſuit, eique negotium Herodis diligenter commendavit: ipſe in Ægyptum properavit. Joſephus vero Herodis frater ſub hoc tempus apud Hieroſolymam occubuit.

Anno 3913, 35. Herodes non una victoria hoſtibus ſuperior, primo vere accedit ad obſidendam Hieroſolymam, & non multo poſt Soſius quoque advenit. Urbs vehementiſſime oppugnatur, & tandem expugnatur. Antigonus permittit ſe poteſtati Soſii, à quo Antiochiæ ſecuri percutitur. Hunc finem habuit dominatio Aſſamonæorum, poſtquam à Matathia, id eſt, ab anno 3782, ad necem Antigoni 131 annos viguiſſet.

Alexandri Jannei 2. Regis Judæorum poſteritas.

Alexandra Alexandri filii Ariſtobuli uxor: & Mariamnes, Herodis uxoris mater.

Alexander Janneus
- Hyrcanus
- Ariſtobulus
  - Alexander. Uxor ejus fuit Alexandra Hyrcani filia.
    - Ariſtobulus. Ab Herode aquis ſubmergitur.
    - Alexander.
    - Mariamne Herodis uxor.
  - Antigonus, ultimus Aſſamonæorum: cujus filia fuit uxor Antipatri primogeniti Herodis.

PARS III.

A regno Herodis ad mortem Chriſti.

ANno Mundi 3914, ante natum Chriſtum 34, Herodes ſubjugata ſibi univerſa Judæa, permultos ex inimicis ſuis morte mulctat. Etiam totum Synedrium excindit, Pollione Phariſæo duntaxat excepto, & Samea, qui id futurum in Synedrio prædixerat, uti ſupra memoratum. Hyrcanus, qui hactenus Babylone à Parthis detentus fuerat, inque honeſta cuſtodia habitus, venit ad Herodem, apud quem aliquandiu in honore fuit, ad extremum juſſu ejus obtruncatus eſt.

XXIV. *Analetus.* Poſt Antigoni obitum Herodes Analetum quendam è vulgo ſacerdotem, ex Babylonia accerſitum, provehit ad Pontificatum. Sed adactus à populo mox eum huic abrogat, Ariſtobulum vero Mariamnes fratrem ei ſurrogat. Cum autem ſuſpecta eſſet Herodi gratia, qua Ariſtobulus valebat apud populum, per ſubordinatos eum ſuffocari in aqua curat, rurſuſque Analetum reſtituit. Joſeph. lib. 15. c. 1, 3. Ad hujus homicidii cauſam dicendam Herodi ab Antonio dies datur. Ad quem profecturus Herodes, dat in mandatis Joſepho patruo ſuo, cui regnum in abſentia ſua adminiſtrandum commiſerat, ut ſi forte triſtis contigiſſet judicii eventus, Mariamnem conjugem ſuam interficeret. Quod ille non odio, ſed mero faciebat amore, nolens quenquam alium poſt deceſſum ſuum ea potiri. Joſephus haud tenax ſecreti aperit illud mulieribus, bono quidem animo, ut demonſtraret, quam Herodes Mariamnem depereat, ſed futilitate ſua magnos in domo Herodis excitat tumultus. Interea Herodes data pecunia Antonii favorem emit, ut homicidium iſtud inultum abire pateretur. Ubi domum revertit Herodes, Mariamne accuſatur apud ipſum adulterii cum Joſepho commiſſi; à quo crimine cum illa ſe accurate purgaſſet, Herodique deinceps exprobraret, quod ſe occidi Joſepho imperaſſet,

fet, ille Joſephum jugulari, Alexandrum vero ſocrum ſuum in carcerem conjici mandat. Joſeph. lib. 15. cap. 4.

Anno 3919, 29 terræmotus ingens fuit in Judæa, ut ſupra 10000 hominum ruina ædium opprimerentur.

Dum putat Herodes, Regnum jam ſibi firmum fore in Judæa, de Antonii clade apud Actium fit certior: metuque percellitur, ne tanti amici interitus cauſa ſibi ſit amittendi regni. Quare fratri ſuo Phæroræ commiſſa regni cura, contendit ad Auguſtum, mandans, ut ſi male iter ſucceſſiſſet, Alexandra Socrus & Mariamne è vita tollantur. Ut ad Auguſtum venit, haud diſſimulavit ſe Antonii intimum fuiſſe, pollicitus ſe eadem fide Auguſto adhæſurum. Quæ ingenua ejus confeſſio Auguſto placuit adeo, ut eum in regno confirmaret, & gratia ſua complecteretur.

Anno 3922, 26 Herodes ab Auguſto revertens, reperit domum ſuam rurſus inquietam: Alexandra enim & Mariamne de illius mandato noviſſimo, quod abituriens dederat, reſciverant. Cumque Herodem Mariamne frigide ac inſubido vultu excepiſſet, ac præterea illa à matre ac ſorore ſua inſimularetur adulterii, & veneficii, dies ei dicitur, inque judicio damnatur, & ſupplicio afficitur. Herodes etiam amicorum fidiſſimum Lohemum, cui negotium interficiendæ uxoris ac ſocrus dederat, iſque id mulieribus detexerat, neci dari curat, ut & Alexandram Socrum, cum compluribus aliis, qui è familia Antigoni erant: nec non viros decem, qui in ipſum conſpiraverant, capite plectit. Joſeph. lib. 15. cap. 10, 11.

XXV. *Jeſus* Phabei filius, Pontifex Maximus. Ejus meminit Joſephus lib. 15. cap. 12. Sed non deſcribit qua ratione Pontificatus compos evaſerit: tantum tradit, eum ab Herode abdicatum, ac Simonem Socerum ipſius Pontificem ſuffectum.

XXVI. *Simon.* Huic fuit filia inſignis formæ, Mariamne nomine, quam adamavit Herodes. Et ne impares nuptiæ regio ipſius ſtatui dehoneſtamento eſſent, (Simon enim ſacerdos erat unus è multis) evehit eum ad Pontificatum.

Anno 3930, 18 Auguſtus cum in Syriam veniſſet, coram eo Gadarenſes Herodem reum immanitatis ac tyrannidis peregerunt. At ubi legati viderunt querelas ſuas ſperni, ſibi ipſis mortem intulerunt. Auguſtus vero tantum abfuit, ut Herodi infenſus fieret, ut etiam haud modicam regionis partem, ad caput Jordanis ſitam, ei donaret, Phæroram quoque fratrem ejus Tetrarchæ honore ornaret.

Anno 3931, 17. Herodes Judaico populo gratificaturus, eumque ſibi devincturus, Templum ab imis fundamentis cœpit inſtaurare. Cujus ædificii quantus ſplendor fuerit, & quanta majeſtas, apud Joſephum lib. 15. cap. 14 legere eſt.

Anno 3937, 11. Herodis domus novis motibus concutitur. Filii enim Mariamnes Ariſtobulus & Alexander, à Salome Herodis ſorore, & à fratre Phæroræ falſis quam plurimis & improbabilibus criminibus onerantur, quorum haud poſtremum erat, quod ſpe patri in regno cito ſuccedendi eſſent turgidi. Ut ergo criſtas eorum deprimat Herodes, Antipatrum primogenitum ſuum Romam ad Cæſaris aulam amandat, ubi ad honores magnos promovetur. Antipater plenis calumniarum literis patris animum adverſus geminos fratres ſuos inflammat, metuens, ne patris gratiam ſibi præriperent. Herodes aſſumpto utroque filio Ariſtobulo & Alexandro delatus eſt Romam, & veneni poſtulavit ambos coram Cæſare. Sed Cæſar ex omnibus indiciis cognita filiorum innocentia, eos cum patre reducit in gratiam. Joſeph. lib. 16. cap. 8.

Herodes, exemplo Hyrcani, Davidis ſepulchrum reſerari imperat, quod reliquum erat pecuniæ, inde ablaturus; ſed conatus fuit irritus propter erumpentem flammam, quæ duos è fidiſſimis ſervis ejus abſumpſit.

In domo Herodis novæ exoriuntur turbæ. Antipater plurimos ſpargit vanos rumores, quod Alexander & Ariſtobulus magis magiſque impatienter ferunt. Phæroras divulgat, Herodem cum nuru ſua Alexandri uxore conſueſcere: cujus flagitii Salomon primus auctor extitit. Amplius, tres cubicularii tormentis ſubjecti confitentur, Alexandrum vitæ ac regno patris inſidiari. Herodem metus inceſſit, ne malitioſa adverſum ſe inita conſilia ſint remedia validiora; ideo plurimos, etiam innocentiſſimos, quin proxima ſibi cognatione junctos, ob leves rumuſculos ſuppliciis mactat. Atque ad hanc crudelitatem patrem egit & exſtimulavit Antipater. Multi in equuleo extincti ſunt, quibus nulla criminis ac culpæ Alexandri confeſſio exprimi poterat: alii vi tormentorum victi fatebantur quidem neſcio quid, ſed quod nullo documento probare poterant. Nihilominus Herodes Alexandrum carcere claudit, tametſi ipſe delationibus & ſparſis in eum criminibus fidem non haberet. Ac ne Alexander omni culpa vacuus, adeoque injuſte in vincula datus videretur, complures omni genere ſuppliciorum excarnificatos necari jubet. Uno verbo, aula Herodis cædibus ac ſuppliciis tota referta erat. Tandem Archelaus, Rex Cappadociæ, cujus filiam Alexander habebat in matrimonio, rem inter patrem & filium compoſuit. Joſeph. lib. 16. cap. 11, 12.

Anno 3945, 3 diſſeminatur novus rumor, Alexandrum & Ariſtobulum machinari mortem Herodi. Qui eos iterum coram Cæſare accuſat, & ab eo poteſtatem de iis quæſtionem judiciumque exercendi obtinet. Ac illi quidem nullius malefacti convinci poterant: nihilominus tamen pater eos Sebeſten deductos ſtrangulari præcepit.

Cum jam Antipater, Herodis maximus natu filius, fratres ſuos è medio ſuſtuliſſet, nec ullum regni timeret æmulum, ipſe patris vitam appetit, & pari affectus eſt præmio, ut mox intelligetur.

Anno 3947, 1 dum totus Judaicus populus juramento fidelitatis ſeſe Cæſari Auguſto & Herodi obſtringere cogerentur (quod videtur illo ipſo deſcriptionis tempore factum, de quo Luc. 2. 1) ſoli Phariſæi, quorum erant 6000, detrectabant officium: idcirco ab Herode magna vi pecuniæ multantur. Sed hanc mulctam pro eis ſolvit Phæroræ conjux, quæ maxima eos proſequebatur benevolentia, ab eis fucatæ pietati & figmento converſationis cum Deo, nec non prædictione de regno ab Herode auferendo, & in filios ejus deventuro, dementata. Quamobrem

obrem, ut res iſta Herodi innotuit, plurimis Phariſæorum uſuram lucis eripuit. Inſtitit quoque apud Phæroram, ut repudiata uxore ſua aliam duceret. Verum Phæroras maluit cum aula fratris ſui Herodis, quam cum uxore ſua, quam ferebat in oculis, divortium facere. Antequam autem ab aula diſcederet, cum Antipatro de præbendo Herodi veneno clandeſtina miſcet conſilia. Antipater ut extra omnem ſit ſuſpicionis aleam, amicorum induſtria inducit patrem, ut ſe mitteret Romam, non mediocri inſtructum pecuniæ ſumma: Phæroras vero cum ſua conjuge in ſuam ſe confert Tetrarchiam, addito juramento, ſe ad regiam Herodis nunquam redituram Joſeph. lib. 17. cap. 3,4.

Illo ipſo anno *Jeſus Chriſtus* lucem aſpexit natuſque eſt, juxta calculum Calviſii, circa tempus deſcriptionis Orbis, Preſide Syriæ Quirino.

Anno Mundi 3948 Herodes morbo gravi corripitur, invitat ad ſe Phæroram, ſed ille uſus excuſatione honeſta recuſat. Paulo poſt convaleſcit Herodes, & Phæroras in morbum incidit. Herodes viſendi gratia adit Phæroram, eique omnia fraternæ charitatis officia exhibet. Quo viſo Phæroras permotus, mutat propoſitum de veneno Herodi propinando. Uxor autem ejus dimidiam duntaxit veneni partem in ignem conjicit, dimidiam ſervat. In hoc morbo Phæroras exſpirat: indeque oritur rumor, eum veneno eſſe ſublatum. Herodes per quæſtiones & tormenta verum inveſtigare volens, reſciſcit ex nonnullorum indicio, non Phæroræ, ſed ſibi ab Antipatro filio ſuo paratum eſſe venenum. Expellit proinde Doridem conjugem ſuam Antipatri matrem ex aula. Phæroræ uxor ſeipſam de quodam conclavi agit præcipitem: manet tamen ſuperſtes, Herodique omnem rei ordinem enuntiat. Cumque uxor Herodis, filia Simonis Pontificis, conſcia fuiſſe hujus rei argueretur, eam quoque repudiat, deletque è teſtamento filium ex ea ſuſceptum Herodem, quem regni hæredem ſcripſerat, quin & patrem ejus Pontificatu deturbat, & Matthiam in ejus locum reponit Joſeph. lib. 17. cap. 6.

XXVII. *Matthias* Pontifex Maximus. Sub id tempus venit Roma libertus Antipatri, qui fidiculis tortus fatetur, ſe toxicum reddendum matri domini ſui & conjugi Phæroræ attuliſſe, ſi forte prius non ſatis fuiſſet efficax. Herodes Antipatrum Roma accerſit, rem quæ acta eſt, quam altiſſime celans. Is ſeptem menſium ſpatio interjecto venit, quamvis in itinere monitus. Accidit ut Quintilius Varus, Saturnini loco à Cæſare Præſes Syriæ factus, tunc eſſet Hieroſolymæ. Apud hunc Herodes filium ſuum reum agit parricidii, qui convictus conjicitur in vincula, totumque negotium ad Auguſtum perſcribitur. Auguſtus facit Herodi poteſtatem cum filio pro lubitu agendi. Prius autem quam nuntii Roma redirent, gravis morbus Herodem invadit Joſeph. lib. 17. cap. 5. 7.

Anno Mundi 3949 Chriſti 2, cum ingraveſceret indies morbus Herodis, & in horas mors ejus exſpectaretur, duo religioſi legis doctores diſcipulis ſuis auctores ſunt, ut aquilam auream, quam Herodes portæ Templi impoſuerat, diripiant. Sed facinoris manifeſti comprehenduntur, eorumque 40 una cum duobus illis doctoribus vivi concremantur. Comperto quoque, non ſine Matthiæ Pontificis conſcientia rem eſſe actam, dejicitur Matthias Pontificatu, & ad eum Joazarus extollitur.

XXVIII. *Joazarus*. Quam horribili morbo Herodes laborarit, ad Matth. 2. 19, ex Joſepho exponetur. Tanta fuit doloris vehementia, ut ipſe cultro vellet ſibi necem conſciſcere. Speravit thermarum, quæ ad Jordanem erant, uſum ſibi profuturum: ſed præter ſpem valetudini ejus noxiæ fuerunt. Revehitur ergo Jerichuntem, ubi Judæorum præcipuos in hyppodromo quodam concludi curat, mandans, ut omnes poſt ſua fata interficiantur, quo habeat populus anſam lugendi ſuper morte ſua, non exultandi.

Antipater ratus, patrem jam animam exhalaſſe, ex carcere conatur evadere; quod nuntiatum Herodi tantam ei commovit bilem, ut caput ſuum parieti illideret, Antipatro vero è veſtigio gulam frangi præciperet.

Immutat quoque Teſtamentum ſuum, Archelao regnum aſſignat, Herodem vero Antipam, cui prius regnum inſcripſerat, inſtituit Tetracham Galilææ & Perææ, Philippum autem Tetrarcham Trachonitidis & Gaulonitidis, aliarumque quarundam provinciarum.

Poſtea mors finit Herodis dolores, diebus quinque poſt Antipatrum morte mulctatum, anno 37 poſtquam à Romanis Rex Judæorum declaratus eſſet, & 34 poſt occupatam Hieroſolymam, depulſumque Antigonum, 70 autem ætatis ejus Joſeph. lib. 17. cap. 8,9.

Archelaus Judæa Gubernator.

Defuncto Herode, ingens ſedito inter Judæos coorta eſt, qui urſere, ut Joazaro Pontifici Maximo officium abrogaretur. Suntque in ea ſeditione 3000 in Templo occiſi.

Dum Archelaus Romam petit, obtinendæ à Cæſare in regno confirmationis ergo, alia ſeditionis flamma inter Judæos erumpit adverſus Sabinum, qui in Regis & Templi ærarium involabat. Tandem motus ſedatur 2000 ſeditioſis in crucem actis. Archelaus Roma dimiſſus eſt ita, ut à Cæſare Gubernator (non Rex) dimidiæ partis regni paterni conſtitueretur, reliqua pars inter Philippum & Antipatrum ſeu Herodem Antipam divideretur Joſep. lib. 17. cap. 12,13.

XXIX. *Eleaſarus* ab Archelao Pontifex fit, Joazaro depoſito Joſeph. lib. 17. cap. 13.

XXX. *Jeſus*. Eleaſarus vivus adhuc rejicitur, & Jeſus in ejus locum Pontifex aſſumitur Joſeph. lib. 17. cap. 15.

Anno 3956, 9. Archelaus de immodica tyrannide à Judæis & Samaritanis defertur. Cæſar eum evocat Romam ad judicium: cauſaque cognita theſauros ejus redigit in fiſcum, & ipſum Viennam in Galliam relegavit.

Judææ vero partem illam, cui præerat Archelaus, Syriæ adjunxit; Coponiumque, qui Adminiſtratoris munere in illa Archelai portione fungeretur, miſit, data quoque ei poteſtate maleficos capite plectendi:

ſed ita ut ipſe & ſucceſſores ejus Præſidi Syriæ ſubeſſent Joſeph. lib. 2. cap. 9 de bell. Judais.

Gubernatores vel Procuratores Judææ.

Hoc uti expoſitum eſt, modo Regnum Herodis familiæque ejus deſiit, Judæa vero à Gubernatoribus ſive Procuratoribus adminiſtrata eſt: quorum primus fuit Coponius. Syriam autem tunc regebat Quirinius Præſes.

XXXI. *Joazarus.* Rurſus factus eſt Pontifex. Joſeph. lib. 18. cap. 3.

XXXII. *Anana* ſeu *Anna*, ut Joh. 18. 13, nuncupatur. Anno 10, Chriſti Quirinius Præſes Syriæ venit Hieroſolymam, deſcribendæ terræ, ac vendendorum Archelai bonorum gratia. Ibi Joazaro adimit denuo Pontificium munus, traditque Annæ. Deſcriptio iſta dat occaſionem novis motibus. Nam Judas Gaulonites ſive Galilæus, una cum Sadduco Phariſæo quodam, novam erigit ſectam, quam Joſephus quartam inter ſectas Judæorum facit lib. 18. cap. 2. Hi neminem pro domino ſuo dignabantur agnoſcere, præter Deum, ac propterea excutere cervicibus ſuis jugum Romanorum annitebantur. In illa confuſione rerum multa mala, rapinæ ac cædes ſub ſpecie libertatis tam inter amicos, quam inter inimicos paſſim graſſabantur. Ipſum denique Templum in iſto tumultu ab hoſtibus incendio vaſtatum eſt. Joſeph. lib. 18. cap. 1.

Anno Chriſti 2, Coponius Romam abit, & Marcus Ambivius fit Procurator Judææ.

Anno Chriſti 14, Annius Ruffus exiſtit tertius Procurator Judææ. Hujus tempore Auguſtus Cæſar rebus humanis valedixit, & Tiberius Imperator eligitur. Qui mox poſt Auguſti exceſſum, Valerium Gratum Judææ Procuratorem conſtituit.

Iſte Pontificatum Annæ ereptum, conſert Iſmaëli Fabii filio. Sed paulo poſt hunc quoque Pontificatu exuit, & Eleazarum Annæ filium eo ornavit. Vix annum unum geſſerat hic munus iſtud, cum eum etiam exauctorat Valerius, ac Simonem Camithi filium ei ſubſtituit. Sed nec hujus fuit diuturna muneris adminiſtratio; cum enim unius quoque anni ſpatio in ea functione fuiſſet, jubet eum decedere, & locum dare Joſepho, cui cognomen erat Caiphæ. Joſeph. lib. 18. cap. 3.

XXXIII. *Caiphas*, Pontifex. Anno Chriſti 27, Valerius Gratus abſceſſit, & venit in ejus locum Pontius Pilatus Procurator Judææ. Hic Hieroſolymam ingreditur cum vexillis imaginem Cæſaris gerentibus; ſed ad anxias ac ſupplices Judæorum preces ea rurſus efferri curat.

Herodes Antipas Tetrarcha Romam iter faciens divertit ad fratrem ſuum Herodem, quem Matthæus appellat Philippum cap. 14. 3. Hujus uxor erat Herodias Ariſtobuli fratris ejus (quem pater necari juſſerat) filia. Antipas forma ejus captus, perſuadet ei, ut ſibi nubat: convenitque inter eos tali modo, ut redux Roma eam ſecum abducat, propriam autem conjugem, quæ Aretæ Regis Arabum filia erat, dimittat. Quod etiam factum eſt: ideoque Aretas bello illum aggreſſus eſt, ac ſuperavit. Iſte eſt Herodes Antipas, qui Johannem Baptiſtam, ab eo ob flagitia ſua graviter redargutus, capite truncavit. Joſeph. lib. 18. cap. 7. Matth. 14. 10.

CHRISTUS JESUS anno 34, ætatis ſuæ 20, Tiberii Cæſaris, mortem oppetiit.

Herodis Regis Genealogia & Poſteritas ex Joſeph. lib. 17. 1: 18. 7.

Phaſaëlus. A patre Princeps Hieroſolymæ conſtituitur. Filium habet ſibi cognominem.

Phaſaëlus. Hujus uxor fuit Salampſo, Herodis Regis ex Mariamne filia. Ex ea geniti ſunt
- Antipater.
- Herodes.
- Alexander.
- Alexandra. Timii cujuſdam nobilis Cyprii uxor.
- Cyron. Regis Agrippæ uxor.

Antipas Idumæus.

Antipater. Uxor ejus Cypros nobili genere ex Arabia.

HERODES. Primum Princeps Galilææ, dein Rex Judæorum. Poſteros ejus vide ſub hoc ſigno. ***

Joſephus. Gubernator Idumeæ. Conjux ejus fuit Olympias, Herodis Regis filia. Ex hac ſuſcepit Mariamnem, Herodis, fratris Agrippæ, uxorem.

Pheroras. Tetracha. Joſeph. lib. 15. cap. 13.

Salome. Ejus viri fuerunt. 1. *Joſephus*, ipſius patruus. 2. *Coſtobarus* Idumæus, quem Herodes interfici curat. Joſeph. lib. 15. cap. 11. Ex hoc filium genuerat, & filiam *Berenicen* Ariſtobuli filii Herodis conjugem. 3. *Alexam:* quem ei Herodes per vim obtruſit. Joſeph. lib. 17. cap. 1.

Joſephus. Ejus uxor fuit Salome, fratris filia. Filii ejus.
- *Antipater.* Ejus uxor Cypron Herodis filia.
- *Joſephus.* Ejus uxor Olympias, Herodis Regis ex Marthace Samaritana filia.

1. *An-*

HERODES Magnus Rex Judæorum. Ejus filii.

1. *Antipater.* Mater ejus Doris. 1. Uxor ejus Antigoni, ejus, qui ante Herodem regnaverat, filia. 2. Mariamne, fratris Aristobuli filia.

2. *Aristobulus.* Mater ejus Mariamne, 2. Uxor ejus Berenice, Salomes Herodis fororis filia.
- *Herodes Agrippa.* Rex dictus Magnus: qui Jacobum occidit. Act. XII. 2. Uxor ejus Cypros.
  - *Agrippa* minor.
  - *Drusus.* Immaturus obit.
  - *Berenice.* Herodis Regis in Chalcidia uxor.
  - *Mariamne.*
  - *Drusilla*, Præsidis Felicis uxor.
- *Herodes*, Rex Chalcidiæ. Uxor ejus 1. Mariamne, Josephi, qui Regis Herodis frater erat, filia. 2. Berenice, fratris ejus Agrippæ, filia.
- *Aristobulus.*
- *Mariamne*, Antipatri primogeniti Herodis filia.
- *Herodias.* 1. Philippi alterius fratris (Matth. 14. 3,) vel Herodis, ut eum vocat Josephus lib. 18. cap. 7, uxor. 2. Herodis, quarti Herodis Regis filii.

3. *Alexander.* Ejus mater Mariamne, 2. Uxor Glaphyra, Regis Cappadociæ filia. Ex ea geniti sunt
- *Alexander*, ejus uxor, Phæroræ filia.
- *Tigranes*, à Nerone constitutus Rex Armeniæ.

4. *Herodes.* Ejus mater Mariamne, Pontificis Simonis filia, 3 uxor ejus Herodias, fratris ejus Aristobuli filia. Ex hac nata est *Salome*, quæ saltavit coram Herode *Antipa*, & caput Johannis Baptistæ petiit Matth. 14. 6. Philippi Tetrarchæ conjux.

5. Antipas etiam Herodes dictus, Tetrarcha Galilææ. Mater ejus Marthace Samaritana. VI. Uxor ejus Aretæ Regis Arabum filia.

6. *Archelaus*, Rex post Herodem. Mater ejus Marthace Samaritana VI.

7. *Herodes.* Ejus Mater Cleopatra è Jerusalem VII.

8. *Phasælus.* Ejus Mater Pallas VIII.

9. *Philippus*, Tetrarcha Trachonitidis. Mater ejus Cleopatra VII. Uxor Salome, quæ, viro suo deserto, cum Antipa quarto Herodis Regis filio aufugit.

Filiæ Herodis Regis
1. *Salampso*, Phasæli, fratris Regis conjux. Mater ejus Mariamne II.
2. *Cypros*, Antipatri filii patrui ejus conjux. Mater ejus Mariamne II.
3. *Olympias*, Josephi fratris modo dicti Antipatri, conjux. Mater ejus Marthace Samaritana VI.
4. *Roxano.* Mater ejus Phædra IX.
5. *Salome.* Mater ejus Elpide X.

Uxores Herodis Regis
1. *Doris.* Idumæa.
2. *Mariamne*, Alexandri filii Aristobuli filia.
3. *Mariamne*, Simonis Pontificis Maximi filia.
4. N. Fratris filia.
5. N. Sororis filia.
6. Marthace Samaritana.
7. Cleopatra è Jerusalem.
8. Pallas.
9. Phædra.
10. Elpide.

Reliqua historia de rebus Judaicis à morte Christi usque ad excidium & eversionem urbis Hierosolymæ.

ANno Christi 35, id est, anno sequenti post Christi obitum, Philippus Tetrarcha mortalitatem explevit, ejusque ditiones Syriæ Regno adcorporatæ sunt. Joseph. lib. 18. cap. 6.

Philippo defuncto Herodes Agrippa, Aristobuli filius, petiit Romam, Pilatum ad judicium delaturus: sed Tiberius non dedit ei aures. Joseph. lib. 2. de bell. c. 8. Contrahitque ibidem nomina, quibus non est solvendo. Remeat postea inde in Judæam.

Tiberius Cæsar ablegat Lucium Vitellium in Syriam, qui Caiphæ ablatum Pontificatus officium, Jonathani Annæ filio contulit. Joseph. lib. 18. cap. 6.

XXXV. *Jonathan*, Annæ filius. Anno Christi 36, Agrippa rursus contendit Romam, seque in arctissimam C. Caligulæ amicitiam insinuat. Cumque liberiorem aliquando vocem de Tiberio emisisset, datus est in custodiam.

Anno Christi 37, impostor quidam prodiit in Sama-

Samaria, qui famam diſperſit in populo, ſe vaſa ſacra à Moſe in monte Garizim defoſſa eruturum. Cumque eò ingens confluxiſſet multitudo, à Pilato cæduntur ac diſperguntur. Cujus rei rationem reddere deinceps cogitur Pilatus, Romamque ſe conferre. Prius vero quam Romam attingeret, Tiberius obit, & Caligulæ defertur Imperium.

Vitellius removet à Pontificatu Jonathanem, fratrique ejus Theophilo eum defert.

XXXVI. *Theophilus*, Jonathanis frater. Vix Tiberius exceſſerat, cum Caligula Agrippam carcere ſolvit: caputque ejus diademata evincit, & Regem utriuſque Tetrarchiæ, quæ Philippi & Lyſaniæ fuerat, eum pronunciat.

Herodes Agrippa Rex.

Agrippa retulit ſe in Judæam, regnum aditurus. Sed Herodias Antipæ conjux tantam ei felicitatem invidens, proficiſcitur Romam cum viro ſuo, regnum ſibi impetrandi animo. Verum pro regno exilium conſequutus Antipas, mittitur Lugdunum in Galliam, ejus vero ditio Agrippæ donatur. Joſeph. lib. 18. cap. 9.

Caligula imperat Petronio Syriæ Præſidi, ut ſimulacrum ſuum in Templo Hieroſolymitano collocet. Sed cum vehementiſſime obniterentur Judæi, res effectum non habuit. Sub id tempus Caligula peremtus eſt, ejuſque locum occupat Claudius.

Quia Agrippa optime erat de Claudio meritus, is ad priores ejus ditiones inſuper etiam totum Hieroſolymitanum & Samaritanum territorium adjecit: ut ita Agrippæ regnum amplius redderetur, quam Herodis Magni fuerat.

XXXVII. *Simon Cathara* Pontifex Maximus.

XXXVIII. *Matthias* Annæ filius.

XXXIX. *Elioneus*. Anno Chriſti 44. Herodes Agrippa Jacobum Apoſtolum Capitis ſupplicio afficit: Petrumque in vincula conjicit. Act. 12. 2, 3.

Cum Agrippa die quodam feriato, honori Cæſaris dicato, Cæſareæ pro tribunali ſedens, veſtem auro & argento diſtinctam geſtaret, quæ ſolis radiis illuſtrata admirabili ſulgore radiabat, vilis aſſentantium turba ei nomen Dei tribuit, & tanquam Deum adoravit. Quem honorem cum ille haud reſpueret, protinus ab Angelo Domini percuſſus eſt, ut intra paucos dies ſpiritum effunderet: anno 54. ætatis ſuæ, regni 7. Joſephus teſtis eſt, noctuam tunc columnæ ſuper caput ejus protenſæ inſidentem conſpectam fuiſſe. Joſeph. lib. 19. cap. 6.

Anno 45. Claudius in animo habuit Judaicum Regnum filio Agrippæ, qui itidem Agrippas, ſed minor dicebatur, conferre: ſed quia is nondum maturæ erat ætatis, ſententiam mutavit. Idcirco Judæa rurſus in unum cum Romano Imperio corpus redigitur, Syriæque adjuncta à Procuratoribus gubernatur.

Procuratores Judææ.

Primus Procurator à Claudio miſſus in Judæam, fuit Cuſpius Fadus, qui Judæam à prædonibus, quorum caput erat Tholomæus, purgavit.

XL. *Simon Cathara*. Herodes, frater Agrippæ, Rex Chalcidiæ, nactus eſt à Cæſare Claudio poteſtatem Pontifices conſtituendi.

XLI. *Joſephus*, Camydæ filius. Anno 46 planus quidam Theudas nomine inſtillavit auribus populi, ſe Jordanem ſciſſurum in partes, & ſiccis pedibus Judæos traducturum. Sed Procuratorem Fadum res non latuit, qui immiſſo equitum globo, alios cædit, alios mittit in carcerem; capitur quoque Theudas, cui caput enſe decuti jubet. Joſeph. lib. 2. de bell. cap. 2.

Utrum Theudas iſte ſit ille ipſe, de quo Act. 5. 36. agitur vide ad illum locum. Tiberius Alexander ſecundus Procurator Judææ. Anno Chriſti 47, contigit fames illa, de qua Act. xi. 28.

XLII. *Ananias*, Pontifex Maximus. Hunc Paulus parietem dealbatum appellavit. Act. 23. 3. Sed is rurſus de Pontificatu deturbatus eſt.

Anno Chriſti 49, è rerum natura ſublatus eſt Herodes Rex Chalcidiæ, ejuſque regnum Claudius Agrippæ minori largitur.

Cumanus tertius Procurator Judææ. Anno Chriſti 50, vulgus Judæorum in magnum tumultum efferbuit ſub tempus Paſchatos; cauſa erat, quod quidam è Cumani ſatellitibus ſe ante Templum impudentiſſime renudaſſet. Hic tumultus 20000 hominum abſorpſit.

Anno Chriſti 51. Nova ſeditio inter Galilæos & Samaritanos exarſit. Ab eo tempore, inquit Joſephus, Judæa facta eſt ſpelunca latronum.

Claudius Felix quartus Procurator Judææ. Hujus ad tribunal Paulus adductus fuit Actor. 23. 24. Omnium flagitiorum maculis fuit notatiſſimus. Hoc anno morte abripitur Claudius, & Nero fit Imperator.

In Judæa indies cuncta labuntur in deterius, ac latronibus, Magis, ac impoſtoribus loca replentur omnia: quorum numerum haud parvum Felix omni ſuppliciorum genere extinxit.

Incantatores & nugivendi multum populum ſeducebant in loca deſerta, magna miracula & ſigna polliciti: inde factum eſt, ut à Felice plurimi extremo ſupplicio afficerentur.

Inter alios venit Ægyptius quidam Hieroſolymam, Prophetam ſe verbis concinnans ſuis, populumque induxit, ut eum in montem Olivarum ſequeretur, viſurus, ad ejus juſſum mœnia Hieroſolymæ concidere. Sed à Felice miſſæ cohortes, 400 cæciderunt, 200 captivos duxerunt Joſ. lib. 20. c. 6.

Anno Chriſti 56. Cæſarea quoque ſeditione flagravit, diſcordia inter Judæos & Græcos enata. Cum enim Cæſarea ab Herode eſſet condita, plus ſibi juris in ea Judæi eſſe volebant, quam Græcis.

XLIII. *Iſmael* Phabæi filius, Pontifex Maximus. Hac tempeſtate etiam graviſſima extitit diſcordia inter ſummos Pontifices & reliquos ſacerdotes, ut protervis ac ſeditioſis hominibus ſtipati inceſſerint, mutuo ſeſe probris proſciderint, lapidibus impetierint decimas per vim minoribus ſacerdotibus extorſerint.

Erat præterea adhuc aliud genus prædonum in Judæa, qui pugiones occultabant ſub veſtibus, hominesque improviſo clara luce, maxime ſub tempus ſolennium feſtorum obtruncabant Joſeph. lib. 2. de bell. cap. 3.

Exorta

Exorta etiam eſt alia ſediotioſorum ſpecies,qui populum ad defectionem à Romanis ſolicitabant, & recuſantes deſpoliabant ac jugulabant.

In anno 57, male ſopita ſeditionis flamma, quæ inter Græcos & Judæos Cæſareæ fuerat, rurſus exarſit: quæ iterum multorum interitu conſtitit.

Portius Feſtus quintus Præſes Judææ Act. 24. 27. Hujus juſſu denuo Magus & ſeductor quidam interficitur. Joſeph. lib.20. cap.7.

XLIV. *Joſephus Cabi.* Pontifex Maximus.

Albinus ſextus Præſes Judææ.

XLV. *Ananias*, Pontifex Maximus. Feſto fatis functo, antequam Albinus veniret, ſæviit in Jacobum Apoſtolum, Chriſti fratrem, quem una cum aliis piis lapidibus obrui curavit. Idcirco eum Agrippa muneris dignitate multavit. Joſeph. lib.20. cap.8.

XLVI. *Jeſus* Damnæi filius Pontifex Max. In anno 63, mire devaſtata eſt terra à prædonibus.

XLVII. *Jeſus* Gamalielis filius, Pontifex Maximus.

Albino ſucceſſit Geſſius Florus ſeptimus Præſes Judææ. Iſte in tyrannide ac nequitia anteceſſoribus ſuis omnibus palmam præripuit. Unde etiam ille occaſionem & anſam præbuit bello graviſſimo,quod inter Judæos ac Romanos geſtum eſt, per quod ad extremum urbs Hieroſolyma una cum Templo & univerſa Republ. Judaica funditus ſubverſa eſt.

XLVIII. *Matthias*, Theophili filius,Pontifex Maximus.

De Judaico bello adverſum Romanos geſto, cujus initium fuit Anno Chriſti 65. *& Neronis* 12.

AD hoc bellum ſuſcipiendum Florus Præſes, ut Joſephus perhibet, Judæos ſua intolerabili crudelitate adegit, ut qui optaſſet omnibus unum duntaxat eſſe collum, quo omnes poſſet uno ictu exſcindere. lib. 20. cap. 9. Occaſio belli primum ex eo nata eſt, quod in ſupra memorata lite atque controverſia Græcorum & Judæorum Cæſareæ exiſtentium, Græci cauſam apud Neronem Cæſarem vicerant, qui decreverat, ut illi in urbe jure potiores eſſent. Cum igitur Græci illo ſuo jure abuterentur ad injuriam Judæorum, eoſque omni genere contumeliæ ac moleſtiæ afficerent, res devenit ad manus; in quo conflictu captos 12 Judæos, Florus compingi curavit in carcerem.

Poſtea Florus gazophylacium emunxit 17 talentis: quam ob cauſam a ſeditioſis quibuſdam ignominioſe exagitatus eſt, ut qui cum cophino huc illuc circumvagarentur, ſtipem pro paupere Floro flagitantes. Hoc male habuit Florum, & cum exercitu ingreſſus Hieroſolymam forum diripi, quicquid ſors obtulit, necari juſſit: homines illuſtres & equeſtris ordinis flagellatos in crucem agi curavit, quod Præſidum nemo ante eum facere ſuſtinuit. Illo die 3600 è Judæis nullo ſexus diſcrimine trucidata ſunt.

Anno 66, Florus iterum Hieroſolymam intrat, novumque excitat ſeditionis incendium. Accuſat Judæos apud Ceſtium Gallum, Syriæ Præſidem, quod defectionem à Romanis moliantur. Hi autem promittebant obſequium Romanis, ſed Flori barbaram crudelitatem ferre non poterant.

Agrippa Rex ſtudio ſummo connititur populi tumultuantis animos componere, & vi flexanimæ orationis ad obſequium Romanorum reducere: ſed irritus fuit omnis conatus.

Eleaſarus Ananiæ Pontificis Maximi filius auctor eſt ſacerdotibus ne amplius pro Cæſare rem divinam faciant, adſciſcit etiam ſibi comitatum novum ſeditioſorum hominum. Summi Pontifices & primores populi graviſſimis verbis ſeditioſos corripunt; ſed ſurdis canebatur fabula. Florus autem huic jam ardenti camino plus ſubinde affundebat olei.

Agrippa adverſus ſeditioſos ſubmiſit populo 3000 virorum; hoc præſidio munierunt ſuperiorem civitatis partem, Templum vero & reliquam urbis partem obtinebant ſeditioſi. Tunc belli fit initium. Milites Agrippæ cæduntur. Plurimi à ſicariis obtruncantur. Ædes Pontificis Maximi, & Agrippæ regia, arx Antonia ſubjecto igne conflagrant. Joſeph. lib. 2, de bell. cap. 28, 29, 30, 31. Manaimus filius Judæ Galilæi, qui quartæ ſectæ auctor extitit inter Judæos ad tuendam communem libertatem, militum ac ſtipatorum cohortem ſibi quoque comparat, effractoque Maſſadæ armamentario, in quo pro 70000 viris arma erant repoſita armat non modo promiſcuam plebem, ſed etiam prædones. Hinc obſidione cingit Regios & Romanos Hieroſolymis. Regii deditione facta liberum commeatum obtinent: at Romani refugiunt primo in turrim Regiam, poſtea ſe dedunt Judæis, qui eos omnes morte afficiunt. Etiam Manaimus in Templo perimitur.

Eodem prorſus die Cæſaræenſes, omnes Judæos, quotquot in urbe erant, contrucidant, prope 20000. Joſeph. ibid. cap.32.

Judæi fratrum ſuorum necem ulturi adoriuntur civitates Syriæ, & Syri viciſſim oppida Judææ: ut ita ubique in illis civitatibus duo adverſi eſſent exercitus, Judæorum & Græcorum, per quos multa hominum millia miſere occubuerunt. Tranſiit hoc incendium etiam in Ægyptum, ſuntque Alexandriæ 50000 Judæorum jugulata.

Ceſtius Gallus Præſes Syriæ totis viribus aggreditur Judæos. Sed amittit primo 2000 ſuorum Syrorum, dum Zabulone circa prædam occupati ſunt. Dein obſidet Hieroſolymam, ſed coactus eſt abſcedere. Tandem profligatur, & Florus in prælio cadit.

Dum Ceſtius Hieroſolymam obſidione premit, Syri in Damaſco Judæorum interimunt circiter 10000. Joſeph. ibid. cap.37 & ſeqq.

Veſpaſianus & Titus filius ejus.

ANno Chriſti 67, ut Nero Cæſar accepit nuncium de adverſa Ceſtii pugna miſit Veſpaſianum ſummum Imperatorem exercitus ſui in Judæam.

In-

Interea vero dum Veſpaſianus Titum filium ſuum mittit in Ægyptum ad adducendas inde in Judæam duas Legiones Romanas, Judæi Aſcalonem adoriuntur, ubi Romanum erat præſidium. Sed res ab eis propter cæcum ac inconſideratum zelum male geſta eſt, ut amitterent 18000 viros.

Titus redux ex Ægypto ad patrem, una cum eo colligunt exercitum 60000. Ingreſſi primum Galilæam obvia quæque proſternunt. Veſpaſianus expugnat Gadaram, igne & ferro ſævit, reliquos incolas captivos abducit. Claudit obſidione Jotapatam, quam præſidio tenebat Joſephus, hujus belli ſcriptor; ſed fruſtra tentata obſidione diſcedit.

Japhæ Judæi opponunt ſe Romanis, & eruptionem in eos faciunt: at infelici ſucceſſu: nam 12000 eorum occiduntur. Tandem oppidum invaditur, & occupatur, mares omnes Judæorum 15000 trucidantur, mulieres & pueri abducuntur.

Samaritani in monte Garizim ſeſe congregant, ſed à Romanis obſeſſi, ad 11600 enecantur.

Poſt diuturnam obſidionem Jotapata venit in poteſtatem Romanorum, & ſolo æquatur. In hac obſidione & excidio urbis 40000 Judæorum interierunt. Joſephus, qui urbem defenderat, in puteo quodam ſe abdiderat, ſed extractus inde & ad Veſpaſianum adductus eſt. Quia vero prædicebat ei, fore ut Cæſar crearetur, captivum quidem detineri, ſed tamen honorifice tractari eum Veſpaſianus imperavit.

Mittit Veſpaſianus 6000 Judæorum Neroni in Achajam ad opus faciendum, qui illic Iſthmum perfodere laborabat.

Tiberias permittit ſe poteſtati Romanorum. Tarichæa poſt acre prælium à Romanis occupatur, & Judæorum 6500 in ea cæſa ſunt.

Poſtea expugnat Veſpaſianus Gamalam, non ſine inſigni militum ſuorum jactura. Judæorum autem 4000 hoſtis hauſit gladius, & 5000 ſe ipſos de rupe præcipitarunt.

Giſcalam urbem Titus adoritur. Johannes Leviæ filius petit deliberandi ſpatium ad diem craſtinum. Interea noctu ſe ſubdicit eum maxima populi parte, Hieroſolymamque tranſfugit: quem fugientem inſecutus Titus 6000 cædit Judæorum.

Miſerabilis interim ſtatus fuit Hieroſolymis. Johannes Leviæ filius diſſimulat ſe fugere Romanos, & è Giſcala venire, ſed fingit ſe venire è civitate munitiori, quam erat Giſcala, eo fine, & animo, ut bellum gerat adverſum Romanos. Accendit proinde & incitat populum ad hoc bellum, multa cum aſſeveratione ſpondens Romanorum in oppugnanda urbe irritum ac fruſtraneum fore laborem.

Cum civitas legitimo deſtituta eſſet Rectore, magna inutilis plebis turba ex intempeſtivæ miſerationis affectu in urbem intromiſſa eſt; quo factum eſt, ut annona ingraveſceret & acceleraretur fames. Turbæ plebis immixta prædonum ac latronum ingens copia ſe quoque penetravit in urbem, qui non homines è vulgo tantum, ſed è patritiis ac illuſtribus viris quoque non paucos clara luce confoderunt.

Occupaverant etiam Templum prædones (qui Zelotæ dici gaudebant, zelum pro Dei gloria & libertate præ ſe ferentes) res ſacras vertebant in luſum & jocum, neſcio quem è ruſticis Pontificali habitu indutum tanquam ſummum Pontificem venerabantur. Ananus Maximus Pontifex inſtigabat populum ad vindictam de Zelotis ſumendam, aggreditur quoque eos prælio, cruentoque Marte utrinque dimicatum eſt. Ananus majores colligit copias, & Zelotas ſe recipere cogit intra interiora Templi mænia.

Johannes Leviæ filius ſe inſinuat in amicitiam Anani Pontificis, explorat omnia ejus conſilia, & Zelotis ea prodit, calumniatus etiam Ananum, quod civitatem tradere Romanis in animo habeat, ſuadetque Zelotis, ut quamprimum Idumæos in auxilium accerſant: quod etiam factum eſt.

Idumæorum 2000, adveniunt opem laturi Zelotis, ſed ab Anano civitate prohibentur. Zelotæ vero noctu erumpunt, civitatis cuſtodiam opprimunt ac fugant, Idumæos in urbem intromittunt: qui una cum Zelotis omnem animi ſui libidinem inſolentiſſime ac crudeliſſime exercuerunt, cuncta aduncis manibus involando, & 8500 civium trucidando, quos inter etiam Pontificem Maximum Ananum, & ipſi loco ac dignitate ſecundum ſacerdotem Jeſum.

Denuo Idumæi cum Zelotis ſævientes dant neci civium 12000: Zachariam autem Barachiæ filium etiam in ipſo Templo interficiunt.

Ut vero cognoverunt Idumæi, Zelotas Ananum ac cives falſo proditionis inſimulaſſe, diſcedunt: Zelotis interim nihil de latrocinandi & occidendi truculentia remittentibus.

Anno Chriſti 68, dum hujuſmodi inteſtinis tumultibus ac diſſidiis laceratur Hieroſolyma, conſultum duxit Veſpaſianus, aliquandiu adhuc urbis obſidium differre, ut ſe incolæ ipſi mutuis cædibus atterant & exhauriant. Sed cum Zelotarum immanitas plurimos è Judæis cogeret tranſfugere ad Romanos, iique inſtarent apud Veſpaſianum, ut exercitum proprius urbi admoveret quo poſſent ſervari, qui Romanorum partibus addicti erant, motus eorum precibus caſtra poſuit haud procul ab urbe Hieroſolyma, Gadaram, flagitantibus civibus ipſis redigit in ſuam poteſtatem: qui erant in ea ſeditioſi ſeſe conjiciunt in pedes, quos perſequitur Placidus, & 15000 ex eis cædit; multi ſeipſos in Jordanem præcipitant. Egeſippus auctor eſt, hoc die periiſſe 92200 Judæorum. Placidus arma ubique circumferens ſubigit Abilam, Juliadem, aliaſque civitates. Dum Veſpaſianus in eo eſt, ut exercitum undique contrahat ac colligat ad circumſidendam Hieroſolymam, nuntium accipit de Neronis Cæſaris obitu, moxque ab exercitu una quaſi voce Imperator Romanus declaratur. Tunc Veſpaſianus Joſephi vaticinium ſibi revocat in memoriam, eumque propterea maximo habuit in pretio. Capeſſit inde iter in Ægyptum, aſſumpto ſecum filio Tito, miſſurus eum Romam.

Interea Hieroſolymis novum recruduit bellum. Quidam nomine Simon, Gioræ filius, adjungit ſe latronibus, qui Hieroſolymis egreſſi, Malla-

dam

dam locum munitiſſimum occupaverant, ſitque eorum Dux & antelignanus, rapinis, direptionibuſque nullum facit modum, & in regione montana cogit conflatque numeroſam hominum manum.

Zelotæ qui erant Hieroſolymis, animadvertentes, hanc in ſe cudi fabam, erumpunt adverſus eum, ſed victi retrocedunt. Simon Idumæorum ad ſe trahit ingentem numerum, agreſtes undique colligit, & vi cogit ire ſecum ad Hieroſolymam, quam obſidione cingit, operarios innumerabiles ex agro Hieroſolymam petentes crudeliter necat: ita ut Simon extra urbem magis timeretur à populo, quam Romani ipſi, in urbe vero Zelotæ atrocitate tyrannidis etiam hos utroſque ſuperabant.

Populus in civitate regimen ac principatum defert Johanni, qui hoc beneficio devinctus omnibus omnia permittit, & petulantiam impune graſſari ſinit. Fugæ nullus erat locus. Qui manus Johannis ejuſque ſequacium effugiebant, in Simonis veniebant poteſtatem, qui crudelius etiam ſæviebat: ad Romanos tranſfugiendi undiquaque præcluſa erat via.

Conſilium capit populus cum ſacerdotibus, de intromittendo in urbem Simone: quod etiam maximo ſuo malo dant effectui. Sic Simon dominatu Hieroſolymis potitus eſt; Johannes autem cum ſuis Zelotis refugit in Templum: quod Simon quoque oppugnat, ſed fruſtra. Joſeph. lib. 4 de bello.

Anno Chriſti 70, Titus Veſpaſiani filius, ex Ægypto redit adhuc hyberno tempore in Judæam, bello facturus finem. Nihil autem reſtabat debellandum amplius, præter Hieroſolymam, & tres munitas arces, Herodium, Maſſadam, & Machæruntem.

Hieroſolyma vero diviſa erat in tres factiones. Novus enim iterum Tyrannus accellit, Eleaſarus Simonis filius, qui ſuperiorem Templi partem occupaverat, & ſimulabat, ſibi diſplicere Johannis tyrannidem. Johannes inferiorem tenebat Templi partem: Simon vero cum populo habebat civitatem. Johannem & Eleaſarus de ſuperiori parte Templi, & Simon ex civitate oppugnabat: tantumque ſanguinis profuſum eſt, ut per Templi conclavia ſtagni inſtar cruor diffunderetur. Alii aliorum granariis ignem injiciebant: ſic conſumpto flammis frumento, incredibile dictu eſt, quanta gravitas annonæ civitatem invaſerit.

Inter hæc Titus appropinquat Hieroſolymis cum exercitu, caſtra locat in loco, qui ſcopus dicebatur, & in monte Olivarum, unde tam Templum, quam civitas conſpici poterat.

In urbe autem, cum feriæ Paſchales 14 Aprilis inciderent, Eleaſarus patefecit populo Templum; qua occaſione uſus Johannes, Eleaſarum cum Zelotis Templo exturbat: ex quo nova ſtrages & ſanguinis profuſio edita eſt. Ita tres factiones adverſæ ad duas redactæ ſunt, quæ acriter inter ſe digladiabantur; & hæc peſtis innumeros homines abſorpſit.

Titus interea oppugnat primum urbis murum. Quo viſo, Judæi ſanciunt inter ſe concordiam, & mutuo ſe juramento obſtringunt ad bellum junctis animis ac armis adverſum Romanos gerendum. Nihilominus Titus crebris impreſſionibus muro potitur: id quod contigit 5 Maji.

Haud multo poſt Romani etiam alterum murum expugnant.

Interim fames adeo invaleſcit in urbe, ut cibus fierent inſecta, cadavera, aliaque à quibus humana alioqui natura abhorret, utque proximi ſanguine alii alios ciborum cauſa jugularent. Mater quædam filium ſuum mactavit, coctumque comedit. Plateæ omnes, domus ac tecta plena erant mortuorum. In ſemi mortuos talem exercebant crudelitatem ſicarii, ut eorum corpora ſicis ſuis tranſfoderent, experimentum capientes, quam acutæ ſint: tandemque corpora projiciebant extra mœnia. Quæ res flexit Titi animum ad commiſerationem, ita ut mitteret Joſephum in civitatem ad ſuadendam Judæis pacem: ſed Joſephus vix inceſſumis Judæorum manus evaſit.

Cum extrema famis neceſſitas plurimos faceret ex urbe ad Romanorum caſtra tranſfugas, non recipiebantur, ſed retro omnes pellebantur in urbem. Qui autem in urbem redire nolebant, in conſpectu eorum, qui excubabant in mœniis, agebantur in crucem. Poſtremo cum deeſſet locus, ubi crucifigerentur, manibus truncati remittebantur in urbem. Syri autem una nocte 2000 Judæos vivos ac ſpirantes ſecuerunt, ſcrutantes in ventribus eorum nummos, quos putabant illos deglutiiſſe.

Titus murum longitudine 39 ſtadiorum ducit circa urbem, ut Judæis ex urbe egrediendi facultas eriperetur, utque fame domiti ſe dederent.

Titus varios tentat modos civitatis obtinendæ: inter alios excitat munitque quatuor aggeres adverſus Templum, non ſine magna ſuorum clade. Judæi vero ipſi exterioria Templi munimenta incendunt.

Die 17 Julii factum eſt, ut ob ſacerdotum defectum juge ſacrificium ceſſaret.

Die 8 Auguſti Templum expugnatur, coactique ſunt Romani portis & pergulis ignem ſubjicere, viamque ſibi flammis parare. Ut vero aperta eſt via, juſſu Titi extinctus eſt ignis; Templum enim libens ſervaſſet incolume. Sed Judæi confugientes in Templum, ex eo pugnant contra Romanos, ut Romani rurſus cogerentur ignem Templo immittere. Eodem die, ut notavit Joſephus, olim quoque à Babyloniis Templum exuſtum fuit.

Accenſo Templo immanis fit ſtrages: & ſolo igne 6000 hominum abſumpta ſunt.

Hujus miſeriæ cauſa fuit Pſeudo-propheta quidam, quorum plures ſubornarant tyranni ac ſeditioſi, ut dementarent populum, pollicendo auxilium Dei præſens illis, qui in Templum ſe reciperent. Romani ponunt ſigna ſua militaria in Templo, ſacrificant, tripudiant, & incredibili præda potiuntur. Sacerdotes dant ſe Romanis fame urgente, ſed denegatur eis gratia, omneſque miſere contrucidantur, addita cauſa, quod eorum jam nullus ſit uſus, cum Templum everſum ſit.

Titus offert iis qui in urbe erant, ſi ſe dedant, incolumitatem: illi vero iniquum poſtulant, ut eis libere liceat cum conjugibus ac liberis in deſertum

diſcedere. Indignatus igitur Titus, totis viribus aggreditur urbem, quicquid poteſt accendit ac diripit. Judæi quoque ſibi non deſunt, & per eruptiones non mediocria inferunt Romanis damna.

Tyranni vero cum ſuo comitatu ſe recondunt in loca ſecretiora, majuſque incendium excitant, quam Romani; quique ex igne in cavernas ac latibula fugiebant, eos ſpoliabant & necabant.

Die 8 Septembris ad civitatem rurſus machinæ admoventur à Romanis, fitque vehementiſſima oppugnatio. Seditioſi relictis mœniis in latebras diffugiunt. Sic Romani civitatem & plenam obtinent victoriam. Nulli obvio in plateis ac foro efferatus militis enſis pepercit. Veſpera ingruente demum occidendi rabies deſiit, ſed noctu igne flammiſque in tecta ſævitum eſt. Titus omnia dirui atque in cineres redigi curat præter tres turres, quas reliquit, ut eſſent monumentum ipſius victoriæ. Qui cædi à Romanis editæ ſuperfuerunt Judæi, partim venundati, partim ad gravia opera ac labores in diſſita loca deportati, partim ſpectaculis reſervati ſunt, ubi vel gladio perierunt, vel à feris immanibus dilaniati ſunt.

Numerus captorum in hoc bello facit nonaginta & ſeptem millia: ii autem qui per tempus obſidionis fame ac ferro abſumti ſunt, efficiunt numerum undecies centenorum millium, quorum majorem partem extranei Judæi conſtituebant, qui ad feſtum Paſchatis Hieroſolymam venerant.

Inter captivos erant etiam Simon & Johannes: è quibus Simon ad triumphum Romam reſervatus eſt, ubi miſere tractatus, verberibus contuſus, & tandem ſtrangulatus eſt; Johannes vero carceri perpetuo adjudicatus eſt.

Atque hic fuit extremus interitus urbis Hieroſolymæ, juſtumque Dei judicium in Judæos, propterea exercitum, quod Dominum gloriæ crucifixerunt, ultro poſcentes, ut ſanguis ejus in ipſos ac liberos ipſorum recideret.

Tam funeſtum Hieroſolymæ exitium portenderunt varia ſigna ac prodigia, quibus Deus maleſanos præmonere voluit. Joſephus enumerat ſeptem ejuſmodi prodigia. Primum agricola quidam Jeſus, ſeptem annis ante everſionem urbis, cum adhuc alta pace terra illa frueretur, ſine intermiſſione vociferabatur: *Væ væ Hieroſolymæ, væ Templo, væ populo,* Ultimo addebat quoque: *Væ etiam mihi.* Nam in obſidione telo ictus occubuit.

Secundo Cometes in figura gladii toto anno in cælo arſit.

Tertio ante rebellionem ſub tempus Paſchæ noctu clariſſima lux fulſit circa altare & Templum, non ſecus, ac ſi dies eſſet.

Quarto eodem in feſto Paſchatis vacca agnum in Templo enixa eſt.

Quinto ænea porta Templi, ad quam recludendam 20 hominum opera requirebatur, noctu ultro per ſe aperta eſt.

Sexto conſpectus eſt in cœlo concurrentis inter ſe exercitus conflictus.

Septimo vox in Templo à Sacerdotibus excepta eſt: *Migremus hinc.* Joſeph. lib. 6. de bello.

Poſt ſolo æquatam Hieroſolymam Titus Cæſarcam profectus eſt, ibique, ut & aliis in urbibus paſſim ludos inſtituit, in quibus Judæi permulti interierunt, partim ſe invicem gladiatorio in certamine conficientes, partim cum feris beſtiis pugnare coacti. Ita ut in uno ſpectaculo 2500 Judæi conſumpti ſint. Inde Titus Romam contendit, ubi clariſſimum & ſplendidiſſimum triumphum egit.

Ut abiit Titus, venit in Judæam Lucilius Baſſus Præſes, ſubjicitque ſibi Herodium. Circa expugnationem Machæruntis diutius hæſit. At ubi Judæum quendam ſtrenuum ac pugnacem, cui nomen erat Eleaſari, cepit Baſſus, eumque torqueri curavit, civitas illius miſeratione ducta ſe dedidit. Judæorum tamen 1700 occiduntur, conjugibus ac liberis eorum in captivitatem abductis.

Inde Baſſus citato curſu in ſylvam contendit, in quam Judæorum plurimi ſe contulerant: ibique cæduntur 3000 Judæorum.

Defuncto Baſſo ſuccedit Flavius Sylvius Judææ Præſes. Is caſtellum Maſſadam obſidet, quem ultimum locum adhuc tenebant rebelles. Sed eorum tanta fuit pertinacia, ut nullo modo vellent deditione gratiam Romanorum experiri, verum una cum liberis & uxoribus ſeipſos concremarent. Joſeph. lib. 7. de bello.

CAP. II.

I. *Magi ab Oriente venientes adorant infantem Jeſum: ad verſ.* 13.

II. *Joſephus una cum matre & puero fugit in Ægyptum: ad verſ* 16.

III. *Herodes Bethlehemiticos infantes crudeliter necari jubet: ad verſ.* 19.

IV. *Joſephus redit ex Ægypto in Judæam, habitatque Nazarethæ: ad finem cap.*

Argumentum & Partitio.

Expoſitis iis, quæ ad conceptionem & nativitatem Jeſu Chriſti ſpectant, pergit Matthæus, & commemorat aliqua ex iis, quæ Chriſto in pueritia evenerunt. Licet enim non eſſet ipſi animus, totum juvenilis ætatis Chriſti curſum ſcribendo perſequi, ideoque non pauca, quæ Lucas deſcripſit, ſicco pede prætereat, operæ pretium tamen duxit, hiſtoriam quandam miram & memorabilem, quæ non multo poſt nativitatem Chriſti contigit, quæque à nullo alio Euangeliſtarum conſignata eſt, paucis attingere, quomodo ſcilicet infans Jeſus à Magis ab Oriente venientibus, novæ ſtellæ auſpicio, Hieroſolymis quæſitus, eaque ratione in ſummum vitæ diſcrimen adductus, Dei tandem ſingulari cura atque cuſtodia ſervatus fuerit.

Proinde membris quatuor conſtat hocce caput. In primo deſcribitur Magorum Hieroſolymam adventus, eorumque de puero Jeſu inquiſitio; nec non quomodo nuncium hunc Herodes acceperit; & Magi ſe erga puerum Jeſum geſſerint: uſque ad verſ. 13. *In altero agitur de eo, quomodo infans per Magorum adventum in vitæ diſcrimen deductus fuerit, divina autem*

autem ope ac providentia per fugam in Ægyptum exinde ereptus ſit: uſque ad verſ. 16. In tertio narratur, ut Herodes furibundus ſævierit in infantes bimulos & natu etiam minores, in tota ditione Bethlehemitica: uſque ad verſ. 19. In quarto & ultimo, quomodo infans poſt mortem Herodis ex Ægypto à Deo revocatus in Judæam, & quomodo ipſi locus ſecurus, ubi educaretur, commonſtratus ſit.

PARS I.

VErſ. 1. *Cum autem natus eſſet Jeſus in Bethlehem Judææ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.*] Vocula *autem* ſuam propriam ſignificationem commode retinere poteſt. Perinde ac ſi dicat Euangeliſta: Hactenus ea recenſui, quæ geſta ſunt ad illud uſque tempus, quo Jeſus in mundum natus eſt; cum *autem* jam natus eſſet, & quidem Bethlehemi, accidit, ut Magi ab Oriente venirent &c. Plerique vero Interpretum cenſent, vocularn *autem* hic poſitam eſſe pro *ergo*, vel *igitur*, quæ eſt conjunctio concluſiva conjugens ſequentia cum antecedentibus. Quaſi dicat Matthæus: Cum igitur Jeſus eo, quo hactenus dictum eſt modo, natus eſſet, accidit, ut Magi ab Oriente venirent.

In Bethlehem.] Cum Matthæus, ut & duo ſequentes Euangeliſtæ, Marcus & Lucas, in deſcribenda hiſtoria Euangelii eundem ſibi ſcopum propoſuiſſent, ad quem ſe collimaſſe expreſſis teſtatur verbis Johannes, nempe demonſtrationem, quod Jeſus ſit Chriſtus Dei Filius Joh. 20. 31, idcirco mentionem hic inſerit loci illius, in quo juxta prophetiam Michææ cap. 5. 2, Chriſtus naſci debuit; qui locus fuit oppidum Bethlehemum. Cauſæ, cur Deus voluerit in tam vili oppido & ignobili, non in celebri aliqua urbe, non in regia civitate Hieroſolyma, ſervatorem mundi naſci, hæc potiſſimum videtur eſſe, quod David ibidem lucem primum aſpexerit 1 Sam. 16. 1. xvii. 12. Proinde etiam is, à quo collapſum Davidis regnum reſtaurandum erat, quique ſolium ac thronum ejus occupare debebat, non aliam patriam, quam hoc oppidum habere debuit. Æquum erat, ut eodem in loco nobilis ille ſurculus è radice Jeſſæ enaſceretur, ubi radix ipſa orta eſt Eſai. xi. 1. Quapropter etſi Joſephus & Maria tunc non Bethlehemi, ſed Nazarethi habitarint, Deus tamen mirabili Providentiæ ſuæ artificio ſic res moderatus eſt, ut eo ipſo tempore, quo appropinquabat dies partus Mariæ, eos publica generalis Deſcriptionis indictio Bethlehemum deduceret. Non ſecus atque ſi Deſcriptio totius orbis terrarum Luc. 2. 1, circa illud tempus mandari ab Auguſto Cæſare debuerit, ob hanc unam cauſam, ne qui futurus erat totius orbis dominus, extra ſuam patriam naſceretur.

Judææ.] Subaudiendum hic eſt, *terræ*, ut & alibi. Sunt interpretes nonnulli, qui exiſtimant, hic legendum eſſe, *in Bethlehem Judæ*, id eſt, in Bethlehemo, quæ pertinet ad tribum Judæ: prout vocatur Judic. 19. 1, 2. Mich. 5. 1, & Vulgata Latina editio hoc loco habet. Verum ſenſus eodem redit. Per terram enim Judæam illa pars Palæſtinæ intelligitur, quam tribus Judæ una cum Benjamitis poſſidebat. Quæ ab eo tempore, quo eam Romani in regnum redegerunt, ſic appellata fuit, & in hiſtoria Euangelica creberrime Galilææ opponitur. Vide infra verſ. 22. Joh. 4. 3, 54. Matth. 19. 1. Luc. 2. 4. Cæteroquin ab illo tempore, quo populus Judaicus è Babylonica captivitate redux factus eſt, univerſa regio, quam antea duodecim tribus inter ſe diviſerant, Judæa dicta fuit, propterea quod tam pauci è reliquis tribubus Iſraëlis in patriam ſuam reverſi ſint, ut nomina earum una tribus Judæ obſcuraverit & obliteraverit, omneſque in genere ſint Judæi nuncupati.

Additur autem vox *Judææ* ad nomen Bethlehemi, propter notandam differentiam inter hanc Bethlehemum & alteram, quæ ad tribum Zabulon pertinebat, & in inferiori Galilæa ſita erat. Cujus habetur mentio Joſeph. 19. 15. Judic. 12. 8.

In diebus Herodis.] Id eſt, eo tempore, quo regnabat Herodes. Non enim totum vitæ ejus curriculum, ſed duntaxat Regni ejus ſpatium hic ſpectatur. Eſt valde frequens Hebraiſmus: ut 2 Reg. 23. 29. xxiv. 1. Matth. xi. 12 & alibi.

Fuit hic Herodes ille Magnus, filius Antipatri, origine Idumæus, dictus Aſcalonita, quia in civitate Aſcalone ſive natus ſive educatus fuit. Iſte Herodes primum in flore ætatis à patre ſuo Gubernator Galilææ conſtitutus eſt; poſtea vero cum permultis rebus ſtrenue ac cum laude geſtis ſibi gratiam Romanorum conciliaſſet, declaratus eſt à Senatu Romano Rex Judeæ. Joſeph. lib. 14. cap. 23. Non tamen protinus effectu ipſo regni poſſeſſionem adiit, ſed diu ipſi cum Antigono, Ariſtobuli filio, qui ultimus de genere Aſſamonæorum erat, colluctandum ac dimicandum fuit: donec tandem exacto triennio, Hieroſolyma potiretur, & Antigonus juſſu Antonii Damaſci jugularetur. Tum demum Herodes regni ſui plene factus eſt compos, illudque conſtabilivit. Joſeph. lib. 14. cap. 28.

Sub hoc igitur Herode natus eſt Jeſus Chriſtus. Quo autem anno regni ejus id factum ſit, & in quem annum proprie mors Herodis inciderit, de eo certant Chronologi, & adhuc ſub judice lis eſt. Quod enim vulgaris æra Chriſti, ſeu annorum à nato Chriſto ſupputatio, quæ hodie in toto orbe viget Chriſtiano, quæque à Dionyſio Abbate Romano amplius quam 500 annis poſt Chriſtum natum primum inſtituta eſt, brevior ſit, ſeu, quod Chriſtus ante natus ſit, quam docet hæc uſitata ſupputatio, hoc eſt apud eruditos paſſim extra omnem dubitationis aleam. Quantum autem iſti ſupputationi deſit, in eo variatur ſententiis. Sunt qui unum annum deeſſe dicant, alii duos: non deſunt etiam qui tres, & qui quatuor annos deſiderari ſtatuant. Quin imo ſedula inveſtigandæ veritatis induſtria, & collatio ſcriptorum Novi Teſtamenti cum rebus geſtis Judæorum ac Romanorum, quintum quoque annum produxit. In libris Novi Teſtamenti nullam habemus propriam temporis notam, ex qua conſtare poſſit, quo anno nominatim Chriſtus natus fuerit: ſed tempus iſtud nobis nimis laxe ac generaliter deſcribitur. Matthæus enim hic dicit ſimpliciter tantum, Chriſtum natum eſſe *in diebus Herodis*, ſeu Herode regnante. Quo vero anno regni ejus id acciderit, nihil memi-

nit, ſed tacitè remittit Lectorem ad hiſtoriam rerum Judaicarum, quæ agit de temporibus Herodis. Sic etiam Lucas, etſi hiſtoriam nativitatis Chriſti copioſius aliquanto quam Matthæus deſcribat, pluresque enarret ejus circumſtantias, non tamen aliud tempus expreſſit, quam quod Chriſtus natus ſit *in illis diebus, quibus prodit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur totus terrarum orbis* Luc. 2. 1. Quibus verbis Lucas haud obſcure digitum intendit ad hiſtoriam rerum Romanarum, ubi res geſtæ Auguſti deſcribuntur, eamque ut Lector conſulat, & in ea verum annum hujus Deſcriptionis quærat, monet. Pariter idem Lucas, exponens qua ætate Chriſtus fuerit baptiſatus, ſuumque prædicandi munus inierit, quod nimirum fuerit quaſi triginta annorum cap. 3. 23, meminit verſ. 1 quindecimi anni Tiberii. Ut igitur verus nativitatis Chriſti annus ſciatur, inſpicienda iterum eſt Romana hiſtoria, quærendumque tempus, in quod decimus quintus annus Tiberii incidat, atque ab illo anno numerandi ſunt ordine retrogrado tot anni, quot Chriſtus tunc temporis habuit. Non eſt autem adeo mirandum, tot ſententiarum eſſe divortia, ut ſupra indicatum, circa hanc æram ac ſupputationem, rem adeo obſcuram & intricatam, ad quam non vulgaris induſtria & perſpicax ingenium requiritur: Cum videamus, doctos in multo clarioribus ac facilioribus, quæ non raro etiam ab indoctis ac idiotis abſque difficultate intelliguntur, cogitationum diverſarum fluctibus agitari, quia ſcilicet præjudicata opinio (quæ etiam in hac controverſia apud multos dominatur) oculos ſani judicii præſtringere ſolet. Noſtro vero & multorum doctiſſimorum virorum judicio illa ſententia reliquis palmam præripit, quæ defectum hodiernæ æræ Chriſtianæ uſque ad annos quinque extendit, ita ut juxta eam pro anno nati Chriſti MDCLXI, (quo iſta ſcribimus) reponendus ſit annus MDCLXVI. Quam ſententiam primum in lucem protulit Johannes Kepplerus, Cæſareus Mathematicus: qui cum eam peculiari edito libello, *de Vero anno Chriſti*, Francofurt. 1614, invictis argumentis, ex collatione Judaicæ & Romanæ hiſtoriæ, cum teſtimoniis Novi Teſtamenti, nec non cum cæli motu demonſtraſſet, & adverſus omnes objectionum impetus communiiſſet, facile plurimos ex eruditis invenit applauſores & adſtipulatores. Oſtendit autem Kepplerus, Herodem à Romanis Regem Judæorum declaratum eſſe Anno Juliano 6, Anno vero Jul. 9, eum expugnata Hieroſolyma regnum effectu ipſo pro obtinuiſſe: & An. Jul. 42, paulo ante feſtum Paſchale deceſſiſſe. De Chriſto autem docet, eum natum eſſe vel Anno Jul. 40, die 25 Decembris, vel 6 Januarii Anno Jul. 41, atque ita 35 anno regni Herodis, ſi calculum ducas ab electione Herodis ad regnum Judæorum; aut 32 anno ejuſdem regni, ſi ab expugnatione Hieroſolymæ & plena regni poſſeſſione annos computare incipias. Vulgaris autem æra Chriſti Dionyſiana, qua utuntur hodie Chriſtiani, ponit natum Chriſtum Anno Juliano 46. Quomodo vero inſignis hic vir ſententiam ſuam demonſtrarit, id cum bono Deo ad Lucam cap. 2. 1, quaſi in breviario comprehenſum, Chriſtiano lectori communicabimus. Hoc loco nihil amplius annotare juvat, quam quod Juliani anni nomen habeant à Julio Cæſare, qui paulo antè ſuam mortem Calendarium correxit, annum ad curſum ſolis accommodavit, ejuſque initium poſuit in diem 1 Januarii. Quod Calendarium eſt illud ipſum, quod etiam Chriſtianis hodie in uſu eſt. Initium autem hujus æræ Julianæ ſumitur à 1 Januarii iſtius anni, quo Julius Cæſar hanc correctionem inſtituit: qui dicitur primus annus Julianus. Correctio vero illa Calendarii facta eſt annis 45 prius, quam incipit noſtra hodierna vulgaris æra nati Chriſti. Ita ut primus annus noſtræ æræ Chriſtianæ, ſit 46 annus Julianus, adeoque annus noſter 1661, ſit Julianus 1706.

Herodis Regis.] Regis titulum addit Matthæus, ut eum diſtinguat ab altero Herode, qui dictus eſt Antipas, qui Johannem Baptiſtam capite truncari curavit, & non proprie Rex fuit, ſed tantum Tetrarcha Galilææ Matth. 14. 1.

An Matthæus epitheto iſto *Regis* reſpexerit ad vaticium Patriarchæ Jacobi Gen. 49. 10, de eo vide 1 Appendicem hujus Capitis.

Ecce.] Quando vocula hæc in narratione hiſtorica uſurpatur, non habet proprie vim, ea quæ ſequuntur, cum præcedentibus quoad tempus ita connectendi, ut ex eo neceſſario concludi queat, id quod ſequitur, ſtatim factum eſſe poſt antecedentia: ſed ſemper tantum ad ſequentia refertur, indicatque rem quæ in ſequentibus exponitur admirabilem eſſe, & præter ſpem atque expectationem accidiſſe. Ita hic, cum ait Matthæus: *Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem* &c, *ecce Magi venerunt* &c, nihil aliud ſignificatur, quam quod res mira & improviſa in illo adventu Magorum contigerit. Priora autem verba exprimunt tantum tempus, iiſque ab Euangeliſta indicatur, rem hanc, quæ narratur, de Magis, non ante, ſed poſt nativitatem Chriſti eveniſſe: quæ temporis deſignatio nullam admirationem adfert. Sic cum dicitur Geneſ. 24. 15: *Antequam deſiiſſet loqui*, (Servus Abrahami) *ecce egreſſa eſt Rebecca* &c, admiratio potiſſimum in eo conſiſtit, quod illa ipſa Rebecca, quam ſervus ille in ſuo expetebat voto, & non alia puella primum egreſſa ſit. Quod autem tam cito & adhuc durante ejus oratione venerit, atque egreſſa fuerit, in eo per ſe nihil eſt admirabile: nam etiam alia puella eodem illo tempore prima ad puteum venire poterat. Idem etiam Gen. 29. 9 intelligendum eſt. Senſus proinde horum Matthæi verborum eſt: Cum Chriſtus Bethlehemi natus eſſet, admirabile quiddam accidit, quod venerint Magi ab Oriente &c.

Venerunt Magi.] Vox Magorum eſt Perſica, ita tamen, ut etiam apud alios Orientales populos in uſu fuerit. Appellabanturque hoc nomine Sapientes & docti viri, non tantum rerum Phyſicarum, & Aſtronomiæ, verum etiam rerum divinarum & ſacrorum myſteriorum ſcientia in ſua religione exculti. Apulejus in Apologia ſua ſcribit, Perſarum lingua Magum idem eſſe, quod Sacerdotem. Et Plinius lib. 30. cap. 1 tradit, eos etiam in arte medendi excelluiſſe, & hac ratione in tantum faſtigium apud Orientis Reges adoleviſſe, ut etiam ipſis Regibus imperarint. In Perſide non ſolum Regum fuere Conſiliarii, ac Senatores, ſed etiam abſentium Regum uſque ad eorum reditum, vel defunctorum uſque ad electio-

electionem novorum, vicaria regni adminiſtratione fungebantur. Procedente tempore autem vox hæc, ut & aliæ complures, in abuſum verſa eſt, ut Incantatores, Præſtigiatores, Arioli, Divinatores & omnes maleficarum ac diabolicarum artium profeſſores ſtudioſoſque, quos Deus olim exterminari præcepit Exod. 22. 18. Levit. 20. 6 *Magi* vocarentur. Quanquam dubitari poteſt, an unquam Magi apud Perſas, Chaldæos, Arabas, Ægyptios &c fuerint, qui non aliquatenus artes tractarint tales, quæ à dæmonibus inventæ ſunt, eorumque ope exerceri ſolebant: etſi forte in tanta caligine & cognitionis divinæ inopia ignoraverint has artes eſſe maleficas, & dæmones eſſe malos Spiritus, ſed illas tanquam arcana ac myſteria divina admirati ſint, hos vero tanquam bonos Spiritus coluerint. Tales ſine omni dubio fuerunt illi Magi Pharaonis in Ægypto Geneſ. 41. 24. Exod. 7. 11, & Nebucadnezaris Dan. 2. 2. Quanquam Judæorum doctiſſimi cenſeant, Chaldæos apud Danielem nullas malas & illicitas artes exercuiſſe, quales exercuerunt illi apud Pharaonem. Verum Judæi nullo modo eſſe poſſunt idonei ea de re judices: quia præcipui illorum Rabbini his artibus ipſi ſunt dediti, dum adjurationibus devinciunt Angelos & malos Spiritus, abutuntur etiam ſanctiſſimo nomine Jehovæ, quod multifariam tranſpoſitis literis immutatum in membrana ſcribunt, eoque incantationes ac nefanda ſacra ſua peragunt. Idque æſtimant tanquam excellentiſſimam artem, & Sapientiæ divinæ arcanum, ac propterea paucos admodum, & non niſi doctiſſimos ac fidiſſimos inter ſe ad tanti ſecreti conſcientiam admittunt. Joſephus etiam Salomoni hanc artem adſcribit, eumque hoc nomine dilaudat, quemadmodum ſupra cap. 1. 6 indicavimus.

Quod vero hos Magos, de quibus Matthæus hoc loco agit, attinet, annon præter naturalium rerum cognitionem, hujus quoque nefariæ artis ſcientia imbuti fuerint, nemo eſt qui ſpondere ac pro eis fidejubere poſſit. Non pauci certe ex antiquis Eccleſiæ Patribus id omnino de illis crediderunt: ut Juſtinus, Origines, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Baſilius &c. Neque id ſane mirum eſſet in iis, qui non tantum ſimpliciter curioſe cœli ſcrutabantur plagas, aſtrorumque curſum obſervabant, verum aſtra quoque ipſa adorationis cultu proſecuti ſunt. Veruntamen credibile non eſt, Matthæum, cum eos appellat Magos, nomen hoc in deteriori ſignificatione pro præſtigiatoribus ac malarum artium Magiſtris uſurpaſſe. Haud obſcure enim cernitur, eum honoris cauſa illos vocaſſe Magos, id eſt, Sapientes, ſeu viros in omni laudabilium artium ac ſcientiarum genere verſatos. Et profecto nullam cauſam habuit, eos deteſtando nomine infamandi ac conſpurcandi; cum ipſos tales fuiſſe, neque ex eorum verbis ac dictis colligere potuerit, neque aliunde de iis ullam cognitionem habuerit. Dum enim ipſum ſcientiæ ſuæ de novo nato Rege fundamentum explicant, nihil aliud dicunt, quam, *Vidimus Stellam ejus in Oriente.* Quod autem hæc nova ſtella hujus magni Regis nativitatem ſignificet, id modo naturali, & ex plurium circumſtantiarum inter ſe collatione cognoſcere potuerunt: uti infra ꝟ. 2 intelligetur. Motus quidem Stellæ, quæ eos ad domum uſque Bethlehemiticam, ubi erat infans deduxit, non erat naturalis: ſed certe nec à diabolo fuit, qui eos illuc neutiquam deduxiſſet, verum à Deo, qui hujus Stellæ curſum, ſine dubio per Angelum direxit ac moderatus eſt. Deprehendi etiam ex aliis rebus poteſt, divinam manum atque providentiam Magis iſtis in hoc eorum propoſito adfuiſſe. Quod vero nonnulli objiciunt, vocem *Magus* ubique in Novo Teſtamento in mala ſignificatione accipi, v. g. Actor. 8. 9, 11. XIII. 6, indeque inferunt, hic quoque eadem ſignificatione uſurpari; hoc argumentum non eſt ſatis validum. Etſi enim poſterioribus temporibus vox *Magus* cœperit infamis eſſe, & in ſiniſtra ſignificatione poni, prima tamen bona ſignificatio non eſt penitus abolita: ſed retinet vox iſta utramque ſignificationem; malam quidem, quando de malis hominibus, bonam vero, quando de bonis & vere ſapientibus ſermo eſt. Quiſquis igitur contendit, Matthæum hos homines hic appellaſſe Magos in pravo ſignificatu, is neceſſe eſt pro fundamento ponat, quod Matthæus eos pro peſſimis ac pravis hominibus habuerit; cujus rei tamen ille nullum ex iis rebus, quæ de ipſis audivit viditque habebat indicium, etiamſi forte tales eſſe potuerint. Quod autem ſpectat allegata ex Actis loca cap. 8. 9, 11. XIII. 6, ad ea in Actis de ſignificatione vocis *Magus* pluribus agetur.

Quod ſtatum ac conditionem horum Magorum attinet, vulgo credit & affirmat Romana Eccleſia, eos fuiſſe Reges: quam opinionem à Patribus ſuis non paucis, quos enumerat Maldonatus, hauſerunt. Argumenta hujus rei ſumunt potiſſimum ex Veteri Teſtamento. Ut ex Eſai. IX. 3, ubi dicitur: *Gentes in tua luce ambulabunt, & reges in ſplendore exortus tui.* Hic ſtatuunt, per ſplendorem exortus, ſtellam iſtam, quæ Magis dux fuit itineris, deſignari. Et ibidem rurſus verſ. 6: *Omnes qui è Scheba venient, aurum & thus afferent, laudeſque Domini prædicabunt.* Et Pſal. 72. 10: *Reges Tharſis & inſularum munera reddent, Reges Schebæ & Sebæ dona offerent.* Verum neceſſarium non eſt, multis probare, hæc loca literali ſenſu ad propiora reſpicere, quæ longe ante Chriſtum natum impleta fuerunt; ſpirituali vero ac myſtico ſenſu multo excellentiorem & inſigniorem Chriſti gloriam, ac venerationem, quam ea fuit, qua in cunis à Magis iſtis affectus fuit, iis ſignificari: illam nimirum adorationem, quæ ad Regiam ejus eminentiam, & amplificationem regni ejus pertinet. Cæterum eos non fuiſſe Reges, ex eo patet. Primo, quia ſi Reges fuiſſent, Matthæus id non reticuiſſet, ſed Reges potius quam Magos appellaſſet, cum id ad majorem honorem ac decus tum Chriſti, tum etiam horum Magorum, quos ille honoris cauſa, ut ſupra diximus, ita nuncupat, pertinuiſſet. Deinde ars Aſtronomica, quam iſti Magi profitebantur & exercebant, Regibus nequaquam conveniebat. Tertio etiam parum decuit Reges, tam longinquum iter facere, quod iſti ſuſceperunt. Non ſolent enim Reges extra regni ſui limites egredi, niſi quando ſuccincti exercitus ſui robore petunt aliud regnum, ut illud ſuo adjiciant. Quarto Matthæus ſimpliciter tantum ipſorum Magorum & adventus eorum meminit: at nullam facit mentionem comitatus eorum

ac famulitii, quo tanquam Reges pro ſua dignitate ſtipati inſtructique venerint. Quinto nihil attingitur de eo, quod illos Herodes ut Reges exceperit, aut ullum eis honorem regium exhibuerit; ſed alloquitur eos, tanquam homines è vulgo: *Ite, interrogate de puero, & renunciate mihi &c*, perinde eis dat mandata, quaſi ſubditi ejus eſſent. Sexto accedit, quod Herodes totaque Hieroſolyma non ſuper eorum adventum, ſed ſuper eorum narrationem de recens nato Rege Judæorum turbati fuerint.

Quæ cauſæ ſunt tanti momenti, ut multi eruditiſſimi viri, etiam ex ipſa Eccleſia Romana, vel falſitatem iſtius commenti agnoſcant, vel rem hanc in dubium vocent, vel ita excuſent, ut eos non quidem Reges, ſed primores tamen ac ſublimioris ordinis viros fuiſſe affirment. Quæ ultima opinio non eſt omnino rejicienda; quandoquidem Magi iſti atque Sapientes, apud populos illos in pretio longe majori fuerunt, quam hodie apud Chriſtianos in Academiis ſunt viri docti, qui Calendaria conficiunt, faſtoſque annuos ad curſum ſolis ac lunæ accommodant. Inde eſt, quod haud inopes fortunæ ac opum fuerint; id quod tum è munerum præſtantia, tum è ſumptuoſo itinere facile colligitur. Quod autem tales Principes fuerint, qui ditiones aliquas ac latifundia, ſub quocunque titulo, poſſederint, tam eſt ob allatas ſuperius rationes incredibile, quam quod Reges fuerint.

Quot numero fuerint Magi, ab Euangeliſta non exprimitur. Auctor Operis Imperfecti 12 ponit: quod is ex veteri quodam libro, qui ipſius ætate ſub nomine Sethi circumferebatur, deſumpſit. Alii cenſent 14 fuiſſe. Pontificii autem vulgo tres fuiſſe ſtatuunt. Verum nullo hæc omnia nituntur fundamento. Pontificii quidem probant ſuum numerum ex trinis donis, quæ puero Jeſu obtulerunt. At quis ſcit, utrum quilibet peculiare donum, an omnes ſimul dona iſta obtulerint? Aliæ probationes hujus numeri, & myſteria, quæ ſibi in eo imaginantur, digna refutatione non ſunt. Ut inter alia, quod per hunc numerum trium regum adumbrata ſit, gentium, quæ à tribus Noë filiis oriunde ſunt, ad Chriſtum converſio. Item quod tres Reges tres mundi partes deſignent.

Iidem Pontifici etiam nomina eis imponunt: quanquam in eo inter eos diſconvenit. Beda auctor eſt, uni nomen fuiſſe *Balthaſaro*, alteri *Melchiori*, tertio *Caſparo*: definitque, quodnam munus quiſque donaverit. Inde eſt rythmus ille vulgaris:

Caſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum.

At merito quæri poteſt, unde nam hæc nomina munerumque diſtributionem acceperint? Alii traduunt, Zach. Chryſopolitanus, Petrus Comeſtor, nomina eorum fuiſſe Hebraica: *Apellius*, *Amerius*, *Damaſcus*. Alii Græca: *Magalath*, *Paggagath*, *Sarakin*. Alii pro iſtis ſubſtituunt: *Ator*, *Sator*, *Peratoras*.

Deſcribit quoque Beda * ætatem, & formam, nec non veſtitum horum Regem. Melchiorem refert fuiſſe ſenem canitie venerandum, promiſſo capillo & barba; eumque dono dediſſe aurum Chriſto tanquam Regi. Alterum vero Caſparum juvenem imberbem ac rufum fuiſſe, thuſque obtuliſſe tanquam Deo. Tertium autem Balthaſarem nigro ac fuſco colore Athyopem retuliſſe, totum barbatum fuiſſe, ac myrrham pro munere dediſſe Chriſto, tanquam morituro.

De amictu eorum ſcribit Melchiorem indutum fuiſſe Hyacinthina tunica, ac Mileſio pallio, calceatumque ocreis janthini coloris albo diſtinctis. Caſparum geſtaſſe Mileſiam veſtem, pallium rubens, & Hyacinthinos calceos. Balthaſarem rubicundi coloris tunicam, calceos vero Mileſios habuiſſe. Verum unde de hiſce conſtare poterat Bedæ, qui propemodum 600 annis poſt Chriſtum natum vixit; cum apud eo antiquiores Scriptores ne tantillum quidem de eo reperiatur?

Geminum eſt quod narrat auctor Operis Imperfecti, hos tres Reges deinceps ab Apoſtolo Thoma ſacrum baptiſmi ritum ſuſcepiſſe. Fabuloſum quoque eſt, quod corpora eorum Coloniæ ad Rhenum humata jaceant: hoc tamen multa hominum millia tam firma fide, quam Euangelium, tenent. Quis vero genius eorum corpora ex Orientalibus oris Coloniam uſque detulit?

Hoc vero totum minoris eſt momenti, ſi comparetur cum eo, quod conſequenti tempore nomina horum trium Regum cœpta ſint ad incantationes & adjurationes impias adhiberi. Perhibet Caſaubonus Exerc. 2. §. 10. ad Baronium, ſe in Bibliotheca Palatina (quæ in bello Germanico Romam deportata eſt) in admodum antiquo libro Græco reperiſſe; quod adverſus morſus viperarum, ſcorpionum, aliorumque venenatorum vermium, præſentiſſimum ſit remedium, ſi quis nomina paſtorum, de quibus Luc. 2. 8. Miſael, Acheel, Cyriacus, Stephanus, vel etiam trium Regum, Ator, Sator, Peratoras, pingui aliquo & ardenti ligno in interiori recentis ollæ parte ſcribat, eamque certis cum ceremoniis obturet, & venenatum morſum faceſſere jubeat. Scultetus Lib. 1. Med. c. 25 quoque ex Gordonio refert, ſi cui Comitiali morbo laboranti in aurem ter immurmuretur verſus ſupra indicatus, Caſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum; eum illico ſanatum iri; additurque

Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbo, Chriſti pietate, caduco.

Ita teſtatur etiam Beda, jam antiquitus more receptum fuiſſe, ut nomina trium Regum puræ chartæ vel membranæ inſcripta, & tribus crucibus diſcriminata, pro amuleto omnis generis morborum in collo geſtarentur. Eo nimirum impietatis homines Chriſtiani nominis, ſed veritatis luce deſtitutos, Satanæ vafricies ſub integumento ſanctorum myſteriorum, perducere potuit.

Ab Orientalibus oris. Græcæ, ἀπ' ἀνατολῶν, *ab Orientibus*: id eſt, ab iis terris, quæ ad Orientem ſolem poſitæ ſunt. In plurali loquitur *orientibus*, fortaſſis ideo, quod triplex quodammodo ſit ſolis ortus, vernus & autumnalis, cum nox æquatur diei: æſtivus, qui propior eſt ſeptentrioni, cum dies ſunt longiſſimi; & hybernus, qui vergit magis ad Meridiem, quando dies ſunt breviſſimi. Cæterum ad Orientem reſpectu Judææ plures terræ ac regna ſita erant. Quæ igitur revera fuerit eorum patria, è qua venerint, quæritur, & inter Interpretes variatur ſententiis.

Prima

* In Excep. Patr.

Prima opinio eſt Baſilii, Hieronymi, Chalcidii Platonici, Strabi, eorum qui illos veniſſe è Chaldæa autumant: confirmantque id ex vicinitate Chaldææ, quod ea non adeo diſſita à Judæa fuerit; ſtatunt enim, (uti deinceps fuſius monſtrabitur) Magos intra 13 dies iter hoc confeciſſe. Verum ſententia hæc ex eo refellitur, quod Chaldæa reſpectu Judææ aquilonaris potius, quam Orientalis fuerit: ideoque in Sacris Literis inter Septentrionales regiones numeratur. Quod ex Prophetarum oraculis intelligitur, qui Chaldæam innuunt, cum ajunt: *Ab aquilone veniet omne malum* Jer. 1.14. IV. 6. XXV. 9. Sed & Matthæus Chaldæam, uti ſatis notam, & non adeo remotam à Judæa regionem, proprio ſuo nomine utique nominaſſet, & non tam laxa nimis deſcriptione, *Ab Oriente*, quæ plures regiones in ſe complectitur, quaque haud obſcure innuit, ſe de quadam longe diſſita regione loqui, uſus fuiſſet.

Sunt alii, Origenes, Baſilius &c, qui eos advenisſe dicant è Meſopotamia, ac fuiſſe è poſteritate Balaam illius, qui è Meſoporamia erat Num. 22.5:23.7. Apud hujus enim poſteros cenſent manſiſſe à tanto tempore inviolatam vaticinii illius de ſtella ex Jacobo oritura Num. 24.17 memoriam: atque hoc vaticinium, protinus ubi ſtella ipſis conſpecta fuit, ſubjeciſſe animis eorum ſtimulos ad Meſſiam perquirendum. De hoc vaticinio ad verſ. 2 nonnihil dicemus. At neque hæc opinio ullam habet probilitatem. Nam & Meſopotamia, non ſecus atque Chaldæa, fuit regio notiſſima, & Judææ contermina: idcirco in Novo Teſtamento, quando ejus fit mentio, ſemper ſuo appellatur nomine Act. 2.9: VII.2. Euangeliſta autem videtur hac deſcriptione, *ab Oriente*, remotam aliquam & minus cognitam terram deſignare voluiſſe. Neque etiam legimus uſquam tot Magos ac ſapientes in Meſopotamia fuiſſe; etſi Balaamus Magus, & quidem in deteriori ſignificatu, id eſt, incantator fuerit. Quid? quod Balaamus non ediderit vaticinium iſtud in Meſopotamia, ſed inter Moabitas. An vero is vaticinium hoc à Balaco Rege Moabitico domum reverſus, ad poſteritatis memoriam reliquerit, perincertum eſt. Ex ejus quippe cruenta morte Num. 31.8. propemodum clarum eſſe videtur, eum ad vitæ ſuæ exitum hominem profligatæ fuiſſe vitæ, & deteſtandis artibus addictum, earum revelationem quæ Deus ipſi inſpiraverat, prorſus incurioſum ac inſtudioſum geſſiſſe animum.

Tertia opinio eſt eorum, qui Magos arbitrantur fuiſſe ex Arabia: cui ſententiæ plurimi è Veteribus, Juſtinus, Tertullianus, Cyprianus, Epiph. Hilarius, nec non Baronius, Fr. Lucas, Hugo Grotius &c, è recentioribus Interpretibus adhærent; & magna quoque ſe veritatis ſpecie commendat: non tam propter prophetiam illam Pſal. 72. 10: *Reges Sebæ*, id eſt, Arabiæ, *& Sabæ dona afferent*; quam propter alias cauſas. Videlicet Arabia, quamvis inter Orientem ac Meridiem ſita ſit, tamen in Scriptura Sacra Orientalibus accenſentur terris. Vide Gen. 10. 30. XXV. 6, 18. Job. 1.3. Jud. 6. 3. 1 Reg. 4. 30. Eſai. XI. 14. Jer. 49. 28. Tacitus quoque, dum Judæam deſcribit, ait, *terram fineſque ejus, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminari.* Præterea dona à Magis iſtis infanti allata, non ſpernendum ejus rei argumentum præbent. Myrrha enim non niſi in Arabia naſcitur, thus vero apud Sabæos, qui pars ſunt Arabiæ, denique eadem Arabia auro maxime abundat. Hinc Regina ex Arabia Salomoni aurum quoque muneris loco advexerat 2 Paral. 9. 1. Tertio certum eſt, ut ſupra monuimus, non Perſarum modo, verum & aliarum nationum ſapientes Magos fuiſſe nuncupatos. Quod autem Arabia quoque ſapientes habuerit, docet hiſtoria Jobi ſermoneſque ipſius amicorum. De Salomone etiam quod dicitur, *ejus Sapientiam majorem fuiſſe, quam fuit Sapientia omnium Orientalium*, id ſine dubio de Arabibus eſt intelligendum. Tradit quoque Porphyrius, celeberrimum Græcorum Philoſophum Pythagoram, ſapientiæ ſtudio Arabiam petiiſſe. Quin & vox *Elymas*, quam Lucas in Actis Apoſtolicis cap. 13. 8 interpretatus eſt *Magus*, eſt Arabica: ut ad illum oſtendemus locum. Adde, quod Plinius Sapientum Arabiæ meminerit, quos Magos vocitat. Propterea meretur admirationem, quod quidam auſi ſint ſcribere, Magorum nomen eſſe in Arabia inauditum. Potiſſimum autem quod hanc ſententiam minus probabilem reddit, eſt idem illud, quod in prima quoque ac ſecunda opinione notavimus, nempe quod Matthæus regionis iſtius nomen non expreſſerit, nec aperte dixerit, Magos veniſſe ex Arabia: quandoquidem Arabia non minus nota Judæis fuerit, nec longo à Judæa abfuerit intervallo. Herodis ipſius mater fuit Cypros, quæ erat nobili loco in Arabia nata, adeoque matris ratione etiam ipſe Arabs fuit. Judæis quoq; crebra cum Arabibus intercedebant commercia. Imo quod Arabis ſoliti fuerint ad ſolennia feſta Hieroſolymam adire, cultus divini peragendi gratia, ex Act. 2. 11 liquido cernitur: Quare non immerito ſubit mirari, quid cauſæ habuerit Matthæus, quod maluerit patriam eorum nomine tam generali *Orientis*, quæ multas regiones ac regna ambitu ſuo continet, deſignare, quam nomine proprio Arabiam nominare: idque tribus vicibus in hac narratione, primo in hoc verſu; venerunt *ab Oriente*: & ver. 2, Vidimus ſtellam *ejus in Oriente*: item verſ. 9, ſtella, quam *in Oriente viderunt*. Cumque verſ. 12 cauſæ ſatis habuiſſet, eorum patriam nomine ſuo indigitandi, ſimpliciter dicit: receſſerunt *in regionem ſuam*. Unde non obſcure intelligitur, Matthæum per Orientem procul ſepoſitam, & non ita vulgo cognitam, ut Arabia erat, terram intellexiſſe.

Quarta ſententia, quæ plurimum veriſimilitudinis habet, eſt, quod Magi iſti è Perſide fuerint: eique adſtipulatur maximus veterum ac recentiorum Eccleſiæ Doctorum atque Interpretum numerus Clemens Alex. Cyrillus Alex. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Juvencus poëta &c. Nititur autem hiſce rationibus. Prima, quia vox *Magus* proprie eſt Perſica, omnique tempore de ſapientibus Perſicis potiſſimum uſurpata eſt. Secunda eſt, quia Perſia Judææ reſpectu directè ad Orientem ſita fuerit: cum ex adverſo Arabia medio inter Orientem ac Meridiem loco ſita ſit, inprimis Arabia Felix (quæ ob ſuam fertilitatem olim ſic dicta fuit) magis verſus meridiem, quàm verſus Orientem vergit. Tertia, quia extra dubium eſt, Matthæum per Orientem

longe diſſitam regionem ſignificatam voluiſſe: Perſia autem cum longe remotior à Judæâ, quam Arabia fuerit, apparet eum omnino Perſiam potius quam Arabiam intellexiſſe. Quarta eſt, quia credibile eſt, ab eo tempore, quo Daniel vixit in Perſide, prophetias ejus de Meſſia in illis oris, præcipue apud ſapientes haud exoleviſſe, ſed diligenter conſervatas fuiſſe: ut adeo lux iſta Danieli potius, quam Balaamo adſcribenda ſit. De quo poſtea. Quinta, quia ritus adorandi, quam Magi iſti exhibuerunt infanti, etſi omnibus Orientalibus populis fuerit familiaris, potiſſimum tamen in Perſide viguerit. Quod vero Matthæus Perſiam nomine proprio non exprimat, mirum non eſt, cum nomen hoc in toto Novi Teſtamenti codice non reperiatur. Dona quod attinet, tam Perſis maxima auri ſuppetit copia, quam Arabibus: myrrha vero & thus tanto pretioſius munus ſunt, quia exotica erant, inque ipſorum tetra non naſcebantur.

Monachi quidam hic lepidam commenti ſunt fabulam de horum Magorum patria. Narrant enim, eos è diverſis terris fuiſſe oriundos: unum è Tharſi, alterum è Seba, tertium ex inſulis (quæ tria loca Pſal. 72. 10 nominantur) neque toto itineris tractu alterum de altero quicquam ſciviſſe, donec forte fortuna ante portam Hieroſolymitanam invicem ſibi occurrerent, & alter alteri cauſam ſuæ profectionis atque adventus, ita exponeret, ut omnium narrationes mirifice inter ſe conſonarent: atque hoc miraculo præfiguratum fuiſſe, ab omni mundi climate ſeu parte populos ad Chriſtum converſum iri. At primo, Scriptura haud reticuiſſet hocce miraculum, ſi contigiſſet. Deinde Matthæus nonniſi unius climatis ſeu partis mundi, è qua venerint, meminit, nempe Orientis. Tharſis autem metropolis Ciliciæ, Pauli Apoſtoli patria, ad Judæam relata ſpectat Septentrionem; Seba, meridiem: inſulæ (intellige in mari mediterraneo ſitæ) occidentem.

Tempus quod attinet, quando Magi Betlehemum advenerint, dum id Matthæus univerſaliter nimis ac indefinite deſcripſit, magnam Interpretibus diſſentiendi auſam præbuit. Manet enim adhuc diſſolvendus hujus quæſtionis nodus: An iſte adventus Magorum poſt diem purificationis Mariæ, id eſt, poſt elapſos 40 impuritatis ejus dies, ſecundum legem Levit. 12. 3, 4, an vero ante contigerit? Utraque ſententia habet ſuos aſſeclas. Ac ii quidem, qui priorem amplectuntur, rurſus inter ſe diſcordant. Alii ſentiunt eos adveniſſe integro biennio à nativitate Chriſti exacto. E quibus eſt Epiphanius Hæreſ. 51, & Euſebius in Chron. nec non è neotericis aliqui, quos recenſet Spanhemius in Dubiis. Palmarium ipſorum argumentum eſt, quod deſumunt ex verſ. 16 infra, ubi dicitur, Herodem pueros *bimulos & infra occidi curaſſe, ſecundum tempus, quod accurate exquiſiverat à Magis.* Verum hæc ſententia primum pro conceſſo ponit, apparitionem ſtellæ ſimul ac eodem tempore cum nativitate Chriſti accidiſſe: quod non ita ſe habere, infra verſ. 2 demonſtrabimus. Deinde Magorum adventus adhuc ſuperſtite Herode contigit: nativitas autem Chriſti & mors Herodis nonniſi 15 menſium intervallo inter ſe diſtant: id quod Keplerus clariſſime docuit. Non igitur potuerunt Magi demum biennio à nativitate Chriſti elapſo venire. Alterum argumentum ipſorum eſt, quod Chriſtus cum adoraretur à Magis, vocetur à Matthæo παιδίον, puer, non βρέφος infas: hoc volunt ſignificare proprie recens genitum infantem, illud vero jam paulo adultiorem. Sed hoc quoque minus ſolidum eſt argumentum. Nam vocem παιδίον etiam de recens natis infantibus uſurpari, indicat, quod Johannes & Chriſtus uterque octavo, quo circumciſi ſunt die, παιδία vocentur. Sic ubi Lucas cap. 18. 15 inquit: *Afferebant ipſi infantes* &c. τὰ βρέφη, ibi Matthæus habet vocem παιδία. Et ſi βρέφος neceſſario non niſi infantem modo natum ſignificaret, certe Petrus voces *modo geniti* fruſtra ac ſupervacue addidiſſet in illis verbis: Concupiſcite ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, *ſicut modo geniti infantes &c.* 1 Pet. 2. 2. Contra LXX Interpretes Eſavum ac Jacobum, cum adhuc matris ſuæ eſſent in viſceribus, παιδία appellat.

Alii Interpretes, quos inter eſt Sethus Calviſius, non tam ſtricte ac preciſe biennium ponunt, ſed ſtatuunt indefinite Magos poſt purificationem Mariæ exactis aliquot ſeptimanis non paucis veniſſe. Horum rationes ſunt hujuſmodi. Primo ajunt prorſus incredibile eſſe, Magos ante domo profectos eſſe, quam de nativitate Chriſti fuerunt certi: 40 autem illos impuritatis Mariæ dies nimis anguſtum fuiſſe ſpatium, ad tam longinquum iter emetiendum, præſertim cum diebus aliquot Hieroſolymis apud Herodem hæſerint, & adornatio tanti itineris nonnihil temporis requiſiverit. Præterea probabile eſt, eos iter tam longum non uno tractu, prout curſores ac veredarii ſolent, abſolviſſe, ſed unum atque alterum diem in itinere quieviſſe: cum nulla adeo urgens neceſſitas maturandi itineris præſto fuerit. Deinde inquiunt veriſimile neutiquam eſſe, quod in tanta perturbatione Herodis urbiſque Hieroſolymæ, quam concitavit Magorum adventus, Joſephus ac Maria infantem Hieroſolymam afferendo ad ſiſtendum eum Domino juxta Legem Luc. 2. 22, in evidentiſſimum vitæ periculum conjecerint. Quis enim non intelligat, Herodem pro more omnium tyrannorum, qui Regnum ſuum poſteritati ſuæ omni ratione conſervare ſatagunt, nullum non moturum fuiſſe lapidem, ut hic regius infans mox in primo flore è medio tolleretur? Hoc periculum etiam ex eo augeſcere poterat, quod prædictiones Simeonis ac Annæ Prophetiſſæ de hoc infante Luc. 2. 25, 36, (de quo Anna locuta eſt omnibus, qui exſpectabant redemptionem Hieroſolymis verſ. 38) per delatores ac rumorum aucupes potuerit ad Herodis aures devenire, atque ita infantem hunc prodere, poſtquam jam turbatus Magorum narratione animus ejus eſſet: cum alio tempore eas forte contempſiſſet, & pro Judaicis ſomniis habuiſſet. Eſi vero Joſephus & Maria de prædictionibus iſtis nihil comperti habuerint; imo etiamſi de periculo ab Herode metuendo nulla prorſus animis eorum incidiſſet cogitatio: vero tamen ſimile eſt, quod quemadmodum Deus ordinariam naturalis prudentiæ viam ſecutus,

cutus, Joſepho mandavit cum Maria atque infante adeo plenam moleſtiæ in Ægyptum fugam ſuſcipere, cum facile potuiſſet infantem alia ratione contra adverſariorum ejus violentiam defendere ; ita etiam hic tempore purificationis Mariæ, & exhibitionis Chriſti ſecundum Legem, potius uſitatis prudentiæ mediis, quam miraculoſis uti voluerit, ac proinde rem ita direxerit, ut Magi poſt peractam purificationem Mariæ Betlehemum advenirent, ne puellus per exhibitionem Hieroſolymis in diſcrimen præſentaneum adduceretur. Quo accedit, quod degentibus Hieroſolymæ abſque dubio viſa fuerit res valde admirabilis. cum tam inſignes viri è tam remotis oris, in gratiam tam egeni & è tam obſcuris parentibus orti infantis venirent, ipſum regio more venerarentur, tamque regalibus donis eum ornarent. Inde vero fieri haud difficulter potuiſſet, ut ſi parentes ejus deinceps cum infante, ad offerendum ac ſiſtendum eum Domino Hieroſolymam veniſſent, unus atque alter è Betlehemitis (quod oppidum paucis miliaribus ab Hieroſolyma diſtabat) vel ſtudio rem miram enarrandi, vel, quid porro hoc infante Hieroſolymis futurum eſſet, videndi, vel negotiorum ſuorum cauſa eodem tempore Hieroſolymam veniret, per quem infans cunctis fieret manifeſtus. Tertio infra ℣. 13 perhibetur, quod poſt abſceſſum Magorum è Betlehem, imperatum ſit Joſepho cum Maria & infante in Ægyptum fugere. Eſt autem veriſimile, Herodem ſimul ac ſenſit, ſe à Magis deluſum eſſe, (quod intra paucos dies fieri potuit) non diu diſtuliſſe cogitatum facinus ſuum ad exitum deducere: ſiquidem facile ſuſpicari ac metuere poterat, ne Judæi infantem hunc ſummo ipſorum bono ac ſolatio natum, tyrannidi ejus ſubducerent, & in abdito aſſervarent ; ſicut olim Joas propter tyrannidem matris Athaliæ, ſex annis in domo Domini occultatus fuit 2 Reg. XI. 3. Si proinde mandatum de fugiendo datum eſt Joſepho ſtatim poſt Magorum abitum, Joſephus autem, ut Matthæus expreſſe teſtatur, mox illa ipſa nocte ſe dedit itineri : ſequitur, eum non potuiſſe infantem iſtum Hieroſolymis ſiſtere ; poſito, quod omnia hæc ante diem purificationis Mariæ facta ſint. Huic vero ſententiæ inprimis adverſatur, quod Lucas cap. 2. 39 ſcribit, Joſephum ac Mariam illico & recta poſt exhibitionem infantis, peractoſque ritus legales, Nazaretham ſe contuliſſe : cum Magi infantem Bethlehemi repererint. Hæc objectio varie à variis ſolvitur. Nonnulli, Nicephorum ſequentes, ſentiunt, Joſepho & Mariæ geminas fuiſſe domos, aliam Nazarethæ, aliam Betlehemi, eoſque nunc hic, nunc illic habitaſſe. Id vero cum eorum paupertate non ſatis convenit ; ut nec cum eo, quod à Luca narratur, eos Betlehemi in diverſorio, & quidem in ſtabulo vix habuiſſe locum cap. 2. 7. Aliorum ſententia eſt, quod occaſione feſti alicujus Betlehemum venerint : quod itidem nequit conſiſtere ; cum feſta Hieroſolymis non Betlehemi celebrari ſueta fuerint. Plus ſpeciei habet, quod à nonnullis dicitur, Joſephum Mariamque Betlehemum adiiſſe amicorum ſuorum viſendorum gratia : ſed nihil tamen niſi conjectura eſt, quæ nullo Scripturæ teſtimonio fulciri poteſt. Quocirca Epiphanii ſententia hoc loco aliis præſtat, qui ſtatuit, Joſephum vel ex amicorum ſuaſu, vel ſponte ſua certis adductum rationibus, poſt conſummatam Mariæ purgationem, è Nazaretha Betlehemum habitationem ſuam tranſtuliſſe. Quæ ſententia non modo nihil habet abſurdi in ſe, verum inſuper fundamentum aliquod habet in Sacra Scriptura. Nam infra ℣. 23 refertur, Joſephum reducem ex Ægypto contuliſſe ſe *habitatum in civitatem, quæ dicitur Nazareth.* Quæ verba ſatis aperte indicant, Joſephum ante fugam ſuam in Ægyptum non amplius Nazarethæ, ſed alibi, nempe Betlehemi habitaſſe ; quandoquidem is demum Angeli monitu, poſt ſuum ex Ægypto reditum Nazarethæ ſedem ſuam fixit, ex cauſis, quas Matthæus illo loco expreſſit. Secundum hanc ſententiam hujuſmodi ordine res geſta eſt.

Expletis 40 diebus impuritatis Mariæ, Joſephus & Maria puerum Jeſum Hieroſolymam adduxerunt, ac Domino juxta legem ſtiterunt, Hieroſolymis continuo profecti ſunt Nazaretham, ut Lucas enarrat : ubi non diu morati, rebus ſuis convaſatis, habitandi gratia Betlehemum commigrarunt. Paulo poſt, quam illo in loco ſedem poſuerunt, adventant Magi ex Oriente : quos vix credibile eſt diutius, quam unum diem, Betlehemi eſſe commoratos. Vix illi abierant, cum Joſepho mandatur per ſomnium, fugam in Ægyptum capeſſere : quod mandatum ille ea ipſa nocte exequitur. Ut vero rediit ex Ægypto, non jam Betlehemum, ſed divinitus admonitus Nazaretham in Galilæam ſe recipit. Hoc pacto iſta Matthæi narratio de Magorum adventu inſerenda eſſet poſt ℣. 36 cap. 2 Lucæ : ſtatuendumque Lucam non interrupto ordine recenſere ea, quæ Chriſto inde à nativitate ejus uſque ad primum Joſephi ac Mariæ Nazaretham abitum contigerunt ; Matthæum autem ſilentio præteriiſſe hæc omnia, ut cujus inſtitutum non fuerit, talia pueritiæ Chriſti acta deſcribere ; præter unicam hiſtoriam hanc de Magorum adventu, quam indignam judicavit, ut ſilentio ſepulta è memoria hominum exciderent. At ex mente alterius ſententiæ, quæ vult Magos ante purificationem Mariæ veniſſe, ordo hiſtoriæ apud Lucam cap. 2 diſcerpitur : atque adeo hæc narratio poſt ℣. 21, ubi de circumcifione agitur, inſerenda foret. Atque hæc hactenus de prima ſententia eorum, qui cenſent Magos demum poſt purificationem Mariæ Betlehemum veniſſe.

Jam vero altera ſententia, quæ adventum Magorum ponit ante purificationem Mariæ, ac porro tempore durantis adhuc ejus impuritatis eveniſſe, iterum in duplici eſt differentia. Maxima enim & potiſſima pars Pontificiorum præciſe ſtatuit eos die 13 poſt Chriſtum natum veniſſe. Fundamentum opinionis eorum eſt vetus, ſed non ſatis percocta, traditio, una cum teſtimoniis aliquorum Patrum. Cumque Romana Eccleſia ſecundum hanc traditionem feſtum Trium Regum 6 Januarii, (qui eſt 13, dies poſt nativitatem Chriſti, quæ 25 Decembris ante contigit) celebret, ne in eo errorem commiſiſſe videatur ; aut ne cogantur hoc feſtum in alium transferre diem, malunt rem talem, non modo incertam, ſed etiam abſonam, quod ſcilicet Magorum adventus in ipſum diem 13, poſt natum Chriſtum, non citius, nec ſerius inciderit, defendere,

fendere, quam rationi magis conſonis de eo cogitatis locum dare. Ne autem res hæc nudo hominum figmento ſuperſtructa ſit, Maldonatus conatur eam è verbis Mathæi deducere; quibus dicitur: *Cum Jeſus natus eſſet, ecce venerunt Magi &c.* Ubi ex voce *Ecce* infert, Magos ſtatim poſt nativitatem Chriſti veniſſe. Atqui 13 die non eſt ſtatim: cur non dicunt potius, cum Maria noctu infantem enixa eſſet, Magos mox altero adfuiſſe die, aut etiam illa ipſa nocte, poſtquam infans faſciis involutus in præſepi fuiſſet repoſitus? Hoc enim modo magis vere dici poſſet, eos ſtatim poſt natum Chriſtum veniſſe, quam cum 13 demum die id factum eſſe ponitur. Si igitur tam amplum ſpatium interceſſiſſe inter nativitatem Chriſti & Magorum adventum concedunt, tum vocula *Ecce* vim, quam in ea quærunt, jam amiſit, neque cauſa ulla eſt, cur non etiam 30 aut etiam plures dies intervenire potuerint. Quanquam à nobis jam ſupra oſtenſum eſt, vocis iſtius *Ecce* eam vim non eſſe, ut ſequentia cum antecedentibus quoad tempus neceſſario connectat; ſed eam duntaxat rei, quæ deſcribitur, admirabilitatem exprimere. Ad hæc, cum iſti negent Magos ante domo profectos eſſe, quam de nativitate Chriſti certo ſciverint, vix ac ne vix quidem fieri potuit, ut tam longum iter, (addita quoque eorum commoratione Hieroſolymis) 13 dierum ſpatio abſolvere potuerint, etiamſi camelis vel dromedariis (qui genus certum camelorum ſunt, & curſus pernicitate etiam equos ſuperant) vecti fuiſſent.

Alii plurimi, iique haud poſtremi ſubſellii Interpretes, adveniſſe quidem Magos ante purificationem Mariæ, pariter cum proxime ſuperioribus autumant, ſed diem eorum adventus non tam præfidenter ac præciſe determinant, quod is fuerit 13, ſed indefinite eos paulo ante purificationem Mariæ veniſſe credunt. Qua ratione Magis amplius quam 30 dierum tempus ad iter peragendum concedunt. Intra quod tempus eos iter iſtud commodiſſime conficere potuiſſe exinde patet, quod dromedariis à Mecha, in Arabia ſita, Cairum uſque in Ægyptum, intra 15 dies perveniri poſſit: uti auctor eſt Dux Radzivilius in ſua peregrinatione Hieroſolymitana pag. 214, ubi ſimul affirmat, dromedarios tam grandi ac citato ire paſſu, ut ſuccuſſator equus curſu eum aſſequi nequeat. Jam vero Hieroſolyma à Perſiæ finibus, nimirum à fluvio Tigri, non eſt diſſita longius, quam Mecha à Cairo. Itaque tempus 30 & aliquot dierum Magis ad hoc iter ſatis ſuperque ſufficiens erat, quamvis ponatur, eos Hieroſolymis duos egiſſe dies, & præterea concinnando atque accingendo ſeſe itineri duos aut tres dies impendiſſe. Quanquam credere par eſt, quoniam firmum animis eorum ſedit propoſitum ſuſcipiendi itineris, ſimul ac ipſis de nativitate regii iſtius infantis conſtaret, eos tempeſtive ſeſe ad iſtud iter comparaſſe.

Periculum infantis ſub tempus exhibitionis ejus Hieroſolymitanæ quod attinet, id non eſt adeo grave, quam ab iis concipitur, qui Magorum adventum ad tempus purificationem Mariæ conſecutum referunt. Non enim exiſtimandum eſt, Herodem ante Magorum reditum quicquam violenter attentare in animum induxiſſe: quandoquidem is demum à Magis de ſtatu & conditione pueri, ubi ſit inveniendus, edoceri voluit. Imo fieri potuit, quod nunquam cogitarit alibi quam Bethlehemi infantem quærere; ſiquidem illic, non alibi, ſecundum Prophetiam Micheæ, Meſſias naſci debuit. Interea autem, dum Herodes Magorum adventum præſtolatur, nec mali quicquam occœptat, potuere Hieroſolymis cuncta cum infante peragi, & Joſephus cum eo pacate diſcedere. Vaticinium & benedictio Simeonis ac Annæ potuit paucos habuiſſe auditores, vel potuit à non multis intelligi, adeoque magnifieri. Fortaſſis etiam non tam cito ad aures Herodis pervenit, aut ſi nonnihil, vel illo quoque ipſo die, inaudivit, non poterat Herodes ullo prætextu aut ſpecie juris manus infanti injicere. Et in quo hoſpitio etiam eum in tanta brevitate temporis requiſiviſſet? Quid ſi Joſephus, ut probabile eſt, ea ipſa nocte poſt perfectas Legis ceremonias, mandatum de fuga in Ægyptum capienda accepit, ſeque è veſtigio ex Hieroſolyma proripuit? Si quis dicat, Herodem potuiſſe eum facile ex itinere retrahere: tum certum eſt, eum non alibi Joſephum quam in via Betlehemum ducente quæſiturum fuiſſe. Noverat enim, Meſſiam Betlehemi naſciturum, adeoque haud ægre credere potuit, puerum poſt abſolutam exhibitionem rurſum eo eſſe deferendum. Quod aliquis Joſephum Betlehemo Hieroſolymam petentem comitatus, vel iiſdem veſtigiis ſecutus ſit, prorſus incertum eſt. Forſitan ita caſus tulit, ut nemo eo iret, vel nullus adeo curioſus fuit, ut propter hanc ſolam cauſam eo iter ſuſciperet. Inſuper, non eſt tanquam miraculum haud neceſſarium rejiciendum, ſi hic quoque divinæ providentiæ aliquid adſcribatur. Huic ſiquidem ſoli, & non mero caſui aut hominum incogitantiæ attribuendum eſt, quod nec Herodi, homini tam callido ac ſolerti, nec ulli è prudentioribus civibus Hieroſolymitanis in mentem venerit, comitem aliquem Magis Betlehemum euntibus adjungere, qui puerum ipſe oculis ſuis videret, locumque commorationis ejus indicare poſſet. Quin etiam quod Magi Hieroſolymam reverſi non ſint, divino factum eſt miraculo. Talia miracula Deus non facile patrat, quæ in oculos omnium hominum incurrunt, & à quolibet, quod miracula ſint, agnoſci queunt: quale hoc fuiſſet, ſi infans in Judæa manſiſſet, & Herodes tamen nullo pacto potuiſſet crudele propoſitum ſuum de tollendo eo perficere. Cætera autem omnia divinæ providentiæ opera ſunt miracula: ſed quæ ab illis ſolis conſpiciuntur atque intelliguntur, quibus cum Deo commercium eſt, quique in ejus actiones intentos ac defixos gerunt mentis oculos.

Quod verba ℣. 13 ſpectat, nequaquam ex illis ſequitur, inter abitum Magorum è Betlehemo, & inter fugam Joſephi non potuiſſe pauculos aliquot dies intercedere. Quid vero, ſi Magi & Joſephus uno eodemque die Betlehemo exceſſerunt, illi in ſuam patriam, hic cum Maria & puero Hieroſolymam? Si igitur poſtero die exhibitio pueruli Hieroſolymis peracta eſt, & Joſephus mox inſequenti nocte de fugiendo in Ægyptum monitus eſt, tum non amplius quam duo interveniſſent dies. E Hieroſolyma vero Nazaretham tetendit Joſephus cum Maria, ut teſtis eſt Lucas cap. 2. 39. Habuit enim etiam poſt acceptum

ceptum mandatum prægnantes cauſas, prius Nazaretham eundi: nempe ut Mariæ parentes, quibus nuntius de hac fuga triſtis admodum proculdubio fuit, compellaret, atque ea quæ ad tam longinquum, teneræque matri ac filiolo incommodum iter, neceſſaria erant, compararet. Neque in eo multum ſitum eſt, quod, ſi terreſtri itinere in Ægyptum profectus eſt, Nazaretha rediens non procul ab Hieroſolymis iter facere debuerit. Poterat enim ad dextram ire verſus mare, ut ad Hieroſolymam non adeo prope accederet. Sed nemo quoque eum norat, qui ex parte Herodis ei nocere poſſet. Herodes denique infantem non alibi, quam Betlehemi quæſivit. Verum etiam illorum non tam abſurda eſt opinio, qui cenſent Joſephum Nazaretha mox Cæſaream iviſſe, atque ibi navem conſcendiſſe. Non enim diſpicio, quid matri ac puero magis incommodum fuerit, vehi per mare, ubi etiam oborta tempeſtate (quæ infantibus ab ubere pendentibus nullam facit moleſtiam, ſed motus navis cunarum vicem implet) quieſcere aliquis toto die in aliqua navis cellula poteſt; an ire per terram, & tranſire per Idumææ deſerta locaque montibus horrentia, ac propter Arabicos prædones, à quibus via illa nunquam immunis eſſe ſolet, magnopere intuta. Taceo, viam terreſtrem abſque comitibus à Joſepho confici non potuiſſe: qui tali in caſu ſæpe magis obſunt, quam proſunt.

De verbis ỳſ. 23 vide noſtram ad eum locum commentationem.

Cum igitur iſta modo expoſita ſententia, quod Magi paulo ante purificationem Mariæ advenerint, noſtro judicio, cum altera, quæ adventum eorum aliquot ſeptimanis purificatione ſeriorem ſtatuit, de probabilitate certet, ita ut

Inter utramque volet dubiis victoria pennis:

integram Lectori relinquimus poteſtatem hanc vel illam, prout ipſi collibitum fuerit, eligendi.

Venerunt Hieroſolymam.] Cauſa, cur Magi primum Hieroſolymam profecti ſint, non eſt difficilis intellectu. Cum enim Hieroſolyma metropolis Judææ, ſedeſque Regia fuerit, facile cogitare poterant, novum Regem vel ibi eſſe natum, vel ſaltem ubi quærendus ſit, ibi reſciri poſſe. Quanquam dubium non eſt, Deum ſuâ providentiâ ità moderatum eſſe eorum iter, ut fama de Rege, quem tota Judæa tunc flagrantibus expectabat votis, inde per univerſam regionem tanto magis ſpargeretur. Quicquid enim Hieroſolymæ fiebat, id quaſi in univerſi Judaici populi conſpectu gerebatur. Voluit proinde Deus hoc pacto eis anſam præbere inquirendi de hoc Rege, eumque munere ſuo fungentem recipiendi: ut eſſent inexcuſabiles, quod natura Judæi Regem ſuum & in ſua terra natum haud perquiſiverint, neque agnoverint, quem homines peregrini è longinquo requiſiverunt, ejuſque adorandi cauſa iter tàm arduum iniverunt. Merito huc trahi poteſt illud Chriſti, quod habetur infra cap. 12. 42, de regina ab Auſtro, quæ venerat Hieroſolymam ad pernoſcendam Salomonis ſapientiam. Nempe quod ſicut illa ſurget in judicio, ac gentem hanc damnabit: ſic Magi iſti eandem quoque condemnabunt, quod Chriſtum quærere ac venerari neglexerit.

Verſ. 2. *Dicentes; ubi eſt ille Rex Judæorum, qui recens natus eſt?*] Hebræis in more eſt, ut in narratione rerum inducant perſonas loquentes; quod apud alios ſcriptores ita uſitatum non eſt. Ita hoc loco Matthæus pro eo, quod dicere debebat: Venerunt Hieroſolymam, quærebantque de primum nato Rege Judæorum, dicit: Venerunt, dixeruntque, ubi eſt recens natus rex Judæorum? Credibile autem eſt, eos in quærendo aliis ac pluribus verbis uſos eſſe, quorum Matthæus ſenſum duntaxat & argumentum expreſſit. Poſſunt autem verba hæc, *Ubi eſt recens natus rex Judæorum?* duplici accipi ſenſu. Primum quaſi dictum eſſet: ubi eſt Rex ille Judæorum, qui non ita pridem natus eſt? Deinde hoc modo: Ubi eſt is, qui ideo natus eſt, ut eſſet Rex Judæorum? id eſt qui non nunc primum in regem eligi debet, ſed jam, ut ita dicam, cum jure regnandi natus eſt. Hoc modo videtur Rex iſte quodammodo Herodi opponi, qui non tam jure nativitatis, quàm alieno beneficio Rex erat. Verum prior ſenſus eſt ſimplicior, & menti Euangeliſtæ convenientior. Non enim vero ſimile eſt, eos his verbis Herodem tacite pungere voluiſſe, eumque tanquam factum Regem huic nato Regi poſtponere. Priori autem ſenſu hoc modo infans iſte Rex appellatur, quo vulgo dici ſolet, cum filius Regis naſcitur: ſubditis natum eſſe Regem; præcipue ſi filius, qui naſcitur, ſit primogenitus, regnumque ſit hereditarium: quia nimirum Rex futurus ſit, vel jus regnandi per generationem acceperit. Hoc pacto Angelus quoque paſtores alloquitur Luc. 2. 11: *Vobis hodie natus eſt ſervator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Non quod illo jam tempore ſervator fuerit, ſed quod deſtinatus à Deo atque in hunc finem natus ſit, ut futuro tempore Servator eſſet.

Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente.] His verbis Magi exprimunt incitamentum, quo ad ineundum iter impulſi ſunt. Sunt autem hic quinque potiſſimum explicanda. 1. Qualis hæc ſtella fuerit? 2. Ubi nam primo conſpecta ſit? 3. Quo tempore apparuerit? 4. Qua ratione potuerint ex ſtella cognoſcere, Regem Judæis natum eſſe? 5. Cur Deus nativitatem Chriſti per ſtellam potius, quam alia ratione eis revelare voluerit! Quod primum attinet, eorum nobis non eſt operoſe refutanda opinio, qui ſtellam hanc fuiſſe Spiritum Sanctum contendunt, qui in figura columbæ ſub tempus Baptiſmi Chriſti, die autem Pentecoſtes in forma ignitarum linguarum, hic vero ſub ſpecie ſtellæ apparuerit: ut nec eorum, qui Angelum fuiſſe cenſent; in qua ſententia fuit Chryſoſtomus. Ipſum enim Scripturæ ſilentium abunde hæc commenta refutat, cum nulla fuerit cauſa ſilendi, ſi res ita ſe habuiſſet. Conſonant vero vulgo omnium Interpretum ſuffragia, quod hæc ſtella non fuerit vulgaris aliqua ſtella, ex earum numero, quas Deus ab initio mundi creavit; neque una ex fixis ſtellis, quæ firmamento adhærent, neque ulla ex planetis, qui ordinarium ſuum curſum ſemper retinent. Nam primo Magi ipſi ſtellam hanc non ſimpliciter ſtellam vocant, ſed ſtellam *ipſius*, id eſt, modo geniti Regis, quæ ſcilicet ejus nativitatem deſignat. Nulla autem ex iis ſtellis, quas Deus à principio mundi condidit,

dit, poteſt ſingulari aliqua ratione deſignare nativitatem alicujus Regis, nedum certi Regis (qualis hic erat Judæorum) imo ne ullius quidem hominis. Dicunt quoque, ſe *vidiſſe* eam, non ita, ſicut alias ſtellas viderunt, quarum naturam, ſitum ac curſum, utpote Aſtronomiæ periti, obſervarunt, neque tamen ex earum cauſa ſe unquam itineri dederunt: ſed viderunt eam, id eſt, ſubito animadverterunt, & non ita pridem eis apparuit &c. Deinde infra ℣. 9 patebit, hujus ſtellæ alium omnino curſum ac motum fuiſſe, quam communium ſtellarum. Tertio, ſtellæ vulgares propter immenſam altitudinem, quam nunquam mutant, nequeunt civitatem ullam, quin imo ne integram quidem regionem, nedum certam domum indicare: ſicut hæc ſtella Magis domum Bethlehemi indicavit. Si quis putet fieri potuiſſe, ut ſe ſtellarum aliqua demitteret ac deſcenderet ad monſtrandam domum; is cogitet, ſi hoc factum fuiſſet, eam non modo in univerſi populi conſpectum incurſuram fuiſſe, verum etiam magnitudine ſua ingenti non Bethlehemum ſolum, ſed totam quoque Judæam, imo orbis terræ dimidium obtecturam. Ad extremum ſtella hæc, poſtquam finem ſuum attigit ac deſtinata peregit, poſtea evanuit. At cœleſtia ſidera ſunt natura ſua corruptionis expertia, eouſque, dum à ſuo conditore aliquando una cum univerſo mundo aboleantur.

Neque etiam ſtella hæc Cometa aliquis fuit. Cometæ enim nomen ſortiti ſunt à Κόμη, *coma*, ſeu crinibus; quia omnes criniti vel caudati ſunt. Ac Plinius lib. 2. cap. 25 quidem diverſa Cometarum genera enumerat, cum quorum nullo hæc ſtella affinitatem habuit. Primum enim nullus Cometa tam humilis apparuit, atque hæc ſtella ultimo conſpecta fuit, cum Magis viam Bethlehemum præmonſtraret. Deinde Cometa nullus interdiu lucet, uti hæc ſtella luceclara viſa fuit. Tertio Cometæ ſemper triſte quid ac omninoſum deſignant; unde Claudianus de iis cecinit:

> — *Bella canunt, ignes, ſubitoſque tumultus,*
> *Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma,*
> *Civiles etiam motus, cognataque bella*
> *Significant.* ———

At ſtellæ hujus ſignificatione nihil fuit lætius. Ea enim deſignabatur felicitas, quę omnia hominum vota ſuperabat, nempe nativitas Servatoris mundi totius.

Credendum autem omnino eſt, hanc ſtellam fuiſſe igneum ac lucidum aliquod corpus, tunc à Deo vel abſque omni medio creatum, vel, quod probabilius eſt, ex alia ante creata ætherea materia (quemadmodum Cometæ, aliæque novæ ſtellæ ſolent) conflatum, quod divina virtute, fortaſſis etiam miniſterio Angeli, pro exigentia rei, ad quam ordinatum erat, movebatur, & poſt rem exequutioni datam evanuit, inque materiam, ex qua concinnatum fuit, reſolutum eſt. Dicitur autem ſtella, quia ſimilis erat prorſus ſtellæ, quoad formam, ac lucem, nec non quoad locum ac motum: quemadmodum Cometæ laxiori ſignificatu ſtellæ appellari ſolent.

Tales novæ ſtellæ (præter Cometas, qui ad hoc genus ſtellarum non pertinent) in his proxime elapſis centum annis 4 apparuerunt. Prima in anno 1572, in Octobre, ſub ſigno cœleſti Caſſiopæa, menſibus 16 luxit, fulgore nitido, albo, Joviali, magnitudine quoque tam inſigni, quam ulla firmamenti ſtella aut planeta. Altera viſa eſt in Auguſto 1596, in 25, 45, arietis, in declinatione à Zodiaco verſus Meridiem 15, 54. Diſparuitque in Octobri ejuſdem anni. Tertia apparuit anno 1600, in pectore Cygni, fuitque lucidiſſima, atque eodem in loco adhuc anno 1606 fuit conſpecta. Quarta enituit anno 1604, die 10 Octobris, ſub Serpentario, fulſitque 16 menſibus non ſecus ac prima. Inſignis etiam ac lucidiſſimus fuit ejus ſplendor, quo alias omnes antecelluit. De quo vide 2 Appendicem hujus Capitis. Ex his quatuor ſtellis, prima, tertia & quarta fuerunt præcipuæ: quæ omnes non ſolum aëre, verum etiam planetis ſublimiores erant, imo videbantur uſque ad alias immotas ſtellas firmamenti eſſe elatæ. De quarta autem ſtella anni 1604, hoc potiſſimum obſervandum eſt, quod apparuerit tempore conjunctionis trium ſuperiorum planetarum, Saturni, Jovis & Martis, in igneo trigono cœleſtis Zodiaci, quæ in octavo gradu Sagittarii facta eſt. Nam anno 1603, die 17 Decembris novi Calendarii Saturnus ac Juppiter convenerunt in 8 gradu Sagittarii. Mars autem non adfuit. Anno ſequente 1604, die 26 Septembris, cum Mars Saturnum in 10 gradu Sagittarii jam præteriiſſet, & Jovis (qui etiam jam aliquot gradibus Saturnum poſt ſe reliquerat) premeret veſtigia, die 9 Octobris eum aſſecutus eſt: atque ſic magna illa conjunctio perfecta eſt. Poſtero die 10 Octobris nova hæc ſtella ſe conſpiciendam dedit. Hæc ſtella apparuit in eodem illo conjunctionis loco, & ſe mediam inter tres planetas intulit.

Jam ſequitur alterum, ubi ſtella primum apparuerit? vel, quomodo verba magorum, *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*, intelligenda ſint? De eo duplex eſt ſententia; uti etiam verba duplicem ſenſum admittunt. Quod enim Magi ſtellam viderint, cum in Oriente eſſent, de eo nulla eſt dubitatio: ideo enim ab Oriente in Judæam profecti ſunt, quia ſtellam hanc ante viderant. An vero ſtella iſta, quæ ipſis primum apparuit, ad Orientem, an verſus Occidendum ſteterit, ex his verbis non poteſt intelligi. Poteſt enim ſenſus eſſe: Vidimus ſtellam ejus in Oriente ſtantem. Vel etiam: cum eſſemus in Oriente, vidimus ſtellam ejus verſus Occidentem poſitam. Quibus prior arridet ſententia (è quibus etiam eſt Maldonatus, iique omnes, qui ſtellam cenſent Magos ab Oriente Hieroſolymam uſque deduxiſſe) his ſe tuentur rationibus. Primo, quia cum verbis hæc ſententia melius congruit. Non enim quærebatur, ubi illi fuerint, cum ſtellam viderent; ſed ubi ſita fuerit ſtella, cum eam viderent, nempe in Oriente. At hæc ratio nihil concludit. Non enim hæc erat quæſtio: ſed, cur ab Oriente Hieroſolymam venerint? Nimirum, quia ibi ſtellam viderant, quæ nativitatem Regis Judæorum ſignificabat. Ubi nondum ſoluta manet quæſtio, Ubinam ſtella tunc ſita fuerint. Deinde ſic argumentantur; ſi ſtella verſus Occidentem ſita fuiſſet, cum Magi adhuc in Oriente eſſent, etiam

Judæi

Judæi eam vidiſſent : nam & inter eos erant viri docti Aſtronomiæ periti. Jam vero ex tam diligenti Herodis ſciſcitatione ℣. 7, *quando apparuerit ſtella*, intelligere eſt, nihil de ea cuiquam in Judæa conſtitiſſe. Et Matthæus utique aliquod ejus rei indicium reliquiſſet.

Qui vero poſteriorem amplectuntur ſententiam, exiſtimant, priori ſenſu accepta verba Magorum, non facile fidem apud Judæos fuiſſe habitura. Potuiſſet enim quiſpiam oggerere : Quid ſtellæ in Oriente adeo à Judæa remoto ſitæ, cum Judæa Regeque Judæorum ? Cur non potius ſuper Judæam effulſit ? Quæ objectio in poſteriori ſenſu acceptis verbis nullum habet locum : ſed potius iis alteri objectioni tacite occurritur. Videlicet, ſi quis quæſiviſſet ex Magis : Ubi eſt illa ſtella ? monſtrate eam nobis; Reſponſum in his eorum verbis habuiſſet ejuſmodi : Nunc quidem illa non apparet amplius, ſed cum adhuc in Oriente eſſemus, vidimus eam ſuper Judæam ſtantem, ac per eam ſumus permoti, ut tantum iter ingrederemur. Quæ res eorum verbis ſatis fidei conciliavit, & argumento fuit, ipſos non fruſtra dixiſſe, ſtellam hanc à ſe viſam eſſe. Quid enim alioquin eos ad tam diſſitum, tam arduum, tamque conditioni talium hominum inſuetum iter ineundum impuliſſet ? Quare quod ſtella illa tunc non conſpiceretur, id illis vanitatis ſuſpicionem creare non poterat.

Ut de duabus iſtis ſententiis judicium fiat, primo ſciendum eſt, aliam prius quæſtionem enodandam eſſe : An ſcilicet ſtella in aëre, an ſupra aërem poſita fuerit, cum primum Magis apparuit ? Si poſita fuit ſupra aërem, ſubjecta fuit primo mobili (ſive id firmamentum, ſive terra eſſe ſtatuatur) ſuumque quotidianum curſum æque ac Planetæ omnes & ſtellæ (quanquam apparenter tantum, ſi primum mobile terræ adſcribatur) ab Oriente per occidentem ac ſeptentrionem ad Orientem rurſus inſtituit, ſinguliſque 24 horis abſolvit. Quapropter illa à Magis in ipſorum patria tam in Oriente, quam in meridionali linea, ac verſus Occidentem videri potuit; non ſecus ac ſolem quotidie ante meridiem in Oriente, circa meridiem ſupra nos, & poſt meridiem verſus Occidentem lucere videmus. Sin ſtella hæc in ipſo aëre ſita fuit, oportet eam ſuper certum terræ locum, id eſt, ſuper certam regionem fulſiſſe, nec ſitum ejus à primo mobili fuiſſe mutatum. Johannes Keplerus in ea fuit ſententia, hanc ſtellam altiorem aëre fuiſſe, cum primo apparuit. Imo is & Tycho Brahe cenſent, omnes Cometas ac novas ſtellas vulgo non ſuper aërem duntaxat, ſed etiam ſuper Lunæ ſphæram, & altius elevatas lucere. Supra memoratæ quatuor ſtellæ, quæ Anno 1572, 1596, 1600 & 1604, apparuerunt, ſupra omnes planetas ad firmamentum uſque elevatæ fuerunt. Ideoque etiam ex omnium ejuſmodi ſtellarum ac Cometarum exemplo colligi poteſt, hanc quoque ſtellam in apparationis ſuæ initio ſupra aërem longe evectam fuiſſe. Certe Keplerus ſentit, eam initio ad certum tempus cum aliis ſtellis ortum & occaſum communem habuiſſe, poſtea autem eam ſe in aërem magis magiſque demiſiſſe, & ad occidentem deflexiſſe, quo ejus ſpectabat ſignificatio. Ex quo intelligitur, eam ſimul, quo propius ad terram acceſſit, eo magis decreviſſe, nec diu admodum in aëre moratam, evanuiſſe. Nam ſi diu in aëre, & quidem ſuper Judæam luxiſſet, viſa etiam a Judæis fuiſſet : quod tamen factum eſſe Euangeliſta nullo modo indicat, ut ſupra innuimus. Patet ergo ex his, quæ hactenus diſputata ſunt, horum verborum, quæ Magi protulerunt, *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*, iſtum eſſe ſenſum : cum eſſemus in Oriente, vidimus ſtellam ejus. An vero tunc ſtella in Oriente, an in Occidente poſita fuerit his verbis non indicant. Potueruntque nihilominus hæc ipſorum verba apud Judæos fidem invenire, cum poſtea reliquas apparitionis hujus circumſtantias Judæis (ut probabile eſt) requirentibus expoſuerunt. Neque obſtant huic ſententiæ verba ℣. 9, *Ecce ſtella, quam in Oriente viderant, præciſſit eos :* ſcilicet ab Hieroſolyma Betlehemum. Non enim ex eis ſequitur, ſtellam ab ipſo apparitionis ſuæ principio, eodem in loco immobilem ſtetiſſe, ac poſtea demum verſus Betlehemum ſe moviſſe, & Magos alioqui ſcituros haud fuiſſe, utrum eadem illa ſtella fuerit, quæ ipſis in Oriente illuxit. Tales enim ſtellæ, quæ proprio motu præditæ ſunt, non ex loco ac ſitu, qui ſubinde mutatur, ſed inprimis ex colore, ſplendore, ac ſcintillatione cognoſcuntur, atque ab aliis ſtellis dignoſcuntur.

Hoc loco etiam eorum nobis commemoranda eſt opinio, qui exiſtimant, ſtellam Magos ab Oriente Hieroſolymam uſque deduxiſſe.

Quod nulla probabilitate niti ex eo intelligitur, quod Magi nihil ejus meminerint, haud celaturi rem ad majorem confirmationem dictorum ſuorum pertinentem ; quod nimirum non tantum ſtellam in Oriente viderint, ſed quod illa etiam eorum dux in itinere Hieroſolymam uſque fuerit. Sed nec Euangeliſta ejus rei mentionem omiſiſſet ; quia id novum fuiſſet miraculum, quod priori magnum momentum attuliſſet. Ut enim nova exoriatur ſtella, ſæpius contingit : at ut ſtella certas perſonas eo loco, quo ſignificatio ejus ſpectat, deſignet, non facile reperietur exemplum. Cumque Matthæus breve iter, Hieroſolymis Betlehemum, in quo hæc ſtella Magis præluxit, haud prætermiſerit, multo minus idem de magno itinere, ab Oriente Hieroſolymam, narrare neglexiſſet. Porro refert Matthæus ℣. 10, quomodo Magi gaudio magno gaviſi fuerint, cum ſtellam denuo conſpexiſſent : quia ſcilicet toto itinere haud apparuerat, eoſque cum Hieroſolymam veniſſent, in eam cogitationem ac ſollicitudinem, quod fruſtra iter ſuſcepiſſent, conjecerat : uti eo loco dicetur.

Ventum jam eſt ad tertium : Quo tempore hæc ſtella Magis apparuerit ? Hic rurſus Interpretes ſcinduntur in partes. Nam primo quidam (quos inter eſt Maldonatus, & ab illo nominatus Auguſtinus) aſſerunt, ſtellam eo ipſo die, quo Chriſtus natus eſt, apparuiſſe Magis. Quod Maldonatus ex ipſorum verbis conatur elicere : *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*, id eſt, ſtellam, quæ ſignificat Regem Judæorum natum eſſe. Et : *Ubi eſt modo genitus Rex* 3.

Judæorum? quaſi ex ipſa apparitione certo cognoverint, non quod naſci demum debuerit, ſed quod jam natus ſit. Sed hæc ratio non eſt ſatis valida; quia Magi ex ſola apparitione ſtellæ ſcire non poterant, Regem Judæorum jam natum eſſe, tametſi jam ſciverint, ea hunc Regem deſignari. Vir excellens Joſephus Scaliger præclare ait, ejuſmodi ſtellas (quas ille indiſcriminatim Cometas appellat) non præſentium ſed futurarum rerum ſigna eſſe, nec poſſe id ſigni vicem genere, quod vel ſimul cum re ſignificata, vel etiam poſt eam demum appareret. Ita dirus ille Cometa in Judæa integro anno urbis Hieroſolymæ ultimum excidium præceſſit Joſeph. lib. 6, de bello cap. 31. Similiter Cometa anno 1577 apparens, miſerabilem internecionem Sebaſtiani poſtremi Regis Portugalliæ, qui anno ſequenti 1578, in conflictu cum Mauris occubuit, ac poſtmodum ſubſecutam iſtius regni mutationem prænunciavit. Pariter Cometa anni 1618, conſecutam mortem Cæſaris Matthiæ, & annis 30 durans Germanicum bellum præſignificavit.

Idcirco alii, è quibus eſt Chryſoſtomus & Theophylactus, in eam devenerunt ſententiam, ſtellam iſtam paulo ante nativitatem Chriſti apparuiſſe: ut nimirum Magis plus temporis ad conficiendum iter relinquatur.

Tertia opinio ſtatuit, ſtellam ferme toto anno ante nativitatem Chriſti, atque adeo circa conceptionem ejus apparuiſſe. Probationem hujus opinionis accipiunt ex verbis Matthæi, ỳ. 16, quibus narrat, Herodem pueros omnes bimulos interfici curaſſe, ſubjungens deinceps, *ſecundum tempus, quod diligenter exquiſiverat a Magis*, nempe *quando ſtella apparuerat* ỳ. 7. Ex quibus intelligitur, ſtellam pluſculo tempore ante natum Chriſtum, non tamen biennio ante apparuiſſe. Quia enim Herodes facile in has cogitationes venire poterat, puerum hunc jam tum, cum primum ſtella apparuit, natum fuiſſe, ſuæ ſecuritatis cauſa maluit amplius tempus ſumere: cumque diligenter inquirendo à Magis intellexiſſet, jam ferme annum à ſtellæ prima apparitione ad eorum Hieroſolymam adventum effluxiſſe, juſſit bimulos & minores natu pueros occidi, ne ipſi is, quem maxime quærebat, elaberetur. Ita ut plane ex eo, quod Herodes bimulos necari præceperit, colligatur, ſtellam biennio ante non apparuiſſe: ſed etiam non tam brevi ante nativitatem Chriſti ſpatio; quia credibile non eſt, Herodem, qui odium populi metuebat, imo gratiam ejus omnibus modis venabatur, tempus adeo antevertere, ſuamque crudelitatem ad eos quoque extendere voluiſſe pueros, quorum ætas plus quam unius anni ſpatio tempus illud, quod à Magis didicerat, excedebat.

Quod hæc ſtella tamen inſigni tempore ante nativitatem Chriſti illuxerit, ejus argumentum Keplerus depromit ex Aſtronomia. Nimirum ex calculo Aſtronomico patet, ante nativitatem Chriſti magnam fuiſſe conjunctionem ſuperiorum planetarum in igneo triangulo Zodiaci; & quidem in initio Arietis, quod eſt primum igneum ſignum, & principium Zodiaci: quemadmodum etiam anno 1604, (ut ſupra monuimus) ſimilis magna conjunctio in igneo ſigno Sagittarii apparuit. Initium ac finis conjunctionis illius, quæ nativitatem Chriſti præceſſit, juxta Kepleri computationem, quam inſtituit ſecundum Pruthenicas Tabulas, hoc modo ſe habuit. Secundum motus medios die 22 Januarii Anni Juliani 40, Saturnus & Juppiter ſe conjunxere in 34 tantum gradus minutis ab Arietis principio. Die 25 Februarii poſtea etiam Mars ad Saturnum acceſſit in 3 gradu Arietis: die 1 Martii vero Jovem aſſecutus eſt in 5 gradu Arietis. Secundum motus veras autem res ita geſta eſt. Anno Juliano 39, die 22 Junii primum Saturnus & Juppiter conjuncti ſunt, in 23 gradu Piſcium, atque ita 7 gradu ante initium Arietis. Cum vero ambo planetæ paulo poſt ſtationarii fierent, ita ut Juppiter Saturnum non multum antecederet; factum eſt deinde, ut ambo retrogradi fierent, ut in Auguſto ſequenti Juppiter Saturnum, retroceundo, altera aſſequeretur vice in 21 gradu Piſcium. Cumque rurſus recta ac prorſum curreret uſque ad Novembrem, tandem in Decembri Saturnum tertio æquavit in 17 gradu Piſcium. Anno proxime ſequenti 40 Juliano Mars in Februario Jovem, in ultima tertia parte Piſcium, & in Martio in principio Arietis Saturnum exæquavit. Poſt Martem etiam Sol cum ſuis duobus Satellitibus Venere & Mercurio ad tres illos acceſſit in Martio, Aprili & Majo, adeoque magnam hanc Conjunctionem perfecte implevit, ſub id tempus, quo Chriſtus conceptus, & deinceps Johannes Baptiſta natus eſt.

Extat vero apud Arabes inter Aſtrologicos Canones, qui hodie quoque legi poſſunt, talis maxima, quod tempore ejuſmodi magnæ conjunctionis Planetarum, ſemper nova ſtella vel Cometa ſoleat oriri. Inde eſt, quod antequam nova ſtella 1604 appareret, varii Aſtrologi, atque inter alios Mollerus & Crabbus, longe ante prædixerint, iſto anno Cometam exoriturum eſſe. Qua in re falſi non ſunt. Nam cum iſta conjunctio anni 1604, plene contingeret 9 Octobris novo ſtylo, mox die poſtero, qui fuit 10 Octobris, ſtella exorta eſt. Ex eo igitur haud improbabiliter conjici poteſt, quod etiam iſta Magorum ſtella, ſimiliter ſub tempus magnæ conjunctionis Planetarum apparuerit: Nimirum eo tempore, quo Magi ſingulis noctibus oculos in cœlum obverſos, atque in eam conjunctionem, quæ intra 800 annos ſemel tantum occurrit, magnarumque rerum prænuntia eſt, accurrate intentos gererent. Nam alio tempore facile fieri potuiſſet, ut ſtella multos dies in cœlo luceret, antequam eum obſervarent. Imo credibile eſt ob hanc ipſam cauſam, quod hæc ſtella etiam in eodem conjunctionis loco, nempe in ſigno Arietis apparuerit (ſicut etiam ſtella in Anno 1604, in ſigno Sagittarii, ubi conjunctio Planetarum facta eſt, apparuit) ut tanto citius Magis, quibus Deus nativitatem Filii ſui innoteſcere voluit, poſſet in oculos incurrere. Si igitur ſtella exorta eſt in Junio anni Juliani 39, ubi Juppiter cum Saturno prima vice concurrit, ſequetur, inter ortum iſtum ſtellæ & nativitatem Chriſti (quæ 25 Decembris in anno 40 Juliano accidit) 18 menſes, id eſt, ſeſqui annum interceſſiſſe. Id quod egregie congruit cum eo, quod Herodes bimulos & natu minores occidi juſſerit, ſecundum tempus, quod accurate

curate exquiſiverat à Magis: ut ita Herodes ad majorem ſecuritatem ſuam anni dimidio tempus anticiparet.

4. Sequitur quartum, quomodo Magi ex apparitione iſtius ſtellæ cognoſcere potuerint, Regem Judæis natum eſſe? Neque enim illos temere ac leviculis ex cauſis tam longinquum iter ad Regem recens genitum adorandum ſuſcepiſſe credibile eſt. Unde non dubitanter, ſed confidenter, tanquam de Rege nato ſatis certi, quærunt: *Ubi eſt modo natus Rex Judæorum?* Super hac re iterum diverſi diverſa ſentiunt. Ac primo quidem omnes fere antiqui Eccleſiæ Doctores conſtanter in hac fuere ſententia, quæ Maldonato quoque & aliis admodum placet, quod Magi ex vaticinio Balaami Num. 24. 17: *Exorietur ſtella ex Jacobo &c*, jamdudum ſciverint, ſtellam ſub tempus nativitatis Chriſti apparituram, quodque Magi iſti vel ipſi ex poſteris Balaami fuerint, vel vaticinium hoc à Balaami poſteris vel etiam vicinis acceperint. At ſi verba Balaami accuratius perpendantur, facile poteſt intelligi, eum non de proprie dicta ſtella aut Cometa loqui, ſed per tropum non inuſitatum intelligere inſignem aliquem Ducem ſive Regem, qui in ſuo regno lucidiſſimæ ſtellæ inſtar ſuſſurus ſit. Ideo ait porro Balaamus: *Et exurget ſceptrum ex Iſraële, quod franget latera Moabitarum, & deſtruet omnes filios Sethi. Idumæa erit ejus poſſeſſio.* Quibus in verbis Balaamus eundem, quem ſupra ſtellam vocavit, nuncupat *ſceptrum*, per metonymiam, quia ſcilicet Moabitas fracturum erat, ut mox additur. Et quia expreſſe dicitur, Idumæam illius ſtellæ vel ſceptri poſſeſſionem fore, inde clare cernitur, Balaamum de homine quodam loqui. Reſpicit autem hoc vaticinium ſenſu literali glorioſum illud regnum Iſraëlis, quod cepit initium, à Davide Rege præſtantiſſimo, quem Deus *primogenitum ſuum eſſecit, & excelſum præ Regibus terræ* Pſal. 89. 28, quique ſumma cum laude regni habenas moderando, magnaſque res gerendo, velut ſplendiſſimum Sydus in Orbe luxit. Ille Moabitas confregit; etiam totam Idumæam in poſſeſſionem ſuam redegit, atque Idumæos reddidit ſibi ſubjectos 2 Sam. 8. 2, 14. Senſu vero myſtico, ſtella hæc ſignificat Regem omnium Regum, id eſt, Meſſiam, qui non ſolum ut ſtella, ſed velut Sol ipſe ſplendore divini ſui regiminis cœlum terramque repiet. Concedit autem Maldonatus, quod ſtella in vaticinio Balaami Chriſtum deſignet; ſed contendit tamen etiam hanc ſtellam Magorum fuiſſe Chriſti figuram, ut adeo ſtella Balaami tam ad ſtellam Magorum, quam ad Chriſtum ſignificandum ſpectarit. Nam novum non eſt, inquit, ut unum verbum, præſertim in Prophetiis, & Chriſtum & Chriſti figuram ſignificet: ut infra, *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Verum difficulter Maldonatus locum ejuſmodi proferet, ubi verba alicujus prophetiæ eo modo duplicem ſenſum habeant, ut figurato modo reſpiciant rem futuram, & quidem in ſpecie Chriſtum, proprie autem referantur ad id, quod ſignum ac figura Chriſti eſſe debet. Quo modo ille hic vult ſtellam Balaami figurate Chriſtum deſignare, proprie vero ſtellam Magorum, qui ſignum ac figura Chriſti fuit. Exemplum enim ex verſ. 15, huc nihil pertinent. Illa enim Oſeæ prophetia partim hiſtorico ſenſu, de Iſraëlitis, qui typus Chriſti fuerunt, partim myſtico ſenſu de Chriſto intelligitur. Certe ſi vaticinium Balaami de proprie dicta ſtella intelligendum eſſet, nulla foret cauſa, cur non tempore naſcentis Chriſti debuerit quoque ſceptrum aliquod in cœlo apparere; quandoquidem ibidem additur: *Et conſurget ſceptrum ex Iſraële.* Mitto, quod exortus ille ſive ſtellæ, ſive ſceptri non ad nativitatem Chriſti, ſed ad regni ac poteſtatis ejus initium reſpiciat. Patet ex his omnibus, Magos, etſi ad eorum notitiam hoc Balaami vaticinium perveniſſet (quod tamen prorſus incertum ac improbabile eſt) nihilominus ex eo non potuiſſe colligere, vel ſtellam aliquam ſub tempus nativitatis Chriſti apparituram, vel eam, quæ tunc exorta eſt, illam ipſam eſſe, de qua Balaamus vaticinatus eſt: niſi aliunde revelationem certumque indicium habuiſſent. Quare alii cenſent, Magos divina revelatione ea de re certiores eſſe factos: quanquam in modo revelationis non omnes conſentiant. Aliqui enim exiſtimant, arcana Dei inſpiratione id mentibus eorum eſſe inditum: alii per Angelum; alii per ſomnium (uti infra verſ. 12, in ſomnio admoniti fuere, ne ad Herodem reverterentur) id ipſis eſſe revelatum ſtatuunt. At ſi Deus hac ratione id illis voluiſſet revelare, videtur ſtella nihil fuiſſe opus. Etiam Magi ipſi aliquod ejus rei indicium feciſſent: qui tamen cum cauſam, quæ ipſos ad iter ſuſcipiendum adduxerit exponunt, ſimpliciter ſtellæ tantum meminerunt, dicentes, *Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente.* Unde cernitur, apparitionem ſtellæ fuiſſe potiſſimum ſcientiæ eorum de nato Rege fundamentum.

Hieronymus & Origenes dæmonibus adſcribunt hanc ſcientiam, ſentiuntque, eos à Magis adjuratos indicaſſe ipſis, quid ſtella iſta ſignificet: quemadmodum etiam Chriſtum inter infideles Judæos manifeſtum fecerunt, clamantes: *Quid nobis tecum eſt Jeſu fili Dei?* Matth. 8. 29. Imo Origenes cenſet, ita omnino decuiſſe, ut ſicut paſtores in campo excubias agentes Luc. 2. 8, 9, quorum oculi ſemper in cœlum obverſi erant, per Angelum cœleſtem de nativitate Chriſti edocti ſunt; ita hi Magi, qui ſapientiam ſuam à dæmonibus hauſerant, etiam à dæmonibus de Chriſto erudirentur.

Verum id plane abſonum atque ab omni veriſimilitudine alienum eſt: quia Satanas pater mendacii cum ſit, non facile veritatem hominibus inſtillat; præſertim in rebus tanti momenti, quæ ad Dei gloriam, hominum ſalutem, regnique ejus everſionem ſpectabant. Præterea quia ſimpliciter dici nequit, Aſtronomiam dæmonum eſſe inventum: vel etiam, Magos aliquid hoc in negotio egiſſe, quod dæmonibus omnino adſcribendum ſit.

Ridiculam nobis fabellam Auctor Operis Imperfecti ex antiquo quodam libro Sethi Patriarchæ profert: quod ſcilicet ſtella apparuerit in forma pueri, crucem manu tenentis, qui Magos allocutus, eis nativitatem Chriſti notam fecerit, addito mandato, ut ſe itineri accingerent, Regemque natum ſupplices adorarent.

Sunt etiam, qui exiſtimant eos per ſolam natura-

lem aſtrorum ſcientiam perveniſſe in hujus rei notitiam: quales olim fuerunt Priſcilliani. At hi juſto plus iſti aſtrorum ſcientiæ attribuunt. Nulla enim naturali arte ſciri poteſt, de ſimplicis ac vulgaris hominis nativitate: quanto minus de unigeniti filii Dei. Omniaque illa exempla, quæ in talibus afferri ſolent caſibus, ad artis hujus certitudinem comprobandam, præbent iis, qui quanta ſit hujus artis vanitas, quantuſque apud plurimos abuſus haud ignorant, maximam ſuſpicandi anſam, quod illa ſine dæmonum commercio non ſoleat exerceri.

Alii autumant, Magos hanc rem ex Sibyllarum carminibus, (quæ erant Ethnicæ prophetiſſæ) ac inprimis ex carmine Erythrææ didiciſſe. Euſeb. lib. 5. de vita Conſtantini. Euſebius nobis tale Sibyllæ iſtius carmen ſervavit, in quo ex ſingulorum verſuum initialibus literis hæc verba colliguntur ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ, *Jeſus Chriſtus, Filius Dei, ſervator, Crux.* Lactantius lib. 4. de vera ſapient. c. 15. contendit, pleraque Chriſti facta, inprimis ejus paſſionem, mortem ac reſurrectionem, non à Prophetis ſolum, verum etiam à Sibyllis ante prædictam fuiſſe; deſcribitque plura ejuſmodi Sibyllina carmina; in quibus inter cætera clariſſimis narratur verbis, quod Chriſtus binis piſciculis ac quinque panibus 5000 hominum in deſerto ad ſatietatem cibaturus ſit, quod tranquillaturus mare, quod ambulaturus per undas, quod morbos omnes curaturus, etiam mortuos excitaturus, quod in manus infidelium tradendus ſit; qui Deum (N.B. Deum) pugnis contundent, faciem ejus conſpuent, tormentis eum lacerabunt, felle cibabunt, & aceto porabunt: quod velum Templi dirumpetur, & Sol per tres horas obtenebraſcet: quodque Chriſtus tertia die à mortuis reſurget &c. Verum tradit Tacitus, jam Auguſti temporibus multa ejuſmodi efficta carmina ſub nomine Sibyllarum fuiſſe ſparſa inter homines: atque id moviſſe Auguſtum Cæſarem, ut quindecim ſacerdotibus negotium daret carmina talia conquirendi, ac quantum ejus fieri poſſet, adulterina à veris & genuinis ſecernendi. Quæ autem ab iſtis ſacerdotibus pro germanis Sibyllarum carminibus agnita, ac diligenter aſſervata fuerunt, ea, quatenus prophetias aliquas de Chriſto continebant, cenſent viri nonnulli eruditi, Grotius & alii, non Sibyllarum opus, ſed Græcos Judæorum verſus fuiſſe. Hoc extra dubium eſt, iſta paulo ante recitata vaticinia de Chriſti miraculis, paſſione, & morte &c, quæ Lactantius tanquam Sibyllina citat, multo poſt Chriſti mortem tempore ſub hoc nomine eſſe conficta. An enim Satanas, qui per ora Sibyllarum locutus eſt, clarius de iſtis rebus vaticinatus eſſet, quam Prophetæ? Nonne omnium Prophetarum prædictiones meræ tenebræ forent ad hanc lucem? Quomodo etiam Apoſtolus hoc nomine Euangelium commendare potuiſſet, quod *ſit myſterium a condito mundo abſconditum*; ſi jam longe ante etiam Ethnicis fuit notum? Et cur non Paulus quoque, aliique Apoſtoli unquam Ethnicos ad iſta Sibyllina carmina remiſerunt? nonne plus iis efficere potuiſſent apud illos, quibus prædicatio crucis ac mortis Chriſti ſtultitia videbatur?

Ut igitur eam proferamus ſententiam, quam arbitramur eſſe optimam ac veriſſimam, principio ſciendum eſt, circa illud ipſum tempus, quo Chriſtus natus fuit, erectos fuiſſe omnium Judæorum in expectationem Meſſiæ animos. Duplex autem nota præcipue in eis hanc ſpem excitavit; primo numerus annorum, quos Daniel per ſeptimanas deſignatos voluit cap. 9. 24, quorum finis tunc temporis jam fere inſtabat; & deinde interitus duorum regnorum Syriæ & Ægypti Dan. 2. 44, quæ paulo ante Chriſti nativitatem corpori Romani Imperii ſunt inſerta. Inde factum eſt, cum hæc poſterior nota jam eſſet impleta, ut Judæi facile de aliquo, in quo ſingulare quippiam cernebant, venirent in eam cogitationem, quod ſit Meſſias. Ideo tam ſolicite quærunt ex Johanne Baptiſta, ſitne Meſſias, annon? Luc. 3. 15. Joh. 1. 19, 20 coll. cum Joh. 3. 28. Et cum ingentia illa viderent miracula Domini Jeſu, illico dubitare incipiebant, annon ipſe eſſet ille, qui venturus erat? Matth. 11. 3. Luc. 7. 20. Sed quia Chriſtus non eo cum ſplendore atque apparatu venit, qui ipſorum carnalibus imaginationibus de Meſſia eſſet conſentaneus, rejectus quidem ab eis fuit; ſed nihilominus opinio de eo, quod tempus Meſſiæ jam præſto ſit, manſit in ipſis tam immota, ut quemvis qui modo vel umbram alicujus carnalis liberationis oſtentabat, pro Meſſia reciperent, ut Judam Gaulonitam, Theudam, & alios, de quibus apud Joſephum legere eſt. Quin etiam non defuêre, qui Herodem Magnum pro Meſſia agnoverint; quamvis ille non è tribu Judæ oriundus, ſed natione Idumæus eſſet, & ſimilior truculentæ alicui feræ, quam Servatori aut Redemptori in regnando fuerit. Hæc proinde fama de iſto potenti Rege, qui omnes terræ populos ſub jugum ſuum redacturus credebatur, etiam in Orientis regionibus, in quibus Judæi hinc inde diſperſi habitabant, percrebuit. Neque à vero abhorret, ſcripta Danielis, cujus ſapientia inſignis & pene regia dignitas illius ævo longe lateque concelebrata fuit, apud omnes Orientis ſapientes in maximo pretio habita ac diligenter ſervata fuiſſe. Cumque Daniel illud tempus vivendo attigerit, quo Babylonicum ſeu Chaldaicum Regnum ceſſit in ditionem Perſarum, dubitandum non eſt, ejus prophetias Perſis quoque haud fuiſſe incognitas. Memorabile eſt, quod Ethnici ſcriptores Tacitus & Suetonius perhibent, adhuc Veſpaſiani temporibus, toto in Oriente, veterem hanc & conſtantem opinionem viguiſſe, eſſe in fatis, ut eo tempore totus Oriens in poteſtatem Judæorum veniret.

Deinde jam ſupra indicatum eſt, paulo ante natum Chriſtum illam magnam conjunctionem ſuperiorum planetarum in igneo ſigno Arietis contigiſſe: quo tempore etiam ſtella in cælo apparuit. Talem autem magnam conjunctionem ſuperiorum planetarum in igneo triangulo, accedente nova ſtella, univerſalem mutationem in orbe ſignificare, hi Magi ex regulis Aſtronomiæ, quæ per experientiam diſcitur, quamque etiamnum Orientalibus populis ferimus acceptam, probè norant. Quapropter habuerunt Magi iſti ſufficiens fundamentum, ſuper quo exſtruere potuerint ſententiam ſuam de eo, quod ſtella nativitatem & ortum Regis denotet: quandoquidem propheta Danielis ſimul cum iſta magnæ

con-

conjunctionem planetarum, cumque apparitione ſtellæ (quæ abſque dubio inſigni ſplendore radiabat, ut ex ea conjecturam felicis ſignificationis ſumere potuerint) concurrit. Quo accedit, quod ante dicta magna conjunctio ſuperiorum planetarum contigerit in eodem illo igneo ſigno, ſub quo etiam, ex Aſtrologorum partitione, Judæa fuit poſita, nempe in ſigno Arietis; quodque probabiliter ſtella quoque in illa conjunctione, adeoque in eodem illo ſigno apparuerit; prout etiam cum ſtella Anni 1604 factum eſt: etiam cum ad tempus in loco primæ apparitionis ſuæ luxiſſet, ſe poſtea demiſerit deorſum in aërem, & verſus occidentem ſe inflexerit.

Hic objici ſolet, res duntaxat naturales ac corporeas operationi aſtrorum eſſe ſubjectas, non vero illas, quæ à mero conſilio atque decreto Dei, vel ab hominum arbitrio dependent: ac proinde de ejuſmodi rebus nihil certi ex aſtris ante tempus colligi poſſe. Sed diſtinguendum eſt omnino, inter vim atque operationem, & inter ſignificationem alicujus ſtellæ. Non eſt ſane vi ac operatione hujus ſtellæ factum, quod Chriſtus natus ſit; quemadmodum vulgo Luna creditur efficere, ut fruges terræ incrementum ac decrementum ſumant; vel ſicut malignus Aſpectus & oppoſitio planetarum peſtem alioſque morbos efficere ſolet: Sed nihil aliud erat, quam ſignum, indicans regem illum inſignem, in cujus expectatione tam Magi iſti, quam Judæi erant, natum eſſe; idque factum Dei voluntate, qui talia ſigna in hunc ipſum finem in cœlo locat, ut homines ad conſiderationem rerum, quas in orbe efficere ſtatuit, excitentur. Quamvis autem ex ſola apparitione tam mirabilium ſignorum de certis rebus nominatim, quod fieri debeant, affirmari nequeat: ſagax tamen intellectus ex aliis ſignis ac circumſtantiis, quæ concurrunt, rem ferme acu tangere poteſt. Ut verbi cauſa, ex diri alicujus Cometæ exortu facile conjectura duci poteſt, grave bellum eo ſignificari, ſi ſcilicet eodem tempore animi Magnatum ac ſummarum poteſtatum ita comparati ac diſpoſiti ſint, reſque ejuſmodi in orbe agitentur, ex quibus bella & effuſiones ſanguinis ſolent exiſtere. Hoc modo etiam Magi potuerunt facile nativitatem hujus magni Regis ratione aſſequi, cum ad exortum hujus mirifici ſideris, inſuper communis opinio ac fama de impleto prophetiarum tempore acceſſiſſet Quemadmodum etiam vulgo fieri conſuevit, ut homines, quando rem aliquam magni momenti expectant, autumantque rei tempus jam adeſſe, etiam leviſſima indicia (multo magis autem tam mirabilia) in argumentum opinionis ſuæ accipiant. Verum id totam difficultatem rei nondum exhaurit. Supra enim oſtendimus, ejuſmodi ſtellas ac cæleſtia ſigna nunquam præſentium, ſed futurarum rerum eſſe ſignificativa, quæ non raro longo demum poſt horum ſignorum apparitionem tempore eveniunt. Imo quod hæc ſtella haud exiguo tempore Chriſti nativitatem præceſſerit, ſupra ad tertiam quæſtionem demonſtratum eſt. Unde igitur Magis iſtis tam certo conſtitit, Chriſtum jam in lucem editum eſſe, ut tam grande iter ejus adorandi cauſa ſine omni hæſitatione inierint? Ad quod reſpondetur, illis ex eo id conſtare potuiſſe, quod ſtella haec, poſtquam aliquanto tempo in cælo fulſiſſet, tandem, ubi proprius terram deſcendit; & ad Occidentem ſe convertit, diſparuerit. Hinc enim colligere potuerunt, impletum jam eſſe id, quod per eam deſignabatur, nempe nativitatem Magni Regis, aut potius (quandoquidem hujus ſtellæ ſignificatio patebat latius) jam initium illius magnæ in mundo mutationis factum eſſe, quam ſtella ſignificabat: quod initium in eo conſtitit, quod Rex ille natus ſit, per quem tanta mutatio in orbem inducenda eſt.

Quinta quæſtio hoc loco excutienda, eſt: Cur Deus nativitatem filii ſui Magis non alia ratione, quam per ſtellam revelare voluerit? Hic ſciendum eſt, Deum in ſuis operibus, vocationibus ac revelationibus ſolere ſe utplurimum conditioni, moribus & ingenio hominum accommodare, ut eo citius permoveri, atque ad id faciendum, quod ab eis requirit, induci queant; &, ſi reluctentur, vel intellectum ſuum ad conſiderationem operum ejus indurent, omni excuſatione diſtituantur. Judæis hæc ſtella in cælo non fuit propoſita, etſi eam quoque videre & obſervare potuerint: ipſis enim res multo excellentiores erant concreditæ, videlicet myſteria Dei, & prophetarum oracula, in quorum conſideratione verſari, ſignaque adventus Meſſiæ in illis expreſſa rimari, illis potiſſimum incumbebat. In ipſo quoque Meſſia, cum ſe ipſis exhiberet, tales habuerunt notas, è quibus longe melius quam ex cæleſti ſidere ipſum cognoſcere poterant; nempe ejus doctrinam divinam, vitam ſanctiſſimam, & inaudita miracula. Imo nativitas ejus tantis miraculis illuſtrata fuit, ut ex iis cordati homines maximarum rerum ſpem de hoc infante potuerint concipere. Hi Magi autem, quia Aſtronomiæ periti erant, Deus etiam eorum captui ac inſtituto ſe attemperavit, ac per ſtellam eos ad Chriſtum deduxit; quam fere circa illud tempus, quo ſtellam aliquam exſpectabant, & forte etiam in illo loco, quo tunc oculi eorum propter conjunctionem planetarum maxime directi erant, accendit. Ita Deus cum Pharaone egit; quia is plurimum tribuebat ſomniis, ſomnium ei immiſit, cum Joſephum ex immeriti carceris ſqualore liberare, ac populo ſuo hoſpitium in Ægypto præparare voluit. Nebucadnezari, qui ſimulachrum Beli primi Chaldæorum Monarchæ ſummo colebat honore, per quietem quoque ſimulachrum objectum eſt, in quo ei Deus ſtatum ipſius & ſubſequentium regnorum delineavit. Quin imo quod Deus interdum etiam maleficis artibus, à Satana profectis, non ſolum ſucceſſum largiatur, verum etiam eas ita dirigat, ut ad ejus gloriam veritati teſtimonium præbeant, clariſſimum exemplum habemus apud Ezechielem; ubi ſic loquitur Deus: *Rex Babyloniæ ſtabit in bivio, in capite duarum viarum* (ubi ſcilicet dividitur via, ac una quidem Hieroſolymam, altera in Ægyptum ducit) *& conſulet divinationes* (de eo, utram ingredi debeat viam, eamne quæ verſus Hieroſolymam, an eam quæ verſus Ægyptum tendit) *& permiſcet ſagittas* (id eſt, inſcribet utrumque locum duabus ſagittis, eaſque cum aliis ſagittis in pharetra commiſcebit, & illa quam inſcriptam primo loco eduxerit, docebit eum, quonam viam dirigere ſuam debeat) & interrogabit *idola*, (id eſt, oracula,

5.

quæ ad quæſita reſpondebant (*& exta inſpiciet* (mactatæ alicujus pecudis, quonam ſpectet pars illa jecoris, quæ ex inſtituto aruſpicum hoſtem denotat) *Et fiet divinatio ad dexteram ejus verſus Hieroſolymam* (id eſt, Deus efficiet, ut ars illa divinandi ei viam non verſus Ægyptum, quo putabant Judæi Regem Babylonis iturum, ſed verſus Hieroſolymam monſtret.)

Et venimus adorare eum.] Græca vox προσκυνησαι ſignificat talem venerationem, qua fit, ut quis coram eo quem veneratur, vel in genua, vel in faciem procumbat, vel alioqui prono corpore ſeſe ad terram inclinet: uti ex collatione Matthæi cum Marco & Luca videre eſt. Ubi enim Matthæus Matth. 8.2 de leproſo dicit, eum *adoraſſe* Chriſtum, ibi dicit Marcus Mar. 1.40, eum *in genua coram ipſo procubuiſſe*, & Lucas Luc. 5. 12, *eum in faciem ſuam cecidiſſe*. Sic etiam Magi coram infante prociderunt infra ℣. 11. Hæc autem vox Adorationis figurata ad animum refertur, & hujuſmodi animi dimiſſio erga alterum ea indicatur, qua ipſi ſacra quædam reverentia exhibetur, tanquam non in nos ſolum, ſed in cæteros quoque omnes homines ac res naturales imperium ac poteſtatem habenti: quæ potiſſimum Religioſa adoratio eſt. Quod vero adorationem externam, quæ corporis geſtibus perficitur, ſpectat, illa vel eſt humana vel divina, pro eo, ac ei qui colitur, humana vel divina poteſtas attribuitur. Olim enim non ſolum Perſæ, ſed Judæi quoque (1 Sam. 25. 23, 41. 2 Sam. 1. 2. IX. 6. XIV. 4. XXII. 23. 1 Reg. 1. 16 &c.) tali adoratione Reges ſuos venerati ſunt. Quin & hodie adhuc apud Chriſtianos nonnullos populos moris eſt, ut Regibus ſuis flexis genibus miniſtrent: quanquam id Chriſtianæ humilitati, quæ etiam à Regibus exigitur, minime convenit. Et quia externis corporis geſtibus nulla major ſubmiſſio exhiberi poteſt, quam ſui in genua, vel in faciem proſtratione; ideo non Judæis modo, ſed & cunctis Orientalibus populis, etiam Græcis, tali ritu adorare Deum ſolenne fuit. Quocirca ex ſolo corporis geſtu, argumentum divinæ ac non divinæ adorationis ſumi non poteſt: ſed diſcrimen conſiſtit tantum in mente ejus, qui cultum talem alteri defert, ſi nimirum is vel ſimplicem humanam ſolum, vel divinam poteſtatem ei in animo ſuo adſcribat.

Ex his jam pateſcit, id omnino pro divina adoratione reputandum eſſe, quando quis ante imaginem aliquam vel brutum animal, vel ante aliam ſimilem rem ex reverentia procumbit aut corpus ſuum inclinat. Id enim nulla alia de cauſa fit, quam quod credatur, vim aliquam divinam ac ſupernaturalem iis in rebus vel latere atque in eſſe, vel per eas repræſentari. Nemo ſiquidem propter vires naturales coram re inanimata vel bruto animante ſe poſternet. Vide hac de re plura infra cap. 4. 10.

Hoc loco incidit quæſtio; cum adoratio non Regibus modo, ſed etiam Prophetis exhibita fuerit, ut ex loco 1 Reg. 17. 7 perſpicitur; utrum hi illos, an illi hos adoraverint? hujus quæſtionis nodus ut ſolvatur, attendendum eſt num Prophetæ peculiari Dei mandato inſtructi, an aliis ex cauſis ad Reges acceſſerint. Cum Nathan adiret Davidem, percunctaturus an Adoniam ſui regni ſucceſſorem inſtituerit, adoravit Regem pronus facie ſua ad terram ſe inflectens. Non enim tunc divino juſſu, ſed ex privata cauſa veniebat ad Regem. Contra Nebucadnezar adoravit Danielem, quia credidit, ipſum à Deo tanquam rerum abditarum interpretem ad ſe miſſum eſſe Dan. 2. 46, 47. Ita & Saul adoravit putativum Samuelem 1 Sam. 28. 14.

Porro etiam manifeſtum eſt, ex hac iſtorum Magorum adoratione inferri non poſſe, quod illi Chriſtum Deum eſſe altiſſimum crediderint, vel cultum humano majorem ac ſublimiorem ei detulerint. Non enim ſecus Chriſtum adorarunt, quam Judæi ipſi eum adoraſſent, ſi eum Regem ſuum eſſe cognoviſſent. Perſuaſi autem erant Judæi, Chriſtum mundanum Regem fore, cujus regnum ſe longe lateque protendere, & poteſtate atque imperio omnes Reges terræ anteire debeat. Itaque cum Magi accederent, eo ipſum venerati ſunt honore, qui infanti in ſpem ac jus tanti regni genito competebat.

Objicitur hic plerumque Maldonatus ex Athanaſio, tam multos Reges in Judæa natos eſſe, nunquam tamen factum eſſe, ut unus aliquis homo è longinquo adveniret ejus adorandi gratia, etiam Herodem voluiſſe puerum hunc adorare, quod ille nulli alii regio puero feciſſet; unde colligitur, hunc plus quam humanum puerum fuiſſe. Verum plus hinc colligitur, quam oportet: hoc ſolum inde ſequitur, quod hic puer haud vulgaris, ſed ejuſmodi Rex fuerit futurus, cui par aut ſimilis nullus in toto orbe exiſtimabatur extitiſſe, vel exſtiturus eſſe, & de quo à tot annorum centuriis præceſſere vaticinia, cujuſque fama Orientem univerſum impleverat. Cum igitur & hi Magi facile potuerint in animum inducere, hunc Regem aliquando ſibi quoque imperaturum, idcirco venerunt ipſum adoratum. Herodes quoque intelligere potuit, hunc longe ſe majorem ac potentiorem Regem fore, cui ſi tamdiu vita ſuppeditaſſet, deberet & ipſe cultum adorationis deferre. Etſi enim non ex animo dixerit, ſe venturum atque infantem hunc adoraturum: nihilominus id dixit, quod conſiderata hujus infantis præcellentia ac dignitate, ipſum facere decuiſſet.

Quæritur etiam ab Interpretibus: quæ cauſa ſit, ob quam Deus Magos homines Ethnicos ad adorandum Chriſtum vocaverit? Reſponderi poteſt, Deum ſignum hujus ſtellæ in cælo propoſuiſſe, ut homines cunctí in toto orbe, qui id vel oculis, vel auribus percíperent, ſignificationem ejus cum cura indagarent, & ſuo tempore ita, uti oportet, ſe gererent. Sed ad adorandum Chriſtum, dum adhuc cunarum claudebatur anguſtiis, imo antequam munus aggrederetur ſuum, nemo hominum, quamvis ſignificationem ſtellæ iſtius notam haberet, præcepto divino obligatus fuit. Satis erat temporis, ut gentes Euangelio ejus ſe ſubjicientes ad eum venirent, & majeſtati ejus adorationis honorem deferrent, poſtquam ſe per ſuos Apoſtolos toti terrarum orbi manifeſtum fecit. Quapropter hi Magi non vi peculiaris vocationis, ſed proprio motu ad iter faciendum & adorationem exhibendam adducti ſunt. Interea tamen dubitandum non eſt, acceſſiſſe ſapientiſſimam Dei providentiam ac directionem, qui etiam hominum propria conſilia atque propoſita ad ſuum finem, ac

ad quem collimat, novit convertere. Nimirum Deus voluit quaſi præparamentum quoddam facere, & tanquam in figura adumbrare univerſalem illam vocationem gentium, quam prænuntiarunt Prophetæ; ut intelligeretur, jam natum eſſe eum, qui deſtruere parietis intergerini ſeptum, atque duos populos, Judæos & Ethnicos in unum redigere debebat Epheſ. 2. 14. Propterea Auguſtinus hos Magos vocat primitias gentium, qui ad Chriſtum erant convertendi. Porro hoc magno honori huic puero fuit, quod etſi in ſtabulo, inopique in ſtatu natus eſſet, ideoque à ſua contemneretur natione, tamen tam excellentes viri ab oris longe remotis venerint, eumque regio adorationis cultu venerati ſint.

Verſ. 3. *Audiens autem Herodes.*] Indicat hiſce verbis Mathæus, quem dicta Magorum apud Herodem atque urbem Hieroſolymam habuerint effectum.

Turbatus eſt.] Non eſt prorſus veriſimile, Herodem, qui erat homo politicus & regnandi callidiſſimus, qui regnum ſuum tantâ providentia communierat, ad ſolam Magorum interrogationem, *Ubi eſt recens natus Rex Judæorum?* tanto horrore trepidaturum fuiſſe, ni aliæ quoque tunc acceſſiſſent circumſtantiæ. Reges enim & Magnates, qui ſunt emunctioris naris, ejus generis prædictiones ac locutiones Aſtrologorum magis riſu proſequi, quam in pretio habere ſolent. Erant tunc aliæ eæque majoris momenti curæ, quæ Herodis exedebant animum, ad quas cum Magorum quoque interrogatio accederet, mirum non eſt, quod fuerit horrore perculſus. Domus enim ejus circa illud tempus plena erat turbarum, ac ſuſpicionum de proditione ac contra ipſum conjuratione. Duo filii ejus Alexander & Ariſtobulus delati ad ipſum fuerunt, quod appeterent vitam ejus inſidiis. Hoc ſeu verum ſeu falſum fuit crimen, animum tamen ejus edax curarum ac ſuſpicionum vultur rodebat, ut quieſcere non poſſet, uſque dum Sebeſtæ, (quæ ante Samaria vocabatur) laqueo utroſque ſtrangulari mandaret. Parva mora interpoſita contigit ut univerſus Judaicus populus cogeretur juramento fidelitatis ſeſe obſtringere Cæſari Auguſto & Regi Herodi, (atque hæc fuit illa deſcriptio orbis terrarum, cujus gratia Joſephus cum Maria Bethlehemum ſe contulit, Chriſtuſque illic natus eſt, uti ad Luc. 2. 1. demonſtrabitur) quod officium cum 6000 Phariſæi detrectarent, (ſperantes ſcilicet Meſſiam jam jam adfuturum) multa pecuniaria ingens eis ab Herode impoſita eſt, quam uxor Pheroræ, qui frater Herodis erat, pro eis perſolvit. Phariſæi enim validi in animo ejus erant, jactantes, ſe cum Deo colloqui, & rerum futurarum ſcientiam habere. Ideò ei prædicebant, regnum ab Herode ablatum iri, atque in maritum ejus Pheroram ipſiuſque poſteros tranſferendum eſſe (quanquam tacitè alium in corde ſuo regem è tribu Judæ expectarent.) Quod ut reſcivit Herodes, & aliquos ex aulicis ſuis eſſe pretio corruptos cognovit, non paucos è Phariſæis, qui faces ſeditionis erant, curavit capite plecti: quin & cubicularium ſuum Bagoam (qui circumciſus erat) & Carum ſibi dilectiſſimum, alioſque plures domeſticos ſuos, de quibus intellexerat, quod hujus conſpirationis conſcii eſſent. Bagoam hac vana ſpe impleverant, quod novi Regis, qui juxta prophetiam Rex futurus erat, pater ac Mæcenas futurus eſſet: novo enim Regi cuncta ex animi ſententia ceſſura, regnumque in proprios ac legitimos ejus liberos devolutum iri prædicebant. Joſephus lib. 17. cap. 5, 6. Hæc omnia contigerunt eo ipſo tempore, quo totam Judæam tenebat Meſſiæ expectatio, Regis Judaicum populum è jugo peregrino exempturi, atque omnes gentes terræ ſub jugum ſuum miſſuri. Ita palam eſt, domum Herodis tunc maxima laboraſſe inquietudine, animumque ejus metu, diffidentia ac ſolicitudine fuiſſe diſtractum: ut cauſæ habuerit ſatis, adventum ac interrogationem Magorum de novo Rege nato haud ſpernendi ac vilipendendi. Cum enim ſoleant ſummates viri (præcipue autem Tyranni, qualis Herodes erat) in tali rerum articulo ſemper eſſe anxii, omniaque habere ſuſpecta, quandoquidem in minimis rebus ſæpe maximum ſitum eſt momentum: facile potuit cogitare Herodes, præſertim ante quam ipſos audiret Magos; annon à Phariſæis fuerint ſubornati, vel à ſeditioſis aliis ex Oriente evocati, eam ipſam ob cauſam, ut Phariſæos, qui numero & auctoritate validi erant, ac per eos univerſum populum ad defectionem à Romanis ſolicitarent. Per id tempus multa millia Judæorum Orientem incolebant: Rex Parthorum, qui etiam Babylonis tenebat imperium, tunc temporis Romanorum hoſtis erat, quos non ita pridem Armenia exuerat. Quid ſi Magi iſti (ſic poterat ſuſpicari Herodes) ex eo venerint loco propterea, ut Judaicum populum facerent ſibi, ceu Romanorum amico atque Vaſallo rebellem, Regi autem Parthorum obnoxium? Cum igitur ad hunc modum omnes hæ concurrerent circumſtantiæ, merito Herodis animus ad Magorum quæſtionem contremuit, & negotium hoc feria conſideratione dignum eſſe æſtimavit.

Et tota Hieroſolyma cum eo.] Hieroſolyma fuit Metropolis & caput totius Judææ. Appellata fuit antiquitus *Salem*, à *pace* deducto nomine Gen. 14. 14. Pſalm. 76. 3. lib. 7. cap. 3. Joſephus perhibet, eam quoque *Solymam* olim vocatam, atque à Melchiſedeco conditam fuiſſe, qui Rex ibidem ac ſummus Pontifex Dei fuerit, Deoque templum ibi erectum dedicarit: atque hunc etiam civitati iſti nomen Hieroſolymæ, quæ *viſionem pacis* notat, impoſuiſſe. lib. 6. de bello Judaico cap. 47. Cum Iſraëlitæ ex Ægypto egreſſi in Judæam venirent, dicebatur Jebus Joſ. 15. 8. Judic. 19. 16. 1. Chron. 2. 4, unde orti ſunt Jebuſæi. In diſtributione terræ ſorte obvenit hæc civitas tribui Benjamiticæ: at nonniſi inferiorem civitatis partem occuparunt, quia ſuperior pars in Sionis monte ſita majorem in modum munita erat; ideo Jebuſitæ & Benjamitæ junctim ac promiſcue habitabant. Tandem David ea potitus eſt, qui ex ſuo nomine eam Davidis civitatem nuncupavit 2 Sam. 5. 8, 9. De hujus urbis Hieroſolymæ ſitu, munitione, magnitudine ac ſplendore, ut & de Templo, ejuſque partibus, quales tempore Titi Veſpaſiani erant, vide deſcriptionem apud Joſephum lib. 5. de bello cap. 13, 14, 15.

Tota Hieroſolyma.] Id eſt, omnes cives Hieroſolymitani. Procul dubio populus Judaicus

aliis fuit ſuper interrogatione Magorum cogitationibus diſtrictus, quam Herodes. Nimirum hic poterat Regem iſtum, quem Judæi Meſſiam appellabant, non tam potentem fore credere, ut non acie cum ipſo, ubi in publicum prodierit, certare, ac Romanis opitulantibus eum ſuperare poſſit. Judæi autem, etſi certi eſſent liberationis per Meſſiam, ac proin præ lætitia tam optatæ rei nuntio turbarentur, nihilominus pericula & graviſſimas bellorum moleſtias extimeſcebant: haud dubii, Herodem ſibi poſteriſque ſuis regnum aſſerendo extrema tentaturum, Romanos in auxilium vocaturum, bellumque atrox ac cruentum ſuſcitaturum.

Verſ. 4. Quia res hæc inſperata Herodi rurſus excutiebat cerebrum, ut tempeſtive diſcrimini occurreret, ante omnia opus erat, ut de loco, ubi Meſſias naſci debuit, certior redderetur. Sive enim in re multum erat poſitum, ſive parum, ſatius tamen videbatur, puerum hunc è medio tollere, Judæiſque ſpem ac ſimul cauſam novarum factionum præcidere. Idcirco Herodes eos ad ſe accerſit, à quibus ſe quam optime informari poſſe putabat, nempe ſummos Pontifices ac Legiſperitos. Hinc apparet, quam Herodes alioqui rerum ſacrarum & Eccleſiaſticarum ad ſuum regimen minime pertinentium, parum curioſus fuerit. Quamvis enim de re, quam hoc loco ſcire deſiderat, antea quoque aliquid forte inaudiverit, mox tamen id animo ejus excidit; ideo nunc ſolide ac evidenter de eo edoceri cupit.

Et congregavit.] Cum non ageretur res ulla, in qua publicum totius regionis vel ordinis Eccleſiaſtici bonum verteretur, ſed duntaxat ſenſum nonnullarum prophetiarum à rerum iſtarum callentiſſimis expiſcari Herodes vellet, non eſt probabile, totum Synedrium fuiſſe convocatum, ſed conventum ſolummodo doctorum virorum ex ſacerdotibus ac Legiſperitis conſtantium habitum fuiſſe. Vide Matth. 16. 21. xxvj. 3. xxvij. 1, 41 &c.

Omnes principes ſacerdotum.] Vox principis ſacerdotum, vel Pontificis ſummi gemino ſumitur ſignificatu. Primo Pontificem denotat Maximum, qui ita in ſuperlativo gradu vocatur; qualis nonniſi unus ſemper, & ſummum totius ſacerdotii caput erat. Talis fuit Aaron, tales & reliqui omnes in ſanctiſſimo hoc munere ejus ſucceſſores. Vide de hoc Pontifice Maximo plura infra cap. 26. 3, ubi ejus prima in Novo Teſtamento occurrit mentio. Deinde accipitur vox ſacerdotum principis in latiori ſenſu, & de pluribus numero uſurpatæ ſignificat primates ac ſuperioris ordinis ſacerdotes ex Eleaſari & Ithamari familiis, quos inſtituit David, eorumque numero erant 24. Nimirum Aaron primus Pontifex Maximus habuit quatuor filios: Nadabum, Abihu, Eleaſarum & Ithamarum. Nadab & Abihu deceſſerunt ante patrem abſque liberis, igne à Domino conſumpti Levit. x. 2. Ita ſucceſſio in Sacerdotio ad Eleaſarum atque Ithamarum eorumque poſteros devoluta eſt. Horum propago adeo multiplicata eſt, ut Davidis ætate è poſteritate Eleaſari ſedecim, ex Ithamari octo, adeoque junctim 24 Sacerdotales exiſterent familiæ. In ſingulis hiſce familiis David unum elegit, qui caput ac princeps ſuæ familiæ eſſet: de quo legere eſt 1 Paral. 24. Hi proinde hic & alibi in Sacris Literis Matth. 16. 21. xx. 18. xxi. 15. Marc. 8. 31 &c, *Pontifices ſummi*, 2 Paral. 36. 14 *Principes Sacerdotum*, appellantur, vel Act. 4. 6 ex Pontificio genere eſſe dicuntur. Hujus farinæ fuit ille Sceva, cujus filii per nomen Jeſu ejiciebant dæmonia Act. 19. 13, 14. Ex his principibus Sacerdotum unus aliquis conſtituebatur Pontificis Maximi Vicarius, qui vices ejus in munere obibat, ſi quando ille ante ſolenne feſtum Expiationis immundus fieret, ita, ut officio ſuo defungi ex Lege non poſſet.

Unde factum tradit R. Maimonides, ut Pontifex Maximus per dies ſeptem, qui præcedebant feſtum Expiationis, ſumma cura cuſtodiretur, ne quid eum forte immundum atque ad obeundum munus ineptum redderet. Hi ſummi ſacerdotes erant quoque pars Synedrii, utque auctoritate ſupra cæteros ſacerdotes eminebant, ita etiam plus ſapientiæ ac rerum divinarum ſcientiæ ipſis ineſſe credebatur: licet multi imo plerique eſſent, qui ea leviter tincti erant; quippe officium hoc atque dignitas hæreditaria erat, ac proinde non raro talibus obtingebat, qui in ſapientia non adeo magnos fecerant progreſſus. De his ſacerdotibus ſummis loquitur Joſephus, cum lib. 20. cap. 7 deſcribit, quomodo à vulgo ſacerdotum decimas vi extorſerint, ut eorum plures ad neceſſitatem fame moriendi redacti ſint. Et lib. 4. cap. 12 de bello, quomodo ſeditioſi ſummos ſacerdotes ſortitione facta elegerint, cum honor iſte per ſucceſſionem obtineri debuerit. Iſtos igitur ſummos ſacerdotes una cum Legis Doctoribus Herodes hic convocavit. Quia vero Matthæus ait, *omnes principes ſacerdotum*, veriſimile eſt, plures hic ſummos Sacerdotes, quam illos 24 de quibus hactenus dictum, intelligi, quodque (ut Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius ſentiunt) etiam Pontifices Maximi in excellentiſſimo gradu ſic dicti ad hunc conventum vocati fuerint; qui illo tempore contra, quam Lex præſcripſerat, annis ſingulis permutabantur. Qua de re apud Johannem cap. 18. 13 agetur copioſius.

Et ſcribas populi.] Per hos ſcribas hoc loco & alibi in novo Teſtamento ii potiſſimum intelliguntur, qui aliis locis *Legis doctores* ſeu *interpretes*, vel *periti* vocantur. Eorum officium erat Sacrarum Scripturarum integritatem ab adulteratione ac depravatione immunem ſervare, populoque eas interpretari. De iſtis ſcribis eorumque prima origine, officio, ac functione videatur 3 Appendix hujus capitis.

Ac percontabatur ab eis, ubi Chriſtus naſciturus erat.] Græca verba proprie ſonant: *Ubi Chriſtus naſceretur.* Phraſis Hebræa. Etſi Herodes, ut verſ. 3 explicavimus, occaſione interrogationis Magorum pro more omnium meticuloſorum Tyrannorum modo hac, modo illa ſuſpicione diſtractus fuerit; tamen quia Magi Regem quærebant recens natum, & poſtea habito cum eis colloquio ex ipſorum narratione ſine dubio intellexit, eos loqui de illo Rege, de quo tunc temporis venturo fama inter Judæos percrebuerat: ideo, quicquid ejus rei ſit, locum nativitatis ejus ſcire deſi-

derat

derat (crebebat enim Prophetas, qui eum venturum eſſe prædixerunt, & tempus ortus ejus accurate deſcripſerunt, proculdubio etiam locum nativitatis ejus deſignaſſe) ut ſi qua ſive veritas, ſive veriſimilitudo ſe prodat; mox novum hunc Regem in cunis extinguat.

Verſ. 5. *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judææ.*] De hoc actum ſupra verſ. 1. *Sic enim ſcriptum eſt.*] Quod Chriſtus Betlehemi debuerit naſci, demonſtrant congregati ab Herode principes ſacerdotum ac ſcribæ, teſtimonio ſcripturæ, quod & olim ſemper fuit & hodie eſt apud Judæos extra omnem dubitationis ac controverſiæ aleam conſtitutum.

Per Prophetam.] Nempe Michæam cap. 5. 2.

Verſ. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in ducibus Juda: ex te enim exibit Dux, qui regat populum meum Iſraëlem.*] Locus hic per ſe quidem intellectu non eſt difficilis: cæterum diſcrepantia, quæ inter verba Matthæi & Micheæ prophetæ eſt, varia peperit dubia. Nam apud Prophetam hic locus juxta Hebraicum textum ita legitur: *Tu Betlehem Ephrata parva es, ut ſis in millibus Juda. Ex te enim egredietur dominans ſuper Iſraëlem.* Cauſa diſcrepantiæ hujus ab Interpretibus non eadem redditur. Aliqui putant, Euangeliſtas & Apoſtolos in allegandis locis Veteris Inſtrumenti nonnunquam oblivione vel infirmitate memoriæ lapſos eſſe: quæ ſententia Hieronymo, quanquam immerito, adſcribi vulgo ſolet. Hoc quippe ſi ſemel admitteretur, actum eſſet de auctoritate totius Sacræ Scripturæ: namque pari modo liceret omnia in dubium vocare. Quod autem Paulus de Scriptura Veteris Fœderis dixit, eam *à Deo inſpiratam eſſe* 2 Tim. 3. 16, & Petrus, *Sanctos Dei homines locutos eſſe, actos à Spiritu Sancto* 2 Petr. 1. 20, idem, ſi non meliori, ſaltem æquali jure de Apoſtolis & Euangeliſtis, eorumque ſcriptis dici poteſt.

Porro non pauci ex Interpretibus ſtatuunt, Matthæum non tam Micheæ Prophetæ, quam ſacerdotum ſummorum ac ſcribarum verba referre, eorumque ſupinam incogitantiam atque inſcitiam voluiſſe hac ratione redarguere: quæ ſententia etiam Hieronymo quondam placuit. Atqui ſummi iſti ſacerdotes ac ſcribæ hoc loco nulla culpa redargutionem commeriti ſunt: cum (ſi quidem hæc verba nude ex ſuo deprompſerunt capite) ſenſum & argumentum prophetiæ rectiſſime expreſſerint; uti poſtmodum intelligatur: Imo hac in parte laude potius digni ſunt, quod propoſitam ſibi quæſtionem non ex cerebro ſuo, ſed ex ſcriptis Propheticis ſolvant, locumque clariſſimum producant, ac talibus eam verbis proferant, quæ eum declarant & explicant potius, quam obſcurant. Adhæc ſi Matthæus voluiſſet principes ſacerdotum & ſcribas ob falſo allegata verba Prophetæ perſtringere, rem totam ſuſpectam reddidiſſet: cum tamen ejus ſcopus ac intentio in hac re enarranda non alius fuerit, quam ut notam hanc Meſſiæ, quod Betlehemi naſci debuerit, confirmatet. Tertio vera ac legitima cauſa eſt, quæ etiam in aliis locis plurimis ab Euangeliſtis & Apoſtolis ex Veteri Teſtamento citatis obſervanda eſt, quod illi non ſemper anxie ac ſcrupuloſe ſe ad verba Hebræi textus adſtrinxerint, ſed ſæpe ſententiam potius & ſummam rei quam verba citaverint, & quidem plerumque ex Græca LXX Interpretum verſione. Id quod ab eis factum eſt, non errore aliquo aut memoriæ lapſu, ſed ideo, quod illud ad ſcopum ſuum non crediderint ſibi eſſe neceſſarium, hunc vero citandi modum non putarint eſſe rei, quam confirmatum ibant, damnoſum: aut præterea quod loca illa tunc temporis paſſim hoc ſenſu fuerint accepta.

Sane hunc locum quod attinet, affirmat Hieronymus, eum iiſdem plane verbis, quæ apud Matthæum habentur, in Græca LXX Interpretum verſione legi. At in ea, quæ hodie extat, LXX Interpretum verſione, aliter ſe res habet. Et ſi illud certum foret, ſublata eſſet omnis difficultas. Dici enim poſſet, Matthæum ex illa verſione locum hunc ſumpſiſſe, quæ tunc ferme magis in uſu fuerit, quam textus Hebraicus. Interim quod Hieronymus refert, magnam credendi anſam præbet, quod hodierna verſio LXX Interpretum ab ea, quæ extitit ætate Hieronymi, pluribus forte in locis diverſa ſit.

Diſcrepantia textus Matthæi & textus Prophetici præcipue quadruplex eſt. Primum Micheas ait: *Tu Betlehem Ephrata*; Matthæus, *Tu Betlehem, terra Juda.* Secundo Micheas inquit: *Perva es, ut ſis in millibus Juda*; Matthæus plane contrarium dicit: *Nequaquam minima es, &c.* Tertio Micheas habet, *in millibus Juda*; Matthæus, *in ducibus Juda.* Quarto Micheas ſcribit, *Dominans ſuper Iſraëlem*; Matthæus, *Dux, qui paſcet populum meum Iſraël.*

Primam differentiam quod attinet, eadem omnino unaque civitas Betlehemum ab utroque tam Matthæo quam Michea intelligitur. Antiquitus enim *Ephrata* dicta fuit Geneſ. 35. 19. XLVIII. 7. Fortaſſis nomen hoc ſortita fuit ab Ephrata, altera Calebi conjuge, ac Huri matre 1 Chron. 2. 19, 50. IV. 4. Forte à Calebo condita fuit, & nomine uxoris ejus Ephrata dicta eſt. Matthæus autem nominat eam per Synecdochen *terram Juda*, id eſt, partem terræ Judæ, ſeu civitatem in terra Judæ ſitam, ad diſcrimen indicandum ab altera Betlehemo, quæ ſita erat in Galilæa, & ad tribum Zabulon pertinebat. Ut ſupra ℣ſ. 1 annotavimus.

Quod attinet ſecundam diſcrepantiam, videtur Matthæus cum Propheta adverſa fronte pugnare. Propheta enim aſſerit, Bethlehemum eſſe parvam: Matthæus negat eam eſſe parvam. Verum ut aliorum ſententias hac de re, ad rem minus facientes, prætereamus, permultis eximiis Commentatoribus arridet illa conciliatio, ut verba Prophetæ per interrogationem efferantur, hoc modo: *An parva es, ut ſis in millibus Judæ?* Vel, Num adeo parva es in millibus Judæ? Nequaquam. Ex te enim egredietur &c. Quo pacto Propheta idem dixiſſet, quod Matthæus. Sed non eſt neceſſe, ut ad hanc interpretationem, quæ quodammodo coacta videtur, confugiamus. Scopus enim, ad quem cum Propheta, tum Matthæus collimant, non alius eſt, quam Betlehemum extollere ſupra omnes civitates Judæ, ejuſque præſtantiam quammaxime deprædicare: tametſi & loco exigua, & numero incolarum cum aliis urbibus Judæ ne comparanda quidem fuerit. Vult enim dicere Propheta. Tu quidem parva es in mil-

millibus Judæ, ſed quia ex te prodibit Dominator Iſraëlis, idcirco revera parva non es. Atque idem quoque dicit Matthæus, Tu nequaquam minima es in ducibus Judæ, quia ex te egredietur Dux Iſraëlis. Senſus itaque eſt utrobique unus ac idem. Eſtque tanto minus exiſtimandum, Prophetam priora verba, *Tu parva es in millibus Judæ*, ad urbem Betlehemiticam deprimendam appoſuiſſe, cum ejus dignitas & excellentia præ omnibus urbibus Judæ ſenſu myſtico, qui Chriſtum reſpicit, & ad quem Spiritus Sanctus potiſſimum alluſit, longe major atque inſignior ſit, quam ſenſu literali. Nam (ut hoc quoque ſimul declaremus) animadvertendum eſt, duplicem ſenſum ineſſe loco huic Prophetico, quorum alter eſt literalis, alter myſticus. Senſu literali ſignificat Propheta, fore, ut poſt captivitatem Babylonicam (de qua in præcedenti quarto cap. ℣. 10, & initio cap. 5, egit) quando rurſus Judæi in Judæam remigrabunt, denuo illis præſit aliquis ex poſteris Davidis, quemadmodum factum fuerat ab initio, quum Deus Iſraëliticum Regnum ſtabilivit. Idem quoque apud Ezechielem prædicitur. Ita inter alia cap. 34. 23, ſcriptum legimus: *Et ſuſcitabo ſuper eas* (intellige pecudes meas) *paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David* (id eſt, aliquem è familia Davidis) *ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem Dominus, ero eis in Deum, & ſervus meus David, Princeps in medio eorum.* Et cap. 37. 24: *Et ſervus meus David Rex erit ſuper eos, & Paſtor unus erit omnium.* Item verſ. 25: *Et habitabunt in terra, quam dedi ſervo meo Jacobo, in qua habitaverunt patres veſtri* &c. *Et David ſervus meus princeps eorum in perpetuum.* Quod quorſum ſpectet, ex præcedenti ℣. 22 intelligitur, ubi dictum fuerat: *Et faciam eos in gentem unam, in terra, in montibus Iſraël. Et Rex unus erit omnibus imperans. Et non erunt duæ gentes amplius, nec dividentur ultra in duo regna.* Quod autem in utroque horum capitum Ezechielis de eo tempore habeatur ſermo, quo populus Iſraëliticus è captivitate Babylonica in patriam ſuam remeavit, ex verbis, quæ utrobique præcedunt, atque inprimis in loco poſterius allegato clare perſpicitur. Huc etiam pertinet locus Oſeæ cap. 3. 4. Cum enim dixiſſet Propheta: *Filii Iſraël multos dies ſedebunt ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio* &c, poſtea ſubjicit: *Et poſthæc revertentur filii Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum.* Licet autem extra dubium ſit, verba hæc Micheæ ſenſu myſtico ac potiore ad Chriſtum pertinere, qui è Betlehemo egredi, id eſt, ibi naſci debuit, ſatis tamen indicat ipſe contextus, ea quoque ſuo modo reſpicere ad ea tempora, quæ Babylonicam captivitatem mox ſunt conſequuta: tametſi tum exilis duntaxat umbra rei myſtice ſignificatæ extiterit. Zorobabel enim (hic enim per Dominatorem Iſraëlis apud Michæam hoc loco deſignatur) qui fuit à genere Davidico, fuit princeps Judæorum, cum è Babylonia excederent, neque amplius Iſraëlitæ è captivitate reduces in duo regna fuêre diviſi. Et quia ſenſus horum verborum literalis valde tenuis erat, & fere umbræ inſtar obſcuræ, inde factum eſt, ut poſtea ipſo corpore ſeu ſole, id eſt Chriſto veniente, iterum diſparuerit, verbaque ad ſolum myſticum ſenſum relata fuerint.

Jam, ut ad rem noſtram revertamur, cum in verbis Prophetæ myſtico ſenſu (uti dictum) nativitas Meſſiæ indicetur, mirandum non eſt, Matthæum vel ſacerdotes ſummos atque ſcribas cenſuiſſe, Prophetam potius præſtantiam quam vilitatem & abjectam Betlehemi conditionem voluiſſe exprimere. Non enim eſt veriſimile, ſolos ſacerdotes illos ac ſcribas ab Herode de convocatos hunc locum ita accepiſſe; ſed tum quoque, cum Matthæus iſta ſcriberet, paſſim ſic intellectum fuiſſe, vel eum ſic intelligi poſſe, dubitatum haud fuiſſe. Neque enim credibile eſt, Matthæo (qui conventui ab Herode coacto ipſe non interfuit) renuntiatum fuiſſe, Pontifices ac ſcribas verba hæc Prophetæ iſto & non alio ſenſu allegaſſe atque explicaſſe. Neque etiam id potuit ille pro confeſſo ſumere, niſi aliunde ſciviſſet, prophetiam hanc vulgo hoc ſenſu intellectam fuiſſe. Præſertim, cum ſacerdotes ac ſcribæ potuerint ſuam de loco nativitatis Chriſti ſententiam ex verbis iſtis Prophetæ eruere ac probare, quamvis ea ita accepiſſent, uti nunc in Hebraico textu leguntur. Nam ſive hoc, ſive illo ſenſu verba accipiantur, nihilominus ex eis conſtat, Chriſtum Betlehemi naciturum fuiſſe: id quod illi intendebant demonſtrare.

Tertium diſcrimen inter Matthæum & Prophetam, quod in eo conſiſtit quod Propheta inquiat; *in millibus* (id eſt, inter millia) *Judæ*; Matthæus vero *in ducibus* vel inter duces *Judæ*, enatum eſt ex duplici ſignificatione Phraſis Hebr. vocis Hebrææ *Alephim*, quæ tum mille ſignificat, tum etiam eadem (vel leviter ſaltem immutata *Alluphim*) denotat Duces. Ac hi quidem Duces propterea hoc nomine *Alephim* vel *Alluphim* vocati fuerunt, quod ſuper millia conſtituerentur: præſertim cum Judaicus populus nominatim in Chiliadas eſſet diſtributus, ut liquet Exod. 18. 25, ubi qui illis præficiebantur, *Alephim* ſive *Alluphim* nuncupabantur. Atque hoc ſane loco, nomine *Ducum*, non modo ipſa capita Chiliadum, ſed ſimul etiam totæ Chiliades cum ſuis præfectis intelliguntur: quaſi dicat Matthæus, *Nequaquam minima es inter Chiliades Judæ*; vel, ut Propheta loquitur, *Parva es inter Chiliades Judæ*. Quare hinc apparet, nullam prorſus inter Prophetam atque Euangeliſtam eſſe diſſonantiam. Equidem ex ipſa comparatione ſatis perſpicitur, non de ſolis Ducibus inſtitui ſermonem, verum de Ducibus junctis cum ſubjectis ſibi Chiliadibus. Nempe incolæ Betlehemi cum incolis aliarum urbium Judæ, & Chiliades ſeu legiones Betlehemiticæ cum Chiliadibus ac legionibus reliquarum civitatum conferuntur. Quod autem Matthæus aliique, quos hac in parte ſecutus eſt, maluerunt Ducum nomen hoc loco uſurpare, cauſa eſt, quia Betlehemiticæ legiones cum legionibus aliarum civitatum Judæ comparantur, habita ratione Ducis: quod ſcilicet è Betlehemo longe præſtantior Dux proditurus ſit, quam ex ulla alia civitate Judæ.

Quarta diſſenſio tam exigua eſt, ut vix digna ſit commemoratione. Senſus enim prorſus idem eſt utrobique, tantum in verbis eſt differentia, quod Matthæus pluribus verbis utatur in exprimendo eo ſenſu, quem Micheas uno verbo effert. *Dux* enim, *qui paſcit populum* nihil aliud eſt quam *Dominator*. Nimirum Dominatores ac Principes cum paſtoribus, qui

greges

greges ſuos fideliter curare ac tueri ſolent, conferuntur, propter ſimilem Principum circa ſubditum ſibi populum curam atque tutelam. Unde etiam apud antiquiſſimum Græcorum poëtam Homerum Reges dicuntur *Paſtores populorum*. Ex quo intelligitur, ſicut grex non propter paſtores, ſed paſtores propter gregem inſtituuntur, ita quoque non populum Principum ac Regum, ſed contra potius Principes Regeſque populi cauſa eſſe inſtitutos.

Notandum autem etiam hoc loco eſt, verbis iſtis, *qui paſcet* &c, tacite alludi ad Davidem hujus Ducis Chriſti progenitorem, de quo Scriptura diſerte teſtatur, quod eum Deus ad paſcendum populum ſuum aſſumpſerit: qua locutione reſpicitur ad priſtinum, vitæ ejus genus atque ſtatum, in quo pavit oves, à quibus paſcendis deinceps ad populum Iſraëliticum regendum traductus eſt. Sic enim de eo Pſal. 78. 70 ſcriptum eſt: *Elegit* (Deus) *ſervum ſuum Davidem, & de ovilibus accepit eum, & à fœtis ovibus aſſumpſit eum, ad paſcendum Jacobum populum ſuum; & pavit eos* (intellige David) *in integritate cordis ſui, & duxit eos ſumma dexteritate manuum ſuarum.*

Non putavimus tanti eſſe, ut inter diſcrepantias referretur, quod Micheas dicat, *Dominator ſuper Iſraëlem*, Matthæus autem addat vocem *populum*, inquiens: *Paſcet populum meum Iſraëlem.* Obvium enim unicuique eſt, Micheam per *Iſraëlem* intelligere Iſraëliticum populum, & Matthæum explicationis gratia ad nomen *Iſraëlis* appoſuiſſe vocem *populum.*

Priuſquam ab hoc loco progrediamur ulterius, duo adhuc nobis enucleanda ſunt. Primum eſt, quæ vis inſit voculæ *Mihi* in illis Micheæ verbis, *Ex te MIHI egredietur.* In lingua quidem Hebræa non eſt inſolens, ut pronomen hoc *mihi* redundet: dicere enim amant, Ibo mihi, pro, Ibo; Mittam mihi, pro, Mittam ſimpliciter. Galli in ſua lingua pari utuntur loquendi modo: Je m'en vay, eo mihi. Allet vous en, abite vobis. Non eſt tamen absre, quod Vatablus hoc annotat loco, vocem *Mihi* ſignificare in bonum ac utilitatem meam populique mei. Quia vero Deus his in verbis loquens introducitur, poteſt pro nomen *Mihi*, quatenus ad Deum refertur, denotare *ad gloriam meam*; quatenus vero Deus ſeſe cum populo ſuo conjungit, *ad emolumentum* populi mei.

Alterum adhuc explicandum eſt, cur Matthæus, vel principes ſacerdotum ac ſcribæ non addiderint reliqua Prophetæ verba, *Et egreſſus ejus à quondam, & à diebus ſeculi*? Lutherus vertit: *a principio & ab æternitate.* Piſcator: *ab antiquo, imo à diebus hujus mundi.* Ad hanc quæſtionem in promptu eſt reſponſio, etiam abſque his verbis rei, de qua quærebatur, nempe ubi Chriſtus naſciturus eſſet, jam fuiſſe ſatisfactum. Nam quod Chriſtus Betlehemi debuerit naſci, id abunde verba à Matthæo allata docuerunt, ut nihil opus eſſet ſequentia verba addere, cum amplius vel certius nihil, quod ad quæſitum pertineret, indicare potuerint.

Quod autem ſequentia illa verba ſpectat, illa vulgo pro argumento afferuntur æternæ generationis Chriſti ex Patris eſſentia. Sed fruſtra. Nam primo ſermo eſt de tali Duce, qui è Betlehemo demum egreſſurus, ſeu ibidem naſciturus erat, quique adeo tempore hujus prophetiæ nondum, multo minus ante ſecula, & à ſeipſo extitit. Unde potius contrarium efficitur, Chriſtum non eſſe ſupremum Deum, quandoquidem nondum illo fuerit tempore, quo hæc prophetia Micheæ edebatur. Dein vox Hebræa *Mikedem*, qua Piſcator vertit, *ab antiquo*, proprie ſignificat *a quondam.* Lutherus & alii plures, ut & Latinus Interpres, eam reddiderunt, *ab initio.* Nihil autem horum deſignat tempus creationem mundi antecedens: imo *initium* æternitati, quæ initio omni caret, è diametro repugnat. Pari modo vox Hebræa *Holam*, (Latina *ſeculum*, pro qua Lutherus *æternitatem* in Germanica lingua repoſuit) non ſimpliciter æternitatem initio ac fine carentem denotat, ſed longum ac diuturnum tempus, quod tam late extenditur, atq; rei, de qua agitur, fert natura. Ita loquitur Joſua ad populũ Joſ. 24. 2: *Veſtri patres habitarunt quondam* (Hebr. Meholam, à ſeculo, vel, ab æterno) *ab altera parte aquæ* &c. Sic & Moſes Deut. 32. 7 ad populum inquit: *Memento dierum antiquorum* (Hebr. Jemoth Holam, *dierum ſeculi vel æternitatis*) Eſai. 64. 4: A mundo non auditum (Hebr. *Meholam*, à *ſeculo* ſeu *æternitate*) Malach. 3. 4. *Et placebit Domino ſacrificium Judæ & Hieroſolymæ, ſicut à ſeculo* (Hebr. *ſecundum dies æternitatis.*) Vide etiam Geneſ. 17. 8. XLIX. 26. Exod. 21. 6. Eccleſiaſtis 1. 4. Eſai. 63. 9. E quibus jam ſatis liquet, ex his Prophetæ verbis talem æternam Chriſti ex eſſentia Patris egreſſionem elici neutiquam poſſe. Imo vox *egreſſionis* æternitati contraria eſt. Egreſſio enim omnis certum ac determinatum tempus reſpicit, quod ſuum habet principium. De Deo quoque abſurde diceretur, *Dei egreſſum vel ortum eſſe ab æterno.* Senſus proinde hujus loci eſt, quod Chriſtus, qui Betlehemi naſciturus erat, originem habiturus ſit ab antiqua, ideoque nobiliſſima proſapia. Quo enim antiquior ſtirps eſt, id eſt, quo plures in ea numerari poſſunt majores, eo excellentior atque nobilior habetur. Unde etiam Jeremiæ cap. 5. 15, *gens antiqua* (Hebr. *Meholam, ab æternitate*) vocatur gens præſtantiſſima. Chriſti autem genus & ortus eſt antiquus ac nobiliſſimus, quia ſtemma majorum ejus trahit originem à primo Rege, quem Deus in Regno Iſraëlitico conſtituit, Davide, ac per eum ab Abrahamo, imo ab ipſo Adamo: uti ex genealogia Matthæi ac Lucæ cernitur. Huc accedit, quod è ſuperioribus ſatis manifeſtum ſit, egreſſum ejus non de cœlo fore, ſed ex civitate Betlehem. Præterea dicitur in numero plurali de *egreſſibus*: quia Dominator hic plures egreſſus habiturus ſit, quatenus majores ejus longa ſerie, à multis retro ſeculis, ex illa urbe egreſſi fuerant, ac per illos ipſe Chriſtus. Adde quod locus iſte, uti mox intelligetur, literali ſenſu de Zorobabele loquatur; de quo certe dici nequit, quod ab omni æternitate ex Dei eſſentia genitus ſit. Non aliter hunc locum intellexit Chaldæus Paraphraſtes; ſic enim eum elucidat: *Et tu Betlehem Ephrata, quamvis ſis parvula, ut accenſeri debeas millibus domus Judæ, nihilominus ex te à me egredietur Meſſias, qui dominabitur ſuper Iſraelem: cujus nomen ac dignitas ordinata eſt ab antiquo & à diebus mundi.* In eadem ſententia fuit eruditus quidam vir ex eorum numero, qui alioqui æternam Chri-

Chriſti ex eſſentia patris generationem credunt, nomine Johannes Aquilovicanus, qui hunc locum in Paraphr. Prophet. ſic exponit: *Ex te* (Bethlehem) *etſi ſis parva ac vilis, mihi exibit Dominator Iſraelis: genus autem ſuum ducet a primis & antiquis Regibus.* Quin & Calvinus ipſe non accipit hunc locum de æterna Chriſti generatione ex Patris eſſentia, ſed de æterno Dei decreto, quod ſuo tempore Meſſiam miſſurus eſſet. Videlicet ideo de Chriſto dici putat, quod *egreſſus ejus ſit ab antiquo & ab æternitate*, quia non temere & fortuito è Bethlehemo proditurus ſit, quaſi Deus ante id non providerit, vel nihil de eo ante ſtatuerit; ſed quia eum Deus ab æterno, ut eſſet caput Eccleſiæ, deſtinarit. Quam ſententiam tanquam Judaicam ac impiam Ægidius Hunnius Calvino objicit ſuo Calvin. Judaiz. eumque ideo vehementer exagitat. Novam etiam explicationem habet Ribera Jeſuita. Is intelligit per *Egreſſus* opera Chriſti, per quæ ille jam olim egreſſus, hominibuſque manifeſtatus fuerit. Eodem enim modo de Deo dici ait, quod egrediatur, quando inſigni aliquo opere potentiam ſuam manifeſtat. Quaſi dixerit Propheta: Ab initio mundi, & à primis diebus operatur is, qui Bethlehemi naſciturus eſt. Verum hæc ſententia non ſolum coacta nimis eſt, verum etiam eodem laborat vitio, quo prima. Quomodo enim de eo, qui demum naſciturus eſt, proprie dici poteſt, quod à principio mundi operatus ſit? Hieronymus tamen etiam non videtur ab hac opinione procul abiiſſe. Sentit enim Meſſiæ *exitus* ideo ab initio mundi fuiſſe, quia ſemper per Prophetas locutus fuerit.

Locus iſte validum nobis argumentum ſuppeditat adverſum Judæos, quod Jeſus noſter ſit promiſſus ille Meſſias. Inter reliquas enim notas, è quibus Meſſias agnoſci debebat, erat hæc quoque, quod Bethlehemi naſci debuerit: ut hic locus manifeſto docet. Jam vero eo tempore, quo Jeſus natus eſt, quo tempus illud nativitatis Meſſiæ à Daniele prædictum jam præſto erat, nullus alius nominari poteſt Meſſiæ nomine celebris, qui Bethlehemi natus fuerit, nedum qui fidem dictis ſuis tot ac tantis ſignis atque miraculis conciliarit, præter hunc Jeſum. Quod vero hæc prophetia Micheæ myſtico ſenſu ad nativitatem Meſſiæ Bethlehemiticam ſpectet, non modo ex ſacerdotum atque ſcribarum, qui Judæorum doctiſſimi fuerunt, teſtimonio; imo ex communi tunc temporis ac recepta vulgo apud omnes Judæos ſententia, de qua Joh. 7. 42 clarum eſt: ſed demonſtrat id quoque Chaldæus Paraphraſtes, cujus verba ſupra à nobis allegata ſunt; ut & R. Salomon Jarchi, qui verba hæc Micheæ ita effert: *Ex te egredietur mihi Meſſias ille filius Davidis.* Quocirca mera malignitas & obſtinatio hodiernos inducit Judæos ad negandum, quod Meſſias Bethlehemi naſci debuerit, adeoque ad tam præclarum Micheæ teſtimonium rejiciendum. Vide hac de re plura ad Luc. 2. 7.

Verſ. 7. *Tunc Herodes clam vocatis Magis.*] Forte ſero admodum ſub noctem, ut à paucis in platea conſpicerentur. Quia enim facinus agitabat animo nefandum, timuit, ne colloquium ejus cum Magis mox ſuſpiciones ſiniſtras in hominibus crearet; neve adeo ſceleratum ejus conſilium forte detegeretur, atque impediretur. Credibile quoque eſt, eum publice præ ſe tuliſſe, fidem ſe Magorum ſermoni non habere, eumque ſpernere, ne quis dolum malum ſubolfacere poſſet.

Diligenter exquiſivit ab eis.] Omnes circumſtantias ſtellæ hujus cum cura expiſcatus eſt, tempus, locum ubi apparuerit, figuram ac ſplendorem, etiam unde ſignificationem ejus de Rege primum nato reſciverint.

Tempus apparentis ſtellæ.] In hac circumſtantia plurimum ipſi ſitum erat. Sive enim ſubeſſet aliquid veri, ſive præter ſuperſtitioſam Planetariorum conjecturam nihil rei ineſſet, ante omnia tamen verum tempus, quo primum ſtella exorta eſt, ab illis reſcire voluit, ut ſi ſorte res non vana eſſet, ætatem Chriſti noſſet. Ex quo intelligitur, Herodem ejus opinionis fuiſſe, quod ſtella ſimul ac natus eſt Chriſtus apparuerit; aut tametſi à Magis aliter inſtructus fuerit, eum tamen id majoris ſecuritatis gratia pro conceſſo ſumpſiſſe. Magnum in Herode mundanæ ſapientiæ deliquium cernitur in eo, quod nullum de ſuis comitem Magis vel ſtatim addiderit, vel clanculum poſtea ſubmiſerit. At Deus id provide impedivit, qui amat ſapientes hujus mundi in eorum ſapientia confundere. Quod ſi eo ipſo fraudem ſuam tanto magis occulere ſtuduit, Magiſque etiam forte injunxit, ut ſine mora ſtatim adhuc illa nocte iter ingrederentur, ne quis eos comitari, infantemque videre poſſet, ſperans, ſe ante alios omnes primum à Magis rem reſciturum: tamen in eo fuit nimis imprudens, quod rem tanti momenti, in qua fortunæ ejus vertebantur, ab incerto Magorum reditu, aut etſi rediſſent, ab hominum peregrinorum, qui facile præmoneri poterant, nuda narratione ſuſpenderit.

Verſ. 8. *Et mittens eos in Bethlehem.*] Id eſt, Narravit eis Bethlehemum ipſis eſſe eundem, ubi Regem quem requirebant, inventuri eſſent. Nam proprie loquendo eos illo non miſit.

Dixit: Euntes diligenter explorate de puero.] De quo ſcilicet inter ſe colloquebantur.

Cum autem inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem. Verba ſubdola & falſa. Nam intus gerebat animum eum occidendi.

Verſ. 9. *Illi autem cum audiſſent Regem, profecti ſunt.*] Abſque dubio confeſtim, ut à Rege dimiſſi ſunt, illa ipſa nocte dederunt ſe in viam; quo nocturno tempore ſtella eis prælucere commodius, & domum indicare potuit.

Meretur quoque admirationem, quod ne unus quidem comes ſe Magis adjunxerit, cum tam mirabilis ac ſumme lætus nuncius aliquos ſaltem ex primoribus populi excitare debuerit ad iter hoc quamprimum ſuſcipiendum, vel ad aliquem locorum peritum eo ablegandum, ac rei veritatem perquirendum. Sed quod Herodem attinet, is, ut monſtratum eſt, peculiares habuit rationes, ne quem de ſuis co mitteret. Pontifices autem ſummi & Legiſperiti ſine dubio rem in riſum verterunt; ſi quidem ne unicum quidem cernebant indicium, quod illorum carnalibus de Meſſia cogitationibus eſſet conſentaneum. Licet enim

enim crediderint, Meſſiam Bethlehemi naſciturum eſſe, forte tamen non arbitrati ſunt, eum in tenella ætate, adhuc in cunis exiſtentem, manifeſtatum iri, ſed quod jam adultus cum inſigni robore exercitus ſubito proditurus ſit in publicum, & Romanos è Judæa ejecturus. Aut, ſi illico à nativitate ſua debuit revelari, non poterant tamen comminiſci ac divinare, cujus Dynaſtæ aut principis è domo Davidis conjux tunc Bethlehemi paritura fuerit: nam Meſſiam è fabri uxore naſciturum, de eo nulla ipſis in mentem veniebat cogitatio. Ideoque nuncium hunc prorſus contempſerunt, & cum eis maxima pars vulgi: è quo non pauci forte rem diſtulerunt, cogitantes, ſe rem ſatis tempeſtive poſtea reſcituros, ſi vana ac falſa non ſit.

Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.] Hinc apparet, quod ſtella, quæ antea cum Magi adhuc in patria ſua eſſent, aëre ſuperior erat, ſe deinceps demiſerit, & in aëre verſus Occidentem receſſerit, ubi eis ex Hieroſolyma egreſſis rurſus ſe conſpiciendam præbuit. Manifeſtum quoque eſt, eam quoad quantitatem inſigniter decreviſſe. Si enim priorem retinuiſſet magnitudinem, qua initio ſuper aërem fulſit, ac neceſſario fulgere debuit, ut tam alte remota videri poſſet; multo majus apparuiſſet in eo miraculum, quam res requirebat, quamque conveniebat rationi, qua Deus in operibus ſuis uti ſolet. Nimirum ſtella hæc ab omnibus hominibus non cum admiratione ſolum ſumma, verum etiam cum vehementi terrore ac formidine viſa fuiſſet: quod non modo non reticuiſſet Matthæus, ſed etiam nulla erat cauſa, ob quam Deus tam grande ac terribile miraculum ederet. Quod autem ejuſmodi novæ ſtellæ antequam prorſus diſpareant, ſoleant ſenſim minui, proprio igne materiam earum, ex qua conſtant, conſumente, docet experientia. Quanquam hujus ſtellæ qualitates omnes ferme ſupernaturales fuerunt, ut & in eo, quod Magis non viam duntaxat uſque Bethlehemum, ſed domum quoque, in quâ infans erat, commonſtrarit, ibique immota ſteterit: id quod certiſſimum ſignum eſt, eam ab aliquo rationali directore, procul dubio ab Angelo, motam fuiſſe. Quapropter etiam per miraculum fieri potuit, quod de magnitudine ejus tantum deceſſerit, quantum opus erat, ut nimirum in infimâ aëris regione in eadem quantitate appareret, in qua antea in ſublimi à Magis quoad formam viſa fuit. Adeo ut hæc mutatio quantitatis ejus nihil obfuerit Magis, quominus eam agnoſcerent eandem illam eſſe, quam in Oriente viderant: quanquam eam etiam ex colore ac ſpendore & è modo ſcintillationis (è qua vulgo ſtellæ aliæ ab aliis dignoſcuntur) cognoſcere poterant.

Uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer.] Id eſt non progreſſa eſt ulterius. Ex quo collegerunt merito Magi, ſe jam ad locum, ad quem tendebant, perveniſſe. Eſtque probabile, ſtellam è veſtigio deinceps evanuiſſe, poſtquam officium ſuum peregit. Non poterat autem ſatis commode ſtella ipſa per ſe, quamvis in unum locum demiſſa, domum monſtrare: quare ſine dubio Magi etiam diligenter ſciſcitando, & forte non ſine ductu excubantium eo loci paſtorum, domum illam invenerunt.

Verſ. 10. *Videntes autem ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde.*] Tametſi Maldonatus errarit, quod ſtellam hanc Magos ab Oriente Hieroſolymam uſque comitatam fuiſſe ſtatuerit (quam ſententiam verſ. 2 refutavimus) non tamen errat in eo, quod contrarium ex hiſce verbis demonſtrari nequeat, quemadmodum nonnulli demonſtrare conantur. Recte enim cum multis antiquis Patribus, quos citat, affirmat, fieri potuiſſe, ut ſtella, poſtquam Magos Hieroſolymam deduxit, diſparuerit, poſtea vero ipſis iter Bethlehemum facientibus, rurſus apparuerit. Sic autem Maldonatus verba iſta Matthæi intelligit, quod non gaviſi ſint Magi ſuper ſtella denuo exorta (hanc enim ſæpius jam viderant) ſed ſuper Chriſto, quem querebant, invento. Nimirum cenſet, eos gaviſos, quod ſtellam ſupra domum ſtantem conſpexerint. Si enim ſimpliciter ſuper apparitione ſtellæ gaviſi fuiſſent, ſtatim id narraſſet Matthæus verſ. 9, verbaque ſua hoc ordine propoſuiſſet: *Et ecce ſtella, quam in Oriente viderant, antecedebat eos, &, gaviſi ſunt valde magno gaudio.* At potuit fieri, quod Magi ſuper utroque gaviſi fuerint, tam quod ſtella rurſus apparuerit, quam quod eos ad domum, in qua Chriſtus erat, deduxerit. Et ſane ita Matthæus ſua collocavit verba, ut potius ad utramque gaudii cauſam, quam ad unam ſolam referri poſſint. Si enim ultimam tantum, uti vult Maldonatus, intellexiſſet, dixiſſet potius: *Videntes autem ibi* (puta, ſuper domum) *ſtellam, gaviſi ſunt &c.* Et ſi gaudii hujus ſupra verſ. 9 meminiſſet, prout Maldonatus cenſet, quoad primum, verba ordinanda fuiſſe, gaudium ſuper altera re plane excluſiſſet. Erat autem cauſa, cur Magi ſuper utraque re vehementer lætarentur. Cum enim Hieroſolymam veniſſent, eo in ſtatu omnia repererunt, ut magnam inde dubitandi anſam concipere potuerint. Credebant illi ſe recens natum Regem Hieroſolymæ in civitate Regia certo inventuros: at ibi altum erat de eo ſilentium; nemo de eo quicquam ſciebat. Animadvertunt, Hieroſolymam novo hoc nuncio magis terreri atque turbari, quam exhilarari. Nemo eos comitatur Bethlehemum euntes, nemini animus eſt ea gratia pedem unum extra civitatem ponere. Deducuntur in vile & ignobile oppidulum, ubi quoque nulla regalis magnificentiæ umbra apparebat, è qua conjicere liceret, tam potentem illic Regem natum eſſe. Sicut ergo neceſſarium omnino erat, ut in tanta animi conſternatione per cæleſtis hujus facis exortum rurſus erigerentur; ita magnam habuerunt gaudendi cauſam, cum lucem, quæ ſe oculis eorum per aliquot tempus ſubduxerat, iterum conſpexerunt. Quæ ipſorum lætitia ex eo aucta eſt magis, quando ſtella eis non ſolum dux itineris fuit Bethlehemum uſque, ne in ignota regione huc illuc errarent, verum etiam domum eis monſtravit.

Verſ. 11. *Et venientes in domum*] Probabile eſt, puerum ab eis non amplius in ſtabulo, ſed in commodiori loco domus repertum fuiſſe, licet ante diem purificationis Mariæ advenerint. Deſcriptio enim, de qua Luc. 2. 1 & ſeqq. tunc temporis aut jam peracta fuit, aut plerique jam hoſpitum diſceſſerant qui cenſus cauſa confluxerant.

Invenerunt puerum cum Maria matre ejus.] Quod Joſephi nulla fiat mentio, in eo myſterium neſcio quod ſuſpicari ſupervacuum eſt, quaſi id ideo factum ſit, ne Magi exiſtimarent, puerum hunc eſſe Joſephi filium. Nam etiam illo abſente aliter illi cogitare non poterant, quam maritum Mariæ, quiſquis ille tandem ſit, pueri iſtius patrem eſſe: de ipſius quippe è Spiritu Sancto conceptione nihil ipſis utique in mentem veniebat, nec credibile eſt, eos ullam ea de re revelationem habuiſſe. Matris autem Mariæ ſimul cum puero mentio expreſſa eſt ideo, quia ipſa forte tum, cum peregrinos homines puerum videre cupientes adveniſſe intellexiſſet, puerum in ulnas acceptum in ſinu geſtavit.

Et procidentes adoraverunt eum.] Quod hæc adoratio non religioſa ac divina, ſed civilis, tam magno ſcilicet Regi competens, fuerit, ſupra verſ. 2 demonſtratum eſt. Neque enim ullo modo credibile eſt, tam ſapientes viros vel puerum hunc eſſe ſummum Deum, vel ſummum Deum puerum eſſe putarint.

Pudendus ſane error eſt, qui in Papatu primum enatus eſt, & nunc ferme in toto Chriſtianiſmo viget ac defenditur: quod ſcilicet Magi ſalvifica in Chriſtum fide præditi fuerint, quod crediderint, Chriſtum morte ſua humanum genus redempturum, & Deo pro peccatis mundi totius plenaria pretii ſolutione ſatiſfacturum: in eo quippe collocant hodie Chriſtiani fidem ſalutarem, ut hoc ſolum credatur, firmaque fiducia apprehendatur. Hanc quia de Magis opinionem imbiberunt, idcirco per univerſum orbem Chriſtianum feſtum trium Regum Solenniter celebratur: non enim alioquin honori Ethnicorum hominum diem ullum conſecrarent. At unde, obſecro, Magis iſtis de morte hujus Regis ulla cogitatio in mentem venire poterat? Daniel quidem prædixit, Meſſiam excindendum eſſe cap. 9. 26. Verum etſi id legiſſent Magi, nimis tamen obſcurum atque intellectu difficile id fuiſſet in oculis eorum: ut de eo nihil dicam, quod tam magnam vim mortis Chriſti ex his verbis neutiquam colligere potuiſſent. Apoſtoli ipſi certe doctrinam de morte Chriſti animo capere non poterant, cum eis Chriſtus clariſſimis verbis eam annuntiaret Matth. 16. 21. xx. 18. Luc. 18. 34. Si quis dixerit, Deum Magis hoc myſterium patefeciſſe, nullo id argumento confirmare poterit. Imo de ſatiſfactione pro totius mundi peccatis ne quidem patefactio ulla ipſis fieri potuit, quia falſiſſima eſt.

Et aperientes theſauros ſuos.] Id eſt, ciſtas aut vidulos, quibus munera incluſa erant. Non enim ſolum res pretioſæ, quæ aſſervantur, ſed locus quoque ubi aſſervantur, theſaurus dicitur. Unde Epiphanius ait: *Magi aperuerunt peras ſuas ſive Theſauros.*

Obtulerunt ei munera.] Non apud Perſas tantum, ſed apud omnes quoque Orientis populos more receptum erat, Reges ſine muneribus non adire. Inde legimus de filiis Jacobi, quod juſſu patris ſui Joſepho tulerint in Ægyptum munera de optimis terræ fructibus, etiam balſamum, & aromata & myrrham Gen. 43. 11, 25. Ita quoque Regina de regno Arabiæ Salomoni Regi præſtantiſſima dona auri & gemmarum attulit 1 Reg. 10. 2. Vide etiam Pſal. 72. 10. Sacrificium Abelis Gen. 4. 4 arguit, ab incunabulis mundi præcipue apud probos homines in uſu fuiſſe, etiam ipſi Deo partem rerum pretioſiſſimarum, quas Dei beneficio poſſidebant, grati animi teſtificandi ergo offerre. Neque id faciebant ullo Dei mandato impulſi, ſed naturali ductu rationis, quæ eis, ut hoc pacto grati eſſent, dictabat. Deuſque tale munus, quia ex animo pio ac ſincero proficiſcibatur, acceptavit: nondum enim tunc hominos ſpiritualis ſacrificii rationem, quod in cultu rationali conſiſtit Rom. 12. 1, intelligebant. Mos iſte deinceps in omnibus etiam gentibus obtinuit, ut Deos ſuos donis ac muneribus placarent. Tandem vero id tamquam divinum mandatum Legi Moſaicæ inſertum eſt, *ne quis vacuis manibus coram Deo appareat. Offeret* (inquit Moſes) *unuſquiſque ſecundum donum manus ſuæ, pro benedictione, qua donavit te Jehova Deus tuus* Exod. 23. 15. Deut. 16. 16, 17. A Deo Diiſque mos hic ad Reges quoque tranſlatus eſt, qui cum ſint etiam quaſi Dii terreſtres, quorum tutelæ ac regimini felicitatem ac tranquillitatem ſuam homines, poſt Deum, acceptam ferre debent, quando tales ſunt Reges, quales eſſe eos decet; idcirco ſine munere in conſpectum eorum venire, creditum eſt quodammodo contemptum eorum ingratumque animum ſapere. Quod porro hos Magos attinet, res ipſa indicat, falſum eſſe, quod puero Jeſu tanquam uni altiſſimo Deo munera obtulerint. Percontati enim ſunt de recens nato Rege Judæorum. Deus autem ab omni ævo & à principio ſemper Judæorum Rex fuit: neque etiam tam inepti erant, ut crederent, Deum natum eſſe, atque in gremio matris recubuiſſe. Itaque huic infanti munera obtulerunt, tanquam futuro Regi, qui quia totius orbis imperio potiturus erat, ipſorum quoque Rex ac Dominus aliquando futurus eſſet. Vide quæ dicta ſint ſupra verſ. 2.

Aurum, thus & myrrham.] Dici vix poteſt, quam admiranda myſteria Interpretes in tribus his muneribus ſibi finxerint: inter quæ lepidum eſt illud Bernhardi, ac ſublime judicium redolet: quod ſcilicet Magi aurum donarint, ut eſſet remedium paupertatis; thus, ut arceret fœtorem illius domus; myrrham, ut ea debilia pueri membra roborarentur. An vero ullo modo veriſimile eſt, Magos cum adhuc in Oriente verſarentur, unquam de eo cogitaſſe, quod puerum in aliqua graveolenti domo reperturi eſſent, ubi neceſſarium futurum ſit thus ad abigendum fœtorem: cum potius ſperarint, ſe infantem hunc in Regio palatio Hieroſolymis inventuros eſſe? Cæterum vulgatiſſima hæc eſt tam veterum quam neotericorum Interpretum opinio, quod per *aurum* indicata ſit Chriſti Regia majeſtas: per *thus* Deitas, quia thus ad ſuffimenta adhibebatur, quæ Deo adoleri ſolebant Exod. xxx. 20, 34, per *myrrham* ejuſdem humana natura, ſecundum quam mortem oppetiit; mortuorum ſiquidem corpora à corruptione conſervandi vim myrrha habet: unde etiam Nicodemus myrrham ad pollincendum corpus Chriſti attulerat Joh. xix. 39. Quod autem

Magis

Magis tale myſterium in mente aut cogitatione fuerit, inprimis vero quod de morte Chriſti, cujus fidem diſcipulis ſuis nulla perſuaſione ipſe ingenerare poterat, aliquid cogitarint, nequaquam eſt veriſimile. De eo porro, quid Deus arcano modo per hoc indicare voluerit, decet nos mortales non ex animi noſtri ſententiâ judicare, quando claro deſtituimur Scripturæ teſtimonio. Non facile quidem deprehendas aliquid Chriſto contigiſſe, quod non certam habuerit ſignificationem, & non peculiari Dei providentiâ ſic directum fuerit, partim ut res dudum de eo prædictæ implerentur, partim ut quæ ad perſonam vel officium ejus ſpectant, præfigurarentur: veluti eſt Chriſti in Ægyptum fuga, habitatio ejus Nazarethæ, effuſio unguenti, quo Chriſtus delibutus fuit Matth. 26. 7. Luc. 7. 38 &c. in quibus omnibus nemo ullum ſubodoratus eſſet myſterium, ſi non cum Euangeliſtæ, tum Chriſtus ipſe ea in apertum protuliſſet. Talia autem myſteria meritiſſimo admittuntur, quia Scriptura ea explicavit. In reliquis, ubi tacet Scriptura, liberum quidem eſt interdum jucundas & pias animo volvere ſpeculationes, ſed non licet eas ulli pro certis myſteriis tanquam à Spiritu Sancto profectis obtrudere.

De iſtis proinde Magis dubium non eſt, quod muneribus his nihil aliud ſpectarint, quam quod voluerint res pretioſiſſimas, quas vel habebant, vel comparare poterant, offerre. Eadem intentione Regina Arabiæ Regi Salomoni advexerat aurum & aromata 1 Reg. 10. 2. Aromatibus autem accenſetur etiam thus, quod ad ſacros ſuffitus adhiberi ſolebat. Exod 30. 34. Et apud Plutarchum Alexander Magnus Leonidæ ingentem copiam *myrrhæ* (quæ in ſola naſcitur Arabia) multis talentis æſtimatam donavit, ne in ſacris peragendis parcus eſſet. Cumque Jacobus filiis ſuis mandata daret, ut viro illi Ægyptio (ſuo nempe ignoto filio Joſepho) dona de optimis terræ frugibus ſelecta offerent, myrrhæ quoque inter alia fit mentio Gen. 43. 11. Perſpicuum etiam hinc evadit munera iſta puero Jeſu à Magis data eſſe, non eo fine, ut impleretur locus Pſal. 72. 10, ubi de Salomone dicitur: *Reges maris & inſularum munera ei offerent, & Reges Arabum & Sabæ dona adducent.* Et verſ. 15. *Dabitur ei de auro Arabiæ.* (Nam quatenus verba hæc myſtico ſenſu Chriſtum reſpiciunt, eatenus longe excellentiora & ſpirutualia dona iis deſignantur.) Sed factum eſt utrumque ex recepta ubique conſuetudine, quam ſuperius expreſſimus. Cæterum in eo tamen divina ſe exeruit providentia, quod cum Joſepho cum Maria ac filiolo maturanda eſſet fuga in Ægyptum, munera hæc ampli viatici uſum eis præſtare potuerint: Facile thus ac myrrham, quæ aromata in pretio erant, magno vendere poterant. Ita Deus ſuis novit miraculoſe in neceſſitate ſubveniere: quemadmodum idem ſatis ſuperque nota exempla domus Jacobi, Eliæ, & aliorum etiam edocent.

Dictis hactenus hoc quoque addendum eſt, quod non modo nullum ſit indicium, ſed ne veriſimilitudo quidem, quæ ſuadeat credere, Magorum ſingulos (ſi modo tres, & non plures, aut pauciores fuerunt) ſingula obtuliſſe dona, ac unum quidem dediſſe aurum, alterum thus, tertium myrrham. Multo proprius vero eſt, omnes ſimul munera hæc donaſſe.

Verſ. 12. *Et reſponſo divinitus accepto per ſomnium ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.*] Non erat animus Magis, diu Bethlehemi commorari. Nam cum ſub noctem Hieroſolymis egreſſi eſſent, ſat tempeſtive ante diluculum eo pervenerunt (Bethlehemum enim tribus tantum paraſangis ab Hieroſolyma diſtabat) Satiſque adhuc habuerunt temporis ad cultum exhibendum ac dona offerenda, nec non ad ſcitandum de pueri conditione aliiſque circumſtantiis, quæ ipſis ſcitu & aliis relatu jucunda erant. Proculdubio enim illi conſtituerant poſtero mox die Hieroſolymam reverti, Herodique nuntium, quem deſiderabat, de puero referre. Deus vero tam erga puerum, quam erga hos Magos divinæ curæ ac providentiæ ſuæ ſpecimen inſigne edidit, dum eos ea ipſa nocte per quietem monuit, ne Hieroſolymam reverterentur. Non enim infans ſolum, ſed Magi quoque in præſentiſſimum vitæ diſcrimen incidiſſent. Herodes eis pro bono nuntio tale rependiſſet præmium, ut vivi in patriam nunquam rediiſſent.

Divinitus accepto reſponſo.] Græca vox χρηματίζειν & χρηματισμὸς plures habet ſignificationes apud profanos auctores: de quo legatur, ſi placet, Budæus & Stephanus. In Novo Teſtamento χρηματισμὸς ſignificat *divinum reſponſum.* Rom. 11. 4. (qualia reſponſa olim Deus dabat, cum à Prophetis aliiſque Sanctis viris conſuleretur. Exod. 33. 7. Judic. 1. 1. xx. 18, 27.) aut in genere divinum ſermonem, quo quis etiam abſque antecedente interrogatione à Deo aut monetur, aut edocetur, aut mandato inſtruitur. Ab hac ergo voce derivatur χρηματισθὲς, id eſt, *divinum reſponſum*, aut mandatum aut monitum, aut inſtructionem *accipere* (proprie divinitus reſponderi, vel mandari, vel moneri) Hoc ſignificatu accipitur hoc loco & infra verſ. 22. ut & Luc. 2. 26. Act. 10. 22. Hebr. 8. 5. 11. 7. Duobus in locis ſignificat *vocare*, ut Act. 11. 26. Rom. 7. 3. Semel ſimpliciter loqui. Hebr. 12. 25.

Qua ratione Magi à Deo admoniti fuerint, non aliter Matthæus deſcribit, quam quod id in ſomnio factum ſit. Si id Angeli interventu contigiſſet, prout Joſepho bis, cap. 20. & infra verſ. 13. Matthæus id haud diſſimulaſſet. Probabile eſt eos in ſomnio vocem audiviſſe, qua edocti ſunt, quid illis facto eſſet opus. Talis autem vox non eſt quidem abſque medio omni, ſed per Angelum edita; at ita tamen, ut vocem ſolam per quietem perceperint, Angelo haud viſo: Joſephus autem & Angelum vidit & vocem ejus audivit.

PARS II.

SEquitur jam altera hujus Capitis pars, in qua ſit narratio de ſumma & plane paterna Dei providentia circa hunc infantem; dum eum primo per fugam in Ægyptum ſummo vitæ ejus periculo ſubduxit: uſque ad verſ. 16.

Verſ. 13. *Qui cum receſſiſſent*] Nempe Magi Bethlehemo. Ex his Matthæi verbis non poteſt proprie intelligi, utrum hæc revelatio Joſepho nulla mora

interjecta poſt Magorum abitum è Bethlehemo facta ſit, ut non aliquot dies interceſſerint. Vide dicta ſuperius ℣ſ. 1 ad quæſtionem: Quando Magi Bethlehemum venerint?

Ecce Angelus Domini apparuit per ſomnium Joſepho.] Revelatio hæc ſimilis fuit illi, de qua cap. 1. 20. Quæſtio autem, Ubi & in qua civitate hæc revelatio Joſepho facta ſit: dependet ab illa, quonam tempore Magi Bethlehemum advenerint. Nam ſi ponatur, eos poſt peractam Mariæ purificationem eo veniſſe, ſequetur, revelationem accepiſſe Joſephum Bethlehemi, quo ille, ut hæc ſententia requirit, domicilium ſuum tranſtulerat. At poſito Magorum adventum ante purificationem Mariæ contigiſſe, neceſſe eſt Joſepho revelationem iſtam vel Hieroſolymis, mox ſequenti nocte poſt exhibitum Domino infantem, vel Nazarethæ, quo recta Hieroſolymis ſe recepit Lucæ 2. 39, factam eſſe.

Dicens: ſurgens accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, uſque dum dicam tibi.] Græce ἐγερθὶς παράλαβε, q. d. *excitatus accipe.* Senſus non eſt, ut ſolito more mane ſurgens, infantem cum matre accipere ac fugere in Ægyptum debeat: ſed ut è veſtigio eo ipſo momento, quo mandatum dabatur, è lecto ſe proripiat ac ſolum vertat. Qui ſenſus ex mandati executione ſatis intelligitur verſ. 14. Unde perſpicitur, periculum fuiſſe præ foribus, ut moram nullam pati poſſet.

Et fuge in Ægyptum.] Quæ terra erat extra Herodis ditionem, & circiter 40 dierum itinere à Bethlehemo diſtabat. Itaque eo loci infans à tyrannide illius tutus eſſe poterat. Judaico populo ſæpius in adverſis Ægyptus refugium ac portus fuit. Ita quondam progenitores ejus fames in Ægyptum extruſit Geneſ. 46. 6. Ita reliquiæ eorum, qui ſub Sedecia Babyloniam deducti non fuerunt, præ metu Chaldæorum in Ægyptum refugerunt 2 Regum 25. 26.

Quæritur hoc loco: Eccur Deus voluerit, ut infans Jeſus in tenera ætate ſua moleſtiſſimum in terram peregrinam iter ſuſciperet; cum eum potuerit in propria ejus patria aliquo in loco abſconditum, ac tyrannidi Herodis ſubductum, ſervare ſoſpitem atque incolumem: non minus ac olim regius infans Joas 6 annis in Templo abditus, & à matris ſuæ Athaliæ immani crudelitate ſervatus fuit 2 Reg. 11. 3.

Reſponderi poteſt: Quia Deus pro incomprehenſibili ſapientia ſua decreverat, Chriſtum per abjectam ſervilem conditionem Phil. 2. 7, imo per multas afflictiones, adverſitates, ac ignominioſiſſimam mortem ad Regiæ dignitatis faſtigium perducere; ideo in primo ſtatim ætatis flore ejus initium fieri, omnibuſque ſectatoribus ejus exemplum exhiberi voluit, quid expectandum habeant, ſimul ac Chriſto per fidem geniti fuerint: nempe quod ab infideli malignoque mundo perſecutionem paſſuri, inque fugam & exilium agendi ſint; neve proin animo conſternentur, ſi ipſis eveniat, quod Chriſto in innocentiſſimo infantiæ ſtatu eveniſſe vident. Etiam prophetia Simeonis, dicentis ad Mariam: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius* Lucæ 2. 35, ſtatim debuit impleri incipere. Et ſane tam incommodum teneræ matri cum tenello filio iter in ignotam regionem, non poterat non ſumma cum moleſtia atque acerbitate obvenire. Neque adeo abſurdæ ſunt eorum cogitationes, qui ajunt, Deum hac filii ſui fuga ſubindicare voluiſſe, quod Chriſtus luce Euangelii ſui etiam Ethnicos aliquando illuſtratus ſit &c.

Futurum enim eſt, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.] Cauſam Deus Joſepho tam inſperatæ fugæ expoſuit, ut tanto magis maturaret iter, & ſe periculo jam jam imminenti eriperet. Ex quo probabiliter colligitur, Herodem ſimul ac de Magorum reditu è Bethlehemo dubitare ac deſperare cœpit, non diu cogitati infanticidii effectum diſtuliſſe.

Verſ. 14. *Is autem conſurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.*] Nempe protinus illa ipſa nocte, qua Angeli mandatum accepit. Credibile eſt, Joſephum è ſomno mox expergefactum, non ſine metu ac terrore fuiſſe.

Verſ. 15. *Et erat ibi uſque ad obitum Herodis.*] Tempus commorationis Chriſti in Ægypto non deſcribit Matthæus ſecundum annos ac menſes, ſed ſimpliciter mortem Herodis ponit pro termino. Quod autem ſuper hac re veteres ac recentiores Interpretes adeo ſententiis varient, cauſa eſt, quod de vero tempores, tam nativitatis Chriſti, quam mortis Herodis diſcordes ſint. Anni enim commorationis Chriſti in Ægypto eo plures fiunt, quo majus intervallum inter natales Chriſti & mortem Herodis interponitur. Hinc fit, ut alii duos annos Chriſtum habitaſſe in Ægypto ſtatuant, alii tres, alii quatuor, quinque, ſex, denique ſeptem. Maldonatus ait, Chriſtum neque plures ſeptem, neque pauciores quatuor in Ægypto annos commorari potuiſſe. Qua in re ille non minus à ſcopo aberrat, quam alii, qui ultra duos annos progrediuntur. Nam ſi fundamenti loco ſupponatur, Herodem mortuum eſſe 42 anno Juliano, inſtante Paſchate, ineunte Aprili; Chriſtum autem natum eſſe vel in fine 40, vel in principio 41 Juliani anni (ut id ad Luc. 2. 1, ex Johanne Kepplero demonſtrare nobis certum eſt) intercedent inter nativitatem Chriſti & mortem Herodis non amplius quam 15 menſes. Jam ponatur Magos, fere menſe poſt nativitatem Chriſti exacto, Bethlehemum veniſſe, nempe paulo ante purificationem Mariæ, ac Joſephum paucis diebus interjectis poſtea ſe itineri commiſiſſe, remanebunt a Joſephi abitu ac fuga ad Herodis obitum circiter 14 menſes. Antequam autem fama de morte Herodis in Ægyptum penetraret, & interea dum Joſephus ſe ad iter accingit, facile menſes aliquot effluere potuerunt: ut ita totum tempus manſionis Chriſti in Ægypto propemodum ad duos annos excurrerit. Joſephum autem mox poſt Herodis exitum divinitus fuiſſe admonitum de revertendo in Judæam, ex ℣ſ. 12 infra intelligetur.

Quo loco vel civitate Ægypti Joſephus commoratus fuerit, ſcire parum intereſt. Scriptura alto id tegit ſilentio. Dubium autem non eſt, cum talem ſibi delegiſſe locum, in quo Judæi populares ejus quo-

quoque ſua habebant domicilia. Forſitan hoc etiam Deus, qui in omnibus tam fidelem ſancti hujus infantis curam geſſit, inſpiravit Joſepho, quo conſidere loco debuerit; quamvis id per tam miraculoſam revelationem, qualis fuit illa de fuga in Ægyptum & reditu in Judæam vers. 29, factum eſſe non opus ſit ſtatuere.

Quid Chriſtus per illud tempus in Ægypto egerit, magis quoque puerilis quam prudens quæſtio eſt: præſertim cum hiſtoria Euangelica nullam de eo quærendi anſam præbeat. Quid enim ab infante adeo memorabile fieri poteſt? quid aliud de eo cogitari, quam quod utera matris ſugat, quod pappet, fleat, matri arrideat & id genus alia?

Olim liber quidem circumferebatur ſub titulo, *De pueritia Chriſti*, in quo varia recenſentur miracula, quæ Chriſtus in Ægypto patraverit. Sed liber is jamdudum ab Hieronymo aliiſque Eccleſiæ doctoribus, ut fictitius, rejectus ac reprobatus eſt. Refert quoque Sozomenus lib. 5. cap. 20, quod cum Joſephus cum puero in civitate Hierapoli divertiſſet, arborem quandam proteram, quæ ſita erat prope portam, inclinato vertice puerum adoraſſe. Quod alii ita narrant, quod infans ipſe hoc miraculum effecerit. Sic ſcribit Hieronymus, cum Chriſtus in Ægyptum veniſſet, omnia idola, quæ in Templo erant Ægyptiaco, corruiſſe: uti quondam ſimulacrum Dagonis ante arcam Dei 1 Sam. 5. 3. Memoratur etiam, Joſephum in itinere, dum in Ægyptum tenderet, in latrones aliquot incidiſſe, qui eum adorti fuerint: ſed unum ex eis miſeratione infantis motum ſodalibus ſuis perſuaſiſſe, ut eum ſalvum ac indemnem dimitterent. Atque hunc latronem fuiſſe eundem illum, qui poſtea cum Chriſto crucifixus fuit, quique pendens oravit: *Domine, memento mei, cum veneris in regno tuo* Luc. 23. 42. Quæ omnes narrationes parum fidei merentur: quia non ſolum nullius probati ac fide digni Scriptoris auctoritate nituntur, verum etiam quia nulla ex hujuſmodi miraculis utilitas cernitur. Deus autem non ſolet miraculoſam virtutem ſuam fruſtra exercere: ideo etiam eam Chriſto in virili demum ætate, cum jam munus ſuum Propheticum auſpicaturus eſſet, communicavit Matth. 3. 16.

Ut adimpleretur.] Quis ſenſus ſit horum verborum, vide ſupra cap. 1. ℣. 22.

Quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem.] Matthæus nomen Prophetæ non expreſſit: ſed verba, quæ citat, apud alium nullum reperiuntur Prophetam, quam apud Oſeam capit. XI. 1. Cum vero Matthæus diſerte *Prophetæ* mentionem faciat, mirandum eſt merito, quod aliqui ex Interpretibus (quibus hac in re præivit Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de demonſtr. Euang.) affirmare non dubitent, Matthæum non ad hanc Oſeæ prophetiam reſpexiſſe, ſed ad illud vaticinium Balaami, qui Num. 24. 8 ait: *Deus qui eum eduxit ex Ægypto, erit ipſi velut fortitudo monocerotis.* Hæc verba Balaamum cenſent de Chriſto literali protuliſſe ſenſu, atque ſic à Matthæo eſſe hic adducta. Sed cum verba à Matthæo allegata aliter ſonent, quam Balaami; contra autem per omnia cum verbis Oſeæ Prophetæ conveniant; nulla cauſa eſt, cur Matthæum Balaami potius, quam Oſeæ prophetiam ſpectaſſe, exiſtimandum ſit. Neque credibile eſt, Matthæum ſimplici titulo Prophetæ impium Balaamum ornaturum fuiſſe. Et licet concederetur, Balaami verba ſenſu myſtico ad Chriſtum pertinere, omnes tamen circumſtantiæ monſtrant, ea literali ſenſu de populo Iſraëlitico, quem tunc Deus ex Ægypto eduxerat, intelligenda eſſe.

Ex Ægypto vocavi filium meum.] Quo ſenſu locus hic à Matthæo ad Chriſtum applicetur, inter Interpretes non convenit. Primo enim volunt plurimi, etiam hunc locum literali ſenſu ſimpliciter de Chriſto, & de nullo alio, qui figura ſit Chriſti, agere. Sed quomodo literaliter intellecta verba in Chriſtum quadrent, impendiò ſe macerant. Quamobrem in ſex, ſi non plures diverſas ſententias ſciſſi ac diviſi ſunt. Aliter enim hac de re ſentit Rupertus, aliter Euſebius lib. 9. Demonſtr. Euang. aliter Abulenſis quæſt. 57 in Matthæum, aliter Fr. Junius parall. 6, aliter Rivetus Comment. in Oſeam, aliter vulgaris turba Interpretum: uti apud Spanheimium Dub. 63. part. 2 fuſe legere eſt. At omnes iſtæ ſententiæ ſimul corruent, quando poſtmodum oſtendemus, hanc prophetiam ſenſu literali atque hiſtorico de Iſraëlitis loqui, ideoque de Chriſto alio, nempe myſtico ſenſu accipi.

Quod vero illi non hic ſolum, verum etiam in pleriſque prædictionibus Veteris Teſtamenti, quæ Chriſtum reſpiciunt, non admittant duplicem ſenſum, quorum unus literalis de typo ac figura Chriſti, alter myſticus proprie de Chriſto intelligendus ſit, ſed ſimpliciter ac directe literalem ſenſum ad Chriſtum trahant, cauſa eſt, quod exiſtiment, infringi hac ratione vim illarum prophetiarum, ex quibus probatio de Chriſto ſumitur. Verum haud attendunt, quod illi multo magis probationes ſeu argumenta iſta infirment, Judæiſque majorem blaſphemandi anſam præbeant, quando clariſſima ſcripturæ teſtimonia per vim & quaſi per cappillos ad ſuum trahunt propoſitum.

Altera ſententia eſt eorum, qui largiuntur quidem, hunc locum literali ſenſu de Iſraëlitis agere, ſed negant hic prophetiam de Chriſto contineri, verum duntaxat in ſenſu accommodativo, ſeu propter ſimilitudinem, inter rem quæ hic Chriſto accidit, & inter id, quod Iſraëlitico populo evenit, eum adductum eſſe à Matthæo, ſtatuunt. De quo modo Scripturam allegandi ſupra in 2 Appendice cap. 1 actum eſt. At ne unica quidem ratio eſt, ob quam locus hic pro prophetia de Chriſto habendus non ſit: ſiquidem videmus, in ſcriptis Veteris Fœderis Meſſiæ perſonam, tempus, locum, officium, beneficia, opera, paſſiones, aliaque plura, quæ cum eo geſta ſunt, per tot figuras atque prophetias eſſe propoſita atque præſignificata. NB.

Adde, quod ſupra etiam non parvum uſum ad noſtram ædificationem in eo obſervavimus, quod Deus filium ſuum protinus in infantia perſecutioni voluerit eſſe obnoxium, ideoque dubitandum non eſt, hanc rem una cum aliis innumeris ſub Veteri Teſtamento præfiguratam fuiſſe. Ad ſenſum accommodativum tum demum confugiendum eſt;

quando figuræ, vel prophetiæ, atque adeo myſtico ſenſui commodus non eſt locus. At quando præſto eſt ſenſus myſticus, par eſt, ut is tanquam perfectior alteri imperfectiori præferatur. Quid autem verisimilius eſt, quam quod populus Iſraëliticus, quem Deus tanto amore complexus fuerat, & tantis eum beneficiis præ cunctis aliis gentibus cumulaverat, typum geſſerit partim fidelium Chriſti, partim ipſius capitis Chriſti. Præſertim cum omnes prophetiæ atque figuræ, quæ de Chriſto extant, nonniſi ab hoc populo & ab iis rebus, quæ hunc populum concernebant, deſumptæ ſint. Quod autem objicitur; ſi hic locus prophetiam de Chriſto contineret, non fuiſſet dictum, *Vocavi filium meum*, ſed potius, *Vocabo filium meum*: id eſt nullius momenti. Si enim locus iſte nonniſi de Chriſto ageret, & non ſimul literali ſenſu ad aliud aliquid reſpiceret; item ſi id, de quo literalis ſenſus agit, nondum factum fuiſſe, ſed demum fieri deberet, omnino dicendum fuiſſet: *Ex Ægypto vocabo filium meum.* Atqui eductio ex Ægypto, de qua loquitur litera, jam tunc temporis, cum Propheta hæc verba pronunciaret, præterierat; ergo verba hæc aliter, quam prolata ſunt, proferri non potuerunt. Ita Deus de Davide dixit Pſal. 2. 6: *Ego conſtitui Regem meum in ſancto monte meo Sione.* Quod tamen longo poſt tempore in Chriſto, quem myſtico ſenſu verba ſpectant, impletum eſt. David jam tum Rex erat, cum Deus hæc verba proloqueretur; alioqui dixiſſet: *Ego conſtituam Regem meum in Sione.*

Tertia ſententia noſtro judicio veriſſima eſt, quod hic locus Oſeæ tacitam prophetiam contineat, adeoque duplicem ſenſum, literalem & myſticum habeat. Literalem ſenſum cuivis, qui modo antecedentia & conſequentia recte conſiderat, facile eſt intelligere, quod in eo de Iſraëlitis agatur. Locus integer ita habet: *Cum adhuc puer eſſet Iſrael, dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum. Sed cum vocarentur, à conſpectu eorum, Baalimis ſacrificaverunt, & ſculptilibus ſuffitum fecerunt.* Quibus verbis Deus primo amorem ſuum declarat, quo hunc populum adhuc tenerum, antequam in tantam multitudinem excreverat, proſecutus eſt; qui amor par fuit amori patris erga dilectum filium. Hinc etiam Iſraëliticus populus Dei primogenitus filius vocatur Exod. 4. 22, id eſt, Dei filius dilectiſſimus. Primogeniti enim filii patribus chariſſimi eſſe ſolent. Ita & apud Jeremiam cap. 31. 9 Deus loquitur: *Ego ſum Iſraelis pater, Ephraimus eſt primogenitus filius meus.* Deinde Deus pro maximo beneficio æſtimat, & ab Iſraëlitis haberi vult, quod eos ex Ægypto eduxerit, atque à graviſſima ſervitute liberarit. Quod beneficium illis, innumeris vicibus apud Prophetas & alibi inculcatur. Tertio objurgat eos Deus propter eorum ſummam ingratitudinem, quod pro beneficiis peſſimam gratiam rependant, ſeſe ab eo avertentes, atque alienorum Deorum cultui ſe addicentes. Ita etiam ſequentia docent, locum hunc de Iſraëlitico populo omnino literali ſenſu eſſe intelligendum.

Quod ad myſticum ſenſum attinet, certum eſt Iſraëliticum populum hac in parte Chriſti typum ac figuram fuiſſe. Quod inter cætera hinc patet, quod Propheta de eo, tanquam de una perſona loquatur. Etſi enim LXX Interpretes ſic hoc loco habeant, τὰ τέκνα αὐτῆς, *ejus filios*, tamen Hebraicus textus, quem Matthæus hic allegavit, illi verſioni anteferendus eſt. Notum quippe, LXX illos in pluribus locis ab Hebraica veritate recedere. Quam eorum ſupinitatem & audaciam acriter redarguit Hieronymus in Prologo Galeato, & in cap. 2 Matth. Minus etiam valet, quod nonnulli abſurdum putant, unum Chriſtum per integrum populum fuiſſe figuratum. Nonne enim per *ſemen mulieris contriturum caput Serpentis* Geneſ. 3. 15, literali ſenſu totum humanum genus, ſenſu autem myſtico Chriſtus intelligitur? Et ſi non eſt abſurdum, quod totus populus Iſraëliticus tanquam unica perſona, nempe tanquam primogenitus filius conſideratur, uti ſupra ex locis Exod. 4. 22. Jerem. 31. 9 monſtravimus: utique etiam abſurdum non eſt, quod totus Iſraëliticus populus etiam typus unius perſonæ Chriſti ſit. Imo ſi hoc abſurdum foret, oporteret quoque abſurdum eſſe, quod duæ perſonæ ſingulares fuerint duorum populorum typus; ſicut de Eſavo & Jacobo legimus Gen. 25. 23. Similiter de Iſaaco legimus, quod per eum Spiritualis Iſaacus, id eſt, populus Chriſti adumbratus fuerit Roman. 9. 28.

PARS III.

SEquitur tertia Pars hujus capitis, immane ſcilicet infanticidium Betlehemi ab Herode patratum.

Verſ. 16. *Tunc Herodes videns.*] Vox *Tunc* non eſt tam ſtricte accipienda, de illo tempore, quo Herodes vidit, ſe à Magis deluſum: ſed neque etiam complectitur (uti deinceps intelligetur) tam laxum tempus, quemadmodum haud pauci Interpretes ſentiunt, cenſentes Herodem ad tempus aliquod infanticidium hoc diſtuliſſe, & commodam occaſionem expectaſſe, ne inſidiæ animadverterentur, quas recens genito infanti, de quo per Magorum adventum fama per univerſam regionem percrebuerat, ſtruebat. Res enim hæc moram non ferebat ullam: quippe ejus crudelitas toti Judaico populo nota facile homines inducere poterat ad cogitandum, quod is alium Regem, qui non ſit de ſua familia, ſuccreſcere ac vires acquirere non eſſet paſſurus; ideoque infans hic haud difficulter potuiſſet ſemoveri atque abſcondi. Interim tamen fieri potuit, quod infantem hunc ante curaverit à ſuis diligenter inveſtigari, ut ſolum occideret, quam decretum de omnium infantem cæde animo ſuo conciperet. Ad quam rem in tam exiguo oppido ei unus atque alter dies ſufficiebat.

Quod illuſus eſſet à Magis.] Magi revera non ludificarunt Herodem, ſed is ita interpretatus eſt, quod, prout in ſe receperant, ad eum non revertiſſent. Proinde & Matthæus id ita refert, non prout res erat, ſed prout arbitrabatur Herodes. Vel, vocat id ludi-

id ludificationem, quia ludificationem res redolebat.

Extra omnem dubitationem eſt, quod Magi nihil in eo peccarint, quod promiſſum ſuum de revertendo ad Herodem non ſervarint. Dei enim mandatum aliis rebus omnibus majus eſt & antiquius. Præterea neque talibus promiſſis ſtandum eſt, quæ alteri noxam ac detrimentum ingens, ei autem, cui facta eſt promiſſio, utilitatem nullam afferre poſſunt, ſed ei potius maximi peccati occaſionem ſubminiſtrare queunt: inprimis, quando is ſuum malitioſum diſſimulat propoſitum, & aliud aliquid præ ſe fert. Quemadmodum hic faciebat Herodes, qui Magis perſuaſerat, ſe venturum & infantem adoraturum: infanticidium autem, quod coquebat in animo, illos maxime celaverat. Quin etiam extra tales circumſtantias in rebus inhoneſtis ne juramentum quidem ſervandum eſt. Ita David non ſervavit juramentum, quo ſe obſtrinxerat, Nabalem cum tota domo exſtirpare 1 Sam. 15.22,34.

Iratus eſt valde.] Videbat enim conſilium ſuum irritum fuiſſe.

Et mittens.] Nempe Satellites ſuos & apparitores: uti etiam infra cap. 14. 10. Non enim habebat hæc tyrannis ullam ſpeciem, ut per proceſſum juris peragi poſſet, ſed violenta ratione perficienda erat. Non eſt improbabile, Herodem legionem aliquam exercitus ſui in ditione Betlehemitica, inque ſingulis domibus unum aut alterum militem locaſſe: qui deinceps ſigno dato, aut clam accepto mandato, cædem in tota regione una hora perfecerunt.

Occidit.] Per eos, quos miſerat, milites. Merito cædes hæc ipſi Herodi adſcribitur, cum ex ejus facta ſit mandato.

Omnes pueros, qui Betlehemi & in omnibus finibus ejus erant] Si Herodes ante quæſivit hunc infantem, nec invenit, proculdubio credidit, eum vel in oppido Betlehemo, vel ruri alicubi celari: idcirco lethifero enſe ſuo per totam Betlehemi ditionem graſſatur.

Eſt vero credibile, eos qui infantem inveſtigarunt, prius indicaſſe Herodi, eum à ſe non poſſe reperiri: atque id tanto magis iram ejus inflammaſſe, & ad tantam in innoxios infantes rabiem exercendam exſtimulaſſe. Nam quod eis ſtatim in mandatis dederit, ut ubi infantem non repererint, omnes interficiant pueros, non eſt veriſimile.

A bimatu & infra, ſecundum tempus, quod diligenter exquiſierat à Magis.] Dubium non eſt, Herodem aliquanto laxius ſumpſiſſe tempus, quam ex Magorum relatione veram infantis ætatem intelligere poterat. Nimirum cogitare poterat, ſtellam vel ſimul cum nato infante, vel paulo poſt exortam eſſe: aut etiam potuiſſe eam in cælo ante luxiſſe, quam Magi eam animadverterent. Itaque tempus non adeo ſtricte accipit, ſed adjicit ei nonnihil, ne, quem quærebat infans, manibus ejus elaberetur. Confirmantur vero per hunc bimatum ea, quæ ſupra verſ. 2, de tempore apparentis ſtellæ ex ſententia Joh. Keppleri diſputavimus: quod ſcilicet ſimul cum magna conjunctione ſuperiorum planetarum, quæ paulo ante nativitatem Chriſti contigit, exorta fuerit; dum nempe Saturnus & Jupiter primum conjuncti ſunt: quod factum in junio 39 anni Juliani. Si igitur Chriſtus natus eſt ad calcem anni 40 Juliani, vel ab initio 41, tum exortus ſtellæ propemodum 18 menſibus nativitatem Chriſti anteceſſit. Hiſce Herodes majoris cautionis gratia adhuc 6 menſes addidit, in cauſam, ſi forte Magi eraſſent.

Inſtituitur hic quæſtio: Cur nulla iſtius infanticidii mentio extet vel apud Joſephum, vel alium ullum rerum Judaicarum Scriptorem; cum tamen Joſephus cæteroquin, inprimis in deſcribenda vitæ Herodis rerumque ab eo geſtarum hiſtoria, diligentiſſimus fuerit, ita ut ne minimas quidem circumſtantias tacito pede præterierit? Quæ quæſtio digna eſt vindice, propterea, quod Judæi ſoleant etiam hac in re Matthæum falſitatis accuſare, quod talia ſcripſerit, quæ nullius niſi ipſius unius teſtimonio nituntur. At qui talia Euangeliſtæ noſtro objectant, tenentur juſtam proferre rationem, cur Matthæo in narratione hujus hiſtoriæ minus credendum ſit, quam innumeris aliis ſcriptoribus profanis, Livio, Tacito, Suetonio, Dioni, Herodiano &c, quorum Scripta pro fide dignis ab omnibus ſine tergiverſatione recipiuntur, quamvis interdum fiat, ut unus aut alter tale quid narret ac deſcribat, quod à nullo alio auctore deſcriptum eſt. Demonſtrant vero omnes circumſtantiæ rei geſtæ ac temporis, infantium hanc cædem tunc contigiſſe, cum cædibus ac interemptionibus tam intra quam extra domum Herodis (uti ſupra narratum) plena eſſent omnia: cum ſcilicet aliquot millia Phariſæorum Herodi juramentum fidelitatis præſtare recuſarunt, & cum uxore Phæroræ fratris Herodis conſpiraſſent de regno ab Herode ad iſtius poſteros tranſferendo; cum omnes trucidarentur, in quos vel minima cadebat ſuſpicio, quod complices vel conſcii hujus conſpirationis fuerint; ita ut ne fidiſſimis quidem ſuis ſervis Bagoæ & Caro Herodes parceret. Euſebius ad annum 2. Olymp. 144 tradit, Herodem tunc ſæviiſſe εἰς τὰς ὑφηγήσεις καὶ τῶν ἱερῶν νόμων, *in præſides ſacrarum legum.* Etſi fides danda eſt Pſeudo-Philoni, Herodes tunc temporis etiam tyrannidem exercuit in Synedrium, idque oppreſſit. Ad quas turbas cum novus de novi regis nativitate nuncius acceſſiſſet, Judæoſque in expectationem ac ſtudium novarum rerum erexiſſet, credibile eſt, ſub prætextu ſuperioris conſpirationis, hoc quoque infanticidium eſſe patratum: & forte culpa in milites conjecta eſt, quod mandati fines tranſgreſſi ſint. Proinde Joſephus merito excuſandus eſt, quod in deſcriptione longe graviorum Herodis facinorum cædiumque occupatus (quanquam ne illas quidem omnes deſcripſit) hanc infantium cædem tranſilierit; cum hæc cum aliis crudelitatis ac tyrannidis ab Herode exercitæ ſpeciminibus collata, minoris eſſet momenti. Fieri quoque poteſt, eum in Diario Herodis, quod continebat acta Herodis quotidiana, ab aliquo ex Herodis aulicis annotata, nullum de ea reperiſſe indicium: quia ſcilicet is annotator hanc hiſtoriam minus dignam æſtimavit, ut in commentarium referretur. Neque abſimile vero eſt, etiam Antipatrum Hero-

dis filium ſe huic negotio admiſcuiſſe. Etenim Herodes, jam ſeptuagenarius exiſtens, non poterat ſibi vitam fore tam diuturnam ſperare, ut puer hic adoleſceret, ſibique nocere poſſet: ſed de poſteris ſuis erat ſolicitus, quibus regnum tuto volebat relinquere. Hæres autem proximus regni ejus erat Antipater filius ejus, cui tanta regnandi libido inerat, ut mortem Patris expectare longum ipſi nimis videretur, ideoque de eo veneno tollendo conſilia cum Phærora claudeſtina iniret. Unde factum, ut pater, re cognita, cum quinque ante obitum ſuum diebus ſtrangulari juſſerit, & Archelaum hæredem regni ſcripſerit. Jam vero facillium eſt creditu, Antipatro non minus quam patri nuntium de novi Judæorum Regis nativitate diſplicuiſſe, & non minus eum crudelia agitaſſe de puero necando conſilia, aut etiam patri in executione cogitati infanticidii fidelem operam navaſſe. Tametſi vero Joſephus hujus infantium cædis nihil meminerit, factum tamen eſt non ſine Dei ſingulari providentia, ut Macrobius Scriptor Romanus, homo Ethnicus, ideoque hac in parte minime ſuſpectus, qui magno fuit in pretio apud Cæſares Honorium & Theodoſium, hanc Matthæi confirmet narrationem, fidemque ei conciliet. Nam inter alia falſe dicta ab Auguſto Cæſare, lib 2. Saturnal cap. 4, refert hoc quoque ejus de Herodis tyrannide dicterium: *Cum audiiſſet* (loquitur de Auguſto) *inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait, Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium.* Quod profecto apprime cum narratione noſtri Euangeliſtæ hoc loco congruit. Quod enim Macrobius Syriam nominat, in eo non erravit; nam Judæa pars erat Syriæ. Hoc unum perplexum eſt, quemnam Macrobius intelligat Herodis filium, qui una cum pueris Betlehemiticis occiſus ſit. Aliqui ut Caſaub. Ep. 2 ad Baron. cenſent, ſe puerum aliquem, quem Herodes ex quadam Betlehemitica pellice ſuſceperit, & Betlehemi educari curarit. Verum de eo nullum extat fide dignum teſtimonium, ſed mera conjectura nititur. Neque admodum eſt veriſimile, Herodem in tam gravi ac decrepita ætate adhuc liberos genuiſſe. Itaque alii exiſtimant, Macrobium duas hiſtorias confudiſſe, & quia Herodes non multo poſt hoc infanticidium filium ſuum Antipatrum ſupplicio affecit, inde factum eſſe ut Macrobius errore lapſus (quales errores facile obrepunt apud ſcriptores in rerum exterarum ſibi minus perſpectarum relatione) exiſtimaret, utramque cædem ſimul unoque tempore patratam eſſe.

Reſtat adhuc una quæſtio hoc loco diſcutienda: Cur Deus tam diram atque horrendam crudelitatem exerceri in hos innoxios infantes permiſerit, & quidem filii ſua cauſa, qui populo ſuo in ſalutem ac gaudium potius, quam in perniciem atque cordolium naſci debuit? Betlehemum à Michea Propheta tam magnificis verbis ſupra omnes Judææ civitates extollitur, ideo quod Meſſias ibi naſciturus eſſet. Atqui modo ejus ortus gaudii loco ſummum attulit mœrorem, planctum, & ejulatum, excuſſitque lacrymas acerbas tot matribus, inſontem liberorum ſuorum ſanguinem miſerabiliter complorantibus. Etſi Deus ſæpiſſime judicia ſua propter parentum peccata etiam in inſontes effundit liberos, id quod vel ex primi mundi interitu ſatis elucet; tamen videtur convenientius fuiſſe, ut Deus vindictam, quam forte peccatis ſuis commeruerant Betlehemitæ, in aliud diſtuliſſet tempus, & non eo illam exercuiſſet tempore, quo omnes gaudio ac lætitia ob nativitatem ſervatoris mundi exultare decebat. Ad hoc reſpondendum eſt, non eſt, quod quis huic negotio aliquod peculiare myſterium meſſe putet, idque magis, quam in mille ſimilibus caſibus, qui in mundo eveniunt, ubi novum non eſt, ut immanium tyrannorum crudelitas etiam in innocentiſſimos ac ſanctiſſimos graſſetur homines. Cædes hæc ab Herode commiſſa eſt non juſſu, aut inſtinctu divino, non ab ejus voluntate aut decreto profecta eſt, ſed ex propria Herodis improbitate atque tyrannide. Quod Deus eam non impediret, non eſt ideo ullius injuſtitiæ accuſandus. Eſt quippe ille abſolutiſſimus creaturæ ſuæ dominus, cui poteſtas eſt integra, vitam eripere, quando libet, & cui libet, vel ut ab aliis eripiatur permittere. Unde etiam accidit, pro imperſcrutabili ejus conſilio, ut non raro multi fidelium ejus, qui ipſum ex animo colunt, uno eodemque exitio cum impiis involvantur. Præterea etſi pueri hi innocentes fuerint, forſitan tamen parentes eorum non indigni fuerunt tanta Dei ira, qui in Lege comminatus eſt, ſe delicta parentum puniturum in liberis uſque ad tertiam & quartam generationem Exod. 20. 5. Fieri poteſt, ut præter alia enormia flagitia, quibus tota regio ſcatebat, ac polluta erat, etiam hoc ipſo provocarint iram Numinis, quod res tam inſignes atque mirabiles, quæ circa natales Chriſti contigerunt, eiſque à paſtoribus ſunt annunciatæ Luc. 2. 8, 9 & ſeqq. ſupino animo neglexerint; aut etiam infanti ac parentibus ejus non tantum honoris & charitatis atque humanitatis præſtiterint, quantum debebant; cum miracula illa ad id eos ſatis excitare potuerint. Quod autem hoc tragicum ſpectaculum non debuerit eo contingere tempore, quo omnes ſuper nativitatem Chriſti lætari ac exultare debebant, id dicere & cogitare carnale ac Judaicum eſt. Quaſi vero Deo magnopere curandum fuerit, ut feſtivitas natalium filii ejus carnali cum hilaritate ac tripudio celebraretur. Betlehemitæ anſam habuerunt etiam in mediis ærumnis ac fletu ſuper triſtem liberorum ſuorum necem, nihilominus lætandi, & liberorum ſuorum, qui Deo ſic volente in manus furibundi tyranni devenerant, facile oblivifci potuiſſent, ſi ſerio in animum admiſiſſent, quod Angelus paſtoribus dixit, & illi viciſſim à paſtoribus audiverunt: *Vobis hodie natus eſt ſervator, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe Davidis* Luc. 2. 11. Quare cædes iſta non ad ſingularem, ſed ad univerſalem ac ordinariam Dei gubernationem pertinet, de qua non eſt major, quam de omnibus ejuſmodi caſibus, quærendi cauſa, cur Deus permiſerit. Ipſe infans Jeſus quiete carnali, qua tenera ætas ejus indigebat, frui non poterat, ſed vix natus fugere coactus eſt, non ſine moleſtia, & ſi naturam ſpectes, non ſine mœrore atque anxietate parentum. Chriſti ortus nemini corporale

porale gaudium ac quietem attulit, & ne ipſi quidem; ſed quod iſtis Betlehemiticis pueris obtigit, id ipſe, quanquam longe perfectiori innocentia, quam illi, ornatus eſſet, expertus eſt: nempe contumelioſiſſimam & acerbiſſimam mortem.

Frigidum Papiſtarum figmentum Salmero tract. 44. Tom. 3. non eget hoc loco operoſa refutatione: quod ſcilicet inſontes hi pueri Patres antiquos ex limbo vel ex purgatorio liberarint, quod Angeli ſuper eorum cædem exultarint, dæmones autem magna impleti fuerint triſtitia, quos hujus lanienæ procuratæ vehementer pœnituerit, cum viderent, horum puerorum animas in ſinum Abrahæ deferri, ab Angelis, ac ſimul ab iiſdem cum clamore occini: *Ex ore infantium & lactentium laudem præparaſti.* Item quod Chriſtum matremque ejus cum gaudio viſitarint. Maldonatus ait, Judæos in Babyloniam, hos vero infantes in Abrahami ſinum eſſe deportatos: omneſque veteres Scriptores (quos ordine enumerat) incredibili conſenſu pueros iſtos in martyrum numerum referre. Licet enim Baptiſati non fuerint, nec ſponte ſua mortem ſuſceperint, eos tamen in proprio ſanguine fuiſſe baptiſatos: quodque in pædobaptiſmo aliena fides vulgo efficit (cum videlicet infantes in ſuſceptorum ſuorum fidem baptiſantur, quæ fides illos nihil juvat, eſtque ſuperſtitioſa & omni vi atque efficacia deſtituta Ceremonia) id perverſam tyranni præſtitiſſe voluntatem, qui eos Chriſti cauſa occidit, ut quantum ille noxæ inferre voluit, tantum ejuſdem crudelitas ipſis in bonum ac commodum ceſſerit &c. Hoc tantum puerorum iſtorum æſtimium effecit quoque, ut peculiare feſtum horum infantium, faſtis ſeu Calendariis inſereretur. Verum hujuſmodi ſomniis ac fabulis, quæ ſeipſas refellunt, Romanenſium Eccleſiam abundare mirum non eſt: magis mirandum eſt, eos Chriſtianos qui nuntium ei remiſerunt, nihilominus iſtos infantes tanti facere, ut eos veris martyribus accenſeant, & tam certo ſalutem æternam eis adjudicent. Unde enim tum Romanenſes, tum Euangelici ſic dicti demonſtrare aut ſcire poſſunt, quod iſtis pueris nex, quam ſubierunt, eodem modo, atque martyribus veris, qui proprie ob Chriſti nomen & confeſſionem, certo ac deliberato conſilio vitam ſuam Deo in ſacrificium offerunt ac devovent, imputabitur. Longe aliud eſt, ex certa occaſione propter Chriſtum mori; & aliud, propter fidem in ipſum mortem oppetere. Non eſt horum infantium alia ratio aut conditio, quam aliorum infantium, qui mortui, vel ex aliis cauſis occiſi ſunt, de quorum ſalute vel damnatione non eſt noſtrum decretoriam ferre ſententiam, ſed juſtiſſimo Dei judicio ſunt committendi.

De numero occiſorum infantium etſi taceat Scriptura, tamen Romana Eccleſia tradit fuiſſe 14000: quem numerum ex Miſſa Æthiopum depromunt. At numerus hic longe major eſt, quam ut exiguo Betlehemi territorio conveniat, præſertim cum non niſi bimuli & minores natu trucidati ſint. Quanquam probabile eſt interfectores illos non ſcrupuloſe ætatem puerorum à parentibus exquiſiviſſe, ſed ex ſtatura externaque forma pro ſuo arbitratu de ætate eorum judicaſſe: ac proinde non pauços biennio majores occidiſſe.

Horum infantium oſſa adhuc inter Sanctas Romanas reliquias aſſervantur. Sed quæri merito poteſt, quiſnam ea collegerit, Chriſtianine an Judæi? Quis etiam dubitet, parentes liberos ſuos occiſos humari curaſſe? Quis vero eos effodit rurſus è terra, & in Romanum reliquiarum gazophylacium (ubi aſinorum oſſa crebro pro Sancti alicujus oſſibus oſtentantur) detulit? Pellucet ſtatim fraus & ipſum ſe prodit mendacium.

Verſ. 17. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt à Jeremia Propheta.*] Locus eſt ſcriptus cap. 31. 15.

Verſ. 18. *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus & ejulatus multus; Rachel plorans liberos ſuos & noluit conſolari, quia non ſunt.*] Primo hic ſciendum eſt, Matthæum allegare hunc locum ex LXX Interpretum verſione, quæ in nonnullis parvi ponderis rebus, quæ rei ipſi nihil derogant, à textu Hebræo diſcrepat: quemadmodum poſtea, ubi ad ſingularum rerum conſiderationem veniemus, patebit. Deinde, quod rem ipſam attinet, de qua loquitur Jeremias, diverſæ ſunt de ea diverſorum ſententiæ: quas omnes examinare, & minus probabiles confutare, operæ pretium non eſt. Eſt autem ex omnibus circumſtantiis illius loci clarum, quod in eo de abductione populi Dei in peregrinam ſervitutem agatur. Cum autem ejuſmodi abductiones duæ fuerint; una x tribuum Iſraëliticarum in Aſſyriam per Salmanaſſarem facta 2 Reg. 25. 21. Remanet quæſtio, de quanam loquatur Propheta? Longe vero probabilius eſt, eum de poſteriori, quam de priori agere. Primo, quia queſtus, ejulatus & ploratus Rachelis neque in Samaria, neque in alia ulla civitate decem tribuum, ſed in Rama, quæ ſita erat in tribu Benjaminis (Joſ. 18. 25. Confer cum verſ. 2 & 21. Judic. 19. 13.) auditus fuit. Deinde, quia Deus mox captivos jucundo demulcet ſolatio reditus eorum ex captivitate, dum verſ. 16 inquit: *Revertentur ex terra hoſtili.* Et verſ. 17: *Redibunt filii tui ad terminos ſuos.* Atqui decem tribus poſt ſuam deportationem nunquam reverſæ ſunt, neque regnum eorum reſtitutum eſt: ſed tribus Judæ ac Benjaminis regimen Regium (quanquam minori cum ſplendore quam antea) rurſus obtinuit.

Quod ſenſum atque intellectum verborum Prophetæ ſpectat, primo exprimitur locus, ubi vox lamentabilis audita ſit, cum ait: *Vox in Rama audita eſt.* *Rama* apud Hebræos ſignificat *Altitudinem*; unde Hieronymus ſic reddidit hæc verba: *In altitudine vox audita eſt*; quo modo etiam Syrus & Arias Montanus verterunt, exiſtimantes, Prophetam indicare voluiſſe, quod tantus fuerit ploratus atque ejulatus, qui longe lateque exaudiri potuerit, non aliter quam ſi in loco aliquo excelſo editus fuiſſet. At cauſæ nihil eſt, ob quam proprium nomen civitatis *Ramæ* hic retinendum non ſit; præterea in Hebræo potius ſcriptum fuiſſet *bimeram* (uti habetur verſ. 12 ejuſdem capitis) vel *bimeramim*. Itaque Chaldæus quoque Paraphraſtes & LXX Interpretes nomen Rama hic retinuerunt. Duplex autem poteſt eſſe horum verborum ſenſus: Vel, quod vox, quæ Ramæ à plorante Rachele emiſſa eſt, audita ſit (intellige, Ramæ aut alibi) vel, quod alibi edita vox, Ramæ audita ſit. Prior ſenſus magis quadrat ad eum ſenſum,

ſum, quem Propheta tunc ſpectavit; alter autem magis ad eum, quem ſpectavit Matthæus. Quia enim nonniſi pueri Betlehemitici & qui erant in finitimis locis occiſi ſunt, longe probabilius eſt dicere, vocem hanc à tota Betlehemitica ditione editam, & Ramæ quoque auditam eſſe, quam, eam Ramæ editam eſſe, quæ non ad Betlehemiticum territorium, quod in tribu Judæ ſitum erat, ſed ad tribum Benjamiticam pertinebat; quamvis non magno intervallo remota eſſet à Betlehemo: uti ex ſupra citato loco Judic. 19. 13. intelligitur. Ex ſenſu autem Prophetæ recte dicitur, quod vox Ramæ emiſſa fuerit: quia ex Jerem. 40. 1, 2, 3, 4 patet, captivos tunc per oppidum Ramam traductos fuiſſe (ubi etiam Jeremias Propheta magno cum honore dimiſſus fuit) & dubium non eſt, in illo miſerabili tranſitu graviſſimam lamentationem ac ejulatum tam ab incolis Ramæ, quam à captis ac vinctis Judæis editum fuiſſe.

Multus ploratus, ejulatus & ululatus] Hæc eſt deſcriptio illius vocis, quæ in Rama audita eſt. In Hebræo textu legitur, *ploratus & ejulatus acerbitatis*, id eſt, acerbus ejulatus. Senſus nihil variat: nam *acerbus*, id eſt, vehemens & ex contrito corde proficiſcens ploratus, ſine ululatu eſſe non ſolet.

Rachel plorans liberos ſuos.] in Hebræo eſt, *Rachel plorat ſuper filios ſuos.* In ſenſu nulla eſt alicujus momenti differentia. In Græco, *Rachel plorans* (ſub intellige, *erat*) *ſuos liberos*: phraſi Hebr. Vide ſimilia loca Rom. 5. 11. VII. 13. IX. 28. 1 Cor. 3. 19. Sumitur autem in verbis Prophetæ Rachel pro filiabus ſeu poſteris Rachelis, id eſt, pro mulieribus Benjamiticis, quarum liberi partim necati, partim in captivitatem aſportati fuere. Atque ideo Rachel apud Prophetam plorans introducitur, quamvis jam longo ante captivitatem Babylonicam tempore defuncta eſſet, quia fœminæ ex ea oriundæ, liberos ſuos defleverunt. Quanquam hic etiam figurata locutio, quæ Proſopopœja dicitur, locum habere poteſt, ut ſenſus ſit: *Rachel plorat ſuos liberos*, id eſt, ſi Rachel tunc temporis ſenſu prædita fuiſſet, & horribilem poſterorum ſuorum interitum oculis ſuiſmet uſurpare potuiſſet, non potuiſſet ſibi temperare à lacrymis. Vel, tam miſerabilis erat ploratus & ejulatus, ut penetrare in mortuorum monumenta, & vita caſſos homines ad commiſerationem movere potuiſſet. Rachel ipſa potuiſſet ſurgere, & ſuorum liberorum cladem planctu & lachrymis proſequi. Atque hoc ſenſu videtur Matthæus hunc locum allegare. Sed cur, quæres, non Lea potius, ex qua natus fuit Judas, & cujus poſteri fuerunt Betlehemitæ, hic introducta eſt? Primo, quia Rachel Betlehemi jacebat ſepulta, Gen. 35. 19. xlviij. 7. Sam. 10. 2. ideo vult dicere Matthæus, Rachelem ipſam ploraturam fuiſſe, ſi rem tam miſerabilem, & calidas Betlehemiticarum matrum lacrymas vidiſſet. Ut ita Rachel loco omnium plorantium Betlehemiticarum fœminarum plorans inducatur. Deinde tametſi illa horum puerorum Mater non fuerit, ſed Lea, potuerunt tamen ejus liberi dici, propterea quod viri ejus & germanæ ſororis ejus liberi eſſent. Quo accedit, quod ab eo tempore, quo Regnum in duo regna diviſum eſt, Benjamitica & Judæ tribus pro una tribu numeratæ fuerint, & illa in hac fuerit comprehenſa. 1 Reg. 11. 31, 32. XII. 20, 21.

Et noluit conſolari.] Hoc erat ſignum maximi luctus & doloris. *Quia non ſunt amplius.*] In his verbis cauſa tam lugubris planctus & ejulatus mœrentium matrum indicatur. In Hebræo eſt, *Quia non ipſe*, intellige, *eſt*. Aliqui hunc putant eſſe iſtorum verborum ſenſum: Rachel non vult conſolari, quia nemo erat, qui eam conſolaretur. Ac contrarium potius verbis iſtis, *Et non vult conſolari*, ſignificatur, quod ſcilicet dolor ejus tantus fuerit, ut nullam conſolationem quæcunque ei adhiberetur, admitteret. Conſolatorum ſatis ſuperque eſt, ſed apud eam conſolando nihil proficiunt. Itaque in his verbis potius uſitata eſt phraſis Hebræa, enallage numeri dicta, ut ſenſus ſit, *Quia non eſt*, pro, *Quia non ſunt*, nempe liberi Rachelis, quos deplorabat. Significationem horum verborum ſi ſpectes, de mortuis dicitur, quod non ſint amplius, etſi Spiritus eorum maneant ſuperſtites. Quo ſignificatu verba hæc apud Matthæum de occiſis pueris, ut & Pſal. 39. 14 accipiuntur. Huc facit etiam locus Job 14. 10. Thren. 5. 7. At apud Prophetam Jeremiam his verbis non tam ad occiſos, quam ad captivos reſpicitur: quod non ſint, ideo quia amplius non conſpiciuntur. Quemadmodum de Enocho dicitur, quod non fuerit amplius. Gen. 5. 24. quia ab humanis oculis remotus fuit. Jam nobis expendendum eſt, quo ſenſu & intellectu locus iſte Prophetæ ad Betlehemiticam infantium cædem à Matthæo applicetur? Lyranus, Hugo, Vatablus, Cornelius à Lapide, Fr. Junius. Nonnulli exiſtimant, Prophetam literali ſenſu infanticidium hoc Bethlehemeticum prædixiſſe: quod ut probent, non minus quam verſ. 15. de loco Oſeæ 11. 1. ſeſe torquent & macerant. Sed conſolatio, quæ apud Prophetam verſ. 16, 17. de captorum reditu ſubjicitur, vel ſola demonſtrat, literali ſenſu de Betlehemiticis pueris ibi ſermonem non eſſe: ſiquidem nullus ex iis à mortuis reverſus eſt. Alii volunt, locum hunc Jeremiæ eſſe typicam prædictionem infanticidii iſtius Bethlehemitici: quia afflictiones Eccleſiæ Veteris Teſtamenti, typus ac figura fuerint afflictionum Eccleſiæ Novi Teſtamenti. Verum ineptum nimis eſt, Betlehemiticos illos infantes Eccleſiæ Novi Teſtamenti annumerare. Nondum enim tunc Novum Fœdus à Chriſto (qui ipſe adhuc infans erat) annuntiatum erat. Et infantes illi, Judæorum liberi erant, ac proinde ad Vetus Fœdus pertinebant. Præterea cerni non poteſt, quomodo calamitoſus ille totius Judaici populi ſtatus figura fuerit infantium cædis in una civitate Bethlehemo pauculiſque pagis patratæ: & quomodo aſportatio fuerit typus necis; nec non populus rebellis ac recalcitrans innocentium puerorum. Durius etiam adhuc eſt, Ramam fuiſſe typum ſeu figuram Bethlehemi. Quapropter ſtatuendum eſt potius, (cui ſententiæ etiam plures eruditi viri Bucerus Chemnitius, Janſenius, ſuffragantur) Matthæum allegaſſe hunc Jeremiæ locum & ad cædem puerorum applicaſſe, non quod abductione Judæorum in Babyloniam figurata hæc cædes fuerit, ſed in ſenſu accommodativo, nimirum propter ſimilitudinem utriuſque miſerabilis ſtatus. Quaſi dicat: Hoc infanticidium æque miſerandum fuit ſpectaculum, atque olim fuit abductio populi in

Ba-

Babyloniam. Utrobique fuit luctuoſiſſimus ploratus atque ejulatus &c.

PARS IV.

SUpereſt ultima hujus capitis Pars, in qua ulterior Dei cura atque providentia circa Sanctum puerum Jeſum deſcribitur: Quomodo videlicet poſt obitum Tyranni Herodis, Dei mandato in Judæam reductus, & tutus locus ad educationem ejus in Galilæa commonſtratus ſit.

Verſ. 19. *Defuncto autem Herode.*] In Græcò eſt ſimpliciter, *cum finiſſet*, ubi ſubintelligitur, *vitam ſuam.* Sic etiam Matth. 9. 18. XXII. 25. Mar. 9. 44. Luc. 7. 2. Actor. 2. 29. VII. 15. Hebr. XI. 22. De tempore, quo defunctus ſit Herodes, vide ſupra verſ. 15. Habemus vero in ejus morte clarum exemplum nobis propoſitum juſti judicii Dei ſuper tam immanes tyrannos: dum eum tam truculento exitu interire voluit, ut ei vix ſimilis alius lectus vel auditus ſit. Juvat Judaicarum rerum Scriptorem Joſephum de morte Herodis loquentem audire. Antiquit. lib. 17. cap. 8. *Regis morbus*, inquit, *magis magiſque invaleſcebat; Deus enim exigebat ab eo pœnas improbitatis ejus. Primum invaſit eum ardens febris, quæ non tam extrinſecus ſentiebatur, quam intrinſecus corpus ejus urebat, & exedebat atque exſiccabat: præterea inſatiabili laborabat appetitu edendi, ut ſine intermiſſione cibus ei ſuppeditandus eſſet: ulcera enaſcebantur in inteſtinis, unde dolores & cruciatus exiſtebant immodici: pedes & pudenda malo, acri, ac mordaci humore intumuerant. Podex ejus computruerat & vermicabat, inguina dura erant & emortua, totum corpus graviſſimum ac teterrimum fœtorem redolebat. Præterea erat totus incurvatus, & omnibus membris captus, & difficulter reſpirare poterat. Quapropter creditum eſt fortiter à viris prophetiarum haud ignaris, Regem ideo ſic affligi, quod toties & tot modis adverſus omnem pietatem egiſſet* &c. Et rurſus in libro 1. cap. 21. de Bello Judaico ita habet: *Ab illo tempore Herodis corpus variis repletum eſt morbis. Non enim ſolum periculoſiſſima conflictabatur febri, ſed etiam cutim totam ejus ſcabies undique obſederat. Adhæc laborabat acri dolore ac torminibus inteſtinorum, tumebant ei pedes, perinde quaſi aqua intercute pleni eſſent, turgebat quoque totus venter. Loca ſecreta putreſcebant, ita ut vermes in eis enaſcerentur.* Item: *Præ aſthmate & pectoris anguſtia reſpirare difficulter poterat, & nullum membrorum ſuorum uſum habebat.* Et paulo poſt: *Cum cibum ſumere non poſſet* (nempe circa morbi finem, poſtquam à thermis transjordanis, quæ ipſi nihil ad ſanitatem profuerant, rediit) *& inſuper tuſſis eum ſuffocaret, voluit naturalem mortem antevertere; acceptoque in manus pomo, poposcit cultrum: conſueverat enim pomis in partes conciſis veſci. Poſtmodum circumſpiciens, ut animadvertit, neminem in ſe intentum eſſe ac impedimento ſibi eſſe poſſe, protenſa manu ſe ſemet tranſfixurus erat. Sed accurrit Achiabus conſobrinus ejus, manumque ejus inhibuit: hinc ejulatus ingens in tota Regia exortus eſt, eum tanquam jam mortuum lugentium. Qui nuntius ubi quoque ad Antipatrum* (filii Herodis incarcerati ideo, quod venenum patri paraverat) *pervenit aures, exhilaratus eſt, & oblata pecunia ardenter poſtulavit à cuſtodibus, ut dimittere eum vellent. Quod non ſolum prohibuit Præfectus eorum, verum etiam propere id nuntiavit Regi Herodi. Tum ille majori, quam pro ægroti hominis viribus, voce exclamavit, militeſque è veſtigio ire juſſit, ut Antipatrum necarent, cadaverque ejus in Hyrcano ſepelirent. Poſtea mutavit rurſus teſtamentum ſuum, Archelaumque filium ſuum majorem, Antipatri fratrem inſtituit regni hæredem, Antipam vero Tetrarcham. Poſt mortem Antipatri filii ſui Herodes adhuc quinque diebus fuit ſuperſtes, & tandem mortuus eſt.* Hucuſque Joſephus. Vide etiam Hegeſippum lib. 1. cap. 45. & Euſebium lib. 1. cap. 8. Hic finis fuit iſtius immanis belluæ; de cujus tyrannica rabie plura apud Joſephum leguntur.

Ecce Angelus Domini in ſomnio apparuit Joſepho in Ægypto.] Vide dicta hac de re cap. 1. 20.

Apparuit.] Gr. *apparet:* præſens pro præterito. Hebr. locutio.

Verſ. 20. *Dicens: ſurge & accipe puerum, & matrem ejus, vade in terram Iſrael.*

Mortui ſunt enim quærentes animam pueri.] In præcedenti verſiculo Matthæus tantum unius Herodis mortem deſcripſit: quare hic quoque Angelus non niſi Herodem intelligit. Quod autem numero plurali inquit, *mortui ſunt*, uſitata eſt Enallage numeri. Ita de uno Achane dicitur: *Abſtulerunt de anathemate & furati ſunt, & mentiti ſunt, & abſconderunt inter vaſa ſua* Joſ. 7. 11. Ita quoque Judic. 12. 7 dicitur, *Jephthen ſepultum eſſe in civitatibus Gilead*, pro, *in civitate Gilead.* Ita & Joh. 6. 45 affirmatur, ſcriptum eſſe *apud Prophetas*, cum id tantum apud Eſaiam ſcriptum extet. Similis locus eſt Act. 13. 40, ubi quod allegatur ex Prophetis, non niſi apud Habacucum legitur. Vide etiam Act. 15. 15. Matth. 26. 8. confer cum Joh. 12. 4, 5. Item Matth. 27. 44. confer cum Luc. 23. 39.

Aliqui arbitrantur, Matthæum idcirco in plurali numero loqui, quamvis unicum Herodem intelligat; quia Herodes unus fuit inſtar multorum, & quodammodo plures in ſe continuit: nempe multos lictores & ſatellites, quorum opera in quærendo infante uſus eſt. Sed quoniam iſti omnes non ſimul cum Herode mortui ſunt, ideo manet tamen, Angelum de unica duntaxat perſona Herodis loqui. Niſi forte quis improprie de illis dici poſſe autumet, quod idcirco pro mortuis quaſi habiti ſint, quod Herode mortuo nullam amplius vim ad necem inferendam vel ad nocendum habuerint. Verum hoc minus eſt probabile.

Hunc autem loquendi modum de Herode probe notare deberent illi, qui quando in plurali Scriptura de Deo loquitur, vel Deus in plurali numero loquens introducitur, ex eo concludunt, in unica Dei eſſentia plures Deitatis perſonas contineri. Nam hoc pacto etiam de Herode concludendum foret, quod plures perſonas in una habuerit eſſentia. Talis Enallage valde vulgaris eſt in Sacris Literis. Vide 1 Reg. 22. 3. 2 Paral. 10. 9. Marc. 4. 30. Confer cum Luc. 13. 18. Johan. 3. 11. Rom. 1. 5. Gal. 1. 8, 9. Hebr. 5. 11. VI. 1, 3, 9. XIII. 18. conf. cum verſ. 19. Verum de eo plura videantur ad Joh. 3. 11, ubi loca illa,

illa, quæ ad probandam trinitatem perſonarum in Deo ex talibus locutionibus adferri ſolent, excutiemus.

Quærentes animam pueri.] Quid per animam hominis intelligatur, ſatis unicuique notum eſt: nimirum inviſibilis ille & in corpore hominis latens Spiritus, cujus vi homo vivit, & operationes cunctas tam corpore quam animo peragit. Hic autem Hebræa phraſi metonymice improprie anima accipitur, pro vita: ut ſenſus ſit, Qui querebant infantis vitam, id eſt, vitæ ejus inſidiabantur, ut eam extinguerunt. Vide etiam Jerem. 39. 18. Matth. 10. 39. Luc. 17. 33. Joh. 10. 11. Aliquando *quærere animam* alicujus in bonam partem ſumitur: ut Pſal. 142. 8: *Nemo quærit meam animam*, id eſt, nemo mihi ſuccurrit, nemo fert ſuppetias.

Annotant quidam Interpretes, Angelum hic eadem uſurpare verba, quæ Deus ad Moſen in Madianitica terra locutus eſt: *Abi, revertere in Ægyptum, mortui enim ſunt, qui quærebant animam tuam:* Exod. 4. 19, ut ex inde pateat, inter utramque hiſtoriam aliquam ſimilitudinem intercedere. Joſephus quoque ſcribit, lib 2. cap. 5, hoc anſam dediſſe Pharaoni, ut voluerit omnes Hebræorum infantes interfici curare, quod ex certo quodam vaticinio intellexerit, magnum quendam Principem (qui Moſes fuit) è Judæis exoriturum.

Ille autem conſurgens accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Iſraël.] Cum ſupra verſ. 13 juſſus eſſet Joſephus ſurgere & in Ægyptum profugere, illico illa ipſa nocte Dei mandatum executus eſt: quia periculum ne minimam quidem patiebatur moram. Hic autem ad redeundum tam feſtinanter in terram Iſraelis ex Ægypto, nulla eum urgebat neceſſitas. Itaque veriſimile eſt, eum non eadem illa nocte, qua mandatum accepit, in viam ſe dediſſe, imo unum aut plures dies pro rerum ſuarum commoditate ibi eſſe commoratum.

Verſ. 22. *Audiens autem, quod Archelaus regnarit in Judæa loco Herodis patris ſui.*] Archelaus iſte filius fuit Herodis. Habuit autem Herodes novem filios. 1. Alexandrum. 2. Ariſtobulum. 3. Antipatrum. 4. Herodem. 5. Antipam, qui etiam poſtea Herodes uuncupatus eſt. 6. Archelaum. 7. Herodem ſecundum. 8. Philippum. 9. Phaſælum. Joſeph. lib. 2. cap. 1. Duos priores impulſus criminatione Antipatri, quaſi vitæ patris inſidias ſtuerent, curaverat ſtrangulari. Joſeph. lib. 16. cap. 17. Tertium Antipatrum, veneficii compertum, quinque ante obitum ſuum diebus juſſerat necari. Joſeph. lib. 17. cap. 9. Reliqui mortui ſunt, exceptis tribus, qui ſub tempus mortis Herodis ſuperſtites erant: iique fuerunt, Archelaus, Antipas & Philippus. Duo autem teſtamenta fecerat Herodes. In priori Antipatro regnum inſcripſerat. Sed poſt eum ſupplicio, ut dictum eſt, affectum, protinus mutavit teſtamentum, Archelaoque (cujus Matthæus hoc loco meminit) Regnum Judææ; Antipæ Tetrarchiam Galilææ ac Pereæ; Philippo vero (de quo Luc. 3. 1) Tetrarchiam Trachonitidis legavit: hac tamen addita lege, ne abſque Cæſaris Auguſti conſenſu atque confirmatione, vel Archelaus Regium uſurparet titulum, vel ullum aliud legatum pro rato ac validum haberetur. Ut ergo quinque diebus à morte Antipatri elapſis obiit Herodes, mox teſtamentum fuit publice lectum, atque Archelao ab univerſo exercitu fauſta cum apprecatione acclamatum eſt. Non ita multo poſt coörta eſt graviſſima ſeditio in populo, propter ſummum Pontificem Matthiam, quem Herodes depoſuerat, Joazaro in ejus locum ſuffecto. Populus igitur poſtulabat priorem illum reſtitui. In qua ſeditione ſedanda Archelaus tanta uſus eſt ſeveritate, ut cives ter mille in templo trucidari præceperit. Poſtmodum Archelaus Romam profectus eſt, confirmationis in regno à Cæſare obtinendæ cauſa. Jam de quonam tempore loquatur Matthæus, cum ait, Joſephum audiiſſe, quod Archelaus regnaret in Judæa, incertum eſt, utrum de tempore antecedente profectionem ejus Romanam, quo paternum teſtamentum per univerſam regionem devulgatum eſt; an vero de tempore conſecuto, quo Roma rediit & ut confirmatus à Cæſare Rex, regni gubernacula ſuſcepit. Probabilius tamen eſt, de priori tempore eſſe ſermonem, & Joſephum primo ſtatim rumore, qui ſparſus fuit de Archelao, quod ei pater teſtamento regnum legaverit, accepto eum extimuiſſe.

Timuit illuc ire.] Speraverat forte, Judæam poſt mortem Herodis Romani imperii provinciam futuram, qua ratione meliori fuiſſet conditione, quam ſub tam pravis & inexplebilis avaritiæ Regibus, qualis Herodes fuerat. Judæa quoque poſt Herodis mortem, cum ejus tres filii Romam abiiſſent, crebris eſt tumultibus ac ſeditionibus turbata. Inter alia Simon quidam, Herodis ſervus, pro Rege ſe haberi volebat; quem Quintilius Varus Præſes Syriæ oppreſſit. Joſeph. lib. 17. cap. 12. Itaque cum Archelaus Roma rediret, omnia reperit ſumme confuſa, multumque ei negotii faceſſiverunt varii turbones ac incentores ſeditionum, donec eos tandem omnes ab ima radice exſcinderet. Præterea Archelaus longe fuit truculentior quam reliqui Tetrarchæ fratres ejus. Quod ex Judæorum accuſatione, quam adverſus Archelaum apud Cæſarem inſtituerunt, ſatis liquet. Nam poſtquam primo de Herode, enumeratis ejus plurimis tyrannicis ac nefariis flagitiis, dixiſſent: *eum nomine tantum Regem fuiſſe, de cetero omnia nequitiæ ac flagitiorum genera, quæ unquam ab immaniſſimis tyrannis commiſſa ſunt, in pernicem ſubditorum ſuorum patraſſe; ad extremum addunt: In ſumma Herodem non aliter ipſis præfuiſſe, quam ſi alicui immaniſſimæ ac ſæviſſimæ belluæ data fuiſſet poteſtas in eos atque imperium. Et quamvis Judaicus populus ſæpius variis calamitatibus fuerit preſſus & oneratus, non poſſe tamen in ulla hiſtoria exemplum tale inveniri, quod cum præſenti ipſorum ſtatu, quo ſub Herode fuerunt, eſſet comparandum &c.* Quod autem illo è vivis ſublato Archelaum pro Rege acceperint, ajunt ſe id feciſſe propterea, *quod cogitarint, quiſquis tandem in locum Herodis ſucceſſerit, fieri tamen non poſſe, quin is mitius cum ſubditis acturus ſit, quam Herodes fecerat.* Itaque ſe Archelaum quidem ſuſcepiſſe, ſed *eum* (inquiunt porro) *quaſi metueret, ne pro Herodis filio non haberetur, adhuc ante, quam regni confirmationem adeptus eſſet, civibus ſpecimen futuri ſui regiminis exhibuiſſe.*

dum

dum loco victimæ 3000 ſuorum civium in Templo miſerandum in modum Deo immolavit. Joſeph. lib. 17. cap. 12, 13. Poſt hæc Archelaus tam intolerabilem ſe fecit, ut in anno regni ejus decimo de integro Judæi atque Samaritani ei apud Auguſtum Cæſarem litem intenderent. A quo is Romam citatus, poſtque cognitam cauſam omni pecunia multatus, deinque Viennam in Galliam relegatus eſt. Joſeph. lib. 17. cap. 13.

Regnaret.] Græca vox βασιλεύει propriè ſignificat, regnare tanquam Rex. Cæſar quidem Archelao regium titulum non conceſſerat (ſpem tamen ei fecerat, ejus obtinendi, ſi ſe prius dignum eo præſtitiſſet) ſed cum Tetrarcham duntaxat fecerat, etiam non niſi dimidiam partem ditionis, quam habebat Herodes, ipſi attribuerat, reliquum vero inter duos fratres Philippum & Antipam diviſerat: nihilominus ille regia cum poteſtate imperavit. Fuit etiam in patris teſtamento hæres Regni declaratus, totuſque exercitus eum tanquam Regem ſalutavit. Adhæc fratrum reliquorum ditiones ne in comparationem quidem venire cum Archelai ditionibus merebantur; totam namque Judæam, Idumæam, & Samariam retinebat. Quocirca non immerito Matthæus vocem βασιλεύει hic uſurpat.

Et admonitus in ſomnio ſeceſſit in partes Galilææ.] Quæ Antipæ ex ſententia Cæſaris obvenerat. & à quo major in regnando lenitas atque clementia, quam ab Archelao expectanda erat.

Verſ. 23. *Et veniens commigravit in civitatem dictam Nazareth.*] Hæc verba ita ſonant, quaſi Joſephus antea, quam in Ægyptum diſceſſit, non Nazarethæ habitaſſet, ſed demum poſt reditum ſuum ex Ægypto in ea domicilium collocaſſet. Quem verborum ſenſum illi urgent, qui Magorum adventum Betlehemum, poſt peractam purificationem Mariæ, & exhibitionem Chriſti Hieroſolymis factam, contigiſſe ſtatuunt. Nimirum cenſent, Joſephum certis ex cauſis ſedem ſuam è Nazaretha Betlehemum tranſtuliſſe, animo ibidem manendi. Ut vero eo loci mandatum de fuga in Ægyptum accepit, non auſum eſſe eum, metu Archelai, Betlehemum reverti, ſed ſe Nazaretham in Galilæam, ubi parentes uxoris ejus Mariæ habitabant, contuliſſe. Sed dici poteſt, Joſephum Betlehemitam fuiſſe, & cum uxor ejus Maria ab Eliſabetha, menſibus aliquot poſt conceptionem ejus exactis, Nazaretham rediiſſet, atque is eam gravidam eſſe animadvertiſſet, voluiſſe eum (poſtquam ab Angelo per ſomnium dicidit, unde eſſet illa uteri ejus intumeſcentia) Nazarethæ tamdiu commorari, donec illa felici partu onere ſuo levaretur: quo facto animum habebat eam domum ſuam, quæ Betlehemi erat, deducendi. Verum indicta à Cæſare Deſcriptio effecit, ut ſubito ac tumultuarie eo ſe conferre cogeretur. Poſt peractam vero purificationem ab Hieroſolyma profecti ſunt Nazaretham, ut res ſuas convaſatas Betlehemum tranſferrent: ſed fuga in Ægyptum propoſitum impediit. Itaque poſt ſuum reditum Betlehemi quidem habitare volebant, ſed metus Archelai & Dei mandatum eos Nazaretham deduxit.

Ut impleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quia Nazaræus vocabitur.] Locus hic eſt unus ex iis, qui tam Veteribus quam recentioribus Interpretibus cerebrum excutit. Nullus enim in tota Veteris Teſtamenti Scriptura reperitur locus, in quo expreſſe ſcriptum ſit, Meſſiam Nazaræum vocatum iri: tantum abeſt, ut id in pluribus locis ſcriptum ſit, prout verba hic videntur innuere, dum Matthæus de pluribus Prophetis loquitur, qui id teſtentur. Ad hoc quidam reſpondent, multa Veteris Teſtamenti ſcripta interiiſſe, neque ad noſtras pervenille manus: itaque fieri potuiſſe, ut in aliquo ex iſtis ſcriptis nunc non extantibus verba hæc ſcripta fuerint. Imo è Veteribus Chryſoſtomus (Hom. 9. in Matth.) & è recentioribus Muſculus, iſta verba Matthæi omnino in uno ex iis, qui perierunt, libris extitiſſe affirmant. Quod autem plures Veteris Teſtamenti libri interciderint, ex eo manifeſtum eſt, quod mentio fiat libri Nathanis Prophetæ, & libri Gad Videntis 1 Paral. 29. 29, & Prophetiæ Achiæ Siloniæ, & libri Addo Videntis 2 Paral. 9. 29, item libri Semeiæ Prophetæ & Addo videntis 2 Paral. 12. 15, & libri juſtorum Joſ. 10. 13. 2 Sam. 1. 18, nec non libri bellorum domini Num. 21. 14, & libri Domini Eſai. 34. 16. Denique in libris Regum ſæpius extat mentio Chronicorum Regum Judæ & Regum Iſraelis, quo ſcriptor ille Lectorem remittit. Vide 1 Reg. xi. 41. xiv. 19, 29. xv. 7. 23, 31, &c. 2 Reg. 1. 18. x. 34. xii. 19, &c. Judæi quidem, quibus non pauci quoque Chriſtiani ſuffragantur, aſſerunt iſta ſcripta citata Prophetarum Nathanis Gadis, Achiæ, Addonis &c. eſſe partem librorum Samuelis, & librorum Regum. Verum hæc aſſertio ipſa ſe evertit. Quomodo enim id poteſt eſſe pars librorum Regum, unde lector in ipſis libris Regum ad alia ſcripta remittitur? Adhæc lector in libris Regum ad eas res remittitur, quæ in libris Samuelis non habentur, nec, ſi temporum rationem ſpectes, haberi poſſunt: imo quæ etiam in libris Paralipomenon non reperiuntur, aut ſaltem non plura de iis habentur, quam quæ jam in libris Regum deſcripta ſunt. Sed ad libros hos amiſſos ut hoc loco confugiamus, neceſſarium non eſt: quandoquidem non tantum veriſimile non eſt, Matthæum ex talibus ſcriptis teſtimonium aliquod allegare voluiſſe, quæ tunc temporis in rerum natura non extabant, aut demum poſt Matthæi tempora libros iſtos periiſſe, cum Judæi diligentia majori quam unquam ſuperioribus temporibus omnia ſacra ſcripta aſſervarent; ſed etiam, quia quod hic ab Euangeliſta ſcribitur, in ſcriptis Veteris Teſtamenti, quæ hodie extant, omnino reperiri poteſt.

Sunt autem, qui Matthæi teſtimonium allegatum in Scripturis quærunt, in duas ſententias diviſi. Primo ſunt, qui vocem Nazaræus, qua Matthæus hic de Chriſto utitur, ab Hebræa voce Neter, quæ *ſurculum* denotat, deducant, putentque Matthæum alluſiſſe ad illam Eſaiæ prophetiam cap. xi. 1: *Egredietur virga de ſtirpe Jeſſe, & ſurculus* (Hebr. Neter) *de radice ejus aſcendet.* Per *Virgam* ex ſtirpe Jeſſe, volunt ortum Chriſti Betlehemi, per ſurculum (Nezer) habitationem & educationem ejuſdem Nazarethæ indicari, è qua ille non ſecus ac ſurculus è radice ad munus ſuum obeundum prodierit: quippe cum Na-

zareth à voce *Nezer, ſurculus,* derivetur. Ad hanc interpretationem confirmandum adferunt quoque locum Zach.3.8. VI.12,ubi Chriſtus *Germen* (Zemah) appellatur. Verum hæc interpretatio, etſi compluribus eximiis Doctoribus vehementer arrideat, minus tamen veritati videtur conſentanea. Nam ut taceam primo, adhuc dubium eſſe, an nomen Nazareth à voce *Nezer, ſurculus,* deſcendat, uti poſtmodum videbimus, etiam ex verbis Eſaiæ clarè intelligitur, eum non de duplici Chriſti ortu vel egreſſu, ſed de uno duntaxat loqui: & quidem non de loco vel civitate, ſed de ſtirpe aut familia, nempe Jeſſe. Etenim ex qua ſtirpe *virga* egreſſa eſt, ex ejuſdem radice ſurculus quoque enatus eſt, ex ſtirpe nimirum & radice Jeſſes. Et quamvis etiam concederetur, Prophetam de certo aliquo loco aut civitate loqui, tamen aliter dici non poſſet, quam eum ſolam Betlehemum, in qua Chriſtus natus eſt, intelligere. Quare in verbis iſtis non duæ diverſæ, ſed una eademque res, aliis duntaxat verbis repetita exprimitur. Quales locutiones apud Hebræos admodum vulgares ſunt, & infinitis exemplis comprobari queunt. Vide inter alia Gen. 49.6,7. Exod. 15.2. Num. 23. 19,21,24. XXIV.17. Pſal. 19.2. LXXVIII.70,71. CIV.4. Eſai.1.3. LXVI.7. Hebr.1.7 &c. Deinde ſtatuendum eſt prorſus, Matthæum ad aliquid excellentius ac majoris momenti reſpexiſſe, quam ad id, quod Chriſtus figurate ſurculus dictus ſit. Prædictiones de Chriſto continent ſublimiorem & perfectiſſimam ſignificationem, nempe non tam nuda nomina ſpectant, quam rem ipſam iis ſignificatam. Quod, obſecro, eſſet in eo magnum adeo myſterium, quod Chriſtus Nazaræus, id eſt, incola civitatis Nazareth eſſe debuerit, ut nomen exinde ſortiretur ejuſmodi, quod ſurculum ſignificat? Si in eo multum fuiſſet ſitum, ut Chriſtus potius in civitate Nazareth, quam in ulla alia urbe educaretur, & ex ea ad munus ſuum auſpicandum egrederetur, dici forte potuiſſet, Eſaiam ad civitatem Nazareth reſpexiſſe, ideoque Chriſtum *Nezer, ſurculum* vocaſſe: ſed quod Chriſtus idcirco debuerit Nazarethæ educari, ut juxta Eſaiæ vaticinium ſurculus vocari poſſet, id nec caput habet, nec pedes. Quid enim exinde conſolationis liceret nobis haurire, aut quidnam in eo myſterii ad humani generis ſalutem lateret, quod Chriſtus per figuratum loquendi modum ſurculus nominatus ſit? Aliis in nominibus, quæ Chriſto in vaticiniis tributa ſunt, ineſt peculiaris quædam vis, ut cum Immanuel nuncupatur, id eſt, Deus nobiſcum Eſai.7.14. Item cum vocatur *Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis* &c. Eſai. 9.6. Quorum omnium nominum ſignificatio ſummam excellentiam indicat, ut res ipſa docet. Quã vero ulla ex parte ſimilem vim habet vox *ſurculus.*

Ex hactenus dictis patet, priorem ſententiam debili admodum nixam eſſe fundamento, & procul à veritate recedere. Quod cum advertiſſent alii docti Interpretes ac Scripturæ Sacræ Doctores, alia rem aggreſſi ſunt via. Ajunt vocem Nazaræus non ab Hebraico vocabulo *Nezer*, id eſt, *ſurculus,* ſed à voce Naſir deſcendere, *Naſir* autem Hebræis ſignificat *ſeparatum*, ſuntque hoc nomine vocati ſub Veteri Fœdere omnes ii, qui Deo ad peculiarem cultum atque ſervitium voto obligati & conſecrati fuerunt. Talis Nazaræus ſeu ſanctificatus fuit Chriſtus, & quidem ratione longe perfectiori, quam ullus unquam ſub Lege fuit. Non enim ſe ad abſtinentiam à vino aliiſque rebus externis (de quo legatur locus Num.6. 2,3,4,& ſeqq.) Sed etiam ad ignominioſiſſimæ mortis patientiam devoverat atque obſtrinxerat. Quo ſpectant verba Chriſti apud Johannem: *Ego ſanctifico meipſum pro eis, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate* Joh.17.19. Vide etiam Hebr.10.5,6,7 & ſeqq. Manifeſtum autem eſt, in Scriptura Veteris Fœderis de multis, de quibus rectiſſime dici poteſt, quod figura ac typus Chriſti fuerint, ſcriptum legi eos Nazaræos, id eſt, ſeparatos ac Deo conſecratos fuiſſe. Ut primo de Joſepho res clara eſt, dum Jacobus in ultima benedictione, quam filiis ſuis impertitus eſt, ſic eum alloquitur: *Benedictiones patris tui (quæ validiores ſunt benedictionibus progenitorum meorum) uſque ad fines collium æternorum* (id eſt, qui ſe extendunt tam late, quam patet orbis terrarum) *ſint in capite Joſephi & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos* Gen. 49.26. Deut. 33.16. Deinde de Samſone expreſſe ſcribitur, quod Nazaræus (Hebr. Naſir) fuerit Judic. 13.7. Etiam de Samuele 1 Sam. 1.11. In omnibus iſtis peculiare quippiam apparuit, cujus gratia merito pro Chriſti typo ac figura reputandi ſunt. Etenim omnibus id commune fuit, quod in ipſorum nativitate miraculoſi quippiam ac naturæ curſum excedens evenerit, dum omnes è ſterilibus matribus, & non ſine ſingulari gratia atque providentia Dei nati ſunt. Omnes etiam à Deo peculiaribus Spiritus Sancti donis repleti fuerunt. Joſephus divina ſomniabat ſomnia, quin & donum interpretandi ſomnia habebat, ut perſpicitur ex Gen.37. 5. XL.18. Samuel fuit inſignis Propheta ac ſacerdos coram Deo. Samſon inſtructus fuit Spiritu roboris ac fortitudinis ſuper alios omnes, de quibus ulla extat in Scripturis memoria: ut taceam alia dona, quibus tres iſti ſupra omnes ſui ſimiles exaltati ſunt. Hi omnes Deo dicati atque devoti fuerunt, peculiarique modo ab aliis ſegregati. Unde quoque Nazaræi (id eſt, ſegregati, ſeu ſeparati) dicti ſunt. Qua in re Chriſto ſimiles fuerunt, ac figuram ejus geſſerunt. Dum ergo Matthæus hoc loco ait, per Prophetas dictum eſſe, ipſum Nazaræum vocatum iri, intelligendum eſt, Scripturam eatenus de eo teſtari & loqui, quatenus in eo exempla talium Nazaræorum ac ſanctificatorum, qui figura ac typus Chriſti fuerunt, propoſita ſunt. Ut adeo ſenſus verborum Matthæi hic ſit quod in Chriſto id, quod in Scripturis Sanctis de Nazaræis atque ſanctificatis Domino legitur, perfecte impletum ſit, quodque ſic rem Deus ſingulari ratione direxerit, ut Joſephus & Maria poſt ſuum ex Ægypto reditum Nazarethæ habitarent, quo Chriſtus ab illo loco nomen obtineret, per quod ejus perfecta ſanctificatio votumque, quo ſe pro noſtra ſalute devovit, indicaretur, adeoque re ipſa nomen è Nazaretha haberet. Neque profecto temere aut caſu factum eſt, quod Chriſtus vulgo Nazaræus vel Nazarenus vocatus fuerit: ut Matth. 26.71. Marc. 1.24. X.47. XIV.67. XVI.6. Luc.4.34. XVIII.37. XXIV.19. Joh. 18.5,7. XIX.19. Act.2.22. III.6. IV.10. VI.14. XXII. 8. XXVI.9. Hinc Chriſtiani quoque Nazaræni dicti ſunt Act. 24.5. Quod autem Matthæus Prophetas

nomi-

nominat, & dicit, id *per Prophetas* dictum eſſe, jure merito ita loqui potuit. Nam quod de Joſepho legimus, partim à Jacobo ex dictamine Prophetici Spiritus, partim à Moſe dictum eſt: Scriptores quoque libri Judicum ac librorum Samuelis merito Prophetis accenſeri poſſunt: quia ea quæ conſignarunt non ſine inſpiratione ac directione divini Spiritus conſcripſerunt. Imo verba apud Samuelem, *Ego ero ipſi pater, & ipſe erit mihi filius* 2 Sam. 7. 14, prophetiam continebant de Chriſto, uti explicatur Hebr. 1. 5. Et apud Lucam cap. 24. 27 ſub nomine Prophetarum omnia ſcripta Veteris Teſtamenti una cum libris Moſis ac Pſalmorum, comprehenduntur. Nimirum in priori loco Scriptura univerſa Veteris Fœderis dividitur in libros Moſis & Prophetarum: in poſteriori autem, in legem Moſis, Prophetas, & Pſalmos.

Etiam hoc à nonnullis hic annotatur, quod etſi hæc verba ab uno tantum dicta fuiſſent Propheta, nihilominus dicere jure potuerit Matthæus, *per Prophetas*, nempe per conſuetum enallagen numeri; cujus exempla ſupra ℣. 20 attulimus, & plura alibi reperiuntur: ut Joh. 6. 45. Act. 13. 40. xv. 15.

Objicitur hoc loco, id quod Scriptura Veteris Fœderis de iſtis tribus ſanctificatis viris, Joſepho, Samſone ac Samuele memorat, neque quoad verba, neque quoad ſenſum cum eo, quod Matthæus hic ſcribit, convenire. Si Matthæus voluiſſet (inquiunt) dicere, quod Chriſtus erit *ſeparatus* vel ſanctificatus, dixiſſet potius, eum Naſareum vel Naſereum, & non Nazoræum vocatum iri. Loco z, poſuiſſet ſ, & loco o, poſuiſſet a vel e. Prior enim vox Naſareus vel Naſereus venit ab Hebræa voce Naſir, quæ ſeparatum vel ſanctificatum denotat; altera autem vox Nazaræus venit à civitate Nazareth, & hæc rurſus à Nezer, ſurculus, ut ita Matthæus nihil aliud voluerit dicere, quam Chriſtum fore Nazaræum, id eſt, incolam Nazarethæ. Verum quod prius attinet, nempe permutationem literarum ſ. & z. quia civitatis Nazarethæ in toto Veteri Teſtamento nulla extat mentio, ambiguum eſt, an in Hebræo Nazareth, an potius Naſareth nomen hoc ſcriptum fuerit, ac porro an à voce Nezer, an à Naſir derivetur. Adde quod duæ iſtæ literæ ſ. & z. in lingua Hebræa ita inter ſe cognatæ ſint, ut mirum nullum eſſet, ſi Matthæus unam pro altera poſuiſſet. Et ſane in Hebraica lingua ſæpius permutantur. Quæ permutatio etiam apud Syriacum Interpretem fieri potuit, qui Nazareth per z, & non per ſ. ſcribit: ut ita ex Syriaco nullum ſumi queat argumentum, id quoque in Hebræo ita ſcriptum fuiſſe. Vide quid hac de re annotet Grotius. Alterum quod attinet, nempe permutationem literæ a in o, eodem modo ſe res habet, ut duæ Hebraicæ literæ Kametz & Cholem, id eſt, a & o adeo inter ſe affines ſint, ut facile una pro altera uſurpari queat. Cujus rei exemplum hoc loco clarum habemus apud Matthæum, qui civitatem hanc non Nazoreth, ſed Nazareth appellat, & abſque dubio etiam ſic vulgo appellata fuit: interim tamen non dicit hic Nazaræus, ſed Nazoræus, & infra cap. 26. 71. Imo in Novo Teſtamento promiſcue uſurpatur Nazarenus & Nazorenus. Prima vox Nazarenus extat Marc. 1. 24. xiv. 67. xvi. 6. Luc. 4. 34. xviii. 37. Altera habetur Matth. 2. 23. xxvi. 71. Marc. 10. 47. Luc. 24. 19. Joh. 18. 5, 7. xix. 19. Act. 2. 22. iii. 6. iv. 10. vi. 14 &c. Ex quibus perſpicitur, è permutatione literarum nullum ſumi poſſe validum adverſus hanc ſententiam argumentum. Liquet quoque hinc, probari ſolide non poſſe, civitatem Nazareth nomen trahere à Nezer, quod ſurculum ſignificat; ſed fieri poſſe, ut denominationem ducat à vocabulo Naſir, id eſt, devotus, vel ſanctificatus: atque adeo vocem hanc Nazaræus ſive Nazoræus geminam habere ſignificationem; nempe aliquem ſeparatum & conſecratum, vel etiam aliquem Nazarethæ natum, aut ibidem educatum. Præterea verba Prophetarum, quatenus de Chriſto agunt, interdum duplicem habent ſenſum, ſeu ut clarius dicam, myſticus ſenſus apud Prophetas nonnunquam in Chriſto duplici ratione impletur. Quale exemplum habemus in verbis Eſai. 53. 4: *Vere is tulit morbos noſtros, & dolores noſtros ipſe portavit.* Quæ verba Matthæus infra cap. 8. 16, 17. tunc impleta eſſe affirmat, cum Chriſtus multos obſeſſos à dæmonibus verbo liberaret, cunctoſque male habentes curaret. Cum tamen Propheta illic loquatur proprie de peccatis hominum, & de reatu ac pœnis peccatorum, quibus homines obnoxii fuerunt: quæ verba tunc ſunt impleta, cum Chriſtus interveniente morte ſua nobis jus remiſſionis peccatorum acquiſivit, noſque à peccatis ad exercendam juſtitiam adduxit; quo ſenſu Petrus Apoſtolus locum hunc allegat 1 Petr. 2. 24. Ex quo patet, locum illum Eſaiæ dupliciter in Chriſto adimpletum eſſe. Geminum exemplum habemus in verbis Pſal. 16. 10: *Non dabis ſancto tuo videre corruptionem.* Quæ verba aliter à Petro Act. 2. 31 & ſeqq. aliter à Paulo Act. 13. 34, 35, ad Chriſtum trahuntur. Petrus enim de eo explicat hæc verba, quod Deus non permiſerit, ut Chriſti corpus corrumperetur, ſed ante à mortuis Chriſtum reſuſcitaverit, quam corpus ejus corrumpi atque putreſcere inciperet, Paulus autem ita ea exponit, ut iis probet, Chriſtum hoc pacto à mortuis reſurrexiſſe, ut non amplius *revertatur ad corruptionem*, id eſt, amplius non moriatur. Ita clarum eſt, vocem *corruptionis* in alio ſignificatu poni à Petro, in alio rurſus à Paulo. Nimirum Petrus negat, Chriſti corpus, dum in ſepulchro conditum fuit, corruptionem vidiſſe ſive expertum eſſe, Paulus autem tacite quodammodo id concedit, dum negat, Chriſtum amplius vel iterum reverſurum ad corruptionem: perinde quaſi prima vice corruptus fuiſſet. Præterea Petrus hæc verba intelligit de tempore reſurrectionem ejus præcedente: Paulus vero de tempore reſurrectionem conſecuto.

Verum ut ad locum noſtrum præſentem revertamur, nihil impedit, Scripturam cum indicat Chriſtum Nazaræum fore, utrumque velle intelligi, & quod ſeparatus Deoque totus ſacer ac ſanctificatus futurus ſit, & quod etiam in civitate Nazareth educandus ſit, vel quod ibi ſit habitaturus, indeque nomen Nazaræi ſeu Nazareni habiturus: aut, Scripturam ſignificare, quod Chriſtus tam nomine, quam re ipſa Nazaræus futurus ſit. Reipſa, quia veriſſime ab aliis hominibus cunctis ſegregatus ac Deo conſecratus eſſe debuit: nomine autem, quia debuit in civitate Nazareth educari & ibidem habitare. Si ultimum, id eſt, nomen ſpectetur, non hoc cenſendus eſt Matthæus dicere, ſimpliciter tantum eo, quod Chriſtus

Nazaretæ habitaverit, totum illud ac plene impletum esse, quod per Prophetas dictum est, eum Nazaræum vocatum iri: sed hoc sibi vult, etiam id quod Nazaretæ habitavit, ad impletionem illius prophetiæ pertinuisse. Quod idem etiam de superius memorato loco Matth. 8. 16, 17 dici potest. Nam quod ibidem dicitur, non exhaurit (ut ita dicam) latitudinem vaticinii Esaiæ, seu sensum ejus non in totum implet, sed tantum una cum aliis rebus facit ad ejus impletionem. Nisi quis dicere velit, vaticinium illud imperfectiori sensu tunc impletum fuisse: id quod etiam de hisce, quæ sub manu habemus, Matthæi verbis dici potest.

Vocabitur.] Vox hæc bifariam sumi potest. Nam quatenus Matthæus ad habitationem Christi Nazaretanam respexit, eatenus propriè accipiuntur: nempe quod Christus à Civitate Nazaret appellationem Nazaræi obtenturus sit; prout etiam crebro sic appellatus fuit, & post eum Christiani Act. 24. 5. Quatenus verò Matthæus spectat Christi separationem atque sanctificationem, eatenus *vocabitur* Hebræa consuetudine improprie sumitur pro *erit*, quasi dicat Nazaræus erit.

I. APPENDIX.

Ad Vers. 1.

An Herode Regnum adepto Prophetia Jacobi Gen. 49. 10 *impleta sit?*

CUm Matthæus Herodem *Regem* appellat, multi è præcipuis Interpretibus censent, eum tacite innuere voluisse, jam tunc adfuisse illud tempus, quo Christus nasci debuit: quandoquidem juxta prophetiam Jacobi Patriarchæ Gen. 49. 10. Regium regimen à Juda ante adventum Messiæ transferendum non erat. Id autem factum esse, cum Herodes alienigena & Idumæus regnum super Judam obtinuit. An igitur, & quatenus hæc sententia admittenda sit, id est, utrum Spiritus Sanctus regnum Herodis voluerit esse signum impletæ Jacobi Prophetiæ, paucis disquiremus. Verba prophetiæ ita sonant: *Non auferetur sceptrum de Juda, neque legislator à pedibus ejus, donec veniat filius ejus* (Hebr. Siloh) *cui gentes obedient.* In hâc prophetia certum signum atque nota ponitur, ex qua sciri cognoscique possit, utrum Messias jam venerit (non, utrum mox venturus sit, quod probe notandum est) nempe quando sceptrum, id est, regni administratio à tribu Judæ auferetur. Vox *Siloh* proprie significat ejus secundas seu secundinas: hic autem Metonymicè accipitur pro infante ipso, qui in secundinis jacet; sicut etiam Deut. 28. 57. Quod autem per hunc filium seu prolem Judæ Messias intelligatur, in eo non Christiani solum, omnes, sed etiam omnes antiqui Judæorum Scriptores consentiunt; tametsi posterioribus temporibus novi Rabbini Judæorum & hodie inter eos eruditissimi, omnem moveant lapidem, ut nobis tam clarum argumentum de ortu Messiæ, per subtilissimas inventiones & argutias multiplices è manibus eripiant: quas consultare nostri nunc non est instituti.

De duobus autem nobis hoc loco agendum est. Primo, quando & quo tempore tribus Judæ sceptrum regium consecuta sit, seu quando regium regimen in ea cæperit? Deinde quando & quo tempore sceptrum seu regnum rursus à tribu Judæ ablatum sit. Quoad primum, tribus quidem Judæ etiam ante, quam per Davidem confirmaretur, variis prærogativis atque dignitatibus supra alias tribus eminuit: nempe jure primogenituræ, quod Judas Deo sic dirigente præ Rubene, Simeone, & Levi à Deo obtinuit Gen. 49. 6, 7. item præcedentia in castris Num. 10 14. in sacrificiis, Num. 7. 12. in distributione terræ Jos. 15. 1, in recensione virorum 1 Sam. 15. 4 &c. At nihil horum pertinuit ad sceptrum seu regiam dignitatem tribus Judæ, de qua prophetia Jacobi loquitur, sed fuerunt ista tantummodo præparatio quædam ac præludium, donec ad plenam sceptri possessionem veniret.

Arbitrantur autem præclari quidam interpretes, tribum Judæ ex prophetia Jacobi tum demum sceptrum seu regnum adeptam esse, cum post obitum Salomonis filius ejus Roboamus super Judam solum regnavit 1 Reg. 12. 20. Antea vero regiam dignitatem non ad solam tribum Judæ, sed ad omnes duodecim tribus pertinuisse, quibus David & Salomon imperarunt. Verum in hac sententia absque probatione pro concesso sumitur, quod omnino demonstrandum esset, nempe quod Jacobus in suo vaticinio sceptrum Judæ in tam angusta significatione acceperit, ut omnes reliquas tribus non modo à regno, sed etiam à subjectione hujus regni voluerit excludere, utque de Juda non ante dici possit, eum regio sceptro potiri, quam si omnes aliæ tribus ab ejus regimine fuerint avulsæ. Multo est verisimilius, Jacobum generaliter locutum, quod tribus Judæ ante alias tribus regiæ eminentiæ compos futura sit, sive unam, sive plures tribus sub suo habeat imperio. Quinimo tantum abest, ut tribus Judæ demum sub Roboamo dignitatem regiam nacta fuerit, ut potius per illam lacerationem ac divisionem regni ingens damnum ac detrimentum passa sit. Etenim decem tribus Israëlis, quæ antea tribui Judæ subditæ erant, postea æque ac tribus Judæ regio sceptro potitæ sunt, earumque regnum regno Judæ potentius evasit: ut adeo tribus Judæ tunc temporis nulla prorsus prærogativa supra alias tribus excelluerit. Itaque proprie ac vere initium regiæ dignitatis in tribu Judæ arcessendum est à Davide, cum eum Deus Regem in Sancto monte suo Sione constituit Psal. 2. 6, ejusque regnum amplissimis promissionibus & clarissimis victoriis super ejus inimicos confirmavit.

Quod ad alterum attinet, quo tempore regium sceptrum juxta prophetiam Jacobi à Juda recesserit, primo notandum est, sensum hujus prophetiæ etiam hac in parte non tam arcte sumi, quod perpetuo usque ad Messiæ adventum Rex aliquis aut Princeps super Judaicum populum è tribu Judæ futuris sit: prout nonnulli * è veteribus contra apertum testimonium tam Scripturæ, quam aliorum fide

* Origenes, Epiphanius, Cyrillus Alex. Auguſt. &c.

digno-

dignorum hiſtoricorum cenſuerunt. Manifeſtum enim eſt, Regnum in tribu Judæ ſub Davide erectum, tempore Babylonicæ captivitatis ſub Sedecia ultimo Rege Judæ, atque adeo anno 588, ante natum Chriſtum deſiiſſe. Nihilominus dici non poteſt, ſceptrum tunc plane & in totum à Juda receſſiſſe: quandoquidem ſic non potuiſſet id ſignum eſſe adventus Meſſiæ, qui longo poſt tempore demum evenit. Factum autem eſt ſingulari Dei providentia, quod Judaicus populus tum etiam ſuos Principes & Ducalem dignitatem (licet longe minorem quam antea) habuerit: nam etiam in media captivitate Babylonica, ex permiſſu Regum Babyloniæ habuerunt libertatem legibus ſuis utendi, & ex iis vivendi. Imo quod etiam jus adminiſtrandi capitalia ſupplicia habuerint, quodammodo ex hiſtoria Suſannæ, quæ Babylone contigit, colligi poteſt, ubi verſ. 62. in additamentis ad Danielem cap. 13 dicitur, poſtquam Daniel duos falſos teſtes ex ipſorum propriis verbis convicciſſet, *populum feciſſe eis, ſicut male egerant adverſus proximum, eoſque ſecundum legem Moſis* (Deut. 19. 19) *interfeciſſe.* Is vero qui tempore Babylonicæ captivitatis populo tanquam Rector præerat, *Aſch galuth*, id eſt, *Caput* ſeu *Princeps captivitatis* vocabatur. Qui quod ſemper de tribu Judæ electus fuerit, exinde intelligitur, quod ſub tempus exitus eorum è Babylonia Duces ac Principes de tribu Juda habuerint: ut nominatim Sesbazarum & Zorobabelem 1 Eſd. 1. 8. ij. 2. Agg. 1. 1. ij. 3.

Quod autem modum ac formam regiminis attinet, qua uſi ſunt poſt captivitatem Babylonicam, eam Joſephus lib. 11. cap. 4. ſic deſcribit: *Cum Judæi Hieroſolymæ* (intellige ſub Cyro & Dario) *rurſus habitarent, politiam atque ordinem inter ſe inſtituerunt, talem, in quo optimi ac præſtantiſſimi viri regimen tenuerunt. Pontifices enim Maximi omnem in manibus ſuis poteſtatem atque imperium habebant, donec Aſmonæi* (qui è ſacerdotali erant genere) *ordinem hunc immutarunt, Regnumque ad ſe traxerunt.* Et ſane non multo poſt Zorobabelem tempore, ſummum imperium penes Pontifices fuiſſe, ex literis Alexandri Magni, quas ſcripſit, Tyrum obſidens, cernitur. Non enim ad Principem, ſed ad Pontificem ſcripſit, poſcens auxilium & commeatum pro militibus, nec non tributum, quod Dario ante dabatur. Cumque Alexander appropinquaret Hieroſolymæ, non Dux aliquis, ſed Pontifex Jaddus ei proceſſit obviam Joſeph. lib. 11. cap. 8. ſic Ptolomæus quoque Philadelphus non ad Principem Judæorum dedit literas, ſed ad Pontificem Eleaſarum, cum LXX Interpretes Legis poſtularet Joſeph. lib. 12. cap. 2. Pontificum in regimine ſucceſſores fuere Aſſamonæi, è quibus Mathatias Judæ Machabæi pater primus fuit. Hic fuit è tribu Levi, ex familia Jojaribi, Joſeph. lib. 12. cap. 8. 1 Mach. 2. 1. Sacerdotale hoc genus Aſſamonæorum in Juda regnavit uſque ad Herodem Magnum, & tandem in Antigono & Hyrcano, ut & Ariſtobulo, conjugis Herodis Mariamnes fratre (qui ultimi è linea ſacerdotali erant) oppreſſum atque exſtirpatum eſt. Verum hinc ſimiliter concludi non poteſt ſceptrum tunc à Juda ademptum fuiſſe. Nihil enim intereſt, ex qua tribu Principes vel Reges fuerint: regnum nihilominus nonniſi Judæ regnum fuit; tribuſque Judæ tamen regiam poteſtatem ſceptrumque geſſit, etiamſi aliqui ejus Principes aut Rectores alia è tribu oriundi fuerint. Majeſtas enim Regia non ex Rege, ſed ex populo æſtimatur; populus non eſt propter Regem, ſed Rex propter populum: ideoque etiam non populus nomen à Rege, ſed Rex à populo ſortitur.

In exemplo, Regnum Poloniæ manet Regnum Poloniæ, regiamque retinet abſque omni mutatione dignitatem, tametſi Regem ſibi ex Gallia, vel Hungaria, vel Germania ſumat.

Porro quod Deus regiam ſublimitatem in Juda juxta prophetiam Jacobi, etiam poſt Babylonicam captivitatem conſervare voluerit, patet ex eo, quod ſola tribus Judæ in Judæam (ad quam & ad nullam aliam terram regnum cultuſque Dei alligatus erat) redierit; reliquæ tribus autem, quæ ſub Salmanaſſare trans fluvium Euphratem deportatæ ſunt, omnes in ſuo exilio remanſerint. Etſi vero etiam pauci quidam ex iis una cum tribu Judæ in Judæam venerint, non tamen peculiare regnum habuerunt, ſed tribui Judæ inſerti ſunt, ejuſque regimini fuerunt ſubjecti: unde etiam omnes, cujuſcunque tribus fuerint à Juda Judæi dicti ſunt.

Poſſet quiſpiam dicere, Sceptro tunc orbatum fuiſſe Judam, quando Pompejus, certamini, quod erat inter duos fratres Hyrcanum & Ariſtobulum, ſe interpoſuit, eaque occaſione Hieroſolymam in ſuam redegit poteſtatem, & Judæam tanquam provinciam Romano Imperio adjunxit. Sed ne tunc quidem Judæ tribus Sceptrum plane amiſit, quamvis de potentia ei plurimum deceſſerit. Pompejus enim Hyrcano Pontificatum cum Regia ſive Ducali poteſtate, abſque titulo tamen Regio, reſtituit: Judæis etiam liberam legum ſuarum executionem reliquit. Joſeph. lib. 14. cap. 8. Ex quo intelligitur, Judam tunc nihilominus regnum regiumque Sceptrum habuiſſe, etſi in certis rebus à Romani Imperii penderet arbitrio, quemadmodum etiam antea Babyloniis, Perſis, & Græcis certa ratione ſubditus atque obnoxius fuerat.

Jam quæritur: An Sceptrum tunc prorſus ablatum fuerit à Juda, cum Herodes extraneus & Idumæus, qui non è ſanguine Jacobi, ſed Eſavi de ſtirpe cretus erat, Judæis Rex à Romanis impoſitus eſt? Reſpondendum eſt; Non poſſe ſtatui tantiſper, Sceptrum à Juda remotum eſſe, quamdiu tribus Judæ regnum fuit atque remanſit: licet à talibus gubernata atque regnata fuerit aliquando, qui è tribu Levi, non Judæ orti fuerunt, imo etiam cum Ethnicis Regibus Babylonicis ſubjecta eſſet. Cauſa ejus rei eſt, quod Regia dignitas alicujus Regni non ex Rege, ſed ex populo cenſenda ſit: (prout omnes illi fatentur, qui contendunt, demum per Herodem Sceptrum à Juda ablatum eſſe.) Quare etiam hic nulla eſt cauſa, cur dicendum ſit, Sceptri ablationem factam eſſe, cum Herodes alienigena Regni ſuſcepit adminiſtrationem: ſiquidem nihilominus Judaicum Regnum per id regnum eſſe non deſiit. Herodes enim Judæorum & non alterius populi Rex erat, à Judæis Regiam majeſtatem ac nomen accepit.

Præterea non fuit Herodes ita peregrinus & alienigena, ſicut Ethnici erant: etenim de ſemine Abrahami tamen, etſi per Eſavum, oriundus erat, & jam per ſuos majores populo Judaico inſertus. Idumæi enim ante Herodem circiter ducentis annis idololatriam abjecerant, puramque religionem Judaicam ſuſceperant. Atque ab illo tempore maxime valuit illud præceptum Deut. 23. 7, 8. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt.* De cætero ſemper pro magno legis Moſaicæ zelatore voluit haberi: ejuſque documentum dedit ſumptuoſiſſima Templi reſtauratione. Neque vero is ſolum Judæus vocabatur olim, qui ab Abrahamo trahebat originem, ſed quilibet etiam qui modo religionem Judaicam amplectebatur, cujuſcunque nationis eſſet: quemadmodum & hodie Judæus, Turca vel Scytha, Chriſtianus vocatur, quando ſit Chriſtianæ religionis confeſſor. Quanto magis autem competit hic titulus talium poſteris? Etſi vero nonnulli objiciant, Herodem ore ſolum ac confeſſione, non in veritate atque in corde Judæum fuiſſe, quia tam multa adverſum Legem fecerit atque inſtituerit, ut propterea non Judæis, ſed alienigenis merito accenſendus ſit: ſtatuendum tamen potius, eum etiam in corde revera Judæum fuiſſe, ſed ejuſmodi, quales in omni religione, etiam Chriſtiana, paſſim reperiuntur, nempe frigidi ac diſſolutæ vitæ, qui pro nihilo habent mandata Dei tranſgredi & conſcientiam opprimere. Proprie ac vere loquendo, Herodes ejus erat religionis, in qua præcepta Dei Rationi ſtatus poſtponuntur. Cui Religioni etiam plurimi è Chriſtianis Principibus addicti ſunt.

Inſuper illo tempore adhuc Synedrium habebat maximam auctoritatem: quamvis enim Herodes totum prorſus, unico Samea excepto, exciderit (Joſeph. lib. 14. cap. 17.) ulciſcens ignominiam illam ſibi factam, quod aliquando citatus ad ejus judicium, vix incolumis evaſiſſet: non tamen hoc facto penitus abolevit Synedrium, ſed alii mox in locum occiſorum electi ſunt, & quidem cum plenaria poteſtate ſecundum Judaicas leges judicandi; ut ex Joh. 18. 31. xix. 7 liquet. Præterquam quod capitalia judicia ipſi per ſe exequi non poſſent. Ita etiam alias Judæorum leges magis violavit ac trangreſſus eſt Herodes (quemadmodum Judæi ipſi quoque ſuperioribus temporibus ſub impiis Regibus fecerant) quam abrogavit.

Ex hactenus diſputatis manifeſtum eſt, prophetiam Jacobi tamdiu non fuiſſe impletam, quod ad Sceptri ablationem attinet, quamdiu Regia dignitas, ſub quibuſcunque Regibus, in tribu Judæ remanſit. Poſtquam autem civitas Hieroſolyma una cum Templo & univerſa politia Judaica à Tito everſa eſt, populus per totum orbem terrarum diſperſus eſt, & ſic non ſolum Regia poteſtas, ſed omnis omnino magiſtratus una cum cultu divino in populo Judaico ceſſavit; tum demum prophetia Jacobi plene adimpleta eſt. Eſtque hic probe obſervandum, Jacobum addidiſſe: *Neque legiſlator* (ſcilicet auferetur) *à pedibus ejus*; quibus verbis Sacerdotium & cultum divinum reſpicit. Hic autem non ante, quam urbs funditus everſa eſt, deſiit.

II. APPENDIX.

Ad verſ. 2.

De admirabili ſtella, quæ Anno Chriſti 1604. in dextro pede ſigni cæleſtis Serpentarii apparuit, & 16 menſes fulſit.

NOn poſſumus, quin hoc loco de illa admirabili ſtella, cujus ſupra fecimus mentionem, nonnihil adhuc dicamus, de illa, inquam, quæ Anno 1604. in dextro pede cæleſtis ſigni Serpentarii apparuit, & 16 menſes in cælo perſeveranter luxit. Tametſi enim antea tres conſpectæ fuerint ſtellæ: una in anno 1572. altera 1596. tertia 1600. tamen hæc illuſtri ſplendore aliiſque qualitatibus priores illas ſuperavit, adeo, ut illæ quaſi pro nuntiis ac prodromis alicujus magni Regis, ejus adventum prænuntiantibus, reputandæ ſint. Illæ ſtellæ omnes eo cæli loco apparuerunt, quem nullus è Planetis ſolet attingere, ut quæ ab Eccliptica remotæ ſint: hæc autem ſedem ſibi elegit prope Eccliptica, ut ab omnibus Planetis quodammodo ſalutaretur ac viſitaretur. Unde etiam ſe mediam inter tres ſuperiores planetas, Saturnum, Jovem & Martem intulit. Apparentibus illis ſtellis, cælum nulla ſingulari conjunctione planetarum fuit illuſtratum; hæc vero ſtella exorta eſt præciſe ſub id tempus, cum in præterito Decembre magna conjunctio ſuperiorum planetarum in igneo ſigno Sagitarii cæpiſſet, & tantum uno die ante, quam ſtella hæc exoriretur, completa fuit: quin etiam in eodem ſigno Sagittarii apparuit. Quemadmodum igitur dubium eſt nullum, talia cæleſtia ſigna non à naturalibus cauſis ortum habere (ſicut nonnulli arbitrantur, magnas ſuperiorum planetarum conjunctiones ſolere novas ejuſmodi ſtellas operari ac producere) ſed à Deo per omnipotentiam ejus creari & in cælo collocari, ut homines per eos ad diligentiorem obſervationem & conſiderationem admirabilium ejus operum, quæ agit in mundo, excitentur: ita ii non ſunt ullius Aſtrologicæ ſuperſtitionis accuſandi, qui eas non, ut plerique aſſolent, faſtidioſe contemnunt, ſed cum ratione expendunt, & quid Deus iis innuat, divinant, conferentes ea, quæ jam in mundo geruntur, aut vim ſuam quodammodo exerunt; ut veram utilitatem ad Dei gloriam & ſuum ſpirituale commodum ex iis capere atq; haurire poſſint. Quo pacto etiam hic apud Matthæum Magi ſe geſſerunt, qui ex illa ubique pervulgata de ortu Magni Regis ſub id tempus naſcituri fama, ſtellæ à ſe viſæ ſignificationem odorati ac conjicientes, eum quem quærebant invenerunt: quam ſignificationem cæteroquin ex ſolis Aſtrologicis regulis ſuis nunquam aſſecuti fuiſſent. Quod autem intra 32 annos, id eſt ab anno 1572. ad annum 1604. quatuor ejuſmodi novæ ſtellæ exortæ ſint, id ſine dubio ad eandem ſignificationem ſpectat. Voluitque Deus hoc quadruplex ſignum mundo proponere, ut gravitatem ac momentum rei ſtellis iſtis ſignificatæ indicaret,

caret, atque ita homines tanto magis ad rerum maximarum, quæ ſecuturæ ſunt, aut jam quaſi in herba ſunt, obſervationem extimularet. De prima ſtella anni 1572. tale Judicium tunc tulit Tycho Brahé, quod univerſalem aliquam mutationem in toto Chriſtiano Orbe, tam in Eccleſiaſtico quam in politico regimine, deſignet & quidem mutationem in melius; quod ille ex lucido ac læto Joviali colore ſtellæ judicavit. Quia vero hæc ſtella ante ſuam diſparitionem, pulchrum ſplendorem ſuum in rubicundum Martialem colorem commutavit, ex eo collegit, ante hanc mutationem maxima bella & ſanguines effuſiones fore. Neque Tychonem fefellit conjectura, dum ſignificationem illius ſtellæ ad univerſalem mutationem etiam in Eccleſiaſticis traxit & applicuit. Spirituale enim bonum Eccleſiæ Dei, eſt utique præcipuus operum Dei ſcopus, quæ Deus in orbe facit: per eam enim gloria ejus maxime manifeſtatur. Idcirco etiam potiſſimum Eccleſiæ ſuæ cauſa tam lucidas faces in cælo accendit ut ipſi per eas, quod ad conſolationem ejus facit, annuntiet. Quo vero modo iſta mutatio in Eccleſia Dei fieri debuerit, Tycho forſitan non vidit, aut valde obſcure & quaſi per nebulam tantum vidit; imo etiam propter præconceptas opiniones in rebus, quæ ad veram Dei notitiam pertinent, videre non potuit. Quod Dei Eccleſia Reformatione ac emendatione aliqua indigeat, omnes boni ac probi in omnibus ſectis agnoſcunt. Mali enim fructus nimis obvii ſunt, & incurrunt in oculos: ſed ex qua radice pullulent atque enaſcantur, & à quorum eradicatione Reformationis faciendum eſſet initium, id tam ignotum eſt, quam quod maxime. Cæterum conjecturam de bellis ac ſanguinis effuſionibus Tychonis, non fuiſſe vanam, graviſſima & diuturna in Europa bella ſatis ſuperque docuerunt. Quid ſi vero etiam ſimul univerſalis perſecutio fidelium Dei per Antichriſtum exercenda ſignificata fuit? Equidem ea ferme videtur eſſe rerum facies, quaſi præſto eſſet illud tempus, quo Beſtiæ illi danda eſt poteſtas gerendi bellum cum ſanctis, eoſque ſuperandi Apoc. XIII. 7. Quod autem inſignem illam ſtellam anni 1604. attinet, ſi ex ejus lumine ac ſplendore bona vel mala ſignificatio colligenda eſt, tum per eam Eccleſiæ Jeſu Chriſti, poſt tam diuturnas tenebras exoritura cognitionis divinæ clariſſima lux, una cum conſecuturo felici ac tranquillo ſtatu (ſi modo hominum accedat voluntas) portenditur. Hæc enim ſtella ſplendoris ſui claritate ac puritate omnes alias longiſſime poſt ſe reliquit: Coruſcabat formoſiſſimis ac pulcherrimis coloribus, ſimilis adamanti Polygonio, ſi in radiis ſolaribus poſitis huc illuc moveatur. Alii ejus lucem ac ſcintillantem ſplendorem compararunt cum lucidiſſima ac puriſſime ardente face, quæ à vento agitata flamma ſua variis modis ludit. Johannes Kepplerus tanta hujus ſtellæ admiratione correptus fuit, ut in hæc verba * proruperit; non ſolum ſingulas nationes, ſed totum quoque terrarum Orbem longe minorem eſſe, quam ut ſuo ambitu atque circuitu omnes ejus cogitationes de vera hujus ſtellæ ſignificatione poſſit complecti. Poſtque diverſas tum ſuas tum aliorum conjecturas ex Aſtrologiæ Regulis deductas, ſubjicit: Ita me Chriſtus amet, omnia iſta quæ hactenus de regnis & actionibus hominum diſputavi, pro nihilo æſtimanda ſunt præ magnitudine hujus miraculi. Itaque dicam cum Tychone, res ſunt multo majores in mundo, quam ſunt Belgica, Anglica & Hungarica bella &c. Nimirum cenſet ille, aliquid longe majus & illuſtrius ad Dei gloriam & bonum Eccleſiæ conſecuturum, quam eſt omne illud, quod corporalibus oculis in mundo videmus & admiramur. Verum Kepplero quoque, etſi perſpicaciſſimo alioquin homini, præjudicatæ obſtiterunt opiniones, quominus ſubtiliſſimis ſpeculationibus ſuis ad veram ſignificationis ſtellæ hujus metam pertingeret. Vidit ipſe aliquid, ſed ſine fundamento, & ſola nixus conjectura, in quam forte fortuna incidit, quia id aciem oculorum ejus effugit, ex quo, quod ille conjectat, ſequturum eſt. Credidit nempe, per hanc ſtellam univerſalem converſionem Judæorum, de qua vaticinatur Paulus Rom. XI. 25. quæ jam præ foribus ſit, prænunciari. At non intellexit, qualis lux divinæ cognitionis ante in orbe illuceſcere debeat, quæ occæcatos indurati hujus populi oculos illuminare queat. Nemo enim ſibi perſuadere debet, Judæos ad Chriſtum converſum iri, quamdiu falſa illa vigent inter Chriſtianos dogmata, (ne de petulanti & irreligioſa vita quidquam dicam) quibus majorem in modum (& quidem merito) offenduntur: quod ſcilicet unus Deus altiſſimus ſit tres diſtinctæ perſonæ, quodque Meſſias ſit unus ille Deus altiſſimus. Hæ & plures aliæ falſæ ac pietati noxiæ doctrinæ, quæ hodie ſummo cum fervore in orbe Chriſtiano urgentur atque docentur, ſunt lapis ſcandali, qui quamdiu non fuerit remotus, & quamdiu divina veritas non obtinuerit locum, tamdiu nulla Judæorum converſio, nulla pietas, nulla ſpiritualis pax inter Chriſtianos ſperanda eſt. Quare omnino ſtatuendum, ſi ſtella hæc felicem ſtatum Eccleſiæ Dei portendere debeat, nihil aliud eâ, quam maximam in cognitione Dei lucem, quæ tandem aliquando denſas tenebrarum nubes perrumpet, & orbem ſuo fulgore irradiabit, ſignificatum eſſe. Quod ubi ſumma Dei miſericordia factum fuerit, tum demum via ad generalem Judæorum, & forte etiam aliorum infidelium populorum converſionem vere aperietur, & exoptata felicitas Chriſtiani populi ad gloriam Dei ſubſequetur. Nos Chriſtiano Lectori proponimus expendenda hæc ſequentia. Poſtquam lux divinæ veritatis, quæ à tot ſeculis per Antichriſti tyrannidem oppreſſa ac ſepulta delituit, per virum celeberrimum & à Deo illuminatum Lælium Socinum ab Anno Chriſti 1547. uſque ad annum 1562. quo è vita exceſſit, quaſi ex cineribus emicare cæpiſſet (de quo in vita Fauſti Socini legere eſt) deinceps Anno 1574. duobus annis poſt exortam primam ſtellam ſub cæleſti ſigno Caſſiopeja, illius ex fratre nepos Fauſtus Socinus, vir non minoribus donis divinis exornatus, primum ex Italia in Germaniam venit. Per quem parva illa veritatis ſcintilla in majorem flammam exarſit, & per plurima præclara hujus magni viri ſcripta toti orbi patefacta & ob oculos poſita eſt. Anno 1604. Fauſtus Socinus quo-

* cap. 30. de ſtella nova in ſerpent.

que vitæ ſuæ curſum abſolvit, eoque ipſo obiit anno, quo inſignis hæc ſtella, de qua impræſentiarum agimus apparuit: proculdubio indicans, veritatem Jeſu Chriſti, quæ infantis inſtar ſub Lælio Socino concepta fuit, & ſub Fauſto tanquam in matris utero membra & vitalem accepit Spiritum, jam in lucem editam eſſe; quemadmodum ſtella Magorum ſignum fuit nativitatis Chriſti. Quam vero ab illo tempore poſt Socini obitum infans iſte creverit atque adoleverit, id eſt, quam ſanctiſſima veritas per plures terras regnaque Europæ dimanarit (non aliter tamen quam velut infans) etiam ipſi jurati ejus hoſtes magno ſuo cum dolore & inviti coguntur agnoſcere. Vide inter alios D. Calovium Decad. Diſſert. de Theologia Socin. pag. 71. D. Johan. Hornbeck. Socinianis. confut. Tom. 1. pag. 96, 97. apparat. ad controv. & Diſput. Socin. Jam par eſt, ut qui oculos mentis ad res divinas probandas & cognoſcendas habent, erigant capita ſua, & attente conſiderent, quid Deus porro ad ſuam filiique ſui gloriam facturus ſit. Lux enim iſta non extinguetur, infans iſte in flore ætatis non occidetur, etſi Herodes ejus vitæ ſtruat inſidias: ſed ſumet in crementum ſummo cum ſolatio domus Iſraëlis, fietque lux multarum gentium. Neque eſt, quod quis offendatur exilibus & in oculis carnalium hominum contemptibilibus principiis magni hujus ac ſancti operis, ut dicat: Quis eſt Socinus? Quid boni poteſt prodire ex Italia? Nam quales, obſecro, erant Chriſti parentes. Quales Apoſtoli, per quos Euangelium Chriſti poſt reſurrectionem & exaltationem ejus ab una parte mundi ad alteram non ſine irreſiſtibili potentia ac virtute diſſeminatum & propagatum eſt? Imo quæri poteſt: Quis fuerit Lutherus? quis Calvinus? Certe non Romani Pontifices: non Principes Eccleſiaſtici ex ordine Cardinalium; ſed Socino nulla ex parte majores. Non abſimili modo olim etiam dicebat vir ſine dolo & fallaciis Nathanael, magis ex communi Judæorum ſententia, quam non ſatis accurate expenderat, quam ex animi malitia: *Poteſtne aliquid boni è Nazaretha venire?* Joh. 1. 47. Sed neque hoc debet cuiquam eſſe ſcandalo, quod lux iſta veritatis adhuc in orbe adeo exoſa ſit & maximas patiatur perſecutiones. Eſt enim lux iſta in tenebris lucens; *homines autem diligunt tenebras magis quam lucem, quia mala ſunt eorum opera* Joh. 3. 19, 20. Chriſtus ipſe fuit petra ſcandali & lapis offenſionis, ſignumque cui ab omnibus contradicebatur Luc. 2. 34. Rom. 9. 32. 1 Petr. 2. 8. Ante debuit ignominioniſſimam ſuſtinere mortem, quam eveheretur in gloriam, & quam vi Spiritus divini lux Euangelii ejus, fulguris inſtar, totum terrarum orbem illuſtraret. Quiſquis habet oculos ad videndum, videat, quid inpoſterum futurum ſit.

III. APPENDIX.

Verſ. 4.

De Scribarum Origine, Officio, & functione inter Judæos.

GRæca vox γραμματεὺς proprie ſignificat *Scribam*: Hebræi vocant *Sopher*, quæ vox derivatur à vocabulo *Sepher*, ſeu *liber*; ut ita *Sopher* nihil aliud notet, quam eum *qui circa libros occupatur*. Sed LXX. Interpretes non tantum vocem *Sopher*, ſed etiam vocem *Schoter* (quæ adminiſtratorem, vel miniſtrum publicum, qui magiſtratui in judiciis famulatur, deſignat) reddiderunt γραμματεὺς, *Scriba*. In Chaldæo *Targum* ſæpius etiam Prophetæ hoc nomine *Sopherim*, *Scribæ* appellantur. Et in Thalmude per hanc vocem intelliguntur *viri Synagogæ magnæ*: cui, ut creditur, Eſdras una cum Zorobabele tribuſque Prophetis Aggæo, Zacharia & Malachia præfuit.

Erat autem apud Judæos Scribarum ſeu Legiſperitorum duplex genus, *Politicum* & *Spirituale*. Politici erant primo qui in aulis Regum verſabantur, & quæcunque erant Regiæ Cancellariæ officia, vel acta, adminiſtrabant aſſervabantque: non ſecus ac hodie faciunt Cancellarii aut Secretarii Regum. Talis erat olim Sebna 2 Reg. 18. 18. Saphan, qui Regi Joſiæ librum legis prælegit. 2 Reg. 12. 10. Deinde erant alii minoris ſortis Actuarii & Notarii in aulis vel in urbibus, qui vulgo in conficiendis teſtamentis, contractibus, pactis & omnis generis negotiis conſignandis operam ſuam hominibus locabant. Tales erant Cinæi illi, de quibus 1 Paral. 2. 55. Spirituales ſcribæ vel Legiſperiti erant Doctores Sacri & legis interpretes. Eorumque erat officium meditationi Sacrarum Literarum diligenter incumbere, eaſdem explicare, à depravatione omni conſervare, populo eas in Templo vel Synagogis prælegere, & ubi opus erat, obſcuriora loca elucidare, populumque inſtruere, quæſtionum nodos in Moſis atque Propheticis libris evolvere, etiam genealogias tribuum, inprimis vero regiæ & Sacerdotalis tribus, intente curare, ac ſimilia alia peragere. Quod autem hoc fuerit Scribarum officium, ex eo conſtat liquido, quod de Chriſto dicitur, eum docuiſſe tanquam habentem auctoritatem, non ſicut Scribæ Matth. 7. 29. Exinde enim patet, Scribas populum docuiſſe. Ita Scribis adſcribitur, quod ſententiam tulerint de adventu Eliæ Matth. 17. 11. Ita etiam de Scribis hoc ſenſu dictum eſt, quod ſedeant in cathedra Moſis, Matth. 23. 2. amentque vocari Rabbi, Rabbi verſ. 6. Hi ſunt, de quibus ait Apoſtolus, *quod requieſcerent in lege, & gloriarentur in Deo, & noverint ejus voluntatem* &c, quod voluerint *eſſe eruditores inſipientium, magiſtri infantium* &c Rom. 2. 17 ad 20.

Ex his jam perſpicuum eſt, Scribas & Legis Interpretes nomine tantum, non reipſa differre. Quod

ex

ex collatione locorum parallelorum Sacræ Scripturæ, intelligitur. Quod enim Matthæus ſcribit Matth. 22. 35. Chriſtum eſſe interrogatum à quodam *Legis Doctore vel interprete*, id Marcus cap. 12. 28. refert de *Scriba vel Legiſperito*. Etiam Syriacus Interpres aliquoties utitur voce *Saphera Scriba*, pro רבנא, *Legis doctor*. Ideo Chriſtus quoque idem quod apud Matthæum Matth. 23. 4. reprehendit in Scribis *quod gravia & pene intolerabilia onera ligent, eaque humeris hominum imponant, ipſi autem digito ſuo ea movere nolint*; apud Lucam imputat Legis doctoribus Luc. 11. 46 dicens: *Va vobis Legis doctoribus, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.* Quod hic in contrarium afferri ſolet, ex Luc. 11. 45. de eo vide ad illum locum.

Fuerunt autem Legiſperiti iſti ſeu Scribæ in ſumma auctoritate, ita ut præcipui eorum natuque grandiores etiam in Synedrium cooptarentur. Etiam in omnibus civitatibus erant aliqui Scribæ, ſaltem in iis, quæ ſuas habebant Synagogas.

De tempore, quo Scribæ iſti primum exorti ſunt, inter eruditos diſconvenit. Aliqui volunt eorum originem ſimul cum Lege cœpiſſe: aliis placet, eos à Davide eſſe inſtitutos, cum Sacerdotes ac Levitas in certos ordines diſtinxit, officiaque Eccleſiaſtica diſtribuit 1 Paral. 24. 25. alii putant à Joſaphato ordinatos, cum populum à Sacerdotibus ac Levitis paſſim in oppidis in Lege Dei erudiri præcepit. 1 Paral. 17. 8, 9. At neque Davidis neque Joſaphati ætate, neque antea vox *Saphera*, ſeu *Scribæ* hoc ſignificatu in Sacris Literis reperitur: ſed Sacerdotes tunc id peragebant, quod poſtea factum eſt Scribarum officium. Sunt nonnulli, qui cum Hieronymo ſentiunt, eos ſimul cum Phariſæis, & ex eadem Schola celebrium Rabbinorum Hillelis ac Schamai exortos eſſe. Verum Epiphanius eorum ortum conjungit cum ortu Sadducæorum. Ex Joſepho vero diſcere eſt, utramque hanc ſectam demum poſt Judæ Macchabæi mortem enatam: nam eorum meminit primum ſub principe Jonatha fratre Judæ Macchabæi. Joſeph. lib. 13. cap. 9. Nec deſunt, qui autument eos poſt captivitatem Babylonicam tempore ſecundi templi primo emerſiſſe, cum ſcilicet donum Prophetiæ cum ultimo Prophetarum Malachia deſiiſſet, adeoque major diligentia in legis ſenſu indagando requireretur. At ex Scriptura conſtat, nomen Scribarum ac Legis doctorum perantiquum eſſe, atque jam tum in uſu fuiſſe, cum adhuc Prophetarum poſtremi in vivis eſſent. Eſdras enim, qui ætate ſuppar fuit Zachariæ, Aggæo atque Malachiæ, diſerte *Scriba* appellatur *promptus in Lege Dei* 1 Eſdr. 7. 6. & verſ. 10 dicitur, quod *comparaverit animum ſuum ad quærendum Legem Domini & ad præſtandum eam & ad docendum Iſraëlem ſtatuta ac judicia.* Item verſ. 11. nominatur *Sacerdos, Legiſperitus, interpres verborum mandatorum Dei.* Itaque ſtatuendum eſt omnino, Scribas iſtos ſeu Legiſperitos Eſdræ temporibus eſſe exortos. Cum enim is una cum aliis eximiis viris, qui vulgo *Viri magnæ Synagogæ* dicuntur, ſummam adhibuiſſet diligentiam in Sacro Codice deſcribendo, examinando, & explicando, ita ut Judæi de eo aſſerant, quod *hiatum legis impleverit*: idcirco eſt Scriba ac Legiſperitus nuncupatus. Ab Eſdræ temporibus hoc officium Scribarum poſtea ſemper ad Chriſtum uſque duravit. Ac de illis loquitur Jacobus, cum inquit Actor. 15. 21. *Moſen ab antiquis temporibus habere in ſingulis civitatibus eos, qui ipſum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.*

Eſt autem per iſtos homines, dum in explicatione Scripturæ nimis ingenium ac ſapientiam ſuam oſtentare, aliique aliis præcellere ſtudent, ſucceſſu temporis valde obſcurata Scriptura: quatenus in omnibus ſpiritualem ac myſticum ſenſum ſectati ſunt, ut ita literalis ſenſus in contemptum ferme apud eos venerit, ac *res minima*, myſticus vero ſenſus *res maxima* appellatus ſit. Imo etiam in nudis vocabulis, in numero literarum earundemque varia tranſpoſitione (quam artem Judæi Cabbalam, & eos qui in ea exercitati ſunt, Cabbaliſtas vocant) maxima ſinxerunt ſibi myſteria. Quo pacto in infinitos errorum anfractus abierunt, ſanctumque Dei verbum vaniſſimis hominum commentis macularunt ac polluerunt.

Diſcrimen inter Scribas & Phariſæos eſt, quod nomen Scribæ deſignet certum ſtatum ſeu officium, Phariſæorum autem ſectam. Ex ſcribis enim ſeu Legiſperitis, qui tum in interpretatione Scripturæ, tum in ſententiis atque dogmatibus inter ſe conſentire non poterant, ſectæ Judæorum, ſcilicet Phariſæi, Sadducæi, & Eſſeni, enatæ ſunt: qua de re plura dicentur infra cap. 3. 7.

Scribæ autem *populi* vocantur à Matthæo, quia ad id ordinati erant, ut populum docerent, atque in Lege explicanda eum inſtituerent. Appellanturque ſic ad diſtinctionem eorum indicandam ab aliis ſcribis, ad quos docere populum ac inſtituere non pertinebat: qui erant Senatores vel Aſſeſſores Judiciorum. Sicut enim Romani Præſides, ſuos habebant Juriſconſultos, quorum conſiliis in arduis ac gravioribus rebus utebantur, quin & hodie apud Cæſares, Reges, ac Principes, moris eſt, ut in judiciis præter Proceres ac ſummos Conſiliarios, qui è nobilitate deſumuntur, etiam alii eruditi viri atque Doctores Juris adhibeantur: Ita quoque apud Judæos in judiciis tam politici Magiſtratus, quam Ordinis Sacerdotalis adhibiti fuere viri tales Conſiliariorum atque Aſſeſſorum loco, quorum munus erat, Leges Dei tam ad jura politica, quam ad cultum religionis ſpectantes explicare & interpretari. Atq; hi ut plurimum eligebantur è tribu Levi, uti Hieroſolymitanum Talmud & R. Maimon teſtatur: quanquam etiam ex aliis tribubus non erat præcluſus ad hanc functionem aditus iis, qui ſatis idonei ad eam obeundam erant.

Propemodum vero ipſa neceſſitas exegit, ut ordo iſte Scribarum ad judicia adhiberetur. Etſi enim proprie Sacerdotibus competebat Legem interpretari, tamen quia honos hic hæreditarius erat, ac ſæpe iis obtingebat, qui minus pollebant ingenio atque judicio, inde factum eſt, ut Sacerdotes aliorum conſiliis uti cogerentur. Præſertim cum procedente tempore negligentia Sacerdotum magis magiſque invaluiſſet, iique magis mundana quam quæ ipſorum erant officii, curarent.

Cur autem Herodes nominatim hos *Scribas populi* accerſiverit, cauſa hæc reddi poteſt, quod voluerit de re tanti momenti eos potiſſimum conſulere, quos

rerum

rerum peritiſſimos ac Scripturæ ſcientiſſimos eſſe cenſebat. In Synedrio quidem conveniebat ut eſſent è Pontificibus ac Legum-peritis ſapientiſſimi; verum ejuſmodi ſublimes & quæſtuoſæ dignitates ſolent plerumque magis ex favore quam ex merito conferri. Quapropter convocat ille omnes ſummos Sacerdotes, quotquot erant Hieroſolymis, & ſimul etiam ſcribas populi, de quorum ſcientia optime perſuaſus erat. Legiſperiti enim, qui partem Synedrii conſtituebant, magis erant occupati circa res ad jus & judicia pertinentes, quam circa arcana vaticinia Prophetarum.

CAPUT III.

Argumentum & Partitio.

In ſuperiori capite Matthæus memorabilem quandam hiſtoriam, quæ ad pueritiam Chriſti ſpectat, recenſuit: deſcribens ſcilicet Magorum ex Oriente adventum Bethlehemum, quidque ea occaſione Chriſto contigerit, item quomodo Chriſtus Nazarethæ fuerit educatus. Jam accedit paulo propius ad Propheticum munus Chriſti, & deſcribit duas res, quæ præparamenta quædam fuerunt ad hoc Chriſti munus. Prima eſt, Officium Johannis Baptiſtæ, qui Iſraëliticum populum per acres commonefactiones ad pœnitentiam idoneum reddebat, Chriſti doctrinæ ſuo tempore ſuſcipiendæ. Quæ pars hujus capitis extenditur uſque ad verſ. 13. Secunda eſt, quomodo Chriſtus ipſe, poſtquam à Johanne baptiſatus eſt, Prophetico muneri conſecratus atque initiatus ſit, dum Spiritus Sanctus de cœlo ſuper ipſum deſcendit, atque voce quadam de cœlo pro Dei filio declaratus eſt. A verſ. 13 ad finem capitis.

PARS I.

VErſ. 1. *In illis diebus.*] id eſt, illo tempore. Ut & ſupra cap. 2. 1 *in diebus Herodis*, id eſt, tempore regni Herodis. Intelligitur autem per illos dies tempus illud, quo Chriſtus Nazarethæ habitavit: nam vox *illis* reſpicit poſtremum ſuperioris capitis verſiculum. Quia vero Lucas teſtatur, Johannem prodiiſſe ad prædicandum anno 15 Tiberii Cæſaris cap. 3. 1, ex contextu quoque hiſtoriæ patet, Johannem eodem anno cœpiſſe prædicare, quo Chriſtus ab eo fuit baptiſatus, (quod factum eſt anno Chriſti circiter trigeſimo) ſequitur, hos dies complecti in ſe viginti & aliquot annos, nempe totum illud tempus, à Chriſti reditu ex Ægypto, ad tempus baptiſmi ejus interlapſum. Non debuit autem Johannes ante-auſpicari munus ſuum, quia ante trigeſimum annum, id eſt, ante virilem ætatem, qua maturum ſolet eſſet hominis judicium, nullus Sacerdos, Doctor aut Propheta munus ſuum aggredi poterat: de quo doctiſſimi Judæorum teſtantur, & ex 1 Paral. 23. 3 colligitur. Ideo Chriſtus quoque non ante trigeſimum annum prædicandi fecit initium.

Non commemorant autem Euangelicæ hiſtoriæ Scriptores quicquam rerum illo tempore pueritiæ Chriſti geſtarum, præter unicam illam rem, quam refert Luc. 2. 41 & ſeqq. quid duodecimo ætatis ejus anno ipſi contigerit. Reliqua omnia complectitur generalibus illis verbis; *Jeſus autem crevit ſapientia, ſtatura & gratia apud Deum & homines* verſ. 52. Nimirum quamvis dubium non ſit ullum, cuncta acta cœptaque ejus fuiſſe ſancta ac laudabilia, apparet tamen, parum aut nihil omnino ſingulare ac notatu dignum ab ipſo vel circa ipſum geſtum eſſe: præſertim cum deinceps longe inſigniora & memoratu digniora fecerit locutuſque ſit, ut cum his opera puerilis ætatis ejus collata quodammodo evanuerint. Cumque illa nobis ſcitu multo magis fuerint neceſſaria, ideo Euangeliſtæ merito ad eorum narrationem atque deſcriptionem properarunt. Neque abſque ſingulari Dei providentia factum eſt, quod Chriſtus uſque ad tempus inchoandi muneris ſui quodammodo delituerit: videlicet ut poſtmodum clariſſima lux divinæ ejus potentiæ atque ſapientiæ derepente prodiret in oculos hominum, & tanto majori cum admiratione ac gaudio, tanquam cœlitus à Deo ſubito demiſſum munus, ſuſciperetur. Quod autem libros illos attinet, qui olim ſparſi ſunt ſub titulo, *Acta pueritiæ Chriſti*, in iis talia continentur, quæ fabulis quam veræ hiſtoriæ ſimiliora ſunt. Sed & illa quæ Juſtinus & Baſilius de mechanicis ejus operibus referunt, quomodo Joſephi in fabrili opificio adjutor fuerit, dubiæ ac incertæ veritatis ſunt.

Venit Johannes Baptiſta.] De hujus præclari viri vita, moribus, officio, rebuſque geſtis vide 1 Appendicem hujus capitis.

Nomen Baptiſtæ ſortitus eſt à baptiſmo, quo populum Judaicum tinxit Deo mandante, quale mandatum antea nemini à Deo datum fuit. Tametſi enim antea quoque diverſi modi baptiſandi, ſeu immergendi in aquam, nec non aliæ ablutiones apud Judæos uſu recepti fuerint, aliqui etiam à Deo fuerint inſtituti, ut patet Marc. 7. 4. Hebr. 9. 10, nullus tamen hominum à Deo unquam ordinatus fuit, qui alios homines, nedum totum Iſraëliticum populum aqua baptiſaret: ut taceam, hunc Johannis baptiſmum eo inſtitutum fuiſſe fine, quo is nunquam ante hac uſurpatus fuit, ſcilicet ad pœnitentiam, ut poſtea intelligemus.

Venit.] Græce παραγίνεται: præſens pro præterito. Qui loquendi modus in narrandis hiſtoriis admodum uſitatus eſt.

Unde vero venerit Johannes, ex Luca intelligitur, qui cap. 1. 80 inquit: *Puer autem creſcebat & coroborabatur Spiritu, eratque in deſerto, uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraëlem.* Quæ verba innuunt, Johannem in deſerto eſſe educatum, ibique habitaſſe uſque dum munus ſuum exortus eſt.

Prædicans in deſerto Judææ.] Venit è deſerto & prædicabat quoque in deſerto. Nempe ex interiori deſerti parte prodiit ad extima deſerti verſus Jordanem, quæ ab hominibus incolebantur.

Utrum vero profundior illa deſerti pars, in qua morabatur Johannes, prorſus non fuerit ab ullis hominibus habitata, duplex eſt inter Interpretes ſententia. Nonnulli exiſtimant, per deſertum hoc deſignari partem illam regionis, quæ apud Lucam

cap.

cap. 1. 39 *montana* dicitur, ubi Johannis parentes habitabant. Hanc ajunt deſertum vocari, non ideo, quod incultum ac prorſus habitatoribus vacuum eſſet, ſed quod horridus, petrorſus, atque montoſus eſſet locus, ut cum aliis amœnis ac bene cultis locis comparatus pro deſerto haberi poſſet. Ita Joſ. 15. 61 dicitur, tribui Judæ ſex civitates in deſerto attributas eſſe. Ita & Nabal in deſerto habitavit 1 Sam. 25. 1, 2, & Joabus domum ſuam in deſerto habuit 1 Reg. 2. 34. Hi proinde volunt, Johannem in montanis apud parentes ſuos fuiſſe educatum, & poſt eorum quoque obitum ad tempus functionis ſuæ ibidem commoratum fuiſſe.

Verum multo probabilius eſt, partem illam deſerti, ubi Johannes commoratus eſt, planè ab omni hominum cultu ac habitatione ſeparatam fuiſſe. Quod primo ex illis antea adductis verbis Luc. 1. 80 liquet, ubi ſimpliciter dicit Lucas, Johannem *in deſerto* fuiſſe, nec meminit ullius civitatis ſive domus in illo deſerto, ubi fuerit educatus, neque ullum omnino indicium reliquit, è quo intelligi poſſit, deſertum illud ad hominibus inhabitatum fuiſſe; quemadmodum cap. 1. 39 nominat *civitatem Judæ* in montanis ſitam, ubi Zacharias domum ſuam habuit. Deſertum autem nude ac ſimpliciter ita dictum nihil aliud eſt, quam mera ſolitudo & vacuus ab habitatoribus locus. Imo dum meminit deſerti, apparet eum id tanquam rem ſingularem atque inſolitam deſcribere, quod in loco inculto atque aſpero tamdiu uſque ad muneris ſui functionem verſatus fuerit. Quid vero in eo ſingulare eſſet, ſi in civitate aliqua apud ſuos parentes atque conſanguineos habitaſſet, quamvis illa in aliquo deſerto & minus culto atque infœcundo loco ſita fuerit? Talia loca in montanis, certis in rebus ſæpe melioribus gaudent quam alia commoditatibus. Poſtea cum Johannes ad munus ſuum obeundum vocaretur, ait Lucas, Verbum Domini ad eum factum eſſe *in deſerto*. Quæ repetitio vocis *deſerti*, quod in deſerto fuerit educatus cap. 1. 80, & quod in deſerto mandatum Dei acceperit cap. 3. 2, ſatis indicat, Lucam non de tali deſerto loqui, quod incolebatur ab hominibus, ſed quod in eodem, in quo habitabat, deſerto, divinum etiam ei datum fuerit mandatum. Sic Moſes quoque mandatum Dei accepit in ejuſmodi deſerto, ubi oves ſui ſoceri *ad interiora deſerti* à nullo habitata, abduxerat Exod. 3. 1, 2. Tertio ex ratione veſtitus atque victus, quo utebatur Johannes, idem intelligi poteſt. Ita enim eum deſcribit Matthæus, ut non indicet ideo eum fuiſſe viliſſimum, quia ita ipſi collibuerit uti eo præ reliquis in illo ſuo ſingulari vitæ genere, ſed quia meliorem alium in deſerto habere non poterat, & ſolitarius remotuſque ab omnium hominum conſortio locus non niſi talem ei victum & amictum ſubminiſtrabat. Cameli enim in deſerto erant plurimi, ut & alia animalia fera, oves vero nullæ, quandoquidē hominum nemo illic habitabat: non deerant etiam locuſtæ ac mel ſylveſtre. Cui vero bono ille locuſtas & mel ſylveſtre curaſſet ſibi in urbem afferri ex deſerto, quamvis ea de proximo petere poſſet? Vel, quo fine tales ſibi delegiſſet eſcas, ſi in loco, quem homines incolebant, verſatus fuiſſet? Auſtera etiam vita agi poteſt tunc, cum cibi adſunt ejuſmodi, quos neceſſe non eſt ſylvis ac nemore petere, quique æque ac illi ſylveſtres, delicati lautique non ſunt. Pane ſolo & aqua vitam ſuſtentare homo poteſt, multoque minus victus iſte deliciarum ac voluptatis in ſe habet, quam locuſtæ ac ſylveſtre mel. Quarto non ſine provida Dei directione factum eſt, quod Johannes tam inſuetum, rigidum atque aſperum vitæ genus duxerit. Hoc enim pacto Deus voluit ei auctoritatem apud populum, doctrinæque ejus divinæ fidem tanto majorem conciliare. Chriſtus inſtructus miraculis ingentibus proceſſit in publicum ad docendum, & ſic doctrinam ſuam valide confirmavit. Johannes vero nullum edidit miraculum, ne gloria Chriſti iſta ratione ulla ex parte obſcuraretur. Quare debuit alia aliqua re ſingulari eſſe inſignis, ex qua colligi poſſet, eum à Deo miſſum eſſe. Hæc autem erat vita illa auſtera & ſolitaria, ab omni hominum commercio remota, cujus nullum tunc aliud extabat exemplum, cum qua externa ſpecies ſanctimoniæ Phariſaicæ non erat comparanda: qualis vita dura etiam ipſi, ut pote rigido pœnitentiæ Doctori conveniebat. Duplici autem modo hæc anachoretica vita ei auctoritatem apud populum paravit. Primo, quatenus durities atque auſteritas vitæ ejus ſatis arguit, eum dum novam doctrinam attulit, non commodi proprii, non carnalis voluptatis, non ullius vanæ mundi gloriæ ſtudio atque cupiditate duci. A quibus rebus omnibus uti revera toto abhorrebat animo, ita etiam in externo vivendi modo id apparebat, dum ſylveſtri alicui, quam ſecundum rationem viventi homini ſimilior videretur. Quocirca hæc prorſus inſolita ac ſylveſtris vivendi ratio magnam laudem ſanctitatis ei circumdedit: præſertim cum ſtatim à teneris (ut ex Luc. 1. 80 patet) id eſt, poſtquam ex infantia egreſſus eſt, cum jam inſtinctum Spiritus, qui eum ab hominibus ita ſegregavit, dijudicare atque intelligere poſſet, in deſerto vixerit, non demum brevi aliquo ante ſuſceptum munus ſuum tempore eo ſe contulerit: ne quis forte diceret eum de induſtria & ad ſpeciem ſingularis ſanctitatis ſibi comparandam, ab oculis hominum ſe ſubduxiſſe, ut deinde ſubito velut ſylveſtris quidam Deus appareret, populumque ſeduceret. Secundo, quatenus ſolitaria hæc vita ſignum erat, quod ſapientia ejus, quæ poſtmodum in illo eluxit, revera à Deo fuerit profecta: cum in deſerto nullum habuerit doctorem ac magiſtrum, qui eum erudire, nedum tanta ſapientia imbuere poſſet. Ex quo proinde facillime agnoſci poterat, neminem præter Deum ipſum hanc ſapientiam ei inſtillaſſe. Præterea omnino conveniebat, ut qui Spiritu ac virtute Eliæ inſtructus venire debebat, etiam in ipſo vivendi modo ei ſimilis eſſet. Conſtat autem ex hiſtoria Veteris Teſtamenti, quod Elias cum verus Dei cultus in univerſo Iſraëlitico regno extinctus eſſet, & vita Eliæ appeteretur, in deſerto aliquantiſper ſit commoratus 1 Reg. 19. 4. Dici quoque poteſt, Johannem propterea debuiſſe ab hominum conſortio remotam vitam agere, ne populus ſuſpicaretur, eum cum Chriſto tacitam conſpirationem pactumque iniviſſe, ut alter alterius laudes decantaret ad homines decipiendos. Quam cauſam Johannes ipſe quodammodo ſubindicat, cum populo dicit: *Et ego non noveram eum* Joh. 1. 31. Ad extremum

mum notandum eſt, de Johanne (ut ℣ſ. 3 docet) prædictum fuiſſe, quod in deſerto prædicaturus ſit. Non fuiſſet autem conveniens, ut tum demum in deſertum abiiſſet, cum ordiretur prædicandi munus: ſed ideo in deſerto prædicavit, quia jam ante in diſerto vixit.

Venit igitur Johannes ex profundo deſerto ad exteriores ejus partes, ad oras Jordani vicinas (ut monſtrat Lucas cap. 3. 3) quæ jam ab hominibus cultæ erant, quo etiam major turba hominum ex locis circumjacentibus confluere poterat, quos ad pœnitentiam agendam ac baptiſſimum ſuſcipiendum adhortaretur: ad quod utrumque peragendum nulla in interiori deſerto erat opportunitas. Ut ita Johannes confinia deſerti non prorſus egreſſus fuerit, ſed tantum in extremas ejus oras aliquantum proceſſerit.

Unde Matthæus expreſſe hoc loco ait, eum in deſerto Judææ prædicaſſe. Quod etiam Chriſtus infra cap. XI. 7, & Marcus cap. 1. 4 confirmant; omneſque tres Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas locum illum Eſaiæ cap. 40. 3: *Vox clamantis in diſerto*, ad Johannem Baptiſtam accommodant, & ipſe quoque de ſe eum explicat Joh. 1. 23.

Venit.] Non proprio motu, ſed Dei impulſus mandato. Nimirum *verbum Domini factum eſt ad ipſum in deſerto* Luc. 3. 2. Venit autem, munus ſuum, cui ab utero matris ſuæ deſtinatus erat, auſpicaturus. Venit, ut ſe oſtenderet Iſraëli Luc. 2. 80.

In deſerto Judææ.] Hoc additur ad diſtinctionem ab aliis deſertis, quorum plura memorantur in Scriptura. Mentio enim fit variorum deſertorum in Sacris Literis: ut inter cætera deſerti *Sinai* Exod. 19. 1, deſerti *Siph* 1 Sam. 23. 15, deſerti Maon ibid. ℣ſ. 24, deſerti *Engedi* 1 Sam. 24. 2, deſerti *Pharan* 1 Sam. 25. 1, deſerti *Edom* 2 Reg. 3. 8, ut alia mittam. Deſertum autem hoc, quod hic Judææ vocatur, ſitum erat inter Orientem atque Septentrionem, trans Jordanem, & juxta fluvium in longum porrigebatur. In extremo iſtius deſerti ſita erant illa oppida Ænon & Salim, ut & Bethabara, ubi Johannes Baptiſmum peragere ſolebat Joh. 1. 28. III. 23. Hoc deſertum extendebatur à Jordane verſus Orientem uſque ad montes Piſga, Nebo, Abarim &c. Joſephus quoque ejus meminit libr. 3 de bello cap. 35, inquiens, Jordanem, ubi medius per mare Genezareth tranſivit, fluere per magnum deſertum (hoc eſt iſtud deſertum Johannis) in lacum Aſphaltitem. Ex hoc ergo deſerto jam prodiit Johannes, atque in hoc deſertum etiam Spiritus egit Chriſtum, ubi à Diabolo tentatus fuit Matth. 4. 1.

Verſ. 2. *Et dixit.*] Hic incipit Matthæus munus Johannis Baptiſtæ deſcribere, ad quod auſpicandum ac obeundum ille ex interiori deſerto egreſſus erat.

Munus autem Johannis in genere hac in re conſiſtebat, quod magni illius legati Dei, qui brevi adventurus erat, præcurſor ac prænuntius eſſe debuerit, ad præparandos hominum animos, ut tanto aptiores ad eum cœleſtemque ejus doctrinam ſuſcipiendum eſſent. Quod ipſius munus partim Angelus, conceptionem Johannis Zachariæ annuntians, partim Zacharias ipſe in ſuo Cantico ſummatim deſcripſit. Angelus inquit, *eum multos filiorum Iſraël converſurum ad Dominum Deum illorum, & præceſſurum ante eum in ſpiritu ac virtute Eliæ, ad convertendum animos patrum ad filios, & rebelles ad prudentiam juſtorum, ut paret Domino populum inſtructum* Luc. 1. 16, 17. Zacharias autem ait, *eum Prophetam Altiſſimi vocatum iri, quia præibit ante faciem Domini, ut paret vias ejus, & det cognitionem ſalutis populo ejus, ad remiſſionem peccatorum ipſorum* Luc. 1. 76, 77.

Munus autem hoc ſuum, præparandi viam Chriſti, peregit, partim docendo & prædicando, partim aqua baptiſando. Doctrinæ duæ erant partes. Prima continebat concionem de reſipiſcentia & converſione, qua populum à licentioſa & effrenata vivendi conſuetudine ad ſtudium veræ ſanctimoniæ ac juſtitiæ traducere laborabat. Secunda teſtimonium de Chriſto, quod is ſit verus Meſſias, qui tunc tanto cum deſiderio expectabatur. De quo infra ℣ſ. 2 & alibi. Per baptiſmum, qui immediate cum prædicatione pœnitentiæ conjunctus erat, homines reſipiſcentes pro diſcipulis ſuis ſuſcipiebat atque initiabat: de quo etiam poſtea.

Pœnitentiam agite.] De falſa horum verborum interpretatione, quam adferunt ii, qui omnes homini vires ad reſipiſcendum adimunt, vide 2 Appendicem hujus capitis.

Complectitur autem Matthæus brevius iſtis verbis ſummam totius prædicationis Johannis de pœnitentia. Quod enim plura verba in prædicando adhibuerit, extra omnem eſt dubitationem. Certum eſt eum nihil omiſiſſe eorum, quæ ullo modo facere poterant ad animos hominum emolliendos, & ad pœnitentiam exiſtimulandos tam aſperis quam lenibus verbis. Unde etiam poſtea ℣ſ. 7 & ſeqq. nec non Luc. 3. 7 Phariſæos & Sadducæos acriter perſtringit; Publicanis vero & militibus ad propoſitas quæſtiones benigne reſpondit Luc. 3. 12, 13, 14. Imo ne Herodi quidem Tetrarchæ pepercit, ſed ei turpitudinem conſuetudinis cum aliena, & quidem cum fratris uxore impavide ob oculos poſuit, vitamque huic rei impendit Matth. 14. 4, 10.

Græcum verbum μετανοεῖν proprie ſignificat *poſtea conſiderare*, nempe poſt peractum facinus, vel, poſt factum ſapere, rem melius quam antea conſiderare, priſtina facta improbare atque damnare, aliamque mentem induere. Eandemque habet hæc vox vim, quam habet apud Latinos *reſipiſcere*. Reperitur autem alia adhuc vox ejuſdem ſignificationis in Scriptura, nimirum μεταμέλομαι, id eſt, pœnitentiam ago, ſeu dolore animi ſuper malum factum afficior. Poteſt vero diſcrimen conſtitui inter μεταμέλειαν, & inter μετάνοιαν. Illa laxioris eſt ſignificationis, quam converſio ſeu emendatio. Poteſt enim aliquis dolore affici ſuper delictum ſuum, idque deteſtari, & tamen ſe non convertere, id eſt, vitam moreſque ſuos non emendare. Qualis fuit Judas, de quo ait Matthæus cap. 27. 3, quod pœnituerit eum, μεταμεληθείς, quod Jeſum prodidiſſet. Quanquam, ſi hæc pœnitentia conſtans ſit, nec ita nimia, ut ad deſperationem (ſicut Judæ accidit) adducat, vel ut loquitur Paulus 2 Cor. 7. 9, ſi *ſecundum Deum* ſit, tum efficit illa etiam ac producit veram converſionem ac vitæ emendationem; dummodo tantum temporis ſuperſit, quanto ad emendandam vitam opus eſt. Atque hoc eſt alterum diſcrimen inter pœnitentiam & converſionem:

ſionem : quod ſcilicet pœnitentia ſit cauſa converſionis, ſeu converſionem efficiat. Vide plura de eo infra cap. 27, 3.

Quia vero ſimpliciter Johannes inquit, *Convertimini, ſeu reſipiſcite*, neque aliud quicquam addit, quod pietatem vitæ exprimat, inde intelligitur, eum per reſipiſcentiam non ſolam animi mutationem, ſed etiam vitæ ſimul mutationem in melius denotare. Dubium enim non eſt, Johannem non hoc ſolum intendiſſe, ut homines prioris vitæ fœditatem deteſtarentur, & melioris impoſterum agendæ deſiderio flagrarent, ſed ut reipſa vitam emendarent, ac bonum propoſitum effectu ipſo exequerentur. Imo ideo vult mutari animum, ut etiam mutetur vita : prout ex eo, quod infra ỳſ. 8 & ſeqq. dicetur, apparebit. Quare cum Johannes unico hoc *reſipiſcentiæ* vocabulo totum id complectatur, quod ille, ſeu Deus potius per eum, ab hominibus requirit : manifeſtum eſt, eum etiam pietatem vitæ huic vocabulo incluſiſſe ; quemadmodum infra quoque ỳſ. 2 ubi ait : *Ego baptiſo vos aqua ad pœnitentiam*. Item Luc. 3. 3 ubi dicitur, Johannem prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Verum infra ỳſ. 8 bona opera à pœnitentia & reſipiſcentia tanquam fructus à ſua arbore diſtinguuntur : ut etiam Luc. 3. 8 & Actor. 26. 20.

Vult autem Johannes, ut Judæi mala illa opera deponant, quæ tum lege prohibentur, tum à ſana ratione damnantur, utque ea ex adverſo ſectentur bona opera, quæ & legis mandatis & rationis rectæ dictamini ſunt conſentanea. Extra hos limites legis & ſanæ rationis Johannes in prædicanda pœnitentia progreſſus non eſt ; unde etiam non tantæ perfectionis fuit doctrina ejus, ut omnia plene ac ſufficienter explicaret, aut ut omnia hauriri ex ea diſcique poſſent, quæ ad Chriſtianæ pietatis perfectionem requiruntur. Non enim hoc erat prodromi officium, ſublimia præcepta regni Chriſti, in quibus perfectiſſimæ virtutes conſiſtunt, tradere ; ſed Chriſtus ipſe id facere, ac perfectiſſimam de vera pœnitentia atque converſione doctrinam proponere debebat. Quia vero hæc abſque antecedente animi probitate neque ſatis intelligi neque ſuſcipi poterat, idcirco Johannes fundamentum quaſi ponere, & hanc ſolummodo ſanctitatem docere debuit, quæ cum lege Moſaica, rationiſque lumine congruebat. Breviter, ipſius erat, homines juſtos ſecundum Legem, non ſecundum Euangelium efficere.

Hic animadvertendum, hallucinari eos, qui contendunt, Johannem etiam converſionem ſeu reſipiſcentiam à falſis doctrinis prædicaſſe, nempe à falſis interpretationibus ſcripturæ, à traditionibus Phariſæorum atque ſcribarum, quas extra Legem, imo potius contra Legem invexerant : item quod Sadducæos ab illorum erroribus de reſurrectione mortuorum, de Angelis, ac ſpiritibus &c revocare ſtuduerit. Nam hoc quoque totum non erat ipſius officii, ſed magno illi Legato Dei hoc competebat, qui ipſum ſecuturus erat ; hic enim debebat luce doctrinæ ſuæ diviniſſimæ omnes Phariſaicorum ac Sadducæorum errorum humanorumque dogmatum nebulas diſpellere, & non ſolum falſas Legis interpretationes, ſed & Legem ipſam quoad ritus ac Ceremonias ſuo tempore abrogare. Johannis munus erat, conſcientias hominum à peccati labe purgare. Errores autem mentis per ſe conſcientiam non pollunt : nemo ſiquidem ſciens ac data opera errat. Imo ſæpe numero optimi ac probiſſimi mortalium errore implicantur. Inprimis vero ad munus ejus haud ſpectabat, Sadducæos de reſurrectione mortuorum erudire, quam ex Lege Dei probare non poterat, tametſi eam alii Judæi crederent, magis ex propria opinione, quam ex divina promiſſione : id quod in Prolegomenis cap. 2, ubi de Titulo Novi Teſtamenti egimus, à nobis eſt demonſtratum. Chriſtus eſt, qui mortem abolevit, vitamque & incorruptionem in lucem produxit *per Euangelium* 2 Tim. 1. 10.

Inſuper Johannem docuiſſe, quod Deus ſit unus eſſentia, trinus autem in perſonis, quod Chriſtus ſit ejuſmodi Dei filius, qui tempore prior ipſo fuerit (cum tamen ſex menſibus eſſet junior) adeoque ipſe verus æternus Deus ſit : quodque Spiritus Sanctus perſona divinitatis ſit, à patre ac filio diſtincta ; affirmant Centuriatores Magdeburg. Sed de eo ille ne per ſomnium quidem unquam cogitavit.

Appropinquavit enim Regnum Cœlorum] Loquitur de cœlis in plurali numero. Cauſam vide infra cap. 5. 16. Indicat vero his verbis cauſam Johannes, ob quam pœnitentiam agere debeant Judæi, quia videlicet regnum cœlorum jam præ foribus ſit, in quo impii impœnitentes & in peccatis perſeverantes nullum ſint locum habituri.

Vox *Regni cœlorum* non eſt primum à Johanne & Chriſto invecta, ſed jam erat tunc temporis Judaico populo bene nota ac familiaris : ut & vox Paradiſi Luc. 23. 43 & vox Gehennæ Matth. 5. 22. Vocabatur autem tunc inter Judæos Regnum cœlorum, illud inſigne felixque regnum, quod Deus per Meſſiam erigere conſtituerat : de quo Daniel Propheta cap. 2. 44. VII. 27, nec non Eſaias cap. LII. 7, imo cuncti Prophetæ Actor. 3. 21, vaticinati ſunt, quodque tunc Judæi unanimiter ardentiſſimis expetebant votis. Quando enim ait : *Appropinquavit Regnum cœlorum* ; loquitur de re ipſis nota : quaſi dicat : Regnum illud cœlorum, quod vos expectatis, jam prope eſt, jam tempus inſtat, quo id erigi debet. In hac igitur ſignificatione vox Regni Cœlorum à Johanne hic uſurpatur.

Cæterum in Sacra Scriptura duplex eſt *Regni cœlorum* ſignificatio. Primo ſumitur in latiori ſignificatu, quo totum regnum Meſſiæ una cum omnibus beneficiis ac felicitatibus deſignatur : uti hoc loco & infra cap. 4. 17, 23 &c. Deinde accipitur in ſenſu anguſtiori vel pro ſola Chriſti doctrina, ſeu prædicatione Euangelii, ut infra cap. 13. 24, 31, 33 vel pro cœleſti gloria in vita æterna, ut infra cap. 5. 3. x. 19, 20. Quod autem Johannes hic per vocem Regni cœlorum non intellexerit gloriam futuræ cœleſtis vitæ, inde liquet, quod dicat, Regnum cœlorum *appropinquaſſe* : quod de vita æterna dicere non potuiſſet ; quandoquidem illa demum poſt peractum univerſale judicium (quod non ante peragi debuit, quam præceſſiſſet regnum Meſſiæ, imo cujus tempore hoc finem habiturum eſt 1 Cor. 15. 24.) atque ita poſt longi adhuc temporis moras piis conferetur.

Præterea promiſſio vitæ æternæ per Chriſtum ipſum, ceu magnum legatum & Mediatorem Novi Fœderis, non per præcurſorem ejus proponenda erat. Unde Johannes teſtatur, vitam æternam per Chriſtum primo, non per Johannem Baptiſtam eſſe promiſſam Joh. 1. 4 ad 10. 1 Joh. 1. 1,2. cap. 5. 11, 12, 13. Imo ſi Johannes Baptiſta diſerte vitam æternam prædicaſſet, utique ipſe lux illa fuiſſet; quod tamen Johannes Apoſtolus de illo expreſſe negat, inquiens: *Hic non erat illa lux, ſed teſtabatur de illa luce* Joh. 1. 8. Neque etiam exiſtimandum eſt, Johannem hoc loco per Regnum cœlorum intelligere prædicationem Euangelii, quatenus Chriſtus in cordibus ſuorum electorum ſpiritualiter regnat, ſicut Piſcator & alii ſtatuunt. Prædicatio enim Euangelii pars ſolummodo fuit regni Chriſti, Johannes autem totum regnum Chriſti ſimul cum omnibus beneficiis ſumptum intellexit. Quanquam ille ipſe, quænam futura eſſent proprie illa beneficia, ignoraverit, ſed obſcuram admodum & confuſam duntaxat notitiam de eo habuerit, quod eximia atque præſtantiſſima ſint futura. Quamobrem etiam prædicatio Euangelii, quid proprie in ſe comprehendat, nec non Regnum Chriſti in cordibus hominum, quomodo à Meſſia adminiſtrandum ſit, ipſi fuit ignotum: neque ejus rei ſcientia atque intelligentia ad munus ejus pertinuit, ſed hoc totum per Meſſiam ipſum erat demum revelandum. Quemadmodum Prophetæ quoque multa haud intellexerunt, quæ Spiritus Dei impulſu locuti ſunt. Etiam cum Johannes Chriſtum *Agnum Dei* vocavit, *qui tollit peccata mundi* Joh. 1. 29 non intellexit, eum morte ſua peccata ablaturum. Ubi ſimul ſtatuendum eſt, Johannem nullas ejuſmodi carnales cogitationes, quales conceperat vulgus Judæorum de regno Chriſti in animo foviſſe. Adducit autem Piſcator pro confirmatione ſuæ ſententiæ illa Chriſti verba: *Inter natos de mulieribus, nemo major* (Doctor Eccleſiæ) *ſurrexit Johanne Baptiſta. Sed qui minimus eſt in regno cœlorum, major eſt eo* Matth. xi. 11. Ubi per *regnum cœlorum* regnum gratiæ, quo Chriſtus externe per prædicationem Euangelii regnat, intelligitur: quod ſcilicet Johannes quidem maximus ſit Prophetarum, qui unquam vixere, ſed minimus tamen doctor in prædicatione Euangelii major eo ſit. Verum principio non eſt de eo quæſtio, annon vox *Regni cœlorum* aliquando prædicationem Euangelii denotet, ſed an Johannes hoc loco ad hanc ſignificationem reſpexerit, cum inquit: *Appropinquavit regnum cœlorum.* Deinde non eſt neceſſe, ut in illis Chriſti verbis, vox regni cœlorum tantum prædicationem Euangelii denotet, ſed poteſt etiam pro integro Meſſiæ regno accipi, in quo minimus Doctor major eſt quam Johannes Baptiſta. Poteſt dici de aliquo excellenti Concionatore, eum eſſe optimum & præſtantiſſimum Concionatorem in toto Romano Imperio, neque tamen inde ſequitur, munus Concionandi Romanum imperium vocari.

Maldonatus quoque, cum ait, Johannem ideo dixiſſe, regnum cœlorum appropinquaſſe, quia cum ante clauſum fuiſſet cœlum, paulo poſt per mortem Chriſti erat aperiendum; errat in eo, quod per Regnum cœlorum intelligat hoc loco cœlum, adeoque ſempiternam ſalutem. At in eo nullo modo erravit (uti * nonnulli eum erroris accuſant prolixe ac perperam eum reſutantes) quod cœlum tunc clauſum fuerit: clariſſimaque illa teſtimonia, quæ Maldonatus attulit ex Hebr. 9. 8. xi. 39,40 vi ſua ſtant manentque immota. Ubi tamen hoc inſuper advertendum eſt, quod cum cœlum per introitum Chriſti in ſanctiſſimum ſacrarium apertum ac reſeratum eſt, id eſt, liber acceſſus ad æternam ſalutem in cœlo omnibus fidelibus acquiſitus eſt, pii ſub Veteri Teſtamento mortui, non protinus in cœlum intromiſſi ſint, ut volunt Pontificii. Nondum enim utique à mortuis reſuſcitati ſunt: quod ante ultimum judicium non fiet. Unde ſcriptor hic ad Hebræos cap. xi. 39,40 ait, eos promiſſionem nondum eſſe conſecutos, eoſque ſine nobis Chriſtianis non eſſe conſummandos, id eſt, non ante quam nos in cœleſtem habitationem ingreſſuros. Quod vero pii iſti Veteris Teſtamenti antequam aperiretur cœlum, in Limbo fuerint, ut ajunt Papiſtæ, & anxiis votis cœli apertionem expectarint, merum eſt hominum figmentum. Senſus proinde verborum Johannis eſt, quaſi dicat: Convertimini, pœnitentiam agite, vitam veſtram emendate. Inſtat enim jam illud beatum tempus, quod Deus per Prophetas pollicitus eſt. Nam Meſſias mox aderit, per quem Deus vos immenſis cumulabit bonis, ſed non alia lege, quam ſi nuntio flagitioſæ vitæ remiſſo ſanctimoniam vitæ pro viribus ſectemini. Profani homines, qui in impietatis cœno volutantur, non ſunt idonei, ut tantæ felicitatis fiant participes. Similes admonitiones ad præparandos hominum animos, ſæpius cum annuntiatione magnorum beneficiorum conjunguntur, ut Joſ. 3. 5. Eſai. 56. 1.

Vocatur autem regnum Meſſiæ cœlorum regnum: primo, quia revera eſt Dei regnum, quod is Meſſiæ ad certum tempus 1 Cor. 15. 24 adminiſtrandum dedit; divinæ vero Majeſtatis thronus ac regimen in cœlis eſt. Ideo hoc regnum etiam aliis in locis ex Pſal. 47. 9. *Regnum Dei* vocatur Matth. 12. 28. Luc. 7. 28, 29. Qui loquendi modus de regno Meſſiæ non minus, quam *Regnum Cœlorum*, tempore Chriſti fuit notus atque communis. Deinde quia regnum hoc non per humanam potentiam & ſapientiam, ſicut alia regna mundi, ſed per divinam virtutem de cœlo inſtituendum erat. Quod Judæi inprimis ex prophetia Danielis cap. 2 colligebant, ubi Nebucadnezari in ſomnio (quod Daniel interpretatus eſt) per ingentem ſtatuam ſtatus regni ejus poſt mortem futurus exhibitus fuit; quod ſcilicet à Babyloniis ad Perſas, ab his porro ad Græcos tranſferendum ſit. Poſtea vero monſtratum eſt, id in partes abiturum, duoque validiſſima regna (quæ per duas ferreas tibias adumbrata fuerunt ℣ſ. 33.) inde exoritura: nempe Regnum Syriæ & Ægypti. Jam vero tempore horum regnorum dicit Daniel ℣ſ. 44 (intellige Ægypti & Syriæ, quæ paulo ante Chriſtum natum à Romanis everſa & Romano Imperio adjuncta ſunt:) *Deus regnum cœli ſuſcitabit, quod nunquam evertetur.* Denique quia regnum iſtud in cœlis conſummabitur, ubi fideles maximo beneficio, quod regnum hoc ſecum trahit, afficientur, & Chriſtus

* Spanhem. part. 3, dub. 18.

tunc

tunc regnum Deo, à quo illud acceperat, reddet, ut Deus ſit omnia in omnibus 1 Corinth. 15. 24, 28. Quanquam Judæi hanc ultimam rationem non perceperunt: credebant enim regnum Meſſiæ in his terris æternum duraturum. Hodierni autem Judæi etſi aliquanto prudentiores eſſe videri velint, & de cœleſti ſalute etiam verba faciant; tamen id propriis eorum principiis & traditionibus adverſatur. Statuunt enim, Legem Moſaicam manſuram in æternum. Ex quo conſequitur, eos in æternum circa mactationem ac ſacrificationem fore occupatos, & ſic oves ac boves, item gramen ac fœnum iis alendis in æternum non defore: id eſt, mundum hunc, in quo Deo ſecundum Legem æternum ſervient, duraturum quoque in æternum. Tribus iſtis rationibus etiam quarta adjici poteſt: quod Johannes felicem illum ſtatum, quem Meſſias hominibus ſecum adferet, per metaphoram Regnum cœlorum appellet; quia ſcilicet felicitati cœleſti ſimilis erit, non ſecus, atque ſi cœleſtis vita deſuper in terram deſcenderet. Et revera, ſi res recte perpendatur, Chriſtianorum conditio eſt figura quædam ac præguſtus, ſive initium quodammodo æternæ beatæque vitæ in cœlis: dum per certam ſpem beatæ immortalitatis, plenam ſatisfactionem omnium votorum ac deſideriorum ſuorum atque adeo perfectam animi ſui tranquillitatem adepti ſunt. Quin etiam dici poteſt, eo reſpexiſſe Spiritum Dei, qui per Johannem loquebatur, quod brevi futurum ſit, ut cœleſtis beatitudo per Chriſtum quaſi de cœlo veniat, & ad homines appropinquet; non quidem proprie ac reipſa, ſed quatenus Chriſtus certiſſimam ejus promiſſionem afferet, hominibuſque jus aditumque ad eam parabit. In hunc ferme modum Apoſtolus de Chriſtianis diſſerit Eph. 2. 5, 6, quod *qui mortui fuerunt in peccatis, cum Chriſto vivificati ſint, & una reſuſcitati, & in cœlo collocati in Chriſto Jeſu.*

Verſ. 3. *Hic enim eſt, de quo dictum eſt ab Eſaia Propheta dicente.*] Verba hæc ſunt Euangeliſtæ, quibus oſtendit, Johannem non proprio auſu, ſed à Deo vocatum juſſumque ad pœnitentiam prædicandam acceſſiſſe. Indicat enim jam olim ab Eſaia Propheta de ipſo ejuſque officio prophetatum fuiſſe; quemadmodum Marcus quoque cap. 1. 1 eundem locum ad Johannem applicat. Fallitur proinde Euthymius, qui verba hæc cum antecedentibus connectit, quaſi à Johanne Baptiſta prolata fuiſſent. Non enim ille dixiſſet: *Hic eſt*; ſed, *Ego ſum ille, de quo dictum eſt* &c.

Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.] Locus hic habetur Eſai. 40. 3, allegatuſque eſt à Matthæo ex LXX Interpretum verſione. In Hebræo enim textu paulo aliter verba ſonant: *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectam facite in ſolitudine ſemitam Dei noſtri.* Verum facile eſt cuivis videre, ſenſum utrobique ne minimum quidem differre: ut ita neque hoc loco Judæi habeant anſam Euangeliſtam noſtrum inſimulandi, quod loca Veteris Teſtamenti falſo allegaverit.

Vox clamantis.] Ita ſimpliciter eſt in Græco, & Hebræo: ſed neceſſario ſubintelligitur verbum *Eſt*, vel, *erat*; aut etiam *auditur*, vel *audita fuit*. *Clamantis* Hebraicum *kol Koreh* poteſt utroque modo verti, & *vox clamans*, & *vox clamantis*. Sed quia omnes Euangeliſtæ & Johannes Baptiſta ipſe Joh. 1. 23, ſequuntur hac in re LXX interpretum verſionem, ex eo apparet, hanc verſionem eſſe meliorem.

Etſi vero verba hæc ita accipi queant, ut per clamantem Johannes ipſe intelligatur, quaſi dictum fuiſſet: Hæc erit vox illius, qui in deſerto clamabit, id eſt, Johannis; tamen quia Johannes ipſe de ſe ait: *Ego ſum vox clamantis in deſerto*; quibus verbis ſe vocem appellat, & à clamante diſtinguit: idcirco dici poteſt, quod per clamantem Deus intelligatur, cujus vox Johannes vocatur per metonymiam effecti. Johannes enim erat is, per quem vox à Deo exiit, ſeu per quem Deus clamavit. Quo ſenſu ſequentia verba: *Parate viam Domini*, non Dei, ſed Eſaiæ Prophetæ forent, qui populum cohortetur, ut viam Domino præparent. Vel dici poteſt, in verbis Johannis, quibus ſeſe vocem clamantis in deſerto appellat, hypallagen eſſe, & eum dicere voluiſſe, quod ipſe ſit is, qui hoc modo in deſerto clamat: *Parate viam Domini.*

Notandum præterea, verba *in deſerto* ſic eſſe poſita in Hebræo, ut rectiſſime queant ad ſequentia, *Parate viam Domini*, referri; imo ſenſu literali videntur omnino cum his conjungenda eſſe, hoc pacto: Eſt vox clamantis, Parate in deſerto viam Domino. Cum enim in ſequenti clauſula eadem omnino ſententia repetitur, dicitur: *Rectam facite in ſolitudine ſemitam Dei noſtri.* Uſitatum autem eſt Hebræis (quod infinitis exemplis comprobari poteſt) in uno verſiculo rem unam bis, immutatis paulum verbis, ponere. Quare cum in altera clauſula dicatur: *facite rectam in ſolitudine ſemitam Dei noſtri*; veriſimile prorſus eſt, idem in prioribus quoque verbis dictum fuiſſe, nempe, *Parate in deſerto viam Domini.* Attamen cum verba *in deſerto*, ſtatim poſt illa, *Vox clamantis*, ſubſequantur, quæ ex altera ſententia in medio vel in fine ſequentium verborum poni deberet (hoc modo: *Parate in deſerto viam Domini*, ſicut deinde ſequitur, *facite rectam in ſolitudine ſemitam Dei noſtri.*) non tantum nihil obſtat, quominus cum ſuperioribus conjuncta maneant, videlicet *Vox clamantis in deſerto*; verum etiam ſi ordo verborum ſpectetur, probabilius eſt illa omnino cum his connectenda eſſe: præſertim cum eventus & impletio hujus Prophetiæ idem poſtulet; quandoquidem Johannes revera in deſerto prædicarit.

Ineſt autem iſtis verbis apud Prophetam duplex ſenſus. Nam literaliter iis reſpicitur ad ea tempora, quibus Iſraëlitæ è Babylonica captivitate in patriam ſuam erant reducendi. Myſtice vero reſpicit Prophetа ad tempora Meſſiæ, quibus Judaicus populus ac porro etiam reliqui homines è ſpirituali ſervitute peccati, Satanæ, ac mortis in glorioſum Chriſti regnum erant traducendi. In priori ſenſu alludit Propheta ad liberationem Iſraëlitici populi ex Ægypto, & quia eum tunc per deſertum aſperum inviumque duxit Deus; idcirco ſic loquitur Propheta de iſta liberatione è Babylone, quaſi Deus iterum eundem populum per deſertum aliquod via ſalebroſa & minime trita ducturus eſſet in terram Chananæam, ac priorem illam ex Ægypto eductionem veluti repræſentaturus. Quocirca vaticinatur, Deum mandatu-

rum, ut in locis illis rigidis & aſperis, per quæ quodammodo ipſe tranſiturus ſit, via ipſi apparetur, ita ut inæqualia & ſcabra complanentur, ne quicquam tanto Principi cum populo ſuo tranſeunti in via ſit impedimento. Simul enim vulgarem hic reſpicit morem Propheta, quo fit, ut quando Reges Principeſque per locum aliquem ſunt tranſituri, maxime vero quando ad ſubditos ſuos ſunt venturi, viæ prius reddantur planæ, omniaque impedimenta è medio tollantur, ne quid eos in itinere remorerur.

Sciendum enim & illud eſt, quod quo pacto dicitur, Deum olim præiviſſe populo ſuo Iſraëlitico, eumque in columna nubis, vel ignis, per deſertum duxiſſe Exod. 13. 21, 22. Pſal. 78. 14, (quia nimirum Angelus Dei nomine in ignea columna ante populum præceſſit, ejuſque in deſerto dux fuit Exod. 14. 19,) eodem Propheta innuat, Deum quoque populum ſuum è Babylonica ſervitute educturum, & ducis inſtar eum antegreſſurum; quia ipſe reductionis populi in patriam ex illa captivitate auctor & cauſa efficiens futurus eſſet. Hanc ob cauſam Propheta viam, qua populus eſſet tranſiturus, appellat *viam Domini*, & ſemitam, *Domini ſemitam:* docens hac ratione, jure meritiſſimo eſſe tanto Monarchæ venturo viam præparandam.

Hæc jam ſenſu myſtico poſſunt ita ad adventum Johannis Baptiſtæ accommodari; quod Deus populum ſuum hic quoque ex captivitate illi Ægyptiacæ ac Babylonicæ ſimili educturus erat, vel, quod Deus per Meſſiam Legatum ſuum venturus erat, ſummumque bonum ei allaturus. Verum plurima obſtacula Deum impediebant, quominus reipſa felicitatem hanc populo conferret, ſeu, ut dicam apertius, populus fructu tanti beneficii divini reipſa frui poſſet; quod perinde erat, atque ſi via, per quam Deus ad populum ſuum eſſet venturus, fuiſſet inæqualis ac ſalebroſa. Quare antequam Deus veniret, id eſt, antequam Meſſias nomine ipſius apud populum compareret, & ſalutem illi æternam, beneficium Dei inæſtimabile, annunciaret; curavit per Johannem quodammodo proclamari, ut populus viam ſibi advenienti ſterneret, cunctaque obſtacula removeret. Obſtacula autem illa erant peccata, quæ removeri jubebat Johannes, cum ad pœnitentiam populum exhortaretur.

Obſervandum autem hic eſt, in ſenſu literali hujus loci Deum conſiderari, non tanquam venientem ad populum, ſed tanquam una cum populo per deſertum ex loco captivitatis advenientem. In ſenſu autem myſtico Deus non venit una cum populo, ſed potius ad populum.

Rectiſſime autem dici, quod Deus tunc ad populum venerit, quando Meſſias tanquam legatus ejus, juſſu ac nomine ipſius venit, tum per ſe intellectu facile eſt, tum ex loco Malachiæ 3. 1 colligitur: quem Chriſtus infra cap. XI. 10, de Johanne Baptiſta citat, & citando quodammodo eum explicat. Apud Malachiam enim ita loquitur Deus: *Ego mittam Angelum meum, qui ante me præparabit viam.* Chriſtus autem ſic allegat hæc verba: *Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui viam præparabit ante te.* Apud Malachiam ait Deus, ſe ipſum eſſe venturum, & Angelum ſibi paraturum viam: apud Matthæum autem alloquitur Chriſtum, quod ſuum Angelum ante eum miſſurus ſit, qui ipſi viam præparet. Videlicet Deus non in ſua propria perſona, ſed per Chriſtum legatum ſuum venit, in quo ſeu per quem iſta Malachiæ prophetia adimpleta eſt.

Inde perſpicuum eſt, ex loco Malachiæ ſolide inferri non poſſe, Chriſtum eſſe Deum altiſſimum. Ita enim argumentari vulgo ſolent: Quia Deus apud Malachiam expreſſe dicit, Angelum, quem miſſurus eſt, *ante faciem ſuam* paraturum eſſe viam; Eſaias quoque in loco ſupra adducto ait, Jehovæ viam præparari debere: Johannes autem (qui per hunc Angelum intelligitur) nulli alii quam Chriſto viam paravit: ſequitur, Chriſtum eſſe Jehovam ſeu Deum ſummum. Verum in hac argumentatione pro conceſſo ſumitur, quod aperte falſum eſt, quod nimirum Johannes nulli alii quam Chriſto viam pararit. Johannes enim non Chriſto ſolum, ſed etiam ipſi Deo altiſſimo, qui Pater Chriſti eſt, viam præparavit. Utrique ille viam paravit, ſed diverſa ratione: Deo tanquam primæ cauſæ & auctori iſtius magni operis, quod per Chriſtum intendit efficere; Chriſto autem tanquam Mediatori & magno Dei legato. Utrique opus erat, ut in animis hominum aſperum & ſalebris peccatorum obſitum iter complanaretur ac præpararetur, quo Deus per Chriſtum & Chriſtus Dei loco opus illud tanto melius perficere, aptumque ac promptum ad id populum habere poſſet. Etſi enim Deus alius ſit, quam Chriſtus, nihil impedit tamen, imo potius neceſſarium eſt ſtatuere, Johannem eo ipſo, dum Chriſto præparavit viam, eandem etiam Deo ipſi præparaſſe: quandoquidem Chriſtus Dei perſonam ſuſtinuit, & quidem longe perfectiori & excellentiori ratione, quam ullus unquam Angelus vel Propheta eam ſuſtinuit, aut quam ab hominibus cogitari poteſt. Deus enim, ut loquitur Paulus, tunc erat in Chriſto: quod quemadmodum clare oſtendit, Deum qui in Chriſto erat, alium eſſe à Chriſto, in quo erat, ut pote qui ab eo expreſſe diſtinguatur: ita monſtrat quoque, Chriſtum, omnium perfectiſſimo modo, Dei perſonam geſſiſſe.

Verſ. 4. *Ipſe autem Johannes.*] Id eſt, *ipſe autem*, nempe Johannes, per appoſitionem. In præcedentibus Matthæus ſummam prædicationis Johannis expoſuit. Nunc deſcribit ejus perſonam, quam duram & auſteram vitam in amictu & victu egerit; id quod argumentum erat ſanctitatis ejus, talemque pœnitentiæ doctorem decebat, ne qua voluptatis ſuſpicione laboraret, quaſi ipſe non faceret, quod aliis præcipiebat.

Habebat veſtimentum è pilis camelorum.] Joſephus lib. 16 ſcribit, Judæos tempore luctus hirſutis uſos eſſe veſtibus. Etiam Nazaræi ſeu ſanctificati inter Judæos ad eundem amiciebantur modum, ut perhibent Judæorum doctiſſimi. Alebant crines, & barbam ſylveſcere patiebantur: tunicas geſtabant hirtas ac villoſas. Jam vero & Johannes erat ejuſmodi Nazaræus atque ſanctificatus ab utero matris Luc. 1. 15. Et quia Elias quoque Propheta ita deſcribitur, quod fuerit piloſus & cingulo pelliceo accinctus lumbos ſuos 2 Reg. 1. 8, oportet vel Eliam etiam fuiſſe Nazaræum, vel Prophetas & Nazaræos ſimili habitu uſos fuiſſe: quod poſtremum credibilius eſt,

quia

quia Zacharias etiam Prophetarum veſtitum villoſum pallium vocat Zach. 13. 4. Non ergo caſu & ſine Dei directione factum eſt, quod Johannes, qui in Spiritu ac virtute Eliæ venibat Luc. 1. 15, ideoque à Malachia Propheta Mal. 4. 8. Elias ipſe dictus eſt, etiam in externo veſtitu Eliæ ſimilis fuerit.

Quomodo autem veſtis Johannis ex pilis camelorum confecta fuerit, variæ ſunt ſententiæ. Aliqui ſentiunt, eam fuiſſe factam ex undulata & ſcutulata aliqua materia ex ſubtiliſſimis pilis camelinis contexta. At revera talis veſtitus Johanni, eremitæ, & tam rigido pœnitentiæ prædicatori minime conveniſſet, ſed potius alicui in aula regia verſanti, & mollibus amicto veſtibus. Undulatæ enim veſtes ſubtiles, ſunt pretioſæ ac ſplendidæ, quas geſtare etiam homines illuſtris ordinis non putant indecorum: Matthæus autem propterea veſtimentum hoc de pilis camelorum commemorat, ut indicet, quam vile ac ſimplex fuerit. Tradunt enim quidam Scriptores (Vide Schindler. Lex. pentagl. in voce Gamal. p. 322.) homines tenuioris fortunæ in Judæa panno è camelorum pilis confecto uſos eſſe: at certe non tam ſubtiliter contexto, quales undulati eſſe ſolent, ſed rudi Minerva facto; nam ex lana unius generis confici tam ſubtilis & præſtans quam craſſus pannus poteſt, prout lana bene vel male eſt carminata.

Alii cenſent fuiſſe crudam ac inelaboratam pellem camelinam, quam ille corpori circumdederit, & zona præcinxerit, uti vulgo pictores eum effigiare ſolent. Nimirum hi accipiunt verba Matthæi *de camelorum pilis* ita, quaſi piloſam camelorum pellem nominaſſet. Simili ratione Auctor ad Hebræos ſcribit de piis hominibus, *quod circuierint in ovium & caprarum pellibus*, quia ſcilicet *errabant huc illuc in deſertis, in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ* cap. XI. 37, 38. Quod potiſſimum contigit Antiochi & Macchabæorum temporibus: ubi prorſus rudes & crudæ pelles ovinæ & caprinæ intelligendæ ſunt. Sed quod Johannem hoc loco attinet, hoc obſtat iſti ſententiæ, quod Matthæus non ſine cauſa aliter de veſte, aliter de zona loquatur. De veſte enim ait, eam fuiſſe confectam è pilis camelorum; de zona vero, quod fuerit è pelle facta. Si æque veſtis è pelle fuiſſet atque zona, cur id non dixiſſet? cur zonam duntaxat ita deſcripſiſſet, & non etiam veſtem?

Quapropter ſtatuendum eſt, veſtem illam fuiſſe hirtam valde ac villoſam, ex contortis pilis camelorum inartificioſe & craſſe confectam: fierique poteſt, quod eam ipſe Johannes concinnarit, & in illa ſolitudine qualecunque hoc veſtimentum ſibi pararit. Neque exiſtimandum eſt, non vacaſſe ei, ut huic labori incumberet: cum præter meditationes divinas, nullis aliis occupationibus fuerit diſtrictus.

Cur potius camelorum pilos, quam lanam ovium, vel aliorum animalium pilos adhibuerit, non alia eſt cauſa, quam quod in deſerto habitaverit, ubi copia erat camelorum aliarumque ferarum, nullæ autem erant oves aut alia manſueta animalia, quæ nonniſi in locis, quæ incoluntur ab hominibus, reperiuntur.

Formam hujus veſtis quod concernit, fortaſſis tantum tunica fuit, qualem etiam Chriſtus geſtavit Joh. 19. 23, quæ certe etiam non alia quam communi ac uſitata forma concinnata fuit, non ad modum monachalis cucullæ cum mirabili caputio, ut ſtatuunt Pontificii, qui Johannem Monachum & Eremitam faciunt. Non improbabile tamen eſt, eum veſtem hanc nudo induiſſe corpori, ſaltem quamdiu in deſerto vixit; quia ut induſium linteum ſibi conficeret, procuidubio nullam in deſerto habuit opportunitatem; quin ne peritia quidem conficiendi ac inſtrumenta aderant.

Et pelliceam zonam circa lumbos ſuos.] Quod olim in zonis ac cingulis, quibus veſtes corpori ac lumbis adſtringebantur, maximus luxus ac faſtus fuerit adhibitus, dum plerique non tantum ſericeas, ſed etiam pretioſiſſimo auro ac gemmis diſtinctas geſtarent zonas, teſtatur tum Scriptura, tum profana hiſtoria. Unde & Prophetæ hac in parte luxum Judaici populi taxarunt, pœnas pro eo divinas ipſi comminati ſunt, *pro cingulo* ſcilicet *diſſolutionem, & pro amplo pallio arctum ſaccum ſeu cilicium* Eſai 3. 24. Johannes autem Baptiſta etiam hac in re procul abfuit ab omni ſuperbia, ſed zona ejus pellicea (abſque dubio è rudi pelle cameli facta) cum veſte ejus totaque vitæ ratione congruebat. Ita Elias quoque zona pellicea cinctus erat circum lumbos ſuos 2 Regum 1. 8.

Eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtre.] Quid vox Græca ἀκρίδες proprie ſignificet, à multis eſt prolixe diſputatum, non alia de cauſa, quam quod creditum eſt, animalia illa ſaltantia, quæ Latinis *locuſtæ* dicuntur, eſſe venenata, aut ſaltem inſalubrem & ingratum cibum. Idcirco nonnulli, quos inter Nicephorus, Euthymius, Iſidorus, hanc vocem ita interpretati ſunt, quaſi pro ea ſcriptum fuiſſet ἀκρέμονες, quæ ſignificat arborum ac frondium extremitates. Alii, quorum meminit Theophylactus intelligunt per eam aſperum gramen, quod in deſertis naſcitur: alii ſylveſtria poma; alii pyra campeſtria. Sunt quoque aliqui, quorum ſententiam ferme centuriatores Magdeb. approbant, qui autumant, fuiſſe cancros marinos, quos piſcatores cum cæteris piſcibus captos in Jordane, rejiciebant, eo quod nullas pinnas, neque ſquammas haberent, adeoque ſecundum legem Levitic. XI. 22 immundi eſſent: hos itaque collegiſſe Johannem & in cibum vertiſſe, nulla interdicti legalis habita ratione; nempe in ſignum & documentum Euangelicæ libertatis, quæ nullum inter ciborum genera delectum admittit. Quaſi vero Johanni fas fuerit Legem transgredi, quam Chriſtus ipſe ne in minimis quidem ſolvere ſuſtinuit, quamdiu in terris vixit. Rurſus alii intelligunt ἐγκρὶς γλυκάσματα, confectum quoddam dulce ex melle, vel ſummitates herbarum ac florum in melle conditas: quorum meminit Epiphanius Hæreſ. 30. Quæ omnes opiniones, ut antea indicatum, exinde ortæ ſunt, quod vulgo omnes à locuſtis abhorreant. At hoc eſt prorſus abſonum, quod illi propter delicatum ſtomachum ſuum propriam ſignificationem vocis ἀκρίδες, quæ locuſtas denotat, pro ſuo libitu pervertant, & ex palato ſuo de palato Johannis judicent, cui animalcula iſta gratiſſima eſca fuere; præſertim cum eum urgeret eſuries.

Recenſentur autem in Lege locuſtæ inter munda animalia, quibus veſci Judæis permiſſum erat Levit. xi. 22. Hebræis vocantur *Arbeh*, quam vocem Lutherus & Piſcator in ſua Germanica verſione retinuerunt. Cæteroquin teſtantur etiam diverſi profani auctores, ut Strabo, Diodorus Siculus, Plinius, Plutarchus, Ariſtophanes, Solinus, quod locuſtæ antiquitus tam recentes, quam ſalitæ vel infumatæ pluribus populis per totum annum eſui fuerint, videlicet Perſis, Parthis aliiſque Aſiaticis & Africanis populis. Dioſcorides lib. 2. cap. 46 refert, quod etiam in Libya locuſtarum uſus in edendo fuerit. Quod eas coquant Arabes, & torrefaciant, inque pultem contuſas comedant, teſtis eſt Jul. Cæſar Scaliger Exerc. 192. Iſaacus Caſaubonus vir doctiſſimus ſcribit Exerc. 31 in Orientalibus regionibus, nec non in Græcia minorique Aſia, ſolitos veſci locuſtis eos, qui parſimoniæ ſtudebant. Sic memorat quoque Nic. Clenardus Epiſt. 9 & 15 in Mauritania etiam noſtro tempore locuſtas edi ſolere: item eas depaſcendo ſata & gramina incolis graviſſima damna inferre, ideoque plenis plauſtris advehi atque conſumi; nec non ad eas magna copia capiendas adhiberi peculiaria retia.

Maldonatus aſſerit, ſe ſæpe vidiſſe, fucos comedi; & ſui ordinis homines, Jeſuitas, ex India ſcribere, ibi formicas non in cibo ſolum, ſed in delitiis eſſe. Cæterum de locuſtis affirmat celeberrimus Medicus Hieronymus Mercurialis, lib. 2. var. lect. cap. 20 eas noxias & inſalubres eſu eſſe. Fortaſſis in hiſce terris non eſt mos eas edendi, vel noſtri ventriculi ſunt delicatiores, quam illarum nationum. Proinde nequaquam mirandum eſt, Johannem iis pro cibo uſum; quandoquidem animalculorum iſtorum largus eſſe ſolet in deſertis proventus, & præterea facile ac cito apparari poſſunt. Quam ob cauſam etiam plerique veterum Eccleſiæ Doctorum, quos Maldonatus enumerat, hunc locum de locuſtis interpretati ſunt.

Quod nonnulli in natura locuſtarum maxima quærunt myſteria, & ea ad Johannem accommodant, eſt vanus otioſorum capitum labor.

Et mel ſylveſtre.] Etiam hunc cibum Johanni deſertum ſuppeditavit. Sunt qui putent mel hoc nihil aliud fuiſſe, quam rorem dulcem, qui de cœlo cadit, qui eſt manna hodie ex Calabria afferri ſolita, dulcis & efficax.

Beda narrat ex Arnulpho, fuiſſe certa folia, alba lactis inſtar, & dulcia inſtar mellis, quæ naſcebantur in deſertis, conterique ac comedi ſolebant. Verum iſtæ opiniones omnes nullum alium habent uſum, quam ut ex iis cognoſcatur, non unum eſſe omnibus hominibus caput. Quid, quæſo, eſt facilius intellectu, quam per ſylveſtre mel ſignificari illud, quod apes non in alveariis, ſed in arborum ſylveſtrium cavitatibus aut rupium fiſſuris conficiunt? Hoc mel non eſt ori tam ſuave, quam domeſticum: non tantum quia circa id tanta non adhibetur cura, ſed etiam quia pluvia diluitur, ſordibus inquinatur, ſapit quoque naturam herbarum, quibus apes paſcuntur, & putrefactarum arborum, in quibus apes mellificant.

Aliqui Pontificii interpretes contendunt, mel hoc fuiſſe amarum, nec dulce, adeoque eſu ingratum. At hoc pacto mel hoc non fuiſſet mel, cujus natura atque eſſentia in dulcedine conſiſtit. Eſtque experientiæ contrarium, quod mel ullum ſit amarum. Mel hujuſmodi ſylveſtre magna quantitate reperitur in Lithuania, Moſcovia, aliiſque regionibus quæ ſylvis ingentibus abundant. Quod vero etiam in Judæa magna fuerit ubertas mellis, elucet ex illa loquendi ratione, qua Judææ fertilitas deſcribitur, quod affluat lacte & melle; & lac quidem è turgentibus vaccarum uberibus, mel vero ex arboribus exeſis aliiſque locis fluebat. Talis erat ſylveſtre mel illud, quod Jonathan Saulis filius guſtavit 1 Sam. 14. 26, 27.

Intelligendum eſt præterea, quod Matthæus hoc loco de cibis Johannis memorat, non tam ſtricto & præciſo accipiendum eſſe ſenſu, quaſi Johannes toto commorationis ſuæ in deſerto tempore nullam penitus aliam deguſtaverit eſcam, præter locuſtas & mel ſylveſtre: ſed per tropum ſynecdoches ſpeciei pro genere, duo iſti cibi nominantur loco omnium in univerſum vilium cibórum, quos ei ſubminiſtrabat deſertum, quique parabiles & inempti erant; aut præcipuæ tantum hæ exprimuntur eſcæ, quibus ut plurimum uſus eſt, ut pote maxime obviis. Quaſi dicat Matthæus: Cibus ejus fuit præcipue, locuſtæ ac mel ſylveſtre. Qui loquendi modus etiam aliis exemplis illuſtrari poteſt. Cum de Iſraëlitis ſcribitur, eos *manna* victitaſſe in deſerto, non ſignificatur, eos ſola uſos fuiſſe manna, & nullo plane alio cibo. Cur enim non etiam vaccinia, fraga, aliaſque uvas ac fructus terræ, quos habebat deſertum, comederint? Cum Daniel regiis veſci cibis dedignatus, olera duntaxat poſceret, non eſt credendum, eum nihil aliud, ac ne panem quidem præterea ediſſe. Sic Jobus quoque conditionem pauperum deſcribens, quod *mandebant herbas & arborum cortices, quodque radix juniperorum erat cibus eorum:* Job. 30. 4 non hoc ſibi vult, eos prorſus nullo alio uſos fuiſſe cibo. Sic cum Chriſtus de Johanne inquit, eum *veniſſe non edentem, neque bibentem* Matth. xi. 18 non eſt hæc ejus mens, quod plane nihil ederit atque biberit: edit enim, ut hic dicitur, locuſtas & mel ſylveſtre; ſed quod parciſſimus ac frugaliſſimus in edendo & bibendo omniumque voluptatum abſtinentiſſimus fuerit. Cum Johannes ab Herode carceri incluſus eſſet, quis ei tunc locuſtas & mel ſylveſtre præbebat? Quare neutiquam exiſtimandum eſt, Johannem ita ſe ad duo hæc ciborum genera, locuſtas & mel ſylveſtre, alligaſſe, ut nefas putaverit eſſe ac piaculum, aliud quippiam, quod in deſerto eſui eſſe poterat, deguſtare: ſed duarum iſtarum eſcarum, ut dictum eſt, ideo fit mentio, quia hæ plerumque & ordinarie cibus ejus erant. Niſi quis dicat, eum certo devinctum voto, vel ex Dei juſſu aliis abſtinuiſſe cibis, & his dictis ſolum eſſe uſum: ſed hoc nulla poteſt probatione confirmari. Sine dubio etiam, tunc, cum è deſerto ad homines venit, nec non in carcere tales aſſumſit cibos, quales inveniebat, aut qui ipſi afferebantur, ita tamen, ut nunquam limites ſummæ temperantiæ tranſgrederetur.

Ex hac eſca Johannis nimis fragile ſumunt Bellarminus aliique Pontificii argumentum ſuorum jejuniorum,

niorum, quibus à carne abſtinent. Nam præterquam quod locuſtæ etiam caro ſint, immenſum ſane diſcrimen eſt inter Johannem, qui non alio, quam qui in deſerto reperiri poterat, cibo victitavit, & inter Papiſtas qui à carnibus abſtinent, quidem, ſed interim corpora ſua aliis ciborum lautitiis referciunt, etiam generoſiſſimum vinum, & quidem ſine modo atque ad ebrietatem uſque, gulæ ſuæ indulgent.

Idem Papiſtæ Johannem propter auſteritatem vitæ ejus in numerum Eremitarum referunt, ab eo hunc ordinem inſtitutum eſſe dictitantes. Quod ut probent præcipue Bellarminus, Baronius, Maldonatus &c. maximopere allaborant. Sed fruſtraneo ac irrito conatu. Longe enim diverſiſſima eſt Johannis & Eremitarum Papiſticorum ratio. Primo Johannes duram hanc vitam non proprio elegit arbitratu, ſed à Deo fuit peculiariter ad eam vocatus, ut pote Nazaræus & Deo conſecratus Luc. 1. 15. Eremitæ autem Pontificii nullam ejuſmodi vocationem prætendere ac demonſtrare queunt, ſed in deſertum ipſi ſe ultro proripiunt. Secundo ſuperius intelleximus, munus Johanni à Deo impoſitum tam rigidam exegiſſe vitam, ut ſcilicet hoc pacto doctrinæ ſuæ ſeveræ de pœnitentia auctoritatem ac pondus adderet, quo populus tanto promptius eam Deum auctorem habere crederet, neve ſuſpicione laboraret, quod cum Chriſto clam conſpirarit. Quæ omnia, & plura ejuſmodi in Eremitis Papiſticis locum habent nullum. Nam neque miſſionem ad prædicandam pœnitentiam poſſunt ullam oſtendere, neque id per ſe pio faciunt propoſito, ſed ita ſe abdunt in deſertis, ut toto vitæ ſuæ tempore de nullo homine per conciones ſanctas & adhortationes ad pœnitentiam adducendo, neve de ſeipſis, per pia colloquia cum aliis, ad pietatem excitandis cogitationem ſuſcipiant. Tertio Johannes ab utero matris ſuæ fuit repletus Spiritu Sancto, cujus ope poterat creſcere in omni ſapientia, & omnes tentationes, quæ in ſolitudine homines infeſtare ſolent, ſuperare. Quo beneficio & auxilio Eremitæ carent. Hinc tragica legimus ſæpenumero referri exempla, quod multi atra bile perciti & ægritudine animi victi violentas ſibi attulerint manus, vel à Diabolo fuerint diverſimode vexati. Ut vere de iis, qui ſponte ſua, nullo Dei mandato impellente, à ſocietate hominum refugiunt ſeque ſegregant, dici poſſit, quod Salomon ſcribit Eccleſ. 4. 10. *Væ homini ſoli, quia ſi cadat, nemo eſt qui eum erigat.* Poſtremo ne hoc quidem probari poteſt, Johannem ejuſmodi ordinem inſtituiſſe, alioſque ſui imitatores in rigore illo vitæ eſſe voluiſſe. Officium ejus ſoli perſonæ ejus alligatum fuit, ac proin etiam vivendi ratio, quæ reſpectum ad officium habebat. Ut igiter officium ejus una cum ipſo deſiit, nec quiſquam ipſi in eo ſucceſſit, ita nec vitæ ratio abſque ſpeciali Dei juſſu cuiquam imitanda eſt.

Verſ. 5. *Tunc exibat ad eum.*] Hic vir mirabilis, qui in forma adeo inſueta tam derepente è deſerto quaſi Deus quidam ſylveſtris prodiit, in ſe populi undique concurrentis oculos convertit.

Hieroſolyma.] Id eſt, incolæ Hieroſolymitani, per metonymiam ſubjecti, ut ſupra cap. 2. 3.

Et omnis Judæa.] Judæa vocatur hoc loco illa totius regionis pars, quæ tribui Judæ competebat.

Et omnis circumjacens.] Subintellige *regio.*

Jordanis.] Per hanc regionem Jordanis intelligitur tota illa ditio, quæ ultra & citra Jordanem ſita erat.

Hieronymus in Quæſt. Hebr. auctor eſt, fluvium Jordanem nomen accepiſſe à duobus fontibus, qui è monte Libano prorumpebant, & unus *Jor*, alter vero *Dan* dicebatur. Sed Joſephus aliter de eo diſſerit lib. 3 de bello cap. 35. Ait enim, caput Jordanis vocari Panium, & ſubter terram è fonte Phiala promanare, quem fontem ſic appellatum ſcribit ob rotunditatem, quia volvitur in orbem quaſi rota, undaſque tradit nunquam tranſgredi ripas, caſque nec augeri, nec minui. Fons iſte, inquit, ita eſt à Philippo Tetrarcha Trachonitidis inventus, ut paleas in Phialam fontem injiceret, quæ poſtmodum in fluvio Panio, è quo Jordanes oritur, repertæ ſint. Hic ergo eſt ortus iſtius celeberrimi fluminis, qui tranſit per mare Genezareth, perque magna deſerta Judææ uſque ad lacum Aſphaltitem, ubi Sodoma & Gomorrha periit, & hodie mare mortum appellatur.

Verſ. 6. *Et baptiſabantur.*] Non fuit infructuoſus tantus populi confluxus. Etſi enim ſine dubio multi, viſo hoc viro, tales abierint, quales venerant: plurimorum tamen animos ille inſolitus ipſius cultus, illud non vulgare vivendi genus commovit, ut ad baptiſmum accederent, eumque ſuſciperent. Ex eo enim ejus ſingularem ſanctimoniam perſpexerunt; præſertim ſanctiſſima verba ex ore ejus fluentia auribus ſuis haurientes: neque credere potuerunt, in tanta ſimplicitate ullam latere fraudem, ſed penitus ſibi perſuaſerunt, eum à Deo miſſum, ut mores ipſorum vitioſos ac improbam vitam merita objurgatione perſtringeret.

Græca vox βαπτίζω ſignificat proprie *immergere*: quod Lutherus, Chemnitius, Gerhardus, Calvinus, Beza, omnes Lexicographi agnoſcunt. Hinc Lutherus Tom. 1. Jen. fol. 186 cenſet Germanicum vocabulum *Tauffen* derivari à voce *tieffe*, id eſt, profunditas; eo quod, qui baptiſabantur, profunde in aqua immergerentur. Licet vero nonnulli contendant, hoc vocabulum etiam idem eſſe, quod *abluere*; tamen ablutio talis eo denotatur, qua fit, ut res quæ abluitur tota in aqua immergatur. Quemadmodum Phariſæi pocula, amphoras, & ærea vaſa abluere, id eſt, in aquam immergere ſolebant Marc. 7. 4. Quare qui hoc baptiſmo Johannis baptiſabantur, non equidem paucula duntaxat aqua aſpergebantur, (uti hodie uſus baptiſandi obtinuit; atque ideo etiam hodiernus iſte ritus pro vero baptiſmo haberi nequit) ſed toti in flumine mergebantur: quod è baptiſmo, quem Chriſtus ſuſcepit, clariſſime perſpicitur, ubi Matthæus infra v. 16 teſtatur, Chriſtum poſtquam à Johanne baptiſatus eſt, protinus ex aqua aſcendiſſe, ſeu emerſiſſe. Hinc etiam dicitur Johannem ad Ænonem baptiſaſſe, *propterea quod plurima illic eſſent aqua* Joh. 3. 23. Et Æthiops ille Reginæ Candaces theſaurarius petiit baptiſmum à Philippo, cum ad flumen quoddam veniſſent. Act. 8. 36. Ad ſolam aſperſionem autem nullus peculiaris locus, ubi ſint multæ aquæ, requiritur: facile aquæ menſura plenæ manus ubique haberi poteſt.

Paulus Apoſtolus quoque inſtituit comparationem inter mortem ac reſurrectionem Chriſti & inter Baptiſmum. Ait enim, nos in mortem Chriſti baptiſatos eſſe, hoc modo, quod dum toto corpore in aquam immergimur, innuamus ac conteſtemur, nos non aliter quam Chriſtus mortuus & ſub terra ſepultus fuit, peccato mori velle. Cum vero ex aqua rurſus emergimus, quod indicamus nos quoque eo quo Chriſtus modo ex terra atque ſepulchro exiit, ex ſomno vitiorum evigilaturos ac conſurrecturos, inque vitæ novitate ambulaturos Rom. 6. 3, 4. Quæ rei iſtius adumbratio nullo modo per aſperſionem paucula aqua fieri poteſt. Vide etiam Col. 2. 12.

Finis autem Baptiſmi Johannis fuit, quod per externam hanc ablutionem & purificationem corporis, eos, qui peccatorum ſuorum pœnitentiam agebant, palamque ea confitebantur, nec non ſimul profitebantur, ſe melioris ac ſanctioris vitæ iter impoſterum ingreſſuros, in numerum diſcipulorum ſuorum reciperet, atque ad hanc cultus divini partem, quæ in vera pœnitentia conſiſtit, eos obligaret ac initiaret.

Hoc loco ſe offerunt duæ quæſtiones. Prima eſt, quinam, homines vel populi ad ſuſcipiendum hunc Johannis Baptiſmum fuerint obſtricti? Secunda, quamdiu hoc Johannis munus tam docendi, quam aqua tingendi durare debuerit?

Ad primam quod attinet quæſtionem, tenendum eſt, Johannem tantum ad Judæos, & quidem non niſi ad peccatores fuiſſe miſſum. Neque enim legimus, eum extra Judææ territorium vel docendo vel baptiſando munus ſuum peregiſſe. Ipſi enim tanquam prodromo Chriſti multo minus id conveniebat facere, quam Chriſto: qui tamen de ſe teſtatur ipſe, ſe non veniſſe, niſi ad oves perditas domus Iſraëlis Matth. 15. 24, 26, diſcipulis quoque ſuis tunc interdixit, ne in viam gentium abirent Matth. 10. 5. Nondum enim illuſtre illud illuxerat tempus, quo etiam gentes alienæ in communionem populi Dei adſiſcendæ erant. Quod ſummum beneficium aliquando illis quoque à Deo eſſe exhibendum, obſcura adeo ſub caligine latebat, ut licet tempus iſtud jam præſto eſſet, Apoſtoli nihilominus adhuc ambigui hærerent, liceret ne ipſis in domos Ethnicorum ingredi, Euangeliumque in iis prædicare Act. 10. 34. Petrus enim fatetur, ſe myſterium hoc tum demum percepiſſe, cum in extaſi ac viſione quadam divinum mandatum de adeundo Cornelio Centurione accepiſſet Act. 10. 19, 20 & ſeqq.

Toto proinde cœlo errant, qui Johannis Baptiſmum etiam ad alias gentes pertinuiſſe aſſerunt. Cum enim Johannes ad ſolos Judæos fuerit miſſus, ex eo facile eſt intelligere, omnia ea quæ ad ipſius munus ſpectabant, & homines natura ſua non obligant (qualia ſunt omnia ceremonialia præcepta) alios populos per ſe ac ſimpliciter non obſtringere. Imo tantum abeſt, ut Johannis Baptiſmus omnes & ſingulas gentes obligaverit, ut ne omnes quidem Judæi neceſſario ad eum ſuſcipiendum eſſent obligati. Baptiſmus enim iſte illis ſolummodo fuit injunctus, qui à profligatæ atque impuræ vitæ conſuetudine toto pectore ad ſanctimoniam veram anhelarent. Quocirca ſi qui tunc extiterunt inter Judæos, qui ſanctitatem ac juſtitiam coluerint, manifeſtum eſt, eos quoque pœnitentia non indiguiſſe. Hinc Chriſtus quoque negat *ſe veniſſe vocatum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam* Matth. 9. 13. Et Luc. 15. 7, meminit *nonaginta novem juſtorum, qui pœnitentia non egeant.* Quod autem juſti tales in populo Judaico tunc temporis fuerint, comprobant exempla, Mariæ, Joſephi, Simeonis, Annæ, Zachariæ, Eliſabethæ &c. Ex hujuſcemodi juſtis vel nemo ad Baptiſmum Johannis acceſſit, vel ſi acceſſit, ſponte ſua, non ex ullius generalis præcepti obligatione id fecit.

Chriſtum vero quod attinet, quod ſe ille Baptiſmo Johannis ſubjecit, quamvis totum vitæ ſuæ curriculum in ſumma ac omnibus numeris abſoluta ſanctitate peregiſſet, adeo ut ne unius quidem peccati coargui poſſet: id non fecit quoque, tanquam univerſali aliquo Dei mandato, cunctis hominibus ſine diſcrimine dato, obligatus, ſed vel ex peculiari Dei juſſu, vel ex certarum cauſarum conſideratione atque impulſu. Sed de eo poſtea ℣. 16.

Ad ſolutionem ſecundæ quæſtionis de tempore, quamdiu Johannis munus durare debuerit, ſcire intereſt, id non longius protrahi debuiſſe, quam uſque ad illud rempus, quo Chriſtus ipſe perfecte ſuum munus auſpicaretur. Cum enim non niſi præcurſor Chriſti eſſet, munuſque ejus duntaxat in eo conſiſteret, ut primam quaſi glaciem frangeret, in iis, quæ deinceps à Chriſto pleniſſime ac ſufficientiſſime perficienda erant; perſpicuum eſt, quando magnus Legatus jam incipit functionem obire ſuam, præcurſoris munus ſenſim jam ceſſare. Dico autem, Johannis munus tum ceſſaſſe, cum Chriſti perfecte cœpit: quia dum Johannes adhuc libertate frueretur, & ad finem jam ſpectaret ejus munus, Chriſtus quidem jam initium docendi ac prædicandi fecit; ſed tum demum pleno ore doctrinam ſuam promulgavit, quando Johannes in carcerem conjectus eſt. Johannes enim demum in carcere exiſtens, cum miraculorum Chriſti famam auditione percepiſſet, miſit binos diſcipulos, qui nomine ipſius teſtarentur, Chriſtum eſſe illum, qui venturus erat, neque alium ullum eſſe expectandum. Chriſtus autem reſpondens duobus illis diſcipulis, ſuaque recenſens miracula, haud obſcure innuit, ſe Johannis teſtimonio amplius non egere Matth. xi. 2, 3, 4. Et Joh. 5. 36, expreſſe opera ſua teſtimonio Johannis præfert, inquiens: *Ego habeo majus teſtimonium Joanne. Nam opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtantur de me, quia Pater me miſit.* Quod autem officium Johannis tum cum Chriſtus exorſus eſt ſuum prædicandi munus, jam quaſi ad occaſum ac finem inclinarit, ex eo cernitur, quod cum omnes Johanne deſerto ad Chriſtum converterentur, Johannes ipſe ad ſuos diſcipulos id moleſte ferentes, & Chriſto quodammodo ob honorem Magiſtri ſui imminutum indignantes, dixerit: *Illum* (id eſt, Chriſtum) *oportet crescere, me vero minui.* Significans, ſibi cum doctrina ſua, quæ imperfecta fuit ac prima quaſi elementa continebat, abſcedendum eſſe, Chriſti autem doctrinam indies magis magiſque propagandam & amplificandam eſſe. Paulus quoque Apoſtolus ait, Johannem tunc curſum ſuum abſolviſſe, cum omnibus auctor eſſet ad Chriſtum, quem digito monſtrabat, accedendi Actor. 13. 25. Neque hæc res cuiquam

quam admirationem movere debet, quandoquidem Johannes neque perfectam de pœnitentia agenda doctrinam, ut ℣ſ. 1 notatum, populo explicavit & præſcripſit, neque qua in re vera peccatorum remiſſio ſita ſit, revelavit, neque doctrinam ſuam ullo miraculo confirmavit, denique etiam homines nullo tali baptiſmo doctrinæ ſuæ de pœnitentia initiavit ac obſtrinxit, cujus vi in exercitio pietatis retineri poſſent, ſed cunctos ad Chriſtum remiſit, qui, in quo vera pœnitentia perfectaque peccatorum remiſſio conſiſtat, clariſſime nobis expoſuit, qui ſalutiferam doctrinam ſuam inauditis ſanxit miraculis, qui ad extremum ſuos diſcipulos non aqua, ſed Spiritu Sancto & igne baptiſat, iiſque tantum roboris ac virium impertitur, ut cœptum ſalutis ſuæ opus ad noviſſimum vitæ ſuæ terminum in fide vera poſſint abſolvere.

Ex dictis clare perſpicitur, Johannem in ſuo munere nullum habuiſſe ſucceſſorem, qui quaſi à Deo inſtitutus ipſius Vicarius æqualem poteſtatem divinam habuerit, tali baptiſmo pœnitentiæ homines doctrinæ ſuæ initiandi & obligandi. Quod enim Apoſtoli, ante mortem Chriſti, baptiſmum adminiſtrarint, ex eo perperam infertur, eos in Johannis locum & officium ſucceſſiſſe. Legimus enim, diſcipulos Chriſti, adhuc ſpirante Johanne, & in muneris ſui functione verſante, baptiſaſſe, ideoque cœpiſſe Johannem minui, Chriſtum vero creſcere. Præterea ut quiſpiam pro ſucceſſore Johannis in munere ejus haberi queat, requiritur mandatum Dei expreſſum, quo hoc munus ei committatur. Quod vero Chriſtus per ſuos diſcipulos baptiſaverit Joh. 4. 1, 2, certe id non eo factum eſt, quod voluerit continuare munus Johannis Baptiſtæ, aut quod divino mandato ad id fuerit obſtrictus, ſed quia doctrinam ſuam ſimili modo, quo Johannes, à pœnitentia inchoavit: *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit Regnum cœlorum* Matth. 4. 17. populuſque jam baptiſmo Johannis aſſuetus erat, idcirco etiam initio vere pœnitentes per baptiſmum quaſi ſacramento obſtringebat, ac ſuis diſcipulis adjungebat. Idque faciebat, non propter Dei aliquod præceptum, vel quod munus ejus id ipſum expoſceret, ſed pro libera ſua voluntate atque ſapientia, ne Johannis Baptiſmum tanquam rem ſuperfluam & ad pœnitentiam agendam haud neceſſariam contemnere, eique nonnihil detrahere videretur. Hoc autem ad iſtum modum fieri oportuit in initiis illis, donec populus melius inſtitutus de rebus ſublimioribus, paulatim in parvis hærere deſueſceret.

In Jordane.] Mirum eſt, quod circumſtantia hæc de reſipiſcentibus peccatoribus *in Jordane* baptiſatis, illis (quos inter etiam Calvinus eſt, cujus vide Harmoniam Euangelicam) non aperuerit oculos, qui exiſtimant, Johannem non baptiſaſſe aqua, ſed verba *& baptiſati ſunt*, exponunt ita, quaſi dictum eſſet, *& edocti* vel *inſtituti ſunt*, nempe de pœnitentia. Opinionem hanc hauſerunt ex Marci cap. 1. 4. & Luc. 3. 3 ubi dicitur, Johannem *prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ*. Sed ut præteream, quod nullus poſſit è Sacra Scriptura produci locus, in quo *baptiſare* idem valeat, quod *docere, inſtituere* &c. non immerito quærit Maldonatus, quid Johanni docenti Jordane fuerit opus? Et cur in Ænon, ubi multæ aquæ erant, baptiſarit, id eſt, ut Calvinus explicat, docuerit? quaſi loqui ſine aqua non potuerit. Quod vero loca apud Marcum & Lucam attinet, non eſt difficile intellectu, non alium eſſe illorum ſenſum, quam quod Johannes prædicaverit, oportere ut homines baptiſmum ſuſcipiant ad teſtandam pœnitentiam ac vitæ ſuæ emendationem.

Cæterum ſicut hi una parte deviarunt à recto tramite, ita in alteram partem rurſus illi quoque deflectunt, qui nullum diſcrimen ac differentiam inter baptiſmum Johannis & baptiſmum in nomine Jeſu, quem Apoſtoli poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum uſurparunt, volunt agnoſcere, ſed utrumque omni ex parte pro uno eodemque baptiſmo habent. Qua de re vide 3 Appendicem hujus capitis.

Confitentes peccata ſua.] Qui volunt, Judæos hic non aliter peccata ſua eſſe confeſſos, quam quod in genere dixerint, ſe agnoſcere quod ſint peccatores, nimis verba hæc enervant. Longe enim aliud eſt fateri, quod ſis peccator, & aliud, peccata ſua confiteri. Qui huc trahunt locum illum 1 Joh. 1. 9: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt*, &c. illi pro argumento ſumunt, quod in quæſtione eſt, nempe quod in iſto Johannis loco, *peccata confiteri*, non amplius denotet, quam fateri, nos eſſe peccatores. Quapropter omnino credendum eſt, Judæos ad Baptiſmum Johannis accedentes ea confeſſos eſſe peccata in ſpecie, quæ ipſorum conſcientias maxime aggravabant atque cruciabant, inprimis autem ea quæ tolli & expiari ſacrificiis legis haud poterant. Et licet fieri potuerit, ut aliquis eorum ſemel tantum unicum admiſiſſet peccatum ut v. gr. adulterium, homicidium aut aliud ſimile; ſi tamen is adeo grave onus in conſcientia ſua ſentiens, ſummo deſiderio & anxiis votis ad remiſſionem peccati iſtius à Deo obtinendam anhelabat, credibile eſt, talem id confeſſum fuiſſe, quando ad Johannis Baptiſmum ſe conferebat, poſtquam intellexiſſet, eum omnibus vere reſipiſcentibus & baptiſmum ſuſcipientibus, veniam peccatorum Dei nomine annunciare, liberumque ad ſummam felicitatem omnibus appropinquantibus aditum præbere. Ut vero omnes peccatorum circumſtantias recenſerent, uti Papiſtarum auricularis confeſſio requirit, non ſolum neceſſarium non fuit, non ſolum in tanta populi multitudine fuit impoſſibile, verum etiam in nonnullis impudicis peccatis honeſtati ac decoro id non fuiſſet conſentaneum.

An autem Johannes hanc confeſſionem peccatorum neceſſario à Judæis exegerit, certo affirmari nequit, quia Scriptura id reticet. Sed probabile eſt, id ab antiqua conſuetudine manaſſe, & quidem ab illo Dei præcepto, quo qui peccatum aliquod per ſacrificium expiaverant, ad illud confitendum obligati erant. Levit. 5. 5. Num. 5. 7 præſertim cum ad certa peccata expianda certa quoque & peculiaria ſacrificia eſſent inſtituta. Quamobrem cum viderent, Baptiſmum Johannis ad eundem finem eſſe ordinatum, ut homines interveniente pœnitentia peccatorum veniam à Deo conſequerentur: veriſimile eſt, eos peccata illa confeſſos fuiſſe, à quibus liberari cupiebant (cum præſertim id quoque argumentum ſit humilitatis ac ingenui candoris, qui plurimum

juvat

juvat ad remiſſionem peccatorum comparandam) & quidem tanto majori cum devotione ac fiducia, quia rem ſibi eſſe cum integerrimo viro, & non ſolum cum ſacerdote, ſed cum Propheta quoque, qualem eum eſſe rebantur, cernebant. Quod exemplum quatenus Chriſtianis ſit imitandum, docet nos Jacobus cap. 5. 16.

Ut coram certis perſonis, quales apud Pontificios ſunt Sacrificuli & Monachi, peccatorum fiat confeſſio, & quidem omnium, quæ in memoriam revocari poſſunt, & cum omnibus circumſtantiis, nulla eſt neceſſitas: ſiquidem Deus neque perſonas ullas tales in Chriſtianiſmo ordinavit, neque ullum de eo præceptum tradidit, neque id ex Johannis exemplo probari poteſt. Nemo enim hodie cum Johanne hac in parte eſt conferendus, ut ab ipſo Deo ſit ad annunciandam hominibus peccatorum remiſſionem miſſus. Sed neque ſciri poteſt, Judæos divino mandato fuiſſe ad id omnino obligatos, ut peccata ſua confiterentur, vel ut omnia ſua peccata, & cum omnibus circumſtantiis recenſerent. Mitto, quod nuſquam legatur, hanc peccatorum confeſſionem ab eis fuiſſe iteratam, quod fit in auriculari Confeſſione. Agnoſcunt quoque ipſi Pontificii, confeſſionem peccatorum baptiſmum anteceſſiſſe: cum apud eos contra confeſſio poſt baptiſmum fiat.

Verſ. 7. *Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum.*] Phariſæi & Sadducæi peculiares Sectæ fuerunt inter Judæos, tam moribus quam placitis inter ſe diſtinctæ: de quo vide 4 Appendicem hujus capitis. E tanta autem multitudine populi, quæ ad baptiſandum venit, duo ſolum Judæorum genera nominat, Matthæus narrans hoc tanquam miraculum, quod etiam è tumidis iſtis, ſuæque Sanctitatis ac Sapientiæ opinione inflatis hominibus aliqui ita ſe demiſerint, baptiſmumque Johannis ſuſceperint, & qui aliorum doctores ac Magiſtri eſſe volebant, Johannis fierent diſcipuli. Præterea indicat occaſionem Euangeliſta, quæ anſam dederit Johanni, ut tanta in ſequenti admonitione uteretur acrimonia: ſignificat enim id præcipue Phariſæorum & Sadducæorum cauſa eſſe factum, ut eos ad veram pœnitentiam inflammaret.

Non adverſatur vero ei Lucas, cum cap. 3. 7 refert, Johannem ſermonem hunc, à Matthæo hoc loco deſcriptum vſ. 7 & tribus ſequentibus, ad univerſum populum, qui ad eum exierat, habuiſſe, nulla Phariſæorum & Sadducæorum mentione facta. Lucas enim rem narrat in genere, ut licet Phariſæos ac Sadducæos haud nominarit, eos tamen tacite in turba ad Johannem veniente incluſerit: Matthæus autem nomina Phariſæorum & Sadducæorum exprimit ob jam notatas cauſas. Apparetque Johannem ita verba ſua moderatum eſſe, ut omnes quidem in genere alloqueretur, præcipue autem Phariſæos tantum & Sadducæos, quorum aliquos turbæ videbat permixtos, notaret. Ut omnino videatur Johannes non tam acri reprehenſione promiſcuam multitudinem perſtricturus fuiſſe, niſi è peſſimo hominum genere aliquos turbæ intermixtos animadvertiſſet.

Phariſæorum & Sadducæorum.] Phariſæorum nomen præmittit Sadducæorum nomini, quia illorum major erat numerus, quam horum, quin & major auctoritas, major de horum ſanctitate & ſapientia populi perſuaſio. Itaque plures etiam illi habebant aſſeclas, & in politico regimine potentiores erant. Unde Chriſtus cum infra cap. 5. 20 eorum meminit, qui laude juſtitiæ præ aliis in populo celebres erant, de Sadducæis tacet, ſoloſque Phariſæos ac Scribas commemorat. Sic & cap. 23 invehitur Chriſtus tantum in Phariſæos & Scribas verbis aſperioribus, Sadducæos nullo verbulo tangit.

Quid moverit Phariſæos & Sadducæos, ut ad baptiſmum Johannis venirent, Scriptura non indicat. Ex moribus tamen horum hominum atque animo licet æſtimare, pleroſque ſtudio placendi & gratificandi populo acceſſiſſe, qui Johannem tanquam inſignem Prophetam admirabantur. Ne proinde pro hominibus irreligioſis haberentur ac Prophetarum contemptoribus, atque ſic populi favore exciderent, veriſimile eſt, voluiſſe eos vulgi de Johanne opinioni nonnihil concedere ac indulgere. Tametſi inficiari nolim prorſus, aliquos ſaltem ex iis bene fuiſſe erga Johannem animatos, & pium ſanctumque virum eſſe credidiſſe, qui omni virium conamine ex animo niteretur, populum à flagitioſæ vitæ dedecore ad veram pietatem traducere. Ægre enim videntur ad Johannis baptiſmum fuiſſe acceſſuri, ſi eum pro impoſtore habuiſſent. Quod autem dicit hic Matthæus, *multos Phariſæorum* acceſſiſſe, non pugnat cum Lucæ verbis, qui cap. 7. 30 inquit, *Phariſæos & Legis peritos rejeciſſe conſilium Dei adverſus ſe ipſos, dum non ſunt baptiſati ab eo* (id eſt, Johanne:) quibus verbis indicatur, pleroſque eorum Johannis baptiſmum non ſuſcepiſſe. Cum enim Matthæus hoc loco dicit, Multos Phariſæorum & Sadducæorum ad Johannis baptiſmum veniſſe, non confert eos cum aliis ejuſdem ordinis hominibus, qui non fuere baptiſati, quaſi multi baptiſati fuerint, reſpectu reliquorum, qui non ſunt baptiſati: ſed ſimpliciter tantum *multos* fuiſſe dicit, id eſt, non adeo paucos, quamvis interea pauci fuerint reſpectu aliorum ſui generis hominum, qui baptiſmum ſuſcipere dedignati ſunt. Ut ita nihilominus jure dici potuerit, Phariſæos baptiſmum Johannis ſpreviſſe & non ſuſcepiſſe, quia pauciſſimi eum ſuſceperint. Prætereo, quod Matthæus de Phariſæis & Sadducæis hoc loco conjunctim affirmet, eorum multos fuiſſe. Apud Lucam autem omiſſa eſt Sadducæorum mentio, & ſoli Phariſæi ac Scribæ nominantur. Fierique poteſt, quod longe plures è Sadducæis, quam è Phariſæis ad Johannem venerint, eo quod hi majori valerent auctoritate, & ſanctimoniæ ſapientiæque apud populum opinione, quam Sadducæi. Qua populi de ſe exiſtimatione illi elati, erubeſcebant Johannis diſcipuli fieri, & baptiſma ſuſcipiendo, ſeſe peccatores eſſe agnoſcere.

Venientes ad baptiſmum ſuum.] Non ſolum ut ſpectatores, ſed ut qui baptiſmate tingi ab eo ipſimet cuperent: ut ſequens Johannis oratio indicat.

Dixit eis: Progenies viperarum.] Deſcripta hoc loco Johannis oratio, quæ uſque ad finem verſ. 12 extenditur, conſtat duabus partibus. In prima, quæ porrigitur ad verſ. 11. Johannes potiſſimum Phariſæos & Sadducæos alloquitur, exſtimulans eos

ad

ad ſeriam pœnitentiam vitæque emendationem. In altera præclarum perhibet teſtimonium de Chriſto mox apparituro, monſtrans eum longe ſe præſtantiorem eſſe.

In priori orationis parte, in Phariſæos & Sadducæos aliquanto acerbius invehitur, admirabundus. quod tantum prudentiæ haberent, & tam bono agerentur Spiritu, ut medium illud arriperent, quo divina judicia, ſibi totique populo impendentia, effugere poſſint. Quibus verbis Johannes viam ſibi ſtruxit, ad eos tanto vehementius ad reſipiſcentiam excitandos.

Progenies viperarum.] Per metaphoram ita eos appellat, ſignificans, eos viperis quoad ingenium atque indolem eſſe perſimiles, perinde quaſi è viperis nati, vel ipſimet viperæ eſſent. Conſueto enim Hebræis loquendi modo progenies viperarum pro ipſis viperis ſumitur. Sic filii hominum ponuntur pro ipſis hominibus Pſal. 14.2 & ſeqq. Eodem ſenſu Chriſtus infra vocat Phariſæos & ſcribas, *Serpentes ac progeniem viperarum* Matth. 23.33.

Innuit vero Johannes, eos eſſe deterrimum & nocentiſſimum genus mortalium, quod inſtar viperarum in animis ſuis venenum improbitatis atque crudelitatis gerant abſconditum. Quod enim viperæ animalia nocentiſſima ſint, ex hiſtoria deſcripta Act. 28.4, 6 liquet, ubi narratur Paulum in Melita inſula morſu viperæ fuiſſe impetitum, incolaſque exiſtimaſſe eum ſubita morte periturum. Non levi autem brachio Johannes idcirco eos objurgat (quemadmodum & Chriſtus Matth. 23.33, quia faſtu & opinione ſuæ ſapientiæ turgidi morbum ſuum non ſatis agnoſcebant, ſeu potius agnoſcere nolebant, adeoque acrioribus paulo ſtimulis indigebant, ut ſeipſos melius noſſe diſcerent, cernerentque, animos moreſque ſuos Spiritui divino non eſſe incognitos, ac tandem ut ſibi ipſis diffiſi, in vera animi demiſſione, ſanctioris vitæ conſilia capeſſerent.

Par autem eſt hoc obſervare loco, non æque nobis permiſſum eſſe, Johannis aut Chriſti exemplo tanta uti in alios verborum acerbitate. Non enim nos tam ſublimis muneris pollemus auctoritate, nec tanta præditi ſumus vi divini Spiritus, qua illi etiam reconditas animi maculas cernere & in apertum protrahere potuerunt. Quapropter potius ſtatuendum eſt, Dei Spiritum eos ita objurgaſſe: in nobis autem ſi id abſque hujuſmodi Spiritus inſtinctu faceremus, nihil aliud eſſet quam convicium.

Quis oſtendit vobis fugere.] Miratur Johannes, unde eis in mentem venerit tam ſalutare conſilium, ut hanc ingrederentur optimam ſupplicii divini effugiendi viam: quod cæteroquin ab eorum inflato animo ac ſupercilio ob ſapientiæ ſummæ perſuaſionem ſublato maxime abhorrebat. Imo hac admiratione ſua indicat, ipſos indignos fuiſſe iſto beneficio, ut medium hoc ſaluberrimum & unicum evitandæ Dei iræ amplecterentur; cum promeruerint potius, ut in peccatis ſuis obdurarentur, & juſto Dei judicio una cum omnibus impiis involverentur.

A ventura ira.] Ira hic ſumitur pro pœna ſeu ſupplicio, quod ex ira proficiſcitur: uti etiam Rom. 1.18. 11.5, 8. 111.5. 1v. 15. v.9. x111.5. 1 Theſſ. 1. 10. Quænam vero ſit iſta ira, docet infra ℣ſ.10, 12.

Quæritur hic, quomodo hæc Johannis verba cum verbis Chriſti Matth. 23. 33 concilianda ſint. Johannes enim hic innuit, Phariſæos noſſe rationem effugiendæ iræ futuræ; Chriſtus autem loco allegato contrarium indicare videtur, dum ait: *Vos Serpentes, progenies viperarum, quomodo fugietis à judicio Gehennæ?* At primum dici poteſt, Johannem hoc loco non de integra ſecta vel ordine Phariſæorum loqui, ſed tantum de paucis illis, qui bono Spiritu ducti, ad ejus baptiſmum, non ſine propoſito vitæ in melius mutandæ, veniebant: tametſi & inter hos aliqui hypocritæ eſſe potuerint, qui non tam ex animo, quam ut populo placerent, id faciebant. Chriſtus autem verba facit de ſecta Phariſæorum in genere, deque potiſſima eorum parte, qui obſtinate ejus doctrinæ adverſabantur, ut ne minimam quidem ſpem reſipiſcentiæ ſuæ præberent. Deinde non ſufficiebat ad effugiendam iram venturam, quod ad Baptiſmum Johannis accedentes propoſitum abnegandæ impoſterum impiæ vitæ adferrent, (hoc enim duntaxat præparamenti cujuſdam loco fiebat, & primus quaſi gradus erat & ingreſſus in eam viam, qua effugienda erat ira) ſed præterea oportebat in Chriſtum credere, quando comparuit. Quare etſi inter Phariſæos iſtos, quibus Chriſtus omnem effugiendæ iræ ſeu judicii Gehennæ ſpem præcidit, eſſe potuerint aliqui, quos baptiſavit Johannes; nequaquam tamen per hunc baptiſmum ſuſceptum iram effugerunt; quandoquidem ſe Chriſto tam vehementer oppoſuerunt, doctrinamque ejus divinam rejecerunt. Imo baptiſmus ille Johannis potius eis vertit in judicium damnationis: propterea, quod non receperint eum, de quo Johannes ab eis pro inſigni Propheta habitus, cujus baptiſmum non fuerant aſpernati, teſtatus eſt, eum eſſe veram lucem ac ſervatorem mundi. Adde quod illa interrogatio Chriſti, *Quomodo effugietis à judicio Gehennæ?* non hoc ſibi velit, eis nullam jam prorſus ſpem effugiendi exitii ſupereſſe, ſed hoc tantum, difficile admodum futurum, ut illi ad frugem redeant, & ſic divinum judicium effugiant, nimirum propter inveteratam eorum malitiam, ſuperbiam & hypocriſin, per quam veritatem in injuſtitia retinebant. Similem locutionem vide Matth. 12. 29. Marc. 10. 24. 1 Cor. 14. 7. Hebr. 2. 3. Ut rem in pauca conferam, Phariſæi quatenus erant hypocritæ, Serpentes, & viperarum progenies, Chriſtique jurati hoſtes, non poterant judicium Gehennæ ſubterfugere: poterant autem, ſi reſipiſcentia ſeria probra prioris vitæ eluerent, & dignos pœnitentia fructus ferrent.

Verſ.8. *Facite ergo fructum.*] Succedit jam alterum prioris partis membrum, nempe Admonitio. Vocula *ergo* reſpicit iram ſeu divinum ſupplicium: quaſi dicat: Quandoquidem vobis totique populo certo & infallibiliter ſupplicium divinum imminet, voſque id agnoſcitis, & propterea rationem ejus effugiendi initis, dum baptiſmo tingi vultis, veramque ac ſeriam per id pœnitentiam veſtram declaratis; moneo vos etiam atque etiam, ut fructus faciatis, qui pœnitentia digni ſint.

Facite fructum.] Id eſt, facite bona opera: quemadmodum etiam infra ℣ſ. 10. & cap.7.17.

Qui pœnitentia dignus ſit.] His verbis monſtrat, qualem

lem fructum facere debeant, nimirum, qui cum reſipiſcentia ſit conſentaneus, & ex quo cognoſci queat, pœnitentiam eorum non fictam, ſed ſeriam eſſe.

Hinc perſpicitur, bona opera hic à pœnitentia, tanquam fructus ab arbore diſtingui, & per pœnitentiam ſolam animi mutationem abſque bonis operibus intelligi, ſenſu alio quam verſ. 2. ubi Johannes verbis illis, *Pœnitentiam agite*, hoc totum, quod Dei nomine ab hominibus requiſivit, atque adeo etiam bona opera ac pietatem comprehendit.

Per *fructum* non unum tantum atque alterum bonum opus intelligitur, ſed bona opera in genere, ſeu opera totius vitæ, id eſt, obedientia præceptorum Dei durans non interrupto tenore uſque ad finem. Metaphora ſumpta eſt ab arboribus & aliis fructum ferentibus plantis, quæ quia natura ſua fructum ferre queunt, ideo ab eis fructus iſque bonus requiritur, qui niſi ſubſequatur, arbor excinditur & in ignem conjicitur; uti hæc ſimilitudo poſtea verſ. 2. latius explicatur.

Verſ.9. *Et ne videamini dicere intra vos.*] In hoc & ſequenti verſiculo confirmat Johannes ſuam admonitionem, idque cum objectionis tacitæ occupatione. Equidem ex Scriptura ſatis notum eſt, quanta Judæos tenuerit generis fiducia, quod ab Abrahamo tam intimo Dei amico trahebant.

Credebant enim, ſe hoc ſolum nomine adeo Deo dilectos acceptoſque eſſe ut gratia ejus nullo pacto excidere poſſent, quamvis interea ætatem in flagitiis tranſigerent, Deique iram improbitate ſua provocarent. Saltem ſibi perſuaſerant, fieri non poſſe, ut Deus exſtirparet & eradicaret univerſos: quia Abrahamus ſemen ſeu liberos non eſſet habiturus, cum tamen olim Deus ſemen ipſius æternum fore eſſet pollicitus; quod ex reſponſione Johannis intelligetur. Quæ illorum opinio, quia illis ad veram pœnitentiam agendam maximo fuit obſtaculo, idcirco Johannes totus in eo eſt, ut eam animis illorum eximat, criſtaſque eorum deprimat; docens, non debere ipſos ſeſe vana hac ſpe atque opinione lactare, quod Deus in tanta eorum nequitia ſit conniventia uſurus, ipſiſque parſurus, quia ſint ſemen Abrahæ.

Ne videamini dicere apud voſmet ipſos.] Gr. *in vobis ipſis.* In ſe vel apud ſe ipſum dicere, phraſi Hebræa eſt nihil aliud, quam cogitare Pſal. 14. 1. Matth. 9. 3, 21. Quod verba, *ne videamini dicere*, attinet, phraſis eſt inſolens, atque haud ſcio, an uſquam in Sacris Literis hoc ſignificatu reperiatur. Duplici autem ſenſu verba iſta accipi poſſunt: quorum prior vulgari loquendi conſuetudini, alter vero menti Johannis magis eſt conſentaneus. Prior ſenſus eſt talis: Nolite præ vobis ferre, quod ita cogitetis: ne vos ad hunc geratis modum, ut jure de vobis dici poſſit, plenos eſſe hac cogitatione animos veſtros. Alter ſenſus ita habet: Ne arbitremini, vos ita jure cogitare poſſe. Qui ſenſus quod ad mentem Johannis propius accedat, quam prior, patet ex Luc. 3. 8, qui hæc verba ſic exprimit: *Ne cœperitis dicere apud vos ipſos.* Quod phraſi Hebræorum, qua Lucas inprimis creberrime utitur, nihil ſignificat aliud, quam *Ne dicatis apud voſmet ipſos*, ſeu, *ne cogitetis.* Quod idem etiam hic Johannes apud Matthæum vult dicere, nempe: *Ne cogitetis, patrem habemus Abrahamum.* Vide Matth. 26.74. Luc.4.21. v. 21. VII. 38 &c. Act.1.1. Gen. 9, 20. Judic. 1. 27 &c. Volebat enim, ne eo tempore, quo eos exhortabatur, talis cogitatio animis eorum oboriretur, ne forte hæc cogitatio impediret, quominus impoſterum fructus pœnitentia dignos facerent.

Patrem habemus Abrahamum.] Synecdoche eſt in his verbis, qua pars pro toto ponitur. Non enim ſimpliciter vult dicere, ipſos eſſe Abrahami filios & Abrahamum eſſe caput generis illorum: ſed quod etiam divinæ promiſſiones poſteritati Abrahami factæ ad eos ſpectent, nempe benedictio & gratia divina, eaque æterna, nec unquam permiſſura, ut ejus poſteritas à Deo aboleatur.

Dico enim vobis, quod Deus poſſit ex his lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.] Jam reſpondet Johannes ad illam objectionem, in hunc modum, ut Judæi intelligere potuerint, ex eo, quod Abrahamum haberent patrem, nulla ratione conſequi, quod illi ex eo concludebant, videlicet fieri non poſſe, ut à Deo ſupplicio afficiantur & exterminentur.

Eripit enim eis, quod maxime ipſis addebat cornua, quod ſcilicet crederent, ſi ipſi eradicarentur, Abrahamum non habiturum ullam prolem vel poſteritatem, in qua promiſſionum Dei, ſemini Abrahami factarum, effectus atque impletio locum habere poſſit. Qua opinione quod ſeipſos decipiant, docet Johannes, inquiens; etiamſi nullos alioquin Abrahamus haberet liberos, vel nulli extarent homines, qui pro Abrahami ſemine cenſeri, & in quibus promiſſa ſemini Abrahamico à Deo data impleri poſſent, nihilominus poſſe Deum ex lapidibus (quos tunc digito monſtrabat Johannes) ſemen ſeu ſobolem Abrahamo excitare, imo eum potius ex iis hanc excitaturum eſſe, quam ut Judæorum impietatem atque contumaciam impunitam abire ſinat.

Credibile autem eſt, Dei Spiritum, quo Johannes loquebatur, reſpexiſſe vocationem ac converſionem exterarum gentium, atque indicare voluiſſe, Deum ex illis gentibus, ex quibus Judæi minimum ſperabant, ſuſcitaturum Abrahamo ſobolem, in qua fides promiſſionum divinarum exſolveretur. Dum enim ait Johannes, Deum vel ex lapidibus ſuſcitare poſſe liberos Abrahamo, non hoc ſibi vult ſimpliciter, Deum ſi Judæos ob eorum contumaciam & inobedientiam rejiciat & exſtirpet, in locum ipſorum homines ex lapidibus aliaque inanimata materia creaturum; ſed ſignificat, ſi alioqui nulla exiſteret aptior materia (homines autem certe ſunt longe aptiores, quam materia ulla inanimata) eum potius ex lapidibus ſemen Abrahamo producturum. Sed priuſquam eo veniretur, propior erat via, ut in locum Judæorum Ethnici aſſumerentur, atque ita à Deo immutarentur ac reformarentur, ut pro Abrahami poſteris merito haberi poſſent.

Non eſt autem, quod quis hoc loco cogitet, extraneos populos non poſſe eſſe filios Abrahami, eo quod carnis reſpectu ex illo non ſint prognati; ſatis enim intelligitur, Johannem hic non de carnalibus Abrahami liberis loqui. Liberi enim, qui Abrahamo è lapidibus, ut loquitur Johannes, excitarentur, revera carnales ejus filii non eſſent. Non ergo alios quam ſpirituales intellexit liberos. De quibus vide quid Paulus diſſerat Rom. 9.6,7 & ſeqq. Gal. 3.7,14,29.

Quod

Quod Deus poſſit, ſi opus ſit, ex lapidibus facere homines, nemo dubitabit, qui perpenderit, primum hominem Adamum è gleba terræ à Deo eſſe creatum Gen. 2. 7.

Verſ. 10. *Jam vero etiam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.*] Confirmat modo Johannes ſuam admonitionem, allata graviſſima ratione, qua eos permovere atque adducere conatur ad fructus pœnitentia dignos ferendum. Nihil aliud autem his verbis indicat, quam horrendum Dei judicium jam cervicibus Judæorum imminere, ſeu de interitu eorum jam decretum à Deo eſſe latum, ideoque tempeſtive ipſis venienti malo eſſe occurrendum. Non poterant autem alia occurrere ratione, quam veros fructus, qui pœnitentia digni eſſent, proferendo: ut docent verba ſequentia. Hoc vero metaphora iſta ſignificatur, quæ ab arboribus petita eſt: earum enim exciſio atque interitus præſto eſt, quando ſecuris radici apponitur.

Dum autem *radicis* meminit, cui admota ſit ſecuris, innuit, arbores iſtas, id eſt, homines, una cum trunco ac radicibus, ſeu funditus & in totum perdendos eſſe.

Cæterum his verbis Johannes videtur per occupationem, voluiſſe tacitam Judæorum objectionem refellere, qui audientes Johannis de ventura ira ſeu judicio divino minas, cogitare poterant, non tam cito adhuc iram iſtam exarſuram, judiciumque hoc procul adhuc abeſſe: itaque nullam eſſe cauſam adeo properandi, ac maturandæ reſipiſcentiæ, cum ſatis adhuc ſuperſit temporis. Monet igitur eos Johannes, ne ſibi tam fallaci ſpe blandiantur: jam enim præ foribus eſſe ipſorum interitum, niſi matura vitæ correctione periculo ſe eripiant.

Animadvertendum autem, Judæorum ante adventum Chriſti, ex eo quod Abrahami progenies fuerint, ſummam fuiſſe præ cæteris gentibus præſtantiam. Hinc Paulus ait: *Quæ igitur eſt præſtantia Judæorum? aut quæ eſt utilitas circumciſionis? Multa per omnem modum* Rom. 3. 1,2. Nimirum Deus propter promiſſionem, quam Abrahamo fecit de benedicendis in ejus ſemine omnibus nationibus terræ Gen. 12. 3 tam ſæpe multiplicem atque immenſam eorum impietatem patienter tulit, ut licet eos graviter puniret, nunquam tamen eos radicitus, ut meriti erant, excindere vellet, donec benedictum illud ſemen, id eſt, Chriſtus veniret, per quem benedictio Abrahami impleri debuit. Ipſorum enim impietas ut Abrahamo fraudi eſſet, cumque promiſſionis effectu privaret, æquum non erat. At ubi Chriſtus apparuit, Deuſque exſolvit, quod Abrahamo promiſerat, merito longanimitati ac patientiæ divinæ erga refractarium hunc populum finis moduſque factus eſt, ut jam amplius eis Deus noluerit parcere, ſi oculos ad exortum in Chriſto lumen eximium claudere, atque in tenebris ſuæ impietatis manere pergerent. Deus enim nihil eis amplius debet, poſtquam cuncta præſtitit, quæ à ſumma ejus æquitate poterant expectari. Imo licet Johannes hac ſimilitudine ſumpta ab arborum radice, cui jam ſecuris admota eſt, internecionem hujus populi totalem deſignet, Deus tamen pro ineffabili bonitate ſua, non prorſus ac in totum hujus populi radicem excidit, ſed tot adhuc reliquit fibras, è quibus tam numeroſus populus quem huc illuc hodie diſperſum videmus, enatus eſt. Quia nimirum Deus conſtituit propter patrem eorum Abrahamum, unum adhuc immenſum beneficium illis exhibere, id eſt, fores ad Chriſtum recipiendum eis pandere, de quo vaticinatur Apoſtolus Rom. 11. 25.

Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excindetur, & in ignem mittetur.] Hoc ad priorem adhuc rationem, qua Johannes ſuam exhortationem confirmat, pertinet, fluitque quodammodo ex eo quod præceſſit. Quando enim arborum putator inſtituit arbores excindere, ut plurimum infrugiferas deligere ſolet, quæ deinceps igne plerumque concremantur. Itaque indicat Johannes, Judæos, niſi fructus pœnitentia dignos proferant, ſupplicio ignis afficiendos eſſe, vel alia aliqua graviſſima pœna, quæ cum exuſtione arborum conferri mereatur. Supplicium autem hoc intelligi poteſt non modo æternus ille ignis, in quem omnes impii in die noviſſimo conjiciendi ſunt Matth. 25. 41, ſed etiam, idque præcipue, horrendum excidium Hieroſolymæ ac Templi, quod jam tum appropinquabat; 40 enim poſt mortem Chriſti annis contigit. In quo excidio tam atrocia paſſus eſt hic populus ſupplicia, ut ea combuſtioni arborum recte reſponderint.

Verſ. 11. *Ego quidem baptiſo vos in aqua.*] Sequitur jam altera pars orationis Johannis Baptiſtæ, in qua inſigne teſtimonium de Chriſto edit, eumque ſecum comparans, illum longiſſime ſe præſtantio rem eſſe oſtendit. Teſtimonium autem hoc Chriſto præbet, ideo, ne ipſe pro Chriſto haberetur: ut patet ex Luc. 3. 15. Ex quo Lucæ loco intelligitur, inter priorem, & hanc alteram orationis Johannis partem, nonnulla alia interveniſſe, & Johannem verba hæc omnia non ita continuata ſerie, prout à Matthæo deſcribuntur, enunciaſſe. Intervenit autem tum interrogatio populi primum in genere, poſtea vero publicanorum, ac militum, tum Johannis ad eam reſponſio. Deinceps vero, cum populus expectaret, omneſque intra animos ſuos de Johanne cogitarent, annon ipſe eſſet Meſſias, tunc demum Johannes alteram hanc orationis ſuæ partem adjecit, docuitque, ſe Chriſtum non eſſe, ſed alium, qui longe ſit excellentior ſe futurus, & brevi in publicum proditurus. Qua quidem orationis ſuæ parte poſteriori, is alteram muneris ſui partem executus eſt, uti etiam priori parte priorem. Munus enim ejus, ut ſupra verſ. 2 explicatum, duabus in rebus conſiſtebat. Primo, ut omnes ad pœnitentiam agendam excitaret, ſpe ipſis facta gratuitæ remiſſionis peccatorum. Secundo, ut de Chriſto teſtaretur. Quæ ambæ res eo ſpectabant, ut Chriſto viam præpararet, & populum ad eum recipiendum tanto proniorem aptioremque redderet.

Duo autem erant, quæ Johannes perhibebat de Chriſto. Primum eſt, quod cœleſte Spiritus Sancti donum eſſet effuſurus in Judæos: alterum eſt, quod futurus eſſet Judex, qui unumquemque ſecundum opera remuneraturus ſit. In priori quidem re Johannes comparationem inter ſe & Chriſtum inſtituit, ſed ita, ut indicet, ſe aliquatenus ipſi ſimilem eſſe,

ſed in re maxima & potiſſima diſſimilitudinem eſſe tantam, quanta eſt inter cœlum & terram. Donum enim Spiritus Sancti, quod Chriſtus largiturus erat, confert cum ſuo baptiſmo, quin id deſcribit etiam nomine baptiſmi, oſtenditque ſe in eo quidem illi ſimilem eſſe, quod baptiſet, at in eo valde diſſimilem, quo baptiſet.

Prima igitur comparationis pars his comprehenditur verbis: *Ego baptiſo in aqua*; quibus indicat, ſe re admodum vili baptiſare.

In aqua.] Pro, aqua ſimpliciter. Eſt Hebraiſmus; confer Actor. xi. 16. Hinc autem perſpicuum eſt, falli eos non mediocriter, qui arbitrantur, in baptiſmo ſimul cum aqua etiam Spiritum Sanctum collatum fuiſſe, ſeu Spiritum Sanctum vi quadam occulta in animis baptiſatorum operatum fuiſſe, eoſque regeneraſſe. Hoc pacto enim Johannes ſuum baptiſmum immerito baptiſmo Chriſti oppoſuiſſet, quod ipſe ſcilicet tantum aqua baptiſet, Chriſtus autem Spiritu Sancto baptiſaturus ſit, ſi baptiſmus Johannis tam præſtans, quam Chriſti baptiſmus, fuit. Neque dici poteſt, à Johanne nihilominus recte inſtitutam eſſe antitheſin inter ſuum & Chriſti Baptiſmum, quatenus percipiatur, ipſum quidem mera aqua uſum eſſe, ſed Spiritum Sanctum, qui eodem tempore effuſus ſit in baptiſatos, à Deo vel Chriſto profectum fuiſſe. Loquitur enim expreſſe de baptiſmo Spiritus Johannes, tanquam de re futura, oſtenditque, auditores ſuos aliquid longe præſtantius expectare à Chriſto debere, quam à ſe vel per ſe nunc accipiant: ſtudens eos per movere hac ratione, ut tanto alacrius ad Chriſtum, quando venerit, accurrerent. Hoc autem oratione ſua apud eos haud effeciſſet, ſi jam tum per ipſius miniſterium, Chriſto nondum comparente, ipſiſque ignoto, tam præſtans donum conſecuti fuiſſent. Et quomodo fieri potuiſſet, ut non auditores ejus, ſaltem ab eo baptiſati, cogitarent: Atqui nos jam Spiritum Sanctum per te in baptiſmo tuo accepimus, ut prorſus agnoſcamus ſentiamuſque, nos mirifica quadam ratione in baptiſmo eſſe regeneratos, inque animis noſtris plane immutatos. Ut nunc præteream, alia argumenta, quæ nobis Sacra pagina ſuppeditat, quibus falſitas hujus ſententiæ revinci poſſet.

In pœnitentiam.] Hoc quidem ad comparationem Johannis cum Chriſto non facit: ſed finem tamen ſui baptiſmi eo deſignat, quod ſcilicet eo fine homines baptiſet, ut eos ad pœnitentiam & vitæ in melius mutationem obſtringat, utque adeo illi hujus ſuæ obligationis apertæque profeſſionis memores, reipſa vitam moreſque ſuos emendent. Hoc loco *pœnitentiæ* vox perfectiori ſenſu accipitur, ut non tantum mutationem animi, verum etiam vitæ totius ambitu ſuo complectatur: uti ſupra verſ. 2.

Qui autem poſt me venit.] Id eſt, mox venturus eſt. Hactenus primam comparationis inter ſe & Chriſtum partem propoſuit, ſui muneris rationem ac vilitatem exprimens. Jam ſequitur pars altera, in qua Chriſti eminentiam atque dignitatem explicat. Ac primum quidem in genere id facit, deinde in ſpecie, dum indicat, qua in re ipſum Chriſtus antecellat. Prius facit his verbis: *Qui poſt me venit, fortior me eſt.* Ubi Chriſtum ita deſcribit, quod poſt ipſum veniat. Græca vox ὀπίσω proprie uſurpatur, quando quis ratione loci poſt alterum ſequitur, ità ut unus præcedat loco, alter ſubſequens mox veſtigia ejus premat. Hoc loco autem per metaphoram accipitur pro differentia temporis; quaſi dicat: Qui temporis reſpectu in muneris ſui functione erit me poſterior, ſeu ſerius quam ego munus ſuum auſpicabitur. Quanquam vis quædam peculiaris later in vocibus illis *poſt me*. Significat enim, adventum Chriſti, ſeu muneris ejus initium jam inſtare, non ſecus atque ſi à tergo ejus ſtaret, vel iiſdem eum ſequeretur veſtigiis.

Venit.] Verbum *veniendi* hic non ſumitur proprie de adventu ab uno loco ad alium, ſed de inchoatione muneris. Etſi enim Chriſtus, cum hæc loqueretur Johannes, adhuc in Galilæa verſaretur, & in Judæam deinceps venerit (ut poſtea videbimus) non hoc tamen Johannes dicere hoc loco voluit, ſed quod tanquam Legatus Dei munus ſuum exorſurus ſit. De proprie dictis Legatis ſolet dici, quod veniant, quando munus ſuum aggrediuntur, & obire incipiunt. Nihilque impediſſet, quominus Johannes dicere potuiſſet de Chriſto, quod veniat, etiamſi tum temporis præſens fuiſſet, dummodo muneris ſui feciſſet exordium. Simul ac enim id ſuiſſet exorſus, jam veniſſe dici potuiſſet. Vide de hoc etiam infra cap. 5. 17.

Tametſi vero Johannes vocabulo *veniendi* potiſſimum legationem, qua Chriſtus Dei nomine fungi debuit, ſpectarit, ſimul tamen etiam ea, quæ cum hac legatione neceſſario conjuncta ſunt, intelligi voluit, reliqua nimirum munera Chriſti, per quæ id eſſet executioni mandaturus atque ad exitum perducturus, quod tanquam legatus inchoaſſet. Vel, ut dicam explicatus, verba hæc Johannis non ita ſunt accipienda, quaſi Chriſtum nonniſi ratione Prophetici muneris, ab eo in terris obeundi, ſecum comparare voluerit, aut quaſi ſignificet, Chriſtum illico ubi venerit, talem ac tantum futurum, qualem eum mox deſcribit. Effuſio enim Spiritus Sancti, & noviſſimi judicii adminiſtratio, cujus poſtea meminit, non competit Chriſto tanquam Legato, ſed tanquam Regi cœleſti: neque ab eo in terris fuit peracta, ſed miſſio quidem Spiritus Sancti de cœlo facta eſt, judicium autem futuro demum tempore peragetur. Quanquam verbum *veniendi* etiam de Chriſto ut Rege uſurpatur Pſal. 118. 26. Zach. 9. 9 nec non Matth. 21. 9. xxiii. 39.

Fortior eſt me.] Exprimit jam Johannes dignitatem & præſtantiam Chriſti præ ſe, quæ primum ac generatim conſiſtit in robore ſeu potentia. Ait, *Fortior eſt me*, id eſt, longe majori potentia ac viribus, quam ego, inſtructus eſt, qua poſſit ea efficere, quæ ego nullo modo poſſum efficere, ac nominatim ea, quæ deinceps commemorantur, ut nimirum Spiritum Sanctum in vos effundat, & judicium aliquando exerceat.

Licet autem vox *fortitudinis* proprie tantum robur ac potentiam denotet; nihilominus tamen ea Johannes poteſtatem quoque ac jus ſimul Chriſto à Deo datum intelligi voluit. Fruſtra enim Chriſtus majoribus præditus fuiſſet viribus, quam Johannes, niſi major quoque poteſtas ei conceſſa fuiſſet ad exe-

rendas,

rendas, quibus pollebat, vires. Videtur autem Johannes his & præcedentibus verbis tacitæ voluiſſe objectioni obviare. Potuiſſet enim cuipiam videri ideo Johannes Chriſto eſſe præferendus, quia Chriſto prior veniſſet, & reformandi orbis opus primus auſpicatus eſſet. Sed Johannes indicat, Chriſtum tametſi tempore poſterior venturus ſit, donorum tamen cœleſtium, roboris ſcilicet ac poteſtatis præcellentia longe fore ſuperiorem. Neque ſane rite concludi poteſt, eum qui tempore eſt poſterior, dignitate etiam & viribus eſſe poſteriorem ac inferiorem: cum contrarium doceant plurima exempla, inprimis autem exemplum Legatorum, quos prodromi præcedere ſolent, quamvis illis ſint longe inferiores. Idem fieri videmus in Regum anteambulonibus.

Cujus non ſum dignus, calceamenta portare.] Verbis his oſtendit Johannes, quam ingens ſit inter ſe & Chriſtum differentia, quamque Chriſtus virtute ac potentia ſit ſe præſtantior. Quaſi dicat: Tam longe me ille viribus ac dignitate ſuperat, ut ego cum eo comparatus pro infimo ac viliſſimo, imo pene pro nullo cenſendus ſim, nec dignus ſim, ipſi humillimum ſervitium præſtare, vel in abjectiſſimorum ipſius famulorum numerum referri. Nam calceos alicujus portare viliſſimum erat miniſterium.

Calceamenta ejus portare.] Reſpicit Johannes hac locutione ad conſuetudinem illius regionis, ubi calcei vel ſandalia exuebantur, quando intrandum erat Templum, vel ædes, aut conclavia aliqua eleganter exornata. Quique nobiliores aut opulentiores erant, pediſſequum aliquem habebant, qui calceos, pone eos ſequens, portabat: quod miniſterii genus erat unum ex viliſſimis ac ſordidiſſimis. Lucas ſic Johannem loquentem inducit: *Cujus non ſum idoneus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus* cap. III. 16. Eorundem enim famulorum erat, religare at ſolvere calceos, quorum erat eos portare. Sic David ait Pſal. CVIII. 10. *Extendam calceamentum meum in Idumæam:* indicans ſe facturum, ut ipſi abjectiſſimum miniſterium Idumæi præſtent, calceamenta ipſius portando. Judæi narrant, in terra Iſraëlitica, hoc fuiſſe ſignum quod aliquis fuiſſet mancipium, ſi venditor teſtaretur, eum ſervilia officia peregiſſe. Inter ſervilia autem officia commemorabatur etiam, quod hero ſuo calceos detraxiſſet vel induiſſet. Hoc autem nonniſi de mancipiis, qui è Chananæis vel aliis gentibus Ethnicis emebantur, intellectum fuit. Huc facit, quod Rabbini tradunt, diſcipulum ſuo magiſtro teneri omnia perſonalia præſtare miniſteria, quæ ſervus ſeu mancipium præſtat ſuo domino, excepta religatione calceorum. Hoc vero (inquiunt) tunc excipiendum eſt, quando notum non eſt, cujus conditionis ſit diſcipulus. Alioqui ſi hoc probe ſciatur, tum ne hoc quidem excipitur.

Ex eo jam, quanta ſit Chriſti præcellentia, intelligitur, quando Johannes Prophetarum omnium, qui unquam è mulieribus nati ſunt, maximus Matth. XI. 11. indignum ſe etiam indigniſſimo illius miniſterio judicavit.

Ipſe vos baptiſabit Spiritu Sancto & igne.] Græce, *In Spiritu Sancto.* Hebraiſmus: ut ſupra *in aqua.* Hucuſque Johannes dignitatem ac præſtantiam Chriſti ſupra ſe generatim deſcripſit: nunc eam exprimit in ſpecie. Duo autem producit argumenta ſummæ ipſius præſtantiæ, quorum prius maxime ad initium regni ejus, poſterius ad illius finem ſpectat. Maxime inquam, quia & prius illud quodammodo etiam ad omnia regni Chriſti tempora uſque ad mundi conſummationem porrigitur, & poſterioris quoque toto regni Chriſti tempore quaſi præludia atque initia quædam cernuntur. Prius argumentum his continetur verbis: *Ipſe vos baptiſabit Spiritu Sancto & igne.* Appellat effuſionem Spiritus Sancti *baptiſmum*, non tantum propter elegantiam ſermonis, qua rem hanc cum ſuo baptiſmo confert, ſed etiam propter ſignificandam cœleſtium iſtorum donorum copiam. Ad baptiſmum enim, (quæ vox proprie immerſionem ſeu ablutionem deſignat) non parum aquæ requiritur. Tantam autem copiam donorum iſtorum promiſit Deus per Joëlem Prophetam, cum ſe *Spiritum ſuum effuſurum dixit in omnem carnem.* Non tantum vero per baptiſmum Spiritus Sancti intelligitur generalis & ordinaria illa Spiritus Sancti in corda omnium fidelium effuſio, & occulta ejuſdem in eis operatio: ſed potiſſimum miraculoſa & conſpicua Spiritus Sancti effuſio in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos, ac poſtmodum etiam ſuper alios plurimos Chriſti diſcipulos; de qua Act. 2. 4. VIII. 17, 18. X. 44. Idque Chriſtus ipſe haud obſcure indicat, dum paulo ante ſuam exaltationem diſcipulos ſuos alloquitur, ſine dubio ad hanc Johannis promiſſionem digitum intendens: *Johannes quidem baptiſavit aqua, vos autem baptiſabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies* Act. 1. 5. Quibus verbis effuſionem Spiritus Sancti deſignat, in die Pentecoſtes factam, & porro in aliis quoque Chriſti fidelibus non ſemel repetitam.

Deſcribit autem Spiritum Sanctum, quo omnes Chriſti doctrinam ſuſcipientes baptiſandos dicit, non proprio duntaxat ipſius nomine, ſed & metaphorico, dum eum *ignem* vocat; Quaſi dicat: Ipſe vos Spiritu Sancto baptiſabit, qui eſt ignis. Per ignem enim hunc nihil aliud ſignificatur, quam ipſe Spiritus Sanctus: quod alii quoque Interpretes obſervarunt, & ex collatione cum aliis locis patet, ubi ſolius Spiritus Sancti omiſſo igne fit mentio. Vide Marc. 1. 8. Joh. 1. 33. Act. 1. 5. Neque uſquam legitur Chriſtus alio igne baptiſaſſe, quam Spiritu Sancto. Præterea non reſpicitur hic ad illum ignem, qui die Pentecoſtes, cum Spiritus Sanctus effuſus eſt in Apoſtolos, viſus eſt. Nam præterquam quod non dicatur, vere ignem tunc apparuiſſe, ſed tantum, diſpertitas linguas conſpectas eſſe, tanquam flammam ignis; non tamen aliter illo igne (ſi eum ita appellare placet) baptiſati fuerunt, quam quatenus baptiſati ſunt Spiritu Sancto. Neque extat uſquam mentio, quod id ſæpius contigerit, ut Spiritus Sanctus in forma ignis tali ſuper alios effuſus ſit, atque in feſto Pentecoſtes factum eſt. Quod certe, ſi crebrius accidiſſet, Lucas in Actis Apoſtolicis commemorare haud neglexiſſet. Hic autem Johannes non de re tali loquitur, quæ ſolis Apoſtolis, vel paucis Chriſti diſcipulis, ſed quæ omnibus & ſingulis in Chriſtum credentibus erat eventura. Quapropter

cum id quod Act. 2. 3, de ignitis linguis legitur, nonniſi Apoſtolis, vel ſaltem iis ſolum, qui tunc Hieroſolymis erant congregati, fidelibus, fuerit proprium, utique vox ignis in verbis Baptiſtæ non poteſt ad illam ſolam hiſtoriam referri. Non dicam, quod minor fuerit ea res, quam ut in hac tam præclara promiſſione peculiariter commemorari mereretur. Tenendum igitur omnino eſt, Spiritum Sanctum ipſum per hunc ignem denotari, idque ob proprietates, quibus igni eſt ſimilis. Ignis enim hæ ſunt proprietates; illuminare, accendere, aliquas res autem, ut metalla, purgare. Quanquam in hac ſimilitudine potiſſimum ad accenſionem reſpicitur. Illuminatio enim non videtur eſſe cuivis dono Spiritus Sancti communis: purgatio quoque non ſemper poteſt per ignem fieri. Nam res multæ ſunt, quæ igne conſumuntur & exuruntur potius, quam purgantur. Accenſio autem tam igni, quam Spiritu Sancto ſemper competit.

Perperam intellecta hæc verba de baptiſmo ignis, ſeu potius inſipientia hominum in explicanda Sacra Scriptura, tam hodiernis temporibus, quam olim multiplices erroneas ſententias progenuit. Nam primum teſtatur Auguſtinus, Philaſtrius & alii, Seleucum & Hermiam cum ſuis ſequacibus verba hæc ad literam intellexiſſe, ac ſtatuiſſe, Chriſtum ſuos diſcipulos igne baptiſaſſe, atque adeo loco aquæ ignem adhibendum eſſe. Hinc factum, ut complures non aquæ baptiſmo uſi fuerint, ſed ejus loco ſignum crucis candenti ferro ſuæ fronti imprimi curarint. Quanquam Grotius, an id fecerint, ambigit. Nec non de Valentino, de quo ſcribit Tertullianus: *Bis docuit tingi, traducto corpore flamma.* Paulus quoque Venetus auctor eſt, id etiamnum in uſu eſſe plurimis Orientalibus populis, Chriſtiani nominis, quales ſunt Æthiopes & Abyſſini.

Deinde Maldonatus attribuit nonnullis Patribus, ut Origeni, Hilario, Hieronymo, quod ignem hunc à Johanne hoc loco memoratum, de Purgatorio interpretati ſint, in quo ſcilicet animæ demortuorum à reſiduis peccatorum maculis, quæ in hac vita per pœnitentiam ſufficienter elutæ non ſunt repurgentur. Cui ſententiæ permulti eruditi è Pontificiis ſuffragantur. Sed digna eſt tam futili commento tam futilis probatio, quæ recenſendo ſatis refutatur, ut alia refutatione non indigeat. Hoc unum tamen ad ejus refutationem dicere juvat, quod Johannes de hujuſmodi baptiſmo ignis loquatur, per quem diſcipulis Chriſti maximum beneficium, idque in hoc ſeculo debeat contingere: baptiſmus autem Purgatorii graviſſimam pœnam atque cruciatum afferret. Quod vero ad allegatos à Maldonato Patres attinet, notum eſt, Originem in ſuis commentationibus nimis ſectari allegorias. Unde etiam Homil. 24. in Lucam ſuper hæc Johannis verba, abſque omni fundamento atque argumento, de igneo quodam flumine, deque igneo gladio, & de ignis baptiſmo in igneo amne fabulatur. Intelligit autem per hunc ignis baptiſmum, interdum ignem illum, quo mundus aliquando interiturus eſt; interdum peculiarem quendam purgationis ignem, qui in die ultimi judicii omnibus hominibus, nemine excepto, ſit tranſeundus, & alium quidem alio citius tranſiturum cenſuit, pro magno aut parvo peccatorum ſuorum cumulo. Quæ opinio Origenis ſatis quidem inepta eſt, cum Purgatorio tamen nihil habet commune, quod urgent Pontificii. Hilarius vero & Hieronymus cum plurimis aliis crediderunt, omnes animas igne divini judicii aliquando luſtrandas eſſe, ſed id demum in reſuſcitatione mortuorum factum iri. Quod itidem cum Papiſtarum Purgatorio haud congruit.

Æque inepta eſt eorum interpretatio, qui quia Johannes hoc loco baptiſmi ignis meminit, morem accendendarum lucernarum ſub tempus baptiſmi invexerunt. Quanquam fortaſſis hæc accenſio primitus nonniſi tanquam ſignum viſibile internæ illuminationis, quæ baptiſatis in baptiſmo contingere creditur, adhibita fuit, poſtmodum autem in ſuperſtitioſum abuſum abiit. Similes ineptiæ plures ſunt, quæ circa baptiſmum hodie uſurpantur; ut cum baptiſati cruce ſignantur, exorcizantur, Sal, lac & mel ori inſeritur, unguento unguntur &c.

Verſ. 12. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & emundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum: paleas autem comburet igni inexſtinguibili.*] Hebraiſmus eſt, cum dicit, *Cujus ventilabrum in manu ejus*, pro *in cujus manu eſt ventilabrum.* Altera ſingularis Chriſti præſtantia conſiſtit in officio judicandi, quod Johannes hic exprimit per ſimilitudinem deſumptam à Patrefamilias, qui facta frumenti trituratione, ventilabro purum triticum à paleis ſeparat, triticumque recondit in granarium ſuum, paleas vero flammis exurit. Quo ſignificat Johannes, Chriſtum judicem fore non ſolum Judaicæ nationis, ſed totius quoque Orbis terrarum, & in ipſius manu fore ventilabrum, id eſt, poteſtatem judicandi, probosque ab impiis juſto decreto diſcernendi, ac illos quidem in cœlum recipiendi, hos vero in ignem inexſtinguibilem conjiciendi. Quamvis autem hoc modo perfectiſſimo futurum ſit in die ultimi ac univerſalis judicii, tamen id etiam antè illum diem fit perpetuo. Nam etiam nunc Chriſtus de operibus hominum exercet judicium, & pro eorum ratione ſubinde fert ſententias, vel de ſalute hominum, vel de eorundem ſempiterna damnatione, quas deinceps in die noviſſimo eſt executioni mandaturus. Hinc piorum Spiritus ſuſcipit in manus ſuas eoſque conſervat; quod de impiorum Spiritibus dici nequit, ut ita in manibus ejus quieſcant. Non poteſt autem hoc fieri abſque decreto, de illorum quidem ſalute, horum vero interitu. Accedit, quod Chriſtus etiam hoc tempore judicia ſua diverſimode exerceat, ac ſupplicia impiis irroget, per quæ illi tandem ad ſempiternum exitium deducuntur. Si proinde res probe ponderetur, liquebit, Johannem in his duobus, nempe in effuſione Spiritus Sancti, & in hoc judicio univerſam regni Chriſti adminiſtrationem complexum eſſe: non quod proprie loquendo nihil aliud, præter hæc duo, ad eam requiratur, ſed quod hæ duæ res ſint maxime inſignes; è quibus prior eo ſpectat, ut præcepta Chriſti in toto orbe promulgentur, confirmentur, & reipſa executioni mandentur, iique impietatis ac contumaciæ convincantur, qui eis morem gerere recuſant: Poſterior vero res pertinet ad compenſationem ac remunerationem cum pietatis eorum, qui Chriſti mandata obſervant tum impie-

tatis

tatis eorum, qui iis ſunt refractarii. Imo interdum ſolius Judicii nomine tota regia Chriſti gubernatio ſignificatur: quia hæc eſt pars præcipua regiæ poteſtatis. Nulla enim major ac ſublimior eſt poteſtas, quam jus vitæ ac necis habere. Vide Actor. 10. 42.

Ventilabrum.] Id eſt, poteſtas judicandi, quæ Chriſto à Deo data eſt Actor. 17. 31.

Triticum.] Id eſt, pios: ut Matth. 13. 29, 38.

In horreum.] In regnum ſuum, in cœlum.

Paleas.] Impios ac infideles.

Igni inexſtinguibili.] Hoc igne ſignificatur æterna damnatio, è qua impii nullo nunquam tempore emergent aut liberabuntur. Vox *inexſtinguibilis* non denotat hoc loco ignem ejuſmodi, qui impios ſemper atque in æternum urat, & nunquam eos conſumat ac perdat, ſed talem, qui impios ita comburet atque annihilabit, ut nunquam ſint revicturi: ſicut gramen non poteſt in campo renaſci, quamdiu ignis in ejus loco ardet. Vide ſimiles locutiones Eſai. 34. 9, 10. Apud Matthæum noſtrum cap. 25. 41. vocatur etiam ignis hic *æternus*, eodem prorſus ſenſu.

PARS II.

SUccedit pars altera hujus capitis, in qua deſcribitur, quomodo Chriſtus à Johanne fuerit baptiſatus, & mox poſt ſuſceptum baptiſmum à Deo cœlitus ad munus ſuum conſecratus. Itaque pars hæc rurſus duas continet partes, quarum prior adhuc ad munus Johannis pertinet, quomodo ſcilicet is Chriſtum baptiſarit: altera autem proprie ad Chriſtum ſpectat, quomodo nimirum ſit conſecratus ad ſuum munus; ac primo quidem & præcipue ad munus Propheticum, quo in terris perfunctus eſt, conſequenter autem ad reliqua etiam ejus munera, atque adeo ad ſacerdotale regiumque munus, quod ſumpſit initium ab ejus exaltatione, duratque in æternum.

Enarrat vero Matthæus rem ad hunc modum, ut primum deſcribat, quomodo Chriſtus ad baptiſmum illum acceſſerit, & quid colloquii ipſi cum Johanne fuerit; qua in re præparatio ad baptiſmum continetur: poſtea vero ipſum baptiſmum breviter indicet, quidque conſecutum ſit, & quomodo Chriſtus cœlitus ſit conſecratus ad munus ſuum referat.

Verſ. 13. *Tunc venit Jeſus à Galilæa ad Jordanem ad Johannem, baptiſari ab eo.*] Vocula *tunc* non ſignificat illo ipſo momento id factum, quo hæc proloquebatur Johannes, ſed circa illud tempus, poſtquam Johannes jam ab aliquo tempore prædicaſſet ac baptiſaſſet, & non paucos ſibi diſcipulos comparaſſet. Nam ab eo tempore Chriſtus munus ſuum aggreſſus eſt, nec aliud quicquam intervenit præter tentationem in deſerto: de qua Cap. ſequenti. Hoc autem etiam res ipſa requiſivit, ut Johannes tanquam prodromus ante magni legati adventum non ſolum ordireter munus ſuum, ſed etiam maxima parte abſolveret.

Venit Jeſus.] Venit in Græco eſt præſentis temporis, poſitum pro futuro: ut ſupra vſ. 1.

A Galilæa.] Id eſt, à Nazaretha, ubi fuit educatur. Vide Marc. 1. 9.

Ad Jordanem ad Johannem.] Nempe Bethabaram Joh. 1. 28.

Ut baptiſaretur ab eo.] Hinc videre eſt, Chriſtum non caſu aliquo, non aliam ob cauſam, ſed eo fine ad Johannem veniſſe, ut ab eo baptiſmum ſuſciperet. Cauſa vero, ob quam Chriſtus ab eo baptizari voluerit, in ſequentibus explicabitur.

Verſ. 14. *Johannes autem prohibebat ipſum.*] Refert hic Matthæus colloquium Johannis cum Chriſto de baptiſmo, quem flagitabat Jeſus, ac ſimul etiam narrat iſtius colloquii eventum. Colloquium erat inſtitutum de æquitate & cauſa illius facti. Johannes enim exiſtimabat, nulla ratione convenire, ut Chriſtus à ſe baptiſmum ſuſciperet, ſed contrarium potius fieri debere. Chriſtus ex adverſo monſtrat, ſic omnino fieri decere.

Prohibebat eum.] Nulla ratione id permittere volebat: obnixe ei obluctabatur.

Dicens: Ego opus habeo à te baptiſari, & tu venis ad me.] His verbis cauſam indicat Johannes, cur baptiſmum iſtum noluerit permittere. Quia ſcilicet ab utriuſque conditione id vehementer abhorrebat, ut neque Chriſti dignitati, neque ſuæ modeſtiæ conveniret Chriſtum baptiſare, cum ea eſſet utriuſque ratio, tantaque muneris ejus dignitas atque excellentia, ut contrarium potius fieri oporteret.

Cum vero inquit Johannes, ſe potius opus habere, ut ab ipſo baptiſetur, duplicem id habet ſenſum. Vel hoc modo: Quaſi dicat: Mihi multo magis opus eſt, ut tuo baptiſmo, id eſt, baptiſmo Spiritus tingar, quam ut tu meo, aquæ baptiſmo baptiſeris. Vel ſic: Ego potius opus habeo tuæ doctrinæ initiari, tuuſque diſcipulus fieri, quam ut tu baptiſmum à me ſuſcipiendo, meum te diſcipulum eſſe profitearis, & tamen tu contra facis. Non enim veriſimile eſt, Johannem dicere voluiſſe, ſe opus habere, ut à Chriſto aqua baptiſetur; cum nuſquam legatur, eum a Chriſto baptiſatum fuiſſe, nec ulla indicetur cauſa, cur Johannes baptiſmo aquæ indiguerit. Eſtque tanto minus credibile, Johannem hoc dicere voluiſſe, qui antea haud obſcure indicaverat, baptiſmum Chriſti non aqua, ſed re longe excellentiori peragendum eſſe. Quod ſi tamen omnino ſtatuendum ſit Johannem de aquæ baptiſmo locutum eſſe, verba ejus ſic eſſent accipienda, quaſi dixiſſet: Si noſtrum alteruter ſit ab altero aqua baptiſandus, ego potius à te baptiſari deberem, quam tu à me. Ut ita tacita his verbis conditio ſubſit, nempe ſi id omnino fieri neceſſe ſit: nunc autem neutrum eſt neceſſarium.

Et tu venis ad me?] Hoc dicit Johannes per interrogationem: quaſi admirabundus, ſuper rem, quæ ipſi abſurda atque inconveniens videbatur. Indicat enim Chriſtum nullo modo debuiſſe ad ipſum venire, baptiſmi ſuſcipiendi gratia.

Ex his verbis liquet, Johannem jam tum Chriſtum noviſſe. Itaque quæritur, quomodo id cum propriis Johannis verbis conveniat, qui Joh. 1. 33, 34 ait: *Et ego non noveram eum, ſed qui miſit me baptiſare in aqua, ille mihi dixit; ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper ipſum, hic eſt,*

qui baptiſat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtatus ſum, quod hic eſt filius Dei. Videtur enim his verbis ſignificare Johannes, ſe Chriſtum non cognoviſſe prius, quam vidiſſet Spiritum Sanctum ſuper eum deſcendentem. Verba autem hæc, quæ modo interpretamur, ante deſcenſum illum prolata fuere. Verum poteſt ita ſolvi hæc quæſtio, quod non dicat Johannes, ſe antequam Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum deſcenderet, nullo prorſus modo Chriſtum noviſſe, vel paulo ante hunc deſcenſum, nullam omnino cognitionem ſibi datam fuiſſe: nec verba Dei etiam id poſtulant, quibus certum ei ſignum oſtenſum ac promiſſum eſt, è quo Chriſtum eſſet agnituſus. Potuit enim ſignum tale intelligere, per quod in perfectam Chriſti cognitionem eſſet venturus, non negans interim, cum paulo ante quaſi præguſtum quendam iſtius cognitionis habiturum. Ita Deus Moſen affatur: Exod. 3. 12. *Et hoc habebis ſignum, quod te miſerim; cum eduxeris populum de Ægypto, immolabitis Deo ſuper hunc montem:* quamvis jam antea, quin etiam eo ipſo tempore, quo hæc verba proferebat Deus, Moſes varia habuerit ejus rei ſigna. Sed Deus hoc ſibi vult, eum tum temporis perfectiſſima ratione id cogniturum eſſe. Idem dici poteſt de illa Chriſti cognitione, quam Johannes è deſcenſu Spiritus Sancti adeptus eſt, reſpectu ejus cognitionis, quæ paulo ante in ipſo fuit, cum hæc, quæ nunc explicamus, verba proloqueretur. Neque enim ſignum illud deſcenſus Spiritus Sancti eo ſpectavit, ut Chriſtum aliqua ſaltem ratione cognoſceret, ſed ut modo perfectiſſimo atque certiſſimo de eo ſciret, ac propterea audacter & ſine omni dubitatione de Jeſu è Nazaretha teſtari poſſet, quod ſit filius Dei.

Quæritur porro amplius; quomodo Johannes Jeſum agnoverit, cum ad Baptiſmum ipſius veniret? Ad quam quæſtionem dicimus, Spiritum Dei, quo plenus erat, id illi revelaſſe, eo prorſus modo, quo Eliſabetha Johannis mater, cum ad ipſam Maria mater Chriſti veniret, per ſimilem Spiritus Sancti afflatum, eam ut Domini ſui, (nempe Chriſti) matrem ſalutavit, fœtumque in utero ejus exiſtentem Dominum ſuum nuncupavit: cum facile perſpiciatur, eam hujus rei notitiam aliunde non eſſe conſecutam. Non eſt autem novum & inſolens Prophetis (quorum Johannes maximus erat) talia à Deo revelari, quæ erant longe remota, nec alio pacto, quam è Spiritus Dei dictamine, ſciri poterant. Inſpice, ſi lubet, ea quæ leguntur de Samuele 1 Sam. 9. 17, 20 & ſeqq. xvi. 12, ubi cognovit etiam Davidem eſſe unctum Domini, hoc eſt, Regem à ſe ungendum. De Ahia Propheta 1 Reg. 14. 5 & ſeqq. De Eliſæo 2 Reg. 5. 26. De Anania Act. 9. 10, 11, deque aliis compluribus.

Verſ. 15. *Jeſus autem reſpondens dixit ad eum: ſine modo.*] Quaſi dicat: Hac vice ſine ac permitte id fieri, ut à te baptiſer, cum adhuc ſim quaſi privatus ac vulgaris homo, nondumq; munus meum ſim auſpicatus. Indicatq; Chriſtus tacite, cauſam ob quam Johannes recuſabat ipſum baptiſare, poſtea ubi munus ſuum exorſus fuerit, omnino valituram, dignitatemque ſuam non permiſſuram, ut ab eo Baptiſmum ſuſciperet. At nunc, cum adhuc vulgarium hominum numero quodammodo accenſeri poterat, nihil obſtare, quominus à Johanne baptiſaretur: à Johanne, inquam, qui tunc in muneris ſui ſibi à Deo demandati functione verſabatur, quique tunc Deo ſic volente florere debebat, atque adeo reipſa florebat, & ut ſic loquar, regnabat.

Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.] Chriſtus rationem reddit ſuæ reſponſionis, ſive ſui poſtulati. Pronomine *nos* poteſt quidem Chriſtus una cum Johanne intelligi, ſed probabilius eſt, ſolum intelligi Chriſtum: ut ex ſequentium verborum explicatione patebit. Loquitur autem & alibi Chriſtus de ſe in numero plurali: ut Marc. 4. 30 conſer cum Luc. 13. 18. & Joh. 3. 11, ut alia prætermittamus loca, vel in ſolo Novo Teſtamento extantia, in quibus ſimilis loquendi modus uſurpatur. Vox *juſtitiæ* ſumitur hoc loco in latiſſima ſignificatione. Denotat enim omne id in genere, quod ut fiat rectum æquumque eſt, quodque ſingularem adfert utilitatem, & ad ædificationem prodeſt. Hoc ſenſu etiam vox iſta accipitur Philip. 1. 7 & alibi. Aut ſignificare poteſt omne id, quod Deus generatim populo ſuo mandaverat, ſub quo genere etiam Baptiſmus Johannis continebatur.

Quamvis autem Chriſtus hoc præcepto de Baptiſmo non omnino ac per ſe obſtringeretur, cum ille eſſet Baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Chriſtus vero purus omnis peccati eſſet, nec vel pœnitentia, vel remiſſione peccatorum indigeret: erant tamen aliæ cauſæ, cur voluerit Baptiſmum ſubire, etſi ad eum proprie non pertineret, neve de eo ſuſcipiendo mandatum à Deo tale accepiſſet, cujus reſpectu diceret, ita fieri decere. Primo, ſicut alii Baptiſmum ſuſcipientes teſtabantur, ſe depoſita prioris vitæ turpitudine, impoſterum ſanctam aucturos vitam, ita Chriſtus quoque hoc Baptiſmo profiteri voluit, ſe in vitæ ſanctimonia atque innocentia conſtanter perſeveraturum. Secundo teſtatus eſt hac ratione, ſe Johannem revera pro Dei nuncio agnoſcere, nullamque eſſe cauſam doctrinæ ejus vel Baptiſmi repudiandi; & ſic omnem illis eripuit excuſationem, qui quamvis hoc præcepto de ſuſcipiendo Johannis Baptiſmo omnino obligati eſſent, eum tamen ſuſcipere recuſabant. Quo pacto potiſſimum Phariſæorum & Scribarum arrogantiam perſtrinxit, quorum plerique Johannis Baptiſmum aſpernabantur, quia eum à Deo miſſum eſſe non agnoſcebant, quin & ſanctitatis opinione tumidus eorum animus obſtabat, quo minus pœnitentiam hoc ritu profiterentur, etſi turpiſſimis vitiis ac ſceleribus undique ſcaterent. Tertio Chriſtus omnibus hominibus, etiam illis qui à Deo ſublimi ſunt loco poſiti, & inſignibus exornati donis, præclarum reliquit exemplum, ut viris Dei ſanctis ſine ulla tergiverſatione obſecundent, & ne minimam quidem ſpeciem præbeant alicujus reſiſtentiæ, vel contemptus ipſorum auctoritatis; imo ut nonnunquam propriæ quaſi dignitatis obliti; faciant ea, quæ alioqui non tenerentur facere, ut hoc modo & ipſi aliis exemplum atque incitamentum ad obtemperandum præbeant, neve quiſquam factum illorum pro defenſione ſuæ pertinaciæ allegare queat.

Ultimo Chriſtus oſtendere voluit, ſe peccatores non averſari, & quamvis ipſe expers omnis culpæ ac pec-

ac peccati sit, non erubescere tamen se eorum consortio abjungere, iisque quasi accensere, ut ita spem certam de ipsius conciperent gratia atque favore, ex quo ipsorum salus dependet. Atque hæ sunt causæ, ob quas Christus dixit; *sic decere*, ut Baptismum à Johanne susciperet.

Si quis putet, Christum has aliasve ob causas similes certo Dei mandato fuisse ad suscipiendum Baptismum obligatum, nobis id non probatur. Non enim dixisset, *Omnem justitiam* (per quam proculdubio universa Dei mandata non ipsum tantum, sed alios quoque obstringentia intelliguntur) sed simpliciter tantum præcepti divini sibi hac de re traditi meminisset.

Et hanc ipsam ob causam statuendum est, Christum particula illa *nos* non Johannem secum, sed se solum intellexisse. Sic enim respexisset omnino ad divinum mandatum peculiare, quo Johanni Christum baptisare, Christo autem Baptismum suscipere injunctum esset. Atqui Johannes eo ipso dum Christum baptisare renuit, demonstrat, se nullum à Deo ea de re accepisse mandatum.

Videtur etiam Christus non frustra præposuisse voculam *sic*. *Sic* atque hoc modo, ait, *decet nos* &c. Habet enim singularem emphasin hoc adverbium, ut non tantum Baptismum ipsum, sed circumstantiam quoque istam, quod hæc Baptismi susceptio cum ejus demissione sit conjuncta, indicet: quasi dicat: Decet, ut ego hoc modo me demittam, meque licet major ac præstantior ab inferiori baptisari patiar, atque ita omne id exequar, quod populo Dei in genere est præceptum.

Dicere autem quispiam posset, non satis conveniens fuisse aut decuisse, ut Christus à Johanne baptisaretur; quandoquidem id existimationi de perfectissima ipsius sanctitate nocere facile potuit. Cum enim Johannis Baptismus, ut dictum est, fieret ad pœnitentiam in remissionem peccatorum, facillime potuisset aliquis existimare, Christum quoque se peccatorem esse agnovisse, quia se baptisari curavit. Verum animadvertendum est, eo tempore, quo Christus adhuc in turba vulgarium hominum quodammodo delitescebat, populoque, quoad munus ac dignitatem suam, nondum notus erat, nihil obfuisse, etiamsi quis de ipsius summa sanctitate minus, quam oportebat, sensisset, modo ne eum pro homine scelesto haberet: quod certe ex eo, quod Baptismum à Johanne susciperet, jure colligi non poterat. Dubium enim non est, etiam permultos homines pios ac integerrimæ vitæ ad Baptismum Johannis accessisse eumque suscepisse, non quod sibi gravium criminum essent conscii, sed quia tamen aliqua peccata commisissent, & ex animi modestia mallent id quoque, quod ad se non adeo pertinet, facere, quam omittere rem à Deo peccatoribus injunctam, atque ita seipsos eo forte beneficio privare, quo egerent. Et certe ex vita ac moribus potius de probitate uniuscujusque judicium ferebatur, quam ex Baptismo; nec habitus est quisquam ideo deterior, quod Baptismum suscipisset, quam qui non suscepisset. Quin imo potius illi probiores judicati sunt, qui Baptismum suscipiebant, quam qui eum negligebant, præsertim homines è vulgo, cui tunc Christus accensebatur. Quare modestiæ Christi potius quam peccatis ejus poterat adscribi, quod Baptismum à Johanne susceperet. Ut paucis dicam: nondum tunc aderat tempus, quo summa Christi sanctitas patefieret omnibus; sed postea demum id erat futurum, cum tot evidentissima ejus testimonia atque argumenta apparuerunt, ut nemo de ea ambigere, susceptusque ab eo Baptismus illam nullo pacto obscurare posset.

Quibus addi hoc quoque potest, quod etsi Christus remissione peccatorum, quæ nulla unquam admiserat, haud indiguerit, nihilominus tamen bonum illud, quo simul remissio peccatorum continebatur, nempe regnum cœlorum, quod promittebat Johannes, non minus ad Christum quam ad alios homines pertinuerit; imo ad Christum primario, ad cæteros non nisi per ipsum. Ut ita dici queat, Johannem Christum baptisando, hoc bonum ipsi quoque esse pollicitum. Nimirum à Baptismi significatione omnia illa rescindenda sunt, quæ vitium aliquod suscipientis Baptismum arguunt; quod reliquum est, Christo non minus quam aliis hominibus competit.

Tunc dimisit eum.

Vers. 16. *Baptisatus autem Jesus, ascendit confestim ex aqua.*] Quod Christus tam propere ac celeriter post susceptum Baptismum ex aqua ascenderit, non sine gravi causa proculdubio factum est, videturque id Matthæus de industria retulisse. Significare enim voluit, Christum non ignarum fuisse ejus, quod consecuturum erat, quod scilicet eximio beandus esset dono à Patre suo, munerique suo inaugurandus, ac propterea properasse quodammodo, ut quamprimum tam excellens donum consequeretur.

Errant non parum, (quos inter est quoque Maldonatus) qui vocem *statim* vel *cito* non ad ascensionem ex aqua, sed ad apertionem cœlorum referunt, quasi dicere voluisset Matthæus, cum Christus ex aqua ascendit, statim apertos fuisse cœlos. Patet enim cuivis locum inspicienti, hac interpretatione vim Matthæi verbis fieri. Neque Marci verba ullum eis præbent præsidium, qui cap. 1. 10, ita hanc rem enarrat: *Et statim, ut ascendit ab aqua, vidit scissos cœlos.* Non tantum enim ita possunt optime hæc verba transferri: *Et cum statim ab aqua ascendisset, vidit* &c. Sed etiam sic transferenda esse, ex his ipsis Matthæi verbis intelligitur. Potiusque Marcus ex Matthæo (cujus verba sensum nullum ambiguum habent) explicandus est, quam hic ex illo. Si dicas, etiam alioqui nihil causæ fuisse, cur Christus post Baptismum in aqua moras necteret, idque etiam alios omnes, qui baptisabantur, factitasse, ut ex aqua exire festinarent, potest id jure meritoque negari. Vocabulo enim isto *statim* velocitas quædam significatur, quod non solum nihil moratus fuerit in aqua, sed celerius se ex aqua proripuerit, quam alii facere solebant, aut saltem, quam alioquin ipse Christus fecisset, nisi peculiaris eum causa movisset. Videtur enim indicari, eum citius ex aqua exivisse quam Johannem, qui alias videtur debuisse præcedere, Christus autem eum sequi; cum hac in parte Johannes esset tanquam Magister, Christus tanquam discipulus. Neque enim

dici poteſt, Johannem adhuc in aqua perſtitiſſe, propter alios, qui poſt Chriſtum baptiſandi erant. Veriſimile enim eſt, Chriſtum tale tempus elegiſſe ad ſuum baptiſmum, quo Johannes minus eſſet aliis baptiſandis occupatus, & non protinus eſſent, qui ſuccederent, ut ille rem tam miraculoſam mox ſecuturam, id eſt, Spiritus Sancti deſcenſum, commodius ſpectare atque obſervare poſſet: præſertim quum ei predictum eſſet à Deo, eum id viſurum, atque ex hoc ſigno Chriſtum perfectiſſime cogniturum.

Et ecce apperti ſunt ipſi cœli.] Lucas refert cap. 3. 21 id factum, cum Chriſtus oraret. Credibile enim eſt, Chriſtum ſimul ac ex aqua egreſſus eſt, in genua procidiſſe, atque à Deo Patre ſuo donum hoc, quod ſibi collatum iri norat petiiſſe. Atque hæc forſitan cauſa fuit, cur ex aqua adeo feſtinarit, ut tanto commodius majorique cum reverentia preces ad Deum fundere poſſet.

Aperti ſunt ipſi cœli.] Id eſt, objecta ei eſt ſpecies vel figura cœli aperti. Quæ etiam Hieronymi & Auctoris operis Imperfecti ſententia fuit. Sic & Stephanus coram Synedrio; adeoque in conclavi & ſub tecto, cœlos vidit apertos Actor. 6. 12. VII. 56. Nam ut vere cœli aperirentur, nulla cogebat neceſſitas. Non eſt autem veriſimile, nexum cœlorum abſque neceſſitate fuiſſe labefactatum, prout nonnulli Interpretum, Beza, Spanhemius, & inter veteres Chryſoſtomus, ſentiunt. Quod enim illi pro argumento afferunt verba ex Marco cap. 1. 10 ubi dicitur, eum *vidiſſe ſcindi cœlos*, id nullam habet vim. Nam hæc ipſa ſciſſio cœli poterat ipſi in figura aut viſione quadam repræſentari.

Dum inquit Matthæus, *ipſi* nempe Chriſto, apertum fuiſſe cœlum, indicat, non tantum Chriſtum ſpeciem illam vidiſſe, ſed etiam tam hoc quam quod ſecutum eſt, illius gratia factum eſſe, de quo deinceps plura dicentur. Non eſt autem Johannes hic penitus excludendus, cum is Spiritum Sanctum de cœlo deſcendentem ſuper Chriſtum videre debuerit; quandoquidem hoc ei Deus promiſerat, & ipſe quoque ſe vidiſſe teſtatus eſt. Neque vero probabile eſt, quod Maldonatus putat, Johannem vidiſſe tantum modo Spiritum Sanctum deſcendentem, ſed cœlos, è quibus Spiritus Sanctus deſcendit, non vidiſſe aperiri: hoc ultimum enim eo faciebat, ut tanto certius ſciretur, cœleſte quippiam eſſe, quod ſuper Chriſtum deſcendit. Hoc autem perfectiſſime conſtare Johanni debebat; quandoquidem hoc ei à Deo promiſſum erat ſignum ac reipſa datum, ex quo Chriſtum pleniſſime agnoſceret, eique coram aliis perhibere teſtimonium, ac digito eum commonſtrare poſſet.

Interim extra dubium eſſe, voculam *ipſi* omnes reliquos excludere, id eſt, neminem ex univerſo populo quicquam hujus miraculi vidiſſe, vel vocem de cœlo audiviſſe. Cur enim dixiſſet Matthæus *ipſi* apertos fuiſſe cœlos? cur poſtea nominatim de eo diceret, *ipſum* id eſt, Chriſtum, vidiſſe Spiritum Sanctum deſcendentem, vel, ut Marcus ait, vidiſſe, quod ſcinderentur cœli & Spiritus tanquam columba ſuper ipſum deſcenderet? Si enim omnes id vidiſſent, quæ ratio eſſet, cur Euangeliſtæ tantum Chriſtum id vidiſſe nominatim ſcriberent? præſertim cum id, ſi ab omnibus viſum fuiſſet, non magis Chriſti cauſa, quam aliorum fuiſſet factum, imo magis aliorum cauſa, quam Chriſti.

Deinde Johannes Baptiſta apud Johannem Euangeliſtam allegat hoc ipſe tanquam teſtimonium de Chriſto, inquiens: *Vidi Spiritum deſcendentum tanquam columbam de cœlo, & manentem ſuper ipſum* cap. 1. 31. Et rurſus verſ. 34. *Et ego vidi illud & teſtatus ſum.* Cur ille id ſibi nominatim tribuit? cur narrat id populo tanquam rem ignotam? Aut cur non dicit, Vos ipſi vidiſtis, vel ſaltem, magna turba populi una mecum id vidit? Sic enim teſtimonio ſuo maximam conciliaſſet fidem ponduſque ei graviſſimum addidiſſet.

Tertio diſcipuli Johannis, qui lateri ejus ſemper adhærebant, non eguiſſent jam amplius teſtimonio Johannis de Chriſto; non opus fuiſſet, ut illis digito oſtenderet, hunc eſſe agnum Dei, vel filium Dei: quod tamen fecit apud Johannem cap. 1. 36. Sufficiſſet ipſis, ſi Spiritum Sanctum conſpexiſſent ſuper ipſum deſcendentem, & vocem quoque illam cœlitus miſſam audiviſſent: *Hic eſt filius meus* &c. At ex illo loco ſatis clare cernitur, eos illo primum Johannis teſtimonio fuiſſe permotos, ut Chriſtum ſequerentur.

Quarto qui fieri potuiſſet, ut non ex tanta populi multitudine, ſaltem ex Johannis diſcipulis, vel unus aliquis, ſimulac cœleſtis vox inſonuit, è veſtigio accurriſſet, & Chriſti diſcipulus eſſe voluiſſet? Equidem id majus ferme fuiſſet miraculum, quam id quod vidiſſe creduntur. Cum enim alii longe minoribus miraculis, imo pene tantum miraculi cujuſdam conjecturis inducti fuerint ad credendum in Chriſtum, ac pro Meſſia recipiendum, quemadmodum de Nathanaële legimus Joh. 1. 49, 50 quid non hoc tam præclaro ac prorſus cœleſti miraculo effectum fuiſſet, ſi ab omnibus viſum auditumque fuiſſet? Jam vero ex primo illo Johannis capite ſatis intelligitur, Chriſtum tunc nullum habuiſſe diſcipulum, ſed demum poſtea aliquos Johannis diſcipulos teſtimonio magiſtri ſui permotos, primos ad Chriſtum veniſſe.

Quinto non eſt credibile, Deum ſtatim ab initio tantum miraculum voluiſſe hominibus exhibere. Videretur enim quaſi vim animis hominum voluiſſe facere, eoſque ad credendum quodammodo cogere; quod ſapientiæ Dei, qua is in operibus ſuis utitur, non eſſet conſentaneum.

Sexto recenſet Petrus 2 Pet. 1. 16, 17. tanquam rem ſingularem & eximiam, quæ ipſi aliiſque duobus Apoſtolis in montem ſanctum una cum eo aſſumptis contigit, quod hanc Dei vocem audiverint: *Hic eſt filius meus dilectus &c.* Quod utique ſibi duobuſque Apoſtolis nominatim non potuiſſet tribuere, ſi antea jam maxima populi turba ſimilem vocem audiviſſet. Imo potius hanc vocem, quam tot homines audiverunt, pro argumento excellentiæ Chriſti adducere debuiſſet, quam illam, quam ſolus cum duobus aliis Apoſtolis audiverat.

Septimo Phariſæi & Sadducæi cauſam non habuiſſent ullam, poſcendi à Chriſto miraculum de cælo Matth. XVI. 1. Quod enim præclarius ſignum deſiderare potuiſſent, quam hanc vocem teſtimonium

Dei

Dei ipſius, quod à tanta hominum multitudine fuit auditum? Quod enim Chriſtus ipſe hoc miraculum non feciſſet, ad rem minime pertinet. Deſiderabant enim illi tale miraculum videre, quo permoverentur ad credendum, quod Chriſtus ſua miracula divina virtute perficiat: quam ad rem ſufficiebat Dei ipſius de cælo editum teſtimonium.

Octavo, nullus è tribus Euangeliſtis hanc hiſtoriam deſcribentibus meminit, Deum illis verbis, *Hic eſt filius meus dilectus*, addidiſſe, *Hunc audite*, quemadmodum in tranſfiguratione illa Chriſti in monte factum eſt: quia nimirum diſcipuli in monte aderant, quibus Deus Chriſtum ut Dominum ac magiſtrum ipſorum maxime commendare voluit. Si igitur Deus eundem hic viſibili miraculo apertionis cæli, miſſioniſque ab alto Spiritus Sancti, nec non ſono vocis cæleſtis populo commendatum voluiſſet, nulla fuiſſet cauſa, cur non adjeciſſet verba illa, *Hunc audite*, id eſt, in hunc credite, hujus doctrinam amplectimini, huic morem gerite. Imo Deus multo majorem habuiſſet cauſam, protinus ab initio muneris Chriſti, populum ad obedientiam ipſi præſtandam commone faciendi, quam Apoſtolos in monte illo ſancto, qui doctrinam ejus jam receperant, ipſumque ſequi prorſus in animum induxerant. Cur ergo id Deus hic non dixiſſet? Aut ſi dixit, cur Euangeliſtæ omnes id reticuiſſent?

Adhuc unum hujus rei argumentum, quod ordine nonum erit, præbent nobis ipſa Dei verba cælitus edita, de quibus ℣.17.

Ut vero ad verba Matthæi redeamus, cum dicit *ipſi*, nimirum Chriſto cælos fuiſſe apertos, non tantum indicat Chriſtum ipſum apertionem illam cæli vidiſſe, verum etiam id præcipue ipſius cauſa factum eſſe. Voluit enim Deus Chriſtum ipſum ejuſmodi conſpicuo ſigno reddere certiorem, quod ipſe ſit unigenitus Dei filius, id eſt, jam olim promiſſus Meſſias ſeu unctus Domini; ut ita hoc confirmatus miraculo, munus ſuum cum ſumma fiducia aggrederetur, cum præſertim pretioſum pignus hæreditatis ſibi deſtinatæ accepiſſet, nempe Spiritum Sanctum, per quem ſimul viribus auctus eſt ad tanti muneris ſui functionem neceſſariis: uti mox dicemus. Interea vero Johannes ab hoc ſpectaculo haud excluditur. Nam & ille vidit id audivitque, ſed velut teſtis tantum, non velut is, cujus gratia præcipue id factum fuerit. Non memorant autem id tres primi Euangeliſtæ, quod etiam Johannes hoc miraculum viderit: quia non pertinebat ad eorum propoſitum, teſtes deſcribere, qui huic rei geſtæ ad fuerint, ſed duntaxat eum, cujus cauſa id revera contigerat, ſive, quid Chriſto poſt Baptiſmum à Johanne ſuſceptum contigerit, quaque confidentia is deinceps munus ſuum auſpicatus ſit, quin etiam unde Diabolus anſam arripuerit ipſum tentandi & in dubium vocandi, an ipſe eſſet filius Dei. Sed Johannes Baptiſta ipſe refert apud Johannem Euangeliſtam cap.1.34. Se quoque hujus miraculi cœleſtis ſpectatorem fuiſſe, quia fundamentum certum volebat oſtendere, quo teſtimonium ipſius de Chriſto niteretur, quem tam clare & diſerte digito monſtrans aſſerebat, eſſe Dei filium, & Dei agnum, qui tollat peccata mundi.

Et vidit Dei Spiritum deſcendentem tanquam columbam.] Ex ſuperioribus intelligitur, de Chriſto hic ſermonem eſſe, quod is Spiritum Dei deſcendentem viderit. Debuit autem Chriſtus id ſuiſmet videre oculis, ut non ſolum ex miraculoſa Spiritus Sancti operatione, quæ ſeſe in eo mox exeruit, intelligeret, ſe cœlitus tam excellenti dono fuiſſe impletum, verum etiam priuſquam id fieret, propriis videret oculis, divinum hoc donum de cœlo in ſe deſcendere. Vidit vero Chriſtus oculis ſuis Spiritum Dei, quia, is ut Lucas teſtis eſt, cap. III.22. *in forma corporea* (de qua poſtea) deſcendit. Fuit autem Spiritus iſte virtus illa Dei, per quam Chriſtus impletus fuit divina ſapientia, perfectiſſima cognitione omnium divinarum cœleſtiumque rerum, & tam acri ac penetranti perſpicacia, ut non modo nullis adverſariorum ſuorum artibus ac ſophiſmatis vinci aut capi poſſet, ſed hominum quoque corda atque cogitationes noſſet, reſque occultas pervideret. Per hanc Dei efficaciam conſecutus quoque eſt poteſtatem tam multa tamque inſolita miracula edendi, ut etiam dæmones ipſius potentiæ reſiſtere non poſſent. Hic fuit *Spiritus* ille *ſapientiæ & intelligentiæ*, *Spiritus conſilii ac roboris*, *Spiritus cognitionis & timoris Domini*, de quo fatidico Spiritu locutus eſt Eſaias cap. XI.2. Cum hoc Spiritu unctus eſſet, impletum eſt, ejuſdem Prophetæ Eſaiæ vaticinium: *Judicium gentibus protulit*, *annunciavit miſeris lætum nuntium*, *contrita corda ſanavit*, *prædicavit captivis libertatem*, *clauſis apertionem*, *annunciavit gratioſum annum Domini* Eſai. XLII.1. LXI.1. Hoc Spiritu à Deo unctus *pertranſivit*, *benefaciens*, *& ſanans omnes*, *qui erant oppreſſi à Diabolo* Act.10.38.

Tanquam columba.] Verba hæc duobus modis accipi queunt: vel quod Spiritus Sanctus deſcenderit in forma columbæ, vel quod deſcenderit eo modo, quo columba volare conſuevit, licet formam columbæ non habuerit. Sed quia Lucas cap. III.22. expreſſe ſcribit, Spiritum Sanctum *in corporea forma* deſcendiſſe, credibile eſt, eum non ſolum volandi modo, ſed etiam externa ſpecie ac forma quadantenus columbam repræſentaſſe. Non quidem colore pennarum, ut nonnulli abſurde opinantur, ſed, ut veriſimile eſt, ignea quadam ſpecie columbam referente: quemadmodum olim in die Pentecoſtes ignitæ flammæ ſuper Apoſtolos viſæ, linguarum formam geſſerunt Act.2.3. vel ſicut quandoque ignea meteora in cælo cernuntur, quæ variarum rerum formam repræſentant. Nullum enim eſt dubium, corpoream illam formam, in qua divina hæc virtus deſcendit, valde auguſtam & vere cœleſtem fuiſſe. Quæritur vero hoc loco, quomodo Spiritus Sanctus, qui divina virtus eſt inconſpicua ac palpari neſcia, in corporea forma apparere potuerit, oculiſque corporis cerni? Reſponderi forte poſſet, divinam hanc virtutem inditam fuiſſe cœleſti cuidam, & naturæ ſuæ convenienti corpori ac materiæ ſubtiliſſimæ, & quidem columbæ ſimilitudinem gerenti, atque ita corporis hujus interventu Chriſto communicatam eſſe. Quemadmodum videmus, Deum etiam naturalibus & corporeis rebus ſæpius vim quandam ſingularem infundere, quæ poſtea in hominibus operationes exerit. Quod ſi

divina

divina efficacia in homines, etſi corporeos, effundi poteſt, & una cum illis circumferri, atque ab uno loco in alium moveri: cur non poſſit quoque alii cuidam corpori, præſertim ſubtili ac ſpirituali, atque adeo naturæ Spiritus Sancti aliqua ratione ſimiliori, indi divina virtus, eoque interveniente homini conferi? * Quod autem verum aliquod corpus de cælo deſcenderit, jam dudum Auguſtinus credidit, cui ſententiæ etiam plures alii Interpretes calculum ſuum adjiciunt. Itaque corpus illud, quod in forma columbina deſcendit, non fuit ipſe Spiritus Sanctus, ſed tantum in eo fuit incluſus, illoque tanquam vehiculo uſus in Chriſtum pervenit.

Cur vero Spiritus Sanctus in forma columbæ, & non in alia aliqua ſpecie deſcenderit, hæc probabilis afferri poteſt cauſa, quod eo ſignificatum ſit, ſpiritum illum, quo Chriſtus unctus eſt, eſſe ſpiritum manſuetudinis, quo modo deſcribitur apud Eſaiam, & à Matthæo explicatur Eſai. XLij. 1,2,3. Matth. xij. 18. Quo videntur & illa ſpectare verba apud Lucam cap. IX. 55. *Neſcitis, cujus ſpiritus ſitis.* Etiam apud Matthæum Chriſtus innocentiam, quam à diſcipulis ſuis exigit, propoſita ſimilitudine columbæ expreſſit Matth. 10. 16.

Exinde, quod Spiritus Sanctus columbæ inſtar de cælo deſcenderit, inſeliciter argumentantur Pontificii, haud illicitum eſſe Deum effigiare; contra clariſſimum interdictum Exod. xx. 4. Falſum enim eſt, quod illi pro conceſſo ſumunt, per formam ſcilicet ac ſpeciem columbæ Spiritus Sancti imaginem fuiſſe repræſentatam. Tam enim ille, quam ipſe Deus, nulla imagine, quæ in ſenſus incurrere vel mente comprehendi queat, exprimi poteſt. Res illa viſibilis, quæ in forma columbæ deſcendit, nihil aliud fuit, quam (ut jam explicatum eſt) corpus ſeu materia quædam, quæ vehiculi vicem præſtitit, cui incluſa vis & efficacia divina, ad Chriſtum delata eſt. Hoc autem corpus externam aliquam formam ſeu ſpeciem habere debuit, ſive columbæ, ſive alii alicui rei ſimilis eſſet. Hic apparet, Deum (ut etiam jam ſupra indicatum) illud inſigne Chriſtoque ad muneris ejus adminiſtrationem perquam neceſſarium donum, nempe manſuetudinem, quam una cum aliis plurimis virtutibus ac facultatibus ſpiritus iſte in ipſo debebat producere, in ſpecie columbæ voluiſſe repræſentare: quemadmodum in feſto Pentecoſtes in figura ignitarum linguarum, donum variarum linguarum Apoſtolis conferendum, nec non per ſonitum vehementis ac violenter flantis venti, vis & ſumma iſtius doni repræſentata eſt, Act. 2. 2, 3. Si quis igitur Spiritum Sanctum imagine aliqua exprimere velit, cauſa non eſt ulla, cur tanquam columba, & non tanquam lingua ignea, aut tanquam ventus pingi debeat: aut cur non Deus ipſe in forma alicujus rupis, leonis, avis, turris depingatur; quandoquidem omnes iſtæ figuratæ locutiones de Deo in Sacris Literis adhibentur. Eſaias præclare tales affatur: *Cui ſimilem facietis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Eſai. XL. 18. XLVI. 5. Sed non eſt operæ pretium huic rei diutius immorari, præſertim poſtquam permulti viri doctiſſimi abunde ac ſolidiſſime errorem hunc confoderunt.

Et venientem ſuper eum.] Hebraiſmus eſt, pro, *venientem ſuper ſe:* ut ſenſus ſit, Chriſtum vidiſſe Spiritum Dei ſuper ſe venientem. Qui credunt, Spiritum Sanctum eſſe ipſum Deum altiſſimum, Deumque natura ſua atque eſſentia eſſe infinitum ac ubique præſentem, cauſam habent juſtam quærendi: quomodo Spiritus Sanctus de cælo ſuper Chriſtum deſcenderit, atque adeo de loco in locum moveri potuerit? Cujus enim infinita eſt eſſentia, is ne latum quidem pilum poteſt à loco ſuo moveri, vel diſcedere: ad quemcunque enim ſe vult conferre locum, ille jam eſſentia ejus plenus eſt. Neque dici poteſt de eo, quod mutet locum & ab uno in alium tranſeat, qui ſemper in utroque loco æque præſens eſt. Ut ex hoc ſe labyrintho expediant, ajunt, Spiritum Sanctum non vere de cælo deſcendiſſe, ſed ſolum viſibile ſignum columbæ, quæ Spiritum Sanctum figuravit. Sæpenumero enim ſigno adſcribi, quod rei ſignatæ proprium eſt, & contra rei ſignatæ, quod proprium eſt ſigno. Verum præterquam quod hoc commentum claris Euangeliſtæ verbis hoc loco adverſatur, juvat quærere, qua de cauſa Deus voluerit ſigno viſibili id adumbrare vel repræſentare, quod natura ſua impoſſibile eſt: nimirum ut Deus infinitus, quem credunt omnia loca eſſentia ſua complere & omnipræſentem eſſe, ab uno loco tranſire in alium queat. Imo detur vel unicum exemplum, in quo res per ſe ac natura ſua impoſſibilis, ſigno viſibili fuerit repræſentata. Hoc certe nihil foret aliud, quam homines in errorem abducere, ut ex illo ſigno judicent, rem ſignatam eodem modo ſe habere, aut ſaltem habere poſſe, quo in ſigno repræſentatur. Videlicet ex motu ac deſcenſu columbæ de cœlo, ſi nihil aliud quam ſignum Spiritus Sancti fuiſſet, non aliter homo ratione præditus judicare poteſt, quam ſaltem fieri poſſe, ut infinita Dei eſſentia loca mutet, & eo ſe conferat, ubi jam eſt. Id quod etiam illi ipſi impoſſibile eſſe agnoſcunt. Præterea cur Deus voluiſſet viſibili ſigno repræſentare id, quod ex parte Chriſti falſum erat: nempe quod Spiritum Sanctum acceperit, vel quod ei Deus Spiritum Sanctum largitus ſit? Nam primo ſi Spiritus Sanctus eſt ipſe Deus ſummus ac infinitus, ſequetur eum jam ante in Chriſto fuiſſe, imo in omnibus totius univerſi rebus, ac proin rem falſam fuiſſe repræſentatam. Deinde ſi Chriſtus ipſe quoque Deus ſummus eſt, ut iidem credi volunt, non opus habuit Spiritu Sancto, ſed ipſe cuncta illa abſque Spiritu Sancto potuit præſtare, quæ Spiritus Sanctus in eo operari debebat: imo Spiritus Sanctus non

* Ad nodi hujus ſolutionem faciunt illa Naamanis lepra, Gehiſæo per Dei virtutem potuerit adhæreſcente, poſtquam ab ipſo Naamane fuiſſet ablata, quemadmodum expreſſe Scriptura teſtatur 2 Reg. 5. 27, item de tenebris palpabilibus Exod. 10. 21. Item quæ de lapide Bononienſi referuntur ab Helmontio, qui præparatus, & ſolis radiis expoſitus lucem in ſe quaſi fugit, & ſtatim tenebris expoſitus, eam quaſi ſcintillas ejicit. Ex quibus etiam promtum eſt concludere, ipſa etiam accidentia ab uno in aliud corpus poſſe migrare, utpote quæ etiam vel corpora ſunt, vel ſpiritus, quemadmodum nullo negotio probari poteſt. Figura enim cujuſcunque rei, nihil aliud eſt quam lineæ, certo aliquo modo ductæ, vel etiam conceptæ; calor & frigus ſpiritus ſunt, ex ligno, ceſpitibus, ſole, herbis &c. emiſſæ. Idem de morbis, ſonitu & ſimilibus ſentiendum eſſe exiſtimarim. Ex quibus facile percipi poteſt, auctorem nihil abſurdi hic ſtatuere.

non potuiſſet quoque ei communicari, ſi, ut iſtorum fert ſententia, eandem eſſentiam jam ante habuiſſet, quam habet Spiritus Sanctus, aut, ut proprie rem exprimam, ſi ille ipſe Spiritus Sanctus fuiſſet. Qui enim habet alicujus eſſentiam, ille idem cum ipſo eſt.

Verſ. 17. *Et ecce vox facta eſt de cœlis, dicens.*] Quod hæc vox Dei altiſſimi, Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti fuerit, ex verbis hac voce prolatis ſatis manifeſtum eſt. Quanquam non eſſet adeo gravis cauſa contendendi cum eo, qui diceret, non fuiſſe hanc proprie Dei ipſius vocem, ſed Angeli alicujus, qui Dei perſonam ſuſtinuerit, ejuſque loco atque ejus juſſu locutus ſit: non ſecus atque Angelus ille in rubo ignis Exod.3.6, & in monte Sinai Exod. 20.2. In qua ſententia fuerunt nonnulli è ſcholaſticis. Dei enim propriam vocem nullus mortalium audire poteſt: neque credibile eſt, Deum ipſum humanam formaſſe vocem: præſertim cum omne id quod Deus per hos cœleſtes agit nuntios (præcipue quando ita loquuntur, quaſi Deus ipſe præſens adeſſet; quod ſignum eſt pleniſſimæ poteſtatis illique adæquatæ voluntatis divinæ) tanti ſit ponderis atque auctoritatis, quam ſi à Deo ipſo fieret. Satis eſt, credere, hanc vocem à Deo profectam eſſe, quamvis propriè ignoretur, per quod medium, an per Angelum, an per aliud aliquod inſtrumentum à Deo ordinatum, allata ſit.

Quod locum attinet, unde hæc vox venerit, apparet eam inde erupiſſe, ubi cælum cernebatur ſciſſum, & unde ſpiritus quoque ſanctus deſcenderat.

Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.] Apud Marcum & Lucam hæc verba ſic referuntur: *Tu es filius meus dilectus* Marc.1. 11. Luc. 3. 22. Et loco ejus quod apud Matthæum & Marcum dicitur: *In quo mihi complacuit*, vel *in quo complacui*; apud Lucam habetur: *In te complacuit mihi*, vel, *in te complacui.* Diſcrepantia in eo eſt, quod Deus apud Matthæum in tertia perſona loquatur, apud Marcum vero & Lucam in ſecunda perſona Chriſtum ipſum alloquatur. De cætero ſententia eſt eadem. Jam quæritur, quinam ex Euangeliſtis ipſiſſima verba Dei, prout cœlitus emiſſa ſunt, retulerit? Credibile itaque eſt, ea ſic fuiſſe à Deo prolata, uti à Marco & Luca deſcripta ſunt, non uti à Matthæo. Nam quia Marcus in deſcribenda ſua hiſtoria Euangelica plerumque inſiſtit veſtigiis Matthæi (ut ſupra ad titulum Euangelii Matthæi cap. innuimus) non eſt veriſimile, eum hic verba immutaturum fuiſſe, ſi Deus ea hoc protuliſſet modo, quo ea retulit Matthæus. Unde etiam ultima verba, *in quo mihi complacuit*, retinuit, etſi Lucas habeat, *In te complacui*: quia, ut nos arbitramur, ad hunc modum Deus locutus eſt. Nimirum cauſam non habuit, iſta immutandi, quandoquidem perinde ad illum quadrabant optime modum, quo priora verba retulerat. Tam enim hoc quam illo modo manet oratio ad Chriſtum ipſum directa, ſive dicatur: *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacuit*; ſive: *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacuit.* Cum igitur nihil referret, quocunque modo, ſive hoc, ſive illo, poſtrema iſta verba efferrentur, idcirco probabile eſt eum ſic illa retinuiſſe, uti à Matthæo deſcripta ſunt: ut pote cum eum in omnibus ſequatur. In prioribus autem verbis ab eo diſceſſit, quia credidit vel ſcivit, Deum vere ſic locutum, ſicut ipſe & Lucas illa deſcripſit. Deinde res ipſa demonſtrat, Deum ad hunc, quem expreſſit Marcus & Lucas, modum eſſe locutum. Si enim Deus dixiſſet, *Hic eſt filius meus dilectus*, non Chriſtum ſolum allocutus fuiſſet, ſed univerſum circumſtantem populum. Jam vero nulla dari poteſt cauſa, cur Marcus & Lucas locutionem hanc immutare voluiſſent, atque ita verba referre, quaſi Deus nonniſi Chriſtum fuiſſet allocutus. Contra vero fieri potuit, ut Matthæus verba à Deo ad Chriſtum ſolum directa ita maluerit referre, quaſi ad univerſum populum fuiſſent prolata: quia ſcilicet hiſtoriam ſuam aliis ſcripſit, ut ita ſignificaret, vocem illam Dei, quamvis ad Chriſtum duntaxat tunc facta ſit, nobis tamen etiam audiendam conſiderandamque eſſe, non aliter quam ſi Deus Chriſtum nobis illa voce commendare voluiſſet. Non improbabile etiam eſt, Matthæum huc impulſum fuiſſe altera illa voce, quæ in monte edita, & ab Apoſtolis quoque audita eſt, ubi Deus atteſtantibus omnibus Euangeliſtis dixit: *Hic eſt filius meus &c.* Matth. 17. 5.

Si igitur Deus hoc locutus eſt modo, ut Marcus & Lucas ſcribunt, nempe *Tu es filius meus*, non obſcure hinc animadverti poteſt, vocem hanc non fuiſſe à circumſtante populo auditam. (Atque hæc eſt nona hujus rei ratio.) Alias enim veriſimile eſt, Deum omnino dicturum fuiſſe, *Hic eſt filius meus*, ut indicaret, ſe populum affari, eique Chriſtum ac doctrinam ejus quam maxime commendare velle. Sed quia Deus Chriſtum ipſum voce iſta de charitate ſua atque dignitate ipſi deſtinata certiorem facere volebat, idcirco eum ſolum compellavit.

Filius meus.] Hic eſt primus locus, ubi Chriſtus à Deo tanquam filius à patre diſtinguitur. Unde neceſſario conſequitur, eum non eſſe ſummum illum Deum. Qua de re vide v. Appendicem hujus capitis.

Dilectus.] Vocula Græca hic addita ὁ, ille, habet hoc loco peculiarem emphaſin. Perinde enim eſt, ac ſi dictum fuiſſet; Hic eſt ille meus filius, quem ego ſummo amore præ reliquis omnibus proſequor, ſeu, ille omnium dilectiſſimus. Eſtque hic recte ab eruditis nonnullis obſervatum vocem hanc *dilectus* eandem vim ac ſignificationem habere, quam habet apud Johannem vox *unigenitus* cap.1. ver. 14, 18. iij. 16. Unigeniti enim filii maxime à parentibus ſuis diliguntur, atque in delitiis habentur. Cumque ſatis appareat, Deum voluiſſe Chriſtum hoc loco quam maxime commendare, ejuſque ſummam præſtantiam exprimere, ſicut etiam in monte illo, cum ſimilia de eo protulit verba, certe eum potius unigenitum quam dilectum appellaſſet, ſi vox *unigeniti* majorem dignitatem & excellentiam ſignificaret, quam vox *dilecti*.

In quo mihi complacuit.] Verba hæc ſunt explicatio vocis *dilecti*, & appoſita ſunt ad rem præcedentem magis aſſeverandam, illiuſque amoris magnitudinem exprimendam, quaſi dicat: Dilectus ille, cui addicta eſt anima mea, quo præ aliis omnibus delector.

lector. Ferme eodem modo Deus loquitur apud Esaiam cap. 42. 1 quæ verba Matthæus cap. 12. 18 citat: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo anima mea complacuit*; id est, quem anima mea diligit, quo illa summopere delectatur.

Quomodo hoc miraculum hactenus descriptum vulgo pro argumento ad dogma Trinitatis stabiliendum, atque inprimis ad demonstrandam Spiritus Sancti personalitatem ac Deitatem adhibeatur: & quomodo contrarium potius hinc probari queat, videatur VI Appendix hujus capitis.

I. APPENDIX.

Vers. 1.

De Johannis Baptistæ nativitate, vita, & munere.

NOmen *Johannes* in Hebræa lingua, unde ortum habet, dicitur *Jochanan*, id est, Deus dedit gratiam.

Fuit autem Johannes claris parentibus ortus. Pater enim ejus fuit Zacharias Sacerdos Dei, de vice Abia, mater vero ejus Elisabetha ex tribu Aaronis.

Quod à Deo ad res magnas destinatus fuerit, arguit inter cætera ejus miraculosa conceptio atque nativitas, dum à senio confectis parentibus, ac sterili matre, adeoque non sine vi supernaturali genitus est: nec non alia, quæ circa hanc nativitatem miraculosa contigerunt, quæ à Luca cap. 1. 5 ad vers. 25 & 57 ad finem capitis narrantur.

Fuit Nazaræus, Dominoque sanctificatus, & non vulgari quidem ratione, sed ita ut ab utero matris suæ Spiritu Sancto fuerit repletus, ac Deo consecratus & separatus Luc. 1. 11.

Conceptio & nativitas ejus sex mensibus præcessit conceptionem ac natales Domini Jesu, Luc. 1. 36. Neque id sine causa factum, nempe ut utriusque ætas propemodum æqualis esset, id est, triginta ferme annorum, qua ætate Doctores & Prophetæ munus suum ordiri solebant, Johannesque nonnisi eatenus major ætate esset Christo, quatenus id functio muneris ejus præparatorii Deo sic ordinante requisivit.

De ipsius educatione, actionibusque juventutis ejus nihil aliud apud Euangelistas legitur, præter hoc generale Lucæ dictum: *Puer autem crescebat, & corroboratur Spiritu, eratque in deserto usque in diem ostensionis suæ coram Israële* Luc. 1. 80. Quod vero vitam rigidam & austeram in deserto egerit, satis ex vestitu ejus cibisque intelligitur, de quibus actum est vs. 4 hujus capitis.

Munus ejus, ad quod ab utero matris destinatus erat, fuit in genere, ut Christi magni Dei Legati præcursor esset, eique viam adornaret. Quod præstans ejus munus, tum Angelus conceptionem ejus annuncians Luc. 1. 16, 17 tum pater ejus Zacharias in Cantico suo expressit. Viam autem Christo adornavit, seria prædicatione pœnitentiæ, cum qua baptismus aquæ junctus erat, & testificatione de Christo. De quibus omnibus copiose in explicatione textus dictum est.

Tempus, quo munus suum auspicatus est, Lucas refert ad 15 annum Tiberii Cæsaris: quo etiam baptisatus est Christus, ac per unctionem Spiritus Sancti suo prædicandi muneri initiatus est.

Non duravit autem Johannis munus longius, quam eousque, dum Christus ratione perfectissima cœpit munere suo defungi Luc. 3. 1.

Sapientiam, virtutes ac mores ejus quod attinet, fuit vir sublimis & illustris judicii, ut qui ab utero matris suæ Spiritu Sancto esset impletus Luc. 1. 15. Munus suum fideliſſime obivit; sine omni personarum respectu libere ac intrepide veritatem docuit, neminique pepercit, inprimus vero superbo hominum generi, Pharisæis. Sed nec Tetrarchæ Herodis rationem habuit, quem ob adulterium cum fratris uxore admissum gravissime corripuit Matth. 14. 3. Multitudo discipulorum ejus summam ipsius in docendo curam atque diligentiam ostendit. Modestia ac humilitas in eo maxima eluxit, cum honorem sibi à plurimis oblatum, ut pro Messia haberetur, sprevit, suosque discipulos omnes ad Christum ablegavit. Moderatio ac temperantia ejus in victu & amictu tanta fuit, ut simile exemplum non sit reperire facile. Imo tanta fuit sanctimoniæ virtutumque ejus claritas, tantaque ipsius apud populum auctoritas, ut à cunctis pro Propheta haberetur. Josephus scriptor rerum Judaicarum tale de ipso perhibet testimonium, ut eum vocet *virum optimum, qui Judæos ad exercitia virtutum cohortatus sit, inprimis ad pietatem, & justitiam, nec non ad aquæ baptismum, qui tamen* (inquit) *tum demum Deo acceptus futurus esset, si non ab uno aut altero tantum peccato se abstinerent, sed si, purgato per justitiam animo, etiam vitæ totius integritas accederet* Joseph. lib. 18. cap. 7.

Quod præterea actiones atque opera ejus spectat, non legimus quidem, eum miraculum aliquod patrasse: hanc enim vim faciendi miracula ideo ipsi Deus non concessit, quia Christo hæc divina gloria reservabatur. Attamen acta muneris ejus tam præclara fuerunt atque insignia, ut Christus eum pro maximo Prophetarum, qui unquam è mulieribus nati sunt, judicarit, imo eum amplius quid, quam Prophetam esse dixerit Matth. XI. 9, 11.

Quod divinæ revelationes ipsi factæ sint, in Sacris Literis non habetur, præterquam quod scribitur Luc. 3. 2. *Verbum Domini ad eum factum esse in deserto*: quo tempore mandatum Dei atque instructionem de universa muneris sui ratione accepit. Nisi quis velit etiam hoc ad revelationes referre, quod Spiritus Sanctus in eo residens ipsi inspiravit. Quale est inter alia illud, quod Christum agnovit ad baptismum suum accedentem: & talia poterant non pauca alia contingere. Quod autem ipsi mysterium Sanctæ Trinitatis, ut scribunt Centur. Magdeb. ac sentiunt, revelatum sit, & quidem tam clare ac evidenter, quam nulli alii in mundo ante eum, id ex loco Matth. 3. 16. 17 quem ipsi allegant, melius refutari, quam probari potest: uti postmodum VI Appendice hujus capitis patebit.

Exitus

Exitus vitæ ejus luctuosus fuit, sed talis tamen, qui non careret exemplo fidelium Dei servorum, hujusmodi mercedem à mundo reportantium. Veritas ipsi in aula Herodis odium peperit, ob hanc, instigante uxore Herodis adultera, capite plexus est: de quo Matthæus infra cap. 14.

II. APPENDIX.

Vers. 2.

In qua falsa interpretatio verborum Iohannis, Pœnitentiam agite, *refellitur.*

PRæterire hoc loco non possumus crassissimum illorum errorem, qui vires omnes ac facultatem hominibus ad resipiscendum adimentes, censent, admonitionem Johannis, *Pœnitentiam agite*, non aliter intelligendam esse, quam illa Christi verba, quibus defunctam Jairi filiolam compellavit: *Puella surge* Marc. 5. 41. Videlicet sicut ex his Christi verbis inferri non potest, puellam propriis resurrexisse viribus, ita volunt ex hac quoque admonitione colligi non posse, homines posse propriis viribus agere pœnitentiam & sese ad Deum convertere: nihilque aliud hisce indicari verbis, quam quid Deus in hominibus, dum eos admoneri curat, velit agere atque efficere, si petulanter ipsi non recalcitrent. Ex qua opinione sequitur, omnes hujusmodi admonitiones, de resipiscendo, de conversione, de cordium circumcisione, de vitiorum depositione &c. nihil aliud ab hominibus in eorum conversione, quam nudum assensum requirere. Verum profecto nulla etiam absurdissima explicatio pro absurda habenda est, si hæc absurda non est. Nam primo, supra intelleximus vocem μετανοεῖν significare *post sapere*, seu post factum melius considerare ac prudentiorem fieri. Qui autem absque summa violentia huic vocabulo talis potest affingi significatio: Sinite vel permittite, nolite resistere, ut Deus in vobis efficiat, ut post factum sapiatis & prudentiores fiatis? Resipiscere, admissum factum considerare, & per ejusmodi considerationem discere prudentiam vel prudentius agere, non est Dei opus, sed hominum, qui pristina sua maleficia, quæ ante non bene expenderant, melius considerare debent. Deinde unicujusque admonitionis vis & natura in eo est, quod rem quam in se continet, ab eo ipso, qui admonetur, requirat & exigat, ut ipse eam faciat. Et ne unicum quidem contrarium exemplum sive è Scriptura, sive è communi sermone potest proferri, ut scilicet admonitio non sit revera admonitio, sed tantum declaratio, quid admonens ipse facere velit, si qui admonetur non resistat. Cui, quæso, vel per somnium in mentem veniat, quando ex. gr. herus aliquis ad servum dicit, Abi in agrum & ara; vel, sterne mensam, & ministra mihi; hunc esse verborum sensum: si vis, si non repugnabis, ego faciam, ut in agrum eas, & ares; ut mensam sternas & mihi ministres? Vel, si famulo nequam dicat, Resipisce, redi ad frugem, desine inebriari ac furari; sensum esse: si velis, ego te ad resipiscentiam & ad frugem meliorem revocabo, ego efficiam, ne amplius ebrietati sis deditus furtumque committas? aut etiam, si mavis, Deus te convertet & emendabit, efficietque ne inebrieris, neve fureris? Sic Christus paralyticum alloquitur: *Surge tolle lectum tuum, & abi in domum tuam* Matth. 9. 6. Quis dixerit, hunc esse verborum sensum; si vis, Deus efficiet, vel ego efficiam ut surgas, lectum tuum accipias, & domum abeas? Expenantur sic omnia exempla, quæ usquam excogitari possunt, & statim se prodet absurditas. Si dicas, in naturalibus rebus aliter se rem habere, quam in divinis, hoc ipsum erit probandum: nempe quando Deus vel Christus hominem ad aliquid faciendum in naturalibus admonet, tum sensum istius admonitionis esse, quod homo id propriis viribus facere debeat; quando autem aliquid in rebus divinis, quæ ad exercendam virtutem spectant, præcipitur, tunc non requiri id ipsum ab homine fieri, sed indicari tantum, quod Deus id facere velit, si homo non repugnet. Qua, obsecro, ratione istud probari potest? Præterea probandum quoque, hominem posse propriis viribus ea facere, quæ ipsi naturalis aliquis dominus præcipit, non posse autem, si Deus præcipiat. Si dominus terrenus famulo suo dicat: Abstine ab ebrietate, ego augebo tuum stipendium; ni feceris, vapulabis; tunc optime sibi potest ab ebrietate temperare, neque ullo eget ea in re Dei auxilio, quia consideratio augendi stipendii, & metus plagarum, satis ei virium suppeditat. At cum Deus in Verbo suo dicit, Nullum ebriosum regni Dei hæredem fore, tunc metus rejectionis à regno Dei non potest tantas vires ei suppeditare, sed oportet ut Deus ipse eum ab ebrietate cohibeat. Quis non videt summam absurditatem? Tertio velim mihi nominari tale peccatum, à quo homo abstinere nequeat; quodnam, obsecro, est istud delictum, à quo non possit propriis viribus, sine peculiari & occulta Dei vi, sibi temperare homo, ut bona conscientia dicere possit, sibi simpliciter impossibile esse hoc vitium cavere? Si cui res gravissimi momenti peragenda sit, quæ magnam attentionem ac vigilantiam postulat, alioqui damnum irreparabile allatura, potest tunc temporis ab ebrietate sibi temperare: an ergo non possit, quoque idem facere, quando salus ejus, res maximi momenti, agitur? Imo dantur exempla ebriosorum, qui proposita aliqua pecuniæ summa ad certum tempus ab ebrietate abstinuerunt. Nullus fur est, qui non continere se à furando queat, si præsens sit dominus rei, quam furto furripere cogitat, aut si certo persuasus sit, eum id resciturum. Nemo tam pruriens est, qui se cum aliena uxore commisceat, si adsit ipsius maritus: nemo scelus ullum aut flagitium committet in conspectu virorum illustrium, aut talium, quibus potestas est ipsum propterea puniendi: nemo linguæ suæ frena laxabit in convicia & maledicta, audientibus iis, apud quos ipsi ea infamiam ac dedecus malamque gratiam conciliare possent. Atque hæc omnia homo potest cavere iisque abstinere,

ſtinere, nullo accedente Dei peculiari auxilio, per ſolam conſiderationem damni vel dedecoris, quod ex facto conſequeretur. Cur igitur, ſi quis ſe in conſpectu Dei ambulare ſemper cogitet, iſta tremendæ majeſtatis ejuſque præſentiæ conſideratio, non poſſit tantum habere virium, ut eum ab iſtis peccatis abſterreat? Si quis objiciat, tum demum poſſe homines à peccando abſtinere, ſi Deus corporis oculis ita cerneretur præſens, quemadmodum homines cernuntur, is objectione ſua agnoſcit, non humanarum virium defectu fieri, quod homines à peccatis non abſtineant, ſed defectu ejuſmodi incitamenti, quo animus ſemper ſtimuletur ad cogitandum, Deum ubique præſentem eſſe, ac omnia cernere, ac unicuique pro meritis mercedem ſoluturum. Tale vero incitamentum ſunt omnes Dei admonitiones ad pœnitentiam ac vitæ correctionem. Itaque ſimul ac homo ejuſmodi monita audit, per ea nanciſcitur illico vires ad parendum eis, ſi modo viribus iſtis ad emendationem vitæ ſuæ uti velit. Has proinde vires Johannes populo Judaico indidit illis ipſis verbis, cum dixit: *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit regnum cœlorum.* Et ℣. 10. *Jam ſecuris radici arborum admota eſt. Omnis arbor non faciens fructum bonum excindetur, & in ignem mittetur.* Illinc lætum de regno cœlorum nuncium, hinc intentatio exciſionis infructuoſarum arborum, dedit iis qui crediderunt & in animum ſuum iſta admiſerunt, ſufficientes vires ad reſiſtendum peccatis. Hinc jam manifeſtum eſt, diſtinctionem inter res naturales ac divinas ad rem hoc loco nil facere. Neque enim peccata virtuteſque ſunt certo tempore, & accedentibus nonnullis circumſtantiis, naturales, alio vero tempore & cum aliis conjunctæ circumſtantiis, divinæ; ſed ſemper ſunt uniuſmodi, ſemper ſibi conſtant, & ſemper æque faciles ſunt aut difficiles præſtitu vel omiſſu. Itaque ſi homo habeat vires ſemel peccatum vitandi, ſemper id vitare poteſt, quamdiu vires illas non amittit. Atqui paulo ante vidimus, furem vel mœchum ex ſola conſideratione præſentiæ, vel metu adventus Domini, aut mariti, haurire vires ab illis peccatis abſtinendi. Quare ab eis etiam ſemper abſtinere poteſt, ſi vires illas retineat, id eſt, ſi præſentiæ Dei ejuſque iræ graviſſimæ recordetur.

Tertio non poſſunt non ii, qui tam abſurdam verborum Johannis explicationem afferunt, agnoſcere, tales admonitiones, qualis & iſta Johannis eſt, *Pœnitentiam agite*, natura ſua & ex propria verborum ſignificatione, eum habere ſenſum, ut ſi quis diſcrimen virium ſuarum, quando ipſi cum hominibus, vel quando cum Deo eſt negotium, ignoret, aliter rem intelligere nequeat, quam quod id ad quod admonetur, ſuis propriis viribus efficere debeat. Jam quæritur, ſi aliter ſe res habeat, quando homini cum Deo eſt negotium, & quando cum hominibus, qui fiat, quod Spiritus Sanctus tam in hac commonitione Johannis, quam in aliis ejuſmodi dictis, quorum plena eſt Scriptura Sacra, non aliis utatur verbis ac locutionibus, ut homines Dei mentem, quid ſibi velit, clare ac plane percipere poſſent, neve in hunc Pelagianum errorem (uti eum vocare iſti amant) incidant, quod ipſi ſeſe propriis viribus emendare atque convertere debeant, aut quod Deus contra ſuam agat tum ſapientiam tum juſtitiam, dum ab hominibus poſtulat, idque non ſine ſeria comminatione æternæ damnationis, quod ipſis præſtitu eſt impoſſibile. Occultam enim illam Dei voluntatem, qua velit ipſe eorum pœnitentiam ac converſionem ſine ipſis efficere, ex talibus loquendi modis neutiquam poſſunt intelligere. Quam facile id Spiritus Sanctus poſſet diſertis dicere verbis, quod ex illorum ſententia vult hominibus indicare. Cum vero id non fiat, & cum credendum non ſit, Deum velle homines in errorem deducere, dici aliter nequit, quam iſtiuſmodi admonitiones propriam ſuam ſignificationem retinere, quod ſcilicet id quod admonitione continetur, ab illis ipſis, ſaltem præcipue & maxima ex parte requiratur.

Quarto ſi vera eſſet hæc ſententia, quod ad converſionem impiorum nihil aliud requiratur, quam ut velint à Deo converti, pauciſſimi admodum mortalium manerent impii & non converſi. Nullus enim, aut certe admodum rari homines reperiuntur, qui nollent ab impietate abſiſtere, ſancteque vivere (præſertim ſi credant, malis operibus certam pœnam, bonis vero certum præmium eſſe propoſitum) ſi ſcirent id citra ipſorum laborem ac moleſtiam, & abſque crucifixione propriæ carnis eorum fieri poſſe. V. g. ſi Deus diceret alicui: ſi tu vis, ego volo te convertere; tu nihil omnino virium tuarum debes adhibere; ſine omni dubio quilibet, adeoque infiniti homines ex animo dicerent, ſe promptiſſime ac lubentiſſime velle. Sed quod hominum tam pauci convertantur agantque pœnitentiam, etiamſi acutiſſimis admonitionum ſtimulis excitentur, etiamſi nullis non verborum lenociniis cœlum eis commendetur, inferni vero terrores immodice augeantur, cauſa non alia eſt, quam quod propriæ ipſorum vires requirantur ad pœnitentiam & converſionem: quæ res cum admodum gravis & ingrata carni ſit, ideo languet eorum ſtudium, maluntque carnis ductum ſequi, quam ei tam moleſtam vim inferre.

Quinto falſitas hujus ſententiæ etiam ex eo perſpicitur, quod plurimi dentur homines, qui toto pectore ſinceroque animo optant ac deſiderant ex cœno peccatorum ſeſe extricare, ſed torrente ſcandalorum & indomitarum cupiditatem ſuarum carnalium identidem abripiuntur, ac retro aguntur, & ejuſmodi certamen ac lucta cum peccato durat in eis uſque ad mortem. Talem hominem deſcribit Paulus Rom. 7. 15, qui ſub Lege erat, & non faciebat, quod volebat, ſed quod oderat. Si proinde hominum converſio ſimpliciter in ſolo Deo ſita eſt, ita ut illorum propriæ vires nihil ad eam conferre queant, recidet neceſſario omnis culpa in Deum, quod eos non convertat, ac porro illi non convertantur reipſa, etſi maxime velint. Imo verbum Dei in talibus falſum eſſe deprehenderetur, quo Deus promiſit ſe homines velle convertere, ſi ipſi converti velint. Hi enim homines volunt, & quidem tanto lubentius, ſi ſciant, ſibi nihil hac

in parte

in parte esse agendum : & tamen non convertuntur.

Non sumus autem nescii, varia Scripturæ loca ab istis, quibuscum modo disputamus, hominibus, pro defensione hujus sententiæ allegari; ea videlicet, in quibus hominum conversio Deo adscribitur: ut cum inter alia dicitur, *Deum corda hominum convertere* 1 Reg. 18. 37. *Deum corda aperire*, ut Lydiæ Actor. 16. 14. *Deum largiri Spiritum sapientiæ, & revelationis ad sui ipsius cognitionem, & illuminare oculos intellectus* Ephes. 1. 17. *Deum dare cor unum, & novum spiritum, eumque auferre cor lapideum, ac dare cor carneum* Ezech. xi. 19. *Deum donare, quod in Christum credamus* Philip. 1. 29. *Deum dare novum cor, ut eum cognoscamus.* Jerem. 24. 7, eum *scribere leges suas in cordibus nostris* Jerem. 31. 33. Deum *in nobis efficere, & velle & perficere* Philip. 2. 13 &c. Verum hæc omnia loca & plura his similia, non demonstrant id quod probandum est, nempe quod hoc ipsum quod Deus in conversione hominum facit, fiat ejusmodi vi occulta, ut hominum propriæ vires nihil ad eam conferant, vel conferre possint. Nulla sane vel specie rationis probari potest, hunc esse verborum sensum: sed Deus ita homines convertit, ut eis ex parte una proponat ampliſſimum præmium conversis destinatum, ex altera supplicium horrendum impœnitentibus paratum. Hocce modo solet animus & alacritas hominibus ingenerari atque inspirari ad res arduas prompte suscipiendas & feliciter perficiendas, si eis non spernenda pecuniæ portio promittatur. Hoc ergo modo Deus quoque annunciando ac promittendo pœnitentibus in Euangelio inæstimabile præmium, (quod sub Lege promissum non fuit, ac propterea Lex non erat tam potens & efficax, ut veram conversionem in hominibus ad Deum efficeret) facit hominibus cor novum ac plenum alacritatis; hoc pacto dat hominibus velle, ut opus conversionis avide ac lubenter incipiant, dat quoque perficere, seu vires sufficientes ad inchoatum salutis opus perficiendum. Cæterum haud imus inficias, Deum illis, qui suam possibilem curam, studium ac voluntatem in hoc opere desiderari non patiuntur, sæpenumero, ita succurrere, ut cæptum conversionis opus, cui perficiendo ipsi pares non sunt, illo vires sufficiente perficiant. Verum hoc totum, vel certe potissimum fit per ejusmodi media, ad quæ nihilominus ipsorum opera laborque requiritur: nempe fideles ad eos Doctores mittit, qui corda eorum penetranti dicendi genere permoveant; à malorum consortio eos summovet; scandala varia è medio tollit; calamitates & tribulationes iis immittit, in quibus constituti à nemine alio quam à Deo consilium & auxilium sperare habeant; res ita moderatur, ut illi è suis peccatis plus incommodi atque tristitiæ, quam gaudii ac prosperitatis reportent; & alia his similia facit. Sed de his hoc loco hæc dicta sufficiant. Nam alibi quoque rursus se dabit occasio plura de hac materia dicendi.

De allegato tamen exemplo filiolæ Jairi est hic adhuc nonnihil dicendum: nimirum, quod illa Christi verba, *Puella surge*, nullam contineant admonitionem, ut à mortuis resurgat: (quomodo enim aliquis admoneri potest, qui vita caret ac proin admonitionem percipere nequit?) multo minus hæc est verborum istorum sententia; si vis, & mihi pervicaciter non repugnabis, ego te à mortuis suscitabo. Qui sensus omnino horum verborum foret, si istorum hominum obtineret opinio. Sed Christus hæc verba non alia mente protulit, quam ut demonstraret, se mortuos solo jussu ac verbo excitare posse. Si Christus jubeat, statim mortuos revivisscere necesse est, non quidem vi nudorum verborum, seu vi in verbis ipsis latente, sed vi quæ à divina ipsius potentia proficiscitur ac emanat, cujus verba signum tantummodo sunt & indicium. Nimirum verba illa, *surge puella*, Christus eam resuscitando, eadem omnino ratione usurpavit, qua Deus in creatione mundi humano more à Mose introducitur dicens: *Fiat lux, fiat firmamentum, congregentur aquæ* &c. Gen. 1. 3, 6, 9. Quare si Deus quoque manifeste ac palam demonstraturus suam potentiam, quam habet ad convertendos peccatores, diceret cuipiam: *Convertere*, vel *resipisce*; dubium utique non est ullum, talem confestim & illo ipso momento conversum iri, non secus ac mortua illa puella in momento revixit.

III. APPENDIX.

Vers. 6.

In qua enodatur quæstio: An unus idemque sit Baptismus Iohannis, & Apostolorum, quo post Christi ascensionem in cœlum baptisarunt?

CReditur vulgo (inprimis autem ab iis, qui Romanæ valedixerunt Ecclesiæ) Baptismum Johannis, & Baptismum in nomen Domini Jesu, quem Apostoli post Christum exaltatum & post missionem Spiritus Sancti adhibuerunt, unum eundemque esse. Hoc autem falsum esse, vel ex eo manifestum est, quod tum demum in nomen Christi baptisari cœptum sit, cum Christus in cœlum assumptus est: quod ante neque à Johanne, neque ab Apostolis factum est, quia tunc temporis pœnitentia & remissio peccatorum in nomine Domini Jesu nondum fuit prædicata.

Quod autem Johannes non baptisarit in nomine Jesu, ex eo primum liquet, quod Act. 19. 3, 4, 5, de discipulis illis Ephesinis legitur. Illi à Paulo rogati: *In quid baptisati estis?* responderunt: *In Baptisma Johannis.* Ad hoc subjecit Paulus: *Johannes quidem baptisavit Baptismo pœnitentiæ, populo dicens, ut crede-*

crederent in eum qui venturus esset post ipsum, hoc est, in Christum Jesum. Quod ubi discipuli à Paulo audiverunt, *baptisati sunt in nomine Domini Jesu.* Hinc intelligitur, quod non tantum Johannes in nomine Jesu non baptisaret (baptismus enim in nomine Jesu opponitur baptismo pœnitentiæ, qui Johannis baptismus erat) sed etiam Johannis baptismus plane cessarit, simul atque baptismus in nomine Jesu invalescere cœpit. Deinde illi ter mille qui festo Pentecostes conversi sunt concione Petri ad fidem in Christum, & Petro mandante sunt baptisati Act. 2. 41 absque omni dubio in nomine Domini Jesu sunt baptisati. Atqui nihil est probabilius, quam inter eos fuisse aliquos, qui jam ante baptismo Johannis tincti fuerant: cum Matthæus ℣. 5 hujus Capitis testetur, magnum confluxum populi ad Johannem fuisse ex Hierosolyma, atque è finitimis circa Jordanem regionibus: cumque omnino sit verisimile eos, quorum corda concione Petri emollita fuere, neque prædicationi ac baptismo Johannis pertinaciam opposuisse. Aut itaque dicendum est, si Baptismus Johannis & Apostolorum unus est, eos bis uno eodemque baptismo tinctos fuisse; aut agnoscendum, neque Johannem in nomine Jesu baptisasse, neque tum cum baptismus in nomine Jesu invaluit, Johannis baptismate opus fuisse. Tertio cum Johannes baptisandi fungeretur officio, exorta est in populo dubitatio, annon is Christus esset Luc. 3. 15. Quæ dubitatio oriri non potuisset, si in nomine Jesu baptismum administrasset. Quis enim fuisset, tam bardus, qui non ex eo clare intellexisset, eum Christum non esse? Quarto sequeretur, Christum quoque in suo proprio nomine à Johanne fuisse baptisatum; quod nemo non videt esse perabsurdum. Quinto Johannes baptisabat eos, qui nondum in Christum credebant, ideoque hortatus est eos, ut in Christum, qui post ipsum venturus erat, crederent. Ad baptismum autem Apostolorum admittebatur nemo, nisi qui palam profiteretur, se in Christum (non venturum, sed præsentem) credere. Cujus rei argumentum validissimum peti potest ex colloquio Philippi cum Eunucho habito Actor. 8. 36. *Quid prohibet*, ait Eunuchus, *quominus baptiser*? Cui dixit Philippus: *si credis toto corde, licet.* Respondit ille: *Credo Jesum Christum esse filium Dei.*

Non parum autem hallucinantur, qui ex eo ipso, quod Johannes auditores suos ad fidem in Christum venturum adhortetur, inferunt, eum in nomine Christi baptisasse. Probari enim nequit, Johannem auditores suos adhortatum fuisse, ut statim illo ipso tempore in Christum crederent, antequam Christus sese revelaret, ac munere suo publice fungi inciperet: sed adhortatio Johannis non alio tendebat, quam ut in Christum crederent, ubi prodisset in publicum, munusque suum auspicaretur; interim vero improbitati vitæ renunciarent, atque in pœnitentiæ suæ testimonium ac confirmationem baptismum susciperent, quo sint ad fidem in Christum amplectendam, ubi venerit, aptiores. Ut autem aliquis in Christum baptisetur, requiritur, ut dum baptisatur, simul profiteatur, se in Christum credere, seque doctrinæ ejus sanctissimæ obligare & addicere.

Jam ut de contraria quoque opinione eorum, qui Johannis baptismum & Apostolorum in nomine Jesu administratum pro eodem habent, nonnihil dicamus, eorumque rationes excutiamus, primo sunt nonnulli è Scholasticis (quos Gerhardus * citat) qui tradunt Johannem in baptisando hac usum fuisse formula: *Ego te baptiso in nomine venturi.* Quam sententiam hauserunt ex Act. 19. 4 ubi Paulus inquit, Johannem monuisse populum, ut in eum crederent, qui post ipsum venturus esset. Unde concludunt, quod naturam & essentiam Baptismi Johannis attinet, eum prorsus congruere cum baptismo Apostolorum in nomine Jesu administrato, nec aliud esse discrimen, quam quod Johannes baptisarit in venturum, Apostoli autem baptisarint in præsentem, qui jam venerat, Christum. Sed Durandus, Bellarminus & alii merito inficiantur, Johannem in nomine venturi baptisasse. Nam non solum in Scriptura altum est de eo silentium, sed neque hoc erat muneris ejus, quod, quoad baptismum, in eo consistebat simpliciter, ut eos qui peccata sua confitebantur, & sinceram pœnitentiam pollicebantur, in hanc eorum confessionem ac propositum baptisaret, doctrinæ suæ de pœnitentia initiaret, ac discipulorum suorum numero adscriberet. Quod vero eos admonuit, ut in futurum in Christum crederent, ubi venerit, ex eo inferri non potest, eum etiam eos in Christum baptisasse. Sed nuda tantum erat admonitio adjunctum habens præclarum testimonium de Christo: non continebat vero ullam obligationem, qua per baptismum homines doctrinæ Christi initiarentur, ejusque fierent discipuli; (quod revera est in nomine Christi aut Jesu baptisare:) id enim ante ipsius adventum fieri non potuit.

Secundo probat Gerhardus in verbis supra adductis eandem opinionem hoc modo. Ait, Johannem dum baptisabat, eum invocasse, inque nomine ejus baptisasse, qui *ipsum ad baptisandum miserat* Joh. 1. 33. Hunc autem esse unum illum verum Deum, Patrem, filium, & Spiritum Sanctum. Quare Johannem, baptisando in nomine veri Dei, baptisasse in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: atque adeo illa ipsa verborum forma usum fuisse, quam deinceps Christus Matth. 28. 19. Apostolis suis præscripsit. Verum totum hoc falsum est, quod Gerhardus pro concesso sumit: nempe Johannem in unum verum Deum baptisasse. Hunc enim Judæi, tametsi impie viverent, nunquam abnegarunt, adeoque ut de integro in nomine ejus baptisarentur opus non erat. Sed & alterum falsum est, unum illum verum Deum esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Deniqui demonstrari nequit, Christum Matth. 28 dum dixit discipulis suis: *Baptisate in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, certam eis præscripsisse formulam verborum, qua in baptismi administratione uterentur. Imo ne legimus quidem usquam, Apostolos tali forma usos fuisse; sed semper in nomine Jesu tantum baptisarunt.

Tertium argumentum, quod plurimum debebat habere roboris, infirmitate alia vincit: quod scilicet Johannis & Apostolorum doctrina una eademque sit. Atqui probari non potest, Johannem

* Loc. Conm. Tom. 4. Art. de Bapt. Sect. 5. §. 46.

eam

eam omnem doctrinam habuiſſe cognitam, quam Chriſtus & Apoſtoli traditurі erant. Qui proinde doctrina ejus poterat eſſe eadem? Johannis doctrina non excedebat limites legis Moſaicæ: myſteria ſublimia regni Chriſti annunciare, etſi ea intellexiſſet, non pertinebat ad ejus officium. Inprimis autem, quod Chriſtus nobis pepererit morte ſua remiſſionem peccatorum, procul à notitia ejus fuit remotum. Vide hac de re dicta in explicatione verſ. 2. Neque eſt abſurdum, quod ſcribit Bellarminus, Johannem propter innocentiam & manſuetudinem Chriſtum agnum Dei appellaſſe, Joh. 1. 29. qui per hanc ſuam manſuetudinem peccata mundi ablaturus eſſet.

Quarta ratio, quam Gerhardus loco ſupra dicto §. 48. fuſe perſequitur, quod Johannis baptiſmus eandem plane vim & efficaciam habuerit, quam habuit baptiſmus Apoſtolorum, quod nimirum, per eum homines fuerint regeniti ad vitam æternam, ipſa per ſe concidit, quia fundamento caret. Nam quod per aquæ baptiſmum, quem uſurparunt Apoſtoli, homines regenerentur falſum eſt: ut ad Joh. 3. 5. pluribus exponetur. Quare baptiſmus Johannis multo minus hanc vim habuit. Hoc unum falſitatem hujus ſententiæ ſatis coarguit, quod ſic ſequeretur, Chriſtum quoque, cum à Johanne baptiſatus eſt, regenitum fuiſſe, cum tamen is regenerationis haud indigeret.

IV. APPENDIX.

Ad Verſ. 8.

De tribus Sectis Judæorum: nempe Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum.

QUemadmodum hodie inter Chriſtianos multiplices ſunt Sectæ & hæreſes, quæ inter ſe certis dogmatibus, ritibus ac moribus diſtinctæ ſunt: ſic etiam Chriſti ætate tres ejuſmodi Sectæ fuerunt inter Judæos, 1. Phariſæorum. 2. Sadducæorum. 3. Eſſenorum. E quibus duarum piorum crebra occurrit in Sacris Literis Novi Teſtamenti mentio.

I. *De Phariſæis.*

QUod primam Sectam Phariſæorum attinet, nomen *Phariſæorum* venit à Chaldaico & Syriaco verbo *Pheraſch*, id eſt, ſeparare, vel ſecedere. Itaque *Phariſæus* nihil aliud ſignificat, quam *ſeparatum*. Nomen autem hoc obtinuerunt inde, quod in ſanctimonia, & ſapientia (ſuo ſcilicet judicio) nec non in certis ſententiis, moribus ac ceremoniis à Judæis reliquis ſeparati eſſent, atque ita peculiarem Sectam facerent. Eruditiſſimi Judæorum ajunt, eos ſic vocatos ideo, quod *ſeparati eſſent à viis mundi*.

Doctrinam & ſententias Phariſæorum quod attinet, in quibus ab aliis Judæis, ſeu in religione Judaica diſcrepabant, primum credebant, non omnia, quæ ad religionem pertinent Scriptis Veteris Teſtamenti contineri. Ideo docebant, legem eſſe duplicem, *Scriptam* & *Oralem*. Scriptam ſtatuebant comprehenſam eſſe libris Moſis (præter quos tamen & Prophetas tanquam fide dignos recipiebant) Oralem autem oretenus à Moſe traditam, à majoribus per manus poſterorum ad illorum tempora eſſe delatam ac conſervatam. Hæc oralis lex nihil aliud eſt, quam illæ *Traditiones & inſtituta majorum*, quorum in Sacris Literis crebra fit mentio: ut Matth. 15. 2. 3. 6. Marc. 7. 3. 5. 8, 9. 13. De iſtis eorum traditionibus teſtatur etiam Joſephus, inquiens lib. 13. cap. 8. *Phariſæos multas traditiones à ſuis majoribus accepiſſe, & Judaico populo obtruſiſſe, quæ in Moſis lege ſcriptæ non erant.*

Altera eorum peculiaris opinio fuit de Fato, ac de Libero hominum arbitrio. Quam eorum doctrinam his verbis deſcribit Joſephus: *Phariſæi credebant, non omnia, ſed quædam duntaxat fato fieri, reliqua autem ſita eſſe in hominum arbitrio, ut fiant, vel non fiant.* lib. 13. cap. 9. Idem de eis ait lib. 2. de Bello cap. 12. *Eorum doctrina eſt, ut fato & Deo tribuant omnia.* Et *magna quidem ex parte* ajebant *in hominibus eſſe ſitum bene vel male facere, ita tamen ut & divina ſe admiſceat providentia.* Quæ ipſorum ſententia non eſt equidem reprehendenda, inprimis quia probari nequit, eos per *fatum* (ut nonnulli de iis ſentiunt) influentiam ac efficaciam ſtellarum, vel cæcam & neceſſario impellentem fortunam intellexiſſe. Quod enim apud eos Fatum nil aliud fuerit, quam divina providentia, ex iſtis Joſephi verbis cernitur, ubi ad vocem *Fato* illuſtrandi gratia addidit & *Deo*, indicans, quid per Fatum intellexerint, nempe non aliud, quam quod à divina providentia proficiſcitur. In eo quoque, quod homini liberum arbitrium ad bene vel male agendum reliquerint, multo fuerunt prudentiores omnibus illis Chriſtianis, qui hominem omni in divinis libertate arbitrii prorſus privant, adeoque partim tacite partim aperte Deum auctorem peccati faciunt.

Quomodo autem Phariſæi cenſuerint bonis vel malis hominum operibus admiſtam fuiſſe Dei providentiam, rurſus ex Joſepho patet, dum lib. 18. cap. 2. de iiſdem ſcribit: *Ajunt omnia fato fieri, homini tamen ſimul libertatem voluntatis concedunt, inquiuntque Deum ſic res dirigere, ut quamvis cuncta divino ipſius fiant conſilio, in hominis nihilominus ſitum ſit voluntate, virtutibus vel vitiis dare operam.* Nimirum Deus permittit hominibus agere, quicquid velint, interim tamen ſolet nonnunquam mala ipſorum opera impedire, & bona adjuvare ac promovere, prout ſapientiæ ejus ac ſcopo divinæ ipſius gubernationis conſentaneum eſt.

Tertium dogma eorum erat, de ſtatu animarum humanarum poſt mortem, quod Joſephus ita expreſſit lib. 18. cap. 2. *Credebant etiam, animos immortales eſſe, & ſubter terram judicari, ac pro cujuſque operibus honeſtis vel pravis, affici animas præmio vel ſupplicio. Alii damnantur ad ſempiternum carcerem, alii vero facile poſſunt in vitam redire.* E quibus verbis perſpicitur, ſenſiſſe eos, animas continuo poſt mortem hominum judicari, ac mercede affici. Hinc Judæus quidam doctus Zachuth ſuper hæc Joſephi

verba ſcribit : *Animæ bonæ oblectant ſeſe de operibus ſuis, & malæ deſcendunt, non aſcendunt.* Præterea docuerunt, animas proborum rurſus in alia corpora reverti ; quod Joſephus in modo adducto loco his ſignificavit verbis, dum inquit, piorum animas *facile poſſe iterum in vitam redire.* Clarius autem id exprimit lib.2. de bello cap.7. ubi diſcribens doctrinam eorum ait : *Confitentur, animas hominum incorruptibiles eſſe, proborumque animas in alia tranſire corpora.* Quæ opinio etſi per ſe abſurda ſit, non tamen mirandum eſt eam inter eos viguiſſe, cum eam facile à Pythagoræis Philoſophis haurire potuerint. Vide quæ dicentur infra Matth. 14. 2. Quod vero nonnulli, quos inter eſt Camero Tom.3. pag.28,29 contendunt, non fuiſſe hanc Phariſæorum ſententiam, quia Chriſtus eam objicere ac perſtringere in Phariſæis non omiſiſſet, nec in diſcipulis ſuis eam tuliſſet : infirmius eſt quam ut clara Joſephi verba poſſit infringere. Chriſtus non omnia reprehenſione digna reprehendit in Phariſæis, ſed ea ſolum, quæ veræ pietati noxia erant, ac curſum Euangelii ejus impediebant. Quid autem hæc opinio nocumenti adferre poterat? Hoc, regerunt iſti, quod vi hujus doctrinæ nulla ſperanda eſſet corporum reſurrectio. At hoc nocumentum eſt non magni ponderis : cum hæc corpora in cælis nobis minime futura ſint uſui, ideoque alia præſtantiora ac glorioſa corpora per reſurrectionem habituri ſimus 1 Cor. 15. 36, 37, 38. In diſcipulis vero ſuis Chriſtus longe graviores toleravit errores, quam iſte fuit, qui etiam forte hanc rem in parvo ponebant diſcrimine : ut, quod Regnum Meſſiæ carnale regnum fore crederent. Qui error tam craſſus tamque gravis fuit, ut eis obſtaculo fuerit in pluribus rebus ad rectam doctrinæ Chriſti intelligentiam. Unde etiam meræ eis fabulæ ac ſomnia erant, quæ eis Chriſtus de ſuis paſſionibus ac morte prædicebat Marc. 9. 32. Neque ullam habet veriſimilitudinem, quod inquit Camero, Joſephum per ἴσον σῶμα non plane aliud corpus, quam quo anima in hac vita veſtita fuit, intellexiſſe, ſed idem illud corpus, ſola tantum figura ac qualitatibus differens : perinde ut corpus Chriſti unum idemque manens, in glorificatione illa, quæ facta eſt in monte ſancto, aliam nactum fuit formam ſeu figuram, ut facies ejus ſplenderet inſtar Solis Matth. 17. 2. Probari enim non poteſt, Phariſæos unquam credidiſſe, corpora eorum in reſurrectione aliam formam habitura, non eam quam habuerunt in hac vita. Etenim ſtatuerunt, ubi Meſſias venerit in terris regnaturus, ſe illis omnibus naturalibus actionibus, quales ſunt edere, bibere, dormire, dare operam liberis (quod ipſum quoque Meſſiam facturum credunt) eſſe functuros. Quare aliud glorioſum ac præſtantius corpus magis ipſis impedimento ad perfruendas voluptates, quas ſibi Meſſiæ regnum allaturum ſperant, quam utilitati foret. Quod ſi vero alia corpora nanciſci debeant, quæ prioribus per omnia ſint ſimilia, nulla foret cauſa, cur non debeant priora retinere. Inſuper nullum eſt in loco illo Joſephi indicium, eum de tempore reſurrectionis mortuorum loqui.

Ex eodem loco Joſephi lib.18. cap.2 videre quoque eſt, eos nullam credidiſſe reſurrectionem impiorum. Ait enim, eos credere, quod *nonnulli damnentur ad æternum carcerem* (id eſt, impii) *alii autem* (nempe pii) *poſſunt facile rurſus in vitam redire.*

Sexta opinio eſt de Sabbatho, in quo licitum eſſe docebant ulnas 2000 ſeu mille paſſus conficere, eoque Sabbathum non violari. Cæteri autem, è quibus etiam Doſitheus erat, tam ſtricte Sabbathum obſervari volebant, ut quo in loco & quo in ſtatu quempiam occupaſſet Sabbathum, ſive ſtantem, ſive decumbentem, ſive ſedentem, in eo ad veſperam ſequentis diei uſque durare teneretur, imo ne ad officia quidem naturæ ei ſecedere liceret. Quam opinionem etiam Eſſenis Joſephus tribuit. Docebant quoque, ſi quis indutus ſit Sabbato calceis, qui ſuppacti non ſint clavis ferreis, nullum eſſe onus, ſed ſi gerantur calcei clavis muniti, onus eſſe, & Sabbathum eo violari : item ſi quis in uno humero aliquid portet, onus eſſe ; ſi in utroque humero, nullum eſſe. In reliquis tam rigidi obſervatores Sabbathi fuerunt, ut ne benefacere quidem Sabbatho permitterent : de quo vide Matth. 12. 2. Luc. 6. 7. Joh.9. 16.

Præter hactenus enumerata dogmata, magnam copiam aliarum traditionum ac dogmatum contra Legem Dei invexerant. Huc facit illud ipſorum dogma, quod ſatius eſſet aliquid ex ſuis facultatibus conferre in uſus Templi, quam in egenos parentes Matth. 15. 5. Chriſtus iſta ipſorum dogmata ac traditiones uno quaſi faſce complexus eſt, cum ait : Matth. 23. 4. *Ligant gravia ac pene intolerabilia onera, imponuntque humeris hominum.*

Quod vitam ac mores Phariſæorum attinet, paucæ ſunt virtutes, è quibus laudari poſſint. Salmaticenſis tamen fol. 139 de iis ſcribit, quod benigni ac miſericordes fuerint : ſed hanc virtutem certe erga Chriſtum & Apoſtolos ejus minime demonſtrarunt. Joſephus quoque teſtatur, *eos fuiſſe affabiles, humanos ac ſociales, mutuamque charitatem & beneficentiam inter ſe exercuiſſe* Lib. 2. de bello cap.20. Præterea Zonaras tradit, eos ſimplici victu ac frugali victitaſſe.

Verum paucas has virtutes obruit & obſcurat ingens cumulus vitiorum, quibus laborabant. Primum enim erant ambitioſi, ſuperbi ac tumidi, * qui gloriam ſanctitatis atque ſapientiæ aliis omnibus præripere geſtiebant : ideoque reliquos ſuſque deque habebant Luc. 18. 11. Joh.7. 49. Feroces erant ob genus & ortum ſuum ex Abrahamo Joh. 8. 39. Matth. 3. 9. Amabant primos accubitus in conviviis & primos conſeſſus in congregationibus, & ſalutationes in foris, volebantque vocari Rabbi, Rabbi Matth. 23. 6, 7. Tanta bonorum operum ſuorum fiducia inflati erant, ut crederent ſe per ea juſtificationem à Deo conſequuturos Luc. 18. 9. Hinc Paulus tam operoſe contra eos diſputat in ſua ad Romanos epiſtola. Erant magni ſimulatores & hypocritæ, qui omnia opera ſua faciebant, tantum ut viderentur ab hominibus. Quod exterius erat, mundabant, interiora plena erant rapacitatis ac injuſtitiæ. Ornabant ſepulchra Prophetarum, & ipſi interim erant interfectores Prophetarum. Matth. 23. 5. xxv. 29. Avaritia eorum erat ingens, ex qua fiebat, ut ſub ſpecie

* Joſeph. lib. 17. cap. 3.

prolixa-

prolixarum precum viduarum domos exederent Matth. 23. 14. Graviſſimi ac infeſtiſſimi erant hoſtes Chriſti & Apoſtolorum, qui curſum Euangelii totis viribus ſufflaminabant; Chriſtoque varios tendebant laqueos, quibus eum captabant, ut eum in periculum adducerent. Vide inter alia Matth. 22. 15. Etiam Johanni Baptiſtæ infenſi fuerunt, criminatique ſunt eum, quod abſque Dei mandato baptiſet Joh. 1. 24, 25. Imo ſcribit Hieronymus in Matth. 17. Phariſæos ſociaſſe operam ſuam in Johanne è vita tollendo. Neque id abhorret à crudeli eorum ingenio, cujus in Chriſto ipſo, à quo tot inſignia ac divina miracula patrari viderunt, ſatis luculentum ſpecimen ediderunt. Idcirco non eſt mirum, tam Johannem quam Chriſtum majori adverſus eos verborum acerbitate uſos, eosque hypocritas, ſtolidos, cæcos, ſerpentes ac viperarum progeniem appellaſſe Matth. 23. 13, 14, 15, 17 & alibi. Magna cura ac labore faciebant Judæorum proſelytos, ſed reipſa faciebant eos filios Gehennæ duplo deteriores quam ipſi erant Matth. 23. 15.

In reliqua vita ſua crebro jejunabant Matth. 9. 14. Luc. 5. 33. Hinc Phariſæus ille gloriabatur coram Deo, quod bis in una ſeptimana jejunaret Luc. 18. 12. nempe ſecunda & quinta feria, ut Epiphanius teſtatur, id eſt, die Lunæ & Jovis. Hujus rei doctiores Judæi hanc afferunt rationem, quod Moſes die Jovis aſcenderit in montem Sinai, & die Lunæ deſcenderit. In jejunando autem deformabant facies ſuas, erantque tetrico vultu Matth. 6. 16. Epiphanius quoque de eis ſcribit, ſolitos eos fuiſſe cubare in aſſere aliquo valde auguſto, ne gravi nimis ſomno obdormiſcerent, & ex aſſere in terram caderent: item quod avenam & ſentes cubilibus ſuis inſternere conſueverint.

Cibum non capiebant, niſi prius manus abluerent. De ritibus eorum in abluendo vide Marc. 7. ℣ſſ. 3, 4, 5.

Cum publicanorum ſeu peccatorum ullo veſci nolebant, quin ne tangi quidem ſe à talibus patiebantur Matth. 9. 11. Luc. 7. 39. Sed nec à plebe promiſcua attingi volebant, quia ſe ſanctiores eſſe autumabant. Vide Eſai. 65. 5.

In precibus erant fervidi & multiloqui ac prolixi Matth. 23. 14. Solenne eis erat in Synagogis & in angulis platearum orare, ut ab hominibus conſpicerentur Matth. 6. 5. Decimas dabant de rebus omnibus Matth. 23. 23. Luc. 18. 12.

Formulis peculiaribus jurandi utebantur, per cœlum, per terram, per Hieroſolymam Matth. 23. ℣ſſ. 16, 17, 18, &c.

In veſtitu ab aliis ſectis ac Judæis diſpares erant. Togas longas geſtabant, lata phylacteria, & magnas faciebant fimbrias veſtimentorum ſuorum Matth. 23. 5. Nonnulli etiam (ut Epiphanius ſcribit) ſpinas ſub veſte latentes gerebant, quæ ipſos inter eundum identidem fodicabant uſque ad ſanguinem. Aliqui ſic incedebant, ut vix pedes à terra attollerent, quaſi pedes haberent amputatos, vel genua eorum ſuffraginibus carerent, eaque inflectere nequirent. Fuerunt, qui inclinato & curvo incedebant corpore: alii tectis & obligatis oculis, ne fœminam ullam aſpicerent: non defuerunt etiam, qui caput ad parietem affligerent, ita ut ſanguinem elicerent.

In res politicæ adminiſtrationis ſe ingeſſerunt, ſpecie ſingularis ſanctimoniæ, qua tum magiſtratui tum plebi oculos faſcinarunt, ut omnia ipſis crederentur, etſi adverſus Regem vel ſummum Pontificem aliquid loquerentur. Joſeph. lib. 13. cap. 18. Sic ſe in regimen Alexandræ Reginæ intruſerunt, ut, teſtante Joſepho, *omnem poteſtatem ad ſe traxerint, ac pro lubitu alios ad munera evexerint, alios dejecerint; alios liberos dimiſerint, alios in vincula conjecerint.* lib. 1. de bello cap. 4. Si quis è Sadducæis officium aliquod obtinuit, cogebatur, Phariſæorum ſententiis ſubſcribere: alias eum populus non diu ferebat. Joſeph. lib. 18. cap. 2. Hinc liquet, quanta ipſorum fuerit apud populum auctoritas, quam ſibi conciliarunt larva illa ſanctitatis aliiſque artibus. Eandem eorum auctoritatem ſatis luculenter arguit quoque id, quod Johannes ſcribit cap. 12. 42. Multos quidem è principibus credidiſſe in Chriſtum, ſed propter Phariſæos non auſos fuiſſe ipſum confiteri, ne è conventu excluderentur.

Eos Aſtronomiæ ſuiſſe deditos, auctor eſt Epiphanius, & quidam è doctis Judæis.

Antequam finem faciamus pauca quædam nobis adhuc de origine hujus ſectæ dicenda ſunt. Joſephus meminit Phariſæorum, ut & Sadducæorum ac Eſſenorum, primum ſub tempora Jonathæ fratris Judæ Macchabæi. lib. 13. cap. 9. Jonathas autem fratri ſuo in regimine ſucceſſit anno ante Chriſtum natum 155. ſecundum Calviſii computationem. Sed quia Joſephus indicat, omnes tres illas ſectas, nempe Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum jam tunc extitiſſe, exinde intelligitur, originem eorum paulo altius adhuc repetendam eſſe. Neque rejicienda eſt illorum doctorum virorum conjectura, qui cenſent eos ab Haſidæis ortos eſſe: quorum mentio eſt 1 Macch. 2. 42. vij. 13. 2 Macch. 14. 6. Cum enim Judæi ſub Antiocho Epiphane Rege Syriæ & Aſiæ (qui fratri ſuo Seleuco in regno ſucceſſit anno ante natum Chriſtum 174.) multas perpeſſi eſſent calamitates, multi etiam è Judæis à Lege deſciviſſent; alii autem iique pauciſſimi in vera religione perſeverarent, & non vulgari zelo eam profiterentur, hi poſteriores Haſidim, id eſt, pii dicti ſunt: ſed ſenſu perfectiore, quam vulgo pii & juſti homines dicuntur. Nam doctiſſimus Judæorum Rabbi David Kimchi ſuper Pſalm 105. 17 ſcribit, diſcrimen inter Zodik, id eſt, *juſtum*, & Haſid, ſeu *pium* (quomodo iſti apud Macchabæos vocantur) hoc eſſe, quod *juſtus* faciat, quæ in lege præſcripta ſunt; Haſid vero ſeu *pius* faciat plus quam lege præceptum eſt. Inde elucet, iſtos Haſidæos apud Macchabæos ſingulari pietate ac zelo in lege excelluiſſe, nec non auſteriorem vitam, quam alii Judæi, duxiſſe. Ob quam ſingularem ſuam pietatem poſtea Phariſæi, id eſt, ſingulares ſeu ſeparati appellati ſunt. Atque hæc de Phariſæis dicta ſufficiant.

II. *De Sadducæis.*

ALtera Judæorum ſecta fuit Sadducæorum, qui nomen hoc ſortiti ſunt à quodam Antigoni diſcipulo Saduc nuncupato, qui hujus ſectæ funda-

menta jecit. Eo modo, quo Ariani ab Ario, Lutherani à Luthero, Calviniani à Calvino appellari solent. Dogmata Sadducæorum erant: primo, quod nihil è Scriptis Veteris Testamenti receperint, præter quinque libros Mosis; id quod non Hieronymus solum, aliique Ecclesiæ Patres antiqui, verum etiam nonnulli Rabbinorum contestantur. Hinc etiam Christus resurrectionem mortuorum eis demonstravit ex Mose Matth. 22. 32. Doctorum quidam arbitrantur, aliquos Sadducæorum in Judæa inter Judæos, alios vero inter Samaritanos habitasse; atque illos etiam Prophetarum libros acceptasse, hos non item: quemadmodum etiam Samaritani solam Mosis Legem quinque libris comprehensam, divinæ auctoritatis esse credebant.

Deinde Sadducæi omnes Majorum traditiones (quas Pharisæi Legem oralem vocitabant) repudiarunt, soli literæ Legis adhærescentes. Unde Charaim, quasi scripturarii dicti sunt.

Fatum seu providentiam divinam plane negarunt, omniaque humano tribuerunt arbitrio, tam mala quam bona, tam adversa, quam secunda. Joseph. lib. 13. cap. 9. & lib. 2. de bello cap. 12. Orig. lib. 13. cap. 9.

Nullam crediderunt resurrectionem mortuorum, neque ullam post hanc vitam pro operibus malis vel bonis retributionem, sed docebant morte tam animam quam corpus simul aboleri atque in nihilum redigi. Matth. 22. 23. Actor. 23. 1. Joseph. lib. 18. cap. 2.

Non credebant etiam esse Angelos, vel in genere ullum spiritum Actor. 23. 8. Quod sane mirum est, cum Mosis receperint libros, in quibus non raro Angelorum ac operationum eorum fit mentio. Unde quidam suspicantur, eos non prorsus negasse dari Angelos, sed tantum per se subsistentes ac immortales spiritus esse. Quemadmodum & hodie multi Judæorum ajunt, Deum sibi tum demum creare Angelum, quando aliquid in terris agendum venit: ubi res peracta fuerit, eum rursus comburere. Idque probant verbis illis Psal. 104. 4. *Facit Angelos suos spiritus, ac ministros suos flammam ignis.*

De moribus eorum scribit Josephus, eos *moribus inconditis & agrestibus fuisse, inter se discordes ac in multas partes scissos, etiam erga exteros inhumanos se præbuisse* lib. 2. de bello cap. 12. Abrahamus Zachuthus ait, eos *impios, ac depravatis moribus fuisse.* In judiciis rigidi ac severi & immisericordes erant, aliosque Judæos in eo antecellebant. Vide Euseb. lib. 2. cap. 23.

Apud populum odio magno laborabant. Josephus de eis testatur lib. 18. cap. 2. *Huic secta pauci adhærebant, dignitate tamen sunt præcipui, etsi raro ex ipsorum sententia res gerantur.* Quod etiam summus Pontifex aliique sacerdotes Sadducæi fuerint, testis est Judæus Abrahamus Salmat. Confer. Actor. 4. 1. & v. 17.

De ortu hujus sectæ hoc tradunt Hebræi, quod Antigonus Socer Pontificis summi Simonis Justi, (qui circa annum 298. ante natum Christum Pontificatum consecutus est) sic instituerit suos discipulos: *Non debetis imitari servos, qui heris suis pro mercede ac stipendio ministrant, sed esse instar servorum, qui dominorum suorum imperata faciunt, nulla remunerationis spe, solusque timor cœli* (id est, Dei) *sit super vos.* Ex hac Antigoni doctrina duo ipsius discipuli seu scribæ, Sadduc (à quo Sadducæi orti sunt) & Baithos, ansam arripuerunt ad credendum falso, nullam remunerationem post hanc vitam esse expectandam, ideoque nullam fore mortuorum resurrectionem. Hinc duo isti Antigoni discipuli capita & auctores Epicuræorum nuncupantur. Equidem cum nonnisi expressæ legis literæ mordicus addicti fuerint, nullasque alias traditiones admiserint, mirum non est, eos nullum aliud præmium virtutis ac obedientiæ, nec ullam aliam pœnam inobedientiæ dari credidisse, quam quæ in Lege erat constituta. In Lege autem non reperiebatur alia promissio quam temporariæ prosperitatis, nec aliæ extabant pœnæ propositæ, quam quæ cum hac vita simul terminabantur. Quî ergo potuerunt resurrectionem mortuorum credere? Quod autem Pharisæi eam crediderint, id nulla clara & expressa promissione nitebatur, sed natum est è recta & rationali consideratione divinæ bonitatis atque omnipotentiæ Dei, à quo pii semper optima quæque sperare habent. Vide quæ hac de re fuse disputata sunt in Prolegomenis de Titulo Novi Testamenti cap. 2. De tertio discrimine Veteris & Novi Fœderis.

III. *De Essenis.*

TErtia Secta inter Judæos (hujus autem in Sacris Literis Novi Testamenti nulla extat mentio) fuit Essenorum vel Hessæorum.

Hæc maxima ex parte in dogmatibus ac traditionibus cum Pharisæis consentiebat, & potissimum tantum moribus ac vivendi modo differebant. Philo Judæus integrum de hac secta exaravit librum, cujus titulus est, de vita contemplativa, in quo eam laudibus propemodum in cœlum evehit. Quæ Josephus de ea perhibet lib. 2. de bello cap. 12. strictim hic referemus. Ait ille, è tribus sectis hanc fuisse laudatissimam, ut quæ aversata sit voluptates corporis non secus quam gravissima flagitia. Hinc à matrimonio abstinentia inter eos viguit, non quod statum conjugalem illicitum esse censerent, sed quod crederent, nullam fœminam castitatis decus servare viro suo illibatum. Divitiarum cura ac desiderio non tangebantur, omnia sua bona habebant communia (uti hodie habent Anabaptistæ Hutteriani) & quisquis ordini ipsorum adscribi volebat, tenebatur possessiones suas in commune conferre.

Ungi oleo odorifero turpe ac indecorum esse ducebant.

Procuratores suos habebant, qui rem communem curabant, inter se autem alii aliis servire parati erant.

Non omnes in una habitabant civitate, sed hinc inde sparsi erant per oppida, in quibus domos suas habebant: & qui ex ipsorum ordine ad eos aliunde veniebant, perinde bonis eorum atque ipsimet fruebantur.

Nulla gestabant arma, nisi in via propter latrones.

In cultu

In cultu dĭ vino erant religioſi ac ſeduli: Ante ſolis ortum inter ſe de nullis rebus terrenis colloquebantur, ſed tantum de divinis. Deinde impendebant tempus laboribus uſque ad horam quintam (id eſt, undecimam antemeridianam) poſtea corpus frigida abluebant, & conveniebant in amplum quoddam cœnaculum ad communem cibum capiendum.

Accumbentibus ac ſilentibus apponebat piſtor ſingulis buccellam panis, & coquus ſcutellam cum ejuſdem generis edulio. Tunc ſacerdos invocato numine benedicit menſam, ante quam benedictionem nefas erat cuiquam cibum ſumere. Idem mos ac ritus in cœna qui in prandio adhibebatur. Inter edendum modeſtiam ſervabant, à ſtrepitu, ac tumultu abſtinentes. Cauſa eorum ſedatæ ac compoſitæ vitæ eſt perpetua moderatio: non enim niſi ad neceſſitatem & vitæ conſervationem cibis utebantur.

Liberales erga egenos erant, ab iracundia ſibi temperabant: fidei ac promiſſionum tenaces erant, pacique ſtudebant. Simplex affirmatio ipſis pro juramento erat, quo ipſi nunquam utebantur. Arti medicæ erant dediti.

Qui ſe ipſorum ſectæ addicere geſtiebant, aliquantiſper capiebatur experimentum eorum caſtitatis ac temperantiæ, antequam ad communem menſam admitterentur. Poſthæc rigidiſſimo ſacramento obſtringebatur ad ſerviendum Deo ante omnia, ad exercendam erga homines juſtitiam, ad fidem magiſtratui ſervandam, ad veritatem amandam, ad manus à furto, & animam ab injuſto quæſtu impollutam conſervandum: denique ad ſecreta ſectæ ſuæ nemini alieno evulganda, ita ut mors potius, quam hoc fiat, oppetatur.

Ex adverſo ipſi ſpondent, ſe nullam aliam doctrinam ei tradituros, præter eam, quam à ſuis acceperunt majoribus: præterea deteſtantur omnia homicidia, & ſe obligant ad libros ſuæ profeſſionis & ad nomina Angelorum diligenticura aſſervandum.

Si qui ſe peccato aliquo obſtrinxerint, eos è congregatione ſua ejiciunt, taleſque ut plurimum miſerrima morte perire coguntur. A nullo enim alio homine talibus cibus vel potus præbetur, ſed pecudum ritu herbis vitam tolerare coguntur, donec fames omnia eorum membra emaciet, ac totum pene corpus abſumat: poſtea tamen multis, cum jam ferme in extrema ſunt conſtituti vitæ neceſſitate, gratia fit, atque in conſortium rurſus recipiuntur. Cenſent enim hac tam gravi pœna peccata eorum ſatis eſſe expiata.

In ſuis judiciis erant ſeduli ac juſtitiæ obſervantes, ſedebantque ad judicandum viri non pauciores centum, quod hi decernebant, violare ac tranſgredi nefas erat. Si quis ipſorum Legiſlatorem probris proſcinderet, morte mulctabatur.

Ubi eorum decem covenerant, non erat integrum ulli loqui abſque reliquorum novem conſenſu.

Sabbathum religioſius quam ulli alii Judæi obſervabant, ut ne requiſita quidem naturæ perageret. Poſtero die exonerabant alvum in ſcrobe effoſſa, tecti quam diligentiſſime longa veſte, ne quam oculis Dei contumeliam facerent, rurſuſque ſcrobem illam terra obruebant.

Tyrones ac novitii in ipſorum familia minori erant in pretio, quam cœteri. Si horum quempiam illi contrectaſſent, confectim aqua ſe abluebant.

Ad ſeram ſenectutem perveniebant, nam ferme centeſimum annum attingebant: quod Joſephus exiſtimat factum beneficio tenuis victus ac boni ordinis.

In adverſis patientes & magnanimi erant, quod potiſſimum in bello cum Romanis enituit, cum illorum membra contunderentur, & præter alia tormenta ac cruciatus, etiam ignem & uſtulationes experirentur, propterea quod auctorem legis ſuæ convitiis inceſſere, vetitoſque cibos ſumere nollent. Torti non mittebant lacrymas, non miſericordiam implorabant, ſed in mediis cruciatibus exquiſitiſſimis ridebant, tortoreſque ſuos ludibriis afficiebant.

Animas hominum credebant eſſe immortales, & ſtatim poſt mortem hominum gaudio perfrui. Conſentiebant enim in hac ſententia cum Græcis, dicebantque, piorum animas volitare trans mare, ubi omnis generis voluptates ac gaudia ipſis præparata ſint, atque in illa regione nullam eſſe tempeſtatem, pluviam, ac nives, neque nimium calorem, ſed eam à Zephyro vento placidiſſimo, qui ab Oceano oritur, leniter perflari ac grato frigore refocillari. Contra improborum animas commorari loco inamæno, tempeſtuoſo ac ventis obnoxio, ubi nil niſi ejulatus & lamentationes exaudiantur, & nil niſi indefinentia tormenta ſentiantur.

Permulti eorum de futuris rebus vaticinabantur, ac raro fallebant eorum præſagia ac prædictiones.

Erat quoque aliud genus Eſſenorum, qui in moribus ac dogmatibus ab aliis haud differebant, tantum in conjugio, quo utebantur, ſed magna cum moderatione. Simul atque fœmina fiebat gravida, maritus ejus concubitu abſtinebat: quo ipſo teſtabantur, ſe connubia contrahere non ex cupiditate carnali, ſed humani generis propagandi ſtudio. Atque hæc habet Joſephus de Eſſenis.

Ut de ortu quoque hujus ſectæ aliquid dicamus, non eſt à vero abhorrens eorum virorum doctorum opinio, qui cenſent, eos æque ut Phariſæos ab Haſidæis, id eſt, *piis* 1 Macchab. 2. 42 trahere originem, ac aliquos ex iis, poſterioribus temporibus, propter vitam ab aliis Judæis diſcretam, *Phariſæos*, id eſt, ſeparatos dictos eſſe; hos autem Haſidæorum nomen retinuiſſe, quod poſtmodum parva mutatione in Eſſæorum nomen converſum ſit.

Quod in Sacris Literis Novi Teſtamenti, nulla ipſorum fiat mentio, in cauſa eſſe videtur vita eorum ſolitaria & à conſortio populi remota, cui neque ſe illi immiſcere, neque eum docere ſolebant. Dubium tamen non eſt, multos ex iis, ac forte plures quam ex aliis ſectis, doctrinam Chriſti ſuſcepiſſe, quia propter probitatem ſuam ad id aliis longe aptiores erant.

V. APPENDIX.

Verſ. 17.

Quod Chriſtus aperte à Deo ſummo diſtinguatur, ideoque Deus ſummus eſſe nequeat.

CUm Deus ſummus Chriſtum voce cœlitus edita eſſe dilectum filium ſuum declararit, ex eo ſolidiſſimum ſumimus argumentum, quod Chriſtus

ſtus non ſit Deus ſummus. Simpliciter enim ac ſine ulla alia adjectione à Deo diſtinguitur. Eſt autem notiſſima illa univerſalis regula veritatis: *Quæ inter ſe ſimpliciter diſtinguuntur, illa non ſunt eadem.* Cum ergo Chriſtus hoc loco manifeſte à Deo tanquam filius ejus diſtinguatur, ſequitur omnino, Chriſtum illum ipſum Deum ſummum non eſſe, cujus eſt filius. Non tantum autem iſto in loco, ſed in infinitis quoque aliis locis Scripturæ, ſimpliciter & abſque omni adjectione à Deo Chriſtus diſtinguitur: ut ita quot loca talia in Scripturis reperiuntur, totidem argumenta habeamus ejus rei, quod Chriſtus Deus ſummus non ſit. Utque ex innumero numero exemplorum aliqua tantum attingamus, quæ deinde poſſunt Chriſtiano lectori cætera in memoriam revocare, quam ſæpe Chriſtus in Sacra Scriptura *Dei filius* nuncupatur Matth. 8. 29. XIV. 33. XVI. 16. Marc. I. 1. III. 11. V. 7. XIV. 61. Luc. I. 32, 35. IV. 41. Joh. I. 34. III. 16. V. 25. VI. 69. IX. 35. XX. 31. Act. 8. 37. Rom. I. 4. Gal. 2. 20. IV. 4. Eph. 4. 13. Col. I. 13 coll. cum ℣. 15. 1 Joh. I. 7. III. 8. IV. 9. Hebr. I. 1, 2, 3, 5. V. 8, 10. Apoc. 2. 18. Alibi Verbum ſeu Sermo Dei vocatur Apoc. 19. 13. Alio loco dicitur, eum in principio apud Deum fuiſſe Joh. I. 1, à Deo miſſum eſſe Joh. 3. 17. Gal. 4. 4, à Deo exiviſſe Joh. 16. 27, 30, panem Dei eſſe, qui de cœlo deſcenderit Joh. 6. 33, eum in forma Dei apparuiſſe, & Deo æqualem fuiſſe Phil. 2. 6. Idem Dei imago appellatur Col. I. 15, dicitur conſediſſe ad dexteram Dei Hebr. I. 3, factus eſſe à Deo Dominus ac Chriſtus Act. 2. 36, conſtitutus eſſe à Deo judex Act. 10. 42. Et quis omnia loca Scripturæ, quæ ferme infinita ſunt, enumeret? Jam vero extra omnem eſt controverſiæ aleam, in omnibus hiſce locis nomine *Dei* ſummum Deum intelligi. Cum itaque Chriſtus toties tam clare à Deo ſummo diſcriminetur, fieri nequit, ut ipſe ſit Deus ſummus. Quomodo enim ſummus Deus eſſe poſſit, quando eſt Dei ſummi filius, vel verbum, vel imago? Nemo poteſt eſſe is ipſe, cujus eſt filius. Eodem modo ſe res habet in aliis quoque rebus, in quibus Chriſtus à Deo tam diſerte diſtinguitur. Si vero Chriſtus, ut vulgo creditur, ipſe eſſet Deus ſummus, ſequeretur, vel duos eſſe Deos ſummos, illum nimirum nomine *Dei* comprehenſum, & deinde Chriſtum; vel Chriſtum à ſeipſo diſtinctum eſſe, id eſt, eum ſui ipſius filium, Verbum, imaginem eſſe. Quorum utrumque, ſeipſum manifeſta contradictione perimit.

Ad hoc tam clarum argumentum adverſa pars duobus reſpondere ſolet modis. Primo ajunt, in his & ſimilibus locis nomine *Dei* ſolum Patrem intelligi. Cum vero Chriſtus perſona alia ſit quam Pater, non eſſe mirum, quod Chriſtus à Deo diſtinguatur. Verum iſta reſponſio non poteſt conſiſtere. Nam ſi nomen *Dei* quatenus Deum altiſſimum denotat, tam Chriſto quam Patri competeret, nulla eſſet cauſa, ob quam nomen hoc pro Patre peculiariter accipiatur, atque à Chriſto hac ratione diſtinguatur. Quomodo enim poteſt Pater à Filio hoc nomine diſtingui, ſi utrique nomen hoc ſit commune? Profecto ſi tam Filius quam Pater ſit Deus altiſſimus, & perinde queam Filium à Patre diſtinguere, ut Patrem ſimpliciter ac ſine ulla adjectione Deum dicam; nihil cauſæ eſt, cur non filium quoque ſic poſſim à Patre diſtinguere, ut Filium ſimpliciter Deum appellem, nempe quemadmodum dico, Filius Dei, ſic etiam dicam, Pater Dei. Quis vero ex adverſariis noſtris exiſtimet, id recte dici poſſe, & filium bene ſic à Patre diſcerni? Quis unquam legit, Pater Dei, Pater Deum miſit, Pater Deum pro nobis tradidit, &c. Aures ipſæ illico tales locutiones reſpuunt. Jam vero ſi hoc abſurdum eſt, neceſſe eſt hoc quoque abſurdum eſſe, quando dico, Filius Dei, Deus miſit Filium ſuum, &c. Si nimirum Filius idem ille Deus ſit, qui Pater eſt. Alii reſpondent, Chriſtum in his aliiſque ejuſmodi locis ſecundum humanam naturam, non autem ſecundum divinam à Deo diſtingui.

At primum ubi, quæſo, in his & aliis infinitis omnibus hujuſmodi locis Sacræ Scripturæ uſquam humanæ naturæ fit mentio? Quam facile fuiſſet Spiritui Sancto, in tanta locorum copia vel ſemel indicaſſe, ſecundum humanam naturam id intelligendum eſſe: ne ulla eſſet occaſio hominibus in tam gravem errorem (qualem Adverſarii noſtri eſſe cenſent) incidendi? Cum vero id nuſquam factum eſſe legatur, ſed Chriſtus ſemper ſimpliciter ac ſine ulla humanæ naturæ mentione à Deo diſtinguatur, facile ex eo colligitur, eum prorſus ac omnino à Deo diſtinctum eſſe, adeoque Deum ſummum non eſſe. Deinde plurima ſunt Sacræ Scripturæ loca, in quibus, ipſorum adverſariorum noſtrorum confeſſione, Chriſtus non ſecundum humanam naturam, ſed ſecundum divinam conſideratur: ut cum dicitur, Filius Dei, ſeu unigenitus Dei Filius; item cum aſſeritur, fuiſſe in principio apud Deum, miſſus eſſe à Deo in mundum, è cœlo deſcendiſſe & à Deo exiviſſe, Deo æqualis fuiſſe, & ſimilia. Quare legitime hinc infertur, Chriſtum in his ſimilibuſque locis, totum, quantus quantus eſt, conſiderari, & à Deo diſtingui. Adhæc alibi demonſtrabitur à nobis, hoc eodem modo etiam Spiritum Sanctum à Deo ſimpliciter & ſine omni alia conſideratione vel additamento diſtingui. Atqui de Spiritu Sancto dicere nequeunt adverſarii, eum à Deo ſecundum humanam naturam diſtingui. Oportet igitur aliam eſſe cauſam, quæ etiam in Chriſto habeat locum, cum utrobique diſtinctionis ratio ſit eadem. Cauſa autem iſta non poteſt eſſe alia, quam quod neque Spiritus Sanctus, neque Chriſtus ſit Deus altiſſimus.

Alii cum videant, ſe nulla harum reſponſionum poſſe quicquam proficere, omnia conantur evertere, dum negant, illam è ratione petitam regulam: *Quæ inter ſe ſimpliciter diſtinguuntur, illa non ſunt eadem*; in divinis ac ſupernaturalibus rebus habere locum, ſed tantum in naturalibus. Nempe in naturalibus poſſe ſic argumentum procedere: Johannes Baptiſta eſt Zachariæ filius, Ergo Johannes Baptiſta non eſt Zacharias ipſe; Chriſtus eſt Mariæ filius, Ergo Chriſtus non eſt Maria; Salomon eſt Davidis filius, Ergo Salomon non eſt David, &c. At in infinita illimitata Deitate poſſe fieri, ut ſecunda Trinitatis perſona Dei ſummi filius ſit, & ſimul etiam ipſe Deus ſummus.

Verum hoc nihil eſt niſi ſine mente ſonum, & verba ſine ſenſu vel umbram ſine corpore dare. Cum enim

enim hoc rationis principium ubique in naturalibus rebus verum ſit, ita ut ne unicum quidem detur exemplum contrarium: omnino illis incumbit probare, rem in divinis aliter ſe habere. Nuda aſſertio abſque probatione nil niſi ventus eſt & inane ſtramen. Demonſtrandum eſt, in Deitate ſumma poſſe perſonam unam eandemque ſimul Deum eſſe unicum atque altiſſimum, & unius quoque altiſſimi Dei filium, adeoque reipſa eſſe. Imo hac ratione poſſet hoc principium rationis etiam in naturalibus negari, dicique, quod univerſale non ſit. Ex. c. dici poſſet, in Europa ſic ſe rem habere, ut Filius non ſit idem, qui Pater, ſed in India Orientali, vel in extrema Africæ ora eſſe regionem quandam, ubi filius & pater nonniſi unicam perſonam conſtituat. An hoc aliquis abſque probatione credere atque recipere vellet? Sed pars adverſa etiam invita cogitur id ipſum dicere, quo veritas hujus allegati rationis principii etiam in divinis confirmatur. Unde enim norunt, tres perſonas Deitatis, quas credunt, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres plane diſtinctas perſonas eſſe, ut Filius non ſit eadem perſona quæ Pater, & Spiritus Sanctus, ſed ſecunda perſona? Cur tantopere contra Sabellianos diſputant, qui contendunt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe niſi unam perſonam? Nonne id ſit vi iſtius principii rationis, cui nullum volunt dari in rebus divinis locum? Nimirum ita illi argumentantur: Quicunque ab altero ſimpliciter diſtinguitur, ille non eſt is, à quo diſtinguitur. Filius à Patre ſimpliciter diſtinguitur (eo ipſo ſcilicet, quia eſt Patris Filius) Ergo Filius non eſt is ipſe (intellige, illa eadem perſona) qui Pater eſt. Ad hunc modum proinde etiam ſic concludi poteſt. Quicunque ab altero ſimpliciter, diſtinguitur, ille non eſt is, à quo diſtinguitur. Atqui Chriſtus à Deo Altiſſimo ſimpliciter diſtinguitur, dum filius Dei nominatur. Ergo Chriſtus non eſt Deus altiſſimus. Quod ſi hic ad illam nimis abſurdam diſtinctionem inter eſſentiam & perſonam confugiant, primamque hujus Syllogiſmi propoſitionem, ſeu jam ſæpius indicatum illud rationis principium non ſimpliciter, ſed cum hac limitatione admittant, ut dicant, eum qui ab altero *eſſentialiter* diſtinguitur, non eſſe eundem cum eo, à quo diſtinguitur, Chriſtum autem non eſſentialiter à Deo altiſſimo diſtingui, ſed tantum perſonaliter, ſeu quoad perſonam; multo magis ſe intricant, & hæc reſponſio cum prima jam ſupra à nobis refutata coïncidit. Dico enim: Quicunque ab altero eſſentialiter diſtinguitur, ille non eſt idem: (quam propoſitionem adverſa pars urget.) Atqui Chriſtus dum tanquam Filius à Deo Patre diſtinguitur, eſſentialiter ab eo diſtinguitur: (cum Pater ſit Deus eſſentialiter.) Ergo Chriſtus non eſt idem ille Deus, qui eſt Pater. Atque hæc hactenus.

VI. APPENDIX.

Ad verſ. 16, 17.

Refutatio falſæ argumentationis de Trinitate, ac potiſſimum qua probatur, Spiritum Sanctum eſſe perſonam divinam. Ubi contra demonſtratur, Spiritum Sanctum non eſſe Deum ſummum.

EX illa miraculoſa hiſtoria, Baptiſmi Chriſti in Jordane peracti, quam Matthæus ỳſ. 16 & 17. hujus capitis deſcribit, quomodo ſcilicet Spiritus Sanctus columbæ in modum de cœlo in Chriſtum deſcenderit, atque Deus Chriſtum edita voce filium ſuum eſſe dilectum declaraverit, vulgo creditur ſumi poſſe ſolidum & invictum argumentum Trinitatis, atque inprimis probari, Spiritum Sanctum eſſe perſonam ſupremæ divinitatis. Vetus hæc eſt cantilena, quam & hodie Trinitatis patroni occinunt: *Abi Arriane ad Jordanem, ibi videbis Trinitatem.* Ac profecto ſi Trinitas ſit, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Pater quidem, qui tanquam Deus altiſſimus in cœlo ab omnium hominum oculis ſemotus habitat, & pro ſua divina poteſtate hominibus imperat, filioque auctoritatem de ſua majeſtate conciliat; Filius vero, qui tanquam verus homo à Johanne in Jordane baptiſatus, & dein Spiritu Sancto cœlitus repletus eſt; Spiritus Sanctus denique, qui tanquam res quædam de cœlo demittitur, & qua Chriſtus completus fuit; ſi, inquam, hæc ſit Trinitas, jure merito is, qui Trinitatem negat, ad Jordanem ablegatur. Nos ſane, qui nonnunquam etiam eo ire jubemur, jampridem iſtic per Dei gratiam fuimus, ac Trinitatem iſtam vidimus; ſed tantum abeſt, ut hoc loco Trinitas ejuſmodi, qualis hodie docetur, ſeu tres diſtinctæ perſonæ in una eademque eſſentia videri poſſint, ut contrarium potius hic appareat. Ubi enim hic vel leviſſimum cernitur indicium unius indiviſibilis eſſentiæ, quæ Patri, Filio & Spiritui Sancto communis ſit? Eademne eſt numero eſſentia Dei Patris, qui è cœlo loquitur, nec unquam inde deſcendit; & ejus, qui in Jordane baptiſabatur, veruſque homo erat; & tandem rei illius, quæ in corporea forma de cœlo in eum deſcendit? Equidem ſi Chriſtus in Jordane baptiſatus eandem habet eſſentiam, quam Pater de cœlo vocem mittens, & Spiritus Sanctus, in ipſum deſcendens, ſequetur, Chriſtum etiam de cœlo ad ſe ipſum eſſe locutum, eundemque in ſe ipſum cœlitus deſcendiſſe: imo Patrem in Jordane baptiſatum eſſe, atque in Chriſtum deſcendiſſe, & Chriſtum quoque in Patrem deſcendiſſe. Breviter, unaquæque harum trium perſonarum (ſi modo omnes perſonæ ſint) ea fecit omnia, quæ hic in ſpecie de ſingulis dicuntur. Cujus enim eſſentia de cœlo deſcendit, ille ipſe deſcendit. Atqui Patris eſſentia de cœlo deſcendit, cum Spiritus Sanctus deſcendit, qui eandem habet cum Patre eſſentiam. Ergo Pater ipſe de cœlo deſcendit: & ſic de reliquis. Hoc autem cum abſurdiſſimum ſit,

ac con-

ac contradictionem implicet, dicendum potius, Deum qui de cœlo locutus est, aliam habuisse essentiam, quam Christum, qui in Jordane baptisatus est, & Spiritum Sanctum, qui super eum cœlitus descendit. Quo pacto Trinitas illa, quæ hoc loco quæritur, multo magis evertitur, quam stabilitur. Quamobrem illi, qui talem urgent Trinitatem, ipsimet ad Jordanem ablegandi sunt, ut veram Trinitatem, quæ isthic apparuit, propius contemplentur, ac rectius discant agnoscere. Ac Arianos quidem nos jure possumus eodem remittere, cum illi statuant Dei filium esse invisibilem quendam Spiritum, qui ante mundum conditum à Deo factus ac productus sit è nihilo. Verum adversarii nostri, qui filium ejusdem essentiæ esse cum Patre statuunt, tantum abest, ut Arianos eo mittere queant, ut potius hi illos eo ablegare possint.

Nos vero hoc loco non omnia urgebimus, quæ dici possent; sed hoc solum, quod de Spiritu Sancto asseritur, excutiemus, ut arma, quibus adversum nos pugnant, non tantum extorqueamus è manibus eorum, sed etiam in eos, retorqueamus: id est, ut non modo argumentum, quo perperam ex hoc loco probatur Spiritum Sanctum esse personam supremæ Deitatis diluamus, verum etiam ex eodem demonstremus, eum supremum Deum non esse.

Arguunt illi ex eo, quod testatur Euangelista, Spiritum de cœlo descendisse, & in corporea forma (ut Lucas loquitur) nempe columbina apparuisse, sequi, Spiritum Sanctum non esse meram virtutem, & qualitatem, sed substantiam quandam, seu rem per se subsistentem. Descendere enim & formas seu species assumere ac sustinere, nonnisi substantiarum est. Porro quia neque Pater, neque Filius, sed solus Spiritus Sanctus de cœlo descendit, & corpoream illam formam assumsit, exinde patere ajunt, Spiritum Sanctum esse talem substantiam, quæ à Patre & Filio realiter distincta sit. Et cum alibi in Sacris Literis dicatur Spiritus Sanctus omnia scrutari, etiam profunda Dei 1 Cor. 2. 10, & similia intelligentibus propria de eo pronuncientur, ex eo confici censent, eum substantiam intelligentem esse. Substantia autem seu suppositum intelligens est persona. Manifestum itaque esse, Spiritum Sanctum non esse nudam qualitatem atque vim, sed personam à Patre & filio distinctam. Tanto opus est apparatu & tot consequentiis, ut Spiritus Sancti persona hinc eliciatur, quam se nobis una cum cæteris duabus apud Jordanem monstraturos pollicebantur. Non potest enim eorum Trinitas videri, nisi cernantur tres personæ, & quidem ita, ut personas esse agnosci possit.

Ad hoc eorum argumentum quid reponendum sit, paulo post indicabimus. Nunc ex eo, quod partim in præsenti legitur historia, partim ab adversariis affirmatur, demonstrabimus, Spiritum Sanctum non esse Deum altissimum. Contendunt illi, si Spiritus Sanctus sit Deus ille altissimus, eum necessario debere esse ejusdem cum Patre ac Filio essentiæ. Alioquin vel duos pluresve Deos fore altissimos; vel Patrem, aut Filium, quem itidem pro Deo altissimo habent, non fore Deum altissimum. Jam vero ex hac Spiritus Sancti apparitione liquet, aliam esse Spiritus Sancti essentiam, quam Patris & Filii. Cum enim Christus baptisaretur, essentia Patris & Filii tum de cœlo non descendit, nec corpoream illam formam assumsit. Quare concludendum est, essentiam Spiritus Sancti non esse essentiam Patris, neque Filii, sed hanc aliam esse, illam quoque aliam. Si igitur Spiritus Sanctus aliam habet essentiam, quam Pater & Filius, perspicuum est, eum non posse esse Deum altissimum, quia hac ratione vel ipsis adversariis fatententibus plures summi Dii forent.

Quod vero hic objiciunt, non essentiam, sed personam tantum Spiritus Sancti de cœlo descendisse, ac corpoream formam in se recepisse, est inane effugium. Quomodo enim persona aliqua potest de cœlo descendere si ejus essentia in cœlo maneat? Essentia uniuscujusque rei est id, quod res: itaque & personæ alicujus essentia est idem quod persona. Qui ergo dici potest, personam Spiritus Sancti de cœlo descendisse, essentiam autem ejus, id est, id ipsum, quod est Spiritus Sanctus, in cœlo remansisse? Quælibet persona est substantia, substantia autem est essentia per se subsistens. Cujus itaque persona descendit ac corpoream formam assumit, ejus essentia, etiam id facit. Deinde jam ante vidimus, adversarios ipsos urgere, id quod descendit & in corporea forma apparuit, non fuisse vim nudam, sed non potuisse non esse substantiam. Cum ergo Spiritus Sanctus descenderit, necessario sequitur, essentiam ejus descendisse. Et etiamsi tandem concederetur, in divinis personam non esse ipsam essentiam, sed aliquid in essentia (quod tamen impossibile est, quia naturæ suppositi atque adeo & personæ repugnat, in altero inesse) non tamen posset ulla persona descendere & formam corpoream assumere, quin simul essentia, à qua persona hæc quasi dependet, eaque nititur, descenderet. Secundo alia etiam compendiosiori via ex eo, quod Spiritus Sanctus super Christum de cœlo descenderit, idque in forma corporea, demonstrare possumus, eum summum Deum non esse. Summus enim Deus non movetur de loco in locum, ac proinde è cœlo non descendit. Præterea etiam in Deum nulla cadunt accidentia: corporea autem illa species, in qua Spiritus Sanctus apparuit, ut & ille ipse descensus, accidens est. Ergo Spiritus Sanctus non est summus ille Deus.

Hunc ictum ut evitent * aliqui ex adversariis, ita rem explicant, ut satis appareat, eos non tribuere Spiritui Sancto proprie descensum, nec velle, eum formam illam corpoream assumsisse, sed vel corpus quoddam verum, quod non ipse Spiritus Sanctus, sed aliud quippiam fuerit, forma columbina descendisse, vel oculis hominum speciem duntaxat descendentis columbæ fuisse objectam, quæ signum esset præsentiæ & operationis Spiritus Sancti, replentis Christum donis, ad functionem muneris ejus necessariis. Causamque hujus rei hanc reddunt, quod essentia divina sit infinita, ideoque non posse ei duos terminos assignari, alterum à quo, & alterum ad quem

* Vide Spanhem. part. 3. dub. 45.

feratur:

quemadmodum in explicatione textus annotatum eſt, falſaque hæc opinio ſimul refutata. Sed ſi hoc iſta eſt, concidit primo tota ſuperior adverſariorum argumentatio, qua tam operoſe tantoque circuitu probare annixi ſunt, Spiritum Sanctum eſſe rem per ſe ſubſiſtentem, adeoque ſubſtantiam ac perſonam à Patre filioque realiter diſtinctam. Nam ſi Spiritus Sanctus non proprie de cœlo deſcendit, ſi non ille ipſe in corporea ſpecie apparuit, ſed tantum ſpecies aliqua corporis videntium oculis objecta fuit, cum revera corpus nullum eſſet; vel verum quidem corpus fuit (ut Maldonatus & Auguſtinus ſentiunt) non tamen ipſe Spiritus Sanctus, ſed quippiam aliud Spiritum Sanctum adumbrans, quomodo ex eo concludetur, Spiritum Sanctum eſſe ſubſtantiam aut perſonam? Improprie enim & per tropum etiam de talibus rebus dici poteſt, quod deſcendant de cœlo, quæ non ſolum perſonæ non ſunt, ſed ne ſubſtantiæ quidem. Ut inter alia Jacobus inquit: *Omnis datio bona & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* cap. 1. 17. Poſſunt quoque eædem externa quadam ſpecie figurari, & oculis hominum objici, uti inter alia docet id, quod in Actis Apoſtolicis cap. 2. 3 de prima illa effuſione Spiritus Sancti in die Pentecoſtes legimus. Diſpertitæ enim illæ linguæ, tunc viſæ, exhibuerunt ſeu adumbrarunt facultatem ſive donum variarum linguarum quod diſcipulis Chriſti per Spiritum Sanctum fuit communicatum. Nihil autem obſtat, quominus eædem etiam moveri viderentur ab uno loco in alium. Quam multæ hujuſmodi ſpecies ac viſiones olim Prophetis objectæ fuerunt, quas partim externis oculis, partim internis viderunt? Quocirca tali explicatione adverſariorum poſita, nihil ex deſcenſu Spiritus Sancti, exque forma ejus corporea excerpi poterit, quo Spiritum Sanctum ſuppoſitum, vel etiam perſonam eſſe demonſtrari queat.

Deinde tametſi adverſarii hoc totum figurate velint de Spiritu Sancto accipi, nihilominus tamen oportet ut concedant & agnoſcant, peculiarem quandam operationem Spiritus Sancti, non Patris, neque Filii, aut ſaltem potiſſimum & ſingulari ratione Spiritus Sancti hic adumbratam fuiſſe. Cur enim alioqui non diceretur, Pater & Filius quoque in forma corporea deſcendiſſe? At ſi Spiritus Sanctus eandem haberet eſſentiam, quam habet Pater & Filius, ſtatuendum eſſet, horum duorum operationem non minus quam Spiritus Sancti, forma ſeu ſpecie, ac deſcenſu illo fuiſſe expreſſam vel adumbratam. Ejuſmodi enim operatio manat ab eſſentia, quæ omnem vim operandi in ſe habet. Cum autem adverſarii ponant in Patre, Filio & Spiritu Sancto unam duntaxat eſſe eſſentiam, eandem quoque omnium iſtarum trium perſonarum operationem eſſe neceſſe eſt. Hoc vero cum adverſa pars admittere nolit, & præterea loco huic Matthæi repugnet, ſequitur, Spiritum Sanctum aliam habere eſſentiam, aliam item Patrem, & aliam Filium, ac porro Spiritum Sanctum Deum ſummum non eſſe: niſi velint adverſarii vel tres ſummos Deos introducere, vel negare Patrem eſſe ſummum Deum; quorum neutrum, opinor, facient.

Illud hic adhuc obſervandum, etiamſi dicatur, Spiritum Sanctum in forma corporea de cœlo deſcendiſſe, facileque intelligi poſſit, quod etiam vulgo omnes credunt, eundem etiam die Pentecoſtes in corporea quadam ſpecie apparuiſſe; eum tamen neque hic, neque alibi dici in forma alicujus perſonæ apparuiſſe: ſicut de Patre & Chriſto, nec non de Angelis legimus, cum in certa forma apparuerunt. Si Spiritus Sanctus perſona eſſet, cur non etiam ipſe in perſonæ ſpecie ac forma apparuiſſet? Nam ſive columbæ forma illa fuit, ut vulgo creditur, in qua Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum deſcendit, ſive alia aliqua; certum tamen eſt, perſonæ eam formam non fuiſſe. Etenim neque columba, neque ignis perſona eſt: cum perſona eſſe nequeat, quicquid intellectu caret.

Quod autem adverſarii ex Apoſtoli verbis 1 Cor. 2. 10 probare ſatagunt, Spiritum Sanctum intellectu eſſe præditum, quandoquidem dicitur omnia ſcrutari, id ad illum locum diſcutiemus: nunc ſufficit uno verbo dicere, nihil ſolidi ex illis verbis ad rem, de qua agitur, probandam deſumi poſſe, quia per proſopopœjam innumeris rebus, quæ perſonæ non ſunt, imo ne ſubſtantiæ quidem, tales adſcribi ſolent in Sacris Literis actiones, quæ non niſi perſonis proprie competunt. Ut cum Apoſtolus 1 Cor. 13. 4 de charitate loquitur, tanquam de perſona: *Charitas eſt longanimus, charitas benigna eſt, charitas non invidet, non agit perperam* &c. Sic etiam de ſanguine Chriſti dicitur, quod loquatur Hebr. 12, & de Lege Rom. 3. 19, & de Sacra Scriptura Joh. 7. 38, de cœlis, quod enarrent gloriam Dei, & firmamentum annuntiet opera manuum ejus Pſal. 19. 1, 3, 4, de unctione, quod doceat 1 Joh. 2. 27, de ſanguine, quod teſtetur 1 Joh. 5. 8, de virga Dei, quod conſoletur Pſal. 23. 4, ut aliis permultis locis recenſendis nunc ſupeſſedeam.

CAPUT IV.

Argumentum & Partitio.

In ſecunda parte capitis præcedentis Euangeliſta primum modum, quo Chriſtus ad munus ſuum Propheticum eſt præparatus, deſcripſit; nempe per unctionem Spiritus Sancti. Nunc deſcribit alterum, nempe per tentationem à Diabolo, in qua ſpecimen ſuæ in Deum fiduciæ præclarum edidit.

Duabus autem Caput hoc conſtat partibus. In priori narratur, quomodo Chriſtus à Diabolo tentatus ſit, quæ extenditur uſque ad verſ. 12. In poſteriori deſcribitur, quomodo Chriſtus reipſa munus ſuum inchoaverit, partim docendo, partim diſcipulos nonnullos vocando, partim miraculis doctrinam ſuam confirmando. Quæ pars uſque ad finem capitis porrigitur. Poteſt autem hæc poſterior pars rurſus in tria membra diſpeſci, ut verſ. 12 videbimus. Ut adeo quatuor hujus capitis conſtitui poſſint partes.

PARS I.

IN deſcriptione hujus hiſtoriæ Matthæus varias exprimit ejus circumſtantias, nempe locum, occaſionem

ſionem ſive cauſam, tempus, modum, & eventum tentationis.

Verſ. 1. *Tunc.*] Nimirum ſtatim poſt baptiſmum ſuum, ut ex Marco patet, qui ait: *Statim duxit eum ſpiritus in deſertum.*

Abductus eſt Jeſus in deſertum.] Quodnam fuerit hoc deſertum, Interpretes pro more ſuo variant ſententiis. E Scholaſticis quidam, abſque omni fundamento ac ratione aſſerunt, id fuiſſe locum illum inter Hieroſolymam & Jericho ſitum, ubi viator ille in latrones incidit Luc. 10. 30. Atqui locum iſtum fuiſſe deſertum non legitur, imo potius ab hominibus habitatum fuiſſe veriſimile eſt: ac proinde non fuit ad tentationem idoneus. Præſtat cum Maldonato ſentire, quod hoc deſertum idem illud ſit, in quo Johannes Baptiſta fuit educatus, & uſque ad inchoationem muneris ſui vixit, deſertum nempe illud Judææ, quod ad Jordanem in longum verſus Orientem protendebatur, ut ſupra cap. 3. 1 annotavimus. Quemadmodum igitur Johannes ex interioribus iſtius deſerti locis ad exteriora Jordani adſita progreſſus eſt, ad obeundum munus ſuum; ita Chriſtus à Jordane in interiorem deſerti partem, ubi feræ ſtabulabantur Marc. 1. 13. ad tentandum abductus eſt. Tales ſolitudines & loca ab omnium hominum ſocietate remota commodiſſima ſunt, ut Diabolus in iis poſſit homines omni genere tentationum aggredi.

Abductus eſt.] Græce ἀνήχθη, id eſt, *ſubductus eſt.* Jordanes enim, ubi Chriſtus à Johanne fuit baptiſatus, humiliori erat loco, quam deſertum, quod à Jordane quaſi ſurgebat in altum.

A ſpiritu.] Nimirum à Sancto Spiritu, qui paulo ante ſuper ipſum de cælo deſcenderat, eumque repleverat. Quod enim is ipſe ſpiritus hic intelligatur, indicat articulus τῷ πνεύματι, *illo ſpiritu*, quo digitus quodammodo intenditur ad certum ſpiritum, illum ſcilicet, cujus modo facta fuerat mentio. Quæ res etiam ex Luca aliquanto clarius intelligitur, qui cap. 4. 1 inquit: *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto reverſus eſt à Jordane, & ductus eſt in ſpiritu* (id eſt, per ſpiritum, ſeu impulſu illius ſpiritus) *in deſertum.* Marcus quoque ait: *Et ſtatim ejecit ipſum ſpiritus in deſertum*, intellige, per efficacem quendam inſtinctum atque impulſum, quem Spiritus Sanctus in eo operatus eſt. Quare hic nullo modo malus ſpiritus ſeu Diabolus per ſpiritum deſignari cenſendus eſt. Is enim hoc loco alio appellatur nomine, nempe *Diabolus*, ad differentiam indicandam ab illo ſpiritu, quo Chriſtus in deſertum abductus eſt. Ut ita alius ſit ſpiritus, qui Chriſtum abduxit, & alius, qui eum tentavit, prout ℣. 3 peculiariter exponitur, quomodo & quando Diabolus Chriſtum aggreſſus fuerit. Et ſi Matthæus per ſpiritum Diabolum intellexiſſet, dixiſſet potius: *Tunc Jeſus ductus fuit in deſertum à ſpiritu, ut ab eo tentaretur.* Nunquam etiam in Sacris Literis Diabolus ſimpliciter *ſpiritus* nuncupatur, ſed ſemper cum epitheto *malus*, vel *impurus*, vel ſimili vocatur, aut certe talis additur deſcriptio, ex qua protinus intelligatur, de impuro ſpiritu ſermonem eſſe; ut Matth. 8. 16. Marc. 9. 20. Ne de eo nunc quicquam dicam, abſurdum eſſe ſtatuere totum hoc negotium Diaboli impulſu eſſe factum. Et cum etiam ſimul divino inſtinctu id factum ſit, non minus abſurdum eſſet, Matthæum ſolius mali ſpiritus meminiſſe, de bono autem ac Sancto Spiritu Dei nullam prorſus mentionem feciſſe. Ideo autem Euangeliſta memorat, Chriſtum impulſu Spiritus Sancti in deſertum ſe contuliſſe, ut intelligatur, eum non temere aut ultro ſeſe Diabolo tentandum obtuliſſe, ſed divino impulſu atque conſilio id factum fuiſſe.

Quomodo vero Spiritus Chriſtum in deſertum duxerit, à Scriptoribus Euangelicæ hiſtoriæ non deſcribitur. Non eſt autem credibile, eum à ſpiritu per aërem eſſe raptum; quemadmodum de Habacuco legimus Babylonem delato Adject. Dan. cap. 14. 35, & de Philippo Actor. 8. 39. Non enim id reticuiſſent Euangeliſtæ. Sed probabile eſt, Chriſtum pedibus iter hoc confeciſſe, at impulſum & ductum à Spiritu Sancto. Quomodo vero Diabolus infra ℣. 5 & 8 Chriſtum Hieroſolymam & in montem excelſum duxerit, ibidem explicabitur.

Ut tentaretur à Diabolo.] Græca vox Διάβολος, proprie ſignificat *calumniatorem*, qui omnem adhibet operam, ut alios falſis criminibus oneret ac infimulet, præcipue coram Deo; cujus rei exemplum clariſſimum habemus in Jobo Job. 1. 9 & ſeqq. Unde etiam *Mendax*, & *Pater Mendacii* dicitur Joh. 8. 44, nominatur etiam *Satanas*, id eſt, *Adverſarius*, de quo infra ℣. 10, *Beelſebul* Matth. 10. 25, *Accuſator* Apoc. 12. 10, *Serpens antiquus* Apoc. 12. 9. xx. 2, *Draco* Apoc. 12. 3, 4, *Malus* Matth. 6. 13 & alibi, *Tentator* infra verſ. 3, *Princeps* & *Deus hujus mundi* Joh. 12. 31. 2 Cor. 4. 4, *Princeps habens poteſtatem in aëre* Epheſ. 2. 2, *habens poteſtatem mortis* Hebr. 2. 25. De quibus omnibus appellationibus ſuo loco plenius agetur.

Diabolus iſte Princeps eſt & caput malorum Angelorum, qui ſe cum tota turma ac legione eorum ſuperbe Deo oppoſuit, dum ſua ſorte haud dubie non contentus, ad altiora adſpiravit, ideoque de cælo in aërem, ubi nunc dominatur, detruſus eſt 2 Petr. 2. 4. Jud. verſ. 6, quique aliquando una cum impiis hominibus in æternam damnationem deturbabitur Matth. 25. 41. Mali autem genii, qui ipſi ſubſunt, communiter *dæmonia* vel *dæmones* appellantur Matth. 7. 22. viij. 31, ipſe vero eorum princeps dicitur Matth. 12. 24.

Tentaretur.] Vox πειράζειν, *tentare* proprie denotat ſumere experimentum alicujus rei de aliquo, ſeu explorare aliquem, utrum ſciat, vel judicet, vel credat, vel poſſit, vel velit, id quod tentatione quæritur. Atque hoc experimentum vel exploratio fit aut verbis aut factis; utrumque autem rurſus variis modis, quos omnes hic recenſere ſupervacuum eſt. Perſonas quod ſpectat, quæ tentant vel tentantur, aut Deus tentat homines, aut homines tentant Deum, aut homo alter alterum tentat, aut Diabolus tentat homines.

De tentatione, qua Deus homines tentat, habemus inſigne exemplum præter alia in Abrahamo, cum ipſi Deus præceptum dediſſet de immolando unico filio Iſaaco Gen. 22. 1, 2 & ſeqq. quo pacto Deus conſtantiam fidei ejus explorare voluit. Vide

etiam

etiam Exod. 16. 4. xx. 20. Deut. 13. 13 & ſeqq. Sic tentat Deus fideles ſuos omni tempore per afflictiones ac crucem, ut eorum patientiam, fidem ac fiduciam erga ſe explorare queat. Duplici vero id Deus facit ratione, vel ut ipſe tentationem immittat, vel ut tentationem ab hominibus vel à Diabolo fieri permittat. Quod utrumque ita moderatur, ne tentatio unquam vires hominum ſuperet, ut ſi velint, & prò virili certent, eam vincere queant 1 Cor. 10. 13.

De tentatione, qua homo tentat Deum loquitur Chriſtus infra verſ. 7.

De tentatione, qua homo alter alterum tentat, exempla plurima habemus in Phariſæis, qui Chriſtum tentarunt, ut Matth. 16. 1, ubi periculum facere volebant, an etiam ſignum de cælo poſſit facere. Et Matth. 19. 3, ubi ſententiam ejus de divortio expiſcari voluerunt. Item Matth. 22. 15, ubi quid de cenſu Cæſari dando ſentiret, explorare geſtierunt. Vide quoque 1 Reg. 10. 1.

De tentatione, qua Diabolus homines tentat, habemus hic exemplum in Chriſto, & olim in Jobo.

Porro animadvertendum eſt, etſi omnis tentatio, propria ſignificatione ſumpta, proximum ſibi ſcopum hunc habeat præfixum, ut tentans à tentato aliquid reſciat, atque expiſcetur, non tamen hanc ſcientiam eſſe ultimum tentationis finem, ſed collimare ac reſpicere ulterius. Nimirum quod Deum attinet, quando is homines tentat, tum id fit eorum bono; nullius damnum is quærit, ſed ſalutem; fitque id vel ad emendationem vel ad confirmationem in bono. Talem vero finem non ſemper habent homines ſibi propoſitum, quando alios tentant. Sæpenumero enim quærunt eorum interitum ac infortunium, ut in ſupra indicatis exemplis Phariſæorum cernitur, qui Chriſtum eo fine quæſtionibus ſuis tentarunt, ut aliquid ex ſermonibus ejus arriperent, quo eum in periculum conjicerent. Sic fit non raro, ut alter alterum eo fine tentet, ejuſque animum ſenſumque exploret, quo eum ad peccandum inducat. Ex. gr. cum quis mellitis verborum globulis, dictiſque quaſi papavere ac ſeſamo ſparſis, tentat virginem, quis ſit ejus in cuſtodienda virginitate ſenſus, non alio fine, quam ut eam ſupplantet, & labi faciat.

Diabolum quod attinet, ejus unicus ſcopus eſt, homines in peccata & extremam perniciem, tam animæ quam corporis præcipitare. Cum enim homines tentat, ut eorum ſenſum animique inclinationem aliaſque circumſtantias exquirat, non alio id facit fine, quam ut norit, ubi & quomodo laqueos ſuos quam aptiſſime debeat tendere ad homines peccato implicandos. Atque hæc Diaboli tentatio proprie tentatio dicitur, quia per eam aliquid expiſcatur. Quando vero Diabolus abſque antecedenti exploratione hominibus varia tendit retia, ut quorum ſenſum ac conditionem jam probe habet cognitam, eos ad peccata alliciat, vel in aliud infortunium inducat, id improprie tentatio nuncupatur: cum id potius ſtimulatio & ſcandalum ſit, quam tentatio. Si vero Deus Diabolo præcipiat hominem tentare, ut Jobo factum, vel alio modo Dei providentia interveniat, id pertinet ad illud tentationis genus, qua Deus hominem tentat, atque hoc medio ac inſtrumento hominis habitudinem, quidve facturus ſit, explorat.

Ita etiam per proſopopœjam improprie vocatur tentatio, quando quis à ſua propria carne ſeu carnalibus concupiſcentiis ad malum allectatur. Tentare enim eſt proprie res nonniſi perſonis competens, ut & allicere ſeu incitare. Hic incidit quæſtio: Quomodo Deo Omniſcienti attribui queat, quod homines tentet? De qua vide 1 Appendicem hujus capitis. Porro quæritur: Quis ſcopus ac finis hujus tentationis fuerit? quam quæſtionem abſurde nimis proponunt illi, qui eam ſic formant: Quare Chriſtus voluerit à Diabolo tentari? Quaſi Chriſtus ipſe hoc negotium ita inſtituiſſet, ut proprio motu in deſertum abierit, eo fine, ut à Diabolo tentaretur. Cum tamen nemini fas ſit ejuſmodi tentationibus ſe objicere ac ultro offerre; quin potius Chriſtus docuerit diſcipulos ſuos orare Deum, ne eos inducat in tentationem: tantum abeſt, ut ipſi in tentationem ſemet inferre debeant. Hoc loco legimus, Chriſtum per Spiritum eſſe actum in deſertum, fierique poteſt, ut ipſe, in quem finem id factum ſit, ignoraverit, ſed ibidem expectaverit, quid ipſi Deus injuncturus, vel cum ipſo facturus eſſet. Finis autem hujus tentationis Chriſti fuit, quod Deus voluerit experimentum capere Chriſti fiduciæ, ejuſque nobis ſpecimen in principe ac duce noſtræ ſalutis proponere, ſimulque oſtendere, tunc potiſſimum nobis Satanæ inſultus eſſe metuendos, cum nos ad ſerviendum Deo accingimus. Satanas enim ſtudet maxime initiis obſtare, noſque à Dei obſequio in ipſo limine avocare, quia jam confirmatos non tam facile poteſt ab eo abducere. Quanquam & poſtea tentare nos non intermittet, ſi modo ſe ei offerat occaſio.

Interpretum nonnulli in eas haud abſurdas cogitationes veniunt, quod hac tentatione Chriſti videatur impletum eſſe, quod adumbratum ac figuratum fuit ſub Veteri Teſtamento, cum Iſraëliticus populus per deſertum quoque ductus, ac variis modis in fide ſua exploratus eſt.

Verſ. 2. *Et cum jejunaſſet quadraginta dies & quadraginta noctes.*] Græcum verbum νηστεύειν, *jejunare*, proprie ſignificat *impaſtum eſſe*, non edere. Itaque illi nequaquam jejunant, qui à certo tantum ciborum genere abſtinent, aliis interim cibis ad ſatietatem ſe reficientes. At hoc Chriſti jejunium fuit verum jejunium, ut ex Luca clariſſime patet, qui ſcribit, Chriſtum *nihil illis diebus comediſſe* cap. 4. 2. Ubi ſimul intelligendum, eum neque bibiſſe quicquam. Non enim hoc eſt legitimum jejunium, ſi quis à cibo tantum abſtineat, potu autem corpus ſuum refocillet. Ex quo manifeſtum eſt, eos qui 40 diebus, à die Cinerum uſque ad feſtum Paſchatis, eſum certorum ciborum, ac inprimis carnis fugiunt, de cætero autem nullis ciborum lautitiis abſtinent, nihil minus facere, quam jejunare, quod hic Chriſtus fecit. Neque in ulla re alia conſiſtit inter ipſos & Chriſtum ſimilitudo, quam quod per totidem dies, quot Chriſtus abſque cibo ac potu omni fuit, illi cibo ac potu ſe ingurgitent ad ſaturitatem. Si dicant, impoſſibile ſibi eſſe eo modo jejunare, quo Chriſtus jejunavit, libet ex eis quærere: Quis præceperit eis Chriſtum in jejunando imitari? Imo ex eo ipſo, quod impoſſibile ſit Chriſtum in eo imitari, recte colligitur, à Deo id nobis mandatum non eſſe, cum is nihil,

hil, quod eſt ſupra vires noſtras, hominibus imponat. Multo magis vero etiam quærere licet; Ubi nobis præceptum ſit, ut quia in jejunando Chriſti exemplum imitari non poſſumus, per dies 40, aliud quippiam faciamus, & quidem prorſus contrarium ei, quod ille fecit.

Diverſum etiam fuit hoc Chriſti jejunium à jejuniis olim apud Judæos, & hodie apud nonnullos Chriſtianos uſitatis, quibus per integrum diem à cibo ac potu abſtinetur, poſt Solis autem occaſum demum aliquid cibi capitur. Chriſtus vero per totos quadraginta dies & noctes, nihil plane cibi ac potus cepit. Fuitque adeo hoc jejunium ſupernaturale, quale etiam Moſis Exod. 34. 28 & Eliæ 1 Reg. 19. 8 fuit: naturaliter enim non poteſt homo ultra nonum diem abſque cibo durare.

Quadraginta dies & quadraginta noctes.] Hoc dictum eſt vel Hebraica conſuetudine loquendi, qua *dies & nox* ſimpliciter pro uno die ſumitur, etſi nox non accedat; de quo vide Matth. 12. 40 vel Matthæus idcirco noctium mentionem expreſſe addidit, ut indicaret, Chriſtum non vulgari Judæorum more jejunaſſe, ſeu ſingulis diebus circa veſperam cibo ſe refeciſſe, ſed toto 40 dierum ac noctium ſpatio ne tantillum quidem guſtaſſe, prout Moſes quoque & Elias fecerant.

Quæritur: An Chriſtus ſponte tam diu jejunarit, an vero id ex Spiritus Sancti inſtinctu, aut ex ſingulari Dei mandato factum ſit? Cum Chriſtus impulſu Spiritus in deſertum ductus fuerit, facile intelligere potuit, non id temere & abſque cauſa factum: quapropter ſeſe per ſpontaneum jejunium præparavit ad ea, quæ Deus cum ipſo tunc agere vellet. Præterea cum per unctionem Spiritus Sancti fuerit ad munus ſuum ſanctificatus, dubium non eſt, quin à jejunio cum fervidiſſimis precibus juncto id auſpicari voluerit. Jejunium enim maximam vim ac momentum ad pietatem confert, dum animum ad preces ac devotionem inflammat. Hinc etiam Chriſti exemplo, Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ jejunium cum precibus conjunxere Actor. 13. 3. XIV. 23.

Quærunt etiam Interpretum nonnulli: Cur Chriſtus præciſe 40 dies & noctes, non diutius, nec etiam brevius jejunarit? Verum idem etiam, quocunque numero dierum poſito, quæri poſſet, etſi nullum in eo ineſſet myſterium. Nihilominus tamen videtur non ſine Dei conſilio id factum: nimirum hoc jejunium ſimile eſſe jejunio Moſis & Eliæ, Deus voluit, ut in Chriſto miraculum ederetur non minus, quam in illis. Ut autem plures quam 40 dies jejunaret Chriſtus, ad hoc miraculum non requirebatur.

Quod autem quidam è Patribus, quos Maldonatus nominat, cenſuerunt, latere in ipſo numero quadragenario peculiare myſterium, quia ſæpius in Scripturis fuerit adhibitus (Vide Gen. 7. 4. viij. 6. XXV. 20. XXVI. 34. L. 3. Exod. 16. 35. XXIV. 18. XXVI. 19. Num. 13. 26. XIV. 33. XXXIIJ. 38. Deut. 8. 2. IX. 9. XXV. 3. Joſ. 14. 7. Judic. 3. 11. xiij. 1 & alibi) tum demum eis fidem adjungemus, ubi nobis myſterium iſtud, in quo conſiſtat, monſtrarint ac ſolidis rationibus comprobarint. Numerus ſeptenarius longe adhuc frequentior eſt in Sacris Literis, ut ex Concordantiis cerni poteſt, citiuſque in eo myſterium aliquod inveniri poſſet, quam in numero quadragenario: uti apud Euſebium de præpar. Euangel. videre eſt. Sed non eſt hic plura de eo dicendi locus.

Poſtea eſurivit.] Apparet ante exactos 40 dies Chriſto jejunium non fuiſſe moleſtum: poſtea autem eum ſenſiſſe moleſtiam, & quidem majorem, quam homines ex vulgari jejunio, quo ad veſperam à cibo abſtinetur, ſentire ſolent. Quod eo pertinuit, ut tanto majorem haberet Satanas opportunitatem primum telum ſuum in Chriſto experiendi.

Si Chriſtus fuiſſet Deus altiſſimus, nullum fuiſſet miraculum, quod 40 dies jejunarit. Deus enim etiam longius jejunus eſſe poteſt. Sed hoc potius miraculum ſuper omnia miracula fuiſſet, ſi Deus altiſſimus eſuriviſſet.

Verſ. 3. *Et accedens Tentator dixit ei: ſi Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.*] Græce ὁ πειράζων, *tentans*, vel *qui tentat*, pro *tentatore* eſt Hebraiſmus. Aut ſenſus eſt, qui propoſuit ſibi, vel, qui hoc fine prodiit, ut Chriſtum tentaret. Cæteroquin autem eſt hoc Diaboli attributum, adeoque proprium quodammodo ejus nomen ac titulus, ut ex 1 Theſſ. 3. 5 perſpicitur, ubi ait Apoſtolus: *Ne forte tentaverit vos is qui tentat*, id eſt, tentator, qui homines tentare ſolet.

Accedens ad eum dixit.] Hoc loco quæritur, an tentatio, quam hic mox ſubjungit Matthæus, fuerit plane prima; vel an durante illo 40 dierum jejunio alia adhuc anteceſſerit? Marcus enim ita hanc rem narrat: *Et erat ibi in deſerto dies quadraginta, & tentabatur à Satana* cap. 1. 13. Quæ verba fere indicant, tentationem per totos illos 40 dies duraſſe. Sed neceſſe non eſt, ut verba hoc modo accipiantur; quia ſenſus eſſe poteſt, poſtquam Chriſtus 40 dies fuiſſet in deſerto, tentatum eum fuiſſe à Satana, nempe poſt elapſos illos 40 dies. Lucas autem adhuc expreſſius loquitur cap. 4. 2. *Erat quadraginta dies tentatus à Diabolo.* Quæ verba adhuc apertius ſignificare videntur, quod tentatio illa per 40 dies duravit. Unde * præſtantiſſimi quidam Interpretes cenſent, Satanam non quidem palam & aperto quaſi Marte per illos 40 dies cum Chriſto fuiſſe congreſſum, ſed veluti eminus eum telis ſuis petiiſſe: at ubi eſurire cœpit, cominus cœpiſſe cum eo pugnare. Ideo dicit Matthæus: *Et accedens ad eum tentator:* nempe cum maxime eſurire cœpiſſet, aperte ad eum acceſſit. Sed etiam Lucæ verba poſſunt hunc habere ſenſum, quod Chriſtus à Spiritu ductus ſit in deſertum, & 40 dies ibi fuerit, poſteaque à Diabolo tentatus ſit: ut ita Lucas per prolepſin tentationem cum 40 diebus conjungat, rem primo in genere proponens, quam deinceps diſtincte enarrat. Quod enim Diabolus Chriſto non ante ſe patefecerit, quam optimam nactus occaſionem eum aggrediendi, quam ei ſuppeditavit Chriſti eſuritio, exinde colligitur, quod ipſi metuendum fuerit, ne ſi tentatione levi ac parvi momenti ſe Chriſto, quis eſſet, manifeſtaret, irritus foret omnis conatus. Proba-

* Crellius.

bile

bile enim eſt, Chriſtum non prius quam in tertia tentatione animadvertiſſe, ſibi cum Diabolo eſſe negotium : quemadmodum infra ℣. 10 rectius explicabitur.

In qua ſe forma ſeu ſpecie Diabolus Chriſto conſpiciendum dederit, Euangeliſtæ quidem haud exprimunt : veriſimile tamen eſt, eum aſſumpſiſſe viri alicujus formam : ſicut boni quoque Angeli hominibus apparere ſunt ſoliti.

Si Filius Dei es dicat lapides iſti panes fiant.] Apud Lucam ſcriptum eſt : *Dic lapidi huic, ut fiat panis* cap. 4. 3. Senſus idem eſt, etſi in verbis aliqua ſit diverſitas : neque novum ac inſolitum eſt Euangeliſtis, ut alius verba ipſa, alius rem tantum ac ſententiam verborum referat.

Qua in re proprie vis hujus tentationis conſiſtat, quidve Diabolus ea quæſiverit apud Chriſtum efficere, ex ipſo textu non ſatis liquet. Prima fronte videtur non adeo malum fuiſſe Diaboli poſtulatum, nec Chriſto nociturum, etſi lapides in panes tranſmutaſſet, hocque miraculo ſe Dei filium eſſe demonſtraſſet. Sæpius enim talia edidit miracula, ut cum aquam in vinum convertit, panes multiplicavit, &c. Neque temeritati imputari potuiſſet, ſi hoc feciſſet miraculum ; ſed potius neceſſitati, cum ipſe fame premeretur, nec ulla alia ejus ſedandæ ratio ad manus eſſet. Non poſtulavit quoque Diabolus, ut Chriſtus lapides illos in delicatos verteret cibos, qui magis conducerent ad voluptatem quam ad naturæ uſum, ſed ut panem ex iis faceret, qui ſimpliſſimus cibus eſt, & homini maxime neceſſarius. Interim extra omne dubium eſt, Diaboli finem, quem hac tentatione habuit ſibi propoſitum, fuiſſe malum, & voluiſſe eum ad tale quippiam Chriſtum adducere, ut in Deum aliqua ratione peccaret. Theophylactus cenſet, Diabolum voluiſſe perſuadere Chriſto, ut ad nutum ſeu poſtulatum ſuum ederet miraculum : quod in Diaboli quodammodo redundaſſet gloriam ac honorem, ſi Chriſtus ſic illico ipſi morem geſſiſſet. Sed verba à Diabolo addita, *ſi filius Dei es*, innuunt, eum non hoc, ſed aliud quippiam quæſiviſſe. Ut enim quis faciat voluntatem Diaboli ſimpliciter eo fine, ut ſuum ergo eum obſequium teſtetur, id ille ab unoquoque homine, qui nihil minus quam Dei filius eſt, poſtulare poteſt. Quare Diabolus hac tentatione hoc videtur quæſiviſſe, cum videret Chriſtum adeo eſurientem, voluit efficere, ut is dubitare inciperet, an vere eſſet ita dilectus Dei filius, qualem eum paulo ante vox cœlo miſſa declaraverat, atque adeo facto ipſo vocis iſtius veritatem exploraret. Quaſi dicat : ſi tu es Dei filius, ut arbitraris, voce præſertim iſta perſuaſus, quam nuper de cœlo audiviſti, ſume hujus rei in tanta tua neceſſitate experimentum. Ecce nunc gravi laboras fame, indigeſque pane, quo vitam conſerves. Cum verò hic nihil videas, ex quo panis queat confici, præter hos lapides, age dic ſeu effice, ut illi in panes convertantur. Hoc ſi fiat, tum demum certus eſſe poteris, te Dei filium eſſe. Si non fiat, juſtam habebis dubitandi de eo cauſam, utrum Dei filius ſis ; imo ex eo intelligere poteris, id plane falſum eſſe, vocemque illam revera non à Deo profectam eſſe.

Dic, ut lapides iſti panes fiant.] Verba hæc duplicem patiuntur ſenſum. Primo vel ſic poſſunt accipi, quod voluerit indicare Satanas, Chriſtum ſi Dei filius ſit, uno verbo id effecturum. Vel ſecundo ita, *Dic*, intellige, ad Deum, ſeu ora Deum, ut velit ex his lapidibus panes efficere. Etſi enim Diabolus quoque hanc vocem cœlitus allatam audierit, & igneam columbæ ſpeciem ſuper Chriſtum deſcendentem viderit, fieri tamen potuit, ut neſciret ipſe, Chriſto tunc tam divinam poteſtatem ac vim fuiſſe communicatam, ut potuerit lapides ſolo juſſu in panes convertere.

Hi lapides.] Digito monſtrabat lapides, uti ſupra Johannes Baptiſta cap. 3. 9. Nominat autem lapides, non aliquid aliud, quod Chriſtus in panes commutare debeat, quia ipſi tunc lapides in oculis jacebant, & quia lapides externa forma quodammodo ſimiles eſſe ſolent panibus. Unde etiam Chriſtus infra ait cap. 7. 9 : *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi oraverit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei?*

Verſ. 4. *Ille autem reſpondens dixit.*] Cur Chriſtus cum Diabolo colloquium inſtituerit, nec protinus ad primam ejus aggreſſionem ipſum repulerit, de eo vide infra ℣. 10.

Scriptum eſt : Non in pane ſolo vivet homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.] Locus hic extat Deut. 8. 3, ubi Moſes ſic Iſraëlitas affatur : *Jehova Deus tuus afflixit te penuria, & dedit tibi Manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Ubi panis nomine, familiari Hebræis conſuetudine, omnis cibus hominibus uſitatus intelligitur. Senſus autem horum verborum eſt, non pane ſolo hominis vitam conſervari poſſe, ſed etiam omni alia re, quam Deus ipſorum ſuſtentationi ſervire velit ac mandet. Nam per *omne verbum, quod procedit de ore Dei*, intelligitur omnis res, quam Deus potenti mandato ſuo efficiat, & hominum nutrimento ſervire velit. Eſt enim in his verbis metaphora ab hominibus ſumpta, qui verbum, quo aliquid mandant ac præcipiunt, ex ore emittunt, & hoc modo rem quam volunt efficiunt. Quanquam vocabulum *verbi* hoc loco ſumi poteſt pro re ; ut Luc. 1. 37. 11. 15. Act. 10. 37, quod ſcilicet homo vivere queat *unaquaque re*, quam Deus ei in cibum præbere voluerit.

In eo autem vis reſponſionis Chriſti conſiſtit, quod haudquoquam neceſſarium ſit, ut ad vitam ſuam à fame conſervandam, ex lapidibus panes conficiat, aut Deum, ut id faciat, oret ; multo minus, ut inde experimentum capiat, utrum vox illa cœlitus delapſa, qua pronunciatus fuit Dei filius, vera Dei vox fuerit : quandoquidem Deus ſe & quemvis alium hominem etiam abſque pane ſuſtentare poſſit, ut quondam Iſraëlitas ſuſtentavit, atque adeo Deus quacunque ratione voluerit hominis vitam conſervare queat, ſive id per media fiat, ſive minus. Quapropter ſe quoque victurum, tametſi eſuriat modo, tametſi panes ex lapidibus fieri non jubeat. Qua reſponſione ſignificavit Chriſtus, non tantum ſe non dubitare de re tam clara ac manifeſta, nempe de eo, quod ſit Dei filius ; ſed etiam ne ad aliam quidem ullam de Dei ſive potentia ſive providentia paterna

dubitationem vel diffidentiam adduci poſſe. Idcirco ne mentionem quidem ejus rei facit, quod in eo conſtanter perſtet, ut credat, ſe eſſe Dei filium, ſed eo, tanquam re nimis aperta, prætermiſſo, commemorat id, quod minus erat, & in quo proclivior erat, præſertim urgente fame, in diffidentiam lapſus, atque in eo quoque neutiquam ſe Dei paternæ providentiæ diffidere demonſtrat.

Verſ. 5. *Tunc aſſumit eum Diabolus in Sanctam civitatem.*] Hic differentia quædam cernitur inter Matthæum & Lucam, quoad tentationum ordinem. Lucas enim hanc tentationem tertio loco ponit, eam vero quæ tertia eſt apud Matthæum, ſecundam facit. Vide hac de re ad Lucam cap. 4. 5.

Offert ſe hoc loco quæſtio: Quomodo Diabolus Chriſtum ſecum in civitatem ſanctam aſſumſerit? An Chriſtus ſponte eum comitatus ſit: an vero Diabolus eum per aërem rapuerit, ſicut Spiritus Dei Philippum? Act. 8. 39. Pro prima ſententia militant duæ rationes. Prima eſt, quod Lucas utatur verbo ἄγω, ducere, *Et duxit eum Hieroſolymam* cap. 4. 9. Altera eſt, quod abſurdum videatur dicere, Deum tantam Satanæ in ſanctiſſimum Chriſti corpus permiſiſſe poteſtatem, ut rapere illud per aërem pro libitu, ac quo vellet tranſferre poſſet. Nihilominus plerorumque tam veterum quam recentiorum Interpretum conſonat calculus, quod per aërem delatus ſit. Qui priori adhærentes ſententiæ, abſurdum putant eſſe, ſtatuere, Chriſtum vi quadam à Diabolo fuiſſe abreptum, illi non animadvertunt, non minus abſurdum eſſe ſtatuere, Chriſtum Diabolum ducentem ſponte ſua fuiſſe ſecutum, atque adhuc abſurdius, in ſummam Templi pinnam cum eo aſcendiſſe. Quæ enim cauſa eſſet, ut Chriſtus ita Diabolum ducentem ſequeretur, & in eum locum iret periculoſiſſimum, unde facillimus eſſet in terram lapſus. Certe ſi is Diabolo ſuadenti, ut ſe de prinna præcipitaret, obtemperare noluit, ne tentaret Deum, non ſtitit etiam ſe ſponte eo loco, ubi in præſentiſſimum vitæ periculum potuiſſet incidere. Id enim jam tentationis Dei fuiſſet initium. Et cum uterque & Matthæus & Lucas ſcribat, Diabolum *conſtituiſſe* Chriſtum ſuper pinnam Templi, ſatis ſignificat, Satanam Chriſti corpus eo detuliſſe, ibique depoſuiſſe. Qui autem Chriſti corpus vel ad breve tempus potuit ponere, ubi voluit, cur non etiam poſſit Deo permittente per aërem rapere? Quod vero rationes prioris ſententiæ attinet, apud Græcos, & quidem LXX. Interpretes verbum ἄγω *ducere* non ſemel commutari ſolet cum verbo φέρω, *ferre*. Deinde nihil in eo abſurdi eſt, ut vidimus, ſi dicatur, Deum tentandi cauſa permiſiſſe poteſtati Diaboli corpus Chriſti, ita tamen, ut illud lædere neutiquam potuerit. Solet enim Deus poteſtatem Satanæ certis limitibus circumſcribere, quos ille tranſilire nequeat; poteſtque corpus illud, quod aliquandiu Satanæ ferendum permittit, ſic fueri, ut noxam illi nullam afferre queat. Cujus rei exemplum habemus in Jobo, cum eum tentandum Satanæ permitteret. Primo quidem Deus corpus Jobi exceperat, ne ulla id Satanas noxa afficeret, cœtera omnia ejus arbitrio permittens. Poſtea etiam corpus ipſius affligi permiſit, ſed ita, ne vita ipſi eriperetur. Quod ſi dicas longe ſanctiorem fuiſſe Chriſtum, quam Jobum, & ideo minus in illum quam in hunc Satanæ permittendum fuiſſe, nos quoque dicimus, Deum minus Diabolo poteſtatis in Chriſtum permiſiſſe, ſiquidem nullam corpori Chriſti noxam eum inferre potuiſſe ſtatuimus. Nam alioqui ſi potuiſſet, non conatus fuiſſet Chriſto perſuadere, ut ſeſe de pinna Templi præcipitaret, ſed eum ipſe potius præcipitaſſet, aut alia ratione aliqua interemiſſet. Quanquam præterea, ut conſtantiæ ac patientiæ ſuæ maximum ac perfectiſſimum ederet ſpecimen Chriſtus, tandem permiſit Deus, ut Satanas non quidem per ſe, ſed tamen hominum impiorum manibus Chriſtum crudeliſſime interimeret. Quanto ergo minus abſurdum eſt, dicere, Deum tum, cum Chriſtum à Satana coram tentari vellet, ipſi permiſiſſe, ut corpus ipſius de loco in locum tantum tranſferret, & ubi placeret, ſiſteret.

In ſanctam civitatem.] Id eſt, Hieroſolymam; quo nomine etiam jam olim appellata fuit. Vide Dan. 9. 24. Eſai. 48. 2. Nehem. XI. 1. Etiam Judæorum argenteo nummo, qui Siclus dicebatur, inſcripta fuere hæc verba: *Hieroſolyma urbs Sancta.* Ita vero appellabatur propterea, quod religionis Judaicæ ac Sacrorum, & Templi ac Arcæ ipſius ratione quodammodo Dei ſedes erat, ab ipſo Deo in hunc finem electa. Unde infra etiam ait Chriſtus cap. 5. 53 non eſſe jurandum per Hieroſolymam, quia urbs ſit magni regis, nempe Dei.

Cur Euangeliſta maluerit hunc locum deſcribere *Sanctæ civitatis* nomine, quam ſimpliciter proprio nomine *Hieroſolymam* appellare, hanc nonnulli reddunt cauſam, quod ſignificare voluerit, nullum mundi locum, etiam ſanctiſſimum, ab inſultibus ac tentationibus Satanæ eſſe immunem. Fierique poteſt, quod Diabolus Chriſto, cum variis uteretur perſuaſionibus, inter cœtera hoc quoque propoſuerit, hunc eſſe ſanctum locum, ubi ſit Dei ipſius domicilium, qui tantis gaudeat promiſſionibus peculiarium Dei cimeliorum; adeoque in tam Sancta civitate non poſſe filio Dei quicquam nocumenti contingere, etiamſi ſeſe præcipitaret.

Et ſtatuit eum ſuper pinnam Templi.] Græce ἐπὶ τὸ πτερύγιον, quæ vox *alam parvam* ſignificat. Erat vero nihil aliud, quam ambitus, qui circa ſummum Templi tectum erat. Olim Deus juſſerat omnibus in tectis tales ambitus facere, ne quis ibi ambulans inde forte caderet. Deut. 22. 8. Moris enim tunc erat tecta ædium plana facere, ut in iis deambulare homines poſſent. De tecto vero Templi tradunt Judæi doctiores, id non planum, ſed acuminatum fuiſſe. Scribitque * Joſephus, plenum fuiſſe deauratis cuſpidibus, ut ne aves quidem in eo reſidere, idque conſpicari poſſent. In hac ergo Templi ſummitate videtur omnino Diabolus Chriſtum conſtituiſſe, & unde ea ſe præcipitem daret ſuaſiſſe. Erat enim hic locus inprimis formidabilis & ſupra modum periculoſus. Non male autem conjectant aliqui eruditi viri, hunc Templi locum, in quo Diabolus Chriſtum collocavit eſſe, illum ipſum, de quo ſic ſcribit Joſephus lib. 15. cap. 14. *Tanta erat Templi altitudo, ut ſi quis ex alto deſpicere vellet in terram,*

* lib. 5. cap. 14 de bello Jud.

propter

propter immenſam profunditatem, caligarent ei oculi. Eratque in ſummo tecto tam ſublimis exſtructa porticus, ut ſi quis tecto hujus porticus concenſo vellet utriuſque altitudinem oculis metiri, non poſſet id ſine vertigine capitis facere: nam ob ſummam profunditatem offundebantur oculis ejus tenebræ, antequam ad fundum pertingeret. Quod igitur Joſephus porticum vocat, id Matthæus hic alam ſeu pinnaculum appellat, quia ab ædificiis exſtabat & in aëre quaſi pendere videbatur.

Verſ. 6. *Et dicit: ſi filius Dei es, demitte teipſum deorſum.* Hac tentatione voluit Chriſtum eo adigere Satanas, ut quemadmodum ex reſponſione ipſius apparet, Deum ipſe tentaret, hoc eſt, rei certæ, tanquam incerta eſſet, & probatione adhuc aliqua indigeret, documentum quæreret; nempe ut ſe temere ac ſine neceſſitate in periculum conjiceret, quo experiretur, an eum Deus in eo eſſet ſervaturus. Quaſi dicat Satanas: Si tu filius Dei es, experimentum ejus rei cape certiſſimum, & id verum eſſe proba, teipſum præcipitando. Etenim ſi filius Dei es, id nocere tibi nihil poterit.

Scriptum eſt enim: Quod Angelis ſuis præcipiet de te, & in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.] Dictum ſumptum eſt ex Pſalm. 91. 11. His autem verbis ita Diabolus conſilium ſuum probare Chriſtoque perſuadere voluit, ut ſimul objectioni tacitæ occurreret. Poterat enim dicere Chriſtus: ſi me præcipitem dedero, in periculum interitus vel in certiſſimum potius exitium me conjiciam. Reſpondet Satanas, id ipſi haudquaquam eſſe metuendum, ſi Dei ſit filius: quia Angeli Deo jubente ipſum ita ſint cuſtodituri, ne ullo pacto impingat, & nocumentum aliquod inde ſentiat. Verba autem Pſalmi, quæ citat, in genere loquuntur de quovis homine, qui Deo confidat, eumque diligat, ac mandatis ipſius pareat. Itaque vel maxime ad Chriſtum pertinent, qui omnium Deo fidentium ac parentium princeps eſt. Significatur autem, Deum Angelis ſuis præcipere, ut diligentem piorum hominum curam gerant, eoſque ab omni noxa tutos præſtent.

Et in manibus tollent te.] Eſt in his verbis metaphora, ut ſenſus ſit, ita te cuſtodient, ut te quodammodo in manibus geſtent, quemadmodum interdum vel ipſi parentes liberos ſuos teneros geſtant, vel geſtari à ſervis jubent, ne forte pedem ſuum ad lapidem aliquem impingant.

Ne offendas ad lapidem pedem tuum.] Id eſt, ne quid mali & adverſi tibi accidat. Eſtque hic hyperbole, qua ſolicita & ſumma Dei cura ac providentia circa pios denotatur, ut nec minima adverſitas ipſis abſque ejus ſcitu ac voluntate poſſit contingere. Alioqui ſæpius etiam probiſſimis accidit, ut variis caſibus atque calamitatibus infeſtentur: ita tamen, ne iis ſuccumbant, neque interitum illi ſempiternum afferant.

Aliqui exiſtimant, Satanam fallaciter omiſiſſe illa verba Pſalmi mox ſequentia, *ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis:* quia cenſent, tum demum hominibus ſperandam eſſe Angelorum cuſtodiam, cum ordinariæ vocationi ſuæ intenti, neceſſariis negotiis incumbunt, non autem, cum ſe petulanter in diſcrimen conjiciunt. Quod etſi verum ſit per ſe, non tamen eo ſine hæc verba ſunt addita, ut diſtinctio talis ipſis indicetur. Verba enim illa, *in viis tuis*, nihil aliud Hebræorum locutione ſignificant, quam in omnibus tuis negotiis & actionibus. Vide Gen. 6. 12. Exod. 18. 20. Deut. 5. 33. 1 Sam. 12. 23. 1 Reg. 8. 25. Pſal. 1. 1. Prov. 2. 15 &c. Quare cum iis tam univerſalis cuſtodia Angelorum in omnibus negotiis ac propoſitis hominum deſignetur, non habuit Satanas ullam ea omittendi cauſam, imo potius videntur ejus conſilio atque intentioni favere: ut adeo non ſit credibile, eum illa ſingulari cum induſtria omiſiſſe.

An ſinguli homines habeant proprium ſuum cuſtodem Angelum, uti Papiſtæ ex allegatis Pſalmi verbis probare conantur, de eo vide infra cap. 18. 10.

Verſ. 7. *Ait illi Jeſus: Rurſus ſcriptum eſt; Non tentabis Dominum Deum tuum.*] Πάλιν, *Rurſus* ponitur pro ἀνάπαλιν, *viciſſim.* Chriſtus non opponit loco Pſal. 91, à Satana adducto alterum locum Scripturæ Sacræ: ſed locum, qui è Deut. 6. 16 deſumptus eſt, opponit falſæ ſententiæ, in quam locus ille Pſalmi à Satana trahebatur. Nimirum vult Chriſtus dicere: Verum quidem eſt, ita ſcriptum eſſe, ſed interim tamen & illud viciſſim eſt ſcriptum: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Cum itaque Scriptura ſibi ipſi non adverſetur, neceſſe eſt illa Pſalmi verba ita accipere, ut illi Dei apud Moſen præcepto nequaquam repugnent. Repugnarent autem omnino, ſi ita illa liceret extendere, ut facultatem nobis datam exiſtimaremus in periculum nos temere præcipitandi, ut hoc pacto divinæ circa nos curæ ac providentiæ experimentum capiamus.

Non tentabis Dominum Deum tuum.] Locus, ut indicatum eſt, extat Deut. 6. 16, ubi in Hebræo fonte numero plurali legitur: *Non tentabitis Dominum Deum veſtrum.* Sed Græci Interpretes, ut & Latinus eos ſecutus ſingularem ponit numerum: *Non tentabis.* Et ad ſenſum quidem nihil intereſt; quod enim omnibus præcipitur, præcipitur etiam ſingulis.

Vulgo autem creditur, *Deum tentare* eſſe nimium Deo confidere, ſeque adeo in ſpem divinæ cuſtodiæ ac providentiæ temere & ſine neceſſitate in periculum dare. Quam in ſententiam videntur homines hac ipſa potiſſimum Satanæ tentatione eſſe inducti: quia Satanas Chriſto perſuadere voluerit, ut divino auxilio ac providentia fretus, in temerarium ſe periculum conjiceret. Atqui locus, quem adduxit Chriſtus, contrarium potius ſignificat, præſertim ſi attendas verba quæ adduntur. Sic enim ſonat locus integer: *Non tentabitis Dominum Deum veſtrum, quemadmodum tentaſtis in Maſſa.* Illa autem tentatio ita deſcribitur Exod. 17. 7. *Tentaverunt Dominum dicentes: Eſtne Dominus inter nos, annon?* Quæ verba nequaquam indicant, Iſraëlitarum nimiam ac temerariam fuiſſe de Dei providentia fiduciam, ſed potius eos de divina providentia dubitaſſe. Quapropter Chriſtus his verbis, quæ Satanæ perſuaſioni oppoſuit, ſignificare voluit, ſi ſe hoc fine præcipitem daret, ut divina cuſtodia ſervatus paternum ejus erga ſe affectum ac curam agnoſceret, cum ſatis ſuperque manifeſta ejus jam ante habuerit documenta, id nihil aliud fore, quam Deum tentare, ejuſque amori ac providentiæ diffidere. Quanquam nec illorum ſententiam

tentiam penitus repudiamus, qui tentare Deum exiſtimant eſſe eum irritare ſeu ad iram provocare: quia qui ita agunt, perinde faciunt, ac ſi Dei patientiam explorare vellent. Sed id tamen, quod antea diximus, huic præferimus.

Verſ. 8. *Iterum aſſumit eum Diabolus in montem excelſum valde.*] Vox *iterum* reſpicit ad ea, quæ ℣ſ. 5 narrata ſunt, ubi Satanas Chriſtum in civitatem Sanctam aſſumſerat: hic enim eum *iterum* aſſumit, ſed in alium locum, nempe in valde excelſum montem. Modum autem aſſumendi probabile eſt, eundem fuiſſe, quo Chriſtus per aërem è deſerto in Sanctam civitatem delatus fuit.

In montem excelſum valde.] Montis iſtius nomen expreſſum hic non eſt. Cæterum Hieroſolyma cincta fuit pluribus montibus Pſal. 125. 2. Quorum ſi nullus Satanæ ad ejus propoſitum ſufficiebat, tam facile ipſi fuit, Chriſtum in alium montem, paulo remotiorem ab Hieroſolyma deferre, quam facile eum è deſerto Hieroſolymam detulerat. Ideo vero tam excelſum montem ad hanc tentationem elegit, ut Chriſto tanto plures provincias, urbes ac regiones ob oculos poneret, ac porro tanto facilius ad ſe adorandum permoveret. Quanquam paulo poſt nonnihil adhuc dicendum erit de ratione, qua mons ille altiſſimus ad conſpectum regnorum plurium prodeſſe potuerit.

Et oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum.] Eſt in his verbis Synecdoche quædam, qua totum pro parte ſumitur. Impoſſibile enim eſt, ut ex uno monte, licet altiſſimo, ſpectari omnia prorſus totius mundi regna poſſint: ſiquidem terra rotundus globus ſeu ſphæra eſt, & radii viſus ſunt rectæ lineæ, quæ infra horizontem non flectuntur. Quare vel dicendum eſt, Satanam Chriſto ea tantum regna mundi oſtendiſſe, quæ ſub conſpectum ex illo monte cadebant: vel, eum illorum quoque regnorum ſpeciem repræſentaſſe, atque oculis Chriſti ſubjeciſſe, quæ infra horizontem ejus loci depreſſa erant. Qua de re nonnihil paulo poſt dicemus explicatius.

Quod quidam exiſtimant, Satanam Chriſto non regna ipſa, ſed tantum plagam ſeu ſitum cujuſque regni oſtendiſſe; quaſi dixiſſet: Omnia regna & provincias, quæ verſus Orientem, & verſus occidentem, & verſus meridiem, & verſus ſeptentionem ſunt ſita, licet oculis tuis minime pateant, dabo tibi &c. Id admitti non debet. Statim enim additur, quod etiam gloriam illorum regnorum, id eſt, eorum ſummam majeſtatem, ſplendorem, opulentiam, delicias &c Chriſto oſtenderit; oſtenderit autem ex monte, ideoque non ſolis verbis, quam ad rem excelſo monte non fuiſſet opus, ſed etiam re ipſa. Præterea noluit Satanas Chriſtum nudis verbis, ſed ipſo rei conſpectu commovere, ut cupiditate regnorum illorum captum ad honorum ſibi exhibendum tanto facilius perduceret. Itaque veriſimile eſt, Satanam Chriſto de monte illo excelſo plura etiam regna exhibuiſſe, quam naturaliter alias conſpici ab homine poſſunt, nempe quaſi in imagine & figura. Poteſt enim Satanas etiam res, longius diſſitas repræſentare, hominiumque oculis earum ſpecies objicere, ut nihil in eo abſurdi ſit, ſi dicamus, hic quoque eum hujus ſuæ artis ac facultatis ſpecimen dediſſe. Nam ſi dicas, ad eam rem non futurum fuiſſe opus, ut in altiſſimum montem ſubduceret Chriſtum, quia quolibet in loco id præſtare potuiſſet; reſpondemus, tum demum id locum habiturum, ſi Satanas Chriſti oculos præſtigiis deluſiſſet, & phantaſiæ ſeu imaginationi ejus tales ſpecies vel imagines rerum impreſſiſſet, ut videretur ſibi illud cernere, quod reipſa non cerneret: quemadmodum Prophetis divinitus multarum rerum imagines fuerunt impreſſæ: & tota Apocalypſis Johannis hujuſmodi viſionibus conſtat. Sed non facile poſſumus adduci, ut illis credamus, qui ſtatuunt, & collocationem illam Chriſti in pinna templi, & hanc in monte excelſo, per viſionem, ut loquuntur, ſeu imaginationem tantummodo eſſe factam: ſed ſi aliqua ſpecies ac figura Chriſto objecta fuit à Satana, exterius id potius factum, quam interius. Jam vero ſi exterius objicere tot regnorum imaginem ac figuram Chriſto voluit Satanas, deligendus omnino erat locus altiſſimus, ex quo circumquaque proſpectus quam latiſſime pateret.

Credibile autem eſt, Satanam Chriſto breviſſimi tantum temporis ſpatio tam illuſtris rei conſpectum indulſiſſe, & cupiditatem ejus incendere potius & excitare, quam exſatiare voluiſſe, ne diutius inſpecta & per partes luſtrata regna illa paulatim apud eum evileſcerent.

Lucas cap. 4. 5 addit, Diabolum Chriſto omnia regna mundi oſtendiſſe *in momento temporis:* qua de re vide ad Lucam ſuo loco.

Et gloriam eorum.] Credibile eſt Satanam Chriſto oſtendiſſe magnifice extructas urbes, arces ac palatia, aliaque amœniora loca, quin & Regum pompas, divitias & felicitatem. Hoc pacto uſurpatur vox gloriæ etiam infra cap. 6, 29.

Hic animadvertendum eſt, Diabolum validiſſimum & efficaciſſimum tentationis telum in finem reſervaſſe. In prima enim tentatione, ut Chriſtus panes ex lapidibus conficeret, non erat neceſſarium. In altera, ſe ipſum de pinna Templi præcipitare, erat periculoſum, ipſaque natura ab eo abhorrebat. Tertia autem erat grata & ſuavis, quæ præ aliis omnibus maximam vim movendi habuit. Et ſane homines vulgo nulla re magis ad peccandum adducuntur, quam per talia, quæ ſenſus movent externos, carnique perjucunda ſunt, nempe per mundanas opes dignitates ac voluptates. Vide Matth. 13. 22.

Verſ. 9. *Et dicit ei: Hæc omnia dabo tibi.*] Apud Lucam interſeruntur hæc verba, *quia mihi tradita eſt, & cui volvero, do eam* cap. 4. 6. Ubi quidem mendax ille Spiritus nimium ſibi arrogat, & admentitur non parum: ſed non tamen ſine cauſa ita loquitur. Nam quia Deus non raro permittit, ut homines aut fraude, aut cædibus, aut largitionibus ad imperia mundi perveniant, id quod non niſi Satanæ inſtinctu atque opera interveniente perficitur; inde gloriandi anſam ſumſit Diabolus, ut aſſereret, ſibi regna illa eſſ. permiſſa à Deo, ſeque pro arbitrio ea tradere cui velit.

Animadvertendum autem eſt, quod & ſupra monuimus. Deum Satanæ in omnibus actionibus ejus certos ponere limites, quos egredi non poſſit, & ſæpe ipſius conatus impedire, aut in contrarium etiam vertere: quod ſi non impediat, ita tamen gubernare,

bernare, ut ad finem nihilominùs bonum dirigantur. Ut ita Deus revera plenum ſuper omnia regimen pro ſuo arbitrio retineat: poteſtas autem Satanæ ſit tantum permiſſio, & quidem certis circumſcripta terminis. Vide Apoc.13.2.

Si cadens adoraveris mei.] Diabolus honorem ſibi à Chriſto exhiberi poſtulat, tanquam abſolutiſſimo Domino omnium mundi regnorum, ac proin tanquam Deo. De voce *adorandi* vide ſupra cap. 2.2, ubi monſtratum, adorationis honorem non ſoli Deo, ſed Regibus quoque ac Prophetis competere. Quocirca an cultum adorationis alicui, ſive Angelo, ſive homini, deferre liceat, id ex animo tam poſcentis, quam deferentis æſtimandum eſt. Diabolo ſane ut pote Dei hoſti ac rebelli nequaquam cultus is debetur: poteſtas enim omnis, quam ille in mundo habet, revera illi, ut dictum, à Deo data non eſt, ſed eam ſibi arrogat, Deus autem permittit, non ut dignitatem aliquam honore adorationis dignam ei conferat, ſed ut judicia ſua in impios per eum exerceat, quorum in pœnam, ut alia omnia, ita & hanc Diaboli affectatam ac uſurpatam poteſtatem convertere novit.

Verſ. 10. *Tunc dicit ei Jeſus: Vade Satana.* In nonnullis exemplaribus Græcis habetur: *Vade poſt me:* uti Chriſtus quoque dixit Petro Matth. 16. 23, id eſt, abi ex oculis, vel ex conſpectu. Sic loqui ſolemus, quando aliquem indignum judicamus, ut eum intueamur.

Sunt qui volunt, Chriſtum nunc primum ex impudenti iſto poſtulato & arroganti gloriatione animadvertiſſe, ſibi cum Diabolo rem eſſe: quia alioqui non conſeruiſſet cum eo ſermones, ſed ſtatim in primo tentationis limine eum abegiſſet; tum quia non tam gravis iſta tentatio fuiſſet, ſi Chriſtus id ſciviſſet. Certum enim & extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, Chriſtum Satanæ nihil tale ſibi perſuadere paſſurum fuiſſe, quo fiducia ejus in Deum læderetur: quicquid ille protuliſſet, ſuſpectum fuiſſet. Itaque non abſurde credi poteſt, Chriſtum initio eum bonum Angelum eſſe putaſſe, poſtmodum autem ex ejus craſſa & enormi arrogantia, quæ in nullum bonum Angelum cadit, quis eſſet, cognoviſſe.

Satan.] De hac voce vide infra cap.16.23.

Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.] Locus hic exſtat Deut. 6. 13. & x. 20. Quanquam in Hebræo utrobique pro *adorabis*, extat *timebis*. Unde intelligitur, Deum timere, etiam uſurpari, pro Deum colere, vel adorare. Nempe *Deum timere* denotat internam animi reverentiam, *adorare* vero externam. Externa autem adoratio reſultat ex interna: quem enim metuimus, eum etiam omni externo honore colimus. Hac ſignificatione ſumitur quoque Deum timere Deut. 32. 17. 2 Reg. 17.25,28,33,36,39. Job. 1.8,9 &c.

De voce *adorationis* dictum ſuperius cap. 2.2, eam duplici ſignificatu accipi: primo pro humana ac civili reverentia, quam Regibus, Principibus aliiſque in dignitate poſitis hominibus deferre moſ eſt. Qua ratione Abrahamus & Lothus Angelos adorarunt Gen.18.2. xix. 1. Tunc enim nondum ſciebant, eos eſſe angelos, ſed inſignes aliquos viros eſſe cenſebant, ut ex illis locis annotatis & ex Hebr. 13.2 liquet. Sic Abrahamus quoque adoravit filios Heth Gen. 23. 7. Vide plura exempla 2 Sam. 1.2. ix. 6. xiv. 33. xviii. 28. xxiv. 20. 1 Reg. 1.16,23. 2 Reg. 4.37 &c. Deinde ſumitur quoque pro cultu divino, qui Deo altiſſimo, nunc autem etiam Chriſto, & ante Chriſti tempora Angelis quoque Dei perſonam gerentibus jure meritoque deferebatur, quique hodie etiam Angelis, aliiſque certis, ſeu perſonis, ſeu rebus, ſed injuſte ac immerito exhibetur. Qui cultus ac reverentia ex eo oritur, quod ei, qui vel quod adoratur, humana & naturali major vis ac poteſtas nobis beneſaciendi attribuatur, aut credatur, perſonam vel rem aliquam ita arcte conjunctam eſſe cum eo, cui poteſtas illa tribuitur, ut hujus cauſa illi talis adoratio debeatur.

Debetur autem talis adoratio certis perſonis vel rebus, eiſque jure ac recte exhiberi poteſt, duplici modo: vel per ſe, vel per accidens. Per ſe competit cultus iſte primum Deo ſummo, qui a ſeipſo ſupremam poteſtatem atque imperium habet ſuper omnia; deinde iis, quibus ille aliquam divinam communicavit poteſtatem. Deo debetur adoratio modo perfectiſſimo & in ſummo gradu: aliis autem eatenus, quatenus eorum poteſtas à Deo communicata extenditur. Quæ poteſtas quando ad ſupremam proxime accedit, vel ejuſdem eſt generis, tum etiam adoratio illi proxima & ejuſdem generis tali poteſtati competit. Jam vero ſummæ & altiſſimæ poteſtati, quam ſolus Deus habet, illa eſt proxima, quæ Chriſto Domino à Deo data eſt, cum eum à dextris ſuis collocavit, eique nomen ſupra omne nomen donavit, etiam omne judicium ita ipſi tradidit, ut ipſe judicet neminem Joh. 5.22. Et Apoſtolus Paulus expreſſe ait, Chriſtum nunc Deo non eſſe ſubjectum, ſed poſtea demum ſubjectum iri 1 Cor. 15. 27, 28. Etiam ex eo divina Chriſti poteſtas cernitur, quod æternum duratura ſit, nullumque finem habitura Luc. 1.33, nempe quamdiu regno ſuper domum Jacobi locus erit, id eſt, ad mundi finem. Quamobrem Chriſto debetur honor & adoratio ea, qua Pater adoratur Joh. 5. 23. Omniaque genua flecti debent coram illo cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum Phil. 2. 10. Nec aliud eſt inter adorationem Chriſti & Dei diſcrimen, quam quod Dei adoratio non in alium ullum tendat, ſed in eo tanquam ultimo fine ſuo quieſcat, Chriſti autem honor & adoratio ſpectet ad gloriam Dei Patris, quemadmodum Apoſtolus in loco citato addit. Inde eſt, quod Auctor ad Hebræos cap. 1.6, verba Pſalmi 97.7: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ proprie de Deo loquuntur, ad Chriſtum referat; quia ſcilicet per Chriſtum, ſeu dum Chriſtum adorant, Deum ipſum adorare debebant: quæ adoratio quod non ſit civilis, ſed divina, res ipſa clare docet. Atque hic cultus adorationis jam Chriſto competit, cum adhuc hic in terris verſaretur, tum propter divinam poteſtatem, quæ ipſi deſtinata tunc, poſtea reipſa collata eſt, tum propter illam poteſtatem, quam in terris habebat ad hominibus beneſaciendum, quæ fuit quaſi primitiæ Regiæ ipſius eminentiæ, quam poſtea modo excellentiſſimo adeptus eſt, & propter quam etiam in terris adhuc Filius Dei Joh. 10. 26,

imo

imo & Deus Joh. 1. 1 vocatus eſt, itemque de eo dicitur, quod in forma Dei fuerit, & Deo æqualis Phil. 2. 6. Propter ejus regiam dignitatem, quam ille nulla ratione adhuc effectu ipſo habebat, ſed ipſi tamen aſſignata ac certo deſtinata erat, adorarunt eum Magi Matth. 2. 11. Propter primitias vero regiæ dignitatis, ac propter poteſtatem beneficam ab aliis quoque adoratus eſt. Vide Matth. 8. 2. IX. 18. XIV. 33. XV. 25. XXVIII. 9 & 17. Marc. 3. 2. V. 6. Luc. 24. 52. Joh. 9. 38.

Quod attinet eos, qui aliquam poteſtatem ſuper homines nacti ſunt, ſed quæ longe inferior eſt divina poteſtate, quæque ad breve duravit tempus, tales fuêre olim Angeli, præſertim tunc, cum ad peculiaria opera perficienda cum peculiari poteſtate miſſi fuerunt. Qualis erat Angelus ille, qui à Deo miſſus fuit, ut Iſraëlitas in terram Chananæam deduceret, de quo Deus monuit populum, dicens: *Cave tibi ob præſentiam ejus, & auſculta voci ejus, & ne exacerbes eum, quia non feret defectionem veſtram; quia nomen meum eſt in eo* Exod. 23. 21. Qui Angelus videtur idem fuiſſe, quem Joſua adoravit, quique ad eum dixit: *Ego ſum princeps exercituum Domini*; Joſuæque imperavit porro, ut calceos exueret, quia terra, in qua ſtaret, ſancta eſſet, nempe quia per præſentiam tam præſtantis Angeli ſanctificata fuit. Quæ certe etiam non vulgaris ac civilis, ſed divina quoque adoratio ac reverentia fuit. Idem quoque ille Angelus à Moſe popoſcit Exod. 3. 5, qui ibi vices Dei geſſit, ac in nomine ejus locutus eſt. Simile etiam exemplum habemus in Balaamo, qui adoravit Angelum Numer. 22. 31. Vide quoque Judic. 13. 20. At hodie, poſtquam homo Jeſus Chriſtus ſuper Angelos evectus eſt, eorumque Dominus & caput evaſit, ac cum Chriſto ſimul homines ita ſunt evecti, ut debeant aliquando Angelis pares fieri Luc. 20. 36, imo ut debeant collocari in throno Chriſti, coram quo nunc Angeli ſumma cum veneratione ſtant: nolunt jam Angeli illo modo ab hominibus adorari; quandoquidem nullam amplius ſuper eos poteſtatem habent, ſed ſe eorum conſervos eſſe agnoſcunt, ut ex Apoc. 19. 10. & XXII. 9 cernitur. Cæterum omnino tamen negandum non eſt, Angelos etiam hodie poſſe adorari, quando Chriſti perſonam ſuſtinent, atque ſic loquuntur, quaſi ipſe præſens adeſſet, eo modo ſcilicet, quo antea Dei perſonam ſuſtinere ſolebant. (Nam hodie poſteaquam Chriſtus Rex populi Dei & Angelorum factus eſt, non amplius Dei perſonam ſuſtinent, neque nomen ejus gerunt) ut Chriſtus hanc adorationem non aliter, quam ſi ipſi deferretur, accipiat. In tali enim caſu non perſona Angeli proprie, ſed Chriſti ipſius, cujus ille perſonam gerit ac nomen, Angeli autem perſona tantum per accidens adoratur: quemadmodum olim qui Angelum Dei perſonam ſuſtinentem adorabat, revera ac per ſe Deum ipſum, Angelum autem per accidens adorabat. Tale quid videtur Johanni contigiſſe Apoc. 1. 17, ubi Angelus nomine Chriſti cum ipſo loquebatur, ac ipſe ad pedes ejus procidens adoravit eum. Talis Angelus forte etiam fuit, qui ad Saulem locutus eſt his verbis: *Saule, Saule quid me* perſequeris? Act. 9. 4. Hinc manifeſtum eſt, Angelos dupliciter ſeu duplici caſu potuiſſe adorari, atque etiam adoratos eſſe: partim per ſe, propter aliquam poteſtatem ac dignitatem ſingularem, quæ eis ad certum tempus à Deo communicata eſt, etiamſi in propria ſua perſona hominibus apparerent; partim per accidens, quando Dei vel Chriſti perſonam verbis aut factis ſuſtinuerunt ac repræſentarunt. Quod res attinet, quæ perſonæ non ſunt, ac per ſe adorationem non merentur, ſed cum eo, cui adoratio per ſe debetur, ita conjunctæ ſunt, ut earum adoratio ad illius quoque honorem ac gloriam redundet, pertinet huc locus ille Pſalm. 132. 7: *Introibimus in tabernaculum ejus* (id eſt, Dei) *& adorabimus ſcabellum pedum ejus.* Sic habet Hebræus textus. * Ubi, ut & Pſal. 99. 5, per ſcabellum pedum Dei Arca Fœderis intelligitur, de qua quomodo in Templum, quod extruxit Salomon, introducta ſit, agit integer Pſalmus. Ubi patet eam nomen Dei obtinuiſſe, propter conjunctionem magnam, quæ ei cum Deo intercedit. Dicitur enim ibidem, Deum habitare, preces exaudire, atque inde auxilium mittere. Sic enim vulgo docti intelligunt, quod toties in Sacris Literis memoratur de loco, quem ſibi Deus elegit, quod nomen ejus ibi habitet, vel, quod nomen ſuum in eo poſuerit Deut. 12. 5, 11, 21. XIV. 23, 24. XVI. 2, 6, 11. 1 Reg. 8. 16, 29 &c. Ac propterea etiam tam ſancte tractanda erat illa arca Fœderis, ut nonniſi ſumma cum veneratione aſpiceretur aut tangeretur. Vide 1 Sam. 6. 19. Ubi notandum præterea, Interpretum quoſdam per ſcabellum pedum Dei in allegato Pſalmo Templum ipſum intelligere, quippe quod etiam adorationis divinæ factum fuerit particeps, & (ut Pſal. 99. 5, de ſcabello pedum Dei dicitur) Sanctum fuerit propter peculiarem Dei præſentiam. Ob quam cauſam in eodem Pſal. 99. 9 dicitur: *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ad montem ſanctitatis ejus; quoniam ſanctus eſt Dominus ejus noſter.* Ubi per montem ſanctum intelligitur is ipſe, in quo Templum conditum erat. Vide Pſalm. 138. 2. Aliquando etiam *adorationis* vox in latiori ſignificatione accipitur, perque eam totus Dei cultus intelligitur. De quo vide Joh. 4. 20.

Et illi ſoli ſervies.] In Hebr. vox *ſoli* deeſt, ſed LXX Interpretes eam addiderunt, quia voluntati ac ſenſui mandati Dei prorſus eſt conſentanea. Vult enim Deus ita ſibi ſerviri, ut nullis aliis Diis præter eum ſerviatur: quod ex ſequentibus verbis Deut. 6. 13 patet, ubi dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſervies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis poſt Deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt.*

Quod alioqui vocem λατρεύειν, quæ hic redditur *ſervire* attinet, per eam univerſus Dei cultus, ſeu omne id, quod ad honorem Dei facere tenemur, intelligitur, ita ut adoratio quoque in ea comprehendatur. Quo ſignificatu ſumitur Exod. 20. 5. 1 Sam. 7. 3, 4. 1 Reg. 22. 54. Proprie autem

* Per ſuetum Hebraiſmum vocula *ad* ſubintelligi hic poteſt, quæ poſtea Pſalm. 99. 9 expreſſe addita eſt, & tum non opus eſt ſtatuere Arcam vel Templum adoratum fuiſſe; ſed Deum ad Arcam vel in Templo fuiſſe adoratum.

loquen-

loquendo differentia hæc eſt inter *adorationem* ac *ſervitium*, quod per *adorationem* ſignificetur noſtra coram Deo ſubmiſſio, quæ in animo quidem potiſſimum reſidet, externis vero etiam actionibus exprimitur: vox autem ſervire complectatur omnes externas actiones, quæ curam aliquam ac impenſas requirunt, quoſque placere Deo credimus: quales erant ſacrificia, dona varia, ſumigatio, extructio Templi, altaris, imaginum & ſimilia. De qua Deo ſerviendi ratione Paulus loquitur Actor.17.25, ubi inquit: *Qui non humanis manibus colitur, quaſi ali cujus rei egens.*

De inepta diſtinctione inter vocem λατρεύειν & δουλεύειν, quæ utraque *ſervire* ſignificat, quam Papiſtæ ad palliandam idololatriam ſuam finxerunt, Vide Gal.4. 8.

Hoc loco controvertitur: Quomodo Chriſtus Satanæ impudens adorationis poſtulatum loco Deut. 6. 13 retuderit, ſi liceat aliis quoque adorationis honorem præter Deum deferre, quemadmodum diximus ſupra de Chriſto, & Angelis, qui Dei aut Chriſti vices obeunt? Potuiſſet enim Satanas dicere: Præceptum hoc me nihil tangit, ſed eos duntaxat, qui nullam ejuſmodi poteſtatem divinamque auctoritatem, quæ adoratione digna ſit, à Deo obtinuerunt. Ego vero ſum Dominus mundi, quem Deus meo ſubjecit imperio, ut eum pro meo arbitrio diſtribuere queam, ſumque ideo honore adorationis plane dignus. Hic reſpondendum eſt, Chriſtum, dum hunc locum contra Satanam adfert, pro conceſſo ſumere, Satanam nullam à Deo accepiſſe poteſtatem, eumque impudentiſſime mentiri, cum dixit, ſibi regna mundi eſſe à Deo tradita ac commiſſa. Alioqui Deus hoc mandato, quo vetamur alios ullos præter ipſum adorare eique ſervire, non eſt ita conſtrictus, ut ipſi integrum non ſit aliis quoque talem poteſtatem atque auctoritatem communicare, ob quam illis honor adorationis ac ſervitii queat exhiberi; ſed ſoli homines hoc mandato obligantur, ne extra divinum mandatum aut conceſſionem ulli creaturæ hunc honorem exhibeant. Imo ſi Deus aliquem, cui vult honorem non minus quam ſibi exhiberi, hominibus proponat, eumque propterea proxima ſibi poteſtate ac gloria coronet (quod Chriſto factum legimus) certum eſt eos, qui ipſi hunc honorem denegant, violare hoc Dei præceptum, dum Deum nolunt adorare, eique ſervire, per eum, per quem ille adorari, ſibique ſerviri poſtulat. Omnis ſiquidem honor ejuſcemodi, qui aliis Dei juſſu exhibetur, tendit ad Dei gloriam, tanquam ad ultimum ſuum finem ac ſcopum. Ex hoc loco Deut.6. 13 ſolet vulgo ſumi argumentum, quod Chriſtus ſit Deus altiſſimus. Hoc modo: Solus Deus adorandus eique ſoli ſerviendum. Atqui ex Scriptura manifeſtum eſt, Chriſtum adorandum eſſe ſicut Patrem, ſeu Deum altiſſimum Joh.5.23. Ergo Chriſtus eſt ſummus Deus. Sed argumentum iſtud nec caput habet, nec pedes. Deus enim adorandus eſt tanquam prima ac ſuprema cauſa omnium rerum primuſque ſalutis noſtræ auctor; Chriſtus autem adorandus eſt tanquam cauſa media, per quam Deus conſtituit ſalutem noſtram ad finem perducere. Cum ergo Deus Chriſtum divina poteſtate, robore ac ſapientia ſibi ſimilem effecerit, inque manibus ejus totum ſalutis noſtræ negotium poſuerit, idcirco etiam ille ſimiliter honorandus ac adorandus eſt. Quam late enim ſe divina poteſtas à Deo creaturæ conceſſa extendit, tam late etiam cultus adorationis porrigitur. Quapropter verba apud Johannem cap.5. 23: *Ut honorant Patrem*, non perſonam Patris, ſed magnitudinem honoris reſpiciunt, id eſt, non eſt ſenſus, Chriſtum honorandum eſſe tanquam ſupremum ac primum auctorem omnium rerum, ſicut Pater hoc nomine honoratur, ſed eum tam magno & tam ſancto honore eſſe afficiendum, quam Pater affici ſolet, propterea quod ſit Patris Legatus.

Alii ex his verbis ſumunt anſam contrarii prorſus erroris: nempe quia Chriſtus non eſt Deus ſummus, cui ſoli honor adorationis competit, ideo cenſent, Chriſtum adorandum non eſſe. Verum id eadem reſponſione refutatur: Chriſtum ſcilicet non eſſe ut primam ac ſummam rerum omnium cauſam adorandum, cum is honor ſoli Deo competat, ſed pro ea poteſtate, quæ ipſi à Deo communicata eſt, quæque divinæ proxima eſt, competere etiam ipſi ſimilem honorem, tanquam unico Mediatori, per quem Deus ipſe adoratur.

Hæc triplex tentatio Diaboli argumentum validiſſimum nobis præbet, quod Chriſtus non ſit Deus altiſſimus: ut in 2 Appendice hujus Capitis dicetur.

Verſ. 11. *Tunc dimittit eum diabolus.*] Poſtquam in omnibus tribus tentationibus, quæ erant, penuria, temeritas, ac ſpes mundanæ gloriæ, ſuccubuit. Lucas addit, *ad tempus.* Nam iterum Chriſtum aggreſſus eſt, quanquam alia ratione, eo potiſſimum tempore; cum & Judæos ad eum morti tradendum incitaret. Hæc enim, ut ipſe Chriſtus ait, erat hora & poteſtas tenebrarum Luc.22.53. Et tunc veniebat Princeps mundi Joh.14. 30, quanquam in Chriſto nihil habebat.

Et ecce Angeli acceſſerunt, ac miniſtrarunt ipſi.] Nihil prohibet ſtatuere, eos, quemadmodum Eliæ contigiſſe videmus 1 Reg. 19. 6, Chriſto cibum aliquem attuliſſe.

PARS II.

SEquitur nunc altera hujus Capitis pars, quæ complectitur initium functionis Jeſu Chriſti Propheticæ, ſeu prædicationis Euangelii & ejuſdem confirmationis, quæ prope ad finem hujus libri extenditur. Hæc autem ſecunda hujus Capitis pars in tres iterum particulas diſtribui poteſt. In prima oſtenditur, quo loco quidve docuerit Chriſtus, à ℣ſ.12 uſque ad finem 17. In ſecunda refertur, quomodo diſcipulos quoſdam vocaverit Chriſtus, eos poſtmodum ad prædicationem Euangelii adhibiturus à ℣ſ.18 ad 23. In tertia atque ultima perſequitur Matthæus narrationem de functione muneris Chriſti, & cum breviter indicaſſet ſummam prædicationis Chriſti, generatim etiam miracula ſubjicit, quibus eandem confirmavit à ℣ſ.23 uſque ad finem Capitis.

Verſ.12. *Cum vero audiſſet Jeſus, quod Johannes traditus eſſet.* Hic indicatur cauſa ſeu occaſio, quæ Chriſtum

Chriſtum impulit, ut in Galilæam ſecederet: nempe quod audierit, Johannem in carcerem eſſe conjectum.

Non ſatis autem inter Interpretes convenit, quo pacto hac traditione Johannis Chriſtus fuerit permotus, ut in Galilæam ſecederet. Alii cenſent, eum hoc receſſu voluiſſe periculum evitare, quod ipſi quoque exemplo Johannis immineret. Alii ideo id factum volunt, quia voluerit perſequi prædicationem Euangelii, Johannis traditione interruptam, diſcipulosque ejus, tanquam oves ſine paſtore errantes, ad ſe trahere. Quæ poſterior ſententia probabilior eſt, uti mox explicabitur.

Quod Johannes traditus eſſet.] Nempe in carcerem. Cauſa incarcerationis ac decollationis ejus expreſſa eſt à Matthæo cap.14. 1 & ſeqq.

Seceſſit in Galilæam.] Nimirum ex Judæa. Duplex fuit Galilæa; ſuperior, quæ etiam Galilæa gentium vocatur, & Philippi parebat imperio, & inferior, quam Herodes Tetrarcha obtinebat. Ad Philippi autem dominium pertinebat littus totum Galilæi maris Geneſareth, cui adſita erat Capernaum & Bethſaida, ut apud Joſephum lib.18. cap.3 videre eſt, qui refert, Philippum vicum Bethſaida in civitatem redegiſſe, quam ex nomine Cæſaris filiæ Juliam appellavit. Chriſtus itaque ab Herode quidem tutior fuit Capernaumi, quæ civitas ejus ditioni ſubjecta non erat; ſed tamen veriſimile non eſt, eum metu adductum eſſe ad ſecedendum è Judæa in Galilæam. Cum enim Capernaum nihilominus finitima eſſet ditionis Herodis, multo tutior in Judæa eſſe potuiſſet. Præterea ex ℣.13, & ex Luc.4. 16 cernitur, Chriſtum primum Nazaretham veniſſe, quæ civitas Herodis ditioni ſuberat, poſtea autem inde pulſum ac rejectum in Capernaum ſe contuliſſe. Quare omnino ſtatuendum, Chriſtum non ut periculum ſibi ab Herode metuendum evitaret, in Galilæam diſceſſiſſe, ſed ut curſum Euangelii, Johannis traditione impeditum, rurſus inchoaret. Ex his intelligitur, hoc loco per Galilæam tam ſuperiorem, quam inferiorem Galilæam deſignari, ſeu integram regionem tribus Zabulonis & Naphthalim, ut ex ſequentibus videre eſt.

Obſervandum autem hic eſt, etſi Matthæus iſta ſic narret, quaſi ſtatim poſt tentationem Chriſti in deſerto facta fuerint, tamen ex iis quæ Johannes in primo, ſecundo & tertio Euangelii ſui capite refert, patet, multa alia inter tentationem & hoc Chriſti iter in Galilæam intercurriſſe. Hoc enim iter Chriſti in Galilæam, uti Matthæus hic, & Marcus cap.1. 14 expreſſe aſſerunt, accidit poſt Johannem in vincula conjectum. Chriſtus autem poſt ſuſceptum baptiſmum ac deſcenſum Spiritus Sancti ſuper ipſum iterum ad Johannem, qui adhuc publice docebat, rediit, ab eoque eſt præclaris aliquoties teſtimoniis ornatus, & adſcitis ſibi aliquot diſcipulis demum in Galilæam abiit, ubi in Cana aquam in vinum commutavit. Inde rurſus Hieroſolymam profectus eſt, ibique docuit & miracula edidit. Habitoque cum Nicodemo colloquio, exceſſit civitate, ac ſe contulit in Judææ vicos, & baptiſavit, cum & Johannes adhuc baptiſaret. Unde poſtea diſſenſio inter Johannis diſcipulos & Judæos exorta eſt. Poſt hæc omnia demum, cum Chriſto à Phariſæis crearetur periculum, ejus evitandi cauſa per Samariam (ubi cum Samaritana collocutus eſt muliere, quod colloquium deſcribit Johannes cap.4) in Galilæam ſe recepit. Atque iſtud iter eſt hoc ipſum, quod Matthæus hoc loco & Marcus, imo etiam Lucas cap.4. 14 deſcribit. Quanquam non deſunt Interpretes quidam, qui iter illud in Galilæam, cujus meminit Lucas, eveniſſe cenſent prius, quam hoc. De quo vide ad Lucam iſto loco.

Jam quæritur: Cur tres priores Euangeliſtæ ſilentio tranſmiſerint ea, quæ à tempore peractæ tentationis Chriſti uſque ad Johannis incarcerationem Chriſto evenerunt? Cauſa hujus rei videtur hæc fuiſſe, quod omnia quæ Chriſtus ſub tempus id, quo Johannes præcurſor ejus docuit (docuit autem eouſque, donec compingeretur in carcerem) fecit ac prædicavit, fuerint tantum præparatio quædam ad ipſius munus, qua fundamenta quaſi ad majora opera ab eo jacta ſunt. Itaque tres priores Euangeliſtæ, quod præcipuum erat in ipſius munere, ſibi deſcribendum ſumſerunt, nempe plenum ac perfectum doctrinæ Chriſti curſum, qui tunc cœpit potiſſimum, cum Chriſtus cœpit prædicare: *Reſipiſcite, quia appropinquavit regnum cœlorum.*

Verſ. 13. *Et relicta Nazaretha.*] Cauſa cur reliquerit Nazaretham, ex Luc.4. 29 intelligitur, nempe Nazarænorum incredulitas atque animorum obſtinatio, unde factum, ut eum etiam è monte præcipitare vellent.

Venit habitatum Capernaumum.] Potuit fieri, Chriſtum etiam jam ante Capernaumi fuiſſe verſatum; id quod ſignificare videntur illa ipſius verba Luc. 4. 23: *Omnino dicetis mihi parabolam hanc, Medice cura teipſum. Quanta audivimus facta in Capernaum, fac etiam hic in patria tua.* Quanquam hæc verba ſic accipi poſſunt, non ut ſignificent, eos jam tum habuiſſe occaſionem illud ipſi objiciendi, ſed eos impoſterum ita dicturos. Sed quicquid ſit, fieri poteſt, ut poſt illud demum tempus Nazaretham ita relinqueret, ut jam ſuum veluti domicilium non amplius Nazarethæ, ſed Capernaum habere vellet.

Maritimam, in finibus Zabulonis & Naphthalimi.] Cauſa, cur Chriſtus Capernaum elegerit ad habitandum, videtur fuiſſe loci celebritas, ac hominum ibi perpetuo verſantium frequentia, unde non mediocrem prædicationis ſuæ fructum ſperare poterat. Sita enim erat urbs hæc ad lacum Genezareth, qui alias Mare Galilææ, aut Mare Tyberiadis appellatur, eratque una è primariis emporiis. Hebræi maris nomine etiam lacus complectuntur. Lacum autem hunc efficiebat Jordanis, qui medius eum tranſmeabat.

Verſ. 14. *Ut impleretur quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem.*] Locus Eſaiæ extat cap.9. 1,2. Non ſignificat autem Matthæus, ſenſu literali dictum illud Eſaiæ tum temporis fuiſſe impletum, ſed myſtico, id eſt, hoc fuiſſe factum, cujus typus ac figura quædam fuit id, de quo Eſaias literali ſenſu loquitur, uti mox in verborum explicatione dicemus.

Verſ. 15. *Terra Zabulon & terra Nephthalim.*

Non

Non omnia Matthæus verba recenſet, quæ verſiculo primo apud Prophetam habentur, ſed ea tantum excerpit, quæ ad inſtitutum ejus pertinebant. Ejus enim rei gratia hunc locum potiſſimum produxerat, ut oſtenderet, prædictum aliquando fuiſſe, fore, ut ad mare in finibus Zabulon & Nephthalim lux prædicationis Euangelicæ effulgeret.

Senſus autem horum Prophetæ verborum duplex eſt; alius literalis ſeu hiſtoricus, alius myſticus. Literalem quod ſpectat ſenſum, verba ex Hebræo apud Eſaiam ita ſonant ℣ſ. 1: *Quanquam non erit* (plane) *obtenebrata* (hæc terra) *cui anguſtia erit ſecundum tempus primum* (quo) *Dominus allevabit terram Zabulon, & terram Nephthali, &* (ſecundum) *poſterius* (tempus) *quo aggravabit* (terram ad) *viam maris trans Jordanem* (nempe) *Galilæam populorum* (ſeu Gentium) ℣ſ. 2. *(Sed) populus ambulans in tenebris vidit lucem magnam, & ſedentibus in terra umbræ mortis, lux ſplenduit.* Senſus hujus loci hic eſt: Comminatus fuerat Propheta in præcedenti cap. 8 populo Judæ, atque inprimis civitati Hieroſolymitanæ, graviſſimam afflictionem, quæ nimirum eventura erat per Sennacheribum Aſſyriorum Regem. Jam his verbis nonnihil mitigat iſtam comminationem initio hujus noni Capitis, ſubjecta conſolatione de futuro Dei auxilio, ac certa ſpe liberationis: quaſi dicat, ℣ſ. 1: Caligo, hoc eſt, calamitas, quam Hieroſolymitanæ urbi eventuram dixi, erit quidem magna; ſed tamen non erit illi par, quæ Iſraëlem, id eſt, decem tribuum populum leviter quidem primum afflixit, poſtea vero affliget graviter. Seviter afflixit, cum Zabulon & Nephtalim, à Teglath Phalaſſar 2 Reg. 15. 29 in captivitatem fuit abducta. Graviter autem, cum reliquæ tribus 2 Reg. 17 à Salmanaſſare in Aſſyriam abductæ ſunt. Reddit vero Propheta rationem ℣ſ. 2 cur dixerit, caliginem illam, quam Judæ fuerat minatus, non fore tantam, quanta Iſraëli partim jam evenerat, partim brevi erat eventura: nempe quia in hac caligine viſurus eſſet Judæ populus lucem magnam, hoc eſt, liberationem admodum illuſtrem eſſet ſenſurus. Id quod factum eſt, cum Hieruſalem ab obſidione fuit liberata per Angelum, cæſo Sennacheribi exercitu numeroſiſſimo 2 Reg. 19. 36. Ex his jam non eſt difficile ſenſum verborum myſticum eruere. Caligo illa calamitatem populi Judæ, figura quædam fuit caliginis ignorantiæ divinæ voluntatis, & calamitoſiſſimi ſtatus hominum in illa ignorantia verſantium. Et contra, lux auxilii divini ſeu liberationis, quæ olim Judæis atque Hieroſolymitanis, in tanto periculo ac calamitate conſtitutis affulſit, typus quidam fuit lucis doctrinæ cœleſtis ac cognitionis rerum divinarum, quæ per Chriſtum orbi fuit illata, ac ſimul felicitatis, quam veritatis lux miſeris mortalibus afferebat. Illa caligo omnino erat umbra mortis; hæc lux vere eſt vitæ ſplendor. Verum illud inter literalem & myſticum ſenſum intereſt, quod illo ſenſu non videtur referri ad terram Zabulon & Nephthalim viam maris lux iſta, id eſt, literatio, ſed illarum terrarum tantum fit mentio comparationis gratia: ut nimirum diſcrimen appareat calamitatis, quæ illis terris aut jam evenerat, aut non multo poſt eventura erat, & illius, quæ Judæ atque Hieroſolymæ immineret. Sed ſenſu myſtico his ipſis terris tanta lux promittitur. Et ſane verba Hebræa ita per ſe ſunt comparata, ut ſenſum hunc ferant: quandoquidem cum calamitatis facta eſſet mentio, quæ iſtis terris antea incubuiſſet, ac poſtmodum incubitura eſſet, eaque caliginis nomine fuiſſet deſcripta; recte per populum hunc ſedentem in tenebris, atque in regione umbræ mortis, populus iſtarum terrarum, nempe Zabulon & Nephthalim, id eſt, terræ Galilææ, in qua lux Euangelii primum pleno fulgore illuxit, intelligi poteſt.

Terra Zabulon & terra Nephthalim.] Galilæa enim forte his duabus tribubus obtigerat Joh. 19. ℣ſ. 22, 33.

Via maris.] Id eſt, quæ ad mare ſita eſt, nempe ad mare Galilææ: de quo ℣ſ. 18.

Trans Jordanem.] Chorographia docet, regionem illam reſpectu Hieroſolymæ, terræque Judææ (ubi Propheta, cum iſta ſcriberet, ac veriſimiliter etiam Euangeliſta verſabatur) non trans, ſed cis Jordanem eſſe ſitam. Sed ideo trans Jordanem dicitur, quia Iſraëlitæ cum ex Ægypto in terram promiſſam venirent, antequam tranſirent Jordanem, totam illam regionem trans Jordanem ſitam, ſub qua comprehendebatur Judæa, Samaria & Galilæa, vocarunt terram trans Jordanem Num. 32. 19. Deut. 3. 20. xi. 30. Illis enim tunc revera erat regio illa ultra fluvium. Quod nomen poſtea retinuerunt, & illam oram ſemper trans Jordanem appellarunt, etſi citerior eſſet; ut ex Marc. 10. 1 & Joh. 1. 28 intelligitur.

Galilæa gentium.] Sic vocata fuit, non à Salomonis primum temporibus, qui Hiramo Regi Tyri viginti civitates Galilææ donaverat 1 Reg. 9. 2; ſed jam ab avitis temporibus, quia multæ gentes propter opportunitatem maris & terræ ibidem commorari amabant. Inde eſt, quod Joſue, poſtquam multos recenſuiſſet reges, à quibus terra illa inhabitata fuit, Regem gentium ad Gilgalem nominet. Gilgal autem videtur hæc eadem regio fuiſſe, quæ apud Eſaiam & hic, ut & 1 Reg. 9. 11, Galilæa nuncupatur.

Verſ. 16. *Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione & umbra mortis, lux orta eſt eis.* In regione & umbra mortis, eſt Hebraiſmus. Significaturque regio, quæ denſis ac horrendis tenebris, quibus mortis terror inerat, velata erat. Quanquam hæc umbra ac tenebræ, quæ hoc loco intelliguntur, revera erant mortis umbra, propterea quod mortem, eamque æternam, hominibus afferrent.

Verſ. 17. *Et tunc cæpit Jeſus prædicare & dicere.*] Hoc intelligendum eſt, de perfecta prædicatione Euangelii: Chriſtum enim etiam antehac in Judæa prædicaſſe, priuſquam Johannes carceri incluſus eſt, ſupra ad ℣ſ. 12 oſtenſum eſt. Quia vero id non niſi præparamentum atque exile initium fuit Prophetici numeris Chriſti, ideoque à prioribus tribus Euangeliſtis non eſt enarratum, propterea initium plenæ ac illuſtris prædicationis Chriſti hinc arceſſitur, ubi curſum ſuum prodromus ipſius Johannes abſolvit. Quo pacto *vox cæpit* ſuam ſignificationem retinet, cum alias in Sacris Literis Hebræorum loquendi more ſimpliciter impletionem ſermonis, abſque peculiari

ſignificatione denotet .De quo vide infra cap.xi.7.

Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cœlorum.] Vide de his verbis ſupra cap.3.2.

PARS III.

TErtia pars capitis hujus ſequitur, ſeu alterum poſterioris partis membrum, ubi de vocatione nonnullorum diſcipulorum ad Apoſtolatum agitur. Quanquam ita, ut juberentur Chriſtum aſſectari, ejuſque lateri veluti adhærere, quo ad munus illud præpararentur, & Magiſtro illorum opera uti volenti quaſi ad manum eſſent.

Verſ. 18. *Circumambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ.*] Sic vocatur mare iſtud, quia Galilæa ex una parte maris iſtius ad occidentem ſita erat. Johannes vocat id mare Tiberiadis Joh. 21. 1 quia civitas ab Herode Tetrarcha, Tiberio Cæſari in honorem extructa, ad mare hoc ſita erat. Dicitur quoque apud Lucam cap. 5. 1 lacus Geneſareth.

Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus.] Ex eo, quod Johannes cap. 1. 35 & ſeqq. recenſet, patet, hos duos diſcipulos, Petrum & Andream, non tunc demum, cum Chriſtus poſt Johannis Baptiſtæ mortem in Galilæam venit, credidiſſe; quandoquidem Johannes expreſſe teſtatur, Simonem, qui poſtea à Chriſto Cephas ſeu Petrus vocatus eſt, & Andream fratrem ejus in eum credidiſſe, dum Johannes adhuc publice doceret ac baptiſaret: Andreamque potiſſimum commotum eſſe ad credendum in eum, teſtimonio Johannis, quod Chriſto præſenti perhibuit, eumque poſtea Simoni fratri dixiſſe, *Invenimus Meſſiam*, eumque ad Chriſtum adduxiſſe, à quo nomen protinus novum futuri Apoſtolatus dignitatiſque omen acceperit. Quin & illud ex ejuſdem Johannis Apoſtoli dictis intelligitur, Andream ac Petrum ab eo jam tempore, una cum aliis quibuſdam diſcipulis Chriſtum aſſectari cœpiſſe. Cum ergo hoc loco à Matthæo referatur, uti & à Marco cap. 1. 17 eos poſtmodum demum, cum rete jacerent in mare, fuiſſe à Chriſto juſſos, ut ſe ſequerentur, apparet eos poſt primam illam Chriſti notitiam, & fidei in ipſum collocatæ initium ad ſuos rediiſſe, & conſueto operi, ſeu victus quærendi rationi vacaſſe, nec ſemper Chriſto adhæſiſſe, & eum quacunque euntem fuiſſe ſectatos; ſed poſtea demum, cum ita, ut hic legimus, eſſent ab ipſo nominatim vocati, & juſſi, uti ipſum ſequerentur.

Utrum eadem ſit hæc hiſtoria cum illa, quam Lucas deſcribit initio cap. 5 vide illo loco.

Mittentes rete in mare.] Utpiſces caperent.

Erant enim piſcatores.] Objectum fuit olim Chriſtianis ab infidelibus, Chriſtum ex profeſſo nonniſi vulgares ac indoctos elegiſſe homines, quales erant piſcatores, ut eos eo facilius tanquam idiotas poſſet ſeducere: non ſuſcepiſſe autem Phariſæos, Scribas alioſque ſapientes qui facile fraudem ejus potuiſſent perſpicere. Hieronymus quoque ſcribit, Julianum Apoſtatam, & Porphyrium Ethnicum Philoſophum dixiſſe, vel Euangeliſtas mera referre mendacia, vel Apoſtolos iſtos fuiſſe ſtultiſſimos, quod illico ad unicum unius hominis prætereuntis juſſum ac poſtulatum omnia reliquerint, eumque ſecuti fuerint. Verum quod prius attinet, non ſunt homines iſti gnari viarum Dei (quorum & hodie non pauci reperiuntur) qui excellentiſſima opera ſua, per media maxime infirma ſolet exequi, ut laus non humanæ ſapientiæ, ſed viribus ejus adſcribatur. Quo indoctiores ac rudiores erant iſti, quos Chriſtus ad propagandam cœleſtem doctrinam elegit, eo magis potentia ejus ad ipſius ac patris ejus ſummam gloriam enituit. Quam enim inſignes viri evaſerunt iſti piſcatores, cum virtute divina ſuperne illuſtrati, de ſummis myſteriis ſumma cum omnium hominum admiratione locuti ſunt? Actor. 4. 13. Vide 1 Cor. 1. 26, 27, 28.

Quod attinet promptam amborum iſtorum diſcipulorum ſecutionem, non erat eis Chriſtus tunc ignotus aliquis erro, ſed jam talia de ipſo audiverant, & viderant, ut in parte felicitatis ponerent, quod in numerum fideliſſimorum amicorum ejus reciperentur.

Quod vulgo hic de interna vocatione Apoſtolorum docetur, ſeu de arcana vi, quæ eorum animos commoverit, ut huic vocationi ſtatim ultro morem gererent, caret omni fundamento. Vocationes enim Dei nemini vim faciunt, ſed liberum ei relinquunt arbitrium, ut eo utatur, aut non.

Verſ. 19. *Et ait illis: Venite poſt me.*] Nempe ita, ut perpetui aſſeclæ Chriſti fuerint, ac ſemper apud eum manſerint.

Et faciam vos piſcatores hominum.] Id eſt, *nam faciam vos.* Reddit cauſam, cur eum ſequi debeant, oſtenditque, quam inſignem fructum inde ſint relaturi. Nimirum quod loco piſcium, quos tunc capiebant, cœleſtis doctrinæ reti, quam à Chriſto hauſturi erant, homines ſint capturi, & ad obſequium fidei adeoque ad ſalutem æternam adducturi. Ex quo infinitis partibus major illis expectanda erat merces ac fructus, quam ex corporali piſcatione. Qui enim erudiunt alios, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, Dan. 12. 3.

Verſ. 20. *Illi autem continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.*

Verſ. 21. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reſarcientes retia ſua.*

Verſ. 22. *Et vocavit eos.*] Nempe, ut ſe ſequerentur.

Illi autem ſtatim, relicta navicula & patre ſuo, ſecuti ſunt eum.] Inde ſumuut quidam ineptiſſimum argumentum communionis bonorum. Dicitur enim expreſſe, quod reliquerint ſeu dimiſerint ſua, non quod in commune contulerint. Et quomodo potuerunt illi bona ſua habere communia, cum ſtabilem non haberent civitatem ullam, ſed Chriſtum huc illuc obambulantem ac loca ſubinde mutantem ſecuti fuerint? Imo idcirco illi coacti ſunt omnia relinquere, quia bona ſua neque ſeorſim neque in commune curare, iiſque frui potuerunt. Vide etiam Matth. 19. 21.

Æque parum ſervit Papiſtis hic locus ad probandam vitam monaſticam, in qua omnes ſuas poſſeſſiones in mundo abdicant, votoque ſe ad ſolita-

riam

rſam ac cœlibem vitam obſtringunt. Nam inter tale votum & vocationem diſcipulorum ingens eſt differentia. Vocatio iſta à Chriſto erat, cui diſcipuli obſequi omnino obligati erant. Talia autem vota monaſtica ab hominibus ipſis ſuſcipiuntur, neque probari poteſt, ea Deo accepta eſſe, multo minus ea ex Dei vocatione proficiſci. Præterea non tenebantur neceſſario diſcipuli omnia ſua in totum relinquere, ſed tantum propter certas circumſtantias ſuæ vocationis: quia ſcilicet illa requirebat, ut cum Chriſto ab uno loco in alium ſe conferrent, ideo non poterant ſuis retibus ac naviculæ curandæ vacare. Alioqui quando tantum habebant temporis, & ſe offerebat occaſio, non intermiſerunt tractare ſuam artem: ut inter alia Joh. 21. 3 videre eſt. At monachi in cœnobiis, quamvis ſummum otium atque occaſionem habeant ſe manuum ſuarum labore ſuſtentandi, malunt nihil agere, aut mendicando aliis eſſe moleſti: quod certe Deo placere non poteſt. Taceo, quod multi in cœnobiis plures inveniant theſauros, quam in mundo reliquerunt.

Et patre ſuo.] Hoc requirit vera Chriſti imitatio, ut ejus gratia etiam chariſſima quæque deſerantur, tandem etiam propria vita. Vide Matth. 16. 24. Luc. 14. 26.

PARS IV.

HIc ſuccedit poſtrema pars ſecundi membri hujus capitis.

Verſ. 23. *Et circuibat totam Galilæam Jeſus, docens in Synagogis eorum.*] Vox Græca *Synagoga* eſt generalis, qua omnis conventus ſeu congregatio certorum hominum ſignificatur, ſive ea ad judicia exercenda, ſive ad conſultationes habendas, ſive ad Deum colendum inſtituantur. Poſtea autem etiam loca, ubi conventus habebantur, Synagogæ nuncupata ſunt, ut Luc. 7. 5 legitur. Hic intelligit Matthæus per Synagogas Judæorum ſcholas, in quibus conveniebant ad Legem docendam atque interpretandam. Quod autem Chriſto permiſſum fuerit in ſcholis Judæorum docere, mirum non eſt. Moris enim tunc erat, cum quis eruditus ac peritus rerum intraret ſcholam, ut hunc ei haberent primores Scholæ honorem, ut eum ad dicendum invitarent; quod nos docet hiſtoria Act. 13. 15.

Et prædicans Euangelium regni.] Id eſt, lætum nuncium de regno cœlorum, de æterna ſalute, cujus aliquando pii in cœlis reddentur compotes.

Et ſanans omnem morbum & omnem infirmitatem in populo.] Non certis medicamentis ac naturalis mediis, ſed nudis verbis, vel tactu, ita ut divina virtus in eo agnoſci poſſet. Id quod ad confirmandam doctrinam ejus faciebat.

Omnem morbum.] Nullo excepto; qualeſcunque morbi ac defectus valetudinis erant, etiam qui humana arte curari non poterant, ab eo ſanabantur.

Verſ. 24. *Et abiit fama ejus in totam Syriam.*] Vult dicere Matthæus, famam de eo non in illis ſolum locis, quæ verſ. 25 enumerat, ſed etiam per totam Syriam, quæ extra Judæorum ditionem erat, perſonuiſſe.

Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis morbis ac cruciatibus affectos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.] Cruciatibus affecti vocantur, qui morbis maximos dolores corpori afferentibus atttinebantur.

Dæmoniacos. Id eſt, à dæmone obſeſſos. Quales permulti non Chriſti ſolum & Apoſtolorum tempore, ſed & poſt illorum tempora reperiebantur.

Lunaticos.] Hoc eſt, quorum morbi & paroxyſmi Lunæ incrementa aut decrementa ſequuntur, ſive inſania illa ſit, ſive epilepſia, & cum ea conjuncta quædam vis Dæmonis, ex quo genere fuit ille puer, de quo Matthæus cap. 17. 15. & Lucas cap. 9, 38 & ſeqq.

Verſ. 25. *Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli.*] Voce Decapolis deſignatur tota illa regio Galilææ, dicta à decem urbibus in ea ſitis. De qua ſcribit Plinius lib. 5. cap. 18. Ex quo intelligitur, hanc regionem non exiguam fuiſſe.

Et Hieroſolymis & Judæa.] Hieroſolyma alias Judææ accenſetur: erat enim Judææ metropolis. Sed Matthæus propter excellentiam eam peculiariter nominat, & è reliqua Judæa veluti eximit. Idem fit Luc. 6. 17. Joh. 3. 22. Quare per Judæam hic reliquum terræ Judaicæ territorium intelligendum eſt.

Et trans Jordanem.] De hoc vide ſupra verſ. 15.

I. APPENDIX.

Ad verſ. 1.

Quomodo Deo Omniſcienti tribui poſſit, quod homines tentet? Ubi ſimul de Omniſcientia Dei agitur.

EX eo, quod Chriſtus Deo ſic volente ac ordinante à Diabolo ſit tentatus, naſcitur quæſtio, cujus ſolutio ut plurimum Interpretibus multum faceſſit negotii. Nimirum quæritur, Quomodo poſſit Deo Omniſcienti tribui, quod homines tentet? cum tentare proprie ſit experimentum alicujus rei capere, vel aliquid explorare. Nemo autem cupit experimentum ejus rei capere, aut explorare id, quod jam ante certo ac ſine omni errore novit. Ideo omnis tentatio vel ex ignoratione, vel ex dubitatione oritur. At Deus omnia novit etiam futura & abditiſſima, adeoque non eſt ei neceſſe, ut aliquid tentando exploret.

Hæc quæſtio ut plene ac ſolide enodetur, præmittenda eſt Omniſcientiæ Dei explicatio, & qua in re proprie ſita ſit, quamque ſe late extendat, oſtendendum. Sed quia id hoc loco nimis longum foret, commodiori loco fuſiorem tractationem reſervabimus. Sufficit hic paucis indicaſſe, eandem eſſe Omniſcientiæ Dei rationem, quæ eſt ejus Omnipotentiæ, per quam omnia facere poteſt. Nimirum poteſt Deus omnia ea facere, quæ per ſe ac natura ſua impoſſibilia non ſunt, id eſt, quæ contradictionem non implicant, nec ſeipſa tollunt, aut ſecum pugnant. Quicquid enim ſimpliciter ac per ſe impoſſibile eſt, id ſub omnipotentiam Dei non cadit:

quæ res apud omnes eruditos in confeſſo eſt. Ut ex. c. Deus Omnipotentia ſua efficere non poteſt, ut quod revera factum eſt, factum non fuerit, ut res una eademque, eodem tempore, & ſecundum eandem partem qua eſt, ſit ſimul & non ſit, &c. Idem etiam de Omniſcientia Dei tenendum eſt, ſub eam cadere omnia, quæ ſua natura ita comparata non ſunt, ut ſciri nequeant. Talia autem ſunt ea omnia, quæ à ſolo humano arbitrio & libera ac non coacta voluntate dependent ac profiſcuntur; hæc nullus intellectus, ne divinus quidem, ſcire poteſt ante, quam libera voluntas certi aliquid decernat ac apud ſe conſtituat, quod id facere vel omittere velit. Hæc enim eſt vis ac natura liberi arbitrii, ut ad faciendum & non faciendum ſit indifferens, & pro ſua libertate tam ad hanc, quam ad illam partem ſe poſſit flectere. Si igitur Deus, ut vulgo creditur, ab æterno, & antequam homo natus eſſet cuncta ſciviſſet, quæ ſinguli nominatim facturi atque electuri ſint, alterutrum dicendum eſſet; vel, ſcientiam Dei eſſe incertam, quodque in ea falli & errare poſſit, ſi ſcilicet homo poſtea, ubi natus fuerit, pro arbitrii ſui libertate aliud faciat, atque eligat contrarium, quam Deus præſcivit (id quod repugnaret divinæ Omniſcientiæ) vel, ne Deus in ſua præſcientia erret, neceſſario hominem cogi id facere, quod Deus ante præſcivit: qua ratione libertas voluntatis omnis prorſus tolleretur. Utrunque autem eſt abſurdum. Primum, quia non eſt hæc vera ſcientia, quando id quod ſcitur, aliter ſe habere poteſt, quam ſcitur. Unde ſequeretur, Deum Omniſcientem & ſimul non omniſcientem eſſe, quod ſeipſum evertit. Alterum vero, quia libero arbitrio hominum ſublato, & neceſſitate agendi conſtituta, tollitur omnis virtus ac pietas, imo omnis religio ac cultus divinus evertitur funditus: id quod pluribus à nobis alibi demonſtrabitur.

Hinc jam facilis patet propoſitæ quæſtionis de tentatione Chriſti ſolutio. Videlicet quia Chriſtus non minus quam alii omnes homines, liberam ac non coactam habuit voluntatem, inque ejus poteſtate ſitum fuit, Dei mandatis obſequi vel non, ideo Deus quid Chriſtus in iis, quæ ad munus ejus ac debitum pertinebant officium, facturus erat, ſcientia infallibili haud præſcivit, nec præſcire potuit; ac proinde id per tentationem expiſcari atque explorare voluit. Si enim Deus id jam ante, imo ab æterno (ut vulgo putatur) ſciviſſet, Chriſtus non libere ſed neceſſario Deo obediviſſet: non enim aliter facere potuiſſet, quam Deus præſcivit; alioqui Deus in ſua ſcientia falſus fuiſſet. Dicere autem Chriſtum non libere obedientiam præſtitiſſe Deo, eſt cum ſumma honoris ejus imminutione conjunctum. Coacta enim obedientia, cum aliter agi non poteſt, non magis eſt vera obedientia, quam ex. gr. de ſole dici poteſt, eum Deo obedire, dum ab una cœli parte currit ad alteram. Talis coacta obedientia (ſi modo obedientia dici meretur) etiam remunerationem non meretur ullam: adeoque inepte prorſus locutus fuiſſet Apoſtolus, cum dixit, Chriſtum propter ſuam obedientiam uſque ad mortem crucis ſupra modum exaltatum fuiſſe, & nomen ſuper omne nomen obtinuiſſe Phil. 2. 9.

Alii Interpretes aliam rationem iniverunt ſolvendi hanc quæſtionem. Ac primum quidem ſtatuunt aliqui, (inter quos etiam Durandus) Deum quidem vi ſuæ omniſcientiæ omnia etiam futura, quæque à ſola hominis libera voluntate pendent, ſcire poſſe, ſed omniſcientiam ejus ſubjici ac regi à libera ipſius voluntate, ita ut hoc ſolum reipſa ſciat, quod ſcire vult, neſcire autem, quod ſcire non vult. Hæc igitur ſententia concedit, Deum ideo Chriſtum tentari voluiſſe, quod reipſa neſciverit, quid Chriſtus facturus eſſet, quodque id per tentationem reſcire atque explorare voluerit. Quod ſane veritati eſt omnino conſonum. Sed cauſa, cur id Deus ſcire noluerit, quam affert hæc ſententia, eſt tam abſona, ut vix aliquid magis abſonum excogitari poſſit. Quam enim habere poterat Deus cauſam, aut fructum in gloriam ipſius vel Chriſti commodum redundantem, ut quod vi ſuæ Omniſcientiæ ab æterno ſcire poterat, ſcire noluerit, ſed demum in tempore per tentationem inveſtigare voluerit? Cui bono uti vellet hoc inutili ac divinitati ſuæ haud decoro circuitu? Annon hæc mera eſſet hiſtrionia? Annon perinde res ſe haberet, atque ſi quis ſanos oculos habens, optime cernere abſque omni impedimento queat, ſitne res alba an atra, nihilominus oculos ſuos adhibere nollet, ſed alios percunctando, id reſcire mallet? Ut nihil de eo dicam, quod per ſe impoſſibile ac contradictorium ſit, dicere, Deum poſſe nolle ſcire, quod vi ſuæ omniſcientiæ ab æterno ſcire poteſt. De quo alibi copioſius.

Alii & quidem plures longe Interpretes nodum hunc alia ratione explicare conantur. Dicunt enim, Deum tentare homines non idcirco, quod neſciat quid facturi ſint, ſed partim, ut homo, qui tentatur, diſcat ſeipſum noſſe, partim alii exemplum in eo habeant, quid ſequi vel fugere debeant. Sed hæc reſponſio adverſatur claris Scripturæ verbis. Nam Moſes ſic affatur Iſraëliticum populum Deut. 13. 3: *Dominus Deus veſter tentat vos, ad cognoſcendum, utrum diligatis eum ex toto corde, & ex tota anima veſtra, annon.* Et Deut. 8. 2. *Ut affligeret te, atque tentaret, ad cognoſcendum ea quæ in animo tuo verſabantur, utrum cuſtoditurus mandata illius eſſes, annon.* Sic etiam de Hiſkia dicitur, quod *dereliquerit eum Deus, ut tentaretur, ut experiretur, quicquid erat in corde ejus* 2 Paral. 32. 31. Sic Angelus nomine Dei inquit ad Abrahamum: *Nunc expertus ſum, quod Dei timens ſis, cum non ſubtraxeris unicum filium tuum à me* Gen. 22. 12. Unde intelligitur, eum id non ſciviſſe antea, ſed tum demum reſciviſſe.

Alii propiorem adhuc volunt invenire viam expediendæ difficultatis, Deumque prorſus ab omni tentatione excludunt. Ajunt enim, omnia quæ in Sacris Literis leguntur de tentatis à Deo hominibus, Angelo qui perſonam Dei ſuſtinuit, adſcribenda eſſe. Nam volunt Deum ipſum nihil feciſſe ſine medio, ſed per Angelos, de quibus id quod faciebant, ita narratur, quaſi id Deus ipſe feciſſet. Angeli autem iſti neſciunt, quid illi qui tentatur facere velint, ſed exquirunt atque explorant id per tentationem. Verum reſponſio hæc nullo nititur fundamento. Nam ſive Deus ſine medio, ſive per medium, id eſt, Angelum tentet, ipſius nihilominus eſt opus

ſeu

ſeu actio, quatenus ab illo ortum habet, ſeu ipſius ſit mandato. Cui bono autem vellet Deus efficere, ut Angeli reſciant, quid homines facturi ſint, dummodo id ipſe ſciat? Poteſt enim Deus ſine Angelorum ſcientia id agere cum hominibus, quod tentatio debet efficere: & ſane hac ratione tentatio non hominum cauſa fieret, ſed Angelorum, ut cognoſcant, quid in homine lateat. Imo quia Deus ad hanc tentationem Chriſti nullum adhibuit Angelum, ſed Diabolum, dicendum foret, eam hoc ſolo fine factam eſſe, ut Diabolus ſcire poſſet, quomodo Chriſtus in corde ſuo erga Deum affectus fuerit. Quod profecto eſt abſurdiſſimum.

II. APPENDIX.

Verſ. 10.

Argumentum ex Tentatione Diaboli ſumptum, quod Chriſtus non ſit Deus Altiſſimus.

Hiſtoria de eo, quomodo Chriſtus à Diabolo tentatus ſit, ita ut etiam ad adorationem ab eo ſolicitatus fuerit, & quod in hunc ipſum finem, ut tentaretur, à Spiritu Sancto actus ſit in deſertum, firmiſſimum nobis præbet argumentum, quod Chriſtus non ſit Deus altiſſimus. Hoc enim totum Chriſto non contigiſſet, ſi ipſe Deus ſummus fuiſſet. Nam primo quid magis indignum Deo ſummo, & majeſtati ejus inconvenientius, quam impio ac maledicto hoſti, quem ob contemptum majeſtatis ſuæ olim cœlo extruſiſſet, nunc ſeſe tentandum & ad ipſiuſmet adorationem ſolicitandum exponere, atque ad illudendum majeſtati ſuæ ultro ſe offerre? Deinde quorſum id factum fuiſſet? an ut conſtaret, Deum ſummum poſſe tentationes Diaboli ſuſtinere ac vincere? Num quiſpiam ea de re dubitare poterat, ut experimento eſſet opus? Præterea qui auſus eſſet Diabolus rem tantam aggredi? Non commemorabo nunc illud, quod & dæmones ad divinæ majeſtatis conſpectum contremiſcunt, qui etiam ad ipſius memoriam, cœlo ab eo dejecti, & in tartara detruſi horrent. Finge enim nunc in ſpiritu malefico, & iræ, & virium Dei inſuperabilium optime conſcio, ac vinculorum ſuorum, quibus ab eo conſtrictus tenetur, probe memori, tantam impudentiam & audaciam, quantam libet; aſtutiam tamen illi ſummam eſſe ſimul fatebere. Atque utinam ea fatenda non eſſet! At quo pacto fieri poteſt, ut Spiritus aſtutiſſimus Deum ſupremum tentet, eumque ſeducere conetur, & denique ad rem indigniſſimam ac deteſtabiliſſimam, adorationem nempe ſui ſolicitare in animum inducat? Num enim fieri poteſt, ut vel rem, quam impoſſibilem eſſe probe norit, aggrediatur; vel rem hanc impoſſibilem eſſe, planiſſime non cernat? Neutrum in eum cadit, qui vel micam ingenii habet, nedum ut in ſpiritum ſubtiliſſimum atque aſtutiſſimum cadat. Adde quod, cum dicit, *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*; & iterum, *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*, ſatis oſtendit, id ſe agere, ut Chriſtus aliqua ratione ambigere incipiat, utrum revera Dei ſit Filius, quem ſe eſſe cœlitus paulo ante audiverat; & porro tanquam rei aliquo modo dubiæ ulteriora quærat argumenta. At qui potuit ullo pacto ſperare, id ſe apud illum Dei Filium, qui ex eſſentia divina ſit genitus, efficere poſſe? Num forte putamus, hoſtem in hoc pugnandi genere exercitatiſſimum, quem mille fallaciarum architectum vulgo appellant, eo tentandi genere hic uſum, quod eſſet ad decipiendum omnium ineptiſſimum, atque adeo ad ſortiſſimum ſapientiſſimumque ducem oppugnandum, arma expediviſſe tam futilia, tamque ridicula? Qui proficeret Satan, ſi apud hominem etiam vulgarem, cui modo mens ſana ſit, rationibus aliquibus efficere conaretur, ut dubitaret de ſe, an homo eſſet, & non potius ſubſtantia aut creatura homine inferior? An non hic luſus potius eſſet, quam tentatio? At multo magis riſu dignum fuiſſet, perſuadere velle rationibus Filio Dei ex eſſentia divina genito, ut dubitet, utrum ſit Dei filius nec ne.

Longe vero aliter ſe rem habere intelliges, ſi animadvertas, Chriſtum tali ratione Dei Filium fuiſſe pronunciatum à Deo, quæ ad eſſentiam ipſius non pertineret, quæque charitate divina revera niteretur, & in eo maxime conſiſteret, quod deſignatione jam eſſet Meſſias, ſeu Rex populi divini cœleſtis atque æternus, qui poſtea demum reipſa evaſit. Facile enim intelliges, non tam inepte pugnaſſe vafertimum hoſtem, cum id in dubium vocavit, & fidei ſcuto ad ipſius tela excipienda fuiſſe opus. Taceo nunc alia, quæ in illa tentationis Chriſti hiſtoria occurrunt, ut quod ei Satan in montem altiſſimum perducto, omnia hujus mundi regna, eorumque ſplendorem, tanquam non ſatis cognitum, aut non ſatis oculis ejus obverſantem, oſtenderit, ut eum ad ſe adorandum tanto facilius alliceret: quodque coram ipſo, eundem in finem, auſus fuerit dicere, *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea.* Apparet enim, ſatis intellexiſſe Satanam, ſibi non cum Deo ſummo rem eſſe, ſed cum eo, qui homo ſubſtantiæ ratione eſſet, ex ſingulari autem Dei charitate ipſius Filius: quem quia Deus tentandum ſibi ultro obtuliſſet, ut virtutis ac pietatis ſuæ daret documentum, eum ſuis artibus à Deo abſtrahere, non putavit penitus impoſſibile. Sed & hæc & alia quædam lector ingenioſus per ſe animadvertet.

Non eſt autem, quod quis hic ad diſtinctionem duarum naturarum in Chriſto confugiat, dicatque Chriſtum ſecundum humanam tantum naturam tentatum fuiſſe, non ſecundum divinam. Eadem enim nihilominus abſurda ſequuntur, etiamſi ſtatuas, Satanam naturam tantum humanam, ſed ſummo tamen Deo perſonaliter unitam & indiſſolubili nexu copulatam, tentaſſe, & ut ea tentaretur, Deum voluiſſe. Etenim indignum fuiſſet Deo ſummo, in natura ſibi perſonaliter unita, impio ac teterrimo hoſti ſeſe ludibrio habendum, & ad ipſius adorationem ſolicitandum offerre. Siquidem natura humana nihil facere poterat, niſi divina conſentiente. Quare Satanas, naturam Chriſti humanam ad ſui adoratio-

nem ſolicitans, ſimul divinam naturam, ut in tam horrendum ſcelus conſentiret, idque humanæ naturæ permitteret, ſolicitaſſet. Supervacaneum autem fuiſſet, oſtendere, naturam Deo ſummo perſonaliter unitam, poſſe tentationes Satanæ ſuſtinere ac vincere. Quis enim ea de re dubitare poterat? Unde etiam patet, non potuiſſe Satanam vel minimam de ea vincenda ſpem concipere? Quid enim? num credere potuit Satanas, fieri poſſe, ut eouſque divina natura deſereret humanam, ſibi perſonaliter unitam, ut ipſi ſuccumberet, ut atrociſſimum facinus ſuſciperet, & porro etiam æternæ damnationi obnoxia fieret? Nonne vidit Satan, ſibi non cum ſola humana, ſed ſimul etiam cum divina natura rem fore; & hanc ſeducendam eſſe, ac ſcelus ei perſuadendum, ſi illa vinci debeat?

Quid ergo reſtat aliud, quam ut dicas, Satanæ nihil de unione illa humanæ naturæ cum divina conſtitiſſe? Sed quid? an Satanas, qui hoc ipſum oppugnandum ſibi ſumſit, quod Jeſus eſſet Filius Dei, non intellexit, quid verba illa, *Filius Dei*, ſignificarent? At ſi adverſariorum ſententia vera eſt, ſignificant, hominem illum Jeſum unam eſſe perſonam cum Filio illo Dei, ab æterno ex Dei ſubſtantia generato. Quis credat, ſi ut adverſarii volunt, incarnatio illa Filii, ex Dei eſſentia ab æterno generati, fuit in Sacris Literis prædicta, virgini Mariæ annunciata, & poſtmodum reipſa perfecta, ac tum ab ipſa Maria, tum ab aliis agnita, inque Chriſti baptiſmo cœleſti voce declarata, Satanæ hac de re nihil conſtitiſſe? præſertim ſi olim in cœlo Deum, & in ipſo omnia ipſius decreta (hæc enim adverſariis idem reipſa ſunt cum Deo ejuſve eſſentia) vidit, ac porro intellexit, fore, ut ſecunda Trinitatis perſona illis temporibus incarnaretur. Sed in re clara pluribus opus non eſt. Illud tantum addimus, cum Satanas Chriſtum eo adducere voluerit, ut dubitaret, utrum eſſet Dei Filius, ille nimirum, quem ſe eſſe, divina paulo ante voce pronunciari audiverat; non eſſe conſentaneum, eum in tentando illam naturam præteriiſſe, ſecundum quam ille Dei Filius eſſet. Hanc autem divinam eſſe volunt adverſarii. Quare vel huic ſententiæ, vel limitationi, qua tentationem iſtam ad humanam naturam reſtringunt, illis eſt renunciandum.

CAPUT V.

Argumentum & Partitio.

In hoc & duobus ſequentibus Capitibus continetur inſignis Chriſti concio, ad diſcipulos aliquando, audiente tamen populo, habita, qua eos in variis pietatis officiis inſtituit, atque ad ea exequenda hortatur. Et Caput quidem hoc quintum quod attinet, tria præcipue in eo tractantur, adeoque ad tria membra revocari poteſt. In primo varias virtutes commendat Chriſtus, dum in eis certam ad ſupremam felicitatem perveniendi viam ſitam eſſe docet: quod membrum extenditur uſque ad verſ.13. In altero uſque ad verſ.21, generales quaſdam rationes ac cauſas exponit, quibus diſcipulos ſuos ad illarum virtutum, omniſque adeo pietatis ſtudium excitat, & objectionibus quibuſdam eorumve tacitis cogitationibus occurrens, ad id quod tertio loco ſibi expediendum propoſuit, viam ſibi ſternit. Id autem eſt, ut Legis quædam præcepta perficiat, ita quidem, ut doceat, plura ſe nunc aut præcipere aut prohibere, quam Lex aut præceperit aut prohibuerit, & nonnulla ſuis diſcipulis omnino eſſe vitanda, quæ Lex Moſaica ſatis aperte permiſerit: à verſ.21 uſque ad finem Capitis.

PARS I.

ANte omnia hic expedienda eſt quæſtio: Utrum hæc ſequens concio eadem ſit, cum ea quam Lucas cap.6.17 ac ſeqq. refert. Hac de re enim magna eſt inter Interpretes diſſenſio. Et tamen non parum videtur referre ad ipſorum Chriſti verborum intelligentiam, ut aliquid hac de re certi conſtet. Nam ſi eadem utrobique eſt concio, alterius Euangeliſtæ verba ex altero erunt interpretanda; & licet diverſam videantur continere ſententiam, ineunda tamen erit ratio, qua non modo inter ſe concilientur, ſed eandem quoque revera ſententiam illis ſubeſſe oſtendatur. Quod ſi diverſa ſit concio, liberior quodammodo erit verborum utriuſque ſcriptoris interpretatio, & cum verba diverſam videntur continere ſententiam, non erit tantopere laborandum, ut eandem illis ſubeſſe oſtendatur, modo verum utrorumque ſenſum eſſe conſtet.

Sententia, quod eadem utrobique ſit concio, nititur ſequentibus rationibus. Prima eſt, quia magna eſt rerum ipſarum ſimilitudo ac multiplex convenientia, quemadmodum cuivis patet, qui utramque concionem inter ſe conferre voluerit, & ex ipſa explicatione ſingularum hujus concionis partium poſtmodum patebit. Porro, quia utrobique Chriſtus à beatitudinibus ut vulgo loquuntur incipit, utrobique etiam eodem modo, ſeu eadem plane ſententia concionem finit, dum oſtendit eum, qui ſermones hos ipſius obſervet, ſimilem eſſe homini domum ſuam ædificanti ſuper petram &c. Matth.7. 24. Luc. 6. 48. Deinde circumſtantiæ etiam quædam congruunt, partim quidem, quod utrobique dicatur Chriſtus ad diſcipulos ſermonem hunc habuiſſe, non ad populum; quanquam utrobique etiam ſignificatur, populum quoque hanc orationem audiviſſe; quem credibile eſt, Chriſto diſcipulis concionante, etiam acceſſiſſe, ut & ipſe ejus doctrinæ particeps fieri poſſet: partim vero, quod à Matthæo narratur, Chriſtum poſtea ingreſſum Capernaumum, & Centurionis ſervum ſanaſſe abſentem. Vide Matth.8. 5 & ſeqq. & Luc.7. 1 & ſeqq.

Sed in contrarium etiam, quod ſcilicet hæc concio alia fuerit ab ea, quam deſcripſit Lucas, haud leves pugnant rationes, ſive rerum ipſarum, hoc eſt, ipſius concionis ac ſententiarum in ea comprehenſarum, ſive circumſtantiarum habeas rationem. Nam quod ad rem ipſam ſeu doctrinarum capita attinet, multa ſunt à Luca omiſſa, quæ apud Matthæum habentur, quæ minime videretur fuiſſe præteriturus, ſi eandem cum Matthæo concionem deſcribere voluiſſet: major nimirum illorum pars, quæ Chriſtus Legem Moſaicam completurus hoc cap. 5 Matthæi diſſeruit,

differuit, & ea omnia, quæ cap.6 habentur; ut alia nonnulla nunc taceam. Deinde quædam, in quibus convenire videntur, ita sunt ab utroque expressa, ut satis appareat, aliam esse verborum hujus scriptoris, aliam alterius sententiam, quemadmodum in explicatione primi membri hujus Capitis de beatitudinibus statim apparebit. Ne de illo nunc quicquam dicam, quod Matthæus nonnulla omiserit à Luca dicta: hæc enim res minoris est momenti.

Jam quod ad circumstantias attinet, locus ac tempus utriusque concionis non parum discrepare videntur. Ad locum quod attinet, Matthæus dicit, Christum in monte habuisse illam concionem hujus ipsius Capitis initio. Unde infra cap.8. 1 absoluta hac oratione dicitur de monte descendisse. Lucas autem significat, Christum cum è monte descendisset, & in loco campestri constitisset, concionem à se descriptam habuisse. Vide cap.6. 17 & seqq. Quod ad tempus attinet, videtur ex serie rerum gestarum constare, concionem à Matthæo descriptam præcessisse, secutam aliquanto post eam, quam describit Lucas. Cujus rei duo videntur esse indicia. Alterum est, quod hæc concio apud Matthæum fuerit habita ante sanatum leprosum, ut constat ex initio cap.8. At si seriem rerum à Luca descriptarum attendas, leprosus ille haud paulo ante fuit à Christo sanatus, quam haberetur concio ab ipso descripta. Etenim historiam sanati leprosi refert cap.5, statim post miraculosam illam piscium capturam, qua peracta Simon cum sociis Christum dicitur fuisse secutus, & postea non paucis aliis interjectis, secunda cap.6 parte subjicitur à Luca concio Christi de qua nunc agimus. Neque autem est credibile, tam longe Lucam à rerum gestarum ordine discessisse, præsertim cum ipsius verba videantur omnino significare, ea, quæ post historiam sanati leprosi subjicit, tempore etiam fuisse posteriora. Quo accedit, quod, si conferas Lucam cum Matthæo, admodum videatur congruere, ut hæc Christi concio, quam Matthæus describit, censeatur intercessisse inter historiam capturæ piscium miraculosæ, & vocationis Apostolorum, qui capturæ illi interfuerant, & historiam sanati leprosi à Luca dicto loco narratam. Nam alia etiam non pauca congruunt inter se, quæ ab utroque Euangelista subjiciuntur. A Luca enim subjicitur postea historia sanati paralytici cap.5. 18, quæ apud Matthæum habetur infra cap.9, tum vocatio Levi seu Matthæi Luc.5. 27, & disputatio cum Pharisæis ac Scribis, partim indignantibus, quod cum publicanis & peccatoribus cibum caperet; partim causam postulantibus, cur Christi discipuli jejunare non solerent: de qua itidem est infra cap.9. Ut alia jam præteream, in quibus Lucæ cum Marco convenit. Deinde illud non leve est discrepantiæ, habita ratione temporis, indicium, quod Matthæus hanc concionem ita refert, ut appareat, eam habitam esse, antequam ipse à Christo vocaretur & eum sequi juberetur. Neque enim credibile est, si secuta fuisset hæc concio ipsius vocationem, eum prius concionem illam fuisse relaturum, quam suam vocationem, & quidem aliis etiam rebus interjectis. Atqui ex Luca constat, cum concio ab ipso descripta à Christo haberetur, Matthæum jam fuisse vocatum, & in numerum duodecim allectum. Scribit enim cap.6. 12 & seqq. Christum cum pridie in montem abiisset oratum, & totam noctem in precatione exegisset, postquam dies illuxisset, advocasse discipulos suos, & elegisse ex eorum numero duodecim Apostolos, inter quos etiam Matthæus nominatur ℣. 15, quorum nomina cum recensuisset, addit ℣. 17, Christum descendisse cum illis, nempe è monte, ac constitisse in loco campestri, multosque ægros ibidem sanasse, postea demum refert, Christum sublatis in discipulos oculis concionem illam habuisse. Hæc ratio quomodo solvi possit, non cernimus. Neque enim illud urgenus, quod nonnulli afferunt, Matthæum decimo demum Capite referre, quomodo Christus duocim discipulos, quorum nomina recenset, ad se vocaverit. Ad hoc enim ab aliis recte respondetur, aliam esse illam vocationem, quam Matthæus cap.10 describit, aliam, quam Lucas cap.6: hanc antecessisse, illam fuisse secutam. Qua de re vide infra cap.10. 1.

Quod autem attinet ad loci diversitatem, respondetur quidem à nonnullis, Christum primum, ut Lucas scribit, ascendisse in montem orandi causa, & cum in precibus pernoctasset, mane ad se vocasse duodecim discipulos. Hoc facto cum illis in campestrem locum descendisse, & miracula illic edidisse, inde denuo regressum in montem, & ibi, ut Matthæus refert, concionem ad discipulos habuisse, licet ea Lucas non commemoret, quia rem tantum rei voluerit connectere, non locum loco. Sed hoc parum verisimiliter dicitur: quandoquidem verba Lucæ omnino præ se ferunt, eo in loco, quem antea tam diligenter descripserat, habitam etiam illam Christi orationem. Certe nemo est, qui verba Lucæ legens, non statim in eam sententiam veniat, eo loco habitam fuisse illam Christi concionem, quem antea tam diligenter descripserat Euangelista. Quod ut melius adhuc animadvertatur, observandum est, velle eos Interpretes, qui ita respondent, Christum ut turbam fugeret, & discipulos suos solos alloqueretur, in montem iterum secessisse. Atqui id nequaquam credibile est, partim quidem, quod satis ex initio cap.8 appareat, Christum audiente populo hanc concionem habuisse, licet ad discipulos sermonem revera direxerit; partim vero, quod Lucas vers. 17 cap.6 dicit, turbam illam venisse, ut ipsum audiret, & sanaretur à morbis suis. Hoc posterius quomodo consecutum fuerit, narrat statim vers. 18, 19, prius autem nonnisi tum, cum concionem à Christo habitam describit usque ad initium cap. seq. dum inquit c.7. 1: *Cum autem implesset omnia verba sua in auribus populi, intravit Capernaum.* Quare non est credibile, Christum turbam tunc fugisse, & ut discipulis suis concionaretur, in montem secessisse; sed ad discipulos turba audiente verba fecisse, ubi & ipsum, & una turbam discipulorum, & multitudinem populi constitisse Lucas dixerat.

Quod vero nihilominus tanta sit plurimis in rebus inter utramque concionem similitudo, id non demonstrat, eodem tempore utramque fuisse habitam. Quam sæpe enim accidit, ut qui alios docent, eadem diverso tempore iisdem proponant atque inculcent, præsertim cum rei ipsius aut difficultas aut alia quædam necessitas postulat, ut quod semel dictum fuerat, sæpius repetatur? Concionatoribus sane

ſæpe id accidit. Et ne aliunde potius, quam ex Sacris Literis petamus exempla, ſi quis librum Deuteronomii legerit, videbit, non modo multa repeti à Moſe, quæ alibi atque inprimis in Exodo dixerat; ſed in eodem quoque libro ea, quæ dicta jam fuerant ſuperius, verbis licet ex parte mutatis, inculcari. Paulus etiam ad Timotheum & Titum ſcribens, prope eadem habet de Epiſcoporum ſeu Presbyterorum requiſitis. Idem etiam, quod eſt Epiſtolæ ad Romanos argumentum, ita tractat in Epiſtola ad Galatas, ut hæc illius compendium dici queat. Quemadmodum & Epiſtola ad Coloſſenſes valde ſimilis eſt illi, quam ad Epheſios ſcripſit.

Interim tamen negare nolumus, Matthæum etiam illam concionem à Luca deſcriptam, licet diverſo tempore habitam, huic Chriſti concioni quodammodo inſerere voluiſſe, & quædam, quæ in monte dicta non fuerant, velut per anticipationem huc retuliſſe, quod & ſimilia eſſent illis, quæ in monte Chriſtus dixit, & iiſdem auditoribus, hoc eſt, diſcipulis, audiente populo alias propoſita. Nam & alibi id fieri ab ipſo videmus. Etenim cap. 10 referens dicta Chriſti Apoſtolos ad prædicandum Euangelium mittentis, conjungit ea, quæ Lucas diverſis in locis, diverſiſque occaſionibus ab ipſo dicta narrat: ut ita nihil dicere prohibeat, eandem quodammodo apud Matthæum & Lucam concionem deſcribi, & diverſam. Nunc ad ipſam explicationem textus accedemus.

Verſ. 1. *Videns autem turbas.*] Populum ſcilicet illum, cujus ad calcem capitis præcedentis facta fuit mentio.

Aſcendit in montem.] In Græco præfixus voci ὄρος, articulus ὁ non habet hic vim eam, quam ſolet habere alias, ut denotet certum montem de nomine tunc notum, ſed deſignat tantum indefinite montem aliquem, quaſi dictum eſſet, Aſcendit in montem quendam. Quod etiam alibi accidit, ut infra cap. 8. 4: *Oſtende te ſacerdoti*, τῷ ἱερεῖ: id eſt, alicui ſacerdoti. Et cap. 18. 17. Item Apoc. 3. 17. XII. 14. Itaque errant illi non parum, qui montem hunc Olivarum fuiſſe ſtatuunt. Hic enim ſitus erat prope Jeruſalem in Judæa; Chriſtus autem hanc concionem habuit in Galilæa: Hieronymus cenſet, hunc montem fuiſſe Thabor: quæ nuda conjectura eſt abſque omni documento. Videtur autem ideo in montem aſcendiſſe, ut è ſuperiori loco commodius diſcipulos alloqui poſſet, turba quoque ab hujus concionis fructu minime excluſa; utque diſcipulos, quos nominatim alloqui volebat, ſe ſtatim ſubſequuturos à reliqua turba aliquantulum ſegregaret.

Lex Moſis de monte tradita eſt: ita etiam nova Lex Chriſti.

Et ſedente ipſo.] Apud Judæos more receptum erat, ut Doctores ſedendo docerent. Unde & Chriſtus alibi quoque id feciſſe legitur: Matth. 13. 2. XXVI. 55. Etiam de Phariſæis ac ſcribis dicitur, quod ſedeant in cathedra Moſis Matth. 23. 2. Quanquam credendum eſt, Chriſtum mori huic non fuiſſe nimis addictum, ſed interdum ſediſſe, interdum ſtantem peroraſſe, prout loci ferebat commoditas. Cum enim ex æquo loco ac plano auditores alloqueretur, eum ſediſſe nequaquam eſt veriſimile.

Acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus.] Per *diſcipulos* hoc loco non ſolum duodecim Apoſtoli intelliguntur, (ut non pauci ex Interpretibus ſentiunt, contenduntque Chriſtum ſequentia præcepta ſua non omnibus in genere Chriſtianis tradidiſſe, ſed ſolis Apoſtolis, & in eorum perſona ſolis Paſtoribus ſeu Doctoribus) ſed omnes quoque, qui doctrinam Chriſti amplexi erant, ac tum præſentes aderant. Hi è media turba populi ad Chriſtum propius acceſſerunt, vel à Chriſto ſunt accerſiti, ut doctrinam ejus, quæ ad illos potiſſimum ſpectabat, commodius auribus percipere poſſent. Hi infra cap. 7. 28: *turba*, & Luc. 6. 17: *turba diſcipulorum* vocantur. Atque in hac ſignificatione etiam vox *diſcipulorum* ſumitur Matth. 12. 49. Luc. 6. 13. XIV. 26. Act. XI. 26 &c. Quod vero etiam hic omnes doctrinæ Chriſti confeſſores generatim deſignet, exinde manifeſtum eſt: primo, quia haud eſt credibile, Chriſtum in præſentia totius populi, qui ſermones omnes ſimul audiebat, cum tamen hæc præcepta ad eum non ſpectarent, ſolos tantum Apoſtolos ſuos duodecim, qui verbi Dei præcones futuri erant, docere voluiſſe: aut ſi id nihilominus facere voluit, Matthæum hoc ipſum expreſſe non fuiſſe indicaturum. Secundo abſurdum foret, Matthæum nulla adhuc mentione facta vel Apoſtolorum (quorum nomina tanquam Apoſtolorum ac præconum Euangelii demum cap. 10. 1, recenſet) vel aliorum, qui officio docendi impoſterum fungi debeant, id ſilentio tranſmiſiſſe, quod hæc concio tantum ad prædicatores Euangelii directa fuerit. Quamvis enim illa poſt electionem Apoſtolorum demum habita fuiſſet, tamen vel ob hoc ipſum id debuit indicaſſe, quia hactenus talium, qui docerent, nullo verbo meminerat. Tertio nihil eſt in tota concione quod non omnes ac ſingulos Chriſti diſcipulos concernat, & ad eorum officium non pertineat. Quod de prima parte hujus concionis, in qua Chriſtus certas virtutes commendat, extra omnem eſt controverſiam; de reliquis idem ſuo loco demonſtrabitur. Quis autem in animum inducat credere, Chriſtum unam partem concionis ſuæ ad omnes omnino diſcipulos ſuos, reliquam autem ad ſolos Apoſtolos direxiſſe, & quidem ita ut ne verbo quidem diſcrimen iſtud indicaret? Quarto Chriſtus opponit novas leges ſuas Legi Moſaicæ, in eo & eatenus, quatenus Moſes totum populum Iſraëliticum docuit, & ad ſervandam Legem obſtrinxit. Ex quo intelligitur, Chriſtum quoque univerſum populum ſuum inſtituere & ad perfectam vitæ ſanctimoniam adducere voluiſſe. Accedit, quod Matthæus ſub finem hujus concionis cap. 7. 28, 29 dicat: *quod ſtupuerint turbæ ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, non ſicut ſcribæ.* Ubi pronomen, docebat *eos* ad turbam ſeu populum reſpicit, qui proxime nominatus fuit: nempe docebat populum, ſicut poteſtatem habens. Quis ex eo non concludat, Chriſtum omnes ſuos diſcipulos, qui doctrinam ejus receperant, docuiſſe? Præterea exinde, quia Matthæus in modo & forma docendi Chriſtum ſcribis opponit, patet, Chriſtum eoſdem docuiſſe, quos docere ſolebant ſcribæ, id eſt, populum.

Verſ. 2. *Et aperiens os ſuum, docebat eos, dicens.*] Sunt qui myſterium ingens in iſta apertione oris ſub-

eſſe

eſſe volunt, de quo videri poteſt Maldonatus: ſed ſine cauſa & ratione. Eſt enim ſimpliciter Hebraica phraſis, quæ uſurpatur, quando quis orditur ſermonem prolixum. Vide Job. 32. 2. Pſal. 78. 2. Actor. 8. 35. x. 34 &c. Præſertim ſi quis poſt diuturnum ſilentium incipiat loqui. Sic de Jobo dicitur: *Poſtea aperuit Job os ſuum, & execratus eſt diem ſuum* Job. 3. 1. Supra enim cap. 2. 10, ſcriptum eſt: *In his omnibus non peccavit Job labiis ſuis.* Pariter hic de Chriſto dici poteſt, quod os ſuum aperuerit, non quod antea non fuerit locutus vel concionatus, ſed quod nunquam tam longam & inſignem concionem de Euangelica perfectione habuerit.

Verſ. 3. *Beati pauperes Spiritu.*] A re omnium ſuaviſſima maximeque expetenda orationem ſuam incipit Chriſtus, nempe à beatitudine. Beatitudo enim eſt ſummum hominis bonum, & votorum noſtrorum ſummam complectitur.

Sumitur autem hæc vox beatitudinis hic non in vulgari ſignificatione, & non pro qualibet felicitate: ſicut ſumitur Luc. 1. 45, 48. xi. 27, ſed in ſummo gradu pro æterna ac perfectiſſima felicitate accipitur, quam poſt hanc vitam reipſa conſecuturi ſumus, nunc autem in ſpe tantum eam poſſidemus. Quæ felicitas ac beatitudo deinde vocibus Regni cœlorum declaratur.

Quid autem Chriſtus per *pauperes ſpiritu*, quos hoc loco beatos prædicat, intelligi voluerit, inter Interpretes controverſum eſt. Illi qui eandem plane putant eſſe hanc concionem cum illa quam Lucas deſcripſit, de vera ſeu proprie dicta paupertate hic Chriſtum loqui ſtatuere coguntur, quemadmodum apud Lucam cap. 6. 20 dubium non eſt pauperes proprie dictos intelligi, ubi Chriſtus diſcipulos ſuos ſolatur, oſtendens miſeram ipſorum ſecundum carnem conditionem nihil felicitati eorum veræ obeſſe, ideo quod ſint ſui diſcipuli. Sed quoniam abunde probatum eſt, diverſam eſſe hanc ab illa concionem Chriſti, non eſt neceſſe, ut eodem modo *pauperum* vocem apud Matthæum, quo apud Lucam, accipiamus: præſertim cum ex aliis quoque in utraque concione dictis appareat, Chriſtum, licet utrobique ſimilia dicat, non tamen eadem dicere. Etenim cum Chriſtus apud Lucam ſtatim ſubjiciat, *Beati eſtis, qui eſuritis nunc*, ſatis apud omnes manifeſtum eſt, eum intelligere illos, qui fame ſæpe ob defectum rerum neceſſariarum laborant, quibus opponit eos, qui ſaturati ſunt, hoc eſt, eos qui omnium rerum copia affluentes genio indulgent, & corpus ſuum cibo ac potu, & quidem delicato abunde reficiunt ac ſaginant. Atqui cum apud Matthæum facit Chriſtus mentionem eſurientium, addit vocem ejuſmodi, quæ evincit, de fame ac ſiti proprie dicta nullo modo ſermonem ſibi eſſe. Ait enim: *Beati qui eſuriunt ac ſitiunt juſtitiam.* Eodem ergo modo, licet utrobique pauperum fiat mentio, non eſt tamen neceſſe, ut verba utrobiq; eodem modo ſumantur: ſed quemadmodum in voce *eſuriendi* vidimus factum, ut apud Lucam proprie, apud Matthæum improprie ſumatur, ita & de paupertate ſtatuere poſſumus; neque tantum poſſumus, ſed etiam debemus. Etenim & hic Chriſtus ejuſmodi vocem pauperum nomini adjecit, quæ oſtendit, eum de proprie dictis pauperibus non loqui. Non enim pauperes ſimpliciter, ſed *pauperes ſpiritu* beatos dixit. Quod ſi de proprie dicta paupertate fuiſſet locutus, quid voce *ſpiritus* fuiſſet opus? Imo vero ea abeſſe deberet, quandoquidem ut divitiæ, ita & paupertas proprie dicta non ſpiritui accidit, ſed potius corpori, aut, ut Sacræ Literæ loqui amant, carni. Hic autem ſermo eſt de paupertate, quæ in ſpiritu hominis locum habeat.

Nam quod Maldonatus hoc loco ait, ſpiritum hic ſumi pro voluntate, & Chriſtum hoc loco eos intelligere voluiſſe, qui voluntate, hoc eſt, ſponte ſeu voluntarie (quemadmodum Monachi mendicantes faciunt) pauperes ſunt, id nihil eſt. Etenim quæ ille exempla hujus ſignificationis adducit, in illis *ſpiritus* ſimpliciter pro animo ponitur, neque unquam oſtenderit, cum quippiam dicitur ſpiritu factum, id perinde eſſe, ac ſi diceretur, voluntarie: ſed illud potius hujuſmodi loquendi ratione indicatur, id de quo ſermo eſt, ad ſpiritum ſeu animum hominis pertinere, in eoque veluti reſidere, ſeu quod eodem recidit, homini ratione animi ineſſe. Quod enim vox *ſpiritus* crebro pro animo ſumatur, ex exemplis permultis clarum eſt. Vide Eſai. 66. 2. Matth. 26. 41. Joh. xi. 33. xiii. 21. Rom. i. 9. vii. 34. Eph. iv 3. Sed nec eorum uſquequaque admittenda eſt ſententia, qui aſſerunt Chriſtum hic illos beatos dicere, qui paupertatum animo æquo ac patienter ferunt, ſorte ſua contenti ſunt, nec opum deſiderio tenentur. Sicut infra verſ. 8 *puri corde* dicuntur, qui non in externis duntaxat actionibus, ſed in animo quoque innocentes ſunt. Hæc enim ſententia ſumit itidem vocem *pauperum* in propria ſignificatione, cum tamen ex adjecta voce *ſpiritu* liqueat, Chriſtum de ſpirituali paupertate loqui. Ut ita verba hæc, *Beati pauperes ſpiritu*, tantundem valeant, atque ſi dictum ſit, Beati ſunt, qui ſpiritualiter ſeu ſpirituali modo ſunt pauperes: quemadmodum ea reddidit Lutherus.

Reſtat ergo, ut paupertatem quandam animi hic intelligendam exiſtimemus. Ea vero duplex eſſe poteſt. Altera, quæ in eo conſiſtit, ut ſive opes habeas, ſive minus, animum ab earum amore penitus abſtrahas, ita ut nec concupiſcas, ſi non habeas; nec ſi habeas, anxie retinere ſtudeas, quin imo promptus paraturque ſis, eas Chriſti cauſa deſerere ac profundere. Hoc enim eſt opes ita habere, ac ſi non haberes, & pauperi eſſe aliqua ratione ſimilem. Itaque in voce *pauperum* metaphora erit. Altera ſignificatio eſt metonymica, ut paupertatis nomen ſumatur pro eo, quod paupertatis ſolet eſſe conſequens ſeu effectum, hoc eſt, pro humilitate ac demiſſione animi: demiſſos enim paupertas facit. Hanc poſteriorem ſignificationem valde veriſimilem facit vox *ſpiritu* addita, quæ non ſemel in Sacris Literis nomini humilium ſubjicitur. Etenim Pſal. 33. 18 dicitur: *Propinquum eſſe Dominum iis, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvare*; uti quidem Interpres Græcus & Latinus habent. Nam in Hebræo eſt, *contritos ſeu contractos ſpiritu.* Locus quoque Prov. 29. 23 huc pertinet, ubi dicitur: *Superbia homines humiliat eum, & humilem ſpiritu ſublevabit gloria.* Item Eſai. 57. 15, ubi dicit Deus, *ſe habitare cum contrito & humili ſpiritu.* Et cap. 66. 2 ait, *ſe reſpecturum ad pauperem & contritum ſpiritu.*

Et ſane novum non eſt, ut nomen paupertatis metonymice ſumatur pro eo, quod paupertatis ſolet eſſe conſequens. Nam & Zach. 9. 9, de Rege Sioni venturo dicitur, eum eſſe pauperem: id quod Græcus Interpres & Matthæus reddit *manſuetus*.

Neque vero eſt quod quis dicat, cum pauperes pro mitibus ſeu manſuetis ſumantur, hic quoque eandem ſignificationem eſſe retinendam. Nam verſu ſtatim ſequenti expreſſe manſueti felices prædicantur: unde apparet, manſuetos per pauperes ſpiritu hic non intelligi, ſed aliam virtutem manſuetudini vicinam atque affinem, quæ cum paupertate quoque cognationem aliquam habeat, qualis eſt humilitas, vel potius animi modeſtia ac demiſſio. Hæc enim virtus etiam infra à Chriſto cum manſuetudine conjungitur cap. xi. 29, ubi ait: *Diſcite à me, quia manſuetus ſum & humilis corde*: & cum paupertate conjunctionem habet. Et hinc paupertati huic recte opponitur Regnum cœlorum, utpote quod & divitias opeſque maximas, & ſummos honores atque gloriam complectitur: ita ut oppoſitio recte conſtet, ſive vocem, qua virtus illa deſcribitur, ſive ipſius virtutis naturam atque ingenium ſpectes.

Recte autem additur illi paupertati ſeu humilitati vox *ſpiritu*, ut vera ac minime ficta ſucataque modeſtia intelligatur. Hæc enim in animo revera reſidet. Multi ſunt, qui cum externa ſpecie ſe demittant, intus tamen turgent, & altos gerunt ſpiritus. Unde etiam infra Chriſtus, ut paulo ante vidimus, ut ſe vere humilem eſſe doceat, non contentus dixiſſe, ſe eſſe humilem, addit *corde*. Diximus autem idem eſſe hoc loco *ſpiritu*, quod *animo*: animo autem idem eſt quod corde, ſeu corde idem quod animo.

Quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.] Id eſt, ad iſtos pertinent illæ incomparabiles divitiæ divinorum beneficiorum, quæ Meſſiæ regnum etiam in hac vita ſecum attulit, nimirum veritatis cognitio, remiſſio peccatorum, donum Spiritus Sancti, certa ſpes immortalitatis adeoque læta animi tranquillitas. Quam conſequitur poſt hanc vitam realis participatio incomprehenſibilis ac ſempiterni gaudii, ac gloriæ in cœlis. Tantum de prima virtute.

Illud adhuc addendum eſt, antequam ab hoc loco diſcedamus, quod ad cæterorum quoque intelligentiam facit, non ideo huic uni virtuti felicitatem ſempiternam adſcribi, quod cæteris ad eam conſequendam virtutibus non ſit opus. Nulla enim horum virtutum, à Chriſto hic ordine enumeratarum, ſola homini ad ſalutem conſequendam ſufficit, ſed omnes virtutes requiruntur. Unicuique autem harum virtutum peculiariter ſuprema felicitas tribuitur, ut indicetur, tum ſingulas virtutes iſtas inſignem vim habere ad regnum cœlorum obtinendum, tum eos qui aliqua ex his careant, regnum cœlorum non eſſe adituros.

Verſ. 4. *Beati qui lugent.*] Hæc eſt ſecunda virtus, cui hoc loco felicitas à Chriſto proponitur. Ex iis quæ præcedenti verſiculo dicta ſunt, facile intelligi poteſt, hoc loco lugentes non eos *appellari*, quorum ſtatus ac conditio eſt ſecundum carnem luctuoſa: quo pacto apud Lucam ſumuntur *flentes nunc*. Quo quidem loco additur eos riſuros, quia, modo Chriſti eſſe pergant diſcipuli, & non verbis tantum ſed & factis hanc diſciplinam ſequantur, nihil illis hic fletus, ſeu triſtis ille ſtatus, qui fletum ſæpe exprimere ſolet, obſtiturus ſit, quominus aliquando perpetuis gaudiis perfruantur.

Neque etiam hic intelligitur ille luctus, qui ex perſecutionibus juſtitiæ cauſa incumbentibus proficiſcitur, vel potius in iis conſiſtit, quia huic ſuus ac peculiaris eſt locus infra ℣. 10 & ſeqq. Neceſſe ergo eſt, ut aliud luctus genus quæramus, & quidem ejuſmodi, quod virtutis rationem habeat.

Duo autem ſunt hujus luctus genera. Alterum eſt, quod conſiſtit in dolore animi percepto ex triſti ac infelici aliorum ſtatu, de quo Apoſtolus agit, cum vult, ut fleamus cum flentibus Roman. 12. 15. Alterum eſt illud, quo noſtra inprimis peccata deflemus, & quoties nobis peccata noſtra præterita ſuccurrunt (ſuccurrere autem debent quam ſæpiſſime) ea à nobis commiſſa eſſe dolemus, & eo dolore exſtimulamur, tum ad ea tanto diligentius cavenda, tum ad culpam eorum apud Deum deprecandam. Inter hæc autem duo luctus genera poſterius hujus loci videtur eſſe proprium. Nam prius illud anguſtius eſſe videtur, quam ut luctu abſolute nominato ſolum ſit intelligendum; præſertim cum nec perpetuum ſit, nec ad nos ipſos, ſed alios tantum referatur. At poſterius luctus genus aliquo modo perpetuum eſt, & ex nobis ipſis inprimis pendet, atque in quovis homine non tantum poteſt, ſed & debet extare; adeo ut jure ſimplici luctus nomine poſſit intelligi. De hoc luctu ſeu triſtitia loquitur Apoſtolus 2 Cor. 7. 9, ubi ait, ſe eos Epiſtola ſua contriſtaſſe, eoque ſe gaudere, non quidem quod triſtati fuerint, ſed quod triſtati fuerint ad reſipiſcentiam: *Triſtati enim eſtis*, inquit, *ſecundum Deum, ut nulla in re à nobis mulctaremini. Triſtitia enim ſecundum Deum reſipiſcentiam ad ſalutem, cujus pœnitere neminem poteſt, operatur. Triſtitia autem mundi mortem operatur.* Oritur ergo hæc triſtitia ex memoria ac recordatione noſtrorum delictorum, & conſideratione eorum turpitudinis ac gravitatis, & ex iis profectæ offenſæ divinæ ac ſupplicii, quod illis promeriti ſimus.

Non eſt autem hic dolor aut luctus, neque eſſe poteſt uniuſmodi. Nunc enim gravior eſt atque acerbior, nunc aliquanto lenior, prout quiſpiam vel melius illa expendit, quæ luctum illum pariunt, vel illa ſive conſiderat, ſive etiam habet, quæ illum minuere poſſunt. Minuunt autem divinæ clementiæ ac promiſſæ remiſſionis peccatorum conſideratio, & ejus quidam ſenſus, ac ſimul reſipiſcentia noſtra, & recte factorum poſt peccata perpetrata conſcientia.

Quia ipſi conſolationem accipient.] Hac in re ſunt felices, quod conſequentur conſolationem. Conſolatio autem iſta eſt, quod eis peccata remittentur, & non modo à temporalibus ſuppliciis, verum etiam à ſempiternis aliquando penitus liberabuntur, gaudiiſque cœleſtibus perfruentur; & in hoc etiam ſeculo ejus felicitatis ſenſum quendam ac guſtum conſequentur; præſertim ſi ejuſmodi ſit ille luctus, ut, quemadmodum Paulum loquentum vidimus, ſecundum Deum ſit, & veram reſipiſcentiam in illis operetur.

Verſ. 5. *Beati mites.*] Hæc eſt tertia virtus, quam Chriſtus commendat, nempe manſuetudo. Quæ virtus ex charitate naſcitur, quæque haud permittit, ut

tit, ut cuiquam malum creetur. Conſiſtit autem in moderanda ira, idque triplici ratione. Primo ne quis iraſcatur, ubi iraſcendi nulla eſt cauſa. Verbi cauſa ſi quis iraſcatur ei qui eum amice & in ſpiritu lenitatis ac charitatis ob lapſus ejus caſtigat; aut ſi iraſcatur talibus quibus omnem debet reverentiam, ut parentibus, magiſtratui, vel benefactoribus: aut ſi iraſcatur in loco, ubi non decet, ut in Eccleſia; aut quando de rebus divinis agitur. Secundo ne quis vehementius iraſcatur, quam res meretur; multo magis, ne ira in vindictam erumpat. Tertio ne quis diutius iraſcatur, quam oportet, ut facilis ſit ad reconciliandum, iram deponat, offenſam remittat, præſertim ſi lædens veniam petat. Atque huc facit illud Pauli Epheſ.4. 26. *Sol ne occidat ſuper iracundia veſtra.* Vide etiam Matth.18, 21,22. Cum hac virtute, nempe manſuetudine, arcto cognationis vinculo conjuncta eſt longanimitas, quæ veluti perfectio eſt manſuetudinis, atque in eo conſiſtit, ne quis cito iraſcatur, ſeu ut tardus ſit ad iram.

Quoniam illi hæreditabunt terram.] Verba hæc ſumta ſunt ex Pſal. 37. 11 ubi per *terram* non totus orbis terrarum, ſed ſola Judaica terra intelligitur: ut etiam Pſal.72. 8 ubi de Salomone prædicitur, *eum dominaturum à mari uno uſque ad alterum* (id eſt, à mari mortuo uſque ad mare mediterraneum) *& a flumine uſque ad fines terræ* (id eſt, à flumine Euphrate uſque ad fines terræ promiſſæ) Monet autem David in illo Pſal. 37. pios, ne impiis invideant ſtatum eorum felicem ac proſperum, ſed patientiam induant, certi affore tempus aliquando, quo impii, qui nunc pios perſequuntur, exterminabuntur, pii autem domini terræ futuri ſunt. Chriſtus autem ſignificat, mites ſeu manſuetos regni cœleſtis cujus terra illa (nempe promiſſa) figura ac typus fuit, hæredes fore. Appellat autem Regnum cœlorum, ſeu vitam æternam, terram, quia verba deſumſit ex Pſalmo, ubi terræ diſerta fit mentio.

Aliqui volunt, Davidem myſtico ſenſu ad tempora Meſſiæ reſpexiſſe, in quibus pii modo excellentiſſimo de ſuis hoſtibus omnibus triumphare, dominique ac hæredes totius mundi evadere debeant, juxta prophetiam Danielis cap.2.44. vij.27. Chriſtumque hoc loco verba hæc ex Pſalmo in hoc myſtico ſenſu allegaſſe. De quo vide alibi.

Verſ. 6. *Beati, qui eſuriunt ac ſitiunt juſtitiam.*] Hæc eſt quarta virtus, ex iis, quibus Chriſtus ſalutem adſcribit. Apud Lucam cap. 6. 21 vox *eſurientes* in propria ſua ſignificatione accipitur, nempe pro corporali fame, quæ exiſtit ex defectu ciborum; ut ad Lucam dicetur. Hic autem Chriſtus modo figurato eſuriem & ſitim vocat deſiderium illud ac ſtudium, quo quis ad bona ſpiritualia fertur: quod deſiderium, quando tepidum non eſt & languidum, ſed vehemens atque ardens, optime ac merito eſurici ac ſiti comparatur. Eundem tropum vide quoque Eſai. 41. 17. LV. 1 &c. Bona autem ſpiritualia ſunt duplicia. Alia pertinent ad officium noſtrum, alia ad noſtram felicitatem. Chriſtus complectitur utraque voce *juſtitiæ*. Per hanc enim intelligitur tum pietas ipſa, tum ejus præmium, nempe immortalitas: quo pacto etiam vox hæc accipitur Gal. 5. 5. 2 Tim.4. 8. 2 Petr.3. 13. Clarius vero etiam loquitur Chriſtus de utroque deſiderio infra cap. 6. 33. Deſiderium autem juſtitiæ, quatenus per eam pietas intelligitur, duas habet partes. Prima eſt, ut ipſi ſancte, juſte ac pie vivamus erga Deum, erga proximum, erga nos ipſos. Altera eſt, ut idem fiat quoque ab aliis. Vera enim juſtitiæ ſitis ne in aliis quidem injuſtitiam ferre poteſt, quandoquidem hæc tam in aliis quam in nobis ipſis ad ſanctiſſimi nominis divini contemptum ac contumeliam vergit.

Quoniam ipſi ſaturabuntur.] Eſurici ac ſiti opponitur ſaturitas, quam iſti ſic conſequentur, ut Deus eis ſufficientia daturus ſit media, per quæ ad veram pietatem, cujus flagrant deſiderio, perveniant. Media autem illa non alia ſunt, quam doctrina Euangelii, in qua vera pietas perfecte docetur. Hanc Chriſtus vocat interdum panem Matth. 15. 26. Marc.7. 27. Joh.6.32 &c. interdum aquam Joh.4. 10, 14. Sicut Judæi quoque Legem Moſis cibum animarum appellant. Modo autem perfectiſſimo ſaturabuntur in futura vita, in novo cœlo, & in nova terra, ubi juſtitia habitat 2 Petr.3. 13, ubi & juſtitiam perfectiſſime conſequentur, & præmium juſtitiæ ſimul accipient.

Verſ. 7. *Beati miſericordes.*] Quinta virtus, ob quam diſcipuli ejus poſſunt beati prædicari, cujuſque apud Lucam nulla eſt mentio. Eſt autem miſericordia pars charitatis, cum alterius miſeria in animo commovemur, ejuſque juvandi ſtudio pro virili ducimur. Conſiſtit autem miſericordia potiſſimum duabus in rebus. Primo, ut cui jure nocere poſſemus, parcamus ei, non metu, ſed miſeratione moti, malumque illud, quod merito inferre poſſemus, animo averſantes: quod nihil aliud eſt, quam ne ſummo jure cum iis qui nos offenderunt, agamus, ſed libenter eis ignoſcamus, & quemadmodum Chriſtus loquitur, ut debitoribus noſtris debita propmte remittamus Matth.6.12. Deinde ut miſeris libenter ac altro auxilio & conſilio ſubveniamus, iiſque benefaciamus. Utrumque Chriſtus complexus eſt illis Luc. 6. 36 verbis: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.* Utrumque & hic locum habet.

Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.] Hæc miſericordia conſiſtit primo in eo, quod Deus viciſſim cum talibus non ſummo ac ſtricto jure aget, ſed illis omnia peccata gratioſe remittet. Vide infra cap. 6. 14. Secundo in eo, quod eis ſuo tempore ſummum bonum, ſeu æternam ſalutem reipſa communicabit, adeoque ſumma miſericordia erga eos utetur.

Verſ. 8. *Beati mundi corde.*] Per munditiem ſeu puritatem cordis (quæ eſt numero ſexta virtus) intelligi poteſt, vel rectitudo & candor in actionibus pietatis, ut ſine hypocriſi ac fuco fiant; quo ſignificatu accipitur quoque vox *puritatis* 1 Tim. 1. 5. 1 Petr.1. 22. ejuſque explicatio ſumenda eſt ex iis, quæ infra cap. 6. 1 uſque ad 19 dicentur: vel intelligi poteſt ipſa pietas & ſanctimonia vitæ, ut ab omnibus vitiis puri & immaculati ſimus; quæ ſanctimonia qualis eſſe debeat, infra ỳſ.21 & ſeqq. explicabitur. Quod autem poſterior ſenſus priori anteferendus ſit, ex eo colligitur, quia Chriſtus addit, *quoniam illi videbunt Deum.* Idem enim dicit Johannes, quod *Deum videbimus,*

debimus, ſicut eſt 1 Joh. 3. 2,3 ſtatimque ſubjicit: *Quicunque habet hanc ſpem in illo, purificat ſeipſum.* Cum Chriſtus addit puritati vocem *corde*, indicat, animum quoque, & quidem inprimis, ſanctum eſſe oportere, id eſt, à vitioſis concupiſcentiis liberum. Ex corde enim ſeu animo omnia ſcelera proveniunt Matth. 12. 35. xv. 19.

Quoniam ipſi Deum videbunt.] Ut qui ipſi ſumme purus ac ſanctus eſt 1 Joh. 1. 3 iij. 3. 1 Petr. 1. 15, 16. Deum videre alias in Sacris Literis ſignificat Dei gratiam ac bonitatem experiri. Vide Job. 19. 27. xxxiij. 26. Pſal. 17. 15. lxvij. 2. Gratia Dei autem mundis corde excellentiſſima continget ratione, quando beata immortalitate in conſpectu Dei in æternum fruentur. Vide amplius hac de re 1 Joh. 3. 2.

Verſ. 9. *Beati pacifici.*] Hæc eſt ſeptima virtus hic à Chriſto commendata. Græce εἰρηνοποιοὶ, pacem facientes. Quæ vox apud profanos Græcos Scriptores non facile invenitur, ſed nec in Novo Teſtamento alibi, quam hoc uno extat loco. Verbum tamen εἰρηνοποιῶ *pacem facio* reperitur Col. 1. 20. Eph. 2. 15. Quibus in locis de pace & amicitia ſermo eſt, quam Chriſtus adveniens inter Judæos & Etnicos conciliavit. In hac ſignificatione igitur *pacifici* eſſent illi, qui alios libentur reducunt in gratiam, ac pacis inter alios proxenetæ ſunt. Sed non eſt veriſimile, Chriſtum tam ſtricta ſignificatione hanc vocem hic uſurpaſſe. In Epiſtola autem Jacobi cap. 3. 18 legitur quidem ποιεῖν εἰρήνην, *facere pacem*, ſed ex præcedentibus intelligitur, hac phraſi nihil aliud ſignificari, quam pacem ſectari, omnem rixam ac contentionem fugere. Quare *pacifici* hoc loco ii vocantur, qui ab omni diſcordia, contentione ac pugna abhorrent, ideoque non ſolum ipſi pacem cum omnibus hominibus colere ſtudent, ac tolerantiâ erga omnes utuntur, ſed eam quoque inter alios promovere nituntur. Non poteſt enim vere pro pacifico, id eſt, pacis amante ac ſtudioſo haberi, qui licet ipſe pacem libenter colat, delectatur nihilominus contentionibus ac diſcordiis inter alios.

Quoniam ipſi filii Dei vocabuntur.] Hæc eſt cauſa, ob quam pacifici pro beatis reputandi ſunt. Ex quo aliquatenus vera ſignificatio vocis *pacifici* hic intelligitur. Quemadmodum enim in ſuperioribus unicuique virtuti talis pars ſeu cauſa felicitatis aſſignatur, quæ ſimilitudinem quandam cum illa habeat (ut paupertati ſpiritus divitiæ regni cœleſtis, luctui conſolatio, eſuriei ſatietas) ita dubium non eſt, etiam pacificis hic tale præmium promitti, quod cum eorum nomine convenit. Nimerum filii Dei vocabuntur, quod magnam ſimilitudinem habet cum amore pacis. Hæc enim eſt Dei proprietas, ut pacem amet, auctorque ac propagator omnis pacis ſit. Unde toties Deus pacis appellatur Rom. 16. 20. 1 Cor. 14. 33. Philip. 4. 9. 1 Theſſ. 5. 23. 2 Theſſ. 3. 16. Hebr. 13. 20. Quare cum pacifici in hac virtute Deo ſint ſimiles, ſunt etiam ipſi grati & chari, non ſecus ac patri alicui liberi ejus. Quod enim ii quos Deus diligit, filii ejus vocentur, ex Eccleſiaſtic. 4. 10, 11 liquet. Qui autem ſunt Dei filii, illi ſunt etiam Dei hæredes, nempe immortalitatis ac ſempiternæ gloriæ: quibus duabus in rebus conſiſtit noſtra divina filiatio. Quanquam iſti etiam, propter ſimilitudinem cum Deo, Dei filii dicuntur: quemadmodum ii qui inimicos ſuos diligunt, idcirco Dei filii vocantur, infra verſ. 45.

Quæri poteſt hoc loco, quæ ſit diſtinctio inter pacificos & mites, de quibus ſupra verſ. 5, non enim credibile eſt, Chriſtum hic eoſdem intellexiſſe. Eſt ergo hoc inter hos & illos diſcrimen, quod *mites* ſeu manſueti dicantur ii, qui injuriam ſibi illatam facile condonant, nec diu iram adverſus alios fovent: pacifici autem, qui omnes contentiones & rixas, quantum in ipſis eſt, vitant, eaſque componere ſtudent. Ut in exemplo, qui dant operam, ut etſi in Eccleſia Chriſti diverſæ ſint opinionis de certis fidei articulis, tamen nulla rixa, nullum ſchiſma idcirco inter fratres exoriatur; aut ut explicatius dicam, qui pro viribus etiam cum diverſarum Eccleſiarum hominibus, ſi modo alioqui probi animi ac pietatis ſtudioſi ſint, pacem colere ſtudent. Tales merito ac proprie *pacifici* dicuntur. Quæ virtus à manſuetudine multum differt.

Jam ſi illi peccant, ut Paulus non uno docet loco, qui non curant, ut cum omnibus hominibus in pace vivant, quam multo graviori ſe peccato obſtringere eos neceſſe eſt, qui inter fratres pacem retinere haud laborant, ſed propter nudam ſententiarum aliquarum diverſitatem, quæ proprie ad fundamentum ſalutis non pertinent, pacem in Eccleſia Domini, alios odio proſequendo & perſequendo, diſturbant. Salomon ſeptem vitiis, quæ Domino abominationi ſunt, accenſet quoque, *odium inter fratres ſuſcitare* Prov. 6. verſ. 10.

Vocabuntur.] Quod hoc loco ſit conſueta Hebræorum locutio, qua *vocari* ſumitur pro *eſſe* (uti etiam Matth. 5. 19. Luc. 1. 35. Rom. 9. 7 &c.) ex eo cernitur, quod alibi de piis ac juſtis, quorum in numerum etiam pacifici referendi ſunt, expreſſe dicatur, quod filii Dei *ſint*. Vide Luc. 20. 36. Joh. 1. 12. Cæterum pii homines non proprie, ſed figurate ſunt filii Dei, quia ſcilicet ſpirituali modo per ſermonem veritatis à Deo geniti ſunt Jacob. 1. 18, & quia Deo quodammodo in ſanctitate ſunt ſimiles, ideoque ab eo paterno amore amantur, & aliquando etiam immortalitatis futuri ſunt conſortes. Deus proprie loquendo nullos gignit liberos: genus enim ejus multiplicari nequit. Proprie dicti enim liberi ſunt quoad eſſentiam ac naturam ejuſdem generis cum ſuo patre. Nulla autem creatura eſt, ſive in cœlo, ſive in terra, quoad eſſentiam & naturam ſuam talis Deus, qualis eſt unus Deus in cœlis; ne Chriſtus quidem ipſe. Propterea etiam ille quoad naturam ſuam non eſt proprie dictus Dei Filius, ſed eſt homo, à Deo non proprie genitus, ſed creatus: quemadmodum Adamus quoque propter creationem Dei filius vocatur Luc. 3. 38. Diſcrimen tamen in eo eſt, quod Chriſtus longe excellentiori ratione, quam Adamus, productus ſit, nimirum per virtutem multo ſanctiorem, & ſanctiorem naturam atque eſſentiam ſortitus. Quamobrem etiam longe præcellentiori ratione eſt Dei filius quam Adamus, aut ullus alius, cui nomen hoc convenit. Quod autem Chriſtus Dei *unigenitus* filius Joh. 3. 16, quin & *proprius* Dei filius vocatur Rom. 8. 32, non demonſtrat, quod proprie ſit filius Dei, vel quod proprie à Deo genitus ſit. Sed unigenitus

genitus Dei Filius nuncupatur, quia Deus nullum alium hoc genuit modo. Proprius autem eſt Dei Filius, quia à nullo alio quam à Deo eſt genitus. Præterea eſt extra omnem controverſiam, quod Chriſtus per ſuam exaltationem ad regiam dignitatem, longe præſtantiori ratione, quam per conceptionem è Spiritu Sancto, imo in ſummo & excellentiſſimo gradu Dei Filius evaſerit; ut alibi à nobis oſtendetur. (Vide inter alia Rom.1.4.) At unicuique obvium eſt, exaltationem illam non proprie, ſed modo loquendi prorſus improprio generationem ſeu nativitatem vocari. Quapropter, ſi *Dei Filii* appellatio proprie accipiatur, multo rectius de piis, quin & de Chriſto ipſo dicitur, quod Filii Dei *vocentur*, quam quod *ſint*; quodque in illis locis, ubi expreſſe dicitur eos eſſe Filios Dei, id improprie dictum ſit.

Verſ.10. *Beati ſunt, qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur.*] Hæc eſt octava virtus, ob quam, qui eam exercent, felices æſtimandi ſunt. De diverſis ſignificationibus vocis juſtitiæ alibi videndum eſt. Hic Chriſtus intelligit per juſtitiam rectitudinem ac veritatem in iis quæ ad pietatem ſpectant. Ut adeo Chriſtus de iis loquatur, qui tum ſuæ pietatis ac integritatis cauſa, tum etiam ob confeſſionem ſuam ac ſanctiſſimæ veritatis propagationem à malis hominibus adverſa quæque ſuſtinent. Quod ſane ſummo cum dolore carnis conjunctum eſt, ut perſecutioni ſimus obnoxii, ob talem cauſam, ob quam maxima laude ac præmio afficii deberemur. Ideo Chriſtus docet, longe aliter ſe rem iſtam habere, quam carnalis de ea judicat ratio: oſtenditque potius nos debere lætari ex hac cauſa, taleſque perſecutiones animo haud invito ſubire, quandoquidem illæ nobis potius ſaluti ac felicitati ſummæ, quam detrimento aut exitio futuræ ſint.

Quoniam illorum eſt regnum cœlorum.] In eo conſiſtit eorum beatitudo, quod partem in regno cœlorum habituri ſint. Quia Chriſtus ſupra verſ.3 regnum cœlorum paupertati, adeoque rei diverſæ quam hic oppoſuit, idcirco verba hæc in alia ſignificatione hic accipienda ſunt, quam illic. Nimirum illic Chriſtus paupertati oppoſuit immenſas opes divinorum beneficiorum, quæ regnum Meſſiæ ſecum attulit in hoc mundo: hic autem opponit perſecutioni propter juſtitiam ſummum præmium, quod perſecutionem ſuſtinentes in cœlis expectare habent, ut ex ſequenti verſ.12 patet. Voces ergo *regni cœlorum* hic in arctiori ſignificatu ſumuntur, quam verſ.3, nempe pro cœleſti gaudio & gloria in illa vita.

Tacite autem hic indicatur, tales hic à Chriſto beatos prædicari, qui ita perſecutionem patiuntur, ut ſi vellent, poſſent à via veritatis deflectere, vel ſanctiſſimam veritatem abnegare, vel etiam intra ſe celare, nec palam eam profiteri, adeoque ejus propagationem omittere, & tamen id non faciunt, ſed incommoda & adverſitates quaſvis potius ſuſtinere parati ſunt. Qui enim ita comparati ſunt, abſque dubio etiam nulli peccato ac vitio ſunt dediti, propter quod cœlo excludi digni ſint: præſertim ſi perſecutio talis ad ſanguinem uſque pertingat. Eſtque valde probabile, Chriſtum per hanc perſecutionem aliquod admodum grave intellexiſſe, ex quo colligi queat, eos qui id ob juſtitiam patiuntur, revera pios juſtoſque eſſe, ut regnum cœlorum eis jure attribui poſſit.

Verſ.11. *Beati eſtis.*] Quia plurimum in eo ſitum eſt, ut probe percipiatur, perſecutionem nobis nihil mali, ſed potius ſummam beatitatem allaturam, pluſque cauſæ nos habere in iis ad gaudendum, quam ad triſtandum, idcirco explicat Chriſtus hanc rem verſ.11,12,13 adhuc clarius & fuſius.

Cum maledixerint vobis.] In ſuperiori verſ.10 Chriſtus in genere intellexit per perſecutionem omnia genera moleſtiæ, afflictionis & adverſitatis, quæ tam verbis quam factis juſtitiæ cauſa piis accidunt. Nunc tres ſpecies perſecutionis peculiariter nominat. Prima eſt, maledictio. Secunda eſt perſecutio ſtrictiori ſenſu accepta. Tertia, locutio omnis mali verbi. Per *maledictionem* intelliguntur quælibet convitia, quibus homines peſſimi proſcindere ſolent eos, quos oderunt, nullo veri falſive diſcrimine, nihilque attendentes, utrum ad rem pertineant, nec ne, ſed eo ſolum fine, ut iram odiumque ſuum per ejuſmodi convitia exſatient. Talis maledidictio fuit illa, qua illuſus olim fuit Eliſæus 2 Reg.2. verſ.23.

Et perſecuti fuerint vos.] Perſecutionis nomine intelligit Chriſtus hic omnia mala, quæ non verbis, ſed factis inferuntur piis, ut cum pelluntur in exilium, flagellantur, verberantur, denique trucidantur.

Et dixerint omne malum verbum adverſum vos.] Per mala iſta verba deſignantur omnes falſæ criminationes, calumniæ, & objectiones rerum probroſarum atque inhoneſtarum, tam doctrinam quam vitam ſpectantes. Talia olim contingebant Chriſtianis in primæva eccleſia, & etiamnum veris Chriſtianis obtingunt: dum ſcilicet falſi doctores, hæretici, ſeductores, blaſphemi, contemptores veræ religionis nuncupantur. Item, cum primis Chriſtianis impudentiſſime objiciebatur, quod communes eſſent inter eos uxores, inque ſuis conventibus ſcortationes, adulteria, imo inceſtus & plura alia nefanda exercerent.

Mentientes.] Nam ſi verum dicant, nulla propterea merces ſperanda eſt.

Propter me.] Alibi dicit: *Propter nomen meum* infra cap.10.22. Joh.15.20, id eſt, ex odio mei. Non cohærent autem hæc verba cum proxime præcedenti verbo *mentientes*, ſed ad ſuperiores tres ſpecies perſecutionis pertinent. Innuit autem Chriſtus, tum demum nos beatos fore, ſi perſecutiones ipſius cauſa, id eſt, propter doctrinam Chriſtianam & ob confeſſionem nominis Chriſti patiamur. Quare illi hac ſe beatitudine immerito ſolantur, qui ob ſuperſtitiones ac falſam doctrinam, quæ nihil commune cum Chriſtiana religione habet, aut propter ſanctos demortuos, præter unicum ducem ſalutis Chriſtum, perſecutionem, quamvis ad mortem uſque ſuſtinent.

Verſ.12. *Gaudete & exultate.*] Chriſtus reddit rationem, quare tales beati ſint, additque, eos gaudere ac lætari ſuper hac re debere. Quod alioqui non faciunt, qui tales afflictiones patiuntur. Exemplum ejus rei habemus in Apoſtolis Actor.5.41.

Vide etiam Col.1. 24. Cauſa autem ſeu ratio continetur verbis mox ſequentibus,

Quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis.] Omni labori debetur merces. Jam quia patientia labor eſt; ideo etiam merito merces ei promiſſa eſt. In qua ſimilitudine obſervandum eſt, quod, ſi quis mercedem ſperare velit, ſupra dictas afflictiones ita Chriſti cauſa pati debeat, ut eas poſſit effugere, ſi Chriſtum ejuſque ſanctiſſimam veritatem abnegare ac ejurare vellet. Nam ſi quis ideo tantum hoc totum patiatur, quia pati cogitur, animumque habeat à veritate & pietate deſciſcendi, ſi id eum juvare poſſet; tantum abeſt, ut is præmium aliquod ſperare poſſit, ut potius graves pœnas talis expectare debeat.

Eſt copioſa.] Seu magna. Nam & labor patientiæ eſt magnus & gravis. Deus autem juſtus eſt & fidelis, ut unicuique retribuat ſecundum ejus opera, imo meritis infinite majora præmia. Notandum enim eſt, vocem *mercedis* hoc loco, ut & cap.6. 1, non denotare remunerationem labori æqualem. Præmium enim quod à Deo pro noſtra patientia aliiſque bonis operibus conſequimur, eſt infinitis partibus majus, adeoque merum donum, non meritum. Vocatur autem *merces*, quia nobis id Deus cum conditione noſtri, tametſi exigui, laboris propoſuit, ut nos tanto alacriores ac promptiores ad officia noſtra redderet.

In cœlis.] Hic in terris eſt locus & tempus laboris, in cœlis autem remunerationis.

Sic enim perſecuti ſunt Prophetas.] Ut Joſephum, Moſen, Samuëlem, Davidem, Eſaiam, Jeremiam, Zachariam & alios. Vide Nehem.9. 26. Matth. 23.31. Vox *perſecutionis* hic æque ut ſupra verſ.10, in laxiori ſumitur ſignificatu pro omni afflictione ac vexatione, ut adeo omnia ea, quæ in præcedenti verſ.11 ſpeciatim expreſſa ſunt, in ſe complectatur. Talia enim omnia Prophetis acciderunt. Reddit autem Chriſtus hic rationem præcedentium; nempe quod merces eorum copioſa futura ſit, quodque idcirco gaudere debeant: quaſi dicat. Quandoquidem chariſſimis Dei amicis talia evenerunt, ut omnis generis calamitates & afflictiones experirentur, omninoque certum eſt, quemadmodum hæc non ſine Dei providentia eis acciderunt, ita etiam ſummum illis repoſitum eſſe præmium, ut adeo cauſam habuerint ea propter gaudendi: pari modo & vos de præmio ampliſſimo dubitare non debetis, ſed potius lætari magis quam triſtari. Chriſtus exemplum Prophetarum producit in medium, quia alioqui nulla mentio fit in Veteri Inſtrumento aliorum, qui à populo innocentes perſecutionem paſſi fuerint.

Qui ante vos fuerunt.] Ex his verbis ſumunt argumentum, qui contendunt, hanc Chriſti concionem ad ſolos Apoſtolos, ac per eos, ad docentes tantum ſpectare. Arguunt enim, Chriſtum verbis iſtis indicare, ſe illos alloqui, qui populum docere Dei nomine debebant, ſicut Prophetæ docuerunt: de quibus propterea dicere eum ajunt, quod ante illos fuerint, quia in eodem docendi munere ipſorum anteceſſores fuerint: quaſi dicat. Qui ante vos doctores ac Concionatores fuerunt. Sed argumentum hoc eſt nimis operoſe quæſitum. Nulla enim eſt neceſſitas, ob quam vocula *ante* ad munus Prophetarum reſtringatur: cum verba queant commode de tempore ſimpliciter intelligi; ut ſenſus ſit, qui ſuperioribus temporibus ante vos vixerunt. Vos non eſtis primi, quibus talia accidunt; jam longe ante vos, etiam chariſſimis Dei amicis, nempe Prophetis, ſimilia evenerunt.

PARS II.

IN præcedenti membro hujus capitis propoſuit Chriſtus diſcipulis ſuis felicitatem, quam enumeratæ ibidem virtutes ſecum trahunt, idque eo fine, ut ad earum ſtudium tanto magis accenderentur. Inter eos autem, quos beatos prædicat, ultimo nominavit loco illos, qui non ſolum propter illas virtutes, ſed in genere propter juſtitiam & Chriſti cauſa perſecutionem patiuntur. Qui ne vehementia perſecutionis à via juſtitiæ abduci ſe paterentur, cauſas eis validiſſimas ob oculos ponit. Duplici enim ſimilitudine de ſale & luce, indicat eis ſummam diſcipulorum ſuorum præſtantiam: qua ratione eos tacite ad conſtantiam hortatur, ac ſimul etiam officii eos admonet. Quæ admonitio tanto magis neceſſaria erat, quia animus ipſi erat ſublimia mandata Regni ſui illis præſcribere, quæ longe perfectius exercitium virtutum & obedientiam majorem, quam præcepta Legis Moſaicæ, requirunt, ut adeo facile ab iis, utpote re graviſſima, abſterreri poſſint.

Verſ. 13. *Vos eſtis ſal terræ.*] Primum appellat eos *ſal terræ.* Quemadmodum enim ſal omnia à corruptione ac putredine conſervat: ita etiam illi, qui ſalutari doctrina Chriſti inſtructi ſunt, poſſunt toti mundo viam veræ ſapientiæ & juſtitiæ monſtrare, eoſque quodammodo cibum ſuavem ac ſapidum efficere. Sapientia vulgo ſali comparatur Marc.9. 50. Ideo vult Paulus Col.4. 6, ut ſermones noſtri ſint ſale conditi. Infra cap.13. 33, doctrinam ſuam Chriſtus comparat fermento, quod totam maſſam fermentat.

Terræ.] Id eſt, humani generis in terra. Sic etiam infra verſ.14 vox mundi accipitur, pro hominibus in mundo.

Si autem ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?] Id eſt, ſi inſipidum fiat, ac corrumpatur. Sal quidem corrumpi non poteſt, nec ſaporem amittere; ſed Chriſtus id ponit tantum, ſi poſſibile foret ut ſal inſipidum fieret, tum nullum aliud reperiri poſſet ſal, quo rurſus ſaliri ac ſapidum fieri poſſit. Similis locutio eſt illa Pauli 1 Cor.13. 1: *Si linguis Angelorum loquar*, id eſt, ſi fieri poſſet, ut habeam Angelicam eloquentiam: quam tamen nullus mortalis homo habere poteſt. Vult ergo Chriſtus dicere, ſi diſcipuli ipſius, qui ſal terræ eſſe debebant, à doctrina ejus deficerent, nullam aliam repertum iri doctrinam, quæ eos in ſapientia & ſanctitate iterum erudire poſſet (nam neque homines, neque Angeli ſapientiorem & ſanctiorem poſſunt doctrinam excogitare, quam eſt doctrina Chriſti Gal.1. 8.) mundumque adeo in ingrato ſapore inſcitiæ ac injuſtitiæ permanſurum. Quod hic ſit ſenſus, ex Marci cap.9. 20 patet, qui ita verba hæc protulit: *Si autem ſal inſulſum fiat, in quo illud condietis?* id eſt, quo ſal illud condietis, ut vim ſuam & acrimoniam iterum acquirat.

rat. Sic igitur Chriſtus diſcipulos ſuos ad conſtantiam in doctrina ſua cohortatur. Quamvis enim id quod protaſi ſimilitudinis de ſale proponit, impoſſibile ſit, ut ſcilicet ſal infatuetur; non eſt tamen impoſſibile, ut diſcipuli ejus à fide deficiant, præſertim ii qui nondum in ea bene confirmati ſunt, quorumque animi adverſus perſecutionis impetum aliaſque tentationes nondum ſatis muniti ſunt.

Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras.] Id eſt, ut tanquam res nauci ac nihili in plateam ejiciatur.

Et ab hominibus conculcetur. Nempe à prætereuntibus, quemadmodum conculcari ſolent res in publicam viam projectæ.

Ab hominibus.] Eſt Hebraica locutio, quæ uſurpatur de qualibet re prætereunte, non ſolum de hominibus, ſed etiam de animantibus. Sunt quædam, quæ ſi corrumpantur, etſi naturalem uſum amittant, non tamen mox ejici merentur, ſed ad aliud aliquid utilia ſunt. Ut vinum, ſi acceſcat, non eſt quidem utile ad bibendum, ſed tamen aptum eſt, ut ex eo fiat acetum, quod etiam ſuum uſum habet. Caro ſi fœteat, non eſt quidem uſui hominibus, ſed canibus dari poteſt. At vero ſal, ſi poſſet à natura ſua degenerare, & inſipidum fieri, nulli omnino eſſet uſui. Apud Lucam cap. 14. 34 ait Chriſtus: *Nec in terram, nec in ſterquilinium utile eſt, ſed foras mittetur.* Vult autem Chriſtus his verbis tacite indicare graviſſimam pœnam, quæ parata eſt iis, qui ſalutarem Chriſti doctrinam non obſervant: quod ſcilicet foras ejicientur in tenebras, ubi erit fletus & ſtridor dentium Matth. 8. 12.

Verſ. 14. *Vos eſtis lux mundi.*] Hæc eſt altera ſimilitudo, qua Chriſtus præſtantiam ſuorum diſcipulorum vult exprimere, eoſque ſimul excitare & commonefacere officii, ne ullis hujus vitæ adverſis ſe à veritatis nominiſque ſui profeſſione abduci patiantur. Quaſi dicat: Vos eſtis quaſi ſol in mundo: vos, inquam, per lucem doctrinæ meæ, in qua eruditi eſtis, & amplius erudiemini, apti redditi eſtis, ut tenebras ignorantiæ in rebus excellentiſſimis, quales ſunt cognitio cœleſtis ſapientiæ, & opera pietatis, in mundo diſcutiatis, atque ad hoc officium etiam vocati electique eſtis. Chriſtus enim à ſuis diſcipulis requirit non tantum, ut ipſum cognoſcant, & per talem cognitionem vitam æternam obtineant, ſed etiam ut alios tam verbis quam exemplo ac factis ab ignorantia in rebus divinis liberent, inque viam vitæ deducant.

Qui volunt, hanc concionem ad ſolos 12 Apoſtolos, ac per eos nonniſi ad Doctores Euangelii pertinere, illi ex utraque hac ſimilitudine, dum Chriſtus eos quos affatur, ſal terræ & lucem mundi vocat, argumentum ſuæ petunt ſententiæ. Cenſent enim has ſimilitudines in nullos alios homines quadrare, quam in eos, qui alios docendo ac inſtituendo, tanquam lux in tenebris, hominibus in via veritatis & ſalutis prælucent, vel in ſapientia ac virtutibus alios antecellunt; quod maxime iis convenit, qui ad docendum alios ac erudiendum ordinati ſunt. Sed argumentum hoc infringitur eo, quod utraque ſimilitudo de ſale & luce in Novo Teſtamento etiam de illis uſurpetur, quorum munus non eſt proprie aliis præeſſe, eoſque erudire. Nam ad Philippenſes ſcribit Paulus, ut *in medio nationis pravæ & perverſæ luceant tanquam luminaria in mundo* Phil. 2. 15. Ex quo perſpicitur, eos quicunque doctrinam Chriſti ex animo amplexi ſunt, lumen mundi dici poſſe, propter ſolam vitæ ſanctimoniam, nullo ad id reſpectu, an ſint Doctores aut Paſtores. Chriſtus etiam idem indicat infra verſ. 16, cum ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut veſtra bona opera videant* &c. Quod ſimilitudinem de Sale attinet, quod illa optime in omnes Chriſtianos in genere, ſive doctores ſint, ſive auditores, quadret, intelligitur ex eo, quod in hoc ſermone Chriſti, quem Lucas ad calcem cap. 14 deſcripſit, legitur. Cum enim ibi Chriſtus dixiſſet verſ. 33: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus ſuis poſſeſſionibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* mox ſubjungit. *Bonum eſt ſal; ſi autem ſal infatuetur, in quo condietur?* Unde patet, Chriſtum unumquemque ex diſcipulis ſuis cum Sale conferre, ac per conſequens docere, quemvis ex iis per tropum poſſe ſal vocari.

Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.] Quod Chriſtus ſupra duabus expreſſit metaphoris, id porro illuſtrat geminis ſimilitudinibus à civitate in monte ſita, & à lucerna accenſa deſumptis. Simile de civitate ferme idem eſt cum præcedenti de luce mundi. Quemadmodum enim lux mundi (id eſt, Sol) res talis eſt, quæ occultari nequit, ita & civitas in monte poſita non poteſt eſſe occulta, ſed procul undiquaque conſpicitur. Hoc autem vult Chriſtus utroque iſto ſimili, diſcipulos ipſius debere palam & aperte tam verbis quam factis profiteri & oſtendere, qui & quales ſint, non aliter quam Sol, & civitas in monte ſita ab omnibus videtur. Unde cernitur, hoc eſſe neceſſarium diſcipuli Chriſti requiſitum, ut ejus ſancta confeſſio & vitæ pietas unicuique nota ſit.

Verſ. 15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, & lucet omnibus qui ſunt in domo.*] Hoc ſimile ab accenſa lucerna, non eſt plane idem quod ſimile à luce mundi. Nam lux mundi, ſeu Sol, ut & civitas monti impoſita, nulla ratione abſcondi poteſt; ſed accenſa lucerna poteſt abſcondi, & ſub modio poni. Non tamen moris eſt, ut id fiat, ſed eo fine lucerna accenditur, ut omnibus in domo exiſtentibus luceat. Ita quoque diſcipuli Chriſti lucem ſapientiæ ac bonorum operum, quæ per agnitionem Chriſti accenſa eſt, non debent abſcondere, ſed ſinere ut palam luceat. Atque hoc ſimile clarius aliquanto ob oculos ponit Chriſti admonitionem, quam priora duo. Nam in qualibet admonitione pro conceſſo ſumitur, eum qui admonetur, facere vel omittere poſſe id, ad quod admonetur. Idcirco & hic Chriſtus ſuos diſcipulos monet, quia poſſunt ſeſe abſcondere, ne tamen id faciant, pari ratione, qua non ſolet lucerna ſub modium reponi, ſed eo fine accenditur, ut in tota domo luceat.

Modio.] Modius menſura eſt, qua omnis generis frumentum menſurari ſolet, ut notum.

Verſ. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.*] Vox *lux* non reſpicit prius ſimile de luce mundi, ſed poſterius de lucerna accenſa. Intelligitque per eam

Chriſtus potiſſimum bona opera, ut ex mox ſequentibus verbis, *ut videant opera veſtra bona*, liquet. Etſi autem publica confeſſio & propagatio veritatis non minus ſit bonum opus, quod ab unoquoque Chriſtiano pro modulo donorum ei à Deo conceſſorum requiritur, videtur tamen Chriſtus inprimis loqui de iis operibus, quæ quod bona opera ſint, protinus ab unoquoque, qui ea videt, agnoſci poteſt: quod de promotione veritatis non ita ſimpliciter dici poteſt. Nihilominus hæc ipſa bona opera, de quibus hic Chriſtus loquitur, faciunt ad commendationem veritatis divinæ, ex qua promanant, atque adeo quodammodo ad ejuſdem confirmationem ac propagationem.

Hinc rurſus apparet, Chriſtum hic per diſcipulos, quos inſtituit, non Apoſtolos ſolos & verbi præcones, ſed in genere omnes, qui doctrinam ejus profitentur, intelligere. Omnium ſiquidem Chriſtianorum officium eſt, ut luce bonorum operum in conſpectu mundi luceant.

Ut videant veſtra opera bona.] Hic Chriſtus rationem reddit, cur luce bonorum operum ſuorum lucere debeant, nempe, ut illa ab homnibus videatur. Sed hæc non eſt ultima finalis cauſa. Nam ideo ſimpliciter bona opera facere, ut ab hominibus videantur, vanitas eſt, quæ diſcipulos Chriſti minime decet. Idcirco Chriſtus mox addit:

Et glorificent patrem veſtrum.] Hic eſt ultimus finis, cur homines bona opera fidelium videre debeant, ut ſcilicet hoc pacto auſam habeant Deum glorificandi. Hoc autem fit, quando illi per ſanctam & piam diſcipulorum Chriſti converſationem (quæ aliorum omnium hominum, cujuſcunque ſectæ ſeu religionis ſint, virtutes ac probitatem ſuperat, quamque adeo omnes à Deo eſſe coguntur agnoſcere) ad Deum convertuntur, ac porro Deum pro ſumma ejus benignitate laudibus extollunt ac celebrant, quod eos per tam præſtantia lumina vivaque exempla ad ſalutem adduxerit. Gloria Dei eſt omnium rerum finis ultimus Prov. 16.4. Quare hic bonorum operum finis non pugnat cum eo, quod Chriſtus infra ait cap. 6. 1: *Attendite ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus.* Loquitur enim ibi de hypocritis, qui in ſuis bonis operibus, non Dei gloriam, ſed ſuam propriam laudem quærebant. Aliqui putant, voculam *ut* non denotare hic cauſam finalem, ſed duntaxat eventum, ſeu conſequens rei. Nimirum quando illorum lux lucebit, tunc fiet, ut homines videant ea & Deum glorificent. Ideo autem ſic accipi hanc voculam volunt, quia exiſtimant, nulla bona opera eo fine eſſe facienda, ut ea homines videant. Sed quia Chriſtus diſertiſſime ait, eos lucere debere *coram hominibus*, ſatis ex eo intelligitur, eo fine eos lucere debere, ut lucem illam homines videant; idque rurſus eo fine, ut Patrem cœleſtem glorificent. Ultimus enim finis ac ſcopus, cur lux eorum lucere debeat coram hominibus, non continetur tantum in prioribus verbis, ſed in tota ſequenti oratione, *ut videant veſtra bona opera & glorificent Patrem veſtrum* &c. Huc facit & illud Petri: *Converſationem veſtram habete honeſtam inter gentes, ut in quo male loquuntur de vobis tanquam facinoroſis, ex bonis operibus, videntes ea, glorificent Deum in die viſitationis.*

Patrem veſtrum.] Chriſtus hic vocat Deum diſcipulorum ſuorum patrem, propter ſummam & plane paternam charitatem, qua ille omnes pios proſequitur, inprimis autem eos, qui per fidem in Chriſtum regeniti ipſiuſque filii facti ſunt.

Qui in cœlo eſt.] Gr. *In cœlis.* Hebræi diſtinguunt cœlum in tres partes. Prima eſt, ubi aër eſt, in qua volucres volitant, & ex qua pluvia roſque decidit Geneſ. 1. 26. ij. 19. vi. 7. viij. 2. Altera eſt, ubi ſunt ſtellæ, & vocatur firmamentum Geneſ. 1. 8, 14, 15. xxij. 17. Pſalm. 19. 1. Tertia eſt, ubi Deus & Angeli habitant, quam vocant cœlum cœlorum, ſeu altiſſimum cœlum 1 Reg. 8. 27. 2 Chron. 2. 6. vi. 18. Per compendium autem hanc partem vocant cœlos in plurali numero. Qua loquendi ratione etiam in aliis rebus uti Hebræi ſolent. Nam v. gr. dicunt *ſapientiæ*, pro *ſapientia ſapientiarum*, id eſt, excellentiſſima ſapientia. Sic *animalia*, pro *animal animalium*, id eſt, maximum animal. Sic etiam nonnulli eruditi volunt *Elohim* Dii dici per compendium, pro *Eloah-Elohim* Deus Deorum, id eſt, Deus altiſſimus ſeu maximus. Quæ locutio poſtea ita uſu recepta eſt, ut & alii honoris cauſa *Elohim* Dii vocarentur. Ut in exemplo Angelus Judic. 13. 22. Exod. 4. 16. Samuel 1 Sam. 28. 13. Sic dicitur quoque *Baalim, Domini* pro *Baal Baalim*, Dominus dominorum, id eſt, valde magnus Dominus. Sed de eo plura alibi. Hoc ſupremum cœlum vocat etiam Paulus *tertium cœlum* 2 Cor. 12. 2. Hoc tertium cœlum eſt propria ſedes ac locus habitationis Dei, illa lux inacceſſibilis 1 Tim. 6. 16. Vide plura hac de re cap. 6. 9. Ideo autem verba *in cœlis* adjiciuntur verbis *patrem veſtrum*, quia Deus in cœlis excellentiſſima ac perfectiſſima ratione ſe patrem noſtrum eſſe demonſtrabit, noſque ſuorum paternorum bonorum faciet participes.

PARS III.

IN tertia hujus Capitis parte uſque ad verſ. 21, continetur generalis quædam præfatio, in qua Chriſtus viam ſibi ſternit ad ſequentem tractationem. Quia enim diſcipulos ſuos longe perfectiorem juſtitiam, ſeu ſanctitatem ac pietatem docere voluit, talem ſcilicet, quæ non ſolum ſupra omnes falſas Scribarum interpretationes, ſed etiam ſupra ipſam Moſis Legem emineret, cui ſuam doctrinam expreſſis verbis opponit vel potius apponit: ideo exponit primo in hac præfatione ſuum ſcopum ac propoſitum, quod erat Legem implere, non ſolvere; deinde indicat, Legem vim ſuam æternum retenturam, eique etiam in minimis obediendum eſſe.

Verſ. 17. *Ne putetis, quod veni ſolvere Legem aut Prophetas.*] Dum Chriſtus ſcopum & propoſitum ſuæ doctrinæ exprimit, primo removet ſiniſtram ſuſpicionem, quam de eo quidam conceperant; poſtea ſuum propoſitum ac ſcopum doctrinæ ſuæ exponit. Doctrina Domini Jeſu de univerſali peccatorum remiſſione, quæ omnibus pœnitentiam agentibus ſine diſcriminine promiſſa eſt, rejectio traditionum Phariſaicarum, in quibus complures juſtitiam quærebant, ut & hoc ipſum, quod corrigens

Legem

Legem mox docebit, poterat hanc multis ingenerare opinionem, quod Legem non ſatis reverenter habeat, ſed potius eam tollere & abrogare intendat. Cui ſiniſtræ opinioni tempeſtive occurrit, dum id diſerte negat. Cauſa cur Chriſtus tanto conatu id à ſe amoliri laboret, erat, quod cum antea ſuos diſcipulos ad exercenda & urgenda bona opera exhortatus eſſet, neceſſarium duceret, id amovere, quod illis ulla ratione hac in re impedimento eſſe poſſet. Apparet hanc criminationem, quod Chriſtus non ſolum Legem ſolvat, ſed eriam quod in hunc ipſum finem venerit, jam tunc valde increbuiſſe, Chriſtumque eo nomine apud multos ſuſpectum fuiſſe.

Quod veni.] Quando de Chriſto ſimpliciter dictum eſt, eum veniſſe, non reſpicitur ad ejus nativitatem, ſed ad ejus munus, quod ſcilicet ad obeundum munus ſuum in publicum prodierit. Vide Matth. 3. 11, ut & Matth. 9. 13. x. 34. xi. 3. xviij. 11. xx. 28. Idem ſenſus eſt, quando de Chriſto dicitur, quod in mundum venerit Joh. 1. 9. iij. 19. vi. 14. ix. 39. xij. 47. xviij. 37. Ubi clare adventus ejus in mundum ab ejuſdem nativitate diſtinguitur; quæ duo plerumque confundi ſolent.

Solvere Legem aut Prophetas.] Verbum καταλύσαι *ſolvere*, proprie ſignificat *deſtruere, frangere, abrogare, diruere* &c. In qua ſignificatione ſumitur Matth. 24. 2. Marc. 13. 2. Luc. 21. 6. Actor. 5. 39. vi. 14. Et Gal. 2. 18. Καταλύσαι *deſtruere* & οἰκοδόμειν *ædificare* inter ſe opponuntur. Sic ergo *ſolvere Legem* nihil aliud eſt, quam Legem tollere & abrogare. Duplici autem modo Lex ſolvitur & deſtruitur. Primo, cum quis Legem tranſgreditur, operaque facit in Lege vetita: quo ſignificatu ſumitur Joh. 5. 18. vii. 23. Deinde cum quis docet ea, quæ Legi ſunt contraria. Chriſtus neque illo neque hoc modo Legem ſolvit Joh. x. 35. Quod enim ad tranſgreſſionem attinet, in tota vita ſua perfectiſſimam obedientiam Legi præſtitit: ita ut ne unicum quidem peccatum unquam admiſerit 1 Petr. 2. 22. Vide etiam 2 Cor. 5. 21. 1 Joh. 3. 5. Joh. 8. 46. Etſi enim accuſatus fuerit ab adverſariis ſuis, quod Sabbathum violarit Matth. 12. 10, tamen is ſat juſtis rationibus ſe ab hoc crimine purgavit. Quod vero etiam doctrina ſua Legem non ſolverit, neque abrogarit, quod Chriſtus hic potiſſimum indicat, ex eo patet, quod addat, ſe potius veniſſe Legem implere, quodque nonnulla mandata Legis per alia nova mandata Euangelii corrigat, ut poſtea v. 21 videbimus. Quod ut rectius intelligatur, animadvertendum eſt, Legem interdum eo ſenſu accipi, ut omnia præcepta tam ceremonialia ac politica, quam moralia, ea comprehendantur. Quo ſenſu dici poteſt, Chriſtum in diebus carnis ſuæ Legem non ſolviſſe ſeu ſuſtuliſſe: quemadmodum ipſe dixit Matth. 15. 24, quod *non fuerit miſſus niſi ad oves perditas domus Iſraëlis.* Quod etiam tantum de diebus carnis ejus intelligendum eſt. Alioquin enim conſtitutus erat vere à Deo, ut eſſet lux Gentium Eſai. 49. 6. Nam ceremonialem Legem non ante potuit abrogare, quam tanquam novus Pontifex Maximus in ſanctiſſimum cœleſte ſanctuarium ingreſſus novam colendi Dei rationem populo ſuo præſcripſit. Forenſem autem Legem non ante potuit abrogare, quam velut novus Rex in ſolio Patris ſui conſedit. Deinde Lex quoque in alia ſignificatione ſumitur, ut ſola moralia præcepta complectatur. Quo ſenſu dicitur *in his duobus mandatis de diligendo Deo & proximo univerſam Legem & Prophetas pendere* Matth. 22. 40. In hac ſtrictiori ſignificatione quod Lex hoc loco, ſaltem præcipue, & quo ſenſu voluit Chriſtus ſua verba à populo intelligi, accipiatur, demonſtrat res ipſa, quam hic Chriſtus tractat, & ex ſequenti diſſertatione Chriſti colligitur. Quare cum Chriſtus ait, ſe non veniſſe Legem ſolvere, eatenus id intelligendum eſt, quatenus Lex agit de moribus.

Legi adjungit etiam *Prophetas.* Alibi Lex tam late ſumitur, ut etiam Prophetas in ſe complectatur; ut inter cætera verſu ſequenti. Hic diſtinguit Prophetas à Lege, ac ſeorſim eos nominat, ut & Matth. 22. 40. Prophetarum autem peculiariter meminit, quia multa in iis reperiuntur, quæ ad mores ad mandata Dei ſpectant. Quanquam ſtatuendum eſt, & Judæi quoque in ea ſunt ſententia, quod mandata attinet, nihil in Prophetis inveniri, quod non in ipſa contineatur Lege, Prophetaſque ſolummodo Interpretes Legis agere, & ſenſum ejus verum explicare. Sed videtur tamen Chriſtus aliam, quam aperte indicare noluit, habuiſſe cauſam, cur Prophetarum nominata Lege fecerit mentionem: quia ſcilicet illi de rebus futuris vaticinati ſunt, quas ipſe venit ut impleret & reipſa exhiberet. Qua de re plura poſtea ad vocem *implere.* Prophetæ autem, etiam quatenus mandata Legis explicant, à multis Judæis non ſunt recepti, nempe olim à Sadducæis, & hodie à Judæis in Aſia, qui *Charaimitæ* dicuntur. Dum ergo Chriſtus Prophetarum meminit, ſignificat, ſe non eſſe Sadducæorum ſectæ addictum. Quod eum gratioſum valde apud populum reddere poterat, utpote qui à partibus Phariſæorum ſtabat, quibus hac de re, ut & aliis de rebus, magna cum Sadducæis lis erat.

Non veni ſolvere Legem, ſed adimplere.] Hoc ſibi vult Chriſtus, tantum abeſſe, ut venerit Legem tollere & abrogare, ut potius doctrina ſua eam ad ſummum perfectionis gradum perducere, defectuſque ejus explere conetur.

Hoc pacto autem Chriſtus Moſaicam Legem adimplevit, dum mandata ad mores pertinentia multo clarius atque exactius propoſuit, & rationem vivendi multo ſanctiorem inſtituit, quam Lex. Sumpta enim eſt hic metaphora à vaſe (quale eſt modius aut alia menſura) quod multa quidem ſibi infuſa continet, ſed tamen plenum non eſt, ſed explendum ſeu plenum faciendum eſt. Ita Lex quoque non exiguam copiam ſanctorum pietatis præceptorum continebat, ſed ad perfectionem ei nonnihil deerat, quod Chriſtus addere, & ſic Legis inſufficientiam ſupplere venit. Videtur vero Chriſtus de induſtria hoc verbo *implendi* uſus eſſe. Nam & de prophetiis ac prædictionibus, & de figuris ac typis dicitur, quod *impleantur*, quando quod prædictum eſt, reipſa fit, & quando res præfigurata atque adumbrata, ipſa exhibetur ac repræſentatur. Jam igitur etſi Chriſtus, ut dictum, præcipue ad eam impletionem reſpexerit, qua imperfecta mandata Legis Moſaicæ de moribus correxit, eorumque in locum ſanctiorem vi-

vendi modum præſcripſit, neque aliter voluerit tunc à ſuis auditoribus intelligi : tacite tamen & non advertentibus ſuis diſcipulis, etiam ad illam impletionem Legis ac Prophetarum digitum intendit, qua omnes prædictiones Prophetarum, nec non omnes figuræ Ceremonialium præceptorum in eo veritatem ac realem præſentiam conſecutæ ſunt, etſi non omnes in diebus carnis ejus. Itaque fieri poteſt, quod Chriſtus etiam hanc ob cauſam Prophetas peculiariter hic nominarit, quia ad eorum prædictiones de ſe tecte reſpexit. Imo vox *implendi* priori ſignificatione poteſt etiam ad mandata politica ac forenſia trahi: quæ quia ipſa per ſe, Republica Judæorum una cum civitate Hieroſolyma corruente, corruerunt, Chriſtus in eorum locum aliam ſanctam & æquiſſimam politiam, tam quod pœnas quam quoad præmia ſubſtituit, & ad conſervandam civilem pacem ac tolerantiam tam præclara præcepta præſcripſit, ut à nullo Legiſlatore, qui unquam ex hominibus fuerunt vel futuri ſunt, ſimilia expectari poſſint. Vide hac de re plura in 1 Appendice hujus Capitis.

Verſ. 18. *Amen enim dico vobis.*] Hic Chriſtus probat, ſe non veniſſe Legem ſolvere : quia Deus tanta cura eam conſervet, ut ne minima quidem ejus pars poſſit interire. Quo dicto conſtantiam & immutabilitatem æternam Legis exprimit. Quî ergo ipſe veniſſet, eam abrogare ?

Amen.] Hoc eſt Hebraicum, vel potius Syriacum vocabulum, ac duplici ſignificatione accipitur, primum in initio ſermonis aut periodi, ut hic & infra cap. 6. 5, 16. VIII. 10. X. 15, 23, 42 &c. denotat idem, quod *vere* ſeu *revera*, deinde in fine orationis, ut Matth. 6. 13. Rom. 1. 25. IX. 5. XI. 36, deſignat votum, eſtque particula optandi, quaſi dicat : *Utinam*, vel *Fiat*, vel ſimile quid. Vide Num. 5. 22. Deut. 27. 15.

Dico vobis.] Vult ſibi plenam fidem adhiberi, cum ipſe ſit ipſa veritas Joh. 14. 6, ille Amen, verus ac fidelis teſtis Apoc. 3. 14. Hic loquendi modus eſt Chriſto valde familiaris. Vide Matth. 6. 5, 16. VIII. 10, 12, 31.

Donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant.] Immutabilitatem ac perpetuam durationem Legis exprimit, conferens eam cum aliis rebus. Eſt autem hic Hebraiſmus, cujus ſenſus ex Luc. 16. 17 perſpicitur, uti verba hæc ita efferuntur : *Facilius eſt, ut cœlum & terra prætereat, quam ut de Lege unus apex cadat.* Nimirum cœlum & terra ſunt natura ſua ita comparata, ut ſi Deus permitteret, vel in æternum durare poſſent & nunquam interire : tamen facilius hoc poſſe fieri indicat, quam ut minima Legis particula aboleatur, Similis locutio eſt etiam Matth. 24. 35. Marc. 13. 31. Luc. 21. 33. Eſai. 54. 10. Pſalm. 72. 7. XXXIII. 20, 21.

Jota. Id eſt, litera *i*, quæ minima literarum Hebraicarum, quibus Lex exarata eſt.

Apex.] Gr. κεραία *corniculum*, ſignificatque puncta literarum. Quaſi dicat Chriſtus : Ne minima quidem litera, imo ne punctulum quidem literæ de Lege peribit. Locutio eſt hyperbolica ; & proverbialis, ut etiam vulgo dici ſolet, ne pilus quidem, ne mica, ne pulviſculus quidem &c.

De Lege.] Hic ſub Lege etiam Prophetas complectit.

Peribit.] Id eſt, non impleta manebit, ſicut infra cap. 24. 35 : *Mea verba non peribunt*, id eſt, non manebunt non impleta.

Donec omnia fiant.] Iſta verba non immerito fatigant Interpretes, quia difficile eſt intellectu, quomodo ad propoſitum Chriſti faciant. Chriſtus enim vult hoc loco demonſtrare, ſe non veniſſe Legem ſolvere ſeu abrogare. Quomodo autem hoc ad rem facit, vel quæ eſt conſequentia : Non veni Legem ſolvere, quia tamdiu illibata & inviolata manebit, donec omnia quæ ea continentur, fiant ſeu impleantur ? Nonne ex his verbis colligi poſſet, venturum tamen aliquando tempus, quo Lex ſit abolenda, nempe ubi omnia in ea ſcripta impleta fuerint ? Quomodo ille occurriſſet ſcandalo populi, qui nulla ratione, & nulla ſub conditione ferre poterat, quod Lex aliquando abolenda eſſet ? Aut ita concludendum eſſet, quia Lex æternum permanebit immutabilis ac inſolubilis, ideo nunquam fiet, ut omnia in ea impleantur. Ut ita Chriſtus conditionem impoſſibilem ponens voluerit perpetuitatem Legis indigitare ; quod quam veriſimile ſit, quivis facile intelligere poteſt. Si dicas, quod urgent Interpretum quidam, voculam *donec* accipi pro *ſed* : quaſi dicat Chriſtus, ſed omnia fient, omnia implebuntur ; manet eadem difficultas, quod intelligi nequeat, quomodo id ad propoſitum Chriſti faciat. Quare omnino exiſtimandum eſt, Chriſtum, ut ſupra dictum, verbum *implendi* in laxiori ſignificatu, quam pro correctione ſola nonnullorum præceptorum ſumere, & tacite ejuſmodi impletionem intellexiſſe, cum qua conjuncta erit Legis abolitio. Nimirum innuit, cum omnia in Lege impleta fuerint, cum venerit, qui non ſolum perfectam obedientiam Legi præſtabit, & ne ſemel quidem adverſus ullam ejus particulam peccabit, ſed qui etiam ejus imperfectionem ſapientiſſima ac cœleſti doctrina corriget & ſupplebit, cum denique omnes figuræ ac typi Legis, & prophetiæ Prophetarum ſortientur ſuum eventum, Legem tunc ipſam per ſe caſuram & interituram. Quamdiu vero id non fiet, tamdiu ſtabit inconcuſſa, & per me ne in minimo quidem apice infringetur aut violabitur. Et ſane Chriſtus quamdiu verſatus eſt in terris, in omni parte Legem ſtricte obſervavit : Lexque ipſa ratione typorum ac figurarum, quas Ceremoniæ continebant, & Prophetæ quoque ratione ſuarum prædictionem tum demum perfecte & omni ex parte impleti fuerunt, cum Chriſtus tanquam perfecta victima mactatus eſt, & cum proprio ſanguine ſuo in ſanctuarium cœleſte ingreſſus eſt ; poſtea etiam juſto judicio ejus civitas Hieroſolyma una cum Templo, cultuque divino, ac tota politia Judaica everſa eſt ; atque ita Lex ipſa per ſe ſine illius abrogatione concidit. Quod autem Chriſtus hanc rem aliquanto obſcurius propoſuerit, mirum non eſt ; cum infirmitas auditorum ejus non tulerit, ut clarius ea de re loqueretur, ut qui vehementer ea fuiſſent offenſi. Hoc enim erat difficillimum & ſummum myſterium, quod ne Apoſtoli quidem ferre poterant, & propter quod Spiritus Sanctus mittendus erat, qui eos

qui eos in omnem veritatem duceret Joh. 16. 13.

Verſ. 19. *Qui ergo ſolverit unum ex mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines.*] Verba hæc duplici accipi poſſunt ſenſu. Primo, ut Chriſtus ad mandata Legis reſpiciat: Quaſi dicat; cum Lex tam firma ſit permanſura, ut ne jota quidem vel apex de ea peritura ſit, ex eo facile eſt colligere, nulli hominum, ac proinde nec mihi fas eſſe, vel minimum ejus mandatum ſolvere, aut abrogare. Loquitur autem tantum de præceptis moralibus.

Ex mandatis iſtis minimis.] Aliqui Interpretes ſentiunt, Chriſtum intelligere per minima mandata Legis, illa quæ Phariſæi & Scribæ pro parvis, adeoque eorum tranſgreſſionem pro levi ducebant, etſi in ſeipſa magni momenti eſſent. Sed ſi ſpectetur, quod Chriſtus ſupra de jota & apice Legis dixit, poſſunt illa mandata vocari minima, quæ de rebus agunt natura ſua minoribus ac levioribus, quam cætera. Ut verbi gr. ira & convitia ſunt minora peccata, ſi conferantur cum homicidio. Talia mandata ſolvuntur, quando non ſervantur: quemadmodum de Sabbatho dicitur, quod ſolvatur Joh.5. 18.

Et docuerit ſic homines.] Nempe etiam minimum tantum mandatum violare. Tales ſunt inter alios, qui dictitare ſolent: Quid opus eſt tam teneram habere conſcientiam? & in rebus tam parvis adeo ſcrupuloſum eſſe? Deus minuta iſta non curabit nec judicabit &c. Tales erant olim Phariſæi & hodie major pars Chriſtianorum, qui ſuas conſcientias nolunt tam anguſtis includi ac coarctari limitibus.

Alter ſenſus horum verborum, qui Chriſoſtomo ac Theophylacto arridet, eſt, Chriſtum hic non loqui de mandatis Legis, ſed de mandatis regni cœlorum, ſeu Novi Fœderis, quibus Lex impleta eſt. Cujus explicationis ſuæ hanc afferunt rationem, quod etſi quis omnia Legis Moſaicæ præcepta perfecte ſervaret; ſicut Paulus de ſe gloriatur, quod ante ſuam converſionem irreprehenſibilis fuerit ſecundum juſtitiam in Lege Philip. 3. 6, non tamen idcirco *magnus futurus ſit in regno cœlorum*, ut ait Chriſtus; ſed quod ad adipiſcendum regnum cœlorum obſervatio mandatorum Novi Fœderis requiratur. Secundum hanc interpretationem Chriſtus voce *iſtis* partim ad illas in prima hujus capitis parte deſcriptas virtutes, quæ quaſi compendium ſunt præceptorum Novi Fœderis, partim ad ſequentia præcepta, de quibus in quarta hujus capitis parte agetur, quæque ampliorem declarationem ſuperiorum virtutum in ſe continent, reſpexit. Argumentaturque Chriſtus ad hunc modum: Si nemini fas eſt mandata Legis Moſaicæ violare, multo minus fas erit mandata regni cœlorum violare, quæ ad impletionem Moſaicæ Legis pertinent, hominesque ad eum ſanctitatis gradum ducunt, quem Lex quidem Moſaica intendit, ſed eum aſſequi propter hominum pervicaciam non poterat? Vide Hebr. 2. 2.

Hæc interpretatio eſt quidem valde veriſimilis, ſed obſtat ei, quod durum aliquanto ſit, ac difficile intellectu, quod hæc verba *unum ex minimis iſtis mandatis*, partim ad illas virtutes, quas Chriſtus longe ante deſcripſit, partim ad ſequentia mandata, quorum nullam adhuc fecit mentionem, ſpectent, quodque nullum ejus rei indicium, ex quo ea clarius intelligi poſſet, relictum ſit. Multo clarius & intellectu facilius eſt, quia in præcedentibus dixerat, ne unum quidem *jota* vel *apicem* de Lege, id eſt, ne minimum quidem mandatum Legis peritурum, eum huc reſpexiſſe in hiſce verbis, quod nefas ſit vel *jota* aut *apicem* ſolvere, id eſt, minimum mandatum Legis abrogare ac tollere. Cauſa ad confirmandam hanc alteram interpretationem allata, quod etiam perfectiſſima juſtitia Legis non poſſit homines in regnum cœlorum perducere, ideo nullam vim habet, quia Judæi tunc credebant, juſtos ſecundum Legem ingreſſuros in regnum cœlorum, & vitam æternam adepturos: quibus Chriſtus hoc loco contradicere noluit, & contradicere etiam tunc valde intempeſtivum erat, præſertim cum id non prorſus falſum eſſet; quandoquidem juſti ex Lege, antequam veniſſet fides in Chriſtum, à ſpe vitæ æternæ non fuerunt omnino excluſi, etſi nullam claram haberent promiſſionem, quemadmodum ſupra, ubi de diſcrimine Veteris ac Novi Fœderis actum eſt, oſtendimus. Si Chriſtus alibi de ſtatu futuræ vitæ ex Judæorum mente ac opinione locutus eſt, ut cum dicit, pios cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in regno cœlorum ad menſam accubituros Matth.8. 11, & impios in Gehenna cruciandos eſſe ac torquendos Luc.16.23, cur non potuerit etiam de regno cœlorum hic ex eorundem opinione, quæ certo modo vera erat, loqui? Porro verſu ſequenti opponit rigidam illam juſtitiam, quam ipſe requirit, non juſtitiæ ſecundum Legem, ſed Phariſæorum juſtitiæ, qui præcipua mandata Legis de dilectione, de obedientia, ac obſervantia erga parentes, & plura alia ſolvebant. At ſi per *iſta* minima mandata intellexiſſet mandata Euangelii, oppoſuiſſet ea juſtitiæ Legis, dixiſſetque: ſi juſtitia veſtra non fuerit abundantior, quam Moſes præſcripſit, non intrabitis in regnum cœlorum. Jam ut deciſio fiat inter duas iſtas ſententias, dici poteſt, ſi cui ſecunda interpretatio horum verborum adeo placeat, quandoquidem Chriſtus noluit ſe ita ab auditoribus ſuis intelligi, quaſi venerit vel minimum mandatum Legis ſolvere (cum id infirmitas eorum concoquere non poſſet) ſed quod doctrina ejus tantum ad corrigendam & perficiendam Legem tendat, intellexiſſe eum per *iſta minima mandata* mandata Legis, ſed eatenus, quatenus ſunt per doctrinam ejus ad ſuam perfectionem perducta.

Solvere.] Nempe hoc obtentu, quod Moſaicæ Legi ſint contraria. Chriſtus enim hic occurrit tacitæ auditorum ſuorum objectioni, qui auditis poſtea perfectiſſimis Euangelii mandatis dicere poterant: Hæc nobis à Moſe non ſunt interdicta; is non exigit res adeo arduas ac ſublimes, propterea neceſſarium non eſt, ut quis in tantas auſteræ vitæ auguſtias ſe induat. Qui volet, ſe mancipet novæ huic doctrinæ, nos Moſis Legem, prout ſonat, retinebimus.

Et docuerit ſic homines.] Nempe vel minimum ex his mandatis violare & abrogare. Hic notantur illi, qui præcepta quædam Chriſti, quia carni gravia videntur, in conſilia commutant, aſſeruntque ea non ſimpliciter omnibus hominibus, ſed iis duntaxat, qui perfectioni ſtudent, obſervatu neceſſaria eſſe. Quæ certe admodum peſtifera doctrina eſt. Si enim fas non eſt, minimum mandatum Legis ſolvere,

multo minus fas eſt minimum ſolvere mandatum Euangelii. Cæterum deteriores ſunt ii qui alios mala docent, quam qui faciunt. Hi enim ſibi ipſis tantum, illi ſibi & aliis ſimul nocent.

Eorum interpretatio nihil habet probabilitatis, qui verba iſta, *Et docuerit ſic homines*, ita exponunt, quaſi dicat Chriſtus: *Qui unum ex his minimis mandatis ſolverit*, etſi ipſe doceat, ea ſervanda eſſe &c. Nimis enim magnam hæc interpretatio claris textus verbis vim facit.

Minimus vocabitur in regno cœlorum.] Per *minimum* quis intelligatur, rurſus diſcordes ſunt Interpretum ſententiæ. Sunt qui putent, eum qui minima præcepta non ſervat, nec alios ſervare docet, non omnino à regno cœlorum excluſum iri, ſed tantum infimum locum inter beatos habiturum. Verum ſi expendamus illa peccata, quæ pro minimis haberi queunt, ut iraſci fratri ſuo, aliis convitiari, alienam uxorem impudicis oculis aſpicere; ſimulque cogitemus, hic non ſolum de iis qui faciunt ſermonem eſſe (poteſt enim factum ex infirmitate proficiſci) ſed etiam de iis qui docent talia (id quod ſignum pertinaciæ eſt, poteſtque homini perpetuam in ejuſmodi peccatis perſeverandi conſuetudinem ingenerare) patebit, nullo modo ſtatuendum, quod talis minimum locum in regno cœlorum habiturus ſit, ſed potius quod is plane & penitus ab eo ſit excludendus. Quare verba hæc, *Minimus vocabitur in regno cœlorum*, idem valent, atque ſi dictum eſſet, Non intrabit in regnum cœlorum. Quod autem Chriſtus uſus ſit vocabulo *Minimus*, factum eſt ornatus gratia, & propter antitheſin, dixerat enim prius, *minima hæc mandata*, nunc dicit, *minimus in regno cœlorum*. Hinc vero diſcendum nobis eſt, ne minutiſſima quidem ex iis, quæ Chriſtus docuit ac præcepit, ſine jactura ſalutis contemni atque omitti poſſe.

In regno cœlorum.] Per Regnum cœlorum intelligunt quidam regnum Chriſti in terris, nempe ejus militantem Eccleſiam: alii vero vitam æternam in cœlis. Sed res eodem recidit. Quem enim locum quiſque in Eccleſia Chriſti hic in terris habuerit, eundem habebit quoque aliquando in cœlo.

Vocabitur.] Id eſt, minimus *erit*. Hebraiſmus.

Qui autem fecerit & docuerit.] Nempe ita, ut ne minimum quidem facere omittat, & quid faciendum ſit, alios doceat.

Hic magnus vocabitur in regno cœlorum.] Chriſtus appellat hunc *magnum* propter elegantiam oppoſitionis: quia cum qui quod minimum non facit, *minimum* vocaverat, ideo eum qui facit, vocat magnum. Ubi ſimul intelligendum, eum qui minima præcepta obſervat, etiam majora non tranſgreſſurum; ut ſi quis ſibi temperet ab ira, eum multo magis etiam ſibi temperaturum ab homicidio. Alioqui non tantum magnus non erit, ſed ne minimus quidem in regno cœlorum.

Poteſt etiam hinc colligi, in cœlo diverſos gradus beatitudinis ac gloriæ fore, & majorem alium alio futurum. Vide Dan. 12. 3 & Matth. 19. 28 de præeminentia Apoſtolorum.

Ex his autem verbis accipiunt argumentum ſuæ opinionis illi, qui autumant, Chriſtum hanc concionem tantum ad Apoſtolos tanquam prædicatores Euangelii direxiſſe. Ajunt enim Chriſtum ab iis quos hic alloquitur exigere duo, tum ut faciant, tum ut doceant; id autem nemini convenire alii, quam docendi officio fungentibus, quales erant Apoſtoli, & poſt illos omnes Euangelii præcones. Unde concludunt Chriſtum hic ad Apoſtolos tantum orationem hanc habuiſſe. Sed quis neſcit, voculam *&* non ſemper habere vim conjungendi ac copulandi ſequentia cum præcedentibus, inter quæ media eſt, ut unum ſine altero fieri nequeat, ſed ſimul utrumque debeat fieri? Quomodo probabitur, Chriſtum tantum de iis loqui, qui ſimul minime mandata & ipſi ſolvunt, vel faciunt, & etiam alios id facere docent; non autem eos intellexiſſe, qui id faciunt & non docent, vel qui docent & non faciunt? Certe quiſquis minimum ex his mandatis ſolvit, etſi alios non doceat, vel quiſquis alios docet, etſi ipſe non faciat, is minimus erit in regno cœlorum. Hoc autem ita ſe habere, ex his verbis Chriſti non poſſet intelligi, ſi facere & docere ita copulaſſet, ut ſejungi non debeant. Quare res ipſa teſtatur, vocem *&* hoc loco tantundem valere, quod *aut* (ut etiam Exod. 12. 5. xxi. 15. Lev. 6. 3. Deut. 17. 9. Matth. 12. 37.) Quaſi dicat; Chriſtus: Qui minimum ex his mandatis ſolverit, aut homines ſic docuerit &c.

Verſ. 20. *Dico enim vobis, niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quam ſcribarum & Phariſæorum.*] Cauſam hic Chriſtus affert, cur nullam in regno cœlorum partem habiturus ſit ille, qui vel minimum Præceptum ſolverit (ſive de mandatis Legis Moſaicæ ſecundum priorem ſenſum verborum antecedentium, ſive de ipſius novis mandatis ſecundum poſteriorem ſenſum) nempe quia ad conſequendum Regnum cœlorum prorſus perfecta juſtitia requiritur, quam opponens eam juſtitiæ ſcribarum ac Phariſæorum ſatis indicat. Simul autem hic occurrit eorum cogitationibus, qui exiſtimare poſſent eum nihil novi proferre, cum ſcribæ & Phariſæi non tantum doceant perfectam juſtitiam, ſed etiam in ſe ipſis exemplum ejuſmodi juſtitiæ ac ſanctitatis exhibeant, ut ne in minimo quidem Legem tranſgrediantur. Significat ergo longe perfectiorem ſanctimoniam atque juſtitiam requiri ad adipiſcendum cœlorum regnum, quam horum hominum eſt, etſi laudem & ſpeciem ſummæ ſanctitatis coram hominibus habeant; quodque etiam filii Levi, quorum officium eſt alios mundare & purgare, ipſimet purgatione indigeant Malach. 3. 3.

Juſtitia veſtra.] Id eſt, veſtra ſanctitas, bona opera, obedientia Legis, quemadmodum etiam Matth. 6. 33. Rom. 5. 18. vi. 13.

Scribarum.] Hi erant doctiſſimi inter Judæos. Vide ſupra cap. 2. 4.

Phariſæorum.] Hæc erat regidiſſima Secta Judæorum Act. 26. 5, & maxime quidem præ aliis ſanctimoniæ peculiaris nomine erant celebres, ſed illorum ſanctitas in tali Legis obedientia conſiſtebat, ut ab hominibus, qui occulta cordium non vident, pro inculpatis haberi poſſent; occulta vero animi vitia, uti erant malæ cupiditates, & quæ præterea in abdito patrabant mala, reprehenſioni obnoxia non eſſe cenſebant. Qualis fuerit Phariſæorum juſtitia, ex eo merito æſtimatur, quod ſcripſit celebris Judæorum

Doctor

Doctor *David Kimchi*, ſuper verba illa Pſal. 66. 18: *Si iniquitatem ſpectaſſem in corde meo, non exaudiviſſet Dominus*; quæ verba ille plane contrario ſenſu expoſuit, hunc in modum Davidem loquentem faciens: *Si ego in corde meo viderem aliquid iniqui, etſi id jam paratus eſſem ac decreviſſem reipſa & facto perficere, quamvis id coram Deo tantundem valet ac ſi meis labiis id protuliſſem, tamen Dominus id non audiet. Quaſi dicat: Non imputabit hoc mihi in peccatum. Malas cogitationes Deus pro facto opere non habet, niſi contra Legem Dei & contra religionem ſint.* Unde clare intelligitur, ejus mentem eſſe, excepta defectione à religione Judaica, nullum animi decretum à Deo imputari ſeu pro peccato cenſeri, etſi per homines non ſteterit, quominus ad effectum deductum ſit. Quodque hæc opinio à multis doctis inter Hebræos recepta fuerit, teſtis eſt *Aben Eſdra* in Explicatione Decalogi. Et Joſephus, qui etiam in religione Phariſaica, ut ipſemet agnoſcit, inſtitutus fuit, miratur, quod Romanæ hiſtoriæ ſcriptor Polybius mortis Antiochi cauſam hanc aſſignet, quod conatus fuerit bona & theſaurum templi Dianæ ad ſe rapere & aduncis manibus involare. *Nam* (inquit Joſephus) *etſi quis tale quid facere in animo conſtituat, ſed ad effectum tamen non perducat, non videtur is morte dignus eſſe.* Inſuper quod Phariſæi ſuam ſanctitatem & juſtitiam in minutis rebus oſtentare maxime ſtuduerint, ut inter alia, quod mentham, anethum & cuminum decimarint, omiſerint autem graviora Legis, charitatem, miſericordiam, obſervantiam parentibus debitam, aliaſque præclaras virtutes; imo quod tota eorum ſanctimonia mera fuerit hypocriſis: id eis Chriſtus Matth. 15. 5,6. XXIII per totum, ad oculum demonſtravit.

Non intrabitis in regnum cœlorum. Quod hoc loco Regnum cœlorum pro æterno præmio cœleſti, ſeu pro ſtatu æternæ beatitatis accipiatur, exinde patet, primo, quia ferme in omnibus ejuſmodi locis Novi Teſtamenti, ubi mentio fit *intrandi* in regnum cœlorum, hoc ſenſu dicto voces hæ accipiuntur. Vide Matth. 7. 21. XVIII. 3. XIX. 23,24. Marc. 10. 23,24. Luc. 18. 24,25. Joh. 3. 5. Act. 14. 22. In quibus locis, ut & hic, tacite reſpicitur ad illam Legis comminationem: *Non intrabitis in illam terram*, (intellige, promiſſam) Num. 14. 30. Pſal. 95. 11. Terra autem illa promiſſa fuit figura vitæ æternæ. Deinde quia ex collatione ſequentium verſum 29, 30 cum Marc. 9. 47 perſpicitur, Regnum cœlorum ſeu regnum Dei opponi Gehennæ, id eſt, loco æterni ſupplicii. Quod autem voces *Regni cœlorum*, ut & *Regni Dei*, non à Chriſto primum in tali ſignificatione de æterna ſalute ſint uſurpatæ, de eo vide II Appendicem hujus capitis.

PARS IV.

SUperior tertia pars fuit (ut dictum eſt) quaſi præfatio, qua ſibi Chriſtum viam ſternit ad præſentem tractationem, & ſuſpicioni de ſolvenda per ſuam doctrinam Lege occurrit. Jam in hac quarta parte accedit ad rem ipſam, proponitque ſuis auditoribus mandata illa Novi Fœderis, in quibus perfectio & impletio Moſaicæ Legis moralis ſita eſt.

Verſ. 21. *Audiviſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides.*] Antequam ipſa verba explicemus, indicandus nobis eſt craſſus valde & pernicioſus error, qui fere omnibus Interpretibus à Papiſmo alienis communis eſt, veræque pietati, quam Euangelium expoſcit, vim omnem adimit: quod ſcilicet Chriſtus nova ſua præcepta, de quibus in hac parte agit, non Moſaicæ legi, ſed tantum falſis interpretationibus Scribarum & Phariſæorum oppoſuerit. Credunt enim, Legem Moſaicam fuiſſe tam perfectam, & tam ſanctam, ut nulla in parte potuerit emendari. Quod quidem verum eſt, ſi intentio ac Scopus ejus ſpectetur (ut in I Appendice hujus capitis oſtendemus,) non autem, ipſa præcepta conſiderentur. Primam hujus ſuæ opinionis rationem petunt ex his verbis, *Audiviſtis dictum fuiſſe.* Quæ verba indicare dicunt, Chriſtum non antiquos Judæos, opponere illis qui tunc temporis vivebant Judæis, ſed ſenſum eſſe, Quaſi dicat; Audiviſtis & etiamnum quoridie auditis à veſtris Magiſtris, *Dictum eſt antiquis, Non occides.* (Nimirum contendunt, hæc non Chriſti verba eſſe, ſed Phariſæos ac Scribas ſolitos fuiſſe ea præmittere & præfigere ſuis doctrinis ac interpretationibus, ut eis auctoritatem antiquitatis conciliarent.) Iſtis ergo Phariſæorum verbis, *Dictum eſt antiquis*, ajunt, Chriſtum verba opponere, *Ego vero dico vobis*, ne nudis verbis ac literæ Legis, vel veſtrorum magiſtrorum interpretationibus inhæreatis, neque putetis, ſolum homicidium, prout illi docent, in Lege interdictum eſſe, ſed ſcitote Legem requirere multo plura, nempe ne prorſus iraſcamini, neve convitiemini. Verum ratio hæc tam ſubtilis & arguta eſt, ut vix percipi queat. Quomodo, quæſo, probari poteſt, verba iſta, *Dictum eſt antiquis*, non Chriſti, ſed Phariſæorum verba eſſe? Quis ea re convinci poteſt, quam ille ſimpliciter negat ac inficiatur? Eadem hæc verba infra leguntur ſſ. 27, 31, 33, 38, 43 neque in ullo horum locorum extat vel minimum indicium, quod hæc verba Phariſæorum ac Scribarum ſint. Ex adverſo autem, ſenſus eſt clariſſimus & facillimus, nec ullo modo coactus, ſi tota hæc oratio pro Chriſti verbis accipiatur.

Secunda eorum ratio eſt, quod ubique dicatur, *Dictum eſt.* Si Chriſtus de Lege locutus fuiſſet, ad minimum ſemel dixiſſet, in Lege ſcriptum eſt. Vocabulum *dicere* ſatis innuit, eum de orali doctrina loqui, qualis erat Phariſæorum, qui nudam Legis literam urgebant.

Reſpondeo. Quid eſt uſitatius in Sacris Literis, quam quod de Lege nec non de Prophetis, imo de Sacra Scriptura in genere dicatur, eam dicere vel loqui? Vide de Lege Rom. 3. 19. VII. 7, de Prophetis Matth. 1. 22. II. 17. III. 3. XIII. 14 &c. de Scriptura Joh. 7. 38. XIX. 37. Præterea cum Chriſtus ubique inquiat: *Ego vero dico vobis*; non ſine elegantia ſermonis etiam in antitheſi verbo *dicere* uſus eſt. Cauſa autem, cur Chriſtus Legem noluerit diſerte nominare, eſt, quod parcere imbecillitati auditorum ſuorum voluerit, qui ferre non potuiſſent, ſi intellexiſſent eum doctrinam ſuam directe Legi Moſis, quæ tantæ auctoritatis apud illos erat, opponere.

Tertia ratio eſt, cum Lex à Deo ipſo fuerit lata, incon-

inconveniens futurum fuiſſe, ſi Chriſtus illi ſe tanquam filius Patri, oppoſuiſſet. Perinde enim fuiſſet, atqui ſi dixiſſet: Pater meus in Lege dixit, Ego autem dico vobis. Quod autem ſe Phariſæis eorumque falſis interpretationibus ſuam doctrinam oppoſuerit, in eo nihil eſt inconveniens, neque abſurdum.

Reſpondeo. Primo ſi Chriſtus fuiſſet ipſe Deus altiſſimus, ſeipſum ſibi oppoſuiſſet haud abſurde, hoc modo: Ego olim in Lege hoc dixeram, nunc autem in Euangelio dico aliquid perfectius, nempe &c. Deinde etſi Chriſtus non ſit Deus altiſſimus, non minus tamen ipſius doctrina à Deo eſt, quam Lex, ut ſenſus eſſe queat: Olim Deus per Moſen id dixit, nunc vero idem dicit per me aliquid ſublimius & ſanctius. Quod enim Deus mandata ſua alio tempore perfectiora tradat, & excellentiorem ſanctimoniam ab hominibus exigat, quam alio, id ipſi ut ſupremo Legiſlatori integrum liberumque eſt.

Quarta ratio eſt, quod Chriſtus neque Moſen neque Legem nominet, ſed *antiquos*. Si doctrinam ſuam Legi opponere voluiſſet, dixiſſet: Audiviſtis, vel ſcitis, Moſem id dixiſſe, aut Legem dicere &c. Ego vero dico vobis. Reſpondeo. Tela hæc in auctores retorqueri poſſunt. Per *antiquos* illi Phariſæos & Scribas intelligunt. Jam merito quæri poteſt, quid cauſæ habuerit, quod nomen Phariſæorum ac Scribarum diſertis verbis non expreſſerit? Cur non aperte dixit: Audiviſtis à magiſtris veſtris Phariſæis; vel, auditis ab eis quotidie? Atqui non dubitavit eos paulo ante nominare, eorumque doctrinæ tam abjectam mentionem facere, quod per eam aditus in regnum cœlorum nemini pateat. Nec alias unquam illis pepercit, ubicunque ſe dedit occaſio, ſed eis larvatam ipſorum pietatem clare in os exprobravit. Vide Matth. 12. 39. xv. 7. xvi. 4, 11. xxiii. cap. totum. Cauſa autem jam eſt indicata, cur Chriſtus à mentione Moſis & Legis expreſſa conſulto abſtinuerit.

Quinta ratio eſt eorum, (puta Bezæ, Piſcatoris & aliorum) qui hæc verba, ὃ δὲ ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, *quia dictum eſt antiquis*, ita exponunt, quaſi ſcriptum eſſet ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, *ab antiquis*, id eſt, antiqui id dixerunt. Per antiquos autem non intelligi alios quam Doctores ſuperiorum temporum, qui erant Phariſæi ac Scribæ. Sed hæc expoſitio non omnibus placet, quibus opinio ipſa non diſplicet: & inter alios Spanheimio quoque, qui in horum verborum explicatione tales affert rationes, quod ſenſus ſit, *ad antiquos*, ut refelli atque everti nequeant. Rationes hæ ſunt: Primo, quia Syriaca verſio non tranſtulit ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, *ab antiquis*, ſed πρὸς τοὺς ἀρχαίους, *ad antiquos*. Deinde quia hæc locutio in aliis Sacræ Scripturæ locis ſemper hunc ſenſum habet, ut Rom. 9. 12, *dictum eſt ei*, nempe Rebeccæ, id eſt, ad eam Gal. 3. 16, *at Abrahamo dicta ſunt promiſſiones*, id eſt, ad Abrahamum Apoc. 6. 11, *dictum eſt eis*, id eſt, ad eos. Vide etiam Apoc. 9. 4. Cum ergo ſenſus iſte ſit clarus, planus & in Scriptura uſitatus, cauſa eſt nulla, ob quam alius inuſitatus & durus quæratur. Tertio quia non pauca (debebat dixiſſe potius, omnia) à Chriſto hic allegantur, quæ *ab antiquis* dicta non ſunt, ſed *ad antiquos* mox ab ipſo datæ Legis initio: ut Non occides &c. Hæc hactenus reſpondit Spanhemius. Quibus addi poteſt, quod Phariſæis tunc temporis non conveniebat Antiquorum nomen; quia ex Joſepho lib. 13. cap. 9 patet, eos paulo ante Chriſti adventum, tempore ſcilicet Judæ Macchabæi, primum exortos eſſe; ſaltem eos nondum tanta valuiſſe auctoritate, quam tempore Chriſti. Significat præterea Græcum vocabulum ἀρχαῖος, quod proprie valde antiquum denotat, quoties in Novo Teſtamento uſurpatur (unico loco Act. 15. 7 excepto) ſemper tempus ejuſmodi, quod ad Moſen & Prophetas, aut etiam altius ad huc reſpicit. Vide Luc. 9. 8, 19. Act. 15. 21. 2 Cor. 5. 17. 2 Petr. 2. 5. Apoc. 12. 9. xx. 2. Neque etiam Chriſtus (ut antea jam diximus) ullam habuiſſet cauſam, eos tecto nomine potius, quam expreſſo nominandi. Porro quoque veriſimile non eſt, eum hoc ſenſu illos appellaſſe *antiquos*, quaſi dixiſſet, *Patres*, quo nomine appellari amabant Phariſæi, (vide Matth. 23. 9.) Non enim eos hoc honorifico titulo fuiſſet dignatus. Quin etiam non in præterito dixiſſet, *quia ab antiquis dictum eſt*, ſed in præſenti, *quia antiqui dicunt*. Falſas enim iſtas Legis interpretationes, quibus hi volunt Chriſtum hic ſuam doctrinam oppoſuiſſe, tunc quoque Phariſæi proponebant populo & obtrudebant.

Sexta ratio, quod Chriſtus hoc loco de Phariſæis ac Scribis loquatur, eſt, quia eorum in proxime præcedenti verſu nominavit, adeoque hanc juſtitiam, quam hic non contra Legem, ſed ex Lege docet, ipſorum falſæ ac imperfectæ juſtitiæ oppoſuit. Reſpondeo. Ipſa nominum mutatio ſatis arguit, id quod Chriſtus hoc loco docet, non cohærere arcte cum ſuperioribus, ſed novam eſſe tractationem. Cur enim eos ſtatim tam obſcuro nomine *antiquos* appellaret, quos modo proprio nomine Phariſæos & Scribas vocarat? Imo ex eo contrarium potius inferri poteſt, nempe quid hic *antiquos* nominat, eum non de Phariſæis & Scribis, ſed de aliis loqui: quandoquidem cauſa nulla erat, cur eorum nomen hic diſſimulaſſet. Taceo, quod Chriſtus in antecedenti verſu 20 eorum vitam tanquam injuſtam, non vero doctrinam eorum taxet.

Septima ratio eſt, quod quædam hic à Chriſto recenſeantur, quaſi antiquis dicta, quæ tamen neque in Lege, neque in Prophetis ſcripta leguntur: ut in hoc verſu, *Qui vero occiderit, obnoxius erit judicio.* Et ℣. 43: *Inimicum tuum odio habebis.* Cum Lex potius inimicos diligere jubeat, ut Exod. 23. 4.

Reſpondeo. Quamvis hæc ipſa verba in Lege non extent, ſatis eſt quod extent æquipollentia, adeoque res ipſa, prout poſtmodum in explicatione textus patebit. Non extat quoque uſquam in Sacris Literis expreſſe Scriptum, Chriſtum Nazaræum vocatum iri; & tamen Matthæus ſupra cap. 2. 23 dixit, id per Prophetas dictum eſſe. Quod autem allegata loca attinet, ibidem ad ℣. 43 monſtrabitur, Chriſtum de veris inimicis, & non de Iſraëlita loqui, qui ira in fratrem ſuum exarſit, & inimico adverſus eum eſt animo.

Octava ratio eſt, quod omnia quæ Chriſtus hic ad implendam Legem adfert, in ipſa Lege reperiantur: ideoque illum ea non Legi, ſed aliis falſis interpre-

interpretationibus opponere. Ut inter alia Lex prohibet non modo adulterium, verum etiam cupiditatem adulterii: quia ſcriptum eſt in Lege; *Non concupiſces uxorem proximi tui* Exod. 20. 17. Et Paulus ait: *Ego non cognoviſſem concupiſcentiam, niſi Lex dixiſſet: Non concupiſces.* Phariſæi autem docebant, cum concupiſcentia conjunctum alienæ uxoris aſpectum non eſſe peccatum, ſi adulterium facto ipſo non conſequatur: quibus Chriſtus ℣. 28 contradicit, eoſque refutat.

Reſpondeo. Ex iſtius loci explicatione pateſcet, etiam illud Legis præceptum de concupiſcentia valde fuiſſe imperfectum, & à Chriſto quoque eſſe correctum atque impletum.

Nona ratio eſt, nullam ſublimiorem perfectionem in Euangelio doceri poſſe, quam ut *Deus diligatur ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, proximum autem ſicut nos ipſos diligamus.* Id quod Lex æque ac Euangelium præſcripſit & inculcat Deut. 6. 5. Lev. 19. 18. Et Chriſtus ipſe inquit, in his duobus præceptis totam Legem & Prophetas pendere Matth. 22. 40.

Reſpondeo. Demonſtravimus alibi, & plenius ex ℣. 44 explicatione intelligetur, Euangelium Chriſti longe perfectiorem delectionem Dei & proximi exigere, quam Lex exegit.

Decima ratio eſt, quod Chriſtus cum ab adoleſcente rogaretur, *Quid ſibi faciendum eſſet, ut adipiſceretur vitam æternam*, nihil aliud ei reſponderit, quam *ſerva mandata* Matth. 19. 17.

Quod obſervatio mandatorum, intellige Legis, nonniſi initium ac rudimentum quoddam ad perfectionem illam, quæ ad vitam æternam requiritur, fuerit, ex ſequentibus colligitur. Cum enim adoleſcens ille dixiſſet, ſe omnia mandata inde à juventute ſervaſſe, reſpondit ipſi Chriſtus ℣. 21: *Si vis perfectus eſſe, abi, & vende bona tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ac ſequere me.* Unde clare cernitur, huic adolenſcenti, tametſi ſecundum Legem forte juſto, multum adhuc ſecundum Euangelium defuiſſe, quod à Chriſto diſcere, ideoque ejus aſſecla fieri debebat, ut doctrinæ ac inſtitutionis ejus quotidianæ compos fieret; neve à Chriſto ſequendo eum temporaria bona ejus abducerent vel retardarent, debebat vendendo ea ac diſtribuendo pauperibus, hoc impedimentum removere atque amoliri.

Quandoquidem igitur omnes iſtæ rationes fragili nituntur fundamento, mirum non eſt, alteram huic contrariam ſententiam, quod nimirum Chriſtus doctrinam ſuam non falſis Phariſæorum traditionibus, ſed Legi ipſi oppoſuerit, tam veteres Eccleſiæ Doctores, quorum non exiguum catalogum recenſet Maldonatus, quam non paucos è recentioribus, præſertim iis qui Romanæ Eccleſiæ addicti ſunt, amplexos fuiſſe, præcipue cum rationes, quæ pro hac ſententia militant, ita ſint comparatæ, ut nulla cum veri ſpecie everti poſſint. Nam primo, ſi Chriſtus non ſuam propriam doctrinam, ſed verum ſenſum Legis, falſæ Phariſæorum interpretationi oppoſuiſſet, non dixiſſet, *Ego autem dico vobis*, ſed, Lex aut Moſes dicit vobis. Hic enim Legem dederat, non Chriſtus. Secundo, Chriſtus (ut jam aliquoties monuimus) Phariſæorum nomen expreſſiſſet. Tertio id quod Chriſtus ex Lege citat, non eſt dictum *ad antiquos*, id eſt, ad Phariſæos & ſcribas ſolos, (quem admodum illa opinio omnino poſtulat) ſed ad omnes Judæorum majores. Quarto, non poterant tunc Phariſæi *antiqui* vocari, qui paulo ante Chriſti ortum enati atque exorti erant. Quinto Chriſtus corrigit non pauca, quæ Phariſæi non invexerant, ſed in Lege expreſſe ſcripta extabant. Ut ℣. 31: *Quiſquis dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii* Deut. 24. 1. Quid hic, obſecro, Phariſæi falſis interpretationibus ſuis corruperunt? Et tamen id corrigit Chriſtus, inquiens: *Ego autem dico vobis.* Sic etiam verſ. 33: *Non pejerabis* Levit. 19. 12. Quod ſimiliter Phariſæi non depravarunt. Sexto Chriſtus præſcribit nonnulla talia præcepta, quorum nullum veſtigium in Lege reperitur. Ut verſ. 39: *Qui te percuſſerit in dextram maxillam tuam, verte ei & ſiniſtram.* Qui hic redarguendi fuerunt Phariſæi, quod non hoc quoque docuerint, cum id Lex non dixerit? Unde illi ſcire debebant, Legem quoque id requirere, quod ne Chriſtiani quidem, etiam poſtquam Chriſtus claris dixit verbis, ſatis intelligunt, ac de eo controverſiæ ferram reciprocant. Ubi ſcriptum eſt in Lege: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium?* Hinc ergo clare cernitur, Chriſtum non tantum Legem explicaſſe, ſed novam Legem tradidiſſe, eaque veterem Legem correxiſſe. Septimo promiſſa quoque à Chriſto obedientibus facta, & minæ tranſgreſſionibus propoſitæ, ab iis quæ Lege continentur, tantum differunt, quantum cœlum & terra. Ubi enim Lex vitam æternam expreſſe promiſit? Ubi extat mentio de pœna Gehennæ ignis ei deſtinata, qui fratrem ſuum ſtultum appellat? Cui convitio adeo nulla fuit in Lege conſtituta pœna, ut homicidium ipſum non gravius, quam morte temporaria puniretur.

Jam ad explicationem ipſius textus nobis veniendum eſt.

Audiviſtis, quia dictum eſt antiquis.] Cur Chriſtus maluerit ſic loqui, & non potius dixerit: In Lege legiſtis, vel ſcitis, quod in Lege ſcriptum ſit &c, quod multo fuiſſet clarius, cauſa eſt, quæ jam ante in refutatione ſecundæ rationis pro ſupra memorato errore allatæ indicata eſt, nempe propter imbecillitatem ſuorum auditorum, quos noluit ſubolfacere, Legem à ſe vel minima in parte infringi.

Antiquis.] Id eſt, ad antiquos, more conſueto in Sacris Literis, de quo ſupra in refutatione quintæ falſæ rationis. Per *antiquos* autem intelligit Chriſtus majores ſuorum auditorum, nempe Iſraëliticum populum, quem Moſes ex Ægypto eduxit.

Dictum eſt.] Intellige, à Moſe, vel à Deo per Moſen, cum Legem eis proponeret ac prælegeret.

Non occides.] Exod. 20. 13. Deut. 5. 17.

Qui autem occiderit, obnoxius erit judicio.] Hoc quidem iiſdem verbis in Lege non extat, ſed res ipſa tamen ſatis clare expreſſa eſt, dum præceptum eſt, ut homicida morte plectatur Levit. 24. 21. Num. 35. 16, 17, 18, 19, 30. Quod non poterat fieri, niſi per judicium Deut. 16. 18. xx1. 2.

Verſ. 22. *Ego autem dico vobis.*] Notandum eſt, omnia ea quæ Chriſtus Legi Moſaicæ opponit, affinia quodammodo eſſe iis, quæ in Lege interdicta ſunt.

ſunt. Sic ira & convitia eatenus affinitatem habent cum homicidio, eique accenſetur, quatenus homicidium ex ira & convitiis oriri ſolet. Unde clare patet, id quod Chriſtus docet, Legi nullo modo contrarium eſſe (tunc enim contrarium docuiſſet, ſi homicidium, vel quod etiam ſecundum Legem ad homicidium pertinebat, permiſiſſet) ſed potius ad perfectionem & meliorationem Legis faciat. Quaſi dicat: Lex vetat quenquam occidi, & agnoſcit homicidam judicio obnoxium. Ego vero non tantum idem veto, ſed etiam aliquid amplius, ſcilicet, ne quis etiam iraſcatur fratri, aut ei convicietur.

Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxius erit judicio.] Fratri ſuo, id eſt, alteri. Hebraica locutio. Sic Gen. 26. 31: *Surrexerunt mane, & juraverunt vir fratri ſuo*, id eſt, alter alteri. Joël. 2. 8: *Unuſquiſque fratrem ſuum non opprimet*, id eſt, alter alterum. Hæc locutio etiam de inanimatis rebus uſurpatur Exod. 26. 3: *Quinque cortinæ ſibi mutuo jungentur, una cum ſua ſorore*: id eſt, una cortina cum altera. Vide etiam Ezech. 1. 9. 11. 13.

Temere.] Vox Græca εἰκῇ, temere, vel ſine cauſa in Latina vulgata editione non legitur. Hinc Hieronymus cenſet, eam olim in nonnullis Græcis exemplaribus defuiſſe. Exiſtimantque aliqui, Chriſtum hac voce non fuiſſe uſum, ſed in margine forte ab aliquo fuiſſe appoſitam, cui nimis durum videbatur, quempiam propter ſolam iram, ſive ex cauſa, ſive ſine cauſa ortam, damnationi debere fieri obnoxium, idque pugnare credebat, cum illo Pauli dicto: *Iraſcimini & nolite peccare* Epheſ. 4. 26. Quod vocabulum poſtea in deſcribendo ab aliquo, exiſtimante Chriſtum ita locutum, è margine in textum ſit tranſlatum. Conjecturæ hujus iſtam reddunt cauſam, quia longe concinnius ſit, ſi homicidio ſoli ſola ira opponatur: præſertim cum ira, uti dictum ſupra, per ſe affinitatem cum homicidio habeat. Quod ſi datur ira licita, quæque eſt ſine peccato, de qua Paulus Epheſ. 4. 25, 26 loquitur, datur quoque homicidium, cujus vindicandi jus non habet ſanguine proximus, vel judex, & propter quod patrator cædis judicio obnoxius non eſt, nempe cum caſu ac involuntarie committitur Num. 35. 11. Vox itaque εἰκῇ tam ſupervacanea eſt, ſi addatur interdicto iræ, quam ſi addatur interdicto homicidii. Verum quia vox iſta à veteribus Eccleſiæ Doctoribus Juſtino & Irenæo, præterea in Syriaca verſione, & ſi non in omnibus, certe in pleriſque Græcis exemplaribus hodie legitur, idcirco cum eo, qui contendit eam ad verba Chriſti omnino pertinere, non multum litigabimus.

Obſervandum autem eſt, iram eſſe ex earum animi commotionum numero, quæ homini à natura ſunt inſitæ, quæ tam ad bona, quam ad mala opera adhiberi poſſunt. Tota enim vita humana conſiſtit in commotionibus & concupiſcentiis, neque in hominis poteſtate eſt, eas pro arbitrio exuere. Sed ne homo iis ad malum abutatur, ratio tanquam imperatrix ipſi indita eſt, quæ concupiſcentias, ſi in facta illicita velint erumpere, coërceat ac refrenet. Quocirca Chriſtus hic non omnem iram prohibet. Deus enim ipſe iraſcitur, permiſſumque eſt, ſuper impium iraſci propter ejus impietatum, id eſt, indigne & graviter eam ferre, dummodo id ſine peccato fiat. Id autem fiet, ſi abſit cupiditas nocendi ei cui iraſceris, & ſi ira non ſit gravior, quam res mereatur, neque diutius juſto duret. Vide Eph. 4. 25, 26. Præterea in omnibus affectibus prima animi commotio ab ejus affectu eſt diſtinguenda. Primi enim motus non ſemper ſunt in hominis poteſtate: quanquam induſtria & longior uſus atque exercitium apud eos, qui ſublimiori ſunt intellectu præditi, multum in iis regendis præſtare poteſt. Quando enim aliqua inordinata commotio in animo hominis exoritur, ſed à ratione protinus reprimitur, ne voluntatem in ſuas partes flectat, homini pro peccato non imputatur. Imo concupiſcentiæ & affectus ſunt materia quædam virtutem, in quibus illæ exercentur & ad perfectionem perducuntur. Hi ſunt hoſtis ille, adverſus quem virtus vires ſuas maxime exerit, & ex cujus victoria laudem atque encomium reportat. Si igitur ratio alicujus eo perfectionis deveniat, ut ſemper parata ſit, etiam primis motibus affectuum ire obviam, is eſt homo perfectus. Sed ad eam perfectionem veniet nemo ſine longo certamine & pugna, qui à natura affectibus variis obnoxius eſt, aut circa talia occupatur, quæ omnis generis concupiſcentias movere & excitare poſſunt. Atque hoc non de ira ſolum, ſed de aliis quoque carnis cupiditatibus eſt intelligendum.

Obnoxius erit judicio.] Hoc ſibi vult Chriſtus: in Lege ſolum corporale homicidium punitur: ego autem dico vobis, iram à Deo æque ac homicidium punitum iri, & quidem tanto magis, ſi quis iræ etiam convitia adjungat.

Hoc loco gravis ac difficilis exiſtit quæſtio expedienda: Nimirum licet Chriſtus de tali ira loquatur, quæ cum cupiditate nocendi ei, cui quis iraſcitur, ac vindictam exercendi conjuncta eſt, mirum tamen eſt, eum, ſic iraſcentem judicio ac damnatione dignum pronunciare: cum non videatur de eo loqui, qui crebrius ita proximo ſuo iraſcitur, adeoque habitu hujus vitii laborat, ſed de eo, qui vel ſemel tantum iræ ſuccubuerit, eique frena laxarit. Apoſtolus quidem Paulus etiam iram annumerat operibus carnis, quæ facientem ea excludunt è regno cœlorum Gal. 5. 20, 21; ſed manifeſtum eſt, illum eo loco loqui de tali, qui habitum hujus peccati contraxit. Chriſtus autem, ut oſtenſum, fert ſententiam tam rigidam adverſus eum qui vel ſemel hoc peccatum admiſerit. Id quod tum verba ipſa Chriſti, quibus aſſerit *omnem, qui iraſcitur fratri ſuo temere obnoxius erit judicio*, tum oppoſitio indicat. Quemadmodum enim ſub Lege obnoxius erat judicio, etiam is qui ſemel tantum homicidium perpetraverat: Sic neceſſe eſt etiam ſub Euangelio eum judicio eſſe obnoxium, qui ſemel tantum talem adverſus proximum ſuum iram concepit, quæ cum homicidio affinitatem habet. Nihilominus tamen Chriſtus & Paulus non ſunt inter ſe contrarii. Paulus enim loquitur de eo quid homini iracundo, qui iræ ſervus eſt, habituque ejus laborat, reipſa eventurum ſit, nempe eum excluſum ira à regno cœlorum, nec miſericordiam Dei, etſi ſub Novo Fœdere immenſa ſit, eum ab æterna damnatione ſervaturam. Chriſtus autem loquitur de eo, quid Deus illæſa miſericordia ſua,

quam

quam ſub Novo Fœdere promiſit, poſſit facere ei, qui vel ſemel fratri ſuo iraſcitur, ſi rigore juris ſui uti vellet. Si enim perpendatur ſumma promiſſionum Euangelii excellentia, nempe vita æterna, ea ita comparata eſt, ut merito perfectiſſimam ſanctitatem requirat, adeo ut etiam unicum peccatum poſt factam talem promiſſionem adverſus Euangelium commiſſum, hominem à ſalute excludere poſſit, ſi Deus ſummo jure agere vellet. Imo extra omne dubium eſt, etiam unum talis peccati actum poſſe hominem Deo inviſum & damnationi obnoxium reddere. Unde fit, ut quamvis ex ineffabili Dei miſericordia ſub Euangelio talis unius peccati actus hominem non tantum reipſa, ſed etiam vi Novi Fœderis à ſpe ſempiternæ ſalutis non excludat: neceſſarium tamen omnino ſit, ſumma cavere cura, ne nos ejuſmodi peccato, quod cum ſanctitate Euangelii pugnat, vel ſemel polluamus. Dubium enim non eſt, ejus petulantiam qui peccat voluntarie, perſuadens ſibi actum unum non venire in cenſum, tanti æſtimatum iri à Deo, atque ſi crebro tale peccatum perpetraret. Atque hoc etiam de convitio, quo quis fratri ſuo dicit *Raca* vel *ſtulte*, intelligendum eſt.

Qui autem dixerit fratri ſuo Raca, obnoxius erit Conſeſſui: qui autem dixerit, fatue, obnoxius erit Gehennæ ignis.] Ponit Chriſtus triplicem iræ gradum, & triplicem quoque pœnæ gradum. Primus eſt ſimplex ira. Secundus, quando cum ira etiam convitium aliquod levius concurrit; quale erat apud Judæos, ſi quis alteri diceret *Raca*. Hæc erat vox Hebraica, ut Hieronymus autumat, & ſignificat *vanum* ſeu *vacuum*, ſcilicet mente. Tametſi & *ſtultus* mente vacuus ſit, eſt tamen *Raca* aliquid mollius. Tertius gradus eſt, quando quis graviori convitio aliquem proſcindit, ut v. g. ſi dicat alicui, *ſtulte*. Hebræa vox *Nabal*, & Græca μωρὸς deſignat non ſolum imprudentem ac irrationalem hominem, ſed etiam malitioſum & improbum, qui non modo intellectu & judicio caret, ſed abſque Deo quoque & conſcientia vivit; qui in ſummo gradu malus eſt, & omnem timorem Dei una cum omni pietate depoſuit. Ita uſurpatur hæc vox Pſal. 14. 1: *Stultus dicit in corde ſuo, non eſt Deus.* Et revera maxima ſtultitia eſt, non timere nec venerari eum, à quo dependet ſumma noſtra felicitas, & à quo etiam extremum malum atque pernicies in nos redundare poteſt.

Tribus hiſce diverſis iræ gradibus, tres etiam Chriſtus diverſos proponit pœnæ gradus, ſub nomine trium apud Judæos notiſſimorum mortis generum, è quibus aliud alio fuit terribilius; nempe, gladii, lapidationis, & ignis. Per *judicium* enim intelligitur idem illud judicium, cujus in verſu præcedente facta fuit mentio, quod in portis uniuſcujuſque civitatis exercebatur, in quo extremum ſupplicium decernebatur capitis truncatio, quæ per gladium fiebat. Per *Synedrium* ſeu Conſeſſum denotatur ſupremus Senatus Hieroſolymitanus, qui è 72 præſtantiſſimis ac prudentiſſimis viris conſtabat, & in quo res maxime arduæ atque graviſſimæ dijudicabantur, eratque in rebus capitalibus extrema pœna, quæ decernebatur, lapidatio; quæ nex eſt gravior, quam quæ gladio adminiſtratur. De variis judiciis Hieroſolymis inque aliis Judææ civitatibus exerceri ſolitis, inprimis vero de Synedrio, vide 3 Appendicem hujus capitis. Tertium genus mortis, quod gladio & lapidatione atrocius erat, exprimit Chriſtus per *Gehennam* ignis. Vox iſta venit ab Hebraico *Ge-Hinnon*, id eſt, Vallis Hinnonis, quæ non procul diſtabat à Hieroſolyma Joſ. 15. 8. Quo vero pacto Chriſtus graviſſimum ſupplicium per *Gehennam* ignis repræſentarit atque expreſſerit, duæ ſunt præcipue eruditorum virorum ſententiæ. Prima eſt, quod in illa valle Hinnonis fuerit locus quidam Tophet dictus, ubi Judæi idololatriæ dediti diabolico Chananitarum more, liberos ſuos in honorem idoli Molochi ſummo cum cruciatu vivos cremabant. De quo videatur 2 Paral. 28. 3. Jerem. 7. 31. xix. 2, 5. xxxii. 35. Et quia Judæi in ea erant opinione, impios poſt mortem ſtatim graviſſimis cruciatibus torqueri, ideo cruciatus iſtos per ſimilitudinem Gehennam vocabant, quia nulla gravior tortura fieri poteſt, quam per ignem. (Ex hac antiqua Judæorum fabula traxit origenem Purgatorius Papiſtarum ignis.) Vult igitur Chriſtus indicare hoc loco pœnam æternæ damnationis, quam noto tunc inter Judæos vocabulo *Gehenna* exprimit: quo modo etiam alibi gaudia æternæ vitæ ex Judæorum opinione per ſimilitudinem ac nomen lautiſſimi convivii deſcribit Matth. 8. 11. Luc. 16. 22 &c.

Altera ſententia eſt talis. Maximæ curæ fuit Judæis, ut corpora defunctorum terræ mandarentur: idcirco illis etiam mos fuit hoſtes ſuos ſepelire, ut ex Joſepho lib. 4. cap. 8 videre eſt. Hinc fiebat, ut qui facinorum cauſa morte afficiebantur, adhuc illo ipſo die humarentur, ſic ut docet Maimon. Quanquam præterea moris erat, ut talium cadavera per aliquot horas in patibulo ſuſpenſa & ſoli expoſita relinquerentur, ut ab omnibus hominibus ad majorem horrorem conſpicerentur. Quæ ſumma erat ignominia, ut ex ſupra adducto loco Joſephi liquet. Atque hæc ignominia plerumque inurebatur iis, qui lapidationis pœna erant affecti. Quando autem judices graviorem ac truculentiorem pœnam alicui irrogare volebant, cadaver ejus plane inſepultum abjiciebatur. Unde Joachimo filio Joſiæ, apud Jeremiam capitt. 22. 19 comminatus eſt Deus, eum ſepultura aſini ſepultum iri, trahendumque ac projiciendum eſſe extra portas Hieroſolymæ. Apud Joſephum quoque lib. 4 de bello cap. 20 exemplum cujuſdam Præitæ Nigri legitur. Ex eo, quod doctiſſimus Judæorum David Kimchi ſuper Pſalm. 27 ſcribit, intelligitur, talia inſepulta cadavera in vallem Hinnonis prope Hieroſolymam fuiſſe abjecta, poſtea vero ubi computruerunt, oſſa eorum igne fuiſſe concremata, atque hunc ignem perpetuo eo fine in valle iſta arſiſſe. Ab hoc ergo perpetuo ardente igne in valle Hinnonis locutio iſta deſumpta eſt, ut infernus ſeu locus damnatorum poſt mortem *Gehenna* vocaretur: non autem à loco Topheth dicto in eadem valle ſito, ubi infantes Molocho ſacrificabantur. Ut ita hic ſit ſenſus ac mens Chriſti: quiſquis fratri ſuo dixerit, Fatue, inſepultus in *Gehennam*, ſeu in vallem Hinnonis conjicietur, id eſt, præter ſupplicium

mortis inſuper ſumma ignominia afficietur &c. Utraque ſententia eſt ingenioſa & erudita conjectura: eſtque integrum unicuique eligere, quam velit. Quanquam credibile eſt, Chriſtum per Gehennam majorem pœnam atque ſupplicium ſignificare voluiſſe, quam erat combuſtio oſſium poſt mortem. Hoc igitur ſibi vult Chriſtus, Deum in Novo Fœdere ab iis, qui ingredi volunt in regnum cœlorum, tam perfectam requirere ſanctimoniam, ut etiam injuſtam iram non impunitam velit relinquere, pœnamque tanto fore graviorem, ſi ira cum convitio conjuncta fuerit: adeo ut qui ſuum proximum tam fœdis convitiis, qualia ſunt, Fatue, & ſimilia, proſciderit, prorſus à ſpe ſalutis ſit excludendus.

Quod Jacobus homines falſa opinione de fide imbutos *vanos* appellat cap.2.20, & Chriſtus Phariſæos *ſtultos* ac *cæcos* Matth.23.17, 19, ſuos autem diſcipulos *inſipientes* Luc. 24. 25, ut & Paulus Galatas cap.3. 1, 3, ut omittam alias duras appellationes, verbi g. cum Johannes Baptiſta & Chriſtus Phariſæos vocat *progeniem viperarum*, *Serpentes*, *Hypocritas &c*, Matth.3. 7. XXIII. 13, 33, id factum eſt ab iis, quorum officium erat alios redarguere, quique nulla carnalis vindictæ cupiditate flagrabant, ſed ex graviſſimis cauſis pro neceſſario duxerunt, homines illos acrioribus verbis è veterno eorum pertinaciæ excitare. Sed Phariſæi in ejuſmodi contumelioſis appellationibus non modo fines modeſtiæ tranſilierunt, ſed etiam ex animo amarulentia pleno etiam in innocentiſſimos debacchati ſunt: id quod Chriſtus ipſe ejuſque diſcipuli creberrime experti ſunt. Nimirum etiam hic morbus promanavit ex eodem fonte ſupra dicti erroris, quo id pro peccato haud reputabant, quod non habebat in Lege Moſis expreſſe propoſitam pœnam. Ejuſmodi enim convitia in Lege non puniebantur, niſi forte quis parentibus aut Regi maledixiſſet.

Verſ. 23. *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te.*] Ex eo quod Chriſtus ad correctionem Legis de homicidio protulit, ſumit anſam brevis admonitionis, quæ ſe extendit ad ℣ſ. 27. Indicat nimirum, iram & læſionem proximi, quamvis verbis tantum aut geſtibus fiat, grave peccatum eſſe, adeo ut ei qui in hoc peccatum ex humana fragilitate inciderit, oporteat reconciliationem cum læſo ante omnia quærere. Atque hujus rei exemplum adfert Chriſtus, petitum ab eo, qui vult munus offerre ad altare; quæ res quia ad religionem pertinet, non facile debet negligi: & tamen ſi is recordetur, eſſe ſibi inimicitias cum aliquo, debet potius ſacrificium illud ad tempus intermittere, quamvis etiam votum eſſet, priuſque cum læſo conciliari. Quo docet nos Chriſtus, charitatem Deo gratiorem eſſe, ideoque magis eam nobis curæ eſſe debere, quam externum Dei cultum: qua de re Chriſtus infra cap.9. 13. XII.7 fuſius docet. Inſuper docet, Deo nullum cultum placere, ſi animus ſit plenus odii adverſus proximum: quod etiam probat exemplum Caini Gen.4. Phariſæi & Scribæ contra, hanc fovebant ſententiam, quod voluntaria ſacrificia vim haberent peccata, pro quibus offerebantur, expiandi, etiamſi animus ab illis non eſſet repurgatus.

Si obtuleris munus tuum ad altare.] Ut id ſcilicet Deo offeras. Per *munus* intelligitur voluntarium ſacrificium, id quo Levit.1.2. Infra cap.23. 18 vocatur *donum ſuper altare*. Cæteroquin denotat hoc vocabulum etiam portionem aliquam pecuniæ, quæ in ſacrum ærarium inferebatur.

Et ibi recordatus fueris.] Si reminiſcaris, ſi veniat tibi in mentem. In voce *ibi* latet vis ſingularis. Vult enim Chriſtus dicere: Etiamſi coram altari ante Deum ſtares, totuſque in eo eſſes, ut ſanctiſſimum ſacrificii opus perageres. Non apud Judæos ſolum, ſed apud alias quoque gentes pro gravi peccato habitum eſt, cœptum ſacrificium non perficere. Perhibetur de quodam adoleſcente, *quod Alexandro ſacrificanti thuribulum tenens miniſtrarit, quodque carbonem ardentem, quo in brachium ejus delapſo ita urebatur, ut aduſti corporis ejus odor ad circumſtantium nares perveniret, non excuſſerit, ne Sacrificium Alexandri impediret.

Quod frater tuus.] Id eſt, aliquis, quiſquis ſit, ut ſupra ℣ſ.22.

Habet aliquid adverſum te.] Si ſenſum ſpectes, potius Chriſtus dicere debuiſſet, quod habeas aliquid adverſus fratrem. Quando enim frater aliquid adverſus me habet, ego autem nihil adverſus ipſum, id eſt, quando ille mihi iraſcitur, ille tenetur reconciliationem mecum quærere, non ego cum illo. Senſus igitur verborum eſt, quem etiam Auguſtinus & Hieronymus expreſſit: Quod frater tuus habeat aliquid adverſum te, id eſt, quod frater tuus juſtam adverſus te cauſam habet, quod tu illi aliqua in re injuriam feceris. Simili loquendi modo utitur Johannes Apoc. 2. 4: *Habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliqueris.* Vide etiam ℣ſ. 20. Quod Chriſtus hic dicit de Judæorum ſacrificiis Legalibus, id multo magis obſervandum eſt in celebratione Cœnæ Dominicæ, ut antequam ad eam accedamus, placemus ac propitiemus eos qui à nobis revera læſi ſunt. Id enim etiam ſignum eſt fraternæ unitatis ac coaleſcentiæ in unum corpus.

Verſ. 24. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.*] Reconciliare, id eſt, deprecare, veniam pete. Quemadmodum autem hic Chriſtus lædentem monet ad placandum læſum, ita monet quoque læſum apud Marcum cap. XI. 25 ad dandam facile veniam ei, qui læſit. Sic enim ibi ait: *Quando oratis, remittite, ſi quid habetis adverſus aliquem.* Vide etiam Col.3. 13. Verbum *vade*, eſt ſuperfluum ex Hebræorum conſueto loquendi modo. Nam *vade, reconciliare*, nihil amplius ſignificat, quam ſimpliciter *reconciliare*. Vide de hac loquendi ratione plura infra cap.8. 13.

Verſ. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo.*] Superiorem admonitionem confirmat Chriſtus ſimilitudine debitoris, qui à ſuo creditore, cum quo tempeſtive non tranſegit, ad judicium citatur, in carcerem compingitur, omniaque ad ultimum uſque quadrantem ſolvere cogitur, cum alioqui remiſſionem debiti, vel dilationem ſolutionis obtinere potuiſſet. Ita Chriſtus indicat, fieri poſſe ut eum qui conciliationem cum læſo diſ-

* Vide Valer. Max. lib.3. cap.3.

fert,

fert, ſubito opprimat & occupet Dei judicium, ſive per mortem, ſive per aliam pœnam, qua Deus ejuſmodi peccata vindicare ſolet, quæ pro ratione delicti etiam talis eſſe poteſt, ut homo plane gratia Dei excidat, & ſalutis jacturam faciat. Idem locum habet in aliis quoque peccatis, ut matura pœnitentia remiſſionem apud Deum conſequatur, contra autem per ſeverantia in peccato Dei judicia accumulet. Judæi ſentiunt, mortuos inſtituere accuſationem coram Deo contra vivos, qui in hac vita cum illis reconciliari noluerunt.

Eſto conſentiens ſeu benevolus.] Id eſt, redi in gratiam.

Adverſario tuo.] In hac ſimilitudine per adverſarium intelligitur creditor, qui debitorem ob debita vocat in judicium. In apodoſi autem adverſarius eſt, qui aliquid habet contra te, qui à te læſus eſt.

Cito, dum es in via cum eo.] Nempe ut cum eo ad judicem accedas. Senſus verborum non eſt, quaſi Chriſtus ſignificare voluerit, ſufficere, ſi cum adverſariis noſtris, dum in via hujus mortalis vitæ ſumus, aliquando redeamus in gratiam. Non enim hæc verba ſunt ſimplex explicatio voculæ *cito*. Sed ita accipienda ſunt, quaſi Chriſtus dixiſſet: Dum in via es cum adverſario tuo, reconciliare ipſi *cito*. Ut ita vi hujus comparationis Chriſtus omnino indicet, nullo pacto reconciliationem cum fratre læſo eſſe differendam.

Ne forte adverſarius te tradat judici.] Nam tunc actum eſt de te, jam non amplius tempus eſt reconciliandi. Ita quando proximus noſter à nobis læſus, ſuam juſtam cauſam Deo commendat, eique judicium committit, pœna certe non emanebit.

Et judex te tradat miniſtro.] Apud Lucam Exactori cap. 12. 58, cujus officium eſt, mala nomina in carcerem compingere.

Et in carcerem conjiciaris.] Hinc apparet, apud Hebræos æque ac apud Græcos ac Romanos in more fuiſſe poſitum, ut in carcerem conjicerentur debitores, qui nomina expungere nolebant, vel nequibant. Vide etiam infra cap. 18. 29,30.

Hic notandum, circumſtantias hujus ſimilitudinis non eſſe trahendas ultra, quam natura rei, quæ ea illuſtratur, patitur. Quocirca majorem in modum errant, qui ſtatuunt, quod, ſicut in protaſi creditor debitorem ad judicem accerſens ſua accuſatione efficit, ut debitor in carcerem compingatur; ita quoque frater, ſi læſus à me non reconcilietur, effecturus ſit, ut ego ad pœnam trahar: quod patientiæ in Euangelio præceptæ è diametro adverſatur. Hæc enim Chriſti admonitio non id ſpectat, ut lædentem præmoneat, quo damnum effugiat, quod ſibi negligentia ſua ac dilatione reconciliationis, apud homines procreabit; ſed loquitur de divino judicio, quod ſibi talis homo accerſet. Etſi enim læſus omnem injuriam patienter ferat, & lædentem non lædat viciſſim, Deus tamen id impunitum non ſinet. In ejuſmodi comparationibus neceſſe non eſt, ut omnia & ſingula, quæ iis docentur, omnibus ac ſingulis ſimilitudinis membris reſpondeant: ſufficit, cum Chriſtus hoc ſimili docere voluerit, quam gravis condemnatio maneat eum, qui fratrem à ſe læſum non è veſtigio reconciliat, aliquid eſſe in hac ſimilitudine, quo condemnatio iſta deſignatur & exprimitur, tametſi in modo ac ratione, qua condemnatio iſta utrinque exercetur, diſcrimen aliquod reperiatur. Cæterum dici etiam per tropum poteſt, omnem illum, cui facimus injuriam, ſi ipſi non ſatisciamus, ſeu ei non reconciliemur, effecturum & in cauſa futurum, ut idcirco graviter puniamur: quatenus nimirum injuria ipſi illata, cauſa erit noſtræ damnationis. Quemadmodum de ſanguine Abelis dicitur, eum clamare ad Deum & vindictam poſcere de fratre Caino Hebr. 12.24. non aliam ob cauſam, quam quod Cainus propter effuſum fratris ſui ſanguinem dignus fuerit, ut graviſſime puniretur.

Verſ. 26. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.*] Id eſt, nunquam exibis: ut mox monſtrabimus.

Ex hoc loco conantur Papiſtæ ſuum ignem Purgatorium probare. Ajunt, ex hac ſimilitudine elucere, quod, ſi quis noviſſimum quadrantem reddat, ac perſolvat, id eſt, ſi plenam ac perfectam pro peccatis ſuis pœnam perpeſſus ſit, liberetur ab ea & abſolvatur: id autem de pœna inferni dici non poſſe, cum ſit æterna, & nulla redemptio ex ea ſperanda ſit. Quare neceſſe eſt alium eſſe aliquem locum, ubi homo ob peccata ſua puniatur, ita ut pœna tandem finem ſortiatur, & peccator aliquando, etſi tarde, ab ea liberetur. Qui locus alius non eſt, quam qui vulgo Purgatorium vocatur: ubi oportet hominem ea expiare peccata, pro quibus, etſi à Deo ipſi jam remiſſa ſint, in hac vita non eſt, ut decuit, ſatisfactum. Verum, ut ad hoc breviter reſpondeamus, primo ſequeretur hinc, fratrem ſuum lædere, & non reconciliare eum ſibi, tale peccatum eſſe, quod non æternam, ſed temporalem tantum pœnam incurrat, atque eum qui ſe hoc peccato obſtrinxit, (niſi forte alia accedant peccata) poſſe vitæ æternæ compotem fieri: quandoquidem prout hæc ſententia & eorum Purgatorii deſcriptio fert, is qui tale peccatum admittit, aliquando tandem ab iſta pœna liberabitur. Atqui aliunde conſtat, hujuſmodi peccatum, ſi quis habitum ejus contrahat, & ad mortem uſque in eo perſeveret, vim habere eum ab æterna vita excludendi. Si enim is qui fratri ſuo lapſus ejus ex animo non condonat, arcendus eſt à vita æterna, ut inter alia patet ex Matth. 18. 35, multo magis ille æterna damnatione dignus eſt, qui ipſe fratrem ſuum injuria afficere conſuevit, nec ut ipſi reconcilietur dat operam. Deinde ſi quis nihilominus contendat, tale peccatum non æterna pœna, ſed duntaxat temporaria eſſe puniendum, uti Pontificiorum interpretatio poſtulat, cauſæ nihil eſt, quominus verba Chriſti de ejuſcemodi pœna intelligantur, quæ non poſt hanc vitam demum infligetur; cum commodiſſime, ſenſu nihil violato, de pœna delinquenti in hoc ſeculo irroganda accipi queant; quæ etſi temporalis, graviſſima tamen & atrociſſima futura ſit. Tertio urgent Pontificii maxime particulam *donec*, aſſerunt que eam rei, quæ præcedit, terminum ponere: adeoque indicari, debitorem manſurum quidem in carcere, at non æternùm, ſed tamdiu tantum, donec ultimum quadrantem perſolvat. Ubi enim debitum plene ac ſufficienter fuerit exſolutum, è carcere dimittitur ac liberatur. Sed nos de vi particulæ *donec*

ſupra cap. 1. 28, fuſe egimus, ubi verba illa Euangeliſtæ explanavimus; *Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Ubi oſtendimus, particulam hanc *donec* non ſemper rei cui additur terminum ponere, ſeu, non poſſe ex eo neceſſario concludi, id quod ad præfinitum tempus factum non eſt, poſt elapſum illud tempus factum eſſe. Atque ibi inter alia hoc adductum eſt exemplum: *Michol Saulis filia non habuit liberos uſque ad diem mortis ſuæ* 2 Sam. 6. 13, id eſt, nunquam: poſt diem enim mortis ſuæ nullos certe liberos habere potuit. Imo ipſi Pontificii hanc ſignificationem pluribus in locis coguntur agnoſcere: niſi velint cum Helvidio dicere, Joſephum uxorem ſuam Mariam tantiſper tantum non cognoviſſe, dum pareret filium ſuum primogenitum, poſtea autem eam cognoviſſe. Quare ex particula *donec* nullo modo inferri poteſt, hunc eſſe horum verborum ſenſum, quod captivus debitor aliquando uſque ad noviſſimum quadrantem debitum ſit exſoluturus. Imo contrarium potius dici poteſt, nempe ſi non potuit ſolvere ante vincula, & liber exiſtens, multo minus eum in carcere ſoluturum, ubi omnibus acquirendi quippiam mediis orbatus eſt. Quod tamen illi neutiquam volunt admittere. Sic exponit etiam hæc verba Auguſtinus, & poſt eum Maldonatus.

Quadrantem.] Lucas cap. 12. 59 habet λεπτὸν, *minutum*, quod eſt minimum monetæ genus, fuitque dimidium quadrantis Marc. 12. 42.

PARS V.

Verſ. 28. *Audiviſtis dictum fuiſſe antiquis, non mœchaberis.*] Mandatum hoc extat Exod. 20. 14. Hic habemus fortiſſimum argumentum adverſus eos, qui ſtatuunt, Chriſtum nihil novi ad correctionem & impletionem Legis pertinens docuiſſe, ſed rectum Legis ſenſum duntaxat expoſuiſſe. Ipſiſſimum enim mandatum Legis, nude ac ſimpliciter ponit: *Non mœchaberis*; moxque poſtea ſubjicit: *Ego vero dico vobis, quia omnis qui aſpicit mulierem &c.* In quibus verbis Chriſtus palam præceptum de impudico aſpectu mulieris, ad præceptum Legis de non mœchando addit. Quid, quod non ſimpliciter hoc præceptum ſuum tradat, ſed cum hac declaratione, quod, qui id facit, adulterii reus ſit: id quod ex verbis Legis nullo veri ſchemate colligi poteſt. Nam ſi Chriſtus tantum ſimpliciter voluiſſet declarare, quo ſenſu intelligenda ſint verba Legis, nempe quod in Lege vox *mœchandi* etiam malam concupiſcentiam alienæ uxoris in ſe comprehendat, nullo modo poſt poſita Legis verba dixiſſet: *Ego autem dico vobis &c.* Sed dixiſſet: Hæc eſt mens præcepti hujus; hoc præceptum ita debet intelligi, vel ſimile quid. Dum vero inquit, *Ego autem dico vobis*, clariſſime indicat, ſe non Legis Moſaicæ interpretem eſſe, ejuſque ſenſum proprium explicare, ſed aliud quippiam proferre, quod in Lege non contineatur.

Non mœchaberis.] Sub Lege hoc ſolum pro adulterio habebatur, ſi mulier maritum habens cum alio viro rem haberet, aut, ſi vir ſive uxoratus, ſit ſive non, cum aliena uxore commiſceretur. Si autem vir uxoratus fœminæ non maritatæ jungeretur, id pro adulterio non habebatur, quia permiſſum erat Judæis plures ducere uxores, ſed pro ſimplici ſcortatione habebatur. Sed in Novo Fœdere eſt etiam adulterium, ſi quis conjugatus cum cœlibe muliere commercium habeat. Tam enim viris nefas eſt plures ducere uxores; quam mulieribus pluribus viris nubere. Et Apoſtolus Paulus expreſſe ait, virum non habere poteſtatem corporis ſui, ſed uxorem 1 Cor. 7. 4.

Ego autem dico vobis, quia omnis aſpiciens mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] Intellige hoc de muliere conjugata, cujus vir adhuc in vivis eſt.

Ad concupiſcendum eam.] Per *concupiſcentiam* non intelligitur hic illud deſiderium, quod ſubito & ſine hominis voluntate, ſtimulante carne, in aliquo excitatur, ita ut voluntas non conſentiat, ſed potius contra pugnet, ac deſiderium illud reprimat ac retundat. Quemadmodum enim in hominis, præſertim infirmioris, inque luctа cum carne minus exercitati, poteſtate non eſt, tales animi motus impedire, ne oboriantur, ita non poſſunt etiam per ſe pro peccatis, nedum pro adulterio haberi. Vide hac de re ſupra verſ. 22, quid de ira dictum eſt. Sed per *concupiſcentiam* intelligit Chriſtus deſiderium tale alienæ uxoris, quod etiam voluntatem trahat in conſenſum, inque homine excitet appetitum facto ipſo rem illicitam perpetrandi, præſertim ſi homo incipiat cogitare, quibus modis rem ad effectum poſſit deducere. Non eſt autem dubitandum, in hac ipſa concupiſcentia, quam Chriſtus hic pro adulterio cenſet, diverſos eſſe gradus. Certum enim eſt eum majori ſe crimine maculare, magiſque adulterii reum eſſe, qui non ſolum appetit alienam uxorem, ſed etiam de mediis cogitat, & reipſa ſolicite ea quærit, ut opere ipſo cupiditatem ſuam expleat; quam illum, in quo nudus eſt appetitus, ſed reipſa nondum ullam adhibuit curam potiundi re cupita, etiamſi apud ſe decreverit, frui ea, ſi potiri poſſet.

Jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] Objici hic ſolet, etiam in Lege prohibitam fuiſſe alienæ uxoris concupiſcentiam Exod. 20 ubi expreſſe dictum eſt: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Quare Chriſtus nihil novi propoſuit, quod non ante in Lege fuerit diſerte prohibitum. Reſpondeo. Magna admodum eſt differentia inter præceptum Moſaicum de non concupiſcenda aliena uxore, & inter hoc Chriſti præceptum. Moſes enim prohibuit quidem etiam malam concupiſcentiam alienæ conjugis: ſed quod ejuſmodi concupiſcentia pro adulterio reputanda fuerit, de eo nullum eſt in Lege vel minimum indicium. Chriſtus autem dum docet, talem concupiſcentiam alienæ conjugis non ſimpliciter pro peccato, ſed pro adulterio habendam, parique pœna vindicandam eſſe, utique aliquid, quod in Lege non extat, docuit, Legique adjecit. Adulterium ſub Lege morte puniebatur, concupiſcentiæ autem alienæ uxoris nulla pœna in Lege fuit propoſita, ſed ſimpliciter tantum prohibetur, pœna tranſgreſſoris occulto Dei judicio relicta. Ex quo cernitur, talem concupiſcentiam non fuiſſe pro adulterio habitam; alioqui ei æque ac adulterio mortis pœna fuiſſet conſtituta. Chriſtus autem,

autem, ut monuimus, æſtimat concupiſcentiam iſtam pro adulterio, adeoque pari cum adulterio pœna dignam.

In corde ſuo.] His verbis libidinoſum propoſitum alienæ uxoris potiundæ, non ita ab adulterio, quod opere perfectum eſt, diſtinguitur, ut illud minus peccatum ſit, quam hoc; ſed quando concupiſcentia & propoſitum illud ita comparatum eſt, ut quominus adulterium reipſa perficiatur, ex parte voluntatis noſtræ nihil deſideretur, quodque non ſit perfectum, id aliis cauſis, quæ intervenerunt & impedierunt, adſcribendum ſit: dubium non eſt, tale adulterandi propoſitum apud Deum eodem loco, quo verum adulterium haberi. Idcirco verba iſta, *in corde ſuo*, non diverſos gradus adulterii ponunt, ſed diverſa genera, quod ſcilicet aliud adulterium ſit, quod corpore, aliud quod animo perficiatur. Utrumque autem coram Deo eſt æque grave & æquali pœna dignum. Neque id immerito. Cum enim Deus etiam bona opera magis ex animo & ex bona intentione æſtimet, quam ex facto ipſo, quod non ſemper eſt in hominis poteſtate, æquum ſane ac juſtum eſt, ut etiam de peccatis magis ex animo, quam ex facto ipſo judicium ferat, malamque intentionem operi ipſo æqualem cenſeat.

Verſ. 29. *Quodſi oculus tuus dexter ſcandaliſat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum conjiciatur in Gehennam.*

Verſ. 30. *Et ſi dextera tua manus ſcandaliſat te, abſcinde eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum conjiciatur in Gehennam.* Quia cogitare aliquis poterat, præceptum hoc ſervatu eſſe impoſſibile; vix enim fieri poſſe, ut quis formoſam mulierem aſpiciat, & non ejus amore inflammetur: indicat Chriſtus, è duobus malis minus eſſe eligendum. Jam vero longe minus eſt malum, oculos eruere ſuos, quo corpus duntaxat mutilatur, quam libidinoſis oculis alienam conjugem aſpicere, quo anima in periculum adducitur. Ut adeo potius deberet homo oculos ſibi exſculpere, ſi nullum aliud præſto eſſet medium, quam iis cum tanto animæ ſuæ periculo uti. Sed meum præceptum (dicere vult Chriſtus) non eſt etiam tam rigidum. Hoc enim ſolum volo, ut oculos tuos à formoſis fœminis avertas. Similiter, etiamſi deberes manus amputare tuas potius, quam illis uti ad perficiendum opus adulterii, non tamen aliud à te poſtulo, quam manus tuas à laſciva & impudica contrectatione contineas; quod longe facilius eſt, quam illud.

Oculus tuus dexter.] Id eſt, non debes etiam dextro oculo, & dextræ manui parcere. Dextra enim corporis membra ſunt nobiliora, & natura ſua ad utendum aptiora, quam ſiniſtra.

Scandaliſat.] Id eſt, ad peccandum invitat ac ſolicitat: Vide de ſignificatione hujus vocis infra cap. 18. 6.

Projice abs te.] Æſtima eum pro re vili, ac tali, quæ abjici ſolet.

Expedit enim tibi, ut unum membrorum tuorum pereat.] Sic etiam Medici corporis facere ſolent, ut quando membrum eſt morbidum, præſertim ſi ſacro igne corripiatur, qui eſt immedicabilis morbus, abſcindant potius membrum illud, quam ut totum corpus periculo exponant, hominemque ipſum interire ſinant.

Conjiciatur in Gehennam. Pœna adulterii in Lege non erat conſtituta Gehenna, ſed lapidatio. Etſi enim moris erat, prout ſupra ℣.22, in explicatione vocis *Gehenna* quorundam ea de re Interpretum ſententiam retulimus, aliquorum corpora, qui ob facinora morte affecti erant, quique ſingulari aliqua ignominia notabantur, inſepulta abjicere, & poſtea eorum oſſa in valle Hinnonis comburere; nuſquam tamen legitur, adulterium ſolum ac per ſe igne fuiſſe hoc pacto punitum. Itaque pœna Gehennæ, qua graviſſimum ſupplicium denotatur, à Chriſto eſt adulterio conſtituta: uti etiam ſupra ℣.22 convitiis gravibus fecit.

PARS VI.

Verſ. 31. *Dictum eſt autem, quod quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii.*] Hactenus Chriſtus egit de quibuſdam mandatis Legis, eaque reformavit, quæ in Decalogo ſcripta extant; pergit jam ad alia, quæ etſi non extent in Lege Moſis, ad eam tamen pertinent. Ac primo quidem agit de divortio. Quod Chriſtus hic non dixerit: *Audiviſtis, dictum fuiſſe antiquis*; ſed ſimpliciter, *dictum eſt*, neſcio, an id certas ob cauſas factum ſit. Nonnulli Interpretes cenſent, Chriſtum propterea ſic locutum, quia Legem ex Moſe non de verbo ad verbum, ſed tantum quoad ſenſum citabat: adeoque verbis iſtis, *dictum eſt*, nihil aliud indicare voluiſſe, quam: Vulgo dicitur, verſatur id in ore hominum. Quam interpretationem nos in medio relinquimus.

Dictum eſt.] Nempe à Moſe, & quidem Deo mandante. Non enim veriſimile prorſus eſt, quod nonnullis Eccleſiæ Patribus placuit, Moſen hoc & ſimilia mandata à ſeipſo abſque Dei mandato tradidiſſe populo, quia pro ſua ſapientia videret, naturam populi ac tempora id omnino poſtulare. Nam Deut. 13. 18. vi. 1 expreſſe dicitur, Domini mandata eſſe, quæ Moſes ordine illis expoſuit.

Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii.] Hoc mandatum Chriſtus non ad verbum è Moſe ſumſit. Sed ſenſus utrobique eſt idem. Vult enim Chriſtus dicere, in Lege dicitur, quod divortium non ſit legitimum ac validum, ſi uxori à viro non detur expreſſus libellus repudii. Quæ eadem Moſis quoque ſententia eſt in allegato loco.

Qui pertendunt, Chriſtum nova præcepta ſua, non Legi Moſis, ſed falſis Phariſæorum interpretationibus oppoſuiſſe, hinc quoque petunt argumentum. Dicunt, hunc eſſe Legis Deut. 24. 1 ſenſum: Si quis uxorem ducat &c. & det illi libellum repudii, debet ei libellum iſtum in manus dare &c. Phariſæi autem hoc mandatum ita interpretati ſunt: Si quis uxorem ducat, & illa non inveniat gratiam in oculis ejus, debet ei dare libellum repudii. Ut

ita Moſes non præcipiat, dari uxori libellum repudii, ſed doceat tantum, ſi vir uxori det libellum repudii, quibus cum ritibus ac circumſtantiis id fieri debeat, nimirum ut eum ipſe in manus uxori tradat. Verum hunc eſſe Legis Moſaicæ ſenſum, quem hæc explicatio ponit, probari nequit. Verba enim in Hebræo eum non continent, nec requirunt, quæ proprie ita ſonant: *Si acceperit homo uxorem &c, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, quia in ea invenit turpitudinem verbi* (id eſt, rei alicujus) *& ille ſcribet libellum repudii, & dabit in manum ejus, & dimittet eam de domo ſua.* Hic illa explicatio vult, ad particulam *&*, (in illis verbis, Et illa dabit ei libellum repudii) vocalam *ſi* addi ac ſubintelligi debere, hoc modo: Et ſi non invenerit gratiam in oculis ejus, & ſi is det ei libellum repudii &c. Sed hac ratione deberet vocula *ſi* etiam in ſequentibus ad particulam *&* addi, nempe, Et ſi eum dabit illi in manum, & ſi dimittet eam ex domo ſua. Quo pacto tota hæc periodus apud Moſen imperfecta foret, nullaque in ea eſſet concluſio, ſeu non poſſet ſciri, ſi id omne ita fiat, quid exinde conſecuturum ſit, vel conſequi debeat. Si autem ubi de ſcriptione libelli repudii agitur, ad particulam *&* vocula *ſi* apponatur, in ſequentibus non, ſine omni ratione id fiet. Præterea ex hac explicatione ſequeretur, Moſen nullum divortium permiſiſſe; quod directe pugnat cum eo, quod Chriſtus infra cap. 19. 8 ait. Nam cum Phariſæi dixiſſent: *Quid ergo Moſes mandavit dare libellum repudii, eamque dimittere?* reſpondit Chriſtus: *Moſes ob duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* Non tantum non contradicit Phariſæis, quod Moſes mandaverit dare libellum repudii; quod tamen facere debuiſſet merito, neque pati, ut res tam pernicioſa Moſi affingeretur: ſed confirmat id etiam propriis verbis, redditque rationem, cur id Moſes fecerit, nimirum propter duritiem cordis eorum. Cur autem Moſes præceperit, ut divortium per legitimum repudii libellum fieret, ejus rei R. Maimon affert hanc rationi conſentaneam cauſam, quam ſine dubio reſpexit Moſes. Si uxor, inquit, nudis verbis domo dimitteretur, quævis conjux poſſet ultro domo excedere, & prætendere, ſe à marito eſſe rejectam ac repudiatam; & ſi proſtitueret corpus ſuum, dicere poſſet ipſa & adulter, eam eſſe repudiatam. Itaque neceſſarium erat, ut uxori dimiſſæ daretur libellus repudii, quo teſtimonium ea de re viri contineretur. Imo ſi verba Moſis recte perpendantur, non tam ibi divortium permittitur, quam aliud quippiam prohibetur: nempe, ut ſi accidat maritum dimittere uxorem ſuam, illicitum ſit ei denuo illam recipere, ut ita Judæi à temerariis divortiis abſterrerentur magis, quam ad ea facienda invitarentur.

Adhibent autem Judæi in divortiis faciendis hoſce ritus. Primo oportet ut in libello repudii præter nomen mariti & uxoris, etiam utriuſque tum patris, tum avi, tum denique proavi nomina ponantur. Deinde exprimitur dies menſis & anni. Tertio libellus repudii ſcribitur majuſculis literis, & quidem ita, ne litera literam tangat. Quarto ſi forte inter ſcribendum atramenti guttula maculetur charta, libellus non eſt validus, ſed denuo munde deſcribendus eſt. Quinto nulla nota apparere debet, aliquid eſſe eraſum. Sexto membrana, cui libellus inſcribitur, non tam lata eſſe debet, quam longa. Septimo, totus libellus repudii non debet conſtare, niſi duodecim lineis. Octavo, ad minimum duo teſtes nomina ſua debebant ſubſcribere. Nono, iidem teſtes debebant quoque ſigilla ſua apponere. Decimo maritus ipſe debebat uxori libellum iſtum in manus tradere, & dicere: *Accipe a me hunc repudii libellum, & ſis à me dimiſſa, & cuilibet viro permiſſa.* Formula talis libelli hæc erat: *Ego Salomon, Filius Iſaaci, Filii Marci, Filii Manaſſe, feria prima menſis Adar in anno à condito mundo N. N. mea ſponte, nulliuſque coactu decrevi dimittere à me & repudiare te Saram Filiam Abrahami, Filii Jacobi, Filii Joſephi uxorem hactenus meam: jamque adeo te dimitto, deſero ac repudio, ut tuæ ſis poteſtatis, tuoque arbitratu ac lubitu, quo libet, diſcedas; neque id quiſquam ullo tempore prohibeſſit: atque ita dimiſſa eſto, ut cuivis viro tibi nubere liceat; juxta præſcriptum Moſis & Iſraëlitarum.* Priſcis temporibus fieri potuit, ut paulo aliter ſonarent verba in libellis repudii, & ſimpliciores eſſent: qui poſtea per homines eruditos ſunt expoliti. Etiam hodie libelli repudii inter Judæos quoad verba non in omnibus conveniunt, etſi quoad ſenſum coincidant.

Viris autem ſolis jus erat, per divortium à ſe dimittere uxores, uxoribus viros non item. Prima apud Judæos fuit Salome, Herodis ſoror, quæ à viro ſuo Coſtobaro receſſit. Joſeph. lib. 15. cap. 11. Porro non erat obſtrictus vir, ad cauſam divortii, quod legitima vel ſufficiens ſit, judicialiter probandam, neque ad ſequendam Judicis hac in re ſententiam, ſed arbitrio ſuo utebatur, ut ipſi cauſam exprimere vel etiam diſſimulare liceret. Poterat dicere: Ego optime novi, qua me parte calcens urgeat. Conſcientiæ ejus committebatur, quæ eum cunque ad id moveret cauſa. Quod etiam ſupra cap. 1. 19 ex Joſephi exemplo eluxit, qui Mariam uxorem ſuam nolebat trahere ad judices, quo facto adduxiſſet illam in lapidationis periculum, ſed voluit eam clam dimittere, haud indicata cauſa, quod tamen ſine libello repudii fieri non poterat. Si vero circa dotem, quam maritus in certis caſibus reſtituere tenebatur, lis erat, tum demum Judex rem decidebat.

An licuerit quavis de cauſa divortium facere cum uxore, vide de eo infra cap. 19. 3.

Solet etiam hic quæri: An Judæi ex cauſis in Lege conceſſis divortia cum uxoribus facientes, abſque peccato id fecerint; an vero etſi impunitum fuerit factum, cum peccato tamen fuerit conjunctum?

Quæſtio hæc non tam ardua & perplexa eſt, quam pleriſque Interpretibus videtur. Chriſtus enim infra cap. 19. 8 expreſſe affirmat, Judæis tale divortium, quale permiſit Moſes, nonniſi propter duritiem cordis eorum fuiſſe conceſſum, ne ſcilicet majus inde malum oriretur, puta ne mariti uxores, ſibi diſplicentes ac inviſas, peſſimis tractarent modis, aut etiam prorſus vitæ ipſarum inſidias ſtruerent. Hujuſmodi autem conceſſiones, quas quaſi ipſa neceſſitas à Legiſlatore extorquet, poſſunt quidem à pœna liberum facere, ſed non efficiunt, ut peccatum non ſit, quod in ſe peccatum eſt. Deo quidem jus ac poteſtas

teſtas eſt, vinculum matrimonii inter conjuges diſſolvere, ſed ſapientiæ ac juſtitiæ divinæ magis eſt conſentaneum, quod in Lege de divortio pœnam tantum; non culpam remiſerit, quodque legem primæ inſtitutionis ſuæ in creatione (qua maritus & uxor eſt tantum unus homo Matth. 19. 5.) non pro uniuſcujuſque arbitrio, qui uxorem inviſam habuerit, abrogare voluerit.

Verſ. 32. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari.*] Obſervandum hic, quod ſupra verſ. 17 indicatum, Chriſtum ne unicam quidem particulam Moſaicæ Legis abrogaſſe, ſed tantum perfectiora præcepta præſcripſiſſe, quam Lex (præſertim quoad politica jura) requirebat. Etſi autem Lex non requireret talia, quæ Chriſtus præcepit, fuerunt tamen illa etiam tunc voluntati divinæ conſentanea, cujus rei haud obſcura indicia tum in Lege, tum in Prophetis reperire eſt. Lex concedebat Judæis divortium, at non proprie ex Dei voluntate, ſed, ut ante dictum, quodammodo ex neceſſitate, propter ipſorum cordis duritiem: Chriſtus dum tradit tale præceptum, quod cum voluntate Dei, & cum ejus prima inſtitutione apprime convenit, nihil facit contra Legem. Vult ergo Chriſtus hoc loco dicere: Lex Moſis occurrens majori malo, permiſit tibi, ut cum uxore facias divortium. Tu autem vide ſis, ne hoc jure temere abutaris. Sciendum enim eſt, Deo nullum placere divortium, præterquam ſi te extrema neceſſitas eo adigat, nempe fornicatio, quæ per ſe vinculum matrimonii reſcindit.

Notandum etiam eſt, quod dum Chriſtus vult docere, non licere marito uxorem dimittere, non faciat id directis verbis, ſed cum quadam circumlocutione, inquiens: *Quicunque uxorem ſuam dimittit (excepta cauſa fornicationis) facit illam mœchari, & quicunque dimiſſam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis non ſolum ſignificat, quam grave peccatum admittat, qui extra cauſam fornicationis, uxorem ſuam repudiat, dum in cauſa eſt, ut tam illa, quam is qui eam ducit uxorem, adulterio ſe polluant; verum etiam quod tale divortium ſit prorſus invalidum & illegitimum, cum mulier non deſinat eſſe prioris mariti uxor. Alioqui non poſſet Chriſtus tum de muliere, tum de altero viro, qui eam poſt divortium cum priori factum ducit, vere dicere, quod uterque adulterium committat, ſi illa revera à vinculo prioris matrimonii eſſet libera ac ſoluta.

Excepta cauſa fornicationis.] Vocabulum πορνεία, *fornicatio*, eſt generale, quod omnem illicitam ac illegitimam commixtionem viri cum fœmina, ſive ligati ſint, ſive ſoluti, denotat. Hic caſus igitur fornicationis ſeu adulterii largitur homini Chriſtiano jus ac libertatem dimittendæ uxoris. Per hoc enim rumpitur illud vinculum, quo maritus & uxor juncti ſunt, quodque eſt omnis reliquæ conjunctionis & amoris cauſa; adeoque maritus ſolvitur ab onere præſtandi officii. Apud Marcum cap. 10. 11, & apud Lucam cap. 16. 18. Chriſtus omiſſa mentione fornicationis ſive adulterii, ſimpliter dicit: *Quiſquis dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur adverſus eam.* Cauſam hanc adferunt Interpretum nonnulli, quando adulterium à fœmina committitur, fieri ipſius culpa, ut matrimonium ipſum per ſe ſolvatur: ſiquidem illa fœdus conjungale penitus diſrupit, fidem marito fregit, corpuſque ſuum alteri viro vulgavit. Hinc dici poteſt, etiam in hoc caſu non virum dimittere uxorem atque divortium facere, ſed tantum divortium quod una ex parte jam factum eſt, confirmare ac ratum habere: ut ita non fuerit prorſus neceſſarium addere, *excepta cauſa fornicationis*, ut pote cum res ſit per ſe liquida & intellectu facilis. Nihilominus, ne quod ſupereſſet hac de re dubium, conſultum duxit Chriſtus, expreſſe hunc caſum excipere.

Ad hanc cauſam legitimi divortii, nempe fornicationis, trahi hic quoque caſus poteſt, ſi quis credens ſe virginem ducere, deprehendat, & certis argumentis demonſtrare queat, virginem non fuiſſe, quod ipſi ſimiliter permiſſum ſit, eam repudiare, ſi id ante neſciverit. Quod enim id par ſit adulterio, ex eo cernitur, quod in Lege id æque ac adulterium morte plectebatur. Item ſufficiens ad divortium cauſa eſt, ſi quis viduam imprægnatam ab alio extra matrimonium viro ducat. Ideo Chriſtus hic generali vocabulo fornicationis uſus eſt, quia hic non tantum adulterium voluit intellectum, ſed etiam omnem inordinatum ac illegitimum concubitum. Virorum autem hic quoque eſt diverſa ratio. In hoc ergo caſu fornicationis permiſſum eſt Chriſtiano divortium, at non tamen ad id mandato ullo adigitur. Nam ſi quis talem uxorem, cernens ſeriam ejus pœniteniam, & haud incertam emendationis ejus ſpem, rurſus in gratiam recipere vellet, faceret opus haud mediore charitatis ac miſericordiæ.

Graviſſima hoc loco incidit quæſtio, An ſub Novo Fœdere nullam prorſus aliam ob cauſam, quam ob fornicationem, liceat uxorem dimittere? Scinduntur hac ſuper re eruditi in diverſas ſententias. Qui negant licere, urgent verba iſta Chriſti, *excepta cauſa fornicationis*, & illa infra cap. 19. 9: *niſi ob fornicationem* &c. Quæ verba videntur nullum alteri cauſæ locum relinquere. Alii contra exiſtimant, fornicationem à Chriſto nominatam magis exempli loco, quam ut voluerit ad hunc unicum caſum homines adſtringere: ut ita Chriſti mens ſit, Chriſtiano illicitum eſſe, divortium facere cum uxore ſua abſque graviſſima cauſa, qualis eſt fornicatio. Huic cauſæ autem aliæ plures non modo pares, ſed etiam ea quoque graviores dantur. Ut v. c. ſi uxor fuerit mente capta; vel idoneis teſtibus convinci poſſit, quod vitam viri appetat; vel, ſi liberos, ex eodem viro conceptos, interfecerit; vel ſi ſagam ac veneficam eſſe conſtet. Non enim ſolum in profano ac politico, ſed in divino quoque jure obſervatum eſt, ſæpenumero aliquid, quod crebro contingit, pro exemplo poni, ad quam normam ſapiens Judex etiam in aliis caſibus illi ſimilibus fert ſententiam. Ubi enim cauſa eſt ſimilis, ibi ſimile quoque eſt jus. Sic cum Exod. 21. 18, 20 pœna conſtituitur ei, qui alterum lapide vel pugno, vel baculo percuſſit, non eſt cenſendus à pœna liber, ſi quis eum alio inſtrumento, puta fruſto ferri, vel ſcutica, vel fune excipiat. Sic pœna decernitur ei, qui ancillæ ſuæ aut ſervo oculum vel dentem excuſſerit Exod. 21. 26. Nec tamen is abſolvitur, qui ipſi pedem vel brachium fregerit, aut aliam

corpori noxam haud exiguam intulerit. Simile exemplum extat de eo, cui contingat, ut ferrum de manubrio ſecuris decidens, proximum ejus occidat Deut. 19. 5. Chriſtus proinde hic ſolius tantum fornicationis meminit, quia illa inter legitimas divortii cauſas frequentius accidit. Jam ſi natura omnium Chriſti præceptorum cum cura conſideretur, patebit, principium & perfectionem eorum in charitate conſiſtere, quæ poſtulat, ut ita aliorum rationem habeamus, ne tamen ipſi in nos ipſos crudeles ac immiſericordes ſimus: (illæſo ſimul illo præcepto Chriſti, de quo infra verſ. 39, 44.) Quod idem etiam Paulus nos docet, quanquam in alia materia 2 Cor. 8. 13. Ut aliquis ob quamvis cauſam uxorem ſuam repudiet, nimis iniquum ac injuſtum eſt, inprimis vero id nullum Chriſtianum decet, qui patientiam etiam adverſus inimicos ſuos exercere tenetur, quanto magis erga eam, quæ ut ſit coadjutrix vitæ ejus aſſociata ipſi eſt. Cæterum eadem æquitas, quæ facit pro uxore, facit quoque pro viro, ut non ſit obſtrictus retinere meretricem. Hoc enim poſtulat ipſum jus naturale, ne quis charitatem majorem erga tam perfidam ac indignam perſonam gerat, quam erga ſe ipſum. In quocunque igitur caſu locum habet idem jus naturæ, in eo illicitum non eſt uxorem dimittere. Nec eſt, quod quis dicat, adulterium magis quam alia flagitia adverſari fini ac ſcopo conjugii. Sciendum enim eſt, conjugium non ſimpliciter tantum procreationis liberorum cauſa eſſe inſtitutum, ſed etiam propter mutuum auxilium ac fidele miniſterium. Nihil autem poteſt magis adverſum eſſe tam arctæ conjunctioni, quam quum alter alterius petit jugulum. Cui par eſt ſcelus, ſi uxor enecet liberos, aut ipſa ſibi abortum procuret. Ubi tamen quoque hoc attendendum eſt, quod maritus, qui divortium cum uxore facit, quacunque ex cauſa id fiat, ipſi tamen eam charitatem non deneget, quam Chriſtus infra ℣. 44, etiam inimicis exhibere præcepit. Nempe, ut in neceſſitate ipſi benefaciat. Unde conſequitur, multo minus permiſſum eſſe viro, uxorem ſuam, quam in adulterio deprehendit, interficere, aut corpore mutilare.

Porro quæritur: An etiam uxori jus ſit, fornicationis cauſa dirimere conjugium, & à marito digredi? Apud Judæos id permiſſum non erat: Chriſtus autem hac de re nihil definivit. At apud Græcos ac Romanos pariter uxori ac marito jus hoc competebat. Videtur autem in hoc caſu inter maritum & uxorem, ipſam rei naturam conſtituiſſe aliquod diſcrimen.

Per commixtionem enim uxoris cum pluribus viris, vel fœcunditas impeditur, vel fœtus redditur incertus, ac porro etiam amor naturalis patrum erga liberos, de quibus, an ſui ſint, haud ſciunt, tollitur: quod neutrum ſit commixtione viri cum pluribus fœminis ſolutis & non maritatis. Hinc factum eſt, ut ſub Veteri Fœdere licitum fuerit viris plures ducere ſimul uxores; at non contra uxoribus plures viros habere, quia illud minus quam hoc contra naturam eſt. Commemorat quidem Juſtinus Martyr quandam Chriſtianam fœminam, & dilaudat eam, quod à marito ſcortatore inſigni, cum nullis eum monitis ac precibus ad frugem revocare poſſet, diſceſſerit facto divortio: ſed nihilominus in primitiva Eccleſia obſervatum eſt conſtantiſſime, ut uxori à viro fornicationis cauſa non liceret ſe ſeparare.

Amplius hic advertendum, hoc præceptum Chriſti de non dimittenda uxore extra cauſam fornicationis, nonniſi tunc locum habere, cum pars utraque, vir & uxor profeſſione Chriſtiani ſunt. De his enim inquit Apoſtolus, ſe mandatum habere à Domino. De aliis autem diſerte dicit, ſe nullum habere 1 Cor. 7. 10 & 12. Si inter Chriſtianos conjuges accidat, ut alter adverſus alterum graviter peccaverit, non deſperanda tamen eſt reconciliatio, quamdiu utraque pars manet ac perſtat in illa confeſſione. Poſſunt enim inveniri tales proxenetæ, quorum admonitionibus illi locum dare obſtricti ſunt.

Facit illam mœchari.] Lex Moſis concedit repudiatæ denuo nubere; uti etiam in libello repudii expreſſe hæc illi datur poteſtas: ſed poſtquam alteri nupta fuerit, etiamſi is moreretur, non erat integrum illi ad priorem maritum redire, quia jam ab alio viro erat polluta Deut: 24. 2, 3, 4. Facile enim alioqui fieri potuiſſet, ut ſub ſpecie divortii maritus alter alteri uxorem ſuam utendam daret. Antequam autem illa tranſiret ad ſecundas nuptias, liberum erat viro eam iterum recipere, illi autem non ſemper erat licitum ad maritum reverti: neque etiam maritus ad eam recipiendam judicio cogi poterat. Nemini quoque interdictum erat repudiatam ducere, præterquam Pontifici Maximo Lev. 21. 7. Ezech. 44. 22. Quod autem Lex Moſis majoris mali evitandi cauſa permiſit, id Chriſtus ex naturali ratione prohibet ſuis diſcipulis ac ſectatoribus. Jam videndum eſt, qua ratione is qui uxorem ſuam repudiat extra cauſam adulterii, faciat eam mœchari? Nimirum quia facile fieri poteſt, & reipſa etiam fiebat, ut talis fœmina per repudium infamis reddita, nullum alium poſſet, cui nuberet, nanciſci virum, atque ſic de honeſto matrimonio deſperans, in fornicationem incidat. (Nam Græca vox μοιχεία non ſolum pro adulterio accipitur, ſed etiam in genere pro ſcortatione ſeu fornicatione: quemadmodum antea vox πορνεία *fornicatio* pro adulterio poſita eſt.) Cujus mali is jure cenſetur reus, qui conjugem ſuam, ipſius cuſtodiæ atque curæ commiſſam, levi ex cauſa, aut ob crimen, quod probari nequit, abſque miſericordia rejicit ac repudiat. Et quamvis etiam illa corpore immaculata maneret, is tamen, quantum in ipſo erat, in eum ſtatum illam redegit, in quo facillime in ejuſmodi peccatum poſſet incidere.

Si autem Græcum verbum μοιχᾶσθαι *adulterandi* ſignificationem hic retinere debeat, tum ſenſus erit, talem fœminam adulterium committere, quando alii viro nubit, aut ſe alioqui impudice gerit, quia revera adhuc durat vinculum cum priore marito contractum. Sed prior interpretatio huic videtur anteferenda, quia iniquum foret, ut mulier, ſi à marito immerito repudietur, & omnis reconciliationis ſpes decollet, marito ad alteras nuptias tranſeunte, cogeretur cœlebs manere in æternum.

Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur.] Auguſtinus teſtatur, hæc verba in nonnullis exemplaribus non fuiſſe lecta. At hodie in omnibus leguntur: ut etiam infra cap. 19. 9.

Dimiſ-

Dimiſſam.] Nempe, quæ extra cauſam fornicationis à viro dimiſſa eſt. Hinc autem probari nequit, mulieri propter adulterium repudiatæ à viro, non eſſe fas ſecundo nubere. Quia enim per divortium vere connubiale vinculum diſſolutum eſt, non poteſt illa ullius adulterii incuſari, quando alteri viro nubit. Apparet Chriſtum hic loqui de eo, ſi quis talem ducat repudiatam, quæ æque ac vir in religione Chriſtiana perſiſtat, ut ita adhuc reliqua ſit aliqua reconciliationis ſpes. Nam Chriſtum hoc loco de Chriſtianis conjugibus agere ex ſupra adducto loco Pauli 1 Cor.7.10 clarum eſt. Alioqui quamdiu Lex durabat (uti tunc revera adhuc durabat) nimis durum fuiſſet, ſine diſcrimine omni tanquam adulterum condemnare eum, qui dimiſſam duxiſſet. Quid ſi enim aliquis fœminam injuſte à marito repudiatam atque in periculo ſuæ caſtitatis conſtitutam, miſericordia motus duxiſſet? Quapropter patet, Chriſtum de tali loqui, qui dimiſſam à viro fœminam ante quam omnia reconciliationis cum priori viro fuerint adhibita media, ducit, atque iſta præcipitatione nuptiarum, in cauſa eſt, ut diſſolutus conjugii nexus denuo coire nequeat. Nam præterquam quod ejuſmodi feſtinatæ præcoces nuptiæ ſuſpicionem præbeant magnam, familiaritatis inter eos illicitæ jam ante contractæ, non tantum is eſt adulter, qui animum alienæ uxoris à viro reddit averſum atque ad ſe inclinat (ut Chriſtus ſupra verſ. 28 indicavit) ſed etiam, qui nuptias accelerando, facit, ne conjuges inter ſe diſcordes in gratiam & concordiam reduci poſſint. Idem ſenſus videtur eſſe in verbis Chriſti Matth. 19.9: *Qui uxorem ſuam dimittit, niſi ob fornicationem, aliamque ducit, mœchatur, & dimiſſam ducens mœchatur.* Ubi Chriſtus tam de priori marito pronunciat, eum mœchari, ſi poſt divortium aliam ducat, quam de illo, qui ducit repudiatam. Nimirum culpa adulterii ei imputatur, qui novum matrimonium præcipanter ineundo ſpem reconciliationis præſcindit.

De quæſtione, Utrum liceat ſub Novo Fœdere homini Chriſtiano plures una habere uxores vide infra cap. 19.9.

PARS VII.

Verſ.33. *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non pejerabis.*] Jam nobis conſiderandum eſt, qua in re & quomodo Chriſtus Legem Moſaicam de juramento reformaverit, & majorem ſanctitatem ac divini nominis reverentiam præſcripſerit. Qui volunt, Chriſtum tantum traditionibus Phariſæorum ac Scribarum nova ſua oppoſuiſſe præcepta, non vero Legi Moſis; adſcribunt Phariſæis talem opinionem, quod ſtatuerint licitam eſſe juramenti violationem ſeu non præſtationem, ſi modo non adhibitum fuerit in jurando Dei nomen: alia autem juramenta per cœlum, per Templum, per Hieroſolymam &c. non tanti momenti habita fuiſſe. Cauſa, cur Interpretes iſti talem opinionem Phariſæis adſcribant, eſt, quod verba Chriſti divellant, & ad duas diverſas leges diſtrahant, quæ tamen nonniſi ad unam Legem pertinent. Ut quod Chriſtus dicit primo ex Exod. 20. 7: *Non pejerabis.* Deinde ex Lev. 19. 12: *Servabis Domino juramenta tua.* Quod ad prius attinet, in Hebræo ita legitur: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ubi voces *in vanum*, non ſignificant *temere*, ſine neceſſitate & non cum debita reverentia, ſed *falſo*, id eſt, ita ut quod juratum eſt, non ſervetur: atque huc potiſſimum ſpectat hoc loco Chriſtus. Quod poſterius attinet, *Servabis autem Domino juramenta tua:* hæc verba ſunt, ut ante dictum, explicatio ſuperiorum. Qui enim in vanum jurare non vult, oportet ut juramentum ſervet. Quare prorſus neceſſarium eſt, ut hic ſenſus iiſdem verbis in Lege legatur, cum ipſe per ſe ſtatim ex Lege de juramento effloreſcat.

Domino.] Qui enim ſe homini jurejurando obſtringit, ſimul ſe etiam obſtringit Deo, dum eum teſtem ac vindicem, ni juramento ſatiſfaciat, invocat. Idcirco in loco, ex quo hæc verba deſumpta ſunt, votum & juramentum conjungitur Num.30.3. Itaque qui homini non ſervat, quod jurejurando ei promiſit, etiam in Deum perjurus eſt, non ſecus atque ſi Deo ipſi id voviſſet. David maximis laudibus evehit eum, qui præſtat, quod juravit proximo ſuo Pſal.15.5.

Reddes autem Domino juramenta tua.]

Verſ.34. *Ego autem dico vobis, Ne juretis omnino.*] In Lege Moſis jurare non erat illicitum, dummodo non juraretur falſo, etſi res, de qua jurabatur, non eſſet magni ponderis. At Chriſtus eam exigit à nobis divini nominis reverentiam, ut omnino à jurando abſtineamus. Quaſi dicat: Etiamſi in corde tuo plane ac plene decreveris ſtare promiſſis, tamen jurare noli, ne confirmes id ullo juramento. Opponit autem Chriſtus hoc ſuum præceptum duntaxat voluntario juramento, non autem coacto, ad quod quiſpiam vel à Magiſtratu, vel à graviſſima cauſa adigitur; cum ſcilicet res, de qua juratur, vel gloriam Dei, vel proximi noſtri, aut etiam proprium noſtrum ſummum (præcipue autem ſpirituale) bonum ſpectat. Hinc eſt, quod etiam juramenti non pauca exempla in Apoſtolo Paulo habeamus. Vide Rom. 1. 9. 2 Cor. 1.23. xi.31. Phil. 1.8. 1 Theſſ. 2.5, 10. Qui vero propter temporarium aliquod non adeo magnum & intolerabile damnum evitandum jurat, etiam coram magiſtratu, is ſine dubio tranſgreditur hoc Chriſti præceptum. Ideo etiam non legimus, Paulum vel in propria & temporali cauſa, vel in re levicula proximi ſui juraſſe, ſed ſemper nonniſi in rebus graviſſimis, quæ Dei gloriam proximique ſalutem reſpiciebant.

Reperiuntur autem hodie Chriſtiani, qui tam ſtricte literæ præcepti Chriſti adhærent, ut ne à Magiſtratu quidem ſe ad jurandum cogi patiantur. Quod enim Pauli exemplum attinet, ajunt, non poſſe id ad imitandum trahi, quod ipſi, tanto ſcilicet Apoſtolo, permiſſum erat: eodem modo, quo ſupra verſ. 22 de voce, *Fatue*, aliiſque convitiis dictum eſt. Equidem maximæ laudi id foret veris Chriſtianis, ſi tam bonam exiſtimationem ſibi in mundo comparare poſſent, ut eorum ſimplici affirmationi vel negationi tanta fides haberetur, quanta aliorum juramento.

Neque per cœlum, quia thronus eſt Dei.] Quia Judæorum

dæorum Magiſtri poſterioribus temporibus ipſi agnoverunt, cum Majeſtatis divinæ contumelia conjunctum eſſe, in qualibet re parvi momenti per nomen Dei jurare, quamvis verum eſſet juramentum; ideo alii jurandi modi excogitati ſunt inter Judæos, ut per cœlum, per terram, per Hieroſolymam &c. Quod credebatur eſſe minoris momenti. Verum Chriſtus mandat, ut etiam ab iſtis ac ſimilibus jurandi modis abſtineamus. Quamvis enim nomen Dei expreſſe non adhibeatur, tamen tacite Deus in juramento includitur. Ideo Chriſtus vetat jurare per cœlum, quia (ut ipſe Matth. 23. 22 inquit) *qui per cœlum jurat, jurat per thronum Dei* (id eſt, per majeſtatem & gloriam Dei) *& per eum qui ſedet ſuper eum.* Judæis nefas erat per alium Deum jurare, quam per Deum Iſraëlis: neque eis licebat per Baalem, Aſtaroth, & ſimiles falſos Deos jurare. Joſephus quidem juravit *per vitam Pharaonis*, ſeu, *ita vivat Pharao*, more Ægypti recepto Gen. 42. 15. Sed hoc tantundem erat, atque ſi dixiſſet: Quam verum eſt, me optare, ut Deus Pharaoni vitam proroget.

Quia eſt thronus Dei.] Cœlum vocatur Dei thronus ſive ſolium, quia in hoc glorioſo & tot ſideribus exornato palatio, divina majeſtas excellentiſſima ratione eluceſcit: quemadmodum mundanorum Regum gloria atque majeſtas tum maxime conſpicitur, quando in Regio ſuo ſolio reſident.

Verſ. 35. *Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus.*] Quia cœlum figurate ſumpta à mundanis Magnatibus metaphora, Dei ſolium, id eſt, regius thronus, in quo quaſi reſidet, dicitur, idcirco terra appellatur ſcabellum pedum ejus, quemadmodum circa thronos Regum ſcabella ad majorem majeſtatem demonſtrandam extrui ſolent. Nam proprie loquendo neque aſpectabile hoc cœlum aſtris diſtinctum, neque terra conſtituit partem illius loci, in quo revera Deus habitat.

Neque per Hieroſolymam.] Judæi jurabant per Hieroſolymam, æque ac Romani per Romam.

Quia eſt civitas magni Regis.] Id eſt, Dei Pſal. 48. 1. Chriſtus innuit, eum qui per Hieroſolymam jurat, per Deum jurare, qui regnum ſibi Hieroſolymæ conſtituit: ſicut etiam qui per Templum jurat, jurat per eum, qui habitat in illo Matth. 23. 21.

Verſ. 36. *Neque per caput tuum jurabis.*] Poterat aliquis cogitare, ſaltem ſibi licere per proprium caput jurare; ſuum enim eſſe, nihilque per id vel Deo vel ulli hominum detrahi.

Quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.] Sed Chriſtus indicat, eum qui per caput ſuum jurat, per Deum nihilominus jurare, qui totius hominis, adeoque etiam capitis ejus dominus eſt. Quod enim homo non habeat poteſtatem ſuper caput ſuum, ut id per juramentum obligare queat, ex eo cernitur, quod ne unicum quidem pilum in eo immutare poſſit, Deus autem poſſit. Vide Matth. 6. 27. Luc. 12. 25.

Verſ. 37. *Sit autem ſermo veſter, Etiam, etiam; Non, non.*] Notum erat apud Judæos adagium: Juſtorum Etiam eſt etiam, & eorum Non eſt non, id eſt, juſti præſtant, quod promittunt. Quorum facta autem cum verbis non concordabant, de illis dicebatur; eorum Etiam eſſe non; & eorum Non eſſe etiam. Quo loquendi modo etiam Paulus utitur 2 Cor. 1. 18, 19. Quam ob cauſam contendunt nonnulli Interpretes, hanc eſſe verborum Chriſti ſententiam, quod ſtandum ſit promiſſis, etſi illa nullo juramento, ſed ſimplici Etiam, vel non, fuerint confirmata. Verum quia Chriſtus in tribus verſiculis ſuperioribus omnes jurandi formulas expreſſe prohibet tam per Deum, quam per res alias, multo magis veriſimile eſt, eum hiſce verbis formulam præſcribere voluiſſe, qua in aliqua re affirmanda vel neganda, vel in nobis ad aliquid obſtringendis uti debeamus, nempe ſimplici voce Etiam, etiam, Non, non. Quem ſenſum etiam ſequentia verba confirmant.

Quod his abundantius eſt, à malo eſt.] Id eſt, quod ab iſta ſimplici affirmatione ac negatione recedit, & ulla ratione ſpeciem juramenti habet; id à Diabolo ortum ducit, qui hujus nefariæ conſuetudinis abutendi nomine Dei inter homines auctor eſt. Temere enim jurando aſſuetus homo facile adduci poteſt, ut vel falſo juret, vel nomen Dei vilipendat, atque contemnat: quod utrumque homini perniciem afferre poteſt, in quam ut hominem præcipitet Satanas unice quærit. Hoc ſenſu vox *Mali* etiam ſumitur infra cap. 6. 13 atque ibidem allegatis locis.

Alii per *malum* intelligunt hoc loco non Diabolum, ſed rem malam, id eſt, malam & vitioſam conſuetudinem non præſtandi promiſſa. Quia enim inter homines fides periit atque exolevit, introductum eſt juramentum, ut quando homines naturali æquitate atque rectitudine ſe obligari non patiuntur, metu Dei, qui jurando vindex invocatur, moveantur. Ut ita ſenſus verborum Chriſti eſſet: Non debetis cogitare, vos à commercio hominum excluſum iri, ſi à jurando abſtineatis. Cum enim juramentum à conſuetudine non proba ſit profectum, facile juramento carere poteritis, ſi peſſimum hunc morem repudiaveritis, id eſt, ſi fidei tenaces fueritis, ut vobis homines etiam abſque juramento plus credant, quam aliis jurantibus. Hæc interpretatio (cui prior anteponenda eſt) reſpicit ad illorum antecedentium verborum, *Veſter ſermo ſit, Etiam* &c, primam explicationem.

PARS VIII.

QUemadmodum in unoquoque bene conſtituto Regno Politico duplex eſt genus legum, ſecundum quas regi atque in bono ordine retineri ſolet: Aliæ ſunt communes ei cum aliis Rebuſpublicis, quæ ad conſervandum atque adminiſtrandum quodlibet regnum pertinent. Aliæ vero ſunt propriæ, quæ Leges fundamentales Regni Regiæque Majeſtatis nuncupantur, quibus populi illius longæ conſuetudines, mores, ritus & animorum inclinationes &c. nituntur, quæ etiam eum moribus ac notitia cum aliis populis, quibuſcum ei commercium eſt, connectunt. Sic etiam ſpirituale Regnum Chriſti etiam certis legibus fundamentalibus ab aliis omnibus Regnis mundi diſtinctum eſſe, ipſemet teſtatur, dicens ad Pilatum: *Regnum meum non eſt de*

eſt de hoc mundo. Qua in re autem natura & genius Regni Chriſti, ac diſcrimen ab aliis mundanis Regnis conſiſtat, id latius explicare non eſt hujus loci: Sed tamen hic quaſdam Leges fundamentales, quibus quaſi baſibus hoc cœleſte ædificium, ut ſic dicam, quodammodo inædificatum eſt, propius inſpiciemus, idque invitante occaſione, quam nobis antitheſis novæ Legis regni Chriſti & Legis Moſaicæ ſuppeditat. Præcipue autem tres cardinales virtutes Chriſtus in Regno ſuo perfectiſſima ratione à ſuis exigit, in quibus ipſe exemplo ſuo præluxit, & quantam vim habeant ad homines adhuc in hoc ſeculo beatos reddendos oſtendit. Virtutes iſtæ ſunt primo ſumma *Patientia.* Secundo ſumma *Charitas* etiam erga inimicos. Tertio, ſumma *Humilitas.* De prima hoc loco verſ. 38 uſque ad 43 agitur. De qua vide 4 Appendicem hujus capitis. De altera agitur à verſ. 43 uſque ad finem capitis. Vide de ea 5 Appendicem hujus capitis. De tertia vide infra Matth. 20. 26 & ſeqq.

Jam ſequuntur duæ cardinales virtutes Regni Chriſti. Ac primo agitur de perfectiſſima Patientia verſ. 38 & ſeqq. Deinde de perfectiſſima charitate verſ. 43 & ſeqq.

Verſ. 38. *Audiſtis, quia dictum eſt, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.*] Exod. 21. 24. Hæc Moſis Lex, cui Chriſtus hic novum ſuum præceptum opponit, proprie ac præcipue agit de puniendo eo, qui proximum ſuum ex mera protervia lædit, eique noxam infert. Eſtque hæc Lex toti Iſraëlitico populo præſcripta (vide Exod. 21. 1.) ut cuilibet conſtaret, quas pœnas pro talibus delictis expectare deberet: inprimis autem Magiſtratui data eſt, ut ejuſmodi delicta hiſce plecteret pœnis. Tacitè autem etiam læſo data fuit poteſtas, pœnas iſtas pro delicto (nempe oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede, animam pro anima) à Magiſtratu poſtulandi, ſive id faceret ille impulſus vindictæ cupiditate, ira, impatientia, avaritia aliaque carnali cauſa, ſive etiam amore boni publici, aliis in exemplum ac terrorem. Huic igitur Moſaicæ legi Chriſtus novum præceptum de perfectiſſima patientia opponit, dum ait:

Verſ. 39. *Ego autem dico vobis, Ne reſiſtatis malo.*] Quod præceptum Chriſtus toti fideli ſuo populo (æque ac illud toti Iſraëlitico populo) adeoque etiam Judicibus ac Rectoribus Regni ſui, quibus in eo locus datur, præſcribit, in quo tanta patientia exigitur, ne ulli malo ulla ratione cum noxa ac læſione illius reſiſtatur. Quemadmodum enim id, quod olim Judaico populo dictum eſt, non eſſe occidendum, non mœchandum, uxori ſi dimittatur dandum eſſe libellum repudii, non pejerandum, tam ad Judices quam ad ſingulos privatos è populo pertinebat: ita etiam Chriſtus, dum in hoc toto capite ſua præcepta Moſaicæ legi opponit, non vulgo tantum diſcipulorum ſuorum, ſed etiam omnibus proceribus, judicibus & Magnatibus Regni ſui, qui in eo locum habere poſſunt, atque adeo ipſis quoque Apoſtolis, tanquam principibus Regni ſui ea propoſuit.

Hinc jam clarum eſt, Chriſtum hoc ſuo mandato omnia politica judicia & corporales pœnas facinorosorum è ſuo Regno ſuſtuliſſe. Quia enim finis principalis hujus Moſaicæ legis ad Judices & ad corporalem punitionem, quæ per Judicem fiebat, ſpectabat: facile eſt intelligere, Chriſtum dum legi iſti novum ſuum præceptum, de non reſiſtendo malo, opponit, hoc ſibi velle, ne ad hunc modum reſiſtatur malo, quo ei vi hujus allegatæ legis reſiſti ſolebat, nempe per judicialem ſententiam & corporalem punitionem. Hinc porro ſequitur, Chriſtum quoque omnem vindictam in genere, etiam eam, quæ per Magiſtratum exercetur, vetuiſſe. Vide pleniorem hujus loci explicationem in Prolegomenis de Natura Regni Chriſti.

Malo.] Id eſt, malo homini, qui nos læſit. Confer 1 Cor. 5. 13. Intelligitque Chriſtus non ſolum maleficos, ſed in genere omnes malos, injuſtos, atque ingratos homines, qui nos moleſtia afficiunt.

Sed quicunque te percuſſerit in dextram maxillam tuam.] Percutere in maxillam phraſis eſt proverbialis, quæ ſignificat, aliquem contumelioſe tractare, ignominia afficere. Vide Job. 16. 10. Pſal. 3. 8. Mich. 5. 1. Et, Præbere percutienti ſe maxillam, uſurpatur pro, contumeliam patienter ferre. Vide Lament. 3. 27, 28, 30: *Bene eſt viro, qui tulerit jugum in pueritia ſua, qui derelictus patiens eſt &c, & præbet percutienti ſe maxillam, ac ſatiatur opprobriis.* Quod autem Chriſtus prius in genere dixit, non reſiſtendum eſſe malo, id nunc in ſpecie declarat, proponens nonnulla exempla certarum injuriarum, quæ alicui à malo homine inferri poſſunt. Ac primum percuſſione in maxillam complectitur omnem læſionem atque contumeliam corpori illatam: ablatione tunicæ omnem ereptionem bonorum noſtrorum: angariatione ad unum miliare omnem aggravationem libertati noſtræ adverſam. Ubi notandum, Chriſtum nullum ejuſmodi injuriæ exemplum hic poſuiſſe, cujus vindicta ſeu pœna à magiſtratu ſecundum illam Moſaicam legem flagitari poſſet. Nam percuſſioni maxillæ, quæ nec tuber ullum, nec livorem poſt ſe relinquebat, nulla erat pœna conſtituta, neque etiam adactioni ad miliare unum. Ablatio autem tunicæ juxta aliam legem, non juxta hanc puniebatur.

Obverte ei & alteram.] Nempe in animo tuo, ut Auguſtinus recte explicat: id eſt, eſto paratus alteram potius & plures etiam injurias pati, quam ut malo, eo quo dictum eſt, modo, reſiſtas, etſi id commode ac per judicium facere poſſis. Quod enim hoc non ad literam intelligendum ſit, docet exemplum Chriſti, qui colaphizanti ſe non obvertit alteram maxillam, ſed tantum conqueſtus eſt, quod ab illo immerito cæſus eſſet Joh. 18. 22, 23, ut etiam exemplum Pauli Actor. 23. 3. Præclarum etiam exemplum perfectiſſimæ patientiæ, qualem Chriſtus hic requirit, Eſaias nobis in ſeipſo exhibuit, cum inquit: *Tergum meum præbui percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non abſcondi à contumeliis & ſputo. Quia Dominus Deus auxiliatur mihi, ideo non confundor: idcirco faciem meam induravi tanquam petram duriſſimam.*

Ex dictis cernere eſt, quid ſentiendum ſit de iis, qui non ob inflictas plagas aut vulnera, ſed propter aliquod probroſum dictum alios ad duellum provocant,

cant, atque ſic vel furioſi fiunt homicidæ, vel toto pectore vindictam ſpirantes cum diſpendio ſalutis ſuæ occiduntur.

Verſ.40. *Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Aliqui cenſent, hunc eſſe verborum iſtorum ſenſum: ſi quis tunicam tibi auferendo, violentia iſta vult te cogere, ut eum in jus voces &c. Alii vero ſic ea interpretantur: ſi quis tunicam à te flagitet, & ni dederis, minetur, ſe jure tecum acturum &c. Sed nulla harum interpretationum eſt vero ſimilis. Nullus enim, qui alteri vim infert, cupit cum eo ulla ratione venire ad judicium: cum ſciat, ſe non modo nihil lucraturum, ſed pœnas ob vim illatam inſuper ſubiturum. Poteſt autem Græcum verbum κρίνεσθαι, quod alias jure agere ſignificat, verti etiam, jurgari, contendere: quemadmodum LXX Interpretes hoc verbum uſurpant Gen. 26. 21. Judic. 8.1. Job. 9.3. Id quod non ſolum verbis, ſed etiam factis fieri poteſt, quando alter alteri vult aliquid vi eripere, alter autem non patitur ſibi eripi, qua ratione facile alteri noxa aliqua inferri poteſt. Ita ut Chriſtus hic non de proceſſu juris loquatur, ſed ſenſus verborum ſit: ſi quis tibi tunicam velit vi auferre, potius ei & pallium dimitte, quam ut in contentionem cum eo devenias, ipſique forte damnum aliquod inferas, vel alioqui te impatienter geras. Senſus iſte confirmatur ex Luca, qui verba hæc ita refert cap.6.29: *Et ei, qui aufert tibi veſtimentum tuum, etiam tunicam prohibere noli.* Quod *prohibere* nihil aliud eſt, quam rixari & ob id pugnare.

Ex voce κριθῆναι, *litigare* anſam ſumunt hic Interpretes de ea quæſtione agendi, an & quatenus jure agere Chriſtianis liceat? Ad quam reſpondendum eſt: Primo, inter Chriſtianos, apud quos tanta regnat charitas, quantam ſancta profeſſio eorum poſtulat, nulla talis de rebus temporariis lis exiſtere poteſt, ut Judice opus habeant. Nam Meum & Tuum inter eos nullum habet locum, etſi nullam ejuſmodi communionem bonorum (qualis fuit illa primorum Chriſtianorum Hieroſolymitanorum Actor. 4. 32) inter ſe actu ipſo habeant; nam etiam Ethnici ſapientiores dixerunt, quod perfecta amicitia omnia bona faciat communia: ſed quiſque alterum honore ac beneficentia potius prævenire annitetur, quam de re aliqua, qua alter juvari queat, in certamen deſcendet.

Quia vero hæc maxima virtus charitatis non in omnium animis æque altas egit radices, neque intellectu omnes æque valent, ut quod juſtum vel injuſtum eſt, exacte dijudicare norint; ſi contingat, ut de re graviſſima, cujus jacturam facere hæc vel illa pars non ſine inſigni damno queat, controverſia exoriatur; æquiſſimum eſt, ut unus aliquis arbiter, vel etiam plures ex Eccleſia ſumantur, qui rem decidant; præſertim cum hac ratione etiam conſcientiæ ejus, qui alteri injuriam facere poſſet, conſulatur. Levioribus autem & non magni momenti controverſiis, etiam arbitros Eccleſiæ onerare, defectus eſt, non quidem in eo exiſtens, quod rem arbitrio aliorum permittant, ſed eſt defectus charitatis in utroque. Is defectus autem per arbitrum non tollitur neque emendatur, cum is ſententiam ferendo charitatem nulli queat inferere, ſed tantum unius partis deſiderio, id quod charitas facere debebat, ſatisfacit. Cæterum ſi ſuſpicio ſit, unam partem velle alteri conſulto facere injuriam, facit quidem alter rem laudabilem, ſi injuriam hanc ferat & patienti animo concoquat, ſed tenetur tamen deferre id ad Eccleſiam ſeu ſeniores, ut frater propterea redarguatur.

Si autem fratres coram Judice mundano jure contendant, inexcuſabile delictum eſt, quod Paulus quoque in Corinthiis graviter reprehendit, vultque, ut injuria potius ſe affici patiantur 1 Cor. 6. 1, 7. Etenim Chriſtianæ religioni, quæ ſumma ſapientia gloriatur, maximo eſt dedecori, quaſi in Eccleſia ne unicus quidem tam ſapiens ac verum intelligens eſſet, ut quid jus faſque requirat, dignoſcere valeat.

Secundo, ſi Chriſtianus cum extraneo, qui eſt extra Eccleſiam, controverſiam habeat, nihilominus vitium eſt, levem ob cauſam ſequi lites, & provolare ad jus, præſertim ſi conſtet, impenſas juris exſuperaturas rem ipſam, de qua agitur; id enim omnino ad vindictam, à Chriſto prohibitam, pertinet. In rebus autem maximi momenti, quarum jactura nobis noſtriſque ſumme noxia foret, diſpicere nequeo, eccur Chriſtiano in jus vocat integrum non ſit, cauſam ordinario Judici ſecundum regionis jura decidendam committere, dummodo ſtudioſe ea omnia vitet, quibus ad aliquod Chriſti præceptum violandum adduci queat. Si autem etiam ab alio de re non magna in judicium trahamur, & periculum ſit, ut ſi non compareamus, nomen noſtrum male audiat, officii noſtri omnino eſt, hoc periculum comparendo avertere. Quia vero judiciales iſti proceſſus plurimis ſcatent peccandi occaſionibus, omni virium conamine cavendum eſt, ne cum extraneis (imo etiam cum fratribus) ejuſmodi implicimur negotiis, è quibus facile lites oriri queunt, præſertim in rebus, quarum jactura graviſſimum nobis damnum afferre poſſit, & cum hominibus, à quibus ne civilis quidem rectitudo expectanda eſt. Hac autem prudentia non facile poſſunt uti, qui pro more hujus mundi in tali vivunt ſtatu, in quo ignominioſum habetur, labore manuum ſuarum victum quærere, ideoque vel fœnore, (quod ſæpenumero una cum ſorte per ſtrepitum juris peſſimis debitoribus extorquere coguntur) vel alia ratione, quæ facile controverſias ac lites pariat, victitare ſolent. Iſtis ea, quæ ex contentione juris proveniunt, tametſi non ſatis laudabilia, condonanda ſunt, quamdiu tale vitæ genus, quod cum perfectione haud convenit, neceſſitas tolerare cogit.

Verſ.41. *Et quicunque te angariaverit ad milliare unum, vade cum illo duo.*] Vox Angariandi, eſt Perſica, quæ ſignificat ſervitium quoddam, quo Reges in Perſide ſuos aggravabant ſubditos, (quod hodie Poſta vel publica vectura dicitur) ad quod præſtandum vel ſubditi ipſi ordine cogebantur, vel equi aſinique eorum adhibebantur.

Quod cum fuerit onus admodum grave (quod primo à Perſis eſt Judæis impoſitum) hinc factum eſt, ut deinceps omnis moleſtia & coactio ſervilis hoc vocabulo denotaretur: quemadmodum etiam hæc vox de Simone Cyrenæo uſurpata eſt Matth. 27. 32.

Verſ.42.

Verſ. 42. *Petenti abs te da, & ab eo qui vult mutuare à te, ne avertaris.*] Hoc non eſt novum præceptum (nam vſ. 43 demum incipit aliud præceptum) ſed pertinet ad præcedentia exempla de patientia. Quia autem hoc exemplum ſimul beneficentiam docet, & Lucas cap. 6. 27 uſque ad 36 id, ſicut & priora duo exempla de alapa, & ereptione tunicæ, connectit cum mandato de dilectione inimicorum, neceſſario inde conſequitur, Chriſtum ejuſmodi patientiam hic præſcribere, quæ cum dilectione ejus qui nos læſit, conjuncta ſit. Docet proinde Chriſtus non ſolum ultionem non eſſe ſumendam de iis, qui nobis malum intulerunt, ſed etiam non prætermittendam in neceſſitate eorum, benefaciendi & mutuandi eis occaſionem, quamvis ſciamus, eos fore ingratos, & quod mutuarunt, non reddituros. Quod tamen cum grano ſalis, (quod ajunt) intelligendum eſt, ne quis putet, nos obſtrictos eſſe, tantum illis dare, quantum poſtulant, ſed ſaltem tantum eis dandum eſſe, quantum ad eos in præſenti neceſſitate juvandos ſufficit.

PARS IX.

Verſ. 43. *Audiviſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*] In loco Levit. 19. 18, ad quem hic Chriſtus reſpicit, per proximum nullus alius intelligitur, quam Iſraëlita, qui ibidem filius populi (id eſt, qui ex eodem populo eſt) vocatur. Et vox Hebraica *Rea*, quæ vertitur *proximus*, proprie ſignificat amicum, ſocium, qualis Judæis nullus eſſe poterat, ex iis, qui extra ipſorum populum erant.

Et odio habebis inimicum tuum.] Qui aſſerunt, Chriſtum hic non opponere præcepta ſua Legi Moſaicæ, ſed falſis Phariſæorum interpretationibus, his verbis ſuam ſententiam confirmari cenſent, quia in Lege nuſquam reperiantur. Verum tametſi verba hæc iiſdem literis ac ſyllabis in Lege non legantur, res tamen ipſa in ea abunde continetur. (Haud abſimile exemplum ejuſmodi allegationis Scripturæ vide ſupra cap. 2. 23.) Nam per inimicos primum intelliguntur Ethnici populi terræ Chananææ, quorum, utpote idololatrarum, & omni ſpurciſſimorum flagitiorum genere coörpertorum hominum, odium irreconciliabile Iſraëlitis imperatum erat; ut cernere eſt Exod. 23. 23, 24. xxxiv. 11, 12, 13. Levit. 26. 7, 8. Injunctum erat eis hos populos cædere, igne ac ferro perſequi, nullum fœdus cum eis percutere, aut ullam gratiam ac favorem eis exhibere. Deut. 7. 2 vetitum, eorum pacem (id eſt, Hebræa phraſi, bonum) quærere in æternum Deut. 23. 6. 1 Eſdr. 9. 12. Simile odium etiam illis præceptum eſt adverſus Amalecitas Exod. 17. 14. Deut. 25. 17, 18, 19. Adverſus Ammonitas & Moabitas eatenus, quatenus illis non licebat in congregationem Domini venire Deut. 23. 3. Atque hoc fuit juſtum & à Deo mandatum odium, tanquam adverſus Dei ac populi hoſtes Joſ. 10. 13. 1 Sam. 30. 26.

De cætero inter Iſraëlitas, ceu fratres, omne odium & inimicitia etiam in Lege plane fuit prohibita Levit. 19. 17. Ac de tali inimico, qui etiam Iſraëlita ſit, quique male affectus eſt erga ſuum proximum, agit locus Exod. 23. 4, 5, ubi præcipitur, ut aſino inimici erranti, aut ſub onere fatiſcenti ſubveniatur; non autem de hoſte alienigena, ut videre eſt ex collatione cum Deut. 22. 1. Itaque dilectio proximi non extendebatur ulterius, quam ad Iſraëlitas. Quod extraneos attinet, qui inter ipſos habitabant, quique ad certa Legis mandata adſtricti erant. Levit. 18. 26 iis quidem licebat benefacere, ſed non tenebántur eos diligere, ſicut ſeipſos; ut patet ex Deut. 15. 3. xxiij. 20. Quanquam iſtos etiam non debebant prorſus opprimere Exod. 22. 21. Ex dictis igitur elucet, cum in Lege injunctum eſt, ut proximus diligatur ita ut quiſque ſeipſum diligit Levit. 19. 18, proximum non ſolum publico hoſti Dei ac populi, ſed etiam unicuique extraneo opponi: cumque dictum eſt, *Odio habebis inimicum tuum*, nullum alium inimicum intelligi, quam publicos Dei & populi hoſtes, ſive ſint extranei, ſive impii Iſraëlitæ.

Verſ. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benedicite iis qui maledicunt vobis, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos, & pro infectantibus vos.*] Loco odii ac perſecutionis inimicorum, quæ ſub Lege imperata erat, præcipit Chriſtus dilectionem inimicorum, & quidem tantam dilectionem, ut non modo nihil mali inimico inferatur, ſed ut beneficiis quoque afficiatur, & malum bono compenſetur, imo etiam Deus pro eorum proſperitate, ac inprimis pro eorum converſione ac emendatione oretur.

Quod præceptum hoc de dilectione inimicorum etiam in hac vita magnam adferat utilitatem, monſtravit Paulus Rom. 12. 20, ex Proverb 25. 21, 22. Ubi Salomon idem docet, non tanquam rem in Lege præceptam, ſed quam ſublimi ſua ſapientia, & per experientiam aſſecutus erat, eſſe perutilem; atque idcirco id tanquam prudens conſilium (qualia pleraque in ejus Proverbiis continentur) aliis præſcripſit. Quanquam is etiam ibi tantum de inimico loquitur, qui ſit Iſraëlita.

Benedicite.] Id eſt, comiter ac benigne eum alloquimini.

Verſ. 45. *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt; qui Solem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Id eſt, ut Patri veſtro cœleſti ſimiles atque ita veri ipſius filii evadatis. Eſt Hebraiſmus; quemadmodum etiam filii Abrahami vocantur, qui ipſi in fide ſimiles ſunt Gal. 3. 7. Quiſquis igitur Filii Dei eſſe cupit, prout omnes Judæi hoc titulo gloriabantur, is oportet, ut Deum non minus in beneficentia ac miſericordia: quam in omnibus aliis virtutibus, imitetur. Jam vero Deus erga omnes homines abſque diſcrimine eſt benignus ac liberalis, non modo erga ſuos amicos homines pios ac juſtos, verum etiam erga ſuos inimicos, id eſt, homines improbos ac injuſtos, dum propter omnes tum Solis calore, tum pluvia terram reddit frugiferam, ut unicuique neceſſaria ſuppeditare queat. Ideoque etiam debet quilibet verus Chriſti diſcipulus, qui Dei Filius eſſe deſiderat, non omittere egenti homini benefaciendi occaſionem, propterea quia ipſius eſt inimicus.

Verſ. 46. *Si enim diligitis eos qui diligunt vos, quam mercedem habetis? nonne & publicani idem faciunt?*] Hic Chriſtus ſubjicit adhuc aliam, & quidem duplicem rationem, cur inimicos noſtros diligere debeamus. Prima eſt, quia alias non eſſemus meliores, quam publicani, qui etiam ſuos amicos diligebant, & inimicos odio proſequebantur. Atqui Chriſtianis incumbit, ut ſanctitate & perfectione omnes alios homines in toto mundo, ipſos quoque Phariſæos ac ſcribas (verſ. 20) qui tamen ſanctiſſimi omnium habebantur, quanto magis impios atque injuſtos publicanos, exſuperent. Secunda eſt, quia Chriſtiani non vulgare, ſed peculiare & excellentiſſimum præmium à Chriſto expectant; idcirco par eſt, ut eorum virtutes peculiares atque excellentes ſint.

Quam mercedem habetis?] Nempe à Deo. Nam apud homines iſti ſuam mercedem habebant. Vide cap.6. 2.

Publicani.] Qui vectigalia, Judæis à Romanis impoſita, exigebant. Qui publicani non ſolum Romani, ſed Judæi quoque erant: ut exemplum Matthæi & Zachæi docet Matth.10. 3. Luc.19. 2, qui ſcilicet vectigalia à Romanis conduxerant, aut eis pro certo pretio præfecti erant. Iſti pro peſſimis hominibus habebantur, cum quibus alii Judæi nullum habere volebant commercium, ut ex Marc. 2. 16. Luc.7. 34 liquet: non modo propterea, quia hæc ſervitus dandi tributa apud Judæos maximopere exoſa erat, ſed etiam quia iniqua ac immodica exactione hominibus graves erant, ut patet ex Luc.3. 13.

Verſ. 47. *Et ſi ſalutatis amicos veſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici ſic faciunt?*] Id eſt, ſi amicos blandis excipitis verbis, inimicos autem indignos ullo verbo benigno judicatis. Erat enim id in more poſitum inter Judæos, ut nonniſi fratres ſuos, id eſt, Iſraëlitas ſalutarent, alios vero non dignabantur amico alloquio. Quem morem nunc Chriſtiani tantum adverſus eos retinent, qui religionem Chriſtianam aliquando profeſſi, ab ea reſilierunt ac deſciverunt. Vide 2 Joh.10.

Verſ. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter, qui in cœlis eſt, perfectus eſt.* Hoc loco quidem perfectio longius trahenda non eſt, quam res, de qua agitur, fert, ut nimirum in dilectione Deo ſimus ſimiles. Si ſolos amicos diligamus, dilectio noſtra imperfecta eſt, neque ſimilis Dei dilectioni: perfecta autem eſt, Deique dilectioni ſimilis, ſi etiam inimicos noſtros diligamus. Non poteſt enim dilectio aſcendere altius, quam ſi etiam inimicos in ſe complectatur. Cæterum poteſt noſtra dilectio tam erga amicos, quam erga inimicos imperfectior eſſe dilectione Dei, ſi ſcilicet eos quidem diligamus, ſed non tam impenſe, quam Deus. Etſi vero Chriſtus hoc loco tantum de dilectione loquatur, id tamen in genere de ſanctitate intelligendum eſt, ut in ea ſimus perfecti atque ita Deo ſimiles, id eſt, ne ullum peccatum aut crimen in nobis dominetur, & ſic invaleſcat, ut ejus habitum contrahamus (vide Rom. 6. 12.) ſed ut in omnibus ſanctitatis ac virtutum ſpeciebus vivere condiſcamus. Quanquam in qualibet virtute maxima eſt perfectionis differentia inter nos & Deum; quandoquidem impoſſibile eſt, ut nos mortales fragileſque homines Deo ſanctiſſimo per omnia perfecte ſimiles ſimus, id eſt, ne ullum unquam peccatum committamus. Ad quam perfectionem ſolus Chriſtus pervenit Eſai.53. 9. 2 Cor. 5. 21. 1 Petr.2. 22. 1 Joh.3. 5.

Quod autem id quod Chriſtus hic de perfectione docet, non ſit tantum conſilium, quod illis dederit, qui ſingularis & excellentis ſanctimoniæ ſtudioſi ſunt, ſed quod ſit verum præceptum, ad quod ſervandum omnes obſtricti ſunt, qui ſalvi eſſe cupiunt, ſatis demonſtrant ipſa hoc loco clariſſima verba. Hinc etiam Paulus vult, ut omnes Chriſtiani ſint perfecti 1 Cor.14. 20. Col. 1. 28. IV. 12, & imitatores Dei Epheſ. 5. 1. Vide etiam Luc. 6. 36. 1 Joh. 1. 7. iij. 3. 1 Petr. 1. 15. Jac. 1. 4. iij. 2.

I. APPENDIX.

ad Verſ. 17.

Quomodo Chriſtus Moſaicam Legem impleverit; & quod Chriſto atque Apoſtolis immerito objiciatur, eos contraria Legi docuiſſe.

CUm Judæi Chriſtianis objiciant, Chriſtum & Apoſtolos multa talia docuiſſe, per quæ Lex Moſis violata eſt, operæ pretium eſt, re ab altiori origine repetita, declarare, quo pacto Chriſtus Legem impleverit. Notum eſt cuivis, duplicem eſſe Legem. Primo eſt Lex naturalis, quæ non calamo, non atramento in charta, ſed per lumen rationis in omnium hominum cordibus inſcripta eſt, ac propterea æterna ac immutabilis eſt. Eſt enim quaſi radius quidam emanans ab illa immutabili ſapientia, quæ in Deo eſt. De hac Lege loquitur Paulus, dum ad Romanos ſcribit, *quod Gentes, quæ Legem non habent, dum natura, quæ Legis ſunt, faciunt, ſibi ipſis ſint Lex, ut qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis* Rom.2. verſ.14,15. Secundo eſt externa ſcripta Lex, quæ vulgo Poſitiva Lex dicitur, nempe quæ pro uniuſcujuſque Legiſlatoris arbitrio ac beneplacito certo populo aut nationi hominum ponitur, & plerumque mutationi obnoxia eſt. Tales Leges ſunt omnes illæ, quas cujuſque regionis Magiſtratus ſubditis ſuis præſcribere ſolet. Lex naturæ præcipue tantum reſpicit animum, ex quo de externis factis judicat, eaque bona vel mala eſſe ſtatuit, quatenus ex bono vel ex malo animo proficiſcuntur. Externa vero aut poſitiva Lex, inprimis ſi à Sapiente Legiſlatore poſita ſit, eodem quidem ſpectat, velletque, ut homines quam perfectiſſime probi bonique eſſent, ac omnia quæ mandantur vel prohibentur, ſponte, ac libenter, animoque candido facerent vel omitterent: ſed quia propter hominum perverſitatem ac malitiam ſcopum hunc non ſemper poteſt attingere, contenta eſt innocentia externa, & (prout inter homines, qui corda intropiſcere nequeunt, res aliter ſe habere non poteſt) judicat de animo ex factis externis. Itaque tales poſitivæ atque externæ Leges, non animo, ſed corpori ſolum præfiguntur, & de iis tantum

agunt

agunt rebus, quæ in oculos incurrunt, quæque manibus palpari queunt: cogitationes cordis malasque animi intentiones punire non solet, nisi in rebus maximis ac gravissimis. Quemadmodum autem Lex naturalis studet homines bonos reddere amore virtutis; ita externa Lex cogit eosdem bonos fieri formidine pœnæ. Si homines Legem naturæ observarent, & juxta regulas rectæ rationis vitam suam componerent, nulla externa scripta Lege opus esset. Sed quia homines indies magis magisque fiunt deteriores, ac pessima peccandi consuetudo propemodum in naturam vertit, necessarium fuit, ut talis malitia reprimeretur, utque homines per externas scriptas Leges comminatione pœnarum in viam virtutis reducerentur, quo alioquin eos ipsa ducebat natura. Hinc ait Paulus, quod justo non sit Lex posita 1 Tim. 1. 9. Imo externæ Leges ad delicta quædam minora interdum connivere coguntur, quando tam alte egerunt radices ut nulla spes sit ea eradicandi: nempe scilicet leges, si nihil proficiant, in contemtum veniant, suamque auctoritatem amittant.

Jam quod Mosaicam Legem attinet, quia soli Israëlitico populo lata fuit, ideo in ea partim talia fuere comprehensa, quæ ex universali Lege naturæ desumpta sunt, partim ea, quæ illius populi naturæ atque inclinationi, nec non illis temporibus & mundi ætati conveniebant. Lex naturæ docet, ut ei, cujus subsumus potestati, cum omni reverentia serviamus, eumque metuamus, & si magnis ab eo affecti simus beneficiis, ex animo diligamus. Si igitur homo veniat ad id cognitionis, ut Deum pro supremo Domino & auctore vitæ omniumque bonorum agnoscat, tum monstrat ipsi lumen rationis, quod eum super omnia alia summe honorare, metuere ac diligere, suamque fiduciam in eo collocare debeat. Similiter dictat ratio, alteri homini omnia ea præstanda esse, quæ quis cupit sibi ab altero præstari. Sicut autem ante Legem, qui pro viribus in id incubuit, ut hoc faceret, Deo acceptus fuit: ita etiam in Lege Mosaica talia fuere comprehensa, quæ indicant, Deum maxime talibus delectari. Ut cum vult, ut ipsum diligamus ex toto corde & ex tota anima Deut. 6. 5, ut corda circumcidamus Deut. 10. 16, ut proximum nostrum diligamus sicut nos ipsos Levit. 19. 18 ac similia. Hæc talia autem non pertinent proprie ad Legem (quod probe notandum est) sed sunt tantum scopus, ad quem Lex collimabat, quemque contingere in populo Israëlitico laborabat, in tantum, & tam perfecte, quam natura populi illius & ratio temporum ferebat. Idque ex eo apparet, quia tantum externis Legis transgressionibus, quæ in oculos incurrebant, proportionatæ pœnæ erant propositæ, internis autem & occultis delictis, quæ in animo perpetrari solebant, aut si quis Deum non ex toto corde diligeret, corque suum non circumcideret, nullæ. Imo etiam nonnulla externa leviora delicta partim sacrificiis partim verberibus expiabantur. Hoc autem peculiare habebat Lex Mosaica ab aliis civilibus legibus, quod obedientes non modo à pœnis immunes faceret, verum etiam obedientiam vita longæva aliisque hujus vitæ bonis compensaret; cum aliæ civiles leges humanæ nullam obtemperantibus compensationem præstent.

Jam expendemus, quomodo intelligendum sit, quod Christus hoc loco affirmat, se venisse *non ad solvendum* Legem, sed *ad implendum*. Hoc igitur ut intelligatur, tenendum est, scopum principalem Legis Mosaicæ fuisse, homines perfecte sanctos ac virtutum studiosos efficere: tales autem efficiuntur homines per timorem ac reverentiam Dei, perque dilectionem proximi. Hæc duo Christus maximum præceptum Legis appellat Matth. 22. 37, 38. Imo inquit, in his duobus totam Legem & Prophetas pendere ibid. ℣. 39, 40. Paulus quoque ait, dilectionem proximi esse impletionem Legis Rom. 13. 8. Gal. 5. 14. Et Jacobus scribit, per dilectionem proximi Legem Regiam perfici *secundum Scripturam* Jac. 2. 8, ubi Scripturam V. T. intelligit. Hinc proinde manifestum est, eos, qui sub Lege hæc duo, nempe dilectionem Dei & proximi, tam perfecte, quam Christi doctrina postulat, observabant, non amplius feciisse, quam Legis scopus ac intentio requirebat: tametsi interea Lex propter rationem temporum, & populi naturam, acquiesceret externa obedientia, atque ex ea de dilectione erga Deum ac proximum judicaret, quin & nonnulla ex necessitate quodammodo permitteret, quæ alias cum sanctitate, quam ratio naturalis dictat, haud congruebant. Cum autem Lex tam perfectam sanctitatem monstraret quidem, sed pauci sub Lege essent ex ipsis Israëlitis, qui ad eam pertingerent; Christus adventu suo effecit, ut omnes qui in ipsum credunt, ad tantam sanctitatem, per quam Deo gratissimi evadant, pervenire queant: non vi Legis, quæ magis apta erat malos gravi pœnarum comminatione in officio retinere, quam efficacibus promissis ex malis bonos efficere; sed peculiaribus mediis, quæ Dei nomine hominibus proposuit, nempe remissione peccatorum præteritorum, certa spe immortalitatis, & auxilio Spiritus Sancti, quem largissime in fideles effudit.

Ut vero proprius ad rem accedamus, considerandum est, triplicia contineri in Mosaica Lege præcepta. Aliqua ex Lege naturæ sumpta sunt, & ad bonos mores pertinent, ideoque æterna ac immutabilia sunt. Aliqua Deus in specie Judaico populo pro ratione naturæ ejus ac indolis, temporumque illorum (ut antea dictum) præscripsit. Quæ rursus duplicia sunt. Alia ad cultum Dei pertinebant, & varias complectebantur ceremonias; & idcirco Lex Ceremonialis nuncupatur: alia ad politiam ac societatem civilem spectabant. Quod ad primum genus præceptorum attinet, quæ ad mores & pietatem pertinent, omnesque simul (ut supra indicatum) in dilectione Dei, quæ perfectam quoque fiduciam in se comprehendit, & in dilectione proximi, tanquam in summa ac compendio continentur; tantum abest, ut Christus ea per suam doctrinam sustulerit, aut ad veram pietatem inefficacia reddiderit, ut potius ea clarius, quam unquam factum, proposuerit, ac rationem perfectissimam diligendi Dei & proximi, id est, Legem implendi, commonstraverit; dum non solum talia præcepta tradidit, quibus certa peccata prohibentur, sed talia quoque quæ ipsas quasi vitiorum radices exscindunt, eorumque fontes ipsos obstruunt. Quemadmo-

dum autem is transgressor Legis non est, qui eam perfectissima ratione servat ac implet, etsi Legislator propter humanam infirmitatem tam perfectam obedientiam necessario haud requirat, imo ad quædam, majoris mali evitandi gratia, connivet, quamvis cæteroquin naturæ legis non sint consentanea: Ita quoque is pro abrogatore legis habendus non est, qui talem doctrinam ac præcepta præscribit, per quæ Lex perfectissime servari potest, seu homines ad longe sublimiorem sanctitatem perduci queunt, quam Lex unquam requisivit; præsertim quando doctrina ejus simul per promissiones ampliſſimas, aliaque media adjuvantia tantas subministrat vires, ut homines præcepta illa implere possint, quas vires Lex antea non habuit.

Quod ad Ceremonialem Legem attinet, quæ ad externum Dei cultum spectat, Christus contra eam nihil docuit, sed eam potius implevit, partim dum omnes ritus legales hic in terris vivens observavit, aliosque ad eorum observationem adhortatus est: Matth. 8. 4. xvi. 18, partim dum id repræsentavit, quod per Ceremonias illas adumbratum fuit: quemadmodum etiam Prophetarum prædictiones, aliæque figuræ Veteris Fœderis, in Christo complementem acceperunt. Quod autem Ceremonialis Lex postea ipsa per se quasi evanuerit, factum id est ipsius Legis istius natura, quæ ita comparata erat, ut diutius quam ad adventum Christi durare non posset; non aliter, quam umbra evanescit, & imago utilis non est amplius, quando corpus ipsum appareret. Ceremonialis enim Lex per se & natura sua Deo placere non poterat (quid enim Deus delectaretur mactatione tot pecudum?) sed ad hunc solum data erat finem, ut Judaicus populus, qui tam pronus ad idololatriam erat, per eam à reliquis gentibus discriminaretur, & jugum quasi cervicibus ejus imponeretur, ne in idololatriam prolaberetur. Quare ubi venit tempus, quo discrimen hoc debebat aboleri, Judæique & Gentes unus populus fieri, atque ad communem purissimam & ab omni idololatria immunem religionem convocari debebant, adeoque fœdus circumcisionis impletum est, Lex ipsa per se cessavit, quia causa ob quam data erat, cessavit. Lex enim hæc data erat usque dum veniret semen illud, quod Abrahamo promissum erat Gal. 3. 16. Cujus promissionis circumcisio signum & quasi pignus aut arrhabo fuit. Atque hoc etiam Prophetæ non obscure significarunt, dum de Novo Fœdere vaticinati sunt, quodque futurum sit, ut sacrificia certo non sint alligata loco Jer. 31. 31, sed in spiritu & animo per sanctam obedientiam peragantur. Vide Jer. 7. 22, 23. Hos. 6. 6. 1 Sam. 15. 22. His consonat Christus, inquiens, venire horam, qua veri adoratores, Patrem, tam alibi quam Hierosolymis, *in spiritu & veritate adoraturi sint* Joh. 4. 23. Quocirca necessarium non erat, ut Lex Ceremonialis abrogaretur, quæ ad certum tempus tantum data erat, quod tempus ubi venit, ipsa per se desiit, atque sic paries intergerinus, qui utrumque populum dividebat, ultro collapsus est Ephes. 2. 14. Eodem modo leges, quæ tempore belli feruntur, vim suam perdunt, & non valent amplius, quando pax inter partes constituitur. Satis erat, quod Christus pacem inter Judæos & Gentes annunciarit, quod partim verbis fecit, abiturus à suis discipulis Matth. 28. 19, partim visione cœlesti Act. 10. 2, partim effusione Spiritus Sancti, tam in Gentes fideles, quam in Judæos Actor. 10. 15, 45. Ut ita Christus revera nihil contra Ceremonialem Legem egerit; quo pacto is nihil facit contra leges bellicas, qui pacem adfert. Atque huc facit illud Pauli, quod Christus sit Legis finis Rom. 10. 4. Nimirum sicut pax est belli finis, & meta ad quam quis tendit, est itineris finis. Quicquid enim in Lege est, ad Christum respicit, tanquam ad ultimum finem ac scopum, in quo omnia, quæ ibi obscura erant & sub figuris latebant, velut in vero corpore perfectissime impleta sunt.

Quod denique Leges attinet, ad solam politiam & conservationem civilis societatis bonique ordinis spectantes, inter quas præcipue erant, in quibus certis peccatis ac transgressionibus certæ pœnæ assignatæ erant, illæ quoque ipsæ per se corruerunt & interciderunt tunc; cum justo Dei judicio urbs Hierosolyma, una cum tota Judaica politia, tunc temporis adhuc reliqua, eversa est, populus terra sua ejectus, & per mundum universum dissipatus est. Ita ut Judæi ipsi ab illo tempore legibus istis amplius non utantur; quemadmodum etiam jam Christi temporibus, cum Romanorum jugo subjecti essent, carebant suppliciorum capitalium potestate, ut ex Johanne colligitur Joh. 18. 31. Interea vero, quia scopus ac finis talium Legum est bonus ordo, universalis pax & tranquillitas, imo felicitas uniuscujusque civilis societatis, tantum abest, ut Regnum Christi propterea, quod in eo non sit iterum Mosaica politia erecta, quodque criminales Leges non sint eodem modo, quo illic, rursus institutæ, ulli confusioni & ataxiæ obnoxium sit, ut potius omnia illa in eo comprehensa sint, quæ etiam sapientissimi Legislatores ad optimum statum ac felicitatem Reipublicæ alicujus & civilis societatis excogitare atque præscribere possunt: unde fit, ut regimen hujus regni etiam Judaicam politiam in perfectione & sapienti ordine longe antecellat. Uti enim omni tempore duplex hominum genus reperiuntur, quorum alii promissis ac beneficiis, alii rursus minis ac pœnis ad obsequium flectuntur; ita Christi Regnum in utroque multum superat perfectione Regnum Israëliticum. Nam promissiones à Christo propositæ infinitis partibus excellentiores sunt, ideoque infinite majores vires habent ad obedientiam homines adducendi, quam promissiones legales. Et quemadmodum in Regno Christi longe perfectior obedientia requiritur, quam sub Lege, Christusque suis longe excellentiores virtutes præscripsit, quam quæ in eo reperiri possunt, qui non aliis quam carnalibus promissis ad obedientiam excitatur: ita transgressionibus etiam multo graviores pœnæ in Regno ejus præparatæ sunt, quam ulli homines malefico possunt infligere. Hoc pacto supplicia in Regno Christi longe sunt rigidiora quam sub Lege Mosis; præterquam quod pœnitentiam agentibus adhuc gratia possit obtingere. Nam Mosis Lex plectit quidem homicidas & adulteros capite: sed illi, qui timere iratcitur fratri, suo, qui eum convitiis incessit, vel qui alienarum uxorum cupiditate in animo suo flagrat, nulla in ea

est con-

ĕſt conſtituta pœna. At Lex Chriſti cum qui iraſcitur fratri ſuo temere, æquat homicidæ, ratione pœnæ: & cum qui fratrem levi convitio aſpergit, & dicit ei Raca, vel Fatue, judicat dignum eodem ſupplicio, quo puniendi ſunt blaſphemi, idololatræ, aliique homines ſceleratiſſimi. Etiam qui mulierem tantum adſpicit ad concupiſcendum eam, ille in hoc ſancto Regno eſt adulter, habetque paratam ſibi pœnam ignis Gehennæ: ut Matth. 22, 28, 29 videre eſt. Itaque Chriſtus etiam hac in parte Legem Moſis perfecit, dum talibus rebus certas aſſignavit pœnas, quæ in Lege Moſis pœnæ non ſubjacebant ulli, adeoque illi qui comminationibus potius quam promiſſis ad obedientiam adduci volunt, in anguſtiores timoris cancellos conjecti ſunt. Quod autem Chriſtus in Regno ſuo pœnitentibus adhunc aliquam gratiam largiatur, etiam commeritas pœnas non extemplo in ſingulos effundat, ſed emendationem patienter expectet, id eſt naturali æquitati conſentaneum; eſtque id in uniuſcujuſque Legiſlatoris manu ac poteſtate ſitum, ſuas leges pro ratione temporis, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum intendere vel remittere. Hinc videmus, Deum quoque Regi Davidi pœnam adulterii ac homicidii remiſiſſe, qua ſecundum Legem afficiendus erat, quia ſcilicet Deus animi ejus reſipiſcentiam reſpexit. Si igitur Deus hac in parte à rigore Legis potuit recedere, cur non idem quoque in aliis omnibus peccatis facere potuit? Quare Judæi ex eo, quod Lex Chriſti rigorem Legis Moſaicæ non obſervet, ſed pœnitentibus gratiam offerat, inferre non poſſunt, eam non eſſe à Deo: nam hac ratione etiam Nathan Propheta, qui Davidi remiſſionem pœnæ annunciavit, à Deo non fuiſſet.

Porro etſi pœnæ, à Chriſto in nova Lege ſui Regni tranſgreſſoribus conſtitutæ, non in hoc ſeculo, ſed in illo demum noviſſimo die judicii univerſalis ad executionem deducendæ ſint, non tamen ſimpliciter dici poteſt, Chriſtum omnes corporales pœnas in ſuo Regno, quod per univerſum mundum extenditur, ſuſtuliſſe; quanquam non vult illa à ſuis electis, & Dei filiis, ſed à ſervis, qui extra ſanctam ipſius Eccleſiam ſunt poſiti, adminiſtrari. Novit enim ille ſapienter procurare, ut qui non ſinunt ſe regi ſpiritu ipſius, & ob facinora ſua à ſancta ipſius Eccleſia excluduntur, extra eam nihilominus in manus carnificis deveniant, vel ab aliis interimantur, vel alia ratione affligantur. Taceo univerſalia judicia, quæ Chriſtus immittit integris regionibus ac Regnis, quibus impios homines, patientia ipſius ad ſui emendationem uti nolentes, in ira ſua conſumit. Adeo ut, ſi corporales pœnæ propter exemplum ac terrorem aliorum, & ad conſervandum bonum ordinem conducant, illæ multo frequentiores in Regno Chriſti reperiantur, quin longe ſapientius ac prudentius infligantur, quam unquam in Iſraëlitico regno factum eſt. Præterea Chriſtus ejuſque Apoſtoli docuerunt, ſerioque urſerunt, ac inculcarunt, ut cujuſvis Magiſtratus legibus ac mandatis, quæ veræ pietati adverſa non ſunt obtemperetur Rom. 13. 1. Tit. 3. 1. 1 Petr. 2. 13. Ideo etiam Chriſtiani, qui ſub Moſaica Politia vixerunt, ejuſdem leges, quamdiu in ſuo vigore permanebant, ſervare obligati fuere. Cumque tandem omnes ejuſmodi leges ac ordinationes directæ ſint ad conſervandam tranquillitatem, pacem ac unitatem in civili ſocietate, Chriſtus quoque hac in re Legem Moſis implevit, dum pacem & charitatem perfectiſſima ratione docuit. Quod autem Deus poſtea, ut antea memoratum, per excidium & plenam totius Judaicæ politiæ everſionem, rei iſti talem exitum dederit, de eo ſi volunt, Judæi Deo litem moveant.

Ex his omnibus jam elucet, Apoſtolos in ſua doctrina neque cum Chriſto neque ſecum ipſis pugnare, uti Judæi Chriſtianis objectare ſolent. Nam primo nihil oſtendi poteſt, quod Apoſtoli contra Legem naturæ, quatenus illa Legi Moſaicæ inſerta erat, docuerint; ſed æque ac Chriſtus, uti dictum ſuperius, eam magis illuſtravit, ita & Apoſtoli talem ipſius doctrinam exactiſſime retinuerunt. Atque hæc eſt *perfecta* illa Lex, de qua Jacobus cap. 1. 25. Secundo quod rituales leges attinet, quas Chriſtus implevit, dum res ipſas illis adumbratas exhibuit, in iis Paulus plane conſentit cum Chriſto, inquiens: *Legem igitur inutilem reddimus per fidem? Abſit: imo Legem ſtabilimus* Rom. 3. 31. Quod autem idem Apoſtolus dicit, *Chriſtum præcepta, quæ in placitis conſiſtebant, aboleviſſe* Eph. 2. 15, quod videtur ſuperiori dicto eſſe contrarium: id eo ipſo factum eſt, dum Chriſtus præcepta, quæ in placitis poſita erant, implevit. Non quod vinculum legis ſolverit, ſed quod cauſam illam ſuſtulerit, ob quam præcepta illa tradita erant. Quæ cauſa quia exolevit & evanuit, idcirco etiam Lex ipſa, ſecundum Dei intentionem, quam in prima ejus inſtitutione habuit, exoleſcere debuit. Quod etiam Apoſtolus Paulus Legem vocat *ſpiritualem* Rom. 7. 14. Auctor vero Epiſtolæ ad Hebræos appellat eam *carnalem* Hebr. 7. 16. 9. 10, id adverſa fronte non pugnat. Spiritualis enim eſt, ratione finis, quia ad ſanctimoniam collimabat: carnalis autem, ratione rituum ac ceremoniarum per ſe conſideratarum, quæ non habebant vim animum reformandi, & hominem ſpiritualem efficiendi. Quanquam ſcriptor ad Hebræos loco citato de illo carnali præcepto loquitur, quo inſtitutum erat, ut ſummi Pontifices ex Aaronica familia continuato ordine eligerentur. Et tantum de his.

II. APPENDIX.

Ad verſ. 20.

Quod voces Regni cœlorum non à Chriſto primum in ſignificatione vitæ æternæ uſurpatæ ſint, ſed jam tum in uſu inter Judæos fuerint.

VOces *Regni cœlorum*, ut & *Regni Dei* apud Judæos non tantum accipiebantur pro glorioſo Regno Meſſiæ, in quo ſignificatu Johannes Baptiſta dixit, *appropinquaſſe Regnum cœlorum* Matth. 3. 2; ſed etiam per eas intelligebatur beatus ſtatus vitæ æternæ in cœlis. Itaque voces iſtæ in hoc ſenſu non à Chriſto ſunt primum uſurpatæ, ſed jam ante inter Judæos uſitatæ fuerunt. Etenim jam alibi de titulo N. T. cap. 2. explicavimus, ſanctos ac pios homines etiam ſub V. F. vitam æternam credidiſſe, non quidem vi alicujus promiſſionis, ſed ex fiducia ſummæ Dei bonitatis, & ex conſideratione ejus, quod in hac vita nullum verum præmium ſuæ ſinceræ obedientiæ acciperent, ſed totum vitæ ſuæ curſum potius in miſero ſtatu con-

ſumerent: ex quo collegerunt, Deum ſibi poſt hanc vitam præmium eſſe largiturum. De quo argumento ſcriptor ad Hebræos cap. 11 fuſe tractat. Hæc bona perſuaſio à primis Judæorum progenitoribus deinceps ad pios poſteros propagata, ab eiſque conſervata eſt. Poſtea quemadmodum Prophetæ Judaico populo in aliis rebus ad ſapientem ac ſpiritualem conſiderationem Legis anſam præbuerunt, eumque ad ſanctiorem obedientiam, quam quæ à Lege literaliter intellecta requirebatur, exhortati ſunt; ſic etiam de præmio piorum nonnullas prædictiones ita protulerunt, ut etſi literali ſenſu ad aliud reſpiciant, ſuumque complementum adhuc in præſenti tempore habuerint, majeſtas tamen ipſa verborum, quibus uſi ſunt, ſapientiores ac perſpicaciores ad ſublimius aliquid cogitandum incitare potuerit. Inter quas prædictiones eſt illa Danielis Prophetæ cap. 12. 2, 3 & Ezechielis cap. 37. verſ. 12, 13. Prophetis ſucceſſerunt viri docti ac ſapientes inter Judæos, qui ſapientiam ſuam non à Spiritu Dei immediate hauſerunt, ſicuti Prophetæ, ſed per profundam meditationem & excolendo intellectam ſuum eam conſecuti ſunt, dum conſiderarunt, tum naturalem & inevitabilem cupiditatem animi humani, qua ad immortalitatem fertur, quam crediderunt, hominibus à Deo creatore ſuo non fruſtra eſſe inditam, tum immenſam Dei benignitatem, de qua perſuaſi fuerunt, quod parum ei futurum ſit, ſi ſincerum obſequium ſuæ creaturæ, temporali tantum præmio remuneraretur; præterea etiam viderunt, Deo non eſſe impoſſibile, homines in beatiſſimum illum ſtatum tranſferre, in quo ſancti degunt Angeli, & cujus in Enocho & Elia viva exempla habuerunt. Hi ſapientes neceſſarium duxerunt, populum in graviſſimis perſecutionibus atque calamitatibus, præcipue ſub Antiocho, ſpe æternæ remunerationis, ad conſtantiam & ſponte oppetendam Legis divinæ cauſa mortem, erigere. Hinc inter Judæos ſententia non tantum de immortalitate animarum, ſed etiam de reſurrectione mortuorum, in qua animæ rurſus nova corpora nanciſcentur, exorta eſt, publiceque inculcata, ut ex libris Maccabæorum 2 Macch. 7. 9, 11, 14, 29, & ex Actis Apoſtolorum cap. 23. 8 cernitur. Ad quas ſententias confirmandas ſupra indicata loca Danielis & Ezechielis ſenſu myſtico ac ſpirituali adhibuerunt. Ut adeo tempore Chriſti jam à Judæis reſurrectio piorum à mortuis, & æterna beatitudo, quam Meſſias allaturus eſſet, credita fuerit: non ex certo aliquo divinæ promiſſionis aut claræ revelationis fundamento, ſed ex rationabili conjectura, quæ ſine dubio in vere piorum animis per Spiritum Sanctum eſt obſignata.

Jam quæritur; quomodo de Chriſto dicatur, quod ille *vitam & immortalitatem in lucem produxerit, per Euangelium*? 2 Tim. 1. 10. Nimirum ſicut inter ſapientiores Græcos quidam immortalitatem animarum crediderunt, quidam plane negarunt, quidam de ea dubii hærebant: ita etiam inter Judæos opinio de reſurrectione & ſempiterna remuneratione dubia fuit ac incerta. Phariſæi eam propugnabant, Sadducæi autem eam negabant, ut qui nihil admitterent, niſi quod diſertis verbis in ſcriptis Moſis extabat. Phariſæi vero, quia nullum aliud opinionis ſuæ fundamentum habebant, præter traditiones ſuorum Majorum, & rationi conſentaneam conjecturam, in re tam perplexa & in tot Scholis controverſa, fluctuabant & ipſi animo. Hac in re igitur Chriſtus omnem dubitationem ſuſtulit, dum claram promiſſionem reſurrectionis mortuorum & ſempiternæ remunerationis à Deo cœlitus attulit. Cujus doctrinæ ſuæ confirmandæ cauſa, cum non tantum mortuos rurſus vitæ reſtituerit, ſed etiam ſeipſum poſt mortem multis ſuorum exhibuerit vivum, per Apoſtolos quoque ſuos aliquot mortuos excitari curaverit, merito potuit æquus animus in ea doctrina acquieſcere, nec ampliora ad fidem plenam ei adjungendam requirere documenta. Hinc jam manifeſtum eſt, voces *Regni cœlorum*, etſi in ſignificatione æternæ remunerationis nuſpiam in Moſis ac Prophetarum ſcriptis reperiantur, non tamen à Chriſto primum uſurpatas fuiſſe, ſed illum eas è vulgari ac populo uſitata loquendi conſuetudine ſumſiſſe, uti etiam vocem Paradiſi, Gehennæ, & plures alias.

Chriſto igitur propoſitum eſt, hic & in toto ſequenti ſermone præter alios etiam hunc reſellere errorem, quod ſanctitas in ſola operum innocentia ac irreprehenſibilitate abſque interna animi obedientia, (qualis Phariſæorum ac Scribarum ſanctitas erat) ſufficiat ad regnum cœlorum obtinendum. Sanctitas operum habuit quidem juſtificationem ſuam, ſed tantum ab hominibus, afferebatque temporariam felicitatem. At Regnum cœlorum à Deo, qui eſt Spiritus, non corporali innocentiæ, ſed ſpirituali juſtitiæ, cujus cauſa efficiens eſt vera fides cordis, deſtinatum erat. Atque ex hoc pernicioſo errore profectum eſt, quod cum crederent, externa opera tam coram Deo, quam coram hominibus ſufficere, de remiſſione peccatorum non multum laborarent, neque ſeriam de evellendis animo iis peccatis cogitationem ſuſciperent, quæ homines quidem non magni æſtimant, coram Deo autem gravia ſunt: quin etiam exiſtimarent, ſe nullo indigere medico, qui eos curaret, cum nullum ſentirent morbum. Et hoc eſt, quod illis Chriſtus pluribus locis objicit: ut etiam Paulus in ſua Epiſtola ad Romanos; in qua oſtendit, id ipſum eorum interitum ac perditionem eſſe, quod ſe juſtitiæ Dei, quæ ſpiritualis eſt, ſubjicere nolint, ſed ſuam propriam carnalem ac humanam juſtitiam ſtabilire contendant. Vide Rom. 10. 3.

Non caruerunt quidem Phariſæi etiam aliis erroribus, qualis erat ille inter cæteros, quod traditiones hominum mandatis divinis æquarent, aliquando etiam præferrent, quod perſæpe etiam in externis operibus ſeſe innoxios non præſtarent, quod in leviculis nonnullis ceremoniis magnum zelum oſtentarent, ut ea ratione maxima peccata ſua expiarent &c: at Chriſtus iſtos errores hic non attingit, ſed ultro largitur eis ac tribuit illam innocentiam, per quam à pœnis in Lege conſtitutis immunes eſſe poſſint, monſtratque eos falſo ac fruſtra ſibi ſpe adipiſcendi Regni cœlorum blandiri: ſiquidem longe alia & perfectior obedientia ab iis requiratur, qui Regnum cœlorum participare cupiunt. Hæc qui expenderit diligen-

diligentius, facile agnoſcet, ea quæ Chriſtus in ſequentibus docet, non eſſe mera conſilia, iis qui ad perfectionem adſpirant, data, ſed eſſe neceſſaria præcepta, quæ ſub amiſſione ſalutis obligant, idque non ſolos Apoſtolos ac Doctores, ſed omnes fideles, qui partem in Regno cœlorum habere cupiunt.

III. APPENDIX.

Verſ. 22.

De tribus diſtinctis Judiciis Hieroſolymæ, & in civitatibus Judææ. Inprimis de Synedrio & ejus origine & auctoritate.

Nec non de Synagoga Magna.

UT ea, quæ Chriſtus de judicio, & de Conſeſſu vel Synedrio, cui obnoxii ſint convitiatores, dixit, tanto melius percipiantur; id aliquanto plenius explicabimus, inprimis autem de Synedrio, cujus crebra occurrit in Novo Teſtamento mentio. Hieroſolymis triplex fuit Judiciorum genus. Primum peragebatur in porta ſancti montis, in quo ſitum erat Templum. Alterum in porta areæ Templi. Tertium, in quadam Camera Templi, dicta Camera lapidum exciſorum, nempe in illa parte Templi, quæ *Gazith*, id eſt, *exciſus* vocabatur. Hæc tria Judicia ita erant inter ſe diſtincta, ut à primo ad alterum, ab altero ad tertium daretur appellatio, & ſententiæ latæ mutatio ac emendatio ſperari poſſet. Itaque ſecundum Judicium erat ſublimius quam primum, & tertium erat ſuperius quam ſecundum: hinc honori ſibi ducebant Judices, ſi ex primo conſeſſu vel ſenatu ad ſecundum, & è ſecundo ad tertium promoverentur. Ad hunc ordinem trium Judiciorum reſpicit Chriſtus, dum verſ. 22 ait, eum qui irascitur fratri ſuo, *judicio*, eum vero qui dicit ei *Raca*, *Synedrio* obnoxium fore. Nam per *Judicium* (Gr. κρίσις) intelligit primum ex ſupra dictis judiciis. Per *Synedrium* intelligit tertium. Secundum ſilentio tranſmittit. Primum & ſecundum conſtabat unumquodque 23 perſonis, nempe 7 Judicibus, quibus ſingulis duo juriſconſulti adjungebantur. Vide Joſeph. lib. 4. cap. 8. His adhuc unus aut alter è viris prudentiſſimis præponebatur, ut ita numerus integer uniuſcujuſque è duobus iſtis Judiciis, faceret viginti tres. Primo Judicio, quod non ſolum Hieroſolymis, ſed & in aliis Judææ civitatibus ac oppidis in portis habebatur, ut & ſecundo, inter alia crimina homicidium quoque obnoxium erat, graviſſimumque ſupplicium, quod in eo decernebatur, erat mors gladio illata. Tertium Judicium erat ſupremum Concilium, quod in Græca lingua ſimpliciter & in ſummo gradu, ſive per excellentiam dicebatur *Synedrium*, id eſt, *conſeſſus*, ſubintellige, Senatus vel Senatorum: (Thalmudiſtæ vocant Sanedrim, quæ vox ex Græco ſumta eſt) etiamſi & priora duo non minus conſeſſus ſeu conventus ſenatorum fuerint, quæ de rebus ſibi ſubjectis judicabant. Vocabatur autem etiam hoc tertium Judicium ad diſtinctionem aliorum *Synedrium Magnum*. In Actis Apoſtolorum cap. 5. 21 appellatur γερουσία τῶν υἱῶν Ισραὴλ, Senatus filiorum Iſraël. Apud Lucam cap. 22. 66. πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, Senatus populi, ad differentiam conventuum & Judiciorum in oppidis celebrari ſolitorum, quæ etiam πρεσβυτέρια dicebantur. Conſtabat autem hoc Magnum Synedrium LXX primariis ac prudentiſſimis viris è Pontificibus, Legiſperitis ac Senioribus populi: ut infra cap. 26. 3. Inter hos unus ſupremus erat, qui *Princeps Synedrii* vocabatur, qui conſultationibus præerat, ac ſuffragia numerabat & conſignabat. Huic competebat præcedentia ac ſupremus locus. Proximus huic erat, qui *Pater Synedrii* dicebatur, qui forte, præter alia officia, etiam vices Principis in ejus abſentia obibat. Hoc Synedrium manſit continuo Hieroſolymis, uſque ad ultimum urbis excidium. Proponebantur autem in eo ac judicabantur cauſæ omnium graviſſimæ: ut de blaſphemia, de idololatria, de falſis Prophetis, de adulterio; item de Rege & de læſa Regia majeſtate, & quæ ei annexa erant, nec non de rebus ad integram tribum, aut totam civitatem ſpectantibus. In criminalibus graviſſimum ſupplicium erat lapidatio, quæ nex magis erat horrenda, quam quæ gladio inferebatur. Ut vero etiam de origine hujus Synedrii, quando & quomodo primum inſtitutum ſit, & qua ratione poteſtas atque auctoritas ejus magis magiſque increverit, nonnihil addamus; ſciendum eſt Iſraëlitas, cum adhuc in Ægypto eſſent, & ſeorſim habitarent, ſuos Seniores ac Præpoſitos habuiſſe, qui negotia populi curabant, quantum per mandata Regis Ægypti licebat. Horum Seniorum mentio fit Exod. 3. 16 ubi Deus præcipit Moſi, ut *congreget Seniores Iſraëlis, & dicat ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit &c.* Quod etiam Moſes fecit, & una cum fratre ſuo Aarone *convocavit Seniores è filiis Iſraël* Exod. 4. 29, mandatumque Dei eis propoſuit. Quod Seniores iſti fuerint numero 70. patet Exod. 24. 1. & 9. ubi expreſſe ſcriptum eſt: *Tunc aſcenderunt Moſes & Aaron, Nadab & Abihu, & 70 Seniores*, nempe in imam partem montis Sinæ. Et probabile eſt, ſicut in memoriam 12 filiorum Jacobi, 12 tribus Iſraëlis, & totidem principes tribuum, inſtituti fuerunt; ſic etiam in memoriam 70 animarum, quæ cum Jacobo in Ægyptum deſcenderant Gen. 46. 27. Deut. 10. 22. ſeptuaginta (vel 72) Seniores Iſraëlitico populo præfectos fuiſſe. Quo tempore Moſes ducebat populum ex Ægypto, Seniores iſti nullam habebant judicandi poteſtatem, ſed Moſes ſolus populum judicabat, uſque dum Socer ejus, videns eum maxime aggravari, admonuit ipſum, ut tanto oneri ſemet ſubduceret, curaretque eligi viros Dei timentes, veraces, oſores turpis lucri, ac eos ſuper populum conſtitueret, præficiens alios millenis, alios centenis, alios quinquagenis, ut omnes res minoris momenti ipſi in populo judicarent, graviora autem ad ipſum referrent Exod. 18. ℣. 21, 22. Hinc apparet, LXX Seniores populi tunc nondum poteſtatem ullam judicandi habuiſſe. Quod etiam ex eo cernitur, quod cum Deus Moſi mandaſſet, ut cum Aarone, Nadab & Abihu, in inferio-

rem partem montis aſcenderet, poſtea autem Moſen ſolum ad ſe in ſummum montis verticem vocaſſet, Moſes una cum Joſua aſcendens, 70 Seniores inferius manere juſſerit, & ad eos dixerit : *Expectate hic donec revertamur ad vos. Ecce Aaron & Hur eſt vobiſcum : qui habuerit aliquam controverſiam, veniat ad eos* Exod. 24. 12, 13, 14. Ubi Moſes diſerte munus in abſentia ſua judicandi non 70 Senioribus, ſed Aaroni & Huri defert. Aliquanto poſt demum, cum quereretur Moſes coram Deo, ſibi onus totum populum regendi nimis grave eſſe, etſi minorum cauſarum judicia ex Soceri ſui conſilio aliis demandarat, ſic eum affatus eſt Deus : *Congrega tibi ſeptuaginta viros è Senioribus Iſraëlis, quos noſti eſſe Seniores populi ac moderatores ejus, & adduc eos ad tabernaculum fœderis, & ſiſte eos ibi coram te. Tum deſcendens loquar tecum ibi, & ſumam de ſpiritu qui ſuper te eſt, ponamque in eis, ut portent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris* Num. xi. 16, 17. Ubi vox *Seniorum* latiori ſignificatu accipitur quam Exod. 24. 9. Ibi tantum 70 Seniorum fit mentio : hic autem Moſes jubetur ex *Senioribus* 70 viros eligere. Oportet itaque hos plures quam 70 fuiſſe. Nimirum apparet, hac voce comprehenſos fuiſſe etiam alios Præfectos Judæorum, qui quidem non ad judicandum conſtituti erant, ſed alias functiones in populo obibant. Tales præfecti erant illi, qui à Pharaonis præpoſitis cædebantur ideo, quod populus penſum diei non abſolveret Exod. 5. 14. Non enim veriſimile eſt, iſtos præfectos è numero illorum Seniorum fuiſſe, quorum mentio in allegato loco fit Exod. 3. 16. iv. 29, quia Seniores, quorum 70 erant Exod. 24. 9, in tanta populi multitudine circa judicia & alia graviora negotia, quæ quotidie occurrebant, occupati erant, ut curam quotidiani laboris populi gerere non poſſent : Cum præſertim id commode etiam ab aliis inferioris judicii hominibus peragi poſſet. Hoc tamen ex his verbis intelligitur, Seniores jam tum negotia populi (exceptis judiciis) curaſſe : & Deum poſtea novum ſpiritum, nempe ſpiritum judicandi eis largitum eſſe, partemque oneris illis ferendam dediſſe, quod hactenus ſolus Moſes portavit ; quod onus præcipue conſiſtebat in gravioribus judiciis, & cognoſcendis majoris momenti rebus. Querimonia Moſis, quam inſtituit coram Deo ſuper ſummam ſuam aggravationem, non ſpectabat ſolum murmur illud populi, cum carnes poſceret, ſed in genere illas graves & immenſas moleſtias, quibus ferendis amplius par non erat, cum populus etiam talia ab eo poſceret, quæ dare non in ipſius poteſtate erat, nempe ut eis carnes procuraret. Itaque tunc 70 iſti Seniores poteſtatem adepti ſunt una cum Moſe de rebus gravibus judicandi, & ſententiam ferendi. Patet autem ex Deut. 17. 8, 9 temporibus poſt ſecutis præcipue Sacerdotes & Levitas in hunc ordinem LXX Seniorum ac Judicum allectos fuiſſe. Sic enim inquit eo loco Moſes ad populum : *Si difficilis & ambigua res occurrerit tibi in judicio, inter ſanguinem & ſanguinem, inter litem & litem, inter plagam & plagam, è rebus controverſis* (id eſt, talibus, quæ in utramque partem diſputari poſſunt ac defendi ; at hæ maximas controverſias coram judice parere ſolent) *in portis tuis ; tunc ſurgens aſcendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et adibis Sacerdotes, Levitas, & Judicem, qui erit diebus illis, & conſules eos, qui indicabant tibi judicii veritatem.* Eligebantur autem Sacerdotes ad hoc munus, non propterea, quod Sacerdotes, id eſt, ex tribu Levi oriundi eſſent, ſed quia illis temporibus, cum terra floreret pace, Sacerdotibus præ aliis ſuppetebat otium ac media ad ſeſe in omni ſapientia ac ſcientia exercendum, ideo æquum fuit, ut ante alios ad tam eximium officium eveherentur. Cæteroquin ipſe Pontifex Maximus non adſciſcebatur ad hoc Collegium, ſi non ſufficienti ſapientia atque dexteritate erat inſtructus, ſicut teſtantur doctiores inter Judæos. His Sacerdotibus adjungebantur etiam alii ſancti & prudentes viri ex aliis tribubus, & quidem ex *principibus familiarum Iſraëlis*, uti vocantur 2 Paral. 19. 8. Hinc Moſes, ubi agit de ſententia ſuper falſo teſtimonio dicenda, & hoc Judicium deſcribit, dicit, *utramque partem in conſpectu Sacerdotum & Judicum, qui fuerint in diebus illis, comparere debere* Deut. 19. 17. Quo loco per Judices intelligit eos, qui ex aliis tribubus in hoc Senatu Sacerdotibus adjuncti erant. Alibi (Deut. 21. 5) ubi quomodo ſe Seniores iſti gerere debeant, deſcribitur, ſi contingat, ut reperiatur occiſus aliquis, auctorque cædis ignoretur, ſoli Sacerdotes *filii Levi* nominantur, & dicitur, *ex eorum ore decidendam eſſe omnem controverſiam, & omnem plagam*, nimirum, quia illi præcipua pars Senatus erant. Porro quod Moſes in citato loco Deut. 17. verſ. 8 Judicis meminit, *qui erit diebus illis*, reſpicit illos Rectores, quos Deus tanquam capita populi ſui eſſe voluerat, qualis erat Joſue, Gedeon, Jephthe, Samſon, Samuel, qui Judices vocantur Judic. 2. 16, 17. iv. 4. x. 2. Iſti Judices habebant poteſtatem per ſe abſque concilio in graviſſimis quibuſque cauſis ſententiam ferendi, ut ex libro Judicum cap. 8 manifeſtum eſt. Quando vero nulli tales extraordinarii Judices ac ſummi Rectores populi erant, tunc cauſæ graviores ad Synedrium 70 virorum, in quo Pontifex Maximus præſidebat, deferebatur : quemadmodum etiam Moſes in montem aſcendens judicia fratri ſuo Aaroni commiſerat, uti ſupra ex Exod. 24. 14 docuimus.

Senſus igitur allegati loci Deut. 17. 8 eſt, ſi Judicibus in minoribus oppidis difficilis cauſa occurrat, quæ ſublimiorem juris ſcientiam vel experientiam in medicina requirat, debere eos cauſam illam ad Sacerdotes, ac inprimis ad ſummum Pontificem deferre, aut ad eum, quem Deus ſummum Judicem ac Rectorem ſui populi conſtituerit. Hujus ſententiæ atque decreto oportuit tum minores Judices in oppidis, tum populum obtemperare, ſub pœna mortis, ſi qui eſſent refractarii Deut. 17. 12. Itaque cum Moſes verſ. 9 inquit, eos debere *adire Sacerdotes, Levitas, & Judicem, qui erit illis diebus*, vocula *Et* poſita eſt pro *Vel*, ut ex verſ. 12 patet, ubi Moſes ait, *Sacerdoti aut Judici :* atque hoc modo non in Hebræa ſolum, ſed in aliis quoque omnibus linguis non raro vocula & pro *aut* uſurpatur.

Hoc loco notandum eſt, errare eos, qui quia

Sacer-

Sacerdotum ac Levitarum interdum tantum mentio fit, inde colligunt, duo fuiſſe Judicia, aliud Sacerdotum, aliud Synedrii. Hoc enim unanimiter negant omnes docti inter Judæos: quod inter alios apud Joſephum, qui rituum ſui populi & ſuæ patriæ non poterat eſſe ignarus, in libro ejus contra Appionem videre eſt. Sed idem quoque ex Scriptura demonſtrari poteſt. Nam primo in hoc loco Deut. 17. 8,9 de quo agimus, inter res, quæ ad judicium deferuntur, nulla fit diſtinctio, neque ullæ ejuſmodi commemorantur, quæ proprie tantum ad Sacerdotes pertinebant, prout hodie res aliæ nonniſi ſpirituali, aliæ nonniſi politico judicio ſubjacent: ſed ſi forte oriretur controverſia de homicidio, aut de aliquo contractu, aut de vulnere, aut alia gravi cauſa, quam vulgares judices in oppidis decidere non poterant, tunc injungitur, ut illa ad Sacerdotes Levitas, aut ad Judicem à Deo ad regendum totum populum peculiariter electum deferatur. Deinde ſine diſcrimine cauſarum, quæ ad tale judicium deferendæ erant, omnibus & ſingulis mandatum eſt, ut eorum decretis pareant: & contumacibus promiſcue una eademque pœna mortis eſt conſtituta Deut. 17. 12. Præterea non ſolum apud Hebræos, ſed etiam apud hodiernos Interpretes extra controverſiam eſt, Joſaphatum Regem Judæ, judicia ex veteri more reſtauraſſe ac reſtituiſſe: primum quidem in aliis civitatibus Judææ, tum etiam Hieroſolymis. De Judicibus in oppidis ſcribit Auctor libri Paralipomenon 2 Paral. 19. ℣. 5,6,7: *Et conſtituit* (nempe Joſaphat) *judices in ea regione per omnes civitates Judæ munitas, in qualibet civitate aliquot. Et edixit Judicibus: Videte quid ſitis facturi, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, qui eſt vobiſcum in medio judicii. Sit igitur timor Domini vobiſcum &c.* Et mox ℣. 8 ſubjungit: *Etiam conſtituit Joſaphat Hieroſolymis* (in ea ſcilicet civitate, quam Deus ad judicia generalia delegerat) *è Sacerdotibus & Levitis* (inter quos, ut ſupra memoratum, plurimi ſapientes ac prudentes reperiebantur) *& ex primoribus paternarum familiarum Iſraëlis* (qui non è Levitica tribu, ſed ex aliis tribubus erant) *ad judicia Domini* (ſic illa dicebantur, quia non ſecundum hominum arbitrium, ſed ſecundum Legem, quam Dominus populo præſcripſerat, adminiſtrari debebant) *& ad cauſas* (id eſt, ad decidendas omnes controverſias, quæ coram judicio proponerentur, ut mox intelligetur) *& fecit eos habitare Hieroſolymis.* Ita ſupremum iſtud Judicium, quod per excellentiam *Synedrium* vocabatur, Hieroſolymis erectum fuit, ubi etiam uſque ad ultimum urbis excidium permanſit, ſequitur porro in hiſtoria verſ. 9,10,11: *Et præcepit eis dicendo: ſic facite in timore Domini fideliter, & corde integro. Omnem cauſam quæ venerit ad vos, à fratribus veſtris, qui habitant in urbibus ſuis, inter ſanguinem & ſanguinem, inter Legem & mandata, inter ſtatuta & judicia, docete eos, ne reiſciant coram Domino, & ne veniat ira ejus ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Sic agite, & non eritis rei.* Ex quibus verbis clare liquet, Joſaphatum voluiſſe, ut omnes ii, quos Judices Hieroſolymis conſtituerat, omnes cauſas indifferenter, quæcunque eis offerrentur, judicarent. Pergit Joſaphat: *Ecce autem Amarias Sacerdos primarius inter vos, in omni negotio Domini. Zebadias verò filius Iſmaëlis princeps in domo Judæ in omni negotio Regis, cum præfectis ac Levitis expoſiti ſunt vobis. Confirmate vos, & facite, & Dominus aderit bono.* Quibus ex verbis apparet, quod in eo tum Domini negotia (id eſt, quæ ad Legem ſpectabant) tum etiam Regis, judicata fuerint, & in tali Judicio aſſediſſe Amariam (qui vel ſummus Pontifex, vel alius quidam Sacerdos fuit) & Zebadiam. Quod autem per *negotia Domini* non illæ duntaxat intelligantur cauſæ, quæ ſolis Sacerdotibus erant demandatæ, aut ad Sacerdotium ſpectabant, ex alio loco patet, ubi deſcribitur, Davidem ex Hebronitis induſtrios ac prudentes conſtituiſſe viros, ſuper Rubenitas, Gaditas, & partem dimidiam tribus Manaſſis *ad omnia negotia Dei & Regis* 1 Paral. 26. 32. Quare manifeſtum eſt, in iſto Synedrio tam ſpirituales quam politicas ſeu profanas cauſas agitatas ac deciſas fuiſſe. Ut ita ſenſus ultimorum Joſaphati verborum ſit: quaſi dicat. Non eſt, quod animo trepidetis, quaſi onus hoc judicandi nimis grave vobis futurum ſit, propter inſufficientiam aptitudinis, quæ ad tam arduam rem requiritur. Habetis inter vos viros ſapientiſſimos, qui vobis bono conſilio præibunt: qualis eſt princeps Senatus Amarias Sacerdos, vir in rebus judiciariis exercitatiſſimus. Et ſi forte occurrant negotia aliqua, ad quæ Politica prudentia ac ſolertia potius quam juris ſcientia requiratur, habetis Zebadiam filium Iſmaëlis, qui magna in talibus rebus experientia eſt præditus. Inſuper habetis aſſeſſores judicii Levitas, qui omni genere artium ac ſcientiarum exculti ſunt. Eſtote igitur bono animo, & munus veſtrum fideliter adminiſtrate, in reliquis Deus vobis auxilio ac benedictione ſua præſto erit.

Videtur omnino Zebadias fuiſſe Princeps Senatus. Nam vocem נגיד Hebræi per ראש exponunt. Ita autem conſtat appellatum Senatus principem.

Ex his, quæ hactenus expoſita ſunt, liquet, Synedrium iſtud etiam ſub Regibus maximam auctoritatem ac poteſtatem pene Regiæ parem habuiſſe. Doctiſſimi enim Judæorum perhibent, Regem in certis cauſis non habuiſſe poteſtatem judicandi, ejuſque judicia ac ſententiam nonniſi truncatione capitis fuiſſe executioni mandatam. Et de hac poteſtate Synedrii explicant aliqui Interpretes illa Sedechiæ verba, quæ ad Principes, Jeremiam prophetam necari volentes, protulit: *Ecce, in manibus veſtris eſt, Rex enim nihil poteſt contra vos* Jerem. 38. 5. E quibus concludunt, quod etiam Rex ipſe Synedrii decretum non potuerit reſcindere. Imo docti inter Judæos annotarunt, Reges (excepto Davide) etiam nunquam in Synedrium veniſſe, ne voce ſua atque auctoritate aliis libertatem pro conſcientia ſua judicandi adimerent.

Aſſertioni noſtræ ſupra ex Joſepho, Philone, eique Sacris Literis demonſtratæ, quod in Synedrio iſto Sacerdotes ſederint, contrarium non eſt (ut objiciunt, qui Sacerdotes ac Levitas peculiaria judicia habuiſſe ſtatuunt) quod de Jeremia legitur, cum à Sacerdotibus accuſatum, & à Synedrio abſolutum fuiſſe. Potuit enim fieri, ut ab iiſdem Sacerdotibus, qui

qui pars Synedrii erant, accusatus fuerit, quibus alii in Synedrio contradixerint (sicut fecit Nicodemus Joh. 7. 50, & Gamaliel Actor. 5. 35.) & tandem sententiam pro Jeremia tulerint. Adde quod multi fuerint Sacerdotes extra Synedrium constituti, quorum si aliqui accusatores egerunt, potestatem de sua accusatione judicandi certe non habuerunt. Etenim nemo simul accusatorem & Judicem agere potest.

Non minus & illi falluntur, qui Sacerdotes peculiare judicium habuisse existimant. Nam erat quidem hoc munus Sacerdotum, docere populum, & quemque consilio egentem idque poscentem, instruere, præsertim in rebus ad cultum Dei ac ritus spectantibus Levit. 10. 10,11. Ezech. 44. 23. Agg. 2. 12,13. Et quemadmodum aliæ tribus suos Præfectos ac Moderatores habebant, qui tribuum negotia curabant: sic in Levitica quoque tribu erant constituti quidam Præsides ac Gubernatores primarii, qui decimas suscipiebant & distribuebant, aliaque negotia curabant, quæ ad Sacerdotum & Levitarum sustentationem, templique usum necessaria erant; ut 2 Reg. 22 & 2 Paral. 24, & apud Josephum in diversis locis videre est. Quod autem res judiciarias attinebat, ad judicandum ac statuendum de illis Sacerdotes soli per se nullam habebant potestatem, adeoque nullum separatum spirituale Judicium exercebant, sed talia deferebantur ad Synedrium, quod, ut supra monstratum, maximam partem è Sacerdotibus constabat. Inde perspicitur, id quod apud Ezechielem de Sacerdotibus scriptum est: *Quando fuerit controversia, stabunt in judiciis & judicabunt, & secundum jura mea pronunciabunt* Ezech. 44. 24, dici, de Sacerdotibus, non quod soli, sed quod præcipui in Synedrio fuerint. Idem Propheta Ezechiel, ubi cap. 8. 11 corruptos populi mores describit, meminit Synedrii, & nominat 70 viros, eorumque Principem Jasaniam filium Saphan.

Quod autem hi 70 viri etiam in captivitate Babylonica suam potestatem ac dignitatem inter Judæos retinuerint, extra controversiam est. Imo Hebræorum doctiores scribunt, Synedrium istud, permissu Regum Persiæ, etiam judicia capitalia administrasse, & executioni dedisse. Verum ubi è Babylone in patriam suam redierunt, potestas judicandi expresse eis concessa est à Rege Artaxerxe. Vide 1 Esdr. 1. 25,26. Cumque Judæi armis adversus tyrannum Antiochum correptis sese in libertatem asseruissent, summa potestas fuit penes Synedrium. Hinc etiam Sceptrum Regium in eo loco, ubi Synedrium congregabatur, nempe in illo conclavi ex lapidibus excisis constante, cujus supra facta est mentio, asservabatur. Hoc Synedrium perpetuo Hierosolymis non interrupta serie mansit, adhibito in electione ritu impositionis manuum, usque ad Herodem Magnum, cujus potestas ac insolentia magis magisque contra Legem se extulit. Et quia hoc Synedrium non usum est statim à principio adversus eum justa severitate, ideo Deus commeritas negligentiâ officii pœnas ab his Judicibus exegit; omnes enim ab Herode trucidati sunt, uno Samna excepto, qui alios fideliter officii admonuit, sed sæpius ab illis spretus ac contemtus fuit. In locum interemptorum Herodes alios substituit, absque dubio sibi ac partibus suis addictos, qui scilicet ipsius beneficio ad Sacerdotalia munia & altiorem dignitatis gradum promoti erant. Sed jam ante quoque acies potestatis atque auctoritatis hujus Synedrii Hierosolymitani non mediocriter hebetata fuit, cum, post obtentam à Pompejo victoriam, Gabinius Præses Syriæ quatuor alia erexit tribunalia, Gadara, Amathunte, Jerichunte, & Sophois, quanquam minori cum potestate, quam erat Synedrii Hierosolymitani. Herodes enim, antequam Rex evaderet, rationem administrationis suæ in Galilæa, coram Synedrio Hierosolymis reddidit. Itaque quatuor illa tribunalia Gabinii potius ad procurandas res publici regiminis, quam ad judicia exercenda instituta erant; aut si aliqua exercuerunt judicia, nihilominus Synedrio Hierosolymitano subjecta erant. Judæi quoque extra Judæam habitantes ad exemplum Synedrii hujus judicia inter se constituerunt. Sic meminit Philo Presbyterii (πρεσβείας) Judæorum, qui degebant Alexandriæ. Josephus ipse talem Senatum è 70 viris constantem in Galilæa instituit, cum bĕlli dux ibidem electus esset. Sed temporibus Augusti Cæsaris potestas Synedrii in maximas angustias redacta est, cum major pars Judææ Romano Imperio tanquam provincia adjuncta est, cumque illa Imperii Sanctio invaluit, quæ in omnibus Romanis viguit provinciis, ut absque consensu Præsidis Romani non liceret Synedrio quenquam morte afficere; de cætero autem Synedrio pristina potestas sua illibata mansit. Atque hoc est, quod Thalmudistæ in suis tractatibus de Synedrio & de Sabbatho affirmant, judicia animarum seu jus capitalium suppliciorum Synedrio ademptum fuisse 40 annis ante urbis eversionem. Cum enim urbs Hierosolyma per Titum excisa est, etiam hoc Synedrium funditus interiit.

De Synagoga Magna.

AMplius scire interest, Judæos in rebus summe gravibus, quæ religionem vel regimen concernebant, solitos fuisse ad Synedrium convocare, tot Seniores ex omnibus tribubus, aliosque prudentia & auctoritate conspicuos viros, quotquot nancisci poterant, ut quod in tali congregatione decernebatur, magis pro universali sententia totius populi, quam pro solius Synedrii decreto haberetur. Hanc magnam congregationem vocabant Hebræi *Kahal*, Græci *Ecclesiam*, (de qua voce utraque vide quid dictum sit Matth. 4. 23. xvi. 18.) interdum συναγωγὴν μεγάλην *Magnam Synagogam*. Talis congregatio fuit illa, ex cujus consilio Rex Hiscias festum Paschatis celebravit. Sic enim scriptum est 2 Paral. 30. ℣. 2: *Et inivit consilium Rex cum suis Proceribus, & tota congregatione, Hierosolymis, & decreverunt celebrare Pascha* &c.

Ita etiam maledictionem illam ac pœnam, quæ tempore Esdræ contumacibus irrogata est, ajunt Hebræi à Synedrio majore & minore profectam fuisse. In lib. 1. Macch. 14. 28 mentio quoque fit

magnæ

magnæ congregationis ſeniorum, ſacerdotum, & populi. Ita vocant Hebræi Synagogam Magnam illam congregationem 120 viris conſtantem (ut illi narrant) circa tempus ædificationis Templi, in qua congregatione, Senatoribus Synedrii, etiam Prophetæ aliique inſignes viri aſſederunt. Joſephus appellat talem congregationem ἐκκλησίαν πάνδημον, publicam Eccleſiam, qualis congregatio, inquit ille, ab Herode Magno convocata fuit. Sic ſcribit quoque Gorionides, eundem Herodem, antequam Regnum obtinuiſſet, ob interfectum Ezechiam, coram Synedrio Majore & Minore accuſatum fuiſſe. Hujuſmodi magna congregatio fuit & illa, coram qua Petrus & Johannes adducti comparuerunt, quæ collecta erat ex Proceribus, id eſt, ex Senatoribus Synedrii, Senioribus & Scribis Act. 4. 5. Nec non illa Actor. 5. 21, ubi ad Concilium, id eſt, Synedrium convocati ſunt *omnes ſeniores filiorum Iſraël.*

IV. APPENDIX.

ad Verſ. 38.

De ſumma Patientia.

ET

V. APPENDIX.

ad Verſ. 43.

De ſumma Charitate.

Deſiderantur: ſed videatur de his Tractatus Auctoris de Regno Chriſti.

Ad V. Appendicem pertinent etiam hæc ſequentia.

NUnc animus nobis eſt probare, quod corporalibus pœnis juxta Moſis Legem aliaque civilia jura infligendis, in Regno Chriſti, quatenus id ſuper fideles ſuos exercet, nullus detur locus: non ſolum vigore hujus de dilectione præcepti, ſed etiam in genere vi naturæ Regni Chriſti, quod omni ex parte ſpirituale eſt, quod non carnali, ut Iſraëliticum Regnum, ſed ſpirituali prorſus, cœleſti ac divina ratione adminiſtratur; ad cujus exortum, ſicut Lex Ceremonialis, ita etiam civilia jura ac judicia, quoad corporis pœnas, exoleſcere debuerunt.

Primo mandat Chriſtus hic dilectionem inimicorum, quos Lex præcipiebat odiſſe. Per inimicos illic (ut ſupra monuimus) intelligebantur gentes extraneæ, idolorum fœdiſſimo cultui omnique impietati deditæ, quæ ob hanc cauſam odio & exſtirpatione erant digniſſimæ: item omnes malefici ac facinoroſi in populo. In horum loco Chriſtus hic ponit ſuos & fidelium ſuorum inimicos, qui eis maledicunt, odio habent, ac infeſtant; Paulus addit quoque eos qui perſequuntur Rom. 12. 14. Tales erant tunc temporis potiſſimum increduli è populo Dei, qui Chriſtum ejuſque diſcipulos ad necem uſque oderunt ac perſecuti ſunt, idque majori cum rabie quam ullæ Ethnicæ gentes fecerunt. Si igitur Chriſtus iſtos inimicos non ſolum ſimpliciter diligere, ſed etiam inſuper eis benedicere, ac benefacere, proque iis orare juſſit, qui non modo fideles ejus perſequuntur, verum etiam impii ac nefarii homines ſunt, (quales omnibus temporibus plerique perſecutorum eſſe ſolent) quanto magis ii ſunt diligendi, & beneficiis afficiendi, qui non ſunt inimici nominis Chriſti, ſed ſimplices tantum ſunt facinoroſi & tranſgreſſores Legis. Nam Chriſtum & fideles ejus perſequi, & tandem tanquam blaſphemos atroci morte afficere, omnia alia peccata ac ſcelera ſuperat. Atqui dici nequit, affici beneficio eum, cui vita ob delicta ejus eripitur, aut qui corporis tormentis ac cruciatibus punitur. Quare manifeſtum eſt, Chriſtum corporales pœnas inter fideles ſuos ſuſtuliſſe, & in eorum locum dilectionem ac miſericordiam erga delinquentes mandaſſe: idque in genere omnibus, qui diſcipuli ejus eſſe volunt, tam Judicibus & Magiſtratibus, quam privatis; ſicut etiam Lex Moſis de odio habendis inimicis ac perſequendis, toti populo, inprimis autem Judicibus ac Magiſtratibus data erat.

Deinde Lex Moſis & jura civilia puniunt abſque miſericordia: lex autem Chriſti etiam maximis peccatoribus ſpatium concedit ad pœnitentiam. In eo enim conſiſtit, præter alia, excellentia Novi Fœderis, quod Deus cum hominibus non tanquam cum ſervis juxta rigorem Moſaicæ Legis, ſed tanquam cum filiis ſuis, ſecundum miſericordiam ſuam, velit agere: qui modus regendi populi Dei, tum naturali æquitati, tum etiam immenſæ benignitati divinæ erga fragilem ejus creaturam eſt valde conſentaneus. Cum hac igitur gratia Novi Fœderis pugnant omnes illæ corporales pœnæ, quæ ita peccatori exitium afferunt, ut ipſi tempus ad reſipiſcentiam præcidatur. Idcirco illæ Chriſtianis minime conveniunt. Ubi Lex Moſis jubebat aliquem abſque miſericordia punire, nulli Iſraëlitarum fas erat, gratiam exhibere, ac pœnam remittere: ſic ubi Lex Chriſti gratiam exhibet, nulli Chriſtiano fas eſt mortis ſupplicio quenquam afficere. Si Lex Moſis mortem commeritis immunitatem à mortis pœna promiſiſſet ſub conditione veræ pœnitentiæ ac emendationis, nullus Judex potuiſſet mortis ſententiam de illis ferre, ſed emendationem eorum expectare debuiſſet. Quanto magis Chriſtianos Judices tali uti patientia decet? Ponamus vero, talem peccatorem jam vere egiſſe pœnitentiam, annon dici poteſt, ei peccatum vere eſſe remiſſum? Quis audebit damnare eum, quem Chriſtus abſolvit? Quis morte plectet eum, pro quo Chriſtus mortuus eſt? Hoc inter Novum & Vetus Fœdus intereſt, quod in illo per ſeriam reſipiſcentiam omnium peccatorum, quamlibet maximorum (unico peccato in Spiritum Sanctum excepto, in quo etiam peccatori pœnitentiam agere non permittitur, de quo infra cap. 12. 31) venia ac remiſſio obtineri queat: uti exempla eorum, qui Chriſtum crucifixerunt Luc. 23. 34, inceſtuoſi 2 Cor. 2. 6, 7;

Pauli

Pauli Apoſtoli, qui gravis perſecutor Eccleſiæ Chriſti erat Actor. 9. 1. Gal. 1. 13 docent. Hinc elucet, vulgarem objectionem nullius eſſe momenti, quod ſcilicet ſub Novo Fœdere tantum æterna pœna remittatur, non temporalis. Ut enim taceam, quod allegata contrarium monſtrent, quodque corporales pœnæ cum dilectione ac benignitate, quam Chriſtus hoc loco præſcribit, conciliari nequeant, dico, nulli Chriſtiano (ut jam ante quoque innuimus) integrum eſſe, peccatori tempus pœnitentiæ decurtare atque abſcindere, ita, ut æternam pœnam effugere nequeat. An vero peccator jam antea egerit pœnitentiam, an poſtea acturus fuiſſet, nemo ex hominibus certo ſcire poteſt. Imo vera pœnitentia, quæ hominem ab æterna pœna liberum præſtare debet, requirit in pleriſque multo longius ſpatium, quam vulgo delinquentibus à Magiſtratu civili concedi ſolet: ut non ſit dubium quin tempus & facultas plurimis ad pœnitentiam adimatur; imo multi ſic mactantur ſupplicio, ut pene ad oculum videri poſſit, eos abſque pœnitentia in ſuis peccatis occumbere.

Tertio quales pœnæ in Regno Chriſti locum habeant, quæque à fidelibus irrogari tranſgreſſoribus debeant, docuit Chriſtus Matth. 18. 17, nimirum, ut tanquam Ethnici & publicani habeantur, id eſt, ut eorum vitetur commercium, & (ut Paulus ait 1 Cor. 5. 11) ut ne cibus quidem cum eis capiatur. Paulus quoque nobis præluxit exemplo, qui inceſtuoſum Satanæ tradidit, ad interitum carnis, ut ſpiritus ſervaretur 1 Cor. 5. 5. Nimirum Chriſtiana Eccleſia malos à bonis ſecernit, ac excommunicat traditque judicio Chriſti, donec corrigantur. Quæ excommunicatio & vitatio commercii cum ipſis, non tam ipſorum pœnam, quam bonum ſpectat, ut per ejuſmodi ignominiam ad emendandam vitam adducantur. Si autem præter hanc pœnam, adhuc alia corporalis locum haberet, tum fieri poſſet, ut Judex, quatenus eſt membrum Chriſtianæ Eccleſiæ, peccatorem nonniſi pœna excommunicationis ab Eccleſia puniret, & poſt actam pœnitentiam, peccatum ei remitteret (uti Paulus Corinthiis de inceſtuoſo præcepit 2 Cor. 2. 6, 7) rurſus vero idem ſedens pro tribunali, abſque omni miſericordia vita privaret. Id quod ſeipſum evertit. Diſtinctio enim inter ſpirituale & civile judicium, quæ hic adhiberi ſolet, nullum habet locum. Quemadmodum enim in Iſraëlitico Regno omnes tranſgreſſiones æqualiter puniebantur, nec ullum in eo erat diſcrimen inter judicium ſpirituale & politicum (quod enim etiam Levitarum judicia, exceptis iis, quæ ad Templum & externum Dei cultum pertinebant, non fuerint ab aliis judiciis diverſa, patet ex Levit. 10. 11, 12. Ezech. 44. 23. Agg. 2. 12, 13.) Ita etiam ſe res habet in judiciis & pœnis, quas Chriſtus in ſuo Regno inſtituit. Quicquid Eccleſiæ ſeu ſpirituali ſtatui mandat, idem mandat quoque ſtatui politico, ac civili. Nam ſicut ſub Lege Moſis Eccleſia Dei & ordo politicus non erant duæ diverſæ congregationes, ſed unus duntaxat fuit populus, ſic in regno Chriſti quoque unus tantum eſt novus populus, uni legi ac judicio ſubjectus. Hinc Petrus fideles Regale ſacerdotium appellat 1 Petr. 2. 9.

Quarto ſi delicta, quæ ſecundum Chriſti legem morte digna ſunt, corporali pœna plectenda eſſent, non deberent juxta aliam ullam, quam Chriſti legem puniri. Ita oporteret, non ſolum homicidas & adulteros, ſed etiam eum qui fratri ſuo iraſcitur, aut verbis ei convitiatur, & eum qui mulierem aſpicit ad concupiſcendum eam, morte affici juxta legem Chriſti, ſupra v. 22, 28. Quis autem Judicum id vellet facere? Unde clarum eſt, pœnas in Regno Chriſti alius eſſe generis, quam ſub Moſe, quæ ſcilicet ſpirituali ratione, & pro ſumma ſapientia ſupremi Judicis Chriſti infliguntur.

Non ſuſtulit autem Chriſtus iſta ratione legem Moſaicam hac in parte; ſed quia hominum nemo ſatis idoneus eſt, ut etiam corporales pœnas ſumma ac perfectiſſima cum ſapientia, juſtitia & æquitate, quæ virtutes in quolibet legitimo judice requiruntur, adminiſtret, ſibi ipſi hoc minus reſervavit: quemadmodum etiam Lex Moſis Regi non injunxit, alios Judices ſibi abſciſcere vel ſubſtituere, in iis rebus, quas ipſe judicare potuit ac voluit. Tantum autem abeſt, ut Chriſtus corporales ac temporales pœnas in ſuo judicio, quod ipſe exercet, non adhibeat, omnemque punitionem ad noviſſimum illud magnum judicium differat, ut eas longe formidabiliori ratione & majori cum majeſtate, nec non multo majori cum ſapientia ac juſtitia, quam ab ullo hominum fieri poteſt, contumacibus ac obſtinatis peccatoribus infligat; etſi, ut ſapientes Judices decet, tempus pœnitentiæ eorum expectet, eoſque menſuram ſuæ improbitatis implere ſinat: cujus rei documentum vel unicum Hieroſolymæ excidium eſſe poteſt. Imo enormia peccata, etſi vera pœnitentia eluantur, ideoque æterna pœna remittatur, ſæpenumero tamen temporariis pœnis expiare ſolet, non quidem juxta Legem Moſis, ſed eo modo, quem illi immenſa ejus ſapientia dictat, ut per eum delinquentes adduci queant ad ipſum tanquam malorum vindicem timendum, & peccata diligentius cavenda. Sic Deus olim quoque Davidem caſtigavit, non ſecundum ſancita Legis, ſecundum quæ ipſum mori oportuiſſet, ſed alia ratione, quæ ad ejus emendationem conducere poterat; quæ emendatio forſitan non fuiſſet conſecuta, ſi protinus juxta Legis rigorem mortis ſupplicio fuiſſet affectus. Porro Chriſtus etiam Legem ſenſu ſpirituali potius implevit, quam ſuſtulit, dum graviora Legis, judicium, miſericordiam ac fidem Oſe. 6. 6. Matth. 23. 23, perfecte docuit, & charitati, quæ eſt impletio Legis Rom. 13. 10, quæque ſub Lege certis cancellis ſimplicis dilectionis proximi, & non inimici, coarctata erat, frena laxavit, & in ſummo perfectionis gradu eam collocavit, adeo ut homines ſecundum talem ipſius Legem Deo ſimiles evadere poſſint, qui etiam inimicos ſuos diligit, eiſque benefacit. Itaque Apoſtoli dum hanc doctrinam Chriſti tradiderunt & inculcarunt, Legem Moſis ſpirituali ſenſu impleverunt, ac propterea neceſſarium haud duxerunt, monere fideles in ſpecie, ut ab his rebus abſtineant, (quemadmodum monuerunt eos, de circumciſione aliiſque Legis ceremoniis, quæ Chriſtianæ veritati ac libertati contrariæ erant) præſertim illo tempore, quo nullus è Chriſti confeſſoribus ad Magiſtratus officium admittebatur. Et hoc

viden-

videntur Phariſæi in doctrina Chriſti animadvertiſſe, cum mulierem in adulterio deprehenſam ad eum adduxerunt dicentes: *In Lege præcepit nobis Moſes, ut tales lapidentur. Tu vero quid dicis?* Joh. 8. 5, quaſi dubitarent, an ipſe idem judicium, quod Moſes, laturus eſſet. Nempe quod ſuſpicabantur Chriſtum tacite docere, vel quod illi ex ipſius doctrina colligebant, id volebant ex Chriſti ore palam elicere.

Hoc loco etiam gravis quæſtio enuncleanda eſt: An Chriſtianis bellare liceat? Verum ex hactenus dictis concludi cum Paulo Apoſtolo poteſt, *arma* Chriſtianorum *non eſſe carnalia, ſed ſpiritualia* 2 Cor. 10. 4, & *non eſſe eis certamen adverſus carnem & ſanguinem*, id eſt, adverſus homines, *ſed adverſus imperia, adverſus poteſtates, adverſus principes mundi, tenebrarum ſeculi hujus &c.* Epheſ. 6. 12. Quia enim ſummum bonum Chriſtianorum non conſiſtit in ulla temporaria felicitate aut tranquillitate, imo ſimpliciter non in hac vita, ſed in contemptu & abnegatione omnium rerum ad corporis commoditatem ſpectantium, qui fieri poteſt, ut eis liceat harum rerum cauſa carnalibus armis dimicare, inprimis quando res iſtæ abſque ſanguinis effuſione retineri nequeunt? Primariæ ac fundamentales leges Regni Chriſti ſunt patientia, dilectio, & fiducia. Patientia jubet, inimicos non occidere, ſed tolerare: dilectio, eoſdem non perdere, ſed conſervare, eiſque benefacere: fiducia autem, vindictam, & omnia quæ nobis eveniunt mala, Deo commendare. Iſraëlitico populo, cujus ſumma felicitas in hac vita tantum ſita erat, non erat fas, ullum ſuſcipere bellum abſque expreſſo Dei mandato, nec alia illud ratione gerere, quam Deus mandaverat: præterea ſi Deo morigeri eſſent, fiduciamque in ipſo collocarent, habebant promiſſionem victoriæ. Ideo bella eorum merito bella Domini appellata ſunt 1 Sam. 18. 17. xxv. 28. 1 Paral. 5. 22. Num. 31. 3. Chriſtianis autem nullum ejuſmodi bellum carnale in nomine Domini gerendum injunctum eſt; & victoria ſuper hoſtes ipſorum promiſſa, obtinenda eis eſt per crucem, afflictiones, perſecutiones & mortem. Hanc viam ipſe Dux ſalutis eorum calcavit, cujus olim Joſua figura fuit, qui hoſtes carnalibus armis debellavit, cum Chriſtus contra ſpiritualibus armis patientiæ ac ſuſceptæ mortis ignominioſæ, victor evaſerit ac triumpharit. Cum Iſraëlitæ in Babylonica captivitate conſtituti, & in aliis gentibus diſperſi eſſent, nullam eis fas erat de bello ullo cogitationem ſuſcipere, ſed mandatum eis eſt, *civitatis* (id eſt, Babylonis) *bonum quærere, & orare pro ea Dominum. Nam in proſperitate ejus*, inquit Propheta, *veſtra erit proſperitas* Jerem. 29. 7. Talis inter omnes gentes diſperſus populus ſunt Chriſtiani, alienigenæ ac peregrini in hoc mundo. Idcirco etiam de nullis carnalibus bellis, ut illi, cogitare debent, ſed hoſtium ſuorum proſperitatem quærere, Deumque pro iis orare. Cum eruditiſſimus Ethnicus Celſus religionem Chriſtianam irrideret, quod bellum damnaret, reſpondit ei antiquus Eccleſiæ Doctor Origenes; Gladius & arma Chriſtianorum ſunt, pro poteſtatibus mundi orare. Et quemadmodum carnale Regnum Iſraëlitarum in aliis omnibus rebus majoris momenti typus fuit ſpiritualis Regni Chriſti: ita etiam bella illorum adumbrarunt ſpiritualia in Regno Chriſti bella. Quare cum umbra & figura evanuerit, poſtquam corpus ipſum apparuit, neceſſe quoque eſt, membra iſtius corporis non amplius in umbra & figura, ſed in ſpiritu & veritate bella gerere. Notandum etiam hic eſt, Davidem nomini Domini templum ædificare nequiviſſe, quia bellator fuerit, & ſanguinem effuderit, qui tamen nonniſi Domini bella geſſerat 1 Paral. 28. 3. Quomodo igitur illi audebunt manus ſuas ſanguine cruentare, qui ipſi ſanctiſſimum Dei templum eſſe debent? Atque huc faciunt quoque variæ prædictiones Prophetarum de alta pace, quæ vigere in Regno Meſſiæ debeat, nempe inter eos, qui conſortes illius Regni futuri ſunt, quod *gladios in vomeres, & lanceas in falces convertent. Non attollet gens una in alteram gladium, neque diſcent amplius bellare.* Eſai. 2. 4, *quod lupi cum agnis cohabitabunt, & pardus cum hædo recubabit, quod leo ſicut bos comedet ſtramen, quod non afficient malo neque perdent in toto monte meo ſancto. Nam terra replebitur cognitione Domini* Eſai. xi. 6, 7, 9, *quod equi & currus exſcindentur, & arcus bellicus frangetur, quia ille* (Meſſias) *docebit pacem inter gentes* Zach. 9. 10. Et Ezech. 38. 11, 12 innuitur, ſanctos ſub præſidio ac tutamine Dei ſecure acturos ſine portis & muris, Deumque dum illi quieſcent, hoſtes eorum percuſſurum. E quibus prædictionibus colligitur, ſummam pacem & tolerantiam inter veros credentes eſſe debere, etiam inter eos, qui antea capitales erant hoſtes, uſumque gladii, lancearum, arcus, aliorumque bellicorum inſtrumentorum inter eos tollendum eſſe, id eſt, eos non ſolum inter ſe non geſturos bella, ſed ne cum aliis quidem: ſiquidem ad pugnandum non ſint futuri amplius idonei, neque ſcituri, quomodo pernicioſa arma tractare debeant, ut qui hoc ſolum diſcent, inimicos diligere, iiſque benefacere, & quod reliquum eſt, Deo ac providentiæ ejus confidere. Qui antea feritate animi lupis, pardis, ac leonibus ſimiles erant, cohabitabunt agnis, id eſt, erunt tanquam agni, & cum iis, qui agninam naturam habent, ſeu manſueti ac mites ſunt, amiciſſime agent ac converſabuntur. Tanta erit eorum lenitas ac manſuetudo, ut neminem amplius læſuri aut perdituri ſint: imo etiam læſi ab aliis non magis vi adhibita reſiſtent, quam ovis lupo reſiſtit, qui eam devorare cupit.

Adverſus ea quæ hucuſque de officio Magiſtratus, de corporalibus pœnis, deque bello dicta ſunt, afferri vulgo ſolent variæ objectiones. Primo per hanc ſententiam omnem ſocietatem ac politiam inter homines everti, ac ſummam confuſionem atque anarchiam invehi: unde neceſſe ſit totius Chriſtiani orbis interitum conſequi, ſi mali & improbi non coërcerentur pœnis, ſi boni carerent præſidio magiſtratus, ſi hoſtilibus irruptionibus armorum vi non occurreretur. Sed non eſt hic ullo modo metuendum tale periculum, ut piis deſit præſidium, & impiis pœna. Chriſtus enim novit domum ſuam multo ſapientius regere, quam eum humana docere poſſit prudentia; & cum omnia in manu ſua habeat poſita, cuncta quoque pro ſuo beneplacito moderatur, neque ſe ad media carnalia alligari patitur; ſed ſicut probos tuetur, maloſque punit, etiam tunc, quando Magiſtratus non facit officium, &

quidem ſæpe ita ut ipſe ſit bonorum perſecutor, & ad malorum proterviam ac inſolentiam conniveat; imo quando ipſos Judices pœna afficit, & illa peccata trahit in judicium, quæ illi pro peccatis non ducunt: ita quoque potens eſt ſuos abſque illorum ope defendere. Cum Iſraëlitæ carerent carnali Magiſtratu, nimirum cum ſolus Deus eorum Rex eſſet 1 Sam. 8. 7, aut tanquam peregrini ſub Ethnica habitarent poteſtate, omnem vindictam ac defenſionem ſui Deo committebant: etiam cum eis præceptum eſſet, ut ter in anno mares omnes ad ſolennia feſta Hieroſolymam comparerent, adeoque uxores ſuas ac liberos, una cum omnibus facultatibus ac bonis ſuis, ſine carnali præſidio relinquerent, promiſit illis Deus, ſe hoſtes eorum repreſſurum, ne quam regioni ac laribus eorum noxam inferant, ideo quod aſcendentes Hieroſolymam apparerent coram Domino Exod. 34. 23, 24. Quam maſcula fuit illa Eſdræ ac ſociorum ejus fiducia erga Deum, cum ſola Dei cuſtodia freti (erubeſcebant enim petere à Rege præſidium & equites, qui defenderent eos in itinere) cum conjugibus, liberis, omnibuſque impedimentis per medios hoſtes ſuos Hieroſolymam proficiſcerentur 1 Eſd. 8. 21, 22, 31. Atqui Chriſtianis, qui ſe ad normam divinæ voluntatis componunt, longe excellentiores factæ ſunt promiſſiones, quam Iſraëlitis. Nam mors, quæ naturali homini extremum malum eſt, Chriſtianis nullum prorſus eſt malum, ſed tantum tranſitus ad vitam æternam. Id vero novimus ac intelligimus, non modo per ratiocinationem, & argumenta à Dei bonitate ac rei æquitate ſumta, ſed ex clariſſimis promiſſis, confirmatis morte atque reſurrectione, nec non exaltatione Chriſti, item miſſione Spiritus Sancti, qui etſi nunc non tam conſpicuo datur modo, ut in principio, tamen tempore magnarum afflictionum commiſcetur cum noſtro ſpiritu, animiſque noſtris imprimitur tanquam ſigillum ac pignus cœleſtis hæreditatis. Hinc fit, ut veri fideles etiam in mediis calamitatibus exultent, ut qui norint, omnia in bonum ipſis coöperari. Si patiantur injuſte, Deo committunt ultionem, qui juſte judicat, cujus oculi reſpiciunt juſtos, facieſque ejus averſa eſt ab injuſtis. Maledicentibus ac perſequentibus ſe benedicunt, ut qui ſciant, ſe hac via ad benedictionem vocatos eſſe, & Spiritum Sanctum Dei in ſe requieſcere, ſi Chriſti cauſa perſecutionem patiantur. Interea qui nondum ad tam perfectas fidei vires pervenerunt, eos Deus Pater ille fidelis cuſtodit, nec majus imponit humeris eorum onus, quam ferre poſſint. Præterea quia in tanta multitudine Chriſtianorum, pauciſſimi ſunt, qui mundo & omni carnali proſperitati mortui ſint, ſe totos Deo filiali fiducia conſecrent, ſed maxima pars mundum ſpirat, quibus nihil antiquius eſt corporis felicitate, quique ejus conſervationem & incrementum non in Dei providentia ac præſidio, ſed in carnalibus mediis, atque ex regulis mundanæ ſapientiæ quærunt; imo permulti inter eos ſunt, qui, ſi profeſſionem Chriſtiani nominis excipias, parum aut nihil ab impiis Ethnicis differunt: ideo Deus etiam inter eos permittit hujuſmodi ordinem ſecundum leges mundanæ ſapientiæ, ut Judices & carnifices inter eos ſint, ut inter eos, qui tutelam ejus ac regimen rejiciunt, voluntque Ethnicorum more Judices ac Reges habere, carnalique ratione regi ac defendi; quo pacto olim Iſraëlitæ Deum rejecerunt, Deuſque illis etiam talem Regem, qualem popoſcerant, dedit, ſed in ira ſua 1 Sam. 8. 5, 7. Atque hic idem ordo, quem Deus inter tales conſervat, cogitur etiam electis ejus eſſe patrocinio: non quod ii, quorum munus eſt inſontes defendere, eis ſemper patrocinari cupiant, (plerumque enim hi maxime fideles perſecutionibus vexant, quia ſumma prædicti ſunt poteſtate) neque etiam quod fideles ipſorum patrocinio per ſe confidant, ſed quia Deus pro ſua ineffabili ſapientia ita ordinat, ut quod illi ad propriam ſuam ſuorumque tutelam ac pacem faciunt quæruntque, etiam in fidelium Dei bonum, & quidem ſæpe contra illorum voluntatem redundet. Tam enim admirabilis eſt divina hujus mundi adminiſtratio, ut abſcondito & hominibus mundanis ignoto gregi piorum, etiam ſummi Monarchæ ſerviant, & ad eorum utilitatem, res maximas, quibus nonnunquam pene orbem terrarum evertunt, gerant.

Secundo objicitur, opera juſtitiæ, qua unicuique quod ſuum eſt tribuitur, nempe probis præſidium, improbis pœna, per ſe ac natura ſua bona eſſe: ideoque non eſſe credendum, ea à Chriſto eſſe prohibita. Reſpondeo. Concedimus, talia opera juſtitiæ natura ſua bona, nec prohibita eſſe. Verum id nihil impedit, quominus Deus ea prohibere poſſit, etiam tum quando naturalis æquitas docet, ea adeo ad officium noſtrum pertinere, ut per nos ipſos ac ſine Dei mandato ea intermittere nequeamus: nempe quando Deus ſpecimen noſtræ fidei, charitatis ac fiduciæ capere vult, an ipſum etiam ex toto corde diligamus, ipſique confidamus; quibus in rebus perfectiſſima noſtra juſtitia conſiſtit. Atque hæc poteſtas ac ſupremum jus in nos Dei à nobis agnoſcendum eſt, nec poſſumus illi abſque manifeſta injuſtia refragari. Ita dictat natura, parentes, conjugem, liberos eſſe defendendos, neque in diſcrimine deſerendos: & tamen Deus nobis in certis caſibus mandare poteſt, ut eos deſeramus; quod quando fit, quia non noſtri cauſa, ſed Dei fit, nemini fit injuria, quandoquidem illi, qui à nobis deſeruntur, toti quanti quanti ſunt, etiam alias Dei poteſtati ſubjecti ſunt, qui eos etiam ſine nobis defendere eiſque conſulere poteſt. Quemadmodum ejus rei ſupra exemplum allatum eſt de iis, qui ter in anno ad ſolennia feſta Hieroſolymam aſcendere, omneſque ſuos cum tota ſua ſupellectili in periculo, ne ab hoſtibus invaderentur, relinquere tenebantur Exod. 34. 23, 24. In Euangelio autem, id eſt, in doctrina perfectionis, longe major charitas & fiducia in Deum requiritur, ubi auribus eorum qui ad eam applicant animum, ſtatim hæc prima vox ingeritur, quod Chriſti cauſa abnegare debeant omnia quæ habent, aut Chriſtum miſſum facere: ubi vero aliquantum in doctrina Chriſti profecerint, præcipitur eis, ut malum bono vincant, malis & ingratis benefaciant, compenſationem pro omnibus ſuſceptis damnis atque injuriis à Chriſto expectent. Quod tamen totum doctrinæ Chriſti ax animo credentibus, propter excellentiſſi-

mam

mam remunerationem, quæ illis repoſita eſt, facile & haud grave eſt præſtitu.

Tertio opponitur, nuſquam legi præceptum iis datum, qui in Magiſtratu exiſtentes religionem Chriſtianam ſuſcipiebant, ut ſe magiſtratu abdicarent, aut eos ultro officium depoſuiſſe; quod nullo modo reticeri debuiſſet, ſi Chriſtiana religio id neceſſario requirat. Reſpondeo. Quod eos attinet, qui fidem in Chriſtum, dum adhuc in terris verſaretur, amplexi ſunt, non eſt mirum, ab iis ſtrictam & perfectam obſervationem legum, quæ proprie ad Regnum Chriſti pertinent, exactam non fuiſſe, quamdiu Chriſtus effectu ipſo poſſeſſionem & adminiſtrationem Regni ſui à Patre non accepit. Chriſtus enim per certamen & paſſiones in cœleſte Regnum ſuum ingredi debuit; ſicut David quoque in typo, etſi à Deo unctus erat, non ſine multo certamine, perque varios caſus ac diſcrimina rerum, Regnum ſibi deſtinatum adiit. In hoc natus eſt Chriſtus ac in mundum venit, non ut dominaretur Matth. 20. 28, ſed ut teſtimonium perhiberet veritati Joh. 18. 37, eamque ſanguine ſuo obſignaret. Et quamvis ibidem apud Johannem profiteatur, ſe Regem eſſe, non tamen id niſi de jure intelligit, quod ex divino decreto tunc ad Regnum adeundum habuit, cujuſque poſſeſſionem reipſa demum per ſuam obedientiam uſque ad mortem obtinere debebat. Quare hæc & alia ejuſmodi præcepta ad perfectiſſimum Regni Chriſti ſtatum pertinentia, fidelibus illo tempore quodammodo anticipative tantum & in vim præparationis tradita fuerunt, tanquam ſubditis illius Regni, quod nondum præſens erat, ſed tanquam futurum expectabatur, cujuſque natura & qualitas ante Chriſti exaltationem & effuſionem Spiritus Sancti nondum bene poterat eſſe cognita ac perſpecta. Ita cum Chriſtus ſuos diſcipulos monet, ut crucem in ſe ſuſcipiant, ipſum ſequantur, inquiens, eum, qui id recuſet facere, ſuum diſcipulum eſſe non poſſe Luc. 14. 27, præceptum iſtud tum demum veram vim ſuam habuit, cum exemplum Domini ſui, crucem ſuam in ſe recipientis, ſeque illis imitandum proponentis, oculis ſuis cernerent. Quamdiu enim ſponſus illis aderat, non conveniebat illis lugere Matth. 9. 15. At ubi Chriſtus cœleſtem Regni ſui adminiſtrationem auſpicatus eſt, omniſque dignitas & excellentia veteris Iſraëlitici Regni in illum ac populum ejus tranſlata eſt, & is adeo carnalem ejus formam in ſpiritualem, cœleſtem ac divinam commutavit, tum primum præcepta Regni ejus plenam ſuam vim & efficaciam nacta ſunt. Et etiamſi Chriſti mens fuiſſet, ut fideles illo tempore, qui tam ſublimen & arduam rem capere poterant, confeſtim magiſtratu ſe abdicarent, ex eo tamen non ſequitur, omnes jam tunc obligatos fuiſſe ad rem hanc tam perfecte capiendam & intelligendam. Hanc enim ignorantiam facile potuit Chriſtus ad tempus tolerare, quemadmodum etiam opinionem de terreno Regno à ſe erigendo toleravit: quæ opinio quamdiu inter diſcipulos ejus viguit, tamdiu hoc præceptum capere nullo modo poterant. Imo veriſimile eſt, etiam poſt exaltationem Chriſti plurimos è fidelibus Judæis, qui adhuc Zelotæ Legis erant, rem hanc non magis intellexiſſe, quam intelligebant, Pontificatum, ſacrificia, Sabbathum, circumciſionem &c. in Regno Chriſti nullum amplius habere locum. Ita videmus, etiam in primitiva Eccleſia in novitiis ac tyronibus in religione Chriſtiana multas ignorantias atque infirmitates toleratas fuiſſe. Præcepta enim perfectionis, quæ majorem juſtitiam requirunt, quam fuit Judæorum & Ethnicorum, adhibito diligenti verbi Dei examine, ac ſolerti meditatione, nec non precibus & crebra ſui probatione, diſci, & in animis fidelium obſignari debent. Dum aliquis in ſtadio virtutum ac pietatis ſtrenue currit, oblivíſcens eorum quæ à tergo ſunt, ad ea vero, quæ à fronte ſunt, contendens Philip. 3. 14, reliquæ ignorantiæ ac imbecillitates ei ad damnationem non imputantur. Et quemadmodum mala arbor non eſt, quæ propter novitatem aut teneram ætatem nullos aut non tam maturos fructus parit, ſed quæ infrugifera eſt ac manet, etſi temporis ratione plurimos ferre fructus potuerit: ita etiam cum novitiis in Chriſto comparatum eſt, qui per fidem ſtant, & Dei arvum ſunt. Sed ſi tanta Dei gratia affecti inertes ac negligentes ſint, ſi ſemen verbi toties in cordibus eorum ſparſum in vanum accipiant, ſimiles fiunt illi terræ, quæ pluviam in ſe crebro deſcendentem bibit, nec tamen aliud quicquam quam ſpinas ac tribulos profert, ideoque maledictioni & exuſtioni proxima eſt Hebr. 6. 7, 8. Idque etiam de præſentibus temporibus intelligendum eſt, quod non omnes, qui præcepta hæc perfectionis illico non capiunt, judicio damnationis ſint obnoxii, ſi ſe in reliquis tanquam fideles ac obſequentes ſubditi Regni Chriſti gerant.

Quod Johannes Baptiſta militibus nihil aliud præceperit, quam ne cuiquam vim faciant, ſed ſtipendiis ſuis contenti ſint Luc. 3. 14, tenendum eſt, Johannis officium non fuiſſe, præcepta Regni cœlorum tradere ac præſcribere hominibus, ſed tantum eos ad Chriſtum remittere, eoſque per pœnitentiam ac converſionem ad ejus adventum præparare: imo ipſi, utpote terreno & è terra exiſtenti Joh. 3. 31, veram ſpiritualis ac cœleſtis Regni rationem nondum ſatis fuiſſe cognitam. Quod vero ſpectat fideles illos, qui poſt exaltionem Chriſti per Apoſtolorum miniſterium converſi ſunt, quod nuſquam legatur eis præceptum fuiſſe, ut magiſtratus renunciarent officio, notandum eſt, iſtos ſic deſcribi, quod ab Apoſtolis tantum in fundamento religionis & primis elementis doctrinæ Chriſti de pœnitentia, de mortuis operibus, de Baptiſmo in nomine Jeſu eruditi fuerint, & Jeſum pro Meſſia agnoverint, de aliis autem peculiaribus præceptis, quæ Chriſtus ſupra Judæorum & Ethnicorum juſtitiam præſcripſit, nihil in hiſtoria converſionis eorum legitur. Idcirco mirandum non eſt, quod & hujus præcepti de deponendo magiſtratus munere in initiis converſionis eorum nulla fiat mentio. Imo ſupervacua eſſet narratio, ſi de eo, de quo jam dictum eſt, quod Chriſtum profeſſus ſit, in ſpecie adhuc narraretur,

raretur, quod ſe ad hoc vel illud præceptum ſervandum obligaverit. Nam qui Chriſtum pro Domino ac Rege ſuo agnoſcit ac profitetur, ſimul profitetur, ſe velle omnibus ejus præceptis morem gerere. Præterea notum eſt, tunc temporis Chriſtum palam profiteri, & officium Magiſtratus exuere, inter ſe conjuncta atque connexa fuiſſe. Nam de Judæis certum eſt, eos nullum Chriſtianum in ſuo ſodalitio ac contubernio toleraturos aut ſibi imperare fuiſſe paſſuros. Inter Ethnicos autem non poterant Chriſtiani munus Magiſtratus obire, quia fieri non potuiſſet, quin idololatriæ, comeſtionis de idolothytis, & aliarum rerum, quæ nulla ratione cum religione Chriſtiana conſiſtere poterant, fierent participes. Hinc Tertullianus illos Chriſtianos admodum redarguit, qui ſub Ethnico magiſtratu ſtipendia merebant, dicitque, eos ſub Satanæ vexillis militare, & excubare pro templis idolorum, quibus renunciarunt, & pugnare pro dæmonibus, quos exorciſmis fugarunt, & cænare illic ubi Apoſtolus vetuit. Inprimis autem apud Romanos maxima idololatria in caſtris cernebatur; quippe de omnibus vexillis ſcuta pendebant, in quibus depictæ erant Cæſarum imagines, qui inter Deos relati erant (vide infra cap. 24. 15) ut ita militare tunc nihil aliud fuerit, quam ſub vexillis idolorum Cæſari ſervire. Jam quod exemplum Cornelii Centurionis attinet Actor. 10, quia is fuit primus eorum, qui è Paganiſmo ad Chriſtianam fidem converſi ſunt, ideo in eo cœpta eſt impleri Prophetia Eſai. 2 & 11, & omnino credibile eſt, eum poſtquam per Legem, quæ exivit è Sione, judicatus ac redargutus, id eſt, in doctrina Euangelii inſtitutus fuit, ſuum quoque gladium in vomerem, & haſtam ſuam in falcem contudiſſe, id eſt, militiæ nuncium niſiſſe. De Sergio Paulo Proconſule nihil aliud dicitur, quam quod crediderit & ſuper doctrina Domini perculſus fuerit Actor. 13. 12. Quod autem baptiſatus, Chriſtumque palam profeſſus fuerit, non legitur. Neque exemplum Pauli Actor. 23. 18 ullum præbet argumentum, ejus rei, quod crediderit Chriſtiano licitum eſſe armorum uſum: ſed ne hoc quidem ex eo colligitur, ipſum à Lyſia poſtulaſſe, ut armis defenderetur. Cum enim nonnulli è Judæis conſpiraſſent adverſus ipſum, petit ſolum à Tribuno, ne quando Judæi rogabunt, ut ſe producat in conſeſſum, aſſentiatur: propterea quod 40 viri in vitam ejus conjurarint verſ. 20, 21. Ita Paulus à Lyſia non flagitavit, ut ſe armata manu tueretur, ſed dum ipſi inſidias indicat, ſimul ei quoque monſtrat medium, quo abſque damno ac læſione ullius hominis periculum à ſe avertere poſſit, ut ſcilicet in caſtris relinqueretur, & ad conſeſſum non produceretur. Imo Paulus indicatione periculi ſui maximo occurrit malo; quia facile ad pugnam ac porro ad cædem inter milites ac Judæos res devenire potuiſſet. Judæos autem, quorum inſidias detexit, non conjecit in ullum diſcrimen. Magiſtratus enim ad tales conatus, qui nondum in effectum deducti ſunt, ut plurimum connivere ſolent, præcipue in tali gente, quæ jacturam ſuæ libertatis nondum plene concoxit. Quanquam hic etiam non tam ſpectandum eſt, quid fieri potuerit, quam quid factum ſit; quia Paulus à Spiritu Dei in actionibus ſuis regebatur, ut eventum rei probe ſcire potuerit.

Hæc cum ita ſe habeant, quæritur, Quid igitur faciendum ſit Chriſtiano Magiſtratui, ut Deo ac Domino Jeſu placere queat? Reſpondeo. Si Magiſtratus hactenus dicta bene intelligat, oportet ut gladium deponat, & ſubditis ſuis, qui ea non intelligunt, permittat eo uti ac inter ſe judicia exercere pro ſua conſcientia, & ſecundum jura regionis, quibus ſubjecti eſſe volunt: ipſe autem de cætero ea, quæ ad boni ordinis ac juſtitiæ adminiſtrationem faciunt, curet ſecundum præcepta Regni Chriſti; neminem quoque ex ſuis ſubditis cogat agere quicquam hac in parte contra conſcientiam. Interim non damnantur illi Magiſtratus Chriſtiani, quibus res hæc tam ſublimis nondum ſatis perſpecta eſt: ſiquidem magiſtratus officium divina ordinatio eſt, ac proinde per ſe peccatum non eſt, etſi ad ſtatum Chriſtianæ perfectionis non pertineat. Nam in tanta obſcuritate notitiæ de via perfectionis, quæ adhuc Chriſtiano orbi incumbit, poteſt ignorantia ac imperfectio in talibus rebus veniam apud Deum invenire, ſi modo in reliquis ſe ut veri Chriſtiani gerant, neque illos odio habeant aut perſequantur, qui non niſi apud Deum & Chriſtum quærunt præſidium, cæteroquin autem in omnibus eorum juſſis (quoad per conſcientiam licet) ſeſe ſubjiciunt. Vide de ſtatu ſeu officio Magiſtratus plura Matth. 20. 25 & ſeqq.

Ad extremum occurrit circa præceptum de dilectione inimicorum iſta quæſtio: An liceat Chriſtiano, ut vitam ſuam conſervet, latronem aut invaſorem occidere? Reſpondeo. Vi hujus præcepti Chriſti, quod non tantum diligere inimicos, ſed etiam eis benefacere imperat, id licitum non eſt. Quod enim majus malum queam inferre tali inimico, quam eſt mors? Verum ii quos tantopere hæc quæſtio ſolicitos habet, produnt, ſe accuratam atque paternam Dei curam, quam habet de liberis ſuis, non ſatis noſſe, neque credere ex animo. Quid eſt quod metuat is, ne à nefario homine interficiatur, qui credit, etiam capillos capitis ſui à Deo eſſe numeratos, & Deum longe teneriorem gerere ejus curam, quam paſſerculorum, quorum tamen nullus in terram cadit abſque illius voluntate? Matth. 10. 29. Luc. 12. 7. Si autem decrevit Deus, tali genere mortis eum è vita tollere, quibus, quæſo, armis hoc decretum Dei irritum reddere poterit? Quod ſi tamen aliquis Chriſtianorum, non habens animum occidendi, ſed metu præoccupatus occidat hominem ſceleratum, non debet de eo damnatoria ſententia, tanquam de homicida voluntario ferri. Interea vero ipſe cauſam habet, Deum cum lacrymis deprecari pro hoc caſu, in quo ſanctas manus ſuas ſanguine contaminavit, atque impoſterum majorem adhibere cautionem. Sed ne quis in talem incidat tentationem, ſatius eſt, ut nulla geſtet arma, credatque Angelos Dei ipſum, quando in via vocationis ſuæ ambulat, in manibus ſuis geſtaturos, ne pedem forte ad lapidem impingat; Deum quoque tam fidelem eſſe, ut neminem tentari ſupra vires patiatur Pſal. 91. 11, 12. 1 Cor. 10. 13.

CAPUT

CAPUT VI.

Argumentum & Partitio.

Chriſtus pergit in ſua Concione, & dehortatur I. Ab hypocriſi in dandis eleemoſynis, à verſ.1 ad 5 II. Ab hypocriſi in orando, præſcribitque orandi formulam à verſ.5 ad 16. III. Ab hypocriſi in jejunando, à verſ.16 ad 19. IV. Ab avaritia ac ſolicitudine de victu & amictu, a verſ.19 ad finem Capitis.

PARS I.

Verſ. 1. *Attendite, ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioqui mercedem non habetis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*]

Attendite.] Id eſt, cavete, diligenter vitate.

Ne eleemoſynam veſtram faciatis.] In Græcis quibuſdam exemplaribus, ut & in antiquis Latina & Syriaca verſionibus habetur, *ne juſtitiam veſtram faciatis*: etiam multi è Patribus ſic legerunt. Secundum quam lectionem intelliguntur per juſtitiam in genere bona opera (ut etiam ſupra cap. 5. 20) in quibus Chriſtus vetat, ne ullam apud homines gloriam ac laudem aucupemur; cum id Deo ingratum ſit. Quam generalem doctrinam ſuam deinceps in ſpecie tribus exemplis eleemoſynæ, precationis, ac jejunii illuſtrat. Cæteroquin in Hebræa lingua vox *juſtitiæ* etiam pro beneficentia ac eleemoſyna accipitur: ut inter alia loca Deut.24. 13. Pſal. 103. 17. cxii.9. Dan.4. 27.

Eleemoſyna, precatio & jejunium non raro conjunguntur, ut quæ maximam vim habent juncta, ad gratiam Dei comparandam. Vide Job. 12. 7. Matth.17.21. Marc.9. 29. Luc.2.37. Actor.10.4. xiij. 3. xiv.23.

Coram hominibus.] Vide infra ℣.4.

Mercedem non habebitis.] Ab hominibus quidem mercedem referetis, nempe vanam gloriam, ſed non à Deo, non illam mercedem, de qua Matth.25.34 & ſeqq.

Vox *mercedis* ſignificat hoc loco non æqualem labori compenſationem. Remuneratio enim, quam à Deo pro noſtris bonis operibus conſequimur, eſt mere gratuitum donum, & non ullo modo meritum. Vide Luc.17. 10. Idem quoque infra ℣.4,6, de voce *redditionis* ſeu *compenſationis* intelligendum eſt.

Verſ. 2. *Quum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt, in Synagogis, & in vicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*]

Eleemoſyna ac beneficentia erat quidem in Lege expreſſe mandata, ſed non erga omnes homines, at tantum erga egenos Iſraëlitas: ut docet locus Deut.15. 2,3. At ſub Novo Fœdere non tantum tenemur unicuique benefacere Gal.6. 10, ſed etiam longe perfectiorem exercere beneficentiam, quam ſub Lege imperata fuit. Nam pro domeſticis fidei etiam anima ponenda eſt 1 Johan.3. verſ.16.

Noli tuba canere. Quod Judæi omnes vel ſingulariter Phariſæi in more habuerint, ut eleemoſynam diſtribuentes tuba canerent, probari nequit; quod etiam nonnulli è Veteribus obſervarunt: ſed appareret proverbialem eſſe locutionem, ut *tuba canere* nihil aliud ſignificet, quam publicare ac divulgare, & hominibus notum facere. Indicatque Chriſtus, eleemoſynas non debere palam dari, ut id omnibus innoteſcat. Videtur Chriſtus ad illam reſpexiſſe conſuetudinem Judæorum, qua convocabatur populus clangore tubæ, de quo præcipit Moſes Num.10. 2. Vide etiam Joël.2. 15.

Hypocritæ.] Græca vox ſignificat proprie mimum aut hiſtrionem, qui in ſcena aliam perſonam repræſentat, qualis revera non eſt. Hac voce Chriſtus deſignat Phariſæos, qui tales hypocritæ in ſua ſanctitate erant.

In Synagogis.] Non tantum in Scholis, quos vocant, ſeu Sacris conventibus, ubi maxima populi multitudo confluere ſolebat, ſed in genere ubicunque turba aliqua hominum conveniebat, ut infra verſ.5. Græca enim vox συναγωγὴ denotat qualemcunque conventum populi.

In vicis.] Seu plateis, ubi homines frequenter tranſeunt ac prætereunt.

Receperunt mercedem ſuam.] Quod unice quæſierunt, nempe laudem ab hominibus, id conſecuti ſunt; non eſt quod amplius ſperent. Non enim æquum eſt, ut una res bina mercede penſetur, nimirum ab hominibus, & deinde à Deo.

Verſ.3. *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua.*] Proverbium eſt, quaſi dicat: fiat id tam occulte, ut, ſi fieri poſſit, ne ſiniſtra quidem tua (quæ alioquin in omnibus adjutrix eſt manus dextræ, adeoque omnia ſcit, quæcunque facit dextra) id reſciat, nedum alii homines.

Neſciat.] Id metaphorice dictum eſt, nempe ſi oculos haberet.

Dextra tua.] Dextræ mentionem facit, quia naturaliter omne opus potiſſimum dextra manu peragitur.

Verſ. 4. *Ut ſit tua eleemoſyna in abſcondito, & Pater tuus videns in abſcondito, reddet tibi in propatulo.*] Chriſtus non ſimpliciter prohibet eleemoſynam dari palam & coram hominibus, ſed tum demum, quando periculum eſt, ne id in propriam noſtram laudem cedat. Alioqui præcipit nobis, ut lucem noſtram patiamur lucere coram hominibus (cap.5. 16) ut bona opera noſtra ad Dei gloriam, aliorumque exemplum, ad ædificationem proximi convertantur. Præſtat eleemoſynam quam occultiſſime dare, quam ullam laudem ea quærere. Nam remuneratio à Deo nihilominus haud deerit.

In propatulo.] Etſi videatur hæc verba ipſa oppoſitio requirere, quod ſcilicet Deus bona opera *occulte* facta *manifeſto* remuneraturus ſit, tamen in pleriſque Latinis & nonnullis Græcis

exemplaribus, neque hic, neque verſ.6 leguntur, apparetque, ea ab aliquo in deſcribendo eſſe inſerta. Multis enim modis contingere poteſt, ut homo præmium pro ſua eleemoſyna à Deo accipiat quidem, ſed non palam : imo divinæ remunerationes ut plurimum non fiunt palam coram hominibus. Neque eſt credibile, Chriſtum hic reſpicere ad magnum illum diem univerſalis remunerationis, tempore ultimi Judicii ; quia Deus etiam in hoc ſeculo, ut pœnas impiis, ita præmia piis pro operibus charitatis diſtribuere ſolet Hebr.6.10. Quinimo quia hic non agitur de compenſatione omnium bonorum operum, ſed tantum de ſpeciali mercede eleemoſynæ, ideo credendum eſt omnino, Chriſtum hic de tali mercede loqui, quam Deus in hac vita conferre ſolet, quæ plerumque ita comparata eſt, ut etiam illi ipſi, cui obtingit, ignota ſit.

PARS II.

Verſ.5. *ET cum oras, ne ſis ſicut hypocritæ, quia amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, quod receperunt mercedem ſuam.*] Orandi præceptum nullum in Lege Moſis extat: ſed natura ipſa & neceſſitas docuit pios orare, & opem inde petere, ubi eam reperiri poſſe ipſum rationis lumen dictabat.

Quia amant ſtantes orare.] Judæi vulgo precabantur ſtantes, ut docent loca Jerem.15.1. xviij.20. Job. 30.20. Marc.xi.25. Luc.18.11. At tempore luctus ingentis, & diebus pœnitentiæ incurvato corpore, vel flexis genibus, aliquando etiam in faciem procumbentes orabant. Vide Dan.2.15. iv.11. Singulare humilitatis ſpecimen fuit in Salomone, quod in Templi encœniis in genua procumbens preces abſolverit, cum populus interea ſtaret 2 Par. 6. 3,13. Genuflexio enim majoris humilitatis ſignum eſt, quam ſi quis ſtet erectus. Unde etiam illa apud Chriſtianos in uſu eſt. Vide Actor.20.36. xxi.5. Epheſ.3.14.

In Synagogis.] Vide ſupra verſ.2. Chriſtus preces publicas in Synagogis eatenus tantum prohibet, quatenus eo ipſo gloria apud homines captatur, ut ab eis pro ſanctis ac religioſis habeamur. Alioqui Templum Hieroſolymitanum proprie fuit domus orationis, ubi univerſus populus ad orandum conveniebat Eſai.56.7. Matth.21.13. Joh.4.20. Et ſic decet quoque Chriſtianos frequentare publicas congregationes orandi cauſa inſtitutas Hebr.10.25. Publicarum orationum exempla vide Actor.4.24. xij.12. xiij.3. xvi.13. xxi.5. Imo publicæ precationes fidelium majori cum gloria Dei conjunctæ ſunt, & majorem vim habent afficiendi ut exaudiantur, quam privatæ ſingulorum Matth.18.19.

Verſ.6. *Tu autem cum oras, intra incubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo ora Patrem tuum, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus videns in abſcondito reddet tibi in propatulo.*]

Cum oras.] Intellige, ſolus ac privatim, ut Chriſtus Matth. 14. 23. Et Petrus Actor. 10. 9. Paulus & Silas Actor.16.25.

Intra in cubiculum tuum.] Vocabulum Græcum denotat locum, ubi res aſſervari & occludi ſolent. Vultque Chriſtus ſibi nihil aliud, quam ut orationes, quantum fieri poteſt, occulte inſtituantur, ut vitetur omnis propriæ gloriæ quærendæ ſuſpicio.

Verſ.7. *Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici : arbitrantur enim, quod in multiloquio ſuo exaudientur.*] Græca vox βαττολογία uſurpatur tam de eo, qui verba eadem inutiliter repetit, quam de eo, qui de una re multa ſuperflua verba facit. Non autem hic ſimpliciter longæ orationes prohibentur, nec perſeverantia in precando, quinetiam nec unius rei crebra in oratione repetitio plane vetatur. Nam ſi quis id faciat animo pleno ferventis zeli ac vere religioſo, Deo id acceptum eſt. Atque huc ſpectat parabola illa Luc.xi.5 ad 11 & xviij.1 ad 9, & exemplum Chriſti Matth.26.44. Marc.14.39. Luc.6.12, & ejuſdem tota precatio Joh.17. Vide etiam aliorum exempla Actor.2.42. Rom.1.9,10. xij.12. Col.4.2. 2 Cor.12.8. 1 Theſſ.3.10. v.17. 1 Tim. 5.5. Sed Chriſtus prohibet tantum ejuſmodi multiloquium, quando quis Deo verba quaſi menſura certa admetitur, ſine devotione ac fervore omni, credens ſe ob ſolum orandi laborem exauditum iri. Ita faciunt hodie Papiſtæ, roſaria ſua & precationes ſuas horarias demurmurando ac deblaterando.

Sicut Ethnici. Vox Græca ἔθνος proprie ſignificat populum, & uſurpatur quoque de Judaica natione Joh.18.35. Actor.10.22. xxiv.10 & alibi. Vulgo autem Ethnici vocantur gentes reliquæ præter Judæos, quæ vera Dei notitia fuerunt deſtitutę, ut Epheſ.2.11,12. Sumit autem Chriſtus multiloquii exemplum ab Ethnicis: Judæi enim plerumque in ſuis precibus non utuntur multis ſuperfluis verbis. Ethnici autem arbitrabantur, longe citius orationes ſuas à Diis exauditum iri, ſi ſeſe multa loquendo fatigaſſent. Ubi vero multa fiunt inania verba, ibi etiam rem eandem ſæpius iterari neceſſe eſt.

In multiloquio ſuo.] Gr. ἐν τῇ πολυλογίᾳ. *In* ſumitur pro *propter*, ex Hebræorum conſuetudine.

Verſ.8. *Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater veſter, quorum uſum habeatis, antequam oretis ipſum.*] Pater veſter, ſcilicet cœleſtis ille ; vide ſupra cap.5. ℣.16,48.

Quorum uſum habeatis.] Ethnicis in more erat, omnia minima & maxima, quibus indigebant, accurate in precibus ſuis enumerare, non ſine moleſta iteratione. Chriſtus autem indicat hoc loco, id non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere, ut in genere neceſſaria à Deo petamus : Deum enim ſcire atque intelligere noſtras neceſſitates antequam petamus, adeoque haud egere tam ſuperflua & ingrata commemoratione. Quid, quod ne ipſi quidem homines ſemper norint, quid eis neceſſarium aut etiam utile ſit. Deus autem novit omnia.

In hiſce verbis ſimul continetur dehortatio, ne vel pro nobis vel pro aliis petamus ea, quæ neceſſaria non ſunt. Quæ autem nobis neceſſaria ſint, complexus eſt Apoſtolus Paulus vocibus victus & amictus 1 Tim.6.8. Vide quoque infra verſ.31.

Antequam oretis.] Beza perhibet, ſe in veteri quodam manuſcripto exemplari legiſſe : *Antequam os aperiatis.*

Verſ.9. *Sic ergo orate vos.*] Novum hoc eſt præceptum, quod non reſpicit ad proxime præcedentia, quaſi Chriſtus, poſtquam multa ac ſuperflua verbi

fundere

fundere vetuiſſet, hic formulam brevis precationis præſcripſiſſet. Quod enim nos Chriſtus non alligaverit ad hæc ipſa, vel ulla alia verba in oratione ad Deum uſurpanda, quodque non prohibuerit nobis pluribus uti verbis, quam in ſequenti precatione continentur, præter rem ipſam, hoc quoque docet, quod nuſquam legamus Apoſtolos ſe ad verba orationis hujus Dominicæ adſtinxiſſe. Sed Chriſti mens eſt ſignificare, teneri nos & obligatos eſſe, ea omnia à Deo petere, ſive iiſdem, ſive aliis verbis, quæ in hac oratione nobis præſcribit: non autem hoc ſibi vult, non eſſe nobis quicquam amplius petendum è rebus neceſſariis, quod in hac oratione non continetur. Quæ Chriſtus hic ut petamus jubet, omnia ſunt ita comparata, ut ad ea à Deo petenda ipſius religionis Chriſtianæ vi omnino obligemur. Itaque Chriſtus hic non præſcribit, quando orare volumus, quid petere debeamus; ſed has res omnes quas commemorat, ut ſemper petamus jubet. Neque etiam exiſtimandum eſt, Chriſtum hic compendium omnium rerum, quæcunque nobis à Deo petendæ veniunt, præſcribere, eaſque in ſex certa capita, ad quæ omnia referri poſſint, dividere voluiſſe. Permulta enim ſunt, ad quæ petenda nos adigit neceſſitas, quæ non niſi coacte & per longas ambages eo referri queunt.

Obſervarunt quoque viri nonnulli eruditi, Chriſtum hanc orationem non tam ſuis propriis verbis concepiſſe, quam ex conſuetis Judæorum precationibus, quod optimum erat, & ipſum quaſi nucleum ſelegiſſe, huicque orationi inſeruiſſe: quemadmodum etiam in ſuis admonitionibus, multis uſus eſt proverbiis & loquendi modis, qui tunc inter Judæos in uſu erant.

Pater noſter, qui es in cœlis.] Merito in precatione primum is deſcribitur, ad quem directa eſt oratio, nempe Deus, cui hic titulus *Patris noſtri* tribuitur. Eſt autem hic titulus Deo proprie competens ſub Euangelio, in quo ſe longe perfectiori modo, quam olim ſub Lege, Patrem noſtrum eſſe teſtatus eſt, dum nobis fecit promiſſionem luculentiſſimam, nos in immortalitate ac beatitudine ſibi ſimiles reddendi, atque adeo excellentiſſima ratione nos liberos ſuos efficiendi Johan.1. 12. Luc.20. 36. 1 Johan.3.2. Epheſ.3. 15.

Vox *noſter* indicat, Chriſtum velle, ut non ſinguli pro nobis ſolum oremus, ſed ſimul quoque pro aliis fratribus noſtris. Chriſto enim animus fuit hac precatione etiam charitatem nobis inſtillare, ut eam toties erga fratres noſtros exerceamus, quoties hac precatione utimur.

In cœlo.] Græce *in cœlis.* De qua locutione vide ſupra cap.5. 16. Deus autem hac deſcriptione ab aliis terrenis patribus diſcriminatur. Cœlum eſt locus, quem Deus proprie quoad eſſentiam ſuam inhabitat, in gloria ac majeſtate inexplicabili, ſeu in luce inacceſſa 1 Tim.6. 16. Unde infinita ejus vis ac potentia in omnes partes & omnia loca dimanat, in quibus eam vult exerere Deut. 33. 26. Job. 16. 19. xxij. 12. Pſal.xi.4. ciij. 19. cxv. 3. cxxiij.1 &c. Cœlum autem hoc non eſt iſtud ſidereum ſeu aſtriferum, quod oculis cernimus, quodque deſcripſit Moſes Gen.1.6, ſed longe ſupra creatum hoc & conſpicuum cœlum eminet. Paulus vocat id tertium cœlum 2 Cor.12. 7.

Notandum hoc loco eſt, quando de Deo dicitur, eum etiam alibi quam in cœlo eſſe, id non de ejus eſſentiali præſentia, ſed de ejus efficacia, operatione ac omniſcientia intelligendum eſſe. Ut cum David inquit Pſal 139. 7,8: *Quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero alas auroræ, & habitavero in extremo mari, manum tuam etiam illic extendes.* Ubi David figurato loquendi modo per ſpiritum, faciem, & manum Dei, exprimit Sapientiam ac potentiam ejus immenſam, ut nullus locus tam remotus ſit, ad quem illa non pertingat. Sic Salomon quoque in ſua ad Deum oratione ait 1 Reg.8. 27: *Ecce cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc* (ſcilicet, te non capiet) *quam ædificavi.* Quæ verba non minus de infinita Dei potentia, ſcientia ac providentia intelligenda ſunt. Quia enim Templum eſt, in quo Deus ſaltem potentia ſua ac providentia habitat, per quam fit, ut ſe illic adorantes ac invocantes auxilium ſuum, benigne exaudiat; poterat videri Salomon, dum Templum condidit, in quo ſolo Deus coleretur, Dei potentiam ac providentiam voluiſſe intra hujus unius loci anguſtias concludere atque coarctare. Quare, ut huic ſuſpicioni occurrat, & declaret, ſe longe auguſtius de Deo ſentire, affirmat, Deum, reſpectu potentiæ ac providentiæ ſuæ, etiam vaſtiſſimo cœlorum ambitu non poſſe comprehendi, tantum abeſſe, ut hæc anguſta domus, quam extruxerat, eum comprehenderet, id eſt, ut ejus potentia ac providentia in hac domo ſola quaſi incluſa, & huic loco tantum alligata ſit.

Complectitur autem oratio hæc à Chriſto tradita ſex petitiones, quarum primæ tres Deum & honorem ejus, reliquæ tres noſtram & noſtrorum felicitatem ſpectant.

Sanctificetur nomen tuum.] Hæc eſt prima petitio, quæ (ut & ſequentes duæ) non eſt nudum tantum votum, ut id quod optamus fiat; ſed eſt vera obſecratio, qua à Deo flagitamus, ut illa tam nos quam alios homines aptos reddere, omniaque noſtra verba, ſcripta, opera & actiones ita benedicere dignetur, quo nomen ejus hac ratione ſanctificetur, id eſt, ut ad gloriam, laudem ac celebrationem nominis ejus omnia convertantur.

Nomen tuum.] Id eſt, tu ipſe, Hebræorum phraſi 1 Reg.18. 24,25. Actor.4.12.

Verſ. 10. *Adveniat regnum tuum.*] Per Regnum intelligitur non aliud, quam quod Deus per Chriſtum inter homines exercet; quod ſupra cap.3.2 Regnum cœlorum appellatur. Senſuſque eſt hujus petitionis, ut Deus velit efficere, ut omnium hominum corda atque animi ſeſe ipſi, tanquam ſupremo Domino rerum omnium ſubjiciant, eumque per Chriſtum honorent ac colant.

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.] Per voluntatem Dei intelliguntur mandata ejus, omniaque ea, quæ Deus hominibus facienda impoſuit, potiſſimum autem ea quæ noſtris naturalibus viribus ægre perfici poſſunt, & in quibus adeo divino auxilio ac ope indigemus. Oramus ergo hic, ut Deus

omnes homines, qui ſunt in terra, mandatis ſuis obedientes faxit, quo tam ſancti ac perfecti vivant, quam in cœlis Angeli Pſal. 103. 20. Tantam perfectionem & Angelicam obedientiam requirit Deus ab hominibus.

Verſ. 11. *Panem noſtrum neceſſarium da nobis hodie.*] Per panem more Hebræorum omnia ad vitæ noſtræ uſum ac ſuſtentationem neceſſaria intelliguntur Gen. 3. 19. Eſai. 58. 7. Ezech. 18. 16.

Neceſſarium.] Græca vox ἐπιούσιον Interpretes in varias ſententias diſtraxit. Sed videtur derivari à vocabulo ἐπιέναι, id eſt, *ſequens*, ſubintellige tempus, vel diem. Ut adeo ſenſus ſit, ut Deus nobis neceſſariam ſuſtentationem largiri velit, qua ſequenti tempore vitæ noſtræ (quod quam diu duraturum ſit, ipſi ſoli notum eſt) indigebimus. Non ut eam nobis ſtatim totam ſimul repræſentet ac conferat, ſed ut tantum nobis impoſterum largiatur, quantum ſingulis diebus opus erit. Vult enim Chriſtus nos curam de noſtra ſuſtentatione in Deum jaciamus; quemadmodum ſervus non poſtulat ab hero ſuo, ut cibos, quibus toto ſervitii ſui tempore indigebit, ſimul & ſemel ei tradat in penu aſſervandos, ſed committit ipſi curam de quotidiano ſuo victu. Hoc pacto vocula *hodie* non eſt ſuperflua. Senſus enim totius petitionis hujus eſt, ut Deus nobis neceſſarium panem, quo reliquo vitæ noſtræ tempore indigebimus, etiam hodie largiri dignetur: aut (quia apud Lucam cap. xi. 3 loco *hodie* eſt καθ' ἡμέραν id eſt, quotidie) ut nobis Deus panem noſtrum neceſſarium quotidie det.

Oramus autem hac petitione, ut Deus non ſolum ea quibus caremus, nobis conferat, verum quoque jam præſentia, quæ habemus, quatenus nobis utilia ac neceſſaria ſunt, conſervet.

Verſ. 12. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*] Debita, id eſt, omnia admiſſa peccata, quibus Deo ad luendas pœnas tanquam debitores obſtricti ſumus. Confer cum Luc. xi. 4. Vide etiam Matth. 18. 24. Intelliguntur autem per debita, non modo quotidiani lapſus, verum etiam illa gravia peccata, quæ ante veritatis agnitionem à nobis patrata ſunt, quæ nos maxime Deo ad juſtam pœnam obligarunt, quæque nobis poſt noſtram converſionem ad Deum remiſſa ſunt, non alia ratione, quam ſub conditione veræ pœnitentiæ; quæ pœnitentia neceſſario agnitionem noſtrorum peccatorum, ac deprecationem pro iis per ſupplices preces ſecum trahit. Vide 1 Joh. 1. 8.

Sicut & nos dimittimus.] Hoc propterea additur, ut ſciamus, niſi nos hominibus remittamus eorum lapſus, etiam Patrem noſtrum cœleſtem nobis lapſus noſtros non remiſſurum. Vide Matth. 5. 23, 24. vi. 15. ut & parabolam cap. 18. 24 & ſeqq. Apud Lucam ſic habetur cap. xi. 4 *nam & nos dimittimus &c.* ut ita Deo his verbis cauſam proponamus, quare remiſſionem noſtrorum peccatorum ab ipſo poſtulare audeamus.

Verſ. 13. *Et ne nos inducas in tentationem.* Per tentationem hoc loco deſignantur omnes afflictiones ac mala, quæ Chriſtianis ob eorum confeſſionem eveniunt, quæque Deus eis immittit ad explorandam eorum fidem atque conſtantiam. Non is autem eſt horum verborum ſenſus, ne nos Deus patiatur in tentationem incidere. Hæc enim eſt conſueta Chriſtianorum conditio, quod per multas afflictiones cogantur ingredi in Regnum Dei Actor. 14. 22. (Vide quoque Jacob. i. 2, 3. Hebr. 12. 6. Apoc. 3. 19.) Sed ſenſus eſt, ne nos Deus ſinat ſupra vires tentari 1 Cor. 10. 13, neve afflictionibus adeo aggravari, ut ullo modo à veritate aut pietate deflectamus.

Sed libera nos à malo.] Vocula *ſed* indicat, hic non contineri novam petitionem, uti nonnulli ſeptimam hanc petitionem numerant, ſed verba hæc pars ſunt ſextæ petitionis.

A malo.] Id eſt, à Diabolo: ut etiam Matth. 13. 19, 38. Epheſ. 6. 16. 1 Joh. 2. 13, 14. iij. 12. v. 19: quippe is proxima ac principalis auſa eſt, uti omnium aliarum malarum rerum, ita etiam afflictionum, quæ fidelibus ab inimicis veritatis contingunt. Hinc ſupra cap. 4. 3 Tentator dictus eſt. Vide etiam 1 Cor. 7. 5. Oramus igitur hic Deum, ut Diaboli potentiam ac violentiam reprimat atque cohibeat, ne is ulla tali tentatione nos oneret, quæ viribus noſtris major ſit.

Quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula. Amen.] Verba hæc reliqua verſ. 13, non habentur in Vulgata Latina editione, neque etiam, ut nonnulli affirmant, in vetuſtiſſimis Græcis exemplaribus: attamen in vulgaribus Græcis, Syriacis & Arabicis leguntur, apud Lucam autem cap. xi. 4, in nullo omnino exemplari neque Græco, neque Latino, neque Syriaco, neque Arabico leguntur. Conjectant vero eruditi, hæc verba primum à Græca Eccleſia textui Matthæi eſſe inſerta: ut quæ prima in uſu habuerit, ejuſcemodi encomia ac concelebrationes precationibus ſuis annectere. Si quis nihilominus exiſtimet ea à Chriſto ipſo eſſe orationi huic adjecta, hic erit eorum ſenſus.

Quoniam.] Vocabulum hoc cauſam reddit, cur tam magnas res à Deo flagitare non dubitemus.

Tuum eſt regnum. Nempe, quia Deus ſolus poteſtatem, imperium, ac jus ſuper omnia habet.

Et potentia. Quia nihil tam difficile eſt & arduum, quod ille non poſſit efficere.

Et gloria.] Duplex poteſt eſſe horum verborum ſenſus. Primo, quod ipſi ſoli hæc gloria atque honor debeatur, ut ab eo iſta petamus, quia is ſolus habet poteſtatem ac vires præſtandi ea, quæ precamur. Secundo, quod ubi votis fuerimus potiti, totum id in laudem ac gloriam nominis ejus ſit ceſſurum. Priori ſenſu accepta verba continent cauſam, cur Deum orare debeamus, ſecundo ſenſu, cur Deus votis noſtris debeat annuere.

In ſecula.] In Græco eſt εἰς τοὺς αἰῶνας. Vox αἰὼν proprie ſignificat tempus ætatis humanæ, circiter 70 annorum, ut cenſet Hieronymus. Ponitur autem in plurali numero etiam pro æternitate, ut nimirum infinita tempora eo denotentur.

Amen.] De hac voce vide ſupra cap. 5. 18.

Verſ. 14. *Si enim dimiſeritis hominibus lapſus eorum,*

eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis.] Continetur his verbis illuſtratio quintæ petitionis, redditque hic cauſam, cur illi adjunxerit iſta verba, *ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* In remiſſione quippe peccatorum noſtrorum, ex Dei decreto, conſiſtit ſalus noſtra æterna: cumque Deo aliquando ſimiles futuri ſimus immortalitate ac felicitate ſempiterna, par eſt, ut eidem quoque in manſuetudine & ignoſcendi facilitate conformes reddamur. Vide Matth. 5. 44, 45, 48. Non eſt hæc mens verborum hujus verſus, quod remiſſio noſtrorum peccatorum ſimpliciter eo ipſo obtineri queat, ſi injurias noſtras iis à quibus læſi ſumus condonemus. Si enim aliis peccatis Euangelii præcepta violemus, minime hæc ſola atque unica virtus nos juvabit. Sed ſenſus eſt, hoc ipſum, ſi facile demus veniam hominibus, magnum momentum allaturum, cæteris paribus, ad conſequendam à Deo peccatorum noſtrorum veniam. Vide ſimiles locutiones Matth. 5. 3 &c. Luc. XI. 41. 1 Petr. 4. 8.

Verſ. 15. *Si autem non dimiſeritis hominibus lapſus eorum, nec Pater veſter dimittet lapſus veſtros.*] Reliquæ etiam omnes virtutes nihil proderunt, niſi hæc adfuerit. Non tantum autem Chriſtus hic vindictam ſeu mali pro malo redditionem prohibet, ſed etiam vult ne averſo ſimus ab eo qui nos læſit animo; quin potius ut maleficia ejus beneficiis obruamus, & vota pro illo ad Deum mittamus Matth. 5. 44, Deo ultionem omnem committentes Rom. 12. 19.

Hominibus.] Omnibus in genere ac promiſcue. His verbis autem non interdicitur parentibus, & dominis, quominus liberos ac ſervos ſuos delinquentes debita pœna afficiant.

Nota quoque eos, qui veniam lapſis dare recuſant, fruſtra ſeſe merito ac Satiſfactione Chriſti ſolari, inque ea fiduciam ſuam collocare.

PARS III.

Verſ. 16. *CUm autem jejunatis, ne fiatis ſicut hypocritæ, tetrici.*] De jejunio nullum extat in Veteri Teſtamento præceptum, excepto illo, quod die univerſalis expiationis juſſum eſt celebrari Levit. 16. 29. XXIII. 27. Cui deinceps poſt Templi inſtaurationem, adhuc alia duo adjecta ſunt. Loquitur autem hoc loco Chriſtus non de illo generali jejunio totius populi, ſed de jejuniis agit privatis, quæ ſibi quiſque injungit, vel extraordinarie per dies aliquot continuos à cibo abſtinens, vel certos dies ordinarie in ſeptimana obſervans: quem in modum Phariſæus ille bis in ſeptimana jejunabat, de quo Luc. 18. 12. Moris autem erat Phariſæis plerumque diebus Lunæ vel Jovis jejunare; & qui aliis ſanctiores eſſe volebant, jejunabant quoque diebus Martis & Veneris. Nullum cibum, nec potum capiebant die jejunii uſque ad ſolis occaſum, quo tempore herbis tantum & ovis reficiebant corpus, ab uxoribus ſecubabant, in nuda terra: erant, qui ſpinas ſibi ſubſternerent, quo dormirent minus. Uti vero Chriſtus hic jejunium nullo modo per ſe reprehendit, ita eos duntaxat redarguit, qui ejuſcemodi auſteritate ac defraudatione genii ſui nihil niſi laudem ſanctitatis apud homines quærunt: quales inprimis erant Phariſæi, qui etiam inde nomen Phariſæorum (id eſt, ſeparatorum) nacti ſunt; ſiquidem haud erant contenti Legis præceptorum obſervatione, verum ipſi quoque ſibi novas & rigidas figebant regulas, quibus à reliquo populo diſcriminabantur.

Tetrici.] Seu triſtes. Vide Luc. 24. 17.

Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.] Faciunt ſibi facies deformes, non diuturnis ac rigidis jejuniis, ſed aſſumpta triſtitiæ larva: de quo vide Eſai. 58. 5.

Mercedem ſuam. Vide ſupra ℣. 2.

Verſ. 17. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.*] Id eſt, eo te gere modo, quo ſoles quotidie. Judæi enim utebantur lavacris & unctione extra tempora luctus, inprimis quando paulo hilariores erant, nempe diebus feriatis & in conviviis Ruth. 3. 3. 2 Sam. 12. 20. XIV. 2. Eſth. 2. 12. Ungebant autem capita ſua ut plurimum oleo, quandoque etiam pretioſis unguentis ac balſamo Pſal. 23. 5. CIV. 15. CXXXIII. 2.

Verſ. 18. *Ut non appareas hominibus jejunans, ſed Patri tuo qui eſt in abſcondito, & Pater tuus videns in abſcondito, reddet tibi in propatulo.*] Inde videre eſt, jejunium etiam rem bonam ac Deo gratam eſſe, quando fit bono fine, ad domandum ſcilicet ac humiliandum corpus, ut animus ad opera pietatis ac ſanctimoniæ ſit expeditior. Hoc pacto inſtitutum jejunium repoſitam habet apud Deum mercedem. Nam per ſe corporalis exercitatio parum utilis eſt; ſed pietas (ad quam multum quoque facere poteſt jejunium) magnas habet promiſſiones 1 Tim. 4. 8.

In propatulo.] Voces hæ deſiderantur in Latinis & quibuſdam Græcis exemplaribus, ut & in Syriacis, æque ac ſupra ℣. 4, 6.

PARS IV.

Verſ. 19. *NE theſaurizate vobis thauſauros in terra, ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures effodiunt, & furantur.*] Græca vox *theſaurus* proprie ſignificat id, quod in craſtinum diem ſeu in tempus futurum reponitur & aſſervatur. Intelligit autem Chriſtus hac voce omnis generis temporaria, tam immobilia quam immobilia bona, ſeu divitias: id quod ex ultimis verbis verſiculi 24 perſpicitur: *Non poteſtis ſervire Deo & Mammonæ.* Divitiæ autem ſunt, quicquid ſupra quotidianam neceſſitatem eſt hujus vitæ (vide Luc. 12. 15) ſeu quod eſt ultra victum & amictum, quo debemus eſſe contenti 1 Tim. 6. 8. Idem hoc quoque loco Chriſtus imperat, ne curam impendamus quærendis divitiis, id eſt, colligendis præter neceſſitatem nummis ac bonis.

Verbum Θησαυρίζω utrumque notat, & colligere theſauros, & eoſdem aſſervare. Hoc loco autem ſignificat colligere, ut antitheſis indicat: *Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlis*; ubi Chriſtus non præcipit diſcipulis ſuis, cœleſtes theſauros aſſervare (quia nullos adhuc habebant) ſed colligere. Quare non eſt hic prohibitum, ut quis divitias, quæ ipſi abſque

abſque cura atque labore ejus obveniunt, poſſideat: ſed ſola prohibetur avaritia, cum quis plura habendi ſtudio laborat, quam quotidianus uſus poſtulat, vel cum quis penum aut pecuniam pro futura coacervat neceſſitate, quæ oculis nondum cernitur. Cur autem non ſint colligendi theſauri, duas Chriſtus profert rationes. Prima eſt, quod opes terrenæ tam fluxæ ac incertæ ſint, ut facile corrumpi vel amitti queant: corrumpi ſcilicet à tineis, quæ nocent veſtibus, & ab ærugine, quæ vaſa metallina ac pecuniam corrodit (Græce, obfuſcat) amitti vero nequitia furum, quibus nullus theſaurus tam alte defoſſus, tamque abdito loco repoſitus eſt, ut non modum ejus furandi inveniant. Hoc autem Chriſtus exempli ſolum loco adfert. Dantur enim mille alii adhuc modi, quibus divitiæ corrumpi ac perire poſſint.

Verſ. 20. *Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.*] Terrenis theſauris Chriſtus opponit theſauros in cœlo, id eſt, cœleſtes, ſeu vitam æternam, vultque nos omnem intendere curam ad eos comparandos, cauſam addens, quod hi ſint ſtabiles ac certi, neque corruptioni & jacturæ perinde obnoxii, atque terreni. Theſaurizamus autem nobis theſauros in cœlo, quando damus operam, ut tales ſimus, quales Chriſtus in exordio hujus Concionis cap. 5. 5 & ſeqq. beatos prædicat, id eſt, quando virtutem ac pietatem ſtudioſe ſectamur: inprimis autem quando liberalitem exercemus erga egenos, quæ virtus peculiarem vim habet nobis cœleſtem theſaurum conciliandi. Hinc Luc. 12. 33 ſolius eleemoſynæ mentio fit in ſimili admonitione. Vide quoque Matth. 19. 21. xxv. 35, 36. Lucæ. 16. 9. xviii. 22.

Verſ. 21. *Ubi enim eſt theſaurus veſter, ibi erit & cor veſtrum.*] Erat hoc uſitatum proverbium. Continetur hic ſecunda ratio, qua nos Chriſtus à theſauris in terra colligendis dehortatur. Qui enim theſaurum terrenum in caſum futurum incertum colligit, is revera ſibi quaſi Larem quendam familiarem ſeu idolum comparat, ad quod neceſſitatis tempore confugiat (ideo etiam avaritia idololatria nuncupatur Col. 3. 5) & in quantum putat, ſe ab eo juvari poſſe, in tantum ſuam in eo fiduciam collocat, nec non amore eum proſequitur tanquam ſuum Mæcenatem ac Patronum in neceſſitate. Hæc autem fiducia & amor minuit fiduciam & amorem erga Deum, adeoque cor à Deo avertitur, aut ſaltem ſcinditur in partes ac dividitur, cum tamen Deo totum debeat eſſe ſacrum ac devotum Matth. 22. 37. Imo quia utplurimum ſic ſunt homines, ut minus bonum, præſens & ſub ſenſus cadens, magis occupet corda eorum, quam longe præcellentius bonum quod abſens ac futurum eſt, & intellectu ſolo percipitur: inde evenit, ut quorum intellectus punice cœleſtis ſapientiæ nondum eſt perfecte expolitus, eorum animos etiam mediocris theſaurus terrenus ac viſibilis ita trahat ac rapiat ad ſe, ut magis in eo ſpem ponat, quam in inviſibili Dei providentia, adeoque cum magis amet, quam Deum ipſum.

Verſ. 22. *Lucerna corporis eſt oculus.*] Hæc faciunt ad majorem ſuperiorum illuſtrationem. Nimirum confert hic Chriſtus animum hominis cum oculo. Quemadmodum enim oculus corpori in externis actionibus prælucet, ſic lucet animus homini in iis actionibus, quæ ad bonos mores ac pietatem ſpectant.

Si igitur oculus tuus ſimplex fuerit.] Id eſt, purus, illæſus, à malis humoribus non corruptus.

Totum corpus tuum lucidum erit.] Id eſt, tunc corpus omnia opera ſeu actiones rite peraget. Sic etiam, quando animus erit purus, & à concupiſcentia terrenorum theſaurorum, id eſt, ab avaritia, in poteſtatem non redactus, omnia quoque ejus opera bene procedent, hoc eſt, ad eos theſauros anhelabit, in quibus vera conſiſtit felicitas.

Verſ. 23. *Si autem oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quid in te eſt.*] Id eſt, oculus, qui corporis lucerna eſt debet.

Tenebræ ſunt.] Id eſt, tenebroſus eſt: conſueta Hebræis locutione.

Quantæ erunt tenebræ?] Id eſt, quam cæca & abſurda opera ſequi neceſſe eſt, quando animus nefariis avaritiæ ſtimulis agitatur? Vocat reliqua corporis membra *tenebras*, quia nullum tale lumen habent quale eſt oculus.

Verſ. 24. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum amplexabitur, & alterum deſpiciet. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.*] Chriſtus occupat objectionem. Poſſet enim quiſpiam dicere: Ego quidem colligo theſauros, interim tamen haud negligo cultum divinum. Ad hoc reſpondet Chriſtus, duo iſta ſimul ſtare non poſſe; illuſtratque id bene noto proverbio: Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Cum enim quilibet ſervus obſtrictus ſit dominum ſuum diligere, rei natura non patitur, ut amor unius ſervi feratur in plures dominos ac dividatur: quemadmodum natura ipſa non permittit, ut uxor una duos habeat maritos, quia cor ſuum in duas dividere partes & animo duobus æque adhærere nequit. Itaque eveniet, ut ſi unui domino ſerviat, alterum neceſſario negligat, ejuſque ſervitia vel negotia minus fideliter curet. Tales duo domini ſunt *Deus* & *Mammon* ſeu Mammona: quorum unuſquiſque integrum cor ejus, qui ipſi ſervit, requirit. Vox Mammonæ eſt Syriaca, & ſignificat divitias; quæ inducuntur hic tanquam Dominus quidam aut Deus, cui ſervitur, ejuſque juſſis obſecundatur. Vide 1 Tim. 6. 9. Matth. 19. 23.

Verſ. 25. *Propterea dico vobis.*] Particula *propterea* connectit hæc verba cum antecedentibus; quaſi dicat Chriſtus: Quandoquidem ſimul Deo ac Mammonæ ſerviri non poteſt, ideo dico vobis. Rurſus autem his verbis occurrit Chriſtus objectioni novæ. Dicere enim adhuc aliquis poſſet: Ego non quæro ſuperflua, ſed hoc tantum, quo mihi, dum vixero, opus erit. Ubi tantum collegero, nihil amplius requiram. At Chriſtus hoc loco indicat, eo ipſo nihilominus duobus dominis, Deo ac Mammonæ, ſerviri; & preterea id ſignum eſſe modicæ fidei (infra ℣. 30) & diffidentiæ erga Deum, quaſi Deus de neceſſariis non ſit ſuis proſpecturus.

Ne ſitis ſoliciti animæ veſtræ, quid manducetis, & quid bibatis, neque corpori veſtro, quid induamini.] Hic

Hic non præcipitur, ut homo prorſus omni cura de rebus neceſſariis vacuus vivat, otioſuſque ac deſes expectet, donec corvi paratum ipſi panem in domum apportent, ut olim Eliæ factum eſt. Oportet enim ut Chriſtianus labore honeſto ſe ſuſtentet 1 Theſſ. 4. 2. 2 Theſſ. 3. 10, curamque rerum ſibi ſuiſque neceſſariarum gerat, ne aliis ſit oneri. Sed Chriſtus hic prohibet illam ſolicitudinem, quæ cum anxietate animi conjuncta eſt, cum quis partim præſenti ſtatu ac ſorte ſua contentus non eſt, partim, & quidem præcipue, in futurum de Dei providentia addubitat, ideoque tantis curis circa hujus vitæ ſuſtentationem diſtringitur, ut ea vel intermittat prorſus, vel ſaltem negligentius tractet, quæ ad conſequendum Regnum Dei ejuſque juſtitiam pertinent. Eodem ſenſu vox *ſolicitudinis* uſurpatur quoque Matth. 10. 19. Phil. 4. 6. 1 Petr. 5. 7.

Anima veſtra.] Id eſt, de vita veſtra, phraſi Hebræa. Vide Exod. 21. 23. Deut. 19. 21, ſic etiam Matth. 10. 39. xvi. 25. Marc. 8. 35. Luc. 9. 24.

Neque corpori veſtro.] Vita indiget cibo & potu, corpus amictu.

Nonne anima plus eſt, quam eſca.] Quod homines debeant curam de neceſſariis corpori ac vitæ ſuæ Deo committere, varias affert Chriſtus rationes. Prima eſt, in his verbis, in quibus Chriſtus argumentatur à majori ad minus; hoc modo: Deus dedit vitam, Ergo multo magis dabit eſcam. Cum enim vita potior ſit eſca, neutiquam credibile eſt, Deum qui dedit, quod potius ac majus eſt denegaturum id quod minus ac vilius eſt.

Et corpus, quam veſtimentum?] Altera ratio eſt; cum Deus dederit corpus, utique multo magis dabit veſtitum. Corpus enim melius eſt veſtitu.

Verſ. 26. *Aſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metuunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis antecellitis illa?*] Tertia ratio ſequitur: Cum Deus alat volucres, multo magis vos alet. Volucres enim non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, quæ omnia vos facitis. Non eſt autem veriſimile, magis abundare eos, qui non ſeminant, non metunt &c, (quales ſunt aves) quam illos, qui id faciunt quibuſque Deus talia ad vitam ſuſtentandam media concedit, eaque benedicit.

Volucres cœli.] Id eſt, quæ in aëre volitant. Chriſtus in exemplum produxit aves cœli, quia iſtæ maxime à ſua eſca remotæ ſunt. Domeſticæ aves, ut gallinæ, anſeres &c, aluntur ab hominibus: cœleſtes autem aves ſolus Deus alit. Lucas in ſpecie nominat corvos cap. 12. 24.

Pater veſter cœleſtis. Iſta Dei deſcriptio emphaſin argumento addit, dum Deum patrem noſtrum appellat. Si enim ille pater eſt, certe liberorum ſuorum curam geret. Non inquit Chriſtus, *Pater eorum*, ſed *Pater veſter*, q. d. Deus cibat vilia animalcula, quorum pater non eſt: quanto magis cibabit vos, qui non tantum homines, ſed & liberi ipſius eſtis?

Verſ. 27. *Quis autem ex vobis ſolicite cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum.*] Quarta his verbis continetur ratio: quia ſolicitudo omnis, quæ hic impendi ſolet, inanis eſt. Argumentatur autem Chriſtus à minori ad majus, ut patet ex Luc. 12. 25, 26, nimirum rurſus reſpicit ad animam & corpus, quorum ſupra ℣. 25 meminerat, quæ abſque omni dubio præſtantiora ſunt, quam ſtatura corporis: cum in eo minus ſitum ſit, qua quis ſit ſtatura. Si igitur Deus id quod longe minus eſt, nempe ſtaturam noſtri corporis, abſque noſtra cura ac labore nobis largitur, quanto magis id, in quo longe plus ſitum eſt, nempe noſtram vitam ac corpus, etiam abſque noſtra cura ac ſolicitudine conſervabit, & quæ nobis neceſſaria ſunt procurabit?

Cubitum unum.] Si homo non poteſt unam ulnam ſeu cubitum adjicere ſtaturæ ſuæ, multo minus poterit adjicere plures. Videtur Chriſtus unam ulnam nominaſſe, etiamſi detur minor adhuc menſura; vulgari tunc loquendi more, quo ulna inter minores menſuras numerabatur. Alioqui dicere potuiſſet: ne unius quidem digiti vel pili longitudinem.

Verſ. 28. *Et circa veſtimentum quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.*] Quinta ratio ſubjicitur: Deus veſtit lilia, ergo & vos multo magis veſtiet.

Lilia agri.] Exemplum proponit in liliis campeſtribus. Nam hortenſia curantur ac foventur ab hominibus, illa autem ſolus Deus curat.

Quomodo creſcunt.] Intellige, tam pulchra ac formoſa.

Neque nent.] Ut ſcilicet ſibi hunc elegantem, quo circumamictæ ſunt, ornatum, ipſa conficiant. Multo minus vobis amictus deerit, quibus media nendi atque texendi ſuppetunt.

Verſ. 29. *Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria ſua amictus eſt, ſicut unum iſtorum.* Salomonem nominat ante alios Reges: quia illo regnum gerente, beneficio altæ pacis, & per navigationes in regiones auriferas, factum eſt, ut Judæa maxime floreret: utque potentia & gloria nullus Regum unquam Salomoni par extiterit. Vide 1 Reg. 3. 13. x. 11, 12 & ſeqq.

In omni gloria ſua.] Id eſt, quando ſplendidiſſimo cultu regio amictus in eburneo ac deaurato throno ſuo conſedit 2 Paral. 9. 17. Thronus hic vocatur thronus gloriæ, ad quem alludit Chriſtus Matth. 19. 28. xxv. 31, eratque ferme apud omnes gentes uſitatum, ut Rex cum in ſolio ſuo regali reſideret, ſplendidiſſimas ac pretioſiſſimas geſtaret veſtes. Verum hunc ipſum regium Salomonis ornatum ait Chriſtus, nequaquam eſſe cum venuſtate liliorum comparandum. Nulla enim hominum ars atque induſtria cum Deo ac natura paria facere poteſt.

Verſ. 30. *Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic exornat, quanto magis vos, modicæ fidei?*] Fœnum agri vocat lilia. Hebræi enim omnes plantas in duo diſtinguunt genera, in gramen ſeu herbam (ſub qua etiam flores comprehenduntur) & arbores. Vide Gen. 1. 2. Apoc. 8. 7. Jac. 1. 10, 11. 1 Petr. 1. 24.

Quod hodie eſt.] Quod tantillo tempore durat. Vide Pſal. 90. 5, 6.

In clibanum mittitur.] Id eſt, in ignem conjicitur ac comburitur. Nam in locis lignorum penuria laborantibus ignis fiebat ſtramine, arundine, fœno & ſimilibus: quod etiam hodie in ejuſmodi locis fieri aſſolet.

Vos modicæ fidei.] Chriſtus hac appellatione notat eos, qui exiguam ſpem atque fiduciam in Dei providentia ac bonitate repoſitam habent. Nam etiamſi Deus nullis ſe obligaſſet promiſſis, deberent tamen ex adductis exemplis ſufficientiſſimum benignitatis ac omnipotentiæ divinæ argumentum ſumere.

Verſ. 31. *Nolite igitur ſolicui eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo veſtiemur?*] Ne cogitare quidem ſic, aut hujuſmodi cogitationibus animos veſtros torquere ac macerare debetis.

Verſ. 32. *Omnia enim hæc Gentes quærunt.*] Sexta ratio additur: quia talis ſolicitudo eſt Ethnica, ſeu gentilis. Ethnici enim uti ipſi Deum verum ignorant, ita non credunt quoque Deum neceſſitates eorum noſſe: atque idcirco diſcruciant animos ſuos ac diſtrahunt iſtis puſillanimitatis plenis cogitationibus.

Novit enim Pater veſter cæleſtis, quod his omnibus indigeatis.] Hiſce Ethnicis cogitationibus, quod Deo noſtræ neceſſitates notæ non ſint, obviat hic Chriſtus, affirmans, noſſe eum bene, quo indigeamus, & velle eum nobis neceſſaria dare, & poſſe, quia eſt cœleſtis pater noſter.

Verſ. 35. *Quærite autem primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*] Ethnici quærunt alias res: vos autem quærite regnum Dei.

Primum.] Ante omnia. Hoc veſter labor ac cura ſit. Deus non vult, ut ipſi perfunctorie ac obiter ſerviamus, ſed totius cordis vires intendendæ ac ſervitiis ejus adhibendæ ſunt.

Regnum Dei.] Id eſt, vitam æternam: ut & infra cap. 25. 34.

Et juſtitiam ejus.] Id eſt, ſanctimoniam ac pietatem: ut ſupra Matth. 5. 20. Dei vocatur juſtitia, quia à Deo præſcripta eſt. Regnum Dei eſt finis ſeu ſcopus noſtri laboris ac curæ: juſtitia eſt medium ad eum perveniendi.

Et hæc omnia.] Puta, victus & amictus.

Adjicientur vobis.] Græco vocabulo ſingularis vis inеſt. Id enim tale additamentum denotat, quod rebus emptis à venditore ſuperadditi ſolet, quæ res admodum exilis eſſe ſolet. Innuitque Chriſtus, dubitandum minime eſſe de eo, quod Deus rem minimam, qualis eſt victus & amictus largiturus ſit; cum id quod maximum ac præſtantiſſimum eſt, nempe vitam æternam, gratioſe offerat. Hoc autem additamentum Deus eo parciori manu piis largiri conſuevit, quo illi id minoris æſtimant. Huc vero ſpectat etiam hiſtoria Salomonis, qui à Deo oravit ſapientiam, & non hanc ſolum ab eo obtinuit, ſed etiam additamenti loco, id quod non oraverat 1 Reg. 3. 11, 12, 13.

Verſ. 34. *Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum.*] Hic Chriſtus concluſionem elicit ex præmiſſis rationibus: idque ita, ut eam nova ratione ſubjuncta fulciat.

Nolite ſoliciti eſſe.] Nempe ea ratione, qua ſuperius dictum & explicatum eſt ℣. 25.

In craſtinum.] Id eſt, in tempus futurum: phraſi Hebræorum Exod. 13. 14. Joſ. 4. 6. Hoc interdictum adumbratum fuit olim in Manna, cujus tantum & non amplius colligere fas erat, quantum uſus unius diei requirebat Exod. 16. 19, 20. Quod erat inſigne pignus divinæ providentiæ.

Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi.] Chriſti mens non eſt, ut ſolam ſolicitudinem de craſtino die ſeu tempore futuro prohibeat, quaſi de hodierno die ſolicitudo permiſſa ſit. Talis enim ſolicitudo, qualis ſupra ℣. 25, deſcripta atque expoſita eſt, quæ ſcilicet cum diffidentia erga Deum, cum neglectu rerum divinarum ac eorum quæ ad ſanctitatem faciunt, conjuncta eſt, nullo unquam tempore permiſſa eſt. Sed hoc videtur ſibi Chriſtus velle, q. d. Etiamſi licitum eſſet animo angi ac diſcruciari ob hæc temporalia, tamen id inutile eſt ac ſtolidum, ut id fiat de die craſtino; ſaltem expectetur dies craſtinus, ac tum demum vacet ſolicitudini de neceſſariis animus.

Sufficit diei ægritudo ſua.] Id eſt, ſufficit, quod unuſquiſque dies ſuas moleſtias & ærumnas habeat: eſtq; inſignis ſtultitia, quod hodie homines ærumnas ſuas duplicent. Hoc dicto confirmat Chriſtus concluſionem ſuam, quam intulerat initio hujus verſiculi: quia nimirum veſanum eſt, mala ſua geminare ac cumulare. Obſervandum autem hic eſt, quod ſicut dies craſtinus totum tempus futurum, quod ad plurimos dies extenditur, deſignat; ita etiam hodiernus dies ejuſcemodi præſens tempus notet, quod non præciſe arctis unius diei cancellis includitur, ſed quod pro rei ratione etiam latius extendi poteſt. Quapropter cum Chriſtiano permiſſum ſit, imo injunctum, ut manum ſuarum labore ſe ſuoſque alat, nihil adverſus hoc Chriſti præceptum committit, qui exempli gratia, tantam facit ſementem, aut etiam tantum frugis in granario ſuo aſſervat, quanto per integrum annum uſque ad novam meſſem pro ſe ſuiſque ſuſtentandis opus habet, quin etiam in annum ſequentem, ſi forte terra malum exiſtat nomen ac creditas ſibi ſegetes male reddat: vel, qui tempore vilioris annonæ coëmit aliqua in uſum illius anni: vel, qui domum ædificans eam tam firmam & ſtabilem reddit, ne poſtero die vel poſt annum corruat. Tenendum tamen ſimul eſt, Chriſtiani officium eſſe, etiam de iſto aſſervato ac repoſito in futurum pane ſuo, licet ſupra neceſſitatem ſuam ad futuræ meſſis tempus nihil habeat ſuperflui, nihilominus indigenti proximo ſuo impertiri, ſine metu ac reſpectu propriæ indigentiæ, animo fiducia in Deum ſubnixo, quod is ipſum propterea penuria laborare non ſinet. Uno verbo, filialis fiducia in Deum, fundamentum eſt hujus præcepti.

CAPUT VII.

Argumentum & Partitio.

Chriſtus ulterius progreditur in ſua Concione, ac I. dehortatur à perverſo ac temerario judicio & correptione proximi: ad verſ. 6. II. Vetat Euangelii doctrinam proponi indignis: verſ. 6. III. Hortatur ad orandum, poſito ob oculos orationis fructu: ad verſ. 12. IV. Tradit generalem regulam juſtitiæ: verſ. 12. V. Mala mundi exempla vitari jubet: ad verſ. 15. VI. Caveri falſos Prophetas monet: ad verſ. 24. VII. Hortatur ad obſervationem doctrinæ ſuæ: ad verſ. 28. VIII. Tandem narrat Euangeliſta, qualis fuerit hujus concionis in auditoribus effectus.

PARS I.

PARS I.

Verſ. 1. *NE judicate, ut non judicemini.*] Hic Chriſtus non omne in genere judicium reprobat ac damnat, ſed docet potius, quis legitimus ſit adhibendus in judicando modus. Quare non tollit judicia, quæ judicibus mandata ſunt, ut ſecundum Dei leges ac jura ſententias ferant: neque etiam prohibet ulli de proximi ſui actionibus judicare, quæ manifeſtæ ac notoriæ ſunt. Vide 1 Tim. 5. 24, quin neque de dubiis & incertis judicare vetat, modo in judicando ultra manifeſta rei indicia non procedatur. Sed damnat peſſimum illud judicandi genus, quo quis proximi ſui actiones, de quibus adhuc, an vitioſæ ſint, ambiguum eſt, in deteriorem partem rapit, eumque propterea condemnat, ex mero odio, invidia, aut inconſiderantia, contra omnem charitatem, quæ omnia credit 1 Cor. 13. 7. Vide Rom. 14. 4, 10, 13. 1 Cor. 4. 5. Jac. 4. 11, 12. Quanquam & illa hic prohibetur plurimis familiaris de aliis hominibus temere & perperam judicandi libido, etiamſi id non ex odio aut livore proficiſcatur.

Hoc præceptum Chriſtus confirmat duobus argumentis. Primo, dum inquit: *Ut non judicemini*; id eſt, ne Deus vos quoque judicet, & de veſtris actionibus rigidam ſententiam ferat. Vide Jacob. 2. 13.

Verſ. 2. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*] Hoc eſt declaratio præcedentis moniti ac confirmatio. Deus rependit unicuique ſecundum opera ejus Rom. 2. 6.

Et in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.] Id fuit familiare proverbium inter Judæos.

Verſ. 3. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*] Hoc itidem fuit proverbium: continetque alterum argumentum; nempe quod iniquum ſit, ut is alienorum minorum vitiorum tam rigidum cenſorem agat, qui ipſemet majoribus contaminatus eſt, & ad ea cæcutit. Pertinet huc ille celebris apologus de quodam duas manticas geſtante, alteram anterius, in quam aliorum hominum delicta recondebat, alteram in tergo, cui imponebat ſua. Ita illa ſemper, hæc nunquam habebat in oculis.

Verſ. 4. *Aut quomodo dices fratri tuo: ſine, ejiciam feſtucam ab oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo?*] Id eſt, quomodo is poteſt eſſe idoneus aliorum hominum judex, qui ſemetipſum haud novit?

Verſ. 5. *Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo, & tunc videbis, ut ejicias, feſtucam ex oculo fratris tui.*] Quiſquis de aliis vult ferre judicium, eum ipſum expertem criminis eſſe oportet. At plerumque iſti acres alienorum factorum cenſores, peſſimo laborant in animis ſuis ulcere, quod obſtat, quominus juſtum de aliis judicium ferant, eſtque id non aliud, quam ſuperbia, ſimultas, invidia, proximi vilipendium &c. Has peſtes ubi ex animis ſuis fugaverint, tum demum apti erunt & habiles ad judicandum de aliis.

PARS II.

Verſ. 6. *NOlite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dilanient vos.*] Hoc quoque proverbium fuit è medio ſumptum: quo Judæi utebantur in genere de omnibus ſapientiæ præceptis. Docet autem hoc dicto Chriſtus, divinam Euangelii doctrinam non eſſe indignis contemptoribus propinandam, ne profano ore eam blaſphement, & ejus profeſſores haud neceſſario periculo involvant. Indigni autem judicandi ſunt, non modo pervicaces veritatis adverſarii, ſed etiam omnes in profano vivendi genere perſeverantes. Hinc etiam Chriſtus voluit, ut prædicatio pœnitentiæ, prædicationem Euangelii antecederet. Cumque Apoſtolos ſuos ad prædicandum mitteret, mandavit eis in unaquaque civitate, vel vico, in quem venirent, inquirere, quinam illic dignus eſſet ad doctrinam Euangelii audiendam. Infra cap. 10. 11 *Sanctum* vocatur, quod à communi ac vulgari uſu remotum & ad cultum divinum dicatum eſt. Ita ſancta erant, caro, panis, vinum, oleum Agg. 2. 13. Sancto opponitur id quod commune eſt: ut Matth. 15. 2. Act. 10. 14, 15. Rom. 14. 14. Apoc. 21. 27.

Neque mittatis magaritas veſtras.] Quidquid pretioſum eſt, margaritis confertur Job. 28. 18. Prov. 3. 15. Matth. 13. 46. Et per eas hic idem intelligitur, quod per vocem *Sanctum*. Sunt autem hæc verba pariter proverbii loco uſurpata, ejuſdemque ſenſûs cum præcedentibus.

Canes, porci.] Hæc ſunt duo immundiſſima ac turpiſſima animalia. Canis reſorbet vomitum ſuum, & ſus lota redit ad volutabrum luti. Vide 2 Pet. 2. 22. Canibus projicitur, quod eſt nullius pretii, & viliſſimum Exod. 22. 31. Vide quoque Matth. 15. 26. Tales canes ac porci erant Judæi indurati Act. 13. 46. Vide etiam Phil. 3. 2. 1 Tim. 1. 20. 2 Tim. 3. 8. IV. 14, 15.

Ne conculcent.] Id eſt, ne Sanctam Euangelii doctrinam blaſphemis ac contumelioſis verbis proſcindant.

Et vos diſcerpant.] Hoc eſt obſtinatis veritatis contemptoribus proprium, ut ſuos monitores & à carnalibus concupiſcentiis dehortatores, atque impietatis ſuæ correptores, capitali odio proſequantur, & tam plebem quam magiſtratum ad illos infeſtandos ac divexandos inſtigent: id quod inprimis Chriſtus & Apoſtoli in Judæis experti ſunt. Vide Prov. 9. 7, 8.

PARS III.

Verſ. 7. *PEtite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Verſ. 8. *Omnis enim petens accipit, & quærens invenit, & pulſanti*

pulſanti aperietur.] Hic videtur Chriſtus tradere doctrinam, quo pacto dona illa comparanda ſint, quæ nobis omnimode ſunt neceſſaria, ſi in via ſanctitatis hactenus præſcriptæ conſtanter ac inoffenſo pede currere velimus. Quod enim Chriſtus hoc loco de dono Spiritus Sancti loquatur, ex Lucæ cap. xi. 13 liquet. Jacobus quoque docet petendam eſſe ſapientiam cap. 1. 5. Paulus utrumque conjungit Epheſ. 1. ℣. 17, 18.

Petite & dabitur vobis.] Quiſquis vera cum fide petit, haud contraria divinæ voluntati, exaudietur; licet non ſemper eo, quo petit, modo. Deus enim non raro nobis orantibus largitur meliora, quam oramus. Non ſolet quoque Deus ſemper tam velox eſſe ad exaudiendum preces noſtras, quam vellemus; Ipſe enim novit optime temporum momenta, quibus neceſſarium ac utile ſit, ut nobis auxilium ſummittat. Mater filiorum Zebedæi non ſecundum Dei voluntatem oravit: idcirco exaudita non eſt Matth. 20. 21, 22. Vide quoque infra cap. 18. 19. Jac. 1. 6, 7. iv. 3.

Per hæc verba, *Petite*, *quærite*, *pulſate*, indicatur ſedulitas ac fervor, qui in oratione adhibendus eſt.

Verſ. 9. *Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi rogaverit filius ejus panem, nunquid lapidem porriget ei?*

Verſ. 10. *Aut ſi piſcem rogaverit, nunquid ſerpentem porriget ei?* Hoc erat tritum vulgi ſermone proverbium. Ducitque Chriſtus hic argumentum à minori ad majus. Externa forma lapis panem, & Serpens piſcem refert.

Verſ. 11. *Si igitur vos mali cum ſitis, noſtis bona dona dare liberis veſtris, quanto magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona orantibus ſe?*

Cum ſitis mali.] Id eſt, longe minus miſericordes ac benigni patres erga liberos veſtros, quam eſt cœleſtis Pater erga ſuos liberos. Malus enim hoc loco idem valet, quod non tam bonus; quemadmodum *odiſſe* Luc. 14. 26. Joh. 12. 25 ſignificat, *minus amare*.

Bona dona. Inprimis dona ſpiritualia, apud Lucam eſt, *dabit Spiritum Sanctum* cap. xi. 13. Quo Chriſtus tacite innuit, preces noſtras de rebus temporalibus non ſemper exauditum iri; quia nobis non ſemper utile eſt, quod petimus.

PARS IV.

Verſ. 12. *OMnia ergo, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis.*] Vocula *ergo* nullam hic vim habet inferendi hoc ex ſuperioribus: ſed redundat, ut & alibi. Animadvertendum enim eſt, Euangelii Scriptores non ſemper verba Chriſti eo referre ordine, prout ab ipſo prolata ſunt, ſed ſufficere crediderunt, ſi præcipua doctrinæ Chriſti capita annotarent. Continetur autem hic univerſalis juſtitiæ regula, quam etiam Sapientiores Ethnici à natura hominibus inſitam eſſe ſtatuerunt; ut ſcilicet ea omnia aliis faciamus, quæ ratio dictat jure nos ab aliis poſtulare poſſe. Eſtque hæc admodum neceſſaria doctrina: citius enim ut plurimum cernimus, quod juſtum ac æquum eſt, ubi nobis nihil decedit; id quod ex nimio noſtri amore proficiſcitur. Itaque ut hac in re rectum queamus ferre judicium, mutanda nobis perſona eſt, & illius alterius, quicum nobis res eſt, aſſumenda.

Hæc enim eſt Lex & Prophetæ.] Id eſt, hæc eſt ſumma generalis totius Legis, & finis principalis, ad quem illa & Prophetæ, quod ad opera charitatis ac beneficentiæ attinet, collimant. Senſus enim præcedentium verborum, *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, non alius eſt, quam illius præcepti: Dilige alterum ſicut teipſum. Vide Matth. 22. 40. Rom. 13. 8. Gal. 5. 14. Per Legem & Prophetas intelliguntur univerſa Veteris Teſtamenti ſcripta. Vide Luc. 16. 16. Actor. 24. 14. xxviij. 23.

PARS V.

Verſ. 13. *INtrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad interitum, & multi ſunt, qui intrant per eam.*

Verſ. 14. *Quia anguſta porta eſt, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.*] Hic ſubmonet Chriſtus vitanda eſſe mala exempla mundi, id eſt, hominum è promiſcua plebe diſſolutam vitam agentium, & cum parvulo grege fidelium pietati eſſe ſtudendum. Per *viam* conſuetudine Hebræorum intelligitur modus & ratio vivendi: vide Pſal. 119. 59, 101, 104, 105, 128. Proverb. 1. 15. ij. 12, 13. iv. 14, 19. Jer. 32. 19. Jon. 3. 8. Rom. 3. ℣. 16. Jac. 5. 20. Jud. ℣. 11. Per *portam* autem ſignificatur finis ſeu exitus vitæ piæ. Via pietatis, ſeu pia vita ducit ad portam cœli, ubi pios vita æterna parata manet. Via impietatis, id eſt, impia vita, ducit ad portam abyſſi inferorum Eccleſiaſtic. 21. 11, ſeu ad æternam damnationem. Via impietatis eſt *ſpatioſa*, id eſt, carni ad eam terendam accommoda, non moleſta; caro ſatis in ea habet ſpatii: & porta damnationis eſt *lata*, conſentanea eſt viæ, & eodem modo ſe habet, quo illa. Ut per eam tranſeatur, non magna eſt ſubeunda moleſtia aut labor; caro nuſquam habet ubi impingat. Ex adverſo via pietatis eſt *arcta*, quia carni admodum ingrata & moleſta, non ſolum ideo, quod plerumque homines virtutem non amant (quo Chriſtus hic potiſſimum ſpectat) verum etiam, quod multis ſpinis adverſitatum via iſta ſit obſita, ut carni in ea nihil relinquatur ſpatii. Et porta eſt *anguſta*: viæ quoque eſt conſentanea. Qui per eam tranſire cupit, carnem & omnes ejus cupiditates debet retundere. Per viam ſpatioſam *plurimi* incedunt, id eſt, maxima pars hominum: per arctam *pauci*, id eſt, minima pars hominum. Plerumque enim homines non proſpiciunt finem, uti faciendum eſſe monet Sirachus cap. 7. 40, ſed cæci in diem vivunt. Cujus rei non exigua culpa eſt penes doctores ac ductores vulgi, qui populo præeunt, quos tota armenta ſequuntur, abſque diſcrimine aut inquiſitione, non ſecus ac capræ ſequuntur ducem ſuum hircum. Eſt autem via pietatis arcta carnalibus hominibus, qui in virtute nullam delectationem ſentiunt; ſed illis, qui ex Deo nati ſunt, id eſt, qui probum & ad virtutem propenſum animum

mum gerunt, non eſt arcta. Vide Joh. 7. 17. 1 Joh. iij. 9, 10. v. 3. Quapropter hoc non pugnat cum eo, quod Chriſtus infra cap. xi. 30 jugum ſuum leve appellat.

PARS VI.

Verſ. 15. *Attendite vero à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos, in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces.*] Chriſtus caveri jubet falſos Prophetas, id eſt, doctores, qui pernicioſas doctrinas diſſeminant. Apud Hebræos enim non ſolum illi, qui futura prædicebant, Prophetæ dicebantur, verum etiam, qui prodibant in publicum ad docendum populum. Vide 1 Cor. 12. 10. Ejuſmodi falſus Propheta fuit Bar-Jeſus Act. 13. 6, ſuntque hodie omnes illi, qui tales tradunt doctrinas, quarum vi homines à via vitæ æternæ abducuntur. Vide Actor. 20. 29, 30. Hos Pſeudo-prophetas diſcernit Chriſtus infra cap. 24. verſ. 5, 11, 24 à Pſeudo-Chriſtis, id eſt, qui ſe Meſſiam ſeu Chriſtum eſſe mentiebantur. Non loquitur etiam hic Chriſtus in genere de omnibus falſis doctoribus, ſed tantummodo de iis, qui ſe ſectatores ejus eſſe, ac doctrinæ ipſius adhærere jactant, prout ex verſ. 11 cernitur: neque etiam de iis, qui legitime non vocati ad docendum accedunt, ſed de illis, qui ad docendi munus legitime ac rite vocati falſas doctrinas invehunt. Vide 2 Petr. 2. 1.

In veſtimentis ovium.] Prophetarum quidem amictus olim ſub Veteri Fœdere conſtabat ex pellibus ovium Hebr. xi. 37. Sed Chriſtus hic per veſtimenta ovium intelligit externam illam ſimplicitatis ac humilitatis larvam, quam illi oſtentant in verbis, geſtibus, ceremoniis circa ſacra, ut & in operibus ſanctimoniæ ſpeciem habentibus, nempe in plenis hypocriſeos jejuniis, precationibus, eleemoſynæ largitionibus; quibus illi famam pietatis ac ſanctimoniæ ſibi conciliant. At in animo ſunt *lupi rapaces:* qui vi doctrinæ ſuæ animas hominum perdunt, non aliter quam lupi oves dilaniant. Non ſerviunt illi Chriſto, ſed ſuo ventri Rom. 16. 18, quærunt quæſtum è pietate 1 Tim. 6. 5. Itaque cavendi ſunt; quia fieri facile poteſt, ut quis ſeducatur. Vide Zachar. 13. 4.

Verſ. 16. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.*] Id eſt, ex operibus injuſtitiæ, ut infra verſ. 23. Solus Deus ſcrutatur corda: homines non poſſunt niſi ex operibus judicare. Multæ arbores pulchræ ac ſpecioſæ ſunt, ſed cum fructus ſuos edunt, tum demum cognoſcitur, quales ſint. Hypocriſis non diu fallit, tandem malitia tanquam ſorex ſuo ſe prodit indicio; tantum tempus expectandum eſt, aut diligenter ad facta eorum attendendum eſt. Vide 2 Tim. 3. 5, 9. Fructus autem talium falſorum Prophetarum ſunt præcipui, quod crucem ac perſecutionem fugiant, quod ad ſe trahant eos, qui in peccatis vivunt, inprimis divites, quod quæſtiones moveant ad pietatem ac ædificationem nihil facientes, quod aliorum ſint obtrectatores, avari, jactabundi, ſuperbi, voluptatibus dediti magis, quam videri volunt: quibus coloribus fuſius depinguntur 1 Tim. 1. 5, 6, 7. iv. 2. 2 Timoth. 2. 16. iij. 1 uſque ad 10. Tit. 1. vſ. 10, 11, 16. 2 Petr. 2. 1 & ſeqq. Jud. 4 & ſeqq.

Nunquid colligunt è ſpinis uvas, aut è tribulis ficus?] Quemadmodum hoc fieri nequit; ſic etiam ex malo animo non poſſunt fructus pietatis enaſci. Tam perverſi autem ingenii hominum, etiam doctrina, præſertim in rebus ad pietatem ſpectantibus, abſque dubio impura ac imperfecta eſt.

Verſ. 17. *Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit; vitioſa autem arbor, fructus malos facit.*

Verſ. 18. *Non poteſt arbor bona, fructus malos facere, neque arbor vitioſa fructus bonos facere.*] Cauſam hujus rei reddit Chriſtus infra cap. 12. 34, quia os loquitur ex abundantia cordis: quod idem etiam de operibus dici poteſt. Quale eſt cor, talia ſunt & opera.

Verſ. 19. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignum mittetur.*] His verbis Chriſtus falſis iſtis Prophetis comminatur interitum. Vide ſupra cap. 3. 10.

Verſ. 20. *Itaque ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*] Cum homines id ament docere, quod ipſorum moribus & factis eſt conſentaneum, debent illi vobis propter opera ſua ſuſpecti eſſe, etiam antequam doctrinam ſuam vobis proponant. Nam quales ſunt ipſi doctores, tales etiam faciunt diſcipulos.

Verſ. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.*] Confirmat Chriſtus antecedentia, quod doctores non ſint cognoſcendi ex ipſorum verbis ac doctrinæ Chriſti profeſſione, ſed ex operibus eorum, quaſi dicat: Nolite credere unicuique, qui dicit, Domine, Domine, (id eſt, qui meam doctrinam in ore habet, & ſe meum diſcipulum eſſe profitetur Joh. 13. 13.) Multi enim me ore confitebuntur, qui tamen regni Dei non fient participes, quia ſunt falſi prophetæ. Vide infra 25. 11, 12.

Sed qui facit voluntatem Patris mei.] Id eſt, qui promptus ac paratus eſt, vel plenam ac perfectam voluntatem habet Patris mei mandata exequendi, & pro virili etiam exequitur.

Patris mei.] Cur Chriſtus non dicit, *meam* voluntatem, ſi eſt ipſe Deus altiſſimus? Nam Patris voluntas utique etiam ipſius voluntas foret, ſi uterque unius eſſentiæ eſſet. Imo ille etiam ſeipſum voluntati Patris ſui ſubjicit Matth. 26. 42. Joh. 4. 34. v. 30. vi. 38.

Verſ. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?*] In illa die, ſcilicet univerſalis judicii, qua pii in Regnum cœlorum ingredientur. Sic ſumitur & alibi dies iſta. Vide Matth. 24. 36. Marc. 13. 32. Luc. 21. 34. 1 Theſſ. 5. 4. 2 Tim. 1. 12, 18. iv. 8. Tunc Dominus manifeſtabit occulta cordium 1 Cor. 4. 5.

In nomine tuo.] Errant, qui putant, ſolam prolationem nominis Jeſu habere vim miraculoſam: ſed facere aliquid (ut hic *prophetare, dæmonia ejicere* &c.) in nomine Jeſu, eſt, faciendo id profiteri, id fieri virtute ac poteſtate Domini Jeſu. Sic cum Paulus Actor. 16 ex ancilla ſpiritum pythonicum ejecit, inquit: *Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti, ut ab ea exeas*, id eſt, ut oſtendam, Jeſum Chriſtum habere

bere poteſtatem ſupra te immunde ſpiritus, præcipio tibi, ut continuo exeas. Si ſimplex enuntiatio nominis Jeſu eam vim haberet, poſſet quilibet id enuncians miracula edere: quod tamen non fit, ſed illi ſolum id facere poſſunt, qui peculiariter à Domino Jeſu hanc poteſtatem acceperunt. Quæ ut demonſtretur, &, gloria miraculorum ipſi attribuatur, non immerito nomen Jeſu in faciendis miraculis uſurpatur.

Prophetavimus.] Id eſt, futura prædiximus. De miraculis enim hic ſermo eſt.

Virtutes multas fecimus.] Hoc eſt, miracula.

Notandum hoc loco, cum miracula edita ſint in primordiis Eccleſiæ Chriſti ad confirmandam doctrinam Euangelicam, nihil mirum eſſe, etiam hujuſmodi homines miracula patraſſe, qui doctrinam Euangelii, ore tantum palam profitebantur, interea vero, ut ei morem gererent, haud dabant operam, aut de uno aut altero capite religionis erroneas opiniones fovebant. Miracula enim magis fiunt ſpectatorum cauſa, ut per ea ad fidem adducantur, quam eorum, qui ipſi ea patrant. Quanquam alias promiſſio Spiritus Sancti potiſſimum ad ſolos fideles ſpectat, qui per veram pœnitentiam ad Chriſtum convertebantur, ipſi confidebant, ipſique obedientes erant. (Vide Actor. 2. ℣. 38. v. 32.) Quoniam vero ad miracula facienda vis Spiritus Sancti requirebatur, Spiritus Sanctus autem peccatis & impietate amittitur (Pſal. 51. 13. 1 Sam. 16. 19. Vide quoque Epheſ. 4. 30) ſtatuendum eſt, Deum propter allatam cauſam, nempe propter confirmationem veritatis, non illico Spiritum Sanctum à talibus falſis Prophetis auferre, quam initio ſuæ ad Chriſtum converſionis, æque ac alii fideles, acceperant. Fieri quoque poteſt, quod Deus in quibuſdam miracula ad eorum precationem ediderit, etiamſi Spiritum Sanctum ipſi non habuerint, ne ſcilicet potentia Domini Jeſu in dubium vocaretur, ſi illi pari fiducia in nomine Jeſu collocata, perinde ac alii fideles, miraculum patrare conati fuiſſent, id autem effectu ipſo edere non potuiſſent. Neque eſt, quod quis objiciat, prædictionem futurorum non poſſe abſque Spiritu Sancto fieri. Nam ex his verbis Chriſti colligi non poteſt neceſſario, omnes ejuſmodi falſos Prophetas omnia hic enumerata miracula feciſſe; ſed alii potuerunt eſſe, qui prophetarunt ſeu vaticinati ſunt; alli, qui dæmonia ejecerint; alii, qui alia miracula ediderint, & alii quidem plura, alii pauciora.

Hinc etiam patet, non omnia eſſe promiſcue rejicienda, aut pro figmento habenda, quæ Jeſuitæ de miraculis apud Sinenſes, Japonenſes, & alios feros populos à ſe patratis jactant. Quia concedi poteſt, Deum ad illorum preces aliqua talia miracula edidiſſe, non ad confirmandam doctrinam Pontificiam, ſed in genere ad confirmandam religionem Chriſtianam, ut nomen Domini Jeſu etiam inter barbaros homines glorificari inciperet. Neque deſperandum eſt, Deum hæc exilia principia porro perfectiori lumine ſuæ cognitionis ibidem amplificaturum.

Verſ. 23. *Et tunc confitebor illis.* Palam & aperte in os eis dicam.

Nunquam novi vos.] Non agnovi pro veris meis diſcipulis. Sic etiam vox hæc uſurpatur Matth. 25. ℣. 12. Luc. 13. 25. Rom. 8. 29. Gal. 4. 9. 2 Tim. 2. ℣. 19. 1 Cor. 8. 3. Pſal. 1. 6, more loquendi Hebræis uſitato.

Diſcedite à me omnes operantes iniquitatem.] Græce ἀνομίαν, id eſt, quod adverſus Legem eſt, nempe peccata. Hinc videre eſt, Chriſtum hic eatenus tantum de falſis Prophetis loqui, quatenus eorum doctrina à pietate homines averſos facit.

PARS VII.

Verſ. 24. *Omnis ergo qui audit mea verba hæc, & facit ea, aſſimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petram.*] Hic uſque ad verſ. 28 monet Chriſtus, ut quod hactenus prolixa concione docuit, opere ipſo executioni mandetur.

Qui audit mea verba.] Id eſt, qui meam doctrinam amplectitur ac profitetur, ſicut Rom. 2. 13. Jac. 1. 22.

Et facit ea.] Et totus in eo eſt, ut vitam ſuam ad eorum præſcriptum componat. Hoc vero ut quis præſtare poſſit, neceſſe eſt, ut vim religionis Chriſtianæ, ac omnia quæ in ea exiguntur, animo ſuo complectatur, & firmiter imprimat: ac primo quidem ſummam & glorioſam remunerationem, quam Chriſtus eſt pollicitus; deinde viam obedientiæ, quæ ad illam felicitatem ducit, nec non adverſitates, quæ viam hanc calcantibus tam ab extra quam ab intra occurrunt; tertio neceſſitatem iſtius viæ, quod ſcilicet nulla alia ratione, quam per obſervationem mandatorum Chriſti ad felicitatem illam perveniri poſſit. Hæc penitius conſiderata permovent voluntatem ad obedientiam agnitæ doctrinæ veritatis præſtandam. Unde porro amor & deſiderium in animo exoritur, quod quaſi radix ac fundamentum eſt hujus ædificii Epheſ. 3. 18. Atque hæc conſideratio munit animum adverſum flumina & flamina carnalium cupiditatum, afflictionum, perſecutionum, contumeliarum, etiam adverſus mortis metum, & omnes falſas doctrinas, quæ vim habent ab agnita pietati via homines abducendi. E contrario, qui hæc non bene perpendit, & confeſſionem religionis Chriſtianæ, non iſti fundamento intimi amoris inædificat, eum carnales voluptates, & metus periculorum atque afflictionum, ut & novitas falſarum doctrinarum, facile eo perducet, ut malit verum non eſſe, quod cupiditatibus ejus repugnat, & dum varia quærit effugia, primum incipiat dubitare, tandem etiam à veritate deſciſcat. Hoc enim ex illo conſequitur, ut qui ſibi bonam conſcientiam non comparant, vel eam non bene ſervant, extremo naufragium fidei patiantur 1 Tim. 1. 19. Fundamentum autem bonæ conſcientiæ eſt charitas ex puro corde ibid. ℣. 5.

Super petram.] Non ſuper montem petroſum; eo enim nullum flumen pervenit: ſed ſuper fundamentum lapidibus ſtratum.

Verſ. 25. *Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non*

& non cecidit : fundata enim erat ſuper petram.] Per flumina & fluctus ſæpius in Pſalmis deſignantur calamitates & adverſa Pſal.42. 8. LXIX. 3. CXXIV. 4 ut infra cap.20. 22 per baptiſmum eadem ſignificantur. Et Eſai.LIX. 19 irruptio hoſtium flumini aſſimilatur. Vide quoque Eſai.25. 4.

Verſ. 26. *Et omnis qui audit mea verba hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam.*

Verſ. 27. *Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.* Id quod modo dixit, illuſtrat à contrarii effectu contrario pernicioſo.

PARS VIII.

Verſ. 28. *ET factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus verba hæc, ſtupebant turbæ ſuper doctrina ejus.*] In hac poſtrema parte capitis deſcribit Matthæus effectum, quem eximia hæc Chriſti concio in auditoribus operata eſt : nempe turbæ ſtupebant, id eſt, in magnam admirationem abripiebantur. Confer cum Marc.6. 51.

Verſ. 29. *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.*] Cauſam affert Matthæus, cur tantopere admiratæ ſint turbæ, ac propemodum in ſtuporem raptæ ſuper ejus doctrina : nempe quia longe aliter docebat quam Scribæ, utpote *tanquam poteſtatem habens.* Quæ verba duplici accipi poſſunt ſenſu. Primo doctrinæ Scribarum, quas quotidie audiebant, maximam partem erant tantum hominum traditiones, inutilibus quæſtionibus de litera Legis refertæ, quorum nullus erat uſus ad ingenerandam hominibus pietatem. Chriſti autem doctrina plena erat majeſtatis, de rebus ſublimibus, quæ ſumma cum efficacia animos audientium movebant. Et hoc erat plane novum & inſolens inter Judæos. Deinde, *tanquam poteſtatem habens*, id eſt, tanquam is qui poteſtatem ac mandatum docendi à Deo acceperat. Doctrinæ Scribarum nulla virtute miraculorum firmabantur, & ut dictum, majori ex parte res nullius uſus ac fructus tradebant : Chriſtus autem loquebatur tanquam à Deo ſingulariter miſſus, & mandatis inſtructus, cum *demonſtratione ſpiritus & virtutis*, ut loquitur Paulus 1 Cor. 2. 4. Atque hoc etiam novum ac inauditum erat Judæis, quippe cum à multis jam ſeculis nulli inter eos veri ac legitimi Prophetæ extiterint. Solebant Judæi de temporibus Eſdræ dicere : Hucuſque fuerunt Prophetæ, deinceps ſequuntur ſapientes. (Vide ſuperius hac de re dicta cap.5. 20.) Hinc 1 Macch.9. 27 ſcriptum eſt : *Tam miſerabilis & afflictus erat ſtatus in Iſraële, qualis non fuit ab eo tempore, ex quo nulli amplius Prophetæ extiterunt.* Et ſi quando oriretur de difficilibus ac perplexis rebus quæſtio, eam relinquebant indeciſam ac inſolutam uſque dum Propheta aliquis veniret 1 Macch.4. 46. Ita etiam Judæi Simeonem conſtituerunt Principem ac Pontificem Maximum tantiſper, dum Deus ipſis verum Prophetam excitaret 1 Macch.14. 41. Atque hoc eſt quod populus apud Lucam ait cap.7. 16: *Propheta magnus ſurrexit inter nos, & Deus viſitavit populum ſuum.*

CAPUT VIII.

Chriſtus I. *Mundat quendam leproſum : ad verſ.* 5. II. *Sanat ſervum Centurionis in Capernaum : ad verſ.* 14. III. *Liberat à febri Socrum Petri : ad verſ.* 16. IV. *E multis obſeſſis ejicit dæmonia : ad verſ.* 18. V. *Repellit quendam Legiſperitum, ſe ſequi volentem, alium vero ſe ſequi jubet : ad verſ.* 23. VI. *Maris tempeſtatem ſedat : ad verſ.* 28. VII. *Ejicit dæmones è duobus obſeſſis : ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *CUm autem deſcendiſſet ille de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.*] De monte, ſcilicet quem aſcenderat cap.5. 1, in quo totam illam concionem habuit.

Verſ. 2. *Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens : Domine, ſi vis, potes me mundare.*] Particula *Ecce* indicat rem memorabilem, quæ inſperate acciderit. Creberrime uſurpatur.

Leproſus.] Lepra fuit morbus in illis calidis regionibus admodum vulgaris : ob quem inter alia cenſent Judæi, prohibitum ipſis fuiſſe veſci carne ſuilla ; ſiquidem ſues lepræ ſint obnoxiæ (quem morbum Germani *die pfinnen* appellant) caroque ſuilla comeſta adeo impurum reddat ſanguinem, ut exinde in oris illis ſervidioribus facillime lepra potuerit enaſci. Fœdiſſimus morbus fuit inſtar luis Venereæ : ſæpius à Deo in pœnam hominibus immiſſus fuit. Vide Num.12. 10. 2 Reg.5.27.

Veniens.] Non ſtatim venit, ut Chriſtus de monte deſcendit, non in via occurrit, ſed in quadam civitate Galilææ. Vide Marc. 1. 39,40. Luc. 5. 12.

Adoravit eum.] Procidens in faciem, non prorſus in terram, ſed ita ut genua Chriſti contingeret. Confer Luc.5. 12 cum Marc.1.40. De voce adorandi vide plura ſupra cap.2. 2. Apparet autem, hunc leproſum præclare de Chriſto perſuaſum fuiſſe, quod ea eſſet virtute ac poteſtate præditus, ut per eam graviſſimis morbis mederi poſſet : unde patet, eum jam ante de miraculis Chriſti fuiſſe edoctum. Utrum vero pro Meſſia eum agnoverit, non liquet ; cum Chriſtus tunc nondum talem ſe eſſe profiteretur, necdum fama hæc de eo in populo percrebuerit.

Domine.] Judæi hoc titulo honoris quemvis compellare ſolebant, etiam ignotum. Vide Joh.20. verſ. 15.

Si vis.] Qui à Chriſto in ſuis neceſſitatibus juvari volebant, debebant credere Chriſtum poſſe id præſtare. Vide infra cap.9. verſ.27. Talem fidem demonſtrat hic quoque iſte leproſus. In eo

vero ejus modeſtia notanda eſt, quod non audeat ſimpliciter ac directe petere; quia metuebat fortaſſis, ſe habitum iri indignum tanto beneficio: itaque indicat tantum fidem ſuam, quid credat Chriſtum facere poſſe, ſi velit.

Verſ. 3. *Et extendens manum, tetigit eum Jeſus, dicens: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt ejus lepra.*] Non erat quidem fas ſecundum Legem, tangere leproſum Levit. 14. 46 verum omnia ejuſmodi opera, quæ divina virtute fiebant, ſemper à Lege Ceremoniali excipiebantur. Hinc Eliſæus quoque ſuper mortuum puerum procubuit, ut eum in vitam revocaret: 2 Reg. 4. 34 quo facto utique adverſus Legem nihil peccavit; uti nec illi, qui mortuos pollincebant ac ſepeliebant, etſi ſemet polluerent. Ideo autem Chriſtus tetigit hunc leproſum, ut pateret, eum non caſu ſanatum eſſe, effectumque ſanationis non aliunde, quam ab ipſo proficiſci.

Mundare.] Hic vere divina Chriſti vis elucet, quod res tantas potuerit ſolo juſſu efficere. Sic Moſes quoque creationem mundi factam eſſe ſcribit: *Et dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux &c.* Gen. 1. 3.

Verſ. 4. *Et ait illi Jeſus: Vide nemini dixeris.*] Chriſtus non vult eum id diutius ſilentio premere, quam ſe Sacerdoti iſteret, & ab eo pro mundo agnoſceretur: quia ſi prius ad Sacerdotum aures perveniſſet, eum à Jeſu eſſe ſanatum, illi invidia & odio erga ipſum cæci, eum adhuc pro immundo judicaſſent. Nam hoc miraculum factum eſt in Galilæa, ut ex Marc. 1. 39 liquet, Sacerdotes autem habitabant Hieroſolymis: ideo Chriſtus injungit leproſo, ut eo ire feſtinet. Hoc enim innuunt verba Marci cap. 1. 43. *Et ſtatim ejecit eum*, ne ſcilicet fama ipſum præveniret. Quod autem leproſus iſte non tenuerit ſilentium, patet ex Marc. 1. 45. Luc. 5. verſ. 13.

Sed abi, oſtende te Sacerdoti.] De voce *abi*, vide infra verſ. 13 *Sacerdoti.* Id eſt, uni ex Sacerdotibus, cui alii hoc munus demandarant Levit. 13. 2. Studebant autem Sacerdotes tam apud Judæos quam apud Ægyptios, ut in omni arte ac ſapientia excellerent, & inter alia etiam dabant operam medicinæ, ut judicare de morbis poſſent: quique hac in parte alios peritia ſuperabat, ei officium morbos inſpiciendi committebatur. Debebat autem Sacerdos egredi ante urbem, atque ibi de morbo judicare Levit. 14. 3.

Et offer munus, quod præſcripſit Moſes, in teſtimonium illis.] Qui mundatus erat, duplex afferre tenebatur munus: primo aviculas duas vivas, cum ligno cedrino, cumque dibapho coccineo, & hyſſopo; poſtea die octavo duos agnos, & unam ovem anniculam Levit. 14. 4. 10. Verum quia Marcus & Lucas nominatim ſacrificii pro mundatione meminit Marc. 1. 44. Luc. 5. 14, idcirco videtur Chriſtus intellexiſſe hic primum munus, quod eodem illo die mundationis offerri debebat.

In teſtimonium illis.] Ut illi accepto munere, fateri atque teſtari cogantur, eum vere mundum eſſe. Non enim ante ſuſcipiebant munus, quam ſanitatem exquiſite exploraſſent. Munus hoc erit teſtimonium adverſus illos, id eſt, eorum malignitatis ac pertinaciæ, quod nolint eum pro divino legato agnoſcere, de quo tamen ſuſcepto munere profiteri coguntur, quod divinum opus perfecerit. Senſu non abſimili ſumitur eadem vox teſtimonii pro argumento ac demonſtratione, qua quiſpiam convincitur Matth. 10. 18. Marc. 6. 11. xiij. 9. Jacob. 5. 3.

PARS II.

Verſ. 5. *Cum autem introiiſſet Capernaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum.*] Similitudo magna circumſtantiarum non permittit ſtatuere, hanc hiſtoriam eſſe aliam ab ea, quam deſcribit Lucas cap. 7. 1. Eſt autem etiam hiſtoria hæc una ex illis, rebus, quas Matthæus obiter ac breviter, Lucas accuratius ac fuſius perſcripſit.

Capernaum.] Ubi Chriſti fuit habitatio Matth. 4. 13.

Acceſſit ad eum.] Græca vox προσέρχεσθαι eandem vim habet ſignificandi, quam Germanica vox *beſuchen.* Utraque enim adhibetur, non modo quando quis ipſe ad aliquem venit, verum etiam quando per alium vel per literas eum compellat. Ut ita Matthæus nihil ſcribat contrarium ei, quod à Luca cap. 7. 3 narratur, Centurionem Seniores è Judæis ad Chriſtum miſiſſe.

Centurio.] Hoc nomen ſignificat Præfectum ſupra cohortem centum militum. Quod fuerit gente Romanus, adeoque Ethnicus, hoc ipſum nomen indicat. Illa enim tempeſtate, qua Judæi jam erant ſub Romanorum poteſtate conſtituti, nullos milites ac cohortes eis habere licuit. Vide quoque infra verſ. 10 & Luc. 7. 5. Habebant autem Romani tam in Judæa, quam in aliis provinciis ditionis ſuæ, collocata in primariis civitatibus militum præſidia, quibus populus in officio contineretur.

Rogans eum.] Nempe per Seniores Judæorum, quos ad Chriſtum ablegavit, ut ſcribit Lucas.

Verſ. 6. *Et dicens: Domine ſervus meus jacet in domo paralyticus, & valde torquetur.*] Gr. παῖς, *puer*: quæ vox blanda magis eſt, quam exoſum nomen ſervi. Nihilominus apud Lucam cap. 7. 2 expreſſe ſervus vocatur; ſed addit Lucas, *qui erat ei pretioſus.*

Jacet in domo paralyticus.] Lucas rurſus addit: *Et erat ſtatim moriturus*, cap. 7. 2. Hinc apparet, non proprie paralyſi, ſed apoplexia eum fuiſſe correptum; quod tanto magis impulit Centurionem, ut Domini Jeſu opem imploraret, quandoquidem morbus hic ut plurimum incurabilis eſſe ſoleat.

Torquetur.] Id eſt, miſere ſe habet: Nam apoplexia correpti alioquin nullum ſentiunt dolorem.

Verſ. 7. *Et ait illi Jeſus: Ego veniam & curabo eum.*

Verſ. 8. *Et reſpondens Centurio.*] Non ipſe per ſe, ſed per amicos ſuos, quos ſecunda ad Chriſtum vice miſit.

Ait: Domine, non ſum dignus, ut ſub tectum meum intres.] Nimirum conſcius ſibi erat, vitæ ſuæ magnam partem in idololatriæ ac peccatorum carnalium turpitudine tranſactæ: metuebat quoque, Jeſum ut pote Judæum, in domum ſuam venire dedignatu-

dignaturum. Ideo Judæi teſtantur adeo de ipſius erga gentem ſuam amore & munificentia, quod propriis impenſis Synagogam eis ædificaverit Luc. 7. 5. Quemadmodum vero miſeria & neceſſitas ſervi ejus, quem eximie diligebat, adegit eum à Chriſto petere auxilium, ita eadem quoque conſcientiam ejus è ſomno excitavit.

Sed tantum dic verbo, & ſanabitur ſervus meus.] Fidem hanc in eo genuit, partim ſparſus de Jeſu rumor ejus rei, quæ de ipſo narratur ſupra cap. 7. 29, partim etiam recens exemplum uno verbo ſanati leproſi. Is enim contra quam juſſus erat à Chriſto, ubique miraculum hoc divulgaverat. Talibus autem narrationibus, etſi à fide dignis atque idoneis teſtibus referantur, non ſolent ii facile fidem adjungere, qui recta de Dei omnipotentia fide deſtituuntur. At hunc Centurionem aliqua jam veri Dei notitia tinctum fuiſſe, liquet è ſequentibus. Credibile quoque eſt, eum miraculo Chriſti, quod editum fuit in illo Reguli filio Joh. 4. 46, (quod tempore præceſſit hoc) ad credendum fuiſſe permotum.

Verſ. 9. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites, & dico huic, Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit.*] Reddit rationem, quare Chriſtus etiam uno verbo poſſit ſervum ſuum ſanare; ſenſuſque eſt, q. d. ſi ego, qui alterius ſum poteſtati ſubjectus (ſcilicet Tribuni mei & Cæſaris) tamen habeo tantum poteſtatis, ut ſervus meus ad nudum ac ſimplex imperium meum illico faciat, quæ volo: quanto magis ad tua verba ac mandatum fient protinus omnia, quæ juſſeris, qui nullius poteſtati ſubjectus es. Hebraica hic eſt locutio ſimilis illi, quæ habetur infra cap. xi. 25. Rom. 6. 17.

Vade, & vadit.] Abſque murmure ac tergiverſatione omni, more militari, ubi minima contumacia ac inobedientia facillime capitis pœnam incurrit.

Verſ. 10. *Audiens autem Jeſus miratus eſt, & dixit ſequentibus ſe: Amen dico vobis, neque in Iſraële tantam fidem inveni.*] Fides hoc loco ſignificat certam perſuaſionem, animo probe impreſſam de divina in Chriſto poteſtate.

Neque in Iſraële inveni.] Tantam, quantam in hoc homine Ethnico. Credidit enim, Chriſtum etiam abſentem abſque contrectatione ægri morbum juſſu ſuo pellere poſſe, quod nemo hactenus ex iis, qui à Chriſto ſanati fuere, crediderat.

Verſ. 11. *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient.*] Id eſt, ex toto orbe (quemadmodum Eſai. 43. 5, confer cum cap. xi. 12) præter Judæam. Lucas addit cap. 13. 29. Aquilonem & Auſtrum. Senſus autem eſt: Quemadmodum peregrinus iſte in fide de divina in me Chriſto virtute Judæos ſuperavit, & ideo ſanitatem ſervo ſuo impetravit, ita quoque multi ex Ethnicis pari fide præditi ad me confugient, & vitæ æternæ fient compotes. Reſpicit hic Chriſtus non obſcure ad promiſſionem Jacobo factam Gen. 28. 14.

Et recumbent cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo in regno cœlorum.] Scilicet ad menſam. De more accumbendi ad menſam vide infra cap. 26. 21. Judæi tunc temporis vulgo carnales de regno Meſſiæ cogitationes fovebant; ac proinde etiam illum ſempiternæ felicitatis ſtatum, quem allaturum ſperabant Meſſiam, ſub imagine convivii ac epularum lautiſſimarum concipiebant, idque non per modum ſimilitudinis, ſed revera credebant fore, ut in eo ederent & biberent. (Cui opinioni poſtmodum Thalmudiſtæ plura fabuloſa attexuerunt, inprimis, de ingentis magnitudinis piſce, ave, & bove, quos etiam Machometani ſecuti ſunt). Hanc illo tempore vulgarem & uſitatam loquendi formam retinet hoc loco Chriſtus, & differit de gaudiis futuræ vitæ, quaſi de convivio quodam ſplendido, in quo Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus tanquam principes convivii ſupremo aſſidebunt loco. Locutio ſimilis eſt, quam uſurpat Chriſtus Lucæ 22. 18, 30. Hinc etiam Regnum cœlorum cum cœna magna & nuptiali feſtivitate comparatur Luc. 14. 16, confer cum Matth. 22. 2. Apoc. 19. 7, 9. Hinc & ille exclamavit: *Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei* Luc. 14. 15. Vide etiam Apoc. 2. 7, 17. Latet autem in his Chriſti verbis peculiaris emphaſis. Indicat enim iis, quamvis Judæi ea turgerent ſanctitatis ſuæ opinione, ut cum nullo alienigena vellent cibum capere; futurum nihilominus, ut plurimi alienigenæ cum ipſorum progenitoribus Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, ceu præſtantiſſimis viris & capitibus atque auctoribus gentis Judaicæ, in regno cœlorum cibum capiant, Judæi vero ejiciantur.

Verſ. 12. *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.*] Ii, quibus regnum, vi Fœderis, præ aliis competebat: quo modo filii mortis dicuntur Pſal. 79. 2, qui morti ſunt deſtinati. Vide ſimiles locutiones Matth. 9. 15. xiii. 38. xxiii. 15. Luc. 10. 6. xvi. 8. xx. 36. Joh. 17. 12.

Ejicientur.] Foras extra cœnaculum.

In tenebras.] Per has denotatur ſempiterna damnatio. Vide 2 Petr. 2. 4. Jud. 6.

Exteriores.] Celeberrima convivia ſolebant vulgo veſpertino agitari tempore (vide Luc. 14. 16. Apoc. 19. 9, 17.) atque in multam noctem produci, & tunc multis lucernis collucebat tota domus. Extra domum autem erant tenebræ, in quas indigni hoſpites ejiciebantur. Quare per has tenebras exteriores deſignatur ſtatus infelix, qui procul a cœleſti gaudio (quod luci comparatur, Apoc. 22. 4) remotus eſt.

Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.] Fletus ſeu ejulatus eſt ſignum doloris ac cruciatus Eſai. 65. 14. De hoc ſtatu damnatorum vide infra cap. 10. 28.

Verſ. 13. *Et dixit Jeſus Centurioni: Abi.*] Eſt Hebraica locutio, quæ ſæpenumero duplici uſurpatur modo. Primum, quando quis concedit vel facit, quod petitur. Vide Judic. xi. 38. 1 Sam. 17. 37. 2 Sam. 14. 8. Marc. 5. 34. Luc. 7. 50. viii. 48. Joh. 4. 50. Deinde etiam hoc verbum adhibetur, quando aliquid præcipitur: ut ſupra cap. 5. 24. *Abi, reconciliare.* cap. 8. 4. *Abi, oſtende te ſacerdoti,* & infra cap. 9. 13. *Euntes diſcite.* Vide quoque cap. 18. 15. xix. 21. Marc. 6. 38. x. 21. Luc. 5. 14. vii. 22. ix. 60. x. 37. xiv. 10. xvii. 14. Joh. 8. 2 &c. Diſcrimen autem inter utramque ſignificationem ex pronunciationis modo cognoſcitur.

Et ſicut credidiſti, fiat.] Quod me facere poſſe credidiſti, id reipſa fiat.

Et ſanatus eſt ſervus ejus hora illa.] Eo ipſo momento: ut Dan. 4. 30. Matth. 15. 28. xvii. 18.

PARS III.

Verſ. 14. *ET cum veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem.*] Domum Petri vocat eam in quam ſolebat Petrus & Andreas (Vide Marc. 1. 29) divertere, quando veniebant Capernaum. Petrus enim & Andreas non erant Capernaumitæ, ſed Betſaidenſes Joh. 1. 44. Neque etiam tunc quicquam habebant proprii Matth. 19. 27. Fortaſſis hæc domus fuit ſocrus Petri.

Verſ. 15. *Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris.*] Prehenſa manu ejus, erexit eam Marc. 1. 31.

Et ſurrexit, & miniſtrabat eis.] Apparabat eis cœnam, ut Martha Joh. 12. 2.

PARS IV.

Verſ. 16. *VEſpere autem facto obtulerunt ei damoniacos multos, & ejiciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes ſanabat.*

Verſ. 17. *Ut adimpleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & morbos portavit.*] Eſaias Propheta protulit hæc verba cap. 53. 4, de doloribus & morbis, quos Chriſtus ipſe in proprio corpore & anima ſua ſentire ac ſuſtinere noſtri cauſa debuit. Quod autem Matthæus illa ad corporales morbos populi accommodet, id fit ideo, quia corporis morbi plerumque ſunt ſigna morbi ſpiritualis, id eſt, peccatorum. Adeo, ut locus hic Prophetæ bis fuerit adimpletus, ſemel, cum Chriſtus corporis morbos abſtulit ab hominibus, non ſine ſumma moleſtia ac defatigatione, dum ad veſperam uſque circa ægrorum curationem occupatus, quodammodo ipſas hominum ægritudines in ſe recipiebat. (Marcus addit cap. 1. 33, univerſam civitatem ad eum confluxiſſe: & Lucas, eum ſingulis manus impoſuiſſe cap. 4. 40, unde facile colligitur, quantopere tunc Chriſtus fatigatus fuerit.) Altera vice, quando ſuis propriis perpeſſionibus ac morte ſpirituales morbos noſtrorum peccatorum à nobis ſuſtulit, dum (ut Petrus ait 1 Petr. 2. 24,) *peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper lignum.*

PARS V.

Verſ. 18. *VIdens autem Jeſus multas turbas circum ſe, juſſit abire trans fretum.*] Ideo juſſit diſcipulis ſuis, ut tranſfretarent, & in alteram partem maris navigarent, ut vitaret turbam populi, ut opportunum habere poſſet tempus in deſerto, quod in ulteriori parte maris erat, ad orandum. Vide Marc. 1. 35. Luc. 4. 42.

Trans fretum.] Nempe Galilææ, verſus regionem Gergeſenorum, oppoſitam Capernaumo. Confer ℣ſ. 5 cum ℣ſ. 28. Fretum hoc vocatur quoque Mare Geneſareth Lucæ 5. 1, & mare Tyberiadis Joh. 21. 1.

Verſ. 19. *Et accedens unus Scriba, ait illi: Magiger, ſequar te, quocunque iveris.*] Hic erat unus è Legiſperitis, quorum plerique tunc avaritiæ & ambitionis morbo laborabant. Quare cum exiſtimaret, Chriſtum per ſua tam inſignia miracula ad ſummos honores & divitias perventurum intra breve tempus, ad ipſum ſe confert, ut etiam tantorum bonorum fieri poſſet particeps. At Chriſtus, qui perſpecta habuit animi ejus cogitata, exponit ei ſuam paupertatem, & ſic eum à ſe abſterret ac repellit.

Verſ. 20. *Et dicit ei Jeſus: Vulpes habent foveas, & volucres cœli nidos.*] Græce κατασκηνώσεις, *tabernacula.* Per quæ ramos arborum intelligi, in quibus aves nidulantur, nemo ambiget, qui conſideraverit locum infra cap. 13. 32. Marc. 4. 32. Luc. 13. 19.

Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.] *Filius hominis* ex Hebræorum conſuetudine nihil aliud ſignificat, quam *homo*: cujus locutionis ferme ſunt innumera exempla. Vide inter alia Num. 23. 19. 1 Sam. 26. 19. 2 Sam. 7. 14. 2 Paral. 6. 30. Job. 25. 6. xxxv. 8. Pſal. 8. 5. xi. 4. xii. 2. xiv. 2. Prov. 8. 31. Eſai. 51. 12. lvi. 2. Jer. 32. 19. Ezech. 2. 1. iij. 17, 25 &c. Eodem nomine Chriſtus appellatur Dan. 7. 13. In Novo Teſtamento amplius quam ſeptuageſies filius hominis nuncupatur: ſed ne ſemel quidem ab alio ſic vocatur; verum ipſe ſibi hoc nomen tribuit: quod ad ſignificandum humilem & miſerum ſtatum ſuum in hoc mundo videtur feciſſe. Etenim Hebræorum more non raro voce hominis deſignatur fragilitas ac infirmitas humanæ naturæ, ac miſeri ſtatus hominum: ut Judic. 16. 7, 11. Pſal. 82. 7. Ita Ezechiel quoque Propheta hoc nomine, quaſi proprio ac peculiari compellatur; quia, cum crebro rem haberet cum Angelis, diſcrimen inter eum & illos hac appellatione indicabatur.

Ubi caput reclinet.] Adeo erat nudatus omni terrena felicitate ac facultatibus, ut ne habitationem quidem propriam haberet. Habitabat Capernaumi Matth. 4. 13. ix. 1; ſed in ea nihil habebat proprii, cum eo veniret, nihil niſi hoſpes erat.

Verſ. 21. *Alius autem de diſcipulis ejus ait illi: Domine, permitte mihi primum abire, & ſepelire patrem meum.*] Antiquus Eccleſiæ Doctor Clemens Alexandrinus cenſet, hunc fuiſſe Philippum.

Ait illi.] Lucas cap. 9. 59 refert, Chriſtum prius ipſum allocutum dixiſſe, *ſequere me:* quod Matthæus hoc loco prætermiſit.

Domine, permitte mihi.] Id eſt, ſine me tam diu manere apud patrem meum decrepitum donec moriatur, & ego ſupremum ei præſtem officium. Credidit, ſatis eſſe temporis, ſi poſt patris ſui obitum demum Chriſto ſe adjungeret, doctrinamque ejus amplecteretur. Sed Chriſtus indicat, nihil prius, nihil antiquius ſua doctrina eſſe habendum, ejuſque ediſcendæ & amplectendæ occaſionem ſumma diligentia eſſe obſervandam, & oblatam è manibus neutiquam dimittendam. Agitur enim de ſummo bono, ſeu vita æterna: quæ nullo modo eſt negligenda. Mos ſepeliendi mortuos apud omnes gentes antiquior eſt, more eoſdem comburendi.

Verſ. 22. *Jeſus autem ait illi: ſequere me, & ſine mortuos ſepelire ſuos mortuos.*] E verbis iſtius diſcipuli ſumit Chriſtus anſam (uti ſolebat) ad proferendum

dum hoc præclarum monitum. In quo vocem *mortuorum* duplici accipit ſenſu: primo improprie, dum inquit, *ſine mortuos* (nam qui proprie mortui ſunt, mortuos ſuos ſepelire non poſſunt) deinde proprie, cum ait, *ſepelire mortuos ſuos*. Proprie mortuus vocatur cadaver, ſeu corpus anima ſive ſpiritu caſſum. Chriſtus autem hic eos qui circa [has] res corporeas, quæ ad ſpiritum ſeu animum non pertinent, occupantur, appellat mortuos. Homo enim, qui animo ſuo non utitur, perinde eſt, atque ſi nullum animum haberet, id eſt, mortuus eſſet. Senſus proinde verborum talis eſt: Mitte hanc curam de rebus corporalibus, eamque relinque iis, quibus ſpiritus & animus ad ſublimiora ineptus, iners, & quaſi emortuus eſt. De viduis delitias ſectantibus, ait Paulus, eas vivas mortuas eſſe 1 Tim. 5. 6. Sub Lege Pontifici Maximo & Nazaræis ne conjunctiſſimorum quidem conſanguineorum funeri adeſſe licebat Levit. 21. 1. Num. 6. 6. E reliqui Judæis quiſquis cadaver attigerat, ad certum tempus impurus erat Num. 9. 6, 7, 10. Quæ omnia præfigurabant ſummam Chriſtianorum ſanctitatem.

PARS VI.

Verſ. 23. *ET aſcendente eo in naviculam.*] Nempe ut trajicerent in ulteriorem partem freti, de quo ỳſ. 18.

Secuti ſunt eum diſcipuli ejus.] Non ſolum duodecim Apoſtoli, ſed & alii, uti videre eſt ex verſ. 27. & Marc. 4. 41.

Verſ. 4. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.*] Fluctus ad navem alliſi ſubinde aquam navi injiciebant.

Ipſe vero dormiebat.] In puppi ſuper quodam cervicali Marc. 4. 38.

Verſ. 25. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus.*

Verſ. 26. *Et dicit eis: Quid timidi eſtis, modicæ fidei?*] Debebant illi tantum habere fidei, ut crederent, ſe quando cum Chriſto verſantur, ſub peculiari Dei cuſtodia eſſe conſtitutos. Id enim erat bonitati divinæ conſentaneum, non pati eos ullo in periculo extingui atque perire, qui filio ejus adhærent. Innuit proinde Chriſtus, hunc ipſorum metum ac trepidationem ex incredulitate oriri.

Tunc ſurgens comminatus eſt ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.] Nimirum imperavit ventis, ut quieſcerent; & mari dixit: Tace & obmuteſce Marc. 4. 39.

Verſ. 27. *Homines autem mirati ſunt.*] Qui una in navicula erant una cum ipſius diſcipulis.

Dicentes: Qualis eſt hic; quia & venti & mare obediunt ei?] Incipiebant cogitare & agnoſcere, aliquid ſupra hominem majus eſſe in Chriſto, nempe virtutem divinam. Hoc Deo adſcribitur Pſal. 65. 8, quod compeſcat fremitum maris, & ſtrepitum fluctuum ejus. Vide etiam Pſal. 107. 29, 30.

PARS VII.

Verſ. 28. *ET cum veniſſet Jeſus trans fretum, in regionem Gergeſenorum.*] Hi populi fuerunt reliquiæ Chananæorum. Apud Marcum cap. 5. 1, & apud Lucam cap. 8. 20, vocatur regio Gadarenorum. Ex tabula Geographica Judææ, quam ediderunt Judæi, conſtat, Gadaram & Gergeſam fuiſſe duas vicinas civitates, adſitas lacui Genezareth, quarum fines erant contigui; ut adeo Chriſtus in eam partem veniens, tam hujus quam illius civitatis fines attigerit.

Occurrerunt ei duo dæmoniaci.] Marcus cap. 5. 2, & Lucas cap. 8. 27, unius tantum mentionem faciunt: quia fortaſſis unus tantum tam truculentus ac formidabilis fuit, ut qui à tota legione obſeſſus erat Marc. 5. 9. Luc. 8. 30.

De monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam. In monumentis ſeu ſepulchris habitabant: quia cum tam ſævi eſſent, ut nullo induerentur veſtimento Luc. 8. 27, nec catenis ac compedibus coërceri poſſent Marc. 5. 4, nemo poterat eos in domum recipere. Erant autem ſepulchræ, pro more illorum temporum, cavernæ aut cameræ, vel in petra exciſæ, vel muro extructæ: ut patet ex ſepulchro Chriſti Matth. 27. 60. Joh. 20. 6. Luc. 24. 3.

Verſ. 29. *Et ecce clamaverunt.*] Nempe dæmones per ora obſeſſorum.

Quid nobis & tibi Jeſu fili Dei?] Id eſt, quid nobis tecum eſt negotii? Non enim hoc ſibi volunt dæmones: Quid habes, quod tu nobis imperes: Sic enim ſignificaſſent, ſe Chriſtum pro Domino ſuo non agnoſcere: cum tamen eum rogent, ne ipſos torqueret ante tempus. Sed eſt Hebræa phraſis, ſenſuſque eſt, quaſi dicerent: Quid nos inquietas? Fac nos miſſos: noli nobis eſſe moleſtus. Vide de hac phraſi amplius Joh. 2. 4.

Veniſti huc ante tempus torquere nos.] Nimirum ante diem Judicii noviſſimi, ad quem ſe ſervari norunt 2 Petr. 2. 4. Jud. 6. Vide ibidem dicenda. Dæmones quidem tempus judicii ignorabant: ſciebant tamen, tempus judicii nondum adeſſe.

Torquere.] Moleſtia & incommodo afficere. Apud Lucam cap. 8. 31 rogant, ne imperaret ipſis abire in abyſſum, nempe maris: quod ipſis valde incommodum eſſet. Apud Marcum vero cap. 5. 10 petunt, ne eos relegaret extra regionem. Quando non permittitur improbis hominibus, ut alios vexent ac torqueant, ſeipſos vexari ac torqueri putant. Eadem eſt hic & dæmonum opinio.

Verſ. 30. *Erat autem longe ab illis grex porcorum multorum paſcens.*] In Latina editione Vulgata, contra quam in Græco eſt, habetur, *non longe*. Habet autem Latina editio magnam ſpeciem veritatis. Nam apud Marcum cap. 5. 11, & apud Lucam 8. 32 ſcriptum eſt: *Erat autem ibi ad montem grex porcorum magnus.* Ex quo apparet, eum non adeo procul inde abfuiſſe. Et videtur Chriſtus propterea dæmonibus ingredi in porcos permiſiſſe, ut qui ſanati erant homines, ex porcorum interitu cognoſce-

rent,

rent, quam multi & quam truculenti dæmones in ipſis habitarint. Itaque tam propinquum oportuit eſſe gregem illum porcorum, ut eum videre poſſent.

Grex porcorum multorum.] Joſephus perhibet (lib. 17. cap. 13.) Gadaram & proximas civitates à plurimis Græcis ac Ethnicis fuiſſe habitas, & Judæis illis permixtos fuiſſe. Horum ergo Ethnicorum hominum porci iſti erant: nam Judæis licitum non erat ſuilla carne veſci Levit. xi. 26. Quanquam non improbabile eſt, aliquos etiam è Judæis lucri cupidine adductos aluiſſe porcos, quos poſtea Græcis vendebant.

Verſ. 31. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: ſi ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum.*

Verſ. 32. *Et ait illis: Abite. Illi autem exeuntes abierunt in gregem porcorum. Et ecce totus grex porcorum abiit per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.*] Chriſtus dæmones vi ſua divina ejecit: dæmones autem ſine ulla Chriſti coöperatione ſua propria vi porcos in mare præcipitarunt. Quod vero Chriſtus dæmonibus permiſerit damno homines afficere, non eſt factum abſque ſingulari cauſa. Partim enim Græcis oſtendere voluit, Judaicam religionem, in qua vetitus erat eſus ſuillæ, à Deo ortam eſſe: partim etiam Judæos docere, iniquum eſſe, quod illi adverſus Legis interdictum porcos alerent. Hinc quoque agnoſcendum eſt, quam Deus certis limitibus poteſtatem Diaboli circumſcribat (quod itidem ex Jobi hiſtoria patet) alioquin enim is eodem modo ageret cum hominibus, quo hic egit cum porcis.

Verſ. 33. *Paſtores autem fugerunt, & venientes in civitatem*, (Gergeſſam vel Gadaram) *nunciaverunt omnia, & de his qui dæmonia habuerant.*

Verſ. 34. *Et ecce tota civitas.*] Id eſt, maxima pars civium. Metonymia cum Synecdoche.

Exiit obviam Jeſu, & videntes cum rogabant, ut tranſiret à finibus eorum.] Metu perculſi id rogabant. Vide Luc. 8. 37. Conſcii ſibi erant peccatorum ſuorum, metuebantque adeo divinam in Chriſto potentiam. Confer 1 Reg. 17. 18.

CAPUT IX.

I. *Chriſtus ſanat paralyticum: ad verſ.* 9. II. *Vocat Matthæum: ad verſ.* 14. III. *Defendit ſuos diſcipulos: ad verſ.* 18. IV. *Hæmorrhoiſſam ſanat, & puellam quandam ſuſcitat à mortuis: ad verſ.* 27. V. *Duobus cæcis viſum reſtituit: ad verſ.* 32. VI. *Ejicit dæmonem: ad verſ.* 35. VII. *Paſſim docet, ſanat ægros, miſeretur populi bonis doctoribus carentis: ad finem cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *Et aſcendens in naviculam, tranſfretavit.*] Eadem navi, qua venerat in regionem Gergeſſenorum ſupra cap. 8. 23, revectus eſt. Hic ſubnectit Marcus cap. 5. 18, 19, quomodo is qui à dæmonum legione liberatus fuit, voluerit cum Chriſto trajicere: ſed à Chriſto non fuit admiſſus.

Et venit in propriam civitatem.] In ſuam patriam, quæ erat Capernaum. Bethlehemi fuit natus Matth. 2. 1, Nazarethi educatus ℣. 23, Capernaumi habitavit cap. 4. 13. Hic recenſet Marcus cap. 2. 2, & Lucas cap. 5. 15, ut ad ejus adventum magna hominum turba confluxerit.

Verſ. 2. *Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto jacentem, & videns Jeſus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*] Hanc hiſtoriam narrat Marcus cap. 2. 3, & Lucas cap. 5. 18, quaſi ante iter illud in terram Gergeſſenorum ſuſceptum, accidiſſet: ut & duas ſequentes hiſtorias de vocatione Matthæi, & quæſtione de jejunio. Unde cernitur, Euangeliſtis non tam rationem temporis ac circumſtantiarum, quam veritatem rerum curæ fuiſſe.

Offerebant ei.] Nempe ſedenti ac docenti Luc. 5. 17, vel verbum ad populum loquenti, ut habet Marcus cap. 2. 3, & quidem in domo quadam Marc. 2. 1.

Videns fidem illorum.] Id eſt, eorum, à quibus portabatur. Nam Marcus cap. 2. 3, 4, & Lucas cap. 5. 18, 19 narrant, eum à quatuor viris in lecto fuiſſe allatum, qui propter obſtantem populi turbam perruperint tectum, eumque ex alto demiſerint: ex eo proinde magnam eorum fidem Chriſtus agnovit. Quæ ipſorum fides profuit paralytico, non ſecus, ac Centurionis fides ſervo ipſius ſupra cap. 8. 10. Quanquam veriſimile eſt, nec paralyticum ipſum fide fuiſſe prorſus deſtitutum.

Confide.] Sine dubio eum conſcientia plurimorum criminum reum peragebat, quæ ne ſibi ad ſanitatem conſequendam obeſſent, jure extimeſcebat. Cum enim non omnia peccata ad judices deferrentur, neque proinde ſecundum Legem pœnis expiarentur, idcirco Deus etiam graviſſimorum omnis generis judiciorum ſuorum interminationem Legi adjunxit: ut videre eſt Deut. 28. 22 & ſeqq. Dantur quidem etiam naturales morbi, qui hominibus abſque eorum culpa Deo permittente accidunt. Vide Joh. 9. 3, ſed huic morbo cauſam procul dubio dederunt hominis iſtius peccata; quod communiter fit Joh. 5. 14. 1 Cor. xi. 30. Quare ut ægro iſti animum & bonam ſpem de recuperanda valetudine inſpiret Chriſtus, erigit eum his verbis: *Confide, fili*, id eſt, eſto bono animo, depone timorem.

Fili.] Blanda appellatio; plena humanitatis, ut etiam infra ℣. 22.

Remittuntur tibi peccata tua.] Id eſt, à morbo tuo liberaberis, cujus cauſa ſunt peccata tua. Iſta enim remiſſio peccatorum conſiſtebat proprie in curatione illius morbi, cujus peccata ejus cauſa fuerant: ut ita Chriſtus non ante remiſerit peccata, & poſtea demum morbum ejus ſanaverit.

Verſ. 3. *Et ecce quidam Scribarum dixerunt in ſeipſis: Hic blaſphemat.*] Lucas cap. 5. 17 ad Scribas addit & Phariſæos.

Dixerunt in ſeipſis.] Id eſt, cogitarunt in corde ſuo Marc. 2. 8. Luc. 5. 21. Eſt Hebraiſmus. Pſal. 14. 1. x. 6, 11. Liij. 2. Lxxiv. 8. Matth. 9. 21. Luc. 7. 39, 49. xvi. 3. xviij. 4.

Hic

Hic blaſphemat.] Blaſphemare hoc loco non ſignificat proloqui aliquid in Dei contumeliam, ſed id quod Deo ſoli competit, ſibi attribuere. (Vide Matth. 26. 65.) Marcus cap. 2. 7, & Lucas cap. 5. 21 ſubjeceruut cauſam talis ipſorum cogitationis: Quia, inquiunt, nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus.

Verſ. 4. *Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum; dixit: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris.* Vidiſſet, id eſt cognoviſſet Luc. 5. 22. Marcus addit, *ſpiritu ſuo* cap. 2. 8. Judæi ipſi in ſuo Thalmude adverſus Barcochebam agnoſcunt inter alias Meſſiæ notas etiam hanc futuram, quod perſpectas habiturus ſit hominum cogitationes; quem tamen haud credebant fore ipſum Deum altiſſimum. Neque id magis exinde de Chriſto concludi poteſt, quam de Eliſæo, qui ſcivit, Gehaſi ſervum ſuum conſtituiſſe intra ſe tacite, pro illa pecunia, quam à Naämane Syro exterebraverat, emere oliveta, vineas, oves & boves 2 Reg. 5. 26. Quocirca etſi de Deo dicatur, quod ſolus noverit corda hominum 2 Paral. 6. 30, ſic tamen id intelligendum eſt, quod ſolus à ſe ipſo talem habeat poteſtatem; non ita, quod eam nemini poſſit communicare. Pariter de Deo dicitur, quod ſolus immortalitatem habeat 1 Tim. 6. 16, cum tamen & Angeli omnes ex gratia ejus immortales ſint, & omnes fideles olim futuri ſint. Cum autem Deus Chriſto omnem poteſtatem in cœlo & in terra dederit Matth. 28. 18, æquum fuit, ut ipſi quoque cognitionem cordium communicaret, quæ ad tale regimen divinum omnino eſt neceſſaria.

Verſ. 5. *Quid enim eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: ſurge & ambula?*] Si nuda verba ſimpliciter inſpiciantur, æque facile eſt utrumque pronunciare. Sed rem ipſam quod attinet, longe difficilius eſt remittere peccata, quam aliquem ægrotum ſanitate donare: nihilominus tamen Chriſtus innuit, facilius eſſe, peccata remittere, quam ſanare ægrotum. Nimirum, facilius eſt, tale quid ſibi tribuere & arrogare, quod homines oculis cernere non poſſunt, neque verumne an falſum ſit, judicare, quam rem ejuſmodi, quæ ſubjecta ſit oculis, & in qua mendacium, ſi falſa ſit, deprehendi ac palpari poſſit. Gloriabatur nonnemo, ſe in inſula Rhodo ſaltus ingentes feciſſe: quod ipſi dicere facillimum erat; ſi quis enim id credere nollet, debuiſſet Rhodum proficiſci & inquirere. Sed ubi juſſus eſt hic ſimiliter ſaltare, id ipſi facere fuit difficilius.

Verſ. 6. *Ut autem ſciatis, quia habet poteſtatem filius hominis in terra remittere peccata, tunc ait paralytico: ſurge, tolle lectum tuum, & abi in domum tuam.*] Id quod Scribæ videre non poterant, nempe ſe habere poteſtatem peccata remittendi, probat viſibili miraculo, & quidem ratione plena majeſtatis, dum ægrotum ſimplici juſſu ac ſolo mandato *ſurge* &c, ſanum reddit. Cum enim hujus morbi cauſa fuerint peccata, manifeſtum eſt, peccata iſti homini remiſſa eſſe, quando pœna peccatorum ab ipſo ablata eſt, id eſt, quando à morbo eſt liberatus.

Poteſtatem habet filius hominis, in terra remittere peccata.] Voces *in terra* non conjunguntur cum vocibus *Filius hominis*, ſed cum ſequentibus, *remittere peccata*: ut ex Marco liquet cap. 2. 10, qui verba hæc ita refert: quod *filius hominis habeat poteſtatem, peccata in terris remittere.* Addit autem Chriſtus has voces *in terra*, ut diſtinguat hanc remiſſionem ab illa perfectiſſima remiſſione peccatorum, quæ in cœlis demum hominibus obtinget, ubi illi non ſolum à temporali pœna, ſicut hic in terris, ſed & ab æterna damnatione abſolventur. Illam enim perfectiſſimam remiſſionem peccatorum Chriſtus nemini in terris impertitus eſt, neque reipſa impertiri potuit, quia ab iis, qui ejus fieri debent participes, perſeverantia in fide uſque ad finem requiritur Matth. 10. 22. XXIV. 13. Marc. 13. 13. Hebr. 3. 6, 14. VI. 2. Imo Chriſtus ſupremam & abſolutam poteſtatem, deſtruendi ultimum hoſtem noſtrum, id eſt, mortem, noſque in eum ſtatum aſſerendi, ut amplius ab ea in poteſtatem redigi nequeamus (qua ratione remiſſio peccatorum perfectiſſimo modo conſummabitur) tunc demum conſecutus eſt, cum ad dexteram Dei evectus eſt, & omnia pedibus ejus ſubjecta ſunt Philip. 3. 20. 1 Cor. 15. 24 & ſeqq. 55, 56. Hebr. 10. 12, 13. Quam ob cauſam etiam præcipue ipſius reſurrectioni, exaltationi, & muneri ſacerdotali remiſſio peccatorum adſcribitur. Vide Rom. 4. 25. 1 Cor. 15. 17, 18. Actor. 5. 31. Rom. 8. 34. Hæc autem peccata remittendi poteſtas, qua Chriſtus præditus fuit in terra, non erat duntaxat ejuſmodi, qualis Nathani ad remittendum peccatum Davidi 2 Sam. 12. 13, & aliis Prophetis data erat, qui nonniſi annunciatores remiſſionis peccatorum, quæ à ſolo Deo proficiſcebatur, erant: ſed Chriſtus habuit ſupremam poteſtatem per ſe & pro ſuo arbitrio unicuique homini peccata remittendi. Per quam remiſſionem homines acceſſum ad illam perfectiſſimam & beatiſſimam peccatorum remiſſionem, quæ in cœlis continget, nanciſcebantur, ſi in Chriſtum crederent, & ad doctrinæ ejus normam vitam ſuam inſtituerent.

Non poteſt autem jure ex hac Chriſti poteſtate concludi, ipſum eſſe Deum ſummum. Chriſtus enim hic loquitur de ſe, tanquam de *hominis filio*, & quatenus Mediator eſt. Deinde Chriſtus eo ipſo contrarium ei, quod ſcribæ credebant, demonſtrare voluit. Illi ſtatuebant, neminem habere poteſtatem remittendi peccata, præter Deum: Chriſtus autem oſtendit, non tantum Deum, ſed filium hominis quoque eam poteſtatem habere. Et cum Chriſtum facto ipſo, id eſt, miraculo edito comprobaſſet, populus *v.* 8 glorificavit Deum, quod talem poteſtatem dederit hominibus: illam nimirum poteſtatem, quam Chriſtus, filium hominis habere, demonſtrare promiſerat. Quæ verba Matthæus non ita ſimpliciter retuliſſet, ſi non ſancte ac vere dicta fuiſſent. Huc facit etiam locus Epheſ. 4. 32, quod Deus in Chriſto nobis remiſerit. Unde intelligitur, remiſſionem quidem peccatorum eſſe Dei ipſius proprium opus, ſed tale nihilominus, quod per Chriſtum perficiat. Omnia illa præclara miracula à Chriſto edita, ſunt divina opera, quæ ſolus Deus per ſe facere poteſt: ſed quemadmodum Deus talem poteſtatem etiam Chriſto homini communicavit (Joh. 5. 19, 20) ſic etiam poteſtatem ipſi dedit hominibus peccata remittendi. Simili ratione Chriſtus deinde poteſtatem tam

peccata

peccata remittendi, quam miracula patrandi communicavit ſuis Apoſtolis Joh. 21. 23. Matth. 10. 1, de quibus tamen dici nequit, quod ſint Deus ille ſummus.

Verſ. 1. *Et ſurgens abiit in domum ſuam.*] Et jubente Chriſto, tulit lectum ſuum Marc. 2. 12. Luc. 5. 26, ex quo patuit tanto magis, eum planiſſime ſanum eſſe factum.

Verſ. 8. *Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.*] Id eſt, homini: Non enim hoc mirantur, quod Jeſu Nazaræno nominatim poteſtas iſta data ſit, ſed quod uni ex hominibus à Deo collata ſit. Nam huic nihil ſimile unquam à condito mundo auditum fuit.

PARS II.

Verſ. 9. *ET cum tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me; & ſurgens ſecutus eſt eum.*

Inde.] Ex illa domo, ubi paralyticum curavit.

Tranſiret.] Ad mare Marc. 2. 13.

Hominem.] Publicanum Luc. 5. 27.

In telonio.] In loco quodam, ubi vectigalia ſolvebantur; ſine dubio ad portam civitatis, quæ erat ſita ad mare. Vide Marc. 2. 14.

Matthæum nomine.] Hunc ipſum Matthæum, qui poſtea Apoſtolus factus eſt (vide Matth. 10. 2) quique hanc conſcripſit Euangelicam hiſtoriam. A Marco cap. 2. 14 & Luca cap 5. 27 appellatur Levi: unde ab Interpretibus vulgo ſtatuitur, Matthæum fuiſſe binominem. Sed quia Origenes contra Celſum diſerte ſcribit, Levin quidem Chriſtum fuiſſe ſecutum, ſed in numero Apoſtolorum non fuiſſe, etſi è nonnullis Marci exemplaribus id colligatur; & præterea quia Matthæus ſe nunquam Levin appellat, ut nec Marcus & Lucas Levin appellant Matthæum; idcirco cenſent doctiſſimi quidam viri, in nonnullis forte exemplaribus Marci nomen Levi ſeparatim poſitum extitiſſe, quod ſcilicet Levi ſimul cum Matthæo fuerit vocatus, iſque fuerit frater Jacobi, cum utriuſque pater dicatur Alphæus, Jacobi Matth. 10. 3. Levis Marc. 2. 14, ut ita Levi unus quidem de diſcipulis Chriſti fuerit, ſed non de illis duodecim. Quod ſi admittatur, convivium in hujus Levis domo fuiſſet celebratum, non in Matthæi, qui tunc omnia ſua dereliquerat. Idcirco Marcus & Lucas nominatim domus Levis mentionem faciunt, Matthæus autem ſimpliciter dicit, *in domo.* Nec abſurde ſtatui poteſt, Levin fuiſſe aliquem è primoribus publicanorum, (qualis & Zachæus fuit Luc. 19. 2) cujus miniſter fuerit Matthæus.

Verſ. 10. *Et factum eſt, eo diſcumbente in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu & diſcipulis ejus.*] In illo convivio magno, quod ei paravit Levi in ſua domo Luc. 5. 59.

Multi publicani.] Quos Matthæus vel Levi una ad epulas invitaverat. Vide Marc. 2. 15.

Et peccatores.] Qui in manifeſtis & unicuique notis peccatis vivebant. Iſtis accenſebantur etiam publicani (vectigalium enim ac tributorum exactio erat Judæorum libertati contraria) omneſque inhoneſto vitæ genere victitantes.

Verſ. 11. *Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis ejus; Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?*

Phariſæi. Et Scribæ, ut addit Marcus cap. 2. 16 & Lucas cap. 5. 30.

Videntes.] Cum reſciviſſent. Non enim veriſimile eſt, eos ipſos fuiſſe præſentes. Hoc ſenſu ſæpius vox iſta ſumitur: Infra cap. 12. 2. xxi. 15. Marc. 2. verſ. 16.

Diſcipulis ejus dicebant.] Non habebant tantum animi, ut ipſum Dominum aggrederentur. Probe enim cognitæ ipſis fuerunt ejus ſapientiſſimæ ac prudentiſſimæ reſponſiones.

Quare manducat. Non quærunt, ſed carpunt ac reprehendunt; quaſi dicant: Perperam facit Magiſter veſter, quod cibum capiat cum publicanis & peccatoribus.

Magiſter veſter.] Lucas habet cap. 5. 30: *Quare manducatis & bibitis vos cum publicanis & peccatoribus:* id eſt, vos & veſter Magiſter. Matthæus autem ſolius Domini Jeſu meminit, quia ipſum potiſſimum petebat illorum reprehenſio, quem minime debuiſſe id facere cenſebant. Vetabatur autem id certa lege à ſcribis, ne quis cum publicanis ac ſimilis notæ hominibus ullum haberetur commercium. Eos enim Ethnicis ſeu alienigenis aquiparabant.

Verſ. 12. *At Jeſus audiens, ait illis: Non eſt opus valentibus medico, ſed malo habentibus.* *Audiens.*] Nempe à diſcipulis ſuis id narrantibus.

Ait illis. Phariſæis.

Non opus eſt valentibus medico. Hoc ſibi vult Chriſtus: Si vos tales eſtis, quales vos eſſe putatis, mea opera non indigetis; at merito cum iis converſor, qui mea doctrina juvari & à morbis animarum ſuarum ſanari queunt. Phariſæi tanti erant hypocritæ ac diſſimulatores ſuæ impietatis, ut non alios modo, ſed & ſeipſos deciperent (vide Luc. 18. 11.) interea animus eorum ſcatebat odio, invidia, avaritia, & ſanguinariis conſiliis. Eſtque id veriſſimum, morbos corporis curatu faciliores eſſe, quam morbos animi. Quando enim corpus ægrotat, animus fert opem corpori, quia morbum ejus novit: ſed quando æger eſt animus, corpus, quod intellectu caret, ipſum juvare non poteſt, animus autem ipſe per morbum ſuum præpeditur, ut morbum ſuum agnoſcere non poſſit; quæ agnitio magna pars ſanitatis eſt.

Verſ. 13. *Euntes autem diſcite, quid ſit, Miſericordiam volo & non ſacrificium.*] Uſitatus eſt Hebræis loquendi modus, quando quippiam alicui præcipitur: Abi. Ut Judic. 10. 14. Prov. 6. 6. Vide ſupra cap. 8. 13. Chriſtus audacter reprehendentes viciſſim perſtringit ac reprehendit.

Diſcite.] Relegat illos ſupercilioſos Doctores ad ſcholam, ut qui ſibi videbantur eſſe in poſſeſſione perfectiſſimæ ſcientiæ Legis, veram Legis intelligentiam ediſcerent. Idem facit Matth. 12. 3, 5. xix. 4. xxi. 16, 42. xxij. 31. Marc. 12. 10, 26.

Miſericordiam volo, & non ſacrificium.] Verba hæc deſumpta ſunt ex Oſeæ cap. 6. 6, ubi Deus populi ſimulatam pietatem perſtringit, quod externis ritibus

ritibus ſuam pietatem demonſtrare niterentur, cum interim charitas & miſericordia erga proximum ex eorum cordibus exularet. Deus non rejicit ſimpliciter ſacrificia; ea enim ipſe inſtituerat: ſed tantum comparate, quod ipſi minus ſint accepta, quam miſericordia, quaſi dicat: Malo potius miſericordiam, quam ſacrificium. Talis loquendi modus eſt etiam Joh. 4. 42. Conferatur etiam locus Oſeæ cum 1 Sam. 15. 22, 23. Per ſacrificia autem Synecdochice intelliguntur in genere omnes externi ritus religionis ac ceremoniæ, inter quas potiſſima erant ſacrificia. Sub operibus vero miſericordiæ comprehendit Chriſtus hoc loco converſionem peccatorum; ſub ſacrificio vitationem eorum conſortii. Vult igitur, magis ſtudendum eſſe converſioni peccatorum, quam vitationi eorum conſortii. Etſi autem nullum reperiatur expreſſum in Lege mandatum, quo conſortium cum peccatoribus & converſatio prohibeatur, tunc quando quis peccatorum ipſorum non fit particeps; tamen id natura ipſa docet, fuitque omnibus temporibus apud omnes gentes id uſu receptum, ut honeſti ac probioris vitæ homines malorum converſationem fugerent, hoc ipſo monſtrantes, quam turpis & abominanda ſit improbitas. Atque hanc conſuetudinem non reprobat Chriſtus omnino, ſed docet, ei charitatem ac miſericordiam eſſe præferendam, quæ in eo exhibenda eſt extra pietatis orbitam prolapſis, ut cura de iis in viam reducendis ſuſcipiatur. Commercium ac familiaritatem cum iis, qui inordinate ambulant, etiam Apoſtolus vetat 1 Cor. 5. ℣. 11. 2 Theſſ. 3. 6, 14, ita tamen, ne pro inimicis habeantur, ſed tanquam fratres admoneantur ℣. 15.

Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.] Nonnulli ita exponunt hæc verba; quod Chriſtus non venerit juſtos (id eſt, qui ſe juſtos putant, quales erant Phariſæi) vocare: quo ſenſu ſupra dixit, valentes non habere opus medico. Sed videtur alius eſſe horum verborum ſenſus. Nimirum ſicut in ſuperioribus verbis ℣. 11 vox *peccatorum*, non in ea ſignificatione accipitur, qua omnes homines coram Deo peccatores ſunt Rom. 3. 23. 1 Joh. 1. 8; ſed ea deſignantur homines flagitioſi, qui Legem Dei ex mera petulantia tranſgrediuntur (ut etiam Pſal. 1. ℣. 1, 5. LI. 15. CIV. 35. Matth. XI. 19. Joh. 9. 24) ita etiam *juſtorum* voce non ii intelliguntur, qui nulla omnino culpæ macula aſperſi ſunt, quo pacto nullus hominum coram Deo juſtus eſt; ſed tales, qualis exempli gratia fuit Nathanaël, quem Chriſtus verum Iſraëlitam appellat Joh. 1. 48. Zacharias & Eliſabetha, qui ambo juſti dicuntur Luc. 1. 6. Hujuſmodi homines nulla vocatione indigent ad pœnitentiam, nimirum à vita impia, ſed homines ſcelerati ac improbi. Ut ita Chriſtus hic non de univerſo munere ſuo loquatur, quod in eo conſiſtebat, ut homines ad novam Euangelii doctrinam vocaret, quæ etiam ad eos pertinebat, qui hic juſti nuncupantur, ſed duntaxat de ea muneris ſui parte, qua etiam Johannes Baptiſta functus eſt, & quam Chriſtus ipſe ſibi maxime habebat commendatam; ea vero erat vocatio ad pœnitentiam, quæ erat præparatio ad Regnum Dei. Vide hac de re etiam Luc. 15. 7.

PARS III.

Verſ. 14. *TUnc acceſſerunt ad eum diſcipuli Johannis, dicentes: Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tuo non jejunant?*] Lucas narrat ita rem, quaſi iidem Scribæ id dixerint, quos Chriſtus alloquebatur cap. 5. 33. Marcus diſcipulis Joannis adjungit diſcipulos Phariſæorum cap. 2. 18.

Quare jejunamus nos?] Vitio vertunt Chriſto, quod diſcipuli ipſius non tam rigida jejunia ſervent. Non loquuntur autem de generali jejunio totius populi Judaici, quod ſine dubio etiam diſcipuli Chriſti obſervabant, ſed de jejuniis privatis, quæ ſibi quiſque ex propria devotione imperabat, de quibus Chriſtus quoque ſupra locutus eſt cap. 6. 16. Apud Lucam jejunio adjunguntur preces cap. 5. 33. Phariſæi ſtrictis jejuniis ſe macerabant, ut ſibi nomen ac famam ſanctimoniæ apud homines compararent: Johannes vero diſcipuli ideo, quod Magiſtri quodammodo imitatores eſſe voluerint, qui utpote pœnitentiæ præco aſperam ac duram vitam egit Matth. 3. 4. XI. 18. Diſcipuli enim Johannis Jeſum nondum pro Meſſia agnoſcebant, ut apparet infra ex initio cap. XI. Aliqui exiſtimant, eos propter Johannem captivum tam crebro jejunaſſe, quia hæc quæſtio Chriſto propoſita ferme in tempus captivitatis ejus incidit (vide Matth. XI. 2) & Lucas inſuper precum meminit.

Frequentes.] Gr. πολλὰ. Adverb. multum.

Non jejunant.] Id eſt, non ſolent jejunare. Locutio ſimilis eſt Marc. 14. 12. XV. 6 Apud Lucam ajunt: *Tui autem edunt & bibunt* cap. 5. 33: quibus verbis non obſcure eis ac in eis Chriſto intemperantiam objiciunt. Vide Matth. XI. 18, 19. Tam ſanctum fuit Phariſæorum jejunium, ut à cibis abſtinerent, exederent autem domos viduarum Matth. 23. verſ. 14.

Verſ. 15. *Et ait illis Jeſus: Nunquid poſſunt filii thalami lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Eſt Hebraica phraſis, *filii thalami*, id eſt, qui ad thalamum admittuntur, nempe amici ſponſi Joh. 3. 29, qui ſponſum ad nuptias, & poſtea in thalamum uſque comitantur, ac deducunt. Tales fuiſſe cenſent nonnulli illos 30 ſodales, qui additi erant Samſoni Judic. 14. 11. Tales filiæ thalami ſunt virgines illæ regiæ ſponſæ Pſal. 45. 15. Chriſtus autem hac reſponſione innuit diſcipulis Johannis, non eſſe nunc tempus idoneum atque conveniens diſcipulis ſuis jejunandi, quandoquidem ſe ſponſum ſecum adhuc habeant: amicis enim ſponſi haud convenire, ut lugeant, ac proinde etiam ut jejunent quamdiu ſponſus ipſis adeſt. Quod ſi illi ob eam jejunabant cauſam, quod Johannes eſſet conjectus in carcerem, tum indicare voluit Chriſtus, nondum ſuos diſcipulos tali cauſa ac neceſſitate ad jejunandum urgeri, quali urgebantur diſcipuli Johannis; cum illorum Dominus ac Magiſter ipſis adhuc tanquam ſponſus præſto ſit.

Sponſus.] Vide Matth. 22. 2. XXV. 1, 5, 6, 10. Joh. 3. 29. 2 Cor. XI. 2. Apoc. 19. 7, 9.

Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.] Id eſt, erit aliud tempus, quo orbati ſuo hero ac Magiſtro non modo jejunabunt, ſed etiam ſummas calamitates & adverſitates patientur: quamobrem æquum eſt, ut illis breve hoc hilaritatis tempus concedatur.

Jejunabunt.] Quod hîc dicit jejunare, id ſupra vocavit *lugere*. Nam jejunium eſt ſignum luctus, vel magni periculi Judic.20.26. 1 Sam.7.6. XIV.24. XXXI. 13. 2 Sam.12.16. 1 Macch.3.17. Hinc apud Judæos Sabbato jejunare interdictum erat, quia erat dies hilaritatis. Ad hujus moris Judaici exemplum etiam Chriſtiani priorum ſeculorum diebus Dominicis & toto illo tempore, quod inter Paſchales ferias & Pentecoſten interjectum eſt (quod memoriæ reſurrectionis Chriſti conſecratum erat) à jejunio abſtinebant.

Et tunc jejunabunt.] Tunc ſæpius lugebunt, & inter alias calamitates etiam non raro fame ſitique laborabant 1 Cor.4.11. 2 Cor.6.5. Imo ipſi quoque crebro jejunia ſibi imponent Act. 10.10. XIIJ.2,3. XIV.23.

Verſ. 16. *Nemo autem indit additamentum panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim ſupplementum ejus à veſtimento, & fit pejor ſiſſura.*

Verſ. 17. *Neque immittunt vinum novum in utres veteres: alioqui rumpuntur utres & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed immittunt vinum novum in utres novos, & ambo conſervantur.*] His duobus verſiculis Chriſtus duas affert ſimilitudines, quibus docet, ſe non ſine probe perpenſo conſilio diſcipulis ſuis tam grave onus jejunandi imponere nolle; cum propter ſuam infirmitatem ad id non ſint apti, facileque fieri queat, ut ſi ad duram nimis vitam agendam adſtringerentur, ab ipſo reſilirent & alienarentur, adeoque perirent. Vitam duram & auſteram Chriſtus comparat cum fruſto novi ac rudis panni, cumque vino novo: ſuos autem diſcipulos infirmos cum veſtimento veteri & utribus vetuſtis. Quando fructum novi panni veteri veſtimento aſſuitur, quia illud fortius eſt, rumpit veſtem magis, & majori ſiſſuræ dat anſam: & quando vinum novum ſeu muſtum adhuc fermenteſcens in veteres utres infunditur, facit, ut utres crepent ac diſſiliant. Sic etiam vita auſtera poteſt infirmos homines, illi non aſſuetos, facile abſterrere, & ad deficiendum à Chriſti doctrina anſam præbere. Idcirco Deus eo uti ſolet ſemper cum ſuis agendi modo, ut eis non imponat amplius, quam quantum vires eorum ferre poſſunt: creſcentibus vero eorum viribus, ſubinde majora ab eis exigit fidei documenta. Quod autem diſcipuli Johannis vitam tam duram egerint, qui tamen æque ac Chriſti diſcipuli ſimiles erant veſtimento veteri & vetuſtis utribus, cauſa hæc eſt, quod Johannes Chriſto viam præparaverit, adeoque conveniens fuerit, ut via pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ lacrymis, jejuniis & animi anxietate conficeretur; Chriſtum autem decuerit homines leniori via ducere, vulneraque pœnitentiæ, à doctrina Johannis inflicta, potius ſolatio & prædicatione ampliſſimi præmii demulcere atque curare.

Supplementum.] Gr. τὸ πλήρωμα, *plenitudo*, id eſt, fruſtum additum & aſſutum, quo lacuna veſtimenti veteris expletur.

Utres.] Seu culei, erant vaſa vinaria ex corio facta, loco ligneorum vaſorum olim uſurpata.

PARS IV.

Verſ. 18. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps quidam acceſſit, & adoravit eum dicens: Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.*] Intelligitur hic princeps Synagogæ Judæorum, nomine Jairus, ut nos docet Lucas cap.8.41. Principes iſti ſolebant eſſe inſignes, prudentes ac honeſtæ vitæ viri, quorum officium erat Synagogæ præeſſe & regimen in ea tenere. Eorum plures uno erant in magnis Synagogis, ut apparet ex Actor.13.15, unus tamen ſemper præ aliis eminebat auctoritate atque doctrina, cujus partes erant Legem interpretari, & preces abſolvere.

Adoravit eum.] Ad pedes ejus provolutus eſt Marc.5.22. Luc.8.41.

Modo defuncta eſt.] Marcus cap.5.23 ait: *Eſt in extremis*, Lucas cap.8.42 habet: *Filia unigenita erat ei, fere annorum duodecim, & hæc moriebatur:* id eſt, jam animam agebat. Vult ergo princeps iſte apud Matthæum hoc dicere ad Chriſtum, ſe nihil dubitare, jam mortuam eſſe ſuam filiam, quia cum abiret domo, eam in extremis verſantem & animam agentem reliquerat. Neque eum fefellit ejus conjectura. Ait enim Lucas, cap.8.49 eum adhuc loquentem cum Chriſto, nuncium de morte puellæ accepiſſe.

Impone manum tuam ſuper illam.] Non erat Judæis ignotum, Deum Prophetas olim eo dignatum fuiſſe honore, ut ad eorum preces aliis benefaceret ac dona ſua effunderet: Symbolum autem exaudi-tionis precum erat impoſitio manuum. Sic Deus imperavit quoque Moſi, ut manus Joſuæ imponeret, ut hac ratione per preces Moſis majorem vim ſpiritus acciperet Num.27.18,20. Sic etiam Naaman Syrus invocationem nominis divini, & impoſitionem manuum conjungit 2 Reg.5.11. Impoſitio manuum denotat proprie vim & operationem divinæ virtutis. Hoc ſignificatu enim extenſio manus divinæ ſumitur Actor.4.30. Quare cum Dei auxilium pro aliis peteretur, moris erat orationi manuum impoſitionem adjungere. Vide etiam hac de re infra cap.19.13. Videtur autem Jairus minus fidei & præclaræ exiſtimationis de Chriſto habuiſſe quam alii, qui crediderunt, Chriſtum ſolo tactu ſanare poſſe: cum Jairus contra videatur ſenſiſſe, Chriſtum ſine precatione nihil poſſe efficere.

Et vivet.] Seu, manebit viva. Etſi enim conjiciebat Jairus, forte jam mortuam eſſe filiam ſuam, tamen adhuc inter metum ac ſpem medius pendebat. Ut enim allatus eſt ei nuncius (de quo teſtatur Lucas cap.8.49) de ipſius morte, videtur animum deſpondiſſe, neque credidiſſe, Chriſtum poſſe eam à mortuis reſuſcitare. Addit enim Lucas, Chriſtum conſolatum eſſe eum, ac dixiſſe ei: *Noli timere, tantum crede, & ſalva erit.*

Verſ. 19.

Vers. 19. *Et surgens Jesus, sequebatur eum, & discipuli ejus.*

Vers. 20. *Et ecce mulier sanguinis profluvio laborans duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.*] Admodum gravis erat iste morbus muliebris, quo tamdiu cruciabatur, & tanquam impura ab aliis hominibus separata manere tanto tempore cogebatur Levit. 15. 24. Videtur etiam incurabile malum fuisse. Marcus enim scribit cap. 5. vers. 26, eam multa perpessam esse à multis medicis, & nihil adjutam, potius in deterius venisse. Et Lucas ait cap. 8. 43, eam impendisse in medicos omnem victum suum.

Accessit retro.] Seu à tergo: partim quia pudebat eam morbi sui pudendi, partim quia propter immunditiem suam secundum Legem proprius ad homines accedere non audebat.

Et tetigit fimbriam vestimenti ejus.] Verisimile est, per fimbriam hic intelligi illa peniculamenta, seu funiculos, quos Judæi in quatuor oris pallioli sui gerunt, de quibus extat præceptum Deut. 22. 12. Palliolum istud est è duabus quadratis particulis, geminis ligulis superius colligatum, Hebraice vocatur *Canphos*. De singulis oris atque extremitatibus inferius pendet funiculus paulo longior ex octo filis laneis contextus, quam illi *Zizis* appellant. Hi funiculi videntur hic fimbriæ nomine designari. Nam infra cap. 14. 36 Græca vox κρασπέδου (quæ hoc loco *fimbria* vertitur) in Syriaca versione reddita est *Canphos*; quæ vox illud ipsum quadratum palliolum denotat: ut ita hic & infra cap. 14. 36 & cap. 23. 5 vox κρασπέδου, *palliolum*, accipiatur per Synecdochen pro funiculo pallioli.

Vers. 21. *Dicebat enim in seipsa: Si tantum tetigero vestimentum ejus, salva ero.*] In eo mulier ista fuit optime persuasa de Christo, quod crediderit, eum plenissimum esse divina virtute, adeo ut omnibus ex locis ac partibus vis ab eo emanet. Sed apparet, eam credidisse, vim istam magis naturaliter ab eo emanare, quam dari pro arbitrio ipsius ac beneplacito. Hinc spem concepit, se furtim quasi & ipso inscio sanitatem ab eo obtenturam. Quod autem Christus passus sit se contrectari ab hac immunda muliere, nihil in eo admisit Legi contrarium: quemadmodum supra quoque cap. 8. 3 de contrectatione leprosi dictum est.

Vers. 22. *At Jesus conversus, & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et servata est mulier ex illa hora.*] Marcus & Lucas addunt, Christum interrogasse: Quis est, qui me tetigit? & tum voce, tum oculis eum, qui id fecerat, requisivisse Marc. 5. 30. Luc. 8. 45. Nimirum Christus noluit miraculum hoc manere occultum, partim gloriæ divinæ causa, partim ad magis confirmandum fidem Jairi.

Confide.] Desine timere. Narrant enim Marcus & Lucas, cum Christus de eo qui se tetigerat, tam sedulo inquireret, mulierem hanc trementem ac trepidantem ad genua ejus accidisse, veritatemque confessam esse, quia id clam fecerat, sciebatque sibi, utpote immundæ, ipsum tangere illicitum fuisse Marc. 5. 30, 31, 32, 33. Luc. 8. 45, 46, 47.

Fides tua te salvam fecit.] Indicat Christus non contrectationem solam, sed fidem ejus, quam de divina virtute sua habuit, ei ad sanitatem profuisse.

Vers. 23. *Et cum venisset Jesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis.*] Apud Judæos receptum fuisse, tibicines adhibere in funere, ut lugubri musica cierent gemitus, docet nos Josephus lib. 3 de bello Jud. Idem testantur etiam scripta Judæorum, morem hunc non ab Ethnicis primum ad Judæos transiisse, sed ab antiquis temporibus inter illos viguisse: neque usquam legitur, id Judæis interdictum fuisse. Quin & omnem illam solennitatem, quæ in funeribus adhibetur, non nuper natum morem esse, sed priscum, testantur exempla Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi &c.

Turbam tumultuantem.] Id est, eos qui lamentabantur ac ejulabant Marc. 5. 38. Præficarum, quæ mercede conducebantur ad quiritandum & plorandum in funere, fit mentio Jerem. 9. 17, ex quo loco cernitur, artem fuisse peculiarem, ita lamentari super mortuos, & gestus lugubres exprimere; qua in re aliæ alias superabant.

Vers. 24.] *Recedite.*] Apud Marcum ait: *Quid tumultuamini & ploratis?* cap. 5. 39, *Puella enim non est mortua, sed dormit. Et deridebant eum.*] Illa quidem vere mortua erat: ideo deridebatur à turba, quod vellet mortuum hominem perinde excitare, atque dormientem. Christus tamen dicit, eam dormire, quia volebat miraculum hoc celari. Nam Lucas narrat cap. 8. 56 eum præcepisse parentibus, ut nemini dicerent, quod factum erat. Quapropter voluit ipsius mortem talibus verbis, quæ ambiguum habebant sensum, occultare: quam ob causam etiam turbam omnem foras ejecit. De Lazaro inquit Christus Joh. xi. 11: *Lazarus amicus noster obdormivit.* At vers. 14. ait: *Lazarus est mortuus.* Hic vero inquit: *Puella non est mortua, sed dormit.* Nimirum vere quidem mortua erat, sed non eo modo, uti putabat turba, quasi ad vitam amplius revocari non posset. Si enim scisset turba, eam tam cito resuscitatum iri, credidisset & illa, puellam non esse mortuam, sed dormire. Quare Christus hic nihil contrarium veritati locutus est.

Vers. 25. *Cum vero ejecta esset turba, intravit, & apprehendit manum ejus, & surrexit puella.*] Turbam dicitur ejeciisse, nempe verbis, dum jussit ut exiret.

Apprehendit manum ejus.] Quo modo dormientes prehensa manu excitari solent. Marcus refert cap. 5. 41, Christum dixisse ad illam: *Talitha kumi.* Lucas vero cap. 8. 54 eum clamasse, id est, alta voce ipsam fuisse affatum, quemadmodem etiam in excitatione Lazari clamorem adhibuit Joh. xi. 42. Sic Christus ostendit, tam facile esse Deo, mortuum in vitam revocare, quam dormientem excitare. Hinc etiam mors piorum somnus appellatur Dan. 12. 2. 1 Cor. 14. 18, 20. 1 Thess. 4. 14, 15. Id quod magnam vim habet roborandi fidem nostram.

Et surrexit puella.] Marcus subjicit: *Et deambulabat; erat enim annorum duodecim.* Lucas vero ait: *Et reversus est spiritus ejus*, & addit Christum jussisse dari ipsi aliquid ad manducandum.

Vers. 26. *Et exiit fama hæc in universam terram illam.*

PARS V.

Verſ. 27. *ET tranſeunte inde Jeſu, ſecuti ſunt eum duo cœci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili Davidis.*] Dum exiviſſet è domo Jairi.

Fili Davidis.] Maxima & plurima miracula Chriſti effecerunt, ut à nonnullis non tantum pro Propheta, ſed pro ipſo quoque Meſſia agnoſceretur. Vide Joh. 7. 31. Unum autem & idem valebat apud Judæos Filium Davidis eſſe & Meſſiam eſſe. Vide Matth. 12. 23.

Verſ. 28. *Cum autem veniſſet in domum; acceſſerunt ad eum cœci, & dicit eis Jeſus: Creditis, quod poſſum hoc facere? Dicunt ei: Utique Domine.*] In ſuam domum Chriſtus venit Capernaumi, in qua habitabat. Vide ℣. 1. Cum vero illis non tulerit opem in via, ſed ſiverit eos ſe ſequi in domum uſque, videtur ideo factum, quod voluerit fidem eorum explorare. Forte enim animadvertit, fidem eorum non ſatis robuſtam eſſe, atque adeo experimentum capere voluit, utrum conſtantes in petendo futuri ſint. Idcirco etiam quæſivit ex ipſis, an crederent, ſe poſſe ipſis opitulari. Cum enim cœci eſſent, de miraculis Chriſti non poterant ſcire, niſi ex auditu & relatione aliorum.

Verſ. 29. *Tunc tetigit oculos eorum, dicens ſecundum fidem veſtram fiat vobis.*

Verſ. 30. *Et aperti ſunt eorum oculi.* Viſum receperunt. Eſt locutio Hebraica Eſai. 35. 5. xlij. 7. Matth. 20. 33. Luc. 24. 31.

Et comminatus eſt illis Jeſus, dicens: Videte, ne quis ſciat.] Talis comminatio legitur etiam Matth. 8. 4. Marc. 5. 43. Luc. 8. 56. Cauſa iſtius interdicti non facile reddi poteſt. Videtur tamen id propter Phariſæos & Scribas factum, quorum odia nolebat provocare, tametſi ſciebat, non diu id fore occultum. Vide infra cap. 12. 16, 17.

Verſ. 31. *Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.*] Honoris & gloriæ Chriſti cauſa nolebant id reticere: quanquam etiam alioquin ars tacendi, res inter homines vulgo rariſſima eſt.

PARS VI.

Verſ. 32. *ILlis autem egreſſis ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmoniacum.* Græca vox κωφὸς ſimul ſignificat mutum & ſurdum, ferme enim duo iſta conjuncta eſſe ſolent. Iſtum autem fuiſſe mutum illa ſequentia verba demonſtrant, ejecto dæmonio *locutus eſt mutus:* ut & Matth. 12. 22. Luc. 11. 14. Dæmones variis modis homines vexant & affligunt: huic homini dæmon loquendi eripuerat facultatem.

Verſ. 33. *Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus: & mirata ſunt turbæ, dicentes: Nunquam, apparuit ſic in Iſraële.*] Senſus eſt poſtremorum verborum: Quanquam tam multa & tam inſignia miracula, tam cito, non tantum factu ſolo, ſed etiam ſimplici verbo ac juſſu, idque in omnis generis, quicunque occurrerint, morbis edidiſſe, ejus nullum unquam in Iſraële viſum eſt exemplum.

Verſ. 34. *Phariſæi autem dicebant: In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*] Plebs promiſcua ſimplex hic agnoſcit Dei inſignem potentiam, cum admiratione ac ſtupore: at naſutiores Phrariſæi tam craſſum & illiberale de eo judicium ferunt. Hic ſcilicet eſt ſuccus loliginis & ærugo mera, familiaris omni tempore hoſtibus veritatis.

In Principe dæmoniorum.] Id eſt, per Principem. Senſum hujus loci vide infra cap. 12. 24.

PARS VII.

Verſ. 35. *ET circuibat Jeſus civitates omnes & vicos, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & infirmitatem in populo.*] Circuibat civitates omnes & vicos, nempe Galilææ.

Docens in Synagogis eorum.] Id eſt, Scholis, ſeu congregationibus. Erant quidem Synagogæ in civitatibus, quos frequentabant omnes, qui in civitatum iſtarum territoriis degebant: ſed ex hoc loco perſpicuum eſt, etiam in magnis & celebribus vicis Synagogas fuiſſe.

Verſ. 36. *Videns autem turbas, miſertus eſt earum, quia erant vexatæ & diſperſæ ſicut oves non habentes paſtorem.*] Chriſtus vidit, populum Iſraëliticum male curari ab iis, qui eum paſcere, id eſt, in Dei cognitione ac vera pietate erudire debebant, nempe à Phariſæis ac Scribis, ut qui magis commoda ſua curabant, & nomine ſanctitatis pro integumento ſuæ avaritiæ utebantur. Præterea vidit miſeros homines hinc à Phariſæis, & illinc à Sadducæis, in varias ac diſſidentes diſtrahi ſententias, ut ancipites hærerent, ac quo ſe vertere, quemve ſequi deberent, ignorarent. Confer cum Jer. 50. 6.

Non habentes paſtorem.] Id eſt, nullos tales doctores, qui animum fidelis paſtoris gererent, qui non tam ſuam utilitatem, quam ovium ſpectarent bonum ac ſalutem; quod eſt requiſitum boni paſtoris Joh. 10. 11. Modus hic loquendi deſumptus eſt ex Num. 27. 17. 1 Reg. 22. 17.

Verſ. 37. *Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa eſt, operarii autem pauci.*] Id eſt, multæ ſunt fruges ad meſſem paratæ. Joh. 4. 35 dicitur: *Regiones albæ jam ſunt ad meſſem*, id eſt, multa ſunt pia pectora, quæ purioris doctrinæ deſiderio flagrant, adeoque ad vitam æternam apta ſunt Actor. 13. 48. Vide etiam Actor. 18. 10.

Verſ. 38. *Rogate ergo Dominum meſſis, ut extrudat operarios in meſſem ſuam.*] Dominum meſſis vocat Deum Patrem ſuum. Vide Joh. 15. 1. Idem quoque eſt Dominus vineæ, Chriſtus autem ejuſdem filius Matth. 21. 33, 38. Marc. 12. 1. Luc. 20. 9.

Extrudat operarios.] Tales homines, qui Dei mandatis, virtute ac donis inſtructi ſint, ad convertendum animos eorum hominum ad Evangelium, qui convertibiles ſunt, quales operarii olim fuerunt Moſes, Elias, Jeremias, & alii.

CAPUT

CAPUT X.

I. *Christus duodecim discipulis suis (quorum nomina recenset Matthæus) vim largitur miracula edendi: ad vers. 5.* II. *Ablegat eos in civitates Judææ cum mandatis certis, & informatione: ad vers. 16.* III. *Docet eosdem, quomodo se gerere debeant adversus hostes Euangelii ac suos persecutores: ad vers. 24.* IV. *Consolatur eorum animos contra persecutiones, adhortaturque eos ad constantiam: ad vers. 34.* V. *Indicat, doctrinam suam trahere secum persecutiones & inimicitias etiam proximorum consanguineorum: ad vers. 40.* VI. *Pergit in iis consolandis: ad finem usque Cap.*

PARS I.

Vers. 1. *ET convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* Totum hoc caput agit de legatione discipulorum Christi eis à Domino demandata, optimeque cohæret cum verbis extremis capitis præcedentis, ubi Christus optat, ut Deus emittat operarios in messem suam, ad quam ille jam sua prædicatione præparamentum fecerat. Tenendum autem est, hanc vocationem duodecim discipulorum aliam esse ab ea, quæ apud Lucam cap. 6. vers. 13 describitur. Illa apud Lucam prius contigit, quam hæc apud Matthæum. Nam apud Lucam Christus ex toto numero discipulorum suorum, id est, eorum qui doctrinam ejus susceperant, duodecim elegit ac segregavit, ut perpetui ipsius comites & assectæ essent, eosque ad manus haberet, quando eos ad prædicandum Euangelium ablegare vellet. Hic autem apud Matthæum istos duodecim, quos jam ante elegerat, & à reliquo discipulorum suorum grege sejunxerat, ut dictum est, in hunc finem ad se vocavit, ut eis vim miracula faciendi communicaret, & ad prædicandum Euangelium emitteret, ut scilicet hac ratione specimen ederent, & quodammodo tyrocinia deponerent illius muneris, quo deinceps per universum orbem functuri erant. Hæc vocatio apud Matthæum, describitur à Luca cap. 9. 1.

Duodecim discipulis suis.] Matthæus loquitur tanquam de noto jam numero duodecim discipulorum. Ex quo liquet, eos jam ante hoc numero esse electos à Christo, atque à cæteris discipulis separatos.

Dedit eis potestatem.] Lucas addit etiam *virtutem* cap. 9. 1, id est, vires & potentiam. Hac in parte Christus superat omnes Prophetas, qui etsi quoque magna fecerint prodigia, nemini tamen vim istam communicare poterant, neque Moses Josuæ, neque Elias Elisæo.

Spirituum immundorum.] Id est, super dæmones, qui immundi dicuntur quia immundis ac impuris rebus, id est, peccatis delectantur. Sic vocantur Matth. 12. 43. Marc. 1. 23, 26, 27. iij. 11, 30. v. 2, 8, 13. vi. 7. vij. 25. ix. 25. Potestas ista erat hominibus tam despectis & illiteratis, quales discipuli erant, omnino necessaria, ad annunciandum rem tanti momenti.

Vers. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, dictus Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Johannes frater ejus.*] Matthæus idcirco enumerat nomina Apostolorum, ne alii possint pro talibus se venditare: uti sane permulti tales falsi Apostoli fuerunt. Vide 2 Cor. xi. vers. 13. Apoc. 2. 2. Decuit insuper, ne tam illustrium Orbis luminum nomina in occulto manerent.

Duodecim Apostolorum.] Qui hactenus simpliciter discipuli dicebantur, nunc Apostoli dicuntur. Quæ vox est Græca, significans *nuncium*, Christusque ipse eo nomine appellatur Hebr. 3. 1, nec non alii, qui ab Apostolis vel Ecclesiis incertis negotiis ad alios mittebantur: ut videre est 2 Cor. 8. 23. Philip. 2. 25. Apparet autem, hoc nomen jam ante apud Hebræos in usu fuisse. Etenim lxx Interpretes 12 Præfectos Salomonis 1 Reg. 4. 7 Apostolos in sua versione appellarunt. Singulariter autem & per excellentiam titulus hic tribuitur istis duodecim, quos Christus tam eximia potestate instructos misit, & testes constituit omnium eorum, quæ, quamdiu in terris versatus est, eum eo & ab eo gesta sunt Actor. 1. 8, 21, 22. Post Christi in cœlos ascensum hoc nomen etiam Matthiæ, Paulo, ac Barnabæ datum est, & forsitam etiam aliis, quorum ope ac opera Ecclesiæ plantatæ atque erectæ sunt.

Duodecim.] Pro numero & ad similitudinem 12 Patriarcharum sub Veteri Fœdere, per quos carnalis Israël propagatus est, Christus hos spirituales Patriarchas elegit, per quos Spiritualis Dei populus propagaretur. Jure quippe patres vocari possunt eorum, quos verbo veritatis genuerunt. Vide 1 Cor. iv. 15. Philem. 10. Etiam ratione dignitatis ac eminentiæ cum 12 Patriarchis Veteris Fœderis non solum comparandi sunt, sed etiam longe anteponendi. Vide Matth. 19. 28. Luc. 22. 30, etiam Apoc. 21. 12, 14.

Primus Simon. Vox *primus* non denotat hic, Petrum principem & caput reliquorum Apostolorum fuisse (ideo apud Marcum cap. 3. 16 & Luc. 6. 14 vox hæc non legitur) sed primus dicitur, quia primus cum Andrea fratre suo vocatus fuit à Christo Matth. 4. 18. Post hos statim Jacobus & Johannes vocati sunt Matth. 4. 21. Ideo Euangelista eos hic quoque mox subjungit. Quod vox *primus* non necessario ordinem & præeminentiam denotet, monstrant exempla Actor. 26. 20. Rom. 1. 8. ij. 2. Vide de prærogativa Petri infra cap. 16. 18.

Dictus Petrus.] Hoc nomen ei imposuit Christus Marc. 3. ℣. 16. Johan. 1. ℣. 43, significatque petram.

Jacobus Zebedæi.] Subintellige filius. Hic Jacobus Major dictus est, quia ætate major erat. Ab Herode interemptus est Actor. 12. 2.

Vers. 3. *Philippus & Bartholomeus, Thomas &*

Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Lebbæus cognominatus Thaddæus.] Iſte Jacobus Alphæi Minor dictus eſt propter ætatem Marc. 15. 40. Fuit frater Domini Jeſu Gal. 1. 19. Iſte eſt auctor Epiſtolæ, quæ extat in Canone.

Lebbæus cognominatus Thaddæus.] Videntur hæc verba eſſe tranſpoſita, & ſic ordinari debere, *Thaddæus cognominatus Lebbæus.* Nam Hebraico nomine dictus eſt *Judas*, ut patet ex Luc. 6. verſ. 16 cujus loco Syrus ponit *Thaddæi.* Hinc apud Marcum cap. 3. 18, Thaddæus nuncupatur, ipſe vero ſeſe nominat Judam initio ſuæ Epiſtolæ. Lebbæus autem eſt cognomen & ſignificat corculum : eoque nomine vocabantur, qui aliis ſapientia & ingenio præſtabant.

Verſ. 4. *Simon Cananites, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.*] Simonem Cananiten Lucas cap. 6. verſ. 17 appellat Zeloten : quod eſt idem nomen cum Cananite, ſignificatque fervidum ; ſed hoc eſt nomen Hebræum, illud Græcum.

Iſcariotes.] Nomen eſt Hebraicum, notatque virum de civitate Carioth : quæ pertinebat ad tribum Judæ, Joſ. 15. 25.

PARS II.

Verſ. 5. HOs *duodecim miſit Jeſus, præcipiens eis, & dicens : In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.*] In hac ſecunda parte deſcribitur, qualibus mandatis & doctrinis Apoſtolos ſuos Chriſtus mittens eos inſtruxerit.

Hos duodecim miſit Jeſus.] Supra cap. v. VI. VII. omnes diſcipulos ſuos in doctrina ſua inſtituit, hic inſtituit ſolummodo 12 illos, quos ad Apoſtolatum elegerat, docetque, quomodo ſe gerere debeant, quando eos ad prædicandum Euangelium emittet. Quod enim non ſtatim poſt ſuam electionem miſſi fuerint, ex collatione Marci cap. 3. 14 cum cap. 6. 7 & Luc. 9. 1 conſtat.

In viam gentium ne abieritis.] Id eſt, ad Gentes ſeu Ethnicos, Hebræa locutione, ut Jer. 2. 18. Non debebant fines Judææ egredi.

In civitates Samaritanorum ne intraveritis.] Ut tranſirent per regionem Samaritanorum, non prohibebat illis : commodum enim erat tranſire illas è Galilæa in Hieroſolymitanam ditionem tendentibus. Sed vetat eis ingredi civitates, ut liqueret, miſſionem hanc non Samaritanorum cauſa eſſe inſtitutam. Samaritani enim erant populus originis extraneæ, nempe ab Aſſyriis & Babyloniis oriundus, quos Salmanaſſar Rex Aſſyriæ eo deduxerat, & regionem iis impleverat, cum decem tribus Iſraëlis inde abduxiſſet, 2 Reg. 17. 6, 24, 25, 26. Qua de re vide plura ad Joh. 4. 9. Voluit autem Chriſtus hic rationem haberi præſtantiæ Judæorum, qua alias gentes vincebant ; quæ etſi tanta non fuerit, quantam illi ſibi arrogabant, cujuſque fiducia erant tumidi, non tamen fuit exigua, ut Paulus Rom. 9. 4, 5 & alibi monſtrat. Mens ergo Chriſti fuit, Judæos primum eſſe ante alios doctrina ſua imbuendos : id quod etiam Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſti ſtudioſe curarunt Actor. 2. 39. XIII. 46.

Verſ. 6. *Sed potius ite ad oves perditas domus Iſraël.*] Ad has enim ſervandas Chriſtus inprimis venerat Matth. 15. 24. Ut enim promiſſiones Patribus factas confirmaret, miniſter fuit circumciſionis Rom. 15. 8. Luc. 1. 54, 55. Extraneis ex accidenti tantum & occurrente occaſione aliquod beneficium exhibuit : ut mulieri illi Cananitidi Matth. 15. 21. At Judæorum converſionem ſumma cum patientia expectavit, ut poſtmodum per eos magno cum ipſorum honore ac laude etiam aliæ gentes converterentur.

Appellat eos *oves*, quia Dei erant electus populus, quem ille tanquam gregem ſuum ſumma cura pavit ac cuſtodivit. Vide Pſal. 74. 1. LXXVIJ. 21. LXXVIIJ. 52. LXXX. 1. Dicit oves iſtas eſſe perditas. Talis enim tunc temporis fuit ſtatus Judæorum, qualis etiam olim fuit, de quo Eſaias cap. 53. 6 & Ezechiel. cap. 34. 6, 7. Vide quoque Rom. 2. verſ. 21, 22, 23, 24.

Verſ. 7. *Euntes autem prædicate dicentes : Appropinquavit Regnum cœlorum.*] Hic præcipit Chriſtus, quid Apoſtoli dicere ac prædicare debeant : quod ſcilicet appropinquaverit regnum cœlorum. Si conferatur id cum prædicatione Johannis Baptiſtæ cap. 3. 2, & cum initio prædicationis Chriſti cap. 4. 17, videtur Chriſtus hic nihil aliud illis mandare voluiſſe, quam ut populum ad pœnitentiam agendam, & Chriſtum pro Meſſia ſuſcipiendum commonefacerent, qui eos deinceps reliqua ad ſalutem neceſſaria edoceret.

Verſ. 8. *Infirmos curate, leproſos mundate, mortuos ſuſcitate, dæmonia ejicite.* His verbis oſtendit, quomodo doctrinam ſuam miraculis confirmare debeant, pro ea poteſtate, quam eis communicarat vſ. 1. Vulgus enim longe citius miraculis, quam rationibus & argumentis movetur.

Gratis accepiſtis, gratis date.] Docet quomodo ſe erga eos gerere debeant, quibus benefecerint ; ne pretio beneficia ſua vendant, ne quæſtum iis ullum quærant. Ars ſanandi curandique ægros, nulla temporis, laboris, aut pecuniæ impenſa ipſis conſtitit, ſed momento & gratis eam didicerunt : quam ob rem æquum eſt, ut tale beneficium etiam gratis conferant. Vidit enim Chriſtus, obfuturum id dignitati doctrinæ ſuæ, & Apoſtolorum famæ, ſi id, quod unice ad confirmationem veritatis & propagationem gloriæ Dei facit, pretio venderetur. Hoc etiam Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem in cœlos ſedulo obſervarunt. Vide Actor. 20. 34. 1 Cor. 4. verſ. 12. Sic Eliſæus quoque recuſavit quicquam à Naamane accipere, ne divina potentia apud externum hominem vileſceret. Hinc ad Gehaſi famulum ſuum dixit : *Hoccine tempus erat argentum & veſtes accipere?* 2 Reg. v. 16, 26. Vide etiam Dan. 5. verſ. 17. Gen. 14. 22.

Verſ. 9. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque æs in zonis veſtris.* Quia interdixit Apoſtolis Chriſtus, accipere nummos pro ſanandis ægris, ſcivit, eos mox cogitationem de omnibus neceſſariis ad hoc iter ſibi comparandis ſuſcepturos. Sed Chriſtus huic cogitationi occurrit, indicans, Deum cujus opus peracturi ſint, eorum neceſſitatibus proſpecturum. Ideoque vetat, ut quicquam eorum ſecum

cum ferant, quæ alioquin ad iter faciendum requiruntur. Talem Dei curam circa ſe ſemper ſperare debent ii, qui operi Domini omni cum fidelitate incumbunt.

Nolite poſſidere.] Id eſt, nolite in viam ſumere vobiſcum, ſicut Lucas explicat cap. 9. 3.

Neque aurum, argentum, æs.] Id eſt, auream, argenteam ac æream pecuniam; per metonymiam materiæ.

In zonis veſtris.] In zonis enim pecunia portari ſolet.

Verſ. 10. *Non peram in viam, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.*] Pera eſt ſaccus, in quo panis aliaque ad victum neceſſaria in via portantur. Significat Chriſtus, eis de die in diem, à prandio ad prandium de cibo proſpectum iri, ut adeo in futurum quicquam aſſervare, vel de viatico ſoliciti eſſe non debeant.

Neque duas tunicas.] Sicut ſolent viatores duplici veſte uti, una in itinere, altera, ubi in civitatem venerint.

Neque calceamenta, neque virgam.] Præter calceos, quibus induti erant, & præter virgam ſeu ſcipionem, quem manu geſtabant, & quo ſe fulcientes, greſſus ſuos adjuvabant. Solent enim viatores par alterum calceorum, & ſcipionem alterum ſecum ſumere, in caſum, ſi unum par calceorum atteratur, & unus ſcipio frangatur. Apud Marcum cap. 6. 8, 9, jubentur unum duntaxat accipere ſcipionem, & induti eſſe calceis. Quod facit ad illuſtrationem hujus loci: uti etiam apud Lucam dicitur in plurali *virgas*, id eſt, non duas, ſed unam tantum ſumite cap. 9. 3. Notandum autem hic eſt, Chriſtum hoc mandato, quo vetat eis portare ſecum in via, pecuniam, peram, tunicas, calceos &c. illis tanquam per ſignum viſibile divinam de ipſis curam voluiſſe ob oculos ponere: ut ita ſumma hujus mandati ſit; Nihil opus fore, ut in hoc itinere de ulla re neceſſaria ſoliciti ſint, ſed Deum de omnibus proſpecturum ipſis per homines liberales, qui operam eorum mercede ſua carere non ſinent. Eſt proinde hoc generale mandatum, quod non modo ad præſens illud iter Apoſtolorum, ſed etiam ad ſequentem eorum multo longiorem peregrinationem per univerſum orbem ſpectat, imo quod omni tempore, omnes, qui opus Domini curant, concernit, nempe quod Deus neceſſaria iis procuraturus ſit, quod non paſſurus ſit eos diligenter in opere verſantes ulla penuria laborare. Etſi vero Chriſtus has res, puta pecuniam, veſtes, calceos &c. tantum ut ſigna providentiæ divinæ (ſicuti dictum eſt) nominet; quo pacto etiam apud Lucam cap. 22. 36, tempus infeſtum ac periculoſum per ſignum *gladii*, quem geſtare periculoſo tempore mos eſt, exprimit: tamen revera etiam prohibuit eis quicquam harum rerum ſecum ferre in via, ut nimirum tanto clarius exemplum divinæ providentiæ in ſe experirentur, & de ea impoſterum tanto certiores redderentur.

Dignus enim eſt operarius alimento ſuo.] Lucas cap. 10. 7 habet: *mercede ſua.* Chriſtus indicat, Deum ita res moderaturum, ut qui beneficiis eorum fruentur, cibos & alia neceſſaria ipſis præbituri ſint. Unde intelligitur, Chriſtum eis non prohibere, ut accipiant ea, quæ ultro offerrentur ab hominibus, ipſis neceſſaria. Juſtum enim eſt, ut qui ſpiritualia bona ſeminant, viciſſim carnalia metant 1 Cor. 9. 11.

Alimento.] Hac voce omnia modo enumerata neceſſaria intelliguntur.

Verſ. 11. *In quamcunque autem civitatem aut vicum ingreſſi fueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete donec exeatis.*] Inſtruit eos hic Chriſtus, ad quales homines in quaque civitate aut vico divertere debeant.

Quis in ea dignus ſit.] Id eſt, quis ſit aptus ad ſuſcipiendum Euangelium; ii autem ſunt tales, qui animo probo & ad pietatem propenſo ſunt. Talibus enim minimum erunt oneri.

Ibi manete.] Ibi eſtote hoſpitio, cibum & potum, quem vobis appoſuerint, capite: ut Luc. 10. 7.

Donec exeatis.] Ex illa nimirum civitate aut vico. Non vult Chriſtus, eos ab una domo in aliam migrare aut vagari, uti ſolent, qui delicatiores ſectantur eſcas, & commoditatem ſuam ſtudioſe quærunt. Qui didicit paucis eſſe contentus, is qualecunque hoſpitum boni conſulet, neque hoſpiti erit gravis.

Verſ. 12. *Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax domui huic.*] Informat eos Chriſtus, quomodo cognoſcere debeant, quinam digni vel indigni ſint: nempe ex ſalutatione, ſi eam recipiant, aut rejiciant & contemnant.

Salutate eam.] Id eſt, eos qui in domo ſunt, per metonymiam ſubjecti: ut Joh. 4. 5. 1 Cor. 16. 15. Phil. 4. 22. Nonnulla exemplaria Græca non habent verba ſequentia: *Dicentes, Pax domui huic.* Sed extant in Latina editione Vulgata, & verſione Syriaca: ſicut etiam apud Lucam leguntur cap. 10. 5. Per pacem autem Hebræa conſuetudine omnis felicitas omniaque bona intelliguntur.

Verſ. 13. *Et ſiquidem fuerit domus digna, veniat pax veſtra ſuper eam.*] Apud Lucam eſt: cap. 10. 6, *ſi ibi fuerit filius pacis*, id eſt, ſi hoſpes domus illius ſit pace, quam vovetis, dignus; nempe ſi vos benigne excipiat, & veſtris ſermonibus aures libenter præbeat: ut ex oppoſitione vſ. 14 apparet. Qui autem doctrinæ Euangelii adverſantur, eamque recipere detrectant, pro indignis reputantur Act. 13. 46.

Veniat pax veſtra ſuper eam.] Id eſt, evenient ei omnia iſta bona, quæ optaſtis: & inprimis Euangelium ei annunciabitur.

Si autem non fuerit digna, pax veſtra ad vos revertatur.] Apud Lucam cap. 10. 6 habetur: *Pax veſtra ad vos reddibit*, id eſt, quæ precati eſtis, in iis nullum ſortientur effectum; Euangelium eis non prædicabitur. Phraſis eſt Hebræa: ut & Eſai. 55. 2. *Verbum non redibit ad me vacuum*, id eſt, non erit irritum, infructuoſum, & inefficax.

Verſ. 14. *Et quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes domo vel civitate illa, excutite pulverem de pedibus veſtris.*] Eo indicare debent, quaſi dicerent: Nos huc venimus non noſtro bono, ſed veſtræ ſalutis cauſa. Proinde quia nos audire recuſatis, relinquimus vos veſtræ impictati; nos autem adeo nullum volumus vobiſcum habere commercium, ut ne tantillum quidem, quantum pulveris pedibus noſtris adhæſit, rerum veſtrarum retinere velimus. Hunc ſenſum verba Lucæ

ſuadent & ſuggerunt cap. 9. 5. & x. 10, 11. Addit quoque Lucas & Marcus, *in teſtimonium ſupra illos:* id eſt, iſta excuſſio pulveris teſtimonium erit contra illos, quod doctrina divina ad eos fuerit allata.

Verſ. 15. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam civitati illi.*] Cum Sodoma & Gomorrha jam pertulerit ſupplicium ſuum, & quidem horrendum valde Gen. 19. 24, 25, cenſent nonnulli haud convenire divinæ juſtitiæ, ut illi in die ultimi judicii excitati à mortuis, rurſus ſubire pœnas æternoſque cruciatus debeant. Hinc verba hæc Chriſti ſic interpretantur, quod judicium adverſus ingratum populum Judaicum exercendum (de quo Chriſtus Matth. 24. 21 dicit, fore tantam afflictionem, qualis à condito mundo non fuerit ad hoc uſque tempus) longe gravius fore, quam quod Sodoma & Gomorrha perpeſſa eſt. Hoc modo, *dies judicii* non ſignificaret univerſale judicium totius mundi, ſed judicium illud particulare, quod in Judæos, maxime tum cum civitas Hieroſolymitana exciſa eſt, exercitum eſt. Huic interpretationi favet quodammodo, quod Chriſtus infra cap. xi. 23 ait, ſi in Sodomis factæ fuiſſent tantæ virtutes, quantæ in Capernaum factæ ſunt, manſuros eos fuiſſe uſque in hanc diem. Atqui jam non erant amplius, quia jam erant judicati. Quod ſi jam judicati ſunt, utique non judicabuntur amplius. Favet etiam, quod Judas in epiſtola ſua verſ. 7 indicat, eos jam juſtam pœnam ſuam ſuſtinuiſſe. Vide ibidem. Verum quod Chriſtus hic de die univerſalis ac noviſſimi judicii totius mundi loquatur, ex Luca patet, qui ait cap. 10. 12, *in illo die*, quibus verbis talis judicii dies deſignatur, qui omnibus erat notus. Is autem non erat dies excidii Hieroſolymitani, de quo Judæis nihil conſtabat, ſed dies ultimi judicii, quem omnes credebant.

Aliqui hunc putant eſſe horum verborum ſenſum, quod tolerabilius erit Sodomæ & Gomorrhæ in die judicii eatenus, quia nulla amplius pœna gravis ei decernetur, præter eam quam jam ſuſtinuit: ſed contemptores Euangelii horribilius ſubibunt judicium, quam iſtarum duarum civitatum fuit. Verum ut rectam hac de re dicamus ſententiam, ſtatuendum eſt, Chriſtum tam hic, quam alibi, de ſtatu impiorum poſt mortem, ex vulgari opinione Judæorum loqui. Vide ſupra cap. 5. 21, ubi de voce *Gehenna* actum eſt: & infra ℣. 28. Non eſt autem, quod quis iniquum arbitretur, contemptoribus Euangelii graviorem deſtinatam eſſe pœnam, quam impiis Sodomitis, qui tam nefandis ac deteſtandis flagitiis contaminati erant. Peccata enim non ſemper è ſua natura, ſed ſæpe etiam ex aliis circumſtantiis, quæ illa aggravant, æſtimanda ſunt. Sodomitæ præter lumen naturale rationis etiam aliquam veri Dei notitiam à Majoribus ſuis habuerunt: at Judæi multo perfectiorem Legem per Moſen acceperunt. Sodomitarum doctorem ac monitorem egit probus ille Lothi; Judæi vero habuerunt Chriſtum & Apoſtolos, qui tam ſublimes promiſſiones eis annunciabant, & tantis miraculis ea confirmabant, qualia fando nunquam antea fuerant audita. Haud diſpar manet & illos judicium, qui novam veritatis lucem non modo proterve aſpernantur, verum & confeſſores ejuſdem inſuper odio habent ac divexant.

Hinc etiam perſpicitur, contemptum Euangelii à nullo neceſſario, agnato & inevitabili peccato Originali proficiſci. Nulla enim peccata, quæ neceſſario committuntur, jure queunt puniri; multo minus gravius puniri, quam alia peccata, quæ ex eadem aut ſimili neceſſitate oriuntur.

PARS III.

Verſ. 16. *Ecce ego mitto vos, ſicut oves, in medio luporum.*] In tertia hac parte Chriſtus informat Apoſtolos, quomodo ſe gerere erga hoſtes Euangelii debeant, adjungens ſimul conſolationem adverſus mala & perſecutiones.

Ego mitto vos.] Hiſce ac ſequentibus Chriſtus non ad præſentem modo miſſionem Apoſtolorum reſpicit, in qua nihil eis accidit eorum, quæ hic prædicit, imo nihil eis defuit eorum, quibus indigebant: ut videre eſt Luc. 22. 35. Sed reſpicit quoque, & quidem potiſſimum ad ſequentes miſſiones, de quibus infra cap. 28. 19.

Sicut oves.] Sine armis, ſine omni carnali præſidio ac ſubſidio, ut quiſquis voluerit, eos occidere poſſit. Vide Pſal. 44. 23.

In medio luporum.] Unus lupus magnam ſtragem edere poteſt in magno grege ovium: quanto majus periculum eſt, ſi paucæ aliquot oves verſentur in medio innumerabilium luporum? Per hos lupos intelliguntur contemptores Euangelii, qui ita agent cum Apoſtolis, uti mox ℣ſ. 17, 18 deſcribitur.

Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.] Aliqui volunt Chriſtum hic ſpectaſſe id, quod non ſolum profani Scriptores, ſed David quoque de ſerpentibus refert Pſal. 58. 5, 6, eos obturare aures ſuas, ne audiant vocem incantantis eos: item ſumma cura eos cavere ſibi à pedibus hominum, ne capita eorum conterantur ac conculcentur. Sed ſimpliſſicius videtur eſſe ſenſus, quod Chriſtus reſpexerit acutum, quo ſerpentes pollent, viſum; velitque adeo, ut diſcipuli quoque quam cautiſſime ac prudentiſſime inter homines verſentur.

Et ſimplices ſicut columbæ.] Sinceri, innoxii, abſque fallacia, qui anſam dent nulli ſibi nocendi, nec ipſi injuriam ulciſcantur.

Verſ. 17. *Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos ad Synedria, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.*] Ad hominibus cavere jubet, intellige profanis, quos antea lupos vocaverat, id eſt, hoſtibus Euangelii.

Autem ponitur pro igitur.

Synedrium.] Per Synedrium alias intelligitur ſupremus Senatus Hieroſolimitanus, qui conſtabat 70 viris, de quo ſupra cap. 5. 22 actum. Sed quia Chriſtus hic in plurali numero loquitur, ſciendum eſt, Gabinium Præſidem Syriæ poſt victoriam Pompeji quatuor adhuc alia inſtituiſſe Synedria in Judæa; de quo teſtatur Joſephus: videnturque Chriſti tempore adhuc aliqua ſuperfuiſſe, ad quæ Chriſtus hic reſpicere potuit. Quanquam hæc Chriſti verba etiam ad

minores

minores Conſeſſus, qui è 23 viris conſtabant, trahi poſſunt: quia hi quoque eadem nomine Synedria vocantur. Vide Grotium.

Et in Synagogis ſuis flagellabunt vos.] Græca vox *Synagoga* ſignificat quidem omnem conventum (ut etiam ſupra dictum eſt ad Matth. 4. 23) unde quidam exiſtimant, Chriſtum reſpicere ad illos peculiares conventus, qui in rebus graviſſimis, religionem aut Rempublicam ſpectantibus, convocatis, ad Synedrium ex univerſo populo ſenioribus, & principibus tribuum, & Legiſperitis, inſtituebantur. Qui conventus *Synagoga Magna*, de qua itidem ſuperius, dicebatur. Talis Synagoga magna fuit illa, ex cujus conſilio ac decreto celebratum eſt Paſcha 2 Paral. 30. 2, nec non illa, cujus mentio extat Act. 4. 5, & cap. 5. 21, ad quam adducti fuerunt Petrus & Johannes, & cujus juſſu etiam tandem flagellati ſunt Actor. 5. 40. Ut ita id quod Chriſtus hoc loco dixit, *In Synagogis ſuis flagellabunt vos*, tunc temporis impletum fuerit. Sed poſſunt etiam his vulgares conventus & ſcholæ, uti vocantur hodie, Judæorum intelligi, ubi conveniebant ad docendum, ad legendum & explanandam Sacram Scripturam, & ad orandum: quales ſcholæ in omnibus civitatibus & vicis, quin & in ipſa Hieroſolyma habebantur. Quod enim in ejuſmodi conventibus ſoliti fuerint exercere tales animadverſiones, patet ex Actor. 22. 19. xxvi. 11, præſertim extra ditionem Romanorum, ubi eis à ſupremis poteſtatibus permittebatur, in eos qui gentis ipſorum eſſent, minoribus pœnis animadvertere. Impleta autem hæc verba Chriſti in Apoſtolis Actor. 4. 5, 6, 7. v. 27, 40. vi. 12. 2 Cor. xi. 24 & ſeqq.

Verſ. 18. *Et ad Præſides & ad Reges ducemini propter me, in teſtimonium illis & gentibus.*] Hactenus Chriſtus egit de eo, quid Apoſtoli à propria natione ſua paſſuri ſint: nunc exprimit, quid ab Ethnicis perpeſſuri. Præſides autem erant, qui in provinciis Romano Imperio ſubjectis vices & locum Cæſaris in regendo obtinebant. Exemplum ejus rei, quam Chriſtus hic prædicit, eſt in Paulo, qui coram Præſidibus Felice & Feſto cauſam dicere coactus eſt Actor. 24. & xxv.

Et ad Reges ducemini.] Hujus exemplum extat Actor. 12, ubi Rex Herodes Jacobum capite plecti, Petrum vero carcere includi curavit, & cap. 26, ubi Paulus coram Rege Agrippa cauſam dixit. Sic Johannes etiam coram Cæſare Domitiano, alii Apoſtoli coram Regibus Parthorum, Scytharum, & Indorum conſtituti fuerunt.

In teſtimonium.] Hoc erit illis pro teſtimonio, quod Euangelium ipſis ſit prædicatum, ita ut nullam excuſationem ſuæ ignorantiæ ſint habituri. Vide ſupra cap. 8. 4.

Illis.] Id eſt, Præſidibus & Regibus.

Et gentibus.] Non illis tantum hominibus, quæ ſimul aderunt in judicio, ſed in genere omnibus eorum ſubditis, quibus de judicio adverſum vos habito conſtabit. Hoc additur ad conſolationem Apoſtolorum, quod Deus tantam doctrinæ Euangelii, quam annunciabunt gentibus, curam habiturus ſit, ut in eos qui recipere eam noluerint, judiciis ſuis animadverſurus ſit.

Verſ. 19. *Cum autem tradent vos, ſoliciti neſitis; quomodo aut quid loquamini.*] Ne Apoſtoli tanti periculi imagine terreantur & animo conſternentur, promittit eis Chriſtus maximum adminiculum & auxilium, non Angelorum, ſed Spiritus Dei ſanctiſſimi, quo nihil majus eis polliceri poterat.

Neſitis ſoliciti.] Ne anxia cura & cogitationibus triſtibus mentes veſtras torqueatis.

Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.] Eodem illo momento, ut ſupra cap. 8. 13. Apud Lucam ait Chriſtus: *Dabo vobis os & ſapientiam* cap. 21. 15.

Verſ. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*] Senſus eſt: Non tam vos, quam Spiritus Patris veſtri loquetur: ſeu, Spiritus Dei loquetur per vos. Vide 2 Sam. 23. 2. Hic eſt Paracletus ille, quem ipſis Chriſtus à Patre miſit Joh. 15. 26.

Verſ 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte afficient eos.*] Hoc recenſent Judæi in ſuo Thalmud, inter ſigna anteceſſura adventum Meſſiæ.

Verſ. 22. *Et eritis inviſi ab omnibus propter nomen meum.*] A pleriſque hominibus. Similis locutio eſt Joh. 3. 32. Phil. 2. 21.

Propter nomen meum.] Mea cauſa, propter me. Hebraiſmus. Vel, propterea, quod profiteamini vos eſſe meos diſcipulos, & meo vocemini nomine: valetque idem atque, ex odio erga me. Hoc illuſtrat Petrus, cum ait, eum debere glorificare Deum, qui patitur tanquam Chriſtianus 1 Petr. 4. 15, 16. Vide etiam Actor. 5. 41.

Qui autem perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit.] Qui in afflictionibus conſtans permanſerit Matth. 24. 13. Apoc. 22. 10.

Verſ. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.*] Senſus eſt: Quando ex una civitate vi ejiciemini, non illico debetis vocationem veſtram negligere, & cœptum opus omittere. Itaque non debetis protinus vos in deſertum conferre & abdere, ut à periculo tuti ſitis, ſed in alias fugiendum vobis eſt civitates, ibique vocatio prædicationis Euangelii continuanda. Hinc cernitur, ex hoc loco probari non poſſe, Paſtori licitum eſſe, ſolius periculi evitandi cauſa Eccleſiam deſerere & fugere. Chriſtus enim tantum de violenta perſecutione loquitur. Sed neque de fuga, quando & quomodo licita ſit, ulla generalis ac certa regula dari poteſt, quia circumſtantiæ temporum ac locorum variant. Gloria Dei & ſalus hominum ſcopus eſſe debet & intentio tam manendi, quam fugiendi Chriſtiano, qui mortem nec timet, nec optat. Vide Joh. 10. 11, 12, 13.

Amen enim dico vobis, non finietis civitates Iſraëlis.] Id eſt, non abſolvetis prædicationem Euangelii in omnibus civitatibus Judææ.

Donec veniat Filius hominis.] Adventus Chriſti in Scriptis Novi Fœderis diverſimode accipitur. Ac interdum quidem non corporalis Chriſti præſentia per eum ſignificatur, ſed tantum præſentia virtutis & efficaciæ ipſius, quam excellentiſſima ratione exeruit, & quaſi ſeipſum exhibuit, in miraculoſa illa & copioſa effuſione Spiritus Sancti, quæ non in Apoſtolos ſolos, ſed & in alios fideles facta eſt Act.

2. 4. IV. 31. VIII. 17. X. 44. XIII. 52. XIX. 6. Quo pacto tanquam certiſſimo ſigno palam factum eſt, illud à tam longo tempore exoptatum Regnum jam veniſſe, & Chriſtum ejus Regem cum ſumma poteſtate eſſe conſtitutum. Atque hoc eſt, quod Chriſtus, ubi diſcipulis ſuis alium paracletum ſui loco, nempe ſpiritum veritatis, promittit, mox ſubjicit: *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos* Joh. 14. 16. Ubi nullum eſt dubium, Chriſtum, præter illum adventum, quo poſt reſurrectionem ſuam ad ſuos diſcipulos reverſus eſt, loqui de miſſione Spiritus Sancti, per quem ad eos rediturus ſit, quique adeo vicarius ejus futurus ſit. Huc pertinent etiam verba Chriſti Matth. 28. 20: *ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Similiter ait Chriſtus infra cap. 16. 18, quoſdam non viſuros mortem, *donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* Quæ verba Marcus cap. 9. 1 ita effert, & quodammodo explicat: *donec videant regnum Dei, quod venit in efficacia.* Quæ efficacia maxime conſpecta eſt in effuſione Spiritus Sancti. Non eſt autem mirum, Chriſtum de ſuo adventu loqui ad ſuos diſcipulos in hunc modum, quem infirmus eorum intellectus capere poterat: utpote cum illi ad ultimum uſque punctum aſcenſionis Chriſti in cœlum, cogitationes de terreno Regno Chriſti in terris foverint animo Actor. 1. 6. Eandem ob cauſam etiam de beatitudine vitæ æternæ diſſerens, iis utitur loquendi modis, de cæna magna, de epulis, qui tunc apud eos erant bene noti. Vide Matth. 8. 2. Luc. 22. 18. Senſus proinde horum verborum eſt; quaſi dicat Chriſtus: Prædixi vobis, quanta pericula vos maneant, monuique, ne metu eorum à vocatione veſtra abſterreamini, ſed conſtanter in ea pergatis. Sed nolite propterea animo conſternari. Regia enim poteſtas mea jam appropinquat, & brevi apparebit, imo citius, quam omnes civitates Judææ prædicando Euangelium pertranſiveritis. Indicat ergo Chriſtus donum Spiritus Sancti ante ipſorum longinquam peregrinationem adventurum. Poſtea enim, cum jam ab Apoſtolis diſceſſurus eſſet in cœlum, præcepit eis docere omnes gentes, ita ut initium faciant ab Hieroſolyma, ibique tamdiu permaneant, donec Spiritum Sanctum acceperint Luc. 24. 47, 48, 49. Act. 1. 4, 5, 8.

PARS IV.

Verſ. 24. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.*] Quia Chriſtus in præcedentibus indicavit, ſe ad magnam gloriam à Deo evectum iri, ad quam non ſit niſi per paſſionem & afflictiones perventurus: ideo nunc diſcipulis ac ſectatoribus ſuis cauſam omnem de ſimili ſtatu ſuo afflicto conquerendi adimit. Non enim convenit, ut meliori conditione ſit diſcipulus, quam Magiſter ejus, & ſervus meliori quam Dominus. Hoc Chriſtus addidit ad ſolandos ſuos diſcipulos. Et revera eſt magnum ſolatium, etiam in maximis afflictionibus, quod Deus Principem ſalutis fidelium ſuorum non aliter quam per paſſiones voluerit conſummatum reddere Hebr. 2. 10.

Diſcipulus ſuper magiſtrum, ſervus ſuper dominum.] Nota hæc erant proverbia: quibus Chriſtus etiam alibi utitur Luc. 6. 40. Joh. 13. 16. xv. 20.

Verſ. 25. *Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervo ſicut dominus ejus.*] Diſcipulus & ſervus acquieſcere debent, ſi æquali conditione cum ſuo magiſtro ac domino habeantur. Quare nec adverſa & afflictiones ſubterfugere debent, quos dominus eorum ſuſtinuit. Vide Luc. 6. 40.

Si patremfamilias Beelzebul vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?] Chriſtus ſeſe vocat patremfamilias, (Græc. herum domus) quia eſt Caput Eccleſiæ. Beelzebub fuit idolum Accaronis, ad quem Achaſias Rex Iſraëlis miſerat ſciſcitatum de ſuo morbo, an ex eo convaliturus eſſet 2 Reg. 1. 2, 3, 6, 16. Quo loco in Hebræo, ut & in Latina verſione Vulgata, & hoc loco in Syriaca, habetur non *Beelzebul*, ſed *Beelzebub*, id eſt, Deus muſcarum. De hoc nomine duæ ſunt diverſæ doctorum ſententiæ. Alii ſtatuunt, ex eo nomen hoc ſortitum fuiſſe iſtud idolum, quod in ipſius templo ex copioſo victimarum cruore, quo id aſpergebatur, tanta muſcarum enata fuerit copia, ut etiam peſtis ex eo orta fuerit. Hinc idolum hoc invocatum fuit, ut adverſus tot muſcas opem ferret: æque ac Græci ob eandem cauſam Deum ſuum *Myagrum*, id eſt, muſcarum abactorem, aut occiſorem, adorarunt; quod illi proculdubio ab Accaronitis mutuati ſunt. Judæi autem hoc nomen Beelzebub in hujus idoli contumeliam immutarunt, idque Beelzebul, id eſt, Deum ſtercorarium nuncuparunt. Vide Druſ. Annot. in N.T. Alii exiſtimant, idolum iſtud ne hoc quidem nomine Beelzebub fuiſſe dictum; non enim credibile eſſe, Accaronitas Deum ſuum, quem tanto in honore habebant, tam abjecto ac inhonorifico nomine appellitaſſe, ſed proprium & uſitatum nomen illius idoli fuiſſe, *Beelſamen*, id eſt, Deus cœli, (ut Auguſtinus inter alios refert) quod nomen poſtea Judæi ignominæ cauſa commutarint in *Beelzebub*, id eſt, Deum muſcarum. Unanimi enim conſenſu tradunt Judæorum Scriptores antiqui, in Templo Hieroſolymitano, etſi quotidie ingenti numero victimæ cæderentur, nullam tamen muſcam unquam viſam fuiſſe. Cum ergo Deus Accaronitarum idem in ſuo templo præſtare non potuerit, ſed templum ejus ſemper ab innumerarum muſcarum examine obſideretur, idcirco eum Judæi Deum muſcarum appellarunt.

Didicerunt autem Judæi à Prophetis, omnia vaticinia idolorum Ethnicorum operatione Diaboli fieri: itaque ſucceſſu temporis Principi dæmoniorum, hujus celeberrimi & inter Ethnicos tunc præcipui idoli, nomen *Beelzebub* vel *Beelzebul* indiderunt: ut patet Matth. 12. 24. Cum igitur Phariſæi vulgo perſuaſiſſent, Chriſtum miracula ſua ope principis Dæmoniorum perficere, inde factum eſt, ut etiam hoc nomen Beelzebul nefarie ei imponerent, eum Diaboli Vicarium, aut ſummum Impoſtorem, qui Diabolo ipſi par ſit, eſſe indicantes. Vide ſupra cap. 9. 34, & infra XII. 24. Marc. 3. 22. Luc. XI. 15.

Verſ. 26. *Ne ergo timete eos.*] Monet Chriſtus, eos nihil perſecutionibus, nihil calumniis graviſſimis (quod ſcilicet Magicis artibus ac præſtigiis, quas à magiſtro ſuo didicerint, homines decipiant ac dementent) debere moveri, ſed Euangelium intrepide

pide diſſeminare. Iſtas enim impias calumnias tandem aliquando detectum iri, & falſitatem earum manifeſtam fore.

Nihil enim eſt abſconditum, quod non reveletur: & occultum, quod non ſcietur.] Hæ ſunt proverbiales locutiones.

Verſ. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aurem auditis, prædicate ſuper domos.*] In tenebris, id eſt, privatim & ſecreto.

In aurem.] Id eſt, clam.

Prædicate ſuper domos.] Nempe ſuper tecta domum: ut Matth. 24.17. Marc. 13.15. Luc. 17.31. Tecta apud Judæos erant plana, ut in iis deambulari poſſet (vide ſupra cap. 4. 5, ad vocem *pinnæ* templi) & quæcunque in alto dicebantur, facile excipi à vicinis poterant. Eodem vocabulo videntur quoque appellatæ fuiſſe projecturæ illæ ac pergulæ eminentiores, in quibus præcones ſolebant promulgare aliquid aut populo edicere: ad quem morem potuit etiam hic Chriſtus reſpexiſſe.

Verſ. 28. *Et ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus; at animam non poſſunt occidere.*] Quia propter intrepidam & publicam Euangelii prædicationem obnoxii erunt perſecutionibus variis, & mortis quoque ipſius periculo, hortatur eos Chriſtus ad conſtantiam, ac fortitudinem, trino utens ad perſuadendum argumento. Primum eſt, quia nihil eis eripi poſſit præter vitam temporalem; animæ vero & ſpiritui, qui poſt obitum in Dei manibus requieſcit (Sapient. 3.1. Luc. 23.46. Act. 7.59) noceri non poſſit. Simul quoque ſignificat Chriſtus, his verbis, eos laboris ſui præmium à Deo reportaturos, quod ipſis adimi nequeat ab iis, qui nonniſi corpora poſſunt occidere.

At animas non poſſunt occidere.] Non ideo, quod animæ natura ſua ſint immortales: ſic enim ne Deus quidem ipſe eas poſſet occidere; ſed quia nullam habent poteſtatem animas extinguendi, ac perdendi, quemadmodum corpora perdere poſſunt, dum homines temporali vita privant, quo pacto corpus in pulverem & cineres abit. Proprie loquendo neque corpus, neque anima occiditur. Nam neque hæc ſola, neque illud ſolum habet vitam, ſed homo vivit per conjunctionem animæ cum corpore: itaque homo occiditur, quando anima à corpore ſeparatur. Quare Chriſtus hic per occiſionem corporis intelligit mortem temporariam, qua impii probos Deo permittente poſſunt afficere: per occiſionem autem animæ intelligit mortem æternam, quæ in ſolius Dei eſt poteſtate.

Timete autem magis eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehenna.] Id eſt, Deum. Hoc eſt alterum argumentum. Tacite enim his verbis indicat Chriſtus, Deum tam corpore quam anima puniturum eos, niſi fideliter opus ipſius curaverint, aut ſi metu hominum id intermiſerint.

Perdere in Gehenna.] Quia Chriſtus nominat locum, ubi Deus tam anima quam corpus perditurus ſit, nempe Gehennam, apparet, eum per vocem *perdere*, non intelligere ſimpliciter, occidere, aut in nihilum redigere, (hoc enim Deus poteſt ſtatim facere, quando anima à corpore ſeparatur) ſed torquere ac cruciare. Nullum autem eſt dubium, Chriſtum etiam hic ex communi Judæorum opinione, quam de ſtatu damnatorum poſt mortem ſovebant, locutum fuiſſe, ut etiam ſupra cap. 8. 11, 12, & alibi de ſtatu beatorum. Non ſunt autem docti inter Judæos hac in parte unius ſententiæ. Aliqui enim credunt, ſolos Iſraëlitas à mortuis reſurrecturos, reliquas omnes gentes in morte æternum manſuras: (vide 2 Macch. 7. 14.) Iſraëlitas autem in tres diſpeſcunt claſſes. Una eſt plane piorum, qui protinus ad vitam æternam deſtinantur, & obſignantur. Altera mere impiorum eſt, inter quos præcipui ſunt, qui à Lege defecerunt, & hi in igne Gehennæ æternum cruciabuntur. Tertia mediocrium, qui tam mala quam bona egerunt: ii 12 menſibus in Gehenna torquebuntur, poſtea vero una cum corpore & anima exurentur. Nonnulli autem ſtatuunt etiam hos mediocres poſt finitam 12 menſium pœnam participes vitæ æternæ fore, ſed non tam perfectis fruituros gaudiis, atque pii perfruentur. Sunt etiam quidam, qui cenſent, plane impios, poſtquam ad certum tempus luerint pœnas, una cum anima & corpore perditum iri. Nihilominus apparet, inprimis ex Matth. 25.46, in vulgo hanc obtinuiſſe opinionem, cruciatus impiorum æternum duraturos.

Verſ. 29. *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.*] Hoc eſt tertium argumentum, quo Chriſtus Apoſtolos ſuos ad conſtantiam & impavidam Euangelii prædicationem exhortatur, quod ſumptum eſt à paterna Dei circa illos providentia. Ne paſſerculus quidem, & ne pilus quidem de veſtro capite decidere poteſt in terram abſque Dei voluntate; quanto minus vobis aliquid accidet, abſque illius voluntate. Quocirca ſi quæ calamitas, aut etiam mors ipſa vobis ſubeunda ſit, cogitate, id Deum Patrem veſtrum pro ſuo ſapientiſſimo conſilio conſtituiſſe ac permiſiſſe, idque non malo veſtro, ſed bono. Omnia enim, diligentibus Deum, in bonum coöperantur Rom. 8. 28. Ineſt vero ſingulare ſolatium illis verbis, *ſine Patre veſtro.* Si enim Pater eſt, nihil illis accidere permittet, quod non ad eorum commodum convertatur. Eadem vis vocum iſtarum eſt etiam ſupra cap. 6. 26. Hinc intelligimus, divinam providentiam etiam ad viliſſimas ac minimas quaſque res in mundo (qualis eſt paſſerculus, & pilus capitis) extendi: quanquam ita, ut Deus quædam eo, quo fiunt, modo ipſe ordinet ac immittat; quædam ſecundum naturæ curſum fieri, non impediat. Extra dubium enim ac controverſiam omnem eſt, innumeras res fieri contra vulgarem naturæ ordinem, quæ Deus ita fieri ordinavit: & harum quidem aliæ manifeſto veniunt à Deo, ut ad oculum cerni ac pene palpari in iis manus Dei queat; aliæ autem tam occulte, ut eas ſoli illi intelligant, qui in viis Dei inque ipſius ſapientia exercitatos ſenſus habent, reliqui vero eas naturalibus cauſis aut cæco caſui attribuant.

Ordinarie autem Deus naturæ permittit ſuum curſum, neque eum impedit, niſi graviſſimis de cauſis, quando ſcilicet divina ipſius ſapientia id poſtulat. Cæterum quod ordinario naturæ curſu fit, id divinæ providentiæ eatenus ſubjectum eſt, quatenus id immutare ac impedire poteſt, quando vult, & ſcopus ac intentio regiminis ejus id requirit. Potiſſimum vero

divina

divina providentia verſatur circa homines, ut qui ad Deum proxime accedant, & ad vitam æternam creati ſint: circa bruta autem animantia tantum propter homines, quorum bono conſervantur. Vide 1 Cor. 9. 9.

Paſſerculi.] Gr. στρθία, denotat omnem volucrem parvam.

Aſſe.] Græca vox ἀσσάριον derivatur à Syriaca voce *aſſir*. Moneta hæc erat argentea, quatuor granorum hordei pondus habens.

In terram cadet.] Dum ſagittis vel aliis miſſilibus petuntur.

Verſ. 30. *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* In vocula *etiam* latet peculiaris emphaſis, q. d. Chriſtus: Etiam pili capitis, qui tamen res ſunt minimi pretii, ſunt numerati; quanto magis igitur dies vitæ? de quibus nullus ab hominibus decurtari vel demi poteſt, ſine Dei voluntate.

Numerati ſunt.] Quæ magni æſtimantur, numerari ſolent, ut ſciatur, utrum aliquid de iis perierit. Eſt autem hæc quoque proverbialis locutio.

Verſ. 31. *Nolite ergo timere; multis paſſeribus præſtatis vos.*] Vos, qui non modo homines, ſed etiam nuncii divinæ veritatis eſtis: ideoque peculiariter paternæ providentiæ ac diligenti cuſtodiæ divinæ eſtis commendati.

Verſ. 32.] *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.*] Pergit Chriſtus eos ad conſtantiam in publica profeſſione Euangelii cohortari, proponens eis præmium confeſſionis ampliſſimum, & ſimul pœnam abnegationis. Vox *omnis* indicat, ea quæ Chriſtus hoc loco Apoſtolis dicit, ad omnes ejus diſcipulos eorumque poſteros, quicunque ſint, pertinere.

Qui me confitebitur.] Id eſt, me agnoſcet pro Meſſia. Chriſtus non tantum requirit confeſſionem cordis, ſed etiam oris Rom. 10. 10.

Confitebor & ego eum.] Agnoſcam eum pro meo diſcipulo, qui ad communionem Regni mei pertinet.

Coram Patre meo.] In illa die, qua Chriſtus eos ſiſtet Patri ſuo, & in Regnum ſuum introducet Matth. 25. 34.

Verſ. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui in cœlis eſt.*] Qui me negaverit, ſcilicet ore, quamvis in corde me confiteatur. Quemadmodum autem confeſſio talis eſt intelligenda, quæ conſtans ſit, & immutabilis uſque ad finem: ita etiam hic abnegatio intelligitur, quam non conſequitur vera ac ſeria pœnitentia; uti in Petro Matth. 26. 57.

Negabo & ego eum.] Non agnoſcam pro meo, adeoque nullam habebit partem mecum in vita æterna, ſed conjicietur in ſempiternum ignem Matth. 25. 41. Apud Marcum eſt cap. 8. 38: *Quem mei & doctrinæ meæ puduerit.* Ex quo perſpicitur, Chriſtum non ſolum generalem confeſſionem, ut quis ſe Chriſtianum eſſe profiteatur, exigere; ſed etiam velle, ut doctrinam ejus in omnibus articulis Chriſtianæ religionis confiteamur, neque in ulla re nos verbi ejus pudeat. Talis autem confeſſio facienda eſt ubique & ſemper, quando gloria Dei & hominum ſalus atque ædificatio id poſtulat; aut quando ſilentium, gloriæ Dei vel aliorum hominum ſaluti obeſſe poſſet. Vide amplius hac de re 1 Petr. 3. 15.

PARS V.

Verſ. 34. *Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.*] Chriſtus poſtquam multa hactenus de perſecutionibus diſcipulorum ſuorum diſſeruiſſet, jam oſtendit, doctrinam ſuam iſta mala & adverſa ſecum trahere.

Pacem mittere in terram.] Apud Eſaim cap. XI. 6, 7 prædicitur, tantam in Regno Meſſiæ fore pacis affluentiam, ut lupi cum agnis, & pardi cum hœdis cohabituri ſint &c, id eſt, etiam ferociſſimos populos in ſumma charitate & concordia cum populo Dei victuros. Atque hoc ſecundum naturam doctrinæ Chriſti, in qua perfectiſſima charitas inter omnes homines præcepta eſt, optime fieri poſſet, ſi homines vellent doctrinam iſtam ſanctiſſimam ſuſcipere, & ex illius præſcripto agere. Sed quia homines plerique carnis ductum ſequuntur, & veræ pietatis virtutumque, quas Euangelium poſtulat, guſtum non habent, idcirco fit, ut doctrina Chriſti magis odium ac perſecutiones profitentium eam, quam amorem aut concordiam operetur. Quapropter ſenſus horum verborum non eſt, Chriſtum eo fine ſimpliciter veniſſe, ut turbas inter homines excitaret (nam doctrina ejus erat mera pax & charitas) ſed oſtendit, quem effectum doctrina ſua apud impios habitura ſit, non vi ſua, ſed vi illorum malitiæ. q. d. Mea doctrina non pacem & amorem, uti quidem deberet & pro natura ſua poſſet, ſed diſcordias & odia apud improbos homines producet. Hoc ſenſu quoque dicitur, Chriſtum poſitum eſſe in ruinam multorum in Iſraële, & in ſignum cui contradicetur Luc. 2. 34. XII. 49. Vide etiam Joh. 9. 39.

Gladium.] Per gladium hic non intelligitur bellum, ſed diſſenſio, ut Lucas diſerte habet cap. 12. 51, quanquam doctrina Chriſti etiam bella & ſanguinis effuſionem excitare ſolet.

Verſ. 35. *Nam veni facere, ut diſſideat homo adverſus patrem ſuum, & filia adverſus matrem ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam.*] Verba hujus verſiculi ſumpta ſunt ex Michea cap. 7. 6. Indicatque Chriſtus æque miſerum ſub Euangelio fore ſtatum rerum in mundo, atque fuit tempore Regis Manaſſis, de quo queribundus ſcribit Propheta: nempe confeſſores Euangelii à conjunctiſſimis amicis ac neceſſariis ſuis odio habitum & peſſime divexatum iri. Vide Luc. 12. 53.

Verſ. 36. *Et inimici hominis erunt domeſtici ejus.*] Verba ſunt tranſpoſita. Senſus enim eſt, hominis domeſticos inimicos ejus fore. Similis tranſpoſitio eſt Joh. 1. 1.

Verſ. 37. *Qui diligit patrem & matrem plus quam me, non eſt me dignus; & qui diligit filium aut filiam, plus quam me, non eſt me dignus.*] Quia Chriſtus dixerat, doctrinam ſuam etiam chariſſimorum conſanguineorum odia & infeſtationes allaturam, indicat hic, ne iſtud quidem debere cujuſquam animum ab

ejus

ejus doctrina avertere. Amori erga ipſum & veritatem ejus, amor omnium aliarum rerum, etiam parentum & liberorum debet cedere.

Diligit plus quam me.] Id eſt, patris & matris gratia me abnegat, aut aliquid mihi meæque doctrinæ adverſum facit.

Non eſt me dignus.] Id eſt, non poteſt eſſe meus diſcipulus: ut Lucas ait cap. 14. 26. Hinc Paulus cum monuiſſet, ut *pacem colamus cum omnibus*, ſapientiſſime addit: *ſi poſſibile eſt, quantum in vobis eſt* Rom. 12. 18, nempe veritas Chriſti etiam pace debet eſſe antiquior.

Verſ. 38. *Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.*] Crucifixio fuit aliud mortis genus, quam apud Judæos ſuſpendium, de quo Deut. 21. 22. Eratque ſupplicium ignominioſiſſimum & acerbiſſimum, Romanis & Perſis (ut ex loco 1 Eſdr. 6. 11, atque ex Joſepho patet) uſitatum: Quale fuerit hoc mortis genus, ex parte hiſtoria mortis Chriſti docet. Inter alia moris erat, ut crux (nempe trabs illa, cui affigi manus ac pedes facinoroſi debebant) tergo ejus imponeretur, quam ille à loco damnationis ſuæ uſque ad locum ſupplicii magna cum moleſtia ſua portare cogebatur. Cum itaque crux ſeu crucis ſupplicium tam horrenda & truculenta nex eſſet, ideo tam apud Romanos, quam poſtea etiam apud Judæos (cum jam aliquo tempore ſub Romano eſſent imperio) in uſu fuit, ut omnem afflictionem crucem appellarent. Hoc igitur ſibi vult Chriſtus, quicunque non eſt paratus, odio & perſecutionibus etiam patris ac matris ſuæ ſeſe objicere, & omnem moleſtiam atque afflictionem, ac tandem ignominioſiſſimam mortem crucis, ſui cauſa, ſuſtinere, eum non poſſe eſſe ſuum diſcipulum. Rationem enim ſtatus doctrinæ ſuæ non ferre, ut res aliter ſe habeat. Videtur Chriſtus ſimul reſpexiſſe ad mortem crucis, quam ipſe ſubiturus erat.

Non accipit.] In tergum ſuum, ut Chriſtus ipſe Joh. 19. 17. Alluditque his verbis Chriſtus ad illum paulo ante memoratum morem, quo malefici crucem ſuam ipſi portare cogebantur. Confer cum Luc. 14. 27. Matth. 27. 32. Marc. 15. 21.

Et ſequitur me.] Græcus textus ad verbum habet, *ſequitur poſt me.* Hebraiſmus. Proprie id dicitur de Chriſto, dum in terris erat, ſequendo, diſcendi & doctrinam ejus percipiendi ſtudio: at in genere ſequuntur Chriſtum omnes, qui doctrinam ejus profitentur, vitamque ad ejus regulas componunt.

Verſ. 39. *Qui invenit animam ſuam, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.*] Id eſt, qui exiſtimat ſe abnegatione mei vitam ſuam conſervaturum, is ſeſe in æternum exitium præcipitabit. Qui autem ſeipſum propter confeſſionem meam periculo exponet, is ſeipſum in æternum conſervabit. Anima cebro in Sacris Literis pro vita ponitur: ut ſupra cap. 2. 20 dictum. Hic autem videtur Chriſtus non ſolum vitam, ſed totum hominem ejuſque felicitatem intelligere. Confer Matth. 16. 25, & Luc. 9. 25.

Propter me.] Propter profeſſionem doctrinæ meæ.

Inveniet.] Ab interitu ſervabit, ut Chriſtus loquitur Matth. 16. 25. Marc. 8. 35. Luc. 9. 24. Sic etiam Luc. 15. 24, 32.

PARS VI.

Verſ. 40. *Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.*] Chriſtus porro ſuos diſcipulos ſolatur, innuitque etiam in mediis calamitatibus non defore amicos bonos, ac pios homines, qui ipſis ſolatio & auxilio futuri ſint, quos Deus ad hoc ipſum excitaturus ſit, propoſito præmio ampliſſimo. Sic Deus olim Abrahamo dixit: *Benedicam illis, qui tibi benedicent* Gen. 12. 3.

Qui vos recipit.] Id eſt, qui vobis ulla ratione benefaciet.

Me recipit.] Quia mei legati eſtis. Quod legatis fit, id eo loco habetur, ac ſi fieret ei, cujus ſunt legati.

Qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.] Inde ſequitur, eum qui diſcipulos recipit, recipere quoque eum, qui Chriſtum miſit, nempe illum ſolum verum Deum. Hic enim eſt, qui miſit Chriſtum Joh. 17. 3. Quod ſane jucundiſſimum auditu diſcipulis erat, quod tanti æſtimarentur à Deo, ut quod illis contingeret, Deus ſibi factum eſſe interpretaturus ſit.

Verſ. 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum, in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.*] Videtur hic Chriſtus tria genera diſcipulorum ſuorum exprimere voluiſſe, quorum aliud alio majus ac ſublimius eſt. Primo ponit eos, qui præſtantiſſima dona Spiritus Sancti acceperunt, aliiſque docendis ſunt præpoſiti, qui hic & infra cap. 13. 17 Prophetæ, & Eph. 4. 13 viri perfecti, & 1 Joh. 2. 14 Patres appellantur. Secundo loco commemorantur medioxumi, qui quidem pii, probi & in doctrina Euangelii bene verſati ſunt, ſed tamen in eo ad ſummum gradum haud pervenerunt: qui hic & infra cap. 13. 17 juſti vocantur. Tertio collocantur loco infimi, qui prima demum Religionis Chriſtianæ elementa diſcunt; qui hic minimi eorum qui in Chriſtum credunt, & Matth. 25. 40 minimi fratres Chriſti, 1 Cor. 3. 1 infantes, 1 Joh. 2. 14 pueruli nuncupantur.

In nomine Prophetæ.] Id eſt, eo modo quo Prophetam, ſeu eo nomine, ideo quia Propheta eſt.

Mercedem prophetæ accipiet.] Id eſt, eandem mercedem accipiet, quæ Prophetæ deſtinata eſt.

In nomine juſti.] Id eſt, eo nomine, quod ſit vir probus ac pius.

Verſ. 42. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum.*] Hoc eſt viliſſimum ac minimum beneficium. Aqua calida plus laboris requirit: nam igne eget, quo calefiat. Sed frigida ſimpliciter tantum haurienda eſt. Videtur etiam fuiſſe proverbio tritam locutionem.

In nomini diſcipuli.] Eo ſolo reſpectu, quod ad Chriſtum pertineat, vel quod Chriſtianus ſit.

Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.] Non carebit mercede. Vide infra cap. 25. 40. Quanto major vero merces futura eſt, ſi quis majora beneficia tali exhibeat? Hinc diſcitur, Deum opera ex animo, non animum ex operibus judicare.

CAPUT XI.

I. *Chriſtus prædicat in civitatibus Galilææ. verſ.* 1. II. *Reſpondet miſſis ad ſe Johannis Baptiſtæ diſcipulis: ad verſ.* 7. III. *Edocet populum de munere Johannis: ad verſ.* 16. IV. *Conqueritur de malitia hominum, qua Johannes & ipſe rejiciebatur & blaſphemabatur: ad verſ.* 20. V. *Exprobrat quibuſdam Galilææ civitatibus ipſorum animum pœnitere neſcium: ad verſ.* 25. VI. *Seipſum ſolatur adverſus eorum incredulitatem, & ad ſe invitat omnes pœnitentiam agentes peccatores: ad finem cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET factum eſt, cum deſiiſſet Jeſus præcipere duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde, ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.*] Narrat Euangeliſta Matthæus, quid Chriſtus inter ea egerit, dum abeſſent ipſius diſcipuli: nempe quod circumverit civitates Galilææ, eiſque Euangelium prædicarit.

Præcipere.] Quomodo ſcilicet in itinere ſe gerere debeant.

Tranſiit inde.] Diſcipulis ſuis relictis, digreſſus eſt ab illo loco (non plane è Galilæa, ſed in alias civitates, quam in quibus diſcipuli ejus prædicabant, quas ille deinceps interpoſito certo tempore adiit) ne præſentia ipſius officeret illorum luminibus, & ipſorum miracula obſcuraret.

In civitatibus eorum.] Non diſcipulorum, ſed Judæorum, tametſi nulla Judæorum mentio præceſſerit. Exempla ſimilia, in quibus pronomina relativa referuntur vel ad aliquid longe ante poſitum, vel etiam ad id, de quo nulla fuit in ſuperioribus mentio, vide 1 Reg. 5. 3. Pſalm. 99. 8. Matth. XII. 9. Luc. 2. 38. IV. 15. V. 17, 30. 2 Theſſ. 2. 9. Quod enim nonnulli autumant dici civitates *illorum*, id eſt, diſcipulorum, quia maximam partem Galilæi erant Act. 2. 8, id durum eſt, ut propterea civitates eorum vocentur.

PARS II.

Verſ. 2. *JOhannes autem cum audiſſet in carcere, opera Chriſti, mittens duos diſcipulorum ſuorum, ait illi.*] De carcere Johannis vide Matth. 14. 3 & ſeqq.

Opera Chriſti.] Id eſt, miracula, quæ cum prophetarum oraculis egregie congruebant, quæ Johannes etiam diſcipulos ſuos oculis ſuis ſpectare voluit.

Verſ. 3. *Tu es qui venturus eſt, an alium expectamus.*] Venturus ille Meſſias, juxta promiſſionem Dei & prædictionem illam, quæ habetur Gen. 49. 10. Eſai. 35. 4. Eſt hic deſcriptio Meſſiæ, cujus adventum omnes tunc temporis magno cum deſiderio præſtolabantur. Johannes autem non ſua cauſa quærit, ſed diſcipulorum ſuorum cauſa, qui Chriſtum pro Meſſia nolebant ſuſcipere, adeo ut ipſi quoque Johanni ea in re haud crederent: vult proinde ut illi ad eum venientes, & miracula cernentes oculis ſuis, exinde cognoſcant, eum eſſe illum ipſum, qui venturus ſperabatur.

Verſ. 4. *Et reſpondens Jeſus ait illis: Euntes renunciate Johanni.*] Nempe ea quæ hic videtis & auditis; ſicut mox ſequitur: ut ille cui fidem habetis, dicat vobis, quid Prophetæ de tali vaticinati fuerint, qui res tantas fecerit.

Quæ auditis & videtis.] Nempe miracula, quæ vos auditis ipſi referri ab illis, qui oculati eorum teſtes fuerunt, & quarum vos quoque ipſi ſpectatores eſtis. Nam Lucas memorat cap. 7. 21, Chriſtum eo ipſo tempore multa edidiſſe miracula.

Verſ. 5. *Cæci vident, & claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperibus Euangelium annunciatur.*] Cæci dicuntur videre, nempe ii qui antea cæci erant. Opera, quæ diſcipuli Johannis audiverunt ac viderunt, confert Chriſtus cum prædictione Eſaiæ, q. d. Ex iis quæ auditis & videtis, judicare poteſtatis, nunc illud tempus eſſe, de quo vaticinatus eſt Eſaias cap. 35. 5, 6.

Mortui reſurgunt.] Hoc quidem in vaticinio Eſaiæ non habetur: ſed cum reſuſcitatio mortuorum longe majus ſit opus, quam alia; multo magis ex eo deberent agnoſcere, adeſſe jam tempus illud promiſſum; quandoquidem majora etiam jam fiant miraculoſa, quam Deus promiſerat.

Pauperibus Euangelium prædicatur.] Ad verbum Græcus textus habet: *Pauperes euangeliſantur.* Quibus verbis Chriſtus reſpicit ad locum Eſai. 61. 1. Recenſet autem id Chriſtus inter miracula, quod ſummum illud bonum æternæ ſalutis non tantum prædicetur divitibus ac ſummo loco in mundo conſtitutis, verum etiam egenis, miſeris, & nullius apud mundum æſtimii. Scholas Legiſperitorum frequentare, & aliquid ab eis diſcere, magno impendio conſtabat, egenos ſua inſtitutione indignos judicabunt. Longe alium ſe magiſtrum demonſtrat Chriſtus. Olim Prophetæ potiſſimum ad Reges mittebantur: Chriſtus ſe manifeſtat primo vilibus ac egenis piſcatoribus.

Verſ. 6. *Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandaliſatus in me.*] Nimirum forma ejus ſervili & ſtatu miſero ac contempto, qui maxime paſſionis ac mortis ejus tempore apparuit Phil. 2. 8. Qui ſtatus ejus humilis obſtitit Phariſæis, ſcribis & omnibus mundi ſapientibus, quominus reliqua omnia, quæ in Chriſto diviniſſima fuerunt & eluxerunt, ipſos permoverent ad eum pro Meſſia agnoſcendum. Atque hac in re Chriſtus fuit lapis offenſionis, & petra ſcandali, Eſai. 8. 14. Rom. 9. 33, poſituſque eſt in ruinam multorum Luc. 2. 34. Sed eorum qui credunt, quibus fuit lapis angularis, electus, pretioſus 1 Petr. 2. 6. Vide 1 Cor. 1. 23.

PARS III.

Verſ. 7. *ILlis autem digreſſis, cœpit Jeſus dicere turbis de Johanne.*] E præcedenti legatione Johannis ſumit anſam Chriſtus, coram populo præſtan-

præſtantiam Johannis Baptiſtæ, muneriſque ejus deprædicandi, atque ex eo doctrinæ ſuæ excellentiam verſ. 14 deducendi.

Illis autem digreſſis.] Cenſent nonnulli, Chriſtum de induſtria noluiſſe Johannem in præſentia diſcipulorum ipſius laudare, quia potuiſſent, id ſimulate fieri, exiſtimare. Sed fortaſſis id factum eſt propterea, ne eos magis in erronea opinione illorum de Johanne, quod Meſſias eſſet, confirmaret.

Cæpit Jeſus dicere.] Vox *cæpit* hic nullam habet vim ſingularem, ſed ex Hebræorum loquendi uſu redundat. Nam verba hæc: *Jeſus cæpit dicere*, nihil denotant amplius, quam ſi Matthæus ſimpliciter dixiſſet: Jeſus dixit. Qui modus loquendi inprimis Lucæ familiaris eſt: vide inter alia cap. 3. 23. IV. 21. V. 21. VI. 15,24,38,49. IX. 12 & alibi paſſim.

Quid exiſtis in deſertum ſpectare? arundinem à vento agitatam?] Senſus eſt: Proculdubio non abſque cauſa factum eſt, quod tanto cum ardore & aviditate in deſertum exiveritis. Non enim veriſimile eſt, vos tanto numero eo confluxiſſe, ut videretis, quomodo arundo, quæ illic in lutoſis deſerti locis multa enata eſt, à vento agitetur. Nam præter Johannem Baptiſtam nihil aliud ibi erat viſu dignum. Unde liquet, vos neceſſario aliquid inſigne ac præclarum in Johanne deprehendiſſe, quod vos in illud uſque deſertum pertraxit.

Verſ. 8. *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtimentis amictum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.*] Neque hæc vos cauſa traxit in deſertum, ut ibi videretis hominem ſplendide ornatum. Non eſt enim illic locus ſplendido, ac molli (id eſt, ſericeo) veſtitu utendi. Reſpicit Chriſtus ad Johannis horridum veſtitum, de quo ſupra cap. 3. 4.

Verſ. 9. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Utique, dico vobis, & pluſquam Prophetam.*] Hæc eſt cauſa, quæ vos in deſertum ire fecit, nempe quod eum pro magno Propheta à Deo miſſo habueritis. Sed Chriſtus eum extollit longe ſupra omnes Prophetas, dum ait: *Imo dico vobis, etiam pluſquam Prophetam.*

Verſ. 10. *Hic enim eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem meam, qui præparabit viam tuam ante te.*] Chriſtus probat, quod modo dixerat, Johannem plus eſſe quam Prophetam: nempe magnum illum nuncium, de quo Deus per Malachiam cap. 3. 1 vaticinatus eſt:

Angelum meum.] Id eſt, nuncium. Nomen Angeli non tribuitur vulgaribus Prophetis, ſed iis tantum, qui ad aliquod ſingulare opus patrandum à Deo ad populum mittuntur. Sic Moſes appellatur Angelus Num. 20. 16, & Aggæus Propheta cap. 1. verſ. 13. Inter omnes autem iſtos Angelos ille apud Malachiam eſt præſtantiſſimus, ut qui non ſolum adventum Meſſiæ annunciaturus erat, ſicut & alii Prophetæ fecerunt, ſed Meſſiæ quoque viam præparaturus, & initium Euangelii ſeu Regni Dei facturus erat: quod ante eum nemo alius fecit.

Præparabit viam.] Vide ſupra cap. 3. 3.

Verſ. 11. *Amen dico vobis.*] Affirmo vobis veriſſime.

Non ſurrexit inter natos mulierum major Johanne Baptiſta.] Id eſt, ante Johannem nullus major Propheta (Luc. 7. 28) quam ille, humano generi apparuit. Quapropter etiam Moſe major eſt.

Inter natos mulierum.] Id eſt, inter Prophetas, qui unquam in lucem editi ſunt.

Surrexit.] Græc. ἐγήγερται, excitatus eſt: proprie de Prophetis dicitur; ut Deut. 18. 18. Luc. 7. 16. Joh. 7. 52.

Verum minor in regno cœlorum, major illo eſt.] Per regnum cœlorum hic intelligitur doctrina regni cœlorum, id eſt, Euangelium, ut etiam infra cap. 13. verſ. 24,31,33,44,45,47. Menſque Chriſti eſt dicere: quanto Johannes alios omnes Prophetas, qui ipſum anteceſſerunt, ſuperat præſtantia, tanto ſuperiores erunt Johanne Baptiſta minimi Prophetæ Novi Fœderis, id eſt, infimi doctores Euangelii; nimirum quoad præſtantiam cognitionis de redemptione humani generis. Hæc res ante Johannem myſterium erat, Johannis tempore cœpit primum enucleare, poſt Chriſti vero mortem ac reſurrectionem atque miſſionem Spiritus Sancti pleniſſimo vultu mundo illuxit. Hinc Chriſtus infra cap. 13. 17 ait ad diſcipulos ſuos, eos vidiſſe & audiviſſe ea, quæ multi Prophetæ ac juſti videre concupiverunt, nec tamen viderunt.

Verſ. 12. *A diebus autem Johannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*] Ab illo tempore quo Johannes Baptiſta cœpit prædicare Matth. 3. 1.

Regnum cœlorum vim patitur.] Doctrina Euangelii, & una cum ea cœlum & vita æterna ipſa ab hominibus turmatim & gregatim ſuſcipitur, non aliter, quam cum in caſtellum aliquod munitum fit impreſſio, & magna vi multitudinis oppugnatur.

Et violenti rapiunt illud.] Qui omni ſtudio & ſerio animi conatu ad id aſpirant, potiuntur eo. Quo ſignificat Chriſtus, ad conſequendum regnum cœlorum magnum ac generoſum animum, nec non conſtantem ardorem ac zelum requiri. Hoc modo olim quoque Joſuam Deus monuit, ut eſſet animo forti ac intrepido ad ſubjugandam terram promiſſam: quæ figura fuit regni cœlorum Joſ. 1. 6,7,9.

Verſ. 13. *Omnes enim Prophetæ & Lex uſque ad Johannem prophetaverunt.*] Declarat Chriſtus, quod verſ. 11 dixerat, non ſurrexiſſe majorem Prophetam Johanne Baptiſta: videlicet, quia ea quæ Prophetæ prædixerunt, quæque in Lege præfigurata ſunt, in & cum Johanne cœpere reipſa exhiberi; quatenus per eum Meſſias & perfecta ſimul ſapientia cœpit manifeſtari. Quod hic ſit ſenſus horum verborum, patet ex Luc. 16. 16.

Verſ. 14. *Et ſi vultis recipere.*] Id eſt, ſi verum audire ac ferre poteſtis. Populus enim ægre perſuaderi potuit, ut crederet, Eliam ipſum proprie non eſſe venturum.

Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.] Nempe, juxta prophetiam Malachiæ cap. 4. 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Johannes autem fuit Elias, non proprie (ideo hoc ſenſu negat expreſſe Johannes ſe eſſe Eliam Joh. 1. 21) ſed quia venit in ſpiritu & virtute Eliæ Luc. 1. 17. Elias enim corruptiſſimo tempore non paſſus ſe eſt ullo diſcrimine abſterreri;

quominus Regi & univerſo populo peccata exprobraret. Idem Spiritus & eadem virtus, id eſt, idem maſculus & imperterritus animus quoque in Johanne eluxit, dum non timuit excellentiſſimam ſectam Phariſæorum, qui ſequaces è populo plurimos habebant, aggredi, aureſque eorum mordaci radere vero. Vide Matth.3. 7,8,9,10. Propter ſimilem zelum fabulantur Judæi, animam Phineæ, cujus fit mentio Num.25. 7, in Eliam tranſiiſſe.

Verſ. 15. *Quia habet aures ad audiendum, audiat.*] Eſt metaphorica locutio, id eſt, qui animum habet rerum intelligentem & bene cuncta penſitantem, hoc quoque conſideret & expendat. Sic oculi animo tribuuntur Epheſ.1. 18. Solet autem Chriſtus hoc dictum ſubjungere talibus ſermonibus ſuis, qui ſunt maximi ponderis, quoſque vult probe notari ac ſumma attentione excipi : ut infra cap. 13. 9,43. Marc. 4. 9,23. Luc. 8. 8. Vide quoque Apoc.2. verſ.7,11,17,29. iij.6,13,22. xiij. 9. Multum autem erat populo in eo ſitum, ut probe perciperet atque intelligeret ea, quæ à ỳſ.10 protulit.

PARS IV.

Verſ. 16. *CUi autem aſſimilabo generationem iſtam?* In hac parte Chriſtus inſtituit gravem querimoniam ſuper Judæorum pervicaciam, quod tam ſe quam Johannem Baptiſtam rejicerent.

Generationem iſtam.] Hoc genus hominum incredulorum, id eſt, Judæorum, quos inter maxime increduli erant Scribæ & Phariſæi : ut ex Luc.7. 29,30 patet.

Similis eſt pueris in foro ſedentibus, ac ſocios ſuos inclamantibus.] Notandum hic eſt locutionis iſtius, quæ ſæpenumero occurrit, non eum eſſe ſenſum, quod Judæi iſtis pueris, qui puerile canunt canticum, ſimiles ſint. Non enim Judæi ſunt, qui canunt ad eum modum : Tibia cecinimus vobis &c. Sed illi ſunt, qui ad hunc cantum ſaltare noluerunt. Senſus itaque eſt, quaſi dicat, Chriſtus : Pariter ſe res habet cum Judæis, atque cum illo puerorum ludo &c. Sic ait Chriſtus infra cap.13. 24 regnum cœlorum ſimile eſſe homini ſeminanti bonum ſemen. Comparat regnum cœlorum non cum ſemine, ſed hoc vult dicere; opus regni cœlorum, ſeu prædicationem Euangelii ita comparatam eſſe, ſicut comparatum eſt cum ſeminatione boni ſeminis, &c.

Verſ. 17. *Et dicentibus : Tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus vobis, & non non planxiſtis.*] Apud Judæos ſaltare & choreas ducere, quin & tripudiare, hilaritatis tempore, non fuit indecorum. Vide 2 Sam.6. 14,16. At apud Romanos turpe erat honeſtis ac gravibus viris ſaltare.

Lamentavimus.] Vide ſupra cap.9. 23.

Planxiſtis.] Quando lamentabant præficæ, ſeu fœminæ ad lugendum conductæ, ſolebant lugentes pectora ſua tundere multo cum ejulatu ac ploratu. Ita Johannes lamentavit, dum duxit vitam horridam & aſperam : Chriſtus contra tibia cecinit, dum vitam egit mitiorem & humaniorem, aliorum non abſimilem. Sed uterque contumelioſa & perverſa ſententia ab hominibus rejectus eſt.

Verſ. 18. *Venit enim Johannes neque manducans, neque bibens : & dicunt, dæmonium habet.*] Non edit, ſcilicet panem, nec bibit vinum : ut Lucas addit cap.7. 33. Nam eſca ejus fuerunt locuſtæ & mel ſylveſtre Matth.3. 4.

Verſ. 19. *Venit filius hominis.* Id eſt, ego.

Manducans & bibens.] Nempe communi more hominum, pro neceſſitate naturæ, etiam in conviviis, quod humaniores facere ſolent homines, quin & cum publicanis ac peccatoribus Matth. 9. 10. Joh.2. 2.

Et dicunt: Ecce homo vorax, vini potator, publicanorum amicus & peccatorum. Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.] *Et* in ultima periodo poſitum eſt pro *ſed*, vel *autem*, more Hebræo, ut etiam Matth.7. 26. xiij. ỳſ.22.Marc.7. 24 & alibi. Per *ſapientiam* nihil aliud intelligitur, quam quod Lucas cap.7. 30. *Conſilium Dei* vocat; nempe ſapientiſſimum illud Dei propoſitum, qui Judæos tum per auſteram Johannis vitam, tum per Chriſti manſuetius vivendi genus ad reſipiſcentiam adducere intendit, nullum converſionis eorum medium omittens, omnemque excuſationis prætextum eis adimens. Fuere non pauci, quibus placuit vita aſperior & auſterior : Johannes ergo in auſteritate anteivit omnes. Aliis magis placuit comitas & affabilitas : atqui Chriſto nemo fuit humanior & affabilior. Johannes fuit rigidus pœnitentiæ exactor: Chriſtus erat mitis & facilis ad dandam omnibus veniam. Johannes inſignis fuit inſueta vivendi ratione, quæ non erat imitabilis ulli : Chriſtus vero inſignis erat divina virtute miraculorum.

Juſtificata eſt.] Id eſt, pro juſta, ſancta ac laudabili agnita eſt : quomodo vox hæc uſurpatur Pſal.51. 6. Rom.3. 4 & Luc.7. 29.

A filiis ſuis.] Id eſt, Hebræorum phraſi, à diſcipulis & ſtudioſis ſapientiæ, qui avidi erant diſcendi divinam ſapientiam ; quales tunc temporis erant aliqui è populo & publicanis, de quibus Lucas ait : *Et omnis populus audiens & publicani juſtificaverunt Deum* (id eſt, laudarunt, juſtum agnoverunt) *baptiſati baptiſmo Johannis* Luc. cap.7. 29,30. Sic *filius pacis* vocatur, qui pacis ſtudioſus eſt Luc. 10. 6. Senſus igitur verborum Chriſti hic eſt, quaſi dicat. Quamvis pertinaces Phariſæi ſapientiſſimum Dei conſilium ſpernant, qui variis modis, nunc blande, nunc ſevere, nunc comiter, nunc aſpere per ſervos ſuos cum iis loquitur, eos ad agnitionem tum peccatorum ipſorum, tum etiam ſummæ felicitatis, quæ ipſis offertur, adducere cupiens : ſunt tamen alii, qui ſumme ſapiens Dei conſilium probant ac mire collaudant, nempe omnes ii, qui veræ ſapientiæ ex animo addicti ſunt. Confer Luc.7. 35 cum verſ.29,30.

PARS V.

Verſ. 20. *TUnc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſunt pœnitentiam.*] In hac parte Chriſtus quarundam civitatum Galilææ incredulitatem perſtringit.

Tunc.] Cum diſcipulos ſuos ablegaſſet : ut ex Luca colligitur cap. 10. 13.

Verſ. 21.

Verſ. 21. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent.*] Hæ duæ urbes ſitæ erant ad mare Galilææ, quarum una ad ſiniſtram, altera ad dextram reſpectu Capernaumi jacebat. Et Bethſaidam quidem Philippus Tetrarcha ex vili vico præclaram civitatem effecerat, & ex nomine filiæ Cæſaris Juliam vocarat. Agrippa autem minor poſtea in gratiam & honorem Neronis nomen civitatis mutavit, ut Neronias diceretur. Joſeph. lib. 18. cap. 3. lib. 20. cap. 8.

In Tyro & Sidone.] Civitates hæ geminæ erant maritimæ in Syria, non longe à ſe invicem diſtantes.

Si factæ eſſent virtutes.] Hinc cernitur, quantas vires habeant miracula, ingenerandi hominibus reverentiam divinæ majeſtatis, nec non confirmandi divinas promiſſiones ac minas. Alioquin enim Chriſtus contemptum iſtum miraculorum ſuorum, qui in civitatibus iſtis enituit, pro cauſa tanto gravioris judicii ipſis deſtinati non adduxiſſet. Vide Joh. 15. 24, & dicta ad Luc. 16. 31.

Virtutes.] Gr. δυνάμεις, *efficaciæ, potentiæ*, quia per Dei efficaciam ac potentiam miracula illa fiebant.

Olim pœnitentiam egiſſent.] Chriſtus reſpicit ad tempora veterum Prophetarum, qui iſtis duabus civitatibus propter earum graviſſima peccata interitum prædixerunt. Vide inter alia Eſai. 23. 1, 2, 4. Jer. 25. 22. XLVII. 4. Ezech. 26. 3. XXVIII. 21. Zach. 9. 2. Vult itaque Chriſtus dicere, ſi olim prædicatio & exhortatio ad pœnitentiam, quæ fiebat à Prophetis, fuiſſet talibus confirmata miraculis, qualia Chriſtus in civitatibus Galilææ edidit, non aliter ex animo reſipuiſſent, atque quondam Ninivitæ. Unde jam intelligitur, quam gravis iſtorum culpa ſit, qui ipſius ſanctiſſimam doctrinam, tam admirandis virtutibus ac prodigiis confirmatam, recipere noluerunt.

In ſacco & cinere.] His verbis reſpicit Chriſtus pœnitentiam Ninivitarum Jon. 3. 5. Saccus & cinis ſæpius conjunguntur Eſai. 58. 5. Jerem. 6. 26. Dan. 9. 3. Judith. 4. 8. Significat autem vox *ſaccus* in Hebræo, non talem ſaccum, in quo aliquid inditur vel ſervatur, ſed cilicium, quod lugentes induebant.

Verſ. 22. *Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die judicii, quam vobis.*] Vide ſimilem locutionem de Sodoma & Gomorrha ſupra cap. 10. 15.

Verſ. 23. *Et tu Capernaum, quæ uſque in cœlum exaltata es, uſque in infernum detruderis: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, manſiſſent uſque in hanc diem.*

Verſ. 24. *Veruntamen dico vobis, quod terræ Sodomorum tolerabilius erit in die judicii quam tibi.*] Alloquitur Chriſtus in ſpecie Capernaumum, quia illi ante omnes alias civitates hæc felicitas obtigerat, quod Chriſtus in eo habitarit. Supra cap. 4. 13.

Quæ in cœlum uſque exaltata es.] Proverbialis locutio, id eſt, quæ flores ſumma felicitate. Capernaum enim piſcatione, mercatura, aliiſque commoditatibus dives erat, uti ſolent maritimæ civitates.

In infernum uſque deturbaberis.] Id eſt, in extremam miſeriam ac infeliciſſimum ſtatum devenies. Et credibile eſt tempore graviſſimi belli ſub Veſpaſiano in Judæa, hanc civitatem una cum aliis miſere fuiſſe vaſtatam ac deſolatam. Simili modo loquitur Eſaias adverſus Babylonem cap. 14. 13, 15: *At tu dicebas cum animo tuo, Aſcendam in cœlos &c, veruntamen ad infernum dejicieris.* Et paulo ante ver. 11: *Faſtus tuus in infernum dejectus eſt*, id eſt, depreſſus & extinctus. Et cap. 57. 9: *Humiliaſti te uſque ad infernum.* Huc facit quoque locus 1 Sam. 2. 6: *Dominus deducit in infernum, & rurſus educit:* id eſt, humiliat, & exaltat. Vide etiam Deut. 32. 22. Pſal. 141. 7. De propria ſignificatione vocis *Inferni*, vide infra cap. 16. 18.

Manſiſſent.] Nunc autem horrendo Dei judicio propter ſuam impietatem ſunt everſæ, ac funditus deletæ.

PARS VI.

Verſ. 25. *IN illo tempore reſpondens Jeſus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ! quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & intelligentibus, & revelaſti ea parvulis.*] Ad ſequentem gratiarum actionem Chriſto anſam dedit, conſideratio admirabilium Dei viarum in promotione ſalutis humanæ, muneriſque iſtius, quod ipſi demandatum erat. Vide apud Lucam cap. 10. 21.

Reſpondit Jeſus.] Locutio eſt Hebraica, qua reſpondendi vox uſurpatur, etiamſi non præceſſerit ullius alterius ſermo, ad quem reſponſione opus ſit; nihilque aliud ſibi vult Euangeliſta, quam illo tempore dixit Jeſus. Similem locutionem vide infra cap. 22. 1. Marc. 9. 38. X. 51. XI. 14. Luc. 9. 49. XIII. 14.

Confiteor tibi, Pater.] Id eſt, Gratias tibi ago. Hebræa phraſis eſt; nam apud Hebræos vox *Godah* ſignificat ſimul confiteri, & prædicare, laudare, gratias agere: ut Pſal. 6. 6. VII. 18. IX. 2 &c. Qui enim gratias agit, is agnoſcit & confitetur beneficium, tribuitq; laudem ac honorem, qui beneficienti debetur.

Ex hac gratiarum actione Chriſti colligi poteſt, eum ſummum illum Deum, qui Pater eſt, non eſſe. Nam non ſolum illum tanquam Dominum cœli & terræ à ſeipſo diſtinguit, ſed etiam nullam habuiſſet cauſam, pro eo gratias agendi, quod, ſi unius cum Patre eſſentiæ eſſet, non minus ipſius opus fuiſſet, quam Patris.

Hæc abſcondiſti.] Nempe myſteria Regni Dei, quæ ipſe mundo annunciabat.

Abſcondiſti coram ſapientibus ac intelligentibus.] Modus loquendi iterum eſt Hebraicus. Chriſtus enim non pro eo gratias agit, quod iſta abſconderit, ſed potius, quod ea revelarit. Neque etiam pro eo agit gratias, quod iſta quidem revelarit, ſed ſapientibus atque intelligentibus in eorum intellectu modo occulto, & vi irreſiſtibili, ſine omni culpa ipſorum tenebras offuderit, ut iſta capere haud potuerint. Chriſtum enim in hunc finem, tanquam lucem magnam, in mundum miſit, ut fulgore ſuæ cœleſtis doctrinæ omnes homines irradiaret Joh. 1. 9. Deus vult ut omnes homines ſalvi fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant 1 Tim. 2. 4. Sed ſenſus horum verborum eſt, & pro eo Chriſtus agit Patri ſuo gratias, quod talia mundo annunciari curaverit, ſeu quod ea, quæ annunciari curavit, divina ipſius directione talem eventum ſortita ſint, ut ab iis, qui vulgo in mundo ſapientes atque intelligentes habentur, non

fuerint recepta, ſed potius ab iis, qui ab his pro ſtultis & inſipientibus reputantur. Similis locutio eſt illa Pauli Rom. 6.17: *Gratia ſit Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, ſed obedientes facti eſtis* &c. Ubi Apoſtolus non pro eo laudat Deum, quod Romani fuerint ſervi peccati: ſed pro eo, quod cum fuerint antea ſervi peccati, facti ſint obedientes. Vide etiam ſimilem loquendi modum infra cap. 18.21. XXIII. 15.

Sapientibus & intelligentibus.] Non loquitur hic Chriſtus de vera ſapientia, quæ adeo non eſt inepta ad capienda myſteria Regni Dei, ut potius hæc ſola ad id apta ſit. In eo enim vera & ſumma ſapientia ſita eſt, ut opera divina non ex apparentia externa, in ſenſus incurrente, ſed ex vi & efficacia æſtimentur. Sed Chriſtus loquitur de carnali ſapientia, ſeu mundana, quæ nihil aliud ſpectat, quam terrenam felicitatem ac fluxa hujus ævi bona. Quiſquis enim ſtatum ſuum hic in terris reddere quam florentiſſimum novit, is in mundo pro ſapiente ac prudente habetur. Cum hac vero ſapientia, quia doctrina Regni Dei nullam habet affinitatem, idcirco qui iſti carnali ſapientiæ ſunt addicti, ineptiſſimi ſunt ad hanc doctrinam percipiendam: inprimis cum ſapientes iſti ut plurimum deſtituti ſint vera animi probitate, ſed ad improbitatem & hujus ſeculi delicias propenſiſſimi; præterea ſapientiæ ſuæ opinione turgeant, ut alios elato ſupercilio deſpiciant. Atque hujuſmodi fuit potiſſimum tunc temporis Phariſæorum ac Scribarum ſapientia; maxime autem duorum celeberrimorum Rabbinorum Judaicorum Hillelis & Sameæ, quorum nomina & doctrina tum in ſummo fuere pretio atque auctoritate. Omnes enim illorum cogitationes, quas tam de ipſo Meſſia, quam de ſumma felicitate per Meſſiam afferenda, fovebant, mere carnales erant, & ad carnis voluptatem tendebant; cum quibus quia humilis & deſpecta ſervi forma, quam Chriſtus aſſumſit, haud convenicbat, ideo non erant cœleſtis doctrinæ ipſius capaces, neque idonei ad eum pro legato divino agnoſcendum. Atque huc pertinet, quod ſupra Chriſtus dixit ℣ſ. 6: *Beatus, qui non ſcandaliſatur in me.*

Parvulis.] Id eſt, qui modeſte de ſe ſentiunt; qui non videntur ſibi eſſe ſapientes, uti infantes ſolent. Ita Paulus de ſe ait, quod inter Corinthios nihil ſciat amplius, quam Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum 1 Cor. 2. 2. Iſtos parvulos Chriſtus opponit ſapientibus ac intelligentibus, ut qui horum reſpectu ſtulti ac inſipientes eſſe videantur, quamvis reipſa recta ratione & judicio perſpicaci nequaquam careant. Quia enim non ſunt inflati propriæ ſapientiæ ſuæ æſtimatione, ut alii, & quia curis hujus vitæ non adeo ſe implicant, neve ad ſummos honores, opes ac voluptates carnis ita anhelant, ſicuti ſapientes hujus mundi; propterea parvulis, id eſt, inſipientibus accenſentur. Atque cum hac ſimplicitate plerumque conjuncta eſt animi probitas, quæ virtutem impenſe amat. Propter quam ſimplicitatem pii & innocentes infantibus comparantur Matth. 18.3. Marc. 9. 37. Inde eſt, quod tales ſint maxime idonei ad intelligendam & recipiendam Chriſti doctrinam. Tales vero parvuli erant tunc plerique è promiſcuo & indocto populo. Huc ſpectat dictum illud Eccleſiaſtici cap. 3. 19, 20: *Quo major es, eo magis te humilia, & coram Deo invenies gratiam. Multi ſunt elati & jactabundi; ſed manſuetis revelantur arcana: nam magna eſt poteſtas Domini, & ab humilibus honoratur.* Ubi manſueti & humiles conjunguntur; ut & hic infra ℣ſ. 29. David quoque canit Pſal. 25. 14: *Arcanum Domini reverentibus eum eſt apertum, & fœdus ejus manifeſtatur illis.* Hebræi vulgo dicunt de Moſe, neminem humilius de ſe ſenſiſſe illo, & nemini Deum plura revelaſſe, quam illi. Huc facit etiam quod Chriſtus inquit ad diſcipulos ſuos infra cap. 13.2: *Vobis datum eſt, noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum.*

Verſ. 26. *Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.*] Ita, omnino, Pater, tibi gratias ago.

Fuit placitum ante te.] Græc. ἐγένετο εὐδοκία, *fuit beneplacentia.* Hebraiſmus. Non eſt autem mens Chriſti in his verbis, Deum nullam aliam habuiſſe cauſam ſic agendi, præter nudam ſuam voluntatem ac beneplacitum. Chriſtus enim hic potius extollit Dei ſummam ſapientiam atque juſtitiam, quæ in hoc Dei conſilio tam admirabilis eſt, & ad promovendam humanam ſalutem tam appoſita, ut, quemadmodum Paulus ait 1 Cor. 1. 26, 27, ſapientes & potentes hujus mundi hac ratione confundantur.

Verſ. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.*] Quia mentionem fecerat Chriſtus myſteriorum regni Dei ſeu ſalutis, ideo porro de iis agit, oſtenditque ad cognitionem eorum perveniri non poſſe, niſi per fidem in ipſum.

Omnia mihi tradita ſunt.] Infra cap. 28. 18 ait Chriſtus, *data mihi eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra:* indicans, ſe deſtinatum eſſe, ut ſit ſupremus Dominus ac Rex Angelorum ac hominum omnium. Hic autem Chriſtus potiſſimum loquitur de revelatione divinorum arcanorum, quod ipſi omnia quæ ad ſalutem hominum ſpectant, à patre ſuo cœleſti ſint perfectiſſime patefacta.

Eccur vero Chriſtus ſic loqueretur, ſi ipſe eſſet idem ille Deus ſummus, qui Pater eſt? Quid ipſi Pater ſive dare, ſive revelare potuit, quod non ipſe jam antea habuerit aut ſciverit? Quid etiam Pater humanæ Chriſti naturæ dare aut revelare potuit, ſi cum ſecunda Trinitatis perſona, à qua omnia habuit ac ſcivit, conjuncta fuit & arctiſſime coaluit?

Et nemo novit Filium, niſi Pater.] Id eſt, nemo hominum per ſe ſcire poteſt, multo minus aliis revelare, quis & quomodo ſit Filius Dei, quot & quanta ſalutis humanæ cauſa illi peragenda ſint, quid ipſe pati ac ſuſtinere debeat, & ad quam ſublimen divinæ poteſtatis ac ſapientiæ gradum extollendus ſit, (quæ omnia ad notitiam Filii pertinent) ſed ſolus Pater id novit, qui hoc totum in ſuo ſapientiſſimo conſilio ad eum conſtituit modum.

Neque Patrem quis novit, niſi Filius.] Id eſt, nullus quoque hominum per ſe ſcire poteſt, quis & qua ratione ſummus rerum omnium Dominus pater ſit, quanto amore Chriſtum alioſque ipſius fideles complectatur, quantam gloriam ipſis deſtinarit, & quo pacto ſalutem eorum in effectum velit deducere; ſolus Filius id bene novit, utpote cui omnia à Patre tradita ſunt, id eſt, qui ipſi omnia arcana ſuæ voluntatis in hoc grandi opere ſalutis humanæ retexit ac concredidit.

Et cui

Et cui voluerit Filius revelare.] Deus Chriſti arbitrio ac ſapientiæ commiſit, cui, quando & quantum cuique de eo revelare velit. Chriſtus enim non omnibus omnia, nec omni tempore revelavit: ut videre eſt infra cap. 13. 2. Marc. 4. 2. Luc. 8. 10. Rom. 16. 25. 1 Cor. 2. 7. Epheſ. 3. 5. Col. 1. 26. Nihilominus tamen unicuique ſemper tantum revelavit, quantum ſatis eſt ad inveniendam viam ſalutis. Quod autem id pauci recipiant, propria ſit illorum culpa Joh. 1. 5. Act. 13. 46. Propter hanc revelationem divinæ voluntatis de ſalute hominum, Chriſtus appellatur *effulgentia gloriæ, & character ſubſtantiæ Dei* Hebr. 1. 3, *imago Dei inconſpicui* Coloſſ. 1. 15, *ſermo Dei* Joh. 1. 1, 9.

Ante Chriſtum nemo quicquam de hoc maximo myſterio ſcivit, ne Prophetæ quidem ipſi, qui de eo vaticinati ſunt, ſed tantum velut obſcuras quaſdam lucis ſtricturas viderunt. Vide 1 Petr. 1. 10, 11, 12.

Hic etiam clare elucet, Spiritum Sanctum non eſſe ullam perſonam divinitatis, adeoque non eſſe Deum altiſſimum. Quomodo enim alioqui Chriſtus dicere potuiſſet, niminem noſſe Filium, niſi Patrem, & neminem noſſe Patrem, niſi Filium? Spiritus Sanctus utique noſſet utrumque, ſi perſona Deitatis foret.

Verſ. 28. *Venite ad me omnes laborantes & onerati, & ego reficiam vos.*] Cum Pater Filio omnia quæ ad perfectam & ſolidam notitiam divinæ ſuæ voluntatis, ac porro ad ſalutem hominum ſpectant, tradiderit atque revelarit, idcirco is jam omnes homines ad ſe vocat ac invitat, attamen cum conditione ſeriæ pœnitentiæ peccatorum ſuorum agendæ. Quod autem ad Chriſtum venire hoc loco idem ſit, quod in ipſum credere, eum pro tali agnoſcere, qualem ſe mundo manifeſtavit, & apud ipſum quærere auxilium; id patet ex Joh. 7. 37, confer cum ℣. 38.

Omnes laborantes.] Hic nemo excluditur, qui modo pertinet ad catalogum laborantium & oneratorum, nempe peccatis: id eſt, qui ſub onere peccatorum gemit, & ab hoc onere liberari, vitæque æternæ compos fieri geſtit. Vox Græca κοπιῶντες laborem deſignat, quo quis laſſatur ac defatigatur. Chriſtus non ſimpliciter de iis loquitur, qui peccatis onuſti ſunt, ſed de iis, qui quod onuſti ſint, quodque cervicibus ſuis impendeant divina judicia, agnoſcunt, & ardentiſſimo deſiderio ad liberationem anhelant. Quam grave onus ac pondus peccati ſit, videre eſt ex Pſal. 38. 4, 5. Ejuſmodi pœnitentes emphatice deſcribuntur Baruch. 2. 18.

Et ego vos reficiam.] Ego vos omni onere atque labore levabo. Pronomen *Ego* emphaſin habet: quia reſpicit ad ſuperiora verba ℣ſ. 27. Ego, cui omnia tradita ſunt à Patre. Qui laborat & onere gravatur, nihil magis optat, quam requiem. Hanc ergo requiem à labore & onere peccati pollicetur hic Chriſtus, idque duplici ratione. Primo, dum generalem remiſſionem omnium præteritorum peccatorum, ac ſimul liberationem à pœnis æternis, adeoque certam ſpem vitæ æternæ mundo annunciavit Luc. 1. 77. Actor. 5. 31. Secundo dum viam ac medium oſtendit, per quod impediri poteſt, ne amplius onere iſto gravemur, in verbis mox ſequentibus.

Verſ. 29. *Tollite jugum meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.*] Loco jugi peccati ſuſcipite meum jugum, quod ego vobis impono ac veſtris humeris. Nemo enim ferre duo juga poteſt: qui hoc fert, ab altero fit liber. Jugum iſtud ſunt præcepta Chriſti, quibus obedientiam præſtare homines tenentur. Inter hæc autem primum ac præcipuum, ſeipſum abnegare ac crucem ſuam portare Matth. 16. 24. Sic & Legis mandata Petrus jugum vocat Act. 15. 10.

Diſcite à me.] Subjicite vos meæ doctrinæ, meæque poteſtati, date vos in meam diſciplinam. Eſt repetitio ſuperioris dicti, aliis verbis facta.

Quia mitis ſum & humilis corde.] Non eſt quod vobis à me propter peccatorum veſtrorum conſcientiam metuatis: non enim ſum ſuperbis eſt immiſericordibus Magiſtris ac Doctoribus ſimilis. Sum *mitis*, id eſt, miſericors, & ad condonandum facilis. *Et humilis*, id eſt, nemini aditum ad me denego, etiam viliſſimo & abjectiſſimo. Manſuetudo ſeu lenitas & humilitas plerumque inter ſe conjunctæ ſunt, quemadmodum & immiſericordia & ſuperbia. De hac utraque eximia virtute Chriſti non modo univerſa vita ejus luculentiſſime teſtatur, ſed Paulus quoque 2 Cor. 10. 1. Phil. 2. 6, 7, 8. Reſpicit hic Chriſtus ad locum Zach. 9. 9, qui adducitur Matth. 21. 5.

Humilis corde.] Non tantum externa ſpecie, ſed etiam vere & ex animo.

Et invenietis requiem animabus veſtris.] Verba hæc deſumpta ſunt ex Jerem. 6. 16.

Animabus veſtris.] Id eſt, veſtris animis ac conſcientiis. Bona conſcientia, quæ ſibi nullius mali conſcia eſt, ſumma quies eſt, & beatiſſimus ſtatus in mundo, qui conjunctus eſt cum indubitata ſpe æternæ quietis 2 Theſſ. 1. 7. Hebr. 4. 11.

Verſ. 30. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*] Chriſtus occurrit tacitæ objectioni. Poſſet enim quiſpiam cogitare: obedientiam præceptorum Chriſti eſſe tamen grave onus. Id Chriſtus hoc loco negat. Ita & Johannes ait, mandata Chriſti gravia non eſſe 1 Joh. 5. 3. Nimirum ſpes tam excellentis præmii, auxilium divinæ gratiæ, & conſuetudo, illa reddit facilia. Præterea ita comparata ſunt Chriſti mandata, ut egregie cum natura humana conveniant, cum id ipſum doceat rationis nobis inſitæ lumen, ut Deum tanquam auctorem omnis boni & proximum noſtrum diligamus. Si conſideretur vita alicujus virtutibus prædíti, & ſimul etiam improbi hominis, quorum ille habitum in bene agendo, hic in male agendo contraxit, longe facilius & jucundius erit illi pie vivere, quam huic impie. Magno conſtant vitia, & ſuperbiæ, avaritiæ ac voluptatibus magnum perſolvendum eſt veſtigal, ſi quis eis ſerviat. Chriſtum hic reſpexiſſe ad Legem Moſaicam, quæ cum Chriſti lege collata merito grave & intolerabile jugum dici poteſt Actor. 15. 10, non eſt veriſimile. Nihil enim ille unquam dixit aut fecit, quo aliquid Legi vere detraheretur.

CAPUT XII.

I. *Chriſtus defendit diſcipulos ſuos adverſus Phariſæorum criminationem de Sabbato profanato: ad verſ.* 9. II. *Sanat Sabbato quendam aridam manum habentem: ad verſ.* 14. III. *Subducit ſe ab oculis Phariſæorum, plurimoſque ægros curat: ad verſ.* 22. IV. *Ejicit dæmonem probatque, ſe non ejicere dæmonia per Beelzebubem: ad verſ.* 31. V. *Monet Phariſæos, magnitudinem peccati contra Spiritum Sanctum, & ejuſdem pœnam eis ob oculos ponens: ad verſ.* 38. VI. *In ſermone ſuo contra eos pergit, ſignum Jonæ eis dans & comminatur eis damnationem: ad verſ.* 43. VII. *Generalem admonitionem proponit de periculo, iis imminente, qui ſemel è poteſtate diaboli erepti ac liberati fuerunt: ad verſ.* 46. VIII. *Reſpondet indicanti ſibi matris & fratrum cum ipſo colloqui volentium adventum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *In illo tempore abiit Jeſus Sabbato per ſata.*] Gr. Sabbatis. Pluralis pro ſingulari, uſitato Hebraiſmo: ut patet ex ℣. 2. Vide quoque Matth. 28. 1. Marc. 1. 21. Actor. 13. 14. Lucas ait id factum eſſe Sabbato δευτεροπρώτῳ, *ſecundo-primo* cap. 6. 1, de quo vide ibidem. Hinc intelligitur, hanc hiſtoriam paulo poſt Paſcha contigiſſe: nempe poſt Paſcha 74 anni Juliani, quod fuit primum Paſcha poſt Baptiſmum à Chriſto ſuſceptum. Hujus Paſchatis meminit Johannes cap. 2. 13, præter eum nullus alius Euangeliſtarum.

Diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare.] Lucas cap. 6. 1 addit, eos manibus ſpicas contriviſſe. In Lege conceſſum erat in cujuſlibet agro ſpicas vellere, ſed falce metere non licebat Deuter. 23. 25. An vero ſpicas Sabbato vellere & terere licuerit, alia eſt quæſtio. Lex prohibet Sabbatho ſervilia opera, vel, ut Judæi interpretantur, labores mancipiorum, Levitic. 23. 7, 8, 21, 25. Inter ſervilia autem opera numerant Judæi in ſuis juribus etiam contritionem ſpicarum. Sed neque Chriſtus negavit id eſſe ſervile opus, ſed monſtrat tantummodo, id, quod fecerunt diſcipuli in illo caſu, quo eſuriebant, non eſſe menti Legis contrarium. Neceſſitas enim Legem non habet. In ejuſmodi caſibus dictat naturalis æquitas, non expectandam eſſe extremam neceſſitatem; ſed ſufficit, ſi præſto ſit talis neceſſitas, quam natura legis facile admittit.

Verſ. 2. *Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere in Sabbatho.*] Phariſæi non loquuntur de deambulatione, quod Sabbato per ſata tranſiverint, ſed de contritione ſpicarum. Chriſtus enim una deambulabat, ſed nullas terebat ſpicas: ideo non accuſant niſi diſcipulos ejus. Longum iter conficere Sabbato, inter ſervilia opera referebatur, ideoque erat illicitum: ſed brevis deambulatio non erat impermiſſa, quippe ad exhilarandum animum magis, quam ad defatigandum corpus faciebat. Ut vero hac de re in judicio certa ferri poſſet ſententia, ſi qui caſus inciderint, idcirco Legiſperiti definiverunt 2000 paſſus, quos Sabbato conficere licebat; quod hunc numerum excedebat, pro ſervili opere habebatur.

Verſ. 3. Ille vero dixit eis: *Non legiſtis, quid fecerit David, quando eſuriit ipſe, & qui cum eo erant.*] Chriſtus refutat Phariſæos triplici argumento. Primum petitum eſt è Scriptura à ſimili exemplo: q. d. David neceſſitatis tempore edit panes propoſitionis, quos alias ſolis ſacerdotibus edere licebat Lev. 24. 6, 9, neque tamen in eo tranſgreſſus eſt Legem. (Neceſſitas enim eum excuſavit, & à Lege liberum fecit.) Sic mei quoque diſcipuli nihil peccant contra Legem, in eo, quod urgente neceſſitate ſpicas triverint Sabbatho.

David.] Cum fugeret Saulem 1 Sam. 21. 6.

Et qui cum eo erant.] Verba hæc nimis clara ſunt, ut ſtatui nequeat, Davidem in illa fuga ſua ſolum fuiſſe, nullis ſtipatum comitibus. Etſi enim Achimelech ſacerdos dixerit ipſi: *Cur ſolus veniſti, & cur nemo eſt tecum?* 1 Sam. 21. 1, id tamen ita eſt intelligendum, quod comites ſuos alibi expectare juſſerit, ut liquet ex eodem Sam. capite ℣. 2 & 4.

Verſ. 4. *Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus?*] Templum Hieroſolymis tunc nondum erat conditum: quare hic per domum Dei intelligendum eſt Tabernaculum illud Fœderis, cujus ſtructura Exod. 26 deſcribitur; quod tunc temporis in Nobe fuiſſe apparet. Hinc Nobe civitas ſacerdotum vocatur 1 Sam. 22. 19.

Panes propoſitionis. Hi erant panes ſancti, quorum 12 vel ſeni duobus ordinibus in menſa coram Domino ponebantur Lev. 24. 6, 9.

Verſ. 5. *Aut non legiſtis in Lege, quia Sabbathis ſacerdotes in templo Sabbathum violant, & inculpati ſunt?*] Nunc ſequitur alterum argumentum Chriſti, quod diſcipuli ſui in hoc caſu neceſſitatis Sabbatho non ſint adſtricti. Argumentatur autem à minori ad majus, hoc modo. Opera, quæ ad templum pertinent, non violant Sabbathum; multo minus opera, quæ ego & diſcipuli mei facimus, quæ longe ſunt præſtantiora, quam opera templi. Prius probatur è Num. 28. 9, 10, ubi ſacerdotibus injungitur, Sabbatho mactare victimas. Poſterius continetur ſequenti ℣. 6.

Violant Sabbatum.] Non vere ac proprie violant, ſed Chriſtus vult dicere, eos talia patrare opera, quibus alioqui Sabbathum violaretur, niſi illa ad cultum divinum facerent, & à Deo expreſſe mandata non fuiſſent. Mactabant enim pecudes, excoriabant eas, findebant ligna, accendebant ignem, coquebant & purgabant inteſtina, & ſimilia. Apud Judæos eſt uſu trita regula, in Templo nullum eſſe Sabbatum.

Et inculpati ſunt.] Non tamen proprie Legem de Sabbatho violant ac tranſgrediuntur.

Verſ. 6. *Dico autem vobis, quia templo major eſt hic.*] In pleriſque Græcis exemplaribus pro major habetur

betur *majus*: quaſi dicat Chriſtus: Majora hic ſunt opera, quæ ego & diſcipuli mei facimus, quam quæ in Templo fiunt; nempe nos annunciamus divinam voluntatem de ſalvandis hominibus. Si proinde opera templi propter Sabbathum non intermittuntur, multo minus mea meorumque diſcipulorum opera propter Sabbathum intermitti debent: cum hæc ſint Prophetica opera, multoque majora, quam opera templi. Erant autem Chriſtus ac diſcipuli ejus adeo in ſuo munere divino occupati, ut non ſuppetierit ipſis tempus, pridie Sabbathi aliquid cibi præparare, quo in Sabbatho veſcerentur: quod munus ſuum illi Sabbathi cauſa non debebant omittere, fuitque illis adeo licitum, id quod ante Sabbathum ad vitam ſuam conſervandam facere non poterant, Sabbatho ipſo quaſi penſare, id eſt, terere ſpicas, eaque ratione famem pellere. Idem ſenſus eſt, etiamſi legatur *major*. Nam Propheta quilibet major eſt templo, & opera Prophetæ multo minus violant Sabbathum, quam opera templi.

Verſ. 7. *Si autem ſciretis, quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes.*] Hoc eſt tertium argumentum adverſus Phariſæos, cujus hæc eſt ſumma: Ratio ipſo dictat, quando ob certas circumſtantias evenit, ut duæ Leges concurrant, ita ut ſi una obſervetur, altera neceſſario violanda ſit, ſemper eam quæ potior eſt, prævalere debere. Jam vero Lex de charitate & miſericordio patior & major eſt Lege ad ceremonias pertinente: (quod ipſum locus Oſeæ à Chriſto hic citatus monſtrat) ergo illa magis obſervanda & attendenda eſt. Vult igitur Chriſtus dicere: ſi ſciretis, opera charitatis ac miſericordiæ Deo acceptiora eſſe, ac proinde magis curæ habenda, quam opera ceremonialia (qualia ſunt ſacrificia & obſervatio Sabbathi) non damnaretis meos diſcipulos tanquam tranſgreſſores Sabbathi, qui hac in parte innocentes ſunt. Atqui inter omnia opera charitatis & miſericordiæ nullum eſt præſtantius eo opere, quo hominum æterna ſalus promovetur. Quapropter qui ad hoc opus à Deo vocatus eſt, eum oportet tanta diligentia ei incumbere, ne vel minimum tempus negligat aut prætermittat, quia craſtinus dies non eſt in hominis poteſtate. Huic itaque tam præclaro operi, juſtum eſt, ut Lex de Sabbatho, quæ ſimpliciter ad Ceremonias pertinet, cedat: ita ut cum Chriſtus docendo, diſcipuli ejus homines ad doctrinam ipſius præparando occupati, non habuerint tempus ea parandi, quæ ad ſtrictam Sabbathi obſervationem erant neceſſaria, licuerit ipſis ſpicas vellere ac terere ad veſcendum, ut famem ſedarent. De loco Oſeæ vide ſupra cap. 9. 10.

Verſ. 8. *Dominus enim etiam Sabbathi eſt filius hominis.* Vulgo putatur, Chriſtum hic per *filium hominis* intelligere ſemetipſum, quod nimirum ipſe ſit Dominus Sabbathi, adeoque poteſtatem habeat Sabbathum violandi, aut diſcipulos ſuos ab obſervatione Legis de Sabbatho liberos faciendi. Verum Chriſtus, dum in terris vixit, in omnibus ita ſe geſſit, tanquam Legi ſubjectus: (vide Matth. 5. 17. Gal. 4. 4.) & nunquam contra Legem quicquam fecit, aut ei derogavit; ſed tantum Legem ex mente Patris ſui declaravit, atque hanc declarationem ſuam partim ipſis Legis verbis, partim talibus argumentis, quæ cum naturali æquitate conveniunt, confirmavit. Quare Chriſtus hic nihil dicere voluit, quam hominem quemvis eſſe dominum Sabbathi. Voces enim *filii hominis* conſuetudine Hebræorum nihil aliud ſignificant, quam *hominem*. Vide ſupra cap. 8. 20 & Marc. 3. 28. Quod autem hæc ſit mens Chriſti, ex Marco clare intelligitur, ubi Chriſtus ita loquitur: *Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbathum. Itaque filius hominis eſt dominus etiam Sabbathi* cap. 2. verſ. 27, 28, ſenſuſque eſt: Sabbathum in utilitatem & commodum hominis inſtitutum eſt, non homo ad utilitatem Sabbathi; ideoque homo eſt dominus Sabbathi, id eſt, jus & poteſtatem habet eo ad ſuam utilitatem & commodum utendi. Vulgari autem interpretatione poſita, verba hæc plane non cohærent. Quæ enim eſt conſequentia: Sabbathum eſt hominis cauſa inſtitutum. Ergo Chriſtus eſt Dominus Sabbathi? Hoc proinde ſibi vult Chriſtus, quandoquidem homo eſt dominus Sabbathi, conveniens eſſe, ut Sabbathum homini cedat, quando de ejus conſervatione ac ſalute agitur.

De duplici mandato Sabbathi vide apud Marcum cap. 2. 28.

PARS II.

Verſ. 9. *Et cum inde abiiſſet, venit in Synagogam eorum.*] Lucas narrat cap. 6. 6 hoc factum fuiſſe alio die Sabbathi, quod etiam ex circumſtantiis hiſtoriæ colligitur.

In Synagogam eorum.] Nempe illorum ipſorum, qui priore Sabbatho diſcipulos ejus ob tritas ſpicas culpaverant. Erat hæc Synagoga in proxima civitate.

Verſ. 10. *Et ecce erat homo habens manum aridam.*] Lucas notat, dextram manum fuiſſe cap. 6. verſ. 6.

Et interrogabant eum, dicentes: An licet Sabbathis curare? ut accuſarent eum.] Lucas nominat Phariſæos & Scribas. Narrat autem tum Marcus cap. 3. 4, tum Lucas cap. 6. 9, non à Phariſæis Chriſto, ſed à Chriſto Phariſæis interrogationem eſſe propoſitam. Sed Chriſti interrogatio alia eſt, quam Phariſæorum; & prorſus credendum eſt, Phariſæos primum interrogaſſe, An liceat Sabbatho curare? & tum Chriſtum oppoſuiſſe talem interrogationem, qua ſimul eos pudefecit, & ipſorum interrogationi reſpondit. Interrogat enim (ut Marcus & Lucas referunt) utrum Sabbatho liceat benefacere, an malefacere? animam ſervare, an occidere? Quibus verbis ſatis indicat, tale opus Sabbatho facere permiſſum eſſe, quo hominis vita & ſanitas conſervari poteſt.

Verſ. 11. *Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam; & ſi ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne apprehendet eam & eriget?*] Judæi in interpretatione Legis de Sabbatho non conſentiebant. Eſſeni enim tam rigidi erant in eo, ut nullam ferme exceptionem aut excuſationem admitterent. Vulgo autem conceſſum erat, certa quædam opera Sabbatho facere. Nam ex his Chriſti verbis, ut &

ut & ex illis apud Lucam cap. 14. 5 intelligitur, tunc temporis licitum fuiſſe pecudem, quæ Sabbatho in foveam vel puteum ceciderat, extrahere. Non enim meminerunt Euangeliſtæ, Chriſto ea in re contradictum fuiſſe. Præterea in antiquo Babylonico Judæorum jure Eccleſiaſtico habetur, quod periculum vitæ pellat Sabbathum. Nec non in antiquiſſimis Judæorum traditionibus, quæ *Miſnajot* dicuntur, legitur: *Omnis labor Sabbatho prohibetur, niſi quando de conſervanda anima agitur*, id eſt, de conſervatione vitæ hominis vel pecudis. Vide quoque 1 Macch. 2. 40, 41. Poſterioribus temporibus autem Judæi, ex odio erga Chriſtianos, leges ſanxerunt ſeveriores: nempe ſi pecus in foveam incidat die Sabbathi, cibum ei in fovea per Sabbathum eſſe ſuppeditandum. Quod ſi profunda ſit aqua in fovea vel puteo, faſcem ſtraminis vel alias res pecudi ſubſternendas, ne ſuffocetur. Quaſi vero hoc ipſum non æque laborioſum ſit, quam pecudum extrahere. Ilmedenu V. I. *Dicit R. Hija, filius Abbæ nomine R. Levi: Non licet Sabbatho ſalivam ſuper oculos ponere, quia id ſimile videtur medicamento. Nam etiam medicamentum ullum Sabbatho ſumere (excepto diſcrimine vitæ) illicitum eſt.*

Verſ. 12. *Quanto igitur homo melior eſt ove?*] Judæi potuiſſent Chriſto objicere: Legem nonniſi in diſcrimine vitæ permittere Sabbatho pecudem ſervare; at hunc hominem tantum in membro quodam defectum pati. Occurrit igitur Chriſtus iſti objectioni, indicatque, hominem adeo præſtantiorem eſſe pecude, ut ſanitas hominis etiam vitæ pecudis ſit anteponenda.

Itaque licet Sabbatis benefacere.] Non ait Chriſtus *curare*, ſed in genere *benefacere*: quod majorem habet emphaſin. Eo enim ſignificat, non ſolum curare & ſanum reddere, ſed etiam alia beneficia & opera charitatis erga hominem exercere Sabbato, permiſſum eſſe. Hominem ſanare longe præſtantius opus eſt, quam puerum aliquem circumcidere, quam pecudem ad ſacrificandum immolare: quod tamen facere Sabbato licebat.

Verſ. 13. *Tum ait homini arefactam manum habenti, Extende manum tuam, & extendit, & reſtituta eſt ſana, ſicut altera.*] Chriſtus non ſolum verum uſum Sabbathi Phariſæos docuit, verum ut quoque eis omnem anſam ſe criminandi prædiceret, non attigit ægrum, ſed ſolo verbo eum ſanavit. Sic enim dicere nullo modo poterant, eum violaſſe Sabbatum.

PARS III.

Verſ. 14. *Exeuntes autem Phariſæi.*] Nempe è Synagoga ℣. 9.

Capiebant conſilium adverſus eum.] Non in publico conventu, ſed in privato clam inter ſe conſultarunt. Marcus addit, admiſiſſe eos ad hoc conſilium Herodianos cap. 3. 6.

Ut eum perderent.] Nam cor eorum ardebat invidia, quod tot è populo ſectatores ſibi adjungeret; metuebant proinde, de ſua auctoritate prorſus actum iri, & præterea periculum à Romanis pertimeſcebant. Vide Joh. 11. 48.

Verſ. 15. *Jeſus autem eo cognito, receſſit inde, & ſequutæ ſunt eum turbæ multæ & curavit eos omnes.*] Cognovit eorum inſidias virtute divina in ſe habitante, qua etiam cogitationes eorum perſpiciebat; ut infra ℣. 25. & Mat. 9. 4. Luc. 5. 22. VI. 8. IX. 47. XI. 17.

Receſſit inde.] Ad mare, ut Marcus narrat cap. 3. 7. Hoc ipſum fecit, quod ſupra cap. 10. 23 ſuis diſcipulis præceperat: non proprie ex timiditate aut animi ignavia, ſed quia hora ejus nondum venerat, ut Johannes ait cap. 7. 30. VIII. 20. Habuiſſet quoque tantum potentiæ, ut vi reſiſteret ipſorum vi, ſed facere id noluit, ut qui ne quidem arundinem quaſſatam volebat confringere ℣. 20.

Turbæ multæ.] Ex Galilæa aliiſque locis, ut Marcus ſcribit cap. 3. 7.

Et curavit omnes.] Nempe ægros, qui inter eos erant, & ſanari petebant. Innuit Euangeliſta, Chriſtum non fuiſſe parcum in diſtribuendis beneficiis, ſed unicuique abſque reſpectu perſonarum benefeciſſe, quiſquis peteret, & fidem haberet. Plures circumſtantias circa hanc curationem vide Marc. 3. 7, uſque ad verſ. 12.

Verſ. 16. *Et comminatus eſt eis, ne manifeſtum eum facerent.*] Ne ſcilicet reſciſcerent, quorum odium, quantum fieri poterat, declinare volebat. Ut adeo ob eandem cauſam prohibuerit ſe manifeſtari, ob quam ſeceſſerat. Vide ſupra cap. 9. 30.

Verſ. 17. *Ut impleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem.*] Quo pacto verba hæc cum præcedentibus cohæreant, non eſt eadem Interpretum ſententia. Nonnulli ſentiunt, reſpici in iis ad ℣. 15. Nempe in eo, dum Chriſtus curavit omnes ægros, qui ab eo opem poſtulabant, impletam eſſe prophetiam Eſaiæ. Alii exiſtimant, verba hæc referri ad proxime antecedentia, ita ut in eo, quod Chriſtus ſua miracula coram Phariſæis voluerit celari, impletum ſit dictum Prophetæ: nimirum hac ratione, quod Chriſtus noluerit ſuper Phariſæos accelerare divina judicia, quandoquidem zelus eorum, quo tantopere traditionibus majorum ſuorum addicti erant, aliquo modo adhuc, ſi non in omnibus, in multis tamen, tanquam res, quæ bono animo fiebat, excuſabilis fuerit. Ideo eum permittere noluiſſe, ut ſe nefando homicidii crimine obſtringerent, donec tandem propriam conſcientiam ſcienter ac petulanter ejurarent (uti infra ℣. 24 nonnulli fecerunt) atque ſic ſe dignos rederent, ut manus ſuas innocenti ſanguine conſpucarent, ac porro meritas in caput ſuum pœnas devolverent. Hanc fuiſſe cauſam, quod ex eorum oculis receſſerit, ſiquidem vitæ ejus inſidiabantur: eandem ob cauſam eum miracula ſua occultari voluiſſe, ne illi magis magiſque adverſus ipſum exulcerarentur, ac tandem anſam arriperent ante tempus homicidio ſe maculandi. Hac explicatione admiſſa, optime quadrant ſequentia verba Prophetæ cum verbis ℣. 16. Propheta enim in ſuis verbis celebrat ſummam Chriſti manſuetudinem ac modeſtiam; quod cum curatione ægrotorum non tam bene congruit.

Verſ. 18. *Ecce ſervus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea.*] Chriſtus hic vocatur ſervus Dei, reſpectu ſui muneris, in quo ſervivit Deo, dum fuit mediator Dei & hominum.

Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & judicium gentibus

gentibus annunciabit.] Id eſt, Ethnicos docebit vivere juſtam vitam. Aut, præſcribet Legem Ethnicis ſecundum Dei voluntatem vivendi.

Verſ. 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.*] Id eſt, munus ſuum cum omni modeſtia ac manſuetudine adminiſtrabit: non protinus in eos exacerbabitur, qui doctrinam ejus non illico recipient.

Neque clamabit.] Non oſtentabit, neque jactabit ſua miracula.

Neque audiet aliquis vocem ejus.] Hæc eſt proverbialis locutio. Qui fervide & animo incitato loquuntur, ſolent vocem ita attollere & vociferari, ut eorum verba extra ædes etiam in platea audiantur. Apparetque Prophetam his verbis ſignificare voluiſſe, Chriſtum tam benignum fore, ut non ſit omnibus patefacturus eorum vitia, quorum emendationis adhuc aliqua ſpes fuerit reliqua.

Verſ. 20. *Arundinem quaſſatam non confringet.*] Erga illos, qui ex infirmitate errant, utetur ſumma patientia & lenitate, neque eos mox præcipitabit in barathrum perditionis. Tales etiam inter Phariſæos fuerunt, qui bona intentione majorum ſuorum traditionibus ſervide adhæſerunt; quorum emendationem ac converſionem Chriſtus ſumma cum manſuetudine ac patientia expectavit.

Et linum fumigans non extinguet.] Id eſt, ellychnium jam emoriens, & paulum adhuc micans. In Syriaco eſt; *crepantem lampadem.* Senſus idem eſt: nam lucerna, quæ jam jam extinguitur, crepat. Eodem autem modo hoc dictum intelligendum, quo ſuperius de arundine quaſſata.

Donec ejiciat in victoriam judicium.] Donec cauſa ejus ita perficiatur & innoteſcat omnibus, ut ipſi coram quolibet judicio victoria adjudicetur. Vide Pſal. 51. 6. Hoc Chriſtus fecit, dum ſumma longanimitate ac patientia Judæorum perverſos mores ac improbitatem toleravit, nullique labori ac diligentiæ pepercit, ut eos in rectam viam reduceret. Ita Deus quoque refert, quid circa vineam ſuam fecerit Eſai. 5. 3.

Verſ. 21. *Et in nomine ejus gentes ſperabunt.*] Ethnici habebant juſtam cauſam fiduciam ſuam in ejus bonitate collocandi, qui inobedientes Judæos tanta ſuſtinuit ac toleravit lenitate.

Notandum hic eſt, non omnia verba Prophetæ ad propoſitum Mattthæi pertinere, ſive cum verſ. 15 ſive cum 16 connectantur.

PARS IV.

Verſ. 22. *TUm oblatus eſt ei dæmoniacus, cæcus & mutus, & curavit eum, ita ut cæcus & mutus loqueretur & videret.*] Utrum hæc hiſtoria ſit eadem cum Luc. xi. 14 diſcrepant interpretes. Præferenda tamen eſt eorum ſententia, qui negant hanc cum illa eandem eſſe, ſed illam quæ à Matthæo cap. 9. 32 deſcripta eſt, eandem cum hac Lucæ eſſe. Vide ad Lucæ hunc locum.

Tunc.] Nempe cum ex Synagoga exiviſſet ℣ſ. 9.

Cæcus ac mutus.] Non à nativitate, ſed diabolus uſum oculorum & linguæ ei ademerat. Nam ſimulatque dæmon ejectus, ſtatim ioqui & videre potuit.

Et curavit eum.] Id eſt, ejecit dæmonem.

Verſ. 23. *Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Nonne hic eſt ille Chriſtus filius Davidis?*] Tam nota erat promiſſio Davidi facta, etiam turbæ promiſcuæ, ut Davidis Filium & Meſſiam pro eodem accipiant. Vide ſupra cap. 1. 1. Maximis autem Chriſti miraculis fuerunt turbæ iſtæ permotæ, ut Jeſum pro Meſſia agnoſcerent: nec immerito. Qui enim tanquam Princeps omnium Prophetarum eſſe debebat, jure debebat quoque omnes Prophetas virtute miraculorum antecellere. Quocirca merito admiranda eſt ſumma cæcitas hodiernorum quorundam Judæorum, qui contra omnia veterum teſtimonia negant, Meſſiam miracula editurum.

Verſ. 24. *Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.*] Fortaſſis non omnes id dixerunt. Nam ex verſ. 30 apparet, aliquos eorum neque pro Chriſto, neque contra Chriſtum ſententiam tuliſſe.

Audientes.] Nullo modo ferre poterant, ut eum populus pro Meſſia haberet. Ipſius vilis ortus è Joſepho, noto omnibus fabro, ejuſque humilis ſtatus ac vivendi modus, nullo pacto cum eorum carnali opinione, quam de Meſſia animis ſuis impreſſerant, erat conſonus. Idcirco malunt abſurdiſſima quæque de Jeſu affirmare, quam eum pro Meſſia agnoſcere.

Per Beelzebub principem dæmoniorum.] Quod inter impuros ſpiritus unus ſit, qui cæterorum ſit caput & princeps, docent non Judæi ſolum, ſed Apoſtolorum quoque ſcripta. Apud Johannem & Paulum appellatur Princeps mundi hujus Joh. 12. 31. xiv. 30. xvi. 11. 1 Cor. 2. 6, 8, Princeps, qui habet poteſtatem in aëre Epheſ. 2. 2, Draco, ſerpens antiquus, Satan Apoc. 20. 2. Cur dictus ſit Beelzebub, declaratum eſt ſupra cap. 10. 25. Habebant autem in more Exorciſtæ, ut cum omnia alia media fruſtra tentaſſent, tandem Principem dæmonium invocarent, ut ipſius juſſu alii excederent.

Verſ. 25. *Sciens autem Jeſus cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit.*] Illam enormem blaſphemiam Phariſæorum Chriſtus diluit tribus rationibus. Primo cum inquit: *Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur.* Hæc ratio fortiſſime deſtruit falſam Phariſæorum opinionem, qui ſe à Magis dementari paſſi ſunt, ut crederent, dæmonem unum ab altero poſſe cogi ad aliquid faciendum. Nam cum Diabolus ſpiritus ſit callidiſſimus ac perſpicaciſſimus, fieri nequit, ut ille ſibi adhærentibus contrarius ſit, & ad tale quid faciendum vi eos adigat, quod illi per ſe illibenter facerent. Hac ratione enim diſcordias in regno ſuo excitaret, atque id ipſe everteret. Vide Marc. 3. 23, 24, 25, 26. Eſt quidem probabile, interdum fieri, ut unus dæmon exeat ex homine ad imperium principis dæmonum, cujus opem impii Exorciſtæ implorant; ut ſcilicet Exorciſtas iſtos in ſuo ſervitio ac cultu, quem ipſi invocatione ſua exhibent, retineat, aut etiam in genere, ut eos per tale miraculum, quod ipſe edit (de quo 2 Theſſ. 2. 9) in ipſorum falſa doctrina confirmet.

firmet. Qua ratione dæmones iſti non coacti ac inviti, ſed ſponte, & quadam cum principe ſuo conſpiratione facta, ex hominibus migrant. Sed in Chriſto id nullum locum habuit. Diabolus enim certe ne minimam quidem rem facere voluiſſet, quæ ad confirmandam doctrinam Chriſti, quæ tota, quanta erat, ad everſionem ac deſtructionem regni Diaboli comparata ac directa erat, facere poſſet. Præterea Chriſtus omnes obſeſſos, quicunque occurrebant, è poteſtate diaboli eripiebat, idque non prolixus adjurationibus, aut variis ceremoniis, quibus alii exorciſtæ utebantur, ſed ſevero faciebat mandato, tanquam poteſtatem habens, dæmonibus, & ipſi quoque principi eorum imperandi, non illius opem prius implorare opus habens.

Verſ. 26. *Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſeipſum erit; quomodo ergo ſtabit regnum ejus?*].

Verſ. 27. *Et ſi ego in Beelzebul ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt?*] Hæc eſt altera ratio. Quidam hanc eſſe Chriſti mentem autumant; ſi ego dæmonia per Beelzebulem ejicerem, dicite, per quem Apoſtoli mei, qui ſunt veſtri filii, id eſt, veſtri populares, ea ejiciant? Sed iſta explicatio menti Chriſti non eſt conſentanea. Nam Phariſæi tam de Apoſtolis, quam de Chriſto judicabant ac pronunciabant, quod dæmones per Beelzebulem ejicerent. Quare potius ſtatuendum eſt, Chriſtum per verba, *filii veſtri*, intelligere Phariſæorum diſcipulos, & ſectæ ipſorum addictos (nam cujuſlibet celebris Doctoris diſcipuli, ipſius filii vocabantur. Vide infra cap. 23. 9,) inter quos etiam exorciſtas fuiſſe, patet ex Actor. 19. 13. Vide etiam Marc. 9. 38. Luc. 9. 49. Erant autem inter Judæos aliqui, qui herbis certis ac ſuffimento adverſus malos genios utebantur, quin & obſeſſos funibus atque catenis conſtringebant. Sed etiam de his Chriſtus minime loquitur, ſed de illis qui dæmones adjurando ejiciebant: non quidem in nomine Jeſu, quod tunc temporis nemo faciebat, qui non eſſet Chriſti diſcipulus, ſed in nomine Dei Abrahami, Dei Iſaaci, & Dei Jacobi. Hæc ergo eſt vis hujus argumenti, q. d. Chriſtus: vos creditis ac perſuaſi eſtis, veſtros diſcipulos ejicere dæmonia virtute Dei; ergo & de me idem credere debetis: quia nullam cauſam habetis, aliter de me quam de diſcipulis veſtris judicandi. Illi gloriam miraculorum ſuorum Deo adſcribunt: & ego idem facio.

Ideo ipſi erunt veſtri judices.] Hoc ipſum, quod diſcipuli veſtri faciunt, ſufficiet ad vos maligni judicii veſtri de me convincendos, eritque cauſa veſtræ damnationis: uti etiam infra ℣. 41, 42.

Verſ. 28. *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos regnum Dei.*] In Spiritu Dei, id eſt, vi divina. Apud Lucam eſt: *Digito Dei* cap. XI. 20, non ſecus ac apud Moſen Exod 8. 9.

Ejicio dæmonia.] Hoc Chriſtus jam ſupponit tanquam probatum exemplo ipſorummet diſcipulorum.

Pervenit ad vos regnum Dei.] In Syriaco habetur: *Regnum Dei ad vos appropinquavit*; uti ſupra cap. 3. 2. IV. 17.

Regnum Dei.] De quo vaticinatus eſt Daniel cap. 2. 44. VII. 14. Ita vocatur tempus Meſſiæ. Chriſtus ita format argumentum: Ego ejicio dæmonia virtute divina, Ergo regnum Dei ad vos venit. Quomodo vero hoc ſequitur, cum Chriſtus ipſe agnoſcat, etiam Phariſæorum diſcipulos virtute Dei dæmonia ejicere? Nimirum Chriſtus faciebat omnia illa miracula ad demonſtrandum & confirmandum, quod ſit ab uno vero Deo miſſus: id enim palam & diſerte de ſe affirmabat. Jam vero Deus virtutem ſuam faciendi miracula neutiquam conceſſiſſet Chriſto, ſi is falſo id de ſe affirmaſſet, & ſic ſeductor tot piorum hominum fuiſſet. Deus jubet Deut. 13. 2, ne credatur miracula patranti, ſi per ea ſtudeat populum ad cultum falſorum Deorum abducere. Deus enim tam multis inſignibus miraculis & ſignis, quæ in conſpectu & oculis populi edidit, abunde comprobavit, ſe eſſe unum illum verum Deum, ut nullis aliis miraculis ac prodigiis debeat pati populus ſe ab hac fide avocari. Hinc ipſi Judæi talem confecerunt regulam, ei qui miracula facit, credendum eſſe, niſi doceat colere falſos Deos. Nam niſi Deus certam in Lege præſcripſiſſet regulam de miraculis judicandi, omnia illa miracula nihil profuiſſent, & fruſtra adhibita fuiſſent, quibus Prophetæ miſſionem ſuam à Deo confirmarunt. Quemadmodum autem maxima illa miracula, quæ Moſes fecit digito Dei, erant ſignum mox ſecuturæ liberationis: ita quoque longe excellentiora Chriſti miracula ſignificarunt, illam feliciſſimam liberationem jam præ foribus eſſe, quæ per illam fuit adumbrata.

Eodem modo allegat Chriſtus miracula ſua, ad probandum, ſe à Deo miſſum eſſe Joh. 5. 36. X. 38. Et ſpiritus (id eſt, divina virtus, qua Chriſtus edidit miracula) inter teſtes numeratur 1 Joh. 5. 8.

Verſ. 29. *Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem, & tunc domum illius diripiet?*] Hæc eſt tertia ratio ducta à ſimili: nempe, ſicut nemo poteſt domum expilare fortis alicujus athletæ, niſi ſit illo fortior, ut eum prius vinciat ac conſtringat; ſic ego quoque non poſſum homines, quos diabolus poſſidet, è manibus ac poteſtate ejus eripere, niſi eum Dei virtute prius conſtringam.

Fortis.] Vide Eph. 6. 12.

Vaſa ejus.] Id eſt, homines, quos in ſua habet poteſtate.

Verſ. 30. *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non congregat mecum ſpargit.*] Hoc erat vulgo notum proverbium, quo Chriſtus quoſdam è Phariſæis aut è populo, qui tamen Phariſæis addicti erant, notat, qui partim neque pro Chriſto, neque contra Chriſtum ferebant ſententiam, partim convicti in corde ſuo & agnoſcentes in Chriſto virtutem Dei, nihilominus metu aliorum id diſſimulabant. Chriſtus enim norat eorum cogitata, ſupra ℣. 25. Iſtos neutrarum partium homines Chriſtus in æquali gradu collocat cum ſuis hoſtibus. Venit enim ille ad Judæos tanquam à Deo ipſis datus Rex, adeoque ut Dominus ad ſuos ſubditos. Quare omnes, qui ipſum pro tali non recipiebant, merito pro rebellibus cenſendi erant. Nulli ſubdito integrum eſt, velitne domino ſuo adhærere, vel non adhærere, eum contra hoſtes defendere, vel non defendere. Omnis ſubditus, qui pro ſuo domino dimicare detrectat, jure pro hoſte habetur. Huc ſpectat, quod Chriſtus de tepidis ait

Apoc.

Apoc. 3. 16. Et cap. 18. 4 jubemur exire è Babylone. Et cap. 21. 8 timidis una cum aliis impiis assignatur locus in stagno ardenti.

PARS V.

Vers. 31. *Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; verum spiritus blasphemia non remittetur hominibus.*] Vox *ideo* non respicit istos proxime notatos neutrales, sed illos qui ℣. 24 palam & diserte miracula Christi Beelzebuli attribuebant, adeoque ad totum præcedentem sermonem. Quod ex Marco intelligitur, qui cap. 3. 30 causam horum verborum Christi indicat, dum addit: *Dicebant enim, Spiritum immundum habet.*

Continetur autem in hoc & sequenti versu admonitio, qua ostendit, quam grave peccatum sit illa Pharisæorum criminatio, & quam grandem pœnam post se trahat. Christus enim, pro sua ingenti lenitate atque sapientia, noluit Pharisæos statim tam gravis peccati accusare atque damnare, sed prius eos pessimi de se lati judicii efficaciter (℣. 25. ad 30.) convincere voluit, ut vim divini spiritus in ipso & operibus ejus possent agnoscere. Et si post talem convictionem & agnitionem in ista criminatione perrexerint, indicat, quanto se scelere obstringant, & quam inevitabilis pœna ipsis expectanda sit. Certum est, Pharisæos ignorasse, hanc scienter factam criminationem tam grave peccatum esse, & tam severam pœnam secum trahere; sed eam proculdubio inter illa reponebant peccata, quæ etiam post mortem remitti possunt: de quo ℣. 22. Itaque monet eos ante Christus, ut adeo nullam deinceps habeant excusationem.

Facit autem Christus hanc severam illationem, non tantum vi suæ præcedentis argumentationis, qua clare ostendit, se virtute Dei dæmonia ejicere, sed etiam, quia tanquam scrutator cordium perspectas habebat eorum cogitationes ℣. 25, quod revera virtutem Dei in ipso agnoscerent, sed potius alia omnia fingere mallent, quam permittere, ut ipsorum discipuli ab ipsis ad illum transirent.

Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus.] Est hæc Hebraica locutio, qua significatur, omnia alia peccata & blasphemias, quantumvis graves, posse remissionem obtinere, si nimirum vera pœnitentia ac dolor animi eas consequatur.

Verum blasphemia spiritus non remittetur hominibus.] Christus non agit de quolibet peccato, quod contra Spiritum Sanctum committur, sed in specie de blasphemia, qua Spiritus Sanctus blasphematur. Quare illi, qui ex. gr. putribus sermonibus Spiritum Sanctum contristant, à quo nos dehortatur Paulus Eph. 4. 30, qui Spiritui Sancto resistant, ut Stephanus de Judæis loquitur Act. 7. 51, qui Spiritum Sanctum fallere conantur, ut Ananias fecit Act. 5. 3, peccant quidem in Spiritum Sanctum, sed eum non blasphemant: itaque etiam hæc peccata non comprehenduntur sub hoc peccato, de quo hic Christus loquitur.

Est autem blasphemare aliquem proprie, mali quippiam, nefarii ac inhonesti de altero loqui, de quo plane constat, nihil nisi bonum ac laudabile de ipso dicendum esse; ut adeo nomen ejus ac fama hac ratione lædatur. Quamobrem duo ad blasphemiam requiruntur. Primum est, ut scienter & contra conscientiam committatur. De eo enim qui inscius & ex errore tale quid dicit, non potest proprie affirmari, quod sit blasphemus. Alterum est, ut verbis exprimatur, & efferatur. Nam in cogitationibus aut affectibus nulla blasphemia consistit, tametsi ex iis ortum ducat; neque etiam in gestibus atque externis factis, sed in verbis, iisque contumeliosis, cum id quod ad contumeliam alterius pertinet, vel ore pronunciatur, vel scripto exprimitur: quemadmodum id aliqua ex parte etiam ex verbis sequentibus, *Quicunque dixerit verbum* (quæ etiam apud Lucam leguntur cap. 12. 10) patet.

Est proinde *blasphemia Spiritus Sancti* nihil aliud, quam quando quis rem aliquam eximiam, quam Deus per Spiritum Sanctum in hominibus vel circa homines operatur, vel quæ homini tam clare & evidenter revelatur, ut facile queat agnoscere, eam à Dei Spiritu ac virtute altissimi proficisci, nihilominus verbis carpit, probrose traducit, aut prorsus maligno ac immundo spiritui adscribit. Quod hæc sit blasphemia contra Spiritum Sanctum, perspicitur ex occasione, quam Christus habuit, ut hac de re loqueretur: ea vero erat, quod Pharisæi miracula Christi Beelzebuli adscriberent, quæ tamen à Spiritu Dei provenire in conscientia sua norant. Marcus expresse addit: *Dicebant enim, spiritum immundum habet* cap. 3. 30. Quapropter Pharisæi isti revera blasphemiam adversus Spiritum Sanctum commiserunt; quandoquidem contra conscientiam suam tam impiam de miraculis Christi sententiam tulerunt. Quod tamen de illis dici nequit, qui persuasi à Pharisæis revera crediderunt, Christum habere spiritum immundum, cujus vi miracula ista efficiat. Quia enim spiritum Dei in eo non agnoscebant, eum etiam minime blasphemabant.

Cur vero blasphemia ista præ aliis peccatis tam gravis & tanta pœna digna habeatur, causa est, quia per eam non tantum læditur is, contra quem admittitur, sed etiam eorum, qui audiunt, salus ac summum bonum impeditur, dum hujus bona existimatio & fama apud eos in vilipendium adducitur: præsertim, quando qui blasphemant, apud eos, qui audiunt, tantum habent auctoritatis, ut ipsis facillime credant. Ita Pharisæorum blasphemia sine dubio in multis hæsit, animisque eorum impressa est, ut veram esse crediderint; ideoque jacturam fecerint summi boni, cujus compotes per Christum evadere potuissent.

Non remittetur hominibus.] Vide versu sequenti.

Vers. 32. *Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.*] Verbum, intellige, contumeliosum & blasphemum. Hoc enim ex collatione cum Luc. 12. 10 liquet, ubi locutione contra Filium hominis opponitur blasphematio contra Spiritum Sanctum.

Contra Filium hominis.] Ist est, contra me. Ut

intelligatur, quam grande peccatum ſit blaſphemia contra Spiritum Sanctum, opponit eam etiam blaſphemiæ contra ſe, aſſeritque hanc citius remiſſum iri. Tales blaſphemiæ erant, cum diceretur eſſe homo vorax & vini potator Matth. xi. 9, Samaritanus eſſe, & habere dæmonium Joh. 8. 48, cum poſt mortem impoſtor vocaretur Matth. 27. 63 & ſimilia. Huc ſpectant quoque illa neſanda opprobria & voces contumelioſæ, quibus Chriſtus tempore paſſionis ac inprimis in cruce pendens confixus eſt, quæ expreſſe blaſphemiæ appellantur Matth. 27. 39. Marc. 15. 29. Luc. 22. 65. Loquitur autem Chriſtus hic tantum de iis, qui eum pro Dei legato non agnoverant, attamen ſciebant probe, falſum eſſe, quod in ipſius contumeliam loquebantur. Nam ad blaſphemiam (ut in genere ad omne peccatum) requiritur proprie, ſicut jam ante indicatum eſt, ut fiat contra conſcientiam. Quare ii neque Deum, neque Chriſtum, tanquam Filium Dei, blaſphemant, qui ex mero errore, imo bono animo, & in honorem potius Dei & Chriſti, tale quid loquuntur, quod, ſi ab alio pronunciatum eſſet, qui rem aliter ſe habere ſcit, blaſphemia foret.

Apud Marcum ſcriptum eſt cap. 3. 28: *Omnia peccata dimittentur filiis hominum, & blaſphemiæ, quaſcunque blaſphemaverint.* Ex quo intelligitur, etiam blaſphemiam Dei, (quæ tamen horrendum peccatum eſt, cui mortis ſupplicium ſub Veteri Fœdere conſtitutum erat Lev. 24. 16) non tam gravem apud Deum haberi, adeo ut citius remitti poſſit, quam blaſphemia contra Spiritum Sanctum. Idcirco Lutherus quoque verba iſta apud Marcum ita reddidit, *Etiam blaſphemiæ Dei, qua Deum blaſphemant,* tametſi nomen Dei in nullo exemplari Græco legatur. Nimirum blaſphemia Dei non habet tantam vim homines ſeducendi, & opus Dei deſtruendi. Nullus enim eorum, qui eam audit, perſuadetur, ut id de Deo credat, ſed potius abhorret ab ejuſmodi dictis audientium animus. At blaſphemia adverſus Spiritum Sanctum, quatenus ille in hominibus aut circa homines operationes edit, habet in ſe vim perſuadendi hominibus, quod operatio illa non ſit divini ſpiritus, ſed vel hominum proprium opus, vel ſi miraculoſa ſit, à Satana proficiſcatur: quo pacto ſane ſalutare opus Dei deſtruitur.

Remittetur ei.] Quod blaſphemia adverſus Filium hominis remitti queat, id documento eſt, quod Chriſtus ipſe pro iis, qui ipſum crucifixerunt ac ſimul blaſphemarunt, oraverit Luc. 23. 34. Etiam Paulus de ſe fatetur, quod fuerit antea blaſphemus, & quod gratiam poſtea conſecutus fuerit 1 Timoth. 1. 13.

Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum.] Marcus ſic habet: *Qui blaſphemaverit contra Spiritum Sanctum* cap. 3. 28, Lucas: *Qui in Spiritum Sanctum blaſphemaverit* cap. 12. 10. Ineſt autem locutioni iſti vis quædam ſingularis. Aliud enim eſt, ſimpliciter blaſphemare aliquem, & blaſphemare in vel contra aliquem. Prior locutio innuit, blaſphemiam directe ac immediate petere illum, de quo prolata eſt: altera autem indicat, blaſphemiam de alia quapiam re prolatam eſſe, ſed nihilominus tendere in vel contra eum, de quo dicitur, contra eum blaſphemari. Simplex fuiſſet Spiritus Sancti blaſphemia, ſi Phariſæi dixiſſent directe, Spiritum Sanctum in Chriſto eſſe impurum ſpiritum. Et fuiſſet hæc blaſphemia, è numero illorum peccatorum, quæ poſſunt remitti, uti & blaſphemia Dei. At illi non ſic locuti ſunt: nam Spiritui Sancto competentem honorem illibatum reliquerunt; ſed dixerunt, Chriſtum carere Spiritu Sancto, & immundo ſpiritu afflatum eſſe, aut miracula Chriſti non à Spiritu Sancto, ſed à Beelzebube profiſci. Id quod non directe contra Spiritum Sanctum, ſed contra miracula Chriſti ſeu contra Chriſtum dicebatur, ſed tandem id ceſſit in opprobrium ac blaſphemiam contra Spiritum Sanctum, quia contrarium verum eſſe, in conſcientiis ſuis convicti erant. Atque in hoc ſenſu accipienda quoque ſunt verba præcedentis ℣. 31: *blaſphemia Spiritus Sancti.* Hinc jam cernitur blaſphemiam contra Spiritum Sanctum, ad ultimum in Deum, cujus virtus eſt Spiritus Sanctus, & in Dominum Jeſum, per quem Deus talem virtutem communicat, ferri.

Porro ita comparata eſt hæc blaſphemia contra Spiritum Sanctum, ut etiamſi ſemel tantum deliberato animo atque conſilio committatur, hominem pœnæ iſti hic commemoratæ obnoxium reddat: ut ex circumſtantiis horum verborum Chriſti cernitur, in quibus de uno actu blaſphemiæ Phariſæorum, quæ verſ. 24 narratur, talem pronunciat ſententiam.

Non remittetur ei.] Marcus ait: *Non habet remiſſionem in æternum, ſed reus eſt æterni judicii.*] Horum verborum ſumma ac ſenſus eſt, blaſphemiam contra Spiritum Sanctum & in hac vita temporalibus ſuppliciis, & poſt hanc vitam æterna damnatione eſſe ulciſcendam.

An autem nulla reſipiſcentia ac converſio in hoc peccato, adeoque nulla remiſſio prorſus locum habeat, diverſarum ſententiarum ſunt Interpretes. Maxima pars eo tendit, tales à Deo ita indurari, ut citius in deſperationem incidant, quam ad pœnitentiam & ſeriam peccati deplorationem perveniant; aut etiamſi dolorem ac pœnitentiam in cordibus ſuis ſentiant, remiſſionemque apud Deum quærant, tamen amplius in gratiam reſtitui nequeant. Alii tamen ſentiunt, fontem divinæ gratiæ, qui in Chriſto recluſus eſt, tam divitem atque inexhauſtum eſſe, ut etiam hoc peccatum contra Spiritum Sanctum per veram animi reſipiſcentiam & peccati deteſtationem remiſſionem conſequi poſſit: adeo ut pœna, quam Chriſtus hic comminatur, tacite in ſe conditionem includat, niſi peculiariter ac nominatim hujus peccati pœnitentia vera mox conſequatur, & niſi anxiis ac ardentibus precibus à Deo venia ejus flagitetur. Cum aliis enim peccatis ſub Novo Fœdere ita rem comparatam eſſe, ut unum peccatum ſemel commiſſum, quamvis ejus pœnitentiam in ſpecie ac nominatim homo non egerit, nec remiſſionem ejus à Deo hoc modo petierit, quo alioqui Deus ad remittenda peccata commoveri ſolet, etiamſi quoque is ſic moreretur, tamen ipſi non ſit imputandum ad æternam damnationem, ſi ſcilicet id non iterarit, & de cætero pie vixerit: at blaſphemiam contra Spiritum Sanctum ejuſmodi peccatum eſſe, ut tametſi ſemel tantum admiſſum ſit, &

ſit, & vita alioqui pia ducatur, tamen ejus ſpeciatim & peculiariter agendam eſſe ex animo pœnitentiam, & Deum ex profeſſo deprecandum, ſi quis velit à pœna ei denunciata à Chriſto liber ac immunis fieri. Atque hæc explicatio cedit ad ſummam laudem divinæ miſericordiæ, qui animum fractum ac contritum ſpiritum non (facile) reſpuit Pſalm. 51. 19. Eſt autem veriſimile, iſtam blaſphemiam contra Spiritum Sanctum plerumque ab iis ſolum committi, qui perverſo ac carni dedito animo ſunt, quales hi Phariſæi erant: in quibus etiam nulla talis pœnitentia atque contritio cordis ſperanda eſt, qualem hoc peccatum poſtulat. Quodſi etiam hoc peccato is ſe aliquando obſtringat, qui bono ac pietatis ſtudioſo animo eſt, credibile eſt, tales ſimul circumſtantias ac infirmitates, nempe incogitantiam, præcipitantiam, metum, conſternationem animi ac ſimiles concurrere, quarum reſpectu Deus pro ſua miſericordia ſeriam reſipiſcentiam ac dolorem animi haudquaquam ſpernet, etſi talis à temporariis pœnis non omnino erit immunis. Qui ita moderate de pœna hujus peccati judicat ac ſentit, proculdubio minus aberrabit, quam ii, qui arcum divinæ ſeveritatis tantopere intendunt, illiſque qui in hoc peccatum incidunt, abſque omni diſcrimine, ut ſe in viam deſperationis conjiciant, auctores ſunt.

Hoc loco etiam prætereundum non eſt, eos ſe hujus deteſtandi criminis blaſphemiæ contra Spiritum Sanctum participes reddere, qui veritati Euangelii, quam agnoverunt à Deo eſſe, & revelatam per ipſius ſpiritum, vel reſiſtunt, vel ab ea deſciſcunt, ita ut eam tanquam falſam doctrinam blaſphement, præſertim ſi confeſſores ejuſdem inſuper perſequantur. Sicut enim Phariſæi contra Spiritum Sanctum blaſphemarunt, dum ipſius opera, quæ in Chriſto exercuit, blaſphemarunt; ſic etiam iſti blaſphemant contra Spiritum Sanctum, dum veritatem, quæ ipſius opus eſt, falſam doctrinam vocant, adeoque eam tacite diabolo adſcribunt, ut qui omnium falſarum doctrinarum auctor & cauſa eſt. Et licet etiam talis homo ſibi cavere vellet ab eo crimine, ut veritatem, quam ore abnegat, falſam doctrinam appellet, tamen id pene impoſſibile eſt, ut non tale quid coram iis proloquatur, quos vult de ſe ſentire, quod ei nullo modo addictus ſit. Atque hoc ſi ſemel tantum fiat, jam eſt blaſphemia contra Spiritum Sanctum. Hinc ait Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 10. 29: de iis, qui ab agnita veritate deficiunt, quod *ſpiritum gratiæ contumelia afficiant*, minaturque talibus horrendum judicium, & ignis fervorem, qui eos conſumpturus ſit. Affirmat præterea, talibus non eſſe relictam amplius pro peccato hoſtiam verſ. 26, 27. Unde ſatis manifeſto cernitur, apoſtaſiam à veritate, ad blaſphemiam contra Spiritum Sanctum pertinere. Etenim hæc ſola non habet ullam amplius reliquam pro ſe hoſtiam, id eſt, (uti Chriſtus hic loquitur) non poteſt remitti. Imo etſi quis ab omni contumelioſo de veritate ſermone abſtineret, nihilominus ipſa apoſtaſia à veritate, & falſæ doctrinæ profeſſio, tendit in contumeliam Spiritus Sancti. Dum enim falſa doctrina pro vera agnoſcitur, eo ipſo ſimul vera doctrina agnoſcitur pro falſa. Adhæc cauſa, quæ ſuperius indicata eſt, cur blaſphemia præ aliis peccatis deteſtabilior & pœnæ magis ſit obnoxia, etiam hic locum habet: quod nimirum per ejuſmodi apoſtaſiam opus Spiritus Sancti in hominibus deſtruatur ac impediatur, dum tali exemplo etiam alii ad imitandum invitantur. Neque vero id facit levius hocce peccatum, quod illi, qui initio reclamante conſcientia veritatem abnegarunt, poſtmodum revera & ex animo eam pro falſa agnoſcant. Hoc enim pertinet ad juſtum Dei judicium, quod qui ex mera petulantia à luce veritatis ad mendacii tenebras ſeſe convertunt, ita in tenebris illis demergantur, ut lucem ipſam jam amplius non agnoſcant.

Neque in hoc ſeculo, neque in futuro.] Non ſine cauſa Chriſtus utriuſque temporis mentionem facit: ut ſcilicet Judæis vanam eximat opinionem, qui exiſtimabant, iis qui modo à Legis defectione ſibi caverent, cætera omnia peccata etiam poſt mortem remiſſum iri, ubi per aliquot tempus pro iis in Gehenna pœnas dederint. Vide ſupra cap. 10. 28. Indicat igitur hic Chriſtus, tam grandia & enormia peccata nullo modo remittenda eſſe.

Pontificii hoc loco abutuntur ad probandum ignem ſuum Purgatorium, (quod commentum totum quantum quantum eſt, à Judæis deſumptum eſt.) At oſtendendum illis eſt, Chriſtum hic ex vero, & non ex Judæorum opinione loqui. Quod enim Chriſtus in aliis rebus, præſertim quod ſtatum hominis poſt mortem attinet, ejuſcemodi utatur loquendi modis, qui tum temporis inter Judæos uſitati ac recepti erant, de eo videantur dicta ſuperius cap. 8. 11.

Verſ. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ex fructu enim arbor cognoſcitur.*] Occaſione hujus tam gravis blaſphemiæ Phariſæorum inductus Chriſtus, ſumit anſam ejus originem & cauſam explicandi; monſtratque fontem ejus non eſſe alium, quam malitiam ac perverſitatem animi ipſorum: quaſi dicat. Judicate & dicite, quamlibet arborem vel bonam vel malam eſſe; & hanc eſſe bonam arborem, quæ bonos fructus profert, malam contra, quæ malos: atque exinde cognoſcite & agnoſcite, vos eſſe malas arbores, quia malos fructus profertis, nempe injuſtum odium, blaſphemiam. At ſi vultis pro bonis arboribus haberi, facite bonos fructus, nempe dilectionis Dei & proximi. Sunt Interpretum nonnulli, qui hæc verba de Chriſto explicant: quaſi dicat. Arbor bonane an mala ſit, ex bonis vel malis ejus fructibus cognoſcitur. Si me proinde habetis pro mala arbore (id eſt, pro homine impio, qui cum Diabolo habet commercium) demonſtrate, opera mea mala eſſe. Nam ex iis oportet vos de me judicare: aliter enim id ſcire non poteſtis.

Ex fructu enim arbor cognoſcitur.] Ex operibus de homine & de animo ejus, qualis ſit, judicari poteſt. Vide ſupra cap. 7. 15. Eſt proverbium.

Verſ. 34. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.*] De progenie viperarum vide ſupra cap. 3. 7.

Quomodo poteſtatis bona loqui.] Non eſt mirum, quod tales blaſphemias evomatis, qui habetis animum nequam. Aut (ex mente alterius explicationis verſus ſuperioris) ſumite à vobis ipſis argumentum. Quia enim vos intus mali eſtis, ideo conſpiciuntur in vobis mali fructus, quos profertis, qualis eſt manifeſta blaſphemia: ita proinde in me quoque talia mala opera conſpiceretis, ſi ego eſſem talis mala arbor, qualem vos me putatis. Non loquitur autem Chriſtus de vulgaribus hominum infirmitatibus, ſed de flagitiis enormibus, qualia in Phariſæis erant. Neque etiam loquitur de eo, quod ſemel aut aliquoties, ſed quod plerumque contingit. Quamvis homo malitioſus interdum diſſimulet nequitiam ſuam, tamen illa cum tempore emergit & prodit in lucem. Vide Jerem. 13. 23.

Ex abundantia enim cordis os loquitur.] Quemadmodum ſtomachus eructat, & evomit, quæ ſuperflua in eo ſunt: ita etiam cor evomit per os cogitationes ſuas.

Os loquitur.] Quod antea in genere de operibus dixerat, id nunc de verbis pronunciat, nempe de blaſphemia Phariſæorum.

Verſ. 35. *Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala.*] Quod ſupra Chriſtus abundantiam appellavit, id nunc appellat theſaurum. Theſaurus enim eſt, quod ſupra neceſſitatem reliquum eſt. Intelligit autem eo Chriſtus conſuetudinem ſeu habitum ſive in bono ſive in malo contractum, qui eſt tanquam theſaurus collectus & aſſervatus. Qualis itaque eſt ille habitus, tales etiam ſunt hominis ſermones.

Verſ. 36. *Dico autem vobis, quod omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem, in die judicii.*] Hic comminatur eis Chriſtus pœnam à Deo irrogandam.

Verbum otioſum.] Gr. ἀργὸν, quod neque dicentem, neque audientem ædificiat. Aliqui Interpretes conjectant, in Hebraico textu Matthæi extitiſſe vocem *ſcave*, quæ tum otioſum vel fruſtraneum aliquid, tum etiam mendacium ſignificat, Græcumque interpretum priorem ſignificationem retinuiſſe. Sed poſterior ſignificatio propoſito Chriſti magis convenit. Phariſæi enim non tantum inutilia ac otioſa verba, ſed mendacia quoque & blaſphema contra Chriſtum potulerunt. Vult ergo hoc ſibi Chriſtus: de quolibet verbo falſo, ſeu de quolibet mendacio reddet quiſque rationem; quanto magis de tam fœda & abominanda blaſphemia.

Reddent de eo rationem.] Locutio iſta, qua etiam Paulus utitur Rom. 14. 12, ſumpta eſt ab œconomis aut diſpenſatoribus, qui ſuæ adminiſtrationis rationem dare coguntur: ſignificatque Chriſtus, etiam otioſa & mendacia verba è numero illarum cauſarum eſſe, ob quos homines condemnabuntur, nempe niſi veram egerint pœnitentiam. Nam peccatorum, quæ pœnitentia eluntur, non recordatur Deus amplius Ezech. 18. 22. XXXIII. 16.

Verſ. 37. *Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*] Proverbium eſt, quod adhibetur in civilibus judiciis, ubi ſecundum verba ſua quiſque judicatur. Menſque Chriſti hæc eſt: Etiamſi deeſſent opera alia, tamen ex ſolis verbis ſatis clarum ac manifeſtum erit, utrum probi an improbi ſitis.

PARS VI.

Verſ. 38. *Tunc reſpondérunt ei quidam Scribarum & Phariſæorum, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.*] Non iſti fuerunt Phariſæi, qui eum antea Magiæ poſtularunt, ſed alii, ut ex Luca cap. XI. 16 conſtat. Nimirum hi non tanquam accuſantes, ſed tanquam dubitantes, ſe gerebant.

Signum volumus videre.] Non acquieſcebant illis miraculis, quæ à Chriſto fiebant, quia credebant, eum facere illa propria ſua vi; idcirco petunt ſignum, intellige *de cœlo*, ut apud Lucam additur cap. XI. 16, nec non apud Marcum cap. 8. 11. Ut ex. gr. ignis de cœlo caderet, ut factum tempore Eliæ 1 Reg. 18. 38, ut magno fragore tonaret, ut temporibus Samuelis 1 Sam. 7. 10, aut ſimile quid. Quod ſane erat impudens poſtulatum (confer cum Joh. 6. 30, 31, 32.) Nam illa ipſa ratio homines ſolo juſſu aut tactu ſanandi, qua Chriſtus utebatur, & præterea doctrina ejus diabolo maxime contraria, abunde de virtute ipſius divina teſtificabatur. Verum Deus amat ita in negotio ſalutis cum hominibus agere, ut eos improbitatis ac peccatorum ſufficienter convincat, non autem, ut inordinatis eorum cupidatibus ſatisfaciat. Suffeciſſent ipſis miracula Chriſti, niſi avaritia ingens & ambitio eorum obſtitiſſet, quominus id agnoſcerent, & niſi ubique incredulitatis ſuæ prætextum improbe quæſiviſſent. Adde, quod illa ſigna de cœlo plena terroris, magis conveniſſent ſevero alicui legiſlatori; at ſervatori mundi potius conveniebant benefica & hominibus utilia miracula.

Verſ. 39. *Ille autem reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.*] Adulteram generationem eos vocat, quia non veri Abrahami filii, ſed ſpurii erant, quia falſo ſe Abrahami ſemen eſſe jactabant. Vide Joh. 8. 39, confer cum Vſ. 41. Erant illi quidem ab Abrahamo orti quoad carnem, at quoad animum tam erant ab eo alieni ac diſpares, quam liberi ſolent, quos mater ex adulterio concipiet.

Et ſignum non dabitur ei.] Nullum aliud majus & excellentius ſignum dabitur eis, quam id, quod dabitur, non de cœlo, ut petunt, quo fides in eis excitetur, ſed ex terræ viſceribus, quo condemnentur. Tale ſignum autem erat illud Jonæ Prophetæ, in cujus hiſtoria mors atque reſurrectio Chriſti adumbrata fuit. Reſurrectio vero Chriſti, quæ longe præſtantius ſignum erat igne illo ac tonitru Eliæ ac Samulis, clariſſimum argumentum erat innocentiæ ipſius, eorumque immanis truculentiæ, qui odium ſuum erga ipſum ad mortem uſque continuarint; adeoque ſignum erat ſpectans ad eorum damnationem.

Verſ. 40.

Verſ. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes: ſic erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Quod Judæi dies ſuos inchoarint ab occaſu ſolis, cernitur ex Levit. 23. 27, ubi Deus ſic alloquitur Moſen: *Decimo die menſis hujus ſeptimi, dies expiationum eſt, qui à vobis ſanctus vocabitur, ut conventum celebretis, & affligatis animas veſtras, & offeratis holocauſtum Domino.* Et porro ſubjicit verſ. 32: *Sabbathum ceſſationis eſto vobis, quo affligatis animos veſtros; die nono menſis veſperi celebrate hoc Sabbathum, à veſpera uſque ad veſperam.* E quibus verbis intelligitur, decimum diem, quem Deus ad expiandum aſſignarat, cœpiſſe à veſpera noni diei. Si igitur dies proprie accipiatur pro 24 horis, manifeſtum erit, Chriſtum revera tres dies & tres noctes non fuiſſe in ſepulchro, ſed tantum unum diem integrum, duas noctes integras, & paucas primi ac ultimi diei horas. Nam die Veneris ante veſperam, circa tertiam horam pomeridianam, noſtro more computando, Matth. 27. 46 expiravit, & mox poſtea in monumento repoſitus eſt; die Dominico mane reſurrexit. Sciendum itaque Hebræos, quando naturalem diem 24 horis conſtantem nominare volunt, (qui Græcis uno vocabulo dicitur νυχθήμερον) ſolere circuitu verborum uti, & appellare diem & noctem. Cujus rei exempla vide Gen. 7. 4, 12. Exod. 24. 18. xxxiv. 28. Deut. 9. 9, 11, 18, 25. x. 10. 1 Sam. 30. 12. 1 Reg. 19. 1. Quare cum Chriſtus hic ait, filium hominis in corde terræ futurum tres dies & tres noctes, nihil aliud ſibi vult, quam eum tres dies in eo futurum. Vocatur autem etiam dies, aut Hebræorum more, dies & nox, etſi non fuerit integer, imo etſi tantum paucæ aliquot illius diei horæ fuerint. Inde eſt, quod, cum in Lege certus numerus determinatur dierum (v. g. in circumciſione) ſoleant Legis interpretes etiam horæ dimidium pro uno die & nocte numerare. Quocirca Chriſtus revera tres dies fuit in ſepulchro, etſi primum & ultimum non totum.

In corde terræ.] Id eſt, in medio terræ, Hebræorum phraſi: ut Exod. 15. 8. Pſal. 46. 3 cor maris. Eo autem non intelligit Chriſtus ſepulchrum, ſed infernum, id eſt, locum mortuorum, qui juxta commentum Judæorum, creditur eſſe in centro ſeu medio terræ. Vide hac de re ad Luc. 16. 23.

Verſ. 41. *Viri Ninivitæ reſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ: & ecce plus hic, quam Jonas.*] Chriſtus loquitur hic ex more civilium judiciorum, ubi teſtes, quando teſtimonium perhibebant, de ſua ſede ſurgere ſolebant: quem morem non apud Romanos ſolum, ſed etiam apud Judæos viguiſſe, ex Marco cap. 14. 57 colligitur.

Cum generatione iſta.] Nam utraque pars tam accuſans, quam rea ſolet ſtare ante Judicem.

Et condemnabunt eam.] Non verbis, non ipſi id facient, ſed ipſorum exemplum, quod eis objicietur, damnabit eos, ſeu cauſa erit eorum damnationis (ſicut etiam ſupra ℣. 28 *illi judices veſtri erunt.*) Nimirum Ninivitæ fuerunt populus Ethnicus, haud inſtitutus in ulla Lege de divina voluntate. Jonas fuit peregrinus homo, eiſque ignotus, nulla fecit inter eos miracula, ſed annunciabat tantum verbis imminentem pœnam, & tamen reſipuerunt. Hi autem non ſolum divina Chriſti doctrina, & miraculis pertrahi ſe ad fidem paſſi non ſunt, verum etiam eum tanquam dæmonium habentem blaſphemarunt.

Quia pœnitentiam egerunt.] Non expectarunt finem illorum 40 dierum, quibus elapſis Jonas interitum eorum prædixerat Jon. 3. 4, ſed reſipuerunt: cum iſti intra 40 annos, qui fluxerunt ad ultimum Hieroſolymæ excidium, pœnitentiam non egerint.

Ecce plus hic, quam Jonas.] Iſtis in Chriſto plus contigit, quam illis in Jona. Etenim hic non ſolum inter perſonas inſtituitur comparatio, ſed etiam, & quidem magis inter beneficia utrique genti, Niniviti à Jona, & Judæis à Chriſto facti.

Verſ. 42. *Regina Auſtri exſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus hic quam Salomon.*] Regina Auſtri, id eſt, quæ in meridionalibus regionibus longe lateque regnabat. Hæc vocatur Regina Sabæ 1 Reg. 10. 1. 2 Paral. 9. 1, quæ fuit ipſius metropolis, quæ deinceps Meroë dicta fuit, in Æthiopia ſita: de quo vide Eſai. 43. 3.

A finibus terræ.] Id eſt, à longe remotis terris. Comparat autem Chriſtus tacite Reginam iſtam cum Judæis, & ſe cum Salomone, hoc modo: Regina tam potens, & mulier, & Ethnica, à tam diſſito orbis loco venit, ut terrenam ſapientiam Salomonis audiret, non ut miracula videret. Judæi contra, ac inprimis Phariſæi, homines in Lege Dei exercitati, imo Legis doctores, repudiant cœleſtem ſapientiam Filii Dei, qui ipſe ad eos venit, & tam inaudita inter eos patrat miracula.

Plus hic quam Salomon.] Hic longe præſtantior eſt ſapientia, quam fuit Salomonis. Sapientia Salomonis fuit terrena, de qua 1 Reg. 4. 30, 31. Chriſti ſapientia eſt divina, & ad æternam felicitatem hominum directa.

PARS VII.

Verſ. 43. *Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.*] Occaſione ſuperioris miraculi, in genere Chriſtus monet de periculo, quod omnibus illis impendet, qui è poteſtate Diaboli non tantum ſecundum corpus, ſed etiam ſecundum ſpiritum Eph. 2. 2. 2 Tim. 2. 26.) per prædicationem Euangelii liberati ſunt; nimirum iſtis eſſe ſumma ope cavendum, ne per ſocordiam in priſtina vitia relapſi, rurſus in Diaboli laqueos incidant; quandoquidem talium multo deterior conditio futura ſit, quam ante reſipiſcentiam fuerat 2 Petr. 2. 20.

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine.] Id eſt, cum homo ex ejus poteſtate ſive corporaliter, ſive ſpiritualiter ereptus fuerit.

Ambulat per loca arida.] Gr. δι' ἀνύδρων τόπων, per inaquoſa loca: per loca, in quibus nulla eſt aqua, quæque adeo ad habitandum inepta ſunt. Chriſtus figurate ponit arida loca, pro locis vacuis & in hoſpitis ſeu inhabitabilibus; quia arida loca propter incommoditatem ſuam incoli ac inhabitari non poſſunt.

Eſt autem totus hic Chriſti ſermo allegoricus ac improprius, ſimilitudine ducta ab homibus, qui quando laribus ſuis expelluntur, peragrant varia loca vacua & inhabitata, quæruntque aliam ſedem atque habitationem. Ubi vero nullam commodam invenerint, redeunt ad priſtinos ſuos penates, quos vacuos & à novis habitatoribus egregie purgatos atque exornatos inveniunt, ibique manent & habitant multo deinceps commodius, quam antea. Introducit autem Chriſtus novum inhabitatorem domus, tanquam inertem & rerum ſuarum incurioſum, qui domi raro deſidet.

Quærens requiem.] Id eſt, commodam manſionem ſeu habitationem. Diabolus nunquam quieſcit, ſed ſemper ſatagit ac in eo occupatus eſt, ut homini malum conciliet.

Et non invenit.] Nam alii homines vel jam ſunt in ejus poteſtate, vel ab aliis dæmonibus ſociis ſuis ſunt obſeſſi.

Verſ. 44. *Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit vacantem, ſcopis purgatam, & ornatam.*] Veniens, id eſt, rediens. ut Joh. 14. 18, 28.

Invenit vacantem.] Id eſt, vacuam, & inanem.

Scopis purgatam & ornatam.] Id eſt, ad habitandum commodam & bene inſtructam. Tales domus bene inſtructæ & exornatæ ſunt illi homines, qui ſemel è poteſtate diaboli liberati, ſecuri atque incurioſi vivunt, & ad ingenium redeunt priſtino ſe peccatorum cœno inquinantes. Per pietatem homines præparant habitationem in cordibus ſuis Deo: per impietatem Diabolo.

Verſ. 45. *Tunc vadit & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus, nequiores ſeipſo, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic nequam.*] Adeo providus eſt Diabolus, ut ſe contra novam vim muniat, & tam firmiter in illo homine ſedem figat, ne facile ex eo poſſit exturbari. Qui è malis boni facti ſunt, ſi rurſus à pietatis via deſciſcant, fiunt peſſimi, non aliter quam ſi ſeptem ſpirituum malorum fierent domicilium, cum antea tantum ab uno eſſent obſeſſi. Idque fit operatione ac cura Diaboli, ne amplius ipſius jugum facile excutiant. Videre quoque hinc eſt, quam dæmones inter ſe concordes ſint ad perniciem hominum, ut alter alteri haud gravate ferat opem.

Septem.] Id eſt, Tot, quod ad reprimendam vim ſufficiunt. Numerus certus ponitur pro incerto, Hebræorum conſuetudine, ut 1 Sam. 2. 5. Eſai. 4. 1. Apoc. 1. 4.

Nequiores ſe.] Vel malitioſiores, vel fortiores ac pernicioſiores. Eſt enim inter dæmones diſcrimen, ut alius alio ſit deterior ac nocentior.

Et intrantes habitant ibi.] Retinent illam habitationem conſtanter, manentque in ea perpetuo. Nam tales homines jam à Deo deſeruntur, & Satanæ poteſtati traduntur.

Et fiunt noviſſima.] Quia nimirum à pluribus dæmonibus obſeſſus eſt. Vide Hebr. 6. 4. x. 26. 2 Petr. 2. 20.

Sic erit & generationi huic nequam.] Videtur hic Chriſtus vaticinare fore, ut Judæi in longe miſerrimum & multo deteriorem, quam unquam antea, ſtatum, deveniant. Nempe conſiderat Chriſtus Judæos à tempore Babylonicæ captivitatis uſque ad excidium Hieroſolymæ. Nam ante captivitatem illam gravibus ſe peccatis non ſemel contaminarunt, ut ex Prophetis apparet. Tempore captivitatis plerique cœperunt ad frugem redire; ideo etiam Deus eos reduxit in patriam. Sub tempora Macchabæorum rurſus relapſi ſunt in talia peccata, quorum etiam barbaras maxime gentes pudere merito deberet; quæ deinceps cumularunt rejectione Meſſiæ, qui tantis cum miraculis & tanta cum lenitate ad eos venerat. Quapropter poſtea prorſus à Deo derelicti & peſſimi atque improbiſſimi mortalium facti ſunt: uti eos Joſephus in hiſtoria ſua, de poſtremis temporibus agens, deſcribit.

PARS VIII.

Verſ. 46. *Adhuc autem eo loquente ad turbas, ecce mater & fratres ejus ſtabant foris, quærentes ei loqui.*] Quia fratrum Chriſti una cum matre ejus fit mentio, inde Hieronymi tempore Helvidius aſſerebat, Chriſtum habuiſſe germanos fratres, quos Maria poſt ipſum ex Joſepho conceperit. Plerique autem Græci Doctores Eccleſiæ ſtatuunt, Joſephum ex alia uxore ante Mariam genuiſſe liberos, qui adeo Chriſti fratres ex alia matre nati, non germani fuerint. Sed Hieronymus, cujus ſententiæ plerique Interpretes ſubſcribunt, ſentit, fratres Chriſti hic memoratos eſſe ipſius conſobrinos, qui erant Jacobus Minor & Joſes, Simon & Judas infra cap. 13. 55. Et de duobus prioribus conſtat ex Matth. 27. 56. & Marc. 15. 40, eorum matrem quoque Mariam fuiſſe vocatam, quæ quod fuerit ſoror matris Chriſti, filia Cleophæ, ad Johannem cap. 19 demonſtrabitur. Hæc fuit Alphæi uxor; nam ſupra cap. 10. 3 filius ejus Jacobus Alphæi filius nuncupatur. Ita erant iſti & Chriſtus duarum ſororum filii, qui Hebræorum more fratres appellantur. Sic Abraham Lothum vocat fratrem ſuum, qui nepos ipſius ex fratre erat Gen. 13. 8, 11. Sic Laban Jacobum ſororis ſuæ filium vocat quoque fratrem ſuum Gen. 29. 15.

Stabant foris.] Hinc liquet, id quod præceſſit in domo geſtum eſſe; quod etiam apparet ex cap. 13. 1.

Quærentes cum eo loqui.] Quia intellexerant, Phariſæos & ſcribas vitæ ejus ſtruere inſidias, cupiebant eum omnibus modis periculo eripere. Vide Marc. 3. 21.

Verſ. 47. *Dixit autem quidam ei: Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes te alloqui.*

Verſ. 48. *At ipſe reſpondens ait dicenti ſibi: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?*] Chriſtus indicat, ſe in functione muneris ſui neque amoris erga conſanguineos ſuos, neque carnalium conſiliorum ullam habere rationem.

Verſ. 49. *Et extendens manum ſuam in diſcipulos ſuos, dixit; Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ille meus frater, & ſoror, & mater eſt.*] Mater mea

ter mea & fratres mei, id eſt, ſunt mihi dilectiſſimi.

Quicunque enim fecerit.] Id eſt, qui Deo maxime obediens eſt, is mihi eſt proxima neceſſitudine conjunctus.

CAPUT XIII.

Hiſtoriam Prophetici Chriſti muneris Matthæus continuat. I. *Chriſtus docet populum per parabolas. Ac primum proponit parabolam de Seminatore, cujus ſemen cecidit in diverſam nec uniformem terram: ad verſ.* 10. II. *Indicat rationem & cauſam, cur per parabolas loquatur populo: ad verſ.* 18. III. *Explicat diſcipulis ſuis parabolam de ſemine: ad verſ.* 24. IV. *Proponit populo parabolam de zizaniis: ad verſ.* 31. V. *Duas alias affert parabolas, unam de ſinapis grano, alteram de fermento: ad verſ.* 34. VI. *Cauſam indicat Matthæus, cur Chriſtus in parabolis loquutus ſit: ad verſ.* 36. VII. *Exponit diſcipulis ſuis parabolam de zizaniis: ad verſ.* 44. VIII. *Alias duas profert parabolas; unam de theſauro in agro; alteram de margarita pretioſa: ad verſ.* 47. IX. *Proponit parabolam de ſagena: ad verſ.* 51. X. *Denique deſcribit Euangeliſta, quomodo Nazarethani è Chriſti doctrina & miraculis ſcandalum acceperint.*

PARS I.

Verſ. 1. *IN die illo exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare.*] E domo exivit, quia tantam auditorum turbam non capiebat domus. Vide ſupra cap. 12. 46.

Verſ. 2. *Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut aſcendens ſederet in navicula: & omnis turba in littore ſtabat.* Hæc populi turba dedit inprimis anſam Chriſto, ut ſequentem haberet concionem, ac parabolas proponeret, præſertim illam de ſemine. Probe enim norat, non omnes unius eſſe ingenii, ac proinde doctrinam ſuam diverſos effectus in iis producturam.

Aſcendit in naviculam.] Ne à turba premeretur. Navicula illa erat ipſi loco cathedræ, quemadmodum alibi montes ac colles. Supra cap. 5. 1.

Verſ. 3. *Et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit ſeminator ſeminare.* In parabolis, per quas ipſis naturam & ſtatum Euangelii ſuæque Eccleſiæ delineabat.

Verſ. 4. *Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres, & comederunt ea.*] Quia terra ſecus viam non erat aratro ſubacta, ideo ſemen manſit in ſuperfice terræ, & ab avibus devoratum eſt. Alludit Chriſtus ad morem ſeminantium, qui ne ulla pars agri maneat ſemine vacua, id ſpargunt etiam in viam agro proximam.

Verſ. 5. *Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam, & continuo exorta ſunt, quia non habebant profunditatem terræ.*] Quia radices alte in terram agere non poterant propter petroſum ſolum, idcirco excreverunt in altum, & quia terra non erat profunda, cito emerſerunt & ex terra apparuerunt.

Verſ. 6. *Sole autem orto æſtuaverunt, & quia non habebant radicem, exaruerunt.*] Sole orto, id eſt, ſole lucente. Hebraiſmus. Calor & æſtus ſolis eſt figura gravium afflictionum, ut infra 11. 21 explicatur, & Apoc. 16. 8.

Qui non habebant radicem.] Quia non poterat emittere de ſe radices, neque etiam ſatis humiditatis è terra haurire, quæ per radices attrahitur. Ubi vero deficit humor, & æſtus ſolis accedit, neceſſe eſt ariditatem ſequi.

Verſ. 7. *Alia autem ceciderunt in ſpinas, & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea.*]

Verſ. 8. *Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum; aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum.*] Bonam terram, id eſt, pinguem, profundam, & bene cultam.

Verſ. 9. *Qui habet aures ad audiendum, audiat.*] Vide ſupra cap. 11. 15.

PARS II.

Verſ. 10. *ET accedentes diſcipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?*] Non tantum duodecim illi diſcipuli, ſed alii quoque: ut ex Marco cap. 4. 10 cernere eſt.

Eis.] Nempe populo.

In parabolis.] Per ſermones figuratos & allegoricos, qui alium ſenſum habent: & quidem ita, ut eos non interpretaretur: Diſcipulis ſuis autem exponebat omnia Marc. 4. 34. Hic objiciunt Judæi Chriſtianis, quod Magiſter eorum Chriſtus ſuam Legem meris ſimilitudinibus & ænigmatibus obſcuris involverit, cum tamen Lex quævis debeat eſſe clara & intellectu facilis. Verum falluntur in eo: nam quod proprie ad Legem pertinet, nimirum mandata, quid credendum ac ſperandum ſit, & quomodo ſe quiſque in ſuo vitæ genere gerere debeat, id Chriſtus claris & evidentibus verbis docuit, ut ex cap. 5. 6. 7 Matthæi, & ex aliis ſcriptis Novi Fœderis patet. Quæ autem Chriſtus per ſimilitudines propoſuit, ſunt talia, quæ ipſe in ſequenti vſ. 11 appellat myſteria regni cœlorum: in quibus partim de admiranda regiminis divini ratione, partim quis Euangelii tam in Judæis, quam in Ethnicis eventus futurus ſit, prædicitur. Judæi autem ipſimet fatentur, prædictiones allegoricis verbis ac impropriis proponi ſolere. Scopus enim earum eſt, ut poſtquam res evenerit, tum demum ſcientiæ divinæ certitudo agnoſcatur. Hinc prophetia vocatur liber obſignatus.

Verſ. 11. *Ille autem reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem non eſt datum.*] Datum vobis eſt, nempe à Deo, cui

Chriſtus omnem gloriam tribuit. Cauſa autem, cur Apoſtolis myſteria regni cælorum noſſe datum ſit, reliquis non datum, non hæc eſt, quod hi ſint inevitabili decreto divino æternæ damnationi adjudicati. Quicquid enim ad ſalutem hominum neceſſarium eſt, Chriſtus omnibus hominibus æque clare & abſque omni obſcuritate revelavit. Sed vera cauſa eſt, quod Apoſtoli digni eſſent iſta gratia præterea, quia doctrinam Chriſti libenter audiebant ac recipiebant; alii autem non eſſent digni, quia doctrinam ejus omniaque ſalutaria præcepta faſtuoſe ac faſtidioſe reſpuebant. Quæ cauſa erat ſufficiens, ob quam eis Chriſtus myſteria Euangelii ſui, quæ ad ſalutem magis utilia, quam neceſſaria ſunt, obſcure propoſuerit. Nam ſi aliqui in tanta multitudine fuerunt (uti ſane fuiſſe probabile eſt) qui doctrinam ejus avide appetebant, non erat illis aditus ad Chriſtum præcluſus, ut eum privatim de eo, quod non intellexerant, interrogare, atque explicationem ab eo petere poſſent. Hanc cauſam ipſe Chriſtus affert in ſequenti verſ. 13.

Verſ. 12. *Quiſquis enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.*] Hoc erat proverbium, quo Chriſtus æquitatem divini conſilii, cui ſe accommodabat, exprimit. Senſuſque eſt, ei qui habet, id eſt, qui beneficiis divinis bene utitur, plus datum iri: ei autem qui non habet, id eſt, beneficiis divinis male utitur, tanquam ingrato ademptum iri etiam id, quod habet. Hoc idem indicatur parabola de talento infra cap. 25. 14 & ſeqq. Chriſtus tacite innuit, quandoquidem divinam ſapientiam, quæ illis offerebatur, ſuperbe rejiciebant, fore, ut etiam humana ſapientia & intellectus, quo ſibi adeo excellere videbantur, iis adimeretur: quod etiam factum eſt.

Quod habet.] Apud Lucam eſt, *quod putat ſe habere.* Qui quod habet, eo non bene utitur, de eo hic dicitur, quod non habeat: quia hoc non eſt vere habere, ſed tantum opinio, quod quis habeat.

Verſ. 13. *Ideo in parabolis eis loquor, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.*] Id eſt, quia mea tanta miracula oculis cernunt, & meam cœleſtem doctrinam auribus percipiunt, nec tamen in animum admittunt (nam Chriſtus hic loquitur de viſu & auditu animi) ideo juſta eos premit pœna, quod myſteria regni cœleſtis ipſis in obſcuris parabolis proponantur. Non enim æquum eſt, ut ſanctum canibus objiciatur ſupra cap. 7. 6.

Verſ. 14. *Et adimpletur eis Prophetia Eſaiæ, dicens: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis.*] Non dicit, impleta eſt. Nam impletio hujus loci Eſaiæ complectitur in ſe amplum temporis ſpatium, nempe a Chriſti adventu uſque ad everſionem Templi, intra quod tempus impietas Judæorum majus indies incrementum ſumſit.

Prophetia Eſaiæ.] Cap. 6. 9. Populus illius temporis, de quo loquitur Propheta, fuit typus hujus populi, qui fuit ætate Chriſti, in quo verba hæc multo profectiori modo impleta ſunt.

Auditu audietis.] In Hebræo textu verba Prophetæ ita ſonant: Audite, & non intelligite, videte & non animadvertite, Matthæus autem, ut & Paulus (vel Lucas) Actor. 28. 26, 27, totum hunc locum ſecundum Græcam verſionem LXX Interpretum recitat. Unde apparet, Apoſtolos cenſuiſſe, iſtos Interpretes LXX ſenſum Hebraici textus optime & ex mente Prophetæ expreſſiſſe. Periti enim linguæ Hebrææ norunt, verba hæc etiam ſic verti poſſe: *Audietis, & non intelligetis, videbitis, & non animadvertetis.* Apud Hebræos imperativa ſæpe pro futuris ponuntur.

Verſ. 15. *Incraſſatum enim eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.*] Redditur hic cauſa, cur Deus, tam Eſaiæ tempore, quam Chriſti ſic alloqui populum juſſerit. Craſſum ac pingue cor non facile emollitur, nec commovetur: aures obturatæ non bene audiunt; & oculi clauſi non vident. Significatque Chriſtus hac metaphorica locutione, eos quæ audierunt ac viderunt, non bene conſideraſſe, neque in animum admiſiſſe. In Hebræo ſic ſonant hæc verba: *Incraſſato cor hujus populi, & aggravato ejus aures, & claudito ejus oculos.* Quæ verba duplici accipi poſſunt modo. Primo quaſi dictum ſit à Deo: Denuntia ipſis eorum cor fore craſſum, id eſt, nimia fortunæ indulgentia ſublatum iri ipſorum animos (Deut. 32. ℣. 15) adeoque ad intelligentiam bonarum rerum fore ineptum. Talis loquendi modus etiam legitur Jer. 1. verſ. 10. Deinde poſſunt quoque hæc verba ex Hebræo ita tranſferri: Propter incraſſationem cordis populi hujus, id eſt, quandoquidem populus hic cor ſuum impinguavit, aures ſuas graviter audientes reddidit, & oculos ſuos clauſit.

Ne quando videant.] Quia pingue reddiderunt cor ſuum, & auribus graviter audierunt, & oculos clauſerunt, ideo factum eſt, quod cæci, ſurdi ac inſipientes, adeoque ad convertendum ac ſanitatem recuperandam inepti ſint. Notandum hic, vocula, *ne*, non finalem cauſam, ſed eventum tantum deſignare, ut ſupra ℣. 24 & alibi. Vide quoque quæ dicentur ad Joh. 12. 40.

Et ſanem eos.] In Hebræo eſt, *Ut ſanentur*, id eſt, ut eis peccata condonentur; quemadmodum ex Marc. 4. 12 patet.

Verſ. 16. *Veſtri autem beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt.*] Beati, id eſt, vos eſtis ſumma gratia ac beneficio ineffabili à Deo affecti: Loquitur autem hic quoque de auribus & oculis animi, ſuntque hæc verba nihil niſi repetitio ℣ſus 11. Ideo ſunt beati, quia ipſis datum eſt noſſe myſteria Regni Dei.

Verſ. 17. *Amen enim dico vobis, quia multi Prophetæ & juſti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.*] Cauſam affert, cur ſe Apoſtoli pro beatis debeant agnoſcere; nempe quod multis Prophetis ac ſanctis hominibus hæc gratia & hic honor non obtigerit, ut potuerint tanta diſcere myſteria

myſteria divinæ ſapientiæ ac regiminis, quæ Deus temporibus Meſſiæ reſervavit. Quo dicto Chriſtus ſimul voluit Apoſtolos ad modeſtiam cohortari. Facile enim illi cogitare poterant; quandoquidem aliis Judæis revelatio iſtorum myſteriorum denegetur, ſuorum operum merito eam deberi. Quare Chriſtus innuit, ipſos non eſſe meliores Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Eſaia, aliiſque Prophetis ac ſanctis viris, quibus tamen tanta felicitas non contigit. Vide Eſai. 64. ỳ. 4. Quod aliis Judæis denegatur, id fit ex juſtitia, quod illis obtingit, fit ex gratia.

Et non viderunt.] Non omnia intellexerunt, nec tam clare perceperunt: vide Hebr. xi. 13. 1 Petr. 1. ỳ. 10, 11, 12. Imo ne Angeli quidem, ut Petrus eodem loco indicat.

PARS III.

Verſ. 18. *Vos ergo audite parabolam ſeminantis.*] Id eſt, interpretationem parabolæ, quam jam ſupra ỳ. 3 audiverant. Marcus ait cap. 4. 13. Chriſtum Apoſtolos ſuos reprehendiſſe, quod hanc parabolam non intellexerint. Sic & infra eoſdem objurgat cap. 15. 16.

Hac ſimilitudine delineata eſt converſionis noſtræ ratio. Nam illa quidem originem atque initium ſumit à Chriſto vel Deo, qui ſemen Euangelii in cordibus noſtris ſeminat; ſed ſemen hoc fructum nullum affert, niſi etiam nos ipſi coöperemur. Nimirum oportet, ut ſimus terra bona, quæ ſimul operatur cum ſemine.

Verſ. 19. *Omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus, & rapit, quod ſeminatum eſt in corde ejus: hic eſt, qui ſecus viam ſeminatur.* Verbum regni, id eſt, Euangelium.

Et non intelligit.] Id eſt, non attendit, non ſatis conſiderat, non alte in animum demittit, & quaſi tellure cordis ſui non coöperit. Qui enim libenter quippiam intelligeret, nec poteſt, vel propter ſummam rei obſcuritatem, vel propter intellectus ſui imbecillitatem, is in culpa non eſt: hic autem de eo agitur, quando quis ſua culpa non intelligit.

Venit malus.] Nempe Diabolus: ut ſupra cap. 6. verſ. 13. Hominum incuria atque negligentia apparat Diabolo commodam habitationem, eoſque redigit in poteſtatem ejus: uti ſupra cap. 12. 45.

Et rapit.] Quando homines id quod audiunt, non bene perpendunt, tum Diabolus id ex animis ipſorum prorſus eximit: hinc fit, ut non credant; ſicut ait Lucas cap. 8. 12. Hinc cernitur, negligentiam ſæpenumero eſſe cauſam incredulitatis. Non autem ideo culpandus eſt Deus, quod Diabolo tantum permittat, quia non permittit ei quicquam, niſi in iis, qui per ſupinam ac voluntariam oſcitantiam theſaurum verbi divini indiligenter cuſtodiunt.

Rapit autem Diabolus ſemen verbi Dei ex animis hominum vel immediate, immittendo ac injiciendo eis malos cogitationes, quibus intellectus eorum obfuſcatur, ut verbum Dei non in tanto habeant pretio, ſicut decet; vel mediate per malos homines, qui perſuaſionibus ſuis ea animis noſtris excutiunt, quæ ſemel bene iis erant infixa, aut tales occaſiones nobis præbent, per quas fit, ut prius audita memoria nobis excidant. Atque hoc genus auditorum eſt omnium deterrimum, ut qui verbum Dei quidem auribus ſuis bibant, ſed vel animo non percipiant, vel tam perfunctorie conſiderent, ut illis facillime poſſit eripi.

Hic eſt, qui ſecus viam ſeminatur.] Id eſt, hic ſimilis eſt viæ, in quam ſemen cadit, & terra non contegitur, adeoque à volucribus devorari ſolet.

Verſ. 20. *Qui autem ſuper petroſa ſeminatur, hic eſt, qui verbum audit, & mox cum gaudio ſuſcipit illud.*] Id eſt, qui ſimilis eſt petroſis locis, in quibus ſemen ſpargitur.

Mox.] Id eſt, præcipitanter, re non bene perpenſa. Veritas ipſis allubeſcit, & præſtantia promiſſorum Euangelii accendit in animis eorum ardens deſiderium. Sed ſunt homines temerarii, & inconſtantes, qui tam facile in hanc quam in illam partem flectuntur, & tam prompti ſunt ad rem dimittendam quam amplectendam. Quod cito fit & exoritur, cito perit & evaneſcit.

Verſ. 21. *Non habet autem radicem in ſe, ſed temporalis eſt: exiſtente vero afflictione aut perſecutione propter verbum, ſtatim ſcandaliſatur.*] Radix eſt illud fixum animi propoſitum atque conſilium, quo ſumtus bene expenduntur, qui ad ædificandam hanc turrim requiruntur Luc. 14. 28, id eſt, quo parati ſimus, vitæ æternæ cauſa omnia ſufferre, aliaque omnia poſthabere. Hæc eſt illa firmitudo fidei, quam Paulus in Coloſſenſibus laudat Col. 2. 5, quique hanc conſecuti ſunt, de iis dicitur, quod ſint radicati in charitate Epheſ. 3. 18.

Sed temporalis eſt.] Id eſt, mutabilis ac inconſtans eſt.

Statim ſcandaliſatur. Scandaliſari proprie ſignificat offendi, impingere. Vide infra cap. 18. 7. Offenditur afflictionibus, & ad eos impingit, tanquam ad lapidem in via jacentem, & à fide reſilit. Cauſa defectionis à fide eſt inconſtantia animi, quæ ex ſecuritate naſcitur, ſecuritas autem exinde oritur, quando quis ſibi nimium fidit. Ideo monet Chriſtus, ut mature, antequam diſcrimen adveniat, vigilemus atque oremus Matth. 24. 42.

Verſ. 22. *Qui autem eſt ſeminatus inter ſpinas, hic eſt, qui verbum audit, ſed ſolicitudo ſeculi hujus & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* In bonam quidem terram cecidit ſemen, ſed quæ ſpinis obſita eſt. Ubi ſpinæ naſcuntur, optima terra eſt: quando autem ſpinæ non eradicantur, nullum fert fructum. Nam ſpinæ ad ſe trahunt humorem, quo ſemen ali ac nutriri debuit.

Qui verbum audit.] Imo etiam intelligit, & recipit, eique aſſentitur.

Sed ſolicitudo ſeculi hujus.] Per hanc intelliguntur omnes terrenæ ac mundanæ res, quos homines ſumma cum ſolicitudine atque anxietate animi conſectantur, inter quos præcipua eſt gloria ac voluptas hujus mundi. Vide Luc. 1. 14, & confer cum 1 Joh. 2. 16.

Et fallacia divitiarum.] Hebraiſmus, pro, fallaces divitiæ. Fallacia eſt pene inſeparabilis proprietas divitiarum, quod homines fallant ac decipiant, non ſecus ac hamus ſub ſuavi eſca deliteſcens. Vide Matth. 6. 19. xix. 23. 1 Tim. 6. 17.

Et ſine

Et ſine fructu efficitur.] Chriſtus in hac parabola procedit per gradus, & loquitur hic de iis, qui majores in pietate progreſſus fecerunt, quam priores, nempe qui non ſolum radices egerunt, verum etiam aliquos fructus proferunt; ſed quia à ſpinis mundanarum illecebrarum animos ſuos non purgarunt, amittunt vim frugiferam, vel ut Lucas ait cap. 8. verſ. 14 non ferunt fructum conſummatum, id eſt, non ad meſſem uſque perdurantem. Exemplum ejus rei habemus in Dema 2 Tim. 4. 10.

Verſ. 23. *Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & intelligit, & fructum adfert, & facit, aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud vero trigeſimum.*] Bona terra hic vocatur, quæ non tantum per ſe bona eſt, (nam etiam illa ſecus viam ſita, & illa ſpinis obſita bona erat) ſed quæ aratro ſubacta atque exculta eſt, & à ſpinis ac zizaniis omnibus repurgata. Omnes homines natura ſua ſunt bona terra, & ad ſemen Euangelii ſuſcipiendum fructumque ferendum idonei. Etenim ſummum illud bonum, quod eis offertur, cum natura ipſorum adeo conſentit, ut in unoquoque, qui de eo audierit, deſiderium ſui excitare valeat: Sed hominum culpa fit, quod nonnulli fiant ager ſecus viam poſitus, & terram cordis ſui meditatione & conſideratione verbi Dei non excolant: alii vero ſint petroſa terra, quæ non ſatis profunde aratro proſcinditur: alii denique terra ſpinoſa, quæ non diligenter occatur.

Qui verbum audit & intelligit.] Id eſt, ſummo ſtudio & attente conſiderat, ut ſupra ℣. 19 omniaque præterea facit, quæ ſedulus agricola circa culturam agri facere ſolet.

Et fructum adfert.] Lucas inquit, *Fructum fert in patientia* cap. 8. 15, id eſt, conſtantem fructum & uſque ad finem, id eſt, ad meſſem perſeverantem. Vide Matth. 24. 13. Per fructum non intelligitur præmium vitæ æternæ, ſed pietas & bona opera: imo omnia illa bona, quæ Euangelium in illis efficit, ſive ea intus in animis eorum reſideant, ſive ſe prodant per recte facta & dicta.

Aliud quidem centeſimum.] Tria ſunt genera fidelium, Patres, juvenes, & pueri: atque ſic etiam tres gradus fertilitatis. Summus gradus fertilitatis eſt, centeſimus fructus, ut patet Gen. 26. 12. Ita Varro quoque teſtatur de Sybaritana, & Plinius de Byzantina in Africa, nec non de Babylonica terra, quod ſemen in ea jactum fructum pariat centeſimum.

PARS IV.

Verſ. 24. *Aliam parabolam propoſuit illis, dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo.*] Regnum cœlorum, id eſt, prædicatio de regno cœlorum, ſeu Euangelium.

Simile factum eſt homini.] Id eſt, perinde ſe res habet cum prædicatione Euangelii, atque ſi homo eat in agrum ſeminare bonum ſemen &c. Vide de hac locutione ſupra cap. 11. 16.

Verſ. 25. *Cum autem dormirent homines, venit ejus inimicus, & ſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.*] Verbis *cum dormirent*, exprimitur commodiſſima occaſio, quam hoſtis obſervavit, & ea opportune uſus eſt. Homines ſecuri & ad res ſuas non attenti optime dormientibus aſſimilantur. Vide infra cap. 25. 5.

Verſ. 26. *Cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.*] Herba, id eſt, tam triticum quam zizania. Nam Hebræorum loquendi more omne id, quod è terra naſcitur, herba vocatur, præter arbores. Vide ſupra cap. 6. 30.

Et fructum feciſſet.] Cum jam cæpiſſent ſpicæ enaſci.

Verſ. 27. *Accedentes autem ſervi patrifamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti, in tuo agro? Unde ergo habet zizania?*

Verſ. 28. *Ille vero ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis igitur abeamus & colligamus ea?*

Verſ. 29. *Ille vero dixit: Non. Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.*] Quædam zizania tritico admodum ſunt ſimilia, ut facile unum pro altero ſumi poſſit.

Verſ. 30, *Sinite creſcere utraque uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & colligate ea in faſciculos, ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.*] Hanc parabolam ipſe Chriſtus interpretatur infra ℣. 37.

PARS V.

Verſ. 31. *Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile eſt regnum cœlorum, grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo.*] In prima parabola ℣. 3. Chriſtus docuit, quam diverſi ſint effectus & operationes ſeminis Euangelii, pro diverſitate agri boni vel mali, in quo illud ſeminatur. In altera verſ. 24 oſtendit, quomodo Satanas bono ſemini zizania intermiſceat. At ſequentibus duabus parabolis, de Sinapis grano, & fermento, indicat maximam vim & efficaciam Euangelii, cujus initia valde exilia fuerunt inter Judæos (quorum converſorum numerus tam exiguus erat, quam eſt granum ſinapis) poſtea vero longe lateque ſe diffudit, ingentis ac patulæ arboris inſtar. De qua diffuſione ac propagatione quam celeriter, quam miraculoſe facta ſit, quantaque fuerit, Apoſtolorum Acta ſcriptaque teſtantur. Videatur ſolum locus Pauli Rom. 15. verſ. 19.

Verſ. 32. *Quod quidem minus eſt omnium ſeminum; cum autem creverit, majus omnibus oleribus eſt, & fit arbor, ita ut veniant volucres cœli, & habitent in ramis ejus.*] Minus eſt omnium ſeminum, id eſt, unum eſt è minimis ſeminibus. Apparet proverbialem fuiſſe locutionem, ut res parva grano ſinapis conferretur: ſicut etiam infra cap. 17. 20. In proverbiis autem verba non tam accurate & in ſtricta ſignificatione accipiuntur.

Majus omnibus oleribus.] Sinapi quidem eſt genus oleris, ſed in calidis regionibus excreſcit in tantam altitu-

altitudinem, ut rami ejus aves ferre poſſint, iiſque calefieri magni furni ſoleant.

Habitent in ramis ejus.] Non eſt ſermo de nidis avium, ſed ſimpliciter tantum de eo, quod ſedeant in ramis. Nam aves in iis hærere amant, quia ejus ſemine libenter veſcuntur.

Verſ. 33. *Aliam parabolam locutus eſt eis; ſimile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, uſque dum fermentatum eſt totum.*] Mulierem nominat, quia panem pinſere mulierum eſt.

Abſcondit.] Id eſt, immiſcuit.

Sata tria.] Fuit menſura certa, quarum tres conficiebant Epha: & tantum ſolebat accipi communiter ad pinſendum panem. Vide Gen. 18. 6. Jud. 6. ỳſ. 19. 1 Sam. 1. 24.

PARS VI.

Verſ. 34. *HÆc autem locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas, & ſine parabola non loquebatur eis.*] Nimirum, poſtea quam claram & evidentem Concionem recipere noluerunt.

Verſ. 35. *Ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam; dicentem: Aperiam in parabolis os meum; eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.*] Vocula *ut* non denotat hic cauſam finalem, quaſi Chriſtus eum in finem parabolis uſus ſit, ut dictum Aſaphi (qui hic generali ſignificatu Propheta nuncupatur) impleretur. Vera enim ac genuina cauſa fuit, ne populus myſteria regni cœlorum intelligeret, ſiquidem eo indignus erat beneficio. Sed hoc vult dicere Euangeliſta, id quod Aſaphus de alia re alioque ſenſu protulit, hic de Chriſto dici poſſe, quia nimirum ſimilitudo quædam inter utrumque ſit. Talis locutio etiam occurrit ſuperius cap. 2. 17, 18. Vide ibidem dicta.

Aperiam os meum.] Verba Aſaphi Pſalmo 77. 2 ita ſonant: *Aperiam os meum in proverbiis, eructabo ænigmata de rebus, quæ à priſco tempore facta ſunt.* Hebræa vox *proverbium* ſignificat argutos & doctos ſermones, ſive propriis ſive figuratis verbis proponantur. Hujuſmodi ſunt Proverbia Salomonis, uti etiam dicta in libro ſapientiæ & Eccleſiaſtico. Per ænigmata intelliguntur dicta plena ſapientiæ, quæ in exemplis divinæ gubernationis jacet abſcondita, & argute ratiocinando in de eruitur. Talibus proverbiis atque ænigmatibus Aſaphus in illo Pſalmo uſus eſt, dum varia ac immenſa Dei beneficia, nec non pœnas Iſraëlitico populo illatas enumerat. Unde patet, Euangeliſtam noſtrum hic verba Pſalm iſtius in alia ſignificatione allegare. Hic enim per parabolas intelliguntur dicta obſcura, quibus aliud ſignificatur, quam verba præ ſe ferunt.

Abſcondita.] Vide Rom. 16. 25. 1 Cor. 2. 7. Col. 1. 26. Aſaphus recenſet res geſtas tempore præterito, Chriſtus recenſet myſteria Euangelii, quæ tamen per res ab Aſapho commemoratas adumbrata fuere.

A conſtitutione mundi.] Id eſt, à creatione mundi. Metaphorica locutio eſt ſumpta ab ædificiis: ut Epheſ. 1. 4. Hebr. 9. 26. 1 Petr. 1. 20. Hinc appareret, maximum hoc ſalutis noſtræ negotium jam tum cum mundus conderetur, fuiſſe à Deo decretum atque concluſum, & omnia ad id tanquam ad finem ſuum eſſe directa. Vide 1 Cor. 2. 7.

PARS VII.

Verſ. 36. *TUnc dimiſſis turbis venit in domum Jeſus, & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes, Explica nobis parabolam Zizaniorum agri.*

Verſ. 37. *Ille vero reſpondens ait illis: ſeminans bonum ſemen eſt Filius hominis.*

Verſ. 38. *Ager autem eſt mundus.*] Ne diſcipuli exiſtimarent, Euangelium tantummodo in Judæa, ut hactenus factum, prædicatum iri.

Bonum vero ſemen hi ſunt filii regni.] Id eſt, illi quibus regnum deſtinatum eſt. Hebraiſmus eſt: de quo vide ſupra cap. 8. 12. Illi ſcilicet, qui verbum Dei audiunt & intelligunt ſupra verſ. 23. Ex hoc loco Manichæi colligebant, bonas hominum naturas à Deo eſſe, malos à Diabolo. At Chriſtus hic non agit de eo, quid ſint homines à natura, cujus reſpectu omnes à Deo boni atque ad virtutem apti creati ſunt; ſed de eo, quid ſint quatenus liberum arbitrium habent, & ſeſe vel Deo vel Diabolo conformes efficiunt.

Zizania autem ſunt filii illius mali.] Per zizania non omnes improbi ac flagitioſi homines intelliguntur, ſed ii duntaxat, qui in Chriſtiana ſunt Eccleſia, Chriſtique religionem profitentur. Ideo dicitur ỳſ. 25 zizania eſſe diſſeminata *inter triticum.* Et infra ỳſ. 41 ea *è Regno ipſius* colligenda eſſe. Sic etiam verſ. 48 boni ac vitioſi piſces ſunt in una ſagena ſeu reti. Quemadmodum autem illi vocantur Filii Dei, qui in virtute ac bonitate ſunt Deo ſimiles Matth. 5. verſ. 9, 45, ita illi appellantur filii mali, id eſt, Diaboli, qui malitiam ipſius imitantur Joh. 8. 44.

Verſ. 39. *Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus: at meſſis, conſummatio ſeculi eſt: meſſores autem Angeli ſunt.* Per negligentiam hominum fit, ut Diabolus occaſionem & opportunum tempus habeat multa zizania vitiorum & impietatis in Eccleſia diſſeminandi; id quod Deus pro divina ſua ſapientia & ad juſtum negligentium judicium fieri permittit.

Conſummatio ſeculi.] Gr. *συντέλεια τοῦ αἰῶνος*, conſummatio ſeculi, vel longorum temporum. Hac phraſi deſignat Scriptor ad Hebræos cap. 9. 26 tempus illud totum, quod Meſſiæ deſtinatum eſt. Matthæus autem hoc loco intelligit tempus noviſſimi Judicii, atque interitus mundi. Ita quoque apud Hebræos per tempus futurum, (ut & per Regnum Dei) interdum denotatur tempus Meſſiæ, interdum tempus univerſalis reſurrectionis.

Verſ. 40. *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſeculi.*

Verſ. 41. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem.*] In his verbis conſiſtit tota vis parabolæ. Initio conſtabat Eccleſia Chriſti ex hominibus ſumma ſanctitate ac pietate præditis, plenis Spiritu Sancto, vel ſuper quos Spiritus Sanctus mox debebat effundi. Verum poſtea, ubi refrixit charitas illa,

tas illa, quæ fuit in initiis, jam Apoſtolorum tempore, multo magis autem poſt ipſorum fata, duplex malorum hominum genus ſe Chriſtianis admiſcuit. Primum eorum, qui falſas ſpargebant doctrinas: alterum eorum, qui puram Chriſti doctrinam impure vivendo contaminabant. Prioris generis homines hic *ſcandala* vocantur. Quod enim non ſolum mala hominum opera, ſed & ipſi homines mali ſcandala dicantur, ex Matth. 16. 23 liquet. Quemadmodum autem Apoſtolus Paulus conjungit hæc duo, *diſſenſiones*, & *offendicula præter doctrinam* Rom. 16. 17, perque ea nihil aliud intelligit, quam falſas doctrinas: Sic etiam hic per *ſcandala* intelliguntur, ii qui diſſidia in doctrina Chriſti excitant, id eſt, à pura doctrina deficiunt. Nam quod Chriſtus quoque dixit Matth. 18. 7: *Oportet ut veniant ſcandala*; id Paulus ſic extulit: *Oportet ut ſint hæreſes* 1 Cor. 11. 19. Talia ſcandala inprimis fuerunt Nicolaitæ & Gnoſtici, quorum mentio fit in epiſtolis Petri & Judæ, qui ſub ſpecie Chriſtianæ libertatis ea pro indifferentibus adeoque licitis habebant, quæ naturali repugnabant honeſtati. Poſterioris generis homines erant ii, *qui faciebant iniquitatem*, id eſt, qui quidem nullam doctrinam ſpargebant peſtiferam, ſed interim vitam ſuam non exigebant ad regulas Euangelii, erant fratres inordinate ambulantes, ut Paulus loquitur 2 Theſſ. 3. 6. Hæc duo hominum genera multum negotii ac moleſtiæ Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus faceſſiverunt: & dubium non eſt, ſi Apoſtolis eadem manſiſſet mens, quæ fuit tum, cum Chriſtus hæc loqueretur, non ſemel eos optaturos fuiſſe, ut ignis de cœlo deſcendens homines tales abſumeret: quemadmodum id optarunt in illo Samaritano vico, ubi Chriſto negabatur hoſpitium Luc. 9. 54: Hunc intempeſtivum igitur zelum Chriſtus hic vult reprimere, dum docet, ſinendum eſſe, ut in Chriſtiano orbe probi cum improbis, veri doctores cum falſis permixti vivant, donec meſſis univerſalis judicii adveniat. Cauſam ejus rei indicat verſ. 29, quia nimirum triticum una cum zizaniis facile evelli atque exſtirpari poſſit. Quo accedit, quod ex malis multi queant emendari, quorum reſipiſcentiam Deus patienter expectat. Vide 2 Petr. 3 verſ. 9. Proſunt quoque hæreſes, ut probati manifeſti fiant 1 Cor. xi. 19. Cæterum Eccleſiæ Chriſti non adimitur jus excommunicandi ac ſeparandi à conſortio eos, qui vel veritatem, quæ eſt ſecundum pietatem, adulterant, vel turpi vita Chriſtianum nomen polluunt. Qua in re tamen ſumma lenitate & prudentia, præſertim quod errores attinet, utendum eſt. Nonnulli enim errores ita comparati ſunt, ut in iis locum habeat illud Pauli: *Infirmum in fide ſuſcipite, non ad altercationes diſceptationum*, vel *cogitationum* Rom. 14. 1.

Verſ. 42. *Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Verſ. 43. *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol, in regno Patris ſui.*] Tunc, cum Eccleſia Dei ab omni peſte malorum hominum fuerit emundata.

Juſti fulgebunt.] Apud Danielem cap. 12. 3, è quo ſumpta ſunt hæc verba, habetur, *docti* vel *ſapientes*: quos Chriſtus hic recte explicans, vocat juſtos, id eſt, pios. Pietas enim eſt vera ſapientia.

Sicut Sol.] In Daniele eſt: *Sicut ſplendor firmamenti.* Sic videtur Paulus quoque gloriam eorum, qui inter pios præſtantiſſimi erunt, cum ſole comparare 1 Cor. 15. 41.

Qui habet aures ad audiendum, audiat.] Id eſt, attendat, quis exitus futurus ſit tam proborum quam improborum. Hoc vobis magno poteſt eſſe ſolatio adverſus afflictiones hujus mundi, & impiorum hominum proſperitatem. Eratque hæc admonitio apprime neceſſaria, quia non ſolum de rebus maximi momenti locutus fuerat, verum etiam ita locutus, ut qui non bene attendit, parum ex iis intelligat.

PARS VIII.

Verſ. 44. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem inveniens homo abſcondit, & præ gaudio illius abit, & univerſa quæ habet, vendit, & emit agrum illum.*] Hac & ſequenti parabola, quam utramque proculdubio Chriſtus non ſolis diſcipulis, ſed toti turbæ propoſuit, docet, quam homines doctrinam Euangelii, quæ hic *theſauro* & pretioſæ margaritæ confertur, magni æſtimare debeant.

Abſcondito in agro.] Theſaurus Euangelii à condito mundo occultus fuit, homineſque latuit (ſupra verſ. 35) nunc autem revelante Deo proſtat & eſt in propatulo, ut à quovis, qui modo quærit, inveniri poſſit.

In veniens homo abſcondit.] Theſaurus in agro ipſi apparuit, is vero eum altius defodit, vel terra coöperuit, ne à venditore agri conſpiceretur.

Et univerſa quæ habet, vendit.] Indicatur, tanti nobis eſſe debere doctrinam Euangelicam, ut ejus adipiſcendæ vel ad finem uſque conſtanter retinendæ gratia, omnia quæ in mundo habemus, etiam propriam vitam, impendere debeamus. Vide Matth. 10. ℣. 37. Luc. 14. 26, 33, vide etiam ſuperius dicta ad ℣ſ. 20, 21, 22.

Et emit agrum illum.] Apparet ſecundum jura Hebræorum theſaurum domino agri competiiſſe.

Verſ. 45. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.*

Verſ. 46. *Qui inventa una pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.*] Hæc parabola ejuſdem eſt argumenti cum ſuperiore. Regnum cœlorum autem, ſeu doctrina Euangelii, non eſt proprie loquendo negotiatori ſimile, ſed margaritæ pretioſæ. Vide de hac loquendi ratione ſupra ℣ſ. 24. Inter omnes autem gemmas margaritæ cenſentur eſſe pretioſiſſimæ.

PARS IX.

Verſ. 47. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ jactæ in mare, & res omnis generis congreganti.*

Verſ. 48. *Quam cum impleta eſſet, ſubduxerunt in littus, & ſedentes, quæ bona erant, in vaſa collegerunt, quæ vero putria, extra abjecerunt.*

Verſ. 49. *Ita erit in conſummatione ſeculi: exibunt Angeli, & ſegregabunt malos è medio juſtorum.*

Verſ. 50.

Verſ. 50. *Et projicient eos in caminum ignis; ibi erit fletus & ſtridor dentium.*] Hujus parabolæ idem eſt argumentum, quod illius ℣ſ. 24 & 37.

Subduxerunt in littus.] Subintellige homines, vel piſcatores. Similis loquendi modus eſt Marc. 3. 21.

Quæ vero putria.] Id eſt, piſciculos exiles, quos piſcatores abjicere ſolent, quia indigni ſunt, ut aſſerventur.

PARS X.

Verſ. 51. DIcit illis Jeſus: *Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Utique Domine.*

Verſ. 52. *Ille autem dixit eis? Propterea omnis Scriba edoctus id regnum cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert è theſauro ſuo nova & vetera.*] Quia diſcipuli dixerant, ſe omnes iſtas parabolas intellexiſſe, monet eos ac docet, hac parabola, quomodo ſe in docendo Euangelio gerere debeant.

Scriba.] Id eſt, Doctor Euangelii.

Edoctus ad regnum cœlorum.] Qui aptus eſt ad doctrinam Regni cœlorum, id eſt, Euangelii docendum aliiſque proponendum.

E theſauro ſuo.] E penu ſua, vel cella promptuaria.

Nova & vetera.] Omnis generis cibos, recentes, & aſſervatas reliquias, & quicquid requiritur ad familiam alendam, vel hoſpites digne tranctandos. Sic debet quoque Doctor Euangelii doctrinam Chriſti variis modis proponere, & tum exempla, tum parabolas, tum proverbia, tum monita & ſimilia adhibere: ut eam unicuique approbare & inſtillare poſſit, quandoquidem homines non ſint omnes æqualis ingenii, ſed alii hac, alii alia ratione eam facilius queant comprehendere.

PARS XI.

Verſ. 53. ET factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus parabolas iſtas, tranſiit inde.

Verſ. 54. *Et veniens in patriam ſuam, docebat eos in Synagoga eorum, ita ut obſtupeſcerent, & dicerent: Unde huic ſapientia iſta & virtutes?*] In patriam ſuam, id eſt, Nazaretam, ubi educatus fuit. Vide ſupra cap. 2. 23. Luc. 4. 16. Capernaumi Chriſtus plurima edidit miracula, Bethlehemi nulla, Nazarethæ pauca.

Docebat eos in Synagoga eorum.] Vide fuſius deſcriptam hanc hiſtoriam Luc. 4. 16 & ſeqq.

Verſ. 55. *Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joſes, & Simon & Judas?*] Græca vox τέκτων ſignificat in genere fabrum aut opificem, ſive is circa lignum, ſive ferrum, ſaxa, aut metalla occupetur. Juſtinus autem auctor eſt, qui proxime ad tempora Chriſti acceſſit, Joſephum fuiſſe fabrum lignarium; qua in ſententia quoque veteres Chriſtiani fuerunt, ut ex Sozomeno patet lib. 6. cap. 2, qui ſcribit, Chriſtianum quendam ab Ethnico fuiſſe per ludibrium interrogatum: Quid facit veſter fabri filius? atque illum reſpondiſſe: Parat Juliano Cæſari loculum. Et quia Judæi Chriſtum ipſum fabrum appellant Marc. 6. 3, idcirco credibile eſt, Chriſtum in opere patri ſuo collaboraſſe. Juſtinus ſcribit, eum aratra & juga conſeciſſe. Atque hoc non dedecuit Chriſtum facere in illo ſervili ſtatu, ad quem ipſe ſe ultro demiſit.

Mater ejus dicitur Maria.] Etiam humili ſtatu ac fortuna matris ejus offendebantur, quæ netrix erat, aut alioqui manuum ſuarum labore vitam tolerabat, uti Celſus homo Ethnicus Chriſtianis objiciebat.

Et fratres ejus.] Vide ſupra cap. 12. 46.

Verſ. 56. *Et ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?*] Hæ ſine dubio fuerunt ejus conſobrinæ, quæ ſorores appellantur Hebræorum conſuetudine, ut & patrui fratres. Apparet autem, eas tenui cenſus ac conditionis vilis fuiſſe, quia Nazaretani iis offendebantur.

Unde igitur illi hæc omnia?] Qui antea nuſquam peregrinatus eſt extra Nazaretam, domi autem à ſuis iſta diſcere non potuit, quippe qui omnes homines erant ſimplices & idiotæ.

Verſ. 57. *Et ſcandaliſabantur in eo. Jeſus autem dixit eis: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.*] Non eſt credibile, illos miracula Chriſti Diabolo attribuiſſe, ut fecerant Phariſæi ſupra cap. 12. 24. Nihil enim tale iis à Chriſto objicitur, ſed vilis Chriſti conditio obtenebravit eorum intellectum, ut non potuerint perſpicere, id ſuper quo obſtupeſcebant, à Deo proficiſci. Vide ſupra cap. 11. 6. Hoc erat indicium ſtupidi eorum ingenii & futilis judicii.

Propheta non eſt ſine honore.] Id eſt, præſtantes viri, quales inprimis ſunt Prophetæ, nuſquam minoris æſtimantur, quam inter ſuos populares. Videtur fuiſſe notum inter Judæos proverbium. Quod peregrinum eſt, ſemper à vulgo in majori habetur pretio, quam quod domi natum eſt, tametſi illud hoc ſit vilius. Sic David à ſuis eſt ſuſque deque habitus 1 Sam. 16. 11. XVII. 28.

Verſ. 58. *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.*] Chriſtus ubique miracula edebat, ut qui de eo nullam habebant notitiam, ad fidem adducerentur: qui iis permoti in ipſum credebant, eos confirmabat in fide pluribus miraculis: qui autem ea prima vice ſpernebant, eos ipſe etiam indignos judicabat ulterioribus beneficiis, ne quid detrahetur divinæ ſapientiæ, ſi margaritas ante porcos projiceret. Ita aſſolet Deus cum hominibus agere; exhibet eis beneficia ſua, ſed ita, ut ſimul ab eis poſtulet debitum officium.

CAPUT XIV.

I. *Johannes Baptiſta decollatur: ad verſ.* 13. II. *Chriſtus cibat* 5000. *homines quinque panibus: ad verſ.* 22. III. *Chriſtus & Petrus ambulant per mare: ad verſ.* 34. IV. *Chriſtus ſanat multos ægrotos in regione Geneſaret.*

PARS I.

Verſ. 1. *IN illo tempore Herodes Tetrarcha audivit famam Jeſu.*] Herodes iſte fuit Herodis Magni filius ex Marthace Samaritide, dictus alio nomine Antipas. Hunc pater aliquando teſtamento hæredem regni inſtituerat, ſed poſtea mutata ſententia, Archelao regnum legavit; hunc autem Herodem Antipam conſtituit Tetrarcham Galilææ & Perææ. Vide hac de re ad Luc. 3. 1 plura. Cur vero tam inſignia miracula Chriſti non ante ad aures Herodis pervenerint, ejus rei hanc quidam exiſtimant fuiſſe cauſam, quod pleraque Chriſti miracula facta fuerint tum, cum Herodes fuit Romæ; de quo Joſephus: vel cum occupatus eſſet bello Arabico, de quo itidem videatur Joſephus. Alii vero ſtatuunt, decollationem Johannis factam in ipſis inchoati muneris Chriſti Prophetici initiis. Nam tum cum Johannes jam conjectus eſſet in vincula, ne diſcipuli quidem ejus videntur adhuc ulla Chriſti miracula vidiſſe, aut de iis quicquam audiviſſe. Idcirco Chriſtus ipſis præſentibus edidit miracula, & dixit: *Ite, renuntiate Johanni, quæ auditis & videtis* Matth. xi. verſ. 4.

Tetrarcha.] Galilææ Luc. 3. 1. Sub eo Johannes proceſſit ad prædicandum, ut ibidem ℣. 2. 3 videre eſt: poſt Johannem non multo poſt Chriſtus prædicare cœpit Matth. 4. 12.

Nomen *Tetrarchæ* ortum traxit è Galatia, quæ regio in tres partes fuit diviſa, & ſingulæ partes rurſus in quatuor, quarum cuique Princeps aliquis ſive Rector præfectus eſt; hi Principes inde dicti ſunt Tetrarchæ. Ab hac regione nomen hoc deinceps ad alios quoque regiones derivatum eſt, ut Tetrarchæ dicerentur, qui parti alicui regionis, etſi pars illa non eſſet quarta, præerant. De diviſione Judææ vide ſupra cap. 2. 22.

Famam Jeſu.] Id eſt, rumorem de ejus miraculis ac glorioſis factis.

Verſ. 2. *Et dixit ad ſervos ſuos: Hic eſt Johannes Baptiſta; ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.*] Ad ſervos, id eſt, ad aulicos ſuos, cum quibus hac de re confidentius ſolebat colloqui.

Hic eſt Johannes Baptiſta.] Hoc non Herodes, ſed alii primum commenti ſunt, Johannem à mortuis reſurrexiſſe, quod Herodes dubia adhuc fide credidit. Vide Luc. 9. 7, 8, 9. Hac de re igitur Herodes cum ſuis fidiſſimis ſermocinatur, metuens, ne id forte verum ſit. Vix dubitandum videtur, nefarium ipſius homicidium, quo hominem ſanctum ac innocentem ſuſtulit è medio, dies & noctes obverſatum fuiſſe animo ejus, atque ſic ad ſtimulum conſcientiæ acceſſit inſuper timor, qui omnibus tyrannis tanquam individuus comes ſemper adeſt. Vide Sapient. 17. 2, 3, 4.

Reſurrexit à mortuis.] Judæi non modo credebant, animas hominum prius creatas eſſe à Deo, & hominibus, cum naſcuntur, infundi, ſed hanc quoque fovebant opinionem, quod quorundam hominum animæ poſt mortem eorum in alia corpora tranſmigerent. Hinc docent Judæorum nonnulli animam Phineæ fuiſſe in Elia: Jeremiæ animam eandem fuiſſe quoque animam Zachariæ: alii etiam cenſent, Adami animam fuiſſe in Davide, & eandem in Meſſia futuram. A Judæis hanc opinionem videntur poſtea mutuati eſſe Pythagorei, qui inſuper crediderunt, impiorum animas poſt mortem in animalium brutorum corpora tranſire, & quidem in eorum animalium, quibus ſe in vita reddiderunt ſimillimos. Hinc factum, ut carnis eſu abſtinerent, veriti, ne tale aliquando animal mactarent, ederentque, cujus corpori anima hominis, & forte etiam patris aut cognati alicujus ſui ineſſet. Hic autem veriſimile non eſt, eo ſenſu de Chriſto creditum eſſe, quod anima Johannis intraverit corpus Chriſti. Iſta enim tranſmigratio animarum ab uno corpore in aliud, ex ipſorum mente fiebat in nativitate hominis, vel quando vivere incipiebat, non autem in hominibus adultis. Sic enim oportuiſſet, vel duas eſſe in uno homine animas, vel eam quam homo primum in generatione ſua accepit, excedere & alteri dare locum: quorum neutrum ab ipſis eſt creditum. Itaque ſtatuendum omnino eſt, eos revera credidiſſe Johannem à mortuis reſuſcitatum eſſe, ſive in alio corpore, quod ei Deus aptaverit, ſive quod anima ejus in priſtinum corpus ipſius, quod diſcipuli ejus ſepulchro mandaverant, remigraverit: quod apud ipſos novum & inauditum haudquaquam erat; cum ſciverint, olim ab Elia & Eliſæo quoque mortuos fuiſſe ſuſcitatos 1 Reg. 17. 22. 2 Reg. 4. 34, 35. xii. 21. Conjectura autem de reſurrectione Johannis ex eo aucta eſt, quod Chriſtus, perinde ac Johannes, doctrinam de pœnitentia agenda, deque appropinquante regno cœlorum urgeret. Confer Matth. 3. 2 cum 4. 17.

Et ideo.] Nempe, quod Deus hac ratione Johannis innocentiam, & immanitatem Herodis teſtatam facere vellet. Joſephus tradit lib. 18. cap. 10 Judæos vulgo credidiſſe, bella ingentia, proſcriptionem Herodis, aliaque mala plurima, quæ in eum redundarunt, fuiſſe pœnas hujus abominandæ cædis Johannis.

Virtutes operantur in eo.] Tanta miracula ab eo eduntur. Johannes Baptiſta dum vixit, nullum edidit miraculum: Sed Herodes impulſu malæ conſcientiæ ſuæ credidit, illum in ipſius pœnam atque vindictam à Deo tanto majori poteſtate jam armatum eſſe.

Verſ. 3. *Nam Herodes prehenſum Johannem vinxerat, & conjecerat in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui.*] Herodiadis in gratiam, ut mox exponitur. Herodias iſta fuit filia Ariſtobuli, germani fratris Philippi, & hujus Antipæ. Sic Antipas germani fratris ſui filiam, & germani quoque fratris ſui uxorem duxit.

Uxorem Philippi fratris ſui.] De hoc Philippo magnum oritur dubium. Joſephus enim lib. 18. cap. 6. 7, 9 dicit, eam non Philippi, ſed Herodis (qui hujus Herodis Antipæ frater erat) uxorem fuiſſe. Sed quia tres Euangeliſtæ, Matthæus hoc loco, Marcus cap. 6. 17 & Lucas cap. 3. 19 in nomine Philippi unanimiter conſentiunt (qui rem ætate ſua publice geſtam, & nemini ignotam non potuerunt non bene habere compertam) quia vero etiam veriſimile non eſt, Joſephum ſcriptorem in omnibus diligentiſſimum, & rerum in Judæa geſtarum ſcientiſſimum

tiſſimum tam enormiter erraſſe, ut nomen falſum pro vero poſuerit, alterutrum ex his duobus eligendum eſt: Vel Philippum, quem hic Euangeliſtæ nominant, etiam cognomine Herodem dictum fuiſſe (quemadmodum etiam Antipas hic cognomentum Herodis habuit) Vel illum fratrem, quem Joſephus Herodem nuncupat, cuique uxor erepta fuit, cognomen etiam Philippi geſſiſſe. Quod Poſtremum credibilius eſt; cum Joſephus expreſſe perhibeat, Herodem iſtum, cui frater uxorem abſtulit, eſſe illum, quem Herodes Rex è Mariamne Simonis Pontificis Maximi filia ſuſceperat. Non enim abſurdum eſt, in novem fratres duos fuiſſe Philippos, ſicut etiam inter eoſdem duo Antipæ (nam Antipater & Antipas idem nomen eſt) & duo Herodes fuerunt. Hoc modo Philippus iſte, cujus uxor Herodias fuerat, non foret ille, qui fuit Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis Luc. 3. 1. Euangeliſtarum fides non tantum Syriaca verſione, quæ nomen Philippi habet, verum etiam veteri Chronico Hebraico confirmatur, ubi cap. 36 hæc verba de Antipa Herode leguntur: *Uxorem fratris ſui Philippi, ipſo vivente junxit ſibi matrimonio, quæ liberos ex fratre ejus ſuſceperat, & tamen is eam duxit uxorem. Idem Antipas etiam Johannem magnum Sacerdotem interemit, quia dixerat ipſi: Non licet tibi fratris tui Philippi conjugem habere uxorem; propterea eum occidit. Hic fuit Johannes, qui baptiſavit.* Et in antiquo-Judaico Chronico ſecundi Templi ita ſcriptum extat: *Antipas Philippi fratris ſui uxorem accepit, ex qua ille* (nempe Philippus) *antea liberos genuerat. Propter hoc nefandum facinus redarguit eum Rabbi Johannan, magnus Sacerdos: ideo perculſit eum Antipas, & morte affecit.*

Verſ. 4. *Dicebat enim ei Johannes, Non licet tibi eam habere.*] Joſephus lib. 18. cap. 10 refert aliam cauſam, ob quam Herodes Johannem interfecerit, quod ſcilicet metuerit, ne Johannes tanta auctoritate apud populum pollens, ſeditionem excitaret. Non eſt autem probabile, Herodem revera eam ſuſpicionem de Johanne concepiſſe, cum magni fecerit ipſius ſanctimoniam, & eum eo nomine reveritus fuerit, libenterque eum docentem audierit, ut Lucas cap. 3. 20 teſtatur. Sed credibile eſt, eum hanc cauſam ſuo ſceleri coram populo in ſpeciem prætexuiſſe, quia veram cauſam edere in publicum non audebat. Falſam igitur cauſam ab Herode ſparſam in vulgus, narravit Joſephus, Euangeliſtæ retulerunt veram.

Non licet tibi habere eam.] Nempe pro uxore. Quod Antipas Herodiadem, adhuc Philippo fratre ſuperſtite, habuerit in matrimonio, teſtatur Joſephus clare lib. 18. cap. 7. ubi genus Herodis Regis deſcribit. An autem Philippus adhuc in vivis fuerit, cum Johannes Antipam redarguit, non liquet. Aliqui exiſtimant, Johannem corripuiſſe atque arguiſſe Herodem non tam propter raptum alienæ uxoris & adulterium (cui jam nullus fuerit locus, cum Philippus jam fuerit mortuus) quam propter inceſtum, quod contra expreſſum Legem Levit. 18. 16. xx. 21, fratris ſui uxorem duxiſſet, id quod ipſi, per circumciſionem ad obſervandam Legem Moſis obſtricto, neutiquam erat licitum, cum Philippus liberos ex ea genuerit. Quo admiſſo, per vocem *uxor* intelligenda erit ea, quæ antea uxor ejus fuerit: ut ſupra cap. 1. 6.

Verſ. 5. *Et volens eum occidere, timuit turbam, quia tanquam Prophetam habebant eum.*] Marcus cap. 6. 19, 20 narrat contrarium, nempe Herodiadem Johannis vitam appetiiſſe, ſed ab Herode, qui Johannem ob vitæ ſanctitatem ſerebat in oculis, fuiſſe impeditum. Hinc quidam cenſent, Herodem conjeciſſe Johannem in carcerem, non animo occidendi, ſed tantum ut uxori ſuæ gratificaretur, ut ejus iracundiam & ultionis cupidinem aliquo modo expleret. Cui ſententiæ favere videtur, quod Herodes (verſ. 9.) contriſtatus fuerit, cum juramento adſtrictus Johanni caput præcidere cogeretur. Verum credibilius eſt, tam Herodem quam Herodiadem, more omnibus tyrannis familiari (qui oderunt, nec ferre poſſunt facinorum ſuorum caſtigatores ac reprehenſores) Johannis vitæ ſtatim inſidiatum fuiſſe, & non tam ex conſideratione ejus ſanctitatis, quam ex conſcientia ſcelerum ſuorum timuiſſe eum potius, quam amaſſe. Quare cum eum carceri incluſiſſet, ſine dubio etiam eum capite plecti curaſſet illico, ni populum Johanni addictum, magis, quam Deum, fuiſſet reveritus. Hinc etiam triſtitia ejus poſt peractum homicidium verſ. 9 orta eſt, non quod commiſeratione tangeretur hominis ſancti innocenter cæſi, ſed partim quod pertimeſceret populi ſeditionem, qui Johannem æſtimabat tanquam Prophetam, partim quod ignominioſum ſibi fore videret, virum tam celebrem innocentia, nullo prævio judicio ac omnino inauditum ſupplicio afficere.

Verſ. 6. *Cum autem agerentur natalitia Herodis, ſaltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.*] Mos erat apud Reges in Oriente natalitia celebrare, inſtituto ſolenni convivio: tale convivium etiam Herodes die natali ſuo paravit proceribus ſuis, & chiliarchis & primariis Galilææ Marc. 6. 21. Morem hunc celebrandi natalitia admodum antiquum eſſe, docet exemplum Pharaonis Gen. 40. 20. Antiochus natalitia ſua celebravit ſingulis menſibus 2 Macch. 6. verſ. 7. Quod idem quoque Plinius de Epicuri diſcipulis ſcribit, eos Epicuri natalem die 20 uniuſcujuſque menſis celebraſſe. Ne unicum quidem exemplum in tota Sacra Scriptura reperitur, de homine pio, quod natalem ſuum celebrarit.

Saltavit filia Herodiadis.] Quæ ex Philippo genita erat, & Salome vocabatur Joſeph. lib. 18. cap. 7.

In medio.] In conſpectu convivarum.

Et placuit Herodi.] Marcus addit, *Et ſimul accumbentibus* cap. 6. 22.

Verſ. 7. *Unde cum juramento ſpopondit, ei dare quodcunque poſtulaſſet.*] Exemplum hic habetur ſummæ levitatis ac proterviæ in jurando, quæ apud eos quoque, qui ſe Legi divinæ addixerant, qualis & hic Herodes fuit, invaluerat. Tales & illi erant, qui ſe cum execratione devoverant ad necandum Paulum Actor. 23. 12.

Quodcunque poſtulaſſet.] Marcus addit, *uſque ad dimidium regni mei* cap. 6. 23. Hæc erat uſitata & quaſi proverbii vice uſurpata locutio Regum, quando alicui liberam petendi poteſtatem dabant. Vide ſimile exemplum Eſth. 5. 3.

Verſ. 8. *Illa vero inſtructa à matre ſua: Da mihi,*

inquit, hic in patina caput Johannis Baptiſtæ.] Non tantum mater eam ſubornavit, ſed etiam perſuaſit ei, ut id peteret. Nam puella forte aliquid aliud, quod ipſi gratius fuiſſet, poſtulaſſet.

Da mihi hic.] Marcus prolixius deſcribit rem, ut geſta eſt; quod egreſſa fuerit, & interrogarit matrem ſuam, Quid petam? & illam dixiſſe: Caput Johannis Baptiſtæ; quodque mox puella cum feſtinatione ingreſſa ad Regem ſit (dum voluptas, quam Rex ex ſaltatione ejus ceperat, recens erat) ac petierit dicens: Velim ut protinus mihi des in patina caput Johannis Baptiſtæ cap.6. 24,25. Protinus, inquit: ne ſi Rex rem differret, ſubiret eum liberalis promiſſionis pœnitentia.

Verſ. 9. *Et contriſtatus eſt Rex, ſed propter juſjurandum & eos qui ſimul accumbebant, juſſit ei dari.*] Etſi Herodes nonniſi Tetrarcha fuerit, nihilominus tamen Rex fuit appellatus, quia Tetrarchæ regia poteſtate imparabant. Ita Matthæus quoque ſupra cap. 2. 22 Tetrarchæ Archelao Regiam attribuit poteſtatem.

Contriſtatus eſt.] Vide ſupra ad ℣.5.

Sed propter juſjurandum.] Hæc erat levis cauſa admodum, qua ad tantum facinus permoveretur: ſed apparet, eum jam antea propenſo ad id fuiſſe animo. Quis enim non intelligat, tam generalia verba juramenti, quibus nihil in ſpecie nominatum fuerat, eatenus duntaxat intelligenda eſſe, & eatenus eum duntaxat obligare, quatenus nihil in ſe, quod contra fas ac honeſtatem erat, continebant. Hinc Jephtha quoque ita votum ſuum interpretatus eſt, ut filiam ſuam non, ut aliqui putant, immolaverit, ſed Deo conſecraverit, atque ab hominum conſortio ſeparatam aſſervarit Jud.xi.30. Confer cum ℣.39.40. Quod per ſe iniquum eſt, id nullo jurejurando fit licitum.

Et eos qui ſimul accumbebant.] Pudore victus, ne mendax haberetur ac perjurus, inprimis apud eos, qui Herodiadi adulabantur, & ut fieri conſuevit, oleum huic camino affundebant.

Verſ. 10. *Mittenſque decollavit Johannem in carcere.*] Marcus ait, eum miſiſſe ſpiculatorem cap.6. verſ.27. Inauditus fuit talis modus agendi, hominem inſontem abſque omni juris proceſſu capite multare.

Verſ. 11. *Et allatum eſt caput ejus in patina, datumque puellæ, & illa attulit matri ſuæ.*] Allatum eſt caput in patina adhuc durante convivio. Unde colligitur, convivium hoc habitum fuiſſe in arce Machæruntis, quæ ſita erat in finibus Galilææ verſus Arabiam. Nam in illa arce Johannes detinebatur captivus Joſep. lib.18. cap.10.

Verſ. 12. *Et accedentes diſcipuli ejus, ſuſtulerunt corpus, & ſepelierunt illud; & venientes renuntiaverunt Jeſu.*] Quod eis acceſſus liber ad Johannem magiſtrum eorum, dum eſſet in carcere, conceſſus fuerit, cernitur ex Matth.xi. 2.

PARS II.

Verſ. 13. *Quod cum audiſſet Jeſus, receſſit inde in navicula in deſertum locum privatim, & cum audiſſent turbæ, pedibus ſecutæ ſunt eum de civitatibus.*] Cum audiſſet, intellige, id quod ſupra verſ.2 narratum eſt, quod fama de eo percrebuerit, eum eſſe Johannem; & ut Lucas addit cap.9.9 quod Herodes cupierit ipſum videre. Totam enim hiſtoriam de morte Johannis à verſ. 3 Euangeliſta hac data occaſione deſcripſit & hic inſeruit.

Receſſit.] E populoſis Galilææ oris in locum incultum ac deſertum, qui ad oppidum Bethſaidam pertinebat Luc.9. 10. Cauſa receſſionis fuit, cedere tyrannidi Herodis. Hora enim ejus nondum aderat: quam cauſam Johannes in ſimilibus exemplis affert cap. 7. 30. Marcus cap. 6.30 aliam adhuc cauſam addit, nempe quod Apoſtoli ipſi renunciarint, quid egerint ac docuerint, quodque tum ipſe dixerit eis: *Venite vos ſeorſim in deſertum locum & requieſcite paululum.* Hoc vero factum eſſe paulo ante feſtum Paſchæ ex Johanne perſpicitur cap.6. 4.

In navicula.] Johannes ait cap. 6. 1 Chriſtum trajeciſſe mare Galilææ, id eſt, non in ulteriorem partem, ſed tantum circa promontorium. Bethſaida enim, in cujus deſertum Chriſtus abiit, in citeriori parte maris altius ſita erat, & populus pedibus eum ſequutus eſt, imo, ut ex ſequenti verſu 14 & ex Marco cap.6. 33 patet, prævenit eum, quia terreſtre iter erat brevius. Chriſtus abſque dubio quietis ac commoditatis ſuæ ſuorumque diſcipulorum cauſa, maluit navigio quam pedibus iter hoc emetiri.

Secuta eſt eum.] Cauſam expreſſit Johannes cap. 6. 2, quia *videbant ejus ſigna, quæ edebat in infirmis.*

Verſ. 14. *Et egrediens Jeſus vidit turbam multam, & commiſeratione motus eſt erga eos, ſanavitque eorum ægrotos.* Egrediens, ſcilicet è navi, conſcendit montem, & ibi ſedit cum diſcipulis ſuis, ut Johannes narrat cap.6. 3.

Vidit turbam multam.] Quæ eo conveniebat, id quod ille ex alto montis vertice facile poterat cernere. Vide Joh.6. 5. Unde liquet, eum in illo loco populum non reperiſſe.

Et commiſeratione motus eſt erga eos.] Græca vox ἐσπλαγχνίσθη eſt emphatica: denotat enim commiſerationem cum intima animi commotione conjunctam, qua viſcera ac inprimis cor commovetur. Vide Luc. 1. 7,8. Marcus exponit cauſam iſtius commiſerationis: *quoniam erant, ut oves, non habentes paſtorem* cap.6. 34.

Sanavitque.] Marcus ait: *Et cœpit eos docere multa.* Lucas vero: Et loquebatur eis de Regno Dei cap.9. 11.

Verſ. 15. *Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus, & tempus jam præteriit; dimitte turbas, ut abeuntes in vicos, emant ſibi eſcas.*] Infra verſ. 23 rurſus dicitur, *Veſpere autem facto.* Videlicet Judæis duplex erat veſpera: prima incipiebat à tertia pomeridiana juxta ipſorum computationem, & durabat ad occaſum ſolis. Altera incipiebat ab occaſu ſolis, & durabat uſque ad obſcuram noctem.

Et tempus jam præteriit.] Marcus explicatius cap. 6. 35 ait: *Cum jam multus dies eſſet.* Jam dies ad veſperam inclinabat.

Dimitte populum.] Non dicunt id diſcipuli animo faſtidiente, quod voluerint moleſtia obſtrepentis turbæ liberari, ut nonnulli ſentiunt, ſed miſeratione

ſeratione ducti, quod populus illo die nondum cibum ceperat.

Verſ. 16. *Jeſus autem dixit eis: Non habent neceſſe abire; date eis vos, quo veſcantur.*] Hoc dicit Chriſtus, ut miraculo ſuo, quod facere decreverat, majus adderet pondus, ac diſcipulos ad agnitionem ac confeſſionem ſuæ impotentiæ adduceret. Johannes in circumſtantiis deſcribendis nonnihil diſcrepat. Nam cap. 6. 5 ſcribit, Chriſtum tentaſſe Philippum; & ad eum dixiſſe; *Unde ememus panes, ut edant iſti?*

Verſ. 17. *Ipſi vero dicunt ei: Non habemus hic niſi quinque panes & duos piſces.*] Apud Johannem cap. 6. 9 inquit Andreas: *Eſt hic puerulus quidam, qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſciculos.* Unde patet, iſtos panes & piſces non diſcipulorum fuiſſe, ſed venales tantum fuiſſe. Unde Marcus ſcribit, eos inquiſiviſſe, quot ſcilicet panes in univerſa illa turba fuerint.

Verſ. 18. *Ille autem dixit: Adferte mihi eos huc.*

Verſ. 19. *Et jubens turbas diſcumbere ſuper herbas acceptis quinque panibus ac duobus piſcibus, ſuſpiciens in cœlum benedixit; & frangens dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis*] Marcus narrat cap. 6. 39 eos diſcubuiſſe per convivia (Gr. συμποσία, συμπόσια) id eſt numero in ſingulis ordinibus, quo in conviviis uni menſæ ſolebant accumbere Lucas ait, per ſingulos quoſque diſcubitus quinquagenos diſcubuiſſe cap. 9. 14. Videtur Chriſtus non ſine cauſa juſſiſſe populum diſtribui in talem ordinem, non tantum propter commodiorem panis diſtributionem, verum etiam ut numerus multitudinis, ad magnitudinem miraculi cognoſcendam, tanto melius ſciretur.

Acceptis quinque panibus.] Nominatim exprimit, quod quinque panes Chriſtus diſtribuerit, ne quis putet, eum plures nactum eſſe ac diſtribuiſſe.

Suſpiciens in cœlum.] Ad Deum, ad quem dirigit orationem, & gratiarum actionem ſuam. Eo ſane nihil opus fuiſſet, ſi Chriſtus fuiſſet ipſe Deus altiſſimus. Vide dicenda ad Lucam cap. 18. 13.

Benedixit.] Oravit, precationem vulgo uſitatam proferens, quæ, ut ex antiquis Judæorum ſcriptis conſtat, ferme in hunc modum ſonat: *Benedictus eſto, Deus Domine noſter, qui es Rex univerſi, quod panem è terra produxeris*, &c. Hic mos orandi ante cibum non erat à Deo inſtitutus, ſed à Judæis ſapientibus introductus: quem laudabilem morem, ut & alia plura ſimilia, Chriſtus exemplo ſuo confirmavit. Quod autem *benedicere* hic nihil aliud ſignificet, quam Deo pro donis ejus gratias agere, liquet ex Joh. 6. 11, ut & ex Matth. 15. 36 & Marc. 8. 6. Vide quoque Matth. 26. 26 & Marc. 14. 22, & confer cum Luc. 22. 19 & 1 Cor. 11. 24. Quare errant Pontificii, qui exiſtimant, Chriſtum vi certorum verborum, quæ ſuper panes illos ac piſces pronunciavit, quaſi per adjurationem quandam eos auxiſſe: prout etiam ſtatuunt, in Euchariſtia panem & vinum, vi verborum ſuper ea effatorum, in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutari.

Et frangens.] Panes apud Judæos confiebant tenues & plani, non aliter quam placentæ latæ; itaque facile frangi poterant. Unde apparet quoque non valde magnos iſtos panes fuiſſe, præſertim cum omnes quinque ab uno puerulo portari potuerint.

Dedit diſcipulis panes.] Marcus addit: *Et duos piſces diſtribuit inter omnes* cap. 6. 41. Et Johannes: *Similiter & piſces, quotquot volebant* cap. 6. 11. Quod cibus iſte uterque tam panis quam piſces in manibus Chriſti & Apoſtolorum quoque creverit, totum eſt virtuti Chriſti ac potentiæ adſcribendum. Imo nihil detraheretur præſtantiæ iſtius miraculi, etiamſi diceretur, in manibus quoque edentium, modo inconſpicuo, eum auctum fuiſſe.

Verſ. 20. *Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt, ſuſtuleruntque reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos.*] Cibos apponere, quibus homines non ſaturentur, poſſunt etiam præſtigiatores [facere] ſed Chriſti hoc miraculum tale non erat.

Fragmentorum.] De illis nimirum quinque hordaceis panibus: ut narrat Johannes cap. 6. 13, Etiam de piſcibus aliquid ſuperfuiſſe ex Marco liquet cap. 6. verſ. 43.

Duodecim cophinos.] Pro numero duodecim Apoſtolorum, quorum quiſque unum geſtavit, more illius regionis, in qua victores cophinos manu portatiles ſecum ferebant, ad cibos aliaque neceſſaria aſſervandum.

PARS III.

Verſ. 21. *QUi autem ederant, fuere viri quaſi quinquies mille, præter mulieres ac puerules.*

Verſ. 22. *Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos ſuos conſcendere navem, & præire ſibi in ulteriorem ripam, dum dimitteret turbas.*] Compulit eos, quia nolebant eum ſolum in ignota turba relinquere, ſed volebant cum ipſo manere. Johannes cap. 6. 16 rem ita narrat, quod diſcipuli non Chriſti juſſu, ſed ſponte ſua, cum uſque ad ſeram veſperam ipſum fruſtra expectaſſent, navigium ingreſſi ſint, & iverint Capernaumum verſus, ut eum ibi quærerent. Sed poteſt utrumque factum fuiſſe; & quod Matthæus & quod Johannes refert. Nimirum Chriſtus illis mandavit intrare navigium, & ſolus conſcendit montem: diſcipuli autem non confeſtim ſunt mandato ipſius obſecuti, ſed ad ſeras uſque noctis tenebras ipſum expectarunt, ſperantes eum mox adfuturum. Ad extremum tandem profecti ſunt.

Et præire ſibi.] Non in alterum littus adverſum, ſed in aliquem maris angulum, inter Bethſaidam & Capernaumum. Navigabant enim verſus Capernaumum Joh. 6. 17. Bethſaida autem, à qua ſolverant, & Capernaum ſitæ erant in eadem maris ripa. Capernaumi Chriſtus inſtituit illud inſigne colloquium cum Judæis de eſu ſuæ carnis, quod deſcriptum eſt Joh. 6. A Capernaum vero trajecit prorſus per mare in regionem Geneſaret (ſeu Gadarenorum) ℣. 34.

Verſ. 23. *Dimiſſis igitur turbis, aſcendit in montem privatim orare. Veſpere autem facto, ſolus erat ibi.*] Chriſtus bis aſcendit in montem, ut ex Johanne perſpicitur. Primum cum veniſſet in deſertum lo-

cum Joh.6. 3, ubi latere coram Herode voluit; deinde poſt peractum miraculum ad orandum.

Orare.] Nempe Deum Patrem ſuum. Hæc oratio eſt magnum argumentum quod Chriſtus non ſit Deus ſummus. Præter hanc cauſam, ob quam Chriſtus diſcipulos ſuos præire juſſerit, ut ſcilicet ſolus orare poſſet, Johannes addit adhuc alteram cap.6. verſ. 15, quod cognoverit, populum velle eum rapere & regem creare, quodque ideo in montem ſe ſubduxerit. Facilius enim poterat ſolus effugere vim populi, & ex oculis eorum prorſus diſparere, quam ſi diſcipulos ſuos penes ſe habuiſſet.

Verſ. 24. *Navicula vero jam in medio maris erat, & jactabatur à fluctibus: nam ventus erat contrarius.*

Verſ. 25. *Quarta autem noctis vigilia, abiit ad eos Jeſus, ambulans ſuper mare.*] In ultima vigilia jam appropinquante die, quæ matutina vigilia vocatur Exod.14. 24. 1 Sam.xi. 11. Antiquitus, cum Judæi adhuc gauderent jure militiæ, dividebatur nox in tres vigilias, ut docti inter Judæos annotarunt: apud Romanos autem quatuor erant vigiliæ, qui mos jam Pompeii temporibus inter Judæos invectus eſt. Auxilium à Chriſto quidem venit tarde, ſed tamen non ſero.

Ambulans ſuper mare.] Utrum corpus Chriſti tam leve factum fuerit; an aqua ſub ipſius pedibus congelata ſit, an denique ab Angelis portatus fuerit, non facile eſt dicere; ultimum tamen eſt maxime probabile.

Verſ. 26. *Et videntes eum diſcipuli ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Spectrum eſt; & præ timore clamarunt.*] Videlicet id ex opinione Phariſæorum dixerunt, qui credebant, dare ſpiritus (quod non credebant Sadducæi Actor. 23. 8) qui in humana ſpecie ſe conſpiciendos præberent. Quia vero vulgo putabatur, malos ſpiritus noctu potius quam interdiu apparere, idcirco Apoſtoli timuerunt.

Verſ. 27. *Sed ſtatim locutus eſt eis Jeſus, dicens: Confidite; ego ſum, ne timete.*

Verſ. 28. *Reſpondens autem ei Petrus dixit: Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas.*

Verſ. 29. *Ipſe vero dixit: Veni. Et deſcendens de navicula Petrus, ambulavit ſuper aquas, ut veniret ad Jeſum.*

Verſ. 30. *Videns autem ventum validum, timuit: & cum cœpiſſet demergi, clamavit, dicens: Domine, ſerva me.*

Verſ. 31. *Et continuo Jeſus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Exigua fide prædite, quid dubitaſti?*] Dubitatio hic opponitur fidei, ut & Jac.1.6. Matth.21. 21. Hinc patet, credere hoc loco nihil aliud eſſe, quam fiduciam, ſuam in Dei omnipotentia per Chriſtum collocare; quam fidem Chriſtus ſemper in faciendis miraculis ſuis ab hominibus exegit. Vide ſupra cap.8. 13. Petrus ediderat magnum fidei ſuæ ac fiduciæ ſpecimen, dum oſtendit ſe credere, quod ad nudum Chriſti mandatum facturus ſit id, quod naturali modo fieri non poterat. Sed quod promptus & igneus Petri animus per ſe ignorabat, multum nimirum adhuc ipſi ad perfectum fidei robur deeſſe, id Chriſtus hoc experimento eum docere voluit, ut quod deerat, votis ac precibus conſequi anniteretur. Hanc exiguam fidem Chriſtus ſæpius objicit ſuis diſcipulis, quæ in comparatione cum perfecta fide, etiam incredulitas appellatur: uti is eam appellabat, qui dicebat Marc. 9. 24. Credo, Domine, ſuccurre meæ incredulitati.

Verſ. 32. *Et cum ingreſſi eſſent ipſi naviculam, ventus ceſſavit.*] Græca vox ἐκόπασεν, proprie ſignificat quieſcere, perinde ut cum quis ira vehementer commotus poſtmodum miteſcit & ſedatur. Sic etiam Marc.6. 17.

Verſ. 33. *Qui autem erant in navicula, venientes adoraverunt eum, dicentes. Vere Filius Dei es.*] Hic titulus erat uſitatus, quo Judæi ornabant Meſſiam. Vide infra cap.16. 16.

PARS IV.

Verſ. 34. *ET cum trajeciſſent, venerunt in terram Genneſaret.*] Ex tabula Geographica cernitur, Genneſaret in eadem ripa maris ſitam fuiſſe, in qua Bethſaida & Capernaum, & quidem ita, ut Bethſaida inter Capernaumum & Genneſaret media jaceret. Cum igitur à Bethſaida Capernaumum profecti fuerint, & hinc in terram Genneſaret, oportuiſſet eos retrorſum navigare & Bethſaidam prætervehi: quod probabile non eſt, cum Chriſtus propter Herodem è Galilæa fugeret. Itaque ſtatuendum eſt, terram Genneſaret hoc loco eſſe terram Gergeſenorum, quæ in ulteriori parte maris ſita erat, ubi Chriſtus jam antea ſemel fuerat.

Verſ. 35. *Et cum agnoviſſent eum viri loci illius, miſerunt in totam circumjacentem illam regionem & obtulerunt ei omnes male affectos.*] Agnoverunt eum, partim de facie; nam ibi duos dæmoniacos ſanaverat Matth. 8. 32, partim ex fama. Quod ipſum facit ad confirmationem ejus, quod Chriſtus in terram Gergeſenorum trajecerit. Nam in eo quod eum in Genneſaret, cognoverint homines, nihil fuiſſet ſingulare, nec relatu dignum.

Miſerunt.] Illi qui Chriſtum antea porcorum cauſa rejecerant Matth.8. 34, nunc eum magna cum alacritate recipiunt. Nimirum fama de ingentibus ejus miraculis cum tempore incrementum ſumpſit, & cum fama ſimul etiam ipſorum fides.

Verſ. 36. *Et rogabant eum, ut ſolum tangerent fimbriam veſtimenti ejus, & quotquot tetigerunt, ſervati ſunt.*] Hoc recenſet Euangeliſta ad commendandam eorum fidem, quam habebant de potentia divina in Chriſto ſe exerente, quod etiam ſimplex contrectatio veſtimenti ejus prodeſſe ipſis potuerit; non autem, quod ex ſuperſtitione fimbriæ veſtimenti ejus vim aliquam adſcripſerint. Similis fides fuit illius quoque feminæ, quæ ſanguinis profluvio laborabat, quam hæc ipſius fides, non autem ſola tactio fimbriæ ſanam fecit Matth.9. 21,22.

CAPUT

CAPUT XV.

I. *Chriſtus colloquium habet cum nonnullis Phariſæis & Scribis de traditionibus majorum: ad verſ.* 10. II. *Informat populum de vera puritate, & ſimul monſtrat, falſas doctrinas refellendas eſſe: ad verſ.* 15, *increpatque diſcipulos ſuos, quod ſermonem ſuum non intellexerint, eumque ipſis explicat: ad verſ* 21. III. *Sanat abſens filiam Cananitidis dæmoniacam: ad verſ.* 29. IV. *Sanat omnis generis ægrotos in quodam monte Galilææ: ad verſ.* 32. V. *Cibat* 4000 *viros ſeptem panibus: ad finem cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *Tunc acceſſerunt ad Jeſum ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes.*] Hoc factum eſt, cum Jeſus è terra Gergeſenorum in Galilæam rediiſſet, ut ex Joh. 7. 1 intelligitur.

Scribæ.] In omnibus civitatibus regionis illius erant Scribæ ſeu Legiſperiti, ſed plurimum ſibi tribuebant ii, qui erant Hieroſolymis. Videntur autem iſti Hieroſolymis de induſtria fuiſſe miſſi ad Chriſtum tentandum: ut etiam infra cap. 22. 15, 16; ſed non à Synedrio, verum à privato Phariſæorum & Scribarum collegio.

Verſ. 2. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lavant manus ſuas, cum edunt panem.*] Marcus cap. 7. 2 refert occaſionem hujus propoſitæ quæſtionis hoc modo: *Et cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus communibus manibus, id eſt, illotis edere panem, conqueſti ſunt.* Dum autem diſcipulos Chriſti accuſant, ſimul quoque Chriſtum tacite culpant: ut etiam ſupra cap. 9. 14.

Traditiones ſeniorum.] Græca vox παράδοσις, quæ Latine Traditionem ſignificat, poteſt de unaquaque doctrina dici, quæ ab eo qui docet, alteri, ſive ore, ſive ſcripto, traditur: ut adeo traditio nihil aliud ſit, quam doctrina. Ideo Chriſtus infra cap. 16. 12 Phariſæorum doctrinam appellat, quam paulo ante fermentum vocaverat, qua voce eorum falſas traditiones intellexit. Ita etiam doctrinæ Apoſtolorum traditiones vocantur 1 Cor. 11. 2. 2 Theſſ. 3. 6. Quare vox iſta *traditio* per ſe non ſignificat humanam aut ab hominibus excogitatam doctrinam. Quando enim tale hominum commentum ea denotatur, ſemper aliquid additur: ut Col. 2. 8 Traditiones hominum, & hic, Traditiones Seniorum.

Per Seniores autem hic non intelliguntur Seniores Synedrii. Eorum enim munus erat proprie præeſſe judiciis, non docere populum, aut novas condere traditiones. Olim cum regio ſub regimine eſſent Judæi, ſolebant Reges ferre leges: ut videre eſt 1 Sam. 8. 11 & ſeqq. Poſt captivitatem autem Babylonicam ordinationes, legum vim habentes, ab univerſo populo conſtituebantur: uti de diebus feſtis legitur 1 Macch. 4. 59. VII. 49. Sic etiam feſtum Purim à toto populo inſtitutum eſt Eſth. 9. 17, ad 26. At populum docere neque ad Synedrium pertinebat, neque ullius, qui è Synedrio erat, fuit officium, ſed eorum duntaxat, qui eruditione ac ſcientia celebriores erant, ſive è Synedrio eſſent, ſive minus. Hi eruditi vulgo inter Judæos Chachamim, id eſt, *Sapientes*, vel etiam, *Seniores*, (ut hic) vocabantur: neque tamen omnes qui docebant, ſic dicebantur, ſed tantum præcipui & inter Doctores eminentiſſimi, nempe viri Magnæ Synagogæ, quorum 120 erant, ut doctiores Judæorum ſcribunt.

Quod vero Traditiones Seniorum attinet, eæ non erant uniuſmodi, nec pariter rejiciendæ. Aliæ definiebant certas res, quæ in Lege non erant clare definitæ: in exemplo, quot paſſus licuerit Sabbatho ambulare, &c. Aliæ erant ejuſmodi, ut ſi obſervarentur, Lex non potuerit facile violari: ut v. c. cum Lex concederet 40 plagas, non amplius, infligere tranſgreſſori, illi detraxerunt unam (vide 2 Cor. 11. 24,) ut etiam quod Sabbathum inciperent hora una citius, & hora quoque una diutius id obſervarent. Talia erant innumera alia, ad quæ etiam ſuperflua & ſuperſtitioſa lotio pertinebat. Quæ Traditiones initio tantum erant Conſilia, poſtea autem longa conſuetudine in mandata conſcientias obligantia commutatæ ſunt. Nonnullæ autem Traditiones erant bonæ ac laudabiles, ut inter alias, precationes, jejunia, ac ſimilia, quæ in Lege mandata non erant, Chriſtus tamen exemplo ſuo ea approbavit. Ad iſtas igitur Traditiones ſuas ſervandas, ſine diſcrimine obſtringebant ſapientes ac ſeniores Judæorum plebem, magis, quam ad ipſam Legem obſervandam; ita ut inveniantur hujuſmodi dicta in ſcriptis Judæorum: *Si Legiſperitus diceret, dextram manum eſſe ſiniſtram, & ſiniſtram eſſe dextram, debes illi credere.* Item: *Quicquid ſapientes prohibent palam facere, ac publice, id etiam clam ac privatim facere non licet.* Item: *Major eſt vis & efficacia in verbis Legiſperitorum, quam in verbis Legis.* Utque his traditionibus tanto majorem apud populum auctoritatem conciliarent, perſuaſerunt ei, illas à Moſe originem habere, qui eas à Deo acceperit, & poſtea ſucceſſori ſuo Joſuæ oraliter tradiderit, à Joſua deinceps per manus ad Prophetas, ab his ad Eſdram, & ſic porro ad Majores ſuos devolutas eſſe. Quod autem nonnullæ traditiones Judæorum inde à Moſis tempore oriundæ fuerint, nulla eſt cauſa, cur id in dubium trahatur de iis, quæ per ſe laudabiles erant, & ab ipſo Chriſto fuerunt obſervatæ.

Non enim lavant manus ſuas.] Superfluas & ſuperſtitioſas ablutiones Judæorum graphice deſcripſit Marcus cap. 7. 3, 4. Nonnemo è ſapientibus Judæorum R. Aquiba ſcribit: *Qui illotis edit manibus, debet morte affici.* Et alius R. Joſe: *Qui illotis manibus cibum capit, peccato ſe tam grandi obſtringit, quam ſi ſcortaretur.* Credebant enim ſapientes Judæorum, ſi alienigena aut etiam Judæus, qui ſecundum Legem immundus erat, vel ipſum cibum ac potum, vel vas, in quo coquebatur cibus, & è quo potus hauriebatur, vel etiam manus edentis, contingeret; per illum contactum & corpus iſtius, & per corpus animum pollui ac impurari. Ideoque tam multiplices modos purificationum, ut eas vocat Johannes cap.

2. 6 commenti ſunt, quas certis cum ceremoniis perficiebant: ut inter alia, nullum annulum in abluendo volebant relinqui in digito, ne forte ſub annulo aliquid ſordium in cute remaneret. Aliquod hujus Phariſaicæ opinionis indicium etiam in Apoſtolis apparuit, cum verba Chriſti de fermento Phariſæorum ita intellexerunt, ut putarent Chriſtum prohibere, ne à Phariſæis aut Sadducæis cibos emerent Matth. 16. 6, 7. Perhibent quoque docti inter Judæos, ſi quando obvius fieret Judæus Samaritano, clamaſſe utrumque: Noli me tangere. Joſephus etiam tradit de Eſſenis, ſi ſenex aliquis à juniore tangeretur, eum ſe mox abluiſſe, perinde atque ſi ab alienigena contrectatus fuiſſet. Atque has ſuperſtitioſas traditiones de lavando verbis Legis incruſtabant, ſecundum quam homines per contactum certarum rerum immundi reddebantur: ut cernitur ex Lev. 5. 2, 5. VII. 19, 21. Verum res illæ, quas Lex pro immundis cenſebat, non polluebant, ſed ſola inobedientia, quando purificatio in Lege præſcripta ex mera petulantia negligebatur. Præterea res illæ non erant per ſe ac natura ſua immundæ, ut Chriſtus ℣. 20 docet; ſed Deus voluit populum illum, ad idololatriam proniſſimum, onere tot ceremoniarum aggravare, ut ſic ab idololatria abducerentur, quæ tamen ceremoniæ ſimul rerum meliorum ac ſublimium figuræ & typi erant. Phariſæi autem & Scribæ ſentiebant, primo contactum certarum rerum, de quibus nihil præcipiebat Lex, polluere: deinde animum ejus, qui eas etiam inſcius attingit, contaminari: denique iſtam contaminationem animi, Ceremoniis à Deo non præſcriptis, poſſe elui atque emundari.

Verſ. 3. *At ille reſpondens dixit eis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?*] Antequam Chriſtus de iſta traditione, cujus tranſgreſſionem Phariſæi diſcipulis ejus objiciebant, agat, evertit prius fundamentum, cui objectio eorum ſuperſtructa erat. Sumebant enim illi pro conceſſo, ſeniorum doctrinas, atque traditiones abſque contradictione omni ab unoquoque obſervandas eſſe. Quod falſum eſſe oſtendit Chriſtus, exemplo allato talis traditionis Seniorum, quæ tollit Legem Dei, quæque eam ob cauſam nullo modo obſervanda ſit. Unde ſequitur, falſum eſſe, ideo teneri quemque traditionem aliquam obſervare, quia à Senioribus injuncta eſt.

Verſ. 4. *Nam Deus mandavit, dicens: Honora patrem & matrem; & Qui maledixerit patri & matri, morte moriatur.*] Honor erga parentes non conſiſtit ſolum in verbis aut geſtibus, ſed etiam in benefaciendo. Quo ſenſu etiam Apoſtolus hanc vocem accepit 1 Tim. 5. 3, 17. Hinc ſequentia verba, quæ habentur ℣. 5: *Et non honorabit patrem ſuum*, Marcus ita effert, *Et non ſinitis amplius eum quicquam facere* (id eſt, boni, vel ullum beneficium præſtare) *patri ſuo.*

Qui maledixerit patri & matri.] Verba hæc de maledictione ad rem, de qua agebatur, non pertinebant. Licet enim is ſuum patrem non honoret, qui in neceſſitate ei nullum beneficium exhibet, non tamen ei maledicit. Chriſtus autem recitat totum locum propter verba ſequentia, *morte morietur*, quæ ad propoſitum ejus pertinebant. Vult enim eo indicare, illos traditione ſua non parvum, ſed unum è maximis Dei mandatis tollere. Iſta enim non ſunt vulgaria, ſed maxima mandata, quorum tranſgreſſio morte punicbatur.

Verſ. 5. *Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri aut matri, donum quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorabit patrem ſuum & matrem ſuam.*] Dicitis, id eſt, docetis.

Donum quodcunque ex me eſt.] Donum hoc loco ſignificat munus, quod Deo vovebatur aut offerebatur, ut etiam Matth. 5. 23. Marcus ponit Hebræam vocem *Corban* cap. 7. 11. Erat autem valde uſitatum inter Judæos, ut aliquis omnia bona ac poſſeſſiones ſuas Deo devoveret, & quidem addito graviſſimo juramento, ſibi nihil retinens, præter frugalem admodum ſuſtentationem. Atque hoc voto adeo obſtringebatur, ut non poſſet jam de illis cuiquam, ne indigenti quidem patri aut matri, quicquam largiri. Imo ſeniores & ſacerdotes tam ſtricte hæc vota exigebant, ut ea nemini remitterent, ſed ſi quis pœnitentia duceretur, & aliquid de ſuis facultatibus cuipiam erogaret, id à ſacerdotibus, quorum plerique Sectæ Phariſæorum adhærebant, auferretur, & gazophylacio inferretur, quod deinceps tum in templi neceſſaria, tum in egenos, tum in Sacerdotes ac Levitas convertebatur. Senſus proinde horum verborum eſt: Quando pater aut mater à filio ſuo, qui votum fecerat, opem in ſua neceſſitate flagitaret, reſpondebat filius, Mi pater, id quo juvari poſſes, eſt Corban, id eſt, Deo eſt jam conſecratum ac devotum; non habeo poteſtatem amplius quicquam de eo elargiendi.

Et non honorabit patrem ſuum & matrem ſuam.] Marcus ait: *Et non ſinitis eum quicquam amplius patri ſuo facere* (nempe boni) cap. 7. 12, id eſt, dum tam rigide traditionem veſtram urgetis, quin & homines ſummæ ſanctitatis ac meriti apud Deum ſpecie ſeducitis, in cauſa eſtis, ut liberi ſuum amorem & honorem erga parentes ſuos amplius teſtari nequeant. Dubium non eſt, ſacerdotum ac inprimis Phariſæorum ſummam avaritiam hoc votum excogitaſſe: quemadmodum etiam hodie in Papatu eodem hamo piſcatio exerceri ſolet.

Verſ. 6. *Et irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem veſtram.*] Mandatum Dei cogitur veſtræ traditioni cedere.

Verſ. 7. *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Eſaias, dicens.*] Merito eos hypocritas appellat, quia volebant videri Legis rigidi eſſe obſervatores, & interim ipſi eam tranſgrediebantur.

Bene de vobis prophetavit Eſaias.] Hæc verba Eſaiæ non eo fine afferuntur, quaſi homines Eſaiæ tempore viventes fuerint typus iſtorum Phariſæorum ac Sadducæorum, ut Eſaias myſtico ſenſu ad eos reſpexerit, ſed quia ſimiles erant hi Phariſæi illis hominibus Eſaiæ tempore exiſtentibus; quaſi dicat Chriſtus: Quod Eſaias de hypocritico populo ſuo tempore dixit, id poteſt quoque jure de vobis affirmari. Non eſt ovum ovo ſimilius, quam vos eſtis illis hominibus.

Verſ. 8. *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul eſt à me.*]

Appro-

Appropinquat mihi, id est, servit mihi, colit me.

Vers. 9. *Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*] Vox *frustra* non extat in Hebræo, sed in LXX interpretatione. Frustra is Deo servit, qui pro suo obsequio nullum, quod speret, præmium habet. Talis autem frustraneus est omnis ille cultus, qui vel à Deo imperatus non est, vel ad pietatem nihil conducit. Quando vero talis est cultus, qui mandatis Dei adversatur, is multo magis pœnæ est obnoxius.

Mandata hominum.] Christus verba Prophetæ allegat, non solum ut confirmaret, quod dixerat, eos suis traditionibus Legem Dei tollere, sed etiam ut viam sibi simul sterneret ad sequentia, ubi monstrabit, discipulos injuste à Pharisæis culpatos esse Itaque per *traditiones hominum* non tantum ejusmodi intelligit doctrinas ac traditiones, quæ Legem Dei tollunt, eique adversæ sunt, sed etiam tales, quæ nullum prorsus usum ad veram pietatem habent, sed in mera opinione ac vana imaginatione hominum consistunt. Hujus generis erat illa superflua ablutio Judæorum, quæ quidem per se cum nullo mandato divino pugnabat, sed ad pietatem tamen nihil proderat. Aliis constitutionibus atque ordinationibus bonis, quas Christiana Ecclesia instituit, quæque ad pietatem utiles sunt, Deus non frustra colitur.

PARS II.

Vers. 10. ET *advocata turba dixit eis: Audite & intelligite.*] Turbam advocat, plebem promiscuam, quam Pharisæi tanquam minus sanctam, legisperiti vero tanquam indoctam spernebant.

Audite & intelligite.] Id est, aures & animum adhibete, ut quod dicam, optime intelligatis. Apud Marcum est: *Audite me omnes* cap. 7. 14.

Vers. 11. *Non quod ingreditur in os, communem facit hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc communem facit hominem.*] Vox *communis* opponitur voci *sanctus*. Quod enim sanctum est, id à communi usu hominum est separatum ac Deo dicatum; reliqua autem sunt extra Dei quodam modo sive acquisitum sive pretio emptum peculium. Quando de animo hominis sermo est, ut hic, tum is sanctus est, qui nulla culpa aut peccato pollutus est: communis autem is, qui culpæ aut peccati alicujus reus est. Pharisæi opinati sunt, ut ante indicatum, esse res aliquas, natura sua immundas, adeoque eas per se & non pro ratione opinionis ac intentionis, qua quis eas facit, animum polluere. Atque hoc Christus hic refellit. Itaque verba illa, *Quod in os ingreditur*, ita intelligenda sunt, quod ita in os ingreditur, ut homo non habeat propositum vel intentionem contra ullum Dei præceptum agendi. Ideo Marcus ita verba hæc profert: *Nihil est extra hominem, quod in eum ingreditur* &c. cap. 7. 15. Quo indicatur, non res extra hominem existentes, sed malam intentionem, quæ intus est, hominem impurum reddere. Nullus cibus ex iis, quos Deus vetuerat sub Lege, inquinabat animum ejus, qui ex ignorantia eo utebatur: quando autem quispiam sciens ac prudens eum sumebat, polluebat animum ejus, non per se, sed propter voluntariam mandati Dei transgressionem. Quare Christus his verbis discrimen illud ciborum, quod Deus in Lege constituit, & observari præcepit, haud sustulit. Nam ut id faceret, nondum tempus aderat: quanquam eo ipso, quod contra Pharisæos docet, nihil scilicet per se immundum esse, non obscure innuit Legem non esse omnino immutabilem. Paulus enim eodem plane utitur argumento 1 Tim. 4. 4: *Omnis creatura Dei bona est, nec quicquam rejiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur.* Ita Christus hac sua declaratione & explicatione Legis de discrimine ciborum, perinde ac supra cap. 12 de Sabbato, tacite ad Legis abrogationem viam munivit. Erat enim valde necessarium, ut homines intelligerent, omnia quæ in rituali Lege continentur, talia esse, quæ per se nec bona sunt, nec mala, & mandata illa non propter ipsa, sed propter certas causas data fuisse, nempe propter res illas, quarum umbra ac figura esse debuerunt.

Sed quod egreditur ex ore.] Marcus habet cap. 7. vers. 15: *Quæ egrediuntur ex homine*, id est, quæ ex voluntate proficiscuntur. Infra vers. 18 inquit Christus, quæ *ex corde proveniunt*, & ex eo per os egrediuntur. Notandum autem hic est, multa mala ex corde vel mala voluntate proficisci, hominemque polluere, quæ tamen ex ore non egrediuntur; ut sunt malæ cogitationes & consilia, invidia, homicidium, adulterium, scortatio ac id genus alia. Christus autem nonnisi eorum mentionem facit, quæ per os exeunt, propter antithesin, quia antea meminit eorum, quæ per os intrant. Vitia autem, quæ ex corde per os egrediuntur, sunt, contentio, rixa, convitia, stultiloquium, falsum testimonium, calumnia, mendacium, blasphemia &c. Præterea observandum, verba ista, *Quod ex ore egreditur*, &c, non esse trahenda ulterius quam res de qua hic agitur, postulat: nimirum de iis tantum rebus hic sermo est, quæ hominem polluunt. Alioqui multa bona etiam ex ore egrediuntur, uti sunt preces, laudes Dei, & alia pia dicta & cum ædificatione conjuncta.

Vers. 12. *Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei: Nosti Pharisæos audito isto sermone scandalisatos esse?*] Id est, ansam ex eo sumsisse, ipsum eo nomine blasphemandi, vel eos contristatos esse; quomodo hoc verbum accipitur Rom. 14. 21. Confer cum 22. Joh. 6. 61.

Audito sermone isto.] Nempe de eo, quod id quod in os ingreditur, non inquinet hominem. Non offendebantur autem ideo, quod putarent, Christum suo sermone discrimen ciborum in Lege mandatum sustulisse; nihil enim ipsi quicquam tale objecerunt, cum tamen alias omnia, quæ sciebant, adversus ipsum attulerint: sed, quod Seniorum traditiones adeo flocci faceret, in quibus illi maximam pietatis partem collocabant.

Vers. 13. *Ille autem respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*] Id est, omnis doctrina & cultus divinus, qui à Deo non est præscriptus, exterminabitur; nempe per institutionem hominum in vera doctrina & divina veritate. Illæ autem doctrinæ non sunt à Deo,

quæ

quæ neque revelatæ ſunt à Deo, neque in ſana ratione ullum habent fundamentum. Indicat autem hic Chriſtus, ſcandalum hominum ita eſſe vitandum, ne interea omittatur ea docendi officium, quæ ad veram pietatem ſpectant, nec non falſarum doctrinarum pietati inimicarum refutatio.

Eradicabitur.] Id eſt, debet eradicari. Similis locutio Matth. 1. 21. v. 21,28,33,36. vi. 2.

Verſ. 14. *Sinite illos: duces ſunt cæci cæcorum; cæcus autem cæcum ſi per viam ducat, ambo in foveam cadent.* Significat Chriſtus, eorum ſcandalum non eſſe tanti æſtimandum, ut propterea doctrina veritatis omitti debeat.

Duces ſunt cæci cæcorum. Videntur hæc verba ita cum præcedentibus cohærere, quaſi dicat Chriſtus: Cum illi nolint, ut ipſis conſulamus, ſaltem id agamus, ut conſulamus ſeducto ab ipſis populo, qui alioqui, dum cæcos duces ſequitur, tanquam cæcus in exitium ducitur.

Verſ. 15. *Reſpondens autem Petrus dixit ei: Explica nobis parabolam iſtam.*] Marcus ait cap. 7. 17: *Et cum ingreſſus eſſet in domum digreſſus à turba, interrogarunt eum diſcipuli ejus de parabola.*

Parabolam iſtam.] Nempe de eo, quod in os ingreditur, & ex ore egreditur.

Verſ. 16. *Jeſus autem dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?*] Qui jam dudum à me diſcere debuiſſetis, quænam ſint ea, in quibus vera pietas conſiſtat.

Verſ. 17. *Nondum intelligitis, quicquid ingreditur in os, in ventrem cedere, & in latrinam ejici?*] Hic Chriſtus explicat clare, quod ℣. 11 paucis indicarat, quodque Petrus parabolam appellavit: quod nimirum in cibis nulla ſit naturalis immundities, quæ animum inquinare queat. Sumit autem pro conceſſo, quod vulgo credebant Judæi, animum ſive rationalem animam in corde habitare, præſertim illam partem animi, quam voluntatem vocamus, & ex qua peccatum oritur. Unde omnino ſequitur, cum immundities ciborum in cor non penetret, etiam eam ad animum non pervenire. Cibus enim ubi dentibus in ore comminutus ac manſus fuerit, deſcendit primo in ventriculum; poſtea id quod natura immundum eſt, & ad nutritionem ac alimentum hominis non facit, ſecernitur in corpore ab eo, quod bonum ac mundum eſt, atque per ſedem excernitur. Unde patet, id quod natura immundum eſt in cibo, neque ante, neque poſt ſeparationem, quæ fit in corpore, in cor, adeoque in animum deſcendere. Hunc eſſe ſenſum, ex Marco patet, qui verba hæc ita extulit: cap. 7. 19, *Non enim ingreditur in cor ejus, ſed in ventrem, & in latrinam abit, purgans omnes eſcas*; id eſt, ſi quæ naturalis immundities in cibo eſt, id in latrinam ejicitur, atque ſic cibus purgatur munduſque redditur. Quapropter illa verba: *Quicquid ingreditur in os, in latrinam ejicitur*; eatenus intelligenda ſunt, quatenus materia ſubjecta patitur, nempe quatenus dici poteſt, aliquid impuri in eo eſſe.

Verſ. 18. *Quæ autem proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur, & illa polluunt hominem.*

Verſ. 19. *Nam ex corde egrediuntur malæ cogitationes, cædes, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.*] Malas cogitationes, quando in effectum non perducuntur, Judæi pro peccato non habebant. Quæ autem malæ cogitationes ſint peccata, de eo vide ſupra cap. 5. 28.

Scortationes.] Indicat Chriſtus tacite, non ſolum adulteria, ut cenſebant Judæi craſſiores, ſed etiam ſcortationes in Lege Dei eſſe interdictas: quod ipſe alioqui expreſſe nuſquam demonſtravit, quia ſcortatio etiam à præcipuis & ſapientibus Magiſtris pro peccato habebatur. Peccatis hic à Chriſto enumeratis Marcus addit *avaritiam, malitiam, dolum, oculum malum, ſuperbiam, amentiam* cap. 7. 21, 22.

Verſ. 20. *Hæc ſunt, quæ communem faciunt hominem. Illotis autem manibus veſci, communem non facit hominem.*] Quandoquidem id, quod illi putabant lotione purgari, animum ſibi nullius mali conſcium, inquinare non poteſt: inde ſequitur, animum neque mundari neque inquinari, ſive manus laventur, ſive non.

PARS III.

Verſ. 21. *Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.*] Inde id eſt, ex terra Gergeſenorum, trans Jordanem verſus Galilæam ſuperiorem.

In partes Tyri & Sidonis.] Id eſt, in confinia Tyri & Sidonis Marc. 7. 24. Fines enim Judææ Chriſtus tranſgreſſus non eſt; ſicut diſcipulis quoque ſuis præcepit, ne abirent in viam Gentium. Supra cap. 10. 5.

Verſ. 22. *Et ecce mulier Chananæa, à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere Domine, Fili Davidis; filia mea male à dæmonio vexatur.*] Marcus ait, eam fuiſſe mulierem Græcam, gente Syrophœniſſam cap. 7. 26. Chananæi erant reliquiæ veterum incolarum, quos Iſraëlitæ non expulerant, ſed vectigales ſibi fecerant Jud. 1. 28, & maxime in Tyro ac Sidone atque vicinis oris circumcirca habitabant. Chananæi habitant ad mare & ad ripam Jordanis, ait Moſes Num. 13. 30. Vide quoque Eſai. 23. 4 & 6. confer cum ℣. 11. Jud. 1. 31. confer cum ℣. 28 ad 34. Poſtea autem à Græcis dicti ſunt Phœnices, id eſt, latrones, quia celebres erant prædatores, ut quocunque venirent, homines trucidarent. De hoc populo Chananæo non pauci tunc temporis, cum Iſraëlitæ terram promiſſam occuparent, fugientes in Africam delati ſunt, in oras Lybiæ, ubi Carthaginem condiderunt. Qui proinde in terra Chananæa remanſerant, iſti ad diſtinctionem ab illis Africanis, dicebantur Syro-phœnices, quia terra iſta ad Syriam pertinebant: illi autem in Lybia vocabantur Lybi-phœnices. Græcam vero vocat hanc mulierem Marcus, quia non fuit Judæa natione, neque Judæis addicta; eodem plane ſenſu, quo Paulus totum humanum genus dividit in Judæos & Græcos, atque ſic omnes vocat Græcos, qui non erant Judæi. Vide Rom. 1. 16. ij. 9, 10. iij. 9. x. 12. 1 Cor. 1. 22, 24. Gal. 3. 28. Hæc igitur Chananæa mulier cum audiſſet de ingentibus miraculis Chriſti Marc. 7. 25, è partibus Tyri ac Sidonis, fines tranſgreſſa venit ad ipſum: quod videtur non ſine

Dei pro-

Dei providentia ac directione factum. Nam ſicut præcedens colloquium de immunditia ciborum, fuit quædam præparatio ad totalem Legis abrogationem: ſic etiam hoc fuit præparamentum prædicationis Euangelii inter Gentes.

Fili Davidis.] Quamvis mulier iſta non fuerit è natione Judaica, tamen cum in vicinia Judææ habitaret, credibile eſt, eam nonnihil de promiſſione Judæis facta inaudiviſſe: aut ſaltem ſcivit, ei hunc titulum à credentibus in ipſum dari ſolere.

Verſ. 23. *Ille autem non reſpondit ei quicquam. Tunc accedentes diſcipuli ejus, rogarunt eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.*] Non reſpondit ideo, ut exploraret ejus fidem, & aliis eam notam faceret.

Quia clamat poſt nos.] Hoc dicunt diſcipuli plane eodem modo, quo Chriſtus Luc. xi. 8, dixit de homine quodam in parabola, quod amico ſuo propter importunitatem ejus dabit, quo opus ipſi eſt. Alii ſentiunt, Apoſtolis gravem fuiſſe mulieris clamorem, ideoque voluiſſe hac moleſtia liberari: ſed hoc non eſt probabile. Marcus paulo aliis circumſtantiis rem narrat. Ait enim cap. 7. 24, 25: *Et Jeſus abiit in confinia Tyri & Sidonis; & ingreſſus domum, neminem volebat id ſcire: ſed non potuit latere. Cum enim de eo audiſſet mulier, cujus filiola habebat ſpiritum immundum, venit, & accidit ad pedes ejus.* Hinc apparet, eam ad ipſum in domum eſſe ingreſſum: hic autem narratur, eam clamaſſe poſt ipſum. Sed fieri potuit, ut primum in domum ad eum venerit, ipſumque rogaverit, poſtea autem cum Chriſtus nullo dato reſponſo egrederetur domo, illa ſecuta clamarit poſt ipſum.

Verſ. 24. *Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſraël.*] Hoc Chriſtus diſcipulis ſuis reſpondit. Promiſſio de Meſſia eſt Abrahamo tantum & ejus ſemini facta Geneſ. 12. 3 xviii. 18. Nam alterum innumerabile ſemen è Gentibus Ethnicis Chriſto demum poſt mortem ejus promiſſum eſt Eſai. 53. 10, cum non amplius legati munus, ſed Regium officium obiturus & ad dextram Dei ſeſſurus erat. Ea de cauſa Chriſtus à Paulo appellatur miniſter circumciſionis Rom. 15. 8. Dum vero Chriſtus veritatis partem protulit, partem reticuit, eo ipſo voluit conſtantem hujus mulieris fidem in apertum producere, ad Judæos pudefaciendos.

Ad oves perditas. Vide ſupra cap. 9. 36. x. 5.

Verſ. 25. *Illa autem venit, & adoravit eum, dicens: Domine ſuccurre mihi.*

Verſ. 26. *Ipſe vero reſpondens dixit: Non eſt bonum accipere panem filiorum, & objicere catellis.*] Tam apud Græcos, quam apud Hebræos moris erat, illos vocare canes, qui contemtui habentur. Vide 1 Sam. 17. 43. 2 Sam. 16. 9. 2 Reg. 8. 13. Sed Græca vox hoc loco denotat ejuſmodi catellos, qui in delitiis habentur. Itaque Chriſtus non utitur hac voce in mulieris contemtum, ſed tantum indicare vult diſcrimen inter filios promiſſionis & inter extraneos. Apud Marcum inquit Chriſtus: *ſine prius ſaturari liberos.* Ex quo patet, Chriſtum ipſi aliiſque Gentibus non omnino beneficium ſuum denegare, ſed ſpem adhuc facere reliquam, ubi liberi fuerint ſaturati, id eſt, poſtquam Euangelium ſufficienter eis fuerit prædicatum. Vide Act. 13. 46.

Verſ. 27. *At illa dixit: Utique Domine; nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt è menſa dominorum ſuorum.*] Ita eſt, Domine.

Nam & catelli.] Quaſi diceret: Agnoſco, panem deberi liberis, canibus vero tantum micas. Sed nec ego poſtulo multa magnaque beneficia, tantum hoc unum, quod mihi abſque injuria ac damno aliorum præſtare potes. *Nam* hic ſumitur pro *autem*.

Verſ. 28. *Tunc reſpondens Jeſus, dixit ei: O mulier, magna eſt fides tua; fiat tibi ut vis. Et ſanata fuit filia ejus ab illa hora.*] Chriſtus nunquam niſi alienigenarum fidem laudavit: ut hujus mulieris hoc loco, & ſupra illius Centurionis cap. 8. 10. Nam exterorum fides major erat, quam Judæorum.

Ab illa hora.] Id eſt, eodem illo momento, cum Chriſtus verba illa protuliſſet: *Fiat tibi ſicut vis.* Uti etiam ſupra cap. 8. 13.

PARS IV.

Verſ. 29. *ET digreſſus illinc Jeſus venit juxta mare Galilææ, & aſcendens in montem, ſedit illic.*

Verſ. 30. *Tunc acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, mutilos, & alios multos, & abjecerunt eos ad pedes Jeſu & ſanavit eos.*] Vox Græca κυλλούς ſignificat potiſſimum eos, qui membra amputata habent.

Cumque in toto Novo Teſtamento monſtrari nequeat, vocem hanc alia ſignificatione accipi, nulla eſt cauſa, cur dubitetur, Chriſtum etiam tales ſanaſſe, & membra perdita eis reſtituiſſe: quamvis nuſquam tale exemplum in ſpecie deſcriptum ſit. Multum quoque divinæ Chriſti excellentiæ deceſſiſſet, ſi ullum ægrotum dimiſiſſet, de quo ſuſpicio eſſet, eum non potuiſſe ab illo curari. Hæc autem ſuſpicio facile oriri potuiſſet, quia ſine dubio multi tales manci ac mutilati homines fuerint, & opem apud eum quæſiverunt, ſi nullum ex iis curare potuiſſet.

PARS V.

Verſ. 31. *ITa ut turbæ miratæ ſint, cum viderent mutos loquentes, mancos ſanos, claudos ambulantes, cæcos videntes: & glorificarunt Deum Iſraëlis.*

Verſ. 32. *Jeſus autem advocatis diſcipulis ſuis, dixit: Commoveor miſericordia erga turbam, quia jam triduum permanent apud me, & non habent, quo veſcantur, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.*] Videtur Chriſtus fidem eorum explorare voluiſſe, & ſimul anſam ad faciendum ſequens miraculum quæſiviſſe, dum eorum propriam confeſſionem de nimia panis paucitate pro tanta multitudine elicuit. Videmus autem Chriſtum nunquam miraculum ullum feciſſe, niſi ſumma neceſſitate poſtulante: ideo hic quoque ad tertium uſque expectavit diem, dum populus omnes, quas habeat ſecum eſcas abſumeret.

Et non habent, quo veſcantur.] Non dicit eos per triduum nihil ediſſe, ſed eos nihil habere, quod edant;

nimirum

nimirum consumptis jam escis, quas secum habebant.

Vers. 33. *Tunc dicunt ei discipuli ejus: Unde nobis in deserto tot panes, ut saturemus tantam turbam?*

Vers. 34. *Dicit igitur eis Jesus: Quot panes habetis? Illi autem dixerunt; septem & paucos piscsiculos.*

Vers. 35. *Tunc jussit turbis discumbere super terram.*

Vers. 36. *Et acceptis septem illis panibus ac piscibus, gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, discipuli vero turbæ.*

Vers. 37. *Et comederunt omnes & saturati sunt, & sustulerunt quod superfuit de fragmentis septem sportas plenas.*

Vers. 38. *Erant autem qui comederant quater mille viri, absque mulieribus & parvulis.*

Vers. 39. *Tunc dimissis turbis conscendit naviculam, venitque in fines Magdala.*] In non paucis Græcis exemplaribus, ut etiam in veteri Latina Vulgata versione legitur Magada, in Syriaco Maggeda. Marcus autem habet, Christum venisse in partes Dalmanutha cap. 8. 10. E tabulis vero Geographicis, quas Judæi ediderunt, cernere est, in eodem districtu sita fuisse *Magada* & *Dalmanutha*; ut fieri potuerit, regionem illam modo ab hoc, modo ab illo loco fuisse denominatam: quemadmodum supra quoque vidimus cap. 8. 28, quod à duabus civitatibus Gadara & Gergesa, regio illa fuerit appellata tum Gadarenorum terra, tum Gergesenorum. Cumque nomina ista *Magada* & *Magdala* non multum à se invicem discrepent, potuit error facile in discribendo irrepere, ut in quibusdam exemplaribus loco *Magada* scriberetur *Magdala*. Nam alius erat locus *Magdala* dictus, unde Magdalena nomen sortita est.

CAPUT XVI.

I. *Christus respondet Pharisæis & Sadducæis signum ab eo poscentibus: ad vers.* 6. II. *Cavere jubet discipulos sibi à fermento Pharisæorum: ad vers.* 13. III. *Interrogat discipulos suos, quid de ipso homines sentiant, laudatque confessionem Petri, & promittit ei claves regni cœlorum: ad vers.* 21. IV. *Prædicit discipulis suam passionem & resurrectionem, increpat quoque Petrum, eum à passione dehortantem: ad vers.* 24. V. *Adhortatur discipulos ad abnegandum seipsos & ad patientiam in persecutionibus, nec non ad constantem professionem sui nominis: ad vers.* 28. VI. *Promittit se venturum in regno suo.*

PARS I.

Vers. 1. ET *accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogaverunt eum, ut signum de cœlo sibi ostenderet.*] Hæ duæ Sectæ fuerunt alioqui hostiliter inter se dissidentes, ut ex Josepho & Actor. 23. 6 videre est: hic autem convenit inter eas, perinde ut inter Herodem ac Pilatum Luc. 23. 12.

Tentantes.] Poscebant argumentum, quo testaretur se esse verum Dei legatum. De significatione hujus vocis vide supra cap. 4. 7.

Signum de cœlo.] Hoc explicatum est supra cap. 12. 38, 39, 40.

Vers. 2. *Ipse vero respondens dixit: Vespere facto dicitis, serenitas erit; rubet enim cœlum.*

Vers. 3. *Et mane, Hodie erit tempestas; rubet enim triste cœlum. Hypocritæ! faciem quidem cœli nostis discernere, signa vero temporum non potestis?*] Intellige, ita nostis discernere, ut ex ea de futura tempestate vel serenitate capiatis præsagium, & pro eo actiones vestras instituatis.

Signa vero temporum (nempe horum præsentium) *non potestis discernere?*] Per interrogationem id protulit, ut eorum crassum stuporem eis tanto melius ob oculos poneret, quod de illo tam acute, de hoc vero tam stolide judicarent. Sententia autem verborum Christi est: Si tanta fuit benignitas divinæ providentiæ ergà homines, ut signa temperati & tempestuosi aëris instituerit, secundum quæ homines suas actiones possint dirigere; quanto probabilius est, eandem divinam providentiam certa signa constituisse adventus Messiæ, ut ex iis cognosci ac dijudicari possit, cum hæc res sit longe majoris momenti, quam illa. Vos autem estis adeo apti & promti ad illa considerandа, de adventu autem Messiæ poscitis novum signum; quasi ullum adhuc præsto sit, cum tamen tot & tam certa signa ad manus sint, quæ tamen vos non consideratis, neque in animum admittis. Si enim tam diligenter Scripta Prophetarum inspiceretis, quam cœlum inspicitis, si quando in iter vos dare vultis, sine dubio cognosceretis, jam finem septimanarum Danielis non procul abesse, sceptrum à Juda ablatum esse, omnes bonos mores depravatos, doctores populi, qui vos estis, vel omnem ardorem ac studium pietatis extinguere, dum spem vitæ melioris omnem adimunt (quod vos Sadducæi facitis, Actor. 23. 8,) vel universum cultum divinum in meras vanas & ab hominibus excogitates Ceremonias (quod vos Pharisæi facitis) commutare: à me contra, sanctam, puram & perfectam doctrinam tradi, & quidem tam excellentibus confirmari miraculis, quæ non oblectationis aut animi causa fiunt, sed quibus homines juvantur, & è cæcis videntes, è claudis ambulantes, ex ægris & dæmoniacis sani ac liberi reddantur. Quæ omnia sunt indubitata signa regni Messiæ.

Vers. 4. *Gens mala & adultera signum requirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis abiit.*] De hoc vide dicta ad cap. 12. 39.

PARS II.

Vers. 5. ET *cum venissent discipuli ejus in ulteriorem ripam, obliti fuerant sumere panes.*] In ulteriorem ripam, nempe ultra sinum maris versus Bethsaidam, ut ex Marco cap. 8. 22 patet.

Cum venissent.] Verbum *venire* ponitur sæpe pro vehi aut proficisci: ut infra vs. 13. xxi. 1. Luc. 2. 44. xv. 20. Joh. 6. 17. Habitum autem est hoc Colloquium inter Christum & discipulos ejus, dum in navi veherentur, ut liquet ex Marco cap. 8. 14. Historia vero apud Lucam cap. 12. 1 est alia, quam hæc.

Vers. 6.

Verſ. 6. *Jeſus autem dixit eis: Videte & cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum.*] Hæc eſt natura fermenti, quod ſuam vim cito exſerat: & ob hanc cauſam ſupra cap. 13. 33 doctrina Euangelii cum fermento confertur. Hic autem, ut & Gal. 5. 9, falſæ doctrinæ cum fermento comparantur, eandem ob cauſam.

Phariſæorum & Sadducæorum.] Marcus omittit Sadducæos, & loco eorum ponit fermentum Herodis cap. 8. 15. Probabile enim eſt, multos è Sadducæis Herodianos fuiſſe, id eſt, tales, qui Herodem Magnum pro Siloh, quem Jacobus Patriarcha promiſit Gen. 49. 10, id eſt, pro Meſſia habebant. (De quo vide infra cap. 22. 16.) Atque huic ſententiæ potuerunt Sadducæi facile aſſenſum præbere, quippe nullam mortuorum reſurrectionem credentes, adeoque omnem ſuam ſpem ac fiduciam in proſperitate hujus vitæ, & in felicitate terræ ſuæ collocantes. Nam dignitas Regia, quæ in Iſraële à tempore captivitatis Babylonicæ admodum obſcurata fuit, in Herode cœpit denuo emergere & emicare. Etſi enim is dependere cogeretur à Romanis, Regia tamen ſuit majeſtate ac poteſtate præditus. Idcirco mirum non eſt, Sadducæos ſub Herode ad ſummos honores evectos fuiſſe, uti teſtis eſt Joſephus. Docet itaque Chriſtus, duas falſas doctrinas eſſe vitandas. Primo eorum, qui præcipuam pietatis ac cultus divini partem collocabant in externis ritibus, & quidem iis, quos homines ipſi commenti ſunt, quales erant Phariſæi. Deinde eorum, qui veram ſubvertebant religionem, eamque in regnum terrenum ac mundanum commutabant; quod faciebant Sadducæi.

Verſ. 7. *Illi autem cogitabant in ſeipſis.*] Gr. διελογίζοντο, poteſt verti quoque diſceptabant inter ſe. Nam quod non ſolum intra ſe cogitarint, ſed etiam inter ſe de eo collocuti ſint, clare teſtatur Marcus cap. 8. 16.

Panes non accepimus.] Putabant, cum Chriſtus ſciverit, deeſſe ſibi panes, eum tempeſtive monere, ne ab hominibus Phariſæorum vel Sadducæorum ſectæ deditis panes emant, quaſi panes iſti eſſent eos contaminaturi. Tam cito obliti ſunt doctrinæ Chriſti, in qua oſtendit, nullum cibum habere vim animum polluendi. Sed & ſoliciti eſſe cœperunt, ne panis inopia deinceps laborarent, quia nimirum exiſtimabant, libertatem emendi panis tam arcte eſſe limitatam.

Verſ. 8. *Hoc autem ſciens Jeſus dixit illis: Quid cogitatis in vobis, exiguæ fidei, quod panes non accepiſtis?*] Quaſi dicat: Exiſtimatis vos, me id propterea vobis dixiſſe, quod panes non habetis, quaſi vobis fame moriendum, aut quaſi juſſi ſitis panem ab hominibus ſumere, modo non à Phariſæis & Sadducæis? An ego vobis nequeo cibum præbere, etſi à nullo hominum panem emeretis? Quare nulla eſt cauſa, cur vobis panis cauſa tam ſerio communione Phariſæorum ac Sadducæorum interdicam.

Verſ. 9. *Nondum intelligitis, neque meminiſtis quinque illos panes quinque millium hominum, & quot cophinos acceperitis?*

Verſ. 10. *Neque ſeptem panes illos quatuor millium hominum, & quot ſportas acceperitis?*

Verſ. 11. *Quomodo non intelligitis, me non dixiſſe vobis de pane, ut caveretis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum?*

Verſ. 12. *Tunc intellexerunt, eum non dixiſſe, ut caverent à fermento panis, ſed à fermento doctrinæ Phariſæorum & Sadducæorum.*

PARS III.

Verſ. 13. *Cum veniſſet autem Jeſus in partes Cæſareæ, quæ dicitur Philippi, interrogavit diſcipulos ſuos, dicens: Quemnam me eſſe dicunt homines Filium hominis?*] Cum veniſſet, id eſt, cum iret eo. Nam hoc colloquium habitum eſt in via, ut Marcus narrat cap. 8. 27.

Cæſaræa Philippi.] Duæ civitates erant, quæ Cæſarea dicebantur. Altera ſita erat ad mare mediterraneum inter Joppen & Doram, antea Turris Stratonis dicta, poſtea autem eam Herodes Magnus in honorem Cæſaris Octavii Auguſti amplificatam, & magnificis ædificiis atque operibus exornatam, de nomine Cæſaris Cæſaream appellavit. Joſeph. lib. 1. de bell. Jud. cap. 16. lib. 15. cap. 13. Hæc ſimpliciter Cæſarea in Actis Apoſtolorum nuncupatur Act. 8. 40. 1x. 30. x. 1 &c. Altera Cæſaræa erat in Phœnicia, adjacens monti Libano, & ſcaturigini Jordanis, fuitque antea Paneas vocata, ſed poſtquam à Philippo Tetrarcha Itureæ ac Trachonitidis (Luc. 3. 1,) in honorem Tyberii Cæſaris aucta & ornata eſt, etiam Cæſareæ nomen accepit, ſed cum adjectione Philippi, ut hoc modo ab altera Cæſarea diſtingueretur.

Quem me dicunt homines?] Homines in genere. Lucas dicit: *Quem me eſſe dicunt turbæ?* cap. 9. 18.

Me filium hominis.] Non dicit Chriſtus ſimpliciter, *Quem dicunt me eſſe*, ſed cum hac deſcriptione, *Quem dicunt eſſe me Filium hominis?* Quibus verbis humilem & abjectum ſtatum ſuum indicare voluit. (vide ſupra cap. 8. 20,) Quaſi dicat: Quid homines ſentiunt de me, qui comparui in tam vili habitu, abſque omni externo ſplendore, ſimilis exiſtens aliis è vulgo hominibus.

Verſ. 14. *Illi vero dixerunt: Alii quidem Johannem Baptiſtam, alii vero Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.*] Primi illi dicebant, Johannem Baptiſtam reſurrexiſſe à mortuis. Vide quæ dicta ſupra cap. 14. 2.

Alii vero Eliam.] Iſti non credebant, animam Eliæ in corpus Chriſti immigraſſe, ſecundum illam opinionem, quæ expoſita eſt ſupra cap. 14. 2, ſed putabant, Chriſtum Eliam illum ipſum eſſe, qui in cœlum aſcendit, quem & hodie Judæi ex male intellecto Malachiæ loco cap. 4. 5, ſtatuunt ante Meſſiam eſſe venturum: ut infra cap. 17. 10 dicetur. Quanquam aliqui è doctis Judæis ſentiunt, eum alio in corpore, quam habuit antehac venturum.

Jeremiam.] Ex ſcriptis veterum Judæorum cernitur, Judæos olim etiam Jeremiæ Prophetæ adventum expectaſſe ante Meſſiam: potuitque fieri, iſtos credidiſſe, animam Jeremiæ deſcendiſſe in corpus Chriſti, juxta opinionem cap. 14. 2 explicatam, vel etiam, eum reſurrexiſſe à mortuis.

Aut unum ex Prophetis.] Nempe ex antiquis

Prophetis aliquem reſurrexiſſe Luc. 9. 8. Apud Marcum cap. 6. 15 ajunt: *Propheta eſt, vel unus ex Prophetis.* Unde intelligitur, aliquos eum pro novo Propheta, & non pro uno ex veteribus habuiſſe. Apparet autem eos, qui ſic de ipſo judicabant, nihil de ortu & nativitate ejus ſciviſſe, ſed famam de eo ac miraculis ejus non ita pridem ad illos eſſe delatam.

Verſ. 15. *Dicit eis: Vos autem quem me dicitis eſſe?*

Verſ. 16. *Reſpondens vero Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus, Filius ille Dei viventis.*] Petrus ut plurimum præibat in ſermone Apoſtolis; hinc à nonnullis antiquis Eccleſiæ doctoribus Os Apoſtolorum dicitur. Vide Joh. 6. 68. Supra cap. 15. 15. Infra cap. 17. 4, 19, 27. xxvi. 33. Actor. 1. 15. ij. 14. Loquebatur autem aliorum nomine, non propter aliquam præ aliis ſuperioritatem, vel quod non conveniſſet aut decuiſſet alios loqui; ſed quia animo præſentiore ac fervidiore præ aliis erat. De cætero non fuit inter Apoſtolos alter altero ſuperior: ut videre eſt infra cap. 18. 1.

Tu es Chriſtus Filius Dei viventis.] Epitheton *viventis* jam ab antiquis temporibus Deo tributum eſt, ut patet Gen. 16. 14, quodque valde uſitatum fuerit inter Judæos, cernitur ex his locis: Matth. 26. 63. Rom. 9. 26. 2 Cor. 3. 3. vi. 16. 1 Theſſ. 1. 9. 1 Tim. 3. 15. iv. 10. Hebr. 3. 12. ix. 14. x. 31. xii. 22. Hac autem deſcriptione Deus verus à falſis Ethnicorum Diis diſtinguitur, qui reipſa non vivebant, ſed erant excogitati ab hominibus. Vide Act. 14. 15.

Dum vero Petrus Dominum Jeſum Filium viventis Dei appellat, non intelligit vulgarem aliquem filium Dei, quales ſunt etiam Angeli, Magiſtratus, & omnes ſancti; ſed talem intelligit, cui titulus iſte in ſummo gradu & excellentiſſima ratione competit. Neque tamen inde ſequitur, eum agnoviſſe Chriſtum pro tali Filio Dei, qui ab omni æternitate ex eſſentia Patris generatus ſit, & ipſe nihilominus ſit Deus altiſſimus: id enim ne per ſomnium quidem unquam Petro in mentem venit. Sed eum agnovit pro Meſſia, qui pro communi conſuetudine Judæorum ita ſimpliciter & per excellentiam *Filius Dei*, quaſi proprio nomine dicebatur; cujus figura fuit David, de quo ſic Deus loquitur: *Ego eum primogenitum conſtituam, excelſum ſupra reges terræ* Pſal. 89. 28. Et Pſal. 2. 7: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (De quo vide Act. 13. 33.) Ut adeo nomen Chriſtus ſeu Meſſias, & nomen Filius Dei, ex uſu Judæorum pro eodem ſumeretur. Hinc Marcus cap. 8. 29, cum hæc verba Petri refert, ſimpliciter ait: *Tu es Chriſtus.* Lucas: *Tu es Chriſtus* (id eſt, Unctus) *Dei* cap. 9. 20. Qui ambo Euangeliſtæ ſane præcipuam partem hujus inſignis confeſſionis Petri omiſiſſent, ſi aliud eſſet *Filius Dei viventis*, & aliud *Chriſtus.* Sic & Nathanaël dixit ad Chriſtum Joh. 1. 49: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraëlis.* Ubi unum per alterum declarat. Et apud Lucam cap. 22. 67, cum Pontifex Maximus & Legiſperiti Chriſtum interrogaſſent: *Eſne tu Chriſtus?* Chriſtuſque eis reſpondiſſet ℣. 68, 69, ſubjecerunt illi; *Tu ergo es Filius ille Dei?* quaſi dicat. Ergone verum eſt, quod antea interrogavimus, num eſſes Chriſtus? Hinc etiam ſumma totius doctrinæ de Chriſti divina dignitate & noſtræ fidei ac confeſſionis de eo in genere continetur in eo, quod *Jeſus ſit Chriſtus*, (vel Dominus) ſive quod Jeſus ſit Filius Dei. Vide Actor. 8. 37. ix. 20, confer cum ℣. 22. Rom. 10. 9. 1 Cor. 12. 3. Phil. 2. 11. 1 Joh. 4. 15. v. 1, 5. Adde cap. 2. 22. iv. 2, 3. 2 Joh. 7, confer cum Matth. 27. 42, 43. & Luc. 23. 35. ut & Matth. 8. 29 cum Marc. 1. 24, & Luc. 4. 41.

Verſ. 17. *Tunc reſpondens Jeſus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.*] Bar-Jona eſt filius Jonæ Joh. 1. 43. Bar enim Hebraicum vocabulum eſt, ſignificans filium. Nomen hoc ei à Chriſto tributum non eſt ideo, quod vellet prius nomen ejus immutare, ſed jam ante hoc nomen geſſit Petrus pro more Judæorum, qui ad proprium nomen etiam Patris nomen apponebant. Itaque Chriſtus vocat eum hoc nomine ideo, ut eum diſtingueret ab aliis, qui etiam Petri nomine appellabantur, Similia nomina ſunt illa Matth. 10. 3. xxiii. 35. Marc. 2. 14. Joh. 6. 42. Actor. 13. 6. Quando autem alicujus mutabatur nomen, ſemper prioris nominis una cum novo fiebat mentio: ut Gen. 17. 5: *Non amplius vocaberis Abram, ſed Abraham.* Sic Chriſtus quoque Petri nomen immutans, prioris nominis ejus meminit: *Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas* Joh. 1. 43.

Caro & ſanguis non revelavit tibi.] Quando caro & ſanguis opponitur Deo, Hebræorum conſuetudine loquendi idem ſignificat, quod homo. Sic Paulus quoque, cum revelationis ſibi factæ meminit, ait, ſe *non contuliſſe cum carne & ſanguine* Gal. 1. 16, id eſt, ſe cum nullo homine deliberaſſe. Indicat autem hic Chriſtus, id quod Apoſtoli de ipſo confeſſi ſunt per Petrum non eſſe commentum humanum, qualia erant illa, quæ alii homines de eo ſentiebant, ſed eſſe puram veritatem, quam eis revelarit Pater. Revelavit vero eis id Pater, non per peculiarem & occultatam inſpirationem, quæ non omnibus contingit: ſed per manifeſtationem ſanctiſſimæ doctrinæ, innocentiſſimæ vitæ, perque ſtupenda ac inaudita miracula Chriſti revelavit Deus, Chriſtum eſſe Filium viventis Dei. Quæ revelatio quidem tunc ita volente Deo, omnibus hominibus in tota Judæa, poſtea autem etiam in toto orbe facta eſt; ſed reipſa tamen non niſi iis contigit, qui revelationem iſtam in animum admiſerunt, & ex ſignis illius temporis (ut Chriſtus ſupra ℣. 3 locutus eſt) divinam in Chriſto virtutem agnoverunt ac dijudicarunt. Atque tales erant etiam Petrus & cæteri Apoſtoli. Quod ſi alia revelatio à Patre hic intelligenda eſſet, quæ plane in hominis poteſtate non eſſet, ut eam reciperet vel rejiceret; immerito Chriſtus culpaſſet Phariſæos ac Sadducæos ℣. 3, quod ſigna horum temporum non diſcernerent. Non enim id ipſis à Patre revelatum erat. Hinc manifeſtum eſt, eandem hic eſſe locutionem cum ea qua Rom. 8. 29, & alibi, *vocati* dicuntur, qui vocationi, quæ ipſis contigit, dant locum, fidemque ſuſcipiunt. Eodem enim modo hic dicitur, illis id à Deo revelatum eſſe, qui revelationem, quæ ipſis contigit, ſuſceperunt.

Verſ. 18. *Sed & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo meam Eccleſiam: & portæ inferiorum non prævalebunt ei.*] Pro hac tua tam

inſigni

inſigni & ingenua confeſſione viciſſim hoc à me accipe &c. Petrus Chriſti excellentiam divinam confeſſus fuerat, Chriſtus viciſſim illius quoque præſtantiam oſtendit, quæ, in quo conſiſtat, mox explicatur.

Tu es Petrus.] Nomen hoc Chriſtus ei impoſuit, cum eum Andreas frater ejus primum ad Chriſtum adduxit Joh. 1. 43, & quidem lingua Hebræa vel Syriaca *Cephas*, quod idem eſt, quod in Græca πέτρος, in Latina petra. Quo nomine eum ornavit Chriſtus, propter ejus promptum & alacrem animum, quem Chriſtus in eo agnovit, & ſuper quo poſtmodum ſuam Eccleſiam ædificaturus erat.

Et ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam.] Hic eſt primus locus in Novi Teſtamenti libris, in quo occurrit mentio celeberrimæ illius vocis, Eccleſiæ: quæ in Hebræa lingua vocatur Edah, id eſt, congregatio. Vox autem Eccleſiæ eſt proprie Græcum nomen, ſignificans evocationem, & à Græcis Scriptoribus adhibetur ad deſignandam multitudinem ac numerum hominum certorum, qui ad audiendum vel deliberandum convocantur. Quapropter hæc vox Eccleſia non quamvis multitudinem hominum denotat (ut & vox Synagoga, congregatio, & Hebræa vox Kahal, quæ venit à verbo Kahal, congregare, ut indicatum ſupra cap. 4. 23,) ſed congregationem certi generis hominum, qui ad certas leges ac ordinem vocati, & ſic quaſi in unum corpus colligati ſunt. Quanquam diſcrimen hoc non tam exacte in Sacris Literis obſervatur, ſed unum pro altero interdum ſumitur, ut inter alia videre eſt Levit. 4. 13: *Quod ſi totus cœtus filiorum Iſraël erraverit, & abdita ſit res ab oculis ipſius Eccleſiæ.* Ubi prior vox *cœtus* reddita in Hebræo eſt *Edah*, altera autem vox *Eccleſia* eſt *Cahal*. Eo vero ſenſu, quo ſignificatur certus populus ad certas leges & ordinem alligatus, vocatur Iſraëliticus populus Eccleſia Exod. 12. 3, 6, 47. XVI. 1. XVII. 1. Levit. 4. 13, 15. VIII. 3. Actor. 7. 38. Atque hoc ſenſu etiam hoc loco vox Eccleſiæ à Chriſto uſurpatur: nimirum intelligit ea populum ſuum, id eſt, multitudinem illorum hominum, qui ad regnum cœlorum vocantur, & reipſa doctrinæ ejus ſe addicunt, legibuſque ejus ſe ſubjiciunt; qui etiam ex nomine ipſius Chriſtianus populus appellatur. Sic Actor. 15. 14. Rom. 9. 21. Tit. 2. 14. 1 Petr. 2. 9 Chriſtiani *populus* vocantur: atque inprimis huc facit locus Pauli Apoſtoli: *Vos templum eſtis Dei viventis, ſicut dixit Deus, Habitabo in eis & in ambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus* 2 Cor. 6. 16. Quod enim de Iſraëlitico populo dictum fuerat, id ille trahit ad Chriſtianos, quia populus Iſraëliticus, qui in certa habitabat terra, typus fuit populi Chriſti, qui per univerſum orbem terrarum diſperſus eſt: quod vel ſola Apocalypſis Johannis demonſtrat. Et dum Apoſtolus in allegato loco Chriſtianos templum vocat, declarat quodammodo, quid in his Chriſti verbis ſignificet vox *ædificare*: nempe congregare populum, in quo Deus per Chriſtum gratia ac ſpiritu ſuo habitet, & quidem multo præſtantiori ratione, quam olim in Templo Hieroſolymitano. Hoc ſignificatu Apoſtolus Corinthios *Dei ædificium* appellat 1 Cor. 3. 9, & Petrus Apoſtolus memorat *ſpirituale domum* 1 Petr. 2. 5.

Quo modo autem Chriſtus Eccleſiam ſuam ſuper Petrum ædificarit, id ex Paulo Apoſtolo intelligitur, qui ad Epheſios ſcribit, *eos ædificatos eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum* (nimirum Prophetarum Novi Teſtamenti, de quibus 1 Cor. 12. 28, 29. XIV. 32, 37. Eph. 2. 20. Et in Apocalypſi Johannis c. 21. 14 dicitur, civitatem Dei (per quam Chriſtianus populus deſignatur) habere duodecim fundamenta, quibus inſcripta ſint nomina duodecim Apoſtolorum. Nimirum ſuper doctrinam, quam Chriſtus per duodecim Apoſtolos ſuos tanquam reſurrectionis ſuæ teſtes in toto orbe annunciari curavit, populus ejus in templum ſpirituale & domum Dei, veluti ſuper petram & immotum fundamentum (cujus ipſe quoque angularis lapis eſt Eph. 2. 20) conditus eſt. Unde cernitur, Eccleſiam Chriſti non tantum ſuper unius Petri Apoſtoli, ſed ſuper omnium Apoſtolorum fundamentum ædificatam eſſe. Si enim Petrus hac in parte peculiarem aliquam dignitatem præ reliquis habere debuiſſet, oportuiſſet eum peculiare etiam quippiam & excellentius, quam reliqui Apoſtoli, docere. Quod autem Chriſtus ſolum hic nominarit Petrum, ipſique hanc promiſſionem fecerit, cauſa eſt, quod Petrus ſolus nomine omnium Apoſtolorum reſponderit (Chriſtus enim non ſolum Petrum interrogaverat, ſed omnes Apoſtolos) idcirco Chriſtus viciſſim in perſona Petri omnium Apoſtolorum dignitatem, qua hanc tam præclaram confeſſionem remuneraturus ſit, ſpectandam propoſuit, & ejus reſpectu eos non minus quam Petrum beatos prædicavit. Ad talem vero dignitatem eorum ſignificandam, egregie conveniebat nomen *Petrus* vel *Cephas*, (quod ipſe ei, plenum zeli ac ignis animum ejus reſpiciens, indidit Joh. 1. 43.) eo enim indicare voluit, eos petræ ſimilia atque immobilia adeo Eccleſiæ ſuæ fundamenta fore. Ut ita Petro hic nulla prærogativa præ aliis Apoſtolis à Chriſto attribuatur. De cætero uti Petrus fuit fidentiori animo & ardore ſingulari præ aliis Apoſtolis, ita etiam in prædicatione Euangelii aliis præibat, & quaſi viæ præmonſtrator erat; ut ex Actis patet, tam in electione Matthiæ Actor. 1. 15, quam in feſto Pentecoſtes, ubi ille præ reliquis Apoſtolis proceſſit in medium, & plenus Spiritu Sancto exiſtens, eandem hanc confeſſionem præclaram, quam hic de Chriſto protulit, coram tot millibus hominum edidit. Atque tunc factum eſt initium iſtius præſtantis ædificii, (id eſt, Eccleſiæ,) quod Chriſtus ſuper hoc fundamentum ædificare promiſit, dum ad patheticam ejus Concionem confeſtim 3000 hominum ad Chriſtum converſa ſunt Actor. 2. 14, ad 42. Propter hunc ejus peculiarem zelum, & quia Chriſtus ſcivit, quam inſigne inſtrumentum operis ejus futurus eſſet, ſtatim eum poſt hanc confeſſionem una cum Jacobo & Johanne, (qui columnæ Eccleſiæ appellantur Gal. 2. 9,) ſecum in montem aſſumpſit, ut eſſet teſtis ipſius gloriosæ tranſfigurationis Matth. 17. 1. Hinc juſſit Angelus reſurrectionem Chriſti omnibus quidem diſcipulis, ſed nominatim etiam Petro annunciare, ut ipſe reliquis præiret in Galilæam Marc. 16. 7. Et Paulus Apoſtolus de nomine meminit Petri,

quod Chriſtum poſt reſurrectionem ejus viderit 1 Cor. 15. 5. Sic reſurrectio Chriſti, ex qua neceſſario concluditur, *Jeſum eſſe Chriſtum, Filium viventis Dei*, per omnium quidem Apoſtolorum, ſed tamen præcipue per Petri Apoſtoli teſtimonium, in Judæa & apud omnes in mundo diſperſos Judæos, tam verbis, quam ſignis & miraculis eſt confirmata, ac credibilis facta. Atque hac ratione Petrus factus eſt *Petra*, in qua Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificavit: non autem ita, quomodo Pontificii volunt, ut eum Chriſtus caput cæterorum Apoſtolorum, aut Vicarium ſuum in terris conſtituerit, & quidem cum tam abſurda ſucceſſione, quam ſibi Romani Pontifices arrogant. In eo enim, quod Petrus aliique Apoſtoli ſunt fundamentum Eccleſiæ Chriſti, nullum poſſunt habere ſucceſſorem: nam quicunque eos ſequuntur, non ſunt fundamentum, ſed lapides ædificii, quod ſuper eos tanquam ſuper fundamentum exædificatum eſt. Fundamentum autem iſtud Eccleſiæ Chriſti poſt Apoſtolorum obitum non interiit cum ipſis, ſed manet in eorum ſcriptis, oportetque ut omnia in illo fundentur & ædificentur, quæcunque porro Eccleſiæ Chriſti ad ejus amplificationem accreſcere debent.

Et portæ inferni non prævalebunt ei.] Admiratione dignum eſt, ferme omnes Interpretes hunc locum de Diaboli, ejuſque inſtrumentorum, id eſt, impiorum poteſtate ac violentia exponere, quod ſcilicet illa Eccleſiam Chriſti ſuperatura ac ſuppreſſura non ſit: cum tamen nullum exemplum in toto Novo Teſtamento, neque in LXX Interpretum verſione Veteris Teſtamenti, neque apud ullum Græcum Scriptorem oſtendi queat, in quo vox Græca ᾅδης, infernus (Hebr. Scheol) aliud quid ſignificet, quam locum mortuorum, ſive ſtatum mortuorum, quando de anima ſermo eſt, ſive ſepulchrum, quando de corpore. (Quanquam forte nullus datur locus, in quo per Infernum neceſſario ſepulchrum ſit intelligendum.) unico loco Luc. 16. 23 excepto, de quo ad illum locum. Mors enim figurato modo introducitur tanquam Tyrannus aliquis ſævus, qui omnes homines ſuæ ſubjiciat poteſtati, cujuſque Regnum ſit ſubter terram, in quadam profunda, tenebroſa & horribili abyſſo. Qui locus Infernus dicitur. Vide Sapient. 1. 14. Deuter. 32. 22. Pſalm. 86. 13. Proverb. 9. 18. xv. 24. Job. 10. 21, 22. Et aliquando tanquam vaſtiſſima aliqua bellua diducto rictu ſuo homines deglutiens & in ventrem ſuum recondens repræſentatur Proverb. 1. 12. Eſai. 5. 14. Eccleſiaſtic. 51. 7. Quod vero Infernus ſignificet locum ejuſmodi, in quo Diabolus habitet, atque ibi (ut vulgo creditur) ſummis cruciatibus homines torqueat, vel etiam impios homines, qui hic in terris degunt, & à Diabolo pro inſtrumentis adhibentur, nuſquam ejus rei ullum reperire eſt exemplum. Hinc jam facile eſt intellectu, quid ſint *inferni portæ*. Nimirum quod alibi figuratæ vocatur *faux* vel *fauces inferni*, id hic dicitur inferni porta, vel portæ: deſumptaque eſt hæc locutio ex Eſai. 38. 10, ubi Ezechias in ſuo Cantico euchariſtico ait: *Jam cogor adire inferni portas, privor reſiduo annorum meorum.* In Apocalypſi Johannis mentio fit *clavis inferni* cap. 1. 18. Accipiuntur autem portæ inferni pro inferno ipſo. Ut igitur Paulus de Chriſto capite noſtro inquit, *mortem ei non amplius dominari* Rom. 6. 9, & Petrus, *impoſſibile eſſe, ut à morte potuerit detineri* Actor. 2. 24. Sic etiam Chriſtus hic corpori ſuo, id eſt, populo ſuo fideli promittit, quod mors ipſa, cujus inſatiabile regnum ſuper totum humanum genus extenditur, tantas vires non ſit habitura, ut eos in ſua poteſtate & imperio retinere poſſit. Nam omnis qui credit, *tranſiit è morte in vitam* Joh. 5. 24. xi. 25, 26, nunc quidem in fide ac ſpe, tunc autem facto ipſo, quando triumphus ille cantabitur; *Ubi eſt, mors, tuus aculeus? ubi eſt victoria tua, ô infernum* 1 Cor. 15. 55, quando Chriſtus ipſe hanc ſuam Eccleſiam ſiſtet ſibi glorioſam abſque macula vel ruga Eph. 5. 27.

Hinc elucet, hæc verba Chriſti nullum Pontificiis ſuppeditare argumentum ejus rei, quod Chriſtus promiſerit Eccleſiæ ſuæ, eam nunquam interituram aut deſituram. Fides enim eſt res voluntaria & in arbitrio hominum ſita, ad quam nemo à Deo vi adigitur. Hinc etiam Eccleſia, id eſt, populus fidelium *voluntarius populus* appellatur Pſalm. 110. 3. Quod autem voluntarium eſt, ſeu à voluntate pendet, id deſinere poteſt. Itaque naturæ religionis Chriſtianæ contrarium foret, ſi Deus medio violento uti vellet in conſervanda ſua Eccleſia. Ideo Apoſtolus Paulus Rom. xi. 20, 21, 22, 23, 24, clare indicat, totam Eccleſiam ex Ethnicis collectam; adeoque & Romanam non minus quam Judaicum populum (qui tamen tam præclara habuit promiſſa) à fide deficere, & à Deo reprobari poſſe, inque hominum libero arbitrio poſitum eſſe, velintne ſtare in fide, vel non.

Verſ. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quicquid ligaveris in terra erit ligatum in cœlis, & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis.*] Non Propheticas claves, quæ Judæorum Magiſtris concreditæ erant, quas autem illi occultabant, & quantum in ipſis erat, hominibus aditum ad regnum cœlorum præcludebant. (Vide Luc. xi. 52) ſed Apoſtolicas claves, id eſt, poteſtatem aliis cœlum aperiendi, aliis claudendi. Quod qua in re conſiſtat, explicat Chriſtus ipſe, dum addit; *Quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis* &c. id eſt, habebis poteſtatem alios in eorum peccatis ligatos detinendi, & peccata eis non remittendi, alios autem abſolvendi à peccatis, eaque remittendi. Illis cœlum erit clauſum, his apertum. Quod autem hanc poteſtatem Chriſtus non uni Petro, ſed & reliquis Apoſtolis dederit, non ſolum ex his verbis, quæ in perſona Petri ad omnes Apoſtolos locutus eſt, ſed etiam ex Joh. 20. 23 cernitur, ubi omnes diſcipulos ſuos ſic alloquitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata remiſeritis, eorum remittentur, & quorum retinueritis eorum retenta erunt.* Poteſtas autem iſta aperiendi & clau-

claudendi cœlum non ita eſt Petro aliiſque Apoſtolis collata, ut reipſa poſſint quenquam in cœlum intromittere, aut ab eo excludere; quæ poteſtas ſoli Chriſto à Deo communicata eſt, qui fideles ſuos in die noviſſimo ſecum introducet in ſempiterna gaudia Matth. 25. 34. 1 Theſſ. 4. 17. Sed hæc eorum poteſtas conſiſtit ſolum in eo, quod pro auctoritate muneris ſui, quod tanquam legati Chriſti adminiſtrabant, aliis debuerint remiſſionem peccatorum annunciare, nimirum omnibus in Chriſtum crediturîs & ex animo obtemperaturis, incredulis autem & inobedientibus æternam damnationem; ut ita debuerint aliis poteſtatem dare introeundi in cœlum, aliis eandem adimere, & quicquid hac in re Apoſtoli hominibus annunciarint, id apud Deum & Chriſtum ratum ac validum eſſe debuerit. Hac ſua poteſtate uſus eſt Petrus Actor. 2. 38.

Ex his jam ſatis manifeſtum, eſt, nequaquam hæc verba Chriſti præbere ullum figmento illi Papiſtico præſidium, quo ſtatuitur, Chriſtum Petro contuliſſe abſolutam poteſtatem pro lubitu regendi Eccleſiam ejus, novas leges & mandata figendi, & alia refigendi atque abrogandi, nec non alia his ſimilia innumera faciendi. Chriſtus enim hic de nulla alia re loquitur, quam de hominibus, quos ligandi & ſolvendi poteſtatem dedit Apoſtolis. Vocula enim *Quicquid*, qua Chriſtus hic utitur, non habet vim probandi, eum de aliis quoque præter homines rebus loqui: ut ex collatione cum loco Apoc. 21. 27, conſtare poteſt, ubi tale vocabulum neutrius generis de ſolis hominibus uſurpatur: *Non intrabit in eam aliquid inquinatum, & faciens abominationem & mendacium, niſi qui ſunt ſcripti in libro vitæ Agni.* Præterea non habent Apoſtoli in hac ſua poteſtate & auctoritate remittendi & retinendi peccata, ullos ſucceſſores, ſed hæc auctoritas cum exceſſu eorum ex hoc mundo ad Deum & Chriſtum rediit. Quam late autem porrigatur Eccleſiæ Chriſtianæ hac in parte poteſtas, de eo vide infra cap. 18. 17.

Verſ. 20. *Tunc interdixit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, ſe eſſe Jeſum illum Chriſtum.*] Ex hoc loco patet, Apoſtolos in ſua miſſione, de qua ſupra capite 10. 5, prædicaſſe quidem de ſumma ſanctitate & præſtantia miraculorum Chriſti, nec non de agenda pœnitentia, deque eo, quod appropinquaverit regnum cœlorum; non autem de eo, quod Jeſus ſit Chriſtus, promiſſus ille Rex regni illius, cujus patefaciendi ac manifeſtandi arbitrium Chriſtus uſque ad legitimum ac juſtum tempus ipſe ſibi reſervaverat. Cauſa autem, cur Chriſtus hic diſcipulis ſuis interdixerit divulgare, quod ipſe ſit Chriſtus, hæc eſt: Nempe, omnes tres Euangeliſtæ teſtantur, Chriſtum ſtatim poſt hanc confeſſionem diſcipulis ſuis paſſionem & mortem Hieroſolymis obeundam annunciaſſe. Quare ſi diſcipuli eum Meſſiam eſſe ubique ſparſiſſent, qui id audiviſſent, & poſtea eum cruci ſuffixum aſpexiſſent, facile eo ſcandaliſati fuiſſent, & à fide rurſus reſiliiſſent. Hinc etiam factum eſt, ut aliqui, quorum ad aures fama detulerat, eum eſſe Filium Dei, ad eum in cruce pendentem dicerent: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce* Matth. 27. 40. Atque hæc ipſa Chriſti paſſio atque mors, ut & in genere humilis & abjectus vitæ ejus ſtatus, in cauſa fuit, quod Chriſtus etiam in ſuis ſermonibus atque concionibus nunquam ipſe palam & claris verbis profeſſus ſit, ſe Meſſiam eſſe: præterquam coram muliere illa Samaritana Joh. 4. 26, & coram Pontifice ſummo, cum interrogaretur de eo ex profeſſo Marc. 14. 61, quod erat maxime legitimum tempus apertam confeſſionem edendi. Nam hæc de eo prædicatio, quod ipſe ſit Chriſtus ſeu Meſſias, majori cum fructu potuit tunc inter omnes homines ſpargi, poſtquam reipſa poſſeſſionem regni ſui adeptus eſt, idque ipſe reſurrectione ſua, aſcenſione in cœlum, & effuſione Spiritus Sancti, confirmavit, & poſtquam exemtus eſt humanis infirmitatibus, quæ homines à debita ipſi reverentia abducere poterant. Atque huc facit, quod infra cap. 17. 9, de ſua glorificatione, ad diſcipulos, qui tum præſentes aderant, dixit: *Nemini dixeritis, quod vidiſtis, uſque dum Filius hominis à mortuis reſurgat.*

Se eſſe Jeſum illum Chriſtum.] In antiquiſſimis Græcis exemplaribus, ut & Latinis, & in Syriaco non habetur nomen *Jeſus*, ſed ſimpliciter, *ſe eſſe Chriſtum.* Et videtur etiam nomen Jeſu, quod multis aliis commune eſt, minus competenter hic inſertum eſſe.

PARS IV.

Verſ. 21. *EX eo tempore cœpit Jeſus indicare diſcipulis ſuis, oportere ſe abire Hieroſolymam & multa pati à Senioribus & primariis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi, & tertia die ſuſcitari.*] Gr. ἀπὸ τότε, *ab hinc*, nempe ab iſta confeſſione Petri, non ita celabat Chriſtus amplius ſuam paſſionem & mortem, ſed palam de ea loquebatur coram ſuis diſcipulis: id quod antea non fecerat, quia eum nondum plene pro Meſſia agnoverant, vel ſaltem eum palam profeſſi non erant. Itaque ſi ipſis mortem ſuam clare annunciaſſet, facile eo offendi, inque ſua fide debilitari potuiſſent. Quod enim Meſſias pati ac mori deberet, erat res apud Judæos inaudita & abſurda, ut qui una cum eo terrenum ac viſibile Regnum, quod in æternum duraturum ſit, ſperarent. Nunc autem poſtquam illi tam præclaram confeſſionem de ipſo ediderunt, non ſolum eos idoneos judicavit quibus id patefaceret, verum etiam neceſſarium quodammodo erat, ut id faceret: quia alioqui valde ſcandaliſati fuiſſent, ſi id improviſo atque præter omnem eorum exſpectationem poſtea eveniſſet.

Oportere ſe abire.] Videtur Chriſtus hic voce *Oportere* non voluiſſe indicare neceſſitatem ſuæ paſſionis, quod ſcilicet id ita à Deo decretum atque ordinatum fuerit, quodque id utile humano generi futurum ſit; quo ſenſu dixit Luc. 24. 26: *Nonne*

oportuit Chriſtum iſta pati? Non enim credibile eſt, Petrum voluiſſe illum ab eo abducere, ſi de immutabili Dei decreto audiviſſet. Sed Chriſtus ſimpliciter tantum his verbis indicat, quid futurum atque eventurum ſit. Ut adeo verba hæc, *Oportere ſe abire Hieroſolymam*, idem prorſus valeant, atque ſi dictum eſſet: ſe iturum Hieroſolymam. Ita etiam hoc vocabulum *Oportet* uſurpatur infra cap. 17. 10: *Oportere Eliam venire*, id eſt, (ut verſ. 11) Eliam eſſe venturum. Vide quoque Apoc. 1. 1. IV. 1. XXII. 6. Act. 4. 12. Et forſitan etiam Matth. 24. 6. Marc. 13. 7.

A Senioribus.] Hac voce Seniorum hic non intelliguntur Seniores inter Sapientes & Doctores Judæorum, uti ſupra cap. 15. 2, ſed Senatores Synedrii, qui etiam Seniores vocantur. Et Synedrium appellatur *Preſbyterium populi*, ad indicandam differentiam à Preſbyterio civitatum, cujus erat minores cauſas judicare. Vide Matth. 5. 22.

Et primariis ſacerdotibus.] Id eſt, à proceribus ac principibus inter ſacerdotes. De eo vide ſupra cap. 2. 4, horum plerique etiam in Synedrio habebant locum. Atque hi tres, Seniores, Summi Sacerdotes, & Scribæ, in libris Novi Teſtamenti abſque diſcrimine nominantur, quando congregationis Synedrii fit mentio.

Verſ. 22. *Et aſſumens eum Petrus cœpit objurgare, dicens, Abſit à te, Domine, nequaquam hoc erit tibi.*] Græca vox προσλαβόμενος, poteſt etiam habere *amplectendi* ſignificationem, quæ loco huic valde congruit: amplexus enim eſt ſignum amoris, quem Petrus hic erga Chriſtum demonſtrare voluit.

Abſit à te, Domine.] Græc. ἱλεώς σοι, ſenſus eſt, vel: Deus ſit tibi propitius, id eſt, Deus avertat hoc à te; vel; Eſto tibi ipſe propitius, id eſt, parce tibi ipſi; prout vertit Lutherus & Piſcator.

Verſ. 23. *Qui converſus dixit Petro: Abſcede à me Satana; offendiculo es mihi: Nam non ſapis, quæ ſunt Dei, ſed quæ ſunt hominum.*] Abſcede, id eſt, abi è meo conſpectu: ut ſupra cap. 4. 10.

Satana.] Hæc vox eſt Hebraica, & ſignificat adverſarium. Vide 2 Sam. 19. 22. 1 Reg. 5. 4. XI. 14. Pſal. 109. 6, ubi eadem vox Satanæ habetur. Chriſtus innuit, Petrum dum vult ſuam erga ipſum charitatem oſtendere, reipſa maximum hoſtem ſuum eſſe.

Offendiculo es mihi.] Id eſt, quantum in te eſt, incutis mihi terrorem mortis ac perpeſſionum. Qui terror in Chriſto aliquando minor, aliquando major erat. Vide Matth. 26. 38. Hebr. 5. 7.

Nam non ſapis.] Cauſam reddit Chriſtus, cur eum Satanam ſeu adverſarium ſuum appellaverit. Ei quem paulo ante beatum prædicaverat ob ipſius confeſſionem, ponit ob oculos magnam ejus imperfectionem atque infirmitatem, ut ea agnita, Dei opem imploret. Petrus una cum cæteris Judæis terrenum Regnum Meſſiæ ſperabat, in quo homines carnali hujus mundi felicitate fruerentur. Hæc ſpes ne prorſus irrita fieret ac decollaret, Chriſto moriente, metuebat: ideoque de eo magis cogitabat, magis de eo erat ſolicitus, magiſque in id intentus erat (uti ſumitur quoque hæc vox Rom. 8. 5, 6) quam in ea, quæ ad Dei ſpectabant gloriam, quæ tamen aliis rebus omnibus merito anteponenda eſt: ut indicat Chriſtus verbis ſequentibus. Nihilominus quia ignorabat Petrus, mortem Chriſti ad Dei gloriam & hominum ſalutem ſpectare, imprudenter & non deliberato animo faciebat id, quod Chriſtus in eo reprehendit, & quod alioqui vis diſſuaſionis ejus ſecum trahebat.

PARS V.

Verſ. 24. *Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, ac ſequatur me.*] Marcus cap. 8. 34 ait: *Et advocans turbam cum diſcipulis ſuis dixit eis.* Unde perſpicuum eſt, hanc doctrinam eſſe generalem, quæ non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad omnes Chriſtianos pertinet.

Si quis vult poſt me venire.] Id eſt, ſi quis velit eſſe meus diſcipulus Luc. 14. 26, ſi quis doctrinæ meæ morem velit gerere, ſi quis velit eſſe Chriſtianus. Dicit autem Chriſtus, *poſt me venire*: quia qui volebat tunc temporis doctrinam Chriſti perfecte ediſcere, eum oportebat perpetuo adhærere Chriſto, eumque loca ſubinde mutantem ſequi. Vide infra cap. 19. 21.

Abneget ſemetipſum.] Metaphora Chriſtus utitur ſumpta ab iis, qui poſtquam domino alicui aliquandiu adhæſerint, eum deinceps deſerunt, nullum amplius cum eo habent commercium, etiam aperte & publice eum ejurant. Hoc modo Petrus Chriſtum ter abnegavit Matth. 26. 70, 72, 74. Judæi utebantur hac phraſi vulgo de eis qui rerum ſuarum pro mundana prudentia non ſatagebant, qui vitæ ſuæ commodis non invigilabant, imo vitam ipſam temere in periculum conjiciebant. De talibus dicebatur, eos abnegare ſeipſos, ſeipſos odiſſe, odio habere animam ſuam, id eſt, vitam. Hac igitur ſignificatione & Chriſtus hic utitur iſta phraſi, indicatque, eum qui diſcipulus ejus eſſe velit, debere ſeipſum abnegare, odiſſe & ejurare, id eſt, vitam & omnem vitæ hujus proſperitatem ac fortunas ſuas extremo exponere periculo: non quidem ita, ut hæc cuncta ſtatim abſque omni neceſſitate abjiciat, aut ſibi ipſi mortem conſciſcat; ſed ut paratus ſit, propter confeſſionem nominis Chriſti & propter pietatem omnia animo hilari relinquere, perinde ac ſi ipſius propria non eſſent. Cor eſt avellendum ab his omnibus, & abſtrahendum. Itaque *ſeipſum abnegare*, hic idem denotat, quod Luc. 14. 26 *odiſſe patrem ſuum & matrem, uxorem, liberos, fratres, ſorores, etiam propriam animam*, id eſt, vitam ejuſque bona, & quæcunque homines ulla ratione in hoc mundo amare ſolent, ea omnia Chriſti cauſa parati eſſe debemus deſerere.

Et tollat crucem ſuam.] Quid hæc verba ſibi velint, ſupra cap. 10. 38 explicatum eſt. Nimirum omnia mala & afflictiones, etiam ignominioſiſſimam mortem ob nomen Chriſti patienter ſuſtinere. Ad hanc patientiam neceſſario requiritur abnegatio ſuiipſius, ſine qua nemo crucem ſuam in ſe recipiet.

Et ſequa-

Et ſequatur me.] Hæc verba ita cohærent cum antecedentibus, quaſi dicat Chriſtus: Qui me vult ſequi, is abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, ut me ſequi poſſit. Alioqui ineptus foret ſenſus: Qui vult me ſequi, ſequatur me. Itaque hoc ſibi vult: Qui ſeipſum non abnegat & crucem ſuam in ſe non recipit, non eſt aptus, ut ſit meus diſcipulus; id quod docuit exemplum illius juvenis Matth. 19. 21, 22. Vide etiam ſupra cap. 13. 22.

Verſ. 25. *Quiſquis enim voluerit animam ſuam ſervare perdet eam: quiſquis autem perdiderit animam ſuam mea cauſa, inveniet eam.*] Hiſce verbis Chriſtus oſtendit tum damnum ingens eorum, qui ſeipſos non abnegaverint, tum etiam ſummum lucrum eorum, qui id fecerint. Nimirum qui vult parcere ſuæ vitæ, neque eam Chriſti cauſa vult in diſcrimen adducere, is eam æternum perdet, id eſt, poſt hanc vitam, quam nihilominus relinquere cogetur, in ſempiterna morte manebit: qui vero vitam ſuam ob nomen ipſius profundit datque in caſum, is eam inveniet, id eſt, ad vitam æternam reſuſcitabitur.

Verſ. 26. *Quid enim prodeſt cuipiam, ſi mundum univerſum lucretur, anima vero ſua mulctetur? aut quam dabit homo permutationem pro anima ſua?*) Declarat Chriſtus modo dicta, de eo, qui ſervare volens animam ſuam perdat eam; oſtendens, quam irreparabilis & grandis hæc ſit jactura: quaſi dicat. Eſto, eum qui recuſat in ſe ſuſcipere crucem ſuam, non tantum ſervare vitam ſuam, ſed etiam totum mundum lucrari, quid tandem hoc ei proderit, ſi tamen morietur, & peribit in æternum?

Aut quam dabit homo permutationem vel compenſationem. Quaſi dicat Chriſtus: Ut vita temporaria redimatur, quilibet impendit libenter, quicquid habet, ſed quid dabit aut impendet ad emendam vitam æternam? Nimirum indicat Chriſtus, vitam hanc temporalem ob vitam æternam impendere, rem eſſe longe minorem, quam omnia ſua bona, etſi quis totum poſſideret mundum, impendere propter vitam temporariam. Vita æterna infinitis modis potior eſt temporaria, eamque incomparabiliter longius ſuperat, quam vita temporaria omnia bona terrena, quæ quis habet, eaque libenter vitæ ſuæ redimendæ impendit.

Verſ. 27. *Venturus eſt enim Filius hominis in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.*] Confirmat id quod verſ. 25 dixerat, monſtratque id omnino eventurum, ſeque eſſe eum, qui unumquemque ſit pro meritis remuneraturus: nempe iis, qui ſervare volentes vitam ſuam ipſum abnegaverint, ſe redditurum æternam æternam mortem & damnationem; iis autem, qui vitam ipſius cauſa in diſcrimen conjecerint, vitam æternam.

In gloria.] Id eſt, divina cum majeſtate.

Patris ſui.] Infra cap. 25. 31 vocat eam ſuam gloriam. Pater enim ipſi omnem ſuam gloriam & majeſtatem divinam communicavit. Vide Joh. 17. 5. Col. 1. 16. Hebr. 1. 6.

Cum Angelis ſuis.] Hoc pertinet ad illam gloriam exaggerandam. Solent enim Hebræi, Deum, quando res magnas peragit, deſcribere humano more, tanquam Regem, qui medius inter ſuos Senatores ac Conſiliarios reſidet. Vide Deut. 33. 2. Dan. 7. verſ. 9, 10. Similiter Deus humano modo introducitur conſultans cum ſuis conſiliariis de creando homine Gen. 1. 26: *Faciamus hominem.* Qui locus vulgo ſic explicatur, quaſi una perſona Trinitatis cæteras allocuta fuiſſet. Quod merito mirandum eſt, homines malle tam inſulſam explicationem comminiſci aut recipere, quam conſiderare, quod ferme omnia vel certe præcipua attributa atque opera Dei humano more in Sacra Scriptura proponantur: eo quod nos ipſum, utpote incomprehenſibilem ſpiritum, nequeamus alia ratione, quam per res naturæ noſtræ ſimiles cognoſcere.

Unicuique ſecundum opera.] Vide Pſal. 62. 13. Rom. 2. 6. 1 Cor. 3. 8. 2 Cor. 5. 10. Nullum dubium eſt, tam in pœna, quam in præmio differentiam ac certos fore gradus. De diſcrimine in præmio vide 1 Cor. 15. 41.

PARS VI.

Verſ. 28. *AMen dico vobis, ſunt quidem ex his, qui hic adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, donec viderint Filium hominis venientem in regno ſuo.*] Quia Chriſtus injecerat mentionem ſui adventus, ideo ſubnectit hanc præclaram promiſſionem de ſua mox futura apparitione.

Nequaquam guſtabunt mortem.] Id eſt, non morientur.

Donec viderint Filium hominis venientem in regno ſuo.] Marcus ſic refert iſta verba cap. 9. 1: *Amen dico vobis, ſunt quidam ex iis, qui hic adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, donec viderint regnum Dei veniſſe cum potentia.* E quibus verbis intelligere eſt, Chriſtum hoc loco loqui de ſua reſurrectione, exaltatione, miſſione Spiritus Sancti & propagatione Euangelii per ſigna & miracula. Nam ex his certiſſimis ac infallibilibus indiciis potuit conſtare, Chriſtum jam regnare, ſeu regnum Dei jam veniſſe. (Regnum enim Meſſiæ non tantum apud doctiores Judæos, ſed etiam in Novo Teſtamento Regnum Dei nuncupatur Matth. 12. 28. xxi. 43. xxvi. 29. Marc. 12. 34.) Idcirco id quod Pſal. 110 de regno Meſſiæ prædictum eſt, à Petro Apoſtolo ad tempus illud effuſionis Spiritus Sancti applicatur, dum inquit: *Dextera igitur Dei exaltatus & promiſſione Spiritus Sancti accepta à Patre, effudit hoc, quod nunc vos videtis & auditis. Non enim David aſcendit in cœlum: dicit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſime ergo ſciat omnis domus Iſraëlis, quia & Dominum & Chriſtum eum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixis* Actor. 2. verſ. 33, 34, 35, 36. Cum igitur Chriſtus in præcedenti verſu hic ſe Judicem fore generis humani affirmaſſet, indicat nunc brevi ſigna clariſſima Regni ipſius apparitura eſſe.

CAPUT XVII.

I. *Chriſtus tranſfiguratur præſentibus tribus diſcipulis ſuis: ad verſ.* 10. II. *Informat eos de adventu Eliæ: ad verſ.* 14. III. *Ejicit dæmonium è lunatico: ad verſ.* 22. IV. *Annunciat diſcipulis ſuis mortem ſuam & reſurrectionem: ad verſ.* 24. V. *Vectigal ſolvit proſe & Petro: ad finem cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſim.*] Lucas ait, cum *quaſi dies octo* eſſent cap. 9. 28, nimirum integram ponit ſeptimanam, quia parum deerat. Vide ſimilem locutionem Luc. 2. 21.

Petrum & Jacobum & Johannem.] Extra controverſiam eſt, ex omnibus 12 Apoſtolis hos tres plurimos homines Chriſto lucrifeciſſe, & ad fidem in eum adduxiſſe. Hinc Petro nomen *petræ* Joh. 1. 43 datum eſt, duo reliqui *Filii tonitrui* Marc. 3. 17 appellati ſunt. Hos proinde Chriſtus ſecum aſſumit, ut res tanti momenti non tantum duorum, quod ſatis erat, ſed ex abundanti, trium teſtimonio niteretur. Atque huc ſpectant verba Petri 2 Petr. 1. verſ. 16, 17, 18. Petrus erat anteſignanus & quaſi Præſes Collegii Apoſtolici: Jacobus debebat primus ſanguine ſuo confeſſionem ac teſtimonium ſuum de Chriſto obſignare Actor. 12. 2 Johannes, quem Chriſtus ſingulariter diligebat, quique Apoſtolis omnibus diutius vixit, memoriæ ſequentium temporum per oralem prædicationem debebat confeſſionem ſuam tradere.

Fratrem ejus.] Jacobi fratrem. Unde patet, Jacobum hunc non fuiſſe Domini fratrem, ut nonnulli ſentiunt, ſed Johannis, adeoque filium Zebedæi Marc. 3. 17.

In montem excelſum.] Antiquis vulgo creditum eſt, montem fuiſſe Thabor, qui excelſus valde & rotundus mons eſt, ſitus in plano Galilææ campo. Hunc montem appellat Petrus Sanctum 2 Petr. 1. verſ. 18, quia divina Chriſti majeſtas in eo revelata fuit: quemadmodum etiam Deus montem Horeb ſanctum vocat, ubi ſuam gloriam Moſi in rubo manifeſtavit Exod. 3. 5. Conſcendit autem Chriſtus montem duplici de cauſa. Primum, ut oraret, quod annotavit Lucas cap. 9. 28. Ante omnes enim res gravioris momenti, qualis & hæc tranſfiguratio erat, ſolebat Chriſtus precari. Eſtque credibile, eum diſcipulis ſuis tantum cauſam de orando indicaſſe, glorificationis autem ſuæ nullam feciſſe mentionem. Deinde ut res iſta tanto maneret occultior; quam ob cauſam etiam non omnes diſcipulos ſuos, ſed tres tantum ex iis teſtes hujus rei eſſe voluit.

Verſ. 2. *Et tranſfiguratus eſt ante eos, & fulſit facies ejus ut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt candida, ut lux.*] Non integra perſona eſt immutata, & in naturam cœleſtem tranſformata, quod demum in exaltatione ejus factum eſt, ſed tantum ejus externa figura.

Facta ſunt candida ut lux.] Nempe ut lux Solis; non qualis eſt in ipſo ſole, ſed qualis in rebus, quas illuſtrat, conſpicitur. Nam hic ſplendor à corpore Chriſti, cujus fulgor Soli ſimilis erat, illuminavit veſtimenta ejus. Talis autem lux prorſus nitida eſt & albicat. Hinc Marcus habet: *Veſtimenta ejus facta ſunt coruſcantia, candida valde ſicut nix* cap. 9. 3. Ejuſmodi cum veſtimentis albis ac coruſcantibus Angeli quoque deſcribuntur. Vide infra cap. 28. 3. Marc. 16. 5. Joh. 20. 12. Luc. 24. 4.

Veſtimenta ejus.] Matthæus loquitur in plurali, & tamen nonniſi unam veſtem intelligit, nempe ſuperiorem, id eſt, pallium. Hoc enim denotat Græca vox περιβολαιον.

Verſ. 3. *Et ecce apparuerunt illis Moſes & Elias, cum eo colloquentes.*] Per Moſen Lex fuit tradita. Elias autem fuit præcipuus Prophetarum. Utrumque Chriſtus imitatus eſt in quadraginta dierum jejunio. Nunc apparent Chriſto, ad inſtituendum cum eo colloquium (ut teſtatur Lucas cap. 9. 30, 31,) de perpeſſionibus ejus ac morte, quæ ceremoniis illis legalibus adumbrata, atque in Prophetarum prophetiis prædicta fuit. Non fuit autem duntaxat imago quædam aut ſpecies iſtorum duorum virorum, quæ Chriſto apparuit, ut nonnulli exiſtimant: ſed revera ipſi præſentes Chriſto aderant, ut eſſent teſtes & documentum tam Chriſti quam noſtræ reſurrectionis. Apparet autem Deum corpora eorum in hunc finem aſſervaſſe. Nam Elias in cœlum aſſumptus eſt 2 Reg. 2. 11. Moſis vero corpus ab Angelis eſt abſconditum & aſſervatum, ne deveniret in manus Diaboli, qui Judæis id ad idololatriam exercendam (prout plerique ſentiunt) ſubminiſtraſſet. Vide Deut. 35. 6. Jud. 9. Apparuerunt autem hic in glorioſis corporibus non tamen tam lucidis, quam Chriſti corpus fuit, quod erat inſtar Solis, illorum autem corpora erant inſtar ſtellarum firmamenti. Atque hæc gloria ipſis ad tempus tantum conceſſa fuit. Plenum enim jus ad gloriam demum in extremo judicii die una cum aliis fidelibus revera conſequentur: ut docet Scriptor ad Hebræos cap. 11. 39, 40 ubi ait, omnes illos, quorum fidem toto illo capite laudavit, teſtimonio quidem per fidem eſſe ornatos, *ſed promiſſionem tamen non obtinuiſſe, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne abſque nobis conſummarentur.* Inter hos autem nominatim reponit Moſen ℣. 23 ad 30. Ad Eliam autem non obſcure reſpicit, ℣. 35 ubi meminit viduarum, quæ mortuos ſuos acceperunt ex reſurrectione: quarum mulierum una fuit illa Sareptana, cujus filium Elias vi fidei ſuæ excitavit à mortuis 1 Reg. 17. verſ. 23. Atque hic locus Scriptoris ad Hebræos cap. 11. 40, explicat quodammodo locum 2 Reg. 2. verſ. 11, nempe Eliam non in cœlum illud profectum eſſe, quod eſt locus beatitudinis, & quo Chriſtus delatus eſt, in quod etiam omnes fideles aliquando tranſferentur quod Paulus tertium cœlum vocat 2 Cor. 12. 2 ſed in locum aliquem ſublimem verſus cœlum, qui nobis incognitus eſt, ubi una cum Moſe, & Enocho, & forte aliis pluribus, uſque ad tempus univerſalis conſummationis fidelium aſſervatur.

Verſ. 4.

Verſ. 4. *Reſpondens autem Petrus dixit ad Jeſum: Domine bonum eſt nos hic eſſe; ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Eliæ unum.*] Gloria illa Chriſti & duorum iſtorum virorum adeo placuit Petro, ut perpetuo illic manere vellet. Et hoc tantum fuit præludium quoddam & quaſi præguſtus futuræ gloriæ, quanto jucundior igitur, & gaudii plenior ipſa erit? Marcus & Lucas inquiunt, Petrum neſciviſſe, quid diceret Marc. 9. 6. Luc. 9. 33. Erant enim exterriti, ut Marcus addit: nimirum erant immenſa illa gloria conſternati ac animo turbati, & quaſi extra ſe poſiti.

Verſ. 5. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit; hunc audite.*] In nubibus ſolet Deus exhibere majeſtatem ſuam. Vide Exod. 16. 10. XIX. 9, 16. XXIV. 15, 16. XXXIIJ. 9, 10. XXXIV. 5. XL. 35, 36. Hic apparet majeſtas Dei in nube lucida, modo longe diſpari à Lege, quæ in nube caliginoſa ac denſa fuit tradita Exod. 19. 16. Sic Deus etiam hac ratione tempus adeſſe gratioſius, quam ſub Lege fuerat, voluit indicare.

Hic eſt filius meus dilectus.] Filius meus non ſervus, ut Moſes, Elias, & alii Prophetæ fuerunt Hebr. 1. 2. iij. 5, 6. Plus hic didicit Moſes de Chriſto, quam tunc ſciebat, cum de eo vaticinaretur Deut. 18. 17, 18. Hic iterum habemus argumentum, quod Chriſtus non ſit ſummus Deus: de quo vide ſupra cap. 3. 17.

Hunc audite.] Magis hunc audite, quam Moſen & omnes Prophetas. Hic enim eſt finis & complementum Legis omniumque propheticarum prædictionum Joh. 1. 17. Rom. 10. 4. Sunt autem hæc verba eadem cum illis verbis Moſis: *Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ſicut me, hunc audite* Deut. 18. 15. Ubi etiam hoc animadvertendum eſt, quod cum populus peteret, ne Deus amplius tantis cum miraculis ac prodigiis, ad horrorem ac metum incutiendum comparatis, cum eis ageret; Deum promiſiſſe per Moſen eis Prophetam ejuſmodi mitem ac manſuetum, qui Eliam quidem in zelo domus Domini Joh. 2. 17, Moſen autem in lenitate longe ſuperavit, cui non tonitrua, fulgura, tenebræ, ignis de cœlo, teſtimonium dabant, ſed clara & grata lux, nec non dulcis & paterna vox: *Hic eſt filius meus dilectus* &c.

Verſ. 6. *Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.*] Ceciderunt non ex reverentia erga divinam Chriſti majeſtatem, ſed ex animi conſternatione: quæ hoc ingenti miraculo excitata in eis tanta erat, ut nihil cum ratione agerent, neve loquerentur. Quemadmodum autem lux inſperata facit, ut homo oculos ad terram demittat; cujus rei exemplum habemus Luc. 24. 5, ita mirum non eſt, majorem adhuc conſternationem totum corpus dejicere in terram: quod etiam Danieli territo contigit Dan. 8. 17.

Verſ. 7. *Tunc accedens Jeſus, tetigit eos, & dixit: Surgite & ne timete.*

Verſ. 8. *Sublatis autem oculis ſuis, neminem viderunt, niſi Jeſum ſolum.*

Verſ. 9. *Et cum deſcenderent de monte mandavit eis Jeſus, dicens: Nemini dixeritis, quod vidiſtis, donec filius hominis à mortuis reſurgat.*] Cauſa hujus interdicti eſt ipſa, quæ ſupra à nobis eſt explicata cap. 16. 20. An vero illi id etiam alios diſcipulos celaverint, de eo variæ ſunt ſententiæ. Sed probabile eſt, cum Chriſtus hos ſolum tres teſtes ſecum aſſumſerit, eum voluiſſe hanc rem etiam reliquos diſcipulos latere: quod fere etiam ex Marc. 9. 10. & Luc. 9. 36 colligitur.

Donec Filius hominis à mortuis reſurgat.] Marcus addit: *Ipſi vero hanc rem continuerunt apud ſe, mutuo quærentes, quid illud eſſet, à mortuis reſurgere* cap. 9. 10. Adeo credere non poterant Chriſtum moriturum.

PARS II.

Verſ. 10. *Tunc interrogaverunt eum diſcipuli ejus, dicentes: Quid ergo dicunt Scribæ, oportere ut Elias primum veniat?*] Adde ex ſequenti verſu, *Et reſtituat omnia.* Utrumque enim docebant ſapientes inter Judæos; imo dicebant, Eliam unctum Meſſiam in Regem, & notum populo facturum. Etiam hodie ſolent Judæi in omnibus gravibus ac dubiis de religione quæſtionibus dicere: *Quando Elias veniet, omnia nobis annunciabit.* Id quod Samaritani de Meſſia dicere ſolebant Joh. 4. verſ. 25. Quodque hæc opinio aliquot ſeculis ante Chriſti nativitatem inter Judæos viguerit, ex eo liquet, quod LXX Interpretes in loco Malach. 4. 5 ad vocem *Elias*, appoſuerint vocem *Theſbites*: & Sirachus quoque verba Malachiæ ad Eliam Theſbitem applicaverit cap. 48. 10. Sumſerunt autem diſcipuli anſam de hac re interrogandi, ex eo, quod Eliam in monte viderint, iſque mox iterum diſparuerit. Atqui noſtri Scribæ, inquiunt, docent, Eliam venturum & hic manſurum, omniaque depravata in integrum reſtituturum, populum docendo, Meſſiamque oſtendendo: nunc autem ille tam cito abiit ex oculis.

Primum veniat.] Id eſt, antequam veniat Meſſias.

Verſ. 11. *Jeſus autem reſpondens dixit eis: Elias quidem veniet primum, & reſtituet omnia.* Etiamſi Chriſtus ſupra cap. XI. 14 de Johanne Baptiſta aperte dixerit, quod ſit Elias, qui venturus erat; etiamſi hic quoque in verſu ſequenti Chriſtus clare idem indicaverit, & diſcipuli quoque non aliter id intellexerint: Pontificii tamen unanimes credunt, Eliam ipſum propria perſona ſua adhuc ante diem judicii eſſe venturum. Quam ſententiam ſumſerunt partim ex his Chriſti verbis, *Elias quidem veniet primum, & reſtituet omnia*; quaſi Chriſtus confirmaverit dictum Scribarum, quod Elias adhuc venturus ſit, & omnia in integrum reſtituturus (quod poſtremum ajunt in Johanne Baptiſta non fuiſſe impletum, cum is omnia non reſtituerit) partim autem ex Apocalypſi Johannis, quam Pontificii ferme totam ad literam intelligunt. Etenim cap. XI. 3 ita deſcribuntur duo teſtes, quod *habeant poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipſorum* (uti factum Eliæ temporibus) *& percutiendi terram omni plaga*, uti fecit Moſes in Ægy-

in Ægypto. At dubium non eſt, hæc Chriſti verba non minus ac ſequentia de Johanne Baptiſta intelligenda eſſe. Poſt abſolutum enim totum ſermonem ait Euangeliſta verſ.3: *Tunc intellexerunt diſcipuli, eum de Johanne Baptiſta ipſis locutum eſſe.* Quare ſenſus verborum Chriſti hic eſt: Verum quidem eſt, quod Scribæ vulgo dicunt, Eliam venturum & omnia reſtituturum eſſe; ſed ſcire debetis, hoc jam in Johanne eſſe impletum. Prophetia autem illa Malachiæ in Johanne Baptiſta tunc complementum ſuum ſortita eſt, cum generalem doctrinam de pœnitentia promulgaret, eamque baptiſmo aquæ obſignaret, & ſic (ut Pater ejus Zacharias in Cantico ſuo loquitur Luc. 1. 79) *dirigeret pedes Iſraëlitici populi in viam pacis.* Nam in omnibus ejuſmodi prophetiis non tam reſpicitur ad id, quod reipſa evenit, quam ad id, quod vi ejus rei, de qua agit prophetia, evenire poſſit: quanquam prædicatio Johannis etiam ſingulari fructu non caruerit. Itaque Papiſtæ, dum urgent atque contendunt, hæc verba Chriſti non poſſe de Johanne Baptiſta intelligi, contradicunt Angelo, qui apud Lucam cap. 1. 16,17, ad patrem ejus Zachariam ita de illo locutus eſt: *Et ipſe multos filiorum Iſraëlis convertet ad Dominum Deum ipſorum. Nam ipſe præcedet in conſpectu ejus, in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam juſtorum, ut paret Domino populum inſtructum.* Advertendum præterea, LXX Interpretes in verſione loci Malach. 4. 6 eodem plane vocabulo Græco *reſtituendi* uti, quo hic utitur Chriſtus: hoc modo enim illorum ſonat verſio, *Ipſe reſtituet corda patrum ad filios.* Unde appareat hæc verba Chriſti è LXX Interpretibus eſſe deſumpta, idemque omnino ſignificare, quod illa Angeli: *Convertet corda patrum ad filios*, id eſt, corriget corda, ſive in ſtatum meliorem reſtituet. Non repugnat autem huic loci Malachiæ explicationi, quod Propheta de miſſione Eliæ agens ℣ſ. 5 addit: *Antequam veniat magnus ille dies Domini & terribilis.* Hæc enim verba non de ultimo Judicio mundi ſunt intelligenda, ſed de illo terribili judicio, quod Deus per Titum Veſpaſianum ſuper populum ſuum exercuit. Vide ſupra cap. 3. 10. Act. 2. 20. Opinionem vero ſuam Pontificii hauſerunt à nonnullis Patribus Eccleſiæ ſuæ antiquis, illi vero hanc, ut & alia multa fabuloſa à Judæis acceperunt. In Judæorum enim ſcriptis legitur, Eliam poſt tempora Meſſiæ iterum abſconditum iri, & ſub tempus Gogi & Magogi rurſus in lucem proditurum. Cumque in Apocalypſi Johannis etiam Gogi & Magogi facta ſit mentio cap. 20. 8, Patres illi Veteres, & cum illis Pontificii, omnia quæ apud Prophetas de Gogo & Magogo dicuntur, quæque Judæi poſt Prophetas ea de re commenti ſunt, trahunt ad tempus Anti-Chriſti. Quod autem duos teſtes Apoc. XI. 3,6 attinet, præterquam quod Elias & Moſes illic nominati non ſint, poſſet id vel de duobus inſignibus veritatis Doctoribus, vel de puſilla Chriſti Eccleſia exponi, quemadmodum Chriſtus & Angelus locum Malachiæ de Johanne Baptiſta expoſuerunt.

Verſ. 12. *Sed dico vobis; Eliam jam veniſſe, quem non agnoverunt; ſed fecerunt ei, quæcunque voluerunt: ita futurum eſt, ut & Filius hominis patiatur ab eis.*] Quæcunque voluerunt, nempe Judæi. Intelligit hic Chriſtus tum Herodem & primores in Galilæa, qui Johannem interfecerunt, tum Summos Sacerdotes, Seniores ac Legiſperitos, qui Chriſtum è medio ſuſtulerunt.

Verſ. 13. *Tunc intellexerunt diſcipuli, eum de Johanne Baptiſta hæc ipſis dixiſſe.*

PARS III.

Verſ. 14. *ET cum veniſſent ad turbam, acceſſit ad eum quidam, ad genua ejus provolutus.*

Verſ. 15. *Et dicens, Domine, miſerere filii mei, quia lunaticus eſt, & male afficitur: nam ſæpe cadit in ignem, & ſæpe in aquam.*] De hoc morbo vide ſupra cap. 4. 24. Hic autem erat obſeſſus à dæmone ℣ſ. 18. Solent vero dæmones naturalibus cauſis non raro uti ad ſua opera, ne facile agnoſcatur, ipſos eſſe cauſas agentes. Hinc etiam hic immundus Spiritus Lunæ converſiones obſervavit, pro quarum ratione cerebrum hominis firmius vel infirmius eſſe conſuevit. Quam miſere hic homo vexatus fuerit, vide quoque Marc. 9. 17, & Luc. 9. 39: ibi enim dicitur, quod mutus & ſurdus inſuper fuerit.

Verſ. 16. *Et obtuli eum diſcipulis tuis, nec potuerunt eum curare.*

Verſ. 17. *Reſpondens autem Jeſus dixit: O generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum, quouſque tolerabo vos? adducite eum huc ad me.*] Chriſtus his verbis non alloquitur diſcipulos ſuos, (nam infra eis verſ. 20 multo mitioribus verbis fidei imperfectionem exprobrat) ſed patrem ægroti, & eos qui cum illo erant; ut ex Marco liquet, qui expreſſe ait: *Ipſe autem reſpondit ei*, nempe Chriſtus patri. Quia vero præter alia innumera exempla incredulitatis, quam Chriſtus in Judaico populo invenit, etiam hoc ei occurrit; ideo conqueritur de univerſæ nationis Judaicæ incredulitate, vocatque eam incredulam ac perverſam generationem: ſicut olim Deus quoque eandem nationem vocavit *generationem perverſam, & filios, in quibus non eſt fides* Deut. 32. 20. Ex quo loco videtur Chriſtus hæc verba ſua ſumſiſſe. Hujuſmodi locutio eſt valde uſitata, ut cum hero contumax eſt aliquis è famulis, herus increpet totam familiam, & dicat: O quam nequiſſimos habeo famulos: nempe quia ſimilia & reliqui famuli quotidie faciunt, & generatim loquendo tota familia moribus corrupta eſt. Imploravit autem pater iſtius pueri opem Chriſti imperfecta & dubia fide: ut Marcus docet, apud quem ſic Chriſtum affatur ille: *Sed ſi quid potes, miſertus noſtri adjuva nos* cap. 9. 22. Unde liquet, eum etiam de Chriſto dubitaſſe, an filium ejus ſanare poſſet. Cumque Chriſtus reſpondiſſet ℣ſ. 23: *Si potes hoc credere, omnia fieri poſſunt credenti*; tum demum pater ipſe cum lacrymis confitetur ſuam incredulitatem ℣ſ. 24: *Credo, Domine: ſuccurre incredulitati meæ:* quaſi dicat, credo quidem, ſed infirma fide.

Ex hoc loco cernitur, Deum, quando vult per miraculum hominibus beneficium aliquod præſtare, ut plurimum duo requirere. Primo fidem ab eo, qui mira-

miraculum facturus eſt, nē de divina potentia in ſe ambigat; quæ fides defuit hoc loco diſcipulis, ut poſtea verſ. 20 videbitur. Deinde fidem ab eo, cui beneficium præſtandum eſt, ne de divina potentia ac virtute, in eo, à quo juvandus eſt addubitet: quæ fides hic defuit patri hujus pueri. Ita tamen Deus hanc fidem requirit, ut ſi unius vel alterius fides perfecta ſit, ea defectus ac imperfectio alterius ſuppleatur & compenſetur. Neque fidem iſtam abſque cauſa Deus requirit, quia omnia talia miracula eo collimant, ut vis veræ fidei in Deum, qua cœleſtia atque æterna beneficia in cordibus noſtris apprehendimus, & conſequi debemus, tanto magis extollatur & commendetur.

Quouſque tolerabo vos?] Indicat Chriſtus, jam ultimum tempus patientiæ divinæ adeſſe: atque his verbis tacite quoque reſpicit ad loci modo citati Deut. 32 verſum 21, ubi de aſſumptione alius populi Deus loquitur: *Ego quoque ad Zelotypiam commovebo eos per eum, qui non eſt populus.*

Verſ. 18. *Et increpavit illum Jeſus, & exiit ab eo dæmon, & ſanatus eſt puer ex hora illa.*] Increpavit illum, id eſt, dæmonem. Apud Marcum dicit Chriſtus cap. 9. 25: *Tu ſpiritus mute & ſurde, ego tibi impero, Exi ab eo, & ne amplius ingreditor in eum.*

Verſ. 19. *Tunc adeuntes diſcipuli Jeſum privatim, dixerunt; Quare nos non potuimus ejicere illum?*

Verſ. 20. *Jeſus autem dixit eis: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis.*] Chriſtus appellat exiguam fidem diſcipulorum incredulitatem, comparate ſcilicet cum perfecta fide, quam pro tam diuturno, quo inſtituebantur, tempore, & pro ſublimitate muneris ſui, merito habere debebant. Apparet autem autem, eos non tantum propter propriam, ſed etiam propter patris illius incredulitatem dæmonem illum ejicere nequiviſſe.

Sicut granum ſinapis.] Proverbialis locutio inter Judæos, uſurpata de rebus puſillis. Vide ſupra cap. 13. 31. Latini dicerent: ſi vel ſcintillam fidei haberetis. Non ſignificat autem hoc dicto Chriſtus eos nullam omnino fidem habuiſſe, ſed quod fides eorum (ut dictum eſt) reſpectu temporis ac muneris eorum tam exigua fuerit, ut non potuerit eſſe minor.

Dicetis huic monti.] Fuit & hoc proverbii loco uſurpatum, quo etiam Apoſtolus Paulus, ſed in alia ſignicatione utitur 1 Cor. 13. 2. Senſuſque hic eſt: Poteritis etiam difficillimas & maxime arduas res præſtare: nihil vobis factu erit impoſſibile. Apparet proinde, diſcipulos animo dubio ac fluctuanti, deque eventu rei ambigenti ejectionem iſtius dæmonii aggreſſos fuiſſe.

Sciendum autem eſt, virtutem miracula patrandi peculiare donum (ut eam vocat Paulus 1 Cor. 12. 8) fuiſſe, quæ proprie ad fidem non pertinebat, ſed ab ea diſtincta erat; ſed ut hæc virtus & efficacia cum fructu uſurparetur, requirebatur fides. Quæ fides non eſt aliud quippiam diverſum à fide in Chriſtum in genere ſic dicta (ut à non paucis creditur, ideoque miraculoſa fides, diſtincta ab hiſtorica & ſalutari fide appellatur) ſed eſt illa ipſa fides, per quam oportet homines ſalvari, cujus primarium officium eſt, omnibus promiſſionibus divinis per Chriſtum factis plenum ac firmum probere aſſenſum. Quicunque igitur promiſſionem doni miraculorum habebant, aut qui donum tale facto ipſo acceperant, illi debebant eadem fide, qua alias promiſſiones complectebantur ac credebant, etiam hanc divinam virtutem in ſe credere, & quando uti dono iſto geſtiebant, nullo modo dubitare de effectu & operatione hujus doni. Cum itaque diſcipuli à Chriſto poteſtatem ſuper ſpiritus immundos Matth. 10. 1, adeoque promiſſionem divinæ virtutis ad ejiciendos dæmones neceſſariæ obtinuerint: ſequitur, eos eatenus adverſus Chriſtianam fidem peccaſſe, quatenus de poteſtate ac virtute illa ſibi promiſſa dubitarunt. Is quidem culpandus non eſt, quod nullum edat miraculum, qui donum miracula edendi non accepit: ſed is merito culpatur & accuſatur incredulitatis, qui donum tale accepit, (uti acceperant Apoſtoli) & tamen dubitat, an donum iſtud ſit efficax futurum. Promiſſio autem illa virtutis miraculoſæ non ita eſt univerſaliter facta, ut æternum in Eccleſia Chriſti durare, aut omnibus hominibus ſine diſcrimine debuerit communicari; quomodo aliæ promiſſiones factæ ſunt de remiſſione peccatorum, de vita æterna &c. Miracula enim non ſunt res ad ſalutem neceſſaria, ſed in primordiis Euangelii tantum iis opus erat ad illius confirmationem. Quando vero res aliqua jam ſatis confirmata eſt, ita ut nemo ſanæ mentis amplius habeat ullam cauſam de ea dubitandi, confirmatione non eſt amplius opus. Quare etiamſi quis hodie omnibus numeris abſolutam & perfectiſſimam habeat fidem, nullum tamen edet ea miraculum, quia in divinis promiſſionibus, quas fides apprehendere debet, vis miracula patrandi hodie non continetur: præſertim ita univerſaliter, ut eam quivis, qui ſe perfectam habere fidem autumat, ſibi arrogare poſſet. In omnibus autem cæteris rebus, quæ ulla ratione ad ſalutem pertinent, & homini neceſſariæ ad eam conſequendam eſſe poſſunt, nemini divina vis & auxilium unquam deerit. Quod ſi quis nihilominus vi fidei ſuæ miraculum aliquod patrare præſumat, ei incumbit oſtendere divinam de eo ſibi factam promiſſionem, & quidem non nudis verbis, quæ ſæpenumero nonniſi vana imaginatione nituntur, ſed re & facto ipſo.

Verſ. 21. *Hoc autem genus non egreditur, niſi per orationem & jejunium.*] Hoc genus dæmoniorum, quod Deo permittente, in pœnam ſingulariter enormium peccatorum, in homines ingreditur. Licet enim apud Marcum dicatur cap. 9. 21 iſtum *ab infantia* vexatum fuiſſe ab hoc dæmonio, atque ita videantur peccata ejus tantam pœnam non meruiſſe: tamen vox Græca παιδιόθεν, poteſt verti à *pueritia*, & ſignificare talem ætatem, quæ jam gravium peccatorum ac ſcelerum capax eſt.

Niſi per orationem & jejunium. Antea Chriſtus dixit, ad talia magna miracula fidem requiri: hic ſignificat, quomodo fides talis comparanda ſit, nempe per preces ardentes. Ad quas Chriſtus etiam adjungit jejunium, quia ad preces inprimis animus humilis ac contritus requiritur; quam ad rem plurimum conducit

conducit jejunium. Hinc oratio cum jejunio plerumque conjungitur. Vide Luc. 2. 37. Actor. 10. 30. xiv. 23. 1 Cor. 7. 5. Quapropter dictum hoc Chriſti, quod omni tempore verum eſt, indicat, aliqua peccata eſſe tam gravia, & grandia, ut eorum remiſſio aliter quam magno cum anxiæ ac ſubmiſſæ orationis labore obtineri nequeat. Non eſt autem probabile, quod nonnulli ſentiunt, aliquos eſſe dæmones aliis pertinaciores natura ſua, ita ut alii ſimplici modo, illi non ſine enixis precibus & jejunio, ejici poſſint. Chriſtus enim paulo ante affirmavit, etiam minimam fidem, quæ cum grano ſinapis confertur, tantas habere vires, ut etiam maxima miracula queat producere. Oratio autem & jejunium, non pertinet proprie ad eſſentiam fidei, tametſi ad eam comparandam conducat.

PARS IV.

Verſ. 22. *Verſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus: Futurum eſt, ut Filius hominis tradatur in manus hominum.*] Verſantibus illis ſeu converſantibus, id eſt, cum peragrarent huc illuc in Galilæa & munia ſua docendo & ſanando homines obirent. Iter autem illi huc illuc facientes, non publica & regia via incedebant, ſed per vias & ſemitas minus notas: quod ex Marco liquet cap. 9. 30.

In Galilæa.] Chriſtus enim poſt ſuam glorificationem, quæ omnium Veterum unanimi conſenſu in Galilæa facta eſt, adhuc aliquo tempore in ea permanſit: poſtea autem abiit in Judæam, ubi Lazarum à mortuis ſuſcitavit Joh. xi. 7.

Filius hominis tradetur.] Nempe à Deo Patre ſuo, qui hominum nefariorum poteſtati eum permiſit, ut agerent cum eo pro libitu, quemadmodum Chriſtus ſupra verſ. 12, de Johanne Baptiſta locutus eſt. Alioquin etiam de Chriſto ipſo vox hæc uſurpatur; quod ſe ipſum tradiderit Eph. 5. 2, eo quod mortem ſponte oppetiit.

Verſ. 23. *Et occident eum, & tertia die reſuſcitabitur. Et contriſtati ſunt vehementer.*

PARS V.

Verſ. 24. *Et cum veniſſent Capernaumum, venerunt ad Petrum, qui didrachma accipiunt, & dixerunt: Magiſter veſter non ſolvit didrachma?*] Didrachmum erat argentea moneta, pondus habens duarum drachmarum, ſed quia ex argento puro erat, valebat paulo plus quam quartam thaleri Imperialis partem. Duo didrachma faciebant unum ſiclum, ſecundum penſionem Templi (de quo vide infra cap. 26. 15,) id eſt, ſemunciam, & quod valorem ſpectat aliquanto pluſquam dimidium Imperialem; ferme tres partes Imperialis. Hi autem, qui à Petro hoc vectigal poſcebant, non erant Romani publicani (vectigal enim didrachmorum nuſquam inter Romana vectigalia reperitur) ſed à Sacerdotibus erant miſſi. Et hi exactores hujus vectigalis Apoſtoli vocantur. (Vide ſupra 10. 2.) Hoc vectigal didrachmorum à Judæis dabatur in uſus Templi, uſque ad tempora Veſpaſiani, id eſt, uſque ad excidium Hieroſolymæ, poſtea autem coacti ſunt hoc vectigal Romam mittere in Capitolium: ut teſtatur Joſephus lib. 7. cap. 26. Originem habet hoc vectigal à Moſis temporibus, ubi Deus præcepit, ut quælibet anima conferret dimidium ſicli, (id eſt, didrachmum) ad tabernaculi ſancti exſtructionem Exod. 30. 13, 16. Utrum vero hæc contributio quotannis, an vero certis duntaxat temporibus pro exigentia neceſſitatis fuerit facta, incertum eſt. Veriſimile autem eſt, non fuiſſe ſtatum & perpetuum vectigal. Cum enim ſufficerent ad Templi uſus Levitarum decimæ, una cum aliis proventibus ac muneribus Regum (ut 1 Paral. 27. 26, 27 videre eſt) quid opus erat hoc vectigali? Sed poſtquam decem tribus defecerunt, & Levitarum atque Templi proventus valde imminuti ſunt, oportuit juxta antiquam Legem didrachma rurſus exigi. Nehemias autem ſuo tempora conſiderans egeſtatem populi, tantum tertiam partem ſicli, id eſt, duas tertias unius didrachmi populo impoſuit Nehem. 10. 32. Sed de his didrachmis vide plura infra cap. 26. 15.

Magiſter veſter non ſolvit didrachma?] Non exigunt vi adhibita, ut faciebant Romanorum aut Herodis exactores, ſed interrogant, an Magiſter eorum ſoleat quoque didrachma ſolvere? Credibile eſt, multos è Judæis fuiſſe, qui hoc vectigal non pendebant, quia non cogebantur.

Verſ. 25. *Dixit: Etiam. Et cum ingreſſus eſt domum, prævenit eum Jeſus, dicens, Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa, ſive cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis?*] Petrus prius reſpondit, quam interrogaret Chriſtum: Ita eſt, ſolet ſolvere didrachma. Unde apparet, Chriſtum etiam alias ſolitum fuiſſe hoc vectigal pendere.

Prævenit eum Jeſus.] Non expectat, ut Petrus ei rem indicet.

Reges terræ à quibus accipiunt tributa?] Chriſtus vult oſtendere, ſe quoad perſonam ſuam à tributo iſto immunem eſſe: ſumitque ſimilitudinem à Regibus terrenis, qui ſi non alios homines, ſuos certe filios à tributis liberos faciunt. Sic dubitandum non eſt, ait, quod Deus quoque Rex ille cæleſtis (ad cujus cultum Sacerdotes hoc vectigal accipiunt) me tanquam unigenitum filium ſuum, quique adeo major ſum Templo (ſupra cap. 12. 6,) à tributis hujuſmodi immunem eſſe velit. Hinc liquet, vectigal iſtud non pro Cæſare exactum fuiſſe, adverſus quem hoc argumentum Chriſti nihil valuiſſet, ſiquidem Cæſaris filius non erat: ſed Deo in uſum Templi (ut dictum eſt,) adeoque ad cultum divinum contribuebatur.

An ab alienis?] Vox *alienus* hic in admodum laxa ſignificatione accipitur, nempe pro omni, qui non eſt filius, ita ut etiam Regis ſubditos complectatur.

Verſ. 26. *Dicit ei Petrus: Ab alienis. Ait ei Jeſus: Ergo liberi ſunt filii.*] Ex eo quod Chriſtus hic de filiis in plurali loquatur, non eſt concludendum, etiam alios liberos ſeu Filios Dei, præter Chriſtum, à vectigalibus ac tributis Magiſtratui dandis immunes eſſe: Paulus enim Apoſtolus jubet unicuique, cui debetur, tributum &

tum & vectigal reddi Rom. 13. 7. Sed hæc Chriſti verba de ſolo Chriſto intelligenda ſunt. Nam etſi Regum non filii ſolum, verum etiam omnes domeſtici & aulici, à contributionibus vulgo immunes ſint: tamen alii omnes Chriſtiani, cum Chriſto comparati, magis pro ſubditis (qui à tributis immunes non ſunt) quam pro filiis habendi ſunt. Quod autem Chriſtus hic de pluribus filiis loquatur, cauſa eſt, quia id ſimilitudinis poſtulabat ratio, quæ non ab unius ſed ab omnium regum conſuetudine deſumpta eſt.

Verſ. 27. *Ut autem non ſcandaliſemus eos, profectus ad mare, mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle; & aperto ore ejus invenies ſtaterem; illum acceptum da eis pro me & te.*] Ne ſcandaliſemus eos, id eſt, ne dicant, me contemnere Templum. Docet nos hic Chriſtus, ut nos etiam cum damno ac incommodo noſtro ſiniſtris ſuſpicionibus hominum occurramus, eaſque avertamus.

Et piſcem, qui primus aſcenderit.] Nempe hamo captus. Lis hic de eo eſt, quanam in re proprie miraculum iſtud fuerit? Num in eo, quod Chriſtus ſciverit, quinam piſcis ſtaterem in ore habiturus ſit: an quod ſciverit, hunc piſcem primum aſcenſurum? vel an Chriſtus effecerit, ut piſcis iſte primus aſcenderet: an vero in piſce illo ſtaterem creavit? Sed hoc ultimum eſt maxime veriſimile. Quando enim piſces deglutiunt nummos vel aliud quippiam, non in ore id ſolent, ſed in ventre gerere.

Staterem.] Vox hæc eſt Græca, & ſignificat idem quod apud Hebræos Siclus. Siclus autem ſeu ſtater conſtabat duobus didrachmis, & valebat ſemunciam argenti ſeu dimidium Imperialem: ut ſupra ℣. 24 explicatum.

Pro me & te.] Cur etiam pro Petro? Dubium non eſt, tributum hoc didrachmarum ab unoquoque ibi exactum eſſe, ubi habebat domicilium: Chriſti autem habitatio erat Capernaum Matth. 4. 13. Et Petrus quidem antea Bethſaidæ habitabat, ſed poſtea cum omnibus rebus relictis Chriſti factus eſſet perpetuus affectator, familiæ ac domeſticis eſt annumeratus.

CAPUT XVIII.

I. *Chriſtus ſuos diſcipulos hortatur ad ſectandam modeſtiam, exemplo pueruli: monetque, vitandam eſſe offenſionem infirmorum in pietate: ad verſ. 7.* II. *Minatur væ mundo propter ſcandala, docetque ſcandalis ſumma contentione eſſe occurrendum: ad verſ. 10.* III. *Docet, infirmos in pietate non eſſe moleſtia afficiendos: ad verſ. 16.* IV. *Docet, quomodo erga lædentes nos gerere debeamus: ad verſ. 21.* V. *Quoties venia danda ſit lædenti docet, idque confirmat ſimilitudine ſumpta à Rege, qui contulit rationem cum ſervis ſuis.*

PARS I.

Verſ. 1. *IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Quiſnam major eſt in regno cœlorum?*] In illa hora, id eſt, circa illud tempus. Hebraiſmus. Marcus narrat, Chriſtum ipſum diſcipulos interrogaſſe, quid in via inter ſe locuti fuerint cap. 9. 33. Lucas autem cap. 9. 47 ſcribit, eum cogitationes cordis eorum de eo, quiſnam major eſſet, vidiſſe. Hinc patet, diſcipulos ſæpius de hac re fuiſſe ſolicitos, & inter ſe collocutos, potiſſimum autem ab eo tempore, quo tam crebro mentionem reſurrectionis ſuæ à Chriſto fieri audiebant. Itaque cogitabant, Chriſtum tunc regnum ſuum erecturum, quod illi una cum omnibus Judæis ſperabant fore conſpicuum. Vide Act. 1. 6.

Quiſnam major ſit.] Nempe inter eos, ut Lucas addit cap. 9. 46.

In regno cœlorum.] Id eſt, in Regno tuo, quod tu eriges; ut infra cap. 20. 21. Marcus ait, *in tua gloria* cap. 10. 17. Regnum enim Meſſiæ ex uſu communi Judæorum Regnum cœlorum vocabatur: ut explicatum ſupra cap. 3. 2. Non dubitant, præcipua officia in Regno Chriſti inter ſe, ut pote familiares ejus diſtribuenda eſſe; ſed quis inter ipſos ſupremum habiturus ſit locum; de eo non ſolum quærebatur inter eos (quod per ſe non adeo culpandum fuiſſet) ſed etiam lis & jurgium erat, ut alter præ altero hanc ſibi dignitatem arrogaret; atque hoc Chriſtus in eis acriter reprehendit.

Verſ. 2. *Et cum advocaſſet puerulum Jeſus, ſtatuit eum in medio eorum.*] Græc. παιδίον. Quod advocarit puerum, indicio eſt, hunc jam ejus ætatis ac ſtaturæ fuiſſe, ut potuerit ambulare. Voluit autem Chriſtus ſequentem doctrinam ſuam viva quaſi imagine diſcipulorum ſuorum animis inprimere.

Verſ. 3. *Et dixit: Amen dico vobis, niſi vos converteritis, & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.*] Animi elatio & ambitio, eſt commune & vulgare inter homines vitium, qui jam tantum habent intellectus, ut quid honor ac dignitas ſit, intelligant: quantoque ſublimior eſt alicujus animus, tanto eſt ad hoc vitium proclivior. Sed Chriſtus vult, ut qui cupit ingredi in regnum cœlorum, totam naturam ſuam immutet, & hac in parte ex adulto & ſapiente viro quaſi infans ac parvulus fiat, qui quid honor & eminentia ſit, ignorat.

Nequaquam ingrediemini.] Chriſtus innuit, tantum abeſſe, ut qui ambitioſus eſt maximus futurus ſit in Regno cœlorum, ut ne minimus quidem in eo futurus ſit, ſed plane ab eo excludendum eſſe. Diſcipuli, ut adnotatum ſuperius, intelligebant per Regnum cœlorum, conſpicuum regnum Meſſiæ, quod cælitus erigendum erat. Chriſtus autem voces has accipit in longe excellentiori ſignificatione, atque intelligit per eas glorioſum ſtatum fidelium in illa vita, cujus ambitioſi nullo modo erunt participes. Sic Chriſtus etiam alibi nos revocat à terreno ad cœleſtem & ſpiritualem panem, à ſuæ carnis terreno eſu ad ſpiritualem. Vide Joh. 6. 33, 34, 35, 41, 50, uſque ad 55. Explicationem naturæ veræ Regni ſui, quod totum ſpirituale eſt, Chriſtus, propter ſummam diſci-

pulorum infirmitatem, in aliud commodius tempus distulit.

Vers. 4. *Quicunque ergo humiliaverit seipsum, sicut puerulus iste, is est major in regno cœlorum.*] Sicut puerulus iste, scilicet, humilis est. Quales pueruli sunt à natura, nempe alieni à fastu & ambitione omni, tales vult nos Christus fieri studio ac voluntate nostra. Non absimile huic est illud Pauli monitum 1 Cor. 14. 20: *Malitia infantes estote*, id est, ita estote malitia vacui sicut infantes sunt.

Is est major in regno cœlorum.] Nimirum major ille, de quo discipuli interrogabant. Humilitas & modestia est una è præstantissimis virtutibus, per quam Christianus conformis fit imagini heri & Magistri sui. Ideoque humiles non tantum in regnum cœlorum ingrediuntur, sed (si aliis quoque virtutibus ornati fuerint) locum sublimem insuper Christo proximum consequentur. Hæc autem humilitas, quam Christus hic non Apostolis solum, sed etiam omnibus fidelibus in genere præscribit, non potest una cum mundano imperio ac dominatione super alios consistere. Vide hac de re infra cap. 20. 25, 26.

Vers. 5. *Et qui susceperit puerulum talem unum in nomine meo, me suscipit.*] Puerulum talem, id est, humilem hominem, qui puerulo similis factus est. In Syriaco est: *qui est, sicut hic puerulus.*

Susceperit.] Id est, qui omnem humanitatem ac benignitatem exhibuerit tali homini (ut etiam Act. 21. 17, hæc vox usurpatur) imo qui vel calicem frigidæ ei præbuerit Marc. 9. 41, confer cum ℣. 37. Christus his verbis docet, quanti hanc virtutem humilitatis faciat, ut non modo humiles ipsi supremum in regno cœlorum locum sint habituri, verum etiam, qui tali beneficium aliquod præstant, tale præmium accepturi sint, quasi Christo ipsi beneficium istud præstitissent.

Vers. 6. *Qui autem scandalizaverit unum è parvis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundo maris.*] Nihil est usitatius in mundo, quam quod humiles ac demissi ab aliis spernantur ac vilipendantur: quo fit, ut sæpe etiam optimi mortalium ab hujus virtutis ac pietatis studio absterreantur. Idcirco Christus comminatur hic contemtoribus istis grave judicium, uti ante benefactoribus eorum amplam mercedem promisit. Ex hac autem antithesi colligitur, Christum hic, ut & infra ℣. 10, non de solo contemptu simplici loqui, sed de ejusmodi, per quem illi læduntur & malo ac damno aliquo afficiuntur.

Unum ex parvis istis, qui in me credunt.] Hic subintelligenda sunt verba *etiam vel*, hoc modo: Qui scandalizaverit etiam vel unum ex parvis istis, qui in me credunt. Id est, non tantum magnum aliquem Prophetam, aut perfectum virum inter credentes, sed vel unum etiam minimorum inter fideles, qui adhuc infans est in doctrina mea. Hoc sensu etiam alibi vox *parvus* accipitur. Supra cap. 5. 19. x. 42. & infra cap. 25. 40. Solent aliquando etiam robustissimi & perfectissimi Christiani commoveri ignominia ac contemptu malorum hominum: sed multo magis eo afficiuntur infirmi pueri & tyrones in pietate.

Hinc elucet error eorum, qui ex hoc loco probare conantur, recens natos infantes fidem habere in Christum, ideoque baptismo esse idoneos. Totus enim hujus loci contextus arguit, Christum hic non de proprie dictis parvulis loqui, sed de iis, qui in pietate ac præcipue in humilitate sunt parvuli. Nam infantes proprie sumpti, neque malis exemplis, neque contemtu possunt scandalizari.

Expedit ei.] Gr. συμφέρει. Hebraismus est, de quo vide Joh. 12. 21.

Mola asinaria.] Id est, magna mola, quales pro more illius regionis ab asinis rotabantur, multoque majores erant, quam molæ manuales esse solent. Accipitur autem per Synecdochen mola pro lapide molari (ut & Apoc. 18. 21.) Marcus enim expresse habet, *lapidem molarem* cap. 9. 42. Quod inter Judæos more receptum fuerit, facinorosos suspenso ad collum lapide demergere, ejus rei nullum in eorum juribus reperire est indicium: imo è scriptis Judæorum cernitur, quatuor solummodo genera capitalium supplicium inter eos usitata fuisse: nempe ignem, gladium, lapidationem & strangulationem. Sed apud Syros (à quibus sumptus est iste loquendi modus) & apud Græcos submersio in usu fuit. De Syris exempla apud Eusebium reperiuntur.

PARS II.

Vers. 7. *Væ mundo à scandalis. Necesse enim est venire scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.*] Quia Christus fecit mentionem scandalorum, inde sumit occasionem indicandi, quam sit miserabilis status mundi, ac præcipue tenerorum illorum ac infirmiorum in pietate, in quem per scandala deveniunt. Vox *scandali* autem proprie significat ligna illa inflexa & inter se implicata in muscipulis, vel laqueis, aut tendiculis, quibus feræ capiuntur: ad quæ ligna si impingat & offendat vel minimum fera, incidit in casses & capitur. Juxta hanc similitudinem hæc vox significat omne offendiculum, seu rem quamvis in via jacentem, ad quam facile aliquis impingere, & super eam cadere potest. Quare hoc loco & alibi per scandalum intelligitur id omne, quod nobis in via pietatis impedimento est, ut facile in spirituali nostro cursu ad id impingere & cadere, id est, peccato nos obstringere possimus. Distinguitur autem scandalum in datum & acceptum. Illud est, cum quis alteri verbis aut factis dat ansam peccandi: de isto loquitur Paulus Rom. 14. 13. 2 Cor. 6. 3. 1 Cor. 8. 13. Hoc vero est, quando quis verbum vel factum, quod per se bonum est, aut in bonam partem accipi debebat, accipit in malam partem, & pro causa peccandi arripit. Tale scandalum erat illorum Nazarethanorum Matth. 13. 57, & Pharisæorum cap. 15. 12. Vide etiam Matth. xi. 6. 1 Cor. 1. 23. Hic vero videtur Christus inprimis loqui de dato scandalo, quo plurimi probi animi in mundo à pietate abstrahuntur & abducuntur.

Per *Mundum* intelligit Christus hoc loco humanum genus, (ut etiam Matth. 5. 14. xiii. 38. Joh. 1. 10. iij. 17. iv. 42,) in quo duæ sunt hominum

species;

ſpecies; alii ſunt qui ſcandaliſant, alii qui ſcandaliſantur. De poſterioribus agit Chriſtus in ℣ſ. 8, & 9, de prioribus ℣ſ. 10. Hoc autem verſu 7 deplorat infelicem ſtatum eorum qui ſcandaliſantur, & væ illis dicit, propterea quod ad viam vitæ pervenire nequeant, vel ab ea ſeducantur.

Neceſſe enim eſt venire ſcandala.] Gr. ἀνάγκη ἐστιν, neceſſitas eſt venire ſcandala. Cauſa autem hujus neceſſitatis non eſt immutabile Dei decretum, quo fiat, ut homines neceſſario & vi irreſiſtibili cogantur improbe vivere, ut ſcandala ſint in mundo, quæ Deus eſſe vult: ſed cauſa eſt primo, quod mundus pro ſua libera ac minime coacta voluntate adeo eſt deditus impietati, vel ut Johannes inquit, in malo poſitus eſt 1 Joh. 5. 20, inde neceſſario efficitur, ut per iſta mala exempla plurimi ſcandaliſentur. Eſtque hæc locutio talis, atque ſi quis prodigo homini & ſuarum rerum negligenti dicat: Impoſſibile eſt, ut non fias mendicus. Vel alicui temere ſe in periculum conjicienti: Impoſſibile eſt, te non frangere cervicem. Deinde, quia Deus prò ſapientiſſimo conſilio ſuo hominum impietatem vi majore & invicta non impedit, nec malos homines violenter à peccando retinet. Quod Deus non idcirco facit, quod delectetur peccatis, ſed quod velit eſſe diſcrimen inter ſinceros & falſos, inter ſpontaneos & coactos, inter conſtantes & inconſtantes. Et hoc ſenſu dicit Paulus 1 Cor. 11. 19: *Oportet hæreſes eſſe inter vos*, (id eſt, Deus permittit, ut inter vos ſint hæreſes, non impedit eas, non arcet, ideo ſcilicet) *ut qui probati ſunt inter vos manifeſtentur.* Itaque Chriſtus hic non ſimpliciter de neceſſitate loquitur, ſed de tali neceſſitate, quæ improbitate hominum hujus mundi nititur, ex qua nihil aliud ſequi poteſt, & nihil aliud expectandum eſt, quamdiu illa durat. Eodem ſenſu uſurpatur quoque vox *neceſſitatis* Luc. 14. 18. Hebr. 9. 23. Jud. 3. Et vox *neceſſe* 2 Cor. 9. 5. Phil. 2. 25. Lucas hæc verba ita effert: *Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala* cap. 17. 1. Vide ibidem, & Joh. 5. 44.

Veruntamen væ homini.] Hic Chriſtus minatur grave judicium iis, qui aliis ſunt ſcandalo. Unde patet, cum de ejuſmodi neceſſitate loqui, qui liberum hominum arbitrium non tollit. Alioqui non poſſet Deus ſalva ſua juſtitia homines punire, ſi in ipſorum non eſſet ſitum arbitrio, ſcandalum non præbere. Similiter Chriſtus ſuo proditori væ intentat Matth. 26. 24.

Per quem veniunt ſcandala.] Hinc liquet ſcandala ab homibus, non à Deo venire, non tamen ſine Deo, id eſt, non ſine permiſſione Dei. Vide ſupra cap. 10. 29.

Verſ. 8. *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandaliſat te, abſcinde ea, & projice abs te: bonum enim tibi eſt, ingredi ad vitam claudum, vel mancum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.*] Vide de hoc dicta ſupra cap. 5. 29. Chriſtus id ſibi vult, potius præſtantiſſima membra eſſe amputanda & abjicienda, ut evitetur ſempiternum exitium: cum id etiam ſoleat fieri propter hanc temporariam vitam conſervandam. Quanto magis vero excutiendæ ſunt & pellendæ ex animo malæ cogitationes, quas aliorum hominum impietas in nobis excitavit?

Ingredi ad vitam claudum vel mancum.] Id eſt, ut tu ingrediaris, qui in hac vita claudus vel mancus fuiſti. In illa enim vita nulla erunt talia membra, quibus aliquis carens, claudus vel mancus eſſe poſſit. Vide ſimilem locutionem ſupra cap. 11. 5, & infra cap. 21. 31. xxvi. 6.

In ignem æternum.] Ignis æternus in Sacris Literis vocatur, non is, in quo res ei injecta æternum uritur, nec unquam conſumitur, ſed qui ita rem exurit ac conſumit, ut illa in æternum non reſtituatur in integrum; vel, qui tam diu ardet, donec res illa plane & in totum comburatur, ut ex ea nihil prorſus remaneat. Ita Eſai. 66 ultimo dicitur de occiſis, quod *vermis eorum* non morietur. Nimirum ſicut vermis, qui in cadavere aliquo naſcitur, tamdiu vivit, nec moritur, donec cadaver fuerit prorſus abſumtum. Vide Marc. 9. 44. Videtur hæc locutio ſumpta ex Eſai. 34. 9, 10, ubi Propheta divina judicia Idumæis interminatur: *Mutabuntur torrentes ejus in picem, & terra ejus in ſulphur, eritque terra ejus pro pice ardente, noctu & interdiu non extinguetur, in ſeculum aſcendet fumus ejus.* Ad hunc Eſaiæ locum reſpicitur etiam Apoc. 19. 3. xx. 10.

Verſ. 9. *Et ſi oculus tuus ſcandaliſat te, erue eum & projice abs te: bonum tibi eſt luſcum ingredi in vitam potius, quam duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis.*] Quod Chriſtus antea vocavit ignem æternum, id hoc loco vocat Gehennam: de qua voce vide ſupra cap. 5. 22.

PARS III.

Verſ. 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.*] Supra verſ. 6 monuit, non eſſe parvos & infirmos in pietate contemnendo & lædendo ſcandaliſandos. Id confirmat nunc triplici argumento. Patet autem ex collatione hujus verſiculi cum verſ. 6, & 15. Chriſtum hic non de ſimplici contemtu, quo quis vilipenditur, loqui, ſed de ejuſmodi, qui cum alterius læſione atque noxa conjunctus eſt, ſive verbis fiat, ſive factis.

Dico enim vobis, quia Angeli eorum.] Hoc eſt primum argumentum, cur puſilli non ſint lædendi, quia ſcilicet Deus ipſe eorum tantam agit curam, ut Angelos ſuos habeant apud eum, qui eos cuſtodiunt. Certum autem eſt, Chriſtum hic ita locutum eſſe, ut à ſuis diſcipulis, qui Judæi erant, intelligeretur. Crediderunt autem Judæi ab antiquis temporibus, hominem quemvis, aut ſaltem pium, adjunctum ſibi habere Angelum cuſtodem. Hoc quidem eſt extra omnem controverſiam Deum in regendo mundo uti opera & miniſterio Angelorum: unde etiam credibile eſt, pro diverſis divinæ gubernationis gradibus, inter Angelos diverſa quoque munia & officia eſſe diſtributa. Quod unicuique provinciæ & Regno, etiam infidelium, certi præficiantur Angeli, ex Daniele cap. 10. 13, 20 cernitur, ubi de Principibus, id eſt, Angelis Perſarum, Græcorum, & Judæorum extat mentio. Unde non improbabiliter concluditur, multo magis unicuique Eccleſiæ Chriſti proprium Angelum eſſe additum.

Quare prorſus credibile eſt, Chriſtum hic non tantum ſimpliciter conſuetudini loquendi inter Judæos receptæ ſe accommodare voluiſſe, dum divinam circa puſillos curam ac providentiam exprimit (ut etiam ſupra cap. 5. 22. x. 15. xi. 22,24 & alibi fecit) ſed tanquam rem veriſſimam tradere, adeoque vulgarem de Angelorum cuſtodia ſententiam his verbis confirmare: quod nimirum unicuique eorum, quos Deus peculiariter ſibi curæ habet, peculiaris additus ſit Angelus, qui eorum actiones ac conatus regat, atque ad eorum bonum dirigat, eos contra violentiam & aſtum Diaboli, quin & contra carnis & mundi irritamenta atque illecebras cuſtodiat; idque ſi non perpetuo faciant, ſaltem tamdiu, donec illi tam perfectas acquirant vires, ut ipſi mundo carnique ſuæ valeant reſiſtere. Quod priſcis temporibus Angeli adfuerint atque adſtiterint piis hominibus, ex Gen. 32. 1,2. xlviii. 16. 2 Reg. 6. 17 videre eſt. Eccur idem non debeat etiam fidelibus Chriſtianis contingere: Vide hac de re plura Hebr. 1. 14.

Semper vident faciem Patris mei.] Eo indicat Chriſtus non vulgares Angelos, ſed præſtantiſſimos eſſe piis ad cuſtodiam eorum additos. Utiturque hic Chriſtus ſimilitudine ſumpta à Magnatibus ac Regibus, in quorum conſpectum venire non unicuique ex auxilis licet, ſed duntaxat proceribus 1 Reg. 10. 8. Ejuſmodi Angelus fuit Gabriel, qui de ſeipſo dicit: *Ego ſum Gabriel, aſtans ante Deum* Luc. 1. 19. Tales fortaſſe ſunt illi Seraphim (id eſt, ardentes ſeu ignei) Eſai. 6. 2, ut & ille, cujus mentio fit Eſai. 63. 9. Vide etiam Dan. 7. 16. Zach. 3. 6, 7. Judæos tale inter Angelos eſſe diſcrimen credidiſſe, ex multis eorum ſcriptis apparet, & valde quoque eſt credibile. Hinc Paulus quoque Apoſtolus meminit Archangeli, cujus vox perſonabit in adventu Chriſti ad excitandos mortuos 1 Theſſ. 4. 16. Et in Epiſt. Judæ ℣. 9 Michael Archangelus nuncupatur. Hoc autem incertum eſt, quod Judæi ſtatuunt, ſeptem tantum eſſe Archangelos: ſed hanc tamen ſententiam perantiquam eſſe, ex libro Tobiæ cap. 12. 15 cernitur. Vide etiam Apoc. 1. 4. viii. 2. Docet proinde Chriſtus hic validiſſimo & pleno conſolationis argumento, in quanto pretio pii ſint apud Deum, dum oſtendit, etiam præcipuos Angelos datos eſſe illis pro cuſtodibus, & quodammodo pro mediatoribus inter Deum & ipſos. Id quod Scriptura vocat deſcendere & aſcendere Gen. 28. 12. Exinde igitur intelligitur, quantopere illi peccent, qui piorum ſimplicitatem & innocentiam ſpernunt atque contemnunt.

Verſ. 11. *Venit enim Filius hominis ſervare, quod perierat.*] Hoc eſt ſecundum argumentum, quo probatur, infirmos ac parvos in fide non eſſe ſcandaliſandos. Vultque hoc ſibi Chriſtus iſtis verbis: Deus de perditis peccatoribus adeo fuit ſolicitus, ut filium ſuum miſerit, ut eos ad pietatem ac porro ad ſalutem perduceret; quanto magis ſolicitus erit de illis, qui jam per Chriſtum in viam pietatis deducti ſunt? Simili modo argumentatur Paulus Rom. 5. 8, 9. Vide etiam 1 Cor. 8. 11.

Verſ. 12. *Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui homini centum oves, & erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & profectus quærit eam quæ erravit?*] Tertium argumentum, ne puſilli ſcandaliſentur, hic continetur; quia ad Deum converſi ſunt, Deus autem maxima lætitia ſuper unum converſum afficitur. Hic eſt ſcopus totius iſtius ſequentis ſimilitudinis: qua etiam Chriſtus utitur Luc. 15. 4, ſed paulo alum in finem.

Et erraverit una ex eis.] Perinde ut oves illæ apud Jeremiam cap. 50. 6.

Nonne relinquit nonaginta.] Hic ſe nonnulli Interpretes admodum torquent, quoſnam homines Chriſtus per 99 iſtas oves, quæ non errarunt, intellexerit? Quia enim Chriſtus dixit, ſe veniſſe ſervare, quod perierat, ſequeretur inde, eum propter iſtos 99 non veniſſe, ſiquidem non perierunt, neque errarunt. Sed fruſtra ſe macerant: hic enim ſimilitudo tantum eſt, in qua non omnes partes ſunt adeo rigide urgendæ, nec ad rem, cujus gratia ſimilitudo affertur, trahendæ & applicandæ. Chriſtus enim nihil aliud indicare vult hoc loco, quam Deum tanti æſtimare etiam unius perditi hominis ſalutem, ut ſi centum tantum homines eſſent, & ex iis unus ſolum eſſet peccator, reliqui 99 omnes juſti, miſſos faceret iſtos 99, & unum illum peccatorem quæreret, & converſioni ejus ſtuderet, eo quod hic cura ejus magis indigeat, quam illi. Eodem prorſus modo, quo ſe gerere fideles paſtores ſolent. Quod eſt magnum amoris Dei erga nos argumentum.

Verſ. 13. *Quod ſi acciderit, ut inveniat eam, amen dico vobis, gaudet ſuper ea magis, quam ſuper illis nonaginta novem, quæ non aberrarunt.*

Verſ. 14. *Ita non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat unus ex parvis iſtis.*] Nempe quemadmodum bonus paſtor etiam ne viliſſimam quidem ovem de ſuo grege interire patitur: ſic Deus quoque non vult, (id eſt, non placet ei) ut vel unus è parvis iſtis, & in oculis hominum viliſſimis fidelibus pereat. Unde porro liquet, quantopere illi voluntati Dei adverſentur, qui piis ſcandalum præbent.

Ante Patrem veſtrum.] Id eſt, Patris veſtri. Hebraiſmus eſt. Maluit dicere *ante Patrem veſtrum*, quam *ante Patrem meum*: quia loquitur de ſumma charitate Dei erga nos.

Ut pereat.] Id eſt, ut ab eo averſus fiat; quod ſi fieret, in viam perditionis delaberetur.

PARS IV.

Verſ. 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, abi, & argue eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.*] Parte præcedenti oſtendit Chriſtus, quomodo danda ſit opera, ne ulli proximorum noſtrorum ſimus offendiculo, eumque lædamus: hic præcipit, quomodo nos gerere debeamus erga proximum noſtrum, qui nos offendit ac læſit; Nempe non tantum injuriam patienter eſſe ferendam, ſed anſam potius ex ea arripiendam, ad beneficio eum afficiendum, per fraternam correptionem, qua is in rectam viam pietatis reduci poſſit. Correptionis iſtius tres gradus præſcribit: primo, ut fiat privatim & inter læſum ac læden-

ac lædentem ſolum; deinde in præſentia duorum teſtium; denique coram univerſa Eccleſia.

Si peccaverit in te frater tuus.] Frater eſt quilibet, qui eandem Chriſtianam religionem profitetur; nam omnes ejuſmodi habent communem Patrem Deum. De tali autem peccato hic ſermo eſt, quo quiſpiam læditur, ut ex Luc. 17. 3 cernitur, ubi ad correptionem adjungitur etiam condonatio culpæ. Non ſolet autem condonari, quo quis non læditur.

In te.] Hinc apparet, Chriſtum non de publicis & notoriis peccatis loqui (hæc enim etiam publice & in præſentia eorum, quibus nota ſunt, quique iis ſcandaliſati ſunt, eſſe redarguenda, ipſa docet ratio) ſed tantum de ejuſmodi peccatis, quibus unus aliquis privatim læſus eſt. Poſſunt tamen etiam huc trahi omnia privata peccata, de quibus unus tantum aliquis ſcit, etſi iis ipſe læſus non ſit: ut nimirum eodem modo & eodem ordine, quem hic Chriſtus præſcribit, talem redarguat. Non eſt enim novum ac inſolens Deo de certis ac ſingularibus rebus in Lege ſua tradere præcepta; quæ tamen etiam in aliis ſimilibus rebus obſervanda ſunt. Eſt autem hæc correptio ſeu redargutio expreſſe in Lege præcepta. Nam Levit. 19. 17 legitur: *Non habebis odio fratrem tuum in corde tuo, ſed libere corripies proximum tuum* (verbis) *neque feres in eo peccatum.* Et in antiquis Judaicorum Rabbinorum ſcriptis ordo iſte redargutionis, quem Chriſtus hoc loco tradit, ferme de verbo ad verbum deſcriptus invenitur. Sic enim habetur in libro, qui dicitur Muſar, pag. 221: *Qui ſnum proximum arguit, debet id facere primum remotis arbitris, inter ſe & illum ſolum, verbis leniſſimis, ne eum pudefaciat. Si ſe corrigat, bene eſt: ſin minus, debet acrius eum redarguere, & pudefacere inter ſe & illum. Si ne ſic quidem reſipiſcat, debet aſciſcere ſibi ſocios, & coram illis eum pudefacere. Hoc medio etiam fruſtra adhibito, debet eum coram pluribus pudefacere, & culpam ejus detegere. Revera enim hypocrita in publicum producendi ac manifeſtandi ſunt.* Ex quo perſpicitur, Chriſtum quidem omnes vanas, ac inutiles, multo magis pernicioſas Seniorum traditiones impavide rejeciſſe ac reprobaſſe, ſed interea, quicquid bonum ac laudabile, atque ad pietatem & ædificationem proximi conducens iis inerat, libenter doctrinæ ſuæ inſeruiſſe.

Argue eum inter te & ipſum ſolum. Primo humanis & manſuetis verbis, deinde ſi ſit opus, etiam adhibenda ſeveritas, ſed ita tamen, ne is cauſam habeat id quod dicitur in contumeliam ſuam trahendi, ſed ut potius ex dictis nihil aliud quam ſigna amoris erga ſe poſſit agnoſcere.

Si audierit te.] Si tuam redargutionem equo animo ſuſceperit, id eſt, ut Lucas ait cap. 17. 3, ſi reſipuerit.

Lucratus es fratrem tuum.] Non dicit Chriſtus; viciſti, cauſam obtinuiſti tuam: ſed fratrem tuum lucrifeciſti. Hic enim ſcopus eſſe debet redargutionis, ut frater conſervetur. Injuria enim, qua affecti ſumus, eſt temporalis: at damnum, quod ad fratrem ſpectat, eſt æternum. Lucrari hic eſt, eum qui perierat, exitio eripere ac ſervare: quod fit, quando is ad reſipiſcentiam adducitur 1 Cor. 9. 19, 20, 21, 22. 1 Petr. 3. 1. Hoc declarat Jac. 5. 20: *Fratres, ſi quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum quiſpiam, ſciat, eum qui averterit peccatorum ab errore viæ ſuæ, ſervaturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum.*

Verſ. 16. *Si vero te non audierit, aſſume tecum adhuc unum aut duos: ut in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum.*] Hic eſt alter gradus correptionis, ut ipſi iniquitas ejus in præſentia unius aut duorum iterum demonſtretur.

Ut in ore duorum aut trium.] Verba hæc ſumpta ſunt ex Deut. 17. 6, ubi quidem tantum de teſtimonio alicujus facinoris, quod patrator negat, agitur: ſed poſtea verba hæc in proverbium abierunt, ut etiam de aliis rebus fuerint uſurpata, ut patet ex Joh. 8. 17. 2 Cor. 13. 1. Mens autem Chriſti eſt: quaſi dicat; ſi qui te læſit, non patiatur ſe à te ſolo emendari, ut per duos aut tres teſtes, qui tecum conſentiunt, ad agnitionem ſuæ iniquitatis adduci queat. Cui hoc quoque addi poteſt, ne ſi res ad alios adhuc deferenda ſit, is cauſam habeat de publica pudefactione conquerendi.

Verſ. 17. *Quod ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ; quod ſi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut Ethnicus & publicanus.*] Si neglexerit eos audire, id eſt, ſi ne horum quidem teſtium conſenſus moveat eum & adducat ad reſipiſcentiam peccatique agnitionem.

Dic Eccleſiæ.] Hic eſt tertius ac ſummus correptionis gradus, ut ei coram univerſa Eccleſia iniquitas ejus ob oculos ponatur; & ſic *increpatio à pluribus proficiſcatur*, ut Paulus loquitur 2 Cor. 2. 6, vel, ut *coram omnibus convincatur* 1 Tim. 5. 20. In quo utroque loco quidem Apoſtolus de gravibus peccatis agit, ſed minora delicta etiam per obſtinationem animi & contemtum correptionis gravia evadunt. Scopus autem hujus publicæ redargutionis eſt, ut unanimi tot piorum in eadem ſententia concentu delinquens permoveatur, & ſic ad frugem meliorem revocetur. Ut autem intelligatur, quamnam Eccleſiam hoc loco Chriſtus intelligat, ſciendum eſt, Chriſtum, (ut jam indicatum eſt) nihil novi hic docere, ſed id quod jamdudum inter Judæos in uſu fuerat. Judæi autem, etſi omnes in unum convenirent Templum, & eaſdem, quas Lex præſcripſerat, ceremonias ſervarent, nihilominus diſciplinæ (ut vocatur) Eccleſiaſticæ exercendæ cauſa diverſos conventus atque congregationes inter ſe inſtituebant. Quemadmodum enim Phariſæi à Sadducæis, & Eſſeni ab utriſque diverſis ritibus ac regulis vitæ differebant: ita etiam quælibet Secta habebat peculiares ac ſeparatos ſuos conventus. In quibus conventibus agebatur de iis rebus, quæ ad boni ordinis conſervationem ac mores pertinebant. Talem conventum ſeu Eccleſiam etiam Chriſtus cœperat jam colligere, etſi Lex adhuc vigeret, & ipſe ſe ab aliis Judæis haud ſegregaret. Hunc conventum ex more Judæorum *Edah*, diſcipuli autem ejus, qui Græco ſermone in ſcribendo uſi ſunt, *Eccleſiam* vocarunt. (Vide ſupra cap. 16. 18.) Ajuntque doctiores inter Judæos, decem homines facere *Edah*, id eſt, Eccleſiam. Hinc ergo jam facile intelligitur, Chriſtum hic non ſimpliciter conventum Seniorum Synagogæ intelligere. Moris enim erat inter Judæos, ut res ejuſmodi tandem ad populum univerſum, qui ſecundum certas regulas vivebat, id eſt, qui uniuſmodi Sectæ erat (vel

Phariſaicæ, vel alius) deferretur. Ubi tunc Seniores præſidebant, & ordinem in populo tuebantur. Atque hunc morem deinceps etiam Chriſtiani inter ſe retinuerunt. Hinc elucet, Seniores & Antiſtites Chriſtianæ Eccleſiæ, non ſolos conſtituere Eccleſiam illam, coram qua Chriſtus vult ſiſti ad extremum peccatores; adeoque eos tyrannidem uſurpare in Chriſti Eccleſia, qui ſibi poteſtatem ejuſmodi non adhibitis aliis Eccleſiæ membris arrogant.

Sit tibi velut Ethnicus & publicanus.] Id eſt, tunc jam tuo functus es officio, & jam habes jus vitandi ipſius conſortium, prout conſortium cum Ethnico homine, qui à vero Dei cultu alienus eſt, aut cum Judæo quidem, ſed enormibus ac notoriis peccatis infami (quales erant vulgo publicani) vitare ſoles. Cum Ethnicis enim & publicanis ac peccatoribus Judæi nullum prorſus colebant commercium. Hinc ſupra cap. 9. 11, vitio dabatur Chriſto, quod cum publicanis & peccatoribus cibum caperet. Cæterum per hanc vitationem non tollitur beneficentia, quæ etiam Ethnicis & injuria nos afficientibus exhibenda eſt (Matth. 5. 44. Rom. 12. 20.) Sed tantum arcta familiaritas & amicitia, quæ antea cum eo colebatur. Neque hoc præceptum eſt ejuſmodi quo quis omnino obligatus ſit talem vitare, ſed Chriſtus hoc tantum vult dicere, tum liberum eſſe talem eodem loco habere, quo Ethnicum vel publicanum, id eſt, vitare. Qui enim ſumma patientia vellet uti, ut nihilominus amicitiam colere cum tali non refugeret, is contra hoc Chriſti mandatum non peccaret: niſi forte contingat, ut ille à tota Eccleſia excludatur & excommunicetur; tunc temporis nullum ipſi liceret habere cum illo commercium, juxta mandatum Pauli 1 Cor. 5. 11. De iſta autem Excommunicatione à tota Eccleſia hic Chriſtus non loquitur, ſed tantum quomodo ſe ſinguli & privati erga alios gerere debeant. Quanquam & de ea hinc peti poteſt argumentum, eum qui Eccleſiæ refractarius eſt, tanquam Ethnicum & publicanum vitandum eſſe; idque non ſolum in gravibus, ſed etiam in levioribus delictis, quæ per pervicaciam aggravantur & excommunicatione digna fiunt. Quamdiu autem talis Excommunicatio non exercetur ab Eccleſia, ſed peccanti adhuc tempus ac ſpatium ad reſipiſcendum conceditur, tamdiu læſus hoc mandato Chriſti non obligatur ad vitandam lædentis familiaritatem. De Excommunicatione Eccleſiæ, quæ etiam apud Judæos uſitata erat, vide quæ dicentur ad Joh. 9. 22.

Verſ. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terrâ, erunt ligata in cœlo; & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & cœlis.*] Verba hæc cum antecedentibus ita cohærent: Quando læſus eum, à quo læſus eſt, poſt fruſtræ adhibitam triplicem correptionem tanquam Ethnicum & publicanum vitabit, tum iſte etiam in cœlis pro tali habebitur. Sin vero cum redargutione ſua ad frugem reducat, ipſique ignoſcat, etiam à Deo in cœlis ipſi delictum ignoſcetur. Auguſtinus ait hoc loco: *Quando tu fratrem tuum pro Ethnico & publicano habes, ligaſti eum in terra; quando eum emendas ſolviſti eum in terra.* Et Theophylactus: *Non tantum, quod ſacerdotes ſolvunt, ſolutum eſt, ſed etiam quod nos læſi ſolvimus vel ligamus, id ſolutum vel ligatum eſt.*] Quod hic ſit ſenſus verborum, quodque Chriſtus non de ligatione & ſolutione, quæ fit à tota Eccleſia hoc loco agat, ex toto ſequenti textu liquet, (uti mox videbimus) inprimis autem ex illa Petri quæſtione verſ. 21: Quoties fratri ignoſcendum ſit? Per conſequentiam tamen legitimam hinc inferre licet; ſi unius fratris ligatio & ſolutio tantum valet apud Deum, ut eam in cœlo ratam habeat ac confirmet, quanto majoris valoris ac ponderis apud eum erit ligatio & ſolutio univerſæ Eccleſiæ.

Cæteroquin hic animadvertendum eſt, ligationem & ſolutionem, id eſt, remiſſionem ac retentionem peccatorum proprie Deo tantum ac Chriſto adſcribi: ut videre eſt Eph. 4. 32. Col. 3. 13. Matth. 9. 6. Marc. xi. 10. Luc. 5. 24. Apoſtolis autem tribui eodem ſenſu, quo, ſervare 1 Tim. 4. 16, nimirum vi muneris eorum, quod tanquam Legati Chriſti obibant, quod munus Apoſtolus vocat *miniſterium reconciliationis* 2 Cor. 5. 18, 19, 20, 21. Chriſtiana autem Eccleſia neque proprie (uti Deus & Chriſtus) neque vi ullius tam ſublimis muneris, (quale geſſerunt Apoſtoli) habet poteſtatem peccata remittendi vel retinendi; ſed tota illa poteſtas, quam Apoſtoli à Chriſto acceperant, cum ipſis deſiit, & tota ad Chriſtum rediit. Nihilominus Deus judicium non tantum totius Eccleſiæ, ſed etiam, ut ante dictum, uniuſcujuſque fidelis Chriſtiani tanti facit, ut illius & hujus ligationem vel ſolutionem (dummodo rite ac merito fiat) etiam in cœlo approbare velit. Quare Eccleſia peccatori non illa peccata remittit, quibus is Dei vel Chriſti Majeſtatem læſit, ſed ſolummodo ea, quibus ipſa læſa, contriſtata, ſcandaliſata & ludibrio expoſita eſt. Quæ tamen remiſſio (ſi peccator veram agat pœnitentiam) tanti habetur à Deo, ut ſuam quoque offenſam remittere peccatori atque condonare velit: & ex adverſo eandem retinere, ſi Eccleſia ipſi ſuam offenſam non remittat; quod fit tum, quando illa veram in peccatore pœnitentiam non agnoſcit. Hanc proinde remiſſionem peccatorum, quæ apud Deum fit, annunciat Eccleſia peccatori, ſed ea lege, ſi ex animo peccatum ſuum deteſtetur, & totus ſit in vita ſua emendanda (quod ſolus Deus, qui cordium receſſus intimos ſcrutatur, noſſe poteſt) nec non ipſe una cum Eccleſia à Deo peccati veniam petat: ut ex ſequenti veriſiculo patet. Abſque his à nobis memoratis conditionibus, invalidum eſt apud Deum, quicquid Eccleſia hic decernit: quemadmodum etiam is non ligatur apud Deum, qui nullius mali ſibi conſcius eſt, quique adeo minus conſiderate & inique ab Eccleſia ſegregatur ſeu excommunicatur.

Verſ. 19. *Rurſum dico vobis, ſi duo ex vobis conſenſerint in terra, de omni re, quam petierint, fiet eis à Patre meo, qui in cœlis eſt.*] Si duo, id eſt, ſi vel duo tantum: uſitato Hebraiſmo. Chriſtus ſuperius aſſeruerat, omnia quæ in terra ſolverimus, ſoluta fore in cœlis. Hoc jam confirmat generali promiſſione, quod Deus in omnibus exauditurus ſit nos, quæcunque vel duo tantum animo concordi abs illo poſtularint: ut, ſi tum læſus & fratrem redarguens, tum delinquens ipſe, aut etiam alii ad hujus rei cognitionem admiſſi, Deum deprecentur & ab eo commiſſi peccati veniam flagitent, ſine dubio exaudientur.

dientur. Huc pertinet illud Jacobi : *Confitemini alii alius offensas, & precamini alii pro aliis, ut sanemini. Multum enim valet deprecatio justi efficax* Jac. 5. 16. Solet quidem Deus etiam unius pii hominis exaudire preces, sed quod plures junctis animis & ardenter orant, id Deus dat libentius, largius & celerius.

De omni re, quam petierint, fiet eis.] Hoc limitate intelligendum est: ac primo quidem, si pii sint & non peccatores, qui petunt. *Peccatores enim Deus non exaudit, sed si quis Dei cultor est & facit voluntatem ejus, hunc exaudit* Joh. 9. 31. *Si cor nostrum nos non condemnet, libertatem habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta ejus observamus, & quæ accepta sunt ei, facimus* 1 Joh. 3. 21, 22. Secundo, si quod petunt, bonum sit & utile: si non divitias, non honores, non carnalem potentiam petant, quæ res ipsis ad salutem necessariæ non sunt, sed potius impedimento; verum si rogent ea, quæ ad solam vitæ hujus necessitatem & ad æternam eorum salutem spectant. Etiam incertum est exauditum iri eos, qui absque conditione petunt liberationem à præsentibus vel impendentibus malis: quia fieri potest, ut eorum bono à Deo immittantur. Vide Psalm. 119. 71. Rom. 5. 3, 4, 5. Neque etiam speranda est exauditio, quando oramus pro peccantibus: quia sæpenumero illi in eo sunt statu, ut divina gratia indigni sint. Vide 1 Joh. 5. 17. Nihilominus tamen oratio talis est grata Deo, etiamsi non exaudiatur, quia sic orando exercemus charitatem erga nostros proximos, & si non illi nos tamen fructum percipimus nostræ orationis loco eorum. Huc referri potest illud Christi: *Cum intratis in domum aliquam, salutate eam: etsi quidem fuerit domus digna, veniat pax vestra super eam: sin autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertatur* Matth. 10. 12, 13. Tertium precum requisitum est, ut bono fine petantur, quæ petimus: nempe ad gloriam Dei & Domini Jesu Christi, & ad nostram proximorumque nostrorum salutem. Vide Jac. 4. 3. Quas conditiones seu requisita precum omnia hic Christus pro cognitis ac concessis ponit, quia facile ea quilibet ratione præditus intelligere potest; quanquam in sequenti versu mox addit conditionem quandam.

Vers. 20. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.*] Reddit Christus rationem superioris dicti, cur Deus exaudiat petitionem eorum, qui conjunctis animis & verbis eum orant: quia nimirum ipse sit in medio eorum. Hinc perspicitur, vocem *congregari*, (quæ proprie conventum & coitionem, quæ corpore fit, significat) hoc loco improprie accipi pro conjunctione animorum. Ut adeo Christus nihil aliud sibi velit isto vocabulo, quam verbo *consenserint* in versiculo præcedenti: quasi dicat. Ubi duo vel tres consentiunt, animisque juncti sunt in meo nomine, ibi ego sum in eorum medio. Ubi autem Christus est in medio orantium, ibi certo Deus orationem exaudit. Atque hac significatione vox *congregandi* etiam usurpatur Actor. 4. 27.

In meo nomine.] Id est, fiduciam in me collocantes, vel orantes, ut id propter me, aut in mei gratiam Deus facere velit. Hæc est conditio, quam Christus à petentibus exigit. Hoc significatu etiam hæc phrasis accipitur 1 Sam. 17. 45, ubi David ad Goliathum sic loquitur: *Tu venis ad me gladio, lancea & clypeo armatus* (quibus armis tu confidis) *ego verò venio ad te in nomine Domini exercituum*, id est, confisus Deo Optimo Maximo. Et Psal. 20. 6: *In nomine Domini Dei nostri sumimus vexilla*: id est, freti Deo. Vide etiam Joh. 14. 13, 14.

Illic sum in medio eorum.] Non corpore vel essentia, sed per spiritum auxilio gratioso, & exauditione precum. Sic Christus pollicitus est discipulis suis, *se fore cum ipsis omnibus diebus usque ad consummationem seculi* Matth. 28. 20, cum tamen quoad essentiam suam in cœlum ascenderit, sedeatque à dextris Dei Rom. 8. 34. Eph. 1. 20. Hebr. 1. 3. Idcirco iisdem promisit Paracletum mittere, qui vices ejus subeat Joh. 14. 16. Sicut igitur Christus antea conjunctionem animorum figurate appellavit congregationem: ita hic quoque figurate inquit, se in medio eorum futurum, quemadmodum aliquis inter eos adesse solet, qui corpore congregati sunt. Nam ubi duo aut tres conjunctis animis & certa cum fiducia in Christum orant, etiamsi corpore non sint congregati, Christus nihilominus est in eorum medio, id est, præsto est ipsius auxilium & exauditio.

Qui ex hoc loco præsentiam Christi corporalem in terris probare volunt, necessario in unum ex his duobus absurdis incidunt: vel, quod Christus non vere in cœlum ascenderit, sed hic in terris semper præsens manserit: vel, quod toties, quoties duo aut tres in ipsius nomine congregantur, ille statim de cœlo descendat, inque medium eorum veniat. Præterea necesse est, ut dubitent, eum tantum habere virium ac potestatis, ut populum suum in cœlo residens queat regere, adeoque absens ea facere, quæ hominum salus ac necessitas postulat. De Principibus ac Regibus mundanis dici solet, eis longas esse manus: propterea quod absentes etiam & è longinquo solo jussu suo & per ministros suos perficere possint, quæ volunt: quanto vero longiores manus habet Christus, qui non solum unctus est à Deo spiritu & virtute Actor. 10. 38, sed etiam omnes Angelos habet sibi ad obsequium ac ministerium paratos Hebr. 1. 6.

PARS V.

Vers. 21. *TUnc accedens ad eum Petrus dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? an usque septies?*] Ex eo quod Christus dixerat ℣. 18, si quis fratri suo, à quo læsus est, ubi is egerit pœnitentiam, remittat, etiam in cœlo peccatum istud remissum iri; sumit occasionem Petrus ad sequentem quæstionem.

Quoties peccabit in me frater meus & remittam ei?] Hebræus idiotismus hic est, sensusque est: Quoties debeo fratri meo remittere, quando non cessat me lædere & adversum me peccare? Remissio est duplex. Primum quando injuriam nobis illatam, neque per nos, neque per alios vindicamus, neve à Deo ultionem petimus, sed patienter injuriam ferimus. Qua remissione erga omnes homines & omni tempore uti debemus. Deinde, quando ad familiari-

tatem & amicitiam, quæ nobis antea interceſſit cum eo, à quo læſi ſumus, rurſus eum admittimus ac recipimus. Qua remiſſione nonniſi erga eum, qui ſe injuriam feciſſe agnoſcit ac dolet, uti obſtricti ſumus. Et de hac poſteriori remiſſione videtur Petrus loqui hoc loco.

An uſque ſepties?] Apparet apud Judæos traditionem quandam Seniorum extitiſſe, quæ non obligabat quenquam pluries, quam ſepties remittere proximo; & quidem minores offenſas. Quod enim Petrus errorem hunc, quod ſufficiat ſepties alicui remittere, hauſerit ex illis Chriſti verbis, quæ habentur Luc. 17. 4, non eſt veriſimile. Ibi enim Chriſtus non ſimpliciter ait, *ſepties*, ſicut hic dicit Petrus, ſed *ſepties in die*, id eſt, more Hebræorum, quotieſcunque in te peccaverit. Vide ad illum locum.

Verſ. 22. *Dicit ei Jeſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.*] Id eſt, toties, quoties te læſerit, debes ei remittere. Remiſſioni nullus terminus, nec finis præfixus eſt. Similis locutio eſt Gen. 4. 24: *Septies eſt vindicandus Cain, ſed Lamech ſeptuagies ſepties.*

Quod autem Chriſtus hic de facili ac toties repetita remiſſione præcipit, id non eſt mox ad Eccleſiaſticam diſciplinam trahendum, præcipue in gravioribus delictis. Aliud enim eſt, de ſuo liberalem eſſe, & aliud de eo, quod ad totam Eccleſiam ſpectat, aliquid remittere. Multum iſta differunt, privatim aliquem in amicitiam recipere, &, vinculum publicæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ relaxare, in qua potiſſimum exiſtimatio & conſervatio Eccleſiæ conſiſtit. Idcirco in primorum ſeculorum Eccleſiis Chriſtianis uſitatum fuit, ut ſi quis idololatriam, homicidium, vel adulterium commiſiſſet, Dei quidem miſericordiæ commendaretur, ſed in Eccleſiam non facile rurſus reciperetur, etiamſi vera pœnitentia duceretur, ſed cogebatur per tempus diutinum ſpecimen ſuæ emendationis edere.

Verſ. 23. *Propterea ſimile eſt regnum cœlorum Regi, qui voluit rationem conferre cum ſervis ſuis.*] Hic etiam eſt Hebraiſmus ſenſuſque eſt: Ideo hoc dico (nempe quod toties offenſæ remittendæ ſunt) quia regnum cœlorum ſimile eſt &c. id eſt, quia in regno cœlorum perinde agetur, atque ſi Rex aliquis conferat rationem cum ſervis ſuis. Nam finis & argumentum hujus totius ſimilitudinis eſt, quod ſi nos fratribus noſtris illorum lapſus non remittamus, nobis quoque Deus noſtros lapſus non ſit remiſſurus: ut Chriſtus ipſe ℣. 35, hunc finem ac ſcopum indicat. Per regnum cœlorum autem Chriſtus intelligit hic, ut & alibi (cap. 4. 17,) regnum ſuum, quod ab adventu & prædicatione ejus cœpit, ſeu tempora Euangelii.

Cum ſervis ſuis.] Non cum ſuis mancipiis, ſed cum ſuis aulicis ac præfectis. Nam ex ℣. 25 apparet, eum qui 10000 talenta debebat, adhuc liberum fuiſſe; demum enim vendendus erat.

Verſ. 24. *Et cum cœpiſſet rationem conferre, oblatus eſt ei quidam debitor decies mille talentorum.*] Talentum continebat 750 Imperiales. Tota igitur debiti hujus ſumma erat, ſeptuagies quinquies centena millia, vel ſemi octo milliones Imperialium. Chriſtus ponit tam grandem ſummam, ut indicet multitudinem & magnitudinem peccatorum, quæ Deus hominibus per Chriſtum condonavit.

Verſ. 25. *Cum autem is non poſſet reddere, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus & liberos, & omnia quæ habebat, & reddi.*] Conſuetum fuiſſe apud Judæos, ut liberi homines, qui non erant ſolvendo ſuis creditoribus, una cum uxoribus ac liberis fierent mancipia, patet ex 2 Reg. 4. 1. Sed Joſephus teſtatur lib. 16. cap. 1, non licuiſſe Judæum alienigenæ vendere, ſed tantum alteri Judæo, idque non in longius tempus, quam in ſex annos: (Vide Exod. 21. 2.) Herodemque arguit, quod tranſgreſſus ſit Legem, dum clandeſtinos fures vendi extraneis permiſit. Hic Rex itaque utitur jure, quod creditoribus adverſus debitores competebat.

Verſ. 26. *Procidens ergo ſervus ille adorabat eum, dicens: Domine, longanimis eſto erga me, & omnia tibi reddam.*

Verſ. 27. *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum remiſit ei.*

Verſ. 28. *Egreſſus vero ſervus ille invenit unum ex conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios; & prehenſum eum ſuffocabat, dicens: Redde quod debes.*] Denarius fuit moneta, valens circiter ſextam partem Imperialis. Non reperitur autem vox iſta Denarii in Veteri Teſtamento, ſed poſt captivitatem demum Babylonicam inter Judæos in uſu eſſe cœpit, aſſumptumque eſt à Latinis. Tota ſumma debiti iſtius faciebat ſedecim Imperiales & duas tertias. Nimis exigua ſumma, neutiquam comparanda cum illa, quam ei Dominus ipſius remiſerat. Significatque Chriſtus, offenſas, quibus à proximis noſtris lædimur, admodum parvas eſſe reſpectu immenſæ multitudinis peccatorum, quæ nobis Deus in Chriſto condonavit.

Verſ. 29. *Procidens ergo conſervus ejus ad pedes ejus, precabatur eum, dicens: Longanimis eſto erga me, & omnia reddam tibi.*

Verſ. 30. *Ille vero noluit; ſed abiens conjecit eum in carcerem, donec redderet debitum.*

Verſ. 31. *Cum autem vidiſſent conſervi ejus, quæ facta fuerant, contriſtati ſunt valde, & venientes narraverunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant.*

Verſ. 32. *Tunc eum advocans Dominus ipſius dixit ei; ſerve nequam, totum debitum illud remiſi tibi, quia precatus es me.*

Verſ. 33. *Nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ut & ego tui miſertus ſum?*

Verſ. 34. *Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, donec redderet id omne quod ſibi debebatur.*] Tortoribus, Græce βασανισταῖς. Verbo autem hoc in Novi Teſtamenti libris non tantum cruciatus corporis ac dolores ſignificantur, verum etiam quælibet moleſtia & afflictio, qua quis afficitur; ut videre eſt ſupra cap. 8. 29. XIV. 24. Marc. 5. 7. VI. 48. Luc. 8. 28. 2 Petr. 2. 8. Apoc. 18. 7. Quare ſtatuendum eſt, hic quoque per Tortores intelligi cuſtodes carceris, qui ipſe per ſe moleſtus & gravis eſt. Et hoc pacto egregie quadrant ſequentia illa, *donec redderet id omne, quod debebat*: nimirum tamdiu in carcere fuit detentus. Ut ita hic

idem

idem dicatur, quod ſupra cap. 5. 25, 26. Et Luc. 12. 58, 59. Utitur autem hic Rex iſte jure non ſolum creditoris, ſed etiam judicis.

Donec redderet omne.] Debitum erat decies mille talentorum, quod nullo modo ſervus ſolvere poterat, præſertim in carcerem compactus, in quo nihil poterat laborando promereri: ideoque æternum manere in carcere coactus eſt. Locus ergo hic tam nihil prodeſt Pontificiis ad demonſtrandum Purgatorium, quam ille ſupra cap. 5. 26.

Verſ. 35. *Ita & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis ſuo quiſque fratri ex cordibus veſtris lapſus eorum.*] Hic expreſſus eſt finis & argumentum hujus parabolæ. Senſuſque idem eſt, quem Jacobus expreſſit cap. 2. 13: *Judicium abſque miſericordia erit ſuper eum, qui non fecerit miſericordiam.* Vide etiam ſupra cap. 6. 15. Hoc tamen præterea oſtendit hac parabola Chriſtus, prius beneficium gratuitæ remiſſionis divinæ nihil profuturum immiſericordibus. An vero Deus peccata ſemel remiſſa propter ſequentia peccata rurſus imputet, de eo variæ ſunt variorum ſententiæ. Ex hoc quidem loco, ubi Rex ſemel condonatum debitum poſtea tamen exigit, nullum ſumi poteſt argumentum, quod Deus idem facere ſoleat; cum pleræque parabolæ ita ſunt comparatæ, ut non omnes circumſtantiæ ad rem, quam parabola ſpectat, pertineant. Et Chriſtus quidem ipſe hic ſcopum principalem hujus parabolæ expreſſit, qui non alius eſt, quam quod Deus non ſit remiſſurus iis, qui fratri ſuo non remittunt. Nihilominus tamen ſtatuendum eſt, Deum ſi illud faciat, & ſua beneficia ab ingratis tollat, nihil contra ſuam juſtitiam agere. Saltem certum eſt, peccata, quæ poſt acceptum tam ingens beneficium committuntur, multo eſſe graviora, & longe gravius etiam judicium poſt ſe trahere, quia per ingrati animi crimen aggravantur.

CAPUT XIX.

I. *Chriſtus reſpondet Phariſæis ad quæſtionem de divortio, docetque diſcipulos ſuos, quanta ſit præſtantia virginitatis ſeu cœlibatus: ad verſ.* 13. II. *Benedicit pueris ad ſe allatis: ad verſ.* 16. III. *Reſpondet juveni cuidam ad quæſtionem de adipiſcenda vita æterna: & docet diſcipulos ſuos, quantum periculi inſit divitiis: ad verſ.* 27. IV. *Promiſſionem facit iis, qui res chariſſimas ipſius cauſa deſerunt.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET factum eſt, cum finiſſet ſermones iſtos, ut migraret è Galilæa, & venit in fines Judææ, trans Jordanem.*] Chriſtus integram doctrinam ſuam & mandata, quæ à Patre accepit, primum in Galilæa revelavit ac propoſuit. Ad cujus doctrinæ majorem explicationem ac confirmationem faciunt omnia, quæ in ſequentibus ab Euangeliſta narrantur.

Trans Jordanem.] Prope Ænon & Salim, ubi Johannes primum baptiſavit Joh. 10. 40. Matthæus dicit, *Trans Jordanem*, tametſi locus, ad quem Chriſtus ſe contulit, fuerit cis Jordanem, ex ea nimirum parte, in qua ſita erat Galilæa. Vide de hoc loquendi modo ſupra cap. 4. 15.

Verſ. 2. *Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.*

Verſ. 3. *Et acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes ei: Licetne homini dimittere uxorem ſuam quavis ex cauſa?*] Quæſtio hæc de divortio inter Judæos controverſa fuit, uti etiam illa, infra cap. 22. 17, dandumne eſſe tributum Cæſari? Ideo Phariſæi id quæſierunt, ut Chriſtum exoſum redderent apud eos, contra quos pronunciaſſet ſententiam: & hoc loco quidem vel apud viros, quibus placebat divortium; vel apud fœminas, quibus illud diſplicebat.

Quavis ex cauſa.] Quod licuerit nonnullis ex cauſis uxorem dimittere, extra omnem erat controverſiam: ſed an liceret ex quavis cauſa id facere, prout celeberrimus Rabbi Hillel totaque ſcola ejus tunc temporis docuit, controverſum erat. Hillel iſte docebat, marito jus eſſe repudiandi uxorem, ſi ipſi cibum ferventem apponeret. Sed iſti Hillelis opinioni contrariam ſententiam urſit celebris quoque Rabbi Sameas, qui verba illa Moſis Deut. 24. 1, *quia invenit in ea rem aliquam turpem* (Lutherus vertit, *aliquid ſibi diſplicens*) de ſola fornicatione vel adulterio interpretatus eſt. Verum erraverit in eo. Adulterium enim non divortio, ſed morte punietur Deut. 22. 27. Sed vox *turpitudinis* apud Moſen latior eſt, & etiam alias cauſas in ſe complectitur, ob quas maritus ab uxore ſua fiebat averſus: ut inter alia erat morbus diuturnus, corporis aliquod vitium, ſterilitas, inhumanitas &c.

Verſ. 4. *Ille vero reſpondens dixit eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos?*] Tacita his verbis continetur Phariſæorum reprehenſio. Nam ſi id non legerunt, magna fuit ipſorum negligentia. Sin legerunt, & non intellexerunt, magna fuit eorum ruditas & inſcitia, cum tamen illi ſibi Legis ſcientiſſimi eſſe viderentur. Quod ſi legerunt & intellexerunt, hypocritæ erant ac impii tentatores. Probat autem Chriſtus hic, non licere viro uxorem quavis de cauſa dimittere. Vis autem hujus probationis non conſiſtit in vocibus *maſculum & fœminam*, neque in voce *duo*, ſed in verbo *conjunxit*. Nimirum Chriſtus ita argumentatur: Quoſcunque Deus tam arcte conjunxit, & univit, ille debent conjuncti manere; adeoque hominibus non licet eos ſejungere. Atqui Deus maritum & uxorem arcte conjunxit & univit. Ergo debent maritus & uxor conjuncti manere, & hominibus non licet eos ſejungere. Aſſumptionem, quæ eſt, Atqui Deus maritum & uxorem arcte conjunxit & univit; demonſtrat duplici ratione. Primo quia Deus eos in hunc finem creavit, ut conjuncti maneant; quod hiſce verbis effert: *Qui ab initio fecit hominem, maſculum & fœminam fecit eos*; id eſt, Deus duos iſtos ſexus hominum, maſculum & fœminam, hoc fine creavit atque inſtituit, ut vir ac uxor vinculo conjugii colligati mutuo ſe diligant, & quodam-

quodammodo unus homo fiant. Secundo demonſtrat aſſumptionem ℣ſ. 5 Dei ipſius verbis Gen. 2. 24: *Propterea derelinquet homo patrem & matrem &c.*

Verſ. 5. *Et dixit : Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo caro una.*] Dixit, nempe per Moſen. Verba enim illa Gen. 2. 24 non ſunt Adami, ſed Moſis.

Propterea derelinquet homo patrem & matrem.] Id eſt, patrem & matrem minus diliget, quam uxorem. Similis locutio in voce *odiſſe* eſt Luc. 14. 26. Joh. 12. 25.

Et adhærebit uxori ſuæ.] Gr. προσκολληθήσεται, agglutinabitur : nempe indiſſolubili convictu : uti ex antecedentibus verbis intelligitur. Magna eſt conjuncto inter parentes & liberos, quia liberi quædam portio ſunt parentum ſuorum , non ſecus ac rami arboris. Sed Deus conjuges multo arctiori adhuc nexu copulavit , adeo ut vinculum parentum propter hoc diſrumpi neceſſe ſit. Atque in eo Deus magnum abdidit myſterium, quod Paulus explicavit nobis Epheſ. 5. 32. Ita etiam filiæ Pharaonis, quam duxit Salomon Rex, dictum eſt : *Obliviſcere populi tui & domus patris tui* Pſal. 45. 11.

Et erunt duo caro una.] Vocula *duo* non extat apud Moſen, ſed ſubintelligitur , quia de iis ſermo eſt, quos Deus illo, quo dictum eſt, fine creavit, quorum duo ſunt maſculus & fœmina.

Erunt caro una.] Gr. *in carnem unam.* Particula in redundat, more Hebræo : ut etiam 1 Cor. 15. 45. 1 Joh. 5. 8. & Gen. 2. 22. Quo pacto autem vir & uxor una caro ſint, diſcrepantes ſunt ſententiæ. Sed quia Hebræorum conſuetudine vox *caro* crebro pro *homine* accipitur (ut Gen. 6. 12. Num. 16. 22. xxvii. 16. Deut. 5. 26. Joh. 34. 15. Pſal. 56. 5. lxv. 3. Eſai. 40. 5, 6. lxvi. 16. Jerem. 17. 5. xxxii. 27. Matth. 24. 22. Luc. 3. 6. Actor. 2. 17. Rom. 3. 20. 1 Cor. 1. 29.) Simpliciſſima & evidentiſſima videtur hæc eſſe ſententia, quod duo iſti homines, maritus & uxor, unus tantum homo ſint. Nempe uxor eſt quaſi corpus, & maritus quaſi anima. Ita inquit Ariſtoteles, vetus eſſe proverbium , amicos in diverſis corporibus unam tantum habere animam. Nulla autem major eſt amicitia , quam in conjugio , in quo non tantum conjunctio eſt animorum , ſed etiam corporum, liberorum, bonorum ac totius vitæ. Iiſdem verbis utitur Paulus de ſcorto loquens 1 Cor. 6. 16.

Verſ. 6. *Itaque non amplius ſunt duo, ſed caro una. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſeparet.*] Hic non agitur de cauſis inſtituendi matrimonii (ut volunt nonnulli) ne ſcilicet illæ impediantur : ſed ſermo eſt de natura matrimonii ipſius, in quo Deus voluit arctum & inſolubile vinculum amicitiæ inter conjuges intercedere. Si igitur aliæ ſocietates & amicitiæ ſine gravi cauſa & culpa magna unius partis nequeunt diſſolvi : quanto minus hæc, quæ omnium arctiſſima eſt , in qua propagatio & educatio ex omnibus viſibilibus ac viventibus præſtantiſſimæ creaturæ, quæ ad Dei ſimilitudinem condita eſt, conſiſtet.

Homo non ſeparet.] Quod faciunt illi, qui vel innocentem uxorem repudiant, vel non tolerant in ea, quod ferri ac tolerari merito debet. Vide 1 Petr. 3. 7. Ex hac Chriſti argumentatione poteſt etiam ſumi argumentum de eo, quod divinæ inſtitutioni in creatione hominis conſentaneum non ſit , adeoque Chriſtiano illicitum , plures ſimul habere uxores. Tam arcta enim conjunctio & perfectiſſima amicitia , per quam vir & uxor nonniſi una caro, ſeu unus homo eſſe debent , id nequaquam fert. Significatur enim , totum virum quantus eſt uxori , & totam uxorem quanta eſt viro adſtrictam eſſe. Quare non minus viro quam uxori illicitum eſt, ſeipſum quaſi dividere , & cum alia adhuc uxore conjungere. Idcirco Deus quoque unam duntaxat uxorem ex viri coſta condidit, viroque aſſociavit. Quod autem in Veteri Teſtamento conceſſa fuit polygamia, id factum eſt ob eandem cauſam , ob quam & divortium permiſſum fuerat. Vide plura hujus rei argumenta, infra ℣ſ. 9. 1 Cor. 7. 4. Eph. 5. 32.

Verſ. 7. *Dicunt ei : Cur ergo Moſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere eam.*] Id eſt, Deus per Moſen. Non mandavit autem Moſes repudiare uxorem , ſed ſi quis repudiare velit uxorem ſuam , præcepit, ne dimitteretur abſque libello repudii. Ex eo quidem quod Moſes mandavit dari libellum repudii, merito colligitur, eum permiſiſſe divortium ; ſed non omnia ſunt natura ſua bona & recta , quæ Lege permittantur , præſertim in civilibus legibus, in quibus Legiſlatores non raro ſe naturæ ac moribus hominum attemperare , & aliquando minus malum concedere coguntur, ut majus inhibeant & vitent : uti Chriſtus ipſe mox demonſtrabit.

Verſ. 8. *Dicit eis : Moſes propter duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras ; verum à principio non fuit ſic.*] Propter duritiem cordis, id eſt, propter veſtram inobedientiam. Quia corda ſua adverſus æquitatem , quam Deus & natura præſcripſit, obſtinaverant , ideo eis Deus Legem ejuſmodi tradidit , non tanquam optimo populo , ſed tanquam iis, qui quaſi fæces & excrementum Iſraëlis erant. Atque hæc obſtinatio & inobedientia ferme propria nota & præcipuum attributum fuit hujus populi Exod. 33. 3. xxxiv. 9. Deut. 9. 6. xxxi. 27. Eſai. 48. 4. Ezech. 2. 4. iij. 7. Actor. 7. 51. Metuendum erat Moſi , ſi divortii non conceſſiſſet libertatem, ne viri nimia ſeveritate ac tyrannide adverſus uxores ſibi diſplicentes uterentur , aut etiam clam eas veneno tollerent , aut alia ratione eorum vitæ inſidiarentur. Itaque qui uxores ſuas repudiabant aliis ex cauſis , quam ob cauſam adulterii , fuerunt quidem liberi à pœna ſub Lege , non tamen vacabant crimine & culpa , etſi eam Deus per conniventiam ac patientiam ſuam tunc temporis impunitam tranſmiſerit.

A principio non fuit ſic.] Non tantum hoc eſt ordinationi divinæ , quæ facta eſt in creatione mundi, contrarium, ſed etiam priſcis temporibus , cum homines probiores eſſent, non fuit factitatum. Non legimus enim uſquam, homines in Sacris Literis laudatos uxores ſuas repudiaſſe, tametſi cauſas aliqui non leves habuerint id faciendi : ut inter alios Abrahamus Sarai propter ejus ſterilitatem , non tamen repudiavit.

Verſ. 9. *Dico autem vobis : Quicunque dimiſerit uxorem ſuam , niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur ; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.*] Apud Marcum c. 10. 10 Chriſtus id non ad Phariſæos, ſed ad diſcipulos , cum in domum veniſſent , locutus eſt.

Unde

Unde colligere eſt, Chriſtum idem bis dixiſſe, ſemel publice, ſecundo privatim ad ſolos diſcipulos, cum ei iterato hanc quæſtionem proponerent. Prout hic quoque in verſu ſequenti 10 hac de re amplius cum Chriſto colloquuntur.

Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem.] Totus verſiculus iſte expoſitus eſt ſupra cap. 5. 32.

Et aliam duxerit, mœchatur.] Hæc verba novum ſuppeditant argumentum, quod polygamia ſit Chriſtianis illicita. Nam ſi illa ſimpliciter licita foret, cur non liceret ei aliam uxorem ducere, qui ſuam uxorem certa de cauſa extra cauſam adulterii repudiavit? Peccaret is quidem in eo, quod extra adulterii cauſam uxorem dimiſerit, ſed non in eo, quod aliam duxerit, quam etiam priori retenta ducere poterat. Jam vero Chriſtus dicit, mœchari eum, qui poſt dimiſſionem uxoris (intellige illegitimam) aliam duxerit. Quocirca is quoque mœchatur, qui unam uxorem habens, alteram ducit.

Verſ. 10. *Dicunt ei diſcipuli ejus: ſi tale eſt negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere.*] Quaſi dicat: Si res ita comparata eſt, ut viro non liceat ulla alia de cauſa, quam ob fornicationem, uxorem dimittere, præſtat utique à matrimonio prorſus abſtinere, quam ſe in laqueum ejuſmodi induere. Intractabilia mulierum ingenia multos à conjugio abſterrent; contra quod malum, nullum præſentius remedium norant Judæi, quam divortium.

Verſ. 11. *Ipſe vero dixit eis: Non omnes capiunt ſermonem hunc, ſed ii quibus datum eſt.*] Sermonem hunc, id eſt, rem hanc: quaſi dicat: Non omnes homines ſunt ad rem tam ſublimem & arduam (qualis eſt abſtinentia à matrimonio perpetua) idonei & ſatis fortes. Lactantius ſuper hæc verba Chriſti ait, eum qui id facit, inſigne & incomparabile præmium habere ſibi repoſitum; & hanc abſtinentiæ ſpeciem (nempe caſtum cœlibatum) eſſe ſummum gradum, omniumque virtutum perfectionem.

Sed ii quibus datum eſt.] Nempe à natura vel à Deo. A Deo autem non ſine hominum diligentia & ſtudio, ut ex ſequenti verſu intelligetur. De dono talis caſtitatis vide 1 Cor. 7. 7.

Verſ. 12. *Sunt enim eunuchi, qui ex matris utero nati ſunt ita: & ſunt eunuchi, qui caſtrati ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſi caſtrarunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.*] Dixerat Chriſtus, non omnes homines eſſe aptos ad vivendum in cœlibatu, ſed eos tantum aptos eſſe, qui habent donum caſtitatis. Quod igitur tales dentur, qui dono iſto præditi ſint, quodque adeo impoſſibile non ſit, à conjugio abſtinere, hic oſtendit, & tria genera hominum extra conjugium viventum enumerat.

Sunt enim eunuchi.] Id eſt, dantur tales homines, qui tam caſte vivunt, ac ſi eunuchi eſſent.

Qui ex matris utero ita ſunt nati.] Id eſt, qui à natura ad matrimonium inhabiles ſunt, aut ab eo abſque moleſtia ac difficultate abſtinere poſſunt.

Qui ab hominibus caſtrati ſunt.] More Orientalium populorum, apud quos eunuchi Regum magnatumque gynæceo præficiebantur.

Qui ſeipſos caſtrarunt.] Non proprie; Etenim nulli hominum fas eſt, corpus ſuum mutilare: ſed qui firmiter in animo ſuo conſtituerunt caſtam vitam extra matrimonium ducere, non aliter quam ſi caſtrati eſſent. Sed ad tale caſte vivendi propoſitum, ei qui à natura vires non habet ſufficientes, neceſſariæ ſunt aſſiduæ preces, jejunia, genii defraudatio, diligentia in vitandis omnis generis illecebris ac irritamentis, & omnium earum rerum ſtudium, quæ carnem domandi vim habent. Unde cernitur, caſtitatem eſſe tale donum Dei, quod etiam noſtro ſtudio ac labore poteſt ac debet acquiri.

Propter regnum cœlorum.] Id eſt, ut tanto aptiores & expeditiores ſint *ad curandum ea, quæ ſunt Domini, ut ſint ſancti tam corpore, quam ſpiritu*, ut Paulus loquitur 1 Cor. 7. 34, ut præcepta Euangelii tanto liberius & perfectius implere poſſint. In quibus non continetur quidem abſtinentia à conjugio, plurimum tamen ad illa ſervanda juvat. Nihil itaque aliud eſt, propter regnum cœlorum, quam quod Marcus ait, *propter Euangelium* cap. 10. 29.

Deo voveri caſtitas ſeu cœlibatus nonniſi admodum circumſpecte & cum ſufficienti ſuiipſius probatione debet: qui ſemel vovit, tenetur ut alia vota, ita hoc quoque ſervare. Quod ſi cui id ſervare impoſſibile ſit (nempe ſi quis inconſiderate aut ab aliis coactus votum tale fecerit, quales hodie multi reperiuntur inter Pontificios) ſatius eſt ſolvere votum per matrimonium, quam per ſcortationem aliaque opera impudica.

Qui poteſt capere, capiat.] Qui tantum habet animi, ut ad hanc virtutem aſpirare audeat, faciat id, & pergat in ſuo propoſito; Deus gratia & auxilio ſuo ei præſto erit.

PARS II.

Verſ. 13. *Tunc oblati ſunt ei pueruli, ut manus eis imponeret, & precaretur: diſcipuli autem increpabant.*] Pueruli Gr. παιδία: quæ vox etiam de talibus uſurpatur, qui jam ſunt grandiuſculi: ut ſupra cap. 18. 2.

Ut manus eis imponeret.] Impoſitio manum erat apud Judæos ſignum invocationis divini numinis ſuper eos, quibus manus imponebantur: ut ſupra explicatum eſt cap. 9. 18. Fuitque apud Judæos non olim tantum, ſed & hodie in uſu, ut ad eos, qui reliquis ſanctitate vitæ celebriores erant, liberi afferrentur, ut eos impoſitis manibus precando Deo commendarent. Vide Geneſ. 48. 14, 15. Atque hunc morem Chriſtus hoc loco confirmat, indicatque, piorum fidem & preces etiam teneræ huic ætati prodeſſe. Mos idem imponendi manus etiam in primitiva Eccleſia ſervatus eſt, & hodie quoque non immerito retinetur.

Verſ. 14. *Jeſus vero ait eis: Sinite iſtos puerulos, & ne prohibete eos ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum.*] Apoſtoli putabant, haud convenire dignitati Chriſti, puerorum contrectationi vacare. Sed Chriſtus ne hos quidem à ſuis beneficiis arcet. Imo oſtendit, ſibi placere gratumque eſſe, quando pueri mox à teneris per Chriſtianam educationem Deo conſecrantur. Quod enim in pueritia implantatur, id radices agit.

Locus

Locus hic vulgo adducitur ad probandum Pædobaptiſmum. At Chriſtus ad ſe venire permiſit parvulis, non ut baptiſarentur, ſed ut eis manus imponendo & precando benediceret. Baptiſmus eſt ejuſmodi ritus, quo is qui eum ſuſcipit palam teſtatur ac profitetur, ſe omnibus peccatis mortuum eſſe, & abhinc fœdus cum Deo ac Chriſto inire, totamque vitam ſuam ſanctitati & obedientiæ Dei devovere. Talem vero profeſſionem facere infantes non poſſunt, ſed illi ſolum, qui tantum in cognitione Chriſtianæ religionis profecerunt, ut quid ſit cum Deo fœdus inire, intelligant. Quod autem ſuſceptores & compatres vel commatres talem profeſſionem, infantis loco, faciant, id pluſquam puerile eſt.

Talium enim eſt regnum cœlorum,] Hoc vult dicere Chriſtus: Ætas iſta tanto minus ſpernenda eſt, quia etiam adulti, qui mei diſcipuli eſſe volunt debent quodammodo repuerascere, dum omnia vitia & peccata deponere atque exuere debent, quæ adultior ætas in ipſis produxit. Supra cap. 18. 3. Chriſtus jubet, ut diſcipuli ejus conformes fiant pueris, abjiciendo ambitionem ac faſtum animi: hic vero videtur magis reſpicere aptitudinem ad doctrinam Euangelii percipiendam; quam ad rem illi ſunt aptiſſimi, quorum animi neque præjudicio & præconceptis opinionibus præpediuntur, neque veneno malæ conſuetudinis infecti ſunt, à quo utroque parvuli ſunt immunes. Nam apud Marcum cap. 10. 15. & apud Lucam cap. 18. 17, ait Chriſtus: *Qui non ſuſceperit Regnum Dei, ſicut puerulus, non ingredietur in illud.* Animus puerorum ſimilis eſt raſæ & puræ tabulæ, cui nihil inſcriptum eſt, ſed inſcribi omnia, quæ lubet, poſſunt.

Verſ. 15. *Et cum impoſuiſſet eis manus, profectus eſt illinc.*] Imponens manus ſimul ex more Judæorum pro illis oravit. Hoc ſignificat Marcus verbo benedicendi cap. 10. 16. Chriſtus quidem habebat poteſtatem etiam abſque precatione dona impertiendi, ſed Deo Patri ſuo hunc deferebat honorem, ut plerumque cum oratione id faceret.

PARS III.

Verſ. 16. *ET ecce quidam accedens dixit ei: Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?*] Iſte homo fuit alius ab illo Legis Inteprete apud Lucam cap. 10. 25, ſed fuit idem cum illo, quem Lucas Principem appellat cap. 18. 18, qui quod juvenis adhuc fuerit, ex vſ. 20 infra patet. Quod vero Chriſtum adierit, non tentandi eum animo, ſicut ille modo memoratus Legis Interpres apud Lucam, ſed ſtudio aliquid addiſcendi, ex Marco cernitur, qui cap. 10. 21 ait, Chriſtum dilexiſſe eum, quia nimirum probum & vitæ æternæ cupidum animum in eo perſpexit.

Ut habeam vitam æternam.] De vita æterna Judæi nullum habuerunt in Lege promiſſum, ſed tantum obſcuras conjecturas quaſdam. (Vide ſupra) cum igitur hic homo audiviſſet, Chriſtum publice annunciare vitam æternam, venit eo fine, ut viam, quæ ad eam ducit, ab eo diſceret.

Verſ. 17. *Ipſe verò dixit: Cur me dicis bonum? Nullus eſt bonus, niſi unus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*] Verba iſta; *Cur me dicis bonum?* etiam apud Marcum & Lucam leguntur, ut in & Syriaca verſione. Unde liquet, omnia iſta Græca exemplaria vitioſa eſſe, in quibus, hic locus ita legitur: *Quid me interrogas de bono?* Quæ verba etiam Vulgatæ Latinæ interpretationis Auctor retinuit. Cum igitur adoleſcens iſte crederet, Chriſtum ſibi poſſe monſtrare viam ad ſummum bonum, id eſt, ad vitam æternam, ideo vocat eum bonum Magiſtrum: ſed ex Chriſti reſponſione, qua hunc titulum recuſavit, patet, eum vocem *boni* in perfectiſſima ſignificatione accepiſſe, in qua ſignificatione ſolus Deus bonus eſt. Eodem prorſus modo Chriſtus etiam infra cap. 23. 8, 9, 10, ſuis diſcipulis injungit, ne ſe patiantur vocari *Rabbi* (id eſt, Magiſter) quia unus eorum Magiſter ſit Chriſtus; & ne quenquam vocent *Patrem* ſuum, quia unus ſit eorum Pater in cœlo. Ubi voces *Rabbi* & *Pater*, in perfectiſſima ſumuntur ſignificatione, in qua primus titulus ſoli Chriſto, alter ſoli Deo competit. Quemadmodum autem alioqui illicitum non eſt, aliquem vocare Magiſtrum aut Patrem quoque, nimirum in vulgari ſignificatione: ita etiam dubium non eſt, Chriſtum revera bonum, imo optimum Magiſtrum ex iis, qui unquam à Deo miſſi ſunt, fuiſſe.

Nullus eſt bonus, niſi unus Deus.] Cauſam affert Chriſtus, cur eum adoleſcens ille non debuerit vocare bonum: quia ſcilicet is, cui titulus hic competit, nonniſi unus ſit, nempe Deus, intellige ille ſummus & altiſſimus. Unde firmiſſime concluditur, Chriſtum non eſſe Deum ſummum: alioquin enim ipſi hic titulus omnino competiiſſet. Hujus argumenti aciem ſole ferme clariorem, ut declinent Interpretes hodierni, ſolent vulgo hunc locum ita exponere, ut dicant, Chriſtum contra ex adoleſcentis iſtius confeſſione docere voluiſſe, ſe eſſe ſummum Deum, cui titulus iſte jure competat: quaſi dicat. Nemo eſt bonus, niſi Deus altiſſimus. Ego tua confeſſione ſum bonus. Ergo ſum Deus altiſſimus. Verum ut præteream, quod Chriſtus nunquam ſe Deum altiſſimum vocarit, etiam cum longe majorem id faciendi cauſam & occaſionem haberet, ſed ſolummodo Dei filium. Vide Joh. 10. 33 & ſeqq. Si Chriſtus adoleſcenti huic voluiſſet oſtendere, ſe eſſe Deum altiſſimum, cui ſoli & nulli alii titulus *boni* competat, ſimul etiam oſtendiſſet, ſe ſolum & præter ſe neminem alium eſſe Deum altiſſimum. Quod utique falſum foret, quia præter Chriſtum Pater eſt Deus ſummus, à quo ſe Chriſtus non minus hic, quam alibi diſtinguit. Si quis dicere velit, Chriſtum oſtendere, ſe quoad eſſentiam unum illum eſſe, cui nomen *boni* aut *Dei* competat, ſed quoad perſonam alium adhuc eſſe, qui bonus ac Deus ſit: eum neceſſe eſt vel pro conceſſo ſumere, quod nemo ſanæ mentis homo conceſſerit, adoleſcentem hunc ſcilicet diſtinctionem inter eſſentiam & perſonam in Deo intellexiſſe, & notum ei fuiſſe, quod in una Dei eſſentia plures ſint perſonæ; vel dicere, quod Chriſtus adoleſcentem iſtum diſtinctionis hujus haud intelligentem, non in viam vitæ, ſed in errorem periculoſiſſimum induxerit, ut crederet, præter

Chriſtum

Chriſtum nullam dari aliam perſonam, cui nomen Dei & boni κατ' ἐξοχὴν conveniat. Longe aliter hic Chriſtus argumentatur, quam illi volunt; nempe ſic: ſolus Deus altiſſimus eſt bonus. Ego non ſum Deus altiſſimus. Ergo ego non ſum bonus, nimirum in ea ſignificatione, qua titulus hic in excellentiſſimo gradu accipitur, & ſoli Deo convenit.

Nonnulli Interpretes ad hunc modum explicant hunc locum, quod Chriſtus ſua reſponſione voluerit adoleſcentis iſtius adulationem perſtringere, in eo quod ſe ornarit titulo ejuſmodi, qui ſoli Deo ſummo competit, quem tamen ſe eſſe haud crediderit. Videlicet volunt Chriſtum ſic argumentatum fuiſſe: ſolus Deus altiſſimus eſt bonus. Ego tua ſententia non ſum Deus altiſſimus. Ergo mihi non competit tua ſententia titulus *boni*; ac proinde es hypocrita & adulator, dum me vocas bonum. Tales ambages quæritat præconcepta opinio, ne veritas locum obtineat. Sed ne repetam ea, quæ ad ſuperiorem falſam argumentationem reſponſa ſunt, quæ hic quoque locum habent; Chriſtum non agnoviſſe hunc juvenem pro hypocrita & perverſo homine, ſatis hoc unum arguit, quod refert Marcus cap. 10. 21, Chriſtum adamaſſe illum, ſine dubio propter probitatem animi ejus, propter quam etiam eum aptum judicavit, ut eſſet ipſius diſcipulus.

Si vis ad vitam ingredi.] Id eſt, ſi vis aliquando compos fieri vitæ æternæ.

Serva mandata.] Per mandata intelligit Chriſtus mandata Legis, quæ Deus per Moſen tradidit. Apud Lucam ait Chriſtus: *Noſti mandata* cap. 18. 19. Atqui juvenis iſte nulla alia norat mandata, quam Legis. Cur autem Chriſtus juvenem hunc, qui de via ad vitam æternam ſciſcitabatur, remiſerit ad Legis mandata, quæ tamen ipſa per ſe non erant ſufficientia, ad vitam æternam conſequendam (eorum enim obſervatio tantummodo erat juſtitia Phariſæorum ac Scribarum Matth. 5. 20,) ejus rei duæ potiſſimum dari poſſunt cauſæ. Prima eſt, quod Chriſtus voluerit à facilioribus auſpicari, & quaſi gradatim ad perfectionem eum perducere: ideo ipſi primum mandata Legis præſcribit, quæ Judæi ipſi non pro iniquis, nec pro nimis arduis habebant, poſtea vero ei proponit magis ardua & perfectiora. Paulus Apoſtolus appellat Legem *noſtrum pædagogum* (qui velut prima elementa divinæ ſapientiæ docet) *uſque ad Chriſtum*, qui perfectiſſimam ſapientiam ſecum attulit Gal. 3. 24. Ita Johannes Baptiſta quoque per prædicationem pœnitentiæ, viam ſtravit ad perfectiſſimam doctrinam, quæ per Chriſtum proponenda erat. Altera cauſa eſſe poteſt, & fortaſſis præcipua, quod Chriſtus noluerit videri Legis auctoritati quicquam derogare, quaſi ſcilicet eam non imperfectam modo, ſed etiam prorſus inutilem ad conſequendam vitam æternam duceret; ſed voluerit oſtendere, Legem (quatenus ad bonos mores ac pietatem ſpectat) tanquam primum fundamentum veræ ſanctimoniæ, iis, qui ad vitam æternam aſpirant, omnino neceſſariam eſſe. Hinc etiam Chriſtus illi Legis Interpreti apud Lucam cap. 10. 25, qui eandem prorſus, quam hic juvenis, quæſtionem propoſuit, ex Lege reſpondit, & ad Moſis mandata eum remiſit. Notandum præterea eſt, quod videatur Chriſtus, dum juvenem ad mandata Legis remittit, occaſionem ei ſubminiſtrare voluiſſe de perfectiori via interrogandi. Cum enim mandata Legis ei jam eſſent nota, ipſe autem nihilominus quæreret, quid faciendum ſit, ut vitam æternam adipiſceretur; facile potuit Chriſtus ex eo colligere, illum dubitare, num mandata Legis ad vitam æternam ſufficiant, adeoque exiſtimare, aliquid amplius adhuc ad eam comparandam requiri. Hoc igitur ut juvenis ipſe palam enunciaret, & ſic inſufficientiam Legis ad vitam æternam conſequendam agnoſceret, Chriſtus hoc modo, dum eum principio ad mandata Legis remiſit, effecit.

Hic locus etiam clarum prebet argumentum adverſum eos, qui bona opera à mediis ſalutis removent.

Verſ. 18. *Dicit ei; Quæ? Jeſus autem dixit: Non occides. Non mœchaberis. Non furaberis. Non dices falſum teſtimonium.*] Juveni iſti ſatis conſtabat, Chriſtum per mandata non intelligere alia, quam Legis; quia tamen illa fuerunt permulta & varia, & facilis in iis lapſus eſſe potuit; ſcire expetit, quænam potiſſimum obſervanda ſint. Ad hoc ei Chriſtus reſpondet, præcipua mandata eſſe ea, quæ in mutuis hominum officiis conſiſtunt: nempe Non occides, Non mœchaberis, non furaberis &c. Legis ceremonialis ne verbo quidem meminit.

Verſ. 19. *Honora patrem & matrem. Et diliges proximum tuum ut teipſum.*] Præceptum hoc de diligendo proximo duplicem habet ſenſum. Primo, quatenus eo in genere indicatur, veram ac ſinceram hominum inter ſe dilectionem eſſe Deo gratam: quo ſenſu Paulus hoc mandatum *completionem Legis* appellat Rom. 13. 10. Et Chriſtus pro maximo mandato id junctum cum illo de diligendo Deo, æſtimat Matth. 22. 39. Deinde quatenus eſt pars politicæ Legis Moſaicæ: & hoc poſteriori ſenſu hoc loco id accipit Chriſtus. Juvenis enim interrogabat de operibus, quid boni facere deberet. Hinc Marcus mandatum hoc de dilectione omittit, & ejus loco addit, *Ne fraudem feceris* cap. 10. 19. Hoc autem fraudem non facere, præter homicidium, adulterium, furtum, falſumque teſtimonium, reliqua omnia injuriarum & malorum genera, quibus proximus affici à nobis poteſt, in ſe complectitur. Ideo Moſes quoque Lev. 19. 13 ad 19, enumeratis variis injuriarum generibus, quæ proximo inferri queunt, ſubjicit ꝟſ. 18: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; quibus verbis omnia ante enumerata quaſi uno faſce complexus eſt.

Verſ. 20. *Dicit ei adoleſcens: Omnia hæc obſervavi à juventute mea; quid adhuc mihi deeſt?* Quemadmodum adoleſcens iſte perfectum mandatorum Legis ſenſum ignorabat, ita etiam de nulla alia obſervatione horum mandatorum locutus eſt, quam de ea, quam litera Legis exigebat, nimirum de externa & civili juſtitia, per quam ea omnia præſtitit, ad quæ per Legem erat obſtrictus. Quod vero non falſo & ex arrogantia (ut quidam cenſent) id ſibi tribuerit, & de ſe affirmarit, conſtat ex Marci jam ſupra adductis verbis, qui teſtatur, Chriſtum adamaſſe eum, id eſt, eum ſingulariter placuiſſe Chriſto, proculdubio propter candorem & probitatem animi ejus, excepto, quod terrenis curis addictus fuerit, à quibus eum Chriſtus ſequenti mandato abſtrahere conatus eſt.

A juventute mea.] Id eſt, ab eo tempore, quo rationis uſum habere cœpi.

Quid adhuc mihi deeſt?] Nempe ad id, ut in perfectam viam vitæ æternæ devenire queam. Unde elucet, eum exiſtimaſſe, præter id, in quo conſcientiæ ſuæ teſtimonio irreprehenſibilis erat, aliquid amplius requiri ad vitam æternam adipiſcendam. Quid autem illud ſit, ignorabat. Apparet etiam, judicio non vulgari hunc juvenem fuiſſe præditum. Conſideratio enim præſtantiæ vitæ æternæ in eo dubitationem hanc excitavit, num omnia quæ hactenus fecit, & in quibus multos alios ſuperabat, ſufficerent ad conſequendum tam inæſtimabile bonum.

Verſ. 21. *Ait ei Jeſus: ſi vis perfectus eſſe, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.*] Si vis perfectus eſſe, nempe in ſanctitate & pietate. Adoleſcens enim iſte quærit, quid poſt ſervata Legis mandata, ſibi legalem ſanctimoniam habenti adhuc deſit ad adipiſcendum vitam æternam. Huic ipſius defectui opponit Chriſtus perfectionem: quaſi dicat. Tuæ ſanctitati ac pietati hoc deeſt adhuc, ut vendas poſſeſſiones tuas, eaque inter pauperes diſtribuas, meque ſequaris. Quod ſi feceris, tum demum perfectam felicitatem conſequeris. Apud Marcum reſpondit Chriſtus: *Unum tibi deeſt* cap. 10. 21. Apud Lucam: *Adhuc unum deeſt tibi* cap. 18. 18, 22.

Oportere unumquemque Chriſtianum perfectum eſſe, ſupra cap. 5. 48 demonſtravimus. Hæc enim vox, ut & aliæ permultæ, pro diverſis reſpectibus diverſas quoque habet ſignificationes. Vitæ noſtræ in terris pietas debet perfecta eſſe, verum hæc perfectio eſt valde imperfecta reſpectu illius perfectionis, qua in futura vita præditi erimus.

Vende quæ habes.] Id quod juveni iſti deerat ad perfectionem, non conſiſtebat in ſola venditione bonorum ſuorum ac diſtributione inter pauperes, & in ſequendo Chriſtum in egeſtate ac penuria: verum in adhærendo Chriſto eatenus, ut ab eo diſceret medium verum conſequendæ perfectiſſimæ ſanctimoniæ, ſeu ut perciperet cœleſtem ipſius doctrinam, in qua multo ſublimior ſanctitas, quam in Lege præſcripta eſt, ad vitam æternam exigitur. Fieri enim poteſt, ut quiſpiam omnia, quæ habet, pauperibus elargiatur, neque tamen id ex charitate faciat: quem id nihil juvat 1 Cor. 13. 3, tantum abeſt, ut ei id perfectionem afferat. Imo etſi id juvenis iſte ex charitate feciſſet, niſi tamen ſequens Chriſtum aliquid amplius didiciſſet, quam norat antea, certe multum ei adhuc ad perfectionem defuiſſet. Nam illa ipſa mandata, quæ ℣. 18, 19 enumerantur, & quæ adoleſcens iſte ſe ſervaſſe à juventute prædicat, longe perfectiorem impletionem & obſervationem ſecundum Chriſti doctrinam requirunt, quam adoleſcens ſciebat, & ex Lege didicerat. Poſſet autem quæri: Cur Chriſtus huic adoleſcenti ſtatim in ipſo limine tam arduum impoſuerit præceptum, quo eum potius à ſe repulit & abſterruit, quam ad ſe allexit; præſertim cum non legatur, ulli alii ſimile datum fuiſſe præceptum? Sed Chriſtus ipſe cauſam ejus rei inſinuat, dum inquit: *Veni & ſequere me.* Nimirum voluit Chriſtus, ut juvenis hic, quo ad perfectionem pervenire poſſet, ſe ſequeretur, id eſt, ſuo comitatui ſe adjungeret, adhæreretque ſibi huc illuc Judæam peragranti, quo pacto haberet occaſionem ex ſuis concionibus & doctrinis, quæ paſſim ex ore ejus audiebantur, diſcendi perfectiſſimam viam ad vitam æternam, atque ita ad perfectionem perveniendi. Tunc temporis enim doctrina Chriſti aliter diſci non poterat, quam Chriſtum peregrinantem ſequendo; ſiquidem nullo in loco unquam diu hæſit. Eodem modo legimus Chriſtum etiam ſuis Apoſtolis, Petro, Andreæ, Jacobo, Johanni, Matthæo mandaſſe ſe ſequi, eoſque omnia reliquiſſe, & ipſum ſecutos fuiſſe Matth. 4. 18, 21. IX. 9, quemadmodum ipſi id de ſe infra ℣. 27 profitentur, *Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quod non de imitatione ſeu conformitate in vita & moribus, ſed de proprie dicta ſecutione & comitatu intelligendum eſſe, res ipſa teſtatur. Ad ſe igitur hoc modo ſequendum, ut juvenis iſte eſſet expeditior, jubet eum Chriſtus exuere ſe bonis ſuis, ne à terrenis curis, quas ipſi afferebant bona ipſius, in ſancto ſuo propoſito impediretur.

Ne juvenis hic haberet cauſam ægro & iniquo animo ferendi jacturam ſuarum poſſeſſionem, quæ non exiguæ erant, monſtrat ei Chriſtus modum, quo jactura iſta lucro ſupra quam dici poteſt ingenti compenſari queat, ut nimirum pecuniam diſtribuat pauperibus. Sic enim habiturum eum *theſaurum in cœlo.* Terreno theſauro opponitur cœleſtis, & per eum intelligitur theſaurus & copia gratiæ divinæ, quæ nobis in cœlo repoſita eſt, quæque nobis ad conſequendam vitam æternam admodum utilis ac neceſſaria eſt, licet præterea etiam alia adhuc requirantur ad vitam æternam adipiſcendam. Quo accedit, quod liberalitas & miſericordia erga egenos peculiari & inſigni præmio in cœlis coronanda ſit.

Tenendum autem hic eſt, præceptum hoc de venditione bonorum eſſe quidem hoc loco particulare, quod ſoli adoleſcenti huic datum erat, ſed vim ejus nihilominus eſſe univerſalem, ut nimirum quilibet Chriſtianus ad id faciendum obſtrictus ſit, quando ſimiles cauſæ exiſtunt: nempe quando ſe præpediri in vera pietate à ſuis bonis terrenis atque poſſeſſionibus animadvertit. Qui enim ſentit tale ſcandalum à ſuis bonis ſibi præberi, non minus obligatus eſt ſcandalum iſtud è medio tollere, & ſuis ſe bonis exuere, quam dextrum oculum ſibi excludere, vel dextram manum aut pedem reſecare, quando ipſi ſunt ſcandalo Matth. 5. 29, 30. Quinetiam ſi quis tam generoſi ſit animi, ut etiam, ſemoto impedimenti reſpectu, eoque non expectato, vellet omnes facultates ſuas erogare in pauperes, mera miſericordia motus, & ſpe cœleſtis theſauri illectus, is faceret id, ad quod hocce mandato eatenus tenetur obſtrictus, quatenus quilibet Chriſtianus obſtrictus eſt ad virtutes perfectiſſimas (inter quas charitas & miſericordia veluti Regina eſt) & per eas ad præſtantiſſimas theſauros cœleſtes aſpirare; imo ad quod etiam generali præcepto Chriſti obligatus eſt, quod tradit Chriſtus apud Lucam cap. 12. 33: *Vendite bona veſtra & date eleemoſynam:* id eſt, vendite potius bona veſtra, quam ut opera charitatis & miſericordiæ omittatis.

Sunt

Sunt autem adhuc alia mandata, quæ ſicut in genere ad omnes Chriſtianos ſpectant, ita huic quamvis particulari præcepto vim addunt omnes Chriſtianos eo, quo dictum eſt, modo obligandi. Nempe ut qui Chriſti velit eſſe diſcipulus, ante adhuc, quam ſe det in ejus diſciplinam, omnibus, etiam chariſſimis rebus ſuis renunciet; ut eas quodammodo odio habeat, & animum ſuum ab eis prorſus abſtrahat: ut paratus ſit ob profeſſionem Euangelii & pietatis cauſa omnia deſerere, ac tandem ipſam mortem etiam truculentiſſimam ſubire. (Vide Luc. 14. 26, ad 34.) Quæ cuncta ſunt longe graviora, quam quod hoc loco juveni iſti ad ineundam perfectam pietatis & vitæ æternæ viam impoſitum eſt. Ut enim de vita taceam, cui in caſu dicto parcendum non eſt: longe majori cum animi gaudio id fit, quando quiſpiam ultro ac ſponte, non coactus, facultates in pauperes elargitur, quam quando alicui invito per vim eripiuntur. Eſt autem opulentia res valde dulcis & carni jucunda, quæ hominum oculos & mentes adeo excæcat, ut vix milleſimus reperiatur, qui ſe ab ea impediri in pietate ſentiat: ſed ſibi quiſque perſuadet, poſſe ſe ſimul divitem & pium eſſe. Hinc inter veræ profeſſionis Chriſtianos tam pauca dantur exempla eorum, qui ſolo pietatis amore ac ſtudio à noxio divitiarum veneno ſe expediant, & Chriſtianam paupertatem, quæ ſolis neceſſariis contenta eſt, ſubeant. Atque hic monachi Pontificiorum magnam haberent præ aliis laudem, ſi non mendicare, ſed laborare vellent. & reliqua quoque recte intelligerent, quæ ad veram religionem ac pietatem ſpectant. Certum autem eſt, vix unum fore è millenis, qui opes ſuas retinere ſalva conſcientia poſſet, ſi homines omnia pietatis impedimenta, quæ ex iis oriuntur, rite ac penitus vellent removere. Adeo arcanam & penetrantem vim habent divitiæ, etiam optima ingenia è ſtatu perfectionis dimovendi, atque inprimis filialem fiduciam ac charitatem erga Deum delendi & extinguendi. (Vide hac de re dicta ſuperius cap. 6. 21.) Quod quia probe intelligebat Chriſtus, ideo inquit infra ℣. 23, divitem difficulter ingreſſurum eſſe in regnum cœlorum.

Hinc autem perſpicuum eſt, hoc Chriſti mandatum non ſimpliciter poſſeſſione divitiarum interdicere, ſed cum hac tantum conditione, ſi nobis ad perfectionem ſint obſtaculo. Cæteroqui ſi opes in manus talium hominum incidant, qui iis recte & ſecundum Dei voluntatem uti norint, nempe non ſolum ad proprios moderatos uſus, verum etiam ad Dei gloriam & ad ſublevationem egentium, hujuſmodi hominibus ſuadendum eſt potius, ne divitias ac facultates ſuas protinus erogent, ſed retineant, ut ſemper materiam & occaſionem habeant opera charitatis exercendi, & ſibi ipſis theſauros cœleſtes amplificandi. Quin etiam licet videamus, aliquem divitiis ſuis abuti, non illico debemus tali auctores eſſe ſimpliciter urgendo, ut eas abjiciat, ſed potius monere, ut eis dextre uti diſcat, luxum reſecando & liberali manu beneficia in egenos ſpargendo. Qui enim didicit divitias abſque ſcandalo poſſidere, perfectior eſt eo, qui eas propter infirmitatem ſuam abjicit.

Notandæ autem hic ſunt & vitandæ diverſæ erroneæ circa hunc locum opiniones. Prima eſt eorum, qui Chriſtum cenſent loqui hic de ejuſmodi perfectione, quæ non omnino ſit ad ſalutem neceſſaria, ſed ſolum conducat ad majorem gloriam & præeminentiam in æterna vita conſequendam; quaſi diceret Chriſtus: Quandoquidem omnia iſta mandata à juventute ſervaſti, potes quidem adipiſci vitam æternam; ſed ſi vis perfectus eſſe, id eſt, ſublimiorem gradum in futura vita obtinere, en tibi conſilium do, ut bona tua divendas &c. Sed primo apertum eſt, juvenem hunc cum quæreret ex Chriſto de via vitæ æternæ, nondum fuiſſe ipſius diſcipulum, adeoque doctrinæ Chriſti ignarum. Jam vero extra doctrinam & cognitionem Chriſti non eſt ſalus Joh. 17. 3. Actor. 4. 12. Deinde ex eo, quod Chriſtus infra ℣. 23, ex occaſione juvenis iſtius, qui audito mandato ſuo mœſtus abierat, dixit, difficulter ingreſſurum eſſe divitem in regnum cœlorum, ſatis elucet; juvenem hunc ideo, quod mandato Chriſti noluerit obſequi, in regnum cœlorum non introiiſſe. Præterea non habuiſſet juvenis iſte cauſam tantopere ob hoc mandatum vel (ut illi loquuntur) conſilium Chriſti triſtandi, ſi abſque eo potuiſſet vitæ æternæ compos fieri; cum ab initio nihil aliud quam hoc poſtularit. Nam etiam infimus in vita æterna gradus eſt tam ineffabilis theſaurus, ut qui ejus certam ſpem habet, cauſæ ſatis habeat præ gaudio exultandi, non vero ullo modo triſtandi. Porro. ſi theſaurus iſte in cœlis, quem Chriſtus ei promiſit, ſi bona ſua venderet & daret pauperibus, non ſimpliciter in vita æterna, ſed in peculiari gloria & eminentia in vita æterna conſiſteret (ut hi contendunt) quid opus fuiſſet, ut Chriſtus ei juberet ad ſe redire, ſe ſequi, & (ut Marcus addit cap. 10. 21) crucem in ſe recipere? Potuiſſet reſpondere juvenis: Quid neceſſe eſt, ut te huc illuc oberrantem comiter, quando obſervando Legis præcepta & bona mea diſtribuendo, poſſum acquirere pretioſum in cœlis theſaurum? amplius non requiro.

Altera falſa opinio & interpretatio hujus loci eſt eorum, qui cenſent Chriſtum hoc mandatum juveni iſti non ſerio tanquam præceptum ad perfectionem ejus pertinens dediſſe, ſed eum tantum publice confundere ac pudefacere voluiſſe, quia falſo gloriatus fuerit, ſe omnia mandata obſervaſſe. Exiſtimant enim, Chriſtum hoc unico mandato de venditione bonorum, voluiſſe demonſtrare, eum non diligere ſuum proximum, uti ſepiſum; cum probe ſciverit, eum mandato iſti non ſatiſfeciſſe. Verum huic interpretationi hoc obſtat, quod jam aliquoties commemoratum eſt, nempe quod Chriſtus juvenem hunc poſt ejus confeſſionem adamaverit Marc. 10. 21. Unde clarum eſt, Chriſtum non habuiſſe animum pudefaciendi eum; ſiquidem cauſam diligendi eum in ipſo invenit. Quin & hoc contrarium eſt huic interpretationi, quod Chriſtus apud Marcum dicit: *Unum tibi deeſt.* Et apud Lucam; *Adhuc unum deeſt tibi.* Ex quo patet, quod ipſi quoad ſuperiora

eo ſenſu, quem ex Lege didicerat, nihil defuerit, quodque adeo Chriſtus nullam habuerit eum pudefaciendi anſam.

Tertius error eſt eorum, qui putant Chriſtum non mandaſſe huic juveni, ut reipſa bona ſua venundaret, & pauperibus erogaret, ſed tantum, ut cor ſuum ab iis abſtraheret, paratuſque eſſet ſemper pauperibus benefacere. Quæ ſententia ob has rationes conſiſtere nequit. Primo, quia ipſi Chriſtus injungit poſt vendita bona ſua ad ſe redire & aſſeclam ſuum fieri. Ad id vero, ut ſolummodo cor ſuum à poſſeſſionibus ſuis abſtraheret, neque reipſa eas venundaret, non erat opus, ut abiret & rediret, Chriſtumque ita demum aſſectaretur: quia id è veſtigio facere poterat. Quare Chriſtus de vera venditione bonorum omnino loquitur; quæ res indigebat tempore aliquo, & à juvene prius fieri debebat, quam ad Chriſtum reverteretur. Secundo, quia nullus locus in Scriptura monſtrari poteſt, in quo verbum *vendendi* hac ſignificatione accipiatur: neque etiam eſt ulla cauſa, ob quam à proprietate hujus verbi diſcedendum hoc loco ſit. Quando Chriſtus præcipit, ut cor à rebus terrenis abſtrahatur, aliis utitur verbis & loquendi modis, nempe eas eſſe odio habendas, abnegandas, eis valedicendum Luc. 14. 26, 33. Hujuſmodi phraſi hic quoque Chriſtus uſus fuiſſet, ſi ſolam animi abſtractionem imperare voluiſſet, non verbo *vendendi*, quod ad rem hanc exprimendam ineptum eſt; quia is qui bona ſua vendit & donat pauperibus, nihilominus cor illis affixum gerere poteſt, dum ſcilicet illud invitus facit & reluctante animo, atque ad ea ſubinde anhelat. Verba quoque illa, *& da pauperibus*, non poſſunt de ſola promptitudine juvandi pauperes intelligi, ſed de actu ipſo dandi pauperibus; quia Chriſtus adjunxit talem promiſſionem, *Et habebis theſaurum in cœlo*, quaſi dicat: Quia tu hac ratione perdes theſaurum in terra, habebis pro terreno theſauro alium in cœlo. Jam vero venditio bonorum medium erat ipſi propoſitum ad diſtributionem pauperibus faciendam. Oportuit igitur veram eſſe illam venditionem: præſertim quia Græca vox ὑπάρχοντα talia bona ſignificat, quæ nummis emi poſſunt, & de quibus ſi benefaciendum ſit pauperibus, non ſatis eſt, animum tantum ab eis avellere (quo eſurientis non ſaturatur venter) ſed opus eſt, ut illa reipſa venundentur.

Et ſequere me.] Id eſt, eſto meus diſcipulus. Candidus enim & probus ipſius animus movit Chriſtum, ut eum amore complecteretur (Marc. 10. 21,) & libenter eum diſcipulorum ſuorum numero adſcripſiſſet. Apud Marcum Chriſtus adjecit: *& tolle crucem* cap. 10. 21, innuens, ſequenti varias afflictiones & incommoda eſſe ſuſcipienda, & maſculo animo ſuperanda.

Verſ. 22. *Cum audiſſet autem adoleſcens ille hunc ſermonem, abiit triſtitia affectus: habebat enim bona multa.*] Hoc Chriſti mandatum fuit ingens ictus, quo adoleſcentis hujus cor pupugit. Quia enim cor ejus arcto nexu cum bonis ejus erat devinctum, protinus ſenſit dolorem, cum ab iis avellendum eſſet. Clarum hic extat exemplum, quanta ſit vis divitiarum in animis hominum. Adoleſcens iſte à juventute ſua magno labore contendit, ut in Lege inculpatus viveret: nunc in hoc uno deficit, mavultque oleum & operam hactenus impenſam perdere, imo vitæ æternæ jacturam facere, quam cum amicis opibus ſuis divortium facere. Hæc enim ejus triſtitia indicat, eum hoc præceptum non tanquam minus neceſſarium temere ſpreviſſe, ſed quia de Chriſto optimam exiſtimationem conceperat, credideratque eum ſibi poſſe veram ſalutis viam monſtrare; ideo etiam credidit, aut ſaltem dubitavit, annon id revera neceſſarium ſit ad vitam æternam conſequendam: præſertim cum videret, etiam alios, v. g. Phariſæos, in largis eleemoſynis ſingularem ſanctitatem ac meritum apud Deum collocare.

Verſ. 23. *Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia difficulter dives intrabit in regnum cœlorum.*] Exinde quod adoleſcens ille adeo triſtis mandato Chriſti redditus receſſit, ſumit Chriſtus anſam ſtatum divitum in genere deſcribendi. Opes & pietas ſunt res duæ adeo diſpares, ut nonniſi in perfectiſſimis Chriſtianis (quorum pauciſſimi reperiuntur) ſimul poſſint conſiſtere. Qui animos ſuos ſcuto veræ fidei ac fiduciæ in Deum non bene muniverunt, fiunt divitiarum mancipia, & eas faciunt idolum ſuum, in quo ſpem ſuam reponunt. Cujus rei adoleſcens iſte in ſe ſpecimen exhibuit. (Vide ſupra cap. 6. 21.) Hic eſt univerſalis divitum morbus, quod *confidant in opibus ſuis, & glorientur in abundantia divitiarum ſuarum* Pſalm. 49. 7. Idciro præcipitur iis, *ne ſpem in incertis divitiis ponant, ſed in Deo vivente* 1 Timoth. 6. 17. quia nimirum hoc vulgare vitium eſt divitum. Hinc avaritia, id eſt, plura habendi cupido, quam neceſſitas poſtulat, *idololatria* appellatur Col. 3. 5.

Difficulter.] Non prorſus eſt impoſſibile. Nam qui divites ita ſe gerent, uti docet Paulus 1 Timoth. 6. 17, (quorum tamen vix milleſimum invenias) iis cœlum præcluſum non eſt.

Verſ. 24. *Iterum vero dico vobis: Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum Dei introire.*] Hæc fuit proverbialis locutio, non Hebræis ſolum, ſed & Arabibus uſitata, qui aliquando pro Camelo elephantem ponunt hoc modo: Facilius eſt elephantem per foramen acus tranſire. Unde patet, errare eos, qui Camelum pro fune nautico accipiunt. Neque vero hinc omnimoda impoſſibilitas infertur. In ejuſmodi enim proverbiis non ſemper plena ſimilitudo earum rerum, quæ inter ſe conferuntur, intelligitur. Simile proverbium eſt illud Jerem. 13. 23. Quo pacto autem divites à regno cœlorum excludantur, declaravit Chriſtus ipſe apud Marcum cap. 10. 24, his verbis: *Filioli, quam difficile eſt, eos qui confidunt opibus, in regnum Dei introire.* Hoc omnes divites, id eſt, qui plura poſſident, quam quotidiana poſtulat neceſſitas, probe notare,

tare, & eo percelli animo deberent. Quamvis enim in aliis cunctis virtutibus perfecti ſint, ſi animus eorum affixus ſit opibus, ſi fiduciam ſuam in iis reponant, non introibunt in regnum cœlorum. Ex eo autem cognoſcitur, cor eorum opibus affixum eſſe, ſi ægre & parce admodum bona ſua communicent: præterea ſi opum ſuarum diſpendium acerbiſſime ac moleſtiſſime ferant.

Verſ. 25. *His autem auditis diſcipuli ejus perculſi ſunt valde, dicentes: Quis ergo poteſt ſervari?*] Diſcipuli ita colligunt: ſi ad hunc modum ſe res habet cum divitibus; Ergo nemo hominum poteſt ſervari: non quod omnes homines ſint divites; ſed quia nemo ex hominibus reperiatur, qui non avidum divitiarum animum gerat, & reipſa, quantum in eo eſt, eis quærendis operam ſuam non impendat, id eſt, qui non ſit avarus. Atque hoc putant (nec immerito) non minus quam ipſas divitias viam ſalutis obſtruere.

Verſ. 26. *Intuitus autem eos Jeſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.*] Intuitus eſt eos Chriſtus, fortaſſis propterea, quod diſcipuli, ut Marcus cap. 10. 26 narrat, id non ad Chriſtum, ſed inter ſe dixerint, ita ut Chriſtus, id ex ore eorum non audierit, ſed ipſorum ſermones ac cogitationes perſpectas habuerit.

Apud homines id impoſſibile eſt.] Vox *impoſſibile* non amplius hic denotat, quam ſupra ỳſ. 23, vox *difficulter*. In talibus enim rebus duæ iſtæ voces ſine diſcrimine uſurpantur, etiam apud proſanos Scriptores, & in familiari ſermone. Quid enim uſitatius eſt, quam ut de re, quæ laborem immenſum poſtulat, & de cujus optato fine dubia admodum ſpes eſt, dicatur, eam eſſe impoſſibilem, etſi talis natura ſua non ſit? Vult autem Chriſtus dicere, quod res ſit humanis viribus admodum difficilis, poſſidere divitias & animum ſuum iis non adjicere.

Apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.] Proverbium uſitatum apud Judæos erat, deſumptum ex Gen. 18. 14. Jerem. 32. 17. Uti autem dicto huic in genere ſua conſtat veritas in omnibus iis rebus, quæ ullo modo ſub potentiam cadunt, & contradictionem non involvunt: ita hic in ſpecie uſurpatur de iis rebus, quæ vel pars ſunt pietatis, vel media eam adjuvantia; de quibus Pauli quoque dictum illud intelligendum eſt Phil. 4. 13: *Omnia poſſum in eo, qui me corroborat, Chriſto.* Ita Deus etiam divitibus, ab eis humiliter invocatus, tantum gratiæ ſuæ concedere poteſt ut à veneno divitiarum illæſi maneant, atque ita ſe in iis gerant, ut Paulus docet ut *habeant eas tanquam non habentes, & utantur iis tanquam non abutentes* 1 Cor. 7. 29, 30, 31. Atque hanc gratiam eis Deus concedit, non modo tum, quando cognitione ſapientiæ ſuæ cœleſtis, ad quam ediſcendam eis media & occaſiones ſubminiſtrat, animos eorum ita illuminat, ut intelligant, quam ſumme obſtricti ſint ipſi toto pectore confidere, opeſque non tanquam proprias ſed tanquam Dei bona poſſidere, & convertere in uſum eorum, quibus æque ac illis vult eſſe proſpectum: ſed etiam, quando per varias afflictiones, in quibus nullum auxilium, neque ſolatium à ſuis opibus habere poſſunt, vitam eis reddit amaram & moleſtam, ut ita ipſa neceſſitate adigantur ſua fiducia ab illo ſolo pendere.

PARS IV.

Verſ. 27. *Tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?*] Duo, quæ Chriſtus à divite adoleſcente exegit, ut nimirum omnia relinqueret, & ſe ſequeretur, ait Petrus ſe & reliquos Apoſtolos præſtitiſſe (Matth. 4. 19, 20, 21, 22. IX. 9.) de tertio, nempe de vendendis omnibus bonis & diſtribuendis inter pauperes, nihil meminit. Hoc enim Chriſtus ab eis non poſtulavit, neque etiam cum eorum paupertate congruebat. Quid enim venderent? Suas piſcatorias caſas? Hæ vero vel uxorum ac liberorum, vel parentum atque cognatorum ipſis junctorum diverſoria erant. Fortaſſis etiam naviculæ, quibus ad piſcandum uſi ſunt, non ipſorum erant propriæ, ſed communes cum aliis: agros aliaque bona nulla habebant. Itaque dum ſuas licet viles domunculas & rem familiarem, qua ſe ſuoſque ſuſtentabant, reliquerunt, Chriſtumque ſecuti ſunt; rem non minorem præſtiterunt, quam hic adoleſcens præſtitiſſet, ſi ſuperflua bona ſua vendidiſſet. Hac igitur fiducia plenus interrogat Petrus: Quid præmii ac mercedis pro iſto candore ſuo ſperare habeant? Potuiſſet vero Chriſtus ſimpliciter reſpondere: Quod feciſtis, non mihi, ſed vobis, ac bono veſtro feciſtis, ut viam ſalutis à me perdiſcatis; non eſt quod id vel mihi vel Patri meo imputetis. Sed ille pro ſua benignitate foret eorum ſpes, & affirmat, hanc voluntariam ipſorum jacturam ſingulari præmio atque inſigni honore compenſatum iri.

Verſ. 28. *Jeſus autem dixit eis: Amen dico vobis, vos qui me ſecuti eſtis, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis vos etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraëlis.*] Qui me ſecuti eſtis, intellige, non tantum omnia relinquendo, ſed etiam mecum in tentationibus meis permanendo Lucæ 22. 28.

In regeneratione.] Hæc verba non ad ſuperiora, ſed ad ſequentia ſunt referenda. Intelligitur autem hic per regenerationem Regnum Meſſiæ, cujus initium poſt reſurrectionem Chriſti fieri debebat. De qua regeneratione Paulus loquitur 2 Cor. 5. 17: *Si quis eſt in Chriſto Jeſu, nova eſt creatura* (id eſt, regeneratus homo.) *Vetera præterierunt, & ecce omnia facta ſunt nova.*

Cum ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ.] Id eſt, quando regnabit. De Regno Chriſti, quod cœpit poſt ejus reſurrectionem & exaltationem, vide ſupra cap. 10. 23. XVI. 28. Mentione throni gloriæ hic & infra cap. 25. 31, reſpicitur ad regium Salomonis thronum 2 Paral. 9. 17 deſcriptum.

Sedebitis etiam vos in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraëlis.] Summa hujus promiſſionis eſt, eos ubi venerit in regnum ſuum, futuros ipſi proximos, & cum ipſo regnaturos. Hanc eorum dignitatem deſcribit ad ſimilitudinem priſcæ regiæ eminentiæ Iſraëlis, in qua Principes tribuum proximo poſt Regem loco erant, & in publicis conventibus ſedebant in pretioſis ſoliis penes Regem. Eadem ſimilitudine utitur Chriſtus quoque Luc. 22. 29, 30, ubi inſuper addit, quod edent & bibent in menſa ejus: qui honor nonniſi ſummis proceribus ac principibus Regni competebat. Judicare hoc loco nihil aliud ſignificat quam regnare. (Ut Othoniel judicabat in Iſraële, id eſt, regnabat Jud. 3. 10. Vide etiam cap. 10. 2. XII. 7, 8, 9, 11, 13, 14. 1 Sam. 4. 18.) Poſtquam enim in throno Patris ſui Chriſtus conſedit, & omne judicium regnumque obtinuit, effudit in Apoſtolos vim Spiritus Sancti, per quam veluti renati & novi homines facti ſunt. Itaque per eos, vel potius per Spiritum Sanctum in eis, Chriſtus regnum ſuum divinum in terris, in promotione ſalutis omnium gentium, adminiſtravit: ut ita illi in eadem apud ipſum dignitate eſſent, in qua ipſe fuit apud Patrem. Sicut enim ipſe miſſus erat à Patre, ita ipſe illos miſerat Joh. 20. 21. Quod ſi verbi *judicandi* propria ſignificatio retineatur, Apoſtoli ab eo tempore quaſi Judices ſederunt, cum ſecundum doctrinam ac leges eorum de uniuſcujuſque vita ac morte, præmio ac pœna judicium ferri debuit, ac reipſa quoque latum eſt. Atque hæc eorum dignitas ac prærogativa etiam manebit eis etiam in futura vita, cum non modo univerſale judicium in adventu Jeſu Chriſti ſecundum doctrinam eorum ac leges ab iis deſcriptas pronunciabitur, verum etiam capita populi Dei Chriſto proxima erunt, adeoque inter omnes principatum obtinebunt. Quare Chriſtus his verbis ſummam & ampliſſimam dignitatem Apoſtolici eorum muneris exprimere voluit: quæ ſane fuit ingens præmium virtutis eorum, quod omnia reliquerint, ejuſque ſectatores facti fuerint.

Duodecim tribus Iſraëlis.] Regnum Meſſiæ tantum ſuper Iſraëliticum populum ſe extendere debebat, cui tanquam trunco atque radici reliquæ gentes ac populi inſerendi erant Rom. XI. 17. Quocirca duodecim iſtæ tribus Iſraëlis ſumuntur pro univerſo Iſraëlitico populo; quaſi dicat Chriſtus: Sedebitis in 12 thronis, & regnabitis ſuper populum Iſraëlis. Erat quidem Iſraëliticus populus propter hæreditatem duorum Joſephi filiorum, Manaſſis & Ephraimi, in tredecim tribus diviſus: ſed vulgo tamen nonniſi duodecim tribus numerantur; ut Actor. 26. 7. Jac. 1. 1. Levitis enim nulla hæreditatis portio aſſignata erat Deut. 10. 9.

Plerique Interpretes intelligunt hic præſtantiam ac dignitatem Apoſtolorum, quam tempore noviſſimi judicii habituri ſint, quod tunc cum Chriſto in nubibus apparituri, & una cum eo mundum judicaturi ſint. Sed hæc promiſſio talis dignitatis, quam mors eorum adhuc præcedere debebat, intellectum eorum nondum capacem nimis excedebat, neque tantas vires habuiſſet ad eos exhilarandos, quam id, quo adhuc in hac vita perfrui debebant. Quanquam illi etiam pro communi illa Judæorum opinione de Regno Meſſiæ, longe aliam, & quidem carnalem eminentiam ſibi pollicebantur, quam eis deſtinata erat: ſed hæ eorum cogitationes ac ſpes carnales poſtmodum per Spiritum Sanctum, quem acceperunt, prorſus ſunt immutatæ.

Verſ. 29. *Et quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, propter nomen meum, centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure poſſibebit.*] Ne quis cogitaret, ſolis Apoſtolis ſperandum eſſe præmium pro relictione omnium rerum ſuarum, reliquis idem facturis, minime: Chriſtus præclaram etiam his promiſſionem facit; quaſi dicat. Non vos tantum ampliſſimum præmium conſequemini, ſed omnes quoque & ſinguli, qui mea cauſa aliquid perdent aut deſerent.

Aut uxorem.] Fieri poteſt, ut uxor impedimento ſit viro in ſequendo Chriſtum: ſed potius uxor deſerenda eſt, quam Chriſtus.

Centuplicia. Id eſt, multiplicia, ut habet Lucas: cap. 18. 30. Numerus certus & notus ponitur pro ignoto & incerto. Addit quoque Lucas: *In hoc tempore.* Quæ verba hic quoque apud Matthæum ſubaudienda eſſe, indicant verba illa ſequentia, *& vitam æternam*: quæ nimirum centuplici compenſationi in hoc ſeculo, inſuper addetur. Ita autem multiplex compenſatio in hoc tempore non ſolum fit ſpiritualiter, per donorum ſpiritualium communicationem, quæ omnia bona terrena, quantumvis maxima, longiſſime exſuperat; verum etiam corporaliter, dum tali fidelium cœtui adjunguntur, ubi paternam & maternam, filialem & fraternam charitatem erga ſe inveniunt, & Deus ipſe quoque, uti communis omnium Pater, eorum paternam aget curam, ut ipſis egeſtas aut penuria ullius rei minime ſit pertimeſcenda. Ex qua fratrum ſuorum charitate, & Dei paterna cura, plus ſolatii & gaudii percipient, quam doloris & mœroris ex ſuſcepto damno & injuria. Præterea in tali ſtatu ſuo, in quo didicerunt vanitatem rerum temporalium ac fluxarum noſſe, magis acquieſcit & expletur animus eorum neceſſariis rebus, quam antea in ſtatu inexplebilis magnarum opum concupiſcentiæ. Eſt autem magnus quæſtus & opulentia, animus ſua ſorte contentus 1 Tim. 6. 6. Talis compenſatio non paucis obtigit Jeroſolymis, ubi credentium erat cor unum & anima una, omnium bona erant communia Actor. 4. 32. Marcus repetit res à Chriſto hic enumeratas, eum ſcilicet *in hoc tempore centuplicia accepturum, domos, & fratres & ſorores, & matres, & liberos, & agros* cap. 10. 30. Uxorum autem non meminit rurſus, quia abſonum foret, aliquem centum uxores pro una recipere debere. Nihilominus tamen talis in Chriſtiana Eccleſia etiam omnia illa amoris & fidei inveniet officia quæ ab uxore præſtarentur, præter hoc unum, quod à ſola uxore poſtulari poteſt. Marcus præterea addit, *cum perſecutione.* De quo vide ibidem.

Verſ. 30. *Multi autem primi erunt noviſſimi, & noviſſimi primi.*] Declarat Chriſtus verbis hiſce, quomodo Deus compenſationem modo dictam ſit daturus:

quaſi

quasi dicat: Dum omnibus, qui in mei gratiam chariſſima ſua pignora reliquerunt, tantam compenſationem promitto, nolo verba mea ita accipi, quaſi pro ratione præſtitæ mihi operæ, etiam unicuique eodem ordine ac menſura danda ſit remuneratio: ſed ſciendum eſt, multos qui primi ſunt, fore ultimos, & qui ultimi ſunt, fore primos; id eſt, Deum multos, imo pleroſque abſque diſcrimine in remuneratione æquaturum. Cum enim Chriſtus unicuique centuplicem remunerationem pollicitus ſit, non omnes autem æque multa Chriſti cauſa relinquant, potuiſſet quiſpiam cogitare, remunerationem quoque varia menſura, & juxta proportionem diverſimode dandam eſſe; nempe ut qui v. g. unam domum amiſit, centum domos conſequatur, alter vero qui duas domos perdidit Chriſti ob nomen, ducentas domos accipiat, & ſic in cæteris. Sed non eſt ſapientiæ Dei conſentaneum, in his rebus terrenis tam accuratam ſupputationem facere, & ejus qui minus perdidit, ideo quod minus poſſideret, æque ingenuam & candidam operam minori penſare præmio, quam alterius, qui multa perdidit, quia multa habuit. Nam Petro Apoſtolo potuit tam chara fuiſſe ejus navicula & retia, atque huic juveni ingentes poſſeſſiones atque divitiæ. Quocirca magis convenire ſapientiæ divinæ videtur, ut ultimos primis pares faciat, id eſt, ut omnibus parem remunerationem reddat. Atque hac in re nemini fit injuria. Etſi enim qui minus amiſerunt vel laborarunt, plus accipiant, ſi tamen ii qui plus amiſerunt, talem mercedem accipiant, quæ æqualis ſit ipſorum labori, non habent, quod conquerantur. Deo enim integrum eſt facere in ſuis rebus, quod vult, & quando ei, qui fidelem ipſi navat operam, de promiſſo nihil detrahit præmio, de cætero liberum ipſi eſt, aliis dare plura quam meruerunt, eoſque reliquis pares facere. Id quod Chriſtus in ſequenti parabola de Patrefamilias clare oſtendit, totamque rem verſ. 16 ſequentis cap. iteratione ſententiæ hujus concludit: *Ita erunt ultimi primi, & primi ultimi.* Sed non ſolum in præmio hujus vitæ, ad quod quidem Chriſtus potiſſimum reſpicit, Deus ad eum ut dictum eſt, aget modum, verum etiam in conferenda vita æterna. Nempe qui citius ad Chriſtum converſi ſunt, aut plus certaminis & moleſtiæ in converſione ſua exantlarunt, aut non tam magni antea peccatores fuerunt quam alii, illi non accipient majorem quam alii mercedem, ſed omnes pariter æterna felicitate beabuntur. Impius Ethnicus æquabitur in ea ſanctiſſimo Judæo, ſi poſt converſionem uterque pares ſint pietate ac virtutibus. Si enim in eo impares ſint, aut ſi quis poſt converſionem, res ad Dei gloriam ſpectantes, minus curæ cordique habuerit, cum tamen vires ac facultates ei pares fuerint; ſine dubio etiam remuneratio in vita æterna inæqualis erit: ut ex 1 Cor. 15. 41 patet. Confirmationem hujus explicationis vide in iis, quæ dicentur infra ad cap. 20. 8.

CAPUT XX.

I. *Chriſtus narrat parabolam de Patrefamilias, qui operarios in vineam ſuam conduxit: ad verſ. 17.* II. *Annunciat ſuis diſcipulis futuras paſſiones ſuas, mortem & reſurrectionem: ad verſ. 20.* III. *Matris filiorum Zebedæi petitioni reſpondet, dehortaturque diſcipulos ſuos ab ambitione, & ad humilitatem hortatur: ad verſ. 29.* IV. *Duos cæcos ſanat, viſum eis reſtituens.*

PARS I.

Verſ. 1. *Simile enim eſt regnum cœlorum Patrifamilias, qui exivit primo mane ad conducendos operarios in vineam ſuam.* Vocula *enim* connectit hoc caput cum ſuperiore. Chriſtus enim illuſtrat hic allata parabola dictum illud verſus ultimi capitis præcedentis, quod nimirum *primi noviſſimi, & noviſſimi primi erunt.* Quod continet argumentum ac ſcopum totius hujus parabolæ, uti ex ỳſ. 16 cernitur, ubi eadem verba repetuntur, iiſque parabola concluditur.

Simile eſt regnum cœlorum.] Per regnum cœlorum hic (ut & ſupra cap. 3. 2. 1v. 17 & alibi) intelligitur Regnum Meſſiæ. Vultque Chriſtus dicere, Deum in eo præmia diſtributurum tali æquitate, quali utitur Paterfamilias, qui varios operarios conduxit &c.

In vineam ſuam.] Ut in ea laborent.

Verſ. 2 *Pactus autem cum operariis ex denario in diem, miſit eos in vineam ſuam.*] Denarius valebat circiter ſextam partem Imperialis. Tantumque dabatur mercedis operario in diem. Vide Apoc. 6. 6.

Verſ. 3. *Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos.*] Judæi diem unumquemque in 12 partes ſeu horas dividebant. Hinc circa ſolſtitium æſtivum horæ longiores erant, quam circa hybernum. Tertia itaque hora erat punctum medium inter ortum ſolis, & meridiem. Sexta hora ſemper erat meridies; nona erat medium punctum inter meridiem & occaſum Solis: undecima hora erat hora ultima ante veſperam ſeu ſolis occaſum: quo occidente incipiebat duodecima.

Verſ. 4. *Et illis dixit: Abite & vos in vineam, & quodcunque juſtum fuerit, dabo vobis.*] Quod juſtum fuerit, id eſt, æquum. Sic vox iſta quoque ſumitur Phil. 1. 7. Col. 4. 1. 2 Petr. 1. 13. Duplici modo operarii conduci ſolent, vel certo ac nominato pretio, vel promiſſione æquæ mercedis. Non eſt quidem neceſſe, ut in parabola omnes & ſingulæ partes ad rem, ad quam illa directa eſt, accommodentur: nihilominus videtur Chriſtus non ſine cauſa duplicis hujus conductionis, unius in qua denarius, & alterius, in qua æquitas à patrefamilias promittitur, mentionem facere. Nam ſub Veteri Fœdere obedientibus certum, expreſſum ac conſpicuum præmium conſtitutum erat, nempe terra fertilis, vita longa, & omnis generis temporalia bona: ſub Novo Fœdere autem remuneratio obedientiæ non conſiſtit in rebus temporalibus, ſed à ſola divina bonitate dependet, à qua id ſperamus conſequi, quod nullius vidit oculus, nullaque audivit auris 1 Cor. 2. 9.

Verſ. 5. *Illi autem abierunt. Iterum egreſſus circa ſextam & nonam horam fecit idem.*

Verſ. 6. *Circa horam autem undecimam egreſſus, invenit alios ſtantes otioſos, ac dicit eis: Cur hic ſtatis totum diem otioſi?* Iſti jam ſero admodum conducti ſunt: & tamen eorum labor fuit acceptus patrifamilias, ut in mercede æquaverit eos reliquis.

Verſ. 7. *Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit eis, Abite & vos in vineam, & quicquid fuerit juſtum accipietis.*

Verſ. 8. *Veſpere autem facto, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde eis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos.*] Id eſt, diſtribue abſque diſcrimine ordinis, tantum uni da quantum alteri. Eſt locutio Hebræis familiaris. Si enim procurator ordinis rationem in diſtribuendo habere debuiſſet, dixiſſet Paterfamilias: Incipe à primo uſque ad ultimum, ut apud Johannem dicitur cap. 8. 9: *Exibant ſinguli alius poſt alium, initio facto a Senioribus uſque ad ultimos.* Quando autem æqualitas indicatur, inverſo ordine dicitur, ab ultimo uſque ad primum, id eſt, ſine diſcrimine, æqualiter. Sic Actor. 8. 10 de Simone Mago ſcriptum eſt, quod ei *attenderint omnes a minimo uſque ad maximum*, id eſt, omnes indiſcriminatim tam minimi quam maximi. Hinc proinde intelligitur, ſenſum ultimi verſiculi in Capite præcedenti, *Multi primi erunt ultimi, & ultimi primi*, eum ipſum eſſe, quem ſupra ad hunc veriſiculum expoſuimus, quod nimirum in diſtributione compenſationis nullum futurum ſit diſcrimen, ſed omnes parem remunerationem accepturi ſint.

Verſ. 9. *Et cum veniſſent, qui circa undecimam horam conducti fuerant, acceperunt ſinguli denarium.*

Verſ. 10. *Cum veniſſent autem primi, exiſtimarunt ſe plus eſſe accepturos; ſed acceperunt ipſi quoque ſinguli denarium.*

Verſ. 11. *Sed cum accepiſſent, murmurabant adverſus Patremfamilias.*

Verſ. 12. *Dicentes: Iſti ultimi unam horam opus fecerunt, & eos æquales nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtum.*

Verſ. 13. *Ipſe vero reſpondens dixit uni eorum: Amice, non facio tibi injuriam; nonne denario pactus es mecum?*

Verſ. 14. *Tolle quod tuum eſt, & abi: volo autem huic ultimo dare, ut & tibi.*

Verſ. 15. *Annon licet mihi, quod volo, facere in rebus meis? an oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum?*] Sic ſolemus reſpondere iis, quibus rationem rerum noſtrarum reddere non tenemur. Ita Deus non tenetur hominibus rationem reddere, cur uni plus gratiæ largiatur, quam alteri: ut & hic paterfamilias. Acquieſcendum eo eſt unicuique, quod ſciat, Deum nemini injuriam facere: hoc enim foret ſanctitati ac juſtitiæ ejus contrarium. Verumtamen ſi quis ſumma cum demiſſione ac veneratione ad eum accedat, ei quoque monſtrat rationem ſapientiſſimorum conſiliorum ac decretorum ſuorum: prout fecit olim Abrahamo Gen. 18. 25, 26, 27. ſeqq. Inſolentibus autem merito pro divina auctoritate ſua imperat, ut comprimant linguam. Sufficere autem hæc cauſa omnibus hominibus in genere poteſt, cur Deus uni plura beneficia exhibeat, quam alteri: nempe ut demonſtret, ſe abſolutum eſſe bonorum ſuorum dominum; de quo facile quis in dubitationem venire poſſet, ſi ſe Deus ſcrupuloſe hominum meritis alligaret. Tenendum vero eſt, quicquid Deus pro libero ſacit arbitrio ſuo, plenum eſſe ſapientiæ, ſanctitatis & juſtitiæ: quæ Dei attributa ſunt quaſi cancelli quidam, quibus libertas arbitrii divini circumſcripta eſt, quos ſi in operibus ac conſiliis ſuis tranſgrederetur, Deus non foret. Itaque non eſt liberum Deo, innocentem hominem punire; ſed liberum eſt, nocenti immeritam gratiam exhibere. Ita nec de mercede promiſſa merenti aliquid demere integrum eſt; at fas eſt immerenti donare, aut ſupra meritum aliquem remunerari. Quanto minus convenit Deo, maximam partem humani generis abſque omni intuitu eorum incredulitatis vel peccatorum, ex ſolo & mero beneplacito, tantum quia ita libuit, ad æternos cruciatus & tormenta condemnare. Qui talia docent, Deum faciunt Tyrannum iniquiſſimum: quod vel cogitatu horrendum eſt.

Verſ. 16. *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.*] Id eſt, hoc modo, ſicut fecit iſte paterfamilias, Deus quoque indiſcriminatim præmia ſua diſtribuet inter eos, qui propter nomen meum domos, fratres, ſorores &c. reliquerunt. Nimirum Deus non ſpectat inæqualitatem operum in ſolvendo præmio, ſed utitur ea in parte libertate arbitrii ſui. Omnes ille liberos ſuos complectitur amore æquali, ſive illi hodie naſcantur, ſive ante annos mille nati fuerint. Ipſe tempora ignorantiæ connivendo diſſimulavit Actor. 17. 30, id eſt, omnibus hominibus omnia peccata, etſi inter ea maxima eſſet inæqualitas, æqualiter condonavit.

Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.] Vox *vocatorum* duplici ſignificatu in Sacris Literis invenitur. Primo ita appellantur omnes, qui per prædicationem Euangelii ad vitam æternam invitantur, atque vocantur. Deinde illi, qui vocati reipſa parent, & Euangelio fidem adjungunt: qua poſteriori ſignificatione uſurpatur hæc vox Rom. 1. 6. 1 Cor. 1. verſ. 2, 24. Jud. 1. (Vide etiam Rom. 8. 28.) Sic etiam vox *electorum* duplicem habet ſenſum atque ſignificationem. Primo accipitur pro omnibus, qui Deo vocanti morem gerunt, & credunt Euangelio. Per hoc enim à grege aliorum hominum infidelium in mundo ſecernuntur & ſeliguntur. Itaque Electus in hoc primo ſignificatu idem eſt, quod Vocatus in ſecunda ſignificatione. Atque hoc ſenſu totus Iſraëliticus populus dicitur electus Pſal. 105. 43. cvi. 5, & omnes Chriſtiani in genere Luc. xviij. 7. Rom. 8. verſ. 33. Col. 3. 12. Tit. 1. 1. 1 Petr. 2. 9. v. 13. Secundo Electi vocantur in ſupremo gradu illi, qui inter primos illos electos ſeu vocatos eminent, ſive ſingulari ſanctitate, ſive peculiaribus donis divinis, aut aliam ob cauſam. Hac ſignificatione vox iſta accipitur Pſal. 89. 4. cvi. 26. Eſai. 42. 1. xlv. 4. Rom. 16. 13. 2 Joh. 1 & 13. Hic in dicto Chriſti utraque vox *vocatorum* & *electorum* in ſignificatu poſteriore accepta ponitur: nempe vocati deſignant eos, qui vocationi obtemperant, adeoque vocati veniunt; electi vero eos, qui inter hos vocatos peculiari ratione excellunt. Confirmat enim Chriſtus hiſce verbis id quod modo dixerat, probatque, cur

ultimi

ultimi primi, & primi ultimi futuri ſint, quia ſcilicet Deo ſic viſum eſt ac placitum, ut tametſi permulti ſint, qui ad vitam æternam vocati ſunt, eamque reipſa etiam conſequentur, perpauci nihilominus ſint electi, qui præ aliis ſingulari dignitate & gloria in æterna vita eminebunt. Quod certe non fieret, ſi non forent ultimi primi & primi ultimi, id eſt, ſi Deus mercedem non æqualiter omnibus perſolveret. Nam ſi Deus in ſolvendo hunc ſervaret ordinem, ut qui primi in opere fuerunt, opimiorem mercedem reportarent, quam alii; electorum major foret numerus, quam vocatorum: hoc autem Deo pro ſapienti ipſius conſilio haud placuit.

PARS II.

Verſ. 17. *ET aſcendens Jeſus Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſeorſim in via, & dixit eis.*] Hic deſcribit Matthæus poſtremum iter Chriſti verſus Hieroſolymam, ubi poſtea interfectus eſt. Cum enim poſt reſuſcitationem Lazari in Bethania Joh. 11 deſcriptam, conſilium mortis Chriſto inferendæ in Synedrio Hieroſolymitano jam eſſet initum Joh. 11. 47 ad 53, Chriſtus cum diſcipulis ſuis ſeceſſit de via, & ſe contulit in urbem Ephraim dictam, ibique commorabatur aliquantiſper. Sed poſtmodum cum noſſet, horam mortis ſuæ jam inſtare, ab Ephraim profectus eſt Hieroſolymam, eoque ſex diebus ante Paſcha pervenit, de quo teſtatur Johannes initio cap. 12.

Aſcendens Jeſus Hieroſolymam.] Aſcendiſſe dicitur, quia Hieroſolyma in montibus ſita erat, qui fuerunt Sion, Moria, Beſeta. Aſcendebat autem ad feſtum inſtans Paſchatis. Eſtque notabile, quod Marcus hic adnotavit, Chriſtum diſcipulis ſuis præiviſſe, ita ut diſcipuli mirarentur & expaveſcerent cap. 10. 32. Vide ad eum locum.

Seorſim.] Nolebat hanc rem à reliquo populo audiri, ne ſi diſpaleſceret, à ſibi faventibus impediretur: aut ne quis cogitare poſſet, eum mortis ſuæ cauſam extitiſſe. Diſcipulis autem ſuis mortem & perpeſſiones ſuas crebro inculcavit, & ſubinde clarius propoſuit, ut impoſterum teſtes eſſent, eum rem ante ſciviſſe ac prædixiſſe.

Verſ. 18. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum ac Scribis, & condemnabunt eum morte.*] Tradetur, dicit ſimpliciter, nulla mentione facta, à quo tradendus eſſet, nempe ab uno diſcipulorum ſuorum, nolens rixam & contentionem inter eos excitare.

Principibus Sacerdotum & Scribis.] Hos potiſſimum nominat, etſi alii quoque in Synedrio ſederent. Nam principes Sacerdotum Sanctitate, Scribæ ſapientia & judicio aliis prælucere debebant.

Condemnabunt eum morte.] Non per legitimum judicium, ſed ex mera malitia & ſine cauſa concepto capitali odio. Summam condemnationis ejus deſcribit Marcus cap. 14. 60 ad 66.

Verſ. 19. *Tradentque eum Gentibus, ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertia die reſurget.* Per Gentes intelligit Pontium Pilatum cum ejus conſiliariis & militibus Actor. 4. 27. Chriſtus hoc modo fœditatem facinoris eorum declarat, quod ad ſe necandum uſuri ſint opera Ethnicorum, quos alioquin attingere nefas ducunt.

Et illudent.] Hoc deſcribitur infra cap. 27. verſ. 28, 29, 37, 39. Lucas addit, *contumeliis afficient, & conſpuent eum*: cap. 18. 32, quod deſcribitur infra cap. 26. 67. xxvij. 30. Vide etiam Eſai. 50. 6.

PARS III.

Verſ. 20. *TUnc venit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo.*] Tunc, id eſt, in illo ipſo itinere.

Mater filiorum Zebedæi.] Nomine Salome, ut liquet ex collatione Matth. 27. 56 cum Marc. 15. 40. Filii ejus erant Jacobus & Johannes Matth. 10. 3. Videtur autem hæc mater inde ſumſiſſe audaciam tam magnam rem poſtulandi, quod nullius Apoſtolorum mater tam aſſiduo ipſi adhæſerit, tamque ſedulo ei miniſtrarit atque ipſa; ideo credebat ſe repulſam haud laturam. Crevit etiam hæc ſpes tam in ea, quam in filiis exinde, quod Chriſtus filios ejus aliquando ſolos à reliquis Apoſtolis ſejunxerit, & ſecum ſeorſim aſſumſerit (ſupra cap. 17. 1) ita ut unus tantum Petrus eſſet, qui de principatu palmam eis facere poſſet dubiam.

Adorans.] Eum flexis genibus venerabatur (vide ſupra cap. 2. 11) quo geſtu ſignificabat, ſe non mediocre quippiam petere velle.

Petens aliquid ab eo.] Apparet eam vocabulo iſto *aliquid* in præfatione petitionis ſuæ uſam fuiſſe. Qui enim aliquid petunt, ſolent præfari, ſe non multum, ſed unam tantummodo rem eſſe petituros, ne pro impudentibus ac in verecundis habeantur. Marcus tribuit hanc petitionem filiis ipſis, quod dixerint: *Magiſter volumus, ut quodcunque petierimus, facias nobis.* At ex collatione cum Matthæo apparet, non filios, ſed matrem id dixiſſe, ſed nomine filiorum, qui cum matre hac in re conſpiraverant, & per matrem proponebant, quod ipſi petere non audebant.

Verſ. 21. *Ipſe vero dixit ei: Quid vis? Ait ei: Dic ut ſedeant iſti duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram in regno tuo.*] Intellexerat mater è filiis, Chriſtum omnibus Apoſtolis in genere thronos ac Principum dignitatem promiſiſſe, ut ſupra cap. 19. 28 videre eſt. Cum vero ſciret, inter plures æquali dignitate præditos, nihilominus aliquem loci ordinem eſſe ſolere (ut olim in Regno Iſraëlitico Principes tribuum Judæ & Joſephi primum inter principes locum obtinebant) honorem hunc conferri filiis ſuis flagitat. Ita cum Salomon regali in ſolio ſuo reſideret, juſſit matri ſuæ ſolium poni ad dexteram ſuam 1 Reg. 11. 19. Ita quoque de ſponſa Salomonis dicitur, eam ſtare à dextris ejus Pſal. 45. 10. Et de Chriſto, quamvis is ſit ipſe Rex in regno ſuo, quando cum Deo comparatur, dicitur, eum ſedere ad dexteram ejus, ſeu ad dexteram majeſtatis ejus Marc. 14. 62. Actor. 7. 55. Hebr. 1. 3. Apud Danielem cap. 7. 9 narratur, ſolia fuiſſe poſita, quorum unum doctiores Judæi interpretantur eſſe Dei Patris, alterum Meſſiæ. Tertius locus à Rege deſcribitur

per

per ſeſſionem ad ſiniſtram. Quo quis enim dignitate ſublimior erat in Regno, eo propior lateri Regis in publicis conventibus aſſidebat.

Verſ. 22. *Reſpondens autem Jeſus dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere poculum, quod ego bibiturus ſum, & baptiſmate, quo ego baptiſor, baptiſari? Dicunt ei: poſſumus.*] Niſcitis quid petatis, id eſt, dum per matrem veſtram ſupremum locum poſt me in regno meo ambitis, putatis vos petere rem plenam terrenæ felicitatis. Sed res ſe longe habet aliter. Qui mihi ſunt proximi, maximas calamitates & afflictiones pati debent, ut proinde non ſit, quod adeo deſideretis.

Poteſtis bibere poculum, quod ego bibiturus ſum?] Id eſt, poteſtiſne id facere, quod ad tantam dignitatem & eminentiam, quam in meo regno habere concupiſatis, neceſſarium eſt, nempe omnis generis adverſa & calamitates, mortem denique ipſam conſtanti animo ſubire? Per poculum ſeu calicem Hebræis mos eſt felicem & infelicem ſtatum ſignificare. Sumptaque eſt ſimilitudo à veteri conſuetudine Judæorum, qua Paterfamilias vel Convivii director pro arbitrio vinum miſcebat, & unicuique convivarum poculum vini apponebat, ac uni quidem majus, alteri minus, quin & aliis generoſiori vino repletum, aliis viliori. Atque hinc ſtatus in quo unumquemque Deus eſſe vult, poculum appellatur. De bono poculo agitur Pſal. 16.5: *Dominus eſt portio hæreditatis meæ, & poculum meum.* Pſal.23.5: *Caput meum ungis oleo, poculum meum exuberat.* De malo poculo agitur Pſal.xi. 6: *Depluet ſuper impios, laqueos, ignem & ſulphur; & ventus procelloſus portio poculi eorum erit.* Pſal.75.9: *Poculum eſt in manu Domini, & vinum turbidum, è quo bibent omnes improbi terræ.* Vide quoque Eſai.51. 17,22. Jerem.25. 15,17,28. xlix. 12. Ezech. 23. 31,32,33. Matth.26.39. Apoc.14. 10. xvi. 19. xviij. 6.

Quod ego bibiturus ſum.] Id eſt, ſicut ego tam aſpera via ad gloriam meam perveniam. Vide Joh.18. 11.

Et baptiſmate, quo ego baptiſor, baptiſari?] Verba hæc deſunt in multis antiquis exemplaribus Græcis hoc Matthæi loco: hinc conjicere licet, ea ex Marco, apud quem habentur, hic eſſe inſerta. Vocantur autem afflictiones baptiſmæ per metaphoram valde familiarem Scripturæ; inprimis autem in Pſalmis calamitates fluctibus comparantur, quibus quaſi obruuntur & immerguntur, qui eas patiuntur. (Græca enim vox βάπτισμα proprie denotat immerſionem ſeu intinctionem in aquam) Vide Pſal.42. 8. lxix. 3 lxxxviij. 8. Eſai. 28. 15. Jerem. 47. 2. Ezech.26. 19. Dan.9.26.

Verſ. 23. *Tunc dicit eis: Poculum quidem meum bibetis, & baptiſmate quo ego baptiſor, baptiſabimini; ſedere autem ad dexteram meam & ad ſiniſtram meam non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*] Chriſtus ad eorum immodeſtiam, ac temeritatem, qua ſe dicunt omnia poſſe pati, quæ ille paſſurus erat, nihil reſpondet, neque aſperioribus, ut digni erant, eos perſtringit verbis, ſed eorum ad patiendum promptitudinem boni conſulit. Reſpondet autem eis dupliciter. Primo, quod poculum ejus bibituri ſunt, id eſt, ſatis calamitatum & afflictionum habituri. Jacobus cito ab Herode interemptus eſt Actor. 12. 2. De Johanne vero teſtantur vetuſtiſſimi Scriptores, eum naturali morte obiiſſe: nihilominus quod vita ejus non caruerit adverſitatibus, vel ſola relegatio ejus in inſulam Pathmum arguit. Itaque verba hæc non de ſola morte, ſed in genere de afflictionibus intelligenda ſunt: ut etiam Rom.8. 17. 2 Cor.1. 7.

Non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.] Hoc eſt alterum, quod eis Chriſtus reſpondet. Vocula *ſed* poſita eſt pro *tantum*: ut Marc.9.8. Confer cum Matth.17.8. Senſuſque eſt: Non eſt meum dare præter eos, quibus paratum eſt à Patre meo. Indicat autem Chriſtus non in ſua id ſitum eſſe poteſtate, vel non eſſe ſibi integrum, pro lubitu atque arbitratu ſuo conſtituere, quinam in ſuo regno proximum ipſi locum & honorem habituri ſint. Honorem enim hunc & dignitatem nonniſi illis deberi, quibus à Patre hoc paratum atque aſſignatum eſt, cujus decreta ipſe neutiquam reſcindere vel immutare queat. Quo ſignificat Chriſtus, poteſtatem illam quam Pater exercet, ſibique reſervavit, ipſi haud competere. Unde ſequitur, Chriſtum ſupremum illum Deum non eſſe, qui Pater eſt. Quod evidens argumentum diſtinctione duarum naturarum everti non poteſt. Quomodo enim Chriſtus ita ſimpliciter dicere potuiſſet, id *non eſt meum*, ſi id nihilominus ſecundum certam naturam, quam præter humanam naturam habebat, ipſius fuiſſet. Neque etiam hic natura naturæ, ſed perſona ipſius perſonæ Patris opponitur: quodque ſibi adimit, id totum Patri adſcribit. Sed quam obſecro, etiam vim habuiſſent hæc verba ad petitionem iſtorum diſcipulorum repellendam. Nihil enim ipſorum referebat, ſecundum quam naturam ipſi competeret dare, quod petebant, dummodo daret. Non ſolvitur etiam hoc argumentum ab iis, qui cenſent, pronomen *vobis* hoc loco ſubaudiendum eſſe; quaſi dicat Chriſtus: Non meum eſt dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Eccur enim ipſe non haberet poteſtatem, id iſtis duobus dare, ſi Deus ſummus eſſet? Et cur non dixit potius: Sed quibus à me, vel à Patre meo & à me paratum eſt? Nimirum quia nuſquam legitur in Scriptura, Filium aut ſpiritum quenquam prædeſtinaſſe, ſed ſolum Patrem. Quis non putaret abſurdum eſſe ſi quis ipſum Chriſti patrem, licet decretum de ſeſſione illa ad dextram ac ſiniſtram aliquibus danda jam fecerit, ita loquentem introduceret: Id non eſt meum dare cuiquam, ſed iis quibus paratum eſt à filio meo? Æque abſurdum foret, Chriſtum id ad Patrem referre & à ſe removere, ſi ipſe eſſet Deus altiſſimus, æqualis poteſtatis ac voluntatis cum Patre, decretumque iſtud feciſſet.

Verſ. 24. *Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus.*] Si ſecundum rigorem Chriſtianæ perfectionis ferendum ſit judicium, etiam decem iſti culpa elati animi non caruerunt, tametſi ea minor fuerit, quod ob ambitioſum horum duorum poſtulatum indignati fuerint.

Verſ. 25. *Jeſus autem advocans eos ait: Scitis quia Principes gentium dominantur eis, & qui magni ſunt poteſtatem exercent in eas.*] Apparet, duos hos diſcipulos cum matre ab aliis Apoſtolis ſeceſſiſſe, & ſeorſim ſuum poſtulatum propoſuiſſe: reliquos autem id audiviſſe, vel ex verbis reſponſionis Chriſti intellexiſſe,

tellexiſſe, ideoque cœpiſſe adverſus illos murmurare. Idcirco Chriſtus advocat eos, & proponit eis generalem, qua & duorum illorum ambitionem atque arrogantiam reprimere vult, & ſimul cæterorum indignationem compeſcere: quaſi dicat. Nec illi ſciunt, quid petant, nec vos ſcitis, quid eis ſuccenſeatis. Nam eminentia & imperium in meo regno non eſt res talis, ob quam alter alteri invidere debeat.

Scitis, quia principes gentium dominantur eis.] Quandoquidem ſupra cap. 19. 28. promiſerat Chriſtus Apoſtolis ſummam gloriam ac dignitatem, quam illi ita concipiebant, quaſi mundanorum Principum inſtar regnaturi eſſent; ideo hanc falſam opinionem animis eorum hic eximit, docetque, qua in re vera dignitas & excellentia eorum, qui in regno ejus magni ſunt, conſiſtat. Nempe non in tali dominio, ut quis habeat poteſtatem pro ſuo arbitrio imperandi aliis, utque ei ab omnibus obtemperetur ac miniſtretur: ſed in ſumma humilitate ac modeſtia, ut animus ad omnibus miniſtrandum atque obediendum promptus ac paratus geratur. Idque confirmat ſuo proprio exemplo. Etſi enim ipſe eſſet unctus Rex & Caput ſui populi, non tamen in ea forma comparuit, ut ſibi miniſtrari pateretur, more mundanorum Principum ac Dominorum, ſed ipſe potius omnibus hominibus miniſtravit, eorumque cauſa non modo incommoda & afflictiones, verum ignominioſiſſimam quoque mortem ſuſtinuit. Atque hac via ſummæ humilitatis ad ſummam Regiam dignitatem ſuam emerſit. Quapropter etiam omnes, qui in regno ipſius aliquam præ cæteris eminentiam ac dignitatem affectant, veſtigiis ejus oportet inſiſtere, ut ſimilis in cœlo gloriæ fiant participes.

Verſ. 26. *Verum non ita erit inter vos; ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter.* Vulgo creditur, Chriſtum hac doctrina noluiſſe carnalem & terrenam dominationem atque eminentiam ſuper alios à Regno ſuo prorſus excludere, ſed voluiſſe differentiam indicare inter ſtatum Eccleſiaſticum ſeu ſpiritualem, & inter politicum, qui ambo in una perſona convenire non poſſunt. Ideoque doctrinam hanc Apoſtolos tantum & eorum exemplo omnes eos, qui Eccleſiaſtico munere in Regno Chriſti funguntur, ſpectare. Sed ſi vis verborum Chriſti, & antitheſis à Chriſto hic facta, probe conſideretur, & locus iſte cum aliis Chriſti doctrinis ejuſdem argumenti conferatur, patebit, hic contineri univerſalem doctrinam, quæ omnes credentes, qui volunt eſſe ſubditi in Regno Chriſti, ſpectat. Nimirum hoc vult Chriſtus dicere: Apud populos terrarum in uſu eſt, ut Principes & Magnates inter eos imperent, & miniſtrari ſibi ab aliis velint. At inter vos, id eſt, in meo populo non debet id fieri, ut qui in eo magni eſſe volunt (prout vos Apoſtoli vultis) aliis imperent ac dominentur, ſibique ab aliis miniſtrari patiantur; ſed qui vult major eſſe, cum oportet ſe aliis omnibus ſubjicere & illis miniſtrare. Hunc eſſe verborum ſenſum, ex eo liquet: Primo, quia cauſa nulla eſt, cur Chriſtus iis, qui Proceres in Regno ejus eſſe debebant, quales Apoſtolos fore ipſe promiſit, non ſolum omni dominatu ſuper alios interdicere, verum etiam ad tantam ſubjectionem ac humilitatem obſtringere voluerit, ſi alioqui dominatio aliis credentibus licita ac conceſſa foret. Profecto ſi quis maximus eſt in Regno Chriſti, non debet eſſe inſtar Principis mundani, qui aliorum utitur miniſteriis, ſed debet eſſe tanquam miniſter omnium; multo minus qui minores ſunt talem dominationem ſibi debent arrogare. Quis enim aptior eſt ad dominandum ac regnandum, quam qui propter ſuam ſcientiam atque ſapientiam, qua alios debet imbuere atque inſtruere, optime intelligit, quomodo cum laude & ex Dei voluntate imperium adminiſtrandum ſit? Quis etiam eſt veneratione, obſequio, & ſubjectione dignior, quam talis? Secundo non eſt quoque ulla cauſa, ſi permiſſa eſt in Regno Chriſti dominatio, cur Chriſtus ipſe, utpote Caput & Rex ſui populi, eam recuſaret, eaque abſtinuiſſet. Quia vero ſeipſum hic pro exemplo ſtatuit, inde perſpicitur, dominationem nulli ſubditorum eſſe permiſſam. Quod enim non decet Caput, id multo minus decet membrum aut ſubditum ejus. Eſt quoque abſonum valde dicere, Chriſtum in hac ſua humilitate atque demiſſione ſolis ſpiritualibus tantum ſeu Eccleſiaſticis, & non etiam politicis exemplum ſuum propoſuiſſe. Tertio Chriſtus opponit dominationi talem virtutem, quæ non à Paſtoribus ſive Doctoribus ſolum, ſed ab omnibus fidelibus in genere exigitur, nempe demiſſionem ac humilitatem. Qui non eſt humilis ſeu modeſtus, in Regnum cœlorum ingredi nequit ſupra cap. 18. 3. Qui autem magnus in Regno cœlorum eſſe, aliiſque præſtare cupit, debet ſingulari ratione ſtudere humilitati. Humilitas autem conſiſtit potiſſimum in eo, ut quis aliis miniſtret, non ſibi miniſtrari patiatur: uti docet perfectiſſimum humilitatis exemplum, quod nobis Chriſtus in ſe exhibuit, qui venit, non ut ei ab aliis miniſtraretur, ſed ut aliis miniſtraret. Ex quo manifeſtum eſt, aliis imperare, id eſt, ab aliis miniſtrari, & humilem eſſe ac modeſtum, ſimul ſtare non poſſe.

Modo dictis etiam eorum diluitur objectio, qui contendunt, Chriſtum non ſimpliciter dominationem, ſed faſtum tantum & ambitionem, quæ plerumque cum dominatione conjuncta eſſe ſolet, prohibuiſſe. Nam ſi Chriſtus hoc ſibi ſolum voluiſſet, non ſimpliciter modeſtiam dominationi, ſed ſuperbæ & ambitioſæ dominationi oppoſuiſſet. Poteſtatem exercere ſupra populos, illis ad miniſteria uti, ab illis obſequium poſtulare, pertinet ad naturam atque eſſentiam dominationis: quod autem Chriſtus hic Apoſtolis mandat, nempe humilitas ac ſubjectio, huic eſt directe contrarium. Quare cum Chriſtus id mandet, quo tollitur illud, quod ad naturam eſſentiamque dominationis facit, ſequitur neceſſario eum tollere dominationem ipſam. Præterea ſi Chriſtus non dominationem ipſam, ſed ſuperbiam tantum & ambitionem ei annexam tollere voluiſſet, conceſſiſſet nihilominus Apoſtolis talem dominationem, qualis eſt mundanorum Principum, dum modo vitarent ſuperbiam, & dominatione non abuterentur: atque ſic matris duorum Apoſtolorum petitionem non omnino rejeciſſet. At quis non videt, Chriſtum ſimpliciter præcidiſſe omnem ejus, quod petebatur, obtinendi ſpem, cum illis tale ad eminentiam conſequendam medium præſcripſit, quod, uti dictum eſt, cum natura mundanæ dominationis pugnat.

gnat. Quarto ſi hanc doctrinam Chriſtus Apoſtolis ſolis tradere voluiſſet, & verba *inter vos*, non aliter intelligenda eſſent, quam *inter vos Apoſtolos*, non recte facta hic eſſet à Chriſto oppoſitio. Perinde enim foret, atque ſi ad eum locutus fuiſſet modum: Principes populorum dominantur eis (nempe populis) ſed ita non debet inter vos Apoſtolos eſſe, ut qui magni inter vos ſunt, aliis dominentur Apoſtolis. Qua ratione Chriſtus Apoſtolis non interdixiſſet in univerſum dominatione, ſed tantum dominatione ſuper alios Apoſtolos. Et duorum iſtorum Apoſtolorum Johannis & Jacobi voto fuiſſet ſatisfactum, etſi dominationem ſuper reliquos Apoſtolos non obtinuiſſent, ſi modo inter eos, qui ſuper alios populos dominatum exercent atque imperium, ſuprema, uti poſtulabant à Chriſto, fuiſſent dignitate. Sed neque exemplum Chriſti, qui nullam omnino dominationem exercuit, huc quadraret: quod tamen ille, loco Principum, atque Magnatum, imitandum proponit, ut non alia ratione, quam ipſe fecit, dignitas ſumma in Regno ejus ambiatur. Atque hæc conſideratio oppoſitionis oſtendit, horum verborum; *Inter vos autem non ſic*, talem ſenſum eſſe non poſſe: Non debet inter vos Apoſtolos ſic eſſe, ut ſuper alios dominium exerceatis. Probe enim obſervandum eſt, cum Chriſtus inquit, *Scitis, quia Principes populorum dominantur eis, & qui magni ſunt, poteſtatem exercent in eas*, voces *eis* & *in eas* ſingularem habere emphaſin: Nempe Chriſtus vult ſignificare, Principes populorum iis populis dominari, inter quos ſunt Principes, & Magnates inter populos, in eos populos poteſtatem exercere, inter quos ſunt Magnates. Quapropter neceſſe eſt in altera quoque oppoſitionis parte hunc ſenſum eſſe, quod qui magni eſſe volunt in eos, inter quos magni eſſe volunt (& non in alios, prout illorum explicatio vult) dominationem exercere non debeant.

Hinc jam clare perſpicitur, Chriſtum hic ſub Apoſtolorum perſona univerſum fidelem populum ſuum intelligere, & civilem dominationem omnibus illis ademiſſe, qui in Regno ejus ſubditi ipſius eſſe volunt. Quo ſenſu poſito, antitheſis ſeu oppoſitio optime ſibi conſtat, ut pars una alteri egregie reſpondeat. Hoc modo: Principes & Magnates inter populos dominantur ſuper populos, inter quos ſunt Magnates; at inter meos fideles non ita debet eſſe, ſed qui inter eos vult magnus eſſe aliiſque eminentior, eum non dominari oportet ſuper alios, non cum imperio mandata dare, ſed omnium ſervum ac miniſtrum eſſe. Hoc eſt medium, quo quis poſſit magnus in regno meo, quod non carnale, ſed ſpirituale eſt, evadere. Et cum tali interpretatione pulchre congruit etiam exemplum Chriſti, quia adeo nullam uſurpavit dominationem, ut Apoſtolorum ſuorum quoque pedes laverit Joh. 13. 5, 13, quod officium nonniſi viliſſimis ſervis competit. Quod autem inſolitum non ſit, ut Chriſtus certis ex occaſionibus, quas Apoſtoli ipſi præbuerunt, tales eis traderet doctrinas, quæ non ad ipſos ſolos, ſed ad omnes credentes omni tempore pertinent, è plurimis locis patet. Vide inter alia Luc. 9. 55, & integram Chriſti concionem, quæ ſupra cap. v. vi. vii deſcripta eſt. Atque huc facit illud, quod Chriſtus dixit ad diſcipulos ſuos: *Quod vobis dico, omnibus dico* Marc. 13. 37. Hæc interpretatio noſtra valide confirmatur aliis locis ſimilis argumenti. Nam cum Apoſtoli ſupra cap. 18. 1. eodem ſpiritu ambitionis & arrogantiæ acti, quo hic Jacobus & Johannes inflati erant, inter ſe de primatu in regno cœlorum contenderent, affatus eſt illos Chriſtus ℣. 3: *Niſi fueritis converſi, & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum. Quiſquis igitur demiſerit ſeſe, ſicut puerulus iſte, is eſt maximus in regno cœlorum.* De hoc autem loco nemo unquam dubitavit, eum ad omnes fideles in genere ſpectare. Dicit enim Chriſtus diſerte, *Quiſquis ſe demiſerit*, id eſt, unuſquiſque qui ſe demiſerit, is maximus eſt in regno cœlorum. Unde intelligitur, etiam præcedentia verba, *Niſi fueritis converſi &c.* etiam univerſalem habere ſenſum, hoc modo: Unuſquiſque qui non fuerit converſus, & non fiet ſicut puerulus, non ingredietur in regnum cœlorum. Ex illo igitur loco facillimum eſt de hoc loco judicare, quod ſcilicet Chriſtus tam hic quam illic univerſalem doctrinam ab omnibus fidelibus obſervandam tradat: quandoquidem utrobique eadem occaſio fuit, nempe ambitio Apoſtolorum ad dignitates in regno ejus aſpirantium; utrobique etiam Chriſtus idem medium dignitatis obtinendæ præſcribit, nempe modeſtiam & humilitatem. Cum hoc loco etiam conſonat ille infra cap. 23. 11, 12, ubi Chriſtus Apoſtolis eandem virtutem, nempe humilitatem, & quidem his ipſis verbis inculcat: *Qui inter vos maximus eſt, ſit veſter miniſter.* Quam humilitatem opponit ſuperbiæ & arrogantiæ Phariſæorum, qui amabant primos accubitus in conviviis, & primos conſeſſus in conventibus, & in foris ſalutationes, & gaudebant vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi. Quis hic vellet dicere, Chriſtum nonniſi Apoſtolos & non cunctos Chriſtianos in genere ab ejuſmodi faſtu & arrogantia dehortari? Spectat quoque huc generale illud Petri monitum 1 Petr. 5. verſ. 5, nec non Pauli Phil. 2. 4, 5, 7, 8.

Sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter.] Modeſtia eſt medium, quo in Regno Chriſti quiſpiam magnus fieri poſſit: modeſtia autem iſta maxime in ſerviendo cernitur, cum parati ſumus aliis miniſtrare. Miniſterium vero hoc eſt præcipuum, cum quis totam vitam ſuam promovendæ ſaluti hominum dicat conſecratque, & ut Chriſto plurimos lucrifaciat, ſedulam navat operam. Iſtud miniſterium multis incommodis & adverſis, imo & periculo mortis eſt obnoxium. *Liber exiſtens ab omnibus*, inquit Paulus Apoſtolus, *omnibus meipſum ſervum feci, ut plures lucrifacerem* 1 Cor. 9. 19. Item: *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Ego vero libentiſſime impendam, & expendar pro animabus veſtris* 2 Cor. 12. 14, 15. Vide etiam Actor. 20. 24.

Verſ. 27. *Et quicunque voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus.*] Verba hæc ſunt repetitio præcedentis ſententiæ. Primus, id eſt, præcipuus.

Verſ. 28. *Sicut Filius hominis non venit, ut ſibi miniſtretur, ſed ut miniſtret, detque animam ſuam redemptionis pretium pro multis.*] Qualis Rex eſt, tales oportet eſſe etiam principes regni. *Exemplum dedi vobis*, ait Chriſtus, *ut prout ego feci vobis ita & vos faciatis. Servus non eſt major Domino ſuo* Joh. 13. 15, 16.

Hoc

Hoc loco ſententia verborum ejus eſt : Ego non quæſivi meam propriam utilitatem, neque Regiam dignitatem meam oſtentavi carnali ratione dominando, voluptatibus indulgendo, alios ad miniſteria adhibendo, ſed meorum cauſa nihil non adverſi perpeſſus ſum, & multo graviora adhuc perpetiar, ipſam nimirum atrociſſimam mortem. In aliis Regnis ſolent ſubditi pro honore & decore Regis ſui mortem oppetere; ego autem, qui Rex ſum, oppetam pro ſalute mei populi.

Exemplum hoc Chriſti monſtrat, quales eſſe debeant illi, qui regnare in populo Dei volunt : nempe ut regnent non dominando, ſed ſe ſubjiciendo, id eſt, ut populo ſuo ſerviant, procurando eorum felicitatem, atque inprimis æternam ſalutem. Sceptrum Regum eſt pedum paſtoritium, quod geſtant pro ſigno, quod paſtores ſint populi ſui. Paſtor autem bonus ponit animam pro grege ſuo Joh. 10. 11. Memorabile eſt, quod apud Prophetam Danielem mundana Regna aſſimilentur feris & truculentis beſtiis ; regnum autem Chriſti per imaginem hominis adumbretur Dan. 7. 4, 5, 6, 7, 13. Cauſa ejus rei intelligi poteſt ex oppoſitione, quam Chriſtus hic paulo ante inſtituit.

Eſt autem hoc loco animadvertendum, Chriſtum, dum ſe negat veniſſe, ut ſibi miniſtretur, non ſuſtuliſſe ea ſervitia atque miniſteria, quibus ad vivendi neceſſitatem, vel ad muneris ſui functionem quiſpiam indiget. Talia enim miniſteria non cum imperio exiguntur ab hominibus, ſed vel precario, vel vi certæ ſtipulationis atque contractus cum iis initi. Hoc pacto etiam Chriſtus ipſe apparari ſibi cibum, & alia vitæ neceſſaria ſibi ſubminiſtrari paſſus eſt.

Detque animam ſuam redemtionis pretium pro multis.] Animam ſuam, id eſt, vitam ſuam : ut ſupra cap. 2. 20. x. 29. His verbis indicat, ſe non vulgare miniſterium humano generi præſtiturum, ſed omnium maximum, quo nullum majus optari ac deſiderari poteſt; quod nimirum è ſervitute peccati & mortis eos vindicaturus, & in glorioſam filiorum Dei libertatem tranſlaturus ſit : idque per ſanguinem ſuum pretioſum, quem hoc fine effudit. Hinc Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Philippenſes cap. 2. 8, ſummam humilitatem & ſervilem Chriſti formam in eo collocat, quod mortem crucis ultro in ſe ſuſceperit.

Locus hic etiam vulgo adhibetur ad probandum, quod Chriſtus morte ſua Deo perfectam ſolutionem pro peccatis mundi præſtiterit ; cum mors Chriſti hic redemtionis pretium appelletur. Sed ſciendum eſt, vocem lytron ſeu redemtionis pretium non habere vim amplius ſignificandi, quam alibi vox redemtionis, quæ nobis per Chriſti contigit mortem. Ut cum Paulus ait Rom. 3. 24, nos juſtificatos eſſe per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, idem prorſus valet, atque ſi dixiſſet, nos juſtificatos eſſe per pretium redemtionis, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Sic etiam Col. 1. 14. Eph. 1. 7. Vox enim ἀπολύτρωσις, *redemtio*, ſignificat proprie ſolutionem certi pretii pro captivo, & ab eo, qui illum captivum detinet, liberatione. Sumitur autem hæc vox non tantum apud profanos Scriptores, ſed etiam in tota Sacra Scriptura non ſolum crebro, ſed (præter unum forte aut alterum locum) ſemper metaphorice, pro quavis liberatione. Sic enim inter alia Moſes de Deo loquitur Exod. 15. 13 : *Dux fuiſti pro miſericordia tua populo, quem redemiſti*, id eſt, liberaſti. Et Deut. 7. 8 dicitur, *Deum Iſraëlem redemiſſe*, id eſt, liberaſſe, *è domo ſervitutis, & è manu Pharaonis.* Non quod Deus Pharaoni aliquod pretium pro Iſraële ſolverit, ſed quod eum ſimpliciter è ſervitute ejus liberarit. Atque hæc metaphorica locutio de liberatione Iſraëlitarum è ſervitute Ægypti uſurpatur etiam Deut. 9. 26. XIII. 5. XXI. 8. 2 Sam. 7. 23 bis. Nehem. 1. 10. Pſal. 31. 6. LXXVII. 16. Eſai. 29. 22 & alibi. Hinc Stephanus Moſen vocat Redemtorem Actor. 7. 35, per quem Deus hanc liberationem procuravit, etſi nullum pretium Moſes pro populo Dei dederit. Loca autem, quæ agunt de redemtione Iſraëlitarum per Moſen facta, huic apud Matthæum loco fœnerant lucem. Nemini enim ignotum eſt, Moſen & liberationem, quam Deus per Moſen perfecit, fuiſſe typum Chriſti, & illius magnæ liberationis, quæ univerſo humano generi per eum contigit. Quemadmodum enim ambo Mediatores inter Deum & homines fuerunt, Moſes Veteris, Chriſtus autem Novi Fœderis: ita etiam ambo Redemtores, id eſt Liberatores fuerunt, Moſes ex Ægypto, Chriſtus è ſervitute peccatorum & mortis. Sed & alia in Scriptis Novi Teſtamenti plurima loca reperiuntur, in quibus vox *redemtionis* ita metaphorice & abſque reſpectu ullius veri pretii uſurpatur. Ut inter alia Luc. 1. 68 de Deo dicitur, quod *redemtionem fecerit populo ſuo*, quæ verba cum verbis Pſal. 111. 9 : *Dominus mittit redemtionem populo ſuo*, conveniunt. Ita quoque dicitur, nos *redemptos eſſe ab injuſtitia* Tit. 2. 14, *a vana converſatione* 1 Petr. 1. 18, *à maledictione Legis* Gal. 3. 13. Vide etiam Luc. 2. 38 XXI. 28. XXIV. 21. Rom. 8. 23. Eph. 4. 30. Hebr. XI. 35. Jam vero cauſa nulla eſt, cum vox *redemtionis* tam ſæpe, imo ferme ſemper in Sacris Literis metaphorice accipiatur pro quavis liberatione, cur non etiam vox lytri hoc loco apud Matthæum in eadem metaphorica ſignificatione accipi debeat : ſi quidem utraque vox ejuſdem eſt ſignificationis. Imo ſatis cauſæ eſt, cur hic neceſſario metaphorice ſumenda ſit. Lytron enim ſeu pretium redemtionis proprie ei datur, à quo captivus redimitur : ii autem, à quibus nos captivi detinebamur, ſunt diabolus, peccatum, mundus, & mors. Quorum nulli Chriſtus ullum lytron dedit, vel pretium perſolvit. Quod autem vulgo aſſeritur, Chriſtum nos ab ira Dei redemiſſe, id demonſtrari nequit. Deus enim non fuit nobis iratus, neque infenſus, ſed ex mera dilectione erga nos redemtionem hanc per ſanguinem Chriſti procuravit Joh. 3. 16. Rom. 5. 8. Nos potius inimici illius fuimus Rom. 5. 10. Neque etiam probari poteſt, Chriſtum juſtitiæ Dei pœnas pro peccatis noſtris morte ſua perſolviſſe. Nam non tantum nulla talis juſtitia in Deo eſt, quæ neceſſario vindictam & pœnas pro peccatis exigat : ſed cardo Novi Fœderis & Euangelii eſt Remiſſio peccatorum Jer. 31. 34. Marc. 1. 4. Luc. 1. 77. iij. 3. XXIV. 47. Act. 2. 3. Quæ remiſſio nobis per mortem Chriſti parta eſt: *In eo enim habemus redemtionem per ejus ſangui-*

nem, remiſſionem lapſuum (non ſecundum rigorem divinæ juſtitiæ, ſed) *ſecundum divitias gratiæ ejus* Epheſ. 1. 7. Imo Paulus Apoſtolus expreſſe teſtatur, *nos juſtificari gratis* (N. B.) *per gratiam ipſius* (Dei) *per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu* Rom. 3. 24. Adhæc ſi Chriſtus perfectam ſolutionem pro omnibus peccatis mundi Deo ſolvere debuiſſet, oportuiſſet eum æternam mortem & damnationem ſubire. Hæc enim eſt peccati ſtipendium Rom. 6. 23. Gen. 2. 17. Quare mors Chriſti nullam vim habet Deo ſolutionem aliquam pro peccatis præſtandi, ſed vim habuit nobis remiſſionem peccatorum conciliandi, quin & ab ipſis peccatis nos liberandi. Quod qua ratione fiat, vide Crellii Tract. de cauſis Mor. Chr. & Antigrot. item Socini de Servatore.

Pro multis.] Dei conſilium ac voluntas eſt, ut omnes homines ſerventur, & ad agnitionem veritatis perveniant 1 Tim. 2. 4. Idcirco Chriſtus ex Dei decreto pro omnibus hominibus mortem ſuſcepit. Sed quia Deus non aliter vult ſervari, quam ſub conditione fidei Joh. 3. 16, ideo Chriſtus effective tantum pro fidelibus, qui hic *multi* vocantur mortuus eſt. Vis mortis Chriſti ſpectat ad univerſum genus humanum, ſed fructus & effecta ejus in ſolos fideles redundant.

PARS IV.

Verſ. 29. *Egredientibus autem illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa.*] Jericho erat civitas ſita in tribu Benjaminis, diſtans ſeſqui milliari à Jordane, & duobus milliaribus cum dimidio ab Hieroſolyma. Expugnata eſt à Joſua, everſaque, & omnia quæ in ea erant, excepta Rachaba ejuſque domo, Domino conſecrata atque combuſta ſunt Joſ. 6. 20. Sed tempore Achabi Regis Iſraëlitarum ab Hiele Bethelita reædificata eſt 1 Reg. 16. 34. Civitas hæc celebris fuit præſtantiſſimo balſamo, & pretioſis roſis, ingentique copia palmarum.

Egredientibus illis.] Lucas habet cap. 18. 35: *cum appropinquaret ad Jericho.* Vide ibidem.

Secuta eſt eum turba multa.] Quæ tanto majori numero ad Chriſtum confluebat, quia tunc ex omnibus locis & partibus cuncti Hieroſolymam ad feſtum ſe conferebant. Hæc enim omnia acciderunt in illo itinere Chriſti, quo Hieroſolymam ultimo tendebat.

Verſ. 30. *Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audientes Jeſum præterire, clamaverunt, dicentes: Miſerere noſtri, Domine, fili Davidis.*] Tot circumſtantiæ, quæ apud Marcum & Lucam cum hac Matthæi narratione conveniunt, arguunt, non diverſam, ſed eandem ab illis hiſtoriam narrari. Quod vero Marcus cap. 10. 46. & Lucas cap. 18. 35, unius tantum cæci meminerunt, cauſa ſine dubio eſt, quod unus è duobus fuerit inſignior, cujus nomen Marcus expreſſit vocans eum Bartimæum Timæi filium. Unde apparet, virum iſtum paſſim notum ac notabilem fuiſſe.

Audientes Jeſum præterire.] Tumultus populi prætereuntis anſam dedit cæcis ſciſcitandi, quid hoc eſſet Luc. 18. 36.

Clamaverunt.] Nempe ut à Chriſto in illo tumultu audiri poſſent.

Domine fili Davidis.] Hic titulus fuit conſuetus, quem Judæi Meſſiæ tribuebant. De quo ſupra cap. 1. 1. Miraculorum Chriſti magnitudo, de quibus audiverant, & fortaſſe etiam fama eum Meſſiam eſſe referens, in eis eandem opinionem ſuſcitavit.

Verſ. 31. *Turba autem increpabat eos, ut ſilerent; illi vero magis clamabant, dicentes: Miſerere noſtri, Domine, fili Davidis.*] Turba, nimirum præcedens Luc. 18. 39. Hinc patet, eos non expectaſſe, ut Chriſtus ad eos accederet, ſed ipſos propius acceſſiſſe, & in via conſediſſe, vel conſtitiſſe.

Increpabat eos.] Non ipſorum odio, ſed ne tam viles homines Chriſto moleſti eſſent. *Maledictus, qui cæcum errare facit in via* Deut. 27. 18.

Verſ. 32. *Et ſubſiſtens Jeſus, vocavit eos, & ait: Quid vultis, faciam vobis?*] Vocavit eos, id eſt, juſſit eos ad ſe adduci Luc. 18. 40. Chriſtus reipſa hic implevit, quod ipſe dixit: *Ego venientem ad me non ejiciam foras* Joh. 6. 37.

Quid vultis faciam vobis?] Non ideo Chriſtus quærit, quod neſciret eorum deſiderium, ſed ne quis exiſtimare poſſet, eos nihil aliud quam ſtipem petere: prout ii ſic credidiſſe videntur, qui eos tacere jubebant. Vult etiam Chriſtus, ut ipſi ſuum ederent ac proponerent poſtulatum, ut miraculum tanto magis inclareſceret, nec ab ullo in dubium vocari poſſet. Dat vero Chriſtus cæcis optionem petendi à ſe, quid velint. Similem Deus quoque optionem dedit Salomoni 1 Reg. 3. 5.

Verſ. 33. *Dicunt ei: Domine, ut aperiantur oculi noſtri.*

Verſ. 34. *Miſertus autem eorum Jeſus, attigit oculos eorum, & ſtatim viſum receperunt oculi eorum, & ſecuti ſunt eum.*] Lucas addit: *Et dixit, Recipito viſum, fides tua ſervavit te.* Crediderat enim, Chriſtum eſſe Meſſiam, & ſibi viſum reſtituere poſſe.

Et ſecuti ſunt eum.] Lucas addit cap. 18. 43: *Et glorificabat Deum & omnis populus, cum hoc vidiſſet, tribuit laudem Deo:* nempe *quod tantam poteſtatem dederit hominibus* Matth. 9. 8.

CAPUT XXI.

I. *Chriſtus aſino inſidens ingreditur Hieroſolymam: ad verſ.* 12. II. *Repurgat Templum, cæcoſque & claudos in eo ſanat, & approbat puerorum ſanctam acclamationem: ad verſ.* 18. III. *Maledicit ficui, ita ut areſceret: extollitque vim fidei: ad verſ.* 23. IV. *Colloquium habet cum Principibus ſacerdotum ac Senioribus populi de ſua poteſtate purgandi Templi: ad verſ.* 28. V. *Redarguit eorum malitiam, parabola de duobus filiis allata, præfertque illis publicanos & meretrices: ad verſ.* 33. VI. *Parabolam de vinea proponens, comminatur eis rejectionem à Deo, propter perſecutionem Prophetarum, & ipſius.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphagen ad montem Olivarum, tunc Jeſus miſit duos diſcipulos.*] Hic fuit ultimus Chriſti in Jeruſalem ingreſſus : tunc enim crucifixus eſt. Factus autem eſt Dominica Palmarum (de quo vide dicenda ad Joh. 12. 2.) nempe die quinto ante Paſcha, quod tunc incidebat in diem Sabbathi. Dies iſte erat 10 dies menſis Niſan. Quod igitur ingreſſus iſte Chriſti hoc ipſo die factus ſit, cenſent nonnulli, in eo latere aliquid myſterii. Hoc enim die tenebantur Judæi agnum Paſchalem in domum ſuam accipere, & uſque ad 14 diem hujus menſis, quo mactari debebat, aſſervare Exod. 12. 3, 6. Ita Chriſtus quoque, qui fuit verus agnus Paſchalis, hoc eodem die Jeroſolymam venire voluit, ut ibidem 14 die mactaretur. Nam ut poſtmodum ſuo loco intelligetur, Chriſtus eodem die & eadem hora in cruce mactatus fuit, qua Judæi agnum Paſchalem mactare ſolebant.

Et veniſſent Bethphagen.] Bethphage fuit vicus ad radices montis Oliveti (qui proximus Hieroſolymæ erat, ut ex Luc. 21. 37 patet) ſitus : eſtque credibile ad hunc vicum miſſos fuiſſe à Chriſto diſcipulos, ita ut Chriſtus hæc, quæ ſequuntur, dixerit in valle, quæ erat inter Bethaniam & Bethphagen. Erat autem Bethphage vicinior Hieroſolymæ, quam Bethania. Hæc enim 15 ſtadiis ab Hieroſolyma diſtabat Joh. 11. 18. Mons autem Olivarum, cui adſitus erat vicus Bethphage, tantum diſtabat itinere Sabbathi, id eſt, circiter 8 ſtadiis : de quo vide Act. 1. 12.

Verſ. 2. *Dicens eis : Ite in vicum, qui vobis eſt ex adverſo, & ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, ſolvite & adducite mihi.*] Qui eſt vobis ex adverſo, id eſt, quem videtis è regione, qui vobis eſt ante oculos.

Invenietis aſinam alligatam.] Quod Chriſtus de hac aſina ſciverit, tametſi eam non viderit, nec à quopiam de ea audierit, ex eo debile admodum ſumitur argumentum, ejus rei, quod Chriſtus ſit ſummus Deus. Magi & ſagæ poſſunt talia ſcire per revelationem dæmonum : quidni talia potuerit ſcire Chriſtus per efficaciam ſpiritus divini, quo unctus fuit abſque menſura. Etiam duo Prophetæ Eſaias & Zacharias longe ante ſpiritu divino revelante ſciverunt de hoc Chriſti ingreſſu in Jeruſalem, & tamen neuter eorum fuit Deus altiſſimus.

Et pullum cum ea.] Marcus cap. 11. 2, & Lucas cap. 19, 30 ſolius pulli meminerunt : Matthæus autem etiam aſinæ, adeoque rem plenius enarrat, ut intelligi poſſit, pullum tam tenerum fuiſſe, ut in eo nullus adhuc hominum ſederit, ut Marcus & Lucas diſerte addunt. Tamdiu enim pulli relinquebantur apud aſinas, donec inciperent onera portare.

Verſ. 3. *Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite : Dominus his opus habet ; & confeſtim dimittet eos.*]

Verſ. 4. *Hoc autem totum factum eſt, ut impleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem.*] De locutione iſta, *Ut impleretur*, vide ſupra cap. 2. 15. Quod Jeſus ſit Chriſtus promiſſus ille ſervaror, id hactenus tot ſtupendis miraculis & divina doctrina ſua ſatis ſuperque demonſtravit, ut nemo cauſam juſtam haberet de eo quicquam dubitandi. Jam vero ingreditur Regio more Hieroſolymam : ſed eo modo, de quo Zacharias cap. 9. 9 prophetavit : quod ad confirmationem ejus, quod hactenus abunde demonſtraverat, plurimum faciebat.

Verſ. 5. *Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mitis, & inſidens aſinæ, & pullo ſubjugis aſinæ.*] Verba hæc *Dicite filiæ Sion*, non habentur apud Zachariam, ſed videntur ſumpta eſſe ex Eſai. 62. 11, ubi Propheta ait : *Dicite Filiæ Sionis, ecce ſalus tua advenit.* Apud Zachariam autem dicitur : *Exulta valde filia Sionis, jubila filia Hieroſolymæ.* Apud Johannem loco *Exulta* eſt, *Ne metue* cap. 12. 15. Per Sionem intelligitur Hieroſolyma, & ſic vocabatur mons in urbe Hieroſolymitana, in qua extructa erat arx regia Pſal. 2. 6. Urbes vocare filias Hebræis mos erat. Tota regio erat quaſi mater, urbes quaſi filiæ.

Ecce Rex tuus venit.] Quia Propheta adventum Meſſiæ in ſpiritu vidit tanquam præſentem, ideo velut digito monſtrans eum annunciat : quaſi dicat. Tu, ô filia Sionis, tanto cum deſiderio adventum Meſſiæ expectaſti, ecce jam eſt in itinere, ut ad te veniat.

Venit tibi.] Tibi enim eſt promiſſus, non aliis populis. Non enim miſſus eſt, niſi ad perditas oves domus Iſraëlis Matth. 15. 24.

Mitis.] Sic habetur in verſione LXX Interpretum. At in Hebræo fonte eſt, *pauper*. Aſino inſidentem vectari non erat olim apud Judæos ſignum paupertatis. Sic enim vectari ſolitos fuiſſe etiam ſummos viros, conſtat ex Jud. 10. 4. 11. 14. 1 Sam. 25. 20. 2 Sam. 17. 23. Equi enim rari tunc temporis erant apud Judæos. Sed tempore Salomonis, quo Judæi commercia magna habebant cum Ægypto & eo commeabant crebro, equorum tanta copia ad eos adducta eſt, ut aſini prorſus vileſcerent. Hoc vero animal ferendis oneribus natum, & tam deſpectus Chriſti Hieroſolymam ingreſſus ſatis oſtendit, Regnum, quod ille ſibi vendicabat, prorſus diſſimile eſſe regnis hujus mundi.

Et inſidens aſinæ & pullo ſubjugis aſinæ.] In Græco eſt, ὑπὸ ὑποζυγίου, *ſuper filium ejus quæ ſub jugo eſt.* Quæ ultima verba continent deſcriptionem aſinæ, quod animal ſemper ſub jugo eſt. Ex his autem verbis Hieronymus & alii plures tam Novi quam Veteres Commentatores collegerunt, Chriſtum aliquantiſper in pullo equitaſſe, poſtea hoc defatigato, inſediſſe aſinæ. Quod nequaquam eſt probabile, cum iter non adeo longum eſſet, ut permutatione iſta opus eſſet. Mons enim Oliveti cui adjacebat Bethphage, proximus erat Hieroſolymæ. Marcus quoque & Lucas ſimpliciter tantum pulli mentionem faciunt, & quidem talis, in quo nemo adhuc ſederit, quique adeo ferox adhuc & intractabilis fuerit, aſinæ autem ne verbo quidem meminerunt.

Johannes itidem nonniſi aſelli meminit Joh. 12. 14. Quare in verbis Zachariæ, ut & hic infra ℣. 7. eſt conſueta Synecdoche, qua totum pro parte ponitur. Similis Synecdoche eſt etiam infra cap. 27. 44, ubi dicitur, latrones improperaſſe Chriſto, quod ſe filium Dei vocaret, cum tamen id unus tantum latro fecerit Luc. 23. 39. Ita de Jephtha dicitur, eum ſepultum eſſe in civitatibus Galaad, id eſt, in una ex illis civitatibus Jud. 12. 7. Ita in hiſtoria de muliere, quæ unxit Chriſtum, narratur diſcipulos ejus adverſus eam murmuraſſe Matth. 26. 8, cum tamen ſolum Judam id male habuiſſe teſtetur Johannes cap. 12. 4. Hunc autem locum Zachariæ etiam nonnulli è Judæis doctiſſimis de Meſſia interpretati ſunt.

Verſ. 6. *Profecti autem ſunt diſcipuli, feceruntque ſicut imperavit eis Jeſus.*

Verſ. 7. *Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt eis veſtimenta ſua, & collocarunt eum ſuper ea.*] Euangeliſta ait, *ſuper ea*, id eſt, ſuper aſinam & pullum; cum tamen Chriſtus, ut oſtenſum eſt, nonniſi pullo inſederit. Indicare nimirum voluit aſinam manſiſſe cum pullo & una fuiſſe ſecutam.

Verſ. 8. *Plurima autem turba ſtraverunt ſua veſtimenta in via: alii autem cædebant ramos ex arboribus, & ſternebant in via.*] Veſtes ſternebant ſuperiores, ſeu pallia. Stratus iſte veſtimentorum erat ſignum honoris Regii. Vide 2 Reg. 9. 13.

Alii cædebant ramos ex arboribus.] Judæi conſtanter crediderunt, feſta ſolennia non ſolum in memoriam exitus ex Ægypto celebrari, ſed etiam eſſe typos temporum Meſſiæ, quo omnia gaudio exultare debebant. Hinc & hodie dictitare ſolent Judæi, in feſto Tabernaculorum, ſe optare ut etiam ſub Meſſia tam hilares ac feſtos agant dies. Ex illa igitur turba, qui miraculis Chriſti moti, eum pro Meſſia agnoverant, adhibent Chriſto hic Hieroſolymam ingrediente Ceremonias illas canendi & ramos arborum cædendi, quæ feſto Tabernaculorum adhibebantur ex præſcripto Levit. 23. 40, ad teſtandum, prædictionem de Meſſia jam impletam eſſe. Modo non abſimili, & ſimili cum feſtivitate etiam apud Macchabæos Templum denuo dedicatum atque ſacratum eſt 2 Macch. 10. 6, 7. Vide etiam Apoc. 7. 9. Hæc turba autem tanto magis ſuam teſtatur lætitiam, quia ſperabat, Chriſtum jam eo animo ac intentione ingredi urbem, ut arcem occuparet regiam, ſuumque Regnum auſpicaretur.

Verſ. 9. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis.*] Hoſanna eſt vox Hebræa, & ſic in Hebræo ſonat Hoſchihah-nah, id eſt, fac ſalvum quæſo, vel, ſerva quæſo (vox *nah* ſignificat, quæſo, obſecro, amabo) alloquiturque turba his verbis Deum, quem orat, ut huic filio Davidis, id eſt Chriſto Regi ipſorum benedicere, eique ſalutem ac proſperitatem regnum auſpicanti largire velit. Sumpta autem ſunt hæc verba ex Pſalm. 118. 25, 26, ubi literali quidem ſenſu de Rege Davide ſermo eſt, ſed myſtico ad Chriſtum referuntur, cujus figura fuit David. Hinc etiam Chriſtus ipſe verba ℣ſ. 22, & 23, ejuſdem Pſalmi de ſe citat infra ℣. 42.

Benedictus qui venit.] Id eſt, vivat, & regnet feliciter. Deus bene fortunet regnum ejus.

In nomine Domini.] Id eſt, divino mandato, vel cum divina poteſtate, qui Dei vices obtinet, & per quem Deus populum ſuum viſitavit Luc. 1. 68. VII. 16.

Hoſanna in altiſſimis.] Id eſt, quæſo ſalvum fac, tu qui in altiſſimis, id eſt, in cœlis habitas.

In altiſſimis.] Gr. ἐν τοῖς ὑψίστοις, in altiſſimis, ſubintellige locis.

Verſ. 10. *Et cum intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?*] Lucas memorat, Chriſtum ingreſſurum Hieroſolymam, ubi urbs primum ei in conſpectum venit, ſuper eam illacrymaſſe cap. 19. 41.

Commota eſt univerſa civitas.] Commoti ſunt omnes in civitate, partim ex admiratione, partim ex indignatione & invidia, præſertim illi qui Phariſæorum ac Scribarum erant diſciplinæ addicti (ut apparet infra ℣ſ. 16,) ideo quod tam miſero Regi is honor deferretur, qui ſoli Meſſiæ competebat.

Quis eſt hic?] Non neſciebant, quis eſſet Chriſtus, quem jam à tribus annis norant, ſed ſenſus eſt: Hicne eſt vir tantus & tam inſignis, cui tantus honor exhibetur? Ita inquiunt Nazarethani: Nonne hic eſt fabri filius? Supra cap. 13. 55.

Verſ. 11. *Turbæ autem dicebant: Hic eſt Jeſus ille Propheta, à Nazaretha Galilææ oriundus.*] Non turbæ hominum Hieroſolymitanorum id dicebant, ſed plebs quæ cum Chriſto venerat.

Jeſus ille Propheta. Quem nos hactenus pro Dei Propheta agnovimus, nunc autem tanquam verum Regem noſtrum veneramur. Videtur turba hæc reſpexiſſe ad prophetiam Moſis: *Prophetam excitabit vobis Dominus Deus veſter* Deut. 18. 15.

A Nazareta.] Chriſtus fuit natus Bethlehemi, Nazaretæ educatus, Caupernaumi habitavit. Vide ſupra cap. 1. 23. IV. 13.

Johannes deſcribit magnam Phariſæorum indignationem, quam ex hac lætitia populi conceperant. Dicunt enim: *Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus eum ſecutus eſt* cap. 12. 19.

PARS II.

Verſ. 12. *ET introivit Jeſus in Templum Dei, & ejecit omnes vendentes & ementes in Templo, & menſas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertit.*] Marcus cap. XI. 15 narrat hanc rem, tanquam poſtero die poſt ingreſſum Chriſti geſtam: ſed nihilominus credendum eſt, eodem die quo ingreſſus eſt Hieroſolymam, eum intraſſe Templum. Quæ hiſtoria eadem eſt cum illa à Johanne deſcripta cap. 2. 14, 15, quæ hic non ſuo loco narratur. Contigit autem ſub tempus Paſchatis, quod erat primum poſt Baptiſmum à Chriſto ſuſceptum Anno Juliano 74, ut ad Johannis

hannis locum memoratum monſtrabitur. Hujus autem primi Paſchatis mentionem omiſerunt reliqui Euangeliſtæ: ideo etiam hanc hiſtoriam ſuo loco deſcribere non potuerunt. Cum tamen eam prorſus ſilentio tranſmittere nollent, eam ad hoc ultimum Paſcha Anni Juliani 76 retulerunt. Similes tranſpoſitiones & hyſtera protera in narrationibus plura apud Euangeliſtas reperiuntur. Ut igitur hæc hiſtoria ab illa, quæ eſt apud Johannem cap. 2. diverſa eſſe ſtatuatur, nobis probari non poteſt.

Innuit autem eo ipſo Chriſtus, quæ ſit natura Regni ejus, dum Hieroſolymam tanquam Rex invectus, non in Regiam ſe confert, ſed in Templum Dei: docens Regnum ſuum non eſſe terrenum, ſed ſpirituale. Intravit vero Chriſtus tantum in anteriorem Templi partem, quæ porticus Salomonis vocabatur, in qua docere & ambulare ſolebat Joh. 10. 23. Locus enim iſte erat ſemper apertus nulli clauſus Act. 3. 11. v. 12. In reliquas autem duas partes Templi nemini fas erat ingredi præter ſacerdotes Hebr. 9. 6, 7.

Vendentes & ementes.] Interpretes Legis ordinationem ejuſmodi inſtituerant, ut qui longius ab Hieroſolyma habitabant, & certa ſacrificia vel ex Legis præſcripto, vel ex proprii voti obligatione offerre tenebantur, nummos ſecum domo afferrent, ac pro iis ſacrificia, aliaque dona à ſe offerenda Hieroſolymis emerent: ad exemplum Legis de decimis datæ Deut. 14. 24, 25, 26. Quæ ordinatio non erat abſurda adeo: ſed quod mercatus iſte in templo exerceretur, nullo modo conveniebat: præſertim illo tempore, quo locus iſte pro aliis populis, qui juxta prophetiam Eſai. cap. 56. 7, ad Deum convertendi erant, liber & vacuus eſſe debebat. Notandum enim eſt, pleraque ejuſmodi vaticinia de receptione alienorum populorum duplicem habere ſenſum: unum ſecundum literam, ſi nimirum Judæi erga advenientem Meſſiam, ita ut oportet, ſe geſſiſſent, aliiſque populis in pietate præluxiſſent; alterum, ſecundum quem Judæi rejecti & eorum loco Ethnici in gratiam ſuſcepti ſunt.

Et menſas numulariorum evertit.] Quia erant nonnulla, quæ juxta Legem pecunia redimenda erant, Levit. 27, ideo aderant numularii ejuſmodi in Templo, qui quæſtum è permutatione monetæ quærebant. Credibile enim eſt, complures qui è longinquis oris venerant, monetam regionis ſuæ ſecum attuliſſe, quæ, cum ſacrificia emere vellent, pro uſitata & recepta in Judæa moneta permutanda ipſis fuit. Aliquando etiam ex Lege divina dandi erant Sicli: ut patet Exod. 30. 13. Lev. 5. 15. XXVII. 3. Num. 3. 47, quod genus monetæ non ſemper in aliis locis haberi potuit.

Vendentium columbas.] Pro iis, qui ex Lege columbas offerre volebant Levit. 1. 14. v. 7, 11. XII. 6. Luc. 2. 24.

Verſ. 13. *Et dixit eis: Scriptum eſt, domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem illam feciſtis ſpeluncam latronum.*] Marcus cap. XI. 17, recitat integra verba Eſaiæ cap. 56. 7: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis.* Continent autem hæc Eſaiæ verba prædictionem de congregatione populorum ac gentium ad Templum, quod tempus quia jam appropinquabat, ideo Chriſtus merito propter eos Templum repurgavit. Etſi autem nuſquam legatur expreſſe datum ullum in Lege de orando præceptum, nullum tamen eſt dubium, quin populus ſacrifica offerens ſimul oraverit: & ex 1 Reg. 8. 30 cernitur, Templum præter alios religionis uſus etiam in hunc finem eſſe conſecratum, ut in eo orationes fierent.

Vos autem illam feciſtis ſpeluncam latronum.] Verba hæc deſumpta ſunt ex Jeremia cap. 7. 11, quodque olim Jeremias de ſui temporis populo locutus eſt, id Chriſtus applicat ad iſtos nummularios ac mercatores; eodem ſenſu, quo ſupra cap. 15. 8. Vox latronum hic prædones ſignificat; latrocinari enim ſeu occidere viatores, & prædari atque ſpoliare plerumque conjuncta ſunt. Mercatores iſti erant veri prædones, quia homines per injuſtam auctionem rerum, quibus illi omnino indigebant, deſpoliabant. Nec dubitandum eſt, mercatores iſtos etiam Sacerdotibus pro loco in Templo conceſſo partem lucri ſolvere debuiſſe. Cæterum haud immerito mirari poſſis, Chriſtum auſum fuiſſe talem vim in Templo exercere, nec avarum genus hominum, mercatores & numularios, ut nec Phariſæos ac Scribas, ipſi reſtitiſſe. Ad quod reſpondet Hieronymus, factum hoc majus fuiſſe omnibus Chriſti reliquis miraculis, & ex oculis ejus emicuiſſe aliquid igneum ac cœleſte, divinamque majeſtatem in vultu ejus reluxiſſe.

Verſ. 14. *Tunc venerunt ad eum cœci & claudi, in Templo, & ſanavit eos.*

Verſ. 15. *Cum vidiſſent autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia illa quæ fecerat, & pueros clamantes in Templo, & dicentes, Hoſanna filio Davidis, indignati ſunt.*] Mirabilia illa inter alia erant, quod Chriſtus vi tali uteretur in Templo, quodque ei nemo reſiſtere auderet.

Et pueros clamantes.] Pueri, quod audiebant clamantem turbam, iterabant acclamando, ut vulgo facere pueris mos eſt.

Verſ. 16. *Et dixerunt ei: Audis quid iſti dicant? Jeſus autem dixit eis: Utique, nunquam legiſtis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?*] Audis, quid iſti dicant? id eſt, huncne honorem tibi exhiberi pateris, qui nonniſi Meſſiæ debetur? Vitio ipſi vertunt, quod ad illas voces fileret, honoremque illum acceptaret. Loquuntur autem non de ſolo puerorum clamore, ſed de clamore populi in genere, cui immixti etiam erant pueri. Videntur Phariſæi Chriſto hac ſua interrogatione laqueum tetendiſſe. Cogitabant enim forſitan: ſi clamorem hunc & gratulationem populi placere ſibi oſtendet eamque approbabit, habebimus anſam & occaſionem eum deferendi coram Præſide, quod Regio honore ſe affici patiatur, adeoque ſe Regem faciat. Sin teſtabitur acclamationes illas ſibi diſplicere, turbam facile compeſcemus, eique demonſtrabimus, quod talem ei cultum deferant, quo is omnino indignus ſit, quique ne ab ipſo quidem probetur.

Ex ore infantium & lactentium.] Citantur hæc verba è Pſalm. 8. 3. Senſus eorum ibi eſt, Deum etiam hoc ipſo omnipotentiæ ſuæ laudem

conciliaſſe, dum lactentes infantes tam miraculoſe alit ac nutrit per ubera matrum, quæ illi ſimulac nati, ore ſuo lactent, & lac ex eis ſugere norunt. Vultque David dicere, etiam talia quæ in oculis hominum exilia & parva ſunt (quale eſt hoc lactentium puerorum exemplum) argumentum præbeant divinæ potentiæ. Hoc igitur Chriſtus applicat ad iſtos pueros, Hoſanna clamantes, docens, non ſolum adultorum, ſed & puerorum iſtorum clamorem ad Dei laudem & gloriam tendere. Unde intelligere eſt, in Pſalmo per infantes ac lactentes, ſenſu myſtico deſignari homines ſimplices, qualis turba illa erat, & innocentes, quales erant pueri. Eodem ſenſu Chriſtus in ſimili reſpondit negotio: *ſi iſti ſiluerint, mox lapides clamabunt* Luc. 19. 40.

Verſ. 17. *Et relictis illis, abiit in Bethaniam, extra urbem, & diverſatus eſt ibi.*] Ideo abiit, ut omnem ſuſpicionem affectati regni vitaret. Facili enim negotio fieri potuiſſet, in tam populoſa civitate tantoque confluxu populi ad feſtum, & quidem nocturno tempore, quod ad res novas moliendas aptiſſimum eſt, ut eum vi correptum Regem crearent: quemadmodum id eos alibi facere quoque voluiſſe legimus Joh. 6. 15.

Et diverſatus eſt ibi.] Nempe ſub dio. Quod ex Luc. 21. 37 colligitur, qui narrat, Chriſtum interdiu docuiſſe in templo, noctu autem exiviſſe, ac pernoctaſſe in monte Olivarum. Et fuit quidem id ſolenne Chriſto, ut ſub dio pernoctaret, quando ſingulariter precibus vacare volebat.

PARS III.

Verſ. 18. *Mane autem rediens in civitatem, eſuriit.*] Quod mane eſurierit, mirum non eſt, quando totam noctem incœnatus ſub dio tranſegit.

Verſ. 19. *Et videns ficum quandam ſecus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, niſi folia ſolum; tunc dicit ei: Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum, & exaruit illico ficus.*] Marcus hanc rem ita refert: *Cumque procul vidiſſet ficum habentem folia, venit ſi forte quid inveniret in ea. Et cum veniſſet ad eam, nihil invenit niſi folia; non enim erat tempus ficuum* cap. XI. 13. Hic primum occurrit quæſtio: Quo pacto Chriſto tribuatur hoc loco, quod ignoraverit, ficum carere fructu, & quidem eo tempore, quo etiam pueri norunt ficus nondum poſſe eſſe maturas? Ad quam quæſtionem nonnulli reſpondent, Chriſtum quidem ſciviſſe, ficus nullas tunc temporis eſſe potuiſſe, ſed eum ignoraſſe, ficulneam arborem eſſe, quandoquidem eminus eam vidit, ut Marcus narrat modo-allegato loco, adeoque non bene diſcernere potuiſſe, ſed putaſſe aliam eſſe arborem, quæ tum temporis jam potuerit fructus ferre. Secundo quæritur: Quomodo Chriſtus fuerit Deus altiſſimus, cum neſciverit, in ficu nullos eſſe fructus? Nam ſecundum divinam naturam utique id ſciviſſet; qui igitur factum, quod divina natura humanæ id non revelaverit? aut quomodo potuit humana natura Chriſti id ignorare, ſi cum divina natura unione hypoſtatica fuit conjuncta? Imo ſcire & neſcire nonniſi perſonæ competit, non autem naturæ ſimpliciter, quæ perſona non eſt. Quod autem nihilominus Chriſtus id virtute divina in ſe reſidente, per quam etiam cogitationes humanas poterat ſcire, non cognoverit, cauſa eſt, quod virtus iſta divina non ſemper ſe in eo exeruerit, ſed tum demum, quando eam in ſe excitare voluit. Naturæ divinæ autem alia fuiſſet ratio. Non enim in ejus poteſtate fuiſſet, eam excitare vel non excitare. Tertio quæritur: Cur Chriſtus maledixerit arbori iſti, cum ſcire potuerit, non fuiſſe tempus opportunum, quo ficus matureſcere ſolent, ut Marcus annotavit? Hic ſciendum eſt, id quod hoc loco factum eſt à Chriſto non alia ex cauſa factum eſſe, niſi ut ſingulare myſterium eo denotaretur. Quemadmodum enim olim Prophetæ divina judicia, quæ Judaico comminabantur populo, non verbis tantum denunciabant, ſed etiam certis factis repræſentabant; ut inter alia Eſai. 20, 2, 3. Jer. 13. 1 ſeqq. 27. 2. Ezech. 4. toto & 5. 1 ſeqq. XII. 3 ſeqq. videre eſt. Sic etiam Chriſtus hoc miraculo repræſentare & ob oculos ponere voluit, quis tandem exitus Judaicæ gentis futurus eſſet, cujus ſalutem ipſe ardentiſſime quaſi eſuriens quæſivit, ſed poſt adhibitam curam diligentem & poſt longam expectationem nullos fructus, qui eſuriem ejus ſatiarent, reperire potuit. Quod idem etiam poſtea ꝟſ. 33, in parabola de vinea exprimit, quam ita concludit: ꝟſ. 43: *Ideo dico vobis, Regnum Dei auferetur à vobis, & dabitur genti, quæ faciet fructus ſuos*: quibus verbis indicat, Regnum Dei tranſlatum iri à Judæis ad Gentiles, quia hi ferent fructum, illi vero ſint infructuoſi. Quod autem Marcus arborem quodammodo excuſat, quod nullum habuerit fructum, quia nondum fuerit tempus ficuum; ex eo poſſet aliquis inferre, etiam tempus nondum adveniſſe, quo Judaicus populus tam maturos fructus, quales requirebat Chriſtus, ferre potuerit. Verum tenendum eſt, non omnes parabolæ partes eſſe ad rem ea ſignificatam anxie trahendas & accommodandas. Itaque arbor hic non eſt conſideranda ratione temporis, an pro eo fructus habuerit, vel non, ſed ſimpliciter eatenus, quod nullos fructus habuerit. Voluit enim Chriſtus indicare, Judaicam gentem arbori iſti eſſe ſimilem, ſeque in ea fructus expetitos ac quæſitos non inveniſſe. Quare Chriſtus ficui huic non ideo maledixiſſe, quod culpa ſua nullas ficus habuerit, ſed ideo ſolum, quod judicium Dei populo Judaico impendens voluerit adumbrare.

Eſt autem hic dignum conſideratione, quod Chriſtus Dominus noſter benigniſſimus innumerabilibus miraculis, quæ ſummo cum ſolatio & bono ægrotorum ac miſere afflictorum hominum edidit, æterna & cœleſtia beneficia ſua, quibus nos vult afficere, præfiguraverit & adumbraverit: ſeveritatem autem judicii ſui ſuper pœnitere neſcios, repræſentaverit hoc unico ſigno, & quidem non in homine aliquo, ſed in arbore ſenſu carente ſpecimine maledictionis edito. Unde perſpicitur, gratiam & benignitatem Dei, quam in Chriſto tanquam imagine ſua ſpectandam propoſuit, infinitis partibus majorem eſſe quam iram ejus ac ſeveritatem. Per arefactionem autem Chriſtus ſignificare voluit, ſterili-

ſterilitatem bonorum operum ſubtractione gratiæ fœcundantis puniendam eſſe. Vide Hebr. 6. 8, qui locus explicationem hujus continet.

Nunquam naſcatur ex te fructus in ſempiternum.] Quia fructu cares, eo ſemper careas, & ſuccus exſiccescat in te, ut exarescas.

Verſ. 20. *Et videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo illico exaruit ficus?*] Hoc factum eſt poſtero die: cum in urbem iterum redirent, ut Marcus indicat cap. XI. 19, 20. Itaque voces *illico exaruit*, quæ habentur in fine verſus præcedentis, ita ſunt intelligendæ, quod arbor ſtatim cœperit marcescere, non tamen tam ſubito exaruiſſe, ut id diſcipuli continuo animadverterent, præſertim cum in arborem non eſſent adeo intenti, nec diu ibi morarentur.

Verſ. 21. *Reſpondens autem Jeſus ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem & non dubitaveritis, non ſolum hoc, quod factum eſt ficui, facietis, verum etiam ſi monti iſti dixeritis: Tollitor & projicitor in mare; fiet.*] Vox Græca διακρίνεσθαι ſignificat proprie *rixari, contendere*, uti ſolent, qui dubitant, in ſe ipſis quaſi diſcordes eſſe, & ſecum ipſis litigare. Sic uſurpatur etiam vox iſta Act. 10. 20. Rom. 4. 20.

Verum etiam ſi dixeritis monti iſti.] Explicationem horum verborum vide ſupra cap. 17. 20.

Verſ. 22. *Et quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis.*] Vide ſupra cap. 18. 19.

PARS IV.

Verſ. 23. *Cum autem veniſſet in Templum, acceſſerunt ad eum docentem principes Sacerdotum & Seniores populi, dicentes: Qua auctoritate facis iſta? & quis tibi dedit iſtam auctoritatem?*] Marcus ad Principes Sacerdotum & Seniores populi addit quoque Scribas cap. XI. 27. Ex triplici hoc hominum genere conſtabat Synedrium, cujus præcipua quidem pars erant Principes Sacerdotum & Seniores, Scribæ autem erant tantum quaſi aſſeſſores, ut ſupra ad cap. 5. 22 explicatum. Ad Synedrium autem pertinebat falſos Prophetas à veris diſcernere. Ita perhibent Judæi, Sapientes in Iſraële ad Barcochebam, (qui ſub Cæſare Ælio Hadriano affectabat pro Meſſia haberi) miſiſſe nuncios ſuos. Hi igitur veniunt hic re inter ſe bene deliberata ad Chriſtum, ut eum in diſcrimen adducerent. Auctoritas enim illa, qua uſus eſt Chriſtus in numulariis & mercatoribus ejiciendis, adeo illis ſudes fuit in oculis, ut de eo è medio tollendo conſpirationem inierint: quod Marcus præſcripſit cap. XI. 18.

Qua auctoritate.] Poteſtas docendi in Templo à Synedrio erat petenda: ſed Chriſtus ab eo nullam acceperat; ideo ſe mandato Dei tanquam ſupremi Templi Domini tuebatur. Hic vero non dignatus eſt eis rationem reddere ſuæ vocationis ac poteſtatis, ſed alia ratione eos eludit.

Facis iſta.] Nempe quod doceas. Nam de eo potiſſimum fuiſſe quæſitum, haud obſcure innuit Lucas cap. 20. 1.

Verſ. 24. *Reſpondens vero Jeſus dixit eis: Interrogabo & ego vos rem quandam; quam ſi dixeritis mihi, dicam & ego vobis, qua auctoritate iſta faciam.*] Chriſtus ita ſuam proponit quæſtionem, ut ex ea clare perſpici queat, eum cauſæ ſatis habuiſſe, ad eorum interrogationem non reſpondendi. Quomodo enim ipſi credidiſſent, ſi dixiſſet, à Deo datam ſibi auctoritatem docendi; cum nec Johanni crediderint, quem tamen à Deo eſſe palam negare non audebant?

Verſ. 25. *Baptiſma Johannis unde erat? à cœlo, an ex hominibus? Illi autem ratiocinabantur apud ſe, dicentes: ſi dixerimus, è cœlo, dicet nobis, Quare ergo non credidiſtis ei?*] Per Baptiſma non ſolum aquæ Baptiſmum intelligit, ſed una totam doctrinam ac prædicationem ejus.

E cœlo.] Id eſt, à Deo cœlitus.

Quare ergo non credidiſtis ei.] Non modo in aliis rebus, ſed in eo quoque, quod de me teſtatus eſt: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi* Joh. 1. 29.

Verſ. 26. *Sin autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam; omnes enim habent Johannem ſicut Prophetam.*] Quod hic dicunt, Timemus turbam, id apud Lucam ſic efferunt: *Plebs tota lapidabit nos* cap. 20. 6.

Sicut Prophetam.] Credebant eum à Deo excitatum & ad ſe miſſum eſſe.

Verſ. 27. *Et reſpondentes Jeſu dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego vobis dicam, qua auctoritate iſta faciam.*] Eo adduxit illos Chriſtus interrogatione ſua, ut ipſimet ſuam faterentur inſcitiam: cum tamen alioqui gloriarentur, ſe inter veros & falſos Prophetas optime noſſe diſcernere.

PARS V.

Verſ. 28. *Quid autem vobis videtur? Quidam homo habebat duos filios, & accedens ad priorem, dixit: Fili, abi, hodie operare in vinea mea.*] Principes Sacerdotum & Seniores nolebant ad quæſtionem Chriſti de baptiſmate Johannis reſpondere, ne cogerentur eum pro divinitus miſſo doctore agnoſcere: cum interim id probe ſcirent, Baptiſma Johannis à Deo fuiſſe & non ab hominibus. Quod ergo illi profiteri non audebant, id Chriſtus hac docet quæ ſequitur, ſimilitudine: nimirum Baptiſma Johannis auctorem habere Deum, & illos inexcuſabiles, eſſe, quod cum publicani & meretrices crediderint Johanni, ejuſque prædicatione adducti ſint ad pœnitentiam, ipſi neque crediderint, neque pœnitentiam egerint.

Quidam homo habebat duos filios.] Per hominem iſtum ſignificatur Deus; qui verò ſignificentur per duos filios, ex ℣. 31 intelligitur, nempe duplex genus hominum inter Judæos. Primum eſt plebs promiſcua & turba populi, publicani, meretrices, peccatores, quibus à Deo injunctum erat, operari in vinea, id eſt, ſecundum Legem vitam inſtituere, ſed illi operibus ſuis demonſtrarunt, ſe id facere nolle; poſtea autem exemplo & prædicatione Johannis Baptiſtæ permoti reſipuerunt, & non ſolum ex Legis præſcripto vixerunt, ſed Euangelium quoque recepe-runt. Alterum genus ſunt Sacerdotes, Phariſæi & Scribæ, quibus cum imperatum eſſet, ut irent ad opus in vinea faciendum, reſponderunt, ſe ituros, id eſt, ſe Legem ſervaturos, & quidem ratione perfectiſſima;

fectiſſima ; reipſa autem non abierunt in vineam : quia Legem non ſervarunt, neque Johanni, de quo Prophetæ vaticinati ſunt, crediderunt.

Verſ. 29. *Ille vero reſpondens ait : Nolo. Poſtea autem pœnitentia ductus abiit.*

Verſ. 30. *Et accedens ad alterum, dixit ſimiliter. Is vero reſpondens ait : Ego Domine ; & non abiit.*

Verſ. 31. *Uter ex his duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei : Prior. Dicit eis Jeſus : Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.*] Non hæc eſt verborum ſententia, publicanos & meretrices in die judicii citius vitam æternam conſecuturos, quam principes Sacerdotum & Seniores : ſed vox Græca προάγω, ſignificat præire, monſtrare viam ; ut ſenſus ſit ; Publicani & peccatores monſtrant vobis iter in Regnum Dei, iter nimirum pœnitentiæ, dum ei exemplo ſuo prælucebant. Hunc ſenſum eſſe docent noviſſima verba ſequentis verſiculi : *Vos autem videntes non reſipuiſtis poſtea, ut ei crederetis* ; id eſt, cum exemplum publicanorum & meretricum, qui Johanni crediderunt ac reſipuerunt, videretis, non eſtis iſto exemplo commoti, ut eorum inſiſteretis veſtigiis, & pœnitentiam ageretis.

Verſ. 32. *Venit enim ad vos Johannes via juſtitiæ, & non credidiſtis ei : publicani vero & peccatores crediderunt ei. Vos autem videntes non reſipuiſtis poſtea ut ei crederetis.*] Hic Chriſtus exprimit diſerte, quod principes ſacerdotum profiteri nolebant : indicatque Johannem fuiſſe à Deo miſſum, adeoque Baptiſma ejus non fuiſſe ab hominibus, ſed à Deo.

Via juſtitiæ.] Per viam juſtitiæ intelligit Chriſtus doctrinam Johannis, de pœnitentia, qua homines injuſtitiam exuunt, & juſtitiam induunt. In hac via pœnitentiæ publicani & meretrices præceſſerunt, ſuoque exemplo facem prætulerunt ; quod tamen Phariſæi ac Scribæ imitari noluerunt.

Ut ei crederetis.] Id eſt, ut doctrinam ejus ſuſcipere tis ; quod nihil aliud eſt, quam ut pœnitentiam ageretis. Vox enim *credendi* ſæpenumero ea ſignificatione accipitur, ut denotet, reipſa & facto fidem demonſtrare.

PARS VI.

Verſ. 33. *Aliam parabolam audite : Fuit quidam Paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, foditque in ea torcular, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis, & peregre profectus eſt.*] Similitudine præcedenti Chriſtus ſimpliciter malitiam & contumaciam primariorum Sacerdotum ac Seniorum delineavit : hac autem de vinea parabola indicat, eos hanc malitiam à ſuis majoribus quaſi hæreditate accepiſſe, & non ſolum illorum ſequi veſtigia, verum etiam longe illos ſuperare, atque adeo menſuram patrum ſuorum implere : ut Chriſtus loquitur infra cap. 23. 32.

Fuit quidam paterfamilias.] Is eſt Deus.

Qui plantavit vineam.] Similitudo à vinea ſumpta crebro uſurpatur apud Prophetas, ſed ſenſu alio quam hic. Ibi enim per vineam intelligitur Judaicus populus, quem Deus per Legem plantaverat, qua ratione factum eſt, ut è vite agreſti, quales erant omnes reliquæ gentes, præclara & fæcunda vitis fieret. Vide Eſai. 5. 1. Jerem. 2. 21. XII. 10. Joël 1. 7. Hic vero per vineam intelligitur notitia Legis, populus autem Judaicus deſignatur per agricolas, quibus paterfamilias vineam ſuam elocaverat. Per *ſepem*, *torcular*, & *turrim* una tantum res indicatur, quod nimirum Deus circa hanc vineam omnia fecerit, quæ agricolæ deſiderabant, quibuſque adduci potuiſſent ad excolendam quam optime vineam, fructuſque Domino debito tempore reddendos. *Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ea ?* inquit Deus apud Eſaiam cap. 5. 4. Ita hic quoque Deus quoad cognitionem ſuam nihil deſiderari paſſus eſt, quod ad eam fructuoſam in populo ſuo reddendam facere poſſet. Sepes ponuntur ad arcendas feras & pecora : torcular ad vinum exprimendum : turris ad cuſtodiam, ne quis tranſcendat ac furetur.

Et elocavit eam agricolis.] Certum pretium vel partem fructuum ab iis pactus. Per agricolas non tantum principes Sacerdotum & Seniores, quibuſcum loquebatur Chriſtus, ſed, ut dictum eſt, totus Iſraëliticus populus intelligitur : quod ex concluſione parabolæ colligitur, vſ. 43 : *Regnum Dei auferetur à vobis &c.*

Verſ. 34. *Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.*] Servi iſti ſunt Prophetæ, quos Deus diverſis temporibus ad populum ſuum miſit.

Ut acciperent fructus ejus.] Partem ſcilicet fructuum ſibi ex pacto debitam ; nam pars altera debebatur agricolis pro labore.

Verſ. 35. *Agricolæ autem apprehenſis ſervis ejus, alium quidem ceciderunt, alium vero trucidarunt, alium autem lapidarunt.*] Ceciderunt, id eſt, plagas inflixerunt multas, verberibus maculoſam ejus pellem reddiderunt. Id enim Græca vox δέρω ſignificat. Sic etiam uſurpatur hæc vox Act. 5. 40. Videtur Chriſtus hoc verbo potiſſimum reſpexiſſe ad illas contumelias, quibus Jeremias affectus fuit Jer. 37. 15. XXXVIII. 6.

Alium vero trucidarunt.] Hic reſpicitur ad Eſaiam Prophetam, qui ſerra diſſectus fuit : de quo vide Hebr. XI. 37.

Alium autem lapidarunt.] Hoc intelligi poteſt de Zacharia filio Jojadæ 2 Paral. 24. 20, 21. Vide quoque Matth. 23. 35, 37. Actor. 7. 51, 52. 2 Reg. 21. 16. Jerem. 44. 4, 5, 6. 2 Paral. 36. 16. Nehem. 9. 26.

Verſ. 36. *Rurſus miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt eis ſimiliter.*

Verſ. 37. *Poſtremo autem miſit ad eos filium ſuum, dicens : Reverebuntur filium meum.*] Filius iſte eſt Chriſtus, quem Deus ultimo loco miſit Hebr. 1. 1. Marcus ait : *Unicum filium ſuum dilectum* cap. 12. 6.

Reverebuntur filium meum.] Non dicit Chriſtus, quid factum ſit, ſed quid merito fieri debuerit. Ideo Lucas addit : *Forte reverebuntur.* Id humano more de Deo dicitur. Quod enim Deus præſciverit, eos filium ſuum occiſuros, teſtantur Prophetarum oracula,

oracula, inprimis Eſai. LIII. Daniel. 9. 26. Vide etiam Luc. 24. 26.

Verſ. 38. *Agricolæ viſo filio dixerunt inter ſe: Iſte eſt hæres, adeſte, trucidemus eum, & obtineamus hæreditatem ejus.*] Hæc ſunt verba fratrum Joſephi, *Trucidemus eum* Gen. 27. 20.

Et obtineamus hæreditatem ejus.] Hoc videtur Chriſtus indicare, Sacerdotes & Seniores populi ſummam dediſſe operam, ut Legem ad avaritiam & faſtum ſuum nutriendum detorquerent: quod tantundem eſt, atque ſi agricola dominum ſuum tota vinea aut agro ejus defraudaret.

Verſ. 39. *Et prehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.*] Ejecerunt Chriſtum ex vinea, dum eum rejecerunt, ac reprobarunt, ut infra ℣ſ. 42 dicitur. Eum tanquam hominem extra Legem viventem (per vineam enim, ut explicatum ſuperius, Lex intelligitur) ab Ethnicis interfici curarunt: atque hac ratione ipſi eum potius occidiſſe dicendi ſunt, quam Romanorum Præſes, qui primum refragabatur, poſtea vero, ipſis inſtantibus & urgentibus, id facere coactus eſt.

Verſ. 40. *Cum igitur venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?*

Verſ. 41. *Dicunt ei: Malos iſtos male perdet, & vineam ſuam elocabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis.*] Apud Marcum cap. 12. 9, & apud Lucam cap. 20. 16 hoc dicit Chriſtus ipſe. Nimirum Sacerdotes primo ſententiam hanc de malis iſtis agricolis tulerunt, poſtea vero eam Chriſtus confirmavit, & amplius declaravit. Apud Lucam ad latam à Chriſto ſententiam de agricolis, reſpondent Sacerdotum principes: *Abſit*; intellige, ut agricolæ rem tam nefandam committere debeant. Nondum intellexerunt Sacerdotes iſti, quorſum parabola illa tenderet, donec Chriſtus rem apertioribus verbis efferret, quod Regnum Dei ab illis auferendum ſit ℣ſ. 43.

Verſ. 42. *Dicit eis Jeſus: Nunquam legiſtis in Scripturis: Quem lapidem reprobarunt ædificantes, is factus eſt caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?*] Quia apud Lucam, ut commemoratum eſt, dicunt, *Abſit*, ut agricolæ filium interficiant, propterea probat id ipſum Chriſtus vaticinio ex Pſal. 118 deſumpto, ut clarius indicet, parabolam in illos eſſe prolatam. Quod enim Pſalmus iſte myſtico ſenſu de Meſſia agat, agnoſcunt Judæi ipſi, imo quod illa tempeſtate paſſim à Judaico populo de Meſſia intellectus fuerit, indicio eſt illa fauſta acclamatio turbæ & puerorum, *Hoſanna*, &c: ſupra ℣ſ. 9. Quæ verba ex eodem Pſalmo mutuata ſunt. Loquuntur autem hæc verba Pſalmi 118, primo ac literali ſenſu de Davide, cum gravi perſecutione à Saule ejuſque ſequacibus premeretur, & tanquam inutilis & ædificio haud conveniens lapis rejectus eſſet, qui tamen poſtea, Deo ſic res mirabiliter diſponente, ad regiam dignitatem in Iſraële evectus eſt, atque ita inſigne caput anguli & columen regni Iſraëlitici evaſit. Quod idem rurſus ſenſu myſtico in Chriſto, cujus typum geſſit David, impletum eſt, dum ab ædificantibus, id eſt, à principibus populi divini, tanquam anathema & res abominanda rejectus eſt, imo prorſus è terra viventium exterminatus; ſed virtute divina ex mortis faucibus ereptus, atque lapis angularis pretioſus domus Dei, ſeu Rex ac Servator populi Iſraëlis factus eſt Actor. 4. 11, & v. 31.

Ædificantes.] Nempe Principes populi, atque Antiſtites, quales tunc erant primarii Sacerdotes, Scribæ, & Seniores, utpote Senatores Synedrii, uti docet Petrus Actor. 4. 11. Horum curæ non ſolum religio ac cultus divinus, ſed etiam totius Reipublicæ ſalus & conſervatio erat commiſſa. Atque de his primò ac potiſſimum loquantur verba Pſalmi, conſequenter autem & ſecundario de populo ipſo.

Caput anguli.] Ita eſt in Græco: ſignificaturque lapis angularis. Chriſtus triplici de cauſa caput anguli, ſeu lapis angularis dicitur: primum quia eſt lapis robuſtiſſimus ac ſolidiſſimus, qui totum ædificium ſuſtentat. Hinc Paulus ait: Epheſ. 2. 20. *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, exiſtente imo angulari lapide Jeſu Chriſto* &c. Secundo quia multis eſt lapis offenſionis. Unde Petrus: *Vobis*, inquit, *eſt honori, qui creditis; inobedientibus autem lapis, quem reprobarunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui impingunt ad ſermonem, cui non obediunt, ad quod etiam poſiti ſunt* 1 Petr. 2. 7, 8. Tertio, ſicut angularis lapis duos parietes conjungit: ita Chriſtus, ut duo populi, Judæi & Gentiles, in unum ædificium coaleſcerent, effecit. De quo lege Paulum loquentem Epheſ. 2. 14. Hic autem in Pſalmo, quem Chriſtus allegat, præcipue ad primam cauſam reſpicitur.

A Domino factum eſt hoc.] Non humano conſilio, ſed ſapientiſſima & incomprehenſibili Dei directione, & potentiſſima Dei dextera id factum eſt.

Et mirabile eſt in oculis noſtris.] Non tantum præter & contra omnium hominum ſpem atque expectationem id accidit, ſed etiam omnibus mirantibus ac ſtupentibus.

Verſ. 43. *Propterea dico vobis; tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti, quæ ferat fructus ejus.*] Hæc eſt concluſio parabolæ, & hoc ſibi vult Chriſtus: Propterea quia lapidem hunc rejeciſtis, & amplius adhuc rejicietis, idem vobis eveniet, quod de malis illis agricolis dictum eſt.

Tolletur à vobis regnum Dei.] Supra cap. 3. 2 explicatum eſt, per Regnum Dei aliquando Regnum Meſſiæ intelligi, illud nimirum feliciſſimum tempus, quod ſub Meſſia fluere debuit, aliquando autem tantum doctrinam Euangelii ſignificari. Atque hac poſteriori ſignificatione voces iſtæ hoc loco accipiuntur: ita tamen, ut etiam notitia Legis ſimul comprehendatur. Videlicet hoc vult Chriſtus dicere: Quandoquidem cœleſtem Euangelii doctrinam reſpuunt ac repudiant, imo ipſum Meſſiam rejiciunt, idcirco omnis cognitio ſalutaris ab eis auferetur, & alteri populo conferetur. Id quod tunc factum eſt, cum Paulus & Barnabas ad Judæos dicerent: *Vobis neceſſe fuit primum exponi ſermonem Dei; poſtquam autem illum repellitis, & indignos vos ipſos judicatis vita æterna, ecce convertimus nos ad Gentes* Actor. 13. 46. Inter omnes pœnas, quæ irrogatæ ſunt Judaico populo, nulla eſt memorabilior, quam hæc; quod poſtquam Judæi Chriſtum rejecerunt, non modo omnes

prophe-

prophetiæ inter eos ceſſarint, & inſignis illa lux, quæ quondam inter eos tanquam lucida ſtella fulſit, ad Chriſtianos tranſierit, verum quod etiam illa notitia atque ſcientia Legis, quæ humano intellectu comparari poteſt, in abſurdiſſimas fabulas, quibus ſcatet eorum Thalmud, converſa ſit; ita ut qui illis fidem adhibet, non ſolum cognitione Legis, ſed etiam bona parte ſanæ rationis ſuæ naturalis privatus eſſe cenſendus ſit.

Quæ ferat fructus ejus.] Vinea talibus agricolis elocabitur, qui domino ſuo debitos fructus competenti tempore reddant. Intellige fructus, non ſolum pœnitentiæ, ut Johannes Baptiſta præcepit Luc. 3. 8, ſed fructus quoque Regni Dei, ſeu fructus ſpiritus, de quibus Paulus loquitur Rom. 6. 22. Epheſ. 5. 9. Gal. 5. 22.

Verſ. 44. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.*] Quia in parabola de ædificio meminit lapidis, ideo nunc aliam ſimilitudinem itidem à lapide ſumptam affert, qua indicat, quid illis expectandum ſit, qui ipſum rejiciunt. Senſuſque eſt, eos qui in ipſum, dum adhuc in terris eſt, impingunt, id eſt, qui ipſi reſiſtunt, ſuam imbecillitatem magno ſuo malo agnituros, & non ſecus atque olla argillacea, ad lapidem alliſa, fractum & comminutum iri. Idem Petrus quoque indicat 1 Petr. 2. 7.

Super quem vero ceciderit.] Si quis autem perget ei ſe opponere, poſtquam ad Regiam dignitatem in cœlis exaltabitur, is non aliter ad incitas redigetur ac perdetur, atque olla, quam lapis vaſtæ magnitudinis ex alto delapſus conterit & in minutiſſimas particulas redigit. Hoc evenit Judæis, cum miſerandum in modum everſa & exciſa eſt urbs Hieroſolyma: ſed longe adhuc deterior erit illorum conditio, qui nova luce exorta, qua eos Deus dignatus eſt (de quo vide Rom. xi. 25) ad Chriſtum converti nolunt.

Verſ. 45. *Et cum audiviſſent Principes Sacerdotum ac Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt hac de ſe dici.*

Verſ. 46. *Et quærentes eum prehendere, timuerunt turbas; quoniam ut Prophetam habebant eum.*

CAPUT XXII.

I. Chriſtus parabolam refert de Rege filio ſuo nuptias adornante: ad verſ. 15. II. Diſcipulis Phariſæorum reſpondet ad quæſtionem de cenſu Cæſari dando: ad verſ. 23. III. Reſpondet Sadducæis ad quæſtionem de muliere, quæ ſeptem fratribus nupta fuit: ad verſ. 34. IV. Reſpondet cuidam Legis Interpreti ad quæſtionem de maximæ mandato: ad verſ. 41. V. Proponit Phariſæis quæſtionem, de Chriſto, cujus ſit filius, & refellit eorum opinionem: ad finem Cap.

PARS I.

Verſ. 1. *ET reſpondens Jeſus, iterum locutus eſt eis per parabolas, dicens.*] Circumſtantiæ hujus parabolæ adeo diſcrepant à circumſtantiis illius, quæ narratur à Luca cap. 14. 16, ut utramque eandem eſſe credi nequeat; ſed omnino ſtatuendum ſit, aliam hanc ab illa eſſe. Dubitandum enim non eſt, Chriſtum non raro parabolas ſimiles diverſis propoſuiſſe temporibus, eaſque pro ratione auditorum ſuorum, in nonnullis partibus immutaſſe.

Verſ. 2. *Simile eſt regnum cœlorum cuidam Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.*) Id eſt, perinde ſe res habet in negotio regni cœlorum, atque ſi Rex filio ſuo nuptias pararet &c. Duo autem ſunt, quæ Chriſtus hac ſimilitudine vult docere. Primum, multos quidem ad ſumma beneficia divina, per Chriſtum oblata, vocari ac invitari; ſed paucos ea recipere. Alterum eſt, non omnes ſalvos fore, qui Euangelio credunt, ſed eos duntaxat, qui vitam Euangelio convenientem agunt. Sicut autem Regnum cœlorum (ut jam ſæpius monuimus) modo ſtatum Regni Meſſiæ in hac vita ſignificat, modo cœleſtem in futura vita felicitatem, cujus prior ille ſtatus felix in terris quaſi præguſtus ac promulſis eſt: Ita alibi cœleſte illud gaudium in altera vita nuptiali feſtivitati aſſimilatur: ut infra cap. 25. 10. Apocal. 19. 9. Hoc loco per nuptias adumbrantur divina beneficia, quæ in hac vita illis deſtinata ſunt, qui in Chriſtum credunt: qualia ſunt, remiſſio peccatorum, certa ſpes beatæ immortalitatis, & paternæ providentiæ atque cuſtodiæ divinæ: in quibus tribus rebus ſumma felicitas conſiſtit, quæ homini in hac vita poteſt contingere. Rex autem hic eſt Deus: filius eſt Chriſtus, qui creberrime tanquam ſponſus deſcribitur Matth. 9. 15. xxv. 1. Joh. 3. 29. Apoc. 19. 7.

Verſ. 3. *Et miſit ſervos ſuos, qui vocarent vocatos ad nuptias: ſed noluerunt venire.*] Moris eſt, ut ad nuptias bis vocentur hoſpites. Primo quando invitantur, & ut præſentia ſua condecorare velint connubiale feſtum rogantur: ſecundo quando epulum nuptiale jam plane paratum eſt. Hic igitur qui jampridem erant invitati, ad epulas vocantur. Invitati autem ſunt Judæi, quibus adventus Meſſiæ dudum ante à Prophetis, poſtremo autem à Johanne Baptiſta eſt annunciatus, atque ſic ad regnum Dei ſunt invitati. Hi itaque per Chriſtum ejuſque Apoſtolos, quos per univerſam illam terram dimiſerat Matth. 10. 5 ad jam paratas epulas nuptiales, id eſt, ad ſuſcipienda maxima illa beneficia, quæ Chriſtus ſecum apportavit, vocantur.

Verſ. 4. *Rurſus miſit alios ſervos, dicens: Dicite vocatis, Ecce prandium meum paravi; tauri mei & altilia mactata ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.*] Hæc ſecunda miſſio facta eſt, cum Chriſtus poſt ſuam exaltationem Spiritus Sancti copiam immenſam effudit in ſuos Apoſtolos, & per eos ac nonnullos alios ipſis adjunctos, Judæis beneficia ſua tam largiter & inſigniter offerri curavit, ut nihil potuerit ab eis requiri amplius.

Verſ. 5. *Illi autem negligentes, abierunt, alius quidem in agrum ſuum, alius vero ad mercaturam ſuam.*] Curas terrenas & temporales divinis æternum duraturis beneficiis prætulerunt.

Verſ. 6. *Reliqui vero prehenſos ſervos ejus contumelia affecerunt, & occiderunt.*] Ita comprehenderunt Petrum & Johannem Actor. 4. 3. xij. 2. Paulum Actor. 9. 24. xiv. 5. 2 Cor. xi. 26.

Et occi-

Et occiderunt.] Nempe Stephanum, & Jacobum Actor. 7. 60. xij. 2.

Verſ. 7. *Rex autem audito eo, iratus eſt, & miſſis copiis ſuis perdidit homicidas illos.*] Nempe miſit Angelos ſuos, qui Dei exercitus vocantur 1 Reg. 22. 19. 2 Paral. 18. 18. Luc. 2. 13. Miniſterio Angelorum utitur Deus in regendo hoc mundo inferiori, perque eos immittit famem, bella, peſtem, quæ plagæ omnes quaſi agmine facto inundarunt civitatem Hieroſolymam.

Verſ. 8. *Tunc dicit ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed vocati non fuerunt digni.*] Nimirum ſeipſos indignos judicarunt vita æterna Actor. 13. 46. Ipſorum voluntaria improbitas, quod verbo Dei vivifico reſiſterent, indignos eos reddidit.

Verſ. 9. *Ite ergo ad compita viarum, & quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias.*] Judæorum contumax & malitioſus animus dedit anſam Deo, ut pro mirabili ſapientia ſua benignitatis ſuæ fores Ethnicis reſeraret & patefaceret. Etiamſi Judæi Chriſtum recepiſſent, nullam habuiſſent nihilominus cauſam de Deo conquerendi, ſi etiam Gentiles gratiæ ſuæ voluiſſet eſſe participes. Verum ut illis omnem juſtæ invidiæ ſpeciem eriperet, ideo curavit eis primum annunciari Euangelium, idque non obiter ac perfunctorie, ſed tam crebro ac frequenter, tantaque cum evidentia, ut vel duriſſimi & obſtinatiſſimi animi permoveri poſſent. Poſtquam vero hoc Dei beneficium ſpreverunt, convertit ſe Deus cum gratia ſua ad Gentes, tum ut benignitatem ſuam erga totum genus humanum demonſtraret, tum ut juſtas à Judaico populo pœnas repeteret. Ita inquit Paulus: *Quando quidem verbum Dei rejicitis, ecce convertimus nos ad Gentes*, Actor. 13. 46. Qui etiam in Epiſtola ad Romanos hoc divinum conſilium emphaticis deſcribit verbis; dum ait, *Judæorum Lapſum Gentium divitias factas eſſe*, Rom. xi. 12. Compita viarum proprie ſunt viæ è civitate ducentes, quæ extra urbem in diverſas partes ac loca ſe dividunt. Hoc loco per iſta compita viarum intelligi poſſunt variæ Philoſophorum & ſapientum inter Ethnicos opiniones de Deo, nec non ſuperſtitioſæ eorum religionis vanitates, in quas delapſi ſunt, poſtquam à via, ſibi ab Adamo & Noacho monſtrata deceſſerunt. Nam præteritis temporibus ſivit Deus Gentes ſuis ipſorum incedere viis, Actor. 14. 16 dum nullos Prophetas ad eos miſit, prout fecit Judaico populo. Interea tamen legem naturæ habuerunt, neque præcluſa eis fuit ad majorem cognitionem via, præſertim poſteaquam Judæorum multiplex & crebra diſperſio univerſum orbem replevit, & lex divina etiam in Græcum ſermonem tranſlata eſt.

Quoſcunque inveneritis.] A generali gratia Dei nemo hominum excluditur, ſed divina benignitas omnibus hominibus proſtat.

Verſ. 10. *Et egreſſi ſervi illi in vias, congregarunt omnes quos invenerunt, malos & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ convivis.*] Etiam ante annunciationem Euangelii fuit diſcrimen aliquod inter Gentes. Quidam enim ex eis profligatam vitam ac diſſolutam agebant, abſque diſciplina, abſque honeſtate, brutarum pecudum inſtar: quidam vero magis ſequebantur lumen rationis ſanæ, quæ dictat homini, ſecundum virtutem eſſe vivendum. Sed quia omnes idololatriæ erant dediti, & vanæ gloriæ ſtudebant, ideo Deus hoc diſcrimen non attendit, ſed omnibus, quacunque impietatis labe contaminatis, æqualiter remiſſionem peccatorum prædicari curavit, ut tanto magis appareret, id merum & gratuitum eſſe donum. *non ex operibus, ſed ex vocante* Rom. 9. 11. Itaque boni hic vocantur, qui erant tales comparate, reſpectu ſcilicet aliorum deteriorum.

Verſ. 11. *Ingreſſus autem Rex, ut ſpectaret convivas, vidit illic quendam non indutum veſte nuptiali.*] Per veſtem nuptialem non intelligitur fides. Nam locum dare invitationi, & ad nuptias venire, eſt credere; ut ita omnes illi, qui menſæ accumbebant, credentes fuerint. Sed per nuptialem veſtem deſignantur bona opera, cum quis *ſe gerit, prout convenit Euangelio* Phil. 1. 27, vel *ut convenit vocationi* Epheſ. 4. 1 opera, *per quæ vocatio & electio firma redditur* 2 Petr. 1. 10. Nam etiam in Apocalypſi Johannis veſtis nuptialis ſponſæ declaratur eſſe *juſtificationes* (ſeu juſta opera) *ſanctorum*, Apoc. 19. 8. Juſta opera autem ſunt, quæ fiunt ſecundum mandata Dei Luc. 1. 6. Ita etiam bona opera per albas veſtes denotantur Apoc. 3. 18 confer cum verſ. 15. Eodem tropo verbum *induendi* (quod proprie de veſtibus dicitur) de virtutibus uſurpatur Col. 3. 12, 14.

Verſ. 12. *Et dicit ei: Amice, quomodo huc introiſti, non habens veſtem nuptialem. At ille obmutuit.*] Vide de appellatione hac, *Amice*, ſupra cap. 20. 13.

At ille obmutuit.] Gr. ἐφιμώθη, os ei quaſi occluſum eſt. Conſcientia ipſa eum redarguit: nullus ei ſuppetebat excuſationis prætextus. Sic etiam in die noviſſimo illi obmuteſcent, nec vanam illam excuſationem, quod in ipſorum poteſtate non fuerit bona opera facere, poterunt obtendere.

Verſ. 13. *Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus ejus, tollite eum, & ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.*] Hoc eſt horrendum illud judicium, quod in omnes inobedientes ac injuſtos veniet, *excandeſcentia & ira, afflictio & angustia* Rom. 2. 8. Quod ipſum argumento eſt, homines nulla irreſiſtibili vi cogi ad malefaciendum. Quod enim quis non poteſt non facere, vel quod non poteſt omittere, id merito ac jure puniri nequit.

In tenebras exteriores. Hac de re vide ſupra cap. 8. verſ. 12.

Verſ. 14. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.*] Dictum hoc alia ſignificatione hoc loco accipitur, quam ſupra cap. 20. 16. Senſus enim hic eſt; plurimos quidem à Deo ad vitam æternam vocari, ſed paucos eſſe, qui ejus reipſa fiant participes. (Confer cum Matth. 7. 14.) Vel enim, qui vocantur, plane non veniunt, id eſt, non credunt Euangelio; vel non ea ſanctitate ſunt prædíti, quæ ad vitam æternam requiritur. Unde liquet, alio ſenſu uſurpatas hic eſſe voces *vocatorum* & *electorum*, quam ſupra cap. 20. 16. Ibi enim per *vocatos* intelliguntur, qui non ſolum ad vitam æternam vocantur, verum etiam vocationi dant locum, ac pie vivunt, adeoque vitæ æternæ evadent compotes: hic autem intelliguntur omnes indifferenter, qui per prædicationem Euangelii ad cœleſtia gaudia invitantur, ſive credant, ſive non credant,

crédant, ſive pie vivant, ſive minus. Per *electos* autem ibi intelliguntur, qui præ reliquis ſalvandis peculiari gloria in vita æterna eminebunt: hic vero omnes in univerſum, qui ſalvabuntur. Quod ſi quis per vocatos nonniſi eos intelligendos cenſeat, qui vocationi parent, creduntque Euangelio; tum dicendum eſt per unum illum hominem, qui caruit veſte nuptiali, deſignari univerſum illud genus hominum, qui ſecundum pietatis regulas non vivunt, quorum major eſt, quam piorum copia. Alias dictum hoc cum eo non congrueret; quum illorum, qui veſte nuptiali ornati comparuerant, & electi nuncupantur, plures hic introducantur.

PARS II.

Verſ. 15. *Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut illaquearent eum in ſermone.*] Ut ſupra cap. 12. 14.

Ut illaquearent eum in ſermone.] Nimirum conabantur tale quid ab eo elicere, ex quo anſam haberent eum apud Romanum Præſidem accuſandi, quod res novas moliatur: alioquin propter populum, quem timebant, nullam habebant ſpem eum interimendi. Hunc eſſe ſenſum, liquet ex Luca, qui ait: *Ut caperent ejus ſermonem, quo eum traderent imperio ac potestati Præſidis* cap. 20. 20.

Verſ. 16. *Et mittunt ad eum diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus te veracem eſſe, & viam Dei in veritate docere, nec quenquam curare; non enim reſpicis perſonam hominum.*] Quæſtio, quam hoc loco Phariſæorum diſcipuli Chriſto proponunt inde orta eſt, quod Pompejus Judæos Romanis fecerit vectigales ac tributarios, capitibuſque ſingulis didrachmum, id eſt, duos denarios ſeu quartam partem Imperialis impoſuerit; viris quidem à decimo quinto anno ætatis, fœminis vero à decimo uſque ad 65 annum. Hoc autem tributum non idem eſt cum illo, de quo ſupra cap. 17. 24 mentio facta eſt, cum illud Templo illatum, hoc Romanis miſſum fuerit. Huic ſervituti duo ſeſe oppoſuere ſeditioſi turbones, unus nomine Judas Gaulonites, alter Sadducus; uterque Phariſæorum Sectæ addictus. Iſti negarunt tributum dandum eſſe Romanis, ſeditioniſque ingentis incendium in populo excitarunt, ita ut Judas peculiarem ſectam efficeret inter Judæos, quæ ad tres priores, Phariſæorum, Sadducæorum, Eſſenorum, quarta acceſſit, & propter indomitum zelum, quem in tuenda populi Judaici libertate demonſtrabant Sectarii iſti, zelotæ dicti ſunt. Sed hic Judas peſſima morte periit, & cum eo permulti è Judæis, ut teſtatur Joſephus lib. 18. cap. 1. Interea ſententia iſta, nullius extranei Magiſtratus agnoſcendum eſſe imperium, nullique dandum eſſe cenſum, admodum grata erat populo. Nihilominus Herodes, ubi à Romanis regnum ſuper Judæos obtinuit, cenſum hunc urſit & exegit. Qua in re ipſi etiam è Judæis plurimi, uti in talibus rebus fieri conſuevit, adjumento fuerunt, cenſumque hunc omnino dandum eſſe contenderunt. Cæterum ſupra nominati ſeditionis incentores eorumque ſequaces provocabant ad illud mandatum Deut. 17. 15: *E medio fratrum tuorum conſtitues ſuper te Regem, non poteris tibi præficere virum extraneum, qui non ſit frater tuus.* Gaulonitæ ſententiam plurimi Phariſæorum amplectebantur: ut & in reliquis, tam quoad veſtitum, quam quoad vivendi regulas maxima ex parte cum Phariſæis Secta ejus conſentiebat. Ejuſdem ſententiæ fuere olim quoque illi, qui nulla ratione ſeſe Regi Babyloniæ ſubjicere volebant, cum quorum pervicacia multum negotii ac certaminis fuit Jeremiæ. Vide Jerem. 28. Eſt autem longe aliud, ſeipſum ultro ac ſponte alieno ſubdere jugo, id quod adducto ſuperius loco Deut. 17 prohibetur: & aliud, ſi cogaris, ut vitam tuam ſerves, ſubire ſervitutem, vel ſi jam in ea conſtitutus ſis, eam patienter ferre: uti Daniel & ſocii ejus faciebant. Deus enim nunquam populo ſuo alienum impoſuiſſet jugum, niſi peccata ejus neceſſario pœnis fuiſſent reprimenda, quibus reſiſtere nefas eſt. Hæc igitur quæſtio, dandumne eſſet Cæſari, qui erat extraneus magiſtratus, tributum, de qua dicere ſententiam ſive in hanc, ſive in illam partem periculoſum erat, proponitur hic Chriſto à Phariſæis. Cum autem ipſi magis ſuſpecti eſſe poſſent, miſerunt ſuos diſcipulos, quos ipſum credebant non agniturum, ſuamque ſententiam coram illis minus caute prolaturum. Lucas dicit, quod miſerint inſidiatores, qui ſe juſtos eſſe ſimularent cap. 20. 20. Volebant ſcilicet videri, ſe zelo veritatem diſcendi, & contra Dei Legem non peccandi ductos, quæſtionem proponere.

Cum Herodianis.] Hos ſecum illi aſſumſerunt, ut teſtes eſſent, ſi pro libertate populi Judaici adverſus Cæſarem pronunciaſſet ſententiam. Quinam fuerint Herodiani iſti, diſſentiunt Interpretes. Aliqui putant ſic vocatos eſſe illos Judæos, qui Herodem, ut ſupra dictum, in exigendo cenſu adjutabant eique adulabantur, & hanc ſervitutem pro juſta & æqua agnoſcebant. Sed cum hujus cenſus auctor non Herodes, ſed Pompejus fuerit, potius Pompejani, quam Herodiani dici debuiſſent. Itaque cum nomen ab Herode ſortiti ſint, apparet, eos non ratione hujus cenſus duntaxat, ſed & in aliis rebus ipſi addictos fuiſſe. Idcirco alii viri docti ſtatuunt, Herodianos iſtos peculiarem conſtituiſſe ſectam, quæ Herodem Magnum habuerit pro Meſſia. Etſi enim origine Idumæus eſſet, tamen poſtquam Idumæa Judææ adjuncta eſt, & ipſe religionem Judaicam amplexus eſt, non fuit amplius pro extraneo habitus. Ideo Herodiani iſti prompte Herodi, quem Meſſiam eſſe credebant, obſequium præſtiterunt, tanquam Judæo, imo, ut Joſephus ſcribit, tanquam Defenſori Legis; qui tametſi Romanorum commodis ſtuderet, id tamen ſolerti excuſatione noverat incruſtare. Sed poſtmodum cum Hieroſolyma, maximaque pars Judæorum Romano imperio tanquam provincia eſſet adjecta, & ſic Judæi non amplius circumciſo Regi, ſed Romanis, Magiſtratui Ethnico ſubeſſent, id cum Herodianorum doctrina minime congruebat. Sadducæi quoque, quorum pars Herodiani erant, magni æſtimabant libertatem. Nam inter cætera ex eo etiam probabant, Majores ſuos nullam ſpem ullius remunerationis poſt mortem habuiſſe, quod alioqui non tam ſæpe arma pro libertate arripuiſſent, eamque tanto cum zelo defendiſſent.

Magiſter

Magiſter ſcimus.] Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps. Ita & illi blandis verbis in caſſes ſuas Chriſtum volunt inducere.

Te veracem eſſe.] Id eſt, veritatem dicere non times. Tu nec Cæſaris, nec populi in gratiam quicquam contra veritatem loqueris, ſed libere mentem tuam proferes.

Et viam Dei in veritate docere.] Tu Legem Dei doces ſincere, abſque ſuco & falſitate: tu tradis præcepta piæ & Deo placentis vitæ.

Nec quenquam curare.] Nimirum præcepta iſta candide doces.

Non enim reſpicis perſonam hominum.] Id eſt, non aucuparis gratiam Cæſaris, neque Pontii Pilati, neque pertimeſcis eorum potentiam. Itaque dic nobis tuam ſententiam, à quo nos ne latum quidem unguem diſcedemus.

Verſ. 17. *Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cenſum dare Cæſari, annon?*] Licetne id bona conſcientia facere?

Cenſum dare Cæſari.] Hic eſt laqueus ille, quo Chriſtum capere volebant. Cogitabant enim: ſi reſponſum dare renuet, ex eo inferri poterit, quod habeat reſpectum perſonarum, ut veritatem proloqui non audeat, adeoque non ſit verus doctor: imo hoc ipſius ſilentium documento erit, eum opinionem, quæ rebellionem ſapiat adverſus Cæſarem, in animo ſuo fovere. Quod ſi reſponderit, & ſententiam pro Cæſare tulerit, populi in ſe devolvet offenſionem, neque nobis adeo erit metuendus impoſterum populus, ſi eum è medio tollamus. Sin denique ſtabit à populi partibus, & pro libertate populi contra Cæſarem loquetur, tanquam tuba & concitor ſeditionis in manus Cæſaris incidet, & merito afficietur ſupplicio. Ac videmus ſane eos hoc falſum crimen Chriſto poſtea coram Pilato impegiſſe, & contra eum urſiſſe Luc. 23. 2. Quam periculoſum autem fuerit tunc temporis, Cæſari cenſum denegare, ex Joſepho conſtat.

Verſ. 18. *Cognita autem Jeſus malitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?*] Tentare hoc loco idem ſignificat, quod ſupra cap. 19. 3, laqueum odii atque calumniæ alicui tendere. Hypocritas autem vocat eos, quia ſanguinarios & malitioſos conatus ſuos, verbis ſingularem pietatem ſpirantibus, tegebant ac palliabant.

Verſ. 19. *Oſtendite mihi numiſma cenſus. Illi vero obtulerunt ei denarium.*] Facite, inquit, ut videam monetam, qua cenſus dari ſolet. Uſitatiſſimum autem erat, ut cenſus denariis ſolveretur. Noluit Chriſtus ſtatim reſpondere; Reddite Cæſari, quod eſt Cæſaris; ſed tam ſapienter reſponſionem ſuam format, ut illa ex proprio tentatorum ore vim ac robur acciperet. Nimirum voluit eos per eos ipſos refellere atque convincere, quod injuſte Cæſari dare cenſum recuſent.

Denarium.] Erat moneta, quæ dimidiam partem quadrantis Imperialis valebat.

Verſ. 20. *Tunc dicit eis: Cujus eſt imago iſta & inſcripto?*] Quemadmodum legiſlatio eſt ſignum ſupremæ poteſtatis in regione aliqua, ita & cuſio monetæ. Hinc falſatio monetæ inter crimina læſæ majeſtatis ponitur. Itaque moneta ipſa, cujus valor à Cæſare inſtitutus erat, quæque Cæſaris imaginem ac nomen inſcriptum gerebat, argumento erat, Cæſarem habere in Judæa ſummam poteſtatem, & pro tali eum etiam à Judæis agnoſci, cum ipſius moneta uterentur. Potuiſſent autem illi objicere, quod Cæſar violenter uſurpet ſibi hanc poteſtatem, non jure eam obtineat. Verum Chriſtus oſtendit, hoc nihil ad rem facere. Sive enim jure ſive injuria imperet, cum tamen imperet, & Judæi ſuſpiciendo monetam ejus, ut dictum, imperium ipſius confirment, omnino ad reddendum ipſi cenſum obligati ſunt. Nullus enim Magiſtratus poteſt eſſe abſque cenſu ac tributis. Magiſtratus ſiquidem eſt miniſter Dei, poſituſque eſt ad defenſionem bonorum, & coërctionem malorum: ad hanc rem autem ſumptus requiritur, ideoque jure merito cenſus & tributa exiguntur, atque penduntur. Vide Rom. 13. 6.

Hinc cernere eſt, quanta fuerit Judæorum ſanctitas & zelus erga Legem, ut qui piaculum eſſe ducebant, extraneo ac incircumciſo Magiſtratui ſubeſſe, qui aureas aquilas in Templo ad ornatum poni nefas putabant, quique imaginem aquilæ in vexillis Romanorum depictæ ferre non poterant, quia in Lege omnis imago ac ſimulachrum erat vetitum; illi tamen nulla religione ducerentur, nec ullum propterea in conſcientia ſcrupulum ſentirent, quod monetam ſeu numiſma, quod gerebat imaginem Cæſaris hominis præputiati, quique inter divos relatus erat, in marſupiis ſuis geſtarent.

Verſ. 21. *Dicunt ei: Cæſaris. Tunc dicit eis: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.*] Reddite Cæſari tanquam debitum, quod Magiſtratui pro defenſione & tranquillitate, qua ſub eo fruimini, jure competit.

Et quæ ſunt Dei, Deo.] Indicat Chriſtus, cenſum dare Magiſtratui non adverſari Legi, neque repugnare Deo: ſeu, Cæſari ſua, & Deo ſua dare, ſimul ſtare poſſe. Sed ſi aliquid contra Legem præcipiat Magiſtratus, tunc Deo obediendum eſt magis quam hominibus, atque ita Deo reddendum quod Dei eſt. Poſſunt etiam hæc verba talem habere ſenſum: Date Cæſari, quod Cæſaris eſt, nempe ejus proprium numiſma, cui inſcriptum eſt nomen & imago Cæſaris, adeoque ei legitimo jure debetur. Deo autem date ſiclum, quem juxta Legem Exod. 30. 13, in uſum Templi, ac porro Deo debetis. Hoc pacto Chriſtus ſapientiſſimo reſponſo ſuo evitavit periculoſos illos laqueos, quibus eum irretire volebant adverſarii, & quidem ita evitavit, ut tacite eos perſtringeret, quod ſub ſpecie ſingularis ſanctitatis adeo ſolicitam agerent rerum temporalium curam, ut quod ad veram pietatem ſpectat, negligerent & ſuſque deque haberent.

Verſ. 22. *Et audientes mirati ſunt, eoque relicto abierunt.*] Nihil tamen de ſua obſtinatione ac contumacia remiſerunt. Ideo legimus quidem eos abiiſſe, ſed eos mutaſſe animum & ad frugem rediiſſe non legimus.

PARS III.

Verſ. 23. *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem; & interro-*

garunt eum.] Illo die, id eſt, circa illud tempus. Eſt Hebraiſmus. Fundamentum hujus opinionis Sadducæorum de reſurrectione mortuorum erat, quod non crediderunt, ullam dari ſubſtantiam ſeu rem per ſe ſubſiſtentem, præter Deum & res in mundo viſibiles: id quod clare elucet ex Act. 23. 8, ubi Lucas ait, eos affirmaſſe, nullam eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum. Itaque animas etiam hominum non credebant eſſe ſubſtantias, quæ extra corpus poſſint ſubſiſtere: ſed ſtatuebant, ſimul ac homo moriatur, exuirare & evaneſcere animam, atque in prima elementa, è quibus conflata eſt, reſolvi, cumque iis commiſceri. Hoc pacto nullam reſurrectionem credere potuerunt, ſed omnem felicitatem in hac duntaxat vita quærebant. Atque in hac ſententia confirmavit eos, quod in Lege Moſis nullas alias promiſſiones reperirent, quam temporales. Vide de hac Sadducæorum Secta Act. 23. 8.

Verſ. 24. *Dicentes; Magiſter, Moſes dixit, ſi quis mortuus fuerit, non habens liberos, ejus frater affinitatis jure ducet uxorem ejus, & ſuſcitabit ſobolem fratri ſuo.*] Quæſtionem hanc iſti non tam malo animo proponunt Chriſto, atque prius Phariſæi. Non enim intendebant ejus perniciem, ſed putabant, ſe inſolubile argumentum opinionis ſuæ, quod non detur mortuorum reſurrectio afferre: quod ſi ille tam celebris Doctor non poſſet enodare atque refellere, ſententia ipſorum majorem in modum conſtabiliretur, ipſe vero, qui contrarium docebat, falſus doctor eſſe convinceretur.

Non habens liberos.] Quia filiæ, ſecundum jura Judæorum, hæredes eſſe poterant paternorum bonorum, ſi nullus ſupereſſet filius; idcirco hæc Moſis lex Deut. 25. 5, à Sadducæis allegata, tum demum locum habebat, quando frater nullos omnino reliquerat liberos. Neque obſtat, quod in Lege ſcriptum ſit, fratrem ſuperſtitem defuncto fratri ſuo debere ſuſcitare *nomen*: quia etiam filiæ filius poterat inſeri & adoptari in familiam avi, ejuſque nomen gerere.

Frater ejus.] Nempe germanus, eodem patre natus. Nam uterini fratres hac lege non tenebantur. Sequentibus quidem temporibus etiam aliis longius remotis fratribus impoſita fuit conditio ducendæ viduæ, ſi jure hæreditatis ſe abdicare nollent; adhibebaturque eadem Ceremonia, ut ſi quis id facere abnueret, vidua ei calceum exueret, quæ in Lege deſcripta eſt. Quod autem id non vi hujus Legis (quam urgent Sadducæi) ſed ex recepta conſuetudine factum ſit, ex Ruth. 4. 7 intelligitur, ubi hoc jus non è Lege, ſed ab antiqua conſuetudine in Iſraële arceſſitur.

Affinitatis jure ducet.] Quod id adhuc ante Legem in uſu fuerit, teſtatur hiſtoria Judæ & Onanis Gen. 38. 8. Credibileque eſt, plures ejuſmodi conſuetudines poſtea Legi eſſe inſertas.

Et ſuſcitabit ſobolem fratri ſuo.] Id eſt, ut in hiſtoria Ruthæ habetur, ut excitet nomen fratri ſuo in hæreditate ſua Ruth. 4. 5. Filius enim ex altero fratre genitus, demortui filius eſſe cenſebatur. Ideo voces *fratri ſuo*, idem valent, quod, in memoriam, vel in honorem fratris ſui.

Verſ. 25. *Fuerunt autem apud nos ſeptem fratres: & primus uxore ducta obiit; & cum non haberet ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo.*] Nempe una cum hæreditate, quæ juxta Legem, una cum uxore, jure pari ad fratrem tranſferebatur.

Verſ. 26. *Similiter etiam ſecundus & tertius, uſque ad ſeptem illos.*]

Verſ. 27. *Poſt omnes autem mortua eſt & mulier.*

Verſ. 28. *In reſurrectione ergo, cujus ex illis ſeptem erit uxor? omnes enim habuerunt eam.*] In reſurrectione, id eſt, poſt reſurrectionem in futura vita. Eſt Hebræa locutio.

Cujus ex illis ſeptem erit uxor?] Phariſæi inter alia etiam in eo à Sadducæis diſcrepabant, quod reſurrectionem mortuorum crediderint, quanquam magis conjectura & incerta opinione, à majoribus ſuis accepta, innixi, quam certa aliqua promiſſione Dei, vel alio firmo argumento. Beatitudinem autem & gaudia æternæ vitæ non aliter concipiebant, quam qualia in hac vita eſſe ſolent, quæ in edendo, bibendo, uſu conjugii, aliiſque carnis voluptatibus conſiſtunt. Hinc in Thalmude habetur fabula de magnifico convivio, in quo piſcis ille celebris Leviathan, & vaſtæ magnitudinis taurus Behemoth mactabitur. Cujus fabulæ partem bonam Machomet à Judæis etiam mutuatus eſt, & in ſuum Alcoranum tranſtulit. Sadducæi autumabant, Chriſtum eundem modum reſurrectionis, & conſentaneam de ea opinioni Phariſæorum doctrinam tradere, quod nimirum quiſque rurſus cohabitaturus ſit uxori ſuæ, quam in hac vita habuit. Cum ergo hæc mulier ſeptem viris nupta fuerit, colligebant ſecuturum, quod illa in altera vita omnium ſeptem uxor futura ſit. Quod cum abſurdum eſſet, inde inferebant, etiam reſurrectionem mortuorum abſurdam eſſe. Sed majorem in Chriſto ſapientiam experti ſunt, quam ſperabant.

Verſ. 29. *Reſpondens autem Jeſus, dixit eis: Erratis, neſcientes Scripturas, neque potentiam Dei.*] Neſcientes Scripturas, id eſt, quia nihil recipiebant, niſi quod in Scriptis Moſis ad literam extabat, adeoque de myſtico ſenſu, qui ſub umbra literæ latebat, nihil ſciebant. Nec verba ſatis expendebant, ut vim eorum, quæ ſæpe ſublimes doctrinas continet, aſſequerentur. Ut inter alia neſciebant, quid ſit proprie, alicujus Deum eſſe, quod infra ℣. 32 explanat.

Neque potentiam Dei.] Hic eſt alter error, quem eis Chriſtus objicit: quod crederent, animas abſque corporibus ne per Dei quidem potentiam, poſſe conſervari. Cum enim reſurrectio mortuorum, vel etiam conſervatio humanarum animarum non ſit res contradictionem implicans; nullam juſtam habebant cauſam ſtatuendi, eam etiam divinæ virtuti eſſe impoſſibilem. Nam qui hominem ex pulvere terræ, imo totum mundum è nihilo, vel ex rebus non apparentibus (Hebr. xi. 3 condidit, quod credebant Sadducæi) de eo abſurde admodum creditur, quod nequeat hominem mortuum in vitam revocare. Neque in eo divinam potentiam intelligebant, quod Deus hominem poſt reſurrectionem in longe præſtantiorem ac perfectiorem ſtatum poſſit tranſponere, in quo cibi & potus, & matrimonii, & aliarum rerum carnalium nullus ſit uſus atque neceſſitas.

Verſ. 30. *Nam in reſurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur, ſed ſunt ut Angeli Dei in cœlo.*]

Chriſtus

Christus antequam doctrinam de resurrectione mortuorum, quæ est primarium fundamentum omnis pietatis, probet, eripit illis falsam opinionem, qua nitebatur tota Sadducæorum objectio. Nimirum ostendit, in altera vita post resurrectionem non habitura carnalia ista locum, edere, bibere, uxores ducere & nubere. Lucas hæc verba Christi ita exponit: *Filii hujus ævi ducunt uxores, & nuptum dantur. Qui vero digni habiti fuerint, ut ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur. Neque enim mori possunt amplius: æquales enim sunt Angelis, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Mens Christi est indicare, in futura vita nullum fore matrimonio locum. Sicut enim homines neque cibo tunc indigebunt, neque potu, quin nec ventrem amplius habebunt, quem Deus una cum cibis abolebit 1 Cor. 6. 13, (unde patet, nec alia membra, quibus nunc opus est, tunc eos habituros esse) ita nec matrimonium ullum erit. Apostolus enim expresse negat, carnem & sanguinem regni Dei hæreditatem adire posse 1 Cor. 15. 50. Ex quo consequitur, etiam operationes, quas caro & sanguis in hominibus efficit, sublatum iri, ac porro etiam cupiditates & affectus istos, qui per operationes carnis & sanguinis excitantur, cessaturos.

Sed sunt ut Angeli Dei in cœlo.] Proximam causam, cur homines in æterna vita non sint matrimonium inituri, expressit Lucas: *Neque enim mori possunt amplius.* Non tantum non morientur, sed nec poterunt mori? Quia habebunt in se spiritum vivificantem, id est, virtus, qua vitam suam conservent, quam in hac vita ex cibo & potu hauriunt, in ipsis habitabit, ad exemplum capitis eorum Adami secundi 1 Cor. 15. 45. Itaque vita illa non amplius naturalis, sed spiritualis appellatur ibid. ℣. 44. Quia proinde talia corpora non erunt morti obnoxia, genus eorum interire non poterit, adeoque matrimonio, per quod humanum genus in hac vita conservatur, pereuntibus individuis, non erit opus. Generatio & corruptio sunt inter se connexa: ubi igitur nulla erit corruptio, ibi etiam nulla erit generatio.

Si hæc Christi assertio vera est, quod in æternitate ac immortalitate nulla sit generatio, quid causæ fuit, ut sibi Deus filium gigneret? An id ideo factum est, ne genus ejus interiret? Profecto si talis datur in Deo generatio, falsa erit hæc collectio, quod propterea electi in illa vita non dabunt operam liberis, quia immortales erunt. Si enim Deus immortalis filium genuit, cur non idem etiam ab electis in statu immortalitatis fieri possit, non quidem ad conservationem, sed ad propagationem sui generis? At cum certum sit, Christi collectionem firmam & immotam esse, generationem ejusmodi dari in Deo falsum sit necesse est.

Quod autem ii, qui beatæ resurrectionis erunt participes, morti obnoxii non sint futuri, id probat Christus duabus rationibus: quarum alteram refert hic Matthæus, alteram Lucas. Prima est, quia *sunt*, inquit, *Ut Angeli Dei in cœlo.* Electi quidem in aliis omnibus proprietatibus erunt Angelis Dei pares, puta in fortitudine ac robore, in gloria corporum, in puritate animi, &c. Hic autem Christus potissimum respicit ad immortalitatem, in qua electi Angelis erunt pares. Loquitur vero tantum de bonis Angelis, non de malis, qui nullam partem habebunt in immortalitate, sed pars eorum erit una cum principe eorum Diabolo omnibusque impiis in lacu ardente Matth. 25. 41. Apoc. 20. 10. Addit, *in cœlo*, id est, qui in cœlo sunt, qui non terrenam, sed cœlestem vitam agunt, atque adeo nullo utuntur matrimonio. Hinc cernitur, discrimen sexus masculini & fœminini in illa vita nullum amplius fore, quia nec inter Angelos habet locum. Alteram rationem, cur electi non sint amplius morituri, affert Lucas; *Sunt filii Dei, cum sint filii resurrectionis.* Sicut Hebræorum phrasi, filii hujus mundi appellantur, qui se conformant ac similes reddunt huic mundo Luc. 16. 18, sic etiam filii Dei dicuntur, qui Deo sunt similes, sive in potentia & imperio, quales sunt Magistratus Psalm. 82. 7, 6, sive in sanctitate, in qua præcipue electorum filiatio in hac vita consistit Matth. 5. 44, 45. Hæc autem filiatio, quæ in præsenti vita adhuc imperfecta est, in altera vita reddetur perfecta, quando præter perfectissimam innocentiam, etiam in immortalitate ac beatitate Deo similes evademus 1 Joh. 3. 2, quod fiet, quando erimus *filii resurrectionis*, id est, quando nos Deus à mortuis suscitabit, & ad æternam vitam quasi denuo nos gignet. Quod enim resurrectio sit generationi similis, exemplum Christi demonstrat, qui per eam, & quæ subsecuta est, exaltationem, filius Dei in summo gradu effectus est Rom. 1. 4. Hinc *primogenitus ex mortuis* vocatur Col. 1. 18, id est, à quo initium istius divinæ generationis factum est. Atque hac ratione Deus gignit sibi filios, non ex sua essentia, sed per suam inenarrabilem dilectionem ac benignitatem.

Vers. 31. *De resurrectione vero mortuorum non legistis, quod vobis dictum est à Deo, dicente:*]

Vers. 32. *Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi? Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.*] Jam probat Christus Sadducæis, dari resurrectionem ex mortuis: quasi dicat. Quod autem rem ipsam attinet, quod revera futura sit resurrectio mortuorum, clarum habemus eius rei argumentum &c. Vis autem hujus totius argumenti consistit in illis verbis, quæ Deus ad Mosen protulit: *Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi* Exod. 3. 6. Nam primo Christus pro concesso sumit, quod Sadducæi non poterant inficiari, nomen *Dei*, in hac & similibus locutionibus, quando Deus se Deum alicujus appellat, significare summum benefactorem, ac fautorem, qui non solum habeat potentiam, sed etiam maximam inclinationem ad ipsi benefaciendum. Sic enim sonant verba Fœderis: *Assumam vos mihi in populum, & ero Deus vester* Exod. 6. 7, id est, ero vester fautor, cumulabo vos beneficiis. Deinde, quia Deus nominatim se Abrahami, Isaaci & Jacobi Deum vocat, inde colligitur, Deum in se recepisse, quod velit peculiari ratione eorum Deus ac benefactor esse, nimirum propter eorum insignem fidem ac pietatem, qua olim velut lucida sidera in orbe fulserunt. Tertio nonnihil quidem boni Abrahamus, Isaacus, & Jacobus in hac vita consecuti sunt, sed id multis cum ærumnis ac molestiis fuit permistum. Nam non tantum

Resurrectio mortuorum.

1.

2.

3.

nullam poſſederunt regionem, ſed in aliena terra peregrinari cum domeſticis ac pecoribus coacti ſunt, ubi non raro ipſis cum peſſimis hominibus ac plurimis adverſitatibus colluctandum fuit. Quod Jacobus ipſe coram Pharaone fatetur, dum inquit: *Dies peregrinationis meæ ſunt anni centum triginta, dies vitæ meæ pauci & mali* Gen. 47. 9. Imo permulti alii, qui ipſis pietate longe fuerunt impares, etiam profligatæ vitæ homines, in Ægypto, in terra Chananæa, & alibi, majori felicitatis terrenæ abundantia gaviſi ſunt, quam illi. Unde concludendum eſt, cum in hac vita nullum eis ſingulare beneficium ſupra alios homines contigerit, quod ſit excellentiæ illius tituli conſentaneum, quo ſe Deus appellare non erubeſcit (ut loquitur Scriptor ad Hebræos cap. XI. 16,) Deum tunc cum illud ad Moſen locutus eſt, nondum eorum Deum, id eſt, benefactorem perfectiſſima ratione fuiſſe. Præterea, cujus cauſa aliis benefit, ei ut ipſi multo magis benefiat, par eſt. Atqui Deus populo ſuo pollicitus eſt propter patres eorum Abrahamum, Iſaacum & Jacobum benefacere, Exod. 2. 24. Levit. 26. 42. 2 Reg. 13. 23. Ergo illis ipſis Deus multo magis benefaciet. Mortuo autem non poteſt benefieri: ſequitur proinde eos rurſum in vitam revocatum iri, ut Deus peculiari & excellenti modo ſe benefactorem eorum eſſe demonſtrare queat. Quod vero Deo tantum ſit potentiæ, ut mortuos excitare valeat, jam ante indicavit Chriſtus cum Sadducæos taxavit, quod neſcirent potentiam Dei. Atque hoc eſt, quod Chriſtus ait hoc loco: *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*, id eſt, mortuorum non eſt benefactor, ſed viventium. Quod Lucas declarat, addens: *Omnes enim vivunt ei*; id eſt, etſi in oculis noſtris ſint mortui, Deo tamen non ſunt mortui, quia eorum animæ ſunt in ipſius manu, & ipſe poteſt ac vult eos à mortuis excitare. Cumque divinæ promiſſiones non minus certæ ſint, quam res actu ipſo præſentes & exiſtentes, ideo perinde eſt, ac ſi jam viverent. Sic Chriſtus de filia Jairi dixit: *Puella non eſt mortua, ſed dormit* Matth. 9. 24. Et de Lazaro: *Amicus noſter Lazarus obdormivit, ſed proficiſcor, ut è ſomno excitem eum* Joh. XI. 11.

Hoc loco duo adhuc nobis expedienda ſunt. Primo excutiendum eſt argumentum eorum, qui ex generalibus promiſſis, à Deo ſub Veteri Fœdere ſive certis perſonis nominatim, ſive univerſo populo factis, probare nituntur, Iſraëlitico populo ſub Veteri Fœdere non minus quam populo Chriſtiano ſub Novo promiſſionem æternæ vitæ eſſe datam. Talis autem generalis promiſſio continetur illis ad Abrahamum verbis: *Ego ero clypeus tuus, & merces tua ampla valde* Geneſ. 15. 1. *Ego ero Deus ſeminis tui*, id eſt, ero ejus benefactor Geneſ. 17. 8. *Ego benedicam tibi* Geneſ. 12. 2. *In te benedicentur omnes gentes terræ* Geneſ. 18. 18. Talis eſt & iſta locutio generalis ad Moſen facta, quam Chriſtus hic citavit contra Sadducæos: *Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Jacobi* Exod. 3. 4. Hæ & ſimiles promiſſiones, ajunt illi, cum ſint univerſales, nec ullum beneficium in ſpecie in eis exprimatur, omnia beneficia in univerſum, quæ ab homine optari & à Deo dari poſſunt atque adeo etiam vitam æternam ſuo complectuntur ambitu. Sed attendendum eſt, in omni Fœdere conditiones, quæ ſunt quaſi anima & eſſentia Fœderis, claris ac perſpicuis verbis exprimi debere, ut quiſque ſcire poſſit, quid ipſi ex parte ſua faciendum, & à parte altera viciſſim ſperandum ſit, quo alacrior ac promtior fiat ad impoſita ſibi officia præſtanda. Qui eſt ultimus finis ac ſcopus ejuſmodi promiſſionum. Quemadmodum igitur mandata Veteris Fœderis claris & expreſſis verbis deſcripta ſunt, ita etiam promiſſiones clare & abſque omni obſcuritate propoſitæ ſunt; ut inter alia Deut. 28. 1, uſque ad 15 videre eſt. Atque ad has promiſſiones, quicunque Legi obedientiam præſtiterunt, vi Fœderis aditum ac jus habuerunt, eaſque à Deo merito poſcere potuerunt. Et quando Deus alicui promiſſa iſta reipſa exhibebat atque implebat, id eſt, ei vitam prorogando & temporaria eum felicitate cumulando benedicebat, tum Deus erat Deus ejus, id eſt, benefactor ejus, eo ſcilicet ſenſu, quo id vi Fœderis promiſerat. Etſi vero Deus in univerſalibus promiſſionibus ad aliquid ſublimius, quam in ſpecialibus promiſſis Legis reſpexerit, non fuit tamen in hominis ullius poteſtate, ut abſque divina revelatione id intelligeret. Si ex. c. Dominus aliquis ad famulum ſuum dicat: Ego ero tuus clementiſſimus dominus, de gratia mea eſto ſecurus; num forte ex tali promiſſione generali poterit famulus ille concludere, herum eo ſe dignaturum honore, ut cum ipſo menſæ accumbat, ſibi urbes & oppida donaturum, aut etiam ſe omnium bonorum ſuorum hæredem eſſe ſcripturum? Nonne potius talem ſperabit gratiam, quæ cum illius ſtatu, & rei, propter quam promiſſio facta eſt, conditione conveniat? Inprimis autem tunc nulla eſt cauſa, ob quam ejuſmodi generales promiſſiones in omnium perfectiſſima ſignificatione accipiantur, quando iis adjunctæ ſunt ſpeciales promiſſiones, in quibus omnia nominatim enumerantur, quæ vi Fœderis poſtulari queant: uti in Legis promiſſionibus factum eſt. Cogitandum enim unicuique eſt, ſpecialia promiſſa eſſe declarationem generalium, ut intelligatur, quouſque illa ſe extendant. Imo quod Deus ipſe noluerit, ut illud ſummum & excellentiſſimum beneficium, quod in generalibus illis promiſſionibus continetur, ab omnibus hominibus promiſcue intelligeretur, vel ex eo ſolo patet, quod promiſſiones iſtas tam univerſalibus & obſcuris verbis conceperit; cum tamen promiſſa tradens particularia de felicitate hujus vitæ temporariæ, verbis evidentiſſimis ac perſpicuis uſus ſit, potueritque facillime hanc etiam promiſſionem æque clariſſimis verbis annectere: Et poſt mortem in vita æterna perfectis gaudiis ac voluptatibus perfrueris. Eadem eſt ratio generalium promiſſorum ſub Veteri Fœdere, quæ fuit earum rerum, quæ typus & umbra rerum Novi Fœderis fuerunt. Ita inter alia, terra Chananæa fuit figura & typus Regni cœlorum, felicitas terrena in Lege promiſſa gaudii cœleſtis, longa vita æternæ vitæ. Sed quis hominum tunc temporis myſteria iſta tam abſtruſa divinare ac conjectando aſſequi poterat? vel quis ſub Lege ea intelligere obſtrictus fuit? Et ideo factum eſt, ut ne unicus quidem fuerit homo, aut certe in Scriptura ne unius quidem fiat mentio, qui generales illas N.

pro-

promiſſiones in tam perfecta ſignificatione acceperit, ut iis etiam vitam æternam promitti crederet. Deus cum Abrahamo dixiſſet: *Ego ero clypeus tuus, & merces tua magna valde* Geneſ. 15. 1, non aliter Abrahamus verba iſta accepit, quam de bonis temporalibus. Propterea reſpondit: *Domine, quid dabis mihi, cum ego decedam abſque liberis?* quaſi dicat: Quid mihi proderit, tametſi mihi des quam plurima bona, cum nullum habeam hæredem? Unde liquet, Abrahamum etiam reliquas generales promiſſiones non traxiſſe & extendiſſe ulterius, quam ad hanc vitam. Ita etiam vim iſtorum Dei verborum, quæ Chriſtus hic adducit adverſus Sadducæos, *Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi*, nullus hominum ante Chriſtum intellexit, ne Phariſæi quidem ac Scribæ, etſi jam tunc tempore Chriſti reſurrectionem mortuorum & vitam æternam crediderint. Dicitur enim ℣. 33, populum audita hac doctrina Chriſti obſtupuiſſe. Et Chriſtum tunc Sadducæis os obſtruxiſſe ℣. 34. Unde cernitur, doctrinam hanc novam & inauditam fuiſſe. Et quomodo fieri potuiſſet, ut doctiſſimi Phariſæorum, quibus cum Sadducæis de reſurrectione mortuorum tam acris fuit contentio, hoc argumentum ſilentio præterirent, & non æque ac Chriſtus eo os illis obſtruerent, ſi ſciviſſent, in his verbis talem arcanum ſenſum delitescere? Equidem argumentum iſtud, quo Chriſtus hoc loco contra Sadducæos utitur, ita eſt comparatum, ut ab unoquoque rationali homine, ſed tamen tali, qui ſagaci & acri ſit ingenio, in illis verbis inveniri potuerit. Verum cum gratioſa illa Dei pollicitatio ad ſolos tres inſignes viros, Dei amicos, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum ſpectaret, non poterant alii eam ſibi jure vendicare, & ſpem certam in ea collocare, multo minus à Deo tanquam ſibi factum promiſſum flagitare; ſicut poterant alias promiſſiones flagitare, quæ expreſſis verbis in Fœdere erant comprehenſæ.

Cæterum hic objicere quiſpiam poſſet, exemplo Chriſti ex his verbis, quæ Deus de Abrahamo, Iſaaco & Jacobo ad Moſen locutus eſt, argumentantis, etiam poſſe cordatum hominem alias generales promiſſiones, quas Deus univerſo populo, ſimili loquendi ratione uſus, fecit, quod eorum Deus eſſe velit (vide Exod. 6. 7. XVI. 12. XXIX. 45. Levit. XI. 45. XXII. 33. XXVI. 12.) ſenſu perfectiſſimo de vita æterna interpretari. At longe diverſa eſt harum promiſſionum ratio. Nam vis argumenti, quo Chriſtus utitur, in eo conſiſtit, quod Deus ſe Abrahami, Iſaaci, & Jacobi Deum appellet, cum illi jam mortui eſſent, atque ita eorum Deus nulla alia ratione eſſe poſſet, quam ut eos à mortuis reſuſcitaret, atque tunc beneficiis afficeret. Aliæ autem promiſſiones populo viventi ſunt factæ: idcirco eis nulla ejuſmodi vis ineſt, quæ hominem de vita æterna certum reddat, ſed Deus ſatisfecit iſtis promiſſionibus, quando in hac vita fuit eorum Deus, ſeu benefactor, eaque illis fideliter præſtitit, quæ claris & apertis verbis in Lege erant promiſſa. Manet proinde, ex univerſalibus promiſſionibus ſub Lege factis, nullum argumentum ſumi poſſe, quod in Lege Moſis vita æterna promiſſa ſit.

Alterum hoc loco obſervandum eſt, ex verbis iſtis probari non poſſe, quod animæ hominum poſt mortem vivant. Chriſtus enim hic contra Sadducæos non id ſibi ſumſit demonſtrandum, quod mortui vivant, ſed quod mortui reſurgent, id eſt, iterum vivent, ſeu redivivi fient. Qui autem debet redivivus fieri, is tantiſper eſt vere mortuus, donec redivivus fiat. Neque Chriſtus ſimpliciter ait apud Lucam, quod vivant, ſed quod *vivant ipſi* (id eſt, Deo) *omnes*. Vivere autem Deo eſt nihil aliud, quam vitæ certo & infallibiliter participem fieri; ſiquidem id quod in divino decreto conſtitutum eſt, tam certum ac immutabile eſt, atque ſi jam præſens eſſet. Quare hic locus potius argumentum præbet, in contrarium, quod Abrahamus, Iſaacus & Jacobus revera non vivant. Sic enim Chriſtus argumentatur: ſi illi non deberent reſurgere, Deus, qui ſe eorum Deum vocat, eſſet Deus mortuorum; adeoque illi eſſent mortui, non viverent Deo. At ſi animæ eorum viverent, & quidem ſic, ut cœleſtibus gaudiis reipſa fruerentur, Deus non eſſet Deus mortuorum, quamvis illi nunquam reſurgerent, id eſt, quamvis anima cum corpore nunquam jungeretur. Vide etiam Hebr. XI. 40.

Verſ. 33. *Et audiens turba ſtupebat ſuper doctrina ejus.*] Colloquium hoc Chriſti cum Sadducæis tres effectus produxit. Primus fuit, quod quidam è Scribis, qui Sadducæorum adverſarii erant, hunc ſermonem Chriſti approbarint atque collaudarint, agnita ejus vi atque præſtantia, etſi de cætero Chriſti inimici eſſent. Nam apud Lucam ſic exclamant cap. 20. 39: *Magiſter, bene dixiſti.* Alter effectus erat, quod Sadducæis os occluſerit, ita, ut non auderent eum interrogare amplius: ut Lucas teſtatur ibid. ℣. 40. Tertium effectum hic Matthæus expreſſit, quod populus ſummam ejus ſapientiam & dexteritatem reſponſionis admiratus obſtupuerit. Id quod de Sadducæis non dicitur. Veritas enim magnas habet vires, ſed in animis ſimplicibus, candidis & præjudicio non faſcinatis, quales magis in indocta turba, quam in Sadducæis reperiebantur.

PARS IV.

Verſ. 34. *Phariſæi vero, cum audiſſent, eum os occluſiſſe Sadducæis, coacti ſunt in unum.*] Non terrentur eo Phariſæi, quod Chriſtus ſapientiſſima reſponſione ſua Sadducæos confuderit ac confutarit, ſed ulterius experiuntur fortunam, & de novo eum aggrediuntur. Judicabant Sadducæos rudes eſſe, & in ſapientia Legis minus, quam ſe, exercitatos; ideo cenſebant, non mirum eſſe, eos in diſputatione cum Chriſto ſuccubuiſſe, præſertim cum ſententiam falſam defenderint: ipſi autem volebant erudita quæſtione ſua demonſtrare, non parum ei ad veram ſapientiam deeſſe. Miſerunt proinde ad eum è medio ſui quendam Legis doctorem ſeu Scribam.

Verſ. 35. *Tunc interrogavit eum quidam ex ipſis Legis interpres, tentans eum & dicens.*] Gr. νομικὸς, id eſt, Legis doctor. Hoc erat nomen officii:

non omnes enim erant Legis interpretes seu doctores, & (quod idem est) Scribæ, qui Pharisæorum Sectæ erant addicti.

Tentans eum.] Voluit experiri, possetne hujus quæstionis nodum dextre solvere. Ita Regina Sabæ Salomonem, ænigmata proponendo, tentabat 1 Reg. 10. 1. Quod autem Legis Doctor iste non adeo pravo ingenio fuerit, atque reliquum vulgus Pharisæorum, ex Marco perspicitur, qui testatur, Christo prudentem ejus responsionem placuisse, eique dixisse, quod non longe abesset à regno Dei cap. 12. 34.

Vers. 36. *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* Id est, omnium maximum & dignissimum observatu. Verisimile est, etiam super hac quæstione litem inter Judæos extitisse: & nonnullos quidem mandata de sacrificiis pro maximis habuisse, ut ex Marco cap. 12. 33 intelligitur, alios vero circumcisionem reliquis omnibus prætulisse, vel etiam mandatum de Sabbatho. Qui errores omnes à Prophetis refutati sunt. Vide inter alia Esai. 1. 11. Jer. 6. 20. Amos 5. 20 &c.

Vers. 37. *Jesus autem dixit ei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.*] Marcus ponit verba integra è Deut. 6. 4, 5: *Audi Israël, Dominus Deus noster Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum* &c. Sicut amor in genere est commotio animi seu affectus, quo ei, quem amamus, omnia ad felicitatem ejus spectantia vovemus, ac cupimus, etsi amor sit magnus & ardens, impulsu hujus cupiditatis pro virili damus operam, ut reipsa ea præstemus ac promoveamus: ita etiam amor seu dilectio erga Deum est ejusmodi affectus, quo desideramus, & vi hujus desiderii omni studio curamus, ut tam à nobis, quam ab aliis fiat, quod scimus ipsi gratum acceptumque esse. Inter res autem Deo gratas acceptasque sunt illæ præcipuæ, quæ ad cultum honoremque ejus pertinent, aut alioqui voluntati ejus sunt consentaneæ, seu omnia illa, quæ Deus à nobis fieri vult, tam erga se, quam erga proximum nostrum, & erga nosmet ipsos. Hoc modo dilectio Dei, etiam dilectionem proximi in se complectitur, quatenus id Deus vult, ipsique gratum & acceptum est, ut proximum nostrum diligamus. Oritur autem amor erga Deum ex consideratione summi amoris divini erga nos, & immensorum ejus beneficiorum, quæ ex illo amore ejus in nos promanant. Vide 1 Joh. 4. 10, 11. Etsi enim Deus etiam extra considerationem beneficiorum suorum dilectione dignus sit, propter excellentissimam naturam atque essentiam, tamen dilectio talis in hominum animos non cadit. Dilectionis enim proprium hoc quoque est, quod cupiat ac desideret uniri atque conjungi cum re amata, id est, eam habere ac possidere: quod nihil aliud est, quam ea frui, seu ab ea redamari, atque ita ab ea recipere illa, quæ nobis grata ab ea proficisci possunt. Illud autem desiderium conjunctionis, atque adeo dilectio spe conservatur. Quando enim intellectus nullum videt medium consequendæ ejusmodi conjunctionis ac fruitionis, ipse desiderium illud ac cum ea dilectionem cohibet reprimitque, tanquam cupiditatem inordinatam, quæ nunquam expleri potest. Quam autem spem potest intellectus humanus concipere, si Deum nude ac simpliciter tantum quoad essentiam excellentissimam consideret, quod ejus possimus vel minima parte fieri participes, aut eum aliquo bono, quo non ille infinitis modis magis quam nos ex seipso abundet, ad mutuam erga nos dilectionem movere queamus? Itaque talis consideratio naturæ divinæ efficiet quidem, ut homo tantam excellentiam ac perfectionem Dei summopere admiretur, quin etiam ejus formidabilem potentiam pertimescat, sed ut eum diligat, non efficiet. Quando vero agnoscimus, Deum præter alia sua perfectissima attributa, etiam summe bonum esse, spemque habemus illa ejus bonitate fruendi; inde demum resultat amor erga eum in cordibus nostris, & intellectus, qui spei isti contradicere nequit, laxat desiderio tali habenas. Atque ob hanc causam Deus cum fragilitatem naturæ nostræ probe nosset, nullum aliud medium adhibuit excitandi in nobis amorem erga se, præter ingentia beneficiorum suorum flumina. Quorum primum est, quod nos creavit, & vitam nobis hanc temporariam concesserit (vivere autem melius est, quam non esse, aut non natum esse) nostraque causa admirabilem fabricam cœli & terræ una cum omnibus rebus, quæ ambitu eorum continentur, construxerit, ac nostræ potestati subjecerit Gen. 1. 26. Psal. 8. 8, 9. Et hic est primus gradus dilectionis divinæ, quæ nos Deo obligatos reddit. Quocirca illi nimis rigidi sunt, & plus æquo exigunt ab hominibus, qui Deum etiam remoto omni beneficiorum ejus respectu, solummodo propter ineffabiles divinæ naturæ perfectiones, ab homine amore summo complectendum esse contendunt. Nimirum non tantum plus requirunt ab homine, quam Deus ipse, verum etiam plus, quam ipsi præstant. Quod sine dubio agnoscerent, nisi persuasio offunderet tenebras judicio, & intellectum impediret, quominus cor suum probe excutiant atque explorent.

Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.] Marcus addit, *Et ex totis viribus tuis* cap. 12. 30. Diversæ autem istæ voces, *cor, anima, mens, vires*, nihil diversi significant, ut aliud sit Deum toto corde diligere, aliud tota anima, aliud tota mente; sed nihil aliud iis indicatur, quam Deum perfectissime & ardentissime diligendum esse; idque significandi vim singulæ istæ voces habent: ut patet 1 Sam. 7. 3. 1 Reg. 14. 8. 2 Reg. 10. 31, ubi solius cordis fit mentio. Et Deut. 4. 29. 2 Reg. 23. 3. 2 Par. 15. 12, ubi tantum cor & anima commemoratur. Videntur autem hæ diversæ voces, tam à Mose, quam à Christo ideo hic esse coacervatæ, ut sciamus, nihil in nobis esse, quod ullam vim habeat ad Deum amandum, quod non eo convertere atque impendere teneamur. Alioqui potest per *cor* voluntas, per *animam* affectus & cupiditates, per *mentem* intellectus intelligi. Per *vires* autem, ut Marcus addit, significari potest, ut tria ista, cor animam & mentem quam perfectissime & enixissime ad Deum diligendum adhibeamus.

Quemadmodum vero amor erga Deum ex ipsius beneficiis nascitur, ut monstratum est: ita natura ejus postulat, ut quo majora sunt beneficia, eo major atque intensior quoque sit amor & charitas. Qualis enim causa est, talis quoque est effectus, ab illa productus.

ductus. Quapropter temporaria beneficia ſub Veteri Fœdere non habuerunt vim, tam perfectum amorem erga Deum ingenerandi, atque æterna beneficia Novi Fœderis. Ideoque Deus etiam ſub Veteri Fœdere non exegit majorem dilectionem, quam Fœderis ferebat natura. Iſque Deum ſub Veteri Fœdere ex toto corde dilexit, qui tantum amorem demonſtravit, quantum divina beneficia in eo producere potuerunt, id eſt, qui eum tanquam temporarium benefactorem ſuum dilexit. Quanquam dubitandum non eſt, eos, qui ſublimioris judicii, aut divinæ revelationis beneficio, Deum pro benefactore pluſquam temporario agnoverunt, ipſum etiam modo excellentiori amaſſe, quam vulgus aliorum hominum, qui ſimpliciter ſolas Legis promiſſiones ſpectarunt. Sub Novo Fœdere autem, ubi Deus immenſa flumina ſuorum beneficiorum per Chriſtum in nos effudit, requirit tam perfectam dilectionem, ut nulla perfectior in animum hominis poſſit cadere. Simul tamen obſervandum eſt, Deum in Novo Fœdere non exigere ullam tam perfectam ab hominibus charitatem, (ut nonnulli aſſerunt) quæ vires humanas excedat, ut ne uno unquam repertus ſit, qui hoc mandatum impleret, & Deum ex toto corde diligere potuerit. Etſi enim animus humanus tam perfectæ dilectionis capax non ſit, quæ magnitudini beneficiorum divinorum reſpondeat, prout etiam promiſſiones eorundem ab intellectu noſtro comprehendi nequeunt; nihilominus tamen is Deum toto corde diligit, adeoque mandatum hoc implet, qui Deum tanto amore proſequitur, quantum cor hominis capere poteſt. Cor humanum eſt reſpectu inenarrabilium beneficiorum Dei in Chriſto, ſtipulæ inſtar reſpectu ingentis alicujus incendii, à quo illa non poteſt majorem flammam concipere quam ipſa eſt: & ſi ardeat illa tanto igne, quanta eſt ipſa, perfecte ardet. De Davide perhibet ſacra pagina, eum ex toto corde Deum eſſe ſecutum 1 Reg. 14. 8. Quis vero dubitet de Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo, quin illi quoque Deum ex toto corde dilexerint? Eccur igitur etiam in Novo Fœdere tales reperiri non poſſint, qui Deum toto corde, adeoque juxta hoc præceptum diligant? Verum etiam in iſta dilectione, cujus capax eſt cor humanum, diverſa eſt perfectio apud diverſos homines. Et quemadmodum Deus pro ſua paterna miſericordia in aliis pietatis partibus, ab inæqualibus hominum viribus non requirit æqualem perfectionem; ita nec in dilectione. Quilibet diligit eum toto corde, impletque adeo hoc præceptum, qui eum diligit pro viribus, quibus præditus eſt, etſi forte in alio majores vires, & ſic etiam major dilectio eſſe queat. Diſcrimen autem ſeu inæqualitas iſta virium hac in parte oritur potiſſimum ab inæqualitate intellectus. Cum enim amor beneficiis accendatur & retineatur, homo autem illa divina beneficia, quibus perfectiſſimus amor erga Deum excitari ac conſervari poteſt, id eſt, beatam immortalitatem nondum reipſa, ſed ſpe tantum poſſideat; neceſſe eſt charitatem erga Deum aſſidua meditatione ac contemplatione illorum beneficiorum conſervari. At non omnes homines æquali præditi ſunt judicio atque intellectu, nec æque apto ad res inconſpicuas contemplandum, eaſque tam clare ac perſpicue & perpetua conſideratione ſibi ob oculos ſiſtendum, ut non interdum res conſpicuæ ac præſentes ita eorum animos occupent diſtrahantque, ut dilectionem erga Deum, in rebus tam arduis, quam alii, demonſtrare nequeant. Uti videmus, aliquos, cum gloriæ divinæ cauſa vita impendenda eſt, metu ac puſillanimitate victos, ſæpe ad eas res faciendas adduci, quæ cum perfecta Dei dilectione nequaquam conveniunt. Quia enim intellectus infirmior eſt, obſcuratur a metu, ut vim ſuam ita, ut dictum eſt, exerere non poſſit. Atque ad eundem modum ſe res habet etiam in aliis humanis affectibus.

Dilectio autem erga Deum potiſſimum in eo cernitur, ut omnia ea faciamus, quæ Deo grata eſſe novimus: non ſolum ea, quæ ipſe expreſſe tanquam generalem conditionem Fœderis ſui præcepit, verum etiam omnia, quæ ſcimus ulla ratione ad gloriam ejus, cujus promotio & amplificatio ipſi gratiſſima eſt, pertinere. Ea enim veræ charitatis natura eſt, plura quoque, quam præceptum eſt, præſtare. Nam ſi nihil faciamus amplius, quam nobis præceptum eſt, nihil aliud ſumus, quam ſervi inutiles, qui dominum ſuum tantum metuunt, & tunc ſunt optimi, cum faciunt, quæ præcepta ſunt: at nondum ſumus filii, qui Patrem ſuum diligunt; ut Chriſtus indicat Luc. 17. 10. Hinc intelligere eſt, opera noſtra ſi Deo accepta eſſe debeant, non ex metu pœnæ, ſed ex amore, adeoque ex promto animo ac libenti proficiſci debere. Quam promtitudinem Deus etiam ſub Veteri Fœdere requiſivit, ſed non in eo gradu atque perfectione, ut in Novo Fœdere.

Amplius animadvertendum eſt, dilectionem erga Deum non ita totum hominis cor & animum requirere, ut nihil unquam homini præter Deum cogitare vel amare liceat. Nam & proximus noſter nobis diligendus eſt, & non poſſumus non etiam nos ipſos diligere, & hujus dilectionis ductu non etiam tum animæ, tum corporis noſtri curam gerere. Sed dilectio Dei poſtulat, ne cor noſtrum ulli rei applicemus, quæ Deo adverſa eſt, vel etiamſi Deo adverſa non eſſet, ne ullam rem tam arcte animo noſtro complectamur, ut ejus amor nos in obedientia Dei, vel in ulla re, quæ Deo grata eſt, impediat aut retardet.

Quæ hactenus de dilectione erga Deum in Novo Fœdere præſcripta diſputata ſunt, etiam de dilectione erga Chriſtum intelligenda ſunt. Quemadmodum enim nobis Deus charitatem ſuam per Chriſtum exhibet, ita nos viciſſim charitatem noſtram per Chriſtum Deo conteſtari debemus Joh. 14. 15.

Verſ. 38. *Hoc eſt primum & magnum mandatum.*] Primum, id eſt, præcipuum & præſtantiſſimum: ut Joh. 1. 15: *Qui post me venit, ante me factus eſt, quia me prior erat*, id eſt, præſtantior. Eſt autem dilectio erga Deum fundamentum & radix veræ & filialis obedientiæ. Qui vere amat, non ſolum libenter ac prompte facit, quæ qui amatur, poſtulat, ſed ipſe quoque ultro quærit & expiſcatur, quid ei gratum ac jucundum ſit. Amor reddit levius ac facilius obedientiæ onus, & ubi amor iſte deeſt, onus iſtud homini tam grave eſt, ut ſub eo ſæpenumero fatiſcere cogatur.

Verſ. 39. *Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges*

proximum tuum ſicut teipſum. Simile eſt hoc præceptum priori, ſed ita, ut præſtantiæ palmam priori concedat. Ideo ſecundum vocatur, id eſt, proximum primo ſeu præſtantiſſimo. In eo autem hoc mandatum priori eſt ſimile, quod etiam non ſola opera, ſed animi quoque promtitudinem & alacritatem requirat. Imo præceptum hoc illi tam arcto vinculo connexum eſt, ut unum abſque altero nequeat conſiſtere. Vide 1 Joh. 4. 20. Ideo quod Chriſtus ſequenti verſiculo dicit de utroque hoc mandato, id Paulus de uno mandato dilectionis proximi pronunciat Rom. 13. 10, nempe propter arctam conjunctionem. Quiſquis enim Deum diligit, mandata ejus ſervat 1 Joh. 2. 5. v. 3. Præceptis autem Dei etiam dilectio proximi continetur: & qui proximum ita, ut oportet, diligit, certe eum Dei cauſa diliget, ac proinde Deum magis adhuc diliget.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum.] Ex Legis ſenſu per *proximum* tantum Judæus ſeu Iſraëlita intelligitur, & non tantum aperto hoſti, ſed etiam unicuique extraneo opponitur. Vide ſupra cap. 5. 43. Sub Novo Fœdere autem per mortem Chriſti paries intergerinus, qui alias gentes à Judæis dividebat, ſublatus eſt Epheſ. 2. 14. Ut ita quivis homo, cujuſcunque gentis ac nationis ſit, proximus ſit, qui nobis diligendus, cuique benefaciendum eſt, etiam inimicus. Chriſtus enim nos remittit ad primam legem naturæ, juxta quam omnes homines fratres ſunt, quorum communis pater eſt Adamus.

Sicut teipſum.] Fundamentum dilectionis proximi continetur illa Regula, quæ homini à natura inſita eſt, & à Chriſto ſupra cap. 7. 12 præſcripta eſt: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, etiam vos facite illis.* Vide ibidem. Particula vero *ſicut* duas res ita non raro comparat, & æquales eſſe indicat, ut tamen etiam aliqua ſit inter eas inæqualitas: ut Joh. 17. 21. Actor. 3. 22. Quod etiam hic accidit. Ut adeo verba illa *ſicut teipſum* non requirant æque perfectam erga quemvis hominem dilectionem, atque eſt ea, qua nos ipſos complectimur. Eſt enim in dilectione proximi magna differentia. Nam pro fratre in Chriſto etiam vitam noſtram ponere debemus 1 Joh. 3. 16, at non pro alio, multo minus pro inimico. Unde liquet, nos inimicis aliiſque, qui fratres noſtri in Chriſto non ſunt, tam perfectam charitatem non debere, quam qua erga nos flagramus. Itaque voces *ſicut teipſum* non de magnitudine, ſed de ſinceritate & candore amoris intelligendæ ſunt; quaſi dictum ſit: Diliges proximum tuum tam vere, tam ſincere, & ſine fuco ac falſitate ſicut teipſum. Sub Veteri Fœdere quoque tanta perfectio dilectionis proximi exacta non fuit, atque nunc ſub Novo exigitur. Ibi enim permiſſum erat oculum pro oculo, dentem pro dente excludere proximo, quod in Novo Fœdere vetitum eſt Matth. 5. 38, 39. Quemadmodum enim quiſque optat ac cupit ſibi miſericordiam exhiberi, ſi quid mali admittat, ita oportet ut eam ipſe quoque alteri exhibeat.

Ex ſincera dilectione hominum inter ſe, naſcitur communio bonorum, qua unius aburidantia defectus aliorum implet, & quandam æqualitatem introducit. Vide Actor. 4. 32.

Verſ. 40. *Ab iſtis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.*] Id eſt, in iſtis duobus mandatis de dilectione Dei & proximi tanquam in compendio quodam continentur ea omnia, quæ in Lege & Prophetis mandata ſunt. Et hoc ſenſu dixit Chriſtus ſupra cap. 7. 12: *Iſta eſt Lex & Prophetæ.* Et Paulus appellat dilectionem, *complementum Legis* Rom. 13. 10. Doctiores inter Judæos vocant legem de charitate præceptum generale, ex quo alia præcepta tanquam ex fonte quodam profluunt. Dum enim præcipitur, ut Deum & proximum diligamus, ſimul præcipitur, ut ea omnia faciamus aut omittamus, quæ vel lumen naturæ dictat eſſe juſta aut injuſta, vel ad quæ divino mandato obligamur.

PARS V.

Verſ. 41. *Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus.*

Verſ. 42. *Dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt? Dicunt ei; Davidis.*] Chriſtus noluit expreſſe dicere, quod demum poſt reſurrectionem ejus debuit palam fieri ac innoteſcere. Interea tamen indicare voluit, regnum Meſſiæ multo fore excellentius, quam fuit regnum Davidis, idque adeo divinum prorſus regnum fore.

Davidis.] Juxta prophetiam Eſai. cap. 9. 7. Quam Gabriel Angelus quoque allegat Mariæ Virgini nativitatem Chriſti annuncians Luc. 1. 32.

Verſ. 43. *Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu Dominum eum vocat, dicens.*] Nempe in Pſalm. 110. 1.

In ſpiritu.] David enim Propheta fuit Act. 2. 30, & per eum Spiritus Dei locutus eſt 2 Sam. 23. 2. Act. 1. 16.

Verſ. 44. *Dixit Dominus Domino meo: ſede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*] Chriſtus oſtendit, Davidem Meſſiæ tantum honorem deferre, ut eum non tantum ſe ſuperiorem, verum etiam Dominum ſuum agnoſcat. Quomodo autem Meſſias, qui è Davide natus eſt, poſſet eſſe Davidis Dominus, ſi poteſtatem ſuper Davidem non haberet, & David quoque beneficiorum, quæ Meſſias attulit, non fieret particeps? Judæorum plerique hodie, odio erga Chriſtianam religionem perciti, negant Pſalmi hujus Davidem auctorem eſſe, ſed aliqui volunt, eum à Melchiſedeco eſſe conditum (propter verba ℣. 4: *Tu es ſacerdos in ſecula juxta ordinem Melchiſedeci*) alii ab Eleaſaro Sene Servo Abrahami, alii ab uno illorum, qui tempore Davidis Pſalmos componere ſolebant. Neque etiam concedunt, hunc Pſalmum continere prophetiam ac vaticinium de Meſſia, ſed contendunt nonnulli, eum de Abrahamo loqui, alii de Rege Ezechia ſeu Hiſkia, alii de Davide ipſo. Sed ſi Pſalmus iſte à Judæis Chriſti tempore abſque omni controverſia pro Davidis Pſalmo & pro vaticinio de Meſſia non fuiſſet habitus, non allegaſſet eum Chriſtus tanquam Davidis Pſalmum, neque quæſtionem de Meſſia ex eo inſtituiſſet. Quod autem hic Pſalmus de nullo Rege Iſraëlitici populi intelligi queat, ſatis patet ex eo, quod de Sacerdotio Melchiſedeci in eo memoratur. Quamdiu enim vigebat Lex Moſaica, Sacerdotium à domo Aaronis auferri non poterat Exod. 28. 1, 43. Præcipuum, quod Judæi hic objectant, eſt, quod dicunt, Chriſtum nullam ſtragem edidiſſe, ut verſ. 6 hujus

Pſalmi

pſalmi ſcriptum eſt. At primo agnoſcunt Judæi ipſi, qui aliquo intellectu pollent, multa in Scripturis, præſertim in Prophetis figurate dici, quæ alio modo implenda ſunt, quam ſimplex præ ſe fert litera. Ut inter alia, quod noviſſimis temporibus mons Domini altior futurus ſit aliis montibus, quod lupi cohabitaturi ſint cum agnis, & pardi cum hædis Eſai. 2. 2. xi. 6. Deinde ſciendum eſt, non omnes de Meſſia prædictiones eo tempore, quo in terris verſatus eſt, debuiſſe impleri, ſed multas eaſque præcipuas ad illum ſtatum ſpectare, cum Dominus dixit ei: *Sede ad dexteram meam*, &c. Ab iſto tempore ſuper inimicos dominatur, eoſque ferreo ſceptro confringit Pſal. 2. 9. In hoc Regio ſtatu conſtitutus toties ſtrages edit, quoties ſuos ac populi ſui hoſtes judiciis ſuis perſequitur; idque faciet tamdiu, donec omnes inimicos ſuos pedibus ſuis ſubjiciet 1 Cor. 15. 25. Ita Chriſtus magnam ſtragem fecit, cum ſanctam civitatem & Templum una cum Republica tota Judæorum, non ſine horrendo innumerorum hoſtium ſuorum interitu excidit atque evertit. Similes ſtrages edidit immiſſis bellis, fame, peſtilentia, & aliis judiciis tempore gravium perſecutionum primævæ Eccleſiæ ſub Cæſaribus Ethnicis. Ejuſmodi ſtragem putant nonnulli eum daturum, in corrupto Chriſtiano orbe, ubi tempus ejus fuerit impletum: & hac ſtrage prophetiam hujus ex Pſalmi ultimum complementum ſuum accepturam. Ut ita ſenſus Pſalmi iſtius à ℣. 5, hic eſſe videatur: ℣. 5: *Dominus a dextris tuis* (id eſt, Meſſias, qui à dextris tuis ſedet, ut ℣. 1, hæc enim verba loquitur David ad Deum) *confringet in die iræ ſuæ reges* (id eſt, omnes Principes & magnos in mundo, qui ipſi reſiſtunt.) ℣. 6: *Judicabit inter gentes* (id eſt, vindictam & pœnas effundet in perſecutores ſui populi) *implebit omnia cadaveribus* (id eſt, magnas ſtrages edet, ut vertit Lutherus) *conquaſſabit caput in regionibus multis* (id eſt, magnum Principem, qui longe lateque imperat, perdet, regnumque ejus evertet: quod alii de Satana intelligunt, alii autem de ultima Monarchia, ſub qua populus Chriſti magnam perſecutionem & oppreſſionem patitur.) ℣. 7: *De torrente in via bibet* (nempe ſtrenui bellatoris inſtar, qui cum certamine cum hoſtibus, ac pugna incaluit, non quærit ad reſtinguendam ſitim pretioſum ullum potum, ſed bibit quoque è limoſo ac cœnoſo rivo, qui in via occurrit. Simulque his verbis reſpicitur ad perpeſſiones ejus, quod Chriſtus è torrente afflictionum ac mortis biberit, in via, quam ipſum ingredi oportuit.) *Propterea exaltabit caput* (propter hunc acerbum potum & calicem paſſionis exhauſtum, Princeps & caput populi Dei, ſeu Rex & Chriſtus efficietur Act. 2. 36. Vide etiam Phil. 2. 9.)

Dixit Dominus.] Id eſt, Deus Pater. In Hebræo textu eſt: *Jehovah*, quod nomen ſoli Deo altiſſimo tribuitur.

Domino meo.] In Hebr. *Adonai*: quod nomen eſt commune, & multis aliis quoque tribuitur. Vide Geneſ. 24. 10, 51. xxxix. 2, 3. xl. 1. xlii. 30, 33. xliv. 7. Exod. 21. 4, 6, 8, 32. Deut. 23. 15. Judic. 3. 25 &c. Dominus iſte eſt Meſſias.

Sede ad dextram meam.] Id eſt, eſto mihi dignitate & poteſtate proximus. Similitudo ſumta eſt à Regibus, quorum ad dextram proxime aſſidet hæres, vel Princeps à Rege ſecundus, tertius autem à Rege ſedet ad ſiniſtram. (Vide ſupra cap. 20. 21.) Ita Chriſtus quoque hæres appellatur Rom. 8. 17. Hebr. 1. 2, 4. Per ſeſſionem hanc à dextris non ſola dignitas & eminentia, ſed regnum quoque ac imperium Chriſti denotatur. Hinc Paulus 1 Cor. 15. 25, ubi Pſalmi hujus verba recitat, pro ſeſſione ad dextram Dei dixit: *Oportet eum regnare, donec omnes inimicos ſuos ponat ſub pedibus ſuis.*

Donec ponam.] Vide ad 1 Cor. 15. 26, 27, 28.

Scabellum pedum tuorum.] Vigebat in populis Orientis mos, ut victores victorum ac debellatorum cervices pedibus calcarent. Vide Joſ. 10. 24. Ex eo, quod David Chriſtum vocet Dominum ſuum, vulgo ſolet inferri, Chriſtum eſſe Deum ſummum: ſed abſque omni probabilitate. Non enim ideo David Chriſtum Dominum ſuum vocat, quia eum pro ſummo Deo agnovit, ſed quia divinam ejus exaltationem ad dextram Dei in ſpiritu vidit, per quam ille ut Angelorum & hominum omnium, ita ipſius quoque Davidis Dominus evaſit. Maximum enim beneficium, quod David à Deo ſperare poterat, nempe reſurrectionem à mortuis, & beatam immortalitatem, David, æque ac alii fideles Dei, è manibus hujus filii ſui accipiet. Quæ ſumma excellentia Chriſti ſupra Davidem eſt. Imo locus hic monſtrat potius, Chriſtum non eſſe ſummum Deum. Diſerte enim à Deo ſummo diſtinguitur: *Dixit Dominus*, id eſt Deus ſummus, qui proprio ſuo nomine *Jehova* nuncupatur, *Domino meo*, id eſt, Chriſto, qui nomine communi *Adon* appellatur; *Sede ad dextram meam*, nimirum Meſſias juſſus eſt ſedere ad dexteram Dei. Unde ſatis manifeſtum eſt, Chriſtum, ad quem id dictum eſt, quique ad dextram conſedit, non eſſe illum ipſum, qui id dixit, & ad cujus dextram conſedit. Si dicas, Patrem hoc dixiſſe ad Filium, ſimul dicas oportet, Filium non eſſe illum ſummum Deum, qui Pater eſt. Alioqui Filius id ad ſe ipſum dixiſſet, & ad ſuam ipſius dexteram conſediſſet: quod contradictionem involvit. Præterea divina eminentia & dominum totum, quod ille habet ſuper Davidem, conſiſtit in ſedendo ad dextram Dei, id eſt, in regnando cum divina poteſtate & imperio. Tale autem Regnum & imperium Chriſtus ex gratuita Dei donatione accepit, & quidem certo tempore, nempe poſt ſuam mortem & reſurrectionem Marc. 16. 19. Eph. 1. 20. 1 Petr. 3. 22. Hebr. 1. 3. Neque dici poteſt, Chriſtum id ſolum ſecundum humanam naturam accepiſſe. Sentiunt enim adverſarii, humanam naturam non ſedere ad dextram Dei, ſed eam cum divina natura in unam perſonam coaluiſſe. Præterea ſedere ad dextram Dei, id eſt, divina cum poteſtate regnare, eſt res ſolis perſonis conveniens: humana natura autem, illorum ſententia, perſona non eſt. Quapropter is qui ad dextram Dei conſedit, quique etiam Davidis Dominus eſt, nullus alius eſt, præter hominem Jeſum, illum ſcilicet, de quo mox ibidem dicitur: *Tu es ſacerdos in ſæcula &c.*

Verſ. 45. *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?*] Vocula *ſi* ponitur pro *quandoquidem*: ut & Joh. 13. 32. Tranſpoſita autem hic ſunt in iſto ſermone verba, & ita ordinanda: Si ergo David

David filius ejus eſt, quomodo vocat eum Dominum ſuum? Non inficiatur vero Chriſtus, Meſſiam eſſe Davidis Filium, ſed tantum Phariſæorum inſcitiam & ruditatem vult producere in lucem, qui hujus quæſtionis nodum ſolvere non poterant. Quia enim regnum Meſſiæ non aliud conceperant, quam terrenum & carnale, ideo nullam talem in Meſſia dignitatem comminiſci poterant, qua Davide eſſet ſuperior, adeo, ut etiam Dominus ejus exiſteret. Eſt autem Chriſtus Davidis filius ſecundum carnem, at ſecundum Spiritum Sanctificationis, ex reſurrectione à mortuis, per quem eſt ad dexteram Dei evectus, perfectiſſima ratione Filius Dei, atque adeo Dominus tam Angelorum, quam hominum omnium, ipſiuſque Davidis ac domus ejus conſtitutus eſt.

Verſ. 46. *Et nemo poterat ei reſpondere quicquam: neque auſus fuit quiſquam ab illo die amplius illum interrogare.*

CAPUT XXIII.

I. *Chriſtus ſermonem inſtituens ad populum & diſcipulos ſuos, monet eos, ne imitentur opera Phariſæorum & Scribarum, inprimis eorum ambitionem, quam deſcribit ad verſ.* 13. II. *Converſo ad ipſos ſermone, invehitur acriter in ipſorum improbitatem ac malos mores: primo, quod ad ſalutem hominibus impedimento ſint. Secundo texat eorum avaritiam & hypocriſin in orando verſ.* 14. *Tertio, perſtringit eos quod tanto labore proſelytos faciant ad Judaiſmum, quos falſis doctrinis ſeduxerunt: verſ.* 15. *Quarto notat eorum falſam doctrinam de juramento verſ.* 16. *Quinto reprehendit eorum hypocriſin in decimis, verſ.* 23. *Sexto hypocriſin in mundandis vaſis, verſ.* 25. *Septimo hypocriſin eorum in moribus & geſtibus, verſ.* 27. *Octavo hypocriſin in oſtentatione magni amoris erga demortuos Prophetas, verſ.* 29. III. *Objurgat populum Hieroſolymitanum propter perſecutiones, quibus vexarunt omnes Prophetas, minatur urbi excidium: à verſ.* 37 *ad finem capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas & ad diſcipulos ſuos.*] Cum Chriſtus videret, ſpem omnem de Phariſæorum ac Scribarum converſione atque reſipiſcentia decollaſſe, monendos duxit tam diſcipulos ſuos, quam univerſum populum, ut ſibi caveant à peſſimis Scribarum & Phariſæorum operibus, recenſens diverſa eorum flagitia.

Verſ. 2. *Dicens: In cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi.*] Chriſtus non loquitur hic de Sacerdotibus & Pontificibus ſummis; eos enim ſine dubio nominaſſet; neque etiam de Synedrio; in eo enim tam Sadducæi quam Phariſæi erant: ſed loquitur (ut ex verſ. 8 liquet) de iis, qui Rabbini ſeu Magiſtri, id eſt, Doctores Sacræ Scripturæ vocantur, qui ferme omnes è Secta Phariæſorum erant, multi quoque ex iis erant aſſeſſores judicii, quorum munus erat de dubiis rebus ſententiam dicere, & magiſtratum conſilio ſublevare. Cathedra Moſis eſt, in qua Magiſtri ſeu Doctores ſedebant, quando Legem vel publice populo, vel privatim ſuis diſcipulis ac ſcholaſticis interpretabantur. Solebant autem ſtando legere textum, interpretabantur autem ſedendo: quod ex Luca perſpicitur, ubi Chriſtus loco ex Eſaia prælecto, libroque reddito, conſediſſe, & præclaram illam concionem habuiſſe narratur, qua omnis populus ad ſummam admirationem adductus eſt Luc. 4. 16, 20.

Verſ. 3. *Omnia ergo quæ dixerint vobis, ut ſervetis, ſervate & facite; ſed ſecundum opera eorum ne facite: dicunt enim & non faciunt.*] Vox *omnia*, ut in multis aliis locis, ita hic quoque non eſt latius accipienda, quam ſubjecta materia patitur. Ut autem in Lege Moſis multa mandata erant, ita in iiſdem mandatis multa erant perplexa & ambigua, in quibus explicandis Doctorum Legis labor ac ſolertia non erat prorſus contemnenda; cum & linguæ & veterum hiſtoriarum cognitionem habuerint, ſine qua permulta in Lege non poterant bene intelligi. In his igitur rebus vult Chriſtus, ut populus, Scribis & Legis interpretibus auſcultet, eorumque interpretationes, quamvis interdum ſenſum mandatorum nimis intenderent, recipiunt. Quo etiam illa referri queunt, quibus in Lege nulla certa menſura, nec terminus conſtitutus fuit, ſed indeterminate atque in genere præſcripta fuerunt: ut in exemplo, quot paſſus licuerit Sabbatho iter conficere. Nam in ejuſmodi rebus certam & definitam oportuit eſſe regulam, ad quam ſe quiſque componere, atque juſtum de tranſgreſſoribus ferri judicium poſſet. Hoc autem à nemine aptius & ſapientius definiri potuit, quam à Legis Doctoribus, quorum ſententiam merito populus ſequi debebat. Reliqua autem quod attinet, non vult Chriſtus ut in talibus dicto audientes ſint Scribis quæ manifeſte mandatis Dei vel pietati repugnant: quale fuit illud de Corban, quo defraudabantur parentes. In talibus enim jubet Chriſtus omitti eos, tanquam cœcos duces Matth. 15. 5, 14. Neque etiam ad eas res Chriſtus ullius conſcientiam adſtrinxit, quæ Legis Interpretes præter officium interpretandi, imo præter Legem ipſam commenti ſunt, præſertim quando mandata iſta, quæ tradebant, vaniſſimarum & falſarum opinionum fundamento nitebantur. Quale fuit inter alia; manus ideo lavandas eſſe, ne earum impuritate animus impuretur ac polluatur; de quo cap. 15. 17. Quare verba iſta, *Omnia quæcunque dixerint vobis*, ex præcedentibus intelligenda & limitanda ſunt: nempe, Omnia quæ vobis præceperint tanquam in Moſis cathedra ſedentes, adeoque Moſis Legem declarantes, non autem eorum propria figmenta & humana inventa.

Verſ. 4. *Ligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.*] Lex ipſa per ſe fuit onus grave, quod nec patres noſtri (inquit Petrus Actor. 15. 10,) nec nos portare potuimus: nimirum propter ingentem mandatorum numerum, & propter imbecillitatem humanæ memoriæ, cum multis impoſſibile ferme fuerit omnium ſemper ac perpetuo meminiſſe, ad eaque

ad eaque attendere. Verum ubi alioquin officium alicujus ſapientis Juriſconſulti vel Legiſperiti poſtulat, nimium rigorem ac difficultatem Legis benigna & æqua interpretatione mitigare, ibi Judaici iſti Legis Doctores atque Interpretes contrariam prorſus inſtiterunt viam; dum illas leges, quæ per ſe ad pietatem ac ſanctimoniam non faciebant, & non tam propter eas ipſas, quam propter alias quaſdam cauſas mutationi obnoxias, à Deo datæ erant, tam rigide urſerunt, eaſque latius extenderunt, quam Dei mens unquam fuit, ut nullis omnino caſibus, vel exceptionibus, quantumvis juſtis, ac ſpecioſis, locum concederent. Ut v. c. mandatum erat de decimis, Deut. 14. 22: *Fideliter decimato omnem proventum ſementis tuæ, qui provenit in agro, quotannis.* Hic prudens ac cordatus Interpres ſpectaret inprimis ſcopum, quem Deus hac lege intendit; nempe voluiſſe Deum, ut Levitis de omnibus neceſſariis eſſet proſpectum; non autem, ut animi hominum ad nimis auxiam ac ſuperſtitioſam hujus præcepti obſervationem obligarentur. Itaque Interpres ejuſmodi ſtatueret, res minoris momenti, quales ſunt, mentha, cuminum, anethum, & ſimiles, non contineri hac lege comprehenſas: quandoquidem Levitæ parum emolumenti è talibus rebus capiebant, populo autem propter incertum iſtarum rerum pretium, cum præcipue pauperes tantum ea res afficeret, magno erant oneri. Atque ad confirmationem iſtius interpretationis allegaret locum Lev. 27. 30, ubi nominatim ea recenſentur, quæ decimari debent: nempe ſemina terræ, ac fructus arborum, & quæ in dicto loco Deut. 14. 23, ſequuntur, frumentum, muſtum, oleum. Quo accedit, quod etiam minora animalcula domeſtica non erant decimanda, ſed tantum boves, oves, & quicquid virga ſive pedo paſtoris regitur. Ad hujus præcepti exemplum facile erat etiam de fructibus terræ judicare. Sed iſti Legis Doctores Judæorum una cum ſequacibus ſuis Phariſæis, in his rebus erant adeo pro Levitis ſoliciti, quaſi tota pietas in iis ſolis conſiſteret. Nolebant quicquam excipi, quod Lex nominatim non exceperat. Ut proventus & ager, quæ in Lege nominantur, in univerſum ad omnia, quæ ullo modo ſub iis comprehendi queant, extendantur, credebant ad perfectionem religionis pertinere, cum tamen neque gloriæ Dei, neque Levitarum utilitatis aut dignitatis, neque promotionis pietatis intereſſet, utra interpretatio alteri præferretur. In his & ſimilibus quæſtionibus igitur Chriſtus tanta ſapientia uſus eſt, ut quidem tam rigidas interpretationes vituperet, nemini tamen dederit anſam eas rejiciendi, ne pro turbatore boni ordinis haberetur; præſertim cum ſciret, omnia iſta una cum Lege tota brevi eſſe ſubvertenda & demolienda. Id autem nullo modo tolerandum erat, quod iſti hypocritæ & magniloqui, cum res eorum propria ageretur, ſibi ipſis facile ignoſcerent, freti ſua ſcientia & dexteritate, qua facillime effugium aliquod invenire poterant, quo ſe adverſus Legis literam tuerentur.

Digito autem ſuo nolunt ea movere.] Locutio eſt proverbialis. Onera gravia, quæ humeris populi imponunt, ne digito quidem uno volunt attingere, nedum ut cervices ſuas iis ſupponant.

Verſ. 5. *Omnia vero opera ſua faciunt, ut ſpectentur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnas faciunt fimbrias veſtimentorum ſuorum.*] Etſi aliquid ſecundum Legem faciant, non tamen id faciunt animo religioſo & Deum reverente, ſed oſtentationis gratia, ut ab hominibus pro ſanctis habeantur. Vide ſupra cap. 6. 2, 5, 16.

Dilatant enim phylacteria ſua.] Chriſtus hoc vult dicere: Quantopere ſtudeant ſanctitatem ſuam populo oſtentare, ex eo cernitur, quod in rebus, quæ parvum momentum ad pietatem habent, & nonniſi in externa conſiſtunt ſpecie, captent laudem perfectionis. Idque probat gemino exemplo, de phylacteriis, & de fimbriis veſtimentorum, quas dilatabant & producebant longius quam alii Judæi. Per *phylacteria* intelligunt plerique Interpretes id, quod præceptum eſt Exod. 13. 9, 16. Ac vſ. 9 quidem dicitur; *Et ita id tibi erit in ſignum in manu tua, & in monumentum inter oculos tuos.* Verſu vero 16 ſic habetur: *Et hoc erit pro ſigno in manu tua, & pro frontali* (Hebr. Totaphoth) *inter oculos tuos, manu robuſta eduxiſſe nos Dominum ex Ægypto.* Et Deut. 6. 8: *Et alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Quod uno in loco *frontale* dicitur, id in altero *monumentum* appellatur. Unde liquet, frontalia iſta appenſa fuiſſe ad recolendam alicujus rei memoriam, nempe beneficiorum illorum Dei, quæ populo educens eum ex Ægypto exhibuit. Apparet autem frontalia ſeu monumenta iſta fuiſſe laminas aut folia è membranis, quibus inſcripta erant Legis mandata, qualia folia adhuc hodie Judæi nigro corio incluſa fronti & brachiis alligare ſolent, quando orant. Per *fimbrias* veſtimentorum autem intelliguntur illa quadrata palliola una cum appenſis villoſis funiculis, de quibus Num. 15. 38. Deut. 22. 12, præceptum extat. Vide hac de re ſupra cap. 9. 20. Hæc autem frontalia Phariſæi latiora, & funiculos iſtos longiores geſtarunt, quam vulgo mos erat, ad ſignificandam ſingularem pietatem, ut de iis crederetur, quod Legem multo ſtrictius quam alii obſervent. Hieronymus ſcribit, eos aculeatas ſpinas iſtis phylacteriis inſeruiſſe, ut quando irent vel ſederent, ictu ſpinarum ac dolore in memoriam Legis revocarentur.

Verſ. 6. *Amantque primos accubitus in cœnis, & primos conſeſſus in conventibus.*] Putabant enim propter ſanctitatem ſuam ſibi primum locum ubique deberi.

Et primos conſeſſus in conventibus.] More antiquo Judæorum inter eos qui nullo munere in conventibus fungebantur, in ſedendi ordine ætatis tantum habebatur ratio; quod etiam Eſſeni (qui inter reliquas Judæorum Sectas optimi erant) ſuo tempore obſervabant. Poſtea autem obtinuit mos, ut qui doctiores aliis habebantur, iis daretur locus honoratior. Inde factum, ut & Phariſæi ſibi loca in ſedendo ſuperiora vendicarent. In Judæorum ſcriptis adhuc hodie talia ſancita reperiuntur, in quibus Juriſperitis & Phariſæis competentia loca aſſignantur. Hinc etiam proverbium enatum eſt, quo promiſcua indocta plebs Phariſæorum ſcabellum pedum vocabatur. Et hoc quidem, quod virtuti & ſapientiæ is deferretur honos, erat aliquo modo tolerabile; ſed indignum fuit, quod divites ob ſolas divitias multis aliis piis & probis

probis viris præferrentur. Quod etiam Jacobus graviter reprehendit cap. 2. 2, 3 & ſeqq.

Verſ. 7. *Et in foris ſalutationes, & vocari ab hominibus, Rabbi, Rabbi.*] Salutationes intellige cum adjuncta flexione corporis & oſculo. Talis enim mos inter Judæos vigebat. Vide infra cap. 26. 50. Marc. 14. 45. Rom. 16. 16.

Et vocari ab hominibus.] Perinde ac hodie apud nos dici ſolet, Domine Doctor, Domine Magiſter. Hebræa vox *Rab* proprie ſignificat eum qui magnus eſt, puta ſapientia & auctoritate. Auguſtior autem titulus erat Rabbi, quam Rab: & Rabbi vocabantur ſoli illi, qui à Synedrio per impoſitionem manuum teſtimonium eruditionis acceperant. Hic igitur honor titillabat Phariſæorum animos ſupra modum, quando tam auguſto titulo in foro populo præſente ſalutabantur. In ſalutando autem titulus iſte geminabatur, Rabbi, Rabbi, ut ex Marco videre eſt cap. 14. 45.

Verſ. 8. *Vos autem ne vocemini Rabbi: unus enim eſt Doctor veſter, Chriſtus. Omnes autem vos fratres eſtis.*] Præter modeſtiam ac humilitatem, quam Chriſtus ſuis diſcipulis magnopere inculcavit, eſt & alia adhuc cauſa, cur non debeant titulum Rabbi admittere: quia nimirum qui inter Judæos hunc titulum honoris à Synedrio obtinuerant, tantam ſibi ſumebant atque arrogabant auctoritatem, ut vellent omnibus abſque ulla contradictione credi, quæ docebant, non aliter quam ſi dicta eorum ipſius Dei verba eſſent. At Chriſtus non vult, ut diſcipuli ejus id tanquam neceſſarium doceant, quod ipſi tale eſſe exiſtimant, ſed quod Magiſter eorum Chriſtus tanquam neceſſarium proponit. Inter Judæos alii huic, alii rurſus alteri Magiſtro addicti erant, quod unus eorum docebat, id diſcipuli ejus adorabant tanquam Dei verbum. Inter Chriſtianos autem id permiſſum non eſt, ut unus dicat, Ego ſum Pauli; alter, Ego ſum Apollo, tertius, Ego ſum Cephæ 1 Cor. 1. 12. Non debent ſibi coacervare Doctores 2 Tim. 4. 3. Per Baptiſmum enim omnes uni doctrinæ, quam Chriſtus attulit, initiantur. Sunt quidem etiam in Eccleſia Chriſti, qui Rabbi ſeu Doctores vocantur: uti Paulus ſe vocat Doctorem gentium 1 Tim. 2. 7. 2 Tim. 1. 11, alii etiam hoc nomine ab Apoſtolis, Prophetis & Paſtoribus diſcriminantur Actor. 13. 1. 1 Cor. 12. 28, 29. Epheſ. 4. 11. Verum iſti alio ſenſu ſic appellantur, quam apud Judæos: nempe non quod novas doctrinas in publicum proferant, ſed quod univerſam Chriſti doctrinam hominibus proponant. Quod officium quam magno ſit periculo obnoxium, quamque grave, ideoque non facile ſuſcipiendum, docet Jacobus cap. 3. 1.

Unus enim eſt Magiſter veſter, Chriſtus.] In nonnullis Græcis exemplaribus habetur διδάσκαλος, Doctor, videturque magis quadrare, quam καθηγητὴς Magiſter (proprie Ductor.) Nam ℣. 10 poſtea diſtinguit Chriſtus expreſſe titulum Magiſtri à titulo Rabbi.

Vos autem omnes fratres eſtis.] Id eſt, unius Doctoris diſcipuli.

Verſ. 9. *Et patrem veſtrum ne vocate quenquam in terra; unus enim eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt.*] Qui alicujus celebris Magiſtri doctrinam amplexi erant, & quodammodo in verba ejus juraverant, illius dicebantur Filii: ipſum autem appellabant Patrem ſuum, qui eos tanquam filios ſapientiæ genuerit: inter ſe vero fratres erant. Atque hoc ſenſu vetat Chriſtus, ne ſe diſcipuli ejus Patres vocari permittant.

Unus enim eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt.] Unus eſt caput veſtræ ſectæ, & auctor ſalutaris doctrinæ. Iſte nobis per Filium ſuum omnia ſcitu nobis neceſſaria patefecit. Eſtis à Deo docti Joh. 6. 45. 1 Theſſ. 4. 9. Quamobrem Chriſtiani tali ſignificatu, quo Judæi ſuos Sapientes Patèr appellabant (doctrinam ſcilicet, quam ab eis hauſerant, non Deo, ſed ipſis adſcribentes) vocari ſe Patres non debent ferre: ſed alio ſenſu, quo honor Deo Chriſtoque debitus relinquitur, illi rectiſſime Patres dicuntur, qui nos in Chriſto per Euangelium genuerunt 1 Cor. 4. 15. Quod Chriſtus inquit, nos unum duntaxat talem Patrem habere, qui omnis ſalutaris doctrinæ auctor eſt, nempe Deum ſummum, qui in cœlis eſt, ex eo validiſſime probatur, Chriſtum non eſſe Deum illum ſummum. Alioquin non unus Pater, ſed duo ejuſmodi Patres forent. Nomen quoque Patris, quod Chriſtus Deo attribuit, ſublimius eſt, quam nomen Rabbi ſeu Doctoris, quod ſibi tribuit. Unde rurſus apparet, Chriſtum Deum ſuperiorem ſe agnoſcere, eumque adeo Deum altiſſimum non eſſe.

Verſ. 10. *Nec vocemini Doctores: unus enim veſter eſt Doctor, Chriſtus.*] Gr. καθηγητὴς, ductor, itineris monſtrator; ut Chriſtus infra ℣. 16, & ſupra cap. 15. 14, Phariſæos appellat. Ita Paulus quoque inter alios titulos, quos Judæis tribuit, ponit quoque hunc, quod ſint duces cœcorum Rom. 2. 19, 20.

Verſ. 11. *Sed qui maximus eſt veſtrum, ſit veſter miniſter.*] Sicut non vult Chriſtus, ut fideles ejus ullam dominationem ad modum mundanorum Principum affectent (ſupra cap. 20. 26,) ita vult quoque, ut procul amoveatur ab eis omnis titulorum vanitas, utque dent operam ſimplici ac demiſſæ modeſtiæ, cum per eam ad ſummos honores in regno ſuo devenire queant. Vide ſupra cap. 18. 4. xx. 25 ad 29.

Verſ. 12. *Qui autem ſeſe extollit, humiliabitur; & qui ſe humiliat, extolletur.*] Hanc ſententiam Chriſtus ſæpius protulit Luc. 14. 11. xviii. 14. Videtur inter Judæos crebro uſurpatum fuiſſe. Salomon ait: *Confractionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur* Prov. 16. 18.

Et qui ſe humiliat, extolletur.] Salomon ait: *Humilis ſpiritu honorem accipiet* Prov. 29. 23. Iſta demiſſio ac humilitas in omnibus rebus exigitur, ſed præcipue erga Deum; de quo ita Petrus monet: *Humiliate vos ſub potenti manu Dei, ut vos extollat opportuno tempore* 1 Petr. 5. 6.

PARS II.

Verſ. 13. *Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam præcluditis regnum cœlorum hominibus. Vos enim non intratis, nec introeuntes, intrare ſinitis.*] Ab hoc verſu uſque ad 37 Chriſtus acriter invehitur in Phariſæos & Scribas, non carnali ira ac odio adverſus eos inflammatus, ſed eo conſilio,

filio, ut fœdiſſimam eorum hypocriſin populo detegeret, utque ab ea ſibi caverent moneret.

Quoniam præcluditis regnum cœlorum hominibus.] Lucas habet: *Vos ſuſtuliſtis clavem cognitionis* cap. xi. 52. Indicat Chriſtus, Phariſæos & Scribas ita ſibi cognitionem Legis vendicare, ut credant, neminem poſſe intrare in regnum cœlorum, niſi cui ipſi viam monſtraverint. Locutio eſt metaphorica, petita à patribus-familias, qui quando nolunt quenquam abſque voluntate ſua domum ingredi, clavem ad ſe recipiunt. Phariſæi autem ita cœlum præcluſerant, ſeu clavem ſcientiæ ſuſtulerant, dum omnes illas prophetias, quæ de Meſſia ejuſque doctrina ſanctiſſima, de pœnitentia, fide non fucata, dilectione &c loquebantur, & per quarum rectam intelligentiam homines in viam vitæ æternæ pervenire poſſent, falſis interpretationibus ſuis obtenebrabant ac ſupprimebant; ex adverſo autem plurimis vaniſſimis ritibus atque traditionibus populum onerabant.

Præcluditis hominibus.] Iſtis ſcilicet, qui idonei forent ut introirent, fores ante oculos eorum claudunt.

Vos enim non intratis.] Id eſt, non inſiſtitis viam, quæ intro ducat, quia neque Legem ſervatis, neque fidem in Meſſiam ſuſcipitis.

Nec introeuntes intrare ſinitis.] Id eſt, non tantum non monſtratis eis viam, ſed inſuper viam eis obſtruitis, veſtris vanis ceremoniis ac traditionibus, quibus hominum animi retardantur & aggravantur, ut ad altiora aſpirare nequeant.

Verſ. 14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam exeditis domos viduarum, idque in ſpeciem utentes longis precibus.*] Id eſt, quoniam viduas perſuaſionibus veſtris inducitis & dementatis, ut vos bonorum ſuorum poſt obitum ſuum hæredes inſtituant, eo fine, ut tanquam ſancti homines Deum pro iis oretis. Similia queritur Paulus de falſis doctoribus 2 Tim. 3. 6. Mulieres propter judicii ſui debilitatem facilius ſeduci poſſunt, quam viri; & viduæ facilius, quam maritatæ: quia hæ virorum conſilio uti poſſunt, illæ autem prorſus derelictæ ſunt.

Propterea auferetis gravius judicium.] Quia duplici modo peccatis. Primum, quia contra Legem Exod. 22. 22 viduas bonis earum emungitis. Secundo, quia id facitis prætextu ſanctimoniæ, ſeu longarum orationum pro eis. *Judicium* hic pro damnatione ſumitur.

Obſervandum eſt, integrum hunc ℣. 14, in nonnullis Græcis exemplaribus non legi: videtur ex Marco & Luca hic eſſe inſertus.

Verſ. 15. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam circumitis mare & terram, ut faciatis unum proſelytum; & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo magis, quam vos.*] Circumitis mare & terram, phraſis eſt proverbialis, id eſt, magno ſtudio ac diligentia in id incumbitis. Venabantur enim hanc laudem, quod populum Dei augerent, eique ſua ſanctitate præeſſent. Etiam culinæ eorum id proderat, quando numerus populi & cum eo etiam ſacrificiorum creſceret. Proſelytus vocatur, qui ex Ethniciſmo ad Judaiſmum tranſivit.

Et cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo magis, quam vos.] Id eſt, ſimulac ſe Deo ſubjecerit, & Legem ſuſceperit, corrumpitis eum peſſimo veſtro exemplo, ita ut licet probo & ad pietatem apto ſit animo, eum tamen vos ad varia flagitia ſeducitis.

Facitis filium Gehennæ.] Id eſt, ut dignus ſit Gehenna. Vide de hac phraſi ſupra cap. 8. 12.

Duplo magis, quam vos.] In vitiis ac ſceleribus facilius eſt ſuperare magiſtrum, quam in virtutibus.

Verſ. 16. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quiſquis juraverit per Templum, nihil eſt: quicunque autem juraverit per aurum Templi, reus eſt.*] Sapientes inter Judæos aliqua juramenta majora & graviora eſſe cenſebant, alia minora. Juramentum magnum erat per Deum, & huic æſtimabant æquale juramentum per Corban, id eſt, per donum, quod Deo conſecratum erat (de quo vide ſupra cap. 15. 5.) Dona autem erant duplicis generis: quædam reponebantur in altari, de quibus crebra occurrit mentio in Levitico; quædam in gazophylacium inferebantur. Poſterius genus Corban vocatur infra cap. 27. 6. Qui per unum aut alterum donum jurabat, tanti habebatur, atque ſi per Deum ipſum juraſſet, quia dona illa Deo erant conſecrata & ad eum ſpectabant. Atque hoc erat integumentum eorum avaritiæ. In ipſorum enim commodum cedebat, quod dona illa pro tam ſanctis habebantur, pro ſanctioribus, quam Templum & altare, non ſecus atque ſi Deo ante alias res omnes illa gratiora eſſent. Juramenta autem per Templum & per altare habebant Sapientes Judæorum pro minoribus ac levioribus juramentis, facileque eorum dabant veniam, ſi modo quis fateretur, ſe nimio fervore fuiſſe abreptum. Qui vero per donum juraverat, ſine omni venia cogebatur juramentum ſervare.

Nihil eſt.] Id eſt, non eſt obligatus id ſervare, ad quod ſervandum ſe juramento obſtrinxit.

Quicunque autem juraverit per aurum Templi, reus eſt.] Id eſt, tenetur juramento, debet præſtare, quod juravit. Per aurum intelligitur ærarium Templi, ad quod pertinebant aurea candelabra, & alia aurea vaſa.

Verſ. 17. *Stulti & cæci, quid enim majus eſt, aurum, an Templum, quod ſanctificat Templum?*] Ærarium erat ſanctum propter Templum, ad cujus uſum erat ordinatum. Ergo Templum erat ſanctius ærario.

Verſ. 18. *Et quiſquis juraverit per altare, nihil eſt: quicunque autem juraverit per donum, quod eſt ſuper illud, reus eſt.*

Verſ. 19. *Stulti & cæci, quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum?*] Donum eſt ſanctum, quia ad altare pertinet. Ergo altare erat ſanctius. De ſanctitate altaris vide Exod. 29. 37.

Verſ. 20. *Qui ergo juraverit per altare, jurat per illud, & per omnia, quæ ſuper eo ſunt.*

Verſ. 21. *Et qui juraverit per Templum, jurat per illud, & per eum, qui habitat in eo.*] Chriſtus probat, juramenta, quæ illi minoris æſtimabant, æque gravia ac valida eſſe, atque illud quo per Deum juratur. Cum enim juramenti vis in eo conſiſtat, quod is, per quem juratur, teſtis ac vindex invocetur, niſi quod juratur, præſtetur: nemo tam vecors eſt, ut rem inanimatam, qualis erat Templum, aurum, altare &c. teſtem ac vindicem invocet.

Itaque qui per iſtas res jurat, eo ipſo jurat per Deum ipſum, cui res iſtæ fuerunt conſecratæ. Templum erat domus Dei, in quo Dei gloria ac majeſtas reſidebat 1 Reg. 8. 11, 12, 13.

Verſ. 22. *Et qui juraverit per cœlum, jurat per thronum Dei, & per eum, qui ſedet ſuper ipſum.*] Chriſtus antecedentia exemplo illuſtrat: nimirum qui per cœlum jurat, eum teſtem invocat, cujus thronus eſt cœlum; quod quomodo intelligendum ſit, explicatum ſupra cap. 5. 34.

Jurat per thronum Dei.] Id eſt, per majeſtatem & gloriam Dei.

Verſ. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & omittitis, quæ graviora ſunt Legis, judicium & miſericordiam ac fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.*] Loco *anethi* & *cumini* Lucas ponit *rutam* & *omne olus* cap. xi. 42. Agitatur inter Thalmudiſtas de aliquibus oleribus quæſtio, utrum bis decimanda ſint? ſemen ſeorſim, & olus ſeu herba ſeorſim. Sed Chriſtus de hac quæſtione non loquitur. Erat alia quæſtio de herbis vel oleribus; an illa etiam Lege Deut. 14. 22 comprehenderentur. Ut ergo Chriſtus Phariſæorum nimiam ſolicitudinem in obſervanda hac Lege exprimat, nominat quaſdam viliores herbas, quæ etſi non decimarentur, non tamen eo Lex violaretur, cum hæc ſolum Levitarum ſuſtentationem ſpectarit, ad quam iſtæ viles herbulæ parum conferunt. In libro Thalmudico de decimis ſcribitur, etiam hyſſopum, artemiſiam, & viciam decimari oportere, & viciam quidem ideo, quod tempore famis pro cibo adhiberi poſſit.

Et omittitis, quæ graviora ſunt Legis.] Chriſti mens hæc eſt: In rebus minutis eſtis adeo ſcrupuloſi, ne Legem tranſgrediamini, & interim quæ maximi momenti res ſunt in Lege, in quibus potiſſimum pietas ſita eſt, eas jam dudum neglexiſtis.

Judicium.] Vox κρίσις, *judicium* ſumitur hic in laxiori ſignificatione (ut & 1 Macch. 6. 22. vii. 18. Ezech. 20. 11,) nempe pro omni eo, quod rectum & juſtitiæ eſt conſentaneum. Phariſæi erant homines injuſti, qui non modo in multis rebus, quarum inter Judæos Judices erant, injuſtam atque iniquam ſententiam ferebant, verum etiam aliena bona injuſtis mediis ad ſe trahebant, & in univerſum plurima injuſta opera deſignabant.

Et miſericordiam.] Id eſt, opera charitatis, quæ Deus ante omnia poſtulat. Vide Oſe. 6. 6. Mich. 6. 8. Matth. 9. 13.

Ac fidem.] Plerique Interpretes hic per fidem intelligunt fidelitatem & veracitatem in eo, quod promittitur. Sed ſi verba hæc, ut aliqui exiſtimant, ex Mich. 6. 8, deſumpta ſunt, tum per fidem hic intelligitur fiducia in miſericordia Dei collocata, quæ humilem dilectionem & obedientiam erga Deum in nobis producit. Lucas cap. xi. 42, pro miſericordia & fide, habet *dilectionem Dei*: quo interpretatio iſta quadantenus confirmatur. Verba apud Michæam Prophetam ita ſonant: *Indicatum tibi eſt, ô homo, quid ſit bonum; & quid Dominus requirit à te, niſi ut facias judicium, & ames miſericordiam, & demiſſe ambules coram Deo tuo.*

Hæc oportet facere.] Chriſtus hoc dicto non confirmat falſam Phariſæorum ſententiam de decimatione menthæ, anethi &c. ſed hoc vult dicere: Quandoquidem vobis ita placet Legem explicare, habete vobis veſtram explicationem & ſententiam, ſed interea nolite, quod caput rei eſt, & ſummo loco habendum, omittere.

Verſ. 24. *Duces cæci, qui percolatis culicem; camelum autem deglutitis.*] Proverbium eſt, uſurpatum de iis, qui in minutis rebus obſervandis accurati erant, res maximas ſupino & oſcitanti animo tranſmittebant. In calidioribus regionibus magna eſt minutorum culicum abundantia, inciduntque in vinum ita ut id percolare oporteat, quando bibendum eſt. Per *camelum* autem Judæorum conſuetudine omnis res grandis & enormis deſignatur: ut ſupra cap. 19. 24.

Verſ. 25. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui purgatis exteriorem poculi patinæque partem, intus autem illa plena ſunt rapina & intemperantia.*] Phariſæi quidem lavabant pocula & patinas, tam intus quam extra, ut Marc. 7. 4, & ſupra quoque cap. 15. 2 dictum eſt. Sed Chriſti verborum hic eſt ſenſus: Vos quidem pocula & patinas lavatis, ſed cibus & potus, qui in iis eſt, extortus eſt & expreſſus ab aliis falſa pietatis ſpecie, & precum prolixitate, & præterea eo immodice utimini ad luxum. Nonnulli putant hunc eſſe ſenſum, quaſi dicat Chriſtus: Dum corpus adeo mundatis contra vero animum à ſordibus tantorum criminum, quibus conſpurcati eſtis, non repurgatis, æque abſurde agitis, atque ſi pocula & patinas lavaretis, vinum autem & cibum plena immunditiei ac fæcum eſſe ſinatis. Ut enim hoc ſanitati nocet, ita illud ſaluti.

Et intemperantia.] In ſeptem antiquis Græcis exemplaribus extat vox ἀδικίας, injuſtitiæ. Aliqua habent ἀκρασίας, immunditiei: per quam interdum omnis generis ſcelera intelliguntur. Vide Epheſ. 5. 3. Lucas addit ad rapinam *malitiam* loco intemperantiæ cap. xi. 39. Neque alibi uſquam legere eſt, Phariſæis vitium intemperantiæ aut luxus in cibo & potu objectum fuiſſe.

Verſ. 26. *Phariſæe cæce, purga primum quod eſt intra poculum & patinam, ut id quoque, quod extra eſt, mundum fiat.*] Id eſt, juxta priorem interpretationem verſiculi præcedentis, noli veſci cibis injuſte acquiſitis, & utere illis moderate, atque tunc externa immundities vaſorum te non faciet immundum. Vel, juxta poſteriorem interpretationem, ejice prius ex animo ſordes vitiorum & malarum cupiditatum, & immundities corporis te non inquinabit. Senſu eodem dicit Paulus: *Omnia ſunt munda mundis* Tit. 1. 15. His dictis autem Chriſto animus non eſt purificationem, quæ in Lege præcepta erat, tollere & abrogare; ſed ſolummodo falſam Phariſæorum opinionem refutat, qui ſtatuebant, contrectatione rerum immundarum etiam animum contaminari. Qua de re ſupra cap. 15.

Verſ. 27. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui aſſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ extra quidem apparent ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, omnique immunditia.*] Apud Judæos non inſolitum fuiſſe, hypocritas, qui aliud fronte, aliud mente gerunt, dealbatis aut calce politis rebus aſſimilare, patet ex Act. 23. 3. Confer cum Pſal. 5. 10.

Verſ. 28

Verſ. 28. *Ita & vos extra quidem apparetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.*

Verſ. 29. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.*] Differentiam inter Prophetas & juſtos vide ſupra cap. 10. 41. Impendebant autem Phariſæi laborem & ſumtus non mediocres, reſtaurandis & exornandis vetuſtate collapſis Prophetarum monumentis: quod ipſum etſi mera eſſet vanitas, Chriſtus tamen hic non taxat, ſed indicat tantum, eos etſi honore, illo quo occiſos à Majoribus ſuis Prophetas ac juſtos afficiunt, teſtentur, interemtionem eorum ſibi non placere, nihilominus æque eſſe Prophetarum occiſores, atque Majores ipſorum fuerunt. Idque Chriſtus eleganter innuit vocibus *Patrum & filiorum*, quas alio ſenſu accipit, quam illi. Illi enim Majores ſuos appellabant Patres propter ortum naturalem, quia per naturalem generationem ab iis prognati erant. Chriſtus autem eos vocat Majorum ſuorum filios, propter ſanguinarium ac parricidalem animum, quo illis erant ſimiles. Nimirum Chriſtus ita adverſum eos argumentatur: Dicitis vos, ſi vixiſſemus temporibus Patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocii eorum in cæde Prophetarum; dum igitur iſtos Prophetarum occiſores Patres veſtros vocatis, eo ipſo indicatis, vos eſſe eorum filios, ac proinde eis ſimiles. Non procul à proprio ſtipite poma cadunt.

Qualis arbor eſt, tales ſunt & fructus. Quod illi fecerunt, hoc & vos facere in animo habetis. Honoratis mortuos, quia aures veſtras delicatas non poſſunt amplius mordaci radere vero: eos autem qui in vivis ſunt, & vos æque ac illi, imo longe perfectius ad frugem revocare ſtudent, perſequimini, & tanto in eos ardetis odio, quod non aliter quam ſanguine expleri poteſt; imo quod malitiæ patrum veſtrorum deeſt, id vos impletis. More Hebræorum, qui aliis ſimiles ſunt moribus & animo, eorum filii nuncupantur. Vide ſupra cap. 5. 45. Apud Lucam aliter Chriſtus contra Phariſæos argumentatur: de quo vide ibidem cap. XI. 47, 48.

Verſ. 30. *Et dicitis: Si fuiſſemus temporibus Patrum noſtrorum, non fuiſſemus eorum ſocii in cæde Prophetarum.*

Verſ. 31. *Itaque teſtamini adverſus vosmet ipſos, vos eſſe filios eorum, qui Prophetas occiderunt.*

Verſ. 32. *Vos quoque complete menſuram patrum veſtrorum.*] Hoc ſibi vult Chriſtus. Quandoquidem hæreditatem ſanguinarii atque cruenti animi adverſus Prophetas à Patribus veſtris creviſtis, pergite in eo, & occidite etiam Prophetas illos, qui à Deo ad vos miſſi ſunt. Loquitur id præcipue de ſe, cujus ſanguinem illi ſupra quam dici poteſt, ſitiebant: quem ubi effuderint, nece nefaria ſibi illata, tum demum menſura impietatis patrum eorum prorſus implebitur, & hæc natio ſanguinaria ad pœnam perfecte matureſcet. Deus diu utitur longanimitate adverſus hominem: ſed quando nulla emendationis ſpes eſt reliqua, vertitur patientia ejus in iram & furorem inextinguibilem, tarditatemque ſupplicii, gravitate ac ſeveritate ejuſdem tanto majori compenſat. Atque hoc modo Deus procedit non ſolum cum ſingulis hominibus, verum etiam cum totis gentibus atque populis, quorum peccata, quando omnem ejus patientiam exſuperant, illos tandem tanto ulciſcitur zelo, ut tametſi hominibus ne tunc quidem faciat injuriam, tamen pœna ejus & judicium tam grave videatur, ut etiam præteritorum temporum peccata abunde eo expientur. Et hæc accumulatio peccatorum, menſura vel impletio injuſtitiæ appellatur Gen. 15. 16.

Verſ. 33. *Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugere poſſitis condemnationem Gehennæ?*] De hac appellatione, *Serpentes, progenies viperarum*, vide ſupra cap. 3. 7.

Quomodo effugere poſſitis.] Cum tales ſitis, quomodo tam temporaria quam ſempiterna Dei judicia evitabitis?

Verſ. 34. *Propterea ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex ipſis nonnullos trucidabitis & crucifigetis: & ex ipſis nonnullos flagellabitis in conventibus veſtris, & perſequemini a civitate in civitatem.*] Voce *propterea* non reddit Chriſtus cauſam, cur Prophetas & Sapientes miſſurus ſit, ſed, cur illi Prophetas ac Sapientes, quos miſſurus erat, occiſuri ſint: quaſi dicat; Propterea, quia tam crudelium & ſanguinariorum Patrum eſtis filii, qui omnium Prophetarum ac piorum parricidæ ſunt, eveniet, ut jam impleatis menſuram patrum veſtrorum, dum Prophetas & Sapientes, quos Deus ultimo ad vos mittit, (inter quos etiam ipſe Meſſias eſt) æque, ac patres veſtri Prophetas ſuorum temporum, crudeli morte afficiatis.

Ecce ego mitto ad vos.] Apud Lucam cap. XI. 49, ait Chriſtus: *Propterea Sapientia Dei dixit: Mittam ad eos* &c. id eſt, Deus ſapientiſſimo ſuo conſilio decrevit mittere. Quo ſignificat, in hac miſſione ad Judæos, ſingularem Dei ſapientiam elucere. Ex his verbis apud Lucam colligere eſt, hic apud Matthæum poſt vocabulum *propterea*, ſubaudienda eſſe verba hæc: *Deus dixit*; nempe hoc modo: Propterea Deus dixit; Ecce ego mitto ad vos &c. Qualis verborum omiſſio non eſt inſolens apud Prophetas.

Prophetas & Sapientes & Scribas.] Per hos intelligit Chriſtus doctores Novi Fœderis, quos nominibus inter Judæos uſitatis appellat, indicans, iſtos legatos non minores fore illis, quos ipſi Prophetas ac Sapientes & Scribas vocitabant. Supra cap. 13. 52. Chriſtus etiam doctores Novi Fœderis Scribas vocat. De differentia inter Sapientes & Scribas inter Judæos vide 1 Cor. 1. 20.

Et ex ipſis nonnullos trucidabitis.] Ut Stephanum & Jacobum Actor. 7. 57. XII. 2.

Et crucifigetis.] Ut Meſſiam ipſum. Unde cernitur, eum ipſum quoque legatis iſtis Dei accenſeri. Ipſum enim trucidando maxime menſuram flagitiorum ſuorum impleverunt. Chriſtus Propheta vocatur diſerte Deut. 18. 15. Actor. 3. 22. Alias traditur, etiam Simonem Cleophæ filium à Judæis eſſe in crucem actum.

Et ex ipſis nonnullos flagellabitis.] Ut Johannem & Petrum Act. 5. 40. Vide ſupra cap. 10. 14.

Et perſequemini.] Ut Paulum & Barnabam Act. 13. 50.

Verſ. 35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, effuſus ſuper terram à ſanguine Abelis juſti uſque*

ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.] Particula *ut*, ponitur hic pro *&*. Non enim hic cauſa finalis, ſed eventus indicatur, qui ſecuturus ſit eorum homicidium, quo ultimos Prophetas enecabunt: quaſi dicat. Et ſic veniet ſuper vos *&c.*

Veniet ſuper vos omnis ſanguis juſtus.] Id eſt, pœna pro fuſo ſanguine omnium Prophetarum, juſtorum ac piorum, ab Abele uſque ad Zachariam, ſuper vos veniet. Locutio eſt Hebraica, ut & infra cap. 27. 25. Vide Pſal. 9. 13. 1 Reg. 2. 32.

Effuſus ſuper terram.] Lucas habet: Qui effuſus eſt à jacto mundi fundamento *à generatione iſta* cap. xi. 50. Non is autem eſt ſenſus verborum, quod Deus fuſum à patribus ac majoribus eorum ſanguinem in ipſis ſit vindicaturus (anima enim, quæ peccavit, morietur: filius non portabit iniquitatem patris Ezech. 18. 20.) Sed mens Chriſti eſt, pœnam, quæ per Hieroſolymæ excidium ſuper Judæos veniet, tam horrendam fore, ut ſufficiens futura ſit omnia homicidia, quæ unquam à condito mundo admiſſa ſunt, expiare: cum tamen illa pœna gravitatem culpæ eorum non ſit æquatura, tantum abeſt, ut major meritis ipſorum futura ſit. Confer Apoc. 18. 24.

A ſanguine Abelis.] Chriſtus non ſine cauſa nominatim Abelis & Zachariæ meminit. Quia de Abelis ſanguine ſcriptum eſt, eum ad Deum clamaſſe, ſeu vindictam flagitaſſe Gen. 4. 10. Et Zacharias, cum occideretur, in hæc verba prorupit: *Dominus videat & requirat* 2 Paral. 24. 22.

Uſque ad ſanguinem Zachariæ.] Quis fuerit iſte Zacharias, apud Veteres varia fuit ſententia. Aliqui crediderunt, Johannis Baptiſtæ patrem hic deſignari, cujus mors in falſo Euangelio quodam Jacobi in hunc modum deſcribitur. Fuiſſe narratur in templo Hieroſolymitano locum peculiarem, in quo ſolæ virgines ſedebant. Cum vero Virgo Maria felici partu enixa filium ſuum, in Templum veniſſet, & occupare locum priſtinum ſuum inter virgines voluiſſet, ſacerdotes noluiſſe id permittere, eo quod filium peperiſſet. Zachariam autem Johannis Baptiſtæ patrem, cum ſciret eam eſſe virginem, ipſius patrocinium ſuſcepiſſe; quam ob rem cum acri certamine collideretur cum ſacerdotibus, ab eis fuiſſe interfectum. Sed dubium non eſt, hunc eſſe Zachariam, cujus mors habetur deſcripta in allegato loco 2 Par. 24. 22, quod locus, in quo homicidium factum eſt, ſatis demonſtrat. Refertur enim, eum lapidatum eſſe *in atrio domus Domini*, nempe in loco ſubdiali, ubi ara erat poſita, in qua victimæ cremabantur. Inter altare autem & inter templum ſpatium erat ſub dio 22 cubitorum, ut in Babylonico Thalmude de menſura templi ſcriptum eſt. Hoc in ſpatio patratum eſt homicidium Zachariæ. Quod egregie congruit cum eo, quod hic perhibetur apud Matthæum, eum inter Templum & altare eſſe occiſum. Præterea Chriſtus hoc homicidium tanquam rem notam commemorat: atqui in tota Scriptura Sacra nullius Zachariæ occiſi fit mentio, præterquam hujus in libro Paralipomenon. Quod autem hic Zacharias hoc apud Matthæum loco filius Barachiæ, ille vero in libro Paralipomenon filius Jojadæ vocetur, eo factum putant Interpretum nonnulli, quod pater ejus binomius fuerit, & tum Barachias, tum Jojada appellatus. Alii autem ſentiunt, apud Judæos familiare fuiſſe, ut nomina mutarentur in alia ſimilis ſignificationis: ut Salomon vocatus eſt Jedidias 2 Sam. 12. 25. Ozias dictus eſt Aſarias 2 Paral. 26. 1, confer cum 2 Reg. 14. 21. Eliakim appellatus eſt Jojakim 2 Reg. 23. 34. Ita autumant etiam patris Zachariæ nomen commutatum eſſe. Sed probe obſervandum eſt, quod Hieronymus teſtatur, ſe in Hebraico Matthæi Euangelio, quo utebantur Nazaræi, Zachariam Jojadæ filium legiſſe.

Quem occidiſtis.] Ita loquitur, quaſi Phariſæi ipſi eum occidiſſent; quia ſunt idem ſanguinarius populus ab antiquo tempore. Similis locutio eſt etiam Marc. 10. 3. Joh. 6. 32. vii. 19, 22.

Verſ. 36. *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.*] Pœna pro omni iſto ſanguine juſtorum ab Abele uſque ad Zachariam, ab iſta ſcelerata & ſanguinolenta gente expoſcetur.

PARS III.

Verſ. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?*] Hic convertit Chriſtus orationem ſuam ad reliquum populum Hieroſolymitanum, & redarguit in omnibus impiis urbis iſtius incolis ingratum ſummorum beneficiorum animum, quæ Deus illis, inprimis per ipſum, exhibuerat.

Jeruſalem, Jeruſalem.] Id eſt, vos cives Hieroſolymitani.

Quæ occidis Prophetas.] Vide ſupra cap. 21. 35, 36.

Qui ad te miſſi ſunt.] Sic vocat Chriſtus illos, qui non ordinarii Prophetæ erant, qualis erat Eſaias, Jeremias & alii, ſed qui tantum certo tempore ſpiritu Dei donabantur, qualis erat Zacharias, de quo ſcriptum eſt, Spiritum Dei induiſſe eum 2 Paral. 24. 20.

Quoties volui congregare liberos tuos.] Liberi Hieroſolymæ omnes Judæi vocantur, quia Hieroſolyma fuit eorum metropolis, in qua cultus Dei & omnia judicia peragebantur, & in quam ſe omnes tempore belli recipiebant. Hanc civitatem Chriſtus toto triennio tot miraculis, tot monitionibus ac comminationibus ad pœnitentiam ac fidem adducere ſategerat, ut eam ab ira Dei imminente ſervaret: non ſecus ac gallina ingruente tempeſtate pullos ſuos ſub alas ſuas convocat.

Et noluiſtis.] Ita Deus quoque loquitur apud Ezechielem cap. 24. 13. Volui te mundare, ſed tu noluiſti mundari. Et Eſai. 65. 12: *Vocavi & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis.* Vide etiam Jerem. 7. 13. Confer cum Deut. 32. 29, 30. Hi autem, quos hic Chriſtus alloquitur, non ſolum conſilium Dei aſpernati ſunt adverſus ſemetipſos, ut Lucas ait cap. 7. 30. Sed etiam alios, qui ipſorum curæ ac inſtitutioni commiſſi erant, impedierunt, ne ſalutarem doctrinam ſuſciperent. Vide ſupra vſ. 13. Quæſtio de eo, quomodo fieri poſſit, ut voluntas hominum, qui ſervari nolunt, fortior ſit ac validior voluntate Dei, vel Chriſti, qui omnes vult ſervari? ab iis, qui rem animo præconcepta opi-

nione

nione præpedito conſiderant, gravior ac difficilior reddita eſt, quam eſt ipſa per ſe. Deus enim vult omnes homines ſervare, ſed eo modo ac ratione, quæ tum majeſtate ejus, tum in comprehenſa ejus ſapientia digna eſt, id eſt, non tanquam truncos ac res inanimatas, vi irreſiſtibili, ſed tanquam rationales ac liberas creaturas, quarum voluntatem ille quidem promiſſione ac oblatione inæſtimabilis præmii allicit & ad ſe trahit, non vero violenter cogit.

Verſ. 38. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*] Locus, in quo nunc degitis, nempe Hieroſolyma una cum Templo, in quo tantam fiduciam reponitis Jer. 7. 4, in deſertum convertetur. Similis comminatio eſt Eſai. 5. 5. Aliqui intelligunt per domum iſtam Templum ſolum, cujus devaſtationem Deus etiam paulo ante Chaldæorum adventum ac irruptionem comminatus fuerat Jerem. 12. 7. Verum ſæpe quidem Templum domus Dei vocatur, at Judæorum nunquam.

Verſ. 39. *Dico enim vobis, ne quaquam me videbitis ab hoc tempore, uſque dum dicatis Benedictus qui venit in nomine Domini.*] Senſum talem continent hæc verba: Ego auferar à vobis, neque amplius ad vos revertar, donec venerit illud tempus, quo vos ipſi mihi libenter acclamaretis illa verba, Hoſanna, benedictus ſit, qui venit in nomine Domini, quæ verba nuper (ſupra cap. 21. 15,) in pueris clamantibus ferre non potuiſtis; ea, inquam, vos ultro mihi occinetis, ut gratiam meam conſequamini, cum ſcilicet videbitis me à Patre meo Judicem mundi conſtitutum eſſe, & ego iram meam in vos effundam veſtramque civitatem in deſertum redigam. Vide Marc. 14. 62. Verba iſta Chriſti non bene, ut quidam volunt, ad converſionem Judæorum trahi poſſunt. Integer enim hic ſermo continet comminationem, quæ populum illius temporis ſpectabat.

CAPUT XXIV.

I. *Chriſtus prædicit deſolationem Templi: ad verſ.* 3. II. *Diſcipuli, tres quæſtiones proponunt, unam de tempore & ſignis deſolationis, alteram de tempore adventus ejus, tertiam de conſummatione ſeculi. Ad priorem quæſtionem reſpondet Chriſtus de ſignis deſolationis Hieroſolymæ: uſque ad verſ.* 15. III. *Deſcribit ultimum ſignum & afflictionum mare, quod inundabit Judæos tempore obſidionis, tempore excidii & poſt excidium: ad verſ.* 29. IV. *Reſpondet Chriſtus ad alteram quæſtionem de ſignis adventus ſui & conſummationis ſeculi: ad verſ.* 36. V. *Reſpondet ad tertiam quæſtionem de tempore conſummationis ſeculi, adjungens neceſſariam admonitionem.*

PARS I.

Verſ. 1. *Et egreſſus Jeſus, è templo, abibat: & acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes templi.*] Caput hocce continet præclaram prophetiam de interitu urbis Hieroſolymæ & Templi: nec non de interitu totius mundi. In hoc autem primo veriſiculo occaſio deſcribitur, quam Chriſto ad hanc prædictionem diſcipuli ejus præbuerunt. Cum enim ad calcem ſuperioris Capitis Chriſtus deſolationem Templi & urbis interminatus fuiſſet, dicens, *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta* (quæ verba in Templo dicta ſunt, ut teſtis eſt Marcus cap. 13. 1) apparet, diſcipulorum in animis altius hæſiſſe hæc verba; indeque factum, ut cum Chriſtus exgreſſus eſſet, inſignem ſtructuram templi, cui nihil ſimile in univerſo mundo reperiri poterat, commonſtrarent, eumque tacite quodammodo ab intentatione deſolationis prædictæ dehortarentur; quia propter ſummam ejus magnificentiam & elegantiam ut ex Luc. 21. 5 colligitur, credebant, indignum eſſe, & propter inexpugnabilem firmitudinem ac munitionem (ut ex Marco cap. 13. 1, 2, intelligitur) impoſſibile eſſe, ut tale ædificium diruatur ac diſturbetur.

E templo abibat.] Verſus montem Olivarum Marc. 13. 1, unde Templum optime conſpici poterat, quia muri Templi ex illa parte verſus montem, non tam alti erant, quam ex aliis partibus.

Ut oſtenderent ei ædificationes Templi.] Perinde ac ſolent, qui inſigne aliquod opus admirantur. Joſephus appellat ædificium Templi tale opus, quod dignum ſit omnibus enarrari, qui ſub ſole ſunt. Lib. 15. cap. 14. Ab Herode Magno ab imis fundamentis renovatum fuit, & magnificis artis architectonicæ operibus eximie exornatum. Templi ſolius præter atrium & ambitum ejus, erat longitudo centum cubitorum, totidem cubitorum erat latitudo, altitudo à fundamento centum viginti cubitorum. Conſtructum erat è lapide albo quadrato, ſinguli lapides erant viginti quinque cubitos longi, & duodecim cubitos lati, & octo cubitos alti. Idcirco diſcipuli inquiunt, apud Marcum: *Magiſter, vide quales lapides, & qualia ſint iſta ædificia.* Etſi autem Templum hoc è fundamento ſit reſtauratum ab Herode, tamen quia & prioris materiæ multum ad id adhibitum eſt, & non totum Templum una vice demolitum eſt, ſed pars ejus modo hæc, modo illa diruta & reparata eſt, dici poteſt, hoc idem fuiſſe Templum cum illo quod à Zorobabele extructum fuit Eſd. 3. 10. Hinc ſcribit Joſephus Templum bis everſum fuiſſe, ſemel per Chaldæos, ſecundo à Romanis per Titum. Sic etiam Judæorum Scriptores deſolationem per Titum factam appellant alteram deſolationem. Stante hoc Templo, debebat venire Meſſias juxta prophetiam Dan. 9. 24. Hagg. 2. 8, 9, 10. Malach. 3. 1.

Verſ. 2. *Jeſus autem dixit eis: Nonne videtis hæc omnia? Amen dico vobis non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non diruatur.*] Reſpondet Chriſtus diſcipulis, Deum neque pulchritudinis, neque firmitudinis Templi habiturum rationem, ut propterea decretum deſolationis de eo factum mutaturus ſit: & quamvis tam vaſti ſint lapides, & tam arcte inter ſe connexi, eos tamen diſturbatum iri, adeo ut non permanſurus ſit lapis ſuper lapidem.

Nonne videtis hæc omnia.] Vult Chriſtus, ut ædificationem artificioſam Templi diligenter conſiderent, ut ſuper ejuſdem devaſtatione in majorem raperentur admirationem.

Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem.] Chriſtus

hoc dicit proprie de Templo, cujus firmitatem & elegantiam discipuli mirabantur. Hoc ergo tempore excidii imis è fundamentis erutum est, ut ne minima quidem pars ejus remaneret intacta. Cumque aliquando Julianus Cæsar (qui à religione Christiana ad Paganismum rursus desciverat) ægre facturus Christianis, Judæis potestatem dedisset restaurandi Templi, admoverunt Judæi manus operi summo cum fervore, & quicquid supererat veteris fundamenti, eruerunt, ut novum ponere possent. Sed flamma erupit ex imis fundamentis, quæ consumsit non paucos Judæos, ut ita à proposito desistere cogerentur. Sic Judæ suismet manibus adjuverunt impletionem hujus prædictionis Christi, quod non sit mansurus lapis super lapidem. De ædificando Templo dictum fuerat, quod ponetur lapis super lapidem Agg. 2. 16, nunc vero de eodem destruendo dicitur, quod non manebit lapis super lapidem. De urbe ipsa Hierosolyma perhibet Josephus, eam jussu Titi ita solo æquatam esse, ut vix credi posset, locum illum ab hominibus cultum atque habitatum fuisse. Paucas quasdam turres reliquit in signum victoriæ suæ, & partem muri, quæ Romanis in oppugnatione pro vallo fuerat: lib. 17 de bello Judaico, cap. 14.

PARS II.

Vers. 3. *Sedente autem eo in monte Olivarum, accesserunt ad eum discipuli privatim, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod erit signum adventus tui, & consummationis seculi.*] Sedebat in monte è regione Templi, ut apud Marcum habetur cap. 13. 3. Apparet Christum hoc fine illic consedisse, ut continuaret suum de Templi eversione cum discipulis suis sermonem: & credibile est, eum sermonis feciſſe initium, & non solum eversionis Hierosolymæ, verum etiam adventus sui & consummationis seculi aliquam mentionem injecisse. Unde ansam sumserunt discipuli ad sequentes quæstiones proponendum.

Accesserunt ad eum privatim.] Ne scilicet reliquum vulgus hominum, qui Christum semper comitabantur, audiret rem tam invidiosam. Quod enim periculosum fuerit, de vastatione Templi loqui, ex Actor. 6. 14 patet, ubi accusatur Stephanus, quod dixerit: *Hic Jesus Nazarænus destruet hunc locum.*

Dic nobis, quando hæc erunt?] Ex Matthæi narratione colligitur, discipulos tria quæsiviſſe. Primo de eversione Templi & porro etiam urbis Hierosolymæ. Secundo de ipsius adventu. Tertio de consummatione seculi. Trium istarum rerum tempus & signa scire laborabant. Hinc quæstio hæc discipulorum à Marco ita proponitur cap. 13. 4: *Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia consummabuntur?* Et apud Lucam cap. 21. 7: *Magister, quando hæc erunt, & quod erit signum, quando futura sint ista?* Ex quibus duobus locis perspicitur, discipulos de tempore & signis illarum rerum quæsiviſſe, quæ Matthæus hic distincte, reliqui autem duo Euangelistæ tantum in genere descripserunt.

Et quod erit signum adventus tui?] Extra omnem dubitationem est, discipulos de nullo alio adventu Christi, dum hanc quæstionem proponunt, cogitasse, quam de eo, cum venturus esset ad instaurandum in terris Regnum Israëlis: quod illi arbitrabantur cum externo splendore & mundana gloria fore conjunctum. Hinc etiam post resurrectionem Christi interrogant: *Domine, num hoc tempore restitues regnum Israëlis?* Actor. 1. 6.

Et consummationis seculi?] Subaudi, quod erit signum consummationis seculi? Quid discipuli per consummationem seculi intellexerint, de eo nullum est dubium apud eos, qui communem sententiam tam veterum quam recentiorum Ecclesiæ Doctorum atque Interpretum amplectuntur, qui unanimes credunt, per eam intelligi interitum & abolitionem hujus visibilis mundi, id est, cœli creati & terræ, qua de re vaticinatur Petrus 2 Petr. 3. 10. Nihilominus merito dubitari potest, annon discipuli de alia consummatione seculi interrogaverint? de quo ad finem versus 35 plura dicemus.

Vers. 4. *Et respondens Jesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat.*] Ad præcedentem triplicem quæstionem discipulorum sequitur jam Christi responsio. Quomodo autem partes hujus responsionis bene discernendæ sint, & ubi distinctio in textu quærenda sit, in eo permultum situm est ad meliorem hujus capitis intellectum: scissique hic sunt Interpretes in varias sententias. Nos ita partiemur responsionem Christi, ut primo ad primam quæstionem discipulorum de eversione Templi & Hierosolymæ respondeat; ita tamen, ut tempus, quod scire cupiebant, non definiat, sed signa talia antecedentia prænunciet, ex quibus facile sit cognoscere, eversionem jam instare. Pars hæc porrigitur usque ad ℣. 29. In qua prima parte etiam à ℣. 16, ad ℣. 23 describit summam calamitatem atque miseriam tempore excidii futuram; ℣. 23 autem etiam afflictiones recenset, quas Judæi post excidium à falsis Christis & falsis Prophetis patientur; atque occasione hujus rei invitatus paucis (℣. 27, 28) indicat, qualis futurus sit ejus adventus. In secunda parte à ℣. 29 usque ad ℣. 39, respondet Christus ad alterum & tertium quæsitum de signis adventus sui, deque consummatione seculi. Tandem ℣. 39 respondet etiam nonnihil de tempore adventus sui & consummationis seculi, quod illi scire expetebant. Cui ultimæ parti subnectit, qualis distinctio tempore adventus ejus futura sit, & quomodo summa cum vigilantia oporteat unumquemque ad illud sese præparare tempus.

Quod primam partem responsionis Christi attinet, recenset primo usque ad ℣. 15 diversa signa & calamitates, quæ partim Judaico populo, partim fidelibus ejus evenient, & tempore non exiguo eversionem antecedent. Postea ℣. 15 describit ultimum signum, quod proxime ante eversionem conspicietur, & cum illa quodammodo conjunctum erit. A ℣. 16 describit maximam & inexplicabilem miseriam tunc temporis futuram: hortaturque suos ad maturandam fugam, si animas suas servare velint.

Vers. 5. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducent.*] Primum

mum ſignum eſt *ſeductio*, quia nimirum inter Judæos plurimi falſi Chriſti exorituri ſint, qui jactabunt, ſe à Deo miſſos eſſe, ut populum à poteſtate Romanorum in libertatem aſſerant. Sub id tempus enim Judæi ſummo conſenſu Meſſiam expectabant, quia præſagia adventus ejus & inprimis 70 ſeptimanæ Danielis cap. 9. 24, jam circa illud tempus finem acceperant. Et revera quidem circa illud tempus venerat Meſſias, ſed quia à Judæis maxima ex parte non fuit receptus, ideo prædicit Chriſtus fore ut alii falſi Chriſti veniant, & ſe Servatores populi eſſe profiteantur, quos ſeductores permulti recepturi ac ſecuturi ſint; verum adeo illos non ſervaturos, nec liberaturos populum, ut eorum adventus potius pro ſigno atque documento certo habendus ſit univerſalis interitus & everſionis urbis, Templi & totius Reipublicæ Judaicæ. Talis ſeductor fuit Magus quidam Theudas (non ille, cujus meminit Gamaliel Actor. 5. 36, ſed alius ejuſdem nominis) qui eo tempore, quo Cuſpius Fadus Præſes Judææ erat, multos è populo aſſeclas ſibi conciliavit, jactans, ſe juſſu ſuo ſciſſurum in duas partes Jordanem, & populum ſiccis pedibus traducturum. Sed Fadus ſtolidam iſtam turbam adortus, plurimos proſtravit, captumque ſeductorem ſecuri percuſſet. Joſeph. lib. 20. cap. 4. Tales erant illi plani & Magi tempore Felicis Præſidis, de quibus Joſephus lib. 20. 6 ſcribit, eos prætextu divinæ revelationis populum ſeduxiſſe, eique perſuaſiſſe, ut una ſecum in deſertum irent, ubi ſigna ingentia & miracula viſuri eſſent: quæ res multis exitium ac perniciem attulit. Talis fuit Ægyptius ille, qui Prophetam mentitus, populo auctor fuit, ut ſe ſequeretur in montem Olivarum, promittens ad adventum ſuum mœnia urbis Hieroſolymæ collapſura, & in urbem penetrandi eamque occupandi viam ſibi patefactum iri. Quam miſeram multitudinem inſtructo cum milite invadens Felix, diſſipavit, cæſis 400, ipſe Propheta fuga elapſus eſt. Huc pertinet etiam Simon ille Magus, qui ſe Virtutem Dei appellabat, & Doſitheus, qui nomen Chriſti quoque aſſumſerat, de quo Origenes.

Et multos ſeducent.] Multos vana ſpe lactando in exitium præcipitabunt; uti ex modo memoratis hiſtoriis videre eſt.

Verſ. 6. *Audietis autem bella, & rumores bellorum; videte ne turbemini: oportet enim hæc omnia fieri; ſed nondum eſt finis.*] Hoc eſt alterum ſignum, quod everſionem Hieroſolymæ præcedere debet; nempe effuſio ſanguinis & metus belli. Et huc facit ſeditio illa Judæ Gaulonitæ, in qua direptionum ac ſpoliationum plena fuere omnia, cædeſque multorum hominum facta eſt: ut & laniena illa miſerabilis & occidio Judæorum ſub Cajo Caligula Cæſare, nec non in Meſopotamia, Alexandria, & circa Babylonem facta; de qua videatur Joſephus lib. 18. Per rumores belli intelligi poteſt metus ille graviſſimi belli, qui Judæis incuſſus eſt, cum Caligula ſimulacrum ſuum Templo inferri juſſit; quod ſi perductum fuiſſet ad effectum, graviſſima exarſiſſet populi ſeditio & motus.

Videte, ne turbemini.] Id eſt, obſervate id cum cura, ſed ita ne animo propterea conſternemini, quaſi illa mala jam extrema eſſent, quæ ſuper Judaicum populum ventura ſunt.

Oportet enim hæc omnia fieri.] Id eſt, oportet adhuc plura talia mala evenire, antequam veniat finis. Voce *oportet* hic (ut & ſupra cap. 18. 7) reſpicitur conſilium atque decretum Dei, qui bella iſta & ſanguinis fuſiones, ad quas ipſi per ſe proni erant homines, ipſis in pœnam immiſit, & ut evenirent, ex parte conſtituit.

Sed nondum eſt finis.] Id eſt, Judæorum pœna nondum ad ſummum gradum pervenit. Confer cum ℣. 14.

Verſ. 7. *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum; & erunt fames, & peſtilentiæ & terræ motus multis locis.*] Hæc ſunt ferme eadem verba, quæ Propheta Aſarias ad Regem Aſam locutus eſt 2 Paral. 15. 6. Vult autem indicare Chriſtus, adhuc majora bella & cædes futuras ſub Cæſaribus Claudio & Nerone, quam antea ſub Caligula.

Gens in gentem.] Eo indicare videtur Chriſtus, Judæos aliaſque nationes ac populos, qui iiſdem in civitatibus cohabitabant, mutuis inter ſe cædibus graſſaturos; quod factum eſt Cæſareæ, Scythopoli, in Ptolomaide, Tyro, Gadari, Alexandria, Damaſco &c.

Et regnum in regnum. Hæc prædictio reſpicit ad illa bella, quæ Tetrarchæ (qui Regia erant poteſtate præditi) ſeu provinciæ terræ Judææ aperte inter ſe gerebant. Spectat quoque huc bellum illud Judæorum, qui in Peræa habitabant, adverſus Philadelphenſes, propter limites ſuſceptum, ſub Præſide Cuſpio Fado: item prælia Judæorum & Galilæorum adverſus Samaritanos ſub Præſide Cumano: denique bellum quod primum à latronibus, poſtmodum ab univerſo populo Judaico contra Romanos & Agrippam, alioſque Romanorum confœderatos geſtum eſt; quod bellum cœptum eſt ſub Præſide Geſſio Floro. De quibus prolixe ſcribit Joſephus lib. 18, & lib. 2 uſque ad 6 de bello Judaico.

Et erunt fames, & peſtilentiæ, & terræ motus multis locis.] Hoc eſt tertium, quartum, & quintum ſignum. Hujuſmodi fames fuit illa ſub Claudio Cæſare, quam prævidit Agabus Actor. 11. 28. Vide ibidem. Peſtilentia autem eſt individuus comes famis: hinc etiam in Apocalypſi Johannis ſtatim poſt nigrum equum, qui famem denotat, ſequitur equus pallidus, cui inſidebat Mors Apoc. 6. 8. Vide ad hunc locum. Terræ motus præterquam quod ſint ſigna iræ divinæ, qui vel permittit eos, vel etiam efficit, ſunt quoque non raro præcurſores maximarum calamitatum & interitus integrarum urbium ac regionum. Hi autem terræ motus, de quibus vaticinatur hoc loco Chriſtus, acciderunt ſub utroque Imperatore, Claudio & Nerone. De terribili admodum terræ motu, qui ſub Claudio in Creta factus eſt, ſcribit Philoſtratus, ut & de terræ motu in Smyrna, Mileto, Chio, Samo, paulo ante devaſtationem Hieroſolymæ. Alius terræ motus, in Aſia facti, quo perierunt urbes Laodicea, Hierapolis, & Coloſſe, meminit Tacitus & Euſebius: etiam alterius poſterioris mentionem facit Seneca.

Multis locis.] Græce: κατὰ τόπους, ſecundum loca, id eſt, in variis locis hinc inde: nempe non tantum

in Judæa, ſed etiam in aliis locis, ubi Judæi verſabantur. In omnibus enim his modo nominatis civitatibus Judæi habitarunt.

Verſ. 8. *Hæc autem omnia principium erunt dolorum.* Chriſtus ſignificat, iſta hactenus enumerata mala, adeo non fore ſuprema & ultima, ut tantum ſimilia futura ſint primis parturientis mulieris doloribus, qui in ipſo partu multo ſunt graviores ac vehementiores. Magnæ afflictiones ac dolores: ſæpius mulierum parientium doloribus conferuntur. Vide Pſal. 48. 7. Eſai. 13. 8. LXVI. 7. Jerem. 30. 6, 7.

Verſ. 9. *Tunc tradent vos in afflictionem, & trucidabunt vos: & eritis exoſi ab omnibus gentibus propter nomen meum.*] Præcedentia ſigna & afflictiones erant ſuper Judæos venturæ. Nunc Chriſtus recenſet calamitates ſanctis ac fidelibus ſuis obventuras. Vox *Tunc* laxiori ſumitur ſignificatu, & tantundem valet, quod, circa id tempus, nempe aliquanto ante mala iſta (ut Lucas expreſſe ait cap. 21. 12,) & ipſis adhuc malis enumeratis durantibus. Eſt itaque ſextum ſignum, & prima afflictio ſanctorum, Perſecutio ab infidelibus, non ſolum à Judæis, verum etiam ab Ethnicis. Notandum autem eſt, fames has ipſas & peſtilentias, terræ motus ac ſimiles pœnas divinitus mundo immiſſas, Chriſtianis imputatas fuiſſe, quod nimirum earum cauſa ſit impia ipſorum religio. Unde Tyranni arripuerunt anſam, Chriſtianos ferro & igne horrendum in modum perſequendi.

Tradent vos in afflictionem. Id eſt, Judæi vos Chriſtianos trahent ad Synedrium aliaque judicia: ut Petro & Johanni evenit Actor. 4. 1. v. 17 ad Reges quoque, ut Jacobus ad Herodem, Paulus ad Neronem ductus eſt: item ad Præſides, ut Paulus coram Gallione, Felice, Feſto comparere coactus eſt Actor. 18. 12. XXIII. 33. XXV. 6.

Per afflictiones intelliguntur verbera, flagellationes, incarcerationes, vincula & alia ejuſmodi mala.

Et trucidabunt vos.] Ut Stephanum Actor. 7. 59 & utrumque Jacobum, quorum alter ab Herode capite truncatus eſt, Actor. 12. 2 aliter à Synedrio damnatus ac lapidatus eſt.

Et eritis exoſi ab omnibus gentibus.] Non apud Judæos ſolum, ſed etiam apud alios populos Ethnicos maximo eritis in odio, & ab eis graviſſimas perſecutiones patiemini. Quod potiſſimum cœpit ſub Cæſare Nerone, qui ipſe urbem Romam curavit incendi, & culpam incendii in Chriſtianos conjecit, multaque millia eorum pice oblita in theatro accendi, ac loco facis nocturnæ comburi juſſit.

Propter nomen meum.] Propter ſolam doctrinæ meæ confeſſionem 1 Petr. 4. 16. Quod enim vera cauſa tam crudelium perſecutionum, quibus Chriſtiani preſſi ſunt, diverſa eorum de Diis Ethnicorum ſententia non fuerit, exinde conſtare poteſt, quod Epicuræi aliarumque ſectarum Philoſophi, qui nullam crediderunt dari providentiam Dei, tolerati fuerint. Itaque hinc liquet, mero impulſu dæmonum, qui per idola colebantur, tantam immanitatem in Chriſtianos excitatam fuiſſe. Viderunt enim, hanc unicam doctrinam eſſe aptam ad extirpanda omnia mendacia atque errores perfecte exſcindendos. Hinc etſi Judæi non minus, quam Chriſtiani, falſos Ethnicorum Deos abominarentur, Judæis tamen parſum eſt, Chriſtiani autem pœnis ſubjecti ſunt.

Verſ. 10. *Et tunc ſcandaliſabuntur multi: & alius alium prodet, & odio habebit alius alium.*] Septimum ſignum, & ſecunda afflictio ſanctorum erit ſcandaliſatio. Illæ afflictiones ſanctorum, de quibus prius dictum, ab extra venient in ſanctos: hæc autem intus ex illis ipſis enaſcetur. Nempe plurimi eorum, cum viderint religionem Chriſtianam ſummo odio laborare apud omnes populos, eam abnegabunt, & ab ea deficient. Tales erant Phygellus & Hermogenes 2 Tim. 1. 15. Demas 2 Tim. 4. 10 & ſine dubio plurimi alii, quorum nomina conſignata non ſunt.

Et alius alium prodet. Id eſt, apoſtatæ iſti tam impii erunt, ut eorum qui in Chriſtiana religione conſtantes erunt, proditores, & perſecutionum adverſus eos incentores futuri ſint. Ita enim fit vulgo, ut apoſtatæ ſint acerrimi veritatis hoſtes, tum quia Deus eos juſto judicio in reprobum ſenſum tradit, tum quia ipſi hac ratione omnem à ſe prioris religionis ſuſpicionem amoliri conantur.

Verſ. 11. *Et multi falſi prophetæ exſurgent, & ſeducent multos.*] Tertia afflictio ſanctorum, octavumque ſignum, eſt ſeductio falſorum Doctorum, qui inter Chriſtianos exorientur. Certum eſt, Satanam, cum videret tantam eſſe vim veritatis, ut odium mundi multos ad eam abnegandam adducere nequiverit, etiam volentes, propterea quod conſcientia eorum vehementer reluctaretur, violentiæ addidiſſe aſtum, & dolos adhibuiſſe ad homines ſpecioſo obtentu decipiendos. Hinc tot genera hæreticorum enata ſunt, è quibus nonnulli docebant, reſurrectionem mortuorum jam factam eſſe: ut Hymenæus & Philetus 2 Timoth. 2. 17, 18. Quo dogmate tota religio Chriſtiana funditus tollebatur. Cum enim experientia temporum illorum doceret, impiis magis proſpere & ex voto res fluere, quam probis, ſi ſpes reſurrectionis à mortuis fuiſſet ſublata, nihil fuiſſet reliquum, quod Chriſtianos in religione Chriſtiana retinere poſſet. Alii docebant, externas omnes actiones in religione indifferentes eſſe ac liberas, ut exerceri atque omitti abſque peccato poſſint. Quorum propago fuere illi, qui cum Ethnicis veſcebantur idolothytis 1 Cor. 8. verſ. 10, ideo quod idolum nihil ſit 1 Cor. 8. 4. x. 19, adverſus quos directa eſt illa Johannis admonitio: *Filioli, cavete vobis ab idolis*, 1 Johan. 5. verſ. 22. Fuere, qui ex Ethnica & Chriſtiana religione unam conflare conati ſunt; quod primus auſus eſt Simon Magus, imperante Claudio Cæſare. Voluit enim ipſe pro Deo haberi. Credibile enim eſt, eum reſciviſſe de Tiberii Cæſaris conſilio, qui ſuaſit in Senatu Romano, ut Chriſtus in numerum Deorum referretur. Quam commixtionem rerum adeo diſparatarum ut nulla ratione unà conſiſtere queant, etiam poſtea facere tentarunt fruſtra Cæſares, Adrianus, Severus, Heliogabalus. Poſt Simonem

exortus

exortus est Carpocrates, auctor sectæ Gnosticorum, qui in eo quidem Simoni fuit contrarius, quod perspiciens, nomen Deorum nimis exosum esse apud Christianos, eorum loco magnam Angelorum multitudinem introduxerit, quos ἀιῶνας appellavit, iisque gubernationem mundi, & omnia quæ alioqui providentiæ divinæ competunt, adscripsit: In horum Angelorum ordine etiam Christum reposuit. Et hæc videtur esse illa *falso nominata scientia*, de qua Paulus loquitur 1 Tim.6. 20. Hæc erat illa *Philosophia & inanis fallacia*, qua ne quis *deprædaretur* Colossenses, Apostolus monuit Col.2. 8. Magnæ enim sapientiæ laudem ideo sibi vendicabant, quod Christianæ religioni Ethnicam admiscerent: ut ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus Irenæo & Clemente constat. Nonnulli Judaicam religionem cum Christiana conjungebant & confundebant, non tantum ita, ut certas ceremonias & consuetudines Judæorum tolerarent, quod etiam Apostoli principio fecerunt) sed ut Judaicam Religionem pro unica via salutis agnoscerent, quæ ut ab aliis Prophetis, ita & à Christo sit annunciata. Tales erant Cerinthus & Ebion, qui omni studio id agebant, ut afflictiones, quibus Religio Christiana obnoxia erat, evitarent: uti docet Paulus Phil.3. 18. Gal.6. 12. Hos omnes & alios similes appellat hic Christus falsos Prophetas: Apostolus autem vocat eos, viros perversa loquentes Actor.20. 30 falsos Apostolos 2 Cor.xi. 13 multorum fidem subvertentes 2 Tim.2. 18.

Vers. 12. *Et quoniam multiplicabitur iniquitas, refrigescet charitas multorum.*] Quarta afflictio sanctorum, & novum signum, est remissio fervoris in charitate erga Deum & proximum. Quia enim iniquitas, id est, sævitia persecutionis magis magisque increscet, fiet multorum zelus erga veritatem remissior, & opera charitatis, quæ antea ultro præstabantur, non exercebuntur amplius. Clarum ejus rei exemplum habemus in Paulo, qui conqueritur, in prima sua defensione coram Nerone neminem sibi adfuisse, sed se ab omnibus fuisse desertum 2 Tim.4. vers.16. Eandem ob causam permulti non frequentabant congregationes fidelium; quod Scriptor ad Hebræos reprehendit Hebr. 10.25.

Vers. 13. *Sed qui perseveraverit usque ad finem, servabitur.*] Subjungit hic Christus, quales esse debeant illi, qui inter tot & tantas afflictiones servari cupiunt. Qua in re admonitio continetur, ut nimirum in fide ac charitate ad finem usque constanter ac patienter perdurent, ne ullis supra dictis adversitatibus, neque afflictionibus, neque angustiis, neque persecutionibus, neque fame, neque nuditate, neque periculo, neque gladio, separari se patiantur à charitate Dei & Euangelii. Atque hoc est, quod dicit Johannes: *Hic est patientia sanctorum* Apoc.14. 12.

Servabitur.] Id est, beatam immortalitatem consequetur, quæ non iis qui bene cæperint, sed qui ad finem perseveraverint, promissa est.

Vers. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Hoc est decimum signum, prædicatio Euangelii in universo orbe terrarum. Marcus ait; *apud omnes gentes.* Hoc impletum est ante excidium Hierosolymitanum. Ideo Marcus habet: *Oportet prius prædicari* cap.13. 10. Nam Paulus de se solo testatur, se *ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus, usque ad Illyricum omnia Euangelio Christi impleviſſe* Rom.15.19. Quid non & alii Apostoli fecerunt? Quodque David de cursu solis protulit, id Paulus applicat ad prædicationem Euangelii, dum ait: *Exivit in universam terram sonus eorum, & ad ultima orbis terrarum verba eorum* Rom. 10. 18. Et ad Colossenses scribit: Euangelium prædicatum esse omni creaturæ, quæ est sub cœlo Col.1. 23. Romanorum quoque laudat fidem, quod annuncietur in toto mundo Rom.1. 8.

In testimonium omnibus gentibus.] Indicat causam, cur antequam judicia sua in hanc gentem effundat, sit Euangelium curaturus prædicari omnibus gentibus: nimirum, ut istis gentibus sit testimonio tam gratiæ Dei erga eos, qui credent, quam justæ iræ adversus obstinatum populum Judaicum, qui tam sanctum Euangelium noluerit suscipere. Postquam igitur hoc ultimum signum, prædicatio scilicet Euangelii per orbem universum, consummatum fuerit, *tum* inquit Christus, *veniet finis*, nempe ultima afflictio & plena executio divini judicii super Hierosolymam.

PARS III.

Vers. 15. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, stantem in loco sancto, (qui legit, intelligat.*] Hoc est undecimum & ultimum signum, quod proxime interitum urbis Hierosolymæ præcedet, quod erit omnium clarissimum & manifestissimum: id vero est *abominatio desolationis.* Hanc Lucas exponit de hostilibus castris, quibus Hierosolyma cingetur. Sic enim scribit: *Cum autem videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vastationem ejus*, cap.21. 20. Unde colligere licet, per abominationem desolationis intelligi exercitus Romanorum, se accingentes ad civitatem Hierosolymam obsidione circumvallandam & vastandam. Toto autem illo tempore inde ab hac prædictione, in nullis bellis, de quibus Christus supra ỳ.6, 7 locutus est, unquam exercitu circumdata fuit Hierosolyma: usque dum veniret Titus cum exercitu sexcentorum millium, præter lixarum & calonum innumerum numerum, qui urbem circumcirca obsidione clausit. Indicat ergo Christus, ubi hoc signum viderint, nullam amplius spem reliquam salutis ac liberationis fore, quemadmodum olim temporibus Hiskiæ liberati fuerant 2 Paral.32. vers.21,22, sed certum & inevitabile exitium esse expectandum. Sumpta autem sunt hæc verba è Daniele Propheta cap.9. 27. ubi de hac desolatione Templi & urbis Hierosolymæ, postquam Christus (ut ibidem ỳ.26. Propheta expresse dicit) excisus fuerit, clarissimum extat vaticinium. Apud Prophetam est: *Et ad alas stabunt abominationes desolationis.* Per *alas* intelligi putant quidam Cherubim, qui erant in Templo, per Cherubim autem per Synecdochen Templum ipsum. Per abominationes autem passim in Sacris Literis idola designantur, ut

videre

videre licet Deut. 7. 26. xxix. 17. 1 Reg. 11. 5,7. 2 Reg. 23. 24. Ezech. 7. 3. viij. 9. xx. 7. Jer. 32. verſ. 34 & alibi. Itaque per abominationem deſolationis hic ſignificantur vexilla Romanorum ſeu ſigna militaria, quæ in formam crucis erant facta, & multis imaginibus erant exornata, inprimis Cæſarum illorum, qui inter divos fuere relati. Ante hæc ſigna proinde, quæ propter ſanctas imagines pro ſanctis ſunt habita, moris erat procumbere, eaque adorare. Signorum iſtorum atque vexillorum innumerabilem copiam Titus in edito loco fixerat, ut è civitate videri poſſent, erantque templi inſtar Templo Hieroſolymitano oppoſita. Hinc Joſephus ipſe libro 3, *ἁλώσεως* cap. 8 vexilla iſta Templum appellat. Vexilla iſta Romani etiam, poſt expugnatam urbem in Templum (cujus jam major pars igne conflagrarat) apud portam, quæ verſus Orientem ſita erat, intulerunt: ut Joſephus lib. 7 de bello Judaico cap. 7 teſtatur. Abominatio vero iſta deſolationis vocatur, id eſt, Hebraica phraſi, abominatio deſolatrix, vel abominatio, quæ certum ſignum eſſet deſolationis, non tantum Judaicæ religionis, ut tempore Antiochi 1 Macch. 1. 23 & ſeqq. ſed Templi quoque ipſius & totius urbis.

Stantem in loco ſancto.] Marcus habet, *ubi non oportet* cap. 13. 14, id eſt, non in templo ipſo (Chriſtus enim id ponit pro ſigno antecedente deſolationem: cum Romani, ut memoratum eſt, vexilla poſuerint in Templo, poſt deſolationem) ſed per ſanctum locum intelligitur locus extra civitatem, qui reſpiciebat Templum. Terra enim tota circa Hieroſolymam erat ſancta, quia non Diis alienis, ſed uni Deo Iſraëlis erat conſecrata. Hinc Aſaphus quoque deplorat Pſal. 79. 3, quod Ethnici tantum cruoris circa Hieroſolymam (in loco ſcilicet ſancto) effuderint. Ita & Demetrius in ſuo privilegio, quod dedit Judæis, ait: *Urbs Hieroſolyma eſto ſancta & libera ab omni onere vectigalium*, 1 Macch. 10. 30. Quodque ſ. 43 de immunitate Templi dicit, id Joſephus ita proponit: ſi quis debitor in Templum Hieroſolymitanum, vel in ejus confinia confugerit &c, lib. 13. cap. 2. Hinc patet, ſanctitatem Templi non intra ejus muros, ſed in longe ampliori ambitu ſitam fuiſſe. Cumque Vitellius exercitum ſuum adverſus Aretam per Judæam ducere vellet, obviam ei proceſſerunt Judæorum præcipui, orantes, ne per ſuam regionem iter faceret, ne cogerentur ſimulacra & vexilla, (in quibus ſimulacra erant) in ſuam regionem admittere, Joſeph. lib. 18. cap. 9. At Tacitus de Tito ſcribit: *Caſtris ante mœnia Hieroſolymorum poſitis, inſtructas legiones oſtentavit.* Ex dictis cernere eſt, abominationem deſolationis ſtetiſſe prope mœnia urbis Hieroſolymæ verſus Templum, adeoque in loco admodum ſancto, ubi vel propter ipſam Templi ſanctitatem non oportebat eam ſtare. Neque id etiam factum fuiſſet, niſi Judaica religio, adeo deformata & polluta, in abominationem apud Deum converſa fuiſſet.

Qui legit, intelligat.] Id eſt, qui verba illa Danielis legit, det operam, ut ea bene percipiat. Animadvertendum autem eſt, ſingulari Dei conſilio factum, ut in Sacris Literis quædam prædictiones de rebus futuris clarius, quædam obſcurius ſint propoſitæ. Quando enim Deus inducit in animum judicia ſua exercere in impios, & pœnas impietatis ab eis repetere, (qualis pœna fuit hæc deſolatio Hieroſolymæ per Titum facta) præmittit certa quædam ſigna, quibus moneantur probi, ut ſibi caveant. Hinc etiam ante hanc deſolationem pii tempeſtive urbe exceſſerunt. Quaſdam autem calamitates Deus hominibus immittit, ad explorandam eorum conſtantiam: quales erant illæ ſub Antiocho, de quibus Daniel. 12. 11. Tales quidem Deus ante prænuntiari curat, ut conſtet, eum illas prævidiſſe, ſed nulla præmittit iis ſigna certa, quorum monitu illæ effugi atque evitari poſſint. Si enim id fieret, piorum conſtantia iis non exploraretur. Itaque Deus calamitates ſub Antiocho eventuras prædixit quidem, quamdiu duraturæ eſſent, ſed non quando initium habituræ. Ideo Daniel ait cap. 12. 8. *Audivi quidem, ſed non intellexi.* Ad quod tale à Deo reſponſum accepit: *Abi Daniel, abſconditum enim id eſt, & obſignatum uſque in tempus noviſſimum* (quo ſcilicet id eveniet) *purgabuntur, dealbabuntur, & quaſi igni probabuntur multi.* Sed in hac prædictione Danielis de deſolatione Hieroſolymæ per Titum cap. 9. 26, 27, certum ſignum præcedens denominatur, nempe exciſio Chriſti, & certum quoque tempus aſſignatur. Quodque in illo loco obſcurius dictum fuerat, id Chriſtus hic declaravit, dum indicat, id tum futurum, quando videbunt Ethnicos exercitus cum vexillis & ſimulacris ſuis ad civitatem appropinquare.

Verſ. 16. *Tunc qui in Judæa fuerint, fugiant in montes.*] *Tunc*, id eſt, ſi ante non cepiſtis fugam, ſaltem tunc temporis fuga vobis conſulite, quando in conſpectum veſtrum venient exercitus cum panſis vexillis accedentes ad mœnia & obſidionem auſpicantes. Nam ad hoc uſque tempus adhuc licebat fugere, antequam urbs cingeretur: quod demum tertio factum eſt menſe ab eo tempore, quo exercitus ad urbem admotus eſt. Hinc refert Joſephus, tunc temporis multos eſſe elapſos. Cum Chriſtus jubet fugere in montes, reſpicit ad hiſtoriam Loti, cui Angelus quoque mandavit ad montes properare Gen. 19. 17. Et veriſimile eſt omnino non paucos è Chriſtianis ſe in montem Libanon recepiſſe. Montoſa enim loca, acceſſu ardua, belli tempore ſunt perfugio valde opportuna. Vide 2 Macch. 5. 27. Chriſtiani quoque Scriptores narrant, plurimos è Chriſtianis, non ſolum in civitatem Pellam, verum etiam in alia loca regni Agrippæ & Syriæ confugiſſe. Euſebius auctor eſt, Chriſtianos voce divina fuiſſe monitos, ut fugam capeſſant. Reliqui vero Judæi, qui non modo non crediderant in Chriſtum, ſed perſecutores quoque credentium ad illud uſque tempus fuerant, non ſolum non ſunt moniti à Deo, ſed potius ex omnibus locis Judææ, partim metus partim Paſchatis cauſa Hieroſolymam adducti atque coacti ſunt, ut omnes ibi tanquam victimæ mactarentur. Cur autem Chriſtus tam ſerio mandarit fugam diſcipulis ſuis, cauſam reddit Lucas, addens: *Quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt* cap. 21. verſ. 22.

In die-

Indiebus viſitationis patet tempus reſipiſcentiæ, ſed in die ultionis nulla datur effugiendi ratio, nullum jam tunc ad reſipiſcendum tempus ſupereſt. Vide Luc. 19. 44.

Qui in Judæa fuerint.] Judæa hoc loco, ut & alibi, pro terra quæ erat circa Hieroſolymam, accipitur, & à Galilæa, Samaria, aliiſque provinciis Judaicæ regionis diſtinguitur.

Verſ. 17. *Qui in tecto domus eſt, non deſcendat, ut ſumat quicquam è domo ſua.*] Quia periculum erit adeo præſens, ut niſi quis ocyus fugæ ſe mandet, moramque vel minimam trahat, facillime perire queat: ideo Chriſtus monet, ſi quis illo ipſo tempore fuerit in tecto, (quæ in Judæa moris erat plana, & ad ambulandum aut etiam ad cibum in iis capiendum idonea facere. Vide Matth. 4. 5) ne deſcendat in domum, ut pecuniam, veſtes & ſimilia domo ſecum auferat, & ſe ad fugam inſtruat, ſed vel propere deſiliat, vel alia ratione cunctatione & impedimentis omnibus abjectis in pedes ſe conjiciat. Ita Lotus quoque feſtinanter juſſus eſt è Sodoma ſe proripere, & ne retro quidem ei reſpicere permiſſum Gen. 19. ℣. 15, 16, 17.

Verſ. 18. *Et qui in agro fuerit, non revertatur retro, ut ſumat veſtimenta ſua.*] Qui fuerit tunc temporis in agro extra civitatem, non recurrat prius domum, ut veſtes aut alia domo aſportet, ſed ſe illico det in fugam, ſeque imminenti periculo eripiat. Obſervarunt viri eruditi verba iſta: *Qui eſt in tecto*, &c. Et *qui eſt in agro*, &c, apud Judæos proverbii loco fuiſſe uſurpata, ad indubitatum & ſubitum periculum ſignificandum.

Verſ. 19. *Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus.*] His enim maximum erit periculum, quia ad fugam minime omnium ſunt aptæ. Idemque his ſibi verbis vult Chriſtus, quod Luc. 23. 29 ad plorantes dixit fœminas, cum duceretur ad mortem: *Ecce venient dies, quibus dicent: Beatæ ſteriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Infantes enim ad longinquam & celerem fugam magno ſunt oneri atque impedimento. Antiochiæ inventus eſt infans, matris mortuæ ubera fugens.

Verſ. 20. *Orate vero, ne fiat fuga veſtra hyeme, neque Sabbatho.*] Hyems & Sabbathum fuere Judæis ad fugiendum incommodiſſima tempora. Hyems propter frigus, pluvias, & vias lutoſas; Sabbathum propter interdictum, ne Sabbatho iter conficeretur Exod. 16. 29. Non tamen omnis ambulatio prorſus erat prohibita. Solebant enim Sabbatho ad tabernaculum Domini congregari Levit. 23. 3. Hinc Sapientes Judæorum certum præfixerunt terminum, quousque liceat Sabbatho in ambulando progredi, nempe duo millia paſſuum, quod ſpatium alii quinque, alii ſeptem ſtadiorum eſſe ſtatuunt. Cum ergo Chriſtus optat, ne fuga ipſorum incidat in Sabbathum, indicat, ultra 2000 paſſus eis fugiendum eſſe, ſi perniciem velint effugere. Neque huic contrarium eſt, quod apud Judæorum Magiſtros legitur, in vitæ diſcrimine ceſſare legem Sabbathi. Id enim non ab omnibus receptum eſt. Doſitheus (de cujus ſecta vide ad Marc. 3. 6) docuit, quocunque loco aliquem ſtantem Sabbathum deprehenderit, in eo debere illum per integrum Sabbathum ſtantem permanere. Eſſeni etiam ventri exonerando vacare Sabbatho nefas ducebant. Et quamvis Matthatias apud Macchabæos edixerit, ut Sabbatho ſe quiſque adverſus hoſtes defenderet, 1 Macch. 2. 41 non omnes tamen paruerunt: ut 2 Macch. 5. 25. VI. 11. Hinc etiam Ptolomæus Lagus cum exercitu ſuo Sabbatho urbem ingreſſus eſt, quia Judæi à defenſione abſtinebant: ut ſcribit Joſephus lib. 1 contra Appion. cap. 5. Etiam illi ipſi, qui edictum Sabbatho ſeſe adverſus hoſtes defendendi acceptarunt, ita id reſtrinxerunt, ut nonniſi tum id liceret, ſi hoſtis mœnia ſcandere velit. Sed extra mœnia pugnare illicitum fuiſſe, non uno in loco teſtatur Joſephus, addens, hanc fuiſſe receptiſſimam ſuo tempore ſententiam: ut ita non licuerit machinas hoſtiles aliaque opera bellica Sabbatho deſtruere. Qui ergo in hac fuere ſententia (eorum autem plurimi erant) per conſcientiam impediebantur, ne ſe diſcrimini fugiendo ſubducerent. Atque de his loquitur Chriſtus. Tam alte vero opinio de ſtricte obſervando Sabbatho apud Judæos egerat radices, ut etiam illi qui Chriſtiana ſacra ſuſceperant, hac religione adhuc tenerentur: ut ex Rom. 14. 5 colligitur. Imo Chriſtiani è Judæis, qui Nazaræi dicti ſunt, uſque ad tempora Adriani Cæſaris, id eſt, uſque ad annum Chriſti circiter 120. Legem una cum Chriſtiana religione obſervarunt. Imo ante everſionem Hieroſolymæ perpauci fuerunt qui libertatem Chriſtianæ religionis probe cognitam haberent. Quamdiu autem huic de obſervatione Sabbathi ſententiæ addicti erant, tamdiu contra agere abſque grandi peccato non poterant. Nam *quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt*, Rom. 14. 23. Monitum vero Chriſti hoc loco de fuga capeſſenda tantum ad tempus ante cæptam obſidionem ſpectat; poſtea jam ſera erit omnis de fuga cogitatio.

Verſ. 21. *Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit à principio mundi uſque ad hoc tempus, neque unquam erit.*] Cauſam exprimit Chriſtus, cur tam anxie fugam ſuadeat, quia nimirum inaudita miſeria & afflictio futura ſit. Intra civitatem enim erunt cædes, fames, peſtis; extra vero ignis & gladius: ut ex hiſtoria apud Joſephum & Egeſippum liquet.

Verſ. 22. *Et niſi decurtarentur dies illi, non ſervaretur ulla caro: ſed propter electos decurtabuntur dies illi.*] Tam horrenda erit cædes ac laniena inter Judæos ipſos (de qua apud Joſephum legere eſt) ut niſi dies tantæ afflictionis abbreviarentur, nulla caro, id eſt, ne unus quidem è Judæis ſalvus remaneret, ſed omnes internecione delerentur. Hoc ſenſu etiam carnis vox accipitur Rom. 3. 20. *Ex operibus Legis non juſtificabitur ulla caro*, id eſt, ullus homo. Vide etiam Eſai. 4. 5. XLIX. 26. LXVI. 16. Jer. 32. 27. XLV. 5 &c. Decurtatio autem iſta dierum, poteſt de obſidione intelligi. Ante eam enim latrones primo, omnes quos volebant, per inſidias occiderunt. Poſtea Zelotæ (Sic dicti, qui libertatis populi defenſores erant, nec ullo modo Romanorum jugo ſubeſſe volebant bellumque maxime contra Romanos urgebant) enecarunt omnes, qui à bello abhorrebant, ac deditionem ſuadebant. Tandem etiam Zelotarum anteſignani inter ſe de principatu certarunt, & populo auctores erant mutuarum cædium, fundendique

dique invicem ſanguinis: de quibus omnibus videatur Joſephus. Quamobrem niſi dies afflictonis iſtius decurtati fuiſſent, & obſidio urbis, in quam ſceleratiſſimi & nequiſſimi mortalium ex Galilæa & Idumæa confluxerant, diutius dilata fuiſſet, ipſimet Judæi alios penitus exſcidiſſent & exſtirpaſſent.

Sed propter electos.] Id eſt, propter Chriſtianos (hic enim titulus proprius eſt Chriſtianorum, qui ſunt pretioſiſſima Dei pignora) qui huc atque illuc per Judæam & Galilæam diſperſi, (quia bello contra Romanos non aſſenſerant) à latronibus ac Zelotis pecudum inſtar jugulati fuiſſent. Atque hæc decurtatio per accelerationem obſidionis ſingulari Dei providentia facta eſt: ut Marcus diſerte teſtatur: *Niſi Dominus decurtaſſet dies illos.* Et rurſus: *ſed propter electos, quos elegit, decurtavit dies illos* cap. 13. 20. Nam Titus Veſpaſianus volebat adhuc obſidionem differre diutius, donec Judæi in civitate mutuis ſe cædibus ipſi abſumerent: ſed à tranſfugis clanculum è civitate in caſtra ejus ſe recipientibus ſolicitatus, ut reliquum populum ſervaret, obſidionem maturavit. Jam enim plurimi, qui ad Romanos inclinabant, perierant, & qui reſidui de illis erant, pari expoſiti erant periculo, Joſeph. lib. 5. de bello Judaico cap. 3. Præter expectationem etiam celerius obſidio finita eſt, dum obſeſſi granaria igne ſubjecto exuſſerunt, ſibique famem accelerarunt. quin & munitiſſima propugnacula & turres validiſſimas tam ſtolida ac turpi deſertione hoſtibus prodiderunt, ut Titus urbe occupata tam firmas munitiones inſpiciens, profeſſus ſit, Dei ope à ſe pugnatum eſſe, Deoque auctore Judæos ex iſtis munitionibus exceſſiſſe: quid enim, inquit, adverſus eas humanæ manus & opera valuiſſent? Joſeph. lib. 7. de bello Judaico cap. 12.

Verſ. 23. *Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut hic, ne credite.*] Quæ Chriſtus hoc loco de falſis Prophetis & falſis Chriſtis loquitur, pertinent adhuc ad afflictiones Judæorum, quibus poſt excidium obnoxii erunt. Quod ex collatione cum Luca perſpicitur, apud quem cap. 21. 24 terminus, ad quem durare debeat *conculcatio Hieroſolymæ à gentibus* (quæ nihil aliud eſt, quam Judæorum afflictio) aſſignatur, *donec tempora gentium impleantur.* De quo tempore etiam Paulus vaticinatus eſt Rom. xi. 25. Quod tempus hic apud Matthæum extenditur uſque ad verſ. 28. Cum igitur Deus, ut Judæos tanto gravius puniat, permiſſurus ſit exoriri multos ſeductores, qui ſe pro Meſſia gerent, populumque ſibi credulum induent extremo infortunio; idcirco Chriſtus monendos duxit fideles, ne ſibi imponi patiantur. Nam quia fideles Chriſti ſummo cum deſiderio adventum ejus præſtolabantur, facili negotio evenire poterat, ut ab iſtis planis ſeducti laqueis eorum caperentur. Subindicat autem Chriſtus, non eſſe eis ullum tale regnum expectandum, quod cum externo ſplendore & apparatu conjunctum ſit, vel quod (ut apud Lucam Chriſtus loquitur cap. 17. 20) *cum obſervatione* venturum ſit. Ideoque monet, ut ſi falſi illi Prophetæ dixerint, Chriſtum viſibili modo eſſe in hoc vel illo loco, non credant.

Verſ. 24. *Exurgent enim pſeudo-Chriſti & pſeudo-prophetæ, & edent ſigna magna & miracula: ita ut ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos.*] Talis inter Judæos extitit paulo poſt everſionem Hieroſolymæ Jonathas, qui turbam populi haud mediocrem in Cyrenenſe deſertum abduxit, promittens ſe illic maxima ſigna atque miracula editurum. De quo vide Joſeph. lib. 7. de bello Judaico cap. 27. Poſtea ſub Cæſare Adriano exortus eſt Barchochebas (cujus meminit Epiphanius) qui à celebri vico Galilææ Chachoba dicto ſic denominatus eſt. Is ſe Meſſiam eſſe dictitavit. Sed obſeſſus ab Adriano Cæſare in civitate Bether, à militibus obtruncatus eſt. Inde Judæi ſe deluſos eſſe animadvertentes, cum non amplius *Barchochebam*, ſed *Barcozbam*, id eſt, filium mendacii appellarunt. Deinceps etiam in Ægypto, Cypro, Creta, & alibi locorum complures ejuſmodi impoſtores prodierunt, qui Meſſiæ nomen ac perſonam aſſumſerunt. Ad quorum catalogum etiam referendus eſt Menander Samaritanus.

Et pſeudo-prophetæ.] Per falſos iſtos Prophetas nonnulli Interpretes intelligunt falſorum Chriſtorum adjutores ac ſuffragatores, qui nimirum falſa allegatione Scripturarum populum dementabant, perſuadentes, hunc vel illum eſſe promiſſum Meſſiam. Nec dubium eſt ullum, quin Judæi in illo miſerando ſtatu ſuæ diſperſionis quamvis ſpeciem avide arripuerint, ac facillime decipi potuerint. Falſus ejuſmodi Propheta fuit temporibus Adriani Aquibas, qui prophetiam Balaami, *Orietur ſtella è Jacobo* Num. 24. 17, ad modo nominatum Barchochebam detorſit; quia vicus ille Chachoba, à quo nomen trahebat, ſtellam ſignificat. Imo non Aquibas ſolum, ſed, ut Judæi ipſi agnoſcunt, plerique ipſorum Sapientes ac Rabbini ejuſmodi falſi prophetæ fuerunt, qui populum falſa ſpe ac pollicitatione adventus Meſſiæ alio atque alio tempore lactarunt. Hinc cum omnium iſtorum prædictionibus non reſponderet eventus, tandem ſub pœna anathematis interdictum eſt, ullam de tempore adventus Meſſiæ mentionem amplius facere.

Et edent ſigna magna & miracula.] Ex Græco proprie reddi poteſt, *dabunt ſigna.* Itaque vi hujus vocis, ſenſus eſſe poſſet, eos magna ſigna & miracula prætenſuros ac promiſſuros, non autem reipſa facturos. Quo ſignificatu etiam adhibetur hæc vox Deut. 13. 1, confer cum ℣. 2. Sed ſequentia de ſeductione electorum indicant, eos vera etiam ſigna & miracula edituros. Sola enim promiſſio & jactatio ſine effectu, nullam vim habuiſſet tantam, ut etiam electorum ſeductio metuenda fuerit. Cum Deus quondam Pharaonem miraculis per Moſen editis adducere vellet ad rem æquiſſimam, ut ſcilicet populum ſuum dimitteret, non ſine ſapienti conſilio permiſit, ut etiam Magi Ægyptii nonnulla facerent miracula, talia tamen, quæ infra Moſis miracula tum numero, tum præſtantia longe ſubſiſterent. Quo pacto Deus integumentum tyrannidis, quam Pharao miraculis Magorum ſpecioſe velabat, detraxit. Nulla enim verisimilis cauſa erat, cur crederet miraculis Magorum, cum longe majoribus Moſis miraculis credere nollet. Moſes longe ante prædixit Judæis Deut. 13. 1, 2, 3, idololatras daturos operam, ut ſeducant eos à vero Dei cultu, etiam ſigna & prodigia adhibituros, permittente Deo, fidei ipſorum explorandæ cauſa. Qua in re Deus æquiſſime egit.

me egit. Si enim Judæi poſt tam inſignia miracula, quæ Deus inter eos edidit, aliis multo minoribus miraculis ſe à vera religione ad falſorum Deorum cultum abduci ſiviſſent, inſallibile id ſuiſſet ſignum eorum improbitatis ac infidelitatis. Pari modo Deus, poſtquam doctrinam filii ſui Jeſu Chriſti tot & tam ſtupendis confirmavit miraculis, permiſit, ut impoſtores & falſi Chriſti quoque aliqua ederent prodigia, ut Judæi, ſi illis ſeducerentur, eo ipſo convincerentur, quod multo excellentioribus Chriſti miraculis debuerint moveri ad aſſenſum doctrinæ ejus præbendum. Atque ſic univerſo generi humano potuit, Judæis, ad fidem in Chriſtum ſuſcipiendam, nihil aliud obſtitiſſe, quam ſanctatem & puritatem doctrinæ ejus, quæ carnalibus eorum affectibus ac cogitationibus repugnabat. In talibus vero carnis mancipiis, qui amorem veritatis non recipiunt, exerit Satanas efficaciam ſuam cum omni potentia & prodigiis mendacibus ac ſignis, ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati 2 Theſſ. 2. 9, 10, 12.

Ita ut ſeducant.] Marcus ſenſum verborum paulo clarius expreſſit: *Dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos etiam electos* cap. 13. 22. Nimirum impoſtores iſti ſtudebunt non Judæos modo, ſed & eos, qui Chriſtianam religionem ſuſceperant (hi enim ſunt electi) ſeducere, inque ſuas partes pertrahere. Verba, *ſi poſſibile*, indicant, difficulter id poſſe fieri, ut vere credentes ſeducantur. Qui enim religionem Chriſtianam ſemel in animum penitus admiſit, naturamque ejus bene perſpexit, in eo ſeductio nullum inveniet locum. Intelligitur autem ex his verbis, impoſtores ejuſmodi etiam è Chriſtianis extituros, quia dicitur electos ipſos in periculo ſeductionis futuros. Nam alii, qui ſunt extra religionem Chriſtianam, non facile apud Chriſtianos fidem invenirent. Talis Impoſtor fuit Montanus, qui ſe Paracletum eſſe jactabat, quem Chriſtus diſcipulis ſuis mittere promiſerat, ut eos in omnem duceret veritatem Joh. 15. 26. Talis ſeductor & impoſtor per excellentiam eſt ille Pſeudopropheta in Apocalypſi Johannis, qui facit ſigna coram beſtia, quibus ſeducit eos, qui accipiunt characterem beſtiæ, & adorant imaginem ejus Apoc. 19. 20. De Barchocheba, cujus ante meminimus, ſcribit Hieronymus, quod viſus fuerit, flammas ore emittere.

Miracula.] Miracula amplius aliquid denotant, quam ſigna. Vide Joh. 4. 48.

Verſ. 25. *Ecce prædixi vobis.*] Apud Marcum Chriſtus ſic loquitur: *Vos autem videte: ecce prædixi vobis omnia* cap. 13. 23. Hoc Chriſtus addit admonens fideles ſuos, ut ſibi à ſeductoribus caveant. Certum eſt, aliquos præter miracula & ſigna, etiam pulchra ſpecie ſuam ſeductionem adornaſſe, qua qui non ſtrenue vigilabant & carni addicti erant, facile abripi potuerint.

Verſ. 26. *Itaque ſi dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, ne exeatis: Ecce in conclavibus, ne credite.*] Chriſtus ita diſcipulos ſuos ſibi cavere jubet à falſis Chriſtis & falſis Prophetis, ut ſimul doceat, quis modus & quæ ratio veri adventus ejus futura ſit: nempe non talis, quali venient ſeductores iſti, qui dicent, Chriſtum eſſe in hoc aut illo loco, in deſerto, vel in conclavi. Talia enim loca monſtrabunt, quæ opportuna ſunt ad factiones faciendas & colligendos homines: uti eſt deſertum, locus remotus & incultus. Alii cauſæ ſuæ diffidentes ducent homines in loca abdita & latibula (quæ hic per conclavia deſignat Chriſtus) quaſi Chriſtus, vel aliquis à Chriſto miſſus ad liberandos fideles illic ſit. His omnibus monet Chriſtus ne fidem habeant, quandoquidem adventus ejus tam illuſtris futurus ſit, ut non in uno aut altero loco privato & ſingulari appariturus, ſed per univerſum mundum reſulſurus ſit. Idque duabus ſimilitudinibus declarat, quarum altera à fulgure, altera ab aquilis deſumta eſt.

Verſ. 27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſque in occidentem, ita etiam erit adventus filii hominis.*] Similitudinis hujus à fulgure ſumptæ ſenſus hic eſt: quaſi dicat; Non opus erit, ut me quis hic aut illic in loco aliquo ſecreto ac peculiari quærat. Adventus enim meus uno momento patebit in omnibus locis ac finibus mundi: non aliter quam fulgur ab Oriente prorumpit, & uno momento totum mundi ſpatium tranſcurrit, ita ut ubique conſpiciatur.

Verſ. 28. *Ubicunque enim erit cadaver, ibi congregabuntur aquilæ.*] Proverbialis erat hæc locutio apud Judæos, quæ uſurpatur de rebus, quæ in omnibus locis eodem ſe habent modo. Non enim eſt ullus peculiaris in mundo locus, quo congregentur aquilæ, ſed ubicunque, ubi fuerit cadaver, eo convolant. Sic etiam, ubicunque erit Dominus Jeſus, eo ad ipſum congregabuntur fideles ejus.

Exoritur autem hic non levis dubitatio; quid Chriſtus in præcedenti verſu 27, per *adventum filii hominis* intelligat? Num de illo adventu loquatur, cum veniet ad mundo finem imponendum, de quo poſtea vſ. 30 loquitur, *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli*? An vero intelligat adventum, de quo ſupra cap. 10. 23, dixit: *Amen dico vobis, nequaquam obibitis urbes Iſraëlis, donec venerit filius hominis.* Et cap. 16. 28: *Amen dico vobis, ſunt quidam ex his qui hic adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, donec viderint Filium hominis venientem in regnum ſuum.* Quo utroque in loco, quod Chriſtus non de ſua corporali præſentia agat, ſed de revelatione ſuæ virtutis, quæ ſe in miraculoſa Spiritus Sancti in feſto Pentecoſtes effuſione exeruit, per quam ipſe quaſi præſens adfuit, juxta promiſſionem Joh. 14. 16. de mittendo alio Paracleto, cum ipſis in æternum manſuro, id ſuis locis demonſtratum eſt. Qui cenſent Chriſtum hoc loco etiam de eodem adventu ſuo per virtutem & ſpiritum loqui, colligunt id ex collatione cum Luc. 18. 22, 23, ubi eadem verba leguntur: *Quando dicent vobis, Ecce hic, aut ecce illic, ne abite*; nec non eadem ſimilitudo de fulgure. In illo autem Lucæ loco Chriſtus clare indicat, ſe de regno ſuo loqui (quod ille conſueta locutione Regnum Dei vocat) quod non veniet cum obſervatione, ſeu ita ut obſervari poſſit, id eſt, non cum terreno ſplendore & majeſtate, qualem ſolent gerere mundana regna, quodque adhuc ante excidium Hieroſolymæ magna cum efficacia in omnibus mundi partibus conſpicietur. Atque id etiam per illos 40 annos à morte Chriſti evenit, quibus Regnum Chriſti in maximo flore atque ſplendore apparuit, & non

ſolum ſignis ac miraculis, verum etiam pura fide & ardenti charitate inclaruit. Quo accedit etiam, quod Lucas ibidem ℣. 31, eadem illa verba referat, *Qui in tecto fuerit* &c. quæ Chriſtus in hoc Matthæi capite ℣. 17, de miſeria deſolationis Hieroſolymitanæ uſurpavit. Ex quo inferunt iſti, ad idem tempus pertinere & illa, quæ apud Lucam habentur, adeoque Chriſtum in ſuperiori ℣. 27, non de adventu ſuo ultimo ad judicium mundi loqui, ſed de adventu ſuo per Spiritum Sanctum, quem in feſto Pentecoſtes ſuper Apoſtolos ſuos effudit, atque ſic univerſo orbi demonſtravit, ſe jam in regali ſolio ſuo conſediſſe, Regiique muneris ſui adminiſtrationem auſpicatum eſſe. Et quia diſcipuli cupiebant indicari ſibi ſignum adventus ejus, hoc tam inclytum eis proponi, ajunt, ſignum, quod celeriter & quaſi in momento, non ſecus ac fulgur, per univerſum terrarum orbem vim & efficaciam ſuam prodet. Sed huic interpretationi duo obſtant. Primum eſt, quod quæ Chriſtus ℣. 23 & ſeq. narrat de pſeudo-Chriſtis & pſeudo-Prophetis, ad tempora everſionem Hieroſolymæ ſecutura pertineant; adventus autem Chriſti per Spiritum Sanctum quinquageſimo ſtatim poſt reſurrectionem ejus die factus eſt: unde concludi poteſt merito, Chriſtum de ejuſmodi adventu loqui, qui poſt everſionem Hieroſolymæ demum à fidelibus ſit expectandus. Ideo præmonet fideles ſuos, ut ſibi à ſeductoribus iſtis caveant: qua monitione nihil ſuiſſet opus, ſi de ſuo adventu, qui longo tempore everſionem Hieroſolymæ anteceſſurus erat, locutus fuiſſet. Quia enim Apoſtoli in feſto illo Pentecoſtes Spiritu Sancto repleti ſunt, & ex eorum inſtitutione omnes fideles intellexerunt, iſtum eſſe glorioſum ejus adventum, quem tanto cum deſiderio hactenus expectarant, ideo non erant ulli periculo ſeductionis obnoxii. Alterum, quod ſuperiori interpretationi obſtat, eſt, quod Chriſtus poſtea ℣. 30, de ſignis adventus ſui loquatur, de quibus diſcipuli in altera quæſtione quæſiverunt; unde colligitur, Chriſtum etiam poſtmodum ℣. 30, demum ad alteram quæſtionem reſpondere. Quamobrem potius ſtatuendum eſt, Chriſtum de ſuo ultimo adventu ad mundi conſummationem loqui, cujus modum ac rationem ℣. 27, ex occaſione ſuæ prænonitionis à falſis Prophetis, paucis attigit, deinceps autem ℣. 30, fuſius declarat ac deſcribit. Quod autem collationem hujus loci cum Luc. 17. 22, 23 attinet, loquitur quidem Chriſtus illic apud Lucam de ſuo regno, quod ab effuſione Spiritus Sancti cœpit; ſed quod Chriſtus ibidem iiſdem verbis utatur, quibus hic apud Matthæum uſus eſt, cum ait; *Quando dicent vobis, Ecce hic* &c. quodque eandem illic ſimilitudinem de fulgure afferat, mirum non eſt: cum ſolenne fuerit Chriſto, diverſis temporibus, & ex diverſis occaſionibus, ſimilia verba atque ſimilitudines adhibere. Præterea apud Lucam non pauca videbimus exempla, è quibus liquet, eum non adeo accuratam rationem temporis ſemper habuiſſe in narratione rerum, ſed non raro, quæ Chriſtus alio tempore protulit, eum alio loco referre. Ut proinde ex hac collatione cum Luca neceſſario concludi nequeat, Chriſtum hic apud Matthæum de eodem adventu ſuo loqui, de quo loquitur apud Lucam. Cum igitur, (ut probabile eſt) hoc loco Chriſtus de ſuo adventu ad judicium agat, neceſſaria fuit admodum iſta admonitio, Chriſti, quia etiam electi (ut oſtenſum) huic periculo fuerunt expoſiti. Præſertim cum vigeret paſſim inter Chriſtianos opinio de millenario regno Chriſti, de quo Apoc. 5. 10. & cap. 20. 6. Quæ ſententia etſi certa ratione & ſano ſenſu accepta, non videatur prorſus à vero abhorrens eſſe, id tamen falſum omnino eſt, quod tunc vulgo à Chriſtianis creditum eſt, nempe Chriſtum perſona ſua de cœlo deſcenſurum, & terrenum regnum auſpicaturum. Qui ergo hac opinione erant imbuti, haud ægre ab Impoſtoribus, qui ſuis fraudibus per ſigna & miracula fidem conciliabant, ſeduci poterant.

APPENDIX,

Ex Luc. 21. 23, 24.

IN præcedenti ℣. 21, Chriſtus extremas miſerias, quibus prementur & opprimentur Judæi in obſidione ac devaſtatione urbis Hieroſolymæ, expoſuit: quas miſerias Lucas cap. 21. 23, ita deſcribit: *Erit anguſtia magna ſuper terram, & ira* (puta Dei) *in populo iſto. Et cadent acie gladii, & captivi ducentur in omnes gentes: & Hieroſolyma calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium.* E quibus Lucæ verbis manifeſtum eſt, Chriſtum non mox poſt everſionem Hieroſolymæ ad judicium mundi eſſe venturum; ſed pœnam Dei ſuper rebelles ac contumaces Judæos tempore non exiguo adhuc durare debuiſſe, donec tempus illud fuerit elapſum, quod Ethnicis ad dominandum ſuper Judæos & tyrannidem in eos exercendam à Deo eſt præſtitutum. Tunc enim Deus decrevit Judæos rurſus in gratiam ſuſcipere, finemque miſeriis eorum imponere. Quod idem Paulus quoque luculenter indicat, dum ait *obdurationem ex parte Iſraëli eveniſſe, tantiſper dum plenitudo gentium introierit* Rom. 12. 25, id eſt, dum numerus eorum, qui ex Ethnicis ad Euangelium ſuſcipiendum apti ſunt, impleatur, ita ut nullus amplius fructus converſionis inter eos ſperandus ſit, nec non menſura peccatorum, apoſtaſiæ & impietatis inter eos compleatur. Quemadmodum enim olim invicta Judæorum pertinacia cauſa & occaſio fuit vocationis gentium: ita Deus pro ſua ſapientia ex obſtinatione Ethnicorum, id eſt, impiorum & ſciſſorum in tot ſectas Chriſtianorum, anſam ſumet gratiam Euangelii Judæis rurſus offerendi. Vide hac de re plura ad Luc. 21. 24. Rom. 11. 25, 26.

PARS V.

Verſ. 29. *STatim autem poſt afflictionem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent è cœlo, & virtutes cœlorum concutientur.*] Hic incipit ſecunda pars reſponſionis Chriſti, de ſignis adventus ejus ad mundi conſummationem. Quid autem hic per conſummationem mundi intelligatur, de eo duæ ſunt potiſſimum

mum ſententiæ. Prima eſt, quam vulgo Interpretes omnes ſequuntur, intelligi nimirum per eam interitum & abolitionem cœli ac terræ, de qua etiam Petrus 2 Petr. 3. 10, vaticinatus eſt, adeoque adventum Chriſti ad univerſale judicium. Altera eſt eorum, qui ſentiunt hic agi de adventu Chriſti ad erigendum millenarium regnum ſuum in terris, deque tali conſummatione mundi, qua totus orbis terrarum in alium prorſus novum ſtatum tranſformabitur. Nos impræſentiarum retinebimus priorem ſententiam, & illi convenienter hoc Capitis hujus membrum explicabimus. Alteram vero ſententiam ad finem ℣ſ. 35 exponemus. Ut autem Chriſtus in prima parte ſuæ reſponſionis de everſione Hieroſolymæ, duo ſignorum genera propoſuit; primo remotiora à ℣ſ. 5. ad 15, deinde unum proxime præcedens, & cum excidio urbis indivulſo nexu conjunctum, quod fuit abominatio deſolationis. Ita in hac quoque parte reſponſionis de adventu ſuo ad conſummationem mundi prænunciat duplicia ſigna; remotiora aliquanto ℣ſ. 29, & deinceps unum proximum & luculentiſſimum ſignum, quod ſimul cum adventu ejus apparebit, ſeu cum eo erit arcte connexum. Nimirum notandum eſt, horrendum illud judicium Dei, quod exercuit in populum Judaicum, fuiſſe figuram ac ſpeculum ultimi univerſalis judicii; quo Deus per Chriſtum orbem terrarum judicabit, atque unumquemque ſecundum opera ejus renumerabitur. Iſtud ultimum judicium ac interitum mundi præcedent conſimiles calamitates & afflictiones, nempe bella, fames, peſtilentiæ, & id genus aliæ, atque præceſſerunt interitum Hieroſolymæ. Quas afflictiones Chriſtus hic ℣ſ. 29, paulo quidem obſcurioribus verbis, ſed apud Prophetas tamen uſitatis, per obſcurationem ſolis lunæ, & ſtellarum &c. deſcribit; Lucas autem clarius aliquanto exprimit, & hæc Matthæi verba aliquatenus declarat, dum ait Luc. 21. 25: *Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis; & in terra anxietas gentium præ deſperatione, cum reſonabit mare & fluctus, cum exanimabuntur homines præ metu & expectatione eorum, quæ ſupervenient orbi terrarum: nam virtutes cœlorum concutientur.* Sed pergamus ad verba ipſa textus.

Statim autem poſt afflictionem dierum illorum,] Hoc intelligendum eſt de afflictionibus, quæ ſuper Judæos venerunt, quæque durabunt tamdiu, donec tempora gentium impleantur: quæ afflictiones quando ex Dei decreto finem ſuum ſortientur, tum demum hæ incipient, de quibus hoc ℣ſ. 29, figuratis verbis Chriſtus loquitur.

Obſervandum autem eſt hoc loco, cum ex præclara Pauli prædictione, quæ habetur Rom. xi. 25 pateat, Judaicum populum adhuc ante mundi deſtructionem converſum iri, verba hæc, *ſtatim autem poſt afflictionem dierum illorum*, tempus aliquanto laxius complecti. Nimirum ipſorum calamitas perfecte finietur, quando eorum finietur incredulitas. Quando vero illi converſi fuerint, probabile non eſt, mundum protinus abolitum iri, ſed per aliquod tempus una cum piis ac fidelibus Chriſtianis ab uno univerſali Paſtore Chriſto hic in terris paſcentur. Eorum converſio demum cauſam dabit plurimis indomitis & inconverſis populis, ut ſe ad Chriſtum convertant. Quo ſpectat illud, quod Paulus ſcribit Rom. xi. 12: *Quodſi eorum lapſus eſt opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia gentium; quanto magis plenitudo ipſorum?* Et ℣ſ. 15: *Si abjectio eorum eſt reconciliatio mundi, quæ erit aſſumtio, niſi vita ex mortuis?* quaſi dicat. Si eorum incredulitas, & hanc conſecuta rejectio, cauſa fuit & occaſio, quod Ethnicis Euangelium prædicatum ſit (Act. 13. 46,) & tam dives ac largifluus gratiæ divinæ rivus eos inauraverit: quam inenarrabilia Dei beneficia, quantæ divitiæ tunc eos inundabunt, quando totus Iſraël (hoc intelligit per plenitudinem) ad Dominum convertetur? Tum demum enim implebuntur perfectiſſime prophetiæ de converſione gentium ad unum Deum Iſraëlis.

Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent è cœlo, & virtutes cœlorum concutientur.] Locutiones hæ ſunt figuratæ, quibus utuntur Prophetæ quando terræ aut Regno alicui horrendas clades, ſupplicia, ac pœnas divinas, bella, ſanguinis effuſiones, civitatum conflagrationes, regionum devaſtationes, hominum aſportationes, regiminis per bella & arma mutationes, eaſque ut mox eventuras denunciant. Nam per obſcurationem ſolis, lunæ, & ſtellarum luctus ingens deſignatur, quando homines præ dolore & anxietate animi vultu ad terram demiſſo ſunt, iiſque lumina cœleſtia quaſi obtenebrata ſunt, quia nullum gaudium ac delectationem ex eis percipiunt. Per lumen enim crebro in Sacris Literis lætitia, per tenebras triſtitia ſignificatur. Concuſſione virtutum cœli denotatur magna mutatio ſive in univerſo orbe, ſive in certis præcipuis regionibus ac Regnis: ut ex Agg. 2. 7, (qui locus Hebr. 12. 26, allegatur) & alibi videre eſt. Exempla ejuſmodi figuratarum locutionum ſunt inter alia, cum Eſaias de everſione regni Babylonici per Medos & Perſas vaticinatur, & in hunc modum loquitur: c. 13. 9, 10, 11, 13: *Ecce dies Domini advenit, ſævus, & plenus indignationis & iræ, furoriſque, ad ſolitudinem terræ inaucendam, & peccatores in ea perdendos. Nam ſtellæ cœli & ſidera non lucebunt, obtenebratus erit ſol ab exortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et animadvertam in orbis terræ malitiam. Commovebo cœlos, commovebitur terra è loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum.* Et apud Ezechielem Prophetam cap. 32. 7, 8, cum Regi Ægypti Pharaoni minæ divinorum judiciorum ac pœnarum intentantur his verbis: *Cum extinctus fueris, operiam cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas eorum, ſolem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cœli ſuper te tenebroſa reddam, & dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit Dominus exercituum.* Ita cum Deus apud Joëlem Prophetam adventum Sennacheribi, & obſidionem Hieroſolymæ ab eo faciendam prædicit, inquit Propheta cap. 2. 10, 11: *Ante illum* (Sennacheribum) *contremiſcet terra, commovebuntur cœli, ſol & luna obſcurabuntur, & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum. Dominus enim tonabit ante faciem exercitus ſui, quia magnus & fortis eſt exercitus ejus &c.* Et ℣ſ. 30, 31: *Dabo prodigia in cœlo, & in terra, ſanguinem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, &c.* Et cap. 3. 15, 16, ubi Propheta vaticinatur de graviſſimis judiciis Dei ſuper gentes, ſic loquitur: *Dies Domini propinquus*

eſt in valle conciſionis. Sol & Luna obſcurabuntur, & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum. Et Dominus de Sione rugiet, & de Jeruſalem edet vocem ſuam, & commovebuntur cœli & terra. Vide etiam Eſai. 24. 23. LX. 20. Jerem. 15. 9. Amos. 8. 9. Act. 2. 20. Huc pertinet quoque locus Eſaiæ, ubi adverſus Idumæos alioſque populos, qui cum Aſſyriis ſe conjunxerant, prophetat cap. 34. 4: *Contabeſcet omnis exercitus cœlorum, & complicabuntur tanquam liber cœli* (id eſt, quemadmodum in complicato libro nihil legi poteſt, ita in cœlo nullum lumen apparebit) *& totus exercitus eorum decidet, ut decidit folium è vite, & ut deciduus fructus è ficu.*] Quod hic dicitur de lapſu ſtellarum (quod etiam Chriſtus hoc loco dicit, *ſtellæ cadent de cœlo*) eundem plane ſenſum habet, quo Prophetæ alibi ajunt, ſtellas obſcuratum iri. Quando enim lumen aliquod de ſuo loco movetur ac decidit, non lucet amplius: ita quando ſtellæ in cœlo non lucent, videntur quodammodo non amplius eſſe in cœlo, ſed de cœlo decidiſſe. E quibus recitatis locis atque exemplis perſpicuum eſt, nihil in eo abſurdi eſſe, ſi dicatur, verba iſta ℣. 29, figuratam ac Propheticam locutionem continere. Quod enim Chriſtus in iis non de interitu & abolitione cœli & terræ, ut vulgo creditur, loquatur, exinde patet, quod nuſquam legatur in Sacris Literis, eam hoc modo deſcribi, ſed potius per ignem & conflagrationem 2 Petr. 3. 10. Itaque ſtatuendum eſt, Chriſtum more Prophetico indicare voluiſſe magnas calamitates, & afflictiones, quæ in populos, qui ſunt ex Gentibus, venient, poſtquam eorum tempora impleta fuerint, & afflictiones Judæorum finem acceperint. Et ut ex collatione cum Luca colligitur, tanta hominum anxietas ſignificatur, quæ non ſolum ex præſentibus exiſtet malis, ſed etiam ex timore atque expectatione futuri, adhuc majoris mali. Imo apud Lucam monet Chriſtus, quando iſta incipient fieri, ut ſurſum attollamus capita noſtra, & redemtionem noſtram expectemus cap. 21. 28. Quod argumentum eſt evidentiſſimum, verba hæc ℣. 29, non de interitu mundi intelligenda eſſe. Quare hallucinantur, qui ea ad literam, prout ſonant, accipiunt; præſertim id, quod de caſu in terram ſtellarum dicitur: cum plurimæ ſtellæ magnitudine Orbem terræ longiſſime ſuperent.

Verſ. 30. *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo, & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia & gloria multa.*] Quando iſta verſu præcedenti indicata ſigna, quæ adventum Chriſti non tanquam præſentem, ſed tanquam propinquum ſignificant, apparebunt, tunc conſpicietur ſignum illud, ex quo cognoſcetur, adventum Chriſti non ſolum propinquum, ſed jam præſentem adeſſe: nimirum tale ſignum, quale ſignum excidii Hieroſolymitani fuit abominatio illa deſolationis, id eſt, Romanus exercitus; quod adeo proxime excidium anteceſſit, ut cum eo prorſus ac omnino fuerit connexum. Signum illud vocat Chriſtus *ſignum Filii hominis*, ad quod quæſtio diſcipulorum potiſſimum reſpicit, cum inquiunt: *Quodnam eſt ſignum adventus tui, & conſummationis mundi?* Per ſignum autem Filii hominis veriſimile eſt, Chriſtum hic intelligere pateſactionem ſuæ præſentiæ, id eſt, magnitudinem, prorſus divinam, & omnibus impiis formidabilem majeſtatem ac gloriam; quæ quando in nubibus cœli apparebit, cuncti ſtatim ex ea præſentem adeſſe Chriſtum cum ſua potentia & virtute agnoſcent. Cum enim venturus ſit tanquam divinus ac cœleſtis Judex, & ultor hoſtium ſuorum ac fidelium ſuorum vindex, ideo etiam ſigno conſpicuo cœlitus ſuam vim & præſentiam oſtendet. Quod autem ſit proprie ſignum iſtud, licet tantiſper ignorare, donec apparuerit. Forte erit fulgur, flamma ignis, horrenda tonitrua, fulmina, grando, ac procellæ, quæ tam terribilia erunt, & cauſa eorum (quod ſcilicet fiant ad liberationem piorum & pœnam impiorum) tam manifeſta, ut non poſſint naturalibus cauſis attribui, ſed præſenti virtuti atque potentiæ magni Regis ac Judicis mundi ea adſcribi neceſſe ſit. Hoc certum eſt, hic de ejuſmodi ſigno ſermonem eſſe (quodcunque illud tandem ſit) quod ubi apparuerit, *plagent omnes tribus terræ.* Ex ejus enim apparitione ſummum dolorem & anguſtiam ſentient, adeoque cauſam magnam plangendi & ejulandi habebunt. Hinc intelligitur, eos haud conſentanea vero loqui, qui ſentiunt, figuram crucis in cœlo apparituram, quia etiam Chriſtus nullius operis ſui viſibile ſignum inſtituit, præterquam mortis ſuæ. Hoc enim ſignum nullam ejuſmodi vim habebit omnes homines ad plangendum adducendi, ſed ſine dubio aliquid magis horribile ac tremendum erit.

Et tunc plangent omnes tribus terræ.] Indicatis ſignis antecedentibus ſuum adventum, nunc Chriſtus etiam indicat eorum effectum & operationem: quæ erit planctus omnium tribuum terræ. Intellige omnes impios ex omnibus nationibus ac tribubus totius Orbis terrarum. Nullus enim erit locus in univerſo Orbe, in quem coram ira imminente fugiant. Ad conſcientiam ſuam fruſtra refugient, quæ eos accuſabit potius, quam ut eis aliquod impertiatur ſolatium: quocirca miſerabilis deſperatio eos inceſſet, animumque eorum inexplicabili anxietate torquebit. Lucas addit; *Exanimabuntur homines præ metu & expectatione eorum, quæ ſupervenient orbi terrarum*, id eſt, quæ mox venient, vel quodammodo in procinctu ſunt atque in via, ut veniant. Tunc videbunt primum homines iſti, quid utilitatis ac fructus ipſis allaturæ ſint eorum helluationes, comeſſationes, ebrietates, ſcortationes, petulantiæ, omneſque adeo carnales voluptates, in quibus potiſſimam partem vitæ ſuæ tranſegerunt. Tunc dicent montibus & petris: *Cadite in nos, & occultate nos à conſpectu ejus, qui ſedet in throno, & ab ira Agni. Nam venit dies ille magnus iræ: & quis poterit conſiſtere?* Apoc. 6. 16, 17.

Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli.] Hactenus fuere ſigna antecedentia, eorumque effecta: ſequitur jam ipſe adventus Chriſti. Qui hoc loco de adventu Chriſti ad ultimum judicium mundi agi exiſtimant, (quorum explicationem nos quoque hic ſequimur) accipiunt hæc verba proprie: quod ſcilicet Chriſtus perſona ſua in nube ſedens de cœlo venturus ſit; juxta prædictionem duorum illorum virorum in veſtimentis albis, qui Chriſto in cœlum aſcendente in nube, ad aſtantes dixerunt: *Hic Jeſus, qui ſurſum acceptus eſt à vobis, ita veniet, ſicut vidiſtis eum proficiſcentem in cœlum* Act. 1. 11.

Et vide-

Et videbunt.] Subaudi, omnes tribus terræ: imo etiam mortui, qui tunc è ſepulchris ſuis vi divina hujus Magni Judicis educentur.

Filium hominis.] Hic probe obſervandum, Chriſtum ſe etiam in ſtatu ſuæ ſupremæ atque diviniſſimæ gloriæ Filium hominis appellare. Infelices ſunt, qui Filium hominis indignum credunt, ut ſit Filius Dei. Felices contra ſunt illi omnes, qui Filium hominis æque divino cultu honorant, ac Patrem. Quam vero immenſam & dictu difficilem in animis ſuis lætitiam omnes pii ac fideles percipient, quando conſpicient pandi cœlum, & Servatorem ſuum deſcendere, quem tam ardenti expectarunt deſiderio?

Ex his jam elucet, Chriſtum apparituram in forma Filii hominis, id eſt, in humano corpore. Nunc enim in ſtatu ſuæ cœleſtis gloriæ non humanum, ſed cœleſte ac inconſpicuum gerit corpus. Vide 1 Cor. 15. 45, 48, 49. Ideo etiam in eo non apparebit, ſed in tali conſpicua forma, ut ab omnibus videri atque agnoſci queat. Sic enim ait Johannes: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum compunxerunt; & plangent coram eo omnes tribus terræ* Apocal. 1. 7. Ita autem in forma hominis apparebit, ut facies ejus ſuffura ſit Solis inſtar, & amictus ejus futurus ſit albus ut lux; modo perſimili, quo tranſfiguratio ejus in monte Thabor facta eſt Matth. 17. 2.

Venientem in nubibus cœli.] Nubes lucidæ erunt triumphales Chriſti currus, in quibus deſcendet: non quod nubibus indigeat, ſed ſolummodo ad demonſtrandam tanto magis Regiam majeſtatem ſuam. Non loquitur autem de una nube, ſed de multis, *in nubibus* inquit, *venientem*: quia myriades Angelorum eum comitabuntur, ut ex iſta plena majeſtatis apparitione agnoſci poſſit, Regem Regum omnium venire. Quando magni Reges ac Monarchæ in aliquem locum ſe conferunt, magna eos ſtipat caterva: ita Chriſtus quoque, quando è throno majeſtatis ſuæ deſcendet, ſtipatus omnibus ſanctis Angelis veniet.

Cum potentia & gloria multa.] Hæc potentia & gloria elucebit non ſolum in tota ejus glorioſa & majeſtatis plena forma, ſed etiam & præcipue in immenſa copia Angelorum, qui ipſum comitabuntur, & quorum forma ſimiliter ſupra modum glorioſa & humanis oculis inſolita erit.

Verſ. 31. *Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à cœlorum extremo ad eorum extremum.*] Hiſce verbis ſignificat Chriſtus, ſe non in terram ipſam uſque deſcenſurum, ſed in aëre permanſurum. & in velociſſimis nubibus ab uno loco in alium progrediendo ſe circumvolitaturum totum orbem terrarum, ut ab omnibus mundi incolis videri poſſit. Mittet autem in terram Angelos ſuos, qui ejus loco perficient ea, quæ ad univerſale judicium pertinent. Atque ſic decet etiam magnum hunc Judicem agere: quemadmodum videmus, Magnates hujus mundi non admovere manus ſuas ad executionem judiciorum ac decretorum ſuorum peragendam, ſed omnia per miniſtros exequi, tametſi ad incutiendum majorem metum ac reverentiam ipſi præſentes adſint. Hic etiam videmus, Angelos quoque poteſtati ac imperio Chriſti eſſe ſubjectos. Vide Epheſ. 1. 21. Hebr. 1. 6. Ad tam ſublimem & plane divinam gloriam evectus eſt filius hominis à Deo. Poſſumus ſane cum Davide exclamare: *Quid eſt homo, quod ejus ſis memor? aut filius hominis, quod viſites eum? Minorem quidem feciſti eum pauliſper Angelis: ſed gloria & majeſtate coronaſti eum* Pſal. 8. 5. Hebr. 2. 6, 7. Quod nobis non poteſt non eſſe maximo ſolatio. Quomodo enim fieri poteſt, ut nos Chriſtus nequeat eripere è manibus omnium inimicorum noſtrorum, imo ex ipſis mortis faucibus, cum ejus poteſtati tam multi & tam potentes cœleſtium ſpiritum exercitus ſubjecti ſint?

Cum tuba.] Non loquitur de vera & proprie dicta tuba, ſed alludit ad conſuetudinem multarum gentium, apud quas ſolebant homines ad concionem clangore tubæ convocari Num. 10. 2. In exercitu quoque tubarum uſus eſt, inprimis quando prælium committitur. Itaque & hi cœleſtes exercitus ſuas habebunt tubas. *Nam ipſe Dominus cum celeuſmate, cum voce Archangeli & cum Dei tuba deſcendet è cœlo* 1 Theſſ. 4. 16.

Et voce magna.] Græce cum tuba vocis humanæ. Hoc additur ad explicandum, qualis futura ſit illa tuba; nempe nihil aliud erit, quam vox & celeuſma Angelorum, id inſtar tubæ erit. Quæ ipſorum vox uti piis omnibus ſummam afferet lætitiam, ita impiis erit auditu triſtis admodum & horrenda.

Et congregabunt electos ejus.] Sonitu tubæ ſignum dabitur Angelis, ut in omnes mundi partes diffuſi colligant in unum omnes electos: primum quidem eos, qui in Domino obdormierunt; poſtea reliquos fideles ac pios, qui in vita erunt ſuperſtites. Hoc nos docet Apoſtolus: 1 Cor. 15. 51, 52. *Ecce myſterium dico vobis, Non omnes quidem obdormiemus, ſed omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, ad ultimam tubam (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos mutabimur.* Atque in eo nobis Angeli miniſtrabunt, quod nos Domino obviam in aërem ducent: ad quem omnium electorum fiet congregatio. Eorum qui tunc vivi reperientur, ita fiet collectio, ſicut Chriſtus ipſe infra vſ. 40, 41 indicat, quod duo futuri ſint in agro, unus aſſumetur, alter relinquetur &c. Sic Angeli ſingulos è medio aliorum hominum rapient in aërem, ubi in puncto temporis tranſmutabuntur.

A quatuor ventis.] Ab Oriente, Meridie, Occidente & ſeptentrione, id eſt, ab omnibus mundi partibus. Quo reſpicitur ad locum Eſai. 43. 5, 6. Similis locutio eſt etiam Jerem. 49. 36. Zach. 2. 6.

A cœlorum extremo ad eorum extremum.] Modum loquendi ſimilem vide Deut. 4. 32. Significatque idem quod, ab uno extremo mundi ad alterum. Hinc Marcus utramque loquutionem conjungit: *ab extremo terræ uſque ad extremum cœli.* Qui loquendi modus inde ortus eſt, quod terra videatur eſſe quædam planities, quæ à cœlo tanquam à convexa fornice ambitur & clauditur.

Verſ. 32. *A ficu autem diſcite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit & folia germinaverit, noſtis prope eſſe æſtatem.*] Hac ſimilitudine à ficu ſumpta Chriſtus ſuos diſcipulos vult admonitos, ne in cognoſcen-

gnoſcendis & obſervandis divinis operibus oſcitantes ſint, ne vè intellectu ſuo in iis minus utantur, quam in rebus naturalibus & ſemper ante oculos verſantibus. Quando enim vident ramos ficuum jam virescere & gemmare, mox in de colligunt, æſtatem eſſe præſoribus. Hoc igitur pacto etiam ubi viderint apparere ſupra indicata ſigna, ex iis colligere debent, redemptionem ſuam, quæ per adventum ejus fiet, jam proxime inſtare.

Verſ. 33. *Ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt ad fores.* Verba *hæc omnia* reſpiciunt omnia ſupra recenſita ſigna, tam ea quæ antecedent excidium Hieroſolymæ, quam ea, quæ adventum Chriſti. Nempe ubi viderint abominationem deſolationis, id eſt, Hieroſolymam cinctam exercitibus, ſcire debent prope adeſſe excidium: & ubi viderint ſignum Filii hominis, ſcire debent, redemtionem eorum in propinquo eſſe. Notandum etiam hic eſt, in Apoſtolorum perſona, ad quos Chriſtus iſta locutus eſt, quaſi ad finem mundi eſſent victuri, & iſta omnia oculis ſuis viſuri, admoneri omnes omnium temporum fideles, ut ſe quiſque paret ad magnum illum & glorioſum diem, non aliter ac ſi ipſo vivente adventurus eſſet. Hinc apud Marcum ait Chriſtus: *Quod vobis dico, omnibus dico. Vigilate.* cap. 13. 37.

Verſ. 34. *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec iſta omnia fiant.*] Concludit Chriſtus his verbis ſuam prædictionem, & quidem ita, ut ſimul certitudinem dictorum ſuorum exprimat, indicetque, neminem diſcipulorum ſuorum ullo modo dubitare debere, quin omnia iſta prout prædictum eſt, eventura ſint. Quid autem Chriſtus per hanc generationem intelligat, de eo lis eſt inter Interpretes. Nihilominus ſenſus iſte maxime cum verbis congruit: quod qui tunc vixerunt homines, non omnes ſint morituri, donec initium fiat horum ſignorum, & Hieroſolyma evertatur. Ut ita ſimilis ſit hæc locutio illi, quæ habetur ſupra cap. 16. 28. *Sunt quidam ex hic ſtantibus, qui mortem nequaquam guſtabunt, donec filium hominis viderint venientem in regno ſuo.* Atque hoc etiam ſic impletum eſt: nam excidium Hieroſolymæ circiter 40. annis poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos accidit, ut ita complures ex iis, qui tempore hujus prædictionis vixerunt, illud oculis ſuis uſurpare potuerint. Hac interpretatione admiſſa, verba hæc, *donec omnia iſta fiant*, ita erunt intelligenda, donec impletionis iſtorum omnium initium fiat. Etenim ex impletione unius rei, nempe excidii Hieroſolymitani (ad quod multi homines vivendo pertigerunt) certo licebit inferre, etiam reliqua impletum iri. Alii Interpretes hunc putant eſſe ſenſum: *hæc generatio*, id eſt, populus Judaicus non interibit, donec omnes iſtæ prædictiones eventum ſuum ſortiantur; cum tamen aliæ multæ clariſſimæ nationes interierint & etiamnum intereant.

Verſ. 35. *Cœlum & terra præteribunt: ſermones autem mei nequaquam præteribunt.*] Hæc verba Chriſtus addit ad majorem dictis ſuis fidem faciendam. Senſuſque eſt, quaſi dicat, Decretum, quod Deus hac de re fecit, firmius eſt, quam cœlum & terra: hæc enim tandem peribunt, etſi tam firma & immobilia eſſe videantur; at verba prædictionis meæ manebunt in æternum vera, & tandem certo certius implebuntur. Similiter loquitur Deus apud Eſaiam: *Montes commovebuntur & colles concident; miſericordia autem mea non recedet à te* cap. 54. 10.

Explicatio alterius ſententiæ de Conſummatione ſeculi.

HActenus verba Chriſti à ℣. 29, juxta illam explicavimus ſententiam, qua per Conſummationem ſeculi interitus & deſtructio mundi, ſeu cœli ac terræ intelligitur. Jam etiam eorum ſententiam juvat proponere, qui per Conſummationem ſeculi, non ejuſdem abolitionem, ſed univerſalem mutationem in toto mundo intelligunt, quæ per Chriſtum ante mundi abolitionem fieri debet, uti mox dicemus.

Quod autem primo quæſtionem diſcipulorum attinet, dum ajunt: *Quod erit ſignum tui adventus, & conſummationis ſeculi?* eos per conſummationem ſeculi non ultimum mundi finem intellexiſſe, hinc probatur. Primo, quia Judæi vulgo omnes crediderunt, hodieque credunt, imo vi ſuæ doctrinæ credere coguntur, viſibilem hunc mundum in æternum permanſurum, nec unquam interiturum. Quia enim credunt, fœdus circumciſionis, Sabbathi, Sacerdotii, una cum tota Lege æternum eſſe duraturum (id quod ex his locis ad literam intellectis Gen. 17. 7, 8. xviij. 19. Exod. 12. 14. xxxi. 16. xl. 15. Num. 25. 13, & ſimilibus aliis ſumunt) etiam Meſſiam hic in terris in omnem perennitatem regnaturum, juxta prophetiam 2 Sam. 7. 13. Pſal. 89. 37, 38. Ezech. 37. 25. (Vide etiam Luc. 1. 32. Joh. 12. 34) ſequitur neceſſario, ex eorum ſententia mundum æternum fore. Si enim circumciſio æterna erit, in æternum etiam oportet eſſe carnales homines: Si Sabbathum æternum, in æternum etiam durabit viciſſitudo inter dies & noctes, inter lucem & tenebras: ſi Sacerdotium æternum, æternæ etiam erunt victimæ, æternæ pecudes, & pro pecudibus æternum gramen. Similiter ex eo, quod ſupra cap. 22. 28, de ſtatu vitæ æternæ ex Judæorum mente relatum eſt, intelligitur, eos interiturum hunc viſibilem mundum nequaquam credidiſſe. Secundo, Græca vox αἰὼν (quæ proprie ſignificat ſeculum, tempus centum annorum, hic autem à pleriſque pro mundo ſumitur) denotat ſæpe malos homines, qui ſunt in mundo, aut corruptum hujus mundi ſtatum. Vide Luc. 16. 8. Rom. 12. 2. Gal. 1. 4. Epheſ. 2. 2. 2 Tim. 4. 10. 2 Cor. 4. 4. Imo vix unum aut alterum reperias locum in toto Novo Teſtamento, in quo vox αἰὼν pro compage cœli & terræ accipiatur. Quapropter ii, quorum ſententiam nunc exponimus, ſtatuunt, diſcipulos hoc loco per conſummationem ſeculi intellexiſſe, illam univerſalem mundi mutationem, cum Meſſias adventu ſuo omnia regna & dominationes hujus mundi, inprimis autem Anti-chriſti regnum deſtruet atque abolebit, peſſimum genus hominum, qui populum Dei perſequuntur exſtirpabit, omniaque ſuo ac populi ſui regimini ſubjiciet, juxta vaticinium Danielis cap. 2. 44, & vij. 27. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos diſerte conſummationem ſeculi uſurpat pro

pat pro tempore Meſſiæ, cum cap. 9. 26 ait: *Chriſtus ſemel in conſummatione ſeculorum apparuit ad abolitionem peccati per ſacrificium ſuum.* De quo feliciſſimo tempore ſub Meſſia Deus olim per Eſaiam Prophetam cap. 65. 17. LXVI. 22 dixit, ſe *creaturum novum cœlum, & novam terram, & priorum nullam ſuperfuturam memoriam.* Quibus verbis ſignificatur, ſupra modum magna immutatio totius orbis, quæ tunc temporis fiet, perinde quaſi prior mundus deſiturus & deſtruendus ſit, & alius novus mundus de integro creandus. Quæ mutatio potuiſſet primo ſtatim cum adventu Chriſti induci mundo, ſi ſe mundus univerſus legibus regni Chriſti ſponte ſubjeciſſet. Quod quia factum non eſt, ideo cenſent hujus ſententiæ, de qua agimus, defenſores, adhuc ſperandam eſſe perfectiorem aliquam impletionem tam auguſtæ hujus apud Eſaiam prophetiæ. Cum ergo diſcipuli de adventu Chriſti ad inſtaurationem Regni ſui quærant, ut ſupra ℣. 3 declaratum, nullum eſt dubium, quin etiam de ea conſummatione ſeculi quærant, quæ per adventum Chriſti fiet, quæque in ſe complectitur non deſtructionem cœli & terræ, ſed tempus totum Regni Chriſti, ut ex allegato loco Epiſtolæ ad Hebræos patet. Accedit præterea, quod apud Marcum & Lucam, ubi diſcipulorum quæſtio exponitur, neque adventus Chriſti, neque conſummationis ſeculi fiat mentio. Sic enim interrogant illi apud Marcum cap. 13. 4. *Dic nobis, quando iſta fient? & quod erit ſignum, quando iſta omnia conſummabuntur?* Apud Lucam vero cap. 21. 7, ita: *Magiſter, quando hæc erunt: & quod erit ſignum, quando futura ſint iſta?* Unde liquet, Apoſtolos quidem de tribus rebus diſtinctis interrogaſſe, ſed exiſtimaſſe, iſta tria quoad tempus conjuncta & indiviſa fore. Nempe crediderunt, Chriſtum, ubi advenerit, Templum deſtructurum, & ſeculum conſummaturum eſſe. Idcirco etiam hic apud Matthæum rogant tantum de tempore everſionis Templi: de adventu autem Chriſti & conſummatione ſeculi rogantes, non rogant de tempore, ſed tantum de ſignis, perinde quaſi ſigna & tempus iſtis tribus rebus communia futura ſint. Apud Marcum vero & Lucam interrogant de generali tempore, & de generali ſigno omnium iſtarum rerum, ad quam interrogationem poſtea Chriſtus reſpondet.

Quemadmodum autem Chriſtus ſæpe ſuam reſponſionem ad diſcipulorum interrogata tam ſapienter inſtituit, ut eis quidem directe non contradicat, ſed tacite tamen ad ſublimiora eos ducat: ita hic quoque non obſtitiſſet iſta diſcipulorum opinio, quam de conſummatione ſeculi fovebant, quominus Chriſtus in ſua reſponſione potuerit reſpicere ad aliam conſummationem ſeculi, nempe ad deſtructionem mundi, cum cæli magno fragore peribunt, & terra exuretur 2 Petr. 3. 10, niſi aliæ eſſent, quæ obſtarent, cauſæ. Ac primo quidem, quia ex Luc. 21. ℣. 31 cernitur, adventum hunc Chriſti directum fore ad erigendum Regnum Dei, ſeu ad introducendos fideles in Regnum Dei. Sic enim ait Chriſtus ibidem: *Quando videbitis iſta fieri, cognoſcite, quia regnum Dei prope eſt.* Per Regnum Dei autem, ut etiam per Regnum cœlorum, ſemper & ubique in Scriptis Novi Teſtamenti præcipue ac primario Regnum Meſſiæ intelligitur. Status quidem vitæ æternæ & futuræ gloriæ etiam interdum Regnum Dei & regnum cœlorum vocatur, ſed nonniſi eatenus, quatenus datio ejus à Chriſto fiet, adeoque opus tale eſt, quod adhuc ad Regnum ejus pertinet, quod ille tum demum Patri ſuo reddet, quando ſuos fideles coram eo ſiſtet. Vide ſupra cap. 3. 2. v. 10. Secundo Chriſtus hic nullam mentionem de adventu ſuo agens facit deſtructionis cœli & terræ; cujus tamen meminiſſe debuiſſet, cum Solis, Lunæ, Stellarum, & virtutum cœli mentionem faceret. Quod enim verſus 29, non de abolitione mundi intelligendus ſit, id non modo multi doctiſſimi viri, qui tamen ſequentem ℣. 30, de ultimo adventu Chriſti ad univerſale judicium mundi exponunt, obſervarunt probaruntque, ſed & verba ipſa id evincunt, ſive proprie ſive improprie ſumantur, ut ex noſtra explicatione ſuperius poſita cernere eſt. Tertio nihil etiam de reſurrectione mortuorum, nihil de glorificatione corporum, commemoratur, ut in aliis locis fit harum rerum mentio, quando de ultimo judicio agitur, (Vide 1 Theſſ. 4. 16. 1 Cor. 15. 51,) ſed tantum ſermo eſt de congregatione illorum fidelium, qui tunc vivi reperientur. Non enim dicit Chriſtus, ſe electos ſuos ex ſepulchris excitaturum, ſed ſe eos à quatuor ventis, id eſt, ab omnibus terræ partibus collecturum ℣. 31, idque non hoc fine, ut eos ſecum ducat in cœlum, ſed ut eos ad Regnum ſuum congreget, quod in terris non hoc aut illo loco, ſed in omnibus locis ac finibus terræ tanquam fulgur apparebit, aut ſicut cadaver aquilis innoteſcet, ut id certo & particulari in loco quæri non oporteat. Quarto interpretatio hæc confirmatur connexione ſequentis capitis 25, cum hoc capite 24, ubi omnia ſic proponuntur, tanquam non in cœlis, ſed in terris futura: ut ibidem latius declarabitur. Quinto Chriſtus hic loquitur de re ejuſmodi, quæ ad liberationem afflictorum fidelium ejus ſpectat, quia ſic ait apud Lucam: *Quando hæc omnia incipient fieri, ſurſum attollite capita veſtra, quia appropinquat veſtra redemtio.* Quod autem præter ultimam liberationem, qua fideles etiam à mortalitate liberabuntur, adhuc alia corporalis liberatio ab afflictionibus & vexationibus perſecutorum ſperanda ſit, à nemine in dubium vocari poteſt, apud quem dubia non eſt libri Apocalypſis Johannis auctoritas ac fides. Etſi enim liber iſte obſcuriſſime ſcriptus ſit, nihilominus ex eo clariſſime patet, poſt abolitam ſpiritualem Babylonem, id eſt, Regno Antichriſti ſublato, veræ Chriſti Eccleſiæ adhuc felicia ac tranquilla tempora (qualiacunque illa etiam ſint) affulſura: quod vel ſolum cap. 5. 10, & 20. 6 docet. Jam vero nulla cauſa eſt, tam gravis, cur Chriſtus hanc liberationem voluerit ſicco pede præterire, & protinus ad interitum mundi properare, præſertim cum diſcipuli de corporali liberatione interrogarent, & nullum eſſet periculum, ſi de ea aliquatenus inſtruerentur. Poſtremo cum extra omnem dubitationem ſit, diſcipulos non de mundi interitu interrogaſſe, & in ipſis verbis verſ. 29, 30, 31 nihil habeatur, ex quo neceſſario, Chriſtum de eo agere, concludi queat; omnino credendum eſt, Chriſtum ſic reſpondiſſe ſuis diſcipulis, uti interrogabant illi, nempe de ſuo ad-

ventu ad erigendum Regnum ſuum hic in terris, & de ejuſdem conſummatione, ſeu generali mutatione mundi, quæ tunc futura ſit. Quod enim ad illa verba attinet, *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli*, ex quibus potiſſimum adventus Chriſti ad extremum judicium vulgo elicitur; quod illa neceſſario hunc ſenſum non poſtulent, ſed figurate accipi poſſint, ut etiam ſupra verba ℣. 29 mox commonſtrabitur.

Sequitur jam textus expoſitio ex mente hujus poſterioris ſententiæ.

Verſ. 29. *Statim autem poſt afflictionem dierum illorum.*] Hic reſpondet Chriſtus ad alterum & tertium quæſitum ſuorum diſcipulorum, de ſignis ſui adventus, & conſummatione ſeculi. Et proponit, æque ac in reſponſione ſua ad primum quæſitum, duplicia ſigna adventui ſuo præmittenda: primo talia, quæ adventum Chriſti longius diſſitum prænuntiabunt verſ. 29, deinde ſignum proximum & manifeſtiſſimum, quod una cum adventu Chriſti apparebit, vel cum eo indiviſibili nexu erit conjunctum, quemadmodum abominatio deſolationis cum everſione Hieroſolymæ conjuncta fuit. Nimirum tenendum eſt, judicium illud horrendum, quod Deus ſuper populum ſuum extendit, fuiſſe typum ac ſpeculum ſimilis & multo magis horrendi judicii ſuper Ethnicos venturi, ſub quorum jugo populus Dei oppreſſus gemit. Intellige autem Chriſtianos ex Gentibus, qui turpiſſimo idolorum cultu, falſis doctrinis & vita flagitioſa, nec non perſecutione ac oppreſſione ſanctorum, juſtum Dei judicium, poſt tam diuturnam ejus patientiam, ſibi accerſent. De quo judicio Paulus clare vaticinatur, dum ad Romanos & ſub eorum perſona ad omnes Chriſtianos, qui ſunt ex Ethnicis ait: *Noli efferri animo, ſed time. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide igitur benignitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem; in te vero benignitatem, ſi permanſeris in benignitate: alioquin & tu excinderis* Rom. xi. 21,22. Cum ergo manifeſtum ſit, Chriſtianos, qui ſunt ex Ethnicis, in benignitate Dei non permanſiſſe, ſed Chriſtianiſmum in Antichriſtianiſmum eſſe converſum, manifeſtum quoque eſt, juxta hanc claram Pauli prædictionem, eos etiam exciſum iri. Vide cap. 18. Apoc. Hoc judicium & extremum interitum Antichriſtianiſmi, æque præcedent afflictiones ſimiles, puta bella, fames, peſtilentiæ, ut præceſſerunt excidium Hieroſolymæ. Quas afflictiones hic Chriſtus propheticis ac figuratis locutionibus de obſcuratione Solis, Lunæ, & Stellarum expreſſit: (ut in explicatione prioris ſententiæ oſtenſum, & exemplis confirmatum, Lucas autem paulo diſertius deſcripſit cap. 21. ℣. 25. Hæ vero afflictiones incipient *ſtatim poſt afflictionem* Judæorum, id eſt, poſtquam afflictionis Judæorum finis advenerit. Erit autem finis afflictionis eorum, quando tempora Ethnicorum implebuntur, id eſt, quando Chriſtiani ex Ethnicis orti menſuram peccatorum & apoſtaſiæ ſuæ impleverint, nec ullus amplius fructus ad Dei gloriam ab eis expectandus erit. Iſte autem finis afflictionis Judæorum ſimul erit initium eorum converſionis: nam eorum afflictio deſinet, quando deſinet eorum incredulitas. Ubi vero illi ad Dominum converſi fuerint, Hieroſolyma non calcabitur amplius, ſed pœna de conculcatoribus ejus ſumetur, & ſimile judicium in eos exercebitur. Credibile autem eſt, judicia ſuper Ethnicos ſenſim & paulatim executioni mandanda eſſe, & initium eorum futurum adhuc etiamrante converſionem Judæorum, adeoque adhuc durante afflictione eorum. Videntur enim magna illa judicia à Deo in Ethnicos extendenda, quibus plurimi impii & ad Chriſtianiſmum inepti Judæi quoque ſimul corripientur, ex parte futura quaſi media, converſionem Judæorum promoventia & adjuvantia. Ut ita converſio Judæorum & interitus hypocriticorum Chriſtianorum ferme uno eodemque tempore futura ſit, & reliqui pii è Chriſtianis una cum converſis Judæis in unum gregem ſub uno paſtore Chriſto conjungendi ac congregandi ſint.

Verſ. 30. *Et tunc apparebit ſignum filii hominis.*] Quale hoc ſignum futurum ſit, in explicatione prioris ſententiæ eſt indicatum.

Quod adventum ipſum Chriſti attinet, quem antecedet hoc ſignum filii hominis, ille futurus eſt in judicium, quod Chriſtus hic in terris inter electos ſuos & eorum hoſtes ac perſecutores exercebit. Hoc judicium duas partes complectitur: primo deletionem impiorum ut quorum tempora jam impleta erunt, à quibus regnum, dominationem & imperium, quo tyrannice in populum ſuum uſi ſunt, auferet, eoſque ex orbe terrarum exterminabit: Secundo collectionem fidelium, quibus poſt diutinas ærumnas & patienter toleratas afflictiones Regnum tradet, illud nimirum, quod Daniel per ſimilitudinem filii hominis depinxit & adumbravit Dan. 7. 13,14,26,27. Prima pars judicii, nempe exterminatio impii populi his verbis innuitur: *Et tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum ſumma potentia & gloria.* Planctus omnium tribuum terræ indicat, oppreſſores ſancti populi tunc ſempiterno cum interitu ſuo agnituros, jam adeſſe diem ultionis & retributionis omnium malorum, quibus ſanctos Dei affecerunt. Poſteriora verba: *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli*, pariter ac verba ℣. 29 ſunt figurata & prophetica, quibus non corporalis Chriſti præſentia, ſed majeſtas ac poteſtas ejus in hoſtes ipſius exercenda ſignificatur. Similes locutiones etiam de Deo uſurpant Prophetæ, quando is judicia ſua immittere populis ac regionibus decrevit, ut Deum introducant quaſi præſentem adſuturum & quaſi cum horribili procella venturum, ad ſignificandum, quam gravia & atrocia ſint judicia illa futura. Ita Eſaias ait cap. 19. 1. *Onus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Et cap. 64. 1,3. *Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes, ut à facie tua montes defluant* &c. Item Pſal. 18. verſ. 10. *Inclinavit cœlos, & deſcendit, & caligo fuit ſub pedibus ejus. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volavit: volavit ſuper pennas ventorum.* Et Pſal. 104. verſ. 3. *Tu diſponis nubes in vehiculum tuum, & ambulas ſuper alas venti.* Vide quoque Habac. 3. verſ. 3,4,5. Pſal. 50. verſ. 3. & xcvij. verſ. 3,5. Zach. 9. verſ. 14. Eodem igitur modo & hæc verba, *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli*, nihil

nihil aliud ſignificant, quam præſentiam divinæ ejus poteſtatis, & paratum judicium ſuper omnes impios, quod tam terribile futurum eſt, atque ſi ipſe veniret, & propria manu ac ſceptro ſuo eos confringeret. Similis figurata locutio eſt etiam ſine dubio illa infra cap. 26. 64, de qua vide ibidem. Summa proinde hujus ℣. 30 eſt, quaſi diceret Chriſtus: cum igitur hoc impletum fuerit atque evenerit (quod ſcilicet ℣. 29, de obſcuratione ſolis, lunæ, & ſtellarum prædixerat) tunc apparebit ſignum Filii hominis, id eſt, exiſtent horrenda tonitrua, fulgura, & flammæ ignis (aut etiam aliud quippiam ſævum & formidoloſum, quicquid etiam ſit) quæ erunt certa indicia ejus poteſtatis præſentis, quæque omnibus populis ac tribubus terræ tantum pavorem ac terrorem incutient, ut plangendi ac lamentandi graviſſimas cauſas habituri ſint. Atque ſic cum extrema ſua pernicie videbunt & experientur, adventare jam juſtum judicem, & ejus manum ac divinam potentiam jam præſto eſſe. Ex quo etiam liquet, ex his verbis *Et videbunt Filium hominis*, non poſſe neceſſario corporalem ac perſonalem Chriſti præſentiam atque adventum ad hoc judicium colligi.

Cum ſumma potentia & gloria.] Per potentiam in adventu Chriſti alias intelliguntur exercitus Angelorum, qui Chriſtum comitabuntur 2 Theſſ. 1. 7. Vide etiam infra cap. 25. 31. Eſtque omnino credibile in hac figurata Chriſti apparitione, Angelos perſonam Chriſti geſturos, & judicium executioni daturos; prout in ſequenti ℣. 31, diſerte dicitur, congregationem electorum per Angelos peragendam eſſe. Per gloriam autem denotatur magna ac plene divina majeſtas, quæ in nubibus relucebit.

Verſ. 31. *Et mittet Angelos ſuos.*] Jam ſequitur altera pars judicii, nempe congregatio fidelium, de qua Chriſtus ait, eam per Angelos peragendam eſſe: idque in eum finem, ut eis tradatur Regnum, poteſtas & imperium ſub toto cœlo Dan. 7. 27. Non eſt autem mirum, quod Chriſtus in re tanti momenti Angelorum utetur opera ac miniſterio: cum legamus Deum eduxiſſe Lotum è Sodoma per Angelum Gen. 19. 16. Petrum è carcere liberaſſe Actor. 12. 7, ac in genere Angelos eſſe Spiritus miniſterii munere fungentes, qui miniſterii cauſa emittuntur propter hæredes ſalutis futuros Hebr. 1. 14. Atque hæc hactenus ad declarandam ſecundam ſententiam dicta ſunto.

PARS V.

Verſ. 36. *DE die autem illo & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater meus.*] Nunc reſpondet Chriſtus aliquid etiam ad quæſtionem de tempore, quando iſta futura ſint. Etſi vero diſcipuli ſolummodo de tempore everſionis Templi quæſierint, Chriſtus tamen reſpondet hic de tempore ſui adventus. Dicit autem, diem & horam adventus ejus nemini notam eſſe, ne Angelis quidem, qui ſtant ante thronum Dei (apud Marcum cap. 13. 32, addit Chriſtus, *neque Filius*) ſed ſolum Patrem noſſe. Cur tempus iſtud adeo ſit abſconditum, cauſam reddit Chriſtus Actor. 1. 7, quia id Pater in ſua poſuit poteſtate: indicans, hoc eſſe unum ex iis rebus, quas Deus in arcano conſilio ſuo clauſa, ab omnium creaturarum ſuarum notitia removit.

Hic notandum: ſi ſolus Pater diem novit adventus Chriſti, & quidem ita, ut eum ne filius quidem (ut habet Marcus) ſciverit, quomodo fieri poteſt, ut Chriſtus ſit ſummus ille Deus? Deo enim ſummo nihil poteſt eſſe ignotum, præſertim ex iis rebus, quas ipſe decrevit atque conſtituit. Ad diſtinctionem naturarum hic confugere non licet, ut dicatur Chriſtum tantum ſecundum humanam naturam ignoraſſe diem illum, noviſſe autem ſecundum divinam. Nam ſi ſolus Pater, ut Chriſtus hic loquitur, ſcivit hunc diem, utique eum Chriſtus ne quidem ſecundum divinam naturam ſcire potuit; quia Chriſtus etiam ſecundum divinam naturam non eſt Pater Chriſti. Vox *ſolus* habet vim excludendi omnes alias perſonas quæ non ſunt Pater. Imo illi qui Chriſto ſupremam deitatem tribuunt, contendunt, eum quatenus filius eſt, eſſe ſecundam Trinitatis perſonam, adeoque ipſum Deum ſummum. Atqui Marcus ait, Neque Filius ſcit. Quod autem Marcus nomen *Filii* in ſignificatione excellentiſſima accipiat, ex eo intelligitur, quod gradatim ab hominibus ad Angelos, ab Angelis ad Filium, à Filio ad Patrem aſcendat. *De die illo & hora*, ait, *nemo ſcit, neque Angeli, qui in cœlo ſunt, neque Filius, niſi Pater* cap. 13. 32. Etſi Chriſtus de die iſto ſciviſſet, nec voluiſſet eum diſcipulis ſuis revelare, cur non expreſſe reſpondit illis: Non veſtrum eſt iſtud ſcire; quemadmodum fecit Actor. 1. 7, vel, Mihi non eſt fas id vobis revelare? Cur potius id dixiſſet eis, quod verum non fuiſſet, ſcilicet quod ipſe neſciret diem illum, ſed ſolus Pater, cum tamen eum revera (ſecundum quamcunque naturam, perinde eſt) ſciret? Chriſtus cum ſuis diſcipulis ſimplicibus & fraudis dolique expertibus non ſatis candide egiſſet, quod tamen alioqui ſemper fecit. Profecto talis reſponſio nullum bonum virum deceret, quanto minus decuiſſet Filium Dei, qui fuit ſpeculum omnis candoris atque rectitudinis. Nam qui alios circumvenire volunt, ita reſpondere aſſolent, ut eorum verba aliter intelligantur, quam ipſi ea in corde ſuo intelligunt. Et quomodo etiam hæc reſponſio diſcipulorum deſiderio ſatiſfeciſſet, ſi ipſum eſſe ſummum Deum adeoque eum diem illum ſecundum divinam naturam ſciviſſe credidiſſent, & ex verbis ejus intellexiſſent, eum ſecundum humanam naturam illum ignorare? Nonne potuiſſent reſpondere: Domine, nos non poſtulamus, ut nobis diem illum indices ſecundum iſtam naturam, ſecundum quam eum ignoras; dic nobis tantum de eo ſecundum illam naturam, ſecundum quam eum noſti, nempe ſecundum divinam? Denique ſi ſuprema Deitas Chriſti, ſecundum quam omnia novit, cum humana natura arctiſſimo ac inſeparabili vinculo unionis perſonalis fuit conjuncta, qui potuit fieri, ut divina natura aliquid noſſet, quod non ſimul noviſſet & humana natura, vel, quod non humanæ naturæ illa voluiſſet ac debuiſſet revelare? Hoc argumentum adverſus ſententiam de ſuprema Deitate Chriſti, eſt tam validum, & invictum, ut nonnulli è Veteribus Eccleſiæ Doctoribus, preſſi ejus evidentia,

evidentia, eo confugerint, ut dicerent, textum hoc loco esse vitiatum. Sed hac ratione oportuisset & textum Marci esse vitiatum.

Vers. 37. *Sicut autem erant dies Noæ, ita erit & adventus Filii hominis.*] Quæ Christus hic duobus sequentibus versiculis de diebus Noæ memorat, & ℣. 40, 41, de separatione, quæ tunc temporis futura est, ea narrat Lucas cap. 17. 26 & seqq. prorsus alio loco: nempe refert ea ad quæstionem Christo à Pharisæis objectam, quando Regnum Dei venturum sit. Apud Lucam dubium non est, Christum loqui de magna Judæorum securitate, antecedente ultimam Hierosolymæ desolationem: & ℣. 34, 35, 36, de separatione, facta per prædicationem Euangelii, in illis 40 annis ante eversionem Hierosolymæ, quibus Regnum Dei in universo mundo tam eximie floruit. Quod igitur Christus apud Lucam alio locutus est tempore, id Matthæus non dubitavit hoc loco narrare, & superioribus subnectere, quia status utrobique est idem. Quæ enim temporibus Noæ & Loti fuit hominum securitas, eadem prorsus fuit etiam inter Judæos ante Hierosolymæ excidium. Et qualis hæc inter Judæos tunc fuit, talis erit inter homines ante adventum Christi, ad consummationem seculi; quicquid etiam per eam intelligatur. Ac quemadmodum illo tempore, quod præcessit excidium Hierosolymæ, per prædicationem Euangelii separatio bonorum à malis absque respectu personarum facta est: ita & in consummatione seculi persimilis fiet separatio. Quod igitur hunc ℣. 37 attinet, indicat Christus in eo, ut & in duobus sequentibus, versiculis, ante & circa tempus istius sui adventus magnam incuriam atque securitatem ubique in toto orbe terrarum fore, inprimis in iis, qui de adventu isto prius redditi sunt certiores: non secus, ac olim in primo mundo homines adeo securi ac incurioſi vixerunt, etsi à Noë de diluvio essent admoniti. Ita homines tametsi videbunt signa prædicta, nihilominus tamen à voluptatibus ac curis hujus mundi non absistent; nec signa illa curabunt, perinde quasi ea non viderent, aut quasi ad eos minime pertinerent. Huic tali securitati occurrit Christus perquam utili monito, quod est apud Lucam: *Attendite vobis, ne corda vestra graventur* &c. cap. 21. 34. Sed & hic apud Matthæum monitum subjunxit eodem spectans ℣. 42. Vigilate igitur, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.

Vers. 38. *Sicut enim in diebus ante diluvium, edebant & bibebant, uxores ducebant, & nuptum dabant, ad eum usque diem, quo intravit Noë in arcam.*

Vers. 39. *Nec cognoverunt donec diluvium venit, & sustulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis.*

Vers. 40. *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, & alter relinquetur.*] Respicit hic Christus ad historiam Loti. Nam sicut Angelus Lotum & domesticos ejus manu apprehensa ex Sodoma eduxit: ita etiam probi ac pii assumentur, id est, quasi manu educentur ac eripientur ab exitio. Significat autem hic Christus in ipsius adventu separationem factum iri inter malos ac bonos, æque ac illo tempore facto fuit, & bonos quidem ac pios è periculo ereptos in statum beatissimum transferendos, & in sempiternam cœlestem gloriam (ad communionem Regni Christi juxta alteram sententiam) congregandos, impios autem universali exitio involvendos esse. Confer cum Matth. 3. 12. XIII. 37, 38. Dum Christus tales introducit, qui erunt in agro, indicat, apud Deum nullum fore respectum personarum, sed etiam vilissimos homines & agricolas, si pii fuerint, ad participationem beatissimi status admissum iri.

Vers. 41. *Duæ molentes in pistrino, una assumetur, & altera relinquetur.*] Molitura in molendinis vel pistrinis olim per mulieres & ancillas peragebatur. Vide Exod. XI. 5. Esai. 47. 2. Similiter hic quoque indicatur, Deum nullum habere personarum delectum, sed etiam abjectissimas ancillas, quæ in pistrino laborant si piæ fuerint, gratiam apud eum inventuras. Vide Gal. 3. 28.

Vers. 42. *Vigilate igitur, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.*] Quia superius dixerat Christus, tempus & horam adventus sui incertam esse atque ignotam, ideo nunc omnes fideles hortatur ad vigilantiam, ut perpetuo agant excubias, id est, sancte ac pie vivendo ad adventum ejus sese parent. Uti paterfamilias, si certam horam sciret, qua venturus sit fur, totam vigilaret noctem: tanto magis vero vigilare debet, quando scit noctu venturum esse furem, nescit autem qua hora noctis venturus sit.

Vers. 43. *Illud autem scitote, si sciret paterfamilias, qua vigilia fur venturus sit, vigilaret, nec sineret perfodi domum suam.*] De divisione vigiliarum noctis vide supra cap. 14. 25.

Vers. 44. *Propterea & vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis venturus est.*]

Vers. 45. *Quis igitur est fidelis servus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis alimentum in tempore.*] Quis est igitur fidelis, id est, si quis est fidelis servus &c. Sensusque est: si quis à domino suo præfectus sit famulitio, beatus est, si officium suum fideliter ac prudenter administret. Sic etiam Luc. 12. 42. Superior admonitio ad vigilantiam spectat ad omnes Christianos in genere: in hoc autem & sequenti versiculo describit Christus officium Doctorum & Pastorum Ecclesiæ, quomodo se in eo gerere, & quam mercedem vel pœnam sperare debeant.

Quem constituit Dominus super familiam suam.] Describit officium Oeconomi, cui familia ac domus tota tradita est regenda. A tali potissimum duo requiruntur: fidelitas & prudentia. Cum hoc officio congruit officium Pastorum & Antistitum Ecclesiæ. Vide 1 Cor. 4. 1. Respicit autem Christus ad morem illorum temporum, quo Dominus unum aliquem è suis servis, de cujus fidelitate ac prudentia optime persuasus erat, toti præficere solebat familiæ, eique administrationem domus suæ committebat.

Ut det illis alimentum in tempore.] Apud Lucam est: τὸ σιτομέτριον, *tritici mensuram* cap. 12. 42. Servis enim triticum dabatur loco panis. Itaque verbis *in tempore* significatur tempus æstatis, quo triticum maturuit & in horreum collectum est. Talis igitur Oeconomus primum fidelis esse debet, ne familiam demenso unicuique debito defraudet: deinde debet esse prudens, ut opportunum tempus observet: qua in re reliqua omnia includuntur, quæ

quæ ad prudentem administrationem talis officii requiruntur.

Vers. 46. *Beatus servus ille, quem cum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem.*] Id est, munus suum fideliter ac prudenter administrantem.

Vers. 47. *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*] His verbis significatur honor summus, quo is afficietur. Qui multos erudient in cognitione, splendebunt sicut stellæ Dan. 12. 3.

Vers. 48. *Si autem dixerit servus ille malus in corde suo, differt dominus adventum.*] Id est, si servus ille, quem herus præfecit toti familiæ suæ, malus fuerit, & cogitaverit in corde suo &c.

Vers. 49. *Et cœperit verberare conservos, edere autem & bibere cum ebriosis.* Innuit Christus, in sua Ecclesia tales Pastores repertum iri, qui contra conservos ac collegas suos, vel alios Christianos arma corripient ipsi, aut eos qui gladium gerunt ad persecutiones ac violentiam adhibendam adversus illos instigabunt, ideo quod libertatem eorum in redarguendis suis nefariis facinoribus, vel falsis ac scandalosis doctrinis, aut etiam peculiares aliquas eorum sententias in rebus ad salutem minime necessariis ferre non potuerunt. Inprimis autem indicat eos id facturos, qui dum videri volent se id Christi causa facere, reipsa non Christo, sed ventri suo servient, & terrena curabunt Rom. 16. 18. Phil. 3. 19. Atque sic ipsa fert rei natura, ut qui emolumenti sui causa pii esse videri volunt, implacabili odio flagrent adversus eos, quos quæstui ac emolumentis suis obstare vident, eosque omni ratione persequantur. Quantopere vero tales displiceant Christo, & quam gravis eos maneat pœna, sequenti docetur versu 51. Tales Pastores ventri obedientes ac militantes, qui tyrannidem exercent in conservos suos, non tantum in Pontificia Ecclesia sunt, nempe Papa Romanus cum universo suo Clero, verum etiam plerique ex iis, qui à Pontificiis secesserunt: uti quotidiana docet experientia.

Vers. 50. *Veniet dominus servi illius, die quo non expectat, & qua hora non novit.*

Vers. 51. *Et separabit eum, ac partem ei assignabit cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.*] *Separabit*, in Græco est διχοτομήσει, id est, in duas partes scindet ac dissecabit. Quo significatur quod eum à domo sua tanquam aridum ramum ab arbore abscindet & removebit. Christus enim duplicem pœnam hic expressit, qua ejusmodi mali & infideles servi affici solent: primo quod muneris ablatione mulctabitur: deinde quod dignum ei irrogabitur supplicium, quod hic Christus *partem* (id est, mercedem) *hypocritarum* appellat.

Ac partem ei assignabit.] Est Hebraica locutio tam in bonam, quam in malam partem usurpari solita, eaque vel malus vel bonus alicujus status designatur. Vide Job. 20. 29. XXVII. 13. Psal. XI. 6. Item Psal. 16. 5. LXXIII. 26.

Cum hypocritis.] Lucas habet, *cum infidelibus* cap. 12. 46. Hypocritæ vocantur servi illi, qui ad oculum serviunt, & hominibus tantum placere student: ut loquitur Paulus Eph. 6. 6. Ore sunt fidelissimi, facto sunt fures nequissimi: domino præsente actuosi ac diligentes, eodem absente otiosi ac negligentes.

Illic erit fletus & stridor dentium.] De hac locutione vide supra cap. 8. 12.

CAPUT XXV.

I. *Christus pergit in admonendo ac hortando discipulos suos ad vigilantiam, adhibetque ad id similitudinem de decem Virginibus, quæ sponso una cum lampadibus suis obviam processerunt: ad vers. 14.* II. *Monet, ut fideliter impositio sibi defungantur munere: affertque similitudinem de servis, quibus herus commisit certam pecuniæ summam ad fœnerandum: advers. 31.* III. *Describit Judicium à se exercendum: ad finem cap.*

Connexio hujus Capitis cum superiore.

QUod hoc Caput quoad sensum & argumentum cum præcedenti cohærcat, indicat particula initio hujus Capitis posita, *Tunc*. Quemadmodum autem Caput superius, quod adventum Christi & consummationem seculi attinet, duplicem habet interpretationem: ita & hoc quod consequitur Caput, itidem duplici ratione est explicandum.

Prima Explicatio.

SI Christus in præcedenti Capite 24, de novissimo & universali judicio deque interitu mundi sermonem habuit, sequitur, hoc cap. 25, ejusdem esse argumenti. Causæ autem ac rationes, quod hic de extremo agatur Judicio, quas hoc ipsum caput submistrat, sunt geminæ. Prima est, ipsa clarissima descriptio adventus Christi ad judicium & ejus executionem vs. 31 ac seqq. Qui adventus quod non figurate sed proprie intelligendus sit, ex collatione cum aliis locis, ut 1 Thess. 4. 16. 2 Thess. 1. 7 patet. Secunda est, irrogatio æterni supplicii, & donatio vitæ æternæ vers. 46, quæ nullo alio fiet tempore, nec in alio judicio, quam in ultimo illo ac universali. Nam ut beatus iste status, quo fideles adhuc in hac vita fruentur, vita æterna appelletur, verisimile non est, nec ullo exemplo comprobari potest.

Secunda Explicatio.

QUi in superiori capite 24, de adventu Christi, quo non ad extremum judicium, sed ad erigendum Regnum suum triumphans in terris venturus est, agi putant, trahunt hoc quoque caput ad idem tempus & ad istud judicium, quod tunc in impios Christianos exercebitur. Rationes explicationis hujus has afferunt, quod omnia, quæ in hoc capite narrantur, in terris, non in cœlis peragenda sint. Nam nuptiæ sponsi ita describuntur, tanquam hic in terra celebrandæ. Cum enim advenit sponsus, dicuntur illæ, quæ paratæ erant, virgines introiisse cum eo in nuptias. Non dicitur autem, eas cum ipso in cœlum profectas & in cœlestia sempiterna gaudia ingressas esse: sed triumphalis iste ingressus peragitur hic in terris, ubi fatuæ virgines tempus commodum

è manibus

è manibus ſibi effluere paſſæ non dederant operam, ut paratæ atque inſtructæ eſſent, & poſtea demum abeunt ad emendum oleum; id quod in ultimo judicio non habebit locum: cumque jam clauſæ eſſent fores, veniunt illæ ſero, ac pulſant; id quod in cœlo fieri non poterit. Præterea non habet locum in cœlo, ſed in terra tantum illa remuneratio fidelium ſervorum, quos Dominus ſuper multa, vel, ut Lucas cap. 19. 17 habet, ſuper civitates, id eſt, ſuper populos, conſtituit, & ſuper plura ejuſmodi bona, quibus illi hic in terris fideliter negotiati ſunt, eis dat poteſtatem: nimirum, ut ea quoque in uſum domini ſui, ut antea fecerant, convertant. Nam in cœlo non poterunt dona ad hunc modum in uſum domini adhiberi. Apprime quoque notandum eſt, Chriſtum apud Lucam cap. 19. 11, eandem hanc parabolam exponentem, inde ſumſiſſe occaſionem ejus afferendæ, quod putaretur fore, ut illico regnum Dei (id eſt, regnum Meſſiæ) appareret. Cui ſententiæ non contradicit Chriſtus quod regnum Dei non ſit venturum; ſed hoc duntaxat docet iſta ſimilitudine, eis antequam illud veniat, plurimum adhuc laboris eſſe ſubeundum. Vide ad illum locum. Adde quod in hoc capite nihil quoque de deſtructione cœli ac terræ, nihil de reſurrectione mortuorum dicatur. Sed nec de omnibus hominibus ſermo eſt, ſed de iis tantum, qui ſponſum expectant, & tanquam invitati ad nuptias convivæ ipſi eunt obviam, quorum alii prudentes, alii fatui ſunt. Et in altera parabola ſententia tantum de iis fertur, qui Chriſtum pro Domino ſuo agnoſcunt, & ab eo unum aut plura talenta acceperunt, eaque bene vel male collocarunt. In tertia ſimilitudine inter oves & hædos, qui inter ſe permixti erant, & in uno ovili, id eſt, Eccleſia Chriſti reperti ſunt, fit ſeparatio (æque ut etiam Matth. 13. 24, nonniſi illa zizania, quæ permixta erant tritico, ſelecta ac combuſta ſunt) de aliis hædis, qui ſunt extra ovile Chriſti, nulla fit mentio. Ex quibus omnibus elucet, Chriſtum non de ultimo judicio loqui, ſed de illo ſolo, quod tantum in Chriſtianos eſt exercendum.

Quod autem verſ. 31, adventus Chriſti & hoc judicium ita deſcribatur, quod venturus ſit in gloria ſua, una cum omnibus ſanctis Angelis, & verſ. 32, quod ante eum congregabuntur omnes gentes, & quod verſ. 41, & 46, de pœna æterna & vita æterna injecta ſit mentio; dicendum eſt ex mente hujus ſecundæ Explicationis, Chriſtum, quod adventum ejus attinet, in ſemel cœpta allegoria perſeverare. Quemadmodum enim hæc tota deſcriptio eſt mere parabolica ac figurata, ita etiam Chriſtus hic verſ. 31, 32, per ſimilitudinem ſeipſum inducit tanquam Judicem potentiſſimum, qui ad demonſtrandam ſuam majeſtatem maxima atque numeroſiſſima aulicorum ac ſtipatorum ſuorum corona circumdatus in locum judicii prodit, & judicium exercet: etſi in rei veritate tales circumſtantiæ & talia verba atque reſponſa, qualia hic recenſentur, in illo judicio non ſint habitura locum. Tales proſopopœjæ ac figuratæ locutiones etiam de Deo uſurpantur. Vide Dan. 7. 9. Pſal. 9. 8. Jer. 49. 38. Inprimis autem videtur Chriſtus hac ſua deſcriptione adventus ſui, reſpexiſſe ad locum Zachar. 14. 5: *Et veniet Dominus Deus meus, omneſque ſancti cum eo.*

Quod autem ℣. 32, omnes gentes coram tribunali Chriſti comparituras aſſeritur, id intelligendum eſt, de omnibus illis gentibus, quæ Chriſtum pro ſponſo ac domino & paſtore agnoſcunt, ejuſque doctrinam profitentur: ut è textu clare perſpicitur, ubi in toto capite tales & non alii homines introducuntur. Notumque eſt, vocem *omnis* ſemper pro conditione rei & ſcopo loci, ubi uſurpatur, intelligendam eſſe.

Quod ad extremum attinet ſententiam latam de æterna pœna & æterna vita, ℣. 41, 46, certum eſt, pœnam illam, quæ impiis adhuc in hac vita infligetur, etiam æternam fore: quia in lacum ardentem conjicientur, in quo conflagrabunt, neque ex eo in æternum exibunt. Piorum autem ac proborum præmium eatenus æternum dici poteſt, quatenus in tam beato erunt ſtatu, quo nunquam poterunt excidere. Nam qui participes erunt primæ & ſpiritualis reſurrectionis, in eos non habebit ullam poteſtatem mors ſecunda Apoc. 20. 6. Ac credibile eſt, quod etiam prima & naturalis mors iis non ſit dominatura, ſed eos è numero illorum futuros, qui ad proprie dictum & perſonalem Chriſti adventum ſuperſtites manebunt, & in momento immutabuntur: qua de re Paulus ait 1 Cor. 15. 51. Cum igitur hic tam beatus fidelium ſtatus in terris, adeo cum æterna eorum felicitate cœleſti futurus ſit conjunctus, ut nulla adverſitas, nulla afflictio, nec mors quidem ipſa interventura ſit Apoc. 21. 4, merito hæc beata vita piorum, initium vitæ æternæ nuncupari poteſt, quæ hic quidem, dum ſunt in corpore, imperfecta, illic autem, poſt glorioſam immutationem, in cœlis perfectiſſima atque omnibus numeris abſolutiſſima erit.

Conciliatio harum duarum Explicationum Capitis 24. & 25.

UTraque harum duarum Explicationum hactenus expoſitarum tam 24 quam 25 capitis habent ſpeciem veri, & difficultates ſuas. Itaque forſitan non adeo abſurdum foret dicere, Chriſtum cum in tota hac diſſertatione ſua tot uſus ſit figuris, parabolicis ac Propheticis locutionibus, noluiſſe rem tam clare ac dilucide proponere, ut tam facile ac ſine profunda meditatione atque collatione cum aliis ejus dictis queat intelligi: tum etiam eum ſermonem ſuum tam ſapienter ac circumſpecte inſtituiſſe, ut ſimul utrumque judicium, & utrumque fidelium ſtatum, tam eum quo in Regno ejus hic in terris, quam quo in cœlis in vita æterna perfruentur, complexus fuerit; ſiquidem ut judicium illud dirum ſuper Hieroſolymam exercitum, figura fuit tam judicii ſuper Chriſtianos ex Gentibus oriundos exercendi, quam ultimi ac univerſalis judicii totius mundi: ita etiam felix ille ſtatus in terris piorum, figura erit infinitæ & incomprehenſibilis felicitatis cœleſtis. Et ſane hunc modum reſpondendi & rem explicandi Chriſto non inſolitum fuiſſe, monſtrat id quod legitur initio capitis 18.

Cum

Cum enim diſcipuli verſ. 1 interrogaſſent, Quiſnam futurus ſit maximus in Regno cælorum (non in vita æterna, ſed in regno Meſſiæ) reſpondet Chriſtus ita, ut ſimul eorum quæſtioni ſatiſfaciat, & vocibus quoque Regni cœlorum, quo nomine alias regnum Meſſiæ proprie deſignatur (vide ſupra cap. 3.2) ſtatum vitæ æternæ comprehendat, in quo non minus atque in regno Meſſiæ, humiles ac modeſti ſupra cæteros inſigniter eminebunt.

Jam ad tractationem textus ipſius nos accingemus.

PARS I.

Verſ. 1. *Tunc erit ſimile regnum cœlorum decem virginibus, quæ ſumtis lampadibus ſuis exierunt in occurſum ſponſi.* Id eſt, tunc temporis, quando Dominus tam improviſus ac inſperatus advenict, ut ſupra cap.24. 50 dictum eſt, perinde res geretur in regno cœlorum, atque ſi decem virgines exeant cum lampadibus ſuis in occurſum ſponſi.

In occurſum ſponſi.] Vulgata Latina editio habet, *Obviam ſponſo & ſponſæ*, & probabile eſt, etiam in vetuſtiſſimis nonnullis exemplaribus Græcis hanc fuiſſe lectionem. Parabola enim hæc à Chriſto formata eſt ad conſuetudinem illorum temporum. Nam inter alios laudabiles mores, quos Judæi à ſuis majoribus acceperunt, etiam hic fuit, quod contractus matrimoniales non clanculum, ſed palam præſentibus cognatis aliiſque gravibus ac honeſtis hominibus fierent, & quidem cum adjuncta benedictione, atque precatione pro ſponſis ac novis nuptis; quo pacto velut vinculo colligabantur ac copulabantur. Atque hunc morem, ut & alia multa ad bonum ordinem ſpectantia, etiam primi Chriſtiani à Judæis mutuati ſunt, & inter ſe inſtituerunt. Ad hanc benedictionem ac copulationem (ante quam neque apud Judæos, neque apud Chriſtianos fas erat ſponſo ſponſam attingere) tum ſponſus viris honeſtis, tum ſponſa matronis honeſtis comitati ducebantur. Unde redeuntibus obviam ibant, ſponſo quidem juvenes delecti (qui *filii thalami* dicebantur Matth.9.15) ſponſæ vero virgines. Poſtea convivium nuptiale inſtituebatur. Reſpicit hæc parabola ad Pſalm. 45. ℣.15,16.

Verſ. 2. *Quinque autem ex eis erant prudentes, & quinque fatuæ.*

Verſ. 3. *Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis, non acceperunt ſecum oleum.*

Verſ. 4. *Prudentes vero acceperunt oleum in vaſis ſuis una cum lampadibus ſuis.*

Verſ. 5. *Moram autem faciente ſponſo, nictarunt omnes, ac dormierunt.*] Moratus eſt diutius quam fieri aſſolet.

Nictarunt omnes ac dormierunt.] Tam prudentes, quam fatuæ: *In multis enim labimur omnes* Jacob. 2. ℣.3, inprimis initio noſtræ fidei ac converſionis. *Tempus eſt*, inquit Apoſtolus, *ut à ſomno expergiſcamur. Propior enim nobis nunc eſt ſalus, quam cum credidimus* Rom. 13. 11, id eſt, cum primum fidem in Chriſtum ſuſcepimus.

Verſ. 6. *Media vero nocte clamor ortus eſt: Ecce ſponſus venit, exite in occurſum ejus.* Celebria ac inprimis nuptialia convivia, ſolebant ſemper veſperi ac noctu peragi. Vide ſupra cap.8. 13.

Clamor ortus eſt. Clamor noctu longius reſonat, & magis auditur: ut Exod.12. 30.

Verſ. 7. *Tunc ſurrexerunt omnes illæ virgines, & adornarunt lampades ſuas.*

Verſ. 8. *Fatuæ vero prudentibus dixerunt: Date nobis ex oleo veſtro; quia lampades noſtræ extinguuntur.*

Verſ. 9. *Reſpondentes autem prudentes dixerunt: Ne forte non ſufficiat nobis & vobis; ite vero potius ad vendentes, & emite vobis.*

Verſ. 10. *Quum autem abirent emptum, venit ſponſus; & quæ paratæ erant, introiverunt cum eo ad nuptias: clauſaque eſt janua.*

Verſ. 11. *Poſtea vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.*

Verſ. 12. *Ipſe vero reſpondens ait: Amen dico vobis, non novi vos.*] Vide ſupra cap.7. 29.

Verſ. 13. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam, qua filius hominis veniet.*] His verbis continetur ſcopus hujus parabolæ; eo enim ſpectat Chriſtus, ut ſuos diſcipulos, & per eos omnes fideles ſuos ad vigilantiam in adventum ſuum excitet & adhortetur, monſtras, ſeram fore tunc temporis, ubi venerit, omnem curam ac ſolicitudinem de emendo oleo, id eſt, de vita pie ſancteque ducenda.

PARS II.

Verſ. 14. *Sicut enim homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit eis bona ſua.* Locutio iſta eſt imperfecta, in qua aliquid ſubaudiendum eſt, quod voculæ *ſicut* reſpondeat, hoc modo: Regnum cœlorum eſt ſicut cum homo peregre proficiſcens vocat ſervos &c. Sic ſupra verſ. 1 dicitur: *Regnum cœlorum ſimile erit decem virginibus.* Talis imperfecta locutio eſt etiam Marc.13. 34. Quod autem hæc parabola non ſit eadem cum illa, quæ apud Lucam deſcripta eſt c.19.11 oſtendit tempus, occaſio, & non paucæ aliæ circumſtantiæ, quæ illic aliter narrantur, quam hic. Eſtque prorſus credibile, Chriſtum non raro res inter ſe ſimiles, ſimili narraſſe modo, & ſimilibus parabolis illuſtraſſe. Reſpicit autem hic Chriſtus diverſa dona, quæ poſt ſuam exaltationem diverſimode diſtribuit: inprimis diverſa officia epiſcoporum, Doctorum & Paſtorum, de quibus Paulus Rom.12.6,7. 2 Cor.12.7,8,11,29. Epheſ.4.11. Significatque, eos quibus tale munus commiſſum eſt, ita eo fungi debere, ut Chriſto quam plurimos lucrifaciant: quomodo Paulus de ſe teſtatur: *Gratia ejus in me collata non fuit inanis, ſed amplius quam illi omnes laboravi* 1 Cor.15. 10. Quique ſic eo negotiati fuerint, tempore adventus Chriſti ad magnos honores & gaudia evehentur, reliqui autem à communione Regni ejus rejicientur.

Verſ. 15. *Et huic quidem dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique ſecundum ipſius facultatem: & peregre profectus eſt ſtatim.*] De voce talenti vide ſupra cap.18. 24.

Unicuique ſecundum ipſius facultatem.] Id eſt, unicuique pro eo, ac fuit idoneus plus vel minus adminiſtrare. Hæc verba in apodoſi hujus parabolæ nihil ſibi reſpondens habent, nec ullam rem peculiarem ſignificant, ſed tantum addita ſunt ad explendam & exornandam ſimilitudinem. Dubitandum autem non eſt, Deum creberrime in donorum ſuorum diſtributione habere rationem hominum naturalis dexteritatis & aptitudinis. Sic igneus ſpiritus, qui in Paulo à natura fuit, quique eum ad Eccleſiam Chriſti tanto zelo perſequendam incitavit, electum vas Chriſto eum effecit Actor. 9. 15. Verum quod Deus id non ſemper obſervet, vel unicum Jeremiæ exemplum docere poteſt. Vide Jer. 1. verſ. 6.

Verſ. 16. *Abiens autem qui quinque talenta acceperat, negotiatus eſt iis, & lucratus altera quinque talenta.*

Verſ. 17. *Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt & ipſe alia duo.*

Verſ. 18. *Qui autem unum acceperat, abiens defodit illud in terra, & abſcondit pecuniam domini ſui.*] Id eſt, donis, quæ acceperat, non eſt uſus. *Sapientia abſcondita, & theſaurus abditus, quid utilitatis habent?* Eccleſiaſtic. 20. 32.

Verſ. 19. *Poſt multum vero tempus venit dominus ſervorum illorum, & confert rationem cum eis.*

Verſ. 20. *Tunc accedens is qui quinque talenta acceperat, attulit altera quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce altera quinque talenta lucratus ſum ex eis.*

Verſ. 21. *Dixit autem ei dominus ejus: Bene, ſerve bone, & fidelis; in exiguo fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: ingredere in gaudium domini tui.*] Dominus majorem ſummam quinque talentorum æque vocat exiguum, atque poſtea vſ. 23 duo talenta. Nimirum exigua ſunt comparata cum illis bonis, ſuper quæ hunc fidelem ſervum poſtea conſtituet. Quid enim eſt obedientia tam Apoſtolorum, quam aliorum fidelium comparata cum ſummo gaudio, quo in Regno Chriſti, vel in vita æterna fruentur?

Ingredere in gaudium domini tui.] Fruere gaudiis, quibus dominus tuus fruitur. *Si una patimur, una etiam cum eo regnabimus,* 2 Tim. 2. 12.

Verſ. 22. *Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum ex eis.*

Verſ. 23. *Ait ei Dominus ejus: Bene, ſerve bone & fidelis, in exiguo fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: ingredere in gaudium domini tui.*] Dominus hunc qui duo talenta tantum lucratus fuerat, æquat in remuneratione ei, qui quinque talenta lucratus erat. Deus enim non reſpicit multitudinem aut magnitudinem operum (quia non omnes æquale tempus & occaſiones, & vires habent) ſed fidelem & ſinceram diligentiam, quam hic non minus in lucrandis duobus talentis, quam ille in quinque lucrandis adhibuit.

Verſ. 24. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, noveram te hominem durum eſſe, qui metas, ubi non ſeviſti, & inde colligas, ubi non ſparſiſti.*] Chriſtus proponit exemplum negligentiæ in eo, qui unum duntaxat talentum acceperat, ne quis ſibi vana ſpe imponeret, quaſi nullus labor ab eo exigatur, qui non magnis fuit donis præditus. Cui enim plurimum datum eſt, ab eo etiam plurimum exigetur Luc. 12. 48. Et qui pauca accepit, debet ſaltem pauca lucrari.

Durus homo.] Iniquus & injuſtus. Ita mos eſt omnium pigrorum ſervorum, quando pigritiæ ſuæ alium colorem invenire nequeunt, tandem culpam in ipſum dominum rejiciunt.

Qui metas, ubi non ſeviſti.] Hoc fuit proverbium notum apud Judæos: quod etiam in aliis linguis uſitatum eſt. Vide Joh. 4. 37.

Colligas, ubi non ſparſiſti.] Senſus eſt: Alius de ſuo granario ſementim fecit, tu in tuum granarium colligis, ex quo nullum granum ad ſementim depromſiſti. His ut & præcedentibus verbis deſcriptio avari hominis continetur.

Verſ. 25. *Itaque timens abii, & occultavi talentum tuum in terra; ecce habes, quod tuum eſt.* Præter hoc, nihil amplius tibi debeo. Similis locutio erat ſupra cap. 20. 14. *Accipe quod tuum eſt, & abi.*

Verſ. 26. *Reſpondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male & piger, ſciebas, metere me ubi non ſevi, & inde colligere, ubi non ſparſi.*] Dominus ſumit pro conceſſo, ſe eſſe tam durum hominem, uti ſervus ipſi objecerat, ut eum ex illius ipſius verbis refutet ac convincat, quaſi dicat: Eſto, vel, ſit ita, me eſſe tam iniquum hominem, ut metam ubi non ſeminavi, hoc tamen te nihil excuſat; tanto enim majori diligentia curare debuiſſes, ne me fructu pecuniæ meæ defraudares. Multo melius feciſſet ſervus iſte, ſi talentum à domino non acceptaſſet, ſi eo negotiari nolebat. Ita multo magis præſtat, aliquem munus alios docendi non ſuſcipere, quam ſuſcepto gnaviter non defungi. Vide etiam 2 Petr. 2. 21.

Verſ. 27. *Oportuit ergo te tradere pecuniam meam menſariis: & ego veniens recepiſſem meum cum fœnore.*] Non potes ea excuſatione uti, quod neminem invenire potueris, qui pecunia indigeret: ecce ſunt menſarii ac fœneratores, illi accipiunt pecuniam ab unoquoque ad fœnerandum.

Et ego veniens recepiſſem meum cum fœnore.] In Syriaco hic & in Vulgata Latina editione apud Lucam cap. 19. 23 eſt: *Ego cum uſura exegiſſem illud.* Vult dicere dominus: Non etiam eſt, quod periculum in mutuanda pecunia obtendas. Mea erat pecunia, ubi redirem, non tuo, ſed meo periculo eam requiſiviſſem. Qui enim adminiſtrationem alienæ pecuniæ ſibi commiſſam habent, tutam ſatis inſiſtunt in agendo viam, ſi talibus pecuniam credant, quibus publice accommuniter fides habetur, quales ſunt menſarii ac numularii.

Verſ. 28. *Tollite ergo ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.*

Verſ. 29. *Omni enim qui habet, dabitur, & abundabit: qui vero non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.*] Vide quid hac de re dictum ſit ſupra cap. 13. verſ. 12. Eadem enim oratio eſt, etſi illic de aliis donis ſit ſermo. *Habere* ſignificat hoc loco, ita habere, ut eo quod habes, utaris quam rectiſſime, ne gratiam Dei in te patiaris eſſe inanem: ut Paulus loquitur 1 Cor. xv. 10. Hoc qui facit, plura à Deo accipiet.

Verſ. 30. *Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteri-*

exteriores : ibi erit fletus & ſtridor dentium.] Vox ὀκνηρὸς, valet hoc loco idem, quod piger, ignavus, ſocors: ut etiam Syrus hanc vocem hic reddidit.

In tenebras exteriores.] Vide ſupra cap. 8. 12.

PARS III.

Verſ. 31. *CUm autem venerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ.*] Hic deſcriptio continetur divinæ Chriſti Majeſtatis ac potentiæ. Vide ſimilem deſcriptionem Dei, Zach. 14. 5.

In throno gloriæ ſuæ.] Id eſt, in glorioſo throno ſeu ſolio. Hebraiſmus. Sumpta eſt metaphora à Regibus, qui quando res magni momenti peragere volunt in publico, reſidere ſolent in excelſo & ſplendide exornato throno, ad monſtrandam ſuam majeſtatem. Vide ſupra cap. 19. 28.

Verſ. 32. *Et congregabuntur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos, alios ab aliis, ut paſtor ſeparat oves ab hædis.*] Tota ſequens narratio arguit, hic non de omnibus populis ac gentibus totius mundi ſermonem eſſe, uti Actor. 17. 31 ſed tantum de iis, qui nomen Chriſti profitentur. E quibus qui probi fuerint, & charitatem exercuerint, in die judicii, de quo hic Chriſtus loquitur, à malis ſeparabuntur: eo modo, quem etiam Chriſtus ſupra cap. 13. 24, 47, in parabolis de agro & de ſagena indicavit. Nam ut Juriſconſulti ajunt, qui culpam ſuam ipſe ultro fatetur, eum non habere locum ullum ſtandi coram judicio, ſed pronunciat confeſſione ſua ipſe ſententiam de ſe: ita etiam illi, qui Euangelium ſpernunt, idque ſuſcipere recuſant, ſua confeſſione ſeipſos condemnant. *Qui non credit, jam judicatus eſt*, Joh. 3 18. Si autem in hoc capite non agatur de univerſali judicio, ſed tantum de illo, quod ſuper impios & falſos Chriſtianos exercebitur, in quo talis ſeparatio ovium ab hædis fiet: cauſa erit, cur reliqui populi ab hoc judicio excipiantur, quia in illis vaticinia Prophetarum de converſione gentium perfectiſſima ratione implebuntur.

Oves ab hædis.] Reſpicit hic Chriſtus ad locum Ezech. 34. 17. Oves ſunt animalia manſueta & mitia: hædi ſunt laſcivi & fœtidi. Hinc Hebræi malos ſpiritus hircos, eorumque diſcipulos hædos appellant.

Verſ. 33. *Et ſtatuet oves quidem ad dexteram ſuam, hædos autem ad ſiniſtram.*] Locus ad dextram honoratior eſt, quam ad ſiniſtram. Significat autem dextra manus bonum, ſiniſtra malum. Hinc Salomon ait: *Cor ſapientis eſt in dextera parte ejus: cor vero ſtulti eſt in ſiniſtra parte ejus*; id eſt, illius eſt bonum, hujus malum, Eccleſ. 10. 2. Sic etiam Jon. 4. 11, de Ninivitarum infantibus dicitur, quod *neſciant diſcrimen inter dextram & ſiniſtram*, id eſt, inter bonum & malum. Quando Judæi benedictionem Legis pronunciabant, convertebant faciem ad montem Garizim, qui verſus Meridiem, ut docent Hebræi, ſitus erat: meridiem autem vocant Judæi dextram partem, quia ad dextram eſt, quando facies ad Orientem convertitur. Quando vero maledictionem Legis pronunciabant, faciem ſuam vertebant ad montem Hebal, verſus ſeptentrionem, qui ad ſiniſtram poſitus erat.

Verſ. 34. *Tunc dicet Rex iis, qui erunt ad dexteram ejus: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.*] Illi ſunt benedicti Dei, quibus vi fœderis debetur æterna & ſumma felicitas, quæ in Lege fuit temporali illa benedictione (Deut. 28. 1 & ſeqq.) adumbrata. His infra v. 41, opponuntur maledicti, quorum infelix ſtatus & æterna damnatio fuit maledictione illa Legali adumbrata, de qua Deut. 28. 15 & ſeqq.

Poſſidete regnum.] Alibi vita æterna merces vocatur: ſupra cap. 5. 12. 1 Cor. 3. 8. In eo autem conſiſtit ſuprema merces noſtræ exilis operæ, quod nos Deus hæredes ſuos inſtituerit.

Paratum vobis.] Id eſt, quod vobis deſtinatum eſt: ut ſupra c. 20. 23. 1 Cor. 2. 9. Eph. 1. 4. Hebr. xi. 16.

A conſtitutione mundi.] Vide ſupra cap. 13. 35. Luc. xi. 50. Hebr. 9. 26. Judæi ſtatuunt mundum propter Meſſiam eſſe creatum, ut ipſius imperio totus ſubjiceretur.

Verſ. 35. *Eſurivi enim, & præbuiſtis mihi cibum; ſitivi, & præbuiſtis mihi potum, hoſpes fui, & collegiſtis me.*

Verſ. 36. *Nudus, & amiciviſtis me: ægrotavi, & inviſiſtis me; in carcere eram & venistis ad me.*] Miſericordia eſt una è virtutibus præſtantiſſimis, filia regiæ virtutis, charitatis. Itaque Chriſtus eam pro exemplo hic adducit, & deſcribit è notis manifeſtis. Enumerat diverſa opera charitatis & miſericordiæ, quia totum hoc judicium modo allegorico, pro eo ac humana judicia exerceri ſolent, proponit. Verum non ſolum opera miſericordiæ, ſed animus quoque miſericors & ſenſu alienarum miſeriarum affectus, etſi non ſemper habuerit occaſiones aut media reipſa opera ejuſmodi exercendi, non minus ampliſſimo iſto præmio afficietur.

Verſ. 37. *Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & aluimus? aut ſitientem, & dedimus tibi potum?*

Verſ. 38. *Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? aut nudum, & amicivimus.*

Verſ. 39. *Aut quando te vidimus ægrotum, aut in carcere, & venimus ad te?*] Chriſtus indicat, juſtos admiraturos eſſe tantam Chriſti benignitatem, quod eorum exigua opera tanti æſtimaturus ſit.

Verſ. 40. *Et reſpondens Rex dicet eis: Amen dico vobis, quatenus id feciſtis uni ex iſtis fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*] Id eſt, non tantum præcipuis & inter fideles meos eminentiſſimis, ſed viliſſimis quoque & abjectiſſimis inter eos. Tam arctus eſt inter Chriſtum & fideles ejus nexus, ut ipſe fidem ſuam interponat, ſeque compenſatorem polliceatur fore omnium beneficiorum, quæ his exhibentur. Vide ſupra cap. 10. 42.

Mihi feciſtis.] Id eſt, tanti id æſtimo, atque ſi mihi ipſi id præſtitiſſetis.

Verſ. 41. *Tunc dicet etiam iis, qui erunt ad ſiniſtram: Ite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.*] Ignis in quem impii omnes una cum Diabolo conjicientur, hic *æternus*, ſupra autem cap. 3. 12 *inextinguibilis* appellatur: non ideo, quod in eo impii non poterunt in æternum comburi, ſed quod ita comburentur, ut in æternum non ſint ex eo evaſuri; quemadmodum gramen non poteſt amplius renaſci, quamdiu ignis in illo loco ardet. Similem locutionem, quæ huic noſtro loco

multum lucis afferre poteſt, habemus apud Eſaiam Prophetam, ubi Deus Ethnicis minatur judicia ſua: *Mutabuntur torrentes eorum in picem, & terra in ſulphur, eritque regio eorum ut pix ardens. Noctu & interdiu non exſtinguetur, in æternum aſcendet fumus ejus, à generatione in generationem vaſtata manebit, in ſempiternum nemo tranſibit per eam*, cap. 34. 9, 10. An vero ignis iſte naturalis futurus ſit, merito dubitant illi, qui capere nequeunt; quomodo ſpiritus, qualis eſt Diabolus & omnes dæmones, à naturali igne uri atque torqueri queat. Id autem eſt extra omnem dubitationis aleam, ignem illum, quo juxta prædictionem Petri 2 Petr. 3. 10, 12 viſibilis hic mundus, & cum eo omnes impii conflagrabunt ac abolebuntur, fore non diſſimilem naturali igni, ſed multo validiorem & efficaciorem; quandoquidem etiam talia eo comburentur, quæ alias naturali igne conſumi non poſſent.

Qui paratus eſt Diabolo.] Per Diabolum intelligitur Princeps dæmoniorum, qui ſupra cap. 10. 25. xij. 24. Beelzebul, & in ſummo gradu Diabolus, id eſt, Calumniator appellatur. Non abſurde autem obſervarunt Veteres, Chriſtum non dicere, pœnam, quæ hic per ignem ſignificatur, à condito mundo paratam eſſe, uti ſupra de Regno dixit: neque etiam, quod hominibus paratus ſit iſte ignis, ſed tantum Diabolo & Angelis ejus. Nimirum indicare voluit Chriſtus ſummam Dei erga homines charitatem, quod ex immenſa gratia ſua ſupremam felicitatem eis paraverit, & certis conditionibus deſtinaverit, antequam creati eſſent aut nati; nullam autem pœnam ac ſupplicium libero propoſito conſtituerit: ſed primum malitia rebellium Angelorum eum invitum coëgit, ut pœnam in eos decerneret; poſtea etiam malitia hominum, qui in inobedientia malos Angelos imitati ſunt, imo etſi ad pœnitentiam vocati atque invitati fuerint (quæ gratia Angelis non contigit) pervicaciter tamen in inobedientia perſtiterunt, eandem pœnam, quæ aliis parata erat, in eorum capita devolvit. Iſti Veteres longe rectius de immenſa Dei bonitate ſenſerunt, quam recentiores illi, qui docent, Deum ab æterno, ex libera voluntate ac beneplacito ſuo, & abſque omni reſpectu operum ac peccatorum, maximam hominum partem æternis cruciatibus deſtinaſſe & adjudicaſſe.

Verſ. 42. *Eſurivi enim & non præbuiſtis mihi cibum, ſitivi, & non præbuiſtis mihi potum.*

Verſ. 43. *Hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non amiciviſtis me; ægrotus & in carcere fui, & non inviſiſtis me.*

Verſ. 44. *Tunc ipſi quoque reſpondebunt ei, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi?*

Verſ. 45. *Tunc reſpondebit eis dicens: Amen dico vobis, quatenus id non feciſtis uni ex iſtis minimis, nec mihi feciſtis.*

Verſ. 46. *Et abibunt iſti ad ſupplicium æternum; juſti vero ad vitam æternam.*] Græca vox κόλασις ſignificat proprie pœnam corporis vel caſtigationem. Quia vero hic pœna impiorum per ignem deſcribitur, ignis autem dolorem affert, ideo vox hæc, cruciatus, vel ſupplicium cum cruciatu vertitur. Utrum vero impii talem æternam pœnam, quæ cum ſenſu intolerabilium dolorum conjuncta ſit, ſubituri ſint, multi etiam ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus dubitarunt. Ut vero Deus in omnibus juſtitiæ tenax eſt, ita hic quoque ſuper neminem extendet pœnam meritis ejus majorem. Nulla autem poſſunt eſſe peccata tam gravia, quæ ſempiternis cruciatibus poſſent æquari. Æternum eſt longum tempus: & hoc ipſum eſt pœna graviſſima, æterna beatitudine in æternum privari, & æternum perire. Cui ſententiæ minus refragabitur, qui conſideraverit, Chriſtum hic, ut & in plurimis aliis locis, figuratis & apud Judæos uſitatis loquendi modis uti. Vide dicta à nobis ſupra ad ℣ſ. 34 & 41.

CAP. XXVI.

Argumentum & Partitio.

I. Chriſtus indicat ſuis diſcipulis tempus ſuæ paſſionis & mortis: ad verſ. 3. II. Hoſtes Chriſti conſultant, de Chriſto capiendo & perdendo: ad verſ. 6. III. Chriſtus unguento pretioſo à quadam fœmina ungitur: ad verſ. 14. IV. Judas prodendi Chriſti negotium in ſe ſuſcipit: ad verſ. 17. V. Chriſtus edit Paſcha cum diſcipulis ſuis: ad verſ. 26. VI. Inſtituit cœnam ſacram memorialem ſuæ mortis: ad verſ. 30. VII. Prædicit diſcipulis, ut fugituri ſint ab eo, & inprimis Petro, ut eum ſit abnegaturus: ad verſ. 36. VIII. Deſcribitur paſſio Chriſti in horto: ad verſ. 47. IX. Deſcribitur, ut Chriſtus fuerit à Juda proditus, à miniſtris hoſtium ſuorum comprehenſus, & à diſcipulis ſuis deſertus: ad verſ. 51. X. Ut unus è diſcipulis ſervo Pontificis Maximi auriculam amputarit: ad ℣ſ. 55. XI. Quid Chriſtus ad populum locutus fuerit: ad verſ 57. XII. Quid Chriſtus in domo Caiphæ paſſus fuerit; nempe adductus ad judicium tanquam maleficus: ad verſ. 59. ut falſi teſtes adverſus eum ſubornati & teſtati fuerint; ad verſ. 63, ut à Pontifice Maximo ſit blaſphemiæ inſimulatus, ad verſ. 66, ut tanquam blaſphemus fuerit damnatus, ad verſ. 67, ut à ſervis ac mediaſtinis ſit conſputus & irriſus, ad verſ. 69. XIII. Ut à Petro ſit abnegatus: ad finem Capitis.

PARS I.

Verſ. 1. *ET factum eſt, cum finiſſet Jeſus omnes iſtos ſermones, dixit diſcipulis ſuis.*] Hucuſque Matthæus deſcripſit ea, quæ ad Propheticum Chriſti munus pertinuerunt, quæque cauſa & occaſio paſſionis mortiſque ejus, ac porro Sacerdotalis & Regii numeris ejus extiterunt: dum Phariſæi ac Scribæ partim ejus doctrina ac miraculis, partim acri reprehenſione ſuæ hypocriſeos irritati, inierunt conſilium de eo

de eo è medio tollendo, & reipſa id quoque effectui dederunt. Itaque ea quæ porro in hoc cap. 26, & ad finem uſque libri hujus enarrantur, ſunt quodammodo concluſio ac terminus Prophetici ejus muneris, & initium atque ingreſſus muneris ejus Sacerdotalis ac Regii: hiſtoria nimirum de ejus paſſione, morte & reſurrectione una cum iis, quæ poſt reſurrectionem ejus uſque ad aſcenſionem in cœlum acciderunt.

Omnes iſtos ſermones.] Per ſermones iſtos intelligit Matthæus omnia, quæ Chriſtus hactenus docuit ac prædicavit: quaſi dicat, poſtquam igitur Chriſtus ſic, ut deſcriptum eſt hactenus, munus ſuum Propheticum abſolviſſet.

Verſ. 2. *Scitis, poſt biduum Paſcha fore, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.*] Quo die proprie id Chriſtus locutus fuerit, non facile eſt divinare. Voces enim iſtæ *poſt biduum* nonnunquam ita accipiuntur, ut is ipſe dies includatur, nonnunquam ita ut excludatur. Probabile autem eſt, Chriſtum id prolocutum eſſe die Mercurii veſperi. Nam die Jovis poſtea Paſcha comedit: die Veneris inter duas veſperas Judæorum Paſcha mactatum eſt, & ipſe eodem tempore, uti præfiguratum Paſcha, crucifixus eſt. Vide dicta de hac temporis ſupputatione ad Johannem cap. 12. 2. Vox *Paſcha* ſignificat tranſitum, fuitque ita vocatus agnus ille, quem Judæi edebant, in memoriam liberationis ſuæ ex Ægypto. Hic vero Chriſtus intelligit per Paſcha feſtum, quo agnus iſte comedebatur. Vide plura de hac voce in Appendice ad Euangelium Marci, ubi habetur Tractatus de hoc Feſto Paſchatis peculiaris: in quo etiam cap. 14 oſtenſum eſt, hoc Paſcha non quartum, multo minus quintum fuiſſe, ſed tertium & ultimum ex iis, quæ inter baptiſmum & mortem Chriſti acciderunt.

Et filius hominis tradetur.] Quaſi dicat: Etſi biduum tantum ad feſtum Paſchæ interſit, tamen intra tam breve ſpatium capiar, damnabor ad mortem, & in crucem tollar, ut etiam hac in parte impleatur Lex Joh. 19. 36. 1 Cor. 5. 7. Eſt enim antiqua Judæorum traditio, quæ etiamnum hodie in Judæorum libris reperitur, in diebus Meſſiæ populum eadem prorſus die liberatum iri, qua quondam ex Ægypto liberatus fuit.

Chriſtus ait in textu originali, *traditur*, pro, tradetur, quia tempus jam inſtabat, quo Pilato erat tradendus cap. 27. 2. Joh. 18. 25.

Ut crucifigatur.] Crucis ſupplicium erat mors ignominioſiſſima, & ſummum dolorem afferens: in qua malefici ligno manibus & pedibus affixi, & erecti, aliquamdiu pendebant, tandem vero eis crura frangebantur; quod ultimum Chriſto non evenit. Vide de hoc mortis genere dicta ſupra cap. 10. 38.

PARS II.

Verſ. 3. *Tunc congregati ſunt primarii Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores populi, in aulam Principis Sacerdotum, qui dicebatur Cajaphas.*] Tunc, id eſt, circa illud tempus: quo ſenſu Matthæus hanc vocem ſæpiſſime uſurpat. Intelligit illud tempus, quo Chriſtus maximum miraculum in ſuſcitando è mortuis Lazaro edidit, quod efficaciſſime permovit populum, ut Chriſtum aſſectaretur. Vide Joh. xi. 47.

Primarii Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores populi.] Hæc eſt deſcriptio Synedrii, (ut id appellat Johannes cap. xi. 47) quod ex iſtis tribus conſtabat. Vide Matth. 5. 21. Pertinebat autem ad officium Synedrii inter alia etiam de falſis Prophetis judicare.

Primarii Sacerdotes.] Per hos intelliguntur hic Principes familiarum Sacerdotalium è tribu Eleaſari & Ithamaris, de quo vide Matth. 2. 4. Etiam qui aliquando officio Pontificis Maximi defuncti ſunt, etſi poſtea ab officio remoti eſſent, nomen tamen Pontificis retinuerunt: exemplum in Anna, qui Pontifex vocatur Luc. 3. 2. Actor. 4. 6 etſi tunc revera Cajaphas officio Pontificali fungeretur; ideo quia ante eum aliquando Annas Pontifex fuerat.

Et Scribæ.] In Latina Vulgata editione non habetur vox *Scribæ*, ſed habetur in Syriaca & Arabica.

In aulam.] Vox αὐλὴ proprie ſignificat quidem partem domus aut palatii ſubdialem; ſed etiam pro ipſa domo ac palatio ſumitur: uti Marcus Curiam aulam appellat cap. 15. 16. Ita moris eſt etiam in Latina lingua aulam Principis pro ipſo palatio aut domo Principis ponere.

Principis Sacerdotum, qui vocabatur Cajaphas.] Hic intelligitur ſummus ille Pontifex, qui Hebræis Cohen gadol dicitur, cui ſoli fas erat ingredi in ſanctum ſanctorum. Talis eo tempore erat Cajaphas. Irrepſerat enim tunc temporis mos iſte nefarius, & Legi adverſus, ut Pontifex Maximus quotannis ferme deponeretur, & alius eligeretur: quem morem ſumma Præſidum avaritia, qui pretio dignitates vendebant, invexit. Ita Cyrenius Præſes Syriæ cum in Anno 51. Juliano Hieroſolymam veniſſet, ut populum cenſeret, nec non Archelai bona & pecuniam in fiſcum redigeret, removit à Pontificatu Joazarum, & Annam ei ſubſtituit. Non multo poſt Annius Ruffus dignitatem Pontificalem Annæ ablatam Iſmaëli Fabii filio dedit. Rurſus etiam hoc dejecto, ad hanc dignitatem evexit Eleaſarum Annæ filium. Elapſo anno huic iterum abrogavit officium, & Simoni Camithi filio id contulit. Cum & hic annum unum munere iſto perfunctus eſſet, coactus eſt à Valerio Grato cedere locum Joſepho, cui cognomen erat Cajaphas, atque hic eſt Cajaphas iſte apud quem Synedrium hic convocatum erat. Sed nec iſte diu hanc dignitatem tenuit: nam in Anno 82. Juliano, à Lucio Vitellio Præſide Syriæ amotus eſt ab officio, & ſurrogatus ei Jonathas Annæ filius Joſeph. lib. 18. cap. 3. 6.

Verſ. 4. *Et ſimul conſultaverunt, ut Jeſum dolo prehenderent, & trucidarent.*] Conſultabant, juxta vaticinium Pſal. 2. 2. *Proceres conſultant ſimul contra Dominum, & contra Chriſtum ejus.* Hi ſunt illi magni juvenci, & pingues tauri, qui Chriſtum circumdederant Pſal. 22. 13.

Ut Jeſum dolo prehenderent.] Vi aperta non audebant eum aggredi, metu populi Luc. 22. 2.

Et trucidarent.] Hic erat ſcopus omnium conſultationum, quas agitabant. Trucidarunt autem Chriſtum per manus Ethnicorum, uſi opera Romani Præſidis Pontii Pilati. Hoc enim illis tutiſſimum viſum eſt. Jure merito autem homicidium illis adſcribitur, qui ejus cauſa principalis fuerunt. Vide ſupra c. 21, 39. Petrus ait Act. 3. 15. Principem vitæ vos occidiſtis.

An hæc congregatio eadem illa, an alia fuerit, ab ea quam Johannes cap. xi. 47 deſcripſit, de eo diverſæ, ſunt ſententiæ. Qui eandem eſſe cenſent, hoc argumento utuntur, quod hic ſermo ſit de auguſto conventu Synedrii, quandoquidem Pontificis Maximi, Scribarum, & Seniorum populi fiat mentio, è quibus Synedrium conſtabat: quodque non ſit veriſimile, intra tam breve ſpatium duorum dierum tam Solennes congregationes Synedrii ſuper una re habitas fuiſſe. Alii contra ajunt, hanc congregationem factam fuiſſe in aula Pontificis, ubi non fuerit locus ordinarius convocandi Synedrii, ſed cameram fuiſſe è lapidibus exciſis, in Templo, Garith dictam, in qua Synedrium congregari ſolebat. De congregatione autem, quam deſcripſit Johannes, expreſſe dicitur, principes Sacerdotum & Phariſæos convocaſſe Synedrium, quod nuſquam niſi in Templo fieri poterat. Sed fieri poteſt, viros iſtos è Senatu ultro non convocatos ad Cajapham conveniſſe, & cum eo de Chriſto tollendo è medio deliberaſſe, ſed non in forma ordinarii conſeſſus: inde vero in Templum ſe contuliſſe, & ordine conſueto de hac re ex profeſſo conſultaſſe, & judiciale decretum de ea feciſſe. Ut ita hæc Senatus congregatio tantum putanda ſit fuiſſe præparatio quædam, vel initium conſultationis de Chriſto amovendo, quæ deinde in Templo ſit continuata & abſoluta.

Verſ. 5. *Dicebant autem: Non in feſto, ne fiat tumultus in populo.* Per feſtum hic intelligitur totum illud tempus, quod à mactatione agni Paſchalis uſque ad ultimum diem azymorum fluxit. Quo ſenſu etiam Johannes feſtum Tabernaculorum appellat cap. 7. 2. Vide etiam infra cap. 27. 15. Sciendum autem, receptum apud Judæos fuiſſe (quod ex eorum libris intelligitur) ut celebres facinoroſi plerumque in tam ſolennibus feſtis ſupplicio afficerentur, ut in tanta populi frequentia pluribus pœnæ exemplum prodeſſe ad ſaniorem mentem poſſet. Ita volebat etiam Herodes Petrum educere ad ſupplicium ſtatim poſt feſtum, id eſt, intra illos octo dies azymorum Actor. 12. 4. Vide ibidem. Nam præter primum & ultimum diem, & Sabbathum, ſi forte interveniret, reliqui ita feſti erant, ut tamen aliquid operis ac laboris peragere in illis interdictum haud eſſet. Quia igitur Synedrium metuebat ingentem turbam populi, qui ad feſtum confluebat, ideo tunc à recepta conſuetudine maleficos in feſto plectendi recedere, aliudque potius tempus extra feſtum eligere maluerunt. Timebant enim maxime Galilæos, qui Chriſti conterranei erant, & è quibus plures ei adhæſerant, quam ex Hieroſolymitanis. Nihilominus Dei ſingulari directione factum eſt, ut eis commodiſſima ſubminiſtraretur à Juda proditore occaſio Chriſtum capiendi, quam è manibus dimittere noluerunt, ideoque hoc decretum de differendo ſupplicio ejus mutarunt. Hac ratione enim evenit, ut mors Chriſti in ipſum Feſtum Paſchatis incideret, nempe in diem illum, quo mactabatur Agnus, & jam omnis populus, qui ad feſtum Hieroſolymam convenire conſueverat, congregatus eſſet. Voluit nimirum Deus, ut univerſus Judaicus populus teſtis eſſet innocentiſſimæ necis Filii ſui. Non propterea autem à Synedrio metuebatur tumultus in populo, quod crederent, facile ad cædes & ſanguinis effuſionem rem devenire poſſe: non enim erant tam teneræ conſcientiæ, ut id multum curarent. Sed timebant, ne Chriſtus ope populi è manibus ipſis eriperetur: quod ſi accidiſſet, credebant ſe non facile eum denuo in poteſtate ſua habituros.

PARS III.

Verſ. 6. *Cum autem Jeſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi.*] An hæc hiſtoria eodem ſit cum illa, quæ deſcribitur Marc. 14. 3. Luc. 7. 36, & Joh. xii. 2. xij. 3, de eo ſunt in partes diverſas ſecti Interpretes. Quidam, inter quos eſt Grotius & Gerardus Voſſius, ſtatuunt unam eandemque hiſtoriam eſſe ab omnibus quatuor Euangeliſtis perſcriptam: alii contra ſentiunt, fæminam illam, quæ eſt apud Lucam deſcripta, aliam eſſe ab ea, quæ apud Matthæum & Johannem deſcribitur. Pro priori ſententia militant hæ rationes. Matthæus & Marcus conſonant in omnibus circumſtantiis unanimes. Matthæus, Marcus & Lucas in eo conſentiunt, quod hæc hiſtoria contigerit ſub tempus cœnæ in domo Simonis, quod mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi venerit, idque in Chriſtum effuderit. Matthæus, Marcus, & Johannes in eo conveniunt, id factum fuiſſe in Bethania, in cœna, unguentum iſtud valde pretioſum fuiſſe, mulierem iſtam ab uno è diſcipulis eſſe reprehenſam ob profuſionem, cauſa allata, quod ſumptus iſte rectius potuerit in pauperes impendi (Johannes nominat Judam; Matthæus dicit quidem *diſcipuli ejus* indefinite, & Marcus *aliqui*, ſed hæc locutio non eſt inuſitata, etſi id nonniſi ab uno factum fuerit) Conveniunt & in eo, quod Chriſtus mulierem hanc excuſaverit, & ſic ejus factum interpretatus ſit, quod id fecerit ad ſe funerandum. Quæ circumſtantiæ omnes ſatis demonſtrant, hos tres Euangeliſtas, Matthæum, Marcum, & Johannem eandem retuliſſe hiſtoriam. Lucas cum Johanne in eo concordat, quod mulier iſta pedes Chriſti inunxerit, & capillis capitis ſui abſterſerit. Quo accedit, quod Johannes cap. xi. 2. Mariam Lazari ſororem ita deſcribat, quod illa *Dominum unxerit, unguento, ejuſque pedes deterſerit crinibus.* Si vero id ſæpius quam tunc, & ab alia etiam muliere factum fuiſſet, non bene ex hac nota illa deſcripta fuiſſet. Nam quod Johannes hanc hiſtoriam demum in ſequenti cap. 12 narret, id nihil obſtat, quominus eadem ſit Maria. Sic enim ille etiam Judam deſcribit cap. 12. 4, *qui eum* (Chriſtum) *proditurus erat*, cum tamen hiſtoria iſtius proditionis demum cap. 18. 2, 3 deſcribatur. Quod autem Matthæus & Marcus capitis à muliere unctii, Lucas autem & Johannes pedum meminerint, id ſic conciliari poteſt, quod primo quidem pedes, poſtea vero caput quoque inunxerit. Ita illud quoque, quod Lucas ait, factum id eſſe in Phariſæi cujuſdam domo cap. 6. 36. Johannes autem cap. 12. 2. Martham miniſtraſſe, nempe in culina, conciliari poteſt, quod Martha in Phariſæi, tanquam vicini ac noti ſibi hominis, domo miniſtraverit. Porro, quod Lucas fœminam iſtam peccatricem appellat cap. 7. 39, & cap. 10. 40 laudat ejus pietatem, hic diſtin-

distinguenda sunt tempora. Antea vitam egit dissolutam, ideoque peccatrix nuncupatur: postea reversa ad frugem maculas vitæ prioris pœnitentia eluit. Idcirco Christus non dubitavit ingredi domum ejus, quia jam de ejus pœnitentia & emendatione omnibus constabat. Ut ergo priorem sententiam, in compendium redigamus, sic habendum est, Christum ante suam passionem & mortem semel duntaxat unctum fuisse: idque factum est à muliere, ut Matthæus & Marcus ajunt, quæ fuit peccatrix, teste Luca, fuitque Maria Lazari soror, referente Johanne. Item factum id est sex diebus ante Pascha, ut Johannes scribit; in Bethania, ut habet Matthæus, Marcus & Johannes; in domo Simonis, ut narrat Matthæus, Marcus & Lucas; qui fuit Pharisæus, ut auctor est Lucas; olim etiam leprosus, ut Matthæus & Marcus testantur. Ibi illa Christo primo pedes unxit, ut est apud Johannem, postea etiam caput, ut meminerunt tres reliqui Euangelistæ. Unxit autem eum unguento ex alabastro, ut dicit Matthæus, Marcus & Lucas; quod unguentum fuit pretiosum, ut inquit Matthæus, Marcus & Johannes; quod æstimabatur 300 denariis, ut addit Johannes. Utrum vero hæc mulier, quæ Christum unxit, fuerit Maria Magdalena, de eo vide Joh. xi. 2.

Quod vero alteram sententiam spectat, quod illa mulier apud Lucam longe alia fuerit, quam hæc quæ apud Matthæum & Johannem describitur, illa non minus validis rationibus instructa est. Primum enim apud Lucam mulier illa *peccatrix* vocatur, id est, meretrix cap. 7. 39, quod autem Maria Lazari soror talis unquam fuerit, nusquam legitur, sed simpliciter tanquam pia fœmina semper describitur Luc. 10. 38, & seqq. Joh. xi. xii. Quod vero Grotius hic affert, eam antea vitam duxisse profligatam, postea resipuisse & vitam emendasse, nihil ad rem facit. Nam ex mente Grotii omnia illa prius gesta sunt, quæ Luc. 10. 38, & seqq. & Joh. xi narrantur, quam quod Luc. 7. 36. & seqq. describitur, ubi peccatrix appellatur, & quidem ita, ut non obscure indicetur, eam non olim talem fuisse, sed eo ipso tempore adhuc talem esse vers. 39. Sentit enim Grotius hanc unctionem eandem esse cum ea, quæ proxime passionem ejus antecessit. Secundo historia apud Lucam cap. 7, contigit in quadam civitate, vers. 37 unctio autem à Maria peracta gesta est in Bethania, quæ vicus tantum non civitas fuit Joh. xi. 1. Tertio historia apud Lucam contigit in domo Simonis Pharisæi, de quo clare intelligitur, eum Christo non fuisse faventem: historia vero de Maria contigit in domo Simonis leprosi, quem verisimile est Christi discipulum, & ab ipso sanatum fuisse; saltem nihil legitur adversus Christum dixisse vel fecisse. Quarto mulier apud Lucam solummodo pedes Christi unxit, stetitque à tergo, nec tantum animi ac confidentiæ habuit, ut caput Domini attingere auderet: Maria autem caput ejus unxit, aut certe caput simul & pedes, ut ex collatione Johannis cum Matthæo & Marco colligitur. Quod autem mulier apud Lucam etiam caput unxerit, ejus nullum deprehendi potest indicium; neque enim Christus de capite reticuisset, si id ab illa unctum fuisset, quemadmodum non reticuit de pedibus vers. 46. Quinto mulier apud Lucam flevit, & lacrymis suis lavit pedes Domini, eosque osculata est: de Maria nihil simile scriptum est. Sexto Maria primum unguento inunxit pedes, & postea eos crinibus suis abstersit Joh. xi. 2. xij. 8. Illa autem mulier eos primum rigavit lacrymis, & capillis suis extersit, & tum demum unguento perunxit. Septimo neque quæ consecuta sunt utramque historiam, congruunt. Apud Lucam murmurat Simon Pharisæus, ideoque à Domino reprehenditur; murmurant etiam qui simul accumbebant ℣. 49. In historia Mariæ Judas murmurat ex alia causa, & aliter refutatur. Mulieri illi remissa sunt peccata, Mariæ non item. Mulier illa jubetur abire, Maria non jubetur; quia ad domum illam Simonis leprosi pertinebat, & in ea habitabat, ibique cum sorore Martha Domino cœnam apparaverat: cum contra illa mulier ad domum Simonis Pharisæi non pertinuerit. Imo Simon iste eam non tulisset in domo sua, ut qui adeo Christo verteret vitio, quod se ab illa tangi passus esset. Sed in domum Pharisæi hujus aliunde venit, cum cognovisset Christum accumbere in domo Pharisæi: ℣. 37. Octavo nec occasio utriusque historiæ fuit eadem. Apud Lucam Christus fuit invitatus ad cibum capiendum à Pharisæo: apud Johannem Maria & Martha adornarunt Domino cœnam. Nono circumstantiæ quoque temporis non patiuntur utramque historiam pro una haberi. Historia enim à Luca descripta longe ante Pascha & mortem Christi accidit, & quidem tum cum Christus in Galilæa versaretur. Historia vero Mariæ contigit paucis ante mortem Christi diebus. Quod autem Grotius hic respondet, Lucam non tenuisse ordinem temporis, sed per ὕστερον πρότερον id enarrasse prius, quod posterius gestum est: id non est concedendum absque gravi causa, & evidenti probatione. Imo Lucas post hanc historiam cap. 8. 1 refert, quomodo Christus postea oppidatim & vicatim Euangelium prædicarit: id quod post historiam Mariæ, morte jam adeo propinqua, facere non poterat. Neque etiam credibile est Christum circa id tempus à Pharisæo in domum suam ad edendum fuisse invitatum, cum maxime jam ira Pharisæorum adversus Christum arderet. Maldonatus existimat, unam tantum mulierem ab omnibus Euangelistis esse descriptam, nempe Mariam, ut & eundem Simonem, sed bis unctionem ipsam esse factam ab eadem Maria. Verum neque hoc potest consistere, etsi plus habeat verisimilitudinis, quam sententia Grotii. Cum enim Lucas postea cap. 10. ut putat Maldonatus, hujus historiæ mentionem faciat, quomodo fieri potuisset, ut non verbulo saltem indicasset, Mariam hanc esse illam ipsam, quæ prius peccatrix vocata fuit, quæque remissionem peccatorum à Christo consecuta erat? Maldonati hoc est palmarium argumentum, quod Maria ab hoc facto, quod Christum unxerit, tanquam à propria sibi ac peculiari nota describatur Joh. xi. 2. Sed ex eo non potest concludi, nullam aliam fœminam idem fecisse, quod Maria fecit, sed tantum, nullam aliam Mariam fuisse, quæ id fecerit, cum tamen in Sacris Literis plurium ejus nominis fœminarum fit mentio.

In Bethania.] Vide supra cap. 21. 17.

Simonis leprosi.] Id est, qui quondam leprosus fuerat.

fuerat. Nam ſi adhuc lepra infectus fuiſſet, non potuiſſet inter homines habitare, nec Chriſtus cum eo cibum cepiſſet, aut potum: cum id diſerte in Lege prohibitum eſſet. Vide Num. 5. 2. Similem locutionem habes ſupra cap. 1. 6. XII. 5. XXI. 31, & alibi. Apparet hunc hominem non prorſus averſo à Chriſti doctrina fuiſſe animo, & unum è cognatis Lazari fuiſſe.

Verſ. 7. *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit in caput ipſius recumbentis.*] Marcus cap. 14. 3, ait, mulierem alabaſtrum fregiſſe, ut tanto ſcilicet largius poſſet unguentum effluere. Unde intelligitur vaſculum hoc non fuiſſe factum ex albo ac duro marmore, quod hodie alabaſtrum vocatur, ſed ex vitro fuiſſe conflatum, ea forte forma, qua vaſa ex alabaſtro parari ſolebant, ad unguenta pretioſa aut olea aſſervandum, quia in marmore non tam cito corrumpebantur. Nam ſi revera hoc vaſculum è marmore conſtitiſſet, non potuiſſet illa id tam facile frangere.

Unguenti pretioſi.] Græce βαρυτίμου, gravis pretii. Nam iſtud unguentum & per ſe magno conſtabat, & magnam ejus copiam (nimirum libram integram Joh. 12. 3,) mulier illa in Chriſtum effuderat. Marcus & Johannes narrant, fuiſſe nardi piſtici unguentum, de quo vide ad Marcum.

Et effudit in caput ipſius.] Hoc illa fecit in honorem Chriſti pro conſuetudine illius temporis tam apud Judæos quam alios Orientales populos recepta, qua ſolebat hoſpitibus honoratis caput unguento pretioſo inungi. Vide etiam ſupra cap. 6. 17.

Recumbentis.] De more ad menſam recumbendi, cibi capiendi cauſa, vide infra ℣. 20.

Verſ. 8. *Videntes autem diſcipuli ejus indignati ſunt, dicentes: Quorſum perditio hæc?*

Verſ. 9. *Potuit enim iſtud unguentum vendi magno, & dari pauperibus.*] Ex Johannis cap. 12. 4 perſpicitur, tantum unum è diſcipulis, Judam ſcilicet, indignatum fuiſſe: fierique potuit, ut illius exemplo etiam reliqui contra murmurarint; quanquam non tam malo animo quam Judas, cui avaritia illam indignationem ac bilem movit.

Quorſum perditio hæc?] Perditionem, ac prodigalitatem appellat, quod tam pretioſum unguentum, quod plus quam pro 300 denariis vendi potuiſſet Marc. 14. 5. Joh. 12. 5, fruſtra & ſupervacue profuſum crederet, indignum putans id quo multi pauperes juvari potuiſſent, in ſuperfluum odorem impendi. Sed mulier hæc amore Chriſti inflammata, nec ſumptui, nec labori parcendum ſibi duxit. Charitas omnia interpretatur in bonum: & non ipſas ſolum virtutes amat, verum id etiam, quicquid virtuti ſimile eſt; & quamvis ipſum opus non omni ex parte vitio careat, libenter tamen id condonat, propter bonam animi intentionem.

Et dari pauperibus.] Quo animo id dixerit Judas, monſtrat Johannes cap. 12. 6, his verbis: *Dixit autem hoc, non quod pauperum ipſi cura eſſet, ſed quia fur erat, & marſupium habebat, & ea quæ mittebantur, portabat.*

Verſ. 10. *Cognoſcens autem Jeſus, ait eis: Quid moleſtiam exhibetis mulieri? opus enim bonum operata eſt erga me.*] Id eſt, miſſam eam facite, ſinite eam. Vide loquendi modum eundem Marc. 14. 6. Luc. XI. 7. XVIII. 5.

Opus enim bonum operata eſt erga me.] Opera in Lege non prohibita, bona erant pro animo ac intentione facientis. Intentio hujus fœminæ optima erat, quia honoris Chriſti cauſa id fecerat.

Verſ. 11. *Semper enim pauperes habebitis vobiſcum.*] Per pauperes in Novo Teſtamento non intelliguntur, ii, qui mendicato vivunt cibo: quod è pluribus locis patet, inprimis vero 2 Cor. 8. 9. Sed qui de ſuo ægre poſſunt vitam tolerare, & ſuo ſe labore nonniſi ærumnoſe ſuſtentare queunt. Itaque potius egentes, quam pauperes hic Græca vox reddi debuiſſet. Reſpicit autem Chriſtus hic ad locum Deut. 15. 11: *Non deerit egens in medio terræ hujus: idcirco ego præcipio tibi dicens, ut liberaliter aperias manum tuam erga fratrem tuum, erga egenum & pauperem in terra tua.*

Me vero non ſemper habebitis.] Indicat his verbis Chriſtus ſuam jam inſtantem mortem. Quando plura concurrunt facienda, & dubium eſt, quodnam potius faciendum ſit, non debent illa ita conſiderari, quomodo ſe habeant ipſa per ſe, ſed etiam temporis aliarumque circumſtantiarum habenda eſt ratio. Atque hoc dubium hic quoque occurrebat: utrum eſſet eligendum, egenisne benefaciendum, an Chriſto honor exhibendus? Chriſtus igitur hoc dubium tollit, oſtendens, egenis poſſe alio tempore ſemper benefieri, ſibi vero honorem non poſſe alio tempore exhiberi, ideoque hoc poſterius priori eſſe præferendum. Hunc eſſe verborum ſenſum ex Marco patet, apud quem Chriſtus ſic loquitur: *Semper pauperes habetis vobiſcum, & quandocunque volueritis, poteſtis ei benefacere, me vero non ſemper habebitis:* nempe, ut mihi talem poſſitis honorem exhibere, qualem exhibuit hæc mulier cap. 14. 7.

Verſ. 12. *Effundens enim illa hoc unguentum in corpus meum, ad funerandum me fecit.*] Marcus habet cap. 14. 8: *Occupavit ungere meum corpus ad funerationem.* Johannes cap. 12. 7: *In diem meæ funerationis.* Senſus eſt, quaſi dicat: Vos putatis eſſe inutilem profuſionem, quod me mulier iſta pretioſo inunxerit unguento: At ſi ſumtus iſte impenderetur corpori poſt mortem, nemo id reprehenderet: hoc enim non ſolum uſitatum eſt, ſed etiam laudabile habetur, inprimis ſi id in Rege fiat, qualem me eſſe credit iſta mulier. Si igitur honor iſte cadaveri delatus laudabilis foret, cur debeat culpari, ſi deferatur corpori vivo? Tempus breviſſimum reſtat ad meam mortem, quam vobis & aliis ſæpius prædixi; ideo mulier iſta merito me tanquam jam mortuum tractat, & honore hoc conſueto mortem meam pauculo tempore antevertit. Senſum hunc clare confirmat Marcus, ubi Chriſtus ait; *Occupavit ungere meum corpus*, id eſt, non expectavit tempus meæ mortis, ſed honorem hunc unctionis ante mortem mihi exhibere voluit. Propterea Syrus interpres tam hic quam apud Marcum ad verba *ad funerandum* addidit voculam *quaſi*, hoc modo: *quaſi ad funerandum.* Mulier quidem iſta hoc animo Dominum Jeſum non unxit, quod voluerit corpus ejus ad ſepulturam adornare: ſed apud

Hebræos,

Hebræos, quin & apud alias nationes non eſt inſolitum, ut dicatur, aliquem hoc vel illud facere ad aliquem finem, etſi hunc finem is non reſpexerit, neque de eo cogitarit, ſed aliis ex cauſis factum ſit, ut ſic evenerit. (Vide inter alia Prov. 8. 36. XVII. 19. 1 Reg. 17. 18. Hebr. XI. 10.) Vult Chriſtus dicere: Opportuno ſane factum eſt tempore, ſingulari id accidit Dei providentia, quod me nunc mulier iſta inunxerit: quia enim mortis meæ tempus proxime inſtat, ideo hæc eſt mea pollinctura. Sunt qui ex verbis Chriſti, quæ habentur apud Marcum: *Occupavit corpus meum ungere ad funerationem*, colligant, mulierem iſtam ſciviſſe Chriſtum moriturum eſſe, quia ſæpius à Chriſto id audierit, ideoque mortem ejus prævertiſſe ungendo, & cum alioqui nonniſi mortua corpora ungi ſolerent, illam unxiſſe vivum corpus ejus ad futuram funerationem. Sed etiamſi forte audivit hæc mulier à Chriſto, eum moriturum, (quemadmodum id etiam aliis mulieribus notum erat Luc. 24. 7,) proculdubio tamen id æque minus credidit, atque Apoſtoli; aut ſaltem fides ejus cum ſumma fuit dubitatione conjuncta. Quod enim mors Chriſti non potuerit ullo modo capi ab iis, qui ſpem firmiſſimam de terreno regno Meſſiæ conceperant, indicat ſumma illa conſternatio & triſtitia omnium Chriſti diſcipulorum, quam mors Chriſti eis attulit, nec non eorum ſumma incredulitas, cujus ſpecimen in ejus reſurrectione ediderunt. Quare nequaquam credibile eſt, mulierem hanc tanta fide de morte ejus præditam fuiſſe, ut eum conſulto ac data opera ad ſepulturam ejus inungere voluerit: præſertim cum id præter omnem conſuetudinem fuiſſet, vivum corpus ad ſepulturam pollincere. Quod mortuorum corpora ungi ſolerent ad ſepulturam, ac pretioſis aromatibus condiri liquet ex Gen. 50. 2. 26. & ex Marc. 16. 1. Luc. 23. 56. XXIV. 1. Joh. 19. 40.

Verſ. 13. *Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, etiam quod hæc fecit, dicetur ad memoriam ejus.*] Euangelium, pro Euangelica hiſtoria ſumitur. Quo ſignificatu nuſquam hæc vox Euangelii invenitur, præter hunc locum & Marc. 14. 9.

Etiam quod hæc fecit, dicetur ad memoriam ejus.] Id eſt, hujus mulieris laus & memoria ubique celebrabitur, ubi hoc Euangelium prædicabitur. Nemo non tam egregium ejus factum laudabit. Ita Chriſtus murmurationi & diſplicentiæ unius Judæ dolentis jacturam unguenti, opponit totius mundi judicium & laudem. *Memoria juſtorum eſt in benedictione, nomen autem impiorum putreſcet* Prov. 10. 7.

PARS IV.

Verſ. 14. *Tunc profectus unus ex duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad primarios ſacerdotes.*] Quod Matthæus hic narrat de Juda, id quoad tempus non cohæret cum proxime præcedenti parte capitis hujus de unctione, ſed cum ſuperiori ſecunda parte, ubi de conſultatione Synedrii agitur. Nam hæc commoda occaſio Chriſtum comprehendendi, quam proditor Synedrio ſuggeſſit, priorem ſententiam, ne Chriſtum in die feſto caperent, immutavit. Et conſultatio Synedrii & proditio Judæ eodem die Mercurii contigerunt. (Vide Joh. 12. 2.) Idcirco Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ non ſolum die Veneris, quo Chriſtus crucifixus eſt, verum etiam diebus Mercurii jejunare ſolebant, ut teſtatur Auguſtinus Epiſt. 86, ad Caſulanum.

Unus ex duodecim.] Adjecit hoc Matthæus, ad indicandam flagitii enormitatem, quod unus è duodecim Apoſtolis, id eſt, è domeſticis Chriſti, tam nefarium facinus in ſe ſuſceperit.

Judas Iſcariotes.] De hoc nomine vide ſupra cap. 10. 4. Lucas ſcribit, Satanam ingreſſum fuiſſe in Judam, cap. 22. 3, non corporaliter, quemadmodum ſolet eſſe in obſeſſis; ſed quod cogitationem ac ſtimulos animo ejus ad hoc facinus ſubjecerit, ut intelligitur ex collatione cum Johanne cap. 13. 2.

Ad primarios ſacerdotes.] Lucas addit, *& præfectis militiæ* cap. 22. 4. Quinam hi fuerint, vide ibidem, ut & infra verſ. 45.

Verſ. 15. *Ait eis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? ipſi vero appenderunt ei triginta argenteos.*] In Græco eſt ἀργύρια, quaſi dicat argenta, cui voci ſi addatur numerus, ut hic 30, ſignificat argenteam monetam, nempe ſiclum: quod ex his locis videre eſt Gen. 37. 28. XLV. 22. Judic. 16. 5. XVII. 2, 4, 10. 2 Sam. 18. 11, 12. 2 Reg. 6. 25. Eſai. 7. 23. Quibus in locis Hebræus textus habet *argentum*, Chaldaicus autem *Siclum*. Erat vero duplex Siclus, unus promiſcuus ac vulgaris, & tantum pendebat duas drachmas argenti, alter erat Siclus Templi, ſeu ſacer, qui ſemunciam pendebat. De priori intelligendum eſt illud, quod Abimelechus dixit ad Saram, ut eſt in Hebræo: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo* Gen. 20. 16, ubi LXX Interpretes verterunt, mille didrachmas. Didrachma autem pendebat duas drachmas, valebatque circiter quadrantem Imperialis. Vide ſupra cap. 17. 24. Et cum Ephron Abrahamo agrum venderet, dixit ad Abrahamum: *Terra quam poſtulas* 400 *Siclos argenti valet*; & Abraham ei *appendit* 400 *Siclos argenti* Gen. 23. 15, 16, ubi LXX habent 400 didrachmas. Tales igitur Sicli 30 faciebant circiter octo Imperiales. Et probabile eſt, pro tam exigua ſumma emptum fuiſſe agrum figuli, de quo infra cap. 27. 7, cum is plenus fuerit foveis, & non eſſet amplius uſui, niſi ad ſepulturam. At Siclus Templi pendebat duas didrachmas. De quo intelligendum, quod Hieronymus in Ezech. 4, ſcribit: *Siclus ſtater eſt, hoc eſt, drachmæ quatuor.* Et Joſephus lib. 3. antiquit. cap. 21. ait: *Siclus, Hebræorum nummus, quatuor drachmas Atticas continet.* Itaque Siclus Templi duplo major erat vulgari, & duos communes Siclos in ſe continebat. Tales Sicli 30 faciunt circiter ſedecim Imperiales. Et hoc eſt probabilius, Chriſtum pro talibus Siclis fuiſſe venditum: quia ager ille figuli pro ſepeliendis peregrinis (quorum magnus numerus Hieroſolymam ventitabat, inprimis ſub tempus ſolennium feſtorum) emptus ſine dubio amplus fuit, adeoque facile 16 Imperialibus conſtare potuit. Jam quia Judas arbitrio primariorum ſacerdotum permiſit quanti Chriſtum æſtimare vellent, ideo eum æſtimant ita, ut homines abjectiſſimi & viliſſimi æſtimari ſolebant. Nam tringinta Siclis æſtimabatur ſervus aut ancilla, quando à bove

alicujus

alicujus ictus moriebatur Exod. 21. 32. Etiam locus Zachariæ cap. XI. 13, (qui infra 27. 9, explicabitur) indicat, valde exiguam ſummam fuiſſe: *Magnificum pretium* inquit Deus, *quo appretiatus ſum ab illis.* Tam vili æſtimatus fuit ille, qui nos tanti æſtimavit, ut liberandi nos cauſa pretioſiſſimum ſuum ſanguinem profuderit. Hinc quoque Judæ avarus animus perſpicitur, qui tam levi pretio ad tam ſcelerat um facinus ſe adduci paſſus eſt.

Verſ. 16. *Ex eo tempore quærebat opportunitatem ad eum prodendum.*

PARS V.

Verſ. 17. *PRimo autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes ei: Ubi, vis, paremus tibi Paſcha ad edendum.*] Hic vult Johannes Kepplerus, voces τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, non debere verti *prima die Azymorum*, ſed *pridie Azymorum.* Hoc enim geſtum fuit 14 die Menſis Niſan, quo Agnus mactabatur: azymis autem veſci non incipiebant ante veſperam illius diei, quæ jam accenſebatur ſequenti diei 15, qui proprie erat primus dies Azymorum. Hinc ubi cæteri Euangeliſtæ ajunt, *prima die Azymorum*, ibi Johannes ait, *ante feſtum Paſchæ.* Verum fieri poteſt, ut tempore Chriſti etiam illo die, quo agnus mactabatur, Judæi à fermento abſtinuerint. Ideo Joſephus aliquando 8 aliquando 7 dies azymorum numerat. Vide tractatum noſtrum de feſto Azymorum cap. 9. §. 6. Sic igitur poterat ille 14 dies jure quoque primus Azymorum dici, ſi octo dies numerentur. Johannes autem, cum ait, *ante feſtum Paſchæ*, intelligit ipſum verum feſtum, quod illo ipſo die veſperi incipiebat. Sed Kepplerus ſuam ſententiam confirmat duabus rationibus. Prima eſt, quod juxta morem Scripturæ τὰ ἄζυμα neutro genere, ſemper feſtum Azymorum, non autem genere fœminino diem denotet. Secunda, quando Scriptura vult primum Sabbathi nominare, ſolet dicere μίαν Σαββάτων, non πρώτην Σαββάτων.

Quæ porro hic narrantur à Matthæo, facta ſunt die Jovis. Ex his autem verbis principale argumentum ſumunt ii, qui ſtatuunt, Chriſtum Paſcha una cum Judæis celebraſſe. Cujus argumenti ſolutionem & hujus loci explicationem vide in dicto Tractatu de feſto Azymorum cap. 13. art. 4.

Verſ. 18. *Ipſe vero dixit: Abite in urbem ad quendam, & dicite ei; Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te faciam Paſcha cum diſcipulis meis.*] Ad quendam, Gr. πρὸς τὸν δεῖνα. Ita loqui ſolent Græci, quando certum hominem, cujus nomen vel ignorant, vel exprimere ſupervacuum putant, deſignare volunt. Hunc vero Chriſtus non nominavit, quia eum certo deſcribebat ſigno, quod ſcilicet ſervus ejus ferret amphoram cum aqua Marc. 14. 13. Luc. 22. 10. Levis ratio eſt, quam affert Ambroſius, quod Chriſtus ideo hujus hominis nomen non expreſſerit, quia non fuerit nobilis. Nam qualiſcunque ille fuerit, apparet tamen, eum fuiſſe hominem locupletem, qui habuerit cœnaculum magnum ſtratum, & pro tot perſonis lectos, in quibus unà Paſcha ederunt.

Magiſter dicit.] Hinc nonnulli conjectant, virum iſtum vel occultum Chriſti diſcipulum fuiſſe, aut ſaltem ei bene notum: quaſi dicat. Magiſter, quem bene noſti.

Tempus meum prope eſt: apud te faciam Paſcha cum diſcipulis meis.] Hæc verba arguunt, Chriſtum Paſcha citius comediſſe, quam Judæos: & ſimul cauſam indicant, cur id factum fuerit. Nam verbum iſtud *faciam*, (in Græco eſt, ποιῶ, facio) idem valet, atque ſi Chriſtus diceret: Mox, ſtatim, adhuc illa nocte facio Paſcha apud te, neque expectabo, ad craſtini diei tempus pomeridianum, ut moris eſt. Cauſa autem, cur Chriſtus ita properaverit, & verum tempus non expectaverit, non hæc eſt, quod Judæi feſtum Paſchatis tranſtulerint in diem ſequentem, Chriſtus vero legitimo & in lege præſcripto tempore Paſcha comederit: ſed, quia tempus mortis Chriſti imminebat, ut ad legitimum tempus, quo Paſcha comedi debebat, non eſſet ſupervicturus. Id quod Chriſtus hiſce verbis innuit: Tempus meum prope eſt. Apud Lucam ait: *Antequam patiar* cap. 22. 15. Eſt autem Deo ſic dirigente factum, quod apud hunc hominem omnia jam parata & inſtructa fuerint, ut Chriſtus confeſtim, ubi hæc elocutus eſt, in domum ingreſſus ſit, menſæque accubuerit. Vide plura hac de re in Appendice ad Matthæum in 36 articulo. Chriſtus autem hoc Paſcha abſque mactatione Agni comedit, atque ita ſolum memoriale Paſcha celebravit. De quo vide in eadem Appendice articulum 13. & 40.

Verſ. 19. *Et fecerunt diſcipuli, ſicut præceperat illis Jeſus: & paraverunt Paſcha.*] Locus jam erat paratus, nempe cœnaculum magnum conſtratum & exornatum Marc. 14. 15. Nec amplius requirebatur, quam ut apportarentur ea, quæ ad memoriam Paſchæ celebrandam pertinebant, nimirum azyma & amaræ herbæ.

Verſ. 20. *Veſpere autem facto, diſcubuit cum diſcipulis duodecim.*] Factum id poſt ſolis occaſum: non illo ipſo momento, quo ſol occubuit. Hebræorum enim more loquendi, per veſperam totum tempus, quod eſt poſt ſolis occaſum, intelligitur. Vide Num. 9. 15. Joh. 20. 19. Quare credendum eſt, Chriſtum cœnam illam celebraſſe, cum jam tenebræ eſſent: & videtur Chriſtus id de induſtria feciſſe, ne videretur ſe ipſe in diſcrimen conjeciſſe. Neque id fuit inſolens factum Chriſti: cum etiam hodie Judæi ſoleant memoriale Paſcha ſuum provecta jam nocte comedere. Imo verum Paſcha ita obſervari ſolebat, ut Agnus inter duas veſperas mactaretur & adornaretur, noctu autem comederetur. Vide Exod. 12. 8.

Diſcubuit.] Multi ſunt in ea ſententia, mandatum de Paſcha, ut ſtando comedatur, quod extat Exod. 12. 11, non ut æternum eſſet, datum fuiſſe, ſed de illo tantum tempore uno, quo Iſraëlitæ ex Ægypto egreſſi ſunt, intelligi debere, poſtea autem ſequens Paſcha ſub Joſua (Joſ. 5. 10,) non amplius ſtando, ſed ſedendo, vel accumbendo peractum eſſe. De more cibum ſedendo vel accumbendo capiendi, vide Appendicem Matthæi. Judæi hodie cœnam Paſchæ comedunt ſedentes, idque in molliter fultis pulvinaribus, in ſellis, reclinato ad fulcimentum aliquod corpore, magnatum in morem.

Verſ. 21.

Verſ. 21. *Et edentibus ipſis, dixit: Amen dico vobis, quia unus ex vobis me prodet.*] In feſto Paſchæ duæ cœnæ habebantur, vel, ut alii loqui malunt, cœnæ Paſchalis duæ erant partes. Prima meris ceremoniis peragebatur, nec ſermo ullus fiebat, inter cœnandum præter uſitatas preces, & nonnulla dicta, ad ritus feſti pertinentia. Altera erat demum vera cœna, in qua apponebantur varii generis cibi, & quodcunque occurrebat, de eo loqui ac ſermocinari fas erat. Vide Appendicem à 18 articulo uſque ad 32. Hæc igitur verba, *edentibus ipſis*, de vera cœna, ſeu de altera parte cœnæ intelligenda ſunt. Eratque in patina, cujus poſtmodum ℣. 23 fit mentio, ferculum quoddam cum juſculo: hinc etiam Johannes fruſti meminit, quod Chriſtus in juſculo intinctum Judæ porrexit, cap. 13. 26. Ut adeo fallantur illi, qui hoc de prima parte cœnæ intelligunt, putantque id dictum eſſe de intingendo in aceto cum amaris herbis præparato, quæ herbæ in prima parte cœnæ comedebantur.

Verſ. 22. *Tunc contriſtati vehementer, cœperunt ſinguli eorum ipſi dicere: Num ego ſum Domine?*

Verſ. 23. *Ipſe vero reſpondens ait: Qui intingit mecum manum in patina, is me prodet.*] Chriſtus deſcribit proditorem ſuum hic aliquanto clarius, quam ante, cum diceret: unum è duodecim ſe proditurum. Apparet, Judam proxime Chriſto accubuiſſe, ut in eadem patina intinxerit, è qua edebat Chriſtus. Hoc modo enim omnia egregie congruunt, quæ apud Johannem narrantur cap. 13. 24, quod ſcilicet diſcipuli alius poſt alium quæſiverint: *Num ego ſum?* quodque Chriſtus Judæ, cum & ipſe rogaret idem, ſubmiſſa voce, quam alii audire non potuerint, dixerit ei proxime ſibi accumbenti: Tu *dixiſti.* Ideo Petrus nutu monuit Johannem, qui reclinatus ad pectus Chriſti jacebat, ut quæreret ex Domino, quis eſſet. Cum ergo quæreret Johannes, reſpondit Chriſtus: *Ille eſt, cui ego intinctam buccellam dedero.* Ita Chriſtus per tres diſtinctos gradus ſuum proditorem prodidit ac indicavit. Primum dum eum dixit eſſe unum è duodecim. Secundo, dum indicavit, eum eſſe unum ex iis qui proxime accumbebant. Tertio, dum ipſi buccellam ſeu fruſtulum panis intinctum manu ſua porrexit.

Verſ. 24. *Filius quidem hominis abit, ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi, ſi natus non fuiſſet.*] Abit, id eſt, moritur: ut Gen. 15. 2.

Sicut ſcriptum eſt de eo.] Nempe Dan. 9. 26: *Poſt ſexaginta duas ſeptimanas Chriſtus excindetur.* Ut & Eſai. 53. 8, 9. Pſal. 22.

Væ homini illi.] Unum è domeſticis Chriſti eum proditurum, jam ante prædictum erat: nempe Pſal. 41. 10: *Qui mecum panem edit, is calces contra me ſuſtulit*; qui locus ad Chriſtum accommodatur Joh. 13. 18. Unde nequaquam ſequitur, Judam neceſſario Chriſtum prodidiſſe, ut Scriptura impleretur. Natura enim liberi arbitrii, quo omnes homines præditi ſunt, fit, ut non omnes probi, ſed improbi quoque ſint homines. Si enim nulli niſi boni homines in mundo eſſent, id ipſum indicio foret, eos libero arbitrio carere, ſed irreſiſtibili vi omnes ad bonum cogi: præſertim cum homines à natura ad malum quam ad bonum propenſiores ſint, neque omnes laborem in ſe ſuſcipere, vireſque intendere velint, ad malum vitandum & bonum conſectandum. Cum igitur Deus probe noſſet, in tanta libertate arbitrii nunquam defuturos malos, facillime quoque prævidere poterat, nunquam defore tale inſtrumentum, per quod prædictio iſta impleri poſſet. Itaque cum Judas homo per ſe improbus fuerit, qui ſe ſua avaritia, furacitate, & aliis ſine dubio annexis flagitiis, dignum juſtâ pœnâ reddiderat; Deus nihil fecit adverſum juſtitiæ ſuæ, cum ita rem moderatus eſt, ut in numerum Apoſtolorum adſciſceretur, & à Satana ad exequendam rem tam impiam adduceretur, ut ita Scriptura impleretur. Illa enim prædictio non præciſe & definite ad perſonam Judæ ſpectat, ſed in genere de aliquo malo homine facta eſt, quem Satanas Dei permiſſu ad id elegerit.

Bonum erat homini illi.] Id non ita intelligendum eſt, quaſi alicui nondum nato bene eſſe poſſit: qui enim natus non eſt, reipſa non eſt, neque ei bene vel male fieri poteſt. Sed ſenſus eſt, tam male actum iri cum iſto homine, ut optandum ei eſſet, ne unquam natus fuiſſet. Quanta enim fuerit animi ejus anxietas, vel ex eo intelligi poteſt, quod ſeipſum ſuſpenderit, adeoque propriis manibus factus ſit anathema in ſua gente. Videtur autem proverbialem locutionem fuiſſe ad magnam infelicitatem hominis indicandam: qualem locutionem impatientia, etiam Jobo, & Jeremiæ Prophetæ extorſit. Vide Job. 3. 11. x. 18: Jer. 20. 14, 18.

Verſ. 25. *Reſpondens autem Judas, qui prodebat eum, dixit: Num ego ſum, Rabbi. Dicit ei: Tu dixiſti.*] Qui prodebat eum, id eſt, qui jam firmiter intra ſe conſtituerat, eum prodere.

Num ego ſum, Rabbi?] Judas non ideo quærit, quod nihil ea de re ſciret: conſcientia enim eum convincebat mali facinoris: ſed cum omnes alii diſcipuli rogarent: Num ego ſum? pudor eum coëgit idem ſciſcitari, ne ſe ſilentio ipſo ſuſpectum redderet.

Tu dixiſti.] Id eſt, verum dixiſti. Eſt Hebraica locutio rem aliquam affirmandi: ut ex collatione ℣. 64, cum Marc. 14. 62 cernitur. Nam ubi Matthæus ait: Tu dixiſti; ibi Marcus habet: Ego ſum. Hoc Chriſtus Judæ ſubmiſſo vocis ſono reſpondit, ne id alii diſcipuli exaudirent.

PARS VI.

Verſ. 26. *Edentibus autem eis, Jeſus cum accepiſſet panem & benedixiſſet, fregit eum, deditque diſcipulis, & ait: Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum.*] Edentibus eis, id eſt, cœna adhuc durante. Hic deſcribitur inſtitutio Cœnæ Dominicæ. Cui an etiam Judas interfuerit, non ſatis ex Euangeliſtarum collatione intelligitur. Matthæus & Marcus cœnæ Domini præmittunt Chriſti querelam de ſuo proditore: in qua narratione ſi legitimum ſervarunt ordinem, certum eſt Judam inſtitutioni cœnæ non interfuiſſe. Johannes enim ait cap. 13. 30, eum accepto bolo illo, quem Chriſtus intinctum ei porrexerat, inde ſtatim exiviſſe. At ex narratione Lucæ cap. 22. 19, ad ℣. 24, querela Chriſti de proditore poſt cœnæ inſtitu-

inſtitutionem evenit. Quia vero Lucas in tam multis narrationibus ordinem temporis exacte non eſt ſecutus, ut qui præcipue id ſpectarit, ut ſcriberet quæ vera eſſe ſciebat: ideo conſenſus duorum Euangeliſtarum hac in parte merito prævalere debet, ut ſtatuatur, Judam inſtitutioni cœnæ Domini non adfuiſſe, neque ejus fuiſſe participem.

Cum accepiſſet panem.] Panem ſcilicet azymum, non fermentatum, ut Græci volunt. Etſi enim Chriſtus verum Paſcha non celebrarit, ſed tantum memoriam Paſchæ, omnes tamen obſervavit ceremonias, quæ obſervari poterant. Hodie autem ſive azymus, ſive fermentatus panis ſumatur, nihil intereſt: id enim ſcopo hujus Sacræ Ceremoniæ nihil vel adjicit, vel adimit.

Et benedixiſſet.] Nonnulla Græca exemplaria habent hic, *& gratias egiſſet*, ut & Luc. 22. 19. Mos erat laudabilis inter Judæos, qui etiam hodie inter eos durat, ut cibum non caperent nec potum, niſi præmiſſa prius oratione ac celebratione gratiarumque actione nominis divini, creatoris ac largitoris omnium donorum. Orationem ipſam vocabant benedictionem ſive conſecrationem, puta cibi & potus, vel etiam gratiarum actionem. Ante conſecrationem ſeu gratiarum actionem cibi pro impuris habebantur, poſt eam peractam ſancti erant, iiſque veſci fas erat. Et hunc pium morem confirmavit Paulus dum de cibis ait: *Omnis creatura Dei bona eſt; nec quicquam rejiciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & preces* 1 Tim. 4. 4, 5. Hoc ſenſu etiam vox *ſanctus* accipitur, quanquam in materia diverſa 1 Cor. 7. 14. Vox ergo *benedicendi* in hac inſtitutione cœnæ nihil aliud ſignificat, quam uſitatam illam gratiarum actionem ſeu conſecrationem panis, quem Chriſtus inter diſcipulos ſuos diſtribuit. Hinc in illa hiſtoria de quinque millibus hominum ſaturatis quinque panibus, ubi Matthæus cap. 14. 19. Marcus cap. 6. 41, & Lucas cap. 9. 16. ajunt Chriſtum benedixiſſe panem, ibi Johannes in ejuſdem hiſtoriæ deſcriptione dicit, Chriſtum gratias egiſſe cap. 6. 11. Etiam in hiſtoria de 4000 viris, quos Chriſtus ſeptem panibus cibavit, ſcribit Marcus cap. 8. 7. Chriſtum benedixiſſe panem, Matthæus autem inquit cap. 15. 36, eum gratias egiſſe. Syrus autem Interpres in hoc Matthæi loco utrumque conjungit, quod Chriſtus gratias egerit, & benedixerit: id eſt, gratias agendo panem conſecraverit. Ita Paulus quoque inſtitutionem cœnæ Dominicæ exprimens, utitur voce gratiarum actionis 1 Cor. 11. 24: *Cum gratias egiſſet*, ait, *fregit & dixit* &c. Et 1 Cor. 14. 16. Apoſtolus gratiarum actionem & benedictionem inter ſe permutat, & vocem unam pro altera ſumit. Hic apud Matthæum ℣. 27, cum Chriſtus calicem inſtituit, habetur, quod gratias egerit. Paulus vero hunc calicem vocat, calicem benedictionis, id eſt, phraſi Hebræorum, calicem benedictum 1 Cor. 10. 16. Quæ omnia contra eos militant, qui ſentiunt, Chriſtum hac benedictione, tanquam certis & ad hanc rem efficacibus verbis, vel panem & vinum in corpus ac ſanguinem ſuum tranſmutaſſe, vel ſaltem pani & vino eam virtutem indidiſſe, ut Apoſtoli corpus & ſanguinem ejus vere, & eſſentialiter, ſive corporaliter ore, aut modo ſpirituali atque incomprehenſibili perceperint. Quod dogma quemadmodum ipſum per ſe ineptiſſimum eſt, ita eo redditur multo ineptius, quando creditur, pani & vino etiamnum in cœna eandem vim & efficaciam indi, cum hiſtoria inſtitutionis ſuper panem & vinum pronunciatur, his verbis: *Dominus noſter Jeſus ea nocte, qua proditus eſt, accepit panem* &c. Dum enim hiſtoriam iſtam & deſcriptionem cœnæ à Domino inſtitutæ legunt aut pronunciant, non pronunciant illa ipſa verba, quibus Chriſtus uſus eſt in benedicendo pani & vino. Talia autem verba omnino ſcienda ac pronuncianda eſſent, ſi tam ſingularis vis eis ineſſet, ut per ea pani & vino efficacia miraculoſa indi poſſet.

Porro notandum eſt, ubi gratiarum actionis mentio fit, ſubintelligendum eſſe vocem Dei, quod nimirum Deo gratiæ actæ ſint: ut de pane expreſſe legitur Actor. 27. 35. Ita etiam Dei vox ſubauditur in voce benedicendi, quod ſcilicet Deus benedicatur, id eſt, laus & gloria ei tribuatur: ut Luc. 1. 64. ij. 28. xxiv. 53. Jac. 3. 9. Nam aliquid benedicere eſt Deum pro aliqua re laudare eique gratias agere: ut Marc. 10. 16. Luc. 2. 34. ix. 16. xxiv. 50, 51. Ita ſacrificium benedicere 1 Sam. 9. 13 eſt, Deum pro ſacrificio celebrare. Ita calicem benedicere 1 Cor. 10. 16 eſt, Deum pro potu, qui eſt in calice, extollere eique gratias agere.

Formula autem benedicendi ſeu gratias agendi pro pane talis erat apud Judæos: *Benedictus eſto, ô Deus noſter ac Domine mundi, quod panem è terra produxeris.* Et pro vino: *Benedictus eſto, ô Deus noſter ac Domine mundi, quod vitem e terra produxeris.* Sed in feſtis ſolennibus ſimul enumerabantur illa beneficia, quorum memoria celebrabatur: ut in feſto Paſchatis, liberatio ex Ægypto. Sic etiam dubium non eſt, Chriſtum, cum edidit illud miraculum, quo aliquot hominum millia paucis panibus ſatiata ſunt, addidiſſe aliquid tale, quod ad illud negotium ſpectabat. Et hoc loco Chriſtus ſine dubio non pro veteri ſolum, ſed etiam pro nova creatione, cujus perficiendæ cauſa ipſe in mundum venerat, oravit, Deoque pro liberatione humani generis, quæ mox per ſanguinem ejus fieri debebat, gratias egit.

Fregit eum.] Panes apud Judæos non erant craſſi, ſed tenues, placentarum inſtar: eos ſolebant frangere, non ſcindere. Tam magni autem erant ſæpe, ut unus omnibus convivis ſufficeret.

Fractio panis hic ſignificat, primo Paſſiones Chriſti, inprimis eas, quas ſuſtinuit, cum corpus ejus clavis cruci affigeretur, & latus ejus lancea tranſfigeretur, adeoque corpus ejus frangeretur. Ideo apud Paulum ad verba, *Hoc eſt corpus meum*, Chriſtus addit, *quod pro vobis frangitur* 1 Cor. 11. 24, id eſt, quod pro vobis cruciabitur & occidetur. Poſtea fractione panis indicatur Chriſti ſumma bonitas ac liberalitas, qua nos ad communionem omnium beneficiorum, quæ nobis morte ejus parta ſunt, invitat: (quorum beneficiorum uſum appellat Chriſtus Joh. 6. 53, manducationem carnis & bibitionem ſanguinis.) Nam alicui panem frangere, ſignificat apud Judæos idem, quod panem impertiri Eſai. 58. 7. Thren. 4. 4. Marc. 8. 19.

Accipite.] Nempe manu. Ita enim accipiebant panem illi, qui ritus Paſchæ obeundo azymis veſcebantur,

bantur, quos distribuebat ordine paterfamilias: de quo in Appendice artic. 29. Non ori eorum inserebatur panis, ut hodie apud nonnullos, pueriliter admodum, fieri solet.

Hoc est corpus meum.] Quas non lites, odia, pugnas & schismata paucula hæc verba inter Christianos excitarunt? Tres enim sunt potissimum sectæ, quæ in devios erroris anfractus circa hæc verba delapsæ sunt, & inter se super iis implacabiliter digladiantur. Prima est Pontificiorum: altera Lutheranorum, tertia Calvinistarum. Qui omnes in eo conspirant, quod statuant, Christum in Cœna corpus suum vere ac proprie manducandum, & sanguinem bibendum dedisse, & hodie quoque in usu Cœnæ Domini vere ac proprie corpus & sanguinem Christi percipi: quælibet autem ex his sectis alia atque alia ratione suam explicat sententiam, ut postea videbimus.

Potest autem generalis iste error, etiam hoc generali responso refutari. Primo, quod ne unica quidem litera è Scripturis demonstrari queat, Christum hanc Ceremoniam eo instituisse fine, ut aliquid ex ea percipiamus, aut consequamur: sed ubi de fine ac scopo ejus agitur, nihil aliud indicatur, quam nos debere beneficia jam accepta annunciare, proque iis Deo ac Christo publice gratias agere. Secundo, quomodo credere potuissent discipuli Christi, se Dominum ac Magistrum suum comedisse & deglutiisse, quem nihilominus postea, pane comesto, & vino exhausto, oculis viderunt suis secum accumbentem, auribus audierunt loquentem, & manibus suis contrectarunt. Sensuum testimonium est tam irrefragabile, ut etiam Christus ad illud provocet Luc. 24. 39. Joh. 20. 27, 29. Tertio quomodo discipuli persuaderi sibi passi fuissent, ut panem illum, quem eis Christus porrexit ad manducandum, ederent, & ex calice biberent, si credidissent, id humanum corpus ac sanguinem esse? Quid magis abominandum homini Hebræo potuisset esse, quam si deberet humanam carnem edere, & humanum sanguinem bibere: quod adeo directe contrarium Legi erat, imo à quo natura ipsa abhorret? Quomodo & Christus ipse id eis imperare potuisset, qui in aliis omnibus rebus exactissime Legem observabat, & summum studium adhibebat, ne vel in minima re ab ejus præscripto deflecteret? Quarto, sententia ista est per se absurdissima, contradictionemque implicans, & ideo absque omni controversia falsa. Primum quia ex ea sequitur, Christum uno eodemque tempore totum in diversis locis fuisse: nempe accubuit mensæ, & simul etiam fuit in ventriculo discipulorum, & quidem in uniuscujusque discipuli totus, quantus quantus est. Sententiæ enim istius patroni negant maxime, corpus Christi in partes esse divisum, & inter discipulos frustillatim distributum. Imo cum Christus jam à primo discipulorum esset comestus, & in stomachum ejus transmissus, rursus se alteri manducandum dedit, & cum hujus quoque jam esset in corpore, tertio seipsum præbuit edendum, & sic reliquis per consequens: quod tam absurdum est, ut nihil possit excogitari absurdius. Etiam nunc, cum Cœna Domini peragitur, dicendum est, Christum simul & eodem tempore in cœlo & in terra, in multis centenis locis, in multis millenis hominum ventriculis esse. Deinde cum Christus benedictum panem distribueret, dicendum est, eum integram personam suam manibus tenuisse, adeoque manum suam in manu habuisse; quod certe seipsum perimit. Præterea dicendum, Christum seipsum comedisse, & seipsum ori suo inseruisse, & in suum ipsius ventriculum descendisse. Nam sic exigente ritu illius festi, non minus ipse Christus, quam discipuli ejus, de azymis, à se prius benedictis, comedit, & ex calice bibit. Accedit, quod Christus primo corpus suum separatim dederit manducandum, cum panem distribuit, & postea demum, cum jam corpus ejus à sanguine esset segregatum, inque discipulorum corpus transmissum, cœnam cum discipulis comederit; tandemque post cœnam seorsim dederit sanguinem suum eis bibendum, cum jam corpus nullum haberet. Quis posset hac re somnium ullum absurdius fingere? Quinto neque etiam dici potest, quæ esse queat istius esus corporis Christi & bibitionis sanguinis, utilitas aut vis, sive ad gloriam Dei & Domini Jesu, sive ad promovendam pietatem, sive ad confirmandam nostram fidem, sive ad ullum Deo acceptum, nobisque salutare opus. Quam enim vim id habet ad pietatem in me efficiendam, quod ego Christum comederim ac deglutiverim? An forte in eo vis ista consistit, quod sciam, eum tunc mihi præsentem adesse, ut ego idcirco tanto magis à peccando mihi caveam? At quantisper manet in me? nonne illico in cœlum rursus evolat? Et annon satis hanc reverentiam erga ipsum in animo meo efficit, quod sciam, eum habere oculos sicut flammam ignis, eum esse, qui scrutatur corda & renes, & unicuique secundum opera ejus vetribuet (Apoc. 2. 18, 23,) etsi quoad personam non adsit mihi, sed in cœlis resideat? Annon consideratio mortis ejus acerbissimæ, quam mea causa oppetiit, ideo ut me à dominio peccati liberaret, habet millies majorem vim ingenerandi mihi sanctitatem ac pietatem, ne mors ejus in me sit infructuosa, neve tanquam contemtor charitatis ac beneficiorum ejus, in judicium incidam, quam corporalis manducatio corporis ac sanguinis ejus? Experientia sane quotidiana docet, homines per hanc manducationem & bibitionem ne pilo quidem in vita ac moribus meliores reddi. Illo ipso die, quo Cœna Domini usi sunt, aliquanto se gerunt modestius, postea vero omnes redeunt ad ingenium. Quid etiam magis confirmare fidem spemque meam potest, quam consideratio mortis ejus, qua Novum Fœdus obsignavit, & veritatem suorum promissionum asseruit? Quæ consideratio in Cœna Domini modo perfectissimo fieri potest, etsi Christum tunc essentialiter non manducemus. Et quid hoc ad gloriam Dei & Domini Jesu facere potest, quod se patiatur à mortalibus hominibus, imo ab impiis mortis ejus contemtoribus, qui etiam ad Cœnam Domini accedunt, comedi ac devorari? annon id potius magnum dedecus & contumeliam ipsi parit apud omnes populos orbis terrarum? Quæ sententia multo etiam est absurdior, & cum majori gloriæ Dei Christique diminutione conjuncta, quando præterea creditur, Christum esse Deum altissimum, creatorem cœli ac terræ; & quidem ita, ut divinitas ejus cum humanitate inseparabili nexu copulata sit, adeo ut corpus ejus manducari

non ponſſit, niſi ſimul divinitas ejus, id eſt, Deus ipſe altiſſimus manducetur. Quomodo autem fieri poteſt, ut homo mortalis altiſſimum & infinitum Deum, quem cœli cœlorum capere non poſſunt, creatura creatorem, vas fictile figulum manducet, inque ventriculum ſuum recondat? Qui res tam abſona & abominanda poſſit ad gloriam Dei vergere? Præter Chriſtianos hodiernos, nulla unquam gens, aut natio in mundo unquam fuit tam barbara ac fera, in qua modo aliqua divinitatis opinio ac religio viguit, ut Deum ſuum, quem coluit, quem venerata eſt, comederit, dentibus comminuerit, in ſtomachum demiſerit, concoxerit, aut ullo alio modo in cibum ſuum converterit. Quare tantum abeſt, ut ad gloriam Dei ſummi talis manducatio tendat, ut potius per eam Chriſtiana religio Judęis, Machometanis ac Ethnicis ludibrio exponatur, nomenque Dei ac Chriſti idcirco blaſphemetur. Quodque manducatio iſta & bibitio nullum uſum habeat, indicavit ipſe Chriſtus, cum ad Capernaumitas figurato ipſius ſermone de carnis ſuæ manducatione offenſos, & verba ſua proprie & carnaliter intelligentes, dixit: *Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus ſunt & vita ſunt* Joh. 6. 63. Quod autem nullum uſum habet, & ſine quo ad eundem ſcopum, gloriæ divinæ & humanæ ſalutis, æque aut etiam multo melius perveniri poteſt, id ſapientiæ Dei, quæ nihil facit fruſtra, inque ſuis operibus ac ordinationibus perfectiſſimum ſervat modum, neutiquam convenit, nec ullo modo credendum eſt, id à Deo eſſe ordinatum. 6. Sexto ſententia iſta de vera aſſumtione carnis & ſanguinis in Cœna Domini, eſt Scripturæ contraria: quia Paulus teſtatur, Chriſtum in ſuo ſtatu glorioſo non amplius carnem habere & ſanguinem, ſed factum eſſe ſpiritum vivificantem, & carnem ac ſanguinem non poſſe poſſidere regnum Dei 1 Cor. 15. 45, 50. Chriſtus proinde nunc in cœlis cœleſte & intangibile, ac inconſpicuum corpus habet, quod nullo ſive corporali ſive ſpirituali modo, qualiſcunque ille ſit, conſumi poteſt.

7. Septimo ſententia iſta eſt Magiæ cuidam ſimilis. Quemadmodum enim Magi certis verbis ac formulis utuntur ad rem aliquam conſecrandam, vimque ſupernaturalem ei imprimendam: ita omnes quoque tres ſupra memoratæ ſententiæ verbis illis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, tantam vim adſcribunt, ut ſimul ac à Sacerdote ſuper panem & vinum pronunciata fuerint, illico vel panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertatur; vel corpus Chriſti in panem & ſanguis in vinum deſcendat; vel Chriſtus protinus ei, qui benedicto hoc pane veſcitur, & ſe fide ad eum in cœlum elevat, ſuum corpus manducandum & ſanguinem ſuum bibendum porrigat: idque fiat toties, quoties volunt homines, etiam tum, cum ſacerdos qui panem & vinum conſecrat, aut homines qui edunt & bibunt, ſunt mortalium improbiſſimi. Unde patet, pani ac vino miraculoſam virtutem indi, non à Deo, ac divina voluntate, qui in improbis nihil tale operatur, ſed à pronunciatione ſola verborum: non ſecus, ac Magi & incantatores certorum verborum ac conſecrationum pronunciatione, nonnullis rebus ſupernaturalem vim conferunt.

Quod vero in ſpecie tres illas ſententias erroneas de verbis, *Hoc eſt corpus meum*, attinet, prima ex eis Pontificiorum eſt, qui ſentiunt, quoties hiſtoria inſtitutionis Cœnæ recitatur, quamprimum verba, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*, ſuper panem & vinum pronunciata fuerint, ſtatim panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti tranſmutari, ita ut non maneat amplius panis & vinum, ſed in locum ejus ipſiſſimum eſſentiale corpus & ſanguis Chriſti ſuccedat. Verum hujus ſententiæ falſitas primum ex eo perſpicitur, quod Paulus, qui hunc Cœnæ Dominicæ ritum ſingulari deſcripſit diligentia, clare doceat, panem etiam in ipſo uſu, ſeu eſu ejus, manere panem, dum inquit 1 Cor. 10. 16: *Panis, quem frangimus, nonne eſt communicatio corporis Chriſti?* Ex mente Pontificiorum dicere debuiſſet Paulus, non panem eſſe communicationem corporis, ſed eſſe ipſum verum corpus Chriſti. Quia igitur illo modo loquitur, panis ipſum Chriſti corpus eſſe non poteſt. Quod enim eſt communicatio alicujus rei, id illa ipſa res eſſe nequit. Et ℣. 17, ait Paulus: *Unus panis, unum corpus ſumus, quoniam omnes de uno pane participamus.* Ita etiam dicit 1 Cor. xi. 26: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis.* Item ℣. 27: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne.* Et ℣. 28. *Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane hoc edat, & de calice bibat.* Ita ritus hic quoque in Sacris Literis *Fractio panis* appellatur Actor. 2. 42, 46. xx. 7. Unde intelligitur, ibi verum panem eſſe, quod itidem de vino ſtatuendum eſt. Secundo idem quoque teſtantur ſenſus ipſi, oculi, guſtus, tactus, etiam poſt conſecrationem manere panem verum & vinum verum. Teſtimonium autem ſenſuum eſt omni exceptione majus, quo etiam Chriſtus ipſe ſæpiſſime uſus eſt; ut inter alia cum diſcipulos ſuos ita allocutus eſt: *Videte manus meas & pedes meos, quod ego ſim* Luc. 24. 39. Et ad Thomam dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Et rurſus: *Quia vidiſti me, credidiſti* Joh. 20. 27, 29. Vide etiam ſupra, cap. 16. 3. xxiv. 33. Qui teſtimonium ſenſuum rejicit, quique negat, quod ſuiſmet oculis videt, manibus ſuis palpat, ore ac palato ſuo guſtat, indignus eſt, cum quo diſputetur: quia negat, quod conſenſu univerſali totius humani generis veriſſimum ac teſtatiſſimum eſt. Quando fit vera alicujus rei tranſmutatio, tum illa etiam externis ſenſibus eſt perceptibilis, quia prior forma & priora accidentia rei intereunt & evaneſcunt. Sic Exod. 4. 3, cum virga Moſis in ſerpentem converteretur, non remanſit quicquam de priſtina forma virgæ, deque ejus proprietatibus, ſed ſive viſus, ſive tactus conſuleretur, quoad omnia accidentia erat verus ſerpens. Sic cum Chriſtus aquam in vinum commutaſſet Joh. 2. 9, ſapor & color aquæ plane erat ſublatus, & nihil niſi vinum optimum ſentiebatur. Hic autem manent panis & vini accidentia omnia nihil omnino immutata. Quomodo igitur tranſmutatio fieri potuit? Præterea in omni tranſmutatione vera, id quod per eam fit, antea non fuit. Serpens ille & vinum illud antea non erant in rerum natura, ſed per tranſmutationem demum virgæ & aquæ effecta ſunt: at Deus ſemper fuit; quomodo igitur poteſt ex pane primum fieri? Dicendum eſſet, panem

in nihi-

in nihilum abire & neſcio quo evaneſcere, Deum autem loco illius ſe in manibus ſacerdotis exhibere. Sed hæc non eſt ulla tranſmutatio. Tertio divellunt ac mutilant Pontificii verba Chriſti, qui non ſimpliciter dixit: *Hoc eſt corpus meum*; ſed *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, ſcilicet in mortem Luc. 22. 19, vel ut eſt apud Paulum, *quod pro vobis frangitur* 1 Cor. XI. 24. Voluit enim Chriſtus, fractione panis adumbrare ac repræſentare quodammodo ſuas perpeſſiones & mortem, quomodo corpus ejus ſit contundendum, conſcindendumque flagris, & clavis tranſfigendum, & lancea tranſfodiendum, atque adeo quaſi frangendum. Quod autem nunc Chriſtus non habeat tale corpus, quod paſſioni ac morti ſit obnoxium, tam eſt manifeſtum, ut probatione non indigeat. Cum ergo Pontificii pronunciando ſuper panem verba inſtitutionis, volunt panem in corpus Chriſti commutare, debent integra verba Chriſti retinere & proferre: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, vel frangitur*: atque tunc deberet panis converti in mortale & frangibile ac corruptibile corpus Chriſti: quod quis non videt eſſe abſurdiſſimum? Quarto hæc ſententia anſam præbet teterrimæ idololatriæ, ut homines talem Deum adorent, coram eo genua flectant, & divino honore ac cultu eum venerentur, quem ſacerdos ex parvo fruſtillo panis confecit. Quinto ex eadem ſententia plurima alia abſurda ac inconvenientia ſequuntur: ut inter cætera, quod ſacerdos Dei altiſſimi, adeoque creatura ſui creatoris creatrix eſſe poſſit. Hinc magni nominis quidam inter Pontificios Doctor, ſcribere tam profana & blaſphema verba non eſt veritus, quod Omnipotentia Sacerdotis major ſit ipſius Dei Omnipotentia. Deum enim non poſſe facere ſeipſum: Sacerdotem autem poſſe facere Deum, quandocunque & quotieſcunque voluerit.

Urgent autem Pontificii mordicus clara Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt meus ſanguis*; quaſi dixiſſet Chriſtus; Hoc, quod vobis porrigo, eſt corpus meum, & ſanguis meus. Ex quo inferunt, Chriſtum diſcipulis ſuis non panem & vinum, ſed corpus ſuum & ſanguinem dediſſe. Sed etiam idiotis & pueris notum eſt, nihil eſſe uſitatius in quotidiano quoque ſermone, quam ut per metonymiam ſignum pro re ſignata uſurpetur. Cujus rei exempla apud omnes populos, & in omnibus linguis reperiuntur, ſed præcipue in Sacris Literis innumera dantur. Quid enim crebrius in uſu eſt, quam ut de Regis alicujus aut Cæſaris imagine dicatur: Hic eſt Rex, vel, Hic eſt Cæſar; & de picta aliqua civitate: Hæc eſt Roma, hoc eſt Amſtelodamum &c. Atque per ejuſmodi tropum Agnus Paſchalis, Paſcha appellatur, id eſt, tranſitus Marc. 14. 12. Luc. 22. 7, quia ſignum erat tranſeuntis Angeli, qui interficiebat primogenita Ægypti. Sic dicitur quoque, *Petra erat Chriſtus* 1 Cor. 10. 4, id eſt, ſignificabat Chriſtum. Sic circumciſio Fœdus Dei nuncupatur Gen. 17. 10, quia ſignum erat fœderis. Ita dicitur, *Tres palmites ſunt tres dies* Gen. 40. 12, id eſt, deſignant tres dies. *Septem vaccæ & ſeptem ſpicæ ſunt ſeptem anni* Gen. 41. 26, id eſt, denotant ſeptem annos. Item, *Tu es aureum caput* Dan. 2. 38, id eſt, aureum caput te ſignificat. Et, *Quatuor magnæ beſtiæ ſunt quatuor regna* Dan. 7. 17. Imo in ipſis verbis inſtitutionis utitur Chriſtus apud Lucam ejuſmodi tropo & quidem duplici, dum ait: *Hic calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine* Luc. 22. 20, id eſt, eſt ſignum Novi Fœderis. Primum calix ſumitur pro vino, quod eſt in calice, continens pro re contenta: ſecundo Teſtamentum ſumitur pro ſigno Teſtamenti. Sic Paulus quoque loquitur, *calicem bibere*, pro, vinum bibere, quod eſt in calice 1 Cor. XI. 26. Et Chriſtus ſupra cap. 20. 22, dixit ad filios Zebedæi: *Poteſtiſne calicem* (id eſt, potum amarum infuſum in calicem) *bibere*, *quem ego bibam*? Præclarum etiam exemplum, & quod ad noſtram ſubjectam materiam maxime eſt accommodatum habemus apud Ezechielem cap. 5. 1, de quo poſtea. Ex quibus exemplis jam clare patet, quam nullo prorſus fundamento nitantur Pontificii, iique omnes, qui corporalem & ſubſtantialem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna credunt, & ejus rei argumentum in verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, ſe habere putant. Verum quidem eſt, à proprietate verborum & literali ſenſu Scripturæ non facile eſſe recedendum: ſed tamen agnoſcunt omnes Interpretes, & natura rei etiam id exigit, quod tunc omnino à litera verborum diſcedendum ſit, figuratuſque aut alius commodus ſenſus quærendus, quando è literali ac proprio ſenſu abſurdum aliquod ſequitur, quod vel cum natura rei pugnet, & ſeipſum evertat, vel aliis claris & non controverſis Scripturæ locis adverſetur; quemadmodum præter jam enumerata exempla teſtantur hæc loca Joh. 10. 7, 11. XV. 1, & innumera in Veteri Teſtamento loca, in quibus Deo humana membra, oculi, aures, manus, pedes, quin & alæ attribuuntur; quæ loca unicuique ſunt obvia. Si autem ullus in tota Sacra Scriptura locus eſt, cujus literalis ac proprius ſenſus abſurdus, ineptus, & contradictionum plenus ſit; hic certe talis eſt, ſi ita accipiatur & explicetur, prout eum accipiunt & exponunt Pontificii, atque illi omnes, qui corporalem præſentiam, vel unionem corporis & ſanguinis Chriſti cum pane & vino credunt: quod demonſtratum abunde eſt ſupra in generali refutatione harum trium erronearum ſententiarum. Itaque qui tantopere hoc in loco literæ affixi ſunt, τὸ ῥῆτον urgent, nihil aliud faciunt, quam quod vel ſummam ſuam in interpretandis Scripturis inſcitiam, vel pertinaciam in præconcepta ſententia defendenda prodant. Si firmiter ac tenaciter literæ adhærere placet, oportet ut non ſolum omnia illa abſurda, modo oſtenſa, removeant, verum etiam clare demonſtrent, verba iſta *Hoc eſt corpus meum*, nullum alium, niſi literalem ſenſum, adeoque nullum figuratum, pati atque admittere. Non ſufficit, quod clament, hoc eſſe ingens myſterium, quod humano intellectu capi nequeat. Id ipſum non dicendum ſolum ſed probandum quoque eſt, hoc eſſe tale myſterium. Sanctus hic ritus eſt ad hominum ſingularem utilitatem inſtitutus; ut poſtea intelligetur: at hoc myſterium nulli eſt uſui; prout ſupra oſtenſum eſt fuſius. Adhæc clara verba Inſtitutionis (quam illi ſemper crepant) ſi penitius inſpiciantur, & verus eorum ſenſus à primo fundamento eruatur, nullum alium verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, habebunt ſenſum, quam, Hoc ſignificat corpus meum. Notum

NB. Sensg literali

enim eſt, Chriſtum Paſcha cum omnibus ceremoniis, quæ apud Judæos in uſu erant, ediſſe, nec quicquam hac in re mutaſſe, quam quod finem alium, & alius rei memoriam atque annunciationem inſtituerit. Judæi manducarunt Paſcha in memoriam liberationis ſuæ ex Ægypto, Deumque pro ea laudibus efferebant. Chriſtus præcepit, ut hic ritus celebretur ad annunciandam ſpiritualem noſtram liberationem, quæ per ſanguinem ejus facta eſt. Quemadmodum igitur in feſto Paſchatis paterfamilias ſolebat benedictum panem azymum accipere, & in minutas particulas frangere, atque unicuique accumbentium ordine diſtribuere, ad renovandam memoriam illius panis afflictionis, quem Majores eorum in Ægypto manducarunt, vel illius infermentatæ maſſæ, quam in mactris ſecum fugientes aſportare coacti ſunt Exod. 12. 34. Sic etiam Chriſtus panem fregit & diſtribuit in commemorationem ſuæ mortis acerbiſſimæ. Paterfamilias dicebat diſtribuendo panem: *Hic eſt azymus ille panis, quem patres noſtri manducarunt*; vel, *Hic eſt panis ille afflictionis, quem Patres noſtri comederunt.* Chriſtus hujus formulæ loco, inquit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*, vel (ut loquitur Paulus 1 Cor. xi. 24.) *frangitur.* Sicut igitur illa verba: *Hic eſt panis afflictionis*, non ſecundum literam intelligenda ſunt, quod videlicet iſte panis ſit ille ipſe, quem Judæi in Ægypto comederunt, ſed panis iſte tantum fuit ſignum memoriale illius panis; quaſi diceretur: Hic panis ſignificat illum panem afflictionis. Ita etiam verba Chriſti non hoc ſibi volunt, quod panis, quem diſtribuebat, vere & ſubſtantialiter ſit corpus ſuum, ſed tantum, quod is corpus ſuum denotet ac deſignet. Ex quo tandem perſpicue patet, eos qui tam ſtricte verbis Inſtitutionis inſiſtunt, verba Inſtitutionis pervertere, & figuratam locutionem, quæ in celebratione Paſchæ uſurpari fuit ſolita, quamque Chriſtus imitatus eſt, in propriam & admodum ineptam atque abſurdam convertere. Vide plura hac de re in Appendice, Artic. 25. & 41.

Quod vero alteram falſam opinionem de iſtis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, quæ Lutheranorum eſt, attinet, inter eam & Pontificiorum opinionem, hactenus refutatam, parva eſt omnino differentia. Etſi enim tranſſubſtantiationem Pontificiam panis in corpus Chriſti rejiciant, nihilominus tamen adſtruunt conſubſtantiationem, ſtatuuntque verum Chriſti corpus in, cum, & ſub pane corporaliter & oraliter manducari, adeoque Chriſtum eſſentialiter præſentem adeſſe. Quæ opinio non modo iis, quæ ſupra in generali refutatione, & ex parte etiam iis quæ contra Pontificios diſputata ſunt, evertitur; verum etiam ejus falſitas ex eo primum cognoſcitur, quod ne una quidem literula è Scriptura demonſtrari queat. Res tanti momenti, quæ humano intellectui adeo imperceptibilis eſt, imo prorſus contraria, merito claris & expreſſis verbis demonſtrari deberet, ab illis, qui extra Scripturam ſe nullos fidei articulos accipere jactant. Superſtruunt quidem opinionem ſuam verbis Inſtitutionis, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus* &c. quæ verba ad nauſeam uſque crepant; ſed revera tamen à verbis Inſtitutionis recedunt, dum verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, ad hunc modum explicant: *Hic vel in hoc eſt corpus meum.* Quo pacto ſane à proprietate verborum, (quam Pontificii urgent) recedunt, & metonymicam locutionem ex propria faciunt. Sic ſi quis alicui marſupium cum pecunia porrigat, & dicat: Hæc eſt pecunia; vel ſi lagenam cum vino porrigens dicat: Hoc eſt vinum; certe improprie loqueretur. Neque enim marſupium eſt pecunia proprie, neque lagena eſt vinum, ſed pecunia eſt in marſupio, & vinum in lagena. Cum igitur Lutherani propria ſignificatione verborum Inſtitutionis omiſſa, tropum & impropriam locutionem hic agnoſcere cogantur, quomodo probabunt, hunc ipſum tropum, quem illi volunt, & non alium in verbis contineri? Cur non potius ejuſmodi tropum admittunt, qui cum ſcopo inſtitutionis Cœnæ & cum tota iſta actione apprime convenit, qui humano intellectu optime percipi poteſt, nihilque abſurdi in ſe habet, quam talem, qui plane abſonus & omni humanæ rationi contrarius eſt, adſtruens ſcilicet, Chriſtum Dominum ac Servatorem noſtrum, imo (ut illi ſentiunt) creatorem cœli ac terræ, in parvo panis fruſtulo incluſum vel cum eo permiſtum aut copulatum eſſe. Quamvis enim dicant, ſe non credere ejuſmodi unionem corporis Chriſti cum pane, quæ humana lingua efferri, aut mente percipi, aut in rerum natura reperiri queat, ſed ſtatuant, eſſe Sacramentalem unionem, cujus nullum ſimile detur exemplum: nihil tamen id cauſam eorum juvat. Quomodo enim eam ex Sacra Scriptura probabunt? Ubi vel unum apicem aut literam hac de re in toto Novo Teſtamento, monſtrabunt, in quo ne vox quidem Sacramenti uſquam invenitur? Quid vero etiam ſibi vult iſta Sacramentalis unio? Quomodo docebunt & explicabunt, ſi quis noſſe cupiat, diſcrimen inter hanc Sacramentalem, & aliam unionem duarum rerum, quarum exempla extant in rerum natura? Si dicant, eſſe talem unionem, qualis in hoc Sacramento eſſe ſolet: quæro rurſus, Quænam ſit & qualis iſta unio, quæ in hoc Sacramento eſſe ſolet? Quid hic reſpondebunt aliud, quam ſe neſcire, ſe id verbis explicare non poſſe? Quomodo ergo vera eſſe poteſt rei iſtius affirmatio, quæ neque verbis Scripturæ, neque aliis intelligibilibus verbis efferri, neque ulla ratione demonſtrari poteſt? Secundo ſententia iſta eſt Sacræ Scripturæ prorſus contraria, quandoquidem hæc teſtatur, Chriſtum ita in cœlum aſcendiſſe, ut ante extremum adventum ſuum ad judicium non ſit deſcenſurus. Sic enim ait Petrus Actor. 3. 21. *Quem* (nempe Jeſum Chriſtum) *oportet quidem cœli capiant, uſque ad tempora reſtitutionis omnium.* Falſum proinde eſt, ejus ſanctiſſimum corpus toties de cœlo detrahi & cum pane uniri, quoties ſacerdos panem in Cœna conſecrat, & poſtea rurſus in cœlum ferri: niſi forte dicatur, idem corpus Chriſti eodem tempore ſimul in cœlo eſſe & in terra; quod plenum abſurditatis eſt. Nam quod Chriſtus inquit, Matth. 28. 20: *Ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, id neceſſe non eſt de corporali ejus præſentia intelligere, ſed nihil aliud promittit iſtis verbis, quam ſe per ſpiritum ſuum, gratiam, potentiam & auxilium illis adfuturum. Hinc

abiturus

abiturus ad Patrem pollicitus eſt illis, alium Paracletum, ſe illis ſui loco miſſurum, ſpiritum ſcilicet illum veritatis Joh. 14. 26. xv. 26. xvi. 7. Neque nobis repugnat illa Chriſti apparitio Paulo facta Act. 9. 5. Quod enim non corporaliter Chriſtus & eſſentialiter Paulo apparuerit, ſed quod apparitio illa in viſione facta ſit, ipſe Paulus teſtatur Actor. 26. 19, dum ait: *Non fui rebellis cœleſti viſioni.* Huic ſimile eſt, quod Lucas de Paulo ſcribit Actor. 23. 11: *Sequenti vero nocte adſiſtens ei Dominus ait: Confide Paule.* Qua vero ratione Dominus ipſi adſtiterit, declarat Lucas ipſe Act. 18. 9: *Dixit autem Dominus per viſionem noctu Paulo: Ne time.*

Tertia falſa ſententia de verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, eſt Calviniſtarum: quæ à Lutheranorum ſententia magis verbis, quam reipſa diſcrepat. Nam Calviniſtæ non minus quam Lutherani credunt, in Sacra Cœna vere & eſſentialiter corpus Chriſti manducari, & ſanguinem ejus bibi. Hoc ſolum intereſt, quod Lutherani ſentiunt, manducationem ac bibitionem iſtam corporaliter fieri, Calviniſtæ autem, eam fieri ſpiritualiter. In qua ſententia ſua Calviniſtæ, dum rem ſubtilius volunt proponere, craſſiorem multo errorem committunt, quam Lutherani: ut poſtea declarabitur. Poteſt autem ſententia hæc refelli eodem prorſus modo, quo ſuperiores refutatæ ſunt. Primum quia neque ex verbis Inſtitutionis, neque ex ullo alio loco Sacræ Scripturæ probari poteſt. Etſi enim etiam illi ad verba Inſtitutionis; *Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum*, provocent, & in iis ſententiæ ſuæ præſidium quærunt (ſic enim ait Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 17: *Veritatem Dei, in qua acquieſcere tuto licet, hic ſine controverſia amplector. In ſacra ſua Cœna jubet me ſub ſymbolis panis & vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere, manducare ac bibere. Nihil dubito, quin & ipſe vere porrigat, & ego recipiam:*) tam parum tamen in eis præſidii inveniunt, quam priores duæ ſententiæ. Nam panis eſt quidem ſignum corporis Chriſti, ſed non ſimpliciter corporis, verum corporis ejus, pro nobis tradiți, ut Chriſtus apud Lucam loquitur, vel fracti, ut Paulus. Quæ verba Calviniſtæ omittunt, adeoque verba Chriſti non minus quam cæteri mutilant. Atqui Chriſtus nunc non habet amplius tale corpus, quod frangi poſſit. Sic etiam vinum non eſt ſimpliciter ſignum ſanguinis Chriſti, ſed ſanguinis ejus, quatenus pro nobis effuſus eſt. Deinde Calviniſtæ ſimiliter ac Lutherani recedunt à proprietate verborum Chriſti, & agnoſcunt impropriam ac tropicam locutionem, dum verba, *Hoc eſt corpus meum* ita exponunt, *Hoc ſignificat corpus meum.* Quæ vero eſt conſequentia: Chriſtus dixit, Edite panem hunc, qui meum corpus ſignificat; Ergo dixit, Edite corpus meum? Non ſequitur ullo modo, rem ſignatam juſſam eſſe manducari, quando juſſum eſt ſignum manducari. Poteſt aliquis mille ejuſmodi res edere, quæ aliarum rerum ſigna ſunt, & tamen nullam ex is rebus edere, quæ iis ſignificantur. Quare hæc Calvini ſententia neque ex claris verbis Chriſti, elici, neque per legitimam conſequentiam ex eis deduci poteſt. Quod vero Chriſtus apud Johannem cap. 6. 51, ad 59, de ſpirituali manducatione & bibitione carnis ac ſanguinis ſui differit, id Calviniſtarum cauſæ itidem minime favet: cum illa manducatio, de qua Chriſtus, longe ſit alia, quam ea eſt, quam urgent Calviniſtæ. Horum enim opinio eſt, corpus & ſanguinem Chriſti vere ac ſubſtantialiter edi ac bibi, ſed non corporali, verum ſpirituali modo: præterea hanc manducationem non alio tempore fieri, quam in Cœna. At apud Johannem non eſt ſermo de vera ulla manducatione ac bibitione: ſed Chriſtus utitur figurato loquendi modo, quo docet, meditationem mortis ejus ita noſtram fidem ac ſpem alere ac reficere, atque ad omnia Deo placentia opera exequenda nobis vires largiri, ſicut carnales cibi naturalem vitam noſtram reficiunt ac conſervant. Quam meditationem Chriſtus manducationem corporis ſui & bibitionem ſanguinis ſui appellat; & hæc manducatio ac bibitio non eſt ad illud ipſum tempus, quando Cœna Domini celebratur, alligata, uti Calviniſtarum manducatio, ſed fieri poteſt ac debet omni tempore, ſi quis vitam animæ ſuæ, nempe fidem ac ſpem, amittere nolit. Vide de hoc loco plura apud Johannem, & hic paulo infrà in explicatione, ad quem finem Chriſtus Cœnam ſuam inſtituerit.

Secundo ſententia hæc mire inepta & abſurda eſt, rationique ſanæ prorſus repugnans: adeo ut etiam Lutheranam ſententiam abſurditate ſuperet. Nam hoc tamen aliquomodo intelligi & ratione comprehendi poteſt, quomodo res aliqua *vere, proprie ac corporaliter* edi ſeu manducari poſſit: ſed *vere* ac *proprie* & tamen *ſpiritualiter* aliquid edere, neque concipi mente, neque verbis explicari poteſt. Qui etiam fieri poteſt, ut homo in terra conſtitutus Chriſtum in cœlis exiſtentem reipſa ac vere edere poſſit? Per eſum ac manducationem cibus unitur ac conjungitur cum manducante: quomodo vero Chriſtus cum homine illo, qui panem manducat in Cœna, conjungi poteſt, atque uniri, quando neque hic ad Chriſtum in cœlum aſcendat aut elevetur, neque Chriſtus ad hunc de cœlo deſcendat, ſed in ſuo loco quiſque permaneat? Hunc Labyrinthum Calvinus auctor hujus doctrinæ vidit; ideo ſcripſit loco ſupra citato: *De modo, ſi quis me interrroget, fateri non pudebit, ſublimius eſſe arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat; atque ut apertius dicam, experior magis, quam intelligam.* Calvinus fatetur, hoc myſterium neque ingenio comprehendi, neque verbis enarrari poſſe: ad hoc ſi addatur, quod jam demonſtratum eſt ſuperius, illud ex Sacris Literis non poſſe probari, jam penitus actum erit de hac ſententia. Non immerito autem mireris, quod dicat, ſe id experiri magis, quam intelligere. Velim equidem ſcire, quomodo ille expertus ſit, ſe corpus & ſanguinem Chriſti in cœlo ediſſe ac bibiſſe. Sine dubio nihil aliud quam fortis fuit imaginatio. Quod ſi forte uſus panis & vini aliquam peculiarem in animo ejus devotionem ac religionem excitavit, ea certe non alia fuit, quam ea eſt, quam mortis Chriſti meditatio in quolibet pio excitare poteſt. Tantum etiam de tertia ſententia.

Nunc verum ſenſum verborum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, exponemus & confirmabimus. Sciendum igitur, in hac ſacra actione Cœnæ Domini non ſimpliciter panem & vinum eſſe

Senſus verborum Chri

ſignum ac figuram corporis & ſanguinis Chriſti, ſed panem eatenus, quatenus frangitur eſſe figuram corporis Chriſti, quod in Cruce pro nobis fractum & in mortem traditum eſt; vinum vero eatenus, quatenus in calicem infunditur, eſſe figuram ſanguinis Chriſti, qui pro nobis effuſus eſt. Manducatio autem & bibitio panis ac vini, eſt figura ſpiritualis refectionis & alimoniæ, quam animæ noſtræ percipiunt, ex conſideratione pro nobis fracti & in mortem dati corporis, & pro nobis effuſi ſanguinis Chriſti, quæ refectio ac nutrimentum ſpirituale conſiſtit in confirmatione noſtræ fidei ac ſpei, quæ non ſolum tempore Sacræ Cœnæ, ſed ſemper, quoties mortem Chriſti conſideramus, in nobis renovatur. Atque hæc interpretatio nihil habet coacti, nihil abſurdi, nihil quod intelligi ac comprehendi nequeat, nihil denique, quod vel Sacræ Scripturæ, vel alicui articulo fidei adverſum ſit: ſed egregie cum ſcopo hujus Sacræ Cœnæ convenit, & commode è verbis Chriſti deduci poteſt.

Notandum etiam hic eſt, Græcam vocem σῶμα, qua Chriſtus hoc loco utitur, proprie mortui hominis corpus, id eſt, cadaver denotare: ut ſupra cap. 14.12, & Luc.17.37. Itaque Chriſtus per panem non vivum corpus ſuum, ſed mortuum, quale in cruce pependit, adumbrare ac figurare voluit. Hinc etiam ſeorſim corpus ſuum ſine ſanguine, & ſeorſim ſanguinem ſuum ſine corpore effigiavit. Quocirca verba hæc Chriſti, merito deberent reddi: Hoc eſt cadaver meum, non, Hoc eſt corpus meum. Inſigne autem exemplum, quod ad noſtræ explicationis confirmationem mire facit, habemus apud Ezechielem cap. 5. 1, & ſeqq. ubi Deus ſic affatur Prophetam: *Et tu, fili hominis, ſume tibi gladium acutum, ſicut novaculam, & duc eum per caput tuum & per barbam tuam, & aſſume tibi ſtateram ponderis, & divide eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis, quando completi erunt dies obſidionis: & aſſumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus: tertiam vero aliam diſperges in ventum, nam gladio nudato perſequar iſtos. Attamen excipies inde paucos numero, quos ligabis in extremitate pallii tui: & ex iſtis adhuc accipies, quos projicies in ignem, & combures eos igne; inde prohibit ignis, in totam domum Iſraëlis. Sic dicit Dominus Deus: Hæc eſt Hieroſolyma, quam in medio Gentium poſui &c.* E quibus verbis liquet, cum Deus dixit, *Hæc eſt Hieroſolyma*, non tantum barbam Prophetæ ſeu pilos fuiſſe figuram Hieroſolymæ, ſed etiam totam illam actionem, quam Propheta cum pilis illis inſtituit; nempe diviſio, combuſtio &c, pilorum fuit ſignum ac figura ejus rei, quæ brevi debuit urbi Hieroſolymæ contingere. Sic etiam in Sacra Cœna totum id quod Chriſtus cum pane & vino egit, fuit ſignum ac figura ejus, quod brevi cum corpore ac ſanguine Chriſti agi debuit. Perinde quaſi dicat Chriſtus: Eo prorſus modo, quo videtis me panem frangere, videbitis paulo poſt corpus meum frangi; & ut videtis, me vinum in calicem infundere, ſic etiam ſanguis meus effundetur. Ubi ſimul obſervandum, verbum *frangendi* de pane proprie uſurpatum eſſe, (panis enim proprie frangitur) de corpore autem Chriſti improprie ac figurate id dici. Corpus enim ejus proprie loquendo non fuit fractum, ſed cæſum, flagellatum, & tranſfixum. Contra vero de ſanguine Chriſti proprie dicitur, cum eſſe effuſum, de vino autem improprie. Nam proprie loquendo vinum non effunditur, ſed infunditur in calicem.

Ex hactenus dictis patet quoque, qualis cibus & potus nobis in Cœna Domini porrigatur, & à nobis ſumatur. Nempe non alius, quam ſimplex panis & ſimplex vinum, ſi natura & eſſentia eorum ſpectetur: attamen res iſtæ ſunt ſacræ, non ſua natura, aut propter vim aliquam peculiarem ſibi inſitam, ſed propter ſacrum uſum, cujus cauſa inſtitutæ ſunt, ut nimirum ſacrarum rerum ſigna ſint. Simili ratione olim in Veteri Fœdere panes propoſitionis, etſi nihil niſi ſimplices panes quoad naturam ſuam eſſent, tamen propter uſum ac finem, ad quem ordinati erant, ſacri vocabantur 1 Sam.21. 4,6.

Cum tam multa jam à nobis de Cœna Domini acta ſint, non abs re fuerit, attexere hic etiam & declarare Finem ac ſcopum, propter quem Chriſtus ſacrum hunc ritum inſtituit. Finis autem iſte non alius eſt, quam quod Chriſtus voluerit, ut in Eccleſia ejus perpetuo extaret atque duraret memoria cum gratiarum actione conjuncta & annunciatio cruentæ mortis ſuæ. Cum enim Chriſtus morte ſua ineffabilem amorem erga nos teſtatus fuerit, dum non detrectavit ſanguinem ſuum ſalutis noſtræ cauſa profundere, par eſt, ut hic ejus amor ac dilectio ad finem uſque mundi prædicetur, & toto pectore celebretur. Hunc eſſe Cœnæ Sacræ finem, clariſſime ex verbis Inſtitutionis Chriſti elucet. Chriſtus enim cum diſcipulis ſuis panem diſtribueret, ſic apud Lucam dixit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem.* Paulus autem in ſpecie meminit, Chriſtum porrigendo calicem dixiſſe: *Hoc facite, quoties bibitis, in mei commemorationem* 1 Cor. xi.25. Et mox poſtea: verſ. 26. *Quotieſcunque ex hoc pane editis, & ex hoc calice bibitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat.* Quare principalis, imo unicus finis hujus Sacræ Cœnæ, eſt annunciatio Mortis Chriſti. In qua annunciatione ſimul includitur, vel potius ex ea quaſi promanat, illa communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, de qua loquitur Apoſtolus 1 Cor. 10. 16. *Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio eſt ſanguinis Chriſti? Panis quem frangimus, nonne eſt communicatio corporis Chriſti?* Duæ enim res ſunt, quæ in Sacra Cœna peraguntur. Primo, panis frangitur, & vinum in calicem infunditur: deinde fractum panem comedimus, & ex calice bibimus. Priori actione repræſentatur oculis omnium cruenta mors Chriſti, & adumbratur ejus excruciatum ac crucifixum corpus, nec non effuſus ejus ſanguis; atque ſic annunciamus ejus mortem, non tam verbis, quam actu ipſo, ritum hunc ſacrum peragendo. Annunciatio autem iſta neceſſario requirit, ut tam Domino Jeſu Chriſto, quam Deo ipſi, cujus mandato ille ſeipſum in mortem tradidit, ex animo gratias agamus, eorumque ſummam & explicatu difficilem erga nos dilectionem laudibus meritis in cœlum evehamus. Quam ob cauſam Cœna Domini ab antiquo tempore *Euchariſtia*, id eſt, gratiarum actio dicta eſt. Poſteriori vero actione, permanducationem ſcilicet panis fracti & bibitionem infuſi vini, teſtamur & profitemur communica-

municationem illam, quam in corpore & ſanguine Chriſti habemus. Communicatio autem iſta duo in ſe complectitur. Primo quod dum panem illum edimus, & poculum bibimus, palam teſtemur ac profiteamur, nos fractum illud corpus Chriſti, & ſanguinem illius pro nobis fuſum pro animæ noſtræ cibo ac potu habere, quo ad ſpiritualem vitam nutriamur ac reficiamur, non aliter ac naturalibus cibis ac potu corpus noſtrum ad hanc terrenam & temporalem vitam reficitur. Tenendum autem eſt, cum nos corpus Chriſti manducare & ſanguinem ejus bibere dicitur, hanc eſſe impropriam ac figuratam locutionem, qua nihil aliud indicatur, quam nos beneficiis illis frui & eorum participes eſſe, quæ nobis Chriſtus corpore ſuo crucifixo & ſanguine ſuo fuſo, id eſt, morte ſua peperit & acquiſivit: quæ beneficia nulla alia ſunt, quam remiſſio peccatorum, & indubitata ſpes vitæ æternæ. Quemadmodum enim corpus naturalibus cibis & potu ita conſervatur, ut ſine illis deficiat & intereat: ſic noſtræ animæ per beneficia remiſſionis peccatorum, & certæ ſpei vitæ æternæ quaſi reficiuntur, & fames earum ad gratiam Dei & ad vitam æternam anhelantium ſatiatur atque expletur. Itaque Paulus in ſupra adducto loco 1 Cor. 10. 16 cum ait, calicem benedictionis eſſe communicationem ſanguinis Chriſti, & fractum panem eſſe communicationem corporis Chriſti, nihil aliud ſignificare voluit, quam eos, qui panem hunc frangunt & edunt, & ex calice bibunt, hoc facto ſuo publice teſtari, ſe participes eſſe corporis ac ſanguinis Chriſti, id eſt, illorum beneficiorum, quæ nobis Chriſti morte acquiſita ſunt. Quo ſenſu etiam mox verſ. 18 ait de Iſraelitis, eos qui edebant de victimis ac ſacrificiis, participes fuiſſe altaris, id eſt, eos eſu victimarum illarum teſtatos ac profeſſos fuiſſe, ſe pertinere ad illam religionem ac cultum divinum, qui ad altare peragebatur: & verſ. 21 ait eos, qui de idolothytis edebant, communicatores dæmoniorum fuiſſe, id eſt, eos teſtari, ſe aliquid cum dæmoniis commune habere & ad ea pertinere. Nemo autem cogitare debet, nos beneficia illa morte Chriſti nobis parta tantum illo tempore, quo Sacer hic ritus celebratur, percipere iiſque frui; multo minus fractum iſtum panem & benedictum vinum habere in ſe vim illa beneficia nobis conferendi: ſed eorum reddimur participes per religioſam ac piam meditationem mortis Chriſti, & per veram fidem in ipſum, adeoque omni tempore, etiam extra hunc ritum, quamdiu iſta meditatio ac fides noſtra, quam ex ea haurimus, in nobis manet. Etenim fideles Domini noſtri Jeſu Chriſti ſunt inſtar palmitum, Joh. 15. 1, 2, qui quamdiu in vite ſua Chriſto manent, id eſt, per fidem cum eo juncti ſunt, trahunt aſſiduo, etiam extra uſum Sacræ Cœnæ, ad ſe ſuccum beneficiorum ejus, quo quaſi aluntur ac ſuſtentantur. Quiſquis autem palmes Chriſti non eſt, id eſt, per peccata ſua aut infidelitatem à Chriſto ſejunctus eſt, is in uſu ſacri panis & vini nullam percipiet vim ac efficaciam, neque peragendo hunc ritum, beneficiorum Chriſti morte acquiſitorum fiet particeps. Quare eſus ille & potus in Cœna Domini nihil aliud ſibi vult, quam quod id facientes profiteantur publice ſe partem in Chriſto & in fructibus mortis ejus habere. Secundo complectitur communicatio iſta corporis & ſanguinis Chriſti in ſe, quod dum de pane iſto edimus, & de poculo bibimus, conteſtemur, nos unius corporis membra eſſe: & quemadmodum omnes de uno pane edimus, ſic nos etiam omnes ſimul unum corpus Chriſti ſpirituale conſtituere. Atque huc Apoſtolus expreſſe reſpexit, cum inquit: *Unus panis, unum corpus multi ſumus; nam omnes de uno pane participamus*, 1 Cor. 10. 17. Quapropter etiam nos tanquam membra unius corporis alter alterum diligere, alter alterius curam gerere, neque alter alterum contemnere debemus. Hæc de vero fine Cœnæ Domini.

Reſtat, ut etiam falſas ſententias de fine Cœnæ Domini, quæ in orbe Chriſtiano vigent, examinemus & excutiamus. Earum autem ſunt potiſſimum quatuor. Prima eſt eorum, qui cenſent, Sacram Cœnam eo fine inſtitutam eſſe, ut per eam promiſſio gratiæ Dei obſignetur, noſtraque fides confirmetur. Sed falſam eſſe hanc ſententiam, exinde cernitur, quod is digniſſime obire hunc ritum queat, & aptiſſimus ſit ad eum celebrandum, qui fidem habet maxime firmam, & contra is ſit indigniſſimus, qui fide minus firma eſt præditus. In hujus enim ſacri ritus celebratione gratias agimus Deo & Chriſto pro fide, quæ per mortem Chriſti nobis implantata eſt. Vehementer proinde falluntur illi, qui Cœnam Domini viſibile verbum appellant, quo Deus ſuas promiſſiones obſignet. Id enim ſi verum eſſet, utique aliquid ea de re in Sacris Literis legeretur, quin etiam expreſſe ſcriptum extaret, quomodo ritus iſte rem tam magnam efficiat. Sed non modo de utroque altum eſt in Sacro Codice ſilentium, verum contrarium etiam potius videmus, quod actio iſta nullam ejuſmodi vim habeat, rem tantam & tam miraculoſam efficiendi. Nihil enim in ea eſt, quod vel ſpeciem miraculi habeat, nihil quod humanas vires excedat, & non ab unoquoque vulgari homine perfici queat: neque etiam in ea quidquam ſimile iis deprehendi poteſt, qualia Deus ad confirmationem ſuarum promiſſionum adhibere ſolet. Quamobrem etiam qui pane hoc veſcuntur & vinum bibunt, non tantum nullam ejuſmodi obſignationem gratiæ Dei ejuſque promiſſorum in ſe ſentiunt, ſed ne adumbrationem quidem ac repræſentationem iſtius obſignationis animadvertere queunt: quippe cum illi ipſi ſint, qui hac ſacri ritus celebratione aliis adumbrant ac repræſentant id, quod ſe per gratiam Dei accepiſſe confitentur. Verum ajunt, Cœnam Domini eandem vim habere, quam habebat in Veteri Fœdere circumciſio: cumque illa ſigillum vocetur, etiam Cœnam Domini ſigillum eſſe oportere. At non tantum nullo argumento evinci poteſt, parem eſſe rationem Cœnæ Domini, cum ea quæ eſt circumciſionis, ſed falſum quoque eſt, circumciſionem fuiſſe ullius divinæ promiſſionis ſigillum. Fuit quidem illa ſigillum, ſed juſtitiæ fidei Abrahami, quam ille habuit, adhuc ante circumciſionem. Sic enim Paulus clariſſime de eo teſtatur: *Et accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, quæ erat in præputio* Rom. 4. 11. Deus hoc ſigno circumciſionis voluit ſignare Abrahamum ejuſque poſteros, & ab aliis omnibus populis terræ ſecernere atque diſtinguere, ut omnibus hominibus

innoteſceret, quanto amore Deus erga eum poſteroſque ejus flagret. Quo amore Deus certe nunquam proſecutus fuiſſet eum, neque eum hac nota inſigniviſſet, niſi Abrahamus antea fidem in Deum habuiſſet, & per eam juſtitiam conſecutus fuiſſet.

Alter error circa finem Cœnæ Domini eſt, quod illa in hunc finem inſtituta ſit, ut nobis ſuggerat & in memoriam revocet mortem Chriſti: quia apud Lucam dicitur cap. 22. 19. *Hoc facite in mei memoriam, vel recordationem.* Sed Græca vox ἀνάμνησις ſignificat non ſolum memoriam vel recordationem: verum etiam annunciationem vel commemorationem. In qua ſignificatione ſumitur hæc vox Hebr. 10. 3, confer cum Levit. 16. 21. Ac debere quidem apud Lucam potius commemorationem, quam memoriam aut recordationem verti, demonſtrat non ſolum clarus ille locus Pauli 1 Cor. 11. 26. *Quoties panem hunc editis, & calicem hunc bibitis, mortem Domini annunciatis:* ſed ipſa quoque natura hujus ritus id exigit, ad quem rite obeundum requiritur, ut qui ad menſam Domini accedit, jam ante non modo perpetuo memor ſit mortis Chriſti, ſed etiam fructus ejus tum in animo ſuo alte impreſſos gerat, tum ſe ejus ſemper memorem eſſe bonis operibus demonſtret; eaque intentione ad celebrationem Cœnæ accedat, ut Deo & Chriſto pro immenſo beneficio mortis ejus quod agnoſcit, ſentit, & memoria ſemper retinet, gratias agere velit: tantum abeſt, ut demum per uſum hujus ritus mortis Chriſti memoria in eo excitari debeat.

Tertius error eſt, quod Cœna Domini idcirco ſit inſtituta, ut per eam remiſſionem peccatorum adipiſcamur. Cujus ſententiæ argumentum peti ſolet ex verſ. 28 ubi Chriſtus inquit, calicem eſſe ſanguinem ſuum, illum Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur *in remiſſionem peccatorum:* cum tamen Chriſtus non dicat, nos ex calice bibere ad remiſſionem peccatorum; ſed calicem, id eſt, vinum in calice eſſe figuram ſanguinis ſui, qui effunditur pro multis in remiſſionem peccatorum. Vide infra ad verſ. 28. Quartus error hic eſt Pontificiorum, qui contendunt, Chriſtum propterea cœnam ſuam inſtituiſſe, ut ſit univerſale & perpetuum ſacrificium corporis ac ſanguinis ejus pro vivis & mortuis. Verum hæc ſententia primum ipſo Sacræ Scripturæ ſilentio refellitur. Nuſquam enim in ullo eorum locorum, ubi ſcopus ac finis hujus ritus deſcribitur, vel minima extat de hoc figmento mentio. Quod enim ad id probandum verba Chriſti allegant, *Hoc facite in mei commemorationem:* Luc. 22. 19, id apud Lucam infra refutabitur. Deinde ſacrificium corporis Chriſti, ſive oblatio, non hic in terris peragitur, ſed in cœlis, per ejus coram Deo apparitionem: *Nam ſi in terris eſſet*, ſcribit Auctor Epiſtolæ ad Hebræos, *utique non eſſet Sacerdos*, cap. 8. 4. Hoc certe auctor iſte neutiquam dicere potuiſſet, ſi Chriſtus tum, cum Cœnam inſtituit, ſeipſum obtuliſſet, & hodie etiamnum per manus Sacerdotum perpetuo interris offerretur. Cur enim ille in terris exiſtens non poſſet eſſe Sacerdos, ſi in terris tum ipſe ſeſe offerre potuit, tum ab aliis quoque offerri poteſt? Porro ſi Chriſtus à Sacerdotibus in terris offerretur, oporteret eum etiam ipſum in terris eſſe: quod tamen Auctor ad Hebræos diſerte negat, & dicit, *ſi in terris eſſet, non eſſet Sacerdos.* Quod enim objiciunt, verba, *ſi in terris eſſet*, hunc habere ſenſum, quaſi dixiſſet Auctor: ſi ſacrificium, quod offerri debet, ex terra, id eſt, terrenum aliquid eſſet; vaniſſimum eſt effugium. Hanc enim ſuam interpretationem, quæ à verbis Auctoris prorſus recedit, nulla ratione probant, neque etiam eam ſequentia verba ullo pacto admittunt. Nam in eis non de ſacrificio, quale eſſe debeat, terrenumne an non terrenum, ſermo eſt, ſed de loco vel de tabernaculo, in quo Chriſtus officium ſuum Sacerdotale adminiſtrat, & ſacrificium ſuum offert: qui locus non in terris, ſed in cœlis eſſe debuit. Vide hac de re plura ad allegatum Auctoris ad Hebræos locum. Tertiò teſtatur Sacra Scriptura, ſacrificium Chriſti propter ſuam perfectionem, non egere, ut ſubinde repetatur, neque etiam repeti poſſe. Cum igitur Miſſam oporteat ſæpius repeti, manifeſtum eſt, in ea Chriſti Sacrificium non peragi. Diſcrimen autem illud, quod Pontificii faciunt inter ſacrificium Chriſti cruentum, & incruentum, quale in Miſſa fieri ajunt, eſt nullius momenti. Hoc enim ipſum unicum ſacrificium, quod Chriſtus in cœlis ſeipſum coram facie Dei ſiſtendo peragit, incruentum eſt, & ſine ſanguinis fuſione ſit, etſi prius ſanguinis ejus effuſio præceſſerit. Dum ergo docent, incruentum ſacrificium Chriſti ſæpius repeti atque iterari debere, affirmant id ipſum, quod directe Scriptor ad Hebræos pernegat. Præterea diſtinctio iſta inter ſacrificium Chriſti cruentum & incruentum illud pro conceſſo ſumit, de quo eſt controverſia, imo quod Scripturæ è diametro repugnat. Qui enim aſſerit, ſacrificium expiatorium, de quo agit Auctor Epiſtolæ ad Hebræos, duplex eſſe, cruentum & incruentum, ille manifeſte aſſerit plura eſſe ſacrificia Chriſti expiatoria, quam unum, contra aperta Auctoris verba. Cauſa quoque, quam adfert Auctor, cur nonniſi unum ſit Chriſti ſacrificium, diſtinctionem illam omnino tollit. Cauſa autem illa eſt, quia *una oblatione conſummavit in æternum eos, qui ſanctificantur*, Hebr. 10. 14, id eſt, omnes quotquot unquam expiatione peccatorum indigent, unico ſuo ſacrificio ab omni macula peccatorum repurgavit. Ubi igitur unicum ſacrificium ſufficit, ibi pluribus non eſt opus, ſive cruenta illa ſint, ſive incruenta: nam ſi pluribus opus eſſet, unicum illud eſſet imperfectum.

Verſ. 27. *Et accipiens calicem, & gratiis actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.*] Lucas narrat, hoc factum eſſe, *poſtquam cœnaſſet*, cap. 22. ỳſ. 20, id eſt, poſtquam jam tota Cœna abſoluta eſſet. Nam calix aliquoties ordine bibebatur, & ibat in circulum; cumque jam ultima id fieret vice, qua tota Ceremonia una cum Cœna concludebatur, Chriſtus hanc ſanguinis ſui memoriam inſtituit. Quod autem vinum dilutum fuerit aqua, non ſolum Judæorum ſcripta teſtantur, ſed etiam res eſt valde probabilis, quia poculum aliquoties in orbem redeundo exhauriebatur; & generoſa illius regionis vina facile capiti nocuiſſent. Atque hic mos vinum miſcendi cum aqua in Cœna Domini, diu in antiqua Eccleſia retentus fuit. Cyprianus eum appellat traditionem, à Chriſto ipſo inſtitutam.

Et gra-

Et gratiis actis.] Hoc idem eſt, quod ſuperius dictum eſt, quod benedixerit. Paulus vocat hunc calicem, *poculum benedictionis* 1 Cor. 10. 16, id eſt, ſuper quem benedictio ſeu laus & gratiarum actio Deo pronunciatur.

Bibite ex eo omnes.] Chriſtus calicem porrexit proxime accumbenti, & ab hoc deinceps ad alios in orbem abiit.

Verſ. 28. *Hic enim eſt ſanguis meus ille Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.*] Hic nempe, calix, id eſt, vinum in calice, locutione metonymica. Vinum eſt meus ſanguis, id eſt, vinum infuſum ſignum eſt mei ſanguinis, vel ſignificat meum ſanguinem, qui mox effundetur.

Sanguis Novi Fœderis.] Græca vox διαθήκη ſignificat & Fœdus & Teſtamentum: in qua poſtrema ſignificatione Hebr. 9. 15 accipitur. Hic autem debet verti Fœdus; quia Chriſtus reſpicit ad locum Exod. 24. 8, ubi Moſes Dei nomine Fœdus cum Iſraëlitico populo pangit, & populum ſanguine victimæ conſperſum ſic alloquitur: *Ecce hic eſt ſanguis Fœderis, quod pepigit Deus nobiſcum ſecundum omnia verba hæc*; quibus verbis Vetus Fœdus obſignatum & confirmatum eſt. Sic Chriſtus quoque Novum Fœdus ſanguine ſuo proprio obſignavit ac confirmavit. Vide Hebr 9. 18 & ſeqq. Erat autem in more etiam apud Ethnicos, ut omnia Fœdera ſanguine alicujus mactatæ pecudis (ac vulgo quidem ſuis) ſancirentur; ſolebantque hæc verba in eo ritu adhiberi: *Qui primus hoc Fœdus violaverit, eum tu, Juppiter, ita feri, ut ego hodie hanc ſuem ferio; & quidem eo gravius, quo major eſt tua potentia ac robur.* Et ad hunc Novi Fœderis ſanguinem reſpicit etiam ſeria illa ac gravis comminatio, quam ſcriptor ad Hebræos intentat iis, *qui ſanguinem Fœderis profanum ducunt* cap. 10. 29. Nam ibi ut & Exod. 24. 8. Zach. 9. 11, per ſanguinem Fœderis intelligitur ſanguis ille, quo Fœdus ſancitum ac firmatum eſt. Sic Abrahamus quoque fœdus cum Deo ſancivit variis animantibus, quæ diſſecuit in partes Gen. 15. 10.

Qui pro multis effunditur.] Pro multis, id eſt, pro omnibus, tam Ethnicis, quam Judæis, qui Fœdus ſuſcipiunt, & ei conſentaneam vitam agunt. Lucas habet, *qui pro vobis effundetur* cap. 22. 20, id eſt, pro vobis, qui Fœdus cum Deo iniiſtis. Idem autem eſt horum verborum ſenſus, quem habent illa ſupra cap. 20. 28, ubi Chriſtus ait, Filium hominis veniſſe, *ut det animam ſuam pretium redemtionis pro multis.* (Vide ibidem.) Hæc enim redemtio per ſanguinem ejus facta eſt Epheſ. 1. 7. Ait, *qui effunditur*, id eſt, mox effundetur. Præſens pro futuro. Similis locutionis ſunt plurima exempla. Vide inter alia ſupra cap. 3. 10, 11. v. 23. VI. 6. XX. 22. XXVI. 25, 26. Marc. 9. 31. Luc. 17. 12. XXIII. 54. XXIV. 28, confer cum Actor. 1. 8. Joh. 4. 21. Quare Pontificii hinc nullum ſumere poſſunt argumentum, quod in Cœna Domini ſanguis effundatur; cum Chriſtus non loquatur de ſanguine ſuo, qui tunc effuſus ſit, ſed de ſanguine mox effundendo. Hinc in Latina Vulgata editione, & in Canone de Miſſa participium ἐκχυνόμενον redditum eſt per futurum, *qui effundetur*: ut & Marc. 14. 24, & quod Paulus de corpore Chriſti dixit 1 Cor. XI. 24, id idem auctor Vulgatæ verſionis reddidit, *quod pro vobis frangetur.*

In remiſſionem peccatorum.] Id eſt, ut vobis peccata remittantur. Cohærent autem hæc verba cum proxime præcedentibus, *qui pro multis effunditur*, non cum remotioribus, *edite, bibite* &c. ut illi volunt, quorum ſupra in Refutatione tertiæ falſæ opinionis de fine Cœnæ Dominicæ facta eſt mentio, qui ſentiunt, per eſum & potum in Cœna remiſſionem peccatorum acquiri. Quid enim neceſſe fuiſſet, ut Chriſtus ſanguinem ſuum profunderet, ſi Apoſtoli ſolo eſu panis & potu vini remiſſionem peccatorum conſequi poterant? Indicat autem Chriſtus his verbis fructum ſuæ mortis, nempe ſe eam ſubiturum, ut omnes fideles remiſſionem peccatorum adipiſcantur. Quo pacto vero nobis remiſſio peccatorum per ſanguinem Chriſti parta ſit, de eo vide Socinum & Crellium &c.

Verſ. 29. *Dico autem vobis: Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, uſque ad diem illum, cum bibam ipſum vobiſcum novum, in regno Patris mei.*] Ex Luca cap. 22. 16 apparet, Chriſtum hæc verba in Cœna ipſa protuliſſe, adeoque adhuc ante benedictionem panis & vini. Meminit autem Lucas etiam ibidem ſimul manducationis.

Ex hoc fructu vitis.] Maluit Chriſtus ſic loqui, quam ſimpliciter *ex vino*: nam in Cœna Paſchali, & in formula benedictionis vinum non aliter vocatur, quam fructus vitis.

Uſque ad diem illum, cum bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.] Dubium non eſt, Chriſtum ſic locutum, ut id intelligerent ejus diſcipuli, & eis ad conſolationem ob abitum ſuum mærentibus ſervire poſſet: ac proinde eum per regnum Patris ſui (quod nullum aliud eſt, quam quod alibi regnum Dei vocatur) intellexiſſe regnum Meſſiæ, de quo, an id reſtituturus ſit, diſcipuli ejus adhuc poſt reſurrectionem ejus ſciſcitati ſunt Actor. 1. 6. Quod regnum etſi quoad homines, jam cum prædicatione Chriſti inceperit, ut ſupra 3. 2. Luc. 12. 21 patet: tamen perfectiſſimum ejus initium, quoad Chriſtum ipſum, ab eo tempore computandum eſt, quo è ſtatu ſuæ humilitatis, quæ maxime in morte ejus enituit, ad regiam dignitatem in cœlis evectus eſt. Ad quam dignitatem, adeoque ad ejus perfectiſſimum regnum ei via facta eſt per reſurrectionem ipſius. Per eam enim primum & vere regium triumphum de morte, deque omnibus ſuis inimicis, quod ipſius quidem perſonam attinet, egit. Quemadmodum igitur reſurrectio Chriſti alibi cum ipſius exaltatione conjungitur, ut Chriſtus per eam perfectiſſimo modo Filius Dei evaſerit: quod ſtatum immortalitatis per eam adeptus ſit; Rom. 1. 4. Act. 13. 32, 33. Ita etiam ab ea merito regni Chriſti initium ſumitur. Quocirca ſenſus horum verborum eſt, ſe non amplius in hoc ſtatu ſuæ humiliationis cum diſcipulis ſuis cibum ac potum eſſe ſumpturum, uſque ad illud tempus, quo victor mortis glorioſe exiſtet, & ſe eis redivivum ſiſtet. Quod autem Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem cum diſcipulis ederit, liquet ex Luc. 24. 43. Etſi enim ibi potus nulla fiat mentio, credibile tamen eſt, eum ſimul etiam bibiſſe, cum ederet: ut etiam Petrus id expreſſe addit, dicens de ſe aliiſque Apoſtolis, ſe *cum eo ediſſe & bibiſſe, poſteaquam reſurrexit à mortuis* Actor. 10. 41. Et dato, quod non biberit, nihil

nihil tamen id interpretationi noſtræ obſtaret; quia ſcopus horum verborum, quibus Chriſtus ſuos diſcipulos conſolari voluit, eſt, indicare, quod ſe ſint vivum rurſus viſuri: ad quod indicandum occaſionem hic ſumſit ab eſu & potu.

Vulgo hic per regnum Patris intelligitur vita æterna, in qua cenſent Interpretes, Chriſtum familiari Judæis locutione, qua etiam ſupra cap. 8. 11. XXII. 29, 30, uſus eſt, futura cœleſtia gaudia per eſum & potum exprimere voluiſſe. Verum gaudia illa cœleſtia, quæ diſcipulis demum poſt ipſorum obitum contingere debent, parum eos tunc conſolata fuiſſent: proinde Chriſtus propius aliquod tempus, quam vitam æternam intellexit.

Apud Lucam ait Chriſtus: *Non manducabo amplius ex eo, donec impleatur in regno Dei* cap. 22. 16. De quo vide ad Lucam.

Novum.] Vox iſta pertinet ad fructum vitis: nempe cum novum fructum vitis bibam. Neque in eo quicquam abſurdi eſt, ſi dicatur, Chriſtum ideo novum fructum vitis, ſeu novum vinum vocaſſe, quia id in ſtatu novæ & beatæ vitæ, in quo omnium victor erit, bibiturus ſit. Hebræorum more *novum* dicitur, quod lætum ac jucundum eſt. Ita appellatur novum Canticum, id eſt, lætum, hilare Pſalm. 33. 3. XL. 4. XCVI. 1. XCVIII. 1. CXLIX. 1. Eſai. 42. 10. Apoc. 5. 9. XIV. 3.

PARS VII.

Verſ. 30. *ET cum hymnum ceciniſſent, exierunt in montem Olivarum.*] Ceremonia Cœnæ Paſchalis ſolebat hymno aliquo claudi. Vide Appendicem. Quem morem etiam Chriſtus tenuit. Cenſent autem nonnulli Chriſtum illos ipſos Pſalmos ceciniſſe, quos Judæi pro more in hoc feſto cantare ſolebant, qualis inter alios erat Pſalmus 104. & aliquot ſequentes. Sed ſicut Chriſtus ad receptam apud Judæos gratiarum actionem atque benedictionem panis ac vini, novam gratiarum actionem addidit, quæ cum ipſius congruebat propoſito: ita credibile eſt, eum quoque novum aliquem hymnum ceciniſſe. Solebant enim Hebræi ex tempore, ubi res aliqua occurrebat, hymnum cantare, quanquam ſine rythmo & artificioſa ſyllabarum collocatione. Talia erant cantica Deboræ Jud. 5. 2. Annæ 1 Sam. 2. 1. Zachariæ Luc. 1. 68. Mariæ Luc. 1. 46. Judæorum 2 Macchab. 10. 38. Et veriſimile eſt, Paulum inprimis de ejuſmodi hymnis loqui Eph. 5. 19. Col. 3. 16. Hunc hymnum, quo Chriſtus Cœnam Paſchalem concluſit, porro excepit ille Chriſti ſermo, quem Johannes deſcripſit ab initio cap. 14. uſque ad finem. Quo ſermone finito, dixit Chriſtus ad diſcipulos ſuos ℣. ultimo: *Surgite, eamus hinc.* Nec dubium eſt, eos ſtatim exiviſſe. Quæ vero ſequuntur apud Johannem cap. 15. cap. 16. cap. 17, ea Chriſtus locutus eſt, in itinere, cum jam exiviſſent.

In montem Olivarum.] Id eſt, verſus montem Olivarum. Nam vicus Gethſemane ℣. 36, ſitus erat inter fluvium Cedron & inter montem Olivarum.

Verſ. 31. *Tunc dicit illis Jeſus: Omnes vos offendemini in me hac nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis.*] Tunc, id eſt, circa illud tempus. Nam ex Luca & Johanne appareret, Chriſtum hoc prolocutum, antequam domo exiiſſent.

Omnes vos offendemini in me.] Vox *offendendi*, vel ut eſt in Græco, *ſcandaliſandi* varias habet ſignificationes, & pro ratione circumſtantiarum intelligenda eſt. Hoc loco vult Chriſtus dicere, eos officium fidelium diſcipulorum vel amicorum haud facturos, ſed in neceſſitate ſe deſerturos.

In me.] Id eſt, occaſione earum rerum, quæ mecum fient.

Scriptum eſt enim.] Nempe Zach. 13. 7.

Percutiam Paſtorem.] Videtur Chriſtus hæc verba allegare, non tanquam prædictionem de ſe factam, ſed tanquam proverbium: quaſi dicat: Æque ſic fiet, atque dici ſolet, & alibi quoque ſcriptum eſt. Apud Prophetam Deus alloquitur gladium: *Exurge contra paſtorem meum, contra virum proximum meum. Percute paſtorem, & diſpergentur oves.* Unde liquet, ibi de malo quodam paſtore ſermonem eſſe inſtitutum, ſuper quem Deus vult judicia ſua ac pœnas extendere: per gladium enim nihil aliud quam divina pœna intelligitur. Ut ita hæc verba non videantur aliquod de Chriſto vaticinium continere, qui fuit Paſtor ille bonus Joh. 10. 11. Fortaſſis apud Zachariam ille paſtor nihili vel idoli intelligitur, cujus mentio eſt ad calcem cap. XI.

Verſ. 32. *Poſtquam autem ſuſcitatus fuero, præcedam vos in Galilæam.*] Chriſtus continuat cœptam allegoriam de paſtore: quaſi dicat. Ego, paſtor veſter, percutiar quidem, ſed per hoc ipſum fiet, ut ego vos tanquam oves meas præcedam in Galilæam. Apud Johannem cap. 10. 4, ait Chriſtus de bono paſtore: *Cum oves ſuas emiſerit, antegreditur eas.* Hæc verba diſcipulis in memoriam redigit Angelus infra cap. 28. 7: *Ecce præcedit vos in Galilæam.* Duplici autem ratione Chriſtus diſcipulos ſuos iſtis verbis conſolatur. Primum, quod ſit reſurrecturus à mortuis. Secundo, quod in Galilæa eis ſit appariturus.

Verſ. 33. *Reſpondens autem Petrus dixit ei: Etiamſi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar.* Ille ut in aliis rebus, ita hic quoque zelo ardebat ingenti, ſed fortitudinem, quam adeo ſibi arrogabat, hac in re non demonſtravit.

Etiamſi omnes offendantur in te.] Id eſt, etiamſi te omnes deſeraut, ego conſtanter uſque ad mortem tibi adhærebo.

Verſ. 34. *Dixit ei Jeſus: Amen dico tibi, hac nocte antequam gallus cantet, ter abnegabis me.*] Antequam gallus cantet, intellige ſecundo, ut ex Marco intelligitur cap. 14. 30, ubi habetur: *Antequam gallus bis cantet.* Galli enim ſolent noctu bis cantare: primo circa mediam noctem; ſecundo ante diluculum. Secundus autem gallicantus, qui clarior & lætior eſt, quam prior, proprie gallicinium appellatur, & à veſpera, à media nocte, à matutino tempore diſtinguitur Marc. 13. 35.

Ter me abnegabis.] Peculiaris ineſt his Chriſti verbis emphaſis. Petrus enim pollicetur, ſe non iri offenſum in eo, id eſt, eum non deſerturum, ſed conſtanter ipſi adhæſurum. Chriſtus reſpondet, eum illa ipſa nocte, qua tantus heros videri vult, ſe deſertrumu

turum, idque non ſimpliciter, ut alii diſcipuli, ſed inſuper eum ſe abnegaturum, neque id ſemel tantum, ſed ter. Petrus autem abnegavit Chriſtum cum dixit, & quidem ſeipſum tandem devovens, *Non novi hominem.* Infra ℣ſ. 70, 72, 74.

Doctiores Judæi ſcribunt, munus Pontificis Maximi inchoari poſt galli cantum: ſic etiam poſt galli cantum paſſio Chriſti, & cum ea ſacerdotale ejus munus incepit.

Verſ. 35. *Dicit ei Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.*] Hic dixit Petrus ex animo, & firmo animi propoſito, ſed ita ut ſuam infirmitatem, & periculi magnitudinem non conſideraret. Sæpius accidit, ut homo firmiter ſibi proponat aliquid faciendum, in rebus, quas bonas ac laudabiles eſſe credit, quamdiu nihil tale occurrit, quod ſenſus, & per ſenſus animum turbare ac percellere poſſit. Quando autem animus terrore ac formidine aliiſque affectibus turbatur, excidunt ſæpe memoria bonæ illæ cogitationes, & ad ea facienda homo abripitur, de quibus antea minime cogitarat. Adverſus hanc infirmitatem à Deo enixe petendus eſt ſpiritus fortitudinis, quem etiam Apoſtolis ſuis non ſtatim ab initio fidei eorum largitus eſt, ut è lapſu ſuo humanam fragilitatem agnoſcerent, & ſic etiam aliorum infirmitatibus tanto magis commiſereri & affici diſcerent.

PARS VIII.

Verſ. 36. *TUnc venit Jeſus cum eis in villam, quæ dicitur Gethſemane, & dicit diſcipulis: ſedete hic, donec abeam illuc & orem.*] In hoc vico fuit hortus, quem Chriſtus ingreſſus eſt, & quo ut plurimum commeare ſolebat, orandi cauſa. Ideo etiam Judas de hoc loco ſciebat Joh. 18. 12. Unde patet, Chriſtum non eo animo illuc iviſſe, ut ſe abſconderet, ſed potius, ut tanto facilius à Juda inveniri poſſet.

Verſ. 37. *Et aſſumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari & graviſſime angi.*] Filiis Zebedæi, id eſt, Jacobo & Johanne cap. 10. 3. Hos ſecum aſſumſit, ut eſſent teſtes ſummæ ejus anxietatis & certaminis cum morte. Plus autem illis fidit, & melius de eorum conſtantia perſuaſus erat, eos fragilitate ipſius non iri offenſum, ut qui etiam gloriam ejus in monte illo viderint ſupra cap. 17. 1, quanquam & cæteroqui fervore ac zelo aliis præcellebant. Vide ſupra cap. 16. 17, 18.

Verſ. 38. *Tunc dicit eis Jeſus: Undiquaque triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Manete hic, & vigilate mecum.*] Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, id eſt, ſum in tanta conſtitutus animi anguſtia, quanta ſolet eſſe in mortis articulo. Idem queritur David, qui in multis fuit typus Chriſti: Pſal. 116. 3: *Funes mortis circumdederunt me:* inquit. Quo dicto maximi dolores ſignificantur, quales morientibus accidunt; cum quibus terror ac metus mortis, ejuſque tam diræ & ignominioſæ, qualis Chriſti fuit, merito comparatur.

Verſ. 39. *Et progreſſus paululum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; veruntamen non ut ego volo, ſed ut tu.*] Abſceſſit ab eis quaſi ad jactum lapidis Luc. 22. 41.

Procidit in faciem.] Chriſtus primo poſitis genibus oravit, ut ex Luca conſtat cap. 22. 41, poſtea cum ſubinde in creſceret anxietas, coram Deo magis ſe humiliavit, & humi pronus procubuit: uti ſolent, qui ſumma cum demiſſione Deum orant. Vide Gen. 17. 17. 1 Macch. 4. 40.

Orans.] Nimirum cum clamore valido & lacrymis: ut teſtatur Epiſtola ad Hebræos cap. 5. 7. Additque, eum clamaſſe *ad eum, qui ipſum poterat ſervare à morte.* Qui igitur eſſe potuit Deus ille ſummus, ſi ſe ſeipſum à morte ſervare non poterat, ſed alium, nempe Patrem, ut ſe ſervaret, orare coactus fuit?

Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.] Marcus ait, Chriſtum rogaſſe, *ut ſi poſſibile ſit, tranſiret ab eo hora iſta* cap. 14. 35. Simili modo dixit Chriſtus apud Johannem cap. 12. 27: *Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater ſerva me ex hora iſta. Sed propterea veni in horam iſtam.* In quibus verbis Chriſtus omnino de hora mortis ſuæ loquitur, ut ad illum locum videre eſt. Unde concludimus, eum hic quoque non de præſenti ſumma anxietate, ut eam Pater ab ſe auferat, orare, ſed de morte ipſa loqui, ut ſi poſſibile ſit, ab ea liber fiat. Nec eſt, quod quiſquam cogitet, Chriſtum aliquid minus conſiderate locutum, dum petiit id à ſe tranſferre, cujus ſuſcipiendi cauſa, (ut ipſe dicto Johannis loco affirmat) in mundum venerat; ut nimirum ſanguine ſuo genus humanum redimeret. Nam ſequentia verba, *veruntamen non ut ego volo, ſed ut tu*, cum ſuperioribus in uno ſermone cohærent. Ut ita Chriſtus ſimul indicet, quid inſtinctu quidem naturæ, cujus ductu omnia animantia fugiunt ſibi nocitura, eoque à morte prorſus adhorrent, cuperet atque optaret, ſed tamen reſpiciens voluntatem Patris non cupiat, nec velit. Mortem per ſe conſiderans, optabat ab ea eſſe immunis, non autem quando oculos reflectebat ad Dei voluntatem; cui ille fuit obediens uſque ad mortem Phil. 2. 8: *Tametſi eſſet filius, tamen ex eo, quod paſſus eſt, didicit obedientiam* Hebr. 5. 8, id eſt, in ſua paſſione expertus eſt, quam difficile ſit & arduum, in tali caſu omni ex parte obedientiam præſtare.

Si poſſibile eſt.] Id eſt, ſi permittat divinum decretum tuum, ſi alia ratione queat humano generi conſuli, & tua gloria promoveri.

Cur paſſio & mors Chriſti calix vel poculum dicatur, vide ſupra cap. 20. 22.

Veruntamen non ut ego volo.] Id eſt, ut ego naturæ ductu vellem & optarem. Volo, pro vellem: eſt Hebraiſmus; de quo vide Joh. 12. 21.

Sed ut tu.] Subintellige, fiat. Quod Chriſtus vere ac proprie dixit, ſe inſtigante natura optare, id corrigit mox, dum ſe Patris ſui voluntati ſumma cum obedientia ſubjicit; quaſi dicat. Vellem quidem & optarem, ut hoc malum à me averteretur, ſi tu, ô Pater, velles: ſed tamen hoc volo fiat, non quod ego alioqui vellem & cuperem, ſed quod tu vis. Quare ex hoc loco probari non poteſt, Chriſtum habuiſſe duas voluntates, unam ſecundum quam nolebat mori, alteram ſecundum quam volebat. Erat enim

enim una eademque voluntas: ſed duplici modo conſiderata. Nimirum conſiderandum eſt, quid Chriſtus voluerit ac deſideraverit ſolum dictante natura, deinde quid voluerit, perpenſis omnibus circumſtantiis. Naturale deſiderium vivendi & averſatio mortis, quæ ineſt omnibus hominibus, tam fuit valida in Chriſto, quam in aliis hominibus: ſed deſiderium iſtud à ratione perfectiſſime regebatur. Qua ratione atque intellectu Chriſtus omnes expendit circumſtantias, atque ſic voluntatem ſuam ad id flexit, quod vidit eſſe optimum, nempe ut ſecundum voluntatem Patris ſui moreretur. Apud Lucam inquit Chriſtus: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Si voluntatem ſimpliciter & cum omnibus circumſtantiis conſideres, Chriſtus idem plane voluit, quod voluit Pater. Sed ſi naturam ſpectes, maluiſſet Chriſtus aliquid aliud. Nam natura ſua nullus hominum vult ac deſiderat mori. Eodem ſenſu dixit Chriſtus ad Petrum Joh. 21. 18: *Alius te ducet, quo tu non vis:* cum tamen tam illi, quam aliis teſtibus Chriſti competierit illud in Apocalypſi dictum, quod *animas ſuas non dilexerint uſque ad mortem* cap. 12. 11, & quod Paulus de ſe affirmavit: *Ego paratus ſum mori pro nomine Domini Jeſu* Actor. 21. 13.

Verſ. 40. *Tunc venit ad diſcipulos & reperit eos dormientes, & dicit Petro: Itane non potuiſtis unam horam vigilare mecum?*] Ad Petrum hoc dixit potiſſimum, & per eum ad alios. Nam Petrus alios quoque ſuperavit audacia magna, dum confidenter iactavit, ſe cum Chriſto moriturum prius, quam ut eum deſerat aut abneget. Supra ℣. 35.

Itane non potuiſtis unam horam vigilare mecum?] Quaſi dicat. Adeone prompti ac parati eſtis mecum mori, & non poteſtis unam ſaltem horam mecum vigilare?

Horam.] Id eſt, breve tempus. Nam Chriſtus integram horam in orando non conſumſit. Per Hebraiſmum omne tempus breve hora vocatur.

Mecum.] Hoc dictum emphaticum eſt, & ad movendos diſcipulorum animos efficax: quaſi dicat; Vos dormitis, dum ego non ſolum vigilo, ſed etiam oro, ſudo præ auxietate, & cum mortis terrore luctor: vos, vos inquam, qui ſi ego dormirem, pro me dimicare deberetis, non potuiſtis vigilare, & quidem ad tempus breviſſimum.

Verſ. 41. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem eſt promtus, ſed caro infirma.*] Dum ait, *Vigilate*, uno verbo duo vult dicere. Non enim ſolum vult, ut ſomnum excutiant, ſed etiam ut excubias agant, & ad imminens periculum ſe præparent. Quo ſignificatu etiam verbum *vigilandi* accipitur ſupra cap. 24. 42, 43. xxv. 13. Actor. 20. 31. 1 Cor. 16. 13. Apoc. 3. 2.

Et orate, ne intretis in tentationem.] Sicut nos cum oramus in oratione Dominica, *ne nos inducas in tentationem*, non id petimus, ne nobis Deus ullam tentationem immittat: nam ordinarius ſtatus omnium Chriſtianorum poſtulat, ut eorum fides per multas tentationes probetur; ſed hoc volumus, ne nos Deus patiatur tentationibus opprimi & prægravari. (Vide ſupra cap. 6. 13.) Ita Chriſtus hic quoque vult, diſcipulos ſuos Deum orare, ut eis ſingulare robur ac fortitudinem inſpirare dignetur, ne in tentatione graviſſima, quæ jamjam inſtabat, fatiſcerent animoque liqueſcerent. Nam ne ulla in eos veniret tentatio, impoſſibile erat impetrare à Deo, propter immutabile Dei decretum de eo factum, quod Chriſto debebat accidere, quodque neceſſario & diſcipulos concernebat & tangebat. Unde intelligitur, eis auxilium ſpiritus divini non ita fuiſſe ſubtractum, ut id vigilando & orando non potuerint conſequi. Sed quia id facere negligebant, Deus eos (alium quidem magis, alium minus) paſſus eſt in tentationem incidere, ut prout dictum ſupra, alienæ infirmitatis ſenſu tanto magis affici diſcerent: quæ non poſtrema pars erat eorum officii.

Spiritus quidem eſt promptus, ſed caro infirma.] His verbis rationem reddit Chriſtus, cur majores vires & majus auxilium à Deo petere debeant. Vitam hominis ſeu vim vitalem una cum affectibus, qui homini ſunt cum brutis communes, appellant Hebræi *animam*: animum autem, quo homo à brutis differt, nuncupant *ſpiritum*. Interdum autem intelligunt per ſpiritum totum animum, id eſt, & intellectum & voluntatem ſimul: ut ſupra cap. 5. 4. Vide etiam ibidem allegata loca. Interdum vero intelligunt ſolum intellectum: ut Rom 8. 16. 1 Cor. 2. 11. vi. 20. Hebr. 4. 12. Per carnem idem intelligitur hoc loco, quod Hebræi animam vocant: quæ ideo appellatur caro, quia ſolum hoc quærit, quod carni gratum eſt, cum illa ſit cuſtos vitæ, & hoſtis omnis adverſitatis. Hoc ergo ſibi vult Chriſtus, Apoſtolorum quidem animum ſatis promptum eſſe & alacrem, ſed nondum tam fortem atque robuſtum, ut adveniente diſcrimine, affectus, quos caro vel anima ad conſervandam vitam concitabit, vincere poſſit. Dicit autem Chriſtus, caro infirma eſt, quia debita ſanitate caret: qualis in iis eſſe ſolet, quibus morbo læſus eſt intellectus. Nam quando caro vere ſana eſt, obtemperat animo, qui carni pro Rectore quodammodo datus eſt; ſed ſi ægrotet, id eſt, ſi affectus prævaleant, & nimis ſint vehementes, refractaria eſt animo ac rebellis. Legitimum remedium autem carnem ægram & inobedientem ad ſanitatem reducendi eſt, rationem ſeu intellectum ſedula exercitatione ac meditatione firmare ac corroborare, ut ei vires ad carnem domandam, & ſi extra officii cancellos proſilire geſtiat, refrenandam, ſufficiant. Hoc ſenſu tyrones in Chriſtiana religione *carnales* vocantur: 1 Cor. 3. 1, 3, quia caro ſeu affectus adhuc ratione ſuperiores ac validiores ſunt. Animadvertendum autem eſt, id quod tunc animo Apoſtolorum refragabatur, non fuiſſe illas fœdas cupiditates, nempe avaritiam, invidiam, carnales voluptates, aut his ſimiles, ſed tales, quæ cuivis homini à natura ſunt inſitæ, videlicet amorem vitæ, quam quiſque retinere ac conſervare ſtudet, & odium doloris, rerumque noxiarum & adverſarum.

Verſ. 42. *Iterum ſecundo abiit, & precatus eſt, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me, quin bibam eum, fiat voluntas tua.*] Vocula *ſi* vel eſt poſita loco *quoniam*, ut ſenſus ſit; quoniam calix hic non poteſt à me tranſire &c. fiat voluntas tua; Chriſto enim ſatis conſtabat de decreto Dei hac de re facto: vel ſi ſuam vim retinere debeat, ſenſus ex Luca cap. 22. 42, petendus erit, ubi Chriſtus optat, ut Pater hunc calicem ab eo tranſferat: *Pater, ſi velles*

tranſferre

transferre calicem hunc à me ! quibus verbis posteà succesſerunt hæc apud Matthæum : *Si vero non poteſt hic calix transire à me, quin bibam eum, fiat voluntas tua.*

Transire à me.] Id eſt, à me averti.

Quin bibam eum.] Id eſt, quia tibi placet, non alia ratione me à morte ſervare, quam per mortem. Hoc eſt, quod Scriptor ad Hebræos inquit, eum cum clamore valido & lacrymis ſupplicaſſe ei, qui *illum poterat ſervare à morte* cap. 5. 7, nempe cito eum reſuſcitando.

Fiat voluntas tua.] Quo dicto Chriſtus non tantum declarat, ſe velle id pati, quod vitari non poteſt, ſed etiam, quod ſe totum voluntati Patris ſubjiciat, & omnia paratus ſit pati, ſimpliciter ac ſolummodo propterea, quia ita velit Pater, etſi id vitare poſſet. Similem locutionem vide in Actis cap. 21. 14.

Verſ. 43. *Et cum veniſſet, reperit eos rurſum dormientes: erant enim oculi eorum gravati.*] Nimirum præ triſtitia, ut Lucas indicat cap. 22. 45.

Verſ. 44. *Et relictis eis, rurſum abiit: & precatus eſt tertio, eundem ſermonem locutus.*] In graviſſimis afflictionibus, & rebus maximi momenti, moris erat, orationem ter repetere. Sic Paulus ait : *Ter rogavi Dominum* 2 Cor. 12. 8. Vide etiam Actor. 10. 16. Joh. 21. 17. Poſt hanc tertiam orationem apparet eum ab Angelo eſſe confirmatum, ut Lucas narrat cap. 22. 43.

Verſ. 45. *Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit eis: Dormite jam & requieſcite. Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*] Antea dixit: Nonne potuiſtis unam horam mecum vigilare? nunc indicat, eorum vigilantiam eis nihil jam profuturam, quia jam jam ab illis erat auferendus. Senſus proinde eſt: Jam per me licet, dormiatis & requieſcatis, quouſque lubet. Senſum hunc eſſe docet Marcus cap. 14. 41, apud quem Chriſtus addit: *Sufficit* (Græc. ἀπέχει) quam vocem Syriaca & Arabica verſio reddidit, *finis adeſt*. Vultque Chriſtus ſignificare, tempus jam præteriiſſe, quo Apoſtoli potuerint ipſi eſſe ſolatio. Inde cernitur, quanta fuerit Chriſti perturbatio & animi anguſtia; nam quid eum juvare potuiſſent Apoſtoli, etiamſi vigilaſſent? Sed ita res ſe habet in imbecillibus animis, ut exiſtiment ſe levamen dolorum & ægritudinis ſuæ ſentire, quando ærumnas ſuas in ſinum fidi amici poſſunt effundere.

In manus peccatorum.] In manus Romani Præſidis. Extraneos enim qui more gentili vivebant, Judæi appellabant peccatores (vide Gal. 2. 15,) id eſt, ſine Lege viventes, exleges Actor. 2. 23. 1 Cor. 9. 21. Solebant Romani Præſides ſub tempora ſolennium feſtorum, ad quæ maximus erat populi confluxus, cohortem aliquam militum præſidii cauſa Templo apponere, ne quid contra Legem & ritus Judæorum fieret. Extra vero dies feſtos ſacerdotes Templum aſſervabant per ſuos proprios cuſtodes Judæos, qui miniſtri dicebantur Marc. 14. 65. Joh. 18. 3, 12, 22. XIX. 6. Actor. 5. 22, 26. Ut in urbibus ac oppidis ad civilia miniſteria adhiberi ſolent apparitores, ac viatores, ita hic habebant Judæi ordinarios Templi miniſtros atque lictores: quorum Præfectus erat è Sacerdotibus unus, qui apud Joſephum, & Actor. 4. 1. v. 24, 26, vocatur *Præfectus Templi*. Joſephus auctor eſt, illum dignitate ac loco proximum Pontifici Maximo fuiſſe. Ex annotatis Actorum locis liquet, ejus officium fuiſſe, Legis violatores in Templo & extra Templum comprehendere. Romanorum enim permiſſu habebant Judæi poteſtatem facinoroſos capiendi, ſed non interficiendi. Hic igitur Templi præfectus, quia metuebat eos, qui Chriſto adhærebant, præter quotidianam & ordinariam Judæorum cuſtodiam, aſſumſit etiam aliquot Romanorum cohortes, qui Chriſtum ceperunt. Hos Chriſtus hic vocat *peccatores*, quia ſine Lege vivebant, & nullo Dei timore ac reverentia ducebantur. Quod vero ſub tempora feſtorum magnorum Præfectus iſte Templi etiam his cohortibus Romanis, ad cuſtodiam Templi appoſitis, imperare potuerit, patet infra cap. 27. 65.

Verſ. 46. *Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me prodit.*] Eamus, ait, nempe obviam illis. Vide Joh. 18. 4.

PARS IX.

Verſ. 47. *ET adhuc eo loquente, ecce Judas unus ex duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus, à primariis Sacerdotibus & Senioribus populi.*] Turbam multam dicit veniſſe, quia non tantum Romani milites una cum Judæorum cuſtodibus aderant, ſed etiam Sacerdotum ac Pontificis Maximi famuli: ut ex ℣ſ. 51 cernitur.

Cum gladiis & fuſtibus.] Quia verebantur, ne comitatu magno aſſeclarum ſibi adhærentium defenderetur. Fuſtes iſti erant, puto, tales, ut hodie ſariſſæ, vel lanceæ. Johannes addit: *cum lucernis & facibus* cap. 18. 3. Noctu enim res gerebatur, & forte nox erat illunis: quamvis enim tum plena eſſet luna, ſed nubibus obtecta maligne lucebat.

A primariis Sacerdotibus & Senioribus populi.] Ab his ſcilicet illi miſſi venerunt. Deſcribitur autem his verbis Synedrium, ex cujus mandato Chriſtus captus eſt. *Seniores populi* vocantur Senatores Synedrii ad differentiam à Senioribus civitatum, de quibus ſupra. Levit. 4. 15 appellantur Seniores congregationis.

Verſ. 48. *Is vero qui prodebat eum, dederat eis ſignum, dicens: Quem oſculatus fuero, is eſt; prehendite eum.*] Signum iſtud dederat turbæ, quam ſecum ducebat, inprimis Romanis militibus, quibus Chriſtus fuit ignotus, ut qui nunquam eum docentem audiverint.

Quem oſculatus fuero.] Hebræis in uſu erat, ut alii alios oſcularentur, vel cum poſt diutinam abſentiam conveniebant, vel etiam alioqui amorem ſuum teſtari volebant: ut ex Luc. 7. 45, videre eſt. Vide etiam Gen. 29 11, 13. XXXIII. 4. XLV. 15. Exod. 4. 27. XVIII. 7. A Judæis etiam Chriſtiani hunc morem mutuati ſunt. Atque hoc fuit illud *oſculum ſanctum* apud Paulum Rom. 16. 16. 1 Cor. 16. 20. 2 Cor. 13. 12. 1 Theſſ. 5. 26, & *oſculum charitatis* apud Petrum 1 Petr. 5. 14. Miſer iſte homo Judas putabat ſe ſpecie amicitiæ poſſe Chriſto imponere, & oſculo benevolentiæ ſigno nequitiam ſuam tegere.

Judam enim nunquam in Chriſtum credidiſſe, liquet ex Johanne cap. 6. 64, & omnino probabile eſt, eum omnia Chriſti miracula Magicis artibus fieri putaſſe.

Prehendite eum.] Marcus addit: *Et ducite eum caute* cap. 14. 44, id eſt, magna cum circumſpectione, ne vobis elabatur. Eſt enim mirus præſtigiator, qui ſe etiam inconſpicuum reddere novit.

Verſ. 49. *Itaque ſtatim cum veniſſet ad Jeſum, dixit: Ave Rabbi. Et deoſculatus eſt eum.*]

Verſ. 50. *At Jeſus dixit ei: Amice, quorſum ades? Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, & prehenderunt eum.*] Quorſum ades? id eſt, quo animo me oſcularis? nempe eo, quo Joabus Amaſam 2 Sam. 20. 9, 10. Hunc eſſe ſenſum ex Luca perſpicitur, apud quem Chriſtus ait: *Oſculo filium hominis prodis?* cap. 22. 48: Pauculis his verbis Chriſtus animum ac conſcientiam Judæ pupugit, monſtrans ſeeſſe cordium ſcrutatorem. Ex narratione Johannis cap. 18. 4, 5, 6 colligitur, Chriſtum etiam, dato per oſculum Judæ ſigno, non ſtatim fuiſſe agnitum. Etenim bis turbam interrogavit: *Quem quæritis?* Vide ibidem.

Tunc acceſſerunt.] Non quidem illico poſt verba ſuperius prolata: nam prius ceciderunt humi, ut narrat Johannes, & Chriſtus ſecundo quæſivit ex eis, Quem quæritis? ac poſtea ſubjecit: *Si me quæritis, ſinite hos abire.* Quibus verbis Chriſtus poteſtatem ſe capiendi illis dedit, ſine qua ipſis manus ligatæ erant. Ac tum demum comprehenderunt eum.

PARS X.

Verſ. 51. *ET ecce unus ex iis, qui erant cum Jeſu, extenſa manu diſtrinxit gladium ſuum, & percutiens ſervum Pontificis Maximi, amputavit auriculam ejus.*] Unus iſte ex iis, qui erant cum Jeſu, erat Simon Petrus Joh. 18. 10. Omnes quidem interrogant: *Domine percutiemuſne gladio?* Luc. 22. 49. Sed Petrus haud expectata Domini reſponſione, protinus ictum inflixit.

Et percutiens ſervum Pontificis Maximi.] Ei nomen erat, Malchus Joh. 18. 10. Hinc cum eſſet Pontificis ſummi famulus, videtur ante alios ſe proripuiſſe, & ſibi gloriam ex comprehenſo Chriſto comparare voluiſſe. Nimirum eodem adverſus Chriſtum imbutus erat odio, quo ipſius herus. Itaque quia primus ſine dubio manus nefarias Chriſto injecerat, primus etiam impiæ audaciæ luit pœnas.

Amputavit auriculam ejus.] Auricula Gr. ὠτίον, infimam particulam auris ſignificat. Lucas habet, *aurem dextram.* Unde dubium eſt, utrum totam ei amputarit aurem, an ſolum partem auris. Ictum, quem Petrus capiti iſtius ſervi intentaverat, Deus ita direxit, ut minori cum damno in aurem incideret, & hoc vulnus Chriſtus ſtatim curavit, auriculamque huic ſervo reſtituit Luc. 22. 50, 51.

Verſ. 52. *Tunc ait ei Jeſus: Converte gladium tuum in locum ſuum. Quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt.*] In ſuum locum, id eſt, in vaginam Joh. 18. 11. Cauſa, cur Chriſtus Petro prohibuerit gladio uti, erat decretum Dei Patris, qui voluit, ut ille calicem hunc biberet Joh. 18. 11. Cujus decreti ignorantia non poterat Petrus excuſari, cum & à Prophetis obſcurius, & à Chriſto clariſſimis verbis id fuerit non ſemel Apoſtolis indicatum. Pertinet autem hæc admonitio Chriſti non ad Petrum duntaxat, ſed ad omnes Chriſtianos, qui à Magiſtratu propter confeſſionem veritatis & propter pietatem ad ſupplicia trahuntur. Vult enim Deus, ut tali tempore noſtra patientia nota ſit omnibus, utque animas noſtras fideli creatori noſtro commendemus 1 Petr. 4. 19. Quid enim æquius eſt, quam ut noſtram vitam honori ac gloriæ ejus, qui auctor eſt vitæ noſtræ, viciſſim impendamus? Doctrinam hanc, quam Petrus hoc loco à Chriſto didicit, inſtillat ac proponit ipſe quoque nobis 1 Petr. 4. 16, 19. Atque hac in re Chriſtiani primorum ſeculorum nobis exemplo præluxerunt, qui quod perſecutiones ob Euangelii profeſſionem, non propter reſiſtendi impotentiam, & virium imbecillitatem, ut aliqui ſentiunt, ſed propter conſcientiam, patienter tulerint, monſtrat Tertulliani ille celebris locus; ubi ait: *Sed abſit, ut aut igne humano vindicetur divina ſecta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim & hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſetne nobis vis numerorum & copiarum?* Et mox: *Cui bello non idonei, non promti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam non magis occidi liceret, quam occidere.* Et Cyprianus ad Demetr. ſcribit: *Inde eſt, quod nemo noſtrum, quando apprehenditur, reluctatur: nec ſe adverſus injuſtitiam violentam veſtram, quamvis nimius & copioſus ſit populus noſter, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt.* Talis Chriſti Spiritus erat in iſtis Chriſtianis, qualem qui non habet, non eſt ejus Rom. 8. 9.

Quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt.] Hæc lex à Deo eſt adhuc Noacho poſt diluvium lata Gen. 9. 6. Et ſpectat proprie ad voluntarios ac petulantes homicidas, non autem ad eos, qui caſu aliquo, præter voluntatem ſuam, vel in neceſſaria defenſione vitæ aliquem occiderant. Nam in utrumque horum vindex ſanguinis ſub Lege nullam habebat poteſtatem. Unde colligitur, hæc verba non in Petrum fuiſſe dicta, quaſi Chriſtus propterea juſſerit eum recondere gladium in vaginam, quia ſi ſanguinem effuderit, ipſius ſanguis viciſſim effundendus ſit: ut vulgo creditur. In Petro enim nulla erat cupiditas fundendi ſanguinis, ſed animus erat tantum Dominum defendendi adverſus vim; id quod Petro cæteroquin per Legem licitum fuiſſet, niſi alia cauſa, nempe decretum Dei de Chriſto factum obſtitiſſet: Quare Chriſtus verba hæc direxit in illam turbam, quæ ſanguinem ejus ſitiebat: quaſi dicat. Non eſt Petre, quod vi iſta, quæ mihi infertur, percellaris, aut Deo vindictam præripias. Vulnera, quæ tu eis infligere potes, ſunt parvi momenti. Firma ſtat & immobilis illa Lex divina, cujus vigore iſti ſanguinarii homines, etſi tu manum non admoveas, ſanguinem meum ſanguine ſuo luere cogentur. Atque hoc nobis multum prodeſſe poteſt ad patientiam, quando ſcimus, Deum injurias, quæ probis inferuntur, juſta ultione retaliaturum. Interpretatio hæc confirmatur egregie verbis Apoc. 13. 10: *Si quis gladio occiderit, eum oportet gladio occidi. Hic eſt patientia & fides ſanctorum,*

ſtorum. Et illis Pauli Rom. 12. 19: *Non vosmetipſos vlciſcamini, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta; ego retribuam.* Sermo iſte Chriſti facile poterat intelligi: Lex enim illa proverbii locum inter Judæos obtinuit: ejuſque veritas nunquam magis enituit, quam cum Romanus gladius ultor innocentis ſanguinis Chriſti extitit.

Verſ. 53. *Aut putas me non poſſe nunc precari Patrem meum, & ſiſtet mihi plures, quam duodecim legiones Angelorum?*] Id eſt, ſi divinum decretum de mea morte non eſſet factum, poſſem rogare Patrem, & is mihi auxilium ſuum non denegaret.

Duodecim legiones Angelorum.] Loco duodecim Apoſtolorum, qui eum defendere volebant, ait ſe poſſe impetrare à Deo 12 legiones Angelorum, qui ſatis eſſent validi ad ſe tutandum & ad vim repellendam. Suffeciſſet cum duodecim Apoſtolis duodecim Angelos conferre: nam unum Angelum legimus 185000 viros in caſtris Aſſyriorum interfeciſſe 2 Reg. 19. 35. Sed Chriſtus maluit dicere 12 legiones, ut tanto magis ſummam Patris ſui potentiam exprimeret. Vide Dan. 7. 10. 2 Reg. 6. 17.

Legio eſt vocabulum Romanum. Romani enim exercitum ſuum in legiones dividebant; perfecta legio conſtabat 6000 viris, vulgaris 4500.

Verſ. 54. *Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?*] Si nimirum tali præſidio è manibus invaſorum eriperer, morſque adeo mea impediretur.

Implerentur Scripturæ.] Ut Eſai. 53. 8. Dan. 9. 26. Vide etiam Luc. 24. 25, 26. Eo fine autem id dicit Chriſtus, ut indicet, ſe non coactum ac invitum, ſed ſponte ſua mortem ſubire, ut decretum Patris ſui à Prophetis prædictum impleatur. Quæ ipſius ſpontanea obedientia attulit ei præmium illud ampliſſimum, de quo Paulus Phil. 2. 9, 10.

Apud Johannem Chriſtus paulo aliter reſpondet: *Annon bibam calicem, quem dedit mihi Pater?* cap. 18. 11. Credibile eſt Chriſtum utrumque protuliſſe: primo id quod narrat Johannes, poſtea id quod habet Matthæus.

Quia ſic oportet fieri.] Oratio eſt hoc loco imperfecta; quæ ita implenda eſt: Quomodo implerentur Scripturæ, quibus prædictum eſt, ſic fieri oportere? Non oportuit autem ſic fieri, quia Deus, ut aliter fieret, naturæ ſuæ efficere non potuiſſet. Eccur enim Deus etiam abſque morte Chriſti potuiſſet hominibus peccata remittere, eorumque ſalutem ad effectum perducere? Sed divina ſapientia vidit, hoc medium eſſe optimum & majeſtati ſuæ convenientiſſimum, homines non tantum à peccatorum pœnis (quas potuiſſet etiam abſque morte Chriſti avertere & auferre) ſed à peccatis ipſis quoque liberandi, & æternum ſervandi.

PARS XI.

Verſ. 55. *IN illa hora dixit Jeſus turbis: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus, ut comprehenderetis me. Quotidie apud vos ſedebam in Templo docens, nec prehendiſtis me.*] Potiſſimum id dixit ad Præfectum Templi, cui etiam aliqui è primariis Sacerdotibus & Senioribus adjuncti erant, ut negotium iſtud majori cum auctoritate adminiſtraretur. Vide Luc. 22. 52.

Quotidie ſedebam apud vos.] Hoc pertinet ad Judæos, non ad Romanos milites.

Nec prehendiſtis me.] Chriſtus innuit, eos tunc cum in Templo ſedens apud eos doceret, facillime & ſine tumultu potuiſſe eum comprehendere: quod autem id non fecerit, divinæ providentiæ eſſe adſcribendum, quæ quoties id tentarunt, conatus eorum impedierit. (Vide Luc. 4. 30. Joh. 8. 59.) Nunc vero ita Deo viſum eſſe, tradere eum in ipſorum manus. Unde intelligere queant, id non factum ipſorum vi ac potentia, ſed divina permiſſione, quod eum comprehenderint. Atque hoc eſt, quod Chriſtus dicit apud Lucam: *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum* cap. 22. 53, id eſt, tempus, quod vobis & per vos principi tenebrarum in me à Deo conceſſum eſt.

Verſ. 56. *Hoc autem totum factum eſt, ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes relicto eo, fugerunt.*] Ut implerentur Scripturæ, id eſt, ut decretum Dei per Eſaiam, Danielem, alioſque Prophetas prædictum, ad exitum perduceretur.

Tunc diſcipuli omnes, eo relicto, fugerunt.] Petrus autem reverſus è fuga, ſecutus eſt Jeſum è longinquo ℣. 58, ut & Johannes, prout ipſe teſtatur cap. 18. 15.

PARS XII.

Verſ. 57. *ILli vero prehenſum Jeſum abduxerunt ad Cajapham Pontificem Maximum, ubi Scribæ & Seniores congregati erant.*] Johannes addit, poſtquam comprehenſus eſt Jeſus, eum vinctum quoque fuiſſe cap. 18. 12.

Ad Cajapham Pontificem Maximum.] Hic in ſequentibus ſemper intelligitur, quando Pontificis, non addito nomine Cajaphæ, fit mentio. Abduxerunt autem Jeſum primo ad Annam, Cajaphæ ſocerum, & poſtea demum ad Cajapham, ut ex Johanne cap. 18. 13, 24 patet. Reliqui vero Euangeliſtæ ductionis ad Annam nihil meminerunt, quia ibi nihil memorabile geſtum eſt cum Chriſto; ſed aliquandiu tantum ibi aſſervatus eſt, quia in Cajaphæ domo Senatus erat convocatus & conſultatio habebatur. Quod vero Johannes ibidem ℣. 24 narrat, id poſtea geſtum eſt, ut ad hunc Johannis locum explicabitur.

Ubi Scribæ & Seniores congregati erant.] Primariorum Sacerdotum, qui ad Synedrium quoque pertinebant, omiſſa eſt mentio, quia hi ſub nomine Cajaphæ comprehenſi ſunt. Sed infra tamen ℣. 59 nominantur. Sedebant autem in porticu fornicata, è qua proſpectus patebat in aream domus, quæ ſub dio erat. Ideo de Petro qui ſub dio ſtabat, dicitur, quod *fuerit in aula inferius* Marc. 14. 66.

Verſ. 58. *Petrus autem ſequebatur eum è longinquo uſque in aulam Pontificis Maximi, & ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, ut videret finem.*] Videre voluit quorſum res eſſet evaſura, quid tandem cum Chriſto eſſent acturi.

Verſ. 59. *Primarii vero Sacerdotes & Seniores & totum Synedrium quærebant falſum teſtimonium contra*

Jeſum, ut eum morte afficerent.] Non id ſibi vult Matthæus, eos tum demum cum jam in Senatu ſederent, teſtes conquiſiviſſe; ſed eos examen teſtium, qui jam aderant, ita inſtituiſſe propoſitis quæſtionibus, ut ab eis aliquid ejuſmodi expiſcarentur, ob quod Chriſtus condemnari poſſet. Talis enim modus examinandi teſtes per interrogationes artificioſas, coram injuſto Judice, facile hominibus, quibus tenera non eſt conſcientia, anſam & occaſionem dare poteſt, contra innocentes falſum teſtimonium edendi. Teſtes enim captantes gratiam inquiſitorum & auctoritate eorum moti, dicere ſolent ea, quæ vident quærentibus eſſe placitura. Contra tales falſos teſtes Lex ſevera lata eſt Deut. 19. 9. Vide etiam Pſal. 27. 12, & Pſal. 35 totum.

Ut eum morte afficerent.] Videlicet per Romanum Præſidem, cui perſuadendo tota hæc conſultatio & teſtium examinatio inſtituta erat. Si ipſi poteſtatem gladii & capitalium ſuppliciorum habuiſſent, abſque omni teſtimonio eum ſupplicio affeciſſent.

Verſ. 60. *Et non invenerunt: etiam cum multi falſi teſtes acceſſiſſent, non invenerunt. Poſtremo vero advenientes duo falſi teſtes.*] Etſi multi teſtium cupide contra Jeſum teſtarentur, non poterant tamen quicquam proferre, quod pro crimine capitali poſſet haberi.

Duo falſi teſtes.] Unus enim teſtis juxta Legem non erat ſufficiens Deut. 19. 15. Merito autem falſi teſtes vocantur. Chriſtus enim non dixerat: *Poſſum deſtruere templum Dei*; ſed, *Deſtruite templum hoc* Joh. 2. 19, quod erat longe aliud. Erat controverſum inter Judæos, num licuerit contra Templum mali quippiam prænunciare. Propheta Jeremias idcirco damnabatur à ſacerdotibus; principes autem & populus eum abſolvunt Jerem. 26. 8, 9, 16. Sic etiam contra Stephanum hæc erat prima accuſatio: *Homo iſte non ceſſat loqui verba blaſphema adverſus locum hunc ſanctum* Actor. 6. 13.

Verſ. 61. *Dixerunt: Iſte dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & per triduum id ædificare.*

Verſ. 62. *Et ſurgens Pontifex Maximus dixit ei: Nihil reſpondes? quid iſti adverſum te teſtificantur.*] Caiaphas probe animadvertebat, accuſationem iſtam etſi Chriſtum potuerit Judæis valde exoſum reddere, non tamen ad eum damnandum ſufficere. Ideo Marcus addit: cap. 14. 59: *Sed ne ſic quidem par erat eorum teſtimonium*, id eſt, inſufficiens ad mortis ſententiam procurandam. Nihil enim ille nocebat Templo, qui id rurſus erecturum ſe pollicebatur. Neque etiam vana gloriatio de Templo reſtaurando erat res tanti momenti, ut capitale ſupplium mereretur. Videns igitur Caiaphas ſe neque ad hanc accuſationem mortis ſententiam contra Chriſtum pronunciare poſſe, vult aliquid ex proprio Chriſti ore elicere, quod capital eſſet.

Verſ. 63. *Jeſus autem ſilebat. Et reſpondens Pontifex Maximus, dixit ei: Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus ille Filius Dei.*] Chriſtus ſilebat, quia perſpiciebat ſe non aliam ob cauſam ad reſpondendum urgeri, quam ut ex verbis ſuis anſam ſumerent ad ſe perdendum. Quod autem teſtes adverſus ipſum afferebant, id nulla erat reſponſione dignum. Vide Eſai. 53. 7. Act. 8. 32.

Et reſpondens Pontifex Maximus, dixit ei: Adjuro te.] Vox *adjurandi* interdum ſignificat aliquem juramento adſtringere; ut Geneſ. 24. 3. l. 5, 6. 25. Exod. 13. 19. Joſ. 2. 12, interdum vero ſignificat, aliquem coram Deo obteſtando, conſcientiæ ejus ſcrupulum injicere, ut quod ab eo poſtulatur, citius faciat: ut Num. 5. 19. 1 Sam. 14. 24, 27. 1 Reg. 22. 16. Cantic. 2. 7. iij. 5. Poſteriori ſenſu etiam hic accipitur: *Adjuro te per Deum viventem*, id eſt, obteſtor te Dei viventis nomine, ſi Deum viventem metuis ac revereris. Vide etiam Marc. 5. 7. Solebant autem Judices ejuſmodi adhibere adjurationes, quando vel à teſtibus teſtimonium, vel ab accuſatis confeſſionem culpæ elicere volebant. Variæ autem erant adjuraticarum iſtarum formulæ: ut, Adjuro te in nomine Domini 1 Reg. 22. 16, vel, Da gloriam Deo Joh. 7. 19. Joh. 9. 24.

An tu ſis Chriſtus ille Filius Dei.] Supra 14. 33. xvi. 16, dictum eſt, Judæos Meſſiam Filium Dei, tanquam proprio nomine appellaſſe; ex Pſalm. 2. 7. Confer Luc. 22. 67, cum ℣. 70.

Verſ. 64. *Dicit ei Jeſus: Tu dixiſti; quin etiam dico vobis, Ab hoc tempore videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli.*] Antequam hanc confeſſionem Chriſtus ederet, dixit: *Si vobis dixero, non credetis. Si autem interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis* Luc. 22. 68. Poſt hæc verba, cum porro inſtaret Pontifex & alii Senatores (ut ex Luca cernere eſt) protulit hanc liberam ac ingenuam confeſſionem. Multæ enim circumſtantiæ docent, hunc Senatus conſeſſum non alium fuiſſe apud Lucam, atque eſt iſte apud Matthæum. Quia vero Lucas hiſtoriam de Petro continua ſerie ad finem uſque enarrare volebat, ideo regrediens ad ſuperiora refert hanc Chriſti confeſſionem; hæc enim ordine temporis prior fuit negatione Petri.

Quin etiam dico vobis.] Gr. πλὴν, *veruntamen*: quaſi dicat. Etſi mihi non credatis, cum dico, me eſſe Chriſtum, tamen id vobis dico.

Ab hoc tempore.] Non quidem ab illo ipſo momento, ſed brevi tempore, poſt aliquot ſeptimanas; nempe poſt ejus reſurrectionem & in cœlos aſcenſionem.

Videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ Dei.] Viderunt eum ſedentem ad dexteram potentiæ Dei (id eſt, ad dextram Dei) tum cum ille ſtatim poſt ſuam exaltationem, divinam ſuam virtutem per effuſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos oſtendit: ut Petrus docet Actor. 2. 33. Quo ſenſu Chriſtus ſupra cap. 16. 28, dixit: *Sunt quidam hic ſtantium, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.* Per ſeſſionem ad dextram Dei nihil aliud intelligitur, quam regnum ſeu divina Chriſti gubernatio. Quod autem Sacerdotes & Scribæ hanc Chriſti divinam potentiam ne tum quidem agnoverint, cum eam feſto Pentecoſtes & deinceps oculis ſuis viderent, invictæ ipſorum pertinaciæ culpa factum eſt.

Et venientem in nubibus cœli.] Id quod Chriſtus his verbis indicare voluit, cohæret ita cum præcedentibus, ut verba *ab hoc tempore*, vel, ut in Græco eſt, *à modo*, *abhinc*, tam ad hoc quam ad præcedens membrum ſpectent; quaſi dictum ſit: *Abhinc videbitis*

bitis Filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ, & abhinc videbitis eum venientem in nubibus cœli. Per prius membrum Chriſtus, ut dictum eſt, intellexit miraculoſam effuſionem Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, tanquam validiſſimum ſui regiminis argumentum: quare oportuit eum etiam per hoc poſterius membrum tale quid (& quidem inſigne, quo divina ejus majeſtas ſingulari modo demonſtraretur) intelligere, quod abhinc vel ab hoc tempore, id eſt, brevi debebat fieri. Iſtud autem fuit ultio illa, quam in Hieroſolymam per ejus devaſtationem & excidium exercuit: quam complures ex iis, qui tunc erant ſuperſtites, oculis ſuis videre potuerunt; cum tantum 40 annis poſt mortem ejus evenerit. Nam *venire in nubibus* Prophetico loquendi more (cujus exempla plura allata ſunt ſupra cap. 24. 30,) iram & vindictam ſignificat. Potuit autem Chriſtus ſimul his verbis reſpicere, etſi non primario, ad ultimum ſuum adventum ad judicium mundi, quo tempore revera in nubibus cœli venturus eſt Actor. 1. 9, 11.

Verſ. 65. *Tunc Pontifex Maximus dirupit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit; quid amplius egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam ejus.*] Habebant hoc moris plurimæ gentes, ut in luctu, inque ira vehementi veſtimenta dirumperent. Judæi autem duplici de cauſa veſtes lacerare ſolebant: primo in magno luctu & mœſtitia; ut videre eſt Gen. 37. 29, 34. XLIV. 13. Num. 14. 6. Judic. XI. 35. 1 Sam. 4. 12. 2 Sam. I. 11. XIII. 19, deinde quando aliquem, ac inprimis Judæum, blaſphemantem audirent. Inde colligunt docti inter Judæos, Rabſacem cubicularium Regis Aſſyriæ Judæum fuiſſe, & ad Ethniciſmum deſciviſſe, quia Rex Ezechias veſtes ſuas laceravit, cum blaſphema ejus verba ipſi renunciata fuiſſent 2 Reg. 19. 1. Ita Cajaphas quoque hic dirumpit veſtimentum ſuum, qui credidit, Chriſtum ſua confeſſione Deum blaſphemaſſe. Errant vero, qui ex loco Lev. 10. 6. & XXI. 10 concludunt, Pontifici Maximo prorſus interdictum fuiſſe, veſtes ſuas lacerare. Ibi enim duntaxat de luctu ſuper mortuum eſt ſermo, non de publico ac univerſali luctu totius populi: quo caſu licitum ei fuiſſe veſtes lacerare ſuas, arguit exemplum Pontificis Maximi Jonathæ, cum prælio victus eſſet in Cades, quod eſt in Galilæa 1 Macchab. XI. 71. Sed Hebræorum doctiores ajunt, Pontificem Maximum veſtem ſuam ab imo, alios vero Judæos à ſummo lacerare ſolitos.

Blaſphemavit.] Vocat blaſphemiam, quod Chriſtus Meſſiam ſe eſſe profiteretur. Et ſane ſi non fuiſſet reipſa, id profiteri blaſphemum fuiſſet. Falſo enim ſe à Deo miſſum eſſe jactare, adeoque mentiri auctoritatem legati divini, ac tribuere ſibi poteſtatem ſupernaturalem, omnino ſpectat ad ſupremi Numinis contumeliam. Sed debuiſſent inquirere diligentius, annon opera ejus cum Prophetarum vaticiniis congruant, annon miraculis ſufficientiſſimis comprobaverit, ſe vere eum eſſe, quem ſe eſſe profitebatur. Verum illi iſtis omnibus neglectis, pro conceſſo ſumunt, eum Meſſiam non eſſe; idque vaniſſima ex cauſa, quia nimirum credebatur, eum Nazaretæ fuiſſe natum Joh. 1. 46. VII. 52, quia exiſtimabant, ejus naturalem ex matre generationem omnibus notam eſſe Joh. 7. 27, potiſſimum autem, quia eum fabrum eſſe ac fabri filium putabant, nihilque omnino externæ magnificentiæ in ejus conditione conſpiciebant Matth. 13. 55. Marc. 6. 3.

Verſ. 66. *Quid vobis videtur? Ipſi vero reſpondentes, dixerunt: Reus mortis eſt.*] Pontifex Maximus tanquam princeps Senatus rogat ſententiam alios, jubetque ordine ire in ſuffragia.

Ipſi vero reſpondentes.] Magno omnium conſenſu fertur ater calculus: ut ex Marco liquet cap. 14. 64. Plerumque quod in ejuſmodi judiciis & conſultationibus major pars concludit atque decernit, toti conſeſſui adſcribitur. Nam ſi Nicodemus, qui etiam unus è Senatoribus erat, interfuit huic conſeſſui, is abſque dubio omni calculum ſuum aliorum ſententiæ non adjecit.

Reus mortis eſt.] Lex mandat blaſphemos lapidare Levit. 24. 16, ideo eum iſti morti adjudicant. Sic eum etiam alio tempore Judæi lapidare volebant, quod diceret ſe eſſe Filium Dei Joh. 10. 31. Verbis autem iſtis, Reus eſt mortis, vel, tenetur mortis pœna, pronunciari ſolebat à Judæis mortis ſententia, cum adhuc jus gladii haberent: poſtea vero cum eis hoc jus ab Auguſto Cæſare eſſet ademptum, etſi exequendæ ſententiæ ſuæ facultatem non haberent, retinuerunt tamen veterem damnandi formulam, cujus ea vis erat, ut in quem ſententia talis pronunciata erat, is ab omnibus Judæis pro morte digno haberetur, id eſt, capite diminutus erat & infamis ac proſcriptus è populo, inteſtabilis, lædi quoque ab omnibus impune poterat. Hæc igitur ſententia in Jeſum lata eo tendebat, ut Senatui jam liberum eſſet, illæſa religione ac conſcientia, Jeſum coram Ethnico Judice accuſare, & pœnas de eo ſumendas poſtulare, ut qui jam ad populum Dei non pertineret amplius, omneſque hominis Judaici immunitates amiſerit.

Verſ. 67. *Tunc inſpuerunt in faciem ejus, & colaphos ei inflixerunt: alii vero bacillis eum ceciderunt.*] Nimirum poſt latam jam ſententiam; quam ubi miniſtri, qui Judæi erant, audiverunt, ipſum, ut infamem ac maledictum, omni contumeliarum genere afficiunt. Lucas quidem cap. 22. 63, hanc contumeliam Chriſto illatam ita deſcribit, quaſi ante damnationis ſententiam pronunciatam accidiſſet; ſed ille rectum ordinem non ſervavit, ob cauſam, ſupra ℣. 64 indicatam. Itaque ea quæ Lucas à ℣. 66, uſque ad finem illius capitis narrat, geſta ſunt omnia prius, quam ea quæ ℣. 63, ab eo deſcribuntur. Ex ſpuere in faciem alicujus erat ſignum maximi contemptus, ut apparet ex Num. 12. 14. Deut. 25. 9. Job. 30. 10. Hic in Chriſto impletum eſt illud Prophetæ vaticinium Eſai. 50. 6. & cap. 53. 4, 5, 6, 7.

Et colaphos ei inflixerunt.] Pugnis eum contuderunt: quod erat graviſſimum opprobrium.

Bacillis eum ceciderunt.] Græcum verbum ῥαπίζω deſcendit à nomine ῥαπὶς, quod baculum aut virgam deſignat. Itaque ῥαπίζειν proprie baculo aliquem verberare ſignificat, & ῥαπίσμος denotat ictum vel plagam baculo inflictam: ut ex Marco patet cap. 14. 65. Sed quod etiam denotet percuſſionem, quæ explicata manu fit, ſeu alapam, ex Matthæo liquet cap. 5. 39, ubi Chriſtus ait: *ſi quis te percuſſerit* (Gr. ῥαπίσει) *in dextram maxillam tuam* &c. Ubi vox *maxilla* indicat, eum non de percuſſione quæ fit ba-

culo, loqui, ſed de alapa. Non enim ſolet ordinarie quiſquam alterum baculo aut pugno in maxillam percutere, ſed vel caput vel tergum pulſare. Syrus quoque verba apud Marcum cap. 14. 65, vertit, *& miniſtri dabant ei alapas.* Et Joſephus, ubi recenſet hiſtoriam illam de Sedecia, quomodo Micham Prophetam percuſſerit in maxillam 1 Reg. 22. 24, utitur eodem hoc verbo ῥαπίζειν.

Verſ. 68. *Dicentes, vaticinare nobis Chriſte, quis ſit, qui te percuſſit.*] Nam faciem ejus velarant, ut teſtatur Marcus cap. 14. 65. Prophetæ non ſolum futura prædicebant (quod proprie nomen Prophetæ denotat) verum etiam occulta aliquando enunciabant, quæ naturali ratione ſciri non poterant.

Chriſte.] Hoc nomine eum per ludibrium appellabant: quaſi dicant, Si tu es Chriſtus, prophetam te oſtende, divina, quis te percuſſerit.

PARS XIII.

Verſ. 69. *Petrus autem ſedebat foris in aula: & acceſſit ad eum quædam ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras.*] Modo ſedebat, modo ſtabat, ut ex collatione cum Joh. 18. 25 intelligitur.

In aula.] Pars iſta domus erat inferior, quam fornicata porticus, ubi conſeſſus erat Judicum: ideo dicit Marcus, *in aula inferius* cap. 14. 66. In medio areæ erat ignis accenſus, partim ad lucendum, partim ad calefaciendum.

Ancilla.] Iſta ancilla fuit janitrix, quæ Petrum intromiſerat Joh. 18. 16, & apparet eam initio illum non agnoviſſe, & ut ſedentis ad ignem vultum melius recognovit, agnitum aggreſſa eſt. Morem fuiſſe, ut ancillæ janitrices eſſent, etiam ex Actor. 12. 13 confirmatur.

Et tu eras cum Jeſu.] Id eſt, adhæſiſti ipſi, fuiſti ipſius aſſecla & diſcipulus. Hebraiſmus eſt: qualem etiam habes 2 Reg. 6. 16.

Galilæo.] Sic vocatur ad differentiam aliorum, quibus etiam nomen Jeſu fuit. Hoc enim tunc fuit commune multis nomen. Sic etiam infra ℣. 71. & Marc. 14. 67, diſcriminis cauſa Jeſus à Nazaret appellatur. De cætero Galilæi apud alios Judæos erat abjectiſſimus populus: ut patet ex Joh. 1. 47. Hinc & Julianus Apoſtata per contumeliam Chriſtianos ſolebat cognominare Galilæos.

Verſ. 70. *Ipſe vero negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicas.*] Verba *coram omnibus* addit Matthæus, ad magnitudinem peccati Petri exprimendam, quod non coram ancilla ſolum privatim, ſed palam ac publice coram omnibus qui aderant, Dominum ſuum abnegaverit.

Neſcio quid dicas.] Ita ſolemus reſpondere, ei qui abſurdum quippiam quærit, quod directa & ſeria reſponſione non eſt dignum. Apud Lucam ait Petrus: *Mulier non novi eum* cap. 22. 52, apud Johannem: *Non ſum*, ſcilicet ejus diſcipulus cap. 18. 17.

Verſ. 71. *Exeuntem autem in veſtibulum vidit alia ancilla, & dixit his, qui erant illic: Et iſte erat cum Jeſu Nazaræno.*] Cum in eo eſſet, ut vellet exire. Nam eum nondum exiviſſe, oſtendit ſequens ℣. 73, ubi dicitur, tum demum exiviſſe, cum recordatus fuiſſet verborum Jeſu. Exivit autem ex interiori aulæ area in exteriorem. Et ſub id tempus cecinit gallus prima vice Marc. 14. 68. Ex quo cernitur, ferme circa mediam noctem fuiſſe, cum primo Petrus Chriſtum abnegavit.

Vidit eum alia ancilla.] Johannes ſcribit, ſecundam Petri abnegationem factam eſſe, cum ad ignem ſtaret & ſe calefaceret cap. 18. 25. Unde intelligitur, Petrum quidem poſt primam abnegationem exiviſſe, quia forte circumſtantes eum irridebant, quod diſcipulus eſſet iſtius Meſſiæ, qui mox ſit cruci affigendus: ſed ne videretur fuga fateri culpam, quæ ipſi objiciebatur, rediit rurſus ad ignem, & abnegat ibi Chriſtum ſecundo. Dicit autem Matthæus hic expreſſe, *aliam* ancillam interrogaſſe eum: ex quo ſequitur, verba apud Marcum cap. 14. 69, *& ancilla, videns eum, rurſus cœpit dicere* &c. non ita eſſe intelligenda, quaſi eadem ancilla, coram qua Petrus Chriſtum primo abnegavit, ipſum ſecundo interrogarit; ſed ancillam aliam, ubi eum vidit, cœpiſſe iterum (nempe ſicut illa prior) dicere &c. Articuli enim additi nominibus non ſemper habent vim certam perſonam vel rem deſignandi, ut plurimis exemplis demonſtrari poteſt. Lucas ſecundam abnegationem ita refert: *Et paulo poſt* (nempe cum iterum introiiſſet Petrus) *alius videns eum dixit* cap. 22. 58, quaſi non fœmina, ſed vir aliquis Petrum interrogarit. At ſciendum eſt, non in Græca ſolum lingua, ſed & in aliis uſitatum eſſe, ut ſi quis nominandus ſit, & parum interſit ſcire, maſne fuerit an fœmina, maſculino genere deſcribatur. Ut ita Lucas voluerit dicere: alius, intellige è famulitio, (ſive ſervus fuerit, ſive ancilla) vidit eum & dixit &c. Porro quod Johannes hanc ſecundam abnegationem ita deſcribit, quaſi Petrus à pluribus quam ab uno fuerit interrogatus cap. 18. 25, id facile intelligitur. Nam primum ancilla, poſtea etiam alii adſtantes eum interrogaverunt.

Et iſte erat cum Jeſu Nazaræno.] Apud Marcum ait ancilla: *Hic ex illis eſt* cap. 14. 69. Apud Lucam: *Etiam tu es ex illis* cap. 22. 58. Apud Johannem: *Nonne & tu es ex ejus diſcipulis?* cap. 18. 25. Nimirum ancilla primum quæſivit ex Petro, ut eſt apud Johannem: poſtea cum negaſſet, illa affirmavit directe, eum eſſe ex illis: ac tandem etiam ad omnes dixit id quod eſt apud Matthæum & Marcum.

Verſ. 72. *Tunc rurſus negavit cum juramento, dicens: Non novi hominem.*] Primo ſimpliciter abnegavit Chriſtum: poſtea peccatum peccato cumulans addidit juramentum.

Verſ. 73. *Paulo poſt autem acceſſerunt, qui adſtabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex ipſis es; nam & loquela tua te manifeſtum facit.*] Paulo poſt, nempe poſt horam circiter & amplius, ut ex Luca conſtat cap. 22. 59.

Qui adſtabant.] Primum Malchi, cui Petrus auriculam abſciderat, cognatus Joh. 18. 26, poſtea & reliqui, ut hic dicitur, & apud Marcum.

Nam & loquela tua te manifeſtum facit.] Lucas ait: *Nam & Galilæus eſt* cap. 22. 59. Galilæa lingua propius accedebat ad Samaritanam & Syriacam linguam quam ad Hieroſolymitanam. Ita olim Ephraimitæ à Galaaditis ex vocabulo Schiboleth & Siboleth agniti ſunt Jud. 12. 6. Pronunciatio igitur Petrum prodidit,

prodidit, quod natione Galilæus eſſet. Omnes autem Galilæi apud iſtos homines erant ſuſpecti, quia plurimi è Galilæis Chriſto adhæſerant. Auctaque fuit hæc de Petro ſuſpicio, cum Malchi cognatus teſtaretur, ſe eum in horto cum Jeſu vidiſſe.

Verſ. 74. *Tunc cœpit ſeipſum devovere, & jurare, dicens: Non novi hominem. Et ſtatim gallus cecinit.*] Verbum devovendi poteſt hic tam ad Chriſtum, quam ad Petrum referri: in Græco enim non additur *ſeipſum*. Sed ſicut peccatum Petri, quod tanto cum animi dolore deflevit, non eſt extenuandum: ita etiam cauſa non eſt ulla id adeo exaggerandi & augendi, ut credamus, eum Chriſtum ipſum denoviſſe & execratum fuiſſe; ſed ſtatuendum potius eum ſeipſum devoviſſe, perinde ut illi Judæi ſeſe adverſus Paulum devoverant Actor. 23. 12, 14. Formula autem devotionis erat: Faciat mihi Deus hoc vel illud.

Non novi hominem.] Apparet, quanta perturbatio animi in Petro fuerit, quæ eum ad tam incredibile mendacium adduxerit. Etenim vix quiſquam è Judæis reperiebatur, qui non de facie noviſſet Jeſum, cum ad eum undique tantus fuerit hominum concurſus; & Petrus illum non noſſet? Nec poterat ullam cauſam Petrus afferre ac prætendere, cur in illum locum, & quidem tempore nocturno venerit, ſi illum non norat.

Et ſtatim gallus cecinit.] Lucas habet: *Illo adhuc loquente, cantavit gallus* cap. 22. 60. Quæ circumſtantia tam accurate deſcribitur, ut appareat, veracem fuiſſe illam Chriſti prædictionem verſ. 34: *Antequam gallus cantet, ter me abnegabis.*

Verſ. 75. *Et recordatus eſt Petrus verborum Jeſu, qui dixerat ei: Priuſquam gallus cantet, ter me abnegabis. Et egreſſus foras, acerbe flevit.*] Petrus partim cantu galli, partim intuitu Chriſti, qui ad ipſum oculos ſuos convertit Luc. 22. 61, è profundo ſomno ſuæ conſternationis expergefactus eſt.

Et egreſſus foras acerbe flevit.] Melius ac commodius poterat extra contriti ac pœnitentis animi ſigna lacrymas effundere, quam intus in conſpectu aliorum. Atque hæ lacrymæ ex vero animi dolore ac reſipiſcentia profuſæ, fuerunt apud Deum ſufficiens ſacrificium ac lytron pro tam magno ipſius peccato.

CAPUT XXVII.

I. *Chriſtus Pilato traditur: ad verſ.* 3. II. *Judas reſtituit proditionis mercedem, & ſe ſuſpendit: ad verſ.* 11. III. *Chriſtus ingenuam confeſſionem coram Pilato edit, & coram eo accuſatur: ad verſ.* 15. IV. *Chriſto præfertur homicida, Pilatus lavat manus, & Chriſtus flagellatur: ad verſ.* 27. V. *Chriſtus in Prætorio contumeliis & verberibus afficitur: ad verſ.* 31. VI. *Narratur, quid Chriſto acciderit, cum duceretur ad locum ſupplicii: ad verſ.* 35. VII. *Quid paſſus ſit in ipſo ſupplicii loco, & mors ejus deſcribitur: ad verſ.* 51. VIII. *Qualia miracula poſt mortem ejus ſtatim contigerint: ad verſ.* 57. IX. *Deſcribitur ejus ſepultura: ad verſ.* 62. X. *Quomodo ſepulchro ejus appoſiti fuerint cuſtodes, utque fuerit obſignatum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Mane autem cum eſſet, conſilium ceperunt omnes primarii Sacerdotes & Seniores populi adverſus Jeſum, ut eum morte afficerent.*] Cum Petrus Chriſtum ultima vice abnegaret, & gallus ſecundo cantaret, Chriſtus ſtabat coram Synedrio, idque factum eſt jam appetente luce. Hoc autem conſilium, quod modo memorat Matthæus, habitum eſt, ſimulac dieſcere cœpit. Unde perſpicuum eſt, hunc confeſſum eundem & non alium eſſe, quam illum, in quo Chriſtus damnatus eſt. Eos enim à primo confeſſu ſurrexiſſe, & digreſſos fuiſſe domum, rurſuſque conveniſſe tam brevi tempore, probabile non eſt. Senſus proinde eſt, Chriſtum cum abs Senatu auditus eſſet, juſſum eſſe ſecedere, illos vero inter ſe conſultaſſe, quid cum eo agerent. Ita voces *conſilium capiendi* etiam ſumuntur ſupra cap. 12. 14. XXII. 15. Vide plura ea de re ad Lucam.

Ut eum morte afficerent.] Eum eſſe reum mortis, jam antea c. 26. 66, pronunciarant, ſententiamque in eum tulerant: nunc deliberant tantum, quomodo ſententia iſta poſſit executioni dari. Etenim clam eum occidere per ſicarium, ignominioſum ſibi ducebant: per tumultum autem & ſeditionem id facere (quo poſtea modo Stephanus ſublatus eſt Act. 7. 59,) videbant eſſe rem plenam periculi. Ideo tota hæc deliberatio eo tendebat, quomodo Præſidem Pontium Pilatum inducere ad eandem mortis ſententiam ferendam poſſint, accuſatione coram eo ita inſtituta, ut Pilatus crimen Chriſto impactum morte dignum eſſe judicaret. Erat autem hoc apud eos crimen morte piandum, quod ſe Chriſtum, id eſt, Regem Judaici populi (qui tunc non alius credebatur eſſe, præter Cæſarem Romanum) faceret. Itaque eum non poterant aliter accuſare, quam ut ſeditioſum ac turbonem, qui populum ad defectionem à Cæſare ſollicitaverit. Deus autem ſingulari conſilio ita rem direxit, ut Chriſtus non clam, ſed publice & palam morte afficeretur, quo de morte ejus totius Orbis teſtimonio conſtaret.

Verſ. 2. *Et vinctum eum abduxerunt, ac tradiderunt Pontio Pilato Præſidi.*] Non tum demum eum vinxerunt, cum abducendus eſſet & tradendus Pilato: nam ſtatim ut eum comprehenderunt, vinxerant eum, teſte Johanne cap. 18. 12. Itaque ſenſus eſt, quod eum ita, ut vinctus erat, abduxerint. Aut etiam fieri poteſt, ut cum eum vinctum in domum Cajaphæ adduxiſſent ad judicium, vincula relaxaverint, cum illinc effugere non poſſet; poſtea autem cum educendus eſſet è domo, rurſus eum vinculis conſtrinxerint.

Ac tradiderunt Pontio Pilato.] Judæis enim, ut jam ante dictum eſt, non licebat quenquam interficere Joh. 18. 32, quia jus capitalium ſuppliciorum eis à Romanis erat creptum. Quod enim Judæi Ste-

phanum lapidarunt, magis per tumultum factum eſt, quam ordinaria juris via: quo pacto etiam Chriſtum aliquoties lapidare voluerunt.

Præſidi.] Supra cap. 14. 1, indicatum eſt, poſt mortem Herodis Magni, ſub quo natus eſt Chriſtus, Judæam, quæ tota Herodis imperio erat ſubjecta, in tres Tetrarchias fuiſſe diviſam, ut ex Luca conſtat cap. 3. 1. Ex his Tetrarchiis una fuit Judæa, Samaria & Idumæa, cui Archelaus Herodis Magni filius ad decimum uſque annum præfuit: ſed poſtmodum ob ſummam tyrannidem apud Cæſarem Auguſtum accuſatus, ab eo Viennam in Galliam relegatus eſt Joſeph. lib. 17. cap. 19. lib. 18. cap. 1. Hac ratione Judæa eſt Romano Imperio adjuncta & in provinciam redacta, ac, perinde ut aliæ provinciæ, eſt à Romanis Præſidibus gubernata. Inter iſtos Præſides Pilatus fuit ſextus, ab Archelai relegatione Joſeph. lib. 18. cap. 4. Notandum vero hic eſt, Pontium Pilatum non fuiſſe proprie Præſidem in Judæa: quia Judæa pertinebat ad regnum Syriæ, atque ita Præſidi Syriæ ſubjecta fuit. Sed tales, qualis Pilatus erat, vocabantur Procuratores Cæſaris. Verus Præſes in Syriam mittebatur, Procurator in Judæam: qui ab illo Præſide dependebat, eumque reſpectare cogebatur; ut ex hiſtoria Cumani & aliorum apud Joſephum intelligitur. Ejuſmodi autem Procuratorum duo erant genera: alii nihil niſi vectigalia & reditus curabant; alii vero etiam poteſtatem judicandi habebant, in abſentia Præſidis. Et talis fuit Pilatus.

PARS II.

Verſ. 3. *TUnc Judas, qui eum prodiderat, cum vidiſſet eum damnatum eſſe, pœnitens retulit triginta argenteos ad primarios Sacerdotes & Seniores.*] Damnatum eum audivit à Synedrio, cum dicerent omnes: *Reus eſt mortis* c. 26. 66, & deinceps vidit eum duci ad Pilatum. Inde facile intellexit Judas, Chriſto moriendum eſſe, quia poſt tale damnatorium Synedrii decretum ægre quiſquam poterat evadere.

Pœnitens.] Summo quidem dolore augebatur ob commiſſum facinus, velletque nunquam factum fuiſſet: ſed hæc non erat perfecta pœnitentia, qua remiſſionem peccatorum obtinere poſſet. Neque enim ulla emendatio vitæ, quæ præcipua pars eſt veræ pœnitentiæ, conſequuta fuit, partim propria ejus culpa, partim juſta Dei induratione, quæ loco emendationis vitæ horribilem deſperationem in eo effecit, ut ſibi ipſe necem conſciſceret. Falluntur proinde vehementer, qui hanc Judæ pœnitentiam pro perfecta reſipiſcentia reputant, adeoque de ſalute ejus non omnino deſperant. Aliud nos ſentire jubet ſermo Petri Act. 1. 18, & clara verba Chriſti, qui eum *filium perditionis* appellat Joh. 17. 12, adeoque eum perditioni deſtinatum eſſe indicat: quin & illa ejuſdem ſupra cap. 26. 24, ubi ait: Melius fuiſſe ei nunquam naſci. Ex hac autem pœnitentia Judæ patet, eum cum Chriſtum vendidit, non putaſſe, quod Chriſtum in periculum vitæ conjecturus ſit: qua in parte fuit aliquanto probior Sacerdotibus ac Senioribus. Etſi enim avaritiæ impulſu ſummam infidelitatem erga Dominum ſuum oſtenderit, nullum habuit tamen mortis ei conciliandæ animum aut propoſitum.

Verſ. 4. *Dicens: Peccavi, prodens innoxium ſanguinem. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.*] Fatetur, ſe peccaſſe, quod innoxium ſanguinem, id eſt, hominem, qui innoxius ſit, & immerito morti adjudicatus ſit, prodiderit. Per ſanguinem intelligitur omnis mors violenta: ut etiam infra ℣. 6. Ita Deus voluit, ut contra impietatem primariorum Sacerdotum & Seniorum, undique teſtium de innocentia Chriſti voces erumperent, Judicis ipſius Pilati, uxoris ejus, & inter alios etiam Judæ proditoris, qui eum venundarat.

Tu videris.] Tibi id curæ eſto, quomodo factum tuum apud conſcientiam tuam excuſare ac defendere poſſis.

Verſ. 5. *Et projiciens argenteos in templo, receſſit.*] In illa parte Templi, in qua conſeſſus Synedrii haberi ſolebat.

Et abiens ſe ſtrangulavit.] Interpretes valde ſe macerant, ut hunc locum cum Act. 1. 18 concilient, ubi Petrus de Juda ſic loquitur: *Et præcipitatus crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Aliqui ita conciliant, quod cum Judas laquei parte una collum ſuum innodaſſet, alteram ad arborem alligaſſet, atque ſe præcipitaſſet, fracto laqueo ceciderit ex alto pronus, & illo gravi lapſu factum ſit, ut creparet medius, viſceraque ejus effunderentur: atque hunc caſum & crepationem cenſent adjuviſſe ſtrenue Satanam, cujus poteſtati jam erat traditus, ut mors ejus tanto eſſet deteſtabilior. Alii vero ſentiunt, hic apud Matthæum non eſſe ſermonem de morte Judæ, cum hæc demum poſt reſurrectionem Chriſti contigerit: ubi videlicet intellexit, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, tum demum prorſus de gratia Dei deſperavit, videns ſe morti tradidiſſe eum, qui verus erat ſervator mundi. Itaque ſtatuunt, verbum Græcum, ἀπήγξατο, quod habetur hoc loco, non eſſe *ſuſpendendi* verbo reddendum, ſed *ſtrangulandi*: quod eo ſenſu putant accipiendum, quo id uſurpatur Tob. 3. 12, de Sara, quod *triſtata fuerit tam valde, ut ſtrangularetur*; non quod illico fuerit mortua, ſed quod præ mœrore & anguſtia animi, ſpiritus ejus quaſi repreſſus fuerit, ut ægre reſpirare potuerit, quemadmodum iis accidere ſolet, qui ſtrangulantur. Ita volunt, Matthæum hic nihil aliud dicere voluiſſe, quam Judam projecta pecunia in Templo, ſumma ægritudine animi & conſcientiæ angore diſcruciatum fuiſſe.

Verſ. 6. *Principes autem ſacerdotes acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos immittere in corbanam, quoniam pretium ſanguinis eſt.*] Corbana fuit gazophylacium, in quod injiciebatur pecunia, ad uſus ſacros ſeu Templi pertinens. Vide Luc. 21. 1.

Quoniam pretium ſanguinis eſt.] Debuiſſent dicere: Quoniam id pro hominis innocentis vita datum eſt: ut agnovit Judas. In Lege prohibitum erat Judæis mercedem ſcorti & pretium canis, pro ullo voto in domum Domini inferre Deut. 23. 18. Joſephus interpretatur mercedem ſcorti, pecuniam ſcortatione quæſitam, & pretium canis, nummos pro admiſſione canis maſculi ad fœmellam acceptos. Hujuſmodi mercedi pudendæ æquant etiam pecuniam pro ſanguine acceptam, adeoque concludunt, etiam hanc non eſſe in ærarium Domini inferendam. Apud Judæos enim adulterium, homicidium, idolorum cultus, pro æque gravi crimine habebantur. Impii autem iſti ſacerdotes hic damnant ſeipſos; nolunt enim hanc pecuniam in gaze-

in gazophylacium inferri, ideo quod Jesus pro ea ad necem venditus sit, cum interim ipsi fuerint emtores.

Vers. 7. *Consilio autem capto, emerunt ex iis agrum figuli ad sepulturam hospitum.* Apparet locum notum fuisse, & fortassis ideo sic dictum, quia figuli ex eo sumebant argillam. Cumque tam exili pretio, nempe pro triginta argenteis, venditus sit, apparet locum vilem fuisse, & propter crebras fossas atque cavernas, quas figuli effodiendo argillam fecerant, nemini amplius utilem.

Ad sepulturam hospitum.] Non talium hospitum seu peregrinorum, qui à religione Judaica alieni essent; de iis enim curam gerere ad sacerdotes nihil attinebat: sed peregrinorum Judæorum, qui peregre Hierosolymam religionis causa adveniebant, & illic moriebantur. Lucas vocat eos *advenas* Actor. 2. 10. Habebatur quidem jam ante Hierosolymis sine dubio aliquis sepulturæ locus pro talibus advenis, sed ingens hominum multitudo, qui eo confluebant, & crebræ eorum mortes amplius spatium requirebant. Non enim idem mos est Judæis, qui Christianis, ut ossa mortuorum post corporis corruptionem eximant, & in unum coacervent cumulum: sed corpora ut semel posita sunt, sinunt, ita intacta perpetuo manere. Metuunt enim forte ne tempore resurrectionis sua ossa quivis non cognoscat; qui utique error foret gravissimus.

Vers. 8. *Quapropter vocatus est ager ille, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.*] Hierosolymitana lingua vocatus est ager ille Akeldama Actor. 1. 19. Hoc nomine voluit Deus agrum hunc appellari, ad æternam hujus sceleris memoriam. Petrus ait Actor. 1. 18. Judam *acquisivisse agrum ex mercede injustitiæ*, nimirum tanquam sempiternum suæ infidelitatis monumentum. Cum enim quispiam præteriret, dicebat: Iste est ager, emptus pretio illo, quo Judas Dominum suum vendidit.

Vers. 9. *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium æstimati, quem æstimaverunt a filiis Israël.*] Verba hæc tam veteribus, quam novis Interpretibus multum negotii facessiverunt. Verba enim prophetiæ, quam allegat Matthæus, non extant apud Jeremiam, sed apud Zachariam cap. XI. 13. Ex diversissimis sententiis hac de re duæ sunt præcipuæ. Prima est eorum, qui sentiunt Matthæum nullius Prophetæ nomen expressisse, sed simpliciter tantum dixisse: *Tunc impletum est, quod dictum est, per Prophetam, dicentem* &c. Sicut etiam supra cap. 1. 22. ij. 5, 15, 23. XIII. 35. XXI. 4. XXVI. 31. Prophetas sine nomine allegavit: & quempiam verba non satis perpendentem, existimantemque, quod Matthæus respiciat locum Jerem. 32. 9, nomen Jeremiæ margini adscripsisse, quod postmodum in describendo in ipsum textum irrepserit. Verum huic sententiæ obstat, quod jam Origenis temporibus Interpretes circa hujus loci enodationem se torserint: unde colligitur, jam tum temporis nomen Jeremiæ in omnibus exemplaribus extitisse; quod certe non tam facile fieri potuisset, si eo modo, quem sententia hæc monstrat, insertum fuisset. Etenim sine dubio in multis exemplaribus non fuisset repertum, id quod controversiam facile dirimere potuisset. Quod autem in Syriaca versione sit omissum, causa esse potuit, quod locum hunc apud Jeremiam Interpretes non invenerit. Sed in Arabica, in Latina Vulgata, inque omnibus Græcis exemplaribus habetur. Altera sententia est eorum, qui censent quidem hunc locum ex Jeremia Propheta desumptum esse, sed non ex istis, quæ nunc ad manum habemus, scriptis, sed ex aliis, quæ perierunt, vel etiam ex aliqua Traditione, quæ per manus sine scripto ad tempora Apostolorum conservata sit. Nullum enim est dubium, multa vaticinia Prophetarum à Judæis olim retenta fuisse & asservata, non in scriptis, sed in memoria, & aliquos, qui ea ex ore parentum suorum hauserunt, privatim ea annotasse: idcirco ea in libris, quos Esdras collegit, & qui hodie libri Veteris Testamenti nuncupantur, non reperiuntur. Talia scripta fuerunt inter alia, & illa, quorum mentio fit 2 Mach. II. 1, ubi in iis scriptum extitisse dicitur, quod Jeremias Propheta jusserit eis qui deportandi erant Babylonem, ut ignem secum acciperent. Vaticinium de mundi per ignem abolitione, quod etiam Græcis notum fuit, Josephus ad Adamum ipsum refert Lib. 1. cap. 4. Tale vaticinium etiam fuit Enochi, cujus meminit Judas in sua Epistola vers. 14, 15. Verba Pauli 1 Cor. 2. 9: *quæ oculus non vidit, auris non audivit* &c. antiquitus Eliæ sunt attributa, ita ut Esaias illa ab Elia mutuatus sit cap. 61. 4. Neque etiam nesciendum est, posteriores Prophetas nonnunquam priorum ac veterum Prophetarum verbis usos fuisse. Ita apud Ezechielem reperiuntur sermones, qui de verbo ad verbum ex Jeremia desumpti sunt: ut patet ex collatione Jerem. 31. 29. 30. cum Ezech. 18. 1, 2, 3, 4. Inprimis autem & peculiariter amavit Zacharias Propheta Jeremiæ verbis uti: Confer Zach. 1. 4, cum Jer. 18. 11. & Zach. 3. 8. cum Jer. 23. 5. Hinc Judæi dicere solent, spiritum Jeremiæ in Zacharia fuisse, adeoque Jeremiam & Zachariam unum duntaxat Prophetam constituisse. Itaque nihil foret absonum, si dicatur, verba hæc de triginta argenteis primum à Jeremia fuisse prolata, postea autem in nonullorum memoria fuisse ad Zachariæ usque tempora asservata, per quem Deus voluerit ea renovari ac repeti; Matthæumque hic illa citare sub ejus nomine, qui ea primus enunciarat, etiamsi in scriptis ejus libris non legantur. Testis autem est Hieronymus, sibi à quodam Nazaræorum secta addicto, monstratum fuisse librum sub nomine Jeremiæ, in quo hæc verba continebantur. Atque in hoc libro dicit annotata fuisse privatim à quodam ea, quæ audiverit ab antiquis temporibus orali traditione accepta inter Judæos vigere. Tametsi vero libri istiusmodi non eam habeant auctoritatem, quam habent divina & Canonica scripta; dubitari tamen non debet, multa vetera & vera in iis scripta fuisse. Quod ergo præsentem locum Zachariæ attinet, is in libro Prophetiæ ejus sic legitur: cap. XI. 12, 13. Et dixi ad eos: *Si bonum videtur in oculis vestris afferte mercedem meam; sin minus, desistite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit ad me Dominus: Projice eos ad figulum; magnificum pretium, quo æstimatus sum ab illis. Ita accipiens illos triginta argenteos projeci eos in domum Domini ad figulum.* Ex quibus liquet, Matthæum neque verba ipsa, neque

NB.

NB.

neque ordinem verborum in citatione ſua ſervaſſe, ſed eorum ſummam tantum & ſenſum expreſſiſſe, quatenus propoſito ipſius ſerviebant. Eſt autem etiam hic locus ex iis, qui primario quidem ad illa tempora, quibus pronunciata ſunt, ſpectant, verum ita tamen, ut etiam temporibus Chriſti conveniant, idque & quidem (Deo ſingulariter id procurante, & rerum eventus ita moderante) his magis quam illis. Senſus enim verborum apud Zachariam, & ſine dubio etiam apud Jeremiam hic fuit: quod Deus volens oſtendere, quam ingratiſſimi fuerint Judæi beneficiorum ſuorum, quibus eos cumulaverat, dicat, ſe pro ſuo labore, quem eis impendit, (dum eos à tam longo tempore tam ſolicite, non ſecus ac Paſtor gregem ſuum duxit ac curavit) poſtulaſſe ab eis mercedem; ſibique à populo Iſraëlitico tam parvam mercedem, qua viliſſima mancipia æſtimari ſolebant, nempe triginta argenteos aſſignatam eſſe; ſe autem juſſiſſe eam in agrum projici, non procul à domo Domini, quo ſolebant teſtæ fractarum ollarum abjici, ad indicandum, ſe mercedem illam pluris non æſtimare, quam fictilis ollæ fragmentum. Atque hoc pacto Deus ſignificare voluit, ſe omnem illum Ceremonialem cultum, quo Judæi putabant ſe abunde teſtari gratum animum ſuum erga Deum, pro ipſius beneficiis indignum æſtimare quem recipiat, propterea quod corda eorum interea omni pietate vacua eſſent. Quemadmodum autem hoc totum optime quadrat in tempora Jeremiæ & Zachariæ, ita multo magis id congruit temporibus Chriſti. Inde divina factum eſt providentia, ut quod olim per ſimilitudinem & improprie dictum fuerat Chriſti temporibus etiam proprie impleretur. Deus enim eſt in Chriſto à primariis ſacerdotibus triginta argenteis æſtimatus, atque hæc pecunia revera in figuli agrum, non tam impenſa, quam contemptim projecta fuit. Quod quidem ſacerdotes fecerunt, ſed Deo dirigente & ordinante: idcirco id quod illi fecerunt, merito Deo adſcribitur.

Et acceperunt triginta argenteos.] Puta, primarii Sacerdotes & Seniores. Apud Zachariam eſt: *Et ego* (nempe Zacharias Propheta) *accepi triginta argenteos.* Deus enim id ei ut faceret, præcepit, ad demonſtrandam Judaici populi ſummam ingratitudinem. Hic autem Deus id facere primariis ſacerdotibus permiſit; ut ex verbis verſus ſequentis, *ſicut injunxit mihi Dominus*, cernitur. Manet autem idem ſenſus, eademque ſignificatio rei, per quemcunque etiam illa fiat.

Pretium æſtimati.] Id eſt, illos triginta argenteos, quibus Deum in Chriſto æſtimarunt.

Quem æſtimaverunt à filiis Iſraël.] Id eſt, quem æſtimarunt non peregrini, ſed illi qui ex filiis Iſraëlis fuerunt. Hebraiſmus eſt: cui ſimilem vide ſupra cap. 23. 34. Marc. 6. 43. Luc. 21. 16. Joh. 16. 17. Actor. 21. 16.

Verſ. 10. *Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut injunxit mihi Dominus.*] Apud Zachariam habetur *in domum Domini*, (vel etiam apud domum Domini; nam utroque modo verti poſſunt verba) *ad figulum.* Apparet vilem & contemptum locum fuiſſe, non procul à Templo ſitum, ubi forſitan figulus aliquis habitavit, ibique argillam ad ollas aliaque vaſa fictilia conficienda, quæ ad Templi uſum adhibebantur, effodit, quo etiam fragmenta fractorum vaſorum rejici ſolebant.

Sicut injunxit mihi Dominus.] Apud Zachariam hæc verba non leguntur, ſed res ipſa eſt in eo comprehenſa. Nimirum Propheta ait, Deum ſibi injunxiſſe, ut pecuniam illam ad figulum projiciat, ſeque id feciſſe, quod ipſi à Domino injunctum atque ordinatum fuerat. Matthæus autem non ſine cauſa hæc verba adjecit, ut indicaret, totum id juxta Dei ordinationem ac providentiam factum eſſe. Tacite quoque Euangeliſta innuit Judæis æque grave judicium ac ſupplicium expectandum eſſe, atque fuit illud, quod illi Prophetæ tunc Judaico populo denunciarunt.

PARS III.

Verſ. 11. *JEſus autem ſtetit coram Præſide, & interrogavit eum Præſes, dicens: Tune es Rex ille Judæorum? Dixit ei Jeſus: Tu dicis.*] Johannes cap. 18. 28, & ſeqq. plures enumerat circumſtantias, ut cum Judæi non auderent ingredi in Prætorium, primum egreſſum fuiſſe Pilatum ad eos, & poſtea intellecta eorum accuſatione, vocaſſe Jeſum in Prætorium. Vide ibidem.

Tune es Rex ille Judæorum?] Hoc fuit principale caput accuſationis Judæorum, quod ſe Jeſus Regem faciat Iſraëlitici populi, quod crimen dignum judicatum iri à Pilato damnatione mortis credebant. Interea vero ipſi ſeſe accuſabant, & ejuſdem criminis reos peragebant, cum illo ipſo tempore ſumma cum aviditate expectarent Meſſiam, qui conſpicuum regnum inter eos erecturus, & è poteſtate Romanorum eos erepturus eſſet. Atque ita omnes erant in animis ſuis ejuſmodi rebelles ac perduelles, læſæque majeſtatis Romanorum rei, qualem Jeſum eſſe affirmabant.

Tu dicis.] Hoc Chriſtus non ſtatim ad primam interrogationem reſpondit, ſed cum ſecundo ad eum diceret Pilatus: *Num ergo Rex es tu?* Joh. 18. 37. Quid autem ad primam interrogationem reſponderit Chriſtus, de eo, an rex eſſet, quæſitus, vide apud Johannem dicto loco. Cæterum hæc eſt illa præclara confeſſio Chriſti, cujus meminit Paulus 1 Tim. 6. 13. Nam ſi Chriſtus hic negare voluiſſet, ſe eſſe Judæorum Regem, potiſſimum fundamentum accuſationis adverſariorum ſuorum evertiſſet, ſeque à condemnatione liberaſſet. Ex eo vero, quod ſe Chriſtus Regem eſſe profeſſus ſit, intelligitur, ejus regnum jam tum aliquomodo cœptum fuiſſe, ab eo tempore, quo cœpit veritatem docere. Atque hoc Chriſtus ipſe ſatis indicavit, cum ſic loquitur apud Johannem. *Tu dicis me Regem eſſe. Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut dem teſtimonium veritati* cap. 18. 37. Neque repugnat, quod alibi initium regni ejus ducatur ab ejus reſurrectione & exaltatione: ſupra cap. 10. 23. XVI. 28. XXVI. 29, id enim de perfecta regni iſtius poſſeſſione intelligendum eſt. In diebus carnis ſuæ quidem regiam poteſtatem ſuam demonſtravit tanquam Legiſlator & benefactor populi ſui: non autem ut dominator ſuper ſuos hoſtes,

qualem

qualem ſe demum poſt reſurrectionem ſuam eſſe oſtendit. Qua in re etiam David figura Chriſti fuit, dum adhuc ſuperſtite Saule in Regem unctus eſt 1 Sam. 16. 13, poſtea autem partem regni primum, & deinceps totum regnum obtinuit.

Verſ. 12. *Et cum ipſe accuſaretur à primariis Sacerdotibus & Senioribus, nihil reſpondit.*] Hæc fuit altera adhuc gravior accuſatio, quia videbant, Pilatum primo objecto crimine parum moveri. Nam ad ſuperiorem Chriſti confeſſionem, qua ſe Regem eſſe agnovit, dixit Pilatus: *Ego nullam culpam invenio in iſto homine.* Proinde illi jam rurſus inſtant dicentes, eum *concitare populum, docendo per univerſam Judæam* &c. Luc. 23. 4, 5. Accuſationes autem ejuſmodi ſolebant fieri in præſentia reorum, more Romano Actor. 25. 16.

A primariis Sacerdotibus & Senioribus.] Hi fuerunt è Synedrio: ut & infra vſ. 41. & cap. 28. 12. & Marc. 15. 1.

Nihil reſpondit.] Cauſa ſilentii hujus fuit, præter hanc, quod decreverat mortem ſubire, etiam hæc, quod omnes iſtæ accuſationes apud probum ac juſtum judicem etiam abſque reſponſione & apologia poterant non habere locum, & nullius momenti æſtimari. Nam in criminibus læſæ Majeſtatis, quod Judæi Chriſto intendebant, in omni jure perſona attenditur, an ſcilicet probabile ſit, eam id, de quo accuſatur, ad effectum deducere potuiſſe. Cum igitur Jeſus eſſet homo ignobili loco natus, abjectæ & tenuis conditionis, deſtitutus omni militari potentia & apparatu, res ipſa eum ab imputati criminis ſuſpicione purgabat. Quod ſi Pilatus vellet conſcientiæ ſuæ dictamine ſpreto, Judæis hac in parte gratificari, nihil profuiſſet ulla reſponſio ac defenſio. Sic ergo impletum eſt vaticinium illud Eſaiæ cap. 53. 7.

Verſ. 13. *Tunc dicit ei Pilatus: Non audis, quam multa adverſum te teſtificentur?*] Multa quidem illi producebant in medium, ſed quæ partim probare non poterant, quale erat illud, quod concitaret populum adverſus Cæſarem, & cenſum ei dare prohiberet; partim, nihil ad crimen læſæ Majeſtatis faciebant; uti erat, quod doctrinam ſuam per univerſam regionem ſpargeret. Nulla itaque reſponſione digna erant.

Verſ. 14. *Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.*] In criminibus capitalibus non tantum ſilentes non poſſunt condemnari, niſi forte certiſſimis ac evidentiſſimis argumentis convincantur; verum etiam propria accuſati confeſſio, ſi pateat eum mori ultro velle, non ſuſcipitur. Admiratur autem Pilatus ideo ſilentium Chriſti, quia innocentiam ejus agnoverat, atque adeo facile ſe potuiſſet Chriſtus purgare, ſi ſeriam apologiam ſuis accuſatoribus oppoſuiſſet.

Poſt hæc à Matthæo hucuſque narrata, ſequitur id, quod Lucas refert cap. 23. 6, uſque ad 17, ut nimirum Pilatus Jeſum ad Herodem miſerit, & Herodes eum rurſus ad Pilatum remiſerit, & ut Pilatus teſtimonium de innocentia ejus perhibuerit.

PARS IV.

Verſ. 15. *Præſes autem ſingulis feſtis conſueverat turbæ dimittere unum vinctum quem voluiſſent.*] Græcus textus habet κατὰ ἑορτὴν, ſecundum feſtum, id eſt, in feſto Paſchæ, Joh. 18. 39, quod ita ſimpliciter & per excellentiam feſtum dicitur: ut ſupra cap. 26. 5. Joh. 4. 45, confer cum cap. 2. 13. Hæc autem conſuetudo dimittendi in feſto aliquem vinctum antiquitus inter Judæos non erat. Lex enim erat *abſque miſericordia* Hebr. 10. 28, nec quiſquam hominum habebat poteſtatem iis tranſgreſſionibus quibus in Lege pœna erat poſita, veniam dare: ſive Rex, ſive Synedrium, ſive univerſus populus. Quod enim pro Jonathane populus oravit, cum contra Regis interdictum de melle guſtaſſet, & occidendus eſſet, factum id eſt in peccato, non contra Legem, ſed contra peculiare mandatum Regis Saulis commiſſo 1 Sam. 14. 45. Joabo quoque pœna propter Abnerum & Amaſam nefarie occiſos non condonata, ſed tantum dilata fuit 1 Reg. 2. 32. Davidem Regia majeſtas ſupplicio, quod homicidis & adulteris in Lege conſtitutum eſt, non exemiſſet, niſi Deus ipſe ex ſpeciali gratia per Nathanem Prophetam eam illi remiſiſſet. Synedrio Hieroſolymitano minatus eſt Sameas divina judicia, quod Herodem non damnarit, cum cœdis patratæ coram Synedrio eſſet accuſatus Joſeph. lib. 14. cap. 17. Itaque veriſimile eſt, morem hunc dimittendi in Paſchate aliquem vinctum, à Romanis ortum, ac libertatem hanc Judæis ab Auguſto Cæſare eſſe conceſſam.

Verſ. 16. *Habebant vero tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas.*] Inſignis vocatur, quia fuit celebris & inſignibus facinoribus inclytus. Nam non tantum fuit caput ſeditionis, ſed ipſe quoque manu ſua homicidium patraverat: ut ex Marco cap. 15. 7. & Luca cap. 23. 19 conſtat. A Johanne cap. 18. 40. & Petro Act. 3. 14, latro vocatur.

Verſ. 17. *Ipſis ergo congregatis, dixit eis Pilatus: Utrum vultis dimittam vobis? Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?*] Ipſis congregatis, nempe Synedrio una cum omni populo: nam eos omnes convocavit Pilatus Luc. 23. 13.

Utrum vultis dimittam vobis?] Pilatus agnita Chriſti innocentia, omnem movebat lapidem, ut Jeſum liberaret. Primo cum ad eum adductus eſſet Jeſus, quæſivit ex Judæis: *Quam accuſationem affertis contra iſtum hominem?* Joh. 18. 19, quaſi dicat: Quid poteſtis huic homini innocenti objicere? Poſtea cum Jeſum in Prætorio examinaſſet, de objecto crimine, quod ſe Regem faceret; egreſſus ad populum dixit: *Ego nullam culpam invenio in iſto homine* Luc. 23. 4. Joh. 18. 38. Deinde cum intellexiſſet, eum Galilæum eſſe, atque ex Herodis ditione, miſit eum ad Herodem, ad cujus juriſdictionem pertinebat, cuique adeo competebat ſententiam de eo ferre Luc. 23. 7. Cum eum ad ipſum remiſiſſet Herodes, porro eum liberare ſtudens inquit, neque ſe, neque Herodem ullam culpam, quæ mortem commereatur, in eo inveniſſe. Cumque ne ſic quidem iram Judæorum placare poſſet, voluit eorum in gratiam Chriſtum flagellatum dimittere Luc. 23. 14, 15, 16.

Hic

Hic alio adhuc utitur medio & offert Christum, ut pro more festi dimittatur: eoque fine non simpliciter Christum nominat, neque una cum multis aliis eum proponit, sed cum unico Barabba, qui fuit dux & antesignanus seditionis, & famosus latro, sperans, Judæos non tam sceleratos & obstinatos fore, ut Barabbam potius, quam Jesum mallent dimitti. Sed malitia Judæorum etiam Ethnici hujus spem atque opinionem superavit. Cum igitur Barabbam dimitti flagitassent, interrogat infra ℣. 22: *Quid igitur faciam Jesu?* Quasi dicat: Barabbas est dimittendus, Jesus autem mortem non est commeritus, quid ergo cum eo faciam? Cum autem consona voce clamarent, eum esse crucifigendum, quærit iterum: *Quid vero mali fecit?* ℣. 23. Cum illi rursus clamore incondito instarent: *Tolle, tolle, crucifige eum*; respondit: *Regem vestrum crucifigam?* Joh. 19. 15, quasi dicat. Tantone dedecore vos affici patiemini, ut vestrum Regem crucifigam? Metum quoque ei incussit tum quod uxor ejus ipsi nunciari jussit, ne quid rei haberet cum justo illo, tum quod audiret, eum se facere filium Dei, (existimans more Ethnicorum eum esse filium alicujus è Diis) Joh. 18. 7, 8. Quæ omnia Euangelistæ in hunc finem annotarunt, ut cum Judæorum ingens improbitas, tum summa Christi innocentia, quam etiam Ethnicus Judex vidit, cognosceretur.

Vers. 18. *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.*]

Vers. 19. *Sedente autem eo in tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi rei sit cum justo illo. Multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.*] Pilatus aliquoties consedit in tribunali, sed rursus surrexerat petens locum illum, in quo Senatus ejus coactus fuit. Præsides enim non soli pronunciabant per se sententiam, sed mentes suorum consiliariorum. Locus autem iste velo quodam erat à Tribunali distinctus. Apparet vero, hanc ejus sessionem in tribunali non fuisse ultimam. Nam supremum decretum antecessit flagellatio, qua facta, rursus dedit operam, quo Christum liberaret, testatusque est, se nullum in eo crimen invenire. Tandem cum videret, se frustra laborare, ultimo conscendit tribunal & decretum de Christo crucifigendo pronunciavit Joh. 19. 1, 4, 5. Flagellatio autem adhibebatur, more Romano, ad veræ causæ confessionem ab accusatis eliciendam: ut patet ex Actor. 22. 24. Etsi vero Pilato constaret de innocentia Jesu, adeoque ob memoratam causam flagellatione non esset opus, coactus tamen est ordinem servare judicii. Quanquam præterea spes eum incesserat, Judæos hoc pacto ad commiserationem adductum iri, ut lucis usuram ei concederent. Hoc enim sibi vult, cum apud Johannem inquit: *Ecce homo* cap. 19. 5. Itaque cum Euangelista infra ℣. 26 flagellationem & crucifixionem conjungit, id ita intelligendum est, quod Pilatus cum Christum prius flagellari curasset, ad extremum cum nihil amplius apud Judæos obtineri posset, ad crucis supplicium eum condemnarit. Quod enim quidam autumant, Christum tam brevi tempore bis esse flagellatum, non est verisimile.

Nihil tibi rei sit cum justo illo.] Ex Græco ita sonant verba: *Nihil tibi & justo illi*, id est, nihil fuscipias negotii cum justo illo, sic eum missum. Hebraismus est, de quo vide supra cap. 8. 29. & Joh. 2. 4.

Multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.] Somnium de hoc negotio habuit quoddam, quo valde exterrita atque turbata fuit. Deus enim innocentiam Jesu ei per somnium revelavit, & fortassis etiam graves pœnas, quas daturus esset Pilatus ob injuste dictam sententiam. Deus Pilati uxori, quam ipsi Pilato maluit id revelare, quia ad convincendos Judæos de Christi innocentia plus habere poterat momenti. Pilato enim Judæi non credidissent, quia ex omnibus ejus actionibus poterant intelligere, eum liberationi Jesu studere.

Vers. 20. *Principes vero Sacerdotes & Seniores persuaserunt turbæ, ut peteret Barabbam, Jesum vero perderet.*

Vers. 21. *Respondens autem Præses dixit eis: Utrum è duobus illis vultis ut vobis dimittam?* Ipsi vero dixerunt: *Barabbam.*

Vers. 22. *Dixit eis Pilatus: Quid igitur faciem Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt ei omnes: Crucifigatur.*] Crucis supplicio volunt Christum tolli, quia id erat omnium supplicíorum ignominiosissimum & maxime horrendum, quo Christum dignum esse judicarunt. Vide supra cap. 10. 38.

Vers. 23. *Præses autem ait: At enim quid mali fecit? Illi vero amplius clamabant, dicentes: Crucifigatur.*] Vocula *enim* indicat, præcessisse aliquid, quod subintelligendum sit, essequeadeo locutionem hic imperfectam; quæ in hunc ferme modum suppleri potest: Non faciam, vel non crucifigam eum; *quid enim mali fecit?* Apud Lucam addit Pilatus: *Nullam culpam in eo inveni*; *castigabo igitur* (id est, flagellabo) *eum & dimittam* cap. 23. 22. Tum secuta est Christi flagellatio, & ludibria illa, quæ Matthæus infra ℣. 27, 28, 29, 30 describit; ut ex Johanne cap. 19. 1, 2, 3, 4 cernitur.

Illi vero amplius clamabant.] Tametsi Romani Imperatores suis legibus prohibuerint, ne ejusmodi vanæ populi vociferationes curentur; nihilominus experientia docuit, magistratum sæpius ad injusta judicia se hac ratione adduci passum esse: quod etiam hic Pilato evenit.

Vers. 24. *Videns autem Pilatus, se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, accepta aqua, abluit manus coram turba, dicens: Innoxius ego sum à sanguine hujus justi; vos videritis.*] Quia Johannes cap. 19. 7 refert, Judæos dixisse: Nos habemus Legem, & secundum Legem nostram debet mori, quia seipsum fecit filium Dei; & quia omnes Euangelistæ magno consensu testantur, populum hanc rem magno cum ardore ac tumultu ursisse: omnino credibile est, Pilatum metuisse ne Judæi Jesum per seditionem ad mortem raperent, & si se ipse opponeret, ne rebellarent prorsus, eo prætextu, quasi Legem ipsorum contemneret, eamque violando, immunitates eorum imminuere vellet. Jam enim & antea fuerunt, qui Christum lapidare gestiebant: ut etiam Stephanus postea per tumultum lapidatus est. Quamvis autem metus iste hominem cordatum constantemque haud deceret, neque eum in jure Romano, multo minus vero in jure divino à culpa injuste latæ sententiæ posset absolveret; minuit tamen aliquantum ipsius culpam, ut non

ut non esset tam gravis, atque fuit Judæorum immanitas. Atque sic intelligendum est, quod Marcus ait: Pilatum voluisse populo satisfacere cap. 15. 15. Non quod populi gratiam aucuparetur: erat enim ut Philo de eo scribit, homo natura pervicax & implacabilis, sed quod experientia jam didicisset, quanto zelo populus patrias leges tueretur, quamque facile concitari ad rebellionem possit. Id vero tunc expertus est inprimis, cum vexilla Cæsaris imaginem gerentia, noctu inferri in urbem Hierosolymam jussit, vellet quoque sacrum thesaurum ad aquæductum impendere: de quo videatur Josephus lib. 18. cap. 4. & lib. 2. de bell. Jud. cap. 8. Hujusmodi ergo discrimini voluit damnatione insontis Jesu occurrere: uti solent, qui boni publici causa, ut ajunt, justitiam & æquitatem violant, cum tamen interim hoc pacto rempublicam perdant.

Abluit manus.] Innocentiam ablutione manuum testari solemne erat non Judæis solum, (vide Deut. 21. 6. Psal. 26. 6,) verum etiam aliis gentibus. Quod autem mos iste viguerit etiam apud Romanos, nusquam legitur. Ideo probabile est, Pilatum, etsi Romanus esset, tamen in damnando homine Judæo, Judaica ceremonia in significanda sua innocentia voluisse uti.

Innoxius ego sum à sanguine justi istius.] Quid voluerit aquæ lotione indicare, explicat verbis: & antequam Christum damnet, eum absolvit, dum eum *justum* appellat; ac simul seipsum damnat, dum damnat eum, quem justum esse confessus est. Quamobrem falsum est, quod dicit: Innoxius sum. Quomodo enim potest innoxius esse, qui sciens ac prudens innoxium condemnat?

Vers. 25. *Et respondens universus populus dixit: sanguis ejus super nos & super liberos nostros.*] Id est, si sanguis istius innocenter & immerito effundetur, nos & posteri nostri id luemus. Hebraismus est, cujus similia exempla vide Levit. 20. 9, 12, 16. Jos. 2. 19. 2 Sam. 1. 16. Ose. 12. 14. Erat autem mos antiquus, non se solum, sed liberos quoque suos diris devovere. Quod gravia scelera etiam in liberis vindicentur, communis est opinio ferme cunctarum gentium, quæ id experientia magistra didicerunt. Neque in eo est quicquam injusti, quia liberi, si palam detestentur patrum suorum scelera, neque eorum insistant vestigiis, possunt se ab hac culpa facere immunes: sin minus, tam patrum ipsorum, quam propria eorum flagitia simul in iis jure vindicantur. Vide Ezech. 18 totum. Quod autem Judæis mandatum sit, non solum propria, sed patrum quoque peccata agnoscere, & Deum pro illis deprecari, constat ex Nehem. 1. 6 & Daniel. 9. 8 aliisque locis.

Vers. 26. *Tunc dimisit Barabbam: Jesum autem cum flagellasset, tradidit ut crucifigeretur.*] Cum flagellasset, intellige, jam antea: ut ex Johanne patet, cap. 19. 1. Vide dicta superius ℣. 19.

Tradidit.] Non Judæis, quibus non licebat quenquam occidere Joh. 18. 32, sed suis militibus.

Ut crucifigeretur.] Christus ad crucem damnatus est, tanquam seditiosus. Etenim jure Romano seditionis ac rebellionis auctores crucis supplicio afficiebantur. Quod supplicium postea à Cæsare Constantino sublatum, & in pœnam patibuli commutatum est. Exempla seditiosorum, sub Præsidibus Varo & Floro in crucem actorum, vide apud Josephum lib. 2 de Bello Judaico cap. 3 & 14.

PARS V.

Vers. 27. *Tunc milites Præsidis, assumentes Jesum in prætorium congregaverunt ad eum universam cohortem.*] Tribunal Pilati non in prætorio erat erectum, sed in theatro magno, quod non procul à prætorio distabat. Pars ejus fuit strata lapidibus Joh. 19. 13. In prætorio erat posita Sella Prætoris; eo ducunt Jesum ludibrii causa, eumque collocant tanquam Regem indutum veste regia, gerentem coronam ac sceptrum, in hac sella, quæ erat in aula. Vide Marc. 15. 16.

Congregaverunt ad eum universam cohortem.] Tanquam ad Regem, ut eum tanto magis ludum & jocum facerent. Hæc autem cohors alia fuit, ab illa quæ Templo & Sacerdotibus ad custodiam erat data.

Vers. 28. *Et exuentes eum, circumposuerunt ei chlamydem coccineam.*] Marcus cap. 15. 17, & Johannes cap. 19. 2 habent *purpuram*. Sunt autem isti colores diversi, etsi uterque illustris sit, & aliquam cum rubicundo habeat affinitatem. Coccus enim ex quadam herba, quæ ex terra enascitur, coquendo conficitur: purpura autem ex aquatilibus ostreis, muricibus, conchyliis &c. Purpuræ sunt variæ species & gradus, ut alia sit alia floridior & colore vividiore: coccinei autem coloris unum est genus: quanquam Tyrius ad purpuram accedit propius. Purpuram gerere nemini fas erat præter Cæsares, cocco autem uti etiam aliis viris illustribus, præsertim Romanis equitibus licebat. Itaque Euangelistæ ita conciliandi sunt, quod nihil aliud indicare voluerint, quam quod milites Christo circumdederint pallium coloris dilucidi, quem Matthæus coccum, Marcus & Johannes purpuram appellant; cum tamen neque coccus vere neque purpura fuerit (unde enim eam milites habuissent?) sed vilior aliquis pannus coloris eximii, ex quo militum forte quidam chlamydem seu pallium habebat confectum. Ideo autem Euangelistæ coccum vel purpuram vocant hanc chlamydem, quia ea Regem ornabant. Præterea Matthæus utitur hic voce *chlamydis*, quæ denotat pallium militare, quod à militibus olim gestabatur. Johannes autem ponit vocem ἱμάτιον, quæ quidem etiam vestem superiorem plerumque significat, id est, pallium, sed non militare, verum tale, quale vulgo ac communiter gestabatur à viris. Militaria pallia erant angustiora & breviora, quam aliorum. Inde tamen inferri non debet, milites Christo duo pallia circumposuisse, ut quidam arbitrantur; sed statuendum est, Euangelistas in describenda re, in qua parum erat situm, non habuisse curæ, ut accurate admodum tum formam pallii tum colorem distinguerent.

Vers. 29. *Et plectentes coronam è spinis, imposuerunt ejus capiti, & arundinem dextræ ejus, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.*] Coronam imposuerunt ei tanquam Regi, ut & arundinem dederunt ei gestandam instar

ſceptri. A ſpinis cœpit maledictio Gen. 3. 18, in ſpinis eadem deſinit.

Verſ. 30. *Et inſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & verberabant caput ejus.*

PARS VI.

Verſ. 31. *ET poſtquam illuſiſſent ei, exuerunt eum chlamyde, indueruntque eum veſtimentis ejus, & abduxerunt eum ut crucifigeretur.*] Obſervarunt docti, ſupplicia capitalia apud Romanos per milites fuiſſe executioni data, etiam extra bellum.

Verſ. 32. *Exeuntes autem invenerunt quendam Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.*] Exiverunt extra urbem Joh. 19. 17. Hebr. 13. 12. Hoc congruit cum Judæorum conſuetudine: nam Moſis temporibus malefici extra caſtra educebantur ad ſupplicium Num. 15. 35, ſub Regibus autem extra civitates 1 Reg. 21. 13. Idem mos erat etiam Romanis.

Cyrenæum.] Cyrene fuit civitas in Lybia, quam Judæis plenam fuiſſe patet ex Actor. 2. 10. vi. 9.

Simonem.] Alexandri & Ruſi patrem Marc. 15. 21.

Ut tolleret crucem ejus.] Poſtquam ſcilicet Chriſtus eam per urbem portaſſet Joh. 19. 17, more Romano, de quo vide ſupra cap. 16. 24. Exiſtimant nonnulli, milites hunc Simonem coëgiſſe, ut Chriſtum onere levaret, quia ſciverint, eum quoque Chriſti diſcipulum fuiſſe; Deumque rem ita moderatum eſſe, ut viſibili exemplo repræſentaretur, id, quod Chriſtus omnes ſuos docuit diſcipulos, ut nimirum tollant in ſe crucem ſuam, eumque ſequantur ſupra cap. 16. 24. Sed vera cauſa fuit, quod Chriſtus defecerit viribus propter nimios labores atque dolores, quos ſuſtinuit, dum in horto præ anxietate pene in deliquium animi incidit, inde ſatis procul ad Annam ductus eſt, ab Anna ad Cajapham, à Cajapha ad Pilatum, ab hoc ad Herodem, ab Herode rurſus ad Pilatum; deinceps à militibus verberibus exceptus miſerabiliter ac flagellatus eſt; & modo in prætorium tractus eſt, modo inde retractus; præterea totam illam noctem inſomnem duxit. Itaque mirum non eſt, cum poſtquam crucem humeris ſuis per totam civitatem tuliſſet, viribus deſtitutum ſuiſſe ad eam ulterius portandam. Hinc vero cernitur, Simonem ſolum hanc crucem deinceps, non una cum Chriſto portaſſe.

Verſ. 33. *Et cum veniſſent in locum, qui dicitur Golgotha, qui eſt dictus Calvariæ locus.*] Debet ſcribi Golgotha, quæ vox Hebræis ſonat caput vel cranium: hinc Græce explicatur hæc vox, κρανίου τόπος, id eſt, locus cranii. Inde vero hoc nomen locus iſte obtinuit, quod ibi facinoroſi capite plecti ſolerent. Quod autem quidam ſentiunt, decollatorum capita ad tempus inſepulta illic fuiſſe relicta, non eſt veriſimile: quia id neque cum Judæorum neque cum Romanorum moribus congruit.

Verſ. 34. *Dederunt ei acetum cum felle miſtum bibendum, & cum guſtaſſet, noluit bibere.*] Latinus interpres hic habet loco aceti vinum: ut & nonnulli ex antiquis Patribus legerunt. Græci ſolent vina factitia & arte medicata acetum vocare: qualia apud eos valde uſitata erant palmea.

Moris autem fuit ejuſmodi vina miſta aut cocta dare bibenda facinoroſis, quando ad ſupplicium ducebantur. Judæorum doctiores ajunt, thureum vinum dari ſolitum. Marcus hic Chriſto propinatum fuiſſe vinum myrrhatum ſcribit cap. 15. 23. Potio enim iſta dabatur ad inebriandos malefico, ne dolores ſupplicii adeo ſentirent. Quod autem Matthæus narrat, vinum ſeu acetum hoc Chriſto oblatum, fuiſſe felle miſtum, non eſt de vero felle intelligendum, ſed vult dicere Matthæus, amarum vinum fuiſſe. Vox enim fellis non raro pro magna amaritudine ponitur. Hinc Prov. 5. 4. Lament. 3. 15; vox *abſynthium* à LXX Interpretibus χολὴ id eſt, *fel* reddita eſt, quia nimirum abſinthium eſt res valde amara ſicut fel.

Et cum guſtaſſet, noluit bibere.] Quomodo intelligendum ſit, quod Marcus habet, *ipſe vero non ſumſit* cap. 15. 23, ex hoc loco Matthæi eſt colligendum. Nimirum nonnihil de eo guſtavit, ut impleretur Scriptura Pſal. 69. 22, ſed non ebibit totum. Ideo autem ebibere noluit, quia ad mentem obruendam & ſenſus ſtupefaciendos dabatur: quo medio ſe ad ferendos aut leniendos dolores uti nolle oſtendit. Cum autem in cruce pendens ſiti urgeretur, bibit acetum Joh. 19. 30. Hoc duplici potu modo indicata prophetia Pſalmi 69 impleta eſt, in quo David ſenſu literali de ſe dixit: *Dant mihi pro cibo fel, & in ſiti mea maxima bibendum dant mihi acetum.* David autem fel vocat cibum, qui de eo ſolo, non commiſto cum potu ullo, loquitur.

PARS VII.

Verſ. 35. *POſtquam autem crucifixerunt eum, partiti ſunt ejus veſtimenta, ſortem jacientes, ut impleretur, quod dictum eſt a Propheta: Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam jecerunt ſortem.*] Crucifixerunt eum, clavis ferreis ad lignum manus & pedes ejus affigendo. Malefico crucifigendi conſuetudo apud Romanos, non apud Judæos recepta erat. Sapientes enim Judæorum docent, quatuor duntaxat genera mortis fuiſſe à Moſe inſtituta, quibus facinoroſi plecterentur: unum inferebatur gladio, alterum lapidibus, tertium laqueo, quartum igne.

Veram cauſam, cur Chriſtus mortem crucis ſubire debuerit, expreſſit Paulus Apoſtolus: quod nimirum Chriſtus voluerit omnium probroſiſſimam mortem pro nobis ſuſtinere, ut tum amorem erga nos ſuum teſtaretur, tum ſeipſum ad infimum uſque gradum humilitatis demittendo, exemplum nobis perfectiſſimum modeſtiæ in ſe exhiberet. *Ipſe ſe demiſit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* Phil. 2. 8. Et Petrus ait: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* 1 Petr. 2. 21.

Partiti ſunt ejus veſtimenta, jacientes ſortem.] Nimirum diviſerunt unam veſtem in quatuor partes, pro numero militum eum crucifigentium: ſuper veſtem autem inconſutilem jecerunt ſortem. Vide Joh. 19. 23, ad quem locum plura hac de re à nobis dicentur.

dicentur. Id autem ut fieret Deus curavit, quo impleretur id in Chriſto proprie, quod David de ſe figurate prolocutus eſt Pſal. 22. 19. Factum vero id eſt more Romano, quo maleficorum veſtimenta cedebant damnationis executoribus: (prout & hodie carnifex ſupplicio affectorum veſtes accipit) quem morem deinceps Adrianus Cæſar abrogavit, niſi fiat cum conſenſu Præſidis. Quo modo jactæ fuerint ſortes, vide ad Johannem.

Ut impleretur.] Hæc verba uſque ad finem verſiculi in nonnullis Græcis exemplaribus, etiam in Latina & Syriaca verſione deſiderantur. Unde aliqui ſuſpicantur, ea ex Joh. 19.24 eſſe hic inſerta.

Verſ. 36. *Et ſedentes ſervabant eum illic.*] Id quoque factum eſt Romanorum more, nec permittebatur quiſquam propius ad crucem accedere.

Verſ. 37. *Et impoſuerunt ſuper caput ejus crimen ipſius ſcriptum: Hic eſt Jeſus Rex Judæorum.*] Nimirum in tabella. Etiam hoc fiebat conſuetudine Romana, ut crimen ac cauſa mortis verbis breviſſimis vel in tabula ſcriberetur & ſupra caput facinoroſi affigeretur, vel per præconem promulgaretur. Fuit autem hæc inſcriptio facta, lingua Græca, Latina & Hebraica Luc. 23. 38. Latina propter dignitatem Romani Imperii, cui Judæi ſubjecti erant: Hebræa propter locum, ubi ſupplicium patratum eſt: Græca propter magnam Græcorum multitudinem, qui eo ad feſtum Paſchæ confluxerant: quanquam tunc temporis Græca lingua tam in Judæa, quam in circumjacentibus regionibus communis ac vulgaris erat.

Hic eſt Jeſus Rex Judæorum.] Apud Johannem dicitur: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* cap. 19. 19. Hoc ſcribi curavit Pilatus ad contumeliam Judæis magis, quam Chriſto. Voluit enim ſignificare hac inſcriptione, Regem ipſorum, quem tanto cum deſiderio expetebant & expectabant, hic in cruce fixum pendere. Verum ſimul id divina factum eſt providentia, quod Judex ipſe, qui damnavit Chriſtum, illo titulo, quo cauſam juſtæ damnationis ejus exprimere voluit, indicarit, ſe eum injuſte damnaſſe, eumque revera Regem Judæorum eſſe. Nam cum primarii ſacerdotes Pilatum rogarent, ne ſcriberet ſimpliciter, Rex Judæorum, ſed, quod ille dixerit, Ego ſum Rex Judæorum: noluit Pilatus inſcriptionem mutare, ſed reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi Joh. 19.21,22. Non eſt dubium, Judæos initio poſtulaſſe, ut ſcriberetur, quod ſe Jeſus Regem Judæorum fecerit: ſed rem ita dixerit Deus, ut Pilatus non ſolum cogeretur ſcribere id quod res erat, ſed etiam, quod ſemel ſcripſerat, nolle mutare.

Verſ. 38. *Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones: unus ad dextram, & alter ad ſiniſtram.*] Latronum, prædonum & ſeditioſorum pœna apud Romanos erat crux. Hi duo autem ad feſtum Paſchatis aſſervati ſunt, ut in conſpectu maximæ multitudinis ſupplicio afficerentur. Hic enim mos ſervabatur in Judæa, quem Romani facile retinuerunt, quia cum ipſorum more conveniebat, apud quos uſitatum erat maleficorum ſupplicia in Comitiis exequi. Cur autem Chriſtus debuerit ſimul cum latronibus crucifigi, cauſam indicat Marcus, cap. 25. 28, ut ſcilicet prædictio Eſaiæ cap. 53. 9 impleretur: *Et cum ſceleratis numeratus eſt.*

Unus ad dextram, & alter ad ſiniſtram.] Neque hoc fruſtra additur, ut ſciatur, Chriſtum in medio duorum latronum fuiſſe ſuſpenſum, tanquam præcipuum inter hos latrones.

Poſtea Lucas refert, quod Chriſtus pro iis oraverit, qui ipſum crucifixerant: *Pater remitte illis, quia neſciunt, quid faciant* cap. 23. 34.

Verſ. 39. *Qui vero præteribant blaſphemabant eum, moventes capita ſua.*] Etiam eorum aliqui, qui antea de Chriſto eximie ſentiebant, & beneficiis ab eo affecti ſunt. Adeo mutatio fortunæ mutat animos hominum, & ex iis memoriam acceptorum beneficiorum delet.

Moventes capita ſua.] Hoc erat ſignum irriſionis. Quo ſignificatu etiam accipitur Pſal. 22. 8. cix. 25. 2 Reg. 19. 21. Eſai. 37. 22. Lament. 2. 15.

Verſ. 40. *Et dicentes: Tu qui deſtruis templum, & triduo ædificas, ſerva temetipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce.*] Cum dicunt, ſi Filius Dei es, non intelligunt id irriſores iſti, de ejus generatione per Spiritum Sanctum peracta, de qua nihil conſtabat vulgo: ſed de ſingulari dilectione Dei, qualis eſſe ſolet patrum erga filios. Ita ubi infra ℣ſ. 43 iterum dicitur Dei filius, ibi Lucas habet, ille electus Dei cap. 23. 35, id eſt, qui à Deo eximie diligitur. Sic Sapient. cap. 2. 13, 17, 18, impii introducuntur de juſto loquentes: *Profitetur ſe habere cognitionem Dei, & filium Domini ſeipſum nominat. Videamus, ſintne ſermones ejus veri, & experiamur quæ ſint eventura ei. Nam ſi juſtus iſte filius eſt Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum a manu adverſantium.*

Verſ. 41. *Similiter autem etiam primarii Sacerdotes illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant:*

Verſ. 42. *Alios ſervavit, ſeipſum non poteſt ſervare. Si Rex Iſraëlis eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei.*] Rex Iſraëlis, id eſt, promiſſus ille Rex & Meſſias. Vide Marc. 15. 32. Hinc liquet, Judæos credidiſſe, Meſſiam miracula editurum: quod hodie Judæi quidam contentioſi negant, ſed plerique affirmant.

Et credemus ei.] Quod ſit ille Chriſtus, quem ſe eſſe docuit ac profeſſus eſt.

Verſ. 43. *Confidit in Deo; liberet eum nunc, ſi vult. Dixit enim: Filius Dei ſum.*] Mirabili Dei diſpoſitione factum, quod impii iſti Sacerdotes ac Seniores eadem ferme verba de Chriſto uſurparint, quibus David tantopere conqueritur, quod iis ſit ab inimicis ſuis illuſus Pſal. 22. 9. Quem Pſalmum continere prophetiam de Meſſia, agnovere etiam ex Judæis doctiores quidam.

Dixit enim: Filius Dei ſum.] Etiam hæc verba è Pſal. 22 ſumpta ſunt, ubi hoſtes Davidis ajunt: *Speravit in Domino, eripiat eum; ſervet eum, quandoquidem delectatur eo*; id eſt, ſi verum eſt, quod dicit, Deum ipſo delectari, ſeu Deum tanto ipſum amore proſequi: quod nihil aliud eſt, quam ipſum eſſe Dei Filium.

Verſ. 44. *Id ipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.*] Id eſt, talia ac ſimilia ſcommata ac blaſphemias in eum evomebant.

Et latrones, qui cum eo crucifixi erant.] Matthæus hic & Marcus cap. 15. 32 latrones in plurali nominant, cum tamen nonniſi unus fuerit, qui Chriſto convitiatus ſit, ut ex Luc. 23. 39 perſpicitur. Similis

locutio eſt quoque Hebr. xi. 33, 37, ubi Auctor Epiſtolæ iſtius de Sanctis Veteris Fœderis loquens, ait, eos obſtruxiſſe ora leonum, fuiſſe diſſectos ſerra; cum tamen illud nonniſi de Daniele Propheta, hoc de ſolo Eſaia intelligendum ſit. Sic Lucas cap. 23. 36, & Johannes cap. 19. 29 dicunt, milites attuliſſe ei [Chriſto] acetum, cum tamen Matthæus verſ. 48 inquiat, unum tantum id feciſſe. Quare neceſſarium non eſt, ut ita Matthæum cum Luca conciliemus, quod initio ambo latrones Chriſto probra ingeſſerint, poſtea vero alterum ex iis reſipuiſſe. Hoc enim non eſſe ullo modo veriſimile, ſatis ſuperque ex narratione Lucæ cernitur. Neque rejecto hoc figmento minus magnum relinquitur beneficium huic latroni converſo, à Chriſto contigiſſe, quod non facile in exemplum trahendum eſt, ut quis propterea pœnitentiam ad extremum uſque mortis articulum differat.

Verſ. 45. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.*] Horæ in ſcriptis hiſce, ut jam non ſemel monitum, numerantur juxta Judæorum horologium, qui ſingulos dies, ſive longiores, ſive contractiores eſſent, in duodecim horas diviſerant. Et cum tempore mortis Chriſti, ſeu circa feſtum Paſchatis fuerit æquinoctiale tempus, ſequitur, tertiam horam tunc reſpondiſſe noſtræ horæ nonæ antemeridianæ; ſexta ſemper erat meridies, nona autem illic erat noſtra tertia poſt meridiem. Hora tertia Judaica apud Romanos judicia inchoabantur, & circa id tempus etiam Pilatus Chriſtum judicavit. Paulo ante ſextam Chriſtus crucifixus eſt; poſt ſextam tenebræ obortæ ſunt; paulo poſt nonam Chriſtus expiravit. Idem teſtatur Ignatius: *Sexta hora crucifixus eſt, nona expiravit.* Quod autem Marcus ſcribit Chriſtum tertia hora crucifixum cap. 15. 25, Johannes vero, eum ſexta hora fuiſſe condemnatum cap. 19. 14, ad hoc intelligendum ſcire oportet, ejuſmodi locutiones ortas eſſe à conſuetudine Templi, ubi quotidiana ſacrificia & preces ſolebant peragi hora tertia, ſexta & nona: uti præter Hebræos Scriptores etiam Hieronymus teſtatur. Atque iſtæ horæ maxime in feſtis primariis tubæ ſonitu declarabantur: ut conſtat ex Numer. 10. 10. Inde factum eſt, ut horæ iſ , tanquam notiſſimæ vulgari in ſermone & tempo. deſignatione nominarentur. Neque etiam aliarum, præter iſtas, horarum mentio reperitur, quando de publicis precibus ordinariis ſermo eſt. Vide Actor. 3. 1. x. 3, 9. Huc pertinet etiam parabola illa de operariis ſupra cap. 20. 3, 5, ubi inter tertiam, ſextam, & nonam nulla alia nominatur, ſed poſt nonam undecimæ fit mentio. Quod igitur contingebat inter horam tertiam & ſextam, id vel ad tertiam vel ad ſextam horam referebatur. Huic ergo mori convenienter dicit Marcus, Chriſtum circa tertiam horam crucifixum eſſe, quia id factum inter tertiam & ſextam horam: Johannes autem ponit ſententiam de Chriſto pronunciatam à Pilato circa horam ſextam, eandem ob cauſam, quia inter tertiam & ſextam horam id accidit.

Tenebræ factæ ſunt.] Propter eclypſin ſolis Lucæ 23. 45. Non erat autem eclypſis illa naturalis, quæ fit ex interpoſitione lunæ inter terram & ſolem: erat enim tunc plenilunium, quo tempore luna ſoli oppoſita eſt; neque etiam ſol tectus fuit nubibus, ut ſolet nebuloſis diebus fieri: ſed facta eſt obſcuratio iſta modo ſupernaturali & hominibus incognito. Quod autem aliqui cenſent, Deum lunam contra naturam retro egiſſe, & ſolem ea obumbraſſe; quomodo Ezechiæ temporibus ſolem fecit decem gradibus retro currere Eſai. 38. 8, incerta eſt conjectura. Credibilius ferme eſt, Deum abſque omni obumbratione effeciſſe, ne ſol lumen ſuum emitteret, radioſque de ſe ſpargeret. Incœpit autem hæc eclypſis circa horam ſextam, id eſt, circa meridiem, cum ſol eſſet altiſſimus, & perfectiſſime alias lucere ſoleret, ut miraculum hoc tanto magis fieret conſpicuum, & nemo illud extenuare aut naturalibus cauſis poſſet adſcribere.

Super univerſam terram.] Non ſuper univerſum orbem terrarum: non enim ubique in orbe eodem tempore dies eſt. Neque etiam tantum ſuper Judæam ſolam: ſic enim obſcuratio illa non in ſole eſſet facta, qui utique in pluribus regionibus quam in Judæa eodem tempore videri poteſt; ſed facta eſſet in oculis eorum, qui in Judæa verſabantur. Imo quod eclypſis iſta etiam aliis in locis viſa fuerit extra Judæam, docet Origenes ex Ægyptio quodam Scriptore Phlegone, qui ejus meminerit & dicat, circa ſextam diei horam, id eſt, in meridie tantam fuiſſe ſolis obſcurationem, ut ſtellæ in cœlo videri potuerint. Eodem tempore quoque horribilem terræmotum in Bithynia teſtatur extitiſſe, ut Nicææ plurimæ domus corruerint. Euſebius itidem Græcum quendam Scriptorem anonymum producit, qui meminerit etiam hujus obſcurationis & ſimul terræmotus. Quid autem Deus hoc miraculo ſignificare voluerit, de eo diſſonæ ac variæ ſunt opiniones. Creditur vero ab omnibus gentibus, talia miracula ſigna eſſe alicujus peſſimi facinoris, quod in aliquo loco deſignatum ſit, ac ſimul graviſſimas pœnas ac calamitates iis intentari & quaſi denunciari. Hoc proinde Deus voluit ex hac eclypſi non Judæos tantum, ſed & alias gentes, ac inprimis Romanos, qui executores malitiæ Judæorum extiterunt, diſcere atque cognoſcere. Judæi autem præcipue debuiſſent, oſtentis iſtis conſpectis, recolere animo illa verba Amoſi Prophetæ, quibus Deus minatur, ſe *effecturum, ut ſol occidat ipſo meridie, & obtenebraturum terram die lucido, & converſurum dies feſtos in luctum, tantum, quanto lugetur unigenitus* Amos. 8. 9, 10. Quod enim illic ſenſu figurato impletum eſt, id hic proprie & ſenſu literali factum eſt.

Verſ. 46. *Circa vero horam nonam exclamavit Jeſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lama ſabachtham? id eſt, Deus mi, Deus mi, cur dereliquiſti me?*] Circa horam nonam, id eſt, circa tempus verſpertini ſacrificii, quod in noſtris horologiis reſpondet tertiæ horæ pomeridianæ.

Exclamavit Jeſus voce magna.] Clamorem hunc dolor acutiſſimis ſummaque anxietas expreſſit.

Eli, Eli lama ſabachthani?] Hæc verba non ſunt plane Hebræa, neque plane Syriaca, ſed ex utraque lingua mixta, qualis tunc ſermo in Judæa vigebat.

Deus mi, Deus mi, cur dereliquiſti me?] Qui hæc verba Chriſti ita accipiunt, quaſi Chriſtus de auxilio Dei deſperaſſet, illi vi hujus opinionis ſuæ non minori contumelia & blaſphemia eum onerant, quam Judæi. Ille Dei Filius, cui tam multis experimentis

Patris

Patris ſui tenerrimus amor fuit perſpectus, cui mors non improviſa venit, ſed ipſi à Patre cœleſti cum annexa ineffabilis remunerationis promiſſione annunciata fuit; imo qui eo ipſo pene momento ſpiritum ſuum in manus Patri ſuo commendavit Luc. 23. 46, ille inquam, hic velut deſperabundus loqueretur, id eſt, fidem in Deum perdidiſſet? Hæc ſane eſt blaſphema de Chriſto ſententia. Quomodo vero Patri Spiritum ſuum commendare potuit, ſi de gratia & amore ejus erga ſe deſperavit?

Tenendum autem eſt, quando Deus alicui magnas calamitates & mala immittit, aut non repente ei fert opem, ſolere Hebræorum conſuetudine dici, quod Deus eum dereliquerit, aut quod Deus ab eo receſſerit: nam recedere ab aliquo tantundem eſt, quod derelinquere. Ut ita verba Chriſti, *Cur me dereliquiſti?* nihil aliud ſignificent, quam ſi dixiſſet: Cur mihi auxilio tuo non ſuccurris? quam ſignificationem etiam habent hæc verba in Pſalmo 22. 1, ex quo ſunt mutuata. Davidem enim neutiquam deſperaſſe de Dei auxilio, luculentur totus iſte Pſalmus demonſtrat, præcipue autem ỳſ. 10, 11, 12, 20. Ita cum Eſai. 49. 14 Sion dicit: *Dominus dereliquit me*, nihil aliud ſibi vult, quam Dominus mihi non ſuppeditat auxilium. Et Pſal. 38. 22: *Ne dereliquas me Domine Deus mi*, id eſt, auxiliare mihi, ne deneges mihi opem tuam. Idem ſignificant verba *procul re edere*. Ut cum David inquit Pſal. 10. 1: *Domine cur tam procul recedis?* ſenſus eſt, cur non ſubvenis mihi? Et Pſal. 22. 12: *Ne procul abſis à me, dum anguſtia propinqua eſt, dum nemo eſt adjutor*: id eſt, quia nemo alioqui eſt, qui adjuvet, tu veni auxilio in præſenti anguſtia. Item verſ. 20: *Tu Domine non procul abſis, fortitudo mea, ad auxilium meum feſtina.* Ubi poſtrema verba declarant & explicant priora. Vide etiam Pſal. 35. 22, 23. Eodem ſenſu accipitur phraſis *occultare ſe* vel *abſcondere faciem ſuam*. Ut Pſal. 10. 1: *Quare te occultas in anguſtia?* id eſt, cur non juvas & eripis ex anguſtia? Vide etiam Pſal. 27. 9 & alibi. Quod autem Chriſtus quærit: *Quare me dereliquiſti?* quaſi à Deo cauſam requirat ac ſciſcitetur, ob quam ſibi non ferat opem; id rurſus animadvertendum eſt, eſſe Hebraiſmum, qui in precibus ardentiſſimis ad Deum adhibetur. Sic precatur Moſes Exod. 32. 11: *Domine, quare accenderetur ira tua in populum tuum?* & verſ. 12: *Quare dicerent Ægyptii, malo animo eduxit eos?* Quod perinde eſt, atque ſi ſimpliciter dixiſſet: Ne ſinas iram tuam accendi in populum tuum; & Ne patiaris ita dicere Ægyptios &c. Sic Pſal. 43. 2: *Quare rejicis me? quare triſtis incedo?* id eſt, ne rejicias me, ne patiare me triſtem incedere. Vide quoque Pſal. 74. 1. LXXIX. 10. LXXX. 13. LXXXVIII. 15. CXV. 2. Item Gen. 47. 15, 19. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, verba iſta, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti*, nihil aliud ſibi velle, quam Deus mi Deus mi fer mihi opem. Ut ita nulla Chriſti deſperatio, ſed potius ſumma ac filialis ejus in Deum fiducia, quam ne in mortis quidem diriſſimæ cruciatibus abjecerat, ex his verbis eluceſcat.

Quomodo vero hæc verba cum ſuprema Chriſti divinitate conveniant, judicent ii, quibus non læva mens eſt. Quid, obſecro, opus fuiſſet, ut Chriſtus Dei opem adeo imploraret, ſi ipſe fuit Deus altiſſimus? Cur dicit: *Deus mi*? An etiam Deus ſummus habet Deum ſuum, ſupra ſe alium? Quod vero dici ſolet, Chriſtum in morte ac paſſione ſua divinitate ſe exuiſſe & exinaniviſſe, id abſurdiſſimum commentum eſt, quod non dici ſimpliciter, ſed probari, & quidem claris Scripturæ verbis deberet. Vide hac de re Phil. 2. 7.

Verſ. 47. *Quidam autem illic ſtantium, cum hoc audiſſent dicebant: Eliam vocat iſte.*] Propter ſimilitudinem, quæ eſt inter vocem Eli (id eſt, Deus mi) & inter vocem Elias, iſti exiſtimarunt, eum vocare Eliam. Unde colligitur, hos vel Romanos milites fuiſſe qui forte nonnihil de Elia audiverant, cum inter Judæos habitarent, linguæ tamen Judaicæ ignari fuerunt: vel etiam Judæos non in Palæſtina degentes, ſed alibi locorum inter Græcos. Niſi malit quis credere, illos Chriſtum irriſiſſe, ideoque ſimulaſſe, quod Eliam intellexerint: aut etiam eos tam procul à cruce ſtetiſſe, ut verba, præſertim in tumultu ac turba populi, non bene exaudiverint. De vulgari opinione Judæorum, quod Elias ante Meſſiam præceſſurus ac venturus ſit, vide ſupra cap. 17.

Verſ. 48. *Et ſtatim currens quidam ex eis, & accipiens ſpongiam, implenſque aceto & circumponens arundini, dedit ei ut biberet.*] Cum Chriſtus in atrociſſimis doloribus ſuis Dei opem imploraſſet, jamque ſciret, omnia eſſe conſummata, dixit: *ſitio* Joh. 19. 28. Idcirco hic iſte accepit ſpongiam cum aceto, id eſt, vino aromatibus condito ac medicato, ut ſupra ỳſ. 34 declaratum: porrexitque Chriſto, non tam ad extinguendam ſitim ejus, quam ad eum in deliquio è nimis doloribus exorienre refocillandum, ut ita vitam ejus aliquandiu produceret, ac videret, utrum venturus eſſet Elias, ipſique opem laturus: quod ex Marco liquet cap. 15. 36. Semper autem ſolebat ſub id tempus, quando aliqui crucifigebantur, ad manus eſſe acetum tale una cum ſpongia & arundine, propter recreandos crucifixos, idque à cognatis vel notis crucifixi afferebatur, ut docti inter Judæos teſtantur.

Circumponens arundini.] Johannes habet, *Hyſſopo circumdans* cap. 19. 29, id eſt, cauli hyſſopi. Nam hyſſopum in Judæa in magnam altitudinem excreviſſe, dubitari non magis debet, quam de ſinapi, de quo Chriſtus teſtatur, id tam alte creſcere, ut fiat arbor, & volucres cœli nidulentur in ramis ejus Matth. 13. 32. Quod enim de hyſſopo legitur 1 Reg. 33, eum inter herbas minores numerari, id non de quolibet hyſſopo intelligendum eſt, ſed de certo genere ejus, quod nunquam alte excreſcit. Ita etiam ſcribit Plinius de malva, quod excreſcat arboris inſtar, & ſcipiones ex ea conficiantur.

Verſ. 49. *Cæteri vero dicebant: ſine, videamus, an veniat Elias ſervaturus eum.*] Nempe idem, qui Chriſto acetum porrexit, & ſimul alii quoque.

Verſ. 50. *Jeſus autem cum rurſus clamaſſet magna voce, emiſit ſpiritum.*] Clamavit: *Conſummatum eſt* Joh. 19. 30. Et: *Pater in tuas manus commendo ſpiritum meum* Luc. 23. 46. Atque cum his verbis ſimul exhalavit animam. Quod ipſum ſummopere admiratus eſt Centurio, nimirum quod ſic clamans expiraſſet Marc. 15. 39. Vox enim illa magna indicio fuit, quod eum nondum deſtituerint vires. Cum itaque mox poſt verba, quibus Patri Spiritum ſuum com-

mendavit, consecuta fuerit mors, inde apparet, Patrem ipsius orationem protinus exaudivisse, ac spiritum ejus ad se recepisse, adeoque vitam ei abrupisse, ac mortem acceleravisse, antequam naturales vires prorsus deficerent: alioqui diutius potuisset vivere (Vide Marc. 15.44,) unde etiam duobus latronibus vita fractione crurem abbreviata est.

Est autem hic hora mortis Christi apprime notanda. Expiravit enim circa nonam horam juxta horologium Judæorum, qua incipiebat vespera, in qua oportebat mactari Pascha. Atque id singulari providentia Dei contigit, quod Christus, qui erat verus Agnus Paschalis, quem figurabant alii proprie dicti agni Paschales, eadem illa hora in cruce pro peccatis nostris mactatus fuerit, qua tota civitas mactatione agnorum fuit occupata.

Post Christi expirationem memorat Johannes quendam è militibus lancea latus ejus transfodisse, cap. 19. 34, explorans scilicet, an in eo adhuc vitæ aliquid superst. Quod similiter divino factum est consilio, ut cuivis pateret, eum vere mortuum esse, & non tantum lipothymia ac deliquio laborare.

PARS VIII.

Vers. 51. *ET ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque ad imum: & terra mota est, & petræ fissæ sunt.*] Quodnam fuerit istud velum, quod scissum vel ruptum est, à nonnullis Interpretibus disputatur. Mosis tempore, antequam Templum extructum esset, tria erant vela: primum, quod oppansum erat forinsecus, quod erat januæ loco, in ingressu in Tabernaculum Exod. 27.16. Alterum erat medium, quod obtensum erat Sancto Exod. 26. 36. Tertium erat intimum, quod prætensum erat Sancto Sanctorum Exod. 26. 31. In Templo Salomonis postea, loco exterioris veli, Porta erat extructa, ut ita nonnisi duo vela remanserint: è quibus illud, quod oppansum erat Sancto Sanctorum, ab Auctore ad Hebræos Epistolæ vocatur *secundum velum* cap. 9.3. Cum igitur simpliciter hic nominetur velum (Gr. καταπέτασμα) credibile est, non aliud intelligi, quam hoc intimum Sancto Sanctorum prætensum. Hinc etiam Philo Judæus in suo libro de vita Mosis, medium, quod ante Sanctum erat suspensum, non καταπέτασμα, velum, sed κάλυμμα, tegumentum vocat. Nullum proinde dubium est, intimum istud velum ante Sanctum Sanctorum, Christo moriente esse diruptum. Quid autem Deus hoc miraculo significare voluerit, non difficile est intellectu. Scriptor ad Hebræos ait, illud Sanctum Sanctorum fuisse *exemplar vero sacrario respondens*, id est, cœlo cap. 9. 24. Itaque ruptio illa veli significavit, morte Christi aditum in cœlum esse patefactum; primum quidem Christo, dein etiam omnibus sanctis, tam Veteris, quam Novi Fœderis. Paulus inquit de Christo, quod eum Deus *proposuerit propitatorium in sanguine ipsius* Rom. 3.25. Et scriptor ad Hebræos scribit, per ingressum Pontificis Maximi in Sanctissimum Sacrarium, in quod nefas erat aliis sacerdotibus ingredi, *Spiritum Sanctum declarasse, nondum factam fuisse manifestam in sacrarium viam*, nempe in cœlum c. 9. 8. Et rursus ℣. 24: *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero respondens, sed in ipsum cœlum:* & quidem non cum alieno sanguine, sed suo proprio. Quamvis autem non statim, sed post 40 dies demum & amplius ingressus sit cœlum, nihilominus morte sua plenum ingrediendi jus sibi & omnibus sanctis acquisivit. Notetur quoque locus insignis ejusdem Auctoris cap. 10.19,20.

Et terra mota est.] Non in Judæa solum, sed in aliis quoque regionibus: ut supra ℣. 45, ex Ægyptio scriptore Phlegone annotavimus.

Apud Prophetas per terræmotum nonnunquam magna rerum in mundo conversio, nonnunquam etiam præsentia divinæ Majestatis ac potentiæ significatur. Hic autem terræ motus quid portenderit, clarum est, ejusque significatio tam ad Judæos, quam ad Ethnicos spectavit: nimirum fuit signum manifestum divinæ iræ super improbitatem hominum. Vide etiam Psal. 18.8. Joël. 3.16. Ita Centurio & qui cum eo erant id interpretati sunt. Concludunt enim ex eo, Christum justum fuisse, & injuste damnatum Luc. 23. 47.

Et petræ fissæ sunt.] A terræmotu. Atque hoc apud Hebræos etiam divinæ excandescentiæ est indicium. Vide Nahum. 1. 6. 1 Reg. 19. 11.

Vers. 52. *Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*] Eodem plane momento, quo Christus expiravit, aperta sunt monumenta, ut ex hoc signo tanto clarius pateret, eum morte sua aboleviisse eum, qui habet potestatem mortis Hebr. 2. 14.

Et multa corpora sanctorum.] Sine dubio fuerunt jam aliquorum corpora corrupta. Omnino autem credendum est, agnitos eos fuisse ab illis, quibus apparuerunt.

Surrexerunt.] Non illico, simul ac monumenta aperta sunt, sed post resurrectionem Christi, ut sequens versus ostendit. Ut ita hæc verba quoad sensum ad sequentia pertineant, hoc modo: cum Christus expiraret, aperta sunt monumenta, & post eius resurrectionem resurrexerunt corpora & exierunt è monumentis. Serius autem paulo, quam Christus, surrexerunt, ut primogenitus esset ex mortuis Col. 1. 18.

Vers. 53. *Qui egressi e monumentis, post resurrectionem ejus introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis.*] Introierunt in urbem, quia monumenta erant extra urbem. Sancta civitas vocabatur vulgo Hierosolyma, propter cultum divinum; ut supra cap. 4.5. At propter hoc sceleratum facinus, quod perpetravit in Christo, potius profana & maledicta civitas dicenda erat.

Et apparuerunt multis.] Multis, qui in Christum crediderant: quemadmodum & Christus ipse non universo populo apparuit, sed testibus, ut loquitur Petrus Actor. 10.41. Cur vero sancti isti statim post Christum excitati sint, facile est causam indagare. Voluit nimirum Deus hoc exemplo efficaciam resurrectionis Christi ostendere, quod ille sit, qui non modo ipse in vitam à mortuis redux factus est, verum etiam omnes sanctos ac fideles Dei ejusdem beneficii compotes reddet.

Vers. 54. *Centurio vero, & qui cum eo servabant Jesum, viso terræ motu, & iis, quæ facta fuerant, timuerunt vehementer, dicentes: Vere filius Dei erat iste.*] Centuriones tales semper custodiæ causa cum militibus apponebantur,

ponebantur, quando ſupplicium de facinoroſo ſumebatur.

Et qui cum eo.] Intelligit milites Centurioni ſubjectos.

Servabant Jeſum.] Crucem circumſiſtebant milites, ne quis propius accederet; id enim non permittebatur.

Et iis quæ facta fuerant.] Puta tenebras, & (quod Marcus addit cap. 15. 39, quod Chriſtus valido clamore emiſſo protinus expirarit.

Timuerunt vehementer.] Quia ſcilicet ex iſtis prodigiis Chriſti innocentiam agnoſcebant, & metuebant, ne Deus id in ipſis, quorum manibus ſacinus tam truculentum peragebatur, vindicaret. Lucas dicit, omnem turbam, quæ ſimul ad hoc ſpectaculum acceſſerat, cum videret, quæ facta fuerant, percutientem pectora ſua fuiſſe reverſam cap. 23. 48. Metus nimirum divinæ vindictæ eos perculit.

Vere filius Dei erat iſte.] Cum qui hoc prolocuti ſunt, Romani adeoque Pagani homines fuerint, quibus ignota fuit illa tituli hujus, *Filius Dei*, ſignificatio, qua Judæi Meſſiam Filium Dei appellabant: veriſimile eſt, eos idem de Chriſto credidiſſe, quod de Hercule, Baccho, Æſculapio, Quirino, & aliis, quos pro Jovis filiis habebant. Lucas ait, eos dixiſſe: *Vere hic homo juſtus erat.* Quod intelligendum eſt eos primo dixiſſe; poſtmodum autem cum plura prodigia conſpexiſſent, in majorem admirationem raptos, non tantum eum innocentem ac juſtum hominem, ſed & pluſquam hominem agnoviſſe.

Verſ. 55. *Erant autem illic mulieres multæ, è longinquo ſpectantes, quæ ſecutæ fuerant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei.*] *Juxta crucem* quidem ſtabant, ut Johannes ſcribit cap. 19. 25, non tamen tam prope, ut crucem attingerent, quam corona militum circumdederat. Ideo dicit Matthæus *è longinquo.*

Miniſtrantes ei.] Nempe ex facultatibus ſuis Luc. 8. 3. Vide ibidem.

Verſ. 56. *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria mater Jacobi, & Joſe, & mater filiorum Zebedæi.*] Maria Magdalena erat mulier Galilæa, è qua Chriſtus ſeptem dæmonia ejecerat Luc. 8. 2.

Maria mater Jacobi & Joſe.] Soror matris Chriſti, Cleophæ filia, Joh. 19. 25, & Alphæi uxor. Vide ſupra cap. 12. 46.

Et mater filiorum Zebedæi.] Nomine Salome Marc. 15. 40.

PARS IX.

Verſ. 57. *Veſpere autem facto, venit homo dives ab Arimathæa, nomine Joſephus, qui & ipſe diſcipulus fuerat Jeſu.*] Paulo poſt nonam horam, id eſt, ſecundum noſtra horologia poſt tertiam pomeridianam. Judæi duas numerabant veſperas, quarum prior à nona hora, poſterior ab occaſu ſolis, id eſt, a duodecima hora incipiebat. Inter iſtas duas veſperas oportebat Paſcha mactari: quod de priori veſpera intelligendum eſt. Admodum autem arctum habebat Joſephus tempus ad Chriſtum ſepeliendum, ut adhuc ante duodecimam Paſcha mactare poſſet.

Homo dives.] Marcus habet, *honoratus Senator* cap. 15. 43. Non ſine cauſa viri iſtius dignitas deſcribitur ab Euangeliſtis, ut ſtatim poſt mortem Chriſti, aliquod, quamvis exiguum, indicium excellentiæ ejus, à Deo ipſi deſtinatæ, conſpiceretur.

Qui & ipſe diſcipulus fuerat Jeſu.] Præterea *vir bonus erat & juſtus, qui non aſſenſus fuerat conſilio ac facto eorum, qui & ipſe expectabat regnum Dei* Luc. 23. 50, 51. Agnoſcebat quidem doctrinam Chriſti veram eſſe, ſed metu Judæorum non audebat palam profiteri Joh. 19. 38. Ex eo, quod Lucas de hoc viro narrat, eum *non aſſenſum fuiſſe conſilio ac facto eorum*, colligunt aliqui, eum non vulgarem Senatorem, ſed unum è Synedrio fuiſſe, & iſti interfuiſſe conſilio ultimo, in quo Chriſtus condemnatus eſt. Sed ratio hæc non eſt ſufficiens ad id colligendum. Multis enim multa à Senatu acta diſplicent, qui tamen in Senatu non ſunt. Neque etiam verba Lucæ neceſſario de ultimo concilio ſunt intelligenda: cum & ante non ſemel habita ſint de capite Chriſti comitia. Sic inter alia legimus, à Judæis decretum fuiſſe, ut ſi quis Jeſum profiteretur, quod Chriſtus ſit, è Synagoga ejiceretur Joh. 9. 22. Ubi Johannes non dicit, id à Synedrio decretum fuiſſe, ſed tantum, Judæos conſtituiſſe. Unde colligere eſt, id quod narrat Johannes in Magna Synagoga factum fuiſſe, ad quam, præter Synedrii Senatores, etiam alii magiſtratus convocabantur, quando de rebus graviſſimis agebatur. Vide quæ hac de re dicta ſuperius cap. 10. 17. Quapropter nonnulli ſentiunt, Joſephum iſtum quidem Arimathæa fuiſſe oriundum, Hieroſolymis vero habitaſſe, atque ibi unum è Senatoribus urbis fuiſſe. Hinc non ἄρχων, princeps dicitur, quo nomine appellabantur Senatores Synedrii, ut de Nicodemo Johannes loquitur cap. 3. 1, ſed βουλευτής, Senator apud Marcum cap. 15. 43.

Ab Arimathæa.] Civitas hæc fuit Judææ: Luc 23. 51, alias etiam Ruma & Aruma dicta Jud. 9. 41. 2 Reg. 23. 36.

Verſ. 58. *Is adiit Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Tunc Pilatus juſſit reddi corpus.*] Romani alioqui crucifixos aliis in terrorem diu in cruce pendere ſinebant; ſed quia in Lege vetitum erat, ne cadavera pernoctarent in ligno Deut. 21. 23, apparet Romanos Præſides ſeſe, ut in multis aliis, ita hac quoque in re regionis conſuetudini attemperaſſe, ideoque Pilatum corpus Chriſti abſque tergiverſatione Joſepho conceſſiſſe. Itaque Judæi apud Johannem cap. 19. 31, non hoc proprie rogarunt, ut juxta Legem Deut. 21, cadavera ante noctem tollerentur de cruce (ad id enim ſatis adhuc ſuppetebat temporis) ſed, ut maturius id fieret, ne Sabbathum incideret, dum milites adhuc circa cadavera occupati ſunt. Solebant enim Judæi majoris certitudinis cauſa Sabbathum hora una ante occaſum ſolis inchoare: tunc vero majori etiam cum religione id faciebant, quia geminabatur ſanctitas diei inſtantis, in quem & Sabbathum & ſimul feſtum Paſchatis incidebat. Eſt vero & hoc non ſine Dei conſilio factum. Nam Marcus refert cap. 15. 44, 45, Pilatum miratum eſſe, quod Chriſtus jam ſit mortuus, juſſiſſeque acciri Centurionem, & interrogaſſe, an jamdudum (adeoque an vere) mortuus eſſet, & re cognita ex Centurione, donaſſe corpus Joſepho. Ita Deus effecit, ut Pilatus ipſe, qui Chriſtum morti adjudicavit, teſtis eſſe poſſet de morte Chriſti: ne quis objiceret, eum vivum adhuc in ſepulchrum fuiſſe repoſitum, adeoque non vere reſuſcitatum eſſe à mortuis.

Verſ. 59. *Et Joſephus accipiens corpus, involvit illud ſindone munda.*] Græcum vocabulum σινδὼν non ſignificat pannum ſericeum; tali enim ne præſtantiſſimos quidem è Synedrio viros licebat ad ſepulturam involvere: ſed erat linteum (ut Johannes expreſſe vocat cap. 19. 40,) non magni pretii. Hebræi docent, traditionem antiquam adhuc à Gamalielis temporibus eſſe de cadaveribus linteo involvendis. Matthæus quidem hic nonniſi unius ſindonis meminit, forſitam præſtantioris, ſed Joannes indicat plura fuiſſe lintea cap. 19. 40. xx. 6, quorum unum erat ſudarium, quo caput ejus erat redimitum, quodque Johannes à reliquis linteis diſtinguit cap. 20. 7. Vide plura ad Luc. 23. 53, & hiſtoriam Lazari Joh. xi. 44.

Verſ. 60. *Poſuitque illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra; & advoluto ſaxo magno ad oſtium monumenti, abiit.*] Lucas addit, in hoc monumento nondum quenquam poſitum fuiſſe cap. 23. 53. Viros primarios ſolitos fuiſſe ſepulchra pro ſe & cognatis ac poſteris ſuis in petris exciſa habere, ex Eſai. 22. 16 cernitur. Omnia autem iſta tam accurate deſcripta ſunt ab Euangeliſtis, hanc ſolum ob cauſam, ut reſurrectio Chriſti confirmaretur. Si enim novum non fuiſſet monumentum, dicere potuiſſent Judæi, non Chriſtum, ſed alium, qui jacuerit in illo monumento, reſurrexiſſe. Si non è petra exciſum, ſed è multis ſaxis conſtructum fuiſſet, dicere potuiſſent, diſcipulos ejus murum perfodiſſe, & cadaver ſuſtuliſſe. Eodem ſpectat, quod Matthæus hic addit, Joſephum advolvi ſaxum magnum ad oſtium monumenti curaſſe, ne quis dicere poſſet, Chriſtum quia non vere mortuus erat, ſaxum ab intra revolviſſe & erepſiſſe è monumento; aut diſcipulos lapidem amoviſſe, cadaverque abſtuliſſe.

Quod nonnulli putant, ſepulchrum Chriſti non è petra fuiſſe exciſum, ſed, aliorum vulgarium ſepulchrorum vel cavernarum inſtar, in terra ſimpliciter fuiſſe effoſſum, ſaxiſque exciſis emunitum, propterea, quod fuerit in horto, in quo petræ non ſolent exiſtere: id eſt leve argumentum. Cum enim terra circa Hieroſolymam admodum petroſa ac lapidoſa fuerit, facile fieri potuit, ut aliqui horti etiam petris non carerent, & non mere bonam terram continerent. Dubitari quoque poteſt, an verbum λατομεῖν, quod proprie ſignificat *excidere* (quomodo à lapicidis ſolent ſaxa excidi) uſquam in tali ſignificatione reperiatur, ut idem denotet, quod educere murum, ſeu emunire.

Narrat quoque Johannes, ſepulturæ Chriſti adfuiſſe etiam Nicodemum, & quaſi centum myrrhæ ac aloës libras attuliſſe, ad corpus Chriſti more Judaico pollinciendum cap. 19. 39. Quæ omnia ad honorem faciunt, quem Joſephus ac Nicodemus Chriſto exhibere ſtuduerunt.

Verſ. 61. *Erat autem illic Maria Magdalena, & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum.*] Altera Maria erat Jacobi & Joſis mater.

Sedentes contra ſepulchrum.] Ut viderent, quomodo poneretur in ſepulchro, ut Sabbatho exacto, eum poſſent inungere Marc. 15. 47. xvi. 1.

PARS X.

Verſ. 62. *Poſtero autem die, qui eſt poſt Paraſceven, coacti ſunt primarii Sacerdotes & Phariſæi ad Pilatum.*] Qui eſt poſt Paraſceven, id eſt, die Sabbathi, quo Judæi illo anno Paſchalem agnum comederunt. Pridie autem Paraſceve erat, in qua agnus mactabatur & alia præparamenta ad feſtum Paſchæ fiebant, & hac die Chriſtus eſt mortuus.

Primarii Sacerdotes & Phariſæi.] Quia Sabbathum erat, non poterat convocari Synedrium; ideo Seniorum & Scribarum nulla hic fit mentio; ſed aliqui ex primariis Sacerdotibus & Senatoribus Phariſaicæ ſectæ ultro proprio motu adeunt Pilatum, tanquam in re, quæ ſalutem totius terræ ſpectet. Facile autem conſecuti ſunt à Pilato, quod petebant, cum ejus nihil intereſſet. Apparet vero exinde, Judæos tunc credidiſſe, (ut & hodie doctiores ex ipſis in hac ſunt ſententia) alienigenas, qui Judaicam non ſuſceperant religionem, non fuiſſe obſtrictos ad ſervandum eo, quo illi, modo, Sabbathum. Ideoque non verentur id à Romanis flagitare, quod à Judæo abſque violatione Sabbathi poſtulare non potuiſſent.

Verſ. 63. *Dicentes: Domine, meminimus, impoſtorem iſtum dixiſſe, cum adhuc viveret: Tertio poſt die ſuſcitabor.*] Nomen impoſtoris ſortiuntur omnes veri ac fideles pietatis Doctores, ab iis qui lucem oderunt ac fugiunt. Sic etiam apud Lucam Judæi nonnulli de Chriſto jactant, eum ſeduxiſſe populum cap. 23. 2. Sic Paulus quoque de ſe aliiſque Apoſtolis ſcribit, ſe pro ſeductoribus habitos fuiſſe 2 Cor. 6. 8. Sic ipſe ab Epicuræis & Stoicis appellatur Athenis nugator, & peregrinorum Deorum annunciator Actor. 17. 18. Quid ergo mirum eſt, ſi hodie quoque doctores veritatis in mundo male audiant?

Dixiſſe, cum adhuc viveret.] Chriſtus id nunquam palam & publice dixit: ſed quod Chriſtus figurata locutione de Jonæ ſigno (ſupra cap. 12. ℣. 39, 40. xvi. 4) & de demolitione ac reſtauratione templi Joh. 2. 19 dixerat, id mala ipſorum conſcientia ita interpretatur, prout ne fieret metuebant; niſi forte Judas aliquid ex eo, quod Chriſtus diſcipulis ſuis privatim & ſecreto indicaverat, ad eorum aures detulerit.

Tertio poſt die.] Id eſt, intra tres dies, vel tertio die. Hebraica eſt locutio. Ideo dicunt Judæi verſu ſequenti, jube muniri ſepulchrum uſque in diem tertium. Ita Joſephus ait Pharaonis piſtori: *Poſt tres dies Pharao auferet caput tuum* Gen. 40. 19, quod tamen tertio die factum eſt, ut poſtea verſ. 20 narratur. Confer Marc. 8. 31, cum Matth. 16. 21. Luc. 9. 22. Solent Hebræi ditare, Deum beneficia ſua ut plurimum copioſius & largius præſtare, quam verba promiſſionis ſonant. Quod ergo Deus promiſit facturum poſt tres dies, quando præſtat intra tres dies, id eſt laudabile bonitatis ejus opus, nec ullo modo vanitatis accuſandum. In promiſſionibus enim ſolet terminus certus aſſignari, ut ſciatur, promiſſum beneficium ultra illud tempus præfixum ac determinatum non iri dilatum; non autem, ut fas non ſit ante illud tempus promiſſa implere. Atque hoc pacto ajunt Judæi, liberationem ex ſervitute Ægypti Abrahamo poſt 400 annos fuiſſe promiſſam Gen. 15. 13, & tamen ferme dimidio illius temporis citius impletam eſſe: ut ex chronologia videre eſt.

Verſ. 64. *Jube ergo muniri ſepulchrum, uſque in diem*

diem tertium, ne forte veniant diſcipuli ejus nocte, & furentur eum, dicantque populo: Suſcitatus eſt è mortuis; & erit noviſſimus error deterior priore. Dicantque populo. Quaſi dicant: Nobis quidem, qui pollemus ſapientia & rerum intelligentia, non imponent, neque id nobis perſuadebunt, ſed ſtolidæ iſti plebeculæ facile poſſunt verba dare. Apud Joannem ſic loquuntur Phariſæi: *Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc, quæ non novit Legem, execrabilis eſt* Joh. 7. 48, 49.

Et erit error noviſſimus deterior priore.] Proverbialis locutio, qualis etiam habetur ſupra cap. 12. 45. Luc. xi. 26. 2 Petr. 2. 20.

Verſ. 65. *Ait vero illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, abite, munite ſicut ſcitis.*] Ita verba hæc Syrus & Latinus interpres reddidit. Vult Pilatus dicere: Quid opus eſt, ut milites vobis ad cuſtodiam præbeam? Annon habetis jam cohortem meorum militum, qui vobis ad omnem tumultum ac violentiam præcavendam dati ſunt. Iſtis utimini pro veſtro arbitrio. Etſi enim cohors iſta potiſſimum ad cuſtodiam Templi eſſet appoſita, tamen etiam ad alia adhibebatur, ut ex eo patet, quod ejus opera uſi ſint in Chriſto capiendo. Vide ſupra cap. 26. 47.

Sicut ſcitis.] Ut ipſi quam optime intelligitis, ne decipiamini.

Verſ. 66. *Ipſi autem profecti munierunt ſepulcrum, obſignato lapide, cum cuſtodia.*] Munierunt, ſcilicet appoſitis militibus.

Obſignato lapide.] Sigillo Pilati, ut nonnulli putant: ſicut olim Dan. 6. 17, quam hiſtoriam ſtatuunt figuram fuiſſe rei hujus cum Chriſto geſtæ. Quemadmodum enim obſignatio illa apud Danielem argumento fuit, Danielem nulla humana vi atque auxilio è diſcrimine ereptum, ita arguit hæc obſignatio monumenti Chriſti, corpus ejus non humanis è ſepulcro eſſe ſurreptum. Sic Phariſæorum cauta & circumſpecta prudentia profuit ad reſurrectionem Chriſti tanto magis confirmandam.

Cum cuſtodia.] Senſus totius verſiculi eſt: Munierunt ſepulcrum, addita cuſtodia, & obſignarunt lapidem.

CAPUT XXVIII.

I. *Narratur, ut Chriſtus reſurrexerit à mortuis: ad verſ.* 11. II. *Ut excubitores omnia quæ geſta ſunt, renunciarint primariis Sacerdotibus: ad verſ.* 16. III. *Ut Chriſtus valedixerit ſuis diſcipulis: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *SEro autem Sabbathorum, cum illuceſceret primus dies hebdomadis, venit Maria Magdalena, & altera Maria, videre ſepulcrum.*] Sabbathum ceſſavit cum occaſu ſolis. Adverbium *ſero* autem non denotat hic veſperam, ſed integram noctem, quæ Sabbathum conſecuta eſt, ad cujus finem, id eſt, cum jam dieſceret, mulieres iſtæ ad ſepulchrum abierunt. Ut ita *ſero Sabbathorum*, idem ſit; quod, diu vel non parvo tempore interjecto poſt Sabbathum. Atque ſic Matthæus in ſua relatione aliis Euangelii Scriptoribus, qui omnes teſtantur, mulieres haſce mane ad ſepulchrum veniſſe, non eſt, contrarius. Nam mane poſtridie Sabbathi, eſt ſero poſt Sabbathum: quia tota intercedit nox. Marcus ait, *cum tranſiſſet Sabbathum* cap. 16. 1. Quod autem Johannes habet: *Mane, cum adhuc eſſent tenebræ* cap. 21, ita intelligendum eſt, cum nondum perfecte illuxiſſet, ſed adhuc eſſet dubiæ lucis crepuſculum, tenebræque cum luce eſſent permiſtæ. Probabile eſt, eas ante lucem, cum adhuc eſſent tenebræ, ſurrexiſſe: dum autem alia aliam expectat, dum aromata comparant, dum tranſeunt per civitatum & ad ſepulchrum veniunt, plene diluxit.

Cum illuceſceret primus dies hebdomadis.] Quandoquidem præcedentia verba *ſero poſt Sabbathum*, præciſe tempus non definiunt; vocula *ſero* enim, ut dictum, totam ſequentem noctem deſignat: ideo Matthæus clarius deſcribit hoc tempus, dicitque id factum eſſe primo die hebdomadis, ſeu die, quo hebdomas ſumit initium. In Græco eſt: τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, id eſt, *luceſcente* ſcilicet die *in unam* (hoc eſt, primam) *Sabbathorum*. Hebraiſmus eſt, una Sabbathorum, pro, prima dies Sabbathorum: ut Gen. 1. 5: Factaque eſt veſpera & mane primus dies: (Hebr. unus dies,) Hebræis autem in more eſt, totam ſeptimanam, à Sabbatho ad Sabbathum, vocare Sabbathum Marc. 16. 9. Vox *luceſcere* non ſignificat hic lucem diei jam luceſcentem, ſed principium diei, quem Judæi ab exoriente Phoſphoro auſpicantur. Omnes autem quatuor Euangeliſtæ nominant primum diem ſeptimanæ, quem nos dicimus diem Dominicum vel ſolis, à quo initium ſeptimanæ ducitur. Cauſa vero, cur tam mane iverint mulieres iſtæ ad monumentum, erat, quod timuerint, ne corpus Chriſti alio tranſferretur, cum illic ad tempus tantum, propter Sabbathum adeo propinquum, fuerit poſitum.

Maria Magdalena.] Hanc mulierem fuiſſe præcipuam, quæ inter alias agmen duxerit, ex Johanne liquet, qui hanc ſolam nominat cap. 20. 1. Alibi priori loco præ aliis nomen ejus ponitur, ut ſupra cap. 27. 56, 61. Marc. 15. 40. xvi. 1. Luc. 8. 2, 3. xxiv. 10. Et credibile eſt, eam maximas impenſas hic feciſſe.

Et altera Maria.] Cleophæ filia, Jacobi autem & Joſis mater. Vide ſupra cap. 27. 56. Marcus etiam addit Salomen cap. 16. 1. Lucas Johannam cap. 24. ℣. 10, quæ fuit uxor Chuſæ procuratoris Herodis Luc. 8. 3. Ita quatuor erant fœminæ, quarum nomina expreſſa ſunt, præter eas, quæ nominatæ non ſunt, de quibus Luc. 24. 10.

Videre ſepulcrum. Marcus addit, veniſſe eas, *ut ungerent Jeſum* Marc. 16. 1. Nimirum exierunt videre, an apertum eſſet monumentum, ut eum ungere poſſent. Cum enim non neſcirent, oſtium ſepulcri magna mole ingentis ſaxi eſſe obſtructum, mœſtæ dicebant ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Marc. 16. 3. Unctionem etiam Lucas ſubindicat, cum ait, eas *portaſſe, quæ paraverant, aromata*, cap. 24. 1. Solebat autem unctio ordinarie præcedere ſepulturam; ſed quia ſepulturam maturari oportuit propter inſtans Sabbathum, volunt Chriſto honorem pollincturæ etiam in ſepulcro

cro jacenti præſtare. Patet etiam ex hoc conatu fœminarum iſtarum, eis nihil de obſignatione lapidis, deque excubiis monumento appoſitis in mentem veniſſe: alioqui facile conjicere potuiſſent, fruſtra ſe illuc ire.

Verſ. 2. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem ab oſtio, ſedebatque ſuper eum.*] Terræ motus fuit ſignum deſcendentis de cœlo Angeli: ut mox declaratur. Factus autem eſt terræmotus, ut & revolutio lapidis, & militum fuga, cum adhuc mulieres eſſent in itinere. Non enim mulieres, ſed milites id divulgarunt, à quibus quidem ſilentium pretio emptum eſt, ſed ipſi tamen ſilentium haud tenuerunt. Vide infra ℣. 15. Etiam Marcus idem innuit, cum ait: *Et reſpicientes, viderunt revolutum lapidem* cap. 16. 4. Viderunt illæ quidem, revolutum eſſe lapidem, quod non ſperaverant: ſed quomodo id factum ſit, non viderunt.

Angelus enim Domini deſcendit de cœlo.] Particula *enim* denotat cauſam terræmotus, quæ fuit, adventus cœleſtis nuncii.

Varia ſunt Angelorum genera: alii ſunt, quos Deus adhibet ad quotidiana ſuæ providentiæ opera; alii autem ſunt velut in aulis Magnatum proceres & intimi conſiliarii, qui adſtant in conſpectu ejus; & horum miniſterio nonniſi in magni momenti negotiis utitur. Vide ſupra cap. 18. 10. De iſto nominatim dicitur, quod de cœlo deſcenderit, tanquam à throno Dei, coram quo adſtare ſolent. Idcirco quoties Angelus ita deſcribitur, quod de cœlo deſcendat, ut Apoc. 10. 1. xviij. 1. xx. 1, toties negotium graviſſimum denotatur.

Matthæus autem, ut & Marcus, cap. 16. 5, unius tantum Angeli meminerunt: Lucas vero & Johannes duorum. Nempe Matthæo & Marco nihil aliud erat propoſitum, quam deſcribere ea, quæ Angelus cum mulieribus locutus eſt. Cum ergo tantum unus locutus ſit, unius etiam tantum mentionem faciunt: quemadmodum & Johannes è mulieribus unam tantum Mariam Magdalenam nominat, quia videlicet illa ſola cum Chriſto & Angelo collocuta eſt cap. 20. 1, 11, 13, 15. Lucas autem & Johannes volebant docere, reſurrectionem Chriſti teſtimonio Angelorum eſſe comprobatam: ideo utriuſque Angeli uterque meminit. Teſtimonium enim quodvis legitimum ad minimum duorum teſtium verbis niti debet Deut. 17. 6. Ita etiam aſcenſioni Chriſti in cœlum adfuerunt duo viri in veſtimentis albis, qui teſtati ſunt, Chriſtum aſcendere in cœlum, & exinde rurſus rediturum Actor. 1. 10.

Et accedens revolvit lapidem ab oſtio.] Quod Chriſtus etiam poſt reſurrectionem, antequam aſcendit in cœlum, naturale corpus, carne & oſſibus conſtans habuerit, teſtatur ipſemet, cum ad diſcipulos ſuos inquit: *ſpiritus carnem & oſſa non habet, prout me videtis habere* Luc. 24. 39. Unde perſpicuum eſt, lapidem eo fine ab oſtio munumenti eſſe revolutum, ut exire poſſet. Nam ut naturale corpus poſſet penetrare per lapidem, abſque hujus vel illius læſione, natura ſua impoſſibile eſt. Equidem quod Chriſtus divina virtute ſua, quæ una cum vita ſine dubio ad eum rediit, potuerit lapidem amoliri, extra dubitationem eſt: ſed honorificentius fuit, quod ipſius cauſa Deus tam eximium janitorem de cœlo demiſerit, qui oſtium ipſi recluſit.

Sedebatque ſuper eum.] Expectabat nimirum mulierum adventum, ut eis reſurrectionem Chriſti annunciaret.

Dubium hic exoritur ex diſcrepante narratione Euangeliſtarum. Cum enim Matthæus referat, Angelum, qui lapidem revolvit, in eo conſediſſe; ipſe autem ſine dubio lapidem non in ſepulcrum intruſerit, ſed extra rejecerit eum: ſequitur etiam Angelum non intus in ſepulcro, ſed extra ſepulcrum ſediſſe. Jam vero Marcus ſcribit, mulieres cum introiiſſent in monumentum, vidiſſe juvenem ſedentem à dextris cap. 16. 5. Ex quo contrarium priori colligi poſſe videtur, quod Angelus non extra monumentum, ſed in monumento fuerit. Quod etiam Johannes confirmat, cum ait, Mariam, ut ſe inclinavit in monumentum, vidiſſe duos Angelos, unum ad caput, & alterum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu cap. 20. 12. Verum iſta haud difficulter conciliari poſſunt. Vox enim *monumentum* vel ſepulcrum, interdum notat ſolam foveam aut cavernam, in quam corpora reponuntur; interdum vero foveam una cum ſepimento, quo vel è lapidibus, vel è ligni conſtructo fovea illa cingitur, ne ad foveam facilis ſit cuivis acceſſus. Quodque Judæorum ſepulcra ejuſmodi ſepibus circumdari ſolita fuerint, teſtis eſt Cyrillus. Si igitur vox monumenti apud Marcum in latiori ſumatur ſignificatu, non pro ſola fovea, ſed pro toto ambitu, quo tam fovea quam ſepes continebatur, nulla erit inter Euangeliſtas diſcordia. Nimirum cum Marcus inquit cap. 16. 5, mulieres, cum introiiſſent in monumentum, vidiſſe juvenem ſedentem à dextris, non intelligit per monumentum ipſam foveam, ſed ſpatium, quod erat intra ſepimentum, quod etiam ad monumentum pertinebat. In quod illæ cum ingreſſæ eſſent, viderunt in eo, ſed extra foveam, ſedentem juvenem ad dexteram: qui fuit hic ipſe Angelus, qui à Matthæo dicitur ſediſſe ſuper lapidem. Hic ergo Angelus cum ſciret, eas Jeſum quærere, oſtendit eis digito foveam, & dixit: *Venite, videte locum, ubi jacebat Dominus.* Jubet eas venire, id eſt, propius accidere ad foveam, & locum ubi jacuerat Jeſus inſpicere. Unde ſequitur, eas nondum in fovea fuiſſe. Hoc vero cum Johannis narratione conciliatur hoc modo. Ait ille, Mariam Magdalenam (nam hanc ſolam ex mulieribus memorat) cum *ſtaret ad monumentum foris ac fleret, inclinaſſe ſe in monumentum, ac vidiſſe duos Angelos in albis veſtibus ſedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, ubi jacuerat corpus Jeſu* cap. 20. 11, 12. Ubi Johannes vocem *monumentum* ſtrictiori accipit ſignificatione quam Marcus, & intelligit ſolam foveam, in qua corpus Chriſti fuerat repoſitum. Maria ſtabat extra foveam, ſed intra ſepimentum, & inclinato corpore inſpexit in foveam, ut corpus Chriſti videret. Dum autem inſpicit, animadvertit duos ſedere Angelos, unum ad dexteram, alterum ad ſiniſtram, non intus in fovea, ſed extra, non procul tamen ab ea. Quod autem Angeli iſti non ante ſe illi conſpiciendos præbuerint, quam proxime ad foveam acceſſit, cauſa eſſe potuit, quod ſi eminus Angelos con-

conſpexiſſet, citius ſe conjeciſſet in pedes, quam ad colloquium eorum veniſſet. Angeli enim eo fine potiſſimum erant præſentes, ut de reſurrectione Chriſti teſtimonium perhiberent. Cumque Chriſti corpus ita jacuerit in fovea, ut caput ab introitu fuerit ad dextram, pedes autem ad ſiniſtram, ideo Marcus id vocat ad dextram, quod Johannes vocat ad caput, & quod illè ad ſiniſtram dicit, hoc dicit iſte ad pedes. Ut ita verba apud Johannem, ubi corpus Chriſti jacuerat, non ſic intelligenda ſint, quod Angeli eodem plane in loco ſederint: ſed ſicut corpus Chriſti intus in fovea jacuit, ita, ut caput ſpectaret dextram, pedes ſiniſtram; pariter & Angeli ſederunt extra foveam, unus ad illam partem, ubi jacuerat caput, alter ad illam, ubi fuerant pedes. Caput autem poſitum fuerat verſus ſeptentrionem, pedes vero verſus Orientem (ſi vera eſt deſcriptio eorum, qui monumentum iſtud viderunt) hoc igitur modo & Angeli ſederunt.

Verſ. 3. *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus candidum ſicut nix.*] Aſpectus ſeu facies. Diſtinguit enim Matthæus aſpectum à reliqui corporis habitu.

Et veſtimentum ejus.] Veſtimentum iſtud erat ſtola, ſeu veſtis talaris Marc. 16. 5, quali utebantur Pontifices apud Judæos. Tali veſte amictus etiam Chriſtus Johanni apparuit Apoc. 1. 13.

Candidum ſicut nix.] Summa albedo nivi comparatur, tam apud Hebræos, quam apud Græcos & Latinos. Vide Num. 12. 10. Lament. 4. 7. Apoc. 1. 14. Color autem albus ſignum eſt puritatis, candoris, & ſanctitatis Dan. 7. 9. Apoc. 3. 4, 5, 18. IV. 4. VI. 11. VII. 9, 13. At horum Angelorum veſtitus non modo albus erat ac candidus, verum etiam ſplendore inſigni radiabat Luc. 24. 4, quod erat ſignum cœleſtis excellentiæ. Ita Chriſti quoque amictus reſplenduit tempore glorificationis ac tranſfigurationis ejus ſupra cap. 17. 2. Hunc cœleſtem ſplendorem conatus eſt Herodes Agrippa imitari, cum regia veſte, argento artificioſe & admirabiliter diſtincta, indutus in theatro conſedit; quam veſtem cum ſol irradiaret, illa divino quodam fulgore (ut loquitur Joſephus) coruſcabat, ita ut adulatores quidam è populo eum tanquam Deum ſalutarent, dicerentque, ſe ipſum hactenus nonniſi velut hominem veneratos eſſe, nunc autem videre ſe ac fateri, aliquid ſublimius natura mortali ipſi ineſſe Joſeph. lib. 19. cap. 7. Vide etiam Actor. 12. 22.

Non ſine divina autem ordinatione etiam hoc accidit, quod Angeli iſti cœleſti hoc fulgore collucentes apparuerint. Cum enim teſtimonium reſurrectioni Chriſti præbere deberent, oportuit eos tali appare ſpecie ac forma, è qua cognoſci poſſet, ipſos vere Angelos fuiſſe. Si enim ſimpliciter velut homines vulgares apparuiſſent, ut Abrahamo Geneſ. 18. 2. Loto Geneſ. 19. 1, & aliis: dicere potuiſſent adverſarii Chriſti, diſcipulos Chriſti fuiſſe, qui lapidem à monumento amoverint, & corpus furati ſint, cum vigiles dormirent.

Verſ. 4. *Cuſtodes autem concuſſi ſunt præ timore ipſius, & facti ſunt ſicut mortui.*] Terræmotus concuſſit eos, ut cum terrore expergiſcerentur: videnteſque lapidem à monumento amotum eſſe, ingreſſi ſunt foveam videndi gratia, an corpus Chriſti adhuc præſens eſſet, ſed id jam non repererunt. Dum egrediuntur, vident terribilem formam Angelorum, quæ eos in fugam dedit. Si enim Angelos ante vidiſſent, quam ingreſſi ſunt foveam, citius fugiſſent, nec potuiſſent plenum dare teſtimonium de Chriſti corpore ablato. Ideo autem Angeli etiam militibus iſtis ſe conſpiciendos præbuerunt, ut coram iis, à quibus ad cuſtodiam fuerant appoſiti, teſtarentur, quod lapis non ab hominibus revolutus ſit, vel corpus furto ablatum, ſed quod cœleſti vi & efficacia omnia, quæ viderunt, patrata ſint.

Et facti ſunt ſicut mortui.] Ita Daniel quoque exterritus eſt viſione quadam, ut nihil virium in eo remaneret Dan. 10. 8. Timorem autem iſtum militibus anxit mala conſcientia, quæ per præſentiam divinæ virtutis, ubi eam agnoverunt, in tantam anxietatem conjecta eſt.

Verſ. 5. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Vos vero ne timete; ſcio enim vos Jeſum crucifixum quærere.*] Reſpondens dixit, id eſt, cœpit loqui vel dicere mulieribus. Eſt Hebraiſmus, de quo vide ſupra.

Vos ne timete.] Pronomine *vos* opponit Angelus mulieres cuſtodibus: quaſi dicat. Milites iſti timeant, cum illi venerint eo fine, ut reſurrectionem Chriſti impediant; vos autem plus cauſæ habetis ad gaudendum, quam ad timendum.

Scio enim, vos Jeſum crucifixum quærere.] Cauſam reddit, cur timere non debeant: quaſi dicat. Scio vos bona intentione huc veniſſe, ut Chriſto pollincturæ honorem exhibeatis. Sed id jam fieri non poteſt; non eſt enim hic amplius &c. Apud Lucam dicunt Angeli: Quid quæritis vivum inter mortuos? cap. 24. 5. Apud Johannem ajunt ad Mariam: Mulier, quid ploras? cap. 20. 13. Nullum de eo dubium eſt, quod Angeli hæc omnia locuti ſint, quamvis non omnes Euangeliſtæ omnia deſcripſerint.

Verſ. 6. *Non eſt hic: reſurrexit enim, prout dixit. Venite, videte locum, ubi jacebat Dominus.*] Quod Dominus illic non fuerit, jam ante viderunt mulieres, quam ea de re monitæ eſſent ab Angelo; ſed putabant corpus ab aliquo ablatum & alio tranſpoſitum eſſe Joh. 20. 13. Propterea addit Angelus: *Reſurrexit enim.* Nemo eum abſtulit, ſed ſupereminenti robore virtutis Dei eſt à mortuis ſuſcitatus Eph. 1. 20.

Prout dixit.] Confirmat reſurrectionem Chriſti propriis ejus verbis: ac ſimul eis tacite incredulitatem & oblivionem exprobrat, quod non crederent iis, vel oblitæ fuerint eorum, quæ Chriſtus ipſis toties dixit & inculcavit. Vide ſupra cap. 16. 21. XVII. 23. XX. 19.

Videte locum, ubi jacebat Dominus.] Jubet eas locum inſpicere, ut non tantum de eo quod audiverunt, ſed etiam de eo quod viderunt, teſtari poſſent. Vide Marc. 16. 14. 1 Joh. 1. 1. Angelus Chriſtum ſimplici *Domini* appellatione ornat: quaſi dicat. Qui non veſter tantum, ſed noſter quoque Dominus eſt. Ab ejus enim reſurrectione incipit Regnum ejus, cui & Angeli ſubjecti ſunt 1 Petr. 3. 22. Hebr. 1. 6. Ea autem ſignificatione hic titulus Domini uſurpatur, qua Petrus de Chriſto eum accipit, dum inquit, quod Deus eum fecerit Dominum & Chriſtum Act. 2. 36.

Qua

Qua ſignificatione etiam Paulus paſſim in ſcriptis ſuis eum vocat Dominum, quaſi proprio nomine, imo unum Dominum, per quem omnia, & nos per eum, appellat, atque ab uno Deo, ex quo omnia, diſtinguit 1 Cor. 8. 6. Quemadmodum enim Meſſias conſuetudine Hebræorum per excellentiam *Filius Dei* dicitur, ita etiam per excellentiam *Dominus* appellatur, quia omnes alios Dominos, qui dominium ſuum à Deo acceperunt, innumeris paraſangis anteceſſit. Quo pacto etiam David ipſe Chriſtum Dominum ſuum nuncupat Pſal. 110. 1, etſi ſecundum carnem ſit filius ejus. Quamobrem Chriſtus non eſt ille Dominus, cujus Angeli de cœlo deſcenderunt, & lapidem removerunt. Hic enim Dominus eſt Deus ille altiſſimus, qui Dominum iſtum, de quo Angelus loquitur, Dominum & Chriſtum fecit, dum eum immenſo robore potentiæ ſuæ à mortuis excitavit, atque ad dexteram ſuam collocavit Eph. 1. 20. Actor. 2. 36, idque propter ejus obedientiam, quam in morte obeunda præſtitit Phil. 2. 8, 9.

Verſ. 7. *Et cito euntes dicite diſcipulis ejus, quia ſurrexit à mortuis; & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis.*] Jubet eas properare, ut qui mœrore & lacrymis ſeſe conficiebant ob mortem Chriſti (Marc. 16. 10,) abſque mora lætiſſimæ rei annunciatione exhilararentur, fideſque eorum titubans erigeretur: præterea ut conſolarentur, qui Dominum ſuum in graviſſimo periculo conſtitutum deſeruerant; quod non ex malitia, ſed ex infirmitate factum eſſe ab illis, hoc felici nuncio vult teſtari.

Apud Marcum ait Angelus: *Ite & dicite diſcipulis ejus & Petro* cap. 16. 7. Petri nominatim meminit, ne quis cogitaret, eum ab hoc beneficio eſſe excluſum, ideo, quod Dominum ſuum ter abnegaverit.

Præcedit vos in Galilæam.] Ibi enim plurimi erant Chriſti diſcipuli, quibus ſuam reſurrectionem voluit notam facere, ut *teſtibus ad id conſtitutis*, ſicut Petrus loquitur Actor. 10. 41. Erant enim plures quam 500 quibus Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem ſimul apparuit 1 Cor. 15. 6. Quid, quod Galilæa remota fuerit ab ejus inimicis, à primariis Sacerdotibus ac Scribis: ut adeo illic multo liberius poſſet cum diſcipulis ſuis converſari. Unde colligere eſt, illam apparitionem, quæ 500 fratribus ſimul facta eſt, in Galilæa contigiſſe. Plus autem Chriſtus præſtitit, quam promiſit. Etenim promiſit, ſe eis appariturum in Galilæa: at cum poſt Angeli annunciationem reſurrectioni ejus nondum crederent, adeoque cunctarentur eo ire, apparuit eis adhuc Hieroſolymis. Vide Joh. 20. 19, 26. Luc. 24. 36. De verbis *præcedit vos*, vide ſupra cap. 26. 32, & confer cum Mich. 2. 13.

Ecce dixi vobis.] Ille ipſe vobis dixit, & ego jam vobis dico iterum. Quæ omnia eo pertinebant, ut ex profundo ſomno incredulitatis excitarentur. Quanquam ne hoc quidem teſtimonium Angelorum fidem in eis produxit: cum enim à ſepulcro regrederentur, interrogat Maria Magdalena Jeſum (quem putabat eſſe hortulanum) num ipſe corpus abſtuliſſet Joh. 20. 14, 15. Et de diſcipulis ſcribit Lucas quod verbi mulierum viſa ſint illis tanquam nugamenta, quodque non crediderint eis Luc. 24. 11.

Verſ. 8. *Et exeuntes cito è monumento cum timore & gaudio magno, currebant ut renunciarent diſcipulis ejus.*] Timorem in eis excitavit inſperatus Angeli conſpectus. Humana enim natura cœleſtem ac divinam ſpeciem ferre non poteſt. Gaudium autem non tam ex eo ceperunt, quod reſurrectionem Chriſti vere crediderint, quam quod dignæ fuerint habitæ videre cœleſtem viſionem.

Currebant, ut renunciarent diſcipulis ſuis.] Ibant quidem renunciatum hanc rem diſcipulis, ſed ita tamen, ut in itinere nemini quicquam dicerent, metu Judæorum Marc. 16. 8.

Verſ. 9. *Cum autem irent renunciare diſcipulis ejus, ecce Jeſus occurrit eis, dicens: Avete. Illæ vero acceſſerunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum.*] Dum converſæ, è monumento exiiſſent, obviam eis fit Chriſtus in horto (in quo erat monumentum) quem Maria Magdalena, quæ præibat aliis, hortulanum eſſe rata, interrogat, num corpus Chriſti è monumento aſportarit Joh. 20. 14, 15.

Avete.] Hac ſalutatione facta, Mariam de nomine compellat, & affatur eam: *Mulier, quid ploras?* Joh. 20. 15.

Et prehenderunt pedes ejus.] Non omnes, ſed Maria Magdalena tantum. Ideo apud Johannem dicit ei: *Noli me tangere* Joh. 20. 17.

Et adoraverunt eum.] Græca vox ſignificat ad genua vel pedes procidere: eſtque ſignum ſummæ reverentiæ, quæ iis ſolis defertur, quos cultu ſingulari proſequi, & à quibus aliquid magni, ac peculiari cum demiſſione flagitare volumus. Vide ſupra cap. 2. 2. Inter eos autem, qui familiariter & perpetuo ſecum converſantur, talis veneratio non eſt in uſu. Itaque ex iſta adoratione, quam Chriſto hic deferunt mulieres, patet, eas etſi de reſurrectione ſepulti corporis ejus nondum plane certæ eſſent, tamen tunc aliquid ſublimius de eo ſenſiſſe, quam unquam antea. Idem & de diſcipulis infra ℣. 17 intelligendum eſt.

Verſ. 10. *Tunc ait illis Jeſus: Ne timete; ite, nunciate fratribus meis, ut abeant in Galilæam; illic me videbunt.*] Dubium non eſt, mulieres partim gaudio, partim timore perculſas trementeſque Chriſto ad pedes accidiſſe, ut quæ ambiguæ incertæque fuerint eſſetne ipſe vere Chriſtus, an tantum viſio & apparitio alicujus Angeli. Potuitque hæc dubitatio in primis inde orta in eis fuiſſe, quod interdixerit eis, ne ſe tangerent Joh. 20. 17. Exinde enim concludere potuerunt, corpus quod videbant, non illud eſſe, quod repoſitum erat in monumento. Vide hac de re plura ad Johannem.

Ite, nunciate.] Hoc idem etiam Angeli ipſis injunxerant. Itaque Chriſtus idem jubendo confirmat dicta ab Angelis, eoſque veros Angelos fuiſſe ſubindicat. Ita Chriſto teſtimonium præbent Angeli, Chriſtus Angelis.

Fratribus meis.] Non ſanguine aut cognatione ſecum carnali junctis, qui ſupra cap. 12. 46, 47 fratres ejus appellantur: ſed diſcipulis ejus, quos fratres ſuos vocat. Ita Angelus quoque ſupra ℣. 7 dixit: *Cito euntes dicite diſcipulis ejus.* Hinc etiam mulieres, ea quæ viderunt audiveruntque, non Chriſti cognatis ſolum, ſed omnibus diſcipulis ejus annunciarunt: infra ℣. 16. Luc. 24. 9. Joh. 20, 18. Reſpicit autem Chriſtus his verbis ad illa verba Pſal. 22. 23: *Annunciabo*

ciabo nomen tuum fratribus meis. Significatque Christus idem, quod supra quoque cap. 12. 50, jam innuerat, se per mortem & resurrectionem suam caput factum esse novæ fraternitatis. Hac ratione enim Filius Dei perfectissime constitutus est, ut Paulus testatur Rom. 1.4, omnesque qui sermone veritatis, quam ipse prædicavit, progeniti sunt, facti sunt Filii Dei, atque adeo ipsius fratres. Apud Johannem cap. 20. 17, dicit ad Mariam Magdalenam: *Abi ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum.* Clare indicans, eos unius communis Patris secum esse liberos, adeoque suos fratres. Auctor quoque Epistolæ ad Hebræos scribit: cap. 2. 11, 12: *Nam & qui sanctificat,* (nempe Christus) *& qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit eos vocare fratres; dicens:* (Psal. 22. 23.) *Annunciabo nomen tuum fratribus meis.* Et Paulus Rom. 8. 29. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres.* Hæc autem modestia & humanitas Christi, qua non erubescit nos fratres suos appellare, non debet in nobis tam incivilem producere confidentiam, ut eum viciſſim fratrem appellemus nostrum, cum is jam omnium hominum & Angelorum Dominus ac Rex effectus sit: Sicut nec David Christum vocavit filium suum, sed Dominum suum Psal. 110. 1.

PARS II.

Vers. 11. *Euntibus autem ipsis, ecce quidam ex custodia venerunt in urbem, & renunciaverunt principibus Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant.*] Euntibus ipsis, id est, cum ipsæ abiissent. Præsens pro præterito. Mens enim Euangelistæ non est, id factum esse, cum mulieres essent in itinere, sed cum jam à monumento abiissent.

Quidam ex custodia.] Præcipui, aliorum omnium nomine.

Principibus Sacerdotibus.] Horum enim potestati atque imperio tunc per festos dies erant subjecti, ita tamen, ut de iis, quæ mandabantur ipsis, Præsidi rationem reddere tenerentur, ut supra cap. 26 indicatum.

Vers. 12. *Ipsi vero congregati cum Senioribus, consilioque capto, nummos multos dederunt militibus.*] Subintelligendi hic sunt & Scribæ: id est, Synedrium convocatum est; neque id eis impermissum erat, quia jam præterierat Sabbatum.

Vers. 13. *Dicentes: Dicite, discipulos ejus nocte venisse, & eum furatos esse, nobis dormientibus.*] Exemplum hic habetur prorsus explicatu & intellectu difficilis pervicaciæ atque improbitatis, manifestæ veritati reluctantis, & quidem in re tanti momenti, in qua salutis cardo vertebatur. Omnia miracula, quæ Christus in vita sua fecit, Sacerdotes & Scribæ hoc effugio eludere solebant, quod fierent vi Beelzebuli, id est, Diaboli, cujus ope Christus utatur. Miracula quoque sub mortis ipsius tempus facta, facile potuerunt secus interpretari, & nebulas promiscuę plebis oculis offundere, ne altius rem indagaret. At hoc unum miraculum resurrectionis ejus, nullo colore, quisquis etiam excogitaretur, nullave arte poterat extenuari, vel cavisæ alii, præterquam divinæ virtuti, adscribi. Ideo enim ne discipuli ejus corpus furarentur dicerentq; postea, eum resurrexisse à mortuis, tanta cura custodibus appositis sepulcrum munierant. Si miraculum hoc potuissent ulla ratione ad aliam causam, quam ad Dei potentiam referre, non habuissent causam ullam gravem, cur tanta solicitudine sepulcrum munirent. Sed nunc ubi de ipsius resurrectione tam clarum testimonium à suismet custodibus audiunt, non jam student miraculum hoc, ut alia hactenus, extenuare, aut diabolicæ potentiæ adscribere (sciebant enim, se nihil effecturos tali assertione, & apud homines fidem non inventuros) sed volunt id supprimere & celare, militesque numis conducunt, ut scientes mentiantur. Quod sane indicium est inenarrabilis malitiæ, & nefarie ac violenter oppressæ conscientiæ. Verum est etiam hic mirabilis Dei providentia & vis veritatis animadvertenda. Nam mercenarii eorum testes, non poterant dicere, discipulos furatos esse corpus, cum vigilarent. Quæ enim in eo erat species veri, ut homines simplices ac inermes, egenique piscatores, quales erant discipuli, rem tam arduam cumque periculo capitis conjunctam aggrederentur, in conspectu tam validæ custodiæ, quæ armis sufficienter instructa erat? Hinc præsentibus, vigilantibus, & spectantibus tot armatis ausi fuissent vi monumentum recludere, ingentem lapidem, ad quem movendum plurium hominum manibus opus erat, ab ostio revellere, corpusque auferre? Quæ verisimilitudo? Itaque coacti sunt dicere, id factum esse, dum dormirent. Sed & hoc mendacium seipsum evertit ac refutat. Nam si dormierunt, qui sciunt, discipulos abstuliſſe corpus? qui possunt testari de eo, quod, cum dormirent, neque viderunt, neque audiverunt? Et qui fieri potuit, ut omnes milites simul tam alto sopore fuerint oppressi, ut nullus eorum, tumultu ac strepitu illo, quem in revolvendo lapide existere oportuit, excitaretur? Præterea cui bono discipuli corpus Christi furarentur? Si enim vere non resurrexisset, non potuissent eum nisi pro impostore maximo habere, qui eis subleverit os ampliſſimis promissis, quod in Regno ejus tanquam Principes ac Proceres regni una cum ipso regnaturi essent (supra cap. 19. 28.) Quid ergo causæ habuissent, de ipsius resurrectione falso testandi, cum exinde nullum emolumentum ac commodum, sed extrema mala & præsentissimum vitæ discrimen ipsis fuerit expectandum? Quod si vero eum crediderunt esse divinum legatum ac verum doctorem, quomodo ad confirmandam religionem ejus, qua omne mendacium ac falsum testimonium, maxime in rebus divinis, tam severe prohibetur, tam turpiter mentiti fuissent? Quod Christum post mortem ejus redivivum viderint, proprio sanguine suo testati sunt. Jam solet quidem fieri (quanquam & hoc raro) ut quis propter opinionem præconceptam, quam persuadet sibi esse verissimam, vitam ponat: at ut aliquis ob rem, quam falsam esse certo novit, & quæ nullam omnino utilitatem aut fructum ipsi affert, mortem subire velit, in hominem sana mente præditum nullo modo cadit. Quapropter istud emtum pecunia mendacium, de corpore Christi à discipulis ablato, longe infirmius est, quam ut

veritatem resurrectionis Christi apud cordatos in dubium vocare ac labefactare possit.

Vers. 14. *Et si auditum hoc fuerit apud Præsidem, nos persuadebimus ei, & securos vos præstabimus.*] Si nimirum resciverit Præses, excubias male administratas esse, vosque fugam dedisse, (quod alioqui secundum militarem Romanorum disciplinam capitale fuisset) nos eum placabimus, & vestrum mendacium nostro ita tegemus, ut vos sitis extra periculum.

Vers. 15. *Ipsi vero accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti: & divulgatus est ille sermo apud Judæos usque ad hodiernum diem.*] Duplicem hæc verba possunt habere sensum: vel quod primarii Sacerdotes milites pecunia corruperint; vel quod discipuli corpus Christi furto abstulerint, apud Judæos divulgatum fuisse. Posteriori sensu plerique Interpretes hæc verba accipiunt. Certissimum enim est, primarios Sacerdotes & Seniores omnem adhibuisse diligentiam, ut hoc mendacium aliquo colore incrustarent & inter populum disseminarent. Nihilominus veritas non potuit plane suppressa manere: sed præterquam quod mendacium istud facile pelluceat apud emunctæ naris homines, probabile quoque est, milites ipsos non adeo tenaces silentii fuisse, sed veras rei circumstantias suis contubernalibus, ut solet, vel etiam ipsi Pilato secreto exposuisse; à quibus postmodum fama etiam ad plures dimanavit. Atque hoc fuit initium ac præparamentum quoddam multorum deinceps conversionis ad Christum.

Usque ad hodiernum diem.] Hebraismus est usitatus, qui sæpissime in Veteri Testamento occurrit: ut & supra cap. 27. 8. Hinc autem colligere licet, Matthæum aliquanto serius scripsisse suum Euangelium, quam hæc gesta sunt. Consentiens Veterum Ecclesiæ Doctorum sententia est, eum id composuisse octavo anno post Christi mortem.

PARS III.

Vers. 16. *Undecim autem illi discipuli profecti sunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat eis Jesus.*] Undecim dicit, quia Judas duodecimus deerat, vel quod necem sibi intulerat, ut plerique statuunt, vel quod male sibi conscius Apostolis se associare amplius non auderet.

Profecti sunt in Galilæam.] Non statim post resurrectionem Christi, sed ad minimum post octiduum. Nam octavo die post suam resurrectionem Christus adhuc Hierosolymis, Apostolis una congregatis, cum etiam Thomas adesset, apparuit Joh. 20. 26.

In montem, ubi constituerat eis Jesus.] Multas alias apparitiones Christi, tam Hierosolymis, quam in Galilæa factas Matthæus brevitatis causa omittit, contentus hanc unam, utpote præcipuam, & cujus non pauci testes, dum hæc scribebat, adhuc in vivis erant, commemorare. Meminit tamen etiam tacite & quasi obscure innuit aliquid de aliis apparitionibus, dum ait, undecim illis discipulis (quorum è numero & ipse fuit) constituisse Christum montem certum, ubi convenire debuerint in Galilæa: quod sine dubio à Christo factum est, post resurrectionem ejus, cum octavo die omnibus undecim simul apparuisset Joh. 20. 26. Imo verisimile est, hanc apparitionem in isto monte Galilææ factam, esse illam ipsam, de qua Apostolus Paulus testatur, quod amplius quam quingentis fratribus simul sit visus 1 Cor. 15. 6. Cum enim Christus vellet se tantæ multitudini uno tempore manifestare, utique id commodius fieri non potuit, quam in monte aliquo ab arbitris longe remoto. Traditur autem vulgo à Veteribus, montem hunc fuisse Thabor dictum, in quo etiam Christus ante mortem suam fuit transfiguratus. Supra cap. 17. 1.

Potissimum autem ab Euangelistis octo apparitiones Christi post resurrectionem ejus recensentur. Prima fuit, cum Mariæ Magdalenæ aliisque fœminis, quæ una aderant, apparuit Joh. 20. 12. & supra ℣. 9. Altera est, cum eodem die Petro se præbuit videndum: ut ex Luca constat cap. 24. 34. & 1 Cor. 15. 5. Tertia fuit facta eodem die duobus discipulis Emauntem tendentibus Luc. 24. 15. Quarto illa ipsa vespera apparuit decem Apostolis, cum clausæ essent fores & Thomas abesset Joh. 20. 19. Quinto post octo dies rursus venit ad undecim, cum & Thomas adesset Joh. 20. 26. Sexto manifestavit se septem discipulis ad mare Tiberiadis Joh. 21. 2. Septimo omnibus Apostolis congregatis una cum quingentis fratribus in monte isto, de quo hic agit Matthæus, apparuit. Octava apparitio fuit, cum rursus omnibus Apostolis apparuit in Bethania, ubi ab illis in cœlum assumptus est Luc. 24. 50. Præter istas ab Euangelistis descriptas apparitiones, Paulus Apostolus adhuc duarum meminit: unius Jacobo, alterius sibi factæ post Christi in cœlum ascensionem 1 Cor. 15. 7. 8.

Vers. 17. *Et videntes eum, adoraverunt eum: quidam autem dubitaverunt.*] Undecim Apostoli una cum toto credentium agmine, qui aderant, adoraverunt eum, & quidem majori cum reverentia, quam ante mortem ejus facere consueverant. Vide supra ℣. 9.

Quidam autem dubitaverunt.] Hæc verba non ita sunt intelligenda, quod tunc ex iis, qui præsentes aderant, alii eum adorarint, alii vero dubitarint, an ipse esset; vel quod ipsum quidam adorarint & tamen simul dubitarint: sed sensus est, etiam eos, qui antea dubitarunt, ipsum adorasse. Videturque Matthæus inprimis ad Thomam his verbis respexisse, cujus maxima incredulitas enituit, quique adeo perseveranter dubitavit, cum alii omnes discipuli jam crederent: ut ex Joh. 20. 25 liquet. Indicat autem Matthæus hoc loco, de veritate resurrectionis Christi tanto minus dubitandum esse, quia etiam illi, qui tam difficulter adduci ad credendum potuerunt, eam tandem agnoverint, & Christum cultu adorationis venerati sint.

Vers. 18. *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra.*] Nonnulli existimant, Christum hæc verba non tempore hujus apparitionis in monte factæ protulisse, sed sub tempus ultimi discessus sui, cum in cœlum mox assumendus esset. Nam Johannes narrat cap. 21, à ℣. 15, usque ad finem multa, quæ post hanc apparitionem in monte factam acciderunt, quorumque mentio ab aliis Euangelistis omissa est. Sed verisimile est, Matthæum quemadmodum omnes præcipuas apparitio-

nes

tiones Chriſti quaſi in compendio complexus eſt, ita etiam hic ſummam eorum ſermonum, quos Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem ad diſcipulos ſuos, non ſolum in monte, verum etiam Hieroſolymis & alibi, ut & in Bethania, cum jam in cœlum aſcenſurus eſſet habuit, proponere voluiſſe.

Data mihi eſt omnis poteſtas.] Deſcriptione horum Chriſti verborum, vult Matthæus ob oculos ponere, Chriſti Sacerdotalem & Regiam dignitatem, ad quam per mortem & reſurrectionem ſuam jus pleniſſimum obtinuit, quamque mox per exaltationem reipſa conſecuturus erat. Habuit Chriſtus quidem etiam ante mortem ſuam, divinam poteſtatem & imperium, cujus vi novas leges hominibus præſcripſit (ſupra cap. 7. 29,) hominibus in terris peccata remiſit cap. 9. 6, (id eſt, temporarias pœnas peccatorum, curando varii generis morbos, ejiciendo dæmonia, excitando mortuos &c. ab iis abſtulit) etiam ventis & mari imperavit, aliaque ſtupenda miracula patravit: quæ omnia fuere quaſi primitiæ ejus Regni, ut ſupra cap. 27, explicatum eſt, & è Luca quoque cernitur cap. 17. 21. Sed hæc ipſius poteſtas tantum erat in terris, & quidem tantum intra terminos Judææ conſiſtens: ipſe quoque adhuc mortalis natura ſua erat, mortiſque debebat ſubire imperium. Aſt per mortem & reſurrectionem ſuam, *omnem poteſtatem in cœlo & in terra*, id eſt, illimitatum regnum atque imperium ſuper omnes creaturas in cœlo & in terra exiſtentes, etiam ſuper mortem & Diabolum, quem una cum dæmonum omnium grege ſuo tempore male perdet, adeptus eſt. Quam ejus poteſtatem præclare deſcribit Paulus, cum ait, Deum *collocaſſe eum ad dexteram ſuam in cœlis, longe ſupra omne imperium ac poteſtatem, & potentiam & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ejus pedibus, eumque conſtituit caput ſuper omnia, Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius* Epheſ. 1. 20 & ſeqq. Quæ verba eandem ſententiam continent, quam etiam expreſſit ad Philippenſes ſcribens, ubi ait, *Deum extuliſſe eum in ſummam ſublimitatem, ac donaſſe ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum, omniſque lingua profiteatur, Jeſum Chriſtum eſſe Dominum, ad gloriam Dei Patris* Phil. 2. 10, 11. Hæc poteſtas eſt illa *gloria, quam habuit apud Patrem* (id eſt, quæ ipſi à Patre deſtinata & parata erat ac quaſi repoſita, ut ipſi ſuo tempore conferretur) *priuſquam mundus eſſet* Joh. 17. 5. Hoc eſt illud *judicium omne, quod ipſi ita dedit Pater, ut Pater judicet neminem, ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem* Joh. 5. 22, 23. Hic eſt ille *thronus Davidis*, quem ſe daturum ei promiſit Deus Luc. 1. 32. Hæc illa *clavis Davidis*, id eſt, perfectum regimen atque imperium ſuper domum Davidis, & gubernatio omnium rerum, quæ ad eam pertinent Apoc. 3. 7. Hæ ſunt illæ *claves inferni & mortis*, id eſt, abſolutum imperium ſuper mortem & ejus regnum Apoc. 1. 18. Hæc eſt illa *vis efficax, qua poteſt ſibi ſubjicere omnia* Phil. 3. 21. Per hanc poteſtatem *conſtitutus eſt Judex vivorum & mortuorum* Actor. 10. 42. Per hanc conſecutus eſt divinam ſapientiam, ut poſſit *ſcrutari corda & renes* Apoc. 2. 23. E quibus omnibus liquido patet, poteſtatem iſtam Chriſto communicatam prorſus eſſe divinam, quæ ſe ſuper omnia, quæ in cœlo, ac in terra, & ſub terra ſunt (ſolo tantum Deo excepto 1 Cor. 15. 27) extendit, non tantum ſuper corpora, ſed etiam ſuper animos hominum: idque totum eo ſpectat, ut æternam ſalutem det illis omnibus, qui ipſi obediunt Hebr. 5. 9. Joh. 17. 2. Quapropter etiam ipſi ſummo jure debetur cultus non modo adorationis, ſed etiam invocationis, in rebus omnibus, quæ ad noſtrum ſive temporale ſive ſempiternum bonum ſpectant.

In cœlo.] Super omnes Angelos, qui ipſius regimini ac poteſtati divinæ, velut miniſtri Regni ejus ſubjecti ſunt Eph. 1. 21. Phil. 2. 10. Col. 1. 16. Hebr. 1. 4, 6. Ad quam cœleſtem poteſtatem etiam pertinet promiſſio illa Spiritus Sancti, quam accepit à Patre Actor. 2. 33.

Et in terra.] Poteſtas, quam Chriſtus in terra habet, extenditur partim ſuper omnes res terrenas, quatenus iis poteſt ad bonum piorum & ad pœnam impiorum uti; partim ſuper homines ipſos, è quibus poteſtatem habet colligendi ſibi populum ex omni natione, & ab omnibus finibus terræ, ac regendi eum, imprimis autem ſalutem eorum promovendi. Sub qua poteſtate comprehenditur etiam redemptio hominum ac liberatio à jugo legis Moſaicæ, quatenus illa tantum in Ceremoniis, quæ nihil niſi umbra ac typus erant rerum perfectiorum, conſiſtit. Quod Chriſtus non obſcure indicat ſequenti verſu 20, cum diſcipulis ſuis præcipit, ut eos quos baptiſaverint, doceant ſervare omnia, quæ ipſe eis mandaverat: quaſi dicat; Quicunque per Baptiſmum populo meo inſerti ac diſcipuli mei facti fuerint, illi non ſunt amplius obſtricti ſervare aliquid aliud præter ea, quæ ego mandavi.

Quod Chriſto omnis poteſtas data ſit, id argumentum eſſe invictum, quod Chriſtus non ſit Deus ille ſummus, vide monſtratum ad Joh. 5. 22.

Verſ. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.*] Hoc cum præcedentibus egregie cohæret, quaſi dicat Chriſtus: Quandoquidem ejuſmodi ſupremam poteſtatem in cœlo & in terra adeptus ſum, ideo conſtituo vos meos legatos ac miniſtros, per quos mihi in terra congregabo populum, & quomodo is ſe ad normam legum mearum componere debeat, per vos monſtrabo. Habeo omnem poteſtatem in cœlo & in terra mihi datam: ego ipſe aſcendo in cœlum, vos autem mitto in univerſam terram, ut prædicetis Euangelium omni creaturæ Marc. 16. 15.

Docete.] In Græco eſt μαθητεύσατε, diſcipulos facite, id eſt, adducite homines ad ſuſcipiendam doctrinam meam, ut fiant ſubditi Regni mei, ut mihi prompte obtemperent.

Omnes gentes.] Non ſolum è Judæis, ſicut antea vobis præceperam, ne iretis in viam Gentium, neque in civitates Samaritanorum ſupra cap. 10. 5. Sed nunc abſque diſcrimine ad omnes populos terræ vos mitto. Etenim per mortem Chriſti paries intergerinus, qui diſcriminabat Judæos ab aliis gentibus, abolitus eſt Eph. 2. 14. Regnum ejus non amplius finibus Judææ

coarctatur, ut ante mortem ipſius, ſed dominatur à mari ad mare, & à flumine uſq; ad fines terræ Pſ. 72. 8.

Baptiſantes eos.] Chriſtus Apoſtolis mandans, ut diſcipulos faciant omnes gentes, de duobus eos inſtruit. Primum, quo medio uti debeant ad faciendos diſcipulos. Secundo cujus diſcipulos eos facere debeant. Medium iſtud vocat Baptiſmum. Supra cap. 3. 6, annotatum eſt, inter Judæos receptum fuiſſe, ut qui è Paganiſmo ad Judaicam religionem tranſibant, aqua baptiſarentur, quo ritu tanquam ſigno manifeſto profitebantur, quod ſicut ſordes corporis aqua abluuntur, ita ipſi quoque converſi ad Deum ac veram pœnitentiam agentes, omnem idololatriam abjicere, totoſque ſe Dei ſervitiis conſecrare ac devovere velint. Hunc proinde ritum vult Chriſtus ab Apoſtolis quoque ſervari in omnibus Judæis ac Gentibus fidem in ipſum ſuſcipientibus, tanquam publico confeſſionis eorum ſigno, populo ſuo adjungendis ac inſerendis, atque ad id, ut diſcipuli ac ſervi ejus fiant, obligandis. Nullum vero eſt dubium, quin Chriſtus vocem baptiſandi hoc loco in ampliori ſignificatione acceperit, ita ut per Synecdochen partis ſimul prædicationem Euangelii, quæ omnino Baptiſmum præcedere debet, complexus ſit. Apoſtoli enim certe neminem baptiſare potuerunt, niſi eos qui ſibi placere doctrinam Chriſti profeſſi ſunt, & diſcipuli ejus fieri ſponte ſua voluerunt. Ita è contrario apud Marcum, ubi idem Chriſti mandatum deſcribitur, ſub prædicatione Euangelii etiam Baptiſmus, qui prædicationem Euangelii conſequi debet, comprehenditur. Nam ubi dixiſſet: *Ite in univerſum orbem, prædicate Euangelium omni creaturæ* cap. 16. 15, addit mox: *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit.* Nimirum qui prædicationi Euangelii (quæ fidem antecedat neceſſe eſt: Rom. 10. 14,) credit, & porro baptiſatur, ſalvabitur. Ex quo ſatis luculenter patet, eum prædicationi Euangelii etiam Baptiſmum includere. In ſequentibus apud Marcum verbis, *Qui autem non crediderit damnabitur*, Baptiſmi non meminit, indicans, Baptiſmum fruſtra adhiberi & non habere omnino locum, niſi fides, quæ ex prædicatione oritur, præcedat. Hinc jam perſpicuum eſt, Baptiſmum ſolum, abſque prævia prædicatione Euangelii, per quam fides generatur, non eſſe ſufficiens medium, ut quis fiat Chriſti diſcipulus, & Eccleſiæ ipſius membrum: atque adeo Pædobaptiſmum eſſe rem nullius momenti. Si enim Apoſtoli per ſolum Baptiſmum potuiſſent diſcipulos Chriſti facere, non ipſis fuiſſet neceſſaria prædicatio Euangelii, cum tamen illa fuerit potiſſima pars muneris ipſorum Apoſtolici, & tanto quidem ſublimior ac præſtantior quam Baptiſmus, ut Paulus affirmare veritus non ſit, ſe non eſſe miſſum à Chriſto ad baptiſandum, ſed ad Euangelium prædicandum 1 Cor. 1. 17. Hinc & hoc manifeſtum evadit, quod per Baptiſmum fides nemini infundatur: quia rurſus ſupervacua foret Euangelii prædicatio, ſi abſque illa fides ingenerari hominibus potuiſſet.

Quod ad alterum attinet, cujus diſcipulos Apoſtoli omnes gentes facere debeant, id Chriſtus expreſſit his verbis, *in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Vox *nomen* more Hebræo ſumitur pro re ipſa, ita ut in nomen Patris baptiſare, nihil aliud ſit, quam in Patrem baptiſare, & in nomen Filii, nihil aliud ſit, quam in Filium. Unde pro eodem ponitur, in nomen Chriſti baptiſari, & in Chriſtum baptiſari Actor. 8. 16. x. 48. xix. 5. Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. Non is autem eſt horum Chriſti verborum ſenſus, *baptiſate in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti*, quod Chriſtus voluerit iis formulam certam in baptiſando adhibendam præſcribere, ut nimirum baptiſans hæc verba neceſſario pronunciet: Ego te Baptiſo in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Hoc enim neque è verbis exſculpi, neque ullo exemplo comprobari poteſt. Sed aliquem in nomen alicujus, vel in aliquem baptiſare, ſignificat, aliquem religioni vel doctrinæ ejus, in quem baptiſatur, initiare, ipſius diſcipulum & ſectatorem facere, atque ad ſervitia ejus obſtringere. Sic ait Paulus ſe nullum è Corinthiis baptiſaſſe, ne quis dicat, eum in nomen ſuum baptiſaſſe 1 Cor. 1. 13, 15, id eſt, eum iſtos quos baptiſavit, ſuos feciſſe diſcipulos, ut ex ejus nomine Paulini dicerentur. Sic ait quoque, *Iſraëlitas omnes in Moſen baptiſatos eſſe in nube & in mari* 1 Cor. 10. 2, id eſt, cum nubes eos texit, ne ab Ægyptiis amplius conſpici & infeſtari poſſent, & cum eos Moſes ſiccis pedibus per mare rubrum traduxit (quod utrumque Apoſtolus Baptiſmum appellat) his miraculis viſis, totos ſe regendos ac ducendos Moſi tanquam miniſtro Dei tradiderunt. Reſpicitque Paulus iſtis verbis ad locum Exod. 14. 31, ubi ſcriptum eſt: *Et populus timuit Dominum, & credidit in eum & in Moſen ſervum ejus.* Sic etiam in mortem Chriſti baptiſari Rom. 6. 3, ſignificat, per Baptiſmum palam teſtari, quod velis Chriſtum in morte imitari. Similiter cum Paulus Actor. 19. 3, diſcipulos Epheſinos, qui ignorabant etiam, an ſit Spiritus Sanctus, interrogaſſet: In quid ergo baptiſati eſtis? reſponderunt illi: In Baptiſma Johannis. Ubi Paulus nihil aliud quærit ac ſciſcitatur, quam, ad quam religionem ſe in Baptiſmo obſtrinxerint, vel cui ſe Doctori ac Magiſtro in religione addixerint. Illi autem reſpondent, ſe doctrinæ Johannis ſe obligaſſe, ejuſque diſcipulos factos eſſe. Simul ac vero à Paulo inſtituti ſunt, quod Johannes tantum Baptiſmo pœnitentiæ baptiſaverit, hortatuſque ſit populum, ut in eum qui veniebat poſt ipſum, id eſt, in Jeſum Chriſtum crederent; ſuſceperunt Baptiſmum rurſus in nomen Domini Jeſu: id eſt, facti ſunt diſcipuli Domini Jeſu. Eodem loquendi modo utitur quoque doctiſſimus Judæorum Rabbi Maimon, dum inquit, mulieres in bello captas baptiſari oportere in nomen proſelytarum (id eſt, in nomen eorum, qui ex Gentiliſmo ad Judaiſmum accedebant) quibus verbis nihil aliud ſibi vult, quam eas in eam religionem baptiſandas eſſe, quam Proſelytæ profitentur. Nullam proinde verba hæc Chriſti continent formulam, quam is qui baptiſat, neceſſario adhibere debeat in baptiſando, ut hodie paſſim fit, & Baptiſmum abſque horum verborum pronunciatione invalidum & inefficacem eſſe creditur: ſed Apoſtoli ante Jeſu in cœlum adſcenſionem eadem prorſus forma & ratione in baptiſando uſi ſunt, qua uſus eſt Johannes Baptiſta, antequam Chriſtus cœpit prædicare, imo qua Judæi ipſi ab antiquis temporibus proſelytos baptiſarunt: ut nimirum baptiſandos plane in aqua immerſerint. Hanc autem immerſionem

nem præcedebat confeſſio baptiſandi, qua ad breves interrogatiuncules de Baptiſmo ipſi propoſitas reſpondebat, cujuſque ſumma erat, quod in Chriſtum crederet, & ſe ipſi in omnibus obſequentem fore promiteret. Cujus claram formulam & exemplum habemus nobis propoſitum Actor. 8. 37. Cum enim Theſaurarius Reginæ Æthiopum baptiſari vellet, dixit ad eum Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Ad hoc dictum Philippi Theſaurarius iſte edit confeſſionem ſuam: *Credo, Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum.* Quod autem baptiſans in baptiſando uſus fuerit certis verbis aut formula aliqua, quæ tanquam neceſſaria pars Baptiſmi adhiberi debeat, vel huic ritui ſingularem vim & efficaciam addat, neque ex Sacra Scriptura, neque ex ullo Scriptore primitivæ Eccleſiæ demonſtrari poteſt.

Nominat autem hic Chriſtus tres, quorum diſcipulos Apoſtoli prædicando Euangelium & baptiſando facere debeant omnes gentes. Primo loco ponit Patrem, tanquam Deum altiſſimum, & primum Authorem hujus doctrinæ, & ad cujus honorem omnis cultus Chriſto exhibitus dirigitur Joh. 7. 16. Phil. 2. 11. Poſtea Filium, tanquam eum, per quem Pater hanc doctrinam mundo primum revelavit ac propoſuit. Tertio Spiritum Sanctum, tanquam eum, qui poſt Chriſti in cœlos aſcenſum quaſi vices ejus obiit hic in terris, & Apoſtolos in omni veritate inſtituit, cujuſque vi Euangelium in toto mundo prædicatum & confirmatum eſt.

Ex hoc Chriſti mandato baptiſandi in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti enata ſunt Symbola fidei, ſeu confeſſiones, in quas Baptiſmus adminiſtrabatur. Ut nimirum: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem* &c. *Et in Jeſum Chriſtum, filium ejus unigenitum* &c. *Et in Spiritum Sanctum* &c. Quæ Symbola primitus poſt Apoſtolorum deceſſum ſimplicibus ac brevibus verbis concepta, ſubſequentibus autem temporibus magis magiſque aucta ac ſuffarcinata prodierunt. Quæ qui confitebantur, iiſque ſe addicebant, illi baptiſabantur, atque ita per Baptiſmum fiebant diſcipuli Patris, & Filii & Spiritus Sancti, & ad eorum ſervitia obſtringebantur.

Obſervandum etiam hic eſt, cum in Actis & alibi, ubi de Baptiſmo agitur, ſolius nominis Chriſti, & non Patris, nec Spiritus Sancti fit mentio (ut Actor. 8. 16. x. 48. xix. 5. Rom. 6. 3. Gal. 3. 27,) nomine Chriſti totum id comprehendi, quod baptiſandus ante credere ac confiteri debet. Qui enim ſe ad ſerviendum Chriſto obſtringit, ſimul & eadem opera ſe obſtringit ad ſerviendum Deo Patri, cujus gloria eſt ultimus ſcopus noſtri ſervitii; & Spiritui Sancto, per quem fideles Chriſti conſecrantur, & ſpes eorum in cordibus ipſorum obſignatur. Inde Irenæus ait lib. 3. cap. 10: *In Chriſti nomine ſubauditur, qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa unctio, in qua unctus eſt.* In illis autem locis propterea ſolius Chriſti nomen exprimitur, quia ipſe eſt Dux fidelium Dei, cujus nomen gerunt, & ab illo Chriſtiani nuncupantur.

Non eſt hoc loco prætermittendum, quod ex hoc loco vulgare dogma Trinitatis, quo Deus unus in eſſentia & trinus in perſonis eſſe ſtatuitur, neutiquam demonſtrari queat. Quamvis enim tres nominentur, tamen ex verbis ipſis nullo modo liquet, eos tres perſonas eſſe, multo minus, hos tres unam tantum habere eſſentiam. Imo potius innuitur, tres eſſe diſtinctas eſſentias, dum tres diſtinctæ res nominantur. Cum enim Filius alius ſit quam Pater, & Spiritus Sanctus alius, quam Pater & Filius; neceſſario ſequitur, etiam, Filium habere aliam eſſentiam, quam Pater habet, & Spiritum Sanctum aliam eſſentiam habere, quam habet Pater & Filius. Nam ſi omnes tres nonniſi unam eſſentiam haberent, non eſſent tres res diſtinctæ, ſed tantum una res. Neque etiam ex his verbis ulla legitima ratione colligi poteſt, Spiritum Sanctum ſaltem perſonam eſſe, quia Patri & Filio, qui abſque omni controverſia perſonæ ſunt, adjungitur. Nam Apoſtolus Paulus adjungit quoque *Deo ſermonem gratiæ ejus* Actor. 20. 32, inde tamen non ſequitur ſermonem gratiæ Dei etiam perſonam eſſe, quia Deus perſona eſt. Ita idem Apoſtolus conjungit *Dominum* cum *robore virium ejus* Epheſ. 6. 10. Imo Chriſtus ipſe ſic loquitur: *Inſcribam ei nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novæ Hieroſolymæ, & nomen meum novum* Apoc. 3. 12, neque tamen ſequitur, civitatem illam perſonam, multo minus perſonam Deitatis eſſe. Adjungit autem Chriſtus hic apud Matthæum Spiritum Sanctum Patri & Filio, etſi perſona non ſit, ut indicet, doctrinam ſuam, etſi poſt ipſius aſcenſionem in cœlum, per homines prædicabitur, non tamen pro humana doctrina habendam eſſe: Spiritum Sanctum enim futurum, qui per os Apoſtolorum loquetur. Spiritus Sanctus eſt ille Paracletus, quem Chriſtus Apoſtolis ſuis miſit à Patre, ut quodammodo vices ejus ſubiret, eoſque in omnem veritatem duceret, & cum eis uſque ad conſummationem ſeculi permaneret Joh. 16. 7, 13. Quocirca meritiſſimo Spiritus Sanctus Patri & Filio adjungitur, & quamvis non ſit perſona, tamen per uſitatam loquendi figuram, quæ Proſopopœia dicitur, tanquam perſona introducitur, quia Pater & Filius perſonæ ſunt. Innumera ſunt exempla, quod res, quæ perſonæ non ſunt, nihilominus ſimpliciter, & ſine omni comparatione tanquam perſonæ introducantur; (Vide inter alia 1 Cor. 13. 4, & ſeqq. Jacob. 3. 17,) nec ſine emphaſi ſingulari atque ornatu orationis: cur hic idem fieri abſurdum ſit, ut Spiritus Sanctus, tametſi perſona non ſit, nihilominus figurata locutione tanquam perſona introducatur, quando cum perſonis, nempe cum Patre & Filio comparatur, & conjunctim proponitur? Spiritus Sanctus peregregie Doctor Euangelii nuncupari poteſt, abſque ulla conſideratione, an ſit perſona, ideo tantum, quia eſt virtus & efficacia Dei atque afflatus divinus, per quem animi mortalium illuminantur, in veritate inſtruuntur, eorumque linguæ diriguntur. Quo loquendi modo etiam eleganter dici ſolet, Experientiam eſſe optimum magiſtrum, etſi experientia nequaquam perſona ſit. Imo in eo ipſo conſiſtit locutionis elegantia, quod Spiritus Sanctus non proprie, ſed figurate Doctor veritatis appelletur. Si igitur Spiritus Sanctus, licet perſona non ſit, optime tamen & elegantèr dici poteſt Doctor vel Magiſter Euangelii, quidni pari elegantia etiam dicatur, omnes Chriſtianos eſſe Spiritus Sancti diſcipulos.

Jam ſi ſunt ejus diſcipuli, jure merito etiam in nomen ejus baptiſantur. Memorabile eſt admodum illud Hilarii, qui ſcribit Baptiſmum fieri *in confeſſione Auctoris, & Unigeniti, & Doni:* ubi Spiritum Sanctum tali deſcribit voce, ex qua ſatis ſuperque intelligitur, eum Spiritum Sanctum pro perſona Dei non agnoviſſe.

Notandum & hoc eſt, Apoſtolis quidem injunctum eſſe, ut baptiſarent in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti: ipſos autem hoc Baptiſmo fuiſſe baptiſatos nuſquam apparet. Eo ipſo enim, quod à Chriſto mittuntur, ad homines per prædicationem Euangelii & Baptiſmum, ut Chriſti fiant diſcipuli, adducendum, ipſique hoc mandatum ſtudioſe obſervarunt, jam reipſa & facto ipſo fuerunt diſcipuli ac miniſtri Chriſti, adeoque non opus erat, ut demum per hanc Ceremoniam fierent. Atque ex eo clare perſpicitur, Baptiſmum non eſſe tam neceſſarium præceptum, quod abſque jactura ſaluris non poſſit intermitti, præſertm inter eos, qui non è Judaiſmo aut Gentiliſmo ad Chriſtianam religionem accedunt (ad quales potiſſimum hoc Chriſti præceptum ſpectat) ſed qui è Chriſtianis nati, & in Chriſtiana religione educati ſunt, atque ita ab ipſo matrum ſuorum utero ſunt Chriſto conſecrati. Nihilominus tamen nullo pacto debet temere ac proterve ſperni aut omitti, ſed in Eccleſia Chriſti una cum Cœna Domini retineri debet. Siquidem hic Baptiſmi ritus ſingularem habet vim, eos, qui confeſſionem ſuam eo obſignant, & Fœdus, quod cum Deo ineunt, confirmant, intra limites debiti officii continendi. Quemadmodum enim qui voto ſe obligat Deo in re aliqua, longe magis tenetur obſtrictus, quam qui ſimpliciter tantum aliquid ſibi faciendum propoſuit: ita is quoque multo majori vinculo conſtrigitur ab obediendum Deo & Chriſto, qui ejuſmodi viſibili ſigno ac ritu ſe ad id obligat, & Chriſti Eccleſiæ incorporatur, quam qui ſimpliciter ſe diſcipulum Chriſti eſſe profitetur.

Verſ. 20. *Docentes eos ſervare omnia, quæ mandavi vobis: & ecce ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Amen.*] Hic Chriſtus non loquitur de prima inſtitutione, in qua prima & neceſſaria Chriſtianæ Religionis capita ſimpliter ac compendioſe traduntur & explicantur; quæ Inſtitutio vulgo Catecheſis appellatur, & Baptiſmo præmitti debet: ſed agit de pleniori doctrina & informatione de iis rebus, quæ ad perfectam ipſius & præceptorum ipſius cognitionem faciunt. Priora illa vocat Scriptor ad Hebræos prima elementa ſermonis Dei, & lac: poſteriora nuncupat ſolidum cibum cap. 5. 12. VI. 1, 2. Quamobrem Chriſtus his verbis non præſcribit Apoſtolis, quomodo ii gentes debeant ſuos diſcipulos facere, ſed quomodo eos, quos jam fecerunt, porro perfectius in doctrina ſua erudire debeant.

Et ecce ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.] Apparet, aſcenſionem Chriſti in cœlum omnibus Chriſtianis in Palæſtina rem fuiſſe notiſſimam; ut Matthæus neceſſarium haud duxerit, eam ex profeſſo deſcribere. Cum enim Chriſtus quingentis fratribus apparuerit, credibile admodum eſt, eum ipſis ſuam in cœlum aſſumtionem indicaſſe, ac revelaſſe. Marcus autem & Lucas, quia Euangelia ſua propter illos ſcripſerunt, qui extra Judæam vixerunt, merito hanc hiſtoriam de aſcenſu Chriſti in cœlum Euangeliis ſuis attexuerunt. Johannes quoque eam ſilentio prætermittit, quia propoſitum ipſius erat, ea duntaxat deſcribere, quæ alii Euangeliſtæ omiſerunt. Attingit tamen eam Matthæus eo ipſo, dum hæc Chriſti verba refert, quæ ad diſceſſum ac abitum ejus ſpectant, quibuſque diſcipulos ſuos conſolatur. Vult enim Chriſtus dicere: Etiamſi ego aſcendam in cœlum, & viſibili ratione vobiſcum non ero, nihilominus mea virtute & gratia nunquam à vobis recedam, ſed vobiſcum omni tempore permanebo. Sicut enim ſupra cap. 16. 28, (ubi ait, aliquos *ex adſtantibus viſuros eum venientem in* Regno ſuo) non perſonalem ſuum deſcenſum de cœlo promiſit Chriſtus; ut quæ demum in die noviſſimi Judicii futura ſit, 1 Theſſ. 4. 16, ſed adventum ſuum per Spiritum Sanctum: Ita hic quoque promittit ſuam præſentiam diſcipulis ſuis, non corporalem, ſed eam qua per Spiritum Sanctum, quem eis miſſurus erat, tanquam Paracletum, & quaſi Vicarium ſuum, eis deinceps adfuit. Locutio iſta *cum aliquo eſſe*, etiam de Deo uſurpatur. Ut Jerem. 1. 8, alloquitur Deus Prophetam, cum munus prædicandi Iſraëlitico populo ſubire detrectaret: *Noli timere ab eis, quia ego tecum ſum.* Et Jud. 6. 12, affatur Angelus Gedeonem: *Dominus eſt tecum, virorum fortiſſime.* Cui reſpondet Gedeon: *Si Dominus eſt nobiſcum, quare evenerunt nobis hæc omnia?* Vide ſimilia & parallela loca Geneſ. 26. 3. XXXIX. 2, 3, 21, 23. Lev. 26. 12. Deut. 23. 14. Pſal. 34. 19. XCI. 15. CXIX. 151. CXXXIX. 3. CXLV. 18. Actor. 7. 9. 2 Cor. 6. 16. Quibus omnibus in locis non corporalis & eſſentialis Dei præſentia, ſed ejus potentia, gratia, & providentia intelligitur. Nimirum humano more ita de Deo loquitur Scriptura. Quando enim homines aliquid volunt peragere atque efficere, neceſſe eſt, ut ipſi rei peragendæ corporaliter præſentes adſint, & cum re illa efficienda quaſi uniantur atque conjungantur. Eodem modo hæc locutio, ut & aliæ infinitæ, etiam de Deo uſurpantur, & dicitur, eum illis rebus vel perſonis adeſſe, quarum curam gerit, in quibus aliquid operatur & efficit. Cum ergo Deus Chriſtum in potentia, ac poteſtate, & ſapientia ſibi ſimilem & æqualem reddiderit, ut is æque ac Deus ipſe Omnipræſens eſſe per ſuam ſolam virtutem ac ſpiritum, & per miniſterium Angelorum omnia, quæ vult in terris efficere poſſit: non tantum neceſſarium non eſt, ut hæc verba de ipſius eſſentiali præſentia in terris accipiantur, eique minus potentiæ attribuatur, quam terrenis Regibus, qui pleraque munia regiminis ſui non perſonaliter, ſed per delegatos ac miniſtros ſuos perficiunt & exequuntur; ſed etiam nimis abſurdum eſt credere, Chriſtum vel ſimul & ſemel eſſe in cœlo & in terra (ſiquidem è terra in cœlum aſcendit, nec ante rediturus eſt inde, quam ad univerſale judicium Actor. I. 11. iij. 21. 1 Cor. 15. 25. Hebr. 10. 13. 1 Theſſ. 4. 16,) vel certis temporibus thronum majeſtatis ſuæ relinquere, & ad homi-

nes

nes in terram deſcendere, ut ſub, vel, cum panis particula comedatur, aut alia quædam inter homines perficiat.

Vſque ad conſummationem ſeculi.] Quod Apoſtoli non ad conſummationem ſeculi, id eſt, ad finem & interitum mundi eſſent victuri, probe norat Chriſtus. Quare verba iſta continent promiſſionem generalem, quod ſcilicet Chriſtus omnibus temporibus, iis omnibus adfuturus ſit, qui in ipſius opere ſtrenue laborant, ſuoque ſtudio numerum fidelium ejus augent, & ipſius Eccleſiæ curam fideliter agunt. Imo cum Chriſtus cum Eccleſia ſua, veluti caput cum corpore arctiſſimo amoris vinculo junctus cohæreat, Epheſ. 1. 22, 23. v. 29, 30, 32. Col. 1. 18, ideo nunquam ab ea abeſſe poteſt, adeo ut non ſolum totam in genere, ſed etiam in ſpecie unumquodque membrum curæ, tutelæ ac providentiæ ſuæ peculiari, in omnibus rebus ad eorum ſalutem ſpectantibus, habeat commendatiſſimum. Dicit autem Chriſtus, uſque ad conſummationem ſeculi: quia poſt conſummationem ſeculi, ubi tradiderit Regnum ſuum Deo Patri 1 Cor. 15. 24, jam non amplius eo modo nobiſcum erit; ſed nos potius cum ipſo & apud ipſum erimus; nempe ubi venturus eſt, & nos ad ſe aſſumet, ut ubi ipſe eſt, nos quoque una ſimus Joh. 14. 3.

FINIS.



COMMENTARIUS
IN
EUANGELIUM
SECUNDUM
MARCUM.

De vita & obitu Euangeliſtæ Marci.

QUis fuerit Marcus iſte, inter Interpretes non convenit. Sunt, qui putent, eum eſſe illum, cujus mentio habetur Actor. 12. 12, qui fuit filius Mariæ cujuſdam, quæ erat civis Hieroſolymitana, in cujus domum venit Petrus, cum ex carcere & vinculis eſſet miraculoſe ab Angelo liberatus. Ita enim ſonant verba illius loci: *Et rem conſiderans* (Petrus) *venit ad domum Mariæ, matris Johannis, qui cognominabatur Marcus.* Hunc eundem Marcum etiam Paulus in culpa ponit, cur eum ad viſitandos fratres ſibi aſſociare noluerit Actor. 15. ℣.37,38. Verum Marcum iſtum Euangeliſtam non fuiſſe alii contendunt (& hos inter etiam Euſebius) hanc ob rationem, quod nunquam ab ullo veterum Eccleſiæ Patrum Johannes fuerit dictus, ſed ſemper Marcus; cum tamen potius Johannes quam Marcus vocari debuiſſet, ſi proprium nomen ejus Johannes, cognomentum vero Marcus erat. Cenſent igitur iſti Marcum Euangeliſtam fuiſſe illum, cujus meminit Petrus in ſua priori Epiſtola cap. 5. 13, ubi eum filium ſuum appellat, ſive propter ſummum & plane paternum amorem, quo ipſum complectebatur, ſive (quod probabilius eſt) propterea quia eum in Chriſto genuerat: ut & Paulus Corinthios, Galatas, Timotheum, Titum, Oneſimum filios ſuos vocat 1 Cor. 4. 15. Gal. 4. 19. 1 Tim. 1. 2. 2 Tim. 1. 2. Tit. 1. 3. Philem. 10. Quod enim Petri diſcipulus fuerit, teſtantur Veteres, Euſebius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Hieronymus, qui tradunt, eum comitem Petri in prædicando Euangelio fuiſſe. Prodiderunt autem quidam ex antiquioribus eum hoc ſuum Euangelium ſcripſiſſe rogatu fratrum, qui Romæ erant, & quidem Petro adhuc ſuperſtite, qui id perlegerit, & approbarit. Hinc Tertullianus auctor eſt, id à compluribus Petri Euangelium eſſe nuncupatum. Hoc Euangelium profectus in Ægyptum, ſecum eo detulit, ibique primum Alexandriæ Chriſtum prædicavit, ubi etiam Epiſcopus factus eſt. Scripſit lingua Græca, etſi in gratiam fratrum Romanorum, ut dictum eſt; quemadmodum & Paulus ad Romanos ſcribens Græco ſermone uſus eſt. Judæi enim, qui Romæ degebant, Romanæ ſeu Latinæ linguæ minus erant gnari, Græcam autem linguam callebant omnes, è Romanis vero ne unus quidem erat, qui non Græce intelligeret. Uſus autem eſt Marcus in ſui Euangelii ſcriptione Matthæi Euangelio, cujus hoc ipſius eſt ferme quaſi compendium: ut ex collatione clare conſtat. De ipſius morte teſtatur Hieronymus, eum octavo anno Cæſaris Neronis defunctum eſſe, & Alexandriæ ſepultum.

CAPUT I.

Argumentum.

I. *Johannes Baptiſta parat viam Chriſto per baptiſmum pœnitentiæ: ad verſ.* 9. II. *Chriſtus ab eo baptiſatur: ad verſ.* 12. III. *Chriſtus à Diabolo tentatur: ad verſ.* 14. IV. *Prædicat in Galilæa: ad verſ.* 16. V. *Vocat quatuor diſcipulos: ad verſ.* 21. VI. *Docet in Synagoga Capernaumi, & ejicit dæmonium: ad verſ.* 29, VII. *Socrum Petri à febre ſanat: ad verſ.* 32. VIII. *Complures ægrotos curat, & prædicat in oppidis: ad verſ.* 40. IX. *Leproſum mundat: ad finem Cap.*

PARS I.

Verſ. 1. PRincipium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei.] Hoc vult Marcus dicere, quod prædicatio Jeſu Chriſti de Regno Dei inceperit à prædicatione Johannis Baptiſtæ: quaſi dicat. Prædicatio Jeſu Chriſti tale habuit initium, quale prædixerunt Prophetæ, quod nempe prædicatio Meſſiæ à prædicatione pœnitentiæ inchoari debuerit. Hinc tam

tam Chriſtus quam Johannes his iiſdem verbis prædicationem ſuam auſpicati ſunt: *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit Regnum cœlorum*, Matth. 3. 2. iv. 17. Et Chriſtus Euangelium Legi opponens inquit: *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem: ab eo tempore regnum Dei annuntiatur*, Matth. xi. 13. Luc. 16. 16. Petrus quoque in electione Matthiæ totum Euangelii curſum claudit intra tempus à Johanne Baptiſta incipiens & ſe uſque ad aſcenſionem Chriſti in cœlum extendens Actor. i. 21,22. Errant proinde, qui autumant, verba hæc eſſe titulum totius libri; quaſi dixerit Marcus: Scripturus Euangelii hiſtoriam, incipiam à prædicatione Johannis Baptiſtæ, de quo ſcriptum eſt in Prophetis &c. Cui interpretationi obſtant verba illa ℣ſ. 2. *Sicut ſcriptum eſt*: ut quæ hoc ſenſu cum præcedentibus haud cohæreant. Prophetæ enim id non prædixerunt, quod Marcus Euangelium ſcripturus, & ſuæ ſcriptioni hunc titulum præſcripturus ſit, ſed quod Chriſtus ſit venturus, & Euangelium prædicaturus. Neque etiam id apud ullum vel Græcum vel Hebræum Scriptorem in uſu eſt, ut talem libro ſuo præfigat titulum: Hoc eſt principium mei libri vel Scripti.

Filii Dei.] Nomen Filii Dei Meſſiæ proprium, & inter Judæos notiſſimum fuiſſe, apud Matthæum cap. 16. 16, à nobis oſtenſum eſt. Quod igitur Jeſus Chriſtus ſit ille Filius Dei ſeu Meſſias, inſtituit Marcus ſequenti narratione ac deſcriptione mirabilium ejus operum demonſtrare. Mirari autem ſubit, cum Marcus in ſcribendo ſuo Euangelio uſus ſit Euangelio Matthæi, cur omnia illa prætermiſerit, quæ Matthæus de miraculoſa Chriſti generatione refert. Cauſam hanc nonnulli Interpretum afferunt, quod Marcus ſuum Euangelium ſcripſerit propter Romanos, qui, cum nuper ex Ethniciſmo ad Chriſtianam religionem converſi fuerint, potuiſſent in eam cogitationem venire, quod generatio Chriſti ex Spiritu Sancto eodem modo ſe habuerit, atque generatio falſorum Deorum, quos ex Alcmena, Leda, Danae, Ilia, Semele &c, natos eſſe Ethnici fabulabantur. Hanc aut ſimilem ob cauſam vix aliqua mentio ejus rei invenitur in ſermonibus atque ſcriptis Apoſtolorum. Si igitur Petrus, cujus diſcipulus fuit Marcus, certas ob cauſas hac de re ſiluit, mirum non eſt, Marcum quoque hanc Euangelicæ hiſtoriæ partem præteriiſſe: quæ tum demum neceſſario erat explicanda, cum tales reperirentur, qui Chriſtum nudum ac purum hominem, ex concubitu Joſephi cum Maria natum eſſe aſſerebant. Ex hoc quoque Marci & Apoſtolorum ſilentio colligere licet, id quod Chriſtus ex Spiritu Sancto conceptus eſt, non eſſe primariam cauſam, ob quam Filius Dei dicatur, ſed potius ejus exaltationem ad dextram Dei, per quam excellentiſſimo ſenſu hoc nomen eximium ſortitus eſt. Et Judæi ſane Meſſiam non propter talem miraculoſam nativitatem Filium Dei futurum credunt, ſed propter ejus Regiam eminentiam, quod omnibus populis terræ imperaturus ſit: ut ex typo Davidis videre eſt Pſal. 2. 7. lxxxix. 28.

Verſ. 2. *Sicut Scriptum eſt in Prophetis: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.*] Ita verba hæc in pleriſque Græcis exemplaribus leguntur; ſed in Syriaca, Latina & Arabica verſione, & apud Irenæum alioſque Veteres hoc modo legitur: *Sicut Scriptum eſt in Eſaia Propheta.* Priora autem verba, *Ecce ego mitto Angelum meum*, extant apud Malachiam cap. 3. 1 poſteriora vero ℣ſ. 3, *Vox clamantis in deſerto*, habentur apud Eſaiam cap. 40. 3. Cauſa vero, cur Marcus è duobus Prophetis teſtimonia citaverit, videtur hæc eſſe: quia dixerat, *Hoc eſt principium Euangelii Jeſu Chriſti*, ideo demonſtrat id jam verbis Eſaiæ Prophetæ: *Vox clamantis in deſerto.* Nam hæc vox in deſerto fuit initium Euangelii. Quia vero ex iſtis Eſaiæ Prophetæ verbis non ſatis intelligi poterat, Prophetam de Johanne Baptiſta loqui, propterea præmittit eis, quaſi probationis loco verba Malachiæ Prophetæ, quæ aperte de Johanne Baptiſta vaticinantur.

Ecce ego mitto Angelum meum.] Horum verborum explicationem pete ex Matth. xi. 10.

Verſ. 3. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.*] Verba hæc expoſita ſunt Matth. 3. 3.

Verſ. 4. *Baptiſabat Johannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.*] In Græco eſt: *Fuit baptiſans.* Qui Hebraiſmus tunc uſurpatur, quando res aliqua ſæpius fit & per tempus non parvum continuatur. Similem locutionem habebimus etiam infra cap. 2. 18.

Prædicabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.] Id eſt, prædicabat, pœnitentiam eſſe agendam, & veram pœnitentiam agentes remiſſionem peccatorum conſecuturos eſſe: præterea ad teſtandam ejuſmodi pœnitentiam baptiſmum ſuſcipiendum eſſe. Per pœnitentiam autem Euangeliſta non ſolum fugam mali, ſed etiam conſectationem boni, ſeu operum pietatis intelligit; non quidem in gradu perfectiſſimo, quo modo illa in Chriſti doctrina proponuntur: ſed hoc ſenſu, quo ea Lex exigebat, & lumen rationis unicuique æquo ac cordato homini dictabat. Atque id ex Luc. 3. 11 & ſeqq. perſpicitur. Nam cum populus Johannem interrogaret, quid facere debeant, talia ipſis præſcribit pietatis officia, quæ ſupremum gradum perfectiſſimæ Chriſti doctrinæ nondum attingunt. Ita etiam per remiſſionem peccatorum non intelligit, illam perfectiſſimam remiſſionem, quæ hominem coram Deo juſtum, & vitæ æternæ compotem reddit (qualem nonniſi Chriſtus docuit) ſed ſimplicem liberationem ab ira Dei: ut ex Matth. 3. 7 liquet. Utrumque iſtud, tam pietatem, quam remiſſionem peccatorum, debebant diſcipuli Johannis primum à Chriſto perfectiſſime diſcere, ad quem ipſe eos remittebat, ut ab eo etiam ſpiritum illuminationis, roboris ac conſtantia acciperent.

Verſ. 5. *Et exibat ad eum omnis Judaica regio, & Hieroſolymitæ, & baptiſabantur omnes ab eo in Jordane flumine, confitentes peccata ſua.*

Verſ. 6. *Indutus autem erat Johannes pilis Camelorum, & zona coriacea circa lumbos ſuos: & edebat locuſtas & mel ſylveſtre.*

Verſ. 7. *Et prædicabat dicens: Venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus, ut incurvatus ſolvam corrigiam calceamentorum ejus.*

Verſ. 8.

Verſ. 8. *Ego quidem baptiſavi vos in aqua : ille vero baptiſabit vos in Spiritu Sancto.*] Hæc omnia explicata habes apud Matthæum cap. 3. 4 & ſeqq.

PARS II.

Verſ. 9. *ET factum eſt diebus illis, venit Jeſus à Nazaretha Galilææ, & baptiſatus eſt à Johanne in Jordanem.*] Ex Nazaretha civitate Galilææ venit Jeſus, ubi poſt ſuum ex Ægypto reditum ferme ad trigeſimum uſque ætatis ſuæ annum educatus eſt: ut ex Matth. 2. 23, & Luc. 3. 23. 1v. 16 intelligitur.

Verſ. 10. *Et ſtatim aſcendens è aqua vidit ſciſſos cœlos, & ſpiritum tanquam columbam deſcendentem ſuper eum.*

Verſ. 11. *Et vox facta eſt de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.*] In Syriaca & Latina verſione, & nonnullis Græcis exemplaribus legitur: *In te* complacuit mihi. Reliqua explicata ſunt Matth. 3. 13 & ſeqq.

PARS III.

Verſ. 12. *Et ſtatim ſpiritus eum expellit in deſertum.*] Statim, id eſt, non multo poſt. Quod enim unus atque alter dies interlapſus fuerit, ex Johanne cap. 1. 29 patet, ubi Johannes poſt baptiſmum poſtridie Chriſtum vidit, & dixit: *Ecce agnus Dei* &c. Voculam autem *ſtatim* interdum laxius ſpatium in ſe complecti, cernitur ex Joh. 13. 32. Et credibile eſt, Chriſtum ad minimum per unum diem cum Johanne commoratum fuiſſe, ut pluribus ad baptiſmum ejus accedentibus de eo teſtimonium perhibere poſſet. Cauſa, ob quam Euangeliſta hoc tempus tam diligenter annotavit, hæc videtur fuiſſe, quod nobis in Chriſto propoſitum ſit exemplum, quid omnibus Chriſtianis, ſimul atque baptiſati fuerint, id eſt, Chriſto nomen dederint, expectandum ſit, nimirum novum certamen cum malis ſpiritibus.

Spiritus eum expellit.] Gr. ἐκβάλλει, *ejicit*: id eſt, Spiritus Dei, qui ſuper eum ſtatim poſt ſuſceptum baptiſmum deſcendit, dictavit ei, ut iret in deſertum. Similiter hoc verbum ejiciendi uſurpatur Matth. 9. ℣. 25 & infra ℣. 43 hujus Capitis.

Verſ. 13. *Et fuit illic in deſerto dies quadraginta, tentatus à Satana; eratque cum feris, & Angeli miniſtrabant illi.*] Hoc de feris additur, ut indicetur, locum prorſus incultum & ab hominum conſortio remotum fuiſſe. Ubi enim homines habitant, aut quo ſæpe ventitant, inde recedunt feræ. Probabile eſt, etiam venenata animalia, ut ſerpentes, viperas, & ſimiles in illo loco fuiſſe.

Et Angeli miniſtrabant illi.] Intellige, poſt abſolutam tentationem: ut nos docet Matthæus cap. 4. 11.

PARS IV.

Verſ. 14. *POſtquam autem traditus eſt Johannes, venit Jeſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei.*] De hoc Chriſti itinere, vide dicta ad Matth. 4. 12.

Verſ. 15. *Et dicens: Impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei; reſipiſcite & credite Euangelio.*] Tempus ait impletum eſſe, id eſt tempus, quod Deus pro divite gratia ſua aſſignaverat, de quo Prophetæ vaticinati ſunt, jam præſto eſt. Vide Gal. 4. 4. Epheſ. 1. 10.

Et credite Euangelio.] Gr. καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, in Euangelio, vel in Euangelium. In aliquid credere, aliquando ſignificat fiduciam ſuam in re aliqua reponere, aliquando autem tantum ſimpliciter credere, rem illam eſſe vel dari: quo ſenſu & hic accipitur. Nam *credere in Euangelium* nihil aliud eſt, quam credere, quod Euangelium (id eſt, lætum nuntium de ſumma Dei gratia, quam nobis per Chriſtum exhibere pollicitus eſt) jam adſit, vel ſi mavis, prædicationem de gratia Dei, quæ per Chriſtum mox auſpicanda eſt, eam ipſam revera eſſe, quæ à Deo promiſſa fuit. Sic etiam in Symbolo Apoſtolico verba illa, *Credo in Deum Patrem &c.* nihil aliud ſignificant, quam, Credo eſſe Deum, qui ſit Pater, qui ſit creator cœli &c. Et, *Credo in Jeſum Chriſtum*, nihil aliud eſt, quam, Credo Jeſum eſſe Chriſtum, eſſe Dei Patris Filium unigenitum, eſſe conceptum è Spiritu Sancto, natum ex Maria virgine &c. Similiter etiam, *Credo in Spiritum Sanctum*, nihil aliud denotat, quam Credo dari Spiritum Sanctum &c. Res enim ipſa ſatis liquido monſtrat, ſententiam Symboli non hanc eſſe quaſi dicatur: Ego fiduciam meam colloco in Deo Patre, in Jeſu Chriſto, in Spiritu Sancto, in Sancta Eccleſia Chriſtiana, in communione ſanctorum, in remiſſione peccatorum &c. Sed ſenſum eſſe, quod credamus, Deum eſſe, (quod eſt primum omnis ſalutaris confeſſionis fundamentum Hebr. xi. ℣. 6) Jeſum eſſe Chriſtum, Spiritum Sanctum eſſe, &c. Ex hac confeſſione ac fide, quæ præcedere debet, promanat demum atque enaſcitur fiducia.

PARS V.

Verſ. 16. *AMbulans autem juxta mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare (erant enim piſcatores.*] Mare iſtud etiam vocatur lacus Geneſareth. Luc. 5. 1.

Jacientes rete in mare.] Lucas cap. 5. 2 dicit: eos retia ſua lavaſſe. Sed veriſimile eſt, illos qui retia lavarunt, alios fuiſſe, quam hos. Piſcatorum enim complures erant, è quibus alii retia ſua jaciebant in mare, ut piſcarentur, ſicut Matthæus & Marcus narrant; alii reficiebant lacerata retia, ut Marcus deinceps ℣. 19 refert; alii vero lavabant retia, ut Lucas memorat.

Verſ. 17. *Et dixit eis Jeſus: ſequimini me, & faciam ut ſitis piſcatores hominum.*

Verſ. 18. *Et ipſi confeſtim omiſſis retibus ſuis ſecuti ſunt eum.*

Verſ. 19. *Et progreſſus inde paululum, vidit Jacobum Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, & ipſos in navigio reſarcientes retia.*

Verſ. 20. *Statimque vocavit eos, & ipſi omiſſo patre ſuo Zebedæo in navigio cum mercenariis, ſecuti ſunt eum.*] Dum mercenariorum meminit, non fruſtra id facit. Indicat enim, eos patrem ſuum reliquiſſe tum, cum ipſorum opera illi eſſet utilis quia, poſtquam abierunt, ille operarios mercede conducere coactus fuit.

PARS

PARS VI.

Verſ. 21. *ET ingrediuntur Capernaumum, & ſtatim Sabbatho ingreſſus in Synagogam, docebat.*] Græc. *Sabbathis.* De quo vide Matth. 12. 1. Non ſine cauſa autem hoc addit Marcus, ut ſcilicet oſtenderet, Chriſtum non contempliſſe Sabbathum, ut ipſi falſo objectabatur. Hoc enim erat proprie Sabbathum ſanctificare, conventibus Sacris intereſſe, & diem meditationi in Lege Dei impendere. Nam mandatum de Sabbatho Levit. 23. 3. *Dies ſeptimus eſt Sabbathum ceſſationis, in quo fiat convocatio ſancta:* Jacobus ita declarat, Act. 15. 21, quod *Moſes ab ætatibus antiquis oppidatim habeat, qui ipſum prædicent, dum in Synagogis per omnia Sabbatha legitur.* Et Paulus ait, quod *voces Prophetarum per ſingula Sabbatha leguntur.* Actor. 13. 27. Vide quoque Luc. 4. v. 16. 31. XIII. 10. Actor. 13. 14, 15, 44. XVII. 2. XVIII. 4. Cuilibet autem in Synagoga permiſſum erat ſurgere, & aliquid ad ædificationem, atque ad intelligentiam meliorem Legis proſari. Vide Luc. 4. v. 15, 16, 17. & Actor. 13. 15, 16. Et hunc morem videtur Apoſtolus reſpexiſſe 1 Cor. 14. 30.

Verſ. 22. *Et percellebantur ſuper doctrina ejus. Docebat enim eos ut auctoritatem habens, & non ut ſcribæ.*

Verſ. 23. *Fuit autem in Synagoga eorum homo cum Spiritu immundo, & exclamavit.*] Hanc hiſtoriam, quam etiam Lucas cap. 4. 33. ferme iis verbis, ut Marcus, deſcripſit, Matthæus vel prorſus omiſit, vel generalibus verbis, quæ cap. 4. 23, 24. leguntur, complexus eſt.

Et exclamavit.] Lucas cap. 4. 33. inquit, magna voce eum clamaſſe. Videntur id ambo Euangeliſtæ ſingulari ſtudio & de induſtria notare, ut ſciatur, Diaboli teſtimonium de Chriſto non obſcure & clam editum, ſed adeo manifeſtum fuiſſe & clarum, ut omnes circumſtantes id audire potuerint. Quamvis enim Diaboli teſtimonium, non eſſet per ſe ſufficiens ad rei tantæ fidem faciendam: ipſum tamen miraculum teſtimonio iſti tantam vim addidit, ut circumſtantes eo permoveri potuerint, ne rem iſtam negligerent eamque ſupinis auribus exciperent.

Verſ. 24. *Dicens: Ah! Quid nobis & tibi Jeſu Nazarene! Veniſti perdere nos. Novi te, quis ſis, Sanctus Dei.*] Quid nobis & tibi, id eſt, quid nobis tecum rei eſt? De hac loquendi ratione vide Matthæi 8. 29.

Veniſti perdere nos.] Id eſt, nos moleſtia afficere. Nam verbum *perdere* idem ſignificat hic, quod apud Matthæum *torquere* cap. 8. 29. Magno cruciatu afficiuntur mali Spiritus, quando eis poteſtas nocendi hominibus eripitur.

Novi te quis ſis.] Mali Spiritus ex multis argumentis jam cognoſcebant, Jeſum eſſe illum promiſſum Meſſiam, ut ex ℣. 34. hujus cap. & Luc. 4. 41. intelligere eſt.

Sanctus Dei.] Qui apud Danielem Meſſias, id eſt, unctus appellatur cap. 9. 25. Alius impurus Spiritus apud Matthæum cap. 8. 29. inquit; *Fili Dei.* Apud Lucam cap. 4. 41. clamant dæmones: *Tu es Chriſtus Filius Dei.* Unde perſpicitur, Chriſtum eſſe & Filium Dei eſſe æquipollentia, & utrumque nomen tributum fuiſſe Meſſiæ. Vide hac de re dicta ad Matthæi 16. 16. Apparet autem Diabolum voluiſſe Chriſtum hoc honorifico titulo demulcere ac delinire, ut ipſi parceret, quia ſciebat, ſe illi in certamine fore imparem.

Verſ. 25. *Et objurgavit eum Jeſus, dicens: Obmutеſce, & exi ab eo.*] Silere jubet dæmonem Chriſtus, quia nolebat adhuc homines ſcire, ſe eſſe Meſſiam. Cauſa ejus rei Matth. 16. 20. eſt annotata.

Et exi ab eo.] Quaſi dicere vellet Chriſtus: Non egeo tuis laudibus, ut me Sanctum Dei eſſe proclames, ſed volo, ut egrediaris ex iſto homine.

Verſ. 26. *Tunc diſcerpens eum Spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo.*] Græca vox σπαράξαν uſurpatur etiam de convulſionibus & contractionibus nervorum, ut in epilepſia & Spaſmo fieri ſolet. Taliſque convulſio & hoc loco fuit, quam deinde ſpumatio oris conſecuta eſt: ut Luc. 9. 39. & Marc. 9. 20. quæque alias corpori nihil nocet, ut Lucas docet cap. 4. 35.

Et exclamans voce magna.] Videlicet præ ſumma indignatione & impatientia, quod ex homine iſto excedere juberetur. An autem aliquid locutus ſit, & quid locutus ſit dæmon ſic clamando, nullus Euangeliſtarum annotavit. Fortaſſis fuit tantum mera vox & clamor inconditus, qualis in doloribus magnis edi ſolet.

Verſ. 27. *Et conſternati ſunt omnes, ita ut quærerent inter ſe mutuo, dicentes: Quid eſt hoc? quæ doctrina hæc nova, quod cum poteſtate imperat etiam Spiritibus impuris, & obediunt ei.*] Admiratio iſtorum hominum fuit cum ſacro quodam horrore conjuncta. Idem verbum etiam Luc. 4. 36, uſurpatur.

Quod cum poteſtate imperat etiam Spiritibus impuris.] Exorciſtæ apud Judæos ſolebant quidem per invocationem nominis divini dæmones ejicere: at nullus eorum hactenus poterat id facere ſimplici juſſu ac imperio, uti Chriſtus. Vide infra cap. 9. 25. Proinde optime ac merito concludunt illi homines exinde, admodum excellentem & novam eſſe hanc doctrinam, quæ cum novis & nunquam antehac audiris miraculis conjuncta eſt.

Verſ. 28. *Emanavit autem fama ipſius ſtatim in totam regionem circumjacentem Galilææ.*

PARS VII.

Verſ. 29. *ET ſtatim è Synagoga egreſſi, venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Jacobo & Johanne.*] Vocula *ſtatim* indicat Marcus, quod illud de obſeſſo enarratum miraculum, mox aliud exceperit.

Verſ. 30. *Socrus autem Simonis decumbebat febricitans, & ſtatim dicunt ei de illa.*] Nimirum qui in domo erant: qui eo magis timebant fœminæ iſti, quia febris in ſenibus admodum periculoſa eſt.

Verſ. 31. *Tunc accedens erexit eam, prehenſa manu ejus, & dimiſit eam febris ſtatim, & miniſtravit eis.*

PARS VIII.

Verſ. 32. *VEſpera autem facta, cum occidiſſet Sol, adducebant ad eum omnes male affectos, & dæmoniacos.*] Apud Judæos duæ erant veſperæ; Prima incipiebat circa horam nonam ſecundum horologia Judæorum; altera autem cum ſolis occaſu. Inter iſtas duas veſperas agnus Paſchalis mactabatur. Exod. 12. 6. Hic ſecunda veſpera intelligitur; erat enim Sabbathum, ut patet ſupra ℣. 21. Idcirco etiam verba Marci hic non ſunt vertenda, *Occidente ſole*, ſed, *cum Sol jam occubuiſſet.* Nam ante plenum Solis occaſum non auſi fuiſſent ægros ad Chriſtum adducere, quia Sabbathum non ante finiebatur, quam cum perfecto ſolis occaſu.

Verſ. 33. *Et civitas tota congregata erat ad oſtium.*] Id eſt, omnes cives Capernaumitani.

Congregata erat ad oſtium.] Tanta enim erat populi multitudo & frequentia, ut domus (nempe Petri ℣. 29.) non poſſet omnes capere.

Verſ. 34. *Et ſanavit multos male affectos variis morbis, & dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat dicere dæmonia, quod ipſum noſſent.*] In illa multitudine plurimi erant ægroti, qui ad eum afferebantur, quos ille omnes ſanitati reſtituit. Vide Matth. 8. ℣. 16. Luc. 4. 40. Quod enim aliqui cenſent, Chriſtum plurimos quidem ex iis, qui ægrotabant, adeoque pleroſque curaſſe, ſed non omnes, quia videlicet non omnes crediderint, id non eſt veriſimile, quia id derogaret divinæ ejus potentiæ, quaſi non omnes morbos curare potuiſſet. Inde nuſquam legere eſt, Chriſtum à ſe ullum ægrotum incuratum dimiſiſſe: etiam ſervo Pontificis Maximi, qui utique fide omnino caruit, auriculam reſtituit. Luc. 22. 51.

Quod ipſum noſſent.] Nempe quod eſſet Meſſias ſive Sanctus Dei; ut ſupra ℣. 25. Cauſam, cur dæmonibus id de ſe teſtari & promulgare prohibuerit, vide apud Matthæum cap. 16. 20.

Verſ. 35. *Et mane multa adhuc nocte ſurgens exivit, & abiit Jeſus in deſertum locum, ibique orabat.*] Lucas ait, id factum, *orto die* cap. 4. 42. Quod Marco non adverſatur. Etenim per diem intelligit Lucas auroram ſive crepuſculum, quod cum adhuc tenebris magna ex parte permiſtum ſit, vocat Marcus multam noctem. Videtur Chriſtus ideo tam mane abiiſſe, ut vitaret frequentiam populi, ne in orando impediretur: ut etiam Matth. 14. 23. XXVI. 36. & infra cap. 6. 45. Luc. 5. 16. VI. 12. IX. 28.

Verſ. 36. *Et proſecuti ſunt eum Simon, & qui cum illo erant.*] Id eſt, reliqui diſcipuli & Apoſtoli, ut & populus poſtea, ſicut ex Luc. 4. 42. patet.

Verſ. 37. *Et cum inveniſſent eum, dicunt ei: Omnes quærunt te.*] Capernaumitani ſcilicet.

Verſ. 38. *Et ait illis: Eamus in proxima oppida, ut & illic prædicem: ad hoc enim ſum egreſſus.*] Græc. κωμοπόλεις: ita vocabantur oppida, quæ majora erant, quam vici, & minora quam urbes. Reſpondet autem Chriſtus tacite ad id, quod Apoſtoli quidem expreſſe non dicunt, ſed vel optabant, vel aliquomodo innuebant, ut reverteretur Capernaumum, quia eum omnes cives quærebant, avidique erant audiendi doctrinam ejus.

Ad hoc enim ſum egreſſus.] Id eſt, à Patre ſum miſſus: ut Lucas declarat cap. 4. 43. & Johannes cap. 16. 28. Acceperat enim hoc mandatum à Patre, ut omnibus Judæis Euangelium annuntiaret, nullumque diſcrimen inter magnas urbes & minora oppida faceret.

Verſ. 39. *Et prædicabat in Synagogis eorum in tota Galilæa: & dæmonia ejiciebat.*] In Synagogis eorum, nempe oppidorum. Nam in illis quoque Synagogæ habebantur. Vide Matth. 4. 23.

PARS IX.

Verſ. 40. *VEnitque ad eum leproſus rogans eum, eique ad genua advolutus, ac dicens ei: Si velis, potes me mundare.*] Hoc non ſtatim poſt ſuperius expoſita accidit, ſed poſt non paucas alias res geſtas, quas deſcribit Matthæus cap. 5. & 6, 7. Explicationem hujus miraculi vide Matth. 8. 2, 3, 4.

Verſ. 41. *Jeſus autem commiſeratione motus, extenſa manu, tetigit eum dicens: Volo, mundare.*] Non fruſtra id adjecit Marcus. Indicare enim vult Chriſti beneficia ex intimi amoris ac miſericordiæ erga homines affectu promanaſſe.

Verſ. 42. *Et cum hoc dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.*

Verſ. 43. *Et graviter interminatus ei Jeſus, ſtatim ejecit illum.*] Id eſt, ablegavit. Cauſam vide apud Matthæum cap. 8. 4.

Verſ. 44. *Dixitque ei: Vide ut nemini quicquam dicas; ſed abi, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moſes, in teſtimonium illis.*

Verſ. 45. *Ille vero egreſſus cœpit prædicare multa, & rem divulgare, ita ut jam non poſſet Jeſus manifeſte introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis erat, & veniebant ad eum undique.*] Rem divulgare, Græc. λόγον, ſermonem. Per Hebraiſmum uſitatum ſermo pro re uſurpatur. Vide Luc. 2. 15.

Non poſſet Jeſus manifeſte introire.] Verba *non poſſe* ſignificant hoc loco, ut & in aliis multis, non ſimpliciter abſolutam ac inevitabilem impoſſibilitatem, ſed id quod, natura rei inſpecta, difficile admodum & perquam incommodum eſt. Ideo autem non poterat Jeſus palam introire in oppida, quia in locis anguſtis, nempe in foribus & portis, à multitudine populi nimium premebatur: ut patet ex cap. 2. 2.

In deſertis locis.] Id eſt, ſub dio, in planitie, ubi nullæ erant ædes, ubi populus poterat late diffundi; ut in littore maris. Vide cap. 2. 13.

CAPUT II.

I. *Jeſus ſanat quendam paralyticum: ad verſ.* 13. II. *Vocat Levin, & ſe purgat, quod cibum caperet cum publicanis & peccatoribus: ad verſ.* 18. III. *Defendit ſuos diſcipulos, quod non jejunent exemplo diſcipulorum Johannis: ad verſ.* 23. IV. *Defendit diſcipulos, quod ſpicas vellerent Sabbatho: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET rurſus ingreſſus eſt Capernaumum, interjectis aliquot diebus, & auditum eſt, eum in domo eſſe.*] Interjectis aliquot diebus, Græce δι' ἡμερῶν, per dies, vel poſt dies, nempe aliquos, aut etiam non paucos. Nam plures ſeptimanas interceſſiſſe ex cap. 1. 38, 39 intelligitur; ubi dicitur, Chriſtum prius in proximis oppidulis & in tota Galilæa in Synagogis (quæ nonniſi Sabbatho frequentabantur) prædicaſſe.

Capernaumum ingreſſus eſt.] Intellige, noctu, clam; ne à multitudine obrueretur, ut oſtendunt ſequentia.

Et auditum eſt.] Ab aliquo ex domeſticis ejus reſcitum eſt. Virtus latere nequit, quamvis neſcio quomodo occultetur. *Non poteſt civitas abſcondi, in monte poſita.* Matth. 5. 14.

Eum in domo eſſe.] In domo Petri, ubi ſolebat diverti Capernaumi. Vide de eo Matth. 8. 14.

Verſ. 2. *Et confeſtim convenerunt multi, ut jam non caperent eos loca, neque quæ erant ad januam: & loquebatur eis ſermonem.*] Hoc narrat Euangeliſta, ut intelligatur, ſequens miraculum non in abdito, ſed in conſpectu univerſæ civitatis factum eſſe. Ob eandem cauſam Lucas quoque refert, hoc miraculum deſcribens, Phariſæos & ſcribas ibidem aſſediſſe, qui ex omnibus vicis Galilææ ac Judææ eo venerant. cap. 5. 17.

Loca neque quæ erant ad januam.] Nempe in veſtibulo: quod Græco more loquendi ad eum modum deſcribitur.

Et loquebatur eis ſermonem.] Id eſt, prædicabat eis Euangelium. Ita etiam Euangelium ſeu doctrina Chriſti ſimpliciter Sermo appellatur Matth. 13. 20. Marc. 8. 32. XVI. 20. Luc. 1. 2. alibi ſermo Dei: ut Luc. 8. 11, 21. XI. 18. Actor. 18. 11. &c.

Verſ. 3. *Tunc venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.*] Tota hæc hiſtoria Matth. 9. 2. & ſeqq. expoſita eſt. Plures erant, qui eum ad Chriſtum adduxerunt, è quibus quatuor erant, qui eum portabant.

Qui à quatuor portabatur.] Hoc ideo addidit Euangeliſta, ut intelligatur hominem illum toto corpore languidum fuiſſe, nec ullum membrorum uſum habuiſſe, ut adeo quatuor requirerentur bajuli ad eum portandum.

Verſ. 4. *Et cum non poſſent ei appropinquare propter turbam, detexerunt tectum, ubi erat, & perfodientes demiſerunt grabbatum, in quo paralyticus jacebat.*

Verſ. 5. *Cum autem vidiſſet Jeſus fidem eorum, dixit paralytico: Fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.*

Verſ. 6. *Erant autem illic ex ſcribis quidam ſedentes, & ratiocinantes in cordibus ſuis.*

Verſ. 7. *Quid iſte ita loquitur blaſphemias? quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?*] Chriſtus quidem non dixit ſe ægroto remittere peccata: ſed ſcribæ ita verba ejus interpretantur. Odii enim & invidiæ iſte mos eſt, ut omnia arrodat & carpat, ubi modo aliquam carpendi habet occaſionem. Quod Deus ſit, qui peccata remittat, teſtantur Pſalmi & Prophetæ, & Moſes quoque ipſe (Vide inter alia Exod. 34. 7. Numer. 14. 8. Pſalm. 51. 3, 6. cum Eſai. 43. 25. datam vero ulli hominum hanc poteſtatem, nuſquam ſcriptum invenitur. De Pontifice quidem Maximo dicitur, eum in minoribus delictis populum coram Deo expiare; ſed illa expiatio erat tantum præparatio quædam ad remiſſionem peccatorum, quæ à ſolo Deo poſtea ſequebatur. Idcirco additur ſemper, *Et remittetur ei.* Pontificem vero ipſum peccata remittere, non legitur. Imo apud Eſaiam Prophetam Deus expreſſe dicit: *Ego, ego deleo tranſgreſſiones tuas propter me.* Et Exod. 34. verſ. 7. Deus deſcribitur, quod *remittat delicta, tranſgreſſiones, & peccata.* Nathan Propheta annuntiavit quidem Davidi, delictum ejus ab eo tranſlatum eſſe, ſed Deo ſoli adſcribit remiſſionem 1 Sam. 11. v. 13. Hinc proinde concludunt ſcribæ, remiſſionem peccatorum nulli alii præter Deum competere. Ac Chriſtus quidem iis verbis uſus eſt, quæ alium, quam ſcribæ concipiebant, poterant habere ſenſum. Ait enim: *Remiſſa tibi ſunt peccata tua*; ubi ſubintelligi poteſt, à Deo. Sed quia videbat verba ſua ita accipi, ut etiam eo ſenſu, quo accipiebantur, vera eſſent, propterea tribuit ſibi hanc poteſtatem peccata remittendi, quam ipſi communicavit Pater, & expreſſe eam ſe habere dicit, & demonſtrat inſigni miraculo, dum ægrotum ſanat. Quin etiam ante hoc miraculum, aliud longe præſtantius edidit, dum occultas ſcribarum cogitationes perſpexit & detexit: quod in Sacra Scriptura, æque ac remiſſio peccatorum, non tribuitur, niſi ſoli Deo; ut cernere eſt 1 Sam. 16. 7. 2 Paral. 6. 30. Pſal. 5. 10. Jerem. 17. 10. Inepta igitur omnino fuit illa ſcribarum collectio; Deus poteſtatem remittendi peccata hactenus nemini mortalium conceſſit. Ergo non poteſt ulli eam concedere. Vel: Prophetæ eam non habuerunt. Ergo neque Meſſias eam habet. Vide de eo ad Matth. 9. 6.

Verſ. 8. *Et ſtatim cognoſcens Jeſus ſpiritu ſuo, eos ita ratiocinari apud ſe, dixit eis: Quid iſta ratiocinamini in cordibus veſtris?*] Cognovit Chriſtus ſpiritu ſuo, id eſt, in animo ſuo, ſeu per ſeipſum, ut nemo id ei revelaret. Eſt locutio Hebraica, cujus loco Græci dicunt, *in corde ſuo.* Ita vox *Spiritus* pro animo accipitur 1 Corinth. 2. 11. VI. 20. 2 Corinth. 2. 12. Epheſ. 4. 22. & alibi. Confer etiam Johan. 11. 33. cum ℣. 38. Et Matth. 9. 4. cum Luc. 5. 22. Quia vero hic de cognitione abſtruſarum cogitationum, quas animo volvebant ſcribæ, agitur, ideo intelligi poteſt per Spiritum, ille Spiritus Dei Sanctus, quo Chriſtus unctus eſt. Matth. 3. 16. Luc. 4. 1. cujus vi ſane intimos animorum humanorum receſſus rimari, & cogitationibus hominum mediis intervenire poterat.

Verſ. 9. *Utrum eſt facilius, dicere paralytico: Remiſſa ſunt tibi peccata; an dicere, ſurge & tolle grabbatum tuum, & ambula?*

Verſ. 10. *Ut autem ſciatis, Filium hominis habere poteſtatem remittendi peccata in terra; ait paralytico:*

Verſ. 11. *Tibi dico, ſurge, & tolle grabbatum tuum, & abi domum tuam.*

Verſ. 12. *Et ſtatim ſurrexit, ſublatoque grabbato, egreſſus eſt coram omnibus, adeo ut ſtupeſcerent omnes, & glo-*

& glorificarent Deum, dicentes: Nunquam tale quicquam vidimus.

PARS II.

Verſ. 13. *ET egreſſus eſt rurſus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos.*] Dicit *rurſus*. Nam prima vice ivit ad mare ſuperius cap. 1. 16.

Et docebat eos.] Eo enim fine ad mare exierat.

Verſ. 14. *Et cum prætergrederetur, vidit Levin Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.*] Quia Chriſtus tendebat ad littus maris, exeundum ei fuit per portam civitatis mare ſpectantem: ubi ſine dubio etiam fuit domus telonii. Videtur autem indicare voluiſſe Marcus, quod Chriſtus non conſulto & data opera Matthæum quæſiverit, ſed quod eum in tranſitu, *cum prætergrederetur*, & caſu quodammodo in eum ad telonium ſedentem incidiſſet, vocarit: ut adeo intelligatur, quod Chriſtus non ex diutino convictu cum Matthæo, ſed ſubito, primo ſtatim intuitu cognoverit, eum aptum fore ad munus Apoſtolicum obeundum.

Vidit Levin.] De hoc nomine, vide quæ dicta ſint ad Matth. 9. 9.

Verſ. 15. *Et factum eſt, cum Jeſus accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores ſimul diſcubuerunt cum Jeſu ac diſcipulis ejus: erant enim multi, & ſequebantur eum.*] Ex his verbis colligere eſt, Levin alibi domum; alibi telonium habuiſſe: nimirum domus ejus erat in civitate; telonium juxta portam. Nam ex telonio ſecutus eſt eum in domum ſuam, ubi ei paravit convivium magnum, ut Lucas refert cap. 5. 29.

Erant enim multi, & ſequebantur eum.] Hebraiſmum redolent verba, & ſenſum hunc continent: Nam eorum multi erant, qui ipſum ſequebantur. Per pronomen *eum* plerique Interpretes intelligunt Chriſtum: ſed nonnulli id referunt ad Levin. Quaſi dictum ſit, tunc cum Levi à Chriſto vocatus eſt, multos apud eum tanquam Principem publicanorum fuiſſe, ipſius ſocios & adminiſtros, ſimileſque, quos Judæi peccatores vocabant, & hos quia adhærebant Levi, etiam ad menſam una accubuiſſe. Totam hanc hiſtoriam explanatam vide ad Matth. 9. 9. & ſeqq.

Verſ. 16. *Cumque ſcribæ & Phariſæi vidiſſent eum edentem cum publicanis & peccatoribus, dixerunt diſcipulis ejus; Quid eſt quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit.*] Cum vidiſſent id eſt, reſciviſſent. Nam ipſi ſcribæ ac Phariſæi forte præſentes non aderant, ut videre potuerint.

Verſ. 17. *Et audiens Jeſus, dicit eis: Non opus habent qui valent medico, ſed male habentes. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.*

PARS III.

Verſ. 18. *ET jejunabant diſcipuli Johannis & Phariſæorum: Veniunt igitur, & dicunt illi: Quare diſcipuli Johannis & Phariſæorum jejunant, tui autem diſcipuli non jejunant?*] Jejunabant: in Græco eſt proprie; *Erant jejunantes*, id eſt, ſolebant crebrò jejunare. Vide ad Matth. 9. 14.

Veniunt igitur & dicunt.] Nempe diſcipuli Johannis, quos Matthæus, & Phariſæi, quos Lucas memorat. Matth. 9. 14. Luc. 5. 33.

Verſ. 19. *Et ait illis Jeſus: Num poſſunt filii thalami, dum ſponſus cum illis eſt, jejunare? Quamdiu habent ſecum ſponſum, non poſſunt jejunare.*] Non id ſibi vult, quod hoc ſit impoſſibile prorſus, ſed quod non deceat, & abſurdum foret, die ſummæ lætitiæ facere opus triſtitiæ. Vide de ſignificatione verbi *poſſe*, ſupra cap. 1. 45.

Verſ. 20. *Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt illis diebus.*

Verſ. 21. *Et nemo panniculum impexum inſuit veſtimento veteri: alioquin, ſupplementum illud ipſius novum tollit aliquid ex veteri veſtimento, & fit pejor ruptura.*

Verſ. 22. *Et nemo injicit vinum novum in utres veteres: alioqui vinum effunditur, & utres pereunt; ſed vinum novum in utres novos injiciendum eſt.*] Horum verborum explicationem vide Matth. 9. 16. 17.

PARS IV.

Verſ. 23. *ET factum eſt, ut ipſe præteriret Sabbatho per ſata, & cœperunt diſcipuli ejus iter faciendo vellere ſpicas.*] Hiſtoria hæc explanata eſt Matth. 12. 1. ad verſ. 9.

Verſ. 24. *Tunc Phariſæi dicebant ei; Ecce cur faciunt Sabbatho, quod non licet?*

Verſ. 25. *Et ipſe dixit eis: Nunquam legiſtis, quid fecerit David, cum opus haberet, & eſuriret ipſe, & qui cum eo erant.*

Verſ. 26. *Quomodo ingreſſus ſit domum Dei ſub Abiathare Pontifice Maximo, & panes propoſitionis ederit, quos non licet edere, niſi Sacerdotibus, & dederit etiam iis, qui cum eo erant?*] Hiſtoria iſta habetur deſcripta 1 Sam. 21. 1, 2. & ſeqq. ubi narratur, Davidem ad Achimelechum Sacerdotem, non ad Abiatharem, prout hic tradit Marcus, veniſſe. Cujus diſſonantiæ conciliatio non mediocre negotium faceſſit Interpretibus. Fortaſſis ſenſus utriuſque loci eſt, id cum David venit ad Achimelechum Sacerdotem, factum eſſe tunc, cum Abiathar eſſet Pontifex Maximus, vel Sacerdotalium functionum particeps. Nam in libris Samuelis non eſt ſcriptum, Achimelechum fuiſſe Pontificem Maximum, ſed ſimpliciter tantum Sacerdos appellatur.

Et dederit etiam iis, qui cum eo erant.] Hoc de induſtria addit Marcus, ne quis cogitaret, ſoli Davidi propter dignitatem ejus Regiam conceſſum fuiſſe, non autem ejus comitibus, panes propoſitios edere. Matthæus etiam id, quamvis tacite, innuit, cum ait: *quos ipſi* (Davidi) *non licebat edere, neque illis, qui cum eo erant.* cap. 12. 4. Quod autem etiam comites Davidis de iis ederint, teſtatur hiſtoria 1 Sam. 21. 4, 5.

Extractum ex Epistola I. S. Iunioris ad quæstionem authoris, de Abiathare & Achimelecho.

Ad Marc. 2. vers. 26.

AD quæstiones Tuas quæ pro mea tenuitate dicam, ea tu pro tua humanitate boni consules. Ac primum quidem Grotium mihi videor satis bene intelligere. Nam ad quæstionem propositam de Achimelecho & Abjathare vulgo responderi solet: Achimelechum patrem & Abjatharem filium fuisse binomines, & tum Achimelechum etiam Abjatharem, tum Abjatharem etiam Achimelechum esse appellatum; probaturque id locis 2 Sam. 8. 17. & 1 Paral. 24. 3, 6, ex quorum cum aliis locis collatione colligitur, perinde esse Achimelechum dici Abjatharis filium, atque si Abjatharem Achimelechi esse filium dictum fuisset. Hanc quæstionis solutionem Grotius improbat, & alium esse ostendit illum Achimelechum, qui in locis allegatis dicitur Abjatharis filius alium vero esse Abjatharem, qui fuit Achimelechi illius à Saule occisi filius: censetque illum Achimelechum, cujus in locis dictis est mentio, filium istius Abjatharis, hujus autem Achimelechi nepotem esse. Rationes suæ sententiæ adfert duas; prima est, quia Achimelechus, de quo in locis citatis, non dicatur Pontifex Maximus, sed simpliciter sacerdos tantum: cum interim Abiathar summus Pontifex fuerit Davidis tempore. Altera, quia Achimelechus iste post Sadocum nominetur in istis locis, qui tamen summus Pontifex non fuit, sed Vicarius tantum Pontificis. Atqui si Achimelechus in illis locis dictus, fuisset idem, qui Abjathar summus Pontifex, indecorum fuisset, prius Vicarium Pontificis Sadocum, & postea demum summum Pontificem nominare. At si ponatur, Achimelechus iste fuisse filius Abjatharis Pontificis Maximi, qui illius Achimelechi occisi fuit filius, tum recte factum esse patebit, quod is post Sadocum, qui etsi non summus Pontifex, filio tamen Pontificis major erat, nominatus sit à S. Scriptoribus. Ita rejecta ista vulgari responsione, ipse Grotius nodum, de quo quæritur, ad hunc modum solvit; ut dicat, utrumque verum esse, & quod sub Achimelecho ingressus sit David domum Dei, secundum 1 Sam. 21. & quod id factum sit sub Abjathare filio ejus, secundum Marcum: quia uterque adfuit rei gestæ, & totum illud cum utriusque consensu factum est, ut adeo perinde sit, sive Achimelecho patri, sive Abjathari filio factum id tribuatur. Etiamsi vero tunc Patre vivente non fuerit Abjathar Pontifex Maximus: putat tamen Grotius, recte eum hic à Marco sic vocari potuisse, quia etsi tum non summus, Pontifex tamen fuerit, & quidem præcipuus, quia Patris Vicarius, qui etiam post mortem Patris ei in Pontificatu successit. Sensus ergo Marci verborum est secundum Grotium: Introiit David in domum Dei sub Abjathare, qui scil. postea fuit Pontifex Maximus. Quia vero quæri potuit: Cur cum præsente utroque & Achimelecho & Abjathare id factum sit, tamen maluerit Marcus id tribuere Abjathari filio, quam Achimelecho patri? respondet Grotius, id à Marco factum esse propterea, quia nomen Abjatharis filii fuerit celebrius & notius ob Ephod allatum ad Davidem, & ob diu gestum sub Davide Pontificatum Maximum. Atque hoc pacto mihi mens Grotii satis plana esse videtur.

Quod si quæras jam, quid ego de ista responsione Grotii statuam, profitebor eam mihi non satisfacere. Nam & præsentem adfuisse Abjatharem filium, cum David ad Achimelechum patrem veniret, nescio cur tam pro certo affirmet ille; cum de eo nihil constet ex Scriptura. Et durum mihi videtur. Marcum dicere, id factum esse sub Abjathare Pontifice Maximo, qui tamen tum, cum id factum est, Pontifex Maximus non erat, sed postea demum factus est. Verum & de eo possem controversiam movere Grotio, quod dicit Abjatharis nomen esse notius, quam Achimelechi patris. Notior enim Achimelechus pater vel ipsa clade sua est, qua, ex Davidis occasione, innocentissimus una cum tota familia sua & universa civitate Nobe deletus est. Multo itaque citius tuæ, Vir Generose subscripserim sententiæ, quam te in tuis Notis expressisse scribis. Sic enim planus esset Marci verborum sensus; & non opus esset statuere, quod incertum est, nempe Abjatharem fuisse præsentem, cum David intravit domum Dei. Una tantum occurrit difficultas in hac sententia, nimirum, quod non possim videre, quomodo vivente Patre, potuerit Abjathar filius, esse Pontifex Maximus. Nam tunc temporis ordinarie, & perpetuum, non ambulatorium fuisse Pontificatum summum, & successorio jure à patribus ad filios delatum fuisse, ex historia sacra liquere videtur: idque confirmatur doctorum virorum consensu. De priori, id est, quod perpetuus fuerit Pontificatus vide Maldon. in Luc. 1. 9. De posteriori, id est, de successivo jure vide Grot. in Matth. 2, 4. pag. 31, linea ultima. Ordinarie autem dixi: quia extraordinarium id fuit, cum à Regibus interdum aliqui amoverentur, aliis in locum eorum surrogatis, ut 1 Reg. 2. 27, 35.

Qui ergo tandem solvenda est illa quæstio? Mallem sane & ipse hic discere, quam dicere solvendi modum. Sed quia tamen, ut sententiam meam super ea re promam, jubes, parebo. Si hoc in loco Marci esset aliqua lectionum diversitas, dicerem ego librariorum incuria olim mendum hic in textum irrepsisse, & pro Abjathare Achimelechum esse reponendum. Sed quia non facile eo refugiendum est, nisi cum adest diversæ lectionis suffragium (quid enim non hac ratione in dubium revocari posset?) ideo libratis omnibus, vulgaris apud me præponderat sententia, & tametsi eam improbet Grotius, mihi tamen minime improbabilis esse videtur. Cum enim mentio fit Achimelechi filii Abjatharis 2 Sam. 8. 17. & 1 Paral. 18. 16. xxiv. 6, per Achimelechum intelligi illum ipsum Abjatharem, quem aliunde Achimelechi occisi filium esse constat, docent loca parallela, de præcipuis Sacerdotibus Davidis ætate agentia, in quibus loco Achimelechi cum Sadoco semper Abjathar conjungitur. Vide 2 Sam. 15. 24, 29, 35. xvii. 15. xix. 11. xx. 25, (qui locus est illis 2 Sam. 8. 17. & 1 Paral. 18. 16, simillimus) 1 Paral. 15. 11. Deinde istum Abjatharem, quod statuit Grotius, habuisse aliquem filium nomine Achimelechum non legimus usquam; sed Jonathanem ipsi fuisse filium discimus ex 2 Sam.

ex 2 Sam. 15. 27, 36. XVII. 17, quamvis autem potuerit plures habere filios Abjathar, potius tamen videtur Scriptura Achimelechi factura mentionem, ſi is tam fuit eximius, ut meruerit cum Sadoco inter Sacerdotum præcipuos numerari 2 Sam. 8. 17, quam Jonathanis. Sed eſto præterea, fuerit Achimelech aliquis filius Abjatharis iſtius, qui Davide regnante fuit ſummus Pontifex: quæ vero ratio eſt, cur Scriptura filium ejus 2 Sam. 8. 17. & 1 Paral. 18. 26. XXIV. 3, 6, nominare maluerit, & cum Sadoco conjungere, quam Patrem adhuc tum ſuperſtitem, & ſummo Pontificatu fungentem? Adde quod rationes Grotii contra vulgarem hanc ſententiam allatæ prorſus ſint frigidæ ac jejunæ. Nam quod Achimelech in locis modo citatis non vocetur Pontifex Maximus, ſed Sacerdos, id parum valet. Neque enim Abjatharem uſquam in V. T. Pontificem Maximum vocari invenio, & tamen eum Grotius talem fuiſſe agnoſcit. Sic de patre Abjatharis Achimelecho poſſet negari, quod fuerit ſummus ſacerdos, quia tantum ſacerdos vocetur. Quod etiam contra rationem ac conſuetudinem eſſe aſſerit, Pontificem Maximum poſt ſuum Vicarium nominari: id facile refutatur, ex illis, in quibus, Abjatharem cum Sadoco conjungi paulo ante oſtendi, locis. Grotius enim Pontificatum Maximum fuiſſe ſub Davide geſtum ab Abjathare ſentit, Sadocum autem fuiſſe illius Vicarium & ab eo ſecundum: & tamen dictis in locis ubique Abjathar Sadoco poſtponitur. Habes meam de prima quæſtione ſententiam: cujus diutius non ero retinens, quam meliora fuero edoctus.

Quod locum Grotii in Annot. ad Matth. pag. 79, attinet, cum in loco Judic. 8, duo potiſſimum facta Gedeonis referantur, quæ ad ſubjectam Grotii materiam pertinere poſſint; nempe, quod vindictam ſumpſerit de regibus Medianitarum, & quod pœna affecerit cives Socothi ac Phanuëlis: puto Grotium ad poſterius factum maxime reſpicere; quia illud de hoſtibus ſupplicium jure belli & jure Imperatorio ſumere poterat, at civium alia eſt ratio. Eos prius conſulto Senatu punire debuiſſet, niſi extraordinarium habuiſſet id faciendi privilegium, ex eo, quod divinitus fuerat ad regendum populum vocatus.

De Juda (ut ad tertium, quod quæritur, deveniam) vix auſim dubitare, quod Chriſtus, cum eum ad Apoſtolatum elegit, ſciverit eum tam profligatum eſſe vel futurum, ut eum ſit proditurus: imo crediderim, eum conſulto electum eſſe & adſcitum in numerum Apoſtolorum jam malum & perverſum, ideo ut id faceret, divinamque prædictionem impleret. Nihil enim in eo abſurdi eſſe video; & loca Joh. 2. 25. VI. 70, 71. XIII. 18, id omnino evincere videntur. Cum eſſet in fatis, Chriſtum à familiari & domeſtico ſuo eſſe prodendum; id certe à probo & pio homine perpetrari non potuit. Ergo malus & improbus aliquis eligendus erat. Talem autem eſſe Judam vidit & ſcivit omnino Chriſtus, quia omnes norat, & in omnibus etiam intimos animorum receſſus. Vidit igitur Judam eſſe avarum, hypocritam, furacem & nequam. Interim tamen exiſtimo, non prorſus infallibiliter & immutabiliter Chriſtum ſciviſſe, ſe ab eo & non a alio eſſe prodendum. Quia non erat id abſolute impoſſibile, ut Judas animum moreſque mutaret. Nec fruſtra id laboraſſe & curaſſe quodammodo videtur Chriſtus, ut eum ad frugem revocaret: dum pœnam graviſſimã ei ob oculos ponit, quæ proditorẽ manet Matth. 26. 24, & pudefacit eum coram diſcipulis ℣. 23, 25. Hoc enim bono ipſius factum eſſe à Chriſto, credi par eſt.

Ad quartam quæſtionem ferme non habeo, quod dicam: quia Voſſii mihi rationes videre non contigit. Grotii interim argumenta ſatis valida eſſe videntur, nec quicquam illis ſolidi opponi poſſe: ideo adſtipulatur ei quoque Epiſcopius. Nam & illa ex Paral. bina teſtimonia ſatis clara ſunt, & tertium illud, quod ex reſponſo ſacerdotum ad Ceſtii quæſtionem dato elicitur, non eſt contemnendum argumentum. Nec enim obſtat tam vaſtus numerus Judæorum; quia & ſacerdotum non adeo exiguus fuit numerus. Omnes enim Aäronis poſteri ſacerdotes erant: & probabile eſt, quod tu cenſes, à ſolis ſacerdotibus mactationem peractam; à Levitis autem, qui erant miniſtri & adjutores ſacerdotum, pelles eſſe detractas. Hoc enim cum magna erat victimarum multitudo, factitatum eſſe, vel ex locis illis geminis Paral. à Grotio adductis diſcimus. Accedit quod ſingulis plateis poterant præfici ſacerdotes, qui victimas mactarent ſimul ac numerarent. Nam quod dicitur, præfectos fuiſſe eos, qui victimas numerarent tantum, ejus nullum video fundamentum. Quo fine enim tam operoſe ac ſolicite numerarentur illæ victimæ? cui uſui iſta curioſitas? Deinde etſi concederem, cujus rationem non video, fuiſſe aliquos ad numerandum duntaxat delectos, unde vero probaretur, eos ſacerdotes fuiſſe. Nam ſi ſacerdotes non fuerunt, unde factum, ut tam exacte numerum victimarum ſcirent ac memoria tenerent? Atque hæc ad quæſtiones tuas pro ingenii mei modulo, & inter varias occupationes, & in tanta librorum ad hæc talia neceſſariorum penuria dixiſſe ſufficiat.

Sed ne inultum tibi ſit, me laceſſiviſſe, par pari tibi referam, & viciſſim opem tuam in enodandis nonnullis dubiis implorabo. Ea nunc etiam quatuor occurrunt numero. 1. Cur Sadocus ſemper præponatur Abjathari, quando ſimul nominantur? cum tamen Abjathar ſummus ſacerdos fuerit, teſte Marco, Sadocus autem demum Abjathare dejecto ſummus Pontifex evaſerit 1 Reg. 2. 35. & 1 Par. 29. 22. 2. Quomodo concilianda ſit ſupputatio Scriptoris libri Regum, qui ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto ad extructum à Salomone templum numerat lib. 1. cap. 6. 1. annos 483. (incluſis ſcil. tribus integris regni Salomonici annis, quæ templi ſtructuram anteceſſerunt) cum calculo Pauli Apoſtoli, qui habetur Act. 13, ubi ℣. 18, poſt exitum Judæorum ex Ægypto numerantur anni 40, commorationis eorum in deſerto: poſtea ℣. 20, tribuuntur Judicibus uſque ad Samuelem anni 450, deinde ℣. 21, Saulo dantur anni 40, Saulum in regno ſecutus eſt David Pater Salomonis, quem etiam 40 annis regnaſſe refert hiſtoria Biblica 2 Sam. 5. 5. Qui anni ſi in ſummam colligantur, efficiunt numerum ferme centenario majorem, eo qui extat in libro Regum. 3. Anni illi quatuordecim, quorum mentio fit Galat. 2. 1, unde inchoandi ſint? Non enim videtur poſſe initium eorum ſumi à fine illius triennii, de quo ſupra cap. 1. 18, etſi hoc poſtulare videatur particula poſtea. Sunt

enim eruditi viri, qui inter illud triennium & hanc Galat. 2. 1, profectionem Pauli ad Concilium revera tantum quatuor annos interceſſiſſe ſtatuant: è quibus eſt Ludovicus Capellus Salmurienſis Profeſſor, qui docet anno Claudii 20, Paulum veniſſe ad Petrum Hieroſolymam, exacto nimirum illo triennio, Concilium autem celebratum 6, aut 7, ejuſdem Claudii anno. 4. Annon ſine abſurditate poſſit Deo corpus aliquod tribui, multo magis Angelis, ſicut & nos in beata vita ſpiritualia corpora ſumus habituri? Non enim eorum rationes videntur eſſe ſpernendæ, qui Ens aliquod quod ſit purus actus & forma mera abſque omni materia, dari negant.

Verſ. 27. *Dixit etiam eis: Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbathum.*] Verſ. 28. *Itaque Filius hominis eſt etiam Sabbathi dominus.*] Vide dicta de his verbis Matth. 12. 8. Agnoſcunt doctiſſimi Hebræorum, duplex præceptum de Sabbatho extare. Primum eſt, cum ſeptimus dies ſanctificatus eſt in memoriam creationis mundi Geneſ. 2. 2, quod præceptum ſtatim Adamum, primum hominem & totum genus humanum obligavit, eſtque ſine dubio ab omnibus piis ante Legem, videlicet ab Enocho, Noacho, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo &c obſervatum: & hoc præceptum impletur ſanctis laudibus & gratiarum actionibus pro beneficiis, quibus Deus humanum genus in creatione mundi affecit. Alterum eſt, cum Iſraëlitis ſpeciatim injunctum eſt, ſeptimo die ab omni labore abſtinere. Hinc inquiunt eruditi quidam inter Judæos (R. Judas Barbeſalhel, & R. Ephraim) in præcepto Decalogi Exod. 20. 8, 9, in verbis illis prioribus, *Memento diei Sabbathi ut eum ſanctifices*, aliud quippiam mandari, quam in mox ſequentibus: *Sex diebus operaberis; dies vero ſeptimus Sabbathum eſt Jehovæ Deo tuo, non facies ullum opus.* Nimirum ſanctificatio, quæ in prioribus verbis præcepta eſt, oritur ex creatione mundi, & ſpectat ad omnes homines orbis terrarum: ceſſatio vero ab omni opere, quæ in ſequentibus verbis præcipitur, orta eſt à ſervitute Ægyptiaca, & ad ſolos Iſraëlitas ſpectat. Datum enim illis eſt hoc præceptum ad conſervandam memoriam intolerabilis illius & oneroſi jugi, quo ab Ægyptiis ſine intermiſſione ad laborandum adigebantur. Simul etiam rigori & iniquitati herorum erga ſervos terminus præfixus eſt, ut etiam illis tempus aliquod ad quieſcendum à labore & laxamentum concedere cogerentur: ad quam quietem ſeu ceſſationem etiam ceſſatio pecoris pertinebat. Quod utrumque exprimitur Exod. 20. 11. xxxi. 17. Deut. 5. 15, ubi ſic loquitur Moſes: *Memento, quod & ipſe ſervus fueris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbathi.* Quod autem hoc poſterius præceptum ſolos Iſraëlitas obligaverit, patet ex Exod. 31. 13, 16, ubi Sabbathum vocatur ſignum inter Deum & populum Iſraëlis; & fœdus æternum, quod filii Iſraëlis ſervare debeant. Erant quidem etiam alienigenæ, qui inter Judæos habitabant, non ſecus ac Judæi ipſi, Lege iſta de Sabbatho obſtricti Deut. 5. 14, ne ulla eſſet in populo confuſio: ſed de aliis nationibus ac populis, eos Legi illi unquam ſubjectos fuiſſe, nuſquam ullum invenitur veſtigium. Legimus de Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, eos multa magnaque itinera feciſſe, ſed in nullo loco memoratur, eos propter Sabbathum alicubi in itinere quieviſſe. Hinc Juſtinus in colloquio ſuo cum Tryphone Judæo affirmat, pios ante Legem Sabbathum minime obſervaſſe (intellige, ceſſando à laboribus) & nihilominus Deo gratos acceptoſque fuiſſe. Hinc ergo apparet, Chriſtianos multo minus hac Lege de Sabbatho teneri. Quemadmodum enim beneficia majora in homines collata, obruunt minora & obſcurant; ita etiam neceſſe eſt ſigna minorum beneficiorum cedere ſignis majorum. Cum igitur Chriſtianis obtigerit longe præſtantior liberatio quam Iſraëlitis, nec non excellentior creatio, quam eſt hujus viſibilis mundi & temporariæ vitæ, videlicet regeneratio & creatio ad immortalitatem, conſentaneum eſt, ut illi etiam longe præſtantiori modo ferias agant, & memoriam tantorum beneficiorum celebrent, quam quo ſeptimi diei feriæ celebrabantur. Nimirum æternum & perpetuum agitare debent Sabbathum, quod non conſiſtit in ceſſatione à corporeis laboribus, ſed in aſſidua Dei celebratione & maximorum operum ac beneficiorum ejus, quæ nobis per Chriſtum præſtitit, deprædicatione: ſane ipſi Judæi doctiores fatentur, temporibus Meſſiæ ſublatum iri diſcrimen dierum: idque probant verbis Eſai. 66. 23, ubi Propheta vaticinatur, tunc temporis omnem carnem à Sabbatho ad Sabbathum alterum, & à novilunio ad novilunium alterum, Deum adoraturam eſſe. Et ſi Lex de Sabbatho, ab initio data fuiſſet, & quidem eo pacto, ut nunquam eſſet abroganda, debuiſſent ei omnes ſequentes leges cedere: quod tamen factum non eſt. Nam circumciſio Judæis conceſſa eſt etiam Sabbatho. (Vide Joh. 7. 22.) Hinc proverbio dicitur apud Hebræos: Circumciſio pellit Sabbathum. Etiam victimæ Sabbatho non ſecus ac aliis diebus mactabantur: ut docet locus Num. 28. 9. Aſſerunt quoque docti inter Judæos, poſſe etiam Sabbatho opus peragi aliquod, ſi id à Propheta imperetur: quod probant exemplo civitatis Jericho, quæ juſſu Joſuæ Sabbatho expugnata eſt Joſ. 6. Vide plura de Sabbatho Act. 15. 21.

CAPUT III.

I. *Chriſtus ſanat hominem aridam manum habentem: ad verſ.* 6. II. *Phariſæi conſilium ineunt cum Herodianis contra Chriſtum: & plurima turba eum ſequitur: ad verſ.* 13. III. *Chriſtus inſtituit duodecim Apoſtolos: ad verſ.* 20. IV. *Defendit ſe adverſus eos, qui dicebant, ipſum per Beelzebulem ejicere dæmonia: ad verſ.* 31. V. *Docet, quæ ſit ejus vera mater, & veri fratres: ad finem capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Et introivit iterum in Synagogam, eratque illic quidam arefactam manum habens.*] Adverbio *iterum* reſpicit Marcus ad cap. 1. 21 ubi dixit,

xit, Jeſum in Synagoga docuiſſe. Nam poſtea ex deſertis locis (cap.1.35) rediit Capernaumum cap. 2.1. Quodque miraculum hoc Capernaumi factum ſit, patet ex Matth.12.9 & ex ſequenti narratione Marci.

Eratque illic quidam arefactam manum habens.] Tota hæc hiſtoria elucidata eſt apud Matthæum cap.12.9.

Verſ. 2. *Et obſervabant eum, an Sabbatho ſanaturus eſſet eum, ut ipſum accuſarent.*

Verſ. 3. *Tunc ait homini manum arefactam habenti: ſurge in medium.*

Verſ. 4. *Eis autem dixit: Licetne Sabbatho benefacere, an malefacere? animam ſervare, an occidere? Ipſi vero ſilebant.*

Verſ. 5. *Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper callo cordis eorum, dixit homini: Extende manum tuam. Et is extendit, reſtitutaque eſt manus ejus ſana, ut altera.*] Chriſtus docet nos exemplo ſuo, ita nos peccatis iraſci debere, ut ſimul peccantium miſereamur.

Super callo cordis eorum.] Gr. πωρώσει, quo vocabulo quidem etiam alia flagitia ſignificantur, quæ alte radices in animis hominum egerunt; ſed hoc loco videtur denotari cor durum & immiſericors, ab omni æquitate alienum.

Reſtitutaque eſt manus ejus ſana, ut altera] Verba hæc, *Sana ut altera*, in Syriaca, Arabica & Latina verſione non habentur. Veriſimile eſt, ea ex Matthæo eſſe huc tranſlata.

PARS II.

Verſ. 6. *Et egreſſi Phariſæi ſtatim cum Herodianis conſilium inierunt adverſus eum, ut eum perderent.*] Apparet, id quod Chriſtus Sabbatho benefecerit homini ægroto ac miſero, peſſimis hominibus anſam dediſſe, inſidias vitæ ipſius ſtruendi, quia credebant, eum violaſſe Sabbathum.

Cum Herodianis.] De Herodianis apud Matthæum actum eſt cap.22.16. Thalmudici Scriptores tradunt Herodianos non alios fuiſſe, quam eos, qui à Doſitheo Doſitheani vocabantur, qui Sabbathum multo religioſius quam alii Judæi obſervabant. Quocunque enim in loco & habitu eos deprehendit Sabbathum, ſive ſtantes, ſive ſedentes, ſive jacentes, in eodem manebant immoti per integrum Sabbathum. Si proinde hi, ut Thalmudiſtæ ſtatuunt, fuere Herodiani, mirum non eſt, quod Chriſto etiam adeo fuerint infenſi, quia, judicio eorum, Sabbathum re admodum levicula potuit violari. Sed Herodianos aliam ſectam feciſſe, quam Doſitheani, liquet ex Origene, qui ſcribit, Doſitheum poſt Chriſti vixiſſe tempora, & Samaritanis perſuaſiſſe, ſe eſſe Chriſtum Filium Dei. Etſi vero Origenes aſſerat, ſectam iſtam Doſitheanorum ſuo tempore fere jam exoleviſſe, Epiphanius tamen teſtatur, ſua ætate adhuc quoſdam paucos ejus ſectæ extitiſſe. Quapropter cenſent eruditi, has ſectas fuiſſe diverſas, ſed Thalmidicos ſcriptores eas confudiſſe & unam pro altera accepiſſe, propter quædam dogmata utriſque communia.

Verſ. 7. *Et Jeſus ſeceſſit cum diſcipulis ſuis ad mare, & multa turba ſecuta eſt eum, à Galilæa & à Judæa.*] Seceſſit, ut ſe ſubduceret nefariis adverſariorum conſiliis: Vide Matth.12.15. Voluit iræ locum dare, ut Paulus loquitur Rom.12.19. Ita & alia vice fecit, cum Judæi etiam in eum conſpiraſſent, Luc.4.29,30. Joh.8.59. XII.36.

Verſ. 8. *Et Hieroſolymis, & ab Idumæa, & regione, quæ eſt trans Jordanem, & qui circa Tyrum ac Sidonem habitabant, multitudo magna, cum audiſſent, quanta faceret, venerunt ad eum.*] Idumæi ſunt Eſavi poſteri, qui quia rufus erat à matris utero, Edom dictus eſt Gen.25.25. Inter hunc populum & Judæos perpetuæ inimicitiæ fuere, quæ ex eo ortæ ſunt, quod Jacobus, à quo Judæi oriundi erant, Eſavo jus primogenituræ aſtu ſurripuerat Gen.27.41. Hanc injuriam Idumæi nunquam concoquere potuerunt; ideo etiam Judæis ex Ægypto venientibus, tranſitum per ſuam terram denegarunt. Num.20. ℣.14,18. Hinc leguntur apud Prophetas graviſſimæ comminationes adverſum Idumæos, tanquam juratos populi Judaici hoſtes: ut videre eſt Eſai. 34.5. Jer.49.7. Lament.4.22. Ezech.25.13,14. XXXII.29. XXXVI.5. Amos.1.11. Abd.1.1. Tandem tamen Idumæi in religione cum Judæis coaluerunt in unum, ut ex Joſepho conſtat. Herodes quoque genere Idumæus erat.

Et qui circa Tyrum ac Sidonem habitabant.] Marcus non dicit, ex Tyro & Sidone homines veniſſe (nam iſti erant Ethnici) ſed veniſſe ait eos, qui circa Tyrum & Sidonem habitabant: quæ loca vocantur à Luca cap.6.17, *maritima regio Tyri ac Sidonis*; à Matthæo cap.15.21, *partes Tyri & Sidonis*; & infra cap.7.24, *Confinia Tyri ac Sidonis*. Sunt qui exiſtiment, etiam ex ipſis iſtis civitatibus Tyro & Sidone homines ad Chriſtum veniſſe; quod mirum non ſit, etſi Ethnici fuerint. Æger enim quærit opem, ubi ſe eam inventurum ſperat, non attendens ullum diſcrimen religionis.

Verſ. 9. *Ipſe autem dixit diſcipulis ſuis, ut navicula ipſum expectaret propter turbam, ne ipſum comprimerent.*] Græca vox προσκαρτερῇ indicat, Chriſtum juſſiſſe, ut navicula ſemper ipſi adeſſet, vel apud ipſum permaneret; quo ſenſu etiam hæc vox uſurpatur de Simone, quod baptiſmo ſuſcepto perduravit apud Philippum Actor.8.13. Nimirum Chriſtus voluit habere pro ſe & paucis diſcipulis ſuis aliquod peculiare navigiolum, ne ſi illa multitudo populi una trajicere vellet, eum comprimeret.

Verſ. 10. *Multos enim ſanaverat, adeo ut irruerent in eum, ut ipſum tangerent, quotquot habebant flagella.*] Id eſt, laborabant morbis.

Verſ. 11. *Et ſpiritus impuri, cum eum videbant, accidebantei ad pedes, & clamabant, dicentes: Tu es Filius Dei.*] Dicit, impuros ſpiritus accidiſſe, cum id fecerint obſeſſi impulſu iſtorum ſpirituum in ipſis habitantium, ut ex cap.7.25 liquet. Cauſa autem hujus ſubmiſſionis & confeſſionis, quam edit hic impurus ſpiritus, eadem eſt, quæ ſupra cap.1.24 indicata eſt.

Tu es Filius Dei.] Supra cap.1.24 alius dæmon dicebat, Tu es Sanctus Dei, id eſt, Meſſias. Unde colligitur, unum & idem eſſe, Sanctus Dei, & Filius Dei: & utrumque eſſe Meſſiæ nomen. Vide Matth. 16.16.

Verſ. 12. *Et multum interminabatur eis, ne ipſum manifeſtum facerent.*] Cauſam vide ſupra cap. 1. 25 & Matth. 16. 20.

Verſ. 13. *Et aſcendit in montem, & advocavit ad ſe, quos ipſe voluit, & venerunt ad eum.*] In monte iſto in oratione pernoctaverat: ut patet ex Luc. 6. ℣. 12. Electionem Apoſtolorum ſuorum, rem maximi momenti, noluit aggredi abſque prævia oratione: exemplum nobis præbens, ut omnes noſtras actiones itidem à precatione auſpicemur. Hoc exemplum Apoſtoli imitati ſunt in electione Matthiæ Actor. 1. 24. Vide quoque Actor. 14. 23.

Et advocavit ad ſe, quos ipſe voluit.] Nempe è ſuis diſcipulis, è quibus duodecim elegit. Quod enim reliqua turba pupuli inferius in planitie ſeu æquore campi remanſerit, ex Luca cap. 6. 17 conſtat. Non dubium autem eſt, ubi cum diſcipulis ſuis in montem aſcendit, eum ab illis in locum peculiarem feceſſiſſe, quo liberius poſſet ſolus orare; uti & alias fecit Matth. 26. 36. Luc. 9. 18.

Quos ipſe voluit.] Non eos qui ipſi volebant, elegit, ſed quos ipſe voluit. Ita Paulus ait, ſe Apoſtolum eſſe *juxta voluntatem Dei* Epheſ. 1. 1. Et Chriſtus ipſe ad Apoſtolos dicit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi* Joh. 15. 16. Itaque in hac electione Apoſtolorum nullum proprie dictum Apoſtolorum meritum habuit locum. Quanquam omnino credibile eſt, Chriſtum etiam hac in re rationem habuiſſe dexteritatis & aptitudinis uniuſcujuſque, quatenus ei nota erat, inprimis autem integritatis & ad pietatem propenſi animi. Quod vero Judam Iſcariothem attinet, ſingulari Dei conſilio factum eſt, ut is in numerum Apoſtolorum cooptaretur, tametſi ad munus iſtud obeundum ineptus eſſet, ut nimirum decretum Dei de Chriſto impleretur.

Verſ. 14. *Et conſtituit duodecim, ut ſecum eſſent, & mitteret eos ad prædicandum.*] Ex iis, quos jam ante vocaverat, ut diſcipuli ejus eſſent, nunc conſtituit Apoſtolos. Quo fine Chriſtus elegerit iſtos duodecim, duas affert Marcus cauſas. Prima eſt, ut *cum illo eſſent*, id eſt, ut aſſidui domeſtici & perpetui in itinere comites ipſius eſſent. Secunda eſt, *ut mitteret eos ad prædicandum.* Non ſtatim, ſed ubi tempus & occaſio poſtularit. Quod enim eos non ſtatim miſerit, liquet ex Marc. 6. 7, & Luc. 9. 1.

Verſ. 15. *Et ut haberent poteſtatem ſanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.*

Verſ. 16. *Et impoſuit Simoni nomen Petri.*] Vide Matth. 10. 2.

Verſ. 17. *Et Jacobum Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui.*] Sicut Simoni Chriſtus nomen Petri (id eſt, petræ) impoſuit, propter heroicum ejus animum & ſingularem zelum, quem ſemper erga Chriſtum & confeſſionem ejus declaravit: ita geminos iſtos fratres Johannem & Jacobum ob cauſam conſimilem vocavit filios tonitrui, id eſt, tonitrui ſimiles; quia inſignes & ſtrenui præcones Euangelii fuerunt. Idcirco etiam præ aliis una cum Petro ad peculiaria ſecreta admittuntur: ut nimirum ad videndam gloriam Chriſti Matth. 17. 1. Marc. 9. 2. Luc. 9. 28, ad preces in horto habitas Matth. 26. 37. Marc. 14. 33, ad reſuſcitationem filiæ Jairi infra cap. 5. 37. Zelum tonitrui ſimilem prodiderunt duo iſti fratres (quanquam in re non ſatis bona) cum voluerunt, ut ignis de cœlo deſcenderet & exureret vicum illum Samariæ, ubi Chriſto negabatur hoſpitium Luc. 9. 54.

Verſ. 18. *Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananiten.*

Verſ. 19. *Et Judam Iſcariothem, qui & prodidit eum.*

PARS IV.

Verſ. 20. *ET veniunt in domum, & convenit rurſus turba, adeo ut ne capere quidem cibum poſſent.*] In domum, puta Petri, quam habebat Capernaumi, veniunt, ubi Chriſtus ſolebat divertere. Supra cap. 1. 29.

Adeo ut ne capere quidem cibum poſſent.] Cum Chriſtus ingreſſus eſſet domum, tanta hominum confluxit multitudo ad eum, ut cum ſuis diſcipulis tantum ſpatii non habuerit, ut cibum capere poſſent. Atque hic eſt verborum ſenſus, non autem, ut nonnulli volunt, populum tanta aviditate ad Chriſtum concurriſſe, ut etiam de cibo capiendo non cogitarent.

Verſ. 21. *Et cum hæc audiſſent ipſius propinqui, venerunt, ut prehenderent eum; dicebant enim: Quod apud ſe non eſſet.*] Gr. ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, *audientes, qui ab ipſo*, id eſt, è cognatione ipſius erant. Vide verſ. 31. Cum id Capernaumi contigerit, apparet, Chriſtum ibi quoque cognatos habuiſſe. Imo credibile eſt, matrem ejus, quia Joſephus jam proculdubio obierat (ipſius enim ex eo tempore, quo Chriſtus prædicare cœpit, nulla fit amplius mentio) à Nazaretha tranſmigraſſe Capernaumum. Quod quodammodo colligitur ex eo, quod infra ℣. 32, & cap. 6. 3 narratur.

Ut prehenderent eum.] Id eſt, ut eum ex illa domo, ubi adeo premebatur à turba, in aliam domum traducerent.

Dicebant enim. Non ipſius propinqui, ſed eſt Hebraicus loquendi modus, qui idem valet, quod, Dicebatur vel ſpargebatur vulgo ac paſſim, quod cum ad aures cognatorum ejus deveniſſet, permoti ſunt, ut venirent. Similes locutiones vide Matth. 5. 15. ix. 17, 32. Marc. 1. 32. iij. 2. v. 35. vi. 12. x. 33. Luc. 6. 38.

Quod apud ſe non eſſet.] Gr. ὅτι ἐξέστη. In Chriſti moribus aut geſtibus tale quid obſervatum eſſe, ex quo merito colligi potuerit, eum vere phreneſi laborare, abſurdum eſt dicere. Sed non minus abſurdum foret, ſi cognati ipſius nullum alium prætextum habuiſſent eum à turba ſemovendi, quam quod phreneticus ſit, cum nihil ſimile, nec ullum indicium, ejus rei in ipſo conſpiceretur. Sciendum proinde verbum Græcum ἐξέστη hoc loco non ſignificare, quod fuerit phreneticus, vel impos rationis, ſed quod in deliquium animi aut languorem inciderit. Quo ſenſu Syrus & Arabs hoc verbum hic reddiderunt. Eſtque valde verisimile, hunc eſſe hujus loci ſenſum. Jejunium enim diutinum, cum præ turba cibum non poſſet capere, & incluſus ac halitu populi tepefactus aër,

ter, facile potuit cauſa languoris ac deliquii exiſtere, in eo præſertim, qui inſuper multa loquendo & laborando jam defatigatus eſt.

Verſ. 22. *Scribæ vero, qui Hieroſolymis deſcenderant, dicebant: Beelzebulem habet, & per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.*] Hoc & quæ ſequuntur uſque ad ℣. 31 apud Matthæum cap. 12. 24 & ſeqq. declarata ſunt.

Beelzebulem habet.] Syrus habet: *Beelzebul eſt in eo*, id eſt, operatur in eo. Vide Matth. 9. 34. xij. 24. 27. Hinc Chriſtum ipſum Beelzebulem appellant Matth. 10. 25, id eſt, inſtrumentum & miniſtrum Beelzebulis. Simili ſenſu de Johanne Baptiſta inquiunt: *Dæmonium habet* Matth. xi. 18.

Verſ. 23. *Cum autem eos advocaſſet, dixit eis per parabolas: Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere.*

Verſ. 24. *Et ſi regnum in ſeipſum dividatur, non poteſt ſtare regnum illud.*

Verſ. 25. *Et ſi domus in ſe ipſam dividatur, non poteſt ſtare domus illa.*

Verſ. 26. *Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum, diviſus eſt, non poteſt ſtare, ſed finem habet.*] Videtur hic vox Satanæ, ut & Luc. xi. 18, accipi pro univerſa multitudine malorum ſpirituum, quo modo etiam accipi ſolet non raro vox hominis pro toto humano genere, vel pro humana natura. Nam non ſolum princeps dæmoniorum, ſed in genere omnes impuri ſpiritus hoc nomine inſigniuntur: ut ſupra ℣. 23, Matth. 12. 26.

Verſ. 27. *Nemo poteſt vaſa fortis, in domum ejus ingreſſus, diripere, niſi prius fortem illum vinxerit, & tunc domum ejus diripiet.*

Verſ. 28. *Amen dico vobis, omnia peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemiæ, quibuſcunque blaſphemaverint.*] Id eſt, quantumvis enormes & graviſſimæ blaſphemiæ illæ fuerint, quamvis Deum ipſum in cœlis blaſphemaverint. Lutherus & Piſcator ita verba hæc reddiderunt, *etiam blaſphemiæ, quibus Deum blaſphemant*, etſi vox Dei in nullo exemplari Græco habeatur. Nempe illi rem ipſam expreſſerunt. Vide hac de re Matth. 12. 32.

Verſ. 29. *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed tenetur æterno judicio.*] Non habet remiſſionem in æternum: id eſt, nunquam remittetur. Judæi enim credunt, pœnas aliquorum peccatorum cum tempore deſituras, adeoque peccata illa remiſſum iri.

Sed tenetur æterno judicio.] Id eſt, æternæ damnationis reus eſt. Senſus verborum eſt: Tales blaſphematores non ſolum in hac vita, induratione cordis, & ſæpe etiam conſpicuis pœnis plectentur (ut accidit Judæis) verum etiam poſt hanc vitam æterna damnatione punientur. Hunc eſſe ſenſum evincunt verba apud Matth. 12. 32.

Verſ. 30. *Dicebant enim: ſpiritum impurum habet.*] Hiſce verbis Chriſtus rationem reddit, cur tam ſeveram ſententiam de blaſphematione Spiritus Sancti tulerit. Unde intelligitur illud ipſum, quod Chriſto attribuebant impurum Spiritum, blaſphemiam adverſum Spiritum Sanctum fuiſſe.

PARS V.

Verſ. 31. *Veniunt igitur fratres & mater ejus: & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum.*

Verſ. 32. *Et ſedebat turba multa circa eum: dixerunt vero ei: Ecce mater tua, & fratres tui, & ſorores tuæ foris quærunt te.*

Verſ. 33. *Tunc reſpondit eis dicens: Quæ eſt mater mea, aut fratres mei?*

Verſ. 34. *Et circumſpiciens in circuitu eos, qui circa ipſum ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.*] Veriſimile eſt aliquos, qui ipſi proximi erant ſediſſe, reliquos ſtetiſſe, aut in feneſtris ſe reclinaſſe, ut Actor. 20. 9.

Verſ. 35. *Quicunque enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.*

CAPUT. IV.

I. *Chriſtus proponit diſcipulis parabolam de quadruplici ſeminis ſorte: ad verſ.* 10. II. *Explicat ipſis hanc parabolam: ad verſ.* 21. III. *Hortatur, ad dandum operam, ne Euangelii doctrina reddatur inanis ac infrugifera, plura dona promittens: ad verſ.* 26. IV. *Proponit parabolam de ſemine abſque ſeminantis opera creſcente ac fructum ferente: ad verſ.* 30. V. *Tradit parabolam de Sinapis ſemine: ad verſ.* 35. VI. *Increpat ventum, & pacatum reddit mare: ad finem Cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *Et iterum cœpit docere juxta mare, & congregata eſt ad eum turba multa, adeo ut ipſe conſcendens navigium ſederet in mari; & omnis turba ad mare ſuper terram erat.*] Iterum, id eſt, tertio. Superius enim jam bis ad mare exiverat, cap. 1. ℣. 16, & 11. 13.

Verſ. 2. *Et docebat eos per parabolas multa, & dicebat illis in doctrina ſua.*] Senſus eſt: Poſtquam multa alia ad populum locutus eſt, propoſuit etiam illis varias parabolas, ut inter alias hanc &c. Præcipuæ doctrinæ Chriſti erant mandata ejus, quibus proprie nomen doctrinæ competit. Ea tradendi populo nullam prætermiſit occaſionem: myſteria autem, & reprehenſiones tantum quaſi appendicem adjecit.

Verſ. 3. *Audite: Ecce exiit ſeminans ſeminare.*] Tota parabola apud Matthæum cap. 13. 3 & ſeqq. expoſita eſt. Quodſi aliqua in certis circumſtantiis apud utrumque Euangeliſtam ſit diſcrepantia, memoria tenendum eſt, quod jam aliquoties monitum eſt, Euangeliſtas in ſuis narrationibus non ſemper ad verba ſeſe adſtrinxiſſe, ſed rem ipſam potiſſimum ſpectaſſe.

Verſ. 4. *Et factum eſt in ſeminando; hoc quidem cecidit ſecundum viam, venerunt que volucres cœli, & devoraverunt illud.*

Verſ. 5. *Aliud vero cecidit in petroſa, ubi non habebat.*

bebat terram multam; & ſtatim exortum eſt, propterea quod non habebat profundam terram.

Verſ. 6. *Sole autem exorto, exuſtum eſt, & propterea quod non habebat radicem, exaruit.*

Verſ. 7. *Et aliud cecidit in ſpinas: & aſcenderunt ſpinæ, ac ſuffocarunt illud & fructum non edidit.*] De ſuperiori ſemine non dixit, eum non tuliſſe fructum. Quomodo enim poterat fructum ferre, cum devoratum ſit à volucribus, & exuſtum ab ardore ſolis? Sed de hoc, quod cecidit inter ſpinas, aliqua ſpes fructus affulſerat, cum una cum bono ſemine è terra excreviſſet & prorupiſſet.

Verſ. 8. *Et aliud cecidit in terram bonam, ediditque fructum aſſurgentem ac creſcentem, & attulit unum triginta, & unum ſexaginta, & unum centum.*

Verſ. 9. *Tunc dixit eis: Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

PARS II.

Verſ. 10. *Cum autem eſſet ſolus, interrogarunt eum, qui circa eum erant cum duodecim, de parabola.*] Solum interrogarunt, à turba remotum Luc. 9. 18.

Verſ. 11. *Et dixit eis: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt.*] Quod Matthæus ſimpliciter dixerat, *Illis*, hoc Marcus hic declarat quodammodo, addens: *Qui foris ſunt.* Per iſtos vero omnes ii intelliguntur, qui ſunt à doctrina & profeſſione Chriſti alieni 1 Cor. 5. 12, 13. Col. 4. 5. 1 Theſſ. 4. 12. Itaque Marcus eos hic notat, qui quidem Chriſtum docentem audiebant, ſed non eo animo, ut vellent pietatem ab eo diſcere: æque ut Athenienſes, qui nulli alii rei vacabant, quam ad dicendum & audiendum aliquid novi Actor. 17. 21.

Verſ. 12. *Ut videntes videant, & non cernant; & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & remittantur eis peccata.*] Verba hæc ſumpta ſunt ex Eſai. 6. 9, quorum interpretationem veram vide apud Matthæum cap. 13. verſ. 14, 15. Habemuſque hic exemplum ejus rei, quod Euangeliſtæ & Apoſtoli loca Veteris Teſtamenti non ſemper eodem modo & eodem ſenſu allegent, ſed quilibet ea ad ſuum ſcopum ac propoſitum accommodet. Nam apud Matthæum adducuntur hæc verba tanquam cauſa, quæ Chriſtum moverit, ut per parabolas loqueretur; quia ſcilicet auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, id eſt, quia cœleſtem doctrinam Chriſti de ſalute æterna, claris & perſpicuis verbis propoſitam, in animum admittere & amplecti renuerunt, idcirco Chriſtus juſta eos pœna afficit, & reliqua regni cœlorum myſteria obſcuris parabolis involuta proponit. Hic vero, ut & Joh. 12. 40, citantur hæc verba tanquam pœna eis inflicta ideo, quod ea quæ Chriſtus clare propoſuerat, intelligere ac recipere noluerint: nimirum Chriſtus loquitur eis per parabolas, ne myſteria regni Dei videant, & audientes audiant.

Ne quando convertantur.] Id eſt, ut in ſua obſtinatione permaneant, & via pœnitentiæ ac converſionis ad Deum, & remiſſionis peccatorum obtinendæ, quam antea temere ſpreverunt, illis maneat præcluſa. Quæ pœna vere paterna & ſumme ſapiens fuit. Eo ipſo enim Deus illis adhuc ſpatium reſipiſcendi reliquit, dum unicuique patuit ad Chriſtum aditus, ut ad eum venire, & explicationem parabolarum ab eo diſcere potuerit. Ex quo patet, hanc pœnam non de æterna reprobatione, multo minus de decreto damnationis ab omni æternitate facto intelligendam eſſe. Nam etiam apud Eſaiam comminatio iſta non tendit ultra Babylonicam captivitatem, ut ibid. verſ. 11 apparet. Eſtque probabile aliquos ex iſtis, de quibus hic Chriſtus loquitur, poſtquam tam nefando ſe ſcelere in ipſo trucidando obſtrinxerunt, ſeriam poſtea egiſſe pœnitentiam, & cum ſumma animi flagitium ſuum deteſtantis contritione ad Chriſtum converſos eſſe. Ita enim comparati ſunt hominum animi, ut bonum, dum præſens erat, ſpretum, ſublatum ex oculis poſtmodum tanto ardentius appetant. Etiam vulnera fidelius curantur, è quibus omnis purulenta materia ejecta eſt, quam quibus cito inducitur cicatrix. Ita etiam pietas eorum multo eſt conſtantior, quorum ex animis malitia omnis quaſi ebullivit.

Verſ. 13. *Et ait illis: Neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?*] Cum hanc, quæ omnium facillima eſt, non intelligatis. Vide Matth. 13. 18. Arguit eos, quod tamdiu cum ipſo converſati, & in doctrina ejus toties inſtituti, nondum tamen tantum profecerint, ut tam planam palam intelligerent.

Verſ. 14. *Seminans, ſermonem ſeminat.*

Verſ. 15. *Hi autem ſunt, juxta viam, ubi ſeminatur ſermo, & poſtquam audierint, ſtatim venit Satanas, & tollit ſermonem, qui ſeminatus fuerat in cordibus eorum.*

Verſ. 16. *Et hi ſunt ſimiliter in petroſa ſeminati, qui cum audierint ſermonem, ſtatim cum gaudio excipiunt illum.*

Verſ. 17. *Et non habent radicem in ſeſe, ſed temporarii ſunt; deinde orta afflictione aut perſecutione propter ſermonem, ſtatim offenduntur.*

Verſ. 18. *Et hi ſunt in ſpinas ſeminati, hi ſunt, qui ſermonem audiunt.*

Verſ. 19. *Et curæ hujus ſeculi, & fallacia divitiarum, & circa reliqua cupiditates introëuntes ſuffocant ſermonem, & ſine fructus expers.*] Cupiditates circa reliqua ſunt voluptates carnis, quæ divitiarum quaſi pediſſequæ ſunt. Verba hæc non habentur apud Matthæum.

Verſ. 20. *Et hi ſunt in terram bonam ſeminati, qui audiunt ſermonem, & ſuſcipiunt, & fructum ferunt unum triginta, & unum ſexaginta, & unum centum.*

PARS III.

Verſ. 21. *Dixit etiam illis: Num lucerna venit, ut ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum?*

ctum? Nonne ut candelabro imponatur?] Ita Syriaca & Latina habet verſio: ſed in quibuſdam Græcis exemplaribus legitur, *Num etiam lucerna accenditur?* Fortaſſis aliquis illuſtrandi gratia in margine adſcripſerat ex Matth. 5. 15. verbum *accenditur*, quod deinde alius deſcribens textui inſeruit.

Num lucerna venit?] Nempe in domum aliquam, vel conclave; id eſt: num etiam lucerna in domum aut conclave infertur, eo fine, ut ponatur ſubter modium?

Quæritur hoc loco: quomodo hæc parabola hoc loco, & apud Lucam quoque cap. 8. 16. cum præcedentibus cohæreat? Matthæus enim ea refert prorſus alio loco; nimirum in prolixa illa Concione, quam Chriſtus habuit in monte cap. 5. 15. Verum credibile eſt, Chriſtum hanc parabolam de lucerna tanquam vulgare & notum Proverbium non ſemel, ſed variis in locis & ſæpius uſurpaſſe, adeoque etiam eam præcedenti parabolæ de ſemine attexuiſſe. Idemque ea voluit ſignificatum, quod in parabola ſeminis docuit, nempe ſalutarem Euangelii doctrinam, non eo fine nobis tradi, ut fructus maneat expers, ſed eam in nobis lucere debere per opera pietatis. Quod in præcedenti parabola eſt ſemen, id hic eſt lucerna: quod illic eſt fructum ferre, id hic eſt, imponi candelabro & lucere omnibus. Vide Matthæi 5. 16. 2 Petr. 11. 12.

Verſ. 22. *Non eſt enim quicquam occultum, quod non ſit manifeſtum futurum; neque eſt factum abſconditum, ſed ut in apertum veniat.*] Hoc dictum etiam generale eſt, quod tam de bonis, quam de malis rebus uſurpari ſolet. Apud Johannem cap. 3. 20, 21. inquit Chriſtus: *Quiſquis quæ mala ſunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Qui vero dat operam veritati, venit ad lucem, ne arguantur opera ejus, quod ſecundum Deum facta fuerint.* Hoc loco Chriſtus dicto iſto innuit, bona etiam in occulto nonniſi eo fine doceri, ut fructum ferant, & ſic in apertum prodeant ac manifeſtentur.

Neque factum eſt abſconditum, ſed ut in apertum veniat.] Nihil aliud iſtis verbis docetur, quam quod prioribus. Solenne enim Hebræis eſt, rem eandem bis, mutatis aliquantum verbis efferre. Cujus rei plurima exempla extant in Proverbiis Salomonis, & infra verſ. 30. & cap. 8. 17. &c.

Sed ut in apertum veniat.] Id eſt, nihil factum eſt abſconditum ſeu in occulto, niſi propterea, ut in lucem & apertum veniat. *Sed* pro *niſi*. Tali ſignificatione ſumitur etiam particula *ſed*, Matth. 20. 23. & infra cap. 9. 8. x. 40.

Verſ. 23. *Si quis habet aures ad audiendum, audiat.*] Vide Matth. 11. 15. Deus nos præſtantiſſimo rationis munere potiſſimum in hunc finem ornavit, ut ad res, quæ ad pietatem faciunt, quam maxime attenti ſimus.

Verſ. 24. *Et dicebat illis: Videte quid audiatis. Qua menſura metimini, remetietur vobis, & adjicietur vobis qui auditis.*] Hæc eſt nova admonitio, quæ ex priori enata eſt. Chriſtus enim ſuperius dixerat, ſe myſteria regni Dei non revelare illis, qui primam admonitionem de pœnitentia negligunt ac ſpernunt. De eo jam generalem format regulam, inquiens: *Videte, quid audiatis.* Id eſt probe attendite, quid illud ſit quod auditis, ut id in animum tam alte admittatis, quam rei dignitas requirit. Lucas habet: *Videte quomodo audiatis.* cap. 8. 18. Vide ibidem.

Qua menſura metimini, remetietur vobis.] Hoc quoque dictum eſt ejuſmodi, ut eo Chriſtus quaſi noto proverbio varie ſit uſus. Nam Matthæus id refert tanquam prolatum in magna illa Concione Chriſti in monte habita cap. 7. 2. ſed in alia ſignificatione. Hic vero Chriſtus nihil aliud vult, quam ſi diceret: Pro eo, ut homines prima & neceſſaria præcepta pietatis animo grato & avido ſuſcipiunt, ita in eos poſtea gratia divina magis magiſque retundabit ac diffundetur. Præterea mox addit Chriſtus, *Et adjicietur vobis, qui auditis:* q. d. Et quia vos bona menſura metimini, id eſt, ita auditis, ut oportet, ideo Deus etiam vobis remetietur ad eum modum, id eſt, plura adhuc myſteria vobis revelabuntur, & plura dona communicabuntur.

Verſ. 25. *Qui enim habet, dabitur ei: & qui non habet, etiam quod habet tolletur ab eo.*] Hoc eſt explicatum Matth. 13. 12. Continentque hæc verba repetitionem præcedentium. Senſus utrobique eſt idem.

PARS IV.

Verſ. 26. *ET dicebat: Ita eſt regnum Dei, ut ſi homo jaciat ſemen in terram.*] Hæc parabola à nullo alio Euangeliſtarum conſignata eſt. Utrum vero eodem tempore prolata ſit à Chriſto, quo aliæ parabolæ, id ſcire parum intereſt. Non eſt quidem huic parabolæ ſubjuncta interpretatio, quemadmodum apud Matthæum cap. 13. 24. 36. illa de zizaniis ſubjunctam habet. Poteſt tamen ex illa facile explicari. Nimirum homo ſeminans ſemen, non eſt quilibet veritatis doctor, ſed Chriſtus, ut & Matth. 13. 37. Ipſe enim eſt ille, qui poſtea verſ. 29. mittit meſſores ad metendum. Hic autem nullus alius eſt, quam Chriſtus. Matth. 13. 39, 40, 41.

Verſ. 27. *Et dormiat, & exurgat nocte ac die, & ſemen germinet, & aſſurgat, quomodo ipſe neſcit.*] His verbis ſignificatur ſumma ſecuritas ſeminantis, poſtquam jam ſementem fecit: non amplius agit inſomnes noctes, non eſt tam occupatus, & diſtrictus, atque erat, cum ager nondum eſſet conſitus, cum terra adhuc paſtinanda, ſemenque ei mandandum eſſet; ſed dormit in utramvis aurem noctu, die vigilat, ſecureque agit, ut qui laborem ſuum jam peregerit. Ut ita tranſpoſitio ſit in verbis, voxque *nocte* ad verbum *dormiat*, & vox *die* ad verbum *exurgat* pertineat. Quia vero per ſeminatorem Chriſtus intelligitur, idcirco quæritur; quomodo id de Chriſto dici poſſit? Sed animadvertendum eſt, hunc eſſe ſenſum: Quamvis is qui ſparſit ſemen, dormiat & ſurgat, id eſt, nihil amplius faciat, ſed terræ committens ſemen quieſcat, illud nihilominus creſcit & fructum profert. Vultque docere Chriſtus, ſe poſtquam ſemen cœleſtis doctrinæ ſuæ in mundo diſſeminavit, uſque ad tempus meſſis, non amplius ita conſpicue agro adfuturum: vel, prædicatum à ſe verbum, etiamſi ipſe nihil amplius faciat, tantam in

ſe vim

ſe vim habere, ut per ſe ipſum creſcere fructuſque producere queat.

Verſ. 28. *Sponte enim terra fructum fert, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.*] Sponte, id eſt, ſine ſeminatore.

Primum herbam.] Id eſt, viridem culmum, qui primum erumpit è terra, & gramini ſimilis eſt. Appellat autem & culmum & ſpicam etiam fructum, per catachreſin, cum tamen triticum demum fructus ſit. Sed jam alibi admonuimus in parabolis non omnia verba continere myſticum aliquem ſenſum; uti hic quoque herba & ſpica nihil denotant peculiare, ſed tantum triticum, quod eſt verus ille fructus, quem parabola reſpicit.

Verſ. 29. *Cum autem prodiderit ſeſe fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.*] Id eſt, ubi ad maturitatem pervenerit triticum.

Statim mittit falcem.] Falx ponitur pro meſſoribus per catachreſin. Proprie enim perſonæ tantum mittuntur, non res inanimatæ. Sic Angelus loquitur ad Abrahamum Geneſ. 22. 12. *Ne mittas manum tuam in hunc puerum.*

PARS V.

Verſ. 30. ET *dicebat: Cui rei aſſimilabimus Regnum Dei? aut in qua parabola comparabimus illud.*] Parabola hæc expoſita eſt. Matth. 13. 31.

Aut in qua parabola.] Eſt repetitio ſuperioris dicti, verbis nonnihil immutatis. Similis locutio, ubi res eadem aliis verbis iteratur, eſt etiam Eſai. 40. 18. *Cui aſſimilabitis Deum, & quam ſimilitudinem comparabitis ei?*

Verſ. 31. *Sicut grano Sinapis, quod cum ſeritur in terra, minimum eſt omnium ſeminum, quæ in terra ſunt.*

Verſ. 32. *Sed cum ſeminatum fuerit, aſſurgit, & fit maximum omnium olerum: & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub ejus umbra volucres cœli nidulari.*

Verſ. 33. *Et talibus multis parabolis loquebatur eis ſermonem prout poterant audire.*] Innuit hic Marcus, ſe non omnes Chriſti parabolas recenſuiſſe: & Matthæus ſane habet plures, quas Marcus omiſit: ut ſunt cap. 13. 24. 33. 34. 45. 47. An vero & Matthæus omnes deſcripſerit, incertum eſt. Dubium enim nullum eſt, Euangeliſtas multa alia præteriiſſe in ſcribendo, quæ Chriſtus locutus eſt & fecit. Quod vel ex eo, quod ſcribit Johannes cap. 21. verſ. 25. intelligitur.

Prout poterant audire.] Id eſt, prout digni erant audire, vel prout eis conveniebat audire. Qui enim ei, cum plane & abſque parabolis loqueretur, fidem noluerunt adjungere, ad eos poſtea ſermonem fecit in parabolis, ne ipſum etſi vellent, intelligere poſſent. Simili ſenſu accipitur verbum *poſſe*, Matth. 9. verſ. 15.

Verſ. 34. *Abſque parabola autem non loquebatur eis: privatim autem diſcipulis ſuis explicabat omnia.*] Cum dicit, non loquebatur eis abſque parabola, adverbium *non* trahendum non eſt longius, quam res, de qua agitur, fert. Non loquebatur, ſcilicet myſteria Regni Dei. Quod enim Chriſtus etiam ad infidelem turbam multa ad pœnitentiam ac pietatem ſpectantia, claris verbis & ſine parabola locutus ſit, vel ex cap. 5. 6 & 7. Matthæi perſpicuum eſt.

Privatim autem diſcipulis ſuis explicabat omnia.] Id eſt, revelabat eis Myſteria Regni Dei, quæ ſub parabolarum involucro propoſuerat. Græcus textus habet, ἐπέλυε, diſſolvebat; ſic dicimus, ſolvere ænigma, vel nodum. Abdita myſteria evolvere & explicare noſſe, eſt peculiare donum Dei, idemque Spiritus ad id requiritur, quo ad Prophetandum opus eſt. Vide 1 Corinth. 14. 26.

PARS VI.

Verſ. 35. ET *ait illis illo die, facta veſpera: Tranſeamus in ulteriorem ripam.*] Ἐκείνῃ ἡμέρᾳ, illo die, ſignificat ſimpliciter, quodam die: ut etiam Matth. 13. v. 1. Lucas dicere ſolet: *in uno dierum*, cap. 5. 17. Itaque non eſt exiſtimandum, Euangeliſtam velle, id quod ſequitur, eodem die præciſe factum eſſe, quo Chriſtus ſuperiora locutus eſt.

Tranſeamus in ulteriorem ripam.] Per lacum Geneſareth, ſeu mare Galileæ, trajiciamus in terram Gergeſſenorum. Confer cum Matth. 8. 18. 28.

Verſ. 36. *Et dimiſſa turba acceperunt eum, ut erat in navigio, ſed & alia navigiola erant cum eo.*] Turbam reliquerunt in littore ſtantem, ubi fuerat, cum Chriſtum è navigio concionantem audiret. Indicat Euangeliſta, turbam Chriſtum non fuiſſe ſecutam, quia navigia deerant: Chriſtumque ſe hoc modo voluiſſe illis ſubducere, ut etiam Gergeſſenis Euangelium prædicare poſſet.

Acceperunt eum.] Non manibus, ut eum in navem imponerent: jam enim erat in navi; ſed ſuſceperunt eum, ut tranſveherent, quo modo etiam de Pandocho dici ſolet, quod ſuſcipiat hoſpites hoſpitio.

Ut erat in navigio.] Id eſt, poſt abſolutam concionem, non egreſſus eſt ex navigio, ſed prout intraverat navigium concionaturus, ita illum avexerunt.

Sed & alia navigiola erant cum eo.] Quæ ipſum ſequebantur. Qui enim in his navigiolis erant, illi dixerunt id, quod verſ. 41. narratur. Meminitque Euangeliſta horum navigiolorum propterea, ut oſtenderet, non ſolos Chriſti diſcipulos, ſed plures quoque alios ſequentes miraculi teſtes fuiſſe.

Verſ. 37. *Et facta eſt procella venti magna, & fluctus irruebant in navigium, ita ut jam impleretur.*

Verſ. 38. *Erat autem ipſe in puppi, cervicali indormiens, & excitant eum, dicuntque ei: Magiſter, non eſt tibi curæ, quod perimus.*] In puppi, ubi nauclerus ſedere clavumque tenere ſolet.

Verſ. 39. *Et expergefactus objurgavit ventum, dixitque mari: Sile, obmutesce. Et quievit ventus, factaque eſt tranquillitas magna.*] Statim atque illo ipſo momento quieverunt fluctus, cum alias à magno ac vehementi vento concitati non ſoleant cito ſe componere, ſed aliquandiu adhuc agitari, etſi ventus ceſſaverit. Atque hoc eſt, quod populus verſ. 41. miratur, non ſolum ventum, ſed & mare ipſi obſecundare.

Verſ. 40. *Et ait illis: Quid ita timidi eſtis? quomodo fidem non habetis?*

Verſ. 41.

Verſ. 41. *Et timuerunt timore magno, dicebantque alius ad alium: Quiſnam iſte eſt, quod & ventus & mare obediunt ei.*] Non diſcipuli Chriſti id dixerunt ſed homines (ut Matthæus refert, cap. 8. 27.) qui in ſequentibus vehebantur naviculis, quique non adeo multa ejus miracula viderant. Reliqua hujus hiſtoriæ explanata ſunt Matth. cap. 8. verſ. 23 & ſeqq.

CAPUT V.

I. *Chriſtus ejicit legionem dæmonum: ad verſ. 21.* II. *Suſcitat à mortuis Jairi filiam: ad verſ. 25.* III. *Mulierem profluvio ſanguinis laborantem ſanat: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET venerunt in ulteriorem ripam maris, in regionem Gadarenorum.*] Matthæus ait, Gergeſſenorum cap. 8. v. 28. Vide ibidem, ubi tota hæc hiſtoria explicata eſt.

Verſ. 2. *Et exeunti ei è navigio, ſtatim occurrit è monumentis homo Spiritum immundum habens.*] Vide Zachar. 13. 2.

Verſ. 3. *Qui domicilium habebat in monumentis, & ne catenis quidem quiſquam poterat eum vincire.*

Verſ. 4. *Propterea quod ſæpe pedicis & catenis vinctus fuerat, & diruptæ fuerant ab eo catenæ, & pedicæ contritæ, neque quiſquam potuerat eum domare.*] Hoc adſcribitur homini obſeſſo, cum tamen id impurus Spiritus in eo effecerit. Et contra ſupra cap. 3. 11. dæmoni tribuitur, quod obſeſſus fecit.

Verſ. 5. *Et totas noctes ac dies erat in monumentis & in montibus clamans, & concidens ſeipſum lapidibus.*

Verſ. 6. *Cum vidiſſet autem Jeſum procul, cucurrit, & adoravit eum.*

Verſ. 7. *Et clamans voce magna dixit: Quid mihi tecum, Jeſu Fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.*] Verbum *adjuro* non ſignificat hic, è te juramentum exigo, ſed, rogo te Dei viventis nomine. Vide Matth. 26. 63. Sic etiam 1 Theſſ. 5. 27. Adjuro vos per Dominum, ut epiſtola hæc legatur, &c. id eſt, rogo vos per nomen Domini.

Verſ. 8. *Dicebat enim ei Jeſus: Exi Spiritus impure ex iſto homine.*

Verſ. 9. *Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et reſpondit dicens: Legio mihi nomen eſt: quia multi ſumus.*

Verſ. 10. *Et multum precabatur eum, ne ipſos mitteret extra regionem illam.*] Cauſa, cur dæmones cupiebant in illa permanere regione, videtur fuiſſe, quod illic plurimi Apoſtatæ à Judaica religione habitarint. Quod enim illa regio plena fuerit Græcorum, ex Joſepho conſtat. In tales autem Apoſtatas, qui Dei Fœdere exciderant, diabolus Dei permiſſu poteſtatem ſuam exercebat. Ita quoque ajunt Judæi, certo cuidam Angelo datam eſſe poteſtatem ſuper incircumciſos infantes. Sic & Chriſtiani, qui vel à fide defecerunt, vel non ſecundum Euangelium vivunt, Satanæ poteſtati ſubjecti ſunt. 1 Corinth. 5. verſ. 5. 1 Timoth. 1. 20.

Verſ. 11. *Erat autem illic apud montem grex porcorum magnus paſcens.*] Lucas ait, *in monte* cap. 8. 32. nempe in inferiori parte montis.

Verſ. 12. *Et precati ſunt eum omnes dæmones, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introëamus.*

Verſ. 13. *Et permiſit eis ſtatim Jeſus. Egreſſi verò Spiritus illi impuri introierunt in porcos: & ruit ille grex per præcipitium in mare (erant enim quaſi bis mille) & ſuffocati ſunt in mari.*

Verſ. 14. *Qui vero paſcebant porcos, fugerunt, & renuntiarunt in urbem & in agros. Et illi egreſſi ſunt, ut viderent, quid illud eſſet, quod factum fuerat.*

Verſ. 15. *Veniunt igitur ad Jeſum, & conſpiciunt dæmoniacum ſedentem, ac veſtitum, & ſanæ mentis, eum qui habuerat legionem; & timuerunt.*] Addit, quod eum viderint ſanæ mentis, quia dæmoniaci plerumque ſolent mente capti eſſe. Vide Johan. 10. verſ. 20.

Verſ. 16. *Narraverunt autem illis, qui viderant, quomodo actum eſſet cum dæmoniaco, & de porcis.*

Verſ. 17. *Et cœperunt rogare eum, ut abiret ex finibus ipſorum.*

Verſ. 18. *Ipſo vero ingreſſo in navigium, rogabat illum dæmoniacus, ut eſſet cum illo.*] Cum conſcenderet navem, ut in Galilæam trajiceret.

Ut cum illo eſſet.] Metuebat ſcilicet, ne ubi Chriſtus diſcederet, rurſus eum Satan in poteſtatem ſuam redigeret. Sed Jeſus ei vult oſtendere, ſe etiam abſentem poſſe tutari eos, qui ipſi confidunt.

Verſ. 19. *Jeſus autem non permiſit ei, ſed dixit illi: Abi domum tuam, ad tuos, & eis annuncia, quanta tibi Dominus præſtiterit, & quod miſertus ſit tui.*] Majori cum gloria Dei id erat conjunctum, ut homo iſte iret domum, & miraculi ac beneficii ſibi exhibiti magnitudinem inter ſuos agnatos deprædicaret. Fortaſſis etiam credidit Chriſtus, jactantiæ & ſtudio vanæ gloriæ tribui poſſe, ſi hominem, in quo tanti miraculi ſpecimen edidit, ſecum circumduceret.

Annuntia eis.] Aliis Chriſtus imperabat ſilentium, ne odium Phariſæorum in ſe devolveret; huic autem mandat annuntiare aliis beneficia Dei. Nimirum voluit Chriſtus, ut etiam ad vicinos Ethnicos de ipſo fama perveniret, tanquam prodromus futuræ vocationis.

Quanta tibi Dominus præſtiterit.] Chriſtus non ſibi attribuit hoc miraculum, ſed Deo Patri ſuo, à quo poteſtatem illam acceperat. Johan. 5. v. 19. Eccur vero id ſibi non adſcribit, ſi ipſe eſt Deus ſummus?

Verſ. 20. *Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ipſi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur.*

PARS II.

Verſ. 21. *ET cum Jeſus rurſus trajeciſſet navigio in ulteriorem ripam, coacta eſt turba multa ad eum: eratque apud mare.*] Trajecit in terram Galilæam Capernaumum.

Verſ. 22. *Et ecce venit unus ex præfectis Synagogæ, nomine Jairus, & videns eum procidit ad pedes ejus.*] Hiſtoria iſta uſque ad finem Capitis explicata eſt Matth. 9. 18.

Verſ. 23. *Et multum precabatur eum, dicens: Filiola*

mea in extremis eſt, veni & impone ei manus, ut ſervetur, & vivet.] Id eſt, ut ſana fiat, & ſic mortem cui proxima eſt, effugiat.

Verſ. 24. *Abiit igitur Jeſus cum illo: & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.*]

PARS III.

Verſ. 25. ET *mulier quædam, quæ erat in fluxione ſanguinis ab annis duodecim.*] Hebraiſmus eſt, erat in fluxione ſanguinis, id eſt, profluvio ſanguinis laborabat. Ita ſupra dictum eſt ℣. 1, *homo in ſpiritu impuro*, id eſt, ſpiritum impurum habens.

Verſ. 26. *Et multa perpeſſa à multis medicis, impenderat omnia ſua & nihil adjuta fuerat, ſed potius in deterius venerat.*

Verſ. 27. *Audiens de Jeſu, venit in turba à tergo, & tetigit veſtimentum ejus.*

Verſ. 28. *Dicebat enim: ſi vel veſtimenta ejus tetigero, ſervabor.*

Verſ. 29. *Et ſtatim exaruit fons ſanguinis ejus, & ſenſit corpore, ſe ſanatam eſſe ab illo flagello.*] Hinc patuit, eam non naturali ratione eſſe ſanatam. In diuturnis enim morbis non cito recuperantur vires, ſed diu adhuc ſentiuntur morbi reliquiæ.

Verſ. 30. *Eſt ſtatim Jeſus cognoſcens in ſemetipſo, ex ſe prodiiſſe virtutem, converſus in turba, dixit: Quis tetigit veſtimenta mea?*] Liquet hinc virtutem, qua mulier hæc ſanata eſt, in Chriſto ipſo reſediſſe atque habitaſſe: quod de nullo Prophetarum legimus.

Verſ. 31. *Et dixerunt ei diſcipuli ipſius: Vides turbam te comprimentem, & dicis: Quis me tetigit?*

Verſ. 32. *Et circumſpiciebat, ut videret eam, quæ hoc fecerat.*

Verſ. 33. *Mulier autem timens & tremens, cum ſciret quod in ſe factum fuerat, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.*

Verſ. 34. *Ille vero dixit ei: Filia, fides tua te ſervavit; abi in pace, & eſto ſana à flagello tuo.*

Verſ. 35. *Adhuc eo loquente, veniunt à præfecto Synagogæ, dicentes: Filia tua mortua eſt; quid adhuc vexas magiſtrum?*] Veniunt, ſubintellige quidam. Hebraiſmus eſt, de quo vide ſupra cap. 3. 21.

A præfecto Synagogæ.] Id eſt, ex domo præfecti Synagogæ. Nam ipſe præfectus Jairus apud Chriſtum erat. Similis locutio eſt: Joh. 15. 26. XVIII. 28.

Verſ. 36. *At Jeſus ſtatim ut audiit hunc ſermonem: qui dicebatur, dicit præfecto Synagogæ: Ne metue, tantummodo crede.*] Verba illa domeſticorum Jairi, *Quid adhuc vexas magiſtrum?* habebant vim, omnem adhuc reliquam ſpei ſcintillam in eo extinguendi: cui Chriſtus pro ſumma ſua benignitate occurrit, eamque retinere ſtudet.

Tantummodo crede.] Ad viſibilia beneficia conſequendum Chriſtus nihil aliud requiſivit, quam fidem, indicans eo pacto, etiam interna beneficia per fidem comparari poſſe.

Verſ. 37. *Nec permiſit quenquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum & Johannem fratrem Jacobi.*

Verſ. 38. *Venit igitur in domum præfecti Synagogæ, & videt tumultum, flentes & ejulantes multum.*

Verſ. 39. *Et ingreſſus dicit eis: Quid tumultuamini, & ploratis? Puella non eſt mortua, ſed dormit.*

Verſ. 40. *Et deridebant eum. Ipſe vero ejectis omnibus, aſſumit patrem puellæ & matrem, & eos qui ſecum erant, & ingreditur, ubi puella erat jacens.*] Tot aſſumſit ſecum teſtes, quot ad fidem rei faciendam ſatis eſſent. Si plures aſſumſiſſet, potuiſſet videri gloriam ſuam quæſiviſſe.

Et eos qui ſecum erant.] Tres nimirum diſcipulos, quos ſecum ire permiſerat ℣. 37.

Verſ. 41. *Prehenſaque manu puellæ, dicit ei: Talitha cumi, quod eſt, ſi interpreteris: Puella, tibi dico, ſurge.*] Quod cadaver, in quo nullus erat intellectus, alloquebatur, eique imperabat, ſignum erat divinæ ipſius virtutis ac potentiæ.

Verſ. 42. *Et ſtatim ſurrexit puella, & ambulabat: erat enim annorum duodecim; & obſtupuerunt ſtupore magno.*

Verſ. 43. *Et multum imperavit eis, ne quis id reſciret: dixitque ut daretur puellæ, quo veſceretur.*] Nolebat ut tunc temporis jam ſciretur, paſſim, ſe habere etiam ſuper mortem imperium, ut pote quod demum poſt reſurrectionem ejus toti mundo annunciandum erat. Interea hoc miraculum nolebat aliquos celare, cum id etiam validum argumentum ac teſtimonium ejus propriæ reſurrectioni præbere poſſet.

Ut daretur ei quo veſceretur.] Ut ſcilicet appareret, eam non vivam ſolum, ſed perfecte ſanam quoque eſſe. Qui enim gravi morbo affecti decumbunt, appetitu edendi prorſus deſtituti ſunt.

CAPUT VI.

I. *Chriſtus Nazarethæ contemtui habetur, & propter civium incredulitatem non poteſt multa miracula edere: ad verſ. 7.* II. *Mittit duodecim diſcipulos ad prædicandum & miracula facienda: ad verſ. 14.* III. *Fama de eo pervenit ad Herodem, qui Johannem capite truncari curavit: quæ truncatio deſcribitur: ad verſ. 30.* IV. *Apoſtoli reverſi renunciant, quid præſtiterint, & Chriſtus cibat hominum quinque millia: ad verſ. 45.* V. *Diſcipulis ſuis conſpiciendum ſe præbet in mari: ad verſ. 53.* VI. *Venit in terram Geneſareth.*

PARS I.

Verſ. 1. ET *egreſſus eſt inde, & venit in patriam ſuam, & ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.*] Vel ex domo præfecti Synagogæ, cujus filiam à mortuis ſuſcitaverat, cap. 5. 41, egreſſus dicitur; vel è Capernaumo, ubi domus erat iſtius præfecti Synagogæ, ut ex Matth. 9. 23 conſtat.

Et venit in patriam ſuam.] Nazaretham Luc. 4. 16.

Verſ. 2. *Et facto Sabbatho, cœpit in Synagoga docere: multique audientes percellebantur, dicentes: Unde huic iſta? & quæ eſt hæc ſapientia, quæ data eſt illi, quod etiam virtutes tales per manus ejus edantur?*] Ad verbum *percellebantur*, in quibuſdam exemplaribus adjectum

adjectum eſt, *ſuper doctrina ejus.* Perculſio autem illa & admiratio ſumma inde oriebatur, quod Jeſus Prophetas tam præclare & perſpicue explicaret, cum tamen à nullo hominum in iſta ſapientia fuerit eruditus. Vide Luc. 4. 22.

Quæ data eſt illi, quod etiam virtutes tales per manus ejus edantur.] Chriſto datam eſſe à Deo ſapientiam (præterquam quod nullum habuerit in ea magiſtrum in terris) colligunt quoque ex ingentibus ipſius miraculis, quæ in Capernaum & alibi patraverat.

Verſ. 3. *Nonne iſte eſt faber ille, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſis, & Judæ, & Simonis? nonne & ſorores ejus hic ſunt apud nos? & ſcandaliſabantur in ipſo.*] Vide Matth. 13. 55.

Nonne & ſorores ejus hic ſunt apud nos?] Quia Nazarethani hic nominatim apud ſe eſſe memorant ſorores ejus (id eſt materteras & proximas conſanguineas) de matre autem ejus id non perhibent, veriſimile eſt, matrem ipſius aliaſque cognatas ejus tunc jam Capernaumi habitaſſe. Vide ſupra cap. 3. 21.

Verſ. 4. *Dicebat autem eis Jeſus: Non eſt Propheta inhonoratus, niſi in patria ſua, & inter cognatos, & in domo ſua.*

Verſ. 5. *Et non poterat illic virtutem ullam edere, niſi quod paucis infirmis imponens manus, curavit eos.*] De variis ſignificationibus vocis *poſſe* vide ſupra cap. 1. 45, & cap. 2. 19. Hic videtur Euangeliſta dicere voluiſſe, Chriſtum noluiſſe miracula facere; quemadmodum de fratribus Joſephi dicitur Gen. 37. 4, eos non potuiſſe illum alloqui placide, id eſt, noluiſſe, præ odio, quod eos impediebat. Vide quoque Joh. 7. 7. Apoc. 2. 2. Sic etiam Chriſtus maxima incredulitate Nazarethanorum impeditus fuit, ut nulla miracula inter eos edere vellet. Etſi enim agnoſcerent, ſapientiam ejus humana ſublimiorem eſſe, etſi fama de maximis miraculis Capernaumi patratis, eos aliquatenus adduxerat, ad virtutem divinam in ipſo agnoſcendam: tamen conſideratio viliſſimi ortus ejus rurſus eos retraxit, ut de eo ſublimia credere non poſſent.

Chriſtus hic ipſe obſervavit id, quod diſcipulis ſuis injunxit Matth. 7. 6, ut ne dent ſanctum canibus, nec margaritas projiciant ante porcos.

Verſ. 6. *Mirabaturque propter incredulitatem eorum, & circuibat vicos in orbem, docens.*] Reliquit ingratam patriam, & quæſivit auditores beneficiis ſuis digniores.

PARS II.

Verſ. 7. *ET advocat duodecim illos, & cœpit eos mittere binos, deditque eis poteſtatem ſuper ſpiritus impuros.*] Duodecim ſcilicet illos, quos ſupra cap. 3. 14 elegerat, ut Apoſtoli eſſent, ſed nondum eis poteſtatem ſuper impuros ſpiritus dederat; quod nunc facit, ſimulque eos emittit.

Binos.] G. δύο, δύο, *duos, duos.* Ut perfectum ac ſufficiens eſſet teſtimonium, duo requirebantur Deut. 17. 6. Sic etiam Johannes Baptiſta duos diſcipulos ſuos miſit. Reliqua uſque ad ℣. 12, explicata ſunt apud Matthæum cap. 10. 9 & ſeqq.

Verſ. 8. *Et præcepit eis, ut nihil ſumerent ad iter, niſi virgam tantum, non peram, non panem, non æs in zona.*

Verſ. 9. *Sed ut calcelarentur ſandaliis, & ne induerentur binis tunicis.*] Græca vox σανδάλια, ſignificat tales calceos, qui tantum ſoleas habebant, ſuperius autem circa pedes corrigiis eos alligabant: eo modo, quo hodie monachi nudipedes ligneas ſoleas ſuas alligare ſolent. Talia calceamenta Judæis quotidiano in uſu erant: ſi quando ornatius incedere volebant, integros induebant calceos. Itaque Chriſtus indicare vult, eos debere ita iter ingredi, abſque omni commeatu alio, quam quo quotidie utebantur.

Ne induerentur binis tunicis.] Una pro itinere, & altera, ubi in urbem aliquam veniſſent. Vide Matth. 10. 10.

Verſ. 10. *Et dicebat eis: Ubicunque introieritis in domum, manete illic, donec illinc exeatis.*] In illa domo ſit veſtrum hoſpitium tamdiu, donec conſtitutum vobis fuerit, jam plane ex urbe excedere. Non vetat eis Chriſtus, è domo in forum aut plateam egredi, & ibi prædicare.

Verſ. 11. *Et quicunque non receperint vos, neque audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem, qui erit ſub pedibus veſtris, in teſtimonium illis. Amen dico vobis, tolerabilior erit Sodomorum aut Gomorrhæorum conditio in die judicii, quam urbis illius.*

Verſ. 12. *Et exeuntes prædicabant, ut reſipiſcerent.*] Nempe illi, quibus prædicabant. Quod prædicavit Johannes Baptiſta, Matth. 3. 2, & quod ipſe Chriſtus initio prædicavit, Matth. 4. 17, idem Apoſtolis quoque prædicare juſſit: pœnitentiam ſcilicet & converſionem; quo homines ad ſuſcipiendum regnum cœlorum jam appropinquans apti redderentur. Vide Matth. 10. 7.

Verſ. 13. *Et dæmonia multa ejiciebant, ungebantque oleo multos ægrotos, & ſanabant.*] Unctio illa fiebat more antiquo Hebræorum. Quemadmodum enim, cum orarent pro aliquo, ſolebant manus ipſi imponere, in ſignum exauditionis (de quo vide dicta ad Matthæum cap. 9. 18,) ita ſolebant quoque ægrotos, pro quorum valetudine Deum invocabant, oleo inungere; ad indicandum, ſe ſperare, Deum ad eorum precationem ægrotos reſtitutione ſanitatis exhilaraturum. Oleum enim erat ſignum lætitiæ Pſal. 23. 5. xlv. 8. Hunc morem ungendi oleo ægrotos etiam primi Chriſtiani retinuerunt, ſed non ita, ut nullo unquam medicamine uſi fuerint. Jacobus Apoſtolus meminit unctionis oleo ſine pharmaco cap. 5. 14. Paulus contra Popilii patrem ſanat alioſque ſine unctione Actor. 28. 8, 9. Primævis Chriſtianis in more erat, ea quæ in Scriptura figurate dicuntur, ſignis viſibilibus adumbrare. Ita Æthiopes cum baptiſant, ſolent baptiſando inurere notam, quia Johannes dixit, Chriſtum Spiritu Sancto & igne baptiſaturum Matth. 3. 11. Ita ſolebant quoque Chriſtiani veteres baptiſando manus imponere, & ſimul oleo inungere. Vide dicta ad Matth. 3. 11. Paulus ait 2 Cor. 1. 21: *Qui nos confirmat vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos, Deus eſt.* Et Johannes: *Vos habetis unctionem à ſancto illo* 1 Joh. 2. 20. Et verſ. 27: *Unctio, quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis.* Iterumque: *Sicut unctio docet vos de omnibus, ita manebitis in eo.* Quibus omnibus in locis plerique Interpretes per unctionem intelligunt Spiritum Sanctum; alii fidem &c.

PARS III.

Verſ. 14. *ET audivit Rex Herodes (manifeſtum enim factum erat nomen ejus) dixitque: Johannes ille, qui baptiſabat, ſuſcitatus eſt à mortuis, & propterea virtutes operantur in eo.*] Filius hic fuit Herodis Magni, qui infantes Betlehemiticos curavit interfici, Tetrarcha Galilææ Luc. 3. 1. Cur hic Rex vocetur, vide Matth. 14. 9.

Verſ. 15. *Alii dicebant: Elias eſt. Alii vero dicebant: Propheta eſt, vel unus ex prophetis.*] De Elia vide Matth. 16. 14.

Propheta eſt, vel unus ex Prophetis.] Vocula, *vel*, in multis exemplaribus Græcis, ut & in Syriaca, Arabica & Latina verſione non legitur. Præterea ſenſus horum verborum abſque hac vocula eſt multo clarior. Volunt enim dicere, Chriſtum neque Meſſiam eſſe, neque Eliam, neque Johannem, ſed talem Prophetam à Deo excitatum, quales Prophetæ illi veteres erant. Apud Lucam ajunt, Propheta unus ex antiquis reſurrexit cap. 9. 8.

Verſ. 16. *Audiens autem Herodes ait: Iſte eſt Johannes, quem ego decollavi; ipſe ſuſcitatus eſt à mortuis.*

Verſ. 17. *Ipſe enim Herodes mittens comprehenderat Johannem, & vinxerat eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia eam duxerat.*] Mittens, ſubintellige ſatellitem vel ſpiculatorem. Confer cum ℣. 27.

Verſ. 18. *Dicebat enim Johannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Verſ. 19. *Herodias autem imminebat ei, & cupiebat eum trucidare: nec poterat.*] Hoc *imminebat ei*, explicatur mox per ſequentia, *& cupiebat eum trucidare.*

Verſ. 20. *Nam Herodes metuebat Johannem, ſciens eum eſſe virum juſtum ac ſanctum, & obſervabat eum, audienſque eum multa faciebat, & libenter eum audiebat.*] Metuebat propter ejus magnam auctoritatem apud populum. Quod etiam Matthæus innuit, cum ait, *eum metuiſſe populum* cap. 14. 5. Vide etiam Joſephum.

Eum virum juſtum ac ſanctum eſſe.] Joſephus eum quoque virum bonum appellat.

Et obſervabat eum.] Marcus vult dicere, Herodem longo tempore ipſi obſequentem fuiſſe, & in multis conſilio ejus locum dediſſe, æquiſque & avidis auribus doctrinam ejus ſuſcepiſſe. Quod intelligendum eſt de tempore ſuperiori, antequam eum libere propter Philippi fratris uxorem redargueret: ita tamen, ut etiam poſtea recordatio hujus rei, & metus majoris infamiæ ipſi ſæpius in mentem veniret, tunc quoque (ut ex Matth. 14. 5, intelligitur) cum in gratiam uxoris ſuæ eum vellet occidere.

Audienſque eum multa faciebat.] Intellige, antea. Dubium non eſt, hunc virum eximium, etiam in rebus ad publicum regionis totius bonum & felicitatem ſpectantibus, ſalutaribus eum conſiliis inſtruxiſſe.

Verſ. 21. *Et opportuno die, cum Herodes in natalitiis ſuis cœnam faceret proceribus ſuis, & tribunis, & primariis Galilææ.*] Vere hic fuit opportunus dies, quo ſperare poterant, vinum, amorem, & adulatorum inſtinctus ac ſuggeſtiones animum Herodis, qui jam erga Johannem mutatus erat, perterebraturas.

Tribunis.] Gr. χιλιάρχοις, chiliarchis. Herodes enim tunc paratum habebat exercitum adverſus Aretam, ut ex Joſepho liquet.

Verſ. 22. *Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis ac ſaltaſſet, placuiſſetque Herodi ac ſimul accumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me, quodcunque volueris, & dabo tibi.*

Verſ. 23. *Juravitque ei: Quodcunque à me petieris, dabo tibi, uſque ad dimidium regni mei.*] Tam liberalem in promittendo etiam Ahaſuerus ſe erga Eſtheram exhibuit Eſth. 5. 6.

Verſ. 24. *At illa egreſſa dixit matri ſuæ: Quid petam? Illa vero ait: Caput Johannis Baptiſtæ.*

Verſ. 25. *Et ingreſſa ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiit, dicens: Velim, ut mihi des protinus in patina caput Johannis Baptiſtæ.*

Verſ. 26. *Rex vero triſtis factus, propter juramentum & ſimul diſcumbentes, noluit eam rejicere.*

Verſ. 27. *Et ſtatim Rex miſſo ſpiculatore, imperavit, ut afferretur caput ejus.*

Verſ. 28. *Ille vero abut, & decollavit eum in carcere, attulitque caput ejus in patina, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri ſuæ.*

Verſ. 29. *Et audientes diſcipuli ejus venerunt, & ſuſtulerunt cadaver ejus, & poſuerunt in monumento.*

PARS IV.

Verſ. 30. *CONvenerunt autem Apoſtoli ad Jeſum, & annunciaverunt ei omnia, & quæ egerunt, & quæ docuerunt.*] Redierunt ab itinere ſuo, ad quod bini ablegati erant, ſupra ℣. 7.

Omnia & quæ egerunt, & quæ docuerunt.] Nempe miracula, quæ fecerant, & quomodo homines ad pœnitentiam commonefecerint. Simili locutione utitur Lucas de Chriſto Actor. 1. 1. Officium legatorum poſtulat, ut iis à quibus miſſi ſunt, rationem actorum ſuorum reddant. Chriſtus autem eis mandaverat prædicare pœnitentiam, & ad doctrinæ ſuæ confirmationem dæmonia ejicere, & ægrotis ſanitatem reſtituere. Supra ℣. 7, 12.

Verſ. 31. *Et dixit eis: Venite vos ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite paululum. Erant enim multi venientes & abeuntes: & ne cibum quidem capere ipſis vacabat.*] Requieſcite, nempe ab itinere.

Erant enim multi venientes & abeuntes.] Per quos quies eorum, qua indigebant poſt abſolutum iter, interrumpebatur.

Et ne cibum quidem capere ipſis vacabat.] Propter immenſam interpellantium multitudinem.

Verſ. 32. *Abierunt igitur in deſertum locum navigio ſeorſim.*

Verſ. 33. *Et viderunt eos abeuntes, & agnoverunt eum multi, & pedeſtres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, & prævenerunt eos, & venerunt ad eum.*

Verſ. 34. *Et egreſſus Jeſus vidit turbam multam, & miſeratione motus eſt ſuper eis, quoniam erant ut oves non habentes paſtorem: cœpitque eos docere multa.*] Totam hanc hiſtoriam explicatam vide Matth. 14. 13.

Verſ. 35.

Vſ. 35. *Et jam multo tempore elapſo, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes; Deſertus eſt locus iſte, & jam multus dies eſt.*] Gr. ἤδη ὥρας πολλὰς γενομένης, *jam hora multa facta*: id eſt, cum jam magna pars diei effluxiſſet.

Vſ. 36. *Dimitte eos, ut abeuntes in circumjacentes agros ac vicos, emant ſibi panes: nam quo veſcantur non habent.*

Verſ. 37. *At reſpondens ille dixit eis: Date vos ipſis, quo veſcantur. Et dixerunt ei: Euntesne ememus ducentis denariis panes, & dabimus illis, quo veſcantur?*] Hoc dixit Philippus Joh. 6. 7.

Ememus ducentis denariis panes.] Cum Chriſtus, ut notum eſt, habuerit marſupium (Joh. 12. 6,) & in eo aliquid numorum, qui ipſi à beneficis nonnullis ad ipſius & domeſticorum ejus neceſſitatem ultro collati fuerunt; minime abſurdum eſt ſtatuere, eum tunc, cum ex civitate in loca deſerta vel ignota ſe conferret, tantum pecuniæ in marſupio habuiſſe. Non enim fruſtra Apoſtoli hanc ſummam nominatim expreſſerunt: etſi eam (ut ex Johanne liquet cap. 6. 7,) minime ſufficientem eſſe crediderunt ad tantam multitudinem cibandam. Videtur igitur horum verborum hic eſſe ſenſus, quod Chriſtum interrogent, an debeant totam ſummam, quam penes ſe habeant, impendere, non quidem ad tantæ multitudinis famem explendam, ſed tantum ad eam quadantenus ſedandam. Denarius fuit ferme ſexta pars Imperialis.

Vſ. 38. *Ipſe vero dixit eis: Quot panes habetis? abite & videte. Et illi re cognita, dixerunt: quinque, & duos piſces.*

Verſ. 39. *Et imperavit eis, ut facerent diſcumbere omnes per convivia ſuper viridi gramine.*

Vſ. 40. *Et diſcubuerunt per areas centeni & quinquageni.*] In uno ordine non plures centum, & non pauciores quinquaginta conſiderunt. Vide Matth. 14. 19.

Verſ. 41. *Et acceptis quinque illis panibus, ac duobus piſcibus, cum ſuſpexiſſet in cœlum, benedixit ac fregit panes, deditque diſcipulis ſuis, ut illis apponerent, & duos piſces diviſit omnibus.*

Verſ. 42. *Comederuntque omnes, & ſaturati ſunt.*

Verſ. 43. *Et ſuſtulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & ex piſcibus.*] Id eſt, aliquid ex piſcibus. Quantum vero id fuerit, non ſcribit.

Verſ. 44. *Erant autem qui comederant quaſi quinque mille viri.*

PARS V.

Verſ. 45. ET *ſtatim coëgit diſcipulos ſuos inſcendere navigium, ac præire in ulteriorem ripam ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret turbam.*] Coëgit, id eſt, præcepit eis.

Ad Bethſaidam.] Non proprie ad Bethſaidam profecti ſunt; erant enim in deſerto urbis Bethſaidæ Luc. 9. 10, & vehebantur verſus Capernaumum Joh. 6. 17. Itaque Marci verba ita ſunt intelligenda, quaſi dicat: trajecerunt ad ulterius littus Bethſaidæ, ſurſum verſus Capernaumũ. Vide ad Johannis dictum locum.

Verſ. 46. *Et cum dimiſiſſet eos, abiit in montem ad precandum.*] Dimiſiſſet, puta populum. Primum enim Chriſtus ſuos diſcipulos amandavit, deinde populum dimiſit, & tandem ſeceſſit in montem precandi gratia. Hunc ordinem deſcripſit Matth. 14. 22.

Verſ. 47. *Cumque veſpera eſſet facta, erat navigium in medio mari, & ipſe ſolus in terra.*

Verſ. 48. *Et vidit eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſuper mare, volebatque eos præterire.*] Vidit ſcilicet in littore. Itaque oportet adverſum ventum ſtatim poſtquam ſolverunt à portu exortum eſſe. Quod ideo videtur Euangeliſta commemorare, ut indicet, non caſu factum, ſed conſilio, quod Chriſtus ad eos venerit.

Laborantes.] Contra ventum difficilis erat & laborioſa remigatio. In Græco eſt βασανιζομένους, quæ vox alioqui cruciatum ac torturam ſignificat. Indicat ergo Marcus, eos operoſe laborando diſcruciatos fuiſſe. Hoc ſenſu accepit hanc vocem hoc loco Syrus & Latinus interpres.

Verſ. 49. *Illi vero videntes eum circum ambulantem ſuper mare, putarunt ſpectrum eſſe, & exclamaverunt.*

Verſ. 50. *Omnes enim viderunt, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, ne timete.*

Verſ. 51. *Et aſcendit ad illos in navigium, & quievit ventus: & ipſi multo magis in ſeipſis obſtupeſcebant, & mirabantur.*

Verſ. 52. *Non enim intellexerant illud de panibus: erat enim cor eorum callo obductum.*] Ita enim infra cap. 8. 17, dicit eis Chriſtus: *Adhuc habetis cor veſtrum callo obductum?* Intelligitur autem per calloſum cor omne vitium, quod per diuturnam conſuetudinem radices egit in humano animo. Tale vitium erat in Apoſtolis negligentia & oſcitantia in iis rebus conſiderandis, quæ divinam Chriſti potentiam arguebant.

PARS VI.

Verſ. 53. ET *cum trajeciſſent, venerunt in terram Geneſareth, & appulerunt.*

Verſ. 54. *Et exeuntibus illis è navigio, ſtatim cognoverunt eum.*] Intellige, homines illius loci, ut declarat Matthæus cap. 14. 35.

Verſ. 55. *Et percurrentes univerſam regionem circumjacentem, cœperunt in grabbatis male affectos circumferre, ubi audiebant eum eſſe.*

Verſ. 56. *Et quocunque introiſſet in vicos, aut urbes, aut agros, in plateis ponebant infirmos, & precabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſervabantur.*

CAP. VII.

I. *Apoſtoli reprehenduntur à Phariſæis, quod illotis manibus cibum caperent: ad verſ.* 14. II. *Chriſtus edocet populum, Phariſæorum traditionem de lavando prorſus eſſe inutilem: ad vſ.* 24. III. *Ejicit dæmonium è filia Græcæ cujuſdam mulieris: ad verſ.* 31. IV. *Sanat quendam ſurdum & mutum: ad finem Cap.*

PARS I.

Verſ. 1. ET *conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam è Scribis venientes ab Hieroſolyma.*] Non bono fine conveniunt, ſed ad eum fugillandum & carpendum. Hiſtoria hæc à Marco fuſius deſcribitur, quam à Matthæo cap. 15. 1, à Luca autem prorſus tranſmittitur.

Venientes ab Hieroſolyma.] Utrum aliorum negotiorum cauſa, an vero directè hoc fine venerint, ut Chriſtum obtrectarent, incertum eſt.

Verſ. 2. *Et videntes quoſdam ex diſcipulis ejus communibus manibus, id eſt, illotis, edere panem, reprehenderunt.*] Apud Hebræos commune vocatur, quod non ab aliis rebus ad ſacros uſus ſeparatum eſt, ſed à quolibet ſive mundus, ſive immundus, ſive Judæus, ſive Ethnicus fuerit, tangi & uſurpari potuit. Contra vero ſanctum dicitur, quod à communi ac promiſcuo uſu hominum ſegregatum eſt. Cum igitur Phariſæi ſtatuerent, in ablutione manuum non modo puritatem corporis, ſed etiam ſanctitatem animi conſiſtere, ideo vocant illotas manus communes & profanas. Veriſimile autem eſt, Phariſæos objurgaſſe diſcipulos Chriſti, non quod ſimpliciter & plane non laverint manus ſuas, & à ſordibus non repurgarint cibum ſumturi; ſed quod id non juxta Seniorum traditionem, neque adhibitis iiſdem ceremoniis fecerint.

Edere panem.] Id eſt, cibum capere. Hebraiſmus.

Reprehenderunt.] Nempe id in diſcipulis. Sed tela eorum reprehenſionis non tam in diſcipulos, quam in ipſum eorum Magiſtrum Chriſtum erant directa.

Verſ. 3. *Nam Phariſæi & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non edunt, tenentes traditionem Seniorum.*] Indicat Marcus lotionem iſtam non peculiarem traditionem Phariſæorum tantum fuiſſe, ſed morem fuiſſe univerſalem, ab omnibus receptum, qui Magiſtrorum ac Seniorum ſuorum inſtituta magni faciebant. Tales autem erant plerique Judæi. Sadducæi tantum & nonnulli alii Judæi iſtiuſmodi inſtitutis ac traditionibus ligari nolebant.

Niſi crebro laverint.] In Græco eſt πυγμῇ, id eſt, pugno. Nimirum complicata in pugnum manu ſolebant alteram manum lavare: uti docti quidam inter Judæos teſtantur.

Verſ. 4. *Et à foro venientes, niſi loti fuerint, non edunt: & alia multa ſunt, quæ acceperunt tenenda, ut lotiones poculorum, & ſextariorum, & æramentorum, & lectorum.*] In foro multi erant alienigenæ populo permiſti, à quibus facile etiam inſcii tangi atque ita contaminari poterant. Sentiebant autem ſe tactu alienigenæ non ſecus pollui, quam tactu cadaveris. Propter eandem cauſam nolebant die Paraſceves ante Paſcha ingredi Prætorium, quia Romanis plenum erat Joh. 18. 28.

Niſi loti fuerint.] Quando à foro redibant, majori cura ac diligentia ſe lavabant, quia totum corpus in aqua immergebant. Tactu enim hominis extranei cenſebant veſtem, & per veſtem corpus inquinari. Cum vero conſuetudo iſta, ex unanimi conſenſu magiſtrorum ac Seniorum, ab omnibus Judæis ſervaretur, apparet, Sectæ iſtius homines, qui à crebra lotione Hemerobaptiſtæ (id eſt, quotidie ſe lavantes) dicti ſunt, alios adhuc in crebritate lavandi ſuperaſſe. Nimirum vel totum abluebant corpus, etſi domo non egrederentur, vel ſingulis diebus mane, è lecto ſurgentes; ut Clemens Alexandrinus de eis ſcribit: vel etiam uno die ſæpius lavabantur, uti faciebat Battus ille apud Joſephum.

Non edunt.] Ne ſcilicet per impuros cibos etiam ipſi impuri redderentur.

Sextariorum.] Intelliguntur vaſa qualiacunque vino aut aquæ deſtinata, ut urcei, hydriæ &c.

Æramentorum.] Ærea vel ahenea vaſa lavabantur: teſtacea autem frangebantur, quando erant inquinata.

Verſ. 5. *Poſtea interrogarunt eum Phariſæi & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant ſecundum traditionem Seniorum, ſed illotis manibus edunt panem.*

Verſ. 6. *Ille vero reſpondens dixit eis: Bene prophetavit Eſaias de vobis hypocritis; ut ſcriptum eſt: Populus iſte labiis me honorat, cor autem eorum procul abeſt à me.*

Verſ. 7. *Fruſtra autem me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum.*

Verſ. 8. *Nam omiſſo mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones ſextariorum & poculorum: aliaque ſimilia hujuſmodi multa facitis.*] Primo dicit Chriſtus eos omittere, id eſt, minus curare mandatum dilectionis, dum homines tot moleſtis ceremoniis onerant: quod ipſum per ſe malum & vituperio dignum eſt. Poſtea aſcendit altius, oſtenditque traditiones aliquas ejuſmodi eſſe, ut non ſolum homines à vera & intima pietate abducant, verum etiam è diametro cum præceptis Chriſti pugnent. Nimirum ſuperſtitio nullum habet modum ac finem, ſed ſemper tendit ulterius.

Aliaque ſimilia hujuſmodi multa facitis.] Id eſt, alias ſimiles ceremonias ac traditiones, quæ in Lege præceptæ non ſunt, & ad pietatem magis obſunt quam proſunt. Ac talium rerum pleni ſunt Judæorum libri.

Verſ. 9. *Et dicebat illis: Præclare aboletis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis.*

Verſ. 10. *Moſes enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam. Et, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*

Verſ. 11. *Vos autem dicitis: ſi dixerit quiſpiam patri vel matri, Corban, (id eſt, donum) eſt, quocunque à me juvari poſſes.*] Corban eſt vox Hebraica, quæ proprie denotat donum Deo conſecratum. Hinc Matth. 27. 6. *Corbanan* dicitur gazophylacium, in quo ſacra pecunia ſervabatur.

Verſ. 12. *Nec permittitis amplius eum præſtare quicquam patri ſuo aut matri ſuæ.*] Præcedentis verſiculi 11, verba juxta proprietatem linguæ ita cum his connectenda & ordinanda erant: Vos dicitis, ſi quis dixerit patri vel matri, Corban eſt (ſeu donum) quocunque à me juvari poſſis (hic adde) ei neceſſe non eſt, ut patri ſuo vel matri ſuæ benefaciat. Sed quia Phariſæi ita docebant homines, talia vota, (quibus omnia bona ac facultates ita devovebantur Deo, ut ne parentibus quidem liceret aliquid de iis largiri) eſſe Deo grata, & firmiter ac ſtricte ea urgebant; ideo dicit Chriſtus eos non permiſiſſe, ut homines benefacerent patri ac matri ſuæ. Similis locutio eſt etiam infra cap. XI. 32. De impio iſto voto vide apud Matthæum cap. 15. 5.

Verſ. 13. *Irritum facientes ſermonem Dei traditione veſtra, quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſmodi multa facitis.*

PARS II.

Verſ. 14. *ET advocans omnem turbam, dicebat illis: Audite me, omnes, & intelligite.*

Verſ. 15. *Nihil eſt extra hominem, quod ingredien*

in eum,

in eum, possit eum polluere: sed quæ egrediuntur ex eo, illa sunt quæ polluunt hominem.] Nihil est extra hominem, id est, nihil, quod est extra animum & conscientiam hominis. Vide infra ℣. 19.

Possit polluere.] Gr. κοινῶσαι, communem facere, id est, profanum ac Deo ingratum & displicentem reddere.

Vers. 16. *Si quis habet aures ad audiendum, audiat.*

Vers. 17. *Et cum introiisset in domum à turba, interrogarunt eum discipuli ejus de parabola.*

Vers. 18. *Et ait illis: Itane & vos imprudentes estis? non intelligitis, quicquid extrinsecus ingreditur in hominem, non posse eum polluere.*

Vers. 19. *Non enim ingreditur in cor ejus, sed in ventrem: & in latrinam abit, purgans omnes escas.*] Non ingreditur cor, id est, animum ejus, ex quo omnia peccata & impunitates, quæ coram Deo abominabiles sunt, profluunt & emanant.

Purgans omnes escas.] Si quid naturalis impuritatis insit cibo, id per sedem excernitur: atque ita cibus per corpus purgatur.

Vers. 20. *Dicebat autem: Quod ex homine egreditur, illud polluit hominem.*

Vers. 21. *Intus enim, ex corde hominum cogitationes malæ egrediuntur, adulteria, scortationes, cædes.*

Vers. 22. *Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, lasciviæ, oculus malus, blasphemia, superbia, amentia.*] Avaritiæ, id est, omnis cupiditas plura habendi: quod ipsum per se vitium turpe est, etsi quis reipsa non studeat injuste aliquid acquirere. Paulus vocat hoc vitium idololatriam Col. 3. 5.

Nequitiæ.] Vox ista interdum significat omnem malitiam in genere: hic vero ea denotatur fraudulentum ingenium, distinguiturque à fraude seu dolo ipso, sicut avaritia distinguitur à furto.

Lasciviæ.] Id est, impudicitia in verbis & factis. Quæ in verbis consistit, eam appellat Paulus turpiloquium Col. 3. 8.

Blasphemia.] Ad homines spectat, cum quis male de hominibus sine causa loquitur. Hujus vitii duo genera à Paulo memorantur, susurrones, & calumniatores Rom. 1. 30.

Amentia.] Videtur Christus hac voce indicare incogitantiam ac inconsiderantiam in rebus bonis, ex qua plurima vitia proficiscuntur.

Vers. 23. *Omnia hæc scelera ab intus egrediuntur, & polluunt hominem.*

Ab intus egrediuntur, id est, veniunt ex corde, & per opera in apricum prodeunt.

PARS III.

Vers. 24. *ET illinc surgens, abiit in confinia Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminem voluit scire: sed non potuit latere.*] Non transivit in fines istarum civitatem Ethnicarum, sed non procul ab iis in Judaica adhuc versabatur terra.

Neminem voluit scire.] Ne quis putaret, ac suspicaretur, eum de industria Ethnicos ad se velle allicere, Judæis postpositis.

Vers. 25. *Cum enim de eo audisset mulier, cujus filiola habebat spiritum impurum, venit & accidit ad pedes ejus.*] His verbis Marcus probat id, quod superiori versu dixerat, eum non potuisse latere. Historia integra est explicata Matth. 15. 21.

Vers. 26. *Erat autem mulier Græca Syrophœnissa genere. Et rogavit eum, ut dæmonium ejiceret ex filia sua.*] Græca, id est, Ethnica. Syrophœnicia non est pars terræ illius, quæ proprie Græcia vocabatur. Solebant autem Judæi omnes homines, qui Judæi non erant, Græcos vocare. Vide Rom. 1. 16: *Judæo & Græco:* id est, Judæo, & Ethnico.

Syrophœnissa genere.] Matthæus eam vocat mulierem Cananiticam cap. 15. 22.

Vers. 27. *Jesus autem dixit ei: sine prius saturari liberos. Non enim bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis.*] Sine prius Judæos satiari meis beneficiis & impleri, ne habeant ansam conquerendi. Ubi eos fastidium ceperit, postmodum etiam inter alias gentes beneficia hæc spargentur.

Vers. 28. *Ipsa vero respondit & dixit ei: Etiam Domine. Nam & catelli sub mensa edunt ex micis puerorum.*

Vers. 29. *Et ait illi: Propter istum sermonem abi; exiit dæmonium ex filia tua.*] Id est, propter fidem tuam, quam sermone tuo prodidisti, ut ex Matth. 15. 28 liquet. Per metonymiam sic loquitur Christus.

Abi.] Non est, quod petas amplius. Obtinuisti, quod volebas.

Vers. 30. *Et abiens in domum suam, invenit dæmonium exiisse, & filiam projectam super lectum.*] Invenit eam jacentem quiete, sine commotione & concussione, uti alias in obsessis fieri solet.

PARS IV.

Vers. 31. *ET iterum exiens ex finibus Tyri & Sidonis venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis.*

Vers. 32. *Et offerunt ei surdum ægre loquentem, & precantur eum, ut imponat ei manum.*] Id est, adductus est ei surdus, per Hebraismum. Historia ista non est eadem cum illa, quæ apud Matthæum cap. 9. 32, & Lucam cap. XI. 14, descripta est. Ille enim mutus à dæmone fuerat obsessus, iste non item.

Ægre loquentem.] Non erat plane mutus: sed difficulter loqui poterat. Idcirco postea ℣. 35 dicitur, eum locutum esse recte, id est, expedite & citra balbutiem. Neque obstat, quod ultimo versu dicitur, *facit, ut muti loquantur* Gr. ἀλάλους. Græca enim particula ἀ, non semper significat omnimodam rei, cui additur, privationem, sed interdum tantum difficultatem. Ita ut vox ἄλαλος utrumque denotet tam difficulter loquentem, quam mutum.

Ut imponat ei manum.] Cupiunt manus ipsi à Domino imponi, vel quod scirent, eum plurimos ægros impositione manuum sanasse (Matth. 8. 3, 15. IX. 25. XIX. 15. Marc. 1. 31. V. 41. VI. 5. VIII. 23, 25. Luc. 13. 13.) vel quod mos fuerit Prophetis olim & sanctis viris, ægris manus imponere & sic eos sanare: quod nec Ethnicos latuisse, patet ex Naämani Syri exemplo, qui ait: 2 Reg. 5. 11. *Putabam, cum egressurum ad me, & stantem invocaturum nomen Domini Dei sui, & tacturum manu sua locum lepræ.* Vide dicta ad Matth. 9. 18.

Verſ. 33. *Et aſſumens eum è turba privatim, immiſit digitos ſuos in auriculas ejus, & inſpuens tetigit linguam ejus.*] Duplici Chriſtus utitur ceremonia in hoc miraculo, non ulla neceſſitate adductus, quaſi abſque iis ægrum ſanare non poſſet, ſed ex ſingulari conſilio. Nimirum Chriſtus ſæpenumero viſibili ſigno inviſibilem vim & efficaciam Dei in ſe habitantem demonſtravit. Quia ſurdi videntur habere aures obturatas, imponit digitos ſuos in ſurdi iſtius aures, indicans, ſe eum eſſe, qui occluſa reſerare & obſtacula removere queat. Et quia multis videtur lingua præ ariditate palato affixa & adnata eſſe, ut ita ad loquendum inepta ſit (ſicut David ait: Pſal. 22. 16: *lingua mea adhæſit faucibus meis*) ideo Chriſtus inſpuit in ægri hujus os, quaſi aridam linguam ejus humectaturus & à palato relaxaturus, indicans, ſe eum eſſe, qui mutis reſtituere loquendi facultatem poteſt. Itaque ſicut figurate dici ſolet, ſurdorum aures obſtructas, & mutorum linguas ligatas eſſe: ita Chriſtus figurata iſta actione, id eſt, ſuiſmet digitis & ſuo ſputo oſtendere voluit, vim aperiendi obſtructas aures, & relaxandi ligatas linguas non extra ſe, ſed in ſe eſſe ac reſidere.

Digitos ſuos.] Marcus non de uno digito, ſed de pluribus loquitur. Chriſtus enim utrique auriculæ ſurdi iſtius digitus inſeruit, quia utraque aure ſurdus erat.

Et exſpuens. Vide infra cap. 8. 23. Et Joh. 9. 6, ubi etiam cæcis ſputo reſtitutus eſt viſus.

Verſ. 34. *Et ſuſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphatha, quod eſt, Aperitor.*] Suſpexit in cœlum æque ut Matth. 14. 19. Marc. 6. 41. Luc. 9. 16. Hoc ſigno Chriſtus indicavit, ſe omnem hujus miraculi gloriam Deo Patri ſuo adſcribere. Vide etiam Joh. 11. 41.

Ingemuit.] Tangitur commiſeratione multiplicium humani generis miſeriarum.

Ephphata, quod eſt, aperitor.] Vos ſcilicet occluſæ aures, & tu os obſtructum. Nam & mutorum ora videntur quaſi clauſa & obſtructa eſſe. Vide Luc. 1. 64. Pſal. 38. 14. xxxix. 10. Prov. 31. 8. Ita etiam de cæcis dicitur, eorum oculos eſſe clauſos Matth. 9. 30. xx. 33. Joh. 9. 14, 17, 21, 26, 30, 31. x. 21. Eſt autem *Ephphata* vox Chaldaica, quam Marcus dedita opera retinuit, ut hiſtoria hæc tanto magis fidem inveniret, cum illud idem vocabulum Chaldaicum, quo Chriſtus uſus eſt, expreſſerit.

Verſ. 35. *Et ſtatim adapertæ ſunt ejus aures, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.*] Etiam alii morbi vincula vocantur. Vide Luc. 13. 16.

Verſ. 36. *Et interdixit eis, ne cui dicerent: ſed quantumcunque eis interdicebat, multo magis prædicabant.*] Interdixit tam ei quem ſanaverat, quam illis qui eum adduxerant, & ſpectatores miraculi erant.

Verſ. 37. *Et ſupra modum percellebantur, dicentes: Bene omnia fecit. Facit ut & ſurdi audiant, & muti loquantur.*] Quaſi dicant, Nihil in eo eſt reprehenſione dignum, ſicut Phariſæi quærunt in eo ſemper, quod arrodant & carpant. Quicquid facit, bonum eſt, & cum hominum bono maximo conjunctum.

CAPUT VIII.

I. *Chriſtus cibat 4000 virorum ſeptem panibus: ad verſ. 10.* II. *Venit in partes Dalmanutha, ubi Phariſæi ſignum ab eo poſtulant: ad verſ. 14.* III. *Monet diſcipulos, ut ſibi caveant à fermento Phariſæorum: & redarguit eos ob diffidentiam in defectu panis: ad verſ. 22.* IV. *Cæco viſum reſtituit: ad verſ. 27.* V. *Interrogat diſcipulos, quem ſe eſſe arbitrentur, & annunciat eis paſſionem ſuam: ad verſ. 34.* VI. *Admonet eos, ut ſumant in ſe crucem ſuam, neve eos confeſſionis ſuæ pudeſcat.*

PARS I.

Verſ. 1. *IN illis diebus, cum multa omnino turba eſſet, nec haberent quo veſcerentur, advocatis Jeſus diſcipulis ſuis, dixit eis.*] In illis diebus, id eſt, circa illud tempus, nempe die tertio poſt editum ſuperius miraculum, ut ex ſequenti verſu 2, & Matth. 15. 32 conſtat. Quo tempore Chriſtus omnia illa perfecit, quæ Matthæus ℣. 29, 30, 31 narrat, Marcus autem prætermiſit. Sequentia uſque ad ℣. 14, ſunt ad Matth. 15. 32, & cap. 16. 1 expoſita.

Verſ. 2. *Miſericordia commoveor erga turbam, quia jam triduum manent apud me, nec habent, quo veſcantur.*

Verſ. 3. *Quod ſi dimiſero eos jejunos domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis procul venerunt.*

Verſ. 4. *Reſponderunt autem ei diſcipuli ejus: Unde iſtos quiſpiam poſſit hic ſatiare panibus in deſerto?*

Verſ. 5. *Interrogavit autem eos: Quot panes habetis? Illi vero dixerunt: ſeptem.*

Verſ. 6. *Et præcepit turbæ, ut diſcumberet humi: & acceptis ſeptem illis panibus, cum gratias egiſſet, fregit, deditque diſcipulis ſuis, uteos apponerent; & apposuerunt turbæ.*

Verſ. 7. *Et habebant piſciculos paucos: & cum benedixiſſet, dixit, ut hos etiam apponerent.*

Verſ. 8. *Comederunt autem & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt fragmentorum, quæ ſuperfuerant, ſeptem ſportas.*

Verſ. 9. *Erant autem qui comederunt, quaſi quater mille: dimiſitque eos.*

PARS II.

Verſ. 10. *ET ſtatim ingreſſus in navigium cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha.*

Verſ. 11. *Et exierunt Phariſæi, & cœperunt altercari cum eo, quærentes ab illo ſignum de cœlo, tentantes eum.*

Verſ. 12. *Et ingemiſcens ſpiritu ſuo, dixit: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.*] Spiritu ſuo, id eſt, in animo ſuo. Vide Matth. 5. 3.

Verſ. 13. *Et relictis eis, conſcendit rurſus navigium, & abiit in ulteriorem ripam.*

PARS

PARS III.

Verſ. 14. *ET obliti ſunt diſcipuli ſumere panes, & non habebant niſi unum panem ſecum in navigio.*] Hæc quoque ad verſ. 22, explicata ſunt Matth. 16. 6.

Verſ. 15. *Et præcipiebat eis dicens: Videte, cavete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.*] Nonnulla exempla habent *Herodianorum*. Vocatur autem Herodianorum doctrina Herodis doctrina, quia illi deferebant Herodi eum honorem, qui Meſſiæ competebat. Vide dicta hac de re Matth. 16. 6.

Verſ. 16. *Et diſceptabant alii adverſus alios, dicentes: Panes non habemus.*

Verſ. 17. *Quo cognito, Jeſus ait illis: Quid diſceptatis, quod panes non habetis? Nondum cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc callo obductum habetis cor veſtrum.*] Vide ſupra cap. 6. 52.

Verſ. 18. *Oculos habentes, non cernitis? & aures habentes, non auditis? neque memores eſtis?*] Alibi (Matth. 13. 13,) iſtis verbis deſcribitur malitia & perverſitas animi, quæ obſtat hominibus, quominus doctrinam Chriſti percipiant: hic autem indicat Chriſtus diſcipulorum ſuorum negligentiam & ſocordiam animi eorum: quaſi dicat; Quamvis verba mea in veſtris auribus ſonent, & miracula mea in oculos veſtros incurrant, tamen nullum eorum in animum veſtrum penetrat.

Neque memores eſtis?] Res recenter geſtas tam cito ſinitis memoria veſtra excidere.

Verſ. 19. *Cum quinque illos panes fregi illis quinquies mille, quot cophinos fragmentis plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim.*] Frangere panem, pro diſtribuere, Hebræa phraſis eſt.

Verſ. 20. *Cum autem ſeptem panes illis quater mille, quot ſportas fragmentis plenas ſuſtuliſtis? Illi vero dixerunt, Septem.*

Verſ. 21. *Et dicebat illis: Quomodo non intelligitis?*

PARS IV.

Verſ. 22. *ET venit Bethſaidam: & obtulerunt ei cæcum, & precati ſunt eum, ut ipſum tangeret.*

Verſ. 23. *Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & cum inſpuiſſet in oculos ejus, impoſuiſſetque ei manus, interrogavit eum, ſi quid videret.*] Vocat Bethſaidam vicum, quomodo antea appellabatur. Paulo enim ante Chriſti nativitatem jus civitatis obtinuerat. Ex hac civitate oriundi erant Petrus, Andreas & Philippus Joh. 1. 45. Aliqui Patrum ſtatuunt, etiam Johannis ac Jacobi patriam fuiſſe hanc urbem. Non æſtimat autem Chriſtus dignos iſtos Bethſaidæ cives, ut teſtes miraculi hujus eſſent: ideo non tantum hunc cæcum educit extra urbem; ſed etiam ei interdicit, ne cuiquam in urbe rem indicaret ℣. 26. In cauſa fuit ipſorum maxima obſtinatio & pervicacia, de qua conqueſtus eſt Chriſtus Matth. xi. 21.

Cum inſpuiſſet in oculos ejus.] Cauſam hujus rei vide ſupra cap. 6. 33.

Verſ. 24. *Qui ſuſpiciens ait: Video homines inſtar arborum ambulantes.*] Senſus eſt: Homines, quos video ambulare, non videntur mihi homines eſſe, ſed arbores. Judicat ſe cum antea nihil omnino viderit, jam aliquid videre, ſed admodum imperfecte, ita ut homines ab arboribus nondum poſſet diſcernere: æque ac illi, qui è longinquo aliquid proſpiciunt, & quid revera ſit, quod vident, nequeunt dignoſcere. Cur autem Chriſtus non ſtatim prima vice plenum ac perfectum ei viſum reſtituerit, cauſa eſſe videtur, ut cæcus tanto magis hoc æſtimaret beneficium, dum gaudium ejus quaſi per gradus crevit & aſcendit.

Verſ. 25. *Deinde rurſum impoſuit manus oculis ejus, fecitque ut ſuſpiceret, & reſtitutus fuit, viditque dilucide omnes.*

Verſ. 26. *Et miſit eum in domum ſuam, dicens: Neque in vicum ingrediaris, neque dixeris cuiquam in vico.*] Ex ſequentibus, ubi prohibetur ei, ne in vicum ingrederetur, colligere eſt, cum ante urbem in campo habitaſſe.

Neque dixeris cuiquam in vico.] Non tantum ingredi in vicum ipſi prohibet, ſed etiam ſi quis ex vico ei forte obvius fieret, ne id indicaret.

PARS V.

Verſ. 27. *ET egreſſus eſt Jeſus & diſcipuli ejus in vicos Cæſareæ Philippi: & in via interrogavit diſcipulos ſuos, dicens eis: Quemnam eſſe me dicunt homines?*] Hæc & ſequentia explanata ſunt uſque ad ℣. 34, apud Matthæum cap. 16. 13.

In via.] Non in via publica & inter eundum, ſed, ut ex Luc. 9. 18 conſtat, in loco quodam ſeparato in itinere, cum ſolus eſſet, & oraret.

Verſ. 28. *Illi vero reſponderunt: Johannem Baptiſtam, & alii Eliam, alii vero unum ex Prophetis.*

Verſ. 29. *Et ipſe dicit eis: Vos autem, quem me dicitis eſſe? Reſpondens vero Petrus dicit ei: Tu es ille Chriſtus.*

Verſ. 30. *Et comminatus eſt eis, ut nemini dicerent de eo.*] Quod ſcilicet ſit Chriſtus. Volebat enim, ut eum Apoſtoli tantum Doctorem veritatis, & Prophetam eſſe prædicarent. Quod autem ipſe ſit Meſſias, paucis id indicavit, quia noluit id ante ſuum ex morte ductum triumphum paſſim innoteſcere. Cauſam vide Matth. 16. 20.

Verſ. 31. *Et cœpit eos docere, quod oporteret filium hominis multa pati, & reprobari a Scnioribus & primariis Sacerdotibus ac Scribis, & trucidari, & poſt tres dies reſurgere.*] Cum dicit ſe reprobandum eſſe, reſpicit ad illa verba Pſal. 118. 22: *Lapis quem reprobarunt ædificantes* &c. Reprobatio autem iſta Chriſti habet diverſos gradus. Reprobatus fuit, quando doctrina ejus non eſt ſuſcepta. Sed ſuprema & graviſſima rebrobatio fuit, quando à Synedrio tanquam indignus nomine Judaico, Ethnicorum poteſtati traditus fuit.

Et poſt tres dies.] Id eſt, ſecundum Hebræos, intra tres dies. Vide hac de re dicta ad Matth. 27. 63.

Verſ. 32. *Et aperte eum ſermonem loquebatur. Et prehenſum eum, Petrus cœpit objurgare.*] Apertè: in Græco eſt, παῤῥησίᾳ, cum libertate omnia dicendi, id eſt, ſine circuitu & ambagibus, non obſcure.

Verſ. 33. *Ipſe vero converſus & intuitus diſcipulos ſuos, objurgavit Petrum, dicens: Abſcede à me Satana; quia non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.*

PARS

PARS VI.

Verſ. 34. *ET advocans turbam cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Quicunque vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Verſ. 35. *Qui enim voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam cauſa mei & Euangelii, ſervabit eam.*

Verſ. 36. *Quid enim profuerit homini, ſi lucratus fuerit totum mundum, & anima ſua mulctetur?*

Verſ. 37. *Aut quam dabit homo compenſationem animæ ſuæ?*

Verſ. 38. *Nam quemcunque puduerit mei ac meorum ſermonum in generatione iſta adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris ſui cum Sanctis Angelis.*] Quem puduerit mei, id eſt, meæ humilis & abjectæ conditionis.

Ac meorum ſermonum.] Id eſt, meæ doctrinæ ac veritatis.

Quem puduerit. Id eſt, qui noluerit profiteri, vel à profeſſione deſciſcit. Non ſatis eſt Chriſtum profiteri, id eſt, ſe Chriſtianum dicere, ſed etiam doctrina ac veritas, quam quovis tempore patefacit, profitenda eſt. Hoc ſenſu inquit Apoſtolus quod ipſum Euangelii Chriſti non pudeat Rom. 1. 16.

In generatione iſta adultera & peccatrice.] Seu, coram perverſo mundo. Eſt autem in his verbis Chriſti egregia antitheſis. Unicuique homini Chriſtum confitenti vel non confitenti, opponit Filium hominis, id eſt, ſeipſum: ſtatui ſuo humili, gloriam Patris ſui, in qua venturus ſit: perverſo mundo, Angelos.

CAPUT IX.

I. *Chriſtus tranſfiguratur: ad verſ.* 11. II. *Diſcipuli eum interrogant de adventu Eliæ: ad verſ.* 14. III. *Damoniacum quendam ſanat, quem diſcipuli ejus ſanare non poterant: ad verſ.* 30. IV. *Annunciat denuo ſuam paſſionem & mortem diſcipulis: ad verſ.* 33. V. *Diſcipuli inter ſe diſceptant: Quis ex eis major ſit? ad verſ.* 38. VI. *Johannes narrat de quodam, qui in nomine Chriſti ejiciebat damonia: ad verſ.* 42. VII. *Chriſtus invehitur in facientes ſcandala: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET dicebat illis: Amen dico vobis, ſunt quidam ex iis, qui hic aſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, donec viderint regnum Dei veniſſe cum potentia.*] Dicebat illis, id eſt, diſcipulis ſuis, non toti populo, qui non erat capax tam ſublimium myſteriorum. Cohæret autem primus iſte verſiculus adhuc cum præcedenti capite. Meliuſque cum illo, quam cum iſto connectitur. Itaque 9 cap. à ℣. 2, auſpicandum eſſet.

Sunt quidam ex iis, qui hic adſtant.] Senſum horum verborum vide apud Matthæum cap. 10. 23.

Cum potentia.] Nempe Spiritus Sancti, cum eum in Apoſtolos effunderet: de quo Act. 2. 1.

Verſ. 2. *Et poſt ſex dies aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Johannem, & ducit eos in montem ſublimen ſeorſim ſolos: & tranſformatus fuit coram eis.*] Inſignis hæc hiſtoria de tranſfiguratione Chriſti declarata eſt Matth. 17. 1 & ſeqq.

Verſ. 3. *Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, candida valde ut nix, qualia non poteſt fullo in terra dealbare.*] Summa albedo cum nive comparatur tam apud Latinos & Græcos, quam apud Hebræos. Vide Num. 12. 10. Thren. 4. 7. Apoc. 1. 14.

Verſ. 4. *Et viſus eſt eis Elias cum Moſe, qui colloquebantur cum Jeſu.*

Verſ. 5 *Et reſpondens Petrus dicit Jeſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus igitur tabernacula tria, tibi unum, & Moſi unum, & Eliæ unum.*

Verſ. 6. *Nec enim ſciebat, quid loqueretur: erant enim exterriti.*

Verſ. 7. *Et facta eſt nubes obumbrans eos; & venit vox è nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.*

Verſ. 8. *Statimque circumſpicientes, neminem amplius viderunt, niſi ſolum Jeſum ſecum.*] *Niſi* Gr. εἰ μὴ, ſi non: hæ voces uſurpantur pro *niſi*. Confer cum Matth. 17. 8. Sic eædem voces accipiuntur Matth. 20. 23. Supra cap. 4. 22. Infra cap. 10. 40.

Verſ. 9. *Cum vero deſcenderent de monte, interdixit eis, ut nemini narrarent, quæ viderant, niſi poſtquam Filius hominis à mortuis reſurrexiſſet.*

Verſ. 10. *Et continuerunt ſermonem apud ſe, mutuo quærentes: quid illud eſſet, A mortuis reſurgere.*] Diſcipuli quidem ſperabant univerſalem reſurrectionem à mortuis, juxta doctrinam ſuorum Majorum (de qua vide Matth. 5. 20,) ut & Martha Joh. 11. 24, & juxta Chriſti quoque doctrinam: ſed quomodo illa futura ſit, nondum ſatis intellexerant. Aliquem autem revera mortuum, in præſenti tempore poſſe in vitam reduci ex morte, id ſenſus eorum capere non poterant. Unde ſequitur, eos de illis, qui à Prophetis & Chriſto ſunt excitati à mortuis, vel non credidiſſe, eorum animas vere in inferno fuiſſe, id eſt, à corpore fuiſſe ſegregatas, vel etiam ejus rei, quemadmodum multarum aliarum, ex ſumma ſupinitate oblitos fuiſſe, neque de ea cogitaſſe.

PARS II.

Verſ. 11. *ET interrogaverunt eum dicentes: Cur Scribæ dicunt, oportere, ut Elias prius veniat?*] Quæ fuerit hujus quæſtionis occaſio, de eo vide Matth. 17. 10.

Verſ. 12. *Ipſe vero reſpondens ait illis: Elias quidem cum venerit prius reſtituet omnia, & quomodo ſcriptum eſt de Filio hominis, ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.*] De Elia venturo communis ac recepta fuit Scribarum ſententia, quam Chriſtus certo ſenſu concedit, veram eſſe.

Et

Et quomodo Scriptum eſt de Filio hominis.] Filius hominis eſt Meſſias, uti vocatur Dan. 7. 13. Quomodo pro nihilo habendus ſit, indicat Eſaias cap. 49. 7, dum eum animam ab omnibus contemtam appellat. Senſus autem verborum eſt: ſi id verum eſt, quod Elias omnia reſtiſtuet, id eſt, (ut Scribæ interpretantur) efficiet, ut Meſſias ab univerſo Judaico populo recipiatur; quomodo implebuntur cæteræ prædictiones, quæ teſtantur, Meſſiam à primoribus populi rejectum, ac contemptum, ludibrioque habitum iri; quod etiam in Davide tanquam in typo ac figura præſignificatum fuit Pſal. 22. 7 & ſeqq. item eum paſſurum multa & mortem obiturum, de quo Eſaias vaticinatur cap. 53. 3 & ſeqq. & Daniel cap. 9. 26? Imo cur Meſſias vocatur Filius hominis, qua appellatione deſignatur humilis & abjecta ejus conditio? Si igitur prædictio de adventu Eliæ neceſſario impleri debet, neceſſe quoque eſt, ut impleantur & hæ de perpeſſionibus ac morte Meſſiæ prædictiones.

Verſ. 13. *Sed dico vobis, & Eliam veniſſe, & iſtos feciſſe ei quæcunque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de eo.*] Hoc ſibi vult Chriſtus: Tantum abeſt, ut Elias omnes Judæos adducturus ſit ad ſe ſubjiciendum Meſſiæ, ut ipſe ille, qui Elias dictus eſt, ſeu qui in ſpiritu ac virtute Eliæ venit, ab eis omnia mala perpeſſus fuerit. Vide Matth. 11. 18.

Sicut ſcriptum eſt de eo.] Quandoquidem Malachias Propheta cap. 4. 5, per Eliam venturum, myſtico ſenſu Johannem Baptiſtam intellexit, eo ipſo ſignificare voluit, non defuturos ei perſecutores, quemadmodum Elias olim habuit Achabum & Jezebelem. Alioqui nulla alia prophetia de Johanne Baptiſta in Sacris Literis extat.

PARS III.

Verſ. 14. *ET cum veniſſet ad diſcipulos, vidit turbam multam circa eos, & Scribas cum eis altercantes.*

Verſ. 15. *Et ſtatim omnis turba videns eum obſtupefacta eſt, & accurrentes ſalutaverunt eum.*

Verſ. 16. *Tunc interrogavit Scribas: Quid altercamini cum eis?*] Id eſt, cum meis diſcipulis, ut ex ℣. 14 apparet.

Verſ. 17. *Et reſpondens quidam è turba dixit: Magiſter adduxi filium meum ad te habentem ſpiritum mutum.*] Hic dæmoniacus ſimul quoque lunaticus erat: ut ex Matth. 17. 15 conſtat.

Verſ. 18. *Et ubicunque eum corripuerit, lacerat eum, ipſe vero ſpumat, & ſtridet dentibus ſuis, & areſcit. Et dixi diſcipulis tuis, ut eum ejicerent, & non potuerunt.*

Verſ. 19. *Ille autem reſpondens ei, dixit: O natio incredula, quouſque apud vos ero? quouſque tolerabo vos? Adducite eum ad me.*

Verſ. 20. *Et adduxerunt eum ad ipſum. Et videns eum, ſtatim ſpiritus diſcerpſit eum, & cadens in terram volutabatur ſpumans.*

Verſ. 21. *Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt, quod hoc accidit ei? Ille vero ait: Ab infantia.*] Græca vox παιδιόθεν, denotat etiam talem pueritiam, quæ jam peccatorum ac ſcelerum capax eſt. In Syriaca verſione uſurpatur ejuſmodi vocabulum, quod magis adoleſcentulum grandiuſculum, quam infantem ſignificat.

Verſ. 22. *Et frequenter eum tum in ignem conjecit, tum in aquas, ut perderet eum: ſed ſi quid potes, ſuccurre nobis, miſericordia commotus erga nos.*] In his verbis elucet quidem aliquid fidei, ſed parum admodum: quod tamen Chriſtus non reſpuit. Dubitabat adhuc ille, an Chriſtus noſſet modum juvandi filium ſuum, cum vidiſſet, diſcipulos ejus nullam ſibi opem ferre potuiſſe.

Verſ. 23. *Jeſus autem dixit ei: ſi potes hoc credere, omnia fieri poſſunt credenti.*] Hæc locutio eſt abrupta, quæ ſic ſupplenda debet: ſi potes credere, me poſſe ſuccurrere, ſuccurretur vobis. Hoc Chriſtus demonſtrat verbis ſequentibus: *omnia fieri poſſunt credenti*; id eſt, Deus omnia facere poteſt in gratiam eorum, qui fiduciam ſuam in ipſo reponunt.

Verſ. 24. *Et continuo exclamans pater pueri cum lacrymis dixit: Credo, Domine; ſuccurre incredulitati meæ.*] Id eſt, quod fidei meæ deeſt, ſupple tu ope tua ac miſericordia erga hunc calamitoſum filium meum. Non enim credibile eſt, eum à Chriſto augmentum ſuæ fidei, & quidem tam cito ſperaſſe. Appellat infirmam fidem ſuam, incredulitatem, reſpectu perfectæ fidei. Vide Matth. 14. 31.

Verſ. 25. *Videns autem Jeſus, turbam concurrere, increpavit ſpiritum immundum, dicens illi: Tu ſpiritus mute & ſurde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne amplius introëas in eum.*] Ex eo, quod Chriſtus prohibet ſpiritui impuro, ne amplius in eum introëat, colligunt quidam, dæmonem certis temporibus pro ratione incrementi ac decrementi lunæ puerum reliquiſſe, & ſubinde ad eum reverſum fuiſſe.

Verſ. 26. *Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exivit: & factus eſt ſicut mortuus, ut multi dicerent, eum mortuum eſſe.*

Verſ. 27. *Jeſus vero prehenſa manu ejus, erexit eum, & ſurrexit.*

Verſ. 28. *Et cum ingreſſus eſſet in domum, interrogabant eum diſcipuli ejus privatim: cur nos non potuimus ejicere eum?*

Verſ. 29. *Et dixit illis: Hoc genus nulla re poteſt exire, niſi precatione & jejunio.*] Vide de hac re Matth. 17. 21.

PARS IV.

Verſ. 30. *ET illinc egreſſi, una iter faciebant per Galilæam, nec volebat, ut quiſquam id ſciret.*] Nempe egreſſi ſunt ab illo loco, ubi paulo ante curaverat dæmoniacum, quod factum eſſe ſub monte illo, in quo Chriſtus tranſformatus fuerat, ex Matth. 17. 14 liquet. De monte iſto vide apud Matthæum ibidem ℣. 1.

Iter faciebant per Galilæam.] Græcum verbum παρεπορεύοντο poteſt etiam verti *prætergredi*, id eſt, præter viam publicam per avia tendere. Idem verbum habet Marcus etiam ſupra cap. 2. 23, ubi Chriſtus quoque non regia inceſſit via, ſed per conſitos campos. Hunc autem eſſe ſenſum, indicant ſequentia, quibus eum latere voluiſſe ſignificatur.

Nec volebat, ut quiſquam id ſciret:] Subintellige, ubi quotidie pernoctaturus eſſet. Sciebant quidem omnes

omnes, eum in Galilæa esse, sed in quo loco Galilææ fuerit quotidie, nemo sciebat: quia iter suum ita occultabat. Causa autem, cur voluerit iter suum per Galilæam occultum esse, hæc videtur fuisse, quia tempus passionis ac mortis ejus jam appropinquabat, eoque fine, ut pateretur, Hierosolymam petebat. Cum igitur in publica via concursum populi metueret, à quo per multitudinem ægrotorum, qui ipsi offerri solebant ad curandum, facile in itinere suo retardari atque impediri potuisset, maluit per devia iter capessere. Etsi enim Marcus aliam causam indicare videtur, cum ait: *Docebat enim discipulos suos* &c. tamen novum & inusitatum non est, ut Euangelistæ brevitatis causa unam tantum rem exprimant, alteram autem cum ea conjunctam subintelligendam relinquant. Quare verba hæc istum habere possunt sensum, quasi dicat, Nam tendebat Hierosolymam, & simul docebat discipulos suos de sua passione & morte.

Vers. 31. *Docebat enim discipulos suos, & dicebat eis: Filius hominis tradetur in manus hominum, & trucidabunt eum, & trucidatus tertia die resurget.*] Videtur Marcus indicare voluisse, Christum eis non simpliciter tantum, quid futurum sit, annunciasse, verum etiam docuisse eos & instituisse, quo animo mortem ejus ferre debeant, quæque in ea lateant mysteria. Causa autem, cur Christus discipulos suos ita instituerit, eadem est, ob quam etiam antea illis eam prædixerat (supra ℣. 10. Matth. 16. 21. XXVII. 9,) ut scilicet eos in fide ac patientia confirmaret, cujus fidei naufragium facile subire potuissent, si Christus subito ac insperate fuisset eis per mortem ereptus. Idcirco mox etiam resurrectionis suæ mentionem facit quæ eis maximo solatio esse poterat.

Filius hominis.] Totus hic sermo explicatus est Matth. 16. 21, & XVII. 22.

Tradetur.] Subaudi, à Deo Patre, qui id malis hominibus facere permittet. Idem Deo tribuitur quoque Joh. 3. 16.

Vers. 32. *Illi vero ignorabant hoc dictum, & timebant eum interrogare.*] Ignorabant, id est, non intelligebant, quid diceret. Quod Christus de morte sua loqueretur, id quidem intellexerant: contristati enim super eo fuerunt: ut indicat Matthæus cap. 17. 23. Sed quomodo mori debuerit, & quidem morte violenta (Luc. 9. 45.) & quod de resurrectione ejus dicebatur, non poterant intelligere, quomodo cum prædictionibus de regno Messiæ conveniret, cumque iis ipsius sermonibus, quos sæpissime de regno ipsius jam appropinquante ex ipso audiverant.

PARS V.

Vers. 33. *ET venit Capernaumum, & cum domi esset, interrogavit eos: Quid in via inter vos disceptabatis?*] Antequam Christus interrogaret discipulos, de quo inter se in via collocuti fuerint, venit ad Petrum, ille didrachmarum exactor, de quo Matth. 17. 24. Vide Ibid. cap. 18. 1.

Vers. 34. *Illi vero tacebant: nam alii adversus alios disceptaverant in via: Quis eorum major esset?*] Sciebant enim, disceptationem talem ambitiosi animi signum esse, cujus ipsos suppudebat, ut ex sequenti versiculo patet. Matthæus cap. 18. 1, refert, discipulos ultro Christum adiisse ipsumque interrogasse, quis maximus futurus sit in regno cœlorum. Nimirum initio silebant, verecundia ducti; postea à Christo rursum interrogati, responderunt.

Vers. 35. *Et cum consedisset, vocavit duodecim illos, & dixit eis: si quis vult primus esse, erit omnium ultimus, & omnium minister.*] Sevocavit duodecim istos; quia noluit eos in præsentia aliorum, ambitionis redarguere.

Erit omnium ultimus:] Ea erit regni mei conditio, ut qui præstantissimis & summis fungentur officiis, minimum habituri sint commoditatis aut prærogativæ, ac eminentiæ, sed plurimum laboris in usum & commodum aliorum subituri sint. Vide Matth. 20. 26.

Vers. 36. *Et acceptum puerulum statuit in medio eorum; eumque ulnis complexus, dixit eis.*] Non in ulnas eum recepit (erat enim puer jam ejus ætatis, ut ad Christum vocatus veniret ipse Matth. 18, & Lucas testatur, eum penes se statuisse hunc puerum) sed ambabus ulnis eum amplexus est, ostendens, quanto flagret amore erga simplicem illam, & humilem ætatem, atque erga omnes homines, qui illi conformes esse student. Simili de causa etiam infra cap. 10. 16, accepit in ulnas suas puerulos.

Vers. 37. *Quisquis unum ex talibus puerulis susceperit in meo nomine, me suscipit: & quicunque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui me misit.*] Quia discipulos suos vivo exemplo pueruli ad humilitatem ac modestiam exstimulavit, manet in eadem figurata locutione, & allegoriam illam continuat de puerulo, per quem intelligit eos omnes, qui pueruli instar ab omni ambitione aliisque sceleribus ac vitiis immunes sunt. Vide Matth. 18. 5.

Et quicunque me susceperit.] Vide Matth. 10. 40.

Non me suscipit.] Id est, non tam me suscipit, quam eum qui me misit. Christum enim nihilominus etiam ipsum suscipit.

PARS VI.

Vers. 38. *RESpondit autem ei Johannes, dicens: Magister vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum, quia non sequitur nos.*] Non hæc est mens Marci, quod Johannes ad præcedentia Christi dicta responderit, sed est Hebraismus, qui usurpatur, non tantum, cum quis ad alterius dicta respondet, sed etiam cum quis primum loqui incipit. (Vide Matth. XI. 25. XXII. 1 &c.) Non enim hic versus, sed ℣. 42, demum cum præcedenti ℣. 37 cohæret.

Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia.] Id est, vidimus quendam ejicere dæmonia, & in ejiciendo tuum usurpare nomen. Formula enim ejiciendi exorcistæ illi utebantur tali: In nomine Jesu Christi Nazaræni exi. Ita & Petrus affatus est claudum illum: *In nomine Jesu Nazaræni surge & ambula* Act. 3. 6. Formula autem ista, uti ab omnibus fidelibus adhibita efficax erat, juxta promissionem Christi, ita illa etiam interdum ab iis, qui non usque quaque probi erant, usurpata, vim exerebat suam, idque ad honorem Domini Jesu. (Vide Matth. 7. 22.) Videtur autem iste, de quo Johannes loquitur, non tam improbus homo fuisse, atque fuere illi filii Scevæ, de quibus

Act. 19.

Act. 19. 14. Sed tamen etiam non fuit ita Chriſto addictus, ut diſcipulus ejus fieri vellet; tantum non omnino male fuit de Chriſto perſuaſus, ut ſequentia verba Chriſti monſtrant.

Qui non ſequitur nos.] Non ſe adjungit noſtro contubernio, non ſe profitetur eſſe tuum diſcipulum.

Et prohibuimus eum.] Non ex livore aut invidia, ſed ex intempeſtivo ac inconſiderato zelo pro gloria ſui Magiſtri, quali olim Joſua quoque pro ſuo hero arſit Num. xi. 28. Nimirum nondum id intelligebant, quod Paulus deinceps ſcripſit Phil. i. 18.

Verſ. 39. *Jeſus autem ait: Ne illum prohibete. Nemo enim eſt qui edat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me.*] Duas adfert Chriſtus cauſas, cur ipſum prohibere non debeant. Prima eſt, quia id cum gloria & honore ejus conjunctum ſit, quod quamplurimi in nomine ejus dæmonia ejiciant. Non facile enim repertum iri hominem tam vanum ac ventoſum, qui eo ipſo tempore male loquatur de eo, cujus nomen adverſus dæmonia uſurpat. Idcirco non debere eos rem talem impedire, cum ea poſſit aliqua ſaltem ratione in gloriam ſuam & amplificationem nominis ſui redundare. Verba, *Nemo eſt, qui poſſit*, non deſignant prorſus abſolutam & invictam impoſſibilitatem, ſed hoc ſolum indicant, quod id non facile fieri ſoleat; ut etiam ſupra Marc. 6. 5

Verſ. 40. *Nam qui non eſt contra nos, pro nobis eſt.*] Hæc eſt altera cauſa, quia qui non erat ipſi & ſocietati ipſius contrarius, pro ipſo erat. Notum hoc fuit proverbium, quod adhibebatur, quando res aliqua omni quocunque modo, & quibuſvis mediis promovenda erat. Quod enim rem illam non impedit, cum alioqui impedire poſſet, id ei eſt adjumento. Aliter hoc proverbium effertur, & uſurpatur Matth. 12. 30.

Verſ. 41. *Quiſquis enim potum dederit vobis poculum aquæ in nomine meo, quod Chriſti ſitis; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*] Particula *enim* arguit, verba iſta à ſuperioribus dependere. Nimirum quia ſuperius indicaverat, Euangelium omni modo ac ratione promovendum eſſe; id nunc confirmat, ſignificans, etiam minima beneficia, quæ quis, tametſi nondum plane credens, in hunc finem impenderit, haud fore remunerationis expertia. Quod autem Matthæus hæc verba alio prorſus loco referat, (cap. 10. 42) quam Marcus, ſciendum eſt, uti aliis ſapientibus, ita & Chriſto aliqua dicta ac ſermones fuiſſe tam familiares, ut eos ſæpius repetierit & variis doctrinis ſuis tradendis admiſcuerit. Senſum autem horum verborum vide Matth. 10. 42.

PARS VII.

Verſ. 42. *ET quiſquis offendiculo fuerit uni ex parvis iſtis, qui credunt in me, bonum eſſet ei magis, ſi circumdaretur lapis molaris circa collum ejus, & projiceretur in mare.*] Verba iſta cohærent cum ℣. 37. Continent enim illius verſus antitheſin, ut clare ex Matth. 18. 6 intelligitur, ubi verba hæc ſunt explicata.

Verſ. 43. *Et ſi ſcandaliſaverit te manus tua, abſcinde eam; bonum eſt tibi, in vitam ingredi mancum, quam duas manus habentem abire in Gehennam, in ignem inextinguibilem.*] Senſum horum verborum vide ad Matth. 5. 30. xviii. 8.

Verſ. 44. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*] Verba iſta deſumpta ſunt ex Eſai. 66. 24, ubi videtur Propheta, (ut etiam alibi facit) literali ſenſu indicare voluiſſe, futurum, ut Ethnici in Dei populum ſuſcipiantur, qui Deo non juxta Legem carnalem, (id eſt, non cum carnalibus ceremoniis Judæorum) ſed juxta Legem ſpiritualem ſerviturí ſint: reliquos autem qui ſalutaria monita ſpernent (intellige Judæos) miſerabilem in modum interituros. Atque hoc declarat illo loco Propheta duabus ſimilitudinibus. Prima ab igne ſumta eſt, per quem intelligit formidoloſam Dei iram, quæ nemini parcit. Deus enim eſt ignis conſumens Hebr. 12. 29. Deut. 4. 24. In qua ſignificatione etiam Eſaias cap. 34. 10, de horrendo judicio ſuper Idumæos alioſque populos Ethnicos venturo vaticinatur: *Mutabuntur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus in ſulphur, eritque terra ejus pro pice ardente. Nocte & interdiu non extinguetur, in ſeculum aſcendet fumus ejus: a generatione in generationem vaſtata manebit, in ſempiternum nemo tranſibit per eam.* (Confer cum his verbis Jud. ℣. 7.) Altera ſimilitudo eſt à verme petita, qui tamdiu cadaveri inhærere ſolet, donec conſumatur. Cum vero excidium Hieroſolymæ fuerit figura univerſalis Judicii totius mundi, merito Chriſtus id quod dictum fuerat de illo excidio, ad hoc Judicium ac ſempiternum impiorum ſupplicium accommodat; ad cujus deſcriptionem verba illa Prophetæ aptiſſima ſunt. Nam ſicut Judæis illis, qui illo ab Eſaia denunciato excidio perierunt, nulla amplius ſuperceſt ſpes redeundi in vitam & gratia divina potiundi: Ita etiam actum erit in æternum de iis, qui in ignem univerſalis Judicii conjecti conflagrabunt.

Vermis eorum.] Qui ſcilicet ſua membra, cum eos ſcandaliſant, non abſcindunt, ſed vitiorum inſtrumenta faciunt. Syrachus ait cap. 7. 19: *Ignis & vermis erit ultio impiorum.* Et Juditha in ſuo Cantico inquit cap. 16. 21: *In det ignem & vermes carnibus eorum, ut urantur & ſentiant uſque in ſeculum.* Ex quibus locis cernitur, hoc fuiſſe uſitatum apud Judæos proverbium, quo extremus impiorum interitus deſignabatur.

Verſ. 45. *Et ſi pes tuus ſcandaliſat te, amputa illum, bonum eſt tibi ingredi in vitam claudum, quam duos pedes habentem projici in Gehennam, in ignem inextinguibilem.*

Verſ. 46. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Verſ. 47. *Et ſi oculus tuus ſcandaliſat te, ejice eum; bonum tibi eſt, ingredi in regnum Dei luſcum, quam duos oculos habentem projici in Gehennam ignis.*

Verſ. 48. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Verſ. 49. *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.*] Obſcuritas hujus loci non mediocriter torquet Interpretum ingenia, adeo ut quidam cenſeant in deſcribendo mendum aliquod aut errorem in textum irrepſiſſe. Sed hoc nullo modo eſt veriſimile, cum exemplaria omnia inter ſe conſentiant. Innuit autem vocula *enim*, hæc verba cum præcedentibus eſſe connexa: eademq; eſt horum verborũ

ſententia, quæ ſuperiorum; nempe partem unam corporis potius eſſe perdendam, ut totus homo conſervetur. Id quod declarat exemplo duorum, quæ bene nota erant, ſacrificiorum: quorum alterum erat holocauſtum, quod igne totum abſumebatur, de quo agitur Levit. 1, alterum vero erat oblatio rerum eſculentarum, de quo tale præceptum extat Lev. 2.13: *Omnem oblationem muneris tui ſale condies: nec auferes ſalem fœderis Dei tui à ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offerres ſalem.* Duo proinde vult Chriſtus dicere. Primum, *omnis* ait vel *quilibet*, (nempe eorum, qui ſcandala non exſtirpant, ſed vitiis ſuis indulgent, de quibus in præcedentibus locutus fuerat) *igne ſalietur*, id eſt, igni inextinguibili exuretur, velut holocauſtum, quod totum comburebatur, ſeu cujus ignis non ante extinguebatur, quam illud plane eſſet conſumptum. Quod autem pro comburetur, dicit *ſalietur*, eo reſpicit ad verba ultima loci modo adducti Levit. 2: *In omni oblatione tua offeres ſalem.* Nam non tantum ſacrificia eſculenta, ſed etiam holocauſta ſale conſpergebantur. Hic notandum eſt, Græcum verbum ἁλισθήσεται, *ſaliri*, non ſolum de rebus quæ proprie ſaliuntur, ſed de aliis quoque uſurpari. Congruit enim cum Hebræa voce מלח quæ proprie quidem ſignificat *ſalire* ſed tamen etiam de rebus, quæ prorſus intereunt, uſurpatur. Ut Eſai. 51. 6 dicitur: *Cœlum ſicut fumus evaneſcet*; quæ verba Symmachus in Græcam linguam ita tranſtulit, *Cœlum ſicut fumus ſalietur.* Ita etiam Jerem. 38. 11, veteramenta attrita & evanida vocantur *ſalita veſtimenta.* In eo enim ſimile eſt ſal igni, quod conſumendi vim habeat, æque ac ignis: hoc tantum inter iſta duo diſcrimen eſt, quod ignis rem totam conſumat, ſal partem tantum, nempe putredinem. Secundo dicit Chriſtus: *Omnis victima ſale ſalietur.* Hic ſumit verbum *ſaliendi* in propria ſignificatione, indicatque eum qui vult eſſe Dei gratiſſima oblatio ac victima, debere peſſimas putredines vitiorum earumque rerum omnium, quæ ipſi poſſunt eſſe offendiculo, ſale diligentis meditationis atque exercitii abolere, ut in æternum conſervari queat: perinde ut caro ſale, quod humores conſumit, à putredine conſervari ſolet. Quivis hominum conſumatur oportet, vel per ignem, quo prorſus interibit, quod impiis continget; vel per ſalem, quo tantum id quod malum eſt tolletur, ipſe interim homo ſervabitur, quod continget piis. Holocauſta, quorum nulla pars cedebat ulli homini in uſum, à Deo fuerant ordinata in eum ſolum finem, ut oſtenderet, ſe habere abſolutiſſimam poteſtatem ac jus in creaturam ſuam. Ita impii quoque nullum alium præbent uſum, quam ut ſint materia & objectum, in quo Deus divinam juſtitiam ſuam demonſtret & exerceat. Hinc ſæpius apud Prophetas legimus, impios judiciis divinis deſtinatos ſacrificia aut victimas appellari. Vide Eſai. 34. 6, 7. Jer. 12. 3. XLVI. 10. Ezech. XXI. 9, 10. XXXIX. 17. Pii autem optime ac merito oblationibus quæ ſine ſale non erant Deo acceptæ, conferuntur Rom. 12. 1. 1 Petr. 2. 5. Vide etiam Eſai. 66. 20. Hinc etiam monet Paulus Col. 4. 6, ut omnes noſtri ſermones ſint ſale conditi, ne quid inſulſum ac inſipidum in eis ſit.

Verſ. 50. *Bonum eſt ſal. Quod ſi ſal inſulſum fiat, in quo illud condietur? Habete in vobis ſalem, & pacem habete inter vos.*] Prorſus veriſimile eſt, Chriſtum hæc verba non hoc loco, ſed alio protuliſſe, cum ſcilicet diſcipulos ſuos hortaretur, ut bono exempla omnibus hominibus præluceren Matth. 5.13: *Vos eſtis ſal terræ, ſi vero ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* Marcus autem hæc verba refert hoc loco ex alia occaſione, quia in præcedentibus ſalis fuit facta mentio. Idem facit Lucas cap. 14. 34. Per ſal autem hic per metonymiam homo ipſe intelligitur, qui per ſalem, id eſt, per depoſitionem omnium malarum concupiſcentiarum Deo factus eſt grata hoſtia: quo ſenſu etiam vox hæc in loco modo citato Matthæi accipitur.

Inſulſum.] Apud Matthæum eſt, *infatuatum.* Nec non apud Lucam.

In quo illud condietur?] Vide ad Matth. 5.13.

Habete ſalem in vobis.] Hic Chriſtus iterum ſumit vocem ſalis in priori ſignificatu, pro ſedula meditatione & exercitio in iis rebus, quæ ad pietatem ſpectant, quibus malæ cupiditates exſtirpantur. Inter malas autem cupiditates non eſt poſtrema ambitio & invidia, quorum vitiorum occaſione Chriſtus hunc ſermonem exorſus eſt, cum videret, illa gliſcere in diſcipulis, quorum alter altero major eſſe volebat.

Et pacem habete inter vos.] Quod enim diſcipuli inter ſe contenderint de præeminentia ex Luc. 22.24 conſtat. Ad pacem hortatur quoque Paulus 2 Cor. 13. 11. 1 Theſſ. 5.13. Pax eſt præcipua pars illius expurgationis malarum cupiditatum, de quibus hic Chriſtus egit.

CAPUT X.

I. *Chriſtus ſolvit quæſtionem Phariſæorum de divortio: ad verſ.* 13. II. *Afferuntur ad Chriſtum pueruli, & ab eo ſuſcipiuntur: ad verſ.* 17. III. *Chriſtus reſpondet cuidam quærenti de modo conſequendæ vitæ æternæ: ad verſ.* 28. IV. *Promiſſionem facit iis, qui Chriſti cauſa aliquid derelinquunt: ad vſ.* 32. V. *Annunciat ſuis diſcipulis ſuas perpeſſiones: ad verſ.* 35. VI. *Filii Zebedæi rogant, ut ſedeant ad dextram & ſiniſtram ejus: ad verſ.* 46. VII. *Chriſtus cæco Bartimæo reſtituit viſum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET illinc exſurgens, venit in fines Judææ per oram Jordanis, & convenit rurſum turba ad eum: & ut conſueverat, iterum docebat illos.*] Egreſſus eſt illinc, nempe è domo Petri, quæ erat Capernaumi. In eam enim ingreſſus fuerat cap. 9.33, ibique omnes illos ſermones habuit, qui à vſ. 33, ad finem ſuperioris Capitis recenſentur. Totum autem hoc cap. 10, apud Matthæum cap. 19, & 20, explicatum eſt.

Per oram Jordanis.] Vel ultra Jordanem. Judæa non erat ſita in ulteriori, ſed in citeriori parte Jordanis. Cur vero Marcus dicat *ultra* Jordanem, ejus rei cauſam vide ad Matth. 4.15. Tranſiit autem Chriſtus per terram, quam Marcus hic vocat ultra Jordanem, in eam Judææ partem, in qua fuit Ænon, ubi Johannes bapti-

baptiſabat. Vide Joh. 3. 22. x. 40. Cauſa vero, cur Chriſtus non rectam viam tenuerit, ſed per tot ambages tetenderit Hieroſolymam (eam enim tunc petebat) hæc eſſe videtur, quod voluerit etiam Jordanis accolas Judæos docere.

Et convenit rurſum turba ad eum.] Non tantum illius regionis populus, quam Chriſtus tranſibat, ſed etiam qui eum ex Galilæa ſecutus fuerat: ut ex Matth. 19. 2 intelligitur.

Iterum docebat illos.] Locum illum jam ante baptiſmate Johannis nobilitatum, nobiliorem adhuc ac celebriorem faciebat ſua divina doctrina & miraculis.

Verſ. 2. *Et accedentes Phariſæi interrogabant eum, an liceret viro uxorem dimittere; tentantes eum.*] Quærebant, liceretne viro uxorem dimittere, ſubintellige, quavis de cauſa, ut ex Matthæo liquet cap. 19. 3. Nam ob aliquas cauſas magni momenti licere, non dubitabant.

Verſ. 3. *Ipſe vero reſpondens dixit eis: Quid vobis mandavit Moſes?*

Verſ. 4. *Illi autem dixerunt: Moſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere.*

Verſ. 5. *Et reſpondens Jeſus dixit eis: Pro duritia cordis veſtri ſcripſit vobis mandatum iſtud.*] Proprie loquendo non erat id mandatum, ſed permiſſio tantum ob duritiam cordis populi illius. Ad dimittendam enim uxorem & divortium faciendum, nemo fuit certa lege, ob ullam cauſam obſtrictus. Itaque hoc loco *mandatum* ſumitur in latiſſima ſignificatione, ut ſub eo omnis generis leges comprehendantur.

Verſ. 6. *Ab initio autem creationis maſculum & fœminam fecit eos Deus.*

Verſ. 7. *Propterea relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.*

Verſ. 8. *Et erunt duo caro una. Itaque non ſunt amplius duo, ſed una caro.*

Verſ. 9. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Verſ. 10. *Et domi rurſum diſcipuli ejus, eadem de re interrogarunt eum.*

Verſ. 11. *Et ait illis: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur adverſus eam.*] Chriſtus apud Matthæum cap. 5. 32. & XIX. 9 addit: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, *excepta cauſa fornicationis*; quod etiam hic ſubaudiendum, & ex Matthæo ſupplendum eſt.

Mœchatur adverſus eam.] Idem ſenſus eſt, qui apud Matthæum cap. 5. 32, ubi habetur; *facit, ut mœchetur*, id eſt, cauſa ipſi eſt mœchandi vel anſam ei præbet ad mœchandum. Nam ſi verba *adverſus eam* non fuiſſent addita, non ſimpliciter verum fuiſſet ſecundum Legem, eum qui uxorem ſuam dimittit, aliamque ducit, mœchari. Si quis enim non conjugatam duceret mulierem, adulterium non committebat, etſi nulla juſta de cauſa priorem dimiſiſſet uxorem, & illa repudiata vere adhuc uxor ejus maneret: quia polygamia ſub Veteri Fœdere non erat illicita.

Verſ. 12. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & nupſerit alteri, mœchatur.*

PARS II.

Verſ. 13. *ET obtulerunt ei puerulos, ut tangeret eos: diſcipuli vero objurgabant eos, qui offerebant.*

Verſ. 14. *Videns vero Jeſus, indignatus eſt, & dixit eis: ſinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos; talium eſt regnum Dei.*

Verſ. 15. *Amen dico vobis, Quicunque non receperit regnum Dei, ut puerulus, nequaquam in id ingredietur.*] Animus parvulorum comparari ſolet cum raſa tabula, in qua nihil ſcriptum eſt, ſed omnia ſcribi poſſunt. Tales etiam debent eſſe eorum animi, qui doctrinam Euangelii amplexuri ſunt. Puro & immaculato debent eſſe animo, qui neque à præconceptis opinionibus neque à mala conſuetudine ſit depravatus. Vide Matth. 19. 14. Regnum Dei hic duplici ſumitur ſenſu. Primo pro doctrina Euangelii de regno Dei: deinde pro vita æterna. Hoc enim ſibi vult his verbis Chriſtus: Quicunque doctrinam Euangelii non ſuſcipit animo puro atque à ſtudio partium alieno, quali animo præditi ſunt pueruli, is non ingredietur in vitam æternam. Ita etiam vox *aquæ* duplici ſignificatu, proprie & improprie ſeu ſpiritualiter ac figurate accipitur Joh. 4. 13, 15.

Verſ. 16. *Et cum accepiſſet eos in ulnas, impoſitis in eos manibus, benedixit eis.*] Preces fudit pro iis, bene illis precatus eſt. Vide Matth. 19. 15.

PARS III.

Verſ. 17. *ET egrediente eo in viam, accurrens quidam & accidens ei ad genua, interrogavit eum; Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam poſſideam?*

Verſ. 18. *Jeſus autem dixit ei: Cur me dicis bonum? nullus eſt bonus, niſi unus Deus.*

Verſ. 19. *Mandata noſti: Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falſum teſtimonium dixeris, ne damnum dederis, Honora patrem tuum & matrem.*] Verbis illis, *Ne damnum dederis* complectitur Chriſtus omnia illa, quæ recenſentur Lev. 19. 13, uſque ad ℣. 19. Quæ etiam Matthæus cap. 19. 19, complexus eſt illo compendio: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Verſ. 20. *Ille vero reſpondens dixit ei: Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute mea.*

Verſ. 21. *Jeſus autem eum intuitus, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deeſt. Abi, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me tollens crucem.*] Chriſtus exſuſcitat ſpiritum ſuum, ut quid in eo lateat expiſcetur: cumque comperiſſet animum rectum & virtutis ſtudioſum ei ineſſe, adamavit eum, ut quem idoneum judicaret fieri ſuum diſcipulum. Simul vero vidit Chriſtus, cor ejus rebus terrenis eſſe addictum; quam malam radicem conatur ſequentibus verbis evellere.

Dilexit eum.] Chriſtus non ſolum virtutes amat, ſed & ſemina virtutum: diverſo tamen modo ac gradu. Virtutes amat ita, ut eas remuneretur: ſemina virtutum autem, id eſt, animos ad virtutem pronos, ita ut eos excolat & reddat fructuoſos, dummodo homines ipſi ſibi non obſint. Ita etiam externa illa pœnitentiæ ſpecies in Rege Achabo, alicujus tamen fuit apud Deum valoris 1 Reg. 21. 28, 29.

Verſ. 22. *Ille vero contriſtatus propter hunc ſermonem, abiit mœrens: habebat enim poſſeſſiones multas.*] Dicitur fuiſſe contriſtatus, & rurſus ſequitur, eum abiiſſe mœrentem: unde patet prius illud, cum dicitur contriſtatus fuiſſe, de vultu ac facie ejus,

posterius de animo esse intelligendum; dejecto scilicet fuit vultu, uti tristes homines solent esse. Ita idem verbum etiam de cœlo usurpatur Matth. 16. 3.

Vers. 23. *Et circumspiciens Jesus, dicit discipulis suis: Quam difficulter qui opes habent, in regnum Dei introibunt.*] Circumspexit Christus & circumtulit oculos, uti solent facere, qui res maximi momenti dicere & omnes attendere ad suum sermonem volunt. Ita Christus circumspexit, cum præclarum vellet edere miraculum in sanando homine arefactam manum habente Luc. 6. 10.

Qui opes habent.] Vel, pecuniam: Gr. τὰ χρήματα ἔχοντας. Intelligit eos qui plus possident, quam ad necessarium usum eis opus est. Simpliciter enim habere pecuniam, vetitum non est: cum & ipse Christus pecuniam habuerit, quæ ei à liberalibus quibusdam hominibus ultro subministrabatur. Vide supra c. 6. 37.

Vers. 24. *Discipuli vero obstupuerunt ad hos ipsius sermones. At Jesus rursus respondens dixit eis: Filioli, quam difficile est, eos qui confidunt in opibus, in regnum Dei introire.*] Divitiæ ipsæ per se, si sine vitiosa cura ac solicitudine obtingant, Christianorum neminem damnant, si recte ac secundum Dei voluntatem adhibeantur, nimirum juxta doctrinam Pauli, 1 Tim. 6. 17, 18. At interim magno sunt impedimento & offendiculo ei, cujus animus non est bene instructus & firmatus divina cognitione, & fiducia de paterna Dei providentia. Habent enim vim animos humanos à fiducia in Deum abstrahendi, & ad se trahendi, ac efficiendi, ut instar Dei, qui in necessitate opitulari queat, habeantur: præsertim cum homines ita sint natura comparati, ut citius rebus visibilibus, quas sensibus percipiunt, quam invisibilibus, quæ intellectu comprehendendæ sunt moveantur. Quamobrem admodum difficile est, divitem esse, & non aliqua saltem ratione fiduciam suam in opibus collocare: quod tamen secundum hanc Christi doctrinam damnabile est. Vide hac de re dicta ad Matth. 19. 23.

Vers. 25. *Facilius enim est, camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.*

Vers. 26. *Illi vero amplius percellebantur, dicentes inter se: Et quis potest servari?*

Vers. 27. *Intuitus autem eos Jesus dicit: Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Omnia enim possibilia sunt apud Deum.*] Impossibile sumitur pro valde difficili. Vide Matth. 19. 26.

Sed non apud Deum.] Quod valde difficile est secundum consuetum naturæ cursum, id Deus potest reddere facile, si singulari ope sua hominem sublevet.

PARS IV.

Vers. 28. *Cœpit autem Petrus dicere ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

Vers. 29. *Et respondens Jesus ait: Amen dico vobis, nullus est, qui reliquerit domum aut fratres, aut sorores aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, propter me & propter Euangelium.*

Vers. 30. *Quin accipiat centuplicia nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres, & liberos; & agros cum persecutionibus, & in futuro seculo vitam æternam.*] Marcus repetit hoc versu omnia, in præcedenti versu enumerata, quæ Euangelii causa relinquenda, & pro quibus centuplex merces speranda est: solius uxoris mentionem non repetiit. Causam vide ad Matth. 19. 29, ubi etiam reliqua explicata sunt.

Cum persecutionibus.] Hoc Marcus addit de industria, ne cogitemus, nobis hic terrenam felicitatem in hac vita promitti. Solatium hic promittitur nobis, non voluptas. Quod si vero adhuc tam felicia tempora in terris speranda sint, uti existimant nonnulli, quibus pii mille annos absque persecutione summis gaudiis perfruantur, juxta prophetiam, quæ est Apoc. 5. 10. xx. 6, tum oportebit hæc verba Christi *cum persecutionibus*, tantum de tempore certaminis ac statu militante accipere, quo Ecclesia Christi, æque ac Christus ipse, ad tempus aliquod per varias afflictiones debet consummari.

Vers. 31. *Multi autem primi erunt ultimi, & ultimi primi.*] Sensum horum verborum vide Matth. 19. 30. xx. 15.

PARS V.

Vers. 32. *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præibat eis Jesus, & stupebant, & sequentes terrebantur. Et assumens iterum illos duodecim cœpit eis dicere, quæ essent sibi eventura.*] Nondum erant prope Hierosolymam, sed eo tendebant. Sexto die ante Pascha adhuc erat in Bethania Joh. 12. 1.

Et præibat eis Jesus.] Tanquam magnanimus ac impavidus heros: indicans, se non coactum, sed sponte sua ad mortem ire. Ejusmodi heroici animi specimen edidit quoque Paulus Act. 21. 13. Ex eo autem quod Christus & Paulus eo casu fecerunt, non est illico sumendum exemplum, ut putemus, nostrum esse pariter periculis nosmet objicere, quando ea bona conscientia declinare possumus. Nam & Christus alio tempore discrimini se subduxit Matth. 12. 15. xiv. 13. & Paulus Actor. 14. 56. 2 Cor. xi. 32, 33. Imo Christus ipse ut fugiamus, nobis præcipit Matth. 10. 23. Quando autem nobis quoque mors ex Dei voluntate nostræ confessionis causa subeunda imponitur, tum eadem magnanimitate, qua Christus & Paulus periculo nosmet offerre debemus. Vide Hebr. 12. 1 & seqq.

Et stupebant.] Gr. ἐθαμβοῦντο; quæ vox significat admirationem cum summo timore conjunctam, ut ex verbis sequentibus patet. Nimirum revocarunt sibi in memoriam sermones ejus, quibus prædixit, sibi multa à Senioribus Sacerdotibus primariis, ac Scribis esse patienda, & se tandem etiam occisum iri Matth. 16. 21. Marc. 8. 31. Itaque timuerunt, ne una cum ipso occiderentur, aut saltem ne magistrum suum amitterent, in quo omnis eorum consolatio ac spes sita erat.

Cœpit eis dicere.] Id est, dixit eis: locutione Hebræa, ut infra cap. IX. 15. Non enim tunc primum cœpit hac de re loqui, sed jam ante eis de eo locutus fuerat. Similis locutio est quoque Luc. 7. 24 & alibi.

Vers. 33. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, tradentque eum Gentibus.*] Videte hoc est ultimum nostrum iter, quod facimus Hierosolymam, de quo vobis jam sæpius dixi. Hoc indicat vocula *Ecce*.

Vers. 34.

Verſ. 34. *Et illudent ei, & flagellabunt eum, & inſpuent in eum, & trucidabunt eum: & tertia die reſurget.*] Illudent, flagellabunt &c. ſubaudi homines, id eſt, illudetur, flagellabitur, &c. De hac locutione vide ſupra cap. 3. 21.

PARS VI.

Verſ. 35. *ET accedunt ad eum Jacobus & Johannes Filii Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus ut quicquid petierimus, præſtes nobis.*] Dicentes, intellige per matrem Matth. 20.20. Confer etiam Matth. 8.5. cum Luc. 7. 3.

Verſ. 36. *Ipſe vero dixit eis: Quid me vultis vobis præſtare?*

Verſ. 37. *Illi autem dixerunt ei: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.*

Verſ. 38. *Jeſus vero dixit eis: Neſcitis quid petatis; poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, & Baptiſmo, quo ego baptiſor, baptiſari?*

Verſ. 39. *Ipſi autem dixerunt ei: Poſſumus. At Jeſus dixit eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; & Baptiſmo, quo ego baptiſor, baptiſabimini.*

Verſ. 40. *Sed ſedere ad dextram meam & ad ſiniſtram meam, non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt.*

Verſ. 41. *Et audientes decem, indignari cœperunt de Jacobo & Johanne.*

Verſ. 42. *Jeſus autem advocans eos, dixit eis: ſcitis eos qui videntur imperare gentibus dominari in eas, & earum magnates poteſtatem habere in eas.*] Qui videntur imperare: Gr. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. Quæ verba verti quoque poſſunt, Qui auctoritatem habent ut ſint principes gentium; & hæc verſio videtur priori eſſe anteponenda. Principes enim gentium ac populorum non dominantur eis, quia ipſis ita videtur, ſeu ſecundum falſam opinionem, ſed revera dominantur, & ſecundum Dei ordinationem Rom. 13.1. Sic etiam accipitur vox δοκεῖν Gal. 2. 2.6, & in hiſtoria de Suſanna ℣. 5.

Verſ. 43. *Verum non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit miniſter veſter.*

Verſ. 44. *Et quicunque voluerit ex vobis fieri primus, ſit omnium ſervus.*

Verſ. 45. *Nam & Filius hominis non venit, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionis pretium pro multis.*] Filium hominis ponit eis pro exemplo, quem imitari debeant, ut potecum is ſit Rex illius regni dudum promiſſi.

PARS VII.

Verſ. 46. *ET veniunt in Jericho, eoque egrediente ab Jericho, ac diſcipulis ejus & turba multa, filius Timæi Bartimæus cœcus ſedebat juxta viam mendicans.*] Hæc hiſtoria declarata eſt ad Matth. 20. 29.

Verſ. 47. *Et cum audiſſet quia Jeſus Nazarænus eſt, cœpit clamare, & dicere: Fili Davidis Jeſu miſerere mei.*] Cum audiſſet à turba, eum qui præterit eſſe Jeſum Nazarænum.

Verſ. 48. *Et objurgabant eum multi, ut ſileret: ille vero multo magis clamabat: Fili Davidis, miſerere mei.*

Verſ. 49. *Et ſubſiſtens Jeſus, juſſit eum vocari; Et vocant cœcum, dicentes: Confide ſurge, vocat te.*

Verſ. 50. *Ipſe vero abjecto pallio ſuo, ſurgens venit ad Jeſum.*

Verſ. 51. *Et reſpondens dixit ei Jeſus: Quid vis tibi faciam? Cœcus autem ait ei: Rabboni, ut viſum recipiam.*] Rabboni, vel Rabbuni. Vide etiam Joh. 20. 16. Titulus iſte, ut cenſent Judæi, non vulgaribus, ſed præcipuis doctoribus dabatur.

Verſ. 52. *Jeſus autem dixit ei: Abi, fides tua te ſervavit. Et confeſtim viſum recepit, & ſequebatur Jeſum in illo itinere.*] Sæpiuſcule Chriſtus hac locutione uſus eſt: *Fides tua te ſervavit.* Vide Matth. 9. 22. Marc. 5. 34. Luc. 7. 50. VIII. 48. XVII. 19. XVIII. 42.

Et ſequebatur Jeſum in itinere.] Monſtrat palam, ſe oculis ſuis uti poſſe, cum incedere poſſit ipſe, ſine duce ac comite, quo antea ſemper indigebat.

CAPUT XI.

I. *Chriſtus aſello inſidens ingreditur Hieroſolymam: ad verſ. 12.* II. *Maledicit ficui: ad verſ. 15.* III. *Expellit numularios è templo: ad verſ. 19.* IV. *Invenit poſtridie arefactam ficum, cui maledixerat; docetque diſcipulos ſuos, quanta ſit vis fidei: ad verſ. 27.* V. *A primoribus Judæorum interrogatus de poteſtate in Templo exercita, quæſtionem eorum alia quæſtione eludit: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET cum appropinquarent Hieroſolymis ad Bethphage & Bethaniam apud montem Olivarum, miſit duos è diſcipulis ſuis.*] Hæc hiſtoria uſque ad ℣. 12, explicata eſt apud Matthæum cap. 21. 1.

Verſ. 2. *Et dicit eis: Abite in vicum, qui vobis eſt ex adverſo; & ſtatim ut ingrediemini in eum, invenietis pullum ligatum, in quo nullus hominum ſedit: Solvite illum & adducite.*

Verſ. 3. *Et ſi quis vobis dixerit: cur hoc facitis? dicite, quoniam eo opus eſt Domino: & eum ſtatim huc mittet.*

Verſ. 4. *Abierunt autem & invenerunt pullum ligatum ad oſtium foris in bivio, & ſolverunt eum.*

Verſ. 5. *Et quidam illic ſtantium, dixerunt illis: Quid facitis ſolventes pullum?*] Id eſt, cur ſolvitis pullum? Similis locutio eſt Actor. 21. 13.

Verſ. 6. *Ipſi vero dixerunt eis, ſicut præceperat Jeſus: & dimiſerunt eis.*

Verſ. 7. *Et duxerunt pullum ad Jeſum, & injecerunt ei pallia ſua, & inſedit ei.*

Verſ. 8. *Multi autem pallia ſua ſtraverunt per viam: alii vero frondes cœdebant ex arboribus, & ſternebant in viam.*

Verſ. 9. *Et qui præibant, & qui ſequebantur clamabant, dicentes: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini.*

Verſ. 10. *Benedictum regnum patris noſtri Davidis, quod venit in nomine Domini. Hoſanna in altiſſimis.*

Verſ. 11. *Et ingreſſus eſt Hieroſolymam Jeſus, & in templum: & cum circumſpexiſſet omnia, & veſpera jam hora eſſet, exiit in Bethaniam cum duodecim.*

PARS II.

Verſ. 12. *ET poſtero die cum exiſſent Bethania, eſurit.*] Hoc expoſitum eſt apud Matthæum cap. 21. 18.

Verſ. 13. *Et cum procul vidiſſet ficum habentem folia, venit, ſi forte inveniret quid in ea: & cum veniſſet ad eam, nihil invenit niſi folia: non enim erat tempus ficuum.*

Verſ. 14. *Et reſpondens Jeſus dixit ei: Ne amplius ex te in æternum quiſquam fructum comedat.*

PARS III.

Verſ. 15. *ET veniunt Hierosolymam. Et ingreſſus Jeſus in Templum, cœpit ejicere eos qui vendebant & emebant in Templo, & menſas numulariorum & cathedras vendentium columbas ſubvertit.*] Explicata habes iſta uſque ad ℣. 19 apud Matthæum cap. 21. 12.

Cœpit ejicere.] Id eſt, ejecit. Simili locutione uſus eſt Marcus ſupra cap. 10. 32.

Verſ. 16. *Nec ſinebat, ut quiſquam depertaret vas per Templum.*] Nempe ad vendendum, ſeu quod venale erat. Nam ad uſum Templi non prohibebat.

Verſ. 17. *Et docebat dicens eis: Nonne ſcriptum eſt, Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.*] Vocabitur domus orationis, id eſt, erit. More Hebræo vocari pro eſſe accipitur, nomen pro reipſa.

Verſ. 18. *Quo audito Scribæ & primarii Sacerdotes, quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quia omnis turba percellebatur ſuper doctrina ejus.*] Quærebant, quomodo eum perderent, id eſt, quærebant aliquod medium, deliberabant inter ſe, qua ratione eum poſſent è medio tollere. Cauſa autem iſtius deliberationis, & quod commodum invenire modum non poſſent id exequendi, hæc erat, quod timerent eum, quia omnis turba percellebatur ſuper doctrina ejus. Metuebant, ne populus, qui doctrinam ejus maxima cum admiratione partim amplectebatur, partim audiebat, adverſus ipſos conſurgeret. Matthæus ait: *Timuerunt turbam, quoniam ut Prophetam eum habebat.* Lucas vero ſcribit: *Sed non inveniebant quid facerent ei: Totus enim populus pendebat ab ipſo, & audiebat eum* cap. 19. 47, 48.

PARS IV.

Verſ. 19. *ET cum veſpera facta eſſet egreſſus eſt Jeſus extra urbem.*] Pro more ſuo. Solebat enim ſingulis diebus veſperi in monte Olivarum vel in Bethania pernoctare, mane autem redire Hieroſolymam, ac docere in Templo: ut ex Luc. 21. 37, & XXII. 39 patet.

Verſ. 20. *Et mane iter facientes prope ficum, viderunt eam exaruiſſe radicitus.*

Verſ. 21. *Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus illa, cui imprecatus es, exaruit.*

Verſ. 22. *Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Habete fidem Dei.*

Verſ. 23. *Amen enim dico vobis, quicunque dixerit monti huic: Tolle te & projice te in mare, nec addubitaverit in corde ſuo, ſed crediderit futura, quæ dicit, fiet ei, quicquid dixerit.*

Verſ. 24. *Propterea dico vobis, quæcunque precantes petitis, credite vos accepturos, & fient vobis.*

Verſ. 25. *Et cum ſteteritis orantes, remittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittat vobis offenſas veſtras.*] Hic cernere eſt, Judæos ſtantes orare ſolitos, quod etiam hodie adhuc apud illos in uſu eſt. Vide dicta ad Matth. 6. 5. Non cohærent autem verba hæc uſque ad ℣. 27, cum præcedentibus, ſed videtur Marcus ea hic inſeruiſſe per occaſionem, quia in præcedentibus facta eſt mentio orationis, etſi ea Chriſtus alio loco protulerit. Quanquam etiam fieri poteſt, quod Chriſtus hanc doctrinam, (ut & multas alias) ſæpius & pluribus in locis propoſuerit. Vide Matth. 5. 24. VI. 14, ubi verba hæc explicata ſunt.

Si quid habetis adverſus aliquem.] Id eſt ſi habetis, quod conqueramini de aliquo, quod vobis ulla in re injuriam fecerit.

Verſ. 26. *Quod ſi vos non remiſeritis, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittet offenſas veſtras.*

PARS V.

Verſ. 27. *ET veniunt rurſus Hieroſolymam: & cum ipſe ambularet in Templo, veniunt ad eum primarii Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores.*] Hæc uſque ad finem Capitis declarata ſunt Matth. 21. 23.

Verſ. 28. *Et dicunt ei: Qua auctoritate iſta facis? & quis tibi dedit auctoritatem iſtam, ut hæc facias?*

Verſ. 29. *At Jeſus reſpondens dixit eis: Interrogabo vos & ego unam rem; & reſpondate mihi, & dicam vobis, qua auctoritate hæc faciam.*

Verſ. 30. *Baptiſma Johannis è cœlo erat, an ex hominibus? reſpondete mihi.*

Verſ. 31. *Et ratiocinabantur apud ſe, dicentes: Si dixerimus, E cœlo; dicet, Quare ergo non credidiſtis ei?*

Verſ. 32. *Sed ſi dicamus, Ex hominibus, timebant populum. Omnes enim habebant Johannem, quia vere Propheta fuit.*] Legitime & ſecundum linguæ proprietatem ita ordinari debuiſſent verba: Si vero dicamus, Ex hominibus, timemus populum. Similis locutio fuit etiam ſupra cap. 7. 12.

Verſ. 33. *Et reſpondentes dicunt Jeſu: Neſcimus. Et Jeſus reſpondens dicit eis: Neque ego dicam vobis, qua auctoritate hæc faciam.*

CAP. XII.

I. *Continetur in hoc Capite parabola de vinea, & malis colonis, qui ſervos & filium occiderunt: ad verſ.* 13. II. *Phariſæorum quæſtio de cenſu Cæſari dando: ad verſ.* 18. III. *Sadducæorum quæſtio de reſurrectione: ad verſ.* 28. IV. *Le-*

IV. *Legiſperiti cujuſdam quæſtio de maximo mandato: ad verſ.* 35. V. *Chriſti quæſtio, de eo, cujus filius ſit Chriſtus: ad verſ.* 38. VI. *Monitum Chriſti, de cavendis Scribis: ad verſ.* 41. VII. *Hiſtoria de vidua paupercula, duo minuta in gazophylacium injiciente: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET cœpit illis per parabolas dicere: Vineam plantavit quidam, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis, ac peregre profectus eſt.*] Marcus inquit, *per parabolas*, cum tamen unam tantum referat. Nimirum ſignificat, ſe alias ſilentio præterire. Matthæus enim præter hanc duas adhuc commemorat, unam de patre duorum filiorum c. 21. 28, alteram de Rege apparante nuptias filio ſuo cap. 22. 1.

Vineam plantavit quidam] Parabolam hanc explicatam vide Matth. 21. 33.

Verſ. 2. *Miſitque ſervum ad agricolas ſuo tempore, ut ab agricolis acciperet, de fructu vineæ.*] Suo tempore, id eſt, cum tempus fructuum approprinquaſſet, ut loquitur Matthæus cap. 21. 34.

Verſ. 3. *Illi vero captum eum ceciderunt, & remiſerunt inanem.*

Verſ. 4. *Et rurſum miſit ad eos alium ſervum, & illum lapidantes in capite vulnerarunt, & remiſerunt indigne habitum.*

Verſ. 5. *Et rurſus alium miſit, & illum trucidarunt, multoſque alias, hos quidem cædentes, illos vero trucidantes.*

Verſ. 6. *Cum ergo unum adhuc haberet filium ſuum dilectum, miſit & illum ultimum ad eos, dicens: Reverebuntur filium meum.*

Verſ. 7. *Illi vero agricolæ dixerunt inter ſe: Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.*

Verſ. 8. *Et captum eum trucidarunt, & ejecerunt extra vineam.*

Verſ. 9. *Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet & perdet agricolas, & dabit vineam aliis.*] Verba hæc, Veniet & perdet &c. loquuntur apud Matthæum primarii Sacerdotes & Seniores cap. 21. 41.

Verſ. 10. *Nec Scripturam hanc legiſtis: Quem lapidem reprobaverunt ædificantes, is factus eſt caput anguli.*

Verſ. 11. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis veſtris.*

Verſ. 12. *Et quærebant eum prehendere, ſed timuerunt turbam; cognoverunt enim, eum adverſus ipſos parabolam illam dixiſſe: itaque omiſſo eo abierunt.*] Quærebant, ſcilicet media & rationes cum commode ac ſine tumultu capiendi: ut ſupra cap. x1. 18.

PARS II.

Verſ. 13. *ET miſerunt ad eum quoſdam è Phariſæis & Herodianis, ut eum ſermone irretirent.*] Hæc uſque ad ℣. 18, ſunt declarata Matth. 22. 15.

Verſ. 14. *Illi vero venientes dicunt ei: Magiſter ſcimus te veracem eſſe, neque curare quenquam: Non enim reſpicis perſonam hominum, ſed in veritate viam Dei doces: Licet dare cenſum Cæſari, annon? demus, an non demus?*] Id eſt, Eſne nobis auctor, ut demus? quid ſuades? Prior quæſtio erat de eo, an liceat dare? altera, an etiam utile ac bonum ſit, ut detur cenſus? Poterat enim licitum eſſe, ſed non utile, nec conſultum, nimirum propter eos, qui illicitum id eſſe ſtatuebant.

Verſ. 15. *Ipſe autem ſciens eorum hypocriſin, dixit eis: Quid me tentatis? proferte mihi denarium, ut videam.*] Norat Chriſtus, eos animo ſimulato ac ſubdolo quærere. Præ ſe ferebant ſtudium diſcendi aliquid ab ipſo, interea vero in cordibus ſuis laqueos ei tetenderant.

Verſ. 16. *Illi vero protulerunt. Et ait illis: Cujus eſt imago hæc & inſcriptio? Illi autem dixerunt ei: Cæſaris.*

Verſ. 17. *Et reſpondens Jeſus dixit illis: Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Et admirati ſunt ſuper eo.*

PARS III.

Verſ. 18. *ET veniunt Sadducæi ad eum, qui dicunt non eſſe reſurrectionem; & interrogarunt eum dicentes.*] Iſta uſque ad ℣. 28, expoſita ſunt Matth. 22. 23.

Verſ. 19. *Magiſter, Moſes ſcripſit nobis, ut ſi cujus frater mortuus ſit, ac reliquerit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat ipſius frater uxorem ejus, & excitet ſemen fratri ſuo.*

Verſ. 20. *Septem ergo fratres fuerunt; ac primus accepit uxorem, & moriens non reliquit ſemen.*

Verſ. 21. *Et ſecundus accepit eam, & mortuus eſt, & ne ipſe quidem reliquit ſemen: & tertius itidem.*

Verſ. 22. *Et acceperunt eam ſeptem illi, neque reliquerunt ſemen: ultima omnium mortua eſt & mulier.*

Verſ. 23. *In reſurrectione ergo poſtquam reſurrexerint, cujus eorum erit uxor? nam ſeptem habuerunt eam uxorem.*] Verba illa, *poſtquam reſurrexerint*, redundant: Hebraiſmo uſitato. Vide Matth. 27. 9. Marc. 7. 13. x11. 19, 20.

Verſ. 24. *Et reſpondens Jeſus ait illis. Nonne propterea erratis, quod non ſciatis Scripturas, neque potentiam Dei?*

Verſ. 25. *Poſtquam enim à mortuis reſurrexerint, neque uxores ducunt, neque nuptum dantur, ſed ſunt ut Angeli, qui in cœlis ſunt.*

Verſ. 26. *De mortuis vero, quod excitandi ſint, non legiſtis in libro Moſis, quomodo in rubo locutus ſit ei Deus, dicens: Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi?*

Verſ. 27. *Non eſt Deus Deus mortuorum, ſed Deus viventium: vos ergo multum erratis.*

PARS IV.

Verſ. 28. *ET accedens unus è Scribis, qui audierat eos diſceptantes, & videns eum bene illis reſpondiſſe, interrogavit eum: Quod eſt primum omnium mandatum?*] Hoc ad verſ. 35, explicavimus Matth. 22. 35.

Verſ. 29. *Jeſus autem reſpondit ei: Primum*

omnium mandatorum eſt, Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.] Primum mandatorum, id eſt, maximum & præcipuum.

Audi Iſraël Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.] Hæc verba apud Matthæum non habentur, ſed tantum ſequentia de diligendo Deo & proximo. Sed Marcus merito ea hic repoſuit, cum ad illuſtrationem & explicationem ſequentium pertineant. Ad veram enim religionem non ſatis eſt, ut quis Deum aliquem colat ac veneretur, ſed oportet ut in animo ſuo aliquem certum Deum ſibi proponat, de quo conſtet, eum tantum unum eſſe, per quam unitatem tam à Diis Gentilium, à quibus creditur, eos multos eſſe, quam ab Angelis diſtinguatur. Hoc probe notare deberent ii, qui dicunt, Dominus Deus noſter Deus trinus eſt: eo ipſo enim dicunt, eum non eſſe unum Deum.

Verſ. 30. *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc eſt primum mandatum.*] Verba illa, *ex tota mente tua*, ſunt explicatio illorum, quæ præceſſere, *ex tota anima tua.* Per animam enim animus intelligitur. Ita infra ℣. 33 addidit, *ex toto intellectu.*

Verſ. 31. *Et ſecundum ſimile hoc eſt: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Majus iſtis aliud mandatum non eſt.*

Verſ. 32. *Et ait illi Scriba: Magiſter bene & in veritate dixiſti, quod unus ſit Deus, & non ſit alius præter eum.*] Venerat, ut periculum faceret & exploraret Chriſti ſapientiam, eaque cognita & audita, ipſemet ei præbet teſtimonium eamque prædicat.

Verſ. 33. *Et diligere eum ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex totis viribus, ac diligere proximum ſicut ſeipſum, plus ſit quam omnia holocauſta & ſacrificia.*] Plus ſit, id eſt, majoris momenti & Deo gratius.

Quam omnia holocauſta, & ſacrificia.] Apparet, ex iis inter quos agitabatur iſta quæſtio, quodnam ſit maximum mandatum, fuiſſe aliquos, qui mandatum de ſacrificiis pro maximo cenſerent. Vide Matth. 22. 36.

Verſ. 34. *Et Jeſus videns eum ſapienter reſpondiſſe, dixit ei: Non longe es à regno Dei. Et nemo amplius audebat eum interrogare.*] Revera ſapienter reſpondit, dum ℣. 32, confeſſus eſt, *unum eſſe Deum, & non eſſe alium præter eum.* Inſipienter autem reſpondiſſet, neque à Chriſto dici potuiſſet, eum non longe abeſſe à regno Dei, ſi Chriſtus etiam ille idem unus Deus foret. Quod enim Scriba hic per unum Deum nullum alium intellexerit, quam eum, qui una tantum perſona eſt, nempe illum ipſum, quem Chriſtus tanquam Patrem ſuum adoravit coluitque, nullum eſt dubium. Chriſtus vero laudat ejus ſapiens reſponſum, cum probe noſſet, eum ſe non pro divino doctore, multo minus pro ſummo Deo agnoſcere.

Non longe es à Regno Dei.] Eorum qui adhuc extra Regnum Dei conſtituti ſunt, varii ſunt gradus. Ille autem gradus non procul diſtat à Regno, in quo ii conſiſtunt, qui præcipua pietatis capita probe intelligunt, & pro veris agnoſcunt. Talis per aſſiduas preces facile poteſt in Regnum Dei venire.

PARS V.

Verſ. 35. *ET reſpondens Jeſus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ, Chriſtum eſſe filium Davidis?*] Id eſt, quomodo id poteſt verum eſſe, atque conſiſtere, quod dicunt Scribæ? Chriſtus hanc quæſtionem objecit Phariſæis, qui in interpretatione Prophetarum multum tribuebant Scribis. Idcirco Chriſtus illos alloquitur, quos ſciebat Scribarum verbis & auctoritati eſſe addictiſſimos.

Verſ. 36. *Nam David ipſe dixit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Verſ. 37. *Ipſe ergo David dicit eum Dominum: & unde filius ejus eſt? Et multa turba audiebat eum libenter.*] Unde filius ejus eſt? Matthæus habet, Quomodo filius ejus eſt. Vide cap. 22. 45.

PARS VI.

Verſ. 38. *ET dicebat eis in doctrina ſua: Cavete à Scribis, qui amant in ſtolis ambulare, & ſalutationes in foris.*] Eadem verba habet Lucas cap. 20. 46. Stolæ uſque ad talos demiſſæ erant ſignum auctoritatis, quam Scribæ maximo ſtudio ac cura oſtentabant.

Verſ. 39. *Primoſque conſeſſus in conventibus, & primos accubitus in cœnis.*

Verſ. 40. *Qui devorant domos viduarum, & in ſpeciem utuntur longis precibus: iſti auferent gravius judicium.*] Non de omnibus Scribis ſeu Legiſperitis id affirmat Chriſtus, ſed de nonnullis tantum, qui præ cæteris tam impii erant. Ut ita ſenſus verborum ſit: Illi è Scribarum numero, qui ſub ſpecie longarum precum domos viduarum exedunt, gravius judicium præ aliis auferent.

Domos viduarum.] Tales & illi erant, quos deſcribit Paulus 2 Tim. 3. 6, quod *irrepant in domos, & captivas ducant mulierculas, cumulatas peccatis.* Sexus enim fœmineus ut ad ſuperſtitionem pronior eſt, ita etiam facilius decipitur. Chriſtus autem viduas nominat, eorum culpam tanto magis exaggerans, quod illas deſpolient, quas ex divinæ Legis præſcripto (Exod. 22. ℣. 22.) maxime tueri debebant.

Et in ſpeciem utuntur longis precibus.] Ita Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit, ſe non prætexuiſſe quicquam in ſpeciem avaritiæ 1 Theſſ. 2. 5. Solent enim avari homines ſpecioſas rationes ac cauſas obtendere, ſub quarum integumento ſuum quæſtum quærunt. In exemplo, quod aſſidue pro aliis Deum orent, pro quo labore eis non immerito præmium debeatur: cum interim iis, pro quibus ſe orare jactant, haud monſtrent pietatis viam, neque expectant dum eis aliquid detur, ſed ipſi id captant & petunt, idque crebrius, & plus, quam facultates dantium ferre queant.

PARS VII.

Verſ. 41. *ET ſedens Jeſus ex adverſo gazophylacii, ſpectabat, quomodo turba injiceret æs in gazophylacium: multique divites injiciebant multa.*] Gazophylacium eſt vox Græca, ſignificans locum,

locum, ubi ſacra pecunia ſervabatur. Duo autem erant gazophylacia. Unum fuit arca quædam ſive ciſta, in quam injiciebatur pecunia: de quo hic agitur & 2 Reg. 12. 10. 2 Par. 24. 8. Alterum erat pars templi, pone domum Domini (quæ alias proprie Templum dicebatur) utroque latere ad occaſum ſpectans, in qua illa ipſa arca ſeu ciſta ærarii poſita erat, aliaque vaſa Templi aſſervabantur, ut & muſtum, oleum, fruges, aliaque quæ ad ſuſtentandos Sacerdotes offerebantur Nehem. 10. 37. Hujus cameræ, in qua erat gazophylacium, mentio fit Joh. 13. 20. Joſephus quoque ſæpius ejus meminit: inter alia, cum ait, Agrippam auream catenam in gazophylacio appendiſſe, monumentum ſuorum vinculorum. Et, in gazophylacio talentorum duo millia fuiſſe.

Multi divites injiciebant multa.] Id eſt, erant divites multi, è quibus quilibet multa injiciebat.

Verſ. 42. *Et veniens quædam vidua pauper, injecit minuta duo, quod eſt quadrans.*] Minutum unum erat minima monetæ ſpecies. Vide hac de re Matth. 5. 26.

Verſ. 43. *Et advocans diſcipulos ſuos dixit eis: Amen dico vobis, vidua hæc pauper plus injecit, quam omnes, qui injecerunt in gazophylacium.*] Hoc dixit ſecreto ſuis diſcipulis. Nihil enim opus erat, ut id audiret vidua illa, aut alii: ſed ſuos tantum diſcipulos docere voluit, quam magni à Deo æſtimetur liberalis animus.

Plus injecit quam omnes.] In omnibus rebus non nuda facta, ſed animus ſpectandus eſt. Longe autem major eſt liberalitas, ſi quis omnia quæ habet, quamvis minimum habeat, eroget, quam ſi quis de magno det aliquid acervo.

Verſ. 44. *Omnes enim ex eo, quod ipſis redundat, injecerunt: hæc vero è pecunia ſua, injecit omnia quæ habebat, totum victum ſuum.*] Illi non omnia, quæ ipſis redundabant, ſed aliquid tantum de eo, & quidem minorem ſine dubio partem ex eo injecerant. Et licet omnia quoque ſuperflua dediſſent, minus tamen dediſſent, quam iſta vidua. Adhuc enim neceſſaria pro ſe retinuiſſent: hæc autem totum victum ſuum injecit.

Totum victum ſuum.] Id eſt, totum id, quo illo die ſe ſuſtentare debebat. Obolo enim cogebatur homo egenus per diem vitam ſuam tolerare.

CAPUT XIII.

I. *Deſcribitur Chriſti prædictio de deſolatione Templi: ad verſ. 3.* II. *De ſignis antecedentibus: ad verſ. 9.* III. *De graviſſimis afflictionibus ſuorum diſcipulorum: ad vſ. 14.* IV. *De eo, quam horribilis futura ſit obſidio & deſolatio: ad verſ. 24.* V. *De adventu Filii hominis: ad verſ. 32.* VI. *De tempore iſtius adventus, una cum adjuncta admonitione ad vigilantiam.*

PARS I.

Verſ. 1. *CUm autem egrederetur è templo, dixit ei quidam è diſcipulis ejus. Magiſter, vide quales lapides, & qualia ædificia ſint iſta.*] Apparet diſcipulum iſtum, quiſquis ille fuerit, qui ædificia templi Chriſto monſtravit, commoditatem temporis ac loci obſervaſſe, ut inſignem Templi tum ornatum, tum firmitudinem Chriſto ob oculos poneret, quo eum ab illius deſtructione avocaret & abduceret. Occaſio enim hujus hiſtoriæ fuit, ut ex Matthæo cap. 23. 38. & Luca cap. 19. 43, 44 patet, quod Chriſtus urbi Hieroſolymæ & Templo interitum interminatus fuerat. Sed lapidum congeries eum minime movere poterat, quem peccata hominum ad juſtam vindictam inflammarunt. Ita credebant etiam olim Judæi, Deum illis propter templum eſſe parſurum; ſed Deus eis per Jeremiam cap. 7. 4 reſpondet: *Ne habeatis fiduciam in rebus falſis, dicentes: Hic eſt Templum Domini, hic eſt Templum Domini* &c.

Dixit ei quidam è diſcipulis ejus.] Quod unus dixit, id apud Matthæum omnibus, apud Lucam nonnullis adſcribitur. Confer etiam Matth. 26 8. cum Joh. 12. 8. & Matth. 27. 44. cum Luc. 23. 39.

Magiſter, vide.] Conſidera.

Quales lapides.] Hæc ſunt verba admirationis: ut & Matth. 8. 27. De iſtis lapidibus, quid ſcribat Joſephus, vide ad Matth. 24. 1.

Verſ. 2. *Et reſpondens Jeſus dixit ei: Vides iſta ædificia magna? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non diſſolvatur.*

PARS II.

Verſ. 3. *ET cum ſederet in monte Olivarum ex adverſo Templi, interrogarunt eum privatim Petrus, & Jacobus, & Johannes, & Andreas.*] Ex monte Olivarum tota Templi ſtructura conſpici poterat.

Verſ. 4. *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignum erit, quando futurum eſt, ut hæc omnia finem habeant?*] Aliter hic apud Marcum diſcipuli inſtituunt quæſtionem, quam apud Matthæum. Ibi enim quærunt de tribus. Primo, de everſione Templi & conſequenter etiam urbis. Secundo de ſignis adventus ipſius. Tertio de ſignis conſummationis ſeculi. Hic autem quærunt tantum de duobus. Primo de tempore everſionis. Secundo de ſignis everſionis. Chriſtus vero ſic reſpondet, ut primo ſecundam quæſtionem ſolvat. Nimirum proponit eis certa quædam ſigna everſionem illam anteceſſura: quorum primum eſt, ſeductio populi per falſos Chriſtos ℣ſ. 5, 6. Alterum eſt, Bella & rumores bellorum ℣ſ. 7, 8. Tertium Terræ motus, fames & terrores ℣ſ. 8. Quorum omnium explicationem vide apud Matthæum.

Quando futurum eſt, ut hæc omnia finem habeant.] Id eſt, quando hæc omnia fient & implebuntur, quæ modo prædixiſti.

Verſ. 5. *Jeſus autem eis reſpondens cœpit dicere; Videte, ne quis vos ſeducat.*

Verſ. 6. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum, & multos ſeducent.*

Verſ. 7. *Cum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbemini: oportet enim iſta fieri; at nondum erit finis.*

Verſ. 8. *Surget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, eruntque terræmotus variis locis, &*

erunt fames, & terrores.] Intellige terrores propter magna prodigia, quæ conſpicientur. De quo vide dicenda ad Luc. 21. 11.

PARS III.

Verſ. 9. *INitia hæc erunt dolorum. Cavete autem vobis ipſis. Tradent enim vos in conſeſſus, & in Synagogis cademini, & coram præſidibus ac regibus ſiſtemini propter me, in teſtimonium illis.*] Prius retulit afflictiones, quæ Judaico populo in ſignum eorum interitus evenire debebant. Modo ſequuntur afflictiones, quæ contingent ſanctis, nimirum perſecutiones & odia non ſolum aliorum, ſed etiam proximorum conſanguineorum ℣ſ. 9, ad ℣ſ. 14.

Verſ. 10. *Et apud omnes gentes oportet primum prædicari Euangelium.*] Apud Matthæum c. 24. 14, hæc verba ſtatim ponuntur poſt illa: *Qui autem perſeveraverit uſque ad finem ſervabitur.* Nimirum illic prædicatio Euangelii pro peculiari ſigno ponitur, quod in teſtimonium Judæis apud omnes gentes, ultimum excidium antecedere debuit. Itaque Marcus hæc verba non ſuo ordine ponit.

Verſ. 11. *Cum autem duxerint vos tradentes, ne ſitis anteſolicuti, quid loquamini, nec præmeditemini; ſed quicquid datum fuerit vobis illa hora, id loquimini. Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus.*] Hæc verba apud Matthæum cap. 10. 19, & apud Lucam cap. 12. 11, alio loco & alio tempore referuntur: nempe cum Chriſtus Apoſtolos mitteret ad prædicandum inter Judæos Euangelium. Quare veriſimile eſt, etiam hæc verba Marcum non ſuo referre loco, ſed ea ipſi in mentem veniſſe, per occaſionem eorum, quæ ℣ſ. 9. de tradendis fidelibus in conſeſſus narravit, (quæ cum iis, quæ habet Matthæus cap. 10. 18, coincidunt) niſi forte Chriſtus ea bis protulerit, (ut & multa alia) & Matthæus ea hoc loco omiſerit.

Verſ. 12. *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & inſurgent liberi adverſus parentes & morte afficient eos.*

Verſ. 13. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum: ſed qui perſeveraverit ad finem uſque, is ſervabitur.*

PARS IV.

Verſ. 14. *CUm autem videritis abominationem deſolationis, dictam à Daniele Propheta, poſitam ubi non oportet (qui legit, intelligat) tunc qui fuerint in Judæa, fugiant in montes.*] Hæc uſque ad ℣ſ. 34, explicata ſunt Matth. 24. 15 & ſeqq.

Verſ. 15. *Qui vero fuerit ſuper domum, ne deſcendat in domum, nec ingrediatur, ut quicquam ſumat è domo ſua.*

Verſ. 16. *Et qui fuerit in agro, ne revertatur retro, ut ſumat pallium ſuum.*

Verſ. 17. *Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus.*

Verſ. 18. *Orate vero, ne fiat fuga veſtra hyeme.*

Verſ. 19. *Erunt enim dies illi afflictio talis, qualis non fuit à principio creaturæ, quam condidit Deus, uſque ad hoc tempus, neque fiet.*] A principio creaturæ, quam condidit Deus, id eſt, à principio mundi: ut Matth. 24. 21.

Verſ. 20. *Et niſi Dominus decurtaſſet dies illos, non ſervaretur ulla caro: ſed propter electos, quos elegit, decurtavit dies illos.*

Verſ. 21. *Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic Chriſtus, aut ecce illic, ne credite.*

Verſ. 22. *Surgent enim falſi Chriſti & falſi prophetæ: & edent ſigna ac miracula ad ſeducendum, ſi fieri poſſit, etiam electos.*

Verſ. 23. *Vos autem cavete. Ecce prædixi vobis omnia.*

PARS V.

Verſ. 24. *CÆterum in illis diebus poſt afflictionem iſtam ſol obſcurabitur, nec dabit luna ſplendorem ſuum.*] Iſta uſque ad verſ. 32, expoſita ſunt apud Matthæum cap. 24. 29 & ſeqq.

Verſ. 25. *Et ſtellæ cœli decident, & virtutes quæ in cœlis ſunt, concutientur.*

Verſ. 26. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa & gloria.*

Verſ. 27. *Et tunc mittet Angelos ſuos, & ſuos electos congregabit à quatuor ventis, ab extremo terræ uſque ad extremum cœli.*] Apud Matthæum eſt: *A cœlorum extremo uſque ad eorum extremum* cap. 24. 31.

Verſ. 28. *A ficu vero diſcite parabolam. Cum ramus ejus jam tener fuerit, & germinet folia, noſtis prope eſſe æſtatem.*

Verſ. 29. *Ita & vos cum hæc videritis fieri, ſcitote, illum prope eſſe & ad fores.*

Verſ. 30. *Amen dico vobis, nequaquam præteribit hæc generatio, donec omnia iſta fiant.*

Verſ. 31. *Cœlum & terra præteribunt, ſermones autem mei nequaquam præteribunt.*

PARS VI.

Verſ. 32. *DE die autem illo & hora, nemo ſcit; ne Angeli quidem, qui in cœlo ſunt, neque Filius, niſi Pater.*] Hic Chriſtus reſpondet ad primam quæſtionem diſcipulorum ſuorum, de tempore, quando iſta, quæ Chriſtus ſupra verſ. 4 prædixerat, eventura ſint. Explicationem horum uſque ad finem cap. vide Matth. 24. 36 & ſeqq.

Verſ. 33. *Cavete, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.*

Verſ. 34. *Sicut homo peregre profectus, qui reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem & cuique opus ſuum, & janitori mandavit, ut vigilaret.*] Eſt oratio imperfecta, ut & illa Matth. 25. 14.

Verſ. 35. *Vigilate igitur: (neſcitis enim quando dominus domus veniet, veſperi, an media nocte, an in gallicinio, an mane.)*

Verſ. 36. *Ne cum repente venerit, inveniat vos dormientes.*

Verſ. 37. *Quæ autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

CAPUT XIV.

I. *Primores Judæorum quærunt rationem Chriſtum interficiendi: ad verſ. 3.* II. *Chriſtus in domo Simonis leproſi inungitur pretioſo.*

pretioſo unguento: ad verſ. 10. III. *Judas pollicetur, ſe Chriſtum proditurum: ad verſ.* 12. IV. *Chriſtus mittit diſcipulos ad præparandum Paſcha: ad verſ.* 18. V. *Prædicit unum è duodecim ſe proditurum: ad verſ.* 22. VI. *Inſtituit ſacram cœnam: ad verſ.* 26. VII. *Prædicit diſcipulis ſuis eos ſe ſcandalizatum iri: id quod Petrus de ſe negat: ad verſ.* 32. VIII. *Orat in horto ſumma cum animæ ſuæ anxietate: ad verſ.* 43. IX. *Judas venit cum cohorte, quæ Chriſtum capit: ad verſ.* 53. X. *Chriſtus ſiſtitur coram ſummo Pontifice, & à falſis teſtibus accuſatur: ad verſ.* 66. XI. *Petrus abnegat Chriſtum: ad finem Cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *ERat autem Paſcha, & Azyma poſt duos dies, & quærebant primarii Sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo prehenſum trucidarent.*] Paſcha & azyma eſt unum idemque feſtum. Itaque particula *&* vel eſt poſita pro *ſive*, vel ſenſus eſt: Erat Paſcha, qui dies eſt initium azymorum. Octo autem dies azymorum numerantur, quorum primus eſt ille, quo agnus mactabatur. Vide dicta ad Matth. 26. 17, & Appendicem Marci de feſto Azymorum articulo...

Quærebant.] Præceſſit conſultatio, in qua decretum factum eſt de eo occidendo Joh. x 1. 47. Poſtmodum quærunt & deliberant, quomodo decretum hoc ad effectum poſſint perducere. Hic & Joh. x 1. 53. Reliquorum explicationem vide Matth. 26. 1.

Verſ. 2. *Dicebant autem: Non in feſto, ne tumultus ſit populi.*

PARS II.

Verſ. 3. *ET cum eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, accumbente eo, venit mulier, habens alabaſtrum unguenti ſpicanardi multi pretii, & confracto alabaſtro, effudit ei in caput.*] Explicatio hujus hiſtoriæ videatur apud Matthæum cap. 26. 6.

Simonis leproſi.] Id eſt, qui aliquando leproſus fuerat: tunc autem jam ſanus erat. Alioqui Chriſtus cum ipſo cibum non cepiſſet, ut qui nulla in re unquam Legem tranſgreſſus eſt.

Unguenti ſpicanardi.] Græce eſt, νάρδε πιστικῆς, nardi piſticæ: ubi variant Interpretum ſententiæ, quid illa vox *piſticæ* ſignificet. Aliqui vertunt, unguentum nardi liquidæ, adbibendum aptæ, quaſi πιστικὴ ſit ἀπὸ τῆς πιεῖν. Quod aliis ideo diſplicet, quia hic non eſt ſermo de unguento, in eum finem præparato, ut admiſceatur vino & bibatur, quomodo alias oleum nardi etiam adhiberi ſolet: ſed de unguento nardi ad inungenda membra corporis. Alii interpretantur hanc vocem πιστικὴ, ἀπὸ τῆς πίστεως, quaſi ſinceram, non falſatam. Sed hoc rurſus non placet aliis, quia vox iſta tempore Euangeliſtarum non fuerit in uſu apud Græcos, ſed poſtea demum centum annis elapſis cæptum ſit uſurpari. Nihilominus etſi vox iſta in iis locis, ubi Græcæ linguæ puritas vigebat, non fuerit uſitata, ſciri tamen nequit, annon Judæi ea uſi fuerint, qui non adeo puritati hujus linguæ ſtudebant. Alii cenſent vocem *piſtica* originem ſuam habere ex Latina lingua, & tranſpoſitis literis nihil aliud eſſe, quam *ſpicata*. Quod enim Judæi ex omnibus linguis vocabula mutuati ſint, eaque cum Græco ſermone, quo in loquendo & ſcribendo uſi ſunt, commiſcuerint, mirum non eſt; quandoquidem id in omnibus linguis fieri videmus: & quidem non raro cum literarum tranſpoſitione. Ita pro *Golgotha*, in Syriaco ſcriptum eſt, *Gogoltha*. Latinum vocabulum *ſaxifragus*, Græci pronunciant *ſarxifagus*. Latinam vocem *cruſta* efferunt Belgæ, *corſt*. A Græca voce μορφὴ, venit Latina *vox forma*. A teren, tener. A Latino vocabulo *ſextus*, factum eſt Græcum ἕκτος. Et talium exemplorum copia ingens datur. Itaque omnino ſtatuendum eſt vocem *piſtica* eſſe ſumptam ex Latino *ſpicata*: quæ vox derivatur à ſpica, quia nimirum ex ſpicis nardi præſtantiſſimum unguentum vel oleum conficiebatur. Quæ ſententia non mediocriter exinde confirmatur, quod Latinus Interpres antiquus, vulgatæ editionis Novi Teſtamenti Auctor, vocem πιστικὴ hoc loco etiam ſpicata reddiderit.

Confractoque alabaſtro.] Non prorſus confregit totum, ſed ſupremam tantum partem, ut tanto largius unguentum effluere poſſet.

Verſ. 4. *Quidam autem indignabantur apud ſeſe, & dicebant: Quorſum perditio iſta unguenti facta eſt?*

Verſ. 5. *Poterat enim hoc venundari amplius quam trecentis denariis, & dari pauperibus; & fremebant in eam.*

Verſ. 6. *Jeſus autem ait: ſinite eam; quid moleſtiam ei exhibetis? bonum opus operata eſt erga me.*

Verſ. 7. *Semper enim pauperes habebitis vobiſcum, & quandocumque volueritis, poteſtis eis benefacere: me vero non ſemper habebitis.*

Verſ. 8. *Hæc quod potuit, fecit; præoccupavit ungere meum corpus ad ſepulturam.*

Verſ. 9. *Amen dico vobis; ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam id quod iſta fecit, narrabitur in memoriam ejus.*

PARS III.

Verſ. 10. *ET Judas Iſcariotes unus ex duodecim, abiit ad primarios Sacerdotes, ut eum ipſis proderet.*] Hoc explicatum habes Matth. 26. 14.

Verſ. 11. *Illi vero, eo audito, gravifi ſunt: & polliti ſunt ei pecuniam dare. Et quærebat, quomodo opportune eum proderet.*

PARS IV.

Verſ. 12. *ET primo die Azymorum, quando Paſcha mactabatur, dicunt ei diſcipuli ipſius; Ubi vis, ut profecti paremus, ut edas Paſcha?*] Iſtud explicatum eſt Matth. 26. 17.

Mactabatur.] Gr. ἔθυον, mactabant, id eſt, mactari ſolebat.

Verſ. 13. *Et mittit duos è diſcipulis ſuis, & dicit eis: Abite*

Abite in urbem, & occurret vobis homo, bajulans amphoram aquæ; sequimini eum.] Hoc signo describit hominem, quem non nominat. Ideo Matthæus dicit: Ite ad quendam cap. 26. 28. Nullum dubium est, plurimos cives Hierosolymitanos sub tempus festi talia cœnacula parata habuisse quæ advenis elocabant. Talis & hic fuisse videtur, qui amphoram aquæ portabat ad adornandum & mundandum cœnaculum.

Vers. 14. *Et quocunque introierit, dicite domus domino, Magister dicit: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edam?*

Vers. 15. *Et ipse vobis monstrabit cœnaculum magnum stratum, paratum: illic parate nobis.*

Vers. 16. *Et exierunt discipuli ejus, veneruntque in civitatem, & invenerunt, prout dixerat eis: & paraverunt Pascha.*

Vers. 17. *Et vespera facta, venit cum duodecim.*] Vel illi duo discipuli, quos Christus ante se miserat in urbem, jam ad ipsum redierant; vel per duodecim ita in genere intelligitur chorus Apostolorum, etsi tunc nonnisi decem cum Christo veniente fuerint.

PARS V.

Vers. 18. *ET discumbentibus illis ac edentibus, ait Jesus: Amen dico vobis, unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.*] Explicatum hoc est Matth. 26. 21.

Qui edit mecum.] Hæc verba non habet Matthæus. Magna autem eis vis inest & emphasis. Vult enim dicere Christus, quod cum iste proditurus sit, qui eidem mensæ cum ipso accumbit, qui ex eodem pane cum ipso participat; quod apud veteres pro signo arctæ ac fidelis amicitiæ habebatur.

Vers. 19. *Ipsi vero cœperunt contristari, & dicere ei singillatim: Num ego? & alius: Num ego?*

Vers. 20. *Ipse autem respondens dixit eis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum in catinum.*] Prodit proditorem adhuc clariori signo.

Intingit.] Nempe buccellam, ut ex Joh. 13. 26 constat.

Vers. 21. *Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo: sed væ homini illi, per quem Filius hominis proditur: Bonum erat ei, si natus non fuisset.*

PARS VI.

Vers. 22. *ET edentibus illis accipiens Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Accipite, comedite. Hoc est corpus meum.*] Explicata sunt ista Matth. 26. 26.

Accipite comedite.] Vox *comedite* non in omnibus Græcis exemplaribus reperitur. Unde probabile est, eam in quibus reperitur, insertam esse ex Matthæo.

Vers. 23. *Et accepto poculo, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.*

Vers. 24. *Et dixit eis: Hic est sanguis meus Novi Fœderis, qui pro multis effunditur.*

Vers. 25. *Amen dico vobis non bibam amplius ex fructu vitis usque ad diem illum, cum eum bibam novum in regno Dei.*

PARS VII.

Vers. 26. *ET cantato hymno, exierunt in montem Olivarum.*] Hoc est expositum ad Matth. 26. 30.

Vers. 27. *Et ait eis Jesus: Omnes scandalisabimini in me nocte ista. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves.*

Vers. 28. *Sed postquam suscitatus fuero præcedam vos in Galilæam.*

Vers. 29. *Petrus autem dixit ei: Etsi omnes scandalisati fuerint in te, at non ego.*

Vers. 30. *Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, hodie nocte ista, priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me.*] Bis, id est, secundo. Vide Matth. 26. 34.

Vers. 31. *At ille multo magis dicebat: si me oportuerit commori tibi, haudquaquam te abnegabo. Similiter autem & omnes dicebant.*

PARS VIII.

Vers. 32. *ET veniunt in locum, cui nomen est Gethsemane, & ait discipulis suis: sedete hic, donec orem.*] Explicata sunt ista usque ad ℣. 43, apud Matthæum cap. 26. 30.

Vers. 33. *Et assumit Petrum, & Jacobum, & Johannem secum, cœpitque expavescere & gravissime angi.*

Vers. 34. *Et dixit eis: Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem: manete hic & vigilate.*

Vers. 35. *Progressusque paululum, procidit in terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora illa.*

Vers. 36. *Dixitque: Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi; transfer à me hunc calicem. Sed non quod ego volo, sed quod tu.*] Abba Pater. Etiam Paulus sic loquitur Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. Abba est vox Hebræa, & explicatur voce Pater.

Vers. 37. *Et venit, & invenit eos dormientes; & ait Petro: Simon, dormis? non potuisti unam horam vigilare?*

Vers. 38. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma.*

Vers. 39. *Et iterum abiens oravit, eundem sermonem locutus.*

Vers. 40. *Et reversus invenit eos iterum dormientes (erant enim oculi eorum gravati) neque sciebant quid ei responderent.*

Vers. 41. *Et venit tertio, dicitque eis: Dormite quod superest, & requiescite. Sufficit, venit hora. Ecce traditur filius hominis in manus peccatorum.*

Vers. 42. *Surgite, eamus: ecce qui prodit me, appropinquavit.*

PARS IX.

Vers. 43. *ET statim, adhuc eo loquente, adest Judas unus ex duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à primariis Sacerdotibus, & Scribis & Senioribus.*] Hæc usque ad ℣. 53, explicata sunt Matth. 26. 47.

Vers. 44. *Dederat autem eis ille, qui prodebat eum, signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, is est; prehen-*

prehendite eum, & ducite tuto.] Tuto, id est, caute, circumspecte, & cum cura, ne vobis elabatur. Potest enim se inconspicuum reddere. Syrus interpres utrumque habet, Prehendite eum tuto, & ducite eum tuto.

Vers. 45. *Et cum venisset, statim accedens ad eum dixit ei: Rabbi, Rabbi; ac deosculatus est eum.*

Vers. 46. *Illi vero injectis in eum manibus comprehenderunt eum.*

Vers. 47. *Quidam autem ex adstantibus stricto gladio, percussit servum Pontificis Maximi, & amputavit ejus auriculam.*

Vers. 48. *Respondens autem Jesus dixit eis: Ut adversus latronem existis cum gladiis & fustibus, ad me comprehendendum.*

Vers. 49. *Quotidie eram apud vos in Templo docens, nec prehendistis me. Sed oportet ut impleantur Scripturæ.*] In textu non est vox *oportet*, sed ex Matthæo cap. 26. 54, supplenda est.

Vers. 50. *Et relicto eo, omnes fugerunt.*

Vers. 51. *Et quidam juvenis sequebatur eum amictus sindone super nudum corpus & prehenderunt eum juvenes.*] Admiratione dignum est, quod nonnullis Veteribus Ecclesiæ Doctoribus venire in mentem potuerit, hunc juvenem fuisse Johannem, vel, ut alii volunt, Jacobum minorem. Testatur enim de se Johannes in sua Euangelica historia, se cum Christo in aulam Pontificis ingressum esse, & Petrum introduxisse cap. 18. 15, 16, quomodo igitur eum nudum aufugisse verum est? Dubium ergo non est, juvenem istum fuisse ex aliquo rure, quod horto illi proximum erat; qui noctu audito tumultu, ita ut dormiebat amictus sindone, è lecto se proripuit, turbæque se immiscuit, ac Christum secutus est, non ut discipulus ejus, sed curiositatis ergo, scire cupiens, quo res evasura esset: uti vulgo fit, ut in ejusmodi casibus homines, quam proximi esse velint iis, quorum de corio potissimum luditur.

Amictus sindone super nudum corpus.] Non linteum fuit, sed linea vestis, & forte tunica aliqua. Dicitur enim eo amictus fuisse. Judæi enim, ut docti annotarunt, in lineis vestibus cubare solebant. Itaque ille cucurrit ita, ut è lecto prosiluerat.

Et prehenderunt eum juvenes.] Id est, Romani milites, qui sub tempus festi custodes erant Synedrii (Vide Matth. 27. 65.) Hi tam à Græcis quam Latinis juventus vel pubes vocantur, quia utplurimum strenui & vividæ ætatis homines erant.

Prehenderunt eum.] Quia putabant, eum quoque esse Christi discipulum. Quod Marcus idcirco commemorat, ut ostendat, illorum intentionem fuisse, non solum Jesum, sed discipulos quoque ejus comprehendere.

Vers. 52. *Ipse autem relicta sindone, nudus effugit ab illis.*] Sindonem, quam corripuerant, in manibus eorum reliquit, humeros ita intorquens suos, ut ei linea vestis facile detraheretur.

PARS X.

Vers. 53. *ET abduxerunt Jesum ad Pontificem Maximum, cum quo convenerunt omnes primarii Sacerdotes, & Seniores, & Scribæ.*] Hæc usque ad ℣. 65, apud Matthæum cap. 26. 52, explanata sunt. Quod autem Matthæus ibi à ℣. 51, usque ad 57 narrat, id Marcus totum prætermisit.

Vers. 54. *Et Petrus è longinquo secutus est eum intro usque in aulam Pontificis Maximi, & sedebat cum ministris, & calefaciebat sese ad ignem.*

Vers. 55. *Primarii vero Sacerdotes, & totum Synedrium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morte multarent, nec invenichant.*

Vers. 56. *Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: sed non erant paria eorum testimonia.*] Sensus non est, quod non consenserint inter se testimonia; sed quod non fuerint idonea ac sufficientia ad Christum morte damnandum. Non erant decreto mortis paria: ut ex sequenti ℣. 59, cernere est.

Vers. 57. *Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes:* In judicio cogebantur testes assurgere, quando loqui volebant. Vide Matth. 12. 41.

Vers. 58. *Nos audivimus eum dicentem, Ego destruam templum hoc manufactum, & aliud non manufactum ædificabo.*] Apud Johannem est, excitabo, vel erigam cap. 2. 19.

Vers. 59. *Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum.*] Testimonium scilicet de destruendo Templo & restaurando.

Ne sic quidem par erat.] Id est, non erat sufficiens, ut propterea morti adjudicari posset Christus. Hinc satis patet, sensum vers. 56, non esse, quod testimonia non consenserint; id enim de hoc testimonio vers. 58, dici non potest.

Vers. 60. *Et assurgens in medium Pontifex Maximus, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quicquam? quid isti adversum te testificantur?*

Vers. 61. *Ipse vero silebat, & nihil respondit. Rursum Pontifex Maximus eum interrogavit, & dixit ei: Tune es Christus filius benedicti?*

Vers. 62. *Jesus autem dixit: Ego sum, & videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ, & venientem cum nubibus cœli.*

Vers. 63. *At Pontifex Maximus disruptis vestibus suis, dixit: Quid adhuc nobis opus est testibus?*

Vers. 64. *Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Illi vero omnes eum condemnarunt, quod reus mortis sit.*

Vers. 65. *Et cœperunt quidam conspuere, eum & obtegere faciem ejus, & colaphos ei infligere, & dicere ei: Vaticinare. Ministri vero bacillorum ictibus eum cædebant.*

PARS XI.

Vers. 66. *CUm vero Petrus esset in aula inferius, venit quædam ex ancillis Pontificis Maximi.*] Hæc explicata sunt usque ad finem Capitis ad Matth. 26. 69.

Vers. 67. *Et cum vidisset Petrum se calefacientem, intuita eum, ait: Et tu cum Nazareno Jesu eras.*

Vers. 68. *Ipse vero negavit, dicens: Non novi, neque scio, quid tu dicas. Et exivit foras in vestibulum; & gallus cantavit.*

Vers. 69. *Et ancilla videns eum rursus, cœpit dicere iis qui adstabant: Hic ex illis est.*] Ancillam hanc

aliam à priori fuiſſe, ex Matthæo liquet cap. 26. 71.

Verſ. 70. *Ille vero iterum negavit. Et paulo poſt rurſus qui adſtabant, dixerunt Petro: Vere ex illis es. Etenim Galilæus es, & locutio tua ſimilis eſt.*

Verſ. 71. *Ipſe autem cœpit execrari & jurare: Non novi hominem iſtum, quem dicitis.*

Verſ. 72. *Et ſecundo gallus cantavit. Et recordatus eſt Petrus verborum, quæ dixerat ei Jeſus: Priuſquam gallus bis cecinerit, ter me abnegabis: & proripiens ſe flevit.*] Non ſolum ſibi revocavit in memoriam dicta Chriſti, ſed ferventiſſimis lacrymis quoque teſtatus eſt animi ſui dolorem, deteſtantis lapſum ſuum.

CAPUT XV.

I. *Chriſtus ducitur ad Pilatum: ad verſ.* 6. II. *Qui ſtudet eum liberum dimittere, & Barabbam ejus loco occidere: ad verſ.* 16. III. *Chriſtus ducitur in Prætorium, & ſannis excipitur: ad verſ.* 20. IV. *Ducitur extra urbem, ut crucifigatur: ad verſ.* 24. V. *Milites partiuntur inter ſe veſtimenta ejus: ad verſ.* 29. VI. *Chriſtus in cruce pendens irridetur: tenebræ fiunt, & Chriſtus expirat: ad verſ* 38. VII. *Velum Templi rumpitur, & mulieres ſtant procul: ad vſ.* 42. VIII. *Chriſtus ſepelitur à Joſepho ab Arimathæa.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET ſtatim mane conſilium ineuntes primarii Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, totumque Synedrium, vinctum Jeſum abduxerunt, & tradiderunt Pilato.*] Explicavimus iſta uſque ad vſ. 6. Matth. 27. 1.

Totumque Synedrium.] Id eſt, magnus Senatus, qui ex principibus Sacerdotum, Scribis ac Senioribus conſtabat.

Verſ. 2. *Et interrogavit eum Pilatus: Tune es ille Rex Judæorum? Ipſe vero reſpondens dixit ei: Tu dicis.*

Verſ. 3. *Et accuſabant eum primarii Sacerdotes de multis.*] In quibuſdam exemplaribus Græcis additur: *Ille autem nihil reſpondebat.* Quod ex Matthæo videtur additum. Nam neque in Latina, neque Syriaca, neque Arabica verſione id habetur.

Quod Matthæus cap. 27. 3, uſque ad 11, narrat de Juda, ut argenteos projecerit in Templo, ſeque ipſe ſuſpenderit, id Marcus ſicco pede tranſit.

Verſ. 4. *Pilatus autem rurſus interrogavit eum, dicens: Non reſpondes quicquam? ecce quam multa adverſus te teſtificantur.*

Verſ. 5. *Jeſus autem nihil amplius reſpondit, adeo ut miraretur Pilatus.*

PARS II.

Verſ. 6. *IN feſto autem dimittebat eis unum ex vinctis, quemcunque poſtulaſſent.*] Gr. κατὰ ἑορτὴν, ſecundùm feſtum. Explicavimus hæc Matth. 27. 15.

Dimittebat eis.] Id eſt, ſolebat dimittere.

Verſ. 7. *Erat vero quidam, qui dicebatur Barabbas, vinctus cum ſeditionis ſocius, qui cædem per ſeditionem fecerant.*

Verſ. 8. *Et vociferans turba cœpit petere, ſicut ſemper faciebat illis.*] Cœpit petere, id eſt, petiit. Hebraiſmum hunc jam ſæpius notavimus.

Verſ. 9. *Pilatus autem reſpondit eis, dicens: Vultis dimittam vobis Regem Judæorum?*

Verſ. 10. *Sciebat enim, quod per invidiam tradidiſſent eum primarii Sacerdotes.*

Verſ. 11. *Primarii vero Sacerdotes concitarunt turbam, ut potius Barabbam ipſis dimitteret.*

Verſ. 12. *At Pilatus reſpondens rurſum dixit eis: Quid ergo vultis faciam ei, quem dicitis Regem Judæorum?*

Verſ. 13. *Illi vero iterum clamaverunt. Crucifige eum.*

Verſ. 14. *Pilatus autem dicebat eis: Quid enim mali fecit? Illi vero abundantius clamaverunt: Crucifige eum.*

Verſ. 15. *At Pilatus volens turbæ ſatisfacere, dimiſit eis Barabbam, & Jeſum flagellatum tradidit, ut crucifigeretur.*] Voluit eorum deſiderio indulgere, & facere, quod petebant, ne anſam haberent de ipſo conquerendi.

PARS III.

Verſ. 16. *MIlites autem abduxerunt eum intra aulam, id eſt, prætorium, & convocaverunt totam cohortem.*] Expoſuimus iſta apud Matthæum cap. 27. 27.

Intra aulam.] Per aulam non intelligitur hoc loco pars illa prætorii, quæ fuit ſub dio, ſed prætorium ipſum, uti Marcus ipſe ſtatim explicat. Ita Matthæus domum Pontificis Maximi aulam appellat. Itaque Chriſtus à tribunali, quod erat in circo, in interiorem partem prætorii ductus fuit.

Verſ. 17. *Et induerunt eum purpura, & impoſuerunt ei plexam coronam ſpineam.*

Verſ. 18. *Et cœperunt ſalutare eum: Ave Rex Judæorum.*

Verſ. 19. *Et percutiebant ejus caput arundine, & inſpuebant in eum, ac flexis genibus adorabant eum.*

Verſ. 20. *Et cum illuſiſſent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt eum ſuis veſtimentis, eduxeruntque, ut crucifigerent eum.*

PARS IV.

Verſ. 21. *ET angariarunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum (venientem rure, patrem Alexandri & Rufi) ut tolleret crucem ejus.*] Alexander & Rufus, cum hæc ſcribebat Marcus adhuc in vivis erant, & forte Romæ degebant, ubi ipſe Euangelium ſcripſit. Ad horum duorum teſtimonium provocat, qui quæ à patre ſuo audiverant, teſtari potuerunt. Nam inter alios, Chriſtum confitentes Romæ, Paulus etiam Rufum ſalutat Rom. 16. 43.

Verſ. 22.

Verſ. 22. *Duxerunt que eum in locum Golgotha: quod eſt, ſi interpreteris, Calvariæ locus.*

Verſ. 23. *Et dederunt ei bibere myrrhatum vinum: ipſe vero non accepit.*

PARS V.

Verſ. 24. *ET crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus, jacientes ſortem ſuper ea, quis quid tolleret.*

Verſ. 25. *Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum.*] Tuba tertiæ horæ indicium jam fecerat. Totumque tempus ſequens tertia hora vocabatur, uſque dum tuba ſextæ horæ ſonaret. Vide ad Matth. 27. 45 dicta.

Quando crucifixerunt eum.] In textu eſt: *Et crucifixerunt eum.* Hebraiſmus eſt.

Verſ. 26. *Eratque titulus criminis ejus inſcriptus: Rex Judæorum.*

Verſ. 27. *Crucifixerunt etiam cum eo duos latrones, unum ad dexteram & alterum ad ſiniſtram ejus.*

Verſ. 28. *Et impleta eſt Scriptura quæ dicit: Et cum ſceleratis numeratus eſt.*] Eſai. 53. 9, Prophetiam hanc in ſe impletum iri, Chriſtus ipſe prænunciavit Luc. 22. 37. Hanc totam prophetiam Eſaiæ Chaldæus Paraphraſtes de Meſſia interpretatur.

PARS VI.

Verſ. 29. *ET prætereuntes blaſphemabant eum, movente capita ſua, & dicentes: Vah, tu qui deſtruis templum, & triduo ædificas.*] Declaratum id eſt Matth. 27. 40.

Vah.] Interjectio hæc adhibetur, quando aliquid abominamur.

Verſ. 30. *Serva te ipſum, & deſcende de cruce.*

Verſ. 31. *Similiter & primarii Sacerdotes illudentes, dicebant alii ad alios cum Scribis: Alios ſervavit, ſeipſum ſervare non poteſt.*

Verſ. 32. *Chriſtus Rex Iſraëlis deſcendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. Et qui crucifixi erant cum eo, probris afficiebant eum.*] Ut credamus, ſcilicet eum eſſe Meſſiam, qualem ſe profitebatur.

Probris afficiebant eum.] Nempe unus ex eis Luc. 23. 29.

Verſ. 33. *Facta autem hora ſexta, tenebræ factæ ſunt ſuper totam regionem uſque ad horam nonam.*

Verſ. 34. *Et hora nona clamavit Jeſus voce magna dicens: Eloi, Eloi, lamma ſabachthani, quod eſt, ſi quis interpretur, Deus mi, Deus mi, cur me dereliquiſti?*] *Eloi* eſt Syriace dictum, *Eli* Hebraice, ut apud Matthæum. Probabile autem eſt Chriſtum uſum fuiſſe Hebraico vocabulo, quia id ſono ad nomen Eliæ proprius accedit.

Verſ. 35. *Et quidam adſtantium cum audiſſent, dicebant: Ecce Eliam vocat.*

Verſ. 36. *Cucurrit autem quidam, & implens ſpongiam aceto, & arundini circumponens, dedit ei potum, dicens: ſinite, videamus an veniat Elias ad eum detrahendum.*

Verſ. 37. *Jeſus vero emiſſa voce magna, expiravit.*

PARS VII.

Verſ. 38. *ET velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque ad imum.*] Vide hæc explicata Matth. 27. 51.

Verſ. 39. *Videns autem Centurio qui adſtabat ex adverſo, cum ſic clamantem expiraſſe, ait: Vere hic homo Filius erat Dei.*] Miratus eſt, eum adhuc tantum habere virium, ut tantum clamorem poſſet edere, & tamen mox expiraſſe.

Vere hic homo Filius erat Dei.] Homo Ethnicus Ethnico more de Chriſto judicat, eum vel Jovis vel Mercurii, vel alicujus alius Dei filium eſſe.

Verſ. 40. *Erant autem & mulieres è longinquo ſpectantes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi, & Joſis Mater, & Salome.*] Maria Jacobi erat ſoror matris Domini Jeſu Joh. 19. 25.

Verſ. 41. *Quæ etiam cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, aliæque multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam.*] Miniſtrabant ei in itinere, coquendo ac parando cibos, lavando lintea, etiam de ſuis facultatibus neceſſaria ei ſuppeditando.

PARS VIII.

Verſ. 42. *ET jam veſpera facta (quoniam erat Paraſceve, hoc eſt, ante Sabbatum.*] Explanavimus hæc Matth. 27. 57.

Quoniam erat Paraſceve.] Duplex paraſceve, ſeu præparatio fuit illo die. Primo propter Sabbatum ſequens, (ideo eum vocat Marcus προσάββατον, ante Sabbatum) ſecundo propter feſtum Paſchale, quod tunc in Sabbatum incidebat. Indicat ergo Marcus magnam cauſa fuiſſe feſtinandi cum ſepultura Chriſti, quia dies, quo alia ad feſtum apparanda adhuc reſtabant, jam vergebat ad finem.

Verſ. 43. *Veniens Joſephus ille ab Arimathæa, honeſtius Senator, qui & ipſe expectabat regnum Dei, audacter introiit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.*] Audacter introiit, id eſt, obfirmato animo, nihil curans, etſi ex ſedulitate ejus circa ſepulturam Chriſti, colligi poſſet, eum Chriſto addictum eſſe.

Verſ. 44. *At Pilatus mirabatur, ſi jam mortuus eſſet; & advocato Centurione, interrogavit eum: An dudum mortuus eſſet.*] Non ſolum de tempore ſciſcitatur, ſed etiam an vere mortuus eſſet.

Verſ. 45. *Et cum cognoviſſet à Centurione, donavit corpus Joſepho.*

Verſ. 46. *Is autem emit ſindonem, & detractum eum involvit ſindone, depoſuitque eum in monumento, quod erat exciſum è petra: & advolvit lapidem ad oſtium monumenti.*

Verſ. 47. *Maria Magdalene vero & Maria Joſis ſpectabant, ubi poneretur.*] Maria Joſis, intellige mater: ſupra vſ. 40. Joſes dicitur pro Joſeph. Eſt unum idemque nomen.

CAPUT XVI.

I. *Sanctæ mulieres veniunt Chriſtum unctum, & reſciſcunt de ejus reſurrectione: ad verſ. 9.* II. *Chriſtus ſe præbet conſpiciendum Mariæ Magdalenæ: ad verſ. 12.* III. *Et duobus diſcipulis rus euntibus: ad verſ. 14.* IV. *Et illis undecim, quos mittit in totum orbem terrarum: ad verſ. 19.* V. *Aſſumitur in cœlum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET tranſacto Sabbato Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerant aromata, ut venientes ungerent eum.*] Cum certum ſit, Marcum ubique in hac ſua Euangelii deſcriptione veſtigiis Matthæi inſiſtere, & quidem ita, ut eum ſæpius declaret; omnino ſtatuendum eſt, Marcum hoc loco quoque nihil aliud voluiſſe dicere, quam quod Matthæus dixit: *ſero poſt Sabbatum*, id eſt, die ſolis valde mane. Ac porro ſequentia verba, *emerunt* (ſcilicet mulieres) *aromata*, ita ſunt intelligenda, quod jam ante aromata iſta emerint. Nam ex Johanne patet cap. 20. 1, eas ad ſepulchrum veniſſe, die nondum perfecte orto: debuiſſent igitur aromata illa emere, ante lucem, cum adhuc eſſent tenebræ, quod non ſatis commode fieri potuit. Deinde ex Luca cap. 23. 56 conſtat, eas aromata iſta adhuc die Paraſceves, ſimulac à viſo monumento reverſæ ſunt, præparaſſe, & per Sabbatum quieviſſe.

Verſ. 2. *Et valde mane, primo die hebdomadis, veniunt ad monumentum, exorto ſole.*] Primo die hebdomadis, in Græco eſt, μιᾶς σαββάτων, una Sabbatorum: de quo vide Matth. 28. 1.

Exorto ſole.] Nondum plane ſupra horizontem erat, ſed ſolis lux jam cœpit emicare in crepuſculo. Et ſic non repugnat id Johanni, qui dicit, *cum adhuc eſſent tenebræ* cap. 20. 1. Per tenebras enim non intelligit profundam noctem, ſed obſcuram lucem.

Verſ. 3. *Dicebantque inter ſe: Quis avolvet nobis ſaxum, ab oſtio monumenti?*] Inter eundum id dicebant. Sciebant illæ quidem ſaxum monumento eſſe impoſitum, ſed neſciebant, id etiam ſigillo munitum, & vigiles monumento eſſe appoſitos.

Verſ. 4. *Et reſpicientes vident ſaxum eſſe avolutum: nam erat magnum valde.*] Senſus eſt: Commode ac peropportune illis accidit, quod lapis ille jam amotus & avolutus fuerit, quia erat nimis grandis, ægreque reperiſſent homines, qui eum amoviſſent.

Verſ. 5. *Et ingreſſæ in monumentum, viderunt juvenem ſedentem ad dexteram, amictum ſtola candida: & expaverunt.*] Ingreſſæ ſunt non in exciſam monumenti foveam, ſed intra illud ſepimentum, quo fovea illa circumdata erat. Vide ad Matthæi cap. 28. 2.

Juvenem.] Hic fuit Angelus Matth. 28. 2. Forma juvenis denotat formoſitatem & perpetuo vigens robur Angelorum.

Sedentem ad dexteram.] Sedebat in lapide, qui à monumenti oſtio avolutus erat. Vide Matth. 28. 2.

Verſ. 6. *Ille vero dixit eis: Ne expaveſcite; Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſuſcitatus eſt, non eſt hic. Ecce locus ubi poſuerant eum.*] Quandoquidem bona eſt intentio itineris veſtri huc ſuſcepti (nam veniſtis ut Jeſum quæratis & inungatis) non habetis cauſam ullam paveſcendi.

Non eſt hic.] Iſtis clariſſimis Angeli verbis directe contradicunt, qui contendunt, Chriſtum non modo tunc, ſed ſtatim ab ipſa conceptione aut nativitate ſua, etiam ſecundum humanam naturam, uno eodemque tempore ubique (id eſt, in omnibus locis, in cœlo & in terra) revera fuiſſe. Per quam ſententiam non ſolum hæc verba Angeli, ſed omnia quoque, quæ de Chriſti itineribus & profectionibus ab uno loco ad alium, deque ejus aſcenſione in cœlum, & reditu ex cœlo ſcripta legimus, in merum phantaſma & oculorum præſtigias convertuntur.

Ecce locus.] Vult eas ſuiſmet oculis rem explorare, quod non adſit: quæ ſane ſumma ſophiſticatio fuiſſet, quæ Angelum Dei nequaquam decuiſſet, ſi Chriſtus nihilominus vere, etſi modo inconſpicuo, illic fuiſſet præſens.

Verſ. 7. *Sed ite, dicite diſcipulis ejus & Petro, ipſum præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis.*] Petrus nominatim exprimitur, etſi jam contineretur nomine diſcipulorum. Nimirum ille ante alios indigebat hac conſolatione, in ſuo mœrore, quo ſeſe ob admiſſum in abnegando Chriſto crimen afflictabat.

Ipſum præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis.] Hæc verba debebant mulieres diſcipulis referre. Nihilominus Chriſtus adhuc citius, antequam in Galilæam iret, & quidem illo ipſo die ſuæ reſurrectionis apparuit Mariæ Magdalenæ infra ỳſ. 9. Petro Luc. 24. 34, duobus diſcipulis Emmauntem tendentibus Luc. 24. 15 undecim, cum clauſæ eſſent fores Joh. 20. 19 & aliis. Fieri potuit, ut Angelus de iſtis apparitionibus nihil ſciverit, vel quod Chriſtus ipſe poſtea demum conſtituerit, ſe ante profectionem in Galilæam diſcipulis conſpiciendum dare, poſtquam vidit, eorum imbecillitatem ſummam indigere celeri ac tempeſtivo ſolatio. Potuit etiam hæc cauſa fuiſſe, quod etſi Chriſtus jam tunc decreverit, ſe manifeſtare ſtatim diſcipulis ſuis, Angeluſque id ſciverit, nihilominus voluerit eos in Galilæam remittere, ut ſimul fidem eorum exploraret, & eis promiſſionem ſuam in memoriam revocaret. Quod poſtremum Angelus ipſe innuit, dum addit: *prout dixit vobis.* Nimirum ſupra cap. 14. 28.

Verſ. 8. *Et exeuntes fugerunt à monumento. Invaſerat enim eas tremor & ſtupor; & nemini quicquam dixerunt: timebant enim.*] Fugerunt, id eſt, feſtinanter exierunt à monumento: partim morem gerentes mandato Angeli, qui cito eas ire juſſit, & renunciare diſcipulis à ſe audita: Matth. 28. 7, partim quod eas ſummus pavor ex conſpectu Angeli invaſerat. Pedibus earum timor addidit alas.

Et nemini quicquam dixerunt.] Nempe in itinere, dum currerent ad diſcipulos. Terror enim & metus vincula linguis earum injecerat. Fortaſſis etiam inter ſe non multa loqui ſunt auſæ ea de re, præ terrore & metu Judæorum.

PARS

PARS II.

Vers. 9. *CUm autem resurrexisset Jesus mane, primo die hebdomadis, apparuit primum Mariæ Magdalenæ, ex qua ejecerat septem dæmonia.*] Hactenus Angeli testimonium descripsit Marcus de resurrectione Christi: nunc enumerat varias apparitiones. Prima est, quæ Mariæ Magdalenæ facta est. Hæc autem est illa apparitio, & non alia, quam describit Matthæus cap. 28. 9, & Johannes cap. 20. 14, 15. Nam postquam Marcus primum retulisset, quid Angelus locutus fuerit cum mulieribus (& quidem nominatim cum Maria Magdalena, quæ inter eas præcipua erat, ac quasi agmen ducebat) enarrat jam, quomodo Christus Magdalenæ isti apparuerit. Itaque verba illa, *cum resurrexisset Jesus*, non significant, Christum statim simul ac resurrexit, ei apparuisse, sed Christum, de quo testatus est Angelus, quod resurrexerit, ei apparuisse. Illa quæsivit corpus Christi in sepulchro, nunc apparet ei corpus vivum à mortuis suscitatum. Ita etiam infra ℣. 14, significant verba, *postquam resuscitatus est*, non tempus resurrectionis, sed personam resuscitati. Apparitio autem ista facta est in horto, cum à monumento exiret, ut ex Johanne patet.

Mane.] Cum jam clara lux esset. Etenim quod præcessit, cum Angelus mulieribus appareret, id factum est summo mane, vel, ut Marcus dicit ℣. 2: *valde mane*, quum tenebræ cum luce permistæ dubiam adhuc lucem & ancipitem facerent.

Primum Mariæ Magdalenæ.] Credibile est, Mariam Magdalenam, ut pote præcipuam præcessisse, & alias longiori spatio post se reliquisse: ita dum eam reliquæ remotius sequuntur, Christus ipsi primum apparuit.

Vers. 10. *Illa profecta annunciavit iis, qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus.*] Qui cum ipso fuerant, id est, discipulis ejus. *Fratribus meis*, ait Christus ipse apud Matthæum cap. 28. 10, ubi omnes Apostoli ac discipuli simul intelliguntur.

Lugentibus ac flentibus.] Deplorabant jacturam sui Domini ac Magistri.

Vers. 11. *Et illi audientes, eum vivere, & conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.*] Hoc quod audierunt eum vivere, pertinet ad testimonium Angeli.

Et conspectum fuisse ab ea.] Hoc pertinet ad apparitionem Mariæ Magdalenæ factam. Confer cum Luc. 24. 22.

Non crediderunt.] Res erat tanti momenti, ut ei fidem adjungere non possent. Lucas scribit: *Visa sunt apud eos quasi deliramentum vel fabulæ verba ipsarum, neque crediderunt eis* cap. 24. 11.

PARS III.

Vers. 12. *POstea autem duobus ex ipsis ambulantibus apparuit in alia forma, cum rus proficiscerentur.*] Duobus ex ipsis, nempe qui cum Jesu fuerant, ut supra ℣. 10. Per eos autem qui cum Jesu fuerant, non Apostoli soli intelliguntur, sed etiam præter eos alii discipuli, inprimis vero illi, qui erant è numero 70 discipulorum. Quamobrem non recte quidam ex his verbis *ex ipsis* (quasi isti è numero duodecim fuerint) colligunt & concludunt, hanc apparitionem non esse eandem cum illa, quam Lucas cap. 24. 13, copiose describit, sed aliam. Hujus autem apparitionis à Luca descriptæ, & à Marco hic insinuatæ nihil meminerunt Matthæus & Johannes.

In alia forma.] In vestitu alio, quam alias solebat vestiri. Quod enim eum ex facie non cognoverint, factum est ideo, quod oculi eorum divina virtute essent retenti. Ita etiam Mariæ Magdalenæ apparuit in forma hortulani Joh. 20. 15. Nimirum vestitus erat hortulani, facies vero erat ipsius propria. Sed vestis peregrina faciebat, ut non tam cito ab ea agnosceretur. Ita etiam supra cap. 9. 2, 3, transformatio ejus seu mutatio formæ de vestitu intelligitur. [Matth. autem cap. 17. 2. Luc. 9. 29, etiam faciei mutatio expresse innuitur.]

Cum rus proficiscerentur.] Extra urbem versus Emmauntem Luc. 24. 13.

Vers. 13. *Et illi abeuntes nunciaverunt reliquis: nec illis crediderunt.*] Plerique scilicet *non crediderunt*. Huic autem narrationi non repugnat, quod Lucas refert, antequam isti duo ad reliquos venissent, Jesum fuisse à Simone visum, eumque id cæteris annunciasse. Nam ne hoc quidem poterant comprehendere & ab animo suo impetrare, ut crederent. Imo cum Christus postea ipse in medio eorum compareret, ait Lucas, eos nondum credidisse cap. 24. 41. Quæ omnia eo spectant, ut nos iis tanto magis credamus, qui ipsi tam tarde ac difficulter crediderunt. Testimonium enim eorum est multo certius, qui de re aliqua testantur, quam ipsi nonnisi infragabilibus argumentis convicti crediderunt, quam eorum, qui cito rei sufficienter non excussæ atque perpensæ assensum præbuerunt.

PARS IV.

Vers. 14. *POstremo una sedentibus illis duodecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & cordis duritiem, eo quod non credidissent iis, qui ipsum conspexerunt, postquam resuscitatus est.*] Vox Græca ὕστερον, non solum significat *postremo*, sed etiam *postea*. In qua posteriori significatione hic accipienda est. Hanc enim apparitionem non ultimam fuisse ex Johanne liquet, qui cap. 20. 26 testatur, Christus post octo dies postea rursus discipulis suis apparuisse, cum etiam Thomas adesset. Idem narrat, ut Christus se discipulis suis manifestarit ad mare Tyberiadis cap. 21. 1. Est autem hæc historia eadem cum illa, quam describit Lucas cap. 24. 36.

Una sedentibus illis.] Scilicet ad mensam tempore cœnæ. Hinc apparet, illos duos discipulos à cœna, quam Emmaunti capere cœperant (sine dubio temporius solito, ut illa ipsa vespera adhuc redire in urbem possent) simul ac Dominum in fractione panis cognoverunt, surrexisse, & Hierosolymam ad discipulos propere recurrisse, eosque etiam adhuc accumbentes mensæ & cœnantes offendisse. Dumque isti duo illis visa & cognita à se referunt, interea Christus se infert in medium eorum.

Et duritiem cordis.] Id est, eorum supinam incogitantiam, quod tot suas prædictiones de se à mortuis

tuis reſuſcitando in animum non revocarint. Vide quoque ſupra cap. 6. 52.

Quod non credidiſſent iis, qui ipſum conſpexerunt.] Nempe mulieribus ſupra ℣ſ. 9, 10, 11. Petro & Johanni Joh. 20. 4, & iſtis duobus diſcipulis.

Verſ. 15. *Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*] Hoc mandatum non ita eſt intelligendum, quaſi Apoſtolis injunctum fuerit, omnia & ſingula loca totius Orbis terrarum peragrare, quod impoſſibile fuiſſet, præſertim cum id non omnibus Apoſtolis ſimul ſumptis, ſed unicuique ſigillatim fuerit mandatum. Verum ſenſus eſt, quod Chriſtus voluerit hoc mandato limites, quibus hactenus incluſum fuit Euangelium, extendere, & non alium terminum Euangelio prædicando figere, quam fines terræ. Cum Chriſtus antea emiſiſſet Apoſtolos ad prædicandum Euangelium, interdixit eis expreſſe, ne terræ Judaicæ fines egrederentur Matth. 10. 5: *In viam Gentium ne abeatis, & in civitates Samariæ ne ingrediamini.* His arctis Judaicæ terræ finibus opponit Chriſtus univerſum mundum, poſtquam per mortem ac reſurrectionem ejus paries intergerinus, qui alias gentes à Judæis dividebat ſublatus eſt Eph. 2. 14. Quaſi dicat: Antea vobis præcepi Euangelium tantum in Judæa prædicare, nunc nullos vobis pono limites, ite quocunque vultis ac poteſtis per Orbem, ut Euangelium omnibus gentibus innoteſcat & ubique terrarum propagetur.

Prædicate Euangelium omni creaturæ.] Vox creaturæ à Matthæo explicatur, dum inquit: *Ite in univerſum mundum, & facite diſcipulos omnes gentes.* Hebræi enim ſolent hominem per excellentiam *creaturam* vocare, quia eſt omnium viſibilium creaturarum præſtantiſſima creatura.

Verſ. 16. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſervabitur: qui vero non crediderit condemnabitur.*] Id eſt, qui non tantum Euangelio fidem in animo ſuo habet, idque aſſenſu ſuo approbat, verum etiam fidem ſuam ritu Baptiſmi aquæ palam coram toto mundo profitetur ac demonſtrat, vitæ æternæ compos fiet. Unde perſpicitur, fidem in corde latentem, abſque publica oris confeſſione ad ſalutem non ſufficere. Id quod Paulus quoque clare docet, dum ait: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem* Rom. 10. 10. Si quis autem in infantia baptiſatus ſit, more hodie inter Chriſtianos recepto, etſi Baptiſmus iſte nullius ſit momenti, non tamen homo ille à ſpe ſalutis excludendus eſt, ſi modo is palam & intrepide ſanctam veritatem ore confiteatur, & reipſa etiam Chriſtianas Eccleſias frequentet. Dum enim Chriſtus hic Baptiſmi meminit, potiſſimum reſpicit non ad immerſionem in aqua credentis, ſed ad publicam profeſſionem, quæ in Baptiſmo editur. Cujus profeſſionis ſignum Chriſtus tunc in iis, qui Chriſtianam fidem amplectebantur, voluit eſſe Baptiſmum ſeu immerſionem. Si quis baptiſetur abſque publica profeſſione, (quemadmodum omnes infantes ſic baptiſantur) ei Baptiſmus ad ſalutem nihil prodeſt, niſi profeſſio deinceps ſubſequatur.

Servabitur.] Id eſt, conſequetur remiſſionem peccatorum, Spiritus Sancti donum, & vitam æternam. Hæc enim omnia ſub voce ſalutis hic comprehenduntur.

Qui vero non crediderit.] Chriſtus non amplius Baptiſmi hic meminit; non dicit: Qui non crediderit, & non fuerit baptiſatus. Sola enim incredulitas, etiamſi quis baptiſaretur, ad damnationem ſufficit.

Condemnabitur.] Peccata ejus retinebuntur, cor ejus indurabitur, & longe graviora cum manent ſupplicia ac judicia, quam eos, quibus Euangelium nunquam eſt annunciatum.

Verſ. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc conſequentur: Per nomen meum dæmonia ejicient, linguis loquentur novis.*] Id eſt, qui Euangelio credent, talia miracula edere poterunt. Non omnium autem miraculorum poteſtas omnibus data erat, ſed uni hujus, alii alterius miraculi faciendi facultas 1 Cor. 12. 8, 9, 10. Nullus tamen tunc fuit vere fidelium, cui non aliquod donum miraculoſum conceſſum fuerit, quod etſi non ſemper, certis tamen temporibus per occaſionem in iis conſpiciebatur. Hoc enim evincunt verba Joëlis Prophetæ: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem* cap. 2. 28.

Per nomen meum dæmonia ejicient.] Marcus hoc donum primo loco ponit, quia plerumque omnibus fidelibus communicabatur. Et hiſtoriæ omnium temporum, etiam hodie reſtantur, poſtquam alia miracula in Eccleſia Chriſti ceſſarunt, hoc tamen manſiſſe, ut dæmones ad orationem vere credentis in nomine Jeſu ab obſeſſis excederent. Id quod ad gloriam Domini Jeſu ſpectat, cujus nomen dæmones omni tempore revereri coguntur. Credibile quoque eſt, cum miracula præcipue iis ſerviant, qui nullam prorſus de Chriſto habent cognitionem, ſi Euangelium talibus eo, quo Chriſtus præcepit, modo, annunciaretur, etiam hodie vim hujus promiſſionis Chriſti de miraculis conſpectum iri: præſertim cum hæc promiſſio adeo generaliter ac ſimpliciter & illimitate, nulla mentione facta temporis, quouſque duratura ſint iſta dona, prolata ſit. Sed homines plerumque ſolent Deo imputare, quod ipſorum negligentiæ ac diffidentiæ eſt adſcribendum. Vide etiam hac de re Matth. 7. 22.

Linguis loquentur novis.] Id eſt, linguis peregrinis, quas nunquam didicerant, nec calluerant antea. Hoc donum etiam valde vulgare, ut quod non Apoſtolis ſolum, ſed etiam pluribus aliis fidelibus fuerit conceſſum. Vide Act. 10. 46. XIX. 6. 1 Cor. 12. 10. XIV. 2, 4, 5.

Verſ. 18. *Serpentes tollent; & ſi quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: ægrotis manus imponent, & bene habebunt.*] Serpentes nudis manibus accipient, & non lædentur ab eis. Vide exemplum Pauli Actor. 28. 3, 5.

Et ſi quid lethale biberint.] Hoc de Johanne Euangeliſta perhibetur, ei à venenum eſſe propinatum, quod ipſi nullam noxam attulerit. Idem refert Euſebius de quodam, cui nomen fuit Barſabæ. Etiam plura talia exempla in hiſtoriis reperiuntur. Memorabile eſt, quod Thalmudici Scriptores memorant, quendam cognatum Joſuæ Filii Levi, cum ebibiſſet venenum, & nomen Jeſu pronunciaſſet ſanitati fuiſſe reſtitutum.

Ægrotis manus imponent.] Hoc eſt donum ſanationis: quod videtur paſſim omnibus, qui aliquo munere

munere in Eccleſia Chriſti fungebantur, fuiſſe commune Jac. 5. 14. Nam impoſitio manuum eſt viſibile ſignum orationis, cujus ibidem mentionem facit Jacobus. Lucas conjungit orationem cum impoſitione manuum, cum deſcribit, quomodo Paulus Popilii patrem ſanaverit Act. 28. 8.

PARS V.

Verſ. 19. *Dominus igitur, poſtquam locutus fuiſſet eis, aſſumptus eſt in cœlum & ſedit ad dexteram Dei.*] Poſtquam omnia hæc præcepta & promiſſa eis expoſuiſſet, nihilque reſtaret amplius, quam ut Spiritu Sancto obſignarentur.

Aſſumptus eſt.] Gr. ἀνελήφθη. Hoc vocabulo ut plurimum utuntur Apoſtoli, quando de Chriſti in cœlum exaltatione loquuntur Luc. 9. 51. Actor. 1. 2. xi. 22.

In cœlum.] Vide Act. 1. 11. ij. 34. Eph. 6. 9. Col. 3. 1. 1 Theſſ. 1. 10. Hebr. 8. 1. Per cœlum intelligitur ſupremum cœlum, ubi Deus ipſe habitat, quod Paulus tertium cœlum appellat 2 Cor. 12. 2.

Et ſedit ad dexteram Dei.] Id eſt, regnum, quod ei à Patre deſtinatum erat, reipſa obtinuit.

Verſ. 20. *Illi vero profecti prædicarunt ubique, Domino coöperante, & ſermonem confirmante per ſubſequentia ſigna.*] Profecti ſunt, non ſtatim, ſed poſt decem dies, poſt Spiritum Sanctum ſuper eos effuſum. Ita enim Chriſtus illis præceperat, Luc. 24. 49. & Act. 1. 4. Marcus hoc tantum vult indicare, eos id feciſſe, quod eis erat mandatum.

Prædicarunt.] Ea omnia, quæ Chriſtus, & unctio illa Spiritus Sancti (Joh. 16. 13. 1 Joh. 2. 20, 27,) eos docuerat. Nec non de vita, morte, reſurrectione & exaltatione Chriſti.

Ubique.] Non tantum in Judæa, ſed etiam inter omnes gentes, abſque omni diſcrimine, ac delectu, alii in hoc, alii in illo loco.

Domino.] Id eſt, Chriſto. Nomen enim iſtud *Domini* abſque adjectione poſitum, Apoſtoli Chriſto poſt ejus evectionem in cœlum quaſi proprium attribuerunt: ad indicandum ejus divinum imperium ac dominationem, quam ſuper Angelos & homines exercet. Vide Act. 2. 36. 1 Cor. 8. 6.

Coöperante.] Proſperabat eorum laborem, & efficaciam largiebatur, ut optato non careret fructu. Vide 1 Cor. 3. 6. Hinc videre eſt, Deum quidem in fidelibus operari, ſed non abſque illis, verum ſimul cum illis.

Et ſermonem confirmante.] Id eſt, fecit, ut miracula per eos ederentur, quibus doctrina eorum confirmata eſt.

APPENDIX, AD EUANGELIUM MARCI.

De Feſto Azymorum, ſeu Paſchate Judæorum.

I. FEſtum Azymorum, ſeu Paſcha eſt unum è maximis feſtis, quæ olim Iſraëlitis à Deo anniverſaria ſolennitate celebrari juſſa ſunt: atque hoc quidem in memoriam glorioſæ liberationis eorum ex Ægyptiaca ſervitute inſtitutum eſt. Præceptum de hoc feſto datum extat Exod. 12. ab initio uſque ad ℣. 28. & à ℣. 42. uſque ad finem Capitis. Item Exod. 34. 18. Levit. 23. 5 & ſeqq. Num. 9. 3 & ſeqq. Item verſ. 10 & ſeqq. Num. 28. 16 & ſeqq. Deut. 16. à principio uſque ad verſ. 9.

II. Vox Paſcha venit à Syriaca Patzcha: Hebraice dicitur Paſah. Debentque ſyllabæ hujus vocis ita componi Paſ-cha, non Pa-ſcha. Diverſas autem habet hæc vox in Sacra Scriptura ſignificationes. Proprie ſignificat *tranſitum*, ſeu prætergreſſum: eſtque ſic appellatus tranſitus ille Angeli interficientis omnia primogenita Ægypti, Judæorum vero domos abſque noxa prætereuntis Exod. 12. 12, 13, 23. Deinde Paſcha vocatur *agnus*, qui in hoc feſto mactabatur: ubi nimirum ſermo eſt de Paſchate mactando, vel coquendo, vel edendo Exod. 12. 21. Deut. 16. 2, 5, 6. Joſ. 5. 11. 2 Paral. 35. 13. Tertio ſignificat interdum totum feſtum Azymorum, acpotiſſimum primum feſti iſtius diem: ubi ſcilicet agitur de Paſchate Domini celebrando Exod. 12. 43, 48. Num. 9. 2, 4, 5. Apud veteres Germanos feſtum hoc vocatum eſt *Urſtend*, propterea quod Chriſtus ſtatim poſt hoc feſtum ſurrexerit à mortuis. Quæ vox deinceps in *Oſtern* tranſmutata eſt.

III. De hoc igitur Feſto Azymorum ad eum modum agemus. Primo explicabimus, quomodo id communiter à Judæis tam antiquis quam hodiernis temporibus obſervatum fuerit. Deinde agemus de ultimo Paſchate, quod Chriſtus ante mortem ſuam una cum diſcipulis ſuis celebravit.

De Feſto Azymorum, quomodo vulgo à Judæis obſervatum fuerit.

CAPUT I.

De Agno Paſchali, qui pro hoc feſto mactari ſolebat.

I. DUæ erant res principales ad hoc feſtum pertinentes, ad quas omnes Ceremoniæ, quæ

tunc obſervandæ erant, ſpectabant. Nimirum Sacrificium & Azyma. Sacrificium erat duplex. Primarium unum, quod certo tempore & certis horis mactari, & certis ceremoniis adhibitis conſumi debebat. Deinde erant & ſecundaria Sacrificia, quæ in honorem Dei & hujus feſti mactabantur.

II. In Primario Sacrificio quatuor expendenda veniunt. Primo quodnam animal ad hoc ſacrificium ſit delectum. Secundo quomodo & quibus ritibus illud ſit mactatum. Tertio, quomodo ad edendum ſit præparatum. Quarto quomodo & quibus cum ceremoniis ſit comeſtum atque conſumtum.

III. Quod primum attinet, ad primarium Sacrificium deligebatur Agnus. De quo habetur præceptum Exod. 12. 3: *Decimo die menſis hujus accipiat quiſque agnum, agnum inquam, pro quaque familia.*

IV. Hic vero incidit dubium. Nam eodem loco Exod. 12. 5 dicitur: *Ex ovibus aut ex capris accipietis eum.* Unde quidam colligunt, unicuique pro arbitrio licuiſſe vel agnum ex ovibus, vel hædulum ex capris ad hoc feſtum ſumere. Alii vero contra contendunt, neceſſario oportuiſſe ſumi agnum ex ovibus, & nullo modo hædum ſumere licuiſſe, provocantque hac in parte ad Rabbinos & doctiores Judæorum Magiſtros. Has duas ſententias ita nonnulli conciliare conantur, quod in primo Paſchate, quod in Ægypto celebratum fuit, liberum fuerit ſive agnum ſive hædulum accipere: ſed poſtea ſemper nonniſi agnum adhibitum fuiſſe. At quomodo vel Rabbini ipſi demonſtrabunt, in Paſchate, quod ſub Joſua celebratum fuit Joſ. 5. 10, & in multis aliis, quæ deinde ſecuta ſunt, nullos hædulos, ſed ſolos agnos mactatos fuiſſe? De Paſchate, quod ſub Rege Joſia celebratum eſt, ſcribitur 2 Paral. 35. 7: *Obtulit Joſias omni populo agnos & hædulos de gregibus (omnes ad ſacrificia Paſchalia, pro omnibus qui præſto erant) ad numerum triginta millium, & boum tria millia.* In quo loco cum numerus agnorum & hædulorum non ſit diſtincte poſitus, ſed utrique ſint uni numero inclufi, probabiliter ex eo colligitur, utroſque ad primarium ſacrificium hujus feſti adhibitos fuiſſe. Quod ſub tempus Chriſti agni fuerint adhibiti, exinde nonnulli probant, quod Chriſtus in Sacris Literis ſemper agnus, & nunquam hædus appelletur Joh. 1. 29. 1 Petr. 1. 19, & in Apocalypſi Johannis ſæpiſſime. Fierique poteſt, ut teſtimonium Rabbinorum, ad quod illi provocant, de iſto deque paulo ſuperiori tempore verum ſit.

V. Fuit autem tam agnus, quam hædus typus ac figura Chriſti. Agnus propter innocentiam & patientiam, de qua Eſaias ſic ſcribit cap. 53. 7: *Non aperuit os ſuum, ſicut agnus, qui ad mactationem ducitur, & ſicut ovis, quæ coram tondente ſe obmuteſcit.* Hædus autem, quia propter peccata noſtra mortuus eſt. Ob quam cauſam ille hædus ſeu caper, cujus capiti Pontifex peccata populi imponebat, eumque poſtea in deſertum abigi curabat, Levit. 16. 21, figura Chriſti quoque fuit, ut ex 1 Petr. 2. 24 intelligitur.

VI. Judæi illi vehementer falluntur, qui exiſtimant, in magnis domibus, ubi numeroſa erat familia, potuiſſe pro agno mactari vitulum: quia ſcilicet ſcriptum ſit Deut. 16. 2: *Immolabis Domino Deo tuo Paſcha de ovibus, & de bobus.* Sed oves, (per quas agni intelliguntur) pertinent ad primarium ſacrificium, quod primo die Azymorum edebatur; boves autem ſpectant ad alia ſacrificia, quæ ſingulis magnis feſtis mactari & conſumi ſolebant. De quibus ſacrificiis agemus infra cap. 9. Præterea agnus iſte non eo fine edendus dabatur, ut eo omnes ſatiarentur, ſed tantum eius ejus inſtitutus erat ad celebrandam memoriam, ſufficiebatque, ſi quiſque tantum unum bolum ex eo participaret. In uno autem agno ſunt tot boli ſeu fruſta, ut vix poſſint tot eſſe domeſtici in una familia quamvis numeroſiſſima, quibus unus integer ſufficere nequeat.

VII. Machometani quoque tempore Paſchæ mactant quadrupes animal: ſed non agnum vel vitulum, verum camelum: ut teſtatur Beni. Tutel. itiner. pag. 68. Edit. Lugd. Bat. Camelus iſte à Calipha (ita vocatur ſupremus Princeps Saracenorum, qui tam in ſacris quam in civilibus rebus ſupremam habet poteſtatem) mactatur, & partes ejus inter proceres diſtribuuntur: qui magnopere gaudent, quod ſacrificii iſtius participes fiant, quod Calipha propria manu ſua immolavit.

VIII. In Agno Paſchali tria requiſita ſpectabantur, quæ enumerantur Exod. 12. 5. Primum requiſitum erat, ut eſſet abſque macula; non quoad colorem, ſed eatenus, ne eſſet cæcus, claudus, ſcabioſus, vel alio corporis vitio aut morbo laborans. Talia enim Sacrificia defectum aliquem habentia Deo nunquam erant accepta, ut patet ex Levit. 22. 20, quia non erant argumentum amoris ac reverentiæ erga Deum, ſed potius contemptus. Alterum requirebatur, ut agnus eſſet maſculus, non fœmella. Tertium requiſitum fuit, ut eſſet anniculus; majorem uno anno ſumere non licebat: minorem vero fas erat, etſi non eſſet 7 diebus major. At 7 diebus minor non debebat eſſe, ut ex Exod. 22. 30 liquet, ubi Deus inquit: *Sic facies cum bobus tuis & ovibus tuis: ſeptem dies ſint cum matre ſua, die autem octavo reddes illa mihi.* Itaque agnus Paſchalis ad ſummum unius anni, ad minimum ſeptem dierum eſſe debebat.

IX. Hæc autem tria requiſita iſtius Agni non carebant quoque myſterio. Primo enim ſignificabatur, Chriſtum prorſus expertem peccati ac labis fore; unde à Petro *agnus inculpatus & immaculatus* appellatur 1 Petr. 1. 19. *qui peccatum nullum admiſit, neque dolus inventus eſt in ore ejus* 1 Petr. 2. 22. Per ſexum maſculinum adumbratum fuit maſculum robur Chriſti in omnibus juſtitiæ operibus: quodque nihil in eo effœminati habiturum ſit locum. Per ætatem intelligi poteſt ſignificatum eſſe, quod Chriſtus in tota vita ſua, non ſecus ac in tenera ætate purus & caſtus futurus eſſet. Oves enim ante annum non admittunt arietes, & arietes ante illud tempus non ſolent cum ovibus miſceri.

CAPUT II.

De Sacerdote, qui mactabat agnum Paſchalem.

I. JAm ſequitur alterum, quod circa primarium Sacrificium hujus feſti, id eſt, circa agnum conſiderandum diximus. Nempe quomodo & quo

quo ritu mactari debuerit. Ubi tria rursus obſervanda ſunt: Primo ſpectandus Sacerdos, qui mactare debebat agnum. Secundo locus, ubi mactandus erat. Tertio tempus iſtius mactationis.

II. Primum quod attinet, quinam Sacerdos debuerit agnum Paſchalem mactare, de eo duplex eſt doctorum virorum ſententia. Quia enim Exod. 12.6 dicitur, *Et quilibet cœtus in Iſraële mactabit eum*, ex eo inferunt nonnulli, hoc Sacrificium non perinde atque alia Sacrificia à Sacerdotibus debuiſſe mactari, ſed quemlibet patremfamilias pro ſe ac domo ſua agnum mactaſſe, qui die illo quaſi Sacerdos fuerit. Priuſquam Aäronicum Sacerdotium inſtitutum eſt, dubium non eſt, ſingulos patresfamilias vel etiam primogenitos in domo id peregiſſe, quod poſtea Sacerdotes peregerunt. Itaque fieri poteſt, eos etiam poſtea hoc jus eatenus retinuiſſe, ut hoc uno die, quo agnus mactandus erat, Sacerdotis officio fungerentur. Huic ſententiæ calculum ſuum adjicit Philo Judæus, cum ait: *In ipſo feſto mactant populatim unuſquiſque illorum, non expectantes Sacerdotes ſuos; Lege Sacerdotium gratis concedente univerſo populo per unum diem.*

III. Alii contrariam urgent ſententiam, quod poſtquam Sacerdotium inſtitutum eſt, à nemine agnus Paſchalis mactari potuerit, quam à Sacerdotibus. Idque probant exemplo tum illius Paſchatis, quod Judæi celebrarunt ſtatim poſt reditum ſuum è Babylone, ubi narratur expreſſe à Sacerdotibus & Levitis Paſcha immolatum eſſe 1 Eſd. 6. 18, 19, tum prioris adhuc, celeberrimi illius Paſchatis, ſub Ezechia Rege celebrati, ubi etiam Sacerdotes ac Levitæ Paſcha mactarunt. Nimirum *quia multi in eo cœtu* (Sacerdotum) *erant, qui non ſanctificaverant ſe, ideo Levitæ incumbebant mactationi Paſchatum pro omni immundo, ut ſanctificarent illum Domino* 2 Paral. 30. 15, 16, 17. Levitæ autem id faciebant non propria poteſtate, ſed mandato Regis, qui tempore neceſſitatis aliquid hac in re extra ordinem conſuetum (cum conſilio tamen Synedrii) concedendi vel præcipiendi jus habebat. Ita etiam in Paſchate, quod temporibus Joſiæ Regis celebratum eſt, quia victimarum erat immenſa copia, additi ſunt Sacerdotibus adjutores Levitæ, ita ut Levitæ mactarent, & Sacerdotes ſanguinem è manibus eorum ſumerent, eoque altare conſpergerent, & Levitæ etiam pelles detraherent. Poſtea diſtributa fuerunt Sacrificia, nempe Sacrificium Paſchale populo ſecundum familias paternas dabatur, holocauſta autem pro Jehova ſegregabantur 2 Paral. 35. 11, 12. Deinde ii qui poſteriorem ſequuntur ſententiam, argumentum ex eo ſumunt, quod cum Ceſtius Syriæ Præſes Sacerdotes interrogaret, quantus populi numerus in urbe Hieroſolyma eſſet, reſponderint ei; quot agni Paſchales in feſto fuerint mactati, nempe 256500. Joſeph. lib. 7. de bello Jud. cap. 17. Quem numerum Sacerdotes non tam accurate ſcire potuiſſent, ſi non ipſi omnes victimas immolaſſent. Sed hoc argumentum nonniſi cum priori junctum valet, alioqui ſolum per ſe minus habet ponderis: quia Sacerdotes numerum mactatorum agnorum potuerunt facile reſcire, & ſine dubio ſemper ſciverunt, etſi eos ipſi non mactaſſent. De Philone, quem priores allegant, reſpondent hi poſteriores, illum cum Alexandriæ in Ægypto vixerit, patriorum rituum non admodum fuiſſe gnarum.

IV. Si jam hæ duæ ſententiæ in lance ponderentur, videtur poſterior priori eſſe anteponenda: quod ſcilicet poſt inſtitutum ordinem Sacerdotalem agnus Paſchalis à Sacerdotibus ſolis mactari debuerit, uti & aliæ victimæ, locuſque Philonis Judæi, à tribus exemplis ſupra allegatis Paſchatum poſt Babylonicam captivitatem, ſub Ezechia, & ſub Joſia celebratorum, pondere facile ſuperatur.

CAPUT III.

De loco, ubi agnus Paſchalis mactandus erat.

I. DE loco, ubi agnus Paſchalis mactari debebat, extat lex Deut. 16. 5, 6: *Non poteris mactare Paſcha intra aliquam è portis tuis, quas Dominus Deus tuus dedit tibi. Sed ad locum illum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut nomen ejus ibi habitet, profectus mactabis Paſche.* Secundum hanc Legem igitur debuit ante ædificatum Templum Paſcha mactari ibi, ubi tabernaculum Domini & arca Fœderis erat: poſtmodum autem Hieroſolymis à Davidis temporibus, poſteaquam arcam Fœderis is in civitatem intulit ſuam 2 Sam. 6. 12, & à Salomone deinde Templum extructum eſt.

II. Atque hæc eſt cauſa, cur Judæi hodie Paſcha non immolent ullum, quia Templo carent. Imo propterea omnes illas ceremonias intermittunt in Lege præſcriptas, quæ olim nonniſi in Templo peragi debebant: qualia ſunt omnis generis Sacrificia & oblationes, decimæ, primogenitorum exhibitio & redemtio, & ſimilia. Sed quæ non neceſſario in Templo erant peragenda, ea nunc quoque diligenter obſervant; qualis eſt circumciſio, Sabbatum, eſus azymorum, & plura ejuſmodi. Pœnas ac ſupplicia corporalia, quin & capitalia etiam adhiberent, ſi id illis à Magiſtratibus, ſub quibus degunt, permitteretur. Sed jus hoc eis jam Chriſti tempore à Romanis fuerat ademptum; ut ex Joh. 18. 32 liquet.

III. Agnus proinde Paſchalis, ut dictum, debebat omnino poſt Templum conditum Hieroſolymis mactari, ubi erat Templum, ſed non requirebatur, ut in ipſo Templo mactaretur: ſufficiebat, ſi mactatio Hieroſolymis fieret, cum tota civitas cum omni ambitu ac circuitu ſuo à Templo ſanctitatem nanciſceretur, ideoque ſancta civitas vocetur Matth. 4. 5. Impoſſibile enim erat, ut intra duas horas intra quas (uti poſtea oſtendemus) mactatio peragi debebat, tanta multitudo agnorum in uno Templo mactaretur. Locus Templi, in quo fiebat mactatio, erat tantum 76 ulnas longus, & 56 ulnas latus, ut Judæi in ſuis libris (Maſſechet) teſtantur. Quanta copia agnorum aliquando fuerit, patet ex reſponſo Sacerdotum, Ceſtio Præſidi dato. Dicunt fuiſſe agnos 256500. Etiamſi quilibet Sacerdos per illas duas horas 50 agnos jugulare potuiſſet, tum debuiſſent 5130 Sacerdotes fuiſſe. Si autem ſpatium Templi conſideretur, & longitudo 76 ulnarum cum latitudine 56 ulnarum multiplicetur,

fiet

fiet tota ſumma 4256. quadratarum ulnarum. Sic pro quolibet Sacerdote non tota ulna in longum & latum protenſa daretur: quod ſpatium nimis eſt anguſtum. Nam etiam pro illis locus eſſe debebat, qui agnos ſuos ad mactandum adducebant & mactatos aſportabant. Quare ſtatuendum eſt, agnos pro Sacerdotibus quidem in Templo mactari potuiſſe, ſed pro reliquo populo in cujuſlibet domo privatim mactatos fuiſſe.

CAPUT IV.

De tempore, quo mactabatur agnus Paſchalis.

I. DE tempore mactandi agni Paſchalis legitur præceptum Exod. 12. 1, 2, 3. *Dixit Dominus ad Moſen & Aaronem in terra Ægypti: Menſis iſte vobis erit principium menſium, primuſque ſit ille vobis inter menſes cujuſque anni: Loquimini ad univerſam congregationem Iſraëlis, & dicite ei: Decima die menſis hujus accipiat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Et verſ. 6. *Ac ſervabitis eum uſque ad decimum quartum diem hujus menſis, & quælibet congregatio Iſraëlis jugulabit eum inter duas veſperas.* Levit. 23. 5. *Decimoquarto die primi menſis, inter duas veſperas Paſcha eſt Domini.* Numer. 28. 16. Menſe primo, *decimo quarto die illius menſis eſt Paſcha Jehovæ.* Ex quibus locis cernitur, agnum decimo die menſis primi debuiſſe aſſumi in domum, & decimo quarto die mactari.

II. Primus iſte menſis Hebræis vocatur *Abib*, Chaldæis *Niſan* (quod nomen Judæi poſt ſuum è Babylone egreſſum retinuerunt) Macedonibus *Xanthicus*, ut teſtis eſt Joſephus lib. 1. cap. 3. lib. 2. c. 5. Incipit hic menſis cum Novilunio, quod æquinoctio verno, (id eſt, illi horæ vel minutæ, qua Sol ingreditur Signum Zodiaci Arietem, & Vernos dies ac noctes æquales facit) proximum eſt, ſive illud præcedat, ſive ſequatur: ut itidem Joſephus teſtatur lib. 3. cap. 10. & Philo lib. 3. de vita Moſis.

III. Ab hoc menſe Niſan, qui partim cum noſtro Martio, partim cum Aprili concurrit, inchoatur Judæorum Eccleſiaſticus ſeu ſacer annus, juxta quos feſta ſua computare ſolent. Politicus vero annus apud eos incipit in menſe Tiſri, qui cum noſtro Septembri coincidit.

IV. Cum igitur decimus & quatuordecimus dies ab illo novilunio, qui æquinoctio proximus eſt, numerandus ſit, inde fit, ut feſtum iſtud Paſchale aliquando citius, aliquando ſerius in anno contingat, prout Novilunium vel antecedit Æquinoctium, vel conſequitur.

V. Etſi Judæi ſub Veteri Teſtamento ante everſionem Templi ſuas menſium ſupputationes ſecundum Aſtronomiæ artem inſtituerint, ex qua verum & ipſiſſimum tempus ac horam conjunctionis duorum magnorum luminarium, Solis & Lunæ, (quæ conjunctio proprie Novilunium nuncupatur) ſcire potuerunt; nihilominus teſtantur Judæi in ſuo Thalmud, qui hac in parte fidem meretur, eos Novilunium non ab illa conjunctione inchoaſſe, ſed ab eo tempore, quo primum novæ Lunæ cornua apparere incipiunt: & hunc morem admodum antiquum eſſe aſſerunt, pene à Joſuæ temporibus, quibus primum Paſcha in terra benedicta celebratum fuit, durantem, Joſ. 5. 10. Cornua autem Lunæ rariſſime apparent eo ipſo die, (præſertim in menſe Paſchæ deſtinato) quo fit vera conjunctio magnorum iſtorum luminarium; quia raro accidit, ut omnes circumſtantiæ loci, Lunæ & Cœli, quæ ad id requiruntur, concurrant: ſed plerumque poſtero demum die conſpiciuntur; interdum etiam ſerius. Quanquam monſtrat Aſtronomicus calculus, quod cum aliis anni temporibus novilunium nonnunquam tertio demum die ſe conſpiciendum præbeat, in menſe tamen Paſchali cornuta Luna nunquam ultra 24. horas poſt verum Novilunium latere poſſit, ſed ſæpiſſime citius conſpiciatur, ſi modo poſt Solis occaſum ſupra terram emineat. Adeo ut cum verum novilunium circa mediam noctem incidit, Luna cornuta poſt 18. horas, id eſt, proxime ſequenti veſpera videri poſſit. Ad hanc igitur cornutam Lunam obſervandam & certo ſciendam, viri graves & juramenti religione obligati à Synedrio ordinabantur, qui conſcenſis altiſſimis in Judæa montibus, tempeſtive & ſumma attentione primam novæ Lunæ apparitionem ſpecularentur. Et ſimul ac eam vidiſſent, illico id annunciabant certis ad id à Synedrio delegatis viris, qui extemplo proclamari juſſerunt, *Melludaſch, Melludaſch*, id eſt, Sanctificatum eſt, Sanctificatum eſt, intellige novilunium. Poſtea etiam Hieroſolymis Novilunium tubæ clangore eſt promulgatum: juxta præceptum. Numer. 10. 10. Antea autem ſpeculatores illi, qui in montibus Lunam obſervarunt, igne accenſo aliiſque ſignis rem toti regioni notam faciebant. Quando autem cœlum nubibus erat horridum, tum confugiebant ad ſupputationes Aſtronomicas, & à præcedenti Novilunio dies in ſuis Calendariis numerabant uſque ad menſem Paſchalem. Si igitur Novilunium Paſchale trigeſima prima nocte poſt præcedentis menſis Novilunium non appareret, tunc illa ipſa nocte Novilunium incipiebant; aut, ſi ſpeculatores dicti ad obſervandam Lunæ apparitionem miſſi, die trigeſimo nihil certi referrent, Novilunium die trigeſimo primo inchoabatur. Ut vero hæc res ab iis, qui Aſtronomiæ periti non ſunt, & tamen rem tenere percupiunt, melius queat intelligi, aliquanto clarius eam exponere conabimur.

A	B	C	
- a	-	c -	
1	16	31	
- b	-	f - +	
2	17	32-1	
- c	-	g -	
3	18	- 2	
- d	-	-	
4	19	3	
-	-	-	
5	20	4	
-	-	-	
6	21	5	
-	-	-	
7	22	6	
-	-	-	
8	23	7	
-	-	-	
9	24	8	
-	-	-	
10	25	9	
-	-	k - +	
11	26	10	
-	-	l -	
12	27	11	
-	-	-	
13	28	12	
-	-	-	
14	29	13	
-	h	m	
15	30	14	
-	i	n	

In istis hic appositis lineis A. B. C. per numeros intelliguntur dies: quorum quindecim in qualibet linea annotati sunt. Primus dies est ab a ad b, alter à b ad c, tertius à c ad d, & sic consequenter. Dies autem isti secundum consuetudinem Judæorum accipiendi sunt, ut ab occasu Solis incipiant. Quando igitur tempus novilunii Paschalis appropinquabat, sumebant illi, quibus à Synedrio res commissa erat, Astronomicas tabulas, summa cura & exquisita diligentia confectas, atque in iis à proxime præcedenti novilunio numerabant dies usque ad novilunium Paschale. Quando igitur novilunium Paschale incidebat in trigesimum primum diem, tum incipiebant primum diem istius mensis numerare à mox sequente vespera. In hac proposita figura fit novilunium, quod proxime ante novilunium Paschale præcessit, ortum die a b, ita ut a b primus fuerit dies illius mensis: jam numera 31. dies usque ad novilunium Paschale, quod pone ortum esse die e f. Itaque Judæi incipiebant primum diem mensis Paschalis ab apparitione cornutæ Lunæ in puncto f. eratque eis e f. primus dies. Etsi enim propter nebulosum cœlum novæ Lunæ exortus videri non posset, certi tamen erant, quia novilunium Paschale incidebat in diem 31. à præcedenti novilunio, ea vespera novam Lunam, si serenum esset cœlum, appariturum fuisse. Quod si in eorum tabulis Astronomicis incidebat Paschale novilunium in trigesimum diem h i, quia credebant illa vespera Lunam novam non posse videri, sinebant eam præterire, & pro primo die mensis Paschalis sumebant iterum, ut prius, diem f g.

VI. Ex quo manifestum est, cum Judæi adeo fiderent suis Astronomicis supputationibus, ut ad eas confugerent, nec de earum certitudine quicquam dubitarent, quando propter nubes aut nebulas nova Luna conspici non poterat, parum aut nihil opus fuisse speculatoribus illis, quibus cura observandæ Lunæ committebatur. Si enim tabulæ illorum Astronomicæ poterant eis verum diem nebuloso tempore monstrare, utique etiam claro serenoque cœlo, ex iisdem tabulis eum, absque speculatorum observatione, discere potuerunt. Apparet, quia mos iste inchoandi novilunium à prima Lunæ apparitione, à longo & antiquo tempore, quo forte nondum habebant ullas Astronomicas tabulas, in usu fuit, eos postea quoque cum jam eo non indigerent, hunc morem retinuisse. Nihilominus dici potest, speculatores istos inprimis propterea fuisse institutos, ut si novilunium Paschale in 30. diem à præcedenti novilunio incideret, viderent, annon nova Luna adhuc illa vespera in conspectum veniret, & appareret. Et quia illi à Synedrio delecti bene norant, id si non nunquam, saltem rarissime contingere, & talem primam Lunæ apparitionem nonnisi ab acutum cernentibus oculis videri posse; propterea speculatores isti tot regulis onerabantur, & tot conditiones ab eis requirebantur, ut aliquot integra capita in Thalmude iis sint repleta. Oportet autem eos credidisse, si 30. die cornuta Luna cœlo sereno apparebat, sed propter nebulas aut nubes videri non poterat, id nihil referre, etsi primus dies novilunii non à vespera trigesimi diei inchoaretur. Etsi enim certam horam veri novilunii ex sua supputatione scire potuerint, tamen in tali casu apparitionem novæ Lunæ non ex tabulis, sed ex visu oculorum, & quidem admodum perspicacium scire poterant: quo visu cum cœlo turbido uti non possent, necesse est id pro errore non duxerint. Nimirum magis respexerunt ad diem Paschatis, qui in diem 15. mensis Paschalis, atque ita præcise in plenilunium incidebat, de quo postea.

VII. Quando igitur in supra proposita figura dies f g, primus dies erat mensis Paschalis, tum debebat decimo die k l, agnus in domum recipi, & decimo quarto die m n, mactari.

VIII. Cum vero Judæi dies suos ab occasu solis auspicentur, ut apparet ex Levit. 23. 27. 32. inde sequitur, quatuor-decimum diem ejusmodi mensis, qui à prima apparitione cornutæ Lunæ incipit, ad minimum esse quindecimum diem à vero novilunio. Nam si ex gr. verum novilunium cadat in diem e f (in tabula superius proposita) tum e f, est primus dies veri novilunii, & f g, est secundus dies. Atqui f g, est primus dies novilunii ab apparitione computati. Ergo quatuordecimus dies m n, est quindecimus veri novilunii. Si vero verum novilunium cadet in diem h i, tunc est h i, primus dies, e f secundus, f g tertius veri novilunii. Nihilominus tamen f g est, ut ante dictum, primus dies novilunii ab apparitione novæ Lunæ computati. Itaque decimus quartus dies m n, istius mensis, est decimus sextus veri novilunii. Hæc inæqualitas autem, quod dies decimus quartus sit modo quindecimus, modo sedecimus veri novilunii, tolleretur, si verum novilunium semper contingeret sub occasum Solis, id est, tunc cum incipiunt dies Judæorum, aut si cornua Lunæ nascentis se prima statim vespera post verum novilunium proderent. Tum enim primus dies cornutæ Lunæ examussim cum altero die veri novilunii inchoaretur, & quatuordecimus dies ab apparitione Lunæ semper esset quindecimus à vero novilunio. Hæc vero inæqualitas non poterat ullum errorem parere, quia mensem non patiebantur ultra triginta dies excrescere; adeoque omnis inæqualitas poterat tolli. Nam juxta calculum Astronomicum longissimum tempus unius mensis extenditur ad 29. dies & 20. horas circiter, brevissimum autem complectitur 29. dies & 7. horas. Quod inter hæc duo medium est, facit 29. dies, & 12½. horas.

IX. Jam

IX. Jam considerandum est, quo tempore istius decimi quarti diei agnus mactari debebat. Hoc discimus ex præcepto tradito Exod. 12. 6: *Et quælibet congregatio vel cœtus Israëlis jugulabit eum inter duas vesperas*: id est, inter duos terminos vel duo extrema vesperæ, seu inter initium & finem vesperæ. Vespera autem incipiebat circa horam nonam secundum horologium Judæorum (secundum quod dies quilibet tam longus quam brevis in 12 æquales horas dividebatur) & durabat usque ad undecimam; ut Josephus lib. 7. de bello Jud. cap. 17 auctor est. Quare cum tempore Paschæ sol juxta nostra horologia, ubi duodecima hora post mediam noctem est meridies, circa sextam horam post meridiem occumbat, sequitur, vesperam quatuordecimi diei illius mensis cœpisse ferme circa tertiam horam pomeridianam, ac durasse usque ad quintam. Intra istud igitur spatium duarum horarum necessario debebat agnus Paschalis mactari & mundari.

X. Nonnulli haud postremi Rabbini Judæorum, (ut R. Natha in Mechiltha. Rabbi Simeon in Zohar. R. Salomon & David Kimchi) quibus etiam docti quidam è Christianis adstipulantur, (inter quos est Nicolaus Lyranus, & Abulensis) statuunt, vesperam cœpisse circa sextam horam Judæorum, id est, circa meridiem, quandoquidem tunc sol rursus ad occasum vergere incipiat. Sed errare eos hac in parte & vehementer hallucinari ex loco modo citato Josephi satis intelligitur, qui patriarum consuetudinum ac rerum callentissimus fuit.

XI. Latet autem in eo, quod agnus decimo quarto die omnino mactari debuit, peculiare mysterium. Eo ipso enim die circa nonam horam, cum vesperæ fieret initium, ac simul etiam mactationis agnorum, Jesus Christus agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi Joh. 1. 29, in cruce expiravit, Matt. 27. 46. Marc. 15. 34. Judæi etiam ipsi in ea sunt sententia, se per Messiam illo ipso die è præsenti servitute liberatum iri, quo ex Ægyptiaca servitute educti sunt. Vide August. Steuch. in Exod. 12. 6. Et Masium in Jos. 5. 10.

XII. Hic quatuordecimus dies dicebatur Parasceve, quia illo die præparatio fiebat omnium rerum ad festum necessariarum, quod festum inchoabatur die quindecimo. Nam primo præter primarium Sacrificium agni, eodem illo die etiam alia Sacrificia atque victimæ mactabantur & præparabantur, de quibus agemus cap. 9. Deinde mensæ & lecti ad festum (qua de re infra cap. 8. artic. 9) adornabantur, hydriæ & vasa ad purificandum posita aqua implebantur, & quicquid præterea ad solennitatem festi requirebatur, id expediebatur. Inprimis autem omne fermentum, & fermentatus panis, & quicquid aliquam cum eo cognationem vel similitudinem habebat, expurgari & domo ejici debuit, omnia vasa mundari, omnesque anguli diligentissime excuti, ne quid fermenti in domo remaneret: secundum legis præscriptum, quæ extat Exod. 12. 19: *Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris.* Et Deut. 16. 4: *Non apparebit fermentatum in omnibus terminus tuis septem diebus.* Ad hanc expurgationem fermenti respicit Paulus 1 Cor. 5. 7, dum ait: *Expurgate vetus fermentum* &c. Et hæc Parasceve seu præparatio durabat tota illa nocte, quæ ad quatuordecimum diem pertinebat, usque ad meridiem, quo incipiebat fieri præparatio ad mactandum agnum. Hujus Parasceves mentio fit Matth. 27. 62. Marc. 15. 42. Luc. 23. 54. Joh. 19. 14, 42.

XIII. Judæi hodie à tempore eversionis Templi observant quidem etiam parasceven, & præparant hoc die omnia ad festum spectantia, exquisita cura & diligentia expurgando fermentum, aliaque necessaria procurando. Sed agnum haud immolant, propter illam legem Mosis Deut. 16. 5: *Non poteris mactare Pascha intra aliquam è portis tuis* &c. De quo supra cap. 3. artic. 2.

CAPUT V.

De consperſione sanguinis agni, & de ejusdem agni præparatione in cibum.

I. ABsolutis duobus membris, tertium succedit, quod circa primarium Sacrificium hujus festi considerandum est: quid scilicet factum sit cum mactato illo agno. Ubi duo observanda occurrunt. Primum est, quod sanguis pelvi excipiebatur, & fasciculus hyssopi in eo intingebatur, eoque postes & superliminaria januæ domus inungebantur. Quod fiebat eo fine, ut Angelus per totam Ægypti terram transiens & omnia primogenita ab hominibus usque ad pecora in domibus Ægyptiorum trucidans, Israëlitis parceret, qui suos postes sanguine istius agni consperserant. Lex ea de re data sic sonat Exod. 12. 7: *Accipientes ex ipsius sanguine, ponent super utrumque postem & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Et ℣. 12, 13: *Transibo illa nocte per terram Ægypti, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus; & in omnes Deos Ægyptiorum exercebo judicia: ego Dominus. Eritque sanguis ille vobis in signum super illas domos, ubi eritis, ut videns sanguinem illum transeam vos: sic non erit in vobis plaga exitialis, quando percussero terram Ægypti.* Et ℣. 22: *Tunc acceptum fasciculum hyssopi intingetis in sanguine ipsius, qui erit in pelvi, & admovebitis superliminari, duobusque postibus; & ne exeat ullus vestrum ex ostio domus suæ usque mane. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in duobus postibus, transibit Dominus præter ostium, nec sinet interfectorem ingredi in domos vestras ad lædendum.*

II. Sanguis iste agni fuit figura sanguinis Christi, per quem omnes illi à percussore Angelo, atque ab æterna morte conservantur, quorum corda eo consperſa sunt & à peccatis repurgata sunt: id est, in quibus mors Christi, quam pro peccatis humani generis sustinuit, tam efficax est, ut illi à peccatis abstineant, ac conscientias suas à mortuis seu malis operibus emundent ad serviendum Deo vivo, Hebr. 9. 14.

III. Hæc autem consperſio postium & superliminarium semel tantum in Ægypto facta est, postea nunquam. Causa enim illa, quod scilicet sanguis iste debebat esse signum, quasnam domos percussor Angelus præterire deberet, deinceps non habuit amplius locum.

IV. Alte-

IV. Alterum hoc loco obſervandum eſt, quomodo mactatus iſte agnus ad edendum præparatus fuerit. Videlicet detracta pelle, fel, & inteſtina, quibus inſunt excrementa, evulſa abjiciebantur, & integer agnus haud diſſectus in partes, una cum capite pedibus & reliquis inteſtinis, nempe jecore, pulmone & corde ad ignem aſſabatur. Qua de re habetur præceptum Exod. 12. 9: *Non comedetis ex eo crudum quicquam, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni: caput cum pedibus ejus & inteſtinis comedetis.* Aſſatio iſta fiebat adhuc ipſa illa veſpera, qua agnus mactabatur; quam ad rem ſatis adhuc ſupererat temporis, à quinta hora uſque ad ſolis occaſum. Et quamvis etiam hæc aſſatio una cum præparatione aliorum ciborum, qui ſequenti Paſchali die ſimul cum agno apponebantur, protraheretur ultra ſolis occaſum, quo tempore jam feſti Paſchatis fiebat initium, nec alii ulli labores ſuſcipi licite poterant; tamen ciborum coctio illo die non erat interdicta ac impermiſſa: ut liquet ex Exod. 12. 16, de quo poſtea ſuo loco. Ex dictis intelligitur, in loco Deut. 16. 7: *Et coques & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus:* vocem coquendi in latiori ſignificatione accipi, ut etiam aſſationem in ſe comprehendat. Nam aſſatio eſt etiam coctio.

V. Cauſa vero, cur agnus aſſari debebat, non coqui, erat feſtinus & celer abitus Iſraëlitarum ex Ægypto. Caro enim citius aſſatur, quam coquitur. Ideoque etiam caput, pedes, & inteſtina ſimul aſſari oportuit, quia ut iſta ſeorſim coquerentur, (cum alias ad coquendum commodiora ſint) tempus haud ſuppetebat.

VI. Sicut igitur comeſtio agni (de quo agemus Capite ſequenti) figura fuit ſpiritualis manducationis carnis & ſanguinis Chriſti, quæ fit per fidem; ita etiam aſſatio agni fuit figura maximi vigoris, quem nos à Chriſto per manducationem ſpiritualem conſequimur, quando nimirum fructum mortis ejus vera fide apprehendimus. Per coctionem enim optima & ad nutriendum utiliſſima vis carnis tranſit in juſculum ſeu offam: at per aſſationem quia ignis exteriores partes carnis ſtatim indurat, vis tota in carne retinetur, & per calorem excoquitur ac matureſcit. Hinc fit, ut aſſatæ carnes magis nutriant, quam coctæ, etſi ad concoquendum duriores eſſe ſoleant.

CAPUT VI.

Quo die Agnus comeſtus fuerit.

I. QUartum circa primarium Sacrificium Paſchæ conſiderandum eſt, quomodo mactatus & præparatus agnus comeſtus fuerit. Ubi ſeptem obſervanda veniunt. Primo dies, quo fuerit eſus. Secundo, quod cum azymo pane comedi debuerit. Tertio, quod cum amaris herbis debuerit edi. Quarto, quod debuerit totus abſumi. Quinto, quod os ejus nullum frangi debuerit. Sexto, quo geſtu corporis comedi debuerit. Septimo, quot homines de uno agno ederint.

II. Quod igitur tempus ſeu diem comeſtionis attinet, is erat quindecimus dies illius menſis Niſan. Nam quatuordecimo die veſperi agnus mactabatur, & præparabatur, moxque ſequenti nocte, à qua incipiebat quindecimus dies, conſumebatur. Hoc indicat Moſes clare Levit. 23. 5, 6: *Menſe primo, decimo quarto die menſis inter duas veſperas, Paſcha Domini eſt* (quo tempore agnus mactabatur) *& decimo quinto die menſis hujus ſolennitas azymorum Domini eſt.* Solennitas autem ſeu feſtum azymorum incipiebat eodem die, quo Paſcha comedebatur, quod cum azymo pane comedendum erat, ut poſtea videbimus. Præterea Num. 33. 3, diſerte aſſeritur, populum de Rameſſe decimo quinto die ex Ægypto eſſe egreſſum. Eodem die autem, quo Iſraëlitæ exierunt ex Ægypto, etiam agnum Paſchalem comederunt, ut conſtat ex Exod. 12. 30, 31, 33, 34.

III. Hinc ſequitur, veteres Judæos ante excidium Hieroſolymæ Paſcha comediſſe, & feſtum azymorum auſpicatos fuiſſe ſub tempus plenilunii. Plenilunium enim ut plurimum incidit in decimum quintum vel decimum ſextum diem poſt novilunium exortum. Decimus quartus autem dies Judaici menſis Niſan, eſt ad minimum decimus quintus à Novilunio, ut cap. 4 oſtenſum eſt. Itaque decimus quintus ad minimum eſt decimus ſextus à vero novilunio. Et hoc etiam teſtimonio ſuo confirmat Philo Judæus lib. 3. de vita Moſis; ubi ait: *Ejus menſis die decima quarta, ſub ipſum tempus, quo luna ſuum Orbem complere ſolet lumine, celebratur migrationis publicæ feſtivitas, quam Chaldaice Paſcha vocant.* Etſi autem in Scriptura plenilunii nulla extet mentio, (ut nec Æquinoctii) nihilominus adeo certum eſt, Judæos Paſcha ſuum ſub Plenilunio comediſſe, ut id plerique tam veteres quam recentiores Eccleſiæ Doctores & viri eruditi uno ore agnoſcant. Vide Pet. Crugeri Diatr. Paſch. cap. 1. propoſ. 7, 8.

IV. Quod hodiernos Judæos ſpectat, illi cum poſt exciſam urbem ac Templum, in ſua diperſione careant commoditate obſervandi accurrate apparitionem novilunii, celebrant feſta ad certum diem alligata per duos dies continuos, ut ſi forte unus dies non eſſet legitimus (poſt novæ lunæ apparitionem, quæ in Judæa obſervabatur) in alterum tamen verum feſti tempus incideret. Sic ergo etiam Paſcha quotannis per duos dies continuant, nempe per quindecimum & ſedecimum menſis Niſan, facta ſupputatione à novilunio, quod ex Aſtronomico calculo ſuo ſeu Calendario, quod quoad certitudinem nihil concedit Chriſtianorum Calendariis, cognoſcebant. Unde efficitur, eos perinde ac antiquiores Judæos ante deſolationem Templi Paſcha ſuum circa plenilunium celebrare, cum hoc plerumque in 15 vel 16 diem à vero novilunio incidat.

CAPUT VII.

De Azymis panibus, & amaris herbis, cum quibus agnus comedendus erat.

I. ALterum obſervandum circa comeſtionem agni Paſchalis eſt, quod debuerit cum azymo pane comedi. Ob quam cauſam feſtum hoc dicitur

Feſtum Azymorum Exod. 34. 18. Præceptum de azymis legitur Exod. 12. 8. *Et comedent carnes* (nempe iſtius agni) *nocte illa aſſas igni, & azymos panes.* Eſus autem azymorum per ſeptem dies continuabatur. De quo infra cap. - -

II. Non hoc autem ſibi vult hoc præceptum, quod, ſi carnes agni voluerint comeſſe cum pane, non alium panem ſumerent, quam azymum, quaſi illis licuerit agnum etiam ſine pane edere: ſed omnino obſtricti erant non aliter agno veſci, quam cum pane azymo ſimul. Quanquam illis non erat determinatum, quantum panis iſtius ſumere deberent. Sufficiebat, ſi ſaltem unum bolum ejus comederent. Quia panis iſte eſt valde inſipidus & ingratus, propterea & hodie Judæi in hoc feſto parce admodum eo veſcuntur.

III. Duæ autem potiſſimum erant rationes, cur Judæi agnum Paſchalem una cum azymo pane edere debebant. Prima fuit, quia id erat inſtitutum in memoriam ipſorum præcipitis & feſtini exitus ex Ægypto: azyma enim cito conficiuntur: ad fermentandum plus temporis requiritur. Ipſe autem Pharao cum Ægyptiis acceleravit ac præcipitavit eorum exitum. Cum enim Deus illa nocte primogenita omnia per univerſam terram Ægypti interfeciſſet, vocavit Pharao ad ſe Moſen & Aaronem, dixitque illis: *Surgite & egredimini à populo meo, vos & filii Iſraëlis. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur* Exod. 12. 31, 33. Itaque Iſraëlitæ cum ſummum eis periculum ab Ægyptiis immineret, quippe qui ira & vindictæ cupidine toti arderent, coacti ſunt properare, & iter maturare, ita ut temporis tantum eis non ſuppeteret, quo maſſam jam in mactris ſubactam pinſerent, ſed *tulerunt ſecum in humeris ſuis farinam conſperſam, antequam fermentaretur, ligatam in palliis ſuis.* Verſ. 34.

IV. Secunda ratio, cur azymorum eſus injunctus fuerit, eſt, quia debebat eſſe ſignum puritatis vitæ. Eo nimirum teſtari debebant Iſraëlitæ, ſe fermentum omnium Ægypti peccatorum & abominationum, Ægypti reliquiſſe, & ſe in ſinceritate ac puritate legis divinæ, quæ mox poſt exitum eorum ipſis data eſt impoſterum victuros. Fermentum enim eſt ſignum malitiæ. Hinc Chriſtus diſcipulis ſuis mandat, ut ſibi *caveant à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*, id eſt, ab eorum malitia & peccatis Matth. 16. 11. Quo ſenſu etiam Paulus ait ad Corinthios: *Neſcitis modicum fermenti totam maſſam fermentare? Expurgate igitur vetus fermentum, ſicut eſtis azymi. Nam etiam Paſcha noſtrum pro nobis immolatum eſt, Chriſtus. Itaque ferias agamus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ ſed in azymis ſinceritatis & veritatis* 1 Corinth. 5. 6, 7, 8.

V. Tertium circa eſum agni Paſchalis obſervandum eſt, quod cum amaris herbis comedi debuerit. In Hebræo textu dicitur: Comedent eum *ad merorim*, cum amaritudinibus Exod. 12. 8. Quod de amaris herbis intelligendum eſſe ex Græca interpretatione LXX patet; qui *merorim*, vocem Hebræam ſignificantem *amaritudines* verterunt Græce πικρίδας, quo nomine deſignatur amarus ebulus, vel cichorium. Lutherus Germanico vocabulo expreſſit vocem Hebraicam, quod acetaria denotat. Acetaria autem ſeu embammata atque intinctus, qui cum carnibus aſſatis comedi ſolent, plerumque fiunt ex herbis; interdum etiam ex ſeminibus, ut v. gr. ex contrito ſinapi.

VI. Iſtæ autem herbæ amaræ non in modum embammatis edebantur, ſed integræ, ſicut lactuca comedi ſolet. Interim tamen ſimul apponebatur intinctus aliquis ex aceto, in quo herbas illas intingebant, cum iis veſcerentur; quomodo & hodie acetum cum olivo lactucæ affunditur. Vide hac de re plura infra cap. - Art. -

VII. Adumbrata autem fuit per herbas iſtas amaras dura & amara ſervitus in Ægypto: de qua Exodi 1. 14. *Et Ægyptii amaram faciebant vitam eorum duris laboribus, in luto, & in lateribus & in omni ſervitute ruſtica.* Ad hæc dici poteſt, illas amaras herbas ſignum fuiſſe afflictionum, quibus pii perpetuo ſubjecti atque obnoxii ſunt, quæque tam ſunt ingratæ carni, atque amaræ herbæ inſuaves ſunt palato.

CAPUT VIII.

De aliis circumſtantiis ac requiſitis, quæ in edendo Paſchali agno obſervabantur.

I. QUartum circa comeſtionem agni Paſchalis obſervandum eſt, quod totus conſumi debuerit: aut ſi quid reliqui maneret, oportuerit id non extra domum ferri, ſed in domo igne comburi. Lex ea de re tradita erat talis Exod. 12. 10. *Non remanebit ex eo quicquam uſque mane; ſi quid reſiduum fuerit, uſque mane igne comburetis;* id eſt ſi quid ex eo reſiduum manſerit, poſtridie igne exuretis. Nam illo die, quo edebatur Paſcha, illicitum erat ullum laborem ſuſcipere, præter eum, qui circa cibos verſabatur. Et verſ. 46. *Non efferetis quicquam de carnibus ejus extra domum foras.* Et Num. 9. 12. *Non relinquetis ex eo quicquam uſque mane.*

II. Ex collatione horum locorum intelligitur, non uſquequaque eos obligatos fuiſſe agnum totum plane conſumere, dummodo reſiduum ex eo, poſtero die mane igne comburerent.

III. Si antitypum hujus agni, id eſt, Chriſtum ſpectes, de eo dicere licet, præfiguratum hoc ritu fuiſſe, quod Chriſtus non poſſit dividi. Quiſquis eo frui geſtit, totum amplectatur corde & fide oportet, una cum omnibus ejus beneficiis, quæ nobis per mortem ſuam attulit.

IV. Quinta obſervatio ad eſum agni Paſchalis pertinens eſt, quod nullum os in eo debuerit confringi, neque in mactando, neque in edendo. Qua de re præceptum extat Exod. 12. 46. *Os illius non confringetur.* Idem præceptum etiam habetur Num. 9. 12. Fractio enim oſſium, & exſuctio vel exemptio medullæ temporis nonnihil requirebat. At illi non habebant tantum temporis, quia feſtinare cogebantur, ut quam ocyſſime exirent.

V. Etiam in eo latebat figura Chriſtum reſpiciens, quæ in eo impleta eſt, cum in cruce affixus penderet. Cum enim alioquin iis, qui crucis ſupplicio

plicio afficiebantur, mos eſſet crura frangere ad vitam ac dolores eorum ſimul breviandos, ipſius crura fracta non ſunt, quia iam expiraverat Joh. 19. 33.

VI. Sexta obſervatio eſt, quibus geſtibus corporis agnus ille eſus fuerit. De quo ſic ſonant verba Legis Exod. 12. 11. *Sic autem comedetis illum: Lumbos veſtros præcingetis, & calceos habebitis in pedibus veſtris, & baculos in manibus, & comedetis feſtinantes.*

VII. Non fit hic quidem ulla mentio de eo, num ſtantes an ſedentes eum comedere debuerint, vel etiam comederint, ſed tamen circumſtantiæ iſtæ, quæ omnes erant ſignum feſtinationis, ſatis indicant, eos ſtando & non ſedendo, multo minus accumbendo ritum hunc peregiſſe. Qui enim excluduntur tempore, ut cœnæ capiendæ ex profeſſo vacare nequeant, non ſolent aſſidere menſæ, ſed ſtantes tantum aliquot bolos propere ſumunt.

VIII. Tenendum autem eſt, has circumſtantias ac geſtum edendi cum præcinctis lumbis, & cum calceatis pedibus, cumque baculi in manu geſtatione, nonniſi ad primum Paſcha, quod in Ægypto comeſtum fuit, pertinuiſſe, in ſequentibus vero non amplius obſervatum fuiſſe. Propterea etiam iſta omnia poſtea verſ. 14 & ſeqq. in inſtitutione annui Paſchatis omiſſa ſunt, nec amplius repetita: ut nec Levit. 23. 4. ad 9. nec Deuter. 16. 1. & ſeqq. In Ægypto premebat eos neceſſitas, ut properare cogerentur, ideo comederunt tunc Paſcha præcincti lumbos, & calceis induti &c. itinerantium more. Sequentibus autem temporibus, cum extra omnem diſcriminis aleam eſſent conſtituti, non ſolum ejuſmodi geſtibus ac circumſtantiis opus non erat, ſed comederunt agnum eo habitu ac geſtu, qui eos eſſe liberum & ab omni periculi metu ac ſervitute immunem populum argueret. Hoc ita ſe habere, confirmant unanimi conſenſu omnes docti inter Judæos; confirmat idem conſuetudo hodierna Judæorum (ut Artic. ſequenti 11 patebit) qui non facile aliquid è ritibus omittunt, ad quod ſe lege obligari cenſent. Neque dictis contrarium eſt, quod nonnulli ex Philone Judæo afferunt, qui in libro de Sacrificio Abelis & Caini, de triplici genere ingratorum hominum erga Deum differens, monet ac cohortatur omnes, ut, quemadmodum in inſtitutione Paſchæ imperatum fuit, lumbos ſuos præcingant, parati exercere omnia virtutis opera; & ſicut pedes calceis includuntur, ita illi carnem ratione conſtringant; & baculum diſciplinæ in manibus teneant, eoque omnes actiones vitæ ſuæ regnant &c. Ex eo enim nullo modo demonſtrari poteſt, Judæos in ſequentibus poſt primum Paſcha actibus ad eandem ceremoniam adhibendam perpetuo fuiſſe obſtrictos. Tota enim hæc Philonis admonitio eſt allegorica, dicique poteſt, eum tantum in hac figurata locutione alluſiſſe ad primum Paſcha in Ægypto celebratum, ubi iſtæ ceremoniæ mandatæ & uſurpatæ fuerunt.

IX. Tempore Chriſti moris erat, accumbendo in lectis cœnare, ut apud Matthæum cap. 26. 20 explicavimus. Quodque etiam Paſcha tunc accumbendo comeſtum fuerit, inter alia etiam locus Johan. 13. demonſtrat: ubi Euangeliſta verſ. 4. ait, Chriſtum à Cœna ſurrexiſſe, veſtemque depoſuiſſe, ad lavandum pedes diſcipulorum. Poſtea lotione peracta, inquit Johannes, verſ. 12. Chriſtum reſumptis veſtibus rurſus accubuiſſe. Quo modo autem lecti, in quibus diſcumbebatur, ad menſam poſiti fuerint, ex ſubjecta figura videri poteſt:

Ex Villalpando in Ezechielem.

X. Hiſce temporibus Judæi azyma & cibos, quos una apparatos habent in feſto Paſchæ, ſedendo ad menſam comedunt. Et Paterfamilias quidem ſedet in pulvino vel culcita molli, in ſella quam maxime adornata & fulmenta cubitorum habente, ad quæ ſe in ſiniſtram partem reclinat, magni dynaſtæ inſtar, in ſignum ſuæ libertatis & immunitatis à jugo Ægyptiacæ ſervitutis.

XI. Septimum, quod circa comeſtionem agni obſervari oportet, eſt, quot perſonæ ad conſumendum agnum requiſitæ fuerint. Hac de re legimus tale mandatum Exod. 12. 3, 4. *Accipiat ſibi quiſque agnum, ubi eſt Paterfamilias, agnum pro una familia. Si vero minor fuerit aliqua familia, quam ut ſit par edendo agno, aſſumat vicinum ſuum, qui conjunctus eſt domui ſuæ juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad abſumendum agnum.* In his verbis quidem expreſſe numerus certus non definitur, ſed ex Joſepho intelligimus, numerum edentium agnum non fuiſſe minorem decem, nec viginti majorem. Joſeph. lib. 7. de bello Jud. cap. 17.

CAPUT IX.

De ſeptem diebus Azymorum in ſpecie. Deque holocauſtis, aliiſque ſacrificiis hujus Feſti.

I. TOtum Feſtum Azymorum durabat dies ſeptem, quorum primus erat quindecimus ille dies primi menſis, quo Agnus Paſchalis comedebatur. De ſeptem iſtis diebus habetur ejuſmodi Lex: *Septem dies panes Azymos comedetis, nempe ipſo die primo amovebitis vetus fermentum è domibus veſtris. Nam quiſquis comederit fermentatum à die illo primo uſque ad ſeptimum diem, illius anima exſcindetur ex Iſraële.* Exod. 12. 15. Et verſ. 18. *Primo menſe decimo quarto die veſperi comedetis azymos, uſque ad diei vigeſimi primi ejuſdem menſis veſperam. Septem diebus fermentum ne reperiatur in domibus veſtris. Nam quiſquis comederit fermentatum, ejus anima exſcindetur è congregatione Iſraëlis, tam peregrini, quam indigenæ illius regionis. Itaque nihil fermentati comedite, ſed in omnibus habitationibus veſtris comedite panes azymos.* Et Exod. 34. 18. *Feſtum Azymorum obſervate; ſeptem dies veſcimini azymis, quemadmodum præcepi tibi, tempore menſis Abib, quia ipſo menſe Abib egreſſus es ex Ægypto.* Item Levit. 23. 5, 6. *Primo menſe, die decimo quarto illius menſis, inter duas veſperas, Paſcha eſt Domini:* (eo die nimirum mactari debebat.) *Decimo quinto autem die ejuſdem menſis feſtum azymorum eſt Domini: Septem diebus panes azymos comedite* Deuter. 16. 3. *Non comedes fermentum in hoc feſto: Septem diebus comedes azyma, panem afflictionis: Cum feſtinatione enim exiviſti è*

terra Ægypti, ut recorderis diei exitus tui è terra omnibus diebus vitæ tuæ. Ne conſpiciatur apud te ſeptem diebus fermentum in omnibus terminis tuis, neque permaneat per noctem quicquam de ea carne, quam mactabis veſpere die primo, uſque mane.

II. Primus & ſeptimus dies Azymorum erat ſanctiſſimus, quo non licebat ullum opus facere, præterquam quod ad cibos pertinebat. Sic enim ſcriptum eſt Exod. 12. 16: *Dies primus ſanctus erit & ſolennis, ut conveniatis, & dies ſeptimus erit eadem feſtivitate venerabilis, ut congregemini. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent unicuique animæ* (intellige hominum & pecudum) *ea ſola parabitis vobis.* Et Levit. 23. 7: *Dies primus erit vobis celeberrimus ſanctuſque ad conveniendum, nullum opus ſervile facietis in eo.* Idem dicitur de die ſeptimo ibidem v. 8. Deut. 16. 8: *Sex diebus comedes azyma: die autem ſeptimo, quia convocatio eſt Domini Dei tui, non facies ullum opus.* Cujus poſtremi loci non hic eſt ſenſus, quod ſex diebus tantum azyma comedenda ſint, & non etiam ſeptimo die: locus enim iſte ex aliis, ubi expreſſe ſeptem dierum fit mentio, explicandus eſt.

III. Primus dies per excellentiam Paſcha dicebatur, quia illo die agnus Paſchalis comedebatur, adeoque caput erat ac principium reliquorum dierum.

IV. Quando contingebat, ut primus Paſchæ dies in Sabbatum incideret, tum Sabbatum illud Magnum appellabatur. Quod idem in aliis feſtis ſolennibus, nempe Pentecoſtes & Tabernaculorum fiebat. In ultimo Paſchate, quod Chriſtus cum diſcipulis ſuis celebravit, ſimiliter primus Paſchæ dies in Sabbatum incidit, ideoque id Sabbatum Magnum vocatur Joh. 19. 31.

V. Primum diem azymorum, quo agnus comedebatur, in loco cultus divini celebrari oportuit: reliquis diebus licuit unicuique redire domum, ut patet ex Deut. 16. 7, ubi ſic ait Moſes: *Et coques & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, conſurgenſque mane reverteris ad tentoria tua.* Credibile autem eſt, eos ſeptimo die redire ad locum cultus divini debuiſſe, cum dies iſte æque ſanctus ac ſolennis fuerit, ac primus. Conveniebant autem primo & ſeptimo die ad cultum Dei peragendum, canendo, orando, & ſacrificando, eo modo ac ritu, quem partim à Moſe, partim à ſuis poſtea ſapientibus edocti ſunt.

VI. In Joſepho obſervandum eſt eum interdum ſeptem, interdum octo dies azymorum nominare. Conſer lib. 2. cap. ult. cum lib. 3. cap. 10. Nimirum ſeptem diebus annumerat etiam Paraſceven, qui adeo Octavus dies erat. Proprie quidem ſecundum legis tenorem tantum ſeptem dies erant azymorum, quorum primus erat dies quindecimus menſis Niſan: ſed quia Judæi decimo quarto die, adeo ſoliciti erant & ſatagentes circa expurgationem fermenti ex ædibus ſuis, ne vel mica ulla panis fermentati in iis maneret reliqua, ut propterea etiam rimas omnes & foramina murium accenſa lucerna perquirerent acſcrutarentur, dubium nullum eſt, eos jam tempore Joſephi & ante Joſephum illo die cœpiſſe à fermentato pane abſtinere, inprimis à meridie, quo expurgatio fermenti jam peracta erat, & jam ad mactationem atque ad alia ad feſtum pertinentia fiebat præparatio. Quod tempore Chriſti (quo Joſephus jam natus fuit; vixit enim ſub tempus excidii Hieroſolymitani, quod triginta ſex annis poſt Chriſti obitum contigit) etiam octo dies azymorum numerati fuerint, ex Luc. 22. 7 colligitur, ubi dicitur: *Venit autem dies azymorum, quo oportebat mactari Paſcha.* Paſcha autem decimo quarto die menſis Niſan mactatum fuit.

VII. Hodie quemadmodum Judæi primum diem azymorum celebrant feriando duos dies continuos, quibus cultui divino vacant, & ab omni opere abſtinent, nempe quindecimum & ſedecimum diem, à vero novilunio computatione facta, ut ſi forte primus dies non eſſet legitimus, altero die id vitii penſaretur, uti ſupra cap. 6. art. 4. ita etiam celebrant ſeptimum diem per duos dies continuos, nempe 21 & 22. Nam ſi primus dies,

15. 16.	primus dies Azymorum.	nempe 15, erat legitimus dies Paſchalis, tum 21
17.	ſecundus.	dies erat ultimus, debebatque perinde ac
18.	tertius.	primus ſolenniter celebrari. Si
19.	quartus.	vero 16, dies
20.	quintus.	erat verus ac legitimus dies Paſchalis, tunc 22 dies erat
21. 22.	ſextus. ſeptimus.	Uterque ſolennis æque ac primus.

ſeptimus & ultimus.

CAPUT X.

De Sacrificiis Euchariſticis tempore Feſti Paſchalis immolatis.

I. PRæter primarium Sacrificium, quod erat Agnus, de quo hactenus fuſe egimus, etiam plura alia Sacrificia in hoc feſto Paſchatis mactata fuere, in honorem Dei, & in cibum Sacerdotum, totiuſque cœtus. Quod idem etiam in aliis feſtis fiebat. Hac de re præceptum extat Num. 28. 17: *Quintodecimo die illius menſis feſtum eſt; ſeptem diebus azyma comedantur. Horum dierum primus ſanctus erit, quo convocatio fiet &c. Et offeretis Domino igne abſumendum holocauſtum, juvencos duos ſubrumos, unum arietem, & agnos ſeptem anniculos immaculatos. Oblationem vero eorum, ſimilam miſtam oleo, tres decimas in juvencum, & duas decimas in arietem parabitis. Et unam decimam in unumquemque agnum ex ſeptem illis agnis. Præterea hircum pro peccato unum, ad expiationem faciendam pro vobis. Idque facietis mane, præter holocauſtum matutinum, quod erit jugi holocauſtum.* Huc pertinent etiam verba Deut. 16. 2: *Tum mactabis Domino Deo tuo Paſcha, oves, & boves.* Nimirum oves, ad Paſcha, boves autem ad holocauſta & euchariſtica Sacrificia. Ita etiam de Rege Ezechia narratur, eum tempore feſti Paſchalis pro populo dediſſe mille juvencos, & ſeptem millia ovium: principes autem obtuliſſe mille juvencos & decem millia ovium: videlicet oves ſeu agnos ad celebrandum Paſcha, juvencos vero ad Euchariſtica Sacrificia peragenda 2 Paral. 30. 24. Simili modo Rex Joſias obtulit pro congregatione tota triginta millia agnorum & hædorum, ac tria millia boum 2 Paral. 35. 7.

II. Eu-

II. Eucharistica autem ista Sacrificia ita dividebantur, ut pars eorum cederet Deo, quæ igne crematur, pars Sacerdotibus, pars ei, qui victimam immolari curavit.

III. Præterea altero die Paschatis debebant Judæi offerre primitias frugum Deo, de quo habetur mandatum, Levit. 23. 10, 11: *Alloquere filios Israël, edicens eis: cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, afferetis manipulum frugum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem: qui agitabit manipulum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis, altero die Sabbati, & sanctificabit illum.* Ad hujus rei illustrationem facit etiam locus Josephi lib. 3. cap. 10. ubi sic scribit: *Die secundo Azymorum, qui est decimus sextus hujus mensis, vescuntur de novis frugibus, quæ antea a nemine adhuc contrectatæ fuerunt: justumque ducunt, ut Deo, à quo benedictio ista profecta est, primitiæ istarum frugum donentur. Primitias hordei offerunt hoc modo: Siccant manipulum spicarum ad ignem, postea conterunt, & per cribrum repurgant hordeum, offerunt super altari assaron, indeque sumunt drachmam, reliquum cedit Sacerdotibus.*

CAPUT XI.

De transpositione hujus Festi, deque Memoriali Paschate.

QUando Pascha certas ob causas eo, quo dictum est hactenus, modo, ab aliquo Judæorum celebrari non poterat, tenebatur is nihilominus sequenti mense Pascha celebrare. De quo lex ita monet: *Si quis fuerit immundus propter cadaver, aut si in itinere remoto quispiam sive vestrum, sive posterorum vestrorum fuerit, tamen faciet Pascha Domino. Sed in mense secundo die quartodecimo inter duas vesperas celebrabit illud, & cum azymis ac herbis amaris comedet. Neque relinquet quicquam ex eo usque mane, & os non franget in eo, omnemque ritum Paschæ observabit* Num. 9. 10, 11, 12. Quod hoc loco de immundite propter cadaver dicitur, idem etiam de omni immunditie ex aliis causis contracta, puta è fluxu seminis, vel menstruorum, & puris, ac similibus rebus intelligendum est, quia nullus talium immundorum Pascha celebrare poterat. De iis vero, qui in remoto ac longinquo itinere erant, clare patet, eos obstrictos fuisse celebrare Pascha altero mense, si certis ac gravibus causis impediti fuerint, ut primo mense in locum Paschæ destinatum, id est, à Davidis temporibus Hierosolymam, venire haud potuerint. Propter immunditiem Sacerdotum etiam sub Ezechia olim Pascha differri oportuit usque ad secundum mensem: 2 Par. 30. 2, 3.

II. Ad hoc exemplum tempore subsequenti etiam aliis ex causis Pascha translatum est: quemadmodum & reliqua duo magna festa, Pentecoste & festum Tabernaculorum. Nimirum quando dies quindecimus primi mensis in diem Sabbato proximum, quem nos diem Veneris vocamus, incidebat, tum ex certa constitutione ac sancito Synedrii Hierosolymitani, transferebatur Pascha in Sabbatum, ita ut eodem die & Sabbatum & Pascha simul celebrarent. Quæ constitutio fiebat, non tam, ut quidam existimant, propterea, ne cibos servare coctos per duos dies oporteret (coctio die Paschatis non erat prohibita Exod. 12. 16) sed inprimis propter cadavera mortuorum, si qui circa id tempus morerentur: uti sane in tanta multitudine populi nullus dies abire consuevit, quo non aliquis moreretur. Cum enim qui ex cadaveris contactu fiebant immundi, celebrare & comesse Pascha non possent, ut præcedenti Artic. 1. ostendimus, oportuisset cadavera manere insepulta usque dum præteriisset Sabbatum, metuendumque fuisset, ne cadavera putrescerent & fœterent, præsertim in fervidioribus regionibus, in quibus Judæorum permulti habitabant, & nihilominus, ut postea videbimus, Pascha celebrabant. Atque hac translatione Paschæ nihil contra Legem peccatum fuit, non secus ac tempore Ezechiæ peccatum non est, cum ad secundum mensem Pascha differretur 2 Paral. 30. 2, ubi saltem ii qui mundi erant, quotquot etiam fuerint, Pascha celebrare potuissent ac debuissent, si translatio ejus Legi contraria fuisset. Sed verisimile non est, ceremonialem Legem Dei adeo necessario ac stricte fuisse certo tempori alligatam, ut nulli omnino periculo aut gravi alicui incommoditati cedere debuerit. Sic enim videmus, quod immundis & absentibus Pascha altero demum mense celebrare imperatum sit Num. 9. 10. Itaque in hujusmodi rebus poterat populus constitutionem Synedrii tuto sequi.

III. Supra cap. 3. annotavimus, Pascha secundum Legem nusquam potuisse mactari, nisi in loco sacro, ubi cultus divinus peragebatur. Qui locus à Davidis temporibus erat Hierosolyma. Nihilominus tamen qui in diffitis oris degebant, aut aliis certis de causis Hierosolymam commeare non poterant, festum hoc observabant, cum omnibus ceremoniis ad id necessariis, præterquam quod nec agnum, nec alias victimas immolarent. Hoc modo Pascha celebratum est & celebratur à tempore excidii Hierosolymitani, usque ad hodiernum diem, à Judæis, in omnibus terris: ut tamen memoria insignis illius liberationis ex Ægypto celebratione nominis divini recolatur. Atque hæc celebratio Paschatis vocatur Pascha memoriale: altera autem illa vera celebratio appellatur Pascha mactationis.

IV. Utrum vero ad hanc celebrationem Paschatis, quod absque mactatione agni fiebat, ac fit, per Legem omnino obstricti fuerint, an vero in ipsorum libero posita fuerit arbitrio, de eo haud immerito quæritur. Hoc certum est, festi istius principalia requisita fuisse Mactationem ac esum agni, & comestionem azymorum. Prius illud certo loco fuit alligatum, ut supra ex Deut. 16. 5, 6 patuit. An vero & alterum, nempe comestio azymorum eodem in loco, ubi Pascha mactabatur, debuerit necessario peragi, & an azymos non licuerit comedere absque agno, quemadmodum agnum non licebat edere absque azymis Exod. 12. 8, controversum est. Notandum igitur est, è duobus illis principalibus hujus Festi requisitis, mactationem & comestionem agni majoris momenti fuisse, quam esum azymorum. Nam per sanguinem agni conservati sunt Israëlitæ à cæde, quam Angelus transiens Ægyptum exercuit. Præcepto de comedendo agno etiam præceptum de

azymis edendis adjunctum fuit. Cum igitur graviſſimis impedimentis intervenientibus, agnus mactari non poterat, credibile eſt, Judæos ad edenda azyma & ſervandas reliquas Ceremonias illius feſti non fuiſſe Lege obſtrictos, ſed eos qui id nihilominus fecerunt quam religioſiſſime, feciſſe id ſponte ſua in honorem & gloriam Dei. Alia ratio eſt Sabbathi, circumciſionis, aliorumque id genus mandatorum, quæ nulli loco certo erant alligata: de iſtis nullum eſt dubium, Judæos ad ea ſervanda ubivis terrarum per Legem obſtrictos fuiſſe.

V. Neque vero dici poteſt, eos contra Legem egiſſe, inque eam peccaſſe, qui hoc modo feſtum iſtud, cum aliter non potuerint, celebrarunt. Nam agnum quidem ad hoc feſtum mactare extra locum divini cultus vetitum erat: at non erat vetitum, Deum laudare, celebrare, & pro beneficiis ei gratias agere, quocunque id etiam in Orbis fieret loco. Quod autem ſimul etiam à fermento per ſeptem dies abſtinuerint, in eo nihil adverſus Legem fecerunt. Si qui peregre profectus vel immundus erat, ideoque Paſcha primo menſe celebrare non poterat, obſtrictus erat altero menſe id celebrare. Num. 9. 10, 11. Sed hic ſubtelligendum eſt, ſi is interea venire in illum locum, ubi Paſcha celebrandum erat, poſſit, vel à ſua immunditie (quæ aliquando diutinum tempus durabat) purgari. Quod ſi vero per integrum annum quiſpiam fuerit impeditus, extra dubium eſt illum Lege iſta haud teneri. Neceſſitas enim & impoſſibilitas ſupra Legem eſt. Si igitur hi, quibus prægnantes cauſæ feſtum iſtud mactatione agni celebrare non permittebant, Legem haud violabant, etſi feſtum id plane omitterent, & non obſervarent; quanto minus eam violaſſe cenſendi ſunt, qui id non totum quidem, ſed tamen ex parte, quatenus potuerunt, ad honorem Dei obſervarunt.

VI. Porro apparet, hoc Memoriale Paſcha, non ſolum à procul remotis & longe profectis, celebratum fuiſſe in locis ac terris, in quibus tunc verſabantur, verum etiam in ipſa Hieroſolyma à talibus id obſervatum fuiſſe, qui propter graviſſimas cauſas commune bonum totius regionis aut populi ſpectantes, nec moram ullam ac dilationem ferentes, verum tempus expectare nequibant, ſed dare ſe itineri cogebantur, & ad verum tempus reverti non poterant. Itaque ex talibus, qui religioſiores erant, anticipabant Paſcha, & certis cum ritibus, ſed abſque mactatione id celebrabant. Atque hac ratione videtur Chriſtus quoque ultimum Paſcha ante tempus celebraſſe, quia verum tempus expectare non poterat, ſed illo die quo Paſcha mactari debuit, moriendum ei fuit. Propterea mandat diſcipulis ſuis, ut dicant ei, apud quem Paſcha celebraturus erat *Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt*, id eſt, excludor tempore, mihi enim moriendum eſt, non poſſum tam diu expectare, donec ipſum verum ac legitimum tempus adveniat) *apud te faciam Paſcha cum diſcipulis meis.* Vide infra cap. - - art. - -

VII. Hoc autem Paſcha Mnemonicum ſeu Memoriale abſque mactatione agni Chriſtus quoque celebravit cum diſcipulis ſuis pridie, vel forſan initio illius diei, quo Judæi Paſcha mactarunt: idque graviſſimis de cauſis, ut infra cap. 13. intelligetur.

CAPUT XII.

Quibus cum ceremoniis olim, adeoque etiam tempore Chriſti celebratum ſit à Judæis Paſcha, potiſſimum ex celeberrimo Judæorum Rabbino Maimonide depromptum.

NUnc animus breviter & quaſi in compendio proponere, quibus ceremoniis & quo ordine ferme Judæi olim, adeoque & circa illud tempus quo Chriſtus in terris vixit, Paſcha celebrarint. Etſi enim Judæorum ſapientes diverſis temporibus in ceremoniis aliqua mutare potuerint, ac corrige, præcipua tamen capita, quæ nobis hic potiſſimum ſpectanda ſunt, permanſerunt non mutata, ſed omnibus temporibus conſtanter & ſumma cura ſunt à Judæis obſervata.

II. Duæ autem Cœnæ ſimul inſtituebantur, vel ut alii volunt, Cœna in qua Paſchalis agnus comedebatur in duas dividebatur partes, in prima tantum apponebatur ſacrificium ſeu agnus, quæque ad eum pertinebant: in altera parte alii cibi. Nos ritus ac Ceremonias, quæ in utraque Cœna adhibebantur, ordine recenſebimus.

III. Quod ergo ad primam attinet, ubi Paterfamilias cum ſuis domeſticis vel ſociis in locum Cœnæ deſtinatum convenerat, antequam accumberent menſæ, infundebatur vinum in poculum, quod Paterfamilias primum oratione hujuſmodi conſecrabat: *Benedictus ſis, ô Domine Deus noſter ô Rex mundi, qui fructum vitis condidiſti* &c. Et poſtea certa formula conſecrationis, quæ illo tempore ac illo die adhibebatur, feſtum initiabat. Deinde bibebat ex poculo, quod porro ordine reliqui bibentes exhauriebant.

IV. Secundo Paterfamilias benedicens lotioni manuum, ipſe ſuas abluebat manus, quem poſtea & alii ſecuti ſunt. Non meminit quidem Rabbi Maimon, neque hodierni Judæi in ſcriptis ſuis, quæ de ritibus Eccleſiæ conſignarunt, expreſſam mentionem faciunt lotionis pedum. Sed res ipſa nihilominus docet, eos etiam lotione pedum uſos fuiſſe. Lotio enim in univerſum ſpectabat ad illam munditiem, quæ in Lege præſcripta erat, cujus obſervantiſſimi fuêre Judæi ſub Chriſti tempus, (ut ad Matthæi 15. 2. & Marc. 7. 4 annotavimus) ne forte per contactum rei impuræ inſcii & præter voluntatem ſuam contaminarentur, præſertim in foris & plateis, ubi non facile præcaveri poterat, quin in populi maxima frequentia aliquando Ethnici, publicani peccatores, aliæque res immundæ attingerentur. Quam pollutionem ut caverent, & ne, ſi illotis manibus cibum caperent, etiam cibi immundi rederentur, idcirco ante cibum ſemper lavabant manus, & quidem pugno uſque ad cubitum. Quia vero mos erat in Judæa, ut multi nudipedes eſſent, multi apertis uterentur calceis, qualibus hodie Monachi, qui diſcalceati vocantur, uti ſolent; unde fiebat, ut pedes pulvere & Cœno conſpurcarentur facile; neutiquam credibile eſt, eos pedibus illotis ac pol-

ac pollutis menſæ accubuiſſe, præſertim tempore tam ſolennis feſti. Quod autem Maimon, & qui hodie ſunt Judæi, lotionis pedum non meminerint, quodque etiam hodie non amplius in uſu ſit, ejus rei hæc dari poteſt cauſa, vel quod lotionem pedum incluſerint lotioni manuum, vel (quod probabilius eſt) quod mos utendi apertis calceis, qui loris ſuperne alligabantur pedi, jamdudum exoleverit, ideoque lotio pedum pro neceſſaria minime habeatur. At Chriſti tempore alia vigebat conſuetudo, ita ut lotio pedum tunc ad perfectam munditiem in Lege præſcriptam omnino neceſſaria fuerit. Hoc ita ſe habere, colligi etiam poteſt ex eo, quod Chriſtus apud Lucam cap. 7. 44. ad Simonem Phariſæum de muliere dicit: *Ingreſſus ſum domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lachrymis rigavit pedes meos*, &c. Atque ex hoc more Judæorum tam pedes quam manus ad Cœnam lavandi, profectum eſt, quod Chriſtus ab ultima Cœna ſua ſurgens diſcipulis ſuis pedes laverit Johan. 13. 4, 5. non quod paterfamilias ſoleret domeſticis ſuis lavare pedes, ſed quia mos ferebat, ut convivis pedes lavarentur, Chriſtus volens exemplum humilitatis in ſe exhibere, & peculiare myſterium diſcipulis ſuis ſimul indicare, ipſe manibus ſuis lotionem illam peregit. Hinc jam elucet, controverſiam illam, quæ eſt inter doctiores Judæos, An ſcilicet primum poculum ante lotionem (ut vult Maimon) anne vero poſtea demum exhauſtum fuerit? facile poſſe decidi. Cum enim lotio ad purificationem in Lege mandatam pertineret, veriſimile eſt, nihil quod ad hunc ſanctum actum ſpectabat, illotis manibus attrectatum aut peractum fuiſſe.

V. Tertio, poſt lotionem abſolutam menſa inferebatur, eique imponebatur aſſatus agnus Paſchalis, aliaque ſacrificia, quæ pro illo feſto mactata erant: (de quo Numer. 28. 19, 20.) & azymi panes orbiculares ac tenues, repoſiti inter duo puralintea: nec non acetaria confecta ex amaris herbis, ut cichorio, & ebulo agreſti, una cum patina continente embamma quoddam, quod alii putant fuiſſe acetum, alii dulce fuiſſe cenſent. Hodie autem (inquit Maimon) poſt everſionem ſecundi Templi, duplex caro apponitur, una in memoriam agni, altera in memoriam aliorum ſacrificiorum illius diei.

VI. Quarto, Poſtea admovent manus cibis, ac primum paterfamilias, aliquid ſumit ex amaris herbis, & deinceps alii herbas in embamma intingentes accipiunt ac comedunt. Sed ante tamen Paterfamilias brevi oratiuncula utitur; *Benedictus ſis, Domine Deus noſter, ô Rex univerſi, quod nobis præceperis veſci amaris herbis.*

VII. Quinto, Hoc peracto, removetur menſa, & ſecundo poculum impletur. Menſa propterea removebatur, ut liberis anſa daretur, cur id fiat interrogando, & porro amplius de hoc feſto ſciſcitandi. Prodibat enim tunc puer, & interrogabat ea de re: idque fiebat propter illa verba Exod. 12. 26. *Et erit, quando dicent filii veſtri vobis: Quid ſibi vult hic cultus veſter? ut dicatis eis, ſacrificium Paſchæ Domini eſt, qui tranſivit præter domos filiorum Iſraëlis in Ægypto, cum caederet Ægyptios, & familias noſtras ſervavit.*

VIII. Tum illis ſequentia ad eorum inſtructionem prælegebantur: *Quodnam eſt diſcrimen inter hanc noctem & alias? In eo primum, aliis noctibus non intingimus, ne ſemel quidem; hac nocte autem bis intingimus. Secundo, aliis noctibus edimus panes fermentatos & azymos promiſcue: hac nocte ſolum azymos. Tertio, aliis noctibus veſcimur carnibus aſſatis, frixis, & coctis: hac nocte tantum aſſatis. Quarto, aliis noctibus utimur aliis herbis; hac nocte nonniſi amaris. Tandem aliis noctibus edimus ſedentes vel jacentes; hac nocte vero ſolummodo jacentes.* Ubi addit Maimon: *Hodie non dicimus, Hac nocte tantum aſſatis carnibus veſcimur; quia non habemus ullum Sacrificium;* id eſt agnum Paſchalem, qui olim mactabatur.

IX. Septimo. Poſtmodum legebatur è Scriptura hiſtoria de ſervitute Ægyptiaca, & de liberatione ex ea, ſimulque brevis adjungebatur explicatio omnium illius hiſtoriæ partium.

X. Octavo. Menſa rurſus ſuo loco reponitur, & quæcunque in ea fuerant, conſecrantur ad uſum Sacræ Cœnæ. Nimirum dicebat Paterfamilias: *Hoc Paſcha edimus ideo, quia Dominus præterivit domos patrum noſtrorum in Ægypto. Scriptum eſt enim: Et dicetis: Hoc ſacrificium eſt Paſcha Domini.* Dein accepta in manus patina cum amaris herbis, elevat eam & dicit: *Hæ ſunt amaræ herbæ, quibus veſcimur propterea, quod Ægyptii vitam majorum noſtrorum amaram reddiderint in Ægypto. Scriptum eſt enim: Et effecerunt vitam eorum amaram.* Exod. 1. 14. Porro accipiens placentam azymi panis, elevanſque eam dicit: *Hic eſt panis ille azymus, quem idcirco comedimus, quia Dominus farinam ſubactam in mactris patrum noſtrorum non eſt paſſus fermentari, donec eis appareret Dominus & eos illico liberavit. Scriptum eſt enim: Et coxerunt farinam illam ſubactam, quam ſecum ex Ægypto tulerant* Exod. 12. 39. [Notandum, hæc verba: *Hic eſt panis ille azymus*, &c. non legi in libris Hiſpanicorum & Italicorum Judæorum, qui de ceremoniis ac ritibus Eccleſiaſticis conſcripti ſunt; ſed eorum loco talia haberi: *Hic eſt panis ille afflictionis, quem Patres noſtri comederent in Ægypto* (ex Deuter. 16. 3.) *Quiſquis eſurit, veniat & edat; quiſquis indiget, accedat & ſumat de ſacrificio agni Paſchalis.*] Pergit poſtea ulterius, ac dicit: *Quapropter debemus confiteri, laudare, celebrare, deprædicare, extollere & glorificare Dominum, qui noſtris patribus & nobis omnia iſta ſigna & miracula fecit, quique nos eduxit è ſervitute in libertatem, è triſtitia in lætitiam, ex tenebris in lucem clariſſimam. Idcirco ipſi dicamus Canticum: Laudate Dominum, laudate eum omnes ſervi ejus*, &c. Pſal. 135. quem recitat, & ſimul Pſalm 114. & 115 totum. Concludit tandem his verbis: *Benedictus ſit Dominus Deus noſter, Rex totius mundi, qui nos patreſque noſtros liberavit ex Ægypto, & ad hanc uſque noctem conſervavit, qua edimus azyma & amaras herbas.* Hiſce temporibus autem (addit Maimon) hæc verba ſubjiciuntur: *Dominus Deus noſter & Deus Patrum noſtrorum faxit, ut reliqua etiam ſolennia feſta celebremus in pace & gaudio ſuper reſtaurationem civitatis tuæ, & ſuper cultum tuum, ut edamus de ſacrificiis & agnis Paſchalibus, quorum ſanguis ad tuum altare profunditur, ad placitum tuum: utque canamus tibi*

novum canticum pro noſtra liberatione, & pro liberatione noſtrarum animarum. Benedictus eſto tu, qui liberas Iſraëlem.

XI. Nono. Deinde benedicitur alterum poculum, quod ante implebatur, hoc modo: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex univerſi, quod fructum vitis creaveris* &c. & ordine ebibitur.

XII. Decimo. Poſtea Paterfamilias benedicit lotioni, & lavat manus ſuas ſecunda vice.

XIII. Undecimo. Porro accipit paterfamilias duos azymos panes, & unum frangit in duas partes, reponitque partem unam in patinam, alteram vero ponit penes ſe ſub linteo. Accipienſque in manus patinam ſic precatur: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex univerſi, quod hunc panem è terra produxeris.* Cauſa autem (inquit Maimon) cur non totum panem benedixerit, ſicut in aliis feſtis fieri ſolet, ſed partem tantum, hæc fuit; quod ſcriptum ſit, hunc eſſe panem afflictionis Deut. 16. 3. Pauperum enim mos eſt, ut integrum non habeant panem, ſed partes tantum & fruſta panis, quæ mendicando collegerunt. Itaque hic etiam panis non integer ſumitur, ſed fruſtum tantum ex eo.

XIV. Duodecimo ſumens fruſtum azymi panis è patina, frangit ex eo particulam ac bolum magnitudine oleæ, involvitque cum amaris herbis, ac intingit in embammate, benedicens: *Benedictus ſis Domine Deus noſter Rex univerſi, quod nobis præceperis veſci pane azymo & amaris herbis* &c. Et ſic demum comedit diſtribuitque ordine etiam aliis. Si quis autem (inquit Maimon) azymum panem ſeorſim, & amaras herbas etiam ſeorſim edere velit, tum ſingula benedicit ſeparatim.

XV. Decimo tertio. Poſt hæc benedicit Paterfamilias Sacrificia illius diei, dicens: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex univerſi, quod nobis præceperis edere de Sacrificiis.* Et his dictis capit ex eis & comedit; idem faciunt & cæteri. Dehinc benedicit agnum Paſchalem, his verbis: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex univerſi, quod nobis præceperis edere Paſcha.* Peractaque benedictione decerpit partem aliquam ex agno & comedit; quem ſequuntur in eo reliqui. Hodie (inquit Maimon) quia nulla Sacrificia neque agnus Paſchalis mactatur, poſt pronunciata illa benedictionis verba: *quod panem hunc è terra produxeris*; rurſus benedictio pronunciatur, *quod nobis præceperis veſci pane azymo*, boluſque ex pane defractus intinguitur à patrefamilias in embammate, & comeditur. Deinde pronunciatur benedictio ſuper amaras herbas, eæque intinguntur in embammate ac comeduntur. Non ſinit autem paterfamilias (ait Maimon) diu herbas illas in embammate manere, ne ſapor earum amarus dulcedine embammatis immutetur. Poſtea iterum ſumit particulam azymi panis cum amaris herbis, & intinctam comedit abſque benedictione; nempe in memoriam deſolati ſanctuarii. Atque ſic peracta eſt prima Cœna, vel ut alii malunt loqui, prima pars Cœnæ: quæ ſane ceremonialis magis quam vera Cœna fuit.

XVI. Decimo quarto. Succeſſit dein altera conſueta cœna, in qua omnis generis cibi, carnes & fructus terræ, pro cujuſque facultate ac voluntate apponebantur, & ex iis capiebat & bibebat quiſque quantum voluit.

XVII. Decimo quinto. Poſt abſolutam Cœnam denuo paterfamilias & conſequenter etiam alii ſumebant particulam aliquam de agno Paſchali, eaque comeſta nihil amplius cibi capiebant, ut ſapor ex agno ultimus in ore remaneret. Hodie (dicit Maimon) concluditur Cœna particula ſumpta de azymo pane (quem paterfamilias ſupra Articulo 13. ſub linteo poſuerat, ut nonnulli exiſtimant) neque amplius poſtea comedunt.

XVIII. Decimo ſexto. Tunc lavantur manus tertio, & tertium poculum infunditur: poſtque pronunciatam ſuper eo benedictionem ordine exhauritur.

XIX. Decimo ſeptimo. Quartum poculum impletur, & canticum ſuperius (Articulo 10. ex Pſal. 135.) inchoatum, ad finem recitatur, benedictioque, *quod fructum vitis creaveris*, pronunciatur, & ebibitur. Inde canebatur integer Pſal. 136: *Celebrate Dominum, quia bonus eſt* &c. eoque cantu cœna claudebatur. Ultimum hoc poculum pro præcipuo & ſanctiſſimo habebatur, ac propter canticum, quod ad id canebatur, poculum cantici dicebatur. Subnectit autem Maimon, liberum quoque fuiſſe, ſi quis vellet, Pſalmum hunc canere ad quintum poculum, idque ebibere. Sed ad hunc quintum neminem fuiſſe obligatum, uti ad quartum. Poſt cœnam vero illa nocte nihil aliud licebat bibere, quam aquam. Et tantum de his.

XX. Hactenus egimus de Feſto azymorum in genere, quomodo à Judæis antiquitus celebratum fuerit, & hodie celebretur. Jam nobis in ſpecie agendum eſt de ultimo Paſchate, quod Chriſtus ſub tempus mortis ſuæ cum diſcipulis ſuis celebravit.

De Ultimo Paſchate, quod Chriſtus cum ſuis diſcipulis paulo ante Paſſionem & Mortem ſuam celebravit.

CAPUT XIII.

De tempore, quo Chriſtus hoc Paſcha celebravit, deque eo, quod id ſine mactatione celebraverit.

I. DE ultimo Paſchate, quod Chriſtus pridie ante paſſionem ac mortem ſuam cum diſcipulis ſuis celebravit, jam inde à primis Chriſtianis magna fuit controverſia inter doctos & doctores Eccleſiæ: quonam ſcilicet tempore Chriſtus id celebraverit? Duæ autem ſunt præcipue ea de re diſcrepantes ſententiæ. Quidam ſentiunt Chriſtum Paſcha eodem die ſimul cum Judæis celebraſſe. Alii vero ſtatuunt, eum uno die Judæos in celebrando Paſchate prævertiſſe. Hi poſteriores rurſus in duas abierunt partes. Aliqui enim cenſent, Chriſtum quidem prius celebraſſe Paſcha, quam Judæos, ſed tamen non ante tempus in Lege definitum, nempe non ante decimum quartum diem menſis Niſan, illud celebraſſe: Judæos vero feſtum, quod tunc in diem, Sabbatum proximè

proximi præcedentem cadebat, tranſtuliſſe in Sabbatum, pro conſuetudine illa, de qua dictum eſt ſupra cap. XI. artic. 3. Ut ita Chriſtus juxta Legem, Judæi juxta ſuam traditionem Paſcha celebrarint. Alii autem arbitrantur, Judæos feſtum haud tranſtuliſſe, ſed id illo anno directe in Sabbatum incidiſſe, Chriſtumque uno die citius, quam in Lege præceptum erat, Paſcha celebraſſe. Quæ ultima ſententia videtur eſſe maxime veritati conſentanea.

II. Quod primam ſententiam attinet, quod Chriſtus una cum Judæis uno eodemque die Paſcha celebrarit, adverſus eam militant hæ ſequentes rationes. Primo Johannes clare teſtatur, cap. 13. 1, 2. Chriſtum ante Feſtum Paſchatis cœnam peregiſſe: illam nimirum cœnam, in qua proditus eſt. Conſer ℣. 21. Secundo ait idem Johannes cap. 18. 28, quod cum Judæi Chriſtum mane à Caipha ad prætorium adduxiſſent, introire in prætorium noluerint, ne contaminarentur, ſed ut edere poſſent Paſcha. Atqui Chriſtus jam tunc comederat Paſcha præcedenti nocte; Judæi autem demum id edere debebant, ſequenti ſcilicet nocte, ut ex Joh. 19. ℣. 14 patet, ubi hic idem dies Paraſceve Paſchæ appellatur. Paraſceve autem, ut ſupra oſtenſum cap. 4. artic. 12. eſt dies ille, cujus veſpertino tempore agnus mactabatur, quemque ſecuta nocte, quæ jam ad ſequentem diem pertinebat, abſumebatur & edebatur. Tertio Johannes vocat Sabbatum illud, quod Paraſceven conſecutum eſt, Magnum Sabbatum cap. 19. 31. Tunc autem Sabbatum Magnum dicebatur, quando aliquod è Magnis feſtis, v. g. Paſcha Pentecoſte, vel feſtum Tabernaculorum in Sabbatum incidebat. Quarto cum Chriſtus Joh. 13. 27, ad proditorem ſuum Judam dixiſſet: *Quod facis, fac cito*; ſubjungit Johannes ℣. 29, reliquos diſcipulos exiſtimaſſe, ei injunctum eſſe, ut emeret ea quæ ad feſtum erant neceſſaria. Ex quo clarum eſt, Chriſtum cœnam ſuam ante feſtum abſolviſſe: qua de re vide dicta ad Johannem. Quinto ſi Chriſtus una cum Judæis Paſcha comediſſet, in ipſo die feſto Paſchatis, primo ſcilicet die, quo nullum opus facere licebat Exod. 12. 16, crucifixus fuiſſet, omniaque quæ de perpeſſionibus ejus legimus, acta fuiſſent, etiam corpus ejus de cruce ſublatum & in monumentum illatum fuiſſet. Hæc enim omnia facta ſunt illo die cujus nocte præcedenti Chriſtus Paſcha celebravit. Neutiquam vero credibile eſt, Judæos tam ſolenne feſtum contaminare voluiſſe, cum iidem ne prætorium quidem ingredi vellent, ne ſe polluerent, & inidonei ad obeundum feſtum redderentur. Ex quibus omnibus liquido patet, Chriſtum citius quam Judæos Paſcha celebraſſe. Sexto idem confirmatur verbis Chriſti Matth. 26. 18, ubi jubet diſcipulos ſuos ire in urbem ad quendam, eique dicere: *Magiſter dicit*; *Tempus meum prope eſt, apud te faciam Paſcha.* Ex eo enim non obſcure colligitur, tum quod Chriſtus more ſolito citius Paſcha comederit, tum ſimul etiam cauſa intelligitur, ob quam id fecerit. Nam verba, *apud te faciam Paſcha*, nihil aliud ſibi volunt, quam ſi dictum eſſet: ſtatim, ſine mora, hoc ipſo tempore volo apud te Paſcha facere. Cauſa vero redditur, quia *tempus meum prope eſt*, nempe tempus moriendi, ſeu mortis meæ. Indicare enim voluit Chriſtus his verbis, ſe non ſupervicturum uſque ad verum ac legitimum tempus. Eodem reſpiciunt & illa verba Chriſti Luc. 22. 15: *Deſiderio deſideravi manducare Paſcha vobiſcum, antequam patiar.* Deus quoque rem ita moderatus eſt ac direxit, ut eum nihil impedierit; ſtatim enim omnia invenit parata atque inſtructa: ut ex Marc. 14. 15. & Luc. 22. 12 cernitur; ita ut Chriſtus eo ſe è veſtigio contulerit, menſæque accubuerit.

III. Celebravit autem Chriſtus Paſcha uno die citius, quam Judæi. Ex hiſtoria enim Euangelica conſtat, Chriſtum illa nocte, cujus initio Paſcha manducavit, proditum, captum, & ad Annam ac Caipham, & à Caipha in Prætorium eſſe adductum: ubi circa ſextam horam (id eſt, circa meridiem) à Pilato morti adjudicatus, & poſt latum decretum mox in crucem actus fuit Joh. 18. 3, 12, 13. XIX. 14, 18. Hinc hora nona expiravit Matth. 27. 46. Unde manifeſtum eſt, Chriſtum eodem die Paſcha ediſſe, quo Judæi Paſcha mactarunt. Nimirum Chriſtus id comedit initio diei decimi quarti Niſan, qui cum nocte incipiebat; Judæi autem ad finem iſtius diei, nempe veſperi, agnum mactarunt: quem mox inſequenti nocte, quæ ad diem decimum quintum pertinebat, manducarunt.

IV. Quod autem attinet argumenta eorum, qui putant, Chriſtum Paſcha una cum Judæis celebraſſe, ex iis palmarium hoc eſt, quod Matthæus cap. 26. 17, dicat, diſcipulos Chriſti primo die Azymorum interrogaſſe eum, ubi Paſcha manducandum parare deberent. Marcus ait cap. 14. 12: *Primo die Azymorum, quando Paſcha mactabant, dicunt ei diſcipuli ejus: Quo vis ut abeamus & paremus, ut manduces Paſcha.* Lucas vero cap. 22. 7: *Venit autem dies Azymorum, in qua oportebat mactari Paſcha.* Jam vero primus dies Azymorum eſt, is quo Paſcha manducabatur, qui eſt quindecimus menſis Niſan: quando ſcilicet ſeptem dies azymorum numerantur, ſecundum Legem. Sed quando octo dies numerantur, ut ſupra cap. 9. Artic. 6. indicatum, tunc primus dies azymorum eſt decimus quartus, cujus veſpere Paſcha mactabatur. Sumatur igitur ſive primus è ſeptem, ſive primus ex octo diebus, tamen (inquiunt) ex adductis Euangeliſtarum verbis colligitur, diſcipulos Chriſtum eodem die interrogaſſe, quo Paſcha mactari debuit: nempe die decimo quarto illius Menſis Niſan. Unde ſequitur, Chriſtum nocte, quæ mox conſecuta eſt, quæque ad diem decimum quintum jam ſpectabat, adeoque eodem die Paſcha manducaſſe, quo Judæi. Verum ad id facilis eſt reſponſio. Nam argumenta ſuperius articulo 2. hujus capitis allata, quæ monſtrant, Chriſtum ante Judæos Paſcha celebraſſe, tanti ſunt ponderis, ut eorum gratia hæc allegata ex Euangeliſtis loca benignam interpretationem admittant. Et Lucæ quidem verba cæterorum explicationi ſervire poſſunt. Lucas enim nominat diem azymorum, *in quo oportebat Paſcha mactari*, qui eſt decimus quartus, adeoque primus dies azymorum, ſi octo dies numerentur. Cum vero dicit, *Venit dies azymorum*, id ita intelligendum eſt, quod veſpera diei tredecimi jam adfuerit, & decimus quartus (id eſt, primus dies azymorum) appropinquarit, qui cum proxime inſtante nocte incipiebat. Lucas

NB Tempg

enim

enim non dicit, horam mactationis jam adveniſſe, ſed diem illum veniſſe, quo Paſcha mactari oportuit, cujus dies à ſera veſpera & nocte ducebat initium. Eſtque locutio iſta valde frequens & uſitata, ut dicatur, diem veniſſe, quando mox dies ille inchoandus eſt. Ita loquitur etiam Matthæus cap. 26. 71. *Cum Petrus exiret*, id eſt, cum in eo eſſet, ut exiret, cum jamjam exiturus eſſet. Vide ibidem. Hinc ergo etiam verba apud Matthæum & Marcum facile intelligi poſſunt, nempe, quod uterque primum diem azymorum nominarit, quia jam proxime inſtabat. Euangeliſtæ enim non adeo accurate temporum momenta & horas in deſcribendo obſervarunt. Ita inquit Marcus, Chriſtum cruci affixum eſſe circa horam tertiam: Lucas vero cap. 23. 44. ait id factum eſſe circa horam ſextam. Nimirum quia tempore intermedio inter horam tertiam & horam ſextam crucifixus fuit.

V. Quod vero illos ſpectat, qui concedunt quidem Chriſtum occupaſſe Paſcha celebrare ante Judæos, ſed ajunt à Judæis tranſlatum fuiſſe feſtum in Sabbathum, eorum ſententia hoc potiſſimum fulcitur tibicine: quod Chriſtus toto vitæ ſuæ ſpatio Legis obſervantiſſimus fuerit, eamque perfectiſſimo modo etiam in minutiſſimis rebus impleverit; quare nequaquam eſſe credibile, eum hoc ultimum Paſcha extra præfixum in Lege tempus celebraſſe. Cumque Chriſtus citius id celebrarit, quam Judæi, exinde neceſſario colligendum eſſe cenſent, Judæos haud legitimo tempore id celebraſſe, videlicet juxta ſuas Traditiones id transferendo in Sabbathum. Sed hæc ratio eſt nullius momenti. Etenim Chriſtus eo ipſo Legem perfectiſſime ſervavit, & Spirituali ſenſu (qui eſt primarius) eam implevit, dum illo ipſo die, & illa ipſa hora, qua typicus agnus Paſchalis à Judæis ſecundum Legem mactatus eſt, ipſe tanquam verum Paſcha & agnus immaculatus, qui peccata mundi ſanguine ſuo tollere debuit, in cruce immolatus fuit. Non tranſgreditur enim is Legem ullo modo, ſed implet eam potius, qui loco umbræ ac figuræ Legalis rem ipſam exhibet. Mactatio autem agni fuit præcipua pars Paſchatis, non vero ritus illi, qui in Cœna adhibebantur: quos ritus ac Ceremonias, quia Chriſtus non poterat legitimo & in Lege præſtituto tempore exercere, quandoquidem ipſe, (ut dictum eſt) victima eſſe debebat, ideo eas ante tempus exercuit cum omnibus illis circumſtantiis ac ſolennitatibus, quæ tunc in uſu erant. Quamobrem Chriſtum non hoc impediit, quominus una cum Judæis Paſcha celebraret, quod noluerit violare Legem, ſed mors ejus. Eſtque omnino credibile, Chriſtum etſi Legem ſumma cura obſervaret, non tamen illis conſuetudinibus, circumſtantiis ac ritibus, qui ab antiquis temporibus inoleverant, & tunc inter Judæos recepti erant, cum per eos rei principali nihil decederet, ſe præfracte oppoſuiſſe. Jam vero tranſlatio Paſchatis ex certis ac juſtis cauſis, & in certis caſibus, non erat res ejuſmodi, ut per eam Lex violaretur; quemadmodum ſupra cap. 11. artic. 11 docuimus. Proinde Chriſtus nullam habuiſſet cauſam, objiciendi ſe odio ſummo totius Judaici populi, & Paſcha præter conſtitutum ordinem celebrandi, niſi eum alia & quidem prægnantior cauſa, nempe mors ejus inſtans, eo adegiſſet.

VI. Ex dictis quoque perſpicuum eſt, Chriſtum Paſcha hoc celebraſſe, & uſitatam Cœnam peregiſſe abſque mactatione agni Paſchalis. Nimirum is tantum Memoriale Paſcha celebravit; uti ſolebant facere, qui procul ab Hieroſolyma diſſiti erant: de quo nobis actum eſt ſupra cap. 11. artic. 3. Non poterat enim agnum Paſchalem mactare, cum ipſe vero tempore mactationis, tanquam verum Paſcha mactari debuerit. Et quoniam mactatio agnorum ac victimarum ſolummodo à Sacerdotibus fieri debebat, ut ſupra cap. 2. artic. 3 demonſtratum eſt: dubitari non debet, quod nullus Sacerdotum Chriſto agnum ante tempus mactaturus fuiſſet; Chriſtus quoque à nemine id, utpote rem prorſus inſolitam, poſtulare auſus fuiſſet. Quod autem Ceremonias obſervarit ante tempus, id non adeo inſolitum erat, cum id etiam ab aliis aliquando fieret, ut ſupra cap. 11. artic. 1. 11 declaratum; & etiamſi quoque inſolitum fuiſſet, nemo tamen ullo jure poterat ei id prohibere, cum in eo Legi contrarium nihil fieret. Nam obſervatio illarum ceremoniarum quæ una cum mactatione & eſu agni adhibebantur, non fuit ad tempus certum adſtricta. Qua enim Lege prohibitum eſt, ſi quis voluiſſet per integrum annum azymis veſci & Deo pro liberatione ex Ægypto proque aliis beneficiis agere gratias?

CAPUT XIV.

De Inſtitutione Cœnæ, & Memoriæ mortis Chriſti.

I. DOminum noſtrum Jeſum Chriſtum in ultimo Paſchate eaſdem obſervaſſe Ceremonias, quibus tunc utebantur Judæi, nulla eſt cauſa dubitandi, & indicia quoque ejus rei ſufficientia apud Euangeliſtas deprehendere licet. Ut autem Euangeliſtæ omnes & ſingulas ceremonias accurate deſcriberent, nihil cauſæ fuit: cum illæ unicuique & ferme etiam pueris notæ paſſim fuerint, neque ad eorum propoſitum ulla ex parte pertinuerint. Sufficiebat eis id narrare, quod partim ipſa hiſtoriæ deſcriptio, ut commemoraretur, poſtulabat, partim ad ea pertinebant, quæ Chriſtus tunc temporis peculiariter fecit, quæque adeo ad propoſitum eorum ſpectabant. Inter hæc autem poſteriori loco nominata præcipuum locum obtinet Inſtitutio memoriæ mortis ejus, quæ vulgo Cœna Domini nuncupatur.

II. Si quis autem conſideret, ritus ac ceremonias, quæ tum illis temporibus, tum hodie quoque in omnibus magnis feſtis inter Judæos, vigent, facile animadvertet, Chriſtum inſtituendo Cœnam ſuam nullas novas invexiſſe ceremonias, (quemadmodum etiam Matth. 3. de Baptiſmo à nobis demonſtratum eſt) ſed eum duntaxat id, quod jam apud Judæos in uſu erat, ad alium finem ac ſcopum ordinaſſe. Tenendum enim eſt, Judæos non ſolum tempore Paſchæ, ſed in aliis quoque feſtis ſolennibus, ſolitos fuiſſe, & etiamnum hodie ſolere, invitare ad Cœnam

Paſcha-

Paſchalem ſuos cognatos, amicos, vicinoſque, ut edentium in domo numerus decem ſuperaret, & viginti non excederet; ac tum appoſitum fuiſſe optimum panem in forma tenuis & rotundæ placentæ: (qui vero ſub tempus Paſchæ azymus erat.) Hunc accipiebat Paterfamilias, & in minutas particulas fractum, (præmiſſa tamen pius oratione ad Deum conjuncta cum gratiarum actione pro creatione panis) ordine convivis diſtribuebat. Itidem poculum cum vino afferebatur, quod paterfamilias oratiuncula Deum pro vitis fructu collaudante conſecrabat, & ex eo ipſe primus, poſtea & alii ordine bibebant. Præterea fiebat commemoratio ejus hiſtoriæ, earumque rerum geſtarum, quæ feſto conveniunt, non ſine hymni cantatione. Et in Paſchate quidem commemorabatur cum gratiarum actione liberatio ex ſervitute Ægypti; in Pentecoſte autem beneficium datæ ac promulgatæ à Deo Legis: in feſto Tabernaculorum vero admirabilis ductio & conſervatio in deſerto. Quemadmodum igitur tempore Paſchæ Paterfamilias conſecratum oratione panem azymum accipiens, & in partes minutiores frangens dabat ſingulis ad menſam accumbentibus ordine, in memoriam panis illius afflictionis, quem patres eorum in Ægypto ederunt, vel illius haud fermentatæ farinæ, ac maſſæ, quam fugientes ſecum aſportare coacti ſunt Exod. 12. 34. Ita Chriſtus panem quoque fregit, diſtribuitque in memoriam ſuæ acerbiſſimæ mortis. Judæi dicebant: *Hic eſt panis ille azymus:* vel, *Hic eſt panis ille afflictionis, quem Patres noſtri comederunt.* Supra cap. 12. artic. 10. Chriſtus vero ait: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*, vel (1 Cor. 11. 24.) *frangitur.* Cumque fideles hunc ritum peragunt, panemque frangunt ac comedunt, dicunt: *Ita corpus ejus fractum eſt.* Frangendo panem azymum Judæi gratias agunt Deo, quod panem ex terra produxerit (ſupra cap. 12. artic. 13.) Fideles Chriſti autem gratias agunt Deo, pro Cœleſti illo pane, quem eis Deus in Chriſto (Johan. 6. 35.) ac præcipue in morte ejus largitus eſt. Judæi gratias agunt non tantum pro illa particula panis, quam tunc comedunt, cum illa non tam ad nutrimentum ac refectionem, quam ad ceremoniam ac præfigurationem adhibeatur: ſed gratias agunt in genere pro pane, quem Deus ad conſervationem ac ſuſtentationem vitæ humanæ produxit. Ita & Chriſtiani non agunt gratias, pro illo pauculo cibo, quo in celebratione hujus Sacræ Cœnæ fruuntur, qui ipſorum animabus alio tempore ſanum alimentum præſtare poſſet (id enim quod tunc comedunt, eſt tantum Symbolum ſeu ſignum ejus rei, qua ſemper per fidem à Chriſto fruuntur) ſed agunt gratias in genere pro cœleſti cibo, quem in Chriſto habent, nempe pro inſigni illo beneficio vitæ æternæ, quam eis per mortem ſuam acquiſivit, & ſic animabus eorum in cibum ſolatii & ſpei vertitur. Eodem modo ſe res habet quoad poculum. Judæi id inter ſe dividendo gratias agunt Deo, quod fructum vitis crearit. Chriſtiani vero commemorant effuſum Chriſti ſanguinem, & cum gratiarum actione celebrant Deum pro ſpirituali ſucco, quem per fidem è Chriſto tanquam vera vite (uti ſeipſum appellat Johan. 15. 1.) hauriunt.

III. Ex iis, quæ hucuſque dicta ſunt liquet, quam ne umbra quidem vel veſtigium ullum in Inſtitutione Cœnæ Domini reperiatur ejus rei, quod Chriſtus ſuum proprium corpus vere manducandum, & ſanguinem ſuum vere ac proprie bibendum dederit. Sicut enim è verbis Judæorum, cum ajunt: *Hic eſt panis afflictionis, quem patres noſtri comederunt in Ægypto*; vel, *Hic eſt panis ille azymus*, &c, concludi non poteſt, Judæos, cum, vel, ſub illa parva panis particula, vel illo ipſo tempore, cum bolum illum panis azymi comederent, revera eundem illum panem comediſſe, quem patres eorum in Ægypto olim comederant; ſed duntaxat panem illum patrum ſuorum, viſibili ſigno particulæ panis repræſentarunt atque adumbrarunt: Ita etiam è verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, nullo pacto colligi poteſt, Chriſtum cum vel ſub particula azymi panis, ſuum verum ac ſubſtantiale corpus, quod tunc oculis omnium cernebatur, ſuis diſcipulis manducandum dediſſe, quocunque tandem modo manducatio iſta accipiatur, & ſive ore, ſive fide fieri dicatur: ſed particula illa panis fuit tantum ſignum & figura corporis illius, quod mox frangi debebat, non ſecus atque tunc panis frangebatur. Quod ſignum fidelibus ſemper quotieſcunque hunc ritum celebrant, in memoriam revocare debet illud ſummum beneficium, quod eis fractione corporis comparatum eſt, idque cum ſubmiſſa gratiarum actione deprædicare debent. Atque hoc etiam de effuſo ſanguine, qui per infuſum in calicem vinum repræſentatur, intelligendum eſt. Ubi præterea monendum, quod Chriſtus iſtis verbis: *Hic eſt ſanguis meus, ſanguis ille Novi Fœderis* Matth. 26. 28. non reſpiciat ad verba benedictionis, quæ à Judæis ad conſecrandum calicem ſeu poculum adhibebantur: (*Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex univerſi, quod fructum vitis creaveris*;) ſed ad alia verba Moſis: *Hic eſt ſanguis Fœderis, quod Dominus vobiſcum pangit*, &c. Exod. 24. 8.

IV. Cum vero Judæi in celebrando Paſchate bis fregerint azymum panem (Vide ſupra cap. 12. artic. 13. & 17.) & poculum quater exhauſerit (Vide ſupra cap. 12. artic. 3. 11. 18, 19.) quæritur merito, Quo tempore fractionis & infuſionis Chriſtus memoriam ſuæ paſſionis ac mortis inſtituerit? Et fractionem quidem panis quod attinet, non ſatis clare ex Maimonide intelligitur, an etiam tempore Chriſti bis facta fuerit. Is enim, ut ſupra cap. 12. artic. 17. annotavimus ex eo, dicit, Hodie Cœnam à Judæis particula panis azymi ſumpta, quæ ſit magnitudine oleæ, claudi. Verum ex verbis Matthæi cap. 26. 26. & Marci cap. 14. 22, *Edentibus autem illis, accepit Jeſus panem*, &c. non tantum perſpicitur, tempore Chriſti panem quoque inter edendum fractum fuiſſe, adeoque illud Maimonidis *Hodie* ſpectare etiam tempora, quæ Chriſtum anteceſſerunt; verum etiam Chriſtum circa tempus ſecundæ fractionis memoriam corporis ſui inſtituiſſe. Quod poculum attinet, Lucas bis ejus meminit verſ. 17. & 20. cap. 22. Primum poculum apud Lucam ſine dubio fuit illud, quo feſtum initiabatur; de quo vide ſupra cap. 12. artic. 3. Alterum eſt ultimum ſeu quartum, quo Judæi Cœnam Paſchalem concludebant:

de hoc

de hoc vide cap. 12. artic. 19. Lucas enim expreſſe ait verſ. 20, Chriſtum accepiſſe ſecundo calicem, *poſtquam cœnavit*. Cum ergo hoc ultimum bibendum eſſet poculum, Chriſtum inſtituiſſe memoriam ſui ſanguinis pro nobis effuſi, non ſolum Lucas dicto loco: ſed & Paulus teſtatur, cum ſcribit 1 Corinth. 11. 25. *Similiter accepit & calicem, poſtquam cœnavit.*

CAPUT XV.

De numero Paſchatum, quæ inter Baptiſmum & Mortem Chriſti interceſſerunt, quodque ultimum illud Paſcha, quo Chriſtus mortuus eſt, tertium fuerit.

I. DE numero Paſchatum, quæ habita ſunt intra tempus, quod inter Baptiſmum & mortem Chriſti interceſſit, quot nimirum Paſchata interea celebrata fuerint: tam inter veteres quam recentiores Eccleſiæ Doctores certatur, non minus quam de tempore, quando ultimum hoc Paſcha Chriſti celebratum fuerit. Sunt enim quidam, qui omnia, quæ Chriſtus à Baptiſmo ſuo uſque ad mortem fecit ac docuit, intra unius anni ſpatium coarctant & includunt. In qua ſententia fuit olim non tantum Valentinianus hæreticus, ſed etiam Clemens Alexandrinus, qui temporibus Chriſti proximus cum fuerit, merito pleniori ac certiori ejus rei notitia quam alii debebat eſſe inſtructus. Sumſerunt autem hanc ſententiam ſuam ex loco Luc. 4. 19: *Miſit me prædicare annum Domini acceptum.* Nonnulli ponunt duos annos. Epiphanius duos annos & 84 dies. Alii ſtatuunt tres. Vulgo autem quatuor anni prædicationi Chriſti attribuuntur. Mercator & Scaliger ad quintum annum uſque ſcandunt. Quot vero annos muneri Prophetico Chriſti aſſignant, totidem etiam Paſchata inter Baptiſmum & mortem ejus conſtituunt.

II. Exponemus primo, qua ratione vulgo quatuor, aut etiam quinque Paſchata è Sacra Scriptura demonſtrari ſoleant. Chemnitius quatuor Paſchata hoc pacto probat. Johannes cœpit baptiſare anno 15 Tiberii, qui annus incipit in menſe Auguſto Anni Juliani 73. & deſinit in Auguſto anni Juliani 74. Atqui dicitur, Johannem cœpiſſe baptiſare ante exitum hujus anni, id eſt, ante Auguſtum anni Julian. 74. Ergo proxime ſequens Paſcha poſt incæptam baptiſationem Johannis, Paſcha nimirum anni Julian. 75. primum fuit: cujus mentio fit Joh. 2. 13.

III. Poſt hoc Paſcha Johannes adhuc baptiſavit Joh. 3. 23. Cum autem Johannes in vincula eſſet conjectus, Jeſus abiit in Galilæam Joh. 4. 1. Ab hac profectione initium ſumunt narrationis Euangelicæ cæteri Euangeliſtæ, Matth. 4. 12. Marc. 1. 14. Poſtmodum ſecutum eſt tempus, illud quando ſegetes jam maturuerant, & diſcipuli evellebant ſpicas & edebant, quod factum eſt Sabbato δευτεροπρώτῳ, id eſt, ſecundo primo, per quod vulgo intelligitur Sabbatum primum poſt Paſcha Matth. 12. 1. Marc. 2. 23. Luc. 6. 1. Fuit proinde hoc alterum Paſcha in anno Julian. 76. Atque hoc Paſcha intelligit Johannes cap. 5. 1, cum inquit: *Poſt hæc fuit feſtum Judæorum & aſcendit Jeſus Hieroſolymam.*

IV. Poſt hoc feſtum collocat Chemnitius miraculum ſaturatorum à Chriſto 5000 hominum Matth. 14. 13. Marc. 6. 33. Luc. 9. 11. Joh. 6. 1. De quo Johannes ait, id factum eſſe, cum proximum eſſet Paſcha vſ. 4, dicti cap. Hoc ergo eſt tertium Paſcha in anno Jul. 77. Ad hoc Paſcha quod Chriſtus venerit Hieroſolymam, nuſquam legitur, ſed hoc tamen legitur, eum poſt hoc Paſcha multas res magnas feciſſe in Galilæa. Abiit autem poſtea Hieroſolymam ad feſtum Tabernaculorum Joh. 7. 2, 10, ibique adhuc fuit ſub tempus Encæniorum hybernorum Joh. 10. 22.

V. Poſtremo venit Hieroſolymam, ut ſubiret paſſiones & mortem, ad Paſcha quartum in anno Jul. 78. Matth. 26. 2. Marc. 14. 1. Luc. 22. 1. Joh. 12. 12.

VI. Hæc ſunt igitur illa quatuor Paſchata, quæ vulgo ab Interpretibus numerantur, qui mortem Chriſti ad annum Jul. 78 referunt. Quia vero Joſephus Scaliger & Mercator feſtum illud, cujus mentio extat Joh. 5. 1, etiam pro Paſchate habent, ſed pro diverſo ab illo, poſt quod diſcipuli vellebant ſpicas, Matth. 12. 1, inde emergunt quinque Paſchata.

VII. Jam vero in utraque iſta ſententia pro conceſſo ſumitur primum, id quod probari nequit: nempe feſtum illud, de quo meminit Johannes cap. 5. 1, fuiſſe feſtum Paſchæ. Quod ſimpliciter negatur. Cum enim Johannes Euangelium ſuum poſt reliquos omnes Euangeliſtas ſcripſerit, ſibique propoſuerit, non ſolum ea ſupplere, quæ alii omiſerunt, ſed etiam quæ cæteri obſcurius & ambigue protulerunt, clarius aliquanto exponere, quid cauſæ habuiſſet, cur feſtum hoc, ſi vel Paſcha, vel Pentecoſte, vel etiam Tabernaculorum fuiſſet, tam generali & obſcuro nomine deſcribere maluiſſet, quam propria & omnibus nota deſignare appellatione? Poterat cogitare, facile fieri poſſe, ut computando tempus prædicationis Chriſti, annus aliquis adjiceretur aut detraheretur vero numero, pro eo, ac verba ejus vel de uno è magnis feſtis, vel de aliquo è vulgaribus acciperentur. Joſephus Scaliger reſpondet: ſi feſtum hoc non fuiſſet unum è tribus maximis feſtis, Chriſtus non iviſſet Hieroſolymam. Vulgaribus enim feſtis Chriſtus intereſſe non ſolebat. Verum unde id novit Scaliger? Chriſti munus erat, non tantum Legem obſervare, ſed præcipue quoque Euangelium prædicare, & populum ad fidem in ſe adducere. Quam ad rem ille commodiſſimas captabat occaſiones, ubi ſcilicet magnus confluxus erat populi. Tales occaſiones autem obtingebant non modo in magnis illis tribus Feſtis, Paſchate, Pentecoſte, & Scenopegia, verum etiam in aliis feſtis, ad quæ populus libenter conveniebat: qualia erant Encænia, quibus etiam Chriſtus interfuit Johan. 10. 22, & feſtum Purim, quod 2 Macch. 15. 37: *Mardochæi feſtum* nuncupatur, eſtque Judæis inſtar Bacchanalium aut hilariorum. Ad quod ferme tanta populi multitudo concurrebat, atque ad

aliquod

aliquod ex tribus maximis feſtis. Eſtque valde probabile, illud feſtum apud Johannem cap. 5. 1, fuiſſe unum ex his duobus, vel Encœnia (quorum tria erant, quibus ultimum Templum dedicatum atque ſacratum eſt, à Zorobabele, à Juda Macchabæo, & ab Herode) vel feſtum Purim. *

VIII. Quod attinet Paſcha illud, quod proxime anteceſſit iſtud Sabbatum, quo diſcipuli per ſata euntes carpebant ſpicas Matth. 12. 1, potuit ſane hoc eſſe Paſcha anni Juliani 74. Demonſtravimus enim alibi, ex unanimi teſtimonio Veterum, Johannem Baptiſtam munus ſuum auſpicatum eſſe die 6 Nov. in anno Julian. 73. & Chriſtum baptiſatum eſſe die 6 Januarii in anno Jul. 74. Statim poſt Baptiſmum ſuſceptum ductus eſt à ſpiritu in deſertum, è deſerto profectus eſt in Galilæam, Luc. 4. 1, 14. In illo itinere Chriſtus iterum venit ad Johannem, à quo præclaris aliquoties teſtimoniis ornatus eſt: omniaque illa tunc geſta ſunt, quæ Johannes Euangeliſta cap. 1. à ℣. 15, uſque ad cap. 2. ℣. 12 deſcribit. Inde Chriſtus petiit Hieroſolymam, ob feſtum Paſchatis, quod illico inſtabat, & ad annum Jul. 74. pertinebat. Joh. 2. 13, quo tempore vendentes & numularios è Templo ejecit; tunc quoque colloquium cum Nicodemo habitum eſt, & reliqua geſta ſunt, quæ cap. 3. uſque ad finem recenſentur. Fuitque id Paſcha primum poſt Baptiſmum Chriſti. Vulgo colloquium modo dictum Chriſti cum Nicodemo in feſto Pentecoſtes fuiſſe inſtitutum, creditur, ob rationem incertam, & miſeram admodum conjecturam, quia nimirum actum in eo ſit de regeneratione ex Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus autem demum in feſto Pentecoſtes effuſus ſit: ſed nihil impedit, quominus hoc colloquium durante feſto Paſchæ vel ſtatim poſt Paſcha habitum fuerit. Poſt hoc Paſcha porro contigit, ut Chriſtus cum ſuis diſcipulis in Judæa, (non in Galilæa) per ſata tranſiret, & diſcipuli ejus vellerent ſpicas.

IX. Hoc loco objici poteſt, tempore modo memorati Paſchatis in anno Jul. 74 celebrati, cujus meminit Joh. 2. 13. Johannem Baptiſtam nondum compactum fuiſſe in carcerem: poſtea enim baptiſavit adhuc Joh. 3. 24. Dein vero elapſis aliquot menſibus loquitur Johannes Euangeliſta cap. 4. 1 ita, ut indicet, Johannem, Phariſæorum cura & calumniis, carceri incluſum eſſe, Chriſtumque hac re motum Galilæam petiiſſe. Porro Johannes decollatus eſt paulo ante editum illud miraculum, quo Chriſtus 5000 virorum in deſerto pavit. Nam iſta fama de morte Johannis impulit eum ad ſuſcipiendum hoc, quod modo diximus, in Galilæam iter, quo eum maxima turba populi in deſertum uſque ſecuta eſt, quam ille deinceps tam miraculoſe cibavit Matth. 14. 13 & ſeqq. Hoc vero inquit Johannes factum eſſe, cum proximum eſſet Paſcha Joh. 6. 4, nempe Paſcha anni Jul. 76. Hiſtoria enim de evulſione ſpicarum ita à tribus primis Euangeliſtis narratur, tanquam acciderit poſt incarcerationem & decollationem Johannis: accidit autem Sabbato δευτεροπρώτῳ, id eſt, ſtatim poſt Paſcha: accidit igitur ſtatim poſt Paſcha non anni Jul. 74. ſed 75. Unde efficitur, ſaturationem illam 5000 virorum, quam tres primi Euangeliſtæ poſt evulſionem ſpicarum factam referunt, (confer Matth. 12. 1, cum ejuſdem Matth. 14. 13, contigiſſe paulo ante Paſcha anni Julian. 76. Hiſce ſic conſtitutis, Paſchata hoc ordine ſequerentur. Primum eſſet Paſcha anni Julian. 74, ad quod Chriſtus venit Hieroſolymam Joh. 2. 13. Alterum foret Paſcha anni Jul. 75. quo abſoluto diſcipuli vulſerunt ſpicas Matth. 12. 1. Tertium eſſet Paſcha anni Julian. 76. quo appropinquante, Chriſtus 5000 virorum ſaturavit. Quartum denique illud Paſcha anni Julian. 77. quo Chriſtus mortuus eſt. Quæ ſententia in eo differt ab illa Chemnitii ſententia, quod per eam Paſcha mortis Chriſti in anno Julian. 77 ponatur, Chemnitius autem id in anno Jul. 78 collocet

X. Verum hæc tota Objectio nititur hoc fundamento, quod tres primi Euangeliſtæ res geſtas Chriſti deſcripſerint ſecundum ordinem temporis: cum tamen vulgo omnes tam recentiores quam antiquiores Sacrarum Literarum Interpretes uno ore agnoſcant, tres primos Euangeliſta non adeo ſtricte ordinem temporis in narrando obſervaſſe, ſed magis res ipſas ſpectaſſe, & hoc potiſſimum, ut quod vere factum eſt, ſcriberent, curaſſe. Cum igitur hiſtoria de evulſione ſpicarum à nullo è tribus Euangeliſtis ita ſive cum præcedentibus, ſive cum ſequentibus rebus geſtis connectatur, ut neceſſario locum illum, in quo poſita eſt, retinere cogatur; commode illa è narrationis ſerie eximi, & vel ante, vel poſt miraculum ſaturationis 5000 virorum collocari poteſt: prout ſane commodiſſime reponi poteſt ante incarcerationem & necem Johannis. Ex Johanne Euangeliſta liquet, Chriſtum multa egiſſe tum in Galilæa, quo primum abiit reditus è deſerto, ubi tentatus fuerat, tum Hieroſolymis in feſto Paſchatis anni Jul. 74. & poſtea etiam in Judæa per menſes circiter octo; de quibus reliqui Euangeliſtæ ante Johannis incarcerationem nihil ſcribunt, poſtmodum autem narrationi aliarum rerum geſtarum diverſis locis ex iis aliquid inſerunt & immiſcent: ita quidem ut alter hoc, alter aliud interſpargat. Cujus rei clarum exemplum habemus in ejectione ex Templo mercatorum & numulariorum, quæ contigit, ut Johannes teſtatur, in primo Paſchate anni Jul. 74. Cæteri autem Euangeliſtæ de Paſchate iſto nihil habent, ſed ejectionis iſtius demum meminerunt de ultimo Paſchate agentes, & quidem non omnes eodem die.

XI. Ut igitur rem hanc in compendium mittamus, dicimus, non plura Paſchata inter baptiſmum Chriſti & mortem ejuſdem interceſſiſſe, quam tria. Johannes enim munus ſuum exorſus eſt ferme circa feſtum Tubarum in anno Jul. 73 & 15. Tiberii: Chriſtus autem ad baptiſmum ejus venit vel 6. Novemb. ejuſdem anni, vel certe die 6 Januarii anni Jul. 74. Eſt ergo primum Paſcha prædicationis Chriſti, Paſcha anni Jul. 74 & 16 Tiberii. Johan. 2. 13. Poteſtque locus Johan. 4. 45. non ſolum de hoc Paſchate, ſed etiam de feſto Tabernaculorum ejuſdem anni intelligi. Poſtea ſecutum eſt aliud feſtum, Johan. 5. 1. quod veriſimile eſt, feſtum Purim fuiſſe.

* Vide ad Joh. 5. 1.

XII. Alterum Paſcha fuit in anno Jul. 75. & 17. Tiberii. Johan. 6. 4. Feſtum Tabernaculorum hujus anni eſt illud Johan. 7. 2. VIII. 37. Quod feſtum ſecuta ſunt Encœnia hyeme, de quibus Johan. 10. 22.

XIII. Tertium tandem & ultimum Paſcha fuit, quo Chriſtus crucifixus eſt, in anno Jul. 76. & 18. Tiberii. Matth. 26. 2. Marc. 14. 1. Luc. 22. 1. Johan. 12. 1. Numerus iſte & ordo Paſchatum confirmatur eo, quod alibi irrefragabilibus teſtimoniis evicimus, mortem Chriſti, adeoque ultimum hoc Paſcha incidiſſe in annum Jul. 76. Vide.

FINIS.

PRO-

L. W. COMMENTARIUS IN EUANGELIUM LUCÆ.

PROLEGOMENA.

De vita & obitu Euangeliſtæ Lucæ.

LUcam Euangeliſtam ex Antiochia Syriæ fuiſſe oriundum, Veterum communis fuit ſententia; Ut &, quod medicinam exercuerit. Cujus ſententiæ nullum forte aliud habuerunt argumentum, quam quod Paulus ſcribit ad Coloſſenſes, Cap. 4. verſ. 14. *Salutat vos Lucas Medicus.* Quæ verba, cur de alio Luca, quam de hoc Euangeliſta intelligantur, cauſa nulla eſt. Sunt, qui tradant, eum etiam pingendi peritum fuiſſe, quam artem forſitan magis animi, quam alimoniæ cauſa exercuit. Statuunt quidam, eum fuiſſe unum è numero LXX diſcipulorum Chriſti, qui præter Apoſtolos ad prædicandum Euangelium miſſi ſunt ab eo Luc. 10. verſ. 1. Contra ſentiunt alii, & contendunt, Chriſtum ipſum ab eo neque viſum neque auditum fuiſſe. Hinc Tertullianus eum appellat *virum Apoſtolicum*, quo nomine ii tantum deſignari ſolent, qui non Chriſti quidem ipſius, ſed Apoſtolorum auditores fuerunt. Quæ ſententia ut priori præferatur, ipſa quodammodo Euangeliſtæ verba ſuadent, quæ habet Cap. 1. 2 hujus Euangelii: *Ut nobis tradiderunt, qui ab initio ſpectatores ac miniſtri ipſi ſermonis fuerunt.* Et mox dicit verſ. 3. ſe *ab initio diligenter omnia aſſecutum eſſe.* Ex quo patet, illum ea complexum eſſe in hac Euangelica hiſtoria, quæ oculis ipſe ſuis non vidit, ſed quæ ex eorum, qui oculati teſtes fuerunt, narratione per ſedulam inquiſitionem edidicit. Quando & quomodo ad religionem Chriſtianam converſus fuerit, Veterum nemo tradidit, præter Nicephorum: qui ſcribit, eum Paulo Euangelium prædicante, veniſſe Thebas, & cum Paulum audiſſet, fidem in Chriſtum ſuſcepiſſe. Ex Actis Apoſtolicis, & ex 2 Timoth. 4. 11. & Philem. 24 intelligitur, eum Pauli perpetuum comitem & cooperatorem in Euangelio fuiſſe: præterquam, ſi à Paulo mitteretur ad Eccleſias, ad id, quod Paulus plantavit, rigandum & frugiferum reddendum. Duos conſcripſit libros, Euangelium hoc, & Acta Apoſtolorum: in quorum poſteriori pleraque talia comprehenſa ſunt, quorum ipſe teſtis oculatus eſſe poterat. De Euangelio Lucæ ferme omnes Veteres accipiunt illa Apoſtoli Pauli verba 2 Cor. 8. verſ. 18. *Simul miſimus cum illo* (id eſt, Tito) *fratrem, cujus laus eſt in Euangelio*; q. d. in Euangelica hiſtoria, quam ſumma cum laude conſcripſit. Sed multo probabilius eſt, Paulum per Euangelium illo loco intelligere prædicationem Euangelii, in qua Lucas laudem fidelis collaboratoris obtinebat. De tempore quoque, quando hos utroſque conſignaverit libros, altum eſt apud Veteres ſilentium. Probabile eſt, ſcriptos ab eo fuiſſe non multo poſt, quam Paulus Roma in Hiſpaniam profectus eſt. Nam ad hoc uſque tempus pertexuit Acta Apoſtolica, ſine dubio ea perſecuturus ulterius, ſi Paulo diutius adfuiſſet comes, & ſerius ſcripſiſſet. Hieronymus auctor eſt, eum poſt Pauli abitum in Hiſpaniam, Roma diſceſſiſſe in Achaiam, atque ibi hos libros condidiſſe Anno XV. vel ut nonnulli volunt, XXII. poſt Chriſtum in cælos evectum. Mortuus eſt in Bithynia Anno ætatis ſuæ LXXXIV. aut quemadmodum aliis placet, LXXIII.

CAPUT I.

I. *Præfatio libri: extenditur ad v.* 5. II. *Narratio de conceptione Johannis Baptiſtæ, porrigitur ad verſ.* 26. III. *Deſcribitur conceptio Chriſti: uſque ad verſ.* 39. IV. *Eliſabetha & Maria vaticinantur de Chriſto: ad verſ.* 57. V. *Deſcribitur nativitas ac circumciſio Johannis Baptiſtæ: ad verſ.* 67. VI. *Zacharias vaticinatur de Chriſto & Johanne.*

PARS I.

Verſ. 1. *QUoniam multi aggreſſi ſunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta eſt.*] Prima hæc pars hujus Capitis eſt proœmium ſeu præfatio totius libri: in qua Lucas cauſas indicat, quæ eum ad ſcribendum hoc Euangelium moverint. Quarum prima eſt, quod alii idem fecerint: altera, ut Theophilus, cui librum hunc dedicavit, certitudinem earum rerum, de quibus edoctus erat, agnoſceret. Habetque Lucas duas res peculiares ab aliis Euangeliſtis: Primum, quod præfixerit Euangelio ſuo præfationem; ſecundo quod homini certo, nempe Theophilo librum ſuum inſcripſerit; cui etiam alterum librum ſuum Actuum Apoſtolicorum dicavit, Actor. 1. verſ. 1.

Quoniam multi aggreſſi ſunt.] Hiſce verbis continetur prima cauſa, quæ ipſum impulerit, ut in ſe reciperet partes ſcribendæ Euangelicæ hiſtoriæ,

quod nimirum multorum aliorum, qui ante ipsum idem fecerunt, laudabilia exempla ipsi incitamento fuerint. Græcum verbum ἐπιχειρεῖν, aggredi, conari, significat non solum aliquid tentare vel suscipere quod non possis ad effectum perducere, sed denotat quoque in genere aliquid in se recipere, vel manus rei alicui admovere; usurpaturque adeo etiam de iis, qui id quod in se suscipiunt, recte & cum laude exequantur. Quare ex hac voce argumentum sumi non potest, quo probetur, Lucam vocula *multi* non ad duos Euangelistas Matthæum & Marcum respexisse; quia nimirum de iis dici nequeat, eos conatos fuisse id efficere, quod perficere non possent. Nulla proinde causa est, cur Lucas voce *multi* non intellexerit hos duos Euangelistas: quos multos vocat, quia plures uno erant, more loquendi usitato; quomodo etiam dicimus, Aliqui hoc sentiunt vel faciunt, etiamsi unus tantum talis sit. Quamvis enim Matthæus & Marcus nulla in parte suæ scriptionis negligentiæ ullius accusari queant, tamen in tam divite & abundante materia, de qua conscriptos libros ne mundus quidem capere posset (ut Johannes ea de re loquitur Cap. 21. vers. 25.) neutiquam viam illis præcluserunt, qui labori ipsorum aliquid addere vellent. Adhæc fortasse tunc temporis Euangelium Matthæi, quod Hebraico sermone conscriptum esse aliqui putant, nondum in Græcam linguam fuit translatum. Marcus autem Græce quidem scripsit, sed is magis compendium & summam ex Matthæo concinnavit, quam ut perfectam historiam complecteretur. Itaque Lucas idoneas satis causas habuit, perfectiorem narrationem Græco sermone conficere. Illis autem, qui existimant Lucam primum omnium Euangelistarum, & ante Matthæum & Marcum scripsisse Euangelium, obstat primum ordo horum librorum perantiquus & apud omnes populos ab omni memoria receptus, quo Euangelia Matthæi & Marci Euangelio Lucæ præponuntur: deinde obstat testimonium Irenæi & Tertulliani, qui id, quod testati sunt, à suis decessoribus acceperunt: tertio obstat Lucas ipse, dum historiam Matthæi & Marci additione earum rerum, quas illi prætermiserant, ita supplevit & auxit, ut quando rem eandem, quam illi, describit, sæpius propria ipsorum verba retinuerit. Cæterum extra dubium est, tunc cum Lucas Euangelium suum scriberet, plurimos libros de rebus gestis Jesu Christi extitisse. Amplitudo enim rerum, quæ actæ sunt cum Christo, multis stimulo fuit, ut calamum in manus sumerent. Verum dum aliqui talia collegerunt, quæ ipsi non viderant, sed quæ ex aliorum relatu duntaxat didicerant; mirum non est, quod multa falsa veris admiscuerint. Circumferebantur olim in primitiva Ecclesia, præter quatuor Euangelistas ab omnibus Christianis pro veris ac fide dignis agnitos, haud pauca falsa Euangelia: ut inter alia Euangelium Ægyptiorum, Nazaræorum, Ebionitarum, Euangelium Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Thomæ, Matthiæ, Judæ proditoris, Nicodemi, duodecim Apostolorum, etiam nonnullorum hæreticorum, ut Basilidis, Apellis, &c. E quibus Euangelium Ægyptiorum forte tam antiquum est, ut id Lucæ ætate extitisse potuerit: reliqua, quæ permultis putidis fabulis ac nugis referta sunt, sunt, quantum judicare licet, ætate Lucæ posteriora.

Componere narrationem earum rerum.] Sensus est: Quandoquidem multi animum & manum applicarunt ad concinnandum historiam, seu scripto comprehendendam narrationem earum rerum, de quibus & mihi animus est scribere, de quibus ex certis & irrefragabilibus argumentis nobis constat, eas veras esse.

Quarum plena fides nobis facta est.] Nobis, id est, mihi & omnibus, qui de istis rebus non dubitamus. Argumenta autem in historicis rebus consistunt potissimum in testimonio testium: in quibus duo maxime spectanda sunt. Primum, utrum id de quo testantur, exacte scire potuerint. Alterum, utrum veritatem in testimonio edendo dicere voluerint. De primo nulla est dubitatio, quando constat, eos rem suismet oculis vidisse & auribus audivisse. De secundo, quando constat, eos homines probos, pios ac integræ vitæ esse (pietas enim eorum non potest permittere, ut falsi quippiam contra scientiam & conscientiam suam, præsertim in rebus tanti momenti, testentur) & præterea eos è suo testimonio nullum carnale commodum percipere: Tales testes fuerunt Apostoli, à quibus inprimis Lucas ea quæ scribit, expiscatus est. Hi enim de rebus ejusmodi testati sunt, quarum ipsi spectatores & auditores fuere: deinde ex suo testimonio nullum reportarunt carnale emolumentum, sed potius propter illud maxima mala atque incommoda sustinuerunt.

Vers. 2. *Prout tradiderunt nobis, qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis.*] Hic commonstrat Lucas certitudinem earum rerum, de quibus scribit: quod scilicet eas à talibus acceperit, de quorum fide nulla possit esse dubitatio.

Tradiderunt.] Partim scripto, ut Matthæus, partim ore, ut alii Apostoli ac discipuli Christi.

Qui à principio spectatores ipsi.] Quibus verbis exprimit primam illam supra indicatam verorum testium notam ac proprietatem: quod nimirum de talibus rebus testati sint, quas optime & exactissime scire potuerunt, ut adeo illis nulla ignorantia objici potuerit. Celebre ac notum est illud adagium. *Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.*

Et ministri.] Apostoli non solum pleraque, quæ recensentur, ipsi viderunt, sed etiam ipsi pars magna eorum fuerunt. Multa enim in hac historia narrantur, quæ ipsi fecerunt, aut quæ per eos gesta sunt; ut quod ejecerint dæmonia, panem distribuerint, super mari ambularint, & alia plura. Quod idem etiam de matre Domini Jesu dici potest.

Sermonis.] Id est, rerum quæ gestæ sunt. Sermo enim hic sumitur pro re, more Hebræorum, ut etiam infra vers. 4. & 2. 15. Itaque per sermonem hic non est intelligendus Christus, uti Joh. 1: 1. hoc nomine enim ab uno tantum Johanne appellatur.

Vers. 3. *Visum est & mihi, assecuto altius omnia accurrate, ordine tibi perscribere, præstantissime Theophile.*] Indicant hæc verba Lucæ, eum hunc laborem suscepisse proprio motu, & non, ut nonnulli putant, jussu Pauli. Ubi tamen simul dubitandum non est, eum divino instinctu ad id impulsum fuisse.

Apostoli

Apoſtoli dicebant: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, Actor. 15: 28.

Aſſecuto altius omnia accurate.] Iſtis verbis vult Lucas demonſtrare ſuam ſummam diligentiam, in exquiſita indagatione & inveſtigatione earum rerum, de quibus aggreſſus eſt ſcribere: ſignificatque, ſe non ante quieſcere voluiſſe, donec teſtimonia de iſtis rebus, quæ etiam à multis aliis deſcriptæ ſunt, exacte & ex fundamento perquiſiviſſet, ut certa ab incertis poſſet diſcernere, adeoque nihil niſi quod exploratum & indubitatum eſſet, in lucem ederet. Ad hanc inquiſitionem & indagationem optimam ei occaſionem ſuppeditarunt itinera illa, quæ cum Paulo Apoſtolo fecit per Judæam. Credibile etiam eſt eum aliquoties à Paulo cum pecunia ab Eccleſiis collata miſſum fuiſſe in Judæam: ubi ipſe certo omnia ab iis, qui præſentes omnium rerum ſpectatores fuerunt, reſcire atque exquirere potuit. Non autem tam de iis rebus quæſivit, quæ à Matthæo perſcriptæ ſunt, de ipſius enim fide ne tantillum quidem dubitavit, ſed de iis potius, quæ ab aliis de rebus à Chriſto geſtis ſpargebantur, in quibus ſine dubio multa talia erant, quorum fides apud ipſum merito vacillabat. Vox *omnia* (aſſecuto altius omnia) non denotat omnes ac ſingulas res, quæ Chriſto contigerunt, ſed eas tantum, de quibus ſcripſit. Potuit enim fieri, ut multarum rerum veritatem inveſtigare non potuerit, vel etiam haud neceſſarium duxerit.

Altius.] Gr. ἄνωθεν: Quod etiam verti poteſt, *à principio*; non ſolum à principio Euangelii, id eſt, à prædicatione Johannis Baptiſtæ, ſed ab ipſa etiam ejus nativitate & origine.

Ordine tibi perſcribere.] Errant, qui ex hac voce *ordine* colligunt, Lucam in ſuo Euangelio magis & accuratius obſervaſſe ordinem temporis, quam alii ante eum fecerunt. Reperias enim potius, Lucam interdum propter convenientiam ac ſimilitudinem rerum referre ac narrare quædam, quæ ratione temporis ad alium prorſus locum ſpectabant: cujus rei in ſequentibus non pauca exempla annotabimus. Vox Græca καθεξῆς, ordine, nihil aliud hic ſignificat, quam ſigillatim, & diſtincte: opponiturque ei quod generatim & confuſe recenſetur; ut ſi quis in genere dicat, Chriſtum veniſſe, miracula feciſſe multa, à Pontio Pilato damnatum, mortuum, & à mortuis reſuſcitatum fuiſſe, &c. Lucas autem pollicetur, ſe res geſtas Chriſti non tam generaliter, ſed diſtincte & cum omnibus circumſtantiis deſcribere velle. Eodem ſenſu vox hæc *ordine* uſurpatur, Actor. cap. 11. verſ. 4. XVIII. verſ. 23.

Præſtantiſſime Theophile.] Quis fuerit iſte Theophilus, non facile eſt divinare. Ex titulo, quo eum ornat Lucas, cernitur, eum fuiſſe virum alicujus inſignis dignitatis. Exiſtimant nonnulli, eum Magiſtratus aliquo officio functum eſſe in aliqua civitate Achaiæ, & à Luca eſſe ad religionem Chriſtianam converſum atque baptiſatum. Theophilus eſt nomen Græcum, & ſignificat Deo dilectum, vel amatorem Dei. Cur vero Lucas Euangelium ſuum uni privato homini dedicaverit, ejus rei non quærenda alia ratio, quam quæ ab ipſo exprimitur verſu ſequenti.

Verſ. 4. *Ut agnoſcas ſermonum, de quibus inſtructus es, firmitatem.*] Id eſt, ut de iis rebus, de quibus ante baptiſmum in genere tantum & per oralem narrationem inſtitutus es, nunc plenam & veriſſimam ac diſtinctam informationem in ſingulis neceſſariis capitibus habeas.

PARS II.

Verſ. 5. *IN diebus Herodis Regis Judææ, fuit ſacerdos quidam nomine Zacharias, ex claſſe Abiæ: uxor verò ejus ex filiabus Aaronis, & nomen ejus Eliſabetha.*] In diebus Herodis, id eſt, eo tempore, quo regnabat Herodes, Hebraiſmo uſitato, ut & Matth. 2. verſ. 1. & alibi. Receptum autem etiam apud Hebræos eſt, narrationes hiſtoricas à tempore Regis, qui tunc imperat, ordiri; ut fecere Eſaias, Jeremias, Daniel, Oſeas, Michæas, Zacharias, &c. Fallunter proinde, qui autumant, Lucam propterea Herodis meminiſſe, ut indicaret, prophetiam Jacobi, Geneſ. 49. verſ. 10. jam impletam eſſe: cum non amplius Rex è tribu Judæ, ſed Herodes alienigena regnum obtineret. Loquitur autem Lucas de Herode Antipatri filio, qui propter ſingularem ſuam induſtriam ac prudentiam, quam in obtinendo, conſervando & amplificando regno ſuo demonſtravit, Magnus appellatus eſt. Vide de eo Matth. 2. 1. 22. Orditur vero Lucas Euangelium ſuum ab altiori principio, quam alii Euangeliſtæ, quia nimirum credidit, avidum lectorem non ſolum de ortu Domini Jeſu, ſed etiam præcurſoris ejus Johannis Baptiſtæ notitiam habere deſideraturum: ſine dubio quoque metuit, ne cum tempore hiſtoria iſtarum rerum fabulis corrumperetur; ideo ab ea exordium Euangelii ſui ſumere voluit. Quæ autem Lucas de ortu & generatione Johannis Baptiſtæ ſcribit, ea pertinent ad indicandam ejus tanto majorem præſtantiam, quæ utpote prodromi Chriſti & maximi Prophetarum, qui unquam fuerunt, Matth. 11. verſ. 11, neutiquam erat reticenda.

Fuit ſacerdos quidam nomine Zacharias.] Quidam è Veteribus Eccleſiæ Doctoribus cenſuerunt, Zachariam fuiſſe ſummum Pontificem: mirumque eſt, etiam magnum illum Eraſmum hanc opinionem ſibi perſuaderi paſſum fuiſſe, vel ad minimum credidiſſe, Zachariam Pontificis Maximi Vicarium & pro Pontifice fuiſſe. Hauſerunt autem illi hanc ſententiam præcipue ex eo, quod ipſi Angelus apparuerit, cum ſuffitum faceret: quod putant in ſanctiſſimo ſacrario, quod Sanctum Sanctorum dicebatur coram arca fœderis factum eſſe. Chryſoſtomus aliud argumentum adfert, quod ſumtum eſt è verbis Johannis Baptiſtæ, Johan. 3. verſ. 30. ubi dicit de Chriſto: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Nimirum ajunt, Chriſtum natum eſſe ſub id tempus, quo dies ſunt breviſſimi, & poſtea mox creſcere & longiores fieri incipiunt, id eſt, circa finem Decembris: Johannem autem natum eo tempore, quo dies ſunt longiſſimi, & deinceps cito incipiunt decreſcere & breviores fieri. Hoc modo conceptio Chriſti cadit in finem Martii, quo tempore dies & noctes vere æquales ſunt. Conceptio vero Johannis in finem Septembris, ſub tempus æquinoctii au-

tumnalis. In idem tempus incidit quoque Feſtum ſolenne generalis Expiationis, in quo Pontifex Maximus ingrediebatur Sanctum Sanctorum. Quamobrem iſti Eccleſiæ Doctores ſuſpicati ſunt Zachariam tunc temporis munere ſacerdotis ſeu Pontificis Maximi functum fuiſſe, cum ipſi conceptio filii ejus Johannis ab Angelo eſt annunciata. Debile ſane argumentum eſt. Lucas enim caute admodum ac circumſpecte locutus eſt, cum Zachariam ſimpliciter tantum ſacerdotem, & quidem ex claſſe vel vice Abiæ fuiſſe narrat: ne quis cogitaret, eum ſummum Pontificem fuiſſe. Certum eſt, ſi is Pontifex ipſe vel etiam Vicarius tantum Pontificis Maximi fuiſſet, id Lucam ſilentio haud præteriturum fuiſſe, cum in aliis rebus nihil omittat eorum, quæ ad ejus laudem ac commendationem facere poterant. Præterea ex Joſepho conſtat, illo anno Pontificem Maximum fuiſſe Simonem Boëthii filium, Herodis ſocerum, qui in anno Juliano 41. ab Herode officii dignitate exutus eſt, & Matthias Theophili filius in ejus locum ſubſtitutus. Sequenti anno Jul. 42. Matthias dejectus, & officium fratri ejus Joazaro delatum. Poſt hunc Eleazarus Joazari frater ad Pontificatum evehitur: qui etiam non diu geſſit officium, ſed Jeſus Siæ filius illi deturbato in munere ſucceſſit. Poſt Jeſum rurſus Joazarus, & poſt hunc Ananus Sethi filius Pontifex evaſit. Joſeph. lib. 17. cap. 6. 8. 15. 18. lib. 18. cap. 1. 2. Fuitque Joſephus tam diligens in annotanda ſerie ſibi ſuccedentium Pontificum, ut ne Joſephi quidem, qui fuit Ellemi filius, fuerit oblitus, etſi uno tantum die Pontificatus munere functus ſit. Huc accedit, quod Lucas infra, verſ. 9. dicit, *ſortito ei obtigiſſe, ut ſuffitum faceret.* Atqui in illo magno feſto Expiationis, non ſortito ingrediebatur Pontifex Maximus in ſancta ſanctorum, ſed hoc fuit ejus ſolius proprium officium, quod à nullo alio præter ipſum (ſi eſſet idoneus) præſtari poterat Levit. 16. 12. Fecit autem Zacharias ſuffitum in altari ſuffitus, ut diſerte teſtatur Lucas verſ. 11. quod altare in Templo quidem erat, ſed non in ſacrario, quod ſanctiſſimum erat, verum extra illud, ante velum ſacrario illi prætenſum Exod. 30. 1, 6. nimirum inter primum & ſecundum velum. Ut enim intra velum, quod oppanſum erat ſanctiſſimo ſacrario, ſoli fas erat ingredi Pontifici Maximo; ita & intra velum, quod obductum erat altari thymiamatis ſeu ſuffitus, nemini è populo licebat ingredi, niſi ſolis ſacerdotibus. In hoc ergo altari Zacharias, ut oſtenſum, ſuffitum fecit: ac propterea non fuit ipſe Pontifex ſummus, ſed tantum unus è vulgaribus ſacerdotibus. Neque etiam Vicarius fuit ſummi Pontificis. Nam, ut teſtatur Rabbi Maimon, Vicarii non ſolebant ad hoc munus ſingulariter conſecrari, ſed Pontifex ipſe, quando contingebat, ut ſe ſub tempus functionis pollueret ac immundus fieret, deferebat officium ac demandabat Sacerdoti, cuicunque volebat: qui finito feſto officium iſtud mox deponebat, & vero Pontifici rurſus cedebat. Hoc officium autem Zachariæ non fuit delatum: ideoque non in Sanctis Sanctorum ſuffitum fecit, ſed in altari ſuffitus, idque ſecundum ordinem claſſis ſuæ, & ſorte ad id electus.

Ex claſſe Abiæ.] Græc. ἐξ ἐφημερίας, Joſephus vocat πατρικὴν, id eſt, familiam: ἐφημερία vero dicitur quaſi *quotidianeitas*, quia quoties ordo aliquem tangebat è ſacerdotibus, quotidie vices illas obire debebat. Deus inſtituerat, ut ex tribu Levi Aaron ejuſque poſteri ſacerdotio fungerentur: reliqui autem Levitæ alia viliora Templi miniſteria præſtarent. Exod. 28. 1. 1 Num. 1. 49, 50. 111. 9. Cum vero ſucceſſu temporis numerus poſterorum Aaronis adeo excreviſſet, ut omnes ſimul ſacerdotium obire non poſſent: David ut confuſioni omni occurreret, eos diſtribuit in viginti quatuor claſſes ſeu ordines, ut impoſterum nonniſi una claſſis ſecundum ordinem ſuum in Templo miniſtraret: ſorte quoque adhibita ita eos diſcrevit, ut ſciretur, quæ claſſis prima, quæ ſecunda, quæ tertia, & quæ deinceps ſequi deberet. Hæc diſtributio ad hunc modum ſorte facta eſt, ut in ſubjecta tabula videre eſt.

1 Jojarib.	13 Chuppa.
2 Jedahia.	14 Jeſobeab.
3 Harim.	15 Bilga.
4 Sehorim.	16 Immer.
5 Malchia.	17 Chezir.
6 Mijamin.	18 Happizez.
7 Hakkots.	19 Petachia.
8 Abia.	20 Jehekel.
9 Jeſua.	21 Jachin.
10 Sechania.	22 Gamul.
11 Eliaſib.	23 Delahaju.
12 Jakim.	24 Mehazjahu.

Vide 1 Paral. 24. 5. & ſeqq. ſecundum hunc ordinem claſſes ſingulæ per vices proficiſcebantur Hieroſolymam, ibique ſacerdotalia munia per integram ſeptimanam peragebant. Ad Sabbathum una claſſis veniebat, altera diſcedebat. 1 Reg. 11. 5, 6. 2 Paral. 23. verſ. 8. ita ut per annum, qui continet 52 ſeptimanas, bis unamquamque claſſem ordo tangeret. Quanquam ex allegatis locis non ſatis clarum eſt, an permutatio illa ſingulis Sabbatis facta ſit, ita ut claſſis una nonniſi per ſeptimanam unam miniſtraverit, ſed hoc ſolum intelligitur, eos non minori ſpatio quam per ſeptimanam in functione miniſterii permanere debuiſſe. At Joſephus patriæ legis ſuæ peritiſſimus lucem fenerat his locis, cum ſcribit lib. 7. cap. 11. *Quamlibet familiam per octiduum à Sabbato ad Sabbatum cultum divinum in Templo peregiſſe.* Unde perſpicitur, ſingulis ſeptimanis Sabbato unam diſceſſiſſe, alteram ſucceſſiſſe. Ex ſuperius propoſita tabella vero patet, claſſem Abiæ, (qui fuit caput ac princeps ſuæ domus vel familiæ, 1 Paral. 25. verſ. 10.) Davidis tempore octavam in ordine fuiſſe. Fuit igitur Zacharias ex illa claſſe, quæ tunc ſic ferente ordine ſacerdotii munia obibat: ut poſtea verſ. 8. narratur. Utrum vero ordo iſte claſſium ſibi invicem ſuccedentium à prima inſtitutione conſtanter ſervatus ſit, de ea re, ut pote perplexa, non conſentiunt interpretes. Nonnulli cenſent, adhuc ſtante primo Templo ſub impiis Regibus hunc ordinem fuiſſe interruptum: [ita ut tempore Nehemiæ claſſis Abiæ non amplius octava, ſed duodecima fuerit, ſi modo ordo Sacerdotum ita ſe ha-

ſe habuit, quomodo deſcribitur Nehem. 12. 1, 2, 3, 4.] Iidem ſentiunt, tempore Antiochi ordinem iſtum non fuiſſe obſervatum, cum cultus divinus prorſus eſſet collapſus & intermiſſus, donec à Juda Macchabæo rurſus inſtauraretur 1 Mac. 4. verſ. 52. Verum vir magni nominis Joſephus Scaliger, demonſtravit, ordinem hunc, prout Davidis temporibus per ſortem inſtitutus eſt, ita ſemper uſque ad everſionem ſecundi Templi per Titum haud turbatum manſiſſe. Quod etiam ex parte ex Joſepho intelligi poteſt, qui ubi lib. 7. cap. 11. diſtributionem hanc, uti à Davide facta eſt, deſcripſit, addit, *Atque hæc diſtributio durat adhuc uſque in hodiernum diem.* Neque ullam præterea mentionem facit, quod unquam poſt Davidis tempora fuerit confuſa vel intermiſſa. Vixit autem ille tempore everſionis ſecundi Templi. Quod attinet tempora impiorum Regum, captivitatis Babylonicæ, & nominatiſſimi illius Tyranni Antiochi, ſciendum eſt, cultum divinum nunquam plane & prorſus intermiſſum fuiſſe, ſed pios Sacerdotes ea, quæ in Templo peragere non poterant, alibi nihilominus eatenus, quatenus poterant, peregiſſe: non quidem immolando, & ſacrificia offerendo, quod extra Templum fieri non poterat, ſed publicas preces abſolvendo, quas una cum ſacrificiis adhibere mos erat. Ut ita ordo claſſium ſacerdotalium, qui à Davide inſtitutus fuit, non magis è memoria piorum Sacerdotum potuerit excidere, quam alia ad cultum divinum pertinentia. Itaque omnino credibile eſt, deinceps ubi meliora affulſerunt tempora, claſſes iſtas rurſus in priſtinum ordinem redactas, & juxta nomina eorum, qui Davidis tempore ſorte inſtituti fuerunt, reſtitutas fuiſſe. Quod ſpectat Sacerdotes, qui recenſentur, Nehem. cap. 12. 1, 2, 3, 4, errant illi, qui priori ſententiæ addicti ſunt, in eo, quod putent ibi recenſeri capita familiarum Sacerdotalium eo ordine, quo ſibi invicem in miniſterio ſucceſſerunt tempore Pontificis Maximi Jaddi: cum potius ibi confuſe tantum recitentur eorum nomina. Unde ibidem Cap. 12. verſ. 12. & ſeqq. ſub Jojakimo Pontifice Maximo, alio iterum ordine Principes Sacerdotum recenſentur, ita ut Abia ſit undecimus. Etſi vero illi regerere poſſent, ſub Jojakimo rurſus conturbatum fuiſſe ordinem; tamen id neutiquam eſt veriſimile, intra tam breve ſpatium temporis (Jojakim enim ſtatim Jaddum ſecutus fuerat) quo cultus divini haud interruptum vigebat exercitium, tantam mutationem & confuſionem factam fuiſſe.

Et uxor ejus ex filiabus Aaronis erat.] Pertinet hoc ad dignitatem Johannis Baptiſtæ, quod non modo reſpectu Patris, ſed etiam matris ſuæ ratione è Pontificali domo Aaronis fuerit ortus. Regiæ namque dignitati proxima erat Pontificalis.

Verſ. 6 *Erant autem juſti ambo coram Deo, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini, irreprehenſibiles.*] Antea eos Lucas commendavit à ſublimi ortu ac genere, nunc eoſdem laudat ab eorum ſanctimonia & pietate. Innuit autem iſtis verbis, *erant juſti coram Deo*, quod uterque non falſo ac fucato, ſed ſincero animo pietatis cultores fuerint. Quia enim Deus eſt ſcrutator cordium, ideo de iis, qui mali quid in corde ſuo coquunt, dicitur, eorum cor non eſſe rectum ac ſincerum coram Deo, Actor. 8. verſ. 21. Contra vero de iis, qui ex animo Deo ſerviunt, dicitur quod coram eo in juſtitia ſerviant: infra verſ. 75. Non eſt autem exiſtimandum, eos qui hoc modo juſti coram Deo vocantur, ab omnibus humanis lapſibus ac infirmitatibus, quas illa tempora ferebant, immunes fuiſſe. Nam etiam de Davide dictum eſt, eum feciſſe, quod rectum erat coram Domino, & non receſſiſſe à mandatis ejus, excepta cauſa Uriæ: cum tamen præter hoc indignum facinus, multa alia gravia delicta in vita ejus reperiantur. Sed Deus per conniventiam, iſta tranſmiſit, quia ardorem veræ pietatis, quem Deus imprimis reſpicit, haud exſtinxerant.

Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini.] *Mandatorum* vox ut & *juſtificationum* duplici ſignificatu accipitur. Aliquando per *mandata* intelliguntur leges morales, per *juſtificationes*, leges ceremoniales. Verum proprie & uſitate per mandata intelliguntur ea omnia, quæ Deus in lege ſua in ſpecie & nominatim de unaquaque re præſcripſit, ſive ea ad mores ſpectent, ſive ad ceremonias: per juſtificationes autem ea, quæ in genere præcipiuntur, qualia ſunt ea, quæ ipſa naturalis æquitas recta eſſe monſtrat. Atque hoc ſenſu voce juſtificationum etiam Paulus uſus eſt Rom. 2. 26.

Juſtificationibus.] In Græco eſt δικαιώμασι, juribus.

Irreprehenſibiles.] Multi è Veteribus id ita intellexerunt, eos imprehenſibiles fuiſſe coram Deo, ac inculpatos. Sed potius credendum eſt, dici eos fuiſſe irreprehenſibiles coram hominibus, id eſt, eos ita vitam ſuam ad normam omnium præceptorum ac legum divinarum inſtituiſſe, ut hominum nemo potuerit merito eos aliqua in re culpare ac reprehendere. Etenim Lucas in ſuperioribus verbis, celebrat eorum ſanctitatem coram Deo, & quoad divinum judicium, in his autem verbis quoad judicium humanum. Hoc ſenſu etiam Paulus de ſe uſurpavit vocem, irreprehenſibilis, Philip. 3: 6.

Verſ. 7. *Et non erat illis proles, eo quod eſſet Eliſabetha ſterilis, & ambo provecti jam eſſent ætate.*] Inter res temporales, quæ ab hominibus expetuntur, ſunt etiam liberi, per quos genus humanum conſervatur & propagatur. Inprimis ii magnopere eos deſiderant, qui terrenis bonis affluunt. Hinc Lex Moſaica inter alia proſpera etiam fæcunditatem pollicetur, Exod. 23. verſ. 26. Levit. 26. verſ. 9. Deut. 7. ỳſ. 14. xxviii. verſ. 11. Hæc promiſſio autem nequaquam obſtitit, quominus Deus, tanquam ſummus Legiſlator, potuerit interdum piorum patientiam, uti aliis rebus adverſis ita etiam ſterilitate explorare; ita tamen, ut illis interim multo excellentiora animi bona largiretur, quam externa erant, quæ ipſis fuerat pollicitus. Non enim mirum eſt, eos qui à Deo majorem ac ſublimiorem acceperant Spiritum, quam illa alioqui ferebant tempora, in rebus terrenis ac fluxis minus laute tractatos fuiſſe. Etenim voluit divina providentia tunc in paucis nonnullis ſpecimen ejus rei exhibere, quæ ſub Novo longe præſtantiori Fœdere, omnibus piis debebat eſſe communis. Sic Moſes quoque, qui inter omnes mitiſſimus ac probiſſimus fuit, ne minimam quidem partem eo-

rum bonorum, quæ promiſerat, conſecutus eſt, ſed potius aſſiduis curis ac moleſtiis, quibus eum afficiebat ingratiſſimus populus, fuit obnoxius. Sic etiam (ne nunc exempla commemorem ſterilium fœminarum ante Legem) uxor Manuis Jud. 13: 2. & Anna uxor Elcanæ 1 Sam. 1. 2. ambæ pietatis ſtudioſiſſimæ fœminæ, diutina ſterilitate probatæ fuerunt. Quæ res tam illis, quam hic Zachariæ atque Eliſabethæ tanto magis moleſta ac gravis erat, quod ſtupidum vulgus, ut plurimum omnia ex rerum externarum ſucceſſu judicet, cumque in eorum vita nihil reprehenſione dignum invenire potuerit, ſine dubio ex iſta ſterilitate tamen ſuſpicabatur, aliquid culpæ eis ineſſe, ob quam eos Deos tali pœna afficeret.

Eo quod eſſet Eliſabetha ſterilis.] Duas cauſas affert Lucas, cur liberis caruerint. Prima eſt Eliſabethæ ſterilitas: altera, utriuſque jam provectior ætas. Ita in Eliſabetha duplex fuit defectus, in Zacharia ætatis tantum fuit vitium.

Et ambo provecti jam eſſent ætate.] Hoc pertinet ad tanto magis extollendum illud miraculum, quo Johannes non tantum è matre ſterili (quod vitium ſæpe per ſe ipſum ceſſat ac mutatur) ſed etiam utroque parente ad procreationem liberorum inepto, genitus fuit.

Verſ. 8. *Factum eſt autem, ut cum is ſacerdotio fungeretur in ordine claſſis ſuæ ante Deum.*] Verba *ante Deum* de ſacerdotii functione uſupari ſolent tam de ea, quæ in Templo, quam quæ extra Templum ſubdio peragebatur. De miniſterio in Templo Exodi 27. 21. xxix. 24. xxx. 8. De miniſterio altaris, quod erat extra Templum Levit. 1. 5. 11. xvi. 12. 18. Credebatur autem Deus habitare in ſanctiſſimo ſacrario, & ſuper arcam Fœderis inter Cherubinos reſidere, 2 Sam. 6. 2. 1 Paral. 13. 6. Pſal. 99. 1. idcirco de cultu divino, qui in templo vel circa Templum perficiebatur, dici ſolebat, eum coram Deo vel ante Deum peragi.

In ordine claſſis ſuæ.] Id eſt, cum ordo fungendi Sacerdotio claſſem Abiæ (cujus è poſteris Zacharias erat) tetigiſſet: quod ſemper fiebat elapſis 168. diebus, vel 24. ſeptimanis. Quælibet enim claſſis, quarum erant 24 debebat integram ſeptimanam in miniſterio perſeverare, ut ſupra verſ. 5 docuimus.

Verſ. 9. *Secundum ritum functionis Sacerdotalis, ſortitus ſit munus ſuffitum faciendi, ingrediens in Templum Domini.*] Duobus modis hæc verba intelligi poſſunt: vel ita, quod ſortito ſecundum ritum functionis Sacerdotalis obtigerit ei munus faciendi ſuffitum; vel ita, quod ſortito ei obtigerit, ut munus faciendi ſuffitum ſecundum ritum functionis Sacerdotalis obiret. Prior ſenſus videtur magis congruere menti Euangeliſtæ. Cum enim munus Sacerdotale in pluribus functionibus conſiſteret, ut patet 1 Paralip. 24. 28, 29, 30. ideo ex antiqua conſuetudine (non ex Lege aliqua à Deo data) quam inter ſe obſervabant Sacerdotes, ſortes ducebantur, quid cuique Sacerdotum illius claſſis, quæ tunc munus obibat, agendum eſſet. Sic igitur ſorte obtigit Zachariæ munus ſuffitus faciendi.

Suffitum faciendi.] Si Zacharias, ut nonnulli ſentiunt, Pontifex Maximus fuiſſet, deberet hoc intelligi de ſuffitu faciendo in Sacrario Sanctiſſimo, ut arca Fœderis fumo, tanquam nebula quadam obtegeretur. Levit. 16. 13. Sed Zachariam non in Sanctiſſimo Sacrario, verum in altari ſuffitus, quod extra Sanctuarium illud Sanctiſſimum erat Exod. 30. 6, ſuffitum feciſſe (id quod non à Pontifice Maximo, ſed ab aliis ſimplicibus Sacerdotibus fiebat) verſ. 11. indicat.

Ingrediens in Templum Domini.] Per Templum hic non totum Templum intelligitur, ſed tantum Sanctus ille locus, ubi poſitum erat altare thymiamatis ſeu ſuffitus. Quod vero Sacerdotes per integram illam ſeptimanam, qua miniſterio fungebantur, in Templo manere debuerint, ex 2 Reg. 11. 6, 8, 9. & 2 Paral. 23. 8 intelligitur.

Verſ. 10. *Et omnis multitudo populi foris orabat tempore ſuffitus.*] Templum totum in tres partes erat diviſum. Prima pars fuit, in qua ſtabat populus; altera erat Sanctuarium, in quo Sacerdotes miniſterio fungebantur, & in quod nulli è plebe fas erat irrumpere: tertia vero fuit Sanctum Sanctorum, ſeu Sanctiſſimum, Sanctuarium, in quod ſoli Maximo Pontifici licebat ſemel in anno ingredi. Quotquot ergo pii erant è populo, illi quotidie frequentabant Templum ad orandum. Ideo autem Lucas populi hic mentionem facit, ut indicet, tametſi Zacharias ſolus fuerit, cum ei Angelus appareret, magnam tamen populi multitudinem de eo teſtimonium perhibere potuiſſe, quæ id animadvertit non ſolum ex eo, quod mutus è Sacrario prodiret, verſ. 22. ſed abſque dubio etiam ex ſingulari vultus ejus mutatione.

Tempore ſuffitus.] Quod tempus erat matutinum. Exod. 30. 7.

Verſ. 11. *Viſus autem eſt ei Angelus Domini ſtans ad dextram altaris ſuffitus.*] Apparuit Angelus iſte ſine dubio in humana ſpecie & forma ſplendida, ut ſub tempus reſurrectionis Chriſti Marc. 16. 5. Luc. 24. 4.

Ad dextram altaris.] Hoc erat bonum omen.

Verſ. 12. *Et Zacharias videns turbatus eſt, & timor incidit in eum.*] Uti fieri ſolet in rebus inſuetis, quæ ſubito oculis objiciuntur.

Et timor incidit in eum.] Judæi ſentiebant, non tantum Dei ipſius, ſed & Angeli conſpectum mortem homini afferre. Vide Judic. 13. 21.

Verſ. 13. *Dixit vero ei Angelus: Ne time Zacharia; quoniam exaudita eſt precatio tua, uxorque tua Eliſabetha gignet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem.*] Erigit Angelus animum Zachariæ conſternatum, amico & comi alloquio, quo indicat, ſe non malum, ſed lætum ipſi afferre nuncium: atque ita excitat eum ad hunc nuncium tranquillo & compoſito animo audiendum. Idem facit Angelus infra Mariæ apparens verſ. 30.

Exaudita eſt precatio tua.] Cauſam reddit, cur timere non debeat. Falluntur, qui exiſtimant, Zachariam tunc temporis in Templo à Deo prolem petiiſſe. Quis enim credat, eum id in tam provecta ætate ſperaſſe futurum aut fieri poſſe, quod tam ægre ac difficulter credere potuit, cum id ipſi ab Angelo promitteretur? ut videre eſt verſ. 18. imo quod nec Abrahamus ipſe, Pater omnium credentium, capere poterat?

terat? Geneſ. 17. 18. Neque etiam circumſtantiæ hujus loci patiuntur, ut Angelus ad precationem ejus, qua olim Zacharias junior exiſtens prolem à Deo poſtulaverat reſpexerit. Sed tenendum eſt, quoties ſuffitum faciebant Sacerdotes in altari, ſemper preces ſimul ab iis adhibitas fuiſſe, eaſque una cum ſuffitu Deo oblatas fuiſſe. Inde eſt, quod per ſuffimentum orationes Sanctorum ſignificentur (Apocal. 5. 8.) quia nimirum orationes illæ non ſecus ad Deum aſcendant, quam fumus è ſuffitu ſurſum aſcendit. Non tantum autem Sacerdos, ſed & populus, qui foris ſtabat, fundebat preces, ſeu precibus ſuis preces Sacerdotis adjuvabat, ut à Deo citius exaudiretur. Orabat enim Sacerdos pro univerſo populo (Joſephus ait pro univerſo mundo .....) ut ei Deus eſſet propitius, inprimis autem, ut ei votis tamdiu expetitum Servatorem ac Liberatorem mittere dignaretur. Atque de hâc oratione, quam Zacharias pro conſuetudine muneris ſui hîc habuit, inquit Angelus, eam eſſe exauditam; nimirùm indicans, jam præ foribus eſſe Meſſiæ illius tantopere exoptati adventum; cujus præcurſor filius iſte eſſe debeat, qui ipſi ſit naſciturus. Hunc & non alium eſſe ſenſum horum Angeli verborum, ex ſequentibus clare intelligitur. Rabbinorum ſcripta affirmant, tales cœleſtes apparitiones Sacerdotibus ſemper contigiſſe, ſub id tempus, quando ſuffitum facerent.

Johannem.] Nomen hoc eſt Hebraicum, & proprie ſignificat, *Deus fecit gratiam.* Gratia autem Dei affert gaudium & lætitiam: & idcirco veriſimile eſt, ſequentia verba eſſe explicationem hujus nominis, quaſi dicat Angelus: Et vocabis nomen ejus Johannem, quia non tantum tibi, ſed etiam toti populo erit gaudio & exultationi, ut qui annunciator futurus ſit gratiæ Dei. Vide quoque de nomine Jeſu Matth. 1. 21.

Verſ. 14. *Et erit gaudio tibi & exultationi, multique ſuper ejus nativitate gaudebunt.*] Gaudium eſt in animo, exultatio in verbis & geſtibus. Quodnam vero majus gaudium poterat Zachariæ contingere, quam quod prole beandus eſſet, quam ille quidem calidiſſimis optabat votis, ſed de ea jam deſperaverat? Quod gaudium augebat & intendebat præſtantia & dignitas iſtius pueri, quam annunciabat Angelus, quod toti populo gaudium nativitate ſuâ allaturus eſſet, quodque populus (ut Chriſtus Joh. 5. 35 loquitur) in luce ejus eſſet exultaturus.

Verſ. 15. *Erit enim magnus coram Domino, & vinum ſiceramque non bibet, & Spiritu Sancto implebetur, adhuc ab utero matris ſuæ.*]. Rationem hic reddit Angelus, cur multi ſuper ejus nativitate gaviſuri ſint. Erit autem tam magnus, ut Chriſtus de eo dicat, quod inter eos qui nati ſunt ex mulieribus, nemo major eo ſurrexerit Matth. 11. 11. *Coram Domino:* quomodo etiam de Moſe ſcriptum eſt, eum inveniſſe gratiam coram Deo, id eſt, apud Deum. Huic opponitur infra cap. 16. 15. *abominatio coram Deo.*

Vinum ſiceramque non bibet) Græca vox σίκερα ſignificat vulgo omnem potum inebriantem, ſive ſit vinum, ſive mulſum, ſive acetum, ſive è dactylis (quod faciebant Babylonii) ſive è frugibus confectum vinum. Potus ejuſmodi olim non ſolum Nazaræis vetitus erat, Num. 6. 3. Sed & Sacerdotibus, quando munere, ſuo fungebantur Levit. 10. 9. Quemadmodum igitur, qui ad certum tempus Deo conſecrati erant, quamdiu durabat votum, à vino & ſicera (quæ ſignum erat omnis rei, per quam ratio turbari poterat) abſtinebant: ita etiam Samſon quondam parentibus ſuis, annunciante Angelo, & non ſine miraculo, ut & hic Johannes Zachariæ, donati ſunt, atque in hunc finem nati, ut toto vitæ ſuæ tempore Deo devoti, & conſecrati eſſent, ideoque eis mandatum eſt, ut à forti potu per integrum vitæ ſuæ ſpatium abſtinerent. Vide de Samſone Judic. 13. 14. Simile votum fecit quoque Anna uxor Elcanæ, eſtque ſic Samuel etiam non abſque miraculo genitus 1 Sam. 1. 15, 20.

Et Spiritu Sancto implebitur adhuc ab utero matris ſuæ.) Id eſt, ab eo tempore, quo adhuc in utero matris ſuæ exiſtet. Ita Paulus quoque de ſe teſtatur, quod eum Deus ab utero matris ſegregaverit Gal. 1. 15. Quibus verbis Paulus reſpicit ad locum Jer. 1. 5. Poſſunt autem verba iſta de Johanne dupliciter accipi. Primo, quod puer ipſe in utero matris Spiritu Sancto fuerit impletus, & quidem tunc, cum infans in matris utero exultavit verſ. 41. Deinde ſciendum eſt, infantem, quamdiu in utero matris adhuc exiſtit, non eſſe peculiarem hominem, ſed tantum partem ſuæ matris. Qua ratione verba hæc Angeli in Johanne impleta ſunt, tunc cum Eliſabetha Johannem adhuc in utero ſuo gerens, *impleta eſt Spiritu Sancto*; prout Lucas eadem verba, quæ Angelus de Johanne protulit, reperit verſ. 41. Atque ita Johannes partem aliquam efficaciæ illius Spiritus, quo mater ejus impleta fuit, obtinuit. Neque ſanè immerito. Debebat enim eſſe hac in parte diſcrimen inter præcurſorem, & Chriſtum magnum Legatum. Non ſolum autem de iis dici aſſolet, quod Spiritu Sancto repleti ſint, quibus Spiritus Sanctus datur, verum etiam de iis, in quorum verbis, & factis vis Spiritus Sancti elucet: quod etiam Eliſabethæ accidit, quæ impellente Spiritu Sancto cœpit vaticinari & per eam quodammodo etiam Johannes; de quo Deus per hoc miraculum voluit indicare, qualis olim futurus eſſet. Atque hic divinus afflatus, qui contigit Eliſabethæ, fuit ſignum ejus rei, quod fructus ventris ejus Deo ſacer eſſet, & erat prodromus quaſi plus quam Prophetici Spiritus, quem Deus ſuo tempore Johanni collaturus erat.

Verſ. 16. *Multoſque filiorum Iſraëlis convertet ad Dominum Deum ipſorum.*] Vox *multi* eandem hic habet ſignificationem, quam habet Matth. xx. 28.

Ad Dominum Deum ipſorum.] Johannes Baptiſta nullam aliam pœnitentiam ac converſionem docuit, quam ut ad unum Deum Iſraëlis, qui eſt Pater Jeſu Chriſti omnes converterentur. Errant proinde, qui credunt, Johannem convertiſſe populum ad Chriſtum, atque inde concludunt, Chriſtum eſſe ſummum Deum. Johannis non aliud munus erat, quam homines ad adventum Chriſti, ſive ad adventum Dei per Chriſtum præparare, idque per inclinationem & converſionem cordium ipſorum ad illum Deum, à quo per vitam impiam averſi fuerant. Ad Chriſtum non poterant converti, quia ab illo nunquam

quam receſſerant, vel ſe averterant. Sed ad Deum debebant converti, ut ad fidem in Chriſtum ſuſcipiendam eſſent aptiores.

Verſ. 17. *Et ipſe præcedet ante eum in Spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios, & inobedientes ad prudentiam juſtorum, ut paret Domino populum expeditum.*) Ante eum, id eſt non Chriſtum, ſed Deum, ad quem multos filiorum Iſraëlis convertet. Vide Matth. 3. 3.

In Spiritu & virtute Eliæ.) Non erit proprie dictus Elias, ſed Spiritus & virtus Eliæ in eo reſidebit: non virtus miracula faciendi (Johannes enim Baptiſta nullum edidit miraculum Joh. x. 41.) Sed Spiritus ille parrheſia plenus, & ſingularis ille zelus peccata populi abſque ullo perſonarum diſcrimine graviter redarguendi, quali Elias ſuo tempore præditus fuit. Quando *Spiritus* & *Virtus* conjunguntur, ſignificatur non vulgaris, ſed ſingularis aliqua Spiritus efficacia: ut infra verſ. 35. IV. 14. Act. 10. 38. 1 Cor. 2. 4. 1 Theſſ. 1. 5.

Ut convertat corda patrum ad filios.] Et rurſus *cor filiorum ad patres*, ut apud Malachiam Prophetam additur Cap. 4: 5. Nihil aliud autem ſibi volunt hæc verba, quam diſcordiam & inimicitiam, quæ inter Patres & filios erat, ſublatum iri, & corda eorum concordiæ vinculo eſſe copulanda. Intelligitur vero diſcordia & diffidium, quod circa religionem erat. Nam Johannis tempore erant potiſſimum tres Sectæ Judæorum, nempe Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum, de quibus Joſephus lib. 13. c. 9. Phariſæi & Sadducæi mutuo inter ſe odio flagrabant, & alii alios perſequebantur. Præterea erant plurimæ Scholæ ſcribarum, in quibus quotidie novæ controverſiæ ac lites de ſenſu Scripturæ ac Traditionum ipſorum oriebantur. Idcirco Chriſtus populum à ſuis Magiſtris ſeductum vocat oves palantes ac diſperſas, non habentes Paſtorem Matth. 9: 36. In hujuſmodi autem diſſenſionibus, quæ conſcientiam ac religionem ſpectant, homines nullum habere ſolent reſpectum perſonarum: ſed etiam parentes ac liberos inter ſe diffidere novum non eſt. Vult igitur Angelus hoc loco dicere, Johannem in hunc finem miſſum iri à Deo, ut omnes diſſenſiones quæ ſunt in populo, è medio tollat, omneſque ad unam fidem ac religionem adducat, ita ut omnium fiat unum cor, & una anima. Nominat autem Patres & filios, tanquam exemplum graviſſimi diſcidii, quod non tantùm inter alios homines, verum etiam inter parentes & liberos vigebat. Hoc Dei conſilium quod in omnibus Iſraëlitis effectum non fuerit ſortitum ipſe Angelus innuit, cum inquit: Multos ad Dominum Deum ipſorum convertit. Plerique enim hoc Dei conſilium ſpreverunt, & quidem libera ſua voluntate.

Et inobedientes ad prudentiam juſtorum.] Id eſt, eos, qui Dei legibus non obediunt (quos Johannes ipſe progeniem viperarum vocat Matth. 3. verſ. 7.) reducet ad illam ſapientiam, quæ homines veram pietatem & ſanctitatem edocet, atque ita omnem diſſenſionem ac diſcordiam tollet. Ubi enim vera eſt pietas, ibi nulla eſt diſcordia.

Ut paret Domino populum expeditum.] Hiſce verbis totum Johannis officium comprehenditur, quod in eo conſiſtebat, ut animos hominum per prædicationem pœnitentiæ aptos ac paratos redderet, ad ſuſcipiendum, quod Chriſtus annunciaturus erat, regnum cælorum. Ex quo intelligitur, etiam præcedentia (de convertendis patrum cordibus ad filios, & adducendis inobedientibus ad prudentiam juſtorum) non modo perfectiſſimo, ſed juxta proportionem muneris ejus accipienda eſſe. Johannes enim nullam aliam concordiam ac juſtitiam docuit, quam eam, quæ à Deo in Lege requiritur; & qui ea in parte doctrinæ ipſius ductum ſequebantur, illi erant expeditus & paratus populus, ad diſcendam à Chriſto magna illa luce, perfectiſſimam ſapientiam, quæ homines omnes quam arctiſſime conjungat, ut in eis ſit unum cor, & una anima, quæque eos in vera juſtitia erudiat.

Verſ. 18. *Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc cognoſcam? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea provecta eſt ætate.*] Ferme iiſdem verbis utitur Abrahamus, cum ipſi Deus promitteret terram Chananæam Gen. 15: 8. Indicat autem Zacharias, ſe iſti annunciationi non crediturum, niſi ſignum videat. Similis credendi difficultas etiam in Gedeone enituit, Judic. 6. verſ. 17. Si verba per ſe conſiderentur, non videntur tantam commeruiſſe pœnam, quanta poſt ſecuta eſt, dum per anni prope ſpatium linguæ uſu caruit, verſ. 20. Sed Deus animum potiſſimum ſpectavit, & in eo diffidentiam animadvertit, quam etiam in ſequentibus verbis Zacharias prodit, dum promiſſioni Angeli ſuam ſuæque uxoris ſenectutem opponit, cum potius debuerit animum ſuum à naturalibus cauſis ad omnipotentiam, primæ omnium rerum cauſæ reflectere: prout de Abrahamo dicit Paulus, eum *non conſideraſſe ſuum ipſius corpus jam emortuum, nec emortuum uterum Saræ*, Rom. 4. 19. Videtur, quidem etiam Abrahamus initio addubitaſſe, cum inquit: *An mihi annos centum nato naſcetur proles? An etiam Sara nata annos nonaginta pariet?* Geneſ. 17. verſ. 17. Sed brevis iſta ab initio addubitatio, quæ mox fiducia in Deum ſuperata eſt, in re præſertim, cujus nullum ante ſe habebat exemplum, citius ipſi condonari merebatur, quam Zachariæ, qui exempla Abrahami & Manuis probe norat, ſed eorum in re ſubita haud meminerat. Ita ſcilicet comparatus eſt humanus animus, ut in alienis rebus oculatiores ſimus, quam in noſtris. Quod autem quidam autumant, Zachariam propterea dubitaſſe, quod neſciverit, an bonus fuerit Angelus, id neutiquam eſt veriſimile. Quæ enim in eo tanta fuiſſet ipſius culpa, ob quam tam ſevere à Deo puniri mereretur? Angelus diſerte inquit: *Ecce eris mutus, eo quod non credidiſti ſermonibus meis*, verſ. 20. Locus hic docet nos, Deum etſi nobis peccata condonet, non ſemper tamen temporales pœnas, quæ interdum ſalutaris remedii loco ſunt, ſimul remittere.

Verſ. 19. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriël, qui adſto ante Deum, miſſuſque ſum loqui ad te, & hæc tibi annunciare.*] Angeli cum inter ſe nullis nominibus indigeant, à ſuis officiis ac muniis denominantur. Denotat autem *Gabriel*, Dei virtutem. Itaque Angelus iſte ſic vocatur, quia Deus ejus miniſterio utitur in rebus, in quibus ſummam ſuam virtu-

virtutem ac potentiam vult demonſtrare. Maxima autem Dei potentia eſt Euangelium Jeſu Chriſti, Rom. 1: 16. 1 Cor. 1: 24. Quamobrem hic Angelus non ad quaſvis alias res adhibetur, ſed ſolummodo ad eas, quæ ad Chriſtum ſpectant, annunciandas: olim quidem Danieli, hic Zachariæ, paulo poſt vero Mariæ Virgini. Dum ergo Angelus Zachariæ ſuum nomen indicat, ſeque Gabriëlem vocat, vult eum reflectere oculos ad Prophetiam Danielis Cap. 8. 16. IX. 21. quaſi dicat. Non eſt, quod mireris, Deum nunc aliquid inſigne contra conſuetum naturæ curſum facere. Jam enim tempus illud præſto eſt, de quo vaticinatus eſt Daniel, in quo Deus ſummam ſuam potentiam ac robur eſt patefacturus. Sapientes Judæorum ajunt Michaëlem eſſe miniſtrum iræ Dei, Gabriëlem vero miſericordiæ: atque ideo illum unica tantum ala, hunc duabus alis inſtructum eſſe. Eandem ob cauſam Michaëlem Angelum appellant ignem, Gabriëlem autem aquam.

Qui adſiſto ante Deum.] Indicat his verbis Angelus ſuam dignitatem ac præſtantiam. Eſtque locutio figurata, deſumpta à conſuetudine mundanorum Regum, quorum thronis excellentiſſimi miniſtri proxime ſolent adſtare. Hoc ergo ſibi vult Angelus, ſe non aliquem de plebe ac grege miniſtrorum eſſe, ſed propinquum eſſe Deo in cœleſti ipſius regno. Vide dicta hac de re ad Matth. 18. 10.

Verſ. 20. *Et ecce eris mutus, nec loqui poteris uſque ad eum diem, quo hæc fient: eo quod non credidiſti ſermonibus meis, qui implebuntur ſuo tempore.*] Ne videatur Angelus tautologia uſus, & rem eandem bis dixiſſe (nam mutum eſſe, & loqui non poſſe, unum & idem eſt) non eſt eorum ſpernenda ſententia, qui exiſtimant, Græcam vocem σιωπῶν (quæ proprie idem ſignificat, quod *tacens*) hic denotare *ſurdum*: præſertim cum alioqui tanta ſit linguæ cum auribus cognatio, ut muti plerumque etiam ſimul ſurdi eſſe ſoleant. Quodque Zacharias etiam ſurdus fuerit, ex eo ſatis conſtat, quod infra verſ. 62 dicitur, cognatos ejus nutu & ſignis quodammodo interrogaſſe eum, quomodo filium ſuum vocari vellet. Si enim ſenſu audiendi valuiſſet, non nutu, ſed loquendo eum interrogaſſent. Confirmatur idem ex eo, quod infra verſ. 22. tanquam de re jam ſemel indicata dicatur, eum *permanſiſſe mutum*: ubi adhibita eſt in Græco vox κωφὸς, quæ & mutum & ſurdum ſignificat.

Uſque ad eum diem, quo hæc fient.] Id eſt, donec puer in lucem fuerit editus, eique nomen indetur Johannis, quod ſuprà verſ. 13 prædixit, & infra verſ. 64 impletum eſt.

Eo quod non credidiſti.] Hic cauſa redditur pœnæ ſupra annunciatæ: quæ pœna ſimul ſigni loco eſſe debebat Zachariæ; quoniam ſignum popoſcerat, ex quo cognoſceret vera eſſe Angeli dicta.

Implebuntur ſuo tempore.] Nempe poſt exactos novem menſes, quibus gravidæ mulieres uterum ferre ſolent.

Verſ. 21. *Erat autem populus expectans Zachariam: & mirabantur, quod is moraretur in Templo.*] Expectabat extra ſacrarium Templi, ubi orabat verſ. 10.

Quod moraretur in Templo.] Nimirum ultra tempus, intra quod alioqui ſolebat ſuffitus abſolvi. Itaque oportet, vel Angelum ſermonibus ſuis (quorum hic ſumma tantum brevis expoſita eſt) vel terrorem illum ac metum, quo perculſus fuit, tamdiu eum detinuiſſe ac retardaſſe.

Verſ. 22. *Egreſſus autem non poterat loqui eis: & agnoverunt eum viſionem vidiſſe in Templo. Et ipſe innuebat eis, permanſitque mutus.*] Agnoverunt id non ex conjectura, quam ſumebant ex longa illa mora, quam traxerat in Templo, ſed ex ejus nutu. Videtur enim in verbis, *Et ipſe innuebat eis*, vocula *Et* poſita eſſe pro *nam*: ut ſæpiuſcule poni ſolet. *Viſio* autem hic ſignificat revelationem ſeu apparitionem: prout etiam infra Cap. 24. 23. Actor. 26. 19. 2 Cor. 12. 1.

Verſ. 23. *Et factum eſt, ut impleti ſunt dies miniſterii ejus, abiit domum ſuam.*] Cum ſcilicet elapſa eſſet illa ſeptimana, quam clauſit matutinus ſuffitus Sabbathi ſequentis, ut ſupra verſ. 5 dictum. Unde elucet, Angelum Zachariæ aliquot diebus ante, quam miniſterium ejus finiretur, apparuiſſe, eumque ſuæ functionis munia haud intermiſiſſe, eo quod mutus & ſurdus eſſet.

Verſ. 24. *Poſt illos autem dies concepit Eliſabetha uxor ejus: & occultavit ſe menſes quinque, dicens.*] Poſt illos dies ſtatim id factum eſt, quibus Zacharias in Templo miniſtravit.

Et occultabat ſe menſes quinque.] Id eſt, domi ſe continebat, in publicum non prodibat, metuens dicacium hominum ſales, quod tot annorum vetula prægnans eſſet. Quanquam & hoc non ſine Dei providentia accidit, qui noluit ante divulgari Johannis conceptionem, quam ex certis indiciis conſtare poſſet, eum quoque jam conceptum eſſe, cujus cauſa naſci Johannes debuit, nempe Jeſum.

Verſ. 25. *Sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus me reſpexit, ut auferret opprobrium meum inter homines.*] Id eſt, fecit Dominus, ut ego ſterilis & decrepita anus gravida facta ſim: quæ res riſum quidem omnibus, qui id audient, movebit, eamque pro incredibili ac impoſſibili habebunt. Sic etiam Rachel locuta eſt Geneſ. 30. 23. Unde liquet, quantum dedecus fuerit inter Judæos, ſi fœmina eſſet ſterilis. Vide ſupra verſ. 7.

PARS III.

Verſ. 26. *Menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in urbem Galilææ, cui nomen Nazaretha.*] Menſis ſextus erat vel ab eo tempore, quo Angelus Zachariæ apparuit, vel (quod probabilius eſt) à tempore conceptionis Eliſabethæ. Lucas ideo exprimit tempus, non tantum ut toti hiſtoriæ tanto magis fidem conciliaret, verum etiam, ut ſciatur, quanto major natu Johannes fuerit, quam Jeſus. Cur autem non alio quam ſexto menſe Angelus ad Mariam miſſus ſit, ejus rei cauſam tenere non adeo multum refert: nihilominus tamen id caſu & ſine cauſa factum non eſt. Voluit nimirum Deus, Johannem aliquanto tempore citius naſci, quam Jeſum, quia munus ſuum prius debebat auſpicari: Sic tamen illum ætate præcedere voluit, ut quemadmodum poſtea digito (*Ecce agnus Dei* Joh. 1. 29.)

ita adhuc in matris ſuæ utero eum exultatione ſua monſtrare poſſit.

Nazaretha.] Ibi Joſeph & Maria habitarunt. Vide Matth. 11. 23. Hoc oppidum circiter 16. milliaribus ab Hieroſolyma diſtabat, ſitumque erat in monte quodam: ut infra Cap. 4. 29 videre eſt. Erat autem vile ſatis oppidum, quemadmodum & Bethlehem. Non enim patria Jeſum, ſed ille potius patriam ornavit.

Verſ. 27. *Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſephus, ex domo Davidis: nomen autem Virginis erat Maria.*] Ad Virginem miſſus eſt Angelus: nam ex Virgine naſci debuit Meſſias, juxta vaticinium Eſaiæ Cap. 7. 14. quod Matthæus allegavit Cap. 1. verſ. 23.

Deſponſatam viro.] Non ſolum virginitas Mariæ, & bona fama infantis id requirebat, ut Maria non conciperet, niſi deſponſata viro, ſed etiam conſultum hac ratione eſt utriuſque ſecuritati & utilitati, ut qui mox plurimis adverſitatibus fuere expoſiti, quique inprimis gravia facere itinere coacti ſunt, quo ita Virginis honor, quem miracula non ſatis adverſus incredulos tutari poterant, umbra alieni nominis tegeretur, & muliebris infirmitas viri ac tutoris ſubſidio fulciretur.

Cui nomen erat Joſephus, ex domo Davidis.] Joſephum è regia ſtirpe Davidis ortum fuiſſe, utrumque ſtemma Chriſti teſtatur, quod tum à Matthæo Cap. 1. tum à Luca Cap. 3. ỳſ. 23. deſcriptum eſt. Quanquam familia ipſius adeo nullum tunc regii ſplendoris veſtigium retinuerit, ut ipſe fabrilem exerceret artem. Vide Matth. 13. 54. Deus enim non ſpectat ea, quæ in mundo magni æſtimantur 1 Cor. 1. 26. Hinc etiam Maria canit, infra verſ. 48. *Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ.* Non abſque cauſa vero factum eſt, quod Euangeliſtæ ortum Joſephi ex domo Davidis tam diligenter annotarint; nimirum, ut conſtaret, Chriſtum juxta promiſſionem à Davide oriundum eſſe: quia Maria mater ejus, ideo, quod Joſepho deſponſata erat, cenſebatur eſſe jam in domo Davidis. Vide hac de re dicta ad Matth. 1. 16.

Verſ. 28. *Ingreſſus igitur Angelus ad eam dixit: Ave, gratioſa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.*] Ingreſſus eſt ad eam Angelus in domum, in qua tunc ſub tutela ſuorum conſanguineorum, antequam à Joſepho domum duceretur, ſervabatur. Vide Matth. 1. 18.

Ave.] Græca vox χαῖρε proprie ſignificat *gaude.* Hebræi iſta ſolent ſalutationis formula uti: Pax ſit tecum, Jud. 6. 23. XIX. 20 &c. Ita ſtatim ipſa ſalutatione demonſtrat Angelus, ſe bonum Angelum eſſe.

Gratioſa.] Id eſt, tantam gratiam inveniſti in oculis Dei, ut te unam præ aliis mulieribus dignatus ſit hoc honore, ut Servatorem mundi concipias & parias. Etſi enim virgo iſta extra controverſiam multis præclaris virtutibus fuerit ornatiſſima, non tamen hoc, quod mater facta ſit Meſſiæ, ipſius meritis, ſed meræ gratiæ ac benignitati divinæ erat adſcribendum. Pontificii vocem Græcam κεχαριτωμένη, vertunt *gratia plena*, cum tamen ſimpliciter gratioſam ſeu gratia affectam ſignificet. Poteſt autem de aliquo dici, quod ſit gratia affectus, etſi non ſit plenus gratia, id eſt, etſi non perfectiſſimo modo gratia affectus ſit. Præterea ita Pontificii explicant hæc verba, *gratia plena*, de Maria, quod illa abundantiam quandam gratiæ in ſe habeat, ita ut eam etiam aliis communicare poſſit: perinde ut Chriſtus de ſe inquit, Patrem ſibi dediſſe, ut haberet vitam in ſeipſo, ita ſcilicet, ut eam etiam aliis conferre atque largiri poſſit Johan. 5. 26. Mariam igitur hoc pacto gratia plenam eſſe, abſque omni probatione aſſerunt Pontificii: tantum ad ſtabiliendam ſuam idololatriam, quam in ea colenda & adoranda committunt.

Dominus tecum.] Subintellige ſit, vel, eſt. Prius ſi ſubintelligas, votum erit: ut illud Ruth. 2. 4. Poſterius ſi ſubintelligas, erit commemoratio divini beneficii, (quo ſenſu etiam verba ejuſmodi accipiuntur Jud. 6. 12, 13. & declaratio antecedentium: optimeque quadrabit in Mariam, ut quæ paritura eſſet eum, qui Emmanuel, id eſt, Nobiſcum Deus, apud Prophetam à Deo vocatus eſt Eſai. 7. 14.

Benedicta tu inter mulieres.] Rurſus ſubintellige, à Deo benedicta. Hæc verba adhuc ſunt pars ſalutationis & voti Angelici. Sumpta autem ſunt ex Jud. 5. 24. *Benedicta ſit inter mulieres Jaël, uxor Heberi.* Vide ſimiles locutiones Ruth 3. 10. 1 Sam. cap. 25. 33. Infra verſ. 42. Matth. 21. 9. Luc. 13. 35. Johan. 12. 13. Quando vero de Deo dicitur, eum benedicere alicui, idem eſt ac eum benefacere. Apud homines quidem iſta duo diſtincta ſunt: quando enim reipſa benefacere nequeunt, verbis benedicunt, id eſt, vovent optima quæque. Sed apud Deum valet id, quod David cecinit Pſal. 33. 9, *Quod dicit, fit, & quod præcipit, exiſtit.* Quæ vero unquam fœmina tanto honore ac beneficio cumulata eſt, atque Maria? Huic benedictioni Dei poſtea adjungitur etiam benedictio hominum, quæ in laude ac celebratione conſiſtit: infra verſ. 48. Vide quoque, Luc. 11. 27.

Verſ. 29. *Illa vero videns perturbata eſt ſuper ejus ſermone, & cogitabat, qualis eſſet ſalutatio iſta.*] Partim aſpectu Angeli perturbata eſt, qui ſine dubio in cæleſti forma ei apparuit, partim etiam ſermonibus ejus, qui non conveniebant ipſius humili atque abjectæ conditioni.

Cogitabat, qualis eſſet ſalutatio iſta.] Quid ſibi vellet, quod eam Angelus beatam ſuper omnes mulieres prædicaret. Neſciebat adeo præ humilitate ac modeſtia, quam ob cauſam Deus eam tanta gratia dignaretur.

Verſ. 30. *Et dixit ei Angelus: Ne time Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum.*] Nomine eam compellat, ut intelligat, ſibi non cum aliquo, cui ignota eſſet, rem eſſe. Ita Chriſtus quoque Mariam Magdalenam alloquitur Johan. 20. 16. Deponere autem eam jubet timorem, quem ex ejus vultu, geſtibus, ac verbis agnoſcebat.

Inveniſti gratiam apud Deum.] Animam ei ac fiduciam his verbis inſpirat. Verbum *inveniſti*, non indicat, Mariam antea hanc gratiam, quæ ipſi obtigit, apud Deum quæſiviſſe, vel à Deo eam petiiſſe, ut ſcilicet Meſſias ex ea naſceretur: ſed *gratiam invenire* eſt phraſis Hebraica, & ſæpe nihil aliud ſigni-

ſignificat, quam ſimpliciter gratiam conſequi, & adipiſci, etiam abſque omni prævia cura ac labore. Vide Geneſ. 6. 8. XVIII. 3. XXXIX. 4. Eſth. 2. 17. v. 8. VII. 3. Actor. 7. 46. Hebr. 4. 16.

Verſ. 31. *Et ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.*] Declarat Angelus gratiam illam, quam apud Deum invenerit. Intendit autem ſimul Angelus digitum quodammodo ad illam Prophetiam Eſaiæ Cap. 7. verſ. 14. quam 70 Interpretes ita reddiderunt: *Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel.*

Jeſum.] Pro eo, quod Eſaias dixit *Emmanuel.* Angelus dicit, *Jeſus*, quaſi illud nomen hoc nomine exponens. Unde cernitur, utrumque nomen, ſi rem ipſam ſpectes, idem denotare, ſive enim dicas, eum eſſe illum, per quem Deus nobiſcum eſt (quod ſignificatur nomine Emmanuelis) ſive, eum eſſe noſtrum Servatorem (quod ſibi vult nomen Jeſu) quoad ſenſum perinde eſt. Ideo etiam Matthæus ait, illam Prophetiam impletam eſſe tum, cum ei nomen Jeſu impoſitum eſt. Vide Matth. 1. 23. Hic objicere ſolent Judæi, cum Meſſiæ tot alia nomina apud Prophetas deſignata fuerint, ut Emmanuël, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis Eſai. 9. 6. cur ex his nullum ei ſit inditum? Verum ad hoc parata eſt reſponſio, quod nomina certarum perſonarum vel rerum, quæ apud Prophetas reperiuntur, non ſemper illis perſonis aut rebus indita fuerint, ſed quod tantum iis fuerit indicatum, id quod nomina iſta denotant, merito de iſtis perſonis aut rebus dici poſſe, ſeu rem ipſam nomine ſignificatam iis competere. Sic Deus apud Eſaiam dicit, Hieroſolymam vocatum iri *civitatem juſtitiæ*, Eſai. 1. 26. *thronum Domini* Jerem. 3. 17. *Dominus juſtitia noſtra* Jerem. 33. 16. *urbem veritatis, montem Domini exercituum, montem ſanctitatis*, Zach. 8. 3. Imo hoc ipſum, quod tot nomina uni perſonæ vel uni rei tribuantur, argumento eſt, illam perſonam vel rem omnia iſta nomina proprie gerere non poſſe. Quod autem nomen Jeſu attinet, id complectitur in ſe omnia illa nomina, quæ Meſſiæ à Prophetis attribuuntur, non quidem quoad ſonum & literas, ſed quoad ſenſum.

Verſ. 32. *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus ſolium Davidis Patris ipſius.*] Magnus erit, nempe Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo, Luc. 24. 19. Reſpicit Angelus Prophetiam Eſaiæ Cap. 9. 6. Johannes quidem Baptiſta etiam magnus appellatur, ſupra verſ. 15. ſed multo exiliori ſignificatu. Jeſus non ſolum eſt magnus Propheta, ut Moſes, ſecundum Prophetiam Deut. 18. 18. ſed longe etiam eo major eſt, nimirum ſicut filius major eſt, quam ſervus. Eſt præterea Magnus Pontifex, ſecundum ordinem Melchiſedeci, abſque Patre, abſque Matre, abſque genealogia, neque principium dierem, neque finem vitæ habens, Hebr. 7. 3. Denique eſt magnus Rex, ut Angelus ipſe mox declarat.

Et filius Altiſſimi vocabitur.] Id eſt, erit filius Dei altiſſimi: per Hebraiſmum, de quo vide Matth. cap. 5. 9. Explicat Angelus his verbis, quod ab Eſaia dictum fuerat loco modo dicto, eum vocatum iri *Deum fortem.* Eo ipſo enim Chriſtus eſt Deus fortis, quia eſt Dei Filius. Nihil enim ſublimius de Chriſto prædicari poteſt, quam quod ſit Filius Dei viventis. Vide Matth. 16. 16.

Altiſſimi.] Id eſt, Dei creatoris & ſupremi Domini omnium rerum. Conſer cum verſ. 35. Hoc eſſe Dei nomen, ex Num. 24. ℣. 16. Deut. 32. ℣. 8. patet.

Dabitque ei Dominus Deus ſolium Davidis patris ipſius.] Indicat Angelus Mariæ, filium ejus fore Meſſiam, ſeu illum Regem, qui Davidi ex illius ſemine in regni adminiſtratione debet ſuccedere, de quo Pſalm. 132. 11, dictum eſt: *Collocabo in throno tuo fructum ventris tui.* Vide etiam Eſai. 9. 7. Amos 9. verſ. 11. &c. Dicitur autem regnum Chriſti ſolium Davidis (id eſt, Davidis regnum, per metonymiam) non quod Chriſtus carnali modo Hieroſolymis, ubi Davidis fuerat regius thronus, regnaturus eſſet; ſed quia David fuit typus ac figura Chriſti, qui ex ipſius ſemine ſeu poſteritate naſci debebat, ipſiuſque temporarium ac terrenum regnum fuit figura cœleſtis, ſpiritualis, & æternum durantis Regni Chriſti, quod non ſuper Judæam ſolum, ſed ſupra totum orbem terrarum, imo & ſuper Angelos in cœlo extenditur, Dan. 2. 44. VII. 27. Epheſ. 1. 20. Hinc Chriſtus apud Prophetas David ipſe, nempe ſpiritualis David appellatur Jer. 30. 9. Ezech. 34. 23, 24. XXXVII. 24, 25. Oſe. 3. 5. Uno verbo: Regnum Chriſti vocatur Regnum Davidis, quia utrumque Regnum eſt ſuper populum Dei: David regnavit ſuper populum Dei carnalem, Chriſtus regnat ſuper ſpiritualem. Atque hoc regnum non per vim occupabit, non malis artibus acquiret, ſed *Deus dabit ei*, inquit Angelus. Vide etiam Matth. 28. 18. Phil. 2. 9.

Patris ſui.] Quomodo David Chriſti Pater dicatur, vide Matth. 1. 1.

Verſ. 33. *Et regnabit in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.*] Cum à poſteris Davidis decem tribus ſub Roboamo defecerint 1 Reg. 12. 19. adeoque regnum Iſraëlitarum diviſum fuerit, ideo docet Angelus, ſub ejus regimine totam domum Jacobi, id eſt, omnes duodecim tribus recollectum iri: ſecundum Prophetiam Amos 9. 11. Miſſus autem eſt Chriſtus primo ac præcipue ad quærendum perditas oves Iſraëlitici populi Matth. 15. 24. è quo populo qui eum ultro amplectebantur, in regnum ejus ſuſcipiebantur. Qui vero ex aliis populis ad eum converſi ſunt, ii merito nanciſcebantur hoc nomen, quod ad domum Jacobi pertinerent, non quidem ut in ea nati, ſed ut in eam inſiti. Sicut oleaſtri jure nomen à radice accipiunt illius arboris, in quam inſeruntur. Quemadmodum enim David, cum etiam Idumæis & aliis gentibus imperaret, nihilominus tamen tantum Iſraëlis Rex dictus eſt, quia illæ gentes per Davidis victoriam regno Iſraëlitico ſunt incorporatæ & inſertæ: Ita omnes quoque populi ſunt facti Iſraëlitæ, qui armis Meſſiæ, ſeu ſermone Euangelii eo adducti ſunt, ut uni Deo Iſraëlis ſerviant Eſai. 16. 1. *Adjungent ſe advenæ ipſis* (id eſt, Iſraëlitis) *& aſſociabunt ſe domui Jacobi.* Et Cap. 44. 5. dicitur de alienigenis: *Hic dicet, Domini ſum, & iſte vocabitur nomine Jacobi; ille vero, ſcribet*

ſe Domini eſſe, manu ſua, & nomine Iſraëlis cognominabitur. Itaque domus Jacobi hic ab Angelo non carnali, ſed ſpirituali ſenſu accipitur, juxta ſpiritualem promiſſionem, quæ Abrahamo in Iſaaco facta eſt, de qua, Paulus Rom. 9. 8.

In æternum.] Græcum vocabulum αἰῶν, & Hebraicum Olam, non ſignificat ſimpliciter æternitatem proprie dictam, ſed tempus diuturnum, circiter centum annorum, vel ſpatium humanæ ætatis. Itaque ne quis cogitare poſſet, Regnum Chriſti quidem per longum tempus, vel aliquot ſecula duraturum, ſed tamen tandem deſiturum eſſe; addit Angelus:

Et regni ejus non erit finis.] Secundum vaticinium ſcilicet Eſaiæ, Cap. 9. 7. Vide etiam Daniel. 7. 14. Quomodo autem id intelligendum ſit, explicat Paulus 1 Cor. 15. 24. uſque ad 29.

Verſ. 34. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non cognoſco?*] Maria non loquitur iſta, quaſi de divina omnipotentia dubitet, vel etiam veritatem verborum Angeli in dubium vocet: ſed ex admiratione ſic loquitur, geſtitque ſcire, quo id modo per omnipotentiam Dei fieri debeat. Videtur enim Angeli verba ita intellexiſſe, quaſi ſtatim prægnans futura eſſet, cum tamen ſciret, ſe non ſtatim à Joſepho domum ducendam eſſe. Et verba illa, *Quandoquidem virum non cognoſco*, idem valent, quod, Quandoquidem hactenus intacta ſum ab omni viro. Itaque merito admiratur, quomodo ſine opera viri concipere debeat: cum ejus rei nullum adhuc fuerit in rerum natura exemplum. Epiphanius ſcribit, ſe ex antiqua traditione accepiſſe, Joſephum fuiſſe jam ætate gravem, cum ipſi Maria deſponderetur. Idcirco plerique è Veteribus ſenſerunt, Mariam his verbis ſignificare voluiſſe, ſe votum caſtitatis ac virginitatis perpetuæ feciſſe: ut ita, verba iſta, *quandoquidem virum non cognoſco*, idem denotent, quod, *Quandoquidem virum cognoſcere non ſoleo.* (ut Marc. 14. 12.) Nupſiſſe autem Joſepho cognato ſuo non liberorum ſuſcipiendorum cauſa, ſed ut ſub ejus tutela ac nomine virginitatem ſuam adverſus malorum obtrectationes commodius tueri poſſet. Verum hæc Epiphanii narratio fabulæ eſt admodum ſimilis. Quamdiu enim tutela iſta duraſſet, illius viri, qui jam plane unum pedem in ſepulchro habebat? Sed & ex eo, quod Matth. 1. verſ. 19. ſcriptum eſt, ſatis refellitur. Alioqui vota virginitatis perpetuæ inter Judæos non fuiſſe inuſitata, teſtatur præter Judæorum ſcripta, etiam exemplum filiæ Jephthæ, Jud. 11. 39. Potuit etiam fieri, ut Maria Joſepho à parentibus vel cognatis deſponſata fuerit, illa adhuc tunc inſcia ejus rei, cum Angelus cum ea loqueretur. Neque id inſolitum eſt, ejuſmodi teneras virgunculas abſque earum ſcitu deſponderi: præſertim ſi dubitetur, eas facile conſenſuras.

Verſ. 35. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque, quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*] Eventus docet, Mariam prorſus alia ratione dubitaſſe, quam Zachariam. Zachariæ enim dubitationem ſecuta eſt pœna, Mariæ autem blanda Angeli reſponſio & explicatio. In Zacharia fuit diffidentia; in Maria pium deſiderium ſciendi, quod illi quidem ſcitu non omnino erat neceſſarium, ſed tamen etiam ſciſcitatu non erat illicitum ac pœna dignum. Et etiamſi paritas fuiſſet dubitationis in utroque, ipſa tamen utpote virgo, magis, quam ſenex Sacerdos, veniam merebatur.

Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.] Declarat ipſi Angelus, quomodo futura ſit gravida: nempe Spiritum Dei id ſpirituali & arcana ratione in ea effecturum, quod alioqui vir ſolet carnali ratione facere. Spiritus iſte *Sanctus* vocatur, ut indicetur, eum non ſolum ſimpliciter generationis hujus pueri, ſed etiam ſanctificationis ejus cauſam & auctorem fore, uti mox explicabitur.

Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.] Vocula *Et* hoc loco non habet vim ſignificandi res duas diverſas, quaſi Spiritus Sanctus & virtus altiſſimi ſint duæ res diverſæ (quod etiam alii docti viri, ut Maldonatus, Calvinus, Piſcator, obſervarunt) ſed hæc verba ſunt tantum explicatio præcedentium (quomodo & alibi ſumitur hæc particula *&*, ſenſu nimirum exegetico: vide 1 Cor. 15. 24. 2 Cor. 1. 3. Epheſ. 1. 3. 1v. 6. 1 Petr. 1. 3. 2 Cor. 11. 31. Gal. 1. 4. Eph. 5. 20. Phil. 4. 20. Coloſſ. 1. 3. &c.) Spiritus Sanctus enim nihil aliud eſt, quam virtus Dei: ut ex collatione Lucæ cum Actis liquet. Nam cum Chriſtus apud Lucam dixiſſet: *Vos autem ſedete Hieroſolymis uſque dum induamini virtute ex alto*, Cap. 24. 49. rurſus in Actis inquit, *Johannes quidem baptiſavit aqua, vos autem baptiſabimini Spiritu Sancto*, Cap. 1. 5. Et cum deinceps impleretur hæc promiſſio, dicitur: *Et fuerunt impleti omnes Spiritu Sancto*, Cap. 2. 4. id eſt, acceperunt omnes virtutem ex alto. Atque ob hanc cauſam ſæpiſſime hæc duo vocabula Spiritus & virtus in Sacris Literis conjunguntur. Vide Luc. 1. 17. Actor. 10. 38. Rom. 15. 13. 1 Cor. 2. 4. Epheſ. 3. verſ. 16. 1 Theſſ. 1. 5. Appellatur autem Spiritus Sanctus *Spiritus*, propterea, quod à Deo proficiſcatur, & ab eo ſpiretur quodammodo, non ſecus ac halitus ab homine. Qua de re vide Johan. 20. ℣. 22. Dicitur virtus propter ſummam vim ſeu robur, & propter miraculoſam operationem, quam Deus in ſuis operibus per eum edit. Non intelligitur autem hic per virtutem Dei & per Spiritum Sanctum, illa vis in Deo naturalis, quæ eſt attributum divinæ eſſentiæ, per quam Deus omnia mirabilia opera ſua perficit. Hæc enim à Deo non procedit nec emanat, neque ulli alii, communicatur; æque ut homo ſuam vim alteri communicare nequit. Sed hæc virtus atque hic Spiritus illius naturalis & eſſentialis propietatis Dei effectum eſt, quo homines, quibus communicatur, ſanctificantur & ad mirabilia opera ac functiones perficiendas idonei redduntur. Vide de eo Johan. 20. 22.

Diſtinguitur vero hic expreſſe virtus, id eſt, Spiritus, à Deo altiſſimo, ideoque ipſe Deus altiſſimus eſſe nequit. Voxque *virtus* arguit, Spiritum Sanctum ne quidem perſonam eſſe. Intelligitur enim per eum illa virtus, quæ à Deo emanat, & ſicut hic in Virgine, ita etiam in aliis hominibus, quibus confertur, operationes exſerit. Talis autem virtus perſona non eſt.

De Quæſtione, Quomodo Spiritus Sanctus non

ſit

ſit Pater Chriſti, ſi ſit perſona ſupremæ Deitatis? Vide 1. Appendicem hujus Capitis.

Obumbrabit tibi.] Figurata eſt locutio, quæ à diverſis diverſimode explicatur. Aliqui putant, Angelum his ut & præcedentibus verbis reſpondere ad illud, quod dixerat Maria, ſe virum non cognoſcere: quaſi dicat. Non vir ullus veniet ſuper te, & te quaſi umbra conteget, ſed Spiritus Sanctus in te ſuperveniet, & te inumbrabit. Ferme ſimilem ad modum dicebat Rutha ad Booſum: *Expande alas tuas ſuper ancillam tuam*, Ruth. 3. 9. Alii vero ſentiunt, in his verbis ſimilitudinem ſumptam eſſe ab avibus, quæ ovis incubant eaque corpore ſuo tegunt, & ſic calore ſuo pullos excludunt: itaque Angelum hic dicere, divinam virtutem ſimili ratione hunc ejus fœtum è ſanguine ejus producturam; & his ſuis verbis Angelum reſpexiſſe ad illa verba Moſis: Gen. 1. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.*

Ideoque quod ex te naſcetur Sanctum.] Angelus non dicit, infans iſte, vel fœtus, ſed *Sanctum.* Qua voce non tam reſpicit ad ſanctum munus Chriſti, vel ad vitæ ſanctitatem, quam ad ſanctum ortum hujus infantis, qui non virtute alicujus viri, ſed virtute Spiritus Sancti generabitur.

De ſententia eorum, qui ſtatuunt, Spiritum Sanctum ſtatim à prima conceptione in Chriſto manſiſſe, vide 2. Appendicem hujus Capitis.

Quod ex te naſcetur.] Voces *ex te* in pleriſque Græcis exemplaribus deſiderantur, ſed in Syriaca, Arabica & Latina verſione, nec non apud nonnullos Veteres Eccleſiæ Doctores leguntur.

Naſcetur.] In Græco eſt participium præſens, τὸ γεννώμενον, quod naſcitur. Præſens ponitur pro futuro. Angelus enim hic non de conceptione, ut nonnulli autumant, ſed de nativitate ipſa loquitur. Alioqui non dixiſſet *ex te*, ſed *in te naſcitur*: ut Matth. 1. 20.

Filius Dei vocabitur.] Id eſt, erit Dei Filius: locutione Hebræis uſitata: ut ſupra verſ. 32. Erit Dei Filius, quia Deus in ipſius conceptione & generatione idem virtute ſua faciet, quod in aliis hominibus facit carnalis Pater. Quaſi dicat Angelus: Ideo & hanc ob cauſam, quia non vir, ſed Spiritus Sanctus te obumbrabit, id quod ex te naſcetur ſanctum, erit Filius Dei. Hunc eſſe genuinum hujus loci ac verborum Angeli ſenſum, agnoverunt non pauci viri doctiſſimi, etiam ex illis, qui alioqui Chriſtum Deum ſummum eſſe credunt. E quibus Maldonatus dignus eſt, ut propria ejus verba audiantur: Is ergo in hæc Angeli verba, *Vocabitur Filius Dei*, ſic commentatur inter alia: *Alii omnes, quos viderim, interpretantur ita, quaſi de Chriſto, ut Deo, aut certe, ut homine in unam cum Deo perſonam aſſumpto, loquatur Angelus. Utraque enim ratione Chriſtus verus naturaliſque Dei Filius eſt.* Et poſt pauca ita ſcribit: *Quanquam ego quidem alium arbitror eſſe ſenſum, ut non de Chriſto, qua Deus, neque qua homo perſonæ conjunctus divinæ, ſed de ſola conceptione humanaque generatione hoc intelligatur: quaſi dicat Angelus, Vocabitur, id eſt, erit Filius Dei, quia non à viro, ſed à Deo virtute Spiritus Sancti generabitur. Neque enim de Chriſti natura, ſed de modo generationis Angelus agebat. Et cauſa, quam reddit, quam ob rem Filius Dei futurus ſit, quod Spiritus Sanctus ſuperventurus eſſet in Virginem, eamque obumbratura virtus Altiſſimi; non erat apta ad probandum, eo ſenſu Chriſtum Dei Filium futurum fuiſſe, quatenus Deus, aut quatenus homo in eandem cum Deo perſonam aſſumptus erat: quia potuit etiam purus homo Spiritu Sancto ſuperveniente, & virtute Altiſſimi virginem obumbrante concipi, qui neutro illo modo Filius eſſet Dei, cum neque Deus eſſet, neque divinæ conjunctus perſonæ. Ad probandum autem, id, quod naſciturum erat ex Virgine, Dei Filium futurum fuiſſe, eo ſenſu, quo expoſui, aptiſſima ratio fuit Angeli, quia non ex viro, ſed ex ſolo Deo concipiendus erat. Itaque etiamſi Chriſtus Deus non fuiſſet, illo tamen modo genitus, quo genitus fuit, merito Dei Filius vocatus fuiſſet: non ſolum ut cæteri viri ſancti, de quibus dictum eſt; Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi omnes, Pſal. 81. 6. ſed ſingulari quadam & propria ratione, quod non alium, quam Deum haberet Patrem, non ab alio, quam ab eo generatus.* Hucuſque Maldonatus: cujus verba ideo producenda hic in medium duximus, ut ex iis intelligatur, nihil quam manifeſtam veritatem coëgiſſe hunc virum, qui alioqui ſtrenuus eſt defenſor ſupremæ Deitatis Chriſti, ut unanimi conſenſui omnium Interpretum, quos vidit, contradiceret. Quanquam etiam inter Euangelicos reperiuntur, qui Maldonato in hac interpretatione ſuffragantur. Vide Gualtherum ſuper hunc locum. Zanchium de Tribus Elohim lib. 2. cap. 6. part. 6. Merito quoque idem ſupra citatus auctor, Maldonatus, improbat Calvinum, qui ut Serveti argumentum effugeret, interpretatus eſt, *Vocabitur*, id eſt, *declarabitur Filius Dei.* Nimis enim frigida ac diluta eſt hæc Calvini interpretatio. Nam quomodo ex eo, quod Spiritus Sanctus Virginem Mariam obumbrabit, apparere poteſt, Chriſtum eſſe Filium Dei, talem, qui ab omni æternitate ex ejus eſſentia eſt genitus? *Non debemus*, inquit Maldonatus, *Literis Sacris abtentes, hæreticos refutare.* Manifeſtum proinde eſt, hunc eſſe ſenſum verborum Angeli, quod Chriſtus ideo futurus ſit Dei Filius, quia non ex virili ſemine, ſed per ſolam virtutem Dei in utero Virginis Mariæ conceptus ſit.

Hoc loco etiam eorum meminiſſe cogimur, qui argutantur in voce *etiam*, cum Angelus inquit: Ideo *etiam* quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. Quæ verba nonnulli ita exponunt, quaſi dixiſſet Angelus ad Mariam: Non ſolum perſona illa ab æterno ex eſſentia divina generata, ſed etiam ſanctus iſte fœtus, qui ex te naſcetur, propter tam miraculoſam conceptionem vocabitur Filius Dei. Quæ expoſitio neceſſario infert duos Filios Dei, adeoque duas perſonas in uno Chriſto; alterum Filium Dei, qui ab æterno fuit, & alterum qui ex Maria natus eſt. Itaque dicendum eſt, voces διὸ καὶ idem valere quod *ideoque*, vel recipienda eſt Piſcatoris explicatio, qui ita ad hæc Angeli verba annotat: *Conjunctio καὶ, id eſt, Etiam eſt hic nota paris, & notat parem veritatem conſequentis cum antecedente enthymematis. Quaſi dicatur: Quam verum eſt, te concepturam ex ſingulari operatione Spiritus Sancti, ac proinde virginem: tam etiam verum eſt, Filium illum, quem ſic concepturа, ac paritura es, fore Filium Dei.*

Locus hic etiam nobis ſuppeditat argumentum

irrefragabile, quod Chriſtus non ſit Deus altiſſimus. Si enim ille Deus altiſſimus eſſet, non eſſet niſi eatenus, quatenus eſt Filius Dei. Nihil quippe excellentius & ſublimius de Chriſto dici poteſt, quam quod ſit Filius Dei viventis Matth. 16. 16. Ideo illi ipſi, qui eum pro Deo ſummo agnoſcunt, credunt, eum eſſentiam ſuam divinam per æternam generationem ex Patre accepiſſe. Jam vero Chriſtus quatenus eſt Dei (nempe illius unius altiſſimi) Filius, non poteſt eſſe ipſe Deus altiſſimus. Nam primo hoc titulo diſerte à Deo diſtinguitur. Nullus enim filius poteſt is ipſe eſſe, cujus eſt filius: alioqui ſui ipſius eſſet filius; quod ſe ipſum evertit. Vide Appendicem ad 3. Matth. Secundo is qui ſuam eſſentiam, omniaque quæ ex eſſentia profluunt, à ſeipſo habet, longe antiſtat ei & præcellentior eſt eo, qui eſſentiam, & omnia quæ ab eſſentia proficiſcuntur, accepit ab alio. Atqui Pater eſſentiam ſuam à ſeipſo habet, ut notum eſt cuivis: Filius autem eſſentiam ſuam à Patre accepit. Ergo Pater eſt major & præſtantior quam Filius. Quod etiam Chriſtus ipſe agnoſcit dicens: *Pater major me eſt*, Johan. 14. 28. Atque hæc etiam eſt cauſa, ob quam Chriſtus toties in Sacris Literis *Filius Dei*, rariſſime autem *Deus* nuncupetur: quia nimirum prior titulus ita divinitatem ejus exprimit, ut ſimul manifeſtum diſcrimen inter eam, & ſupremam Patris divinitatem, quæ à nemine habet originem indicet; quod diſcrimen titulo Dei non ita ſignificatur. Si proinde Pater ſuperior ac præſtantior eſt, quam Filius, neceſſario ſequitur, Filium non eſſe Deum altiſſimum. Deus enim ſummus atque altiſſimus neminem poteſt ſe habere ſuperiorem: alioqui ſupremus & altiſſimus non eſſet. Tertio ſi Chriſtus eſſet Deus ſummus, quatenus eſt Dei Filius, neceſſe foret id colligi ex aliqua earum cauſarum, ob quas Filius Dei in ſcriptura dicitur. Quatuor autem potiſſimum cauſæ in Sacra Scriptura indicantur, cur Chriſtus Filius Dei vocetur. Prima expreſſa eſt hic ab Angelo, quia eum Pater virtute ſua in utero Virginis Mariæ produxit. Alteram Chriſtus ipſe attulit Johan. 10. 36, quia eum Pater ſanctificavit, & in mundum miſit. Tertia eſt, quia eum Deus reſuſcitando ex mortuis denuo quaſi genuit. Quam ob cauſam primogenitus ex mortuis dicitur Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. Quarta, quia ad dexteram Dei eſt exaltatus, factuſque eſt æternus Rex atque Pontifex: de quo Actor. 13. verſ. 32, 33. & alibi. Præter has quatuor cauſas nulla alia in tota ſcriptura inveniri poteſt, ob quam Chriſtus Dei Filius appelletur. Omnes autem iſtæ cauſæ ita ſunt comparatæ, ut è nulla colligi queat, eum eſſe Deum ſummum: ſed illæ competunt omnes ipſi eatenus, quatenus homo eſt. Nam ut homo eſt virtute Spiritus Sancti conceptus: ut homo eſt à Patre ſanctificatus atque in mundum miſſus: ut homo denique eſt à mortuis excitatus & ad dexteram Dei exaltatus. Impoſſibile autem eſt, ſi Chriſtus hac ratione & ob hanc cauſam Filius Dei foret, quia eſt ab æterno ex eſſentia Dei genitus, & ipſe Deus altiſſimus, ut non cauſa iſta alicubi expreſſe in Sacris Literis indicaretur. Qui enim fieri poteſt, ut ſcriptura rem tanti momenti, & cauſam primariam ac propriam ſilentio involveret, cum eas quæ ſunt minoris momenti expreſſe ponat? Quomodo illam cauſam prorſus reticeret, quæ ut vulgo creditur, ſcitu & creditu ad ſalutem adeo erat neceſſaria, quæque idcirco tanto clarius atque expreſſius proponi, & tanto diligentius crebriuſque inculcari debuiſſet, quia noſtro intellectu capi non poteſt, adeoque ad credendum tanto eſt difficilior? Cum enim ſcriptura ſummam totius fidei ac confeſſionis noſtræ in eo collocet, ut credamus & confiteamur, Jeſum eſſe Filium Dei (Johan. 20. 31. 1 Johan. 5. 5. Matth. cap. 16. 16.) intellige modo excellentiſſimo; neceſſarium utique eſt, ut quomodo & qua ratione Filius Dei ſit, recte ſciamus & cognoſcamus. Neque enim ſatis eſt verba nuda pronunciare, ſed res ipſa tenenda eſt, quatenus eam intellectus noſter poteſt comprehendere. Alioqui rem vere non crederemus, neque ex animo confiteremur. Res autem, quæ his verbis, quod *Jeſus ſit Filius Dei*, indicatur, conſiſtit in propria ac vera cauſa, ob quam Jeſus Filius Dei in ſummo gradu & perfectiſſima ratione appellatur: quæ cauſa ex ſententia eorum, qui Chriſtum Deum ſummum eſſe ſtatuunt, in eo eſt, quod ex eſſentia Patris ſit genitus ab æterno, atque ſic ipſe Deus altiſſimus ſit. At cum de hac cauſa in Sacris Literis altum ſit ſilentium, imo potius aliæ reperiantur in eis cauſæ, è quibus contrarium colligitur, quod ſcilicet Chriſtus non ſit Deus altiſſimus: ſtatuendum omnino eſt, hanc non eſſe veram cauſam, ac proinde Chriſtum non eſſe Deum ſummum. Ac Euangeliſtis quidem præ aliis omnibus Novi Teſtamenti ſcriptoribus conveniſſet, ut rem hanc dilucide & diſertis verbis deſcriberent: cum ſcopus ſcriptionis eorum inter alios hic quoque fuerit, ortum & generationem Chriſti, ejuſque circumſtantias ſufficienter conſignare. An vero ullo modo fieri potuit, ut illi generationem Chriſti ſecundum humanam naturam ex Virgine Maria, tanta diligentia perſequerentur, alteram vero ſublimiorem generationem ejus ſecundum divinam naturam ex Eſſentia Patris, in qua longe plus ſitum eſt, ſicco pede præterirent? Paulus Apoſtolus vocat ſe & alios Apoſtolos *diſpenſatores myſteriorum Dei* 1 Cor. 4. 1, aitque, in diſpenſatoribus ante omnia requiri, *ut fideles inveniantur*. Qua in re autem fidelitas iſta conſiſtat declarat ipſe Actor. 20. 20. ubi ſeniores Eccleſiæ Epheſinæ alloquens inquit: *Nihil ſubterfugi eorum, quæ conducerent, quominus ea vobis annunciarem, & docerem vos publice & domatim.* Et verſ. 27, *Non ſubterfugi, quominus annunciarem vobis omne conſilium Dei.* Tales profecto fideles diſpenſatores haud fuiſſent Euangeliſtæ, ſi præcipuum ac principale ſalutis noſtræ caput (uti vulgo creditur) ſcilicet de æterna generatione Filii Dei ex eſſentia Patris, mandare literis neglexiſſent: idque non unus duntaxat, ſed omnes quatuor. Nam Johannem Euangeliſtam quod attinet, de quo vulgo putatur, eum ſummam Deitatem Chriſti deſcripſiſſe, iſtius opinionis vanitas monſtrabitur ad Johan. 1. Hoc ſolum hic annotandum eſt, primo tribus prioribus Euangeliſtis nihil ea de re conſtitiſſe, quod Johannes poſt ipſos Euangelium ſuum ſcripturus, & ab ipſis omiſſa ſupplerurus eſſet. Itaque non poterant eo reſpectu in ſua deſcriptione id omittere, quod ut claris & expreſſis

preſſis verbis traderent ſcripto, munus eorum omnino poſtulabat. Deinde Johannes ne verbo quidem meminit generationis Chriſti neque ex eſſentia Patris, neque ex Maria: ſed tantum inquit, ſermonem (id eſt, Chriſtum) in principio fuiſſe. Et apud Deum fuiſſe, & Deum fuiſſe, omniaque per eum facta eſſe &c. Carnalis generationis Chriſti ex Maria deſcribendæ nullam cauſam habebat, cum à Matthæo & Luca copioſe ac ſufficienter eſſet deſcripta: ipſius autem propoſitum erat, hoc potiſſimum deſcribere quod ab aliis Euangeliſtis prætermiſſum erat. Quare ipſi omnino competiiſſet, illam generationem Chriſti ex eſſentia Dei ab æterno, quæ ſalutis noſtræ fundamentum eſſe creditur, evidentiſſimis & intellectu facillimis verbis exponere.

Poſtulat quoque hic locus, ut alium adhuc ſupra quam dici poteſt, craſſum errorem excutiamus. Docetur hodie articulus quidam fidei Chriſtianæ, quaſi ad ſalutem præciſe neceſſarius, qui Incarnatio Dei nuncupatur. Vox ipſa per ſe barbara eſt & incondita; at non minus res ipſa voce ſignificata. Creditur enim, Deum ipſum ſummum de cœlo deſcendiſſe in uterum Virginis Mariæ, inque eo è Spiritu Sancto conceptum eſſe, ex Virginis ſanguine carnem aſſumſiſſe, ex ea natum eſſe in mundum, atque ſic verum hominem factum eſſe. Verum primo qui fieri potuit, ut Matthæus qui ex profeſſo ſibi ſumſerat deſcribendam hiſtoriam conceptionis ac generationis Chriſti, hanc tantam rem ne verbulo quidem attingeret? Sic enim ait Cap. 1. ℣. 18. *Jeſu Chriſti autem generatio ſic erat.* (Ubi generationis voce ſimul conceptionem complectitur, ut ad hunc locum annotavimus.) Poſtea quoque narrans, quomodo generatio iſta facta ſit, nihil minus quam Incarnationis Dei meminit. Et ſi ille adeo ſupinus & negligens in ſua ſcriptione fuiſſet; quomodo tandem Lucas, qui poſt eum ſcripſit, rem iſtam prætermittere potuiſſet? Etiam Angelus apud Matthæum, dum Joſepho rationem ac modum conceptionis Chriſti explicat, ſimpliciter dicit: *Ne metue accipere Mariam uxorem tuam. Nam quod in ea genitum eſt, ex Spiritu Sancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* In quibus verbis ne unicum quidem jota reperitur de eo, quod ipſe Deus altiſſimus in utero Virginis Mariæ concipi & ex ea naſci debuerit. Similiter è verbis Angeli hic ad Mariam prolatis nihil tale elucet: cum tamen ut id ei indicaret, ſufficientem habuerit cauſam, & occaſionem, cum illa quæreret: *Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non cognoſco?* Luc. 1. 34. Hic ſane illi explicare potuiſſet, quomodo id futurum ſit; quod ſcilicet Deus altiſſimus ipſe in ejus uterum deſcenſurus eſſet, &c. Ita nec Apoſtolorum quiſquam vel in ſuis Concionibus, quarum non paucæ in Actis Apoſtolorum habentur, vel in Epiſtolis ſuis hujus tam grandis myſterii ullo verbulo meminit: multo minus id clare & expreſſe deſcripſit. Quod enim nonnulla ſcripturæ teſtimonia attinet, quæ ad hanc rem probandam afferri ſolent, ex iis petita probatio, à nobis in explicatione illorum locorum ſufficienter refellitur. Secundo non ſolum ſilentium Euangeliſtarum & Apoſtolorum arguit hujus articuli falſitatem, ſed hoc quoque, quod hac ratione Spiritus Sanctus (qui etiam pro Deo uno Altiſſimo habetur) iſtam conjunctionem ſecundæ perſonæ, id eſt, unius Dei altiſſimi, cum humana natura effeciſſet. Quid vero operatione iſta tertiæ perſonæ opus fuiſſet? Cui bono Deus altiſſimus (Pater) Deum altiſſimum (Spiritum Sanctum) una cum Deo altiſſimo (Filio) mitteret, ut alter alterum adjuvaret in carne aſſumenda? Annon Filius, utpote Deus altiſſimus, ipſe per ſe abſque cooperatione Spiritus Sancti conjunctionem iſtam perſonæ ſuæ cum humana carne perficere potuit? Reliqua quæ de abſurditate hujus ſententiæ dici poſſunt, videantur illa quæ alibi de hac materia diſputavimus.

Verſ. 36. *Et ecce Eliſabetha cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua & hic menſis eſt ſextus ipſi, quæ vocabatur ſterilis.*] His verbis Angelus fidem facit ſuæ annunciationi: quaſi dicat; Non eſt quod mireris, Deum in re tanta, qualis eſt generatio Servatoris mundi, novum & prorſus miraculoſum adhibere modum; en habes ſimile exemplum in cognata tua. Quemadmodum autem longe præſtantius miraculum eſt, virginem abſque viro, quam anum ex viro gravidam fieri, ita etiam tuus fœtus longe erit præſtantior & excellentior, quam ille.

Cognata tua.] Etſi Eliſabetha fuerit ex poſteritate Aaronis verſ. 5. non ſequitur tamen, Mariam quoque ex eadem tribu fuiſſe. Poterat enim fœmina viro alterius tribus nubere, dum modo paterna hæreditas ſimul in aliam tribum non transferretur: cum id potiſſimum Lex Numer. 36. 8, 9 ſpectet. Vide hac de re dicta ad Matth. 1. 16.

Et ipſa concepit filium in ſenectute ſua.] Vocula *Et* habet hic ſingularem emphaſin. Confert enim Angelus ejus virginitatem cum ſenectute cognatæ ipſius, quatenus utraque ad pariendum liberos æque ferme inhabilis eſt. Confer Gen. 18. 12, 13. Hinc de Iſaaco dicitur, eum ſecundum Spiritum eſſe natum, eique opponitur, qui ſecundum carnem genitus eſt. Gal. 4. 23, 29.

Et hic menſis eſt ſextus.] Hoc addit Angelus ad confirmanda ſua de Eliſabetha dicta. Nam in ſexto menſe ſolet gravidarum uterus ita increſcere, ut non poſſit amplius celari: ut ita Maria primo ſtatim aſpectu poſtmodum agnoſcere potuerit, verum eſſe, quod Angelus de Eliſabetha retulit.

Quæ vocabatur ſterilis.] Id eſt, quæ hactenus ſterilis fuit (ut ſupra verſ. 32, 35.) & pro tali ab omnibus habebatur. Data opera meminit ſterilitatis ſimul cum ſenectute ad augendam miraculi magnitudinem, quod Deus in ea edidit, ut Maria tanto minus dubitaret, ſe quoque in virginitate ſua per Dei vim & operationem concepturam.

Verſ. 37. *Quia non erit impoſſibile apud Deum ullum verbum.*] *Verbum* ponitur pro *re:* ut infra Cap. 2. 15. ſupra Cap. 1. 4. Marc. 11. 29. Cauſam autem affert Angelus, cur Maria verbis ſuis fidem debeat adjungere: & quidem ita, ut ei ſimul ſcrupulum quendam eximat. Poterat enim cogitare, longe difficilius eſſe ut ipſa, quæ ſit virgo, ſine viro concipiat, quam ut Eliſabetha in ſua ſenectute ac ſterilitate à viro imprægnetur. Itaque Angelus indicat, Deum hoc peræque in ea efficere poſſe, atque in Eliſabetha effecit: cum nulla res ſit tam ardua ac difficilis,

ficilis, quæ Deo effectu ſit impoſſibilis. Verum autem eſt hoc generale dictum, Apud Deum nihil eſſe impoſſibile, in iis omnibus, quæ natura ſua poſſibilia ſunt, ut fieri queant. Quod enim natura ſua impoſſibile eſt, & ſeipſum manifeſta contradictione evertit, id etiam ſub Dei omnipotentiam non cadit. In exemplo, quod factum eſt infectum fieri ſimpliciter impoſſibile eſt, ita ut ne à Deo quidem effici poſſit. Contradictionem enim implicat, & tollit ſe ipſum: Factum eſſe, & non factum eſſe. Ita etiam impoſſibile eſt, unum idemque ſimul eſſe & non eſſe; album eſſe nigrum, & nigrum album, &c. Quapropter hæc eſt certiſſima regula veritatis: Quidquid contradictionem involvit, & ſeipſum perimit, id ſimpliciter eſt impoſſibile.

Sunt autem quædam, quæ Deo quidem poſſibilia ſunt factu, ſi reſpicias ejus omnipotentiam: at impoſſibilia ſunt reſpectu ejus ſanctitatis ac divinæ perfectionis. Ut cum Paulus ait, Deum ſeipſum abnegare non poſſe, 2 Tim. 2.13, & cum Hebr. 6.18: dicitur, impoſſibile eſſe, ut Deus mentiatur. Si enim id Deus faceret, non eſſet perfecte ſanctus, adeoque Deus non eſſet.

Hic etiam prætereundum non eſt, aſſertores Trinitatis hanc miraculoſam conceptionem virginis, quæ quomodo facta ſit, nullo humano intellectu comprehendi poteſt, pro exemplo adducere, ad probandum, quod etiam fieri poſſit, ut tres perſonæ Deitatis unam tantum habeant eſſentiam, etſi id intellectus noſter concipere nequeat. At non conſiderant, quam ingens ſit diſcrimen inter ea, quæ ratio ſeu intellectus aſſequi non poteſt, quomodo fieri queant, & inter ea, quæ ratio vi naturalis luminis ſui judicat eſſe impoſſibilia, & contradictionem involvere. Eodem prorſus modo humana ratio aſſequi nequit, quomodo fiat naturalis conceptio omnium vivorum animantium, quomodo ſcilicet ſpiritus, qui latet in virili ſemine, fœtum in matris utero formet: ſicut aſſequi non poteſt, quomodo Spiritus Dei fœtum in utero Virginis formaverit. Nemo tamen eſt, qui dicere audeat, naturalem conceptionem implicare contradictionem. Quod conceptio virginis adeo miraculoſa videatur, cauſa eſt, quia ſimile exemplum neque ante, neque poſtea factum eſt. Si vero tam frequenter id contingeret, quam naturalis conceptio, non magis id admirarentur homines, quam nunc naturalem conceptionis modum admirantur. Facile autem intellectu eſt, miraculoſam hanc virginis conceptionem nullam in ſe habere repugnantiam, ſi naturalis vis à ſupernaturali diſtinguatur. Hæc enim repugnant, ſi dicas: Virgo poteſt naturali & ordinario modo concipere; &, Virgo naturali modo non poteſt concipere. Hoc enim poſterius cum verum ſit, neceſſe eſt falſum eſſe prius. At iſta non pugnant: Virgo non poteſt naturaliter concipere; &, Virgo poteſt ſupernaturaliter concipere. Utrumque enim poteſt verum eſſe, nullumque habet humanus intellectus argumentum, quo probare poſſit, ſupernaturali potentiæ impoſſibile eſſe id efficere, quod alioqui naturali modo fieri poteſt. Niſi quis dicat, nullam dari aliam potentiam, quæ aliquid operari queat, præter naturalem; ſed id nemo dicet, niſi Atheus. Quod autem dogma Trinitatis attinet, iſtud ſeipſum evertere exinde nullo negotio intelligitur, ſi perpendatur, quid proprie ſit perſonam eſſe. Nimirum perſona definitur, quod ſit ſubſtantia prima intelligens: proinde tres perſonæ ſunt tres ſubſtantiæ primæ intelligentes. Per eſſentiam vero unicam non qualiſcunque eſſentia, ſed ſubſtantia quoque intelligens, eſſentia ſcilicet unius illius altiſſimi Dei, intelligitur. Si pro voce Perſonæ, ſupra expoſita definitio ponatur, tum dicetur, Tres diſtinctas ſubſtantias intelligentes eſſe unam ſubſtantiam intelligentem. Quod manifeſta contradictione ſeipſum tollit, ideoque falſum eſt. Quod autem commune lumen humani intellectus pro falſo agnoſcit, id nec alius intellectus ſive angelicus ſive divinus pro vero poteſt agnoſcere. Sed de his ſatis.

Verſ. 38. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et abiit ab ea Angelus.*] Cum dicit Maria: *Ecce ancilla Domini*; locutio eſt Hebraica, qua illa ſuum obſequium ac promptam voluntatem teſtatam facit. Hoc modo etiam Samuel dixit hero ſuo Heli: *Ecce ego*, 1 Sam. 3. verſ. 3, 6, 8: & mox ad Deum ait: *Loquere, quia audit ſervus tuus.*

Fiat mihi ſecundum verbum tuum.] His verbis non optat Maria aut vovet id fieri, ſed teſtatur, ſe conſentire & acquieſcere dictis Angeli, ut quod is annunciavit, ita impleatur. Nec dubium eſt, quin illico ubi aſſenſa eſt Maria, promiſſio cœperit impleri, id eſt, conceptio facta ſit. Idcirco etiam Angelus protinus abſceſſit, ut qui legationem ſuam cum optimo ſucceſſu jam peregiſſet.

PARS IV.

Verſ. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montanam regionem cum feſtinatione in urbem Juda.*] Nulla dubitatione de promiſſione divina vel de verbis Angeli factum eſt, quod Maria iter hoc ſuſceperit, ſed voluit cognatam ſuam de ſumma felicitate ſua certiorem reddere, ei quoque gratulari de gratia divina ipſi exhibita, ac ſimul ſignum, quod ſibi à Deo ad confirmationem fidei datum erat, oculis ſuis videre. Vox *exurgens* indicat, eam omnia alia negotia, quibus alioqui occupata erat, ſepoſuiſſe, ſeque itineri dediſſe. Nam etiam in hoc itinere erat aliquid divini, cui omnia humana cedere debent.

In diebus illis.] Nempe, quibus ei Angelus apparuerat.

In montanam regionem.] In iſta montana regione Judææ multæ erant egregiæ civitates. Iter hoc ad minimum erat 16 milliarium Germanicorum: quod illa ut pote paupercula fœmina ſine dubio pedibus conficere coacta eſt. Zachariam autem in montana regione habitaſſe, apparet ex verſ. 65.

Cum feſtinatione.] Hoc pertinet ad laudem ejus magni zeli ac fervoris.

In urbem Juda.] Id eſt, Hebronem. Per vocem enim *urbis* ſimpliciter ac ſine nomine poſitam, more Hebræorum metropolis regionis illius deſignatur. Et Hieroſolyma quidem erat metropolis totius regni, ſed metropolis in hæreditate tribus Judæ erat Hebron:

Hebron: ut ex 2 Sam. 2. 15 intelligitur. Quod Hebron quoque ſita fuerit in montana regione, ex Joſ. 11. 21. liquet. Etiam poſteris Aaronis pro hæreditate data eſt, Joſ. 21. 10, 11.

Verſ. 40. *Et ingreſſa eſt domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabetham.*] Recta domum petiit Zachariæ, certa, ſe à cognatis ſuis prompte hoſpitio exceptum iri.

Et ſalutavit Eliſabetham.] Pro more recepto, ut prior ſaluter, qui venit ad alterum. Salutandi formula erat apud Judæos: *Pax vobiſcum.* Vide Luc. cap. 10. 5. XXIV. 36. Pax phraſi Hebræa ſignificat omnem felicitatem ac proſperitatem.

Verſ. 41. *Et factum eſt, ut audivit Eliſabetha ſalutationem Mariæ, exultavit infans in utero ejus; & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabetha.*] Duæ res acciderunt, ſimul ac Eliſabetha audivit ſalutationem Mariæ: quarum rerum ſalutatio, ſi non cauſa, ſaltem occaſio fuit. Prima eſt, quod infans exultarit in utero ejus. Græca vox σκιρτάω denotat exultationem præ lætitia, & non ſolum de hominibus, ſed etiam de equis teneris, vitulis aliiſque animalibus laſcive præ hilaritate ſubſilientibus uſurpatur. Adhibetur quoque de naturali motu infantium in matris utero. Hinc ſtatuunt quidam, hanc exultationem infantis in utero Eliſabethæ naturaliter factam eſſe. Naturali enim eſſe dicunt, cum matres ſubita aliqua lætitia afficiuntur, ut fœtus in utero earum commoveatur. Verum hanc exultationem ſupernaturalem fuiſſe, demonſtrat ſequens Eliſabethæ prophetatio, quæ cum prophetico Spiritu locuta ſit, non deprædicaſſet id tantopere, quod naturali factum eſſet ratione. Indicantque verba verſ. 44. eam non vulgarem, qualis alias contingere ſolet, ſed ſingularem quandam & extraordinariam exultationem in utero ſuo ſenſiſſe. Exiſtimant autem nonnulli, motum illum infantis effectum fuiſſe ſalutationis Mariæ, propterea, quod dicat Eliſabetha: *Ut exſtitit vox ſalutationis tuæ in auribus meis, ſubſiluit fœtus cum gaudio in utero meo.* Nimirum quia Maria ſui ſancti fœtus opificem, Spiritum Sanctum in ſe habebat, cenſent ſimul cum ejus verbis ſeu halitu oris, quem ſalutando emiſit, vim quandam ex ea prodiiſſe, qua Eliſabetha afflata eſt, ut & infans ſimul ſubſiliret, & illa prophetaret. Qua ratione Mater primum afflata fuit, & per matrem demum infans. Parum autem refert, ſive hoc dicatur, ſive etiam, eo ipſo tempore, cum ſalutaret Maria Eliſabetham, virtute divina, non ex Maria prodeunte, ſed ex cœlo deſcendente, tum Eliſabetham, tum per eam infantem afflatum fuiſſe. Erat vero hæc læta exultatio infantis in præſentia Servatoris in utero Mariæ exiſtentis, cujus ille præcurſor eſſe debebat, quaſi præludium quoddam illius gaudii, quod aliquando ex voce Sponſi tanquam amicus ejus percepturus erat, Johan. cap. 3. 29. Quod autem infans in utero Eliſabethæ rationis fuerit compos, & tum ratione ſenſerit ac gaviſus fuerit, quin & fidem ac notitiam de matre Servatoris mundi præſente habuerit, à multis abſurde admodum creditur. Verba Euangeliſtæ, & Eliſabethæ id nequaquam evincunt. Ita etiam Jacobus & Eſavus in utero matris ſuæ Rebeccæ colliſebantur inter ſe, nec de eo quicquam ſciebant: & tamen colliſio iſta etiam myſterium in ſe continebat, non minus quam hæc exultatio Johannis, Gen. cap. 25. 22, 23. Sed multo abſurdius etiam hinc à nonnullis colligitur, omnes infantes habere fidem. De infantibus Deus ipſe in genere dixit, quod neſciant deſcernere inter dextram & ſiniſtram, Jon. 4. verſ. 11. Et Auctor Epiſtolæ ad Hebræos ait: *Omnis particeps lactis, expers eſt ſermonis juſtitiæ; infans enim eſt*, Cap. 4. 13. Et Paulus inquit: *Quomodo credent, de quo non audiverunt*, Rom. 10. 14. & verſ. 17, *Ergo fides ex auditu eſt.*

Et repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabetha.] Hæc eſt altera res, quæ accidit, ſub tempus ſalutationis Mariæ. Cum Eliſabetha una cum viro ſuo teſtimonium habuerit ſummæ pietatis, ut verſ. 6. conſtat, credibile eſt, eam antea quoque non prorſus Spiritu Sancto deſtitutam fuiſſe; ſicut David de ſe teſtatur, Pſalm. 51. 13. Verum eam hic ſingularem vim Spiritus Sancti accepiſſe, ſatis ſuperque indicant verba, cum dicitur, repletam fuiſſe Spiritu Sancto. Præterea ex ſequentibus cernitur, eam Prophetico Spiritu fuiſſe repletam, dum de Maria ejuſque fœtu talia loquitur, quæ à Maria non audiverat. Hoc ut & præcedens miraculum, quod in præſentia recens concepti Jeſu factum eſt, magnum teſtimonium præbet ejus divinæ dignitatis.

Verſ. 42. *Exclamavitque voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*] Exclamavit non aliter, ac ſolent qui Prophetico Spiritu agitantur, in quibus ſæpe non vox tantum extollitur, ſed & vultus inflammatur, & geſtus immutantur. Vide Actor. 2. 13.

Benedicta tu inter mulieres.] Eadem fuerunt ſupra verſ. 28, verba Angeli. Unde intelligere eſt, Eliſabetham impulſu Spiritus S. eſſe locutam: quaſi dicat; Jure ac merito Angelus te benedictam inter omnes mulieres prædicavit, quia Mater Domini mei facta es. Benedicta tum beatam, tum laude dignam ſignificat: utraque ſignificatio Mariæ competit, propter miraculoſam generationem Filii Dei. Felicitatem ac beatitudinem ſuam ipſa Maria agnoſcit infra verſ. 48. Eandem prædicavit in ea etiam mulier quædam infra Cap. 11. 27. Ubi tamen ſimul docetur, beatiores eſſe, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Et benedictus eſt fructus ventris tui.] Hæc verba ſumpta ſunt ex Deut. 28. 4. Indicat Eliſabetha, nunc promiſſionem illam Legis perfectiſſima ratione & non vulgari ſenſu impletum iri. Meritiſſimo autem hic ventris Mariæ fructus benedictus appellatur, ut qui non modo ex Spiritu Sancto conceptus fuerit, verum etiam à Deo ad munus omnium quæ in cœlo atque in terris dari poſſunt, excellentiſſimum, deſtinatus fuerit, quique ut tam divinum munus digne adminiſtrare poſſet, præſtantiſſimis donis exornari debuerit, ita ut ſupra omnes Angelos & homines excelleret. Quod Chriſtus hic *fructus uteri* Mariæ vocatur, ex eo refutari poteſt error eorum, qui ſentiunt, Chriſtum corpus ſuum de cœlo attuliſſe, & per uterum Mariæ tantum tranſiviſſe. Ex hoc enim loco patet, eum corpus ſuum ex Maria accepiſſe. Quod etiam confirmatur verbis Pauli, qui ait Gal. 4. 4, Chriſtum factum eſſe ex muliere. De

loco 1 Cor. 15. 47, quem illi ad ſuæ ſententiæ demonſtrationem afferunt, vide ad eundem locum. Pertinet autem ad amplificandam Mariæ felicitatem, quod non ſolum ipſa benedicta ſit, ſed & fructus ventris ejus ſit benedictus.

Verſ. 43. *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me.*] Hæc non ſunt verba ignorantis, ſed admirantis, & ſe indignam agnoſcentis, quod mater Domini ſui ſe viſitare dignata ſit. Eadem modeſtia ac civilitate utitur hic mater Johannis erga matrem Domini Jeſu (etſi cognata ipſi & multis annis ipſa major eſſet) qua poſtea Johannes ipſe uſus eſt erga Jeſum ipſum, Matth. 3. 14.

Domini mei.] Eliſabetha vocat Meſſiam Dominum ſuum, eodem modo, quo David, Pſal. 110. 1.

Verſ. 44. *Ecce enim ut exſtitit vox ſalutationis tuæ in auribus meis, ſubſiliit fœtus cum gaudio in utero meo.*] Videtur Eliſabetha cauſam voluiſſe indicare, cur Mariam & ventris ejus fructum adeo extollat, & beatam prædicet, quia nimirum ſtatim exultationem fœtus in utero ſuo ſenſerit.

Subſiliit cum gaudio.] Gr. ἐσκίρτησεν: quæ vox Græca etſi etiam de hilaritate animi uſurpetur, tamen proprie denotat gaudium ac lætitiam externam, quæ in geſtibus ac motu membrorum conſiſtit, qualis in alacri ſaltatione tripudio, manuumque complosione conſpicitur. Videtur Eliſabetha indicare, quod ſicut infantes in utero matrum ſuorum, quia calor ipſis gratus eſt, naturali modo ſubſilire ſolent, ita & in ſuo utero infans abſque cauſa naturali & modo haud naturali ſubſilierit. Vel etiam verba ejus ſic intelligi poſſunt, quaſi diceret: Etiam infans ipſe, qui eſt in utero meo, prodit ac teſtatur ſuam de adventu tuo lætitiam, dum ſimul ac vox ſalutationis tuæ ad aures meas allapſa eſt, ſtatim ſubſiliit. Hoc autem figurate accipi debet, quemadmodum dicitur: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum*, Pſal. 19. 1. Vel: *Benedicite Domino omnia opera ejus*, Pſalm. 103. 22. Hinc jam manifeſtum eſt, Eliſabetham probe animadvertiſſe, exultationem infantis ſui non naturali ex cauſa (puta ex ſubita ſua lætitia) profectam eſſe, ſed ſupernaturaliter id factum, ob præſentiam Chriſti matriſque ejus. Elegans autem hic eſt antitheſis, dum aures ac uterus opponitur voci ſalutationis & exultationi infantis. Ea enim ſignificatur, utrumque ſimul factum eſſe.

Verſ. 45. *Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt ei à Domino.*] Ad ſuperiorem Mariæ felicitatem addit aliam inſuper, quæ priorem longe antecellit, nempe ipſius fidem, quod annunciationi ac promiſſioni Angeli crediderit. Videtur Eliſabetha fidem Mariæ diffidentiæ viri ſui Zachariæ opponere.

Quoniam perficientur ea.] Cauſam affert, cur eam beatam æſtimet propter fidem: quia nimirum id quod annunciatum ei eſt, quodque credidit, reipſa implebitur, & effectum ſuum ſortietur. Etſi vero nemo dubitare poterat, quin Deus, qui verax & omnipotens eſt, promiſſa ſua ſit præſtiturus: tamen magnitudo rei, quæ Mariæ promiſſa erat, videtur poſtulaſſe, ut quod per ſe verum erat, etiam auctoritate hujus vaticinii Eliſabethæ confirmaretur.

A Domino.] Per Angelum. Jure autem Domino adſcribitur, quod dictum erat ab Angelo, quia Angelus in nomine Domini tanquam legatus loquebatur. Inde non raro fit, ut Angeli ita formentverba ſua, quaſi ea Deus ipſe loqueretur: quod cum non omnes obſervarent, anſam id errandi graviter multis præbuit. Vide Exod. 3. 4. Actor. 7. verſ. 30, 31. Item Exod. 19. 18, 20, 21. Confer cum Hebr. 2. 2.

PARS V.

Verſ. 46. *ET ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*] Canticum iſtud Mariæ haud obſcure alludit ad tempora exitus Iſraëlitarum ex Ægypto; quæ tempora fuere typus temporum Meſſiæ, inter quæ plurimarum circumſtantiarum ſimilitudo eſt, neque id factum abſque peculiari directione Dei. Ibi Miriam (quod nomen idem eſt cum nomine Mariæ) agmen ducit inter canentes fœminas, Exod. 15. 20, 21. Hic etiam Maria Spiritu Sancto obumbrata fuit, & ſupra omnes mulieres celebratur. Obtinebat autem apud Hebræos ut & alios populos conſuetudo, ut ad movendum affectus, lætas & lugubres cantilenas componerent, abſque rythmo tamen & artificioſa ſyllabarum poſitione, ſed prout dictabat eis ſive naturalis, ſive ſupernaturalis ſpiritus: cujuſmodi cantiones paſſim in libris Veteris Teſtamenti occurrunt. Vide dicta ad Matth. 26. 30.

Magnificat anima mea Dominum.] Id eſt, laudo & extollo Dominum, nomenque ejus magnifice celebro cantico meo.

Verſ. 47. *Et exultavit Spiritus meus ſuper Deo Servatore meo.*] Verba videntur eo ſenſu eſſe prolata, quaſi Maria ſuam lætitiam, quam ex ſumma Dei gratia ſibi exhibita concepit, ſignificet. Sed credibilius eſt, hic nihil aliud, quam quod ſupra dictum eſt, repeti, verbis nonnihil immutatis; qualis repetitio Hebræis admodum familiaris eſt, & exempla ejus plurima extant in Jobo, in Pſalmis, & Proverbiis Salomonis. In eo enim eſt tota, ut laudes Dei prædicet. Quocirca non exultat illa ſuper ſua felicitate, ſed *ſuper Deo*, nempe quod ille ſit, cui laus & gloria debeatur, propter res magnas, quas non tantum ipſi, verum etiam univerſo populo fecit. Vox *Spiritus* hoc loco idem denotat, quod antea *anima*. Paulus interdum diſtinguit Spiritum ab anima, ita ut per Spiritum animum, per animam affectus, qui homini cum brutis communes ſunt, intelligat. Vide 1 Theſſ. 5. 22. Videntur hæc verba deſumpta eſſe ex Pſal. 35. 9.

Verſ. 48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes generationes.*] Reddit Maria rationem, cur Deum tantopere extollat laudibus, & ſuper eo exultet: quia ſcilicet humilem & abjectum ſtatum ſuum non deſpexerit. Quod enim Mariæ tenuis ac vilis admodum fuerit conditio, ex eo perſpicitur, quod fabro fuerit deſponſata. Alludit autem Maria hic ad verba Annæ 1 Sam. 1. 11.

Ecce enim ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes generationis.] Declarat iſtis verbis, quod

modo

modo dixerat Deum humilitatem ſuam reſpexiſſe; indicans, nomen ſuum hactenus obſcurum & ignotum, apud omnes nationes terræ ſumma cum laude celebratum iri.

Omnes generationes.] Intellige omnes homines, qui in Chriſtum credent. Nam infideles eam potius probro afficient, inprimis Judæi increduli, qui Jeſum è fornicatione natum eſſe impuro ore blaterant. Inter eos autem, qui Mariam beatam prædicarunt, Eliſabetha prima fuit; ſecunda vero, fæmina illa, Luc. 11. 27.

Verſ. 49. *Quia fecit mihi magnifica ille potens, & ſanctum nomen ejus.*] Similes locutiones vide, Deut. cap. 10. 21. Pſalm. 71. 19. Innuit Maria, quam ob cauſam generationes omnes eam beatam prædicabunt, nempe propter maxima miracula, quæ Deus in ea edidit. Miraculum erat, quod illa, cum eſſet virgo, abſque viro conceperat: ſed multo majus miraculum erat, quod tam vilis & contempta puella Servatorem mundi paritura erat.

Ille potens.] Jam ſequitur uſque ad verſ. 56, præclara deſcriptio Dei, quæ ſumitur ab ejus inſignibus attributis. Hic eum appellat *potentem*, quia loquitur de miraculis, in quibus maxime omnipotentia Dei elucet.

Et ſanctum eſt *nomen ejus.*] Id eſt, cujus nomen ſanctum eſt. Hebraiſmus eſt, qui etiam in ſequentibus retinetur; hoc modo: Ille potens, cujus nomen ſanctum eſt, cujus miſericordia durat &c. qui exercuit robur brachio ſuo, qui diſſipavit ſuperbos &c. qui detraxit potentes de thronis, &c. qui eſurientes implevit bonis &c. Hæc enim omnia pertinent ad deſcriptionem Dei. Sumpta autem ſunt hæc verba ex Pſal. 111. 9. Sanctuſque hoc loco nihil aliud ſignificat, quam eum, qui gloria, honore & adoratione dignus eſt.

Verſ. 50. *Et miſericordia ejus à generatione in generationem timentibus eum.*] Id eſt, cujus miſericordia, ſubintellige durat: Hebraiſmo ſuperius indicato. Verba hæc mutuata eſt Maria ex Pſalm. 103. 17. Prædicat autem non ſolum hanc ſibi modo exhibitam miſericordiam, ſed in genere omnem quoque Dei miſericordiam, qua olim erga humanum genus ac inprimis erga populum ſuum uſus eſt. Deſcribit enim Deum ex ejus attributis ac perfectionibus.

Verſ. 51. *Exercuit robur in brachio ſuo, diſſipavit ſuperbos cogitatione cordis eorum.*] Citantur hæc verba de robore exercito ex Pſalm. 118. 15, *Dextera Domini robur exercuit*, &c. Vox *brachii* more Hebræo deſignat robur, ac vires, quia homines in brachiis maximas vires habent: ideo etiam de Deo figurate uſurpatur. Hoc ſenſu hæc vox adhibetur Pſal. 10. 15. XXXVII. 17. XLIV. 4. LXXI. 18. LXXIX. 2. Interdum *robur* & *brachium* conjunguntur: ut Job. 22. 8, 9. Pſal. 89. 14. Eſai. 40. 10. LI. 9. LXII. 8. Dan. 11. 6. Neque hic Maria de uno tantum ſingulari miraculo loquitur, ſed de omnibus fortibus factis, quæ unquam Deus exercuit, quæque ad glorificandum nomen ejus faciunt; vel potius de iis, quæ Deus facere poteſt. Aliqui adnotant, per digitum Dei magnum robur, per manum majus, per brachium maximum denotari. Sed non eſt probabile, diſcrimen hoc tam accurate in ſcriptura obſervari.

Diſſipavit ſuperbos cogitatione cordis eorum.] Hæc fuit Proverbialis apud Hebræos locutio, quæ præter multas alias in libro Syrachi Cap. 10. 15 extat. Senſus autem eſt, quod Deus diſſipet ſuperbos, quod attinet cogitationes ac conſilia cordis eorum, id eſt, cogitationes eorum ac conſilia in nihilum redigit, ut res alium ſortiantur exitum, quam ſuperbi animis ſuis conceperunt. Ita loquitur etiam David, Pſal. 33. ℣. 10. *Dominus irritum facit conſilium gentium, & invertit cogitationes populorum.* Inſigne exemplum ejus rei, quomodo Deus homines in cogitationibus eorum confundat, proſtat in eo, quod voluerit Meſſiam naſci, non ex iis, qui ſtatus ſui ſublimitate, & magnæ in Lege ſapientiæ opinione inflati erant, ſed ex virgine tenuis deſpectæque ſortis. Atque idem etiamnum quotidie fit in vocatione Chriſtianorum, quorum hæc nativitas figura eſt. Huc ſpectat etiam dictum duorum Apoſtolorum Petri & Jacobi: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, 1 Petr. cap. 5. 5. Jac. 4. 6.

Verſ. 52. *Detraxit potentes de thronis, & exaltavit humiles.*] Gemina his verba leguntur in Eccleſiaſtico Cap. 10. 17, *Deus ſuperbos duces de thronis dejecit, & humiles in eis repoſuit.* Vide quoque Pſal. 113. 6, 7, 8. 1 Sam. 2. 8. Impletur autem plerumque hoc dictum in ſuperbis ac modeſtis, ita ut Deus illos humiliet, hos vero extollat. Inter ſuperbos autem eminent Principes ac Monarchæ, qui thronis inſident. Memorabile ejus rei exemplum eſt in Saule & Davide. Vide etiam 2 Sam. 6. 22.

Humiles.] Id eſt, ſtatu, ſed & animo ſimul humiles.

Verſ. 53. *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.*] Simile eſt dictum priori. Et ſenſus idem eſt, qui etiam in Cantico Annæ: 1 Sam. 2. 5. ubi hoc generale dictum applicat Anna ad illud beneficium, quod in ſenectute ſua gravida facta ſit. Sic inquit David, Pſal. 34. 11. *Divites* (ita habet Vulgata Latina verſio) *egent & eſuriunt; ſed quærentes Dominum nullius boni indigentia laborant.*

Dimiſit inanes.] Phraſis hæc uſurpatur de iis, qui petunt aliquid & non obtinent. Vide Luc. 20. 10, 11. Job. 22. 9. Senſus enim hujus dicti in genere eſt, quod Deus tantum pauperum & humilium, non autem divitum & ſuperborum orationes exaudiat.

Verſ. 54. *Suſcepit Iſraëlem puerum ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ.*] Gr. ἀντιλάβετο, quaſi manu apprehendit, eduxit. Verba hæc extracta ſunt ex Eſai. 41. 9, 10. Senſuſque eſt, quod ſicut Deus olim Iſraëlitas quaſi manu eduxit ex Ægypto, ita nunc iterum eos ex tenebris ignorantiæ & ex ſervitute peccatorum educet. In Moſis cantico dicitur, Exod. 15. 13, *Deduxiſti in miſericordia tua populum, quem redemiſti: & duxiſti eum in fortitudine tua ad ſanctum tuum habitaculum.*

Ut memor eſſet miſericordiæ.] Id eſt, ut monſtraret, ſe memorem eſſe miſericordiæ. Reſpiciunt hæc verba ad Pſalm. 98. 3. Vide etiam Mich. 7. 20. Dicitur autem de Deo, eum memorem eſſe populi ſui, vel ejus recordari, quando poſt longam afflictionem ei beneficium ingens exhibet. Vide infra verſ. 72. 2 Paral. 6. 42.

Verſ. 55. *Prout locutus eſt Patribus noſtris, Abraham*

hamo & ſemini ejus, in ſeculum.] Id eſt, ut memor eſſet miſericordiæ, quam Patribus noſtris promiſit, nempe Abrahamo & omnibus ejus poſteris. Per Patres intelligit omnes Patriarchas & majores, potiſſimum eos, quibus promiſſio de Meſſia facta eſt: videlicet Abrahamum Gen. 12. 3. xv. 5. xvii. 19. xviii. 18. xxii. 18. Iſaacum Gen. xxvi. 4. Jacobum Gen. 28. 14. Davidem Pſal. 132. 2. Solum autem Abrahamum hic nominat, quia is primus fuit, cui promiſſio facta eſt, debebatque Pater eſſe omnium credentium. Vide dicta ad Matth. 1. 1.

Sunt quidam inter Interpretes, qui exiſtimant, Mariam in hoc ſuo Cantico reſpexiſſe etiam ad ſui temporis acta, & partim ea, quæ tunc cum Herode aliiſque magnatibus gerebantur, narrare, partim quæ futura eſſent, Spiritu Prophetico prædicere. Inquit verſ. 51. *Exercuit robur in brachio ſuo, diſſipavit ſuperbos cogitatione cordis eorum.* Hoc ſibi vult, Deum ſolum res eas, quæ in oculis hominum magnæ eſſe videntur efficere; ſuperbos autem, tumidos & vanos hominum conatus eum deſtruere & irritos reddere. Solus Deus ei, qui ex me naſcetur, conferet regnum, quod vere magnum erit: contra vero ſuperbia Herodis & filiorum ejus Alexandri & Ariſtobuli, ut & natu maximi Antipatri ac Pheroræ una cum omnibus Principibus Judaici populi deprimetur & evaneſcet.

Detraxit potentes de thronis.] Id eſt, Regem Ariſtobulum, qui à Pompejo captus & tandem veneno enecatus eſt; ejuſque duos filios, Alexandrum & Antigonum ultimum Regem Aſſamonæorum. quorum alter à Scipione, alter ab Antonio ſecuri percuſſus eſt: Hyrcanum Principem, & Pontificem Maximum Ariſtobuli fratrem, qui ab Herode interfectus eſt: Alexandram Hyrcani filiam & Alexandri uxorem; inprimis autem Mariamnem ejus filiam & Herodis conjugem ac Reginam, quæ ambæ ab Herode genero & marito ſupplicio affectæ ſunt: Ariſtobulum Pontificem ſummum Mariamnes fratrem, qui ab affine ſuo Herode in aquis ſubmerſus eſt: quibus Herodes brevi addet ſuos duos filios ex Mariamne ſuſceptos, Alexandrum & Ariſtobulum, quos parricidii inſimulavit: Imo & Herodem ipſum Deus cum univerſa familia & omnibus poſteris, intra unius hominis ætatem, de regio throno Iſraëlis deturbabit.

Et exaltavit humiles.] Loco reginæ Mariamnes, id eſt, Mariæ, aliam Mariam tam alte evexit, ut æterni Regis Meſſiæ mater futura ſit, cum illa altera Maria infelix mater infelicium filiorum fuerit, qui mox peſſum ituri ſint.

Eſurientes implevit bonis.] Poſteros Davidis ſcilicet, qui ad extremam anguſtiam devenerant.

Et divites dimiſit inanes.] Inter alios Bagoam Cubicularium Herodis, avarum hominem ac rapaciſſimum, quales Eunuchi olim in aulis Regum ac Principum eſſe ſolebant.

Verſ. 56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſes tres, & reverſa eſt in domum ſuam.*] Paulo ante partum Eliſabethæ ab ea diſceſſit: quia illi turbæ mulierum, quæ inſperato huic partui decrepitæ fæminæ magno numero ſine dubio adfuerunt, intereſſe noluit. Non eſt enim veriſimile, Mariam partui Eliſabethæ adfuiſſe: quia ſi adfuiſſet, utique etiam per tempus purificationis ejus apud eam manſiſſet, & puerperæ miniſtraſſet; atque ſic plures quam tres menſes effluxiſſent. Sed & ſequentia verſus ſequentis verba indicant Eliſabetham poſt abitum Mariæ demum enixam eſſe.

PARS VI.

Verſ. 57. *Eliſabethæ vero impletum eſt tempus ad pariendum, & peperit filium.*] Tempus novem menſium circiter elapſum eſt, quo ſpatio fœminæ ut plurimum uterum ferunt.

Verſ. 58. *Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.*] Audiverunt quidem jam antea, eam gravidam eſſe, ſed Euangeliſta dicit, eos nunc audiviſſe, quia miſericordia Dei maxime in partu ejus eluxit. Ante partum enim fœtus ſemper adhuc eſt dubius, multiſque periculoſis caſibus obnoxius. Itaque tum demum miſericordia Dei perfecte in ea completa fuit, quando filium in lucem edidit.

Magnificavit miſericordiam ſuam cum illa.] Id eſt, magnifica miſericordia erga illam uſus eſt ingentique eam effecit beneficio, dum ei in tanta ſenectute ac ſterilitate filium donavit. Hebraiſmus hic eſt ſimilis illi Gen. 19. 19.

Et congratulabantur ei.] Fauſta quæque ei apprecabantur. Qua in re ex parte impletum eſt Angeli vaticinium, verſ. 14. *Multi ſuper nativitate ejus gaudebunt.*

Verſ. 59. *Et factum eſt, ut die octavo venirent ad circumcidendum puerum, & vocarent eum ex nomine Patris ipſius, Zachariam.*] Octavum diem Deus circumciſioni aſſignaverat, Gen. 17. 12. Levit. 12. 3. Citius Deus circumcidi pueros noluit, quia ad dolorem ſuſtinendum adhuc poſſent eſſe debiles. Præterea mulier pariens filium per ſeptem dies erat immunda, ideoque puer recens natus non poterat ante octavam diem per circumciſionem Fœderi inſeri: ut liquet ex Levit. 12. 2, 3.

Venirent ad circumcidendum puerum.] Amici atque cognati, veniunt invitati in domum Zachariæ. In Lege enim nullus certus locus erat circumciſioni præſcriptus, ut nec certus circumciſor, ſed peragebat eam, quiſquis commode id præſtare poterat: ita ut mulieres quoque filios aliquando circumciderint Exod. 4. 25. Macchab. 1. 63. Circumciſionem autem in domo Zachariæ factam eſſe ex eo patet, quod puerpera præſente facta ſit verſ. 60. quæ ante trigeſimum tertium diem pedem domo efferre nequibat, Levit. 12. 4. Et Judæi hodie circumcidunt ſuos filios in Synagogis, non ex neceſſitate, ſed ut plures habeant circumciſionis teſtes.

Et vocarent eum ex nomine Patris ipſius.] Id eſt, volebant eum vocare. Nomina Judæi ſolebant ſtatim poſt circumciſionem factam & in eorum, qui aderant, tanquam teſtium, præſentia imponere. Videtur etiam impoſitio nominis ſignum fuiſſe dominii: ut ex Gen. 11. 19 apparet, ubi Deus omnia animalia ad Adamum adduxit, ut unicuique nomen daret, nimirum in ſignum, quod ipſe ſit dominus eorum.

eorum. Vide etiam Gen. 41. 45. Dan. 1. 7. Huic puero igitur nomen indere, nemini alii competebat, quam Zachariæ Patri: ſed quia mutus erat, proximi conſanguinei id ſibi ſumunt. Volebant autem nomen Patris ejus Zachariæ ipſi imponere, ut tam pii ſenis memoria in hoc unico hærede conſervaretur, cum veriſimile non eſſet, eum plures hæredes ac liberos ſuſcepturum. Moris autem fuit tunc temporis inter Judæos, ut liberis Patrum, vel avorum, vel aliorum propinquorum nomina darentur; ut ex verſ. 61 cernere eſt: ut nimirum recordatione nominis ad imitandas virtutes eorum incitarentur. At ſuperioribus temporibus & antiquitus id in uſu non erat, ſed nomina vulgo tribuebantur ex occaſione alicujus rei geſtæ. Vide Geneſ. 4. 1, 26. XXI. 6. XXXV. 18. 1 Sam. 1. 20. Secundum hunc igitur antiquum ritum Johanni quoque nomen datum eſt ab Angelo, quo ſignificabatur, eum apud Deum in gratia fore (Johannes enim denotat gratiam Dei) aut Deum populo ſuo propitium futurum.

Verſ. 60. *Sed reſpondens mater ejus ait: Nequaquam, ſed vocabitur Johannes.*] Eliſabetha fuit repleta Spiritu Sancto verſ. 41. qui ipſi revelavit ea, quæ Angelus Zachariæ mandavit verſ. 13. Præterea probabile eſt, Zachariam ſcripto ſignificaſſe omnia uxori ſuæ, quæ ab Angelo audiverat. Merito autem illa nominis imponendi ſibi ſumebat provinciam, cum Pater eſſet mutus: credibile quoque eſt, cognatos hac in re eam conſuluiſſe.

Verſ. 61. *Et dixerunt ad eam: Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur iſto nomine.*

Verſ. 62. *Innuebant autem Patri ejus, quomodo vellet eum vocari.*] Id eſt, nutu & geſtibus exquirebant ab eo nomen pueri; uti vulgo mos eſt manibus & nutibus cum ſurdis ac mutis loqui.

Verſ. 63. *Et poſtulans tabellam, ſcripſit dicens: Johannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt omnes.*] Tabulam popoſcit, in qua ſcriberet nomen, quod nutu exprimere non poterat.

Scripſit dicens.] Ex participio iſto *dicens*, colligunt nonnulli, Zachariam nomen hoc non ſcripſiſſe, ſed ut cœpit ſcribere, vincula linguæ ejus eſſe ſoluta, ut loqui potuerit. Verum eſt probabilius, eum ſcripſiſſe nomen, & mox etiam id ore ſuo pronunciaſſe.

Johannes eſt nomen ejus.] Non dicit, debet eſſe nomen ejus, ſed eſt. Quaſi dicat: Non opus eſt deliberatione in re, de qua jam Deus ipſe decretum tulit.

Et mirati ſunt omnes.] Non tantum quod cum matre conſentiret, etſi nullus in tota cognatione idem nomen gereret, etſi quoque non audiſſet, quid Eliſabetha dixerit; verum etiam quod is qui hactenus elinguis fuerat, potuerit ſubito nomen ſignificanter effari.

Verſ. 64. *Apertum eſt autem os ejus illico, & lingua ejus: & loquebatur benedicens Deum.*] Nominis puero impoſitio erat terminus, ad quem pœna ipſi impoſita ab Angelo verſ. 20 durare debebat. Os autem ipſi Deus aperuit.

Benedicens Deum.] Tum pro nativitate filii, tum pro reſtitutæ linguæ uſu ac loquendi facultate.

Verſ. 65. *Et factus eſt ſuper omnes timor, qui in vicinia habitabant: & in tota regione montana Judææ divulgata ſunt omnia verba iſta.*] Vox timoris deſignat hic reverentiam erga Deum, more Hebræo. Ex omnibus enim circumſtantiis colligebant, aliquid ſingulare & divinum interveniſſe.

Super omnes, qui in vicinia habitabant.] Nempe in tota illa montana regione. Zachariam enim in montana habitaſſe regione ex verſ. 36 patet. Non eſt autem mirum rem hanc adeo fuiſſe divulgatam ac diſſeminatam, cum tam multa miraculoſa hic concurrerent. Nimirum quod vetula peperiſſet, quod Pater & Mater in nomen inſuetum conſenſiſſent, quod Zachariæ ſubito loquela reſtituta ſit, & fortaſſis etiam, quod Zacharias præſentibus expoſuerit, quid ipſi ante conceptionem infantis acciderit.

Verſ. 66. *Et omnes qui audiverunt, repoſuerunt ea in corde ſuo, dicentes: Quiſnam puerulus iſte erit? Manus autem Domini erat cum illo.*] Repoſuerunt in corde, id eſt, memoriæ ſuæ infixerunt, rem conſiderarunt altius, quid portendat. Hebraiſmus eſt: ut infra Cap. 9. 44. XXI. 14. Prov. 24. 32. Hagg. 2. 19. Ezech. 40. 4. LXIV. 5. Dan. 10. 12.

Quiſnam puerulus iſte erit?] Id eſt, in quantum virum & Prophetam evadet: cum tam mirabilia circa conceptionem ac nativitatem ejus contigerint. Similis locutio eſt, Actor. 12. 18.

Et manus Domini erat cum illo.] Hoc loquendi modo non donum Prophetiæ denotatur, ſed peculiaris Dei cura ac providentia, quæ circa hunc puerum conſpiciebatur. Si enim de dono Prophetico ſermo eſſet, non diceretur, *cum* illo, ſed *ſuper illum*: ut Ezech. 1. 3. III. 22. XXVII. 1. XL. 1.

PARS VII.

Verſ. 67. *ET Zacharias Pater ejus repletus eſt Spiritu Sancto, prophetavitque dicens.*] Non ante, ſed nunc demum, ubi recuperavit vocis uſum. Ac propterea id refert Lucas, ut conſtet, eum ſequentia verba impellente Spiritu Sancto eſſe prolocutum.

Prophetavitque.] Prophetare non ſolum ſignificat futura prædicere, ſed etiam in genere aliquid inſtinctu Spiritus Sancti proloqui. Hinc etiam ſermo Zachariæ, qui hic ſubjicitur, non modo de rebus futuris, ſed etiam de laudibus Dei agit.

Verſ. 68. *Benedictus Dominus Deus Iſraëlis, quod viſitaverit ac redemerit populum ſuum.*] Benedictus eo ſenſu dicitur, quo ſupra verſ. 64. Verba hæc deſumpta ſunt ex Pſalm. 72. 18. CVI. 48. Incipit prophetiam ſuam à laude Dei, ſeu à gratiarum actione pro immenſis beneficiis, populo ſuo exhibitis.

Deus Iſraëlis.] Legitur in ſcripturis, Deum plerumque appellatum eſſe vel ſeipſum appellaſſe à nominibus piorum hominum. Ita inquit Noë: *Benedictus ſit Deus, Dominus Sem* Geneſ. 9. 26. Ita Deus ipſe ſe vocat *Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi* Exod. 3. 6. Ut vero plerique mortalium ſe dedidere idolorum ac falſorum Deorum cultui, exinde Deus, ut diſtingueretur ab aliorum populorum diis, nuncupatus eſt Deus Iſraëlis, quia à ſolis Iſraëlitis colebatur.

Quod

Quod viſitaverit.] Phraſis hæc eſt Hebræa, quæ tam in bona, quam in mala ſignificatione accipitur. In bona, ſignificat alicui beneficium conferre, miſerum & afflictum conſolari, ex afflictione liberare: ut Gen. 21. 1. l. 24. Exod. 3. 16. iv. 31. (ad quæ duo loca Zacharias hic reſpicere videtur) Pſalm. 8. 5. lxv. 10. lxxx. 15. Et hoc ſenſu hic quoque uſurpatur. In mala autem ſignificatione denotat, aliquem caſtigare, punire, affligere: ut Exod. 20. 5. xxxii. 34. Eſai. 23. 17.

Ac redemerit populum ſuum.] Reſpicitur Pſal. 111. 9. Per redemtionem autem non intelligit Zacharias illam redemtionem, quæ per ſanguinem Chriſti facta eſt, ſed totum decretum Dei de redimendo populo ſuo, ſeu mavis, totum opus, quod Deus per Meſſiam ad redimendum populum ſuum facere inſtituit; in quo etiam iſta redemto, quæ interveniente ſanguine Chriſti facta eſt, comprehenditur. Cujus magni operis, quia per nativitatem Johannis initium quoddam factum eſt, dum is in lucem editus eſt, qui Meſſiæ viam paraturus erat; idcirco dicit Zacharias, Deum redemiſſe jam populum ſuum, id eſt, initium redemtionis jam feciſſe, & fundamenta ejus jeciſſe.

Verſ. 69. *Et erexerit cornu ſalutis nobis in domo Davidis pueri ſui.*] Quia multorum animantium robur ac vis in cornibus conſiſtit, ideo locutione Hebræa vis omnis ac robur cornu vocatur: ut patet Pſalm. 44. 6, 11. Præcipue poteſtas Regia ita nuncupatur. Vide Ezech. 29. 21. Dan. 7. 24. viii. 21. Zach. 1. 18. Intelligit proinde Zacharias hic per cornu Regnum Davidis, reſpicitque illa verba, Pſal. 132. 17. *Ibi efficiam, ut oriatur cornu Davidis, paravi lucernam unctо meo.* Cornu ſalutis autem eſt ſalutare cornu, phraſi Hebræa: ut Pſalm. 18. 3. Verbum *erigendi* indicat, eum loqui de cornu, quod avulſum erat & defierat. Senſus igitur eſt: Zacharias agit gratias Deo, quod jam nunc diu exoptata redemtio fieri debeat, qua collapſum Regnum Iſraëlis reſtauraudum eſt ad magnam ſalutem ac conſolationem populi Dei; prout vaticinatus eſt Amos, Cap. 9. 11.

In domo Davidis.] In familia Davidis, cui Regnum erat promiſſum, Pſal. 89. 36, 37, 38. cxxxii. 11.

Pueri ſui.] Vel ſervi ſui. Ita vocatur David, partim quia Deus per eum populum ſuum fideliter rexit, de quo Pſal. 78. 70, 71. partim quia Deo placuit; quomodo etiam omnes ſancti, Dei ſervi appellantur: ita ut Deus eo quaſi gloriatus fuerit, quod invenerit virum ſecundum ſui animi ſententiam; utque de omnibus bonis Regibus dictum ſit, eos ambulaſſe in viis Domini, in omnibus, ſicut David, 1 Sam. 13. 14. 1 Reg. 15. 11. 2 Reg. 18. 3. xxii. 2.

Verſ. 70. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum.*] Sicut locutus eſt, id eſt, ſicut promiſit. Iiſdem verbis plane utitur Petrus, Actor. 3. 21. ubi dubium non eſt, Moſen, &, qui eum ſecuti ſunt, Prophetas intelligi. Reſpiciunt autem verba iſta non ſolum ad præcedentia, quod Deus cornu ſalutis erexerit, ſicut per ſanctos Prophetas ſuos promiſit; ſed etiam, & quidem præcipue ad ſequentia: ita ut per Prophetas intelligat illos, à quibus ſequentia verba mutuatus eſt.

Verſ. 71. *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.*] Sicut locutus eſt, id eſt, promiſit ſalutem, id eſt, fore ut ab inimicis noſtris ſervemur ac liberemur. Cum Zacharias locutus ſit Spiritu Prophetico, extra dubitationem eſt, verbis ejus non carnalem, ſed ſpiritualem ſenſum ſubeſſe; uti totum Meſſiæ regnum ſpirituale eſt. Quare per inimicos intelliguntur peccata, mundus, ſeu mundanæ concupiſcentiæ, diabolus, & mors: quæ liberatio adumbrata fuit, primo per liberationem Judaici populi ex Ægypto, de quo Pſalm. 106. 10. (unde Zacharias hæc verba depromſit) ita loquitur: *Servavit eos de manu ejus qui odit eos, & vindicavit eos è manu inimici:* poſtea per liberationem Davidis è manu Saulis; de qua David inquit, Pſalm. 18. 18. *Liberavit me ab inimico meo valentiore, & ab oſoribus meis, qui ſunt me robuſtiores.* Huc ſpectat locus Oſeæ, cap. 13. 14. ejuſque explicatio, quæ eſt apud Paulum, 1 Cor. 15. 55. Utrum vero Deus adhuc ante mundi interitum liberationem aliquam fideli populo Chriſti a carnalibus inimicis facturus ſit, ita ut corporali pace ac tranquillitate per tempus haud mediocre fruatur, & ſuper hoſtes ſuos triumphet, tempus docebit.

Verſ. 72. *Ut faceret miſericordiam cum patribus noſtris, & memor eſſet Fœderis ſui ſancti.*] Verba hæc cohærent cum verſ. 69. hoc modo: Erexit nobis cornu ſalutis &c. ut faceret miſericordiam cum patribus noſtris. In eo enim conſiſtit miſericordia iſta Dei patribus facta, quod impleverit promiſſionem ſuam, & præſtituto tempore cornu ſalutis erexerit, id eſt, Meſſiam miſerit. Sumpta autem ſunt hæc verba è tabula Legis, Exod. 20. 6. Deut. 5. 10. ubi Deus inquit, ſe miſericordiam facere in milleſimos, qui diligunt ſe: nempe in eos, qui primi plantatores Iſraëlitici populi fuerunt. Quæ verba ſi bene expendantur, hunc habent ſenſum, quod hoc beneficium patribus ipſis contingat, etſi eo poſteri fruantur. Ita Chriſtus quoque innuit, æquum eſſe, ut ſuccurratur ei, quæ Abrahami filia erat, Luc. 13. 10.

Et memor eſſet fœderis ſui.] Quod ſcilicet cum patribus pepigit, Geneſ. 17. 7. xxvi. 3. xxxv. 11, 12. Verba hæc explicationem continent antecedentium, ſumtaque ſunt ex Levit. 26. 42.

Verſ. 73. *Juramenti quod juravit Abrahamo Patri noſtro, daturum ſe nobis.*] Subintellige, ex ſuperioribus, ut memor eſſet juramenti, &c. Zacharias in ſuo ſermone quaſi gradatim aſcendit à Fœdere ad juramentum. Deus enim primum cum Abrahamo Fœdus percuſſit, Gen. 17. 7. deinde vero, cum is promtum ſe ad mactandum filium exhibuiſſet, jurejurando fœdus illud confirmavit, Gen. 22. 16, 17. Non ſolet autem Deus omnibus promiſſis ſuis juramentum adjungere: ſed iis duntaxat, quæ æternum duratura ſunt. Jurejurando enim indicat, decretum ſuum eſſe immutabile: ut ſcriptor ad Hebræos loquitur Cap. 6. 17. Talem autem eſſe hanc Dei promiſſionem, qua pollicitus eſt, ſe populo Iſraëlitico ſupra alios omnes populos propitium fore, docet Paulus Rom. 9. 6. xi. 1. 11. 25. &c. Non obſtitit vero hæc promiſſio, quominus aliqui contumaces fructu hujus gratiæ Dei privarentur: ut ibidem Paulus fuſe demonſtrat.

Verſ. 74. *Ut*

Vers. 74. *Ut è manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi sine metu.*] Indicatur his verbis, quid juramentum illud in se contineat. Verba juramenti ita sonant: *Semen tuum possidebit portas suorum inimicorum*, Gen. 22. 17. Hoc declarat Spiritus Sanctus hoc loco per Zachariam, quod liberabimur è manu inimicorum nostrorum. Quod quomodo de spirituali liberatione intelligendum sit, supra vers. 71 est indicatum.

Serviamus ipsi sine metu.] Aliqui sic exponunt ista verba, ut serviamus Deo non spiritu servili ac timido, quali omnes illi sunt præditi, qui sunt sub Lege, Rom. 8. 16. Hebr. 2. 15. sed Spiritu filialis libertatis ac fiduciæ in Deum. Sed ex antecedentibus liquet, hic sermonem esse de metu inimicorum; quod scilicet ita debeamus ab inimicis nostris liberari, ut eos non metuamus amplius. Quod an etiam secundum literam adhuc complementum sit habiturum, id tempus revelabit. Cum vero Paulus monet, ut salutem operemur *cum timore ac tremore* Phil. 2. 12. & cum ad Romanos scribit: *Noli altum sapere, sed time*; jubet nos timere Deum, ne si eum profanis moribus ac superbia offendamus, ab eo pœnis meritis plectamur; non autem ut timeamus nostros inimicos, quos per fidem in Christum debellavimus, 1 Johan. 5. 4.

Vers. 75. *In sanctitate & justitia coram ipso, cunctis diebus vitæ nostræ.*] Hic explicat, quomodo Deo servire debeamus. Quia vero Zacharias verba sua è Spiritu profert Prophetico, ideo absque dubio intelligitur hic illa sanctitas & justitia, quæ in Euangelio præscribitur: nempe illa *sanctitas & justitia veritatis*, ut loquitur Paulus Ephes. 4. 24. id est, non umbræ, qualis in Lege erat: non in carne Hebr. 9. 10. sed in Spiritu & veritate, Johan. 4. 23.

Coram ipso.] Id est, in sinceritate, non tanquam in hominum conspectu, sed tanquam in oculis Dei: ut supra vers. 6.

Cunctis diebus vitæ nostræ.] Non vult dicere, per omnem vitam nostram, sed quotidie, & quidem quoad vixerimus. Describit enim perpetuam obedientiam, quam nulla peccandi consuetudo, vel adversi sanctitati ac justitiæ actus interrumpant. Talem obedientiam docet Spiritus novi Fœderis. Vide Jerem. 32. 39, 40.

Vers. 76. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus.*] Convertit jam orationem suam Zacharias ad infantem, cujus magnam præstantiam describit. Hinc vero concludi nequit, infantem habuisse rationis usum, ut Patris sermonem intellexerit: quemaddum etiam id de montibus Gelboë concluderetur absurde ex eo, quod David eos sit allocutus, 2 Sam. 1. vers. 21. vel de Sole & Luna, quos allocutus est Josue, Jos. 10. 12.

Propheta Altissimi vocaberis.] Id est, ejus Propheta, per Hebraismum. Quomodo autem Johannes fuerit magnus Propheta Dei, Matth. 11. 9. explicatum est.

Altissimi.] Dei Patris Domini Jesu, non Domini Jesu, ut quidam arbitrantur. Non enim Christi, sed Dei Propheta fuit, Christi autem præcursor.

Præibis enim ante faciem Domini.] Hæc sunt verba Angeli supra vers. 17. non ante faciem Christi, sed Dei. Non enim proprie Christo, sed Deo, qui per Christum venit, viam paravit. Vide hac de re dicta ad Matth. 3. 3.

Vers. 77. *Ad dandam cognitionem salutis populo ejus, in remissionem peccatorum ipsorum.*] Id est, ad dandam salutarem cognitionem, per Hebraismum, qui etiam occurrit supra vers. 69. Declarat autem Zacharias, qua in re consistat illa præparatio viæ Domini, ut nimirum populum salutari doctrina de pœnitentia & conversione summatim ac in genere instruat, perque baptismum ad novam obedientiam obstringat, in reliquis autem eum ad Christum perfectissimum viæ salutis magistrum remittat.

Populo ejus.] Huic populo primum, postea etiam aliis populis.

In remissionem peccatorum.] Gr. *in remissione.* Declarat, qua in re sita sit cognitio salutis, nempe in remissione peccatorum, quæ pœnitentiam sequitur. Cognitio enim salutis nihil aliud est, quam baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Marc. 1. 3. Luc. 3. 3.

Vers. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.*] Per viscera misericordiæ, id est, per misericordiam, quæ ex intimis animi penetralibus proficiscitur. Similis loquendi modus usurpatus est Phil. 2. 1. Coloss. 3. 12. Matth. 9. 36. Respiciunt autem hæc verba non ad proxime præcedentia, quod remissio peccatorum ex intima misericordia divina profecta sit, quanquam hoc verissimum est: sed ad omnia, quæ præcesserunt, nimirum ad missionem Johannis & Messiæ, & ad vocationem ad pœnitentiam, quæ omnia sunt opera infinitæ Dei misericordiæ: prout ea etiam Apostoli diserte divinæ misericordiæ adscribunt: ut Ephes. 1. 5, 6, 7. seqq. 2. 4, 7. Tit. 3. 4, 5.

In quibus visitavit nos Oriens ex alto.] Id est, qua misericordia Dei factum est, ut nobis lux magna cælitus illucesceret. Respicit locum Esai. 9. 1. Lux ista est Christus, qui cœlesti lumine doctrinæ suæ illuminavit (seu illuminare paratus fuit) cunctos homines, cum venisset in mundum Johan. 1. 9. Johannes autem erat quasi crepusculum ante solis exortum, quod dici est præludium, in quo multæ adhuc tenebræ luci permistæ sunt. Itaque cum à Christo vocatur *lucerna ardens & lucens*, Johan. 5. 35. id in valde imperfecta significatione, si cum Christo comparetur, accipiendum est: adeo ut Johannes Euangelista simpliciter neget eum fuisse lucem, Johan. 1. 8.

Vers. 79. *Ut appareat iis, qui in tenebris & umbra mortis sedent, & dirigat pedes nostros in viam pacis.*] Ut appareat, nempe Oriens ex alto. Vide Matth. 4. 16. summa est: quod Israëlitico populo lux ista tunc temporis illuxerit, cum in profundissimis ignorantiæ tenebris esset demersus.

Et dirigat pedes nostros.] Pergit in semel cœpta similitudine. Lux enim dirigit gressus nostros, ut secure ambulemus, nec impingamus, & si erremus, ut viam rectam iterum inveniamus. Vide Johan. 12. vers. 35. Ephes. 5. 18. 1 Johan. 1. 7. Apoc. 21. 24. sic etiam Psal. 119. 105. *Verbum tuum est lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis.*

In viam pacis.] Non dicit, in via, ſed in viam: indicans, eos in via erronea ambulaſſe, & per hanc lucem rurſus in viam rectam deducendos eſſe.

Pacis.] Via pacis dicitur hic, via tuta, plana, quæ eſt ſine offendiculo, ſine errore ac periculo. Alludit ad Prophetiam Eſai. 40. 3, 4. *Parate viam Domino, rectas facite ſemitas Deo noſtro.*

Verſ. 80. *Puer autem creſcebat & corroborabatur Spiritu, fuitque in deſertis uſque ad diem oſtenſionis ſuæ apud Iſraëlem.*] Cum non eſſet Lucæ animus, reliquum vitæ Johannis tempus uſque ad trigeſimum annum, quo munus ſuum exorſus eſt, perſequi; his verbis veluti compendio complexus eſt omnia, quæ interea ipſi contigerunt: quod nimirum corpore & animo creverit, quodque in deſerto vitam egerit uſque ad tempus ſui muneris.

Creſcebat & corroborabatur Spiritu.] Id eſt, validior corpore & animo in dies fiebat: & quidem per vim Spiritus Sancti, quo à matris utero adhuc impletus erat, verſ. 15. Cum vero eadem verba etiam de Chriſto prolata ſint infra Cap. 2. 40. dubitandum non eſt, de Johanne ea in ſignificatione multo imperfectiori accipienda eſſe, quam de Chriſto: pro proportione ſcilicet perſonæ ac muneris utriuſque, ad quod deſignati erant.

Spiritu.] Id eſt, animo, per incrementa donorum, quæ Spiritus Sanctus in eo operabatur. Vel, *Spiritu*, id eſt Spiritu Sancto, cujus vis per augmentum ſapientiæ magis magiſque in eo crevit. Confer cum Cap. 2. 40.

Fuitque in deſertis.] Errant, qui cenſent, Zachariæ domum ſitam fuiſſe in deſerto; eam enim fuiſſe in urbe Judæ, clare patet ex verſ. 39. Sed Johannes ſtatim à teneris in deſertum & loca ab hominum conſortio remota ſe contulit, ubi cibos illos (videlicet locuſtas & mel ſylveſtre Matth. 3. 4.) reperit, quibus ut pote auſterus pœnitentiæ præco victitandum ſibi duxit.

Uſque ad diem oſtenſionis ſuæ apud Iſraëlem.] Tamdiu manſit in deſerto, uſque dum Deus vellet, vocationem ejus notam fieri univerſo populo Iſraëlitico. Ita etiam de Chriſto dictum eſt, eum *manifeſtatum eſſe Iſraëli*, Johan. 1. 31. Hoc autem factum eſt anno ætatis ejus (ut & Chriſti) trigeſimo, decimo quinto anno Cæſaris Tiberii Luc. 3. 1. Apud Judæos enim nemini ante annum trigeſimum (quo virilis ætas incipit) fas erat munere Sacerdotis, Doctoris aut Prophetæ fungi: ut ex 1 Paral. 24. 3. perſpicitur.

I. APPENDIX.

Verſ. 35.

Quomodo Spiritus Sanctus non ſit Chriſti Pater, ſi ſit perſona ſuprema Deitatis?

HOc loco nobis expedienda eſt quæſtio maximi momenti, de Spiritu Sancto, ex quo Chriſtus in utero Virginis Mariæ conceptus eſt: Quomodo ſcilicet is ſi perſona eſt, non ſit Pater Chriſti? Quando enim perſona perſonam generat, utique perſona generans eſt Pater perſonæ iſtius quæ generatur, & hæc eſt illius filius. Vulgo quidem creditur, ut etiam reipſa eſt, Deum Patrem genuiſſe Chriſtum per Spiritum Sanctum, ideoque illum eſſe ejus Patrem: ſed quando quis ſibi giguit filium non per ſuam ipſius perſonam, ſed per aliam perſonam, tum certe illa alia perſona eſt proxima cauſa & verus ac naturalis Pater iſtius filii. Sic igitur Deus Pater non eſſet verus Pater Chriſti, ſed Spiritus Sanctus: Deus Pater autem eſſet is, qui Spiritum Sanctum miſit, vel ei mandavit, ut filium in utero Mariæ Virginis gigneret. Quæſtio hæc olim celebris illius Doctoris Eccleſiæ Auguſtini crux fuit. Sic enim ſcribit in Enchiridio ad Laur. Cap. 38. 39. Tom. 3. *Hunc ergo* (Chriſtum) *cum confiteamur natum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine quomodo non ſit filius Spiritus Sancti, & ſit filius Virginis Mariæ, cum & de illo & de illa ſit natus, explicare difficile eſt.* Tandem poſt multas ambages ſic ad quæſtionem reſpondet: *Non igitur eſt concedendum, quicquid de aliqua re naſcitur, continuo ejuſdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam alia, aliter de homine naſci filium, aliter capillum, pediculum, vel lumbricum, quorum nihil eſt filius.* Verum exempla iſta nihil ad rem faciunt. Capilli enim, pediculi, & lumbrici non ſunt perſonæ: quæſtio autem eſt de perſonis: quando perſona perſonam generat, annon hæc illius filius ſit? Doctiſſimus Jeſuitarum Maldonatus non minus etiam æſtuat & ſe macerat circa hanc quæſtionem, volenſque oſtendere Spiritum Sanctum non eſſe Patrem Chriſti, ſic ait Matth. 1. 18. *Neque enim Spiritus Sanctus ad modum viri cum Maria concubuit.* At hoc rem non conficit. Nam nec prima perſona Deitatis cum Maria ad modum viri concubuit, & tamen ſummo jure Pater Chriſti vocatur. Pergit: *Sed quod virile ſemen facturum erat ipſe* (Spiritus Sanctus) *multo perfectius fecit. Sicut Adamum olim Deus fecerat: niſi quod Adamum ex limo terræ, qui quaſi terræ ſemen eſt, Chriſtum ex ſanguine Mariæ.* Bene. Ut igitur ob hanc cauſam Deus Adami Pater, & Adamus Dei filius vocatur Luc. 3. 38. ita etiam ob eandem cauſam Spiritus Sanctus Chriſti Pater, & Chriſtus Spiritus Sancti filius dicetur. Porro ait: *Neque de Spiritu Sancto conceptus dicitur Chriſtus, quod ſolus Spiritus Sanctus, non etiam Pater, & ipſe qui gignebatur, Filius, ejus generationem effecerint. Vera enim illa regula eſt ab omnibus Theologis antiquis tradita, & à Scholaſticis retenta: Omnia opera Sanctæ Trinitatis extra ipſam omnibus perſonis eſſe communia.* Sed etſi concederetur, non ſolum Spiritum Sanctum, verum etiam Patrem & Filium generationem Chriſti effeciſſe, verum tamen nihilominus manet, etiam Spiritum Sanctum eſſe Patrem Chriſti, quatenus is æque ac Pater & Filius generationem iſtam effecit. Deinde ſi etiam Filius ipſe generationem illam effecit, ſequetur, Filium eſſe ſui ipſius Patrem ſimul ac filium. Vide quæ dicta ſunt in 2. Parte Prolegomenõ de diſcrimine operum, quæ in eſſentia & extra eſſentiam Dei fiunt. Verum ut nodus iſte, qui tantum negotii faceſſit iis, qui Spiritum Sanctum perſonam eſſe ſtatuunt fortius adhuc ſtringatur, expendemus & illa ſcripturæ loca, ubi aliæ quoque,

cur

cur Chriſtus filius Dei dicatur, cauſæ exprimuntur: è quibus pari jure infertur atque efficitur, quod Spiritus Sanctus Chriſti Pater ſit, ſi ſit perſona. Ac primum quidem ait Chriſtus apud Johannem Cap. 10. 36. ſe idcirco ſe Filium Dei appellaſſe, quod ſe *Pater ſanctificarit, & in mundum miſerit.* Atqui ſanctificare proprium munus Spiritus Sancti eſſe creditur. Quomodo ergo Spiritus Sanctus, ſi perſona eſt, non erit vere Pater Chriſti, cum hic ſeu Pater per hunc, Chriſtum ſanctificarit? Deinde ſcribit Paulus, Rom. cap. 1. 4. Chriſtum *definitum eſſe Filium Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* In quibus verbis Apoſtolus reſuſcitationem Chriſti è mortuis, ob quam Filius Dei dicitur, Spiritui Sancto adſcribit. Unde iterum ſequitur, Spiritum Sanctum Chriſti Patrem eſſe, ſi ſit perſona. Et haud ſcio, an multum ab hac ſententia, quod Spiritus Sanctus Chriſti Pater ſit, abfuerit Ambroſius, qui lib. 2. cap. 5. de Spiritu Sancto cum dixiſſet: *Quod ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantia eſt, aut ex poteſtate*; mox ſubjungit: *Quomodo in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto? Si quaſi ex ſubſtantia: ergo Spiritus in carnem & oſſa converſus eſt. Non utique. Si quaſi ex operatione & poteſtate ejus Virgo concepit, quis neget Spiritum Creatorem?* Hic Ambroſius expreſſe affirmare non veretur, Spiritum Sanctum eſſe Chriſti Creatorem. Qui autem Chriſti creator eſt, qui eum in utero Virginis Mariæ formavit & produxit, is neceſſario eſt ipſius Pater. Et tantum de his.

II. APPENDIX.

Verſ. 35.

In qua eorum ſententia examinatur, qui Spiritum Sanctum ſtatim à prima conceptione in Chriſto manſiſſe cenſent.

EXaminanda nobis quoque hic eſt eorum ſententia, qui arbitrantur, omnino ad dignitatem ac præſtantiam Chriſti divinam pertinere, quod Spiritus Sanctus, ſeu illa divina virtus Altiſſimi, ex qua Chriſtus in utero Mariæ Virginis conceptus eſt, ſtatim à prima conceptione in hoc ſanctiſſimo fœtu remanſerit. Quam ſententiam illi ad hunc modum explicant. Primo ajunt, Chriſtum quatenus tantum virtute Spiritus Sancti abſque viri opera natus eſt, adeoque nullum alium Patrem præter Deum habuit, eſſe unigenitum Filium Dei. Secundo quatenus in utero virginis & ex ſanguine mulieris genitus eſt, verum eſſe hominem. Tertio quatenus Spiritus Sanctus, cujus operatione ac vi conceptus eſt, ſtatim ab ejus conceptione in eo & cum carne ejus conjunctus permanſit, eum non eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem, ſed ſingularem, ſanctum & divinum hominem. Quam conjunctionem Spiritus cum carne Chriſti tanti faciunt, ut dicant, Chriſtum eſſe propter hanc cauſam θεάνθρωπον, id eſt, Deum ſimul & Hominem. Hominem ſcilicet ratione carnis, quam accepit è Maria, Deum autem ratione iſtius Spiritus, ex quo conceptus eſt. Quin etiam non dubitant aſſerere, Chriſtum habere duas naturas, humanam unam ex Matre & divinam alteram ex Patre; hunc ſcilicet Spiritum, ex quo conceptus eſt, & cujus reſpectu tantum ſe Filium Dei eſſe profeſſus eſt.

Quia vero aliquis cogitare poſſet; cui uſui fuerit adhuc immaturo fœtui aſſiſtentia Spiritus Sancti? ideo adſcribunt ei has operationes: quod ſicut cæleſtis iſte opifex ſanctum hunc fœtum in utero Virginis ex ſanguine ipſius formavit, omniaque membra ac partes corporis concinnavit, id quod in aliis hominibus Spiritus ſemini virili incluſus præſtare ſolet: ita idem quoque toto tempore eundem conſervarit, & ab omnibus periculoſis caſibus, tam Matrem, quam fœtum ante, in, & poſt partum defenderit; inprimis ne quam labem fœtus ex Matris ſanguine contraheret, ideoque animo ejus aliqua profana concupiſcentia, quod in aliis hominibus ſæpe fit, imprimeretur. Poſtea etiam cum jam editus eſſet in lucem infans, cæleſtem hanc virtutem ab eo non receſſiſſe ajunt, ſed in ætate tenera ac puerili ab omni animi ac corporis periculo eum tutatam eſſe, corporis vigorem ac ſanitatem ſubminiſtraſſe, voluntatem intra cancellos virtutis ac ſanctitatis (abſque coactione tamen & violentia) continuiſſe, intellectum in ſapientia ac cognitione verum divinarum, præter ordinarium humanæ naturæ curſum, imbuiſſe, maturumque reddidiſſe, ita ut adhuc puer ætate cum omnium ſapientum & Legiſperitorum admiratione in Synagogis docuerit, Luc. 2. 47, 52. [IV. 18.] Poſtmodum autem ubi attigit virilem ætatem, & jam tanquam Legatus Dei in mundi theatrum proditurus eſſet, hanc divinam virtutem tanto Spiritus (Matth. 3. 16. Luc. 3. 22. &c.) flumine fuiſſe auctam in eo, quanto ad tanti muneris dignitatem opus erat.

Atque hæc eſt ſumma iſtius ſententiæ, quæ cum in Sacris Literis claris & expreſſis verbis non habeatur, eam per conſequentias & conjecturas confirmant. Præcipue autem tres afferuntur ab iſtis hominibus rationes, quibus hanc ſententiam ſuam ſtatuminant. Prima petitur à comparatione cum primo omnium noſtrum Patre Adamo, qui cum etiam non ex ſanguine vel ſemine viri alicujus, ſed immediate à Deo factus ſit, Dei filius vocatur, Luc. 3. 38. nihilominus tamen eum nihil niſi ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem fuiſſe, ut qui nihil amplius quam humanam animam & corpus, ut & alii omnes homines, habuerit. Quamobrem ſecundum Adamum Chriſtum, qui è numero vulgarium hominum debebat eſſe exemtus, excellentius ac divinius aliquid in ſuo ortu præ primo Adamo habere debuiſſe; nempe debuiſſe eum præter humanam animam etiam Spiritum Dei habere, ut ita ſupra vulgares homines evectus, ſtatim à ſua conceptione, Deo in robore, fortitudine & ſapientia ſimilis, adeoque vere & modo longe præſtantiori, quam primus Adamus, Dei Filius, nempe Unigenitus eſſet. Altera ratio ſumitur ex comparatione cum Johanne Baptiſta. De hoc enim Luc. 2. 15, dicitur, quod *ab utero Matris Spiritu Sancto repletus fuerit.* Chriſtum igitur non tantum debuiſſe hac in parte præcurſori ſuo parem eſſe, ſed

etiam aliquid eo habere excellentius: nempe eum hunc ipſum Spiritum, cujus efficacia conceptus eſt, non ſolum ab utero Matris, verum & in utero Matris, à prima ſua conceptione accipere debuiſſe. Tertia ratio conficitur ex collatione generationis Chriſti cum noſtra tam naturali quam ſpirituali generatione. Inquiunt enim: Cur non debuit Spiritus ille Patris, quo conceptus eſt, in infante manere? Præſertim cum id fiat etiam in illa generatione, qua nos quoque Dei filii per verbum & Spiritum ejus gignimur: prout Chriſtus ait ipſe: *Quod ex carne natum eſt, caro eſt, & quod ex Spiritu natum eſt, Spiritus eſt*, Johan. 3. 6. id eſt, propter inſitum Spiritum, fit Spirituale. Similiter Johannes Apoſtolus ſcribit, in eo qui ex Deo natus eſt, ſemen Dei manere, 1 Johan. 3. 9.

Jam quatenus hæc ſententia ſit veritati conſentanea, & in numerum articulorum fidei ad Chriſti divinam eminentiam ſpectantium reponenda ſit, aliquanto preſſius nobis examinandum eſt. Primo mirari ſubit, quod homines iſti, quibus alioquin in aliis omnibus religionis Chriſtianæ capitibus, religio eſt, aliquid extra Scripturæ clara teſtimonia proferre vel ſtatuere, hic talia tam audacter ac confidenter afferant, & tam diſtincte atque accurate definiant, quaſi nihil niſi ipſiſſima & clariſſima eſſet veritas, quæ tamen in Scriptura Sacra neque ad literam extant, neque per legitimam conſequentiam (ut poſtea videbimus) ex ea elici queunt: imo quæ ut credantur non tantum Chriſti divina ſublimitas, vel ulla gravis cauſa non exigit, ſed etiam de eo dictu abſurda ſunt, & ſecum ipſis pugnant. Si Scripturam inſpiciamus, illa teſtatur, *Mariam inventam eſſe gravidam ex Spiritu Sancto*, Matth. 1. 18. Et ad Joſephum dicit Angelus in ſomnio: *Quod in ea* (Maria) *natum eſt, eſt ex Spiritu Sancto*, Matth. 1. 20. Et apud Lucam Cap. 1. 35. ait Angelus Gabriël ad Mariam: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Hoc eſt totum illud, quod in Sacris Literis de miraculoſa conceptione Filii Dei ex Spiritu Sancto invenitur. Nec dubium eſt, quin plura nobis ea de re patefacta fuiſſent, ſi plura ſcitu, ad divinam Chriſti Domini excellentiam, quæ ipſi propter tam miraculoſam ac divinam generationem competit, neceſſaria forent. Cum vero Sacra Scriptura nihil amplius ea de re memoret, ſed divinam Chriſti eminentiam in multo præſtantioribus rebus, quam ſunt ea, quæ ad pueritiam aut etiam ad ejus infantiam pertinent, ponat; revera eſt ſuperflua ſapientia, in iis rebus magna quærere myſteria, in quibus nobis Spiritus Sanctus nullum revelavit. Secundo in hac ſententia pro conceſſo ſumitur, quod falſum eſt, & ſimpliciter negari poteſt; quod ſcilicet Chriſtus, niſi Spiritus Sanctus illico à prima conceptione cum carne ejus manſiſſet unitus, foret ψιλὸς ἄνθρωπος, ſeu nudus homo: cum ille per ſuam miraculoſam conceptionem exemtus è vulgarium hominum ſorte, ſingularis, ſanctus ac divinus homo eſſe debuerit. Tenendum eſt in primæva Eccleſia ex iis, qui ex circumciſione Chriſtianiſmum ſuſceperant, aliquos fuiſſe, nempe ex Ebionitis quoſdam, qui Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem fuiſſe crediderunt, id eſt, talem, qui è concubitu Joſephi cum Maria prognatus ſit. Inde eſt, quod totam genealogiam Chriſti uſque ad illum locum, ubi Chriſtus à Johanne baptiſatus eſſe perhibetur, à Matthæi Euangelio avulſerint. Iſtis alii Chriſtiani rectius credentes contradixerunt, negaruntque eum eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem. Quare? quia non ſit ex ſemine virili, ſed ex Spiritu Sancto conceptus. Nimirum ejus rei, quod Chriſtus non ſit ψιλὸς ἄνθρωπος, nudus homo, non aliam reddiderunt cauſam, præter ſolam conceptionem ejus ex Spiritu Sancto, ſine ulla ejus conſideratione, an is poſtea in hoc ſancto fœtu remanſerit, nec ne. Atque hoc ex Epiphanio intelligitur. Ubi enim de primis Chriſtianis qui erant in Palæſtina loquitur, qui ferme omnes præter Religionem Chriſtianam etiam Legem obſervabant, uſque ad tempora Adriani Cæſaris, ait, ſe dubitare, an illi etiam (intelligit Ebionitas) Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem eſſe ſtatuerint, an vero nobiſcum (inquit de ſe & de veris Chriſtianis) agnoverint, διὰ πνεύματος ἁγίου γεγενῆσθαι ἐκ Μαρίας, *eum per Spiritum Sanctum ex Maria natum eſſe.* Neque hoc dicit ſe ſcire, num τὰς γενεαλογίας τὰς ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ μέχρι Χριστοῦ, genealogias ab Abrahamo ad Chriſtum uſque rejecerint. Ex quibus ſatis conſtat; veros Chriſtianos Primitivæ Eccleſiæ Chriſtum ſolummodo propter conceptionem ac generationem ejus miraculoſam pro nudo homine non habuiſſe. Defenſores autem hujus ſententiæ, dicunt quidem etiam cum veris primorum temporum Chriſtianis, Chriſtum non eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem, ſed iſti ſententiæ, quam primi Chriſtiani hac de re habuerunt, aſſuunt illi aliam ſuam opinionem, dum ajunt, Chriſtum ideo non eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem, quia Spiritus Sanctus ſtatim ab ipſius conceptione in ipſo remanſerit, carnique ejus conjunctus fuerit. Quæ res primis Chriſtianis ignota fuit, non minus quam Scriptoribus Sacris Novi Teſtamenti, apud quos altum eſt ea de re ſilentium. Et quam, obſecro, abſonum eſt, quod dicunt, Chriſtum propterea eſſe unigenitum Dei filium, quia ſit abſque opera viri ſola virtute Spiritus Sancti conceptus ac genitus: ſi autem Spiritus Sanctus in eo non manſiſſet, eum nonniſi nudum hominem, qualis fuit Adamus aliique homines, futurum fuiſſe? Nam ſi mirabilis conceptio ex Spiritu Sancto non eſt ſufficiens & idonea ſatis ad Chriſtum è numero vulgarium hominum eximendum, ſed neceſſario præterea requiritur, ut Spiritus Sanctus mox à conceptione in ejus carne remanſerit; quomodo poterit ſola conceptio ex Spiritu Sancto eum unigenitum Dei Filium efficere? Cum tamen nihil ſublimius, nihil divinius, nihil quod magis eum ab aliis omnibus hominibus ſeparat, de eo dici queat, quam quod ſit unigenitus Filius Altiſſimi; cumque multo ſublimius & excellentius ſit Dei Filium eſſe, quam non eſſe hominem vulgarem: ſiquidem multi homines eſſe poſſunt non vulgares, ſed ſancti ac divini, qui tamen tam perfecta ratione, quam Chriſtus eſt per ſuam ſolam conceptionem, Dei Filii non ſunt.

Ad hoc reſpondent ſententiæ hujus aſſertores. Primo, ſe non ſimpliciter dicere, Chriſtum per conceptio-

ceptionem è Spiritu Sancto non futurum fuisse singularem, sanctum, & divinum hominem, sed tantum non futurum fuisse tam divinum, tam è vulgarium hominum sorte exemptum. Hactenus enim Divinus homo non fuisset, quatenus divinus homo ψιλῷ ἀνθρώπῳ opponitur.

Secundo ajunt, Christum quidem eo quod à Deo in utero Virginis Mariæ generatus sit, Filium Dei esse; sed filii Dei titulum tanto pleniorem & perfectiorem in Christo sensum habiturum esse, si statuatur, non tantum Dei operâ per Spiritum Sanctum conceptus, sed etiam hanc ipsam quasi divinitatis particulam ex Deo in se derivatam traxisse. Verum hæc responsio facit primum, ut supra proposita hujus sententiæ Explicatio pro mere sophistica & fallaciarum plena habenda sit. In illa enim simpliciter ac nude dicitur, Christum Dei unigenitum Filium esse, ideo quod è Spiritu Sancto conceptus sit. In hac autem responsione dicitur, Christum non plane perfectum Dei Filium futurum fuisse, si Spiritus Sanctus in eo non remansisset. In Explicatione tacite innuitur, nisi Spiritus Sanctus in Christo mansisset, Christum fore ψιλὸν ἄνθρωπον, & non sanctum ac divinum hominem. In hac vero responsione asseritur, eum nihilominus divinum hominem futurum fuisse, sed non tam divinum, quatenus scilicet divinus homo ψιλῷ ἀνθρώπῳ opponitur. An vero hoc non est sophistice agere, diversarum rerum simpliciter diversas indicare causas, cum tamen utraque nonnisi unam causam habeat? Nam juxta hanc responsionem Christus est propter conceptionem ex Spiritu Sancto, tum Dei unigenitus Filius, tum etiam homo non vulgaris: & propter mansionem in eo Spiritus Sancti est pariter non vulgaris homo, & Dei Filius, qui Patris sui Spiritum mox à sua conceptione in se traxit. Et quod, quæso, fundamentum habet illa distinctio inter hominem divinum simpliciter, & hominem divinum, qui ψιλῷ ἀνθρώπῳ opponitur? Potestne aliquis esse singularis & divinus homo, & tamen etiam simul ψιλὸς ἄνθρωπος, nudus homo? Deinde huic responsioni contraria est comparatio Christi cum Adamo, quæ ad confirmationem hujus sententiæ afferri solet. Expresse enim dicitur, nisi Spiritus Sanctus protinus à prima conceptione in Christo mansisset, Christum futurum fuisse nudum ac vulgarem hominem, qualis fuit Adamus, qui etiam absque virili semine à Deo per solam virtutem suam productus est. Quid vero hoc aliud est, quam dicere, solam conceptionem ex Spiritu Sancto Christum non magis supra vulgarium hominum sortem evehere posse, quam prima creatio Adamum? Quapropter alterutrum, vel responsio, vel comparatio Christi cum Adamo ad rem non pertinet: de quo deinceps plura.

Tertio dum in hac responsione conceditur, Christum ob solam conceptionem ex Spiritu Sancto Filium Dei esse, sed non tam pleno ac perfecto sensu, quam si dicatur, Spiritum Sanctum illico à prima conceptione in ipso permansisse; tacite simul conceditur, non omnino ad id, ut Christus Filius Dei constituatur, necessariam fuisse istam Spiritus Sancti in ipso mansionem, sed eam tantum ad perfectiorem sensum pertinere. Hoc vero contrarium est ei, quod Defensores isti postmodum è naturali & spirituali quoque generatione hominum probare nituntur, Spiritum Sanctum necessario debuisse in Christo permanere: quandoquidem uniuscuisque Patris Spiritus, qui inclusus est semini virili, non solum fœtum in utero Matris formet, sed etiam statim in fœtu maneat, eique inseratur. Profecto si id in hominum conceptione necessario fit, & in Christi conceptione ex Spiritu Sancto etiam ad hunc modum fieri debuit; omnino res ipsa testatur, non solum Spiritum Sanctum in Christo mansisse, sed Christum quoque alia ratione non potuisse à Deo generari, adeoque ejus Filium esse: quemadmodum hominum nemo generari posset, nisi ei Patris sui Spiritus insitus esset. Quid ergo ad rem facit, quod dicitur Christum esse in pleniori sensu Dei filium, si Spiritus Sanctus in eo manserit, cum tamen absque hac Spiritus Sancti mansione nullo modo Filius Dei fuisset? Sed fortassis non sine peculiari ratione factum est, quod Sacra Scriptura conceptionem Christi non ad eum modum, quo naturalis conceptio fit, nobis proponat, sed simpliciter Christum Filium Dei vocet, qui per obumbrationem Spiritus Sancti à Deo sit generatus. Nam præterquam quod neutiquam pro certo affirmari potest, Deum generasse Christum prorsus tali modo, quo vulgo existimatur homo hominem generare; siquidem fieri potest, ut Deus alio multo miraculosiori ac diviniori modo hac in re usus sit: nullus etiam è sapientissimis hominibus certo ac infallibiliter scire potest, quomodo se revera naturalis conceptio hominum habeat, & quem ad modum fiat. Nam in ea etiam prorsus incertum ac dubium est, num Spiritus Patris, qui inest semini, fœtum in Matris utero adornet formetque, & in eo remaneat, vel an solummodo Matrem fœcundet, id est, vim concipiendi fœtus in ea excitet. Qui cupit hac in re suam ignorantiam & rei incertitudinem cognoscere, legat recentiores Philosophos, ac inter alios Hieronymum Fabricium, ante omnes autem Guil. Harvæum de generatione animalium. Quid cogit autem Defensores hujus sententiæ, ut locutionibus in Sacra Scriptura de supernaturali conceptione Christi usitatis haud contenti, ejuscemodi utantur locutionibus ac verbis, quæ à natura sumpta sunt, & insuper incerta sunt, quæque eos in labyrinthum infinitarum controversiarum involvere possunt? Si Scripturam consideremus, intelligimus ex ea, Spiritum Sanctum Dei, Mariæ Virginis uterum fœcundasse, & gravidam reddidisse. Amplius nihil meminit Scriptura: amplius etiam ne acutissimi quidem Philosophi scire de humana conceptione possunt; reliqua omnia etiam in natura captum nostrum exuperant. Paucis etiam hoc loco expendendum est, quod quidam ex istius sententiæ Defensoribus scribit: *Adamus*, inquit, *animam humanam ex Deo hausit, ut homo esset; Christus supra animam humanam Spiritum divinum accepit, ut supra hominem virtute, robore, & sapientia Deo similis, & vere Dei Filius esset.* Quibus verbis rursus indicatur, Christum secundum nudam narrationem Angeli Gabriëlis non vere, vel non pleno sensu Dei Filium fuisse. Quam vero divinam virtutem, quod robur ac sapientiam adhuc immaturus

turus in utero Matris embryo, vel etiam ubi jam in lucem editus eſt infans, demonſtravit? Qua in re igitur divina illa virtus, robur ac Sapientia ſtatim ab utero Matris ejus in eo eluxit? De Johanne Batiſta legimus, eum infantem in utero Matris exultaſſe: quod quidem ſignum fuit præſentiæ Spiritus Sancti; at inde nemo concludere poterat, eum propterea vere Filium Dei eſſe. Si ergo Chriſtus divinam virtutem, robur, ac ſapientiam à ſua conceptione habere debuit, quæ eum vere ac pleniore modo Filium Dei efficeret, quam ejus divina conceptio, oportet res eas in quibus iſtæ divinæ qualitates Chriſti adhuc infantis eluxerunt, revera maximas fuiſſe; quæ optandum eſſet ut in Sacris Literis nobis conſignatæ fuiſſent. Quod enim Chriſtus duodecimo ætatis ſuæ anno non vulgaris ac humanæ ſapientiæ ſuæ ſpecimen ediderit, ut Lucas refert, id eum non demum Filium Dei conſtituit.

Quarto cum in hac reſponſione concedatur, Chriſtum ob ſolam conceptionem ex Spiritu Sancto, eſſe ſanctum, divinum, & non vulgarem hominem; etiamſi adhuc ſanctior ac divinior ſit propter originalem inhabitationem Spiritus Sancti: merito quæri poteſt, quam ſanctum, & quam divinum Deus Filium ſuum ab ipſa generatione eſſe voluerit? Angelus vocat fætum ſimpliciter *ſanctum*. Quem vero gradum ſanctitatis intelligat, non indicat aliter, quam quod Spiritus Sanctus ſuperventurus ſit Virgini Mariæ &c. id eſt, quod hunc ſanctum fætum ex Spiritu Sancto conceptura ſit. Quæ ſanctitas hujus ſententiæ defenſoribus non ſufficit; cum ego exiſtimem, Angelum nihil reticuiſſe ac celaſſe eorum, quæ ad excellentiam ac commendationem hujus ſancti fætus pertinuerunt. Ideoque illi unum adhuc gradum addunt, per quem Chriſtus adhuc ſanctior & divinior ſit homo, quam per ſolam conceptionem ex Spiritu Sancto, quam ſolam memorat Angelus. Nimirum Angeli imperfecta oratio indigebat ejuſmodi ſupplemento; quandoquidem per illam divina Chriſti dignitas, quæ ipſi propter ſanctam conceptionem ac generationem ejus competit, non ſufficienter fuit revelata, ſed orbis Chriſtianus per ſedecim ſecula, uſque dum hæc ſententia inventa eſt, in gravi errore non ſine injuria divinæ Chriſti perſonæ hæſit. Monſtretur enim vel minimum veſtigium iſtius ſententiæ in Scriptis Veterum puriorum Chriſtianorum. At ſi Chriſtus per conceptionem ex Spiritu Sancto non ſatis eſt à turba vulgarium hominum ſegregatus, ubi tandem figetur terminus, qui ſufficiat? Hæc ſententia poſtulat, ut dicatur Spiritum Sanctum ſtatim à ſua conceptione in eo permanſiſſe. Sed quis ſcit, hic jam pedem figendum eſſe? Quid ſi vero alii alicui in mentem veniat, Chriſto plus adhuc tribuendum eſſe, & ſublimius aliquid, ut magis à vulgarium hominum ſorte removeatur, & adhuc ſanctior ac divinior homo fiat? Quid ſi quis dicat: Non ſatis eſſe, quod Spiritus Sanctus ſtatim à prima conceptione fuerit in Chriſto atque manſerit, ſed dicendum inſuper, eum ita fuiſſe carni ipſius inſitum, ut ad naturam & eſſentiam perſonæ ejus pertinuerit? Uti ſane hæc ſententia id revera ſecum trahit, etſi Explicatio horum hominum id neget; & jam in non paucis talem fructum attulit.

Jam ut ad tertiam hujus ſententiæ refutationem veniamus, dolendum eſt, quod non tantum nuda proponatur opinio, ſed quod etiam tam abſurdæ ex ea deducantur conſequentiæ, & tales adhibeantur locutiones, quæ in veritatis ſanctiſſimæ magnum præjudicium redundant. Ut inter alia dicitur in Explicatione ſententiæ, Chriſtum propter illum Spiritum, qui ſtatim à prima conceptione in ejus carne remanſit, poſſe appellari θεάνθρωπον, Deum hominem. Verum Defenſores hujus ſententiæ non ſunt tam inepti, ut credant, ſolam exiſtentiam Spiritus Sancti in Chriſto, eum Deum facere. Hac ratione enim omnes illi θεάνθρωποι eſſent, quibus unquam collatus eſt Spiritus Sanctus: nempe non ſolum Apoſtoli, ſed multa quoque millia Chriſtianorum; etiam Johannes Baptiſta ab utero matris ſuæ Deus ſimul & homo fuiſſet. Sed illi aliud in eo quærunt myſterium; nimirum, quod Spiritus Sanctus ſtatim cum & in conceptione, non aliquanto poſt tempore demum, Chriſto fuerit inſitus ac communicatus, quodque per iſtam conceptionem Spiritum Dei Patris ſui in ſe traxerit, qui eum in utero Virginis formavit, id ajunt, eum facit Deum: quemadmodum ſtatuunt etiam in naturali conceptione ac generatione hominum contingere; ubi Spiritus Patris infantem facit hominem, & non equum, vel bovem. Non enim propter ſolam communicationem Spiritus Dei, ſed propter inſitum per conceptionem Spiritum, Chriſtus eſt juxta hanc ſententiam Deus. Non ſufficit huic ſententiæ, quod Chriſtus in Matris utero, imo ſtatim ab ipſa conceptione, Spiritu Sancto fuerit repletus, etſi id excellentiſſima ratione factum fuiſſet, neque etiam, quod Spiritus Sanctus, poſtquam ei in utero Matris communicatus eſt, perpetuo ac inſeparabiliter in eo permanſerit, & omnia quæcunque poſtulant, in eo operatus fuerit; ſed etiam urgent Spiritum Sanctum ei inſitum fuiſſe, in conceptione & per conceptionem, ita ut Chriſtus Spiritum Patris ſui in ſe traxerit, iſque cum carne ejus conjunctus & unitus fuerit. Quid hic jam dicendum eſt? Credendumne eſt, Defenſores hujus ſententiæ ſerio affirmare, Spiritum Sanctum ad naturam & eſſentiam perſonæ Chriſti non pertinere? Nam ſi Chriſtus per conceptionem ac generationem ſuam eſt θεάνθρωπος, ſequitur eum naturaliter talem eſſe: quod autem naturale eſt & à natura inſitum, & quidem ex neceſſitate naturæ, id neceſſario pertinet ad eſſentiam rei.

Quarto quid vero illud ſibi vult, quod ajunt, Chriſtum habere duas naturas, humanam à Matre, & divinam à Patre? Hei quantum laboris, quantum moleſtiæ, imo odii, invidiæ, ac perſecutionum ſubierunt Profeſſores divinæ veritatis, ut hunc abortum duarum naturarum in una perſona, qui cum tanto præjudicio divinæ gloriæ tam Domini Jeſu, quam Dei Patris in orbem Chriſtianum invectus eſt, mundo patefacerent, & multorum piorum ori ac animo eximerent! Hi vero novæ ſententiæ hujus inventores inſipidum iſtum & crudum cibum denuo hominum ori inſerunt. Nimirum malunt cum perverſo mundo abſurde & irrationabiliter loqui, quam cum ſcriptura & omnibus Apoſtolis recte & rationabiliter. Sed oſtendant tandem, non Chriſtum habere reipſa duas naturas, ſed ſaltem, poſſibile eſſe, ut uni-

ut unicum numero ſuppoſitum duas naturas habeat, & quidem tam diſparatas. Neceſſario enim id ſecum pugnat, & ſeipſum evertit. Nam ſi Chriſtus habet humanam naturam, certum eſt, eum quoad eſſentiam ſuam eſſe verum hominem, adeoque ſecundum eſſentiam ſuam non eſſe Deum, non equum, non lapidem. At ſi habet divinam naturam, certum quoque eſt, eum ſecundum eſſentiam ſuam non eſſe hominem, ſed talem Deum, qualis eſt natura ejus. Hic vero illi reſpondent: *Si quis Spiritum Sanctum naturam divinam vocet, id ſano ſenſu fieri poſſe non negamus. Nihil enim eſt, quod naturam ſuam non habeat, proinde quod natura quædam dici non poſſit. Spiritus igitur Sanctus & ipſe natura quædam eſt, eaque certe non humana, neque terrena, ſed ſuo ſenſu cœleſtis atque divina.* Hoc igitur eatenus ad defenſionem pertinet, duarum naturarum in Chriſto, quod cum unaquæque res naturam ſuam habeat, ac proinde & Spiritus Sanctus; natura autem Spiritus Sancti non ſit humana, neque terrena, ſed cœleſtis ac divina; inde ſequatur, ſi Chriſtus habet Spiritum Sanctum, eum habere divinam naturam. Verum quid magis ſophiſticum in mundo excogitari poteſt, quam hoc eſt? An enim poteſt alicui natura tribui rei cujuſdam, ideo quod eam habeat? Si ego habeam marſupium varii generis moneta plenum, an poſſem dicere, me habere coriaceam, & argenteam & æream naturam, quia nimirum geram marſupium ex corio, & in eo argenteam & æream monetam? An etiam habeo equi naturam, ideo quia duos egregios habeo in ſtabulo equos, qui mei proprii ſint? Quid hic aliud reſponderi poteſt, quam aliter ſe rem habere cum Spiritu Dei, quippe quem Chriſtus non qualicunque modo habuerit ac poſſederit, ſed quem per conceptionem & in conceptione conſecutus ſit & acceperit? Sed hac ratione nihil efficitur. Etenim quæro, an Spiritus Dei ad eſſentiam perſonæ Chriſti pertineat. Illi dicunt: Non. Quare neceſſe eſt eum eſſe extra Chriſtum, & dum eum Chriſtus habuit, habuiſſe eum tanquam aliquid extra ſe, & tanquam aliquid, ſine quo exiſtere vel ſaltem conſiderari poteſt: proinde reſpectu iſtius Spiritus Dei nullam habuit divinam naturam, niſi ſophiſtico modo, ut ſupra de coriaceo marſupio oſtenſum eſt.

Cæterum afferunt illi adhuc unam objectionem ad adſtruendam hanc abſurdam de Chriſto locutionem, quod in eo ſint duæ naturæ. Obtendunt, ſanctitatem quoque quæ in Deo eſt, divinam naturam appellari, & de nobis dici, quod divinæ naturæ participes fiamus, quando ſanctitatis evadimus participes, 2 Petr. 1. 4. Dum ergo per ſanctitatem divinæ naturæ ſumus participes, & tamen ſimul habemus humanam naturam, clarum certe eſt, nos habere duas naturas; ut proinde abſurdum non ſit, uni rei duas naturas adſcribere. Sed hic immanis eſt admodum ſaltus. Quando enim de aliquo homine dicitur, eum certo reſpectu & certo modo alterius rei naturæ factum eſſe participem, nihil aliud eo ſignificatur, quam eum rei iſtius proprietatem adſciviſſe ſibi, ita tamen, ut ſuæ propriæ naturæ proprietatem exuerit, vel ejus proprietatem in alterius rei proprietatem converſam eſſe. Quemadmodum res habet in hoc loco Petri. Quando nos per ſanctitatem divinæ naturæ reddimur participes, id eſt, quando induimus ſanctitatem, quæ eſt Dei proprietas, tunc exuimus ac deponimus humanam profanitatem (ſi modo dici poteſt, profanitatem ad humanam naturam pertinere.) Quamobrem nullo modo de nobis dici poteſt, nos habere duas naturas, divinam ſcilicet, ſecundum quam ſimus ſancti, & humanam ſeu haud divinam, per quam ſimus profani vel non ſancti. Ita quando olim divinæ naturæ quoad immortalitatem erimus participes, non habebimus duas naturas, divinam unam & immortalem, alteram humanam & mortalem: hæc enim natura ab illa abſorbebitur. Si dicas, hominem nihilominus de cætero etiam humanam naturam habere, id quidem verum eſt: ſed non habere præterea aliam naturam. Nam illud, in quo is divinæ naturæ eſt factus particeps, eſt proprie loquendo ejus propria humana natura, quam ille conformem reddidit divinæ naturæ ac immutavit; qua ratione ſolet interdum aliquis ſuos mores, geſtus & totius vitæ curſum ad alterius conformare mores.

Quod igitur Chriſtum attinet, ſi de ipſo dicendum eſt, quod divinam naturam per Spiritum Sanctum à Patre in prima conceptione ſortitus ſit, velim ſcire, quæ nam pars corporis ejus vel perſonæ facta ſit Spiritualis. Si totus eſt Spiritualis factus (prout vi hujus ſententiæ omnino dicendum eſſet) ſequitur eum non eſſe verum hominem natum, ſed merum Spiritum. Quodſi una pars aliqua eſt Spiritualis, reliqua autem pars eſt humana natura, tum Chriſtus neque erit ſimpliciter homo, neque ſimpliciter Spiritus, ſed aliquid tertium ex utroque mixtum atque compoſitum. Sed hic illi dicent illico, Chriſtum eſſe quoad eſſentiam & naturam ſuam verum hominem & nihil aliud; quia vero Spiritum Sanctum ſtatim à ſua conceptione in ſe habuit, eatenus eum eſſe etiam divinæ naturæ participem factum. Verum ſi Chriſtus quoad naturam & eſſentiam ſuam nihil aliud eſt, quam verus homo, non poteſt etiam aliam habere revera naturam quam humanam: Quomodo igitur dici poteſt, eum duas habere naturas, humanam & divinam? Nonne eo tandem res deveniet, quod habeat divinam naturam eo modo, quo ille marſupium nummorum plenum gerens, coriaceam æream & argenteam ſimul habet naturam? Nunc etiam argumenta nobis paucis excutienda ſunt, quibus hæc nova opinio ſtabiliri ſolet. Quorum primum eſt, comparatio Chriſti ſecundi Adami cum primo Adamo, qui etiam immediate & ſine virili ſemine à Deo formatus eſt, ideoque apud Lucam Cap. 3. 38 etiam filius Dei nuncupatur; ſed abſque omni dubio in ſenſu multo inferiori ac imperfectiori quam quo Chriſto tribuitur: quia nimirum illa divina virtus, per quam Chriſtus in utero Mariæ Virginis conceptus eſt, mox ab ipſa conceptione in eo manſerit, ipſius carni inſita fuerit. Id quod de primo Adamo dici nequit. At ut taceam primo Chriſtum quatenus ex Maria Virgine verus homo natus eſt, abſurde admodum ſecundum Adamum vocari; cum hic titulus ei tanquam Spirituali Patri Spiritualis credentium nationis competat; ipſe autem ſecundum carnem ſeu tanquam Davidis ſemen, adhuc ad primi Adami filios pertineat: notandum eſt, hanc com-

comparationem Chriſti cum Adamo magis ad depreſſionem Chriſti, quam ad eum extollendum ſpectare. Pro conceſſo enim ponitur, ſi Spiritus Sanctus non illico à prima conceptione in ipſo manſiſſet, non futurum eum fuiſſe ulla præſtantiori ratione filium Dei, quam Adamus fuit. Quod eſt falſiſſimum. Miraculoſa enim & divina Chriſti generatio, eſt tam præclarum ac ſublime opus, ut per illud ſolum, etiam remoto omni reſpectu originalis inhabitationis Spiritus Sancti, Chriſtus, tanquam ſancta ac divina proles, à communi vulgarium hominum numero fuerit ſegregatus. Totum enim id, quod in hujus ſententiæ Explicatione memoratur, Spiritum Sanctum ideo huic fœtui in utero Virginis Mariæ ſemper aſſiſtere debuiſſe, ne quam labem impuritatis & peccati è ſanguine materno contraheret, neve profana aliqua concupiſcentia, ut in aliis hominibus perſæpe fit, animo imprimeretur, &c. totum id, inquam, adhuc ad formationem & adornationem hujus ſanctiſſimæ prolis pertinet, ita ut Chriſtus ſanctitatem, quam alii homines vel per acquiſitum longi temporis exercitio virtutis habitum, vel per ſingularem Spiritus Sancti opem comparare ſibi coguntur, per ſuam generationem, adeoque naturaliter habuerit. Atque hoc eſt, quod Angelus hunc uteri Mariæ fructum ſanctum appellat; qua appellatione eximia utique ſatis ille ab aliorum hominum grege, qui tam ſancti non naſcuntur in mundum, diſtinguitur. Dubium etiam nullum eſt, inter virtutes ſeu efficacias, quibus Deus ſua opera perficit, nobiliorem ac præcellentiorem aliam alia eſſe, atque inter omnes excellentiſſimam ac nobiliſſimam illam eſſe, quæ Spiritus Sanctus appellatur. Virtus autem & efficacia quo præſtantior eſt, eo præſtantiora producit opera. Cum ergo nuſquam de Adamo legatur, uti de Chriſto legitur, quod ſit virtute Spiritus Sancti productus, manifeſtum eſt, hunc ſanctum fœtum, nempe Chriſtum, etiam præſtantiorem, adeoque & præſtantiori ratione eſſe Filium Dei, quam Adamum. Imo etſi utrobique ſimilis fuiſſet virtus ſeu efficacia Dei, tamen etiam ſimilium atque æqualium virtutum poſſunt eſſe inæqualia effecta, & inæqualia ab eis opera produci: uti ſane Adamus per ſuam creationem revera nihil aliud, quam viventem animam humanam, ſicut & alii omnes homines, accepit, ideoque ψιλὸς ἄνθρωπος fuit, cum ex oppoſito Chriſtus *ſanctus* fœtus natus ſit. Ad extremum ſi omnino neceſſarium fuiſſet, ut divina virtus, per quam Chriſtus conceptus eſt, in ipſo permaneret, ut eſſet præſtantior Adamo; opus fuiſſet, ut etiam illa virtus Dei per quam Adamus factus eſt, neceſſario in ipſo remanſiſſet, quo præſtantior eſſet quam alia irrationalia animalia, quæ Deus quoque immediate abſque ullorum animalium opera produxit.

Quod alterum argumentum attinet, nempe comparationem Chriſti cum præcurſore ejus Johanne Baptiſta, ſimiliter dici poteſt, Chriſtum tam in ſanctiſſima ſua generatione, quam in infinitis aliis rebus, tanta dignitate atque præſtantia Johannem ſuperaſſe, ut hic cum illo comparari nequaquam mereatur. Prorſuſque excellentia Chriſti divina præ Johanne nimis anguſtis clauderetur terminis, ſi ſimpliciter in eo tantum poneretur, quod Spiritus Sanctus ſtatim ab ejus conceptione in ipſo manſerit, de cætero autem nihil præ Johanne præſtantiæ haberet. Fieri quoque poteſt, ut aliquis in certis rebus aliquam habeat præ ſuo domino prærogativam, ſi nimirum functio muneris ejus vel aliæ nonnullæ circumſtantiæ, quæ in domino ipſo locum non habent, id poſtulent; præſertim quando illa ipſa prærogativa in domini tandem gloriam & decus redundet. Ita quod Eliſabetha Spiritu Sancto fuerit repleta, ejuſque vi infans in utero ipſius exultarit, ſimul ac eam ſalutaſſet Maria, id ad honorem pueri Jeſu factum eſt, Luc. 1. 41. Quanquam interim nullo modo negandum eſt, Chriſtum æque, imo etiam magis, aut longe præſtantiori modo, quam Johannes Baptiſta, ab utero Matris Spiritu Sancto repletum fuiſſe; etſi repletio illa non à primo momento conceptionis ejus, quo adhuc embryon vix inchoatum fuit, nec inhabitatione Spiritus Sancti indiguit, facta eſſe ſtatuatur.

Denique tertium argumentum hujus ſententiæ, quod ducitur à collatione hujus miraculoſæ generationis Chriſti, partim cum naturali, partim cum Spirituali noſtra generatione, incerto admodum ac dubio ſuperædificatum eſt fulcro. Hactenus enim quidem creditum eſt ab omnibus, in naturali generatione Spiritum paternum manere in fœtu, eique inſeri: at novi Philoſophi, qui ſumma diligentia & per longam experientiam rem explorarunt, haud injuſte ea de re dubitant. Noſtra autem Spiritualis generatio, qua per verbum veritatis filii Dei efficimur, haud pertinet ad probandam hanc Chriſti generationem, quæ etſi ſupernaturalis ſit, tamen non Spiritualis ac figurata, ſed vera & propria eſt. Chriſtus enim verus homo naturalis natus eſt. Itaque verba illa Chriſti ad Nicodemum Johan. 3. 6, *Quod ex carne genitum eſt, caro eſt*; in Chriſto ratione generationis ipſius ex Maria non minus locum habet, quam in aliis hominibus. Alterum autem illud, *Quod ex Spiritu natum eſt, Spiritus eſt*; de Chriſto reſpectu hujus generationis ex Maria nullo modo dici poteſt, etſi is ex Spiritu Sancto conceptus ſit. Sequeretur enim, Chriſtum non verum hominem, ſed Spiritum fuiſſe natum; quod abſurdum eſt.

Jam ut noſtrum judicium de hac ſententia in ſummam contrahamus, extra omnem dubitationem eſt, Deum filium ſuum ſanctiſſimum Jeſum à prima conceptione ejus ſtatim tenerrima cura ac providentia ſua fuiſſe complexum, & partim virtute Spiritus Sancti, partim per Angelorum cuſtodiam, vel aliis infinitis mediis ſuæ divinæ omnipotentiæ, omnia ea circa illum feciſſe, quæ ipſius perfectiſſima ſanctitas & divina dignitas, ad quam deſtinatus erat, poſtulabat. Quod autem proprie & definite dicendum, & tanquam ad veram agnitionem divinæ Chriſti excellentiæ neceſſarius fidei articulus credendum ſit, eam ipſam virtutem divinam, per quam Chriſtus à Deo in utero Virginis Mariæ genitus eſt, illico ab & cum ejus conceptione carni ejus fuiſſe inſitam ac implantatam; eumque alioqui non tam pleno ſenſu Dei Filium, neque ſingularem ac divinum hominem, ſed vulgarem tantum, qualis Adamus fuit, futurum fuiſſe; item eum propter iſtum

Spiri-

Spiritum divinam naturam à Deo per conceptionem accepiſſe, adeoque duas naturas habuiſſe; eum denique ob eundem Spiritum revera θεάνθρωπον, Deum & hominem pari gradu eſſe, quæ omnia nova iſta ſententia invehit: id eſt merum humanum figmentum, quod neque in Sacris Literis, neque in ratione ullum habet fundamentum, imo quod tacite Lectorem incautum in devios illius graviſſimi erroris anfractus abducit, quod Chriſtus quoad naturam ſuam non ſit verus homo, ut nos omnes homines ſumus, qui nullum ejuſmodi Spiritum nobis inſitum habemus, ſed alia quædam ſit eſſentia ex Spiritu & carne permiſta. Quæ enim neceſſitas, quæ cauſa gravis urget iſtos homines, credere, quod, niſi ille ipſe Spiritus Sanctus illico ab initio conceptionis Chriſti, cum nondum vivus fætus eſſet, ſed informis adhuc materia, manſiſſet, per id tantum divinæ Chriſti eminentiæ deceſſiſſet, ut nec verus Dei filius, nec vere divinus homo futurus fuiſſet? Quaſi vero illud breve tempus, ſi ipſi aliquanto ſerius (quamvis adhuc in Matris utero) datus fuiſſet Spiritus Sanctus, hac eum eminentia ac dignitate ſpoliare potuiſſet. Alioqui, hunc ſanctiſſimum fætum adhuc in Matris utero, & antequam in mundum natus eſſet, Spiritu Sancto repletum fuiſſe, Scriptura non dicit. Interim tamen omnia in eo ſanctiſſima fuiſſe, declarat honorificum illud epitheton, quo eum inſignivit Angelus, *ſanctum* eum vocans. Licet autem unicuique hanc ſanctitatem concipere ac deſcribere, prout libet, dummodo maneat intra limites earum rerum, quæ tunc temporis ſtatui illius primum imperfecti, poſtea vero teneri adhuc fætus conſentanea erant, atque ad ejus augmentum ac incrementum tam corpore quam animo pertinebant, neve ei divinam virtutem ac robur & ſapientiam adſcribat, tunc cum nondum iſta dona exerendi tempus ac locus eſſet. Deum per Spiritum ſuum in hoc Sancto infante ſtatim ab ipſa conceptione operatum fuiſſe, dubium eſt nullum, ſed nonniſi talia, quæ infantiæ ejus neceſſaria & convenientia erant: ſublimiora Spiritus Sancti opera, per quæ divina illius dignitas mundo debebat innoteſcere, pertinebant ad aliud tempus, cum nimirum ſanctificatus eſt, & in mundum miſſus Johan. 10. 36. Quæ ipſius ſanctificatio longe excellentiori ratione eum Filium Dei effecit, quam conceptio ejus ex Spiritu Sancto: quæ revera minima & imperfectiſſima cauſa eſt ob quam Chriſtus Filius Dei nuncupatur, & propterea ejus nuſquam amplius in Scriptura fit mentio. Quotieſcunque enim Chriſtus in Sacris Literis Filius Dei appellatur, nunquam reſpicitur iſta appellatione ad ejus ex Spiritu Sancto conceptionem, vel ad id, quod Spiritum Patris ſui in conceptione in ſe traxerit; ſed ſolummodo ſpectatur ejus munus, quod deſignatus fuerit à Deo Meſſias ac Chriſtus, qui inter Judæos in ſummo gradu & per excellentiam Filius Dei vocabatur, & eo etiam præcipue collimat Prophetia Davidis, Pſal. 2. 6. Atque hæc hactenus.

CAPUT II.

I. *Chriſtus Bethlehemi naſcitur: ad verſ.* 8
II. *Nativitas ejus ab Angelo paſtoribus patefacta eſt: ad verſ.* 15. III. *Paſtores abeunt in urbem & omnia comperiunt ac oculis ſuis vident, quæ ipſis annunciata erant: ad verſ.* 21. IV. *Chriſtus infans circumciditur: ad verſ.* 22. V. *In Templo exhibetur: ad verſ.* 25. VI. *Simeon vaticinatur de hoc infante: ad verſ.* 33. VII. *Et de matre: ad verſ.* 36. VIII. *Anna vaticinatur: ad verſ.* 39. IX. *Infans creſcit corpore & Spiritu: ad verſ.* 41. X. *Chriſtus edit ſpecimen ſuæ divinæ ſapientiæ anno duodecimo ſuæ ætatis: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Factum eſt autem diebus illis, ut exiret edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur totus terrarum orbis.*] Factum eſt, non caſu, ſed divina directione, qui rem ita moderatus eſt, ut deſcriptio illa Bethlehemi in iſtud tempus incideret, quo partus Mariæ jam inſtabat.

Diebus illis.] Id eſt, circa illud tempus: Hebraiſmo frequenti. Vide ſupra Cap. 1. 5. Jam autem poſt natum Johannem Baptiſtam, qui ſex menſibus circiter ante nativitatem Chriſti natus fuit, evenit, ut edictum illud Cæſaris Auguſti, quod in totum terrarum orbem exiit, etiam in Judæa promulgaretur.

Ut exiret edictum à Cæſare Auguſto.] Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi edictum iſtud uno eodemque tempore in omnibus oris per totum orbem terrarum promulgatum ſit; ſed cum Auguſtus conſtituiſſet orbem terrarum deſcribere, mandavit modo hanc regionem vel provinciam, modo illam, prout ipſi commodum videbatur, deſcribi. Hæc autem deſcriptio in Judæa facta eſt anno 42 Imperii Auguſti.

Ut deſcriberetur totus terrarum orbis.] Gr. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην: id eſt, totam habitatam ſcilicet terram. Ita vocabatur Romanum Imperium, ſeu pars illa Orbis terrarum, quæ ſubjecta erat poteſtati ac dominio Romanorum: quæ quia optima ac potiſſima pars terrarum erat, idcirco à potiori fiebat denominatio, & per Synecdochen Orbis terrarum ſimpliciter dicebatur. Ejuſmodi Synecdoche etiam eſt Matth. 21. 10. xxvii. 45. Actor. 11. 28. xxiv. 5. Rom. 1. 8. Col. 1. 6.

Deſcriptio iſta non fiebat in eum finem, ut tributum in ſingula capita (ut nonnulli cenſent) imperaretur; qualia tributa pro ratione facultatum ac poſſeſſionum, de quibus quiſque juramentum edere cogitur, indici ſolent: ſed ideo inſtituta erat, quod Auguſtus vellet ſcire potentiam & facultates totius Romanæ ditionis, tam quoad numerum virorum ac perſonarum, quam quoad bona ac poſſeſſiones. Cujuſmodi deſcriptiones, ut ex Romanis ſcriptoribus intelligitur, nihil aliud in ſe continebant, quam ut uniuſcujuſque perſonæ nomen, ætas, genus, ſtatus, vitæ ratio, liberi, & bona immobilia & mobilia, ut pecora, familia, ſupellex domeſtica & pecunia conſignaretur: idque in hunc finem, ut conſta-

ret,

ret, quantus exercitus è populo colligi, & quanta pecuniæ ſumma ex qualibet regione, ſi opus ſit exigi poſſit. Lucam hoc loco talem deſcriptionem, & non eam, quæ cenſus ac tributi cauſa fiebat, intelligere, exinde clarum eſt, quod ex hiſtoriis atque inprimis ex Joſepho pateat, per totos 37 annos regni Herodis, ut & ſub Archelao, qui patri ſuo Herodi in regno ſucceſſit, Judæos pro ſeipſis nullum tributum aut cenſum Romanis dediſſe; ſi quidem tum Judæa nondum Romani Imperii provincia fuerit, ſed Herodi tanquam Regi ſuo (etſi à Romanis impoſito) & non tanquam Romano Præſidi, fuerit ſubjecta. Herodi autem illi annuum tributum pendebant, qui etiam illis interdum tertiam, interdum quartam partem de eo ultro ac ſponte ſua remittebat: quod ſane facere non potuiſſet, ſi tributum iſtud Romanis competiiſſet. Herodes quidem pro ſeipſo Romano Imperatori annuam penſionem, ſub nomine honorarii vel munuſculi dabat, ut & alii Reges Romanorum fœderati: at hoc nihil cum hac re habet commune, ubi de deſcriptione agitur. Verum poſt mortem Herodis, cum Archelaus decimo regni ſui anno, accuſatus à Judæis propter intolerabilem atque immenſam tyrannidem, privatus regno ab Auguſto Cæſare & in exilium pulſus eſſet, tum demum Judæa facta eſt provincia Romani Imperii, Judæiſque non amplius Rex, ſed Romanus Prætor, vel Præſes Coponius, & quidem illis ipſis cupientibus ac flagitantibus præfectus eſt, etiam tributum illud & cenſus toti regioni impoſitus eſt, de quo ſcribit Joſephus lib. 18. cap. 3. ille nimirum cenſus, qui quia Judæis novus ac inſuetus erat, & quia ſentiebant, ſe per eum jam penitus ſub Romanorum jugum eſſe redactos, excitavit magnam illam ſeditionem duce Juda Gaulonita, in qua ſub ſpecie ac prætextu tuendæ libertatis Judæorum, innumeræ cædes ac rapinæ in tota regione fiebant. Etſi vero Herodes non tanquam Romanus Præſes, ſed tanquam Rex Judæorum in Judæa regnarit; nihilominus per vim eſt invitis Judæis à Romanis obtruſus, coronam quoque & ſceptrum Romæ accepit. Itaque Judæi jam à Pompeji temporibus Romanos ſuſpicere, & eorum ſupra ſe poteſtatem agnoſcere coacti ſunt. Et propterea neque Herodes, neque Judæi, huic deſcriptioni, quæ hoc loco à Luca deſcribitur, refragari aut contradicere potuerunt. Sed neque cauſam habuerunt ullam per tumultum ac ſeditionem ei pertinaciter reſiſtendi, cum nullum contribuendi onus ſimul imponeretur, neque per eam majori ſervituti, quam hactenus patiebantur, ſubjicerentur.

Verſ. 2. *Hæc deſcriptio prima facta eſt præſidente Syriæ Cyrenio.*] Id eſt, prima ex iis, quæ in Judæa à Cæſare Romano ſunt indictæ. Nam antea in aliis provinciis Romani Imperii ſimiles deſcriptiones factas eſſe, teſtantur hiſtoriæ. Errant illi, qui putant Lucam has circumſtantias ob eam cauſam recenſere, quod voluerit indicare, vaticinium Jacobi Patriarchæ Geneſ. 49. 10, jam impletum fuiſſe, quod nimirum ſceptrum & regia dignitas à Judæis ablata, fuerit, quodque adeo tempus illud, quo Siloh ſeu Meſſias venire debuit, præſto fuerit. Demonſtravimus enim alibi, impletam tum demum illam Prophetiam Jacobi fuiſſe, cum tota Reſpublica Judæorum per excidium Hieroſolymæ & Templi funditus everſa eſt. Vide Appendicem Cap. 2. Matthæi.

Verſ. 3. *Et ibant omnes ut deſcriberentur, unuſquiſque in civitatem ſuam.*] Romani ſolebant in qualibet provincia illam ſervare deſcriptionis rationem ac ordinem, qui antiquitus ibidem in uſu fuerat. Apud Judæos autem moris erat, ut talia fierent juxta tribus, familias ac domos: ut docent exempla, Joſuæ quærentis eum, qui de anathemate nonnihil ſuffuratus erat Joſ. 7. 14. & Samuëlis Saulem eligentis 1 Sam. 10. 20, 21. & Davidis populum recenſentis 2 Sam. 24. 2. Poſtea autem cum tribus à Macchabæorum temporibus propter aſſidua bella, non amplius in ſuis paternis hæreditatibus, ſed confuſæ ac permixtæ inter ſe habitarent, deſcriptio fieri non poterat aliter, quam ut quiſque in illam civitatem ſe conferret, quæ ab antiquo caput tribus & familiæ ejus fuerat. Quanquam hoc etiam tunc temporis impoſſibile ferme erat, ut accurate obſervaretur; ſiquidem tunc plurimi de ſuarum tribuum civitatibus nihil ſcire potuerint, & per tot ſecula inde à prima diſtributione plurimæ urbes interierint. Itaque probabile admodum eſt, quemque in illa civitate manſiſſe, ac ſe deſcribi paſſum eſſe, in qua habitabat, etſi ratione tribus ſuæ ad aliam civitatem pertinuerit: ut ita Joſephus non tantum idcirco Nazaretha Bethlehemum profectus ſit ad deſcriptionem, quia majores ejus è Bethlehemo oriundi erant, ſed quia ipſe Bethlehemi aut in vicinia habitarit, adeoque ibi comparere coactus ſit: licet ex domo & familia Davidis eſſet. Lucaſque id, quod Joſephus fuerit è domo Davidis, præcipue propterea memorat, ut ſciamus, eum non ſolum incolam Bethlehemi, verum etiam è poſteritate Davidis fuiſſe. Sine dubio enim Bethlehemi etiam alii habitarunt, qui ex alia tribu ac domo, quam ex Davidis, oriundi erant; ſicut etiam Joſephus deinceps habitavit Nazarethæ, quæ ad tribum Zabulon pertinebat.

Verſ. 4. *Aſcendit autem & Joſephus à Galilæa, ex urbe Nazaretha, in Judæam, in urbem Davidis, quæ vocatur Bethlehem, propterea quod erat ex domo & familia Davidis.*] Hactenus Lucas deſcripſit circumſtantias temporis & occaſionem, quæ Joſephum cum Maria Bethlehemum invitavit, nunc etiam deſcribit locum nativitatis Chriſti.

Ex urbe Nazareta.] Urbe Galilææ, ubi ambo habitarunt, & fortaſſis etiam nati ſunt. Quomodo autem utriuſque parentes vel majores ex civitatibus ſuarum tribuum eo transmigrarint, nuſquam ſcriptum eſt, neque etiam in illa diſperſione ac confuſime tribuum, quæ Macchabæorum tempore facta eſt, deſcribi potuit.

In urbem Davidis, quæ vocatur Bethlehem.] Has loci circumſtantias ideo Lucas deſcribit quia ad ſigna è quibus cognoſci Meſſias debebat, pertinuit, ut juxta Prophetiam Mich. 5. 2. Bethlehemi naſceretur. Vide Matth. 2. 1, 5, 6. Factum igitur eſt ſingulari divina accurante providentia, ut circa illud ipſum tempus, cum Maria jam uteri ſanctiſſimo onere levari debuit, edictum Cæſaris de deſcribendo promulgaretur, quo non tantum illic naſceretur Chriſtus, verum etiam tanta hominum multitudo teſtis eſſet earum rerum mirabilium, quæ circa hanc nativitatem

vitatem contigerunt. Alioqui neque Joſepho, neque Mariæ in mentem veniſſet, ut propter implendum Prophetæ vaticinium, tam moleſtum iter quatuor dierum ſuſciperent, ſub tempus graviditatis Mariæ, & appropinquantis partus. Glorioſius etiam eſt divinæ Majeſtati, ut impletiones vaticiniorum Propheticorum non humano conſilio, ac propoſito, ſed vel ipſius expreſſo mandato, vel alia admirabili ratione, quæ cum Majeſtate & gloria conjunctæ ſunt, fiant: qualis hæc fuit, cum ſupremus Monarcha mundi, hujus infantis cauſa, qui in ſtabulo natus eſt, hoc tempus ad deſcribendum aſſignare coactus eſt.

Fuit autem Bethlehemum Patria Jeſſe Patris Davidis, natuſque ibi eſt & educatus David. Cum igitur David primus fuerit, qui Regia dignitate ſuam familiam illuſtravit, idcirco Bethlehem hic & infra verſ. 11. *Davidis civitas* vocatur. Alias in Veteri Teſtamento per civitatem David ſemper arx Sionis denotatur, quia à Davide fuit extructa.

Propterea quod erat ex domo & familia Davidis.] Utraque hæc vox *domus* & *familia* eandem habent ſignificationem, & poſterior priorem explicat.

Notandum hic eſt Lucam non dicere, quod *erant* (nempe Joſephus & Maria) ſed quod *erat* (nempe Joſephus) ex domo & familia Davidis. Si autem Jeſus propterea fuiſſet filius Davidis, quia Maria Mater ejus è domo Davidis fuerit: omnino Euangeliſta priori locutus fuiſſet modo, & utrumque aut etiam Mariam potius ſolam nominaſſet, quod illa ex domo Davidis fuerit. Peculiarem enim emphaſin habent hæc verba; ut pote cum ſignificet illis, Jeſum eſſe Davidis filium, ſecundum promiſſionem, quæ ipſi facta eſt, quia Joſephus, in cujus domo ille natus eſt, ſit filius Davidis. Et quamvis etiam Maria ex domo Davidis fuiſſet, non tamen Lucas id neceſſarium relatu duxit, ſed ſufficere credidit, ut de Joſepho id narraret, cum hoc, & non illud ad ipſius propoſitum pertineret.

Verſ. 5. *Ut deſcriberetur cum Maria deſponſata ſibi uxore, quæ erat prægnans.*] Hinc colligunt quidam, Mariam etiam è familia Davidis fuiſſe, quia alioqui in alia civitate ſuæ tribus deſcribi debuiſſet. Sed hæc ratio non valet. Mulieres enim per matrimonium in tribum & familiam ſuorum virorum inferuntur, ita ut impoſterum ad eorum tribum pertineant. Neque etiam ordo ille, ut quiſque ſe in ſuam conferret civitatem, pro lege erat adeo ſtricte obſervanda, ut maritus in unam, uxor in alteram, ſervus in tertiam, & ancilla verbi gratia in quartam civitatem, ſummo cum incommodo ire tenerentur: ſed ſufficiebat ad deſcriptionem commode perficiendam, ut quiſque paterfamilias cum tota familia ſua in ſuam abiret civitatem; cum contra alterum illud plus confuſionis, quam ordinis attuliſſet.

Deſponſata ſibi uxore.] Non ſolum Sponſa fuit ipſius, ſed etiam uxor. Jam enim eam domum duxerat. Lucas autem loquitur de ea tanquam de Sponſa, quia eam non aliter Joſephus tractabat, quam Sponſam, Matth. 1. 25.

Verſ. 6. *Factum eſt autem, cum eſſent illic, ut implerentur dies ipſi ad pariendum.*] Deſcriptio propter ingentem populi multitudinem, requirebat amplius ſpatium, cogebanturque multi aliquot expectare dies, antequam ad acta poſſent accedere. Ex his verbis etiam elucet, Mariam non illo ipſo die, quo venit Bethlehemum, ſed durante illo tempore, *cum illic eſſent*, peperiſſe.

Verſ. 7. *Et peperit filium ſuum primogenitum, & faſciis eum involvit, reclinavitque eum in præſepi: quia non erat eis locus in diverſorio.*] Peperit cum ante, quam Joſephus coram Cæſaris miniſtris ſuum ac ſuæ familiæ nomen profeſſus eſt. Memorabile enim eſt, quod Juſtinus, Tertullianus & Chryſoſtomus ſcribunt, in illa deſcriptione etiam recens nati infantis Jeſu nomen in acta fuiſſe relatum. Juſtinus & Tertullianus provocant ſæpius ad illa acta quæ in archivis Romæ ſervabantur: ita ut exinde colligatur, illos ipſos ea vidiſſe atque inſpexiſſe. Quod tanto credibilius eſt, quia Chryſoſtomus, qui circa 380. annum Chriſti & ferme 200 annis poſt Tertullianum vixit, adhuc ſuo tempore acta illa extitiſſe, diſerte teſtatur. Acta enim ejuſmodi primum palam cuivis inſpicienda proponebantur: poſtea in Cæſaris archivis aſſervabantur; ita tamen, ut ſi quis ea inſpicere cuperet, id permitteretur. Hinc ergo admirabilis Dei providentia elucet, quod effecerit, ut manifeſtum & publicum teſtimonium de nativitate Chriſti in archivis & ærario ſummi Monarchæ mundi per aliquot ſecula extaret.

Primogenitum.] Vide Matth. 1. 25.

Involvit eum faſciis.] Quas vel in hunc uſum ſecum domo attulerat, vel quas ei pro ſua liberalitate alii congeſſerant. Lectiſternii vice infanti ſine dubio fuit faſciculus fæni, & ſtragulæ uſum præbuit pallium vel veſtis Joſephi.

Reclinavitque eum in præſepi.] Exinde cernitur, eos in diverſorio locum non alium habuiſſe, quam in ſtabulo inter equos & aſinos hoſpitum, qui peregre advenerant. Teſtatur Juſtinus, Origenes, Euſebius, Athanaſius, Gregorius Nyſſenus, & alii, ſpecum quandam fuiſſe domui vicinam, quæ in petra ſive à natura, ſive hominum labore ac induſtria exciſa fuerit: neque id eſt incredibile, cum totum illud ſolum, in quo ſitum erat Bethlehemum, petroſum ac ſaxoſum fuerit.

Mirari quoque jure poſſis, cum Lucas omnes circumſtantias nativitatis Chriſti tam accurate deſcribat, ut ne faſciarum quidem & præſepis oblitus ſit, cur tantopere ſileat de rebus maximi & graviſſimi momenti (ſi veræ eſſent) nempe de incarnatione Dei, de perſonali unione divinæ & humanæ naturæ, &c.

Quia non erat eis locus in diverſorio.] Diverſorium vocatur illa domus, ubi hoſpitabantur. In hac domo propter ſummam hominum frequentiam non erat commodior locus pro illis, quam in ſtabulo. Hanc domum non intra mœnia urbis, ſed extra urbem in ſuburbio fuiſſe ſitam, non procul à mœniis, teſtatur Juſtinus, Origenes, Euſebius, & alii. Potuitque id Juſtinus inprimis optime ſcire ac inveſtigare, quia non adeo procul à finibus Judææ natus & educatus erat: (quum eſſet Samaritanus) reſque iſta ipſius ætate in recenti adhuc fuit memoria. Neque vero id obſtat, quominus Chriſtus Bethlehemi ſit natus, ut Matthæi Cap. 2. 1 dicitur. Apud omnes enim nationes

tiones accenſentur civitatibus illæ domus, quæ in ſuburbiis ſitæ ſunt, cumque iis proxime connexæ ſunt. Ita etiam de Chriſto dicitur, eum Hieroſolymis debuiſſe mori, Luc. 9. 31. XIII. 33. cum tamen extra urbem in Calvaria crucifixus ſit, Matth. 27. 33. Ita quoque Lucas narrat Cap. 5. 12. leproſum in quadam civitate Chriſto occurriſſe, cum tamen leproſis non fuerit integrum urbem intrare, ſed in ſuburbiis tantum manſerint, Levit. 13. 46. Quocirca recte nihilominus dici poteſt, Chriſtum Bethlehemi natum eſſe, etſi tantum in ſuburbio natus ſit. Videtur autem hoc quoque non ſine numine contigiſſe, quod Joſephus & Maria in ſuburbio diverterint, ut Paſtores tanto facilius eo venire, & oculis ſuis ea contemplari poſſent, quæ ipſis annunciata erant ab Angelis; quod non tam commode fieri potuiſſet, ſi domus iſta in urbe fuiſſet, quamvis portæ urbis non fuiſſent clauſæ.

PARS II.

Verſ. 8. *Erant autem Paſtores in eadem regione excubantes & agentes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.*] Quod paſcua egregia fuerint pro pecore circa Bethlehemum, intelligitur ex 1 Sam. 17. verſ. 15. id quod etiam ipſum nomen indicat. Bethlehem enim ſignificat domum panis. Olim dicta fuit Ephrata, id eſt, frugifera, Gen. 35. 16.

Excubantes & agentes vigilias noctis.] Nimirum in campo alternis agebant excubias, propter noxias feras & fures. Ex hoc loco apparet, Chriſtum non circa illud anni tempus natum eſſe, quo ſolet hodie feſtum nativitatis ejus celebrari, nempe circa finem Decembris. * Tunc temporis enim, quo intenſiſſimum ſolet eſſe frigus, non potuiſſent Paſtores in agro pernoctare; neque illo tempore ſolent oves intra virgea ſepimenta in campo, ſed in ſtabulis ſervari. Neque poteſt dici, in illis regionibus non fuiſſe tam intenſa frigora. Nam illic hyeme etiam haud mediocre frigus viguiſſe, ex hiſtoria paſſionis Chriſti patet, ubi circa feſtum Paſchatis, (id eſt, jam in initiis Veris) tantum frigus fuit, ut famuli ad ignem ſe calefacere coacti ſint, Johan. 18. 18. Ideo David quoque deſcribit hyemem illius regionis, Pſal. 147. verſ. 16, 17. *Qui* (Deus) *dat nivem ſicut lanam, pruinam ſicut cinerem ſpargit: dejicit gelu ſuum tanquam fruſta; coram frigore ejus quis conſiſtat?* Tempus autem verum anni, quo Chriſtus natus eſt, incertum eſt, ita ut eruditis de eo non conveniat, neque etiam id ſcire multum intereſt.

Quod autem nativitas Chriſti egenis paſtoribus potius quam Herodi vel primariis Sacerdotibus ac ſenioribus populi annunciata ſit, mirum non eſt magis, quam quod Chriſtus è Matre tam infimæ ſortis natus ſit.

Verſ. 9. *Et ecce Angelus Domini ſupervenit eis, & gloria Domini circumfulſit eos, & timuerunt timore magno.*] Vocula Ecce, denotat aliquid inſperati ac miraculoſi accidiſſe.

Angelus Domini.] Angelum hunc Gabriëlem fuiſſe, inde à primis temporibus hucuſque eſt creditum. Vide ſupra Cap. 1. 19.

* Vide retractationem infra II. Appendice.

Supervenit eis.] Deſuper apparuit eis. De verbi Græci, quod hic uſurpatur, vi, vide Luc. 24. 4. Pertinet autem etiam ad excellentiam divinam hujus infantis, quod non Prophcta, ſed Angelus de cœlo nativitatem ejus annunciarit. Ut etiam, Matth. 1. 20. Luc. 1. 26.

Et gloria Domini.] Id eſt, Hebræorum more loquendi, inſigniter clara lux ac ſplendor cœleſtis. Sic infra quoque Cap. 9. 31. de Moſe & Elia dicitur, eos conſpectos fuiſſe *in gloria*, id eſt, in magna luce. Sic dicit Paulus de Moſe, eum (vel potius miniſterium ejus) fuiſſe *glorioſum*, (id eſt, ſplendidum) *ita ut non poſſent filii Iſraëlis intentis oculis intueri faciem Moſis*, 2 Cor. 3. 7. Exod. 34. 20. Vide quoque 1 Cor. 15. 41. Antea quoque legimus ſæpe apparuiſſe hominibus Angelos, ut mandata Dei perficerent; nuſquam autem legimus, eos ita in cœleſti fulgore apparuiſſe, ſicut hic factum eſt. Ex quo iterum præſtantia hujus infantis colligitur. Cæterum ſub id tempus, quo revelabatur is, qui Sol juſtitiæ, & Oriens ex alto eſſe debebat, decuit ſane, ut ejus ortus ac nativitas tam inſigni & extraordinaria ratione annunciaretur.

Et timuerunt timore magno.] Uti plerumque in rebus inſuetis ac inſperatis fieri aſſolet. Vide Luc. 1. verſ. 12. Matth. 28. 4. Actor. 9. 4. Apoc. 1. 17.

Verſ. 10. *Et dixit eis Angelus: Ne timete. Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod erit toti populo.*] Erigit eorum animos: uti ſemper facere conſuetum eſt bonis Angelis.

Ecce enim annuncio vobis.] Tres gaudii cauſas affert, quibus excutit animis eorum timorem. Prima eſt, quod venerit annuncians *gaudium magnum*. Altera, quod eis annunciet rem ejuſmodi, quæ non unum aut alterum tantum exhilarabit, ſed quæ toti populo, id eſt, omnibus Judæis ingens gaudium allatura ſit. Tertia vero, quod hunc lætum nuncium ipſis afferat dicens: Ecce annuncio *vobis* paſtoribus hoc gaudium. Voluit enim Deus hic Paſtores eſſe teſtes nativitatis Filii ſui: ſicut poſtea Chriſtus elegit piſcatores, ut eſſent teſtes reſurrectionis ſuæ; utrumque genus hominum ſimplex & innoxium.

Annuncio.] Gr. εὐαγγελίζομαι, id eſt, euangelizo, affero lætum nuncium. Vide de hoc verbo in Matthæi initium.

Verſ. 11. *Quia natus eſt vobis hodie Servator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate Davidis.*] Hoc eſt illud Euangelium, ſeu gaudium magnum, quod eis annunciabat. Hoc nuncio nihil lætius ſane Judaico populo poterat contingere, ut qui ſperaret, fore, ut per eum è ſervitute, ſub qua gemebat, liberaretur. Hoc enim Judæis ſub nomine Servatoris apud Prophetas promiſſum fuit. Vide Eſai. 19. 20. LXII. 11. Zach. 9. 9. Videturque Angelus de induſtria hic uſus voce Servatoris, non tantum quia eſt per ſe ipſum gratum nomen iis qui in anguſtia ſunt conſtituti, ſed etiam & quidem præcipue, quia eos modo memoratarum & cuivis bene notarum prophetiarum ac prædictionum admonere, eaſque illis in memoriam revocare voluit. Quanta autem in anguſtia Judæi tunc temporis ſub Herode Magno, filioque ejus Archelao poſiti fuerint, patet ex eorum accuſatione, quam adverſum utrumque coram Auguſto Cæſare

Cæſare inſtituerunt. Vide quæ dicta ſunt de ea ad Matth. 2. 22. Eſt autem Chriſtus pro triplici munere ſuo noſter Servator. Primo dum tanquam Propheta nobis divinum decretum de ſalute noſtra factum, ejuſque voluntatem ſub Novo Fœdere annunciavit, & tum miraculis, tum etiam morte ſua confirmavit. Secundo dum tanquam Pontifex Maximus peccata noſtra expiat, & in ſanctiſſimum cœli ſacrarium ingreſſus per ſanguinem ſuum, coram Deo apparet, & pro nobis intercedit. Tandem dum tanquam Rex noſter reipſa nos ab omni malo eripit, adverſus omnes inimicos defendit, noſque aliquando cœleſtium gaudiorum faciet participes.

Pronomine *Vobis* intelligitur hic tota Judaica natio; quaſi dicat Vobis Judæis. Quod majorem vim habet eorum animos exhilarandi, quam ſi dixiſſet: Judaico populo. Nam illa ratione etiam ipſi nominatim in eorum numero comprehendebantur, qui gaudii iſtius magni debebant eſſe participes.

Qui eſt Chriſtus Dominus.] His verbis diſtinguit Angelus hunc Servatorem ab aliis, quibus etiam titulus iſte datus fuerat. Vide Jud. 3. 9, 15. Ille nimirum natus eſt, qui nomine Meſſiæ ſeu Chriſti, id eſt, uncti omni populo bene notus eſt. Ille unctus, qui ſupra alios hoc nomen excellentiſſima ratione gerit, & omnium Angelorum ac hominum, etiam Davidis ipſius Dominus erit, Pſal. 110. 1.

In urbe Davidis.] Verba iſta cohærent non cum proxime antecedentibus, ſed cum ſuperioribus; hoc modo: Vobis hodie Servator natus eſt in urbe Davidis. Maluit Angelus dicere, in civitate Davidis, quam in Bethlehem: ut indicaret, illum de quo loquebatur, eſſe verum Meſſiam, qui Bethlehemi & ſimul etiam ex Davidis domo naſci debebat.

Verſ. 12. *Et hoc vobis ſignum erit; invenietis infantem faſciis involutum, jacentem in præſepi.*] Ut paſtoribus eximeretur omnis ſcrupulus ac dubitatio de eo, an hic nuncius à Deo veniat, datur eis duplex ſignum: unum ab hoc Angelo, alterum à multitudine cœleſtium exercituum.

Invenietis infantem faſciis involutum.] Sine dubio Angelus paſtoribus etiam domum & ſpeluncam indicavit ac deſcripſit. Sed Lucas quia jam ante loci meminerat, hic tantum præſepe nominat. Non eo autem ſpectavit hoc ſignum, quod Angelus dedit paſtoribus, quod voluerit eo demonſtrare, infantem hunc eſſe Servatorem. Ex eo enim, quod involutus eſſet faſciis, & jaceret in præſepi, neutiquam id concludi poterat. Imo contrarium potius humano more judicando poterat exinde colligi, cum ſcilicet qui tam paupere ac vili conditione erat, nequaquam tam auguſtam atque excellentem perſonam eſſe poſſe. Sed Angelus iſto ſigno hoc tantum probare voluit, ſe eſſe verum Dei nuncium. Non infanti auctoritatem, ſed ſuæ legationi fidem eo conciliare voluit. Hoc ſigno enim prædicitur eis res futura, quod nimirum ubi in urbem venerint, reperturi ſint infantem involutum faſciis, inque præſepi jacentem: quam rem, niſi divinus nuncius fuiſſet, tam certo ſcire non potuiſſet. Etſi enim tunc, cum Angelus cum paſtoribus loqueretur, infans faſciis involutus in præſepi jaceret, iſque id tanquam rem, quæ tunc revera ita ſe habebat, probe ſcire poſſet; tamen ſi non fuiſſet divinus nuncius, non potuiſſet certo ſcire, Paſtores tunc temporis, quo ingrederentur domum, faſciis involutum infantem ac in præſepi jacentem inventuros eſſe. Fieri enim potuiſſet, ut mater infantem tunc in ulnis geſtaret, aut alio reponeret. Simile ſignum olim dedit Samuël Sauli 1 Sam. 10. 2. *Cum abieris hodie à me, invenies duos viros apud ſepulchrum Rachelis in finibus Benjamin in Zelta, qui dicent tibi, inventæ ſunt aſinæ, quas quæſitum abieras.*

Verſ. 13. *Et repente adfuit cum Angelo multitudo exercituum cœleſtium, laudantium Deum, & dicentium.*] Exercitus vocatur Angelorum multitudo certo ordine diſpoſita. Qui quandocunque ita congregantur, ſemper eſt inter eos unus dux vel Princeps. Atque hoc eſt alterum ſignum, quo Deus fidem facere apud Paſtores huic legationi voluit.

Verſ. 14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplacitum.*] Canticum iſtud non eſt votum, ut quod hic dicitur, facto ipſo fiat: ſed potius eo cum gaudio confirmatur id, quod jam reipſa erat. Indicatur ſcilicet, jam nunc Angelos & homines cauſæ ſatis habere ad Deum laudandum & gaudendum, propter gloriam ejus, quæ per hanc nativitatem amplificabitur, & propter pacem, quæ in terris ſtabilietur &c. Impleturque hic prophetia illa Eſaiæ: *Jubilate cœli, quia hoc fecit Dominus; clangite ima terræ, reſonate montes laudatione, ſylva & quæcunque arbor eſt in ea: quoniam redemit Dominus Jacobum, & in Iſraële gloriabitur*, Cap. 44. 23. ut etiam Cap. 49. 13.

In altiſſimis.] Altiſſima Angelus opponit terræ; qualis oppoſitio eſt & in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua in cœlis, ſicut & in terra.* Hoc modo autem hæc nativitas cum gloria Dei conjuncta eſt, quod in ea bonitas ipſius immenſa, veritas ac ſapientia eluceſcat. Bonitas in eo, quod hominibus perditis talem principem ſalutis dederit. Veritas, quod promiſſionibus ſuis Abrahamo ac Davidi cum jurejurando factis ſteterit, eaſque ad effectum deduxerit. Sapientia vero, quod ratione ſapientiſſima, qua omnes hujus mundi ſapientes confunduntur, ſalutem humani generis promoveat.

Et in terra pax.] Per pacem apud Hebræos omnis generis felicitas, ſignificatur.

In hominibus beneplacitum.] Verba hæc explicant priora, indicantque non terrenam, ſed cœleſtem felicitatem ac pacem hominibus per hanc nativitatem afferri: nempe gratioſam Dei benevolentiam, qua humanum genus complexus eſt ad procurandam eorum ſalutem. Itaque inter hæc & præcedentia verba ſubaudienda eſt vocula *nempe*, hoc pacto: Et in terra pax, nempe in hominibus beneplacitum. Ut etiam infra verſ. 30, 32. Hoc vero hymno confirmant Angeli, paſtoribus revera magnum gaudium annunciatum eſſe. Quis enim non gaudeat ſuper gloria Dei, & tam eximia ſalute totius generis humani?

PARS III.

Verſ. 15. *ET factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, tunc Paſtores illi dicebant*

bant alii ad alios: Abeamus uſque Bethlehemum, & videamus rem hanc, quæ facta eſt, quam notam nobis fecit Dominus.] Jam deſcribitur Paſtorum diligentia in quærendo infante, & morem monito Angeli gerendo.

Paſtores illi dicerent alii ad alios.] Non tantum unius alicujus impulſu, ſed capto inter ſe conſilio unanimiter capeſſunt iter Bethlehemum.

Uſque Bethlehemum. Vocula *uſque* arguit, locum ubi gregem ſuum cuſtodiebant, non adeo procul à Bethlehemo diſſitum fuiſſe.

Quam nobis notam fecit Dominus.] Per Angelum ſcilicet. Agnoſcunt divinam legationem, antequam ſignum illud ab Angelo datum oculis ſuis videant. Hoc autem ſibi volunt: Ne vilipendamus tam ingens beneficium Dei, quod nobis nativitatem Servatoris mundi notam fecerit, ſed mandato ejus pareamus, & rem oculis inſpiciamus.

Verſ. 16. *Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſephum, & infantem jacentem in præſepi.*] Cupiditas magna videndi hujus eximii infantis non ſivit eos diu moras nectere. Ut & Mariam, cum Eliſabetham viſitaret. Supra Cap. 1. 39.

Quod nobis exemplo eſſe debet ad imirandum. Vide 2 Petr. 3. 12.

Et invenerunt.] Omnia ad eum invenerunt modum, ut eis Angelus prædixerat.

Mariam & Joſephum.] Qui proculdubio videntes Deum tali revelatione dignatum eſſe Paſtores, eis etiam aliquid de ſuis revelationibus narrarunt.

Verſ. 17. *Videntes autem, divulgaverunt rem illam, quæ dicta fuerat illis de hoc puerulo.*] Obvio cuique omnia referebant, quæ de hoc puero audiverant ac viderant.

Verſ. 18. *Et omnes qui audierunt, mirati ſunt ea quæ ipſis dicta fuerant à paſtoribus illis.*

Verſ. 19. *Maria vero iſta omnia verba conſervabat, conferens ea in corde ſuo.*] Id eſt, alte infixit animo ac memoriæ ſuæ omnia, quæ non ſolum ab illis paſtoribus audierat, ſed ea quoque, quæ hactenus miraculoſa circa nativitatem filii ſui contigerant. Ubi & vaticinia Prophetarum ſimul intelligi poſſunt, quorum illam non prorſus ignaram fuiſſe credibile eſt.

Conferens ea in corde ſuo.] Conſiderans, quam ea quæ ipſi acciderant, cum eo quod paſtoribus contigerat, egregie conveniant ac conſentiant. Ex quo tanto magis colligere poterat, quantus hic puer futurus eſſet: Hinc vero intelligitur, Mariæ Matri Domini non omnia ſimul ac ſemel de iſto puero fuiſſe revelata: neque id mirum eſt; cum etiam Angeli ipſi in cognitione multiplicis ſapientiæ Dei per Eccleſiam demum profecerint, Epheſ. 3. 10.

Verſ. 20. *Et reverſi ſunt Paſtores, glorificantes & laudantes Deum ſuper omnibus, quæ audierant, & viderant, prout ipſis dictum fuerat.*] Reverſi ſunt ad gregem ſuum: ita tamen, ut Deum glorificarent ac laudarent: quod eos inter eundum feciſſe probabile eſt.

PARS IV.

Verſ. 21. *ET cum impleti eſſent dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum fuerat ab Angelo, priuſquam ipſe in utero conciperetur.*] Senſus eſt; cum tempus circumcidendi pueri in Lege definitum, nempe octavus à nativitate dies adeſſet. Quocirca verbum *impleti ſunt* non retinet hic propriam ſuam ſignificationem: alioquin enim puer nono die contra Legem circumciſus fuiſſet. Vide ſimiles locutiones, Matth. 17. 1. Actor. 2. 1.

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.] Intellige publice & ſolitis cum ceremoniis impoſitum ei eſt hoc nomen, præſentibus quam plurimis ex Davidis familia, qui Bethlehemum ad deſcriptionem venerant.

Quod vocatum fuerat ab Angelo.] Innuit Euangeliſta, nomen hoc ei non caſu, non humano conſilio aut arbitrio eſſe inditum, ſed à Deo ipſi adhuc ante conceptionem ejus fuiſſe aſſignatum, & per Angelum annunciatum.

Hic quæſtionem movent Interpretes quidam admodum abſurdam: Cur Chriſtus voluerit circumcidi, cum circumciſionis haud eguerit? Quaſi in infantis arbitrio fuiſſet ſitum, circumcidi velle vel nolle! Multo convenientius rationi quæritur: Cur Joſephus & Maria infantem ſuum circumcidi curaverint? Ad quod brevibus reſpondetur: quia Deus circumciſionem tam ſtricte imperaverat Gen. 17. 14. Joſephus autem & Maria legis obſervatione non minus, quam alii omnes Judæi tenebantur.

PARS V.

Verſ. 22. *ET cum impleti fuiſſent dies purgationis ejus, ſecundum Legem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymam, ut ſiſterent eum Domino.*] Lucas præterit ſilentio hiſtoriam de Magis, qui venerant Hieroſolymam ad puerum adorandum, quam Matthæus deſcripſit Cap. 2. 1. ubi dictum eſt, eorum adventum probabiliter ante finem dierum purgationis Mariæ contigiſſe. Contra vero Matthæus nihil habet de circumciſione ac purificatione, quam Lucas ſedulo perſecutus eſt.

Purgationis ejus.] In nonnullis exemplaribus Græcis habetur αὐτῆς, in nonnullis αὐτῆ; quorum illud ad Mariam, hoc ad puerulum reſpicit: in pleriſque autem eſt αὐτῶν, quod ad utrumque refertur. Quo poſtremo modo verba legenda eſſe dubitandum non eſt. Hæc enim impuritas nihil aliud erat, quam obligatio, quæ in Lege præcepta erat, per quam tum mater tum infans ad certum tempus impuri erant. Primum ut eos non liceret abſque immunditia attingere: deinde ut non eſſet eis integrum venire in congregationem. Infans & mater, ſi filium pepererat, immundi erant uſque ad octavum diem, quo ſpatio ſine immunditia attingi non poterant. Octavo autem die puer per circumciſionem à ſua immunditie fiebat liber. At ſi pepererat filiam, mater & infans immundi erant per dies 14. Præterea mater pariens filium, diebus 33, pariens vero filiam, diebus 66, à conſortio hominum manebat ſegregata. Quod autem puerum attinet, ſi is non maneret cum matre (puta in caſu mortis matris, aut aliam ob cauſam) poſt unum menſem elapſum Domino ſiſtebatur: verum ſi apud matrem maneret, tamdiu quam mater ipſa à commercio hominum arcebatur, quia impu-

impuritatis maternæ particeps erat. Vide Levit. 12. verſ. 2, 3, 4, 5.

Quod nonnulli cenſent, Mariam non fuiſſe Legi de purificatione ſubjectam; quandoquidem Lex, Levit. 12. 2. loquatur de muliere, quæ ſuſcepit ſemen, Maria autem ſemen nullum ſuſceperit: in eo contradicunt directe Lucæ. Verba enim ejus: *Cum impleti fuiſſent dies purgationis ejus*, nihil aliud ſibi volunt, quam: Cum dies illi quibus immunda erat elapſi eſſent, ut purgari eam oporteret, & quidem mactatione columbarum aut turturum, verſ. 24. Verba quoque Legis, Levit. 12. 2. *Quando mulier ſuſceperit ſemen*, nihil aliud ſignificant, quam, quando mulier gravida fuerit facta. Neque etiam impuritas illa mulierum veniebat à ſemine (alioqui ſtatim à conceptione debuiſſent eſſe immundæ) ſed à menſtruis ac profluvio ſanguinis muliebris: ut ibidem innuit Moſes verſ. 4, 5.

Adduxerunt eum Hieroſolymam.] Aſcenderunt Hieroſolymam, ut una opera duas leges implerent: primam de purgatione puerperæ; alteram de redemptione primogeniti, quæ fieri ante exactum menſem non poterat.

Ut ſiſterent eum Domino.] Nempe puerum Jeſum, tanquam primogenitum, qui Deo ſacer erat. Veriſimile eſt, hanc exhibitionem pueri in aliquo ſecreto Templi loco factam fuiſſe, & nonniſi paucis fidis amicis præſentibus. Idcirco etiam fama hac de re ad aures Herodis, qui homicidium animo ſuo jam decreverat, non pervenit.

Verſ. 23. *Sicut ſcriptum eſt in Lege Domini: Omnis maſculus aperiens uterum, ſanctus erit Domino.*] Scripta eſt hæc lex, Exod. 13. 1. Num. 3. 13. VIII. 17. ubi mandatur, ut in memoriam illius beneficii divini, quo ſub id tempus, cum Ægyptiorum primogenita interficerentur, ſervata ſunt primogenita Iſraëlitarum, omne primogenitum tam hominum quam pecudum Deo conſecraretur. Sed in locum primogenitorum ex hominibus Deus tribum Leviticam ſuſcepit, Num. 8. 18. Itaque primogeniti quidem filii ſiſtebantur coram Domino, ſed à parentibus redimebantur quinque ſiclis quia Levitæ eorum loco Domino ſerviebant. De animalibus autem, quæ munda erant, primogenita in ſacrificium mactabantur, immunda autem cum mundis permutabantur, Exod. 13. 13. XXXIV. 20.

Omnis maſculus aperiens uterum.] Cum verba Legis de apertione uteri hic ad Mariam applicentur, ex eo patet, Mariam naturali modo, quo aliæ mulieres ſolent, peperiſſe. Quod autem quidam urgent, Mariam clauſo utero, miraculoſa ratione enixam eſſe; id contradictorium eſt: niſi quis dicat, eam non naturalem infantem, ſed Spiritum aliquem, qui per poros corporis tranſire potuerit, peperiſſe. De pecunia, qua Joſephus & Maria redemerunt filium ſuum, nullam Lucas facit mentionem: quia circa hanc rem nihil memoratu dignum erat. Par enim & æqualis ſumma dabatur tam à divitibus quam a pauperibus. Docti inter Judæos docent, legem de conſecratione primogenitorum, myſtico ſenſu ſignificare, quod homines teneantur primas vires & opera animi ſui Deo conſecrare; id eſt, florem juventæ, non faces ſenilis ætatis.

Sanctus erit Domino.] Id eſt, ſegregatus erit ab aliis, ut peculiari modo ſit Domini, verſ. 24. *Et ut darent hoſtiam ſecundum id, quod dictum eſt in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*] Hæc eſt altera lex de purificatione matris, Levit. 12. verſ. 6, 7, 8. *Cumque expleti fuerint dies purificationis ejus, pro filio, ſive pro filia, offeret agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſive turturem pro ſacrificio peccati, ad oſtium tabernaculi, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea; & mundabitur à profluvio ſanguinis ſui. Quodſi non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum in ſacrificium pro peccato: & expiationem faciet pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur.*

Hinc liquet, ditiores agnum obtuliſſe in holocauſtum, & duos turtures vel duos pullos columbarum ad ſacrificium pro peccato. Tenuiores autem qui non erant emendo agno pares, offerebant tantum duos turtures vel duos pullos columbarum vulgarium, unum in holocauſtum, alterum in ſacrificium pro peccato. In ſacrificium autem pro peccato offerebant, non quod profluvium illud ſanguinis, quod naturale eſt, peccatum fuerit, ſed quia ad id per Legem erant obſtricti. Apud Hebræos enim omne id, per quod aliquis Legi obligatus eſt, etſi contra mentem ejus non fiat, peccatum vocatur. Ita Nazaræis ſeu Domino ſanctificatis mandatum erat, ut ſi quis ſubito ante eos cadens moreretur (quod abſque omni culpa eorum fieri poterat) offerant pullum unum columbinum vel turturem in holocauſtum, & unum in ſacrificium pro peccato, Num. 6. 9, 11. Ita etiam aqua luſtralis, qua immundi (qui etiam inſcii ſe immundos reddiderant attrectatione mortui) luſtrabantur, aqua peccati appellatur, Num. 19. 20. Sic quoque ſacrificium pro peccato dicitur, quod leproſi, aut gonorrhæa laborantes, vel mulieres menſtruorum profluvium patientes ad ſuam purgationem offerebant, Levit. 14. verſ. 19. XV. 15, 30. Quod ergo ad purificationem puerperæ attinet, tenebatur illa ſacrificium iſtud pro ſe offerre: infantibus autem certum quidem tempus impuritatis eorum (ut antea indicatum) at nullum pro iis ſacrificium erat aſſignatum.

Par turturum aut duos pullos columbarum.] Hæc ſunt verba Legis, Levit. 12. 6. Ex iſta vero oblatione paupertas Joſephi & Mariæ cernitur, ut quibus tantum non fuerit facultatum, ut agnum anniculum ſecundum Legem offerrent. Unde etiam intelligitur, auri illius quod Magi, qui ex Oriente venerant, infanti obtulerunt, Matth. 2, 11. non adeo multum fuiſſe, cum illi magis adorandi, quam liberalitatem ſuam erga regium hunc infantem exercendi cauſa acceſſerint: more nimirum illarum regionum, ubi indecorum habebatur Reges abſque munere ſalutare.

Agnus & columbæ ſunt munda & innoxia animalia, ideoque apprime apta ad id, ut pro purgatione offerrentur.

PARS VI.

Vers. 25. *ET ecce erat homo Hierosolymis, cui nomen Simeon, eratque homo iste justus ac religiosus, expectans consolationem Israëlis, & Spiritus Sanctus erat super eum.*] Et ecce, dicit: quia iterum occurrit aliquid miraculosi.

Cui nomen Simeon.] Quidam arbitrantur hunc Simonem præcipuum aliquem è Rabbinis fuisse, Præceptorem Gamaliëlis, ad cujus pedes Paulus educatus fuit, Actor. 22. 3. ac discipulum Rabbini celeberrimi Hillelis, qui peculiarem scholam & sectam habebat Hierosolymis, & ab alio non minus celebri Rabbino Samea professa lite in pluribus dissidebat. Simeon iste (si modo hic & non alius est) in Thalmudicis Judæorum scriptis Simeon justus appellatur.

Describit autem Lucas hoc loco virum istum ita, ut ejus quippe tam eximii viri testimonium de Christo tanto majus haberet pondus.

Religiosus.] Græca vox εὐλαβὴς proprie significat eum, qui cum metu & caute accipit, quod ei porrigitur. Hinc usurpatur loco pii ac religiosi, qui res divinas cum metu & caute tractat. Alioquin hoc adjectivum non reperitur apud ullum scriptorem Novi Testamenti, præterquam apud Lucam hic, & in Actis bis Cap. 2. 5. VIII. 2.

Expectans consolationem Israëlis.] Id est, Messiam, quem sic describit, quod sit consolatio Israëlis, id est, quod Israëlitico populo solatium & gaudium allaturus sit. Sic dicit quoque Marcus de Joseph ab Arimathæa, quod expectaverit Regnum Dei Cap. 15. 43.

Et Spiritus Sanctus erat super eum.] Id est, habebat donum Prophetiæ. Non quidem per secretas visiones, ut olim Veteres Prophetæ (jam enim tum Prophetia cessaverat) sed per divinum afflatum, qui certis temporibus ipsi contingebat. Vide supra Cap. 1. 67.

Vers. 26. *Et erat ipsi divinitus nunciatum à Spiritu Sancto, ipsum non visurum mortem priusquam vidisset Christum Domini.*] Non per vocem aut Angelum, sed per tacitam inspirationem, quæ à divino proveniebat afflatu.

Ipsum non visurum mortem.] Id est, ipsum non moriturum. Hebraismus est, cujus exempla vide Psal. 89. 49. Johan. 8. 51. Matth. 16. 28. Marc. 9. 1. Luc. 9. 27.

Vers. 27. *Et venit in Spiritu in Templum: & cum inferrent parentes puerulum Jesum, ut pro eo facerent, quod secundum Legem consuetum erat.*] Venit in Spiritu, id est, impellente Spiritu Sancto, ut infra Cap. 4. 1. Vide etiam Matth. 4. 1.

Et cum inferrent parentes.] Josephus & Maria. Josephus à Maria ipsa pueri Pater vocatur, infra vers. 48. Et Cap. 3. 23 Lucas appellat Jesum Josephi filium, quanquam cum hac adjectione & explicatione, *ut putabatur.*

Ut pro eo facerent.] Nempe ut eum tanquam primogenitum coram Domino sisterent, & quinque siclis redimerent.

Vers. 28. *Et ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deo, & dixit.*] In ulnas suscipit infantem ad testandum summum amorem suum. Quod autem iste fuerit infans ille insignis, de quo habebat promissionem, Spiritus Sanctus ipsi revelavit. E veteribus non nemo tradit, Simeonem ætatis vitio jam cœcum fuisse, sed simul ac puerum Jesum contrectavit, illico visum recuperasse: Verum si hoc confictum non esset, Lucas rem tam miraculosam narrare haud omisisset.

Et benedixit Deo.] Gr. εὐλόγησε τὸν Θεὸν, benedixit Deum; id est, agebat ei gratias pro impleta promissione, vers. 26.

Vers. 29. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace.*] In Græco est Δεσπότης, quæ vox herum seu patremfamilias significat. Simeonem his verbis infantem allocutum esse, ut qui agnoverit scilicet, eum esse Deum altissimum, puerilis admodum & absurda est opinio. Nam ut alia taceam, is quem cœli cœlorum non capiunt, non patitur se brachiis ullius hominis incingi. Alloquitur potius Deum Patrem, à quo divinum responsum ac promissionem acceperat, & cujus *salutem* hunc infantem appellat, vers. 30.

Nunc dimittis servum tuum.] Id est, jam me felicem ac lætum tolles ex hoc mundo. Præsens pro futuro hic est positum. Ita solent loqui, qui votorum suorum facti sunt compotes, quasi nihil amplius ad cumulum felicitatis eorum in hac vita posset adjici. Ita inquit Jacobus ad Josephum filium suum: *Jam lætus moriar, postquam vidi faciem tuam,* Genes. 46. 30. Usitata autem est phrasis ista, *in pace mori,* id est, feliciter mori. Vide Genes. 15. vers. 15. 2 Reg. 22. 20. Psal. 4. 9.

Secundum verbum tuum.] Id est, secundum promissionem tuam, quod ad hoc felix tempus usque supervicturus, & meis oculis salutem tuam visurus sim.

Quia viderunt oculi mei salutem tuam.] Id est, Servatorem tuum. Locutio ista desumta est ex Psal. 98. vers. 3. & Esai. 49. 6. Dicitur autem Messias Servator *Dei*, quia à Deo venit, & quia Deus per eum hominibus salutem confert.

Vers. 31. *Quam parasti in oculis omnium populorum.*] Id est, quem Servatorem proposuisti in conspectu omnium populorum ac gentium, ut omnes, qui modo cupiunt, salutem per eum adipisci queant. Vox *parare* tacite opponitur decreto & promissioni: nimirum Messiam illum, quem Deus dudum in salutem omnium populorum destinaverat, & suo populo promiserat, jam nunc paravit, id est, reipsa paratum jam exhibuit. Magnum autem mysterium Simeon per Spiritum vidit, quod etiam Ethnici beneficiorum Messiæ futuri sint participes, quod Petrus nondum post illuminationem Spiritus Sancti intelligebat. Vide Actor. 10. 11, 14.

Vers. 32. *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam populi tui Israëlis.*] Voce *luminis* declaratur vox *salutis* vers. 30. Salus, id est, lumen: quasi dicat. Quem Servatorem tu omnibus gentibus ac nationibus proposuisti, ut esset lumen. Sumtaque sunt hæc verba ex Esai. 49. 6, *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad finem mundi.*

Ad revelationem Gentium.] Id est, quod Gentibus

bus ſeu Ethnicis revelabitur. Sunt qui putent, hæc verba Lucæ eſſe tranſpoſita, ſenſumque eſſe: Lucem Gentium ad revelationem, intellige divinorum myſteriorum de ſalute hominum.

Et gloriam populi tui Iſraëlis.] Verba hæc ſunt mutuata ex Eſai. 46. 13. *Dabo in Sione ſalutem, & in Iſraële gloriam meam.* Ita & Paulus ait: *Iſraëlitæ, quorum eſt adoptio filiorum, & gloria,* Rom. 9. 4. Eſt autem Meſſias gloria Iſraëlitarum, quia ex ipſis oriundus eſt, & inter illos vixit, nec non quia per eum omnes populi ipſis tanquam arbori inſerti ſint, & ad eorum religionem, quam Meſſias eos docuit, omnes obligavit.

PARS VII.

Verſ. 33. *ET Joſephus ac Mater ejus mirabantur ſuper iis, quæ dicta erant de eo.*] Aliqua exemplaria Græca, ut & Latina editio, habent hoc loco: *Et Pater ejus.*

Super iis, quæ dicta erant de eo.] Non tantum hic à Simeone, ſed etiam ab Angelo, ab Eliſabetha, à Zacharia, &c.

Verſ. 34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraële, & in ſignum cui contradicatur.*] Benedixit eis, id eſt, bene precatus eſt parentibus, ac gratulatus eſt eis propter talem filium, fauſtis eos ominibus proſecutus eſt, prædicans eos felices ac beatos, quod tam eximia prole aucti ſint. Sic Eliſabetha quoque benedicebat Mariæ ſupra Cap. 1. 42.

Alio autem ſenſu, quam hic, accipitur *benedicendi* verbum ſupra verſ. 28.

Ex eo, quod Simeon benedixerit parentibus Jeſu, non magis colligi de Simeone poteſt, quod fuerit Sacerdos, quam de Eliſabetha.

Quod Simeon etiam infanti benedixerit, ex verbis Euangeliſtæ quidem non liquet, ſed tamen probabile eſt.

Et dixit ad Matrem ejus Mariam.] Conveniſſet potius Joſephum alloqui tanquam Patrem; ſed apparet Spiritum Sanctum revelaſſe Simeoni, quod Maria ſit Mater pueri abſque Patre.

Ecce hic poſitus eſt.] Intellige à Deo. Divino decreto ad id deſtinatus eſt. Finis autem primarius hujus divini conſilii atque decreti, de quo hic loquitur Simeon, non in proxime ſequentibus verbis quærendus eſt, ſed in verbis verſ. 35. *ut manifeſtentur multorum cordium cogitationes.* Nam ſi decretum Dei de Chriſto, quod hominum ſalutem attinet, ſimpliciter conſideretur, ſcopus ejus non alius eſt, quam ut Chriſtus ſit *ſalus & lumen omnium gentium ac populorum*, ut paulo ante dixit Simeon. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire*, 1 Tim. 2. 4. Si autem hoc Dei decretum cum omnibus circumſtantiis ad id pertinentibus ſpectetur; quod nimirum hominum quidam ex ignorantia veritatis & ex communi omnibus hominibus fragilitate labantur; quidam vero peccent ex contemtu rerum divinarum, quas vel prorſus non curant, vel iis res hujus mundi, divitias, honores, voluptates &c. præferunt, cum tamen pietate maxime glorientur: tum Deus inter alia hoc quoque intendit, ut tam horum quam illorum cogitationes in animo latentes in apricum producantur; atque hoc ille prædicatione Euangelii effecit.

In ruinam.] Verba hæc deſumta ſunt ex Eſai, Cap. 8. 13, 14, 15. ubi Propheta ait: *Sanctificate Dominum exercituum; ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter ſit. Et erit vobis in ſanctificationem: in lapidem autem offenſionis, & in Petram ſcandali duabus domibus Iſraëlis, in laqueum & in ruinam habitantibus Hieroſolymæ. Et offendent ex iis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* E quibus verbis liquet, Deum per Meſſiam futurum quidem eſſe ſanctificationem populo ſuo, ſed plurimos tamen eo offenſum iri, & caſuros ſua propria culpa & propter ſuam inobedientiam. Ut id declarat Petrus, cum ſcribit: *Quapropter continetur in Scriptura: Ecce pono in Sione lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum; & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor eſt credentibus; inobedientibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offenduntur verbo, inobedientibus, in quod & poſiti ſunt*, 1 Petr. 2. verſ. 6, 7, 8. Vide etiam Rom. 9. 32, 33. Hoc idem eſt, quod Chriſtus quoque apud Euangeliſtam Johannem dicit, ſe veniſſe, *ut qui vident cæci fiant*, Johan. 9. 39. id eſt, ut ii quibus lux illuxit, & tamen magis opera tenebrarum adamarunt, reipſa prodant atque oſtendant, ſe eſſe noctuas, quæ lucem fugiunt; id quod antea de illis non adeo notum erat. Cum enim cœleſtis doctrina clariſſime & tanta cum inſignium miraculorum vi effulſiſſet in orbe, ita tamen ut multa incommoda & adverſa carni ſecum traheret; tum detracta eſt iſtis hominibus larva ſanctitatis, ſub qua hactenus deliteſcebant. Nihil enim habebant, quod prætenderent, cur doctrinam Chriſti recipere nollent, quam carnis voluptates, quæ una cum hac cœleſti doctrina conſiſtere non poterant. Itaque hac ratione *Euangelium iis qui pereunt*, id eſt, qui ſui ipſorum interitus ac perditionis cauſa ſunt, *eſt odor mortis ad mortem*, 2 Cor. 2. 15, 16. Talium igitur larvatorum ſanctulorum detectio hic à Simeone *caſus* vel *ruina* vocatur, quia antea ſtabant, id eſt, pro ſanctis habebantur. Similis oppoſitio eſt apud Paulum, 1 Cor. 10. 12. *Qui videtur ſibi ſtare, videat, ne cadat.*

Et reſurrectionem.] Eorum ſcilicet, *qui ſervantur*; ut loquitur Paulus modo citato loco, 2 Cor. 2. 15. vel, ut Chriſtus, Johan. 9. 39. *ut qui non vident, videant:* id eſt, ut iis qui in ignorantia rerum divinarum, ac viæ vitæ demerſi fuerunt, impedimenta è via removeantur, quo veritatem ſponte ac libere queant amplecti. De iſtis dicitur, quod reſurgant, quia quaſi in cœno ignorantiæ hucuſque jacuerunt. Interpretum quidam ruinam hanc & reſurrectionem de æterno interitu damnationis, & de reſurrectione ad vitam æternam intelligunt; quod utrumque illud, quod præceſſit, neceſſario ſequitur. Nam qui eo modo, quo explicatum eſt, cadunt, eorum veſtigia ſequitur æternus interitus: qui vero ſuperius dicto modo reſurgunt, illi etiam ad vitam æternam reſurgent.

Et in ſignum, cui contradicatur.] Chriſtus ſigno vel ſcopo confertur, ad quem jaculatores collimant. Simili modo dicitur, Lament. 3. 12, *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ſagittæ ſuæ.* Ut ita ſenſus ſit, Chriſtum eſſe velut ſignum ac ſcopum poſitum, ad quem plerique è populo Judaico tela non ſolum linguarum, ſed & manuum ſuarum direxerunt & jaculati ſunt. Non enim ſufficiebat eis, quod ipſum verbis blaſphemarint ac lacerarint, ſed etiam eum in crucem egerint. Pulchreque his verbis mors Chriſti depingitur. Quemadmodum enim ſignum à jaculantibus perforatur & transfigitur, ita etiam Chriſtus in ſua paſſione ſpinis, clavis, lancea transfixus ac perforatus eſt. Quod enim Simeon ad mortem Chriſti reſpiciat, indicant clare ſatis ſequentia verba. Verba *cui contradicatur* non ſpectant Chriſtum, ſed deſcriptionem ſigni: quod ſcilicet Chriſtus ſit tale ſignum, ſuper quo ſagittariorum vel jaculatorum alii aliis contradicunt, & jurgantur de eo, quinam ſcopum tetigerit, vel propius telum miſerit. Eoque ſignificatur, Chriſtum non tantum ſimplex ſignum eſſe, quod nemo ferire laborat, ſed tale ſignum, ad quod Judæi magno numero tela ſua dirigant & emittant, imo daturos operam, ut alius alium blaſphemando & probra ingerendo vincat.

Verſ. 35. *Et tuam vero ipſius animam trajiciet gladius; ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.*] Videtur hoc fuiſſe Proverbium apud Judæos, denotaturque eo, magnus animi dolor ac triſtitia, non ſecus atque ſi cor gladio tranſfigeretur. Mens ergo Simeonis eſt: Non tantum iſte filius tuus in ſignum ac ſcopum poſitus eſt, qui ſpiculis dolorum & afflictionum transverberabitur; ſed etiam tuus proprius animus inenarrabili mœrore afficietur. Hoc autem Matri inprimis tum evenit, cum filium ſuum cruci ignominioſiſſime affixum viderat.

Ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.] Verba hæc cum verbis præcedentis verſiculi cohærent: nempe, Chriſtus eſt poſitus in ruinam & reſurrectionem, & in ſignum &c. ut detegantur ex multis cordibus cogitationes; uti ſupra explicatum eſt. Habuit autem contemptus ſtatus & mors Chriſti hanc vim, ut patefaceret, quomodo quiſque animatus fuerit, & quam in fide profecerit. Si Regio ſplendore ornatus veniſſet Chriſtus, & terrenam felicitatem hominibus ſecum attuliſſet, nemo non credidiſſet in eum. At quia tam vili habitu & egeno in medium proceſſit, & à principibus populi adeo contemptus irriſus & tandem in crucem ſublatus eſt; ideo pauci admodum eum ſecuti ſunt, alii ab eo rurſus deſciverunt, plerique autem eum odio habuerunt ac perſecuti ſunt, pro eo atque in animo quiſque ſuo affectus erat, quod tunc temporis maxime patuit.

PARS VIII.

Verſ. 36. *ET erat Anna Prophetiſſa, filia Phanuëlis, ex tribu Aſeris, provecta in multam ætatem, poſtquam vixiſſet cum viro annos ſeptem à virginitate ſua.*] Refert Lucas aliud adhuc teſtimonium de ſumma hujus infantis præſtantia. Quod teſtimonium ut tanto majoris æſtimetur, deſcribit ſingulari cum cura hanc fœminam, quæ teſtimonium hoc edidit, eamque de meliori nota commendat. Anna ſignificat gratioſam.

Prophetiſſa.] Non talis, qualis olim Debora fuit, Jud. 4. 4. Ordinarium enim munus Prophetarum & Prophetiſſarum jam tunc temporis deſierat: ſed vox iſta hoc loco in latiori ſumitur ſignificatu, eoque nomine aliquando etiam illæ inſigniebantur fœminæ, quæ certis temporibus Spiritu Sancto afflatæ, de rebus quibuſdam prophetabant. Quod ergo Anna quoque hoc Prophetiſſæ nomen gellerit, ex eo apparet eam ſæpius antea etiam prophetaſſe.

A virginitate ſua.] Hoc vult dicere, eam nonniſi uni viro nuptam fuiſſe, cui, cum eſſet virgo, matrimonio juncta fuerit, & ſeptem tantum annis cum eo transegiſſe, reliquo tempore uſque ad ſenectutem permanſiſſe viduam. Mulieres, quæ ad ſecundas nuptias non tranſibant, apud omnes populos in honore ac pretio habebantur. Primi Chriſtiani etſi nullum interdictum ſecundi matrimonii in Sacris Literis invenirent, nihilominus ad hujus continentiæ laudem tam viri quam fœminæ aſpirarunt. Ut inter alios teſtatur Tertullianus in libris de Caſtitate.

Verſ. 37. *Et cum eſſet vidua quaſi annorum octoginta quatuor, non abſcedebat à Templo, jejuniis ac deprecationibus ſerviens nocte ac die.*] Indicat eam in ſtatu viduitatis vixiſſe circiter 84 annos. Si igitur, 13 annos nata nupſerat viro, & 7 annos in conjugio cum eo conſumſerat, ſequetur ætatem ejus prope 104 annorum tunc fuiſſe. Quod cum multis minus credibile videatur, Lucam ſic interpretantur, quod dicat, eam viduam fuiſſe ſeu in viduitate vixiſſe uſque ad 84 ætatis ſuæ annum. Pertinet autem deſcriptio ætatis ejus tam provectæ ad majorem huic teſtimonio auctoritatem conciliandam.

Non abſcedebat à Templo.] Id eſt, maximam temporis partem in Templo conſumebat. Uſitata hyperbole.

Jejuniis & deprecationibus ſerviens.] Preces & jejunia ut plurimum conjunguntur: ut ad Matth. 17. verſ. 21 monuimus. Ante illam Templi partem, quæ ſanctum dicebatur, & in qua Sacerdotes peragebant ſua munia, erat locus, ubi ſtabat populus, & Deum colebat.

Fœminarum, quæ ante Tabernaculum Fœderis conveniebant ad Deum colendum, fit mentio Exod. cap. 38. 8. & 1 Sam. 2. 22. Earum autem cultus ac religio potiſſimum in orando & jejunando conſiſtebat, ac fortaſſis etiam de cætero in præſtandis nonnullis miniſteriis, quæ à mulieribus circa Templum peragi poterant. Ejuſmodi autem mulieres non manebant aſſiduo in Templo; nam etiam negotia domeſtica id non permittebant. Quæ enim virum habet, ſit licet pia maxime, ac religioſa, curam tamen oportet ut agat eorum, quæ mundi ſunt, ut viro ſuo placeat: ut loquitur Apoſtolus, 1 Cor. 7. 34. Viduæ autem, ab hac cura liberæ, diutius & ſæpius poterant vacare ſacris, adeoque à Templo non abſcedere, id eſt, vix alibi eſſe quam in Templo, dieſque & noctes jejuniis ac orationibus impendere. Chriſtiana Eccleſia, ut multa alia laudabilia à Judæis mutuata

tuata eſt, ita hoc quoque retinuit. Nam ubi Paulus de viduis loquitur, ferme iiſdem utitur verbis, quæ hic Lucas uſurpat de Anna: *Quæ vere vidua eſt, ac ſola relicta, ſperat in Deo, & perdurat in deprecationibus & orationibus nocte & die*, 1 Tim. 5. 5. Ex harum viduarum numero deligebantur non tantum *Diaconiſſæ*, quæ pauperum ac ægrarum fœminarum curam agebant: ſed etiam *Preſbytides*, quarum officium erat inter fœminas, ut Preſbyterorum inter viros, vitæ morumque inſpectionem gerere. Harum meminit Paulus Tit. 2. 3. Vide ibidem plura.

Nocte ac die.] Præter id tempus, quod negotia ad vitæ ſuſtentationem ac refectionem corporis ſpectantia ſibi vendicabant.

Verſ. 38. *Et hæc ea ipſa hora ſuperveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui redemptionem expectabant Hieroſolymis.*] *Hæc* inquit tam ſancta & inſignis fœmina, cujus teſtimonium merito magni faciendum eſt.

Superveniens.] Acta ſcilicet ac impulſa Spiritu Sancto, ut Simeon verſ. 27.

Ea ipſa hora.] Cum Simeon infantem geſtaret in ulnis, ac vaticinaretur. Deus ita rem ordinavit, ut illa teſtimonium Simeonis ſuo teſtimonio confirmaret.

Confitebatur Domino.] Id eſt, laudabat Dominum, eique gratias agebat pro tanta ſalute, qua beavit populum ſuum. In Græco eſt, ἀνθομολογεῖτο τῷ κυρίῳ *viciſſim confitebatur Domino*, locutione Hebraica, ut Matth. 11. 25. Particula vero ἀντὶ, *viciſſim* nullam habet in hoc verbo compoſito peculiarem vim, nec amplius ſignificat quam verbum ſimplex confitendi: ut exempla apud 70 Interpretes, Pſal. 79. 13. Eſd. 3. 11 demonſtrant. Per vocem autem *Domini* nemo alius intelligitur, quam unus Deus Iſraëlis, quem etiam Simeon laudavit, verſ. 29.

Et loquebatur de illo.] Nempe de Jeſu. Non enim veriſimile eſt, voculam *illo* ad Dominum referendam eſſe, quaſi Anna de Domino locuta fuiſſet. Sed de hoc infante prophetavit, ſiquidem Prophetiſſa erat. Prophetavit autem, hunc infantem eſſe promiſſum illum Meſſiam, qui populum ex ipſius afflictione liberaturus ſit.

Omnibus qui expectabant redemtionem Hieroſolymis]. Verba hæc videntur eſſe tranſpoſita (ut & ſupra verba verſ. 32.) & ſic eſſe ordinanda: Loquebatur de illo omnibus, Hieroſolymis, qui expectabant redemtionem. Hoc modo leguntur in multis Græcis exemplaribus, & in verſione Syriaca, & apud Irenæum. Additurque ideo vox *Hieroſolymis*, ut indicetur, eam non aliis hominibus locutam fuiſſe, quam iis, qui erant Hieroſolymis, quippe cum à Templo non recederet. Per eos vero, qui expectabant redemtionem, intelliguntur homines pii, quos afficiebat miſeria populi, quique divinas promiſſiones de liberatione creberrime animo recolebant, & veris ſuſpiriis eas expetebant. Cum talibus Anna proculdubio habebat commercium. Reliquum autem promiſcuum ac profanum vulgus, & ii quos larga omnium rerum copia ſecundum carnem circumfluebat, minimum de jactura Iſraëlis erant ſolliciti.

PARS IX.

Verſ. 39. *Et ut perfecerunt omnia, ſecundum Legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in urbem ſuam Nazaretam.*] In Galilæam, ubi Chriſtus poſt reditum ſuum ex Ægypto educatus eſt. Diciturque Nazareta urbs eorum, quia illic habitarunt, Matth. 2. 23. De vita & rebus geſtis Chriſti in juventute uſque ad trigeſimum ætatis annum neque Lucas, neque alii Euangeliſtæ quicquam ſcripſerunt, præter paucula illa, quæ Lucas infra, verſ. 42 ad finem Capitis habet. Reliqua omnia ſummatim quaſi complexus eſt Lucas verbis ſequentis mox verſiculi, quæ etiam infra verſ. 52. paucis immutatis repetuntur.

Verſ. 40. *Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturque ſapientia: & Dei gratia erat ſuper eum.*] Verba illa priora etiam de Johanne Lucas uſurpavit Cap. 1. 80. Et utrobique idem eſt eorum ſenſus, niſi quod de Chriſto præſtantiori & perfectiori modo, quam de Johanne intelligenda ſint.

Implebaturque ſapientia.] Conſpiciebatur in eo non vulgaris, ſed eximia quædam ac ſingularis ſapientia; non tamen ſimul & ſemel, ſed pro ratione & incremento ætatis magis magiſque. Hoc enim eſt, quod Lucas infra dicit verſ. 52, *Jeſus proficiebat ſapientia.*

Et Dei gratia erat ſuper eo.] Perinde ſupra de Johanne dictum eſt; *& manus Domini erat cum eo*, Cap. 1. 66. Itaque per gratiam Dei hic intelligitur, peculiaris cura atque cuſtodia divina, nec non donorum Dei communicatio.

NB. Quandoquidem videtur Lucæ cum Matthæo in deſcribenda hiſtoria conceptionis ac nativitatis Chriſti, & rerum quæ porro uſque ad reditum ejus ex Ægypto Nazaretam contigerunt, non ſatis convenire; Matthæus quoque nonnullas res geſtas ſilentio præterit, quas deſcribit Lucas, & viciſſim Lucas aliquas omittit, quæ leguntur apud Matthæum: haud abs re erit, ut juxta utriuſque Euangeliſtæ narrationem omnia acta huc pertinentia, eo ordine, quo illa geſta eſſe cenſemus, hic proponamus. Herode Rege adhuc ſuperſtite, Joſephus Mariæ vir, Bethlehemita, vel in ipſa civitate Bethlehem, vel in vicinia ejus habitabat. Huic deſponſata eſt Virgo Maria, quæ Nazaretæ in Galilæa ſive apud ſuos parentes, ſive apud cognatos ſuos erat. Fierique poteſt, ut deſponſatio iſta facta ſit illa inſcia. Joſephus eam non illico ex Galilæa in Judæam domum duxit. Interea accidit in Martio anni Juliani 40, ut Gabriël Angelus à Deo Nazaretam ad Mariam mitteretur, eique conceptionem annunciaret, Luc. 1. 26. Maria ut concepit, abiit Nazareta in regionem montanam Judææ ad Eliſabetham cognatam ſuam, de qua ei dixerat Angelus, quod jam ſextus eſſet menſis, ut conceperit: apud quam per tres menſes circiter commorata eſt, Luc. 1. 39, 56. Sine dubio ſperavit eam in Junio parituram. Exacto trium menſium ſpatio Maria reverſa eſt domum Nazaretam. Interim uterus ſanctiſſimæ Virginis divino pondere adeo crevit, ut gravidam eſſe facile poſſet agnoſci. Tandem ve-

nit Joſephus Bethlehemo Nazaretam Sponſam ſuam Mariam domum ducturus; quam ut gravidam eſſe animadvertit, ſtatuit eam dimittere, & tacitus domum reverti. Ubi autem ab Angelo edoctus eſt, quomodo ſe res haberet, ſcrupuluſque ipſi de uxori oblato vitio exemtus eſt, mutavit conſilium ſuum, & Mariam uxorem ſuam ad ſe recepit, Matth. 1. verſ. 18, 19, 20. Poſtea quia erat tempus Autumni abſque dubio menſem unum atque alterum adhuc apud ſuæ uxoris parentes vel conſanguineos permanſit Nazaretæ. Poteſtque fieri, ut decreverit, plane ibi ſedem figere. Sed quia edictum Auguſti Cæſaris de deſcriptione promulgatum eſt, coactus eſt ire Bethlehemum, ut ibi deſcriberetur; quandoquidem ex domo Davidis erat, & præterea vel Bethlehemi, vel prope habitabat. Cum ibi eſſet in menſe Decembri, peperit Maria Jeſum, ibidemque per 30 dies impuritatis ejus manſit. Paulo ante horum dierum finem venerunt Magi ab Oriente Bethlehemum: qui etiam paucis poſt diebus una cum Joſepho & Maria Bethlehemo diſceſſerunt. Magi quidem in Patriam ſuam verſus Orientem, Joſephus autem cum Maria verſus Hieroſolymam, ad ſiſtendum infantem Domino. Hieroſolymis Joſephus noctu accipit mandatum fugiendi in Ægyptum. Credibile autem eſt, Joſephum & Mariam Hieroſolymis iter ſuum inſtituiſſe per Nazaretam, quo cum parentibus vel cognatis ſuis de hoc itinere ac fuga admodum incommoda cum tenera prole capeſſenda colloquerentur, & omnis generis neceſſaria ad tam longinquum ac moleſtum iter aſſumerent. Inde fortaſſis Ptolemaidem profecti ſunt, & nave vecti ſunt Ægyptum. Quod iter maritimum longe ipſis fuit commodius, quam terreſtre, per aſperos, petroſos, & à latronibus intutos montes Idumææ. De iſto igitur tranſitu per Nazaretam in Ægyptum, aut (ſi quis malit) de ipſorum habitatione Nazaretæ poſt reditum ex Ægypto, Matth. 2. 23. intelligenda ſunt verba, Luc. 2. 39. quod in Galilæam in urbem ſuam Nazaretam redierint. Cum Joſephus annum exegiſſet in Ægypto, & mortuus eſſet Herodes, cui in regno ſucceſſit filius ejus Archelaus; mandatum eſt Joſepho per Angelum, ut ex Ægypto in Judæam remigraret: ſiquidem jam mortui ſint, qui vitæ infantis inſidiabantur. Nimirum Herodes, & filius ejus Antipater, qui ut certior eſſet de ſucceſſione in regnum poſt obitum Patris, auctor & incentor fuit Patri, ut duos filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum, & recenter tam multos innocentes pueros in ditione Bethlehemitica interfici curaret. Valde enim veriſimile eſt, etiam hoc infanticidium procuraſſe aliquatenus Antipatrum. Sed Joſephus rediens ex Ægypto metuit habitare in Judæa. Cauſa metus fuit, quod tunc temporis poſt Herodem confuſus admodum & tumultuoſus ſtatus in Judæa fuerit, Archelauſque etiam Patrem ſuum immanitate ac tyrannide ſuperaret. Vide dicta ad Matth. 2. 22. Idcirco Joſephus conſultum haud duxit, ſedem ponere in Archelai ditione, inprimis autem in Bethlehemitica terra, quæ tot innocentium puerorum ſanguine fuit polluta, ne infans Jeſus, ubi ejus ex Ægypto reditus innotuiſſet, facile etiam in periculum aliquod conjiceretur. Quapropter Dei juſſu Nazaretam in Galilæam ſe contulit habitatum, quæ non Archelai, ſed Herodis Tetrarchæ ſubjecta erat imperio. Ubi etiam paucis notare juvat, quod cum poſtea in anno Juliano 51. Cyrenius, Præſes Syriæ, deſcriptionem illam ac cenſum, in Judæa perageret, (quo tempore etiam ſimul bona & pecuniam Archelai in fiſcum redegit) deſcriptio iſta tantum in illa parte ac regione Judææ, quæ Archelai ſuberat imperio, non autem in Galilæa, quæ Herodi Tetrarchæ ſubjecta erat, inſtituta fuerit. Ita ut Joſephus & infans Jeſus in acta iſtius deſcriptionis non ſit relatus.

PARS X.

Verſ. 41. *Ibant parentes ejus quotannis Hieroſolymam in feſto Paſchæ.*] Lex præcipiebat, ut quicquid eſt virilis ſexus, ter coram Domino compareret, in loco, qui cultui divino erat deſtinatus; qui locus tunc erat Hieroſolyma: nempe feſto paſchæ, Quinquageſimæ, & Tabernaculorum, Exod. 23. 14, 15, 16, 17. xxxiv. 23. Deut. 16. 16. Dubiumque eſt nullum, quin Joſephus etſi in Galilæa & longe ab Hieroſolyma habitaret, huic præcepto ſatisfecerit, ac ter ſingulis annis Hieroſolymam profectus fuerit. Maria autem hac lege, in qua tantum virorum facta eſt mentio, non obſtringebatur: nihilominus tamen illa propriæ pietatis impulſu, ſemel ſaltem in anno virum ſuum comitata eſt, exemplo aliarum piarum fœminarum, 1 Sam. 1. verſ. 4, 7. idque feſto Paſchæ, quod erat præcipuum. Cauſa autem, cur Deus præceperit Iſraëlitico populo tam ſæpe convenire, ac congregari, fuit, ut partim cultus Dei tanto majori cum auctoritate & ſolennitate perageretur, partim unitas in populo tanto melius conſervaretur. Id quod Jeroboamus probe intellexit, & propterea generales conventus ad cultum Dei alibi fieri inſtituit, 1 Reg. 12. 26, 27, 28.

Verſ. 42. *Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum morem illius feſti.*] Imperfecta hic eſt oratio; itaque ſubaudiendum eſt in fine verſiculi hujus: *Jeſus quoque ſimul aſcendit.* Supra indicata Lex in Exodo & Deuteronomio omnes quidem mares obligabat: verum cum tenera infantium ætas res iſtas, ob quas feſta inſtituta erant, non intelligat, ipſa ratio & naturalis æquitas dictabat, ita interpretandam eſſe Legem, ut infantes ab iſta obligatione exciperentur. In feſto Paſchatis mandatum erat, ut Patres liberis ſuis hiſtoriam de rebus in Ægypto factis narrarent: nempe ubi illi interrogarent, quid ſibi iſte ritus velit, id eſt, ubi aliquem rationis uſum habere cæperint. Quod tempus cum in Lege definitum non ſit, videtur id arbitrio ſapientum fuiſſe relictum; hi igitur duodecimum annum determinarunt. Quod autem transgreſſiones attinet, pueri tredecim annorum jam erant ad Legis obſervantiam obligati, & ſi eam transgrederentur, pœnæ erant obnoxii. Ideo ejus ætatis pueri apud Judæos *filii præcepti* vocitantur. Hinc ergo intelligitur, puerulum Jeſum ante duodecimum ætatis ſuæ annum Hieroſolymam non frequentaſſe: contra, quam ſentiunt quidam, eum quotannis eo itaſſe.

Verſ. 43. *Et*

Vers. 43. *Et consummatis illis diebus, cum redirent, remansit puer Jesus Hierosolymis: & hoc nescivit Joseph us, & Mater ejus.*] Cum exacti essent septem dies azymorum, & unus dies Parasceves ac mactationis agni, Exod. 23. 6, 7. Deut. 16. 8.

Remansit puer Jesus Hierosolymis.] Non casu, aut errore, sed deliberato consilio. Nihil autem hac in re egit, contrarium debitæ parentibus observantiæ; sed voluit edere libertatis suæ ac immunitatis ab obedientia, quæ debetur parentibus, specimen, in iis rebus, quæ erant Dei: uti ipse infra vers. 49 indicat. Potius parentes incuriæ ac negligentiæ quodammodo erant accusandi, quod non melius advertererint animum & oculos in talem filium. Sed Euangelista eos mox excusat.

Vers. 44. *Existimantes autem, eum esse in comitatu, confecerunt viam unius diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.*] Excusat his verbis Lucas parentes: nempe maxima populi frequentia erat ex Galilæa, quæ una turmatim iter faciebat, & credibile est, ex una civitate incolas junctim fuisse profectos. Ita facile poterant parentes cogitare, eum inter cognatos & amicos Nazaretanos hærere, sperantes, eum vesperi ad cœnam in diversorio compariturum.

Confecerunt viam unius diei.] Manserunt in hac cogitatione ac persuasione usque ad vesperam, cum jam primi diei iter confecissent.

Vers. 45. *Et cum eum non invenissent, reversi sunt Hierosolymam quærentes eum.*

Vers. 46. *Et factum est post dies tres, invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, & audientem eos, & interrogantem eos.*] Post tres dies, id est, tertio die, per Hebraismum, ut Matth. 27. 63. Marc. 8. 3. Nimirum diem unum emensi erant Hierosolymis, antequam filiolum abesse animadvertissent: altero die regressi sunt Hierosolymam; tertio die, cum eum diu frustra quæsiissent, tandem veniunt in Templum, & ibi eum inveniunt.

In Templo.] Videtur hic porticus intelligenda esse, ubi colloquia de rebus divinis habebantur: ut Johan. 10. 23 legitur, Jesum in porticu Salomonis cum Judæis contulisse sermonem.

Sedentem in medio Doctorum.] Id est, inter Doctores. Hebraismus est. Non quod sederit eodem in loco, ubi sedebant Doctores, qui in loco editiori sedebant in cathedris; sed sedit inter discipulos, qui loco inferiori & quasi ad pedes Magistrorum sedebant. Hinc ait Paulus, quod educatus fuerit ad pedes Gamalielis, Actor 22. 3.

Et audientem eos & interrogantem eos.] Audiebat eos loquentes ac differentes de rebus divinis, suisque interrogationibus dabat eis occasionem plura de rebus utilibus dicendi. Sustinebat quidem hic personam discipuli, non Doctoris, ita tamen, ut quæstionibus suis viros doctos & in Lege peritos in multis erudiret.

Vers. 47. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super intelligentia & responsis ejus.*] Alioqui interrogatio est signum ignorantiæ. Sed potest quis etiam quærendo suum ingenium ac sapientiam ostendere: si nimirum de rebus gravissimis ac difficillimis interroget, de quibus alii, quamvis sibi sapere videantur, ne cogitarunt quidem, vel etiam ad interrogata respondere nequeunt. Cum ergo Christus de ejusmodi rebus quæstiones proponeret, absque dubio ex Lege ac Prophetis, & simul etiam (ut ex hoc loco liquet) ad Doctorum quæsita sapientissime responderet, merito id homines in stuporem dedit. Ita Christus statim in primo ætatis flore documentum dedit, quid de virili ætate sua sperandum esset.

Vers. 48. *Et videntes eum, attoniti fuerunt: & dixit ad eum Mater ipsius, Fili, cur fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego anxii quærebamus te.*] Videntes eum, subintellige, parentes ejus.

Attoniti fuerunt.] Nempe quod eum in hoc loco & circa talia occupatum invenirent, quod nunquam speraſſent.

Et dixit ad eum Mater ipsius.] Videtur Maria plus juris sibi arrogasse, quam Josephus, quia erat vera Mater ejus. Probabile est, eam non publice coram aliis, sed abductum ac avocatum à cæteris solum allocutam esse.

Cur fecisti nobis sic?] Mansuetudo mista nihilominus fuit cum severitate. Redarguit autem cum, non ideo, quod inter Doctores sederet, & cum eis disputaret; sed quod absque suo scitu remanserit, seque adeo in summum mærorem & anxietatem, quam ipsius causa ceperant, conjecerit: qua molestia parentes suos afficere non debuisset.

Ecce Pater tuus & ego anxii quærebamus te.] Non solum suum, sed & viri sui mærorem allegat, ut tanto magis ejus culpam exaggeret. Honorat virum suum, dum eum priori loco nominat quam se, & dum eum ipsius Patrem vocat; utrumque ideo, ut indicaret, debuisse filium quoque Patri suo hunc exhibere honorem, ne ipso inscio remaneret. Non est mirum, tanto dolore Matrem affectam fuisse. Amor parentum erga liberos plenus est, solicitudinis ac curarum de liberis, si quid eis adversi eveniat, præsertim de iis qui magnæ spei sunt, & in omnibus morigeri. Auxit autem id amorem erga hunc filiolum, ac porro etiam mærorem, in parentibus, cum considerarent, quam ingens pignus eis à Deo concreditum esset. Ex hoc loco perspicitur, Mariam filium suum non ita pro Dei Filio habuisse, ut crederet eum simul ipsum Deum altissimum esse. Non enim timuisset, ne periret, vel in aliquod discrimen incideret. Quanquam etiam ea, quæ jam de isto puerulo perceperat, tanta erant, ut hunc metum ei potuissent eximere. Sed tener amor maternus animum ejus obnubilavit, ut de iis non cogitaret.

Vers. 49. *Tunc ait ad illos: Quid est, quod quærebatis me? an nesciebatis oportere me in iis esse, quæ Patris mei sunt?*] Videtur reprehensioni Matris, aliam reprehensionem, & quidem justiorem opponere. Indicat enim, eos non habuisse satis causæ, ut tanta cum solicitudine & anxietate se quærerent. Quæsiverant enim eum primo inter cognatos ac notos; postea apud varios homines per totam urbem Hierosolymis: sed utrumque sine causa. Debuissent illi scire locum, ubi versaretur, imo ubi eum versari oporteret. Etenim per verba, *quæ sunt Patris mei*, intelligit Templum, quod erat domus Dei. Hinc in Syriaca versione ita hæc verba leguntur: *me oportere*

esse

esse in domo Patris mei. Hoc proinde sibi vult Christus: Nihil opus erat tantis ambagibus, & tanto labore, quo usi estis in me quærendo, sed debuissetis me in domo Patris mei quærere. Hic est locus, ubi me oportet esse, & non inter cognatos ac notos. Non excludit autem hisce negotia Patris sui, quæ in Templo ipsi erant peragenda. Itaque Christus hic Josepho, quem ipsi Maria tanquam Patrem suum, quem non debuerat contristare, objecerat, opponit Deum, verum ac proprium Patrem suum: Docet nos proinde hoc loco, cujus ipse sit vere filius nimirum non Josephi, sed Dei altissimi. Quod contra illos veteris Ecclesiæ hæreticos notandum est, qui crediderunt, Christum ex concubitu Josephi cum Maria fuisse natum. Hic quoque observandum est, Christum, quoties se Mater ejus ingerebat in res, quæ erant ipsius officii, toties talibus adversus eam usum esse verbis, quæ Paulo durius sonare videntur. Vide exempla, Johan. 2. 4. Matth. 12. 48, 49. Si igitur Christus, cum adhuc in terris versaretur, imo cum nondum ex ephebis excessisset, auctoritatem Matris suæ postponebat iis rebus, quæ ad munus ac officium suum spectabant, neque sibi ab ea quicquam imperari passus est; quanto minus nunc, cum sedet ad dexteram Dei, dominio ac potestati ejus (ut Pontificii docent) erit subjectus?

Vers. 50. *Et ipsi non intellexerunt verba, quæ ipsis fuerat locutus.* Id est, vim istorum verborum, & mysterium rerum in eis latentium non perceperunt. Quod merito mirari possis, postquam talia vaticinia ab Angelo, à Pastoribus, à Magis, à Simeone & Anna audiverant. Verum intellectus hominum illius temporis non ex hac luce, quæ nobis post effusionem Spiritus Sancti refulsit, æstimandus est: cum illi è caligine Veteris Testamenti primum prodirent, & nonnihil quidem de præstantia muneris Christi suspicarentur ac divinarent, sed tam perfecte quam nos intelligere eam aut animo concipere nequirent. Qua in re nos summam felicitatem nostram agnoscere debemus, quæ etiam illorum felicitatem superat, quos Christus, cum in carne esset, coram discipulis suis beatos prædicavit, Matth. 13. 16, 17.

Vers. 51. *Et descendit cum eis, & venit Nazaretam, & erat eis subjectus. Et Mater ejus conservabat verba hæc omnia in corde suo.*] Hoc de subjectione Christi Lucas consulto addit, ne quis cogitaret, Christum ita divinis rebus vacasse, ut nullam præstiterit parentibus obedientiam. Neque etiam est verisimile, eos tale quid ipsi imperasse, quod eum in rebus divinis impedire posset.

Et Mater ejus conservabat verba hæc omnia in corde suo.] Idem Lucas de ipsa scripsit etiam supra ℣. 19. Ex quo ejus pietas & prudentia intelligitur, quod quæ non satis percipiebat, tamen memoriæ suæ infigeret, imo (ut de eadem dicitur) conferret ea inter se ac ponderaret, adeoque nihil vulgare de filio suo sentiret.

Vers. 52. *Jesus vero proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*] Quomodo sapientia profecerit vers. 40. explicatum est.

Ætate.] Gr. ἡλικίᾳ: quæ vox etsi ætatem vulgo significet, tamen hic potius vertenda est *statura*: qua significatione etiam sumitur, Matth. 6. 27. Luc. 19. 3.

Et gratia apud Deum & homines.] Vox *gratiæ* hic Paulo alio sensu accipitur, quam supra vers. 40. Vult enim Lucas dicere, eum Deo & hominibus placuisse. Eadem prorsus verba de Samuële adhuc puero dicta sunt 1 Sam. 2. 26. *Et erat gratus apud Deum & apud homines.* Ex quo loco videtur Lucas hæc sua verba sumsisse. Samuël enim in pluribus fuit figura Christi.

Hic animadvertendum est, ex eo, quod Jesus profecerit, valide concludi posse, eum non esse ipsum Deum summum: quippe cum is neque in his rebus, quæ hic enumerantur, neque in ulla alia re proficere possit. Neque etiam dici potest, Jesum tantum secundum humanam naturam profeciisse. Quomodo enim etiam tantum secundum humanam naturam in sapientia & gratia apud Deum proficere potuit, si, ut creditur, natura divina statim ab ipsa conceptione cum humana in unam personam coaluerat? præsertim si in ista naturarum conjunctione omnes divinæ naturæ proprietates (ut quidam statuunt) humanæ naturæ sunt communicatæ? Hanc absurditatem cum nonnulli perspiciant, eo confugiunt, ut dicant, Christum non vere profeciisse, sed tantum hominibus proficere visum esse. Verum hac ratione omnia quæ Euangelistæ de Christo referunt, possent in meram tantum apparentiam & præstigias converti, quod scilicet non vere ita gesta sint, ut describuntur, sed quod tantum hominibus ita geri visum sit. Quomodo etiam dici potest, Christum in speciem tantum, & non vere statura profeciisse? Quare potius Lucæ credendum est, quod Jesus vere profecerit, primum quidem in sapientia, quæ etsi in eo major quam pro illa ætate fuerit, tamen per assiduam Sacrarum Literarum lectionem & meditationem, nec non per crebra cum viris divinarum rerum peritis colloquia, inprimis autem per divinam inspirationem, indies augebatur. Si enim ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam, Hebr. 5. 8; cur non possit dici, eum etiam in sapientia plura subinde didiciisse, adeoque in ea incrementum sumsisse. Deinde quod in statura profecerit recte à Luca additur: ex eo enim apparet, id vere & non per apparentiam tantum factum esse. Tandem dicitur etiam in gratia apud Deum & homines profeciisse. Hæc enim consequitur virtutem, tanquam certum ejus præmium, apud homines quidem plerumque, apud Deum vero semper.

I. APPENDIX.

Vers. 1.

De vero Anno, quo Christus natus est.

I. COnsentiens est hodie omnium ferme Chronologorum sententia, æram nativitatis Christi hodiernam esse erroneam, id est, Christum ante natum esse, quam usitata hodie inter Christianos annorum Christi supputatio monstrat. Quam multum autem in ea erratum sit, diversæ sunt sententiæ. Aliqui sentiunt, Christum uno anno citius fuisse natum,

natum, ut ita pro anno Christi 1661. numerandus sit annus 1662. Cui sententiæ addictus fuisse videtur inter veteres Epiphanius & de recentioribus plurimi. Alii duos annos ponunt; è quibus est inter antiquos Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & inter recentiores Marianus Scotus, Baronius, & alii. Tres annos statuit Sulpitius Severus, cujus sententiæ etiam aliqui è neotericis scriptoribus subscribunt. Quatuor annos Laurentius Suslyga Polonus rationibus tam firmis demonstravit, ut refutari nequeant. Johannes Kepplerus insignis Cæsaris Mathematicus addit etiam quintum annum: ita ut juxta sententiam Keppleri loco anni 1661. scribendus sit annus 1666.

II. Causa hujus erroris est, quod Christiani tarde experint annos à nativitate Christi computare: sed diu usi sint Romanorum & Græcorum computatione, à morte Alexandri Magni, ab institutione ludorum Olympiacorum apud Græcos, à condita urbe Roma, ab Actiaca pugna, ab initio Imperii Cæsaris Diocletiani; ut patet ex antiquis Conciliis. Primus qui annorum à nativitate Christi supputationem invexit, est Dionysius cognomento Exiguus, Abbas Romanus, circa annum Christi 532. quem loco anni 248. Diocletiani reposuit: atque hinc deinceps anni Christi numerati sunt. Quanquam etiam hac in re Chronologi dissentiunt, utrum æra Christi, qua hodie Christiani utuntur, sit eadem illa, qua usus est Dionysius modo dictus. Putant enim quidam, eam uno anno esse minorem, alii uno anno majorem. Sed in eo non multum situm est.

III. Dionysium autem in sua supputatione erasse, non adeo mirum est: quia primum nullum habemus proprium ac speciale signum in scriptis Novi Testamenti de vero anno nativitatis Christi. Matthæus enim simpliciter dicit, Christum natum esse *in diebus Herodis* Cap. 2. 1. Quo anno vero regni ejus natus sit, non memorat. Et Lucas scribit, Christum natum esse in diebus illis, quibus *exiit edictum à Cæsare Augusto, ut totus Orbis terrarum describeretur, & hanc descriptionem fuisse primam factam præside Syriæ Cyrenio*, Cap. 2. 1, 2. Et Cap. 3. 23. inquit, Christum *cœpisse esse quasi triginta annorum*, cum à Johanne baptisaretur. Quod refert ille ad *annum Tiberii Cæsaris quindecimum*, ut liquet vers. 1. Notæ vero istæ temporis sunt adeo generales, possuntque accipi sensu tam lato, ut verus ac proprius annus natalium Christi ex iis colligi nequeat. Deinde appareret, Dionysium non satis accurate excussisse atque evoluisse Judaicam & Romanam historiam, quæ ipsi multum lucis in hoc negotio præbere potuissent.

IV. Ut igitur ordine hac in re procedamus, sciendum est primo, primum Romanorum Imperatorem Julium Cæsarem, anno uno ante suam mortem, Calendarium in alium ordinem, quam antea fuerat, redegisse. Nam annum accommodavit ad cursum solis, quod in Ægypto didicerat, & initium ejus à 1 Januarii fecit. Quo Calendario hodie Christiani utuntur, dicturque Calendarium Julianum. A prima die Januarii igitur, quæ proxime post hanc Calendarii correctionem à Julio Cæsare factam secuta est, incipit primus annus Julianus.

V. Secundo etiam extra omnem dubitationem est, primam diem Januarii, in anno illo, à quo hodierna æra Christi incipit, esse initium anni Juliani 46. id est, natales Christi juxta vulgarem æram ac supputationem nostram incidunt in annum Julianum 46. Hac in re consonant Chronologi omnes, nec ulla super eo lis est.

VI. Nunc tria nobis disquirenda sunt. 1. In quem annum Julianum cadat mors Herodis, cujus ætate Christus natus est, Matth. 2. 1. 2. In quem annum incidat Descriptio illa Orbis terrarum à Cæsare Augusto mandata, sub qua Christus Bethlehemi natus est. 3. In quem annum Julianum cadat annus 15 Tiberii Cæsaris, quo Christus fuit quasi triginta annorum, ut ait Lucas Cap. 3. 1, 23. Ubi hæc tria rite investigata ac inventa fuerint, via erit parata ad cognoscendum verum annum natalem Christi.

I. *De morte Herodis, quod illa contigerit anno Juliano 42.*

HOc loco cum Laurentio Suslyga & Johanne Kepplero probabimus, mortem Herodis Magni incidisse in 2. aut 3 Aprilis Anni Juliani 42.

1. Primum argumentum est. Celebris illa pugna, in qua Augustus Cæsar victoriam reportavit de Antonio & Cleopatra, sub Actio in Græcia, accidit 3 Aprilis anni 15 Juliani. Jam vero consentiunt Josephus & Romanæ Historiæ scriptor Dio, Archelaum Herodis filium, qui ipsi in regno successerat, relegatum esse Viennam in Galliam anno 37. post pugnam Actiacam, qui annus coincidit cum 51. anno Juliano. Testatur autem Josephus Archelaum regnasse 9. annos, qui si demantur à 51. annis, remanent 42. Unde efficitur, Herodem Anno Juliano 42. mortuum esse. Quod vero Josephus uno loco lib. 17. cap. 15. scribit, Archelaum decimo anno regni sui in exilium esse amandatum; in altero autem lib. 2. de bello cap. 6. dicit, id factum nono anno, facile conciliari potest. Nimirum à morte Patris sui totos 9. annos regnavit. Ab anno Jul. 42. quo Herodes mortuus est, usque ad 51. annum numerantur 9. anni regni ejus, & cum 51. anno cæpit annus decimus. Notandum præterea, apud historicos & apud Josephum quoque, familiare esse, ut partem anni imperfecti pro perfecto anno sumant. Ita hic, ubi Herodes mortuus est 3 Aprilis anni Jul. 42. numerat Josephus reliquum tempus usque ad 1 Januarii primum annum Archelai.

2. Argumentum secundum. Josephus perhibet lib. 14. cap. 26. Herodem Romæ declaratum esse Regem Judæorum eo anno, quo Domitius Calvinus secundo, & Asinius Pollio Consules Romæ essent: (quod incidit in annum Jul. 6. ut testatur Josephus lib. 17. cap. 10.) Herodemque ab eo tempore regnasse annos 37. si igitur annus Jul. 6. est primus annus regni Herodis, sequitur, annum ejusdem 37. esse annum Jul. 42. quo Herodes mortuus est.

3. Tertium argumentum. Porro ait Josephus, lib. 14. cap. 28. Herodem occupasse Hierosolymam, adeoque regni Judaici possessione effectu ipso potitum

tum esse, eo anno, quo Marcus Agrippa & Caninius Gallus Romani Consules fuerunt. Hic vero annus erat Julianus 9. adeoque tertius annus ab ejus declaratione in Regem Judæorum. Hæc vero occupatio Hierosolymæ facta est in festo Paschatis, quod cadit in 16 Julii. Herodes autem mortuus est anno 34. sui regni, intellige ab occupatione Hierosolymæ Jos. lib. 17. cap. 10. Ita si 9 annus Julianus sit primus annus Herodis ab expugnatione Hierosolymæ, sequetur, annum 34 Herodis esse 42 Julianum. Atque hic iterum notandum est, quod, quia declaratio Herodis in Regem Judæorum initio ætatis in anno Jul. 6. facta est, reliqua pars anni illius usque ad 1 Januarii anni Jul. 7. pro primo anno regni ejus, atque ita pro perfecto anno computetur: annusque Julianus 42, à 1 Januarii sit initium anni 37. Similiter reliquum tempus anni Juliani 9 à 16 Julii, qua Herodes Hierosolymam expugnavit, usque ad 1 Januarii anni Jul. 10. pro primo anno possessionis regni ejus habetur, incipitque annus 34. à 1 Januarii anni Juliani 42. Eodem modo computationem instituit ibidem lib. 14. cap. 28. cum narrat, Herodem circa illud ipsum tempus Hierosolyma potitum esse, quo Pompejus ante annos 27 eandem expugnaverat: nempe sub tempus jejunii generalis, quod tunc incidit in 4 Julii. Cum autem lib. 14. cap. 8. eandem expugnationem urbis per Pompejum factam describit, ait, eam contigisse illo anno, quo C. Antonius & M. Tullius Cicero Consulatum gesserunt. Atqui à mense Julio illius anni, quo Pompejus Hierosolymam in potestatem suam redegit, usque ad mensem Julium anni Jul. 9. quo Herodes Hierosolymam occupavit, sunt tantum 26 anni perfecti. Quocirca Josephus computat pro 27 anno illos aliquot menses, quibus modo nominati Consules jam ante regimen suum auspicati sunt. Nimirum illi 26 anni perfecti complectuntur 27 paria Consulum, (singulis enim annis bini Consules eligebantur.) Et hæc ratio computandi, tempora etiam in Sacris Literis inusitata non est. Ita Lucas scribit, Christum circumcisum esse, cum impleti essent octo dies Cap. 2. 21. ubi octavum diem, quo circumcisio facta est, pro integro ac perfecto die sumit.

Insuper quoque notandum, Josephum temporum supputationem in regno Herodis non tam accurate instituisse, quam in Imperio Augusti Cæsaris. Nam de Herode agens, solos annos tantum numerat: de Augusto autem scribens non annos solum, sed menses quoque ac dies annotat. Nimirum intra annum, quo Herodes Rex declaratus est, & annum illum quo Hierosolymam ditionis suæ fecit, duo tantum paria Consulum fuerunt, atque sic annus occupatæ ab eo Hierosolymæ est quartus ab illo anno, quo Rex declaratus est.

Accedit, quod si finis regni Herodis poneretur in anno 43 Jul. ut volunt nonnulli, sequeretur, Archelaum non amplius 8 annis regnasse, Josephumque graviter errasse, cum decem annorum meminit. Ita fieret, ut dum Josephus ab una parte excusatur & à culpa vel errore purgatur, ab altera parte gravius adhuc accusetur.

Amplius observandum est, Josephum dum annos regni Herodis supputat, semper eos ab occupatione Hierosolymæ, & non à prima ejus declaratione in Regem Judæorum computare. Ut lib. 15. cap. 7. Actiacum prælium refert ille in 7 annum Herodis. Actiacum autem prælium contigit anno Jul. 15. Itaque initium regni Herodis concurrit cum 9 anno Jul. Et Cap. 12. meminit famis, quæ anno 13. regni Herodis inciderat, cui ille anno sequenti 14. succurrit, frumentum ex Ægypto advehi curans. Circa idem vero tempus Herodes etiam Ælio Gallo auxilia misit adversus Arabes. Hoc tempus autem Ælii Galli ponit Dio in annum Jul. 22. si igitur annus Jul. 22. est 14 Herodis, necesse est 9 annum Jul. esse 1 annum Herodis.

4. Quartum argumentum, quod mors Herodis incidat in annum Julianum 42. est tale. Tradit Josephus lib. 15. cap. 6. Philippum Herodis filium, qui post mortem ejus fuit Tetrarcha Trachonitidis lib. 17 cap. 10. (cujus etiam Lucas meminit Cap. 3. 1.) mortuum esse anno 27 Tiberii, postquam regnasset 37 annos. Annus autem 20 Tiberii incidit in 78 annum Jul. A quibus 78 annis si subtrahantur 37 anni, incidit initium regni ejus in 42 annum Jul. quo Herodes mortuus est. Est hic calculus annorum Philippi, cum calculo annorum Herodis tam arcte connexus, ut si quis in computatione annorum Herodis nimis vellet esse scrupulosus, & imperfectos annos pro perfectis sumere nollet (quos tamen Josephus ita sumit ac numerat) necessario attribueret Josepho falsam annorum Philippi supputationem, sicut antea annorum Archelai.

5. Quintum argumentum. Ex collatione apud Josephum lib. 17. cap. 8. cum lib. 2. de bello cap. 2. clare cernitur, Herodem mortuum esse inter Eclipsin quandam lunæ, & inter mox instans plenilunium Paschale. Jam vero asserit quidem Scaliger & Calvisius hanc Eclipsin esse eam, quæ in anno Jul. 45. inter 8. & 9. diem Januarii accidit. Verum hæc Eclipsis Scaligeri non fuit ista, quæ proxime ante Herodis mortem contigit. Cum enim illa in Januario facta sit, patet, eam tribus integris mensibus festum Paschæ antecessisse: at morbus Herodis tam diu non duravit, ut ex totius historiæ contextu colligitur. Narrat enim Josephus, quod cum morbus Herodis adeo invaluisset, ut nulla spes supereset vitæ ejus, duo Legisperiti Judas & Matthias ausi fuerint cum suis asseclis, auream aquilam, quam Herodes supra magnam portam Templi posuerat, detrahere ac deturbare. Sed mox propter hoc facinus capti, & vivi exusti sunt. Ea ipsa igitur nocte, qua isti duo concremati sunt, inquit Josephus, lunam Eclipsin passam esse. Subinde Herodes trans Jordanem se portari ad thermas, quæ erant prope Callirrhoen, curavit. Quæ cum minus ipsi prodessent, & debilitas ejus adeo crescceret, ut in horas mors ejus speraretur, ad Jericho reversus est, ubi Judæorum primarios illius regionis, quos eo sine dubio prius convocaverat, in circo conclusos reperit, & sorori suæ Salome, ipsiusque marito Alexæ in mandatis dedit, ut eos statim post se extinctum interfici curarent. Eo ipso autem momento accipit literas à Cæsare, in quibus Acme & filius ejus Antipater morti adjudicantur. Quod decretum Herodes illico exequi jubet: tandemque quinto post die moritur.

ritur. Porro refert Joſephus lib. 2. de bello cap. 2. poſt tranſactos ſeptem dies luctus ſuper mortem Herodis, die octavo ſeditioſos quoſdam conqueri cæpiſſe de fratrum ſuorum combuſtione, & populum ad vindictam de illis ſumendam, qui Herodi conſilio & auxilio hac in re fuerunt exſtimulaſſe; idque paulo ante feſtum Paſchæ factum eſſe. Populum enim qui ad feſtum venerat, ſeditioſi iſti adhuc in Templo, à quo nondum diſceſſerant, invenerunt. Ex hac relatione manifeſtum eſt, Herodem paucis, id eſt, circiter 10 diebus ante Paſcha mortuum eſſe. Si igitur Eclipſis iſta, ſub quam duo iſti Legiſperiti uſtulati ſunt, eſſet illa, quam urgent Scaliger & Calviſius, illa ſcilicet, quæ inter 8 & 9 Januarii Anni Jul. 45. contigit; ſtatuendum eſſet, morbum Herodis, qui jam aliquot diebus ante Eclipſin lethalis erat, adhuc ultra 2½ menſes duraſſe: præterea ſeditioſos illos ſupra memoratos, querelam de exuſtis fratribus ſuis, demum poſt 2½ menſes ab eorum morte inſtituiſſe; quod utrumque improbabile eſt.

Ad hæc Calviſius ſeipſum implicat. Nam ſecundum ipſius propriam confeſſionem mors Herodis incideret in annum 40 regni ejus, computatione facta ab illo tempore, quo Rex declaratus eſt. Quod apertiſſime pugnat cum clariſſimo teſtimonio Joſephi, qui mortem Herodis ponit in anno 37. ab ipſius declaratione. Quæ res quod dubium & ancipitem reddiderit Calviſium, ex verbis ipſiuſmet liquet, ubi ait, Herodem mortuum eſſe *anno poſtquam à Senatu Rex declaratus fuerat quadrageſimo, alias trigeſimo ſeptimo.* Quibus verbis Calviſius cauſam ſuam prodit, & veritatem nolens volens fatetur. Quomodo enim 40 & 37 anni ſimul ſtare poſſunt? Ex quibus omnibus elucet, illam Eclipſin, de qua Scaliger & Calviſius agunt, non hanc fuiſſe, quæ accidit ſub tempus crematonis illorum duorum Legiſperitorum, ſed hanc accidiſſe in plenilunio, quod proxime plenilunium Paſchale præceſſerat. Uti ſane omnia illa, quæ Joſephus de morbo Herodis ab illa Eclipſi uſque ad mortem ejus recenſet, commodiſſime intra 20 dies, etiam itinere ad thermas ſimul incluſo, fieri potuerunt. Talis autem Eclipſis nec anno Jul. 44. nec anno 43. fuit: ut Kepplerus adverſus Laurentium Suſlygam pag. 22. demonſtrat. Sed in anno Jul. 42. juxta calculum Keppleri fuit talis lunæ eclipſis. Nimirum die 22 Martii ejuſdem anni fuit Novilunium, quod eſt æquinoctio proximum, & à quo inchoabatur annus Judæorum Eccleſiaſticus ſive ſacer. Poſtea 11 Aprilis celebratum eſt Paſcha. Die autem 13 Martii ante, obſcurata fuit luna ad ſex digitos, id eſt, ferme dimidia parte, in 20 gradu Virginis, ante diem.

Quare Herodes hoc 42 anno Juliano mortuus eſt. Ita videmus, cum teſtimonio Joſephi etiam cœlum concordare, ut ita de certitudine anni, quo Herodes mortuus eſt, dubitandum non ſit. Si quis plura argumenta hujus rei è Romana hiſtoria eruta noſſe cupit, poteſt ea legere apud Kepplerum in utroque Tractatu, quorum unus eſt Sylva Chron. pag. 23. alter eſt de vero anno Chriſti nati Cap. 10.

II. *De Anno, quo Auguſtus Cæſar orbem terrarum deſcribi curavit.*

HActenus egimus de primo ſigno vel charactere anni natalis Chriſti, nempe de morte Herodis, probavimuſque, eam incidiſſe anno Jul. 42, paulo ante feſtum Paſchæ. Cum igitur Matth. 2. 1. teſtetur Chriſtum natum eſſe in diebus Herodis Regis, id eſt, tempore regni ejus, adeoque ante mortem ejus; exinde validiſſime concluditur, Chriſtum natum eſſe ante feſtum Paſchatis in anno Jul. 42. Jam ſi Euangeliſtæ hac circumſtantia temporis contenti, nullas alias amplius expreſſiſſent, nobis quoque hic ſubſiſtendum eſſet, neque propius veritatem anni, quo Chriſtus natus eſt, liceret accedere. At Lucas nobis ſuppeditat adhuc aliud ſignum Cap. 2. 1. nempe Deſcriptionem orbis terrarum factam ſub Auguſto Cæſare, cujus occaſione Maria cum ſuo viro Joſepho venit Bethlehemum, ibique filium ſuum Jeſum enixa eſt. Si ergo poſſimus etiam hujus Deſcriptionis verum annum indagare, rurſus habebimus verum annum nativitatis Chriſti: Duo autem potiſſimum in ea conſideranda ſunt: Primo quid ſibi voluerit hæc Deſcriptio, ſeu quid per eam intelligendum ſit; ſecundo, quo anno Juliano in Judæa fuerit inſtituta. Primum quod ſpectat, de eo actum eſt in Commentario noſtro ſupra ad hoc Cap. 2. 1. Alterum quod verum annum hujus Deſcriptionis attinet, eſt proprie hujus loci, de quo nunc agendum eſt. Teſtatur ergo Suetonius hiſtoriæ Romanæ ſcriptor, Cæſarem Auguſtum toto Imperii ſui tempore ter orbem ſibi ſubjectum deſcribi curaſſe. Primum anno Jul. 18. quæ deſcriptio adhuc ſequenti anno Jul. 19 duravit in Gallia. Secundo facta eſt Deſcriptio anno Jul. 38. ut ex marmore Amyrani, quod adhuc ſuperſtes eſt, conſtat. Tertia deſcriptio fuit anno Jul. 58. Si proinde hæc Deſcriptio apud Lucam una ex his tribus fuit, neceſſe eſt, ut media fuerit, quæ anno 38 Jul. Romæ inchoata eſt, & perfecta, in aliis vero Romani Imperii provinciis continuata eſt annis ſequentibus: nimirum anno 39 Jul. in Syria, & anno 40 in Judæa. Etſi enim Judæa tunc nondum eſſet in provinciam Romani Imperii redacta, tamen jam Herodis Pater Antipater civitate Romana donatus erat, quod jus tranſtulit in filium ſuum Herodem, & Herodes fuit Auguſti Cæſaris Vaſallus, fœderatuſque populo Romano: ut valde probabile ſit, ad deſcribendam Judæam occaſionem dediſſe illam populi Romani deſcriptionem, quæ anno 38 Jul. facta eſt. Sed aliquanto propius nobis ad rem accedendum eſt; nam ex hactenus allatis & allegatis nihil amplius colligi poteſt, quam hanc Deſcriptionem in Judæa, cujus tempore natus eſt Chriſtus, contigiſſe poſt annum Jul. 38. Habemus autem inſignem admodum locum, apud Tertullianum, qui nos in rectam viam poteſt deducere. Refert ille contra Marcionem lib. 4. cap. 9, hanc Deſcriptionem in Judæa ſub Auguſto Cæſare factam, in qua etiam nomen Jeſu & genus ejus deſcriptum eſt, peractam fuiſſe per Sentium Saturninum, qui tunc ſine dubio fuit Præſes Syriæ. Non potuit autem hac in re falli Tertullianus, quia matricula ſeu

tabulæ nominum deſcriptorum ſervabantur Romæ, & unicuique eas inſpiciendi erat copia. Jam ſi ulterius quæratur apud Joſephum, quo tempore Sentius Saturninus Præſes Syriæ factus ſit (in Romana enim hiſtoria nihil de eo habetur) patebit, id contigiſſe anno Jul. 38. cum Titus eſſet Præſes Syriæ: quo Herodes Antiochiam profectus, eum cum Archelao ejus ſocero reconciliavit. Eodem enim anno Herodes Syllæum Arabem coram Saturnino accuſavit, poſteaque illa adhuc æſtate Romam ſe contulit. Joſeph. lib. 16. cap. 12, 13. Tunc temporis autem habiti ſunt ludi Olympici (nam primus annus 193. feſti Olympici incidit in annum Jul. 38.) quibus Herodes Romæ interfuit: ut Joſephus teſtatur lib. 1. de bello cap. 16. Ita Saturninus miſſus eſt in Syriam eo anno, quo Romanus populus Romæ deſcriptus fuit, nempe anno Jul. 38. ſi jam quæras, quamdiu Saturninus in Syria fuerit, invenies apud Joſephum totos 4 annos. Supponimus enim jam, tanquam irrefragibiliter probatum, Herodem mortuum eſſe anno Jul. 42. Anno vero 40, Saturninus adhuc damnationi duorum Herodis filiorum Beryti adfuit. Joſeph. lib. 16. cap. 17. Anno autem 41 diſceſſit, & Quintilius Varus in ejus locum ſucceſſit, qui Herodi in judicio, quod habitum eſt de Antipatro parricidii accuſato, aſſedit, Joſeph. lib. 17. cap. 7. Sic ex ſupra citato Tertulliani loco diſcimus, generationem Chriſti intra illos 4 annos, nempe vel 38 vel 39 vel 40, vel 41 anno Juliano, cum Saturninus eſſet Præſes Syriæ, deſcriptionemque illam in Judæa peregit, contigiſſe. At Saturninus certe non primo ex iſtis quatuor anno, id eſt, 38 anno Jul. deſcriptionem hanc in Judæa aggreſſus eſt, quia iſto anno circa Syriam occupatus erat, quæ ipſius curæ & adminiſtrationi primario erat commiſſa: neque etiam ultimo, id eſt, 41 Jul. anno, quo ſe ad diſceſſum accingebat eoque diſtrictus erat. His conſtitutis, Chriſtus (qui circa finem anni natus eſt) non ad finem anni Jul. 41, ſed 40, naſci potuit. Ita Chriſtus, ut etiam Veteres auctores quidam tradunt, ferme duos annos exegit in Ægypto, videlicet integrum 41. & magnam partem 42 Jul. anni.

Porro quærendum adhuc eſt apud Joſephum, an etiam is circa annum Jul. 39, & 40, alicujus Deſcriptionis faciat indicium. Ac vocabulum quidem ἀπογραφὴ *Deſcriptio* apud eum non legitur, ſed rei ipſius deprehendere in eo licet non levia indicia, circa finem anni Jul. 40. Cum enim Herodes filios ſuos duos Alexandrum & Ariſtobulum ſtrangulari curaſſet, (quod factum eſt in ultimo trimeſtri ſpatio anni Jul. 40.) cœpit Antipater Herodis filius, cum Phærora Herodis fratre, ſtruere Patri inſidias, cujus conjurationis etiam regiæ nonnullæ fœminæ conſciæ fuerunt. Cum ergo circa id tempus totus populus de novo ſe juramento fidelitatis Regi & Cæſari obligaret, ſoli Phariſæi, genus hominum arrogans & præſumptuoſum, detrectarunt juramentum præſtare, eorumque plures erant quam ſexcenti. Idcirco ab Herode mulctati ſunt grandi ære, quod uxor Phæroræ, quæ illis nimium addicta erat, pro illis ſolvit. Hic videmus clare, totum Judaicum populum circa illud tempus vel paulo ante, ſed omnino tamen anno Jul. 40, juramentum fidelitatis Cæſari & Regi præſtare coactum eſſe. Videmus quoque, quam exacte numerus Phariſæorum, qui juramentum recuſarunt, obſervatus ſit. Quod ſane abſque deſcriptione & capitatione fieri non potuit. Si igitur hæc deſcriptio apud Joſephum illa ipſa eſt, quæ à Luca memoratur, infallibiliter concludi poteſt, eam peractam eſſe anno Jul. 40. & Chriſtum circa finem iſtius anni natum eſſe, cum Sentius Saturninus eſſet Præſes Syriæ, & Cæſar Auguſtus ante duos annos jam populum Romanum deſcripſiſſet, quæ deſcriptio deinceps ſequentibus annis in aliis Romano Imperio ſubjectis provinciis continuata eſt.

Contra hanc rem ſatis claram objicitur teſtimonium Lucæ, qui narrat hanc deſcriptionem factam eſſe, non cum Sentius Saturninus, ſed cum Cyrenius ſeu Quirinius Præſes in Syria eſſet. Verba ejus ſic ſonant: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quæ vulgo ita reddi ſolent: *Hæc deſcriptio prima erat, cum Cyrenius Præſes Syriæ eſſet.* At quæri primum non immerito poteſt, cur Lucas Euangeliſta hanc deſcriptionem primam appellet, cum tamen prima non fuerit, neque populi Romani in ſpecie, neque Romanarum provinciarum, neque Judææ. De origine deſcriptionum & cenſus ait Caſſiodorus: *Cenſus Romanorum civium primus Servius invenit, mox Auguſtus per Orbem ampliavit.* Itaque deſcriptiones Romanorum civium à Servii temporibus crebro factæ ſunt. Quod autem univerſalem deſcriptionem totius Romani Imperii, id eſt, etiam provinciarum Romano populo ſubjectarum attinet, jam ante intelleximus Auguſtum anno Jul. 18 ſimilem indixiſſe deſcriptionem. Quomodo igitur poteſt hæc deſcriptio prima dici? Si dicatur, mentem Lucæ eſſe, quod etſi in aliis provinciis Romani Imperii hujuſmodi deſcriptiones antea inſtitutæ fuerint, hæc tamen in Judæa fuerit prima; nimis obſcure locutus fuiſſet Lucas, dum deſcriptionis totius orbis terrarum (id eſt, totius Romani Imperii) meminit, eamque primam appellat, de Judæa autem, quod in ea hæc deſcriptio prima fuerit, ſilet. Annon potius dicere debuiſſet, hæc fuit prima deſcriptio in Judæa, ne quis cogitare poſſet, hanc fuiſſe primam deſcriptionem totius Romani Imperii? Taceo, quod 60 annis ante mortem Herodis Pompejus, occupata Hieroſolyma, Judaico populo, cum ſummo præjudicio ipſorum libertatis, magnam contributionem impoſuerit: quod exemplum deinde Caſſius quoque ſecutus eſt, & idem fecit. Tributi autem exactio erat longe gravius jugum & magis contrarium libertati, aut ſaltem non erat levius onus quam ſimplex deſcriptio capitum ac bonorum recenſio. Quamobrem nullam habuit cauſam Lucas, hanc deſcriptionem primam in Judæa vocandi, ut (quemadmodum vulgo creditur) Judæorum ſervitutem & oppreſſionem indicaret, cum jam dudum antea jugo Romano preſſi fuerint.

Secundo notabile eſt, quod Joſephus circa hoc tempus Cyrenii vel Quirinii ne verbo quidem meminerit, ſed demum aliquot annis poſterius, nempe in anno Jul. 51. ubi refert, quomodo Sulpitius Quirinius à Cæſare in Syriam miſſus ſit. Quo tempore Chriſtus ſecundum omnium Chronologorum Confeſſionem jam aliquot annorum erat. Meminit hujus

jus Quirinii Cornelius Tacitus, dum funus ejus describit in anno Jul. 66. ubi egregiam habuit occasionem officia, dignitates ac res gestas ejus commemorandi, nihilominus tamen, quod ante 49 annum fuerit Præses Syriæ, de eo prorsus tacet. Verum hoc silentium Taciti, qui ejus potuit habere suas rationes, non tam est mirandum, quam quod Josephus adeo sileat de eo, quod Quirinius Syriæ Præses ante annum Jul. 51 fuerit, cum tamen ipsius non obiter tantum meminerit, sed singulari cum cura & multis cum circumstantiis eum describat, quis & quantus vir fuerit, nimirum quod fuerit Senator Romanus, quod per omnes dignitatum gradus ad Consulatum usque ascenderit, quodque à Cæsare in Syriam missus sit, ad populum ibidem audiendum, & singulorum bona ac facultates describendum: etiam quod venerit in Judæam, ut omnium civium bona censeret, & Archelai pecuniam fisco addiceret. Joseph. lib. 18. cap. 1. Cum igitur omnia honoris officia Cyrenii usque ad Consulatum ejusdem commemoret, cur non ponit inter causas hujus novæ illius dignitatis hanc quoque, quod antea etiam aliquando Præses Syriæ fuerit? Sed nec facile quis exemplum inveniet, alicui Provinciam unam bis fuisse datam, maxime sub Augusto. Nam sub Consulibus id facilius contingere potuit, ut quispiam tanquam Proconsul aut Prætor Provinciæ præfuerit, & postea belli tempore rursus tanquam Consul eandem obtinuerit. Sed Syria erat Augusti Provincia, quæ non sorte, sed pro arbitrio Augusti dabatur. Hinc proinde manifestum est, Baronii argumentum esse invalidum, atque incertum, quo exinde, quod Quirinius statim post annum Jul. 34, quo Consul fuerat, nempe in anno Jul. 35, arces Homadensium in Cilicia expugnarit, ideoque triumpharit, probare nititur, eum tunc Prætidem in Syria fuisse, quandoquidem Cilicia ad Syriam pertinuerit. Hoc enim poterat ab ipso aliud militare officium gerente & non tanquam à Præside Syriæ præstari.

Huc accedit etiam testimonium Tertulliani, qui nullam prorsus causam habuit Marcionem ad descriptionem Saturnini remittendi, si illa sub Cyrenio facta fuisset. Atqui is tam confidenter eum remittit ad acta publica & tabulas nominum descriptorum, asseverans eum nomen Jesu in eis inventurum.

Alii volunt huic difficultati hac ratione mederi, ut dicant, Cyrenium, qui tunc temporis finitimam Syriæ Provinciam Ciliciam administrabat, Saturnino adiutorem ad hanc descriptionem perficiendam esse adjunctum, quia ipsi inprimis status illarum regionum & commoditates fuerint optime notæ, cum in Cilicia bellum gereret. Quam ipsam ob causam etiam idem Cyrenius in anno Jul. 44 ab Augusto additus fuit Cajo, Syriæ & totius Orientis Præsidi, tanquam rector juventutis ac consiliorum, ut Tacitus de eo loquitur. Præterea vox Græca ἡγεμονία non solum significat munus Præsidis, sed etiam omne aliud officium extraordinarie alicui collatum. Quod vero Lucas hic Cyrenium & non Saturninum nominet, ajunt isti ideo factum esse, quod Cyrenius plurimum operæ huic descriptioni impenderit, etsi Saturninus verus Syriæ Præses tum fuerit, & auctoritate prævaluerit. Hæc sententia nihil quidem habet in se absurdi: sed tamen hoc in ea desideratur, quod monstrari nequeat, apud Romanos ac præsertim sub Augusto usitatum fuisse, ut ejusmodi descriptiones per alios, quam per Præsides ordinarios, quorum id proprium munus erat, peragerentur.

Alii testimonium Tertulliani conantur eludere, ut asserant hanc descriptionem in Judæa contigisse anno 44 Jul. cum Augustus XIII. & Plautius, Sylvanus Consules essent, atque hanc descriptionem ab Augusto nomen sortitam esse: cumque Tertullianus contra Marcionem disputat, Christum verum corpus habuisse, carnemque suam ex Maria accepisse, ac verum hominem ex ea natum esse, provocare eum ad tabulas census, quod Christus etiam cum parentibus suis in illis inscriptus sit. Sed inquiunt, dubitasse Tertullianum, utrum in illas tabulas descriptionis, quæ per Cyrenium facta est, Christus etiam relatus fuerit, quia fieri potuerit, ut natus fuerit, cum jam parentes ejus descripti essent; ideoque eum provocare ad aliam descriptionem, quæ quinque annis postea facta est, nempe in anno Jul. 49. quo Sextus Ælius Catus & Sentius Saturninus Consules fuere; & sic Tertullianum hoc velle dicere: si Christi nomen non reperiatur in tabulis seu actis primæ Descriptionis, quæ ab Augusto per Cyrenium instituta fuit, sine omni dubio in tabulis sequentis Descriptionis sub Saturnino id repertum iri. Verum hic primum pro concesso sumitur, quod falsum est, nimirum primam descriptionem à Tertulliano vocari Censum Augustinum, ideo quia Augustus tunc fuerit primarius Consul: alteram autem descriptionem Saturnino adscribi, quia is etiam primarius Consul & auctoritate major Ælio Cato tunc fuerit. Hoc, inquam, falsum est. Nam prima illa descriptio non habet nomen ab Augusto tanquam à Consule: non enim ad Consulum officium pertinebat ejusmodi census ac descriptiones peragere, sed ad officium Censorum, qui inde etiam nomen gerebant. Sed Augusto tanquam supremo Monarchæ competit, omnia quæ sub suo habebat imperio describi curare, & providere, ne in Judæa, quæ Augusti Provincia erat, à finibus Parthorum seditio aliqua excitaretur, populusque in subjectione ac obedientia contineretur. Itaque Augustus hanc descriptionem, quam anno Jul. 38 Romæ exorsus est, postea etiam in aliis Provinciis continuavit, idque per Præsides, non autem Præses unus per alium, quasi ipse absens, & Augusto potestate par esset. Deinde neutiquam verisimile est, Herode & Archelao in vita existentibus pluries quam semel descriptionem talem in Judæa factam esse. Tertio etiam Dio scriptor Romanus intercedit huic sententiæ. Sic enim in anno Jul. 49 de Augusto loquitur: *Alia per alios hoc anno gessit Augustus, descriptiones ipse seipso fecit. Et descriptiones quidem tantum eorum, qui in Italia, nullius extra Italiam, & descriptiones tantum locupletum, non tenuium. Et ne ut Censor hunc censum agere videretur, assumsit ad hoc negotium, gerendum, Proconsulare imperium.* Ubi expresse dicit, nullam descriptionem illo anno extra Italiam factam: ergo neque in Judæa facta est. Inquit tantum locupletum descriptionem factam, non

tenuium: atqui in tenuium numero, erat etiam Joſephus cum Maria. Quomodo igitur Tertullianus ad has tabulas provocare potuit, cum merito dubitare potuerit, an nomina ipſorum in his tabulis reperiantur? Proconſulare autem imperium aſſumſit Auguſtus, quia Italia ad illas Provincias pertinebat, quæ non Conſulibus, ſed Proconſulibus demandabantur. Falſum itaque eſt, deſcriptionem anni Jul. 49 per Saturninum factam eſſe, & in Judæa tunc ſingulos deſcriptos fuiſſe. Quare deſcriptio illa novem annis prius à Saturnino in Judæa peracta, jure Auguſti deſcriptio dicitur; cum Syria una cum annexis regionibus, Auguſti Provincia fuerit, & deſcriptio iſta facta ſit, cum neuter eorum Conſul, ſed Auguſtus eſſet ſummus Imperator Romani Imperii. Manet ergo teſtimonium Tertulliani illibatum, & aſſertio illa immota relinquitur, quod Sentius Saturninus Præſes Syriæ fuerit tunc, cum hanc deſcriptionem in Judææ peregit.

Johannes Kepplerus ipſe aliquando Tertullianum hoc modo cum Luca conciliare conatus eſt. Cum Cyrenius fuerit Conſul anno Jul. 34, & Tacitus teſtetur, eum anno ſequenti 35. Jul. duxiſſe triumphum ex Cilicia, probabile cenſuit, eum anno Jul. 35. & 36, Præſidem Syriæ ac Ciliciæ fuiſſe. Anno 36 Jul. Auguſtum decreviſſe hanc deſcriptionem totius Romani Imperii auſpicari, & Cyrenium Auguſti edictum hac de re per Syriam & Judæam promulgari curaſſe. Quia vero in nonnullis Provinciis Romanorum, ut in Pannonia & Dalmatia, nova bella exorta ſint, non potuiſſe deſcriptionem iſtam ante peragi, quam in anno Jul. 39, 40. vel 41. quibus annis Sentius Saturninus Præſes fuit Syriæ: atque tunc deſcriptionem à Cyrenio inchoatam per Sentium Saturninum in Judæa perfectam eſſe. Sed vir iſte doctiſſimus ſibi ipſi non ſatisfacit, quia non tantum apud Joſephum & apud Romanos ſcriptores nullum extat ejus rei veſtigium, verum etiam quia Joſephus quoque inter honorum titulos, quibus Cyrenium ornat, ne verbo quidem meminit, quod ante annum Jul. 51 quo in Syriam miſſus eſt, ad bona Archelai confiſcanda. Præſes Syriæ fuerit, cum tamen haberet ejus rei narrandæ tam commodam occaſionem. Accedit, quod apud Euangeliſtam Lucam minimum ſaltem indicium extare deberet, hanc deſcriptionem ſub Cyrenio promulgatam tantum & non perfectam fuiſſe. Mirumque eſſet, Euangeliſtam maluiſſe illum Syriæ Præſidem nominare, ſub quo deſcriptio decreta tantum & promulgata fuit, quam eum, per quem illa ad effectum & executionem deducta eſt.

Reſtat adhuc una interpretatio verborum Lucæ, quam Georgius Hervardus Ducis Bavariæ Conſiliarius & Cancellarius primum in medium protulit, quamque Kepplerus omnibus aliis præfert, & omnibus perpenſis maxime videtur veritati conſentanea. Nempe verba Euangeliſtæ, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, non recte ex Græco ſic transferuntur: *Hæc deſcriptio erat prima, cum Cyrenius eſſet Præſes Syriæ.* Nam ad hunc ſenſum exprimendum, debuiſſet Lucas ita loqui: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη ἦν τοῦ τότε κυρηνίου ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας γεγενῆσθαι. Quapropter cenſet Hervardus, hæc verba Euangeliſtæ ita eſſe vertenda: *Hæc deſcriptio fuit prior, vel prius quam Cyrenius Præſes Syriæ eſſet.* Objicitur autem huic interpretationi à quibuſdam, eam non eſſe veriſimilem, propterea quod nullum fuerit operæ pretium, ut Lucas narraret hanc deſcriptionem prius contigiſſe, quam Cyrenius fuit Præſes Syriæ. Hiſtoriæ ſcriptores potius ſolent illos Præſides nominare, ſub quibus res facta eſt quam eos, ſub quibus facta non eſt. Sed tenendum eſt, Lucam habuiſſe cauſam non parvam indicandi, ſe non loqui de illa deſcriptione quæ ſub Cyrenio contigit, cum iſta tunc cum Lucas ſuum ſcriberet Euangelium, ſola in ore populi fuerit. Hæc enim erat illa deſcriptio, quam Judæi ægerrime ferebant, dum omnes ac ſinguli bonorum, domorum, ac capitum ſuorum cenſum Cæſari dare coacti ſunt, eamque ob cauſam tumultus ac ſeditio graviſſima per Judam Gaulonitem non ſine maximis cædibus ac latrociniis excitata eſt. Joſeph. lib. 18. cap. 1. Hinc Judæi quoque Chriſto hanc quæſtionem proponunt: An liceat Cæſari dare cenſum? Matth. 22. 17. & Actor. 5. verſ. 37. mentio fit *dierum deſcriptionis*, ubi de ſeditione ſub Juda Gaulonite orta agitur. Quocirca Lucæ multum interfuit, monere, ſe non de hac paſſim nota ac trita deſcriptione ſub Cyrenio facta loqui, ſed de alia, quæ aliquot annis hanc præceſſit. Quod autem Græcus ſermo ejuſmodi verſionem admittat, ut ſcilicet vox πρῶτος accipiatur loco πρότερος, liquet ex exemplis. Vide Johan. 1. 15. ubi dicitur, *Qui poſt me venit, ante me factus eſt*, ὅτι πρῶτός μου ἦν, *quia prior me erat.* Quanquam hic vox πρῶτος prioritatem non temporis, ſed dignitatis denotat. Idem etiam verſ. 30. repetitur eodem Capite. Sic etiam Johan. 15. 18. ait Chriſtus: *Scitote quia* (mundus) *me prius quam vos odit:* πρῶτον ὑμῶν, *priorem vobis.* Vide etiam dicta à nobis ad Matth. Cap. 26. verſ. 17. Sed ſatis ſit hac de re dictum. Stat proinde firmum, hanc deſcriptionem apud Lucam eſſe eam, quæ ad finem anni Jul. 40 ſub Sentio Saturnino facta eſt, & à Joſepho deſcribitur. Quod hic in contrarium objicitur ex Luc. 3. 23, de triginta annis Chriſti, de eo vide infra dicenda ad hoc Caput. 3.

De occluſione Templi Jani Romæ.

VUlgo ab Interpretibus docetur, Chriſtum natum eſſe tempore univerſalis per totum imperium Romanum pacis, & ob eam cauſam clauſum fuiſſe Romæ Jani Templum, quod nonniſi pacis tempore claudi ſolebat; non fuit autem intra ſeptingentos quinquaginta annos niſi ter clauſum. De hac re quidem Euangeliſtarum nemo quicquam meminit, ſed Oroſius, qui aliquot ſeculis poſt Chriſtum natum vixit, primus eſt, qui id tradidit, auctor. Neque caret id probabilitate ſua, quia ejuſmodi deſcriptiones univerſales, qualis nato Chriſto facta eſt, commode perfici nequeunt, niſi pace ac ſecuritate in omnibus Provinciis Romani Imperii vigente. Ac Suetonius quidem teſtatur, Templum Jani ter ab Auguſto Cæſare eſſe clauſum, primum anno Jul. 17. ſecundo 21 anno Jul. tertio quando clauſum fuerit, ex hiſtoria Romana non conſtat, nec quicquam de eo præter incertas conjecturas haberi poteſt. Cæterum

Oroſii

Oroſii teſtimonium, qui Templum Jani anno Jul. 42 clauſum eſſe ſcribit, invalidius & minoris momenti eſt quam ut argumenta tam ſolida & firma de vero anno nativitatis Chriſti, quæ ſupra adduximus, queat infringere. Nam etiamſi verus annus clauſi Templi ſciretur, nondum tamen probatum eſſet, Chriſtum eodem plane anno illo natum eſſe, vel naſci debuiſſe. Præterea ſi Romana evolvatur hiſtoria, apparebit, iſtis annis, quibus alii Chriſtum natum eſſe ſtatuunt, tam inquietum ac turbidum ſtatum Romani Imperii fuiſſe, ut nullo modo credibile ſit, Jani Templum tunc clauſum fuiſſe. Quocirca hoc nativitatis Chriſti de occluſo Jani Templo ſignum, quod nullo certo nititur fundamento, merito miſſum facimus, & hoc ſolum retinemus, quod nobis ſuppeditavit Lucas Euangeliſta; atque hoc eſt, generalis illa Deſcriptio, quæ incidit in annum Julianum 40.

II. APPENDIX

De die natali Chriſti.

COmmunis ſententia antiquorum Eccleſiæ Doctorum eſt, Chriſtum natum eſſe die 25 Decembris: at nonnulli, quos inter eſt Epiphanius, ſentiunt octo diebus ſerius eum eſſe natum, adeoque 6 diem Januarii cenſent Chriſto fuiſſe natalem. Quæ ſententiarum diſcrepantia videtur ex errore in deſcribendo eſſe nata. Nam juxta ſtylum Romani Calendarii dies 25 Decembris ſcribi ſolet 8 Cal. Jan. & 6 Januarii ſcribitur 8. Id. Jan. Ita facile potuit pro Cal. in deſcribendo Id. reponi. Tempus iſtud intermedium, inter 25 Decembris, & 6 Januarii, qui dies ſunt controverſi ratione nativitatis Chriſti, vocatur Tempus duodecim noctium, vel ſacrarum noctium, quia prorſus memoriæ nativitatis Chriſti dicatæ ſunt. Alioqui ex Clemente Romano, qui vixit temporibus Apoſtolorum, cernitur lib. 5. Conſtit. Apoſt. inde à primis temporibus diem 25 Decembris pro natali Chriſti habitum fuiſſe. Quod etiam Nicephorus confirmat, & hanc traditionem ab Evodio, qui Petri ſucceſſor fuerit in Epiſcopatu Alexandriæ, arceſſit. Chryſoſtomus quoque ait, omnes majores in hac ſententia fuiſſe. Confirmatur idem in Martyrologio in anno 301. Poſt Chryſoſtomum Auguſtinus, Athanaſius, Oroſius, Severus Sulpitius, Leo, Fulgentius, Caſſiodorus, Gregorius Magnus, in diem 25 Decembris teſtimonio ſuo conſentiunt. Quod vero hic objici ſolet, Paſtores non potuiſſe in Decembri menſe tam frigido, cum grege in campo ſub dio pernoctare; id minus habet virium. Nam ſolet aliquando etiam in Germania medio Decembri tam ſerena & mitis eſſe aëris temperies, ut poſſint greges in campo paſci: quanto magis id fieri potuit in tam calida regione, qualis fuit Judæa. Quid, quod ea ſit cœli conſtitutio in Judæa, ut menſe Decembri nitidiores ſint dies, & calidiores, quam in Februario & Martio.

CAPUT III.

Lucas deſcribit in hoc Capite I. *Johannis Baptiſtæ divinam vocationem: ad verſ.* 7. II. *Ejus Concionem ad populum: ad verſ.* 10. III. *Ejuſdem particulares doctrinas certis hominibus ad eorum interrogata datas: ad verſ.* 15. IV. *Teſtimonium ejus de Chriſto: ad verſ.* 19. V. *Ejus mortem: ad verſ.* 21. VI. *Baptiſmum Chriſti: ad verſ.* 23. VII. *Genealogiam Chriſti: uſque ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ANno autem decimo quinto Imperii Tiberii Cæſaris, Pontio Pilato Præſide Judææ, Tetrarcha Galilææ Herode, Philippo autem ipſius fratre Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilenes Tetrarcha.*] Tiberius fuit tunc Dominus Judææ, tanquam Auguſti Cæſaris ſucceſſor in Romano Imperio, cui jam Judæa in modum Provinciæ adjecta erat. Quemadmodum vero Prophetæ poſt ſciſſum ac diviſum Regnum Iſraëlitarum, tempora ſuæ vocationis & Prophetiarum ſuarum ita ſolebant deſcribere, ut annos regni tam Regum Judæ, quam Regum Samariæ, qui tunc totam Chananæam terram inter ſe diviſerant, exprimerent: ita Lucas quoque, deſcripturus duorum maximorum Prophetarum Johannis Baptiſtæ & Meſſiæ apparitionem in publico coram Iſraële, recenſet diſtincte omnes ſupremos Magiſtratus ac Rectores, qui tunc partem aliquam in regimine Judææ habebant. Id quod facit ad majorem huic hiſtoriæ fidem conciliandam. Quod igitur annos vel tempora attinet, quæ hic nominavit Lucas, ſciendum eſt, Auguſtum defunctum eſſe anno Juliano 50. die 19 Auguſti, à quo die numeratur annus 1 Tiberii, qui Auguſto in Imperio ſucceſſit: annus autem 70 Julianus eſt 15 Tiberii. Juxta antiquam quidem admodum ſupputationem Judæorum, annus 15 Tiberii non incipit à die mortis Auguſti, ſed una cum anno Judaico ſub feſtum Paſchatis à menſe Niſan, (qui cum noſtro Aprili coincidit.) Nimirum à menſe Niſan anni Jul. 73, uſque ad menſem Niſan anni Jul. 74, Judæis eſt 15 annus Tiberii: etſi, ut dictum eſt, demum in menſe Auguſto iſtius anni cœperit. Ex quo ſequitur, Johannem ſui muneris functionem exorſum eſſe inter Paſcha anni 73, & Paſcha 74, anni Juliani. Cumque hodie vulgo ab Eccleſiæ Doctoribus credatur, Johannem in autumno ſub tempus feſti Tabernaculorum munus ſuum eſſe auſpicatum, oportet ut initium muneris ejus factum anno 73 Juliano, ſive annus 15 Tiberii à menſe Niſan, ſive à die 19 menſis Auguſti inchoetur. Nam feſtum Tabernaculorum ſequentis anni 74 Jul. jam 16 anno Tiberii celebratum fuit.

Pontio Pilato Præſide Judææ.] Herodes Magnus, cujus tempore Chriſtus natus eſt, adhuc Regia cum Majeſtate ac titulo in Judæa regnavit, ut quem Cæ-

ſar ipſe Judæis pro Rege dederat. Poſt ipſius obitum noluit Cæſar filio ejus Archelao regium concedere titulum, etſi vulgo Rex vocaretur; ut ad Matth. 2. verſ. 22. annotavimus. Poſtquam autem Archelaus ad gravem Judæorum accuſationem à Cæſare relegatus eſt Viennam in Galliam, impoſterum Judæa non ſecus ac aliæ Romani Imperii Provinciæ, à Præſidibus gubernata eſt. Quorum è numero Pontius Pilatus ſextus in ordine fuit, ut Joſephus lib. 18. cap. 3 teſtatur. Quanquam qui Judææ à Cæſare præficiebantur, non proprie Præſides, ſed Procuratores Cæſaris dicti ſunt: ſuberantque Præſidi Syriæ, ad quam Judæa pertinebat, & res majoris momenti ad eum referre tenebantur. Vide dicta à nobis hac de re ad Matth. 27. 2.

Tetrarcha Galilææ Herode.] Herodes iſte fuit Herodis Regis ex Marthace Samaritide filius: cognominatus alias etiam Antipas. Poſteaquam Herodes Rex maximum natu filium ſuum Antipatrum reum parricidii peractum exhæredavit, ejus loco hæredem regni ſcripſit hunc Herodem Antipam, Joſeph. lib. 1. de bello c. 20. Mox autem mutato conſilio regnum legavit Archelao, hunc autem Herodem conſtituit Tetrarcham Galilææ & Perææ, Joſeph. lib. 17. cap. 10. Hic eſt ille Herodes, qui fratris ſui Philippi uxorem Herodiadem abduxit, & Johannem Baptiſtam capite plecti curavit, Matth. 14. 4. x. 35. vulpis inſtat etiam in Chriſti incumbebat perniciem Luc. 13. 31, 32. Chriſtum ludibrio habuit, cum à Pilato ad ipſum miſſus eſſet Luc. 23. 2. Romam profectus impulſu ac ſuaſu ſuæ uxoris Herodiadis, hoc animo ac ſpe, ut Agrippam à regno deturbaret, & illud ipſe à Cæſare Cajo Caligula obtineret, pro regno exilium retulit. Accuſatus enim, quod cum Artabano Parthorum Rege clandeſtina agitaret conſilia, relegatus à Cæſare eſt Lugdunum in Galliam: ditio autem ejus Agrippæ data eſt, Anno Jul. 83. Joſeph. lib. 18. cap. 9. De ſignificatione vocis *Tetrarcha* vide ad Matth. 14. 1.

Philippo autem ipſius fratre Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis.] Cum Herodes Rex conſtitueret Herodem Antipam Galilææ & Perææ Tetrarcham, ſimul quoque alteri filio ſuo Philippo certarum regionum legavit Tetrarchiam. Lucas regiones illas vocat Ituræam & Trachonitidem: Joſephus autem lib. 17. cap. 1, Paneadem, Trachonitidem, Gaulanitidem (vel Auranitidem) & Bataneam. Iturææ meminit Plinius & Strabo: videturque Ituræa eadem eſſe regio, quæ apud Joſephum Batanea & Auranitis vocatur. Neque plane ignotum eſt Joſepho nomen Iturææ. Deſcribit enim, quomodo illa ab Antigono Ariſtobuli primi Regis fratre perdomita, circumciſionem ſuſceperit, lib. 13. cap. 19. Fuit autem Ituræa non magna ditio, in confinio Syriæ & Arabiæ ſita. Philippus iſte originem Jordanis indagavit, ut ad Matth. 3. 5. ex Joſepho notavimus. Paneadem multis ædificiis ſplendide ornavit, inque honorem Cæſaris Auguſti Cæſaream Philippi appellavit. Etiam vicum Bethſaidam in urbem redegit, & ex nomine filiæ Cæſaris Juliam nuncupavit, Joſeph. lib. 18. c. 3. Regnavit annos 37. nempe uſque ad annum 20 Tiberii: poſtque ejus fata ditiones ejus Romano Imperio adjunctæ ſunt, Joſeph. lib. 18. cap. 6.

Et Lyſania Abilenes Tetrarcha.] Euſebius operoſe conatur evincere, Judæam poſt Herodis Magni mortem in quatuor Tetrarchias diviſam, & à quatuor Tetrarchis Archelao, Herode Antipa, Philippo, & Lyſania regnatam fuiſſe: quam ob rem etiam hunc Lyſaniam Herodis Regis filium facit, abſque omni probatione aut teſtimonio. Liquet autem ex Judaica hiſtoria, poſtquam Herodes Rex filium ſuum Antipatrum 5 diebus ante mortem ſuam trucidari curaſſet, non plures quam tres filios ejus fuiſſe ſuperſtites, adeoque regnum Herodis in tres partes tantum fuiſſe diviſum. Cæſarque Auguſtus Archelao dimidiam partem totius Regni Herodis contulit, reliquis autem duobus fratribus Antipæ & Philippo alteram partem dimidiam conceſſit, ita ut unuſquiſque horum quartam tantum paterni regni partem ſortiretur. Et quod Lyſanias non fuerit Herodis filius Lucas ipſe hic ſatis indicat, dum Philippum fratrem Herodis vocat, Lyſaniam non item.

Tametſi vero hic Lyſanias ad poſteros Herodis minime pertinuerit, neque ditiones ejus fuerint pars regni Herodis; quia tamen tunc temporis cum Chriſtus muneris ſui faceret exordium, in vicinia Judææ regnavit, ideo ejus etiam Lucas hoc loco meminiſſe voluit: præſertim cum plurimi Judæi in ipſius ditionibus habitarent, ad fines Decapoleos, cujus mentio fit Matth. 4. 25. Marc. 5. 20. VII. 31. nec dubium eſt, eum cum Judæis amicitiam coluiſſe. Quis iſte Lyſanias fuerit, non eſt indagatu facile. Tempore Antigoni filii Ariſtobuli circiter 60 annis ante Chriſtum natum, mortuus eſt in Syria Ptolomæus Memmi filius, Princeps Iturææ. Strabo lib. 16. ait, hujus Principis fuiſſe Ituræam, Marſyan, Heliopolin, & Chalcidem civitatem in Syria. Poſt hujus mortem Lyſaniam filium ejus harum regionum principatum ac dominium obtinuiſſe, Joſeph. lib. 14. cap. 23. Tales parvi Principes habebant ditiones ſuas ex mera gratia Romanorum Imperatorum, & tantiſper illarum erant domini, quamdiu Cæſaribus placuit. Hinc Dio ſcribit lib. 49 etiam hunc Lyſaniam favore Antonii ad regnum Iturææ emerſiſſe: ab eodem autem non multo poſt in gratiam Cleopatræ interemptus eſt, Joſeph. lib. 15. 4. Lyſanias iſte regiam ſedem ſuam habebat in civitate Abila, quæ fuit in Syria, quam Plinius Tetrarchiis accenſet, quæ decem urbibus, quæ Decapolis vocabantur, permiſtæ, non procul à monte Libano ſitæ erant. Cum vero plures eſſent urbes Abila dictæ, ad diſtinctionem ab aliis hæc nomen à Lyſania accepit. Joſephus Abilam ponit in Peræa, 60 ſtadiis diſtantem à Jordane, è regione Jerichuntis. Mors hujus Lyſaniæ incidit propemodum in 30 annum ante Chriſti nativitatem, à quo tempore ejus ditiones diverſimode adminiſtratæ fuerunt. Primum eas tenuit Cleopatra; poſt ejus mortem eas occupavit Auguſtus, & Zenodoro cuidam pro certa æris ſumma elocavit, ut ſcribit Joſephus. Ut mortuus eſt Zenodorus, Auguſtus Tetrarchiam iſtam Herodi dedit, annis ferme 20. ante natum Chriſtum. Mortuo Herode, Auguſtus partem hujus ditionis filio ejus Philippo adjecit. Quid vero alteri parti fecerit Auguſtus, neque apud Joſephum, neque apud ullum ſcriptorem illorum

illorum temporum memoratur. Sed Lucas hoc loco nos docet, quendam nomine Lyſaniam illam Tetrarchiæ partem & quidem Abilenem ipſam tenuiſſe, qui eam conſecutus eſt, vel à Tiberio, vel, quod probabilius eſt, ab Auguſto. Quidam ſentiunt hunc Lyſaniam eſſe interempti illius Lyſaniæ filium; quod non eſt veriſimile, ut filius Patri tam ſero poſt ipſius mortem in regno ſucceſſerit. Nam à cæde Lyſaniæ uſque ad 15 annum Tiberii ſunt pluſquam 60 anni. Credibilius eſt, caſu factum, ut tam brevi ſpatio regio illa duos dominos habuerit, qui idem Lyſaniæ nomen geſſerint. Quando Lyſanias iſte mortuus ſit; ſciri nequit: hoc tamen conſtat, decem ferme annis poſt Tetrarchiam iſtam ad poſteros Herodis fuiſſe devolutam. Scribit enim Joſephus lib. 18. Cajum Agrippæ multiſque aliis etiam Tetrarchiam Lyſaniæ contuliſſe, nempe Abilenem, quæ olim poſſeſſa fuit à Lyſania Ptolomæi filio, recentius autem ab hoc Lyſania, de quo Lucas.

Verſ. 2. *Sub Pontificibus Maximis Anna & Caiapha, factum eſt verbum Domini ad Johannem Zachariæ filium, in deſerto.*] Quod tunc temporis Joſephus cognomento Caiphas ſolus Pontifex Maximus fuerit, & officio hoc reipſa functus ſit, liquet ex Joſepho lib. 15. cap. 3. Hallucinantur proinde, (inter quos etiam eſt Auguſtinus tract. 49. in Joh.) qui exiſtimant, uti in multis aliis rebus illa tempeſtate magna fuit morum inter Judæos corruptio, Legiſque neglectus, ita & hic contra Legem plures ſimul Pontifices ſummos fuiſſe electos: ideoque hoc loco à Luca utrumque Annam & Caipham Pontifices Maximos appellari. Verum neque apud Joſephum, neque in Thalmude, neque in ullo alio Judæorum ſcripto extat vel minimum ejus rei indicium, quod unquam duo Pontifices Maximi, in ſummo gradu ita dicti, ſimul fuerint, & ſimul munus iſtud adminiſtraverint. Potius in Thalmude leguntur hæc verba: *Non ungebant binos in Pontificatum ſimul.* Et Rabbi Maimon inquit: *Non conſtituebant binos ſimul Pontifices.* Alii volunt, Annam ideo Pontificem Maximum dici, quia Vicarius ſummi Pontificis fuerit, qui ſubibat partes Pontificis Maximi, quando ſe Pontifex Max. forte aliqua immunditie polluerat. Sicut Joſephus Ellemi filius, qui Pontificis Maximi Matthiæ Theophili filii uno die, nempe die Expiationis, Vicarius erat, apud Joſephum ὑπερθύτης dicitur lib. 17. cap. 8. De qua ſententia vide Joſephum Scaligerum in Prolegomenis Theſauri temporum, Caſaubonum exerc. 12. §. 4. & 5. l'Empereur ad tit. Talmud. Middoth p. 180. Sic etiam in Commentariis Rabbinorum Vicarius ſummi Pontificis Pontifex Maximus vocatur. An vero Annas unquam Caiphæ generi ſui Vicarius fuerit, nuſquam legitur, neque etiam probabile eſt, cum ſenio & auctoritate apud populum Caipha eſſet longe ſuperior. Hoc certum eſt, non tantum eos, qui Pontificatum ſummum actu gerebant, ſed etiam eos, qui aliquando hoc munere functi ſunt, etſi dignitate illa exutos, tamen nomen ac titulum Pontificis Maximi retinuiſſe. Vide quæ diximus de eo ad Matth. 26. 3. De ejuſmodi Pontificibus ſummis loquitur Joſephus, cum ait lib. 20. cap. 6. etiam *Pontifices Maximos cum aliis Sacerdotibus ac præcipuis civibus diſcordes fuiſſe.* Quanquam per Pontifices ſummos etiam Principes familiarum Sacerdotalium (de quibus vide ad Matth. 2. 4.) queunt intelligi. Et lib. 2. de bello cap. 20. inquit, Numidium Quadratum Præſidem Syriæ ad Cæſarem miſiſſe *duos Pontifices ſummos Jonathanem & Ananiam*, paulo ante autem ſolum Jonathanem vocat Pontificem ſummum. Atqui tunc Ananias fuit verus & proprie dictus Pontifex Maximus, ut ex lib. 20. cap. 3. & 5. patet: Jonathani autem jam dudum abrogatum erat officium atque ademptum. Quemadmodum igitur Joſephus Jonathanem & Ananiam conjunxit, & eodem titulo ſummi Pontificis utrumque ornavit: ita hic quoque Lucas Annam cum Caipha conjungit, & utrumque vocat Pontificem Maximum, ideo quod Caiphas actu ipſo eſſet in officio, Annas vero olim fuerit, prout ad Matth. 26. verſ. 3. ex Joſepho demonſtravimus. At quæritur, cum Caiphas tanquam reipſa Pontifex, primas habuerit præ Anna, cur Lucas nihilominus Annam priori loco nominet, adeoque eum Caiphæ anteponat. Verum dubium nullum eſt, Annam in maxima fuiſſe auctoritate apud populum, & majori quidem quam Caiphas, non modo propter ætatem, & ſapientiam, nec non propterea, quod quinque haberet filios, qui omnes Pontifices Maximi fuerunt, ſed etiam quod Caiphæ ſocer eſſet Johan. 18. 13. Sed porro quæri poteſt: cum Annas non proxime ante Caipham Pontificatum geſſerit, ſed aliquot alii inter Annam & Caipham interceſſerint Pontifices, qui fiat, quod Lucas hunc Annam nominare maluerit, quam alium, qui proxime Caipham in Pontificatu præceſſerat, cum is adhuc in vivis eſſet? Cauſa ejus rei hæc ipſa eſt, quam modo indicavimus, quod Annas ſummæ fuerit auctoritatis præ aliis omnibus, qui unquam hoc munere functi ſunt: præſertim ſi Baronii admittatur ſententia, qui contendit, Annam tunc Principem Synedrii fuiſſe, Caipham autem tantum Patrem Synedrii; quæ duæ dignitates gradu uno diſtabant, & hæc poſterior priori minor erat. Hinc factum, ut & Chriſtus primo ad Annam, & poſtea demum ad Caipham vinctus duceretur, Johan. 18. 13. Sed hæc res magis conjectura, quam certis rationibus innixa eſt.

Factum eſt verbum Domini ad Johannem.] Id eſt, Deus mandavit Johanni, ut munus ſuum auſpicaretur. Hebraiſmus eſt crebro uſurpatus, Eſai. 38. 4. Jerem. 1. 2, 4. & alibi. Mandatum hoc ſine dubio per vocem divinam factum eſt, ut Moſi contigit, Exod. 3. 4. Samuëli 1 Sam. 3. 10. & alibi.

In deſerto.] Ubi à juventute verſatus eſt, & ad tam ſanctum munus ſe accinxit ac paravit. Supra Cap. 1. 80.

Verſ. 3. *Et venit in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans baptiſmum pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum.*] Non in uno loco tantum baptiſabat, ſed in pluribus ad Jordanem, modo in Bethabara, modo in Ænon prope Salim, Johan. 1. verſ. 28. 111. 23. Quocunque autem loco erat, confluebat ad eum populus illius tractus.

Verſ. 4. *Ut ſcriptum eſt in libro ſermonum Eſaiæ Prophetæ, dicentis: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.*] Horum

verborum explicationem pete ex Matth. 3. verſ. 3.

Verſ. 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & quæ curva ſunt, fient recta via, & aſperæ viæ fient planæ.*] Lucas allegat locum Eſaiæ Prophetæ aliquanto prolixius (& quidem verbis ipſiſſimis LXX Interpretum) quam Matthæus & Marcus: qui contenti fuerunt, locum Prophetiæ tantum indicaſſe; at Lucas omnia, quæ ad hanc rem pertinebant, huc afferre operæpretium duxit. Significat autem illo loco Eſaias ſenſu literali, omnia jam eſſe parata ad reducendum è Babylone Iſraëliticum populum in Patriam: myſtico ſenſu vero ad annunciandam redemtionem à ſervitute peccati ac mortis; quæ ſervitus per illam corporalem adumbrata fuit. Sumptaque eſt in his verbis ſimilitudo à Magnatibus, Regibus, ac Principibus, quibus quando itinera faciunt, viæ adornantur, ut ſicubi vallis ſit ac fovea, illa impleatur, ſicubi collis vel ſtipes occurrat, è medio tollatur; ſi via per anfractus ducat, recta efficiatur; ſi ſalebroſa & lapidoſa ſit, ab omnibus obſtaculis repurgetur. Notandum autem eſt, in verbis verſ. 5. locutione Hebræa futurum poſitum eſſe pro Imperativo, ita ut hic non prædicetur, quid futurum ſit, ſed præcipiatur, quid fieri debeat. Quaſi dicat Propheta & Euangeliſta: Omnes valles complete, omnes montes ac colles humiliate &c. Nempe myſtico ſenſu officium hominum his dictis indicatur, qui ex animis ſuis omnia illa impedimenta peccatorum evellere & eradicare debent, quæ cœleſtem Chriſti doctrinam remorari & inefficacem reddere queant.

Verſ. 6. *Videbitque omnis caro ſalutem Dei.*] Id eſt, hoc ſalutare beneficium palam in conſpectu omnium hominum perficietur; quemadmodum liberatio illa è Babylone. *Caro* ſumitur pro homine: ut Matth. 19. 6. Vide ibidem. Depromſit autem & hæc verba Lucas è LXX Interpretibus. Ante quæ verba apud Eſaiam legitur: *Nam gloria Domini manifeſtabitur*; quæ verba Lucas prætermiſit.

PARS II.

Verſ. 7. *Dicebat ergo turbis exeuntibus, ut baptiſarentur ab ipſo: Progenies viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?*] Hæc uſque ad verſ. 10. declarata ſunt ad Matth. 3. 7, 8, 9, 10.

Progenies viperarum.] Johannes ideo tanta verborum acrimonia utitur, quia populo admixti etiam erant Phariſæi & Sadducæi, qui inprimis indigebant, ut hoc mordaci reprehenſionis ſale defricarentur. Vide Matth. 3. 7.

Verſ. 8. *Facite igitur fructus dignos pœnitentia: & ne cœperitis dicere apud vos ipſos: Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, poſſe Deum etiam ex lapidibus iſtis ſuſcitare liberos Abrahamo.*] Ne cœperitis dicere, id eſt, ne dicatis. Vox enim incipiendi non poteſt hic aliam habere ſignificationem. Qui loquendi modus inprimis Lucæ familiaris eſt. Vide Cap. 4. 21. v. 21. VII. 15, 38. XIII. 25. XIV. 9. Actor. 1. 1.

Verſ. 9. *Jam vero & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excinditur, & in ignem mittitur.*

PARS III.

Verſ. 10. *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus?*] Hæc uſque ad verſ. 16. cæteri Euangeliſtæ omiſerunt. Deſcribit autem hic Lucas effectum prædicationis Johannis, quid illa in auditoribus præſtiterit. Ac primum quidem, narrat, quomodo populus in genere (id eſt, non pauci è populo) eum interrogarint, de modo ac ratione vitæ ſuæ ad præſcriptum ipſius inſtituendæ. Haud abſimili modo interrogant etiam Judæi poſt præclaram illam Concionem à Petro habitam, Actor. 2. 37, *Quid faciemus, viri fratres?* Hominibus iſtis, qui per longam conſuetudinem peccandi prorſus depravati erant, haud ſufficiebat generalis prædicatio Johannis ad ferendos fructus pœnitentia dignos, ſed poſtulabant ſpecialiorem vitæ ſuæ informationem.

Verſ. 11. *Reſpondens autem dixit eis: Qui habet duas tunicas, tradat non habenti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.*] Ne cogitarent, ſe ſacrificiis & multiplici ablutione, ac aliis ceremoniis, iram divinam poſſe effugere, indicat Johannes veras virtutes ad id requiri. Inter quas familiam ducit Charitas, *quæ tegit multitudinem peccatorem*, 1 Petr. 4. 8. Et Chriſtus ait: Infra Cap. 11. 41. *Date eleemoſynam & omnia vobis munda erunt.* Duo autem opera Charitatis hic Johannes expreſſit, quæ ad beneficentiam ſpectant, ex qua potiſſimum charitas cognoſcitur. Mandat enim eis, ut aliorum defectus ac egeſtatem ſublevent ſua abundantia, vel, ut Paulus loquitur, 2 Cor. 8. 14, ut quod illis ſupereſt, ſuppleat id quod aliis deeſt. Hæc eſt optima liberalitatis regula, quæ neque naturalem noſtri curam nobis ſubtrahit, neque nos patitur per delicias abuti iis, quorum penuria alii miſerabiles vivant. Idque Johannes declarat duobus exemplis, de veſtitu, & de cibis, quæ duo potiſſimum hominibus ad ſuſtentandam vitam ſunt neceſſariæ, & in quibus etiam ut plurimum peccatur, dum in iis tam anxie homines abundare ſtudent. Vide infra Cap. 16. 19, 20. ubi dives à pretioſis veſtibus, & opipara vita, Lazarus autem à fame extrema deſcribitur. Hinc ergo manifeſtum eſt, cum Johannes duarum tunicarum hic mentionem facit, non hanc eſſe ejus mentem, quaſi illicitum ſit homini uni duas habere tunicas (quod enim Petrus & Paulus id non ita intellexerint, ex eorum exemplo patet, Actor. 12. 8. 2 Tim. 4. 13.) ſed tantum indicat, non licere nobis tunc abundare, quando videmus alios egeſtate premi. Sic etiam verba, *Qui habet eſcas*, de ſuperfluis tantum intelligenda ſunt.

Verſ. 12. *Venerunt autem & publicani, ut baptiſarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus?*] Publicani iſti erant Judæi, qui à Romanis adhiberi ſe patiebantur ad vectigalia ac tributa exigenda.

Verſ. 13. *Ipſe vero dixit eis: Nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis, exigite.*] Præter generalia præcepta & regulas vitæ, quæ ad omnes homines in univerſum ſpectant, ſunt etiam particulares unicuique ſtatui, ordini ac vocationi, doctrinæ tradendæ, ut ad

ut ad agnitionem eorum peccatorum, quibus potiſſimum urgentur ac inquinantur, queant pervenire. Solebant autem publicani à mercatoribus, ab itinerantibus, & ab illis, quibus jure cum illis agere incommodum erat plura extorquere, quam illis à magiſtratu erat conſtitutum. Nimirum volebant ſcire publicani, num ipſis prorſus interdicturus eſſet Johannes, hac functione vectigalia exigendi, quandoquidem Judæorum plurimi pro re abominanda ducebant, tributa pendere extraneæ poteſtati, & ob hanc ſolam cauſam publicanos tanquam homines impios, quibuſcum nullum haberi debeat commercium, deteſtabantur. Sed Johannes, qui etiam hac in parte laudabilis Chriſti præcurſor fuit, diſtinxit pulchre peccata & abuſus, qui in omni ſtatu ac genere vitæ reperiuntur, ab ipſo ſtatu ac vitæ genere, dum oſtendit, ſua præcepta publicæ tranquillitati non adverſari, quam Deus in tanta hominum malitia talibus mediis conſervatam vult, ad quæ tributa & vectigalia omnino requiruntur. Quod autem Johannes hic publicanis inculcat, idem ſine dubio etiam Herodi omnibuſque aliis Regibus dixiſſet, ſi ita tuliſſet occaſio, & ſi eum rogaſſent. Quod enim publicanis etiam leges civiles prohibent, idem prohibet Regibus lex naturæ & lumen rationis, ne ſcilicet plus à ſuis ſubditis tributorum ac vectigalium exigant, quam neceſſitas & communis pacis ac ſecuritatis retinendæ ratio poſtulat.

Verſ. 14. *Interrogarunt autem eum etiam milites; dicentes: Et nos quid faciemus? Et dixit eis: Neminem concutite, neque calumniamini, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*] Milites iſti quoque erant Judæi, qui vel Herodi vel Philippo vel Romanis militabant. Ut autem ad præſidia ſe adhiberi à Magiſtratu Ethnico haud recuſabant Judæi: ita non bene poterant ſalva conſcientia in acie & caſtris militare. Nam die Sabbathi vetitum eis erat in Lege arma ferre, & longinqua facere itinera: neque etiam inter homines Ethnicos poterant omnimodam in cibo aliiſque rebus munditiem ſecundum Legis tenorem ſervare. Nihilominus teſtis eſt Joſephus, Judæorum plurimos ſub Alexandro Magno meruiſſe ſtipendia, ea tamen Lege, ne cogerentur quicquam conſcientiæ ac religioni ſuæ adverſum facere.

Neminem concutite.] Gr. μηδένα διασείσητε, id eſt, nemini vim manifeſtam inferte. Nihil aliud hoc *concutiendi* verbo ſignificatur, quam territ ndo ac metum incutiendo nummos aut aliud aliquid ab hominibus extorquere: quod militibus facere ſolenne eſt.

Neque calumniamini.] Solent milites non raro, quando vim alicui intulerunt, falſas & fictas prætendere cauſas, eoſque criminari quos violarunt, ut aliquo juris colore injuſtitiam ſuam tegant. Atque hoc denotat Græcum verbum συκοφαντῆτε, quod etiam infra cap. XIX. 8, hoc ſenſu accipitur. Hæc ſcelerata agendi ratio eſt egregie in illa bene nota fabella depicta, quæ tradit lupum devoraſſe ovem ideo, quod aquam turbaret ſibi in ſuperiori fluminis parte bibenti.

Contenti eſtote ſtipendiis veſtris.] Græca vox ὀψώνια non ſolum ſtipendium ſignificat, ſeu æs quod militibus ſolvitur, ſed omnia quoque, quæ ipſis pro eorum labore ac ſervitio dantur, ut ſunt panis, vinum, veſtitus &c. Ut ergo publicanis præcepit Johannes, ne plus exigant ab hominibus, quam eis injunctum erat: ita præcipit quoque militibus, ut conſtituta ſibi à Magiſtratu mercede contenti vivant. Nimis enim notum eſt, quam mille modis furandi ac rapiendi inſtructi ſint milites: & pleriſque in ore eſt illud dictum, quod ſatius ſit rapto vivere, quam, quo vivas, non habere.

Ex eo, quod Johannes Baptiſta militibus non præceperit arma prorſus deponere, ſed tantum ut in ſuo ſtatu ac vocatione modeſte ſe gerant, non poteſt ullum ſumi argumentum, quod militare genus in regno Chriſti permiſſum ſit. Johannis enim munus non erat, præſcribere ſublimia regni Chriſti præcepta (quod ipſe demum Chriſtus facere debuit) ſed tantum animos hominum ita ad adventum Chriſti præparare, ut illa deponerent vitia, quæ nec cum illo ipſo ſtatu convenichant, in quo quiſque degebat, quæque ipſorum propria conſcientia improbabat.

PARS IV.

Verſ. 15. *Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Johanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus.*] Cum dicitur, populum expectaſſe, videtur eſſe abrupta oratio, & ſubaudiendum, quod expectaverit, quorſum res cum Johanne evaſura eſſet; quid Deus tandem cum illo eſſet acturus.

Ne forte ipſe eſſet Chriſtus.] Expectatio illa fuit cum hæſitatione & vacillanti animo conjuncta. Summa ejus ſanctitas injiciebat eis cogitationem, annon is eſſet Meſſias: contra vero externa ejus forma & habitus, qui nullo modo conveniebat cum eo ſtatu, quem in Meſſia augurabantur & animo præſumebant, cogitationes illas rurſus repellebat. Potuiſſent autem facile ex eo cognoſcere, illum non eſſe Meſſiam, quod non ex tribu Judæ, ſed ex Aaronica familia, atque adeo ex tribu Levitica eſſet oriundus. Supra cap. 1. 5.

Verſ. 16. *Reſpondit Johannes, dicens omnibus: Ego quidem baptizo vos aqua, ſed venit, qui validior me eſt, cujus non ſum dignus ſolvere calceamentorum corrigiam: ipſe vos baptiſabit Spiritu Sancto & igne.*] Dixit id Johannes demum, poſtquam primores Judæorum moti variis ac crebris populi ſermonibus, miſerunt ad eum Sacerdotes ac Levitas, ſciſcitantes, quis eſſet, ut Johannes Euangeliſta narrat cap. 1. 19. Factumque id eſt poſt Chriſti baptiſmum: ſed Lucas non ſine cauſa id hoc loco narravit, ubi famæ de Johanne ſparſæ mentionem fecit, ut conſtaret, tum quid ipſe de ſe ſenſerit ac ſentiri voluerit, tum quid populus de eo ſparſerit. Sic etiam infra non ſervavit ordinem temporis, cum verſ. 19 captivitatem & carcerem Johannis ante baptiſmum à Chriſto ſuſceptum deſcribit. Voluit enim prius totam hiſtoriam de Johanne abſolvere, ut poſtea poſſet non interrupta ſerie Chriſti acta referre. Id quod etiam præſtantiſſimi hiſtorici facere amant.

Ego quidem baptiſo vos aqua.] Explicationem horum verborum uſque ad verſ. 18, habes ad Matth. 3. verſ. 11, 12.

Verſ. 17.

Vers. 17. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & perpurgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inexſtinguibili.*

Vers. 18. *Multa igitur etiam alia exhortans, evangeliſabat populum.*] Euangeliſabat, pro ſimpliciter erudiebat populum, multas bonas & utiles doctrinas eis tradens. Hebraica eſt locutio: ut & Act. VIII. vers. 25, 40. XIV. 21.

PARS V.

Vers. 19. *Herodes autem Tetrarcha cum argueretur ab eo de Herodiade uxore Philippi fratris ejus, deque omnibus, quæ fecit, malis Herodes.*] Hiſtoria de nece Johannis à nobis examinata eſt ad Matth. XIV. 3.

De omnibus malis quæ fecit Herodes.] Repetitur nomen Herodis, loco pronominis: more Hebræorum. Ex quo cerni poteſt, quam nullarum virium ſit illud argumentum, quod nonnulli ſumunt ad probandam pluralitatem perſonarum in ſuprema Deitate, ex loco Gen. XIX. 24. *Pluit Dominus ſulphur & ignem à Domino ex cœlo:* quaſi ſenſus ſit, Dominum Filium pluiſſe à Domino Patre. Quod argumentum tanti momenti olim habitum eſt, ut in quodam Concilio (nempe Syrmienſi apud Socratem Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 30.) canon ejuſmodi concinnatus ſit: *ſi quis illud, pluit Dominus à Domino, non de Patre ac Filio accipit, ſed eundem à ſeipſo depluiſſe dicit, anathema ſit.* Inſcitia linguæ Hebraicæ eſt mater hujus & plurium ſimilium errorum in illis Doctoribus veteris Eccleſiæ. Hæc enim verba nihil aliud ſibi volunt, quam, Dominus pluit à ſeipſo, ſulphur & ignem: quod illi damnant. Hoc patet ex ſimilibus locutionibus. Ut 1 Sam. 3. 21. *Dominus revelatus eſt Samueli in Silo, ſecundum verbum Domini*, id eſt verbum ſuum. Item 1 Reg. 8. 1. *Tunc congregari juſſit Salomon Seniores Iſraëlis ad Regem Salomonem* (ita habet textus Hebræus) id eſt, ad ſe. Item Dan. IX. 17. *Exaudi, Deus noſter, orationem ſervi tui propter Dominum*, id eſt, propter teipſum. Sic etiam 2 Tim. 1. 18. *Det ei Dominus, ut inveniat miſericordiam apud Dominum*, id eſt, apud ſe. Vide etiam Gen. 1. 27. 1 Reg. 10. 13. XI. 9. Zach. 1. 17. VIII. 9. 1 Cor. 1. 7, 8. 1 Theſſ. 1. 9. 2 Theſſ. 1. 7, 8. In quibus omnibus locis nomen repetitum ponitur loco pronominis relativi.

Vers. 20. *Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Johannem in carcere.*

PARS VI.

Vers. 21. *Factum eſt autem cum baptiſaretur omnis populus, & Jeſus baptiſatus eſſet & oraret, ut aperiretur cœlum.*] Hæc verba uſque ad vers. 23 expoſita ſunt ad Matth. 3. 16, 17.

Et oraret.] Chriſtus exemplo ſuo docuit, ſub tempus baptiſmi orandum eſſe, quod etiam in Veteri factitatum eſt Eccleſia.

Vers. 22. *Et deſcenderet Spiritus Sanctus corporea ſpecie, tanquam columba, ſupra eum, & vox de cœlo fieret, dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.*

PARS VII.

Vers. 23. *Et ipſe Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta, filius (ut putabatur) Joſephi, filii Heli.*] Verbum *incipiebat* hic vim non habet ullam; neque enim vult dicere Lucas, Chriſtum cœpiſſe demum agere triginta annos, vel trigeſimum annum ætatis Chriſti inchoatum tunc eſſe. Sed eſt Hebraiſmus apud Lucam potiſſimum uſitatus. Vide & Matth. XI. 7. Quare nihil aliud hic ſibi vult Lucas, quam, *Jeſus erat quaſi triginta annorum*; ſcilicet cum baptiſmum ſuſciperet.

Hoc loco quæſtio ſe offert difficilis. Nimirum juxta unanimem Veterum traditionem hodie creditur, Johannem Baptiſtam munus ſuum inchoaſſe die 6 Novembris anni 15 Tiberii, qui incidit in annum Jul. 73 duobuſque menſibus poſt, videlicet 6 Januarii in anno Jul. 74 Chriſtum à Johanne eſſe baptiſatum. Jam ſi Chriſtus natus eſt, die 25 Decemb. in anno Jul. 40, prout ſupra ex Johanne Keplero demonſtravimus, ſequetur, Chriſtum ſub tempus id, quo baptiſatus eſt, annos natum fuiſſe 33 & dies 12. Quomodo igitur hoc cum Luca conciliari poteſt, qui Chriſto tantum triginta annos tribuit? Animadvertendum eſt, Lucam non dicere ſimpliciter, Jeſum triginta annorum fuiſſe, ſed ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, *quaſi triginta annorum.* Vocula autem ὡσεὶ, *quaſi*, quando numero alicui apponitur, indicat, numerum illum non exacte & plene ſumendum eſſe, ſed aliquid ei deeſſe, vel etiam redundare. Ita etiam vocula iſta uſurpatur ſupra cap. 1. vers. 56. *Maria manſit apud eam quaſi tres menſes*, id eſt, aliquanto plus vel minus, quam tres menſes. Et Johannes ait cap. 19. 39. *Venit & Nicodemus ferens miſturam myrrhæ & aloës libras quaſi centum*: id eſt, plus vel minus aliquid, quam centum. Sic etiam Joh. VI. 10. *Diſcubuerunt viri numero quaſi quinque millia*: id eſt, paulo plus vel minus, quam quinque millia. Quouſque autem licitum ſit vim hanc voculæ ὡσεὶ, *quaſi* extendere, id ex uſu familiari loquendi petendum eſt. Duo ſunt genera numerorum. Alii ſunt rotundi, qui in fine habent additam cyphram o, & per decem dividi poſſunt: ut v. g. 10. 20. 30. 60. 100. 200. 500. 1000. 3000. 5000: alii non. Quando igitur numerum aliquem non adeo exacte, ſed indefinite proferre volumus, rotundum numerum ponimus, & *quaſi decem* dicimus, quicquid ſupra 5 & infra 15 eſt: *quaſi viginti*, quicquid ſupra 15 & infra 25 eſt: *quaſi triginta*, quicquid eſt ſupra 25 & infra 35: *quaſi quinque millia*, quod eſt ſupra 4500, & infra 5500. Vide etiam Luc. XXII. 59. Et Luc. 23. 44. Confer cum Mar. 15. 33. Alia ratio eſt numerorum, qui non ſunt rotundi; ut in exemplo cum dicimus, ὡσεὶ, *quaſi* vel circiter *viginti octo*, aut *quaſi triginta duo*, indicat vocula ὡσεὶ, *quaſi*, non totum annum, ſed tantum aliquot paucos menſes vel dies numero 28 vel 32 annorum deeſſe, aut ſupereſſe. Ex quo jam manifeſtum eſt, cum Lucas ætatem Chriſti voluerit rotundo numero efferre per 30, eum optime ac merito dicere potuiſſe, *quaſi triginta*, etſi Chriſtus jam plenos 33 annos natus fuerit. Neque eſt cauſa ulla, cur objiciatur huic interpretationi,

tioni, quod per eam Lucæ gravis error vel falſitas adſcribatur. Hac ratione enim etiam Johannes falſi accuſandus eſſet, dum numerum quaſi quinque millium virorum poſuit, etiamſi potuerint 300 vel 400. plures vel pauciores fuiſſe. Item cum ait cap. VI. 19 diſcipulos remigaſſe *quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta*: ubi nihil dubitat, eandem viam quaſi viginti quinque ſtadiorum, & ſimul etiam quaſi triginta ſtadiorum dicere. Deinde Lucas ipſe falſitatis redarguendus eſſet, cum cap. IX. 28 inquit, *quaſi octo dies*, cum tamen Matth. XVII. 1 tantum ſex dies numeret: nempe *quaſi octo dies* ſunt Lucæ idem quod ſex dies. Si ergo abſque errore ac falſitate numerum ſex addita vocula ὡσεὶ, *quaſi*, tertia pene parte augere potuit, & octo pro ſex ponere: cur non hic quoque potuerit, undecima parte minorem juſto & vero numerum, id eſt, triginta pro triginta tribus ponere? Egitque hic Lucas ſatis circumſpecte, dum particula ὡσεὶ, *quaſi* uſus eſt: ea enim aperte indicavit, ſe numerum annorum Chriſti non præciſe & exacte, ſed laxe accipere, & rotundo numero eum extuliſſe.

Videtur autem Lucas non abſque cauſa ætatem Chriſti hic deſcribere. Nam ex 1 Paral. XXIII. 3 liquet, Levitas ante trigeſimum ætatis annum munus ſuum perfecte obire non potuiſſe; quanquam tempus tyrocinii eorum inchoaretur ab anno 25 ut legere eſt Num. VIII. 24. Ad hanc normam nullus etiam Prophetarum vel Doctorum, vel Sacerdotum ante impletum annum trigeſimum ſolebat munus ſuum auſpicari. Cum ergo Chriſtus in omnibus tum legem, tum laudabiles Judæorum conſuetudines obſervarit, dubitandum neutiquam eſt, eum ante plene exactos triginta annos ætatis ſuæ functionem muneris ſui haud eſſe aggreſſum. Quocirca omnino credibile eſt, Lucam vocula ὡσεὶ, *quaſi* potius pluſquam triginta annos, quam minus indicare voluiſſe.

Filius Joſephi, filii Heli.] Inter genealogiam, quam hoc loco deſcribit Lucas, & eam, quæ à Matthæo cap. 1 deſcripta eſt, magna eſt diſcrepantia, dum Lucas à Davide prorſus alios Joſephi majores recenſet, quam Matthæus. Matthæus enim deſcribit poſteros Salomonis, Lucas poſteros Nathanis, qui fuit frater Salomonis. Ut vero hæc diſcrepantia evidentius pateat, & conciliatio ejuſdem commodius inſtitui poſſit, genealogiam unam juxta alteram hic ponemus, & utramque junctim exhibebimus.

Matthæus.	Lucas.
1 *Abrahamus.*	
2 Iſaacus.	
3 Jacobus.	
4 Judas.	
5 Phares.	
6 Eſrom.	
7 Aram.	
8 Aminadab.	
9 Naaſſon.	
10 Salmon.	
11 Boos.	
12 Obed.	
13 Jeſſei.	
14 David.	
1 *Salomon.*	15 Nathan.
2 Roboam.	16 Mattatha.
3 Abia.	17 Mainan.
4 Aſa.	18 Melea.
5 Joſaphat.	19 Eliakim.
6 Joram.	20 Jonan.
7 Ozias.	21 Joſeph.
8 Joathan.	22 Juda.
9 Achas.	23 Simeon.
10 Ezechias.	24 Levi.
11 Manaſſes.	25 Matthat.
12 Amon.	26 Jorim.
13 Joſias.	27 Eliezer.
14 Joakim.	28 Joſeph.
1 *Jechonias.*	29 Er.
2 Salathiel. } *	30 Elmodam.
3 Zorobabel. }	31 Koſam.
4 Abiud.	32 Addi.
5 Eliakim.	33 Melchi.
6 Azor.	34 Neri.
7 Sadok.	35 Salathiel. } *
8 Achim.	36 Zorobabel. }
9 Eliud.	37 Reſa.
10 Eleazar.	38 Johanna.
11 Matthan.	39 Juda.
12 Jacob.	40 Joſeph.
13 Joſeph.	41 Semei.
14 CHRISTUS.	42 Matthat.
	43 Naggai.
	44 Eſli.
	45 Naum.
	46 Amos.
	47 Mattathias.
	48 Joſeph.
	49 Janna.
	50 Melchi.
	51 Levi.
	52 Matthat.
	53 Heli.
	54 Joſeph.
	55 CHRISTUS.

Ex hac antitheſi utriuſque genealogiæ videre eſt, utrique Euangeliſtæ ab Abrahamo uſque ad Davidem in recenſione majorum Joſephi ac Chriſti bene convenire. A Davide vero oritur diſcrepantia, dum Matthæus majores Joſephi à Salomone, Lucas vero à Nathane fratre ejus numerat & arceſſit: ita ut Joſephus vir Mariæ juxta Matthæi narrationem Jacobi, juxta Lucæ autem Heli filius ſit. Hoc diſſidium inter Euangeliſtas ſtuduerunt impenſe eruditi omnium temporum componere. Neque ſane immerito: quia hoſtes religionis Chriſtianæ ex eo ſumebant anſam Sacra ſcripta N. T. tanquam falſa & commentitia blaſphemandi. Illi vero vix audiendi ſunt, qui binomines fuiſſe omnes majores Joſephi ſtatuunt. Nam ut omnes binomines fuerint, & ut eoſdem aliis omnino nominibus appellare voluerit Lucas, quam Matthæus, creditu difficile eſt. Præterea difficultatem non ſolvunt. Plures enim Lucas enumerat Joſephi majores, quam Matthæus: & duos fuiſſe fratres, filioſque Davidis, Salomonem & Nathanem ex Sacra Hiſtoria certum eſt: (vide 2 Sam. 5. verſ. 14. 1 Par. 3. 5.) quorum alterum alterius nomine

mine vocatum esse, non fit verisimile. Nam eos, qui à Luca Nathanem Prophetam intelligi putaverunt, crasse erraſſe nimis manifestum est. Alii à Matthæo genealogiam Josephi, à Luca genus Mariæ describi censent: ita ut Josephus à Salomone, Maria autem à Nathane ortum traxerit; atque sic Josephum filium verum Jacobi fuisse, Helis autem generum autumant. Sed nec horum probabilis est sententia. Cum enim Lucas patres filiis continua serie subnectat, alio sensu dici ab eo, Josephum esse filium Heli (id est, ut hi volunt, generum) & alio Helin esse filium Matthat, (id est, ejus verum ac naturalem filium) atque ita deinceps alios, fidem neutiquam meretur. Deinde cur Lucas non expressam Mariæ potius, quam Josephi faceret mentionem, si non hujus, sed illius genus recensere volebat? Tertio in genealogiis describendis prorsus insolitum atque inauditum est, ut cujusquam genus per socerum ejus deducatur. Magis ergo vero consentaneum est, ab utroque tam Luca, quam Matthæo Josephi genus referri. Tertia sententia optime difficultatem tollere videtur, adeoque reliquis omnibus præferenda est, ad quam Africanus perantiquus scriptor, qui non multum supra 200 annos post Christum natum vixit, viam commonstravit. Refert enim ille, Jacobum à Matthæo commemoratum naturalem Josephi patrem fuisse, Heli, cujus Lucas meminit, legalem, hoc est, talem, qui Lege Mosaica ita jubente, censeretur pater Josephi. Nota est lex divina, in Deuteronomio expressa cap. 25. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratri suo. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ne deleatur nomen ejus ex Israële.* Quæ lex citatur etiam à Sadducæis Matth. 22. 24. Res ipsa hac lege præcepta fuit jam multo ante consuetudine, apud Israëlitarum majores recepta; ut apparet ex historia filiorum Judæ & Thamaris, quæ extat Gen. 38. Sed posterioribus temporibus hanc legem non tantum ad germanos fratres, sed etiam ad propinquos & consanguineos alios extensam fuisse, patet ex historia Ruthæ, & quidem partim ex sermone Noëmi ad nurum utramque habito cap. 1. 11 & seq. partim ex iis, quæ leguntur inferius cap. 3 & 4. Nam ex cap. 4. 10 manifestum est, Boosum more illo antiquo ac lege postulante, Rutham Mahalonis defuncti uxorem duxisse, ut suscitaret nomen defuncti in hæreditate sua, ne nomen ejus & hæreditas de familia sua ac fratribus & populo unquam deleretur; quanquam alius esset propinquior, qui ducere Rutham debuisset: sed cum is nollet, res ad Boosum devoluta est. Quanquam ne ille quidem alter, qui Rutham ducere renuit, frater germanus Mahalonis fuerit. Intelligitur & illud, ex hac Ruthæ historia, legem illam Deuteronomii, cum mentionem facit fratrum, qui simul habitaverint, non loqui de iis solum, qui in iisdem adhuc ædibus vivant; sed etiam de iis, qui eodem in oppido, imo etiam in eadem provincia habitarent, ita ut commode alter alterius uxorem ducere, & hæreditatem ejus occupare posset. Quanquam interim nihil prohibebat, quominus & alius eo jure uteretur, licet longius abesset. Sed ea videtur fuisse Legis moderatio, ut non omnino id faceregeretur, si id magno cum ipsius incommodo ob longinquitatem loci esset futurum. Quod utrumque notari ad rem, de qua agimus, rectius explicandam utile est. Interea id constituatur, si quis sine prole decesserit, uxore relicta, filium primogenitum, qui nascitur ex illa uxore ejusque fratre seu cognato, qui illam jure affinitatis duxerit, defuncti illius filium censeri, atque eo jure hæreditatem illius adire. Quare defunctus pater ipsius legalis dicitur; is vero frater seu cognatus, qui ipsum genuit, naturalis. Tradit igitur Africanus, Jacobum (Josephi patrem secundum Matthæum) & Helin (Josephi patrem secundum Lucam) fratres fuisse, non modo quia ambo ad familiam Davidicam pertinerent, cum alter, nempe Jacobus, ad Salomonis, alter vero, nempe Heli ad Nathanis stirpem spectaret: sed etiam quia fratres essent uterini. Perhibet enim ille, Matthat naturalem Jacobi patrem duxisse uxorem, quæ Estha fuerit vocata, relictam à Melchi, patre Helis; indeque factum fuisse, ut Jacob & Heli uterini essent fratres ex eadem matre Estha nati. Contigisse autem postea, ut Heli qui uxorem duxerat, prior moreretur, & Jacobus ipsius, ut diximus, frater uterinus uxorem ejus, cognationis jure, ad suscitandum fratri semen, duceret, ex eaque Josephum primogenitum susciperet, qui proinde Helis filius ex lege censeretur, licet ex Jacobo revera esset genitus. Matthæus ergo naturalem Josephi patrem, cæterosque usque ad Solomonem & Davidem majores, à quibus proprie descendit commemorat: Lucas autem cum legalem ipsius patrem commemorasset, consequenter etiam alios majores, quam quos Matthæus recensét, usque ad Nathanem & Davidem enumeravit; quia non ab illis, quos Matthæus expressit, sed ab aliis legalis ille pater descenderat. Atque hæc est summa sententiæ illius supra nominati auctoris Africani, qui eam à cognatis Domini Jesu ipsius traditam esse memorat. Hinc eam agmine facto Veteres fere omnes Ecclesiæ Doctores, nempe Justinus, Eusebius, Hieronymus, Ambrosius, Eucherius, Damascenus, Beda, Theophylactus, Nazianzenus, & alii, quos Maldonatus citat & loca è scriptis eorum annotat, (solo Augustino excepto) amplexi sunt. Et huic quidem sententiæ verba utriusque Euangelistæ valde congruunt: quandoquidem Matthæus expresse dicit, Jacobum genuisse Josephum, quemadmodum & in præcedentibus omnibus fuerat locutus; id quod naturali patri revera convenit: Lucas autem tantum dicit; Josephum fuisse Helis, & hunc rursus alterius filium, & sic deinceps; id quod jure dici potuit, quemadmodum supra vidimus, etiamsi is, qui alterius esse dicitur, ex eo revera natus non fuerit. Conveniens autem fuit admodum atque utile, ut utraque genealogia extaret, & sic ostendi posset, Christum, sive naturales, sive legales ipsius majores spectarentur, ad Davidis familiam omnino pertinere, ne ullus hac in parte Judæis tergiversandi locus relinqueretur. Nam si alterius tantum parentis seu avi ratione ad Davidis familiam pertinuisset, alterius autem ratione ad aliam, specioſe potuisset objici, Jesum non Davidis, sed alterius alicujus hominis semen habendum esse, adeo-

que

que non esse verum Messiam. Sed nunc illa tergiversatio, quod quidem attinet ad Josephi majores, duplici hac genealogia proposita, excluſa est: quandoquidem utraque ratione ad Davidem genus illius refertur. Dicimus autem, quod attinet ad Josephi majores: quia de eo, quomodo Christus ad Davidem genus suum referre possit, cum Josephus non naturalis, sed legalis ipsius fuerit Pater, quanquam perfectiori ratione, quam Heli fuerit Josephi, ostensum est à nobis ad Matth. 1. 16.

Verum hoc loco difficultas oritur haud exigua; nempe, cum diversæ sint istæ duæ genealogiæ, quarum una à Salomone, altera à Nathane ducatur; manifestum est, alteram ex diversis & prorsus aliis majoribus Christi constare debere, quam alteram. Jam vero videmus utrumque Euangelistam Salathiëlem ac Zorobabelem inter majores Christi commemorare, & quidem ita, ut secundum Matthæum Jechonias Salathiëlis Pater, & Joakim avus ejus fuerit &c. Secundum Lucam autem Neri fuerit ejus Pater, & Melchi ejus avus. Quæ difficultas non potest alia ratione melius atque facilius expediri, quam si dicatur, Salathiëlem & Zorobabelem, quorum Lucas meminit, alios esse ab iis, qui à Matthæo commemorantur. Ac de Matthæo quidem dubium non est, quin Ducem illum Judæorum celeberrimum nomine Zorobabelis intellexerit. Neque vero in eo quicquam absurdi est, statuere, alios quoque in Davidica familia viros fuisse iisdem nominibus appellatos, & quidem ita, ut Pater Patris alterius vel avi, filius filii nomen referret. Etenim satis ex Sacris Literis Veteris Fœderis constat, multos viros diversos eadem nomina habuisse. Nam & Zacharias non unus memoratur; & Azarias Rex, & Sacerdos. Sic & Micheæ plures. Et in ipsa genealogia Christi, à Luca descripta, Josephi nominantur quinque, Matthat & Levi duo, itemque Melchi & Mathatiæ, Judæ tres. Et ex historia Johannis Baptistæ (supra Cap. 1. 61.) constat, solitos fuisse Judæos liberis aut parentum, aut cognatorum, præsertim insignium, nomina imponere. Jam ergo cum Salathiël & Zorobabel viri fuerint inter Judæos post captivitatem clariſsimi, tum suis, tum majorum suorum dignitate ac factis celeberrimi; non mirum est, quosdam in familia Nathanica eorum nomina usurpasse, ita ut cum quidam (videlicet Neri) filium suum Salathiëlem appellasset, is rursus ob memoriam insignis illius viri Zorobabelis, filium suum ejus nomine insigniret.

Vers. 38. *Filii Adami, filii Dei.*] Syrus & Arabs Metaphrastes omnibus præcedentibus majoribus Josephi vocem *filii* expresse apposuit: hic vero de Adamo inquit, *filii Adami, qui ex Deo est.* Scilicet, ne quis putaret, Adamum ex essentia Dei esse genitum, perinde ut reliqui hic memorati ex Patrum suorum essentia generati sunt. At nulla causa est, cum ad superiora omnia nomina subintelligatur *filius*, cur hic ad nomen Adami omitti vel immutari debeat. Optimo enim jure Adamus ratione creationis Dei filius dici potest. Servitque id quoque eximendo scrupulo, qui in animo alicujus ob miraculosam Christi nativitatem exoriri posset. Qui enim potuit primum hominem Adamum absque naturali Patre producere, idem ille potuit quoque efficere, ut Christus absque Patre ex virgine nasceretur, quippe qui imaginem Dei, ad quam Adamus conditus fuit, non solum ab omni impuritate peccati repurgaturus, sed etiam in longe præcellentiorem statum translaturus erat.

Observarunt etiam Veteres, cum Matthæus Euangelium suum Hebræis scripserit, eum in recensendis Christi majoribus noluisse altius ascendere, quam ad Davidem & Abrahamum, ut ostenderet, Christum Davidis & Abrahami filium, adeoque verum Messiam esse, quod Judæis satis erat. Lucas autem historiam hanc Euangelicam scripsit propter eos potissimum qui ex gentibus essent ad Christum conversi, ideoque genus Christi usque ad ipsum primum humani generis parentem deducit, ut monstret, eum bono totius humani generis esse natum, & omnibus in se credentibus jus consequendæ filiationis Dei, quod Adamus omnesque ejus posteri amiserant, conferre, idque ratione tanto excellentiori, quanto ipse etiam excellentiori modo, quam Adamus, genitus est.

APPENDIX,

Ad Caput III. *Lucæ.*

GEnealogia Christi non parum hucusque exercuit ac divexavit eruditorum ingenia: nec illa tam per se intricata ac involuta est, quam eam tractando & explicando ipsi explicatores implicarunt intricaruntque; ut videantur non inveniſse hoc loco spinas, sed secum attulisse. Maximam autem difficultatem facit collatio Matthæi cum Luca. Etsi vero plura sint inter utrumque discrimina: tamen quia minoris sunt momenti, iis immorari non est operæpretium. At hoc est longe graviſsimum: quod Matthæus genus Christi ad Davidem referat per Salomonem, Lucas vero per Nathanem: ideoque diversos utriusque posteros, & diversos Josephi mariti Mariæ patres uterque constituat. Matthæus enim ait Josephi patrem fuisse Jacobum, ejusque majores usque ad Davidem longe alios quam Lucas recenset: Lucas vero Josephi patrem ponit fuisse Helin, cujus alios quoque majores describit. Hæc difficultas nisi enodetur, tota genealogia valde suspecta redditur. Ea vero discussa, lux magna ad reliqua in hac genealogia intelligenda oboritur. Multi multifariam hunc nodum dissolvere allaborant. Illi vix audiendi sunt, qui binomines fuisse majores Josephi statuunt. Nam ut omnes binomines fuerint, & ut eosdem aliis omnino nominibus appellare voluerit Lucas quam Matthæus, creditu difficile est. Et præterea difficultatem non solvunt. Plures enim Lucas enumerat Josephi majores, quam Matthæus: & duos fuisse fratres filiosque Davidis Salomonem & Nathanem ex Sacra Historia certum est, 2 Sam. 5. 14. quorum alterum alterius nomine vocatum esse non fit verisimile. Nam eos qui à Luca Nathanem Prophetam intelligi putaverunt, crasse errasse nimis manifestum est. Alii à Matthæo genealogiam Josephi, à Luca

genus Mariæ deſcribi cenſent: & Joſephum Filium verum Jacobi fuiſſe, Helis autem generum autumant. Sed nec horum probabilis eſt ſententia. Cum enim Lucas Patres filiis continua ſerie ſubnectat, alio ſenſu dici Joſephum eſſe τοῦ ἡλὶ, & alio Helin τοῦ ματθὰτ & ſic deinceps alios, fidem vix meretur. Deinde cur Lucas non expeſſam Mariæ potius, quam Joſephi faceret mentionem, ſi non hujus, ſed illius genus recenſere volebat? Adde quod in genealogiis deſcribendis prorſus inſolitum atque inauditum ſit, ut cujuſquam genus per ſocerum ejus deducatur. Nunquam ſperaveram Spanheimium tantum virum in hanc ſententiam conceſſurum, eamque aliis omnibus prælaturum: Is vero eam in Dubiis Euangelicis magno ſtudio defendit. Sed videat an id ullo modo Judæis perſuaderi poſſit, quod Chriſtus ſit filius Davidis ratione Matris ſuæ duntaxat. Aliquem enim ex tribu Matris cenſeri inuſitatum prorſus & abſurdum eſt. Ille quidem contendit, nihil mirum eſſe, quod hic inuſitati aliquid intervenerit, cum & Chriſtus filius Virginis eſſet inuſitato modo, qui nullum in terris Patrem haberet, ſed Matrem tantum. Verum hoc incredulis Judæis fruſtra opponitur. Deinde male à nativitate inuſitata ad inuſitatam texendæ genealogiæ rationem concluditur: Nam ordinarium generationis modum ut Deus in Chriſto immutare vellet, cauſa quidem fuit ingens; ſed ut etiam uſitatum genealogiæ modum, cum is ſervari potuit, inverti, & novam rationem deducendi generis per ſoceri majores uſurpari vellet, cauſa nulla fuit, nedum ingens. Mitto illam, quam Spanheimius ſuæ ſententiæ tuendæ ergo approbat, textus Lucæ apertam torſionem, quam luculenter abſurdam eſſe per ſe liquet: dum (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς ἰωσὴφ) in parentheſi legendum cenſet. Ad hanc textus Lucæ torſionem confugit & Gerardus Joannes Voſſius Vir Doctiſſimus in Diſſertatione ſua de Genere Jeſu Chriſti. Sed hic eo non veniſſet credo, ſi intellexiſſet, quomodo Chriſtus etſi non fuerit proprie à Joſepho genitus, revera tamen potuerit Joſephi ac porro Davidis eſſe filius: quod & noſter Crellius ſatis in ſuo Commentario explicuit, & nos ſuo loco monſtravimus. Johannes Piſcator etiam hanc ſententiam primum ſecutus fuerat, ſed re melius perpenſa, victuſque argumentis, eam ingenue retractavit in ſuo ſuper Matthæum Commentario. Quo magis miror Spanheimium & Voſſium poſt lectum Piſcatorem diſſentire potuiſſe. Magis ergo vero conſentaneum eſt, ab utroque tam Luca quam Matthæo Joſephi genus referri. Optime illi difficultatem tollere videntur, qui ab altero ex Euangeliſtis naturalem Joſephi Patrem, ab altero legalem deſcribi exiſtimant. Matrem enim Joſephi duorum maritorum ſibi ſanguine junctorum uxorem fuiſſe ſtatuunt; quorum priori ſine liberis defuncto, alter ſecundum Legis tenorem (quæ extat Deut. 25. 5. confer cum Matth. 22. 24.) ſemen excitarit, filiumque ex hoc prognatum, non vivi iſtius, ſed demortui parentis nomine nuncupatum eſſe; atque ſic Joſephi alterum proprie & naturaliter, alterum ſecundum legem Patrem fuiſſe: & alterum quidem ex Salomone, alterum ex Nathane genus duxiſſe. Sed rurſus non levis controverſia inter Interpretes eſt uter Euangeliſtarum naturalem genealogiam Joſephi deſcribat, uter vero legalem. Matthæum naturalis Patris ſtirpem in ſua genealogia ſpectaſſe, Lucam vero legalis, Crellius poſt Maldonatum alioſque ex Africano antiquiſſimo ſcriptore (cujus verba citat Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 7. quemque agmine facto Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Nazianzenus, aliique Patres ſecuti ſunt) doctiſſime & ſolidiſſime deduxiſſe videtur. Verum hoc totum ex integro in dubium vocat Grotius, qui Annot. in Luc. 3. 23. ſe non conjecturis, ſed liquidis rationibus adductum, certiſſimum arbitrari ait, à Matthæo τὸ νομικὸν, à Luca τὸ φυσικὸν ſpectari. Et rationes ejus ſuum videntur habere pondus. Oſtendit enim eos qui regnum obtinuerunt, quod erat primogenitorum, privato nemine admixto, à Matthæo recenſeri. Deinde ait, Jechoniam genuiſſe Salathiëlem juxta Matthæum. Atqui eundem Jechoniam ob ſua merita ſine liberis deceſſurum prædictum eſſe Jerem. 22. 30. Quare cum eidem Salathiëli Neri parentem aſſignet Lucas, privatum hominem, Matthæus autem Jechoniam; apertiſſimum eſſe, à Luca jus ſanguinis, à Matthæo jus ſucceſſionis, & præcipue jus ad regiam dignitatem ſpectatum: quod jus ſine liberis mortuo Jechonia, & ſi qui alii erant è Salomonis poſteris, ad Salathiëlem caput familiæ Nathanis legitimo ordine devolutum ſit. Oſtendit & Lucam ad Adamum naturalem omnium ſatorem genus perducere: Matthæum autem ab Abrahamo incipere, à quo incipiunt αἱ ἐπαγγελίαι, unde jus potiſſimum oritur. Oſtendit inſuper à Matthæo non numerari perſonas, ſed generis ſummam breviter indicari. Ideo inter Joramum regem & Oziam (qui & Azarias) Achaziam, Joam, & Amaziam ſilentio ab eo tranſmiſſos, nempe ut ordini ad memoriæ facilitatem inſtituto conſuleret: quod in juris ſucceſſione demonſtranda parum refert. Nam, ut dici ſolet, hæres hæredis mei, hæres meus eſt. At qui naturalem ſeriem ſequi velit, quod facit Lucas, eum decere, de gradu ad gradum, qua ſanguis ducit, progredi; & eam ob cauſam à Luca privatæ fortunæ homines à Davide ad Salathiëlem uſque memorari, ne ab eo ordine diſcedat. Denique totum tempus à Zorobabele ad Chriſtum perſonis à Luca recitatis recte expleri; à Matthæo non item: facileque ſolvit illas objectiones, quæ à verbis ἐγέννησε & ἐνομίζετο ſumuntur. Etſi vero Grotius ſuam aſſertionem certis & liquidis rationibus fultam eſſe dicat, nimis tamen illi male timeo, ne titubet, cauſaque cadat. Principio enim ratio illa, quam urget Piſcator, nec non Calvinus, quamque nullo verbo tangit Grotius, cum tamen non videatur contemnenda, obſtat ſententiæ Grotii. Nempe quod omnino videatur Chriſtus Davidi non è Nathane, ſed tanquam ex Salomone oriundus promiſſus eſſe: ut liquet ex 2 Sam. 7. 12. & ſeqq. Ubi per ſemen, notum eſt Salomonem denotari, ita tamen ut ex eo rurſus proditurum eſſe Meſſiam ſignificetur, qui horum Davidi factorum promiſſorum menſuram perfectius adimpleret. Sic in promiſſione Abrahamo facta ſeminis voce Iſaacus ſignificatus eſt, & ſimul indicatum, ex Iſaaco aliud ſemen naſciturum, Iſaaco longe præſtantius, nempe Chriſtum. Præterea ſicut Davidi illic verbis verſ. 16.

ſe regnum

ſe regnum ac ſolium ejus ſtabile effecturum uſque in ſeculum promiſit Deus; ita ibidem verſ. 13 promiſſum eſt Salomoni, ſolium regni ejus ſtabile futurum uſque in ſeculum. Quod utrumque perfectiſſimo ſenſu in Chriſto impletum eſt: qui ut in ſolio Davidis, ita & in ſolio Salomonis (idem enim ſolium eſt) reſidet modo diviniſſimo. Uno verbo, notandum, non aliis in verbis contineri Davidi factam de Chriſto ex Davide naſcituro promiſſionem, quam dum ipſius ſemen ſeſſurum in ſolio ipſius prædictum eſt. Quæ verba ad Nathanem pertinere non poſſunt, ſed ad Salomonem. Hinc Nathan nuſquam legitur in Sacris Literis fuiſſe Chriſti figura ac typus, quod de Salomone aperte legitur, dum verba de Salomone olim prolata Chriſto accommodantur, Hebr. 1. 5, 8. Fruſtra vero ſunt, qui largiuntur quidem Salomonem typum fuiſſe Chriſti, ſed progenitorem fuiſſe negant. Hoc enim perinde eſt, ac ſi Iſaacum typum tantum Chriſti, non progenitorem eſſe aſſererent. Non ſecus enim Davidi in Salomone Chriſtus promiſſus eſt, atque Abrahamo in Iſaaco. Conſiderandum adhæc, nonniſi reſpectu iſtius de Salomone literaliter & de Chriſto ſpiritualiter intelligendæ 2 Sam. 7 promiſſionis, dici à Petro Actor. cap. 2. 30 ex fructu lumborum Davidis naſciturum Chriſtum. Ex quo apertiſſimum eſt, Salomonem non typum ſolum, ſed & progenitorem Chriſti indicari. Negari ergo nequit, Chriſtum ut ex Davidis, ita & ex Salomonis, non Nathanis ſtirpe naſci debuiſſe. At ſi Lucas, ut vult Grotius, deſcribit naturale genus Joſephi, tum ſequetur omnino, Chriſtum non ex Salomone, ſed ex Nathane ortum ducere: quod, ut monſtravimus, non videtur ullo modo eſſe admittendum. Deinde quis credat Matthæum, cum ſibi demonſtrandum ſumpſerit, quomodo Chriſtus Davidis filius ſit, omittere voluiſſe proximum illum Davidis filium prolemque ejus, ex quo Chriſtus vere ortus eſt; & hujus loco maluiſſe alium nominare ejuſque poſteros, ad quem Chriſtus ratione originis ſuæ non pertinet? Imo non video prorſus, quid Matthæo fuerit mentione Salomonis & poſterorum ejus opus, ſi ex eo non fuit natus Chriſtus, neque quoad legalem, neque quoad naturalem Joſephi Patrem. Nam utriuſque genus tam Jacobi, quam Helis, quorum alter naturalis, alter legalis Joſephi Pater fuit; ad Nathanem per Salathiëlem & Nerim Grotius refert, ut ex typo ſtemmatis Chriſti deſcripto Annot. Luc. 3 videre eſt. Quod ſi admitteretur, Salomonis & regum ei ſuccedentium mentio prorſus foret ſupervacua ad ſcopum Matthæi, qui erat, ut modo dictum, oſtendere, quomodo Chriſtus ſit Davidis filius. Quod ille hac ratione profecto neutiquam oſtendiſſet. Nec id Grotio concedendum eſt, quod à Matthæo ſimpliciter jus ſucceſſionis, non jus ſanguinis; à Luca jus ſanguinis, non ſucceſſionis reſpici ſtatuit. Nam ſi ſolam in regno ſucceſſionem ſpectaſſet Matthæus, omnes Judæ reges enumeraſſet, etiam Joachaſum & Sedeciam, quos penitus excludit. Contra vero Grotius Sedeciam in ſtemmate Chriſti repoſuit, quia ſcilicet id ipſius exigebat ſententia; ſed ex hac ratione etiam Joachaſum Joſiæ primogenitum inſerere debebat. Non vidit Grotius, Matthæo jus ſucceſſionis ita ſpectatum, ut ſimul & præcipue natalium quoque ſeriem attenderet: quod nimis manifeſtum eſt ex prima ſaltem teſſaradecade. Filios enim à patribus recta linea deſcendentes enumerat; quod & in ſecunda teſſaradecade majori ex parte apertiſſimum eſt. Cur igitur eum in reliqua controverſa genealogiæ parte ſolum jus ſucceſſionis ſine reſpectu ad jus ſanguinis obſervaſſe credamus. Itaque etiam in eo ipſo, dum nonnullos Reges memoriæ cauſa prætermittit, non ſolum ſucceſſionis, ſed & ſanguinis eum rationem habuiſſe ſtatuendum eſt. Nam ut dici ſolet, quod refert Grotius, hæres hæredis mei hæres meus eſt: ita etiam dici poteſt, ſanguis filii mei vel poſtgeniti mei etiam meus eſt ſanguis. Quare ut quod ſentio dicam, uterque tam Lucas quam Matthæus naturalem in genealogiis ſuis ſervant ordinem, uſque ad parentes Joſephi, quorum alter ex Salomone, alter ex Nathane oriundus fuit. Ideo neceſſe eſt alterum ex Euangeliſtis legalis Patris Joſephi majores percenſere, alterum Patris naturalis. Cum vero Matthæus genus Jacobi Patris Joſephi ad Salomonem deducat, id indicio eſt, Matthæum naturalem Joſephi Patrem deſcribere: quia Chriſtus, ut oſtenſum, filius Davidis ex Salomone erat naturaliter futurus. Lucas vero cum non Salomonem, ſed Nathanem fratrem ejus inter majores Helis ponat, inde colligitur, eum legalem Joſephi Patrem deſcribere. Quæ deinceps à Grotio de Jechonia & Salathiële hic tam firmiter aſſeruntur, ea etiam admodum infirma & fragilia ſunt. Exiſtimo enim id nulla ratione probari poſſe, quod Salomonis genus ante Chriſtum natum defecerit. Alii volunt illud in Ochoſia defeciſſe: ſed hoc & Grotius ipſe repudiat, & à Maldonato apud Matthæum hoc loco, & à Socino in Sacris Lectionibus eſt accurate confutatum. Nititur hæc ſententia maxime teſtimonio Philonis Judæi, cujus librum edidit Johannes Annius Viterbienſis monachus ordine Dominicanus: at deprehenſum jam dudum eſt à viris doctis, Pſeudophilonem eſſe hunc, cujus editor fuit hic Monachus. Satius proinde eſt ſcripturæ credere, quæ diſerte Joam filium Ochoſiæ & Jorami nepotem appellat, 2 Reg. cap. 11. 2. XIII. 1. XIV. 13. 1 Paral. 3. 11. 2 Paral. 22. verſ. 11. XXIII. 3, 11. Sed nec in Jechonia poſteritatem Salomonis deſiiſſe, quod putat Grotius, recte evincitur. Nam Jechoniam liberis haud caruiſſe, loco Jeremiæ, qui allegatus eſt à Grotio, non obſtante, ſupra apud Matthæum oſtenſum eſt. Neque illud intelligo, quomodo tempus dicat à Zorobabele ad Chriſtum non recte expleri perſonis à Matthæo recitatis. Nam circiter 400 anni, aut non multo amplius inter Zorobabelem & Chriſtum interceſſerunt: jam vero inter Zorobabelem & Chriſtum decem generationes à Matthæo collocantur. Annon quæſo tot perſonis hoc tempus ſatis recte expletur? Certe in prima genealogiæ tabula ab Abrahamo ad Salomonem fuerunt minimum 900 anni: & tamen hoc totum tempus tantum quatuordecim perſonis expletur. Cur ergo 400 annos à decem generationibus ſeu perſonis occupari mirum ſit? Si objicias, Lucam plures tamen inter Zorobabelem & Chriſtum ponere perſonas: primum dico, pro conceſſo ſumi, eundem eſſe Zorobabelem à Matthæo &

Luca memoratum; quod falsum aut saltem incertum est. Deinde quid obstat, duas stirpes diversas συγχρόνους atque tempore æquales, numero generationum sive personarum inter se insigniter differre? Ne longe exemplum simile quæratur, conferatur regnum Israëlis cum regno Judæ: & cum eodem tempore regnarint utriusque regni reges, reperientur nihilominus Israëlis reges post Salomonem novendecim, Judæ autem per idem temporis spatium ad ultimum Israëlis regem tantum tredecim. Sed & ipsemet Grotius agnoscit, *sæpe eodem temporis spatio familias inter se comparatas, unam habere unam aut alteram plures & pauciores; quod in omnibus stemmatibus videre est.* Nihil itaque liquidi aut solidi rationibus Grotii inesse deprehendo: ut non possim satis demirari, quod tam religiosus alioquin antiquitatis cultor, nulla justa causa ac necessitate addactus, hoc in loco nihili pendat unanimem ferme antiquorum Patrum consensum; inprimis autem, quod Africani gravissimi ac vetustissimi scriptoris fidem in dubium vocare tanta in re sustineat, ut asseverare non dubitet, eum tam turpiter erasse, ut quod Lucæ tribuendum erat, Matthæo attribueret, & contra quod Matthæo debebatur, Lucæ adscriberet: præsertim cum ille se à consanguineis Domini, quos Δισποσύνους vocabant, narrationem hanc accepisse testetur.

Nec illum erroris hac in re convincit, quod Grotius adfert, ostendens, uterinos fratres non teneri illa lege τῆς ἐπιγαμβρείας, ad suscitandam defuncto ex eis alteri prolem, sed tantum proximos ejusdem familiæ & nominis. Cum ergo Heli & Jacobus ab Africano statuantur fuisse fratres uterini, id est, ejusdem matris, sed diversorum parentum, non potuisse alterum alteri semen excitare. Primum enim etiam ad uterinos fratres legem hanc pertinuisse, si alii propiores defecissent fratres, dummodo ejusdem tribus, ac familiæ essent, censent non injuria eruditi quidam viri. Vide præter Maldonatum super Matth. 1. 16. Episcopium Instit. Theolog. lib. 3. sect. 2. cap. 10. in explicatione 5 præcepti: ubi monstrat fratrum vocem in lege de jure leviratus latissime accipiendam esse, & non germanos tantum, sed & germanis deficientibus omnes eos, qui de eadem cognatione & familia sunt, etsi diversorum parentum filios, id est, una voce cognatos & affines omnes, contribules & familiares comprehendi; id quod evincit ex historia Ruth. Jam vero Jacobus & Heli uterini fratres, etsi diversorum Patrum essent, tamen ex eadem tribu Judæ, & ex eadem familia Davidis erant. Non video itaque, quomodo non potuerit, deficientibus vel nolentibus propinquioribus, alter alteri ex lege sobolem procreare. Præterea etsi in eo errasset Africanus, non tamen illico sequeretur, eum simul in tota re tam gravis momenti, tota pene, ut dicitur, janua aberrasse; ut ab eo falso atque inverso ordine poneretur, Lucam jus legis, Matthæum vero jus naturæ respexisse: & non hoc solum, sed etiam ut Jacobum diceret fuisse naturalem Josephi Patrem, cujus Josephus neque naturalis, neque ex lege τῆς ἐπιγαμβρείας filius fuerit, Grotio interprete, sed bonorum ejus tantum hæres; cum tamen à Matthæo exserte dicatur Jacobus genuisse Josephum. Quod per se planum, dum obscurare conatur Grotius duris & inusitatis loquendi generibus, frustra est. Quæ cum ita sint, tantisper in Africani sententia cum Maldonato, Crellio, & aliis antiquioribus standum esse arbitramur, dum certioribus argumentis falsitatis convincatur.

Hac gravissima inter Matthæum & Lucam discrepantia conciliata, aliquid nobis & de alia, quæ priori non multo minor est, difficultate dicendum est. Quæritur enim: Cur alios tum Salathiëlis majores, tum Zorobabelis posteros Lucas quam Matthæus recenseat? Ille enim Salathiëlis Patrem facit Neri, avum ejus Melchi, proavum Addi: Matthæus autem Salathiëlis Patrem constituit Jechoniam, avum Joachimum seu Jechoniam alterum, proavum Josiam. Zorobabelis quoque filium Lucas dicit fuisse Resam, nepotem Johannem, pronepotem Judam; cum contra Matthæus narret Zorobabelis filium fuisse Abiudem, nepotem Eliachimum, pronepotem Azorem. Sunt qui hanc difficultatem tollere se posse sperent per ἀνωνυμίαν, & binorum nominum tam Salathiëlis majoribus, quam Zorobabelis minoribus attributionem. At non immerito jam olim magnis viris incredibile visum est, omnes istos tam in ascendenti, quam in descendenti linea binomines fuisse, & gemina hæc nomina non esse usquam in Veteri Fœdere indicata, & Lucam Sacris Literis incognita nomina maluisse progenitoribus Salathiëlis tribuere, quam cognita, & pleraque admodum celebria. Itaque in eorum sententiam pedibus ire malo, qui diversos esse censent Salathiëlem & Zorobabelem apud Lucam atque Matthæum; & hunc quidem de Ethnarcha Zorobabele ac duce celeberrimo Judæorum loqui, Lucam vero de alio quodam Salathiële & Zorobabele, qui inter Nathanis posteros fuerint. Qua in sententia confirmamur ex Grotio, qui cum diversos hos esse apud Matthæum & Lucam admittere nolit, misere se torquet, ut utrumque Evangelistam conciliet. Nam primo Zorobabelis filios duos fuisse statuit Resam & Abiudem, sine ulla scripturæ auctoritate: deinde inter Eleasarem & Matthanem apud Matthæum, sex ponit Anonymos: tertio Salathiëlem Zorobabelis Ethnarchæ Patrem censet proprie fuisse filium Neri, contra duorum Sacrorum Scriptorum testimonium, Matthæi & Auctoris libri Paralipomenon, qui eum Jechoniæ filium esse tradunt: quarto de Assire non habet quid dicat, quem ille personam proprio nomine sic dictam esse autumat. Nam nec filium eum Jechoniæ, quem statuit absque liberis esse mortuum, nec Patrem aut fratrem Salathiëlis eum audet certo asserere. Denique Sedeciam patruum Jechoniæ nescio quo jure inserit genealogiæ Matthæi, cum nec Assirem, si quis fuit hoc nomine vocatus, nec Salathiëlem, Sedeciæ vel filium vel hæredem fuisse constet. Præ tot ambagibus & conjecturis nullo fundamento nixis, malim sane planiorem viam, nec ullis confragosam sentibus eligere, quam jam indicavimus. Scilicet sicut animadvertit Grotius, quod aliorum eruditorum aciem fugit, alium esse Zorobabelem Pedajæ, de quo 1 Paral. 3. 19. & alium Zorobabelem Salathiëlis; qua de re ad Matthæum egimus: ita animadvertere quoque debebat, quod alii eruditi viri viderunt, Salathiëlem & Zorobabelem Matthæi

alium.

alium esse à Salathiële & Zorobabele Lucæ. Hoc enim posito, omnia perbelle congruunt, & tota sibi optime constat historia. Neque jam cuiquam poterit esse mirum, cur nec in libro Paralipomenon, nec apud Matthæum, nec apud Lucam descripta posterorum Zorobabelis nomina ullatenus conveniant: nimirum quia tres diversi fuerunt Zorobabeles, quorum alium cum posteritate ejus descripsit Scriptor libri Paralipomenon, eumque filium Pedajæ, qui fuit frater Salathiëlis; alium rursus Matthæus, filium nempe Salathiëlis Ethnarcham; alium denique Lucas, Salathiëlis itidem filium, sed alterius cujusdam à Nathane, non à Salomone descendentis.

In eo autem calculum meum lubens adjicio judicio Grotii, aliorumque magnorum virorum, qui apud Lucam in recensione genealogiæ delendum, tum inter Arphaxadum & Salam, *Cainanum* (quem nec Hebraica lectio, nec Vulgata Latina versio, nec Chaldaica paraphrasis, nec vetustissima quædam Græca exemplaria habent) tum inter Melchin & Elin, *Levin* & *Matthatum* arbitrantur: cum hos & Africanus Scriptor antiquissimus nobis supra nominatus omittat. * Itaque ad hunc modum ordinandum esse utrumque & à Matthæo & à Luca descriptum Christi stemma existimarim, ut illud hic ponimus in sequenti typo:

MATTHÆUS, Cap. 1.		LUCAS, Cap. 3.
		1 Adamus.
		2 Sethus.
		3 Enos.
		4 Cainanus.
		5 Malaleel.
		6 Jaredus.
		7 Enochus.
		8 Mathusalem.
		9 Lamechus.
		10 Noachus.
		11 Semus.
		12 Arphaxadus.
		13 Sala.
		14 Heberus.
		15 Phalecus.
		16 Ragavus.
		17 Saruchus.
		18 Nachor.
		19 Thara.
Tessaradecas I.		
1 ABRAHAMUS,	20	
2 Isaacus.	21	Isaacus.
3 Jacobus.	22	Jacobus.
4 Judas.	23	Judas.
5 Pharesus.	24	Pharesus.
6 Esromus.	25	Esromus.
7 Aramus, vel Ramus.	26	Aramus.
8 Aminadabus.	27	Aminadabus.
9 Nahasson.	28	Nahasson.
10 Salmon.	29	Salmon.
11 Boosus.	30	Boosus.
12 Obedus.	31	Obedus.
13 Jesse.	32	Jesse.
14 David.	33.	
Tessaradecas II.		
15 SALOMON.	1	34 NATHAN.
16 Roboamus.	2	35 Mattatha.
17 Abia.	3	36 Mainanus.
18 Asa.	4	37 Melea.
19 Josaphatus.	5	38 Eliachimus.
20 Joramus.	6	39 Jonanus.
Hic desiderantur tres Reges: Ochozias, Joas, & Amazias.		
21 Ozias vel Azarias.	7	40 Josephus.
22 Joathamus.	8	41 Judas.
23 Achasus.	9	42 Simeon.
24 Ezechias.	10	43 Levi.
25 Manasses.	11	44 Matthat.
26 Amon.	12	45 Jorimus.
27 Josias.	13	46 Eliezer.
28 Jechonias, seu Joachimus Pater.	14	47 Jose.
Tessaradecas III.		
29 JECHONIAS, seu Joachimus Filius	1	48 Er.
30 Salathiël.	2	49 Elmodamus.
31 Zorobabel.	3	50 Cosamus.
32 Abiud.	4	51 Addi.
33 Eliachimus.	5	52 Melchi.
34 Azor.	6	53 Neri.
35 Sadocus.	7	54 Salathiël.
36 Achimus.	8	55 Zorobabel.
37 Eliud.	9	56 Resa.
38 Eleasarus.	10	57 Johanna.
39 Matthan.	11	58 Judas.
40 Jacobus, Pater Josephi naturalis.	12	59 Josephus.
41 Josephus.	13	60 Semei.
42 CHRISTUS.	14	61 Mattathias.
		62 Maath.
		63 Nagga.
		64 Esli.
		65 Naumus.
		66 Amos.
		67 Mattathias.
		68 Josephus.
		69 Janna.
		70 Melchi.
		71 Eli, pater legalis Josephi.
		72 Josephus.
		73 CHRISTUS.

Hæc supputatio congruit apprime cum numero Irenæi, qui ut Grotius & Vossius docent, diserte refert suo tempore tantum 72. ad Christum extitisse generationes in Luca. Quanquam de Levi & Matthat non diffiteor mihi haud displicere Spanheimii sententiam, qui eos negat apud Lucam expungendos; supputationem autem Irenæi ita intelligendam censet, ut ab isto numero ejus excludatur Adamus & Josephus, tanquam terminus à quo, & terminus ad quem. Quæ sane sententia à vero non abhorret, & hoc habet præ contraria sententia, quod textum Lucæ servet illibatum, quem omnia, quot-

* Vide retractationem sub finem hujus Appendicis.

quot ſunt, exemplaria confirmant, & nemo præter unum Africanum ab eo diſſentit, qui non eſt tanti, ut tot exemplarium fides ejus unius cauſa in dubium vocanda ſit. Quid, quod nec Africanum diſſentire prorſus, aliquo modo oſtendi queat, ſi dicatur, Matthatem apud Lucam ſic dictum fuiſſe binomium, & alio nomine Melchin avi ſui cognomine fuiſſe appellatum. Quem modum indicavit Crellius; ſed eundem & antiquior Beda odoratus eſt Comment. in Luc. 3. Verba ejus ſunt: *Hæc Africanus his ipſis ſyllabis profert; excepto quod pro Matthat poſuit Melchi: quia fortaſſis vel codex vetus ſic habuit; vel in hiſtoria, in qua hæc didicerat, eundem Matthat invenit eſſe dionymum.*

CAPUT IV.

I. *Chriſtus à Diabolo tentatur: ad verſ.* 14. II. *Inchoat munus ſuum prædicandi, & concionatur Nazaretæ ex loco Eſaiæ: ad verſ.* 31. III. *Ejicit Capernaumi dæmonium in Synagoga: ad verſ.* 38. IV. *Sanat ſocrum Petri: ad verſ.* 40. V. *Curat morborum varia genera, pergitque in prædicando Euangelio in Galilæa: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *JEſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Jordane, & actus eſt in illo Spiritu in deſertum.*] Tota hæc hiſtoria de tentatione Chriſti explicata eſt, Matth. 4. 1.

Plenus Spiritu Sancto.] Quo nimirum in baptiſmo repletus fuit, ita ut is corporea forma quaſi columba ſuper illum deſcenderit.

Et actus eſt in illo Spiritu.] Apud Matthæum eſt, à *Spiritu* Cap. 4. 1. id eſt, impellente Spiritu Sancto, ut ſupra Cap. 2. 27. ſenſu eodem ait Lucas infra ỳ. 14. *in virtute Spiritus.*

Verſ. 2. *Diebus quadraginta tentatus à diabolo: & non edit quicquam per illos dies, & finitis illis, poſtea eſuriit.*] Diem quemvis è quadraginta intellige talem, qui 24 horis conſtet.

Verſ. 3. *Et dixit ei Diabolus: ſi filius es Dei, dic iſti lapidi, ut fiat panis.*

Verſ. 4. *Et reſpondit ei Jeſus, dicens: Scriptum eſt, Non pane ſolo vivet homo, ſed omni verbo Dei.*

Verſ. 5. *Et ſubducens eum Diabolus in montem excelſum, oſtendit ei omnia regna terræ puncto temporis.*] Id eſt, non regnum unum poſt alterum, & regionem unam poſt aliam, ſed omnia ſimul, ut ea Chriſtus uno obtutu cernere velut in tabula poſſet: quo nimirum oculi ejus ſplendore improviſo gloriæ eorum quaſi præſtringerentur, & eorum appetitus in animo ejus tanto magis incenderetur, adeoque ad Satanam adorandum citius adduceretur. Splendor enim & gloria multarum rerum ſimul concurrentium, & in oculos hominis repente incurſantium, longe majorem vim habet movendi affectus, quam cum ſingulæ res diviſim alicui exhibentur. Illud enim in homine mox ſuſcitat admirationem, facitque animum ſenſuſque illico attonitos; cum contra hoc tempus & moram concedat animo ſeſe recolligendi.

Verſ. 6. *Et ait ei Diabolus: Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: nam mihi tradita eſt, & cuicunque voluero, do eam.*] Poteſtatem, id eſt, dominium ac imperium ſuper omnia iſta regna.

Nam mihi tradita eſt.] Hic Diabolus agit revera, ut impoſtores ſolent, dum veritatem cum mendacio miſcet. Non enim fuit tam impudens, ut Deo jus, quod habet in regna orbis terrarum adimeret; ideo ait: *tradita mihi eſt.* Sed jactat ſuam magnam poteſtatem, quam in rebus humanis habeat, ut pro arbitrio ac libitu ſuo eas diſponere ac diſpenſare valeat. Ob hanc poteſtatem vocatur Princeps hujus mundi, Johan. 16. 2. In eo autem potiſſimum mentitur, cum dicit, *cuicunque volucro, do eam.* Hoc enim dicto talis poteſtas ſignificatur, quæ nullius alterius arbitrio ſubjecta eſt. Quam poteſtatem Daniel iiſdem plane verbis Deo attribuit, Cap. 4. 22. Itaque quod Diabolus hic dicit, perinde eſt, atque ſi diceret, Deum omnem rerum humanarum curam depoſuiſſe, & eam ſibi commiſiſſe.

Verſ. 7. *Itaque ſi tu adoraveris me, erunt tua omnia.*

Verſ. 8. *Et reſpondens Jeſus dixit ei: Abſcede à me Satana ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Verſ. 9. *Et dixit illum Hieroſolymam, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi, & duxit ei: ſi tu Filius Dei es, dejice teipſum hinc deorſum.*

Verſ. 10. *Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis præcipiet de te, ut cuſtodiant te.*

Verſ. 11. *Et in manus tollent te, ne quando impingas ad lapidem pedem tuum.*

Verſ. 12. *Et reſpondens Jeſus dixit ei: Dictum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Verſ. 13. *Et finita omni tentatione, Diabolus diſceſſit ab eo ad tempus.*] Poſtea enim eum aggreſſus eſt aperta vi, quem dolis ſuis & arte ſophiſtica capere non poterat. Nam tunc erat illa *hora ac poteſtas tenebrarum*, Luc. 22. 23. Et tunc *venit Princeps hujus mundi*, Johan. 14. 30. quamvis in Chriſto non haberet quicquam. Idque factum eſt ad noſtri conſolationem, ne ulla adverſitas poſſit nobis evenire, in qua non Chriſtus nobis præiverit, quippe qui *tentatus eſt in omnibus æque ac nos*, Hebr. 4. 15.

PARS II.

Verſ. 14. *ET regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama de eo exiit per univerſam circumjacentem regionem.*] Regreſſus eſt in Galilæam, unde venerat in Judæam ad ſuſcipiendum à Johanne Baptiſmum, Matth. 3. 13. Vide dicta ad Matth. 4. 12.

In virtute Spiritus.] Id eſt, inſtinctu ac ductu Spiritus: ut ſupra verſ. 1. Virtus enim Spiritus nihil aliud eſt, quam Spiritus, ut patet ex Actor. 1. 8.

Verſ. 15. *Et ipſe docebat in Synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.*

Verſ. 16. *Et venit Nazaretam, ubi fuerat educatus,*

tus, & intravit, ut conſueverat, die Sabbathi in Synagogam, & ſurrexit ut legeret.] Poſt prædicatum in aliis locis Galilææ Euangelium, venit etiam Nazaretam. Apparet Lucam multa, quæ alii Euangeliſtæ conſignarunt, prætermiſiſſe, quæ ordine temporis prius contigerunt, quam hæc concio Nazaretæ habita eſt. Videlicet antequam res geſtas Chriſti deſcriberet, voluit præmittere muneris ipſius deſcriptionem, quam non poterat melius, quam Prophetæ verbis exprimere. Monuimus enim ad Matthæum non ſemel, Lucam non raro res aliquas narrare, non ſpectato temporis ordine, ſed prout res occurrebant ſimiles & ad eundem ſcopum ſpectantes.

Et ſurrexit, ut legeret.] Vigebat in Synagogis Judæorum mos ejuſmodi, ut certus quidam eſſet conſtitutus Lector ex iis, qui infra verſ. 20. miniſtri dicuntur, qui cum omnes conveniſſent, textum aliquem ex Lege vel Prophetis in Synagoga prælegebat: ut Actor. 13. 15 videre eſt, & ad verſ. 20 poſtea amplius dicetur. Abſoluta vero illius diei lectione, eruditi inter ſe de rebus divinis incipiebant miſcere ſermones. Si forte adeſſet aliquis vir inſignis, ei honoris cauſa liber porrigebatur, ut ex eo aliquid prælegeret, & ſi vellet aptuſque eſſet, ſermonem de prælecto textu inſtitueret. Qui autem volebat ultro aliquid proferre, non expectabat, ut ipſi liber porrigeretur, ſed ſurgens prælegebat, quicquid libebat. Vide 1 Cor. 14. 30. Hac libertate uti ſolebat Paulus & Chriſtum in Synagogis prædicare; Actor. 9. verſ. 20. XIV. 1. XVII. 2, 17. XVIII. 4, 19. XIX. 8.

Verſ. 17. *Et datus eſt ei liber Eſaiæ Prophetæ, & explicans librum, invenit locum, ubi erat ſcriptum.*] Poſtquam Chriſtus ſurrexit, ut legeret, juſſu Principis Synagogæ porrectus eſt ei liber à miniſtrorum uno (cui poſtea verſ. 20 eundem librum reddidit) & quidem liber Eſaiæ Prophetæ, qui explicatu difficillimus habebatur. Cum enim nunquam antea in Synagoga eorum ad legendum ſurrexiſſet, neque eum unquam docentem audiviſſent, & nihilominus fama de magna ipſius ſapientia & miraculis apud eos percrebuiſſet; volebant in interpretatione difficillimi libri experimentum capere dexteritatis ejus in docendo. Quod ſane non ſine Dei providentia accidit, cum in eo extaret locus iſte, qui clarum & evidentiſſimum continebat de ipſo vaticinium.

Et explicans librum.] Apud Hebræos & Latinos libri non conſtabant foliis ac paginis, uti hodie moris eſt, ſed liber totus erat nonniſi unum folium, tam longum, quam requirebat ſcripti prolixitas: idque obvoluebatur circa lignum quoddam teres rotundum, etſi quis legere vel quærere aliquem locum in eo vellet, folium iſtud prolixe explicare & evolvere cogebatur. Tales libri etiamnum hodie in Judæorum Synagogis conſpiciuntur.

Invenit locum.] Sine dubio non ſine Dei directione. Studio enim eum non quæſivit.

Verſ. 18. *Spiritus Domini ſuper me, propterea quod unxit me, ut euangeliſem pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, ut prædicem captivis dimiſſionem, & cæcis viſus reſtitutionem, ut emittam confractos in libertatem.*] Locus iſte Eſaiæ ſumtus eſt ex Cap. 61. 1. in quo Eſaias literali ſenſu de ſe, myſtico autem de Meſſia loquitur. Ad literam hoc ſibi vult Eſaias, Spiritum Prophetiæ ſibi datum eſſe, ut Iſraëlitis annunciaret lætum nuncium de ipſis è captivitate Babylonica liberandis: myſtice vero indicat, Deum Meſſiam unćturum ac miſſurum ad annunciandam univerſo humano generi Spiritualem è ſervitute peccati, Diaboli, ac mortis liberationem. Hunc locum Doctiſſimus Judæorum Rabbi Kimchi de Meſſia exponit.

Propterea quod unxit me.] Hæc verba non ad præcedentia, ſed ad ſequentia referuntur, & cum iis cohærent. Senſus enim eſt: Spiritus Domini ideo eſt ſuper me, quia me unxit, & miſit euangeliſare pauperibus. Quapropter hic non agitur de illa unctione Spiritus Sancti, quo Chriſtus in ſuo baptiſmo unctus fuit, ſed de miſſione Chriſti & vocatione ad ipſius munus. Sumptaque eſt iſta locutio à Regibus & Pontificibus, qui per unctionem muneri ſuo initiabantur. Vide Exod. 29. 7. XXX. 30. 1 Sam. 10. 1. XVI. 13. 1 Reg. 1. 39. 2 Reg. 9. 3, 6.

Pauperibus.] In Hebræo eſt: *Miſeris.* Senſus idem eſt; nam qui gravi ſervitute premuntur, ſunt tum miſeri, tum pauperes.

Ut euangeliſem.] Eſt Græca vox, quæ lætum nuncium ſignificare vel afferre denotat. Non poterat autem lætior nuncius ſecundum carnem Iſraëlitico afferri populo, quam de ipſorum liberatione ex Babylone. At multo lætior eſt nuncius de ſpirituali liberatione à peccatis, Diabolo, & morte.

Ut ſanem contritos corde.] Id eſt, ut conſoler mæſtos. Vide Pſal. 147. 3. Mæſti iſti fuerunt illic captivi in Babylonia, hic vero omnes, qui gemunt ſub tyrannide Diaboli.

Captivis dimiſſionem.] Ibi ex Babyionica, hic ex ſpirituali captivitate.

Cæcis viſus reſtitutionem.] Hebræus textus habet, *vinctis apertionem.* Sed Lucas totum hunc locum citat ſecundum verſionem 70 Interpretum. Quod autem hi hoc loco ab Hebraico textu diſcrepent, hæc videtur eſſe cauſa; quod Hebraicum vocabulum *pelca* vel *palca* non de quacunque apertione, ſed tantum de apertione oculorum & aurium quoque accipi ſoleat: ut inter alia patet ex Pſalm. 146. 8. Eſai. 42. 7. Jam vero etiam illi cæci vocantur, qui vivunt in tenebris: quales ſunt captivi. Ideoque Eſai. 49. 9, pro uno eodemque ſumitur *captivum eſſe* & in *tenebris eſſe.* Sunt proinde cæci, qui in captivitate ſunt. Utraque ſimilitudo deſignat extremam calamitatem, qualis erat Judæorum, in captivitate Babylonica; ſed longe magis talis eſt totius humani generis calamitas, in ſumma caligine & nocte cæca ignorantiæ de adventu Meſſiæ, exiſtentis. Huc facit & ille locus Eſaiæ Cap. 43. 8. *Educ* (nempe è captivitate) *populum cæcum, & oculos habentem; ſurdum, cui tamen ſunt aures:* id eſt, populum, qui etſi oculos & aures habeat, nihilominus cæcus & ſurdus eſt; ſiquidem in tam gravi captivitate conſtituti ſunt, in qua nihil videre, neque audire poſſunt.

Ut emittam confractos in libertatem.] Verba hæc neque in Hebræo codice, neque in verſione 70 Interpretum extant: Sed à Luca ſunt adjecta ad explicationem præcedentium. Qui enim antea dicti ſunt cæci, eos hic vocat *confractos*, id eſt, miſeria & ærumnis exercitos & excruciatos: vide Pſal. 147. 3.

Et quod ſuperius appellatum eſt reſtitutio viſus, id hic appellat *emiſſionem in libertatem*, id eſt, reſtitutionem priſtinæ libertatis.

Verſ. 19. *Ut prædicem annum Domini acceptum.*] Gr. κηρύξαι, proclamare, promulgare. Sumpta eſt ſimilitudo ab anno Jubilæo, qui per præconem tubæ clangore annunciari & ebuccinari ſolebat, Levit. 25. verſ. 9, 10.

Annum Domini acceptum.] Acceptum proprie vocatur, quod alicui jucundum & gratum eſt, quo delectatur quiſpiam & multum juvatur: ut infra vſ. 24. Actor. 10. 35. Phil. 4. 18. Hic autem figurate uſurpatur de tempore, quo Deus ſe acceptum, id eſt, benignum ac miſericordem exhibuit. Ita Deus ait apud Eſaiam Cap. 49. 8, *Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi*, id eſt, tempore, quo gratiam meam exhibere & ſalutem mittere decrevi. Id quod Paulus applicat ad tempus Euangelii, dum inquit: *Ecce nunc eſt tempus vere acceptum, ecce nunc eſt dies ſalutis*, 2 Cor. 6. 2. Reſpicitur autem his verbis ad tempus anni Jubilæi, quo omnes captivi dimittebantur, Levit. 25. 29, 40, 41. Ex hoc loco olim Valentinus hæreticus & alii nonnulli collegerunt, Chriſtum totum prædicationis ſuæ curſum ſpatio unius anni abſolviſſe. Sed error iſte facile ex Chronologia & ſupputatione temporum refutatur. Nam ad minimum tria Paſchata apud Euangeliſtas habentur, quibus Chriſtus durante munere ſuo prædicandi Hieroſolymis interfuit. De quo vide Tractatum de Paſchate annexum Marco. Hic autem Spiritualis annus Jubilæus complectitur in ſe majus temporis ſpatium, quam unius anni. Judæis per annos 40 duravit, poſt Chriſti mortem, uſque ad extremam urbis ac Templi deſtructionem. Quouſque vero ſe hoc tempus quoad ſingulos homines in ſpecie extendat, ſoli Deo notum eſt. Nonnullis Deus concedit ſpatium uſque ad ultimum vitæ terminum: quibuſdam autem qui pervicacius voluntati ejus recalcitrant, tempus gratiæ & patientiæ ſuæ decurtat citius, dum eos tradit in reprobum ſenſum, & à particulari providentia ſua excludit. Idcirco monemur, ne corda noſtra induremus, Hebr. cap. 3. 7.

Verſ. 20. *Et complicatum librum reddens miniſtro, ſedit: & omnium in Synagogæ oculi erant intenti in eum.*] Præter Principem ſeu præpoſitum Synogogæ ac Seniores, erant etiam alii, qui horum mandato minora ac viliora officia in Synagoga obibant, vocanturque hic miniſtri (Græce vox ὑπηρέτης, proprie remigem ſignificat, vel ſubremigem, in navi remos moventem:) quo pacto etiam Johannes ſeu Marcus Pauli & Barnabæ miniſter appellatur, Actor. 13. 5. Apud Judæos talium miniſtrorum munus erat, librum Legis aſſervare, lectiones ex eo quotidianas prælegere. Apud Chriſtianos primos omnia, quæ à Senioribus peragi non poterant ob graviora negotia, exequebantur Diaconi, quæ vox etiam miniſtrum denotat, Actor. 6. 1. At ubi crevit numerus fidelium munia Eccleſiaſtica pluribus ſunt demandata. Vide 1 Cor. 14. totum.

Sedit.] Utitur jure Magiſtrorum ac Doctorum, quibus in more erat quidem ſurgere, cum textum ſcripturæ prælegerent, ſed eo perlecto conſidebant, & ſedendo concionabantur. Qui vero munus Doctorum non gerebant, ſtabant etiam tum cum aliquid de rebus divinis proferrent.

Et omnium in Synagoga oculi erant intenti in eum.] Nimirum ex admiratione, quod noſſet ſcripturam, cum eam non didiciſſet, Johan. 7. 15. multo magis vero, quod eam tam præclare exponeret. Multa enim de ejus ſumma ſapientia ac miraculis audiverant: ideo eum tam intentis oculis intuentur, experiri volentes, utrum res ipſa famæ reſpondeat.

Verſ. 21. *Cæpit autem eis dicere: Hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.*] Hoc procœmio uſus eſt Chriſtus in prælecti textus ex Eſaia explicatione: qua ipſa explicatione ſimul quoque Prophetiam iſtam implevit, dum eis præſtantiſſimam iſtam liberationem, ad quam Propheta myſtico ſenſu reſpexit, & jam præ foribus erat, annunciabat. Nam ſe liberatorem ipſum ſeu Meſſiam eſſe non profitebatur, ſed tantum ſe gerebat ut annunciator & præco appropinquantis & jam jam inſtantis liberationis. Id Chriſtus tunc egit, quod Eſaias in typo, & non quod Cyrus fecit. Cyrus enim fuit liberator Judaici populi è Babylonia: Eſaias autem tantum prædicabat & prædicebat hanc liberationem.

In auribus veſtris.] Dum tam fauſtum nuncium de liberatione auribus veſtris modo auditis. Dolendum eſt, nullum Euangeliſtarum tam inſignem Chriſti concionem, quæ tantam in hominibus excitavit admirationem, nobis deſcriptam reliquiſſe.

Verſ. 22. *Et omnes teſtimonium ei dabant, ac mirabantur ſuper ſermonibus plenis gratia, procedentibus ex ore ejus, dicebantque: Nonne iſte eſt filius Joſephi?*] Dabant ei teſtimonium, id eſt, confitebantur de eo. Ita vox iſta ſumitur etiam, Matth. 23. 31. Rom. cap. 10. 2. Quid autem de eo confitebantur? Id quod ſtatim ſequitur, ſe nimirum mirari ejus tantam ſapientiam & divinum docendi modum.

Super ſermonibus plenis gratia.] Ex Græco ſonant verba, *ſuper ſermonibus gratiæ:* id eſt, ſermonibus, qui plus quam humana verba, energiæ & efficaciæ habebant, ad permovendos auditorum animos. Non erant verba humanæ ſapientiæ, ſed divinæ potentiæ, ut loquitur Paulus 1 Cor. 2. 5.

Nonne iſte eſt filius Joſephi?] Hoc dicebant admirabundi, ſed magis evidentia veritatis, quam negare non poterant adacti, quam vero ducti pietatis zelo. Itaque cum inter ejus tam inſignem ſapientiam, quam auribus ſuis perceperant, & inter ejus vilem ortum, educationem & habitum, dubii fluctuarent, facile animus eorum in deteriorem partem deflexit.

Verſ. 23. *Et dixit ad eos: Omnino dicetis mihi hoc Proverbium, Medice cura teipſum: quæcunque audivimus facta fuiſſe in urbe Capernaumo, fac etiam hic in Patria tua.*] Ex illis verbis ſuperioribus: *Nonne iſte eſt filius Joſephi?* intellexit Chriſtus, eos offenſos fuiſſe ſua humilitate, neque fidem ſuæ doctrinæ dediſſe: unde ſumſit anſam ad ſequentem ſermonem.

Hoc Proverbium.] Vel *parabolam hanc:* ut in Græco eſt.

Medice cura teipſum.] Dicterio hoc notantur Medici, qui alios homines curant, & morbis eorum

medentur, ſibi autem cum ægrotant, conſulere neſciunt, & ſe à morbo liberare nequeunt. Morbus enim turbat eorum intellectum & confundit ſenſus, ut quid conducat, quid noceat bene perpendere non poſſint. Plerumque autem hoc dictum etiam de iis uſurpatur, qui aliis magna beneficia pollicentur, cum interim media eis nulla ſuppetant, quibus ſeipſos juvare queant. Hic vero alio accipitur ſenſu. Ex ſequentibus enim Chriſti verbis apparet, Nazareranos etſi inaudiverant de inſignibus Chriſti miraculis, quæ Capernaumi ediderat, non tamen iis fidem adjungere voluiſſe, donec ea ipſi oculis ſuis conſpicerent. Itaque eos Chriſtus ſic introducit loquentes: Tune es ille magnus miraculorum patrator, qui tot & tanta miracula edidiſti Capernaumi? age hic quoque in Patria tua da ejuſdem virtutis ſpecimen, cui plus quam aliis locis benefacere teneris. Si exteris & alienis tantum boni præſtitiſti, præſta quoque idem illis, qui magis ad te pertinent.

Verſ. 24. *Dixit autem: Amen dico vobis, nullus Propheta eſt acceptus in Patria ſua.*] Id eſt, nuſquam minus æſtimatur, & magis contemnitur. Vide Matth. 13. 57. ubi etiam verſ. 58 cauſa indicata eſt, cur Chriſtus tam pauca Nazaretæ ediderit miracula, nempe ob eorum incredulitatem. Quare Chriſtus rationem illam ſeu argumentum, quod ipſi obtendebant, cur præ aliis omnibus locis Nazaretæ inprimis miracula patrare deberet, quod illa eſſet ejus Patria, alio argumento repellit ac refellit, oſtendens, minime omnium in Patria ſua ſibi miracula eſſe facienda. Miracula enim ibi facienda ſunt, ubi eis adhibetur fides; cum fides ſit miraculorum ſcopus. Atqui miraculis nuſquam minus fidei habetur, quam eo loci, in quo is, qui ea facit, minime honoratur: nuſquam autem Prophetæ ſanctique viri minus honorantur, quam in ſua Patria. Ergo nuſquam minus facienda eis ſunt miracula, quam in ſua Patria.

Verſ. 25. *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant, diebus Eliæ in Iſraële, quando clauſum fuit cœlum ad tres annos & ſex menſes, adeo ut fuerit fames magna per totam regionem.*] Clauſum fuit cœlum, id eſt, nulla fuit pluvia. Vide ſimilem locutionem, Geneſ. cap. 7. 11, 12. VIII. 2.

Ad tres annos & ſex menſes.] Tempus hoc in Veteri Teſtamento non adeo exacte deſcribitur, ſed tantum dicitur, *Poſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens: Abi, & oſtende te Achabo, ut dem pluviam ſuper faciem terræ*, 1 Reg. 18. 1. Itaque apparet, hoc tum inter Judæos traditione notum fuiſſe: quam traditionem etiam Jacobus retinuit, Jac. 5. 17. Significat autem Chriſtus hoc & ſequenti exemplo, miraculorum beneficia non pro uniuſcujuſque hominis deſiderio ac voto diſtribui, ſed pro libera & ſapientiſſima Dei voluntate, qui novit, ubi quam optime collocari, & fructum ferre queant. Eadem enim ratio, ob quam Nazaretani æquum ducebant, ut in exhibendo miraculorum beneficio aliis omnibus à Chriſto præferrentur, debuiſſet etiam temporibus Eliæ valere, ut nimirum Deus Iſraëliticas fœminas Ethnicæ mulieri Sareptanæ præferret, eiſque pariter ac iſti benediceret; quod tamen non fecit.

Verſ. 26. *Et ad nullam earum miſſus eſt Elias, niſi ad mulierem viduam in Sarepta urbe Sidoniæ.*

Verſ. 27. *Et multi leproſi erant in Iſraële, ſub Eliſæo Propheta, & nullus eorum mundatus eſt, niſi Naamanus Syrus.*] Id eſt, ita etiam ab Eliſæo nemo è leproſis Iſraëlitis, quorum tamen plurimi erant, à lepra curatus eſt, ſed tantum alienigena ex Syria veniens Naamanus: de quo lege hiſtoriam 2 Reg. 5. 1. Vidit enim Deus, neminem in Iſraële hoc beneficium tanti æſtimaturum, atque hic vir peregrinus æſtimavit.

Naamanus Syrus.] Ex hoc loco patet, in hoc homine Ethnico animum fuiſſe probum, quem Deus reſpiciens, hoc eum inſigni mactavit beneficio.

Verſ. 28. *Et repleti ſunt omnes excandeſcentia in Synagoga hæc audientes.*] Probe enim intellexerant, ſe his exemplis ſuperioribus perſtringi atque notari, quod nimirum beneficio miraculorum indigni habeantur.

Verſ. 29. *Et ſurgentes ejecerunt eum extra urbem, & duxerunt eum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem urbs eorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.*] Ejecerunt eum non uſi ullo juris proceſſu, ſed tumultu ac ſeditione populi: quo pacto alibi eum Judæi quoque lapidare voluerunt, Johan. 8. 59.

Verſ. 30. *Ipſe autem tranſiens per medium illorum, abiit.*] Illæſus evaſit, etſi undique à populi turba cinctus eſſet. Similiter factum Johan. 8. 59. Ubi haud obſcure innuitur, Chriſtum divina virtute ſe inviſibilem reddidiſſe, & oculis inimicorum ſuorum ſeſe ſubduxiſſe. Hoc modo credibile eſt, eum hic quoque evaſiſſe.

PARS III.

Verſ. 31. *ET deſcendit Capernaumum urbem Galilææ, ibique docebat eos Sabbatis.*] Hoc idem illud eſt, quod Matthæus Cap. 4. 13. narrat.

Verſ. 32. *Et percellebantur ſuper doctrina ejus. Erat enim ſermo ipſius cum auctoritate.*] Id eſt, doctrina ejus confirmabatur miraculis. Palam ſe profitebatur eſſe Magiſtrum à Deo miſſum: idque demonſtrabat miraculis. Vide dicta de ſignificatione vocabuli *auctoritatis* ſeu poteſtatis ad Matth. 7. 29.

Verſ. 33. *Eratque in Synagoga homo habens ſpiritum dæmonii impuri, & exclamavit voce magna.*

Verſ. 34. *Dicens: Ah quid nobis tecum Jeſu Nazarene? veniſti, ut perderes nos: novi te, quis ſis, ille ſanctus Dei.*] Hæc verba totius verſiculi Lucas ex Marco exſcripſit. Vide ibidem Cap. 1. 44.

Verſ. 35. *Et objurgavit eum Jeſus dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et projiciens illum dæmonium in medium, exiit ab eo, nihilque ei nocuit.*

Verſ. 36. *Et factus eſt pavor in omnes, & colloquebantur alii cum aliis, dicentes: Quid hoc rei eſt, quod cum auctoritate ac virtute imperat impuris ſpiritibus, & exeunt?*] Auctoritas ſeu poteſtas ſignificat jus, ac imperium, quod gerebat ſuper immundos Spiritus: virtus autem efficaciam ac vires, quibus eos ejiciebat.

Verſ. 37. *Et dimanavit rumor de eo in omnem locum circumjacentis regionis.*

PARS IV.

PARS IV.

Verſ. 38. *SUrgens autem Jeſus è Synagoga, introivit in domum Simonis: Socrus vero Simonis detinebatur febri magna, & rogaverunt eum pro illa.*] Hiſtoria hæc explicata eſt ad Matth. 8. verſ. 14.

Verſ. 39. *Et accedens ad eam, objurgavit febrim, & illa eam dimiſit. Continuo autem ſurgens miniſtravit eis.*] Accedens ad eam, Gr. ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, id eſt, *adſtans ſuper illam.* De vi hujus locutionis vide infra Cap. 24. 4.

PARS V.

Verſ. 40. *OCcidente autem Sole, omnes quotquot habebant infirmos morbis variis, ducebant ipſos ad eum; ille vero unicuique ipſorum impoſitis manibus, ſanavit eos.*] Sole occidente, id eſt, poſt occaſum Solis. Vide Marc. 1. 32.

Verſ. 41. *Exibant autem & dæmonia è multis, clamantia & dicentia: Tu es Chriſtus ille Filius Dei. Et ipſe objurgans, non ſinebat ea loqui, quod ſcirent ipſum eſſe Chriſtum.*

Verſ. 42. *Orto autem die, egreſſus abiit in deſertum locum, & turba quærebat eum: & venerunt uſque ad ipſum, & retinebant eum, ne ab ipſis diſcederet.*] Orto die, id eſt, cum dieſceret. More Hebræo.

Retinebant eum.] Sui commodi cauſa, quod capiebant ex miraculis ejus. Hoc enim potiſſimum ſpectabant. At Chriſtus indicat verbis ſequentibus, ſuum præcipuum opus eſſe, prædicationem Regni Dei, cujus ſigillum & confirmatio erant miracula.

Verſ. 43. *Ille vero dixit eis: Et aliis urbibus oportet me euangeliſare regnum Dei; etenim ad hoc miſſus ſum.*] Lucas appellat magnos vicos *urbes*, Marcus eos vocat κωμοπόλεις, id eſt, vico-urbes, Cap. 1. 38.

Verſ. 44. *Et prædicabat in Synagogis Galilææ.*

CAPUT V.

I. *Chriſtus efficit, ut Petrus piſcium caperet magnam copiam: ad verſ.* 12. II. *Sanat leproſum: ad verſ.* 15. III. *Et multos alios: ad verſ.* 17. IV. *Sanat paralyticum: ad verſ.* 27. V. *Matthæum vocat ad Apoſtolatum: ad verſ.* 33. VI. *Defendit diſcipulos ſuos adverſus Phariſæos ratione jejunii: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *FActum eſt autem, cum turba incumberet ei, audiendi verbi Dei cauſa, & ipſe ſtabat juxta lacum Geneſareth.*] Turbæ frequentia tanta erat & concurſus, ut eum premerent.

Juxta lacum Geneſareth.] Alibi lacus iſte vocatur mare Galilææ (Matth. 4. 18.) & mare Tyberiadis (Johan. 21. 1.) Lacus enim Hebræis mos eſt mare appellare. In Veteri Teſtamento vocatur mare Cinnereth, mediumque tranſit Jordanes. Vide Num. cap. 34. 11. Deut. 3. 17. Joſ. 13. 27.

Verſ. 2. *Viditque duo navigia, quæ ad lacum erant, Piſcatores vero deſcendentes ex eis, abluebant retia.*] Qui exiſtimant, Lucam hoc loco aliam hiſtoriam narrare, quam quæ à Matthæo, Cap. 4. 18, & à Marco Cap. 1. 16. deſcripta eſt, coguntur aſſerere, Petrum ter fuiſſe vocatum. Primum cum eum frater ipſius Andreas ad Chriſtum adduxit, Johan. 1. verſ. 43. Secundo tempore miraculoſæ hujus piſcium capturæ, quam hic deſcribit Lucas. Tertio quando cum fratre ſuo Andrea à Chriſto vocatus eſt, Matth. cap. 4. 18. Sed eſt ſimilius vero, Lucam referre hic eandem hiſtoriam, quam Matthæus. Quod etiam ipſa ſimilitudo dictorum Chriſti ſatis arguit. Nam apud Matthæum dixit Petro & Andreæ: *Faciam vos Piſcatores hominum.* Hic autem verſ. 10, dicit Petro: *Ab hoc tempore vivos capies homines.* Quod vero Lucas circumſtantias nonnullas paulo aliter recenſet, quam Matthæus & Marcus, id ita conciliandum eſt: Cum naves in portum deduxiſſent, alii hoc, alii alio labore fuere occupati, nempe alii abluebant retia, alii rupta retia reficiebant, alii prope littus capiebant piſces. Ita alii fuerunt in navi, alii ſtabant in littore.

Verſ. 3. *Ingreſſus autem in unum iſtorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum, ut à terra proveheret paululum. Et ſedens docebat ex navigio turbas.*] Matthæus & Marcus miraculum hoc non deſcripſerunt, fortaſſis ideo, quia magnam copiam piſcium capere res talis erat, quæ à nonnullis fortunæ aut caſui felici adſcribi poterat, tametſi ipſi bene noſſent, id divina factum fuiſſe virtute. Itaque cum tam multa alia eſſent miracula Chriſti ipſis deſcribenda, huic immorari noluerunt. Lucas autem, qui id ſibi haud reticendum duxit, ſuo loco id deſcribit, medio ſcilicet loco inter illud tempus, quo Chriſtus Piſcatores invenit in littore, & inter illam vocationem Petri & Andreæ, cum omnia reliquerunt, & Chriſtum ita ſecuti ſunt, ut non ampliusad ſua redierint ſubinde, ut antea fecerant. De quo vide ad Matth. 4. 18.

A terra proveheret.] In altum, id eſt, à littore in mare ulterius. Ita Piſcatores loqui amant, quia mare videtur altius eſſe, quo longius à littore diſtat.

Verſ. 4. *Ut autem ceſſavit loqui, dixit ad Simonem: Provehe in altum, & laxate retia veſtra ad capturam.*

Verſ. 5. *Et reſpondens Simon dixit illi: Magiſter, per totam noctem laborantes nihil cepimus: tamen ad tuum juſſum laxabo rete.*] Magiſter, Gr. ἐπιστάτα. Quod vocabulum à nullo alio ſcriptorum Novi Teſtamenti, præterquam à Luca uſurpatur: & ſignificat Antiſtitem, Rabbi, vel Magiſtrum. Confer. Marc. 9. 5, cum Luc. 9. 33.

Per totam noctem laborantes.] Noctu piſces melius capiuntur, quam interdiu, quia de die poſſunt cernere retia, eaque declinare. Quocirca ad augendam miraculi magnitudinem facit, quod interdiu tam ingens piſcium multitudo capta ſit, cum tota nocte fruſtra laboraverint.

Ad tuum juſſum.] Proprie verba in textu habent *in verbo tuo* vel *ad verbum tuum*; id eſt, non tantum

tantum ad mandatum tuum, quia ita jubes: ſed etiam, fretus tuis dictis, & certa ſpe in verbis tuis repoſita, quod non fruſtra nunc ſimus laboraturi. Hinc intelligitur, Petrum jam antea Chriſtum noviſſe, & diſcipulum ejus factum eſſe (nempe Joh. 1. verſ. 43.) alioqui talem in ipſo fiduciam haud collocaſſet.

Verſ. 6. *Et cum hoc feciſſent concluſerunt piſcium multitudinem magnam: dirumpebatur autem rete eorum.*

Verſ. 7. *Et innuerunt conſortibus, qui erant in alio navigio, ut venirent & ſe adjuvarent. Venerunt igitur, & impleverunt ambas naves ita ut penè mergerentur.*] Nutibus & manu ſocios vocarunt, quia tam longe aberant, ut vox exaudiri non poſſet. Quod enim quidam cenſent, eos ita miraculi magnitudine fuiſſe attonitos, ut loqui non poſſent, non eſt veriſimile, & contrarium teſtantur ſequentia.

Conſortibus.] Piſcatores æque, ac vectores ſolent ſocietatem inter ſe inire, quia alii aliorum ope indigent.

Verſ. 8. *Videns autem Simon Petrus accidit ad genua Jeſu, dicens, Diſcede à me. Nam homo peccator ſum, Domine.*] Quemadmodum pii homines conſpectum Angelorum reformidabant, quia ſuam fragilitatem agnoſcebant, metuebantque, ne propterea morerentur: ſic Petrus quoque metuit hoc loco præſentiam ejus, cujus imperio videbat totam rerum naturam ſubeſſe, ita ut piſces quoque in mari obedientes ei eſſent. Myſtico nimirum ſenſu impletum eſt illud Pſal. 8. ubi etiam verſ. 9. piſcium fit mentio. Vox *peccatoris* autem plerumque denotat eum, qui omnem Dei timorem animo excuſſit ſuo, & concupiſcentiis ſuis frena laxavit. Talis autem Petrus nunquam fuit, cum ejus erga Deum reverentia ſatis vel ex hac hiſtoria eluceſcat. Ita etiam vidua illa Sareptana causam, quod filius ipſius mortuus ſit, adſcribit ſuæ indignitati, quod indigna eſſet, ut ſibi tam ſanctus vir Elias adeſſet, 1 Reg. 17. 18.

Verſ. 9. *Stupor enim occuparat eum, & omnes qui cum eo erant, ſuper captura piſcium, quam comprehenderant.*] Id eſt, ſuper tantam piſcium copiam, quos ceperant.

Verſ. 10. *Similiter autem & Jacobum & Johannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis. Et ait ad Simonem Jeſus: Ne metue; ab hoc tempore vivos capies homines.*] Quo magis ſibi diſplicebat Petrus, eo magis placuit Chriſto.

Ab hoc tempore vivos capies homines.] Ex his verbis liquet, Chriſtum hoc miraculo non ſolum piſcatoribus beneficium præſtare, ſed etiam aliud quippiam ſublimius eo denotare voluiſſe. Nam Veteres pulchre adnotarunt hoc facto præfiguratum eſſe, quod Apoſtoli non proprio ſtudio ac induſtria, ſed Chriſti juſſu ac virtute, retibus Euangelii tantam hominum multitudinem capturi ſint, ut ipſis plurimorum ſociorum & collaboratorum opera futura ſit neceſſaria, captiſque hominibus non unum tantum navigium Judæorum, ſed & alterum Ethnicorum implendum ſit.

Verſ. 11. *Et ſubducentes in terram navigia, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.*

PARS II.

Verſ. 12. *ET factum eſt, cum eſſet in quadam urbe, ecce venit vir plenus lepra, ac viſo Jeſu procidens in faciem, rogavit eum dicens: Domine ſi vis, potes me mundare.*] Hiſtoria iſta de mundatione leproſi expoſita eſt ad Matth. 8. 2.

Verſ. 13. *Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et ſtatim lepra diſceſſit ab illo.*

Verſ. 14. *Et ipſe præcepit ei, ut nemini diceret: ſed profectus, inquit, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro purificatione tui, prout imperavit Moſes, in teſtimonium illis.*

PARS III.

Verſ. 15. *DImanavit autem eo magis ſermo de eo, & conveniebant turbæ multæ, ut audirent, & per eum ſanarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Verſ. 16. *Ipſe autem ſecedens, erat in deſertis, & orabat.*

PARS IV.

Verſ. 17. *ET factum eſt quodam die, & ipſe erat docens. Et erant ſedentes Phariſæi ac Legis Doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ, & Judææ, & Hieroſolymis; & virtus Domini aderat ad ſanandum illos.*] Non ad ſanandum Phariſæos & Legis Doctores, de quibus nuſquam legitur, quod à Chriſto fuerint ſanati, ſed ad ſanandum populum illius regionis. Similia loca, ubi pronomina non ad proxime antecedentia, ſed ad longe ſuperiora, aut etiam ad id, cujus in textu nulla fuit ante mentio, reſpiciunt, vide allegata Matth. 11. 1. Idcirco autem de Phariſæis & Doctoribus Legis injicitur mentio, ut indicetur, eos miraculi hujus ſpectatores fuiſſe, ex eoque anſam carpendi Chriſti arripuiſſe, ut infra verſ. 21 deſcribitur.

Verſ. 18. *Et ecce viri ferentes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & ſtudebant eum inferre, & ponere in ipſius conſpectu.*

Verſ. 19. *Et non invenientes, qua parte inferrent illum propter turbam, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum in lectulo in medium ante Jeſum.*

Verſ. 20. *Et videns fidem eorum, dixit ei: Homo remittuntur tibi peccata tua.*

Verſ. 21. *Et cæperunt ratiocinari Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt iſte, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus.*

Verſ. 22. *Cognoſcens autem Jeſus ratiocinationes eorum, reſpondens dixit eis: Quid ratiocinamini in cordibus veſtris?*

Verſ. 23. *Quid eſt facilius dicere, Dimittentur tibi peccata tua; an dicere: Surge & ambula.*

Verſ. 24. *Ut autem ſciatis, filium hominis auctoritatem habere in terra remittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, ſurge, & ſublato lectulo tuo, abi domum tuam.*

Verſ. 25. *Et confeſtim ſurgens coram illis, ſublato eo in quo jacuerat, abiit domum ſuam, glorificans Deum.*

Verſ. 26.

Verſ. 26. *Et ſtupor cepit omnes, & glorificabant Deum, & repleti ſunt metu, dicentes:*

Vidimus inopinata hodie.] Stupor omnes cepit Gr. ἔκστασις: id eſt, admirabantur, ut habet Matth. 9. 8.

Et glorificabant Deum.] Id eſt, agnoverunt Dei ſummam potentiam: ut infra Cap. 23. 47. & alibi.

Vidimus inopinata.] Gr. παράδοξα. Merito id paradoxon populo viſum fuit, non tam quod Chriſtus ſanaret ægrotos (hoc enim ſæpius jam viderant) ſed quod hoc miraculo demonſtraret, ſibi in terris verſanti datam eſſe poteſtatem peccata remittendi. Hoc enim ut evinceret ac comprobaret, hunc paralyticum ſanavit. Vide dicta ad Matth. 9. 1.

PARS V.

Verſ. 27. *ET poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me.*] Vocatio Matthæi, quæ una cum vocatione Levi facta eſt, & quæ cum ea cohærent, uſque ad verſ. 33. explicata ſunt ad Matth. 9. 9. & ſeqq.

Verſ. 28. *Et derelinquens omnia ſurrexit & ſecutus eſt eum.*] Reliquit officium exigendi vectigalia, admodum lucroſum, nec non omnia, quæ reſtabant exigenda debita.

Verſ. 29. *Et fecit ei Levi epulum magnum domi ſuæ: eratque turba multa publicanorum & aliorum, qui cum ipſis accumbebant.*] Aliorum, nempe peccatorum, Matth. 9. 10.

Verſ. 30. *Et obmurmurabant Scribæ eorum ac Phariſæi, dicentes ad diſcipulos ejus. Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?*] Scribæ *eorum*, id eſt, illorum locorum: ut ſupra verſ. 17. ad ſanandum *illos*.

Verſ. 31. *Et reſpondens Jeſus dixit eis: Non opus eſt iis, qui ſani ſunt, medico, ſed iis qui male ſe habent.*

Verſ. 32. *Non veni vocatum juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam.*

PARS VI.

Verſ. 33. *IPſi vero dixerunt ei: Quare diſcipuli Johannis jejunant crebro, & preces inſtituunt, ſimiliter & diſcipuli Phariſæorum, tui autem edunt & bibunt?*] Hoc totum uſque ad finem Capitis explicatum eſt ad Matth. 9. 14.

Verſ. 34. *Ipſe autem dixit eis: Num poteſtis facere, ut filii thalami, dum Sponſus cum illis eſt, jejunent?*

Verſ. 35. *Venient autem dies, & cum tolletur ab eis Sponſus, tunc jejunabunt illis diebus.*] Particula *Et* ſuperflua eſt. Conſer cum Matth. 9. 15.

Verſ. 36. *Dicebat autem etiam parabolam eis: Nemo panniculum novi veſtimenti indit in veſtimentum vetus: alioqui & illud novum rumpit, & veteri non convenit panniculus ex novo.*

Verſ. 37. *Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioqui vinum novum rumpet utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt.*

Verſ. 38. *Sed vinum novum in utres novos immittendum eſt: & utraque conſervantur.*

Verſ. 39. *Et nemo qui biberit vetus, ſtatim vult novum. Dicit enim: Vetus utilius eſt.*] Quia vinum vetuſtate edentulum lenius eſt & ſuavius, quam muſtum ac novitium vinum, quod linguam ac palatum acrius ſtringit: ideo qui illi aſſuefacti ſunt, non facile adduci poſſunt, ut recenti delectentur. Vult autem indicare Chriſtus hoc ſimili, homines non eſſe protinus ad auſteriorem vitam adſtringendos, ſed per gradus quaſi aſſuefaciendos & præparandos ad talem vitam. Id quod optime ad rem, de qua agitur, quadrat.

CAPUT VI.

I. *Chriſtus defendit ſuos diſcipulos adverſus Phariſæorum criminationem, quod Sabbatum violarent: ad verſ. 6.* II. *Hominem aridam manum gerentem ſanat, & factum ſuum adverſus Phariſæos defendit: ad verſ. 12.* III. *Eligit duodecim Apoſtolos: ad verſ. 20.* IV. *Longam concionem habet ad populum, in qua primum certos homines beatos prædicat, certis vero væ minatur: ad verſ. 27.* V. *Secundo præſcribit perfectiſſimum præceptum Dilectionis: ad verſ. 39.* VI. *Tertio redarguit hypocritas: ad verſ. 46.* VII. *Quarto docet, quomodo ipſe recte colendus, & ſermo ejus cum fructu audiendus ſit: ad finem Cap.*

PARS I.

Verſ. 1. *FActum eſt autem in Sabbato ſecundoprimo, ut tranſiret per ſata: & vellebant diſcipuli ejus ſpicas, edebantque, confricantes manibus.*] Hiſtoria hæc à nobis declarata eſt uſque ad verſ. 6. ad Matth. 12. 1.

In Sabbato ſecundoprimo.] Quid Lucas per Sabbatum δευτεροπρῶτον intelligat, ferme tot ſunt de eo ſententiæ, quot Interpretes: ut apud Maldonatum ad Matth. 12. 1. & apud alios videre eſt. Illi vero procul omni dubio longe à vero deviant, qui autumant, Lucam non loqui de proprie dicto Sabbato, ſed de alio aliquo feſto. Nam ſub tempus alius feſti Phariſæi non tam ſtrictam ejus obſervationem urſiſſent, ut ne eſuriei quidem cauſa liceret ſpicas vellere. Nec minus falluntur ii, qui ſtatuunt plura fuiſſe in anno Sabbata, quæ δευτεροπρῶτα dicta ſint, & hoc Sabbatum, quo diſcipuli vulſerunt ſpicas, unum ex illis fuiſſe. Lucas enim ponit hoc Sabbatum tanquam certum diem ac ſingularem, qui ſemel duntaxat in anno occurrit: quemadmodem dies Paſchæ vel aliorum ſolennium feſtorum. Quod ſi obſervetur, pleræque Veterum de hac voce conjecturæ corruunt. Duæ autem ſunt potiſſimæ ſententiæ de ſignificatione hujus vocabuli δευτεροπρῶτος, quæ inter ſe de probabilitate certant. Prima eſt Joſephi Scaligeri de Emendatione Temporum, quam hodie plurimi ex Interpretibus amplectuntur. Nimirum ajunt: ſecundus dies Paſchatis ſeu feſti azymorum, qui eſt 16 menſis Niſan (nam die 14 iſtius menſis macta-

mactabatur agnus, & 15, ut pote primo die azymorum edebatur) vocatur ἡ δεύτερα τῶν πάσχα, id est, ſecundus (ſubintellige dies) Paſchæ, vel ἡ ἄγιον τῶν πάσχα, id est, craſtinus Paſchæ; & ab hoc ſecundo die Paſchæ uſque ad ſextum diem menſis Sivan, id est, uſque ad diem quem nos hodie (quanquam minus recte) Pentecoſte dicimus, omnes ſeptimanæ (quarum ſeptem lex numerare jubet Levit. 23. 15.) nomen ſortiuntur. Nam proximum Sabbatum, quod poſt hunc ſecundum diem Paſchæ ſequitur, appellatur δευτεόπρωτον, id est primum poſt ſecundum diem Paſchæ: de quo hic Lucas agit. Secundum Sabbatum poſt hoc vocatur δευτεοδεύτερον, id est, ſecundum poſt alterum diem Paſchæ. Et ſic porro. Qua ratione vox δευτεόπρωτον compoſita est ex δεύτερος & πρῶτος. Addit Scaliger, Judæos adhuc hodie Sabbatum iſtud proxime ſequens poſt alterum Paſchæ diem vocare Schabbath riſchon mimmohorath, id est, primum Sabbatum poſt ſecundum Paſchæ diem. Verum hæc Scaligeri ſententia minime arridet Doctiſſimo Hugoni Grotio. Primum quia nullum exemplum in Græca lingua reperiatur ejuſmodi compoſitionis, qualis hic est ex δεύτερος & πρῶτος. Deinde quia ſenſus Legis Levit. 23. 15, non ſit, ut Sabbata ab altero die Paſchæ denominentur, ut ſcilicet Sabbatum hoc primum, ſequens ſecundum, & ſic deinceps vocetur; ſed, ut quinquaginta dies, quorum ultimus Pentecoſte dicitur, numerentur ab altero die Paſchæ: ita ut ſecundus dies Paſchæ ſit primus dies de diebus 50, proximus ſit ſecundus, & ſic porro uſque ad quinquageſimum; quam numerandi rationem etiamnum Judæi accurate obſervant, neque tamen iterant in numerando unquam vocem δεύτερος, ſed quando nox incipit ſecundi diei Paſchæ, ajunt, Hic est primus dies Omer, & deinde, Hic est ſecundus dies Omer, &c. Omer autem ſignificat manipulum, ſicque vocatur alter dies Paſchæ à Judæis, quia illo die primitias hordei offerunt: ut præceptum est Levit. 23. 10, 11. Cum ergo hæc ſententia Scaligeri Grotio non ſatisfaciat, affert propriam ſententiam ejuſmodi: Ait Judæos ſolitos fuiſſe & etiamnum ſolere Sabbatum illud, quod proxime antecedit feſtum Paſchatis, aut in quod dies Paſchatis incidit, Sabbatum Magnum appellare: ut videre est Johan. 19. 31. Alii autem è Judæis appellant illud Primum Sabbatum (Hareſchith) id est, præſtantiſſimum & excellentiſſimum Sabbatum. Hebræa enim vox Reſchith, ut & Græca πρῶτος ſignificat primum non ſolum numerò, ſed etiam dignitate & præſtantia. Ita Johannes Baptiſta de Chriſto dicit, *præſtantior me erat*, cum in Græco ſit, πρῶτός μου ἦν, id est, prior me erat, Johan. 1. verſ. 15, 30. Cum vero præter Paſcha, adhuc duo alia feſta eſſent magna, feſtum ſcilicet Pentecoſtes, & feſtum Tabernaculorum, Sabbatum quoque horum quodque antecedens, vel in ipſum feſtum incidens dicebatur Magnum vel primum, id est, primarium Sabbatum. Quia igitur pro ratione Trium Feſtorum magnorum tria etiam erant Prima ſeu præcipua Sabbata, ad diſtinctionem unius ab altero Sabbatum Paſcha antecedens, vocabatur πρωτόπρωτον, id est, primo primum; & illud Sabbatum quod præcedebat Pentecoſten, δευτεόπρωτον; id est, ſecundo primum; quod hic intelligit Lucas: tandem Sabbatum antecedens tertium feſtum Tabernaculorum, τριτόπρωτον, id est, tertio primum dicebatur. Sciendum autem est, meſſem in Palæſtina, quæ calidior est, quam ſunt noſtræ regiones, incidere ſolere ferme in menſem Elul, qui partim cum noſtro Junio, partim cum Julio concurrit. Hinc Exod. 23. 16, feſtum Pentecoſtes vocatur feſtum Primitiarum frugum; feſtum autem Tabernaculorum, feſtum Collectionis (nempe frugum in horrea) quod circa finem Auguſti & initium Septembris contingebat. Quod autem ſecundo die Paſchatis δράγμα τῶν χνῶν, manipulus ſpicarum ad altare offerebatur, id fiebat tantum è ſpicis adhuc viridibus & toſtis. Hinc primus Menſis Abib, quod ſignificat viridem ſpicam, nuncupatur. Primitiæque illæ è hordei ſpicis, quod citius præ aliis frugibus matureſcit, offerebantur. Vide Joſeph. lib. 3. cap. 10. Præterea notandum est, feſtum Paſchatis, quod proxime anteceſſit hanc hiſtoriam, ad annum Julianum 74 pertinere. Vide Matth. 12. verſ. 1.

Verſ. 2. *Quidam autem Phariſæorum dixerunt eis: Cur facitis, quod non licet facere Sabbatis?*

Verſ. 3. *Et reſpondens Jeſus ait illis: Ne hoc quidem legiſtis, quod fecit David, cum eſuriret ipſe, & qui cum eo erant?*

Verſ. 4. *Quomodo introierit domum Dei, & panes propoſitionis ſumſerit, ederitque ac dederit etiam iis qui ſecum erant, quibus non licet veſci, niſi ſolis Sacerdotibus.*

Verſ. 5. *Et dicebat eis: Filius hominis Dominus eſt etiam Sabbati.*] In Græco hoc ordine verba ſunt poſita: Dominus est filius hominis & Sabbati. Similem tranſpoſitionem verborum, vide Johan. 1. 1. Hebr. 1. 8.

PARS II.

Verſ. 6. *Factum eſt autem in alio Sabbato, ut ipſe ingrederetur in Synagogam, ac doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida.*] Hiſtoriam hanc explicatam uſque ad verſ. 12, vide ad Matth. 12. 9.

Et manus ejus dextera erat arida.] Id est, cujus dextera manus erat arida. Hebraiſmus.

Verſ. 7. *Obſervabant autem cum Scribæ ac Phariſæi, an Sabbato ſanaturus eſſet eum, ut invenirent accuſationem adverſus eum.*] Intenti erant in eum; erant erecti expectatione, quid facturus eſſet: ut Marc. 3. 2. & infra Cap. 14. 1.

Verſ. 8. *Ipſe vero norat ratiocinationes eorum, & dixit homini illi, qui habebat manum aridam. Surge & ſta in medio. Ille autem ſurgens ſtetit.*

Verſ. 9. *Dixit igitur eis Jeſus: Interrogabo vos quiddam, licetne Sabbatis benefacere, an malefacere? hominem ſervare, an perdere?*

Verſ. 10. *Et circumſpiciens eos omnes, ait homini: Extende manum tuam. Is autem fecit ita: & reſtituta eſt manus ejus ſana ſicut altera.*

Verſ. 11. *Ipſi autem repleti ſunt amentia, & colloquebantur alii cum aliis, quidnam facerent Jeſu.*] Repleti ſunt amentia, id est, ira vehemente, rabioſorum inſtar.

Et colloquebantur alii cum aliis.] Nempe Phariſæi cum Herodianis Matth. 12. 14. Marc. 3. 6.

Quidnam facerent Jeſu.] Ut eum ſcilicet poſſent occidere: ut ex Marco liquet.

PARS III.

Verſ. 12. *FActum eſt autem illis diebus, abiit in montem ad orandum, & pernoctavit in oratione Dei.*

Verſ. 13. *Et cum dies factus eſſet, advocavit diſcipulos ſuos, & cum ex ipſis elegiſſet duodecim, quos & Apoſtolos nominavit.*] Lucas non loquitur hic de prima electione, per quam diſcipuli ejus facti ſunt, de qua Johan. 1. 43. Matth. 4. 18, 21: Sed de electione ad Apoſtolatum, dum nimirum ex univerſo diſcipulorum ſuorum, id eſt, eorum qui doctrinam ſuam amplexi, ſeque ſecuti erant, numero, ſelegit duodecim, ut tanquam indivulſi comites ſibi aſſiduo adhærerent, & olim teſtes ſui eſſent in toto mundo; quos etiam poſtea virtute miracula patrandi inſtructos dimiſit ad prædicandum per Judæam Euangelium, Matth. 10. 1. Luc. 9. 1.

Verſ. 14. *Simonem, quem etiam nominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Johannem, Philippum & Bartholomæum.*

Verſ. 15. *Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi filium, & Simonem, qui vocatur Zelotes.*

Verſ. 16. *Judam Jacobi* [fratrem] *& Judam Iſcarioten, qui etiam fuit proditor.*] Ita ſeipſum etiam deſcribit Judas in ſua Epiſtola verſ. 1. quod ſit Jacobi frater.

Verſ. 17. *Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, turbaque diſcipulorum ejus, & multitudo magna populi ex tota Judæa & Hieroſolyma, & à maritima regione Tyri & Sidonis, qui venerant, ut audirent eum, & ſanarentur ab infirmitatibus ſuis.*] Deſcendit Chriſtus, ſcilicet de monte.

Stetit in loco campeſtri.] Concionem hanc Chriſti ſequentem eſſe diverſam ab illa, quæ apud Matthæum habetur deſcripta Cap. 5. 6. 7, demonſtratum eſt ibidem Cap. 5. 1. Qui autem unam eandemque Concionem putant utrobique eſſe deſcriptam, rationes has proferunt. Primum, quia exordium & concluſio utrobique congruunt. Deinde quia uterque Euangeliſtarum narrat, Chriſtum abſoluta concione Capernaumum veniſſe Matth. 8. 5. Luc. 7. 1. Quod autem Matthæus dicit, Chriſtum Concionem habuiſſe in monte, Lucas autem hic ait, factam eam in loco plano campeſtri, id illi ita conciliant; quod Chriſtus ex editiori parte montis deſcenderit in planiorem locum, qui plures è populo capere poterat, ſed quod nihilominus planus iſte locus adhuc in monte fuerit. In hac planitie fieri poteſt, ut Chriſtus tamdiu permanſerit, donec curationem ægrorum abſolveret, poſtea autem ad docendum locum aliquem paulo celſionem conſcenderit, ut Matthæus narrat.

Turbaque diſcipulorum ejus.] Non Apoſtolorum, ſed eorum diſcipulorum, qui doctrinæ ejus audiendæ cauſa non parvo numero (aliquando majori, aliquando minori) ipſum aſſectabantur continuo, è quorum numero duodecim Apoſtolos ſelegerat. Ad hanc turbam diſcipulorum pertinent etiam quædam piæ fœminæ è Galilæa, & 70 diſcipuli apud Lucam Cap. 10. 1. & alii plures. Hi ergo à reliquo populo, qui non ita aſſidui aſſeclæ Chriſti erant, diſtinguuntur.

Verſ. 18. *Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis; & ſanabantur.*

Verſ. 19. *Et tota turba ſtudebat tangere eum, quia vis ab eo prodibat, & ſanabat omnes.*] Eo indicatur, eum non adventitia virtute, ſed in ſe reſidente, miracula feciſſe. Vide infra Cap. 8. 46. Matth. 9. verſ. 20, 22.

PARS IV.

Verſ. 20. *ET ipſe elevans oculos ſuos in diſcipulos, dicebat: Beati pauperes; quia veſtrum eſt regnum Dei.*] Vide explicationem noſtram ad Matth. 5. 1. & ſeqq.

Beati pauperes.] Vox *paupertatis* hic ſumitur in ſua propria ſignificatione, nempe pro defectu terrenorum bonorum; aliter quam apud Matthæum Cap. 5. 3. Continent autem hæc verba, ut & ſequentia, ſingularem conſolationem, qua Chriſtus animos diſcipulorum ſuorum erigit. Deſcribit enim variis modis miſerum eorum ſtatum ſecundum carnem, indicans, eum ipſis ad veram felicitatem prorſus nihil obeſſe, quin potius utilem eſſe, quaſi dicat. Vos eſtis beati, ô diſcipuli mei, quamvis pauperes & egeni ſitis: iſta egeſtas veſtra magis vobis adjumento eſt ad ſalutem, quam impedimento vel nocumento. Vobis enim deſtinatum eſt regnum cælorum, ad vos ſpectat jus ejus & hæreditas, ſi nimirum porro in iſta egeſtate conſtanter mei perſeveretis eſſe diſcipuli, & ita vos geratis, uti meos diſcipulos decet. Chriſtus enim non tam ob paupertatem eos beatos prædicat, quam quod ſui eſſent diſcipuli. Paupertatis autem propterea meminit, ut ſignificet, eam non obſtare ipſorum beatitudini. Quapropter innuit, debere eos in illa rerum ſuarum anguſtia & miſeria ſecundum carnem, bono eſſe animo, neque ſe ditioribus infeliciores reputare, ſed potius longe ſe beatiores ducere: præſertim cum in hac ſua paupertate multo ſint expeditiores ad iter, quod ad cœli ducit palatia, calcandum. Ex dictis aliquomodo etiam ſequentia hic apud Lucam de eſurie & ſiti, & de fletu intelligi poſſunt: ut & his contraria & oppoſita. Nam divites in exemplo non tam propter divitias ſuas ſunt infelices, quam quod divitiarum ſuarum cauſa nolint fieri Chriſti diſcipuli, & aſperam viam æternæ ſalutis ingredi, cum interea ſe felicißimos ac beatißimos eſſe cenſeant. Hanc ergo falſam perſuaſionem felicitatis vult Chriſtus animis eorum excutere, indicans, eos in omni ſua opulentia & rerum maxima affluentia pauperrimos ac miſerrimos eſſe. Cæterum pauperes præ divitibus in via ſalutis multo ſunt meliori conditione. Etenim impedimentis illis carent in ediſcenda cœleſti doctrina Chriſti, quibus divitiæ plerumque ſunt obnoxiæ; cor eorum non eſt adeo curis hujus mundi adſtrictum, ac proinde ad cœleſtium rerum conſiderationem aptiores ſunt. Si dives quiſpiam tam eſſet magnanimus (quod rarum in mundo contingens eſt)

ut non

ut non ſit divitiarum ſuarum mancipium, ut paratus ſit eas, quandocunque Deo viſum fuerit, relinquere, vel omni ex parte ſecundum Dei voluntatem iis uti, maxime autem ut egenis benefaciendi nullam occaſionem omittat, utque poſſeſſio divitiarum nihil ipſi obſtet, quominus iis rebus vacet, quæ eum divitem in Deo reddere valeant: ejuſmodi dives haud minus beatus eſſet, quam pauper. Quare felicitas pauperum non ex ſola paupertate, & infelicitas divitum non ex ſolis divitiis, ſed ex uſu recto paupertatis & ex abuſu divitiarum æſtimanda eſt. Paupertas etiam ſolet multis ad peſſima quæque facinora incitamento eſſe: ideo Chriſtus Matth. 5 verſ. 3 non ſimpliciter pauperes beatos pronunciat, ſed *pauperes Spiritu*, ſeu animo, id eſt, eos qui pauperiem ſuam æquo ferunt animo, totos ſe committentes divinæ voluntati, & plenam fiduciam in paterna ejus providentia reponentes. Vide ibidem.

Verſ. 21. *Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*] Qui eſuritis, id eſt, qui famem & ſitim patimini, deſtituti rebus neceſſariis. Quia enim Chriſti diſcipuli erant, multo erant nihilominus beatiores iis, quos omnium rerum larga circumfluebat copia, quique corpus ſuum pro lubitu delicatiſſimis cibis ſaginabant, interim vero ſalutaris cibi cœleſtis doctrinæ ejus expertes ac jejuni erant. Chriſtus itaque verbum *eſuriendi* hic in propria, apud Matthæum autem Cap. 5. 6 impropria ſignificatione uſurpat.

Quia ſaturabimini.] In vita futura, ubi cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo accumbetis menſæ, Matth. cap. 8. 11.

Qui nunc fletis.] Id eſt, qui in ærumnis & afflictionibus variis eſtis conſtituti, quæ ſæpenumero etiam lacrymas ex oculis excutiunt.

Quia ridebitis.] Id eſt, gaudebitis, non tantum in die univerſalis retributionis, ſed etiam in hac vita animi veſtri divinis ſolatiis demulcebuntur, ita ut ſenſu ipſo percipiatis & experiamini paternam Dei erga vos charitatem, à cujus manu quicquid proficiſcitur, non in malum, ſed in bonum fidelium vertitur, Rom. 8. 28.

Verſ. 22. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & ſeparaverint vos, & convitiis affecerint, & nomen veſtrum tanquam malum rejecerint, propter filium hominis.*] Separaverint vos, id eſt, cum vos ex congregatione vel Synagoga ejecerint, tanquam indignos, quibuſcum habeatur ullum commercium. Vide plura hac de re Johan. 9. 22. XVI. 2.

Et nomen veſtrum tanquam malum rejecerint.] Id eſt, cum de vobis in veſtra abſentia omnia mala loquentur, nomen veſtrum apud alios peſſime traducent, variis calumniis famam veſtram maculabunt. Hebraiſmus eſt: ut etiam Deut. 22. 19. Diſtinguitur autem hoc à convitiis vel opprobriis, de quibus ſuperius, quia convitia coram ingeruntur præſentibus, illo vero petuntur abſentes. Atque hæc calumnioſa traductio & nominum Apoſtolicorum tanquam malorum rejectio, potiſſimum tunc facta eſt, quando à Synedrio Hieroſolymitano ſolennis legatio ad omnes Judæos in univerſum mundum miſſa eſt, ad religionem Chriſtianam exoſam omnibus reddendam: ut de eo teſtatur Juſtinus.

Verſ. 23. *Gaudete illo die & exultate. Ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo: nam ſecundum hæc faciebant Prophetis Patres eorum.*

Verſ. 24. *Sed væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.*] Chriſtus denunciat væ illis divitibus, qui pro more divitum hujus mundi ſe gerunt; qualis erat & ille dives helluo infra Cap. 16 verſ. 19. Id quod ex ſequenti ratione adjuncta intelligitur, *quia habetis conſolationem veſtram.* Divites quærunt ſolatium ſuum, id eſt, ſuam delectationem, ſuum auxilium ac præſidium in opibus, ideoque non eſt, quod aliud ſolatium amplius expectent. Conſolati ſunt ſeipſos, proinde à Deo nullam conſolationem accipient. *Memento, te bona tua recepiſſe in vita tua*, ait Abrahamus ad illum divitem Cap. 16. 25. Simili modo loquitur Chriſtus de hypocritis, Matth. 6. 2. 5. 16. At illos divites, qui ex præſcripto Apoſtoli 1 Timoth. 6. 12 vitam inſtituunt (ſi modo ulli tales dantur) væ iſtud minime tangit.

Verſ. 25. *Væ vobis, qui impleti eſtis, quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*] Quod dicit, *eſurietis*, alludit ad illum Eſaiæ locum Cap. 65. 13, *Mei ſervi comedent, & vos eſurietis; ſervi mei bibent, & vos ſitietis.* Quemadmodum ſtatus vitæ æternæ ex Judæorum conſuetudine per figuram lautarum epularum depingitur & delineatur; ita conditio damnatorum miſerrima per famem & ſitim adumbratur.

Qui ridetis nunc.] Id eſt, qui mundanis gaudiis & voluptatibus perfruimini; ut ille dives infra Cap. 16 verſ. 19. Cæteroquin ſemper debent Chriſtiani gaudere in Domino propter ſpem ſuam & propagationem gloriæ Dei, Phil. 3. 1. IV. 4.

Quia lugebitis & flebitis.] Ut ille idem dives Cap. 16. 24.

Verſ. 26. *Væ vobis, cum bene vobis dixerint omnes homines: ſecundum hæc enim faciebant falſis Prophetis Patres eorum.*] Qui volunt placere omnibus, neceſſe eſt ut faciant & loquantur, quæ omnibus grata ſunt. Quod autem omnibus hominibus gratum eſt (præſertim in rebus, quæ ad mores ſpectant) bonum eſſe non poteſt. Hinc vetus verbum eſt: *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Falſis Prophetis.] Qui ſermones, doctrinas, ac prophetias ſuas ad Procerum ac populi mentem & deſiderium attemperabant.

PARS V.

Verſ. 27. *Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui vos oderunt.*] Qui auditis, id eſt, qui non aures modo commodatis doctrinæ meæ, ſed & animum adhibetis ad eam conſiderandam, prompti quoque eſtis ad morem ei gerendum.

Diligite inimicos veſtros.] Vide Matth. 5. 44.

Verſ. 28. *Benedicite iis, qui maledicunt vobis, & orate pro infeſtantibus vos.*

Verſ. 29. *Percutienti te in maxillam, præbe & alteram: & ab eo qui aufert veſtimentum tuum, etiam tunicam ne prohibueris.*] Vide Matth. 5. 39.

Verſ. 30. *Omni autem petenti abs te, da.*] Vide Matth. 5. 42.

Et ab eo, qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas.] Verbum *auferendi* non denotat hic vi eripere & extorquere, ſed uti alieno, tanquam ſuo. Senſuſque eſt: Si quis eo quod tuum eſt, vel quod tibi debet, pro ſuo utatur, adverſus talem non debes tam acriter jure contendere, ut charitatem ipſi debitam violes. Nam etiam is aufert alteri, quod ejus eſt, qui, quod ei debet, detinet. Quam late autem ſe porrigat charitas erga inimicos, apud Matthæum explicavimus.

Verſ. 31. *Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.*

Verſ. 32. *Et ſi diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis gratia eſt? nam & peccatores diligunt eos à quibus diliguntur.*] Quæ vobis gratia eſt, id eſt, quid præmii pro eo habetis expectandum à Deo? Ita infra Cap. 17. 9. *gratiam habere*, accipitur pro gratias agere.

Verſ. 33. *Et ſi beneſeceritis iis, qui vobis beneſaciunt, quæ vobis gratia eſt? nam & peccatores idem faciunt.*

Verſ. 34. *Et ſi mutuum dederitis iis, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ vobis gratia eſt? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria.*] De Græcis legitur, ulitatum apud eos fuiſſe hujuſmodi benefaciendi genus, ut ſi quis naufragio, incendio, aut alio infortunio res ſuas amiſiſſet & ad paupertatem redactus eſſet, amici ejus ſummam aliquam pecuniæ contribuerent, ipſique eam mutuam darent, hac lege, ut non certo & præſtituto tempore ad reddendum teneretur, ſed quando ipſi commodum eſſet. Talia autem beneficia exhibebant vulgo tantum iis, à quibus ſperabant non ſolum ſummam ſuam, ſed etiam plura grati animi ſpecimina recipere. Sed Chriſtus docet hoc loco, talem beneficentiam carituram remuneratione, quia ipſi illi homines remunerationem ab hominibus quærunt.

Verſ. 35. *Imo diligite inimicos veſtros, & iis beneſacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, ac filii eritis Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt erga ingratos & malos.*] Chriſtus vult, ut diſcipuli ejus contrarium faciant ei, quod modo de Ethnicis narratum eſt. Nimirum Ethnici mutuo dabant amicis ſuis egentibus, à quibus ſpem habebant ſe ſuum recepturos, & quidem ſæpe cum lucro. At Chriſtiani debent ita egentibus dare mutuo, ut etiamſi nulla ſpes ſit, illos quod mutuum datum eſt reddituros, tamen eos adjuvent, & parati ſint ita carere data pecunia, in perpetuum, atque ſi eam prorſus donaſſent. Interea tamen ſi forte is qui in egeſtate mutuum accepit, ad eum proſperioris fortunæ ſtatum perveniat, ut abſque inſigni ſuo incommodo queat reſtituere mutuum, illicitum non eſt homini Chriſtiano, à tali mutuum, aut partem ejus aliquam repetere: præſertim ſi is ad ſolvendum difficilis non ſit, & abſque juris ſtrepitu ab eo mutuum recipi poſſit. Obligat autem hoc mandatum nos etiam adverſus eos, qui poſtquam mutuum ſumſerint, in tantam delabuntur inopiam, ut nonniſi ſummo cum detrimento atque diſpendio ſuo æs alienum queant exſolvere.

Hic ab Interpretibus quibuſdam tractatur quæſtio: An licitum ſit homini Chriſtiano pecuniam dare fœnori? In Lege Moſis extat de eo tale præceptum: *Non dabis in uſuram fratri tuo, uſuram pecuniæ, uſuram cibi, uſuram ullius rei, quæ in uſuram datur. Extraneo potes dare in uſuram, fratri autem tuo non dabis in uſuram*, Deut. 23. 19, 20. Unde liquet, hoc præcepto non ſimpliciter omnem uſuram prohiberi, ſed tantum à fratre accipiendam non eſſe vetari, id eſt, à Judæo; at ab alienigenis, qui vel inter eos habitabant, vel ex aliis oris venientes commercia, negotiationeſque cum eis exercebant, uſuram ſumere integrum fuiſſe. Quam ob cauſam id quod Pſalm. 15. 6, & Ezech. 18. 8, de fœnore dicitur, de tali ſolummodo fœnore accipiendum eſt, quod contra hoc legis interdictum ſumitur. Religionem Chriſtianam quod ſpectat, optandum eſſet, ut hæc victus quærendi ratio prorſus ex Chriſtiano orbe exterminaretur, non quod per ſe peccatum ſit, vel cum naturali æquitate pugnet (quid enim in eo iniqui eſt, ſi pro mea pecunia credita mediocre lucrum accipiam ab eo, qui illa non ſolum æquale, ſed etiam majus lucrum ſibi comparat?) ſed propter nefarium abuſum, qui ita invaluit, ut nullis fere legibus atque ſanctis reprimi poſſit. Nihilominus Chriſtiana religio ita comparata eſt, ut in iis rebus, quæ per ſe natura ſua nihil iniqui vel vitioſi in ſe continent, hominum conſcientias non liget, ſed uſum earum permittat, pro ratione temporis, loci, & univerſalis conſuetudinis. Unde etiam nullum expreſſum vel peculiare interdictum de eo in Lege Chriſti reperitur. Neque etiam ullum extat generale Chriſti præceptum, quod modici ac honeſti lucri pro credita pecunia acceptione violetur. Ex adverſo extant in Chriſtiana Religione talia præcepta generalia, quæ non omnem quidem uſuram tollunt penitus, ſed eam certis circumſcribunt limitibus, ne in ea abuſus committatur: videlicet præceptum de charitate, & interdictum de avaritia. Qui enim charitatis ita obſervans eſt, & avaritiæ ita fugitans, ut jubet lex Chriſti, is hac in parte non impinget. Quantum autem fœnoris loco accipere liceat, id non ex lucro, quod vel ego ipſe pecunia mea acquirere poſſem, vel alter ſibi comparat, ſed ſecundum Chriſtianam æquitatem ex utroque æſtimandum eſt. In genere majorem uſuram exigere, quam civiles leges & regionis conſuetudo permittit, non poteſt eſſe abſque peccato: minorem autem ſumere, non poteſt eſſe abſque virtute.

Filii eritis Altiſſimi.] Vide Matth. 5. 45.

Quia ipſe benignus eſt, erga ingratos & malos.] Hoc argumento Chriſtus probat præcedentia: quaſi dicat: Deus eſt beneficus non ſolum erga pios, ſed etiam erga impios, qui beneficia ejus grato animo non agnoſcunt. Quando igitur vos idem facitis, & diligitis non tantum amicos veſtros, ſed etiam inimicos, eſtis Deo ſimiles adeoque ejus filii. Continetur proinde hic concluſio eorum, quæ hactenus à Vſ. 27 de dilectione inimicorum dicta ſunt.

Verſ. 36. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*] Vox *miſericordia* tam apud Hebræos, quam apud Græcos Scriptores Novi Teſtamenti complectitur in ſe omnem beneficentiam.

Vide

Vide Geneſ. 20. verſ. 13. & dicta ad Matth. 5. verſ. 1.

Verſ. 37. *Ne judicate, & non judicabimini: ne condemnate, & non condemnabimini: dimittite, & dimittemini.*] Hoc explicatum eſt ad Matth. 7. 1.

Ne condemnate.] Eſt repetitio præcedentis ſententiæ ac moniti.

Dimittite & dimittemini.] Sicut in præcedenti dicto vox *condemnandi* ſignificat, omnia verba & facta, quæ dubia ſunt, in deteriorem partem interpretari: ita videtur etiam hic *dimittere* vel *abſolvere* nihil aliud ſignificare, quam quantum fieri poteſt, omnia in bonam partem accipere; quaſi dicat Chriſtus: Nolite alios damnando, acri ac rigido judicio veſtro ligare, ſed potius eos abſolvite & à crimine liberos pronunciate, ubi poteſtis; & tunc Deus eodem vobiſcum aget modo.

Verſ. 38. *Date & dabitur vobis: menſuram bonam, preſſam, & agitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem enim menſura, qua metimini, remetietur vobis.*] Similitudo ſumta eſt à frumento aliiſque rebus, quæ modio menſurari ſolent.

Supereffluentem.] Cujus cumulus radio non deruetur, nec æquabitur; ſed tam abundanter menſura implebitur, ut effluat.

Dabunt in ſinum veſtrum.] Id eſt, dabitur menſura in ſinum veſtrum. Vide de hoc loquendi modo Marc. 3. 21.

In ſinum veſtrum.] Hebraiſmus eſt: Judæi enim & alii Orientales populi geſtabant longas & laxas veſtes, ita ut multum capere & portare in ſinu poſſent. Vide ſimilem locutionem Pſalm. 79. 12. Jerem. 32. verſ. 18.

Eadem enim menſura.] Eadem quidem menſura, Deus retribuet, qua nos metimur, ſed preſſa, agitata & ſuperfluente: id eſt, Deus idem erga nos faciet, quod nos facimus erga proximum noſtrum, & amplius adhuc ac cumulatius.

PARS VI.

Verſ. 39. *Dicebat autem eis parabolam: Num poteſt cæcus cæco viæ dux eſſe? nonne ambo in foveam cadent?*] Fruſtra laborant, qui hæc verba cum antecedentibus, vel cum ſequentibus quoad ſenſum conantur connectere. Poſtquam enim Lucas varia præcepta & dicta Chriſti retuliſſet, hoc etiam eis ſubtexere voluit, quia ipſi veniebat in memoriam, etſi alio eſſet loco & alia occaſione à Chriſto prolatum: ut patet Matth. 15. 14. ubi ſimilitudo hæc explicata eſt.

Verſ. 40. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum ſuum, ſed perfectus omnis erit ſicut Magiſter ejus.*] Perfectus, ſubintellige diſcipulus. Neque aliud ſibi volunt hæc verba, quam illa apud Matthæum Cap. 10. verſ. 25. *Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut doctor ejus.* Senſuſque eſt: Omnis verus & probus diſcipulus (quem Lucas hic perfectum vocat) erit ſicut magiſter ejus, id eſt, ſciet idem ſibi faciendum & patiendum eſſe, quod magiſter ejus fecit & paſſus eſt. Hæc enim eſt mens horum verborum, tam apud Matthæum, quam apud Johannem Cap. 13. 16. xv. 20. Vide hæc loca.

Verſ. 41. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, at trabem in proprio oculo tuo non animadvertis?*] Hoc uſque ad verſ. 43, explicatum eſt ad Matth. 7. 3.

Verſ. 42. *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine ejiciam feſtucam, quæ in oculo tuo eſt; cum ipſe trabem, quæ eſt in oculo tuo, non videas?*] Qua fronte id dices? quo modo potes in animum inducere, ut audeas dicere?

Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo, & tum diſpicies, ut ejicias feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui.

Verſ. 43. *Non enim eſt arbor bona, quæ facit fructum malum; neque arbor mala, quæ affert fructum bonum.*] Hoc etiam Chriſtus alio loco locutus eſt, cum nimirum de falſis Prophetis ageret, qui fallunt ſub pelle ovina, eoſque à fructibus eorum cognoſci debere doceret. Hinc aliqui putant, particulam *enim* (quæ eſt cauſalis conjunctio) per errorem in textum irrepſiſſe: nam & in Syriaca & Arabica verſione non habetur. Sed quia tamen in omnibus Græcis exemplaribus & in Latina verſione Vulgata extat, omnino retinenda eſt. Non eſt autem novum tam Hebræis, quam Græcis Scriptoribus Novi Teſtamenti, ut cauſam reddant ejus rei, cujus in præcedentibus nulla expreſſa eſt facta mentio, ſed quæ tamen facile ſubintelligi poteſt. Quod etiam, Lucas hoc loco facit. Quia enim injecta fuit in ſuperioribus hypocritarum mentio, ideo tacite indicat, hypocriſin diu latere non poſſe. Ejuſque rei hanc reddit rationem, quod impoſſibile ſit, ut nequitia diu occultata, non ſe tandem per opera prodat; ſicut arboris naturam, qualis ſit, fructus optime detegit ac manifeſtat. Vide etiam Matth. 12. 33.

Verſ. 44. *Unaquæque enim arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim è ſpinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam.*

Verſ. 45. *Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo ex malo theſauro cordis ſui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os ejus.*] Verba hæc Chriſtus tunc protulit, cum de peccato in Spiritum Sanctum loqueretur, Matth. cap. 12. 34, 35.

PARS VII.

Verſ. 46. *Quid autem me vocatis Domine, Domine, & non facitis quæ dico.*] Id eſt, quæ vobis præcipio nomine Patris mei.

Verſ. 47. *Quiſquis venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtendam vobis, cui ſit ſimilis.*] Verbum *faciendi* non de uno actu intelligendum eſt, ſed de totius vitæ actionibus, quæ conformes eſſe debent doctrinæ Chriſti. Alioquin ſola Chriſti profeſſio nihil prodeſt; neque talis adverſus procellas tentationum & afflictionum poteſt conſiſtere.

Verſ. 48. *Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in profundum, & poſuit fundamentum ſuper petram. Inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit movere eam; fundata enim erat ſuper petram.*] Quid Chriſtus ſibi velit hac ſimilitudine, oſtendimus ad Matth. 7. 24.

Verſ. 49. *Qui autem audivit, & non fecit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamento: cui illiſum eſt flumen, & illico cecidit, fuitque ruina domus illius magna.*

CAPUT VII.

I. *Chriſtus ſanat ſervum cujuſdam Centurionis: ad verſ.* 11. II. *Excitat à mortuis filium cujuſdam viduæ: ad verſ.* 18. III. *Reſpondet nunciis Johannis Baptiſtæ ad ſe miſſis: ad verſ.* 24. IV. *De Johanne Baptiſta teſtimonium perhibet coram populo: ad verſ.* 31. V. *Conqueritur de malitia Phariſæorum & Scribarum: ad verſ.* 36. VI. *A quodam Phariſæo invitatus ad prandium, remittit peccata cuidam peccatrici: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *CUm autem finiviſſet omnia verba ſua audiente populo, ingreſſus eſt Capernaum.*] Omnia verba, id eſt, omnes doctrinas ſuas quarum ſumma & argumentum continetur in ſuperiori Concione.

Audiente populo.] Gr. εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, in auditibus, id eſt, in auribus populi, ut eas omnes audire potuerint. Nam non ad ſolos ſpectabant Apoſtolos eorumque in docendi munere ſucceſſores, verum ad omnes homines, qui ſalutis cupiunt fieri participes.

Verſ. 2. *Centurionis autem cujuſdam ſervus male habens erat moriturus, qui ipſi erat pretioſus.*] Hiſtoria hæc declarata eſt Matth. 8. 5. Quod enim hæc cum illa ſit una eademque hiſtoria, ibidem ad Matthæum oſtendimus.

Qui ipſi erat pretioſus.] Non hoc ſibi vult Lucas, eum hunc ſervum magni æſtimaſſe, & magno pretio vendere potuiſſe, uti ſolebant mancipia, quæ frugi erant: ſed indicat, ſervum ipſi charum fuiſſe, propter ſuam fidelitatem ac diligentiam. *Famulum probum diligito*, monet Eccleſiaſticus Cap. 7. 23.

Verſ. 3. *Cum autem audiviſſet de Jeſu, miſit ad eum Seniores Judæorum, rogans eum, ut veniens ſervaret ſervum ſuum.*] Seniores iſti vel fuerunt è Magiſtratu illius urbis, vel è præpoſitis Synagogæ. Utrique enim Seniores dicebantur.

Verſ. 4. *Illi vero accedentes ad Jeſum orabant eum ſtudioſe, dicentes: Dignus eſt cui præſtes hoc.*

Verſ. 5. *Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ædificavit nobis.*] Hinc apparet, eum fuiſſe Ethnicum. Laudant enim eum, quod cum nationis non eſſet Judaicæ, nihilominus Judæos amore complecteretur, & Synagogam eis extruxerit. Amabat autem Judæos, propter unius Dei cultum, quem tunc pene ſoli Judæi inter omnes nationes profitebantur. Inter gentes alias pauci tales erant: ut hic Centurio, & Cornelius Actor. 10. 1, 2.

Et Synagogam ædificavit nobis.] Nempe ſuis impenſis, & non ſine opera militum ſuorum.

Verſ. 6. *Jeſus autem ibat cum eis. Cumque jam non longe abeſſet ab illa domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens ei: Domine, noli fatigari; non enim ſum dignus, ut tectum meum ſubeas.*

Verſ. 7. *Ideo nec meipſum quidem ſum dignum arbitratus qui venirem ad te, ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

Verſ. 8. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, Vade, & vadit; & alteri, Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc, & facit.*

Verſ. 9. *Audiens autem hæc Jeſus, miratus eſt eum, & converſus dixit turbæ, quæ ipſum ſequebatur: Dico vobis, ne in Iſraële quidem tantam fidem inveni.*

Verſ. 10. *Et reverſi domum, qui miſſi fuerant, ſanum invenerunt ſervum, qui infirmus fuerat.*

PARS II.

Verſ. 11. *ET factum eſt poſtero die, ut proficiſceretur in civitatem, quæ vocatur Nain: & ibant ſimul cum ipſo diſcipuli ejus multi, & turba multa.*] Eximiam hanc hiſtoriam neque Matthæus neque Marcus deſcripſit: quod merito mirari poſſis. Sed apparet, eos unico exemplo reſuſcitationis in filia Jairi exercitæ contentos fuiſſe, ex quo facile de aliis judicium ferri poteſt. Fuit autem Nain civitas Galilææ, ſita ad radices montis Hermonis, 2000 paſſus à monte Thabor diſtans, ut Hieronymus teſtatur.

Et ibant ſimul diſcipuli ejus cum ipſo.] Non Apoſtoli modo, ſed & reliqui, qui eum comitari ſalebant. Ideo autem hoc addit Lucas, ut indicet, miraculum iſtud teſtes habuiſſe quam plurimos, qui id oculis ſuis ſpectarint.

Verſ. 12. *Ut vero appropinquavit portæ civitatis, ecce efferebatur defunctus, filius unigenitus matri ſuæ; & hæc erat vidua: turbaque civitatis multa erat cum ea.*] Mortui non ſolum apud Judæos (ut Matth. 27. verſ. 59. indicatum) ſed etiam apud alias gentes ante urbem humabantur. Quæ res non parum conducebat ad ſanitatem, quam facile fætor cadaverum lædere poteſt. Idcirco mirum eſt, Chriſtianos hodie cadavera mortuorum in Templis ſepelire, ubi publici habentur conventus. Olim id factum eſt in memoriam & honorem martyrum: at nunc honor iſte exhibetur ſæpe talibus, qui digni eſſent alio loco conſepeliri. Narrat autem Lucas ita hanc hiſtoriam, quaſi caſu accidiſſet, ut Chriſto obviam veniret funus ad portam: cum tamen abſque omni dubio non ſine Dei providentia id factum ſit, ut Chriſtus ſtatim in ingreſſu hujus civitatis tam præclaro miraculo ſibi auctoritatem conciliaret, & populus civitatis ad aures prædicationi ejus præbendas tanto magis accenderetur. Facit autem ad augendum miraculum, quod Chriſtus adoleſcentem hunc non ante revocarit è morte ad vitam, quam ad ſepulturam efferretur; ne quis diceret, eum non fuiſſe vere mortuum.

Filius unigenitus Matri ſuæ.] Hoc annotat ad indicandum magnitudinem materni doloris. Erat enim in Proverbio apud Hebræos luctus, quo lugebatur unigenitus, Zach. 12. 10. Jer. 6. 26. quo vehementiſſimus dolor ac luctus deſignabatur.

Et hæc erat vidua.] Tanto magis eam angebat mors unigeniti filii, qui unicum fuerat viduitatis ejus ſolatium, quem columen fore ſenectutis ſuæ ſpera-

ſperaverat. Videtur Lucas ideo has circumſtantias miſerabilis ſtatus hujus mulieris memorare, ut indicet cauſas, quæ moverint Chriſtum, ut etiam non rogatus adoleſcentulo huic extincto vitam reſtitueret.

Turbaque civitatis multa erat cum ea.] Inde liquet, funus iſtud non hominis plebeji neque ex infima ſorte fuiſſe.

Verſ. 13. *Et videns eam Dominus, miſericordia commotus eſt erga eam, & dixit ei: Noli flere.*] Miſericordiam in Chriſto movit miſer iſtius fœminæ ſtatus. Veterum hæc fuit pia obſervatio, quod tribus miraculis Chriſti, quæ poſt habitam in monte Concionem prolixam ab eo ſunt edita, triplex beneficiorum divinorum genus nobis ſit delineatum. Primum eorum, quæ nobis à Deo tribuuntur ad noſtras preces: ut accidit leproſo, Matth. 8. 2. Deinde eorum quæ aliorum interceſſione à Deo obtinemus: ita ſanatus fuit Centurionis ſervus. Tertio eorum, quæ Deus nobis abſque oratione noſtra, vel interceſſione ullius, ultrò ex mera miſericordia ſua largitur: quale beneficium huic viduæ contigit. Et ad hoc ultimum genus miſericordiæ divinæ referunt Apoſtoli merito vocationem Gentium per Euangelium.

Noli flere.] Verba hæc Chriſti eam conſolantis multo fuerunt efficaciora & validiora, quam aliorum hominum, qui ipſi ſine dubio quoque ingeminabant ſæpius hanc vocem; Noli flere; adjicientes ſimul: Hanc eſſe Dei voluntatem, ut filius tuus moreretur; videbis eum aliquando redivivum in die reſurrectionis, &c. Qui modus conſolandi parum valet apud animos mœrore perturbatos. At Chriſti conſolatio ejus erat efficaciæ, ut momento omnem animo ſcabitudinem ac triſtitiam eximeret; dum indicavit, eam mox filium ſuum vivum eſſe viſuram. Quam conſolationem Chriſtus vel pluribus verbis, quam hic exponuntur à Luca, expreſſit, vel certis geſtibus ſignificavit. Meritiſſimo autem nobis non tantum hoc exemplum, verum etiam certiſſima ſpes noſtræ reſurrectionis, quam nobis attulit doctrina Chriſti, plurimum de luctu ſuper defunctos demere deberet. Quod enim Ethnici immodico luctu mortuorum funera proſequantur, mirum non eſt; cum vel nullam, vel incertam prorſus ſpem reſurrectionis habeant: ut docet Apoſtolus 1 Theſſ. 4. 13.

Verſ. 14. *Et accedens tetigit loculum (qui vero portabant, ſubſtiterunt) & dixit:*

Adoleſcens, tibi dico: Surge.] Græca vox σορὸς loculus, à Syro interprete reddita eſt *lectulus*. Erat enim tunc moris, ut corpora hominum honoratiorum in lectulo efferrentur, ita ut omnibus eſſent in propatulo. Eundem morem & apud Judæos viguiſſe teſtatur Joſephus. Hodie in Italia aliiſque locis funera palam in feretro exportari ſolent. Lectulum autem vel loculum Chriſtus ideo tetigit, ut portitores cadaveris ſubſiſterent. Incertum eſt, an Chriſtus cadaver ipſum attigerit. Et licet attigiſſet, nihil tamen contra Legem egiſſet. Nihil enim erat juſtius, quam ut qui mortuum ſolo tactu reducere à mortuis valebat, contrectatione iſta non contaminaretur. Hinc cenſendum eſt, nec Eliam, nec Eliſæum ſe polluiſſe tangendo mortuos, quos reſuſcitarunt, 1 Reg. 17. 19. 2 Reg. 4. 34.

Tibi dico, Surge.] Ea poteſtate divina, qua Chriſtus pollebat ſuper inanimatas quoque res, ut ventum ac mare, mandat hic mortuo, ut ſurgat. Eſt quidem hoc Deo proprium, ut *vocet non exiſtentia tanquam exiſtentia*, Rom. 4. 17. Sed Deus eandem poteſtatem communicavit quoque huic Filio ſuo, per quem ſe Deus perfectiſſime mundo patefacere voluit. Ita Petrus quoque affatus eſt Tabitham: *Surge*, Actor. 9. 40. Et Chriſtus Lazaro dixit: Lazare, exi foras, Johan. 11. 43.

Verſ. 15. *Et reſedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum Matri ſuæ.*] Erexit corpus ſuum, ut ſederet, qui jacuerat in lectulo.

Verſ. 16. *Cepit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus ſuſcitatus eſt inter nos, & viſitavit Deus populum ſuum.*] Timor, id eſt reverentia erga Deum. Vide ſupra quoque Cap. 1. 65.

Propheta magnus ſuſcitatus eſt.] Prophetæ dicuntur omnes illi, qui à Deo miſſi ſunt. Hi vero appellant Chriſtum magnum Prophetam; quia non adhibitis ad Deum precibus, non incumbens ſuper mortui corpus, ut Eliſæus, ſed ſolo juſſu ſuo mortuum ſuſcitaverat: cujus rei nullum unquam audiverant exemplum.

Suſcitatus eſt inter nos.] Jam ab aliquot ſeculis nullus extiterat Propheta inter Judæos. Ipſi doctiores Judæorum de temporibus Eſdræ dicere ſolent: Hucuſque fuerunt Prophetæ, ſequuntur Sapientes. Vide dicta hac de re ad Matth. 7. 29.

Et viſitavit Deus populum ſuum.] De hac locutione vide ad Luc. 1. 68.

Verſ. 17. *Et exiit ſermo iſte de eo in totam Judæam, & in totam regionem circumjacentem.*] Exiit ſermo, Gr. ὁ λόγος. Per ſermonem autem res, ſeu miraculum iſtud magnum intelligitur.

PARS III.

Verſ. 18. *Et annunciarunt Johanni diſcipuli ejus de his omnibus: & Johannes advocans duos è diſcipulis ſuis.*] Hoc totam expoſitum eſt ad Matth. 11. 2.

Verſ. 19. *Miſit ad Jeſum, dicens: Tu es qui venturus erat, an alium expectamus?*

Verſ. 20. *Accedentes autem ad eum viri illi, dixerunt: Johannes Baptiſta miſit nos ad te dicens, Tu es, qui venturus erat, an alium expectamus?*

Verſ. 21. *Eadem autem hora multos ſanavit à morbis, & flagellis, & ſpiritibus malis; & cæcis multis viſum donavit.*

Verſ. 22. *Et reſpondens Jeſus dixit eis: Profecti renunciate Johanni, quæ vidiſtis & audiſtis; cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſuſcitantur, pauperes euangeliſantur.*

Verſ. 23. *Et beatus eſt quicunque non fuerit ſcandaliſatus in me.*

PARS IV.

Verſ. 24. *Et cum diſceſſiſſent nuncii Johannis, cœpit de Johanne dicere ad turbam:*

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem à vento agitatam? Hæc ad verſ. 29. uſque explicavimus ad Matth. 11. 7.

Verſ. 25. *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis amictum? ecce qui veſtitu magnifico utuntur, & in luxu verſantur, ſunt in palatiis regis.*

Verſ. 26. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Certe dico vobis, etiam amplius quam Prophetam.*

Verſ. 27. *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

Verſ. 28. *Dico enim vobis, inter genitos ex mulieribus, nullus eſt major Propheta Johanne Baptiſta.*

Verſ. 29. *Et omnis populus audiens, & publicani juſtificaverunt Deum, baptiſati baptiſmo Johannis.*] Primo intuitu videntur hæc verba uſque ad verſ. 31 eſſe Lucæ: multique Interpretum ſic ſtatuunt. Sed veriſimilius eſt, eſſe Chriſti ipſius verba, cujus ſermo integer à verſ. 24. uſque ad verſ. 36 extenditur. Nam ſi Lucæ verba forent; ſenſus eſſet, populum omnem, qui audivit ſermonem Chriſti præcedentem ac teſtimonium de Johanne, Deum juſtificaſſe, & baptiſmum Johannis ſuſcepiſſe. Sed præterquam quod Johannes jam tunc, cum Chriſtus hoc de ipſo perhiberet teſtimonium, in vinculis fuerit, adeoque jam baptiſare nequiverit; etiam credibile non eſt, hoc nudum teſtimonium Chriſti tantum valuiſſe apud populum, apud quem Chriſtus omnibus ſuis miraculis tantum efficere non poterat, ut teſtimonium ipſius tanquam indubitatum reciperent. Quare non ſunt hæc Lucæ verba, ſed Chriſti, quibus docet, quid Johannis prædicatio & monita boni præſtiterint in hominibus.

Omnis populus audiens.] Id eſt, maxima pars promiſcuæ plebis, & inter eos etiam publicanorum multi, prædicationem ejus de pœnitentia agenda in animum admiſerunt, ac pœnitentiam baptiſmo ſuſcepto teſtati ſunt: Phariſæi autem & Legis interpretes prædicationem ejus ſuſque deque habuerunt.

Juſtificaverunt.] Juſtificare crebro uſurpatur in Sacris Literis pro laudare, celebrare, approbare, pro bono agnoſcere: ut Pſal. 51. 6. Rom. 3. 4.

Deum.] Id eſt, Dei conſilium, ut in verſu ſequenti. Chriſtus hoc vult dicere; indoctum vulgus & publicanos hanc immenſam Dei benignitatem ſumma cum gratiarum actione laudaſſe ac deprædicaſſe, quod decreverit omnia præterita peccata gratioſe condonare, & ſola pœnitentia contentus eſſe, quodque hanc paternam ſuam voluntatem partim per Johannem, partim per eum, quem Johannes digito monſtravit, notam teſtatamque fecerit.

Baptiſati baptiſmo Johannis.] Modum exprimit Chriſtus, quo Deum collaudarint ac celebrarint, nimirum per obedientiam ſuam, dum in ſignum pœnitentiæ ſuæ baptiſmum ſuſceperunt. Duo autem Chriſtus introducit hominum genera, qui Deum glorificarunt, vulgus indoctum & in Lege minus exercitatum, atque avaros publicanos, qui maximis peccatoribus accenſebantur, & Ethnicis æquiparabantur Matth. 18. 17.

Verſ. 30. *Phariſæi vero & Legis Interpretes conſilium Dei aſpernati ſunt adverſus ſemetipſos, non baptiſati ab eo.*] Vulgo imperito & impiis publicanis opponit Chriſtus Phariſæos & Legis interpretes.

Conſilium Dei aſpernati ſunt.] Conſilium hic idem ſignificat, quod decretum Dei: ut etiam Actor. 2. verſ. 23. IV. 28. XIII. 16. XX. 27. Epheſ. 1. 11. Hebr. 6. 17. Alias etiam conſilium vocatur, quando quis inſtruitur, quomodo ſe gerere debeat. Quæ ſignificatio hic quoque locum habere poſſet, ſi non ubique in Scriptis Novi Fœderis vox hæc in priori ſumeretur ſignificatu, etiam tum, cum de humanis agitur conſiliis. Vide Luc. 23. 51. Actor. 5. 38. XXVII. 12, 42. 1 Cor. 4. 5. & alibi.

Adverſus ſemetipſos.] Gr. εἰς ἑαυτούς: quæ voces dupliciter verti poſſunt; Vel *adverſus ſeipſos*, qua ratione cum verbo *aſpernati ſunt* cohærent, ut ſenſus ſit: eos conſilium Dei maximo ſuo malo & æterna cum damnatione rejeciſſe. Vel, *erga ſe ipſos*, quo pacto connectenda ſunt cum *Conſilio Dei*, ut ſenſus ſit: eos Conſilium Dei erga ſe (id eſt, quod ad eorum ſalutem ac bonum directum erat) aſpernatos eſſe.

Verbum *aſpernari* opponitur verbo *juſtificari*. Nimirum ſapientiſſimum & clementiſſimum Dei decretum, quod in eo eluxit, quod tam eximium pœnitentiæ annunciatorem miſerit, & quidem cum tam inſignibus promiſſis, homines vulgares, idiotæ, & dediti peccatis ſumma cum admiratione & grati animi teſtificatione ſuſceperunt & exoſculati ſunt: Contra vero Doctores populi, qui aliis ſapientiores & ſanctiores videri volunt, id contemſerunt; freti nonnullis ſuis operibus, quæ in meris conſiſtebant ceremoniis, neque ex animo integro ac ſincero proficiſcebantur. Apud Matthæum Chriſtus ſic iſtos homines alloquitur: *Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei* Cap. 21. 31.

Hoc loco habemus evidens ejus rei exemplum, quod divina decreta non eodem modo ſint omnia comparata. Aliqua enim ſunt hujuſmodi, ut à nemine mortalium poſſint reſcindi vel irrita fieri. De iſtis loquitur Paulus, inquiens: *Voluntati ejus quis reſiſtet?* Rom. 9. 19. Et Scriptor ad Hebræos vocat tale decretum *immutabile conſilium Dei* Cap. 6. verſ. 17. Tale decretum Dei erat de morte Chriſti factum, de quo ait Petrus: *Hunc* (Jeſum) *definito conſilio & præſcientia Dei traditum accepiſtis*, Actor. 2. verſ. 33. Vide etiam 1 Petr. 1. 20. Deinde ſunt alia Dei decreta, quæ cum certa conditione ſunt conjuncta, ſi nimirum homines ipſi id, quod de eis decrevit Deus, acceptare velint. Hæc decreta Dei, uti nullam vim humanæ inferunt voluntati, ſed ei liberum relinquunt arbitrium, ita ſæpiſſime ab hominibus infructuoſa & irrita redduntur. Hujus generis decretum fuit etiam hoc, quod tam de Phariſæis, quam de aliis Judæis factum erat; ſed ab illis rejectum, ab his vero receptum & approbatum eſt. Huc pertinet etiam, quod Paulus & Barnabas ad contumaces Judæos dixerunt: *Vobis neceſſe fuit* (intellige juxta decretum ac voluntatem Dei) *primum exponi ſermonem Dei; ſed quia repellitis illum, & indignos vos ipſos decernitis vita æterna, ecce convertimus nos ad gentes*, Actor. 13. 46. Huc ſpectat quoque illud Pauli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire*, 1 Tim. 2. 4. Cum tamen

tamen minima pars hominum & nonniſi pauciſſimi ſalvi futuri ſint, Matth. 7. 14. Luc. 13. 24. nimirum quia pro libertate arbitrii ſui nolunt conditiones illas implere, quæ voluntati divinæ annexæ ſunt.

Non baptiſati ab eo.] Nonnulli quidem Phariſæi & Sadducæi baptiſmum ſuſceperant; ut Matth. 3. 7 legitur: ſed tam pauci tales fuerunt, ut reſpectu multitudinis reliquorum, qui baptiſmum ſpreverunt, hi pro nullis cenſendi eſſent.

PARS V.

Verſ. 31. *Dixit autem Dominus: Cui ergo aſſimilabo homines generationis hujus? & cui ſunt ſimiles.*] Hinc ſumunt argumentum, qui putant præcedentes duos verſiculos continere non Chriſti verba, ſed Lucæ: quod ſcilicet iſtis verbis, *Dixit autem Dominus*, ſequens ſermo Chriſti cum ſuperiori, qui à Luca fuerit interruptus, connectatur. Verum ſciendum eſt, hæc verba deeſſe in pleriſque exemplaribus Græcis & Latinis, neque apud ullum veterum Eccleſiæ Doctorum ea legi. Ut adeo videantur ab aliquo eſſe adſcripta, qui præcedentia proxime verba non Chriſto, ſed Lucæ attribuit.

Cui ergo aſſimilabo homines generationis hujus.] Explicatum eſt hoc uſque ad verſ. 36 apud Matthæum ad Cap. 11. 16.

Verſ. 32. *Similes ſunt pueris in foro ſedentibus, qui acclamant alii aliis, & dicunt: Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non flevi ſtis.*

Verſ. 33. *Venit enim Johannes Baptiſta, neque edens panem, neque bibens vinum; & dicitis: Dæmonium habet.*

Verſ. 34. *Venit Filius hominis edens & bibens, & dicitis: Ecce homo edax, & vini potor; amicus publicanorum ac peccatorum.*

Verſ. 35. *Et juſtificata eſt Sapientia à filiis ſuis omnibus.*] Per *Sapientiam* intelligit Chriſtus ſapientiſſimum Dei Conſilium, quod in eo ſitum fuit, quod primo Johannem concionatorem pœnitentiæ miſerit, qui auſteritate & rigore vitæ multis paraſangis omnes Phariſæos ſuperavit, qui tamen ſibi ſua abſtinentia valde placebant: deinde quod miſerit Chriſtum, qui ſe omnibus humanum, comem & affabilem præbuit. Hanc divinam ſapientiam *juſtificarunt*, id eſt, pro juſta agnoverunt, & laudibus in cœlum extulerunt *omnes ejus filii*, id eſt, more Hebraico, qui ingenio erant ad agnoſcendam divinam ſapientiam apto. Tales autem ſunt omnes ii, qui agnoſcunt ſuam inſtitiam & peccata, in quibus hærent. Initium enim ſanitatis eſt, noſſe morbum ſuum. Qui ergo ea erant indole, venerunt ad Johannem & ab eo baptiſati, ac deinceps à Chriſto inſtituti ſunt. Vide plura hac de re dicta ad Matth. 11. verſ. 19.

PARS VI.

Verſ. 36. *Rogavit autem eum quidam Phariſæorum, ut ſecum ederet: & ingreſſus in domum Phariſæi, diſcubuit.*] An hæc hiſtoria ſit eadem cum illa quam Matthæus Cap. 26. 6, Marcus Cap. 14. 3, & Johannes Cap. 12. 3, deſcripſerunt videantur quæ ad Matthæum à nobis dicta ſunt. Quod vero Lucas hiſtoriam iſtam hoc loco referat, factum eſt occaſione præcedentis ſermonis Chriſti, in quo actum fuit de pœnitentia. Nimirum docuit Chriſtus, peccatores ſi peccata ſua agnoſcant ac deteſtentur, eſſe multo aptiores ad obtinenda Dei beneficia, quam eos qui pietatis ſuæ opinione tument. Quare voluit Lucas hac occaſione memorabile exemplum proponere in magna peccatrice, quæ egit pœnitentiam, & ſummam Chriſti bonitatem & clementiam experta eſt. Ideoque eam Lucas appellat peccatricem, etſi jam tunc talis non fuerit, ſed pœnitentia acta jam Chriſti diſcipula fuerit: ut infra Cap. 10. verſ. 42. videre eſt. [Reliqui autem Euangeliſtæ hoc eam nomine non deſcribunt, quia hanc hiſtoriam alio fine retulerunt: propterea etiam hoc totum cum Phariſæo colloquium Chriſti omiſerunt, quia ad eorum propoſitum nihil faciebat; uti vice verſa Lucas prætermiſit id, quod alii Euangeliſtæ de murmuratione nonnullorum diſcipulorum (ac nominatim quidem Judæ) propter jacturam tam pretioſi unguenti narrant, quia id quoque ad ejus propoſitum non pertinebat.]

Quidam Phariſæorum.] Nomine Simon, ut appellatur verſ. 40. [Eum antea leproſum fuiſſe, teſtantur Matthæus & Marcus.]

Verſ. 37. *Et ecce mulier, quæ erat peccatrix in civitate, cum cognoviſſet, eum accumbere in domo Phariſæi, afferens alabaſtrum unguenti.*] In civitate, id eſt, vico. Voces enim iſtæ *civitas* & *vicus* promiſcue ſumuntur. Vide ſupra Cap. 4. 43. [Intelligit autem Lucas Bethaniam, ubi hæc inſignis fæmina, Lazari ſoror, habitavit, cui erat nomen Maria.]

Quæ erat peccatrix.] Non quidem publicum proſtibulum, ſed tamen minus ſervatæ caſtimoniæ rea. Apud Hebræos autem tam hæ quam illæ fæminæ in ſummo gradu peccatrices vocantur. Mirum non eſt, etiam tales ad Chriſtum veniſſe, cum ejuſmodi fæminæ quoque ad baptiſmum Johannis acceſſerint, Matth. 21. 32.

Erat peccatrix.] Olim ſcilicet fuerat, non amplius erat. Sed Phariſæus iſte fortaſſis de ejus mutata in melius vita nihil ſcivit, vel ſi ſcivit, non magni id æſtimavit.

Verſ. 38. *Et ſtans ad pedes ejus retro, flens capit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui extergebat, & deoſculabatur pedes ejus, & ungebat unguento.*] Flebat, non propter commiſſa peccata, ſed ut apparet, quia perceperat, Chriſtum prædixiſſe mortem ſuam. Hoc enim Paulo ante mortem Chriſti factum eſt: & Chriſtus hoc ejus factum interpretatur poſtea non tanquam ſignum pœnitentiæ ejus, ſed tanquam ſignum amoris ac dilectionis ipſius erga ſe.

Et capillis capitis ſui extergebat.] Obſervarunt hic Veteres, fæminam iſtam id præſtitiſſe, quod Paulus vult ab omnibus converſis ac reſipiſcentibus fieri, cum ait: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſerva impuritati & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſerva juſtitiæ ad ſanctimoniam*, Rom. cap. 6. 19. Mulieres parum pudicæ ſolent plurimum

mum ſtudii ornandis & plectendis crinibus ſuis impendere. Hæc autem ornatus iſtius curam una cum peccatis depoſuit, & nullo ordine diſpoſitos geſſit crines.

Et ungebat unguento.] Non caput ſolum unxit, ut ex more recepto apud Orientales populos hoc honore afficiebantur homines non vulgares, ſub tempus edendi; verum etiam pedes, ne omitteret quicquam eorum, quæ ad teſtandam ſummam demiſſionem ac modeſtiam requirebantur.

Verſ. 39. *Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum, dixit apud ſe: Hic ſi eſſet Propheta, noſſet utique, quæ & qualis ſit iſta mulier, quæ tangit eum, quod peccatrix ſit.*] Homines temerarii facile inveniunt, quod dente Theonino arrodant. Nam nec Prophetæ omnia ſciebant, ſed ea tantum, quæ Deus eis volebat patefacere. Ita Eliſæus neſcivit, filium illius Sunamitidis fuiſſe mortuum, 2 Reg. 4. 27.

Quæ tangit eum.] Credidit Chriſtum non paſſurum, ut mulier iſta ipſum attingeret, ſi ſciret, qualis eſſet. Phariſæorum enim hæc erat ſententia, hominem impiorum contactu contaminari. Quæ ſententia falſa erat: & mandatum de vitando malorum conſortio non ſpectabat ad eos, qui peccatis ſuis valedixerant & vitam emendarant.

Verſ. 40. *Et reſpondens Jeſus dixit ad illum: Simon, habeo quiddam, quod tibi dicam. Is vero ait: Magiſter, dic.*] Reſpondit Chriſtus non ad verba Phariſæi, ſed ad occultas ejus cogitationes. Quo ipſo oſtendit, ſe optime noſſe, qualis non ſolum hæc fæmina, ſed etiam Phariſæus ipſe eſſet, neque tantum extrinſecus, ſed intus quoque & in cute ſe noſſe abditiſſimos animi receſſus.

Habeo quiddam, quod tibi dicam.] Utitur Chriſtus tanquam hoſpes ea civilitate, ut petat veniam cum eo loquendi.

Verſ. 41. *Duo debitores erant fœneratori cuidam: unus debebat denarios quingentos, alter vero quinquaginta.*] Græca vox δανειστὴς ſignificat eum, qui mutuam dat pecuniam, ſive ſumat uſuram, ſive non: dicitur alias creditor.

Verſ. 42. *Cum autem illi non eſſent ſolvendo, ambobus donavit. Horum igitur, dic, uter plus eum diliget?*] Chriſtus loquitur de eo, quod probabilius eſt, vi inæqualis beneficii eſſe futurum, non de eo, quod omnino neceſſe eſt fieri. Poſſet enim contingere, ut cui minus beneficium præſtitum eſt, benefactorem majori amore proſequatur, quam alter. Verum id caſu accidit, non vi beneficii.

Verſ. 43. *Reſpondens vero Simon dixit: Exiſtimo quod is cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicaſti.*] De his verbis, quæ non minimam difficultatem in ſe habent, vide infra verſ. 47.

Verſ. 44. *Et converſus ad mulierem, dixit Simoni: Cernis hanc mulierem? ingreſſus ſum domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis ſui exterſit.*] Peregre advenientibus lavari ſolitos fuiſſe pedes, patet ex Geneſ. 18. 4. XIX. 2. Jud. 19. 21. Vide etiam 1 Tim. 5. 10. Et hic Chriſtus non reprehendit Phariſæum, quod plane ſibi non ſint lavati pedes, ſed quod ipſe non præbuerit ſibi aquam ad lavandum, ſicut fœmina iſta pedes ejus ipſa lavit. Hoc & ſequenti verſiculo perpetua eſt oppoſitio ac comparatio hujus fœminæ cum Phariſæi; quaſi dicat Chriſtus: Attende, quid hæc mulier mihi fecerit, & quid tu feceris. Tu ne aqua quidem abluiſti pedes meos; hæc etiam lacrymis eos rigavit, & capillis exterſit. Tu ne uno quidem oſculo meam faciem dignatus es: at hæc oſculari haud deſinit pedes meos. Tu ne vulgari quidem oleo caput meum inunxiſti: hæc autem non caput ſolum, ſed & pedes meos ungit & quidem pretioſiſſimo unguento. Idque tu facere neglexiſti in tua propria domo, erga tuum hoſpitem: cum illa id fecerit in aliena domo, ubi ab ea non ſum invitatus, adeoque illa ad id officii non fuerit obligata.

Verſ. 45. *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo ingreſſa eſt, non intermiſit deoſculari pedes meos.*] Mos oſculandi advenientes in ſignum amicitiæ, erat quoque apud Judæos uſitatus. Vide dicta de eo ad Matth. 26. 48.

Verſ. 46. *Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos.*] Solent quidem Hebræi omnia unguenta olea vocare: ſed hoc loco tantum vulgare oleum intelligi, ex antitheſi liquet. Hoſpites autem ac convivas oleo ſolitos fuiſſe perfundi, conſtat ex Pſal. 23. 5. Quo etiam ſpectat Pſal. 45. 8.

Verſ. 47. *Propterea (dico tibi) remittuntur peccata ejus multa, quoniam dilexit multum. Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.*] Verba hæc omnibus temporibus multum exercuerunt Interpretum ingenia. Videtur enim Chriſtus plane contrarium ei concludere, quod ex ſuperiori ſimilitudine verſ. 42, 43, concludere atque inferre debebat. Ibi enim concluſum fuit, majorem debitorem plus dilexiſſe creditorem, quam alterum, quia ipſi plus donatum eſt; hic vero Chriſtus infert, huic fœminæ plus condonatum eſſe, quia plus dilexerit: cum potius vi comparationis inferre debuiſſet, eam plus dilexiſſe, quia plura peccata ei condonata ſunt. Non immorabimur autem referendis & refutandis aliorum Interpretum hac de re opinionibus: ſed adferemus hic eam ſententiam, quam credimus proxime ad mentem Chriſti accedere. Non eſt ullum dubium, quin hæc ſit ſententia ſimilitudinis illius de duobus debitoribus: quod is cui plus donatum eſt, propter tantum beneficium creditorem plus ſit dilecturus, quam alter ille, cui minus donatum eſt. Chriſtus enim loquitur de vi beneficiorum, quæ natura ſua tanto majorem amorem conciliant, quanto ipſa ſunt majora. Quapropter etiam neceſſe eſt hunc eſſe horum Chriſti verborum ſenſum, quod fœmina iſta tanto majorem dilectionem ſibi exhibuerit, quia non pauca, ſed multa peccata ei ſunt condonata. Atque hunc ſenſum confirmant mox ſequentia: *Cui autem parum remittitur, parum diligit.* Ubi conjunctio *autem* ad præcedentia reſpicit; indicatque illa fundari hoc vulgato Proverbio: Cui multum remittitur, diligit multum. Hoc ſibi proinde vult Chriſtus, quaſi dicat. Cum ita ſit, quod hæc mulier tantam mihi charitatem exhibeat, ut tu, Phariſæe, tuis ipſemet cernis oculis; exinde patet, ei non pauca, ſed multa peccata eſſe remiſſa, atque hoc beneficium tantam in ea charitatem produxiſſe. Nam cui multum remittitur, multum diligit: ut ex contrario, cui parum remittitur, parum diligit.

Cui

Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.] Cum Chriſtus in ſuperioribus comparationem inſtituerit inter hanc fœminam & inter Phariſæum, ejuſque exemplo tum elatum animum, tum inhumanitatem erga ſe huic exprobraverit; innuit his verbis, non multa peccata eſſe remiſſa Phariſæo, quia non multum ſibi charitatis exhibuerit. Non quod revera minus peccatis onuſtus fuerit, quam hæc mulier, ſed quia ipſius de propria ſanctitate perſuaſio impedimento ipſi fuit, quominus agnoſceret peccata ſua, ac proinde tam gratum ſe erga Deum oſtenderet, ut debito honore afficeret eum, qui à Deo miſſus erat ad peccatorum remiſſionem omnibus hominibus annunciandam, & reipſa conferendam.

Verſ. 48. *Dixit vero ad illam: Remiſſa ſunt tibi peccata.*] Quaſi dicat: Non eſt quod cogites, te adhuc in priſtino ſtatu peccatorum eſſe, ut tuum contactum fugiam & averſer. Jam enim per tuam pœnitentiam remiſſionem peccatorum adepta es, & quidem à me, qui hac poteſtate inſtructus in mundum veni. Senſum hunc poſtulant verba prius dicta, ubi Chriſtus inquit, ei multa peccata eſſe remiſſa, adeoque loquitur de re dudum præterita, ex qua profluxit illa dilectio, quam ſibi exhibuit ſupra verſ. 38. Itaque non nunc primum Chriſtus illi his verbis peccata remiſit, etſi forte, qui præſentes erant, rem ita intellexerint.

Verſ. 49. *Et cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere apud ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit?*] Hæc non dicunt, qui aderant, Phariſæi, ut Chriſtum culparent, quemadmodum fecerunt Matth. 9. 3. ſed alii, qui ſimul cœnabant, non culpandi animo, ſed admirabundi. Quod etiam innuit particula *etiam*; ſenſus enim eſt: Quam inſignis eſt iſte vir, qui etiam pollet auctoritate peccata remittendi? Similes locutiones vide infra cap. 8. 25. Matth. 8. 27. Marc. 4. 41.

Verſ. 50. *Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſervavit, vade in pace.*] Non eſt, quod timeas hunc faſtuoſum judicem, vel indignam te reputes, quominus me contingas. Fides tua, quam vera pœnitentia operata eſt in te, jam dudum te abſolvit à reatu peccatorum tuorum.

Vade in pace.] Abi, & certa eſto, te prorſus eſſe beatam.

CAPUT VIII.

I. *Chriſtus pergit in functione muneris ſui Prophetici: ad verſ. 4.* II. *Proponit parabolam de ſemine, eamque explicat: ad verſ. 16.* III. *Edocet rectum doctrinæ ſuæ uſum: ad verſ. 19.* IV. *Reſpondet de ſua matre & fratribus: ad verſ. 22.* V. *Sedat ventum & mare: ad verſ. 26.* VI. *Ejicit legionem dæmoniorum ex obſeſſo: ad verſ. 40.* VII. *Rogatur à Jairo, ut filiam ſuam moribundam ſanet: ad verſ. 43.* VIII. *Sanat hæmorrhoiſſam: ad verſ. 49.* IX. *Filiam Jairi ſuſcitat ex mortuis: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET factum eſt deinceps, ut ipſe iter faceret per oppida & vicos, prædicans & euangeliſans regnum Dei, & duodecim cum illo.*] Factum id eſt, Johanne jam in vincula conjecto: ut ſupra Cap. 7. 19. dictum.

Ut ipſe iter faceret.] A Nain egreſſus, ubi filium viduæ excitarat à mortuis, ſupra Cap. 7. 11. Inde continuat iter ſuum, omnia oppida & vicos Galilææ peragrans. In quo itinere quos habuerit comites, & quid memorabile contigerit, deſcribit Lucas hoc Capite.

Per oppida & vicos.] Ne quis è Judæis conqueri poſſet, ſe eſſe neglectum, ideo Chriſtus Euangelium prædicat non ſolum in magnis urbibus, quo venire populus ex agris ſolebat ſingulis Sabbatis, ſed ipſe quoque adibat eos in pagis eorum ac vicis: exemplum relinquens omnibus, qui fideliter Doctorum munere defungi cupiunt.

Et duodecim cum illo.] Id eſt, duodecim Apoſtoli una iter faciebant cum eo, ut ab eo diſcerent docendi modum, non quod ſimul cum eo docuerint. Ita enim tunc temporis more receptum erat, ut diſcipulo non liceret docere, præſente Magiſtro.

Verſ. 2. *Et quædam mulieres, quæ erant ſanatæ à Spiritibus malignis & morbis: Maria, quæ vocabatur Magdalena, ex qua ſeptem dæmonia exierant.*] Hæc non fuit Maria Lazari ſoror, ſed alia, quæ à civitate Magdala nomen Magdalenæ obtinebat.

Ex qua ſeptem dæmonia exierant.] Quæ ſcilicet Chriſtus ex ea ejecit, Marc. 16. 9. Non eſt ulla cauſa, ob quam id non proprie, ſed figurate accipiendum ſit: uti volunt nonnulli, quod nimirum per ſeptem dæmonia intelligantur ſeptem vitia, & quod ſeptenarius numerus notus ponatur pro ignoto.

Verſ. 3. *Et Johanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.*] Johanna iſta ut marito ſuo infideli relicto Chriſtum ſequeretur, fieri honeſte & abſque ſiniſtris hominum ſermonibus non potuiſſet, neque à viro id ei permiſſum fuiſſet. Credibile itaque eſt, eam jam tunc viduam fuiſſe, & Chuſæ uxorem dici, quia olim fuerit: ut Matth. 1. 6. vocatur Uriæ uxor, illa, ex qua David Salomonem genuit. Niſi quis malit credere, Chuſam quoque è fidelium Chriſti numero fuiſſe, uxorique ſuæ conceſſiſſe, ut ad tempus Chriſtum ſectaretur. Contingit enim aliquando ut veritas & pietas etiam in aulas magnorum Principum, quo alioquin ipſi præcluſa eſt via, ſeſe penetret, & ſe probis animis inſinuet. Unde etiam legimus in aula ſceleratiſſimi Imperatoris Neronis extitiſſe tales, quibus Chriſtiana Religio cordi erat, Phil. 4. 22. Quare hinc nullum argumentum peti poteſt, quod liceat conjugi infidelem maritum etiam invitum deſerere. Vide 1 Cor. 7. verſ. 15.

Quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.] Id eſt, quæ ad ſuſtentationem ipſius & Apoſtolorum neceſſarios ſuppeditabant ſumtus, aliaque quæ in itinere uſui erant, præſtabant. Hieronymus auctor eſt, apud Judæos uſitatum fuiſſe, ut mulieres ac inprimis viduæ magi-

magiſtris ac doctoribus neceſſaria præberent. Qua mulierum officioſitate uſi quoque ſunt Apoſtoli inter Judæos: ſed Paulus propter malignæ verbera linguæ inter Ethnicos uſu hujus libertatis abſtinuit. At Chriſtus maluit ſponte oblatam & ex bono animo profectam humanitatem acceptare, quam cum Apoſtolis ſuis oneri eſſe hominibus ignotis, ad quos veniebat. Hinc colligere licet, quanta fuerit Chriſti paupertas: in qua conſtitutus non tamen mendicavit, ut hodie faciunt Monachi, qui ſuæ inertiæ ac impudentiæ fruſtra hoc Chriſti exemplum prætexunt. Credibile enim eſt omnino, hanc beneficentiam ultro ipſi fuiſſe oblatam ab iis, qui viciſſim beneficiorum ejus longe majorum erant participes.

Miniſtrabant ei.] Præcipua exemplaria Græca, ut & Syriaca & nonnulla Latina habent *eis*: nempe Chriſto & illis duodecim.

PARS II.

Verſ. 4. *CUm autem turba conveniret, & qui in ſingulis urbibus erant, proficiſcerentur ad eum, dixit per parabolam.*] Conveniebat turba ad eum in littore Galilæi maris, ubi Chriſtus navigio conſcenſo docebat. Vide Matth. 13. 1. Marc. 4. verſ. 1.

Qui in ſingulis urbibus erant.] Tanta erat vis cæleſtis ejus doctrinæ, ut quocunque veniret, undique auditores tanquam hamo ad ſe traheret.

Verſ. 5. *Exiit ſeminans ſeminare ſemen ſuum, & inter ſeminandum aliud cecidit ſecundum viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud.*] Hæc parabola una cum explicatione tractata eſt ad Matth. 13. 3, 18.

Et conculcatum eſt.] Deſunt hæc verba apud Matthæum, neque Chriſtus in ſequenti explicatione declarat, quid per ea intelligendum ſit. Sed poteſt ſenſus eſſe, quod ſimul ac quiſpiam animum male cultum atque ſubactum habens, verbum Dei auribus exceperit, illico eum mali homines circumdent, qui vim verbi Dei extinguant & quaſi conculcent ac opprimant, vel nefariis exemplis, vel ſcandaloſis ſermonibus. Alii intelligunt per hanc *conculcationem* vitioſas hujus mundi conſuetudines, quæ adverſus mandata pietatis ſunt induratæ, non aliter quam via, quæ à viatoribus calcatur.

Verſ. 6. *Et aliud cecidit in petram, & natum exaruit, quia non habebat humorem.*] Humor per radices attrahitur, radices autem indigent profunditate terræ. Quare eodem recidunt omnia, & quod Lucas hic habet, *Non habebat humorem*; & quod Matthæus dicit & Marcus, *Non habebat multum terræ*, & *Non habebat radices.*

Verſ. 7. *Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocarunt illud.*] Recte inquit Lucas, hoc ſemen enatum fuiſſe, ſed ſimul etiam ſpinas enatas eſſe: quo duos dari ſimul fructus in uno homine voluit indicare, bonos & malos, ſed malos, in ſtatim eradicentur, bonos ſuffocare. Philoſophus quidam rogatus, cur ſpinæ & zizania felicius creſcerent, quam bonæ fruges? reſpondit, quia terra ſit vera mater ſpinarum ac zizaniorum, tritici autem & bonarum frugum ſit noverca: id eſt, ſpinas ac zizania ſponte procreat terra, fruges autem hominum labore & induſtria terræ inſeruntur, & ex ea producuntur. Atque hoc etiam de hominum animis dici poteſt. Quicquid enim carnale eſt, quia naturâ nobis inſitum eſt, ſponte ſua enaſcitur: at fructus animi multo labore ac diligentia procurandi ſunt, quæ diligentia in paucisſimis vera & ſincera eſt.

Verſ. 8. *Et aliud cecidit in terram bonam, & cum enatum eſſet, edidit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

Verſ. 9. *Interrogabant autem eum diſcipuli ejus, dicentes, quæ eſſet iſta parabola.*

Verſ. 10. *Ipſe vero dixit: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: reliquis autem per parabolas, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Verſ. 11. *Eſt autem hæc parabola. Semen eſt ſermo Dei.*] Ideo Jacobus eum appellat *inſitum ſermonem* Cap. 1. 21.

Verſ. 12. *Qui autem ſecundam viam, ii ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit ſermonem è corde eorum, ne poſtquam crediderunt, ſerventur.*

Verſ. 13. *Qui vero in petram, ſunt qui cum audierunt, cum gaudio excipiunt ſermonem; ſed radices non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abſcedunt.*

Verſ. 14. *Quod autem in ſpinas cecidit, ii ſunt qui audierunt, ſed profecti, à ſolicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ ſuffocantur, nec fructus proferunt.*] Vocem *profecti* Syrus omiſit. Nihil enim hic peculiare ſignificat, ſed ex conſuetudine loquendi Hebraica ex abundanti adjecta eſt: ut & Matth. 9. 13. xxv. 16. & alibi.

Nec fructus proferunt.] Gr. οὐ τελεσφοροῦσιν, id eſt, non matureſcunt, non afferunt, maturum & perfectum fructum. Hinc cernitur, eos non prorſus infrugiferos eſſe, ſed afferre quidem fructus, verum non tales, qui laborem ſeminantis compenſent, eoque digni ſint: uti ſpinoſus ager creditum ſibi ſemen plerumque haud reddit.

Verſ. 15. *Quod autem in bonam terram cecidit, ii ſunt qui in corde bono & recto audientes ſermonem retinent, & fructum afferunt in patientia.*] Hinc clarum eſt, oportere eum recto & ad virtutem, proclivi animo eſſe, ſi ſermo divinus in aliquo radices agere & fructus producere debeat. Etſi enim permulti Chriſtianam religionem amplexi ſint, qui antea vitam egere profligatiſſimam; nihilominus ſtatuendum eſt, cordis eorum ſolum ac fundum non adeo depravatum fuiſſe, ſed mera ignorantia divinæ voluntatis factum eſſe, ut cupiditatibus ſuis morem geſſerint. Qui animo tam probo ſunt, illi apud Johannem dicuntur *veritatem facere*, ideoque *ad lucem venire*, id eſt recipere in ſe ſemen verbi Dei, Johan. 3. 21. Dicitur de eis, quod *velint facere voluntatem Dei*, Johan. 7. 17. & cap. 10. 27, appellat eos Chriſtus ſuas *oves*, *quæ vocem ſuam audiant.* Alibi vocantur *ex Deo nati*, phraſi Hebræa, Johan. 8. verſ. 47. 1 Johan. 3. 9. v. 1. Quæ locutiones de omnibus iis uſurpantur, qui animi probitate ſunt præditi, id eſt, qui ad religionem Chriſtianam recipiendam apti ſunt.

Retinent.] In eo contrarii ſunt illis, qui ſecun-

dum

dum viam ſeminati ſunt, ex quorum animis Satanas confeſtim ſermonem Dei eximit.

Et fructum afferunt.] Non eo modo, quo ſemen in terra petroſa conſitum, quod antequam ad maturitatem perveniat, exareſcit.

In patientia.] Id eſt, conſtantia. Non prout ſpinoſa terra, quæ quidem etiam aliquem fructum profert, ſed fructus ille à ſpinis ſuffocatur. Patientia ſæpiſſime denotat eam conſtantiam, qua quis omnia adverſa ſuſtinet, ſpe fultus melioris conditionis ac ſtatus.

PARS III.

Verſ. 16. *NEmo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubter lectum ponit, ſed candelabro imponit, ut qui ingrediuntur, cernant lumen.*] Hujus dicti explicationem, vide ad Matth. 5. verſ. 15. & ad Marc. 4. 21.

Verſ. 17. *Non eſt enim occultum quicquam, quod non ſit manifeſtum futurum: nec abſconditum, quod non cognoſcatur & in apertum veniat.*] Hoc etiam explicatum eſt ad Matth. 10. 26.

Verſ. 18. *Videte ergo quomodo audiatis: quiſquis enim habet, dabitur ei; & quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.*] Date operam, ut ita verbum Dei audiatis, ut id radicetur in animis veſtris, ac fructificet.

Quiſquis enim habet.] Id explicatum eſt ad Matth. cap. 13. 12.

PARS IV.

Verſ. 19. *VEnerunt autem ad eum mater & fratres ejus, & non poterant eum convenire propter turbam.*] Hoc uſque ad verſ. 22. expoſitum eſt ad Matth. 12. 46.

Verſ. 20. *Et annunciatum eſt illi à dicentibus: Mater tua & fratres tui adſtant foris, cupientes te videre.*

Verſ. 21. *Ipſe vero reſpondens dixit: Mater mea & fratres mei, ii ſunt qui ſermonem Dei audiunt, & faciunt eum.*

PARS V.

Verſ. 22. *FActumque eſt quodam die, ut ipſe ingrederetur in navigium ac diſcipuli ejus, & diceret eis: Tranſeamus in ulteriorem ripam lacus. Proveſtique ſunt.*] Hiſtoria ſequens explanata eſt ad Matth. 8. 23.

Verſ. 23. *Navigantibus autem eis, obdormivit: & deſcendit procella venti in lacum, & complebantur, & periclitabantur.*] Gr. συνεπληρῶντο, complebantur, ſcilicet aqua, quæ in navigium irruebat & ſe infundebat tam copioſe, ut navigium impleretur. Vide Marc. 4. 37.

Verſ. 24. *Accedentes autem expergefecerunt eum, dicentes: Magiſter, Magiſter, perimus. Ipſe vero experrectus objurgavit ventum & tempeſtatem aquæ, & ceſſaverunt, & facta eſt tranquillitas.*

Verſ. 25. *Dixit autem eis: Ubi eſt fides veſtra? Metuentes autem mirati ſunt, dicentes alii ad alios: Quiſnam iſte eſt, ut ventis quoque & aquæ imperet, & auſcultent ei?*

PARS VI.

Verſ. 26. *ET navigarunt in regionem Gadarenorum, quæ eſt in oppoſita ripa Galilææ.*] Hiſtoria hæc explicata eſt ad Matth. 8. 28.

Verſ. 27. *Exeunti autem ipſi in terram, occurrit vir quidam ex urbe, qui habebat dæmonia à temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.*] Occurrit ei vir, qui in civitate quidem natus erat & educatus; ſed tunc non in domo ulla ſe continebat, ſed ante urbem in monumentis ac locis deſertis verſabatur. Idcirco vulgatæ editionis Latinæ auctor immerito has voces *ex urbe* omiſit.

Et veſtimento non induebatur.] Ferino more. Ideo poſtea de eo dicitur verſ. 35 quod redditus ſanæ menti, veſtitus fuerit.

Verſ. 28. *Videns vero Jeſum, & exclamans procidit ante eum, & voce magna dixit: Quid mihi tecum Jeſu Fili Dei altiſſimi? Rogo te, ne me torqueas.*] Apud Marcum eſt: *Adjuro te per Deum*, cap. 5. verſ. 7.

Verſ. 29. *Mandabat enim impuro Spiritui, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus ille corripiebat eum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, ſed diruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta.*] Marcus habet: *Per omne tempus erat in montibus & in monumentis*, cap. 5. 5.

Verſ. 30. *Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? Ipſe vero dixit: Legio. Nam dæmonia multa ingreſſa erant in eum.*

Verſ. 31. *Et rogabant eum, ne imperaret ſibi, ut abirent in abyſſum.*] Hebraica vox *thahom*, quam 70 Interpretes ἄβυσσον reddiderunt, plerumque uſurpatur de profunditate maris: ut Gen. 1. 2. VII. 11. Exod. 15. 8. Job. 38. 16, 30. XLI. 23. Pſalm. 33. 7. LXXVII. 17. CIV. 6. CVI. 9. CXXXV. 6. CXLVIII. 7. Prov. 3. 20. VIII. 24, 27, 28. Eſai. 63. 13. Ezech. 31. verſ. 4. Rom. 10. 7. & alibi. Inde apparet, dæmones oraſſe Chriſtum, ne imperaret eis abire in profundum maris, in quod poſtea porcos præcipitarunt.

Verſ. 32. *Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte, & rogabant eum dæmonia, ut ſibi permitteret in illos ingredi. Et permiſit eis.*

Verſ. 33. *Egreſſa autem dæmonia ex homine, ingreſſa ſunt in porcos; & grex ruit per præceps in lacum, & ſuffocatus eſt.*

Verſ. 34. *Cum autem Paſtores vidiſſent, quod factum fuerat, fugerunt; & profecti nunciaverunt in urbem & in agros.*

Verſ. 35. *Exierunt autem videre factum, veneruntque ad Jeſum, & invenerunt hominem, à quo dæmonia exierant veſtitum ac ſanæ mentis, ad pedes Jeſu; & timuerunt.*

Verſ. 36. *Nunciaverunt etiam illis ii qui viderant, quomodo ſervatus eſſet dæmoniacus.*

Verſ. 37. *Et rogavit eum tota multitudo circumjacentis regionis Gadarenorum, ut diſcederet ab ipſis: quia magno metu tenebantur. Ipſe autem aſcendens in navim, reverſus eſt.*

Verſ. 38. *Rogavit autem illum vir, à quo exierant dæmonia, ut eſſet cum eo; ſed dimiſit eum Jeſus, dicens:*

Verſ. 39. *Revertère domum tuam, & narra, quanta tibi præſtiterit Deus. Et abiit, prædicans per totam urbem, quanta ſibi præſtiterit Jeſus.*] Chriſtus hoc miraculum Deo adſcribit, tanquam auctori iſtius poteſtatis, qua ipſe id patraverat.

Per totam urbem.] Ex qua ſcilicet oriundus erat: quin & in circumjacentibus oppidis, ut addit Marcus cap. 5. 20.

Quanta ſibi præſtiterit Jeſus.] Id eſt, Deus per Jeſum, qui id ipſe Deo attribuit. Nullum igitur hinc ſumi poteſt argumentum, quod Chriſtus ſit ſummus Deus. Nam abſque eo, utrumque poteſt conſiſtere, ut & Deus, & Chriſtus hoc beneficium obſeſſo præſtiterit.

PARS VII.

Verſ. 40. *Factum eſt autem, ut cum revertiſſet Jeſus, exceperit eum turba: nam omnes expectabant eum.*

Verſ. 41. *Et ecce venit quidam, cui nomen Jairus, qui erat præfectus Synagogæ, & accidens ad pedes Jeſu, rogabat eum, ut ingrederetur domum ſuam.*] Iſtæ duæ ſequentes hiſtoriæ, de reſuſcitata à mortuis Jairi filia, deque ſanata hæmorrhoiſſa, uſque ad finem Capitis, explanatæ ſunt ad Matth. 9. 18.

Verſ. 42. *Quoniam erat ei unigenita filia quaſi annorum duodecim, eaque moriebatur. Inter eundum vero turba coarctabat eum.*] Moriebatur, id eſt, jamjam erat moritura, jam animam agebat. Nondum enim mortuam fuiſſe, cum Pater exivit vel miſit, liquet ex tota hiſtoria, præſertim ex eo, quod infra verſ. 49 narratur.

PARS VIII.

Verſ. 43. *Et mulier quæ laborabat profluvio ſanguinis ab annis duodecim, & in medicos impenderat totum victum, nec ab ullo potuerat curari.*] Totum victum, id eſt, omnes ſuas facultates: ut patet ex Marco. Vide etiam cap. 15. 30.

Verſ. 44. *Accedens à tergo, tetigit fimbriam veſtimenti ejus; & illico ſtetit fluxus ſanguinis ejus.*

Verſ. 45. *Et ait Jeſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum eo erant: Magiſter turbæ te coarctant & premunt; & dicis: Quis eſt, qui me tetigit?*

Verſ. 46. *Jeſus autem dixit: Tetigit me aliquis. Nam ego cognovi, virtutem à me exiviſſe.*

Verſ. 47. *Videns autem mulier, ſe non latuiſſe, tremens venit, & procidens ante eum, indicavit ei coram omni populo, quam ob cauſam tetigiſſet eum, & quomodo ſanata ſit illico.*

Verſ. 48. *Ipſe vero dixit ei: Confide filia, fides tua te ſervavit. Vade in pace.*

PARS IX.

Verſ. 49. *Adhuc eo loquente, venit quidam à præfecto Synagogæ, dicens ei: Mortua eſt filia tua, noli fatigare magiſtrum.*

Verſ. 50. *At Jeſus audiens reſpondit ei: Ne metue; tantum crede, & ſervabitur.*

Verſ. 51. *Ingreſſus vero domum, non permiſit ingredi quenquam, niſi Petrum, & Jacobum & Johannem, & Patrem ac Matrem puellæ.*] Ingreſſus in domum, id eſt, cum veniſſet ad domum, vel cum vellet ingredi domum: ut ex Marco intelligitur, cap. 5. 37.

Verſ. 52. *Flebant autem omnes & plangebant eam. Ipſe vero dixit: Ne flete; non eſt mortua, ſed dormit.*

Verſ. 53. *Et deridebant eum, quod ſcirent eam eſſe mortuam.*

Verſ. 54. *Ipſe vero ejectis foras omnibus, & prehenſa manu ejus, clamavit, dicens: Puella ſurge.*] Ejecit foras, intellige flentes & plangentes. Vulgatus interpres Latinus verba iſta de ejectione omiſit, proculdubio propter ſequentia, ubi dicitur, parentes puellæ præſentes huic miraculo adfuiſſe. Verum expoſitione noſtra admiſſa, nullam hæc verba habent difficultatem. Ideo etiam ea Syrus & Arabs retinuit.

Verſ. 55. *Et reverſus eſt Spiritus ejus, ac ſurrexit illico: & imperavit, ut ei daretur quod ederet.*] Spiritus, id eſt, anima, quæ à corpore ſeparata erat, iterum in corpus immigravit. Hinc cernitur, animam humanam eſſe ſubſtantiam, ſeu rem per ſe ſubſiſtentem, quæ poſt mortem in alio exiſtit loco, quam corpus. Ubi vero exiſtat, ſcire non multum intereſt. Sufficit piis omnibus, quod, animæ eorum in manu Dei, cui eam morientes commendarunt, quieſcant, id eſt, ab eo aſſerventur, & à corruptione (cui anima natura ſua æque ac corpus obnoxia eſt) conſerventur, uſque ad diem reſurrectionis juſtorum, quo tempore glorioſis corporibus amicientur, & æternum cum Deo vivent.

Ut daretur ei, quod ederet.] Ut nimirum pateret, non præſtigias eſſe, ſed eam vere vivere. Ita & Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem, & ſe vere à mortuis reſurrexiſſe oſtenderet, cum diſcipulis ſuis edit ac bibit, Luc. 24. 41, 43. Johan. 21. 5. Actor. 10. 41.

CAPUT IX.

I. *Chriſtus diſcipulos ſuos mittit ad prædicandum: ad verſ. 7.* II. *Herodes cupit Chriſtum videre: ad verſ. 10.* III. *Chriſtus ſaturat 5000 hominum quinque panibus, & duobus piſcibus: ad verſ. 18.* IV. *Sciſcitatur diſcipulos ſuos, quid de eo homines ſentiant, prædicitque perpeſſiones ſuas: ad verſ. 23.* V. *Docet, quid requiratur ab eo, qui vult ſuus eſſe diſcipulus: ad verſ. 27.* VI. *Promittit adventum regni ſui: ad verſ. 28.* VII. *Transfiguratur in monte: ad verſ. 37.* VIII. *Ejicit dæmonium è quodam puero: ad verſ. 44.* IX. *Rurſus prædicit ſuam mortem: ad verſ. 46.* X. *Dehortatur diſcipulos ſuos ab ambitione, propoſito in medium puerulo: ad verſ. 49.* XI. *Vetat prohiberi eum, qui in ipſius nomine*

nomine ejiciebat dæmonia: ad verſ. 51. XII. *Dehortatur diſcipulos ſuos à vindicta adverſus vicum quendam Samariæ: ad verſ. 57.* XIII. *Repellit quendam, qui aſſecla ejus eſſe volebat; alium autem ſe ſequi jubet; docetque hunc & rurſus alium quendam, propoſitum ſe ſequendi non eſſe differendum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *COnvocatis autem duodecim diſcipulis ſuis, dedit eis vim & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & morbos ſanandi.*] Hæc uſque ad verſ. 7. declarata ſunt ad Matth. 10. 1. Hæc enim miſſio eſt eadem illa, quam loco citato deſcripſit Matthæus.

Verſ. 2. *Miſitque eos, ut prædicarent regnum Dei, & ſanarent infirmos.*

Verſ. 3. *Et dixit eis: Nihil ſumite ad iter, neque virgas, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque binas tunicas habete.*

Verſ. 4. *Et in quamcunque domum intraveritis, illic manete, & inde exite.*] Senſus eſt; Ubi veneritis in civitatem aliquam, nolite ſæpius mutare hoſpitia, ſed manete in una domo tam diu, donec plane ex urbe exeatis.

Verſ. 5. *Et quicunque non receperint vos, exeuntes ex urbe illa, etiam pulverem à pedibus veſtris excutite, in teſtimonium adverſus eos.* Hoc explicatum eſt ad Matth. 10. 14.

Verſ. 6. *Egreſſi autem obibant ſingulos vicos, euangeliſantes & ſanantes ubique.*

PARS II.

Verſ. 7. *AUdivit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæſitabat, propterea quod dicebatur à quibuſdam, Johannem ſuſcitatum eſſe è mortuis.*] Explicata hæc ſunt uſque ad verſ. 10. apud Matthæum ad cap. 14. 1.

Hæſitabat.] Admiratio animum ejus reddiderat attonitum. Ita verbum iſtud uſurpatur infra cap. 24. verſ. 4. Actor. 2. 12. v. 24. x. 17. Metus omnium Tyrannorum individuus comes, eum quoque perſequebatur, ancipitique eum cogitatione ſuſpendebat, ut vereretur, ne verum eſſet, Johannem è mortuis reſurrexiſſe. Metuebat enim ne is innocentem necem ſuam ulciſceretur.

Verſ. 8. *A quibuſdam vero: Eliam apparuiſſe. Ab aliis autem, Prophetam aliquem ex antiquis ſurrexiſſe.*] Prophetam aliquem ex iis, qui olim vixerunt: puta Eſaiam, Jeremiam, vel alium, qui à mortuis reſurrexerit.

Verſ. 9. *Et ait Herodes: Johannem ego decollavi; quis autem eſt iſte, de quo ego talia audio? Et ſtudebat eum videre.*] Quis, inquit, eſt iſte, qui eadem quidem docet, quæ Johannes, ſed non baptiſat; qui miracula facit, quæ non fecit Johannes.

Et ſtudebat eum videre.] Ut nimirum ex facie & aliis indiciis cognoſceret, utrum ipſe Johannes eſſet.

PARS III.

Verſ. 10. *REverſi autem Apoſtoli narraverunt illi, quæcunque fecerant. Et aſſumptis illis ſeceſſit privatim in locum deſertum urbis, quæ vocatur Bethſaida.*] Id eſt, id locum quendam deſertum, qui pertinebat ad ditionem urbis Bethſaidæ.

Verſ. 11. *Quod cum cognoviſſet turba, ſecuta eſt eum: & excipiens eos, loquebatur illis de regno Dei, & eos quibus ſanatione opus erat, ſanabat.*] Hoc explanatum eſt uſque ad verſ. 18. apud Matthæum cap. 14. 13.

Verſ. 12. *Dies autem cæperat inclinare; & accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbam, ut abeuntes in circumjacentes vicos & agros, divertant & inveniant cibaria. Nam hic in loco deſerto ſumus.*

Verſ. 13. *Ait autem ad illos: Date illis vos, quod edant. Ipſi vero dixerunt: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes & duo piſces; niſi nos profecti emamus pro toto hoc populo eſcas.*] Cum ajunt, *Niſi profecti emamus*, &c. ſermo eſt abruptus & imperfectus: qui ita ſupplendus eſt: Impoſſibile eſt, ut tanta multitudo hominum ſatiari poſſit, niſi forte nos eamus & emamus, &c.

Verſ. 14. *Aderant enim viri quaſi quinquies mille. Ait autem diſcipulis ſuis: Facite, ut diſcumbant per ſingulos quoſque diſcubitus quinquageni.*] Marcus habet, *Centeni & quinquageni*, cap. 6. 40.

Verſ. 15. *Et fecerunt ita, & diſcubuerunt omnes.*

Verſ. 16. *Accipiens autem quinque panes & duos piſces, reſpexit in cœlum, & benedixit eis: fregitque & dedit diſcipulis ut apponerent turbæ.*] Benedixit, id eſt, conſuetam adhibuit precationem in conſecrandis cibis. Vide Matth. 26. 26.

Verſ. 17. *Ederuntque omnes & ſaturati ſunt; & ſublatum eſt, quod ſuperfuit ipſis fragmentorum, cophini duodecim.*

PARS IV.

Verſ. 18. *ET factum eſt, ut cum ipſe oraret ſeorſim; eſſent una cum eo diſcipuli: & interrogavit illos, dicens: Quemnam eſſe me dicit turba?*] Vide hæc uſque ad verſ. 23 explicata ad Matth. 16. verſ. 13.

Seorſim.] Gr. κατὰμόνας, ſeparatim, privatim, ſolitario. Non plane ſolus erat Chriſtus, ſed unà cum diſcipulis ſuis à turba ſeceſſerat. Vide Marc. 4. verſ. 10.

Verſ. 19. *Illi autem reſpondentes dixerunt: Johannem Baptiſtam; alii autem Eliam; alii vero Prophetam aliquem ex antiquis reſurrexiſſe.*

Verſ. 20. *Dixit autem eis: Vos vero quem me eſſe dicitis? Reſpondens autem Petrus dixit: Chriſtum Dei.*

Verſ. 21. *Ipſe vero interminatus eis mandavit, ut nulli hoc dicerent.*

Verſ. 22. *Dicens: Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & Principibus Sacerdotum, & ſcribis, & interimi, & tertia die ſuſcitari.*

PARS V.

Verſ. 23. *Dicebat autem ad omnes: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.*] Iſtud uſque ad verſ. 27, explicatum eſt ad Matth. 10. 38. & XVI. 24.

Verſ. 24. *Quiſquis enim voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam: quiſquis vero perdiderit animam ſuam propter me, ſervabit eam.*

Verſ. 25. *Quid enim prodeſt homini, ſi lucretur univerſum mundum, ſeipſum autem perdat, aut ſuipſius exitio multetur?*

Verſ. 26. *Quemcunque enim puduerit mei ac meorum ſermonum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit in gloria ſua & Patris & ſanctorum Angelorum.*] Hoc explicatum eſt ad Marc. 8. 38.

PARS VI.

Verſ. 27. *Dico autem vobis vere: ſunt quidam ex adſtantibus hic, qui nequaquam guſtubant mortem, uſque dum viderint regnum Dei.*] Vide hujus explicationem ad Matth. 16. 28.

PARS VII.

Verſ. 28. *Factum eſt autem, cum poſt hæc verba quaſi dies octo interceſſiſſent, ut aſſumtis Petro, & Johanne, & Jacobo, aſcenderet in montem ad orandum.*] Habes iſta uſque ad verſ. 37 explicata ad Matth. 17. 1.

Verſ. 29. *Et facta eſt inter orandum ſpecies vultus ejus alia, & veſtitus ejus albus ac refulgens.*

Verſ. 30. *Et ecce duo viri colloquebantur cum eo, qui erant Moſes & Elias.*

Verſ. 31. *Qui viſi in gloria, narrabant exitum ipſius, quo futurum erat, ut defungeretur Hieroſolymis.*] In gloria, id eſt, lucido ſplendore conſpicui. Vide ſupra cap. 2. 9.

Exitum ipſius.] Id eſt, mortem ejus annunciabant. Sic uſurpatur eadem vox 2 Petr. 1. 15.

Verſ. 32. *Petrus vero & qui cum ipſo erant, gravati erant ſomno: Cum autem evigilaſſent, viderunt gloriam ejus, & duos illos viros ſtantes cum eo.*

Verſ. 33. *Et factum eſt, cum illi diſcederent ab eo, ut diceret Petrus ad Jeſum: Magiſter bonum eſt nos hic eſſe, atque faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moſi, & unum Eliæ, neſciens quid diceret.*

Verſ. 34. *Hæc autem ipſo dicente, exſtitit nubes, & obumbravit eos: timuerunt autem dum ingrederentur in nubem.*] Obumbravit nubes iſta Jeſum, Moſen & Eliam.

Dum ingrederentur in nubem.] Illi ſcilicet duo viri, Moſes & Elias, cum jam à Chriſto diſcederent.

Verſ. 35. *Et vox extitit è nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus; ipſum audite.*] Vox iſta erat Dei Patris, ut patet ex ipſis verbis.

Verſ. 36. *Et dum hæc vox fieret, inventus eſt Jeſus ſolus: & ipſi tacuerunt, & nulli annunciarunt in illis diebus quicquam eorum quæ viderant.*] In illis diebus, id eſt, ante reſurrectionem Chriſti. Nam ante hoc tempus vetuit eis Chriſtus rem revelare, Matth. 17. 9.

PARS VIII.

Verſ. 37. *Factum eſt autem ſequente die, deſcendentibus illis de monte, occurrit ei turba multa.*] Habes hæc uſque ad verſ. 44, explicata ad Matth. 17. 14.

Verſ. 38. *Et ecce quidam è turba exclamavit, dicens: Magiſter obſecro te, reſpice ad filium meum: nam unigenitus eſt mihi.*] Reſpice ad filium meum, Hebraiſmus eſt; id eſt, miſerere mei filii: ut explicatum Matth. 17. 15.

Verſ. 39. *Et ecce Spiritus apprehendit eum, & ſubito clamat, & diſcerpit eum ſpumantem, & vix diſcedit ab eo, conterens eum.*] Spiritus, intellige immundus ut verſ. 42.

Verſ. 40. *Et rogavi diſcipulos tuos, ut ipſum ejicerent: & non potuerunt.*

Verſ. 41. *Reſpondens autem Jeſus dixit: O generatio incredula & perverſa, quouſque tandem ero apud vos, & ſuſtinebo vos? Adduc filium tuum huc.*

Verſ. 42. *Cum autem adhuc ille accederet, alliſit eum dæmonium, & diſcerpſit: objurgavit autem Jeſus Spiritum impurum, & ſanavit puerum; & reddidit eum Patri ſuo.*

Verſ. 43. *Stupebant autem omnes ſuper magnifica virtute Dei. Mirantibus vero omnibus ſuper omnibus quæ faciebat Jeſus, dixit ad diſcipulos ſuos:*

PARS IX.

Verſ. 44. *Reponite vos in aures veſtras ſermones iſtos. Futurum eſt enim ut filius hominis tradatur in manus hominum.*] Reponite, nempe ſequentem mortis annunciationem.

Futurum eſt, ut Filius hominis tradatur.] Vide hujus rei explicationem apud Matthæum ad cap. 16. verſ. 21. XVII. 22.

Verſ. 45. *Ipſi vero ignorabant dictum iſtud eratque ipſis occultum, adeo ut illud non ſentirent, & metuebant eum interrogare de hoc dicto.*

PARS X.

Verſ. 46. *Incidit autem cogitatio inter eos, quis eſſet eorum major.*] Explicatum hoc eſt uſque ad verſ. 49 apud Matthæum ad cap. 16. 1.

Verſ. 47. *At Jeſus videns cogitationem cordis eorum, acceptum puerulum ſtatuit penes ſe.*

Verſ. 48. *Et dixit eis: Quicunque exceperit puerulum hunc in nomine meo, me excipit: & quicunque me exceperit, excipit eum, qui me miſit. Nam qui minimus erit inter vos, is erit magnus.*] Nulla eſt cauſa, cur hæc verba ad ſolos Apoſtolos debeant reſtringi: ſed eſt doctrina generalis, quæ ad omnes fideles ſpectat. Nimirum quicunque cupit eſſe magnus in regno Chriſti, is oportet ut nullam præeminentiam aut dominium ſuper alios habeat, ſed ut ſit omnium miniſter ac ſervus. Vide prolixe acta de eo ad Matth. 20. verſ. 25, 26.

PARS XI.

Vers. 49. RESpondens autem Johannes dixit. *Magister, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia te non sequitur nobiscum.*] Explicata hæc sunt usque ad vers. 51 apud Marcum cap. 9. 38. Tanta erat vis nominis Jesu, ut etiam qui non satis probi erant, imo ne Christi quidem erant discipuli, in hoc nomine dæmonia ejicerent.

Vers. 50. *Et dixit ei Jesus: Ne prohibete illum. Qui enim non est adversum nos, pro nobis est.*] Hoc fuit usitatum Proverbium, quod in utramque partem adhibebatur: Vel, Qui non est mecum, contra me est; ut Matth. 12. 30. Vel, Qui non est contra me, pro me est; ut hoc loco. Nempe pro ratione ac diversitate circumstantiarum temporis, personarum, aliarumque rerum ac causarum varie usurpabatur hoc dictum. Sic Salomon ait: *Noli respondere stulto secundum stultitiam ejus, ne ipsi sias similis*, Prov. 26. vers. 4. Et mox postea vers. 5. addit: *Responde stulto secundum stultitiam ejus, ne sibi sapiens esse videatur.* Hic etsi Christum non fuerit assectatus, adeoque cum Christo non fuerit, eatenus tamen cum Christo erat, quatenus in nomine Christi ejiciebat dæmonia, ipsique adversus non fuit.

PARS XII.

Vers. 51. FActum est autem dum complerentur dies assumtionis ejus, & ipse direxit faciem suam ad eundum Hierosolymam.] Id est, cum appropinquaret tempus passionis, mortis, resurrectionis, & exaltationis ejus in cœlum: quæ omnia Lucas complexus est voce *assumtionis* ejus (intellige in cœlum.) Hæc enim erat res præcipua, & introitus ad Regiam dignitatem, mors autem & resurrectio erant tantum quasi quædam ad eam præparatio. Verbum autem *implendi* non semper denotat perfectam impletionem temporis, sed sæpe tempus tale, quod non procul à fine distat. Itaque Lucas hic de ultima profectione Christi è Galilæa in Judæam loquitur, ubi postea crucifixus est. Non est autem quod quis miretur, Lucam in sequentibus multa talia narrare, quæ si temporis ordinem spectes, multo ante hanc ultimam Christi profectionem acciderunt. Jam enim sæpius annotavimus, Lucam multa referre non ex ordine temporis, sed pro data sibi occasione, prout res ei in mentem veniebant, & unius rei narratio alterius memoriam suggerebat. Atque id hoc quoque loco factum est: nec est difficile causam divinare. Cum enim in superioribus duas præclaras Christi doctrinas descripsisset, quarum altera Apostolos ab ambitione, altera ab invidia & odio dehortabatur, voluit quoque tertiam his subjicere doctrinam de vitanda vindicta: quæ ut tanto melius intelligeretur, diligenter expressit circumstantias, qua occasione doctrina hæc à Christo fuerit tradita. Ita etiam credibile non est, tres illas historias in postrema hujus Capitis parte, eodem tempore continuo, ut narrantur, accidisse: sed omnes in unum locum congessit, ac conjunxit, quia ejusdem sunt argumenti, ut nimirum intelligatur, quæ impedimenta ut plurimum hominibus in ipsorum vocatione occurrant. Qua narratione absoluta, pergit deinde in cœpta sua historia, & post vocationem ac missionem Apostolorum (à qua Caput hoc incæpit) porro describit, quomodo Christus præter Apostolos adhuc alios 70 discipulos emiserit.

Faciem suam direxit ad eundum Hierosolymam.] Gr. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε. Hæc verba clare docent, Lucam de ultima profectione Hierosolymam loqui. Vult enim Lucas dicere, Christum sibi constanter ac obfirmato animo proposuisse ire Hierosolymam, neque periculo mortis, quam illic subiturus erat, fuisse absterritum, ac propterea faciem suam eo convertisse. Hebraismus hic est, qui alias adhibetur ad significandam immutabilem & pertinacem iram: ut Levit. 17. 10. Prov. 21. 29. Ezech. 4. 3.

Vers. 52. *Misitque nuncios ante faciem suam, qui profecti ingressi sunt in vicum Samaritanorum, ut pararent illi.*] Misit nuncios, forte Jacobum & Johannem, qui ambo adversus Samaritanos stomachati sunt, vers. 54.

In vicum Samaritanorum.] Non in Samariam, ipsam metropolin, ut aliqui statuunt, sed in vicum seu oppidum quoddam regionis Samariæ. Via autem rectissima è Galilæa Hierosolymam erat per Samariam.

Ut pararent illi.] Subintellige, hospitium & cibos.

Vers. 53. *Et non receperunt eum, quod facies ejus esset proficiscentis Hierosolymam.*] Noluerunt ei præbere hospitium.

Quod facies ejus esset proficiscentis Hierosolymam.] Vox *faciei* more Hebræorum denotat omnia quæ extrinsecus apparent vel indicium alicujus rei præbent. Et, *suam faciem obvertere* est, sese ad aliquid accingere & parare: ut 2 Reg. 12. 17. 2 Paral. 32. 2. Jerem. 42. 15. Sensus proinde hic est: eos ipsi negasse hospitium, quia ex ipsius apparatu aliisque indiciis cognoscebant, iter ipsius spectare Hierosolymam. De hostilitate quæ fuit inter Judæos & Samaritanos dictum est nonnihil ad Matth. 10. 5. Vide etiam plura hac de re ad Johan. 4. 9. Videtur autem ex hoc loco colligi, Samaritanos non tam hostili animo fuisse adversus Judæos, quam Judæi erant adversus Samaritanos. Nam de Judæis simpliciter ait Johannes, eos nullum commercium habere cum Samaritanis, cap. 4. 9. Hic autem apparet, Samaritanos denegasse Christo & comitibus ejus hospitium, non ideo, quod Judæi essent (id quod facile ex sermone & habitu eorum, qui missi erant, cognoscere potuissent; uti Samaritana mulier quoque Christum mox agnovit Johan. 4. 9.) sed quod Hierosolymam ad sacra obeunda tenderent. Ubi potuisset videri, eos quodammodo agnoscere, Hierosolymis esse verum & legitimum locum Deum adorandi, si iter eorum, qui illuc proficiscebantur, præbendo hospitio aliisque humanitatis officiis promovissent. Hoc enim erat caput controversiæ inter Judæos & Samaritanos: An locus, ubi Deus adorandus est, sit Hierosolymis, an vero in Samaria in monte Garizim? ut ad Johannem clarius monstrabitur. Quare

mirum non eſt, eos in tali caſu Chriſtum hoſpitio excipere noluiſſe. Extra enim hanc controverſiam, apparet, ut dictum, Samaritanos non denegaſſe Judæis ea humanitatis officia, quæ natura ipſa dictat mutuo inter homines exercenda eſſe. Hinc mulier Samaritana apud Johannem Chriſto non dubitavit aquam præbere ad bibendum poſcenti: tantum miratur, eum ut pote Judæum, id à ſe poſtulare. Et in parabola de homine à latronibus ſauciato, Chriſtus inducit Samaritanum quendam, qui Judæo, & non Judæum, qui Samaritano opem tulerit.

Verſ. 54. *Videntes autem diſcipuli ejus Jacobus & Johannes dixerunt: Domine, vis dicamus ut ignis deſcendat è cœlo, & conſumat eos, ut etiam Elias fecit.*

Verſ. 55. *Converſus autem Jeſus objurgavit eos, & dixit: Neſcitis cujus Spiritus vos ſitis.*] Nonnulli intelligunt hic Spiritum, qui illis competit, qui ſunt ſub Euangelio, nempe Spiritum manſuetudinis ac patientiæ; quaſi dixiſſet Chriſtus: Neſcitis qualis Spiritus, vos, qui mei eſtis diſcipuli, deceat. Verum potius ita ſunt accipienda verba Chriſti, quaſi dicat; Non animadvertitis vos, quam malus & vindictæ cupidus vos agat Spiritus. Notum enim eſt, per Spiritum ſæpenumero affectus & commotiones animi intelligi: ut cum Paulus nominat *Spiritum ſervitutis*, & *Spiritum filiationis* Rom. 8. 15, indicans ſervilem & filialem animum. Ita Deus ait de veſanis Prophetis, quod ſuum proprium Spiritum ſequantur, id eſt, ſui animi impetum ac libidinem, Ezech. cap. 13. 3. Vide dicta ad Matth. 5. 3. Senſus proinde eſt: Vos exiſtimatis, tali vos duci Spiritu, quali Elias olim præditus fuit, quo forti manu judicia divina exercuit. Sed multum erratis. Habetis quidem zelum, ſed ſine ſcientia, quem carnales veſtræ concupiſcentiæ, non divinus inſtinctus in vobis excitavit. Hunc eſſe genuinum ſenſum, liquet ex ea quæ mox ſubjungitur ratione.

Verſ. 56. *Filius enim hominis non venit, ut perderet animas hominum, ſed ut ſervaret. Et abierunt in alium vicum.*] In Syriaca & Latina verſione Vulgata non habetur, animas *hominum*, ſed ſimpliciter, *animas*. Per animam autem non intelligitur nobiliſſima illa pars hominis, qui alioqui corpori contradiſtinguitur, ſed homo ipſe; conſuetudine Hebræa: ut Geneſ. 46. 25, 26. Ut adeo ſenſus ſit: Filius hominis non venit, ut perderet homines. Reddit autem Chriſtus his verbis rationem præcedentis dicti, quod Apoſtoli neſciant, quo Spiritu agitante incaluerint: quaſi dicat; Spiritus qui à Deo eſt, novit optime tempora diſcernere. Veſter Spiritus, quo agitamini, id non facit. Ergo Spiritus veſter non eſt à Deo, ſed eſt Spiritus veſtri ultionem ſpirantis animi. Apoſtolos autem diſcrimen temporum non obſervaſſe exinde probatur, quod hæc tempora multo majorem manſuetudinem requirant, quam olim Prophetarum tempore erga homines adhibita paſſim fuit. Meſſias enim, cujus tempore vos vivitis, non eſt miſſus ad exercenda ſevera Dei judicia in homines peccatores, ſed potius ad eos, etſi peccatores ſint, ſalvandos; adeo quidem, ut hunc in finem nec vitæ ſuæ parſurus ſit, ſed ſeſe morti ultro objecturus. Spiritus Legalis erat Spiritus timoris, qui conveniebat ſtatui illorum temporum: Chriſti autem Spiritus, quem imitari debebant Apoſtoli, eſt Spiritus manſuetudinis ac longanimitatis. Habet quidem & Euangelium ſeveritatem ſuam in extrema neceſſitate; quali uſus eſt Petrus adverſus Ananiam Actor. 5. 9. Paulus adverſus Elymam Actor. 13. 11. Sed iſti erant Apoſtoli Chriſti, pleni divino Spiritu, de quibus nulla eſt ſuſpicio, eos prætextu divini inſtinctus maligni animi ſui exercuiſſe libidinem. Qui hodie exemplo eorum, eadem ſeveritate adverſus adverſarios Euangelii uti volunt, debent poteſtatem, quam prætendunt ſibi à Deo datam eſſe, non carnali gladio, non patibulo, rota, & igne (quod eſt Antichriſto proprium) ſed virtute verborum demonſtrare; ut fecere Apoſtoli.

PARS XIII.

Verſ. 57. *Factum eſt autem, ut proficiſcentibus ipſis, quidam in via dixerit ei: ſequar te, quocunque ieris, Domine.*] Proficiſcentibus ipſis, id eſt, certo quodam tempore, quod exacte deſcribere haud neceſſarium duxit Lucas. Explicatum autem hoc eſt, uſque ad verſ. 61. ad Matthæum cap. 8. 19.

Verſ. 58. *Dixit autem ei Jeſus: Vulpes habent foveas, & volucres cœli nidos; verum filius hominis non habet, ubi caput reclinet.*

Verſ. 59. *Dixit vero ad alium: Sequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi, ut prius abeam, ac ſepeliam Patrem meum.*

Verſ. 60. *At Jeſus dixit ei: ſine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos. Tu vero profectus annuncia regnum Dei.*

Verſ. 61. *Dixit autem etiam alius: Sequar te Domine, ſed permitte mihi prius, ut valedicam iis, qui ſunt domi meæ.*] Hæc hiſtoria à nullo alio Euangeliſtarum deſcribitur.

Ut valedicam iis, qui ſunt domi meæ.] Hæc verba ex Græco dupliciter intelligi poſſunt: vel, ut reubs quæ ſunt domi meæ renunciem; vel, ut amicis ac domeſticis meis valedicam. Sed poſterior ſenſus videtur eſſe potior. Nam renunciare rebus ſuis ſeu bonis poterat animo, ut non oporteret eum idcirco reverti domum. At ut valediceret amicis & familiaribus ſuis, ad id requirebatur plus temporis. Ita & alibi Lucas utitur de perſonis voce ἀσπάζομαι, Actor. cap. 18. 21.

Verſ. 62. *Ait autem illi Jeſus: Nemo admovens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens ad ea, quæ retro ſunt, aptus eſt ad Regnum Dei.*] Simile hoc ſumtum eſt ab agricolis, terram vomere ſcindentibus, qui quando manum admoverunt aratro, oculis irretortis ſpectant ſulcum; ut eum quam rectiſſime ducant. Si inter arandum reſpectarent, & oculos ad ea quæ à tergo ſunt reflecterent, abſque dubio delirarent, nec bene ſulcarent. Quid Chriſtus hic per Regnum Dei intelligat, ambiguum eſt: utrum ſcilicet Chriſtus voluerit dicere, eum non eſſe aptum ad annunciandum regnum Dei; an vero hæc verba ſenſu laxiore acceperit? Videtur autem Chriſtus ſumta ab eo, quod cum hoc homine agebatur, occaſione, generalem hoc loco proponere voluiſſe doctrinam: eum nimirum, qui ſemel mundo relicto

ſe tra-

ſe tradidit in Chriſti diſciplinam, & poſtea rurſus ſe implicat rebus mundanis, quas jam abnegaverat, non eſſe aptum ad prædicandum Euangelium de regno Dei, neque ad ſalutem ſuam curandam, ac Regnum Dei (id eſt, vitam æternam) obtinendum. *Nemo qui militat* (inquit Paulus) *implicatur hujus vitæ negotiis*, 2 Timoth. 2. 4. *Quiſquis certat, ab omnibus ſe abſtinet*, 1 Cor. 9. 25. *Ea quæ à tergo ſunt obliviſcor, ad ea vero quæ à fronte ſunt contendo & ſcopum verſus feror, ad præmium ſuperna vocationis Dei, in Chriſto Jeſu*, Phil. 3. 14. Quæ Pauli verba ad illuſtrationem hujus loci faciunt. Ex iis enim intelligere eſt, *manum admovere aratro*, nihil aliud deſignare, quam à Deo ad regnum ejus vocari: & *reſpicere ad ea quæ retro ſunt*, eſſe, animum ad res hujus mundi rurſus convertere. Tam enim ab eo qui arat, quam ab eo qui in ſtadio currit, requiritur, ne retroſpiciat. Alludit quoque his verbis Chriſtus ad exemplum uxoris Lothi, Gen. 19. 26.

CAPUT X.

I. *Chriſtus eligit 70 diſcipulos, quos præter Apoſtolos mittit ad prædicandum Euangelium: ad verſ.* 13. II. *Vaticinatur urbibus Chorazim & Bethſaidæ: ad verſ.* 16. III. *Auctoritatem diſcipulorum ſuorum exprimit: ad verſ.* 17. IV. *Docet 70 diſcipulos, qua re potiſſimum gaudere debeant: ad verſ.* 21. V. *Deum Patrem ſuum laudat pro admirabili conſilio ejus in revelandis myſteriis: ad verſ.* 23. VI. *Extollit diſcipulorum ſuorum felicitatem ſuper omnes Prophetas & Reges: ad verſ.* 25. VII. *Reſpondet quæſtioni cujuſdam Legisperiti de vita æterna, docetque quis ſit proximus noſter, propoſita parabola de quodam viatore, qui incidit in latrones: ad verſ.* 38. VIII. *Vituperat Martham, laudat Mariam: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *POſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta diſcipulos, miſitque eos ante faciem ſuam in omnem urbem ac locum, quo erat ipſe venturus.*] Elegit Chriſtus præter ſuperiores duodecim, adhuc 70. De hoc numero autem inter Interpretes magna eſt controverſia ac dubitatio, utrum horum diſcipulorum 70. an vero 72. fuerint. Pleraque exemplaria Græca habent 70. ut & Syriacum. Aliqua autem Græca & Latinum habet 72. Magno enim animorum concentu Veteres à Chriſto duos & ſeptuaginta deſignatos eſſe crediderunt, etiam ii, qui hoc loco numerum 70 legunt. Neque id abſque cauſa. Valde enim ſimile eſt vero, Chriſtum hos diſcipulos elegiſſe juxta numerum 70 Seniorum, quos Moſes ex Jethronis ſoceri ſui conſilio ſibi in judiciis vicarios & adjutores adſciverat, Exod. 18. 21. XXIV. 1. Annotarunt autem Judæorum doctiſſimi, Seniores iſtos 72 fuiſſe numero, etſi vulgo tantum 70 dicantur. Mos enim ferebat inter Judæos, ut ejuſmodi electiones fierent ſecundum 12 tribus, & quidem ex qualibet tribu æquali numero. Et ſic factum eſſe hanc 70 Seniorum electionem, Judæi habent ex antiqua traditione. Quod ſi ita eſt, non 70 ſed 72 Seniores iſtos fuiſſe neceſſe eſt. Numerus enim 70. non poteſt in duodecim æquales partes dividi: at numerus 72 poteſt, diviſuſque monſtrat, ſex viros ex qualibet tribu fuiſſe electos. In Synedrio quoque (quod non conſtabat ex aliis, quam ex his Senioribus, quos Moſes elegerat, de quo vide ad Matth. 5. 22.) viros 72 fuiſſe teſtantur ſcripta Judæorum. Quod autem hic à Luca nonniſi 70 diſcipuli, & Exod. 24. 1. tantum 70 Seniores nominentur, ejus rei hæc poteſt eſſe cauſa, quia non ſolum apud Judæos, ſed etiam apud alios populos familiare eſt, ut brevitatis cauſa rotundo numero, qui cyfram adjunctam habet, aliquid enuncietur, etſi ei aliquid deſit vel ſuperſit. Nam 70 v. c. facilius & brevius dicitur quam 72. Ita Joſephus poſtquam dixiſſet, rogatu Ptolomæi Regis, ad transferendam Legem ex Hebraica lingua in Græcam, miſſos fuiſſe ex ſingulis tribubus ſex viros (quo pacto omnino 72 fuerunt) tamen eos poſtea 70 viros appellat. Alioqui videtur numerus ſeptuagenarius apud Hebræos, cum in Ægypto habitarent, ſacer fuiſſe, propter 70 animas, domus Jacobi, quæ cum eo in Ægyptum deſcenderunt, Geneſ. 46. verſ. 27. Quarum memoriam Deus illis per 70 palmas in Elim refricare voluit: non ſecus ac 12 quoque fontes typus 12 tribuum fuerunt, Exod. 12. 27.

Quod vero hos 70 diſcipulos attinet, eos dignitatis gradu inferiores fuiſſe Apoſtolis, ex eo cernitur, quod ex eorum numero Matthias in locum Judæ in Apoſtolatum allectus fuerit, Actor. 1. 21.

Miſitque eos binos.] Ita & Apoſtolos binos miſit, Marc. 6. 7. Non tantum propterea ut alter alteri in neceſſitate auxilio eſſet in itinere, ſed etiam propter majus teſtimonii pondus. Ita Moſes & Aaron ad Pharaonem ablegantur, Exod. 5. 1. Johannes Baptiſta miſit duos diſcipulos ſuos ad Chriſtum, Matth. cap. 11. 2. Chriſtus mittit duos ad adducendam aſinam cum aſello Matth. 21. 1. duos ad parandum hoſpitium Luc. 9. 52, 54. duos ad parandum Paſcha Luc. 22. 8. Eccleſia mittit Paulum & Barnabam, Actor. 13. 2, 3.

Ante faciem ſuam.] Id eſt, ante ſe: per Hebraiſmum. Vide etiam ſupra cap. 1. 76. VII. 27. Marc. 1. verſ. 2. Nimirum illi debebant durum & nondum ſubactum agrum animorum humanorum prædicatione pœnitentiæ primum emollire & quodammodo excolere, ut Chriſtus ſemen cœleſtis doctrinæ ſuæ poſſet terræ jam bene præparatæ mandare: id eſt, debebant illi idem illud facere, quod fecerat Johannes Baptiſta, viam ſcilicet parare Domino, & planas reddere ſemitas ejus. Ut ita conſtaret, loco unius Johannis, quem Herodes ſuſtulerat è medio, 70 alios eſſe enatos. Sanguis fidelium Chriſtianorum ſemen eſt: quo plures à Tyrannis occidantur, eo plures repullulant.

Verſ. 2. *Dicebat igitur eis: Meſſis quidem multa*

eſt, ſed operarii pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut emittat operarios in meſſem ſuam.] Vide Matth. 9. 37.

Verſ. 3. *Ite, ecce ego mitto vos ut agnos in medium luporum.*] Vide Matth. 10. 16.

Verſ. 4. *Ne portate crumenam, neque peram, neque ſoleas, & neminem in via ſalutaveritis.*] De non portanda crumena vide Matth. 10. 10.

Neminem ſalutaveritis.] Id eſt, ne vos quicquam moretur in via, ſed intenti eſtote unice muneri veſtro, ut id quam citiſſime peragatis. Ita Eliſæus dixit ſervo ſuo Gehaſi: *Accinge lumbos tuos, & ſumto ſcipione meo in manum tuam, abi; ſiquis obviam venerit, ne ſalutato eum, & ſi quis te ſalutaverit, ne reſpondeto ei; & ponito ſcipionem meum ſuper faciem pueri*, 2 Reg. 4. 29. Apud Orientales enim populos ſalutationes non ſimplici geſtu & paucis verbis fiebant, ſed multa adhibebantur verba & fauſtæ apprecationes, cum flexu corporis, oſculatione & amplexatione conjunctæ. Quæ omnia, præſertim ſi crebro contingerent, multum remorabantur itinerantes eoſque detinebant.

Verſ. 5. *In quamcunque domum ingrediemini, primum dicite: Pax huic domui.*

Verſ. 6. *Et ſi quidem ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin minus, ad vos revertetur.*] Filius pacis eſt, qui dignus eſt pace, Matth. 10. 13. Tales autem ſunt omnes, qui animum gerunt ad audiendam veritatem promtum.

Verſ. 7. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt. Dignus enim eſt operarius mercede ſua. Ne tranſite de domo in domum.*] Utimini libertate veſtra quæ vobis competit, in edendo & bibendo: ſed ne mutetis ſubinde hoſpitia, uti aſſolent, qui lautiores ſectantur cœnas; verum in uno manete loco.

Verſ. 8. *Et in quamcunque urbem ingreſſi fueritis, & ſuſceperint vos, edite quæ apponuntur vobis.*] Ne dubitetis edere, etſi vobis apponant delicatos cibos. Hoc modo diſtinctum eſt hoc monitum à priori.

Verſ. 9. *Et ſanate infirmos, qui in ea fuerint, & dicite eis: Appropinquavit ad vos regnum Dei.*] Non ad infirmos hoc dicite, ſed in genere ad homines civitatis illius, quam ingreſſi fueritis.

Verſ. 10. *In quamcunque autem urbem ingreſſi fueritis, & non ſuſceperint vos, egreſſi in plateas ejus dicite,*

Verſ. 11. *Etiam pulverem, qui adhæſit nobis ex urbe veſtra, vobis abſtergimus: tamen hoc ſcitote, appropinquaſſe ad vos regnum Dei.*] Tantum abeſt, ut aliquod carnale commodum noſtrum à vobis quæramus, cum potius ſalutis veſtræ & veſtri commodi cauſa ad vos miſſi ſimus, ut ne pulverem quidem veſtrum nobiſcum auferre velimus. Vide Matth. 10. verſ. 14.

Verſ. 12. *Dico autem vobis Sodomis in illa die tolerabilius fore, quam civitati illi.*

PARS II.

Verſ. 13. *VÆ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida; nam ſi in Tyro & Sidone editæ fuiſſent virtutes, quæ editæ ſunt apud vos, olim in ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent.*] Hoc eſt explicatum ad Matth. 11. 21.

Verſ. 14. *Verum Tyro & Sidoni tolerabilius erit in judicio, quam vobis.*

Verſ. 15. *Et tu Capernaum, quæ uſque ad cœlum elata es, uſque ad inferos demergeris.*

PARS III.

Verſ. 16. *QUi vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.*] Hoc eſt ad Matth. 10. 40 explanatum.

PARS IV. VI.

Verſ. 17. *REverſi ſunt autem ſeptuaginta cum gaudio dicentes; Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.*] Jam exponit Lucas, quid 70 diſcipuli poſt abſolutum iter ſuum Chriſto de functionis ſuæ ſucceſſu renunciarint: ut etiam Apoſtoli fecerunt, ſupra cap. 9. 10.

Cum gaudio.] Propter bonum ſucceſſum, quod feliciter tam in docendo, quam in miraculis edendis munus ſuum abſolviſſent. Apparet autem majorem eos cepiſſe ex eo voluptatem ac lætitiam, quam oportebat: ideo eos Chriſtus infra verſ. 20, quodammodo redarguit, & qua re potiſſimum lætari debeant, docet.

Etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis.] Non tantum morbi, ſed & dæmones recedunt ex hominibus ad noſtrum juſſum. Non meminerunt autem, quid hominibus annunciarint, quæ fides doctrinæ ipſorum fuerit adhibita: ſed properant illico ad relationem miraculorum, & quidem præcipuorum, quod nimirum dæmonia ejecerint. Ita enim comparati ſunt hominum animi, ut iis rebus, quæ oculos implent, magis moveantur & afficiantur, quam rebus inconſpicuis, qualis erat fides eorum, qui doctrinam eorum ſuſceperant. Dubium enim non eſt, eos populum docuiſſe, & apud multos fidem inveniſſe: ut ex verſ. 21 liquet.

In nomine tuo.] In eo conſiſtebat differentia inter miracula Chriſti & diſcipulorum ejus, quod Chriſtus ea faceret virtute in ſe reſidente, diſcipuli autem virtute magiſtri ſui, cujus nomen pronunciabant, ut ex Actis, quin & ex Judæorum ſcriptis patet.

Verſ. 18. *Dixit autem eis: Vidi Satanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem.*] Vult dicere: Vos mihi narratis rem minime ignotam. Cum enim id, quod mihi refertis, faceretis, vidi Satanam velut fulgur de cœlo cadentem. Eſt autem hæc locutio figurata. Satanas enim ita regnum ſuum amplificaverat & ſtabiliverat in mundo, ut videatur quaſi thronum ſuum in cœlo collocaſſe: uti ſupra dixit Chriſtus de Capernaumo verſ. 15. quod ad cœlum uſque exaltata ſit, id eſt, quod in florentiſſimo ſit ſtatu. Habebatur enim Satanas pro Deo, colebatur tanquam Deus, dedicatione Templorum, ſacrificiis, invocatione; dabat reſponſa iis, qui divina cum reverentia in rebus perplexis eum conſulebant: habebat ſuos Sacerdotes, vates, aruſpices &c. Vide Epheſ. 2. 2.

Hunc

Hunc ergo, ait Chriſtus, ſe vidiſſe cadentem de cælo. Dum enim diſcipuli annunciando Euangelium & miracula patrando Regnum Chriſti erigebant, eo ipſo ruebat regnum Satanæ, & proinde quaſi de divino throno ſuo deturbabatur. Idem Chriſtus minatur Satanæ, per mortem ſuam effectum iri, Johan. 12. 31. Simile etiam eſt illud in Apocalypſi cap. 12. 9. ubi Draco magnus cum ſuis Angelis dejicitur in terram: quibus dictis victoria fidelium primitivæ Eccleſiæ ſuper Satanam ſignificatur. Huc etiam pertinet memorabilis hiſtoria, quæ apud Ethnicum Scriptorem Plutarchum in libro de Defectu Oraculorum deſcribitur, de morte Panis Dei Ethnici. Vide locum.

Sicut fulgur.] Hoc ſimili deſignat Chriſtus ſubitam regni Satanæ ruinam. Nihil enim celerius eſt in oculis hominum fulgure. Confer Matth. 24. 27. Luc. 17. 23. Divinis operibus nullum poteſt obſtare temporis ſpatium; quicquid Deus agit, remoras perrumpit omnes, nec ulla vi aut induſtria id inhiberi poteſt. Quamvis autem iſte caſus Satanæ non ita in momento, ſi proprie loquamur, factus ſit: tamen ſi conſideretur, quomodo is à permultis ſeculis regnum ſuum inter omnes gentes ſtatuminaverit, & conferatur cum hoc tempore deinceps breviſſimum illud ſpatium, quo lux Euangelii univerſum mundum tranſiit, regnumque ejus deſtruxit, apparebit id ferme fulguri ſimile eſſe. Rem perſimilem nos quoque in his ultimis temporibus Patrum noſtrorum vidimus, dum nova lux Euangelii tam brevi tempore maximam partem Europæ, ſummo cum Antichriſti damno atque diſpendio, illuminavit. Tam repentinus caſus etiam Babyloni intentatur Apoc. 18. 19, 21. Hinc cernitur, verba Chriſti hic non eum ſenſum habere, quaſi Satanas per illud ſolum, quod fecerant diſcipuli, de throno ſuo dejectus fuerit: ſed hoc ſibi vult, id quod illi fecerant, etiam ad caſum ejus pertinere, qui tam propere ac celeriter futurus ſit, tanquam fulgur.

Verſ. 19. *Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſerpentes & Scorpiones, & ſupra omnem vim inimici: & nihil vobis nocebit.*] Chriſtus ut diſcipulorum ſuorum animos magis magiſque erigeret, confirmat poteſtatem miracula edendi, quam eis antea communicarat. Errant enim, qui arbitrantur priorem eorum poteſtatem, cum rediiſſent, ceſſaſſe, & hic illis eam de novo conferri.

Calcandi Serpentes & Scorpiones.] Reſpicit hoc dicto Chriſtus ad Pſal. 91. 13. quanquam ibi de divina cuſtodia ſermo eſt, hic de virtute miraculorum: Intelligendum autem hoc eſt non figurate, ſed proprie, quod nimirum iſta venenata animalia nullam illis noxam illatura ſint, etſi ea calcarint, id eſt, ad iram & mordendum provocarint. *Scorpiones & Serpentes ad vindictam creati ſunt.* Eccleſiaſtic. 39. 36. ſimilis eſt huic illa promiſſio Chriſti Marc. 16. 18. Vide ibidem.

Verſ. 20. *Verumtamen non de eo gaudete, quod Spiritus vobis ſubjiciantur; gaudete vero potius, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis.*] Non de eo gaudete, ſub intellige tantopere. Apparet enim verſ. 17. diſcipulos maxime gaviſos fuiſſe re iſta, quæ non erat potiſſima & maxima. Hinc proinde ſumit anſam Chriſtus ad hanc generalem admonitionem & doctrinam: qua de re Chriſtianus quiſque præ aliis rebus omnibus maxime gaudere debeat. Non eſt autem mens ejus, non debere eos ullo modo lætari ob felicem ſucceſſum miraculorum ab ipſis editorum (quis enim de tanto dono non gaudeat?) ſed, non debere eos ſummam lætitiam in eo collocare. Quaſi dicat: Non tam eo exultare debetis, quod Spiritus ſe vobis ſubjiciant, quam quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis. Vide ſimilem locutionem Marc. 9. 37. Johan. 6. 38. VII. 16. XII. 44.

Gaudete vero potius.] Longe major gaudendi cauſa eſt, habere certam ſpem propriæ ſuæ ſalutis, quam aliorum hominum ſaluti inſervire, ſervitus enim iſta, quæ aliorum bono ſuſcipitur, via eſt ac medium; propria ſalus eſt finis ipſe ac ſcopus: cujus certitudo cauſa eſt maximi gaudii.

Quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis.] De defectoribus ſeu apoſtatis inquit Jeremias cap. 17. 13. *Recedentes à te in terra ſcribentur*, id eſt, peribunt & in nihilum redigentur. Quod enim in terra ſcribitur, id à vento, pluvia, nive deletur, etiam ab hominibus & pecore conculcatur. Huic opponitur, *ſcribi in cœlis*, id eſt, ad vitam æternam & immutabilem prædeſtinari, vel, jus & acceſſum ad vitam immortalem obtinere. Meminit quidem & Moſes *libri Dei* & *libri viventium* ſed loquitur pro ratione ac conſtitutione illorum temporum, intelligitque modo figurato & phraſi uſitata, per librum ejuſmodi codicem vel indicem, in quo omnes illi ſcripti ſunt, qui in terris felicem vitam vivunt: quod etiam à doctioribus Judæorum annotatum eſt. Eodem ſignificatu accipiendum eſt, quod David ſuis inimicis imprecatur, ut eos Deus *deleat è libro viventium* Pſalm. 69. 29. ut ſcilicet eos perdat in terris, ne felicitate potiantur, quam Deus omnibus piis in Lege promiſerat. Ita etiam Pſalm. 139. 16. *Omnes dies mei in libro ſcripti ſunt:* ubi per librum figurate ſignificatur catalogus talis, in quo omnes ſcribuntur, qui in mundum naſcuntur. Quicquid autem olim per figuras & typos dictum fuit, id Chriſtus ad vitam æternam, quam clariſſime mundo revelare debebat, accommodavit. Idcirco de iis, qui per fidem in regnum ejus tranſlati, acceſſum ac jus ad ſempiternam hæreditatem conſequuntur, dicitur, eorum nomina in cœlo ſcripta eſſe: ut hic, & Hebr. cap. 12. 23. vel in libro vitæ Phil. 4. 3, 4. Apoc. 3. 5. XX. 12, 15. XXI. 27. XXII. 19. Hujus libri etiam fit mentio Apoc. 13. 8. *Et adoraverunt eam* (nempe beſtiam decem cornua habentem) *omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ occiſi agni, ab origine mundi:* id eſt, in libro vitæ, qui ab origine mundi ſcriptus eſt, in quo ſcilicet omnium ſanctorum nomina à condito mundo hucuſque conſignata extant. Nihil proinde aliud eſt, inſcriptum eſſe in cœlo, vel in libro agni aut vitæ, quam per obedientiam fidei in numerum filiorum ac hæredum Dei reponi atque referri. Id quod Auctor Epiſtolæ ad Hebræos ſcite declarat, cum ait, Hebræos per fidem in Chriſtum *acceſſiſſe ad univerſalem congregationem & Eccleſiam primogenitorum, qui ſcripti ſunt in cœlis* cap. 12. 23. Ex quo intelligitur, hoc figurato loquendi modo non ſignificari

immu-

immutabilem electionem eorum, quos Deus ab æterno absque omni fidei consideratione ad vitam æternam prædestinarit; sed ejusçemodi electionem, quæ cum conditione fidei & obedientiæ conjuncta sit. Non isti homines credunt, qui ab omni æternitate in libro vitæ inscripsi sunt; sed isti scribuntur in libro vitæ, qui credunt. Ut adeo errent, qui existimant, Christum istos 70 discipulos de salute ipsorum securos reddere voluisse, siquidem ab æterno sint ad salutem electi, neque ea queant ullo modo excidere. Si enim inter duodecim Apostolos fuit unus filius perditionis, quis certo credere possit, etiam inter 70 istos non fuisse aliquem, qui finem ac scopum suæ vocationis non attigerit.

PARS V.

Vers. 21. *Eipsa hora exultavit Jesus Spiritu, & dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quod occultaveris hæc à sapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea infantibus. Etiam Pater, quoniam sic fuit beneplacitum coram te.*] Ea ipsa hora, id est, per id tempus, consueto Hebraismo. Ansam Christus ad hanc gratiarum actionem sumsit ex consideratione admirabilium Dei viarum in negotio salutis humanæ. Hanc autem considerationem probabile est in eo excitatam esse per narrationem discipulorum de felici successu suæ prædicationis, quod nimirum non pauci homines & quidem tantum qui è vulgi fæce erant, doctrinam eorum susceperint. Explicationem hujus versiculi pete ex iis, quæ dicta sunt ad Matth. 11. 25.

Exultavit Spiritu.] Id est, animo.

Vers. 22. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo; & nemo novit, quis sit filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius revelare.*] Quis sit Filius, id est, quo fine & qua cum potestate missus sit.

Quis sit Pater.] Id est, quam benignus, justus ac sapiens sit.

Cuicunque voluerit Filius revelare.] Sensim & cum tempore. Nunc aliquatenus, postea magis post resurrectionem suam, maxime autem post missionem Spiritus Sancti.

PARS VI.

Vers. 23. *Et conversus ad discipulos, privatim dixit eis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.*] Hoc explicatum est ad Matth. 13. 16.

Vers. 24. *Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerint videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt.*

PARS VII.

Vers. 25. *Et ecce Legis-peritus quidam surrexit, tentans eum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?*] Quod Lucas hanc historiam paulo fusius describit quam Matthæus, cap. 22. 35. & Marcus cap. 12. 28. inde non sequitur, hanc ab illa esse diversam.

Quid faciendo vitam æternam possidebo.] Quæstionem proponit de vita æterna, quam Pharisæi & Legisperiti ex majorum suorum traditione credebant: ut notavimus ad Matth. 5. 20. Hanc vitam æternam, de qua in Lege Mosaica nulla extabat promissio, quia Christus aperte annunciabat & promittebat, ideo hic Legis doctor vult rescire, num eandem viam perveniendi ad eam monstret, quam Lex monstrat. Itaque quærit, quid *facere* debeat? *Faciendo* enim, id est, per externa opera, quæ præcipiebat Lex, credebant Pharisæi & Scribæ non tantum temporariam felicem, sed etiam æternam vitam obtineri posse. De Mosaicæ Legis præceptis dictum est: *Qui fecerit ea homo, vivet per ea*, Levit. 18. 5. Istud autem vivere literali sensu de longa & felici vita intelligebatur. Quæ verba etiam apud Ezechielem cap. 20. 11. & Nehemiam cap. 9. 29 allegantur. Etiam Paulus Apostolus ea bis citat, ubi externa opera, de quibus agebat Lex Mosis, & in quibus Judæi fiduciam suam collocabant, fidei opponit, quæ potissimum in animo consistit, Rom. 10. vers. 5. Gal. 3. 12. Et revera valde noxius fuit hic error Legisperitorum, dum putabant, eadem prorsus ratione vitam æternam comparari posse, qua comparabatur sub Lege immunitas à truculenta morte, & felicitas vitæ hujus perituræ. Quam falsam opinionem eorum Christus alibi refellit, & haud obscure ostendit, tales in regnum cœlorum minime ingressuros, qui simpliciter in *faciendo*, id est, in justitia externorum operum spem suam reponunt. Vide dicta ad Matth. 5. 20. Interea eadem promissio Legis, quæ ad sensum & captum promiscuæ plebis accommodata erat, dedit ansam sapientioribus reconditum sensum in ea scrutandi, & sublimioris remunerationis pro sublimiori obedientia spem concipiendi.

Vers. 26. *At ille dixit ei: In Lege quid scriptum est? quomodo legis?*] Innuit Christus, se sua doctrina Legem neutiquam ire eversum, sed eam potius implere ac perficere. (Vide Matth. 19. 17.) Ideo eum ad mandata Dei per Mosen data remittit; non ad leges ceremoniales, quæ soli populo Judaico præscriptæ erant, sed ad eas, quæ omnibus populis ac nationibus hominum à condito orbe terrarum communes fuerunt, quæ scilicet in dilectione Dei proximique consistunt; quam ad rem se omnes homines, etiam absque scripta Lege, à natura obligatos esse sentiunt.

Quomodo legis?] Credibile est omnino, Christum ei simul locum in Deuteronomio, ubi hæc verba sequentia extant, indicasse, ut ea proferre coactus fuerit. Is enim proculdubio alia mandata ex Lege allegasset, quæ falsæ ipsius sententiæ magis consona fuissent. Hinc narrat Matthæus, non hunc Legis Interpretem, sed Christum ipsum verba sequentia ex Lege protulisse. Vult autem Christus dicere, non posse eum ignorare id, quod aliis, utpote Legis Interpres, ex Lege prælegere solebat.

Vers. 27. *Ille vero respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua; & proximum tuum sicut teipsum.*] Sensum horum verborum explicatum vide ad Matth. 22. 37.

Vers. 28. *Dixit autem illi: Recte respondisti; hoc fac*

fac & vives.] Laudat eum, quod verba ex Moſe recte recitaverit. Nihil amplius requiritur jam à te, inquit, quam, ut id reipſa præſtes, & ita te geras, ut Lex iſta mandat.

Hoc fac, & vives. Quærebat iſte Legis interpres, quid ſibi faciendum eſſet: hoc ergo ei monſtrat Chriſtus, nempe hoc ipſum, quod ex Lege protulerat. Accipit autem Chriſtus hic verbum *faciendi* ſignificatu latiori, quam Legis iſte interpres in ſua interrogatione: nimirum non tantum pro externo opere, quod corpore perficitur, ſed etiam pro interna commotione animi. Ita apud Johannem quoque Joh. 6. vſ. 28, 29. Chriſtus vocem *operum* in paulo alia ſignificatione ſumit, quam Judæi in ſua quæſtione.

Verſ. 29. *Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad Jeſum: Et quis eſt meus proximus?*] Chriſtus voluit hunc Legis Doctorem adducere, ut ipſemet ſuam fragilitatem & imbecillitatem agnoſceret, ut intelligens, quid Deus potiſſimum requirat, & quantum ſibi ad veram & perpetuam dilectionem deſit, tanto ardentius à Deo auxilium Spiritus Sancti flagitaret, ſine quo humanus animus talis dilectionis capax non eſt. At ille perſeverabat in Judaica ſua pervicacia, volebatque pro juſto & ſancto haberi: (hoc enim ſignificat hic *ſe juſtificare.*) Ac de eo quidem, quod Deum ſatis diligeret, nullum ipſi erat dubium, cupiebatque id de ſe omnino credi, quia ceremonias Legis ſummo ſtudio obſervabat: verum de proximo, quia ambiguum erat, quam late ſe vocabuli hujus ſignificatio extenderet, vult à Chriſto inſtitui. Nam ſi Chriſtus ex ſenſu illius temporis reſpondiſſet, Iſraëlitam eſſe proximum, nec ullum alium, ille exiſtimaſſet, etiam hac in parte ſibi nihil deeſſe. Vide dicta ad Matth. 5. 43.

Verſ. 30. *Suſcipiens autem Jeſus dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieroſolyma in Jericho, & incidit in latrones, qui eo deſpoliato & plagis inflictis abierunt, relinquentes ſemivivum.*] Suſcepit Chriſtus ſermonem ejus, id eſt, dignam judicavit quæſtionem ejus, cui reſponderet.

Ab Hieroſolyma in Jericho.] Quæ via propter latrones ac graſſatores valde intuta erat, ut Hieronymus ſcribit.

Verſ. 31. *Caſu autem Sacerdos quidam deſcendit per eandem viam, qui viſo eo præteriit.*] Sacerdos iſte revertebatur à Jericho Hieroſolymam. Dicitur enim in Gr. ἀντιπαρῆλθεν, quaſi *ex adverſo tranſiit.* Tranſiit autem nulla motus miſericordia, nullamque miſero ferens opem, quam ſine dubio ille ſaucius & deſpoliatus homo implorabat. Etſi Chriſto hic potiſſimum fuerit propoſitum, oſtendere, quod ſignificatio vocis *proximi* latius extendatur, quam eam ſumebant Judæi, tamen ſimul tacite docet, Judæos perſæpe etiam iis, quos pro proximis ſuis agnoſcunt, ea denegare officia ac beneficia, quæ proximus proximo, id eſt, amicus amico præſtare obſtrictus eſt. Qui enim opera magis quam animum reſpiciunt, facile inveniunt cauſam, ob quam etiam opera beneficentiæ intermittant. Vel enim feſtinandi in itinere neceſſitate urgentur, ut moras nectere nequeant; vel ne ipſi in periculum aliquod incidant, metuunt: quales proculdubio & hic Sacerdos ac Levita prætendebant cauſas, cur huic derelicto homini opitulari non potuerint. At ſi animus eorum fuiſſet dilectione ac miſericordia plenus, etiam haud rogati omnem adhibuiſſent operam, ut ſemivivo huic homini ſuccurrere poſſent. Sed quia cor eorum alienis malis parum afficiebatur, vulgari ac jejuno voto atque auxilii divini apprecatione contenti, deſerunt hominem opis indigum, iterque ſuum præcipitant, haud memores illius divini apud Oſeam dicti: *Miſericordiam volo, non ſacrificium,* cap. 6. 6.

Verſ. 32. *Similiter & Levita, cum veniſſet ad locum & vidiſſet illum, præteriit.*

Verſ. 33. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit juxta eum, & conſpecto illo, commotus eſt miſericordia.*] Chriſtus maluit Samaritanum, quam alium quempiam alienigenam introducere: quia Judæi Samaritanos tanquam defectores à Deo majori quam alios ullos alienigenas odio proſequebantur, eoſque neutiquam dignos nomine proximorum ducebant. Hinc Chriſtum quoque contumeliæ cauſa Samaritanum appellant, Johan. 8. 48.

Venit juxta eum.] Id eſt, acceſſit ad eum propius.

Verſ. 34. *Et accedens obligavit vulnera ejus, infundens oleum ac vinum, ipſum autem impoſitum ſuo jumento duxit in diverſorium, & ejus curam egit.*

Verſ. 35. *Poſtero autem die abiens, prolatos duos denarios dedit hoſpiti, & dixit ei: Age curam ipſius, & quicquid præterea inſumſeris, ego cum redibo, reddam tibi.*

Verſ. 36. *Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones?*] Id eſt, qui officium proximi fecerit.

Verſ. 37. *Ille autem dixit: Is qui uſus eſt miſericordia erga eum. Ait igitur ei Jeſus: Abi, & tu fac ſimiliter.*] Singularis hic Chriſti ſapientia probe notanda eſt, quod ad eum modum veritatem ex ore Doctoris iſtius Legalis elicuerit. Si Chriſtus parabolam de Samaritano miſere convulnerato propoſuiſſet, dixiſſet forſitan iſte Legis interpres merito hunc impurum & à vero Dei cultu alienum hominem præteritum eſſe, ac omnino derelinquendum fuiſſe. At quod Judæo tale beneficium exhibitum fuerit, non poterat non laudare. Effecit ergo Chriſtus tanto circuitu, ut id fateretur Doctor iſte Legis, quod alioqui, ſi directe interrogatus fuiſſet à Chriſto, prorſus negaſſet: quod nimirum Judæus obligatus ſit ad benefaciendum etiam Samaritano. Quia enim Samaritanus, ipſomet judice, recte fecerat, & ſe verum amicum ac proximum Judæo eſſe probaverat, opem ipſi ferendo; inde ſequitur, etiam Judæum recte facturum, ſi in ſimili caſu Samaritano opituletur. Utrinque enim par eſt naturalis obligatio, qua ſola motus fuit Samaritanus ſumma cum laude, etiam ex ipſius Legalis Doctoris ſententia, ad hoc beneficium miſero exhibendum. Quare Chriſtus merito concludit, ſi naturalis æquitas ſpectetur (quæ æterna eſt, & omnibus hominibus communis, quæque Lege Moſis non eſt ſublata, imo ad quam Lex Moſaica potius homines quaſi manu ducit) nullum hominem tam pro alieno habendum eſſe, ut ei in neceſſitate opem noſtram denegemus, id eſt, omnem hominem, cujuſcunque nationis vel religionis ſit, eſſe alterius proximum.

Abi,

Abi, & tu fac ſimiliter.] Chriſtus vult dicere: Noli imitari Sacerdotem & Levitam, ſed Samaritanum, & quod cenſes hunc Judæo præſtare debuiſſe, ipſe tu præſta Judæus alieno, quin & Samaritano, ſi ita uſus ferat. Lex enim naturæ, juxta quam omnes homines pares ſunt, eſt immutabilis. De Deo quidem facile tibi eſt dicere, quod eum diligas, ſed quando alterum hominem, qui æque ac tu Dei imago eſt, deſeris ac præteris in neceſſitate, palam oſtendis, te mendacem eſſe. Nam *qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, quomodo poteſt diligere Deum, quem non videt*, 1 Johan. 4. 20.

PARS VIII.

Verſ. 38. *Factum eſt, vero, dum irent, ut ipſe ingrederetur in quendam vicum: mulier autem quædam, Martha nomine, excepit eum in domum ſuam.*] Quandoquidem Lucas in ſuis narrationibus non ſervat accurate ordinem temporis, idcirco dubium eſt, annon hæc hiſtoria ante profectionem Chriſti verſus Hieroſolymam, de qua Lucas meminit ſupra cap. 9. 51. contigerit.

In quendam vicum.] Dictum Bethania, ut patet ex Johan. 11. 1.

Martha nomine.] Videtur Martha fuiſſe vidua, apud quam degebat ſoror ejus Maria & frater eorum Lazarus.

Verſ. 39. *Et huic erat ſoror, quæ vocabatur Maria, quæ etiam aſſidens ad pedes Jeſu, audiebat ipſius ſermonem.*] Vocula *etiam* nihil hic peculiare denotat, nec ad aliud quippiam reſpicit, tantum ad pronomen *quæ* pertinet. Aſſedit autem ad pedes Chriſti pro more diſcipulorum, qui ad pedes Magiſtrorum ſuorum ſedere ſolebant, quando eos audiebant. Vide de eo ſupra ad cap. 2. 46. & Actor. cap. 22. 3.

Verſ. 40. *Martha vero diſtrahebatur circa frequens miniſterium; ſtans autem ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea dereliquit me, ut ſola miniſtrem? dic ergo illi, ut me adjuvet.*] Occupata erat circa parandos cibos aliaque carnalia negotia, quibus Chriſto gratificari volebat. Vox *miniſterii* ſæpiſſime in Scriptis Novi Teſtamenti accipitur pro illis officiis, quæ circa vitæ neceſſaria verſantur: ut Matth. 8. ſ. 15. xxv. 44. xxvii. 55. Marc. 1. 31. xv. 41. Luc. 4. 39. viii. 3. Johan. 12. 2. Actor. 6. 2. Hebr. 1. 10.

Domine non eſt tibi curæ.] Hebraiſmus in eo eſt, & nihil aliud ſibi vult Martha, quam: Domine mone ſororem meam, ne me patiatur laborare ſolam, ſed ut me juvet. Falluntur proinde, qui putant, Martham de ipſo Chriſto conqueſtam eſſe, eumque quaſi accuſaſſe, quod conniveret ad deſidiam ſororis, neque eam ad officium ac laborem exſtimularet. Affatur autem Chriſtum, quia probe norat, verba ſua apud ſororem irrita fore, propter ſummam aviditatem ſermones Chriſti audiendi.

Verſ. 41. *Reſpondens autem dixit ei Jeſus: Martha, Martha, ſolicita es, & ſatagis de multis.*] Repetitio nominis admonitioni ſequenti magnum pondus addit.

Satagis de multis.] Diſtracta es negotiis pluribus ad culinam & corpus ſpectantibus.

Verſ. 42. *Atqui unum eſt neceſſarium. Maria autem bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*] Interpretatio illa vix digna eſt, quæ commemoretur, quod Chriſtus voluerit dicere: ſolicita es, ut multa fercula appares, cum unum ferculum ſufficiat & neceſſarium ſit. Potius Chriſtus ex eo, quod Martha in domo ſua tam ſedula & negotioſa fuerit, ſumſit anſam generalem doctrinam hic tradendi: quod nimirum curæ quidem ac negotia, ad hanc vitam pertinentia, multa ſint ac varia, ſed unicum inter omnia eſſe maxime neceſſarium, ſi ſalutis velimus fieri compotes, ut ſcilicet pietati ſtudeamus, Matth. cap. 16. 26.

Maria autem bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.] Id eſt, è multis curis, Maria ſibi eam elegit, eique unice incumbit, cujus fructus perſeverabit in æternum: reliquæ curæ omnes ſunt de rebus caducis ac perituris. Duplex eſt genus piorum hominum. Alii ita pietati ſtudent, ut tamen cum in matrimonio vivant, rei familiaris curam haud negligant, vel aliis licitis negotiis ad commune ac publicum bonum ſpectantibus ac ſimilibus occupati ſint: alii vero ab omnibus curis ejuſmodi ſunt liberi, ſolis precibus & cœleſtibus cogitationibus, ad progreſſus ſubinde majores in ſanctimonia faciendos, intenti. Quemadmodum autem ille ſtatus per ſe reſpuendus ac damnandus non eſt, ita iſti longe ſunt illis beatiores, ut qui adhuc in terris incipiant cœleſtem vitam agere. Quam ob cauſam Apoſtolus virginum conditionem præfert matrimonio, & ait: *Quæ cœlebs eſt, ſolicita eſt de iis, quæ ſunt Domini*, intellige, unice & ſolum, haud interrupta cura: *Quæ vero nupta, eſt, ſolicita eſt de iis, quæ ſunt mundi*; intellige, præter ea, quæ Domini ſunt, 1 Cor. 7. 34. In numero priorum erat Maria: in poſteriorum cenſu Martha. Nec immerito annotarunt Veteres hunc duplicem modo indicatum ſtatum piorum per has duas ſorores fuiſſe adumbratum.

CAPUT XI.

I. *Chriſtus docet diſcipulos ſuos orare: ad verſ. 5.* II. *Promittit exauditum iri ſedulo orantes: ad verſ. 14.* III. *Ejicit dæmonium, & refellit blaſphemiam calumniantium, quod per Beelzebulem dæmonia ejiceret: ad verſ. 24.* IV. *Occaſione hujus miraculi dehortatur à ſecuritate: ad verſ. 27.* V. *Reſpondet mulieri cuidam de ſe judicium ferenti: ad verſ. 29.* VI. *Minatur illis, qui poſtulabant ab eo ſignum, divina judicia: ad verſ. 33.* VII. *Docet lucem noſtram lucere debere, & oculum eſſe corporis lucernam: ad verſ. 37.* VIII. *A Phariſæo quodam invitatus ad convium, Phariſæorum & Scribarum hypocriſin redarguit: ad verſ. 45.* IX. *Scribas peculiariter perſtringit.*

PARS I.

Vers. 1. *ET factum est, cum ipse oraret quodam in loco, ut postquam cessasset, diceret quidam ex ejus discipulis. Domine, doce nos orare, prout & Johannes docuit discipulos suos.*] Occasio, quam hic datam fuisse Christo Lucas indicat, ad hanc precationis formulam discipulis tradendam, prorsus alia est, quam à Matthæo describitur cap. 6. 7, 8, 9. Hinc censent nonnulli Interpretes, Christum bis hanc precationem docuisse. Sed id verisimile non est.

Doce nos orare.] Id est, trade nobis compendium aliquod, orationis, in qua contineantur ea omnia, quæ nos orare oportet. Estque credibile, etiam Johannem Baptistam discipulis suis tale compendium earum rerum, quæ ad pœnitentiam spectant, proposuisse.

Prout & Johannes docuit discipulos suos.] Ejus rei nullus alius Euangelistarum meminit. Mirum autem non est Johannem docuisse discipulos suos, ut orarent, cum oratio sit præcipua pars cultus divini, neque potest quisquam melius ad agnitionem peccatorum suorum, eorumque seriam detestationem pervenire, quam cum ad orandum coram vultu ejus, qui est scrutator cordium ac renum, comparet.

Vers. 2. *Dixit autem eis: Cum oratis, dicite. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita etiam in terra.*] Hujus eximiæ orationis explicationem habes apud Matthæum ad Cap. 6. 9. & seqq.

Vers. 3. *Panem nostrum quotidianum da nobis in diem.*

Vers. 4. *Et remitte nobis peccata nostra; nam & ipsi remittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*] Notandum est in Latina versione Vulgata hic apud Lucam verba quædam omissa esse, quæ apud Matthæum extant. Primum verba illa, *Qui es in cœlis.* Ita enim simpliciter in Latina editione legitur: *Pater, sanctificetur nomen tuum.* Deinde non habentur illa verba: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita etiam in terra*; (quæ etiam in nonnullis Græcis exemplaribus desiderantur.) Item: *Sed libera nos à malo.* Neque vero est ulla causa, cur Latinus interpres hæc omnia omittere voluisset, si in priscis exemplaribus Græcis extitissent.

PARS II.

Vers. 5. *DIxitque ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & adibit eum media nocte, & dicet illi, Amice, da mihi mutuo tres panes.* Hanc parabolam usque ad vers. 9 se porrigentem nullus quoque alius Euangelistarum descripsit. Optime autem annexa est præcedenti precationi: docetur enim ea, fidelium orationes haud fore irritas, si in orando perseverent. Estque hæc admonitio apprime necessaria. Homines enim natura sunt ita comparati, ut si semel atque iterum aliquid petierint à Deo, nec obtineant, illico animum despondeant, & remissi in orando fiant, imo interdum plane à fide desciscant: non aliter, ac ægrotis facere solenne est, ut, si uno atque altero pharmaco sumto, non mox curentur, medicis culpam tribuant, medicamenta vituperent, nec facile sibi persuaderi patiantur, ut rursus iis utantur. Quapropter Christus utiliter hac similitudine discipulos hos ad orandum adhortatur, certam spem exauditionis faciens, etsi cunctanter fiat, si modo de constantia & assiduitate orandi nihil remittant.

Quis vestrum habebit amicum.] Verba ista, *Quis vestrum*, majorem habent emphasin, quam si simpliciter dictum fuisset: Homo quidam habebat amicum. Vult enim argumentum sumere ex illis ipsis: vult ut de se ipsis judicium ferant, & ex proprio exemplo suo agnoscant, Deum nihil denegaturum iis, qui sedulo ipsum invocant. Nimirum argumentatur à Minori ad majus: ut postea videbimus vers. 13.

Et adibit eum media nocte.] Tempore maxime importuno, quo neutiquam probabile est, eum surrecturum. Vult ergo Christus docere: si vos amico vestro etiam media nocte gratificaremini; quanto magis Deus, cui nullum tempus importunum est ac incommodum, exaudiet preces amicorum suorum, id est, fidelium. Bene observatum hic est à Veteribus, in angustia necessitatis etiam dulcissimo somno antiquiorem nobis esse debere orandi sedulitatem. Vide Psal. 119. 62. vi. 7.

Da mihi mutuo tres panes.] Videtur Christus consuetudini vulgari attemperare sermonem suum in hac parabola: ut nimirum inducat amicum petentem tres panes, unum pro hospite, alterum pro se, tertium in casum, si cui unus non sufficiat.

Vers. 6. *Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod apponam ei.*] Duas affert rationes, cur tam intempestive pultet fores ejus, & cur vicinus sibi gratificari debeat in eo, quod petit. Primum, quod non pro se petat panes, sed pro alio, eoque non alieno aut ignoto, sed pro amico suo, qui esuriens & lassus de itinere venerit. Et quia ab amico pro amico petit, tacite indicat, se in simili casu idem pro ipso quoque facturum esse, cum æque sit amicus suus. Altera ratio est, quod nihil omnino habeat, (ne panem quidem) quod amico famelico apponat: neque postulat cibos lautos & pretiosos ab eo, tantum simplicem panem. In applicatione autem hoc in orationibus nostris ad Deum, locum non habet: non omnes enim parabolarum partes habent in apodosi oppositum quippiam, quod significent, & ad quod respiciant. Unusquisque novit in sua precatione causas & argumenta Deo proponere, quæ eum ad exaudiendum flectere ac permovere possint.

Vers. 7. *Et ille intus respondens dicat: Noli mihi esse molestus. Jam ostium clausum est, & pueruli mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi.*] Non est credibile, amicum ita alteri responsurum; sed Christus ita respondentem introducit, quia id ad propositum ejus faciebat. Ut nimirum intelligeretur, quanta sit vis instantis & constantis orationis. Quasi dicat: Etsi amicus tam durus esset ut sic

reſponderet, ſi tamen alter nihil incivilitate ejus deterritus, flagitare haud deſiſtat & pulſare fores pergat, ſine dubio eum tandem flectet & exorabit.

Jam oſtium clauſum eſt.] Excuſationes obtendit, quæ illo nocturno tempore non poterant injuſtæ haberi. Nimirum, moleſtum mihi eſt & minus tutum, ut aperiam fores, liberi mei & familia mea jam decumbit ac quieſcit, ut adeo, præter me ſolum, nemo ſit, qui tibi panes porrigat. Neceſſe proinde eſſet me ipſum, magna cum moleſtia, de ſtrato ſurgere.

Verſ. 8. *Dico vobis: Etſi non dederit ipſi ſurgens eo quod amicus ejus ſit; at certe propter importunitatem ejus exſurgens dabit illi, quotquot ſunt ei opus.*] Hæc quoque verba iſtius verſiculi ad Deum applicari non poſſunt; ſed à Chriſto propterea tantum inducuntur, ut vim perſeverantis orationis tanto melius exprimat, indicetque eam ſæpenumero id obtinere, quod ne arctiſſima quidem poteſt efficere amicitia. Non enim ea eſt Dei ratio, ut propterea homines exaudiat, ut ab importuna & impudenti hominum flagitatione liberetur. Continetur autem etiam in his verbis tacita argumentatio à minori ad majus; hoc modo: ſi iſte homo non propter amicitiam, ſed tantum propter importunitatem precationis dedit oranti, quod poſtulabat; quanto magis Deus nobis dabit ea, quæ ſecundum voluntatem ejus oramus, qui non ſolum noſter amicus, ſed Pater eſt? ut poſtea argumentatur verſ. 13. Quanquam dici quoque poteſt, Deum non ſolum amicorum, ſed & inimicorum ſuorum, id eſt, peccatorum ſæpius exaudire preces, non propter ullam amicitiam aut amorem erga eos, ſed propter eorum indeſinentes orationes, quibus animum ſuum ad miſericordiam flecti patitur.

Verſ. 9. *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulſate & aperietur vobis.*] Hic Chriſtus concludit parabolam, certam exauditionis promiſſionem proponens, ſi modo orando haud defatigemur. Vide Epheſ. 6. 18. Col. 4. 2. 1 Theſſ. 5. verſ. 16. Expoſita autem ſunt hæc verba uſque ad verſ. 14. apud Matthæum cap. 7. 7.

Verſ. 10. *Quiſquis enim petit accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti aperietur.*

Verſ. 11. *Ecquis autem ex vobis Pater, ſi filius ab eo petierit panem, lapidem ei dabit? aut ſi piſcem, num pro piſce dabit ei ſerpentem?*

Verſ. 12. *Aut ſi petierit ovum, num dabit ei ſcorpium?*

Verſ. 13. *Si vos igitur qui mali eſtis, noſtis bona dona dare liberis veſtris: quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum Sanctum petentibus à ſe.*] Loco Spiritus Sancti, habet Matthæus *bona dona* Cap. 7. verſ. 11.

PARS III.

Verſ. 14. ET *ejiciebat dæmonium, quod erat mutum: factum eſt autem, egreſſo dæmonio, locutus eſt mutus, & mirata eſt turba.*] Similitudo omnium circumſtantiarum arguit hanc hiſtoriam uſque ad verſ. 16. eandem eſſe, quam Matthæus cap. 9. 32, 33, 34 deſcripſit. Utroblque enim obſeſſus fuit mutus: utrobique miratur turba: utrobique Phariſæi objiciunt, Chriſtum ejicere dæmonia per Beelzebulem. Quod vero apologiam Chriſti contra Phariſæorum calumniam attinet, quam Matthæus refert ad aliud miraculum Chriſti, cum ex homine cæco & muto dæmonium ejeciſſet cap. 12. 22, & ſeqq. eam Lucas ſubjunxit huic miraculo, quia alterum illud deſcribere in animo non habebat, cum utriuſque de cætero omnes circumſtantiæ ſint ſimiles.

Quod erat mutum.] Non dæmonium erat mutum, ſed homo obſeſſus, Dæmone efficiente. Videtur autem eſſe peculiare genus iſtiuſmodi dæmonum, qui homines mutos reddant.

Enumerat vero Lucas triplex ſpectatorum hujus miraculi judicium. Primum erat judicium populi, id eſt, promiſcuæ plebis, quæ mirabatur. Apud Matthæum autem ait: Nunquam apparuit tale quid in Iſraële, cap. 9. 33.

Verſ. 15. *Quidam vero ex eis dixerunt: Per Beelzebulem Principem dæmoniorum ejicit dæmonia.*] Non aperte dixerunt verbis, ſed intra ſe, in cordibus ſuis, ut patet ex verſ. 17. Hoc eſt alterum judicium, videlicet Phariſæorum, qui hoc miraculum poteſtati Beelzebulis adſcribunt: de quo vide ad Matth. 12. verſ. 24.

Verſ. 16. *Et alii tentantes, ſignum è cœlo petebant ab eo.*] Tertium judicium fuit eorum, qui hoc miraculum minoris æſtimabant, reſpectu eorum miraculorum, quæ cœlitus fiunt; qualis erat ille in deſerto Mannæ de cœlo deſcenſus, ad quem Judæi reſpiciunt Johan. 6. 31. nec non ignis ab Elia de cœlo deductio, 2 Reg. 1. 10, 12, & ſimilia. Hoc ergo ſibi volunt iſti tentatores: Miraculum iſtud, quod dæmonia pellis ex hominibus, nobis non ſufficit, ut credamus, te à Deo miſſum eſſe; ſed oportet, ut nobis ſignum aliquod oſtendas ex cœlo, tum demum tibi fidem adjungemus. Lucas inquit, eos tentaſſe Jeſum, id eſt, voluiſſe experiri, utrum poſſit talia miracula edere. Nam ſi ea facere non poſſet, inde judicaſſent, ipſum eſſe falſum Prophetam.

Verſ. 17. *Ipſe vero cum noſſet cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diviſum adverſus ſeipſum, vaſtatur; & domus adverſus domum diſſidens corruit.*] Chriſtus non reſpondet hic primis, quorum judicium rectum erat, neque tertiis, quibus reſpondit alibi, nempe infra verſ. 29. & Matth. 12. 39, 40. xvi. 4. ſed ſecundis, quorum judicium erat turpiſſimum ac ſceleratiſſimum, quod non audebant proferre in publicum, ſed in cordibus ſuis fovebant.

Omne regnum diviſum.] Explicavimus iſta uſque ad verſ. 27. apud Matthæum ad cap. 12. 24, & ſeqq. & verſ. 43. & ſeqq.

Verſ. 18. *Si autem & Satanas adverſus ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? Nam dicitis, me per Beelzebulem ejicere dæmonia.*

Verſ. 19. *Quod ſi ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii veſtri per quem ejiciunt? Propterea ipſi erunt veſtri judices.*

Verſ. 20. *Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit ad vos regnum Dei.*] Dei digitus vocatur Dei Spiritus ac potentia: Vide Matth. 12. 28. Chriſtus reſpicit locum Exod. 8. 19, ubi Magi dicunt Pharaoni: *Hic eſt digitus Dei.*

Per-

Pervenit ad vos regnum Dei.] Quemadmodum digitus Dei, qui in Moſe operatus eſt, fuit ſignum mox ſequentis liberationis ex Ægyptiaca ſervitute: ita etiam digitus Dei, qui operatus eſt per Chriſtum, erat ſignum ſpiritualis liberationis à peccatis, diabolo, & morte.

Verſ. 21. *Cum fortis quiſquam armatus cuſtodit aulam ſuam, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.*] Gr. αὐλὴν, aulam, arcem, vel palatium. Vide Matth. 26. 58.

Verſ. 22. *Poſtquam autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, totam armaturam ejus tollit, qua confidebat, & ſpolia ejus diſtribuit.*] Huic armaturæ Satanæ opponitur armatura Dei Epheſ. 6. 13.

Et ſpolia ejus diſtribuit.] Matthæus habet: *Et domum ejus diripiet*, Cap. 12. 29. Erat autem hæc Proverbialis locutio apud Hebræos, quæ etiam Eſai. cap. 49. 25 uſurpatur; ad quem locum Chriſtus hic alludit.

Verſ. 23. *Qui non eſt mecum, adverſus me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.*

PARS IV.

Verſ. 24. *CUm impurus Spiritus exierit à quopiam, tranſit per arida loca, quærens requiem: & non inveniens dicit, Revertar domum meam, unde exivi.*] Occaſione præcedentis miraculi Chriſtus monet, cavendam eſſe ſecuritatem. Explicationem horum verborum uſque ad verſ. 27. habes Matth. 12. 43.

Verſ. 25. *Et veniens invenit ſcopis mundatam & ornatam.*

Verſ. 26. *Tunc abit & aſſumit ſecum ſeptem alios Spiritus nequiores ſeipſo, & ingreſſi habitant illic; & ſunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.*

PARS V.

Verſ. 27. *FActum eſt autem cum hæc diceret, attollens vocem quædam mulier è turba, dixit ei: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.*] Hoc etiam à nemine ex aliis Euangeliſtis deſcriptum eſt. Continetur autem in hac hiſtoria deſcriptum judicium mulieris cujuſdam de Chriſto, ejuſque ad id reſponſio.

Cum hæc diceret.] Non tam miraculum, quam præclara ejus defenſio adverſus Phariſæos, movit hanc mulierem, ut hoc judicium de Chriſto pronunciaret.

Attollens vocem quædam mulier è turba.] Singulæ voces habent peculiarem emphaſin. Dum viri tacent, vel perverſum judicium ferunt de eo, *mulier* loquitur; & quidem ignota fœmina *è turba*, id eſt, è plebejis hominibus, quæ nulla dignitate vel claritate erat inſignis: quod exinde patet, quia nomen ejus non exprimitur. *Attollit vocem* ſuam, quo animum ſuum vehementer eſſe commotum oſtendit, ita ut intrepide prorſus ac libere in laudes Chriſti erumpat.

Beatus venter, qui te portavit.] Matrem Chriſti beatam prædicat propter duo materna opera Chriſto præſtita; quod nimirum eum in utero ſuo geſtarit & in lucem ediderit, quodque eum uberibus ſuis lactaverit. Phraſis Hebræa eſt, qua matres deſcribuntur: ut infra cap. 23. 29. *Beati ventres, qui nunquam pepererunt, & ubera quæ non lactaverunt*, id eſt, ſteriles matres. Loquitur autem illa ex vulgi opinione ac conſuetudine, qua matres illæ beatæ judicantur, quæ egregios & auſpicatos habent liberos. Vide Prov. 31. 28. Sic etiam Eliſabetha Mariam prædicat beatam, ſupra cap. 1. 42. Hæc autem felicitas Mariæ cum Chriſti laude & gloria conjuncta eſt.

Verſ. 28. *Ipſe autem dixit: Imo vero beati qui audiunt ſermonem Dei, & eum obſervant.*] Chriſtus non contradicit huic mulieri ſimpliciter, neque negat, matrem ſuam beatam eſſe, ob id quod ſe genuerit: ſed addit tantum aliquid amplius (ut & ſupra cap. 10. 20.) quod nimirum vera beatitudo atque æterna non in eo conſiſtat, neque Mariæ ſit propria. Iſtud *imo* ſignificat tantundem atque, *Adhuc magis.*

Qui audiunt ſermonem Dei.] Non ſatis eſt ſermonem Dei audire, ſed etiam requiritur obſervatio. Vide ſupra cap. 8. 15. Sermonem Dei audire, eſt Chriſtum concipere: obſervare autem eundem ſermonem ac facere, eſt Chriſtum gignere. Qui abortiunt, longe ſunt deteriori conditione, quam ſteriles, qui nunquam concipiunt, Matth. 7. verſ. 26. Rom. 2. 13. Jac. 1. 22. Verbum *obſervandi* vel *ſervandi* potius ſeu cuſtodiendi (nam in Græco eſt, φυλάσσοντες) hic idem ſignificat, quod alibi facere: ut Matth. 19. 20. Marc. 10. 20. Luc. 18. 21. Actor. 7. verſ. 53. Rom. 2. 26. Gal. 6. 13.

PARS VI.

Verſ. 29. *CUm autem turbæ congregarentur, cœpit dicere: Generatio hæc mala eſt; ſignum quærit: Sed ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.*] Turbæ congregabantur, id eſt, magis magiſque confluebant ad eum. Reſpondet autem hic Chriſtus ad tertium judicium eorum, qui ſuperioris miraculi ſpectatores fuerant. Declarata vero ſunt hæc omnia uſque ad verſ. 33, apud Matthæum ad cap. 12. 39. Cæterum & hic Lucas non ſervat eundem ordinem in narrando, quem Matthæus. Apud Matthæum enim poſtquam Chriſtus miraculum ſuum à Phariſæorum calumnia (quaſi per Beelzebulem dæmonia ejiceret) vindicaſſet, cap. 12. 25, uſque ad ℣. 31, & mox docuiſſet, quam grave judicium ſubituri ſint peccantes in Spiritum Sanctum (quales Phariſæi erant) tum demum ℣. 38 ſequitur, quod Scribæ & Phariſæi ſignum de cœlo ſibi dari poſtularint. Lucas autem de peccato in Spiritum Sanctum agit demum cap. ſequenti 12. 10.

Verſ. 30. *Sicut enim Jonas fuit ſignum Ninivitis; ita erit & Filius hominis generationi iſti.*

Verſ. 31. *Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit eos; quod venerit ab ultimis terris, ut audiret ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquam Salomon hic eſt.*

Verſ. 32. *Viri Ninivitæ exurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quod pœnitentiam egerint ad prædicationem Jonæ, & ecce hic plus eſt, quam Jonas.*

PARS VII.

Verſ. 33. *NEmo autem lucernam accendens ponit eam in occulto, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur lamen videant.*] Dictum hoc Chriſtus, more aliorum Sapientium, pro ratione incidentium occaſionum ſæpius repetiit: inde eſt, quod apud Lucam bis legatur hic & ſupra cap. 8. 16. Videtur autem hoc Chriſtus protuliſſe hic ad declarandum id, quod ſuperius verſ. 28 dixerat, beatos eſſe, qui ſermonem Dei ſervant, ac cuſtodiunt. Cuſtodia enim iſta facit, ut lux ſermonis Dei, ab animo recepti, per bona opera erumpat & palam luceat. De reliquo vide explicationem horum verborum ad Matth. 5. verſ. 15.

Verſ. 34. *Lucerna corporis eſt oculus: cum igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum quoque corpus tuum erit lucidum; cum vero malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.*] Explicata eſt hæc ſimilitudo uſque ad verſ. 36. apud Matthæum ad cap. 6. 22. Uſus autem eſt Chriſtus hoc ſimili apud Matthæum, cum dehortaretur ab avaritia: hoc loco autem perſtringit Chriſtus eo perverſum judicium hominum de ſe, quod proveniebat è denſis nebulis malarum cupiditatum ipſorum. Quando enim humanus animus à talibus cupiditatibus purus eſt, tum rectum poteſt de rebus, quæ occurrunt, ferre judicium: ſin minus, perverſum judicium eſſe neceſſe eſt. Utrum vero ipſe Chriſtus hoc loco verba iſta protulerit; an vero ea Lucas huc retulerit, quia tanquam generale dictum tam hic ad ſubjectam materiam quadrant, quam apud Matthæum, de eo nihil certi ſtatui poteſt.

Verſ. 35. *Vide ergo, ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.*

Verſ. 36. *Itaque ſi corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebroſam erit lucidum totum, ut quando lucerna fulgore te illuſtrat.*] Verba hujus verſiculi apud Matthæum non habentur. Senſus autem eorum eſt; quaſi dicat Chriſtus: Quando corpus tuum totum lucidum eſt, ita tibi totum erit lucidum (id eſt, totum tuum lucidum corpus eandem tibi utilitatem præſtabit) atque ſi lucidiſſima facula vel lucerna tibi præluceret: adeo ut nihil futurum ſit, quod tibi offenſioni eſſe poſſit. Johannes ait: *Qui diligit fratrem ſuum, manet in luce, & ſcandalum in eo non eſt*, id eſt, nuſquam impinget, 1 Johan. 2. 10. Quare Chriſtus, hic per *corpus* intelligit totum vitæ curſum, quem Johannes loco allegato vocat *manere in luce*, & eadem Epiſtola cap. 1. 7. appellat eum, *ambulare in luce*. Hoc proinde ſibi vult Chriſtus: Si tota vita tua fuerit in luce veritatis, id eſt, ſi eam direxeris ad normam præceptorum Euangelii, nulla in re offendes ac ceſpitabis (id eſt, non peccabis) non ſecus, quam ſi in via tibi lucerna claro fulgore inſignis luceret, cujus beneficio omnem offenſionem evitare poſſes.

PARS VIII.

Verſ. 37. *DUm autem loqueretur, rogavit eum quidam Phariſæus, ut pranderet apud ſe. Ingreſſus vero recubuit.*] Simul ac ingreſſus eſt, domum, ſtatim accubuit menſæ, antequam laviſſet manus. Veriſimile eſt, Chriſtum id conſulto feciſſe, ut haberet anſam Phariſæorum nimiam in lavando ſuperſtitionem redalguendi. Sciebat enim optime Phariſæum vel palam ſecum de eo acturum, vel ſaltem intra ſe male id laturum. Quantam enim curam & ſolicitudinem Phariſæi in lavando adhibuerint ante edendum, in edendo, & poſt cibum ſumtum, liquet ex Marc. 7. 4. & Johan. 2. 8. Vide etiam dicta hac de re ad Matth. 15. 2.

Verſ. 38. *At Phariſæus videns admiratus eſt, quod non prius ablutus eſſet ante prandium.*] Gr. ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη, quod non ante baptiſatus eſſet ante prandium. Solebant enim non ſolum manus abluere, ſed & lacertos ad cubitum uſque; nec ſimpliciter lavare tantum, ſed in aqua penitus immergere, ne vel tantillum ſordium remaneret.

Ante prandium] Nam juxta traditionem Judæorum illotis omnes cibi erant immundi.

Verſ. 39. *Dixit autem ei Dominus: Nunc vos Phariſæi exteriorem poculi patinæque partem mundatis; ſed quod intus veſtrum eſt, plenum eſt rapina & iniquitate.*] Allocutus eſt eum Dominus, quia perſpiciebat ejus cogitationes.

Nunc vos Phariſæi.] Vocula *nunc* non reſpicit ad aliquid præcedens, ſed ſenſus eſt: Ut nunc ſunt tempora, ut nunc res comparata eſt, vos Phariſæi nihil curatis majori ſtudio, quam externam corporis munditiem &c. Ut ita Chriſtus particula iſta *nunc* ad mores & uſum illorum temporum reſpiciat. Traditio enim illa de tam anxia ac ſcrupuloſa lotione tunc non adeo erat antiqua.

Mundatis exteriorem poculi patinæque partem.] Ad literam ſic intelligi hæc Chriſti verba poſſunt, quaſi dicat; Vos lavatis ſolicite calices & patinas, ne quid immundi iis adhæreat, interea vero, *quod intus veſtrum eſt*, id eſt, cibos & potum, qui intus in patinis & poculis eſt, malitioſis artibus eripuiſtis pauperibus, viduis, & orphanis, Matth. 23. 14. Per talem autem rapinam cibus multo magis impurus ac profanus redditur, quam per immunditiem poculi ac patinæ. Sed videtur Chriſtus vocibus iſtis; *quod intus veſtrum eſt*, ſimul indicare voluiſſe, per ejuſmodi male partos cibos etiam animum maculari ac pollui. Quaſi dicat: Dum adeo corpus veſtrum mundatis, contra autem, quod intus veſtrum eſt, id eſt, animus veſter plenus eſt rapina & improbitate; perinde facitis, atque ſi patinas & pocula tantum lavaretis, cibus autem & potus ipſe foret plenus ſordium ac cœni. Vide Matth. 23. 25.

Verſ. 40. *Inſipientes, nonne qui fecit, quod foris eſt, etiam id quod intus eſt, fecit?*] Id eſt, Deus tam cibum & potum creavit, quam argentum, ſtannum, argillam &c. ex quibus vaſa conficiuntur. Quocirca eandem curam adhibere deberetis circa cibum & potum, ne inquinati ſint (id eſt, ut eos bona cum conſcientia acquiratis & iis fruamini) quam adhibetis circa pocula & patinas: ac conſequenter deberetis pari ſtudio cavere, ne animus veſter rapina & improbitate ulla conſpurcetur, quo cavetis, ne corpus veſtrum ſordidetur. Deus enim tam animum creavit, quam corpus.

Verſ. 41. *Veruntamen, quæ intus exiſtunt, date in elee-*

in eleemoſynam; & ecce omnia erunt vobis munda.] Gr. τὰ ἐνόντα, id eſt, quæ inſunt, ſcilicet in poculis & patinis. Non hoc ſibi vult Chriſtus, ut ea quæ ſcelere parta & rapta ſunt in eleemoſynam convertant. Hac ratione enim animus à crimine rapinæ nondum purgatur, ſed oportet ut rapta reſtituantur ei cui erepta ſunt. Verum Chriſtus opera charitatis & miſericordiæ opponit inſatiabili ipſorum aviditati, qua fiebat, ut aduncis manibus aliena ad ſe traherent. Quaſi dicat: Pro eo, quod rapitis & harpagatis ea quæ editis & bibitis, potius date eleemoſynam & pauperes cibo ac potu, quem vobis largitur Deus, reficite.

Et ecce omnia erunt vobis munda.] Id ſi faciatis, nullus vobis cibus potuſve immundus erit, ſive lavetis manus, quibus eos attingitis, aut patinas & calices, è quibus editis ac bibitis, ſive minus. Indicatque ſic Chriſtus, cibum & potum, de quo nihil datur egenis, immundum eſſe. Nimirum Deus largitur hominibus bona temporalia, non eo fine, ut quiſque ea tanquam propria poſſideat, & in ſuos duntaxat uſus convertat; ſed ut tanquam OEconomus ac diſpenſator eorum ea communicet cum indigentibus, quos Deus vult per eum etiam curari.

Poſſunt quoque hæc verba alium ſenſum habere. Hunc ſcilicet: Date eleemoſynam, & hoc vobis loco ablutionis erit. Magis hoc vos mundabit & puros efficiet, quam iſtæ veſtræ lotiones & luſtrationes.

De vi operum charitatis ac miſericordiæ vide Dan. 4. 24. Eccleſ. 3. 33. Tob. 4. 2. XII. 9. Luc. 16. verſ. 9. Actor. 10. 4.

Verſ. 42. *Sed væ vobis Phariſæis, qui decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*] Hoc & quod ſequitur uſque ad verſ. 53 Chriſtus etiam apud Matthæum alia protulit occaſione. Vide Matth. 23. 1, 23.

Verſ. 43. *Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primum conſeſſum in conventibus, & ſalutationes in foris.*

Verſ. 44. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia eſtis ut monumenta, quæ non apparent, & quæ neſciunt ii, qui ſuper ea ambulant.*] In Latina editione tantum habetur: *Væ vobis, quia eſtis ut monumenta* &c. Unde patet, hæc verba in nonnullis Græcis exemplaribus non fuiſſe lecta, ſed à librario vel deſcriptore aliquo eſſe aſſuta, quia alibi ſæpius Phariſæi ac Scribæ conjungi ſoleant à Chriſto: ut Matth. 23. 2. 13, 14, 15, 16, 23, 25, 27, 29. & alibi.

Monumenta quæ non apparent.] Id eſt, ſicut quum cadavera prorſus terra obruuntur, ut qui ſuper eum locum incedunt, neſciant, ſepulcrum aliquod eo loci eſſe. Tales erant & Phariſæi; extrinſecus ſpecioſi erant decora pelle ſanctitatis, intus autem latebat in corde fœtens cadaver malitiæ & improbitatis. Apud Matthæum cap. 23. 27 Chriſtus utitur alio ſimili à monumentis ſumto, ſed quod ad eundem ſcopum collineat. Apparet Chriſtum modo hoc, modo illud ſimile uſurpaſſe, atque adeo utroque uſum eſſe.

PARS IX.

Verſ. 45. *REſpondens autem quidam ex Legis interpretibus, ait ei: Magiſter, hæc dicens, & nos contumelia afficis.*] Legis interpres ſeu Scriba quidam ſuſcepit patrocinium Phariſæorum. Erant enim Scribæ ac Legisperiti quaſi concatenati cum Phariſæis. Hi Scribarum dicta & traditiones ſumma diligentia obſervabant: illi viciſſim extollebant ampliſſimis laudibus Phariſæorum ſanctimoniam. Ita ſolent mutuum ſcabere muli.

Verſ. 46. *Ipſe autem ait: Væ & vobis Legis interpretibus, quoniam oneratis homines oneribus portatu difficilibus, & ipſi uno ex digitis veſtris non attingitis onera.*] Hoc explicatum eſt ad Matth. 23. 4.

Verſ. 47. *Væ vobis, quoniam ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem veſtri interemerunt eos.*] Hebraiſmus eſt, pro eo quod nos diceremus: quos Patres veſtri interemerunt. Vide explicationem ad Matth. 23. 29.

Verſ. 48. *Nimirum teſtificamini, quod conſentitis operibus Patrum veſtrorum; quoniam illi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.*] Ut pote cum ſitis filii ipſorum, non tantum quoad naturam, ſed etiam reſpectu morum, & homicidium ſpirantis animi; ut adeo nihil aliud à vobis expectandum ſit, quam quod fecerunt Patres veſtri.

Verſ. 49. *Propterea etiam Sapientia Dei dixit: Mittam ad eos Prophetas, & Apoſtolos, & ex iis alios interiment, alioſque perſequentur.*] Dixit Sapientia Dei, id eſt, Deus ita in ſuo ſapientiſſimo conſilio conſtituit. Explicationem horum vide ad Matth. 23. 34.

Verſ. 50. *Ut à generatione iſta requiratur ſanguis omnium Prophetarum, effuſus à conſtitutione mundi.*

Verſ. 51. *A ſanguine Abelis uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Næ dico vobis, requiretur ab hac generatione.*] Vox *Templi* & vox *ædis* ſeu domus aliquando de toto ædificio Templi uſurpatur, aliquando tantum de ea parte Templi, in qua erant Sacerdotes: ut hoc loco.

Requiretur.] Eadem hac voce uſus eſt Zacharias, cum occideretur: *Videbit Dominus, & requiret*, 2 Paral. 24. 22.

Verſ. 52. *Væ vobis Legis interpretibus, quoniam ſuſtuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.*] Clavem ſcientiæ tollere, hic eſt, ita ſibi omnem ſcientiam ac cognitionem ſalutis arrogare, ut illi ſoli ſciant atque intelligant, quæ ſit Dei voluntas, & quomodo ad ſalutem perveniri queat, ut adeo nemo per ullam aliam portam intrare in regnum cœlorum poſſit, quam per eam, quam illi docent. Similitudo ſumta eſt à patrefamilias, qui cum non vult ut quiſpiam abſque ſua voluntate domum ingrediatur, eam claudit, & claves ad ſe ſumit, & apud ſe aſſervat. Similem poteſtatem & auctoritatem Scribæ iſti ac Legis interpretes ſibi arrogarunt.

Ipſi non introiiſtis.] Intellige in regnum cœlorum. Nimirum quia mandata Dei, per quorum obſervationem intrare potuiſſent, non intellexerunt, neque ſervarunt.

Et eos qui introibant prohibuiſtis.] Id eſt, iis qui rectam viam inſtiterant, obſtruxiſtis viam innumeris humanis traditiunculis, ut in curriculo veræ pietatis pergere nequiverint, ſed pone remanere coacti ſint. Apud Matthæum inquit Chriſtus: *Clauditis regnum cœlorum coram hominibus* cap. 23. 13. Senſus eſt unus idemque. Nam ibi ſubauditur: Et clavem ad vos recipitis. Apud Hebræos receptum erat, ut ei cui facultas data erat Legem & Prophetas interpretandi, daretur clavis; quo ſigno indicabatur, eum quaſi in poſſeſſionem iſtius muneris, quaſi domus alicujus, admitti. Fortaſſis etiam ad hunc morem Chriſtus alluſit.

Verſ. 53. *Hæc autem illo dicente ad eos, cæperunt Scribæ & Phariſæi graviter ipſum urgere, & obtundere de multis.*] Senſus hujus & ſequentis verſiculi eſt; Scribas & Phariſæos acri objurgatione Chriſti exacerbatos, reſpondendo ferocius, & multa interrogando, preſſiſſe Chriſtum, & provocaſſe ad loquendum, ut aliquid elicerent, ex ore ejus, propter quod eum tanquam tranſgreſſorem Legis poſſent populo inviſum reddere, vel tanquam turbatorem pacis publicæ ad Magiſtratum deferre.

Verſ. 54. *Inſidiantes ei, & quærentes venari aliquid, ex ore ejus, ut eum accuſarent.*

CAPUT XII.

I. *Admonitionem ad diſcipulos ſuos inſtituit Chriſtus: ad verſ.* 13. II. *Diviſor hæreditatis inter duos fratres eſſe non vult: ad verſ.* 15. III. *Monet cavendum eſſe ab avaritia, proponens parabolam de homine quodam divite, qui volebat majora extruere horrea: ad verſ.* 22. IV. *Dehortatur diſcipulos ſuos à ſolicita cura victus: ad verſ.* 35. V. *Hortatur eoſdem ad vigilantiam: ad verſ.* 41. VI. *Pergit in eadem adhortatione: ad verſ.* 49. VII. *Docet ſe veniſſe ignem mittere in terram: ad verſ.* 54. VIII. *Docet noſcenda eſſe ſigna hujus temporis: ad verſ.* 58. IX. *Jubet reconciliari cum adverſario: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *INterea permultis turbis concurrentibus, adeo ut conculcarent alii alios, cæpit dicere diſcipulis ſuis: Primum cavete vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.*] Permultis turbis concurrentibus, Gr. ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, dum congregantur millia turbarum. Eſt locutio Hebræa, qua ſignificatur, magnam & innumeram hominum turbam confluxiſſe. Vide ſimilem locutionem Deut. 33. 2. Pſal. 3. 7. Dan. 11. 12.

Primum cavete vobis à fermento.] Hæc admonitio ſine dubio viſa eſt populo mira & paradoxa. Phariſæi enim inprimis apud vilem plebeculam in maximo erant pretio, ita ut eorum ſanctitatem admiraretur: ut teſtis eſt Joſephus. Quemadmodum autem alibi Chriſtus diſcipulos ſuos monuit, ut caverent ſibi à falſa Phariſæorum doctrina & humanis traditionibus: ita hoc loco ſpeciatim admonet, ut ſibi caveant ab illorum fucata & hyprocritica ſanctimonia. Utraque enim hæc optime aſſimilatur fermento: nempe & falſatio ac depravatio veræ doctrinæ, Gal. cap. 5. 9. & mali mores, quorum exempla alios inficiunt tanquam peſtis 1 Corinth. 5. 6. Vide dicta ad Matth. 16. 6. Potiſſimum vero cum natura fermenti convenit Phariſæorum faſtus, ad quem ſpecie & larva modeſtiæ ac humilitatis velandum egregie ipſis conducebat hypocriſis. Videtur & hoc Lucas non ſuo loco retuliſſe, ſed propter ſimilitudinem materiæ id ſuperioribus attexuiſſe.

Verſ. 2. *Nihil enim opertum eſt, quod non revelabitur: & nihil occultum, quod non innoteſcat.*] Eſt hoc quoque Proverbium, quo Chriſtus non ſemel (vide Matth. 10. 26.) & quidem ſenſu non uno, ſed diverſo uſus eſt: ut in Proverbiis fieri ſolet. Hic Chriſtus cavendam eſſe hyprocriſin docuit, ejuſque rei cauſam reddit, quia hypocriſis non diu durat; nihil tam diligenter celari & abſcondi poteſt, quod non tandem prodeat in lucem. Tempus ipſum eſt hypocritarum proditor: ſaltem eos revelabit magnus ille dies Domini.

Verſ. 3. *Propterea quæ in tenebris dixiſtis, in luce audientur, & quod in aurem locuti eſtis in conclavibus, prædicabitur in tectis.*] Eſt illatio ex ſuperioribus. Quia nimirum nihil eſt occultum, quod non reveletur, inde ſequitur, etiam id quod in tenebris dixiſtis, in lucem proferendum eſſe. Videtur Lucas multa, quæ Chriſtus diverſis temporibus locutus eſt, hic conjunxiſſe. Itaque ſupervacuum eſt, de nexu horum inter ſe multum laborare. Explicationem iſtius dicti vide Matth. 10. 27.

Verſ. 4. *Dico autem vobis amicis meis: Ne timeatis ab iis qui interimunt corpus, & poſtea non habent quid faciant amplius.*] Hoc explicatum eſt ad Matth. 10. 28.

Verſ. 5. *Oſtendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum qui poſtquam interemit, poteſtatem habet conjiciendi in Gehennam. Profecto dico vobis, hunc timete.*

Verſ. 6. *Nonne quinque paſſerculi væneunt aſſariis duobus? & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo.*] Hoc uſque ad verſ. 10. explicatum eſt apud Matthæum cap. 10. 24. & ſeqq.

Verſ. 7. *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt; ne igitur metuite; multis paſſerculis præſtatis vos.*

Verſ. 8. *Dico autem vobis: Omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, Filius quoque hominis confitebitur eum coram Angelis Dei.*] Confeſſio Chriſti complectitur in ſe confeſſionem doctrinæ ejus ac veritatis. Et contra Chriſtum abnegare, eſt, negare, quod Chriſtus à Deo ſit miſſus, doctrinaque ejus divina ac vera ſit: Chriſtum enim confiteri ſignificat, confiteri eum à Deo miſſum eſſe, adeoque doctrinam ejus eſſe veram.

Verſ. 9. *Qui vero me abnegaverit coram hominibus, abnegabitur coram Angelis Dei.*

Verſ. 10. *Et quiſquis locutus fuerit adverſus filium hominis, remittetur ei: qui vero adverſus Spiritum Sanctum*

ctum blaſphemaverit, non remittetur ei.] His verbis Chriſtus apud Matthæum cap. 12. 31, 32. perſtrinxit Phariſæos, qui virtutem Dei, qua Chriſtus ejiciebat dæmonia, Beelzebuli adſcribebant: quo ipſo adverſus Spiritum Sanctum blaſphemabant. Hoc loco autem reſpicit ad id quod de abnegantibus ſe dixerat. Nempe diſcrimen quoddam conſtituit inter eos, qui ipſum abnegant, indicatque, alios ita ipſum abnegare, ut ſimul adverſus Spiritum Sanctum blaſphement, quibus nulla eſt reliqua ſpes remiſſionis peccatorum: alios vero blaſphemare duntaxat ipſum Chriſtum, hoſque adhuc remiſſionem adipiſci poſſe. Ubi ſimul innuit, abnegationem ſui, de qua egit verſu præcedenti, cum blaſphemia in Spiritum Sanctum arcto vinculo eſſe conjunctam: idcirco præmonet omnes diligenter, ut ſibi ab ea quam maxime caveant. Poſſunt etiam hæc verba ita accipi, ut ſint confirmatio præcedentium, utque dicatur, Chriſtum iis voluiſſe indicare cauſam, cur aſſeruerit, eum qui ſe abnegat coram hominibus, ſe viciſſim abnegaturum coram Angelis Dei, id eſt, eum ſalute æterna exciſurum; quia nimirum omnes qui ſe abnegant, blaſphement adverſus Spiritum Sanctum. Nam qui Chriſtum ac veritatem ejus cognovit, ideoque probe ſcit, eam Spiritum Sanctum habere auctorem, is eo ipſo Spiritum Sanctum blaſphemat, quando eam rurſus abnegat, & palam profitetur, eam non à Spiritu Sancto, ſed à Spiritu mendacii profectam eſſe. Quin etiam vix ac ne vix quidem evitari poteſt, ut non talis omni modo teſtatum facere velit, ſe non amplius agnitæ veritati addictum eſſe, adeoque talia dicat & proloquatur, quæ in contumeliam Spiritus Sancti redundant. Plura vide hac de re dicta ad Matth. 12. 32.

Verſ. 11. *Cum autem adduxerint vos ad Synagogas & ad Magiſtratus, ac poteſtates, ne ſitis ſoliciti, quomodo aut quid pro defenſione allaturi, aut quid dicturi ſitis.*] Cum vos adduxerint, id eſt, cum adducemini. Vide ſimilem locutionem, Marc. 3. 21. Explicatum eſt iſtud à nobis ad Matth. 10. 19.

Quid pro defenſione allaturi.] Gr. προαπολογήσησθε, id eſt, quid ad vos ipſos, excuſandos proferre debeatis, ut in eo, de quo accuſamini, innocentia veſtra agnoſcatur, & ne ipſa quoque apologia atque defenſio vobis noxia ſit.

Aut quid dicturi ſitis.] Id eſt, quomodo doctrinam, quam profitemini ac docetis, defendere debeatis.

Verſ. 12. *Spiritus Sanctus enim docebit vos illa ipſa hora, quæ oporteat dicere.*

PARS II.

Verſ. 13. *Dixit autem ei quidam è turba: Magiſter dic fratri meo, ut partiatur mecum hæreditatem.*] Unde hic homo anſam & occaſionem ſumſerit id à Chriſto poſtulandi, Lucas non memorat. Quia vero unus ex populi turba fuiſſe dicitur, apparet eum è præclaris Chriſti doctrinis conſpexiſſe Sapientiam ejus & ſanctitatem ſingularem, adeoque credidiſſe, eum ut pote perſpicaciſſimum & juſtitiæ tenacem virum (quod inprimis ex reprehenſa Phariſæorum hypocriſi judicare poterat) poſſe controverſiam inter ſe & fratrem ſuum ex æquo & bono decidere. Hinc patet, etiam apud Judæos obtinuiſſe, ut non omnes lites ac controverſiæ ad magiſtratum deferrentur, ſed ſæpenumero amicorum aliorumque prudentum arbitrio ac cognitioni ſubderentur.

Verſ. 14. *Ipſe vero dixit ei: Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos?*] Cum Moſes duos viros Hebræos, qui inter ſe litigabant, ad pacem & fraternam concordiam cohortaretur, dixit ei unus ex illis: *Quis te conſtituit Principem aut judicem ſupra nos?* Exod. 2. ℣. 14. Eodem modo potuiſſet etiam alter ille frater, qui hic accuſabatur iniquitatis, Chriſto reſpondere. Itaque hoc evitare ſtudens, non vult ſe immiſcere iſti negotio. Quaſi dicat: Nolo ut mihi idem objiciatur, quod olim Moſi objectum fuit. Sufficit mihi, quod generalia mandata præſcribam, quæ unicuique, ſi modo velit, monſtrare poſſunt, quomodo ſe in omnibus caſibus ac negotiis gerere debeat. Inter quæ mandata præcipuum eſt charitas, quæ facile omnes controverſias poteſt dirimere. Illa enim mavult pati injuriam, quam ut pacem turbet.

Aut diviſorem.] Chriſtus non tantum non vult eſſe Judex, ſed ne arbiter quidem in hac cauſa: cum neque à Deo, neque ab hominibus eſſet ad hoc conſtitutus. Cur vero non ipſe per ſe voluerit in ſe ſuſcipere rem, quæ ad pacem inter fratres componendam faciebat, non indicat ipſe; verum cauſa facile poteſt intelligi. Nam præterquam quod ab altero fratre, (ut dictum) potuiſſet ignominioſe rejici, non multum ei ſuperabat vitæ, quam ſatius erat, ut rebus majoris momenti, quæ non unius aut alterius hominis, ſed totius humani generis bonum atque utilitatem ſpectabant, impenderet. Cum diſcipulis ſuis noluerit permittere, ut mortuis juſta perſolverent, vel domeſticis ac familiaribus ſuis vale ultimum dicerent (ſupra cap. 9. 60, 61,) ne quid temporis neceſſarii effluere paterentur: quomodo ipſum decuiſſet, tempus, quod ipſi ad docendos omnes homines deſtinatum ac definitum erat, dirimendæ carnali iſti controverſiæ inſumere?

PARS III.

Verſ. 15. *Dixit autem ad eos: Videte, & cavete ab avaritia: quoniam non in eo conſiſtit cujuſquam vita, quod redundat ipſi ex iis quæ poſſidet.*] Dixit hæc Chriſtus non ſolum ad illos duos fratres, verum etiam ad omnes, qui aderant.

Cavete vobis ab avaritia.] Græca vox πλεονεξία denotat hic, ut & alibi (Epheſ. 5. 3, 5. Coloſſ. 3. 5.) non tantum ejuſmodi cupiditatem habendi, qua quis per fas & nefas terrena bona aut pecuniam accumulare ſtudet, ſed ſimpliciter cupiditatem plus habendi (videlicet quam neceſſe eſt) ſive juſta, ſive injuſta adhibeantur media: quemadmodum id partim ex occaſione, quam homo ille fratrem accuſans Chriſto ſubminiſtravit ad hanc admonitionem inſtituendam, partim ex ratione admonitioni addita colligitur. Cum enim homo ille talia à Chriſto petere ac poſtulare debuiſſet, quæ ipſum vitæ æternæ compotem reddere poſſent, potius opem ejus in conſequendo

terreno patrimonio popoſcit: ut nimirum id adipiſceretur, quod ipſi ne ad hanc quidem temporariam vitam retinendam neceſſarium erat. Quod equidem ſignum erat haud obſcurum, animum ipſius hiſce rebus terrenis nimis fuiſſe adſtrictum atque addictum. Hinc proinde anſam cepit Chriſtus ad revocandum homines ab avaritia hoc monito.

Quoniam non in eo conſiſtit cujuſque vita.] Cauſam reddit Chriſtus, cur vitanda ſit avaritia, ſeu cupiditas plura habendi, quam neceſſarium eſt: quia ſcilicet hominis vita non ſuſtentatur eo, quod præter ſuam neceſſitatem poſſidet. Unde perſpicitur, non hoc modò pro avaritia habendum, ſi quid modis injuſtis ac illegitimis aliquid acquirere ſtudeat, verum etiam in genere, ſi plus poſſidere velit, quam opus ſit. Hinc etiam manifeſtum eſt, quod velle diteſcere ſeu theſauros colligere & avarum eſſe, unum & idem ſit. Dives enim is vocatur, qui plus habet, quam neceſſarius ejus uſus poſtulat: & theſaurus dicitur, quicquid in futurum uſum ſeponitur & aſſervatur, id eſt, quo quis ad quotidianum uſum non indiget. Quare quiſquis divitiis ac theſauris coacervandis incumbit, id eſt, plura habere cupit, quam neceſſitas poſtulat, avarus eſt. Intellige autem, qui ita incumbit quærendis & colligendis divitiis, ut eas ſibi ſervare & ipſe tantum iis frui cupiat, non autem eo animo, ut aliorum indigentium neceſſitati ſuccurrat, vel gloriam Dei tanto magis promoveat: quam diſtinctionem Chriſtus infra verſ. 21 ipſe inſinuat, cum ait: *Sic eſt theſaurizans ſibi ipſi, & non in Deo diteſcens.* Quouſque autem ſe porrigat neceſſitas humana, docet Apoſtolus 1 Timoth. 6. 8. dum ait: *Habentes* (intellige nos una cum iis, qui curæ noſtræ commiſſi ſunt, ut ſunt, uxor, liberi, familia) *alimenta & tegumenta, his contenti ſimus.* Vide plura hac de materia ad Matth. 6. verſ. 19.

Verſ. 16. *Dixit autem ſimilitudinem ad eos, dicens: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus tulit regio.*] Quod Chriſtus aſſeruit in præcedentibus, hominis vitam non conſervari eo, quod præter neceſſitatem poſſidet, confirmat eleganti parabola de homine, cujus *regio*, id eſt, ager attulit ipſi uberem proventum, ſed eo uſus ac fruitus non eſt. Scopus enim hujus parabolæ eſt, oſtendere, Deum ſic res moderari, ut avari eo, quod ſupra neceſſitatem præſentem ad futuros uſus recondunt, non perfruantur, adeoque id nihil ad ſuſtentationem vitæ ipſorum prodeſſe.

Verſ. 17. *Et cogitabat intra ſe: Quid faciam? quia non habeo, ubi congregem fructus meos.*] Hoc addit Chriſtus, ut intelligatur, quantas ærumnas & curas hominibus adferant opes. Scinditur enim & diſtenditur animus hujus divitis in varias cogitationes, quid faciat cum tanto proventu, quo eum reponat.

Non habeo, ubi congregem fructus meos.] Quaſi nulli alii homines in mundo ſint, qui pane indigeant, præter ipſum.

Verſ. 18. *Et dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora ædificabo, & illic congregabo omnes proventus meos, & bona mea.*] Huc pertinet illud Jacobi: *Pro eo, quod dicere deberetis; ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc aut illud: nunc autem gloriamini in ſuperbia veſtra*, Cap. 4. verſ. 15.

Deſtruam horrea mea.] Non quod ſuadet charitas, in decernendo ſequitur, ſed quod jubet avaritia. Charitas poſtulabat, ut cum Deus eum obruiſſet fructuum abundantia, ut ne locus quidem ſervandi ſupereſſet, ſaltem ſuperfluum illud, quod locum in horreis ejus non habebat, diſtribueret inter pauperes. Perbelle Baſilius inquit, *ſat multa habuiſſe hunc avarum horrea ſi iis uti voluiſſet, pauperum ſtomachos.* Sed avaritia ſuaſit ipſi, ut potius horrea ſua dirueret & nova ampliora magnis impenſis extrueret, quam ut pauperibus aliquid erogaret. Eſt ergo hic homo clariſſimum avari exemplar. Nam & hoc habent proprium avari, ut licet alioqui ſupra modum parci ac reſtricti ſint, ibi tamen nullis ſumptibus parcant, ubi ex impenſis majus lucrum atque argenteam meſſem ſperant.

Et illic congregabo omnes proventus meos.] Id eſt, fruges modo natas. Dicit *proventus meos*, cum tamen non ipſius fuerint, ſed Dei, qui eos ipſi ad diſpenſandum dederat, non ut ſolus eos abſumeret & abliguriret, vel clauſos abſque ullo uſu aſſervaret, ſed ut etiam iis pauperum & egentium neceſſitatibus ſuccurreret.

Et bona mea.] Non fruſtra hoc addit Chriſtus. Avari enim ſolent divitias inter ea, quæ bona vocantur, numerare, non ſolum ex vulgari loquendi conſuetudine, verum etiam quia eas pro ſummo bono habent.

Verſ. 19. *Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona repoſita in multos annos; requieſce, ede, bibe, oblectare.*] Proſopopœia in eo eſt, dum anima introducitur tanquam perſona, quam homo iſte alloquitur.

Habes multa bona repoſita in multos annos.] Ille ſubducit calculum abſque caupone, ut habet Germanicum Proverbium, id eſt, decernit ac ſtatuit certi quippiam, quod non eſt in ipſius poteſtate. Perinde quaſi ſeipſum ita alloqueretur: Jam potes cura omni vacuus vivere; nihil enim tibi deerit jam in plurimos annos. Vide Jac. 4. 13. Eccleſiaſtic. 11. verſ. 19, 20.

Requieſce.] Pertæſus moleſtiſſimarum curarum, quas divitiæ ſecum trahunt, agnoſcit, quam dulcis & grata res ſit quies, quam ipſe ſibi comparare neſcit. Quærit requiem poſt inquietudinem, cum illam ante hanc conſequi potuerit: dumque ſe eam aſſecutum eſſe putat cogitur amicas opes cum vita relinquere.

Oblectare.] Eo intelliguntur aliæ omnes voluptates, quæ ſunt præter eas, quæ in edendo & bibendo conſiſtunt. Confer cum Eccleſ. 11. 19.

Verſ. 20. *Dixit autem illi Deus: Inſipiens, hac nocte animam tuam repetunt abs te; quæ vero paraſti, cujus erunt?* Dixit illi Deus non per revelationem, ſed decretum tale faciendo & conſtituendo: Quaſi dicat Chriſtus: ſtultus iſte rationes vitæ ſuæ diſponit in multos annos; at Deus aliter de eo conſtituit.

Inſipiens.] Omnes iſti ſunt ſtolidi ac inſipientes, qui de rebus incertis, quæ non ſunt in ipſorum manu, certam concluſionem faciunt.

Hæc

Hac nocte.] Illa ipſa nocte, qua avarus iſte, (ut vulgo tales facere ſolent) his ſe cogitationibus oblectabat, quod ampliaturus ſit horrea ſua, & poſtea hilares dies acturus ſit.

Repetunt abs te animam tuam.] Pro, repetetur abs te anima tua. Hebraiſmus eſt, cujus plura exempla invenies ad Marcum cap. 3. 21. Rectiſſime dicitur, quod repetetur ab eo anima, id eſt, vita: quia vita ipſa non eſt noſtra propria, ſed à Deo nobis conceſſa ac concredita ad tempus, in hunc finem, ut eam dispenſemus ac impendamus gloriæ ipſius, & ejus non minus quam aliorum bonorum rationem ipſi olim reddituri ſumus. Deus eſt Dominus vitæ noſtræ ſupremus; is habet poteſtatem eam à nobis, quandocunque vult, repoſcendi.

Quæ vero paraſti.] Id eſt, quæ corraſiſti, & accumulaſti.

Cujus erunt?] Tu ipſe hinc migrabis, nec poteris iſta tecum ſumere, ſed multabunt dominum, & cedent in altera jura. Uti avaritiæ ſemper arcto nexu adhæret invidentia, ita nihil avaris poteſt acerbius accidere, quam quod alius labore ipſorum partis bonis frui debeat. Non poteſt eorum ſtultitia magis deridéri & oſtentui haberi, quam ſi ipſis monſtretur, eos non ſibi, ſed aliis bona coacervare: Avari ſunt ſaginato porco ſimiles, qui nulli eſt uſui, niſi cum mactatur.

Verſ. 21. *Sic eſt, qui theſaurizat ſibi ipſi, & non in Deo diteſcit.*] Id eſt, idem erit exitus omnium eorum qui ſibi ipſis theſauros colligunt, qui fuit hujus ſtolidi hominis.

Qui ſibi ipſi theſaurizat, & non in Deo diteſcit.] Id eſt, qui hoc unum agit, ut theſaurum colligat in terra, & non ſupra in cœlo apud Deum. Chriſtus enim *divitem eſſe in Deo*, id eſt, theſaurum habere apud Deum, opponit theſauro, quem quis apud ſe habet. Theſaurus autem apud Deum ſunt opera charitatis ac miſericordiæ, Vide infra verſ. 33. & Matth. 6. 20. Diteſcere bonis operibus, jubet Paulus 1 Tim. 6. 18. Hinc cernitur, Chriſtiano integrum haud eſſe theſaurum, id eſt, aliquid præter ſuam neceſſitatem colligere, niſi forte eo fine, ut ſibi etiam theſaurum apud Deum colligat.

PARS IV.

Verſ. 22. *Dixit autem diſcipulis ſuis: Propterea dico vobis, ne ſitis ſoliciti de anima veſtra, quid ſitis eſuri, neque de corpore, quid induamini.*] Hæc uſque ad verſ. 32 expoſita ſunt ad Matth. 6. 25.

Verſ. 23. *Anima plus eſt, quam alimentum, & corpus quam indumentum.*

Verſ. 24. *Conſiderate corvos, qui non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cella, neque horreum, & Deus alit illos; quanto magis vos præſtatis volucribus?*] Matthæus in genere inquit: *Conſiderate volucres cœli.* Lucas ſolos corvos nominat. Scribunt enim naturalium rerum indagatores, corvos ejicere pullos ſuos è nido, ut ita eorum conſervatio à ſola Dei providentia pendeat. Hinc ait Jobus: *Quis comparat corvis eſcam eorum, cum pulli ipſorum, ad Deum clamant, & vagantur non habentes eſcam*, Job. 39. 3. Et David: *Dat jumentis cibum ſuum, & pullis corvorum, qui ad eum crocitant*, Pſal. 147. 9.

Verſ. 25. *Quis autem ex vobis ſolicite cogitans, poteſt apponere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?*

Verſ. 26. *Si ergo neque minimum poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?*] Minimum, intellige, quod in vobis eſt. Minimum enim in homine eſt, ſtatura ejus. Parum aut nihil in eo ſitum eſt, ſi ſit paulo procerior, vel brevior. Itaque aliquid ſtaturæ ſuæ adjicere, eſt longe minus, quam vitam producere aut conſervare. Si proinde illud in veſtra poteſtate non eſt, multo minus hoc. Quare non eſt quod cogitetis, magis certiores vos vitæ diutius fruendæ futuros, quando bonorum terrenorum magnos congeretis cumulos. Vita veſtra eſt in manibus Dei, qui non patitur eos qui ad æternitatem aſpirant, ulla temporalium rerum penuria laborare, quamdiu in hoc mortali corpore conſtituti ſunt. Videmus plerumque divitum multos in flore ætatis exſtingui, pauperum autem complures ad extremam ſenectutem pertingere.

Quid de cæteris ſoliciti eſtis?] Quæ æque ſunt in Dei ſolius manu.

Verſ. 27. *Conſiderate lilia, quomodo creſcant; non laborant, neque nent. Dico autem vobis: Neque Salomon in omni gloria ſua amictus fuit ſicut unum iſtorum.*

Verſ. 28. *Quod ſi fœnum quod in agro eſt hodie, & cras in clibanum immittitur, Deus ita circumveſtit; quanto magis vos, exigua fide præditi?*

Verſ. 29. *Et vos ne quærite, quid eſuri ſitis & quid bibituri, neque ſuſpenſo animo eſtote.*] Gr. μὴ μετεωρίζεσθε, id eſt, ne in ſublime feramini, ſubintellige, cogitationibus veſtris; id eſt, ne ſitis anxii ac ſoliciti.

Verſ. 30. *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt: Pater autem veſter novit, vos iſtis indigere.*

Verſ. 31. *Quin potius quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Verſ. 32. *Ne metue, puſille grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.*] Poſtquam Chriſtus in præcedentibus dehortatus eſt à cura rerum terrenarum, docuitque omnem curam ac ſpem in Deum eſſe conjiciendam, ut qui non homines ſolum, ſed bruta quoque animantia alat victumque eis ſuppeditet: nunc argumentatur à majori ad minus. Nimirum, Deus conſtituit ac decrevit vobis dare regnum ſuum, id eſt, vitam æternam: quomodo igitur vobis denegabit ea, quibus ad hanc vitam tolerandam indigetis? Quare deponatis oportet metum egeſtatis in hac vita, neque de providentia Dei dubitetis.

Puſille grex.] Alloquitur ſic eos omnes, qui nomen ipſi dederunt, & ſe doctrinæ ac diſciplinæ ejus ſubjecerunt. Hos vocat *gregem*, ut ſciant, Deum non qualicunque ac vulgari, ſed inſigni ac peculiari ratione eorum curam gerere, quomodo ſcilicet fidelis Paſtor curat gregem ſuum. Vide Pſalm. 23. 1. Johan. 10. 11. Vocat autem eos *puſillum* gregem, id eſt, contemptum, pauperem, ac vilem, qui iis rebus omnibus deſtitutus eſt, in quibus alii homines hujus mundi fiduciam ſuam reponunt.

Quia complacuit.] Id eſt, ita ipſi ex mera gratia ac bene-

ac benevolentia viſum eſt, ita pro ſumma ſua bonitate conſtituit: quo modo etiam alibi hæc vox accipitur.

Patri veſtro.] Vox Patris habet hic emphaſin ſingularem. Si enim Pater noſter eſt, utique liberos ſuos non deſeret, ſed eis proſpiciet.

Regnum.] Id eſt, vitam æternam, & cum ea inæſtimabilia omnemque intellectum exſuperantia bona.

Verſ. 33. *Vendite quæ habetis, & date eleemoſynam. Facite vobis crumenas, quæ non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropinquat, & ubi tinea non corrumpit.*] Hic docet Chriſtus, quomodo in illud regnum, quod nobis Pater dare conſtituit, pervenire queamus; videlicet non colligendo theſauros, ſed eos diſtribuendo, ſi habemus, inter pauperes. Locutio autem hic eſt Hebræa, ſenſuſque eſt: Vendite potius veſtras poſſeſſiones, demite potius partem de ſorte ipſa, imo totam potius expendite, quam ut patiamini aliquem in egeſtate contabeſcere. Ne imitemini Euclionem iſtum ſordidum, cujus modo verſ. 16. facta fuit mentio. Similis locutio eſt illa infra cap. 22. 36, *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat ſibi gladium*: id eſt, qui caret gladio, potius vendat tunicam ſuam, ſi alioquin alio modo eum comparare nequeat, & emat eum ſibi.

Facite vobis crumenas.] Id eſt, colligite vobis cœleſtem theſaurum: Crumena per metonymiam ſumitur pro pecunia vel theſauro, qui in crumena portatur. Poſſent quidem hæc verba cum præcedentibus ita connecti, quaſi dicat Chriſtus: Vendite bona veſtra & date eleemoſynam, atque ita vobis colligite theſaurum in cœlo. Sed collatio hujus loci cum Matth. 6. 19, 20, 21, & ratio ſubjuncta oſtendit, hoc eſſe potius diverſum à præcedenti præceptum. In præcedenti enim præcepto Chriſtus diſcipulos ſuos hortatus eſt ad miſericordiam exercendam: in hoc autem dehortatur ab avaritia. Suntque hæc verba ejuſdem plane argumenti cum iis, quæ extant apud Matthæum, ubi Chriſtus inquit: *Ne theſaurizetis in terris*, ſed *theſaurizate in cœlis* &c. quaſi dicat Chriſtus hoc loco: Ne faciatis vobis crumenas, quæ veteraſcunt, ne theſaurum colligatis, qui deficit (id eſt, ne theſaurizate vobis in terris) ſed facite vobis crumenas quæ non veteraſcunt, colligite theſaurum non deficientem (id eſt, theſaurizate vobis in cœlis.)

Verſ. 34. *Ubi enim theſaurus veſter eſt, illic & cor veſtrum erit.*] Hæc eſt ratio præcedentis præcepti: quæ potiſſimum ſpectat ad terrenos theſauros, ne colligantur; ſiquidem ita comparati ſunt, ut animum hominis occupent & devinciant, atque ad ſe trahant, ac porro à cœleſtibus, ad quæ potius ſeſe applicare debet, avertant. Hæc autem ratio non tam haberet locum, ſi in verſiculo præcedenti juxta priorem explicationem unum tantum contineretur præceptum. Perinde enim eſſet, atque ſi Chriſtus diceret: Vendite poſſeſſiones veſtras & date eleemoſynam, adeoque vobis hac ratione theſaurum colligite in cœlis. Nam ubi eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit. Verum hæc ita non bene cohærent. Quod cor ſequatur theſaurum & ab eo trahatur, efficaciſſimum eſt argumentum homines à terrenis theſauris avocandi: at nullam vim habet hoc argumentum homines ad collectionem cœleſtium theſaurorum, qui per eleemoſynæ dationem colliguntur, adducendi. Hæc dicimus propter eos, qui ex hoc loco probant, divitias ipſas per ſe eſſe damnabiles, illicitumque eſſe Chriſtiano, non tantum colligere divitias, ſed & poſſidere. Certum enim eſt, ſi quis tam amplas haberet facultates, aut ſi opes ejus indies ita augerentur, ut nullum è pauperibus, quiſquis ad eum accederet, inanem dimitteret, ſed erga omnes miſericordiam pro virili teſtaretur, talem propter divitias ſuas, etſi plurimum adhuc ſupra neceſſitatem ſuam reliqui retineret, neutiquam damnatum iri.

Quodſi quiſpiam ſuperiorem locutionem Hebræam admittere nolit, ſed urgeat Chriſtum ſimpliciter mandaſſe diſcipulis ſuis, ut vendant quæ habent, & inter egenos diſtribuant: tum dici poteſt, cum divitiæ ſint res adeo periculoſa, ut ferme impoſſibile ſit tyroni in divina ac cœleſti ſapientia, animum ad eas non applicare, Chriſtum voluiſſe ac requiſiviſſe à diſcipulis ſuis adhuc infirmis ac teneris, ut hunc periculoſum admodum ſcopulum è medio removerent, ne una cum maxima hominum turba caſſibus ac tendiculis avaritiæ irretirentur: Utque nihilominus bona ſua in uſus quam optimos converterent, præcepiſſe eum illis, erogare ea in pauperes. Quo pacto omnes iſti hoc præcepto obligantur, qui ſentiunt aliqua ratione ſe à ſuis divitiis in curſu pietatis impediri.

PARS V.

Verſ. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.*] Quia Chriſtus ſupra meminerat Regni Dei, & ſpe ejus diſcipulos conſolatus fuerat; nunc docet, quanta vigilantia id expectare debeant: illuſtratque id ſimili ſumto à ſervis, domini ſui reditum noctu expectantibus, qui non modo accenſis lucernis vigilant, ſed etiam præcincti & ad ſerviendum parati eſſe ſolent. Sumtæ autem ſunt iſtæ locutiones à conſuetudine Orientalium populorum, qui cum prolixis utantur veſtibus, ſolent ii qui ſerviunt vel aliud quippiam operis neceſſarii faciunt, (ut & qui itinera conficiunt) ſeſe zona præcingere veſteſque ſuas ſubſtringere, ne ipſis ſint impedimento. Hoc patet ex verſ. 37, *Amen dico vobis, præcinget ſe, & miniſtrabit eis.* Vide quoque Johan. 13. 4. Actor. 12. 8. Tob. 5. 5. 1 Reg. 18. 46. 2 Reg. 4. 29. Paulus ait: *State ſuccincti lumbos*, id eſt, parati, Epheſ. 6. 14. Et Petrus: *Succincti lumbis mentis veſtræ*, 1 Petr. 1. 13.

Et lucernæ ardentes.] Ne dominum expectare oporteret, donec accenderentur.

Verſ. 36. *Et vos eſtote ſimiles iis qui expectant dominum ſuum, quando reditturus ſit à nuptiis, ut cum venerit ac pulſaverit, ſtatim aperiant ei.*] Hiſce declarat antecedentia. Ita nimirum debetis eſſe præcincti, & lucernas habere ardentes, quomodo ſolent facere ſervi, qui vigilant expectantes dominum ſuum.

A nuptiis.] Non dicit, à foro, vel ex agro, vel alio ex loco, ſed à nuptiis. Nuptiæ enim ſolebant

noctu

noctu celebrari, (vide Matth. 25. 1, 2. & cap. 22. 13. Apoc. 19. 7, 9. Chriſtuſque conſulto iſtud tempus ponit, quo homines minimum ſolent eſſe parati, quia tunc temporis vel neminem expectant, vel à ſopore vincuntur. Indicat quoque Chriſtus, ſe ad judicium tali tempore eſſe venturum, quo minime ab hominibus expectabitur, furis inſtar, qui noctu venit.

Verſ. 37. *Beati ſervi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, præcinget ſe, & faciet eos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis.*] Hoc etiam nonniſi improprie ac metaphorice intelligendum eſt. Nihilque aliud vult Chriſtus dicere, quam ſe novo & prorſus inſolito honore ipſos affecturum. Quod enim dominus ſe præcingat, & ſervis ſuis ad menſam recumbentibus miniſtret, eſt inauditus honor. Servi autem quando miniſtrabant, ut expeditiores eſſent, præcingi & fluentes veſtium ſinus adſtringere zona ſolebant.

Verſ. 38. *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, atque ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.*] De diviſione vigiliarum vide ad Matth. cap. 14. 25.

Atque ita invenerit.] Id eſt, ita vigilantes, ut ſive ſecunda vigilia, ſive tertia venerit, illi parati & ad ſerviendum expediti ſint. Per ſervitium autem, ad quod ſervi debent eſſe parati, intelliguntur ea omnia, quæ Chriſtus à ſuis diſcipulis ac ſervis requirit.

Verſ. 39. *Hoc autem ſcitote, ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus ſit, vigilaret utique, nec ſineret perfodi domum ſuam.*] Hujus explicationem habes uſque ad verſ. 41 apud Matthæum ad cap. 24. verſ. 43, 44.

Verſ. 40. *Et vos igitur eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

PARS VI.

Verſ. 41. *Dixit autem ei Petrus: Domine, nobis dicis hanc parabolam, an etiam omnibus?*] Simile ſuperius de vigilantibus ſervis ad omnes diſcipulos Chriſti ſpectat. Complectitur enim in ſe generalem doctrinam, quæ unicuique neceſſaria eſt obſervatu, qui vult ingredi in regnum cœlorum. Hinc Chriſtus apud Marcum addit: *Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate*, cap. 13. 37. In ſequentibus autem pergens docet talia, quæ proprie tantum Apoſtolos, ac per conſequens omnes Doctores atque Antiſtites Eccleſiæ obſtringunt. Ad quam doctrinam Petrus ei ſua interrogatione anſam dedit.

Verſ. 42. *Dominus vero ait: Quiſnam eſt fidus ac prudens diſpenſator, quem dominus conſtituet ſupra familitium ſuum, ut in tempore det eis demenſum.*] Senſus eſt: ſi quem dominus conſtituat œconomum ac diſpenſatorem ſupra familiam ſuam, beatus eſt, ſi ſuo officio fideliter ac prudenter defungatur.

Verſ. 43. *Beatus ſervus ille, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem.*

Verſ. 44. *Vere dico vobis, ſupra omnia quæ poſſidet, præficiet eum.*

Verſ. 45. *Si autem dixerit ſervus ille in corde ſuo: Tardat Dominus meus adventum; cœperitque verberare ſervos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.*

Verſ. 46. *Veniet dominus ſervi illius, eo die quo non expectat, & ea hora quam non novit, & ſeparabit eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.*

Verſ. 47. *Ille autem ſervus, qui novit voluntatem domini ſui, & neque ſe comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis.*] Poſtquam Chriſtus in duabus ſimilitudinibus propoſuit primo, quid omnibus Chriſtianis in genere faciendum ſit; deinde vero, quid munus Doctorum & Antiſtitum Eccleſiæ requirat: nunc docet, qua in re par ſit omnium ratio, & tum qua in re ſit diſcrimen. In eo par eſt ratio, quod tam laici, quam Doctores & Antiſtites daturi ſint pœnas, ſi ſuo non ſatisfecerint officio. In eo vero diſcrepant, quod cum laici ut plurimum minus inſtructi ſint à ſcientia atque cognitione rerum divinarum, ad ſalutem tum neceſſariarum, tum utilium, quam Doctores ac præſules Eccleſiæ, hi gravioribus mulctandi ſint pœnis, quam illi, ſi deſint ſuo muneri. Quæ interpretatio poſtulat, ut *per voluntatem domini*, intelligantur ea omnia, quæ Deus ab hominibus ad ſalutem neceſſario exigit. Hunc eſſe ſenſum, perſpicitur ex connexione ſuperiorum ubi Chriſtus tantum de illis locutus eſt, qui doctrinam ſuam receperunt, quos primum in genere ad vigilantiam cohortatus eſt, deinde in ſpecie Doctores admonuit, ut fideles ac prudentes ſint in adminiſtrando ſuo munere. Nihilominus ratio ſequens indicat, vim hujus doctrinæ ſe latius diffundere. Hanc enim reddit Chriſtus rationem iſtius inæqualitatis in puniendo utroque hominum genere; quia æquum ſit, eum plus reddere, qui plus accepit. Quare doctrina hæc poteſt etiam eo trahi, quod & illi luent pœnas peccatorum ſuorum, ad quorum aures haud pervenit vox Euangelii (quales ſunt multi barbari ac feri populi) & ii quibus Euangelium annunciatum eſt. De his inquit Petrus, quod *melius fuiſſet ipſis, non cognoviſſe viam juſtitiæ*, 2 Petr. 2. 21. Ex quo manifeſtum eſt, hos gravius punitum iri, quam illos, ſi viam juſtitiæ non inſiſtant, vel eam calcare deſinant. Quod alteros illos attinet, nullus quidem hominum poteſt ignarus eſſe eorum, quæ natura ipſa docet ac dictat, (vide Rom. 2. 14, 15.) quia tamen iſti carent omni revelatione de eo, quodnam ſit virtuti præmium conſtitutum, & quæ maneat ſceleratos pœna, deſtituunturque adeo tam acri ſtimulo ad virtutem; merito eorum pœna minor eſt, quam Chriſtianorum, qui tam præclara revelatione gaudent. Ignorantia magis meretur veniam quam contemtus, illique plus indulgeri atque ignoſci par eſt, quam huic.

Neque ſe comparavit.] Intellige, ad faciendum voluntatem Domini. Optima vero ratione hoc additur. Qui enim paratus eſt voluntatem Dei facere, etſi non ſemper habet occaſionem ac facultatem reipſa eam exequendi, immunis tamen à culpa eſt, & conſequenter à pœna.

Cædetur multis plagis.] Gr. δαρήσεται πολλάς, vapulabit multa. Chriſtus reſpicit ad legem Deut. 25. verſ. 2.

Verſ. 48. *Qui vero non novit, & fecit digna plagis, cæde-*

cædetur paucis plagis. Omni autem cui datum eſt multum, multum repetetur ab eo; & apud quem depoſitum fuerit multum, amplius repoſcetur ab eo.] Quæri ſolet hoc loco: Quomodo id juſtitiæ Dei ſit conſentaneum, quod ſervus iſte, qui ignarus fuit voluntatis domini ſui, nihilominus plagis cædi debeat, tametſi paucioribus quam ille alter? Ad hujus quæſtionis enodationem intereſt tenere, triplicem peccatorum differentiam. Sunt enim alia peccata, quæ ex mera petulantia à ſcientibus ac prudentibus contra conſcientiam committuntur, quæque ut evitentur in poteſtate hominis ſitum eſt: atque hæc maxime & omnino pœna digna ſunt. Deinde ſunt alia, quæ homo non tantum neſcit, ſed etiam ſcire nequit, eſſe peccata, vel (quod quidam addunt) ad quæ vi irreſiſtibili adigitur. Talia peccata ſalva atque illæſa juſtitia puniri nequeunt. Tertio dantur quædam, quæ homo quidem ignorat eſſe peccata, ſed tamen ſcire poſſet, ſi debitam adhiberet in inquirendo diligentiam. Et hujuſmodi ſunt iſta, de quibus hic Chriſtus loquitur: in quibus ſicut ignorantia quadantenus excuſat culpam, ſic negligentia contra accuſat, ut ita ignorantia homines à pœna non faciat omnino liberos, quoniam ipſi ſibi cauſa ignorantiæ fuerunt. Ignorantia autem iſta eſt duplex. Una vocatur ignorantia juris, cum quis neſcit, rem eſſe prohibitam. In exemplo, quando quis ignorat, ſub Novo Fœdere prohibitum eſſe, vindictam per Magiſtratum exigere, vel bella gerere &c. Vel cum quis id, quod alioqui ſcit peccatum eſſe, non attendit, nec illico ſibi in memoriam revocat: ut cum Johannes bis vellet adorare Angelum, Apoc. 19. 10. XXII. 8. & cum Cornelius accidit ad pedes Petri, Actor. 10. 25. Hæc & ſimilia ſimpliciter ignorantiæ & errores vocantur. Deinde eſt quoque ignorantia, quæ facti vocatur, cum quis aliquas rei circumſtantias ignorans facit aliquid, quod minus rectum eſt. Ut cum Paulus aſperioribus uſus eſt verbis adverſus Pontificem Maximum, quem non noverat Actor. 23. 3. Item cum Abimelechus Saram vellet ducere in uxorem, de quo Deus ipſe teſtatur, eum id in ſimplicitate cordis feciſſe Gen. 20. 6. Huc etiam pertinet inceſtus Loti cum filiabus: quanquam hic multo gravius peccavit. Hujuſmodi peccata proprie inadvertentiæ ac imprudentiæ dicuntur. Eſt enim proprium prudentiæ, in re quavis bene perſcrutari & inveſtigare omnes circumſtantias. Hoc utrumque ignorantiæ genus tanto graviorem vel leviorem meretur pœnam, quanto magis vel minus hominis propria culpa contracta eſt.

Omni autem cui datum eſt multum.] *Autem* hic poſitum pro *enim*: ut & alibi fit. Vide Rom. 8. 11. 1 Cor. 10. 11. 1 Theſſ. 11. 16. Chriſtus enim reddit rationem præcedentis dicti, cur ſcilicet ſervus voluntatis herilis probe gnarus, magis ſit vapulaturus, quam qui ejus eſt ignarus. Loquitur autem Chriſtus de auxiliis pietatis, quæ uni homini majora contingunt, quam alteri. Inter quæ præſtantiſſimum eſt notitia divinæ voluntatis, quæ ſola per ſe maximam vim habet hominem, ſi ejus aſſidue memor ſit, in via pietatis retinendi. Huc facit etiam parabola de diverſis talentis, Matth. 25. 24.

PARS VII.

Verſ. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, ſi jam accenſus eſt?*] Verba iſta cum præcedentibus non cohærent, ſed ſine dubio à Chriſto alio ſunt tempore aut loco prolata. Sed Lucas ea hic narrare voluit, quia agunt de perſecutione Euangelii. Nimirum ſicut ſuperiori ſimilitudine verſ. 35. eo reſpexit Chriſtus, ut diſcipuli ejus ad adventum ſuum ſuccinctis lumbis & accenſis facibus ſemper parati ſint ac vigilent: ita iiſdem diſcipulis afflictiones ac perſecutiones eo fine prædixit, ut tempeſtive ac mature ſe adverſus eas armarent atque munirent. Per ignem autem creberrime adverſa & calamitates deſignantur. Quemadmodum enim ignis urit, & dolorem affert, ſic etiam afflictio facit. Vide Pſalm. 66. 12. Eſai. 43. 2. Eccleſ. 51. 6. Cum ergo Chriſtus velit diſcipulos ſuos ad conſtantiam in perſecutionibus, quæ propter nomen ipſius ſuſtinendæ ſunt, præparare, ut ea tanto alacriori ac promptiori exciperent ac perferrent animo; dicit ſeipſum hunc ignem perſecutionis in terra excitaturum, & hoc fine ſe à Deo miſſum eſſe. Quod tamen aliter intelligendum non eſt, quam quod Deus, cum Chriſtum mitteret, probe cognitos habuerit ac perſpectos impiorum animos atque voluntates, ac proinde præviderit, quanta odia ac perſecutiones doctrina ejus excitatura ſit; & nihilominus tamen voluerit veritatem inter eos diſſeminari: ut ſcilicet etiam impiorum mala opera ad nominis ejus gloriam & bonum Eccleſiæ converterentur. Ita enim ſapientiſſimo conſilio ſtatuit, ut *omnes qui volunt pie vivere in Chriſto, perſecutionem patiantur*, 2 Tim. 3. 12. *Exultate*, inquit Petrus, *nunc ad exiguum tempus (ſi oportet) in variis tentationibus triſtitia affecti: ut exploratio fidei veſtræ multo pretioſior auro, quod perit, ſed per ignem exploratur, inveniatur vobis laudi & honori & gloriæ, in revelatione Jeſu Chriſti*, 1 Petr. 1. 6, 7. Vide etiam Matth. 10. 34.

Et quid volo, ſi jam accenſus eſt?] Videntur hæc verba ita legi debere: *Et quid volo?* (id eſt, quid eſt, quod magis optem?) *Si jam accenſus eſt?* id eſt, utinam jam accenderetur? Cum eo fine venerim, ut accendatur. Particula *ſi* idem valet hoc loco, quod *utinam*: ut etiam infra cap. 19. 42. XXII. 42. In eo quoque Hebraiſmus eſt, *accenſus eſt*, pro, accenderetur. Sic Johan. 8. 56, Abraham gaviſus eſt, id eſt, graviſus fuiſſet. Teſtatur autem his verbis Chriſtus magnam ſuam alacritatem ad tolerandas afflictiones ac perſecutiones, ut diſcipulos ſuos ad eandem fortitudinem & ad magnanimitatem in adverſis accenderet atque incitaret. Perinde enim eſt, atque ſi dixiſſet Chriſtus: Quandoquidem in hunc finem veni in mundum, ut tum ego ipſe, tum omnes mei diſcipuli multa mala patiantur, vel id jam fieri, ut ignis iſte jam in flammam erumperet. Ne timeamus ignem, rotas, gladium, crucem, & quicquid mali ab hominibus nobis inferri poteſt, ſed maſculo ac generoſo animo iſtis omnibus eamus obviam.

Verſ. 50. *Oportet autem me baptiſmate baptiſari, & quomodo conſtringor, quouſque perficiatur?*] Per baptiſma Chriſtus intelligit perpeſſiones ſuas ac mortem.

tem. Vide Matth. 20. 22. Meminit autem mortis ſuæ propterea, ut diſcipuli ejus tanto æquiori animo afflictiones exciperent, ſi intelligant, ne Dominumquidem ac Magiſtrum ſuum ab iis eſſe immunem, imo quod ille præire in hac patientia & quaſi primam glaciem frangere debeat.

Et quomodo conſtringor, quouſque perficiatur?] Id eſt, male me habet, quod nondum hora iſta adſit. Loquitur enim Chriſtus more gravidarum mulierum, quæ quidem dolores partus exhorreſcunt, interim tamen optant quamprimum iis defungi, & onere ſuo levari. Chriſtus itaque his verbis non tam ſuam formidinem & mortis metum exprimit, quam ſuum votum ac deſiderium, ut labor ac dolor iſte jam exantlatus eſſet, atque præteriiſſet.

Verſ. 51. *Putatis me adveniſſe ut pacem dem in terra? non, dico vobis; ſed diſſidium.*] Verbis hiſce illuſtrantur verba verſ. 49. Quod enim ibi dixit, ſe veniſſe ignem mittere in terram, hoc nunc ita effert, quod venerit, non pacem dare, ſed diſſidium excitare. Senſum horum verborum vide ibidem & Matth. 10. 34.

Verſ. 52. *Erunt enim ab hoc tempore quinque in una domo diſſidentes, tres adverſus duos, & duo adverſus tres.*] Nimirum quidam recipient doctrinam Chriſti, quidam ſpernent: unde orietur lis atque diſſidium, idque tam vehemens & cum tanto fervore conjunctum, ut etiam proximi conſanguinei naturalem affectum alii erga alios exuant ac dediſcant.

Verſ. 53. *Diſſidebit Pater adverſus filium, & filius adverſus Patrem; Mater adverſus filiam, & filia adverſus Matrem; ſocrus adverſus nurum ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam.*

PARS VIII.

Verſ. 54. *Dicebat autem etiam turbæ: Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis; Imber venit: & ita fit.*] Hoc uſque ad verſ. 58 explicavimus ad Matth. 16. 2.

Nubem.] Id eſt, quandam nubem.

Verſ. 55. *Et cum Auſtrum flantem, dicitis: Æſtus erit; & fit ita.*] Nam ad auſtrum ſeu meridiem reſpectu Judææ jacent calidiſſimæ regiones, ut Ægyptus, Æthiopia &c. unde qui veniebat ventus, calorem æſtumque afferebat: quemadmodum venti ſeptentrionales frigus afferre ſolent, Job. 37. verſ. 9.

Verſ. 56. *Hypocritæ faciem terræ & cœli noſtis explorare: tempus autem hoc qui ſit ut non exploretis?*] De facie terræ hic quidem Chriſtus antea nihil locutus eſt, ſed ex Matth. 24. 32 id quod hic deeſt, ſupleri poteſt.

Tempus autem hoc qui ſit, ut non exploretis?] Cur non cognoſcitis tempus Meſſiæ, quod ſecundum vaticinia Prophetarum itidem ſuas habet notas ac ſigna certa. Vide apud Matth.

Verſ. 57. *Cur autem & per vos ipſos non judicatis, quod juſtum eſt?*] Id eſt, non opus eſt, ut è cœlo, vel è terra ſumatis argumentum. A vobis ipſis ſumite exemplum. Non enim adeo deſipitis, ut cum adverſario aliquo velitis ad judicium deſcendere, qui cauſam habet tam clare ac manifeſte bonam, ut ea cadere nequeat, ſed cum tali tempeſtive quæritis conciliationem: quid igitur expectatis ac differtis reconciliationem cum Deo, qui vobis tam æquas offert conditiones? Hunc ſenſum poſtulant ſequentia.

Quod juſtum eſt.] Gr. δίκαιον, id eſt, quod æquum eſt, quod decet fieri. Sic accipitur iſtud vocabulum, Matth. 3. 15. Phil. 1. 7.

PARS IX.

Verſ. 58. *Dum enim abis cum adverſario tuo ad magiſtratum, da operam in via, ut libereris ab eo; ne forte pertrahat te ad judicem, & judex te tradat exactori, & exactor conjiciat te in carcerem.*

Verſ. 59. *Dico tibi, non exibis illinc donec ultimum etiam minutum reddideris.*] Hæc ſunt explicata ad Matth. 5. 25.

CAPUT XIII.

I. *Chriſtus adhortatur diſcipulos ſuos ad pœnitentiam & pietatem: ad verſ.* 10. II. *Sanat Sabbato mulierem quandam à Satana contractam & incurvatam: ad verſ.* 18. III. *Comparat regnum Dei grano ſinapis & fermento: ad verſ.* 22. IV. *Rurſus adhortationem inſtituit ad pœnitentiam & pietatem: ad verſ.* 31. V. *Reſpondet Phariſæis, minas Herodis, mortem Chriſto intentantis, ipſi denunciantibus: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Eo ipſo tempore aderant quidam annunciantes ei de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ipſorum ſacrificiis.*] Illo ipſo tempore id factum eſt, quo Chriſtus ea loquebatur, quæ ſuperiori Capite narrata ſunt.

Annunciantes ei.] Cauſa cur ipſi hoc annunciarint, non alia fuiſſe videtur, quam quod res nova eſſet & inaudita: uti ſolemus res novas ac inſolitas inter alios ſermones narrare, etſi ad illos nihil pertineant.

De Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ipſorum ſacrificiis.] Id eſt, quos Pilatus immiſſo milite curavit occidi, cum in ipſo religionis ſuæ exercitio eſſent & ſacra facerent, nempe ſub tempus Paſchæ, quo Galilæi Hieroſolymam venerant. Quæ autem ſit hæc hiſtoria, quomodo, & quando geſta, & quam ob cauſam Pilatus iſtos interimi juſſerit, de eo diſcrepant Interpretum opiniones: cum hæc res à nullo alio ſcriptore, quam à Luca, deſcripta ſit. Nonnulli exiſtimant hanc hiſtoriam eſſe eandem cum ea, quam deſcripſit Joſephus lib. 18. cap. 5. ubi narrat, Samaritanum quendam, hominem turbulentum perſuaſiſſe populo, ut in montem Garizim (in quo ædificatum erat templum Samaritano-

rum, de quo Johan. 4. 20.) convenirent, ibi ſe vaſa ſancta, quæ Moſes defoderit, effoſſurum & monſtraturum: & hos ſeditioſos à Pilatom cæſos, ac profligatos, nonnullos etiam eorum captos eſſe. Verum cædes iſta non eſt facta tempore ſacrificiorum, quæ Samaritani in Monte Garizim peragere ſolebant, ſed ad quendam vicum Tyrathaba dictum, antequam in montem Garizim, quem Pilatus tempori præſidio munierat, venirent. Præterea illi, de quibus Joſephus, erant Samaritani, Lucas autem diſerte ait, hos fuiſſe Galilæos. Maxima probabilitas ineſt illi ſententiæ, quam ſecuti ſunt etiam plerique è Græcis Eccleſiæ Doctoribus, quod nimirum Galilæi iſti fuerint ſectatores Judæ Gaulonitæ ſive Galilæi (ut appellatur Actor. 5. 37.) à quo excitatam ſeditionem deſcribit Joſephus lib. 18. cap. 1. Secta iſta, uti originem ſumſit in Galilæa, ita plurimos aſſeclas ac defenſores ibidem habuit, qui è Galilæa venerunt Hieroſolymam, & ſententiam ſuam, quæ Romano Imperio adverſa erat, inter populum diſſeminabant. Inter cætera docebant, pro Romano Imperatore, utpote magiſtratu Ethnico non eſſe ſacra facienda, neque orandum: cujus ſententiæ, quæ inter Judæos controverſa erat, meminit etiam Joſephus lib. 18. cap. 2. Nullum proinde eſt dubium, Galilæos iſtos, de quibus hic Lucas, ex illa fuiſſe ſecta, quos Pilatus tunc cum operarentur ſacris, trucidari curavit, cupiens tam pernicioſam ſectam in herba adhuc & nondum adultam opprimere. Itaque hoc non in Galilæa, ubi rerum non potiebatur Pilatus, ſed Hieroſolymis in Templo factum eſt. Quod autem Joſephus hujus cædis nullam fecerit mentionem, id non magis mirum eſt, quam quod infanticidium quoque Bethlehemiticum omiſerit. Fortaſſis hæc cædes etiam fuit inter capita accuſationis, quam Judæi adverſus Pilatum coram Cæſare inſtituerunt.

Verſ. 2. *Et reſpondens Jeſus dixit eis: Putatis hos Galilæos, præ omnibus Galilæis peccatores fuiſſe, quod talia paſſi ſint?*] Magnas calamitates ac luctus non ſemper eſſe pœnas peccatorum, docet nos Chriſtus exemplo illius à nativitate cæci hominis, de quo ait Johan. 9. 3. quod *nec parentes ejus peccaverint, neque ipſe, ſed ut opera Dei in eo manifeſta fiant.* Sed vulgus hominum amat plerumque ejuſmodi inſulſam ferre ſententiam, ut eos pro maximis ducant peccatoribus, qui maxime à Deo affliguntur: quorum immiſericordem temeritatem Jobus & David quoque in Pſalmis ſuis creberrime redarguit. Nec immerito: quia ut plurimum probiſſimi mortalium maxime adverſa utuntur fortuna; neque id ſolum fit ſub Novo Fœdere (cujus hæc eſt natura, ut per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei, Actor. 14. 22.) ſed & ſub Veteri factum eſt: ut exempla Jacobi, Moſis, Davidis, Jobi, aliorumque luculenter docent. Conſuevit quoque Deus miſericordia plenus ex magno peccantium numero paucos tantum aliquos ſeligere, in quibus exemplum, quod reliqui omnes horreant, & quid ipſi quoque commeriti ſint, ex eo diſcant, ſtatuit. Atque de hujuſmodi judiciis divinis Chriſtus hic loquitur, dum oſtendit, Galilæos iſtos, quos tam dira ac truculenta morte Pilatus affecit, non fuiſſe propterea ſic punitos, quod omnium peccatorum maximi eſſent, ſed & alios omnes haud leviora commeruiſſe ſupplicia, ſi Deus ſecundum rigorem juris ſui cum illis vellet agere.

Quod talia paſſi ſint.] Non erat enim dubium apud auditores, quod & corda ſublimium poteſtatum, & naturales inſuper cauſæ ita à Deo regerentur, ut nihil accidere poſſet, quod non vel Deus ipſe faceret, vel pro ſapientiſſimo ſuo conſilio fieri permitteret.

Verſ. 3. *Nequaquam, dico vobis: ſed niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis.*] Totus hujus ſermonis Chriſti contextus, & ſubjuncta parabola de ficu arbore, clare monſtrat, Chriſtum hic de univerſali & conſpicua pœna, quæ cervicibus Judaici populi impendeat, loqui: qualis fuit everſio & excidium Hieroſolymæ. Ait autem, *ſimiliter.* Nam Galilæi iſti ſub tempus Paſchæ inter ſacrificandum perempti ſunt: obſidio quoque Hieroſolymæ contigit tempore Paſchatis, ubi innumeri Judæi in ipſo Templo, pecudum ritu mactati ac trucidati ſunt; & quidam ob ſimilem ſeditionis culpam, quam nefarii homines ſpecie & obtentu pietatis egregie incruſtabant.

Verſ. 4. *Aut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloam, & quos interemit, putatis debitores fuiſſe præ omnibus hominibus, qui habitant Hieroſolymis?*] Etiam hoc, quando & quomodo acciderit, à nullo alio Scriptore, præterquam à Luca, memoriæ proditum eſt. Fuit autem Siloam piſcina ſeu ſtagnum Hieroſolymis, ut ex Eſai. 8. 6. Johan. 9. 7. conſtat. Ad hoc ſtagnum pertingebant mœnia ac propugnacula urbis, inter quæ erat quoque iſta turris, quæ proxima erat ſtagno huic, & de qua Chriſtus hic agit.

Verſ. 5. *Nequaquam, dico vobis; ſed niſi reſipiſcatis, omnes ſimiliter peribitis.*] Nequaquam, ait, id eſt, non ſunt illi debitores præ omnibus, ſeu non ſunt maximi peccatores.

Sed niſi reſipiſcatis omnes ſimiliter peribitis.] Quemadmodum hos octodecim oppreſſit turris Siloam, ita vos quoque in media urbis everſione, cum ruet domus una ſuper aliam, & turris una poſt aliam, occumbetis. Unde liquet, Deum hac ruina turris Siloam, præfigurare & adumbrare quodammodo voluiſſe occaſum atque interitum totius urbis. Neque hoc infrequens eſt, ut Deus talia ſigna judiciis præmittat, quibus cordatiores admoneantur, præſertim quando talium caſuum nulla naturalis cauſa deprehendi & inveſtigari poteſt.

Verſ. 6. *Dixit autem hanc parabolam: Ficum habebat quidam, in vinea ſua plantatam, & venit quærens fructum in ea, neque invenit.*] Confirmat Chriſtus ſuperiora, nihilque aliud indicat, quam niſi reſipiſcant, eodem modo eos exciſum iri, ut hæc infrugifera ficus, quæ poſt diutinam domini ſui patientiam, tandem tamen ſperato fructu eum defraudavit. Vinea autem totum humanum genus deſignat: ficus arbor populum Judaicum; qui ficus inſtar, quæ præ aliis arboribus foliis abundat, bonam ſpem fructus de ſe excitarat, ſed ad extremum nihil niſi folia, id eſt, inanes ceremonias externumque cultum ſine fructibus pietatis habebat. Scopus hujus parabolæ idem eſt, qui eſt illius de vinea, Matth. 21. 19.

Verſ. 7.

Verſ. 7. *Dixit vero vinitori: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficu iſta, & non invenio; exſcinde eam: quorſum etiam terram inutilem reddit?*] Sunt, qui per hos tres annos, intelligant illos, quibus Chriſtus inter Judæos prædicavit, & tam exiguum fructum pœnitentiæ ac fidei in illis invenit. Sed huic opinioni obſtat, quod poſtea vinitor petit, ut excidium adhuc differatur in unum annum. Deus enim poſt illos tres annos Chriſti pœnam excidii Judæorum non ad unum, ſed ad quadraginta annos diſtulit. Quocirca tres anni iſti intelligendi ſunt de tempore, ultra quod ficus fructu carere non ſolet: nam ſi ficus per tres annos continuos fructum non ferat, nulla jam ſpes eſt reliqua. Cum iſtis tribus annis congruit totum illud tempus, quod præceſſit adventum Johannis Baptiſtæ, ac Chriſti, quo Deus ſumma patientia uſus eſt in expectanda populi ſui emendatione. Vide Eſai. 5. 1. & ſeqq.

Quorſum etiam terram inutilem reddit.] Vocula *etiam* non caret hic emphaſi: Hoc vult Chriſtus dicere: Non tantum fructum nullum fert, ſed etiam terram inutilem ac infrugiferam reddit. Ficus ſolent plurimum humoris ex terra in ſe trahere, qui vitibus poſſet eſſe utilis: quin & umbra ejus noxia eſt hominibus. Ad hunc modum quoque Judaicus populus non ſolum nullos attulit pietatis fructus, ſed etiam aliis nationibus peſſimo exemplo ſuo ſcandalum præbuerunt, & ne ad veram religionem ſe conferrent, eas quaſi manu injecta inhibuerunt. Quo ſenſu Apoſtolus ad Judæos ait: *Nomen Dei propter vos blaſphematur inter gentes*, Rom. 2. 24.

Verſ. 8. *Ille vero reſpondens dixit ei: Domine ſine eam etiam hoc anno, uſque dum fodero circa eam, & injecero ſtercus.*] Id eſt, dum omnem curam ac diligentiam adhibuero, quæ adhuc adhiberi poteſt. Ubi hoc factum fuerit, & nihil profectum, exſcindam eam; tunc enim jure potero dicere: *Quid amplius debui facere vineæ meæ?* Eſai. 5. 4. Quapropter nihil neceſſe eſt, quærere, quid foſſio quid ſtercoratio iſta in ſpecie ſignificet. Nihil enim aliud vult indicare, quam ſe omnia media ad fæcundandam ficum adhuc tentaturum. Foſſa autem circa arbores ideo ſolet effodi, ut aqua eo defluat & radicem humectet: ſtercoratio vero calefacit radicem hyeme, & impertit ei pinguidinem fimi. Huic vinitoris diligentiæ ac labori ſolicito reſpondet id, quod Deus per Chriſtum ejuſque Apoſtolos circa populum Judaicum egit.

Verſ. 9. *Et ſi quidem tulerit fructum, ſines: ſin minus, poſtea exſcindes eam.*] Id eſt, tum demum exſcindes eam.

PARS II.

Verſ. 10. *DOcebat autem in quadam Synagoga Sabbato.*

Verſ. 11. *Et ecce mulier erat habens Spiritum infirmitatis ab annis decem & octo: eratque incurvata, nec poterat prorſus ſeſe erigere.*] Morbus ejus non proveniebat à cauſis naturalibus, ſed à Spiritu maligno, qui eam obſederat: ut patet verſ. 16. ideo nulla eam medicamenta per octodecim annos invare potuerant. Itaque *Spiritus infirmitatis* eodem modo dicitur, quo ſupra *Spiritus mutus* cap. 9. 17. Præter naturales cauſas multorum morborum in hominibus cauſam eſſe dæmones, vetus eſt Judæorum opinio, ut Joſephus teſtatur. Idque comprobant exempla Jobi & Saulis, & plures hiſtoriæ Euangelicæ.

Verſ. 12. *Videns autem eam Jeſus advocavit, & dixit ei: Mulier, ſoluta es ab infirmitate tua.*] Beneficium iſtud huic mulieri exhibitum tanto majus eſt, quod non rogatus ultro eam advocarit, atque curarit, quod vix alicui alteri ex ægrotis contigit. Quanquam credibile eſt, eam propterea in Synagogam veniſſe, ut à Chriſto ſanitatem obtinere poſſet. Sed Chriſtus ejus votum ac preces prævenit. Bene ſcilicet ſciebat, præfectum Synagogæ inique id laturum ac murmuraturum: itaque de induſtria quæſivit occaſionem; tam ſuperſtitioſam Sabbati obſervationem taxandi. Simile quid actum eſt cum viro illo, qui habebat aridam manum, Matth. 12. 10. Marc. 3. 1. Luc. 6. 6. Veteres hic pulchre obſervarunt, in iſta muliere emproſthonica ſeu in anteriores partes contracta repræſentari typum eorum hominum, quibus os quidem Deus ſublime dedit cœlumque tueri juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus, ſed illi nihilominus velut pecora prona ad humum, nonniſi in terram defigunt oculos, & tantum terrenis intenti ſunt.

Soluta es ab infirmitate tua.] Præſens pro futuro: id eſt, eris ſoluta: ut etiam Matth. 9. 2. Marc. 2. 5. Subintelligitur enim, Chriſtus ſimul quoque, cum hæc diceret, manus illi impoſuiſſe, ut mox dicitur.

Verſ. 13. *Et impoſuit ei manus: & illico erecta eſt, & glorificabat Deum.*

Verſ. 14. *Reſpondens autem præfectus Synagogæ, indignans, quod Sabbato ſanaſſet Jeſus, dixit turbæ: Sex dies ſunt, quibus oportet operari; his ergo venite & curamini, & non die Sabbati.*] Præfectus Synagogæ vel Princeps, Gr. ἀρχισυνάγωγος, archiſynagogus. Hæc enim vox *archiſynagogus* interdum etiam in tam ampla ſignificatione accipitur, ut etiam Seniores congregationis ſic appellentur, ut admonuimus ad Matthæi cap. 9. 18.

Indignans, quod Sabbato ſanaſſet Jeſus.] Horum enim hominum ſumma ſanctitas in talibus ceremoniis conſiſtebat. Idcirco eum Chriſtus merito hypocritam appellat. Hujuſcemodi quippe in rebus amant iſti ſuum zelum ac fervorem oſtendere, quorum animis ne ſcintilla quidem veræ pietatis ineſt.

Dixit turbæ.] Turbam quidem alloquitur, ſed tacite & oblique Chriſtum redarguit, quem directe & palam aggredi non audebat. Etiam hoc eſt pars quædam hypocriſeos.

Sex dies ſunt, quibus oportet operari.] Vult dicere, Sabbato non eſt ullo modo operandum: & tamen ipſe Sabbato manum extendit ad patinam, ſumenſque ex ea cibum ori impoſuit, & comminutum dentibus deglutivit. An hæc erat minor operatio, quam cum Chriſtus ægrotæ mulieri manus impoſuit? Itaque hypocrita iſte fruſtra verbo *operari* ludit & ſophiſticatur. Potuiſſetque Chriſtus optime ſe adverſus eum defendere, ſi dixiſſet, verba Legis de tali operatione, qualis ipſius erat in curando, non loqui,

neque talem prohibere. At ille non vult de verbis contendere, ſed clariſſima ſimilitudine iniquitatem criminationis ejus producit in apricum.

Verſ. 15. *Reſpondens ergo ei Dominus dixit: Hypocrita, nonne unuſquiſque veſtrum Sabbato ſolvit bovem ſuum aut aſinum à præſepi, & abducit aquatum?*] Unuſquiſque veſtrum, ſubintellige, Scribarum ac Phariſæorum, qui in ea eſtis ſententia, fas eſſe Sabbato, ſolvere pecora à præſepi & ducere aquatum. Alioquin enim erant quidam ſtrictioris ſectæ, qui ne hoc quidem Sabbato licere ſtatuebant. Vide Matth. 24. 20. Phariſæi autem cenſebant, Sabbatum periculo vitæ ſive hominis ſive pecudis cedere debere. Periculum autem iſtud non in puncto collocabant, ut nimirum tamdiu bovem vel aſinum Sabbato ſitim pati ſinerent, donec crederent, eum moriturum, ſi ad unum adhuc momentum adaquatio differretur: ſed tempus conſuetum ſervabant, quo pecus adaquari ſolet. Quod ergo licet facere pecudi brutæ, id multo minus illicitum eſt præſtare homini.

Verſ. 16. *Hanc autem, quæ eſt filia Abrahami, quam ligaverat Satanas, ecce decem & octo annos, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die Sabbati?*] Suffeciſſet, ſi Chriſtus hanc fœminam tantum ut hominem brutæ pecudi oppoſuiſſet: ſed Chriſtus dicit, eam eſſe filiam Abrahami, quod nomen apud eos in ſumma erat veneratione. Vide Matth. 3. 9. Luc. 3. 8. Johan. 8. 33. Actor. 13. 26.

Quam ligaverat Satanas.] Etiam hic ineſt peculiaris emphaſis. Vult enim dicere: ſi ejus morbus originem à naturalibus cauſis haberet, poſſet forſitan adhuc aliud commodius expectari tempus; at nunc illa à Satana peſſimo inimico Dei & hominum eſt ligata atque conſtricta: non eſt proinde vel ad momentum differendum auxilium, ſed quamprimum è vinculis iſtis dimittenda eſt.

Ecce decem & octo annos.] Mens Chriſti eſt: Ubi bos veſter vel aſinus tantum per dimidium diei ſteterit non bibens, ſolvitis eum etiam Sabbato & ducitis ad aquam: hæc vero filia Abrahami totis octodecim annis à Satana vincta fuit, & vos eam ſolvi debere negatis?

Non oportuit ſolvi.] Et quidem tam exiguo labore, quo majorem vos bobus veſtris & aſinis impenditis etiam Sabbato, nimirum nudis verbis & impoſitione manuum.

Verſ. 17. *Et hæc dicente eo, erubeſcebant omnes qui ſe opponebant ei, tota vero turba gaudebat ſuper omnibus illis præclaris, quæ ab eo fiebant.*

PARS III.

Verſ. 18. *Dicebat autem: Cui rei ſimile eſt regnum Dei? & cui illud aſſimilabo?*] Hoc uſque ad ver. 22, elucidavimus apud Matthæum ad cap. 13. 31.

Verſ. 19. *Simile eſt grano ſinapis, quod accipiens homo miſit in hortum ſuum, & crevit, & evaſit in arborem magnam, & volucres cœli nidulatæ ſunt in ramis ejus.*

Verſ. 20. *Et rurſus dixit: Cui aſſimilabo regnum Dei?*

Verſ. 21. *Simile eſt fermento, quod accipiens mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur tota.*

PARS IV.

Verſ. 22. *Et peragrabat ſingulas urbes & vicos docens, & iter faciens Hieroſolymam.*

Verſ. 23. *Ait autem quidam: Domine num pauci ſunt, qui ſervabuntur? Ipſe vero dixit eis.*] Hæc quæſtio ex curioſitate profecta eſt, quæ inſtituebatur de re ſcitu parum aut nihil neceſſaria. Ut ſciamus, quales homines ſervari debeant, id eſt, quid faciendum ſit hominibus, ut ſerventur, neceſſarium eſt: numerum autem ſcire ſervandorum, magnuſne an exiguus futurus ſit, noſtra nihil refert. Quanquam ex illa re de altera haud obſcura capi poteſt conjectura. Cum enim via ad vitam æternam ducens ſit aſpera & multis adverſitatum ſentibus obſita, ideoque carni ingrata, inde facile colligi poteſt, paucos homines viam hanc ingreſſuros; quippe cum plerique mortalium aſſueverint magis ſecundum carnem, quam ſecundum Spiritum vivere.

Ipſe vero dixit eis.] Non ei reſpondit, qui quæſtionem propoſuit, ſed convertit ſermonem ad totum populum. Tales enim curioſas quæſtiones ſæpius Chriſtus ſolvebat ſilentio: ut hoc loco & Actor. cap. 1. 7.

Verſ. 24. *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, ſtudebunt intrare & non poterunt.*] Hic Chriſtus omnibus, qui erant præſentes, tradit ejuſmodi doctrinam, ex qua clare intelligitur, numerum ſervandorum non eſſe certo aliquo decreto divino determinatum ac definitum, quod hominum proprium arbitrium & coöperationem excludat, dum omnes homines vocat ad viam vitæ ineundam, & ut per eam intrare contendant, monet. Quibus verbis ſimul indicat, eſſe id rem ejuſmodi, ad quam animis opus ſit & conſtantia. Verbum enim *contendere* Gr. ἀγωνίζεσθε talem conatum denotat, qui cum lucta ac certamine conjunctus eſt, ubi intendendi ſunt omnes virium nervi, ubi prudentia maxime circumſpecta utendum, & nulla occaſio atque opportunitas vincendi varias adverſitates & obſtacula prætermittenda eſt: fortiſſimi bellatoris inſtar, qui perrumpere acies plurimorum hoſtium cogitur ante, quam ſcopum ſuum aſſequatur. Hac ſignificatione hoc vocabulum etiam uſurpat Paulus Coloſſ. 1. 29.

Intrare per anguſtam portam.] Quid per portam intelligendum ſit, & cur anguſta dicatur, expoſuimus ad Matth. 7. 13, 14.

Quia multi ſtudebunt intrare.] Intellige eo, quo nonniſi per hanc anguſtam portam penetrari poteſt, id eſt, in regnum cœlorum. Nullus eſt mortalium, qui non deſiderio immortalitatis teneatur: ſed non omnes homines ſunt tam excelſi ac generoſi animi ut eam velint voluptatum ac bonorum hujus vitæ mortalis jactura emere.

Verſ. 25. *Ex quo ſurrexerit Paterfamilias, & occluſerit oſtium, & cœperitis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis; & reſpondens dicet vobis: Non novi vos, unde ſitis.*] Dictum

ctum ſuperius, quod pauci ſint in Regnum Dei ingreſſuri, declarat Chriſtus ſimili petito à Patrefamilias, qui in multam noctem expectat eos, qui ad domum pertinent, & ſi illi tardent, ſurgit è lecto vel ſella, domumque claudit.

Et cœperitis foris ſtare.] Id eſt, & vos ſteteritis foris. De hoc loquendi modo vide ſupra 3. 8.

Non novi vos, unde ſitis.] Id eſt, non eſtis mei domeſtici, eſtis mihi plane ignoti.

Verſ. 26. *Tunc incipietis dicere: Edimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti.*] Id eſt, nos tecum familiariter viximus: itaque ſperamus, te nos modo à tuo conſortio non repulſurum. Nam *edere coram aliquo*, more loquendi Hebræo ſignificat, una cum aliquo ad menſam recumbere & cibum capere: ut infra cap. 24. 43. Quemadmodum autem Judæis nihil proderit familiaritas iſta cum Chriſto: ita nec Chriſtianis proderit quicquam, qui vitam haud Chriſtianam ducunt, quod menſæ Domini accumbant; imo id potius in majus vertet ipſis ſupplicium, ut docet Paulus 1 Cor. 11. 29.

Et in plateis noſtris docuiſti.] Multi ſibi perſuadent, ſe pios eſſe, ſi verbi Dei auditores tantum ſint, quamvis non executores. Sed rem longe aliter ſe habere, docemur à Paulo Rom. 2. 13. & à Jacobo cap. 1. 22, 23.

Verſ. 27. *Et dicet: Dico vobis, non novi vos, unde ſitis; abſcedite à me omnes operarii iniquitatis.*] Per *operationem iniquitatis* non unus tantum aut alter vitioſus actus intelligitur, ſed habitus & conſuetudo totius vitæ.

Verſ. 28. *Illic erit fletus & ſtridor dentium, cum videritis Abrahamum & Iſaacum, & Jacobum, & omnes Prophetas in regno Dei; vos autem ejici foras.*] Illic, id eſt, abſcedite eo, ubi erit fletus ac ſtridor dentium. De hac locutione vide dicta ad Matth. 8. verſ. 12.

Cum videritis Abrahamum, & Iſaacum, & Jacobum.] Quorum nominibus adeo inflati eſtis, & vos eorum liberos ac poſteros eſſe jactatis.

Verſ. 29. *Et venient ab Oriente, & Occidente, Aquilone & Auſtro; & diſcumbent in regno Dei.*] His verbis innuit Chriſtus, Euangelium aliis gentibus ac nationibus prædicatum iri, quæ ab omnibus finibus terræ venient, & cum gaudio Euangelium ſuſcipient, Judæoſque in regnum cœlorum præcedent.

Et diſcumbent in regno Dei.] De hac loquendi ratione vide ad Matth. 8. 11.

Verſ. 30. *Et ecce ſunt ultimi, qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt ultimi.*] Id eſt, qui modo quam maxime à divinis beneficiis remoti ſunt, & à vobis adeo deſpicatui habentur, nempe omnes aliæ gentes, vobis in regno Dei præferentur.

Et ſunt primi, qui erunt ultimi.] Id eſt, vos qui præ aliis omnibus populis terræ maximis à Deo cumulati eſtis beneficiis, reliquis populis poſtponemini, ac prorſus à regno cœlorum excludemini.

PARS V.

Verſ. 31. EO *ipſo die acceſſerunt quidam Phariſæi dicentes: Exi & abi hinc; nam Herodes vult te interimere.*] Phariſæos iſtos è Galilæa vel Peræa fuiſſe, inde colligitur, quod dicant, *Abi hinc.* Nam ultra has duas regiones non protendebatur Herodis imperium. Quod autem non in Judæa ſolum, ſed & in Galilæa & alibi locorum Phariſæi habitaverint, ex Luca diſcimus cap. 5. 17.

Herodes vult te interimere.] Ex reſponſione Chriſti ferme intelligitur, Phariſæos non tam proprio motu (ut plerique Interpretum exiſtimant) quam ſubornatos ab Herode ad Chriſtum acceſſiſſe: inde eſt, quod Chriſtus renunciari Herodi ſuam reſponſionem jubet. Non eſt enim veriſimile, ſi hoc de Herode finxiſſent Phariſæi, & falſis ejus minis voluiſſent Chriſtum è Galilæa propellere, eum non confuſurum illos, & reſponſionem ſuam non magis ad illos, quam ad Herodem directurum fuiſſe. Appareret autem Herodem, cum non auderet manus violentas inferre Chriſto, ne ſe populo magis magiſque inviſum redderet, quem jam cæde Johannis Baptiſtæ irritarat, & vehementer offenderat, quæſiviſſe rationem ejus è ſua ditione ſummovendi. Erat enim ipſi ſudes in oculis, eo quod de innocentia Johannis Baptiſtæ teſtaretur, & quidem efficacia tanto majore, quia maximam ſibi miraculis ſuis auctoritatem apud populum comparaverat.

Verſ. 32. *Et ait illis: Profecti dicite vulpi iſti: Ecce ejicio dæmonia & ſanationes perficio hodie & cras; tertia autem die conſummor.*] Solent Reges ſæpiſſime à Prophetis nomine ferarum, ut hirci, arietis, pardi, urſi &c. deſignari. (Vide Dan. 7. 4. & ſeqq.) Neque ſane immerito. Si enim evolvamus rerum geſtarum monumenta, & excutiamus hiſtorias, deprehendemus, pleroſque humanitate fere depoſita, ferinos prorſus induiſſe mores. Hinc Paulus Neronem leonem appellat, 2 Timoth. 4. 17. Herodi autem nullum nomen magis competit, quam vulpis: fuit enim homo verſipellis & aſtutus, exemplo Tiberii Cæſaris, qui tunc rerum potiebatur, de quo ferunt, quod inter omnes ſuas virtutes maxime æſtimarit diſſimulationem. Quocirca è vita ejus, quam deſcripſit Joſephus, patet, quam ille commutare vultum ac ſermonem ad aucupandam gratiam hominum ſciverit, inſinuans ſeſe in animum populi Judaici, oſtentatione magni zeli in Judaica religione, & ſimul etiam adulans Romano Cæſari, quaſi nihil niſi bonum ipſius quæreret, cum interim ſuis potiſſimum ſtuderet commodis. Sic etiam Sectam Herodianorum, qui erant Sadducæorum furculus, ſuſtentabat, & tamen ſimul Phariſæorum miniſterio utebatur. Tam ignominioſo autem nomine Herodem, qui Tetrarcha erat, appellare non dubitavit Chriſtus, neque id putavit contrarium illi Legi: *Diis non maledices.* Cum enim Prophetarum officium eſſet, etiam Regibus in redarguendis peccatis non parcere, ut qui ratione muneris ſui Regibus ſuperiores eſſent Jerem. 1. 10; manifeſtum eſt Legem hanc ad Prophetas non pertinere. In omnibus enim legibus, quæ non à natura præſcribuntur, ſed ſolo Legiſlatoris beneplacito nituntur, tacite includitur exceptio: quod nimirum obſervandæ ſint, niſi quid ſecus Deus mandet. Quod liquet ex Eſaiæ, Jeremiæ, aliorumque exemplis. Chriſtus vero hic fungitur munere Prophetæ, ac proinde utitur jure ac privilegio Prophetarum, dum callidiſſimum hunc

Tyrannum aptiſſimo, & quo dignus erat, exornat titulo.

Ecce ejicio dæmonia & ſanationes perficio.] Id eſt, nihil facio, quod maleficium aliquod redoleat, ac pœnam mereatur; nemini noceo, quin proſum potius omnibus, etiam ipſi, dum regionem ejus à dæmonibus & morbis repurgo. Eccur ergo ille mihi mortem minitatur? Eodem modo Chriſtus etiam Judæis dixit, Johan. 10. 32. *Multa bona opera oſtendi vobis à Patre meo; propter quod illorum operum me lapidatis?*

Hodie & cras.] Adhuc per aliquod tempus. Indefinitum tempus Chriſtus nominat, ſed tamen certum tempus ipſi erat notum. Eſtque hic Hebraiſmus, qualis etiam extat Oſeæ 6. 2. *Vivificabit nos poſt duos dies, & tertia die ſuſcitabit nos:* id eſt, poſt certum tempus, quod ipſe optime novit. Sic de Jacobo quoque ſcriptum eſt, eum animadvertiſſe faciem Labanis non eſſe erga ſe, ſicut heri ac nudius tertius: id eſt, ut antea, Gen. 31. 2.

Et tertia die conſummor.] Id eſt, ubi hoc tempus effluxerit, finem ſortietur munus meum, & ego oppetam mortem. De eo dici ſolet, quod conſummatus ſit, cujus munus deſinit. Ita Paulus ait, Actor. 20. ℣. 24, dummodo *conſummem curſum meum* (curſum intellige muneris ipſius) & tum moriar. Vide etiam Phil. 3. 12.

Verſ. 33. *Verumtamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare: quia non contingit, ut Propheta pereat extra Hieroſolymam.*] Vox *ambulare* idem hic valet, quod operari: quo ſignificatu frequentiſſime vocabulum ambulandi accipitur, Johan. 12. 35, *Ambulate* (id eſt, operamini) *quamdiu lucem habetis*, Johan. 8. 12, *Qui me ſequitur, non ambulabit in tenebris*, id eſt, opera tenebrarum non faciet. Ita Paulus quoque dicit, *ſecundum carnem ambulare*, id eſt, carnalia opera facere, Rom. 8. 4. Senſus autem verborum Chriſti eſt, quaſi dicat. Etſi tertia die moriar, tamen adhuc tertia illa die, cujus ad finem mortem ſubibo, operabor. Nominat perendinum ſeu tertium diem, quia more Hebraico dixerat, hodie & cras. Hoc enim ſibi vult, ſe adhuc ad tempus operaturum, nec à muneris ſui functione uſque ad extremam horam mortis ſuæ deſiturum. Significarique vult Herodi, neminem ſibi illo temore ac loco mortem minitari debere: Deum enim nunquam id Herodi permiſſurum, quod ille ſibi arrogat. Se quidem morte affectum iri, ſed non quando Herodi placuerit, verum quando ipſi & Patri ſuo viſum fuerit. Interea ſe non omiſſurum occaſiones miracula patrandi, quæ quanto majora erunt, tanto magis animum ejus torquebunt & urent.

Quia non contingit, ut Propheta pereat extra Hieroſolymam.] Cauſam affert Chriſtus, cur Herodes, qui Galilææ imperabat, ſe non ſit interemturus; quia non convenit, ut Propheta alio loco quam Hieroſolymis occidatur: cum illa civitas diutino uſu ac conſuetudine jus quaſi ſibi comparaverit Prophetas occidendi. Quare ſingulari Dei directione factum eſt, ut civitas iſta, non obſtantibus omnibus ad pœnitentiam exhortationibus, menſuram priorum peccatorum ſuorum hac truculenta internecione Chriſti impleret, & poſtmodum etiam meritas peccatis ſuis pœnas exſolveret.

Non contingit.] Id eſt, non convenit, vel raro ſolet fieri. Nam Jeremiam in Ægypto, Ezechiëlem in Chaldæa interfectos eſſe, teſtatur Epiphanius.

Verſ. 34. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum avis congregat pullitiem ſuam ſub alas, & noluiſtis.*] Locus hic etiam ex illis eſt, quos Lucas extra ordinem refert: quia nimirum ad ea de quibus in antecedentibus agitur, optime quadrat. Cæterum alio tempore ac loco Chriſtum hæc verba eſſe profatum, ex Matth. cap. 23. 37, (ubi etiam verba hæc explicata à nobis ſunt) liquet. Videntur è Matthæo excerpta eſſe, & huc tranſlata.

Verſ. 35. *Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta. Amen autem dico vobis, non videbitis me, uſque dum venerit tempus, ut dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

CAPUT XIV.

I. *Chriſtus ſanat quendam hydropicum: ad verſ. 7.* II. *Docet convivas, ne affectent ſuperiores accubitus: ad verſ. 12.* III. *Inſtituit quoque convivatores, quos ad epulas ſuas invitare debeant: ad verſ. 15.* IV. *Parabolam proponit de magna cœna: ad verſ. 25.* V. *Docet quod ſit diſcipulorum ſuorum officium, quidque ab eis requiratur: ad verſ. 34.* VI. *Confert eos cum ſale: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET factum eſt, cum veniſſet in domum cujuſdam ex principibus Phariſæorum Sabbato ad edendum panem, ut ipſi obſervarent eum.*] Non fuit ille proprie Princeps inter Phariſæos, ſed fuit unus è Principibus populi, ſeu proceribus, ac ſimul Phariſæus, ſeu ſectæ Phariſaicæ addictus. Ex hoc autem titulo colligitur, hanc rem Hieroſolymis eſſe geſtam. Ita enim plerumque appellari ſolent, qui erant pars Synedrii: ut infra cap. 24. 20. Johan. 3. 1. Actor. 3. 17.

Ad edendum panem.] Id eſt, ut cibum cum eo caperet: phraſi Hebræa.

Ipſi obſervarent eum.] Id eſt, tam hoſpes, quam invitati convivæ, qui erant è numero Phariſæorum ac Scribarum. Iſti obſervabant, id eſt, inhiabant, & avide intenti erant, num aliquid facturus eſſet, quod cum ceremoniis ac ritibus Sabbati minus eſſet conſentaneum, ut cauſam haberent eum deinceps ut tranſgreſſorem Sabbati traducendi: ut Marc. 3. 2. ſupra cap. 6. 7.

Verſ. 2. *Et ecce quidam hydropicus aderat coram eo.*] Phariſæos dedita opera hunc ægrotum hominem ſubornaſſe, ut per ipſum ſtruerent Chriſto inſidias, veriſimile non eſt. Neque enim id diſſimulaſſet Lucas; ſed credibile eſt, eum ſponte ſua veniſſe, ſpe inductum ſanitatem à Chriſto obtinendi, cum vidiſſet illum ingredi domum.

Verſ. 3.

Verſ. 3. *Et reſpondens Jeſus dixit Legis interpretibus & Phariſæis, inquiens: Licetne curare Sabbato?*] Quia clàudeſtina animi eorum conſilia habebat perſpecta, elicit ea & producere tentat in lucem hac interrogatione.

Verſ. 4. *Ipſi vero tacuerunt. Ille vero prehenſum eum ſanavit ac dimiſit.*] Tacebant, quia non una omnium hac de re inter Judæos erat ſententia. Plerique tamen ſentiebant, illicitum eſſe Sabbato, medicamentis curare ægrotos, niſi forte præſto ſit mortis periculum. Verum æquitas, quæ omnium rerum optimus interpres eſt, dictare eis debebat, plus decere fieri in hominis gratiam, quam pecudis: cui etiam in tali mortis diſcrimine Sabbato ſuccurrebatur. Vide dicta ad Matth. 12. 11, 12.

Prehenſum eum ſanavit.] Tangendo ægrum voluit Chriſtus oſtendere, vim ſanationis à ſe provenire, & ſimul quæſtionem propoſitam ſolvit.

Ac dimiſit.] Id eſt, paſſus eum eſt abire, ut ex greſſu ejus cerneretur, eum prorſus ac plene convaluiſſe.

Verſ. 5. *Et reſpondens eis dixit: Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati?*] Tametſi Phariſæi ſilerent, Chriſtus nihilominus ſcivit, ipſis hoc ſuum factum diſplicere. Itaque ſe purgat ſimili exemplo, quo uſus eſt quoque, cum ſanaſſet hominem aridam manum habentem, Matth. 12. 11. & mulierem incurvatam ſupra cap. 13. 15. Eleganter autem hic hydropicum confert cum pecude, cui imminet periculum ſuffocationis: quemadmodum ſupra quoque contractam illam mulierem & à Satana ligatam aſſimilavit pecudi alligatæ.

Verſ. 6. *Et non poterant illi ad hæc reſpondere.*

PARS II.

Verſ. 7. *Dixit autem parabolam iis qui vocati fuerant, attendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens eis.*] Lucas ſequentem doctrinam vocat parabolam. Nam exemplo iſtius modeſtiæ, ac civilitatis, quæ in accumbendo ad menſam adhibenda eſt, docet Chriſtus quomodo ſe quiſque in tota vita ſua non ſolum coram hominibus, verum etiam coram Deo gerere debeat. Hinc ſubjungit poſtea generale dictum: *Quiſquis ſeipſum extollit, deprimetur* &c. Appoſite autem hæc doctrina excepit ſanationem hydropici. Chriſtus enim voluit ea curare animi hydropem, qui non aliter ſuperbia intumeſcit, quam hydropici corpus aqua intercute.

Quomodo primos accubitus eligerent.] Dubium eſt, utrum illi reipſa inter ſe certarint de primo loco, & alii præ aliis eum occupare conati ſint, an tantum animis ad eum anhelarint, quod Chriſto compertum fuit.

Verſ. 8. *Cum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne diſcumbito primo loco, ne forte honoratior te ſit vocatus ab eo.*

Verſ. 9. *Et is qui te & illum vocavit veniens, dicat tibi: Da huic locum; & tunc incipias cum pudore ultimum locum tenere.*

Verſ. 10. *Sed cum vocatus fueris, vadens recumbe in ultimo loco, ut cum venerit qui te vocavit, dicat tibi: Amice, aſcende altius; tunc erit tibi gloria coram iis, qui una tecum recumbunt.*] Conjunctio *ut*, non denotat hic cauſam finalem (quaſi nimirum quis eo fine ultimum locum capere deberet, ut ab hoſpite jubeatur aſcendere altius) ſed eventum tantum. Senſus enim eſt: Occupa locum infimum, tunc fiet, ut ubi venerit qui te vocavit, dicat tibi &c.

Aſcende altius.] Vide Prov. 25. 6, 7.

Verſ. 11. *Nam quiſquis ſe extollit, deprimetur, & qui ſe demiſerit, extolletur.*] Occaſione ſuperius indicatæ ambitionis in affectandis primis ad menſam locis, tradit Chriſtus generalem doctrinam de pœna ſuperbiæ & ambitionis: deque præmio modeſtiæ. Superbia & ambitio exerceri poteſt in omnibus donis, quæ vel à natura, vel à Deo peculiariter conceſſa ſunt hominibus: qualia ſunt, ſapientia ſublimis, bona memoria, judicium perſpicax, ſcientia rerum plurimarum, eloquentia, pietas; item robur, formoſitas, dexteritas in rebus agendis, juventus, honor, divitiæ, &c. In his & ſimilibus, quæ ab hominibus magni penduntur, ſuperbia exerceri poteſt, ſive verbis per jactantiam, ſive factis, quando ipſi nulla ſuavior vox eſt, quam laudantis ſe, vel quando ab aliis ſe præ aliis adorari patitur, vel etiam ipſe aliis priorem locum in ſedendo & ambulando præripit; item quando quis in talia ſe ingerit negotia, eaque aggreditur, quibus perficiendis par non eſt: nec non in veſtitu, geſtibus, & tota vitæ ſuæ ratione ſingularem faſtum prodit. Eſt præterea adhuc occultum quoddam genus ſuperbiæ, quando quis ſcilicet ſpecie modeſtiæ, ea ſibi detrahit, quæ alii omnes ipſi competere agnoſcunt: ut ſi quis in veſtitu, eſu & potu, totaque vita ſua, nimiam & affectatam quandam humilitatem oſtentet. Qualis ſuperbia in Monachis conſpicitur: hac enim ratione laudem & famam ſanctitatis captant.

Deprimetur.] Hæc eſt pœna ſuperbiæ. Depreſſio iſta fit, quando Deus in hac vita ſuperbis ea quorum fiducia ſubnixi turgebant, eripit ita, ut tum aliis tum ipſis ipſorum vanitas pateſcat, aut alioqui tot adverſa eis immittit, ut criſtas demittere cogantur.

Et qui ſe demiſerit.] Modeſtia exercetur in omnibus quoque illis rebus, in quibus locum habet ſuperbia, in verbis, factis, & animo. Eſt hæc quoque ſpecies modeſtiæ ac civilitatis, laudem & honorem, quo dignus es, non præfracte recuſare.

Extolletur.] Hoc fit, quando Deus auget dona ipſius, vel aliis manifeſta ac nota facit, inprimis autem dona animi, quorum manifeſtatio etiam ad Dei gloriam redundare poteſt. Sed graviſſima pœna ſuperbiæ, & excellentiſſimum præmium modeſtiæ eluceſcet in futura vita.

PARS III.

Verſ. 12. *Dicebat autem etiam ei, à quo fuerat ipſe vocatus: Cum facis prandium vel cœnam ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites; ne quando & ipſi te viciſſim vocent, & fiat tibi retributio.*] Chriſtus ſe erga hoſpitem ſuum oſtendit gratum, dum ei pro carna-

libus Spiritualia retribuit: nimirum prandium ejus utiliſſima doctrina ac præclara compenſat.

Neque vicinos divites.] Vox *divites* reſpicit ad omnia præcedentia: nempe non vocandos divites amicos, non divites fratres, nec divites cognatos &c. Non enim Chriſtus ſimpliciter vetat invitari amicos, fratres, cognatoſque ad teſtandam mutuam amicitiam atque dilectionem: ſed præſcribit opera miſericordiæ, vultque liberalitatem ac munificentiam in conviviis non erga divites ac opulentos, ſed erga egenos demonſtrari. Locus enim iſte (ut & plurimi alii) non ſimpliciter, ſed comparate eſt intelligendus; quaſi dictum ſit: potius pauperes, quam divites vocato.

Ne quando & ipſi te viciſſim vocent, & fiat tibi retributio.] Id eſt, ne ſi te viciſſim invitent, jam accipias retributionem tuam. Hæc autem eſſet miſera valde & exilis retributio, cum contra miſericordia regnum cœlorum pro præmio ac compenſatione conſecutura ſit, Matth. 5. 7. XIX. 21.

Verſ. 13. *Sed cum facis epulum, voca pauperes, mancos, claudos, cæcos.*] Vox *pauperes* reſpicit ad omnia ſequentia: nempe pauperes mancos, pauperes claudos, pauperes cæcos. Etſi vulgo ab iis, quos (ut ajunt) natura ſignavit, abhorrere homines ſoleant, tamen ſi ſint divites, & ſpes ſit rurſus eorum liberalitate fruendi, non dubitant homines, tales quoque ad convivia invitare. Græca vox πτωχοὺς non ſimpliciter pauperes ſignificat, neque etiam ſemper mendicos, ſed egentes, qui ægerrime & non ſine magnis ærumnis vitam tolerant.

Ex hac doctrina Chriſti olim inter primos Chriſtianos natæ ſunt Agapæ, (Jud. ℣. 12.) ubi ditiores e fratribus pauperiores invitabant ad cibum ſecum capiendum, cum adminiſtraretur Cœna Domini. In quibus deinde abuſus iſte irrepſit, ut divites ſcorſim ederent, & lautiores ſibi curarent apponi cibos, pauperes autem ita tractarent, ut eſurientes ac litientes domum redirent: quem abuſum coarguit Apoſtolus 1 Cor. 11. 21.

Verſ. 14. *Et beatus eris, quia non habent quod retribuant tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.*] Indicat hic Chriſtus non tantum tempus, ſed & modum retributionis. Reſurrectio juſtorum eſt reſurrectio ad vitam æternam, Johan. 5. 19. Cui opponitur reſurrectio ad damnationem. Alioquin ex conſuetudine Sacræ Scripturæ, per reſurrectionem ſimpliciter poſitam, tantum juſtorum reſurrectio ad vitam æternam intelligitur; ut & Judæi dicere ſolent: Reſurrectio non eſt niſi juſtorum.

PARS IV.

Verſ. 15. *HÆc autem cum audiſſet quidam ex iis qui ſimul diſcumbebant, dixit ei: Beatus, qui edit panem in regno Dei.*] Hic deſcribitur occaſio, quæ Chriſto data eſt ad ſequentem paraboſam de Cœna magna proponendam. Nimirum cum quidam ex convivis audiſſet Chriſti ſermonem de retributione in reſurrectione juſtorum approbans quodammodo eum, & confirmans, revera magnam retributionem in reſurrectione juſtorum eſſe futuram, dixit: Beatus eſt, qui edit panem in regno Dei. Loquitur ex mente Judæorum, qui præmium æternæ vitæ etiam inter alia in opiparis epulis collocabant. Vide Matth. 8. 11. Ad hoc autem hominis iſtius dictum ita reſpondet Chriſtus, ut ſignificet tum illi, tum aliis convivis, non ſufficere, ut aliquis hanc tantam felicitatem dari credat, vel fugitiva pietate de ea interdum cogitet, aut eam deſideret votiſque exoptet; ſed requiri, ut vocationi divinæ ad has cœleſtes epulas reipſa obtemperet, eoſque qui vocationi huic reſtragantur, nullum locum apud hanc menſam cœleſtem habituros.

Verſ. 16. *Ipſe autem dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.*] Parabola hæc congruit cum ea, quæ Matth. 22. 2. deſcripta eſt. Vide ibidem.

Verſ. 17. *Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ, ut diceret vocatis: Venite, quia jam parata ſunt omnia.*] Servum intellige, per quem convivas invitaverat.

Hora cœnæ.] Convivæ bis vocari ſolent: primo unum aut alterum diem ante epulas; ſecundo ipſa hora convivii.

Jam parata ſunt omnia.] Beneficia quæ Deus hominibus per Chriſtum obtulit, jam prorſus erant parata; nihil aliud deerat, quam ut homines ea reciperent. Vide ad Matth. 22. 4.

Verſ. 18. *Et omnes cœperunt unanimiter ſe excuſare. Primus dixit, Agrum emi, & neceſſe habeo exire, & eum inſpicere: rogo te, habe me excuſatum.*] Unanimiter, Gr. ἀπὸ μιᾶς, id eſt, *ab una* ſubintellige, anima, id eſt, uno animo. Senſus eſt: Omnes ſe excuſarunt non ſecus quam ſi ita inter eos conveniſſet, & inter ſe conſtituiſſent, ad cœnam non venire. Per hos autem homines intelliguntur Legis interpretes, & Judæorum primores, qui olim quidem per Prophetas, poſtea ſub tempus jam inſtantis cœnæ per Johannem Baptiſtam, & per Chriſtum ipſum, ad pœnitentiam vocabantur, ſed maluerunt variis excuſationibus vocationem eludere, quam ſalutari conſilio divino parere.

Agrum emi.] Omnes iſtæ excuſationes de agro, bobus, uxore &c. in applicatione nihil peculiare denotant: ſed Chriſtus duntaxat in genere per hæc ſpecialia exempla vult docere, mundana negotia atque curas hujus vitæ hominibus impedimento eſſe, quominus vocationi divinæ obſequantur.

Verſ. 19. *Et alter dixit juga boum emi quinque, & proficiſcor ad probandum ea: rogo te, habe me excuſatum.*] Ad probandum, id eſt, ut eos jubeam jungi aratro, & experiar ac periculum faciam, quam apti ſint ad arandum.

Verſ. 20. *Et alius dixit: Uxorem duxi, & propterea non poſſum venire.*

Verſ. 21. *Et adveniens ſervus ille annunciavit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo ſuo: Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes & mancos, & cæcos, & claudos huc introducito.*] In plateis enim & vicis civitatis ſolent verſari, qui manuum ſuarum labore victum comparare nequeunt.

Pauperes, & mancos, & cæcos.] Nempe, piſcatores, publicanos, quin & meretrices. Hoc autem in genere & de maxima parte intelligendum eſt. Non enim omnes Judæi, qui ſe ad Chriſtum converterunt,

runt, tales fuerunt, ſed plerique fuerunt homines ſimplices & ab aliis contempti.

Verſ. 22. *Et ait ſervus: Domine factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt.*] In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, inquit Chriſtus Johan. 14. 2. Deus Chriſto promiſit amplum Regnum Eſai. 9. 7. Luc. 1. 33. Itaque ne nimis exiguum haberet numerum ſubditorum, Deus modo quodam inſolito ac inaudito aperuit viſcera ſuæ miſericordiæ erga homines etiam perditos.

Verſ. 23. *Et dixit Dominus ſervo: Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.*] Antea juſſerat in plateis ac vicis civitatis quæri convivas; jam mittit ſervum extra civitatem in vias, id eſt, extra Fædus, ubi erant miſeri Ethnici, qui omni cognitione Dei ac voluntatis ejus deſtituti erant. Apud Matthæum ait Chriſtus, *in compita viarum* cap. 22. 9. Vide ibidem. Videtur Chriſtus non ſine cauſa ſepium meminiſſe, quia gentes à populo Dei & veri numinis cognitione tanquam ſepi quadam diſſeparatæ fuerunt. Alio ſenſu utitur Apoſtolus voce *ſepis* Eph. 2. 14. pro lege ſcilicet ceremoniali.

Compelle intrare] Allegari hæc verba à Pontificiis ſolent ad probandum, quod errantes carnalibus armis ac mediis ſint ad fidem cogendi: ex qua ſententia falſa crudele & Anti-Chriſtianum hæreticidium natum eſt. Sciendum vero eſt, omnes parabolas ac ſimilitudines ita comparatas eſſe, ut multa illis admiſceantur, quæ ad rem iis ſignificatam non proprio, ſed tantum valde improprio ac figurato ſenſu applicari poſſunt. Ac potiſſimum quod vocem *Compellere* attinet, ea hic plane non in eo ſignificatu accipitur, quo eam accipiunt Pontificii. Non enim moris eſt, ut convivæ coactiva poteſtate, intentatione mortis, igne, ferro, patibulo &c. ad epulas compellantur, ſed amica perſuaſione id fit, & inſtanter rogando. De Chriſto inquit Marcus cap. 6. 45. eum diſcipulos ſuos coëgiſſe intrare navigium, certe non verberibus aut minis, ſed juſſu ſuo. Etiam duo diſcipuli, qui proficiſcebantur Emmauntem, coëgerunt Jeſum, ut maneret cum ipſis, nimirum multis precibus & obſecrationibus Luc. 24. 29. De Petro ait Paulus, *quod cogeret Ethnicos Judaizare* Gal. 2. 14. non ulla carnali vi, ſed exemplo ſuo. Quocirca Ethnici (qui per hos è viis & à ſepibus compulſos ad cœnam convivas deſignantur) ita ab Apoſtolis eorumque coöperariis ad fidem coacti ſunt, quomodo Paulus ſcribit ad Timotheum: *Prædica ſermonem, inſta tempeſtive, intempeſtive, argue, objurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina* 2. Tim. 4. 2. Adhibuerunt præterea virtutem miraculorum, & exemplum ſanctæ juſtæ atque inculpatæ vitæ ſuæ, ut Paulus de ſe teſtatur 1 Theſſ. 2. 10. Atque hac ratione etiam vera Chriſti Eccleſia dare operam deberet, ut errantes in viam rectam fidei reduceret. Hic enim cogendi & compellendi homines modus penetrat ad animum ac intimas hominis fibras, vimque habet fidem hominibus ingenerandi: at carnalis coactio tantum ad corpus pertingit, animum non mutat, imo vim habet animos hominum in errore confirmandi; quia ex ea ſumitur anſa credendi, religionem iſtam carere ſolido veritatis fundamento, ad quam propagandam carnalis coactio adhibetur. Denique ſi quam efficiam coactio in hominibus habet nihil aliud quam hypocritas efficit, qui præ metu ore id profitentur, quod in animo deteſtantur; atque ita non ad ſalutem, ſed ad exitium ſempiternum homines ducit.

Verſ. 24. *Dico enim vobis, neminem virorum illorum, qui vocati fuerant, guſtaturum cœnam meam.*] Hæc adhuc ſunt verba domini illius, qui convivas ad cœnam vocari curavit.

PARS V.

Verſ. 25. *IBant autem cum eo turbæ multæ, & converſus dixit eis:*] Inter turbam permixti erant boni malis, uti ſolet in magna hominum multitudine eſſe: idque dedit anſam ſequenti doctrinæ.

Verſ. 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*] Si quis venit ad me, ſubintellige, ad diſcendum doctrinam meam. Apud Judæos receptum erat, ut iis qui Judaicæ Religioni initiari volebant, maximas moleſtias & incommoda ob oculos ponerent, quæ ſecum lex trahebat: Chriſtus indicat, ſuis ſectatoribus longe plus eſſe perferendum.

Et non odit patrem ſuum.] Certum eſt, vocem *odiſſe* impropria ſignificatione hic accipiendam eſſe. Parentes enim ſuos proprie odiſſe impietas eſt: ſeipſum autem odio habere, impoſſibile. Eph. 5. 29. Itaque odiſſe hoc loco nihil aliud denotat, quam minus amare, idque more Hebræo. Nam apud Matthæum eſt: *Qui Patrem & Matrem plus diligit, quam me.* Cap. 10. 37. Ita de Lia dicitur, quod inviſa fuerit Jacobo Gen. 29. 31, 33. id eſt, quod ejus minori amore quam Rachelis flagrarit. Vide etiam Deut. 21. 15, 17. Matth. 6. 24. Johan. 12. 25. Rom. 9. 13. Mal. 1. 2. Confer cum Gen. 25. 23. Vult autem Chriſtus, ut intelligamus, nullum etiam arctiſſimum neceſſitudinis ac ſanguinis vinculum tanti apud nos eſſe debere, ut ejus in gratiam à pietate deſciſcamus. Illi vero longiſſime à veritate deflectunt, qui hanc doctrinam ad ſolos Apoſtolos atque Antiſtites Eccleſiæ reſtringunt. Similia enim apud Matthæum & Marcum omnibus fidelibus in genere præſcribuntur. Neque etiam cauſa ulla eſt, cur ea quæ Chriſtus tam generaliter hic locutus eſt, in tam anguſtum ſenſum ſint compingenda. Nam quod attinet verba verſ. 33, *Quiſquis non valedicit omnibus bonis ſuis* &c. quæ illi inprimis ſuæ ſententiæ prætendunt, illa non id ſibi volunt, quod ipſi adſtruunt, ſed ad omnes Chriſtianos in genere ſpectant: ut ibidem videbimus.

Verſ. 27. *Et quiſquis non portat crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*] Explicationem iſtius vide ad Matth. 10. 38.

Et ſequitur me.] Hic non ſolum ſuſceptio nuda doctrinæ Chriſti exigitur, ſed etiam imitatio in vita ac ſanctitate. Qua de re Paulus loquitur 1. Cor. 11. 1.

Verſ. 28. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius conſidens computat ſumtum, an habeat ea, quæ ad ejus perfectionem requiruntur?*] In hac & ſequenti parabola, ut & in multis aliis, non eſt ſingularum partium ſignificatio quærenda, ſed ad ſcopum reſpiciendum eſt, ad quem tendant. Is autem

tem hoc loco non eſt alius, quam quod eum, qui tradit ſe in diſciplinam Chriſti, oporteat, diligenter attendere ac conſiderare pericula & incommoda, quæ profeſſionem Chriſtianæ religionis comitantur, ut ſunt, hoſtiles inimicitiæ conſanguineorum, jactura bonorum, periculum vitæ &c. ne ſi tale quid præter ſpem eveniat, eodem modo cum ipſo agatur, atque cum homine tali, qui magnum aliquod opus (v. g. ædificium turris ingentis, aut bellum adverſus potentiſſimum hoſtem) temere atque inconſiderantер aggreditur, & perficere non valens, tandem fit ludibrio omnibus: ne, inquam, ad eum modum & ille maximo cum diſpendio & ignominia ſua à Religione Chriſtiana deficiat, Chriſtumque deſerat.

Verſ. 29. *Ut ne poſtquam poſuerit fundamentum, & nequiverit eam perficere, omnes qui viderint, incipiant illi illudere.*

Verſ. 30. *Dicentes: Homo hic cœpit ædificare, & nequivit perficere.*

Verſ. 31. *Aut quis Rex proficiſcens, ut committat prælium cum altero rege, non prius conſultat conſidens, an poſſit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus venit adverſus ipſum?*

Verſ. 32. *Alioquin, cum adhuc ille procul eſt, legatione miſſa, rogat ea quæ ad pacem ſpectant.*

Verſ. 33. *Sic ergo quiſquis non valedicit omnibus bonis ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*] Per ὑπάρχοντα, i. e. bona intelliguntur ea proprie quæ habentur, ac poſſidentur, mobilia ſcilicet & immobilia: hic vero vox iſta in laxiori ſignificatione ſumitur, pro omni eo, quod humanum animum poſſidet, id eſt, quod homo diligit, includitque etiam Patrem, matrem, uxorem liberos, &c. & ipſam quoque vitam hominis, verſ. 26. Verbum *valedicere* (Gr. ἀποτάσσεσθαι,) idem hic ſignificat, quod *abnegare* apud Matthæum cap. 16. 24. & Marcum cap. 8. 34. & Lucam cap. 9. 23. Non enim hoc poſtulat Chriſtus, ut omnia bona reipſa abjiciantur, ſed ut cor ab iis abſtrahatur, ut longe minoris habeantur quam Chriſtus, & ſemper paratus geratur animus, ad ea reipſa abjiciendum, ſi illæſa & integra pietate ac conſcientia retineri nequeant. Alioquin enim vita quoque nobis noſtra abjicienda foret, id eſt, mors nobis eſſet conſciſcenda protinus: etiam parentes, uxores, ac liberi nobis repudiandi eſſent; quæ omnia abſurda ſunt. Hoc ipſum, quod Chriſtus hic docet, præcipit quoque Paulus in illis verbis: *Qui habent uxores, ſint ut non habentes; & qui emunt, ut non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes* 1. Cor. 7. 29, 30. Quare doctrina hæc Chriſti tendit maxime ad animum, ut ſcilicet omnia, quæ alioqui ſunt chariſſima, multo minori in pretio habeantur, quam Chriſtus & pietas. Quanquam quod divitias & terrenas poſſeſſiones attinet, qui vult animum ſuum ab iis liberum & non mancipatum habere, nihil melius facere poteſt, quam ſi reipſa eas elargiatur. Longe enim difficilius eſt, aliquid quod carni gratum eſt, poſſidere & animo ab eo non pendere, quam ſi penitus removeatur ex oculis: quemadmodum multo difficilius eſt, caſtitatem ſervare, ſi quis inter impudicas habitet mulieres, quam ſi ſe ab earum conſortio ſubducat. Multo etiam tutior via veræ pietatis eſt, carere divitiis. Infiniti enim ſunt homines, qui perſuadent ſibi animos ſuos non poſſideri à divitiis, cum tamen ab iis toti pendeant, & quaſi aureis compedibus devincti teneantur: quo pacto ſe ipſos fallunt, & ſalutis ſuæ naufragium patiuntur. Ab hoc autem periculo immunes ſunt, & longe tranquillitate majore conſcientiæ fruuntur, qui ſe ſuperfluis hujus vitæ bonis exonerant.

Non poteſt eſſe meus diſcipulus.] Id eſt, non poteſt munia Chriſtiani hominis rite implere: ad religionem Chriſtianam non eſt idoneus.

PARS VI.

Verſ. 34. *Bonum eſt ſal: ſi autem ſal infatuetur, quo condietur?*] Dicto hoc Chriſtus ſæpius uſus eſt. Vide Matth. 5. 13. Marc. 9. 50. Hoc loco ita cohæret cum ſuperioribus: Quo res eſt melior & præſtantior, ſi in ſua natura ac ſtatu permaneat, eo fit deterior quam alia omnia, ſi corrumpatur, & à ſua natura degeneret. Sal, quando retinet naturam ſuam, nihil eſt eo pretioſius: ſed ſi exuat naturam ſuam & fatuum ac inſulſum fiat, nihil eo eſt vilius, ut etiam ſimplici terra & fimo ſit abjectius. Ita etiam nihil eſt præclarius religione Chriſtiana, ſi quis vitam ex ejus præſcripto inſtituat: at nihil eſt ea inutilius, ſi vita confeſſioni non reſpondeat; quod in omnibus illis uſu venit, qui in animo ſuo non renunciant omnibus rebus hujus mundi, ſed iis affixi ſunt. Tales enim non poſſunt (ut ante dictum) ea facere, quæ Chriſtiana religio requirit.

Quo condietur?] Intellige, quo ſal condietur? ut ex Marco liquet cap. 9. 50. id eſt, non eſt aliud ſal, quo corruptum ſal poſſit reparari & rurſus ſalſum effici. Sic etiam quando hominis animus amore terrenarum rerum depravatus eſt, non eſt alius animus in corpore humano, quo poſſit ille emendari & in integrum reſtitui.

Verſ. 35. *Neque ad terram, neque ad ſterquilinium utile eſt: foras id abjiciunt. Qui habet aures ad audiendum audiat.*] Neque ad terram, neque ad ſterquilinium utile eſt, id eſt, neque per ſe ullum fructum adfert, neque alias res facit fructuoſas. Fæcunditas enim terræ præcipue conſiſtit in ſale, quod in ſe habet: etiam fæcunditas, quam terra haurit ex fimo, conſiſtit in ſale fimi; ideo fimus, ex quo ſal per pluvias extractum eſt, vim ſuam fæcundantem amittit. Quare ſi fatuum atque inſulſum ſal in terram, vel ſterquilinium projiciatur, nihilo plus efficit, quam mera arena, aut terra mortua, ſi cum bona terra commiſceatur, id eſt, facit terram ſterilem. Tales etiam ſunt Chriſtiani moribus ac vita corrupti, neque ſibi, neque aliis ſunt utiles, imo aliis peſſimo exemplo ſuo ſummopere nocent.

CAPUT XV.

I. *Chriſtus proponit parabolam de perdita ove, & amiſſa drachma: ad verſ.* 11. II. *De filio prodigo: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *APpropinquabant autem ad eum omnes publicani & peccatores, ut eum audirent.*] Proprie ſonant verba: Erant *appropinquantes ei*; id eſt, ſolebant ad eum appropinquare, ventitabant ad eum, & cum eo familiariter agebant.

Omnes publicani & peccatores.] Omnes tales homines, qui apud Judæos exoſi erant, & quorum conſortium vitabant. *Omnes*, id eſt, multi. Non enim veriſimile eſt, omnes ejus generis homines, nullo excepto, ad eum veniſſe.

Verſ. 2. *Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes; Iſte peccatores recipit, & edit cum eis.*] De iniquitate hujus murmurationis egimus ad Matth. 9. 12. Judæi de omnibus Dei attributis, ut & ejuſdem decretis ac conſiliis non aliter judicare ſolebant, quam ſecundum Fœdus Legis Moſaicæ. Cum itaque Fœdus illud tantum minoribus delictis daret veniam & expiationem eorum admitteret, graviora autem peccata, ut adulterium, homicidium &c citra miſericordiam plecteret, ſolebant illi quoque adverſus omnes Legis tranſgreſſores (levioribus peccatis exceptis) implacabile odium induere ac gerere, neque ullam admittebant pœnitentiam. Qui error plures alios ſecum trahebat. Ubi enim de Davide & aliis enormia quædam peccata recenſentur in Scripturis, illi malebant quærere varios colores, & effugia, quibus illa extenuarent & excuſarent, quam turpitudinem eorum agnoſcere, & divinam bonitatem fateri, quam in eo demonſtravit, quod peccata illa non ſecundum rigorem Legis ultus ſit, ſed clementer condonarit. Ita inquiunt, Davidem cum Bethſabea non commiſiſſe adulterium: quia ſic in more fuerit, ut cum viri irent in bellum, uxoribus ſuis poteſtatem darent interea alienum cubile ineundi. In Uria quoque nullo ſe Davidem obſtrinxiſſe homicidii crimine ajunt; Regibus enim jus eſſe ſubditis adverſus hoſtes, quacunque ratione, etiam cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine, utendi. Nec dubium eſt, eos pari modo ſua quoque propria peccata ac flagitia palliaſſe, & variis rationibus elevaſſe. At multo præſtitiſſet, ut quod verum eſt, agnoviſſent, quod nimirum extra Fœdus Legis partim in tabulis cordis noſtri, partim in Prophetarum ſcriptis plurima extent teſtimonia longe majoris benignitatis divinæ, quam in illo Fœdere continebatur. Si igitur Deus ita erga homines animatus eſt, ut etiam maximos peccatores, ſi ex animo reſipiſcant, haud difficulter in gratiam recipiat: manifeſtum utique eſt, debere nos quoque hanc Dei bonitatem imitari, neque fugere eorum converſationem, qui poſt admiſſa graviſſima peccata optimam melioris & caſtigatioris vitæ ſpem de ſe præbent: quales tunc erant publicani & alii notorii peccatores, qui niſi virtutis amore ac ſtudio flagrantem geſſiſſent animum, nunquam ſe Chriſto, omnis pietatis Magiſtro aſſociaſſent, non eum ad ſe invitaſſent, non prædicantem audiviſſent, aut doctrinæ ejus morem geſſiſſent. Hanc ſummam Dei erga peccatores reſipiſcentes bonitatem, Chriſtus confirmat, non teſtimoniis Sacræ Scripturæ, quod facere poterat, ſed duabus parabolis ductis à rebus, quæ quotidie inter homines uſu veniunt: defenditque ſe adverſus iniquam criminationem Phariſæorum, quod cum publicanis & peccatoribus converſetur, exemplo ejus, quem imitari ſumma perfectio eſt. Quemadmodum autem Judæi tunc erga ſuæ religionis domeſticos, qui ſeſe aliqua tranſgreſſione Legis obſtrinxerant, tam duri ac immites erant: ita etiam deinceps poſt Chriſti in cœlos aſcenſum parem inhuminitatem extraneis gentibus exhibuerunt, ut iis qui idololatria aliiſque gravioribus peccatis polluti erant, omnem ſpem gratiæ divinæ præciderent, nec ulli remiſſioni locum dari vellent. Itaque ſicut hic queruntur de Chriſto, quod peccatores recipiat, & cum illis edat: ita objiciunt quioque Petro, quod *ad viros præputiatos ingreſſus, cum eis cibum ceperit*, Actor. 11. 3. Res una eademque eſt. Nam publicani, peccatores, & Ethnici in eodem erant apud ipſos prædicamento, & eodem eos habebant loco. Cum igitur Chriſtus hoc animadverteret, & prævideret quoque, quid poſtea futurum ſit, retundit hanc Phariſæorum criminationem ita, ut etiam futuræ immiſericordiæ hac in parte occurrat.

Verſ. 3. *Ait autem ad illos parabolam iſtam dicens:*

Verſ. 4. *Quis ex vobis homo, ſi habeat centum oves, & perdiderit unam ex illis, non derelinquit illas nonaginta novem in deſerto, & abit ad eam, quæ periit, donec inveniat eam?*] Hæc eſt eadem parabola, quam Chriſtus etiam Matth. 18. 12, propoſuit, ſed fine aliquantum diverſo. Illic enim voluit Chriſtus docere, non eſſe dandum ullum ſcandalum, ac offendiculum in curſu pietatis ponendum illis, quorum ſalutis tanto Deus tenetur deſiderio: hic vero, non eſſe tanta immiſericordia ac inhumanitate utendum, ut eorum horreamus conſortium, quorum Deus miſeretur.

Verſ. 5. *Et inveniens imponit in humeros ſuos gaudens.*

Verſ. 6. *Venienſque domum convocat amicos & vicinos, dicens eis: Congratulamini mihi. Nam inveni ovem meam, quæ perierat?*

Verſ. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore reſipiſcente, magis quam ſuper nonaginta novem juſtis, quibus non opus eſt reſipiſcentia.*] Gaudium erit in cœlis, nempe inter Angelos: ut additur verſ. 10. Sapientes Judæorum dictitant, ſi Judæus admittat peccatum aliquod, Angelos flere.

Magis quam ſuper nonaginta novem juſtis.] Adverbium *magis* non habetur in textu, ſed omnino ſubintelligendum eſt: ut ex Matthæo intelligitur, ubi expreſſe additum eſt, ac dicitur: *Gaudet ſuper ea* (nempe ove errante) *magis, quam ſuper nonaginta novem non aberrantibus*, cap. 18. 13. Loquitur autem ſic Chriſtus humano more, quod majus gaudium futurum ſit in cœlis ſuper uno peccatore reſipiſcente. Apud homines enim ita ſolet fieri, ut quod inſperatum, vel jam deſperatum ferme obvenit, magis animum commoveat. Sapientes Hebræi dicere amant, pulchrius eſſe, quoties magno ſibi conſtat, honeſtum. Longe eſt difficilius habitum peccatorum deponere, quam contractum virtutis habitum continuare. In multis enim ignorantia vitiorum

rum pro virtute eſt. Obſervandum hic præterea, eos qui antea contaminatiſſimam vitam egerant, ubi reſipuerint, majori poſtmodum ardore ſectari pietatem; quia dolor de prioribus delictis eſt illis inſtar ſtimuli.

Quibus non opus eſt reſipiſcentia.] Vox *reſipiſcentiæ* vel *pœnitentiæ* in Sacris Literis tantum de talibus uſurpatur, qui peccatis dediti ſunt, eorumque habitu laborant, non autem de iis, qui forte ex fragilitate vel ignorantia in peccatum aliquod incidunt, alioqui pie viventes. Etſi enim hi quoque dolorem è peccatis ſuis ſentiant, & quodammodo etiam mutatio animi in eis exiſtat, tamen id in Scripturis non ſolet vocari pœnitentia; cum per hanc inſignis & magna animi mutatio ab habitu peccati in habitum virtutis denotetur. Qui igitur nullo irretiti ſunt peccati habitu, quamvis aliquando præoccupentur aliquo peccati actu, ii ſunt, qui hoc loco *juſti* nuncupantur, qui nulla pœnitentia, id eſt, nulla mutatione totius vitæ ſuæ indigent. Hoc ſenſu Chriſtus dixit Matth. 9. 13, ſe non veniſſe vocatum *juſtos*, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Opponit autem Chriſtus hic nonaginta novem juſtos uni peccatori, non quod reipſa ita ſe res habeat (citius namque invenientur nonaginta novem peccatores, quam unus juſtus ac vere pius) ſed Chriſti mens eſt: Poſito, eſſe nonaginta novem juſtos, & unum tantum peccatorem, nihilominus hujus unius cauſa, tanta cura adhibenda eſſet in eo ad frugem reducendo, ne pereat, quanta fidelis paſtor utitur in quærenda una ove perdita. Quanto vero magis id faciendum eſt hiſce corruptiſſimis temporibus, in tanta copia peccatorum, & tanta inopia ac paucitate juſtorum?

Verſ. 8. *Aut quæ mulier, ſi habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & verrit domum, quæritque diligenter, donec inveniat?*] Hoc ſimile ad eundem ſcopum collineat, ad quem & ſuperius.

Si habeat drachmas decem.] In numero *decem* adeo parum myſterii ineſt, atque in numero *centum*, vel *nonaginta novem*, de quo præcedenti parabola (vide ad Matth. 18. 12.) ſed Chriſtus ſumit ſimilitudines è communi vita ac uſu. Vulgo enim unus opilio ſolet habere centum oves, plus minus: & paupercula mulier, quæ ſe ſuarum manuum labore ſuſtentat, plerumque non multo plura habere ſolet, quam decem drachmas. Drachma eſt quarta pars ſemunciæ argenti, valetque dimidiam partem quadrantis taleri Imperialis.

Verſ. 9. *Et inveniens convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi; nam inveni drachmam, quam perdideram.*

Verſ. 10. *Ita dico vobis, gaudium eſt coram Angelis Dei ſuper uno peccatore reſipiſcente.*] Coram Angelis: ut ſupra cap. 12. 8. Eſt deſcriptio aulæ cœleſtis.

PARS II.

Verſ. 11. *Ait autem: Quidam habebat duos filios.*] Concluſionem duarum præcedentium parabolarum, quod nimirum majus gaudium futurum ſit ſuper uno peccatore reſipiſcente, quam ſuper nonaginta novem juſtis &c. Confirmat Chriſtus alia parabola de quodam Patre, qui ſummo gaudio affectus eſt, invento filio ſuo perdito. Atque hic eſt finis ac ſcopus parabolæ: cui appendicis loco annectitur illud de indignatione filii natu majoris propterea, quod Pater tanto cum gaudio filium perditum ſuſciperet. In cujus indignantis fratris perſona Chriſtus Phariſæos perſtringere voluit, quod adverſus ſuam cum publicanis ac peccatoribus converſationem murmurarent. Primariæ partes hujus parabolæ, quæ aliquid ſignificant, ſunt, Pater, & duo filii: reliquæ pleræque circumſtantiæ magis ad complementum & ornatum parabolæ additæ ſunt, quam quod peculiaria aliqua in eis contineantur myſteria. Per Patrem ſignificatur Deus: per juniorem filium omnes deſignantur peccatores, qui agunt pœnitentiam: per Seniorem filium omnes juſti, qui pœnitentia non egent. Sed quatenus Senior iſte Filius murmuravit adverſus Patrem, eatenus tanquam typus Phariſæorum proponitur.

Verſ. 12. *Et dixit junior eorum Patri: Pater, da mihi partem ſubſtantiæ, quæ in me cadit; & diviſit illis facultates.*] Aptiſſime ſane in juniori natu filio exemplum perverſi ingenii proponitur. In juvenibus enim prævalent ac regnant affectus carnis, quos maturior ætas rationis freno coërcere didicit.

Da mihi partem ſubſtantiæ.] Non eſt filio ulli jus à Patre, ſuperſtite poſcere ſuum patrimonium; nec Pater ullus ad dandum ei obſtrictus eſt. Itaque hic Chriſtus vel ejuſmodi Patrem deliberato introducere voluit, qui tam benigne agit cum filio, ut ejus obſecundet voluntati, etſi jure nullo teneretur, vel reſpicit ad conſuetudinem illorum locorum, ubi mercatura viget aut optificium, vel aliæ acquirendi rationes; ubi Patres ſolent filiis ſuis, poſtquam adoleverint, ſi petant, dare partem aliquam hæreditatis paternæ, ut ea negotientur, & propria induſtria ſibi victum quærant: quæ pars illis deinceps poſt obitum Patris ab illorum patrimonio detrahitur. Quam conſuetudinem apparet vel in Judæa, ipſa vel in vicina Syria obtinuiſſe: quia Chriſtus omnes ſuas parabolas atque exempla à rebus notis ſumere ſolebat. Quid per ſubſtantiam, quam junior filius à Patre poſtulavit, quamque prodegit, intelligatur, non eſt ſolicite inquirendum. Chriſtus enim nihil aliud hoc ſimili proponere voluit, quam magnum peccatorem, qui diſſolutam vitam egit. Quare extra oleas vagantur, qui per hanc ſubſtantiam liberum arbitrium hominis, vel imaginem Dei, vel alia dona, quibus homines abuntuntur, intelligenda eſſe cenſent.

Verſ. 13. *Et poſt non multos dies, congregatis omnibus, junior ille filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & illic diſſipavit ſubſtantiam ſuam, profuſe vivendo.*] Chriſtus hic nihil aliud ſignificare vult, quam hunc juvenem valde depravatum ac temerarium fuiſſe. Noluit enim manere in proximo, ubi Pater & cognati ejus potuiſſent eum ſubinde à luxuria ad frugalitatem monitis & objurgationibus ſuis revocare: ſed procul ſe ſubduxit ab oculis Patris amicorumque ſuorum, in exteras oras profectus, ubi ſuo poſſet vivere naſo atque arbitrio. Eodem

pacto

pacto procul à Deo abeunt omnes illi, qui ejus metum ac reverentiam exuerunt, Pſalm. 73. 27.

Verſ. 14. *Cum autem ipſe omnia conſumſiſſet, orta eſt fames valida in regione illa: & ipſe cæpit egere.*] In hiſce quoque, quæ narrantur de fame, cive, porcis, ſiliquis &c. non ſunt peculiaria myſteria quærenda: iis enim duntaxat miſerrimus ſtatus hujus juvenis depingitur, & cauſa indicatur, cur coactus ſit vile miniſterium paſcendi ſues ſuſcipere, quia nimirum non ſolum omnia ſua bona merſerat in ventrem ac dilapidaverat, verum etiam maxima fames invaluit & incubuit toti regioni, ut vix ditiores poſſent ſubſiſtere vitamque à fame defendere, nedum ut poſſet homo egentiſſimus, peregrinus & aliis ignotus. In genere poteſt hoc applicari ad miſeriam eorum ingentem, qui in peccatis volutantur.

Verſ. 15. *Et abiens adhæſit uni ex civibus regionis illius, qui miſit eum in agros ſuos paſcere porcos.*

Verſ. 16. *Et deſiderabat ventrem ſuum implere ſiliquis, quas edebant porci, & nemo ei dabat.*] Miſerrimum erat, quod juvenis iſte videret porcos paſci ſiliquis, ipſe vero iis frui non poſſet. Deſiderabat enim, & optabat, ſed obtinere non poterat.

Siliquis.] Græcum vocabulum κεράτιον proprie *corniculum*: & hoc nomine non ſolum ſiliquæ qualiumcunque leguminum ſeu folliculi deſignantur, ſed etiam fructus ille, qui Panis S. Johannis & Corniculum hirci vocatur, inque regionibus calidioribus, ubi magna eorum copia naſcitur, ſuibus datur, uti in noſtris oris glandes. Hujus fructus tantum ſiliquæ comeduntur, dura, quæ intus ſunt, oſſa abjiciuntur. Tempore famis etiam homines illis veſcebantur: ſunt enim dulces. De hoc fructu hic Syrus & Arabs interpres vocem κερατίου accepit.

Verſ. 17. *Cum autem ad ſe rediiſſet, dixit: Quot mercenarii Patris mei abundant panibus, ego vero fame pereo!*] Vexatio dat intellectum. Recordatio abundantiæ in domo paterna, & ſenſus tantæ egeſtatis in alieno ſolo, facile tales cogitationes ac ſermones, quales Chriſtus inducit, exprimere potuit.

Verſ. 18. *Surgens proficiſcar ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum & coram te:*] Dicit eum ſurrexiſſe, per Hebraiſmum, qui uſurpatur de eo, qui aliquid vult facere & aggredi. Nam cum nihil agimus, ſedemus; quando vero quippiam agere volumus, ſurgimus. Sic etiam Deut. 31. 38. Pſal. 81. 8.

Pater, peccavi.] Non rejicit culpam in ſuæ ætatis imprudentiam, non in malos conſiliarios, ſed ſimpliciter confitetur peccatum ſuum nulla excuſatione aut circuitione utens. Ita decet omnes peccatores erga Deum ſe gerere.

In cœlum.] Cœlum hic ponitur pro Deo ipſo, quia cœlum Dei thronus eſt ac domicilium. Ita etiam Matth. 21. 25.

Et coram te.] Id eſt, contra te, more Hebræorum. Hoc vult dicere hic juvenis: Peccavi contra Deum, dum tam impiam vitam egi, & contra te, dum tibi inobediens fui, & à te invito patrimonium meum extorſi.

Verſ. 19. *Neque amplius ſum dignus vocari filius tuus: fac me, ut unum ex mercenariis tuis.*] Quaſi dicat, non ſum dignus, ut eo loco ſim in domo tua, qui filio competit, ſed ſufficit mihi, ut ſim in numero ſervorum ac mercenariorum tuorum. Omnes homines ratione creationis ſunt Dei filii: ſed jus ſuum amittunt, quando à Deo ſe avertunt, ſeſeque ad peccata convertunt.

Verſ. 20. *Et ſurgens venit ad Patrem ſuum: cum autem adhuc longe abeſſet, vidit eum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt; & accurrens irruit in collum ejus, & deoſculatus eſt eum.*] In hoc verſiculo eleganter & graphice expreſſa eſt indoles facilis & benigniſſimi Patris, quam Chriſtus tot circumſtantiis & tam pathetice deſcribit, quia intentio ejus erat, Dei ſummam clementiam ac miſericordiam erga reſipiſcentes peccatores declarare. Cum enim juvenis iſte adhuc longe abeſſet, & Pater è lacero veſtitu & miſera ejus ſpecie inopiam ejus agnovit, illico paterna ipſius viſcera ad miſerationem commota ſunt, ita ut non expectaret illius adventum, ſed ipſe ei in occurſum properaret, preceſque ejus ſua charitate præverteret. Ita Deus quoque gratia ſua prævenit peccatores pœnitentiam agentes, ſimulac cœperint vitæ melioris propoſitum. *Quando clamabunt, ego reſpondebo; adhuc ipſis loquentibus, ego eos exaudiam,* Eſai. 65. 24.

Verſ. 21. *Dixit autem ei filius. Pater, peccavi, in cœlum & coram te, neque dignus ſum amplius vocari filius tuus.*] Oportet ut homo etiam poſt annunciatam peccatorum remiſſionem ſua peccata confiteatur: hoc enim requirit humilitas ac modeſtia erga Deum, & hominem adverſus nova peccata præſervat. Exemplum ejuſmodi humilitatis habemus in Paulo 1 Cor. 15. 9. 1 Tim. 1. 15.

Verſ. 22. *Dixit vero Pater ad ſervos ſuos: Proferte ſtolam illam præcipuam, & induite eum, & indite annulum in manum ejus, & ſoleas in pedes.*] Stolam jubet proferri, quia filius ferme nudus ac inveſtis erat, lacera veſte male tectus. *Præcipuam* Gr. πρώτην, primam: ut Matth. 22. 38. Johan. 1. 30. Rom. 3. 2. Si quis ſtolæ iſtius ſingularem ſignificationem requirat, poteſt per eam intelligi vita inculpata, quam animus gratus pro accepta gratioſa remiſſione producit. Vide Apoc. 6. 11. VII. 13, 14. XIX. 8. Eſai. 52. 1.

Indite annulum in manum ejus.] Annulus eſt ſignum magnæ dignitatis, ut Gen. 41. 42.

Et ſoleas in pedes.] Erat enim nudipes. Hæc omnia eo pertinent, quod Chriſtus ſignificare vult Patrem rurſus eum pro filio ſuſcepiſſe.

Verſ. 23. *Et adductum vitulum illum ſaginatum mactate, & edentes oblectemur.*

Verſ. 24. *Quia filius iſte meus mortuus erat, & revixit, perieratque & inventus eſt. Et cæperunt oblectari.*] Ne ſervi mirarentur, herum velle propter unum ſeminudum adoleſcentulum ingens adornare convivium, reddit ejus rationem, & vocat eum ſuum filium.

Mortuus erat.] Quia erat perditus: quod Patri tantundem erat, atque ſi mortuus fuiſſet. Vide dicta ad Matth. 8. 22.

Verſ. 25. *Erat autem filius ejus ſenior in agro, & ut veniens appropinquavit domui audivit concentum & choros.*] Quid intelligatur per hunc ſeniorem filium, jam dictum eſt ad verſ. 11.

Verſ. 26. *Et advocans unum ex ſervis, percontatus eſt, quid iſtud eſſet.*

Verſ. 27. *Is vero dixit ei: Frater tuus venit, & mactavit Pater tuus vitulum illum ſaginatum, quia incolumem illum recepit.*

Verſ. 28. *Indignatus eſt autem ille, nec voluit introire. Pater ergo ipſius egreſſus, advocavit eum.*

Verſ. 29. *Ipſe vero reſpondens dixit Patri: Ecce tot annos ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum transgreſſus ſum, & nunquam dediſti mihi hædum, ut cum amicis meis oblectarer.*

Verſ. 30. *Sed cum filius iſte tuus venit, qui abligurivit victum tuum cum meretricibus, mactaſti ei vitulum illum ſaginatum.*

Verſ. 31. *Ipſe vero dixit ei: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.*] Chriſtus hoc ſimili non indicat, eos qui ſemper probi fuerunt, indignaturos, quod peccatores ad frugem redeuntes in gratiam recipiantur: ſed potius nullam eſſe juſtam cauſam ea de re conquerendi. Notandum quoque hic eſt, Phariſæos & Scribas, qui per hunc Seniorem filium adumbrantur, non fuiſſe tales, qui omni ex parte Legem ſervarint, ſed quia pro talibus haberi volebant, & ſanctos ſe eſſe profitebantur, concedit id Chriſtus ex abundanti, ac ſupponit, oſtendens hac parabola, etſi ita ſe res haberet, quod tales ſint revera, eos tamen nullam habere cauſam, invidendi peccatoribus reſipiſcentibus hanc gratiam divinam, quandoquidem ipſis per eam nihil decedat. Vide Matth. cap. 20. 12.

Verſ. 32. *Exhilarari vero & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat que & inventus eſt.*

CAPUT XVI.

I. *Chriſtus proponit parabolam de iniquo diſpenſatore: ad verſ.* 10. II. *Dehortatur ab avaritia: ad verſ.* 16. III. *Docet de efficacia Euangelii, & immutabilitate Legis: ad verſ.* 19. IV. *Tradit parabolam de divite Epulone, & paupere Lazaro: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Dicebat autem etiam ad diſcipulos ſuos: Fuit homo quidam dives, qui habebat diſpenſatorem; & hic delatus eſt apud eum, quaſi diſſiparet bona illius.*] Tempus quando parabola hæc à Chriſto prolata ſit, à Luca non eſt annotatum. Diſſimilitudo autem finis parabolæ hujus & præcedentium, arguit eam alio tempore, quam præcedentes, eſſe propoſitam. Finis enim potiſſimus hujus parabolæ, ut ex concluſione cernitur, verſ. 9. eſt, monere atque adhortari divites, ut ex opibus ſuis benefaciant pauperibus, cum non ſint domini, ſed diſpenſatores ſolummodo bonorum iſtorum, quæ poſſident. Hac ratione enim eos ſibi gradum ad cœlum ſtructuros.

Fuit homo quidam dives.] Is eſt Deus, qui eſt verus ac legitimus dominus omnium quæ in mundo ſunt bonorum, Pſal. 50. 12. Hagg. 2. 9.

Qui habebat diſpenſatorem.] Tales ſunt omnes divites. Itaque illi infideliter ac nequiter agunt cum domini ſui bonis, quando de iis non largiuntur prompte egenis, quos ad ipſos mittit Deus, ſed ea potius in proprias voluptates ſuas prodigunt.

Quaſi diſſiparet bona illius.] Uti faciebat dives ille Epulo, de quo infra verſ. 19.

Verſ. 2. *Et vocans eum ait illi: Quid iſtud audio de te? redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris amplius eſſe diſpenſator.*] Munere diſpenſandi privaberis. Nam qui bona Dei temporalia infideliter adminiſtrant, ab iis etiam Spiritualia bona auferentur. Qui enim in modico injuſtus eſt, etiam in multo injuſtus eſt verſ. 10.

Verſ. 3. *Dixit autem apud ſe diſpenſator: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me diſpenſationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco.*] Quia privari officio ſuo, & carere domini ſui pane debebat: idcirco ſolicitus eſt, qua ratione poſterum ſit vitam transacturus, ac ſeipſum ſuſtentaturus. Ad laborandum deerat & animus, & vires: mendicare ignominioſum ac turpe ducebat.

Verſ. 4. *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à diſpenſatione, recipiant me in domos ſuas.*] Neceſſitas acuit ingenium, ac induſtriam hominum. Juvenit medium, ſed cum domini ſui detrimento conjunctum. Nempe falſat ac immutat domini ſui acta rationes debitorum continentia, & ſingulis debitoribus remittit bonam partem debiti. Ita autem introducitur hic deſpenſator, ut acta iſta ac tabulas domini ſui in manu ac poteſtate ſua habuerit.

Verſ. 5. *Et convocans unumquemque debitorum domini ſui, dixit primo: Quantum debes domino meo?*

Verſ. 6. *Is autem ait: Centum batos olei. Et dixit illi: Accipe tabulas tuas, & ſede cito, & ſcribe quinquaginta.*] Græcum nomen βάτος menſura rerum liquidarum erat, continebatque ferme tantum, quantum apud nos urna, ſeu menſura capiens 20 congios.

Accipe tabulas tuas.] Porrigit ei cautionem ipſius, ut eam propria manu immutet, ne fraus pateret.

Et ſede cito.] Properare eum jubet, ne in ipſo falſationis tabularum actu deprehenderetur.

Verſ. 7. *Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Is autem ait: Centum coros tritici. Et dixit ei: Accipe tabulas tuas, & ſcribe octoginta.*] Corus eſt Græca vox denotans menſuram, qua omne genus frumenti menſurabatur, & capiebat in ſe decem Ephas: Epha autem una tria Sata. Vide Matth. 13. verſ. 33. Qui plura hac de re noſſe cupit, legat Joſephum lib. 8. cap. 2. & lib. 25. cap. 12.

Verſ. 8. *Et laudavit dominus diſpenſatorem injuſtum, quod prudenter feciſſet: quia filii ſeculi hujus prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua.*] Laudavit in eo non furtum, ſed prudentiam ac ſolertiam. Remiſſione enim illa debitorum obligavit ſibi debitores, ut ipſi viciſſim in neceſſitate ſubvenirent. In hac prudentia ſita eſt tota vis parabolæ, & non in furto. Argumentatur quodammodo Chriſtus à minori ad majus: ſi nimirum prudentia laudanda eſt in facto tam injuſto; quanto magis laudanda eſt, ſi

cum

cum virtute juncta sit? Vel, si iste dispensator tanta prudentia usus est, ut à debitoribus in ipsorum domos reciperetur: quanto magis ea utendum est, nobis, ut in æterna tabernacula recipiamur? Simili modo Christus argumentatur infra cap. 18. 6. Si injustus Judex se tandem indesinenti flagitatione & obsecratione flecti passus est: quanto magis se flecti sinet Deus clementissimus?

Quia filii hujus seculi prudentiores sunt, filiis lucis in generatione sua.] Filii hujus seculi sunt, qui nihil nisi commoda hujus vitæ curæ habent. Hebræa phrasis est, ut Matth. 9. 15 & alibi.

Prudentiores sunt.] Longe melius norunt ea observare & adhibere media, quæ ipsorum bono serviant, norunt statum suum temporalem melius tueri.

Filiis lucis.] Ita Hebraica locutione appellantur omnes ii, qui aliquam notitiam de meliori vita habent: quorum plerique ita comparati sunt, ut mediis istis non utantur, nec viam istam insistant, quæ ad insigne bonum ducit. Itaque ea in re minus sapientes ac prudentes sunt, quam filii hujus seculi in rebus, ad quas ad pirant, & in quibus felicitatem suam sitam putant: in his videmus, quanto homines ardore ac prudentia versentur, quam nulli operæ ac labori parcant, quo se arbitrantur felicitatis in hac vita compotes fore. Ex eo, quod Christus filiis hujus seculi opponit filios lucis, colligitur, filios hujus seculi esse filios tenebrarum, & opera filiorum hujus seculi, esse opera tenebrarum. Intellectus enim eorum non est illustratus luce veræ sapientiæ, quæ veram, & perpetuam edocet homines felicitatem.

In generatione sua.] Etiam Hebraismus est, id est, in suis negotiis, in iis rebus, circa quas occupantur. Quod Christus ideo addit, ne quis existimet, eos simpliciter prudentiores esse filiis lucis.

Vers. 9. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona injustitiæ, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*] Mandat Christus discipulis suis, ut in prudentia injustum istum dispensatorem imitentur. Quemadmodum enim ille de alieno liberalis fuit, sibique amicos largiendo paravit: ita Christiani quoque debent de bonis terrenis, quorum non domini, sed dispensatores tantum sunt, benefacere egenis, eosque sibi amicos facere.

De mammona injustitiæ.] Mammon est Syriaca vox, & significat divitias (vide ad Matth. 6. 24.) Christus autem non loquitur hic de divitiis, quæ per injustitiam acquisitæ sunt, sed in genere de omnibus divitiis ac opibus, sive justo sive injusto modo partis; eaque idcirco injustas vocat, quia ut plurimum tantum ab injustis possidentur, & modis illicitis ac injustis comparantur. Vide etiam vers. 11.

Ut cum defeceritis.] Nempe à mammona; id est, quando vos terrena bona deserent: quod tempore mortis accidit, ubi omnia temporaria relinquenda sunt.

Recipiant vos.] Subintellige, pauperes, quos vobis amicos feceritis.

Recipiant.] Id est, ut causa sint, ob quam recipiamini. Nam partim preces eorum, partim ipsa virtus beneficentiæ, id efficiet. Christus respicit hac locutione ad præcedentem parabolam. Quia enim de dispensatore dixerat, eum sibi amicos fecisse domini sui debitores, ut eum vicissim in domos suas reciperent: ideo hic quoque sic loquitur de pauperibus, quasi illi ipsi eos quorum beneficiis usi sunt, recepturi sint in æterna tabernacula.

In æterna tabernacula.] Id est, in cœlum, quod Christus vocat domum Patris sui, Johan. 14. 2. Observandum autem hic est, quod etiam ad Matthæum cap. 5. 7, annotavimus, beneficentiæ quidem magnam vim esse ad vitam æternam conciliandam, sed eam solam non sufficere, verum oportere, ut cum vera pœnitentia conjuncta sit, aliæque eam virtutes comitentur.

PARS II.

Vers. 10. *Qui fidelis est in modico, etiam in multo fidelis est; & qui in modico injustus est, etiam in multo injustus est.*] In his verbis Christus affert rationem, qua nobis vult persuadere, ut divitiis ac terrenis bonis quam optime utamur, aut potius fideliter & ex domini voluntate ea administremus. Vis hujus rationis est, quod Deus iis qui terrena bona fideliter administrant, etiam cœlestia bona concrediturus sit. Ratio autem hujus rationis est, quia qui in modico fidelis est, etiam in majoribus fidelis esse soleat, & qui in illo infidelis est, multo minus in majoribus fidelis sit. Per modicum igitur intelliguntur omnia bona terrena, ut ex collatione cum versu sequenti cernitur, ubi ea Christus injustum mammonem vocat. Appellantur autem merito *modicum* vel *minimum* omnia bona terrena, quantalibet sint, præsertim quando cum æternis ac cœlestibus bonis in comparationem veniunt. Exiguum punctum est, (inquit sapiens ille Ethnicus) quod tot gentes igne ac ferro inter se dividunt. Minima etiam sunt respectu exiguæ utilitatis, quam afferunt. Nullius vita consistit in eo, quod ipsi supereſt de bonis suis, dixit supra Christus cap. 12. 15. Vide etiam Matth. 16. 26. Vox *fidelis* respicit ad officium, ad quod unusquisque in administratione bonorum temporalium à Deo obstrictus est. Quod officium in eo consistit, ut bonis istis ad nostram nostrorumque frugalem sustentationem utamur, reliquum autem ad Dei gloriam & subsidium egenorum proximorum nostrorum convertamus: & si Deo permittente prorsus iis orbemur, ut eorum jacturam animo æquissimo feramus. Hoc qui facit, Deo domino suo fidelis est, qui ea nobis ac fidei nostræ certa lege commisit.

Etiam in multo fidelis est.] Per *multum*, ut est in Græco, vel *magnum* intelliguntur bona cœlestia vel spiritualia, quæ nobis Deus in hac vita communicat. Illa sunt, agnitio veritatis, remissio peccatorum, tranquillitas conscientiæ, spes vitæ æternæ, & jus ad eam, Spiritus Sanctus cum omnibus suis donis & operationibus seu effectis. Hæc meritissimo magna vocantur. Minimus in regno cœlorum major est Joanne Baptista, Matth. 11. 2. Fidelitas consistit recto in usu horum bonorum spiritualium, ut nimirum ea firmiter conservemus, & summo studio enitamur ea in nobis augere, & aliis, quoties se dat

occaſio, communicare. *Tene quod habes*, Apoc. 3. 11. Vide etiam Hebr. 4. 14. XII. 28. Phil. 2. 12. Debemus mina noſtra ita negotiari, ut decem minas lucremur, Luc. 19. 16. Vide quoque 2 Tim. 1. 6. 2 Petr. 1. 5. Eſt autem hoc dictum Chriſti proverbiale, quo alluditur ad heros illos, qui experimentum fidelitatis ſervorum ſuorum capiunt in rebus minoribus, ex quo deinceps de eorum fidelitate in majoribus judicant. In ejuſmodi autem Proverbiis non omnia ſunt ad vivum reſecanda, nec veritas exacte in omnibus exemplis requirenda. Etſi enim aliquando contingat, ut qui in minimis fidelis eſt, non ſit in magnis (qualis erat ille, qui dicebat: Quis reſiſtat tot armatis? intelligebat autem aureos nummos, quibus imprimi imago armatorum Regum aut Imperatorum ſolet) probabile tamen eſt, eum qui tam tenera eſt conſcientia, ut ne in minimis quidem ſibi violare fidem permittat, multo minus in magnis rebus aliquid contra conſcientiam ac fidelitatem eſſe facturum.

Verſ. 11. *Si ergo in injuſto mammona fideles non fuiſtis, verum quis vobis credet?*] Quod Chriſtus antea in genere dixit, hoc trahit nunc in ſpecie & applicat ad divitias. Injuſtum Mammona opponit vero: unde intelligitur, vocem *injuſtus*, idem hic valere, quod *fallax*. Hebræa enim vox Scheker quæ proprie fallacem ſignificat, à 70 Interpretibus redditur *injuſtus*. Vide inter alia Deut. 19. 18. Jer. 5. verſ. 31. Hoc autem ſibi vult Chriſtus: Si in bonis terrenis non fuiſtis boni diſpenſatores, non concredetur vobis, id quod verum eſt, id eſt, bona cœleſtia vobis non tribuentur. Terrena bona jure merito tanquam fallacia bona cœleſtibus tanquam veris opponuntur. Quicquid enim terrenum eſt, fluxum eſt & momentaneum, innumeriſque caſibus expoſitum; unde fit, ut qui iis nititur ac fidit, decipiatur: Cœleſtia autem bona ſunt immutabilia, & vere quoque humani animi deſiderium explent.

Verſ. 12. *Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?*] Interpretes quidam exiſtimant, hoc dictum ejuſdem plane argumenti eſſe cum præcedentibus, quod ſcilicet Chriſtus terrena vocet aliena, quia nobis non tanquam propria poſſeſſio data ſint, ſed tantum ad tempus concredita; Spiritualia autem vocet noſtra, quia ea nobis donata ſint in perpetuum, & nunquam futurum ſit, ut à nobis auferantur, niſi forte ipſi ea ſponte repudiemus. Cui dicto ſumma æquitas ineſt, ne ei qui mutuo conceſſa infideliter adminiſtrat, id quod ipſius proprium eſt, tribuatur. Solent enim homines communiter circumſpectius tractare alienas res, quam ſuas proprias, quarum nemini rationem reddere tenentur. Alii vero ex Interpretibus ſunt, qui cenſent Chriſtum hic aliud quippiam voluiſſe dicere, quam in ſuperioribus, quod nimirum loquatur de præmio, quod paratum eſt illis, qui Dei bona fideliter deſpenſant. Solent enim domini OEconomis ſuis pro ipſorum diſpenſatione & adminiſtratione certos de bonis ſuis reditus aſſignare, qui ipſorum proprii ſunt; reliquum autem eſt dominorum. Sic ergo Chriſti mens eſſet: Si in alieno, id eſt, quod veſtri domini eſt, infideles vos præſtatis, quis vobis dabit, quod veſtrum eſt, id eſt, quis dominus vobis dabit præmium veſtrum, quod vobis pro veſtro miniſterio aſſignatum eſt? Infideli enim OEconomo non ſolet ulla merces tribui. Sed prior explicatio videtur menti verborum Chriſti eſſe accommodatior.

Verſ. 13. *Nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.*] Explicatio hujus videatur ad Matth. 6. 24. Cohæret autem optime hoc cum antecedentibus. Illi enim ſerviunt mammonæ, quorum potiſſima cura & ſtudium circa divitias occupatur: tales autem plerumque ſunt tenaces, parci, ac immiſericordes.

Verſ. 14. *Audiebant autem hæc omnia etiam Phariſæi, qui erant avari, & deridebant eum.*] Etſi Chriſtus iſta tantum ad diſcipulos ſuos locutus fuerit, ut verſ. 1, indicavit Lucas, tamen ſe illis etiam Phariſæi admiſcuerunt, vel ſeorſim ſtantes attenderunt ſermoni ejus, ut aliquid arriperent, cui genuinum infigere poſſent.

Deridebant eum.] Sannis eum excipiebant, tanquam docentem res Legi contrarias, quæ hominibus maximas promittit divitias. Facile autem intelligebant, neminem poſſe magnos theſauros colligere vel poſſidere, ſi ea liberalitate, quam verba Chriſti exigebant, erga pauperes uteretur. Non poterat non hæc doctrina tam ſublimis de liberalitate avaris ingrata, abſurda & riſu digna videri. Itaque mirum non eſt, Phariſæos, qui toti in avaritia demerſi erant, naſo ipſum ſuſpendiſſe adunco. Atque hoc eſt, quod ait Paulus: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*, 1 Cor. 2. 15.

Verſ. 15. *Et dixit illis: Vos eſtis, qui juſtificatis vos ipſos coram hominibus; Deus autem novit corda veſtra. Nam quod apud homines ſublime eſt, abominatio eſt coram Deo.*] Juſtificatis vos, id eſt, vultis videri & ab omnibus haberi juſti; magnam præ vobis fertis ſanctimoniam, Sic etiam ſupra uſurpatur hoc verbum, Luc. 10. 29.

Coram hominibus.] Demonſtrabant & oſtentabant ſcilicet ſanctitatem ſuam in tot externis ceremoniis, ut populus propterea in admirationem raperetur.

Deus autem novit corda veſtra.] Novit Deus, corda veſtra eſſe vera pietate vacua. Vide ſupra cap. 11. 39. Arcana cordium noſſe ſolius Dei eſſe proprium, non uno in loco ſacra pagina teſtatur: & qui præter Deum talem habent ſapientiam (uti Chriſtus) eam habent Dei beneficio. Et ob hanc cauſam Chriſtus maluit dicere, *Deus novit corda veſtra*, quam, Ego novi veſtra corda: quod non infirmum argumentum eſt, Chriſtum non eſſe Deum altiſſimum.

Nam quod apud homines ſublime eſt.] Quanquam omnes ſuperbi ſint abominatio coram Deo, Chriſtus tamen hic non proprie de ſuperbia loquitur: Sed ſenſus eſt, quaſi dicat; Multa ſunt, quæ homines pro magnis & præclaris æſtimant (qualis erat Phariſæorum vivendi ratio, quæ magnam gerebat ſanctitatis ſpeciem) quæ tamen coram Deo abominatio ſunt, ſeu Deus ab iis abhorret eaque abominatur, quia vera animi probitas deeſt. Reddit proinde Chriſtus his verbis rationem præcedentium, cur nimirum

mirum Deus, qui corda Phariſæorum novit, aliter de ipſis judicet, quam illi de ſeipſis ſentiant.

PARS III.

Verſ. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem: ab eo tempore regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.*] Quaſi dicat Chriſtus: Non eſt quod miremini, nunc majora ac ſublimiora opera charitatis expoſci, quam olim expreſſe & claris literis præſcripta fuerunt. Ratio enim temporis id poſtulat. Deus nunquam tantis beneficiis cumulavit hactenus genus humanum, quantis nunc cumulat: quid ergo mirum eſt, ab eo qui plus accipit, aliquid etiam amplius requiri. Lex & Prophetæ hactenus vicem pædagogi præſtiterunt; ideoque magna in multis conniventia uſi ſunt, & externam religionem, ac Numinis cultum, qui vos detineret & ab idololatria aliarum gentium avocaret, ſtricte rigideque urſerunt. A Johanne incipit virilis ætas, nempe tempus ac ætas Regni cœlorum, in quo merito virtutes perfectiores & mores emaculatiores exiguntur.

Uſque ad Johannem.] Chriſtus nominat Johannem, quia is palam ac publice prædicavit, appropinquaſſe regnum cœlorum.

Et omnis in illud vim facit.] Chriſtus indicat, regnum cœlorum patere nunc non ſolum ſapientibus, non ſolum illis, qui ad normam Phariſaicarum traditionum vivere abſque crimine tantopere allaborabant, ſed omnibus hominibus in genere: interea tamen neminem in id penetrare poſſe, niſi *per vim*, id eſt, niſi adhibito omni ſtudio ac labore obſtacula omnia vincat & perrumpat. Res magnæ & eximiæ non ſine magno labore ac ſudore comparantur: opus eſt diligentia ſingulari, aſſiduo certamine, & attentione non vulgari, ut quis non Spiritum legalem & ſervitutis, ſed Spiritum Euangelii ac filiationis conſequatur.

Verſ. 17. *Facilius eſt autem, cœlum & terram præterire, quam Legis unum apicem cadere.*] De hoc dicto vide ad Matth. 5. 18. Hic autem videtur id ita cum præcedentibus cohærere. Ne quis cogitaret, id quod Chriſtus antea dixerat, reverentiam erga Legem Moſaicam tollere, oſtendit potius contrarium, ne minimum quidem apicem de Lege periturum. Mandata enim ejus non evertunt Legem, ſed potius eam perficiunt & adimplent. Eodem enim, & Lex homines ducebat, idemque volebat, quod Chriſtus vult & docet; ſed quia quod volebat, aſſequi propter hominum inhabilitatem non poterat, ad minimum quæſivit tantum efficere, quantum terrore pœnarum & promiſſione temporalis remunerationis effici potuit, ut ita homines aliquatenus intra cancellos honeſtatis ac virtutis continerentur, neque impietas palam & aperto nudoque vertice inter eos graſſaretur.

Legis unum apicem cadere.] Id eſt, non impletum manere. *Cadere* enim *verba* conſuetudine Hebræorum dicuntur, quando non implentur, id eſt, quando id non fit, vel ad effectum non pervenit, quod iis fuit ſignificatum. Vide Joſ. 23. 14. 1 Sam. 3. 19. Rom. 9. 6.

Verſ. 18. *Quiſquis dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & quiſquis à viro dimiſſam ducit, mœchatur.*] Apud Matthæum cap. 5. 32. & cap. 19. 9. ad verba iſta, *Quiſquis dimittit uxorem ſuam*, addit hanc limitationem: *excepta cauſa fornicationis.* Quæ limitatio & hic ſubintelligenda eſt. Videtur autem hoc à Luca prorſus extra ordinem hic referri. Attamen poteſt id ad hunc modum cum ſuperioribus connecti, quod Chriſtus dicta ſua voluerit exemplo quodam inſigni illuſtrare. Videlicet, Moſes optabat, ut omnia temeraria & haud neceſſaria divortia tollerentur è medio, ſed obtinere id apud pertinacem & duræ cervicis populum ſine periculo magni alicujus mali non poterat. Chriſtus qui excellentioribus mediis excellentiorem quoque ſibi colligit populum, expreſſe in ſua lege vetat, quod Moſes pro malo quidem & indigno agnovit, ſed ad id tamen connivere coactus eſt. Subintelligendum autem hic eſt ex Matthæo, eum qui uxorem ſuam non ob tam gravem cauſam, qualis eſt fornicatio, dimittit, mœchari; quod Phariſæi factitabant. Quo enim modo tunc temporis divortia uſurpata fuerint, ex ſolo Joſepho diſcere licet, qui etſi glorietur, ſe patriæ Legis ſedulum ac rigidum obſervatorem fuiſſe, tamen ipſe de ſe talia ſcribit: Reliqua huc ſpectantia, vide ad Matth. 19. 9.

PARS IV.

Verſ. 19. *Homo autem quidam erat dives, & induebatur purpura & byſſo, & ſeſe oblectabat quotidie ſplendide.*] Nunc Chriſtus revertitur ad id, unde cæperat ſermonem ſuum, rurſuſque agit de uſu divitiarum, oſtenditque, plurimos ex iis qui Phariſæorum ſectæ nomina ſua dederunt, hac in parte Legem manifeſte tranſgredi: quaſi dicat. Non eſt neceſſe, ut vos nova lex Regni cœlorum condemnet, ipſa Lex Moſis ſufficit ad vos damnandos. Lex Regni cœlorum exigit, ut eos ultro ipſi quæramus, qui in ſuis neceſſitatibus à nobis juvari queant; vultque ut de eo quod nobis ſupereſt, aliquid demamus, neque expectemus, donec proximus noſter egens ad extrema & ad mendicitatem uſque redigatur: nec ſolis fidei domeſticis jubet talia opera miſericordiæ præſtari, verum etiam extraneis, ſaltem ideo, quod homines ſint. At inter Phariſæos plurimi erant opulenti, qui rerum omnium abundantiam in cultu corporis ſplendido & lautis conviviis oſtentabant. Quam facile ac ſine ulla moleſtia potuiſſet homo tam pecunioſus pauperem & probum aliquem virum, qui ipſi quotidie verſabatur ob oculos (quemadmodum tunc miſer Lazarus) etſi non ſumptuoſe alere, tamen non pati eum extrema cum egeſtate ac mendicitate conflictari! Id quod certe non ſolum naturalis charitas ſeu lex naturæ, verum etiam Lex Moſis diſerte mandat: Deuter. cap. 15. verſ. 4. *Omnino non erit inter vos ullus mendicus.* Et verſ. 7. 8. *Si unus ex fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris.* Significat proinde ſequenti narratione, iſtos immiſericordes non effugituros

illud ſupplicium, quod ipſi agnoſcant ac credant, omnibus Legis contemptoribus ac trangreſſoribus deſtinatum eſſe.

De eo, an hæc ſit hiſtoria, an tantum parabola, varia eſt tam Veterum quam recentiorum Interpretum ſententia. Plerique tamen cenſent, quod etiam probabilius eſt, revera tunc extitiſſe hominem quendam extreme miſerum & egentem, nomine Lazarum, qui ante fores helluonis cujuſdam divitis in ſumma inopia mortuus fuerit: hanc autem hiſtoriam Chriſtum non iis cum circumſtantiis recenſere, quibus geſta fuit, ſed iis quæ ad propoſitum ipſius conducebant. Cujuſmodi deſcriptiones multæ apud hiſtoriarum ſcriptores reperiuntur, qui ſæpenumero rem ita narrant, ut non id ſolum quod revera geſtum eſt deſcribant, ſed ea quoque, quæ probabiliter circa eam geri potuerunt. Etiam hoc animadvertendum eſt hoc loco, omnia iſta, quæ Chriſtus de ſtatu Lazari & divitis refert, eſſe figuratas locutiones, formatas ad ſimilitudinem & exemplum hujus vitæ præſentis.

Et induebatur purpura.] De hoc colore vide ad Matth. 27. 28. Ex hac purpura ſunt, qui colligant, per Epulonem hunc Herodem deſignari, quia nonniſi Regibus licuerit eſſe purpuratis. Sed fieri poteſt, quod Chriſtus hunc divitem ita in veſtitu & epulis luxuriantem, ut & Lazarum in tam miſerabili conditione conſtitutum, deſcribere tantum ideo voluerit, ut hoc exemplum tanto majus haberet ad permovendos animos momentum. Purpuram autem Judæi magna copia è Tyro habere potuerunt, quæ Judææ erat contermina: Tyrii vero eam aliunde petebant & apportabant. Vide Ezech. 27. 7.

Et byſſo.] Byſſus erat tenerrimum linum in Achaia, pretio æquivalens auro, ut teſtatur Plinius. Linteum iſtud pretioſum etiam ſæpe purpuræ colore imbuebatur: ut ita ſenſus hic ſit, divitem iſtum tam pretioſo uſum eſſe linteo, quod inſuper purpuræ colore tinctum fuerit. Alioqui ſolebant Judæi, ut & Ægyptii, maximam partem lineis veſtibus uti.

Et ſeſe oblectabat quotidie ſplendide.] Edendo, bibendo, & voluptatibus variis indulgendo, quæ animum ejus exhilarare poterant. Non datur hoc crimini iſti diviti, quod quenquam ejus bonis vel pecunia emunxerit, vel quod congeſtis undique theſauris indormierit, parcens eis tanquam ſacris uſuque eorum prorſus abſtinens: ſed quod eos luxuriando ac comeſſando male perdiderit, cum interea alii ante ipſius oculos fame nuditate & omnium rerum penuria miſere premerentur. Arguitur tanquam tranſgreſſor Veteris & non Novæ ac perfectioris Legis. Quomodo igitur hodie maxima pars Chriſtianorum, qui in carnalibus voluptatibus ac luxu hunc epulonem ſtrenue imitantur, hanc pœnam effugient, quæ in hoc epulone propoſita eſt? Quod autem etiam ſub Lege Moſis vita talis luxurioſa, & diſſoluta, qua tantum cutis curatur, & genio indulgetur, ipſa per ſe etiam remoto immiſericordiæ reſpectu erga egenos, coram Deo abominanda fuerit, liquet inter alia ex Eſai. 5. 11, 12.

Verſ. 20. *Erat vero quidam pauper nomine Lazarus, qui jacebat ad veſtibulum ejus ulceroſus.*] Deſcripſit Chriſtus prius divitis hominis felicitatem in hac vita, nunc deſcribit pauperis miſerum ac infelicem ſtatum.

Nomine Lazarus.] Nomen exprimit pauperis, divitis non item. Ex quo aliquatenus colligi poteſt, hanc fuiſſe veram hiſtoriam, non parabolam. In parabolis enim non ſolent perſonæ ullæ nominari, ut ex omnibus parabolis Chriſti conſtat, & ſi perſonis certa ſint in parabolis danda nomina, cauſa nulla foret, cur Chriſtus tantum pauperi, & non etiam diviti nomen impoſuiſſet. Sed ſi vera hiſtoria fuit, ſatis cauſæ habuit Chriſtus, cur divitis quem ob impietatem damnatum eſſe monſtrat, nomen reticere voluerit, ne offenſionem incurreret, neve ipſi quiſpiam objiceret, injuſte illum ſic mortuum traducere: præſertim cum nominandi ejus nulla eſſet neceſſitas.

Jacebat ad veſtibulum ejus.] Præ foribus ejus, quibus quotidie exire & ingredi in domum ſuam ſolebat, ne poſſet prætendere, ſe de hoc paupere nihil ſciviſſe.

Ulceroſus.] Scatebat ulceribus, uti ſolent inopes, qui mediis & commoditate ſeſe purgandi & corpora ſua curandi deſtituuntur.

Verſ. 21. *Et cupiens ſaturari micis, quæ cadebant è menſa divitis: ſed & canes veniebant ac lingebant ejus ulcera.*] Duo hic inſinuantur: Primo divitis ſumma immiſericordia, qui de tanta ſuarum rerum copia, deque tot cibis, quibus menſam ſuam quotidie onerabat, ne tantillum quidem mendico iſti impertitus ſit: deinde etiam Lazari ſumma patientia, qui nihil amplius de menſa divitis poſcebat, quam micas, quæ canibus dari ſolent: nec tamen eas obtinere poterat. Vide Matth. 15. 27.

Sed & canes veniebant, ac lingebant ejus ulcera.] Eo indicatur, eum ferme ſemimortuum ante veſtibulum divitis jacuiſſe. Nam ad hominem vivum & viribus adhuc valentem non temere accedunt canes, ut ulcera lingant, niſi alliciantur. Cernitur hinc quoque ulcera illa purulenta ac plena ſætoris fuiſſe, ut ad eum canes concurrerint tanquam ad cadaver. Errant proinde, qui putant, divina providentia factum, ut canes iſti ad eum venirent, & ulcera ejus lingerent, quia linguæ canum medicam vim habeant. Non enim Chriſto animus fuit deſcribere, quodnam levamen habuerit Lazarus in ſuo morbo, ſed quam magna & extrema ejus fuerit miſeria.

Verſ. 22. *Factum eſt autem, ut moreretur pauper, & aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahami: mortuus vero eſt etiam dives ac ſepultus eſt.*] Mors fuit finis malorum Lazari, & introitus ad felicitatem.

Et aſportaretur.] Non ille ipſe, ſed anima ejus à corpore ſeparata. Tam vero apud Græcos quam Latinos uſitatum eſt, ut animæ hominum poſt mortem nomina defunctorum retineant. Ita de Samuële dicitur, eum Sauli Regi apparuiſſe, 1 Sam. 28. 15.

Ab Angelis.] Quam ſubita ac inſperata fuit hæc mutatio? Qui fex ac fabula hominum fuerat, quem canes adhuc vivum ac ſpirantem pene devorarunt, ei obtingit tanta dignitas, ut ei miniſtrent Angeli Dei, & manibus eum ſuis portent. Perantiqua autem fuit inter Judæos opinio de animabus piorum, demortuorum, quod ab Angelis in Paradiſum deportaren-

tarentur. Quod autem piorum animæ certo & nobis incognito loco uſque ad tempus reſurrectionis per divinam potentiam (quæ in Sacris Literis Dei manus vocatur, Sap. 3. 1. Luc. 23. 46.) aſſerventur, ne intereant ac diſſipentur, eſt extra omne dubium: quodque miniſterio Angelorum eo deferantur, admodum probabile eſt.

In ſinum Abrahami.] Plerique Patrum Eccleſiæ crediderunt, ſinum Abrahami vocari eundem illum locum, quo animæ piorum deferuntur, nempe Paradiſum (ut ſupra dictum) locumque iſtum vocari ſinum ad ſimilitudinem ſinuum maris, ad quos appellere poſſunt naves, & in iis à tempeſtate maris ſecure quieſcere. At dubium non eſt, hanc figuratam locutionem deſumptam eſſe ab iis, qui accumbunt menſæ, eaque denotari ſupremum ac honoratiſſimum locum, qui convivæ ac hoſpiti dari poterat. Judæi enim uti gaudia futuræ vitæ in epulis ac conviviis plendidis collocarunt: ita Abrahamum Patrem omnium credentium, tanquam caput ac Principem convivii, ſummo accubiturum loco fingebant. Hinc Chriſtus Matth. 8. 11 ait, multos ab Oriente & Occidente cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo ad menſam diſcubituros &c. In conviviis autem ſolebat is convivatori ſeu domino convivii proximus accumbere, qui ipſi erat chariſſimus, quemque præ aliis convivis maximo volebat honore afficere. Proximus iſte hoſpiti locus ſinus vocatur: non quod conviva ruſtico more caput ſuum in ſinu hoſpitis (proprie loquendo) poſuerit, ſed quod proximus ei accubuerit. Ita Johannes dicitur recubuiſſe in ſinu Chriſti, id eſt, proximus Chriſto fuiſſe, ad menſam, quia eum diligebat, Johan. 13. 23. Indicat ergo hic Chriſtus, Lazarum ad ſummum honorem fuiſſe evectum, ut cui in congregatione juſtorum proximus Abrahamo locus datus ſit, ideo quod in vita ſua tam præclarum fidei ac patientiæ ſuæ ſpecimen in ſumma calamitate ſua ediderit. Simili modo dicunt Judæi, Servorum Abrahami præcipuum ac fidiſſimum Eleaſarum in ſinu Abrahami requieſcere. Nonnulli Interpretes cenſent, hanc locutionem de ſinu Abrahami acceptam eſſe ab infantibus, quos parentes amoris impulſu in ſinu geſtant, & ſæpe patiuntur eos in ſinu ſuo quieſcere ac dormire. Mors enim piorum in Sacris Literis cum ſomno comparatur, & ſomnus vocatur, deque iis dicitur, quod requieſcant à laboribus ſuis Apoc. 14. verſ. 13. Et hoc ſenſu videtur ſumi vox *ſinus* Johan. cap. 1. 18. ubi Chriſtus vocatur unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, id eſt, Patri dilectiſſimus ac conjunctiſſimus filius. Quod vero hic & in ſequentibus de ſtatu Lazari & divitis poſt mortem eorum narratur à Chriſto, id non pertinet ad ipſam hiſtoriam, ſed additamentum tantum eſt, quod Chriſtus ſubjunxit, ad indicandam tum felicitatem inſignem, quæ ſit deſtinata Lazaro pro ejus inſigni fide ac patientia; tum graviſſimum ſupplicium, quod divites maneat pro eorum immiſericordia: & præterea ad docendum, nullam inſtitutionem in pietate à mortuis expectandam eſſe. Quare omnia illa, quæ Chriſtus de ſinu Abrahami, de cruciatu divitis in flamma, de digiti intinctione in aquam, de colloquio inter Abrahamum & divitem habito, ut & de divitis ſolicitudine de fratribus ſuis memorat, figuratæ locutiones ſunt, quæ neque corporibus in monumento exiſtentibus, neque ſpiritibus ſeu animabus mortuorum proprie & ad literam conveniunt. Quod autem Abrahamus nondum ſit in loco æterni gaudii, docet nos Auctor Epiſtolæ ad Hebræos, qui cap. 11. 39, 40, de Abrahamo, aliiſque, quorum fidem deprædicavit, ſcribit, eos *omnes non obtinuiſſe promiſſionem, quoniam Deus de nobis melius quiddam præviderit, ne abſque nobis conſummarentur:* id eſt, ne citius quam nos æternam ſalutem reipſa adipiſcerentur.

Mortuus vero eſt etiam dives.] Particula *etiam* non eſt hic otioſa. Significat enim Chriſtus, divitem æque ac pauperem Lazarum coactum fuiſſe è vita diſcedere, neque opes ac theſauros ejus potuiſſe eum à morte defendere. Veteres hic pulchre adverterunt, Dei ſingularem in eo benignitatem indicari, quod Lazarum prius, divitem poſterius ex hac vita evocarit: nimirum illi eum dies afflictionis abrupiſſe, huic autem tempus ad reſipiſcendum prolongaſſe.

Et ſepultus eſt.] Longe aliter Chriſtus loquitur de hoc divite, quam de Lazaro; iſte ab Angelis delatus eſt in ſinum Abrahami, hic autem terra obrutus fuit. Hunc unicum ei attulerunt divitiæ ejus honorem.

Verſ. 23. *Et in inferno ſublatis oculis ſuis, cum eſſet in tormentis, vidit Abrahamum è longinquo, & Lazarum in ſinu ejus.*] De voce *inferni* dictum eſt ad Matth. 16. 18. Per eum figurate deſignari locum quendam, ubi mors tanquam Rex quidam imperet, & quo ex opinione Judæorum animæ mortuorum commeabant: quanquam & ſepulchrum hac voce intelligi poteſt, quando de ſolo corpore ſermo eſt. De hoc loco fabulantur Judæi, eum in duas partes eſſe diviſum, quarum una vocetur Paradiſus (ſeu Eden Geneſ. 2. 8.) altera Gehenna: & in Paradiſum quidem animas piorum deſcendere, ibique imperfectis quibuſdam gaudiis frui; in Gehennam autem detrudi animas impiorum, ibique torqueri. (De voce Gehenna vide dicta ad Matth. 5. 22.) Inter hæc duo loca ajunt magnum intervallum ſeu abyſſum profundam interjacere, ut nec hi ad illos, neque illi ad hos poſſint tranſire. Hanc eſſe Judæorum ſententiam, vel ex Joſepho liquet, qui de Samuële Propheta ait, eum à pythoniſſa ex inferno eſſe evocatum: intellige, non ex illa inferni parte, ubi impii torquebantur, id eſt, ex Gehenna, ſed ex Paradiſo. Et ubi de Sadducæis loquitur, ſimilia dicit.

Hinc videre eſt, Chriſtum hic locum, ubi cruciabatur dives, infernum (Græce ἅδην) vocare, quem potius Gehennam vocare debuiſſet: nimirum uſus eſt Synecdoche generis, quia Gehenna eſt pars inferni, & qui eſt in Gehenna, eſt ſimul in inferno. Atque hic eſt unicus locus in tota Sacra Scriptura, in quo infernus pro Gehenna ſumitur. Fabula autem iſta de inferno ad Judæos à Græcis manavit, à quibus princeps poëtarum Virgilius mutuatus eſt ea, quæ ſcribit libro 6. Æneid. de campis Elyſiis, deque Tartaro ſeu horrenda abyſſo: quæ duo loca ille conjungit. A Judæis & Græcis poſtmodum etiam Veteres Eccleſiæ Patres eam hauſerunt: à quorum tem-

pore ad hodiernum adhuc diem viget iſta in Chriſtiano orbe opinio, quod juſtorum animæ illico poſt ſeparationem à corpore, cœleſtibus fruantur gaudiis, impiorum autem animæ infernali igne excrucientur. Chriſtus dicit de divite, eum oculos ſuos ſuſtuliſſe. Nimirum ſicut Deo Scriptura per figuratum loquendi modum talia adſcribit opera, ad quæ peragenda membra corporis requiruntur, ut quod audiat, videat, loquatur, ambulet &c. ita per eandem figuram etiam animabus hominum illa attribuuntur. Divitis enim Spiritus in inferno proprie loquendo nullos habuit oculos, quos attollere poſſet, ut nec linguam; nec Lazarus digitum. Quocirca illi Patres dicti nullum hinc poſſunt ſumere argumentum de animabus hominum, ſeparatis à corpore, quod figuram eandem ac formam membrorum corporis retineant, quam habent corpora, quæ antea inhabitarunt ac incoluerunt.

Cum eſſet in tormentis.] Chriſtus (ut dictum eſt) omnia figurato modo recenſet ad exemplum rerum earum, quæ in hac vita fieri ſolent aut poſſunt. Animæ enim extra corpus neque cruciatu neque gaudio ullo affici queunt, quia ſenſu omni carent. Præterea ante reſurrectionem & univerſale judicium neque piis præmium, neque impiis pœna contingere poteſt. Abſurdum enim foret, aliquem damnare, antequam judicetur, id eſt, ſententia de eo feratur: quod Chriſtus demum in adventu ſuo facturus eſt.

Vidit Abrahamum è longinquo.] Ex Gehenna intro ſpexit in Paradiſum. Figurate hæc omnia dicuntur, quia probabile eſt, ſi ipſum oculis ſuis vidiſſet, eum hoc modo, ut ſequitur, ipſum allocuturum fuiſſe.

Verſ. 24. *Et ipſe clamans dixit: Pater Abrahame, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat in aqua extremum digiti ſui, & refrigeret linguam meam: quoniam crucior in hac flamma.*] Ex voce *Pater* apparet, divitem hunc Judæum fuiſſe. Potiſſimum autem Abrahamum alloquitur, primum quia is erat caput ac Princeps omnium beatorum Veteris Fœderis; deinde quia ejus genus ac ſtirpem ſe eſſe Judæi tantopere gloriabantur. Sed quam inhumanum ſe ei præbet Abrahamus, qui olim tam comiter etiam erga ignotos ſe geſſerat. Vide Geneſ. 18. 2. confer cum Hebr. 13. 2.

Extremum digiti ſui.] Quia Judæi credebant, impiorum animas in Gehenna igne torreri, ideo inter alios cruciatus etiam ardentiſſima ſitis eis adſcribitur, qua & hic divitem laboraſſe indicatur, & quidem tanta, ut vel minimum ejus levamen ſibi concedi petat. Significatque Chriſtus, divitem iſtum, qui antea Lazarum alto ſuperciſio deſpexerat, jam ſe libenter ad pedes ejus abjecturum, & oraturum ſupplicem, ſi fieri poſſet, ut in tantis doloribus vel leviſſimam relaxationem conſequeretur.

Verſ. 25. *Dixit autem Abrahamus: Fili memento, te bona tua recepiſſe in vita tua, & Lazarum ſimiliter mala; nunc autem hic ſolatio fruitur, tu vero cruciaris.*] Recepiſti, inquit, bona tua, ea ſcilicet, quæ pro vere, imo ſumme bonis duxiſti; quibus uſus es, non tanquam bonis certa cum conditione concreditis, ſed tanquam propriis, inque eis omnem fiduciam tuam collocaſti.

Nunc autem hic ſolatio fruitur.] Voces *nunc autem* indicant mirabilem metamorphoſin ac transmutationem eſſe factam. Animam ſine corpore neque ſolatio, neque triſtitia affici poſſe, jam ſupra monuimus.

Verſ. 26. *Et præter hæc omnia, inter nos & vos hiatus magnus conſtitutus eſt, ut ii qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque iſthinc huc tranſcendere.*] Id eſt, præterquam quod æquum ſit, ut Lazarus ſolatio refocilletur, tu vero crucieris, obſtat adhuc alia ratio tuo deſiderio.

Inter nos & vos hiatus magnus conſtitutus eſt.] Id eſt, inter Paradiſum & Gehennam ſita eſt tam profunda & immenſa abyſſus (qualia ſolent eſſe præ rupta altiſſimorum montium: Vide Zachar. 14. 4.) ut ab uno in alterum locum non detur tranſitus. Quo ſignificatur, impios non habere quod ſperent ullum poſt mortem ſolatium. Uti cadit arbor, ita jacet.

Conſtitutus eſt.] Vel firmatus, Gr. ἐστήρικται. Eſt impropria locutio, quod hiatus ſeu vacuum ſpatium firmatum ſit. Hoc enim verbum proprie de ædificiis uſurpatur. Itaque hoc verbo hic indicatur firmum illud ac immutabile Dei decretum, qui hunc hiatum ita extendit, ut in æternum permaneat, id eſt, conſtituit, ut impii in æternum nullius ſolatii fiant participes.

Verſ. 27. *Dixit autem: Rogo, ergo te, Pater, ut mittas eum in domum Patris mei.*] Locus hic non probat, animas mortuorum hominibus apparere ſolere. Chriſtus enim tam Lazarum, quam divitem introducit, non tanquam meros Spiritus, ſed tanquam integros homines, qui digitos & linguas habeant: nimirum (ut jam dictum eſt) deſcribit ſtatum defunctorum ad modum atque exemplum viventium. De apparitione Moſis & Eliæ in monte, vide ad Matth. 17. 3.

Verſ. 28. *Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormenti.*] Etſi veriſimile ſit, fuiſſe tunc temporis aliquem hujuſmodi prædivitem & immiſericordem helluonem, probabile tamen non eſt, eum habuiſſe quinque fratres: ſed apparet, Chriſtum id tanquam parabolam adjunxiſſe, ut doceret, nullam admonitionem vel informationem à mortuis expectandam eſſe, cum habeamus Moſen & Prophetas. In numero quinario nullum eſt myſterium, ſed Chriſtus introducit divitem ita loquentem, ut hoc non exiguo numero fratrum ſuorum tanto efficacius permovere Abrahamum ſperarit, ad mittendum ad eos Lazarum: putabat enim, eum non permiſſurum ut tot homines deveniant in exitium, ſed eum illos tempeſtive moniturum.

Ut teſtetur illis.] Id eſt, ut eis referat ac renunciet, quæ ſit mea & ipſius conditio.

Verſ. 29. *Dicit ei Abrahamus: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.*] Habent Moſis clariſſima verba ante oculos, quibus docuit, quomodo ſubveniendum ſit proximis in egeſtate conſtitutis. Id ſi fecerint, in hunc locum ſupplicii ac tormenti haud devenient.

Et Prophetas.] Ut inter alios Eſaiam, qui Judæis multum de jejuniis ſuis glorioſe jactantibus, oſten-

dit,

dit, quodnam ſit verum & Deo acceptum jejunium; nempe frangere ac impartiri eſurienti panem, pauperes ejectos introducere in domum, nudos tegere &c. Eſai. 58. 7.

Audiant illos.] Hi ipſis prædicent & annuncient, quid eis faciendum ſit. Vel, his morem gerant atque obtemperent.

Verſ. 30. *Ille vero dixit: Non, Pater Abrahame; ſed ſi quis ex mortuis abierit ad eos, reſipiſcent.*] Sermo eſt abruptus. Vult enim dicere: Non ſatis eſt, quod Moſen & Prophetas habeant; iſtis enim ſolis non credent: Lazaro autem vel alteri alicui qui ex mortuis ad eos veniret, facilius crederent. Ex ſuo proprio ingenio judicat etiam de ſuis fratribus. Plurimos è Judæis fuiſſe, qui mortem & infernum pro ludo & joco habuerint, ex Eſai. 28. 15. & Pſal. 14. verſ. 1, liquet; teſtis quoque eſt ejus rei integra Secta Sadducæorum. Quamobrem dives hic cenſuit, plus apud ipſos valiturum, ſi aliquis ex mortuis, qui omnia oculis ſuis vidit, ipſis id denunciaret. Ita comparati ſunt omnes homines carnales, ut ſenſu magis, quam ratione ducantur. Moſen enim & Prophetas legere, eorum verba & doctrinam expendere, requirit rationem: at aliquem ex mortuis ad ſe venientem, poſſent carnalibus auribus ſuis audire.

Verſ. 31. *Abrahamus autem dixit ei: Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*] Hoc ſibi vult Abrahamus: Si ſunt tam depravati ingenii, ut nolint obtemperare Sacris Scriptis, quæ agnoſcunt à Deo profecta eſſe, certe non obtemperabunt etiam ei, qui ex mortuis ad eos venerit. Idem enim ille perverſus & improbus animus, qui facit, ut verbum Dei derideant, & ſecundum proprias cupiditates ſuas interpretentur, efficeret quoque, ut ejus qui à mortuis reſurgeret, non crederent veram apparitionem eſſe, ſed eum pro ſpectro tantum aut phantaſmate ducerent. Quod autem Chriſtus de Tyriis ac Sidoniis inquit, eos in cilicio & cinere pœnitentiam acturos fuiſſe, ſi virtutes in Galilæa editas conſpexiſſent Matth. 11. 21. id primo ſciendum eſt non ſimpliciter à Chriſto dici, quaſi id omnino ac certo futurum fuiſſet, ſed quod probabile fuerit, eos multo citius quam Galilæos ad pœnitentiam ſe flecti paſſuros. Deinde magna eſt differentia inter hunc & illos. Tyrii enim & Sidonii demerſi erant in profunda & diutina caligine. Præcepta Dei per Noam univerſo generi humano præſcripta, diuturnitas temporis ex eorum memoria jam deleverat. Naturæ legem mala conſuetudo in eis oppreſſerat. In talibus igitur miracula multum poſſunt efficere, eoſque ad converſionem adducere. At Judæi præter legem naturæ omnibus hominibus inſitam, habebant Legem Moſis, de qua credebant, eam à Deo datam eſſe, & maximis ac plurimis miraculis confirmatam, cujus rei certa notitia ab illo tempore per manus majorum tanquam teſtium irrefragabilium ad eos eſt derivata. Itaque neque ignorantiam, neque ullum omnino colorem poſſunt impietati ſuæ obtendere. Nihil aliud ipſis obſtabat, quam animi improbitas, quæ efficiebat, ut pro vero aut certe pro neceſſario id agnoſcere nollent, quod falſitatis redarguere non poterant. In tanta multitudine perverſorum hominum, etſi aliqui reperti ſint, qui miraculis quaſi è profundo ſomno excitati ſunt, nihilominus tamen pars potiſſima in invincibili obſtinatione ſua perſeveravit. Hoc patet ad oculum. Lazarum Marthæ ac Mariæ fratrem Chriſtus à mortuis ſuſcitaverat Johan. 11. 1. Verùm tantum abfuit, ut Phariſæi hoc excellenti miraculo moverentur ad Chriſtum ſuſcipiendum, ut potius eo totas converterint vires ac cogitationes ſuas, ut Chriſtum ac Lazarum ſimul è medio tollerent. Chriſtus ipſe reſurrexit à mortuis, cujus rei teſtes erant non pauci probi ac inculpati homines, de quibus nulla ſuſpicio erat, quod muneribus corrupti falſum teſtimonium perhiberent, & tam craſſe mentirentur. Sed hoc totum adeo eos non permovit, ut ſe recolligerent & coverterent, ut ſumma ope contenderint etiam famæ de Chriſti reſurrectione paſſim loquenti os occludere.

CAPUT XVII.

I. *Chriſtus monet diſcipulos ſuos, ut ſibi caveant à ſcandalis, & offenſas facile remittant ac condonent: ad verſ. 5.* II. *Docet, quanta ſit vis fidei: ad verſ. 7.* III. *Item docet, plus nobis præſtandum eſſe quam injunctum eſt: ad verſ. 11.* IV. *Sanat 10 leproſos: ad verſ. 20.* V. *Reſpondet Phariſæo ad quæſtionem de adventu regni Dei: ad verſ. 22.* VI. *Vaticinatur de ſevero judicio ſuo ſuper Judaicum populum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Dixit autem ad diſcipulos: Contingere non poteſt, ut non veniant ſcandala. Væ autem ei, per quem veniunt.*] Fruſtra laborant, qui conantur Capitis hujus cum ſuperiori nexum anxie demonſtrare. Haud enim obſcurum eſt, Lucam in hoc Capite res diverſas nullo ordine contexuiſſe, quæ quoad ſenſum plane inter ſe non cohærent. Exinde facile ſumi judicium poteſt de toto Capite reſpectu præcedentium. Præſertim cum id quod Lucas hujus Capitis initio recenſet de ſcandalo, Chriſtus apud Matthæum cap. 18. 7, prorſus alia ex occaſione prolocutus ſit, videlicet, cum ad redarguendam Apoſtolorum ambitionem puerulum ſiſteret in eorum medio, doceretque eos duntaxat in regnum cœlorum ingreſſuros, qui hujus pueruli humilem ac demiſſum ſenſum fuerint imitati; & hos adeo commendaret, ut indicaret, eos tanti à Deo fieri, ut ſi quis eos offendat, ei expediat, ut appenſo ad collum molari lapide in mare præcipitetur &c.

Contingere non poteſt.] Gr. ἀνένδεκτόν ἐστι. Vide ſupra cap. 13. 33. Senſus eſt: Non decet, ut Deus majori & invicta aliqua vi improbitatem hominum refrenet. Vide plura ad Matth. 18. 7.

Verſ. 2. *Expedit ei, ſi mola aſinaria circumdetur collo*

collo ejus & projiciatur in mare, quam ut offendiculo ſit uni ex puſillis iſtis.

Verſ. 3. *Attendite vobis ipſis. Si peccaverit in te frater tuus, objurga eum; & ſi reſipuerit, remitte ei.*] Attendite, ſcilicet ne cuiquam ſitis cauſa & occaſio ejus perditionis, non tantum malo exemplo prælucendo, verum etiam munia officii veſtri non implendo: ita quidem, ut nec iis qui vobis nocuerunt, ſcandalum præbeatis. Summa profecto virtus eſt, non ſolum non iraſci lædenti, ſed etiam ſalutem ac bonum ejus quærere, idque maxima cum manſuetudine ac patientia. Hoc qui præſtare poteſt, is nec offendiculo erit ulli, nec officio ſuo erga alios, qui ipſum non læſerunt, deerit.

Objurga eum.] Eo videlicet modo, ac ordine, quem docuit Chriſtus apud Matthæum cap. 18. verſ. 15, 16, 17. Vide ibidem.

Et ſi reſipuerit, remitte ei.] Non tantum ulciſci non debes injuriam (quod nec erga pertinacem adverſarium, qui ſuam iniquitatem agnoſcere non vult, facere licitum eſt) ſed ſi vere eum facti pœniteat, debes eum in priſtinam amicitiam recipere, & amore tuo complecti. Vide plura ad Matth.

Verſ. 4. *Et, ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me; remittes ei.*] Septies, id eſt, quam ſæpiſſime. Eſt Hebraiſmus: ut Pſal. 119. 164.

Converſus fuerit ad te.] Id eſt, ſi rurſus ambiat tuam gratiam & familiaritatem, tecumque reconciliari velit. Eſt iterum Hebraiſmus: ut Deut. 4. 30. Luc. 1. 17. Actor. 9. 35. xi. 21 & alibi.

PARS II.

Verſ. 5. *ET dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem.*] Veriſimile eſt Apoſtolos ſæpius à Chriſto fuiſſe propter modicam fidem correptos: itaque poſtulant ab eo augmentum fidei ſuæ; qua petitione demonſtrant, ſe divinam in eo virtutem agnoſcere. Nam fidem alicui inſerere ac ingenerare non eſt nudi hominis opus, ſed Dei, & ejus, cui Deus tantam conceſſit virtutem. Hanc autem nulli alii conceſſit, præterquam Chriſto.

Verſ. 6. *Dixit autem Dominus: ſi haberetis fidem, ſicut granum ſinapis, deceretis huic Sycamino: Eradicator & plantator in mari; & obediret vobis.*] Vide hoc explicatum ad Matth. 17. 20. Vult autem Chriſtus corporalibus miraculis, (quale fit in Sycamino) quæ vi fidei perfici queunt, etiam miracula moralia declarare, id eſt, admirabilia opera charitatis, quorum divitem proventum fides ſeu fiducia in Deum producit, quando ad ſuam perfectam maturitatem pervenit.

PARS III.

Verſ. 7. *QUis autem veſtrum habet ſervum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo ab agro, dicat ſtatim: Accede & recumbe.*] Hujus quoque parabolæ ſenſus cum præcedentibus non cohæret, neque facile divinari poteſt, quo loco reponenda ſit, ſi quis harmoniam hiſtoriæ Euangelicæ concinnare velit, quia tantum ab uno Luca deſcripta eſt. Quod autem ſenſum ac ſcopum hujus parabolæ attinet, plurimorum Interpretum ſententia eſt, Chriſtum ea docere voluiſſe, quod etiam præſtantiſſima opera fidelium tanti æſtimari non debeant, ut iis quiſpiam gloriari, eaque Deo tanquam meritum imputare poſſit. Nimirum ſicuti Paterfamilias ſervo ſuo non agit gratias, quod ſibi juxta mandata ſua miniſtraverit. Sic Deum quoque non debere gratias, vel ullum præmium hominibus, etſi ea omnia præſtent, quæ ipſis injunxit. Et ſane, ſi rem ipſam ſpectes, ea nihil verius eſt ac certius: ſunt enim permultæ cauſæ ac rationes, ob quas omnibus noſtris bonis operibus nequeamus Deum revocare ad calculum, & ab eo ullam compenſationem tanquam meritam ac debitam mercedem poſcere: Primum enim cum ſit creator noſter, qui nos produxit ex nihilo, & vitæ fecit participes, dubium non eſt ullum, eum habere poteſtatem ac jus omnia ea à nobis exigendi, quæ præſtare poſſumus, etiam abſque ulla remuneratione ac præmio. Secundo conſiderandum eſt, neminem eſſe noſtrum, cui non multa graviſſima peccata ſint condonata; quod ſolum ſufficit ad id, quod debeamus perpetuo & æternum coram Deo nos demittere, & ne quidem ſanctiſſima opera noſtra Deo imputare. Nemo enim eſt, qui tot bona opera exercere queat, ut iis beneficium remiſſionis peccatorum ſuorum præteritorum digne penſare ac retaliare poſſit. Ut taceam, quod poſt converſionem noſtram, propter lapſus quotidianos & varias infirmitates, divina miſericordia ſine intermiſſione indigeamus. Tertio ratio ipſa dictat, fructum ei deberi, qui ſementem facit. Atqui Deus eſt, qui ad omnia bona opera nobis dat tum velle tum perficere, Phil. 2. 18. Idque non pro vulgari, ſed pro ſingulari & inaudita clementia ac bonitate ſua, dum totum humanum genus, quod peccatis undique erat obrutum, per admirabilem vocationem in Chriſto rurſus erigere, & in viam pietatis reducere dignatus eſt: quo reſpectu potiſſimum Apoſtoli vitam æternam, quæ veram pœnitentiam conſequitur, gratuitum donum Dei appellant. Accedit, quod Deus nunc etiam creberrime animos noſtros deſides, & ad bona opera tardos, Spiritu ſuo Sancto aliiſque mediis excitet & alacriores reddat, nec non infirmitati noſtræ in agendo ac operando ope ſua ſuccurrat. Quarto Deus eſt per ſeipſum tam perfecte beatus, ut noſtris bonis operibus non poſſit fieri beatior; quin nec utilitatem illi afferunt ullam opera noſtra, ut nobis pro eis quicquam debeat. Huc facit illud Jobi, cap. 35. 7. *Et ſi juſte egeris, quid donabis ei? aut de manu tua accipiet!* Denique quod Paulus Apoſtolus de afflictionibus dixit, id etiam de omnibus bonis operibus, tametſi perfectiſſimis, dici poteſt, quod nimirum *non ſint digna gloria illa, quæ in nobis revelari debet*, Rom. 8. 18. Quæ enim proportio eſt inter omnem noſtrum laborem, etſi per totam vitam noſtram ne ſemel quidem peccaſſemus, & inter æternam ac ineffabilem gloriam, quæ nobis parata eſt? Quæ omnia ſi conſiderentur, quemadmodum modeſtam parrheſiam ac fiduciam & gaudium, quod pii homines ex teſtimonio bonæ conſcientiæ ſuæ percipiunt, quin & gloriationem in Deo & Chriſto (Phil. 3. 3.) non tollunt: ita ſuperbiæ iſti prorſus

contra-

contraria ſunt, qua quis credit Deum pro operibus ſuis ſibi devinctum, & ſuum quaſi debitorem eſſe, ideoque tanquam meritam mercedem ab eo poſcat id, quod ille nobis ex mera gratia ac miſericordia promiſit, & nobis rurſus adimere jure poſſet, ſi rigore potius juris, quam paterna clementia erga nos uti veller. Iſta ſuperbia atque arrogantia ad ſummum gradum pervenit apud Pontificios, qui non ſolum bonis operibus ſuis meritum tribuunt, ſed ſe etiam habere *opera quædam ſupererogationis* autumant: quod ſcilicet plura facere poſſint & faciant bona opera, quam ad ſalutem requiruntur. Ex quo fonte turpis illa nundinatio Indulgentiarum profluxit, dum Papa Romanus de inexhauſto meritorum cumulo, quem in Spirituali Gazophylacio ſuo aſſervat, indulgentias & veniam peccatorum etiam in multa millia annorum pro pecunia vendit.

Etſi vero hoc totum, quod hactenus aſſertum eſt, veritati ſit uſque quaque conſentaneum, dubium tamen eſt, an Chriſtus hoc ipſum voluerit parabola iſta, quam modo Lucas exponit ſignificare. Cauſa dubitandi eſt, primo quod Chriſtus loquatur hic de ejuſmodi ſervis, qui tum demum edere ac bibere debeant, ubi dominus ſuam cœnam abſolverit: alibi autem (ut ſupra cap. 12. 37.) loquitur de talibus ſervis, quos dominus, ubi venerit, jubebit accumbere menſæ, & accedens miniſtrabit eis. Unde perſpicitur, duo eſſe ſervorum genera, alios, qui pro ſuo miniſterio ac labore non habent, quod gratias expectent, de quibus hoc loco agit Chriſtus; alios vero, quorum ſervitia Dominus inſigniter ac abundanter compenſabit, de quibus locutus eſt ſupra cap. 12.37. Hiſce ſervis Chriſtus æquiparat ſuos Apoſtolos, dum infra cap. 22. 27, 30, ait, etſi qui accumbit major ſit, quam qui miniſtrat, eos tamen quia permanſerint ſecum in tentationibus ſuis, eſuros ac bibituros non in menſa ſervorum, ſed in menſa ſua, id eſt, Domini ſui. Secundo Chriſtus in hac parabola dicit, dominum ſervo aranti aut paſcenti, nullam gratiam pro labore ejus debere: at idem Chriſtus ſupra c. 6. verſ. 32, 33. de illis pronunciavit, qui nonniſi eos redamant, à quibus amantur, & nonniſi in eos beneficia conferunt, à quibus ipſi quoque beneficiis affecti ſunt, quod nullam pro eo gratiam ac mercedem ſperare habeant; de iis vero aliter Chriſtus judicari vult, qui etiam inimicos ſuos diligunt, & dant mutuum nihil inde ſperantes: iſtis enim amplam mercedem indicat eſſe repoſitam, eoſque non eſſe in numero ſervorum, ſed filiorum Altiſſimi verſ. 34, 35. Tertio tunc temporis more Hebræorum (de quo etiam ſupra cap. 10. 25. actum) *faciendi* verbum denotabat tantum ſimpliciter externorum operum perfectionem, quocunque etiam animo fieret. Quæ omnia evincunt, Chriſtum hic non promiſcue de omnibus ſervis loqui, ſed de illis tantum qui ſervili animo opera perficiunt: qui certe ab illis ſervis prorſus diſtincti ſunt, qui domino ſuo hilari ac prompto animo ſerviunt, muniaque ſua non formidine pœnæ, ſed amore domini ſui impulſi obeunt. Hunc eſſe ſenſum, quem etiam Interpretum nonnulli agnoverunt, ex ſequentibus patebit.

Arantem aut paſcentem.] Quid quæſo ſingulare ac laude dignum habet in ſe labor iſte, ſi aret ac paſcat, qui ad arandum ac paſcendum ordinatus eſt? nihil amplius ſane facit, quam quod ei imperatum erat. Nihil autem refert, ſive hic mercenarium ſervum intelligas, ſive mancipium, dummodo ſervitus iſta non ex more barbararum gentium, ubi mancipia pecorum ritu tractabantur, ſed ex naturali æquitate, ac proinde juxta Legem ac jura Hebræorum æſtimetur. Secundum hanc enim æquitatem etiam ſervus qui eſt mancipium, ſi amore ductus domino ſuo fidelem operam navet, peculiari præmio ac remuneratione dignus eſt.

Accede & recumbe.] Una cum Patrefamilias accumbere menſæ, ſolis competit liberis, non ſervis. Servi autem tamdiu in ſervitute manent, ſervilemque in modum habentur, quamdiu ſerviliter officium faciunt. At ſi ſe bene gerant, & filialem animum erga dominum ſuum induant, tum eis contingere quandoque ſolet is honor, ut domini ſui menſæ adhibeantur.

Verſ. 8. *Imo nonne dicit ei: Para quod cœnem, & præcinctus miniſtra mihi uſque dum edero ac bibero, & poſtea tu edes & bibes?*] Jubet ut ſe præcingat ad miniſtrandum, ut ſolebat fieri in illis oris, ubi veſtitus geſtabatur longior. Vide ſupra cap. 12. 37. Johan. 13. 4.

Et poſtea tu edes & bibes.] Pro more ſervorum ac mercenariorum, qui demum poſt finitam domini ſui cœnam cibum capiebant.

Verſ. 9. *Num gratiam habet ſervo illi, quia fecit, quæ ipſi præcepta fuerant? non puto.*] Duplex eſt pro labore remuneratio: merces debita, & gratia. Merces proprie dicta & arctiori ſignificatione accepta, eſt remuneratio juxta communem æſtimationem æquivalens labori. Quo ſenſu Apoſtolus inquit Rom. 4. verſ. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito.* Gratia autem eſt largior remuneratio, quam labor per ſe meretur. Scilicet merces reſpicit potiſſimum opera, quæ facta ſunt; gratia autem ſpectat inprimis animi promtitudinem. Quocirca merces competit unicuique mancipio aut mercenario, qui ſuum opus peregit, ſive ſponte ſive invitus id fecent: gratiam vero ſoli illi conſequuntur, qui opera ſua promte & ex amore erga ſuum dominum faciunt, aut certe facerent libenter, ſi rei executio non ſit in ipſorum poteſtate ſita. Alias autem vox *mercedis* etiam latiori ſignificatione uſurpatur, & per eam deſignatur remuneratio talis, quæ meritum operum longe excedit: quo ſenſu vita æterna merces nuncupatur, Matth. 5. 12, 46. VI. 1. Confer cum Luc. 6. 31, 32, 33, 34. quo in loco Lucas habet χάρις, *gratia*, ubi Matthæus μισθὸς, *merces*.

Quia fecit, quæ ipſi præcepta fuerant.] Chriſtus loquitur de labore, qui unicuique è ſervis in ſpecie ac nominatim præſcribitur, quemque ſine manifeſta officii ſui tranſgreſſione & pœnæ expectatione nequit omittere, qualis eſt, ut ſervus, cui agricultura commiſſa eſt, aret, & bubulcus vel opilio pecora paſcat. Qui hoc ſibi commiſſo ac demandato opere rite defungitur, is mercedem ſuam quidem conſequitur, primo hanc, quod non cædatur plagis, deinde quod conſtitutus ei cibus ac pecunia præbeatur: ſed non eſt, quod gratiam pro iſto labore ſuo ſperet vel ſibi polliceatur. Non aliter tractatur quam ſervus,

vus, qui etsi lassus ex agro redeat, non illico paratam invenit mensam atque instructam, sed se præcingere tenetur, dominoque suo ad mensam ministrare. Tales servi erant Judæi sub Lege, qui tantum externa opera Legis corpore perficiebant; quanquam nec ista perfecte implebant: animus manebat haud mutatus, plenusque malis concupiscentiis.

Non puto.] Ex opposito intelligitur, aliter actum iri cum illis servis, qui non *ad oculum* serviunt, sed in *simplicitate cordis* (Coloss. 3. 22.) & præter præscriptum laborem, omne studium suum ad promovendum honorem atque utilitatem domini sui adhibent: Servi tales hanc solent consequi gratiam, ut manumittantur, imo etiam pro filiis adoptentur. Talibus servis dominus ipse ad mensam ministrabit. Supra cap. 12. 37.

Vers. 10. *Ita & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus.*] Vox *præcepti* hic strictius sumitur, eaque primum intelliguntur leges vetantes, deinde mandata talia, quæ tantum ad externa opera spectant, & ad certum tempus, locum aliasque circumstantias alligata sunt, ita ut absque manifesto Dei contemtu omitti nequeant. In hunc censum veniunt non solum omnia illa, quæ lege universali omnibus hominibus ad istum præcipiuntur modum, sed etiam, quæ Deus in specie singulis hominibus injungit. Ut in exemplo: Tu Abrahame, exi ex terra Chaldæa: Tu Moses abi ad Pharaonem: Tu Paule prædica Euangelium inter Ethnicos &c. Qui talibus mandatis obedientiam præstat, hoc habet mercedis loco, quod à pœna immunis sit, quam alioqui incurrisset, si obediens non fuisset. Exemplum ejus rei habemus in sequenti historia. Decem leprosi ostendunt se Sacerdoti, sicut eis Christus præceperat; sed novem ex eis non sunt reversi ad Christum, ut ei gratias agerent: quod quidem ut facerent, Christus non injunxerat, nihilominus tamen si id feciissent, gratus ipsorum animus, qualis in Samaritano eluxit, à Christo majoribus beneficiis ornatus fuisset. Præclarum etiam locum, qui ad nostram subjectam materiam appositissimus est, habemus 1 Corinth. 9. 16. ubi Paulus scribit: *Si prædicem Euangelium non est quod glorier:* (per *gloriationem* intelligit spem singularis gratiæ à Deo, qua gloriari possit;) *necessitas enim mihi incumbit* (per *necessitatem* intelligit obligationem, qua ex vi mandati divini obstrictus erat, cui non obedire non licebat) *væ autem mihi, nisi Euangelium prædicem* (hoc sibi vult: Non possum impune intermittere officium prædicandi & mandato huic obediendi, ideoque non habeo quod peculiarem gratiam pro eo expectem.) *Nam si lubens hoc faciam, mercedem habeo* (hic accipit vocem *mercedis* in latiori significatu, de quo etiam supra facta est mentio, pro peculiari scilicet gratia. Vult enim dicere: si non tantum faciam, quod mihi injunctum est, sed etiam libenter id faciam, non tanquam coactus, sed ultro ac sponte, non turpis lucri causa, sed voluntario animo, ut Petrus loquitur 1 Petr. 5. 2. tum spem habeo insignis alicujus remunerationis) *sin invitus, dispensatio credita est mihi* (id est, nihilominus tale mihi impositum est, munus, quo mihi velim nolim fungendum est, quia ejus mihi danda est aliquando ratio, & si id intermisero, pœna mihi merito expectanda est.) *Quæ igitur mihi est merces?* (Hic rursus sumit vocem mercedis in modo dicta significatione, pro remuneratione, quæ ex gratia fit, non ex merito operum. Vult autem dicere: Quamobrem mercedem sperem? quid est, pro quo mihi detur merces?) *ut Euangelium prædicans, gratuitum constituam Euangelium Christi*, (id est, pro eo est, quod mercedem peculiarem sperem, quod cum jus habeam ac potestatem, necessariam sustentationem pro prædicatione Euangelii postulandi, tamen jure isto meo ad majorem Dei gloriam & bonum Ecclesiæ non utar, ut nemo cogatur ullos sumptus impendere in me pro eo, quod ipsi Euangelium annunciem) *ut ne abutar potestate mea in Euangelio* (verbum *abutendi* videtur hic non significare idem quod *male uti*, sed idem quod, *quocunque modo uti:* quo sensu accipitur etiam 1 Corinth. 7. 31. Nimirum hoc sibi vult: ne potestate mea ita utar, quomodo ea uti possem, sed prout gloria Dei & Ecclesiæ utilitas exposcit.) *Nam liber existens ab omnibus* (id est, cum nemini hac in parte sim obstrictus, ut ipsi Euangelium gratis prædicem) *omnibus meipsum servum feci* (id est, omnibus prædicando Euangelium gratis inservivi, non secus quam servus ex officio aliquid faciens) *ut plures lucrifacerem* (id est, ut tanto plures ad fidem in Christum adducerem.) Hic vero oritur quæstio: Annon id quod Paulus fecit, fuerit quoque illo simul mandato, prædicandi Euangelii comprehensum, quod nimirum etiam cum molestia sua omnibus servivit, maluitque labore manuum suarum victum sibi comparare, quam Corinthiis esse oneri? Sane si id omne mandatum vocetur, quod Deo gratum & acceptum est, & quod etiam à Deo in genere præceptum est (quemadmodum vox *mandati* apud Matthæum cap. 22. vers. 36, 37. tam universaliter accipitur, ut etiam dilectionem Dei ac proximi in se complectatur) extra dubium est, id quoque quod Paulus fecit, præcepto illo comprehensum fuisse. Factum enim hoc ejus profectum fuit ex ardentissimo amore erga Deum & proximum, quo nihil Deo potest esse gratius; nihil etiam est, quod Deus magis ab hominibus requirat, præsertim sub Novo Fœdere, quam ejusmodi amoris fervorem. Verum præcepta ista non sunt ejus generis, (ut ad cœptam Christi parabolam revertamur) atque sunt illa, quando dominus dicit servo, Ara, pasce pecora; sed spectant ad illa, quibus dominus apud servum suum sub spe majoris gratiæ, quam est merces ipsi constituta, conatur efficere, ut ex amore & promto animo serviat: qui amor servitia & laborem non certis limitibus mandatorum circumscribit, sed omnia facere jubet, quæ domino accepta sunt, sive ea mandata sint, sive minus. Quamvis Deus nihil penitus utilitatis ex nostris capiat operibus, tamen quando talia sunt opera, quæ non adeo claro & expresse mandatis illis, quæ nobis in specie data sunt, continentur, sed nostro arbitrio permissa sunt, non solet ea tanquam servilia opera, sed tanquam bonorum amicorum officia gratuita acceptare, & prout divites amici consueverunt, non ex merito ac dignitate eorum, sed pro magnitudine amoris erga se ea tam in hac vita quam in futura remuneratur.

Atque

Atque hæc ſunt miracula fidei, quæ pro menſura Spiritus Sancti in nobis augeſcentis, in nobis quoque creſcere & augeri debent. Hinc fit, ut mercedem noſtram à Deo non ſervili ratione, quaſi meritum aliquod, ſed filiali fiducia ac parrheſia poſtulemus, Deumque non tanquam dominum, ſed tanquam Patrem noſtrum alloquamur, hoc unice dantes operam, ut amorem ejus nobis conciliemus ac conſervemus: atque ſimul de gratioſa remuneratione adeo non dubitemus, quam ſi ea jam reipſa potiti eſſemus.

Servi inutiles ſumus.] Vox ἀχρεῖος, *inutilis* idem hic valet, quod piger, tardus, ſocors. Vide de hac voce dicta ad Matth. 25. 30. Non ſimpliciter autem hoc loco vox iſta uſurpatur, ut illic apud Matthæum, ſed comparate cum aliis ſervis, qui non ſolum quod nominatim eis edictum ac præſcriptum eſt faciunt & exequuntur, verum etiam ſumma cum animi alacritate, dies & noctes, etiam cum periculo ſuo atque incommodo domini ſui negotia curant: horum reſpectu reliqui vulgares ſervi pro pigris & ſegnibus æſtimandi ſunt, tametſi de cætero officium ſuum faciant.

Nam quod debuimus facere, fecimus.] Id eſt, debemus dicere, nos eſſe pigros & inertes ſervos, quia nihil amplius fecimus, quam quod nobis præceptum eſt. Mercenariam operam qui quotidie locat, nihil aliud quærit, quam ut mercedem, quæ ipſi pro ſingulis diebus debetur, accipiat: mancipium, ut à plagis ac verberibus tergum habeat liberum, ac demenſum ſuum conſequatur. Nam inter talem laborem, & talem mercedem, non ſolum ex pacto, ſed ex naturali quoque æquitate eſt proportio & æqualitas. *Ei qui operatur*, inquit Apoſtolus, *merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito*, id eſt, pro merito, Rom. 4. 4. Et tale debitum, ſeu debita & commerita merces, etiam in Lege Moſaica, ſi non perfecte, at certe aliqua ratione continetur. Nam vita longa & quoad carnem proſpera, qualem promittebat Lex, & perpetua atque ſedula mandatorum Legis obſervatio, ferme pro æqualibus habenda ſunt. Aſt in Novo Fœdere nihil eſt huic ſimile. Merces noſtra æſtimatur non pro ratione noſtri laboris, ſed pro magnitudine benignitatis divinæ. Deus nobis non tantum largitur, quantum labore noſtro poſſumus videri commeruiſſe, quod ſane exiguum admodum foret, ſed quantum ejus immenſæ bonitati eſt conveniens ac conſentaneum. Senſus proinde hujus verſiculi eſt, nos non debere laborare tanquam ſervi & mancipia laborant propter metum pœnæ, ſed tanquam filii ex amore erga Patrem noſtrum. Servi etiam cum optimi ſunt, nihil aliud faciunt, quam quod eis præceptum eſt; filii autem non ſpectant mandatum Patris, ſed etiam abſque mandato omnia faciunt, quæ ad Patris honorem ac commodum pertinere poſſe, ipſique accepta eſſe norunt.

PARS IV.

Verſ. 11. *ET factum eſt inter eundum Hieroſolymam, ut ipſe tranſiret per medium Samariæ & Galilææ.*] Quando hæc hiſtoria geſta ſit, proprie, non ſatis liquet. Chriſtus enim iter è Galilæa verſus Hieroſolymam, ſæpius ultro citroque fecit: videturque eam, Lucas non ſuo loco ac ordine narrare.

Ut ipſe tranſiret per medium Samariæ & Galilææ.] Chriſtus è Galilæa Hieroſolymam proficiſcebatur, quo rectiſſima via ducebat per Samariam, ut ſupra cap. 9. 51, indicatum. Hic autem Lucæ mens eſt dicere, Chriſtum per *medium*, id eſt, inter Samariam & Galilæam media via, ad utriuſque ſcilicet regionis fines iter feciſſe. Hinc factum eſt, quia confinia Samariæ aliquatenus tantum attigit, ut ex decem leproſis unus duntaxat eſſet Samaritanus.

Verſ. 12. *Et cum ingrederetur in quendam vicum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt procul.*] Cum ingrederetur, id eſt, cum jam ingreſſurus eſſet. In ipſo enim vico nulli leproſo fas erat commorari, ſed extra habitare cogebantur, Levit. 13. 46.

Occurrerunt ei decem viri leproſi.] Credibile eſt, eos non caſu occurriſſe Chriſto, ſed eos ſe data opera eo contuliſſe, ut ſanitatem ab eo peterent, cum de ejus adventu certiores facti eſſent. In numero *decem* nullum myſterium latet, ſed hoc ſolum ex eo cernitur, ex tam non parvo numero unicum tantum (idque non Judæum, ſed alienigenam Samaritanum) inventum fuiſſe, qui pro accepto beneficio vere gratum animum exhibuit. Hoc ut indicaret Lucas, hanc hiſtoriam, quam alii Euangeliſtæ præterierunt, deſcribendam ſumſit.

Qui ſteterunt procul.] Non enim audebant, Lege vetante, ad homines propius accedere: ideo etiam retecto capite incedebant, ut è longinquo cognoſci poſſent, quin & labia oris habebant velata, ne quem halitu ſuo inficerent ac impurarent: ut dicto loco, Levit. 13. 46. videre eſt.

Verſ. 13. *Et ſuſtulerunt vocem, dicentes: Jeſu magiſter, miſerere noſtri.*] Vocem ſuſtulerunt partim quia procul ſtabant, partim quia ſanitatem ſe ex animo ab eo expetere teſtari volebant. Vociferati ſunt autem omnes ſimul una quaſi voce, non ſinguli ſeorſim, quod majorem habebat vim Chriſtum ad miſericordiam flectendi. Videnturque de induſtria tanto numero ſe congregaſſe, ſperantes eo citius ſe à Chriſto auxilium impetraturos. Unus enim inter eos erat Samarita, reliqui Judæi. Inter Samaritanos autem & Judæos alioqui nullum erat commercium, adeo quidem, ut etiam contactum alter alterius fugeret (Vide ad Matth. 10. 5.) Multorum ſimul junctæ preces magnum habent ad obtinendam petitionem momentum.

Verſ. 14. *Et videns dixit eis: Euntes oſtendite vos ipſos Sacerdotibus. Et factum eſt, ut inter eundum mundarentur.*] Dum Chriſtus eis præcepit, ut ſe Sacerdotibus oſtenderent, antequam eos ſanaret, eo ipſo ſignificavit, eos in itinere ſanitatem recepturos. Cauſa enim cur neceſſe fuerit, ut ſe Sacerdotibus oſtenderent, erat, quia Sacerdotes vel judicabant de morbo, an vere lepra eſſet (quod hic neceſſarium non erat, quia morbus ſatis patebat) vel eos qui à morbo erant liberati, ſanos eſſe pronunciabant. Voluit autem Chriſtus etiam experimentum hac ratione ſumere eorum fidei. Potuiſſet enim fieri, ut unus aut alter ex eis, qui infirma fide eſſet præditus, cogitaret, quid attinet adire Sacerdotes, cum mor-

bus nondum ſit à corpore depulſus. Quam facile potuiſſent idem dicere, quod dixiſſe legimus Naamanem illum Syrum: *Ecce cogitabam, proculdubio egredietur ad me, & ſtans invocabit nomen Domini Dei ſui, & tanget manu ſua locum lepræ, & ſic curabit me*, 2 Reg. 5. 11. Verum in nemine ex iſtis talem incredulitatem fuiſſe, conſtat ex verſ. 19.

Sacerdotibus.] Id eſt, alicui ex Sacerdotibus. Vide quæ diximus ad Matth. 8. 4. Notandum quoque, Chriſtum hic controverſiam illam, quæ erat inter Judæos & Samaritanos, de eo ubinam verum Templum eſſet, tacite decidiſſe, & pro Judæis ſententiam tuliſſe. Jubet enim Samaritanum una ire cum Judæis, non ad Garizimitanos, ſed ad Hieroſolymitanos Sacerdotes.

Et factum eſt.] Non ex accidenti ac fortuito, ſed virtute Chriſti, qui eos abſens & non adhibita manuum impoſitione ſanavit.

Inter eundum.] Quod in itinere mundati ſint, id indicio eſt, eos omnes fidem habuiſſe.

Verſ. 15. *Unus autem ex illis, videns, ſe ſanatum eſſe, reverſus eſt, magna voce glorificans Deum.*] Reverſus eſt, poſtquam ſcilicet omnes coram Sacerdote comparuiſſent. Idcirco huic fas erat ad Chriſtum propius accedere.

Glorificans Deum.] Deo agebat gratias, quod ſibi tantum beneficium per Chriſtum exhibere dignatus eſſet.

Verſ. 16. *Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias ei agens: & hic erat Samaritanus.*] Accidit ad pedes Chriſti, ſimul ac rediit ad eum.

Gratias ei agens.] Intellige, Chriſto. Summa lætitia, quam ex ſanitate recepta concepit, illico, ut per ſententiam Sacerdotis de ea certior eſt redditus, effecit ut Deum laudibus celebraret: gratus autem ipſius animus movit eum, ut reverteretur ad Chriſtum, ipſique tanquam conciliatori tanti beneficii Dei gratias ageret. Hoc loco habemus iterum exemplum ejus, quod pronomen *ejus*, (nempe *ad pedes ejus*) non ad proximum nomen *Deus*, (Deus enim nullos habet pedes) ſed ad Chriſtum reſpiciat, qui verſ. 14, fuit nominatus. Vide ſimilia exempla plura Luc. 2. 33. IV. 38. X. 9. Quare hinc nullo modo probari poteſt, Chriſtum eſſe Deum ſummum.

Verſ. 17. *Reſpondens autem Jeſus dixit: Nonne decem mundati ſunt? novem autem illi ubi ſunt?*

Verſ. 18. *Non ſunt reperti, qui redierint, ut darent gloriam Deo, niſi alienigena iſte.*] Non ſunt reperti, id eſt, nemo ex eis comparuit, nemo ſe conſpiciendum præbuit. Ita ſumitur etiam hoc verbum Rom. 7. 10. Phil. 2. 8.

Niſi alienigena iſte.] Samaritani etiam à Joſepho alienigenæ vocantur. Maximam enim partem erant è Chuthæis & aliis Aſſyriis populis 2 Reg. 17. 24. Hinc & hodie adhuc à Judæis Chuthæi nuncupantur. Cæterum non pauci è Judaico genere ſe illis admiſcuerant: & ex eo Samaritani anſam ſumſerunt, ut quando illis commodum eſſet (ut Joſephus narrat) ſe interdum Judæorum cognatos vocarent, interdum vero id negarent. Teſtatur autem Joſephus, permultos è Judæis, qui Legem Sabbathi violaverant, vel vetitis cibis uſi fuerant, ad Samaritanos ſe contuliſſe, urbemque Sichem potiſſimum à talibus Judæis fuiſſe habitatam. Et hæc cauſa eſt, cur Sirachus Sichemitas pro deterioribus judicet, quam Samaritanos, qui è Chuthæis erant. Ita enim ſcribit cap. 50. 27. *Duas gentes odit anima mea, tertiam autem adeo, ut nullam magis oderim. Habitantes in monte Samariæ, Philiſthæos, & ſtultum populum, qui incolit Sichem.*

Verſ. 19. *Et dixit ei: Surge & abi; fides tua te ſervavit.*

PARS V.

Verſ. 20. *Interrogatus autem à Phariſæis, quando venturum eſſet regnum Dei, reſpondit eis, & dixit: Non venit regnum Dei cum obſervatione.*] Etiam hæc hiſtoria videtur alio tempore, quam ſtatim poſt curationem leproſorum, eſſe geſta. Nimirum, quando forſitan Chriſtus de Regno Dei loqueretur, ſumſerunt exinde Phariſæi occaſionem eum de tempore adventus regni hujus interrogandi. Utrum vero ſerio, an ludificandi animo hanc quæſtionem propoſuerint, non multum ſcire intereſt. Non abludit autem ab eorum ingenio ac moribus, quod potius irridendi Chriſtum, quam diſcendi intentione quæſierint; quaſi dicerent: Tu tam ſæpe crepas regnum Dei, & ingeminas, quod appropinquet; at nos nullum adhuc ejus rei videmus indicium. Dic vero, quando tandem id venturum ſit.

Quando venturum eſſet regnum Dei.] Per regnum Dei Phariſæi nihil aliud intellexerunt, quam regnum Meſſiæ, quod olim Deus populo ſuo promiſit, & in cujus expectationem omnium Judæorum vota ac deſideria erant erecta. Quod enim non vitam æternam intellexerint, ut Interpretes quidam cenſent, ex reſponſione Chriſti apparet, quæ nulla ratione ad vitam æternam trahi poteſt.

Non venit Regnum Dei cum obſervatione.] Phariſæi, ut & vulgo omnes Judæi credebant, Meſſiam regnum ſuum cum externo ſplendore & mundana majeſtate erecturum, more Regum hujus mundi, ita ut id in ſenſus uniuſcujuſque externos ſit incurſurum. Hanc opinionem falſam cupit Chriſtus hoc loco Phariſæorum animis eximere, aitque, Regnum Meſſiæ non venturum cum obſervatione, id eſt, ita ut obſervari ac conſpici oculis poſſit, quippe quod non cum externa pompa & mundano faſtu, non cum Regia majeſtate ac gloria futurum ſit conjunctum; quemadmodum terrena regna conjuncta eſſe ſolent: nulla talia ſigna adventum regni Meſſiæ anteceſſura, è quibus à carnalibus & mundano ſenſu præditis hominibus cognoſci & obſervari queat, uti in omnibus mundanis Monarchiis fieri ſolet, quæ vi armorum & multarum terrarum ſubjugatione ac urbium expugnatione eriguntur.

Verſ. 21. *Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*] Non dicent: Ecce hic aut ecce illic; id eſt, non poterit regnum Meſſiæ in certo aliquo loco mundi digito monſtrari, ut dici poſſit: In hac vel illa regione eſt thronus regius Meſſiæ, ibi regnat: quemadmodum regna terrena certis ſunt affixa locis.

Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.] Id eſt, in medio veſtri, per Hebraiſmum, ut Johan. 1. verſ. 45. Actor. 7.

Actor. 7. 44. XXIV. 21, & alibi. Sententia enim Christi est: Hoc ipso tempore, quo quæritis, quando venturum sit regnum Dei, jam incipit id inter vos ipsos, etiam vobis non advertentibus, vim suam exerere; nimirum per ingentia miracula, inprimis autem per ejectionem dæmoniorum, ut Christus ait Matth. 12. vers. 20, *Si ego digito Dei ejicio dæmonia, venit ad vos regnum Dei.* Confer cum Matth. 21. 43. Ex quibus cernere est, Christi mentem non esse, Christi regnum, cum venit, plane & omnino inobservabile esse, vel nulla prorsus esse indicia, è quibus ii qui aptos exercitatosque sensus habent ad opera Dei scrutanda & discernenda, id agnoscere queant: sed tantum indicat, id non venire cum ejusmodi carnalibus ac terrenis indiciis, qualia sibi imaginabantur Pharisæi.

PARS VI.

Vers. 22. *Dixit autem ad discipulos: Venient dies, quando desiderabitis videre unum ex diebus filii hominis, & non videbitis.*] E superiori quæstione Pharisæorum Christus sumsit ansam, hanc materiam de regno Dei seu Messiæ latius explicandi, & de severo Dei judicio super eos, qui se regno huic nolunt subjicere, prophetandi.

Ad discipulos.] Non tantum ad Apostolos, sed ad omnes doctrinæ suæ addictos. In eorum autem persona alloquitur totum Judaicum populum.

Videre unum ex diebus Filii hominis.] Per diem filii hominis intelligit dies Regni sui, ejus scilicet regni, de quo paulo ante ad Pharisæos dixerat, id esse inter ipsos. Hoc enim Regnum per vocationem ad pœnitentiam & fidem in Christum quadraginta propemodum annos inter Judæos stetit; quod tempus deinceps nox atra calamitatum, quæ super eos venerunt, excepit; de quibus etiam Christus loquitur infra vers. 34. Illis autem 40 annis Regnum Christi maxime floruit, fuitque id quasi aureum seculum, quo divinissima Spiritus Sancti dona, tam externa, quam interna, in omni loco eluxerunt, per puram fidem & ardentem charitatem.

Et non videbitis] Quando scilicet lux Euangelii plane tolletur è Judæa: quod certissimum erit signum jam jam imminentis exitii. Vult igitur Christus dicere; Regnum quidem Dei se magna vi in populo Judaico exerere, eum vero non attendere, sed potius illi resistere, adeoque negligere felicissimum istud tempus salutis suæ. Cæterum venturum esse tempus, quo vel unum diem optabunt videre ex illis Messiæ diebus, qui ipsos à calamitatibus, quæ super eos justo Dei judicio venturæ sunt, eripiat.

Vers. 23. *Et dicent vobis: Ecce hic aut ecce illic; ne abeatis, neque sectemini.*] Post illud tempus multi falsi Prophetæ exorientur, ut apud Matthæum videre est cap. 24. 23. Non pugnant autem hæc verba cum eo, quod Christus dixit superius vers. 21. *Non dicent: Ecce hic, aut ecce illic.* Ibi enim ostendit, Regnum Dei, non certo alicui loco in orbe affixum & adstrictum fore: hic autem indicat, quid falsi Prophetæ de Regno Dei falsò prædicaturi sint, quod nimirum sit hoc vel illo in loco.

Vers. 24. *Sicut enim fulgur coruscans ex una regione, quæ sub cœlo est, in alteram quæ sub cœlo est, fulget: ita erit & Filius hominis in die sua.*] Fulguris ea est natura, ut puncto temporis loca remotissima percurrat. Innuit ergo Christus, non fore necesse, ut Regnum suum in aliquo peculiari loco quæratur, quia fulguris instar, omnes partes terræ ab uno fine cœli ad alterum transibit: juxta Prophetias, quæ habentur in Psalmis & Prophetis de regno Messiæ. Vide etiam Matth. 24. 27.

Ita erit & Filius hominis in die sua.] Apud Matthæum est: Ita etiam erit adventus Filii hominis, cap. 24. 27. Per hunc adventum suum apud Matthæum, & per diem suum hic apud Lucam, Christus intelligit hoc ipsum Regnum suum. Significat enim, illo tempore splendorem Euangelii repente in toto mundo effulsurum in modum fulguris, & magnos fructus producturum.

Vers. 25. *Sed prius oportet illum multa pati ac reprobari ab hac generatione.*] Id est, priusquam hoc tempus eveniat, quo Regnum Dei vim suam tam miraculosa atque excellenti ratione exerat (quod tempus ab effusione Spiritus Sancti in festo Quinquagesimæ facta initium sumsit) oportet, ut Christus patiatur multa & mortem subeat. Potestatem enim Spiritum Sanctum effundendi non poterat consequi aliter, quam per mortem suam, ut alibi explicatum est. Probe autem notandum est, Regnum Dei quidem cepisse initium tunc, cum Christus in terris Euangelium prædicaret, idque tam insignibus miraculis confirmaret; unde supra Pharisæis dixit: *Ecce Regnum Dei intra vos est*; vers. 21, interim tamen tum maxime & illustrissime cæpisse vim ejus manifestari, quando ipse tanquam Rex regni sui in throno majestatis consedit, & Spiritum Sanctum effudit, cujus vi & operatione Euangelium per universum orbem terrarum fulguris instar diffundetur.

Vers. 26. *Et sicut factum est in diebus Noæ, ita erit etiam in diebus Filii hominis.*] Per *dies filii hominis* in plurali intelligitur totum tempus prædicationis Euangelii seu vocationis Judæorum ad pœnitentiam, quæ præcessit horrendum judicium super ingratissimum populum, seu excidium Hierosolymitanum: quemadmodum id quod Christus de diebus Noæ & de diebus Loti memorat, complectitur totum illud tempus, quo Noë pœnitentiam prædicavit, & Lotus animam suam super impietate Sodomitarum excruciavit 2 Petr. 2. 7. quorum illud usque ad diluvium, hoc usque ad conflagrationem Sodomorum duravit. Significat autem Christus eundem plane fore exitum Judaici populi, qualem habuit primus mundus tempore Noæ, & qualis fuit Sodomitarum tempore Loti, id est, post diutinam & nihil proficientem gratiæ divinæ oblationem, consecuturam esse justam contumacis populi rejectionem, & terribile ac tremendum judicium in oculis totius mundi. Hoc enim etiam postulabat sublimitas & majestas Regni Christi.

Vers. 27. *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & nubebant, ad eum usque diem, quo introiit Noë in arcam: venitque diluvium, & perdidit omnes.*] Omnes scilicet, qui monita divina ad resipiscentiam susque deque habuerant.

Verſ. 28. *Similiter etiam ſicut factum eſt in diebus Loti; edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant.*

Verſ. 29. *Quo autem die Lotus exiit è Sodomis, pluit ignis & ſulphur de cœlo, & perdidit omnes.*] Nempe omnes pœnitere neſcios. His geminis exemplis Chriſtus idem vult docere, quod Petrus illis indicavit verbis: *Novit Dominus pios ex tentatione eripere; injuſtos autem in diem judicii ad ſupplicium ſervare,* 2 Petr. 2. 9.

Verſ. 30. *Secundum hæc erit, quo die Filius hominis revelabitur.*] Per diem revelationis Filii hominis intelligitur dies vindictæ & judicii, quod exercitum eſt ſuper obſtinatum ac refractarium populum tempore excidii Hieroſolymitani, omneſque illæ calamitates ac mala, quæ id conſecuta ſunt. Quod enim Chriſtus potiſſimum de hoc judicio loquatur, ex ſequentibus patet, quæ ad univerſale & ultimum judicium totius mundi accommodari nequeunt. Hoc tempus graviſſimi judicii divini ſuper populum Judaicum & Joël Propheta appellat, *diem Domini magnam & terribilem:* ut Petrus id explicat Actor. 2. verſ. 20. Ubi Petrus verſ. 21. hoc dictum ſubjungit: *Et erit, ut omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus fiat.* Quæ verba ad explicationem verborum Joëlis multum faciunt. De cætero obſervandum eſt, omnia ejuſmodi inſignia judicia, quale fuit primi mundi, Sodomæ, & Hieroſolymæ, fuiſſe figuram & quaſi pignus univerſalis judicii, quod ſuper univerſum orbem terrarum exercebitur. Præterea dubium non eſt, quod ſicut Iſraëliticus populus fuit in aliis rebus figura ac typus populi Chriſtiani, ita etiam interitus illius ſit typus interitus falſi & Anchriſto addicti populi Chriſtiani, ſub cujus tyrannide nunc omnes vere fideles gemunt. Quapropter Interpretes nonnulli verba verſ. 22, *Venient dies, quando deſiderabitis unum ex diebus Filii hominis videre, & non videbitis:* ita exponunt, quod vere credentes ac pii diſcipuli Chriſti in ſuæ afflictionis ac perſecutionis ſtatu, quam inter hypocritas & Chriſto adverſos Chriſtianos patientur, optabunt videre illum magnum & inſignem diem, quo Chriſtus veniet ſuos potenti dextera & maxime horrendo cum judicio è jugo ac poteſtate perſecutorum vindicaturus. Quæ expoſitio eatenus admitti poteſt, quatenus hoc judicium per illud fuit præfiguratum & ſignificatum.

Verſ. 31. *In illo die, qui fuerit ſuper domum, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat ad ea tollenda: & qui in agro, ſimiliter non revertatur retro.*] Proverbialis eſt locutio, qua innuitur certiſſimum & repentinum exitium, ſignificaturque quamprimum mora omni abjecta fugam eſſe capeſſendam. Vide Matth. cap. 24. 17.

Verſ. 32. *Memores eſtote uxoris Loti.*] Iſta jacturam ſuorum bonorum temporalium, quæ reliquerat fugiendo, non poterat concoquere, ſed ad ea reſpectavit, moraſque duxit, donec ſulphureus eam aſſequeretur imber, atque in ſtatuam ſalis commutaret. Monet proinde hic Chriſtus, cavendum eſſe, ne eodem modo quem jactura rerum temporalium afficiat, efficiatque, ut fugam differat; futurum enim, ut talis pariter ac uxor Loti communi exitio involvatur. Simul vero etiam & quidem præcipue Chriſtus docet, dandam eſſe operam, ne quem jactura rerum terrenarum, deterreat à publica doctrinæ ſuæ confeſſione, & à deſerenda infidelium turba. Qui enim ſe ita deterreri paſſi ſunt, omnes ſimul cum aliis interierunt. Paulus ait: *Obliviſcor eorum, quæ à tergo ſunt, ad ea vero quæ à fronte ſunt, contendo,* Phil. 3. 14.

Verſ. 33. *Quicunque ſtuduerit animam ſuam ſervare, perdet eam; & quicunque eam perdiderit, vivificabit eam.*] Chriſtus rationem affert præcedentis moniti, cur exemplum uxoris Loti debeat ſibi quiſque ponere ob oculos. Qui enim ſperat, ſe veritatis agnitæ ſuppreſſione mundi odia declinaturum, & virtute relicta invidiam placaturum, adeoque florentem ſtatum ſuum temporalem conſervaturum, is eo ipſo ſe in extremum interitum præcipitabit, ac proinde non aliter cum eo agetur, quam cum uxore Loti. Complures autem tales extitiſſe, qui vitam ſuam illegitimo iſto & illaudato modo ſervare voluerint, liquet ex epiſtolis Pauli & Johannis, & ex Apocalypſi.

Animam ſuam.] Id eſt vitam, vel ſeipſum. Vide Matth. 10. 39.

Perdet eam.] Una cum reliquis improbis, à quibus confeſſione Euangelii ſe ſegregare recuſarunt, interibunt. Quod omnibus illis contigit, qui ſub tempus obſidii Hieroſolymitani una cum Chriſtianis refugere in montes vel in civitatem Pellam detrectarunt. Hoc vero figuravit & adumbravit interitum omnium eorum, qui odium mundi perhorreſcentes & perſecutionum nimbis capita ſua ſubducentes, publicum veritati perhibere teſtimonium, exeundo ex Babylone Antichriſtiano, renuunt. Vide Apoc. 18. verſ. 4.

Verſ. 34. *Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto uno: unus accipietur & alter relinquetur.*] Illa nocte, id eſt, tempore illius afflictionis. Sicut enim Chriſtus antea diem vocavit totum illud tempus, quo Regnum Chriſti ſumma cum gloria apparuit: ita nunc noctem vocat colophonem illius temporis, qui plenus erit malorum ac miſeriarum. Solent autem Hebræi per noctem & tenebras magnas calamitates deſignare.

Unus accipietur.] Id eſt, quaſi manu prehenſa è periculo educetur: ut Matth. 24. 40.

Et alter relinquetur.] Id eſt, non eripietur exitio communi, ſed in eo peribit. Loquitur autem Chriſtus hic, ut & in duobus ſequentibus verſiculis, de doctrina Euangelica, quæ vim habet disjungendi eos, qui antea fuere inter ſe arcte conjuncti, etiam conjuges & proximos conſanguineos. Vide ſupra cap. 12. 51, 52. Vide etiam, quæ à nobis dicta ſunt ad Matth. 24. 37.

Verſ. 35. *Duæ erunt molentes ſimul: una accipietur, & altera relinquetur.*

Verſ. 36. *Duo erunt in agro: unus accipietur, & alter relinquetur.*

Verſ. 37. *Et reſpondentes dicunt ei, Ubi, Domine? Ipſe vero dixit eis: Ubi corpus, illuc congregabuntur aquilæ.*] Interrogant: ubinam iſta ſeparatio & disjunctio hominum inter ſe conjunctorum futura ſit?

Ubi corpus, illuc congregabuntur aquilæ.] Erat hoc

hoc notum Proverbium, quo Chriſtus ad quæſitum reſpondet, innuitque hanc ſeparationem hominum in Judæa quidem futuram, ſed non in ea ſolum, verum etiam in omnibus locis & apud omnes nationes totius mundi. Separatio enim iſta tam late debebat extendi, quam late Regnum Chriſti ſe diffundet. Quapropter Regnum Chriſti non erit in hoc loco, ita ut non ſit in alio, prout putabant Phariſæi, ſed in omnibus locis erit, & ſimul etiam in omnibus locis non erit; nimirum pro diverſitate animorum ſeu hominum, qui id ſuſcipient vel repudiabunt. Quemadmodum nullus eſt certus locus, in mundo, ubi congregentur aquilæ, ſed congregantur in omnibus mundi locis, ubi cadaver aliquod eſt; ubi vero nullum eſt cadaver, ibi etiam non congregantur.

CAPUT XVIII.

I. *Chriſtus enarrat parabolam de iniquo Judice & quadam vidua: ad verſ.* 9. II. *De Phariſæo & publicano ſimul orantibus: ad verſ.* 15. III. *Vetat aditu ad ſe prohiberi puerulos: ad verſ.* 18. IV. *Reſpondet ad quæſtionem de adipiſcenda vita æterna: docetque diſcipulos, quid periculi in ſe habeant divitiæ.* V. *Promittens ſimul eis glorioſam remunerationem pro eo, quod ſui cauſa omnia reliquerint: ad verſ.* 31. VI. *Annunciat diſcipulis ſuas perpeſſiones & mortem: ad verſ.* 35 VII. *Cæco cuidam viſum largitur: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Dixit autem eis etiam parabolam, quod oporteret ipſos ſemper orare, & non deficere.*] Scopus hujus parabolæ eſt, oſtendere, quod nihil ſit tam arduum, quod calida ac jugi precatione à Deo impetrari nequeat. Idem Chriſtus quoque docuit ſupra cap. 11. 5. in illa parabola de amico vicinum ſuum circa noctis dimidium mutuos tres panes rogante.

Et non deficere.] Id eſt, non debere nos animo colliqueſcere, & ſpe exauditionis abjecta orandi mox finem facere, ſi nos Deus non protinus exaudiat, ſed debere nos conſtanter ac indefinenter in oratione perſeverare: quod & Apoſtolus monet, ac inculcat dicens: *Sine intermiſſione orate,* 1 Theſſ. 5. 17.

Verſ. 2. *Dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, nec hominem ullum reverebatur.*] Injuſtum ac impium Judicem Chriſtus maluit introducere, quia id ſingularem vim habet & emphaſin ad probandum id, quod Chriſtus intendit. Tacite enim Chriſtus argumentum ducit à minori ad majus: Si homo iſte tam perverſus ac nequam, ut nec Deum, nec homines revereretur, tandem victus & expugnatus eſt viduæ iſtius continuis flagitationibus; quanto magis Deus benigniſſimus & optimus, Pater adduci ſe patietur ac flecti, ut nos exaudiat, ſi modo de aſſiduitate ac fervore orandi nihil remittamus. Similis quoque eſt illa Chriſti argumentatio ſupra cap. 11. 13. *Si vos qui mali eſtis, noſtis bona dona dare liberis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum Sanctum petentibus ab ipſo?* Hoc ergo ut & hic adſtrueret Chriſtus, non potuit exemplum magis accommodatum ſumere, quam Judicis, cujus munus requirit, ut ſit ſeverus, & nullis precibus, vel reſpectu perſonarum, ſe vel latum unquem à juſtitia dimoveri patiatur. Vide Levit. 19. 15.

Qui Deum non timebat, nec hominem ullum reverebatur.] Addit hoc Chriſtus, ut augeret vim argumenti ſui. Nam ſi tam impius homo neque æquitate cauſæ, neque viduæ afflictæ neceſſitate motus eſt, ſed ſola orandi conſtantia extorſit ab eo debitam opem: multo magis Deus movebitur noſtris precibus, qui natura mitis, juſtus, & præterea noſter Pater eſt. Plurimi mortalium Deum non timent, qui tamen homines reverentur, vel quod ſibi ab eis metuant, vel quod velint ab eis pro probioribus haberi, quam reipſa ſunt. Iſti autem ſunt omnium deterrimi ac improbiſſimi, qui neque ſunt boni, neque boni videri volunt: qualis erat hic Judex.

Verſ. 3. *Erat autem in civitate illa quædam vidua, quæ venit ad eum, dicens: Vindica me ab adverſario meo.*] Viduam Chriſtus inducit, quia viduæ ut plurimum ab omnibus derelictæ, & injuriis multis expoſitæ. Cumque iniquus iſte Judex neque Deum, neque homines revereretur, ſpes nulla erat, eum tam vilem & miſerabilem fœminam, à qua nihil quod ſperaret vel metueret habebat, dignam auxilio ſuo æſtimaturum. Nihilominus tantum potuit petitionis indefinentis inſtantia, ut hominis obſtinatam mentem frangeret.

Quæ venit ad eum.] Id eſt, ventitabat ad eum, ſæpius eum adibat: frequenter pulſabat ejus fores, crebro terebat ejus limina. Vide verſ. 4.

Vindica me ab adverſario meo.] Gr. ἐκδίκησόν με: quæ vox, ſicut & Latina *vindicare* ſignificat aliquando idem quod ulciſci, vel ultionem exercere, interdum ſimpliciter ſervare, defendere, injuriam arcere. In qua poſtrema ſignificatione hic accipitur, ut etiam infra verſ. 7. ποιεῖν ἐκδίκησιν, *facere vindictam*, tantum ſimpliciter denotat, *facere liberationem.*

Verſ. 4. *Et noluit per longum tempus; poſtea vero dixit apud ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem ullum revereor.*

Verſ. 5. *Tamen quia moleſtiam mihi præbet vidua iſta, vindicabo eam, ne ad finem veniens obtundat me.*] Græca vox ὑπωπιάζῃ, non debet verti *tantum* vel *ultimo*, ut plerique Interpretes reddunt, ſed *continuo, indefinenter*, uſque *ad finem* &c. Quo ſignificatu etiam uſurpatur hæc vox 1 Theſſ. 2. 16.

Obtundat me.] Aſſidua ſcilicet & moleſta ſua flagitatione ac quiritatione.

Verſ. 6. *Ait autem Dominus: Audite, quid judex iniquitatis dicat.*

Verſ. 7. *Deus autem nonne faciet vindictam electis ſuis vociferantibus ad eum die ac nocte & longanimis erit ſuper illos?*] Singula verba habent emphaſin. An juſtus & miſericors Deus injuriam non arcebit? idque ab iis, quos non vilipendit, ſed quos ſumme

diligit, quorum preces ipſi non moleſtæ ſunt, ſed gratiſſimæ.

Et longanimis erit ſuper illos.] Gr. καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς. Quorum verborum non hic videtur eſſe ſenſus, Deum tandem tamen ſuos electos liberaturum, etſi aliquandiu auxilium ſuum differat. Quod ſequitur enim, huic contrarium eſt: *Ne dico vobis vindicabit eos cito*; quod priori dicto opponitur. Sed Chriſtus vult dicere: Annon Deus liberabit electos ſuos, & an diu utetur patientia ac longanimitate ſuper eos (intellige electorum adverſarios) adeoque in longum tempus differet ſuam opem? Nequaquam; minime erit longanimis, ſed quam citiſſime eis ſummittet auxilium. Simili loquendi modo, & in re ſimili utitur Sirachus, dum ait cap. 35. 21, 22, *Oratio afflicti penetrat nubes, nec deſinit, donec appropinquet, & non diſcedit, donec Altiſſimus aſpiciat. Et Dominus juſte judicabit & judicium exercebit, & non tardabit, neque longanimis in eo erit, donec contriverit lumbos immiſericordium.* Neque repugnat huic interpretationi, quod Deus ſæpius permittat, ut chariſſimi ejus amici per aliquod tempus ab impiis premantur. Illud ipſum enim tempus, etſi iis qui patiuntur, longum videatur, revera tamen longum non eſt. Hinc vocat Apoſtolus afflictiones piorum *momentaneas* 2 Cor. 4. 17. Adde, quod non raro dilatio divinæ opis patientibus utilis ſit, etſi cauſas non ſemper intelligant. Magnam autem hoc habet vim hominem in conſtantia orationis retinendi, ſi credat, ſe certo & cito quoque liberatum iri, etſi liberatio aliquantiſper differatur. Ita inquit Habacuc, cap. 2. 3. *Prophetia conſtituto tempore tandem implebitur; etſi cunctabitur, expecta eam: nam omnino eventura eſt, & non tardabit.*

Verſ. 8. *Dico vobis, Vindicabit eos cito. Verumtamen Filius hominis veniens, num inveniet fidem in terra?*] Vindicabit eos cito, id eſt, non diu connivebit ad eorum oppreſſionem, ſed incunctanter iis opitulabitur. Opponit adverbium *cito* verbis *per multum tempus* verſ. 4, per quod iniquus Judex nolebat viduæ auxiliari. Ille poſt longum tempus demum viduam exaudivit: at Deus cito atque è veſtigio electos ſuos exaudiet. *Antequam clament, reſpondebo; adhuc loquentur, & ego exaudiam:* inquit Deus apud Eſaiam, cap. 65. 24.

Num inveniet fidem in terra?] Chriſtus quia de ſuo adventu ad liberandos electos ab inimicis loquitur, ideo conqueritur his verbis, quod pauci perſeverent in patienti fiducia, ac porro etiam in precibus, uſque ad tempus liberationis, quod non longe remotum eſt. Fides eſt potiſſima pars orationis. Vide Jacob. 1. 6. Et in Apocalypſi merito conjungitur *patientia & fides ſanctorum* cap. 13. 10. Succeſſerunt etiam poſt Chriſti & Apoſtolorum exceſſum ex hac vita, corruptiſſima tempora, qualia fuerunt olim ante diluvium. Vide inter cætera 2 Tim. 4. 3, 4.

PARS II.

Verſ. 9. *Dixit autem etiam ad quoſdam, qui ſibi perſuaſerant, ſe juſtos eſſe, & nihili faciebant cæteros, parabolam iſtam.*] Cum Chriſtus antea egiſſet de precibus, & indicaſſet, multos homines non exauditum iri propter ſuam incredulitatem, dum de exauditione dubitant, & ab orando deſiſtunt; nunc docet hac parabola, è quam deteſtanda radice in multis enaſcatur incredulitas, nimirum ex ſuperbia, quod ſibi perſuaſerint ſe juſtos eſſe, ideoque preces ſuas neceſſario debere exaudiri. Tali perſuaſione inflati erant in univerſum Phariſæi, quorum aliqui tunc præſentes erant, & eorum tumidas cogitationes Chriſtus ſpiritu ſuo perſpexit.

Qui ſibi perſuaſerant.] Qui de ſuis virtutibus ac pietate elatam opinionem fovebant in animis ſuis: quæ elatio animi obſtabat, quominus vera cum demiſſione ac humilitate ad clementiam Dei confugerent.

Se juſtos eſſe.] Suo ſcilicet judicio: Chilo Philoſophus interrogatus: Quid eſſet difficillimum? reſpondit: Noſſe ſeipſum. Nihil enim philautia & cæco amore ſui inter homines eſt vulgatius. Animus autem philautia faſcinatus, ſemper ſuas virtutes magni, vitia autem ſua parvi facit; contra vero alienas virtutes minoris, vitia autem majoris æſtimat, quam revera ſunt. Quocirca ſicut facere ſolent illi, qui calceos incurvare ambulando cæperunt, ut eos in contrariam partem præter modum flectant, quo eos rectos reddant: ita nos quoque debemus animum noſtrum in eam partem quam maxime flectere, à qua longe receſſimus. Exceſſus enim, qui in hanc partem committitur, non tantum tutus eſt, ſed etiam laudabilis.

Et nihili faciebant cæteros.] Hoc neceſſario nexu cum præcedenti conjunctum eſt: ut nimirum alios pro nihilo ducat, qui ſibi ipſi nimium placet.

Verſ. 10. *Homines duo aſcendebant in Templum, ad orandum: unus Phariſæus, & alter publicanus.*] In Templum aſcenderunt oratum, quia credebant, Deum preces in Templo potiſſimum exaudire 1 Reg. cap. 8. 38. Matth. 21. 13.

Verſ. 11. *Phariſæus ſtans apud ſe hæc orabat: Deus gratias ago tibi, quod non ſim ut reliqui homines, rapaces, injuſti, mœchi, vel etiam ut iſte publicanus.*] Non indicatur, Phariſæum de induſtria ſtetiſſe procul à publicano, & ſe ab eo tanquam impuro homine removiſſe, ne ab eo polluereturn. Nam etiam alias conſuetudo ferebat inter Judæos, ut publicani in exteriori atrio, (quod Atrium Ethnicorum vocabatur) Phariſæi autem in atrio Judæorum orarent. Ut ita Phariſæo tribuendum non ſit, eum hic aliquid inſolitum feciſſe. Quocirca voces *apud ſe* ad ſequentia pertinent, hoc modo: *Phariſæus ſtans, apud ſe hæc orabat* &c. Ac ſignificatur, eum tacita hac precatione, quam nemo hominum audivit, intimas cordis ſui cogitationes coram Deo expoſuiſſe. Quo ſenſu etiam hæ voces uſurpantur, Marc. 9. 10. x. 26. xiv. 4. xvi. 3. 1 Cor. 11. 13.

Deus gratias ago tibi.] Phariſæos gratiam Dei à ſuis bonis operibus non prorſus excluſiſſe, non tantum ex hic verbis, verum etiam ex Joſepho intelligitur. Atque hac in re Phariſæus iſte nondum quicquam, quod reprehenſionem mereretur, admiſit: Etſi enim proprie loquendo bona opera non Deus, ſed nos facimus, ideoque non Deo, ſed nobis gratioſum præmium pro iis tribuendum ſit: tamen id eſt ſingulare Dei, opus, quod ille per verbum, ac Spiritum

ritum ſuum aliaque media permulta voluntates noſtras excitet ad malum vitandum, & bonum efficiendum, quodque in ipſo obedientiæ ac pietatis noſtræ curſu infirmitatibus noſtris ſuccurrat, ſcandala, quæ nobis lapſus ac ruinæ cauſa eſſe poſſent avertat & amoveat, nonnunquam etiam paterna caſtigatione in rectam viam reducat, à qua exorbitavimus. Quæ omnia Deus in nobis efficit, non tanquam in truncis, ſed tanquam in vivis & rationalibus creaturis, abſque violenta coactione noſtræ voluntatis.

Quod non ſim ut reliqui homines.] Hic jam ſe produnt indicia elati animi in Phariſæo, quem hic Chriſtus eo nomine culpat, quod de aliis omnibus hominibus, quorum tamen paucos norat, tam iniquum ferret judicium, quaſi nemo eorum ipſi ſanctimonia par eſſet. In eo vero nequaquam peccavit, quod Deo gratias pro virtutibus (ſi modo veræ virtutes erant) egerit. Nam etiam commemoratio eorum, quæ in nobis ſunt, bonorum, ad Dei gloriam facit, ſi fiat cum debita modeſtia, ita ut Deo ea potiſſimum adſcribantur, & ſimul agnoſcantur varii in nobis defectus ac vitia, quæ Deus, haud obſtantibus etiam virtutibus noſtris, jure in nobis vindicare poſſet, ſi rigore uti vellet. Quæ humilis agnitio ſuorum lapſuum ac vitiorum huic Phariſæo defuit.

Vel etiam ut iſte publicanus.] Si ulla ſcintilla veræ dilectionis fuiſſet reliqua in iſto Phariſæo, credere debuiſſet, publicanum hunc in Templum veniſſe, animo peccata ſua confitendi & pœnitentiam agendi: id quod ex ejus ſubmiſſis geſtibus poterat cognoſcere. Quodſi hoc ipſum de illo credidit, & nihilominus propter anteactam ejus vitam eum ita contemſit, etiam multo gravius adverſus eum peccavit.

Verſ. 12. *Jejuno bis in hebdomade, decimo omnia quæcunque poſſideo.*] Hactenus enumeravit vitia, quibus ſe carere jactavit; nunc recenſet ſuas virtutes. Non vituperat autem Chriſtus in Phariſæo illam corporis continentiam, etſi non ex præſcripto Legis, ſed ex libero fieret animi propoſito. Duo dies illi, quibus Phariſæi jejunare ſolebant in hebdomade, erant feria ſecunda & quinta, ſeu dies Lunæ & Jovis: ut ſcripta Judæorum teſtantur. Primi Chriſtiani, poſtquam in toto mundo à Judæis ſeceſſionem fecerunt, ne etiam hac in parte ullum haberent cum eis commercium, mutarunt hos jejunii dies, & pro illis quartam & ſextam feriam, id eſt, diem Mercurii, & diem Veneris elegerunt. Hæc carnalis exercitatio jejunii uti à Chriſto nuſquam damnata eſt; ita & à nobis culpanda non eſt, ſi rectum in finem adhibeatur, & minoris quam opera charitatis habeatur. Phariſæi autem potiſſimam pietatis partem conſtituebant in hujuſmodi ritualibus, ita ut meliorem partem veræ pietatis negligerent: quod Chriſtus alibi demonſtrat. Vide Matth. 9. 13. XII. 7. XXIII. 23. &c.

Decimo omnia, quæcunque poſſideo.] Id eſt, do decimas non tantum ut alii homines de iis rebus, quarum decimationem clare & ad literam Lex præſcripſit, ut ſunt omnis generis fruges terræ; ſed etiam de iis, quarum decimatio adhuc controverſa eſt, nempe de herbis, anetho, mentha, cumino, etiam ovis, caſeo &c. Malo commodis meis ac quæſtui aliquid detrahere, quam vel in minimo traditiones Patrum tranſgredi. Quanto majorem laudem commeruit Zachæus, qui dimidiam partem ſuorum bonorum dabat pauperibus Luc. 19. 8. In ejuſmodi rebus exilibus aliquid amplius facere, quam Lex poſtulat, facile eſt: qua tamen in re Phariſæi ſingularem captabant ſanctitatis gloriam.

Verſ. 13. *Et publicanus procul ſtans, neque oculos volebat in cœlum attollere: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.*] Stabat procul, nempe in atrio Ethnicorum, non tam longe tamen, ut à Phariſæo videri non poſſet.

Neque oculos volebat in cœlum attollere.] His verbis reſpicitur ad morem, quem Judæi etiam cum aliis populis communem habebant, ut nimirum orando oculos & manus ad cœlum elevarent. Manuum inprimis meminit Jeremias Lament. 3. 41. Oculorum David Pſal. 121. 1. Ita Salomon quoque ſublatis oravit manibus 1 Reg. 8. 54. Hic igitur publicanus cum ſibi conſcius eſſet multorum peccatorum, indignum ſe judicavit, ut oculos ad Deum attolleret.

Sed percutiebat pectus ſuum.] Hoc facere ſolebant, qui ſeipſos reos peragebant criminum. Vide infra cap. 23. 48. Hunc morem in primitiva Eccleſia etiam retinuerunt illi qui agebant pœnitentiam.

Deus propitius eſto mihi peccatori.] His paucis verbis tum agnoſcit, quis ſit, nempe peccator, tum orat veniam ſuorum peccatorum. Ita id ipſum opere implet, quod Chriſtus diſcipulis ſuis mandavit: Matth. 6. 7. *Quando oratis, nolite multum loqui, ſicut Ethnici: arbitrantur enim fore, ut in multiloquio ſuo exaudiantur.* Satis ille loquitur coram Deo, qui ſumma cum humilitate animi peccata ſua coram eo confitetur. Alioqui ſenſus horum verborum ſumtus eſt ex Pſal. 51.

Verſ. 14. *Dico vobis, Deſcendit iſte juſtificatus domum ſuam magis quam ille: quia quicunque ſe extollit, deprimetur; & qui ſeſe demittit, extolletur.*] Juſtificatus eſt, id eſt, plus juſtificationis apud Deum conſecutus eſt, quam Phariſæus. Vel (qui ſimpliciſſimus eſt horum verborum ſenſus) humilis precatio publicani, etſi is major peccator fuerit, magis Deo placuit, quam arrogantia Phariſæi de ſua externa ſanctitate gloriantis. Verbum enim *juſtificandi* idem nonnunquam ſignificare, quod rem aliquam approbare, vel grato animo ſuſcipere, ſupra Matth. cap. 11. 19. annotavimus.

Theophylactus hic movet quæſtionem: Cur Phariſæus iſte propter paucula verba accuſetur arrogantiæ, cum Jobus multo plura de ſe jactaverit, nec tamen propterea reprehendatur? At magnum diſcrimen eſt inter factum Jobi & hujus Phariſæi. Phariſæus enim prædicabat ſuas virtutes, coram Deo, cum nemo eum accuſaret, imo contemnebat potius omnes reliquos homines, abſque ulla ſibi data cauſa: Jobus autem accuſabatur à ſua conjuge & amicis, tanquam qui omnium mortalium flagitioſiſſimus eſſet. Quam accuſationem merito conſcientiæ ſuæ teſtimonio refutavit. Præterea ſuam pietatem non ejuſmodi frivolis rebus, qualis erat jejuniorum ac decimarum ſtricta obſervatio, teſtatam fecit, quæ

Phariſæum adeo turgidum ac ſupinum reddebant, ſed operibus iſtiuſmodi, in quibus maximæ virtutes, nempe charitas & animi demiſſio, elucebant. Plutarchus egregie monuit, nullam eſſe commodiorem occaſionem virtutes ſuas commemorandi, quam quando immerito nomini alicujus labes ac macula adſpergitur. David quidem & Nehemias etiam Deo exponunt ſua bona opera, ut eorum velit eſſe memor, ſed tum demum, poſtquam ſua & populi totius peccata agnoviſſent, & ſupplici precatione remiſſionem eorum à Deo flagitaſſent. Apoſtoli autem & Chriſtiani hac parte multo adhuc modeſtius ſe gerunt, quam qui erant ſub Veteri Fœdere: quia præ oculis habent remiſſionem inſignem, & ampliſſima beneficia, quæ per Chriſtum ſunt conſecuti.

Quia quicunque ſe extollit, deprimetur.] Vide explicationem hujus dicti ad Matth. 23. 12. & ſupra cap. 14. 11. apud Lucam.

PARS III.

Verſ. 15. *Afferebant autem ei & infantes, ut eos tangeret; videntes autem diſcipuli increpabant eos.*] Explicavimus hæc uſque ad verſ. 18. apud Matthæum cap. 19. 13.

Verſ. 16. *At Jeſus advocans eos dixit: Sinite puerulos venire ad me; talium eſt enim regnum Dei.*

Verſ. 17. *Amen dico vobis: quicunque non ſuſceperit regnum Dei ſicut puerulus, nequaquam introibit in illud.*

PARS IV.

Verſ. 18. *Et interrogavit eum quidam exprimoribus, dicens; Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo.*] Hæc uſque ad verſ. 28. explicata habes ad Matth. 19. 16.

Verſ. 19. *Dixit autem ei Jeſus: Quid me dicis bonum? nemo bonus eſt, niſi unus, Deus.*

Verſ. 20. *Præcepta noſti. Non mœchaberis, Non occides, Non furtum facies, Non dices falſum teſtimonium. Honora Patrem tuum & Matrem tuam.*

Verſ. 21. *Ille vero dixit; Hæc omnia obſervavi à juventute mea.*

Verſ. 22. *Jeſus autem his auditis dixit ei: Adhuc unum tibi deeſt. Omnia quæ habes vende, & diſtribue pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.*

Verſ. 23. *Is vero hæc audiens, valde triſtis factus eſt: nam dives erat valde.*

Verſ. 24. *Videns autem Jeſus eum valde triſtem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei.*

Verſ. 25. *Facilius enim eſt camelum per foramen acus intrare, quam divitem ingredi in regnum Dei.*

Verſ. 26. *Dixerunt autem qui audiebant: Et quis poteſt ſervari?*

Verſ. 27. *Ipſe vero dixit: Quæ ſunt impoſſibilia apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.*

PARS V.

Verſ. 28. *Dixit autem Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*] Hæc uſque ad verſ. 31. vide explicata ad Matth. 19. 27.

Verſ. 29. *Ipſe vero dixit eis: Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos regni Dei cauſa;*

Verſ. 30. *Qui non recepturus ſit multiplicia in hoc tempore, & in futuro ſeculo vitam æternam.*

PARS VI.

Verſ. 31. *Aſſumtis duodecim, dixit eis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & perficientur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.*] Hæc uſque ad verſ. 35. explicavimus ad Matth. 20. 17.

Perficientur omnia quæ ſcripta ſunt.] Jam quidem tunc multa vaticinia Prophetarum de Chriſto erant impleta, nempe de ejus conceptione, nativitate, doctrina, miraculis, &c. at reliquum erat, ut implerentur ea, quæ de morte ejus, reſurrectione & evectione ad Dei dexteram erant prædicta. Hoc igitur ſibi vult Chriſtus, jam omnia implenda ac perficienda eſſe, ita ut nihil jam futurum ſit non impletum, ubi id fuerit impletum, cujus cauſa adibat tunc Hieroſolymam. Hic habetur firmum argumentum, quod Jeſus ſit promiſſus ille Meſſias, quia omnia Prophetarum oracula de Meſſia in eo impleta ſunt. Hoc argumento Paulus utitur adverſus Judæos Romanos Actor. 28. 23. Et hoc nomine etiam Beroënſes laudantur, quod ſcrutati ſint Scripturas diligenter, an ea ſe ita haberent, quæ Paulus de Chriſto & Regno ejus diſſerebat, Actor. 17. 11. Vaticinia autem potiſſima de morte Chriſti ſunt, Pſalm. 22. Eſai. 53. Dan. 9. 26. De ejus reſurrectione Pſalm. 16. 8, 9, 10. quem locum Petrus allegat Actor. 2. 25, 26, 27. & Paulus Actor. 13. 35. Item Pſal. 2. 7. quem locum Paulus citat Actor. 13. verſ. 13. De ejus aſcenſione in cœlum Pſalm. 68. 19. quem Paulus adducit Epheſ. 4. 8. De ſeſſione ejus ad dextram Dei, & de ejus cœleſti dominio Pſal. 100. verſ. 1. quem Paulus allegat 1 Corinth. 15. 25. ut & Pſalm. 2. 6, 7.

Verſ. 32. *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conſpuetur.*

Verſ. 33. *Et flagellatum eum occident: ſed tertia die reſurget.*

Verſ. 34. *Ipſi vero nihil horum intellexerunt, eratque iſtud verbum ipſis occultum, & non cognoverunt quæ dicebantur.*] Intelligebant quidem verba, ſed non poterant capere, quomodo id cum oraculis Prophetarum de Regno Chriſti conveniat: ſperabant regnum ejus fore terrenum, quale eſt aliorum Regum mundanorum. Ex hac falſa perſuaſione orta eſt etiam illa duorum diſcipulorum Emmauntem tendentium querela: *Nos ſperabamus illum eſſe, qui redemturus eſſet Iſraëlem.* Infra cap. 24. 21. Imo cum Chriſtus jam jam ſcanſurus eſſet cœlum, diſcipuli quæſtionem de Regno ejus reſtituendo proponentes ſatis indicant, hanc carnalem opinionem de Regno Chriſti adhuc animis eorum fuiſſe infixam Actor. 1. 6. Tantum poteſt præconcepta opinio. Itaque credendum eſt, Apoſtolos verba Chriſti, quibus mortem & reſurrectionem ſuam illis denunciavit, figurate accepiſſe, & pro parabola habuiſſe.

PARS VII.

Verſ. 35. *Factum eſt autem, ut cum ipſe appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſederet apud viam, mendicans.*] Hæc hiſtoria explicata eſt ad Matth. 20. 29.

Cum ipſe appropinquaret Jericho.] Matth. 20. 30, dicitur: *Egredientibus illis à Jericho:* Quod aliqui ſic conciliare nituntur, quod verbum Græcum ἐγγίζειν non ſolum ſignificet appropinquare ad locum aliquem, ſed etiam prope eſſe alicui loco. Ut ita ſenſus hic ſit: Cum Chriſtus è Jericho egrederetur (ut eſt apud Matthæum) & adhuc prope urbem eſſet, (ut Lucas hic memorat) id eſt, non procul adhuc ab ea receſſiſſet, cæcus iſte ad viam ſedens inventus eſt. Eadem ſignificatio verbi ἐγγίζειν videtur etiam eſſe infra cap. 19. 29. Verum non hanc eſſe mentem Lucæ, ex initio Capitis ſequentis patet, ubi Lucas poſt hanc demum de cæco hiſtoriam narrat, Chriſtum ingreſſum eſſe Jericho. Itaque neceſſe eſt, juxta Lucæ deſcriptionem hanc hiſtoriam prius contigiſſe, quam in Jericho veniſſet. Alii utrumque Euangeliſtam ita conciliant, quod cum Matthæus de duobus cæcis loquatur, qui à Chriſto ſanati ſint tunc temporis, unus eorum ad viam ſederit, cum Chriſtus ad Jericho accederet (ut hic Lucas narrat) Chriſtique opem implorarit: ſed tunc non exauditus, una cum alio cæco rurſus occurrerit Chriſto in via, cum egrederetur è Jericho (ut refert Matthæus) atque tum utriſque oculorum uſus fuerit reſtitutus. Sed ferme credere juvat, Lucam etiam hic temporis, quo res hæc geſta eſt, accuratam rationem non habuiſſe: cujus rei etiam ſupra jam plura exempla à nobis obſervata ſunt.

Verſ. 36. *Audiens vero turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc eſſet.*

Verſ. 37. *Nunciaverunt autem ei, Jeſum Nazaranum tranſire.*

Verſ. 38. *Et clamavit dicens: Jeſu fili Davidis, miſerere mei.*

Verſ. 39. *Et qui præibant, objurgabant eum, ut ſileret. Ipſe vero multo magis clamabat: Fili Davidis miſerere mei.*

Verſ. 40. *Subſiſtens autem Jeſus juſſit eum adduci ad ſe: & cum is appropinquaſſet, interrogavit eum.*

Verſ. 41. *Dicens: Quid tibi vis faciam? Ille vero dixit: Domine, ut viſum recipiam.*

Verſ. 42. *Et Jeſus dixit ei: Recipito viſum. Fides tua te ſervavit.*

Verſ. 43. *Et confeſtim viſum recepit, ac ſequebatur eum, glorificans Deum, & totus populus, cum hoc vidiſſet, tribuit laudem Deo.*

CAPUT XIX.

I. *Jeſus convertit Zachæum: ad verſ.* 11. II. *Proponit parabolam de decem minis: ad verſ.* 29. III. *Ingreditur Hieroſolymam more Regio: ad verſ.* 41. IV. *Lacrymatur ſuper interitum Hieroſolymæ: ad verſ.* 45. V. *Ejicit ex Templo vendentes & ementes: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1 *ET ingreſſus pertranſibat Jericho.*] Ingreſſus eſt civitatem, ad quam appropinquaverat, poſtquam cæcum ſanavit, de quo ſuperiori cap. 18. 35. Tranſibat autem, quia Chriſtus tum tendebat Hieroſolymam, ut ibi pateretur ac moreretur: ut liquet ex Marco cap. 10. 32.

Pertranſibat Jericho.] Non ſine cauſa, ut ſcilicet perditas oves quæreret, & in viam rectam reduceret.

Verſ. 2. *Et ecce quidam nomine vocatus Zacchæus, & hic erat magiſter publicanorum, & ipſe erat dives.*] Indicat Lucas iter ejus per Jericho non fuiſſe fruſtra inſtitutum: ſed reperiſſe eum, quod quærebat, ovem nimirum perditam, quæ ultro ipſi in manus venit.

Et ipſe erat dives.] Publicani plerumque divites erant omnes, ſed maxime Magiſtri publicanorum. Meminitque Lucas divitiarum ejus propterea, ut intelligatur, quam fuerint ingentes ejus eleemoſynæ, ad quas ſe infra verſ. 8. obſtringit.

Verſ. 3. *Et quærebat videre Jeſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quod ſtatura parvus eſſet.*] Fama de inſignibus Chriſti miraculis & ſanctiſſima vivendi conſuetudine excitavit in eo deſiderium, illum hac occaſione videndi.

Verſ. 4. *Et præcurrens aſcendit in Sycomorum, ut eum videret, quia illac erat tranſiturus.*] Συκομωρέα, id eſt, Sycomorus erat arbor foliis ſuis moro ſimilis, fructus autem ejus ſapore erat ſimilis ficui. Arbor iſta magna & alta eſſe ſolet; ideo eam conſcendit Zacchæus, ut Chriſtum melius videre poſſet.

Ut eum videret.] Cupiditas iſta videndi ex animo vere pio & probo profecta fuit: quem animum in eo Chriſtus agnovit; proinde linum hoc fumigans noluit extinguere, vel pati ut extingueretur.

Verſ. 5. *Et ut venit ad locum, ſuſpiciens Jeſus, vidit eum, & dixit illi: Zacchæe, feſtinans deſcende; hodie enim in tua domo oportet me manere.*] Ut propere Zacchæus præcurrerat, arboremque conſcenderat, ita propere jubetur à Chriſto ex arbore deſcendere.

Hodie in tua domo oportet me manere.] Neminis hoſpes ultro ac non rogatus eſſe voluit, præterquam hujus Zacchæi, qui eum libenter rogaſſet & invitaſſet, niſi pudore fuiſſet præpeditus.

Verſ. 6. *Et feſtinans deſcendit, & excepit eum gaudens.*] Teſtatur ingens gaudium ſuum, quod is dignatus fuerit ingredi domum ſuam, cujus videndi tantum copiam ſibi fieri in felicitatis parte ponebat.

Verſ. 7. *Et omnes cum hoc vidiſſent murmurabant, dicentes, eum ingreſſum eſſe ad hominem peccatorem, ut ibi diverſaretur.*] Murmurabant ii omnes, qui viderunt eum ingredientem in domum Zacchæi: inter quos proculdubio etiam aliqui è Phariſaica ſecta fuerunt.

Eum ingreſſum eſſe ad hominem peccatorem.] Quia veſtiga-

vectigalia ac tributa à Romanis impoſita adverſa erant libertati Judæorum, idcirco Judæi, qui vectigalia iſta à Romanis redimebant, maximis peccatoribus accenſebantur, quibuſcum nemini fas erat commercium colere. Vide Matth. 9. 11.

Verſ. 8. *Adſtans autem Zacchæus, dixit Domino: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi qua in re aliquem defrandavi, reddo quadruplum.*] Adſtabat prope Chriſtum, audiebatque attente doctrinam ejus, quod vel ante vel poſt prandium factum eſt.

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.] Hæc verba duplicem habent ſenſum. Vel enim ita accipi poſſunt, quod Zacchæus loquatur de præterito, & ſe affirmet hactenus, antequam Chriſtus ad ſe venerit, ſolitum fuiſſe dimidiam bonorum ſuorum partem elargiri pauperibus, & ſi quem defraudaſſet quadruplum ipſi reddere: Vel (ut plerique Interpretes explicant, & veritati magis conſonum eſt) hoc modo: Domine præcepta tua, quæ doces, adeo affecerunt animum meum, ut paratus ſim ſtatim abhinc opera beneficentiæ & juſtitiæ exercere: nimirum dimidium bonorum meorum conferam in pauperes, & quadruplum rependam, ſi quem me defraudaſſe comperero. Atque hunc ſenſum comprobant verba verſus ſequentis: *Hodie ſalus facta eſt huic domui:* quia ſcilicet doctrina Chriſti tam inſignem fructum in hoc viro produxit. Animus Zacchæi jam quidem antea aliquatenus ad pœnitentiam fuit bene diſpoſitus, ſed nondum intelligebat, quid vera pœnitentia requireret. Hoc adhuc ſupererat, ut reipſa faceret, quod ſibi faciendum eſſe à Chriſto didicerat.

Si quem defraudavi.] Gr. ἐσυκοφάντησα. De hac voce vide ſupra cap. 3. 14.

Reddo quadruplum.] Secundum Legem Exod. 22. verſ. 1, tenebatur is qui quadrupedem (bove excepto) furatus erat & mactaverat, quadruplum ſolvere. Ad hujus legis exemplum Zacchæus ſibi ipſi hic mulctam quadrupli ſponte irrogat. Lex enim nemini imponebat tantam pœnam, qui furti reus non agebatur in judicio, ſed ultro furto ablatam rem reſtituebat. Nam in tali caſu tantum reſtituebat ablatum, & ſimul quintam partem pretii, quo res ablata æſtimabatur: ut cernere eſt Num. 5. 7. Quin etiam, ſi res furto ablata, integra adhuc apud furem reperiebatur, non ſolvebat amplius quam duplum, Exod. 22. 4. Ex hoc exemplo diſcimus, quid faciendum ſit iis, qui peccatorum ſuorum pœnitentia ducuntur. Primum neceſſe eſt, quantum fieri poteſt, ablata reſtituant, damnumque reſarciant, quod vel vi vel dolo malo aliis illatum eſt; quod etiam ipſa docet natura. Non deſinit enim peccare is, qui alterius bona injuſte retinet. Deinde etſi omnino neceſſarium non eſt, magnam tamen vim habet ad veniam peccatorum citius impetrandam, ſi qui peccavit, ipſemet perſonam Judicis induat, ſibique pœnam imperet, ut hac ratione teſtetur, quantopere in animo peccata ſua deteſtetur. *Si nos ipſos judicaremus*, inquit Paulus, *non utique judicaremur*, 1 Corinth. 11. 31. Atque hoc pertinet etiam ad earum rerum cenſum, de quibus quidem nullum extat diſertum præceptum, interim tamen eas dictat Chriſti ſpiritus, qui potentior & efficacior eſt omni lege.

Verſ. 9. *Dixit autem ei Jeſus: Hodie ſalus huic domui facta eſt, eo quod ipſe eſt quoque filius Abrahami.*] Iſtud, *dixit ei*, idem hic valet, quod *dixit de eo*. Non enim ipſum allocutus eſt Chriſtus, ſed de illo ſequentia locutus eſt. Similes locutiones habes Rom. 10. 21. Pſalm. 3. 3. Et infra cap. 20. 41. Vide illic.

Hodie ſalus huic domui facta eſt.] Per domum intelligit Chriſtus ſolum Zacchæum: quod ex ratione annexa colligitur, ubi non de tota ejus domo, ſeu familia, ſed de ipſo ſolo inquit, quia *ipſe eſt quoque Filius Abrahami.* Videtur Chriſtus propterea domus feciſſe mentionem, ut ſignificaret, Zacchæo hoſpitalitatem ſibi in domo ejus exhibitam largiſſime iri compenſatum. Dixerat enim ſupra verſ. 5. ad eum: *Hodie in domo tua oportet me manere.*

Eo quod ipſe eſt quoque filius Abrahami.] Sententia eorum nullo modo eſt admittenda, qui ſtatuunt, Zacchæum non genere Judæum, ſed Gentilem fuiſſe: idque his ipſis Chriſti verbis adſtruere conantur, quaſi Chriſtus dixerit: Iſte qui hactenus Ethnicus fuit & alienigena, jam etiam eſt Abrahami filius, quia fidem in me ſuſcepit: (pro eo ac Paulus ait Rom. 9. 6, 7.) Nomen enim Zacchæi eſt prorſus Hebraicum: ut patet ex Eſd. 2. 9. Nehem. 7. 14. Neque etiam illi verſ. 7. murmurarunt propterea, quod præputiati hominis ædes ingreſſus eſſet, ſed quod *peccatoris*, id eſt, Judæi quidem, ſed non ex Legis præſcripto viventis. Nec eſt, quod quis obſtare putet, id quod fuerit magiſter publicanorum, quaſi ad hoc munus Judæorum nemo fuerit admiſſus. Non enim à Romanis arcebantur Judæi à talium munerum conductione, præſertim ii, qui ſibi jus civitatis Romanæ comparaverant: quorum ſine dubio plurimi erant, ut exemplum Pauli docet, Actor. 22. 25. & ſeqq. Et Joſephus quoque teſtatur libr. 2. de bell. Jud. aliquos è Judæis Romanos equites fuiſſe. Vectigalia autem ab equitibus redimi ſolebant. Præterea id ipſum, quod Zacchæus de quadruplo reſtituendo dicit, reſpicit ad memoratam ſupra à nobis Legem Moſaicam; ad quam homo Ethnicus non reſpexiſſet. Senſus proinde eſt, quaſi dicat Chriſtus: Tametſi homo iſte antehac propter vitam male actam indignus fuerit, ut vocaretur aut cenſeretur eſſe filius Abrahami; nunc tamen per pœnitentiam recuperavit jus ad priſtinam dignitatem, & Abrahamicæ ſtirpi à Deo eſt rurſus inſertus, ideoque non minus pro uno ex poſteris Abrahami habendus eſt, quam quivis alius optimo ejus rei jure gaudens. Atque ſic optime cohæret, quod ſequitur.

Verſ. 10. *Venit enim Filius hominis, ut quærat & ſervet, quod perierat.*] Id eſt, ut quærat oves perditas domus Iſraëlis Matth. 10. 6. xv. 24. qualis etiam hic Zacchæus erat.

PARS II.

Verſ. 11. *HÆc autem illis audientibus, pergens dixit parabolam, propterea quod eſſet prope Hieroſolymam, & quod putarent fore, ut illico regnum*

regnum Dei appareret.] Cum Chriſtus dixiſſet modo, ſe veniſſe ad quærendum & ſervandum perditos Abrahami filios, ex eo concipiebant ſpem Apoſtoli, eum hac intentione nunc petere Hieroſolymam, ut ibi Regnum ſuum erigeret, quod cum totius poſteritatis Abrahamicæ ſalute ac felicitate eſſet conjunctum: idque non aliud crediderunt fore, quam terrenum. Hunc igitur errorem ut animis eorum eximat, narrat hanc parabolam, in qua innuit quidem ſibi Regnum competere, ſed id non in proximo loco Hieroſolymis, ſed in regione remotiſſima (nempe in cœlo) eſſe erigendum; ſeque à Judæis non iri receptum pro Rege, ſed potius ab eis rejectum ac repudiatum iri. Indicatque eos interea, dum abeſt ac verſatur in ſuo longe diſſito Regno, minime otiari debere, ſed ſedulo ea curare, quæ ipſis peragenda injunget; uſque dum redeat, & fideles ſervos ſuos faciat Regni ſui participes, negligentes autem & contumaces juſto ſupplicio afficiat. Hoc Spirituale Chriſti Regnum cœpit ab ejus reſurrectione; ut ex verbis, quæ ſunt apud Lucam, intelligitur: *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam?* cap. 24. 26. Nempe per ſuas perpeſſiones & mortem oportebat eum Regnum acquirere. Ne igitur diſcipuli ejus propterea conſternarentur, ſi Regnum ſuum non illico auſpicaretur, idcirco hac parabola animos eorum ad id præparat ac inſtruit: quod omnino erat neceſſarium, ne ubi viderent ſe triumphantis in modum ingredi Hieroſolymam, putarent, jam tum incipere Regnum ſuum, quod illi terrenum fore ſibi perſuaſerant. Ideo ad finem parabolæ additur, verſ. 28, *Et his dictis, antegrediebatur, aſcendens Hieroſolymam.*

Dixit parabolam.] Utrum hæc parabola ſit una eademque cum ea, quam Matthæus cap. 25. 14, deſcripſit, haud immerito dubitatur ab Interpretibus. Hanc enim Chriſtus protulit die prima ſeptimanæ, quæ erat Dominica Palmarum, qua Regio more ingreſſus eſt Hieroſolymam. Altera autem illa apud Matthæum propoſita eſt die Martis poſtea, ut ibidem eſt demonſtratum. Deinde hæc parabola loquitur de minis, illa de talentis: in hac decem ſervi introducuntur, in illa tres tantum: hic ſingulis ſervis ſingulæ dantur minæ, illic primo quinque talenta data ſunt, ſecundo duo, tertio unum: hic unus ſervus una mina decem, alter vero quinque minas lucratus eſt; illic qui habebat quinque talenta totidem lucratus eſt, & qui duo habebat, etiam tantum duo: hic ſervus piger minam ſuam ſepoſitam ſervavit in ſudario, illic talentum ſuum (quod plus requirebat ſpatii) defodit in terra. Quæ adeo diſcrepantes circumſtantiæ arguunt, hanc parabolam non eſſe eandem cum illa apud Matthæum.

Verſ. 12. *Dixit ergo: Homo quidam nobilis profectus eſt in regionem longinquam, ut acciperet ſibi regnum ac reverteretur.*] Homo nobilis, cui regnum in ſubditos à nativitate & jure hæreditario competebat, fuit Chriſtus: qui venit in propria, Johan. 1. 11.

Profectus eſt in regionem longinquam.] Nimirum extra hunc mundum, in cœlum, ut Regnum ſibi à Patre deſtinatum capeſſeret, rurſuſque reverteretur. Regnum autem conſecutus eſt per ſuas paſſiones & mortem, Phil. 2. 8, 9, 10.

Verſ. 13. *Vocans autem decem ſervos ſuos, dedit eis decem minas, & dixit eis: Negotiamini, donec veniam.*] Omnibus æqualiter data eſt mina. Ita etiam neceſſaria ad ſalutem cognitio & remiſſio peccatorum omnibus Chriſtianis peræque diſtribuitur. Etſi vero per ſervos inprimis intelligi queant miniſtri Euangelii, quibus Chriſtus ſpiritualia dona ſua largitus eſt, ut iis alios homines lucrifacerent: poſtulat tamen etiam uniuſcujuſque Chriſtiani officium, ut donis ſibi à Deo conceſſis negotietur, & tum ſeipſum, tum alios iis magis magiſque ædificet. In hac enim ſchola diſcendo nunquam ad eam pervenitur perfectionem, ut nihil reſtet amplius diſcendum, ſed ſemper occurrit aliquid, quod ſcientiæ cumulo adjici queat.

Minas.] Mina valet duodecim Imperiales cum dimidio. Nam ſexaginta minæ efficiunt talentum: talentum autem 750 Imperiales.

Negotiamini.] Id eſt, date fœnori, collocate hanc pecuniam in quæſtum.

Verſ. 14. *Cives autem ejus oderant eum, miſeruntque legationem poſt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.*] Cives iſti ſunt Judæi.

Oderant eum.] Id eſt, rejecerunt eum & obedientiam ei denegarunt.

Miſeruntque legationem poſt eum.] Curarunt ipſi renunciari, ut omitteret redeundi cogitationes; ſubditis enim ejus ſtare ſententiam, ipſi neutiquam obtemperare, ac pro Domino ipſum ſuo agnoſcere.

Nolumus hunc regnare.] Ita loqui ſolent, qui factorum ſuorum rationem nullam afferre queunt, quam quod ita ipſis libeat.

Verſ. 15. *Et factum eſt, cum is rediiſſet, accepto regno, juſſit vocari ſervos illos ad ſe, quibus dederat pecuniam, ut cognoſceret, quis quid negotiando confeciſſet.*

Verſ. 16. *Adfuit autem primus dicens: Domine, mina tua decem lucrifecit.*] Ea utitur modeſtia, ut lucrum non ſuæ diligentiæ, ſed pecuniæ domini adſcribat.

Verſ. 17. *Et ait illi: Euge bone ſerve, quia in minimo fuiſti fidelis, habeto poteſtatem ſuper decem urbes.*] Urbes ſcilicet illius Regni, quod acceperat. Poteſtas autem iſta non ſignificat laborioſam adminiſtrationem decem urbium, ſed honorem ac dignitatem, quam habet, is qui eſt dominus decem urbium: ut Apoc. 2. 26, *Dabo ei poteſtatem ſuper Gentes.* Fideles enim Chriſti conſortes erunt regni Chriſti, & una cum ipſo regnabunt. Vide Apoc. 5. 10. xx. 6.

Verſ. 18. *Et alter venit, dicens: Domine mina tua confecit quinque minas.*] Hic indicatur inæqualis uſus ſpiritualium donorum, quo fit, ut unus plus, alter minus lucretur. Cujus rei cauſa reſidet partim in inæqualitate virium ac facultatis, partim in inæqualitate ſtudii ac diligentiæ, partim denique in inæqualitate occaſionum ac opportunitatis.

Verſ. 19. *Ait autem & huic: Tu quoque eſto ſuper quinque urbes.*] Non reprehendit eum dominus, quod mina ſua non etiam decem minas, ut prior ille, lucratus ſit; quia probe novit, ut in temporali ac terrena, ita & in ſpirituali mercatura non ſemper pares eſſe lucrandi occaſiones. Sapientis eſt quoque, non amplius à quoquam poſcere, quam vires ejus ferre

ferre poſſint: Quod autem is tantum quinque urbibus præficiatur, eo ſignificatur inæquale præmium futuræ vitæ. In domo Dei ſunt multæ manſiones, Johan. 14. 2. ſine dubio præſtantia & gradibus inter ſe diſtinctæ.

Verſ. 20. *Et alius venit dicens: Domine, ecce mina tua, quam habui repoſitam in ſudario.*

Verſ. 21. *Metui enim te, quod homo ſis auſterus; tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.*] Hoc ſibi vult: In negotiatione varia eſt fortuna, æque facile jactura rei fieri poteſt, quam lucrum. Tu autem homo es tam iniquus, ut lucrum à me popoſciſſes, etſi adhibita omni cura ac ſtudio nullum potuiſſem facere operæpretium. Quare conſultius duxi, pecuniam aſſervare in ſudario, ut eam tibi, redeunti domum, integram reſtituerem. Significat proinde ſervus iſte, domino nullam fieri injuriam; quandoquidem quod ſuum erat, totum recipiat, etſi aliqua hic ſit culpa, eam domino ipſi, ejuſque duritiei ac iniquitati eſſe imputandam. Ignavus iſte ſervus eſt vera effigies eorum omnium, qui incredulitatis ſuæ culpam in Deum rejicere amant, quod ſcilicet fidem requirat ab ipſis, & vires ad credendum non dederit; quod bona opera exigat, cum eos voluntate benefaciendi non inſtruxerit, ſed potius æterno ac immutabili decreto facto, cauſa ſit omnium malorum operum, à quibus ipſi abſtinere nequeant. At iſtos ipſa eorum conſcientia ſæpe convincit, quod multa bona facere, & mala omittere potuerint, partim vi luminis ac facultatis naturalis, partim per illam gratiæ menſuram, quam à Deo acceperunt.

Verſ. 22. *Dicit autem ei: Ex ore tuo judico te, ſerve ſcelerate. Sciebas me hominem auſterum eſſe, qui tollam quod non poſui, & metam quod non ſeminavi.*] Non ſine ira & indignatione eum alloquitur, idque merito, tum propter ejus ſtupiditatem, tum propter animi perverſitatem, quod culpam omnem in ſe referat.

Ex ore tuo judico te.] Id eſt, poſito ita eſſe ut dicis, te nihilominus tuiſmet verbis convincam. Hoc erat Proverbii vice. Vide Matth. 12. verſ. 37. Job. 15. 6.

Sciebas me hominem auſterum eſſe.] Quaſi dicat: Hoc ipſum, quod de me ſentis, debebat efficere, ut te non otio ac ignaviæ dares, ſed tanto diligentius laborares. Si enim ego is ſum, quem me dicis, tam ſcilicet avarus, ut etiam aliena appetam, quanto magis credere debuiſſes, me de meo lucrum requiſiturum. Itaque elocanda tibi erat pecunia mea argentariis, ut eam vel ab ipſis, vel à te cum fœnore poſſem repoſcere.

Verſ. 23. *Et quare non dediſti pecuniam meam argentariis, & veniens ego, cum uſura eam exegiſſem?*

Verſ. 24. *Et dixit adſtantibus: Tollite ab eo minam, & date ei, qui decem minas habet.*] Hæc locutus eſt ad reliquos ſervos ſuos.

Et date ei, qui decem minas habet.] Vide ad Matth. 25. 28.

Verſ. 25. *Et dixerunt ei: Domine, habet decem minas.*

Verſ. 26. *Dico enim vobis, Omni habenti dabitur; ei vero qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.*] Hæc ſunt verba domini, ante quæ ſubintelligendum eſt aliquid, cujus cauſa redditur. Nimirum ſervi cenſebant, minam non eſſe illi dandam qui jam ante habebat decem minas, ſed alteri alicui, qui nihil aut minus aliquid habet. Reſpondet ergo dominus: Nihil refert, quod habeat decem minas; hoc nihil impedit, quominus etiam hanc minam accipiat. Dignus enim is eſt, cui plura dentur & majora, qui etiam parva dona rectiſſime collocare novit. Facitque huc illud: *Habenti dabitur* &c. Luc. 8. verſ. 18. Significatur proinde his verbis, tum quanta pœna maneat illos, qui donis Dei non ad ejus gloriam & proximorum ſuorum ſalutem utuntur; tum quomodo major gratia ſperanda ſit iis, qui accepta bene uti norunt. De reipſa vide Matth. 25. 29.

Quod reliquos ſeptem ſervos attinet, de iis nihil memoratur, quod dominus ab eis ſimiliter rationem exegerit; ſed ex horum trium exemplo facile capi conjectura poteſt, quod & unicuique ex his præmium pro ratione laboris ac diligentiæ tributum ſit. Si autem iram & indignationem domini ſui meruit, qui integram & ſalvam minam domino ſuo reſtituit, ſed ſine fœnore: quid illis expectandum erit, qui minam ſuam pergrœcati ſunt & decoxerunt, id eſt, qui dona Dei male vivendo & veritatem abnegando amiſerunt?

Verſ. 27. *Veruntamen meos illos inimicos, qui me noluerunt regnare ſuper ſe, adducite huc, & jugulate coram me.*

Verſ. 28. *Et his dictis, antegrediebatur, aſcendens Hieroſolymam.*

PARS III.

Verſ. 29. *ET factum eſt cum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam, ad montem, qui vocatur Olearum, miſit duos è diſcipulis ſuis.*] Hæc hiſtoria uſque ad verſ. 41, explicata eſt ad Matth. cap. 21. 1.

Cum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam.] Id eſt, cum non procul eſſet ab utroque iſto vico, vel cum eſſet in illo tractu. Nam quando prope erat Bethphagen, jam præterierat Bethaniam. Vide Matth. 20. 30, XXI. 1.

Verſ. 30. *Dicens: Abite in vicum qui eſt ex adverſo, in quo introëuntes invenietis pullum alligatum, cui nullus unquam hominum inſedit, ſolventes eum adducite.*

Verſ. 31. *Et ſi quis vos interrogaverit, Quare ſolvitis? ſic dicetis ei, Quoniam eo opus eſt Domino.*

Verſ. 32. *Profecti autem qui miſſi erant, invenerunt, prout eis dixerat.*

Verſ. 33. *Solventibus vero illis pullum, dixerunt eis domini ejus: Quare ſolvitis pullum?*

Verſ. 34. *Ipſi autem dixerunt: Quoniam eo opus eſt Domino.*

Verſ. 35. *Et duxerunt eum ad Jeſum. Et palliis ſuis pullo injectis, impoſuerunt Jeſum.*

Verſ. 36. *Eunte autem ipſo, ſubſternebant pallia ſua in via.*

Verſ. 37. *Cum vero jam appropinquaret ad deſcenſum montis Olearum, cœpit omnis multitudo diſcipulorum gaudentium laudare Deum voce magna de omnibus,*

bus, quas viderant, virtutibus.] Cum appropinquaret ad deſcenſum montis, id eſt, cum jam de monte deſcenderet, verſus Hieroſolymam Regiam urbem, quam jam conſpiciebat oculis.

Omnis multitudo diſcipulorum.] Qui miraculis Chriſti permoti, ex Galilæa eum ſecuti fuerant.

Verſ. 38. *Dicentes: Benedictus Rex ille qui venit in nomine Domini. Pax in cœlo, & gloria in excelſis.*] Pax in cœlo, id eſt, Meſſiæ ejuſque regno fauſta & felicia quæque in cœlo, id eſt, à Deo decernantur.

Verſ. 39. *Et aliqui Phariſæorum è turba dixerunt ei: Magiſter objurga diſcipulos tuos.*] Phariſæi ſe turbæ intermiſcere ſolebant, male ſeduli aucupes verborum Chriſti, & curioſi ſpeculatores rerum ab eo geſtarum.

Verſ. 40. *Ipſe vero reſpondens dixit eis: Dico vobis; ſi ſilluerint iſti, mox lapides clamabunt.*] Proverbium redolet locutio iſta, qua ſignificatur, impoſſibile eſſe, ut non aliqui regnum Chriſti agnoſcant, quod Deus immutabili decreto prædeſtinavit. Itaque citius futurum, ut lapides in homines convertantur, (ut dictum eſt Matth. 3. 9.) quam ut hoc Dei decretum fiat irritum.

PARS IV.

Verſ. 41. *Et ut appropinquavit, viſa urbe flevit ſuper ea.*] Chriſtus jam deſcendebat de monte Olivarum, ut verſ. 37, indicatum, & urbs ei jam verſabatur in oculis. Mons enim Olivarum, non ſupra 5 ſtadia aberat à civitate.

Flevit ſuper ea.] Mirum eſt conſpectum urbis, quam tanta cum pompa & exultatione populi ingrediebatur, lachrymas ei excuſſiſſe. Verum Chriſtus non vanam ſpectavit gloriam & honorem, quem ei exhibebat populus, ſed rem ipſam, tam præſentem quam futuram: præſentem ſcilicet invictam populi pervicaciam & obſtinationem adverſus ſuum regnum, & futurum horrendum judicium. Eſt autem fletus plerumque comes doloris, quem vel noſtra propria, vel aliorum hominum miſeria in nobis excitat. Laudabilius vero eſt ſemper, aliena mala potius, quam ſua deflere: quia id eſt indicium commiſerationis; quæ etiam hic lacrymas Chriſto expreſſit. Atque hinc diſcimus, Chriſtum quoque iis affectibus animique commotionibus, quibus & nos ſumus, obnoxium fuiſſe. Meritoque mirandum eſt reperta olim fuiſſe aliqua Euangelii Lucæ exemplaria Græca, ubi hoc totum omiſſum fuerit: ut teſtatur Epiphanius. Nimirum qui iſtud expunxerunt, crediderunt, indecens Chriſto fuiſſe flere ac lacrymari. At hac ratione etiam Euangelium Johannis circumcidendum eſſet, in quo cap. 11. 35, expreſſe dicitur, Chriſtum lacrymaſſe. Cauſa hujus audaciæ fuit falſa opinio è Stoicorum Philoſophia deſumpta. Secta enim iſta etiam hoc inter alia docebat, ſapientem neminis miſereri. Statuerunt, veram ſapientiam requirere, ut omnes affectus exſtirpentur, lætarique & gaudio affici ſuper aliqua re, vel triſtari, imperfectionem eſſe, quæ à carne proficiſcatur, animumque contaminet, ideoque nulla ratione decoram & honeſtam eſſe. Quam opinionem falſam eſſe, affectuſque natura nobis inſitos non eſſe per ſe malos, ſed valde utiles, quando recte adhibentur, & ad Dei gloriam proximique ſalutem convertuntur, de eo alibi actum eſt. Fletus iſte Chriſti ex intima commiſeratione, hæc autem ex ſumma charitate nata eſt. Quodſi charitas eſt virtus præclara & laude digna (de quo nemo habet cauſam cur ambigat) certe & ſignum charitatis, nimirum fletus, non poteſt ullam reprehenſionem mereri.

Ex hoc quoque fletu Chriſti intelligitur, eum una cum Deo Patre ſuo interitum urbis Hieroſolymæ decreto inevitabili haud definiviſſe ab æterno; prout à multis hodie creditur: alioquin hæ revera Crocodilinæ lacrymæ fuiſſent. Confer cum Matth. cap. 23. 37.

Verſ. 42. Dicens: *Si noſſes & tu & quidem hoc die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent. Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.*] Commiſerationem ſuam ſuper urbem, quam lacrymis ſuis teſtatus fuerat, jam etiam verbis teſtatur. Duaſque ejus rei reddit cauſas.

Si noſſes & tu, & quidem hoc die tuo.] Hic prima affertur cauſa, cur Chriſtus fleverit: Judæorum ſcilicet ſumma & inexcuſabilis ignorantia in tanta luce, quæ illorum animis affulſit, & in tantis miraculis, quibus Chriſtus veritatem doctrinæ ſuæ confirmavit. Itaque hæc eſt talis ignorantia, quæ ex petulanti contumacia & obſtirmatione animi orta erat, ac propterea carebat omni excuſatione, juſtamque provocabat in ſe Numinis iram. Vocula *ſi* idem hic valet, quod *utinam*, vel ô ſi, quaſi dicat, ô ſi noſſes, vel ô utinam noſſes: ut Luc. 12. 49. XXII. 42. Particula autem *&*, vel *etiam* dupliciter accipi poteſt hoc loco; vel hoc modo: O utinam etiam tu ita noſſes, quemadmodum ego novi; vel (quod probabilius eſt) ſic: Utinam ſaltem tu Hieroſolyma, cognoſceres, quando alii cognoſcere nolunt; tu, inquam, quæ præ aliis civitatibus adeo dilecta es, quæ es civitas Davidis, è cujus lumbis ego Servator tuus ortus ſum, quæ conſecrata es cultui divino, ac proinde præ cæteris cunctis intelligere deberes, quæ ad pacem ac ſalutem tuam ſpectant.

Et quidem hoc die tuo.] Quaſi dicat: Etſi hactenus tam obſtinata fueris & obdurata adverſus tuam propriam felicitatem, utinam ſaltem nunc cognoſceres, cum illuxit tibi glorioſus ille dies, de quo vaticinatus eſt Zacharias: *Dicite filiæ Sionis, Ecce Rex tuus venit tibi* &c. cap. 9. 9. Et Eſaias: *Surge, luce, quandoquidem advenit tibi lux tua*, cap. 60. 1. Poſt hunc enim diem non multum tibi ſupererit temporis, quo exitium evadere tibi licebit. Licet enim etiam poſt Chriſti obitum Hieroſolymitanis prædicatum ſit Euangelium per Apoſtolos, neque dubium eſt ullum, quin omnes qui prædicationi eorum crediderunt ac converſi ſunt, ſervati ſint: videtur tamen non multo poſt Chriſti mortem divinum de eorum excidio atque interitu decretum confirmatum & ita obſignatum fuiſſe, ut revocari non poſſet; quanquam ita, ut paucis piis & probis, qui ſe adhuc convertere vellent, pateret adhuc gratiæ oſtium, uſque ad tempus obſidionis, ubi jam nulla conditio vel miſericordia habebat locum. Ita Chriſtus his verbis præcipue reſpicit ad vaticinium, Dan. cap. 9. 27.

Quæ ad pacem tuam pertinent.] Id eſt, quæ tibi veram felicitatem afferre poſſent: ut nimirum reſipiſcas, & Euangelio credas; quibus verbis Marcus complexus eſt ſummam prædicationis Chriſti cap. 1. 15. Unde intelligere eſt, verbum *cognoſcendi* non nudam ſcientiam, ſed opus ipſum, quod ſciendum eſt, hic denotare.

Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.] Hoc non loquitur Chriſtus, ut excuſet eorum ignorantiam, ſed potius ut eorum ſummam & voluntariam indurationem accuſet, quod ad tam claram lucem cœleſtis veritatis, quæ eis monſtrabat, quid ad eorum pacem conduceret, oculos clauſerint, & ſeipſos ex mera petulantia cœcos reddiderint. Negari quidem non poteſt, Chriſtum plurima locutum eſſe in parabolis, ſed talia, quæ non ad pœnitentiam pertinebant, verum quæ erant ſublimia Regni Dei myſteria, quorum cognitione illi indigni erant, quin etiam quorum cognitio inutilis erat illis, qui prima principia & quaſi elementa doctrinæ Chriſti, pœnitentiam ſcilicet, ſuſcipere noluerunt. Sed & parabolarum iſtarum interpretationem nemini denegavit, qui eam deſideravit. Vide Matth. 13. 10. & ſeqq.

Verſ. 43. *Quia venient dies in te, & circumdabunt tibi inimici tui vallum, & circumcingent te, & conſtringent te undique.*] Hic Chriſtus monſtrat alteram cauſam ſui fletus & commiſerationis ſuper Hieroſolymam: eaque eſt extremum ejus excidium, quod Deus juſto judicio flagitia ejus vindicans, certo ei aſſignavit. Subaudiendum autem aliquid eſt, ante hæc verba, ad quod reſpicit vocula *quia*, cujuſque rationem ſeu cauſam hæc verba continent. Nimirum hæc eſt ſententia verborum Chriſti: Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Propterea juſta & merita pœna jam adventat, & non procul abeſt. Quænam vero & qualis futura ſit iſta pœna, his verbis declarat: *Quia venient dies in te* &c. *Dies* more Hebræorum deſignat *tempus*, nihilque aliud ſibi vult Chriſtus, quam affore tempus, quo Hieroſolyma cingetur ab exercitu. Tempus autem iſtud fuit annus 37, poſt Chriſti mortem. Unde cernitur, quam diu adhuc Deus pœnam diſtulerit. Nempe lento quidem gradu divina procedit ira, ſed cum venit, ſupplicii tarditatem gravitate compenſat. Similem ſupplicii dilationem vide Gen. 15. 16.

Et circumdabunt tibi inimici tui vallum.] Prædicit Chriſtus, hoſtes eorum Romanos idem eſſe facturos, quod Deus olim de obſidione Hieroſolymæ per Aſſyrios inſtituenda dixerat, Eſai. 29. 3. Impletionem hujus Prophetiæ ac prædictionis Chriſti vide apud Joſephum, de qua & infra cap. 21. 20, Chriſtus ait: *Cum videritis circumdatam ab exercitibus Hieroſolymam.* Valla quondam fiebant palis terræ infixis ad marginem foſſæ alicujus, quibus obſeſſi exitu prohibebantur. Hujuſmodi vallum in longitudinem 40 ſtadiorum Titus extrui curavit circa Hieroſolymam, ut ne ad carpendum quidem gramen aut herbas, quibus famem ſedarent, egredi poſſent.

Et conſtringent te undique.] Initio obſidionis in urbe numerata ſunt vicies centena millia hominum, qui puri erant & Paſcha edere poterant: his ſi annumeres infantes, ægrotos vel certis de cauſis pollutos, quibus Paſcha edere non licebat, facile intellectu eſt, quanta in tam immodica populi multitudine anxietas & anguſtia fuerit. Legatur hiſtoria apud Joſephum.

Verſ. 44. *Et ſolo æquabunt te, & filios tuos in te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*] Græcum verbum ἐδαφίζω ſignificat humi ſternere, ſolo adæquare: quod quomodo in Hieroſolyma impletum ſit, vide ad Matth. 24. 2.

Et filios tuos in te.] Filii Hieroſolymæ ſunt cives ac incolæ Hieroſolymitani. Improprie autem & per metaphoram de illis dicitur, eos ſolo æquatum iri: quia qui occiduntur, in terram cadunt, non aliter quam ædificium quando diſturbatur. Ædificia æquantur ſolo, quando imis à fundamentis eruuntur & evertuntur, homines autem, quando enecantur. Ita hoc verbum Græcum ἐδαφίζω uſurpant 70 Interpretes de hominibus, qui vario mortis genere occumbunt, Pſal. 137. 9. Eſai. 3. 25. Ezech. 31. verſ. 12. Hoſe. 10. 14.

Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.] Indicatur cauſa tantæ anguſtiæ & afflictionis Hieroſolymitanis deſtinatæ: quia nimirum tempus viſitationis, id eſt, oblatæ ſibi gratiæ ſalutaris neglexerint. Vox *viſitationis* interdum in malam partem ſumitur pro pœna, ut Exod. 20. 5, interdum in bonam: ut hic & Gen. 50. 21. Exod. 3. 16. XIII. 19. Figurate autem de Deo uſurpatur hæc vox, ſumpta metaphora ab hominibus, qui alii alios viſitare ſolent: ſignificaturque hac locutione divina providentia, quæ tam ad pœnam, quam ad bonum hominum ubique præſens eſt. Tempus viſitationis hic præcipue intelligitur illud, quo Chriſtus peragrabat totam Judæam omnes ad pœnitentiam invitans; quanquam & tempora paulo poſt mortem Chriſti conſecuta huc faciant. Vide 2 Corinth. 6. 2. Tempori huic viſitationis opponitur tempus vindictæ, Luc. 21. 22. Eſt autem inter tempora vindictæ & tempora viſitationis hoc quoque diſcrimen, quod tempore viſitationis quidem etiam minæ adhiberi ſoleant, ſed quæ mutari queant, ſi homines reſipiſcant: vide Jer. 18. 8. Jon. 3. 4. tempus autem vindictæ ſeu ultionis ſit immutabile. Cum ergo Judæi tempus viſitationis ſuæ non cognoverint, id eſt, ſeriis monitis ac comminationibus ſe permoveri paſſi non ſint, merito factum eſt, quod tempus ultionis non effugerint. Quod autem tempus iſtud viſitationis ſuæ curæ cordique non habuerint, id ipſorum propria factum eſt culpa. Confer Johan. cap. 15. 24.

PARS V.

Verſ. 45. *ET ingreſſus in Templum, cœpit ejicere vendentes in illo & ementes.*] Hoc explicavimus ad Matth. 21. 12.

Verſ. 46. *Dicens eis: Scriptum eſt, Domus mea domus orationis eſt; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.*

Verſ. 47. *Et docebat quotidie in Templo. Primarii vero Sacerdotes & Scribæ, & primores plebis ſtudebant eum*

eum perdere.] Gr. οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ, primi populi, id eſt, qui erant è Synedrio.

Verſ. 48. *Nec inveniebant, quid facerent: totus enim populus pendebat ab ipſo, audiens eum.*] Id eſt, præbebat doctrinæ ejus aſſenſum.

CAPUT XX.

I. *Chriſtus à Judæorum primoribus interrogatur de poteſtate docendi in Templo: quos Chriſtus rurſus interrogat de baptiſmo Johannis: ad verſ. 9.* II. *Affert parabolam de vinea: ad verſ. 20.* III. *Solvit quæſtionem: An ſit dandus Cæſari cenſus? ad verſ. 27.* IV. *Probat reſurrectionem mortuorum adverſus Sadducæos: ad verſ. 41.* V. *Proponit quæſtionem de Chriſto, quomodo ſit filius Davidis? ad verſ. 45.* VI. *Monet diſcipulos ſuos, ut ſibi caveant à malis Scribarum ac Legiſperitorum moribus: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET factum eſt quodam dierum illorum, ut cum ipſe doceret populum in Templo, & evangeliſaret, ſupervenerint primarii Sacerdotes & Scribæ cum Senioribus.*] Hiſtoria iſta uſque ad ℣. 9. explicata eſt ad Matth. 21. 23.

Supervenerint.] Subito acceſſerunt, & coram eo comparuerunt. Vide de hac voce Græca ἐφίστημι infra cap. 24. 4.

Cum ipſe doceret populum.] Hoc præcipue dedit interrogandi anſam Sacerdotibus & Scribis. Vide ad Matthæum.

Verſ. 2. *Et ajunt ad eum dicentes: Dic nobis qua auctoritate iſta facias, aut quis ille ſit, qui dedit tibi iſtam auctoritatem.*] Quod nimirum doceas in Templo: quis tibi id permiſit ac conceſſit? Hoc quærunt aperte, tacite autem etiam, quis ipſi dederit poteſtatem vendentes & ementes è Templo expellendi, adeoque violentia quadam in Templo utendi.

Verſ. 3. *Reſpondens autem dixit eis: Interrogabo vos & ego quiddam, & dicite mihi.*

Verſ. 4. *Baptiſmus Johannis ex cœlo erat, an ex hominibus?*

Verſ. 5. *At illi ratiocinati ſunt apud ſe, dicentes: Si dixerimus, E cœlo, dicet: Quare ergo non credidiſtis ei?*] Matthæus habet: *Cogitabant intra ſe*, cap. 21. 25.

Verſ. 6. *Sin autem dixerimus: Ex hominibus; omnis populus lapidabit nos. Perſuaſus enim eſt, Johannem Prophetam eſſe.*] Timebant, ne inſolentia illa in caput ipſorum recideret, ad quam populum aſſuefecerant. Quando enim inimicos ſuos aperto judicio non audebant tollere è medio, concitabant adverſus eos plebem: idque vocitabant judicium zeli. Vide Johan. 8. 59. x. 31. Actor. 14. 19.

Verſ. 7. *Reſponderuntque, ſe neſcire, unde eſſet.*

Verſ. 8. *Et Jeſus dixit eis: Nec ego dicam vobis, qua auctoritate hæc faciam.*

PARS II.

Verſ. 9. *COEpit autem ad populum dicere parabolam hanc: Homo quidam plantavit vineam, & elocavit eam agricolis, & peregre abfuit multum temporis.*] Hæc parabola expoſita eſt ad Matth. 21. 33.

Verſ. 10. *Et in tempore miſit ſervum ad agricolas, ut ſibi darent ex fructu vineæ. Agricolæ autem, cæſum eum, dimiſerunt inanem.*

Verſ. 11. *Et perrexit mittere alterum ſervum: at ipſi hunc quoque cæſum & contumeliis affectum dimiſerunt inanem.*

Verſ. 12. *Et perrexit mittere tertium: at illi & iſtum vulneratum ejecerunt.*

Verſ. 13. *Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan cum hunc viderint, reverebuntur.*

Verſ. 14. *At viſo eo agricolæ ratiocinabantur inter ſe, dicentes: Iſte eſt hæres. Venite, interimamus eum, ut noſtra fiat hæreditas.*

Verſ. 15. *Et ejectum eum extra vineam interemerunt. Quid ergo faciet eis dominus vineæ?*

Verſ. 16. *Veniet & perdet agricolas iſtos, & dabit vineam aliis. Hoc autem cum audiſſent, dixerunt: Abſit.*] Non negant illi proxime dicta, quod nimirum dominus venturus ſit & agricolas perditurus tam nefarios; ſed hoc ſibi volunt, quaſi dicant. Hoc vero eſſet horrendum & nequiſſimum facinus: abſit, ut talo quid unquam fiat. Intelligebant enim illi, in ſe dictam eſſe hanc à Chriſto parabolam, quod ſcilicet Filium Dei ſeu Meſſiam interfacturi ſint. Hunc ſenſum evincunt ſequentia Chriſti verba.

Verſ. 17. *Ille vero aſpiciens eos ait: Quid ergo illud eſt, quod ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, is factus eſt caput anguli?*] Vult dicere: Si vos non timetis, ne Meſſiam interimatis, quomodo igitur intelligenda eſt illa Prophetia de lapide ab ædificantibus reprobato?

Verſ. 18. *Quiſquis ceciderit ſuper illum lapidem, confringetur: ſuper quem autem ceciderit, conteret illum.*

Verſ. 19. *Et ſtudebant primarii Sacerdotes & Scribæ injicere in eum manus ea ipſa hora: Sed metuebant populum. Cognoverant enim eum adverſus ipſos hanc parabolam dixiſſe.*] Verba hæc ita inter ſe connectenda ſunt: Studebant ei injicere manus (cognoverant enim eum adverſus ipſos parabolam attuliſſe) ſed non audebant, quia ſibi à populo metuebant.

Adverſus ipſos.] Gr. πρὸς αὐτούς, ad eos, id eſt, adverſus eos, vel de eis. Vide Actor. 28. 25. Hebr. cap. 1. 7.

PARS III.

Verſ. 20. *ET obſervantes eum, miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos eſſe ſimularent, ut carperent ejus ſermonem, tradituri eum imperio & poteſtati Præſidis.*] Hiſtoria hæc illuſtrata eſt à nobis ad Matth. 22. 15.

Obſervantes eum.] Inhiabant dictis ejus: ſupra cap. 14. 1, inhiabant factis ejus.

Qui ſe juſtos eſſe ſimularent.] Ita ſe gerebant, quaſi tam tenera eſſent conſcientia, ut libenter in omnibus quæſtionibus, quæ conſcientiam afficiebant, perfecte ab eo erudiri vellent, ne quid iniqui ac inhoneſti admitterent.

Ut carperent ejus ſermonem.] Vix enim fieri poteſt, ut quiſpiam in verbis ſuis tam cautus ſit & circumſpectus, ut non perverſi ejuſmodi captatores ea queant in ſiniſtram partem detorquere.

Tradituri eum imperio & poteſtati Præſidis.] Quia controverſiæ religionis non ſufficiunt ad hominem innocentem damnandum, idcirco ſolent impii homines aliquid tale aucupari, quod ad juriſdictionem civilis poteſtatis ſpectet.

Verſ. 21. *Et interrogarunt eum dicentes: Magiſter, ſcimus te recte dicere & docere, nec accipere perſonam, ſed viam Dei in veritate docere.*

Verſ. 22. *Licet nobis tributum dare Cæſari, annon?*] Matthæus & Marcus non tributum habent, ſed cenſum. Sed eadem eſt utriuſque vocis ſignificatio. Vocaturque ſic pecunia, quæ datur magiſtratui ex agris, pro domibus & perſonis: vectigalia autem dantur pro mercimoniis.

Verſ. 23. *Animadverſa autem eorum calliditate, dixit eis: Quid me tentatis?*

Verſ. 24. *Oſtendite mihi denarium: Cujus habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes autem dixerunt: Cæſaris.*

Verſ. 25. *Is autem ait illis: Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.*

Verſ. 26. *Et nequiverunt verba ejus carpere coram populo, & mirati ſuper ejus reſponſo, ſiluerunt.*] Tanta erat Chriſti ſapientia, ut non ſolum in re ipſa, quam docebat, ſed ne in verbis quidem quicquam invenire poſſent malevoli, quod cavillationi eſſet obnoxium.

Verba ejus.] Id eſt, reſponſionem ſibi datam.

Coram populo.] Qui omnia audiebat, teſtiſque innocentiæ ejus eſſe poterat, ſi quid illi ad ejus criminationem trahere voluiſſent.

PARS IV.

Verſ. 27. *Accedentes autem quidam Sadducæorum, qui contendunt non eſſe reſurrectionem, interrogarunt eum.*] Iſta uſque ad ℣. 41, elucidavimus apud Matthæum ad cap. 22. 23.

Verſ. 28. *Dicentes: Magiſter, Moſes ſcripſit nobis, ſi cujus frater mortuus fuerit, habens uxorem, & ſine liberis mortuus fuerit, ut ejus frater accipiat uxorem illam, & excitet ſemen fratri ſuo.*

Verſ. 29. *Septem ergo fratres fuerunt, quorum primus accepta uxore mortuus eſt ſine liberis.*

Verſ. 30. *Accepit igitur eam ſecundus, & ipſe mortuus eſt ſine liberis.*

Verſ. 31. *Deinde tertius accepit eam: itidem autem & illi ſeptem, nec reliquerunt liberos, & mortui ſunt.*

Verſ. 32. *Poſt omnes autem mortua eſt mulier.*

Verſ. 33. *In reſurrectione ergo cujus eorum erit uxor? nam illi ſeptem habuerunt eam uxorem.*

Verſ. 34. *Et reſpondens ait illis Jeſus: Filii hujus ſeculi nubunt & traduntur nuptum.*] Per filios hujus ſeculi intelliguntur omnes homines tam boni quam mali, qui in hoc ſeculo vivunt, & rerum, ad hanc vitam ſpectantium, ſatagunt. Hebraiſmus hic eſt, ſimilis illi, quem habuimus ſupra cap. 16. 8, ſed paulum alio ſenſu uſurpatus. Hic enim Filii ſeculi hujus opponuntur filiis reſurrectionis, ibi autem filiis lucis: de his inquit hoc loco Chriſtus eos nubere, & nuptum dari. Quemadmodum enim cibo, potu ac ſomno utuntur ad conſervandam vitam ſuam; ita matrimonio utuntur ad conſervandum genus ſuum. Mundus univerſus & omnes ejus partes tendunt ad ſui conſervationem; & quæ nequeunt perpetuo in ſua eſſentia invariata durare, eo modo quo durat Sol, Luna, Aſtra, illa per generationem propagantur: quod in arboribus, herbis, & omnibus animantibus fieri cernimus. Etſi vero Chriſtus hic tantum de eo loquatur, quid fiat, non quid rectum atque permiſſum ſit, tenendum tamen eſt, conjugium eſſe per ſe licitum, & abſque omni peccato contrahi poſſe. Nihil enim quod ad ſui conſervationem natura indiget, & quo carere non poteſt, Chriſtiana religione prohibetur. Licet enim ſub Novo Fœdere cœlibatus eximie commendetur, nunquam tamen matrimonium vetatur aut damnatur, quin potius certis hominibus & in certis caſibus ſuadetur. Vide 1 Corinth. 7. 1, 7, 9, 28. Non enim omnes homines ſunt unius æqualiſque naturæ Matth. 19. 11. Imo Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, ſi quis matrimonium illicitum eſſe doceat, 1 Timoth. 4. 1, 3. Atque hæc permiſſio extenditur etiam ad eos, qui ſunt Antiſtites Eccleſiæ: ut ex officiis, quæ Apoſtolus Epiſcopis ac miniſtris Eccleſiæ præſcripſit, liquet. Vide 1 Timoth. 3. 2. Præterea dicit Paulus, ſe habere poteſtatem ſororem uxorem ſecum circumducendi, æque ac alii Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas faciebant, 1 Corinth. 9. 5. Quamvis autem conjugium Chriſtianis non minus permiſſum ſit, quam aliis hominibus, in ejus tamen uſu magna eſt diverſitas. Nam etiam in matrimonio poteſt ejuſmodi impuritas committi, quæ non deceat hominem Chriſtianum. Vide Hebr. cap. 13. 4.

Verſ. 35. *Qui vero digni habiti fuerint, qui ſeculum illud conſequantur, & reſurrectionem ex mortuis, neque nubunt, neque nuptumdantur.*] Iſti autem à Deo digni habebuntur beata reſurrectione, qui in hac vita reſurrexerunt à mortuis operibus. Vide Rom. 6. 4. Vox *digni* indicio eſt, de re valde eximia ac præſtanti, ideoque non de reſurrectione impiorum ad judicium, hic ſermonem eſſe, ſed de reſurrectione piorum ad æternam felicitatem: quod etiam ex ſequentibus perſpicuum eſt. Eſtque probe advertendum, quando in Sacris Literis futuræ vitæ & reſurrectionis mortuorum fit mentio, ſemper per illam deſignari beatum ſtatum fidelium, per hanc autem reſurrectionem ad iſtam beatitudinem. De futura vita ac mundo vide Hebr. 2. 5. VI. 5. De reſurrectione vide Johan. 6. 39, 40. 44. 54. Phil. 3. 11. 1 Theſſ. 4. 13. & ſeqq. 1 Corinth. 6. 14. & 15, paſſim. Et revera hæc ſola digna eſt reſurrectionis nomine, quæ non fit ad judicium, ſed ad vitam. Ea

vero

vero eſt vera vita, quæ non ad ſupplicium & tormentum durat (tali enim vita potior & beatior mors eſt) ſed cum gaudio ac voluptate conjuncta eſt. Inſuper obſervandum eſt, hanc dignitatem fidelium non ex ipſorum meritis proprie loquendo proficiſci, (quæ enim æqualitas aut proportio eſt inter vitam æternam, & noſtra quamvis perfectiſſima opera) ſed ex mera Dei gratia ac benevolentia, qui noſtram pietatem præmio tam incomparabili dignabitur remunerari. Vide hac de re dicta ad Luc. 17. 7.

Verſ. 36. *Nec enim mori poſſunt amplius: pares enim ſunt Angelis, & filii ſunt Dei, reſurrectionis filii exiſtentes.*] Vide explicationem horum ad Matth. cap. 22. 30.

Verſ. 37. *Mortuos autem ſuſcitatum iri, etiam Moſes indicavit in rubo, cum dicit Dominum Deum Abrahami, & Deum Iſaaci, & Deum Jacobi.*] Non hæc eſt mens Chriſti, quod Moſes ſciverit, fore reſurrectionem mortuorum, eumque id his verbis indicare voluiſſe, dum nominavit Dominum Deum Abrahami, Deum Iſaaci & Deum Jacobi. Tametſi enim Moſes una cum aliis piis in Veteri Fœdere, ex ſummæ bonitatis divinæ conſideratione, vel Spiritus Sancti inſpiratione, aliquam reſurrectionis ſpem habere potuerit, ut omnino credibile eſt: certum tamen eſt & indubitatum, nullum hominum ante Chriſtum vim horum verborum, *Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci & Deus Jacobi*, hoc modo intellexiſſe. Continent ergo hæc Chriſti verba hanc ſententiam: Mortuos ſuſcitatum iri, colligitur etiam ex eo, quod apud Moſen legitur &c.

Suſcitatum iri.] Gr. ὅτι ἐγείρονται οἱ νεκροί, quia reſuſcitantur mortui, id eſt, ſuſcitabuntur. Præſens pro futuro.

In rubo.] Oratio eſt abrupta. Senſus enim eſt: Cum hiſtoriam de rubo ardente, in quo ei Dominus apparuit, deſcribit.

Verſ. 38. *Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum. Omnes enim vivunt ei.*] Poſtremis his verbis Chriſtus occurrit tacitæ objectioni. Poterat enim aliquis dicere, eos jam tum fuiſſe mortuos. Ad hoc reſpondet Chriſtus, eos quidem quoad naturam mortuos eſſe, ſed reſpectu divinæ potentiæ eos vivere, cum ipſe poſſit mortuos in meliorem vitam reducere. Ille enim eſt, qui *vocat non exiſtentia, tanquam exiſtentia*, Rom. 4. 17.

Omnes vivunt ei.] Intellige, Abraham, Iſaac, Jacob, & alii ipſis in pietate & vero Dei timore ſimiles.

Verſ. 39. *Reſpondentes autem quidam ex Scribis, dixerunt: Magiſter, bene dixiſti.*] Scribæ iſti ſic reſpondentes, non erant è Sadducæorum, ſed è Phariſæorum ſecta: ut patet ex Matth. 22. 34.

Magiſter, bene dixiſti.] Præclaro argumento rem probaſti. Placuit iſtis Scribis, quod Chriſtus, ut Matthæus inquit, Sadducæis os obſtruxerit.

Verſ. 40. *Nec amplius audebant, eum quicquam interrogare.*] Nempe Sadducæi, non Scribæ. Statim enim poſtea Chriſto unus ex eis propoſuit quæſtionem de eo, quodnam eſſet maximum mandatum: ut Matthæus teſtatur cap. 22. 34. Itaque vox *illi* non ad proxime præcedens, ſed ad longius diſſitum reſpicit: ut etiam 1 Johan. 5. 22.

PARS V.

Verſ. 41. *Dixit autem eis: Quomodo dicunt Chriſtum filium eſſe Davidis.*] Hæc uſque ad verſ. 45, explicata ſunt ad Matth. 22. 42.

Dixit eis.] Videtur intelligendum eſſe, quod dixerit *de eis*: ut ſupra verſ. 19. Videlicet Chriſtus locutus eſt ad Phariſæos (Matth. 22. 41.) de Scribis, qui in ſuperiori verſ. 39, doctrinam ejus de reſurrectione mortuorum approbarant. Scribas enim tunc præſentes non fuiſſe, ex ſequenti verſ. 46 liquet, ubi Chriſtus diſcipulos monet, ut ſibi caveant à depravatis moribus Scribarum, deque iis tanquam abſentibus loquitur. Quærit igitur hic Chriſtus ex Phariſæis, quid Scribæ ac Legiſperiti eorum de Meſſia doceant, quomodo ſit filius Davidis.

Verſ. 42. *Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam.*

Verſ. 43. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Verſ. 44. *David ergo Dominum illum vocat; & quomodo filius ejus eſt?*

PARS VI.

Verſ. 45. *Audiente vero omni populo, dixit diſcipulis ſuis.*

Verſ. 46. *Cavete a Scribis qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foris, ac primos conſeſſus in conventibus, & primos accubitus in cœnis.*] Hoc uſque ad finem Capitis explanavimus ad Matth. 23. verſ. 5, 6.

Verſ. 47. *Qui exedunt domos viduarum, & in ſpeciem precibus longis utuntur: iſti recipient gravius judicium.*

CAPUT XXI.

I. *Chriſtus laudat eleemoſynam viduæ cujuſdam: ad verſ. 5.* II. *Prædicit interitum Templi & urbis Hieroſolymæ, ſignaque eum anteceſſura indicat: ad verſ. 12.* III. *Prædicit perſecutiones diſcipulorum ante illud excidium: ad verſ. 20..* IV. *Prædicit obſidionem urbis & miſerabilem ſtatum populi: ad verſ. 25.* V. *Prædicit adventum filii hominis & antecedentia ſigna: ad verſ. 29.* VI. *Hortatur ad vigilantiam & attentionem: ad verſ. 37.* VII. *Narratur, quid per illos dies Chriſtus egerit: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Reſpiciens vero vidit divites injicientes dona ſua in gazophylacium.*] Hoc uſque ad verſ. 5. explicatum eſt ad Marc. 12. 41.

Verſ. 2. *Vidit autem etiam quandam viduam pauperculam injicientem illuc duo minuta.*

Verſ. 3. *Et dixit: Vere dico vobis, vidua hæc pauper injecit amplius quam omnes.*

Verſ. 4. *Omnes enim hi ex eo, quod ipſis redundat, injecerunt in munera Dei: hæc autem injecit ex penuria ſua totum victum, quem habebat.*] Munera Dei hic vocantur, non quæ Deus dat, ſed quæ Deo dantur ac conſecrantur: ut *fides Dei* dicitur Marc. 11.22, id eſt, fides quam in Deo ponimus.

Totum victum, quem habebat.] Id eſt, totum id, quo ſe illo die ſuſtentare debebat: duo ſcilicet minuta. Tantillo enim per diem poterat aliquis quam parciſſime vivere.

PARS II.

Verſ. 5. *ET quibuſdam dicentibus de Templo, quod pulchris lapidibus ac donariis ornatum eſſet, dixit.*] Iſta ſunt explanata ad Matth. 24. 1.

Quod pulchris lapidibus ac donariis ornatum eſſet.] Apud Marcum ajunt diſcipuli: *Ecce quales lapides, & qualia ædificia ſunt iſta*, cap. 13. 1. De ſtructura templi hujus eximia, quomodo id Herodes exornaverit, videatur Joſephus libro 15. cap. 14.

Græca vox ἀναθήμασι, donaria ſignificat Deo dedicata, ſed non qualiacunque, & omnia; verum ea tantum, quæ ſuſpendi poterant, vel loco editiori collocari, ut eſſent ornamenta Templi: quales erant in Ethnicorum delubris argenteæ & aureæ phialæ, tripodes, thuribula, coronæ & ſimilia. In Templo autem Hieroſolymitano erat inter alia donaria maxime inſignis aurea vitis, quam Herodes Magnus in Templo ſuſpendi curavit. Donavit autem Herodes hanc vitem Templo in locum illius, quæ ab Alexandro Judæorum Ethnarcha dicata fuerat, & ab Ariſtobulo ablata ac Pompejo data eſt, qui eam Romæ in Capitolio ſuſpendit: ut apud Joſephum legere eſt. Cenſent vero Judæi, hanc vitem figuram fuiſſe Judaici populi, de quo Pſalm. 80. 9, ubi Aſaphus canit: *Vitem ex Ægypto tranſtuliſti, expuliſti gentes, ut plantares eam.* Et Eſai. 5. 7. *Domini exercituum vinea eſt domus Iſraëlis.*

Verſ. 6. *Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.*] Verborum horum ſenſus eſt: Quod hæc attinet, quæ videtis & admiramini, ſcitote omnia iſta funditus eſſe evertenda. Vult Chriſtus eis hanc falſam & carnalem opinionem eximere, qua credebant, Deum propter inſignem ornatum & magnificentiam huic ædificio eſſe parſurum.

Verſ. 7. *Interrogaverunt autem eum dicentes: Magiſter, quando hæc erunt? & quod erit ſignum, quando futura ſint iſta?*

Verſ. 8. *Ipſe vero dixit: Videte ne ſeducamini. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum, & tempus appropinquavit. Ne igitur ſequimini eos.*] Dicent, *Ego ſum*, ſubaudi, Meſſias: ſimili modo loquendi, ut Johan. 8. 58.

Et tempus appropinquavit.] Indicat non procul abeſſe tempus, quo iſta omnia fieri debeant, quæ modo prædixit de excidio urbis & antecedentibus id ſignis (inter quæ etiam fuit hæc ſeductio.) Ut ita hæc verba eandem ſententiam contineant, quæ eſt illorum Chriſti apud Matthæum, cap. 24. 34. *Nequaquam præteribit hæc generatio, donec iſta omnia fiant*, id eſt, tempus adeo propinquum eſt, ut etiam multi ex his, qui nunc vivunt, oculis ſuis urbis everſionem ſint viſuri.

Ne igitur ſequimini eos.] Id eſt, nolite adhærere iſtiuſmodi ſeductoribus, nolite eis credere.

Verſ. 9. *Cum vero audieritis bella, & ſeditiones, ne terreamini. Oportet enim iſta primum fieri, ſed non ſtatim erit finis.*] Lucas *ſeditiones* ponit pro *rumoribus bellorum*, quos habet Matthæus cap. 24. 6.

Verſ. 10. *Tunc dicebat illis: Inſurget gens contra gentem, & regnum contra regnum.*

Verſ. 11. *Magnique terræ motus erunt variis locis, & fames & peſtilentiæ, & terriculamenta, & ſignæ cœlo magna erunt.*] Signa cœleſtia & portenta magnum hominibus terrorem incutient. Signum tale erat, gladius in cœlo ſuper Hieroſolymam ante ejus obſidionem apparens; item lux viſa in Templo; nec non porta Templi ſeipſam pandens; currus & exercitus dimicans in aëre conſpectus; vox hæc in Templo audita: *Excedamus hinc*; homo quidam plebejus, & (ut creditum eſt) mentis emotæ, nomine Jeſus, per quatuor annos indeſinenter clamans: *Væ, væ Hieroſolymæ, væ, væ urbi & Templo, & populo:* quæ ſigna omnia deſcripſit Joſephus. Evenit nimirum divina ſic adgubernante providentia, ut qui ſapientiſſimum Jeſum audire noluerunt, cum eis ſummam annunciaret felicitatem, cogerentur totidem ferme annos phreneticum iſtum Jeſum audire, interitum ipſis & væ horrendum ingeminantem.

PARS III.

Verſ. 12. *SEd ante hæc omnia injicient vobis manus, & perſequentur vos, tradentes in Synagogas & cuſtodias, trahenteſque ad Reges ac præſides, propter nomen meum.*] Hoc explicatum eſt ad Matth. 24. 9.

Injicient vobis manus.] Id eſt, injicientur vobis manus. Similis locutio ſæpius occurrit. Vide Marc. cap. 3. 21.

Verſ. 13. *Continget autem vobis in teſtimonium.*] Id eſt, hæc veſtra perſecutio coram Deo & toto mundo erit teſtimonium tum illorum improbitatis, tum veſtræ patientiæ ac fortitudinis.

Verſ. 14. *Habete igitur hoc repoſitum in cordibus veſtris, non præmeditari reſponſionem.*] Id eſt, inſcribite hoc animis veſtris; mementote probe. Similes locutiones habes ſupra cap. 1. 66. 11. 51. 19. 44.

Non præmeditari reſponſionem.] Id eſt, ne ſitis nimis anxii & ſoliciti: ut Matth. 10. 19. dictum eſt.

Verſ. 15. *Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere, neque obſiſtere omnes adverſarii veſtri.*] Id eſt, verba tam ſapientia vobis dictabo, & ori veſtro inſeram, ut eis nihil opponi queat, quod aliquam habeat ſpeciem veritatis. Hoc implctum eſt in Stephano, de quo ſcribit Lucas: *Nequiverunt obſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, per quem loquebatur*, Actor. 6. 10. Et hæc potiſſima cauſa eſt, cur inimici veritatis plerumque ad enſem ac perſecutionem confugiant, quia nihil habent aliud, quod ei veriſimiliter opponere poſſint.

Verſ. 16. *Trademini autem & à parentibus, & fratri-*

fratribus, & cognatis, & amicis; & morte afficient aliquos ex vobis.

Verſ. 17. *Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum.*

Verſ. 18. *Et pilus de capite veſtro non peribit.*] Locutio eſt proverbialis, qua ſibi hoc Chriſtus vult: Ne tantillum quidem mali vobis accidet. Similem locutionem vide 1 Sam. 14.45. 2 Sam. 14.2. 1 Reg. cap. 1.52. Actor. 27.47. Neque huic contrarium eſt, quod Chriſtus paulo ante verſ. 16. dixit: *Et morte afficient aliquos ex vobis.* Eodem enim modo ſe hic res habet, atque in mercatura, in qua tum demum mercatores reſciſcunt ſe rem feciſſe vel jacturam, ubi rationes ſuas abſolverint. Parva aliquando jactura maximum affert lucrum. Similis loquendi modus eſt quoque apud Matthæum cap. 10. 30. *Veſtri autem etiam capilli capitis omnes numerati ſunt*; id eſt, tanquam res pretioſiſſima aſſervantur. Nimirum etſi videatur aliquid ad tempus perire, non tamen revera perit, ſed potius tanquam depoſitum apud Deum aſſervatur, quod ille nobis poſtea ſuo tempore cum fœnore magno reddet. Quapropter etiam tum cum nobis hoſtes veritatis vitam eripiunt, nihilominus nobis ne minimus quidem capitis noſtri capillus perit.

Verſ. 19. *In patientia veſtra poſſidete animas veſtras.*] Græcum verbum κτᾶσθε non ſolum ſignificat *poſſidere*; ſed etiam conſequi, acquirere, ſibi comparare &c. Qua ultima ſignificatione etiam ſumitur, Matth. 10. 9. Actor. 1. 8. VIII. 20. XXII. 28. Hoc ſignificatu etiam hic accipi videtur iſtud verbum; ut ita Chriſti mens ſit: Acquirite veſtram vitam, patienter ferendo omnia adverſa, etiam mortem ipſam, ſi Deo viſum fuerit, ut illa vel hanc ſubeatis. Quo pacto κτᾶσθε ψυχὰς, animam acquirere nihil aliud eſt, quam apud Matthæum invenire animam ſuam cap. 10. 39. XVI. 25. Cujus loco Lucas dicit, animam ſuam conſervare cap. 9. 24. ſuam animam vivificare cap. 17. 33. Itaque meritiſſimo ſic dicitur. Is enim vere acquirit & comparat ſibi vitam, qui quod commodato tantum acceperat, & quod utendum ad tempus conceſſum erat, deinceps id, tanquam propriam & hæreditariam poſſeſſionem, in perpetuum obtinet. Tertullianus ita reddit hæc verba: Servate vel facite vos ipſos ſalvos per patientiam. Senſu eodem dixit Chriſtus apud Matthæum: cap. 24. 13. *Qui perſeveraverit* (id eſt, patienter perfert omnia) *uſque ad finem, ſervabitur*, id eſt, (ut Lucas hic loquitur) animam ſuam obtinebit vel acquiret.

PARS IV.

Verſ. 20. *Cum autem videritis Hieroſolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoſcite appropinquaſſe vaſtationem ejus.*] De obſidione Hieroſolymæ ac circumvallatione vide ſupra cap. 19. verſ. 43.

Appropinquaſſe vaſtationem ejus.] Vox *vaſtationis* ſeu *deſolationis* indicat, Lucam nullum aliud ſignum, antegrediens ſupremum excidium, proponere, atque Matthæus & Marcus, qui id vocant *abominationem deſolationis.*

Verſ. 21. *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes; & qui in medio ejus, excedant; & qui in agris, non ingrediantur in eam.*] In agris, Gr. ἐν ταῖς χώραις. Quæ Græca vox χώρα ſignificat tum integram regionem, tum partem aliquam terræ, campi vel agri. Hic poſteriori modo ſumitur: ut patet ex Matth. 24. verſ. 18. Eodem modo etiam accipitur ſupra, cap. 12. verſ. 16. Johan. 4. 35. Jac. 5. 4.

Verſ. 22. *Nam hi ſunt dies ultionis, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.*

Verſ. 23. *Væ autem gravidis & lactantibus in illis diebus: erit enim neceſſitas magna ſuper terram, & ira in populo iſto.*] Neceſſitas, id eſt, anguſtia & calamitas.

Et ira.] Id eſt, horrendæ plagæ ac ſupplicia, quæ ex ira Dei proficiſcuntur: ut Matth. 3. 7. Luc. 3. 7. 1 Macchab. 3. 8.

Verſ. 24. *Et cadent ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, & Hieroſolyma calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora gentium.*] De cæde & captivitate Judæorum vide Joſephum.

Et Hieroſolyma calcabitur a gentibus.] Id eſt, Gentiles ſupra Judæos, tanquam gladio victos, imperium exercebunt. Johannes dicit Apoc. 11. 2. *Sancta civitas calcabitur 42 menſibus.* Vide ibidem. Per Ethnicos autem iſtos ac gentiles potiſſimum intelliguntur Romani, qui tunc poteſtate carnali dominabantur Judæis, nunc autem ſpiritualem poteſtatem non tantum ſuper Iſraëlem ſecundum carnem, ſed & ſuper Iſraëlem ſecundum ſpiritum, id eſt, ſuper fideles Chriſtianos ſibi uſurpant, eoſque tyrannide ſua premunt. Ut ita per calcationem Hieroſolymæ non tantum carnalis, ſed & ſpiritualis Hieroſolyma deſignetur: ut ex allegato loco, Apoc. 11. verſ. 2, liquet.

Donec impleantur tempora gentium.] Clare ex his verbis intelligitur, oppreſſioni Judaicæ gentis ab Ethnicis, certum terminum ac metam eſſe poſitam, ut certum ſit, eos non æternum in iſta ſervitute manſuros, ſed aliquando ex hoc jugo liberatum iri: ubi ſcilicet ſe ad Chriſtum converterint; quod adhuc ante finem mundi futurum eſſe, teſtatur illa inſignis Pauli prædictio Rom. 11. 25. ubi ad Romanos ſcribit in hunc modum: *Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc (ut neſitis apud voſmetipſos ſapientes) obdurationem ex parte Iſraël eveniſſe, tantiſper dum plenitudo gentium introierit. Et ita totus Iſraël ſervabitur.* Qui locus cum hoc Lucæ collatus, evidenter oſtendit, graviter erraſſe Chryſoſtomum, qui per impletionem temporum gentium hoc loco finem mundi intelligit, atque ita Judæis omnem ſpem liberationis è ſervitute ipſorum præſcindit.

Tempora gentium.] Significant tempus illud divinæ patientiæ, quod pœnitentiæ ac converſioni depravatorum Chriſtianorum, qui ſunt ex gentibus, præfixum & aſſignatum eſt: quod ubi effluxerit, Deus miſericordia commovebitur ſuper afflictionem populi ſui, & peculiare aliquod atque efficax medium ad eorum converſionem ſuppeditabit, cujus ope ſe queant ex denſis tenebris & caligine extricare, in qua nunc ex parte etiam per Chriſtianorum impietatem, idololatriam, falſaſque doctrinas conſtricti ac impediti detinentur. Quemadmodum enim ingra-

titudo Judæorum fuit anſa converſionis gentilium: ita rurſus ſumma ingratitudo populi Chriſtiani, è gentiliſmo oriundi, in cauſa erit, ut ſe Deus vertat ad gentem Judaicam, & potenti ac miraculoſo modo converſionem ejus promoveat. Ita tandem implebitur præclara illa Dei per Moſen facta promiſſio: *Si ad extremitates cœli diſſipatus fueris, inde te retrahet Dominus Deus tuus*, Deut. 30. 4. Vide hac de plura ad Rom. 11. 25, 26.

PARS V.

Verſ. 25. *ET erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis; & in terra anxietas Gentium præ deſperatione, reſonante mari & ſalo.*] Poſtquam tempora gentilium fuerint impleta, tum incipiet eorum judicium, cujus prodromi erunt ea, quæ hoc & ſequenti verſiculo prædicuntur, & per quæ ſimul via ſternetur ad liberandum tam carnalem quam ſpiritualem Iſraëlem.

In ſole & luna & ſtellis.] Locutiones iſtæ ſunt figuratæ & impropriæ, quarum ſenſus ad Matth. 24. verſ. 29, annotatus eſt.

Reſonante mari & ſalo.] In Græco ponitur præſens pro futuro. Mare ſignificat ex Propheterum uſu confuſum & conturbatum mundi ſtatum; & ſonitus maris ac fluctuum æſtus, omnis generis bellicos tumultus. Ita apud Danielem quatuor mundana Regna per magnas beſtias, quæ ex mari prodeunt, adumbrantur cap. 7. 3. quo ſignificatur, fore ut ea ex bellis naſcantur & non ſine magna ſanguinis effuſione inſtituantur atque erigantur.

Verſ. 26. *Exanimatis hominibus præ metu & expectatione eorum, quæ ſupervenient univerſo orbi: nam virtutes cœlorum concutientur.*] Gr. ἀποψύχω, ſignificat, *exanimor, deliquium animi patior*; quod fit in magno æſtu vel ſummis corporis doloribus.

Nam virtutes cœlorum concutientur.] Id eſt, graviſſima erunt bella & mutationes regnorum per arma ac bella. Vide de hac locutione Matth. 24. 29.

Verſ. 27. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa.*] Et tunc, id eſt, poſtquam ſuperius enumerata ſigna & plagæ, de quibus verſ. 25 & 26, actum, per aliquod tempus duraverint.

Videbunt Filium hominis venientem.] Ad glorioſe liberandum populum ſuum: de qua liberatione loquitur in ſequenti verſ. 28.

Verſ. 28. *Cum autem hæc fieri incipient, ſurſum aſpicite & levate capita veſtra; quoniam appropinquat redemptio veſtra.*] Cum hæc incipient fieri, nempe quæ indicata ſunt verſ. 25, & 26.

Levate capita veſtra.] Id eſt, quando videbitis conturbatum & triſtem undique rerum in orbe terrarum ſtatum, ne deſpondeatis propterea animum, ſed cogitate, prope eſſe tempus liberationis veſtræ. Eſt in hac locutione ſimilitudo ſumta ab iis, qui cum ingenti deſiderio ac tædio expectant aliquem è longinquo venturum, & cum jam adventant aliqui præcurſores, erecto capite ſpectant, annon & ipſe mox ſit adfuturus, ac ſecuturus. Hoc vocat Paulus Rom. 8. 19. ἀποκαραδοκίαν, anxiam expectationem quaſi exerto capite factam.

PARS VI.

Verſ. 29. *DIxitque illis parabolam: Videte ficum & omnes arbores.*] Hoc expoſuimus ad Matth. 24. 32. Confirmat autem Chriſtus hac parabola, id quod paulo ante monuerat, ut tunc capita ſua elevarent: quaſi dicat, ſicut per vos ipſos intelligitis, emiſſionem foliorum in arboribus eſſe præcurſorem & prænunciatorem æſtatis; ita ſcitote quoque, ſigna illa eſſe prodromos veſtræ liberationis.

Verſ. 30. *Cum jam emiſerint folia, ea cernentes, per vos ipſos agnoſcitis, jam prope eſſe æſtatem.*] Per vos ipſos, ait, nemine ſuggerente vel admonente.

Verſ. 31. *Ita & vos cum videritis hæc fieri, agnoſcite prope eſſe regnum Dei.*] Loquitur de rebus ſignificatis verſ. 25, & 26.

Agnoſcite, prope eſſe regnum Dei.] Supra verſ. 28, dixerat, *quoniam appropinquat redemtio veſtra*; hic autem dicit: *Prope eſſe regnum Dei.* Nimirum redemtio ſeu liberatio noſtra fiet per patefactionem Regni Dei. Si igitur Chriſtus hic de ſuo adventu ad extremum judicium mundi totius loquitur, per Regnum Dei intelligetur regnum illud, quod Filius tradet Patri, & quo tradito ipſe ei erit ſubjectus, 1 Corinth. 15. 28. Quodſi vero non loquatur de noviſſimo adventu, tum intelligitur regnum ejus triumphans, quod per ſuos fideles hic in terris eriget, & adminiſtrabit. De quo Apoc. 5. 10. xx. 6. Quod enim regnum Meſſiæ etiam Regnum Dei, ut & Regnum cœlorum, appelletur, ad Matth. 3. 2. demonſtratum eſt.

Verſ. 32. *Amen dico vobis, nequaquam præteribit hæc ætas, donec omnia fiant.*] Vide horum verborum explicationem ad Matth. 24. 34.

Verſ. 33. *Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt.*

Verſ. 34. *Cavete autem vobis, ne quando graventur corda veſtra crapula & ebrietate, & ſolicitudinibus hujus vitæ: & repente vobis ſuperveniat dies ille.*] Cor ſeu animus aggravatur crapula & ebrietate, non tantum ſi quis ſenſus & mentem prorſus potu immodico obruat, ſed etiam ſi in genere animus ad ſuas actiones ineptus & inhabilis reddatur.

Crapula.] Græca vox κραιπάλη uſurpatur ad ſignificandam gravedinem illam capitis, quæ ex nimia repletione oritur. Dubium autem non eſt, Chriſtum hic per *crapulam* & *ebrietatem* omnes voluptates carnis intellectas voluiſſe, exceſſumque illum, qui in potu eſt, ideo tuntum hic nominatim expreſſiſſe, quia in eo evidenter cernitur, quomodo mens ac intellectus eo lædatur. Nam non ſolum ebrietas, verum & impuræ voluptates corrumpunt animum ac judicium. Non fruſtra etiam Chriſtus conjunxit crapulam cum ebrietate, ut nimirum intelligamus, voluptates eam vim habere, ut non modo tunc cum iis fruimur, uſu nos rationis privent, ſed etiam poſterum animum noſtrum vitient atque corrumpant.

Et ſolicitudinibus hujus vitæ.] Per has ſolicitudines Chriſtus intelligit illas curas hujus mundi, de quibus agit Matth. 13. 22. nempe appetitum divitiarum, & temporalium honorum.

Et

Et repente vobis ſuperveniat dies ille.] Quemadmodum repente venit Dei judicium ſuper Balthaſarem Regem Chaldæorum Dan. 5. 30. & ſuper avarum illum divitem ſupra cap. 12. 20.

Verſ. 35. *Nam ut laqueus ſuperveniet in omnes, qui habitant in ſuperficie totius terræ.*] Non tantum impiis, ſed etiam piis repente ac improviſo dies hic ſuperveniet.

Verſ. 36. *Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini, qui effugiatis iſta omnia, quæ futura ſunt, & conſiſtatis ante Filium hominis.* Quia dies iſte tam repentino & inſperate illuceſcet, ideo Chriſtus duo fidelibus ſuis commendat & inculcat: Vigilare, & orare. Ita & Matth. 26. 41, hæc duo conjunguntur. Per vigilantiam intelligit tam ſanctam ac circumſpectam vivendi rationem, qualem ſupra cap. 12. verſ. 35 delineavit, per parabolam illorum ſervorum, qui præcincti lumbos & inſtructi ardentibus lucernis dominum ſuum expectant. Dum vero vigilantiam cum oratione conjungit, docet nos, quam oporteat divinum auxilium, cum propria noſtra induſtria ac labore, in ſanctitatis ac ſalutis noſtræ negotio concurrere. Vigilantiam enim nobis imperans, exigit noſtram propriam diligentiam & curam: ad orandum autem nos hortans, indicat, nos inter laborandum divina ope ac ſubſidio indigere.

Ut digni habeamini.] De voce *dignus* vide ſupra cap. 20. 35.

Qui effugiatis iſta omnia.] Cum hæc Chriſti admonitio ad omnia tempora ſpectet, intelligit Chriſtus per *iſta omnia*, omnia mala & plagas, quas toto hoc enumeravit ac prædixit Capite: quæ ſunt, falſi Chriſti, falſi Prophetæ, afflictiones ac calamitates, tam Judæis quam aliis gentibus, ac generatim omnibus impiis eventuræ.

Et conſiſtatis ante Filium hominis.] Intellige, in judicio. Stare vel conſiſtere in judicio dicuntur illi, de quibus ex voto ſententia à Judice pronunciatur, quique adeo in judicio abſolvuntur. Ut Pſal. 1. 5. *Iacirco impii non ſtabunt in judicio.* Vide etiam Nahum. 1. 6. Eſd. 9. 15. Phraſi iſti *ſtare in judicio* opponitur *ſuccumbere in judicio.*

PARS VII.

Verſ. 37. *Docebat autem interdiu in Templo; noctu vero exiens, pernoctabat in monte, qui vocatur Olearum.*] Puta, ſub dio.

Verſ. 38. *Et totus populus diluculo veniebat ad eum ut eum audiret in Templo.*] Redibat enim ſummo mane in Templum. Ita apparet, illam admonitionem Chriſti ad vigilantiam non omnino ſterilem atque inefficacem fuiſſe.

CAPUT XXII.

I. *Primarii Sacerdotes Chriſtum ſtudent interficere, Judaſque eis Chriſtum prodit: ad verſ. 7.* II. *Chriſtus jubet parari ſibi hoſpitium, ubi Paſcha edat: ad verſ. 14.* III. *Accumbit menſæ una cum duodecim: ad verſ. 19.* IV. *Inſtituit Cœnam memorialem ſuæ mortis: ad verſ. 21.* V. *Minatur væ ſuo proditori: ad verſ. 24.* VI. *Dehortatur diſcipulos ſuos ab ambitione ad verſ. 31.* VII. *Petrus ſe cum Chriſto moriturum temere profitetur: ad verſ. 35.* VIII. *Jubet diſcipulis, comparare ſibi gladium: ad verſ. 39.* IX. *Anxietas Chriſti deſcribitur in monte Olivarum: ad verſ. 47.* X. *Chriſtus capitur: ad verſ. 55.* XI. *Petrus Chriſtum ter abnegat: ad verſ. 63.* XII. *Chriſtus fuit contumelioſe tractatus, & interrogatus, num eſſet Chriſtus: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Appropinquabat autem feſtum Azymorum, quod dicitur Paſcha.*] Appropinquabat, id eſt, duo adhuc ad Paſcha ſupererant dies, Matth. 26. 2. Tria erant apud Judæos feſta primaria. 1. Feſtum Azymorum. 2. Feſtum Quinquageſimæ. 3. Feſtum Tabernaculorum. Ad hæc feſta convenire omnes Judæi ex tota Judæa Hieroſolymis tenebantur. Vide Exod. 23. 14. Neminique fas erat emanere, præterquam ægris, cœcis, ſurdis &c.

Quod dicitur Paſcha.] Integrum feſtum, quod durabat per octiduum, hic per Synecdochen Paſcha vocatur, ſumpta denominatione à primo feſti die tanquam potiſſimo, cui proprie propter eſum Agni Paſchalis appellatio hæc competebat. Confer Johan. cap. 18. 39. cum Matth. 27. 15. Marc. 15. 6.

Verſ. 2. *Et quærebant primarii Sacerdotes & Scribæ, quomodo eum interimerent: metuebant enim populum.*] Ante iſta verba, *Metuebant enim populum*, aliquid ſubintelligendum eſt: ſenſuſque eſt; Omni quidem ope ac ſtudio nitebantur eum tollere è medio, ſed nullum idoneum medium invenire poterant; quia timebant populum, qui facile dediſſet turbas & in ſeditionem efferbuiſſet, ſi eum aperte capere & violentas ei manus injicere voluiſſent.

Verſ. 3. *Introiit autem Satanas in Judam cognominatum Iſcariotem, qui erat è numero duodecim.*] Dum ita deliberant Chriſti adverſarii & inter ſe de re perplexa diſceptant, Judas opportune adeſt, & expeditam ac commodiſſimam eis monſtrat viam, offerens operam ſuam ad prodendum Chriſtum. Dicitur autem de eo, quod introiverit in eum Satanas: qui loquendi modus de iis uſurpari ſolet, qui à Deo plane deſerti, & poteſtati Satanæ traditi ſunt, ita ut inſtinctum ejus in omnibus ſequantur. Non enim putandum eſt, Satanam corporeo modo & eſſentialiter ingredi in tales homines; ſed eos ita ipſi eſſe mancipatos, ita ad nutum ac voluntatem ejus omnia facere, quaſi ipſe corporaliter in eis habitaret & omnia membra eorum regeret. Sic etiam è contrario Spiritus Dei Sanctus habitare in illis dicitur, qui divinum impulſum ductumque filiali cum promtitudine ſequuntur, quique adeo animum gerunt permitten-

mittentem ſe in omnibus & morigerum divinæ directioni, non ſecus quam ſi Spiritus Dei totos occupaſſet. Senſu non abſimili, quo hic de Juda dictum eſt, Satanam in eum introiviſſe, Paulus vocat Satanam, *Spiritum operantem in filios diffidentiæ*, Epheſ. 2. verſ. 2. Judas primum addictus fuit avaritiæ, quæ eo perduxit illum, ut furto ſe obſtringeret, nec illi parceret pecuniæ, quæ pro pauperibus collata erat. Et tamen volebat videri magnam de pauperibus curam gerere, quos, ſurripiendo debitos illis nummos, defraudabat. Hinc dolebat pretioſum illud unguentum, quo Maria unxit Chriſtum, non eſſe venditum, Johan. 12. 5, 6. Neque malum ac perverſum animum mutavit, etſi à Chriſto ſæpius admonitus, Matth. 26. 24. Itaque diabolus ei ſuggeſſit modum comparandi ſibi lucri, ſi Chriſtum proderet. *Diabolus injecit in cor Judæ Iſcariotæ*, inquit Johannes, *ut eum proderet*, cap. 13. 2. Cum igitur Judas aſſenſum huic nefariæ ſuggeſtioni dediſſet, & ad effectum deducere eam, penitus apud ſe conſtituiſſet, dicitur de eo, Satanam in eum introiiſſe. Poſtea vero iterum idem de eo affirmatur, quod in eum Satanas introierit, ſed modo perfectiſſimo, cum ad ſermonem Chriſti animum ſuum obduraret, & quod apud ſe conſtituerat, reipſa executus eſſet, Johan. 13. 27, 28, 29, 30.

Verſ. 4. *Et abiens collocutus eſt cum primariis Sacerdotibus & præfectis, quomodo ipſis eum proderet.*] Præfectis, Gr. στρατηγοῖς. Unus tantum erat Præfectus ſuper cuſtodes Templi, qui Actor. 4. 1 *Præfectus Templi* appellatur. De quo officio vide ad Matth. 26. verſ. 45. Lucas autem in plurali numero loquitur de multis præfectis, quia ſimul hoc nomine comprehendit eos, qui pro auxiliatoribus & adjutoribus Præfecto adjungebantur; è quibus erat unus, quem Joſephus Cancellarium ſeu Secretarium appellat. Hi ergo conſultationi primariorum Sacerdotum interfuerunt.

Verſ. 5. *Et gaviſi ſunt, & pacti ſunt ſe daturos ei pecuniam.*] Nempe triginta argenteos, Matth. 26. verſ. 15.

Verſ. 6. *Et ſpopondit, quærebatque opportunitatem eum ipſis tradendi abſque turba.*] Fidem ſuam eis obligavit Judas.

PARS II.

Verſ. 7. *Venit autem dies Azymorum, quo oportebat mactari Paſcha.*] Secundum Legem proprie tantum 7 dies erant deſignati ad celebrandum Feſtum Azymorum, Exod. 12. 15. Levit. cap. 23. 6. Primuſque dies erat 15 menſis Niſan: die autem 14. quo mactabatur Paſcha, omneque fermentum ac fermentatum è domo ejiciebatur, jam incipiebant, ſaltem matutino tempore, azymis panibus veſci; adeoque hic dies tanquam octavus ſeptem diebus Azymorum annumerabatur. Videatur Tractatus noſter de feſto Azymorum Marci Euangelio annexus cap. 9. artic. 6. & cap. 13. artic. 4. Lucas proinde hic per diem Azymorum intellexit 14 diem menſis Niſan.

Quo oportebat mactari Paſcha.] Marcus ait: Quando Paſcha mactabatur, id eſt, mactari ſolebat, cap. 14. ℣ſ. 12. Vide dicta de eo ad Matth. 26. verſ. 17.

Verſ. 8. *Miſitque Petrum & Johannem dicens: Profecti parate nobis Paſcha, ut edamus.*] Jubet eos ire, intellige, ſtatim, non expectato tempore pomeridiano.

Verſ. 9. *Ipſi vero dixerunt ei: Ubi vis paremus illud?*

Verſ. 10. *At ille dixit eis: Ecce poſtquam introieritis in urbem, occurret vobis quidam amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quam ingredietur.*

Verſ. 11. *Et dicite Patrifamilias illius domus: Dicit tibi Magiſter, Ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum diſcipulis meis edam?*

Verſ. 12. *Et ipſe vobis oſtendet cœnaculum magnum ſtratum: illic parate Paſcha.*

Verſ. 13. *Profecti autem invenerunt prout dixerat eis, & paraverunt Paſcha.*

PARS III.

Verſ. 14. *Et cum adeſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.*] Id eſt, cum jam tempus eſſet, ut cœna perageretur. Erat enim jam alta nox tunc, ut ad Matthæum oſtendimus. Hora pro tempore ſumitur etiam Matth. 14 ℣ſ. 15. Rom. 13. 11.

Verſ. 15. *Et dixit eis: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha edere vobiſcum, antequam patiar.*] Quaſi dicat: Ad hanc cœnam capiendam properavi; inſtat enim jam tempus mortis meæ, quæ mihi opportunitatem Paſcha vobiſcum celebrandi adimet. Redditque hic Chriſtus rationem eandem, cur Paſcha citius & ante definitum tempus edere velit, quam apud Matthæum affert, ubi ait: *Tempus meum prope eſt*, cap. 26. verſ. 18. Vide ibidem.

Verſ. 16. *Dico enim vobis, me non amplius eſurum ex eo, donec impleatur in regno Dei.*] Hoc in verſu videtur Chriſtus cauſam indicare ſui deſiderii, quo deſideraverit Paſcha cum diſcipulis ſuis edere. Quia nimirum voluit eis declarare, quo potiſſimum celebratio Paſchæ reſpiciat, idque viſibili ceremonia voluit animis eorum imprimere.

Me non amplius eſurum ex eo, donec impleatur in regno Dei.] Quid per regnum Dei hic intelligatur, explicatum eſt ad Matth. 26. 29, videlicet Regnum Meſſiæ, quod cœpit ab ejus reſurrectione. Senſus proinde eſt horum verborum: Nunc quidem celebro vobiſcum, Paſcha, nec amplius poſtea id vobiſcum edam, uſque ad tempus illud, quo impletum fuerit quod per Paſcha adumbratum eſt, id eſt, uſque, dum verum Paſcha, quod per iſtud ſignificatum fuit ac præfiguratum, mactatum & in cœlum evectum fuerit. Quod verum Paſcha eſt Chriſtus, 1 Corinth. 5. 7. Vocula *donec* non neceſſario arguit, Chriſtum poſtea poſt reſurrectionem ſuam Paſcha cum diſcipulis ſuis celebraſſe: æque ac verba apud Matthæum cap. 1. 25. *Et non cognovit eam* (intelige, Joſephus Mariam) *donec peperit filium ſuum primogenitum*; haud monſtrant neceſſario, eum poſtea illam cognoviſſe. Itaque ſenſus eſt: Hoc eſt ultimum Paſcha, quod vobiſcum edo. Mox enim poſtea

poſtea implebitur, quod per Paſcha fuit præſignificatum.

Verſ. 17. *Et accepto poculo, cum gratias egiſſet, dixit: Accipite hoc, ac dividite inter vos.*] Poculum accepit Chriſtus ac propinavit diſcipulis pro more illius Cœnæ Paſchalis, in qua aliquoties poculum ordine exhauriebatur: Primum ante Cœnam, quo feſtum initiabatur, durante cœna aliquoties, & tandem cœna eo claudebatur. Quapropter id quod hoc loco memorat Lucas, de primo poculo intelligendum eſt, quod libando feſtum initiabatur. Et tunc Chriſtus nondum memoriam ſanguinis ſui effundendi inſtituit, ſed poſt cœnam demum, cum jam ultimum poculum eſſet bibendum. Vide Appendicem Marci de Feſto Azymorum.

Verſ. 18. *Dico enim vobis, me non bibiturum ex fructu vitis, donec regnum Dei veniat.*] Ex collatione hujus loci cum Matthæo cap. 26. 29, patet, Lucam etiam hæc verba non ſuo ordine exponere. Nam apud Matthæum poſt inſtitutam jam Cœnam Dominicam prolata eſſe leguntur. Vide ibidem eorum explicationem.

PARS IV.

Verſ. 19. *ET acceptum panem, cum gratias egiſſet fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite ad mei commemorationem.*] Hoc uſque ad verſ. 21, explicavimus ad Matth. 26. 26.

Quod pro vobis datur.] Id eſt, quod mox pro vobis dabitur. Præſens pro futuro. Paulus habet, *Quod pro vobis frangitur*, 1 Corinth. 11. 24. Quo verbo partim ad panem, partim ad ſacrificia reſpexit. Panis enim frangebatur & dabatur: ſacrificia etiam dabantur ab iis, qui ea afferebant, & poſtea in altari frangebantur. Ita Chriſtus quoque corpus ſuum dedit, cum mortem ſponte pro nobis ſuſcepit ac paſſus eſt: id quod ipſe vocat apud Matthæum *animam ſuam dare* cap. 20. 28. Sed & fractum eſt corpus ejus, cum manus & pedes ejus in cruce clavis transverberati ſunt, cumque latus ejus lancea transfixum eſt.

Hoc facite ad mei commemorationem.] Id eſt, hoc quod ego nunc facio, quod accipio panem, gratias ago, frango, & vobis diſtribuo, & quod vos etiam accipitis & editis; hoc, inquam, & vos facite omneſque mei fideles impoſterum. Senſum hunc eſſe oſtendunt verba Pauli, qui hoc mandatum quaſi repetiit & declaravit, 1 Corinth. 11. 26. Scilicet Chriſtus hic ſuis diſcipulis idem plane præcepit, quod Deus olim de Paſchate celebrando mandavit: *Obſerva hunc ritum pro lege tibi & filiis tuis in æternum*, Exod. 12. 24. Et cap. 13. 10. *Obſervabis hoc ſtatutum tempore ſuo quotannis.*

Falſa Pontificiorum interpretatio vix digna eſt refutatione operoſa, qui, ut probent ſuum Miſſæ ſacrificium, verbum ποιεῖν (quod proprie ſignificat *facere*) referunt ad vocem *corpus*, voluntque *facere* hoc loco ſignificare idem quod *offerre*, *ſacrificare*; quaſi voluiſſet Chriſtus dicere: Hoc eſt corpus meum, hoc vos facite, id eſt, ſacrificate ad mei commemorationem. Atqui non ſolum res ipſa eſt admodum abſurda, quod multis rationibus demonſtrari poſſet; verum etiam nullo exemplo probari poteſt, σῶμα ποιεῖν, *corpus facere*, unquam accipi pro ſacrificare corpus.

Ad mei commemorationem.] His verbis finis verus hujus Sacræ Inſtitutionis indicatur: quod nimirum Chriſtus ideo Cœnam hanc inſtituerit, ut non ſolum nobis acerbiſſimam mortem ejus per eam in memoriam revocemus, ſed ut etiam eandem annunciemus ac celebremus. Hinc Paulus ait 1 Cor. 11. verſ. 26. *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec venerit.* Annunciamus autem mortem Chriſti non ſolum dum facto pane, ejus fractum, excarnificatum & crucifixum corpus, nec non infuſione vini in calicem effuſum ejus ſanguinem, quaſi repræſentamus, atque ſic ſymbolis conſpicuis mortem ejus funeſtiſſimam ob oculos omnium ponimus; ſed etiam dum hunc ſacrum panem edimus, & ſacrum poculum bibimus, palam & publice profitentes, nos fractum Chriſti corpus pro animarum noſtrarum cibo, & effuſum ejus ſanguinem pro animarum noſtrarum potu ducere, quo ad ſpiritualem & æternam vitam eo prorſus modo nutriantur & reficiantur, quo corpora noſtra naturalibus cibis ac potu ad hanc terrenam ac temporariam vitam ſuſtentantur. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi duntaxat tum, cum ſacrum hunc ritum celebramus, Chriſti corpus & ſanguinem ſpirituali ratione edamus ac bibamus; multo minus, quaſi id fiat vi & efficacia aliqua panis & vini, quod tunc aſſumimus: ſed hæc ſpiritualis manducatio ſemper peragitur, etiam extra hunc ſacrum ritum, per piam mortis Chriſti meditationem & veram in eum fidem, quamdiu meditatio iſta & fides ex ea promanans in animis noſtris manet ac durat. Atque hæc annunciatio mortis Chriſti, prout à nobis nunc eſt explicata, eſt proprius & unicus finis hujus Sacræ Cœnæ; cum qua annunciatione illa Communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, cujus meminit Paulus 1 Cor. cap. 10. 16, ita connexa eſt, ut partim in eadem annunciatione conſiſtat, partim ex ea reſultet, & proficiſcatur. Communicatio enim iſta complectitur duo in ſe: primo quod hoc ſacro ritu teſtemur, nos eo modo, quo dictum, Corpus Chriſti edere & ſanguinem bibere, atque hac ratione communionem habere ſeu participes eſſe bonorum illorum, quæ nobis morte Chriſti parta ſunt, id eſt, remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, quam adhuc in hoc ſeculo certa ſpe jam poſſidemus & præcipimus. Nam vox Communionis vel Communicationis eo loco apud Paulum non alia ſignificatione accipitur, quam qua poſtmodum verſ. 18, dicitur, Iſraëlitas, qui edunt victimas, communicare cum altari, (Græcè κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου ἰσι, participes eſſe altaris) id eſt, eos eſu iſto indicare ac profiteri, ſe participes eſſe illius religionis ac cultus divini, qui in illo altari peragebatur: ut etiam eos, qui idolothytis veſcuntur, *communicatores* ſeu participes eſſe *dæmoniorum*, id eſt, eos teſtari hoc eſu, ſe aliquid commune cum dæmonibus habere, & ad eos pertinere. Secundo hoc quoque Communicatione illa corporis & ſanguinis Chriſti continetur, quod hunc ſacrum ritum celebran-

celebrantes teſtatum faciamus, nos eſſe unius corporis membra, & quemadmodum de uno pane comedimus, ita omnes ſimul ſumptos conſtituere unum ſpirituale corpus Chriſti, atque adeo alios aliorum curam, tanquam membra unius corporis, gerere, nec quenquam deſerere aut contemnere debere.

Verſ. 20. *Similiter etiam poculum, poſtquam cœnaſſet, dicens: Hoc poculum eſt Novum Fœdus in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.*] Cœna abſoluta Chriſtus idem fecit cum poculo, quod durante cœna cum pane fecerat: ut nimirum id benediceret, & diſcipulis ſuis diſtribueret.

Hoc poculum eſt Novum Fœdus in ſanguine meo.] Si conferantur hæc verba cum Matth. cap. 26. 26. & Marc. 14. 22, apparebit, *Fœdus in ſanguine*, nihil aliud eſſe, quam *ſanguis Fœderis*. Itaque verba iſta hoc loco nihil aliud ſibi volunt, quam quod Chriſtus apud Matthæum & Marcum dixit: *Hoc* (intellige poculum, ſeu vinum, quod eſt in poculo) *eſt ſanguis meus, ſanguis Novi Fœderis* &c.

Qui pro vobis effunditur.] Id eſt, qui non multo poſt effundetur. Præſens eſt poſitum pro futuro.

PARS V.

Verſ. 21. *CÆterum ecce manus ejus, qui me prodit, mecum eſt in menſa.*] Hoc explicatum eſt ad Matth. 26. 23. Narrat autem hoc Lucas etiam extra ſuum ordinem; non enim id poſt cœnam peractam, ſed adhuc cœna durante factum eſt. Judas autem ante à cœna ſurrexit & abiit, quam Chriſtus memoriam ſuæ paſſionis ac mortis inſtitueret.

Manus ejus, qui me prodit, mecum eſt in menſa.] Apud Matthæum inquit Chriſtus: *Qui manum intingit mecum in catino, is prodet me*, Cap. 26. 23. Ex quo intelligitur, hanc Chriſti locutionem apud Lucam non eſſe eandem cum illa, qua David utitur, dicens mulieri illi, quam ſubornarat Joabus: *Nunquid manus Joabi tecum eſt in omnibus iſtis?* id eſt, nonne Joabus tibi in his præmonſtrator & auctor fuit? nonne illius ſuaſu ac conſilio hæc omnia feciſti? 2 Sam. 14. 19.

Verſ. 22. *Et filius quidem hominis, prout definitum eſt, abit: veruntamen væ homini illi, per quem proditur.*] Prout definitum eſt, ſubaudi, à Deo. In Actis ait Petrus, *Hunc definito Dei conſilio & præſcientia* (Gr. προγνώσει, præcognitione) *traditum, accepiſtis*, cap. 2. 23.

Verſ. 23. *Et ipſi cœperunt mutuo quærere inter ſe de hac re: ecquis nimirum ex ipſis hoc eſſet facturus.*

PARS VI.

Verſ. 24. *ORta eſt autem etiam de hoc contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maximus.*] Quia non ſatis veriſimile eſt, diſcipulis vacaſſe tempore tam triſti, ut animos ambitioſis cogitationibus diſtenderent, ſtatuendum eſt, aut Lucam ut ſolet, hoc quoque non ſuo collocaſſe loco: (ex Matthæo enim liquet, hanc contentionem inter diſcipulos ſubortam fuiſſe ante Chriſti Regium in urbem Hieroſolymam ingreſſum cap. 20. 20.) aut Chriſtum præteritæ contentionis ſuorum diſcipulorum recordatum, ante ſuum diſceſſum ſublime præceptum modeſtiæ, ut & charitatis, non ſine repetitione ſuperiorum ſuorum monitorum, ipſis inculcare, mentique eorum quaſi inſcribere voluiſſe. Quodſi quis nihilominus exiſtimet, non obſtitiſſe tam luctuoſa tempora, quominus diſcipuli ambitioni indulgerent, tum dicendum eſt, eos anſam ad hanc contentionem ſumſiſſe partim ex recordatione nuperi Regii ingreſſus ejus in urbem, & repurgationis Templi, partim ex eo, quod Chriſtus paulo ante dixit; ſe non eſurum amplius Paſcha, donec impletum fuerit in Regno Dei.

Quis eorum videretur eſſe maximus.] Credibile eſt, contentionem non de eo fuiſſe agitatam, quis videretur tantum, ſed quis revera eſſet maximus inter eos. Nimirum quilibet eorum dicebat: Ego ſum maximus.

Verſ. 25. *Ipſe vero dixit eis: Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eas, benefici vocantur.*

Verſ. 26. *Vos autem non ita. Sed qui maximus eſt inter vos, eſto ſicut qui minimus eſt, & qui ductor eſt, ſicut qui miniſtrat.*] Non hoc vult Chriſtus, ne *ita*, id eſt, ad eum modum dominentur, quo Reges gentium eis dominantur: ſed ſimpliciter prohibet, ne dominentur. Opponit enim Apoſtolos Regibus, & quod his concedit, hoc prohibet illis omnino. Reges dominantur: vos autem non debetis dominari. Et ſi Chriſtus Apoſtolis aliquam dominationem permiſiſſet, etſi aliam ab ea, quam exercent Reges in gentes, non repreſſiſſet plane eorum ambitionem. Præterea Chriſtus ipſis proponit ſuum ipſius exemplum, quod ipſe nullam prorſus dominationem ſibi ſumſerit, ſed tanquam omnium ſervum ſe exhibuerit. Tradidit autem Chriſtus hoc modeſtiæ præceptum, ſub Apoſtolorum perſona, omnibus fidelibus in genere, qui conſortes regni ſui eſſe volunt. Vide dicta ad Matth.

Eſto ſicut qui minimus eſt.] Hoc nihil aliud eſt, quam quod Chriſtus apud Matthæum dicit, *ſit veſter miniſter*, cap. 20. 26. Sicut enim ætas maturior vulgo æſtimatur, ita juventus contemtui habetur. Inde eſt, quod Paulus ſcribat ad Timotheum: *Juventutem tuam nemo contemnat*, 1 Tim. 4. 12. Alias in Eccleſia juniores opponuntur ſenioribus, ut laici ſpiritualibus, Actor. 5. 6. 1 Tim. 5. 1.

Et qui ductor eſt.] Ductor vocatur, qui aliis præit, tanquam Paſtor ovibus, & ſic appellantur Principes, Præſides. Vide ſupra 20. 20.

Verſ. 27. *Nam uter major eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui accumbit? At ego ſum inter vos, ut qui miniſtrat.*] Monſtrat Chriſtus diſcrimen inter ſuum regnum & alia mundi regna. In regnis mundanis Rex aſſidet menſæ: reliqui ipſi miniſtrant. Chriſtus autem Rex cœleſtis toto tempore vitæ ſuæ ſubditis ſuis miniſtravit, inprimis autem de ſuis Apoſtolis fidelem geſſit curam, ne qua laborarent penuria. Hanc ſuam modeſtiam & humilitatem tunc quoque lavando pedes diſcipulis ſuis (Johan. 13. 4.) voluit ante oculos ponere, ut tanto efficacius menti eorum infigeretur. Paulus vocat Chriſtum

ſtum *miniſtrum circumciſionis*, Rom. 15. 8. id eſt, populi Judaici, cui ille prædicando Euangelium, ſanando ægros, nec non alia miracula patrando inſervivit. Vide etiam Matth. 20. 28. Phil. 2. 6, 7.

Verſ. 28. *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.*] Similitudo horum ac ſequentium verborum uſque ad verſ. 31, cum illis quæ habentur Matth. 19. 28, nonnullis præbet anſam ſuſpicandi, Chriſtum ea non hoc loco protuliſſe, & Lucam more ſuo ea extra ordinem hic poſuiſſe. Verum alii Interpretes contrarium ſentiunt, & diverſum eſſe ſtatuunt hunc Chriſti ſermonem ab illo, qui eſt apud Matthæum, atque cum antecedentibus recte hoc loco cohærere. Quaſi ſcilicet dicat Chriſtus: Nihil cauſæ eſt, cur de præeminentia & dignitate in meo Regno contentionis ſerram reciprocetis. Ego enim vobis omnibus æqualiter Ducalem dignitatem in Regno meo diſpoſui, ut omnes mecum edatis & bibatis in menſa mea, & omnes in regiis thronis ſedeatis tanquam Judices &c. Qua tam illuſtri promiſſione omnium vota ac deſideria implere, omnemque adeo controverſiam inter eos tollere voluit. Antequam autem hac eos promiſſione demulceat, exprimit eorum virtutem, quam tam glorioſe remuneraturus ſit: fidelitatem nimirum & conſtantiam in tentationibus ſuis. Verba autem, *Vos eſtis*, habent peculiarem emphaſin: non enim ſimpliciter vult dicere, eos permanſiſſe ſecum in tentationibus; ſed eos opponit aliis, qui eum deſeruerunt, indicatque eos ſolos eſſe, qui tanta fide ſibi adhæſerint: quod ſane ad magnam eorum commendationem ac laudem facit.

In tentationibus meis.] Per tentationes intelliguntur omnis generis afflictiones & adverſa, quibus conſtantia tentatur atque probatur. Hoc pacto vox iſta ſumitur Gal. 4. 14. 1 Cor. 10. 13. Jac. 1. 2, 12. 1 Petr. cap. 1. 6. 2 Petr. 2. 9. Apoc. 3. 10. Ita de Chriſto dicitur, eum tentatum eſſe Hebr. 2. 15. IV. 15. ad manifeſtandam ſcilicet & explorandam ejus obedientiam. De iſtis ergo tentationibus loquitur hoc loco Chriſtus, quæ ipſi Deo dirigente ac permittente acciderunt, & quidem illo tempore, quo Apoſtoli cum ipſo converſati ſunt. Nam ratione eorum, quæ Chriſtus antea paſſus eſt, potuit quidem eatenus etiam virtus eorum laudari, quod ſe iis abſterreri non fuerint paſſi, quominus ipſi adhærerent: ſed laus iſta conſtantiæ eorum inprimis reſpicit ad illa adverſa, quæ Chriſtus ſuſtinuit ipſis præſentibus. Illa autem potiſſimum in his tribus conſiſtebant. Primo in ejus ſumma paupertate: de qua vide Luc. 9. 58. & cap. 8. verſ. 3. Deinde in contemtu & ignominia, qua fuit affectus: de quâ vide Johan. 1. 47. VII. 52. Matth. cap. 13. 55. Johan. 7. 48, 49. Luc. 11. 15. Johan. 8. verſ. 48. Matth. 10. 25. Tertio in perſecutionibus ſuſtinendis, dum inimici ejus ipſi inſidiati ſunt, varioſque ipſi tetenderunt laqueos: vide Luc. 6. 7. XIV. 1. Matth. 16. 1. XXII. 34, 35. imo dum manus quoque ei injicere voluerunt: ut Luc. 4. 29. Johan. 8. verſ. 59. X. 39 & alibi.

Qui permanſiſtis mecum.] Verba hæc quidem ita accipi poſſunt, quod cum Chriſto in tentationibus permanſerint, etſi ipſi nullas ſenſerint atque experti ſint; qua in re non mediocris eorum virtus eluxit, quod ipſos nullæ Chriſti afflictiones ab eo dimoverint: in mundo enim ita vulgo comparatum eſt, ut in adverſis pauci fidi reperiantur amici. At quia vix fieri potuit, quin cum Domino converſantes jugiter, in ipſius adverſitatibus, non etiam ipſi multa experirentur mala, quibus carere potuiſſent, ſi ipſum deſerere voluiſſent, tanto major ex eo ipſorum virtus perſpicitur. Paulus hortatur Timotheum, ut afflictiones patiatur cum Euangelio 2 Tim. 1. 8. Vide etiam Hebr. 10. 34. Gal. 4. 14.

Verſ. 29. *Et ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater.*] Sequitur jam præmium pro ipſorum fide ac conſtantia: hoc autem Chriſtus non ſimpliciter proponit, ſed eleganter & magnifice deſcribit, ut tanto majorem haberent gaudendi cauſam. Verbum διατίθεσθαι diſponere, legare, paciſci (à quo derivatur nomen διαθήκη, quod & Teſtamentum & Fœdus ſignificat) plerumque de teſtamentis uſurpatur, in quibus moribundi ſolent bona ſua alicui legare vel inſcribere. Hinc Interpretum quidam cenſent, Chriſtum hic reſpicere ad ſuam mortem, eumque ante illam diſcipulis ſuis tam inſigne præmium quaſi teſtamento legare voluiſſe. Verum quamvis poſſet hoc verbum hic iſtam retinere ſignificationem, tamen, quæ mox adjecta ſunt, verba Chriſti eam non admittunt, ubi dicit, *ſicut diſpoſuit mihi Pater.* Cum enim Deus mori nequeat, dici de eo non poteſt, illum teſtamento quippiam alicui legare. Quocirca vox iſta ſaltem tunc, cum de Deo ſermo eſt, nihil amplius denotat, quam ſimpliciter ordinare, decernere, aſſignare. Cæterum quia vox διαθήκη (ut dictum) etiam Fœdus ſignificat, idcirco poteſt quoque verbum διατίθεσθαι, *diſponere*, etiam hunc habere ſenſum, fœdere ſeu pacto, id eſt, certis cum conditionibus aliquid alicui deſtinare vel promittere: quomodo 70 Interpretes hac voce uſi ſunt 2 Paral. 7. 18. Pſal. 89. 4.

Regnum.] Quam excellentiorem ac ſublimiorem dignitatem Apoſtoli deſiderare potuerunt? Reges abundant honoribus, divitiis ac voluptatibus. Apoſtoli optabant habere ſupremum locum in Regno Chriſti: at is eos omnes facit Reges. Indicat autem Chriſtus hac voce ſummam felicitatem, quæ ipſos maneat; ea vero ex ſequenti deſcriptione clarius adhuc intelligetur. Pronomine *Ego* Chriſtus ſeipſum opponit Apoſtolis: quaſi dicat; Vos eſtis ii, qui permanſiſtis mecum: Ego vero viciſſim ſum is, qui vobis diſpono regnum.

Sicut diſpoſuit mihi Pater.] Senſus eſt: Eadem plane ratione, qua Pater mihi regnum diſpoſuit, & ego vobis id diſpono. Quorſum autem particula *ſicut* ſpectet, non ſatis liquet. Triplici enim modo accipi poteſt. Primo *ſicut*, id eſt, eadem poteſtate, qua Pater mihi regnum diſpoſuit, & ego diſpono vobis. Chriſto enim data eſt omnis in cœlo ac in terra poteſtas, Matth. 28. 18. Johan. 5. 27. Hac ſignificatione ſumitur hoc adverbium *ſicut*, Johan. cap. 20. 21. *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos.* Secundo ſenſus eſſe poteſt: *Sicut*, id eſt, eadem lege ac conditione vobis diſpono regnum, qua mihi diſpoſuit Pater. Atqui mihi Pater non eo pacto id diſpoſuit, ut mihi id ante tempus arrogem, ut ad id ambitioſe anhelem, quod vos facitis, de præemi-

nentia contendentes ; ſed ut me quam humillime demittam , in afflictionibus patienter perſeverem, Patrique meo uſque ad mortem obediens ſim. Hanc conditionem oportet ut vos quoque amplectamini, quo regni mei conſortes evadere poſſitis. Vide 2 Cor. 1. 7. 2 Timoth. 2. 11, 12. Tertio poteſt vocula *ſicut* referri ad formam ac qualitatem regni. Nimirum eandem gloriam ac felicitatem in regno meo diſpono vobis, quam mihi Pater diſpoſuit. Quo ſenſu retento, verba ſequentis verſ. 30, accipienda erunt tanquam deſcriptio iſtius gloriæ atque felicitatis.

Verſ. 30. *Ut edatis & bibatis in menſa mea in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſraëlis.*] Deſcribit hic Chriſtus beatum ſtatum, quem Apoſtoli in regno ſuo habituri ſint. Principes Regni atque magnates, qui proximi à Rege ſunt, duabus rebus eminent; honore ſeu dignitate, & poteſtate. Honor eſt, quando ad Regis menſam admittuntur, & cibum cum eo capiunt, adeoque fruuntur iiſdem voluptatibus: poteſtas in eo, quando una cum Rege judicia exercent. Satis notum eſt, Judæos carnales de regno Meſſiæ foviſſe cogitationes, maximamque partem gaudii ac voluptatum, quæ cum eo conjunctæ erunt, collocaſſe in lautis & ſplendidis conviviis: quem loquendi modum hic & alibi Chriſtus retinet. Vide dicta ad Matth. 8. verſ. 11.

Et ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraëlis.] Hoc explicatum eſt ad Matth. 19.28.

PARS VII.

Verſ. 31. *Dixit autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ad ventilandum ſicut triticum.*] Hoc alii Euangeliſtæ non tradiderunt: reſponſionem autem Petri referunt ex alia prorſus occaſione, cum ſcilicet Chriſtus diceret diſcipulis ſuis: *Vos omnes hac nocte ſcandaliſabimini in me.* Vide Matth. 26.31. & ſeqq. Sed iſta ſic poſſunt conciliari. Primum Chriſtus illa dixit, quæ habet Johannes cap. 13. 33. *Quæretis me, & ſicut Judæis dixi: Quo ego vado, vos non poteſtis venire; ita & vobis nunc dico.* Hinc ſumſit occaſionem quærendi Petrus, ut Johannes porro narrat verſ. 36. *Domine, quo abis?* Cui reſpondit Dominus: *Quo abeo, non potes me nunc ſequi, poſtea vero ſequeris me.* Ad hoc Petrus dixit: *Domine, quare non poſſum te ſequi nunc? animam meam pro te ponam.* Hic dici poteſt, Chriſtum cum ſatis perſpiceret ejus audacem ac temerariam confidentiam, his eum, quæ ſunt apud Lucam, allocutum eſſe verbis: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos,* &c. Cumque ſic Petrum admonuiſſet Chriſtus peculiariter ac nominatim, poſtea ſe convertit ad omnes diſcipulos, & dixit eis: *Vos omnes hac nocte ſcandaliſabimini;* ut Matthæus & Marcus ſcribunt. Vel etiam ſtatui poteſt, Chriſtum quod Petro dixit, in ejus perſona omnibus dixiſſe: ut ſic Matthæus & Marcus magis ſenſum, quam verba Chriſti expreſſerint.

Satanas expetivit vos.] A Deo ſcilicet expetivit, ac flagitavit, ut Deus vos ipſius poteſtati permitteret. Hoc enim ſibi vult Græcum verbum ἐξᾐτήσατο, poſco, aliquid ab aliquo, peto mihi dari. Reſpicitque Chriſtus hac locutione ad hiſtoriam Jobi, ubi ſimiliter Satanas à Deo poſtulavit atque popoſcit, ut ſibi Jobum permitteret, & Deus ipſi reſpondit: *Ecce omnia, quæcunque habet in manu tua ſunto*, id eſt, trado ac permitto eum tibi, Job. 1. 12. Hinc cernitur, Satanam nullam habere poteſtatem hominem quenquam affligendi, niſi quando ipſi permittuntur.

Ad ventilandum ſicut triticum.] Id eſt, ut vos variis afflictionibus vexet verſetque, ſicut triticum in cribro huc illuc verſari, concuti, & miſceri ſolet. Locutio iſta ſumta eſt ex Amos 9. 9. ubi Deus ſic loquitur: *Ecce ego præcipiens agitabo inter omnes gentes domum Iſraëlis, quemadmodum agitantur grana in cribro.* Triticum quidem eo fine cribratur, ut à paleis repurgetur: ſed Satanas non quærit fidelium repurgationem & confirmationem, etſi illa ſæpenumero ipſo etiam invito & contra ſpem ac voluntatem ejus exinde ſequatur; verum fideles conſiderat ut fatuum ac minuti grani triticum, quod una cum paleis cribro excidit, & abjicitur: id eſt, nihil aliud quærit, quam ut eos in ſempiterni interitus barathrum præcipites agat.

Verſ. 32. *Sed ego precatus ſum pro te, ne deficiat fides tua: Et tu aliquando, cum te converteris, confirma fratres tuos.*] Significavit antea periculum, quod Apoſtolis à Satana immineat; jam eis nonnihil ſolatii aſpergit, ſpem eis faciens, ipſos precibus ſuis apud Deum adjutos tentationi Satanæ non ſuccubituros, neque fidei naufragium paſſuros.

Pro te.] Subintellige, & ſimul pro aliis quoque Apoſtolis. Solum autem Petrum in ſpecie nominat & alloquitur, quia ſciebat, ejus maximum & graviſſimum fore præ aliis lapſum. Videtur Chriſtus hic illam precationem ſuam intelligere atque ſpectare, quam Johannes deſcripſit cap. 17. Vide ibidem verſ. 9. 11, 15.

Ne deficiat fides tua.] Chriſtus non oravit, ne fides eorum tentaretur vel oppugnaretur, ſed ne expugnaretur, & prorſus extingueretur. Chriſtus hac ſua petitione fragilitati humanæ, non temeritati aut ſocordiæ voluit ſubvenire. Ideo Petrus, quia nimis audax erat, & multum ſuæ fidebat conſtantiæ, ſubtractione divini auxilii punitus eſt. Quemadmodum autem Chriſtus hic in terris proprie & corporaliter converſis ad Deum verbis pro diſcipulis ſuis oravit, ne fides eorum deficeret; ita nunc quoque in cœlis tanquam ſummus Pontifex noſter in ſanctiſſimo Dei ſacrario curam gerit vigilem perpetuo pro omnibus fidelibus, ne in tentationibus Satanæ fatiſcant, neve fides eorum extinguatur; ſi modo & ipſi interea faciant, quod officii ipſorum eſt, id eſt, ſi ſtrenue vigilent, & ardenter orent.

Quæritur hoc loco: An Chriſti precatio efficax in Petro fuerit, ita, ut fides ejus non defecerit, cum Chriſtum abnegavit? Certum eſt, Petrum, etſi metu perculſus & repentina conſternatione animi abreptus, Chriſtum ore negarit, non tamen in corde ſuo ejuraſſe illam fidem, quod Jeſus ſit Chriſtus, quam Matth. 16. 16, tam ingenue profeſſus fuerat. Fides ipſa per ſe inviolata in Petro remanſit, ſed vis illius fidei, quæ alioqui etiam in præſentiſſimo

ſimo vitæ diſcrimine ſe debet exercere, in eo ad tempus aliquod fuit oppreſſa ac retuſa; ita ut niſi mature ſe recepiſſet ad pœnitentiæ portum, actum fuiſſet de eo, & lege illa Chriſti damnatus fuiſſet: Matth. cap. 10.33, *Quiſquis me abnegaverit coram hominibus, abnegabo eum & ego, coram Patre meo, qui eſt in cœlis.* Et 2 Tim. 2. 12, *Si abnegamus, & ille abnegabit nos.* Non enim ſufficit, corde credere ad juſtitiam, niſi etiam ore fiat confeſſio ad ſalutem, Rom. cap. 10. 10. Cyprianus antiquus Eccleſiæ Doctor egregie monet, non eſſe cogitandum, eos qui truculentæ perſecutioni ſuccubuerunt, plane eſſe mortuos, ſed tantum quaſi ſemi mortuos jacere. Si enim prorſus mortui eſſent, nunquam tales fierent confeſſores veritatis ac martyres. Sed quia adhuc in eis aliquid ſupereſt, quod per pœnitentiam redivivum fieri poteſt, idcirco vis ad fidem ac virtutem pœnitentia rurſus armatur. Probe intellexit Cyprianus vitam & mortem animi longe aliter ſe habere, quam corporis. Corpus enim ut uno momento vitam accipit ita uno quoque in momento vitam amittit. Animus autem accipit & amittit vitam ſenſim & quaſi per partes. Quod ex Apocalypſi diſcimus, ubi ſcriptum eſt: *Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moribunda ſunt; non enim inveni opera tua plena coram Deo,* Apoc. 3. 2. Poſſunt autem emortuæ partes per properam & tempeſtivam pœnitentiam facile in vitam revocari. Id quod fecit Petrus, qui eodem momento, quo à Chriſto lapſus ſui eſt admonitus, eum amaris lacrymis ſuis eluit. Itaque quod in Petro defecerat, vix pro defectione habendum eſt.

Et tu aliquando cum te converteris, confirma fratres tuos.] Plerique Interpretes ſentiunt, Chriſtum his verbis reſpicere ad lapſum Petri, eumque voluiſſe dicere: Ubi aliquando lapſus tui pœnitentiam egeris, memento conſolari etiam alios, qui ſimili modo labuntur & reſipiſcunt, ne de Dei gratia deſperent, qui eorum fidem non ſinet deficere. Verum iſti interpretationi obſtat, quod Chriſtus in dicto præcedenti non loquatur de lapſu Petri, ſed tantum de tentatione. Præterea tametſi dubitandum non ſit, Deum talibus fore propitium, qui ſimili modo, ut Petrus, lapſi fuerint, id eſt, qui non ex petulantia aliqua ac data opera (Petrus enim nequaquam id ſibi propoſuerat, ut Chriſtum abnegaret, ſed potius ut cum eo mortem oppeteret) ſed ex mera fragilitate ſubito ceciderint, moxque iterum cum Petro per reſipiſcentiam ſeriam ſurrexerint: tamen incertum valde eſt, utrum Chriſtus his verbis voluerit univerſalem regulam tradere, quæ facile in abuſum trahi vertique poſſit. Itaque cenſent alii Interpretes, Græcum verbum ἐπιστρέψας (quod alias redditur *converſus*) Hebraica conſuetudine nihil amplius ſignificare, quam *rurſus, viciſſim, iterum.* Ut Pſalm. 85. 7. *Annon tu rurſus vitæ reſtitues nos?* ubi loco *rurſus* alii habent *converſus.* Ita ut Chriſtus ſimpliciter tantum Petro dicere voluerit: Ego pro te oravi, ne fides tua deficiat; tu igitur aliquando viciſſim confirma tuos fratres, id eſt, impende ſedulo operam, ne deficiat eorum fides, orando pro eis, ſicut ego pro te oravi, atque exemplo tuo ipſis prælucendo.

Verſ. 33. *Ipſe vero dixit ei: Domine tecum paratus ſum & in carcerem & ad mortem ire.*] Apud Johannem ait: *Animam meam ponam pro te,* Cap. 13. 37.

Verſ. 34. *At ille dixit ei: Dico tibi Petre, nequaquam cantabit hodie gallus priuſquam ter neges, quod me noveris.*] Vide Matth. 26. 34.

PARS VIII.

Verſ. 35. ET *dixit eis: Quando miſi vos abſque crumena, & pera, & ſoleis, num quid defuit vobis? Ipſi vero dixerunt: Nihil.*

Verſ. 36. *Dixit ergo eis: At nunc qui crumenam habet, tollat eam, ſimiliter & peram; & qui non habet, vendat pallium ſuum, & emat gladium?*] His & ſequentibus verbis Chriſtus Apoſtolis ſuis ſignificare vult, longe aliud nunc inſtare tempus, quam quo gaviſi ſint hactenus. Antehac enim ubique invenerunt pios homines, qui neceſſitatibus ipſorum ſuccurrerunt; adverſarii quoque ipſorum non auſi ſunt eos aggredi, ac infeſtare: nunc vero tempus venit, quod tam ipſi quam Apoſtolis maxima mala & ingentia pericula minabatur. Vix enim aliquis reperietur, qui eis aliquod humanitatis officium exhibeat, ſed contra omnium hominum odiis erunt expoſiti, ita ut cuilibet integrum futurum ſit, tuto atque impune omnem animi libidinem in eos exercere. Ut igitur hanc ſtatus ac conditionis ſuæ mutationem melius caperent & intelligerent, primum verſ. 35 refricat eis memoriam præteritorum bonorum temporum, quæ olim quoque eis prædixerat, & conſpicuis quibuſdam ſignis adumbraverat, dum eis mandavit, ne vel crumenam, vel peram, vel ſoleas, vel alia in itinere neceſſaria pro futuro uſu ſecum portarent. Vide dicta ad Matth. 10. 9, 10. Jam vero alia ſigna prioribus contraria ipſis proponit, quibus calamitoſum ac plenum periculi ſtatum depingit ac delineat. Vult enim, ut crumenas & peras ſecum ſumant, quo quaſi ſigno quodam indicat, defectum ac penuriam rerum neceſſariarum jam affore: imo & gladium eos ſibi comparare jubet, ſignificans præſto eſſe magna pericula. Quando enim per loca periculoſa & à prædonibus atque ſicariis infeſta tranſeundum eſt, moris eſt, ut homines gladiis ſe accingant & arment. Alibi à nobis adnotatum eſt, apud nonnullas gentes; inprimis vero apud Judæos in uſu fuiſſe, ut res magnas & gravioris momenti non verbis ſolum exprimerent, ſed & viſibilibus rebus quaſi ſignis repræſentarent, & quodammodo ob oculos ponerent: hinc impoſitio manuum, unctio oleo, aliæque plures Ceremoniæ, originem ſuam traxerunt. Maxime autem ejuſmodi ſignis utebantur Prophetæ, partim mandato divino, partim ſponte ſua, ut vel ipſi aliquid facerent ad res futuras ſignificandas, de quibus vaticinabantur, vel aliis facere juberent. Vide 1 Reg. 22. 11. Eſai. 20. 2. Jer. 9. 17. XXVII. 2. Ezech. 4. 2. XII. 7. Oſe. 1. 2. & alibi. Vide etiam hac de re dicta ad Matth. 3. 11. IX. 18. Hoc ergo ſibi Chriſtus vult: Qui crumenam habet (intellige onuſtam nummis) ne eam domi relinquat, ſed ſecum ſumat. Venit enim tempus, quo oportebit quemque eſſe à nummis bene inſtructum.

Similiter & peram.] Pera eſt viatorius ſaccus, in quo panis & alia eſculenta ſervari ſolent. Indicat hoc

dicto Christus, defuturum illis cibum & alimenta. Obiter autem Christus hic inserit mentionem peræ: sequentia enim verba rursus ad crumenam respiciunt.

Et qui non habet.] Subaudi, crumenam, id est, per metonymiam subjecti, qui non habet pecuniam, potius vestem suam vendat, & emat sibi gladium. Hoc enim solent homines facere, quando vis aliqua hostilis timetur.

Vendat pallium suum.] Hoc non simpliciter præcipitur, sed sub conditione. Nihil enim aliud vult Christus, quam omnino gladium esse emendum, etsi pallium ideo esset vendendum, si aliter gladius comparari nequeat.

Vers. 37. *Dico enim vobis, adhuc oportere scriptum illud in me perfici, illud, inquam: Et cum sceleratis numeratus est. Nam & ea quæ scripta sunt de me, finem habent.*] Clarius proponit illud malum ac periculosum tempus, quod ante per peram, crumenam, & gladium significatum voluit Quasi dicat: Postquam multa mala, contumelias & adversa pertuli, reliquum est, ut adhuc impleatur in me, quod prædixit Esaias de me:

Et cum sceleratis numeratus est.] Id est, ut tanquam sceleratus aliquis ad ignominiosissimam mortem damner. Verba, *adhuc oportere scriptum illud in me perfici*, non respiciunt ad omnia alia vaticinia Prophetarum, quasi illa omnia in universum, jam impleta fuerint, & hoc unicum tantum fuerit adhuc implendum. Mors enim Christi non erat res postrema ex iis, de quibus Prophetæ vaticinati sunt: supererant quippe adhuc prædictiones Propheticæ de ejus resurrectione, exaltatione, & Regno ejus cœlesti. Itaque verba ista tantum spectant afflictiones ac contumelias, quas hactenus sustinuerat, & harum agmen claudere debebat mors. Innuit autem Christus, hoc suum periculum & afflictionem etiam cum discipulorum suorum periculo esse conjunctam. Mala enim & calamitates Magistri etiam in discipulos redundant. Innuit præterea, tempus hoc luctuosum, quod per crumenam, peram, & gladium designavit, non humano consilio aut vi procuratum iri, sed à divina providentia immissum iri; Deum siquidem ita rem ordinasse jamdudum, & per Prophetas prænunciasse.

Nam & ea quæ scripta sunt de me, finem habent.] Intellige ea, quæ prædicta sunt de Christo rejiciendo & opprimendo.

Finem habent.] Id est, mox habebunt. Præsens pro futuro.

Vers. 38. *Illi autem dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. Ipse vero dixit eis: Satis est.*] Discipuli illud de duobus gladiis dicunt, scire volentes, an duobus gladiis præcepto ejus satisfactum sit. Boni Apostoli pro infirmo atque carnali intellectu suo mentem Christi haud perceperunt, sed crediderunt, eum proprie loqui de veris gladiis, quibus contra suos illiusque persecutores uterentur. Quod vero duo inter Apostolos gladios gesserint, ex eo est, quod Galilæis usitatum fuerit gladios gestare; ut Josephus testis est. Estque credibile, cum iter è Galilæa versus Hierosolymam intutum atque latrociniis infestum fuerit, multos eo haud inermes proficisci solitos: quod itidem è Josepho constat, qui insuper scribit, Essenos quoque metu latronum arma gestasse. Et Cyrillus unus è veteribus Ecclesiæ Doctoribus perhibet, etiam sua ætate in Judæa receptum fuisse, ut homines gladiis armati incederent, propter feras, quæ in itinere crebro occurrebant. Ex hac consuetudine igitur factum, ut & Apostoli gladios secum haberent, non omnes quidem, sed è tanto numero tantum duo.

Quod autem Christus Apostolis permiserit gestare gladios, id argumento non est, eum approbasse bellum aut defensionem sui cum cæde inimici. Christus enim in ejusmodi rebus externis, quæ per se nec bonæ, nec malæ sunt, multa discipulis suis indulsit; sed interea eos talibus instruxit doctrinis, quibus mortifer armorum usus satis interdictus est. Idcirco etiam Petrum mox redarguit, cum gladium stringeret; & quidem addita generali ratione: *Omnes enim*, inquit, *qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Cæterum si forte lupus aut leo, aliaque fera, quarum in Judæa ingens erat copia, obvia fuisset in itinere, sine dubio haud prohibuisset Christus, ad eam occidendam gladio uti.

Satis est.] Sententia Christi est: Ad id, cujus gratia volo vos habere gladios, nempe ad significancandum tempus periculosissimum, quod jam instat, sufficiunt isti duo gladii: sed ad pugnandum adversus tantas adversariorum copias ne duodecim quidem suffecerint. Christus nolebat eos refellere & reprehendere ob verba sua male intellecta, sed utitur patientia & tolerantia erga eos, interrogationi eorum ineptæ paucula hæc verba reponens: quasi dicat. Quid faciam vobiscum, cum me non intelligatis? sinite, jam satis est.

PARS IX.

Vers. 39. *ET egressus ivit ex more in montem Olivarum: secuti sunt autem illum & discipuli ejus.*] Hæc usque ad vers. 47, explicavimus ad Matth. 26. 36.

Vers. 40. *Cum autem pervenisset ad locum, dixit, eis, orate, ne intretis in tentationem.*

Vers. 41. *Et ipse secessit ab eis quasi ad jactum lapidis, positisque genibus oravit.*] Ordinarius modus orandi apud Judæos erat, stando orare: sed in gravi necessitate solebant in genua procumbere.

Vers. 42. *Dicens: Pater, si velles transferre poculum hoc a me; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*] Si velles, id est, ô utinam velles! Sunt verba optantis. De hoc loquendi modo vide, quæ diximus supra cap. 12. 49.

Vers. 43. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, corroborans eum.*] Id est, erigens eum solatiis, & animum ei inspirans. Cum Auctor Epistolæ ad Hebræos ait cap. 5. 7. Christum *in diebus carnis suæ preces & supplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulisse ei, qui ipsum poterat servare a morte, & exauditum esse ex metu:* respexit absque dubio tum ad ultimam Christi precationem, qua Spiritum suum in manus Patri suo commendavit, (infra cap. 23. 46.) tum ad hanc ipsius luctam cum morte. Exinde vero summa anxietas ac metus mortis, qui Christum intesserat,

ceſſerat, intelligitur, qui tam ardentes preces, & ſupplicationes ad Deum, ne ſe pateretur à morte abſorberi, ipſi expreſſit. In tanta anguſtia & perturbatione animi, cum recordatio paternæ Dei dilectionis ac promiſſæ gloriæ, non ſatis haberet virium, ad ſedandos ac componendos illos anxietatis fluctus; miſit Deus Angelum de cœlo, qui eum corroboraret, ac conſolaretur, teſtando, orationem ejus exauditam eſſe à Deo, nec non revocando ei in memoriam, ſupremam felicitatem ipſi deſtinatam.

Atque hæc Chriſti tanta anxietas ac conſternatio clariſſime arguit, eum non tantum verum hominem, omnibus humanis affectionibus, ac infirmitatibus, peccato excepto, circumdatum, fuiſſe; ſed etiam eum non fuiſſe Deum altiſſimum.

Verſ. 44. *Et conſtitutus in lucta, intentius orabat. Erat autem ſudor ejus quaſi guttæ ſanguinis deſcendentes in terram.* Conſolatio illa Angeli in Chriſto quidem nonnihil effecit: non tamen tantum, ne metus ac trepidatio animum rurſus percelleret, imo vehementius etiam, quam antea, eum invaderet. Lucta (Gr. ἀγωνία) in lingua Græca ſignificat illam animi conturbationem, quæ in ſummis periculis ac inprimis in mortis articulo ſentitur.

Intentius orabat.] Quo magis invaleſcebat mæror & anguſtia animi, eo ardentius orabat: quam animi ſui contentionem etiam geſtibus corporis expreſſit. Antea enim tantum in genua prociderat, nunc etiam in faciem ſuam pronus ac cernuus procumbit: ut patet ex Matth. 26. 39. & Marc. 14. 35. Tales geſtus in orando adhibere ſolebant ſancti ſummæ neceſſitatis tempore.

Erat autem ſudor ejus quaſi guttæ ſanguinis deſcendentes in terram.] Anxietas animi hunc ſudorem expreſſit: qui quidem naturalis, at non vulgaris, ſed denſus ac ſpiſſatus ſudor fuit, quales guttæ ſanguinis eſſe ſolent. Itaque ex his verbis concludi nequit, Chriſtum ſudaſſe ſanguinem, vel ſudorem iſtum ſanguine permiſtum fuiſſe. Quod etiam veteres Eccleſiæ Doctores, Juſtinus, Theophylactus & Euthymius animadverterunt. Hinc Juſtinus in Dialogo ſuo cum Tryphone Judæo ſanguinis plane non meminit, ſed ſimpliciter dicit, ſudorem ejus guttatim decidiſſe, cum oraret.

Verſ. 45. *Et cum ſurrexiſſet à precatione, veniſſetque ad diſcipulos ſuos invenit eos dormientes pra triſtitia.*

Verſ. 46. *Et dixit eis: Quid dormitis? Surgite & orate, ne introeatis in tentationem.*

PARS X.

Verſ. 47. *Adhuc autem eo loquente, ecce turba, & is qui dicebatur Judas, unus ex illis duodecim, præibat eis, & appropinquavit Jeſu, ut oſcularetur eum.*] Hæc ſunt explicata ad Matth. cap. 26. 47.

Verſ. 48. *Jeſus autem dixit ei: Juda, oſculo Filium hominis prodis?*] Quaſi dicat: Signo pacis & amicitiæ occultas tegiſque fraudem tuæ proditionis? Itane oſcularis eum, de quo ſcriptum eſt: *Oſculamini Filium?* Pſal. 2. 12.

Verſ. 49. *Videntes autem ii, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutiemuſne gladio?*] Natura docet, vim vi repellere. At Chriſtus ſummam patientiam præſcripſit, quando defenſio noſtri non poteſt non eſſe conjuncta cum malo ac noxa alterius. Dubii igitur hærentis inter iſta duo, rogant Dominum, quid ſibi faciendum ſit? Petrus autem haud expectat reſponſum, ſed arripit mox gladium ad vim vi propulſandam.

Verſ. 50. *Et percuſſit quidam ex ipſis ſervum Pontificis Maximi, & abſtulit aurem ejus dexteram.*

Verſ. 51. *Reſpondens autem Jeſus dixit: Sinite huc uſque. Et tangens ejus auriculam, ſanavit illum.*] Gr. ἐᾶτε ἕως τούτου: Sinite uſque hoc. Chriſti mens eſt: Satis eſt, quod jam hucuſque limites mandatæ vobis patientiæ tranſgreſſi ſitis; ne progrediamini ulterius in iſta impatientia, nolite amplius vi ulla uti.

Verſ. 52. *Dixit autem Jeſus iis, qui adverſus ipſum venerant, primariis Sacerdotibus, & præfectis Templo, & Senioribus: Siccine tanquam adverſus latronem exiſtis cum gladiis ac fuſtibus?*] Apparet etiam ex primariis Sacerdotibus ac Senioribus aliquos, fortaſſis minoris ac inferioris gradus in Synedrio, tunc una cum turba adfuiſſe: rem enim tanti momenti ſoli turbæ militari committere inconſultum ducebant, ſed ipſi præſentes intereſſe voluerunt, ne quid perperam fieret.

Et præfectis Templo.] Unus tantum fuit Templi præfectus, qui imperium gerebat in Templi miniſtros ad cuſtodiam ejus delectos. Vide ad Matth. 26. verſ. 45 dicta. Itaque Lucas vel propterea hic in plurali numero loquitur, etſi unus tantum fuerit (ut etiam Matth. 26. 8. & alibi.) quia etiam de primariis Sacerdotibus & Senioribus in plurali numero loquebatur, quorum revera plures, quam unus, aderant: vel ideo, quod alii etiam Magiſtratus ac Curatores Templi adfuerint, non quidem cuſtodiæ præfecti, ſed alia in Templo officia gerentes. Officia enim varia circa Templum fuiſſe numero 15. docti ex Hebræorum ſcriptis obſervarunt.

Verſ. 53. *Cum quotidie vobiſcum eſſem in Templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.*] Id eſt, hoc eſt tempus, quo vobis & per vos Principi tenebrarum, qui eſt Diabolus, poteſtas in me permiſſa eſt, ut nimirum prædictiones ſcripturarum complementum ſuum ſortiantur. Hæc poteſtas vobis hactenus non erat conceſſa: alioqui me inter vos quotidie libere verſantem ac docentem potuiſſetis ſine armis, talique tumultu comprehendere. Ita vox iſta *poteſtas* accipitur, Apoc. cap. 9. 3.

Verſ. 54. *Comprehendentes autem eum duxerunt, & introduxerunt in domum Pontificis Maximi.*] Scilicet Caiphæ. Vide Matth. 26. 57.

PARS XI.

Verſ. 55. *Petrus vero ſequebatur è longinquo. Cum autem accendiſſent ignem in medio aulæ, atque una conſediſſent, ſedit & Petrus inter eos.*

Verſ. 56. *Videns autem eum ancilla quædam ſedentem ad lumen, intentis in eum oculis, dixit: Et iſte cum eo erat.*] Ad lumen, id eſt, ad ignem: ut Marc. cap. 14. 54.

Verſ. 57. *Ipſe vero abnegavit eum, dicens: Mulier, non novi eum.*

Verſ. 58. *Et paulo poſt alius videns eum dixit: Et tu ex illis es. Petrus vero ait: Homo, non ſum.*] Iſtud *paulo poſt* ferme ſpatium trium horarum in ſe complectitur. Nam poſt primam abnegationem gallus prima vice cecinit: ut patet ex Marc. 14. 68. Primum autem gallicinium eſt circa mediam noctem, ultimum vero circa diluculum. Si ergo inter ſecundam & tertiam abnegationem, (poſt quam mox gallus ſecundo cantavit) una hora effluxit, ut Lucas ſequenti verſ. 59 aſſerit, neceſſe eſt, à prima abnegatione uſque ad alteram circiter tres horas præteriiſſe. Tempore enim æquinoctii media nox à diluculo, adeoque duo gallicinia inter ſe, ferme quatuor horis diſtant.

Verſ. 59. *Et interpoſita quaſi hora una, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & iſte cum illo erat; etenim Galilæus eſt.*] Iſte alius fuit cognatus Malchi, cui Petrus auriculam abſciderat, Johan. 18. verſ. 26.

Verſ. 60. *Ait autem Petrus: Homo, neſcio quid dicas. Et illico, adhuc ipſo loquente, cantavit gallus.*

Verſ. 61. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum; & recordatus eſt Petrus ſermonis Domini, ſicut dixerat ipſi: Priuſquam gallus cantet, ter me abnegabis.*

Verſ. 62. *Et egreſſus foras Petrus flevit amare.*

PARS XII.

Verſ. 63. ET viri tenentes Jeſum, illudebant ei, cædentes eum.] Hoc factum eſt ante abnegationem Petri, ut ex Matth. 26. 57, videre eſt. Sed nos ad Matth. 26. 64. annotavimus, Lucam totam hiſtoriam de Petro ſimul pertexere voluiſſe; ideoque cogitur hic regredi ad geſta ſuperius.

Verſ. 64. *Et velantes eum, verberabant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Vaticinare, quis ſit qui te verberavit.*] Ita pueris illudi ſolet, ut oculi eorum obnubantur, & verberibus ſubinde excipiantur, donec divinent, quis ipſis ictus inflixerit.

Verſ. 65. *Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.*

Verſ. 66. *Et ut ortus eſt dies, congregatum fuit Preſbyterium populi, & primarii Sacerdotes & Scribæ, & adduxerunt eum in Synedrium ſuum.*] Ut dies ortus eſt, id eſt, cum jam dies appeteret, & prope eſſet.

Congregatum fuit.] Id eſt, erant congregati. Eadem enim hæc eſt congregatio, cum priori, quæ uſque ad diem producta eſt. Vide quæ diximus hac de re ad Matth. 26. 64.

Preſbyterium populi.] Hoc eſt Synedrium. Vide Matth. 26. 22.

Verſ. 67. *Dicentes: Num tu es ille Chriſtus? dic nobis. Dixit autem eis: Si vobis dixero, nequaquam credetis.*

Verſ. 68. *Si autem & interrogavero, nequaquam reſpondebitis mihi, neque me abſolvetis.* Id eſt, Etſi vobis argumenta protulero, & probavero, me eſſe Meſſiam. Tam enim apud Hebræos, quam apud Græcos in uſu erat, ut argumenta per quæſtiones & interrogative proponerentur.

Nequaquam reſpondebitis mihi.] Sciebat enim, eorum intentionem eſſe, non argumentis & argumentorum ſolutionibus ſe convincere, ſed auctoritate & vi opprimere.

Verſ. 69. *Ab hoc tempore erit filius hominis ſedens ad dexteram potentiæ Dei.*

Verſ. 70. *Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Ipſe vero dixit eis: Vos dicitis, quia ego ſum.*] Id eſt, verum dicitis.

Verſ. 71. *At illi dixerunt: Quid amplius egemus teſtimonio? Ipſi enim audivimus ex ore ipſius.*] Nempe blaſphemiam: vide Matth. 26. 65. & Marc. 14. 64.

CAPUT XXIII.

I. *Narratur quid Chriſtus coram Præſide Pilato paſſus ſit: ad verſ. 6.* II. *Quid paſſus ſit coram Herode: ad verſ. 13.* III. *Pilatus teſtatur de Chriſti innocentia coram populo: ad verſ. 17.* IV. *Jeſum dimittere ſtudet: ad verſ. 26.* V. *Deſcribitur, quomodo Simon Cyrenenſis crucem Chriſti portare coactus ſit, & quomodo Chriſtus flentibus de ſe mulieribus prædixerit, eas ſuper proprias calamitates lamentaturas: ad verſ. 33.* VI. *Quomodo Chriſtus inter duos latrones crucifixus ſit: ad verſ. 39.* VII. *Quomodo è latronibus unus Chriſto inſultaverit, alter vero ad eum converſus fuerit: ad verſ. 44.* VIII. *Quomodo tenebræ factæ fuerint, & Chriſtus expirarit: ad verſ. 47.* IX. *Quomodo Centurio ac populi turba innocentiam Chriſti agnoverint: ad verſ. 50.* X. *Quomodo Joſephus ab Arimathæa Chriſti funus procuraverit: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. ET ſurgens univerſa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum.] Id eſt, totum Synedrium, quotquot in eo fuerant.

Duxit eum ad Pilatum.] In Prætorium, Johan. cap. 18. 28.

Verſ. 2. *Cæperunt autem accuſare eum dicentes: Hunc comperimus pervertere gentem & vetare tributa dare Cæſari, dicentem, ſe Chriſtum, Regem eſſe.*] Hanc accuſationem præceſſerunt illa, quæ Johannes cap. 18. 28. uſque ad 31, recenſet: quomodo ſcilicet Pilatus è prætorio ad Judæos exiverit, quia introire ipſi in prætorium non ſuſtinebant, ne contaminarentur.

Pervertere gentem.] Idem crimen etiam Eliæ ab Achabo objectum fuit 1 Reg. 18. 17. Elias volebat populum ab idololatria ad verum veri Dei cultum reducere: Chriſtus vero eundem ab anfractibus vitiorum ac ſcelerum in orbitam veræ pietatis revocare ſtuduit. Hoc appellant homines malitioſi ac perverſi *gentem pervertere*: neutiquam enim ferre poſſunt, ulcera ſua tangi.

Et

Et vetare tributa dare Cæſari.] Quia homo factioſus Judas, qui doctrinæ iſtius fuit auctor, quod Cæſari non ſit dandum tributum, è Galilæa oriundus erat, hujus crimine Chriſtum infamant, quia & apud Romanos res erat exoſiſſima, & de homine Galilæo facile credi poterat. Sciebant ſane, falſum ſe crimen impingere Chriſto; impingunt tamen, quia conveniebat ipſorum propoſito. Quædam flagitia ita ſunt comparata, ut ſatis ſit ad aliquem in diſcrimen adducendum, ſi ea tantum ſimpliciter objiciantur.

Dicentem, ſe Chriſtum, Regem eſſe.] Non is ſolum mentitur, qui ſciens prudens falſum loquitur, ſed etiam qui tunc veritatem conſulto reticet, quando omnino proferenda eſt, & ſilentium cum damno alterius conjunctum eſt. Hoc facit hic Senatus Judæorum. Jeſus quidem dicebat ſe eſſe Chriſtum, id eſt, illum eximium Regem à Deo promiſſum: ſed cujus Regnum in cœlis, non in terris eſſe debebat, quodque Romanorum Imperium nequaquam tollebat. Dum ergo hoc reticent hoc loco, rem longe aliter proponunt, quam eſt.

Verſ. 3. *At Pilatus interrogavit eum, dicens: Tunc es Rex Judæorum? Ipſe vero reſpondens ei dixit: Tu dicis.*] Interrogavit eum Pilatus non foris coram populo, ſed in prætorio, quo vocari Jeſum ac introduci juſſit, Johan. 18. 33.

Tunc es Rex Judæorum?] Non dubium eſt, Pilatum talem intelligere Regem, qualem eum ſe facere Judæi indicaverant, cui ſcilicet tributum debeatur, non Romanis.

Tu dicis.] Chriſtus rem ipſam agnoſcit, quod ſit Rex, ſed cum tali declaratione, quod regnum ſuum non ſit ex hoc mundo: ut ex Johanne diſcimus cap. 18. 36. id eſt, Regnum ſuum non eſſe terrenum, ſed cœleſte, adeoque Romano Imperio nihil per id decedere.

Verſ. 4. *Pilatus autem dixit ad primarios Sacerdotes & turbam: Nullam invenio noxam in hoc homine.*] Videlicet iterum egreſſus eſt ad eos. Illi enim foris expectabant ante prætorium, ut refert Johannes cap. 18. 38.

Nullam invenio noxam in hoc homine.] Gr. οὐδεμίαν αἰτίαν, nihil cauſæ, vel criminis. Perſpiciebat Pilatus, ex reſponſione Chriſti, eum nullius maleficii poſſe reum peragi, Judæorumque accuſationem & argumenta futilia eſſe, nec ullum habere fundamentum; præterea ipſius Chriſti conditio & habitus ſatis ab eo removebant omnem ſuſpicionem ambitus regni.

Verſ. 5. *Illi vero invaleſcebant dicentes: Concitat populum, docens per univerſam Judæam, exorſus à Galilæa huc uſque.*] Invaleſcebant, Gr. ἰσχύον, id eſt, vehementius & fortius inſtabant.

Concitat populum, docens.] Cum viderent priorem accuſationis inſultum nihil efficere apud Pilatum, alia via rem aggrediuntur. Invehit, ajunt, novam doctrinam, quæ communi Judæorum ſententiæ contraria eſt. Notum autem ſatis ſuper eſt, nihil magis turbas dare in populo, & pacem publicam, cujus cuſtos ac defenſor Pilatus eſſe ex officio ſuo tenebatur, ſubvertere, quam novitatem doctrinarum. Eandem accuſationem contra Paulum inſtituit Tertullus Rhetor Actor. 24. 5. *Comperimus virum hunc eſſe peſtiferum, qui concitet ſeditionem omnibus Judæis per orbem terrarum, & Principem hæreſis Nazaræorum.* Ita Celſus Scriptor Ethnicus Judæos ſeditioſos vocat, quod ab Ægyptiorum doctrinis ac moribus deſciverint; item Chriſtianos, quod Legem Judæorum repudiarunt.

A Galilæa huc uſque.] Quaſi dicant: Dubitas de eo, quod ſeditioſus ſit? Jube inquirere non ſolum in Judæa, ſed & in Galilæa, ubi eſt ipſiſſimus nidus atque cubile ſeditioſorum omnium, & comperies eum jam innumerabilem hominum multitudinem in ſuas pertraxiſſe partes.

PARS II.

Verſ. 6. *Pilatus autem audita Galilæa, interrogavit, num homo iſte Galilæus eſſet.*

Verſ. 7. *Et cum cognoviſſet, eum ad Herodis poteſtatem pertinere, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat per eos dies.*] Quia Chriſtus è Galilæa dicebatur eſſe oriundus, ubi Herodes Tetrarcha imperabat, adeoque verus fuit Chriſti Magiſtratus: ideo tradit Chriſtum ejus poteſtati, permittens, ut eum ſecum in Galilæam abductum judicaret, cauſamque ejus ibi cognoſceret.

Verſ. 8. *At Herodes viſo eo, gaviſus eſt: nam à multo tempore cupiebat eum videre, eo quod audiviſſet multa de eo; ſperabatque ſe ſignum aliquod viſurum ab eo fieri.*] Nihil aliud quærebat, quam ut oculos & animum rei novitate paſceret, ut in aulis fieri aſſolet. Deus autem non ita miracula ſua prodigit ac profundit, ut etiam hominum curioſitati ſerviant. Oportet gravem eſſe cauſam, ſi quid ſupra ordinarium naturæ curſum fieri debeat.

Verſ. 9. *Interrogavit autem eum multis ſermonibus: ſed ipſe nihil ei reſpondit.*] Interrogabat eum, intellige, de regno ejus & poteſtate, quam ſibi tribuebat Chriſtus.

Verſ. 10. *Adſtabant autem primarii Sacerdotes ac Scribæ, vehementer accuſantes eum.*] Primarii Sacerdotes iſti ac Scribæ erant è Synedrio, qui comitati ſunt Chriſtum ad Herodem.

Vehementer accuſantes eum.] Omnem movebant lapidem, ut Chriſtum etiam Herodi ſuſpectum redderent de Regno affectato. Regnum enim Davidis, quod ſibi deberi Chriſtus affirmarat, non ſolum Judæam, ſed & Galilæam in ſe complectebatur.

Verſ. 11. *Nihili faciens vero eum Herodes cum militibus ſuis, & illudens ei, amictum veſte ſplendida remiſit ad Pilatum.*] Cum militibus, id eſt, aulicis ſuis ac ſatellitibus.

Nihili faciens.] Contemſit eum: quia inglorium ſibi & indignum ſua dignitate ducebat, ſi crederetur metuere ſibi ab homine, qui nec armis, nec dexteritate ad regnandum inſtructus eſſet.

Et illudens ei.] Tanquam hominem fanaticum & delirum irriſit. Ita Chriſtus & omnes ipſius fideles à talibus hominibus tractari ſolent.

Amictum veſte ſplendida.] Veſtem ſplendidiorem & pretioſiorem, quam quæ privatum & vulgarem hominem deceret, circumdari ei juſſit, quia eum

velut hominem malesani sincipitis irridebat, qui majora ambiret, quam consequi posset.

Remisit eum ad Pilatum.] Non enim dignam censebat rem accuratiori examine ac inquisitione.

Vers. 12. *Et facti sunt amici inter sese Pilatus & Herodes eo ipso die: nam antea inimici erant inter se.*] Ita solet inter eos convenire non ægre, quorum amicitia fundatur in utriusque utilitate. Vitia inter se dissidentia facile redeunt in gratiam & conspirant adversus virtutem.

Nam antea inimici erant inter se.] Fortassis inimicitia ista orta fuit occasione Galilæorum illorum, quos Pilatus nuper trucidari curaverat, ut Lucas descripsit cap. 13. 1. Quanquam & alias inter Reges & Romanos Præsides invidia atque æmulatio levi de causa odium ac inimicitias gignere potuit.

PARS III.

Vers. 13. *Pilatus vero, convocatis primariis Sacerdotibus, & primoribus, ac populo.*] Primores hic intelliguntur Seniores populi seu Senatores, qui erant pars Synedrii. Vide Matth. 27. 20.

Ac populo.] Locutus est potissimum ad primarios Sacerdotes & Senatores, sed in præsentia populi. Vide dicta ad Matth.

Vers. 14. *Dixit eis: Obtulistis mihi hunc hominem, tanquam avertentem populum, & ecce ego coram vobis quæstione habita, nullam noxam inveni in homine isto, ex iis, de quibus accusatis eum.*] Tanquam avertentem populum, intellige, ab obedientia & reverentia Romano Cæsari debita.

Ego coram vobis quæstione habita.] Hoc dicit Pilatus ad eos, qui è Synedrio erant. Et hoc sibi vult, se rem totam jam satis excussisse & examinasse, idque non seorsim tantum & pro suo libitu, sed etiam ipsis testibus ac præsentibus: Primum quidem cum eum reum ad se adduxissent; & rursus cum ad eos exivisset è prætorio.

Quæstione habita.] Gr. ἀνακρίνας, *inquirens.* Est vox proprie juridica, & in judiciis adhiberi solita, ubi per interrogationes responsiones eliciuntur, & sic verum inquiritur. Vide Actor. 4. 9. xxv. 26. xxviii. 18.

Nullam noxam inveni.] Nullum crimen læsæ Majestatis Cæsareæ. Hoc enim maxime urgebant isti delatores.

Vers. 15. *Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte factum est ab eo.*] Si mihi non creditis, interrogate Herodem, qui communem vobiscum habet Patriam & religionem.

Nam remisi vos ad illum.] Vos judicium ejus de hoc reo ipsimet audistis.

Et ecce nihil dignum morte factum est ab eo.] Hæc verba duplicem admittunt sensum. Vel quod Christus nihil fecerit, quod morte dignum esset: vel quod Herodes nihil cum Christo egerit, quod dignum esset morte, id est, quod Herodes eum remiserit ad se, non addita mortis sententia, aut ullo signo, è quo intelligi possit, hunc hominem mortem commeruisse. Signum autem tale erat flagellatio, quæ more Romano necem maleficorum præcedebat: ut videre est Matth. 27. 26. Hoc posteriori sensu Syrus Interpres verba ista accepit. Nec absque causa. Nam alias Pilatus rem eandem bis dixisset: Jam enim antea dixerat, *Nullam noxam inveni in hoc homine.* Sic igitur verba *dignum morte*, nihil aliud significabunt, quam quod morti conveniat, vel mortem significet, vel cum morte proportionem habeat, eique æquale sit: ut Matth. 3. 8. *Fructus pœnitentiæ digni*, sunt fructus, qui pœnitentiæ conveniunt, ex quibus pœnitentia agnosci potest. Ita etiam Rom. 8. 18. *Perpessiones præsentis temporis non sunt dignæ illa gloria*, id est, non sunt gloriæ illi cœlesti pares, nec ullam cum ea proportionem habent.

Vers. 16. *Castigatum igitur eum dimittam.*] Id est, flagellatum seu virgis cæsum. Ex Romanorum consuetudine flagra adhibebantur ad confessionem veræ accusationis causæ seu veri criminis à reis extorquendam, ut ad Matth. 27. 19, annotavimus. Sed hoc loco Pilatus non hac de causa in Christum flagris sævire voluit (quod fecit postea) sed puniendi causa. Nam leges Romanorum arbitrio Judicis permittebant pœnas iis infligendas, qui novam invehebant religionem, populumque turbabant. Cum ergo Pilatus vellet populo quadantenus gratificari, credidit crimen istud de novæ doctrinæ invectione speciosius esse, quam illud de læsa Majestate Cæsaris: uti solent facere, qui aliud spectant, quam jus & æquitatem, atque hoc unum quærunt, ut aliquem injustitiæ colorem atque prætextum circumdare queant. Itaque cupit Pilatus Christum tanquam novæ doctrinæ auctorem flagellationis pœna afficere, & deinceps dimittere. Verum cum Judæi hac pœna minime acquiescerent, flagellatio tunc omissa est. Postea vero eum flagellari curavit, non pœnæ irrogandæ causa, sed more Romano confessionem criminis eliciendi causa, ut dictum ad Matth. cap. 27. 19.

PARS IV.

Vers. 17. *Necesse autem habebat dimittere eis singulis festis unum aliquem.*] Vide dicta hac de re ad Matth. 27. 15.

Vers. 18. *Exclamavit vero simul universa turba, dicens: Tolle illum, dimitte vero nobis Barabbam.*

Vers. 19. *Qui erat propter seditionem quandam & cædem factam in urbe, conjectus in carcerem.*

Vers. 20. *Rursus ergo Pilatus allocutus est eos, volens dimittere Jesum.*

Vers. 21. *Ipsi vero reclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.*

Vers. 22. *Ille autem tertio dixit eis: Quid enim mali fecit? nullam noxam capitalem inveni in eo: Castigatum ergo eum dimittam.*] Indicat Pilatus, se non posse assentiri ipsorum flagitationi, eo quod iniquum postularent.

Vers. 23. *At illi instabant vocibus magnis, postulantes eum crucifigi, & invalescebant voces eorum ac primariorum Sacerdotum.*] Ante omnes alios maxime exaudiebantur voces primariorum Sacerdotum, quod sane eos, ut pote homines tantæ auctoritatis, valde dedecebat.

Vers. 24. *Pilatus vero adjudicavit fieri petitionem eorum.*]

eorum.] Id eſt, Tulit ſententiam de Chriſto ex eorum voto ac deſiderio, nempe ſententiam mortis.

Verſ. 25. *Dimiſit autem illis eum, qui propter ſeditionem & cædem conjectus fuerat in carcerem, quem petebant: Jeſum vero tradidit voluntati eorum.*] Deſcriptio iſta Barabbæ majorem habet emphaſin, quam ſi Lucas ſimpliciter dixiſſet, Dimiſit eis Barabbam. Vult enim ſignificare, eum hominem manifeſtum ſeditionis ac homicidii, quem omnia jura morte damnabant, dimiſiſſe, Jeſum autem, cui ipſe teſtimonium innocentiæ præbuit, morti adjudicaſſe. Hinc Petrus quoque dixit Actor. 3. 14. *Vos ſanctum illum & juſtum abnegaſtis, & poſtulaſtis homicidam donari vobis.*

Eorum voluntati.] Id eſt, eorum impiæ libidini atque crudelitati.

PARS V.

Verſ. 26. *CUm igitur abducerent eum, prehenſo Simone quodam Cyrenæo, qui veniebat rure, impoſuerunt ei crucem ferendam poſt Jeſum.*] Hoc eſt explicatum ad Matth. 27. 32.

Crucem ferendam poſt Jeſum.] Non ita ut una cum Chriſto eam ferret; ſed ut ſolus Chriſtum ſequens eam portaret. Chriſtus enim præ debilitate & laſſitudine ulterius eam ferre non poterat. Vide Matth. 27. 32.

Verſ. 27. *Sequebatur autem illum magna multitudo populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.*] Non illæ tantum mulieres flebant, quæ ex Galilæa Chriſtum ſecutæ fuerant, ut Matthæus narrat cap. 27. 55, 56. Sed etiam aliæ, quarum animos innocentia Chriſti, quam agnoſcebant, ad commiſerationem adducebat.

Verſ. 28. *Converſus vero ad eas Jeſus dixit: Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper liberos veſtros.*] Filiæ Hieruſalem, id eſt, mulieres Hieroſolymitanæ. Hebraiſmus.

Ne flete ſuper me.] Sententia Chriſti eſt: Si veſtram propriam miſeriam contemplaremini, quæ ob hoc crudele ac improbum facinus in me admiſſum, cervicibus veſtris impendet, non vacaret vobis meam miſeriam deplorare.

Verſ. 29. *Nam ecce veniunt dies, quibus dicent: Beatæ ſteriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.*] Veniunt dies, id eſt, brevi venient. Præſens pro futuro. Vocula *ecce*, innuit tempus valde prope eſſe. Intelligit autem horrendum illud exidium Hieroſolymæ, per Titum Veſpaſianum.

Quibus dicent.] Id eſt, quibus dicetur: ut Matth. cap. 3. 21.

Beatæ ſteriles.] Exprimit querimonias, ac quiritationes mulierum, quas adhibere ſolent in ſummis calamitatibus, non tam ſuam quam liberorum ſuorum vicem complorantes. Magnitudinem iſtius calamitatis Hieroſolymitanæ deſcribit Chriſtus etiam apud Matthæum, quanquam alio modo: *Væ prægnantibus & lactantibus in diebus illis* cap. 24. 19. Mulieres enim hujuſmodi non ſolum ad fugam multo ſunt ineptiores aliis, verum etiam duplici cura & angore de ſe & de ſobole ſua diſcruciantur.

Verſ. 30. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos.*] Hic eorum querela deſcribitur ac lamentatio, quos extremæ miſeriæ metus aut ſenſus ad deſiderium mortis adducit, qui dolore victi, cum mori nequeant, montes & colles in ſe cadere peroptant, ut vel diriſſimo mortis genere extinguantur. Deſumta ſunt autem hæc verba ex Oſe. 10. 8. ubi Propheta de civibus Samariæ loquitur: qui ut in improbitate, ita & in ſuo exitio typus Hieroſolymitanorum fuerunt. Vide etiam Apoc. 6. 16. Similis locutio eſt etiam Eſai. 2. 19. *Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in hiatus terræ a facie formidinis Domini.* Etſi vero hæc, ut & prior locutio: *Beatæ ſteriles* &c. proverbialis fuerit, Chriſtus tamen iis uſus eſt ad ſignificandas res vere & proprie futuras: ut ex eo agnoſceretur, ſe iſta omnia præſciviſſe. Tanta enim miſeria matrum tunc fuit, ut quædam propriam prolem ſuam fame inductæ devorarint; & cum civitas à Romano exercitu expugnata eſſet, plurimi ſe è Judæis in cavernas terræ abdiderunt; ut apud Joſephum legere eſt.

Verſ. 31. *Nam ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*] Hæc faciunt, id eſt, hæc fiunt: ut ſupra verſ. 29. & Marc. 3. 21. Fuit vero hoc quoque Proverbium; vultque Chriſtus dicere: Si hæc in me fiunt, quid non fiet populo Judaico? Comparat ſe ipſum ligno viridi, quod non eſt aptum concipiendo igni; cum contra arida ligna facillime accendantur, & igne corripiantur. Si igitur ignis afflictionis, permittente Deo, me qui innocens ſum, adeo adurit, quanto magis flamma divinæ iræ ſceleratum conſumet populum, qui vel hoc ſolo homicidio, quod in me nefarie exercet, ſe ad id aptum reddit. Prophetæ conferunt tales homines ſtramini vel ſtipulæ, iram autem Dei flammæ, Eſai. 5. 24. XXXIII. 11. XLVII. 14. Obad. 1. 18. Malach. 4. 1. Huic Chriſti dicto affine eſt ac geminum illud dictum Petri: *Tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei. Et ſi primum à nobis, quis erit finis eorum qui non obediunt Euangelio? Et, ſi juſtus vix ſervatur,* (id eſt, nonniſi per multas afflictiones) *impius & peccator ubi comparebit?* 1 Petr. 4. 16, 17. Notandum eſt, Hebræos ſolitos fuiſſe pios homines vocitare lignum viride ac humidum, impios vero lignum aridum ac ſiccum. Proverbio enim dicebatur: Ubi duo ſunt arida ligna, & unum viride, ibi facile comburitur viride ab aridis. Quo dicto indicare volunt, pios quorum ſemper eſt magna paucitas, facile opprimi ab impiis. Ita Deus quoque minatur apud Ezechielem cap. 20. 47. *Ecce ego accendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum:* quod mox poſtea explicat cap. 21. 3. *Educam gladium meum è vagina, & occidam in te juſtum & injuſtum.* Ita & Pſalm. 1, pii aſſimilantur arboribus virentibus: contra vero mali à Chriſto & Johanne Baptiſta ſteriles & exarefactæ arbores nuncupantur, Matth. cap. 3. 10. VII. 19.

Verſ. 32. *Ducebantur autem etiam alii duo facinoroſi cum eo interimendi.*] Græca vox κακοῦργοι proprie quidem denotat maleficos, qui Magicis artibus aliis nocent, ſed ſolet etiam late accipi de quovis facinoroſo.

PARS VI.

PARS VI.

Verſ. 33. *ET cum veniſſent in locum, qui vocatur Calvaria, illic crucifixerunt eum, & facinoroſos illos, unum à dextris, alterum à ſiniſtris.*] Vide horum explicationem ad Matth. 27. 33.

Verſ. 34. *Jeſus autem dicebat: Pater, remitte ipſis. Neſciunt enim quid faciant. Dividentes vero veſtimenta ejus, jecerunt ſortem.*] Hic Chriſtus oſtendit, ſe eſſe perfectiſſimum patientiæ & charitatis exemplum, dum reipſa implet, & facto docet, quod verbis antea docuerat: *Orate pro iis qui vos infeſtant ac perſequuntur*, Matth. 5. 44. Sortitaque eſt eventum ſuum prædictio Eſaiæ cap. 53. 12. *Et pro tranſgreſſoribus oravit.* Senſus autem horum verborum, *Remitte ipſis*, ſumendus eſt ex ſimili precatione Stephani Actor. 7. 60, *Domine, ne imputes eis hoc peccatum:* Nimirum ita, ut præcipitando judicium, quod meruerunt, & corda eorum penitus indurando, viam eis ad pœnitentiam occludas. Nulla enim remiſſio ſperanda eſt cuiquam, niſi præcedat pœnitentia. Itaque hæc remiſſio, quam Chriſtus eis precatur, non alia in re conſiſtit, quam ut eis Deus tempus ac ſpatium ad agendam pœnitentiam concedat. Ita Paulus ait 1 Timoth. 1. 13, ſe miſericordiam conſecutum eſſe, quia ignorans id faciebat: indicans, ſe propterea à Deo non eſſe induratum, neque ſibi viam ad ſalutem eſſe obſtructam.

Neſciunt enim quid faciant.] Id eſt, neſciunt, quis ſit is, quem tam crudeliter tractant & morte infami tollunt. Sciendum autem eſt, ut pleniſſimum patientiæ ſpecimen in ſe exhiberet, oraſſe hic in genere pro omnibus inimicis ſuis, adeoque etiam pro iis, qui contra ſuam conſcientiam, miracula ipſius adſcripſerant Principi dæmoniorum, & mortem ejus fictis criminibus procuraverant. Etſi enim multa alia divina ac cœleſtia de Chriſto ſcirent, ignorarunt tamen, eum verum Meſſiam eſſe. Quæ ignorantia tametſi neutiquam excuſationem merebatur, ut quæ eorum propria culpa & negligentia, quin & plurimis magnis ſceleribus, quæ divinæ Chriſti doctrinæ cedere noluerunt, contracta fuerit: tamen dici de iis nequit, quod extremam in impietate lineam attigerint illi, qui non bene norant eum, in quem delinquebant. Atque hanc ignorantiam etiam Petrus allegat Actor. 3. 17, *Scio vos per ignorantiam feciſſe, ſicut & primores veſtros.* Et Paulus 1 Corinth. 2. 8, *Quam* (id eſt, ſapientiam Dei) *nemo Principum hujus ſeculi cognovit: nam ſi cognoviſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ubi per *Principes hujus ſeculi* non ſolum intellexit Pilatum & Herodem, ſed primores quoque populi, ut Petrus loco modo citato.

Verſ. 35. *Et ſtabat populus ſpectans; deridebant autem eum etiam primores cum eis dicentes; Alios ſervavit, ſervet ſeipſum, ſi hic eſt Chriſtus, electus Dei.*] Primores, id eſt, primarii Sacerdotes Scribæ & Seniores: ut Matthæus declarat cap. 27. 41. Indicat Lucas, non ſolum vulgus promiſcuum, ſed etiam eos qui ex Synedrio erant, (quos id ob auctoritatem ac dignitatem eorum minime decebat) falſis dicteriis animi ſui libidinem in eum exercuiſſe.

Electus Dei.] Vox *Electi* quid ſignificet, explicatum eſt ad Matth. 20. 26. Quid vero hic ſibi velit, de eo vide ad Matth. 27. 40.

Verſ. 36. *Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum ei offerentes.*] Vide de eo ad Matth. 27. verſ. 34.

Verſ. 37. *Dicenteſque: Si tu es Rex Judæorum, ſerva temetipſum.*

Verſ. 38. *Erat vero & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum, literis Græcis & Romanis, & Hebraicis: Hic eſt Rex Judæorum.*

PARS VII.

Verſ. 39. *UNus autem ex facinoroſis ſuſpenſis convitiabatur ei, dicens: Si tu es Chriſtus, & teipſum & nos ſerva.*

Verſ. 40. *Reſpondens autem alter objurgavit eum dicens: Neque tu Deum times, cum in eadem ſis damnatione.*] Particula *neque* reſpicit ad Judæos. Hoc enim ſibi vult: Non tantum Judæi, qui hujus innocentis mortem procurarunt, adeo nulla Dei reverentia ducuntur, ut loco conſolationis, qua miſerorum animos erigere convenit, afflictionem & ludibria afflictioni ejus addant; ſed tu quoque tam impius es, ut idem facias, qui tamen una cum eo in cruce pendes.

In eadem damnatione.] Per hanc intelligitur ſupplicium crucis, quod iſti latroni cum Chriſto commune erat: quanquam ex diſpari cauſa. Ita quoque ſumitur hæc vox κρίμα, damnationis vel judicii, Matth. 23. 14. Marc. 12. 40. Luc. 20. 47. XXIV. 20. Rom. 13. 2. 1 Cor. 11. 29.

Verſ. 41. *Et nos quidem juſte; nam digna factis recipimus: at iſte nihil indecens egit.*] Nos quidem juſte, ſcilicet ſumus in hac damnatione. Ingens ſignum eſt pœnitentiæ, ſi quis æquo animo meritam pœnam ferat, ſeque demittat animo ac humiliet, Levit. 26. 41. Hic vero acceſſit præterea, quod facinoroſus iſte alterum ſocium ſuum objurgarit ob peccata ipſius, inſontiſque Chriſti patrocinium ſuſceperit. Hi erant fructus digni pœnitentia.

At iſte nihil indecens egit.] Gr. οὐδὲν ἄτοπον, id eſt, nihil flagitioſi, nihil mali. Hinc colligitur, latronem hunc jam multa de Chriſto, videlicet de ipſius doctrina ac miraculis inaudiviſſe & intellexiſſe, partim, ut credibile eſt, antequam eſſet comprehenſus, partim in prætorio.

Verſ. 42. *Et dixit ad Jeſum: Memento mei, Domine, cum veneris in regno tuo.*] Sine dubio auditione percepit, Chriſtum de ſe affirmare, Regnum ſibi deſtinatum eſſe, ſed non regnum hujus mundi. Hoc verum eſſe ut crederet hic latro, proculdubio præter alia effecit ſumma Chriſti patientia in intenſiſſimis doloribus, manſuetudo erga inimicos, & fortaſſis etiam jam incipientia ſigna. Atque hoc latronis exemplum damnationi erit omnibus illis, qui Chriſtum non ſuſceperunt, dum quicquid erat in animo ejus bonæ de Chriſto perſuaſionis, morte ejus ignominioſiſſima (quæ Apoſtolos ipſos prope ad fidei naufragium adduxerat) non ſolum extinctum non eſt, ſed potius in tantam fidei flammam erupit. Hinc etiam intelligitur, quantam recta & prudens conſideratio,

deratio, rei quæ alioqui incredibilis esse videtur, in homine cordato vim habeat, ad rei veritatem inveniendam. Discipuli, qui longo tempore cum Christo familiariter convixerant, qui promissionem de sua resurrectione ex ipsius ore non semel audierant, ita ut non fama tantum aliqua incerta de resurrectione ipsius ad aures eorum fuerit allapsa; nihilominus inquiunt: *Nos sperabamus, illum esse qui redemturus esset Israëlem.* Infra cap. 24. 21. Hic latro contra sperat sibi adhuc locum fore in regno ejus, cum jam jam moriturus esset, cumque omnibus fere videretur, spes cunctas hactenus in eum repositas in cassum recidisse. Quanquam præterea credibile est, Deum, qui aliquid adhuc probitatis in animo hujus latronis vidit, peculiari auxilio suo fidem ipsius sublevasse, ut in eo argumentum & exemplum extaret illius repentinæ, insperatæ ac singularis vocationis divinæ, quæ Apostolorum ævo multis Ethnicorum contigit. Non est, quod ex hujus singularis Dei gratiæ isti latroni exhibitæ, exemplo, generalem regulam ac promissionem conficiant ii, qui in luce clarissima Euangelii per totam vitam, aut saltem potiorem partem vitæ suæ, in omni impietatis cœno, contra conscientiam suam volutati sunt, hac spe seipsos deludentes, quod habituri sint adhuc in ipso mortis instantis articulo satis temporis ad resipiscendum, quodque Deus ipsis, æque ac latroni huic, futurus sit propitius, quando non tam ex filiali amore ac fiducia, quam ex anxietate animi ac terrore, quem ipsa circumstantis mortis imago, & abyssus æternitatis producit, ad eum gemitus ac suspiria miserint. Valde enim dubium est, an tales homines, qui gratiam divinam semper contemserunt, Deus gratia sua sit digniturus.

Cum veneris in regno tuo.] Id est, ubi regno, quod tibi Deus destinavit ac promisit, potitus fueris. Non aspirat autem in hoc regno ad ullos honores, sed agnoscit suam indignitatem, contentus rogare, ut tantum sui memor sit.

Vers. 43. *Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*] Dum Christus ista asseveratione utitur, Amen dico tibi, indicat, se aliquid non vulgare & eximium velle dicere.

Hodie.] Adverbium hoc non est cum præcedentibus connectendum hoc modo: *Dico tibi hodie*; (quod etiam Syrus interpres expresse respuit) neque etiam sensus est: *Hodie*, id est, post resurrectionem meam eris mecum in Paradiso. Sed Christus promittit hic latroni plus quam is petierat. Quasi dicat: Tu rogasti, ut aliquando tui memor sim, cum Regnum meum capessam; ego vero tibi affirmo, me non tamdiu dilaturum voti tui impletionem, sed hodie, id est, hoc ipso die, simulac ex hac vita mecum excesseris, fore te mecum in Paradiso. Inest autem emphasis singularis adverbio isti *hodie*, usurpaturque more Hebraico, quando de summis beneficiis sermo est. Vide inter alia Jerem. 1. 10.

Mecum eris in Paradiso.] Vox παράδεισος origine est Persica, & proprie significat hortum amœnum, aut theriotrophium aliquod bene munitum. Usi autem sunt etiam Hebræi hac voce, ut in Ecclesiaste videre est cap. 2. 5. Græci verò nomine hoc tanquam proprio insigniverunt hortum illum in Eden, in quo Deus primum hominem collocaverat Gen. 2. vers. 8. Post Esdræ autem tempora, ubi incipiebant homines clarius aliquanto de statu humanarum animarum post mortem loqui; felicitas post hanc vitam, inprimis vero status animarum hominum piorum, à corpore separatarum & resurrectionem expectantium, vocata est Paradisus seu *hortus Eden*: ille scilicet locus amœnissimus, in quo (ut dictum) Deus Adamum posuerat, & ex quo eum trangressionis causa rursus expulerat. Hac significatione frequentissime Paradisi vox in Talmudicis Judæorum libris reperitur. Hinc nata sunt illa Judæorum vota, quibus mortuos ac defunctos prosequuntur: *Anima ejus sit in Paradiso.* Vel: *Anima ejus cum aliis congregetur in Paradiso.* Et in suis usitatis precibus, quibus circa moribundos utuntur, dicunt: *Habeat partem in Paradiso, ut & in futuro seculo.* Et rursus: *Anima ejus & somnus ejus sit in pace, donec veniat consolator, qui facit audiri pacem Patrum superiorum temporum, qui dormiunt in Hebron. Aperiantur ei portæ Paradisi, & dicant ei pacem: Venite qui custoditis thesauros Paradisi.* Ex quo cernitur, Judæos distinguere statum Paradisi, à statu resurrectionis. Atque interdum quidem illum statum vocant inferiorem Paradisum, in quem animæ piorum statim post mortem deveniunt, cœlum autem, in quod totus homo cum corpore & anima post resurrectionem transferetur, vocant superiorem Paradisum. Neque difficile est divinare causam, cur Judæi statum animarum post mortem hoc appellarint nomine. Cum enim hortus ille Eden, quem Adamus incoluit, fuerit locus amœnitate ac pulchritudine, omnique genere voluptatis omnia mundi loca facile superans, hac metaphorica appellatione voluerunt, lætum ac quietum animarum statum indicare. Ajunt enim, hortum illum in Eden fuisse figuram ac typum status animarum post mortem. Totum autem istud hoc loco non secundum rei veritatem, sed secundum Judæorum opinionem accipiendum est. Si enim ipsam rei veritatem spectes, animæ defunctorum neque gaudium illum, neque tristitiam percipiunt, sed bonorum quidem animæ requiescunt in manu Dei, id est, ab eo asservantur, ne dissipentur ac intereant, usque ad tempus resurrectionis justorum, ubi glorioso corpore indutæ, in æterna gaudia introducentur. Cæterum Christus non dubitavit, latronem ut pote hominem natione Judæum alloquens, ejusmodi locutionibus uti, quæ inter Judæos notæ atque usitatæ fuerunt: quod idem fecit & alibi; ut cum de Lazaro ait, eum delatum esse post mortem in sinum Abrahami, supra cap. 16. 22. & cum dicit, multos cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cœlorum discubituros ad mensam Matth. 8. ℣. 11. Vide quæ ibidem diximus, & dicta ad locum supra cap. 16. 22, de sinu Abrahæ, ut & ea, quæ Matth. cap. 5. 22, de voce Gehenna admotavimus. Sicut igitur Christus hic ita loqui voluit, ut latro id posset intelligere, sic nullum dubium est, latronem id ita accepisse, ut vulgaris inter Judæos ferebat opinio. Nimirum cum Paradisi feciset mentionem, & simul nominasset tempus, Hodie, idque tum cum jam in agone mortis esset; certum est, latronem nihil aliud intellexisse per Paradisum, quam statum seu locum illum,

illum, in quem credebant Judæi post mortem Abrahami, Isaaci, & Jacobi aliorumque piorum animas deferri. Hoc ergo sibi vult Christus: Non tantum, quando veniam in regno meo, tui ero memor, sed adhuc hodie anima tua erit mecum in loco atque congregatione piorum. Neque Christus frustra ac sine causa addidit vocem *Hodie*. Judæi enim sentiunt, non omnium defunctorum animas illico post mortem in Paradisum recipi, sed eorum duntaxat, qui probe mundati ex hac vita discesserint, vel qui peccata sua prius in Gehenna eluerint. Credunt enim animas eorum, qui gravibus peccatis onusti sunt, torqueri aliquo tempore in Gehenna, antequam in Paradisum perveniant: qui autem in hac vita multis morbis vel aliis miseriis & calamitatibus subjecti sunt, ut hic peccata sua quodammodo expiarint, eorum animas censent recta post obitum eorum in Paradisum evolare. Vide hac de re dicta ad Matth. 10. 28. & 12. 32.

Hoc loco etiam annotare juvat, non errasse eos, qui Symbolo, quod vocatur Apostolicum, hæc inseruerunt verba: *Descendit ad inferos*. Si enim anima Christi fuit in Paradiso, simul etiam fuit in Inferno. Vox enim ἅδης, infernus, denotat in genere statum mortuorum, sive locum, quo congregantur mortui; cujus duæ sunt partes: Paradisus, ubi sunt animæ piorum, & Gehenna, ubi recipiuntur animæ impiorum. Vide supra adnotata ad cap. 16. 23. Itaque in Symbolo aliud est, quod de Christo dicitur, eum *fuisse sepultum*, & aliud, *eum descendisse ad inferos*. Corpus enim sepelitur, anima vero descendit ad inferos. Sepulchrum autem ab inferno esse rem distinctam, inter cætera elucet ex verbis Jacobi, quæ de filio suo Josepho protulit: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*. Sic habet Hebræus textus & Vulgata editio Latina Genes. 37. 35. ubi per *infernum* non intelligit sepulchrum. Non enim putabat, filium suum sepultum esse, sed à feris dilaniatum ac devoratum, ut reliqui filii, qui Josephum Ismaëlitis vendiderunt, ipsi persuaserant.

PARS VIII.

Vers. 44. *Erat autem quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt in tota terra usque ad horam nonam.*] Vide hac de re Matth. 27. 47.

Vers. 45. *Et obtenebratus est Sol, & velum templi scissum est medium.*

Vers. 46. *Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas depono spiritum meum. Et cum hæc diceret, exspiravit.*] Verba ista, quibus Christus Deo commendavit in manus spiritum suum, accepta sunt ex Psalm. 31. 6. ubi David in summo discrimine ab inimicis suis constitutus, vitam suam divinæ protectioni committit. Quo sensu etiam Petrus ait: *Itaque qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo*, 1 Petr. 4. 19. id est, in suis afflictionibus, quæ ex voluntate Dei ipsis accidunt, vitam suam Deo commendent, & simul studeant bonis operibus. Cernitur autem hic, quam longe perfectiori sensu hæc verba à Christo, quam à Davide accipiantur. Apud Davidem enim spiritus nihil aliud significat, quam vitam temporariam: hic autem à Christo per spiritum intelligitur anima proprie dicta, seu illa pars hominis, quæ in morte à corpore segregatur.

Depono.] In Græco est: παραθήσομαι, deponam, commendabo. Futurum pro præsenti. Verbum *deponendi* autem proprie de iis usurpatur, qui id quod deponunt, in sua habent potestate. Atqui Christus habebat potestatem animam suam ponendi, & rursus accipiendi, ut ipse testatur Johan. 10. 18. Paulo aliter loquitur Stephanus, jam moriturus, ubi non utitur verbo *deponendi*, sed oravit, ut Dominus Jesus, qui jam factus erat Dominus vitæ & necis, spiritum suum susciperet, Actor. 7. 59, in suam scilicet custodiam & protectionem.

Et cum hæc diceret, expiravit.] Expiravit non defectione virium naturalium, ut omnes alii homines mori solent, sed simul ac spiritum suum Deo commendavit, statim spiritus è corpore emigravit: ut ita mortuus sit, quando voluit. De vero anno mortis Christi est inter eruditos, ut & inter Veteres Ecclesiæ Doctores, non levior controversia ac dissensus, quam de anno nativitatis ejus. Vide in fine Appendicem hujus Capitis.

PARS IX.

Vers. 47. *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat.*] Glorificavit Deum, id est, agnovit Dei potentiam: ut supra cap. 5. 26.

Vers. 48. *Et omnes turbæ quæ simul ad hoc spectaculum accesserant, cum vidissent ea quæ facta fuerant, percutientes pectora sua revertebantur.*] Cum vidissent scilicet obscuratum Solem, terræ motum, & miraculosam Christi expirationem, qui propemodum suo mortuus est arbitratu.

Percutientes pectora sua.] Conscientia cœpit eos fodicare, quam Petrus postea in festo Quinquagesimæ concione sua præclara magis adhuc è somno excitavit Actor. 2. 37. Signa enim ista erant à Deo, quibus ille cum displicere sibi nefarium illud homicidium, significabat, tum innocentiæ Christi Filii sui testimonium dabat.

Vers. 49. *Stabant autem noti ejus procul, & mulieres, quæ erant eum una secutæ à Galilæa, spectantes hæc.*

PARS X.

Vers. 50. *Et ecce vir nomine Joseph, Senator, vir bonus ac justus.*] Vide annotata nostra ad Marc. 15. 53.

Vers. 51. *Hic non fuerat assensus consilio & facto eorum, ortus Arimathæa civitate Judæorum, qui & ipse expectabat regnum Dei.*] Josephus iste observavit illud præceptum Legis: Exod. 23. 2, *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Vide dicta ad Matth. 27. 57.

Vers. 52. *Hic accedens ad Pilatum, petiit corpus Jesu.*

Vers. 53. *Et detractum illud involvit sindone, posuitque illud in monumento, quod erat in saxo excisum, in quo*

in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.] Græca vox σινδὼν ſignificat amplum linteum, quo ait Lucas hoc loco, Joſephum involuiſſe corpus Chriſti. Johannes ſcribit, eum cum Nicodemo corpus Chriſti *obvinxiſſe linteis una cum aromatibus* cap. 19. 39, 40. Erat enim in more poſitum Judæis, ut & Græcis, ut corpora faſciis involverent, ut patet ex Lazari hiſtoria, de quo dicit Johannes, manus ejus ac pedes vinctos fuiſſe inſtitis ſeu faſciis, ſimulque meminit ſudarii, quo vultus ejus fuerat obvinctus, cap. 11. verſ. 44. Quando enim corpora ungebantur, manus recta ab utroque latere extendebantur deorſum & cum corpore uſque ad pedes involvebantur, perinde ac infantes modo nati involvi ſolent. Quod igitur Lucas hic, & Matthæus quoque ac Marcus nonniſi unius lintei faciant mentionem, id ita nonnulli intelligendum cenſent, quod Joſephus quidem unum duntaxat linteum emerit, ſed id deinde conſciderit in faſcias tantas, quantas res popoſcit.

In quo nondum quiſquam poſitus fuerat.] Hoc Deus ita direxerat, ne quis poſſet dicere, alium aliquem, non Chriſtum ſurrexiſſe. Monumenta enim hominum non vulgarium apud Judæos erant fornices tam ampli, ut plures ſimul capere poſſent: conficiebantur enim pro omnibus cognatis. Vide Caſaubonum ad Luc. 23. 53.

Verſ. 54. *Et dies erat paraſceves, & Sabbatum illuceſcebat.*] Factum id eſt die Veneris veſpertino tempore ante ſolis occaſum, poſt quem ſtatim cœpit Sabbatum.

Et Sabbathum illuceſcebat.] De eo vide Matth. 28. verſ. 1.

Verſ. 55. *Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant ex Galilæa, ſpectarunt monumentum, & quomodo poſitum eſſet corpus ejus.*

Verſ. 56. *Reverſæ vero paraverunt aromata & unguenta: ac Sabbato quidem quieverunt, ſecundum præceptum.*] Videlicet Legis, à qua obligatione Chriſtus ſuos diſcipulos nondum exemerat. Vide Matth. 5. 17.

APPENDIX

Verſ. 46.

De vero anno Paſſionis ac mortis Chriſti, qui fuit annus 76 Julianus.

AGitatur inter Doctores & Interpretes operoſe quæſtio de vero anno, mortis ac Paſſionis Chriſti, non minus quam de anno nativitatis ejuſdem. Clemens Alexandrinus qui ætate proxime ad tempora Chriſti acceſſerat, tradit, Chriſtum uno duntaxat anno prædicaſſe: idque colligit ex loco Luc. 4. verſ. 19. *Miſit me annunciare annum acceptum Domini.* Epiphanius vero ſcribit Chriſtum duorum annorum ſpatio & per 84. dies munere prædicandi eſſe defunctum. Inter Interpretes autem hodiernos nequit convenire de numero Paſchatum, quot ſilicet inter baptiſmum & mortem ejus interceſſerint. Alii enim exiſtimant tria interceſſiſſe Paſchata, alii quatuor; ſunt etiam, qui quinque ſtatuunt: de quo ſuo loco. Communiſſima quæ hodie maxime viget, ſententia eſt, Chriſtum anno Juliano 78. fuiſſe mortuum. Sed vir præcellentiſſimus Johannes Keplerus in Eclog. Chronol. pag. 115. & ſeqq. probat ex Suſlyga & Dekerio adverſus Sethum Calviſium, mortem Chriſti incidere in annum Jul. 76. Quæ ſententia quia maxime eſt veriſimilis, ejus argumenta præcipua hic exponemus.

I. Eſt perantiqua ſententia, quæ in Cæſaræenſi Concilio, ubi primum orta eſt controverſia de Paſchate celebrando, teſtimoniis omnium Epiſcoporum è Palæſtina confirmata eſt, Chriſtum ea nocte proditum fuiſſe, quæ proxime ſecuta eſt diem 22 Martii, & in cruce mortuum die 23 Martii, tandemque à mortuis reſurrexiſſe die 25 Martii. Mortem Chriſti eidem diei menſis Martii attribuunt Beda, Maximus Monachus, Simon Metaphraſtes Nicomedienſis, Lactantius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus (niſi quod interdum diem Paſſionis Chriſti cum die reſurrectionis ejus confundant, quod facile poteſt accidere, & hic nihil nocet) ut & Fragmentum Euſebii apud Anaſtaſium Antiochenum. Præcipue autem plæclarum teſtimonium de eo, quod Chriſtus die 25 Martii reſurrexerit, præbet priſcus admodum mos Gallicarum & aliarum Eccleſiarum nonnullarum, de quibus teſtatur Beda, quod ſtatim à primordiis Euangelii feſtum ſuum Paſchale perpetuo celebrarint die 25 Martii, in quemcunque etiam diem hebdomadis ille incideret. Eundem morem etiam viguiſſe ſcribit Epiphanius in Cappadocia, & in pleriſque Eccleſiis Aſiæ. Notum vero eſt, Chriſtum proditum eſſe nocte illa, quæ proxime conſecuta eſt diem Jovis, & reſuſcitatum eſſe ex mortuis die Solis. Jam ſi retrogrado ordine putentur tempora & inquiratur, quo anno Juliano dies 25 Martii in diem Solis inciderit, quod haud difficulter fieri poteſt, certo invenietur non 78. ſed 76 annus Jul.

II. In vetuſtis tabulis Romani Calendarii & in Chronico Siculo habetur, Chriſtum paſſum eſſe anno Indictionis Romanæ 4. Unde ſequitur Chriſtum paſſum non 78, ſed 76 anno Jul. Nam hoc anno 1661. à Chriſto nato juxta vulgarem æram, qui eſt annus Jul. 1706. numerus Indictionis Romanæ eſt 14. Si igitur retro numeres, invenies in anno Jul. 76, Indictionis Romanæ numerum 4.

III. Julius Africanus, ut Euſebius refert, ponit mortem Chriſti in 2 annum Olympiadis 202. Annus autem iſte fuit Julianus 76.

IV. Hieronymus in verſione Chronicorum Euſebii mortem Chriſti expreſſe refert in annum Julianum 76.

V. Paulus Oroſius narrat hiſtoriam quandam, quam etiam Chryſoſtomus & Euſebius nonnihil attigerunt. Nimirum cum Pilatus ad Tiberium Cæſarem ſcripſiſſet, quæ acta fuerint cum Chriſto, Tiberium retuliſſe id ad Senatum, & urſiſſe, ut Chriſtus inter divos referretur. Verum interceſſiſſe huic ſententiæ ac vehementer contradixiſſe Ælium Sejanum.

num. At Ælius iſte Sejanus anno Jul. 76. quo una cum Tiberio Conſul erat, in Novembri publice eſt crudeliſſima nece affectus. Ex quo ſequitur, mortem Chriſti non in anno Jul. 78, imo omnino non poſt 76 annum Jul. contingere potuiſſe.

VI. Annus ſecundus Claudii Cæſaris eſt annus duodecimus à morte Chriſti. Claudius cæpit imperare anno Jul. 86. Itaque 87 eſt 12 à 76 anno, quo Chriſtus mortuus eſt. Quomodo autem Chronologi annum 12 à morte Chriſti connectant cum ſecundo anno Claudii, de eo vide ad Actor. 1. 8.

VII. Simile argumentum ſumitur à ſeptimo anno Neronis Cæſaris, quem veteres Doctores Eccleſiæ referunt in annum 30, à morte Chriſti. Jacobus enim frater Domini munere ſuo functus eſt annis 30, ut Hieroſolymitana Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria. Atqui is occiſus eſt anno 7 Neronis circa feſtum Paſchæ, id eſt, in anno 106 Jul. ut Hieronymus, Euſebius, & Index Breviarii Romani, aliique tradunt. Quare Jacobus cœpit munus ſuum obire ac præeſſe Eccleſiæ Hieroſolymitanæ anno Jul. 76. poſt Chriſti mortem.

VIII. Paulus venit Romam, anno ſecundo Neronis, id eſt, anno 100 Jul. poſt mortem Chriſti 25: ut Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum computat. Si igitur poſt feſtum Paſchatis eo venit, à quo Hieronymus annos numerare incipit, ſequitur annum Jul. 76 eſſe annum Paſſionis ac mortis Chriſti.

IX. Petrus & Paulus interfecti ſunt ſub Conſulibus Capitone ac Rufo poſt Paſcha, die 29 Maji. adeoque anno 112 Juliano. Additque Hieronymus, id factum eſſe anno 14 Neronis, 37 anno poſt mortem Chriſti. Cum quo etiam Euſebius & Romana Eccleſiaſtica hiſtoria conſentit. Si igitur 36 pleni anni ſubtrahantur à currente anno 112, remanet, currentem annum Jul. 76 fuiſſe annum mortis Chriſti. Ex hoc teſtimonio patet, Scriptores Eccleſiaſticos Neronis annos non poſt Paſcha, quod paulo ante mortem Claudii, cui Nero in Imperio ſucceſſit die 13 Octobris, celebratum eſt inchoare. Nero enim ſeipſum interemit anno 113 Jul. die 9 Junii. Cum igitur Hieronymus annum 112 Jul. in Majo computet fuiſſe 14 annum Neronis, neceſſe eſt, eum annum 113 Jul. in Majo & Junio ſumere pro 15 anno Neronis, etſi Nero revera nonniſi 13 annos & 8 menſes regnarit. Hac ratione igitur argumentum 8, & 7. confirmatur. Si enim annus 112 Jul. Hieronymo eſt 14 annus Neronis, oportet Hieronymo annum 105 Julianum eſſe 7 annum Neronis, qui deſinit in Paſchate ſequentis anni Jul. 106. Secunduſque annus Neronis non eſt alius, quam 100 annus Jul. Porro cum converſio Pauli facta ſit biennio poſt Chriſtum paſſum ac mortuum, ut hiſtoria Eccleſiaſtica, Martyrologium Romanum, Hieronymus in Chronol. Oecumenius & alii teſtantur, nempe die 25 Januarii anni 78 Jul. Chryſoſtomus ab hoc anno converſionis ejus numerat uſque ad mortem ejus annos 35. Deme 34 plenos annos à 112, manebit 78 annum Jul. eſſe annum converſionis Pauli.

X. Auctores ſunt Clemens Alexandrinus, Hegeſippus, Euſebius, Hieronymus, Chryſoſtomus, & alii complures, Hieroſolymæ excidium contigiſſe 40 annis poſt mortem Chriſti. Excidium autem iſtud factum eſt ſub Veſpaſiano, currente anno 115 Jul. A quo ſi demas 39 annos integros, ſuperabit 76 annus, qui erit annus mortis Chriſti.

XI. Ex Irenæo, Hieronymo, Epiphanio, & Breviario Romano conſtat, Johannem Euangeliſtam tempora Trajani vivendo attigiſſe: & Euſebius mortem ejus ponit in anno 2 Trajani, id eſt, anno 143 Jul. Mortuus autem eſt anno 68 poſt mortem Chriſti, ut pervetuſta hiſtoria Eccleſiaſtica in Catalogo Epiſcoporum Epheſinorum, Breviarium Romanum, Epiphanius, Hieronymus, Euſebius, &c. teſtantur. Subtrahe totos 67 annos à currente anno 143. ſupermanet 76 annus currens, quo Chriſtus mortuus eſt.

XII. Chronicon quoddam anonymon valde antiquum, quod definit in anno poſt natum Chriſtum 236 annum 281 Jul. ponit pro 206 anno à morte Chriſti. Si jam 205 integros annos adimas à currente anno 281, manet 76 annus mortis Chriſti.

Adverſus hæc tam clara argumenta inprimis objici ſolet numerus Paſchatum, quæ interjecta fuerunt inter baptiſmum & mortem Chriſti: quorum vulgo quatuor (ab aliis etiam quinque) numerantur, & ex hiſtoria Euangelica deducuntur. Sed id falſum eſſe, & tantum tria Paſchata in Scriptura Sacra inveniri, nempe in anno 74, 75. & 76 anno Jul. celebrata, jamdudum evicit ac demonſtravit Epiphanius, qui prædicationi Chriſti non amplius quam circiter 2½ annos attribuit. Quod etiam nos cap. 14. Tractatus de feſto Azymorum, qui Euangelio Marci Appendicis loco annexus eſt, fuſius demonſtravimus.

CAPUT XXIV.

I. *Narratur hiſtoria Reſurrectionis Chriſti: uſque ad verſ.* 13. II. *Quomodo Chriſtus duobus diſcipulis ſuis Emmauntem tendentibus apparuerit: ad verſ.* 36. III. *Quomodo Chriſtus pluribus diſcipulis ſuis una congregatis ſe manifeſtarit: ad verſ.* 50. IV. *Quomodo Chriſtus in cœlum aſſumtus ſit: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Primo autem die hebdomadis profundo diluculo iverunt ad monumentum, ferentes quæ paraverant aromata, & nonnullæ cum ipſis.*] Primo die hebdomadis, id eſt, die Solis. Sabbatum enim eſt ultimus dies hebdomadis. Circumſtantias hujus hiſtoriæ explicatas vide ad Matth. 28. verſ. 1. & ſeqq.

Quæ paraverant aromata.] Nempe in die Paraſceves circa veſperam. Supra cap. 23. 54, 55, 56.

Et nonnullæ cum ipſis.] Id eſt, Hieroſolymitanæ quædam fœminæ illas Galilæas fœminas comitatæ ſunt.

Verſ. 2.

Verſ. 2. *Invenerunt autem lapidem revolutum à monumento.*

Verſ. 3. *Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu.*] Non plane ingreſſæ ſunt ipſum antrum & foveam, in qua corpus Chriſti jacuerat, ſed intra ſeptum illud, quo cinctum erat antrum.

Verſ. 4. *Et factum eſt, ut dum de ea re ambigerent, ecce duo viri ſupervenerint eis, induti veſtibus fulgentibus.*] Græca vox ἐφίστημι ſignificat inter alia *ſupervenire, adſiſtere, adeſſe*, & aliquando uſurpatur etiam de eo, qui alicui improviſo in oculos incurrit, ſive is ſedeat, ſive ſtet; & quando de cœleſtibus viſionibus ſermo eſt, denotat idem quod *apparere*, vel ſe *conſpiciendum præbere*: ut Luc. 2. 9. Actor. 12. verſ. 7. XXIII. 11. Ut ita verba hæc Lucæ non ſint contraria Matthæo, qui narrat, Angelum ſediſſe in lapide. Sedens enim apparuit.

Duo viri.] Ita Angeli vocantur Actor. 1. 10. Geneſ. 18. 2. XIX. 5. quia in forma virorum apparuerunt.

Verſ. 5. *Cum autem illæ expavefactæ inclinarent faciem in terram, dixerunt eis: Quid quæritis viventem inter mortuos.*] Non uterque Angelus hoc dixit, ſed unus, qui præcipuus erat, ut ex Matth. 28. 5, liquet. Similem locutionem vide Matth. 27. 44. Confer cum Luc. 23. 39.

Verſ. 6. *Non eſt hic, ſed ſuſcitatus eſt: recordamini ut locutus ſit vobis, cum adhuc in Galilæa eſſet.*

Verſ. 7. Dicens: *Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio reſurgere.*

Verſ. 8. *Et recordatæ ſunt verborum ejus.*

Verſ. 9. *Et reverſæ à monumento annunciaverunt hæc omnia illis undecim, & reliquis omnibus.*] Primum quidem nunciarunt iſta obiter & paucis, poſtea vero plenius & expreſſius.

Verſ. 10. *Erant autem Maria Magdalena, & Johanna, & Maria Jacobi mater, & aliæ cum ipſis, quæ hæc dicebant Apoſtolis.*

Verſ. 11. *Et viſa ſunt apud eos quaſi deliramentum verba ipſarum, neque crediderunt eis.*] Vide ad Marc. cap. 16. 2.

Verſ. 12. *Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum, & inclinatus videt linteamina ſola jacentia, abiitque apud ſeipſum mirans factum.*] Petrus non ſolus cucurrit, ſed Johannes una cum eo, Johan. 20. 3. Lucas autem ſolius Petri meminit, quia ſolus in monumentum interius ingreſſus eſt.

Inclinatus videt.] Eodem verbo utitur etiam Johannes in hac hiſtoria de ſe & de Magdalena, Johan. cap. 20. 5. 11.

Linteamina ſola jacentia.] Abſque corpore.

PARS II.

Verſ. 13. *Et ecce duo ex iis ibant eo ipſo die in vicum diſtantem ſtadiis ſexaginta ab Hieroſolyma, cui nomen eſt Emmaus.*] Vocula *Ecce*, innuit ſe rem inſperatam eſſe narraturum.

Duo ex eis.] Non ex Apoſtolis; ad hos enim illi venerunt infra verſ. 33. eiſque renunciarunt, quid ſibi contigerat: ſed ex aliis diſcipulis, quos ſupra verſ. 9. præter Apoſtolos nominavit. Nempe erant vel ex numero 70 diſcipulorum, quos Chriſtus præter Apoſtolos ſelegerat, ſupra cap. 10. 1. vel ex cæterorum grege, qui Chriſti doctrinam amplexi erant. Nomen unius, Cleopæ exprimitur à Luca poſtea verſ. 18. Alterum putant quidam fuiſſe ipſummet Lucam, qui nomen ſuum expreſſe ponere noluerit. Verum ex ipſius præfatione huic libro Euangelii præfixa cap. 1. 2, apparet, eum ſe iis non annumerare, qui omnia oculis ſuis ſpectarunt. Alii aliter hac de re ſentiunt: ſed quid hic ſtatuendum ſit, non multum refert.

Ibant eo ipſo die.] Nimirum quo Chriſtus reſurrexit. Noluit enim Chriſtus diſcipulos ſuos diu relinquere dubios, ſed quamprimum ſe eis patefecit.

In vicum.] Credibile eſt, iſtos diſcipulos domicilium habuiſſe in iſto vico Emmaunte; atque ita eos domum ſe recepiſſe ſuam, poſtquam Paraſceven, Sabbatum, & ſequentem diem Solis, Paſchales titus obeundo & orationibus vacando, conſumſerunt.

Diſtantem ſtadiis ſexaginta.] Stadium eſt via 125 paſſuum. Diſtabat proinde hic ab Hieroſolyma circiter ſeſqui milliari Germanico, vel duarum & paulo amplius horarum itinere. Quod iter non adeo longinquum erat, ut duo iſti diſcipuli non potuerint adhuc ante mediam noctem venire Hieroſolymam & Apoſtolos adhuc una invenire congregatos.

Emmaus.] Duo erant in Judæa loci hoc nomine appellati. Unus erat vicus Galilææ non procul à Tiberiade ad lacum Geneſareth ſitus, thermis nobilis, à quibus etiam nomen ſortitus eſt (Emmaus enim aquam calidam ſignificat) ut Joſephus teſtatur lib. 4. de bello Jud. cap. 1. Alter erat hic vicus 60 ſtadiis ab Hieroſolyma diſtans. In eo Titus poſt everſam Hieroſolymam 800 militibus Romanis, quos dimiſit, ſedem aſſignavit, partitus inter eos agros iſtius vici Joſephus, lib. 7. de bell. Jud. cap. 27. Poſtea locus hic vocatus eſt Nicopolis, poſtquam à Cæſare Marco Aurelio Heliogabalo reſtauratus eſt, ut ſcribit Hieronymus.

Verſ. 14. *Et colloquebantur inter ſe de iſtis omnibus, quæ evenerant.*] Hiſce nimirum diebus modo præteritis, de eo, quod Chriſtus paſſus ſit, quod crucifixus, nec non de eo, quod Petrus, Johannes & mulieres dixerant ſe apud monumentum vidiſſe.

Verſ. 15. *Et factum eſt, ut dum colloquerentur, & diſquirerent, ipſe Jeſus appropinquans iret una cum illis.*] Et diſquirerent Gr. συζητεῖν, id eſt, cum ultro citroque ea de re diſſererent, & modo hoc modo illud de ea ſtatuerent. Eodem ſenſu uſurpatur quoque hæc vox Marc. 1. 27.

Ipſe Jeſus appropinquans.] Perinde quaſi ipſorum preſſiſſet veſtigia, ipſoſque inſecutus fuiſſet: unde etiam ita eos alloquitur, quaſi partem ſermonis eorum ſublegiſſet ac ſubauſcultaſſet.

Iret una cum illis.] Libenter eum comitem itineris ſuſceperunt. Ex quo cernitur eorum humanitas & comitas: alioquin enim potuiſſent ei tanquam peregrino jubere, ut pergeret ire, quo tenderet, neque ſe in colloquium ipſorum importune ingereret.

Verſ. 16. *Oculi autem eorum retinebantur, ne ipſum agnoſcerent.*] Divina ſcilicet virtute retenti ſunt oculi eorum, ne ea accurate in Chriſto attenderent, è quibus eum alias cognoſcere potuiſſent. Non enim veriſimile eſt, eum formam ſui vultus & vocem immutaſſe. Cæterum eum in alio veſtitu apparuiſſe eis, ad Marc. 16. 12, annotavimus. Ideo autem Chriſtus voluit ab eis aliquantiſper ignorari, ut tanto liberius cum eis loqui, remque de qua inter ſe agitabant ſermones, fuſius explicare poſſet.

Verſ. 17. *Qui ſunt ſermones iſti, quos confertis inter vos ambulantes? & quid eſtis tetrico vultu?*] Quærit tanquam is, qui paulo remotius eos ſecutus, audiverit quidem eos inter ſe ſermocinantes, ſed non ſatis intellexerit, quæ fuerit colloquii materia. Ita agnoſcit ex vultibus eorum, quod de re triſti ipſis ſermo fuerit. Non idcirco autem quærit Chriſtus, quod neſciverit, de quo locuti ſint: quid enim illum fugeret, qui ſcrutari corda ac renes poterat? ſed tantum ſe neſcire ſimulavit. Unde perſpicitur, non omnem ſimulationem vel diſſimulationem eſſe vitioſam. Sic & David furorem ſimulavit 1 Sam. 21. verſ. 13. Sic Chriſtus interrogat Philippum, unde emendi eſſent panes, Johan. 6. 5. cum tamen optime ſciret, quid facturus eſſet. Vide hac de re plura inferius verſ. 27.

Verſ. 18. *Reſpondens autem unus, cui nomen Cleopas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es Hieroſolymæ, & non noſti quæ in ea facta ſint his diebus.*] Credibile eſt, hunc fuiſſe ætate grandiorem, ideoque in ſermone præviſſe. Aliqui ex Interpretibus ſentiunt; hunc Cleopam eſſe eundem illum, cujus mentio extat, Johan. 19. 25.

Peregrinus es Hieroſolymæ.] Græca vox παροικος peregrinus ſignificat uſitate in Scriptis Novi Teſtamenti hominem iſtiuſmodi, qui extra patriam ſuam habitat (vide Actor. 13. 17. 1 Petr. 1. 17. Hebr. 11. verſ. 9.) Hoc ergo ſibi vult Cleopas: Tune ſolus es, qui ita commoraris Hieroſolymis, quaſi extra tuam patriam eſſes conſtitutus, id eſt, quaſi Hieroſolymis non habitares, ut id ignores, quod alioqui neminem hominum Hieroſolymis exiſtentium latet? Hinc cernere eſt, mortem Chriſti non fuiſſe Hieroſolymis occultam, quippe cum & Chriſtus ipſe fuerit fama ubique celebris, & eum tum cauſa ob quam accuſatus eſt, tum accuſatio ipſa, & tandem tot miracula, quæ circa mortem ejus acciderunt, omnibus notiſſimum ac nominatiſſimum effecerint. Inde eſt, quod nec ipſi Judæi mortem Chriſti inficientur, etſi multa alia de Chriſto impudentiſſime negent. Videtur autem Cleopas peregrino iſti (id eſt, Chriſto) non ſolum hoc vitio vertere, quod neſciret ea, quæ Hieroſolymis geſta ſunt, ſed etiam, quod ignoraret, qua de re ſermones miſcuerint, & quæ eſſet cauſa ſuæ triſtitiæ. Nimirum Cleopas ex ſuo animo metitur & æſtimat hunc peregrinum, & ut ipſum hæc res afficiebat ac turbabat maxime, ita putat, etiam peregrinum iſtum debere eadem affici: judicans, rem eſſe tanti momenti & tam gravem, ut illa in unoquoque, qui ejus habet notitiam, debeat omnes alias cogitationes ac curas expellere, animumque ejus ſumma triſtitia replere. Vel Cleopas forte exiſtimavit, eum aliquid ex ſuis ſermonibus excepiſſe, miraturque adeo, eum non intellexiſſe illos, aut ea quæ non audivit, ex re paſſim nota non potuiſſe aſſequi ac divinare.

Verſ. 19. *Et dixit eis: Quæ? At illi dixerunt ei: Illa de Jeſu Nazareno, qui fuit Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo.*] Chriſtus quærit iterum: Quænam ſunt iſta, quæ mihi putatis non debuiſſe ignota eſſe? Adhuc Chriſtus fingit ſe nihil ſcire de rebus iſtis, ut eorum inſcitiam detegeret. Patitur ſe ab eis redargui, ut occaſionem haberet, ipſos meliori jure redarguendi.

At illi dixerunt.] Id eſt, unus ex eis dixit, vel alter poſt alterum: nam ſimul uterque loqui non potuerunt.

Qui fuit Propheta.] Antequam rem ipſam Hieroſolymis nuper geſtam exponant, deſcribunt prius Chriſti præſtantiam, ut tanto magis appareret, quanta injuria tanto viro facta ſit. Per Prophetam intelligunt non illum magnum Prophetam, quem prædixit Moſes Deut. 18. 18. ſed alium aliquem eximium Prophetam, quem Deus ad populum ſuum miſerit: (ut & illi è civitate Nain Luc. 7. 16. & cœcus à nativitate Joan. 9. 17. de eo judicarunt.) Quanquam ex eo quod deinceps verſ. 21 ajunt, apparet, eos etiam obſcuram quandam ſpem & opinionem de eo concepiſſe, quod ille ſit Meſſias, qui populum redemturus eſſet.

Potens in opere & ſermone.] His verbis indicant, ſe eum non pro vulgari Propheta habere, ſed pro tali, qui doctrina & miraculis omnes alios Prophetas vicerit. Iiſdem verbis etiam Stephanus Moſen laudavit Actor. 7. 22. Non diſſimili modo Nicodemus de Chriſto judicavit, Johan. 3. 2. Vide quoque Matth. 7. 28, 29. Johan. 9. 32. xv. 24.

Coram Deo & omni populo.] Id eſt, cui Deus & omnis populus teſtimonium præbuit. Deſumtaque eſt hæc locutio inde, quod de iis rebus ſoleat teſtimonium perhiberi, quæ ante oculos verſantur. Deus dedit ei teſtimonium divina illa inſigni virtute, quæ in eo ſe exeruit: Ideo Petrus eum vocat *virum, à Deo approbatum virtutibus, & prodigiis, & ſignis*, Actor. 2. 22. Homines autem, dum ejus doctrinæ fidem adhibuerunt.

Verſ. 20. *Quomodo eum tradiderunt Principes Sacerdotum & primores noſtri, ut morte damnaretur, & crucifixerunt eum.*] Quaſi dicat: Quam nefarie ac ſcelerate cum viro tam inſigni & excellenti egerint. Loquuntur autem de Synedrio, quod tam injuſtam mortis ſententiam Pilato extorſit. Vide Matth. 20. verſ. 19. xxvi. 2.

Et crucifixerunt eum.] Id eſt, effecerunt, & eo rem perduxerunt, ut crucifigeretur. Eſt generalis regula Juris: Quod quis per alium facit, tantundem eſt, atque ſi id per ſe faciat.

Verſ. 21. *Nos autem ſperabamus, illum eſſe qui redemturus eſſet Iſraëlem: ſed ſuper hæc omnia tertius hic dies agitur, ex quo hæc facta ſunt.*] Dum ajunt ſperaſſe ſe, illum eſſe qui redempturus eſſet Iſraëlem, innuunt ſe, eum quodammodo pro Meſſia habuiſſe. Eſt enim hæc deſcriptio Meſſiæ, de quo credebant Judæi, eum carnalibus armis ac potentia vindicaturum

rum gentem ſuam è ſervitute Romanorum. Hæc autem ſpes in diſcipulis iſtis non tam altas egerat radices, ut in Petro Matth. 16. 16. Neque eſt mirum ſpem iſtam eos fefelliſſe, cum Meſſias non carnalem, ſed ſpiritualem redemtionem populo afferre debuerit: verum hanc rem haud intellexerunt, æque ac Apoſtoli, qui etiam poſt reſurrectionem Chriſti terrenum regnum ſomniabant: ut legere eſt Actor. 1.6. Utuntur autem hic verbo λυτροῦν, quo proprie ſignificat pretio vel pecunia aliquem redimere, etſi de plenaria ſolutione pro peccatis noſtris & ſatisfactione Chriſti, qualis hodie ex hoc verbo adſtruitur, ne per ſomnium quidem cogitarint. Vide quæ diximus de hoc verbo alibi, nempe Matth. 20. 28.

Sed ſuper hæc omnia tertius hic dies agitur.] Id eſt: Præ omnibus aliis rebus, quæ nos perplexos reddunt & ancipites, an aliquid ſperandum ſit de ejus reſurrectione, maxime nos ſolicitos habet, quod jam tertius agatur dies, ex quo hæc facta ſunt; intra quod tempus debuiſſet de eo jam aliquid conſtare, ſed nihil adhuc habetur certi. Forſitan reſpiciunt ad illam promiſſionem Chriſti, qua ſe reſurrecturum pollicitus eſt, Matth. 16. 21. xx. 19.

Verſ. 22. *Cæterum & mulieres quædam ex nobis perculerunt nos, quæ diluculo venerunt ad monumentum.*] Id eſt, fecerunt, ut inter metum & ſpem ambigui pendeamus. Intelligunt autem Mariam Magdalenam & Mariam matrem Jacobi, Marc. 16. 1.

Ex nobis.] E noſtro conſortio, & turba diſcipulorum ejus.

Verſ. 23. *Et non invento ejus corpore venerunt, dicentes: ſe etiam apparitionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere.*] Duo indicia exprimunt, è quibus conjici poſſit, Chriſtum reſurrexiſſe. Primo quod corpus non fuerit inventum à mulieribus: ſecundo, quod Angeli teſtati ſint, eum vivere. Nihilominus tamen acquieſcere non poteſt eorum animus, & plenam rei fidem adjungere.

Verſ. 24. *Et abierunt quidam eorum, qui erant nobiſcum, ad monumentum, & ita invenerunt, prout mulieres dixerant, ipſum vero non viderunt.*] Quidam iſti ſunt Petrus & Johannes, Johan. 20. 3.

Et ita invenerunt, prout mulieres dixerant.] Narratio iſta diſcipulorum & affirmatio mulierum poterat eos quidem in ſpe concepta confirmare: ſed hoc rurſus eorum ſpem labefactabat, quod ipſum non viderunt. Nolebant ullis argumentis credere, donec venirent teſtes, qui dicerent, ſe eum oculis ſuis vidiſſe.

Verſ. 25. *Et ipſe dixit eis: O amentes & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ.*] Chriſtus patienter & æquis auribus tulit eorum incongruos ſermones; exemplum præbens nobis, quomodo erga eos gerere nos debeamus, quibus errores eximere volumus.

O amentes & tardi corde ad credendum.] Sic Paulus etiam alloquitur Galatas, cap. 3. 1. Unde liquet, mandatum Chriſti Matth. 5. 22. non in omnibus rebus ac ſemper, ſed tum demum locum habere, quando abſque legitima cauſa, & ex animo odii pleno vindictamque ſpirante talia verba adverſus proximum adhibentur. Aliquando vero requirit auditorum utilitas, ut acrioribus paulo ſtimulis è veterno quaſi excitentur.

Tardi corde.] Sic vocantur ii, qui ægre ac difficulter res percipiunt.

Ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ.] Ad credendum ea, quæ Prophetæ de gloria Meſſiæ prænunciarant, non erant tardi corde; ea enim erant jucunda & grata auribus. Sed *omnia* credere, id eſt, etiam ea, quæ de Paſſione ac morte ejus prædixerant, hoc erat, ad quod animo tardi ac minus apti erant. Non eſt in noſtro poſitum arbitrio, ut è Sacris Literis ſeligamus ea quæ nobis placent, iiſque fidem adjungamus: omnia credere neceſſe eſt.

Quæ locuti ſunt Prophetæ.] Potuiſſet eis Chriſtus objicere, quod mulieribus non crediderint, quin nec ſibi, qui eis mortem ſuam prædixerat, & ex morte reſurrectionem: ſed voluit eos magis ſtringere, & Prophetas teſtes producit quorum auctoritatem ipſi, ut pote Judæi, rejicere non poterant.

Verſ. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam?*] Putabant illi, non decere, ut Chriſtus Rex & Redemtor populi talia pateretur atque morte tam crudeli tolleretur; ideo morte ejus offenſi ſunt. At Chriſtus oſtendit, eos ex morte ſua potius argumentum ſumere debere, quod ſit Meſſias, quandoquidem id quoque cum prædictionibus Prophetarum conveniat. Oportuit Chriſtum pati, non ex inevitabili prorſus neceſſitate, ſed propter ſapientiſſimum Dei conſilium, qui voluit, ut is, qui Princeps ac Dux fidelium conſtitutus eſt, etiam hac in parte eis ſimilis fieret, qui eadem via afflictionis ac mortis ingredi in regnum Dei debent, Actor. cap. 14. 22. Vide Hebr. 2. 10, 14.

Verſ. 27. *Et exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.*] In his erant tum vaticinia, tum figuræ ac typi. Optandum fuiſſet, ut hanc inſignem Chriſti Concionem Euangeliſtæ ſcriptis mandaſſent, nobiſque reliquiſſent: non exiguam enim illa nobis lucem dediſſet in multis, quæ vel plane ignoramus, vel levi tantum conjectura aſſequimur. Allegant quidem Apoſtoli tum in Actis, tum in Epiſtolis ſuis varia teſtimonia Veteris Teſtamenti: ſed dubium minime eſt, longe plura talia extare, quæ nos latent. Cæterum de morte Chriſti præclara ſunt vaticinia, Pſalm. 22. Eſai. 53. Dan. 9. 26. de morte ejus & exaltatione ſimul Pſalm. 2. de ipſius reſurrectione, Pſalm. 16. de exaltatione ejus Pſal. 110. & alia plura. Figuras quod attinet, huc inprimis ſpectat æneus ſerpens Num. 21. 9. confer cum Johan. 3. 14. & hiſtoria Jonæ Prophetæ Matth. 12. 40. Quis etiam dubitet, omnia ſacrificia Veteris Fœderis, ac potiſſimum illud ſolenne & anniverſarium Expiationis ſacrificium, ad Chriſtum, tanquam figuras ac typos, reſpexiſſe? Omnia adverſa & calamitates Davidis, nec non Salomonis gloria nihil niſi typi fuerunt Chriſti tum Paſſionis tum cœleſtis gloriæ. Sacrificio ſeu oblatione Iſaaci, crediderunt quoque veteres Judæi magnum contineri myſterium. Imo & hodie Judæi in more habent, Deum per oblationem Iſaaci orare, ut ipſis ſit propitius. Ajunt Iſaacum ipſum ligna ad ſe ſacrificandum tuliſſe, & quaſi à morte

esse reductum. Certum quoque est, priscis temporibus multo plura loca Veteris Testamenti à Judæis ad Messiam fuisse accommodata, quæ illi hodie Christianæ Religionis odio in dubium vocant.

Vers. 28. *Et appropinquarunt vico, in quem proficiscebantur, & ipse simulabat se longius ire.*] Videtur Christi sermo eo usque fuisse productus ac continuatus, adeoque satis longus & prolixus fuisse. Interea, ut ipsimet infra vers. 32, fatentur, semisopitus fidei eorum ignis incipit in novam flammam exardescere.

Et ipse simulabat se longius ire.] Quod Christus hic ita se gesserit, quasi vellet ire ulterius, cum tamen (ut quidam censent) id serio & ex animo non voluerit; hoc trahunt nonnulli ad probandum, quod non omne mendacium & falsitas sit peccatum. Sed ne hoc exemplum Christi latius extendatur, quam oportet, neve alicui sit occasio pernicioſi erroris, operæpretium est, ut res ista paulo pressius excutiatur, & explicetur, quousque simulatio ac dissimulatio tam in factis, quam in verbis sit licita. Simulare est, cum quis factis, gestibus, vel dictis præ se fert aliquid, quod reipsa non ita se habet, aut quod quis non habet in animo. Dissimulare autem est, cum quis verbis vel operibus aliquid negat, vel non esse præ se fert, cum tamen revera sit; vel cum quis dat operam, ut sive verbis sive factis alicui persuadeat, se nescire, non cogitare, aut non facere id, quod tamen scit, cogitat ac facit. Jam hoc in genere pro fundamento sternendum est, omnem simulationem ac dissimulationem, sive ea in verbis sive in factis consistat, illicitam esse, si ad finem per se vitiosum adhibeatur, vel aliquid mali ex ea consequatur: veluti si adhibeatur cum detrimento gloriæ Dei ac Christi, vel ad nocendum proximo, vel cum ejus offendiculo, vel cum impedimento ejusdem commodorum tam corporalium quam spiritualium, quæ nostri officii est promovere potius; vel si nihil nisi vanæ gloriæ studio instituatur; vel etiam si per eam carnalis nostra utilitas solicite quæratur, quam etiam absque simulatione Christianum non est adeo anxie sectari. Præterea etsi neque gloriæ divinæ, neque proximo nostro per eam quicquam detrahatur; si tamen ea etiam neque ad gloriam Dei promovendam, neque ad proximi, neque nostram utilitatem quicquam faciat, sed tantum ex mera fiat consuetudine: non est quidem id grande peccatum ac nefas, sed tamen dedecet hominem Christianum, quia adversatur virtuti præstantissimæ, sinceritati puta & veracitati, quæ in omnibus nostris dictis, factis ac gestibus elucere, & quasi è fronte cujusque Christiani hominis emicare debet; & quia famæ atque existimationi nostræ bonæ apud eos, qui id animadvertunt, obesse potest. Extra hos igitur casus simulationem ac dissimulationem Christianis esse permissam, si nimirum bono & laudabili fine adhibeatur, dubitandum non est. Tam enim facta, quam verba, quæ per se ac natura sua turpia non sunt, vel quæ divinis aut humanis legibus non sunt interdicta, in hominis posita sunt potestate, ut iis pro suo uti queat arbitrio: ita ut quamvis vulgo aliam significationem habeant, is tamen ea alio significatu adhibere possit, quando id redundare potest in gloriam Dei, vel ad avertendum à se, vel à proximo grave periculum aut damnum, vel ad promovendum licitum alioqui commodum, imprimis autem bonum aliquod spirituale. Ita in exemplo fuga est vulgo signum timiditatis: at per se nemini vetitum est, absque timiditate fugere. Circumcisio erat communiter signum, quo quis se obstringit Judaicæ religioni; Paulus tamen alio sensu ea usus est, cum Timotheum circumcidi curavit, Actor. 16. 3. Ita quod Christus hic aliquot passus progressus est ulterius, & corpus suum ad abeundum inflexit, vel etiam verbis discipulis valedixit, etsi id fuerit signum discedendi: tamen ejusmodi gestus abiturientis Christo assumere licitum fuit, quia id non tantum non est opus tale, quod sit ulla lege prohibitum, sed Christus in eo scopum ejusmodi habebat sibi propositum, qui cum utilitate horum duorum discipulorum erat conjunctus: ut deinceps explicabitur. Contra quod etiam illicitum non sit, aliquando dissimulare, vel aliud ostentare factis externis, aliud vero in animo gerere, liquet ex verbis Pauli Rom. 14. 22. *Tu fidem habes, habe eam apud temetipsum coram Deo.* Hoc enim sibi vult, eum qui credit, omnibus cibis promiscue vesci licere, debere hanc scientiam sibi servare soli, neque ea uti cum infirmiorum fratrum offendiculo: satis esse, quod id Deus videat. Quod nihil aliud est, quam si dicat Apostolus, eum debere abstinendo ab idolothytis, dissimulare, quod credat ac sciat licere iis vesci, contra vero simulare, quasi conscientiosum sibi ducat iis vesci. Huc pertinet quoque, quod de abstinentia ab idolothytis idem Apostolus scribit 1 Cor. 10. 28. & de seipso, quod factus sit omnibus omnia, Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaceret &c. 1 Cor. 9. 20, 21, 22. Ex dictis perspicuum est Christiano integrum esse, in ejusmodi casibus, qui nihil, quod per se peccatum sit (ut antea diximus) post se trahant, ambignitate verborum uti, id est, sic loqui, ut qui audit verba, ea alio sensu accipere possit, quam accipiuntur ab eo, à quo proferuntur. Exempli gratia, narratur de quodam, quod cum homo innocens fugiens, à persecutoribus ad necem quæreretur, & ipse ab eis interrogaretur, annon ille in hanc domum, (quam digito monstrabant) confugisset, responderit: *Non confugit huc*; & interim manum suam inseruit manicæ. Persecutores verba ejus sic intellexerunt, quod non confugerit in domum, ipse vero intellexit, quod non confugerit in manicam.

Hic vero gravis incidit quæstio: An scilicet nulla ratione licitum sit, etiam ad suam vel innocentis proximi sui vitam conservandam, aut ad aliud grave periculum aut damnum averruncandum, si aliud medium nullum suppetat, aperto uti falsiloquio? Ad hujus quæstionis solutionem tenendum est, excusabilius esse in aliena causa, quam in sua propria aliquid falsi dicere: quia avertere malum à proximo, est opus charitatis, cujus comparatione, quicquid in falsiloquio vitii ac inhonestatis inesse potest, facile evanescit. Attamen si quis malit potius viram amittere, quam falsum loqui, etsi falsimonia illa neque cum gloriæ Dei, neque cum proximi præjudicio esset

eſſet conjuncta, is quidem non peccaret, ſed non eſſet hoc rationalis pietatis opus. Cæterum ſuum vel proximi ſui emolumentum mendacio promovere, omnino interdictum eſt. Nulla enim ratione licet facere malum, ut eveniat bonum, præſertim in rebus temporalibus, quæ ad ſpiritualem ædificationem non ſpectant.

Reſtat adhuc explicandum, cur Chriſtus ſimularit, ſe velle ire ulterius? Primum dici poteſt, eum conſueta civilitate uſum, ne videretur in forma ignoti hominis apparuiſſe, & ſeipſum hoſpitem illis obtruderet: deinde cum voluiſſet experiri, quid ſermo ſuus apud illos effecerit, an etiam deſiderent, ſe diutius de tantis rebus diſſerentem audire. Sine dubio enim ita ſermonem ſuum temperavit, ut illi facile animadvertere poſſent, non materiam, ſed tempus plura dicendi ſibi deeſſe, & cum ad locum deſtinatum jam pervenerint, rem ipſam cogere, ut ſermonis telam etiam invitus abrumperet.

Verſ. 29. *Et coëgerunt eum dicentes: Mane nobiſcum; quoniam adveſperaſcit, & inclinavit dies. Et ingreſſus eſt, ut maneret cum eis.*] Coëgerunt eum, non vi carnali adhibita, ſed multis precibus & obteſtationibus; ut & Lydia Actor. 16. 15. nec non rationibus ac perſuaſionibus. Vide dicta de verbo *Cogendi*, ſupra cap. 14. 23.

Quoniam adveſperaſcit.] Hic afferunt rationem ſuæ petitionis. Quaſi dicant: Quorſum vis abire? Jam dies deficit. Fortaſſis locus, quo tendis, adhuc eſt valde remotus, & grave eſt in obſcura nocte quærere hoſpitium. Hos diſcipulos debent omnes pii imitari, & dicere Chriſto: Mane nobiſcum, Domine, quia mundi veſpera jam venit, ne nos denſa caligo tenebrarum circumfundat. Ubi autem eſt Dominus ibi eſt lux, quia ipſe mera lux eſt.

Et inclinavit dies.] Verbis iſtis non iteratur, quod præceſſit, ſed explicatur. Cum enim veſpera apud Judæos circa nonam horam Judaici horologii cæperit, hoc ſibi volunt, adeo ſeram jam eſſe veſperam, ut dies inclinarit, id eſt, ut ſol jam fere occumberet.

Verſ. 30. *Et factum eſt, cum diſcubuiſſet cum eis, ſumpto pane benedixit, & frangens porrigebat eis.*] Hoc erat contra morem hoſpitum invitatorum. Patrisfamilias enim vel convivatoris erat id facere, non convivarum. Itaque hoc ipſo facto indicat Chriſtus ſe Patremfamilias ac Dominum ipſorum eſſe: quæ res etiam illis primum dedit anſam ſuſpicandi, eum eſſe Jeſum, Magiſtrum ſuum, qui inter diſcipulos ſuos ſolebat Patrisfamilias munus ac locum obire. Benedicere autem hoc loco nihil aliud ſignificat, quam Deo gratias agere. Hæc enim erat formula precandi: *Benedictus eſto Domine Deus noſter, ô Rex mundi univerſi, qui panem è terra produxiſti.* Qua precatione abſoluta frangebat panem idem Paterfamilias, & dividebat ſingulis, antequam ullum cibum caperent. Hic erat communis & ab omnibus paſſim receptus mos apud Judæos. Quod Pontificii ex hoc loco conantur exſculpere, Chriſtum laicis Sacram Cœnam nonniſi ſub una ſpecie adminiſtraſſe, quia dicitur, eum benedixiſſe panem: id tam eſt abſurdum, quam ſi quis dicere vellet, Chriſtum etiam tunc Cœnam Sacram celebraſſe, vel inſtituiſſe, cum quinque panibus ac duobus piſciculis hominum pavit quinque millia; quia ibidem ſcriptum eſt, Chriſtum ſumpto pane & duobus piſcibus, benedixiſſe ac fregiſſe, Matth. 14. 19. Deinde qui ſciunt Pontificii, in Cœna illa Emmauntica nullum adhibitum fuiſſe vinum? Frequenter legimus in Scripturis mentionem eſus fieri, ubi nulla additur de potu mentio: ut Geneſ. 18. 5. xix. 3. xxxi. 54. an ergo dicendum, neminem tunc bibiſſe? Quanquam hic etiam iſta poterat eſſe cauſa, cur potus mentio non fiat, quia Dominus illico in fractione panis (quæ ut probabile eſt, ſtatim initio Cœnæ facta eſt) agnitus ſit. Poſtea ſine dubio etiam vinum benedixiſſet, id eſt, ſolita gratiarum actione id conſecraſſet, ſi diutius cum ipſis Dominus permanſiſſet. Porro unde norunt Pontificii, Cleopam & ſocium ejus fuiſſe laicos? Si enim è numero 70 diſcipulorum fuerunt, ut non pauci ſtatuunt, ſequetur eos etiam Euangelium prædicaſſe, adeoque eos ſpiritualibus magis quam laicis accenſendos eſſe. Denique ſi Dominus inſtituit pro laicis Cœnam ſuam ſub una tantum ſpecie, tum nunquam licuit Cœnam ſub utraque celebrare ſpecie. Atqui tamen fatentur ipſi Pontificii, antiquitus datam fuiſſe Euchariſtiam ſub utraque ſpecie etiam laicis; imo ex hiſtoria Eccleſiaſtica notum eſt, demum Anno Chriſti 1215. in Lateranenſi Concilio calicem laicis eſſe ademtum. Hæc olim fuerat Manichæorum doctrina, quod nonniſi ſub una ſpecie communicare debeant laici, cui Gelaſius Papa acriter contradixit ac reſtitit, dicens; iſtam divulſionem & ſubtractionem calicis non ſine grandi ſacrilegio fieri poſſe.

Verſ. 31. *Adaperti ſunt autem oculi eorum, & agnoverunt eum: & ipſe inconſpicuus factus eſt coram illis.*] Aperti ſunt oculi eorum, vel per fractionem panis, quem ſolitus fuerit Chriſtus ſingulari quadam ratione frangere, ut inde ipſum cognoſcere potuerint: vel quod conviva cum eſſet, (ut ante dictum) munus benedicendi in ſe ſuſcepiſſet, atque ſic ſe eſſe Patremfamilias ac dominum ipſorum manifeſtaſſet: vel denique per miraculum, quo velum oculis eorum oppanſum (ut ex verſ. 16. intelligitur) remotum eſt, ut cum poſſent agnoſcere. Confer 2 Reg. 6. 17, 18.

Et agnoverunt eum.] Nimirum ex facie, quam attentius ac curioſius contemplati ſunt, quam antea.

Et ipſe inconſpicuus factus eſt coram illis.] Non evanuit ex oculis eorum, velut Spiritus. Habebat enim verum corpus ex carne & oſſibus conſtans, ut infra verſ. 39 ipſe oſtendit. Sed vel improviſo ſemet ſubduxit ab eis, cum illi præ gaudio non adverterent; vel nebula aliqua rectus ab iis conſpici deſiit. Confer ſupra cap. 4. 30. Johan. 8. 59. Cauſa autem, cur ab eorum oculis ſe ſubduxerit, hæc eſſe potuit, quod cum interpretatione Scripturæ primum, deinde etiam manifeſtatione ſui ipſius, id, quod quæſierat, jam eſſet aſſecutus, ut nimirum crederent, ſe reſurrexiſſe à mortuis; præſentia ſua ipſis jam minus fuerit neceſſaria: vel etiam, quod voluerit eis ſpatium concedere, adhuc illa veſpera revertendi Hieroſolymam: quin & ipſe voluerit eo ſe conferre, ad diſcipulos ſuos mæſtos conſolandum.

Verſ. 32. *Et dixerunt alter ad alterum: Nonne cor noſtrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & dum aperiret nobis Scripturas?*] Quaſi dicant: Si ſenſibus noſtris recte fuiſſemus uſi, adhuc eum in itinere agnoſcere potuiſſemus, videlicet ex divino ac ſingulari modo docendi, ex tam accurata & ſumme ſapienti interpretatione tot locorum Sacræ Scripturæ, ex melle dulciori, elocutione, & ſuaviſſimis geſtibus, quibus ſermoni ſuo quaſi vim & animam inſpirabat. Omnia iſta ignis inſtar fuerunt, qui flammam novæ ſpei in eis excitavit. Similis fuit efficacia Concionis Petri Actor. 2. 37. & Pauli Actor. 26. verſ. 27, 28.

Verſ. 33. *Et ſurgentes eadem hora, regreſſi ſunt Hieroſolymam, & invenerunt congregatos illos undecim, & eos qui cum ipſis erant.*] Eadem hora, id eſt, ſtatim, ſine mora.

Regreſſi ſunt Hieroſolymam.] Lætitia garrula res eſt, ut ait ille. Ita iſti quoque lætitiam intra pectoris ſui conſcientiam continere non poterant, ſed cum ſcirent, quanto in mœrore reliqui diſcipuli Hieroſolymis contabeſcerent, voluerunt eos abſque omni cunctatione hoc lætiſſimo nuncio recreare atque erigere: Probabile autem eſt, domum in qua diſcipuli tunc congregati erant fuiſſe ſitam in ſuburbio Hieroſolymitano, uti hominum tenuiorum domicilia ac diverſoria eſſe ſolent. Urbs enim, ipſis redeuntibus, jam fuit forſan clauſa. Securitati etiam eorum conſultius erat, ut extra civitatis mœnia commorarentur, quo facilius, ſi neceſſitas ingrueret, ſemet in fugam dare poſſent.

Et invenerunt congregatos illos undecim.] Ita appellatur chorus Apoſtolorum, poſtquam eorum è numero excidit Judas: quemadmodum antea *duodecim*, vocati fuerunt, Matth. 10. 1. Marc. 6. 7. Luc. 9. 1. Vocantur autem nihilominus undecim, etſi Thomas undecimus tunc abeſſet, ut ex Johan. cap. 20. 24. conſtat. Cauſa congregationis eorum, erat metus Judæorum, Johan. 20. 19.

Et eos qui cum ipſis erant.] In his proculdubio fuit Maria Mater Domini, aliæque piæ fœminæ, ut & fratres Domini: de quibus Actor. 1. 14, legimus, eos perduraſſe concorditer in precibus & ſupplicationibus.

Verſ. 34. *Dicentes: Surrexit Dominus vere, & conſpectus eſt Simoni.*] Diſcipuli qui erant Hieroſolymis, præveniunt illos qui Emmaunte venerant, in narratione rei lætiſſimæ.

Surrexit Dominus vere.] Gr. ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως, *ſuſcitatus eſt Dominus eſſentialiter.* Nam eſſentialiter opponitur ei, quod tantum eſt apparenter. Ita ſupra Cap. 23. 47. *Vere* (Gr. ὄντως) *hic homo juſtus erat.* Ita etiam Paulus ſcribit ad Corinthios, Deum vere, ὄντως inter eos eſſe, 1 Cor. 14. 24. Adde locum 1 Tim. 5. 5.

Et conſpectus eſt Simoni.] Teſtis iſte plus fidei & auctoritatis habuit, quam mulieres: quanquam & in eo differentia fuit, quod Simon Chriſtum ipſum viderit, mulieres autem initio tantum audita referrent. Mirum eſt, iſtos Hieroſolymis congregatos diſcipulos duobus illis Emmaunticis reſurrectionem Chriſti annunciaſſe, cum Marcus cap. 16. 13, teſtetur, eos ne his quidem duobus credidiſſe, cum ipſis viſa & audita à ſe exponerent. Imo non multo poſt etiam ſuis propriis oculis non crediderunt, cum Chriſtus comparuiſſet in medio illorum, ut infra 41, narratur. Sed habemus plura talia exempla, quod de omnibus dicatur, id quod unus duntaxat aut nonnulli fecerunt. Confer Matth. 26. 8. cum Johan. 12. 4. Itaque cum Apoſtolorum aliqui citius, aliqui tardius crediderint, tam hoc quam illud de iis in genere dicitur. Quod autem ſ. 41. infra narratur, eos nondum credidiſſe, id non de reſurrectione Chriſti, ſed de præſenti illa apparitione intelligendum eſt. Nempe credebant illi quidem, Chriſtum reſurrexiſſe, ſed an is ipſe eſſet, quem videbant, & non ſpectrum aliquod, dubitabant.

Verſ. 35. *Et ipſi expoſuerunt eis, quæ geſta erant in via, & quomodo agnitus ſit ab eis in fractione panis.*] Non citius. Ita accuſant ipſi mentis ſuæ ſtuporem ac hebetudinem.

PARS III.

Verſ. 36. *Hæc autem ipſis loquentibus, ſtetit Jeſus ipſe in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.*] Illo ipſo tempore, quo adhuc loquebantur Emmauntici diſcipuli, vixdum finierant narrationem ſuam de facta ſibi in itinere Chriſti apparitione, omnibus ſe conſpiciendum præbet Chriſtus.

Stetit Jeſus ipſe in medio eorum.] Subito ac inſperate. Johannes addit hanc circumſtantiam, quod oſtium metu Judæorum tum fuerit clauſum, cum Chriſtus introiret, cap. 20. 21. Vide hac de re ibidem.

Pax vobiſcum.] Id eſt, ſalvete: locutione ac conſuetudine Hebraica. Vide Jud. 6. 23. Luc. 10. verſ. 5.

Verſ. 37. *Conturbati vero & expavefacti, exiſtimabant, ſe ſpiritum videre.*] Quod talis cogitatio eis oborta ſit, in cauſa fuit partim improviſa ac repentina Chriſti apparitio, quem quomodo ad eos ingreſſus fuerit, non adverterant; partim quorundam infirma adhuc ac nutans fides. Nam ut Marcus cap. 16. 13, auctor eſt, non omnes etiam ducbus illis diſcipulis Emmaunticis crediderunt. Non exiſtimabant autem, ſe bonum Spiritum ſeu Angelum videre, ſed dæmonem ſeu ſpectrum quoddam. Solent enim mali genii in forma defunctorum hominum interdum apparere. Ita credunt plerique Hebræorum, Samuëlem illum Prophetam, quem pythoniſſa in conſpectum Saulis, ipſo jubente, produxit, nihil aliud fuiſſe, quam ſpectrum; quod Dei mandato coactum ſit ea dicere Sauli, quæ in illa hiſtoria referuntur, 1 Sam. 28. 16. & ſeqq.

Verſ. 38. *Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & quare cogitationes ejuſmodi ſubeunt corda veſtra?*] Quod nimirum me putetis eſſe ſpectrum.

Verſ. 39. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Contrectate me, & videte. Nam Spiritus*

ritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.] Christus triplici argumento conatur falsam de se opinionem iis eximere. Primum vult, ut se quam exactissime contemplentur: deinde, ut se contrectent: tertio ipsis spectantibus cibum sumit. Hinc patet, testimonium sensuum, quando nimirum res aliqua oculis cernitur, auribus auditur, manibus contrectatur, ore gustatur, sufficiens esse ad rei alicujus veritatem probandam. Quod adversus Pontificios notandum est, qui circa panem benedictum in Cœna Domini etiam hoc testimonium sensuum respuunt, hominibusque persuadere laborant, panem non amplius esse panem, sed corpus Christi; cum tamen omnes panis proprietates ipsis quoque sensibus deprehendi possint.

Nam Spiritus carnem & ossa non habet.] Hic quæstio enodanda est: Quomodo Christus potuerit probare discipulis, se non esse Spiritum, quoniam carnem & ossa in se contrectando sentiant ac percipiant? Etsi enim certum sit, quod nec boni nec mali genii natura sua carnem atque ossa habeant, sed invisibiles, subtiles, & intangibiles creaturæ sint; solent tamen nonnunquam in humana specie apparere, ita ut tangi atque palpari se patiantur, edantque ac bibant. Vide de bonis Angelis inter alia, Genes. 18. 4, 5. XIX. 10, 16. Quæstionem hanc eruditi quidam viri ita solvunt, quod Christus hoc loco non loquatur de bonis spiritibus: hi enim quando virorum specie apparent, assumunt verum corpus humanum, quod Deo, qui ipsos mittit, facile est producere. At Christo non erat opus probare, se non esse bonum Angelum; quia probe norant discipuli ipsius, bonum Angelum haud mentiturum, nec falso, se Christum esse, dicturum: itaque non potuerunt discipuli aliter existimare, quam spectrum seu dæmonem humana forma indutum se videre. Statuunt autem eruditi illi, malos Spiritus licet interdum humana specie conspiciantur, non habere verum, & palpabile, sed imaginarium tantum corpus, ita ut, si quis audeat Spiritum talem contrectare, vel nihil, vel aliud quippiam, quam corpus ac carnem, deprehendat. Dantur exempla, quod aliqui ictum inflixerint talibus spectris, quando propius se ipsis admoverunt; sed hoc perinde fuit, atque si molli alicui pulvino ictum dedissent.

Sicut me videtis habere.] Græcum verbum θεωρεῖτε, spectare, non solum de oculis, sed etiam de aliis sensibus usurpatur, Johan. 2. 23. Actor. 4. 13.

Vers. 40. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus ac pedes.*] Porrexit eis, ut tangerent & palparent: ut ex Johan. 20. 27, liquet. Vide & 1 Johan. 1. vers. 1.

Vers. 41. *Adhuc autem ipsis non credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis. Habetis hic aliquid esculentum?*] Id est, cum nondum plena ac firma fide crederent, sed fluctuarent ac titubarent adhuc in animis suis. Nam eos aliquid fidei habuisse, arguit ipsorum lætitia & admiratio. Ita etiam incredulitas pro imperfecta fide accipitur, Matth. 17. vers. 20.

Præ gaudio.] Major erat lætitia, quam ut eam animo suo capere possent; ideo rationem non adhibent ad rem expendendam, & veritatem exactius investigandam. Contingit sæpissime, ut ea minimum credamus, quæ maxime optamus. Ita Jacobus credere noluit, Josephum filium suum vivere, Genes. 45. 26. Ita ajunt captivi Sionis, se tunc cum Dominus ipsos reduceret, fuisse factos *sicut qui somniant*, id est, se non perfecte credidisse, Psalm. 126. 1.

Habetis hic aliquid esculentum?] Hoc est tertium argumentum, quo Christus discipulos suos de veritate suæ resurrectionis certiores reddit: quod quidem solum per se non fuisset sufficiens ad id probandum; cum non solum de bonis Angelis legamus, eos cibum ac potum cepisse Genes. 18. ℣. 8. (quanquam non vere ederint, ut homines, quia corpora eorum assumta nullo cibo ac refectione indigebant) verum etiam maligni Spiritus possint cibos imaginario corpori suo ingerere, atque ita se gerere, quasi vere edant. Sed cum præcesserint alia argumenta, nimirum testimonium non solum aliorum qui ipsum viderunt, sed & propriorum oculorum; hoc accedens argumentum, non leve pondus prioribus addit. Hinc etiam Petrus hoc argumento utitur, quod ipse & alii Apostoli cum ipso ederint ac biberint post ipsius resurrectionem, Actor. 10. vers. 41.

Vers. 42. *Illi autem dederunt ei partem piscis assi, & favum mellis.*] Reliquias cœnæ suæ dederunt, ei, quales tunc in promptu fuerunt. Itaque hic nullum mysterium singulare quærendum est.

Vers. 43. *Et accipiens coram eis edit.*] Non ut famem sedaret, sed tantum ut veritatem resurrectionis suæ demonstraret. Omnino enim credendum est, Christi corpus post resurrectionem neque cibo, neque potu, neque ulla refectione indiguisse.

In Veteri Latina & Arabica versione extant adhuc hæc verba addita: *Et sumens quod reliquum fuit, dedit eis.*

Vers. 44. *Dixit autem eis: Hi sunt sermones, quos locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quod oporteat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.*] Hic usque ad ℣. 50. Lucas quasi in compendium redegit omnia, quæ Christus post suam resurrectionem per 40 dies cum discipulis suis locutus est. Quæ quia omnia unius ejusdemque argumenti fuerunt, ideo ea nec Marcus, nec Lucas, neque hic neque in Actis Apostolicis perfecte & exacte perscripserunt, Actor. 1. 3.

Hi sunt sermones.] Hoc vult dicere: Quod mihi vobis antea prædicenti credere noluistis, vel non recte intellexistis, id jam ipsi experimini, & vestris oculis cernitis. Vide Matth. 16. 21. XVII. 23. XX. 19. Marc. 9. 31. X. 34. Luc. 9. 44. XVIII. 33. XXIV. 7.

Cum adhuc essem vobiscum.] Ita loquitur Christus de tempore illo, quo ante mortem suam perpetuo cum discipulis suis conversatus est. Nunc post resurrectionem suam non amplius ad hunc modum cum ipsis erat. Tantum enim ad breve tempus ipsis apparebat, quo eis resurrectionis suæ fidem faceret, & novissimis eos mandatis atque monitis instrueret.

Quod

Quod oporteat impleri.] Verbum *oportet* reſpicit ad ſapientiſſimum Dei conſilium, qui rem ita decreverat, ut mutari non poſſet.

In Lege Moſis.] Per hanc intelligit quinque libros Moſis.

Et Pſalmis.] Interdum totum Vetus Teſtamentum dividitur in Legem & Prophetas; ut Matth. cap. 5. 17. VII. 12. XXII. 40. interdum vero Pſalmi à Prophetis diſtinguuntur, ut hoc loco: nimirum juxta conſuetudinem Hebræorum, qui univerſum Vetus Inſtrumentum partiuntur in tres partes: In Legem, id eſt, Pentateuchum; in Prophetas; & in hagiographa, ſeu Sacra Scripta, quo nomine omnes reliquos libros Veteris Teſtamenti, & Pſalmos quoque Davidicos complectuntur.

Verſ. 45. *Tunc aperuit ipſorum mentem ad intelligendum Scripturas.*] Eventus optimus eſt interpres prædictionum: qui hic quoque effecit, ut diſcipuli multo melius, quam antea, Prophetarum oracula intelligerent, cum ea Chriſtus illis denuo proponeret. Quomodo vero Chriſtus ipſis mentem aperuerit, monſtrat Lucas verſu ſequenti, dum nimirum Scripturam illis clare explicuit, quomodo Chriſtus pati, mori ac reſurgere debuerit. Cui explicationi atque interpretationi quia eventus ipſe teſtimonium dabat, eamque confirmabat, factum eſt per eam, ut nebula ab oculis intellectus eorum amoveretur. Quocirca non eſt neceſſe ſtatuere, Chriſtum vi quadam peculiari & occulta, ſeu per internam quandam operationem ſuam, eorum mentes aperuiſſe. Quid enim prolixa & operoſa explicatione fuiſſet opus, ſi talis interna vis à Chriſto fuiſſet adhibita, quæ ſola ſufficiens eſſet ad omnem ignorantiam animo depellendam? Præterea credibile eſt, mentes eorum non ita eſſe tunc apertas, ut potuerint tam perfecte Prophetarum oracula intelligere, quam poſtea, cum in Feſto Quinquageſimæ perfuſi ſunt imbre Spiritus Sancti; ſed intelligendum eſt, eos tantum tunc mente ſua ex Prophetis percepiſſe, quantum requirebatur ad plene ac ſine omni dubitatione credendum, quod Chriſtus vere à mortuis reſurrexerit. Non abſimilis locutio etiam de Lydia uſurpatur, Actor. 16. verſ. 14.

Verſ. 46. *Et dixit eis: Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati & reſurgere ex mortuis tertio die.*] De Prædictionibus Prophetarum, quæ agunt de morte & reſurrectione Chriſti, vide ſupra ℣ſ. 27.

Verſ. 47. *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum apud omnes gentes, incipiendo à Hieroſolyma.*] In nomine ejus, id eſt, ejus mandato, & quaſi loco ejus, ut Paulus loquitur, 2 Cor. 5. 20. Ita de Chriſto ipſo dicitur, quod gentibus Euangelium prædicarit, nempe per ſuos legatos, Epheſ. 2. 17. 1 Petr. 3. 19.

Pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum.] Hæ ſunt duæ principales hujus prædicationis partes. Pœnitentia complectitur in ſe totum opus noſtræ obedientiæ: remiſſio peccatorum comprehendit etiam vitam æternam. Juſtus enim eſt, cui peccata remiſſa ſunt, neque imputantur. Ad hanc prædicationem ſpectat inter alia vaticinia ille locus inſignis Eſai. 49. verſ. 6. *Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad tribus Jacobi erigendas, & perditos Iſraëlitas reducendum: ſed dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremitatem terræ.* Vide ſupra cap. 4. 18.

Et remiſſionem peccatorum.] Jerem. 31. 34. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.*

Apud omnes Gentes.] Eſai. 49. 1. *Audite me inſulæ, & attendite nationes è longinquo*, Oſe. 2. 23. *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu*, Malach. 1. verſ. 11, *Ab Ortu ſolis uſque ad occaſum ſanctum erit nomen meum inter Gentes.* Vide etiam Pſal. 2. 8. Dan. 7. 14. Joël. 3. 5.

Incipiendo ab Hieroſolyma.] A civitate Davidis, cujus ſolium Meſſiæ promiſſum eſt, Pſalm. 132. 11. Eſa. 9. 7. & alibi. Huc facit locus Eſai. 2. 3, *De Sione exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.*

Verſ. 48. *Vos autem eſtis horum teſtes.*] Nempe meæ vitæ, mortis, ac reſurrectionis: ſuper quo fundamento tota ſupra memorata prædicatio nititur. Ex his autem reſurrectio, totius rei cardo ac caput eſt, cujus veritate ac certitudine omnia quæ Chriſtus docuit ac fecit, confirmantur. Hinc Petrus, ubi de hoc teſtimonio loquitur, ſolius reſurrectionis meminit Actor. 1. 22. Si enim Chriſtus à mortuis reſurrexit, utique nonniſi Dei virtute & auxilio reſurrexit. Eccur vero Deus eum à mortuis reſuſcitaret, ſi non palam teſtari voluiſſet, vera eſſe ac certa ea omnia, quæ ille Dei nomine mundo annunciavit. Reſurrectio autem non poterat alia ratione demonſtrari, quam, ut omnes hiſtoriæ atque res geſtæ demonſtrari ſolent, teſtimonio proborum hominum, qui rem oculis ſuis viderunt, quique ex ſuo teſtimonio nullum carnale commodum captant.

Vos eſtis teſtes.] Id eſt, vos brevi eritis teſtes. Præſens pro futuro. Vide Actor. 1. 8.

Verſ. 49. *Et ecce ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in urbe Hieruſalem, donec induamini virtute ex alto.*] Ego mitto, id eſt, mox mittam. Iterum præſens pro futuro.

Promiſſum Patris mei.] Ut nimirum tanto efficacius & conſtantius adverſus ſævientis mundi furorem teſtimonium edere poſſitis. Ita hoc declarat Lucas, Actor. 1. 8. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti, qui ſuperveniet in vos, eritiſque mihi teſtes & Hieroſolymis, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Ubi verba *& eritis*, locutione Hebræorum accipiuntur pro, *ut ſitis.* Chriſtus donum Spiritus Sancti hic appellat *promiſſum Patris*, quia ipſi à Patre promiſſum erat, quod ipſe id eſſet diſcipulis ſuis daturus. Ita etiam Actor. 1. 4, dicit: *Expectate promiſſionem Patris, quam audiſtis à me.* Vide Joël. 2. 28. qui locus explicabitur, Actor. 2. verſ. 16. ut & Eſai. 44. 3. Johan. 15. 26. XVI. 7.

Vos autem ſedete.] Id eſt, manete, nolite inde diſcedere, ut Lucas declarat Actor. 1. 4. Ex quo colligitur, Chriſtum hæc ad diſcipulos locutum eſſe, poſtquam Apoſtoli è Galilæa reverſi ſunt Hieroſolymam.

Donec induamini virtute ex alto.] Hæc eſt deſcriptio Spiritus Sancti. Vide ſupra cap. 1. 35.

PARS IV.

Verſ. 50. *Duxit autem eos foras uſque ad Bethaniam, & ſublatis manibus ſuis, benedixit eis.*] Uſque ad Bethaniam, id eſt, uſque ad eam partem Bethaniæ, quæ jacebat ad radices montis Oliveti, quo in loco Chriſtus ſæpiſſime preces ſuas & lacrymas effudit. Ita decuit, ut is ipſe locus teſtis eſſet ejus gloriæ, qui antea de ipſius humilitate ac ſubmiſſione teſtari poterat.

Et ſublatis manibus ſuis benedixit eis.] Id eſt, extendit ſuper eos manus, & Deum pro iis precatus eſt. De more imponendi manus vide dicta ad Matth. 19. verſ. 15. Cæterum quando plures erant, quibus benedictio erat impartienda, non ſemper ſingulis imponi ſolebant manus, ſed ſuper omnes ſimul manus expandebantur. Ita de Aarone legitur, Levit. 9. verſ. 22. *Aaron attollens manus ſuas verſus populum, benedixit ei.* Idem Chriſtus etiam hoc loco fecit. Hunc morem extenſis atque ſublatis manibus populo benedicendi obſervarunt quoque in primitiva Eccleſia Epiſcopi Chriſtiani in initio & fine congregationum.

Verſ. 51. *Et factum eſt, ut dum ipſe benediceret eis, diſjunctus ab eis ſurſum ferretur in cœlum.*] Supra omnes cœlos, inquit Apoſtolus, Epheſ. 4. 10.

Verſ. 52. *Et ipſi adorantes eum, reverſi ſunt Hieroſolymam cum gaudio magno.*] Ita enim adorarunt, ut in genua ſua coram eo procumberent, quod hactenus ab eis factum non fuerat, in diebus ſcilicet carnis ejus, ut loquitur Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 5. 7. Jam vero id faciunt, poſtquam divinam ejus Majeſtatem manifeſte agnoverunt.

Reverſi ſunt Hieroſolymam.] Vide etiam Actor. 1. verſ. 12. Unde patet, eos Chriſti mandato morem geſſiſſe.

Cum gaudio magno.] Quod nimirum jam intellexiſſent admirabilem iſtam rationem, qua Deus humanum genus vult redimere; nec non propter factam ſibi promiſſionem Spiritus Sancti.

Verſ. 53. *Erantque ſemper in Templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.*] Judæi ſolebant preces libentius in Templo quam alibi abſolvere, præſertim quando res occurrebat gravioris momenti. Vide ſupra cap. 18. 10.

Semper.] Id eſt, quotidie, certis horis. Ita de Johanne & Petro dicitur, poſtquam jam Spiritum Sanctum accepiſſent, quod circa nonam horam, quod tempus veſpertinarum precum erat, aſcenderint in Templum, Actor. 3. 1. Atque hoc idem ſine dubio Apoſtoli etiam per illos decem dies, ab aſcenſione Chriſti in cœlum, fecerunt: de quo tempore hæc Lucæ verba intelligenda ſunt. Neque huic contrarium eſt, quod privatos habuerint tunc in domibus conventus, ut colligere eſt ex Actor. 1. verſ. 13, 14, 15. Privatos enim ejuſmodi conventus etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum habuerunt, & nihilominus Templum frequentarunt. Vide Actor. 2. 46. III. 1. V. 25, 42. XII. 12.

Amen.] Hæc vox ab Eccleſiis adjecta eſt. Nam poſt Euangelium publice lectum, ſolebat univerſus populus acclamare: Amen. Vide 1 Corinth. 16. verſ. 16.

EUAN-

EUANGELIUM JOHANNIS:

Seu, prout à Johanne deſcriptum eſt.

PROLEGOMENA.

De ortu, vita ac morte Johannis Euangeliſtæ.

IOhannes Apoſtolus & Euangeliſta, (Matth. 10. 2.) oriundus fuit Bethſaida, piſcatoris cujuſdam nomine Zebedæi filius, & ipſe quoque piſcator: una cum fratre ſuo Jacobo Majore (quem Herodes Agrippa capite plecti curavit Actor. 12. 2.) ad munus Apoſtolicum à Chriſto vocatus eſt, Matth. 4. 21. Eum Chriſtus impenſius præ cæteris Apoſtolis amavit; ideo & ipſe ſeſe hac nota ab aliis diſtinguit, ut ſe vocet diſcipulum, quem dilexit Jeſus, Johan. 13. ỳſ. 23. xxi. 20. Ex quo colligitur, eum inſigniter bona atque ad omnem pietatem prona & apta indole præditum fuiſſe.

Quod cæteroquin ejus eruditionem atque dexteritatem attinet, conſentaneum quidem eſt, eum in ſua juventute, ex conſuetudine Judæorum, edidiciſſe Legem: ſed in reliquo videtur neque Hebraicis neque Græcis artibus atque ſapientia fuiſſe excultus; niſi forte poſtmodum in virili ætate, cum eſſet in Aſia, ubi potiſſimam vitæ ſuæ partem exegit, nonnihil de Græcanica ſapientia hauſit. Quicquid proinde ipſi ad functionem muneris Apoſtolici neceſſarium erat, id Deus per Sanctum Spiritum ſuum ſupplevit, qui etiam in rebus ad vocationem alicujus non omnino neceſſariis, ea nihil immutata relinquit, quæ natura ipſi ſunt inſita. Atque hinc fit, ut in ejus ſcribendi ratione magis quam in aliorum Apoſtolorum ſcriptis ſumma quædam ſimplicitas eluceſcat; utque Græcæ linguæ, qua non ſecus atque alii Apoſtoli ſuos libros conſcripſit, multos idiotiſmos linguæ Syriacæ, quæ tum in uſu erat apud Judæos, admiſcuerit: ut taceam alia à doctis viris adnotata, è quibus eum non admodum in artibus liberalibus exercitatum fuiſſe apparet.

Reperiuntur quoque in ſcriptis ejus nonnullæ peculiares locutiones, quæ apud reliquos Scriptores Novi Teſtamenti non ſunt in uſu. Ut inter cætera, quod Chriſtum λόγον, id eſt, ſermonem appellet Johan. 1. 1. 1 Johan. 1. 1. quod dicat ſermonem fuiſſe carnem Johan. 1. 14. Jeſum in carne veniſſe 1 Johan. 4. 2. 2 Johan. 7. nos habere unctionem 1 Johan. 2. 20. Spiritum eſſe veritatem, & Deum eſſe vitam æternam, 1 Johan. 5. 6, 22. Chriſtum veniſſe cum aqua & ſanguine 1 Johan. 5. 6. peccatores eſſe ex diabolo 1 Johan. 3. 8. falſos Prophetas eſſe antichriſtos 1 Johan. 2. 22. & multa alia his ſimilia.

Cum Apoſtoli inter ſe partirentur univerſum Orbem terrarum ad prædicandum Euangelium, Johanni ſorte obvenit Aſia, ut Euſebius teſtatur lib. 3. cap. 7. Hiſt. Eccl. Eum Epheſi in Aſia diu prædicandi munus obiviſſe, traditur à multis: ſed ex ipſius ſcriptis nullum ejus rei colligere licet veſtigium. Toto enim tempore, quo Paulus Apoſtolus Aſiam peragravit, ac prædicationi Euangelii incubuit, nulla fit Johannis mentio: certumque ac notum eſt, Timotheum à Paulo fuiſſe conſtitutum Epiſcopum Eccleſiæ Epheſinæ. Itaque fieri potuit, ut ætate jam provecta poſt Timothei obitum, venerit Epheſum, poſtquam alibi hactenus in Aſia prædicandi munere perfunctus eſſet. Irenæus ſcribit, Paulum quidem Eccleſiam Epheſi fundaſſe, Johannem vero uſque ad tempora Trajani in ea manſiſſe, lib. 3. cap. 3. In Inſula Pathmo ſe fuiſſe ipſe teſtatur, Apoc. 1. 9. Verum aliqui poſteriores Eccleſiæ doctores tradunt, Cæſarem Domitianum, cum crudeli perſecutione vexaret Chriſtianos, Johannem Epheſo pulſum, in hanc inſulam relegaſſe; atque inde vertente anno poſt Domitiani mortem, & perſecutione ſub Cæſare Nerva, qui illi ſucceſſit, miteſcente, Epheſum revertiſſe.

De tempore quoque ac loco, quo Johannes hoc ſuum ſcripſerit Euangelium, diverſæ ſunt ſententiæ. Nonnulli id ſcriptum putant Epheſi: alii in inſula Pathmo: alii annis 30, alii 60, poſt Chriſti in cœlis aſcenſionem conſignatum tradunt. Hoc certum eſt, eum ultimo & poſt alios omnes Euangeliſtas ſcripſiſſe: unde nonnili ea potiſſimum attingit, quæ alii Euangeliſtæ ſilentio tranſmiſerunt.

Ne de morte quidem ejus quicquam certi habetur apud Scriptores antiquos. Hieronymus ſtrictim refert, Johannem 68 anno poſt Chriſti mortem, adeoque anno 35. poſt excidium Hieroſolymæ, Epheſi fuiſſe mortuum, ibidemque ſepultum. An etiam inter Apoſtolos ultimus fuerit mortuus, dubium eſt. Nonnulli enim ſentiunt, Simonem Cananiten poſt illum fuiſſe mortuum. Hoc indubitatum eſt utrumque ſub Trajano Cæſare, & quidem non multo tempore unum poſt alterum, eſſe defunctum.

Quandoquidem initium Euangelii Johannis hodie ſummopere controverſum eſt, & de ejus ſenſu

magnæ agitantur lites, operæpretium erit, de nonnullis ad illud initium ſpectantibus hoc loco aliquid in anteceſſum dicere; quorum verus & genuinus intellectus non ſolum lucem inſignem dabit textui, ſed etiam ut poſtea in ipſa verborum explicatione aliquanto breviores ſimus, efficiet.

Cap. I.

De eo, quod Initium Euangelii Johannis non ſit tam difficile, quam à quibuſdam vulgo exiſtimatur.

INitium ſeu Exordium Euangelii Johannis, quod continet divinæ eminentiæ ac dignitatis Chriſti inſignem deſcriptionem, modo ſingulari, & verbis magnificis ac majeſtate plenis factam, omni tempore ab omnibus tam antiquis quam recentioribus Eccleſiæ Doctoribus ac Interpretibus, habitum eſt arduum, ſublime, & plus in receſſu quam in fronte gerens: id quod partim nonnullorum ingenua confeſſione conſtat (vide Maldonatum ſuper initium Johannis, & Georg. Vechneri Concionem pag. 3.) partim etiam ex eo colligitur, quod tam diſcrepantes opiniones atque interpretationes ferme de ſingulis verbis, inprimis apud Veteres reperiantur. Ejus vero rei non hæc eſt cauſa, quod Euangeliſta ſtudio obſcuritatem in verbis ſuis affectarit; cum is Euangelium ſuum non alio fine ſcripſerit, quam ut homines per agnitionem Jeſu Chriſti ad fidem ſalutarem adducerentur. Itaque nulla ratione ipſi conveniens fuit, verba ſua tam perplexe & obſcure proferre, ut homines eorum ſenſum non poſſent aſſequi, ſed de iis in tam diverſarum opinionum anfractus delaberentur. Sed hæc fuit cauſa, quod textus hic non puris, ſed præjudicatæ opinionis nebula obfuſcatis oculis vulgo legatur, & contra ſcopum atque mentem Euangeliſtæ, imo contra totius Scripturæ unanimem conſenſum, ex eo violenter dogma iſtud eliciatur, quod Chriſtus, quem Deus populo ſuo è fratribus eorum excitare promiſerat, Deut. 18. verſ. 18. quique inde poſt 2000 annos circiter demum verus homo natus eſt, ſit ille unus Deus altiſſimus, creator cœli & terræ, qui de cœlo diſcenderit, & menſes aliquot in utero Virginis Mariæ clauſus manſerit, ibidemque humanam naturam aſſumſerit, & porro in mundum genitus ſit. Quocirca mirum non eſt, eos in labyrinthum inextricabilem ſe induere, nec ullum propoſiti ſui exitum invenire poſſe, qui clauſis oculis ambulant, & alio dirigunt greſſus, quam quo eos locus ipſe ducit: imo qui ſuam ſententiam ex eo loco evincere nituntur, ex quo contraria ſententia potius commonſtrari poteſt. Hoc enim ipſum Initium atque Exordium Euangelii Johannis non minus quam alia infinita loca in eodem Euangelio validiſſima nobis ſuppeditant argumenta ac teſtimonia, quod Chriſtus non ſit Deus altiſſimus: ut ſuis locis monebitur.

Cap. II.

De principali ſcopo Euangelii Johannis.

REs eſt oppidò neceſſaria, ad cujuſque ſcripti intelligentiam, diſpicere, tum quis ſit ſcopus ac ultimus finis, ad quem Auctor ſcripti tendit; tum quæ ſit ſcriptionis occaſio. Quapropter è re eſt, ut & nos in hac Euangelica Johannis hiſtoria hæc duo exactius inveſtigemus. His enim duobus rite perceptis, habebimus lucidiſſimam facem, quæ nobis viam monſtrabit, qua per ſentes & ſpinas falſarum interpretationum tranſire, & ad verum hujus textus ſenſum pervenire inoffenſo pede queamus. Non ſumemus autem iſta ex Irenæi, Theodoreti, Hieronymi, vel aliorum veterum Patrum incertis conjecturis, ſeu potius commentis Platonicis, ſed ex ipſius Euangeliſtæ propriis verbis: cum is melius quam quiſquam alius nos docere ac informare queat, ad quem finem collimarit in hoc ſuo Euangelio, quid ſibi ſumſerit probandum, & quæ ipſum occaſio induxerit, ut protinus in ipſo limine atque introitu Euangelii divinitatem Domini Jeſu tam prægnantibus & illuſtribus verbis deſcriberet. Scopum igitur ſuum Johannes Euangeliſta ipſe indicavit clariſſimis verbis ad calcem cap. 20. 30, 31. ubi ſic ait: *Multa quidem etiam alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Euangeliſtam per Jeſum hic intelligere illum virum ſanctiſſimum, qui virtute altiſſimi in utero Virginis Mariæ conceptus, ac verus homo natus fuit, inque circumciſione ſua nomen Jeſu ſortitus eſt, extra omnem eſt dubitationem poſitum. De hoc proinde Jeſu, dicit Euangeliſta, ſe ſcripſiſſe in hunc finem iſtud Euangelium, & hiſtoriam rerum ab eo geſtarum ac miraculorum ejus compoſuiſſe, ut credatur, eum eſſe *Chriſtum, Filium Dei*, utque per hanc fidem vita æterna obtineatur.

Duobus autem titulis Dominum Jeſum ornat, quibus divinam ejus ſublimitatem, qua omnes homines & Angelos antecellit, expreſſit: dum eum primo *Chriſtum*, deinde *Filium Dei* nuncupat. Nihil enim ſublimius ac divinius de Domino Jeſu dici poteſt, quam quod ſit Chriſtus & Filius Dei: uti patet ex præclara illa Petri Apoſtoli confeſſione Matth. 16. verſ. 16. *Tu es Chriſtus, Filius Dei viventis.* Propter quam confeſſionem Dominus Jeſus ipſe beatum prædicavit Petrum, ut cui id non caro & ſanguis, ſed Pater ſuus, qui eſt in cœlo, revelarit. Nomen Chriſti in Græca lingua idem ſignificat, quod in Hebræa *Meſſias* nempe *Unctum*. Fuitque hoc nomen impoſitum Domino Jeſu propter Regium ac Sacerdotale ipſius officium, atque decus, quo à Deo eſt exornatus. Tam enim Reges quam Sacerdotes ſeu Pontifices ſummi ſub Veteri Fœdere oleo inungebantur, cum eligerentur, & inſtituerentur. Vide hac de re dicta à nobis ad Matth. 1. 1.

Quod alteram appellationem, Filii Dei attinet, quatuor cauſæ in Sacris Literis indicantur, ob quas Chriſtus

Chriſtus Filius Dei dicatur. Prima eſt, quam inſinuavit Angelus Gabriël Mariæ Virgini conceptionis nuncium afferens, Luc. 1. 35. quod nimirum ſit à Deo virtute Spiritus Sancti conceptus. Secundam expreſſit ipſe Chriſtus Johan. 10. 36. quia eum Pater ſanctificavit & in mundum miſit. Tertia eſt, quia eum Deus reſuſcitando ex mortuis ad vitam immortalem atque æternam quaſi denuo genuit: ob quam cauſam *Primogenitus* ex mortuis appellatur Coloſſ. 1. verſ. 18. Apoc. 1. 5. Quæ cauſa tam late patet, ut etiam quartam & potiſſimam cauſam ambitu ſuo complectatur, nempe Exaltationem Chriſti ad Regium faſtigium & dignitatem Pontificalem. De reſurrectione Chriſti, quatenus illa etiam mox ſubſecutam Exaltationem Chriſti in ſe comprehendit, inſignis extat locus Actor. 13. 32, 33. *Annunciamus vobis*, inquit Paulus, *promiſſionem, quæ Patribus facta eſt, quod Deus eam impleverit nobis filiis eorum, dum reſuſcitavit Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Cum quo conſentit etiam locus Rom. 1. 4. ubi Paulus, cum Chriſtum Filium Dei dixiſſet, porro id declarat & dicit: *Qui definitus ſeu conſtitutus eſt Filius Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione ex mortuis.* Quibus verbis hoc ſibi vult Paulus, Chriſtum evaſiſſe Filium Dei ſecundum illum ſingularem Spiritum, per quem, poſtquam reſuſcitatus eſt ex mortuis, ſanctificatus eſt, id eſt, prorſus ab hominibus ac creaturis omnibus ſegregatus, & in ſublimem ac Regium ſtatum evectus eſt. *Sanctificare* enim denotat, à vulgari uſu ac conditione removere & ſecernere. Per eundem illum Spiritum, per quem, cum in mundum mitteretur, ſanctificatus fuit, & Filius Dei modo inſigni effectus (quæ fuit altera cauſa, ob quam Filius Dei dictus eſt) per eundem, inquam, Spiritum ex reſurrectione à mortuis (id eſt, eo tempore, quo à mortuis ſuſcitatus eſt) modo omnium excellentiſſimo ſanctificatus, & in ſummo gradu Filius Dei conſtitutus eſt. Atque huc facit locus Hebr. 1. 4, 5. ubi Scriptor ille verba Pſalmi ſecundi, *Tu es Filius meus, ego hodie genui te*, ad Regiam Chriſti dignitatem accommodat, inquiens, Chriſtum *poſtquam conſedit, ad dexteram Majeſtatis Dei in excelſis, tanto præſtantiorem effectum eſſe Angelis, quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen. Cui enim Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et cap. 5. 5. idem Auctor verba iſta Pſalmi ſecundi ad Sacerdotalem Chriſti eminentiam applicat, dum ait: *Chriſtus ſeipſum non glorificavit, ut fieret Pontifex Maximus, ſed is qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Verba autem Pſalmi ſecundi primo ac literali ſenſu de Davide prolata, eatenus ad Chriſtum referuntur, quatenus David figura ac typus Chriſti fuit. Quemadmodum enim olim Deus Davidem ex variis calamitatibus atque adverſis, quin ex ipſis faucibus mortis ereptum conſtituit Regem in ſancto monte ſuo Sione Pſalm. 2. 6, 7. eumque hac ratione quaſi denuo genuit, ac Filium ſuum effecit; & quidem *primogenitum, excelſum ſupra Reges terræ*, Pſalm. 89. 28. Ita Chriſtus, cujus figura fuit David, modo longe perfectiſſimo Filius Dei evaſit, tunc cum eum *Deus ſuſcitavit à mortuis, & collocavit ad dexteram ſuam in cœlis, longe ſupra omnes principatus, & poteſtates, & virtutes, & dominationes, & ſupra omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro*, Epheſ. 1. 20, 21. Hæ ſunt cauſæ, quas nobis Sacra Scriptura commonſtravit, cur Chriſtus Filius Dei nominetur: præter quas nulla alia ſublimior & excellentior oſtendi poteſt; inprimis vero nulla talis, è qua conſtare queat, eum ab æterno ex Patris ſui eſſentia eſſe genitum. Si enim etiam hanc ob cauſam Filius Dei foret, neutiquam credibile eſt, Angelum Gabrielem id Virgini Mariæ, cum conceptionem ipſius annunciaret, non revelaturum fuiſſe, ſuaque verba non ita temperaturum, ut illa intelligere poſſet, perſonam illam, quæ ex ea naſci debuit, jam ab omni æternitate Dei Filium fuiſſe, nunc autem etiam alio modo, nimirum per nativitatem ex ea, Filium Dei evaſurum. Sic cum Chriſtus apud Johannem ſuam ſanctificationem ac miſſionem in mundum, pro cauſa ac ratione, ob quam Filius Dei dicatur (quæ fuit ſecunda cauſa) adverſus Judæos diſputans ponit; ſi adhuc alia & quidem ſublimior cauſa extitiſſet, hæc nimirum quod ab æterno natus fuerit ex eſſentia Patris: nullo etiam modo fieri potuiſſet, ut id Chriſtus reticeret ac præteriret, cum à Judæis blaſphemiæ inſimularetur, propterea, quod homo cum eſſet, ſeipſum Deum faceret; ubi illi nomen Dei ea ſignificatione accipiunt, quæ nulli mero homini competebat. Annon Chriſtus ad ſe purgandum dicere debuiſſet: Ego nullam omnino committo blaſphemiam in Deum; ſum enim ejus naturalis ac unigenitus Filius, ex eſſentia ejus ab æterno natus, & ejuſdem cum ipſo eſſentiæ? Sed cum Chriſtus aliam afferat cauſam, nempe ſuam ſanctificationem & miſſionem, cumque probabile non ſit, eum crimen blaſphemiæ ſibi impactum tranſmiſiſſe irrefutatum, neceſſario ſequitur, nullam tunc aliam ſublimiorem fuiſſe cauſam, ob quam ſe Filium Dei nuncuparit.

Exinde jam intelligitur, Dominum Jeſum eatenus Filium Dei in gradu ſupremo eſſe, quatenus eſt Chriſtus ſeu Meſſias. Factus enim eſt Dominus ac Chriſtus per ſuam reſurrectionem & exaltationem, dum per eam in cœleſtem Regem ac Pontificem unctus eſt: id quod Petrus Apoſtolus clare demonſtrat Actor. 2. 32. ad 36. Per ſuam reſurrectionem autem & exaltationem, etiam *Filius Dei* excellentiſſimo gradu conſtitutus eſt; ut paulo ante probavimus. Quamobrem Dominus Jeſus ob id ipſum & per id ipſum Filius Dei in ſummo gradu eſt, ob quod & per quod eſt Chriſtus, ſeu Unctus Dei. Ita enim fert conſuetudo Hebræorum, ut omnes illi, qui à Deo ad ſummum eminentiæ culmen evecti ſunt, *Dii*, nec non *Dei filii* apellentur. Hinc ſupremi Magiſtratus ac Reges gerunt utrumque nomen tum Deorum, tum filiorum Altiſſimi Pſalm. 82. 6. Hinc David vocatur *primogenitus* Dei Pſal. 89. 28. quem Deus genuit, cum eum in ſancto monte ſuo Sione Regem conſtituit, Pſalm. 2. 6. Quapropter hic titulus *Filii Dei* Domino Jeſu non tantum in gradu excellentiſſimo, & perfectiſſima ratione ſupra omnes Reges, qui unquam à Deo ad Regiam Majeſtatem evecti ſunt, competit; ſed etiam tanquam Meſſiæ proprius adeo inter Judæos notus fuit, ut pro eodem

ſumeretur Meſſias, id eſt Chriſtus, ſeu Unctus, & Filius Dei, venturumque Meſſiam ſuum, quem tantopere expetebant & expectabant Judæi, promiſcue & abſque diſcrimine modo Filium Dei, modo Chriſtum appellarent. Vide dicta à nobis ad Matth. 16. verſ. 16.

Ex his quæ de utraque hac appellatione *Chriſtus & Filius Dei* diſputavimus, manifeſtum eſt, tantum à mente Euangeliſtæ abeſſe, ut voluerit in exordio ſui Euangelii docere, Dominum Jeſum eſſe Deum Altiſſimum, ſicut vulgo creditur, ut potius hoc utrumque nomen *Chriſtus & Filius Dei*, fortiſſimum, idque duplex præbeat argumentum, quod Deus Altiſſimus non ſit. Primum enim eo ipſo diſtinguit Euangeliſta Jeſum clariſſime à Deo ſummo, ſignificatque illum eſſe alium ab eo, cujus eſt Unctus ac Filius. Si enim is ille ipſe Deus foret, eſſet ſui ipſius Unctus, & ſui ipſius Filius: quod ſeipſum evertit, ideoque verum eſſe nulla ratione poteſt. Deinde indicant hæc duo nomina *Chriſtus & Filius Dei*, Dominum Jeſum omnia, quæ habet ſublimia atque præclara, ab alio habere, nimirum ab eo, qui ipſum unxit ac genuit. Nihil enim præſtantius & ſublimius, ut jam ante indicatum, dici de eo poteſt, quam quod ſit Chriſtus ſeu Unctus Dei, & Filius Dei. Utrumque autem hoc habet ab alio: proinde ejus rei reſpectu, quæ in eo eſt ſuprema & excellentiſſima, ſummus Deus non eſt. Summus enim Deus à nemine unctus eſt, id eſt, Regiam ſuam dignitatem à nemine accepit, ſed eſt ille ipſe, qui Dominum Jeſum *unxit Spiritu Sancto & virtute, ut ſit Rex ſuper domum Jacobi in æternum*, Actor. 10. ℣ſ. 38. Luc. 1. 32. Non eſt etiam Deus ſummus ullius alterius Filius (id eſt, eſſentiam & originem ſuam non habet ab alio: alioquin enim non foret ſummus, ſed alius eo eſſet ſuperior, cui originem ſuam acceptam referre deberet) ſed eſt Pater Domini Jeſu, quem virtute ſua genuit, & per unctionem atque exaltationem modo perfectiſſimo Filium ſuum effecit.

Si igitur ea mens atque intentio Euangeliſtæ Johannis fuiſſet, dum ſcriberet Euangelium, ut oſtenderet atque probaret, Dominum Jeſum eſſe ipſum Deum Altiſſimum, qui fieri potuiſſet, ut non expreſſis ac diſertis verbis mentem hanc ſuam explicaret, diceretque: Hæc ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Filium Dei ab æterno ex eſſentia ipſius genitum, vel, eſſe Deum ſummum? Quam poterat habere cauſam, cur ſcopum primarium totius ſui Euangelii, rem tam arduam & humano intellectu incomprehenſibilem, quæque à compluribus hæreticis tunc temporis in dubium trahebatur, ut ajunt, maluerit ejuſmodi efferre verbis, è quibus contrarium per legitimam ratiocinationem concludi poteſt, quam perſpicue & evidenter exprimere? Imo addit inſuper: *Ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Si autem fides ſalvifica, ut vulgo putatur, inter alia etiam in eo conſiſtit, ut credatur, Chriſtum eſſe Deum Altiſſimum; merito mirandum eſt, quod Euangeliſta talibus hic uſus ſit verbis, quibus ſalvifica iſta fides, quam hoc ſuo ſcripto hominibus inſerere, & adverſus ſui temporis hæreticos defendere unice ac ſolummodo inſtituit, magis evertatur aut impediatur, quam propagetur, dum Dominum Jeſum non Deum ſummum, ſed ejus unctum ac filium vocat, adeoque eum, ut dictum, non ſolum à Deo ſummo clare diſtinguit, ſed etiam ſignificat, illum ab hoc quoad originem ſuam pendere, ac proinde Deum ſummum non eſſe. Quia vero ab omni veriſimilitudine abhorret, Johannem tanta lapſum fuiſſe incogitantia, multo minus eum ſcientem ac volentem de re tanti momenti tam obſcure, ambigue & cum divinæ veritatis præjudicio ſcripſiſſe: credendum omnino eſt atque ſtatuendum, eum nullum alium ſcopum in ſuo Euangelio condendo ſibi præfixiſſe, quam quem clariſſima ipſius verba præ ſe ferunt, nempe quod Jeſus ſit Chriſtus, Filius Dei, talis ſcilicet, qui quicquid habet, ab alio accepit, adeoque Deus Altiſſimus non eſt.

Ex his jam liquet, Johannem Euangeliſtam nullum alium ſublimiorem ſcopum ſibi in Euangelio ſuo propoſuiſſe, quam alii Euangeliſtæ ſibi propoſuerant: adeoque carere id omni fundamento, quod vulgo jactatur, Matthæum exordiri Euangelium ſuum à conceptione ac generatione Chriſti humana, Marcum à baptiſmo & prædicatione Johannis Baptiſtæ, Lucam à Sacrificio Zachariæ & conceptione Johannis Baptiſtæ, Johannem vero Euangeliſtam tanquam aquilam evolare altius, & auſpicari Euangelium ſuum à ſumma Chriſti divinitate, & ab ejus generatione ex eſſentia Dei. An enim priores tres Euangeliſtæ non ad eundem collimarunt ſcopum in deſcribenda hiſtoria ſua Euangelica, ad quem collimavit Johannes? Annon conceptionem, nativitatem, vitam & res geſtas Domini Jeſu cum omnibus neceſſariis circumſtantiis hoc fine enarrarunt, ut ex eo cognoſceretur & crederetur, Jeſum eſſe Chriſtum, Filium Dei, utque credendo vita haberetur in nomine ejus? Imo poſtmodum in ipſa textus explanatione oſtendemus Johannem Euangelii ſui petere initium non altius, quam à prædicatione Johannis Baptiſtæ, quem confert cum Chriſto, atque ideo aliquot Chriſti dignitates ac præeminentias præ Johanne Baptiſta enumerat. At ab eodem Principio etiam orditur Marcus Euangelium ſuum. Matthæus aſcendit altius, & ortum Chriſti deducit ab Abrahamo & Davide, quibus facta erat promiſſio. Lucas autem ſupergreditur omnes, & ſcandit uſque ad Adamum, & per Adamum uſque ad Deum, Luc. 3. verſ. 38. Quomodo igitur vere dici poteſt, Johannem tanquam aquilam volare altius, quam alii Euangeliſtæ? An poterat ire altius, quam ad Deum, quo etiam Lucas penetrat? Et qui fieri poſſet, ut reliqui omnes Euangeliſtæ generationem Chriſti ſecundum carnem tam diligenter & tot cum circumſtantiis pene ſuperfluis deſcriberent, æternam vero generationem ejus ex Dei eſſentia, quæ, ſi vera foret, ſalutis noſtræ eſſet fundamentum, omitterent, & Johanni demum exponendam relinquerent? Si Johannes ante omnes alios Euangeliſtas ſuum condidiſſet Euangelium, dici potuiſſet, illos ea, quæ à Johanne jam erant plene tradita, noluiſſe brevitatis cauſa repetere. Sed cum ſatis conſtet, Johannem ultimum, & poſt alios omnes Euangeliſtas ad ſcribendum acceſſiſſe, nullo modo cenſendum eſt, eos omnes tres rem tanti momenti oblivioni tradidiſſe.

Etſi

Etſi enim Johannes in ſuo Euangelio id tantum potiſſimum ſibi ſumſerit deſcribendum, quod ab aliis Euangeliſtis vidit eſſe prætermiſſum: tamen ex eo ipſo, quod reliqui Euangeliſtæ aliqua ſilentio transmiſerint, intelligitur, ea quamvis haud parva fuerint, non tamen tanti ponderis & tam neceſſaria fuiſſe, quam eſſet hæc doctrina de ſuprema Chriſti divinitate, ſi vera eſſet.

Cap. III.

De occaſione, quam habuit Johannes, cur ſic Euangelium ſuum exordiretur.

JOhannem Euangeliſtam Euangelium ſuum auſpicari à deſcriptione ſummæ præſtantiæ ac dignitatis Domini Jeſu, extra omnem eſt controverſiam: cum id res ipſa ſatis monſtret. Cauſa, quæ eum, ut id faceret, adduxit, hæc erat, quod tunc temporis, cum Euangelium cœpiſſet emicare, ac illuceſcere, à multis alius, præter Jeſum Nazarænum, pro Meſſia habitus fuerit, nempe Johannes Baptiſta, cum is prius, quam Dominus Jeſus cœperit Euangelium de remiſſione peccatorum & appropinquatione regni Dei prædicare, Matth. 3. 1, 2. Teſtis hujus rei eſt Lucas, qui ſic ſcribit cap. 3. 15. *Expectante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Johanne, num ipſe eſſet Chriſtus; reſpondit Johannes* &c. Similiter ipſe Johannes Baptiſta diſcipulos ſuos alloquitur Johan. 3. 28. *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum.* Quin & poſt mortem Johannis Baptiſtæ erant, qui metu perſecutionis mallent Johannis Baptiſtæ diſcipuli, quam Chriſti appellari. Hanc autem anſam atque occaſionem fuiſſe Johanni Euangeliſtæ Euangelium ſuum ſcribendi, inque eo demonſtrandi, quod non Johannes Baptiſta, ſed Dominus Jeſus ſit Chriſtus, Filius Dei; id facile ex propriis ejus verbis intelligitur, dum in hoc eodem Exordio Euangelii ſui crebro teſtimonium Johannis Baptiſtæ de Chriſto producit in medium. Ac primum quidem ait ℣. 6, 7, 8. *Fuit homo miſſus à Deo, cui erat nomen Johannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtaretur de luce. Sermo erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.* Et rurſus verſ. 15, ſcribit: *Johannes teſtatur de ipſo, & clamavit dicens: Hic erat, de quo dicebam, Qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat.* Et iterum ℣. 19. *Et hoc eſt teſtimonium Johannis, quando miſerunt Judæi Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, Non ſum ego Chriſtus.* Et verſ. 29. ac ſeqq. *Poſtridie vidit Johannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hic eſt, de quo ego dixi, Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat. Et ego non noveram eum, ſed, ut manifeſtus fiat in Iſraële, propterea veni ego baptiſans aqua. Et teſtatus eſt Johannes, dicens, Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, qui etiam manſit ſuper eum. Ego autem non noveram eum, ſed qui miſit me, ut baptiſarem aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, ac manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptiſat Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtatus ſum, hunc eſſe Filium Dei.* Cui bono Euangeliſta in uno Capite, & quidem in ipſo Euangelii ſui initio tam crebro Johannis Baptiſtæ teſtimonium allegaret, ſi propoſitum ipſi non fuiſſet demonſtrare, quod non Johannes Baptiſta, ſed Dominus Jeſus ſit Chriſtus, Filius Dei? Potiſſimum autem verba verſ. 8, clariſſimum ejus rei præbent argumentum, ubi ait: *Ille* (id eſt, Johannes Baptiſta) *non erat lux, ſed ut teſtaretur de luce.* Et verſ. 20. *Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, Non ſum ego Chriſtus.* Ex quo ſatis ſuperque patet, illo tempore tales extitiſſe, qui Johannem Baptiſtam pro luce mundi ſeu pro Meſſia duxerint: quam falſam opinionem ut everteret, Euangeliſta neceſſarium cenſuit, ordiri Euangelium ab earum dignitatum Domini Jeſu recenſione, quæ ipſi tanquam Meſſiæ præ Johanne Baptiſta competunt; quanquam etiam totum ejus Euangelium ad hunc finem directum eſt.

Plerumque creditur, Ebionem & Cerinthum, qui ſupremam Chriſti Deitatem negarunt, anſam dediſſe Johanni Euangeliſtæ, ut hoc ſuum Euangelium ſcribere aggrederetur, inque eo hoc ſibi probandum adverſus illos ſumeret, quod Jeſus Chriſtus ſit Deus altiſſimus. Hanc conjecturam Veteres nonnulli Eccleſiæ Doctores prodiderunt, cui hodie non aliter, quam ſi ipſiſſimum Dei Verbum eſſet, ab omnibus habetur fides. Recitatur etiam ſimul hiſtoria quædam ex Irenæo, de Johanne & Cerintho: quod nimirum Johannes aliquando in balneum quoddam ingreſſus Cerinthum ibidem invenerit, & eo conſpecto, ſtatim ſe proripuerit è balneo, quia Spiritus Sancti admonitu ſciebat, præſto eſſe ultionem Dei, quæ non paſſura ſit blaſphemum illum vivere diutius; quodque protinus Johanne egreſſo balneum corruerit, & Cerinthum oppreſſerit. Verane ſit hæc hiſtoria, an fabula, nos id in medio relinquimus. Irenæus id ſe ab alio accepiſſe ſcribit, qui id audiverit à Polycarpo: Polycarpus vero rurſus id forſitan ab alio, non à Johanne ipſo didicit. Solet autem plerumque ejuſmodi narrationibus multum accreſcere, quando per multorum ora volant. Hæc igitur hiſtoria ſeu fabula ita vulgo recenſeri ſolet, quando de occaſione Euangelii Johannis agitur, ut nimirum ea tanquam terriculamento quodam deterreantur ſimpliciores, ne tantum myſterium de incarnatione Dei Altiſſimi in dubium vocare, multo minus ejus veritatem ad examen ſanæ rationis revocare audeant. Imo hoc commento de incarnatione Dei ſummi ad tam ſuperſtitioſam venerationem adductum eſt initium Euangelii Johannis (cui alioquin, ut & toti Sacræ Scripturæ ſumma debetur reverentia) ut teſtante Hieronymo atque Chryſoſtomo plurimi id collo appenſum geſtarint, tanquam remedium adverſus omnis generis morbos; quod etiam hodie adhuc inter Pontificios in uſu eſt, ut id non ſolum in pura membrana deſcriptum geſtetur in collo, ſed etiam ad horrendas incantationes adhibeatur.

Cæteroqui Cerinthum mirabilem opinionem de

Chriſto habuiſſe, ex Irenæo ac Theodoreto conſtat. Sed non eſt, quod quis optet, ut Deus talia judicia, quale paulo ante de Cerintho retulimus, in eos omnes exerceat, qui de Chriſto, imo de Deo ipſo mirabiles & horrendas opiniones fovent. Pauciſſimus enim Chriſtianorum numerus maneret reliquus. Cerinthus docuit, alium fuiſſe Jeſum, & alium Chriſtum: cumque Jeſus in Jordane eſſet baptiſatus, Chriſtum in forma columbæ de cœlo ſuper eum deſcendiſſe, inque eo habitaſſe, & omnia miracula in eo patraſſe, uſque ad tempus paſſionis ac mortis ejus, atque tunc Chriſtum rurſus ab eo avolaſſe, ſolumque Jeſum eſſe paſſum. Abſurdum enim ipſi videbatur, ut talis perſona cœleſtis, quæ inviſibilis & intangibilis Spiritus erat (qualem ille Chriſtum eſſe finxerat & animo ſuo conceperat) pati ac mori poſſet. Quæ opinio Cerinthi longe minus abſurda erat, quam ea eſt, qua creditur, ſummum & incomprehenſibilem Deum, quem cœli cœlorum capere nequeunt, de cœlo deſcendiſſe in Virginis Mariæ uterum, ex ea natum eſſe, infantem fuiſſe, in præſepi jacuiſſe, faſciis involutum vagiiſſe, fame ac ſiti laboraſſe, tandem mortuum eſſe, ſeipſum poſtea à mortuis excitaſſe, & in cœlum ſe iterum recepiſſe; quæque alia abominanda dicta ac dogmata hodie uſurpari ſolent.

Tametſi vero Johannes Euangeliſta hoc ſuum Euangelium proprie ac præcipue adverſus Johannitas, qui Johannem Baptiſtam pro Meſſia habebant, conſcripſerit, ita tamen comparatum eſt, ut eadem opera etiam omnes alios refutet, qui veram divinitatem Domini Jeſu negant atque oppugnant, non eam divinitatem, quam habuerit ab æterno, ſed quam in tempore propter perfectiſſimam obedientiam ſuam adeptus eſt, quamque ei donavit cœleſtis ipſius Pater Phil. 2. 9. omnes eos, inquam, qui negant Jeſum eſſe *Chriſtum*, *Filium Dei*, quibus duabus appellationibus ſummus honor ac divinitas ejus continetur. Huc enim ſpectat ac tendit unice Johannis Euangelium; hic eſt ſcopus ejus ultimus ac finis, ad quem reſpicit. Cum igitur Cerinthus vim faciendi miracula, non homini Jeſu, ſed alteri perſonæ, quam Chriſtum nuncupavit, quæque in columbæ ſpecie in Jeſum deſcendit, attribuerit, patet eum quoque negaſſe, quod Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei, atque adeo hoc Euangelium etiam adverſus ipſum ſcriptum fuiſſe.

Verum non minus per hoc Euangelium etiam omnes illi refelluntur, qui Domino Jeſu ſupremam Deitatem adſcribunt, eumque talem eſſe Dei filium ſtatuunt, qui ab æterno ſit ex eſſentia Patris genitus, quemque illi ſecundam perſonam Trinitatis vocant, & quidem ita, ut quicquid humani in eo eſt, id non perſonam humanam, id eſt, non ipſum verum hominem, ſed tantum humanam naturam, adeoque non aliquid per ſe ſubſiſtens, ſed ſolummodo adjunctum accidentale & additamentum quoddam, quod ille æternus Filius Dei ſibi adſciverit, eſſe cenſeant. Etſi enim ore confiteantur, Chriſtum eſſe ſimul verum Deum & verum hominem, non intelligunt tamen per verum hominem ullam veram perſonam humanam (quemadmodum per verum Deum divinam perſonam intelligunt) ſed tantum, ut dictum eſt, humanam naturam. Atqui verus homo neceſſario eſt humana perſona; & contra humana perſona eſt verus homo. Qui ergo nullo modo eſt humana perſona, is certe nullo modo eſt homo. Si proinde ſecunda illa perſona Trinitatis eſt proprius ac verus Dei Filius (ut hodie docetur) ſequitur, hominem Jeſum è Maria Virgine natum non eſſe Dei Filium; aut ſtatuere neceſſe eſt, in una Chriſti perſona duos Filios eſſe, quorum alter ab æterno, alter ex Maria natus ſit. Ex quo manifeſtum eſt, eos qui Dominum Jeſum eo, quo dictum eſt, modo Deum ſummum faciunt, hoc ipſo negare, Jeſum eſſe Chriſtum, Filium Dei, contra quales hoc Euangelium Johannis directum eſt. Et revera ſi res penitius introſpiciatur, comperietur non ovum ovo eſſe magis ſimile, quam eſt hæc opinio opinioni Cerinthi ſimilis. Cerinthus enim etiam quicquid divini in Domino Jeſu erat, non ipſi, ſed alteri perſonæ, quam Chriſtum appellabat, attribuit; ſicut & iſti, omnia quæ in Domino Jeſu divina eluxerunt, non ipſi, ſed alteri perſonæ, quam illi ſecundam perſonam Trinitatis appellant attribuunt.

Neque eos juvat hoc effugium, ſi dicant, enunciationem iſtam, Jeſus eſt Filius Dei eſſe figuratam; quæ hunc ſenſum habeat, quod homo ille Jeſus, qui è Virgine Maria natus eſt, ſit ſimul quoque Filius Dei, qui ab omni æternitate natus eſt. Si enim homo Jeſus tantum figurate eſt filius Dei, utique proprie ac revera Filius Dei non eſt. Proprium enim figurato opponitur. Ipſique adeo hoc ſuo aſſerto, quo Dominum Jeſum tantum pro figurato Filio Dei agnoſcunt, produnt, ſe negare, Jeſum vere ac proprie Filium Dei eſſe. Et quo pacto, obſecro, probari poteſt, Johannem Euangeliſtam in re tanti valoris, in qua ſalus vertitur æterna, voluiſſe uti figurata, imo abſurda & plane Sophiſtica loquendi ratione, cujus nullum exemplum in tota rerum natura dari ac monſtrari poteſt? Quis ratione præditus poſſit id intelligere, aut vel per ſomnium ex Euangeliſtæ verbis divinare, Dominum Jeſum, qui poſt quatuor annorum millia à condito mundo è Virgine verus homo natus eſt, & ob hanc ipſam nativitatem Filius Dei vocatur, Luc. 1. 35, eſſe alium Dei Filium, qui ab æternitate natus eſt? Quomodo dici poteſt, eum ab æterno fuiſſe, qui certo demum tempore natus eſt? Quis figuratus loquendi modus homini cordato tales injicere cogitationes poteſt? Si quis dicat, figuratam locutionem in eo conſiſtere, quod de Domino Jeſu dicatur, eum eſſe æternum Dei filium, quia perſona æterni Filii Dei cum eo unita ſit; is oſtendat ſaltem unicum exemplum talis locutionis figuratæ, ſi probari nequeat, Euangeliſtam non proprie, ſed figurate eſſe locutum. An forte dici poteſt, corpus eſſe animam, vel Animam eſſe corpus, quia corpus & anima inter ſe unita ſunt? Sed iſti non poſſunt etiam dicere, ſe Dominum Jeſum tantum figurato modo pro Filio Dei agnoſcere, quia eum, ut ſupra memoratum, non pro vero homine, aut humana perſona, ſed tantum pro humana natura adeoque pro re per ſe non ſubſiſtente agnoſcunt: quod nihil aliud eſt, quam hominem Jeſum ac proinde verum Dei Filium prorſus tollere, & propemodum claris & diſertis verbis negare, Jeſum eſſe Chriſtum,

Chriſtum, Filium Dei: contra quam deteſtandam opinionem hoc Euangelium Johannis inprimis conſcriptum eſt.

Hoc loco tacito pede prætereundum non eſt, ſed paucis delibandum, quomodo Satanæ factum ſit aſtutia ac ſtratagemate, ut falſa dogmata de perſona Domini Jeſu, ad diminutionem divinæ eminentiæ ejus ſpectantia, in Chriſtianis Eccleſiis ſenſim & quaſi gradatim irrepſerint. Quemadmodum enim Satanas odium ſuum erga humanum genus ac invidiam mox in ipſo ejus ortu demonſtravit, dum primos parentes noſtros callida perſuaſione ſua ab obſequio mandatorum Dei abduxit, & æternæ morti obnoxios reddidit: ita ſimul ac benedictum illud ſemen mulieris in mundo apparuit, quod caput ejus conterere, & regnum ejus peſſundare debuit, nempe homo Jeſus, qui eſt Chriſtus Filius Dei, ſemper omnes intendit nervos, ut eum divina dignitate ac eminentia, quam tanquam homo Dei dono obtinuit, deſpoliare poſſet. Ac primo quidem elaboravit, ne pro Dei legato agnoſceretur, ſed ut tanquam ſeductor crucis ſupplicio afficeretur. Quia vero hoc facto finem ſuum aſſecutus non eſt, cum Deus Chriſtum à mortuis excitarit, & ad ſummam ac plane divinam gloriam evexerit; ſubornavit tales in Eccleſia Chriſti homines, qui ejus hanc ſublimem ac divinam excellentiam negarent, eumque pro homine nudo ac vulgari haberent, id eſt, pro tali, qui ex concubitu Joſephi cum Maria natus ſit, & propter ſanctitatem vitæ quidem ſit à Deo ex mortuis reſuſcitatus, ſed neutiquam ad tam divinam dignitatem, ut Sacra Scriptura de eo teſtatur, ſit exaltatus. At cum Satan etiam hac ratione non multum lucraretur, ſed divina Chriſti ſublimitas, etiam invitis ac frendentibus omnibus hoſtibus ſuis, triumpharet; alia via & prorſus contraria rem aggreſſus eſt, utque nihilominus Dominum Jeſum vera divinitate ejus privaret, aliam ei perſonam, quæ de cœlo venerit, affinxit, cui proprie ac vere tota divinitas ipſius adſcribenda ſit. Atque ex his qui ejuſmodi falſa de Chriſto opinione imbuti erant, fuerunt quidam, qui humanam naturam prorſus in Chriſto negarent, & affirmarent, divinam illam perſonam, quæ de cœlo deſcendit, hic in terra non aſſumſiſſe nec habuiſſe verum ullum corpus humanum, ſed ſpeciem tantum & formam humani corporis geſſiſſe: in qua ſententia fuit Saturninus & ejus ſequaces. Alii duas conſtituerunt in Chriſto perſonas, unam divinam ac cœleſtem, & alteram humanam, de quibus crediderunt, eas moriente Chriſto eſſe ſeparatas ac ſejunctas: quorum in numero fuit Cerinthus, ut ſupra indicavimus. Divina illa perſona, quæ humanæ Chriſti perſonæ adjungebatur, initio pro ſummo Deo non habebatur, ſed tantum pro ſingulari quadam perſona, quam Deus ante mundi creationem (non tamen ab æterno, ſed certo tempore) ex ſua eſſentia genuerit, quæ propterea nomen Filii Dei gerat: cui ſententiæ plerique Veterum Patrum ante Nicænum Concilium, quorum autuhentica ſcripta habemus, addicti fuere, eamque potiſſimum ex Ethnica Platonis Philoſophia hauſerunt, & in Eccleſiam Chriſti invexerunt. Alii Chriſto quidem divinam perſonam adjunxerunt, ſed ejuſmodi, quæ non ex eſſentia Patris generata ſit, verum ante mundum conditum à Deo Angeli inſtar ſit creata: quam ſententiam Arius cum aſſeclis ſuis urſit. Tandem perſona iſta plane Altiſſimus Deus effecta eſt, & æterna generatio ejus ex eſſentia Dei eſt excogitata; idque factum potiſſimum in Nicæno Concilio: (quanquam non per omnia eodem modo, ut hodie docetur.) Id quod celeberrimus Jeſuitarum Petavius agnoſcit de Trinitate lib. 1. cap. 1. paragr. 3. aitque, de Trinitate & æterna generatione Filii ex eſſentia Dei, ante Nicænum Concilium nequaquam ſciri aut exacte ſcribi potuiſſe, quandoquidem hoc myſterium demum poſt exortam cum Arianis controverſiam Catholicis ſit patefactum ac confirmatum. Etſi vero humana natura ab illa divina perſona non ſepararetur; naturæ tamen divina & humana, ita inter ſe diſtinguebantur, ut omnis divina excellentia divinæ naturæ, humanæ autem nonniſi humanæ proprietates & infirmitates, quæ de Deo dici nequeunt, adſcriberentur. Ut ita homo Jeſus Chriſtus una cum omni ſua divina dignitate, ad quam propter obedientiam ſuam à Deo glorioſe exaltatus eſt, à ſuprema Deitate, quæ in ipſo fingebatur, plane ac penitus (ut ita dicam) abſorberetur, nihilque de eo, præter humanam naturam, omni divina gloria ac præeminentia vacuam, relinqueretur. Cum enim pro abſurdo haberetur, duas in Chriſto ſtatuere perſonas, quod Cerinthus primo & deinceps Neſtorius faciebat, adjuncta eſt divinæ Chriſti perſonæ, quæ proſecunda perſona Trinitatis & pro æterno Filio Dei habita eſt, non humana perſona, ſed tantum humana natura, id eſt, humanæ proprietates; adeoque humana Chriſti perſona, id eſt, verus & eſſentialis homo prorſus è medio ſublatus eſt. Atque hæc nefanda & cum ſumma diminutione divinæ gloriæ Domini Jeſu conjuncta ſententia, eſt illa ipſa, quæ hodie in Chriſtiano orbe paſſim obtinuit ac regnat, quæ ſi illius vim ac rem ipſam ſpectes, revera negat, Jeſum eſſe Filium Dei. Hæc eſt doctrina, per quam Satanas attigit ſcopum ſuum, dum hominem Jeſum de ſolio divinæ Majeſtatis ejus, in quod gratioſi præmii loco pro gravi animæ ſuæ labore à Deo collocatus eſt, in animis hominum deturbavit, aliumque in eo repoſuit, qui nunquam in rerum natura extitit, ſecundam ſcilicet Trinitatis perſonam, & fictum quendam Dei filium, qui ab æterno, (id eſt, nunquam) ex eſſentia Dei (qui neque gignere, neque parere poteſt) genitus ſit. Quæ hominum temeritas ad tantum excrevit faſtigium, ut ii pro maledictis & idololatris habeantur, qui homini Jeſu divinum cultum exhibent, ac fiduciam ſuam in eo collocant, inque hos detorqueantur illa Jeremiæ verba ex cap. 17. 5, *Maledictus eſt homo, qui confidit in homine* &c. Quod ſane nihil aliud eſt, quam hominem Jeſum pro idolo aut falſo Deo habere: cum Chriſtus ipſe claris verbis teſtatus ſit, datum ſibi eſſe à Patre omne judicium, ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. Hacque ratione vera fides ſalvifica, quæ vincit mundum, penitus ſublata eſt. *Quis enim eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, Jeſum eſſe Filium Dei?* 1 Johan. 5. 5. Hac ratione omne noſtrum ſolatium ac ſpes in lubrico poſita eſt. Si enim is eſt verus Dei Filius, qui eſt ipſe immor-

talis Deus, ergo Filius Dei vere mortuus non eſt, ergo etiam vere non reſurrexit, ergo noſtra fides vana eſt, ergo adhuc ſumus in peccatis noſtris, ergo ii qui in Chriſto obdormierunt, perierunt: ut Apoſtolus argumentatur, 1 Corinth. 15. 15, 17, 18. Sed hæc de his dicta ſufficiant.

Cap. IV.

Euangeliſtam ſibi propoſuiſſe, hiſtoriam novæ Creationis deſcribere.

UT quæ ſequitur explicatio Initii hujus Euangelii aliquanto fiat contractior, haud abs re erit, ut nonnulla tam ad rectam textus intelligentiam, quam ad refutationem falſarum interpretationum neceſſaria vel utilia, hoc loco diſquiramus, atque huc poſtea Lectorem in explicatione ipſa remittamus. Supra cap. 2 demonſtravimus ſcopum ultimum ac principalem, ad quem Euangeliſta in hoc ſuo Euangelio reſpexit, qui non alius eſt, quam probare, *Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei*, ut hoc *credentes habeamus vitam æternam.* Hoc ergo pro medio ſcopo ſibi propoſuit, deſcribere illud præſtantiſſimum opus, è quo proprie & maxime elucet, *Jeſum eſſe Chriſtum*, *Filium Dei*, nempe novam Creationem, quæ per hunc Jeſum facta eſt, ac porro res illas, quæ ad illam novam Creationem pertinent, & hiſtoria Euangelica continentur, nihilque ſunt aliud, quam miraculoſa Chriſti facta, ac divini cœleſteſque ejus ſermones & doctrinæ: quanquam is ea duntaxat potiſſimum excerpſit ac ſelegit, quæ ab aliis Euangeliſtis prætermiſſa ſunt; quo nimirum per hunc medium finem ac ſcopum ad illum ultimum perveniret, ac demonſtraret, *Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei*: ad quem ſcopum etiam reliqui Euangeliſtæ ſua ſcripta direxerunt.

Incipit autem Johannes Euangeliſta ſuam Euangelicam deſcriptionem plane iiſdem verbis, quibus Moſes incepit ſuam deſcriptionem hiſtoriæ de Creatione cœli ac terræ. Animadvertendum enim hic eſt, quod ad meliorem intellectum totius textus ſequentis plurimum lucis afferre poteſt, eximium illud opus prædicationis Euangelii ac liberationis humani generis, quod Deus per Chriſtum peregit, totumque mundum hoc pacto immutavit & in alium novum ſtatum redegit, in Sacris Literis *novam Creationem* vocari. Sicut enim per veterem ac primam creationem, quam deſcripſit Moſes, homines ad vitam hanc temporariam ac terrenam creati ſunt: ita per novam Creationem ſeu Regenerationem, quæ in Chriſto & per Chriſtum fit, homines ad aliam, novam, ſpiritualem ac cœleſtem vitam, quæ cum hac temporali vita nihil habet commune, creantur. Hinc fideles propter hanc novam Creationem *novæ creaturæ* appellantur. Ut 2 Corinth. 5. 17. *Si quis eſt in Chriſto Jeſu, nova eſt creatura. Vetera præterierunt: ecce facta ſunt omnia nova.* Et Gal. 6. 15. *In Chriſto Jeſu nihil valet, neque circumciſio, neque præputium, ſed nova creatura.* Johannes quoque in Apocalypſi ſua vocat Chriſtum *Principium creationis Dei*, cap. 3. 14. id eſt, novæ creationis. Sic Jacobus primos Chriſtianos appellat *primitias creaturarum Dei*, cap. 1. 18. non veterum creaturarum, quarum Adamus & Eva primitiæ fuerunt, ſed novarum creaturarum, quæ per ſermonem veritatis conditæ ſunt. Sic Paulus ait de fidelibus, eos *creatos eſſe in Chriſto Jeſu ad bona opera*, Epheſ. 2. 10. Et verſ. 15. Judæos & Ethnicos *in unum novum hominem in Chriſto creatos* eſſe. Et rurſus Epheſ. 4. 24 jubet nos *induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.* Ad hanc novam creationem, quæ per Chriſtum facta eſt, reſpicit ſenſu myſtico illa Eſaiæ Prophetia, cap. 65. 17. ubi Deus dicit: *Ecce ego creo novum cælum & novam terram, & non erunt priora in memoria amplius, neque aſcendent ſuper cor.*

Cum igitur Johannes induxiſſet in animum, novam Creationem, per Dominum Jeſum factam, in qua omnis ejus divina excellentia ſita eſt, in hoc Euangelii ſui primordio deſcribere: placuit ei comparationem quandam hujus novæ Creationis cum veteri inſtituere, & verba ac loquendi modos, quos uſurpavit in Veteris Creationis deſcriptione Moſes, huc transferre. Ideo deſcriptionem ſuam iiſdem verbis orditur, *In Principio*, prout Moſes ſuam orſus eſt hiſtoriam. Et ſicut Moſes teſtatur; Deum nullam aliam mediam cauſam adhibuiſſe, quam verbum ſuum ſive ſermonem ac juſſum, ad viſibilem hunc mundum, & omnia quæ ambitu ejus continentur, producendum: ita Johannes quoque indicat, ℣. 3 omnia quæ ad Spiritualem ſtructuram novi mundi fidelis pertinent, ſolum & unice per Verbum ſeu Sermonem Dei, id eſt, Chriſtum eſſe producta & facta, nihilque ſine eo factum eſſe ex iis rebus omnibus, quæ factæ ſunt. Præterea ſicut in Veteri Creatione per Verbum Dei ita omnia creata ſunt, ut ſimul vitam acceperint: eodem modo ait Johannes verſ. 4, etiam in hoc Verbo ſeu Sermone Dei, nempe Chriſto vitam fuiſſe, intellige ſempiternam, quæ novis creaturis parata ſit. Et ſicut Moſes inquit, tenebras fuiſſe ſuper abyſſum, Deumque poſtea lucem tanquam oculum mundi, quæ omnia illuminaret, condidiſſe: ſic meminit etiam Johannes lucis, quæ in tenebris lucet, & veniens in mundum, omnes homines illuminat verſ. 5. 9. Ita videmus Johannem tacite comparare novam creationem cum Veteri, non in omnibus quidem, ſed in iis duntaxat, in quibus comparatio iſta locum habere poterat. Earum enim rerum, quibus in nova creatione nihil reſponder, ne verbo quidem meminit Johannes.

Hinc jam clarum eſt, quale Principium Johannes hoc loco intelligat, nempe Principium earum rerum, quæ ad novam Creationem mundi ſpectant. Moſes cum ſuæ hiſtoriæ deſcriptionem inchoans, inquit: *In Principio creavit Deus cœlum & terram*, Geneſ. 1. 1, facile quivis ex ſcopo ac propoſito ejus intelligit, Principium illud, de quo loquitur, ad hiſtoriam mundi conditi, quam ſibi deſcribendam ſumſerat, referendum eſſe: quaſi dicat. In Principio rerum hujus mundi, ſeu, Ante omnes res in mundo factas, id eſt, antequam quicquam in mundo fieret, creavit Deus cœlum & terram. Subjicitque porro in ſequentibus ſpecialem deſcriptionem, tum quomodo iſta creatio cœli & terræ facta ſit, tum quid poſt eam peractam in mundo geſtum ſit. Ita

etiam

etiam Johannes Euangeliſta, qui inſtituit deſcribere, non veteris creationis hiſtoriam, ſed novæ, ſeu hiſtoriam Euangelii (quod ex toto liquide patet libro, dum mox loquitur de manifeſtatione vitæ æternæ per Jeſum Chriſtum, de Johanne Baptiſta, de adventu Chriſti in mundum, de eo quid in mundo egerit, de ejus morte ac reſurrectione &c.) Cum dicit: *In Principio erat Sermo*, facile intelligitur, eum de principio earum rerum loqui, de quibus agere ſeu ſcribere conſtituit, videlicet de principio Euangelii, & eorum quæ ad Euangelium pertinent, vel circa id geſta ſunt. Quaſi dicat: Ante omnia, quæ ad Euangelium ſpectant, erat Sermo. Quodque Johannes hoc loco non aliud principium, quam Euangelii intelligat, etiam ex Marco liquet, qui Euangelium ſuum ſic exorditur: *Hoc eſt principium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, ut ſcriptum eſt in Prophetis: Ecce ego mitto Angelum meum*, Marc. 1. verſ. 1. Hinc Petrus quoque cum eligendus eſſet Matthias, dixit, in locum Judæ talem eſſe eligendum, qui conſcius ſit omnius rerum geſtarum, ad Euangelium ſpectantium, initio facto à baptiſmate Johannis ad eum uſque diem, quo Dominus ſurſum receptus eſt à nobis, Actor. 1. 21, 22. Ex quibus duobus locis inter ſe collatis conſtat, principium Euangelii inchoari à prædicatione Johannis Baptiſtæ: à qua etiam hic Johannes Euangeliſta ſuam Euangelicam auſpicatur ſcriptionem. Poſtquam enim dixiſſet, ſermonem ante omnes res factas jam fuiſſe, & per eum totum opus novæ creationis peractum eſſe verſ. 3. ſubnectit poſtea verſ. 6. *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Johannes*, nempe Baptiſta.

Cap. V.

Verba, In principio, *non denotare principium mundi, adeoque ex his verbis probari non poſſe, quod Chriſtus extiterit ante creationem mundi, multo minus, quod ſit Deus ſummus.*

EX eo, quod Capite præcedenti diſputatum eſt, facile perſpicitur, quam nullo omnino nitantur fundamento, qui verba *in principio* de principio mundi accipiunt, quaſi Euangeliſta dicere voluiſſet: Sermonem, nempe Dominum Jeſum, in principio mundi fuiſſe, id eſt, antequam cœlum & terra crearentur, jam extitiſſe. Quod enim id primo ex ſimilitudine vocum colligunt, quia Moſes quoque ſuam deſcriptionem hiſce orditur verbis, *In principio*, ideoque volunt, tam Moſen quam Johannem de una eademque re agere, nimis inepta & infirma eſt iſta collectio. Quam multa enim reperiuntur loca Scripturæ, in quibus verba, *In principio*, ſimpliciter poſita, non principium omnium rerum ſeu creationis cœli ac terræ, ſed earum tantum rerum, de quibus ſermo eſt, deſignant? Ut inter alia cum Chriſtus diſcipulos ſuos ita alloquitur: *Et vos teſtabimini, quoniam à principio mecum eſtis*, Johan. 15. 27, non hoc ſibi vult, eos fuiſſe ſecum à principio creati cœli & terræ, ſed à principio prædicationis ſuæ, cum munus docendi ſuum auſpicaretur. Ita Lucas quoque ait: *Prout tradiderunt nobis, qui a principio ſpectatores ipſi & miniſtri fuerunt ſermonis*, cap. 1. 2. Eodem modo & Petrus inquit: Actor. 11. 15, *Cum autem cœpiſſem loqui, illapſus eſt Spiritus Sanctus in eos, quemadmodum & in nos in principio:* nempe in principio Apoſtolici muneris. Et Johannes ſic orditur Epiſtolam ſuam primam: *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectavimus, & manus noſtræ contrectarunt* &c. Vide etiam alia loca Johan. 6. 64. XVI. 4. Actor. 26. 4. 2 Theſſ. 2. 13. 1 Johan. 2. 7, 24. III. 11. Et Eſai. cap. 52. 4. Dan. 8. 1. Cum ergo nemo cordatus negare queat, Johannem hic in hoc textu de talibus rebus agere, quæ ad Euangelium pertinent, cauſa nulla eſt, cur aliud intelligatur hoc loco principium, quam principium Euangelii.

Objiciunt vero adverſarii, ſe non ex nudis illis verbis, *In principio*, colligere, Johannem hic de principio creationis mundi loqui, ſed etiam ex eo, quod ℣ſ. 3. & 10. Chriſto tribuatur creatio omnium rerum. Verum nos jam ſuperius monſtravimus, eximium opus Redemtionis noſtræ Creationem in Sacra Scriptura vocari, & Euangeliſtæ noſtro propoſitum fuiſſe, de talibus rebus agere, quæ ad Euangelium, adeoque ad novam creationem pertinent. Qui proinde verba verſ. 3, & 10, de veteri creatione intelligenda eſſe ſtatuit, non tantum id ipſum probare tenetur, ſed etiam oſtendere, ea non poſſe de nova creatione accipi, noſtramque adeo interpretationem falſam eſſe, & à ſcopo atque intentione Euangeliſtæ longe diſcrepare: id quod veriſſime de altera interpretatione dici poteſt, quæ verba Euangeliſtæ ad veterem creationem trahit; cum in toto textu ne umbra quidem inveniatur, quæ indicet, Euangeliſtam de rebus ad veterem creationem ſpectantibus agere. Et quam ingens & abſurdus foret iſte ſaltus, ſi Johannes poſtquam indicaſſet, quomodo omnia, nempe cœlum & terra, per Chriſtum facta ſint, mox velut ex abrupto ad Johannem Baptiſtam delaberetur, ac diceret: *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Johannes*, verſ. 6. Quis credat, Euangeliſtam à creatione mundi tam ſubito ad Joannem Baptiſtam fuiſſe venturum, & non aliarum rerum quæ ad veterem creationem pertinent, mentionem prius interjecturum?

Inde perſpicuum eſt, quam fragile ſit argumentum eorum, qui ex his verbis *In principio*, probare annituntur, Chriſtum eſſe ſummum Deum. Non jam loquor de eo argumento, quo ex verbis verſ. 3, concluditur, Chriſtum eſſe creatorem rerum omnium, atque adeo Deum ſummum; de hoc enim argumento agemus ſuo loco: ſed de eo, quo id concluditur ex his ſolis verbis, *In principio.*

Ex eo enim, quod ſermo, id eſt, Jeſus Chriſtus, *in principio*, id eſt (ut illi explicant) ante creationem mundi fuerit, colligunt, eum fuiſſe ab æterno. Si vero, inquiunt, ab æterno fuit, neceſſario ſequitur, eum eſſe Deum ſummum; hic enim ſolus ab æterno eſt. Sed quomodo probari poteſt, Dominum Jeſum ſi ante mundi creationem fuit, ideo etiam ab æterno fuiſſe? Ita id probant, (perpende, obſecro, acumen hominum in re tanti momenti.) Ante

mun-

mundum conditum, ajunt; nullum fuit tempus, ſed mera æternitas. Cum ergo Chriſtus ante mundum conditum fuerit, neceſſe eſt eum ab æterno fuiſſe. Verum quis homo ſanæ mentis tantam vim in his verbis, *In principio*, poſſet odorari, & rem tam gravem atque incomprehenſibilem ex iis elicere, quod ſcilicet verus homo, qui circiter 4000 annis poſt mundum conditum natus eſt, ante mundi creationem, imo ab æterno fuerit, imo ipſe Deus ſummus ſit? Sed non repetemus nunc, nulla ratione demonſtrari poſſe, quod verba, *In principio*, aliud principium hoc loco ſignificent, quam principium Euangelii, tantum abeſt, ut principium omnium omnino rerum, ſeu mundi denotent: verum ex abundanti & ad magis oſtendendam argumenti hujus vanitatem concedemus, Chriſtum ante creationem mundi extitiſſe; prout Veteres ac Novi Ariani credunt, Chriſtum quaſi Angelum ante mundum conditum à Deo eſſe factum, & poſtea humanum aſſumſiſſe corpus. Quomodo vero ex eo ſequitur, eum ideo ab æterno fuiſſe? Quia, inquiunt, ante creationem mundi nullum fuit tempus, ſed mera æternitas. Sed ex eo nihil aliud ſequitur, quam Chriſtum in illa æternitate fuiſſe, quæ fuit ante mundi creationem, non autem, eum ab æterno fuiſſe; qui immanis admodum ſaltus eſt. Et licet ante mundum conditum nullum fuerit tempus ejuſmodi, quod per horas, dies, menſes & annos menſuratum fuerit, cum nondum Sol & Luna exiſterent, ad quorum curſum hoc modo, quo nunc ſolemus, tempus computari poſſet, cur ſtatuatur nullum omnino tempus fuiſſe? Annon enim fuit æternum tempus? Et cur neceſſe eſt, ut qui ante mundum conditum extitit, extiterit ab æterno? An ergo Deus ante creationem mundi nihil creare potuit? Aut an Deus mundum non ante creare potuit? Quid omnipotentiæ ejus hac in parte obſtitit? Profecto ſi omnia, quæ ante mundum conditum fuerunt, ab æterno fuerunt, ſequitur etiam mundum ab æterno fuiſſe. Is enim pariter in illa æternitate fuit, vel in illo æterno tempore, quod fuit ab æterno, & in æternum durabit, quomodo id eſſet, quod nos concipere poſſumus extitiſſe ante mundum conditum, & tamen non ab æterno extitiſſe. Quales in exemplo ſunt Angeli. Eos enim prius, quam mundus conderetur, creatos eſſe, vel ex eo ſolo abunde patet, quod neutiquam veriſimile ſit, Moſen eorum creationem deſcribere neglecturum aut omiſſurum fuiſſe, ſi illa poſt mundum creatum demum facta fuiſſet.

Cap. VI.

De commento Veterum Patrum, cur Chriſtus Verbum Dei dicatur.

INter alias peculiares locutiones, quæ apud nullum alium Scriptorem librorum Novi Teſtamenti reperiuntur, habetur & hoc apud Johannem Euangeliſtam, quod Dominum Jeſum appellet Verbum ſeu Sermonem Dei; ut in principio hujus Euangelii & Apoc. 19. 13. Cauſa hujus appellationis videatur in explicatione textus ad cap. 1. 1. Hic vero non poſſumus præterire, quin admirationi lectorum exponamus monſtroſum quoddam commentum, quod Veteres Patres primitus ex Ethnica Platonis ſchola in religionem Chriſtianam introduxerunt, quodque hodie etiam pleriſque Interpretibus Sacræ Scripturæ ſupra modum placet: nimirum ajunt, Dominum Jeſum ideo dici Verbum, quia eſt Dei naturale atque eſſentiale Verbum, quod Deus per elocutionem intellectus ſui ab æterno genuit ac produxit. Atque hoc eſſe Verbum illud, quo Deus cœlum & terram creavit, de quo David loquatur, Pſalm. 33. 6. *Verbo Domini factum eſt cœlum, & Spiritu oris ejus omnis exercitus ejus.* Sed ut modo dictum ſomnium de eſſentiali Verbo Dei melius percipiatur, operæpretium eſt, ut id paucis declaremus. Aſſerunt, in Deo duas eſſe potentias, quarum operationes non extra Deum, ſed in Deo ipſo fiant, & in eo maneant, Intellectum ſcilicet & Voluntatem. Per Intellectum Deus cognoſcit atque contemplatur ſeipſum, cumque ſit ipſe ſummum bonum, idcirco etiam vult & amat ſeipſum. Amplius diſſerunt: Quicquid intellectus contemplatur atque intelligit, id contemplatur atque intelligit mediante aliqua imagine. Cum enim res ipſa, quæ intelligitur, in intellectu non ſit, neceſſe eſt, ut intellectus formet ſibi ejus rei imaginem, eamque ſibi proponat, ut ſic rem percipere atque intelligere queat. Jam cum Deus ſe ipſum ab æterno cognoverit ac intellexerit, neceſſum omnino eſt, ut is quoque ab æterno imaginem quandam conceperit in intellectu ſuo, cujus interventu ſeipſum cognoverit ac intellexerit. Hæc imago autem eſt Filius Dei, Dei cogitatio, Dei internum & eſſentiale Verbum, quod ille operatione intellectus ſui produxit. Quæ imago, cogitatio ac Verbum Dei, Deus ipſe eſt. Quicquid enim in Deo eſt, ajunt, Deus eſt: cum eſſentia Dei ſit ſimpliciſſima, nec ullam omnino compoſitionem admittat. Oportet etiam Verbum iſtud peculiarem perſonam eſſe, diſtinctam ab eo, qui id produxit: alioquin enim Deus ſeipſum genuiſſet ac produxiſſet. Porro quia Deus ſeipſum & imaginem ſuam ac Verbum diligit, atque ab ea viciſſim diligitur, dicunt amorem illum, qui à Dei voluntate & imagine proficiſcitur, eſſe tertiam perſonam Deitatis, nempe Spiritum Sanctum. Atque hoc eſt magnum illud myſterium de origine & eſſentia Filii Dei, quod ut percipiatur captivanda eſt ratio, idque ſimplici, id eſt, cæca ac irrationali fide credendum. Cur vero commentum hoc ſanæ rationi non debeat ſubjici? Ideo nimirum, quod ſana ratio judicet, id falſum eſſe & merum humani cerebri figmentum, cum in Sacris Literis nullum ejus reperiatur veſtigium, quæ tamen tam claris atque diſertis verbis & pluſquam ſufficientibus cum circumſtantiis nativitatem ac ortum Chriſti deſcribunt. Sana ratio judicat, eſſentiam Dei non poſſe eſſe ſimpliciſſimam, ſi diſtinctæ in ea conſtituantur perſonæ. Ratio dictat, eos qui fabulam iſtam credunt, vel neſcire, quid credant, vel in labyrintho inextricabili, cujus nullus ſit exitus, verſari. Si enim eſſentia Patris etiam Filii eſt, ſequitur neceſſario, etiam intellectum Patris eſſe intellectum Filii, atque adeo etiam opera, quæ ab intel-

intellectu, Patris proficiſcuntur, à Filii intellectu proficiſci ac promanare. Si proinde Pater per operationem intellectus ſui generat Filium, ſequitur Filium etiam (cui nimirum operatio iſta æque competit) ſeipſum generare. Imo etiam Spiritus Sanctus generavit Filium, eſtque adeo Filii Pater, & origo ſuæ originis. Cumque quælibet perſona tam ſeipſam quam alias cognoſcat atque intelligat, eaſque cupiat & amet, neceſſario ſequitur, quamlibet perſonam intelligendo & amando plures filios ac Spiritus Sanctos gignere & producere. Nam ſi imago, cujus interventu Pater ſeipſum contemplatur ac intelligit, perſona eſt, oportet etiam imagines, quarum interventu Filius & Spiritus Sanctus ſeipſos & alias quoque perſonas contemplantur ac intelligunt, perſonas diſtinctas eſſe, æque ac illæ imagines, per quas Pater Filium & Spiritum Sanctum contemplatur. Ita non amplius tres habemus perſonas ſupremæ Deitatis, ſed ingentem earum numerum. Cum vero rurſus omnes iſtæ perſonæ tam ſeipſas, quam alias contemplentur ac ament, idque interventu certarum imaginum, quæ omnes perſonæ ſunt, magis adhuc excreſcet perſonarum divinarum numerus, uſque in infinitum. Hæc tamen fabula adeo nonnullis placet, ut ne eam deſerant, malint tam abſurdam defendere ſententiam, quæ ex illa neceſſario nexu fluit, quod ſcilicet Filius Dei adhuc perpetuo generetur, & porro in omnem æternitatem generabitur. Cum enim Deus nunquam deſinat ſeipſum contemplari atque intelligere, ideo etiam nunquam deſinit Filium ſuum gignere atque producere. Quare ſecundum hanc opinionem, Pater ab æterno verſatur in opere generandi Filium, neque in æternum deſinet in eo verſari, ſiquidem in æternum deſinere nequit ſeipſum contemplari atque intelligere. Qui autem nondum natus eſt, nec in æternum naſcetur, de eo dici nequit, eum exiſtere in rerum natura, aut unquam extiturum. Unde ſequitur, nos nondum habere Filium Dei, atque adeo omnem noſtram ſpem, quam in eo collocamus, vanam eſſe. Sed de eo piget agere pluribus.

Ex his intelligitur facile, neque alterum illud ullo veritatis fundamento niti, quod aſſerunt, Verbum hoc, de quo Johannes hic loquitur, eſſe illud ipſum Verbum, quo Deus cœlum & terram creavit. Hoc enim Verbum apud Johannem eſt vera perſona, homo nempe Jeſus, quem Euangeliſta vult probare eſt Chriſtum Filium Dei: illud autem Verbum, quo Deus creavit mundum, non eſt perſona, ſed eſt tantum efficax Dei juſſio atque mandatum, cum diceret: *Fiat lux, fiat firmamentum, congregentur aquæ, terra producat herbas & gramen* &c. Atque ſic factum eſt illico. Hinc David in illo ipſo Pſal. 33. verba verſus 6 ipſe mox explicat verſ. 9, inquiens de Deo: *Dixit & facta ſunt; ipſe mandavit, & mox omnia extiterunt.* In quo Pſalmo etiam illud idem verbum, Spiritus oris Dei ſeu halitus Dei vocatur. Quanquam ſtatuendum eſt, Deum in opere creationis potius figurate loquentem introduci, ad ſimilitudinem magnorum Principum, quorum ad juſſum atque mandatum mox omnia fiunt, quæ volunt, quam quod vere ac proprie certa aliqua verba effatus ſit.

Cap. VII.

Quo tempore Dominus Jeſus apud Deum fuerit.

JOhannes Euangeliſta ait verſ. 1. *Sermonem* (id eſt, Dominum Jeſum) fuiſſe *apud Deum*: quod proprie atque ad literam intelligendum eſſe, in textus explicatione probatur. Quando autem & quo tempore id factum ſit, cum Scriptura non definiat, apparet, id ſcitu ad ſalutem neceſſarium non eſſe. Non eſt tamen abſurdum, imo veritati eſt conſentaneum, ſi quis cenſeat, id poſt baptiſmum Chriſti factum eſſe, poſtquam Spiritu Sancto unctus eſt, ante tamen, quam functionem muneris ſuis inchoaret, nimirum cum 40 dies ac noctes jejunavit, ac in deſerto verſatus eſt. Quemadmodum enim Moſes per totidem dies ac noctes ſine cibo & potu à Deo conſervatus eſt, antequam Legem ei traderet: ita credibile eſt quoque, Dominum Jeſum vere cœleſti cibo, dum nimirum cum Deo converſatus eſt, eumque oculis ſuis vidit, tantopere refectum ac recreatum eſſe, ut toto illo tempore nullo naturali cibo indiguerit, atque tum temporis eum doctrinam, mandata ac inſtructionem muneris ſui à Patre ſuo accepiſſe. Quanquam videtur Johannis indicare, Chriſtum antequam quicquam fieret, apud Deum fuiſſe: ergo ante baptiſmum. Itaque nihil certi hic ſtatuere licet: quod tamen veritati rei ipſius in Sacris Literis aperte proditæ nihil derogat.

Poſſet autem quiſpiam objicere, cum Dominus Jeſus fuerit homo mortalis, non potuiſſe eum ulla ratione perſonaliter apud Deum eſſe, cumque eo converſari, cum Scriptura de Deo teſtetur, eum in luce inacceſſa habitare 1 Timoth. 6. 16, quem nullus hominum viderit unquam, nec videre poſſit; imo Deus ipſe ad Moſen dicat: *Non potes videre faciem meam; quia non poteſt me homo videre, & vivere*, Exod. 33. 20. Reſpondeo. In iſto loco nonniſi de eo ſermo eſt, quod per ſe ac naturaliter fieri nequeat, non autem de eo, quod Deus ipſe velit facere. Naturaliter ſane ita comparatum eſt, ut homo mortalis Deum immortalem corporalibus oculis videre nequeat; at ſi Deo placeat, hominem aliquem in cœlum aſſumere, eique ſeipſum conſpiciendum dare, non eſt id ipſi factu impoſſibile. Facile enim eſt Deo, corpus humanum ita glorificare & adornare, ut præſentiam Dei ferre queat. Legimus de Chriſto Matth. 17. 1, 2, eum transfiguratum fuiſſe in monte, & faciem ejus ſplenduiſſe Solis inſtar, veſtimentaque ejus alba fuiſſe facta inſtar nivis. Quod vero tunc Chriſto contigit, idem etiam illo tempore potuit à Deo effici, cum Chriſtum ad ſe in cœlum reciperet, ipſique mandata daret, ut ſcilicet corpori ejus talem claritatem impertiretur, in qua divinæ Majeſtatis fulgorem perferre poſſet.

Hæc de tempore ac modo aſſumptionis Chriſti in cœlum ſententia, etſi mera conjectura eſt, claro & expreſſo Scripturæ teſtimonio non ſuffulta, nihil tamen continet in ſe abſurdi, imo magnam habet veri ſimilitudinem, quæ nulla ſolida ratione refutari poteſt.

poteſt. At altera, illa ſententia, qua vulgo à Chriſtianis creditur, Dominum Jeſum tanquam ſecundam Trinitatis perſonam apud primam, atque ita unum illum Deum ſummum apud unum illum Deum ſummum fuiſſe, & de cœlo deſcendiſſe, & rurſus poſtea in cœlum aſcendiſſe; non tantum nullum in Scripturis fundamentum habet, ſed pugnat directe tam cum Scriptura, quam cum univerſali lumine rationis. Hoc enim nulla ratione permittit, ut duarum diſtinctarum perſonarum una apud alteram fuerit, & tamen ambæ ſint unus idemque Deus. Nam ſi Verbum fuit apud unum illum Deum, & ſimul quoque eſt ipſe Deus ille unus, apud quem fuit, ſequitur, id apud ſeipſum fuiſſe: quod ſeipſum aperta contradictione conficit. Neque etiam divinæ majeſtati conveniens eſt, ut è cœleſti throno ſuo deſcendat, atque hic in terris perſonaliter in miſera ſervi forma verſetur, ſummaſque contumelias & omnis generis adverſa ab hominibus excipiat ac patiatur. Mitto, quod hic Johannes de homine Jeſu loquatur, & de eo dicat, quod apud Deum fuerit, de illo nimirum Jeſu, de quo probandum ſuſcepit, eum eſſe Chriſtum Filium Dei. Quod enim vulgo dicitur, hominem Jeſum non ſecundum humanam, ſed ſecundum divinam naturam ſuam, ſecundum quam Deus ipſe ſummus eſt, apud Deum fuiſſe, in eo non ſolum id ipſum pro conceſſo ſumitur, de quo ſolo maxima eſt controverſia, quod ſcilicet Jeſus præter humanam naturam, aliam adhuc nempe divinam habeat; ſed etiam nulla cum probabilitate monſtrari poteſt, hunc fuiſſe ſenſum ac mentem Euangeliſtæ.

Cap. VIII.

De vera divinitate Jeſu Chriſti.

UT ſummam dignitatem & excellentiam Chriſti ſupra Johannem Baptiſtam quam maxime extolleret Johannes Euangeliſta, etiam ſublimi Dei titulo eum exornat, dum ait: *Et ſermo ille erat Deus.* Hanc excellentiam ac dignitatem Domino Jeſu competentem eatenus, quatenus eſt Sermo Dei, ereptum ipſi eunt, quantum in illis eſt, omnes ii, qui credunt ac docent, eum eſſe ipſum Deum altiſſimum, cujus verbum ſeu Sermo eſt. Quod ipſum inter alia etiam ex hoc loco Johannis Euangeliſtæ probare ſatagunt, ſed non alio ex fundamento, quam ex ſolo nomine Dei, quod Chriſto hic à Johanne tribuitur. Dominus Jeſus, ajunt, hic expreſſe Deus appellatur, Ergo neceſſe eſt, ut ſit Deus Altiſſimus, quia nonniſi unus eſt Deus. Verum non adeo mirum eſt, eos qui hoc loco ex ſolo Dei nomine argumentantur & inferunt, Dominum Jeſum eſſe Deum Altiſſimum, non conſiderare, neque attendere, quod nomen Dei commune ſit & appellativum, quod in Sacris Literis pluribus attribuatur, ut mox demonſtrabitur. Craſſa enim nebula præconceptæ opinionis non ſinit eos retro oculos reflectere, & Scripturam cum Scriptura, verba cum verbis conferre, vel naturam ac proprietatem vocum, quibus Spiritus Sanctus utitur, cum ratione expendere. At hoc ſummopere admirandum eſt, eos non videre, quod hæc verba Euangeliſtæ, quibus Dominum Jeſum Deum vocat, inter ejuſmodi verba ſint poſita, quæ eum clare ac manifeſte ab uno Deo Altiſſimo diſtinguant, adeoque nullo modo permittant, ut is ſit Deus Altiſſimus. Proxime enim ante hæc verba dixerat: *Et Sermo erat apud Deum.* Et mox poſtea repetit hoc ipſum ac ſubjungit: *Hic erat in principio apud Deum.* Quæ verba firmiſſime arguunt, Dominum Jeſum non eſſe Deum Altiſſimum, quia alioqui ſequeretur, eum apud ſeipſum fuiſſe. Huc accedit, quod vocetur *Sermo Dei*, atque ita rurſus ab uno illo Deo diſtinguatur. Adde, quod poſtea verſ. 3. tanquam media cauſa omnium rerum, quæ ſub Euangelio factæ ſunt, introducatur: Deus autem Altiſſimus nullius rei media cauſa eſt, ut deinceps ſuo loco oſtendetur. Quid autem de primario ſcopo dicemus, quem ſibi in hoc Euangelio ſuo præfixit Johannes? Num ejus intentio fuit, demonſtrare, quod Dominus Jeſus ſit Deus altiſſimus? Nequaquam: ſed, quod *Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei*, uti ſuperius ex Johan. 20. 31 pluribus deduximus. Ubi oſtendimus, nihil ſublimius & præſtantius de Chriſto dici poſſe, quam quod ſit *Chriſtus*, id eſt, Unctus Dei, & Filius Dei. Qui uterque titulus ita comparatus eſt, ut iis Dominus Jeſus, non tantum diſerte à Deo ſummo tanquam Unctus ab eo, & Filius ejus diſtinguatur, ſed ut etiam indicent, eum totam eſſentiam ſuam, & omnem dignitatem ac præſtantiam ſuam ab alio accepiſſe, nempe ab eo, qui ipſum unxit ac genuit, qui nullus alius eſt, quam Deus ſummus, adeoque eum Deum ſummum non eſſe; cum Deus ſummus ſuam eſſentiam ac Deitatem à nullo alio, ſed à ſeipſo habeat. Taceo, quod in nullo Novi Teſtamenti libro plura teſtimonia atque argumenta reperiantur adverſus ſententiam de ſuprema Chriſti Deitate, quam in hoc Johannis Euangelio; ut Capite ſequenti ad oculum monſtrabimus. Quid igitur cogit nos credere; Euangeliſtam his verbis, *Et ſermo erat Deus*, ſupremam Deitatem Domino Jeſu adſcribere, & rem talem docuiſſe, quæ non ſolum ſeipſam evertit, verum etiam quam ipſe tam in hoc Exordio, quam in toto Euangelio ſuo fortiter deſtruit ac refutat.

Contra hanc claram demonſtrationem, quod Euangeliſta Dominum Jeſum hic Deum Altiſſimum non vocarit, ne tantillum quidem valet abſurda illa diſtinctio inter eſſentiam & perſonam, quam afferunt adverſarii, dicentes, Dominum Jeſum ſecundum eſſentiam eſſe illum ipſum unum ſummum Deum, qui Pater eſt, at ſecundum perſonam eum eſſe ab eo diſtinctum, ut ita Dominus Jeſus apud Deum fuerit, tanquam Filius æternus apud Patrem, id eſt, tanquam ſecunda perſona Trinitatis apud primam. Quid enim hoc aliud eſt, quam homines, quos Euangeliſta hoc loco ex erroris diverticulis in regiam viam veritatis reducere, & recta Domini Jeſu cognitione inſtruere ſtuduit, in labyrinthum quendam inducere, in quo errandi nullus ſit finis? Ubi eſt vel unicum verbum, unica litera, aut umbra de iſto diſcrimine eſſentiæ ac perſonæ in toto volumine Sacrarum Literarum? Ubi eſt vel minimum indicium ejus in his Euangeliſtæ verbis?

Quod

Quod nam tam abſurda diſtinctio habet fundamentum in ſana ratione? ſi Dominus Jeſus eſt alius à Patre ſecundum perſonam, utique etiam ſecundum eſſentiam eſt alius: quælibet enim perſona habet propriam ſuam eſſentiam. Eſſentia enim uniuſcujuſque rei eſt id, per quod res illa eſt id, quod eſt. Hinc perſona definitur, quod ſit eſſentia ſeu ſubſtantia prima intelligens. Itaque duæ diſtinctæ perſonæ nihil aliud ſunt, quam duæ diſtinctæ ſubſtantiæ primæ intelligentes. Et contra ſi duæ aut plures perſonæ tantum unam eſſentiam habeant, non jam amplius ſunt duæ aut plures perſonæ, ſed unica duntaxat. Et quis, quæſo, humanus, imo Angelicus intellectus id poſſit capere ac intelligere, ne dicam, ex verbis Euangeliſtæ exſculpere, quod Dominus Jeſus ſeu ſermo apud Deum fuerit, non tanquam unus eſſentialis Deus apud unum eſſentialem Deum, ſed tanquam perſona apud alteram perſonam, quarum tamen quævis ſigillatim ſit unus ille eſſentialis Deus? Nam ſi Chriſtus eſt (ut iſti volunt) unus ille Deus eſſentialis, & Pater quoque eſt unus ille Deus eſſentialis, aliter fieri certe non potuit, quam ut unus eſſentialis Deus, apud unum eſſentialem Deum eſſet, id eſt, apud ſeipſum: quod implicat contradictionem. Argumentum hoc tali Syllogiſmo proponi poteſt:

Pater eſt unus ille Deus eſſentialis.
Dominus Jeſus fuit apud Patrem
Ergo Dominus Jeſus fuit apud unum illum Deum eſſentialem.

Et porro:

Dominus Jeſus eſt unus ille Deus eſſentialis (ut contendunt illi,)
Dominus Jeſus fuit apud Patrem.
Ergo unus ille Deus eſſentialis fuit apud Patrem, id eſt, apud unum illum Deum eſſentialem.

Præterea vi hujus diſtinctionis irrefragabiliter concludi poteſt, Dominum Jeſum quatenus eſt alia diverſa perſona à Patre, non eſſe Deum ſummum. Nempe hoc modo:

Pater eſt ille unus Deus ſummus.
Dominus Jeſus quatenus perſona eſt, non eſt Pater.
Ergo Dominus Jeſus quatenus perſona eſt, non eſt ille unus Deus ſummus.

Falſum proinde eſt, quod dicitur, quamlibet perſonam Trinitatis eſſe unum illum Deum ſummum. Hinc jam elucet, quam arenoſo ac lubrico fundamento ſumme neceſſarii articuli Chriſtianæ fidei ab hominibus ſuperſtruantur ac inædificentur.

Quandoquidem autem hic locus nobis præbet occaſionem de vera Deitate Domini Ieſu, quæ ipſi tanquam vero & à Deo ad ſummam ſublimitatem evecto homini, competit, paulo fuſius agendi, animus eſt eam clarius explicare, & quamobrem ac quomodo Dominum Ieſum divino cultu afficiamus, indicare. Idque eam potiſſimum ob cauſam, quia nobis objicitur, vulgo, nos colere *duos Deos*, noſque eſſe *idololatras*, dum Domino Ieſu exhibemus cultum divinum, quem pro Deo ſummo non habeamus. Quam iniquam & blaſphemam calumniam nos illi qui juſte judicat, committimus, eamque ſimili excipimus patientia, qua Chriſtus excepit dictum illud Iudæorum: *Nonne recte dicimus, te Samaritanum eſſe, & dæmonium habere?* Iohan. 8. verſ. 48.

Ut autem res tam gravis ad gloriam Domini Ieſu, & illuſtrandam ejus ſanctiſſimam veritatem exactius explicetur, ſcire primum intereſt, nomen Dei eſſe nomen commune multis. Significat enim proprie perſonam ejuſmodi, quæ eximia ac ſingulari potentia ſeu robore, vel ſublimi poteſtate aliis imperandi & regendi, vel etiam utraque ſimul alios antecellit, ac inprimis ejuſmodi poteſtate, quæ ordinarium naturæ curſum ſuperat. Quod autem præter unum illum Deum Altiſſimum, plures ſint, tam homines, quam Angeli, quibus ob talem potentiam aut poteſtatem nomen Dei tribuatur, ex multis teſtimoniis Sacræ Scripturæ luculentiſſime perſpicitur. Ita enim Pſalm. 82 Magiſtratus & Judices expreſſe Dii nuncupantur. *Deus eſt Judex inter Deos* verſ. 1. id eſt, inter Judices. Et verſ. 6. *Dixi quidem, Vos Dii eſtis, & Filii Altiſſimi* &c. Quem locum etiam Chriſtus citat Johan. 10. 34. Magiſtratus enim hoc nomine inſigniuntur propterea, quod Dei locum in terris teneant, ejuſque ſint Vicarii, atque eam ob cauſam divinitus poteſtate ac dominio ſuper alios homines inſtructi ſint. Sic Salomon quoque, qui fuit figura Chriſti, Deus appellatur Pſalm. 45. 7. *Thronus tuus, ô Deus, manet in æternum. Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* &c. Sic etiam Moſes Aaronis Deus vocatur Exod. 4. 16. *Ipſe erit os tuum*, inquit Deus ad Moſen, *& tu eris ipſius Deus:* id eſt, ille pro te loquetur ad Pharaonem, tu autem ei imperabis, quid loqui debeat. Idem Moſes etiam Pharaonis Deus dicitur Exod. 7. 1. *Ecce*, dicit Deus, *conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Similiter & Angeli Dii vocantur: quod ex verbis Pſalm. 8. 6, liquet, ubi dicitur: *Minorem eum paulſper reddidiſti Diis* (ita ſonant verba in Hebræo textu) quæ verba Auctor Epiſtolæ ad Hebræos diſerte transfert ad Angelos, inquiens cap. 2. 7, *Paulo minorem eum effeciſti Angelis.* Angelus etiam qui Manue apparuit Jud. 13. verſ. 22, Deus appellatur. De quibus omnibus dici poteſt, eos veros ac non falſos Deos eſſe, quia non ipſi ſibi hanc poteſtatem injuſte arrogant, ſed eam à Deo communicatam obtinent. Rom. 13. 1. Diabolus quidem etiam *Deus hujus mundi* à Paulo Apoſtolo vocatur, 2 Corinth. 4. 4, agnoſcendumque eſt, ejus robur ac potentiam, quam in homines exercet, majorem eſſe, quam ullius Monarchæ in terris. Sed nihilominus non eſt verus Deus, ſed falſus, quia poteſtatem iſtam non à ſummo Deo accepit, ſed eam ſibi illegitime arrogat, eique ab impiis hominibus, qui ipſi ſerviunt, inique tribuitur.

Hinc clarum evadit, nihil in eo abſurdi eſſe, ſed cum Sacra Scriptura apprime conſentire, ſi dicatur, plures dari Deos, & quidem veros, ſed hoc cum diſcrimine, quod Sacra Scriptura ipſa conſtituit in-

ter eos, quod ſcilicet unus tantum ſit Deus Altiſſimus ac ſummus, qui poteſtatem ſuam ex ſe & à ſe ipſo habet, reliqui autem omnes ſint tales Dii, qui ſuam Deitatem ab uno illo Deo Altiſſimo acceperint, ideoque illi ſint ſubordinati. Atque hoc etiam confirmat apertiſſimis verbis Paulus Apoſtolus, 1 Corinth. 8. 5, 6. dum ſic ait: *Etſi ſunt, qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra (ſicut ſunt Dii multi, & Domini multi.) Nobis tamen unus eſt Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Quibus verbis diſerte dicit Apoſtolus, *eſſe Deos multos & Dominos multos.* Quod enim Apoſtolus non de falſis Diis, quibus unum illum Deum, Patrem opponat, ſed de veris Diis loquatur, exinde patet, quod ſi voluiſſet de falſis Diis loqui, ſatis fuiſſet dixiſſe: *Etſi ſunt qui dicantur Dii*; nec opus fuiſſet idem repetere ac dicere, *ſicut ſunt Dii multi.* Quis enim tunc temporis dubitaſſet, multos eſſe falſos Deos, ut id iterum repetere opus eſſet? Deinde Apoſtolus ad Deos mox addit Dominos: *Sicut multi ſunt Dii, & domini multi.* Atqui nihil certius eſt, quam multos eſſe veros dominos, quibus nomen hoc jure competit. Si autem Apoſtolus per *Deos* falſos Deos intellexiſſet, credibile non eſt, eum dominos adjuncturum Diis, verumque cum falſo confuſurum, atque ita errori pernicioſo anſam daturum fuiſſe. Quilibet enim ex eo colligere poſſet, quod ſicut multi ſunt veri domini, ita etiam multi ſint veri Dii. Dictat autem res ipſa, Apoſtolum hac de cauſa verba iſta, *ſicut ſunt Dii multi*, addere voluiſſe, ut indicaret, non immerito multos Deos in cœlo & in terra dici, ſeque in eadem eſſe ſententia, quod nomen Dei commune nomen ſit, quod pluribus conveniat. Cum enim initio dixiſſet, *multos eſſe, qui dicantur Dii*, non autem, qui ſint Dii, potuiſſet aliquis cogitare, mentem Apoſtoli eſſe, quod multis quidem nomen Deorum tribuatur, ſed eos tamen revera Deos non eſſe. Ut ergo huic dubitationi occurrat, addit ſuam propriam ſententiam, & confirmat prius dictum. Eccur vero malimus credere, Apoſtolum hoc loco de falſis Diis potius loqui, quam de veris, cum negari nequeat, reipſa plures veros Deos eſſe, tam in cœlo, quam in terra; ut ſupra demonſtravimus.

Quando igitur cum Johanne Euangeliſta dicimus, Dominum Jeſum eſſe Deum, id hoc ſenſu dicimus, quod verus quidem Deus ſit, non vero Deus ille Altiſſimus, qui tantum unus eſt. Nam nec Euangeliſta eum hoc ſenſu Deum dixit, quia eum à Deo uno Altiſſimo aperte diſtinxit. Verus Deus eſt, quia divinam poteſtatem ſuam non ipſe ſibi ſumſit, imo ne ſumere quidem potuit, ſed eam à Deo illo uno Altiſſimo accepit. Et ob hanc cauſam ipſe talis Deus eſt, qui alium Deum ſe ſuperiorem habet, nempe Deum illum unum Altiſſimum. Quod locus Pſalm. 45 clare demonſtrat, quem Auctor Epiſtolæ ad Hebræos ad Dominum Jeſum accommodat cap. 1. 9. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Ait, *ô Deus, Deus tuus* unxit te. Ita Chriſtus ipſe vocat Patrem Deum ſuum, Johan. 20. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum, ad Deum meum, & ad Deum veſtrum.* Et in Apocalypſi Johannis cap. 3. 12, Chriſtus in uno verſiculo quater appellat Patrem Deum ſuum. Ita etiam in extremo mortis diſcrimine clamavit ad Patrem ſuum Chriſtus: *Deus mi, Deus mi, cur dereliquiſti me?* Matth. 27. 46. Paulus quoque optat Epheſiis, ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti det illis Spiritum Sapientiæ Epheſ. 1. 17. Ita etiam Michæas Propheta loquitur de Chriſto cap. 5. 4. *Et exurget & paſcet in robore Domini & in ſublimitate nominis Domini Dei ſui.* Huc facit etiam locus 1 Corinth. 11. 3. ubi Apoſtolus Deum *Chriſti caput* nuncupat. Inprimis autem huc facit inſignis ille locus Apoſtoli Pauli, cum 1 Corinth. 15. 28, ita ſcribit: *Cum autem ſubjecta illi* (Chriſto) *fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur ei qui ſubjecit ipſi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.*

Cum igitur hæc ad eum modum ſe habeant, jure ac merito ad Dei gloriam confitemur ac credimus, cum Apoſtolo Paulo ex loco ſupra allegato 1 Cor. 8. verſ. 6, nos *unum tantum habere Deum, Patrem illum ex quo omnia ſunt*, id eſt, qui prima eſt cauſa & fons noſtræ ſalutis & eorum omnium, quæ ad eam ullo modo ſpectant, *& nos in illum*, id eſt, ad quem tanquam ultimum ſcopum ac finem omnis noſter cultus ac religio dirigitur. Agnoſcimus ac confitemur, nos *unum tantum Dominum, Jeſum Chriſtum habere, per quem ſunt omnia*, id eſt, qui media cauſa eſt noſtræ ſalutis, & per quem omnia, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, à prima ac ſuprema cauſa diriguntur & adminiſtrantur, per quem etiam nos Deum colimus eique ſervimus.

Cum vero Apoſtolus Dominum Jeſum unum Dominum vocat, dominium iſtud ejus nihil aliud ſignificat, quam ejus divinitatem. Voces ſunt diverſæ, res autem eſt eadem. Dominium enim Chriſti conſiſtit in ejus poteſtate, quæ ipſi data eſt in cœlo & in terra Matth. 28. 18. in ea autem conſiſtit etiam ejus Deitas. Poteſtas enim ejus eſt divina poteſtas. Cumque Petrus Apoſtolus Actor. 2. verſ. 36 dicit, *Deum feciſſe Jeſum Dominum ac Chriſtum*, nihil aliud voluit dicere, quam quod dixit Paulus Apoſtolus Phil. 2. 9, 10, *Deum donaſſe ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen*: quod nomen non aliud eſt, quam Dei. Supra hoc enim nomen nullum aliud nomen eſt. Quanquam ibi per nomen, Hebræa locutione, res ipſa, nempe divinitas, quæ Domino Jeſu donata eſt, intelligitur. Hinc Apoſtolus idem Paulus non dubitavit Rom. 9. 5, Dominum Jeſum *Deum benedictum in ſecula* vocare, eum ſcilicet, quem in ſuperius memorato loco ad Corinthios *unum Dominum, per quem ſunt omnia*, appellaverat.

Quando igitur nobis objicitur, nos ſervire duobus Diis, & ideo pro idololatris habemur, ſi id ita intelligatur, quod ſerviamus duobus Diis altiſſimis, deteſtanda calumnia eſt. Nos enim nonniſi unum Deum Altiſſimum agnoſcimus, qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Si autem ſenſus ſit, nos ſervire duobus Diis, uni, *ex quo ſunt omnia, & nos in illum*, & alteri, *per quem ſunt omnia, & nos per illum*, cujuſque Deus ac caput eſt ille Deus, ex quo ſunt omnia; adeo ejus rei nos non pudet, ut potius id gloriæ nobis ac laudi ducamus; cum in eo voluntati

tati Dei morem geramus, qui hunc magnum Servatorem conſtituit, nobiſque propoſuit, ut ſalutem noſtram in nullo alio quæramus, quam in Chriſto Jeſu. *Non eſt enim in ullo alio ſalus: nullumque eſt nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſervari*, Actor. 4. 12. *Pater judicat neminem, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui miſit eum*, Johan. 5. ℣ſ. 22, 23. Neque id immerito. Regio enim Legato regius debetur honor: Legato Dei, divinus. Et huic quidem magno Legato Jeſu Chriſto debetur tanto magis, quia nullus unquam Regum ac Principum hujus mundi legatum ſuum in ſuo Regali throno collocavit, ſuumque Regnum univerſum atque imperium ei hæreditario jure tradidit, neque Deus ipſe ulli unquam Legato ſuo tantum poteſtatis ac gloriæ conceſſit, ut Domino Jeſu, quem omnipotenti manu ſua *extulit ad dexteram ſuam in cœlis, longe ſupra omne imperium ac poteſtatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro; & omnia ſubjecit pedibus ejus, eumque conſtituit caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus ejus, & complementum ejus, qui omnia in omnibus adimplet*, Eph. 1. 21, 22, 23. Non moramur quoque, quod nobis probri cauſa objicitur, nos colere Deum factum, vel factitium, quaſi Dominus Jeſus ab aliquo ſculptore vel aurifabro factus ſit. Non erubeſcimus nos cum Petro Apoſtolo dicere, quod *Deus Dominum Jeſum Dominum & Chriſtum* (id eſt, Deum eximium) *fecerit*, Actor. 2. 36. Illi potius erubeſcant, qui dum nos tanquam idololatras damnant & execrantur, duorum Deorum cultum nobis exprobrantes, ipſi revera tres Altiſſimas, pariter æternas, pariter immenſas, pariter increatas, pariter omnipotentes perſonas divinas (quod nihil aliud eſt, quam tres Deos) credunt, eoſque pari cultu divino proſequuntur. Nihil enim eos juvat diſtinctio, quam comminiſcuntur inter eſſentiam & perſonam; & dum ajunt, ſe credere quidem tres perſonas Deitatis, ſed unum tantum Deum in eſſentia, nebulas tantum idiotarum ac ſimplicium (non autem vere intelligentium) oculis offundunt. Cum enim tres diſtinctas perſonas credant, ſiquidem tres numerant, nempe Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus Sanctus eſt perſona, atque inde concludunt, non unam eſſe perſonam, ſed tres; nulla ſane cauſa eſt, cur, quando dicunt, Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus, non etiam inde concludi debeat, non unum, ſed tres eſſe Deos.

Inſuper erubeſcere debent illi, qui nos propter cultum divinum, quem Domino Jeſu deferimus, idololatriæ accuſant, quod ipſi potius Dominum Jeſum (vi ſuæ doctrinæ) dejiciant de throno divinæ ejus Majeſtatis, & negent revera & facto ipſo non ſolum veram ejus Deitatem, ſed etiam perſonam ejus; dum hominem Jeſum è Maria natum, & à Deo propter obedientiam ad divinam ſublimitatem exaltatum, non pro humana perſona, atque adeo reipſa (etſi ore aliud profiteantur) non pro vero homine, ſed tantum pro humana natura, quam ſecunda Trinitatis perſona aſſumſerit, id eſt, non pro re per ſe ſubſiſtente ac ſubſtantia, ſed tantum pro proprietate quadam, id eſt, ſi rem ex vero æſtimes, propemodum pro nihilo habent. De quo pluribus actum ſuperius.

Hac occaſione cogimur paucis meminiſſe duorum locorum ex Prophetis Jeremia, & Eſaia, quæ pro argumento contra nos adduci ſolent, quod nimirum dum Dominum Jeſum divino cultu adoramus, tametſi eum pro Deo Altiſſimo non habeamus, idololatræ ac maledicti ſimus. Primus locus habetur Jerem. 17. 5. ubi Deus ſic ait: *Maledictus eſt homo, qui confidit in homine, & carnem ponit brachium ſuum.* Cum igitur nos hominem Jeſum adoremus, inque eo confidamus, idcirco nos pro maledictis habent. At multo juſtius de iis dici poteſt, quod ſint anathema maranatha, (ut Paulus loquitur 1 Corinth. 16. 13.) qui recuſant ſupplici prece ad hominem Jeſum confugere, ſuarumque animarum ſolatium ac opem apud ipſum quærere, cum extra eum nulla ſit ſalus, Actor. 4. 12. Plurimum intereſt inter fiduciam in homine collocatam, de qua loquitur Jeremias, & inter eam, quam nos & omnes veri Chriſtiani in Domino Jeſu reponimus. Ita enim ſonat locus integer apud Jeremiam, quem Adverſarii ſemiplenum & detruncatum adducere ſolent: *Maledictus eſt vir, qui confidit in homine, & ſtatuit carnem* (id eſt, homines fragiles, qui juvare non poſſunt) *brachium ſuum* (id eſt, auxilium ac robur ſuum) *& corde ſuo recedit à Domino.* Quibus verbis Propheta Judæos redarguit, quod corde ſuo à Deo receſſerint, id eſt, fiduciam ſuam à Deo removerint, ſpemque in Ægypto omnem collocarint. Quo eodem ſenſu Eſaias quoque inquit: *Væ illis, qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, & qui innituntur equis, qui confidunt curribus, quia multi ſunt, & equitibus, quia numeroſi ſunt, & non reſpiciunt ad ſanctum Iſraëlis, & Dominum non requirunt*, cap. 31. verſ. 1. Illi vero qui ad Dominum Jeſum confugiunt, non ſtatuunt *carnem*, id eſt, hominem fragilem ac mortalem pro ſuo brachio, ſed eum, *cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra*, Matth. 28. verſ. 18. qui dominatur ſuper noſtros ac ſuos inimicos, eoſque potenti brachio ſuo ponet aliquando ſcabellum pedum ſuorum, 1 Corinth. 15. 24, 25. Neque etiam illi recedunt corde ſuo à Domino, ut ait Jeremias, ſed per hunc Jeſum accedimus ad Deum. Imo Deus nullam aliam fidem acceptare vult, quam quæ per Chriſtum in eo collocatur. Ideo ſcribit Petrus, nos *per Chriſtum credere in Deum, qui eum reſuſcitavit a mortuis, & gloriam ei dedit*, 1 Petr. 1. verſ. 21. Quem autem Deus ſuſcitavit à mortuis? cui gloriam dedit? non Deo Altiſſimo, qui nunquam mortuus eſt, quique gloriam ſummam à ſeipſo habet; ſed homini Jeſu, qui ipſi obediens fuit uſque ad mortem crucis Phil. 2. 9. hunc Deus Dominum & Chriſtum effecit, Actor. 2. 32, 36. Fides, qua in Chriſtum credimus, non in ipſo ultimo acquieſcit, ſed tendit ulterius, ad Deum uſque, tanquam ultimum ſcopum ac finem. Hinc Chriſtus ipſe dixit: *Qui credit in me, non in me credit, ſed in eum, qui me miſit*, Johan. 12. 44.

Alter locus, qui hoc loco adverſus nos in medium adducitur, extat Eſaiæ cap. 42. 8. ubi Deus ait:

Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus. Nimirum Deus negat, ſe permiſſurum, ut gloria ipſi debita tribuatur ſculptilibus ac idolis. Quod enim verba *non dare* idem ſignificent aliquando in Scriptura, quod *non permittere*, liquet ex Pſalm. 16. 10. ubi inquit David: *Non dabis* (ita eſt in Hebræo) *ſanctum tuum videre corruptionem*, id eſt, non permittes, ut ſanctus tuus corrumpatur. Quo vero fine locus hic contra nos affertur, qui Dominum Jeſum cultu religioſo veneramur? Eo ſcilicet, ut probetur, Deum homini Jeſu divinam gloriam ſuam non dediſſe. Annon autem hoc eſt Chriſto in os contradicere, qui clariſſimis teſtatur verbis, *Patrem ſibi dediſſe omne judicium, ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem?* Johan. 5. 23. Annon hoc eſt toti Scripturæ reclamare, quæ teſtatur, *Deum donaſſe Domino Jeſu nomen, quod eſt ſupra omne nomen,* Phil. 2. 9. Et *collocaſſe eum ad dextram ſuam, ut eum adorent omnes Angeli Dei*, Hebr. 1. verſ. 3, 6. Quod totum ſane eſt divinus honor, & quidem talis, qui honori Dei ſummi par eſt. Imo Deus non ſolum Chriſto gloriam dedit ſuam, ſed eam quoque dat aliis hominibus, quos diligit. Ita enim Deus ipſe loquitur apud Eſaiam cap. 46. 13. *Dabo in Sion ſalutem & Iſraëli gloriam meam.* Sic enim verba in Hebræo fonte leguntur. Omnibus quoque Chriſti fidelibus Deus promiſit gloriam ſuam dare. Ad Rom. 5. 2. ſcribit Paulus: *Nos gloriamur in ſpe gloriæ Dei.* Et 1 Theſſ. 2. 12. *Deus vocavit vos in ſuum regnum ac gloriam.* Vide etiam 1 Petr. 5. 10. Apoc. cap. 3. 21. Quare ſenſus verborum Eſaiæ adverſus nos adductorum eſt, Deum nolle permittere, ut ſibi debitus honor auferatur, & ſe invito deferatur alteri, id eſt, idolis ac ſculptilibus: non autem, ſe nemini ex bona voluntate & ex gratia eam communicaturum. Imo dum Deus Chriſto ſuam gloriam communicat, adeo nihil decedit gloriæ Dei, ut hoc ipſo magis extollatur & augeatur. Hinc Paulus Apoſtolus, poſtquam dixiſſet Phil. 2. 9, Deum donaſſe Domino Jeſu nomen, quod eſt ſupra omne nomen, addit verſ. 2, *ut omnis lingua confiteatur, Jeſum Chriſtum eſſe Dominum, ad gloriam Dei Patris.* Denique eſt obſervandum, eſſe diſcrimen inter gloriam divinam, ac cultum, qui Domino Jeſu exhibetur, & inter cultum divinum, qui Deo Altiſſimo competit, neque eſſe illum huic per omnia æqualem. Deus enim Altiſſimus honoratur, tanquam is, *à quo ſunt omnia, & nos in illum:* Chriſtus autem tanquam is, *per quem ſunt omnia, & nos per illum*, 1 Corinth. 8. verſ. 6.

Antequam finiamus, paucis indicandum exiſtimamus, Dominum Jeſum in Novo Teſtamento admodum raro, & præter hunc Johannis locum vix ter Deum vocari, Johan. 20. 28. Rom. 9. 5. Hebr. cap. 1. 9. Semel etiam in Veteri Inſtrumento ſub figura Ezechiæ vocatur Deus fortis, Eſa. 9. 6. Cæterum ut plurimum & ferme ordinarie Dei Filius nuncupatur: ipſe vero ſeſe plerumque appellat Filium hominis. Omnia ſcilicet iſta nomina, *Deus, Dei Filius, Chriſtus, Dominus*, ſunt in Jeſu ejuſdem ſignificationis, eique omnia tanquam Meſſiæ atque magno Dei Legato attribuuntur. Ideirco vero tam raro Deus appellatur, & tam crebro Filius Dei, quia titulus *Filii Dei* ita divinitatem Chriſti exprimit, ut ſimul indicet inſigne diſcrimen inter eam, & inter ſummi Dei divinitatem, quæ à nullo alio habet originem: quod diſcrimen titulo Dei non ita innuitur. Hinc Chriſtus ipſe infra cap. 10. 34, 35, 36. cum à Judæis inſimularetur blaſphemiæ, quod homo cum eſſet, ſeipſum Deum faceret, ita reſpondit: *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra: Ego dixi, Vos Dii eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quia dixi, Filius Dei ſum?* Ubi Chriſtus graviſſimam cauſam habuit ſe Deum appellandi, dum ſe cum Magiſtratibus confert, qui etiam Dii (& quidem longe inferiori gradu, quam qui ipſi competebat) vocantur. Sed ille de induſtria à nomine Dei abſtinuit, ſeque Filium Dei appellare maluit, ut indicaret, ſe divinitatem ſuam non habere à ſeipſo, ſed eam totam quanta quanta eſt, Patri ſuo cœleſti acceptam ferre.

Cur vero Johannes Euangeliſta Dominum Jeſum hic potius Deum, quam Filium Dei nominaverit, cum tamen ſcopus Euangelii ejus fuerit, demonſtrare, quod *Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei:* id videtur duplici de cauſa factum eſſe. Primo quia ſibi propoſuerat Chriſti ſummam dignitatem & eminentiam præ Johanne Baptiſta (qui etiam vir valde inſignis erat, ita ut Chriſtus ipſe teſtetur, non eſſe majorem eo ullum è mulieribus genitum Matth. 11. 17.) deſcribere; ideo hoc eum ornavit titulo, qui iſtam ejus dignitatem & excellentiam perfectiſſime exprimit, ſenſu tamen non ſublimiori, quam qui perſonæ ejus conveniat. Deinde potuit etiam hæc fuiſſe cauſa, quod Euangeliſta amet ultima verba præcedentis periodi in initio ſequentis repetere. Cum ergo dixiſſet: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum;* placuit ipſi ultimum vocabulum *Deus* repetere, ideoque dixit: *Et Deus erat Sermo.* Cujus rei gratia etiam naturalem ſitum ac ordinem verborum invertit ac tranſpoſuit, quæ alioqui, ſi ſenſus ſpectetur, hoc ordine proferri debuiſſent: Et Sermo erat Deus. Sic ſperamus jam abunde monſtratum à nobis, quam inanis ſit adverſariorum noſtrorum de nobis triumphus, ex hoc loco Johannis, quamque vanus ſit eorum conatus, qui ex his verbis, *Et Sermo erat Deus*, ſummam Chriſti Deitatem adſtruere ſatagunt. Speramus quoque omnes probos, æquos ac cordatos homines agnituros, quo jure ac æquitate nobis tetrum idololatriæ crimen objiciatur, dum noſtrum Servatorem ac Mediatorem noſtræ ſalutis veneramur cultu divino; quique revera illi ſint, qui quia non honorant Filium, nec Patrem honorant. Verum ſperamus etiam in Deo, venturum propediem tempus illud, quo Dominus Jeſus ipſe ſumma cum potentia gloriam ſuam vindicabit, & vi ſuæ cognitionis ſpiſſas tenebrarum nubes diſcutiet, ſeque omnibus piis magna cum Patris ſui ac ſua laude patefaciet.

Cap. IX.

In nullo ſcripto Euangeliſtarum vel Apoſtolorum, plura teſtimonia & argumenta contineri, adverſus ſententiam de ſuprema Deitate Chriſti, quam in hoc Euangelio Johannis.

AD ſtabiliendum ea, quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, atque inprimis ad confirmandum ea, quæ ſupra cap. 2. de ſcopo principali & occaſione hujus Euangelii Johannis diximus, haud inutile erit, breviter oſtendere, in nullo alio ſcripto Euangeliſtarum vel Apoſtolorum plura teſtimonia & argumenta reperiri, quibus falſa opinio de ſuprema Chriſti Deitate refutetur, quam in hoc ipſo Johannis Euangelio. Unde tandem clare eluceſcet, Johannem in Exordio hujus ſui Euangelii nihil minus in animo habuiſſe, quam probare Jeſum eſſe Deum ſummum. Argumenta iſta autem hoc loco non deducemus late & copioſe (fiet id in ipſa Explicatione textus) ſed paucis tantum attingemus, locaque indicabimus, ubi Lector Chriſtianus reliqua, quæ ad pleniorem eorum illuſtrationem ac confirmationem ſpectant, invenire poſſit.

I. Diſtinguit Johannes innumeris locis Chriſtum, ut & Chriſtus ſeipſum ab uno illo vero ſeu Altiſſimo Deo. Et quidem in Exordio hujus ſui Euangelii, dum Chriſtum primo vocat *Sermonem* ὑ. 1. nempe Dei, ut ipſe declarat & addit Apoc. 19. 13. Sermo autem Dei non poteſt eſſe Deus ipſe, alioqui eſſet ſui ipſius Sermo, quod eſt contradictorium. Deinde cum dicit, *Sermonem fuiſſe apud Deum:* unde rurſus ſequitur, alium eſſe Sermonem, & alium eſſe eum, apud quem fuiſſe dicitur.

II. Deſcribit cap. 1. 3, Sermonem tanquam mediam cauſam ac inſtrumentalem omnium rerum. Deus autem ſummus nullius rei eſt media cauſa, ſed eſt omnium prima ac principalis.

III. Chriſtus vocat Patrem ſolum verum Deum cap. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te (Pater) illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.*

IV. Idem facit Chriſtus cap. 5. 44. *Quomodo poteſtis*, inquit, *credere, qui gloriam alii ab aliis accipitis, & gloriam, quæ ab uno Deo eſt, non quæritis?* Ubi per unum Deum neminem alium intelligit, quam Patrem ſuum.

V. Chriſtus omnia opera ſua non ſibi ipſi, ſed Patri ſuo adſcribit, cap. 5. 19. *Filius nihil poteſt à ſeipſo facere, niſi quod viderit Patrem facientem.* Et verſ. 30. *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam.* Vide etiam cap. 5. 36. x. 25, 37, 38. xi. 41. Quomodo vero id dicere poſſet, ſi eſſet ille ipſe Deus Altiſſimus, qui Pater eſt?

VI. Adſcribit quoque Chriſtus Patri ſuo poteſtatem exercendi judicium, quod eam ab ipſo acceperit cap. 5. 22. *Pater judicat neminem, ſed omne judicium dedit Filio.* At ſi eſt ipſe ſummus Deus, certe judicium iſtud habet à ſe & ex ſeipſo.

VII. Negat Chriſtus, ſe primum eſſe auctorem ſuæ doctrinæ. Ut cap. 7. 16, 17. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui me miſit. Si quis voluerit facere voluntatem ejus, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar.* Vide quoque cap. 8. 28. xii. 49, 50. xiv. 10, 24. Quocirca Deus eſſe ſummus non poteſt, ut qui auctor principalis atque origo, ſicut aliarum bonarum rerum omnium eſt, ita & ſanctiſſimæ Chriſti doctrinæ.

VIII. Negat Chriſtus, ſe veniſſe à ſeipſo, ſed ait ſe à Patre miſſum eſſe. Ut cap. 7. 28, 29. *Et me noſtis, & unde ſim ſcitis: & à meipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.* Vide etiam cap. 8. 42. v. 43. Si Chriſtus eſt Deus ſummus, quomodo ſic loqui potuit, quod non à ſeipſo, id eſt, non proprio arbitrio & auctoritate venerit?

IX. Negat Chriſtus ſe veniſſe, ut faceret ſuam propriam voluntatem, ſed Patris ſui, qui ipſum miſerit. Ut cap. 5. 30. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem Patris, qui miſit me.* Et cap. 6. 38. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Quomodo vero Chriſtus ad eum loqui modum poſſet, ſi foret ipſe Deus Altiſſimus?

X. Chriſtus negat, ſe gloriam ſuam quærere. Ut cap. 8. 50. *Ego non quæro gloriam meam.* Et verſ. 54. *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, Deum veſtrum eſſe.* Qui fieri poſſet, ut Chriſtus ſuam gloriam non quæreret? ut gloria ejus propria nihil eſſet, id eſt, inanis & vana, ſi ipſe eſſet Deus ſummus?

XI. Negat Chriſtus, ſe eſſe ultimum finem ac ſcopum fidei noſtræ. Ut cap. 12. 44. *Qui credit in me, non in me credit, ſed in eum, qui me miſit.* Quomodo ergo ipſe poteſt eſſe Deus ſummus, qui certe ultimus eſt ſcopus ac finis noſtræ fidei?

XII. Chriſtus agnoſcit Patrem ſe ſuperiorem eſſe. Ut cap. 14. 28. *Pater major me eſt.* Vide etiam cap. 10. 29.

XIII. Chriſtus teſtatur, ſe mandata accepiſſe à Patre, ſeque ea ſervare. Ut cap. 12. 49. *Ego ex me ipſo non ſum locutus; ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar.* Et cap. 15. 10. *Ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Vide quoque cap. 14. 31. iv. 34. vi. 38. viii. 29, 55. xvii. 4. xviii. 11. Unde rurſus videre eſt, Chriſtum non eſſe Deum Altiſſimum, quippe qui à nemine mandata accipit, neque ulli eſt obediens, aut eſſe tenetur.

XIV. Chriſtus affirmat, ſibi omnia à Patre data eſſe. Ut cap. 13. 3. *Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Vide itidem cap. 6. 39. x. 29. xvii. verſ. 2, 5, 22, 24, &c.

XV. Huc pertinet etiam, quod Chriſtus ait cap. 8. 16. *Et ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me, Pater.* Indicat Chriſtus, ſi ipſe ſolus eſſet, & Pater cum ipſo non eſſet, fieri poſſe, ut in judicio erraret, vel ut judicium ejus in dubium vocaretur. Quomodo igitur poteſt eſſe Deus ſummus?

XVI. Ejuſdem argumenti eſt id, quod Chriſtus dicit cap. 8. 14. *Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt tamen teſtimonium meum; quia ſcio,*

unde veni, & quo vado. Hoc ſibi vult, teſtimonium ſuum ideo verum eſſe, quia ſcit ſe à Patre miſſum eſſe, ad quem rediturus ſit eique rationem ſuæ legationis redditurus. Potius debuiſſet dicere, Teſtimonium ſuum ideo verum eſſe, quia ſit ipſe Deus Altiſſimus; ſi revera fuit.

XVII. Spectant etiam huc illa Chriſti verba c. 8. verſ. 29. *Qui me miſit, mecum eſt. Non reliquit me ſolum Pater, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Quibus verbis Chriſtus ſignificat, ſe non habiturum ſufficiens auxilium ac præſidium, ſi eum ſolum relinqueret Pater. Quod ſane de Deo Altiſſimo nulla ratione dici poteſt.

XVIII. Chriſtus diſerte Patrem ſuum vocat Deum ſuum. Ut cap. 20. 17. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, ad Deum meum, & Deum veſtrum.* Vide etiam Apoc. 3. 12.

Plura alia teſtimonia conſulto prætermittimus, quæ vel apud alios etiam Euangeliſtas reperiuntur, vel ad hæc modo enumerata referri queunt. Ex his autem ſolis judicare poteſt Chriſtianus Lector, utrum ſibi Johannes Euangeliſta propoſuerit, ut hodie jactatur, in Exordio ſui Euangelii ſupremam Jeſu Chriſti Deitatem, & generationem ejus ex eſſentia Dei Patris demonſtrare, contra quam tot irrefragabilia teſtimonia in hoc Euangelio extant.

Cap. I.

I. *Euangeliſta teſtimonium perhibet de Chriſto & Johanne Baptiſta: ad verſ.* 19. II. *Confirmat id Johannis proprio teſtimonio, quod primum coram Sacerdotibus & Levitis edidit: ad verſ.* 29. III. *Deinde coram univerſo populo: ad verſ* 35. IV. *Deſcribit, quomodo Andreas & Simon Petrus Chriſto innotuerint: ad verſ.* 44. V. *Quomodo Philippus & Nathanaël ad Chriſtum venerint: ad finem Capitis.*

PARS I.

CUm Johannes Euangeliſta hunc ſcopum principalem ſuæ Euangelicæ narrationi præfixiſſet, demonſtrare nimirum, *Jeſum* (& non alium ullum) *eſſe Chriſtum Filium Dei*; ut in Prolegomenis ex Johan. cap. 20. 31, evicimus: demonſtrationem hanc auſpicatur à comparatione Domini Jeſu cum Johanne Baptiſta, indicatque, quam longe Dominus Jeſus Johannem Baptiſtam dignitate & excellentia ſupergrediatur. A qua comparatione merito orditur Euangeliſta, quia Johannes Baptiſta prius, quam Dominus Jeſus, Euangelium de remiſſione peccatorum, deque appropinquatione Regni cœlorum cœpit prædicare, Matth. 3. 2. Quam ob rem non tantum potuiſſet credi, ſed etiam aliqui reipſa crediderunt, Johannem Baptiſtam fuiſſe primum ac Principem Euangelii Magiſtrum ac Præconem, adeoque hac in parte Jeſu præſtantiorem eſſe, id eſt, non Jeſum, ſed Johannem Baptiſtam eſſe promiſſum illum Meſſiam: id quod etiam in Prolegomenis latius eſt explicatum & confirmatum. Ut ergo Euangeliſta hunc ſcrupulum & falſam opinionem omnibus eximat, rem hanc ita pertractat, ut primo ſuum proprium teſtimonium tam de Chriſto, quam de Johanne Baptiſta proponat: à Capitis initio ad verſ. 19. poſtea vero ſuum iſtud teſtimonium confirmet duplici teſtimonio Johannis Baptiſtæ: à verſ. 19. ad verſ. 35. uſque.

Verſ. 1. *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo.*] Euangeliſta recenſet multiplices dignitates Domini Jeſu, quibus ſuperat Johannem Baptiſtam. Prima eſt, quod eum Sermonem appellet, intellige Dei, ut additur Apoc. cap. 19. 13. Græca vox λόγος proprie ſignificat Sermonem: verum ad præſens propoſitum Euangeliſtæ nihil refert, ſive vertatur Sermo, ſive Verbum; ſive dicatur, Sermo Dei, ſive Verbum Dei. Cæterum hoc eſt extra omnem dubitationis aleam, per Sermonem iſtum vel Verbum, neminem alium intelligi, quam Dominum Jeſum, illum ſcilicet divinum hominem, qui virtute Spiritus Sancti ex Virgine Maria verus homo natus eſt. De eo enim probare Johannes inſtituit, eum *eſſe Chriſtum Filium Dei*; de quo vide Prolegomena.

Hunc igitur hominem Jeſum vocat Johannes Sermonem, ſeu Verbum, non tantum ſimpliciter ideo, quia Deus per eum, tanquam primum ac perfectiſſimum Interpretem, ſuam voluntatem de ſalute hominum revelavit (de quo Euangeliſta infra verſ. 17, 18, ſic loquitur: *Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille enarravit*) verum etiam propterea quia Deus in genere omnia, quæ ad magnum illud opus novæ Creationis ſeu Euangelii requiruntur, per eum perfecit: ut deinceps verſ. 3, Johannes declarat. Quemadmodum enim in veteri Creatione Verbum illud ſeu juſſum, quod exivit ex ore Dei, tam efficax fuit, ut omnia per illud producerentur, quæ Deus produci voluit: ita in hac quoque nova Creatione Verbum hoc Jeſus Chriſtus, omnia peregit & effecit, quæ ulla ratione ad eam erant neceſſaria. Atque hæc cauſa eſt, cur nomine hoc λόγος, *Sermo* ſeu *Verbum* à nullo alio Euangeliſtarum vel Apoſtolorum Chriſtus appellatus ſit; quia nimirum nullus eorum talem inter Veterem & Novam Creationem comparationem inſtituit.

Ex his liquet, primo Euangeliſtam hoc excellenti titulo Dominum Jeſum longe ſupra Johannem Baptiſtam extollere, eoque ſatis indicare, Dominum Jeſum & non Johannem Baptiſtam, ut nonnulli putabant, eſſe promiſſum illum Meſſiam. Deinde dum inquit, Sermonem fuiſſe *in principio*, id eſt, ante omnes res, quæ ad Euangelium ſeu novam Creationem faciunt, eo ipſo ſignificat, Deum hoc eximium opus Euangelii inde inchoaſſe, quod Domino Jeſu hoc ſublime ac divinum munus impoſuerit, ut ita Dominus Jeſus in conſideratione hujus ſui muneris non tantum quoad præſtantiam, verum etiam quoad tempus prius fuerit, quam Johannes Baptiſta: quod utrumque etiam Johannes Baptiſta infra verſ. 15, ipſe fatetur. Et hac ratione occurritur eorum objectioni, qui Johannem Baptiſtam ideo

potius

potius quam Dominum Jeſum pro Meſſia habuerunt, quia temporis reſpectu prius munus ſuum exorſus eſt, quam Dominus Jeſus. Etenim Euangeliſta teſtatur, Dominum Jeſum jam *in principio*, id eſt, antequam quicquam ad Euangelium ſpectans fieret, extitiſſe, dum nimirum prius eſt ad munus ſuum diviniſſimum deſignatus à Deo, quam Johannes Baptiſta prodiret in publicum.

Hic etiam clarum habemus argumentum, Chriſtum non eſſe Deum Altiſſimum. Dum enim eum Euangeliſta eum Sermonem nuncupat, nempe Dei, per quem Deus hominibus voluntatem ſuam annunciat, omniaque ad Euangelium pertinentia peragit, eo ipſo expreſſe à Deo Altiſſimo diſcriminatur. Itaque is Deus ille non eſt, cujus eſt Sermo. Præterea Deus Altiſſimus nullius eſt Sermo, nullius Interpres, qui aliena mandata ac voluntatem annunciet; nihil etiam per eum tanquam cauſam mediam ac inſtrumentalem factum eſt, ſed ipſe eſt prima & ſuprema cauſa, ut aliarum rerum omnium, ita inprimis earum, quæ per Chriſtum ad communem ſalutem hominum facta ſunt; quod inter alia diſertiſſime teſtatur Apoſtolus Paulus 1 Corinth. 8. 6, ubi ait: *Nobis unus eſt Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum.*

Et ſermo erat apud Deum.] His verbis Euangeliſta inſinuat alteram præſtantiam Domini Jeſu, qua non ſolum alios omnes Prophetas, ſed Johannem quoque Baptiſtam anteit. Erat apud Deum, nempe apud unum illum Altiſſimum Deum, cujus erat ſermo, quod eſt extra omne dubium. Non ſine cauſa autem Euangeliſta hæc verba addit, quia res ipſa popoſcit, ut is qui Dei Verbum eſt, & interpres perfectiſſimæ voluntatis ejus, apud Deum eſſet, & omnia quæ Dei loco ſeu nomine loqui, docere, ac præſtare debuit, non per ſomnia, aut occultas inſpirationes, aut per vocem Angeli, ſed ab ipſo Deo & quaſi ex ore ejus acciperet atque ediſceret. De Moſe Mediatore Veteris Fœderis legitur, eum in monte Sinai apud Angelum illum fuiſſe, qui Dei perſonam ſuſtinuit; eccur ergo de Chriſto Mediatore novi ac multo præſtantioris Fœderis, non credamus, eum in longe excelſiori monte, in cœlo nimirum, & non apud Angelum, ſed apud Deum Patrem ſuum fuiſſe. Paulo Apoſtolo, qui tantummodo miſſus erat ad Ethnicos, id obtigit, ut uſque in tertium raperetur cœlum: quanto magis id Filio Dei unico, magno illi Legato ad univerſum genus humanum, obtingere debuit? Atque hoc revera factum eſſe, quod Chriſtus in cœlis apud Deum reipſa fuerit, ipſe Chriſtus apud hunc Euangeliſtam atteſtatur. Primum cap. 6. 62. *Hoccine vos offendit? Quidſi igitur videritis Filium hominis aſcendentem eo, ubi erat prius?* Deinde cap. 3. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui erat in cœlo.* Vide etiam cap. 6. 46. & cap. 16. 28. Quamobrem verba illa proprie & ad literam intelligenda ſunt, quæ Chriſtus apud eundem Johannem dixit: *Prout me docuit Pater, hæc loquor*, cap. 8. 28. De tempore, quo Chriſtus apud Patrem fuerit, vide in Prolegomenis cap. 7. Verba autem iſta Euangeliſtæ rurſus nobis telum contra adverſarios noſtros ſuppeditant, arguuntque, Verbum ſeu Sermonem, id eſt, Dominum Jeſum non eſſe unum illum ſummum Deum, apud quem erat; quia alias ſequeretur, eum apud ſe ipſum fuiſſe, quod contradictionem involvit.

Et Deus erat ille Sermo.] His verbis Euangeliſta Johannes exprimit tertiam Domini Jeſu præſtantiam, quod nimirum ipſe Deus fuerit. Ubi initio animadvertendum eſt, in Græco ordinem verborum eſſe tranſpoſitum, & recto ordine ita legi debere, *Et Sermo erat Deus*, ut nimirum Sermo ſubjectum ſit, Deus prædicatum: quod etiam alii, nempe Beza, Piſcator, Maldonatus, & è Veteribus Hilarius, & Baſilius obſervarunt. Johannes enim non vult declarare, quid Deus ſit, ſed quid Sermo ſit. Exempla ſimilis verborum tranſpoſitionis videantur, Luc. 6. 5. Hebr. 1. 8. Hoc loco autem videtur Johannes hæc verba data opera non naturali ordine poſuiſſe. Singulari enim ſtudio verba ſua ita collocare amavit (fortaſſis peculiaris ornatus gratia) ut in principio ſubſequentis periodi idem vocabulum repeteretur, quo præcedens finiebatur. Nempe hoc modo: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo.* Ita & verſ. 4, 5. repetit ſubinde vocabula, *vitæ, lucis, tenebrarum*, dum inquit: *In ipſo erat vita, & vita erat lux hominum, & lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et rurſus verſ. 9, 10, repetit vocem Mundus: *Veniens in mundum, in mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Item verſ. 11. *In propria venit, & proprii eum non receperunt.*

Hac præſtantia Dominus Jeſus Johannem Baptiſtam & omnes Prophetas atque Apoſtolos multis paraſangis poſt ſe reliquit, quod ſit Deus, id eſt, quod divina præditus ſit poteſtate. Etenim habere poteſtatem, non modo perfectiſſimam Dei voluntatem hominibus patefaciendi, verum etiam omnia ea ſecundum voluntatem Dei perficiendi, & exequendi, quæ ullo modo ad opus novæ Creationis, id eſt, ad æternam ſalutem ac felicitatem hominum pertinent (quorum in numero etiam erat poteſtas remittendi peccata, Marc. 2. 10, eſt revera habere poteſtatem divinam, ob quam meritiſſimo competit Chriſto nomen Dei.

Conſiderandum autem probe, Johannem non dicere, Et Sermo eſt Deus, ſed *erat* Deus. Voluit enim indicare, Dominum Jeſum non modo poſt ſuam reſurrectionem, & exaltationem, per quam adeptus eſt divinam poteſtatem in cœlo & in terra, Matth. 28. 18, Deum eſſe, ſed etiam jam tum Deum fuiſſe, cum adhuc in hac mortali vita verſaretur, & tanquam Dei ſermo atque interpres Euangelium annunciaret. Quod etiam Paulus innuit, inquiens, Phil. 2. 6, eum *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratum eſſe, quod eſſet æqualis Deo; ſed ſeipſum exinaniviſſe, aſſumpta forma ſervi*, &c. id eſt, etſi hic in terris cum divina forma ac majeſtate apparuerit (nempe cum divina ſapientia, ſanctitate, ac potentia) eum tamen hanc ſuam divinam dignitatem ac ſimilitudinem cum Deo, non tam mordicus retinuiſſe, neque ſe ſupra alios extuliſſe, ita ut raptores ſolent ſua ſpolia retinere manibus & pedibus, iiſque

se efferre ac gloriari coram omnibus, sed eum se humiliasse vilissimi mancipii instar, & Deo obedientem factum esse usque ad mortem crucis. Itaque hæc Christi dignitas, quam hic ei tribuit Euangelista, appellans eum Deum, nomine tantum, non reipsa differt à prima illa, quam expressit appellans eum Sermonem. Etenim eo ipso, quod Dominus Jesus fuit Sermo Dei tam excellenti ratione, ut explicavimus, etiam Deus reipsa fuit.

Vers. 2. *Hic erat in principio apud Deum.*] Repetit Euangelista denuo, quod supra dixerat. Sensus est, Sermonem, qui Deus erat, in principio apud Deum fuisse. Quæ verba Euangelista ideo addidit, ut indicet, omnes istas tres modo dictas dignitates simul ac uno tempore in Domino Jesu locum habuisse, id est, quod fuerit Sermo, quod fuerit in cœlo apud Deum, & quod fuerit Deus; idque *in principio*, id est, ante omnes res, quæ ad Euangelium spectant.

Vers. 3. *Omnia per eum facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum est.*

Hic Euangelista describit quartam Domini Jesu excellentiam, quæ in eo consistit, quod sit media causa omnium rerum ad novam Creationem pertinentium. Consequitur autem hoc ex præcedenti. Nam cum Dominus Jesus ante omnes res extiterit, quæ ad Euangelium seu Novam Creationem spectant, cum is Verbum seu Sermo Dei fuerit, merito addit, per eum omnia facta esse: quemadmodum in Veteri Creatione mundi Verbum Dei omnes creaturas antecessit, & per illud omnia producta atque effecta sunt. In qua comparatione novæ ac veteris Creationis Johannes perpetuo adhuc perseverat.

Quod autem Johannes hoc loco non de Veteri Creatione mundi loquatur, sed de nova, id non modo ex scopo ac proposito Johannis, de quo actum est in Prolegomenis, verum etiam ex omnibus hujus loci circumstantiis colligitur. Primum enim perspicuum est, Euangelistam per Verbum seu Sermonem veram personam intelligere, quæ divinam habet potestatem. Illud autem Verbum Dei, per quod vetus creatio effecta est, non fuit persona, sed tantum efficax jussio ac mandatum divinum: ut in Prolegomenis ostensum: Deinde persona ista est homo Jesus Christus, qui circiter quatuor post millia annorum à mundo condito ex Maria natus est. Itaque Euangelista de tali hic creatione loquitur, quæ ejus humanam naturam respicit. Tertio per istam creationem non omnia simpliciter ac singula, sicut in Veteri Creatione factum est, sed certa tantum, quæ ad renovationem mundi pertinent, creata sunt; ut Johannes ipse indicat dicens: *Et absque eo nihil factum est, quod factum est*; de quibus verbis paulo post agemus. Quarto idem ex mox sequentis narrationis contextu toto perspicitur, ubi Euangelista id quod hoc vers. 3 in genere dixit, in specie describit, & hac descriptione ad tempora Euangelii & ad res, quæ sub Euangelio factæ sunt, digitum intendit. Meminit enim mox de luce vitæ æternæ vers. 4. quomodo lux ista in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderint vers. 5. de adventu Johannis Baptistæ vers. 6. & de ejus testimonio vers. 7, 8, 9. de adventu ipsius Domini Jesu, deque ejus prædicatione & actionibus vers. 10. 11. & seqq. Revera si Euangelista hic de Veteri Creatione egisset, nimis immanem & absurdum saltum commisisset, à creatione cœli ac terræ subito ad vitæ æternæ & Johannis Baptistæ mentionem descendendo. Clarum proinde est, Johannem de nova Creatione loqui, omniaque quæ per Verbum seu Sermonem hic facta esse dicuntur, ad novam Creationem & ad Euangelium spectare: quasi dicat; Omnia, quæ ad Euangelium novamque creationem faciunt, per hunc Sermonem, qui Dominus Jesus est, facta sunt. Per eum gratia & veritas facta est, ut Iohannes infra vers. 17, ipse ait, id est, novum Fœdus, quod est plenum gratiæ ac bonitatis Dei. Per eum facta est larga atque copiosa illa effusio Spiritus Sancti, Iohan. 7. 38, 39. Per eum novus homo seu nova creatio facta est, 2 Corinth. 5. 17. Ephes. 2. 15. IV. 24. Per eum duo populi mundi, Iudæi & Ethnici in unam Ecclesiam coaluerunt: quam Ecclesiam Apostolus Paulus simpliciter *Creationem* vocat Rom. 8. 19. 20, 21, 22, 23. Per eum omnia quæ in cœlo sunt & in terra, summatim recollecta sunt, ac reconciliata, Ephes. 1. vers. 10. 11. Coloss. 1. 20. Per eum conciliatio hominum cum Deo facta est Ephes. 2. 16. 2 Corinth. cap. 5. 19. Coloss. 1. 20. Per eum abrogatio Legis Mosaicæ facta est, quæ consistebat in dogmatis, abolitusque ac destructus est paries intergerinus, qui Judæos ab Ethnicis distinguebat, Ephes. 2. 13. In summa, omnia quæcunque ad novam Creationem pertinuerunt, per Christum perfecta sunt.

Et absque eo nihil factum est, quod factum est.] Euangelista repetit verba antecedentia, neque id absque causa. Etenim tacitam vult occupare objectionem. Nimirum posset quispiam dicere, etiam per Apostolos plurimas res factas esse. Ideo indicat, etiam ista per Apostolos facta nihilominus Domino Jesu adscribenda esse, cum ea omnia ipse virtute Spiritus sui in eis, & per eos tanquam ministros suos egerit ac effecerit. Atque huc facit id quod Christus dixit Apostolis suis: *Sine me nihil potestis facere*, Johan. 15. 5. Spectat igitur hoc ad majorem Christi gloriam ac dignitatem, quod etiam ea, quæ post mortem ejus facta sunt, ipsi adscribenda sint: quod de nullo unquam Propheta ac legato Dei alio dictum fuit. Quod Josue fecit ad liberationem populi Israëlitici & ad Legem pertinens, id totum fecit absque Mose: & quicquid reliqui Prophetæ ad Legis interpretationem fecere, id totum factum est absque Mose. At absque Domino Jesu nihil factum est, quicquid ulla ratione ad Euangelium spectat.

Ea autem, quæ non proprie per Christum, sed tamen non etiam sine Christo facta sunt, hæc sunt præcipue: Vocatio Gentium, abrogatio legis ceremonialis, & miracula primitivæ Ecclesiæ. Etenim Gentes non ante vocatæ sunt, quam per Paulum Apostolum, qui se etiam propterea Apostolum Gentium appellat, Rom. 11. 13. 1 Timoth. 2. 7. neque etiam poterant Ethnici ante ad communionem Euangelii admitti, quam id Iudæis sufficienter annunciatum esset. Hoc enim postulabat divina promissio, Actor. 13. 46. Ceremonialis vero lex non ante est abrogata, quam Gentiles vocati sunt: per quam abrogationem paries ille medius sublatus est,

eſt, qui utrumque populum disjungebat ac dividebat, Epheſ. 2. 14. Sic etiam inter fideles nulla edita ſunt miracula, ante quam Dominus Ieſus in cœlum aſcendiſſet, & poteſtatem Spiritum Sanctum largiendi perfectiſſimo modo conſecutus fuiſſet. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*, Johan. 7. 39.

Quod factum eſt.] Johannes non ſine gravi cauſa addidit hæc verba. Senſus enim verborum talis eſt: Sine hoc ſermone Chriſto, nulla res facta eſt, ex illis rebus præclaris in mundo factis, quas videmus eſſe novas & antea inauditas. Ut ita Euangeliſta his verbis innuat, non ſimpliciter omnia, per hoc Verbum ſeu Sermonem facta eſſe, ſed ea ſolummodo omnia, *quæ facta ſunt*, indicetque adeo haud obſcure, eſſe res quaſdam, quæ factæ non ſint. Si enim hoc voluiſſet dicere, ſimpliciter omnes res, nulla excepta, per eum eſſe factas, ſuffeciſſet dixiſſe, *Et ſine eo nihil factum eſt*; eſſetque prorſus ſupervacua iſtorum verborum adjectio, *Quod factum eſt*. Nam quis neſciat, id factum non eſſe, quod factum non eſt? Quapropter hinc patet, Johannem non de tali creatione hic loqui, cujus vi omnia omnino, quæ ſunt in natura, à Deo facta ſunt, ſed de tali, cujus vi non omnia, quæ in natura ſunt, facta ſunt. Talis autem creatio eſt nova creatio mundi, cujus reſpectu multa ſunt, quæ facta non ſunt, omnia nimirum illa, quæ ad veterem creationem pertinent.

Ex his jam emergit, nullo modo ex voce *omnia* concludi poſſe, quod Johannes hic de Veteri Creatione loquatur. Quid enim uſitatius eſt non tantum in Scriptura Sacra, ſed & in familiari ſermone, quam ut vocis *omnia* ſignificatio non extendatur latius, quam ſubjecta materia permittit. Nos hic ex innumeris exemplis pauca tantum nonnulla, quæ nobis nunc in mentem veniunt, producemus. Apud Matthæum cap. 17. 11, ait Chriſtus: *Elias veniet prius, & reſtituet omnia*. Certe non omnia, quæ ſunt in univerſo mundo creata, ſed omnia corda hominum, quæ à Deo receſſerunt, vel averſa ſunt. Ita & Samaritana mulier dixit de Chriſto, Johan. 4. verſ. 39. *Dixit mihi omnia, quæ feci:* nimirum omnia, de quibus tunc fuerat ſermo. Et Paulus Apoſtolus inquit 1 Corinth. 10. 23, *Omnia mihi licent:* omnia ſcilicet, quæ per ſe peccatum non ſunt, quæque Chriſtiana libertas alioqui concedit. Idem ſcribit 2 Corinth. 5. 17, *Vetera præterierunt: ecce facta ſunt omnia nova.* Abſque dubio non omnia, quæ in mundo ſunt, ut oves, boves, aſini &c. Vide quoque Epheſ. 6. 13. 1 Theſſ. 5. 21. Tit. 1. 15. Si igitur quiſpiam aſſerere velit, Euangeliſtam hic ſimpliciter de omnibus ac ſingulis rebus in univerſum loqui, quæ in rerum natura ſunt, eum oportet prius probare, Johannem hoc loco de Veteri Creatione agere. Atque hinc jam cernitur, quam infirmo nitantur fundamento, qui ex hoc loco conantur evincere, Chriſtum eſſe Creatorem cœli & terræ, ac per conſequens ſummum Deum. Etenim præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, Sermo hic, id eſt, Dominus Jeſus ponitur tanquam cauſa media, per quam omnia iſta, de quibus agitur, à Deo, cujus ille Sermo eſt, facta ſunt. Ex quo porro ſequitur, eum Creatorem ipſum non eſſe, adeoque nec Deum ſummum, qui eſt cauſa cauſarum, & omnium rerum quæ ab ipſo fiunt, primus auctor.

Verſ. 4. *In ipſo erat vita, & vita erat lux hominum.*] Euangeliſta poſtquam verſiculo ſuperiore dixerat, omnia quæ ſcilicet ad novam creationem ſpectant, per Verbum ſeu Sermonem eſſe facta, ſubjicit mox ejus rei argumentum de luce vitæ. Sicut enim Veteris Creationis initium factum eſt à luce corporali Geneſ. 1. 3. ita etiam nova Creatio à ſpirituali luce cœpit. Continetur autem his verbis ineffabile beneficium, quod Dominus Jeſus ſecum in mundum attulit: in quo quinque nobis ſpectanda veniunt. 1. Quodnam ſit iſtud beneficium. 2. Quantam utilitatem ſecum trahat. 3. Quibus hominibus oblatum ſit. 4. Quales fuerint homines iſti, quibus oblatum eſt. 5. Quomodo ob iis receptum ſit.

Beneficium ipſum exprimit Euangeliſta his verbis: *In ipſo erat vita.* Ubi rurſus duo expendenda ſunt: Primo, quænam ſit iſta vita? ſecundo cur dicatur eſſe in Chriſto. Quod ad prius, vita, de qua hic agitur, non eſt hæc temporaria ac tranſiens, ut communiter ſentiunt Interpretes. Cum enim cenſeant, Euangeliſtam loqui hic de Veteri Creatione, quomodo mundus & omnia per Chriſtum facta ſint, ideo ſic explicant iſta verba, quaſi dicere Johannes voluerit, in ipſo originem ac fontem vitæ eſſe, quam per creationem omnibus rebus animatis communicarit. Sed cum hypotheſis illa, quod Euangeliſta de Veteri Creatione agat, non modo probari nequeat, ſed potius probatum ſit falſam eſſe, corruere & hoc neceſſe eſt, quod ei ſuperſtruitur. Imo verba, quæ ſequuntur, clariſſime evincunt, Euangeliſtam non loqui de vita naturali. Quomodo enim ulla probabilitate de vita naturali dici poteſt, eam eſſe *lucem hominum*, & hanc *lucem in tenebris lucere*, & *tenebras eam non comprehendere*? qua de re poſtea. Non dicam, quod Euangeliſta hic de Domino Jeſu loquatur, de quo ſumſit ſibi probandum, quod ſit Chriſtus Filius Dei, cap. 20. 31. Dominus Ieſus autem non poteſt eſſe origo & auctor naturalis vitæ hominum omniumque viventium: quia vita iſta jam ante fuit, antequam Ieſus naſceretur. Intelligit itaque Euangeliſta hic per *vitam*, æternam vitam: quod ex collatione cum altero loco Iohannis cernitur. Is eſt 1 Iohan. 5. verſ. 11. *Hoc eſt teſtimonium, quod nobis Deus vitam æternam dederit, & hæc vita in Filio ejus eſt.* Quis poteſt eſſe melior verborum apud Euangeliſtam controverſorum interpres, quam Euangeliſta ipſe? Ille aſſerit diſerte, Deum nobis dediſſe vitam æternam, & hanc vitam in Filio ejus eſſe. Quid igitur nos cogit verba iſta, de quibus agimus, de alia quam de æterna vita interpretari?

Creberrime autem in Scriptura Sacra vita æterna ita ſimpliciter *vita* vocatur, quia in ſummo gradu & perfectiſſimo modo digna eſt vita dici. Vide Matth. cap. 18. 8, 9. xix. 17. Marc. 9. 43. Iohan. 3. 36. v. 29. xiv. 6. & alibi. Terrena hæc vita potius umbra tantum eſt vitæ, quam vera vita. Ob hanc cauſam Chriſtus ipſe de ſe inquit: *Ego ſum via, veritas, & vita*, Iohan. 14. 6. In quibus verbis etiam doctrinam ſuam per excellentiam *veritatem* vocat, cujus

jus reſpectu omnia, quæ prius à Deo de voluntate ejus erant hominibus revelata, nihil niſi umbra quodammodo veritatis fuerunt.

Porro cum Euangeliſta ait, vitam fuiſſe in Chriſto, non intelligit id de poteſtate vitam æternam largiendi, ſed dicitur id reſpectu claræ & apertæ promiſſionis vitæ æternæ, quam Chriſtus ſecum attulit. Loquitur enim hic de vita æterna, quatenus eſt lux hominum, ut mox videbimus. Vita æterna autem eſt lux hominum eatenus, quatenus eſt clare & aperte hominibus promiſſa.

Vulgo creditur, vita æterna non per Chriſtum demum, ſed jam ſub Veteri Fœdere fuiſſe promiſſa; quæ falſa opinio fortaſſis in cauſa eſt, cur hæc verba non intelligantur de vita æterna. Sed dicant homines quicquid velint, nunquam tamen hac præſtantia Dominum Jeſum privabunt, quod ille primus ſit, qui iſtud ſummum bonum hominum, vitam ſcilicet æternam, mundo annunciavit ac patefecit. Præterquam enim, quod in tota Sacra Scriptura ne unus quidem locus monſtrari queat, in quo ante Chriſti adventum vita æterna hominibus promiſſa fuerit; nimis manifeſte & diſertiſſimis verbis Scriptura hanc præcellentiam Chriſto attribuit. Ut cum Paulus ait, 2 Timoth. 1. 10. *Jeſum Chriſtum abolevisſe mortem, & illuminaſſe vitam & immortalitatem per Euangelium.* Et Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 8. 6, ſcribit; Chriſtum *tanto præſtantius ſortitum eſſe miniſterium* (quam Moſes) *quanto præſtantioris Fœderis Mediator eſt, quod in præſtantioribus promiſſionibus ſancitum eſt.* Quam ob cauſam etiam hac periphraſi Auctor ille Euangelium deſcribit, quod ſit *introductio ſpei melioris, per quam appropinquamus ad Deum*, cap. 7. 19. Chriſtus quoque beatos prædicat diſcipulorum ſuorum *oculos & aures eorum, qui viderint & audiverint ea, quæ multi Prophetæ & Reges videre cupierunt, & tamen non viderunt*, Luc. 10. 23, 24. Et ob hanc ipſam cauſam Chriſtus ſeipſum Reſurrectionem ac vitam appellat, Iohan. 11. 25.

Quapropter hæc eſt quinta Domini Ieſu præſtantia, quod in ipſo ſit vita, qua eum Euangeliſta non ſuper Moſen ſolum & Prophetas omnes, verum etiam ſuper Iohannem Baptiſtam extollit, dum poſtea verſ. 7. de hoc dicit, illum non fuiſſe Lucem, ſed tantum teſtimonium perhibuiſſe de Luce. Ex quo manifeſtum eſt, inter ea, quæ per Chriſtum facta ſunt, prædicationem Iohannis Baptiſtæ non comprehendi, etſi ſub Euangelio quoque facta ſit, imo ut ex Marc. 1. 1, intelligitur, quodammodo principium ac præparamentum ad Euangelium fuerit. Nimirum quia in iſta prædicatione Iohannis Baptiſtæ nondum fuit vera lux, id eſt, annunciatio vitæ æternæ, ſine qua nova Creatio effici ac ne inchoari quidem potuit. Ideo etiam doctrina & prædicatio Iohannis Baptiſtæ tantum ad breve tempus duravit, & poſt adventum Domini Ieſu cito deſiit & exolevit, imo exoleſcere debuit.

Hucuſque egimus de ipſo beneficio vitæ æternæ; ſequitur, ut agamus de ejus utilitate, quam Iohannes his deſcribit verbis: *Et vita erat lux hominum.* Euangeliſta elegantiſſime vitam æternam lucem hominum appellat, quatenus hominibus clare promiſſa, & via eis ad eam conſequendam monſtrata eſt. Quod enim eſt oculis corporeis lux ſolis, id eſt, clara & aperta promiſſio vitæ æternæ animis hominum. Duo autem in ſe lux continet. Primo, quod ſupra quam dici poteſt, ſit jucunda & homini grata, ita ut vita hominis abſque ea non vita, ſed tormentum ac ſupplicium potius foret. Pari ratione quoque in toto mundo nihil homini gratius & acceptius accidere potuit, quam luculenta & indubia vitæ æternæ promiſſio, ſine qua hæc vita temporaria parum à morte differt, nec ullum in ſe conſtans ac verum ſolatium habere poteſt. Secundo, quod lux illuminans oculos hominum, dirigat omnes eorum actiones. Ita etiam promiſſio ac revelatio vitæ æternæ, poſtquam animum ac ſenſus hominis illuſtravit, monſtrat ei perfectiſſimum ac verum bonum, ad quod omnes ſuas actiones dirigat; ſine qua luce homo alioqui quaſi cæcus eſt & errat, neſcius, quo tendat, & ad quem finem ac ſcopum vitam ſuam moduletur. Et hic ſane fuit ſtatus omnium ferme hominum, antequam Chriſtus hanc lucem in mundum inferret.

Tertium, quod hic expendi meretur, eſt, Quibus hominibus hoc immenſum beneficium prædicationis vitæ æternæ exhibitum ſit? Homines iſti ſunt primo ac potiſſimum Judæi, ad quos Chriſtus principaliter miſſus erat; deinde etiam alii omnes omnium gentium ac nationum populi. Judæi etſi aliquam cognitionem de Deo habuerint, Lexque illis data ſit, nihilominus in aſſiduo mortis timore erant conſtituti, quia nemo eorum Legi talem obedientiam, qualem illa exigebat ab hominibus, præſtare poterat, vel ſaltem reipſa præſtabat. Et etiamſi quis Legem tam perfecte obſervaſſet, tamen carebat clara & expreſſa Dei promiſſione, qua certus de æterna felicitate ſua redderetur. Atque ita duplicato angore tenebantur, vitamque agebant miſerrimam. Quærebant ſemper, quo deſiderium ſuum explerent, quemadmodum cæcus palpat in tenebris. Sed ſicut cæcus nihil videt, ita & illi nihil eorum, quæ quærebant, invenire poterant. Hinc tot deſideria omnium piorum adventum Meſſiæ expetentium & optantium, ut cœlum roraret, eumque demitteret. Per hunc enim omnes perſuaſi erant, ſingulariſſimum aliquod ſe conſecuturos beneficium.

Notandum autem eſt, hoc in loco *Lucem hominum* appellari vitam æternam, non quod ea homines reipſa & effective, ut loquuntur, illuſtrati fuerint. Mox enim addit Euangeliſta: Tenebras lucem illam non comprehendiſſe. Sed quod, ſi voluiſſent homines illuſtrari potuiſſent, & adeo ex parte & conſilio Dei vere illuſtrati fuerint. Hoc loquendi modo infra verſ. 10 dicitur *mundum per eum* (nempe Sermonem) factum eſſe, id eſt, renovatum, etſi pauci tantum homines in mundo renovationi iſti ſeu novæ Creationi locum dederint. Ita Chriſtus quoque *lux mundi*, Iohan. 8. 12. & *Servator mundi*, 1 Johan. 4. 14, vocatur, quia nimirum per ſe & ſecundum Dei decretum atque conſilium paratus ac ſufficiens erat ad totum mundum illuſtrandum ac ſervandum. Affecti proinde ſunt ſummo beneficio ex parte Dei omnes Judæi, ad quorum aures pervenit certum Euangelii de vita æterna nuncium:

cium: quod etiam agnovere viri ſancti, qui tempore nati & exhibiti Meſſiæ vixerunt; in quorum numero fuit Simeon ille Senex, & Anna Prophetiſſa, Zacharias Pater Johannis Baptiſtæ, & alii eorum ſimiles.

Quodſi igitur de Judæis dici poteſt, lucem eorum fuiſſe vitam æternam, qui tamen aliquam, etſi imperfectam Dei cognitionem habebant, eique ſuo modo obediebant: quid putamus dicendum eſſe de aliis Gentibus extraneis, quæ nec Deum eſſe ſciebant, nec qualis eſſet, ullo modo cognoverant, & cupiditatibus carnis ſuæ ſummo cum deſiderio ac impetu ſerviebant? qui canibus etiam propterea aſſimilantur, reſpectu Judæorum, qui pro filiis habebantur? Matth. 15. 26. Iſtis vere lux fuit revelatio vitæ æternæ. Vidit hoc in Spiritu Senex ille Simeon, cum Jeſum vocat *lumen ad revelationem gentium*, Luc. 2. 32. Hinc etiam, cum aliquando Jeſus in fines Zabulonis & Nephthalim deſcendiſſet, ait Matthæus impletum fuiſſe oraculum Eſaiæ, qui dixerit: *Terra Zabulon & terra Nephthalim ad viam maris, ultra Jordanem, Galilæa gentium; populus ſedens in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione & umbra mortis lux orta eſt eis*, cap. 4. verſ. 15, 16. Tanti ſcilicet faciebat Matthæus hanc rem, quod gentibus ſeſe Chriſtus exhibuiſſet videndum tantum: Quid ergo putamus tunc dici potuiſſe, cum Jeſus Chriſtus ad omnes Gentes ita miſit Apoſtolos ſuos, ac inter eos inprimis Paulum, ut ipſe antea venerat ad ſolos Judæos? Deum immortalem, quanta tunc lux, imo ipſe ſol exortus eſt inter eos, qui mentes eorum atque voluntates tenebris pluſquam Ægyptiis immerſas ita illuſtravit, ut toti mundo ea res in hodiernum uſque diem admirationi ſit, & futura ſit in perpetuum.

Excutienda hic etiam eſt explicatio ſuper hæc verba, *Et vita erat lux hominum*, quam afferunt ii, qui Johannem hic de Veteri Creatione agere contendunt. Claudicat vero hic illa nimis aperte, quæ in ſuperioribus verbis pulchre currere videbatur. Anxie nimirum ſe torquent, quomodo vita (quam pro naturali accipiunt) ſit lux hominum; neque enim id cum antecedentium verborum interpretatione bene cohæret. Communis autem ſententia eſt tam Veterum quam neotericorum, per *lucem* intelligi naturale lumen rationis humanæ, quod Sermo ſive Verbum per Creationem in animis hominum accendit, ad ipſum Creatorem ac tanti boni auctorem agnoſcendum. Quæ ſententia quam probabilis ſit, velim omnes, qui ſunt incorrupto judicio, judicare. Cum enim per vitam naturalem vitam intelligant, quam Sermo dederit omnibus animantibus; quomodo dici poteſt, vitam illam eſſe lucem rationis humanæ? Vitam habet homo cum omnibus viventibus & irrationalibus animalibus communem, dicique hac ratione deberet, etiam in reliquis animatis rebus vitam eſſe lumen rationis. Homo habet lumen rationis, non ex eo, quod vitam habet, ſed quod habet nobiliorem Spiritum, quam reliqua animantia, à Deo ſibi conceſſum.

Præterea abſurdum quoque eſt, quod verba hæc, *vita erat lux hominum*, ita explicentur, ut ſignificent, vitam fuiſſe lucem, quam homines habent ac poſſident. Quis enim non videt, verba hæc eundem ſenſum continere, quo Chriſtus *Lux mundi* appellatur? ubi non lux illa, quam mundus habet, vel quæ mundo per Creationem indita ac inſita eſt, intelligitur, ſed talis, quæ extra homines eſt, & quæ à Deo miſſa eſt, ad mundum, id eſt, homines, illuminandum.

Alii, cum videant hanc interpretationem non poſſe conſiſtere, ajunt, *vitam* hoc loco accipi pro ipſo Sermone ab effectu, quia vitæ fons & origo eſt. Quaſi dicat Euangeliſta: Et hic vivificus Sermo erat lux hominum. Atque hanc explicationem ſuam teſtimonio nonnullorum Patrum ſuorum confirmatum eunt. Hoc vero non eſt verba explicare, ſed pervertere. Euangeliſta enim expreſſe dicit, *vitam* quæ *in ipſo* (id eſt, Sermone) *erat, fuiſſe lucem hominum*: hi autem dicunt, Sermonem ipſum fuiſſe lucem. Atqui aliud eſt Sermo ipſe, aliud vita, quæ erat in Sermone. Deinde cum ipſi per lucem naturalem rationem ſignificari autument, quis, obſecro, erit ſenſus horum verborum: Vita (id eſt, Sermo ſeu Filius Dei) erat hominum naturalis ratio? Ut taceam, neque hos, neque priores illos ulla ſpecie veritatis probare poſſe, per *lucem* humanam rationem deſignari. Omnes loci circumſtantiæ diverſum docent. De Euangelio enim hic & Jeſu Chriſto ſermo eſt, qui longo tempore poſt conditum mundum genitus eſt. Quare qui vult ut illa obtineat ſententia, tenetur eam aliunde probare. Omnino igitur ſtatuendum eſt, Euangeliſtam per *vitam* nihil aliud intellexiſſe, quam vitam æternam, quæ *luxit in tenebris*, tantum Dei beneficium, quod hominum mentes illuſtrare poterat, & ex parte Dei illuſtravit, incidit in corruptiſſima ſecula & homines perverſos, qui tantum beneficium capere & intelligere non potuerunt, vel potius noluerunt: de quo deinceps plura. Atque hæc noſtra interpretatio eſt adeo clara & rationi conſentanea, adverſariorum contra tam obſcura, ut recentiorum Commentatorum quidam vi veritatis adacti agnoverint, Euangeliſtam hic de vita æterna loqui. Vide Maldonatum, qui allegat etiam Chryſoſtomum, & Theophylactum, ut & Ammonium, & Theodorum Mopſueſtienſem, quod in eadem ſint ſententia.

Sed illi non animadvertunt hoc pacto abſurdam eorum explicationem præcedentis ℣ſ. 3, qua Chriſto creationem omnium rerum adſcribunt, funditus everti. Qui enim fieri poteſt, ut Euangeliſta tam ingenti ſaltu à creatione mundi ad vitam æternam delapſus ſit?

Verſ. 5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*] Hoc, quod lux luceat in tenebris, eſt quartum, quod circa ſummum illud beneficium per Sermonem allatum, conſiderandum eſſe diximus: nempe, Quales fuerint homines iſti, quibus beneficium hoc vitæ æternæ oblatum eſt? Illud ab Euangeliſta his exprimitur verbis. Per *tenebras* autem intelligit hominum priſtinam perfectæ voluntatis Dei ignorantiam, erroneaſque opiniones tam Judæorum quam Ethnicorum. Quo ſenſu Matthæus Galilæum populum vocat, *populum ſedentem in tenebris*, cap. 4. 16. Et Apoſtolus Paulus ad Epheſios ſcribit: *Eratis olim tenebræ, nunc autem lux*

lux eſtis in Domino, cap. 5. 8. id eſt, eratis alieni à vera cognitione divinæ voluntatis. Hinc opera ignorantiæ voluntatis Dei vocantur *opera tenebrarum*, Rom. 13. 12. Epheſ. 5. 11. Senſus proinde horum verborum eſt, Euangelium de vita æterna talibus hominibus annunciatum eſſe, qui in ſumma perfectiſſimæ voluntatis Dei ignorantia verſabantur. Cum autem Euangeliſta inquit, lucem *in tenebris* lucere, monſtrat diſcrimen inter hanc ſpiritualem lucem & inter corporalem lucem ſolis. Etenim corporali luci, ubi in mundum venit, illico tenebræ, quæ erant ſuper abyſſum, ceſſerunt: at ſpiritualis iſta lux Euangelii de vita æterna *lucet in tenebris*, id eſt, cum illuxit, nihilominus manſerunt tenebræ, nec protinus ceſſerunt. Ut ita Euangeliſta hic per *tenebras* tam pertinaces tenebras, adeoque tantam indignitatem & ineptitudinem hominum intelligat, ut lux vim ſuam exerere non potuerit, neque effectum talem producere, propter quem eam Deus in mundum miſerat.

Et tenebræ eam non comprehenderunt.] Hoc eſt quintum membrum conſideratione dignum: Quomodo ſcilicet hoc ingens beneficium Dei hominibus per annunciationem vitæ æternæ exhibitum, ab iis ſit acceptatum? Continent autem hæc verba declarationem, ſeu potius repetitionem præcedentis dicti. Quod enim ſupra dixerat, lucem in tenebris lucere, id eſt, cum luceret, tenebras nihilominus manſiſſe; idem nunc clarioribus verbis effert, quod tenebræ non comprehenderint lucem, id eſt, quod homines in priſtina ignorantia atque erroribus ſuis obſtinate perſeveraverint, nec paſſi ſint ſe à doctrina Domini Jeſu illuſtrari: paucis quibuſdam exceptis, qui hac luce illuſtrati ſunt, quorum infra verſ. 12, meminit, qui reſpectu maximæ multitudinis reliquorum in tenebris manentium nullo pene numero habentur.

Cauſa vero tam invictæ hominum pertinaciæ ac perſeverantiæ in tenebris non alia fuit, quam longa conſuetudo peccandi, quæ cum ipſorum carnali ſapientia melius, quam cum luce Euangelii conveniebat. Quam cauſam Chriſtus ipſe indicat infra cap. 3. 19, 20, inquiens: *Hoc eſt judicium, quod lux in mundum venit, & homines magis dilexerunt tenebras, quam lucem, quia mala erant eorum opera. Omnis enim mala agens fugit lucem, & non venit ad lucem, ut non appareant opera ejus. Qui vero facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt.* Advertendum autem probe eſt, non fruſtra ac temere Euangeliſtam indicare, quod lux iſta tam parum effecerit, parumque fructus inter homines attulerit. Cum enim ſupra multa magnifica de Domino Jeſu narraſſet, potuiſſet aliquis ex eo, quod tam pauci hominum eum in principio Euangelii receperint, ſumere anſam in dubium omnia iſta vocandi, quæ hic ab Euangeliſta de Chriſto ſunt narrata: quia fieri non potuerit, ut ſi ita ſe res habuiſſet, quemadmodum Johannes affirmabat, homines id non agnoviſſent, adeoque tenebræ luci non ceſſerint. Quapropter Euangeliſta ſummam adhibet curam, non tantum hoc loco, ſed infra quoque verſ. 10, 11, ut clariſſime doceat, non eſſe ex parum felici ſucceſſu, vel effectu hujus lucis judicandum ac concludendum, quod Dominus Jeſus non fuerit talis, qualem eum in præcedentibus deſcripſit; ſed alii cauſæ id tribuendum eſſe, quod tam pauci fuerint, qui eum receperint. Ea autem eſt, Tenebræ, id eſt, ignorantia & improbitas hominum, quod Chriſti Euangelium inciderit in homines ad ea, quæ Dominus Jeſus annunciabat, intelligenda & recipienda plane ineptos. Ut ita verba illa, *Et tenebræ non comprehenderunt eam*, non tanquam ſimplex rei geſtæ narratio accipienda ſint, ſed ſimul tanquam accuſatio ſummæ cæcitatis & obſtinationis hominum, qua in homines culpam confert; cur Chriſti Euangelium ab initio locum apud eos non habuerit. Quaſi dicat: Lux lucet in tenebris, tenebræ autem noluerunt lucem recipere, noluerunt ſplendori hujus eximii ſolis cedere. Quemadmodum infra etiam verſ. 10, dicit: *Mundus eum* (id eſt, Sermonem ejus) *non cognovit.* Et verſ. 11, *Sui eum non receperunt*, id eſt, noluit eum mundus cognoſcere, & ſui noluerunt eum recipere. Opponit enim his ſtatim alios, qui eum grato animo receperunt, & propterea ſummo beneficio divinæ filiationis ab eo affecti ſunt.

Qui ſentiunt, Domino Jeſu ſupra verſ. 3 Veterem Creationem rerum omnium adſcribi, non minus ſuper hæc verba ſe macerant, quam ſuper ea, quæ proxime anteceſſerunt. Quia enim per vitam intelligunt vitam naturalem, & per lucem, naturale lumen rationis, coguntur his verbis talem interpretationem aptare, quæ cum præcedentibus cohæreat. Nimirum inquiunt, per *tenebras* intelligi corruptionem humanæ naturæ & rationis, quæ ex lapſu Adami promanavit; quæ corruptio, ajunt, hominem ineptum reddit ad comprehendendum lucem illam, id eſt, creatorem ſuum. Sed cum vulgaris doctrina de corruptione totius humani generis per lapſum Adami, ſeu, ut vocatur, de Originali peccato ſit merum figmentum cerebri humani, quod nullo argumento probari poteſt: certum eſt, in univerſa Scriptura Sacra ne unicum quidem exemplum reperiri poſſe, ubi vox tenebrarum talem corruptionem humani animi denotet. Imo humanus animus natura ſua poſt lapſum Adami multo eſt cultior & magis illuminatus, quam Adami animus ante lapſum fuit. Præterquam enim, quod Adamus tam fuerit rerum imperitus, ut diſcrimen inter bonum & malum neſciverit, ſed oculi ejus demum per eſum fructus vetiti aperti ſint; non facile etiam hodie poſt lapſum reperietur quiſquam ſana mente præditus, qui mandatum tam facile obſervatu, tam temere tranſgrederetur, quam ille fecit. Quomodo vero juxta hanc opinionem lux in tenebris luxit? Ita, inquit Piſcator in ſuo ſuper hunc verſ. 5 Commentario: *Ille ipſe Sermo, qui erat lux illuminans homines*, (dum ſcilicet homini in prima creatione lumen naturalis rationis implantavit) *lucet in mente hominis jam poſt lapſum* (Adami) *obtenebrata, nempe tenebris ignorantiæ immerſa, in hac, inquam, lux illa lucet, irradiando ſcilicet mentem obtenebratam notitiis quibuſdam de natura & cultu Dei: nempe Deum eſſe, & eſſe bonum, juſtum, ſapientem, omnipotentem &c. ac proinde humillima obedientia, timore, fiducia, ac dilectione colendum eſſe.* Senſus eſt, Chriſtum humanæ

menti

menti implantaſſe in prima creatione lumen rationis, hoc vero per lapſum Adami eſſe obtenebratum: huic autem obtenebratæ menti Chriſtum rurſus novam lucem intelligentiæ inſeruiſſe, at non tam perfectam, quam ante lapſum fuerat, ſed tantum generales quaſdam notitias de Deo ejuſque cultu &c. Unde vero ſumetur hujus hiſtoriæ probatio? In quonam loco Sacræ Scripturæ habetur vel minimum veſtigium hujus fabulæ? Et quomodo, quæſo, huc quadrant ſequentia? *Et tenebræ eam non comprehenderunt*? Ita, inquit porro Piſcator: *Sed mens obtenebrata, notitias illas* (de Deo ejuſque cultu) *quibus à luce illa, hoc eſt, Filio Dei irradiatur, non fovet, ut inde verum Dei cultum cum ſua ſalute extruat: ſed evaneſcit in diſceptationibus ſuis, ut docet Paulus*, Rom. 1. 21. Conſideretur quæſo, quomodo iſta cohæreant cum antecedentibus? Nam ſi præcedentium verborum is debeat eſſe ſenſus (ut Piſcator ea exponit) quod lux, id eſt, Filius Dei, mentem hominum lapſu Adami interveniente obtenebratam, irradiarit notitiis quibuſdam de natura & cultu Dei; neceſſe eſt, horum verborum, *Et tenebræ non comprehenderunt eam*, hunc eſſe ſenſum, quod mens obtenebrata notitias illas de Deo & cultu ejus non ſuſceperit, neque admiſerit. At Piſcator aliter loquitur: concedit enim, mentem obtenebratam eas recepiſſe, ſed ait, *non fovet eas*, id eſt, non habet earum curam, non excolit eas, ut eas tanquam ſemen quoddam tam fœcundis reddat, ut ex iis maturus veræ religionis fructus ad ſempiternam ipſius ſalutem enaſcatur. Quo pacto indicat Piſcator, ſi homo communes illas notitias de Deo, quibus dixit Filium Dei jam poſt lapſum Adami hominum mentes irradiaſſe, bene excoleret atque curaret, poſſe eum verum Dei cultum & viam rectam ad ſalutem invenire. Atqui ante Chriſti adventum etiam ſapientiſſimi ac præſtantiſſimi Philoſophi inter Ethnicos eam neutiquam invenire potuerunt (cum via ſalutis tanquam myſterium altiſſimum in Deo latuerit abſconditum, neque humanæ mentis inveſtigationi ullo modo fuerit expoſita) etſi omnes ingenii atque intellectus ſui vires adeo huc intenderint, ut pauci etiam inter ipſos Chriſtianos paria cum illis fecerint. Non eſt proinde neceſſe, ut quam futilis & abſurda ſit hæc Piſcatoris interpretatio, pluribus oſtendatur. Hoc adhuc reſtat monendum, lapſum Adami nequaquam eſſe cauſam, iſtarum magnarum ac inſuperabilium tenebrarum, de quibus hoc loco Johannes loquitur. Non negamus equidem, humanum genus in genere loquendo corruptum ac depravatum eſſe, alienumque ab illa innocentia, in qua Adamus, tanquam mali neſcius infans, creatus fuit: at corruptio iſta non eſt lapſui Adami, ſed hominibus ipſis adſcribenda, qui ſponte ſua ſeipſos depravarunt, & per habitum male agendi corruperunt; quemadmodum & Adamus ipſe non per aliquod peccatum originale, ſed per ſuam propriam culpam, & ſpontaneam inobedientiam ſeipſum corrupit. Quod ita ſe habere vel hinc ſatis conſtat, quod Deus omnibus temporibus peccata hominum graviter puniverit, atque etiamnum puniat, & impoſterum puniturus ſit; ex quo ſequitur, eos hac in parte eſſe inexcuſabiles. Atſi homines non ſponte ac voluntarie, ſed ex neceſſitate inevitabili corruptæ naturæ ſuæ, quæ abſque omni ipſorum culpa ab alio depravata ſit, peccarent, adeoque in ipſorum poteſtate non eſſet, ut à peccando abſtineant, haberent utique juſtiſſimam excuſationem, Deuſque omnino ageret contra ſuam juſtitiam, ſi homines propter ejuſmodi peccata pœnæ ſubjiceret. Quare vera & propria cauſa iſtarum tam pertinacium tenebrarum eſt hominum voluntaria malitia atque propria improbitas, ut ſupra declaravimus.

Verſ. 6. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes.*] In verbis Euangeliſtæ hucuſque ab initio Capitis explicatis, fuit Johannis Euangeliſtæ teſtimonium de Domino Jeſu, cujus præſtantiam ac dignitatem graphice & vivis coloribus depinxit. Nunc ſequitur teſtimonium ejuſdem Euangeliſtæ de Johanne Baptiſta.

Inde autem ſumſit Euangeliſta anſam de Johanne Baptiſta agendi, quia in ſuperioribus omnia ſub Euangelio facto Domino Jeſu adſcripſerat, deque eo dixerat, ipſum luce Euangelii hominum animos illuminaſſe. Hinc cogitare aliquis poterat, (uti etiam reipſa multi ſic cogitabant) Johannem Baptiſtam fuiſſe etiam ſanctum virum & Doctorem à Deo miſſum, magnumque Prophetam, qui etiam prius quam Dominus Jeſus prædicare cæperit, ideoque hanc dignitatem, quod ſit lux mundi, & primus auctor Euangelii, ipſi potius attribuendam eſſe. Quocirca docet Euangeliſta hoc loco, quis fuerit Johannes Baptiſta, & quodnam fuerit ejus officium.

Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes.] Hoc tantundem eſt, atque ſi dixiſſet: Johannes fuit miſſus à Deo. Quid enim aliud eſt Johannes, quam homo cui nomen erat Johannes? Quod nonnulli exiſtimant, Euangeliſtam appellaſſe eum hominem eo animo, ut eum opponeret Sermoni; quaſi dicere voluiſſet: Johannes Baptiſta tantum homo fuit, Sermo autem fuit Deus; de eo merito dubitari poteſt, an id Euangeliſta intenderit. Quanquam res ipſa concedi poteſt. Dominus Jeſus enim revera non homo erat, ſed Deus: non quidem ratione naturæ ſuæ, cujus reſpectu verus homo fuit, non minus quam Johannes, & alii quivis homines, & qui id non agnoſcit, is non novit Chriſtum ex fundamento fidei ac ſpei noſtræ; ſed ratione divinæ virtutis, ſanctitatis, ac ſapientiæ, qua plenus fuit. Qua de re vide ſupra dicta ad verſ. 1. de iſtis verbis: Et Sermo erat Deus.

Miſſus à Deo.] Indicat, Johannem Baptiſtam non à ſeipſo veniſſe, neque ſe geſſiſſe pro Dei nuncio, cum non fuerit, adeoque eum non fuiſſe impoſtorem ac ſeductorem, ſed verum Prophetam. Miſſio autem iſta ac vocatio facta eſt tunc, cum verbum Domini factum eſt ad eum in deſerto, Luc. 3. 1, 2, 3. Hacque deſcriptione vocationis ejus præbet Johannes Euangeliſta muneri ejus teſtimonium, quod erat, teſtari de Domino Jeſu.

Verſ. 7. *Hic venit in teſtimonium, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per illum.*] Id eſt, eo fine miſſus erat à Deo, ut teſtaretur. Quodnam vero fuerit illud teſtimonium, mox declarat: *Ut teſtaretur de luce.* Supra verſ. 4. Euangeliſta doctrinam Domini Jeſu de vita æterna vocavit lucem; hic ipſum

Dominum Jeſum lucem appellat, eo loquendi genere, quo ſolemus non ſolum lumen ſolare, ſed & Solem ipſum lucem appellare. Dominus Jeſus fuit tanquam Sol, doctrina autem ejus tanquam lumen Solis, & propter hoc lumen, quod in eo erat, lux nuncupatur. Sic Chriſtus ipſe ſe *lucem mundi* vocat Johan. 8. 12. IX. 5. XII. 46. Et Deus de ipſo dixit: *Conſtitui te lucem Gentium*, Eſai. 49. 6. Actor. cap. 13. 47. Quid autem Johannes teſtatus eſt de Chriſto? Quod fuerit ab æterno? quod cœlum & terram creaverit? quod omnibus rebus naturalem vitam dederit, adeoque Deus ſummus ſit? Nihil minus. Sed teſtatus eſt duo de Domino Jeſu, quæ Euangeliſta infra verſ. 15, breviter, poſtea autem verſ. 19. & ſeqq. fuſius deſcribit. Primum, antequam Dominus Jeſus munus ſuum auſpicaretur, teſtatus eſt, eum mox venturum tanquam Magnum Legatum, & ſe tanquam præcurſorem ſuum ſecuturum. Deinde cum Dominus Jeſus jam ſuſcepto munere prodiiſſet in publicum, teſtatus eſt de eo ipſum eſſe Chriſtum ſeu Unctum Dei, ipſum Spiritu & igne baptiſaturum, ipſum ſe præſtantiorem eſſe, ipſum eſſe Agnum Dei, qui tollat peccata mundi. Si Johannes aliquid amplius & ſublimius, quod de Domino Jeſu teſtaretur, habuiſſet, quod nimirum ſit Deus Altiſſimus, cœli ac terræ Creator, æternus Dei Filius, ex eſſentia Patris genitus &c. id certe haud diſſimulaſſet: cum ad hoc ipſum miſſus fuerit à Deo, ut de luce, id eſt, de Chriſto teſtaretur, utque per hoc ejus teſtimonium fides in Chriſtum (cujus primaria pars vulgo habetur, credere, Jeſum eſſe Deum ſummum) ac porro ſalus hominum promoveretur. Quamobrem etiam nulla ratione credibile eſt, Johannem non omnia de Chriſto ſciviſſe. Qualis enim iſte fuiſſet teſtis, qui primarium caput ſui teſtimonii ignoraſſet? Neque etiam Euangeliſtis tanta incuria atque oſcitantia eſt tribuenda, quod non omnia, quæ Johannes de Chriſto teſtatus ſit, executi fuerint, ſed præcipuam partem deſcribere neglexerint atque omiſerint. Proinde hinc manifeſtum eſt, Chriſtum non eſſe Deum Altiſſimum, creatorem cœli & terræ; cum Euangeliſtæ teſtimonium Johannis referentes, de eo nihil meminerint, & Johannes quoque id ipſe de Chriſto teſtatus non ſit: imo cum id quod Johannes teſtatus eſt de Chriſto, prorſus contrarium demonſtret, nempe Chriſtum Deum Altiſſimum non eſſe: ut in ſequentibus apparebit.

Conſiſtit autem in hoc teſtimonio Johannis Baptiſtæ præſtantia præ aliis omnibus Prophetis, cum hi de Chriſto vaticinati tantum ſint, non teſtati: Johannes ſolus proprie loquendo fuerit teſtis de Chriſto. Teſtis enim proprie dicti non eſt futura & ab aliis conſpicienda prænunciare, ſed præſentia & à ſe conſpecta ac cognita teſtari. Johannes vidit Jeſum præſentem; cognovit eum modo admodum ſingulari, dum nimirum vidit Spiritum Dei deſcendentem de cœlo inſtar columbæ, & ſuper eo requieſcentem; dictum autem ei antea fuerat, hunc ſuper quo iſta apparitura eſſent, Dei eſſe Filium.

Ut omnes crederent per illum.] Hiſce verbis exprimit Euangeliſta ſcopum ac finem teſtimonii Johannis Baptiſtæ, ut nimirum omnes homines, qui erant è natione Judaica, ſuo teſtimonio ad fidem in Dominum Jeſum adduceret. Non meminit hic Euangeliſta quicquam de eo, quod Johannes Baptiſta pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum annunciarit, quia hac in parte nihil habuit præ cæteris Prophetis peculiare. Baptiſmum vero ſuum ipſe Johannes Baptiſta parvifecit reſpectu baptiſmi Domini Jeſu, cum dicit infra verſ. 26, & Matth. 3. 11, *Ego quidem baptiſo aqua in pœnitentiam, ſed qui poſt me venit, fortior me eſt, ille vos baptiſabit Spiritu Sancto & igne.*

Verſ. 8. *Non erat ille lux, ſed ut teſtaretur de luce.*] Confirmat ſuperius dicta, quaſi dicat: Quod dixi ſemel, iterum repeto, & dico, Johannem ipſum non fuiſſe lucem, ſed tantum ad id vocatum fuiſſe, ut de luce teſtaretur.

Verſ. 9. *Sermo erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.*] In Græco ſimpliciter ſcriptum eſt: *Erat lux vera* &c. Oſtendit autem Euangeliſta his verbis, cur Johannes non fuerit vera lux, ſed tantum teſtis de vera luce. Nimirum erat lux vera, de qua ille teſtari debebat. Indicat, Johannem quidem etiam lucem fuiſſe, ſed non veram illam lucem, hoc eſt, non tam perfectam, quæ mereretur ſimpliciter lux vocari.

Quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.] His verbis deſcribit Euangeliſta illam veram lucem: quaſi dicat; Vera illa lux eſt Soli ſimilis. Sol quando exoritur, illuminat ſplendore ſuos omnes homines, non ſolum ideo quia eſt luminare valde magnum, ſed etiam quia circuit totum orbem terrarum, atque ita omnia loca terræ colluſtrat. Simili modo Dominus Jeſus adventu ſuo in mundum illuminavit omnes homines, quia lux eſt valde inſignis, quæ habet in ſe verba vitæ æternæ, & quia venit non unum tantum colluſtrare populum, ſed omnes populos totius Orbis. In Judæa primum Sol iſte exortus eſt, ubi *populus qui ſedebat in tenebris, primum vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione ac umbra mortis, lux orta eſt*, Matth. 4. 16. Poſtmodum Sol hic univerſum mundum circumivit, Rom. 10. verſ. 18. Coloſſ. 1. 23. Hinc inquit Apoſtolus, *gratiam Dei ſalutarem apparuiſſe omnibus hominibus*, Tit. cap. 2. 11. Naturalis Sol non lucet omnibus hominibus uno eodemque tempore, ſed quando his exoritur, aliis alibi occidit. Sed Dominus Jeſus longe major eſt Sole; lucet enim ſimul & uno tempore omnibus hominibus. Johannes Baptiſta quidem etiam erat lux, ſed *tantum lucerna ardens ac lucens*, ut de eo loquitur ipſe Chriſtus Johan. 5. 35. id eſt, erat tantum inſtar candelæ aut facis alicujus, quæ quantacunque ſit, parva tamen eſt reſpectu ſolis, neque ullo modo cum eo comparanda: præterea uni loco quaſi affixa eſt, neque diu durat, ſed conſumta uſtili materia, extinguitur. Ita Johannes Baptiſta quoque parvam lucem cognitionis divinæ habuit reſpectu ejus lucis, quam habuit Dominus Jeſus; & uni tantum populo luxit; nec diutius, quam uſque ad Chriſti adventum, quo veniente gaudium Johannis impletum eſt, ut ipſe teſtatur, addens de Domino Jeſu: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Johan. 3. 30. Eatenus autem Johannes erat lux parva, quatenus & ipſius propria cognitio, & doctrina

ctrina ejus imperfecta erat. Habuit ille quidem aliquam de voluntate Dei recens revelata notitiam, ſed neque perfectam divinam voluntatem cognitam habuit, neque perfecte. Errant igitur toto cœlo, qui viam ſalutis & perfectum Deo obediendi modum petunt ex doctrina Johannis; & ex eo, quod Johannes jubet milites eſſe contentos ſuo ſtipendio, neque eis militia interdixit, Luc. 3. 14, colligunt, licere hodie militare, & ſanguinem humanum fundere, ſi modo quis ea ſervet, quæ Johannes tunc militibus præcepit. Johannis Baptiſtæ officium non erat perfectas vivendi leges ac præcepta regni cœlorum hominibus præſcribere, ſed tantum per prædicationem pœnitentiæ adducere homines ad deponenda graviora peccata, quæ vel adverſus legem naturæ, vel adverſus ſcriptam Legem Dei admittebantur, atque ita eos præparare & expeditiores reddere ad perfectiorem doctrinam Euangelii, poſtea à Chriſto hauriendam & ſuſcipiendam.

Dum ait Euangeliſta, lucem iſtam *omnes homines illuminare*, non intelligit id de effectu, quem reipſa lux iſta in hominibus effecerit, ſed de vi, quam lux hæc habuerit in ſe ad omnes homines illuminandum. Nam & Sol effectu ipſo non illuminat eos, qui oculos ſuos claudunt, vel lucem Solis fugiunt, & ſe in loca opaca & tenebroſa abdunt. Ita Chriſtus quoque eos facto ipſo non illuminat, qui ſe ab eo avertunt, aut occæcatos habent oculos intellectus, 2 Cor. cap. 4. 3, 4.

Veniens in mundum.] Significat, antequam Dominus Jeſus veniret in mundum cum Euangelio, eum homines non illuminaſſe: ſicut Sol quoque nihil illuminat, antequam exoriatur.

Venit autem Dominus Jeſus in mundum de cœlo ipſo, ubi erat *in principio*, id eſt, antequam omnes illæ res fierent, de quibus ſermo eſt; ut ſupra intelleximus. Atque hac re Chriſtus diſtinguitur ab omnibus Prophetis, etiam à Moſe & Johanne Baptiſta ipſo, quia illi omnes de terra venerunt: uti Johannes Baptiſta de ſe & de aliis omnibus in genere loquitur. Quivis veniebat è ſuo loco, è quo miſſus eſt: Johannes Baptiſta venit è deſerto; ſed Dominus Jeſus de cœlo venit. *Superne veniens, ſuper omnes eſt: qui ex terra eſt, eſt ex terra, & ex terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur*, Johan. 3. 30, 31, 32.

Ex his facile videre eſt, quam juxta hanc explicationem omnia recte & apte conveniant, ita ut mirum ſit, Interpretes vulgo id non animadvertere, & quamvis & ab antiquis nonnullis Patribus, & ab aliis viris prudentibus ſint admoniti, nihilominus textum hunc ita interpretari, quaſi dixiſſet Johannes, lucem hanc *omnem hominem in hunc mundum venientem illuminare*, id eſt, omnes homines, qui naſcuntur in mundo, prout Lutherus & Piſcator hæc verba reddiderunt. Etſi enim Græca vox ἐρχόμενον tam de luce, quam de homine accipi poſſit; etſi quoque ſententia hæc ipſa per ſe vera ſit, quod lux iſta tantæ ſit efficaciæ, ut quemvis hominem, qui in mundo naſcitur, illuminare queat: tamen Scripturæ Sacræ mos non eſt ita de generatione hominum loqui, quod in mundum veniant, quando naſcuntur; ſed venire in mundum, ſignificat ſecundum ſtylum Sacræ Scripturæ munus docendi ſubire, & in publicum prodire, hominibuſque innoteſcere. Ita de luce, quæ eſt Dominus Jeſus, ait ipſemet infra cap. 3. 19. *Lux venit in mundum.* Et cap. 12. 46. *Ego lux in mundum veni.* Ita etiam Scriptura loquitur de aliis, qui à Deo mittuntur, quod in mundum venerint. Idem probat etiam collatio Domini Jeſu cum Sole, quæ in his Euangeliſtæ verbis continetur, quod ſicut Sol in mundum venit, ita etiam Dominus Jeſus in mundum venerit, *Oriens ille ex alto*, Luc. 1. 78. Etiam ſequentia verba, *In mundo erat*, hanc noſtram explicationem confirmant, ut quæ hac ratione optime cum præcedentibus cohæreant. Ideo enim Dominus Jeſus in mundum venit, ut in mundo eſſet: & ideo erat in mundo, quia in mundum venerat. Verum illi, qui hæc verba ita vertunt, *omnem hominem venientem in mundum*, interpretantur illuminationem iſtam ita, quod lux iſta, nempe Jeſus Chriſtus, per quem cœlum & terra & omnes homines creati ſunt, etiam omnes homines, qui in mundum naſcuntur, illuminet naturali lumine rationis. At quid hoc facit ad propoſitum Euangeliſtæ, & ad ea de quibus ipſi hoc loco ſermo eſt? In præcedenti verſ. 6, 7 & 8. loquitur de Johanne Baptiſta, quod fuerit à Deo miſſus ad teſtificandum de luce, ut omnes crederent per illum, quodque Johannes non fuerit vera lux, ſed tantum teſtatus ſit de vera luce. Quid vero Johannes teſtari debuit? An hoc, quod omnes homines, qui in mundum eduntur, à Chriſto lumen rationis ſuæ naturalis accipiant? Id ſane ad rem nihil pertinebat. Ex adverſo autem, quod Chriſtus lux mundi vocetur, reſpectu doctrinæ ſuæ divinæ, per quam tenebræ ignorantiæ ex animis hominum pelluntur, tam eſt clarum, ut nulla probatione indigeat.

Verſ. 10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.*] In ſuperioribus verbis Johannes Euangeliſta ornavit Dominum Jeſum titulo lucis: nunc eum rurſus Sermonem appellat; ut ex Græco textu facile intelligitur. Atque hæc tituli permutatio facta eſt ideo, quia Johannes hoc verſiculo attribuit Domino Jeſu creationem mundi, quæ non per lucem, ſed per ſermonem ſeu verbum facta eſt.

Cum ergo Euangeliſta verſu præcedenti meminiſſet adventus Domini Jeſu, monſtrat hic, quid adventum ejus ſecutum ſit, quid Dominus Jeſus egerit in mundo, & quomodo ſe viciſſim mundus, ſeu ii ad quos venit, erga ipſum geſſerint. Primo inquit: *In mundo erat*, ſcilicet Sermo. Intellige, poſtquam in mundum venit. Per mundum hic ſoli homines, qui in mundo ſunt, intelliguntur; quo pacto paſſim in Novo præſertim Teſtamento hæc vox ſumitur, quia nimirum homines potiſſima pars & quaſi anima mundi ſunt. Quod autem hic ſoli homines intelligantur, ex ultimis verbis hujus verſiculi ſatis perſpicitur, ubi dicitur: *Et mundus eum non cognovit:* ubi manifeſtum eſt, de ſolis hominibus agi, cum hi ſoli ex omnibus rebus, quæ ad mundum pertinent, facultatem cognoſcendi habeant. Verba hæc, *in mundo eſſe*, ſi reſpiciant ad adventum ac miſſionem in mundum, non ſimpliciter ſignifi-

cant, inter homines esse ac versari, quomodo quilibet vulgaris homo in mundo est; sed significat, munus, cujus causa in mundum missus erat, obire inter homines. Hoc proinde sensu inquit Johannes hoc loco, Dominum Jesum in mundo fuisse.

Et mundus per ipsum factus est.] Describit, quid existentia Christi in mundo, seu, inter homines effecerit ac operata sit: nimirum, quod mundus per eum factus sit, tanquam per Sermonem seu Verbum Dei. Res ipsa docet, hic de nova creatione esse Sermonem, cujus initium fuit lux spiritualis, de qua hactenus locutus est Johannes. Et facile quisquis præjudicata opinione dementatus non est, videt, quam egregie unum ex alio fluat, omniaque belle congruant. Primum *sermo venit in mundum:* secundo *erat in mundo:* tertio *mundus per eum factus est:* quarto *mundus eum non cognovit.* Imo vel ex hoc solo satis intelligitur, hoc loco non de veteri, sed de nova Creatione agi, quia Euangelista hujus creationis mundi, quæ per Christum facta est, eo fine mentionem facit, ut homines summæ ipsorum pertinaciæ convincat, quod nimirum mundus, etsi per eum factus sit, nihilominus ipsum non cognoverit. Vetus enim creatio etsi per Christum facta fuisset, non potuissent tamen id homines per se cognoscere: unde enim cognovissent, eum esse Creatorem cœli & terræ? Quod autem nova Creatio per Christum facta sit, id omnes homines videre atque cognoscere potuerunt: habuitque adeo Euangelista justam causam eos redarguendi, quod hunc suum creatorem non cognoverint. Reliquas rationes, cur hic de nova Creatione sermo sit, quæ supra vers. 3, expositæ sunt, nihil attinet hic repetere. Factus igitur est mundus per Christum tanquam Verbum Dei, dum miserrimus & tristissimus hujus mundi status, quo omnia in densa ignorantiæ nocte confusa atque conturbata erant, per Christum in felicissimum & exoptatissimum commutatus est. Per eum enim adeptus est mundus spiritualem & perfectam lucem, quam antea non habebat; & quicquid confusum erat, per Christum est in ordinem & tranquillitatem redactum. Olim vetus Creatio mundi etiam eodem modo facta est: dum Deus confusum chaos, illam rudem ac indigestam molem farraginemque omnem rerum, pulcherrimo digessit ordine. Nam primum tenebras lucem dispulit; noctem distinxit à die; firmamento divisit aquas, quæ sunt supra & infra firmamentum; terram ex aquis, quæ sunt sub firmamento, productam exsiccavit; aquas mari, fontibus, fluminibusque, ad humectandam terram, inclusit; terram gramine, herbis & arboribus contexit; firmamentum cœli extendit, soleque, luna & stellis exornavit; aquas, aërem ac terram omni genere animantium replevit; & tandem hominem, marem ac fœminam creavit, eumque dominum omnium istarum rerum constituit. Hoc ordine vetus Creatio peracta est. Jam vero opus salutis, quod per Christum peractum est, est multo perfectior & excellentior mundi adornatio: itaque merito creatio vocatur. Hinc inquit Apostolus de nobis fidelibus, quod *simus factura Dei, creati in Christo Jesu ad bona opera*, Ephes. 2. 10. Et porro vers. 15. *eum duos* (Judæos & Ethnicos) *creasse in unum novum hominem.* Ita in eadem Epistola de renovatione hominum loquens, ait, *Deum omnia creasse per Christum Jesum*, Ephes. 3. 9. Haud dissimili modo etiam Samuël Propheta loquitur de *Aarone & Mose*, quod eos Deus *fecerit*, 1 Sam. 12. vers. 6. ubi eos considerat, eatenus, quatenus eos Deus ex vulgaribus hominibus insignes viros effecit. Sic Judæi quoque eo respectu, quod non simplices homines, sed peculiaris Dei populus essent, dicunt de Deo: *Ipse nos fecit, & non ipsi nos*, Psalm. 100. 3. Et Auctor Epistolæ ad Hebræos, cap. 3. 2. scribit de Christo, considerans ejus divinam excellentiam, quod eum Deus *fecerit.* Idem Auctor cap. 1. 2. ait, *Deum fecisse secula per Filium* suum, respiciens mundi reparationem, per quam novus quodammodo factus est, aliamque formam est adeptus. Sic loquitur etiam Paulus Apostolus, ubi eandem reparationem ac renovationem mundi intellectam voluit: *Vetera præterierunt, ecce facta sunt omnia nova*, 2 Cor. 5. 17. Facti enim sunt novi homines in mundo, novum genus hominum, nova secula. Hinc Ecclesia Domini Jesu, quæ antea in mundo non fuerat, *Creatura* simpliciter appellatur, Rom. 8. 20, 21, 22. De novo homine, qui ad hanc ipsam spiritualem immutationem pertinet, ait Apostolus, *Deum creasse eum ad imaginem suam*, Ephes 4. 24. Coloss. 3. 10. Novæ etiam Creaturæ meminit Apostolus, cum inquit: *Si quis est in Christo Jesu, nova est Creatura*, 2 Cor. 5. vers. 17. Et Gal. 6. 15. *In Christo Jesu nihil valet, neque circumcisio, neque præputium, sed nova Creatura.*

Porro sciendum est, cum Euangelista dicit, mundum per Sermonem factum esse, id non hunc habere sensum, quod id in omnibus hominibus per universum orbem aut saltem in maxima parte effectum habuerit, & reipsa impletum sit. Mox enim addit: *Et mundus eum non cognovit.* Sed sensus est, renovationem per doctrinam & Spiritum Christi in multis hominibus diversarum nationum mundi factam esse, eamque etiam in aliis omnibus reliquis hominibus opere ipso fieri potuisse, atque etiamnum posse, si homines ipsi voluissent, & nunc quoque vellent. Sed ipsorum propria contumacia atque malitia in causa est, quod id non sit factum; quam Euangelista mox sequentibus indicat verbis.

Et mundus eum non cognovit.] Quasi dicat: Etsi homines viderent, alium mundum & alia secula per divinam & nunquam antea auditam Domini Jesu potestatem esse facta, non tamen eum cognoverunt: quamobrem sunt inexcusabiles. Homines istos, qui Dominum Jesum non cognoverunt, jure merito appellat *mundum*, quia talium hominum plenus est mundus, & cæteri, qui eum cognoverunt, neque numero, neque carnali dignitate cum illis sunt comparandi; adeo ut pusillus iste grex eorum qui Christum cognoverunt, collatus cum ingenti multitudine reliquorum, evanescat, non secus, ac si in mundo non esset. Hinc Apostolus inquit, *Deum elegisse ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, aboleret*, 1 Corinth. 1. 28. Eatenus autem mundus Dominum Jesum non cognovit, quatenus non agnovit ex mera malitia & affectata cæcitate divinam Christi dignitatem, quod nimirum sit Sermo Dei atque Legatus,

Filius

Filius & Unctus Dei, Servator Mundi. Et quia hanc excellentiam in eo non agnovit, ideo etiam eum non recepit (ut mox dicit Euangeliſta de Judæis) neque in eum credidit.

Verſ. 11. *In propria venit, & proprii eum non receperunt.*] Quaſi dicat: Mirum quidem eſt admodum, mundum non cognoviſſe Dominum Jeſum, ſed magis adhuc mirum eſt, etiam ipſius proprios, ad quos venerat, eum non recepiſſe.

Venit in propria, id eſt, venit ad ſuum populum ac nationem, qui ſecundum carnem unius ſunt cum eo originis. Venit ad eos qui peculiare ejus peculium & hæreditas erant, qui ipſi tanquam Filio Davidis ſingulari modo à Deo erant concrediti. Bis autem venit ad proprios, ſemel in ſua perſona, ſecundo poſt ſuam exaltationem in perſona ſuorum Apoſtolorum, Epheſ. 2. 17. 1 Petr. 3. 19. Atque hic ſecundus ejus adventus quodammodo fuit præſtantior priori, propter abundantiam Spiritus Sancti, qui per manus Apoſtolorum in nomine Domini Jeſu in fideles ejus effundebatur; & propter majora miracula, quæ Dominus Jeſus per Apoſtolos edebat. Itaque ſecundus adventus hic ſimul intelligi atque includi debet, ut tanto magis improbitas illius populi appareat.

Et proprii eum non receperunt.] Noluerunt eum pro ſuo Domino, & pro Uncto Dei recipere, ſed eum tanquam ſeductorem crucis ſupplicio affecerunt, & poſtea etiam Apoſtolos perſecuti ſunt, 1 Theſſ. 2. 15.

Verſ. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, ut filii Dei fierent, credentibus in nomen ejus.*] Significat Euangeliſta, inter Judæos aliaſque nationes aliquos tamen eſſe repertos, qui Dominum Jeſum cognoverint ac receperint: ſed eos tam paucos fuiſſe, tamque deſpectæ & abjectæ conditionis, ut merito in genere dici queat, mundum & populum ejus, ſeu Judæos, eum non cognoviſſe, neque recepiſſe. Vocabulum autem *quotquot*, indicat, bonum hoc ingens, quod hoc verſiculo exprimit, omnibus ac ſingulis obtigiſſe, qui Chriſtum receperunt, non ſolum iis qui erant ex Judæis, verum etiam ex aliis omnibus nationibus, cujuſcunque ſtatus aut conditionis eſſent.

Dedit eis poteſtatem, ut filii Dei fierent.] Hiſce verbis exprimit Euangeliſta, quam eximio beneficio, quo cum in comparationem nihil eſt quod venire mereatur, affecerit Dominus Jeſus eos, qui ipſum receperunt, quod nimirum facti ſunt filii Dei. Quo dicto ſimul tacite innuit, quanti boni ac felicitatis jacturam fecerint illi, qui ipſum recipere renuerunt. *Filium Dei fieri* hoc loco denotat jus ac titulum filii Dei conſequi: Qua dignitate ac felicitate nulla major mortali homini poteſt contingere. *Si enim filii Dei ſumus, etiam ſumus hæredes Dei, ac cohæredes Chriſti*, inquit Apoſtolus, Rom. 8. 17. Galat. 4. 7.

Credentibus in nomen ejus.] Declarat Euangeliſta, quid ſit Sermonem, id eſt, Dominum Jeſum recipere, nempe in nomen ejus credere: quaſi dicat, ſolis illis, qui eum receperunt, id eſt, omnibus in nomen ejus credentibus dedit poteſtatem, ut filii Dei fierent. Atque hoc modo ſibi ſimul viam parat ad ea, quæ mox de generatione ex Deo diſſeret, quæque cum hoc jure filiorum Dei egregie conſentiunt. Ait, *credentibus*, ſeu qui credunt, non qui crediderunt; indicans, fidem illam, quæ nobis jus filiorum Dei conciliat, ſemper durare, nec unquam ceſſare debere, ita ut filiatio iſta tam diu duret, quam diu durat fides. Eſt vero in nomen Jeſu credere, idem quod in Jeſum ipſum credere, loquendi modo Hebraico; quo etiam nomen Dei crebro pro ipſo Deo uſurpatur.

Verſ. 13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*] Hæc verba propterea addit Euangeliſta, ut non ſolum præſtantiam hujus fidei indicet, ſed etiam cauſam inſinuet, ob quam jus filiationis divinæ ob hanc fidem detur. Cauſa autem hæc eſt, quod ii qui in nomen Domini Jeſu credunt, ex Deo nati ſint; ideo par eſt, ut etiam jus filiorum Dei habeant, hocque titulo gaudeant. Generatio iſta ex Deo duplici ratione iis, qui in Chriſtum credunt, tribuitur. Primo quatenus credunt, Jeſum eſſe Chriſtum, qua in re totum id comprehenditur, quod de eo credendum eſt. Cum enim hæc doctrina ex Deo ſit, cum ſit ſermo Dei vivus & ſemen Dei incorruptibile, 1 Petr. 1. 23, inde fit, ut qui id recipiunt, eo ipſo ex Deo generentur. Hinc inquit Johannes: *Omnis, qui credit, Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt*, 1 Johan. 5. 1. Secundo quatenus Deo in ſanctitate ac juſtitia ſimiles evadunt; ut idem Johannes ait: *Si ſcitis, quod juſtus ſit, cognoſcite, quoniam omnis, qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt*, 1 Johan. 2. 29. Et porro 1 Johan. 3. 8, 10. *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt: quoniam ab initio Diabolus peccat. In eo manifeſti ſunt Filii Dei & filii Diaboli. Omnis qui non facit juſtitiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Hæc autem poſterior ratio naſcendi ex Deo ex priori manat, ut Johannes ipſe declarat, 1 Johan. cap. 5. 3, 4, 5. *Mandata Dei gravia non ſunt. Omne enim, quod ex Deo natum eſt, vincit mundum:* (in qua victoria omnis ſanctitas continetur.) *Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, Jeſum eſſe Filium Dei.* Et rurſus: 1 Iohan. 3. 9. *Omnis qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Iſti nativitati ſpirituali opponit Euangeliſta nativitatem carnalem: monſtratque, quam vilis & nullius pretii ſit, reſpectu generationis illius, quæ ex Deo eſt: ne ſcilicet Iudæi carnali ſua generatione ex Abrahamo gloriarentur, niſi per fidem in Chriſtum ex Deo naſcerentur; & ne alias gentes per fidem in Chriſtum ex Deo genitas damnarent, etſi ratione carnalis ortus ab Abrahamo non deſcenderint.

Qui non ex ſanguinibus.] Non dicit, in ſingulari, *ex ſanguine*, ſed in plurali, *ex ſanguinibus:* indicans, etiamſi quis magnum numerare poſſit majorum ſuorum, à quibus ortum ducat, numerum, eoque gloriari, id rem vanam & inanem eſſe. Per *ſanguinem* etiam indicat, quam ex vili & contempta materia ſecundum carnem nati ſimus.

Neque ex voluntate carnis.] Id eſt, ex carnali concupiſcentia, quæ homini cum brutis ac pecore communis eſt.

Neque ex voluntate viri.] Opponit virum Deo, cum quo nullus vir in comparationem venire dignus eſt: ideoque etiam generatio ex viro, quantuſcunque licet ſit, pro nihilo æſtimanda eſt reſpectu generationis ex Deo. Dicitur autem de fidelibus, quod non ex ſanguinibus, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, nati ſint, ſcilicet quatenus ſunt fideles: quatenus enim ſunt homines, eatenus non ſecus ſunt ex hominibus nati, atque alii, & etiamſi ex præclaris parentibus ac majoribus oriundi ſint, omnes tamen ſunt ex ſanguinibus, & ex voluntate carnis orti.

Verſ. 14. *Et Sermo fuit caro.*] Græcum verbum ἐγένετο tam verti poſſe per *fuit*, quam per *factum eſt*, notum eſt omnibus, qui Græcam linguam vel primis deguſtarunt labris. Prioris ſignificationis, quod verbum ἐγένετο, denotet *fuit*, habemus exemplum ſupra verſ. 6. *Fuit* (Gr. ἐγένετο) *homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes.* Vide etiam Marc. 1. 4. Luc. 1. 5. XXIV. 19. Actor. 9. 19. 2 Corinth. 1. verſ. 18, 19. Hebr. 2. 2. 2 Petr. 2. 1. Matth. 11. 26. Vulgo autem poſterior ſignificatio iſtius verbi retinetur, & locus hic ita vertitur: *Et Verbum caro factum eſt*; quia nimirum hinc abſurdiſſimam ſententiam ſuam de Incarnatione Dei Altiſſimi ſtatuminare conantur. Itaque argumentum, quod hinc ſumunt vulgo Chriſtiani, prius nobis diſcutiendum eſt, quam verum hujus loci ſenſum explicemus. Per Incarnationem Dei intelligunt illi opus hujuſmodi, quod Deus ſummus, ſecunda ſcilicet perſona Trinitatis, de cœlo deſcenderit in uterum Virginis Mariæ, ibique carnem ſeu humanam naturam aſſumſerit. Ad hanc rem probandam hunc locum minime facere, ſatis intelligi poteſt ex verbis doctiſſimi inter Pontificios Interpretis Johannis Maldonati, qui inter alia in hunc locum ita ſcribit: *Si Johannes dixiſſet, Verbum homo factum eſt, ſenſus facilis eſſet; difficilem & in varios errores ancipitem fecit nomen carnis. Hinc enim anſam alii arripuerunt exiſtimandi, Filium Dei non animam, ſed ſolam humanam aſſumſiſſe carnem, cui Verbum loco animæ fuerit*, &c. *Alii, ut dicerent, Verbum ita factum carnem, ut in carnem converſum fuerit*, &c. *Alii ut ex Verbo & carne unam quandam tertiam naturam factam dicerent*, &c. Etſi vero Maldonatus omnes has opiniones atque interpretationes, ut par eſt, rejiciat, ſatis tamen liquet inde, quam lubricum & arenoſum ſit fundamentum, cui res tanti momenti ſuperſtruitur. Et profecto ſi hæc verba Euangeliſtæ omnino hunc debeant habere ſenſum, quod Verbum humanam naturam aſſumſerit, ut vulgaris ſententia requirit, prima iſtarum trium opinionum, quarum meminit Maldonatus, non adeo abſurda erit. Quid enim Deo Altiſſimo opus erat anima humana, cum ea omnia, quæ anima humana in corpore peragit, ipſe multo perfectius peragere potuerit? Et qui fieri quoque potuit, ut non duæ perſonæ in Chriſto eſſent, ſi ſecunda perſona Trinitatis non ſolum humanum corpus, ſed etiam humanam ac rationalem animam aſſumſit? Ubi enim humanum corpus & rationalis anima ſimul juncta ſunt, ibi perſonam eſſe neceſſe eſt. Quod autem multo ſit rationi convenientius, Chriſtum unam tantum perſonam eſſe, quam duas, id agnoſcunt, præter Neſtorianos, omnes vulgo Chriſtiani. Oportet ergo quoque agnoſcant, multo rationabilius eſſe, ut in una perſona Chriſti, præter divinam naturam (quæ juxta vulgarem ſententiam eſt perfecta perſona, nempe ſecunda perſona Trinitatis) nulla alia humana anima fuerit. Deinde ſi verba iſta Johannis omnino ita eſſent vertenda, *Et Verbum caro factum eſt*, & ex iis conjunctio Dei cum humana natura eſſet colligenda, non male etiam alteri illi, quos commemorat Maldonatus, iſtam Incarnationem Dei declararent. Retinent enim propriam vim ac ſignificationem vocum, inhærentque claræ literæ, quæ revera non alium ſenſum habet, quam quod Verbum in carnem mutatum atque converſum ſit: ut mox videbimus. Tertia opinio, quam attingit Maldonatus, quod ex Verbo & carne tertium quiddam factum ſit, eſt Eutychis: quæ in Chalcedonenſi quidem Concilio damnata eſt, interea vero revera ab iis omnibus defenditur & aſſeritur, qui ſtatuunt, Chriſtum ſimul eſſe Deum ſummum & hominem. Qui enim & Deus & homo eſt ſimul, & eſt una tantum perſona, is neque eſt perfecte Deus, neque eſt perfecte homo, ſed aliquid tertium ex duobus compoſitum. Quod ii ſaltem fateri atque agnoſcere coguntur, qui ſentiunt, talem factam eſſe unionem Verbi cum carne, id eſt, divinæ naturæ cum humana natura in unam perſonam, ut divina natura humanæ, & viciſſim humana divinæ idiomata ſeu proprietates ſuas perfecte communicarit, ita ut de una & tota perſona Chriſti ſimpliciter utriuſque proprietates enunciari queant. Talis igitur perſona non poteſt perfecte Deus eſſe, quia mortalis eſt, aliaſque humanas proprietates habet, quæ de Deo Altiſſimo prædicari nequeunt: neque etiam poteſt eſſe perfecte homo, quia immortalis eſt, aliiſque divinis proprietatibus prædita eſt, quæ homini non competunt. Ex quibus omnibus liquet, quam ſolide ſententia iſta de incarnatione Dei ex hiſce Johannis verbis confirmari poſſit.

Sed ut ad rem propius accedamus, duabus de cauſis hæc verba Johannis nullum pro ſententia de Incarnatione Dei argumentum præbent. Prima eſt, quia verba ipſa, ſi ita transferantur, *Verbum caro factum eſt*, talem interpretationem nequaquam admittunt. Longe enim aliud eſt, perſonam, quæ jam vere & actu ipſo exiſtit, carnem in ſe aſſumere; aliud autem, eam carnem fieri. Nam qui aliquid aſſumit, non deſinit eſſe id ipſum, quod ante fuit. Sed quando res perſe ſubſiſtens, quæ jam reipſa eſt in rerum natura, ſive perſona ſit, ſive ſimplex ſubſtantia, fit alia ſubſtantia, ſeu alia res ſubſiſtens, neceſſario deſinit eſſe, quod prius fuerat. Ut verbi gratia, cum aqua in Cana Galilææ facta eſt vinum, extra omnem controverſiam eſt, eam deſiiſſe eſſe aquam: quando Moſis virga facta eſt ſerpens, non amplius fuit virga: quando Loti uxor facta eſt ſtatua ſalis, non amplius manſit fœmina. Sic etiam cum ſecundus ille Adamus, Chriſtus, qui antea fuit caro & homo mortalis, factus eſt *Spiritus vivificus*, 1 Corinth. 15. 41. deſiit eſſe caro & homo mortalis. Quapropter hæc verba Johannis iſtam Incarnationem Dei neutiquam evincunt: neque ullo exemplo probari poteſt,

quando

quando duarum rerum unio fit vel conjunctio, (quemadmodum hic factam volunt duarum naturarum in Chriſto conjunctionem) dici ſolere, quod una res facta ſit altera. An poteſt ulla major & arctior fieri unio, quam eſt animæ cum corpore in uno homine? Quis autem unquam fando audivit id dici, aut quam apte is loqueretur, qui conjunctionem atque unionem hanc indicaturus diceret, Anima facta eſt corpus? Multo minus dici poteſt, Deum factum eſſe carnem, ſi Deus carnem aſſumſit ac ſibi univit. Secundo nec ordo & contextus verborum hanc interpretationem admittit. Quis enim credat, Johannem poſteaquam in præcedentibus tam multa narraſſet, quæ omnia à Jeſu Chriſto homine facta ſint, ad extremum tandem dicere voluiſſe, quod merito ante omnia dicendum fuerat, Verbum factum eſſe hominem? Johannes ſuperius fuſe deſcripſit, omnia per Chriſtum facta eſſe, quæ facta ſunt; in ipſo fuiſſe vitam, quæ erat lux hominum; & lucem luxiſſe in tenebris, & tenebras eam non comprehendiſſe. Quæ omnia de Chriſto homine, cum in terris degeret, intelligenda eſſe, res ipſa docet, & ſuperius quoque eſt ſatis ſuperque probatum. Deſcribit porro, quid geſtum ſit, antequam Chriſtus ſuo munere ſuſcepto in publicum progrederetur, quod nimirum Johannes Baptiſta à Deo miſſus ſit, ut de eo teſtaretur, quo homines in eum credere poſſent. Refert, quid Johannes non fuerit, nempe quod non fuerit lux illa, & quod Chriſtus eum longe antecelluerit, & quod Chriſtus homines illuminarit, cum veniſſet in mundum. Dicit expreſſe de eo, quod in mundo fuerit, & quod mundus, qui tamen per eum factus eſt, (id eſt, homines hujus mundi, ad quos renovandos ac reformandos venerat) eum non cognoverit: quod venerit ad propria, id eſt, ad Judaicum populum, & quam ingratus iſte populus erga eum fuerit, ut eum non receperit: contra vero ad quam felicem ſtatum perduxerit Chriſtus eos, qui ipſum receperunt, dum eis poteſtatem dedit, ut filii Dei fierent. Hæc omnia igitur cum Johannes tam late deſcripſiſſet, & ferme totam Euangelii ſummam complexus fuiſſet, quam abſurdum, obſecro, foret, ſi nunc demum diceret, Verbum aſſumſiſſe carnem, vel in mundum natum eſſe, atque inter nos habitaſſe? Quomodo hoc huc quadraret? Annon jam ſuperius commemoraverat ſatis, eum in mundo fuiſſe, & quid ad ſalutem hominum in mundo egerit? Si quis hiſtoriam de Johanne Baptiſta aggrederetur deſcribere, & poſtquam retuliſſet, qui fuerint ejus parentes, quomodo fuerit educatus, quid & quomodo docuerit, prædicarit ac fecerit, nec non quis fuerit vitæ ejus exitus, tandem demum diceret, quod natus & in lucem editus ſit, nonne riſum moveret lectoribus? Æque abſurde ſcribentem Johannem Euangeliſtam faciunt ii, qui autumant, eum hoc verſ. 14. de Incarnatione Verbi (id eſt, de eo, quomodo Sermo genitus ſit ac editus in mundum) loqui, poſtquam jam ſupra narraſſet, quid Sermo in mundo geſſerit, & quomodo in mundum venerit, & quomodo receptus fuerit, ſeu, quod non fuerit receptus, ſed in crucem actus & morte crudeli affectus.

Jam ut verum explicemus ſenſum horum verborum, *Sermo fuit caro*, notandum eſt, Euangeliſtam hic non id velle dicere ſimpliciter, quod Sermo natus ſeu editus ſit in mundum, ſed potius quid natus ſit, ſeu qualis quoad naturam ac conditionem fuerit, cum naſceretur, & in mundo verſaretur, nempe quod fuerit *caro*, id eſt, homo infirmus ac mortalis, qui morti & omnis generis calamitatibus fuit obnoxius æque ac alii homines. Quando enim Sacræ Literæ volunt imbecillitatem ac mortalitatem humanæ naturæ exprimere, vocant homines *carnem*, quæ eſt ſicut fænum, & gloria ejus ſicut flos agri, Eſai. 40. 6. 1 Petr. 1. 24. Ita Jeremias quoque ait: *Maledictus vir, qui habet carnem* (id eſt, rem fragilem ac infirmam) *pro brachio ſuo.* Ideo autem hic Euangeliſta refert, Sermonem fuiſſe carnem, quia in præcedenti verſiculo mentionem fecerat ſummi boni & incomparabilis fecilitatis, qua beaverit Sermo eos, qui ipſum receperunt, quod nimirum poteſtatem adepti ſint, ut filii Dei fierent. Ne quis igitur id miraretur, & dubitaret de eo, quomodo fieri poſſet, ut homo mortalis ac infirmus ad tantam dignitatem evehatur; addit Euangeliſta, etiam Sermonem ipſum, id eſt, Dominum Jeſum mortalem hominem fuiſſe, & tamen ad tantam ſublimitatem evectum eſſe; qua de re Apoſtoli ipſi optime teſtari poſſint, cum inter ipſos habitarit, adeoque tum fragilitatem ac mortalitatem ejus, tum gloriam ejuſdem tanquam gloriam unigeniti Filii Dei oculis ſuis ſpectarint. Ideo enim Euangeliſta ſubjicit, *Et habitavit inter nos*, ut probaret, ſe vera narrare, quæ una cum aliis Apoſtolis bene comperta habere poterat; quandoquidem Sermo inter eos habitarit, & per tempus haud mediocre familiariter cum ipſis quotidie converſatus ſit.

Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenus gratiæ & veritatis.] Græcum verbum ἐσκήνωσεν, quo Euangeliſta hic utitur, proprie ſignificat in tabernaculis vel tentoriis agere; indicat igitur, Chriſtum in terris non habuiſſe ſtabilem ac fixam ſedem, ſed eum docendi munus peregiſſe huc illuc ambulando, & poſt abſolutam ſuam in terris peregrinationem ad Patrem ſuum in æterna tabernacula profectum eſſe.

Et vidimus gloriam ejus.] Verbum *videre* hic non denotat ſimplicem aut vulgarem conſpectum, ac viſionem, ſed longam, continuam, & conſtantem contemplationem; quali utuntur homines in intuendis ſpectaculis, ubi homines ex profeſſo ſedent, & accurate ac intente omnia contemplantur.

Gloriam quaſi unigeniti à Patre.] Subjungit hæc verba, ut ſignificet magnitudinem iſtius gloriæ. Indicat enim non vulgarem fuiſſe illam gloriam, quam viderant, qualis etiam in aliis Prophetis videri poterat, ſed talem, quæ proprie unigenito Filio Dei, id eſt, illi olim promiſſo Meſſiæ atque Uncto Dei competebat: Et talis ſane gloria reipſa in Jeſu Chriſto apparuit. Talis gloria fuerunt divina miracula, qualia nemo unquam in mundo, audivit, nec fecit Johan. cap. 15. 24. De hac gloria ſcribit Euangeliſta inferius cap. 2. 11. *Hoc initium ſignorum fecit Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam.* Talis gloria fuit illa magnifica ejus transfiguratio, ubi Moſes è ſepulchro, & Elias de cœlo ad eum venerunt,

voxque cælitus demiſſa teſtata eſt, eum eſſe dilectum Dei Filium, ad quem audiendum omnes obſtricti ſint. De qua gloria apud Petrum Apoſtolum hæc memorabilia verba leguntur: *Non arte compoſitas fabulas ſecuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti potentiam & adventum; ſed ut qui oculis noſtris ſpectavimus illius majeſtatem. Acceperat enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delata hujuſmodi à magnifica illa gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Et hanc vocem nos audivimus è cœlo delatam, cum eſſemus una cum eo in monte ſancto*, 2 Petr. 1. 16, 17, 18. Ante omnia vero talis gloria, qualis nemini unquam contigit, eſt glorioſa reſurrectio Chriſti, ejuſque in cœlum ad vitam æternam ac cœleſte regnum tranſlatio.

A Patre.] His verbis monſtrat Euangeliſta auctorem gloriæ Chriſti, à quo eam acceperit, nempe ab eo, cujus eſt Filius, id eſt, à Deo ipſo, qui Pater eſt; ut Petrus in modo recitatis verbis ait: *Acceperat enim a Deo Patre honorem & gloriam.* De ipſius divina poteſtate & virtute, per quam edebat miracula, inquit idem Petrus: *Jeſum illum à Nazareth unxit Deus Spiritu Sancto & virtute, qui obambulavit benefaciens, & ſanans omnes oppreſſos à diabolo; quoniam Deus erat cum eo*, Actor. 10. 38. Chriſtus quoque ipſe vocat opera ſua Patris opera, quæ ipſi Pater dederit, dicitque diſerte, Filium nihil poſſe facere à ſeipſo, & Patrem qui in ſe habitet, opera illa facere, Johan. 5. 19, 30, 36. x. 37. xiv. 10. Et quis etiam Chriſtum à mortuis ſuſcitavit, inque cœlum extulit, niſi Deus Pater ejus? qua de re plena eſt Sacra Scriptura. Vide Actor. 2. 24, 32. iii. 15. iv. 10. x. 40. xiii. 30, 34. xvii. 31. Rom. 4. 24. viii. 11. & alibi.

Plenus gratiæ & veritatis.] Quoad ſenſum cohærent hæc verba cum ſuperioribus illis, *Et habitavit inter nos*, hoc modo: Et habitavit inter nos plenus gratiæ & veritatis. Vult autem Euangeliſta dicere, Sermonem plenum fuiſſe vera gratia. Eſt modus loquendi Hebraicus. Gratia autem iſta fuit vita æterna, perfecta remiſſio peccatorum, liberatio ab onere Legis, juſtificatio per vivam & charitate animatam fidem, effuſio in fideles larga Spiritus Sancti, vocatio omnium gentium & conjunctio in unam Eccleſiam. Quæ omnia Sermo attulit & effecit, cum inter homines habitaret.

Verſ. 15. *Johannes teſtatur de ipſo, & clamavit dicens: Hic erat, de quo dixi, Qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat.*] Nondum abſoluto ſuo ſermone Euangeliſta, ad majorem fidem rei faciendam, inſerit hic teſtimonium Johannis Baptiſtæ, quod poſtea verſ. 19. & ſeqq. fuſius deſcribit: volens hoc teſtimonio refellere eos, qui Johannem pro Meſſia habebant, & ipſius potius quam Chriſti diſcipuli eſſe dicique malebant. Quaſi dicat: Johannes Baptiſta ipſe harum rerum, quas de Domino Jeſu narravi, optimus fuit teſtis, & quidem teſtis publicus, qui non in occulto locutus eſt, ſed clara voce clamavit: *Hic erat*, vel *hic eſt*, ut Johannes Baptiſta infra loquitur verſ. 27, 30, 31, 32, 33, 34. eumque digito oſtendit, cum eum in baptiſmo ex ſigno deſcendentis in eum Spiritus Sancti cognoviſſet.

De quo dixi, Qui poſt me venit.] Subintellige, *vir*, qui poſt me venit: ut infra additur verſ. 30.

Ante me factus eſt.] Græca verba ſic ſonant: ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Quaſi dicat: Etſi quoad adventum ſuum me ſit poſterior, me tamen longe poſt ſe reliquit. Eventus enim docuit, omnes ad Dominum Jeſum veniſſe Johan. 3. 26. eumque plures diſcipulos feciſſe ac baptiſaſſe, quam Johannes, Johan. 4. verſ. 1. Ideo Johannes Baptiſta de ipſo dixit: *Illum oportet creſcere, me autem minui*, Johan. 3. 30.

Quia prior me erat.] Id eſt, præſtantior. Gr. πρῶτος, primus. Indicat Euangeliſta, jure id factum, quod ipſum Dominus Jeſus procul poſt ſe reliquerit: quaſi dicat; Etſi ille poſt me veniat, prior tamen fuit me (puta ratione dignitatis, & poteſtatis ac virtutis, ut apud alios Euangeliſtas loquitur Matth. 3. verſ. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16.) ita ut dignus non ſim calceamenti ejus ſolvere corrigiam: infra verſ. 27. Longe enim excellentius officium accepit à Deo, quam ego. Nam ipſe eſt Chriſtus, ego autem ante eum miſſus ſum, tanquam ipſius præcurſor; Ille eſt Sponſus, ego ſum Sponſi amicus, Johan. 3. verſ. 28, 29.

Hoc teſtimonium Johannis vulgo allegari ſolet pro argumento ad probandam ſupremam Deitatem Chriſti hoc modo: Johannes dicit hoc loco, Chriſtum eo priorem fuiſſe; Chriſtus autem aliquot menſibus ſerius natus eſt quam Johannes: ſequitur ergo, ajunt, neceſſario, id de alia quam humana natura, nempe de divina intelligendum eſſe, ſecundum quam fuit ab æterno. Reſpondeo. Poſteriora iſta verba, Secundum quam fuit ab æterno, ſaltum nimis magnum continent. Etſi enim Chriſtus tempore prior fuiſſet quam Johannes, quemadmodum omnes veteres & novi Ariani crediderunt, quod etiam ante conditum mundum extiterit; nondum tamen ex eo ſequeretur, eum ab æterno fuiſſe, neque etiam, eum ex eſſentia Patris eſſe generatum. Deinde ex verſ. 30, clare liquet, Johannem de viro loqui: *Poſt me venit vir*, ait. Ex quo perſpicuum eſt, eum de nulla alia natura Domini Ieſu agere, quam de humana; aut debuiſſet hoc modo loqui: Poſt me venit vir ſecundum humanam naturam, qui ſecundum divinam naturam me fuit tempore prior. Sed non eſt credibile, Iohannem tam abſurde locuturum fuiſſe. Annon enim ille Altiſſimam Chriſti Deitatem aliis expreſſiſſet commodioribus verbis, quam his, quod prior ſe fuerit? An ille ſi æternam ejus Deitatem ſignificare voluiſſet, eum appellaſſet virum? An hanc rem tam ſublimem, & omnibus hominibus ſcitu neceſſariam aliis clarioribus verbis, quam ejuſmodi, quæ contrarium potius arguunt (Deus enim nullo modo vir eſt) proferre non potuit? præſertim cum inſtitueret comparationem inter ſe & Chriſtum, dicitque, ſe indignum eſſe, qui ſolvat calceamentorum ejus corrigiam. Profecto prærogativam ille Chriſti ſupra ſe & ſuam indignitatem reſpectu Chriſti jejune admodum, imo plane non demonſtraſſet, ſi nihil aliud dicere voluiſſet, quam Chriſtum tempore ſe priorem fuiſſe. Nam & Moſes & omnes Prophetæ fuerunt priores Iohanne Baptiſta, qui tamen minores eo erant omnes; ut Chriſtus ipſe teſtatur inquiens, inter natos è mulie-

ribus

ribus nemineth majorem extitiſſe Iohanne Baptiſta, Matth. 11. 11. Præterea nimis inſulſa & inepta foret hæc locutio Iohannis, ſi hæc interpretatio de tempore deberet ſtare, & ita accipienda eſſent verba, ut ea vertit Lutherus: Poſt me venturus eſt, qui ante me fuit, quia erat prius, quam ego. Poſtrema enim iſta verba, *quia erat prius, quam ego*, idem ſignificarent, quod ſuperiora illa, *qui ante me fuit*; ut ita ſenſus eſſet: Poſt me venturus eſt, qui ante me fuit, quia ante me fuit. Quam egregia vero hæc eſſet locutio? Accedit, quod vox ἔμπροσθεν, *ante* in proprio ſuo ſignificatu accepta, tantum ordinem loci, non temporis denotet: quod omnes Græcæ linguæ periti agnoſcere coguntur. Hinc etiam Doctiſſimi Interpretes, ut Maldonatus, Canus, Muſculus, Beza, Piſcator, & alii, etiam è veteribus Eccleſiæ Doctoribus multi, quos citat Maldonatus, verba hæc ita reddiderunt: *Qui poſt me venit, me prævenit*, vel, *mihi prælatus eſt*. Quod autem ultima verba attinet, quæ Lutherus tranſtulit, *quia erat prius* (πρῶτος) *quam ego*; manifeſtum eſt, vocabulum πρῶτος (quod proprie eſt, primus) non ſolum prioritatem temporis, ſed etiam ordinis ac præſtantiæ deſignare. Neque illi qui ſupremam Chriſti divinitatem ex hoc loco probare nituntur, ullam habent cauſam aliam, cur hæc verba de prioritate temporis accipere malint, quam præconceptam opinionem ſuam: cum interea jam ante annotatum ſit, abſurdum fore, ſi Johannes his verbis præſtantiam Chriſti præ ſe non aliter indicaſſet, quam quod tempore ſe prior fuerit.

Verſ. 16. *Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*] Verba iſta cum ℣ſ. 14, connectenda ſunt ita: *Plenus gratiæ & veritatis; & ex plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Quod enim verſ. 15, de teſtimonio Johannis Baptiſtæ dictum eſt, ad majorem confirmationem, in parentheſi additum eſt. Significat autem hic Johannes Euangeliſta, ſe & alios Apoſtolos, diſcipulosque Domini Jeſu, ſalutarem doctrinam Euangelii non à Johanne Baptiſta, ſed ex inexhauſta plenitudine Domini Ieſu hauſiſſe.

Et gratiam pro gratia.] Id eſt, pro veteri gratia, per Chriſtum & à Chriſto accepimus novam gratiam Dei: pro umbra gratiæ accepimus perfectam ejus plenitudinem: ut in mox ſequentibus verbis oſtendit.

Verſ. 17. *Nam lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.*] Legem opponit gratiæ & veritati, id eſt, veræ gratiæ, ut ſupra verſ. 14, innuitque, etiam Legem fuiſſe gratiam Dei ſuo modo, ſed reſpectu Euangelii non erat vera & perfecta gratia. Hinc Paulus Apoſtolus, quando Euangelium Legi opponit, etiam utitur voce *gratiæ*, Rom. 6. 14. Dicit igitur Euangeliſta, quod ſicut Lex per Moſen data eſt, ita Euangelium & Novum Fœdus, in quo vera & perfecta Dei gratia continetur, per Ieſum Chriſtum factum ſit. Hic proinde pro Mediatore Novi Fœderis habendus eſt, non Iohannes Baptiſta, aut quiſquam alius.

Verſ. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis.*] Quod modo dixerat, veram gratiam per Chriſtum eſſe allatam, id confirmat hoc dicto, quod Deum nemo unquam viderit, ita ut myſteria voluntatis ejus perfectiſſimæ, noſtræque ſalutis, ab eo cognoſcere potuerit. Ut ergo homines de iis certiores reddi poſſent, oportuit aliquem eſſe, qui ea hominibus annunciaret, & majoris certitudinis cauſa Deum ipſum videret, atque apud ipſum eſſet. Quis autem poterat aut debebat ad hanc rem eſſe magis idoneus, quam unigenitus Dei Filius, & quidem is, qui nunc eſt in ſinu Patris? Ex quibus omnibus ſatis intelligitur, eum etiam antea in cœlum aſcendiſſe, atque apud Deum fuiſſe, & à Deo in mundum veniſſe, Iohan. 3. 13. VI. 62.

Qui eſt in ſinu Patris.] Id eſt, qui Patri eſt dilectiſſimus & conjunctiſſimus: non aliter ac parvuli in ſinu parentum ſuorum recumbentes eis ſunt conjunctiſſimi. Ita Iohannes in cœna recumbebat in ſinu Chriſti, ut pote dilectiſſimus inter omnes, Johan. 13. 19. Vide quid annotatum ſit de hac phraſi ad Luc. 16. 22.

Ipſe enarravit nobis.] Id eſt, annunciavit; myſteria abſcondita à creatione mundi revelavit, Matth. 11. verſ. 27. XIII. 35.

Hiſce verbis hujus verſiculi 18, concludit Johannes Euangeliſta hoc ſuum inſigne Exordium, ſummatimque iis complectitur ea omnia, quæ ſuperius de Domino Ieſu dixerat. Primum indicat, eum vidiſſe Deum ipſum, quod nec Moſi, nec ulli alii Propheræ contigit. Illi enim omnes non Deum ipſum, ſed Angelum duntaxat, qui perſonam Dei ſuſtinebat, & nomen ejus gerebat, viderunt: & hunc quidem Angelum non viderunt, qualis in ſeipſo eſt, ſed tantum in corporea ſpecie. Ita ut Chriſtus nullum interpretem à Deo ad ſe habuerit. Atque his verbis, quod Dominus Ieſus Deum viderit, comprehenſum eſt illud, quod ab initio ſcripſerat Iohannes, Sermonem, id eſt, Chriſtum apud Deum fuiſſe. Deinde dum eum unigenitum Filium Dei vocat, ſignificat eum Chriſtum eſſe ſeu Meſſiam, ut ſupra dictum, eumque adeo præſtantiorem eſſe non ſolum omnibus hominibus, ſed etiam cunctis Angelis, Hebr. 1. 4. Tertio cum dicit, eum eſſe in ſinu Patris, non ſolum indicat locum habitationis ejus, quod ibi habitet, ubi eſt Deus Altiſſimus, ſed quod etiam Deo ſit dilectiſſimus: itaque mirum non eſt, eum omnia ipſius jura atque arcana ſciviſſe. Quarto cum ait, eum omnia nobis enarraſſe, ſignificat, eum fuiſſe Sermonem Dei, per quem Novum Fœdus ſancitum eſt, & per quem adeo nova Creatio perfecta eſt. Tandem videmus *Sermonem* Dei & *Unigenitum Filium* Dei unum idemque denotare, nimirum Ieſum illum, quem nominavit verſ. 17. non alium aliquem, qui ante Ieſum Chriſtum fuerit, qui ex Spiritu Sancto conceptus, & ex Virgine natus, hoc nomine inſignitus fuit.

PARS II.

Verſ. 19. *Et hoc eſt teſtimonium Johannis, quando miſerunt Judæi Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es?*] Hucuſque docuit Euangeliſta, non Iohannem Baptiſtam, ſed Dominum Ieſum eſſe illum promiſſum Meſſiam,

Messiam. Nunc pergens confirmat idem testimonio ipsius Iohannis Baptistæ, quod superius vers. 15. breviter tantum attigerat, hic vero illud latius deducit, & copiosius exponit.

Et hoc est testimonium Johannis.] Quæ verba duobus modis accipi possunt. Primo quod Euangelista iis respiciat ad vers. 15, ubi dixerat, *Johannes testatur de eo* (nempe de Sermone) quodque ipsius testimonium hoc fusius nunc velit proponere, ejusque circumstantias omnes describere; quasi dicat. Testimonium autem illud Iohannis, de quo antea memini, hoc fuit, vel hoc modo se habuit. Deinde possunt verba ista ita sumi, quod Euangelista aliud testimonium Iohannis, præter illud supra vers. 15, memoratum, in medium afferre velit. Quo admisso, particula & accipienda esset pro *etiam:* quasi dicat, Etiam hoc est testimonium Iohannis de Christo. Sed prior tamen sensus videtur posteriori præferendus. Articulus enim ἡ in Græco (ἡ μαρτυρία) innuit Euangelistam de certo & noto testimonio loqui, nempe de eo, de quo jam ante fecerat mentionem. Idem enim illud testimonium, quod descripserat vers. 15. repetit postea vers. 27, postquam prius, circumstantias temporis, personarum, & occasionis ipsi datæ ad hoc testimonium perhibendum indicasset. Non est autem absque causa factum, quod Iohannes Euangelista hoc testimonium Iohannis Baptistæ de Christo tanta cum cura & cum tot circumstantiis descripserit: testimonium enim in quo plurimum situm est, ita describendum omnino est, ut etiam fidem apud homines inveniat. Tanto majorem autem habet auctoritatem hoc testimonium, quando non modo consideratur ipsius testis præstantia eximia, quæ supra indicata est vers. 7. sed etiam quod non proprio motu aut arbitrio, (quod testem solet suspectum reddere) testimonium hoc protulerit, verum à primariis & doctissimis viris, qui erant Hierosolymis, missa legatione gravissima, ad id impulsus. Sunt autem hujus historiæ, quæ se usque ad vers. 29. extendit, duæ partes principales. Prima est, qua de re Iohannes fuerit interrogatus: Secunda, quid ad singula quæsita responderit. Circa quas duas partes etiam simul attendendæ sunt circumstantiæ personarum, temporis, loci, & aliarum rerum, quæ cum his conjunctæ sunt.

Quando miserunt Judæi Hierosolymis.] Id est, Synedrium misit, quod perpetuo Hierosolymis residebat, cujusque officium erat, de veris falsisque Prophetis judicare. Eodem modo traditur etiam ad Barcochebam missa esse legatio à Synedrio, ut interrogaretur ejus nomine, quis esset. Causa vero, qua motum est Synedrium, ut hanc legationem ad Iohannem expediret, non fuit odium erga Christum, cum is nondum notus esset, sed celebritas nominis ac famæ, qua Iohannes in populo clarus erat: & credibile est, etiam invidiam ac malevolentiam erga Iohannem adjunctam fuisse (virtuti enim raro comes deesse solet invidia) quod ferme ex modo interrogationis colligitur. Quam gratus & acceptus populo fuerit Iohannes, ex Luca cernitur, qui ait cap. 3. vers. 15, 16. *Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, num forte ipse esset Christus; respondit Johannes omnibus, dicens: Ego quidem aqua baptiso vos. Venit autem fortior me, cujus ego non sum dignus solvere calceamentorum corrigiam: ipse vos baptisabit Spiritu Sancto & igni.* Unde vero hæc de Iohanne expectatio atque opinio enata sit, ibidem ad Lucam indicavimus. Videbant magnam hujus viri sanctitatem: videbant tempus, quo Messias venire debebat, jam præterlapsum esse, 70 septimanas Danielis jam finem sortitas &c.

Sacerdotes & Levitas.] Homines spiritualis, ut vocant, ordinis seu Ecclesiastici. Cur autem tales miserint, facile est divinare. Quæstio enim erat de præcipuo capite religionis Iudaicæ, nempe de Messia. Ad quam quæstionem proponendam non poterant aptiores eligere homines, quam eos, qui religionis erant optime gnari, inque Lege ac Scripturis bene exercitati. Quod sit discrimen inter Sacerdotes & Levitas, notum est. Fuerunt utrique ex tribu Levi: sed Sacerdotes erant ex familia Aaronis, Levitæ vero ex aliis familiis. Sacerdotes alio modo & pluribus cum ceremoniis consecrabantur, quam Levitæ. Sacerdotes præerant sacrificiis: Levitæ viliora officia ac ministeria obibant, quæ in Templo peragenda erant, Exod. 28. & 29. In hac legatione Sacerdotibus additi sunt Levitæ; quemadmodum vulgo etiam fit in legationibus, ut præcipuis legatis adjungantur alii minores. Erant autem inter Levitas non pauci, ut & inter Sacerdotes, viri summe docti rerumque periti, qui consilio prudenti istos juvare poterant. Si igitur omnes istæ circumstantiæ perpendantur, & personæ spectentur mittentes, nempe totum Synedrium, & personæ missæ, homines non è vulgo, & Iohannes ipse, qui in tanto fuit æstimio apud populum; intelligetur, legationem istam gravissimam & insignem admodum fuisse, adeoque etiam testimonium hoc Iohannis de Christo tanto præclarius & gravius fuisse: cum non in angulo aliquo coram vulgaribus hominibus, sed tam celebri occasione editum sit. Quæ etiam causa fuit, quod tanta diligentia id Euangelista perscripserit.

Ut interrogarent eum: Tu quis es?] Hebræorum mos est recta oratione pro obliqua utendi: ut Exod. cap. 3. 13. & alibi. Quæritur, cum scopus hujus legationis fuerit, à Iohanne expiscari, num ipse esset Christus; cur legati isti non statim hanc quæstionem proponant, sed in genere quærant, *Tu quis es?* Sed omnino credibile est, legatos protinus ab initio quæsiviisse, annon ipse esset Christus: hoc enim ex sequenti prima responsione Iohannis colligitur, in qua directe & aperte confessus est, se non esse Christum; quod non potuisset apte respondere, si de eo interrogatus non fuisset. Sed quia verisimile est, legatis commissum fuisse, si Iohannes responderet, se non esse Christum, ut eum ulterius interrogarent, quis esset, ideo Euangelista hanc generalem legationis partem, pro tota posuit.

Vers. 20. *Et confessus est, & non negavit, & confessus est, Quia ego non sum Christus.*] Est Hebraica locutio, in Scripturis valde usitata, qua omne effugium vel ambiguitas verborum adimitur, cum id quod affirmatur, mox negatione contrarii declaratur. Exempla passim sunt obvia: inter alia vide Esai. 38. 1. ubi Esaias dicit ad Ezechiam Regem: *Morieris & non manebis vivus.* Ita Ezechias quoque

ad Lu-

ad Eſaiam ait: cap. 39. 4, *Quicquid eſt domi meæ, viderunt; & non fuit quicquam, quod non oſtenderim eis, in theſauris meis* Inprimis autem iſte loquendi modus eſt noſtro Euangeliſtæ admodum familiaris. Vide ſupra verſ. 3. 1 Johan. 1. 5. 11. 4, 8, 10. Locutio autem iſta hic habet ſingularem vim. Euangeliſta enim ea indicat, Johannem clare & expreſſe, abſque omnibus verborum ambagibus confeſſionem edidiſſe, uti ſe res habebat, quod nimirum Chriſtus non eſſet, ut falſam illam opinionem, quam de eo homines conceperant, ex animis eorum eximeret.

Et confeſſus eſt, quia ego non ſum Chriſtus.] Faſſus eſt, ſe non eſſe Meſſiam illum, qui tunc temporis expectabatur.

Verſ. 21. *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dicit: Non ſum. Propheta es tu? & reſpondit: Non.*] Cum non eſſet Meſſias, neceſſe tamen erat, eum eſſe aliquem inſignem & excellentem virum, quod non ſolum ex integra ejus vita & factis, ſed etiam ex tanto ad eum populi concurſu & admiratione apparebat.

Elias es tu?] Ille ſcilicet Propheta, qui igneo curru ſubvectus eſt in cœlum, 2 Reg. 2. 11. De quo ex male intellecto loco Malach. 4. 5, credebant, eum ante Meſſiam eſſe venturum ejuſque præcurſorem fore. Vide hac de re dicta ad Matth. 16. 14. Quare cum Johannes negaret, ſe Meſſiam eſſe, interrogant eum, annon eſſet prodromus ejus Elias.

Et dicit: Non ſum.] Nempe in ea ſignificatione, qua interrogabant illi, merito dicere potuit, ſe non eſſe Eliam, illum ſcilicet ipſum Eliam, qui igneo curru in cœlum tranſlatus eſt. Itaque Johannes non contradixit ei, quod Chriſtus de ipſo dixit: *Hic eſt Elias, qui venturus erat*, Matth. 11. 14. Chriſtus enim id non de perſona Eliæ, ſed de Spiritu & virtute intellexit, qua Johannes Eliæ fuit ſimilis, ut ibidem explicatum. Quod autem Johannes hoc ipſum hic confeſſus non ſit de ſe, quod poſtea Chriſtus de ipſo affirmavit, id modeſtiæ ejus adſcribendum eſt: erat enim magna dignitas, quod Eliæ perſonam ſuſtineret, etſi Elias ipſe non eſſet; proinde convenientius erat, ut id de ipſo Chriſtus, quam ipſe de ſe teſtaretur.

Propheta es tu?] In Syriaco textu non eſt articulus, qui hic in Græco eſt, ὁ προφήτης, *ille Propheta*, & ſic legunt omnia exemplaria Græca, non hic tantum, ſed infra quoque verſ. 25. Hic articulus autem indicat, eos de certo aliquo Propheta nominatim quærere. Non poſſunt autem illum Prophetam intelligere, de quo loquitur Moſes Deut. 18. 16. *Prophetam ſuſcitabit Dominus Deus veſter è medio fratrum veſtrorum, ſicut me*; id eſt, Meſſiam, ut liquet Actor. 3. 22. De eo enim jam clare confeſſus fuerat Johannes, ſe eum non eſſe. Eccur igitur illi denuo de eodem cum rogarent, idque ſub alio nomine? Adde quod ipſi infra verſ. 25, expreſſe diſtinguant hunc Prophetam à Chriſto, cum ajunt: *Quid ergo baptiſas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque ille Propheta?* Itaque veriſimile eſt, eos per hunc Prophetam intellexiſſe Jeremiam, quem etiam Judæi præter Eliam ante adventum Meſſiæ expectabant; ut explicatum Matth. 16. 14. De eodem Propheta videntur intelligenda quoque eſſe loca infra Johan. 7. verſ. 40. Præterea ſi ſimpliciter interrogaſſent, Eſſetne Propheta, non negaſſet Johannes ita præciſe, ſe Prophetam eſſe. Fuit enim vere Propheta, imo amplius quam Propheta, Matth. 11. 9. Prophetarum enim munus fuit inter alia, de venturo Meſſia vaticinari; quod nullus veterum Prophetarum tam excellenti fecit modo, quam Johannes Baptiſta, qui eum non ſolum digito monſtravit, *Ecce agnus Dei*, infra verſ. 29; ſed etiam in Spiritu ac virtute excellentiſſimi Prophetarum Eliæ præcurſor ejus fuit, & per prædicationem pœnitentiæ (quæ ipſi non minus quam aliis Prophetis à Deo demandata erat) hominum animos ad Meſſiæ adventum præparavit.

Verſ. 22. *Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de teipſo?*] Hucuſque Judæi ex ejus reſponſionibus intellexerunt, quid non eſſet, nempe, quod non ſit Chriſtus, non Elias, non Propheta: Eo non contenti ſcire volunt amplius, quis ſit, & dicere eum jubent, quale munus gerat, quem ſe eſſe ratione officii profiteatur.

Verſ. 23. *Ait: Ego ſum vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, ſicut dixit Eſaias Propheta.*] Hic Johannes liberam de ſe confeſſionem edit: qua ſatis indicat, ſe Prophetam eſſe, qui à Deo miſſus ſit, ad commonendum populum, ut animos ſuos ad adventum Dei, qui per Meſſiam ad eum venturus erat, pœnitentiam agendo, & ſancte vivendo præpararent. Vide quæ de his verbis dicta ſunt ad Matth. 3. 3.

Verſ. 24. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.*] Erant Phariſaicæ ſectæ addicti, quales erant plerique è Synedrio: ut patet ex Actor. 23. 6. Quæritur hoc loco: Cur Euangeliſta hic ſectæ meminerit, cum initio ſimpliciter dixerit, eos fuiſſe Sacerdotes ac Levitas, nulla ſectæ mentione facta? Videtur Euangeliſta indicare voluiſſe, eos ſi Sadducæorum aut Eſſenorum ſectæ addicti fuiſſent, quæſtionem ſequentem non propoſituros fuiſſe. Ratio eſt, quia Phariſæi ea erant opinione ac perſuaſione de ſe turgidi, quod nulla eſſet ceremonia ac ritus, qui vel à Deo mandatus ſit, vel à majoribus Judæorum invectus, quem illi non accuratiſſime obſervarent. Cum vero inter ritus iſtos baptiſmus non eſſet, credebant, non licere cuiquam novum ritum introducere, niſi ſit Propheta à Deo miſſus.

Verſ. 25. *Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptiſas, ſi non es tu Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?*] Apparet, hunc fuiſſe primarium hujus legationis ſcopum, ut rationem ab eo exigerent; qua auctoritate ac poteſtate is ſibi licentiam ſumat novam ceremoniam invehendi, populique animos hac ratione ad ſe trahendi, cum non ſit Chriſtus, neque Elias, neque Propheta ullus: neque enim licere ulli aliquid in religione innovare, præterquam Meſſiæ, vel Eliæ, vel alicui alii Prophetæ ad id ordinato. Hinc ergo non obſcure liquet, quo animo legati iſti ad Johannem miſſi fuerint, nimirum ut cauſam haberent eum tanquam auctorem novarum rerum inſectandi. Non erat quidem baptiſmus apud Judæos ritus inſolens atque ignotus, ut oſtenſum ad Matth. 3. 6. ſed tamen, ut ita palam

& pu-

& publice urgeretur; ut omnes homines tenerentur ad eum accedere, qui vellent partem habere in regno Meſſiæ, ſicut urgebat Johannes. id erat aliquid novum. Nam multiplex illa lotio & purificatio Phariſæorum, de qua legimus Marc. 7. 3, 4. erat plane aliquid aliud.

Verſ. 26. *Reſpondit eis Johannes, dicens: Ego baptiſo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem non noſtis.*] Hæc verba ſimpliciter accepta non continent reſponſionem ad illorum quæſtionem, cur baptiſet: ſciebant enim illi probe, cum aqua baptiſare, & non vino, vel oleo. Itaque neceſſe eſt ſubintelligi aliquid ad illa verba: *Ego baptiſo aqua; medius autem veſtrum ſtetit, quem vos non noſtis:* nimirum, qui baptiſabit Spiritu Sancto, ut additur apud Matth. 3. 11. Johannes enim non tam reſpondet ad verba quæſtionis ſibi propoſitæ, quam ad ſenſum. Nam hæc erat mens quærentium: qua poteſtate auderet novi quid in religione inſtituere? Ad hoc ille reſpondet, quaſi dicat: Quod ego facio, res eſt exigua. Ego baptiſo tantum aqua, ſed eſt alius in medio veſtri, quem vos non noſtis, qui alium longe nobiliorem baptiſmum, nempe baptiſmum in Spiritu Sancto, exercebit. Meus baptiſmus eſt tantum exile initium illius eximii muneris, quod ipſi à Deo demandatum eſt. Itaque non eſt, quod me interrogetis, qui tantum præcurſor ejus ac miniſter ſum; ſed illum ipſum interrogare poteſtis, qui jam eſt in medio veſtri, & brevi munus ſuum auſpicabitur.

Medius autem veſtrum ſtetit.] Verbis iſtis non eſt contrarium, quod hic & alibi apud Euangeliſtas dicit Johannes: *Poſt me venit*, Matth. 3. 11. Marc. 1. verſ. 7, 8. Luc. 3. 16. Senſus enim eſt, eum, qui diſcipulos ſuos baptiſaturus ſit Spiritu Sancto, jam verſari inter Judæos, & in medio eorum vivere, ſed tempus præſto eſſe, quo is magis magiſque ſe omnibus hominibus manifeſtaturus ſit.

Quem vos non noſtis.] Poterant illi faciem ejus forte vidiſſe, ſed quod eſſet vir tantæ dignitatis, id eos animadvertere non ſinebat vilis ac deſpecta ejus conditio, qui nihil niſi externa ſpectabant. Ita mundus etiam non novit Dei filios, 1 Johan. 3. 1.

Verſ. 27. *Ipſe eſt ille poſt me venturus, qui ante me factus eſt, cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceamenti ejus.*] Deſcribit Chriſtum ab ipſius dignitate & præſtantia, ſecum eum comparans: unde eos vult intelligere, non à ſe poſcendam eſſe rationem novæ religionis, qui cum ipſo comparatus non aliter erat æſtimandus, quam viliſſimus ejus ſervus. Vide dicta de his verbis ſupra verſ. 15.

Ille poſt me venturus.] Id eſt, qui poſt me publice munere ſuo fungetur. Etſi enim Chriſtus jam tum à Johanne baptiſatus fuerit, ut infra verſ. 29, oſtendetur, dicere tamen Johannes poterat: *Qui poſt me venturus eſt.* Chriſtus enim munus ſuum non à baptiſmo ejus mox inchoavit; ſed poſtquam 40 diebus tentatus à diabolo in deſerto ſpecimen edidit ſuæ fidei, cœpit prædicare: *Agite pœnitentiam, quia appropinquavit regnum cœlorum*, Matth. 4. 17.

Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceamenti ejus.] De his verbis vide adnotata ad Matth. 3. 11. & Luc. 3. 16.

Verſ. 28. *Hæc facta ſunt in Bethabara trans Jordanem, ubi erat Johannes baptiſans.*] Latina exemplaria, ut & Syriacum, & nonnulla Græca habent, *in Bethania:* Sed manifeſtus error eſt Scribarum ſeu amannenſium, qui exemplaria illa deſcripſerunt. Bethania enim ſita erat ad montem Oliveti, 15 ſtadiis ab Hieroſolyma remota, Marc. 11. 1. Johan. 11. verſ. 18. ubi nulla erat baptiſandi opportunitas: nam fluvius Cedron, qui non procul inde diſtabat, longe erat minor, quam ut homo totus in eo poſſet immergi, prout ritus baptiſmi requirebat. Præterea conſtat ex hiſtoria Johannis, eum tam prope Hieroſolymam non fuiſſe verſatum. Hic autem locus ſitus erat ad Jordanem, qui fluvius diſtabat ad minimum unius diei itinere ab Hieroſolyma, verſus Orientem, ubi Johannes ut plurimum commorabatur. Neque dubium eſt ullum, quin idem ſit ille locus, de quo fit mentio infra cap. 10. 40. Quod enim hic ſimpliciter dicit Euangeliſta, *Ubi erat Johannes baptiſans*; id ibi ſic explicat, *Ubi erat Johannes primum baptiſans.* Poſtea enim baptiſavit in Ænon prope Salim in deſerto Johan. 3. 23. De eodem loco habet Syriacus textus: *Apud trajectum Jordanis*, id eſt, ubi ſolebat trajici Jordanes; quod idem ſignificat, quod Bethabara. Hoc enim nomen nihil aliud notat, quam *domum trajectus.* Frequens id apud Hebræos eſt, ut vox *Beth*, quæ domum ſignificat, apponatur nominibus civitatum vel vicorum: ut *Bethania*, domus afflictionis; *Bethlehem*, domus panis; *Bethaven*, domus vanitatis; *Bethel*, domus Dei, *Bethſaida*, domus piſcationis, &c.

Trans Jordanem.] Apud Matthæum cap. 4. 15, annotavimus, Judæos ſolitos fuiſſe dicere, *trans Jordanem*, etſi locus ſitus eſſet citra Jordanem reſpectu Hieroſolymæ. Hic autem verba iſta proprie ſunt intelligenda. Nam, ut videre eſt in tabula Geographica Judææ, quam Judæi ediderunt, jacet Bethabara ultra Iordanem in parte tribus Rubenis, è regione tribus Benjaminis. Poſſunt autem hæc verba, *trans Jordanem* ſervire declarationi vocis *Bethabara*, quæ eſt domus trajectus. Cum enim in quolibet flumine poſſit eſſe trajectus, indicatur hic, locum hunc eſſe trajectum trans Iordanem. Cur autem Euangeliſta has loci circumſtantias deſcribat, cauſa eſſe videtur, quod voluerit innuere, Johannem teſtimonium ſuum de Chriſto perhibuiſſe non in aliquo angulo, aut loco obſcuro atque ab hominibus remoto, ſed in loco illuſtri, ac publico, ubi propter trajectum magna hominum frequentia confluebat, & teſtes hujus teſtimonii eſſe poterant. Etiam ad baptiſandum locus iſte erat valde opportunus, quia ex utraque parte Iordanis eo homines conveniebant trajectus cauſa. Huc accedit, quod id majorem toti negotio auctoritatem conciliant, quod Johannes in Iudæa, ubi erat metropolis Hieroſolyma & cultus divinus, baptiſarit, prædicarit, Chriſtumque primis notum fecerit, ac Judæis præſentem monſtrarit.

Ubi Johannes erat baptiſans.] Id eſt, baptiſare ſolebat.

PARS III.

Verſ. 29. *Poſtridie conſpicit Johannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.*] Si hæc verba proprie accipiantur, ſequetur, præcedens teſtimonium à Johanne perhibitum fuiſſe poſt baptiſmum Chriſti, & circa illud tempus, quo Chriſtus rediit ex deſerto, ubi per 40 dies tentatus fuit. Ut ita in illo ſuo reditu ad Iohannem venerit Chriſtus, ut hic ſcribit Euangeliſta. Interpretum quidam volunt, inter paulo ante memoratum teſtimonium Iohannis & hoc præſens, interceſſiſſe illa, quæ Matthæus recenſet cap. 3. à verſ. 5. ad 13. quod nimirum tota Hieroſolyma & omnis Iudaicus populus ad Iohannem exiverit, ut baptiſarentur ab eo. Quod, illi putant, non fuiſſet factum, niſi prius Iohannes munus ſuum illis à Synedrio ablegatis Sacerdotibus ac Levitis approbaſſet. Ex horum ſententia vox *poſtridie* idem ſignificaret, quod ſequenti quodam die, vel ſimpliciter poſtea, id eſt, aliquot non paucis diebus elapſis. Poſt illa enim, quæ habet Matthæus cap. 3. 5 ad 13, ſequitur baptiſmus Chriſti & unctio ipſius facta per Spiritum Sanctum, poſt quam mox abductus eſt in deſertum, ibique 40 commoratus eſt dies. Sic vox iſta *poſtridie* 40 & aliquot dies in ſe complecteretur. Sed probabilius eſt, quod poſtquam Iohannes aliquandiu baptiſaſſet, & Synedrium vidiſſet, tantam populi turbam ad eum confluere, ipſe quoque acri admonitione ſua Phariſæorum ac Sadducæorum animos perculiſſet ac concuſſiſſet, ut Matthæus deſcribit cap. 3. 5, & ſeqq; ſeniores Iudæorum neceſſarium tum demum duxerint, per legatos cum auctoritate miſſos rationem inſtituti ejus ab eo requirere. Id vero factum eſt, ut dictum, cum Chriſtus è deſerto reverſus eſſet. Die igitur proxime ſequenti, poſtquam Iudæorum legatis reſponſum dedit Iohannes, accidit hoc, quod modo narrat Euangeliſta. Eſt vero hic rurſus deſcriptum inſigne admodum teſtimonium Iohannis Baptiſtæ de Chriſto, quod ipſo præſente coram perhibet.

Conſpicit Iohannes Ieſum venientem ad ſe.] Cauſa, cur Ieſus ad Iohannem venerit, hæc videtur fuiſſe, quod voluerit una cum aliis concioni ejus intereſſe, eamque præſentia ſua ornare, ſicut antea baptiſmum ejus ornaverat. Quod non ſine Dei providentia ac directione factum eſt, ut Iohannes ipſi præſenti coram univerſo populo hoc teſtimonium daret, eumque populo manu protenſa ac digito oſtenderet.

Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.] Apparet, plurimos ex iis, qui præclarum illud teſtimonium Iohannis de Chriſto ℣. 27, audiverunt, fuiſſe inflammatos deſiderio Chriſtum ipſum videndi. Itaque cum divino inſtinctu ſub id ipſum tempus eo Chriſtus veniret, monſtrat eum illis. Quod autem eum ſic deſcribit, quod ſit *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, eo indicat ineffabile beneficium, quod Chriſtus mundo afferet, & ad quod conſequendum ipſe per ſuum baptiſmum viam ſtraverat. Baptiſavit enim Iohannes aqua ad pœnitentiam, Matth. 3. 11. peccata autem ipſe non remiſit, ſed remiſſio iſta à Chriſto petenda erat. Indicavit etiam hac deſcriptione, Chriſtum à ſe non perinde atque alios ad pœnitentiam eſſe baptiſatum: qui enim carebat omni prorſus peccato, nulla indigebat pœnitentia. Quod autem Chriſtus innocens & peccati purus fuerit, exprimit his verbis, cum eum *Agnum Dei* vocat, id eſt, agnum Deo ſumme gratum ac dilectum, vel agnum, quem Deus ipſe, ut mactaretur, dedit. Talis enim agnus, ſive eſſet Paſchalis, ſive in ſacrificium matutinum ac veſpertinum mactaretur, Exod. 29. 38, Num. 28. 1, 3, debebat eſſe integer & ſine macula. Hinc Petrus inquit: *Redemti eſtis à vana converſatione à patribus tradita, pretioſo ſanguine, tanquam agni inculpati & incontaminati, Chriſti*, 1 Petr. 1. 18, 19.

Qui tollit] Græca vox αἴρειν ſignificat & *portare*, & *auferre*. Chriſtus utrumque præſtitit: peccata enim noſtra portavit ac tulit, ſed ita, ut ea prorſus auferret. Propterea Petrus ait: *Chriſtus peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper lignum* (id eſt, in crucem, non ſecus ac hircus ille, ſupra cujus caput Pontifex ſummus peccata populi confitebatur, eumque ſic in deſertum expellebat, Levit. 16. 21.) *ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus*, 1 Petr. 2. 24. Hujus immaculati agni ſanguine redimimur ſeu liberamur non modo à reatu ac culpa peccatorum, ſed etiam ab ipſa *vana converſatione* 1 Petr. 1. 18. *ne peccatum amplius regnet in mortali corpore noſtro ad obediendum ei in concupiſcentiis ejus*, Rom. 6. 12. Et Johannes inquit: *Si in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, communionem habemus inter nos, & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, 1 Johan. 1. 7. id eſt, tum demum nos mundat, ſi in luce ambulemus. Cum hac tanta efficacia mortis Chriſti nihil prorſus commune habet Imputatio illa hodiernorum Chriſtianorum, qua ſibi quiſque mortem Chriſti per fidem (id eſt, per nudam perſuaſionem, quod Chriſtus pro peccatis noſtris pretium ſolverit, & plenarie ſatisfecerit) applicat & imputat, neque tamen à priſtina peccandi conſuetudine abſtinet.

Peccatum mundi.] Singularis ponitur pro plurali: quaſi dicat omne genus peccati, quocunque veniat nomine. Paulus id vocat *corpus peccati*, Rom. cap. 6. 6.

Verſ. 30. *Hic eſt, de quo ego dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.*] Hoc jam ſupra verſ. 15 eſt explanatum.

Poſt me venit vir.] Offendit id & male habet nonnullos Interpretes, quod Euangeliſta hic Chriſtum appellet virum, quaſi hæc appellatio Chriſtum non ſatis deceret: ideoque Hebraicum quendam loquendi modum hic comminiſcuntur, ut *vir* ſignificet hoc loco *aliquem* vel *quendam*. Poſt me venit *vir*, id eſt, *quidam*. Sed iſte *quidam* hic non fuit Angelus, neque fœmina, ſed vir. Nec poteſt ullum exemplum produci, quod uſquam Hebræorum conſuetudine aliquis Vir appelletur, qui non ſexu vir fuerit, aut ſaltem pro viro habitus ſit, quia in viri forma apparuit. Idcirco Paulus non dubitavit eum etiam poſt exaltationem ipſius Virum nuncupare, per quem Deus judicaturus ſit Orbem terrarum, Actor. 17. 31. Nihil certius eſt, quam Johannem Baptiſtam tum temporis nihil de eo ſciviſſe, quod Chriſtus ſit Deus Altiſſimus; ſeu potius, eum optime ſciviſſe,

quod non ſit: ideoque non dixit, Poſt me venit Deus Altiſſimus, ſed Vir.

Verſ. 31. *Et ego non noveram eum, ſed ut manifeſtetur Iſraëli, propterea veni ego in aqua baptiſans.*] Vide quæ ad hunc verſum pertinentia dicta ſint apud Matthæum ad cap. 3. 14.

Verſ. 32. *Et teſtatus eſt Johannes, dicens: Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.*] Teſtatus eſt, intellige coram populo, cui Chriſtum illum Agnum Dei monſtravit.

Vidi Spiritum deſcendentem.] Hoc uſque ad ℣. 34. explicatum eſt ad Matth. 3. 16.

Verſ. 33. *Et ego non noveram eum; ſed qui miſit me baptiſare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper ipſum, hic eſt, qui baptiſat in Spiritu Sancto.*

Verſ. 34. *Et ego vidi & teſtatus ſum, quia hic eſt Filius Dei.*] Id eſt, teſtor adhuc id, quod oculis meis vidi. Hebraiſmus eſt, quo præteritum ponitur pro præſenti. Hoc autem eo ſpectat, ut à ſe omnem ſuſpicionem amoliatur, quaſi teſtimonium hoc non ex rei veritate, ſed ex gratia edat. Nimirum oſtendit, ſe non ex ſeipſo, vel ex fama, qua vigebat Chriſtus apud alios, ſed ex divino mandato hoc ei teſtimonium præbere. *Qui me miſit baptiſare in aqua* (dixit ſupra verſ. 33.) *ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper illum, hic eſt, qui baptiſat in Spiritu Sancto.* Hoc ſignum, quod ipſi Deus dederat, dicit ſe vidiſſe, & ideo ſe teſtari.

Quia hic eſt Filius Dei.] Ille ſcilicet unice dilectus, & unigenitus Filius. ſupra verſ. 14. Non legitur quidem uſquam alibi Johannem de Chriſto teſtatum eſſe antea Jeſum eſſe Filium Dei, non tamen ideo de eo dubitandum eſt. Euangeliſtæ enim, atque inprimis Johannes, multa alia, quæ dicta & facta ſunt etiam omiſerunt. An vero Johannes Baptiſta Chriſtum pro tali habuerit Filio Dei, qui ab æterno ex eſſentia Dei genitus ſit, nullum extat ejus rei indicium: imo contrarium potius ex eo conſtat, quod eum paulo ante Virum vocarit, quem ſcilicet ipſe baptiſavit, & ſuper quem vidit Spiritum Sanctum de cœlo deſcendere, quo fuit unctus, ac ſimul vocem cœlitus miſſam audivit, qua ille pro filio Dei dilecto eſt declaratus. Hoc autem baptiſmo & unctione nihil opus fuiſſet Chriſto, ſi eſſet ejuſmodi Filius, qui ſit ipſe Deus Altiſſimus. Interim articulus ὁ additus voci υἱὸς, *Filius*, indicat, eum non de vulgari filio Dei loqui, ſed de tali, cui κατ' ἐξοχὴν atque in ſummo gradu hic titulus competat, qui nullus alius eſt, quam Meſſias. Qua de re vide plura ad Matth. cap. 16. 16.

PARS IV.

Verſ. 35. *Poſtridie iterum ſtabat Iohannes, & ex diſcipulis ejus duo.*] Hoc eſt ultimum teſtimonium Johannis Baptiſtæ de Chriſto, ex iis, quæ hoc loco ab Euangeliſta deſcripta ſunt. Nullum eſt dubium, Johannem ſæpius & plurimis modis aliis de eo teſtatem fuiſſe.

Poſtridie.] Nempe poſtquam vidit Johannes Chriſtum ad ſe venientem verſ. 29. adeoque tertio die poſt Judæorum legationem ad Johannem miſſam.

Iterum ſtabat Johannes.] Perſtabat in ſuo officio, eoque fungebatur, vel docens populum, vel expectans, dum aliquis baptiſmum ſuſcepturus accederet.

Verſ. 36. *Et aſpiciens Jeſum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.*] Oculis intentis eum intuitus eſt.

Ambulantem.] Id eſt, ſenſim prætereuntem, ſine dubio eo fine, ut Johannes iterum de eo teſtaretur. Hoc enim erat ejus officium, ut teſtaretur de lucę. ſupra verſ. 7.

Ecce agnus Dei.] Repetit prius teſtimonium, forſitan propter illos duos diſcipulos, qui aderant & adſtabant tunc, quos veriſimile eſt non audiviſſe ſuperius teſtimonium verſ. 29. quia forte abſentes erant. Teſtatur autem Johannes de Chriſto, propterea, ut hi diſcipuli Chriſtum ſequerentur: quod etiam illi fecerunt.

Verſ. 37. *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.*] Audierunt eum, nempe Johannem, dicentem de Chriſto; Ecce Agnus Dei.

Duo diſcipuli.] Scilicet Johannis, qui tum præſentes erant.

Et ſecuti ſunt Ieſum.] Apparet hos primos fuiſſe, qui facti ſunt Chriſti diſcipuli.

Verſ. 38. *Converſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes, dicit eis: Quid quæritis?*] Quærit, quid ſibi velint. Prævenit eos quæſtione ſua, ut ſi forte ſe alloqui vererentur, animum illis inſpiraret. Quod fuit ſignum comitatis & affabilitatis in Chriſto.

Verſ. 39. *Illi vero dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur, ſi interpreteris, Magiſter) ubi habitas?*] Tribuunt Chriſto titulum Magiſtri, quia ſine dubio à Johannē intellexerunt, eum eſſe illum, à quo myſteria Regni cœlorum diſcenda ſint.

Ubi habitas.] Ad verbum in Græco eſt, Ubi manes? Id eſt, ubi habes hoſpitium? Non reſpondent Chriſto ad ejus interrogationem, quid quærant; ſed volunt in ejus hoſpitio ipſum inviſere, quia de re tanti momenti, quæ viam ſalutis concernebat, cogitabant cum ipſo colloqui; quæ res in publica via & raptim ſe expediri non patitur, ſed requirit nonnihil temporis, non tantum ad interrogandum, ſed & ad reſpondendum. Ex quo patet, eos Chriſtum non perfunctorie ac obiter, neque ex curioſitate aliqua audire voluiſſe & cognoſcere, quæ ſit ipſius doctrina atque profeſſio, ſed eos ſerio animum induxiſſe, ut ipſius diſcipuli fierent; quia Johannis teſtimonium de Chriſto veriſſimum eſſe credebant.

Verſ. 40. *Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt, ubi habitaret, & manſuerunt apud eum die illo: hora autem erat quaſi decima.*] Non dixit illis, ubi eſſet ipſius hoſpitium, ſed jubet eos illico ſe comitari, ut abſque mora eorum deſiderium expleret. Chriſtus quidem alias Nazarethæ habitavit, unde etiam nomen Nazaræi ſortitus eſt, Matth. 2. verſ. 23. Hoc autem factum eſt Bethſaidæ, ubi diſcipuli quærunt de ipſius hoſpitio.

Et manſerunt apud eum die illo.] Non ſufficiebat illis diverſorium Chriſti noſſe, ut eum alio forte commodiori tempore compellarent, ſed haud differunt

runt ex hoc fonte haurire, quo deſiderium ac ſitis animi ipſorum reſtingui poterat. *Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, Matth. 5. 6.

Hora autem erat quaſi decima.] Id eſt, duæ adhuc erant ad occaſum ſolis horæ. Hoc addit Euangeliſta, ut indicet, cur apud Chriſtum illo die manſerint; nimirum quia duæ illæ horæ, quæ de die ſupererant, non ſufficiebant ad id, ut de rebus tam gravibus erudirentur, ſed nox in ſubſidium erat aſſumenda. Verba enim *illo die* non ita ſunt hic intelligenda, quaſi tantum uſque ed noctis crepuſculum, quæ jam ad diem proxime ſequentem pertinebat, manſerint; ſed diei illius ſolum, & non etiam noctis fit mentio, quia id per ſe intelligitur, quod ſi quis uſque ad noctem in aliquo loco maneat, etiam pernoctare ibidem ſoleat, niſi gravis inde abeundi urgeat neceſſitas.

Verſ. 41. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant à Iohanne, & ſecuti fuerant eum*] Jam deſcribit Euangeliſta primum fructum, quem Chriſti manifeſtatio attulit, quod nimirum unus ex illis diſcipulis Johannis verſ. 35, nomine Andreas, Chriſtum agnoverit eſſe Meſſiam, & poſtea etiam fratrem ſuum Simonem ad Chriſtum adduxerit.

Frater Simonis Petri.] Euangeliſta vocat Petrum eo nomine, quo vocatus eſt tunc, cum Johannes hoc Euangelium ſuum ſcriberet. Petri enim nomen ille poſtea demum à Chriſto obtinuit verſ. 43. Credibile autem eſt, Petrum etiam Johannis diſcipulum fuiſſe: ſed tunc, cum Johannes hoc ultimum teſtimonium Chriſto redderet, non erat præſens.

Unus ex duobus.] Unum tantum Andream nominat, quia de eo ſequentem vult narrare hiſtoriam, quomodo Petrum adduxerit: alterum autem non nominat, quia nihil cum eo geſtum eſt, quod narratione dignum eſſet.

Verſ. 42. *Hic invenit primus fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam, quod eſt, ſi interpreteris, Chriſtus.*] Andreas plenus lætitia & exultans ſuper eo, quod à Chriſto didicerat, geſtit id ipſum etiam aliis communicare: factumque eſt non ſine Dei providentia, ut ipſi germanus frater, quo neminem chariorem habuit, primus occurreret. Noluit minam ſuam in terram defodere, ſed è veſtigio ſolicitus fuit, ut eam fœnori daret, & quam optime collocaret.

Invenimus Meſſiam.] Meſſiam Regem, ut Judæi loqui ſolebant. Hinc apparet Andream deprehendiſſe & aſſecutum fuiſſe, quod doctrina Chriſti ſit prorſus conformis illi teſtimonio atque præconio, quo eum Johannes ornaverat. Optandum ſane fuerat, ut nobis Euangeliſta ſaltem aliquos ex iis ſermonibus conſignaſſet, quos duo iſti diſcipuli cum Chriſto habuerunt, cum in hoſpitio ejus cum ipſo pernoctarent. Erat autem Simon Petrus etiam unus ex illis, qui *expectabant conſolationem & redemptionem Iſraëlis*, ut Lucas loquitur de illo Simone ſene & aliis cap. 2. 25, 38. vel *Regnum Dei*, ut Marcus de Joſepho ab Arimathæa cap. 15. 43. Idcirco nullus ei gratior nuncius afferri poterat, quam iſte fuit.

Verſ. 43. *Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus dixit: Tu es Simon Filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod eſt, ſi interpreteris, Petrus.*] Credibile eſt Andream non invitum, ſed volentem Petrum avidumque videndi Jeſum adduxiſſe, ut reſciret, an res ita ſe haberet, ſicut frater de ipſo & eximia ejus doctrina narraverat.

Intuitus autem eum Jeſus.] Id eſt, antequam loqui cum eo cœpiſſet, imo antequam Petrus propius acceſſiſſet, cum tantum ſimpliciter in eum oculos conjeciſſet, protinus ſcivit nomen ejus, & cujus eſſet filius, & quomodo comparatus eſſet ejus animus. Qua ratione voluit Chriſtus ſtatim à principio ſpecimen ſuæ divinæ virtutis Petro exhibere, ut ita is adduceretur tanto magis ad dandam iis rebus fidem, quas ab ipſo auditurus eſſet.

Simon filius Jonæ.] Nomen Jona forte non eſt idem hic, quod Jonas, ut olim vocabatur Propheta ille, qui à Deo ad Niniven miſſus erat; ſed idem videtur eſſe, quod Johanna (ut Lutherus vertit infra cap. 21. 15, 16, 17.) hoc contracte dicitur Jona. Nomen Jonæ ſignificat *columbam*, Johanna autem vel Jona ſignificat *gratiam Domini*.

Tu vocaberis Cephas.] Vocabulum *Cephas* eſt Syriacum, quod Græce dicitur Petros, Latine petra. Hoc nomen Chriſtus Petro indidit propter igneum animi ejus ardorem, quem ſimulac eum intuitus eſt, in eo perſpexit: quapropter eum aptum cenſuit, atque idoneum, ut ſuo tempore eſſet columna & fundamentum ſuæ Eccleſiæ. Cum enim Paulus Apoſtolus inquit, Eccleſiam Chriſti eſſe ædificatam ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum Epheſ. 2. 20; Petrus ratione zeli ac fervoris fuit ferme præcipuus hujus fundamenti lapis. Hinc plerumque etiam in ſermone aliis Apoſtolis præivit: unde à Veteribus Os Apoſtolorum dictus eſt. Quomodo ardor ac zelus ejus præ cæteris Apoſtolis eluxerit, cernere eſt ex his locis: Matth. 14. 28. xv. 15. xvi. 16. xviii. 21. xix. 27. xxvi. 33. Johan. 21. verſ. 7. Vide dicta ad Matth. 16. 18. Præterea cum Apoſtoli multis malis & adverſitatibus debuerint eſſe expoſiti, videtur Chriſtus hoc nomen Petræ imponere voluiſſe uni ex ipſis præcipuo, ut ſignificaret, opus eis eſſe conſtantia & virili fortitudine, quo adverſus omnes procellas afflictionum immobilis petræ inſtar inconcuſſi perſiſtant.

PARS V.

Verſ. 44. *Poſtridie voluit Jeſus exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei Ieſus: ſequere me.*] Poſtero id die factum eſt, poſtquam Simon ad Chriſtum venit. Quæ hactenus Euangeliſta narravit, ea in Judæa geſta ſunt, ubi Johannes baptiſabat. Nunc refert, quomodo Chriſtus in Galilæam redierit, pluresque ſibi diſcipulos adjunxerit.

Voluit Ieſus exire in Galilæam.] In Galilæa Chriſtus fuit educatus, ibique habitabat: inde venerat in Judæam, ut à Johanne baptiſaretur Matth. 3. 13. Suſcepto baptiſmo antequam in Galilæam reverteretur, abductus eſt à Spiritu in deſertum Matth. 4. verſ. 1. Ex deſerto rediit iterum in Judæam ſupra

verſ. 29. Nunc autem demum revertitur in Galilæam.

Voluit.] Verbum hoc indicat, Chriſtum iter hoc in Galilæam non caſu aliquo, ſed deliberato conſilio ſuſcepiſſe: ut nimirum ibi, ubi educatus ac bene notus erat, ſe manifeſtaret, ibidem diſcipulorum ſuorum numerum augeret, ibi doceret, & initium miraculorum ſuorum faceret. Voluit in Galilæam ire, ut ibi inveniret Philippum, ne caſu eum inveniſſe putaretur.

Et invenit Philippum.] Hoc jam in Galilæa factum eſt. Invenit autem Philippum non forte fortuna, ſed invenit eum, quem in animo ſuo quæſierat, ut qui eſſet idoneum ſubjectum ad onus Apoſtolici muneris ſuſtinendum. Sic & Nathanaëlem non reperit fortuito, cum eum ſub ficu viderit, antequam eum Philippus vocaret infra verſ. 49. Ita ait Deus de Davide: *Inveni ſervum meum Davidem*, Pſalm. 89. 21.

Sequere me.] Ita nimirum, ut omnia relinquas & mihi adhæreas; ut Petrus ſe & alios Apoſtolos feciſſe teſtatur Matth. 19. 28. Philippum autem extemplo vocationi paruiſſe, non narrat quidem Euangeliſta, eſt tamen extra dubium, quia recenſetur in numero duodecim Apoſtolorum, ejuſque tanquam Apoſtoli ſæpius fit mentio. Vide Matth. 10. 3. Luc cap. 6. 14. Johan. 6. 5. XII. 21.

Verſ. 45. *Erat autem Philippus è Bethſaida, ex civitate Andreæ & Petri.*] Ita etiam infra cap. 12. 21. Locus iſte fuit obſcurus, & tamen tres Apoſtoli Chriſti inde orti ſunt, ex Hieroſolymâ ne unus quidem. Alias apparet paucos ex hoc oppido ad Chriſtum eſſe converſos, etſi multa illic ſigna ediderit: ut indicat locus Matth. 11. 21.

Ex civitate Andreæ & Petri.] Id eſt, ex qua Andreas & Petrus oriundi erant, ibique habitabant. Similis locutio eſt infra cap. 11. 1. Videtur autem Euangeliſta id propterea narrare, ut tacite cauſam indicet, cur Philippus è veſtigio Chriſtum ſecutus ſit, antequam ullam ab eo doctrinam audiviſſet; quia nimirum jam ab Andrea & Petro ceu ſympatriotis ſuis ac notis talia audierat, per quæ animus ejus ad Dominum promte ſequendum præparatus eſt. Hoc cum Chriſtus in ipſo perſpexiſſet, ſcire poterat, vocationem ſuam non fore irritam.

Verſ. 46. *Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei: De quo Scripſit Moſes in Lege & Prophetæ, invenimus Jeſum, filium Joſephi à Nazaret.*] Sicut Chriſtus invenit Philippum, quem quæſierat: ita Philippus invenit Nathanaëlem. Videtur enim Philippus mox gaudio plenus ad Nathanaëlem ſe contuliſſe, & compreta de Chriſto ipſi annunciaſſe. Fuit autem Nathanaël iſte è Cana Galilææ oriundus: infra cap. 21. 2.

De quo ſcripſit Moſes.] Non dicit ſimpliciter, invenimus Meſſiam, ſicut Andreas antea dixerat: ſed allegat Moſen & Prophetas, quorum magna erat apud Judæos auctoritas. Hinc collegerunt nonnulli è Patribus, Nathanaëlem fuiſſe hominem doctum. Verum hoc pacto id multo magis de Philippo concludi poſſet, quod doctus & in Sacris Literis verſatus fuerit: quanquam Moſen & Prophetas de Meſſia prophetaſſe, etiam indoctiſſimi ac illiteratiſſimi è Judæis ſciebant. Non eſt autem hic ſenſus iſtorum verborum, quod Moſes & Prophetæ nominatim de Jeſu ſcripſerint, eum eſſe venturum; ſed hoc ſibi vult Philippus: Invenimus Meſſiam, de quo Moſes & Prophetæ vaticinati ſunt. Hic eſt Jeſus à Nazaret. Ad teſtimonium Moſis etiam Chriſtus ipſe provocat & Judæos remittit infra cap. 5. 46. *Si credideretis Moſi, credideretis & mihi: nam ille de me ſcripſit.*

In Lege.] Nempe Geneſ. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum à Juda, donec venerit Siloh.* Item Deut. 18. verſ. 18. *Prophetam ſuſcitabit Dominus Deus veſter è fratribus veſtris*, &c.

Et Prophetæ.] Nimirum Eſaias, cap. 7. 14. XI. 1. Jerem. 23. 5. XXX. 9. XXXIII. 15. Daniel. 7. 13. IX. 24. Mich. 5. 2. Malach. 3. 1. Diſtinguit Moſen à Prophetis, ut etiam Luc. 16. 29. Actor. 26. 22. XXVIII. 23.

Ieſum filium Ioſephi.] Jeſum non è Joſepho, ſed ex Spiritu Sancto conceptum fuiſſe, Philippus nondum ſciebat; propterea Jeſum pro filio Joſephi habet, quomodo vulgo ab omnibus habebatur.

A Nazaret.] Etiam hoc latebat Philippum, Jeſum Bethlehemi fuiſſe natum, ſed Nazareta habita eſt pro illius patria, quia ibi adolevit, ideoque communiter Nazaræus vocatus eſt, Matth. 2. 23. XXVI. verſ. 71. Marc. 1. 24. X. 47. XIV. 67. XVI. 6. Luc. 4. verſ. 34. XVIII. 37. XXIV. 19. Johan. 18. 5. XIX. 19. Hæc deſcriptio Chriſti ab ejus ortu & patria eo facit, quod Philippus voluerit Nathanaëli indicare, ſe non dubiam, ſed plane certam rem, de qua ſibi optime conſtet, narrare.

Verſ. 47. *Et dixit ei Nathanaël: Ex Nazaret poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni & vide.*] Nullum dubium eſt, verborum Nathanaëlis hunc eſſe ſenſum, quod ex Nazareta nihil boni venire queat: id quod etiam ex reſponſione Philippi apparet. Cauſa autem, cur Nathanaël ita judicaverit, non hæc fuit, quod reſpexerit ad Scripturæ prædictionem, de Meſſia Bethlehemi naſcituro, Mich. cap. 5. 2. Non enim alioqui tam generalibus uſus fuiſſet verbis: Poteſtne aliquid boni ex Nazareta eſſe? Sed dixiſſet potius: Poteſtne Meſſias è Nazareta venire? aut, Poteſtne tam inſigne bonum è Nazareta exire? Verum cauſa fuit loci ignobilitas, quod putarit indignum eſſe, ac incredibile, ut ex tam vili & obſcuro oppido Meſſias oriatur. Nazareta enim fuit oppidum Galilææ, Galilæi autem erant apud Judæos exoſi admodum & deſpecti, quia moribus & dialecto ab aliis Judæis differebant. Thalmudiſtæ ſcribunt, Jeſum Barachiæ filium à Nazaret fuiſſe: is vixit tempore Johannis Hircani Simonis Aſſamonii filii, ante natum Chriſtum anno circiter 130. Hic Judæam multis deteſtandis hæreſibus implevit, & fuit idololatra. Hæc hiſtoria habetur in libro Sanhedrin. Infra cap. 7. 52, ajunt Judæi Nicodemo: *Scrutare & vide, quia Propheta nullus ſuſcitatus eſt ex Galilæa.*

Veni & vide.] Quaſi dicat: Si gravaris credere mihi, crede tuis oculis; adi eum, ac colloquere ei; plura argumenta ex ipſius verbis percipies, me vera dicere, quam quæ tu à loco ortus ejus capis. Apparet, Philippum traditionem Scribarum ac Legiſperitorum,

torum, quod nihil boni è Galilæa prodire poſſit, neſciviſſe, aut eam non multum curaſſe atque æſtimaſſe.

Verſ. 48. *Vidit Jeſus Nathanaëlem venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt.*] In Nathanaële habemus exemplum, non ita mordicus præconceptæ opinioni inhærendum eſſe, ut ea examinare atque expendere negligamus, quæ nobis ab aliis indicantur, etſi nobis primo intuitu abſurda videantur. Semper illud meminiſſe oportet: Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete, 1 Theſſ. 5. 20.

Et dicit de eo.] Apparet, Chriſtum verba iſta tum demum protuliſſe, quando Nathanaël tam prope acceſſerat, ut ipſe ea exaudire poſſet. Ideo enim ſtatim interrogat: *Unde me noſti?* Nimirum Chriſtus eo ipſo, dum ſtatim ſecreta animi ejus ipſi detexit, voluit ipſi patefacere, quis eſſet; talis ſcilicet, in quo Spiritus Dei habitet, per quem intimos cordium humanorum receſſus introſpicere queat. Unde Nathanaël anſam ſumere poterat Chriſtum magnificiendi, antequam adhuc ullum verbum cum ipſo loqueretur.

Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt.] Id eſt, hic eſt vera progenies & imitator Jacobi, qui ab integritate & probitate ſui parentis Iſraëlis haud degeneravit. Qui tales non ſunt, ii non ſunt veri Iſraëlitæ, ut Paulus inquit: *Non omnes, qui ſunt ex Iſraële, ſunt Iſraël: neque quia ſunt ſemen Abrahami, ideo omnes ſunt filii*, Rom. 9. 6, 7. Et infra Chriſtus dicit Judæis: *Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis*, Iohan. 8. 39.

In quo dolus non eſt.] Chriſtus laudat candorem cordis ejus, quod carebat fuco & fallaciis; cujus ſignum atque indicium erat, quod abſque reſpectu perſonarum aut ullius commodi carnalis libere ſententiam ſuam protuliſſet. Quod enim ſupra dixit, è Nazaret nihil boni poſſe provenire, id animo ſimplici prolocutus eſt, quia aliter tunc rem non intellexerat. Ex eadem animi ſimplicitate atque candore factum eſt, ut veniret ultro ad Jeſum exploraturus, an res aliter, quam hactenus credidit, ſe habere poſſet. *Beatus homo, cujus Spiritui non ineſt dolus*, Pſalm. 32. 2. Candor & ſinceritas animi eſt fundamentum omnium virtutum ac pietatis. Ex quo tamen inferri non debet, Nathanaëlem caruiſſe omni peccato. Nam & in homine ſincero nihilominus locum habere poteſt infirmitas carnis. Sinceritas & integritas animi in eo conſiſtit, ne quis petulanter & ſciens contra Deum peccet, etſi fieri poſſit, ut interdum ex fragilitate humana labatur & ceſpitet. Hic quoque videmus egregium humanitatis & comitatis Chriſti ſpecimen, qui tam præclaro Nathanaëlem exornat encomio, quem non levi brachio objurgare debuerat, quod Nazaretham adeo contemſiſſet: ſed videbat Chriſtus eum non ex malitia, ſed ex ſimplicitate cordis errare. Hodie omnes illi morti vel exilio adjudicantur, qui vel in minima re religionis ex mera ignorantia errant, exiſtimantes, ſe hoc modo Deum maxime colere.

Verſ. 49. *Dicit ei Nathanaël: Unde me noſti?*] Merito miratur Nathanaël, unde Chriſtus tantam animi ac cordis ſui haberet notitiam, cum ſe nunquam antea viderit, nec ullum ſecum commercium habuerit. Ut homo aliquis cognoſcatur, quo animo ſit præditus, ad id plurimum temporis requiritur, & longa converſatio ac familiaritas. Itaque ſuſpicari poterat Nathanaël, Philippum aliquid Chriſto de ſe narraſſe. Sed Chriſtus ei eximit hanc ſuſpicionem ſequentibus verbis.

Reſpondit Jeſus & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu; vidi te.] His verbis indicat Chriſtus, ſe neque à Philippo, neque ab ullo alio homine aliquid de ipſo inaudiviſſe, ſed ſe eum per ſeipſum cognoviſſe. Quod hac ratione probat, dum ipſi rem arcanam ac ſecretam pandit, quam neque Philippus, neque alius quiſquam præter Nathanaëlem ipſum ſciebat, quod nimirum fuerit ſub ficu, antequam à Philippo vocaretur. Quod Philippus Nathanaëlem vocaverit, tunc cum eſſet ſub ficu, ex his verbis non liquet. Probabilius etiam eſt, Nathanaëlem ſolum ſub ficu fuiſſe, & cum ab ea diſceſſiſſet, à Philippo fuiſſe vocatum. Hoc enim melius congruit cum Chriſti reſponſione, qua videtur indicare voluiſſe, neminem ſibi id indicaſſe, quod ſub ficu fuerit. At ſi Philippus eum ſub ficu deprehendiſſet, cogitare potuiſſet, Philippum id Chriſto indicaſſe.

Vidi te.] Chriſtus mavult dicere, Vidi te, quam Novi te, etiamſi eum corporeis oculis, ut pote abſens, non viderit: Primum ut oſtenderet, ſe eum ita noſſe, quaſi corporeis oculis eum vidiſſet; deinde cum Nathanaël ſolus ſub ficu fuerit, ubi eum hominum nemo vidit, melius huc quadrat verbum *videndi*, quam *noſcendi*, ut indicet, ſe eum vidiſſe eo loco, quo eum alias nemo vidit.

Verſ. 50. *Reſpondit Nathanaël, & ait ei: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraelis.*] Quandoquidem Chriſtus id Nathanaëli dixit, quod nemo niſi ipſe & Deus ſcire poterat, non ſolum propterea Chriſtum magni æſtimat, ſed agnoſcit Philippum vera dixiſſe, eumque eſſe vere illum ipſum, de quo Moſes & Prophetæ ſcripſerant, nempe Meſſiam. Hic habemus clariſſimum ejus rei exemplum, quod Judæi Meſſiam per excellentiam & in ſummo gradu *Dei Filium*, tanquam proprio ipſi nomine, appellaverint. Nam cum dixiſſet, Nathanaël, *Tu es Filius Dei*, ſtatim id declarat addens, *Tu es Rex Iſraelis*, qui erat alter titulus Meſſiæ, Matth. 21. 5. xxvii. verſ. 11, 42. Marc. 15. 12. Vide dicta ad Matth. cap. 16. 16.

Verſ. 51. *Reſpondit Ieſus & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis? majora his videbis.*] Hoc dicit Chriſtus ad eum non eo ſenſu, quo dixerat ad Thomam: *Quia me vidiſti, Thoma, credis. Beati qui non viderunt, & crediderunt*, Johan. 20. 29. Ibi enim Chriſtus Thomam reprehendit propter ejus incredulitatem: hic vero laudat Nathanaëlem, quod hoc unicum miraculum tantum in eo effecerit, ut ipſum pro Meſſia agnoſceret.

Majora his videbis.] Addit ei his verbis animum, ut in hac fide conſtans permaneat; non ſecus ac ſapientes præceptores cum diligentibus ſcholaribus ac ſtudioſis agere ſolent, qui non ſolum bona initia in eis collaudant, ſed etiam majoris profectus in ſcientia ſpem eis faciunt, ſi ita perrexerint.

Majora videbis.] Id eſt, majora miracula, per quæ tu & omnes, qui me ſequuntur, magis magiſque in ea fide, quod ſim verus Meſſias, confirmabuntur.

Verſ. 52. *Et dicit ei: Amen, amen dico vobis; Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.*] Hoc Chriſtus non ad ſolum Nathanaëlem, ſed ad omnes qui aderant præſentes, locutus eſt.

Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum.] Id eſt, videbitis, quam magna miracula per divinam potentiam de cœlo edam, qua in re Angeli ſancti mihi ſervient. Nam per aſcenſionem ac deſcenſionem Angelorum nihil aliud intelligitur, quam quod Angeli ſemper ipſi miniſtraturi ſint. Ita miniſtrarunt ipſi Angeli in deſerto, Matth. 4. 11. ſub tempus paſſionis ejus Luc. 22. 43. circa ipſius reſurrectionem Matth. 28. 2. & aſcenſionem in cœlum Actor. cap. 1. 10. ut de aliis miniſteriis nihil dicam, quæ ab hominibus conſpecta non ſunt, vel ab Euangeliſtis non ſunt deſcripta. Hunc eſſe ſenſum, intelligitur ex occaſione, quam Chriſtus ad hoc dicendum ſumſit ex illis verbis: *Majora his videbis*; ubi nullum dubium eſt, eum de miraculis loqui. Videtur autem Chriſtus his verbis reſpicere ad illam Jacobi viſionem, quam vidit in ſomnio, ubi apparuit ei ſcala in terra conſtituta, cujus ſummitas pertingebat in cœlum, Angeliique Dei aſcendebant per eam ac deſcendebant, Geneſ. 28. 12. Quemadmodum enim illic ſignificabatur miniſterium, quod Angeli Dei Jacobo præſtituri erant, ipſum defendendo, & regendo vias ejus poſterorumque ejus: ita hic indicatur, Angelos Chriſto ſervituros ac miniſtraturos eſſe, in omnibus rebus, in quibus ipſorum opera ad promovendam humani generis ſalutem, vel ad ſe tuendum adverſus infenſiſſimos adverſarios, indiguerit. Quod Iſraël in ſomnio vidit, hoc Nathanaëlem, tanquam verum Iſraelitam, vigilantem viſurum eſſe promittit Chriſtus, ut magis magiſque Chriſto confideret, atque in fide ſua incrementum ſumeret, ſicut Iſrael Deo confidit.

Cap. II.

I. *Deſcribitur miraculum aquæ à Chriſto in vinum converſæ: ad verſ* 12. **II.** *Zelus Chriſti in returgando Templo: ad verſ.* 18. **III.** *Apologia & defenſio iſtius facti: ad verſ.* 23 **IV.** *Quum caute egerit Chriſtus cum iis, qui in ipſum credebant: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET die tertio factæ ſunt nuptiæ in Cana Galilææ, & erat ibi Mater Jeſu.*

Verſ. 2. *Vocatus eſt autem & Jeſus ac diſcipuli ejus ad nuptias.*

Verſ. 3. *Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.*

Verſ. 4. *Dicit ei Jeſus: Quid mihi tecum mulier? nondum venit hora mea.*

Verſ. 5. *Dicit Mater ejus miniſtris: Quicquid dixerit vobis, facite.*

Verſ. 6. *Erant autem ibi hydriæ lapideæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingula amphoras binas aut trinas.*

Verſ. 7. *Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua, & impleverunt eas uſque ad ſummum.*

Verſ. 8. *Et dicit eis: Haurite nunc, & ferte architriclino; & tulerunt.*

Verſ. 9. *Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & nejciebat unde eſſet, at miniſtri ſciebant, qui hauſerant aquam; vocat ſponſum architriclinus.*

Verſ. 10. *Et dicit ei: Omnis homo primo loco bonum vinum apponit, & cum affatim biberint conviva, id quod minus bonum eſt. Tu vero ſervaſti bonum vinum huc uſque.*

Verſ. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.*

Totius hujus partis Explicatio ab Auctore omiſſa eſt.

PARS II.

Verſ. 12. *POſtea deſcendit in Capernaum ipſe & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus, & ibi manſerunt non multis diebus.*] Videtur Euangeliſta hujus itineris verius Capernaumum abſque cauſa meminiſſe, cum nihil narret, quid ibidem à Chriſto geſtum ſit. Nihilominus Chriſtus non ſine cauſa eo profectus eſt, quam etſi Euangeliſta diſerte non exprimat, eo ipſo tamen eam non obſcure innuit, dum ait, Chriſtum deſcendiſſe in Capernaum. Hæc enim civitas fuit præcipua & populoſiſſima totius Galilææ. Significat igitur Euangeliſta, Chriſtum poſtquam primum miraculum in Cana Galilææ feciſſet, noluiſſe latere amplius, ſed adiiſſe frequentiſſimam ac celeberrimam urbem, ut ibi innotelceret, quo conſilio etiam poſt paucos dies è Capernaumo Hieroſolymam ſe contulit. Non eſt autem dubitandum, quin Chriſtus etiam Capernaumi per illos dies paucos docuerit, & miracula aliqua ediderit, etſi ea Euangeliſta brevitatis ergo non deſcripſerit. Hoc enim omnino ad manifeſtationem ejus erat neceſſarium.

Ipſe & mater ejus.] Hanc propterea Chriſtus ſecum aſſumſit, ut conſtaret, eum non fuiſſe hominem ignotum, cujus incerta ſit origo.

Et fratres ejus.] Id eſt, conſobrini ejus. Vide ad Matth. 13. 55.

Et manſerunt ibi non multis diebus.] Hoc videtur Euangeliſta ideo addidiſſe, ut cauſam inſinuaret, cur nihil de rebus à Chriſto Capernaumi geſtis deſcribat: quia nimirum in paucis diebus nihil admodum memorabile fieri poterat, cum Chriſtus ibi nunquam fuerit antea, ideoque homines nondum eſſent idonei, ut magnus in eis fructus produci potuerit.

Verſ. 13. *Et erat prope Paſcha Judæorum, & aſcendit Hieroſolymam Jeſus.*] Quemadmodum ſupra verſ. 6. meminit Euangeliſta purificationis Judæorum,

dæorum, non ut eam diſtingueret à purificatione Chriſtianorum, ſed ideo, quia Euangelium ſuum propter Aſiaticas Eccleſias, quæ potiſſimum ex Ethnicis collectæ erant, & Iudaicorum rituum ignaræ, conſcripſit: ita ob eandem rationem hic ait; *Paſcha Judæorum*, non opponens illud Paſchati Chriſtianorum. Celebrarunt quidem & Chriſtiani memoriam reſurrectionis Chriſti, idque feſtum Paſchatis appellarunt, ut ex Irenæo (Epiſtola ad Victorem) cernere eſt; ſed non more Iudaico feſtum hoc agitarunt.

Verſ. 14. *Et invenit in Templo venditores boum, & ovium & columbarum, & numularios ſedentes.*] Hæc hiſtoria de repurgatione Templi alia eſt ab ea, quæ narratur Matth. 21. 12. Vide ibidem explicationem hujus hiſtoriæ. Cum Chriſtus eum in finem venerit, ut cultum divinum reſtauraret, bis id viſibili ſigno teſtatum fecit, dum Templum, ut pote locum divini cultus, repurgavit: idque fecit ſemel circa initium ſui prophetici muneris, ſecundo circa finem ejuſdem, ut ſicut à purgando munus ſuum inchoaverat, ita id quoque purgando finiret. Ultima autem purgatione etiam illam purificationem adumbrare voluit, quæ per ſacerdotale munus ejus, quod in paſſione ac morte ejus cœpit, perfici debuit. Poſteriorem Templi repurgationem, quæ brevi tempore mortem ejus anteceſſit, deſcripſerunt alii Euangeliſtæ (Matth. 21. 12. Marc. 11. 15. Luc. 19. verſ. 45.) priorem autem Johannes ſolus hoc deſcribit loco, quia illa dedit occaſionem Chriſto de deſtructione Templi loquendi; quod dictum poſtea ipſi coram Pontifice Maximo Cajapha criminis loco objectum fuit, Matth. 26. 61. xxvii. 40.

Verſ. 15. *Et facto flagello è funiculis omnes ejecit è Templo, & oves, & boves, & numulariorum effudit monetam, & menſas ſubvertit.*] Ejecit omnes nempe venditores, mercatores, & numularios.

Et oves, & boves.] Ejecit mercatores una cum eorum mercibus. Ex eo, quod Chriſtus non tantum pecora, ſed homines quoque flagello expulerit ex Templo, ſolet vulgo argumentum ſumi, licere exemplo Chriſti adverſus hæreticos ſtringere mucronem gladii, vel aliis corporalibus pœnis in eos ſævire, adeoque domum Dei à tam perniciosis hominibus repurgare. Verum quæri primum non immerito poteſt: Cur nominatim cum hæreticis, id eſt, iis qui errore aliquo in religione Chriſtiana abrepti ſunt, & non etiam cum illis, qui inordinata ac turpi vita ſua domum Dei conſpurcant, tam ſevere agendum ſit? Præter illa peccata enormia, quæ etiam inter gentes Ethnicas propter conſervationem boni ordinis ac publicæ tranquillitatis, ſuppliciis plectebantur; reliqua omnia tametſi gravia peccata inter Chriſtianos impunita relinquuntur, ut eſt avaritia, ira, inimicitia, rixæ, invidia, mendacium, ebrietas, luxurioſa convivia (quæ omnia ſunt carnis opera) aut ad ſummum in bene ordinatis Eccleſiis ſola excommunicatione puniuntur. Deinde probari nequit, Chriſtum hoc fine flagellum confeciſſe, ut eo in hominibus verberandis uteretur; multo minus, eum reipſa ullum ex hominibus verberaſſe. Sicut enim virtute Spiritus ſui effecit, ut milites in horto ad nuda ejus verba in terram caderent: ita hic quoque dubium non eſt, quin ſola majeſtate vultus ejus factum ſit, ut ad ejus juſſum omnes abſque ullis verberibus abſceſſerint. Quid enim ille ſimplici flagello adverſus tantam populi multitudinem profeciſſet? Præterea nequaquam mitis Chriſti Spiritus permiſit, ut homines verberibus converterentur, (uti facit Antichriſti ſpiritus) vel ullo damno corporis afficerentur. Hinc nuſquam legimus, Chriſtum inter tot miracula aliquod hujuſmodi edidiſſe, quod cum pernicie aut noxa ullius hominis fuerit conjunctum: ſed cum impiæ nationi Judaicæ vellet viſibili ſigno ob oculos ponere horrendum Dei judicium, quod illis imminebat, id per arefactionem fici adumbravit, Matth. 21. 19. Atque hoc Chriſtus etiam hic flagello iſto ſignificare voluit, (quod manu ſolum tenuit, ſed eo uſus non eſt) quod nimirum ira & vindicta divina impendeat illis omnibus, qui Templum contaminant: non autem exemplum dare voluit, quomodo cum errantibus in religione procedendum ſit.

Et numulariorum effudit monetam.] Numularii iſti permutabant cum lucro grandiorem monetam in minorem.

Verſ. 16. *Et his qui vendebant columbas dixit: Auferte iſta hinc. Ne facite domum Patris mei domum mercatus.*] Quia columbæ in corbibus clauſæ erant, poterant facile efferri ab hominibus: ideo Chriſtus jubet auferri iſta. Quod autem eis, hoc dicens, plagam ullam flagello inflixerit, ex his verbis non apparet.

Ne facite domum Patris mei domum mercatus.] Indicat cauſam, cur venditores & numularios iſtos ejiciat, nempe quia mercatum in Templo exercebant, quod cultui divino erat deſtinatum. Vide ad Matth. 21. 13. Chriſtus etiam indicat, ſe in ſua propria poſſeſſione verſari, tanquam Filium in Patris ſui domo atque ditione. Hinc etiam apud Lucam dixit ad ſuos parentes, cum in Templo ab eis eſſet inventus: *An neſciebatis, oportere me in iis eſſe, quæ Patris mei ſunt?* Luc. 2. 49. Quid vero illos è Templo Dei facere dicemus, qui corpus Chriſti, quod (ut ajunt) ex pane conficiunt; liberationem è Purgatorio, remiſſionem peccatorum, & quæ non alia? pro pecunia vendunt?

Verſ. 17. *Recordati ſunt autem diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.*] Forte unus vel alter diſcipulorum dicti hujus recordatus eſt (fortaſſis Nathanael, quia is putatur fuiſſe doctus) quod hic omnibus adſcribitur, ſicut etiam de omnibus diſcipulis dicitur, eos ob effuſionem unguenti pretioſi indignatos fuiſſe, Matth. 26. 8. cum tamen unus tantum Judas indignatus ſit Johan. 12. 4.

Zelus domus tuæ comedit me.] Verba hæc ſumta ſunt ex Pſalm. 69. 10. qui ſine dubio ſæpius cantari ſolebat, neque ignotum fuit Judæis, ibi ſub perſona Davidis de Meſſia eſſe ſermonem. Ideo mirum non eſt, aliquem ex diſcipulis hæc bene nota verba ſibi hac occaſione in memoriam revocaſſe.

Vox *zelus*, & *zelare* in Novo Teſtamento varias habet ſignificationes. Interdum ea ſignificatur laudabilis ille ardor, quo inflammamur ad virtutem, quam in alio videmus, imitandam, abſque omni illius odio. Qua ſignificatione hoc verbum uſurpat

Apoſtolus cum ad Corinthios ait: *Zelate* vel *æmulamini dona potiora*, 1 Corinth. 12. 31. *Æmulamini ſpiritualia*, ibid. cap. 14. 1. *æmulamini, ut prophetetis*, verſ. 39. Vide etiam 2 Corinth. 9. 2. Gal. 4. 18. Tit. 2. 14. Interdum vero idem denotat hæc vox, quod invidia ac livor, quando aliquem urit bonum alienum. Sic accipitur vox iſta Actor. 7. 9. XVII. 5. Rom. 13. 13. 1 Corinth. 3. 3. XIII. 4. 2 Cor. 12. 20. Galat. 5. 20. Tertio ſumitur pro ſancto quodam fervore, qui proficiſcitur ex amore ejus, cujus cauſa zelamus. Qui zelus fervidiſſimus eſt inter Deum & populum ejus. Ob quam cauſam ſe Deus ipſe zeloten appellat, qui nullos alios Deos præter ſe pati queat. Hinc etiam Proverbio dicitur: Qui non eſt zeloſus, non amat; & qui non amat, non eſt zeloſus. Hoc ſenſu etiam Paulus ſcribit ad Corinthios: *Æmulor vos æmulatione Dei. Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere, Chriſto*, 2 Cor. 11. 2. Quarto accipitur pro divino ardore, quo animus incenditur ex indignatione ſuper eo, quod ad Dei ignominiam tendere exiſtimamus. Atque hic zelus eſt triplex. Primum eſt talis, qui non eſt conjunctus cum ſcientia, ſed eſt cæcus ac inordinatus; qualem Paulus Apoſtolus Judæis tribuit: Rom. 10. 2. *Teſtor illis, quod zelum Dei habeant, ſed non ſecundum ſcientiam.* Ita & de ſeipſo inquit idem Apoſtolus, *ſe ſecundum zelum fuiſſe perſecutorem Eccleſiæ*, Phil. 3. 6. Vide etiam Actor. 21. 20. XXII. 3. Galat. 1. 14. Deinde alius zelus eſt bonus ex ſcientia proficiſcens & cognitione divinæ voluntatis. Quo ſenſu uſurpatur 2 Corinth. 7. 11. Apoc. 3. 19. Hic zelus ab omnibus Chriſtianis in genere exigitur, qui tenentur ita propter honorem Dei zelare, ut etiam vitam ſuam impendere parati ſint. Tertio eſt zelus divinus, qui ex peculiari inſtinctu Spiritus Sancti vel ex ſingulari Dei mandato provenit. Hic zelus non omnibus Chriſtianis competit, ſed illis duntaxat, qui à Deo ſingulari afflatu aut mandato ad id impelluntur. Talis zelus hic fuit in Chriſto; propterea etiam id quod hic fecit Chriſtus, non unicuique facere licet, adeoque non eſt nobis pro exemplo, quod imitemur, propoſitum. Ex quo zelo gloriæ Dei etiam profecta fuerunt verba illa aſperiora, quibus Phariſæos ſæpius increpavit, appellans eos progeniem viperarum Matth. 12. 34. Serpentes Matth. 23. 33. generationem malam & adulteram Matth. 12. 39, hypocritas, cæcos duces Matth. 23. 14, 16.

Comedit me.] Exſiccavit oſſa mea, omnes mihi vires ademit.

PARS III.

Verſ. 18. *Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?*] Verbum, *reſponderunt* hoc loco redundat, cum nihil anteceſſerit, ad quod reſpondendum fuerit. Eſt Hebraiſmus, de quo actum ad Matth. 12. verſ. 38. Qui fuerint iſti Judæi, qui hoc ad Chriſtum dixerunt, Euangeliſta non annotavit; ſed veriſimile eſt, fuiſſe primarios Sacerdotes ac Legiſperitos, ut apud Matthæum cap. 21. 15. hos maxime male habebat violentia iſta, (ut eam ipſi interpretabantur) in Templo exercita.

Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?] Rem ipſam, quod Templum à mercatu repurgatum ſit, reprehendere non poterant: ſed tollere hujuſmodi abuſus in loco publico ſoli Deo vel vicario ejus Magiſtratui competebat. Mercatus iſte exercebatur in Templo eum permiſſione Synedrii, nec Sacerdotibus invitis ac refragantibus. Cum ergo Chriſtus id nollet ferre, eo ipſo oſtendebat, quod ſe pro Propheta gereret. Prophetæ autem debebant probare ſe à Deo miſſos, vel prædictione rerum futurarum, vel miraculo aliquo. Hoc Judæorum poſtulatum, quod nimirum à Chriſto ſignum petunt, non adeo injuſtum foret, ſi nihil in Chriſto vidiſſent vel ab eo audiviſſent, ex quo cum divinitus miſſum eſſe colligere potuiſſent. Sed hoc ipſum Chriſti factum erat miraculum haud vulgare, quod unus homo adeo deſpectus abſque omni carnali poteſtate, ſolo juſſu ſuo tantam multitudinem coëgerit è Templo excedere, ita ut illi mox in conſcientia ſua convicti, agnoverint facti ſui turpitudinem, & judicia divina ſe commeruiſſe ſenſerint. Multo iniquiores his Judæis ſunt Pontificii, qui ab illis ſigna & miracula poſtulant, qui eos gravium errorum convincunt. Judæi non ideo ſignum petierunt à Chriſto, ut eo probaretur, non decere in Templo ejuſmodi mercatus exercere; hoc enim ſatis jam probatum erat verbis Sacræ Scripturæ: *Domus mea domus orationis eſt*, Matth. 21. 13. Sed quia tanquam privatus homo ſumebat ſibi hanc auctoritatem abuſus publicos abrogandi, quod nonniſi ſummo Magiſtratui aut legato divino competebat, volunt eum hanc ſuam poteſtatem miraculo aliquo confirmare. Ita ad Papiſtas erroris convincendos ſufficit Sacra Scriptura: ſed ſi quis vellet eos carnali poteſtate ex aliquo loco ejicere, ad id requiritur merito divina vocatio, quæ vel ſignis ac miraculis, vel alia ratione demonſtranda eſt.

Verſ. 19. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*] Quia poſtulatum eorum ex animo malitioſo proficiſcebatur, ideo eos Chriſtus obſcuro reſponſo eludit. Quod enim non de lapideo illo Templo, ſed de corpore ſuo locutus ſit, Euangeliſta ipſe explicat verſ. 21. Vocat autem corpus ſuum Templum occaſione quæſtionis ab eis propoſitæ, quæ erat, Qua poteſtate audeat violentiam exercere in Templo? Primus enim & literalis reſponſionis Chriſti ſenſus eſt, ſe eo robore ac poteſtate eſſe præditum, ut tam vaſtum Templi ædificium poſſit deſtruere & intra tres dies iterum reſtaurare. Quod certe ſufficiens ſignum eſſet divinæ potentiæ in ipſo reſidentis, ac porro poteſtatis iſtius, quam in mercatoribus ejiciendis exercuit. Quod enim Chriſtus his verbis eo reſpexerit, quod voluerit deſtructione & reſtauratione Templi demonſtrare, ſe eſſe Templi dominum, id cum ſcopo hujus ſermonis minime convenit. Poſſet enim aliquis Templum diruere & (ſi Deus vim miracula faciendi ei concedat) in tribus diebus id reparare, neque tamen dominus Templi eſſe. Credebatur autem in Templo Hieroſolymitano divina vis habitare, atque inprimis Deum in Sanctiſſimo Sacrario inter Cherubinos ſuper arca Fœderis reſidere. Hinc Salomon apud Joſephum ita precatur

lib. 8.

lib. 8. c. 2. --- Hinc igitur per ſimilitudinem dicitur de Chriſtianis, qui Spiritus Sancti facti ſunt participes, quod ſint Templum Dei 1 Cor. 3. 16. VI. 19. 2 Corinth. 6. 16. Quanto juſtius Chriſtus hic ſuum corpus appellat Templum, in quo erant immenſa flumina Spiritus Sancti, & in quo *plenitudo divinitatis*, id eſt, divinæ ſcientiæ & cognitionis *habitabat*, idque non aliquatenus tantum vel quaſi in umbra, ſed *corporaliter*, id eſt, velut totum corpus, Col. 2. verſ. 9. Rabbi Judæorum Moſes Gerundenſis ait: *Sanctum ſanctorum eſt Meſſias, qui ſanctificatus eſt è filiis Davidis.*

Solvite templum hoc.] Id eſt, demolimini, deſtruite ac diruite. Vox *ſolvendi* de ædificiorum deſtructione uſurpatur etiam alibi. Vide 2 Petr. 3. 10. 1 Johan. 3. 8. ut etiam verbum *erigendi* vel *excitandi* de inſtaurandis ædificiis. Dicitur enim ἐγείρειν οἰκοδόμημα, ædificium excitare. Bud. in Epiſt.

Quæritur autem hic: Cur Chriſtus Judæis non dederit aliud ſignum, quam ſignum reſurrectionis ſuæ, quæ aliquot annis poſtea demum futura erat, quæque id quod poſtulabant Judæi, probare non poterat? Reſpondeo. Chriſtus probe norat, nullum ſignum, quantumcunque eſſet, ſufficere, ut iſtis hominibus id probaretur, quod eis malitia animi haud permittebat recipere. Hinc divinam Chriſti virtutem Beelzebuli principi dæmoniorum adſcripſerunt, Matth. 9. 34. XII. 24. & poſt viſa tot ingentia miracula, nihilominus adhuc ſignum à Domino popoſcerunt, Matth. 12. 38. XVI. 1. Itaque Chriſtus eos jure merito ad ultimum & illuſtriſſimum miraculum reſurrectionis ſuæ remittit, ut pote per quam clariſſime ac irrefragabiliter demonſtrabitur, eum vere à Deo miſſum fuiſſe. Deus enim talem hominem, qui ſe finxiſſet à Deo miſſum, ad ſeducenda tot millia proborum ac innocentium hominum, à mortuis reſuſcitare nequaquam dignaretur; præſertim ſi ſeductor ille ſe reſuſcitatum iri aperte prædixiſſet. Vult ergo Chriſtus dicere: Quid à me requiritis ſignum? eventus vos docebit. Ex mea reſurrectione cognoſcetis, an habeam poteſtatem iſta faciendi, nec ne. Ita Phariſæis quoque hoc ſignum reſurrectionis ſuæ proponit, eoque vult illos acquieſcere, cum ait: *Generatio mala & adultera ſignum appetit: ſed non dabitur ei ſignum, niſi ſignum Jonæ Prophetæ*, Matth. 12. 39. Atque hæc fuit etiam cauſa, cur Chriſtus ita reſponſionem ſuam temperarit, ut duplici ſenſu accipi potuerit, quia indigni erant, ut ſignum illud, quod ipſis dabat Chriſtus per myſterium ſuæ reſurrectionis, intelligerent: nam nihilominus non credidiſſent, etiamſi intellexiſſent. Quamvis autem Chriſtus facile ſcire potuerit, eos ſignum hoc non intellecturos, quemadmodum & diſcipuli ejus non intellexerunt id ante reſurrectionem ejus, ut perhibetur verſ. 22; maluit tamen id hac ratione proponere, quam prorſus tacere, ut poſtea, ubi eventus veritatem verborum ejus comprobaverit, rem intelligerent. Eſt hoc quoque uſitatum, ut iis qui animo haud bono aliquid interrogant, & in quibus conſtat nihil boni effecturam etiam evidentiſſimam reſponſionem, ita reſpondere ſoleamus, ne videamur nos nihil habere, quod reſpondeamus, vel nos reſpondere nolle, & interim ita reſpondeamus, ut illi parum aut nihil intelligant. Quanquam omnino credibile eſt, Chriſtum cum verba hæc proferret, *Templum hoc*, non lapideum Templum, ſed corpus ſuum digito monſtraſſe, ita ut eis ſermo iſte non adeo obſcurus & intellectu difficilis eſſe potuiſſet, ſi animi ipſorum malitia permiſiſſet, ut rem attentius conſiderarent.

Cum vero Chriſtus ait: *Solvite templum hoc:* id non ita intelligendum eſt, quaſi eos id facere jubeat; ſed tantum indicat, quid ipſi ſint facturi: quaſi dicat; Vos ſolvetis hoc templum, & ego id tribus diebus reſtaurabo. Eſt uſitata apud Hebræos locutio, præſertim apud Prophetas. Ita Eſaias de excidio Babylonis loquitur: *Deſcende Virgo, filia Babylonis, ſede in pulvere, ſede in terra*; id eſt, ſedebis, Eſai. 47. 1. Vide etiam Eſai. 13. 2. LX. 1.

In tribus diebus.] Quomodo id intelligendum ſit, vide ad Matth. 12. 40.

Verſ. 20. *Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?*] Judæi verba Chriſti accipiunt de lapideo Templo, eumque adeo irridentes, quod rem tam impoſſibilem de ſe jactet ac prædicet. Duo Templa tantum à Judæis numerantur Hieroſolymis. Primum fuit, quod condidit Rex Salomon, 1 Reg. 6. 1. & ſeqq. 2 Paral. 3. 1. & ſeqq. Quod cum à Nebucadnezare prorſus eſſet demolitum atque everſum, aliud deinceps à Zorobabele eſt ædificatum, ut legere eſt Eſd. 3. 8. & ſeqq. Agg. 1. verſ. 12, 13, 14. Atque hoc fuit Templum ſecundum, quo ſtante Chriſtum venturum eſſe prædixit Aggæus Propheta cap. 2. 8. Cum vero Herodes à Romanis conſtitutus eſſet Rex Judæorum, ut ſibi captaret eorum benevolentiam, Templum iſtud totum reparavit, & longe ſplendidius & illuſtrius, quam antea fuerat, effecit. Non totum autem ſimul dirui Templum juſſit, ſed modo hanc, modo illam partem curavit demoliri, moxque novo opere partem deſtructam reſarciri. Quam Templi reſtaurationem deſcribit Joſephus lib. 15. cap. 14. Tempore hujus Templi, quod ſtruxit Herodes, natus eſt Chriſtus: ex quo intelligitur, ſtructuram iſtam Herodis non pro tertio Templo, ſed tantum pro renovatione ac reparatione Templi habitam fuiſſe, etſi id plane totum de novo conſtruxerit. Dum ergo Judæi inquiunt, Templum hoc 46 annis ædificatum eſſe, neque de primo id Templo Salomonis intelligunt, neque de iſto ultimo Herodis. Templum enim Salomonis intra ſeptem annos eſt conditum, 1 Reg. 6. 38. Et præterea de illo templo ne unus quidem lapis ſupererat, ſed à Zorobabele ſecundum Templum ab ipſis fundamentis novum extructum eſt. Structura vero, quæ ab Herode circa Templum facta eſt, perfecta eſt annis 9½. ut Joſephus loco ſupra citato teſtatur. Itaque Templum illud hic Judæi intelligunt, quod à Zorobabele quidem conditum, ſed ab Herode reparatum fuit. Dicunt autem 46 annis id eſſe ædificatum, quia annos illos connumerant quibus opus fuit intermiſſum propter varia impedimenta. Nam cum Zorobabel & Joſedec permiſſu Cyri Regis Perſarum ſtructuram Templi inchoaſſent, mox deſiſtere coacti ſunt à malevolis, & ferme per 38 annos ceſſatum eſt, uſque

que ad ſecundum annum Regis Darii Eſd. 4. 24. quo tempore rurſus manus ædificio admoverunt, & quinto anno Darii id abſolverunt, Eſd. 6. 15. Quod Joſephus dicit, id factum nono anno Regis Darii lib. 3. cap. 4. id ita intelligendum eſt, quod, poſt abſolutam Templi ipſius ſtructuram, tres adhuc annos conſumſerint in ædificandis porticibus, veſtibulis, & pinnis Templi. Sic ergo Templum iſtud ſecundum vix 7 annis fuit ædificatum. Judæi proinde hic totum illud tempus ab initio ædificationis uſque ad ejus finem computant, adeoque etiam 38 annos ceſſationis, quibus nihil ædificatum eſt, connumerant. Exemplum ejuſmodi computationis legimus quoque Eſd. 5. 16. ubi hoſtes Judæorum in ſua epiſtola ad Darium Regem inter cætera ſic ſcribunt: *Tunc venit Saſſibaſar ille, & poſuit fundamenta Templi Dei in Jeruſalem, & ex eo tempore uſque nunc ædificatur, & nec dum abſolutum eſt.* Ubi narratur, ab eo tempore, quo jacta ſunt fundamenta continuo ædificari, cum tamen jam tum per multos annos ædificatio intermiſſa fuerit. Ideo autem videntur Judæi hunc numerum annorum 46 plenum ſumere, ut Chriſtum tanto magis pudefaciant, quod rem tam incredibilem de ſe affirmaret.

Verſ. 21. *Ille autem loquebatur de Templo corporis ſui.*] Quod nimirum ubi interfectus fuerit à Judæis, poſt tres dies ſit reſurrecturus.

Hoc loco arbitrantur ſe validum argumentum habere, qui cenſent, Chriſtum ſua propria vi è mortuis reſurrexiſſe, ſive ſeipſum à mortuis ſuſcitaſſe; quia dicit ſeipſum templum corporis ſui erecturum vel excitaturum. Sed nos jam ſuperius monuimus, Chriſtum eo verborum ſuorum temperamento eſſe uſum, ut ea Judæi de lapideo Templo intelligere poſſent: ideoque aliter loqui non potuit, quam quod Templum ipſemet abſque ullius alterius ope reſtauraturus atque excitaturus ſit. Vult enim Judæis ſignum indicare, quod poſcebant. Non fuiſſet autem id ſignum ullum ab eo factum, ſi dixiſſet, ſolvite templum hoc, & alius id intra tres dies reædificabit. Non eſt autem neceſſarium, ut verbum hoc *excitabo* in altero ſenſu recondito, quem Chriſtus tacite reſpexit, dum ſuam reſurrectionem intellexit, eandem omnino ſignificationem retineat, quod nimirum is ſeipſum abſque ullius ope ac opera à mortuis reſuſcitaturus ſit: ſed ſufficit, ut eo id probetur, quod Chriſtus probare intendit, quod ſcilicet ſit à Deo miſſus, ideoque poteſtatem habeat Templum repurgandi, quodque ubi Judæi Templum corporis ſui deſtruxerint, ipſe per virtutem ac potentiam Dei, qui ipſum ſuſcitabit à mortuis (ut Paulus loquitur Epheſ. 1. 20.) id rurſus ſit erecturus. Ita legimus quoque de Jairi filia, quod ſurrexerit Marc. 5. 41. cum Chriſtus ei dixiſſet: *Puella ſurge.* Et de Lazaro, quod, exiverit è ſepulchro, cum ipſum vocaſſet Chriſtus: *Lazare prodi*, Johan. cap. 11. 44. Ita & omnes fideles reſurgent, quando vox tubæ & Archangeli reſonabit, 1 Theſſ. 4. 16. Verum ut hanc rem paulo accuratius excutiamus, notandum eſt, hanc ſententiam, quod Chriſtus ſeipſum excitaverit à mortuis, adeoque hanc hujus loci interpretationem, præter ea, quæ hactenus diximus, tribus de cauſis non poſſe conſiſtere. Primum quia contradictionem apertam in ſe continet. Mortuum enim eſſe, & habere vires in ſe & quidem tantas, quibus è morte eluctari atque in vitam redire poſſis, contraria ſunt. Quando enim homo vel minimas vires habet ad aliquid agendum vel efficiendum, dici nequit, eum vere mortuum eſſe; quanto minus id dici poteſt, quando tantis præditus eſt viribus, ut mortuum ſive aliquem alium, ſive ſeipſum in vitam revocare poſſit. Neque cauſa ulla eſt, ſi Chriſtus ſeipſum à mortuis ſuſcitavit, cur tunc cum in ſepulchro conditus fuit, non etiam potuerit alios à mortuis ſuſcitare aliaque miracula facere: quod certe evidentiſſimum argumentum foret, Chriſtum tunc non fuiſſe mortuum. Atqui in confeſſo eſt, nullam doctrinam adeoque nec explicationem admittendam eſſe, quæ manifeſta contradictione laborat. Hinc videmus, omnes Interpretes quando locum Scripturæ tractant, qui literali ſenſu contradictionem continere videtur, de alio commodiori ſenſu eſſe ſolicitos, adhibere diſtinctiones, verba cum aliis locis parallelis Scripturæ conferre: quia nimirum id, quod contradictionem implicat, nullo modo verum eſſe poteſt. Hanc tam validam rationem quidem ii qui Chriſtum propria vi reſurrexiſſe à mortuis ſtatuunt, facile videre ac percipere poſſent, niſi illis alius error obſtaret, quo illa eorum opinio nititur. Nimirum credunt, quando homo moritur, animam nihilominus habere vim & facultatem talia agendi, & operandi, qualia nonniſi à ſubſtantiis per ſe viventibus peragi queunt. Hinc cenſent animam extra corpus intelligere, ratiocinari, cogitare, & quidem longe perfectius quam in corpore, à cujus impuritate illa ſæpius in operationibus ſuis impedita fuerit. Hinc ſtatuunt quoque animam ſtatim, ſimulac à corpore ſeparata fuerit, vel cœleſtia ſentire gaudia, vel infernales cruciatus. Hoc igitur ſuppoſito, ajunt, nullam in eo eſſe contradictionem, quod anima Chriſti ipſa per ſe in corpus ſuum remigrarit, Chriſtuſque adeo propriis viribus reſurrexerit, cum præſertim corpus ejus non fuerit corruptum. Verum etiam hæc ipſa opinio, cui ſententia de Chriſto ſeipſum reſuſcitante ſuperſtruitur, contradictoria eſt, & ſeipſam evertit. Quomodo enim dici poteſt, hominem hunc vere mortuum eſſe, cujus pars potiſſima, anima ſcilicet, adhuc vivit, omniaque opera peragit, quæ homo integer ejus beneficio peragebat, & quidem modo longe perfectiori, quam in corpore? Imo dici poteſt, tum demum hominem vere vivere, quando nobilior pars ejus ab ergaſtulo corporis, à quo tot impedimenta in ſuis operationibus habebat, emiſſa ac liberata eſt. Nec deberet ſpiritus hominis ſemel emiſſus appetere unquam, ut iterum cum corpore jungatur, ſi is ſtatim à ſuo è corpore exitu cœleſtibus gaudiis ex conſpectu Dei fruitur non imperfectius, quam quando iterum cum corpore conjungetur. Etenim juxta hanc ſententiam, corpus ſive idem ſit, quod homo in hac vita habuit, ſive aliud ſpirituale, nihil conferre poteſt ad augendum gaudium, quod Spiritus extra corpus ſentit. Præterea ſi Chriſtus ita propria virtute à mortuis reſurrexit, ut anima ejus ipſa per ſe in corpus remigrarit; cauſa ſane nulla eſt, cur non etiam quilibet homo alius poſſit ſeipſum à mortuis

tuis reſuſcitare, id eſt, cur anima ejus nequeat in corpus regredi. Si dicas, Deum id nolle permittere; manebit tamen, ſi Deus permitteret, nec impediret, quemvis hominem id per ſe & propriis viribus præſtare poſſe, quod Chriſtus præſtitit. Quid ergo Chriſtus adeo ſingulare feciſſet, quod tanta admiratione dignum eſſet? Quomodo etiam ex eo, quod ſeipſum reſuſcitaverit, probari poſſet, eum eſſe Deum ſummum? Quare rationi magis conſentaneum eſt, quod anima uniuſcujuſque hominis, quando à corpore ſeparata eſt, non magis vivat, ſentiat, aut operetur, quam corpus, quodque illa ſervetur uſque ad diem ſupremi Judicii, quo tempore veſtita novo corpore coram tribunali Jeſu Chriſti comparebit, atque ſecundum opera ſua judicabitur. *Animæ juſtorum ſunt in manu Dei, & non tangit eas ullum tormentum*, Sap. 3. 1. Ita Chriſtus quoque animam ſuam in manus Patris ſui commendavit, qui eam poſtea rurſus corpori indidit, Luc. 23. 46. Manet proinde, quod diximus, reſurrectionem Chriſti propriis viribus factam, contradictionem implicare, adeoque veram eſſe non poſſe.

Altera cauſa, ob quam ſententia hæc conſiſtere nequit, eſt, quod cum Sacris Literis aperte pugnet, quæ multoties teſtantur, Chriſtum ab alio, nempe à Deo Patre ſuo reſuſcitatum eſſe. Ac in quibuſdam locis quidem expreſſe fit mentio Patris, in quibuſdam autem ſimpliciter Dei: ſed per eum alius intelligi Deus non poteſt, quam qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Primum id teſtatur locus Pauli ad Galat. 1. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem, qui eum ſuſcitavit à mortuis.* Idem teſtatur Petrus Actor. 3. 26. *Vobis primum Deus reſuſcitans Filium ſuum Jeſum, miſit eum benedicentem vobis.* Ita quoque loquitur Paulus Apoſtolus Actor. 13. verſ. 32. *Annunciamus vobis promiſſionem illam, quæ ad Patres facta eſt, quoniam hanc Deus adimplevit filiis eorum, nobis, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, eum ſuſcitaſſe Jeſum à mortuis, qui ad eum dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Is vero nullus alius eſt quam Pater. Sic dicit quoque Paulus 1 Theſſ. 1. 9, 10. *Converſi eſtis ab idolis ad ſerviendum Deo vivo & vero, atque ad expectandum Filium ejus de cœlis, quem ſuſcitavit ex mortuis, Jeſum, qui nos liberat a ventura ira.* Huc pertinent etiam multa alia loca, in quibus ſimpliciter dicitur, Deum reſuſcitaſſe Chriſtum. Ut cum Petrus ait Actor. 2. 24. *Quem* (id eſt Jeſum) *Deus reſuſcitavit, ſolutis doloribus mortis, quoniam impoſſibile erat, illum ab ea teneri. David enim dicit de eo: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris meis eſt, ne commovear. Propterea lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea; inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et mox poſtea verſ. 32. *Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus rei nos omnes teſtes ſumus.* Ut plura loca hic allegentur, non eſt opus. Vide Actor. 3. 13, 15. IV. 10. V. 30. X. 40. XVII. 31. Rom. 4. 24. VIII. 11. X. 9. 1 Corinth. 6. verſ. 14. XV. 15. 2 Corinth. 4. 14. XIII. 4. Epheſ. 1. verſ. 20. II. 5. Coloſſ. 2. 12, 13. Hebr. 13. 20. 1 Petr. 1. 21. Sunt inſuper innumera loca Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur Chriſtus eſſe reſuſcitatus: quod cum tam crebro repetatur & inculcetur, indicio eſt, eum ab alio ſuſcitatum eſſe. Id quod etiam quorundam locorum circumſtantiæ ſatis clare demonſtrant. Vide inter alia 1 Corinth. 15. 4, 12. & ſeqq. ubi ſepties dicitur, Chriſtum eſſe reſuſcitatum, & poſtea verſ. 15, expreſſe affirmatur, Deum id feciſſe, Chriſtique reſurrectio, pro exemplo noſtræ reſurrectionis proponitur, quod etiam alibi fit. Contra hæc tam clara ſacræ paginæ teſtimonia, ſolet primo objici, quod etſi in allegatis locis dicatur, Chriſtum ab alio, id eſt, à Patre eſſe reſuſcitatum nuſquam tamen dictum ſit, eum à ſolo Patre fuiſſe ſuſcitatum; itaque his omnibus locis Scripturæ id non repugnare, quod Chriſtus ſeipſum ex mortuis ſuſcitaverit: cum fieri queat, ut unius rei ſint duæ diſtinctæ & quidem prorſus æquales cauſæ. Verum hæc objectio tribus rationibus convellitur. Primo quia ex allegatis locis hoc ad minimum concludi poteſt, Chriſtum non fuiſſe primam ac præcipuam cauſam ſuæ reſurrectionis. Cur enim alioqui Scriptura toties & tam expreſſe alteri perſonæ, nempe Patri reſuſcitationem hanc adſcriberet, Chriſto autem ne ſemel quidem diſerte? Hoc autem ſufficit ad oſtendendum, Chriſtum ſeipſum non reſuſcitaſſe, adeoque Deum ſummum non eſſe. Demonſtrabimus enim infra, neceſſario ſecuturum, ſi Chriſtus ſit Deus ſummus, eum principalem cauſam ſuæ reſurrectionis eſſe. Secundo quia Scriptura ita reſuſcitationem Chriſti adſcribit Patri, ut non obſcure indicet, Chriſtum nullam in eo opere partem habuiſſe.]

Deſunt hic nonnulla.

Alii ad hæc Scripturæ dicta ita reſpondent, ut dicant, in locis iſtis, ubi dicitur, Deum reſuſcitaſſe Chriſtum, nomen Dei ſignificare totam Trinitatem, ſeu totam divinam eſſentiam, quæ non minus ſit in Chriſto, quam in Patre. Sed quomodo id probabitur? Et quis etiam hoc intelligat? Non pauca vidimus ſupra ejuſmodi loca, in quibus Patri nominatim reſurrectio Chriſti adſcribitur. Quomodo autem nomine Patris etiam Filius poteſt intelligi, qui eſt diſtincta perſona à Patre? Quod eſſentia Patris ſit etiam eſſentia Filii, non modo nulla veritatis ſpecie probari poteſt, ſed etiam ſeipſum aperta contradictione perimit. Eſſentia enim alicujus rei eſt id, quod res eſt: Si igitur eſſentia Patris eſt etiam eſſentia Filii, ſequitur Patrem eſſe Filium, & Filium eſſe Patrem; quod ſeipſum evertit. Præterea ſi nomine Dei Filius intelligeretur, cum Scriptura dicit, Deum ſuſcitaſſe Chriſtum à mortuis, dici etiam poſſet, Filium Dei ſuſcitaſſe Chriſtum à mortuis: quod quam bene ſonet in auribus, eos judicare jubeo, qui exercitatos in Sacris Literis ſenſus habent. Tertio opinio hæc atque explicatio de Chriſto propria vi reſuſcitato, ſubruit firmiſſimum ſpei ac ſolatii noſtri fundamentum, quod habemus in reſurrectione Chriſti. In loco enim 1 Corinth. 15. 12 & ſeqq. probat Paulus Apoſtolus reſurrectionem noſtram ex reſurrectione Chriſti. *Quodſi Chriſtus prædicatur ex mortuis ſuſcitatus*

tatus esse, quomodo dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum? Nam si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est suscitatus. Quodsi Christus non est suscitatus, vana est utique nostra prædicatio, vana etiam est fides vestra. Invenimur autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, eum suscitasse Christum: quem non suscitavit, si mortui non suscitantur. Nam si mortui non suscitantur, Christus quoque non est suscitatus. Quodsi Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris: &c. *Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus est*, &c. Si igitur Christus propriis ac naturalibus viribus seipsum excitavit, argumentatio Apostoli erit prorsus elumbis & invalida. Nulla enim omnino est consequentia: Si Christus propria ac naturali virtute seipsum resuscitavit, imo non potuit non seipsum resuscitare; Ergo & nos, qui tali virtute nequaquam sumus præditi, quosque natura nostra à morte liberare nullo modo potest, certo & infallibiliter resurgemus.

Omitto alia argumenta, quibus hæc loci istius explicatio refelli potest: ut quod inique agant, qui ex loco figurato contra tot aperta Scripturæ loca, quæ superius adduximus, pugnant. Credimus sufficere ea quæ hactenus disputata sunt ad ostendendum, quod Christus seipsum ex mortuis non suscitaverit. Unde nos fortissime concludimus, eum non esse Deum Altissimum. Nam si esset Deus Altissimus, aut omnino mortuus non fuisset, aut si aliquo tamen modo id fieri potuisset, certe is seipsum ex mortuis suscitasset, neque ut aliter fieret, decuisset. Cum enim (ut isti homines volunt) humana natura, secundum quam mortuus est, cum divina natura personaliter fuerit unita, fieri nulla ratione potuit, ut humana natura in morte perpetuo maneret, & sic, cum unio illa nunquam dissolvi ex eorum sententia possit, divinæ naturæ corpus mortuum indissolubili æternoque nexu unitum esset. Porro autem, si resuscitanda fuit humana natura, à quonam potius resuscitanda erat, quam à natura ejusdem Christi divina, quæ id & præstare per seipsam facillime posset, & propter arctissimam illam unionem, hoc naturæ sibi junctæ beneficium, ad suam gloriam & honorem inprimis necessarium, deberet? Itaque sive facultatem spectes id præstandi, divina Christi natura prima ejus operis causa fuisset; sive officium, id ipsi præcipue incubuisset. Cum vero satis superque à nobis probatum sit, Christum ab alio, nempe à Patre, esse resuscitatum, sequitur eum Deum Altissimum neutiquam esse.

Vers. 22. *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quod hoc dixerit eis, & crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem locutus est Jesus.*] Ex hoc versiculo liquet, ne ipsos quidem discipulos tunc intellexisse, Christum de templo corporis sui loqui. Quod mirum non est; cum non caperent etiam clarissima illa & disertissima Christi dicta, quibus annunciavit eis *Filium hominis interemtum iri, & die tertio resurrecturum*, Matth. 16. 21.

Recordati sunt discipuli ejus.] Recordati sunt hujus sermonis, postquam non tantum eventum rei viderunt, sed etiam per illuminationem Spiritus Sancti Sacrarum Scripturarum mentem rectius intelligere cæperunt. Vide Luc. 24. 45, 46.

Et crediderunt Scripturæ.] Nempe Scriptis Prophetarum, qui resurrectionem Christi prædixerunt. Ut inter alia loca dicitur Psalm. 16. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et Esai. 53. 10. *Si seipsum exponet sacrificium pro peccatis, videbit semen, & prolongabit dies.*

Et sermoni, quem locutus est Jesus.] Huic nimirum sermoni: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.* Verbum *credere* significat hic cum intellectu credere, vel rem, quæ non satis antea fuit intellecta, ideoque non plene ac perfecte credita, postquam intellecta fuerit melius, magis credere, nec amplius de ea dubitare. Discipuli enim Christi etiam ante resurrectionem Christi Scripturæ crediderunt; sed post resurrectionem, crediderunt magis ac firmius, quia eam melius intellexerunt. Atque hoc est, quod Christus ipsis dixit: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri, omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit intellectum eorum, ad intelligendum Scripturas*, Luc. 24. vers. 44, 45. Quæ autem sint illa loca Scripturæ, quæ Apostoli tunc intellexerint, atque crediderint, ibidem ad Lucæ memoratum locum annotavimus.

PARS IV.

Vers. 23. *Cum autem esset Hierosolymis in Pascha, in festo, multi crediderunt in nomen ejus, videntes ejus signa, quæ faciebat.*] Videtur ista sequentia hic Euangelista non sine causa narrare. Potuisset enim forte lector inconsideratus cogitare, Christum non serio atque ex animo quæsisse conversionem Judæorum: siquidem loco signi, quod postulabant, tam obscura & perplexa responsione eos eluserit, è qua nihil quod ad ædificationem ipsorum faceret, excerpere potuerunt; cum, si voluisset, potuerit signa edere sufficientia ad gloriam suam manifestandam. Itaque Euangelista his verbis indicat, Christum hac in parte non defuisse suo officio, eumque in festo Paschatis in conspectu tantæ multitudinis insignia edidisse signa, idque tanto cum fructu, ut plurimi in ipsum crederent.

In Pascha.] Voce Paschæ intelligitur hic totum tempus illud octo dierum, quo festum Azymorum una cum die Parasceves durabat. Per hoc tempus habuit Christus occasionem multa signa edendi.

Multi crediderunt in nomen ejus.] Ex versiculo sequenti apparet, ex multis istis pauciſſimos fuisse, qui ita in ipsum crediderint, ut constanter ipsi adhærere ac doctrinam ejus profiteri perrexerint; sed eos, more promiscui ac inconsiderati vulgi, splendore miraculorum quidem aliquatenus perculsos atque commotos fuisse, at miracula ista radices in animis eorum non egisse. Talis fides etiam fuit illius Simonis Magi, Actor. 8. 13, 18.

Vers. 24. *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.*] Etsi multi crediderint

Chri-

Chriſtus tamen familiarem ſe eis non præbuit, neque cum eis quotidie converſari voluit; diffidebat eis.

Eo quod ipſe noſſet omnes.] Ideo ipſis diffidebat, quia perſpectos habebat omnium animos, & probe norat, fidem in eis non eſſe adeo radicatam, ut parati eſſent ipſius cauſa aliquod ſubire ac ſuſtinere periculum: quod jam ingruere incipiebat. Hinc factum eſt, ut Nicodemus, de quo Capite ſequenti, interdiu ad Chriſtum venire metuens, noctis beneficio uſus ſit. Tales inconſtantes quoque Vertumni erant illi, de quibus Euangeliſta ſcribit infra cap. 6. 66. Multum equidem intereſt inter fidem, quæ amori veritatis tanquam fundamento innititur, & inter eam, quæ ex admiratione rerum novarum naſcitur. Illa fides ſtabilis eſt & inconcuſſa, hæc autem non durat diutius, quam durat admiratio novitatis.

Verſ. 25. *Et quia non opus haberet, ut quis teſtaretur de homine; ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*] Confirmat quod præceſſerat, quod ſcilicet omnes noverit. Quod mirum non erat, cum etiam intimas hominum cogitationes ſciret, & cordium ac renum ſcrutator eſſet.

Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.] Sciebat, quam firma eſſet in unoquoque hominum fides, an cor ejus rectum atque integrum, an vero inſincerum eſſet. Hoc autem ſciebat Chriſtus, virtute Spiritus Sancti, quo à Deo unctus fuit, Matth. 3. 16. non vero quod Deus altiſſimus eſſet. Si enim talis fuiſſet, non dixiſſet utique, de die judicii neminem ſcire, neque Angelos, neque Filium, ſed ſolum tantum Patrem, Matth. 24. 36. Marc. 13. 32.

Cap. III.

I. *Deſcribitur colloquium Chriſti cum Nicodemo: ad verſ. 22.* II. *Chriſtus & Johannes Baptiſta eodem tempore baptiſant: ad verſ. 27.* III. *Johannes Baptiſta inſigne teſtimonium iterum de Chriſto perhibet: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Erat autem homo ex Phariſæis, cui nomen erat Nicodemus, Princeps Judæorum.*] In fine Capitis præcedentis verſ. 23, dixerat Euangeliſta, multos ex iis, qui viderant miracula Chriſti, in eum credidiſſe. Ejus inſigne exemplum proponit hic in Nicodemo, qui non ſolum Phariſæorum ſectæ nomen dederat, ſed etiam Princeps Judæorum erat, qui noctu venit ad Chriſtum, ut ab eo plenius erudiretur. Deſcribit autem Euangeliſta primum perſonam Nicodemi, poſtea habitum cum eo à Chriſto colloquium.

Erat autem.] Nempe Hieroſolymis, ubi geſta ſunt illa paulo ante commemorata. Ideo Syrus habet: *Erat autem ibi.*

Homo ex Phariſæis.] Id eſt, quidam Phariſæus, locutione Hebræa. Phariſæorum autem ſecta erat rigidiſſima præ omnibus aliis obſervatrix Legis, ideoque tam immobiles erant ac difficiles ad recipiendum Chriſtum.

Cui nomen erat Nicodemus.] Nomen hoc Græcum eſt, denoratque *victorem populi*. Uſitatum enim jam apud Judæos erat, ut Græcis nominibus appellarentur. Pronunciant autem nomen hoc *Nacdimon*; ut etiam Græca illa *Tryphon*, *Doſitheus*, *Dorotheus*, efferunt *Tarphon*, *Doſthai*, *Dorthai*, &c.

Princeps Judæorum.] Id eſt, unus è Synedrio, ac præcipuis Senatoribus. Hinc infra cap. 7. 51. in Senatu hanc tulit ſententiam, ne Chriſtus inauditus damnetur. Vide dicta ad Luc. 14. 1. Deſcribendum autem ſibi hoc modo Nicodemum duxit Euangeliſta duplici de cauſa. Primo ut oſtenderet, quanta efficacia ac vis fuerit doctrinæ miraculorumque Chriſti, ut etiam è Phariſæis atque è Senatoribus Synedrii, hominibus maxime incredulis, nonnulli ad fidem in Chriſtum amplectendam adducerentur. Hæc enim erat res admodum rara. Hinc Judæi dicunt ad miniſtros, quos miſerant ad Chriſtum comprehendendum: *Quis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non novit Legem, maledicta eſt*, cap. 7. 48, 49. Et infra cap. 12. verſ. 42, 43. Euangeliſta volens magnam doctrinæ Chriſti efficaciam exprimere, narrat tanquam prodigium, quod etiam *multi ex principibus crediderint in eum, ſed propter Phariſæos profeſſi non ſint, ne ex Synagoga ejicerentur.* Ita videmus honorem, dignitatemque mundanam maximum eſſe fidei ac pietatis impedimentum. Deinde ut cauſam redderet, cur non palam dedie, ſed noctu clanculum venerit ad Chriſtum Nicodemus: nempe quia Phariſæus erat, atque unus è Senatu, puduit ipſum, ſibique indecorum duxit, hominem tam vilis ſortis, & apud primores populi exoſum ac deſpectum publice alloqui.

Verſ. 2. *Hic venit ad Jeſum noctu, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter. Nemo enim hæc ſigna poteſt facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.*] Cauſa, cur noctu, non interdiu venerit, jam eſt indicata.

Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter.] Nicodemus in exordio ſui ſermonis Chriſtum honorifico ornat titulo, dum eum divinum Doctorem eſſe agnoſcit. Quid amplius poterat à Nicodemo in his primordiis requiri? An ut crederet, Chriſtum eſſe Meſſiam? Hoc vero nimium fuiſſet pro incipiente, antequam Chriſtum loquentem ipſe audiviſſet; quanquam potuit ille ſententiam aliorum, qui ipſum pro Meſſia habebant, non ſimpliciter rejicere, ſed ſuo loco relinquere, donec eum ipſe vidiſſet & audiſſet. Quanto vero magis nimium fuiſſet, ſi ex miraculis Chriſti debuiſſet ſtatim credere, Chriſtum eſſe Deum Altiſſimum. Hoc ſane ab eo, utpote homine ſapientiſſimo & in Sacris Literis exercitatiſſimo exigi minime poterat: cum ille probe noſſet, quanta miracula etiam Moſes, Elias, Eliſæus, aliique Prophetæ fecerint. Itaque hoc initium fidei Nicodemi magis laudandum eſt, quam (ut nonnulli faciunt) tanquam imperfectum vituperandum.

Magiſter.] Id eſt, qui jus ac poteſtatem habet docendi.

Nemo enim hæc ſigna poteſt facere, quæ tu facis, niſi

fuerit Deus cum eo.] Indicat, ſe id quod credit de Chriſto, non temere credidiſſe, ſed ſe ingentibus ac inauditis miraculis ejus ad id credendum inductum eſſe.

Niſi fuerit Deus cum eo.] Agnoſcit miracula Chriſti longe ſuperare & antecellere omnia miracula, quæ diaboli efficacia fieri poſſunt: quod fuit indicium & argumentum excellentis judicii ejus, longe certe melioris, quam fuit eorum, qui dicebant, Chriſtum per Beelzebulem principem dæmoniorum ejicere dæmonia, Matth. 12. 24. Perſuaſus eſt etiam de Chriſto, eum non eſſe falſorum Deorum cultorem atque doctorem. Etſi enim Propheta aliquis maxima ſigna ederet, ſi tamen hominibus auctor eſſet ſectandi Deos alienos, neutiquam ei erat credendum, Deut. 13. 1, 2. Eſt autem Hebraica phraſis, cum dicitur, Deum eſſe cum aliquo, quando in aliquo eſt divina virtus: qua phraſi etiam Petrus de Chriſto utitur, Actor. 10. 38. Unde patet, eos nimis argutos eſſe, qui ajunt, ſi Nicodemus recte Chriſtum cognoviſſet, dicturum potius fuiſſe: quod Deus in illo fuerit. Quaſi ſcilicet phraſis iſta (quæ etiam apud Paulum legitur 2 Corinth. 5. 19.) ſignificet, eum eſſe Deum ſummum: cum potius contrarium ex ea colligere liceat. Etenim is in quo Deus eſt, non poteſt eſſe Deus ipſe; alioquin enim is foret in ſeipſo.

Verſ. 3. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.*] Ex hac Chriſti reſponſione apparet, præcedentem ſermonem Nicodemi imperfectum eſſe, omiſſumque ab Euangeliſta id, cujus diſcendi & quærendi cauſa Nicodemus ad Chriſtum venit. Nempe quia audivit, Chriſtum in doctrina ſua ſæpius mentionem facere Regni cœlorum & vitæ æternæ, cupit ab eo ſcire, quibus mediis iſtud regnum obtineri queat: perinde ut juvenis ille Matth. 19. 16. Cur autem Euangeliſta hanc quæſtionem omiſerit, non alia videtur eſſe cauſa, quam quod id brevitatis ſtudio fecerit, crediderit que eam ex reſponſione Chriſti facile poſſe intelligi. Itaque probabile non eſt, Chriſtum Nicodemo reſpondiſſe, antequam rogaretur, quia cogitationes ejus perſpectas habebat.

Niſi quis natus fuerit denuo.] Græca vox ἄνωθεν ſignificat proprie idem quod *deſuper*, ſed hic denotat iterum, vel denuo: quo modo etiam ſumitur Galat. 4. 9. Si enim Chriſtus dixiſſet, hominem debere deſuper vel ſuperne naſci, protinus intellexiſſet Nicodemus, eum non de carnali, ſed de ſpirituali generatione loqui. At ex ſequentibus verbis Nicodemi cernitur, eum arbitratum eſſe, quod Chriſtus de craſſa ejuſmodi generatione loquatur, in qua oporteat hominem introire in uterum matris ſuæ ſecundo, & ſic naſci. Hæc autem duplex ſignificatio non eſt in illa lingua, qua Chriſtus locutus eſt; quæ ex Hebraica & Syriaca permiſta erat. Oſtendit vero hic Chriſtus, medium, per quod homo pervenire in regnum Dei queat, eſſe regenerationem. Quiſquis particeps eſſe cupit Regni Dei, & inſignium ejus beneficiorum, oportet, ut renaſcatur. Eſt autem regeneratio ſeu renaſcentia tale opus, per quod fit, ut homo priſtinam peccandi conſuetudinem exuat, & novum, ſanctum, ac Deo placens vivendi genus ineat. Quemadmodum enim in generatione naturali, id fit, quod prius non erat, nempe homo naturalis: ita etiam per regenerationem, fit homo ſpiritualis, ſanctus, ac juſtitiæ deditus, qualis antea non erat, ſed loco juſtitiæ peccatis & iniquitati deditus fuerat. Hæc regeneratio fit per incorruptibile ſemen verbi Dei 1 Petr. 1. 23. Jac. 1. 18. & ſicut in hac vita per veram pœnitentiam inchoatur, ita in futura vita perfectiſſime abſolvetur, ubi in excellentiſſimo gradu erimus regeniti Filii Dei, Luc. 22. 36. Hinc Chriſtus ipſe ſtatum æternæ vitæ, regenerationem vocat, Matth. 19. 28.

Non poteſt videre.] Id eſt, compos & particeps fieri, id conſequi non poteſt, ut Luc. 2. 26. Vide ad eum locum dicta.

Regnum Dei.] Dubium nullum eſt, quin Nicodemus per Regnum Dei hic intellexerit Regnum Meſſiæ, quod juxta opinionem Judæorum in terris erigendum erat. Idcirco mirum non eſt, eum hæc verba Chriſti intelligere nequiviſſe, in quibus Chriſtus de ejuſmodi regno Dei loquitur, quod in terris quidem accipit initium, dum ii qui ejus conſortes ſunt in hac vita fruuntur bono inæſtimabili rectæ conſcientiæ & pacis cum Deo, quam per regenerationem conſequuntur: in illa autem vita perfectiſſimæ, ac æternum duraturæ felicitatis uſu conſummabitur. Nova autem prorſus ſunt iſta, quæ Chriſtus huic magiſtro Iſraëlis proponit: vult nimirum indicare, ad æternam ſalutem conſequendam plus requiri, quam ut quis ſit religioni Judaicæ addictus. Nam *in Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed nova Creatura*, Galat. 6. verſ. 15.

Verſ. 4. *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo renaſci ſenex exiſtens? num poteſt in uterum matris ſuæ ſecundo introire, & naſci?*] Qui Nicodemo vertunt vitio, eumque acriter reprehendunt, quod verba Chriſti de ſpirituali generatione agentia de carnali intellexerit, nimis rigidi ſunt. Nihil ſane mirum eſt, eum res tam novas non potuiſſe tam cito capere, & vocem generationis in ſua propria ſignificatione accepiſſe, & de carnali generatione intellexiſſe, antequam ejus explicationem à Chriſto audiviſſet. Laudabile in eo veritatis ſtudium facile tegit aliquos ipſius nævos. Summa autem reſponſionis ejus hæc eſt: Si homo debeat denuo naſci, oportet ut rurſus introëat in uterum matris ſuæ, id eſt, neceſſe eſt, ut in utero matris ſuæ iterum concipiatur, & foveatur, ut per generationem denuo in lucem edatur. Atqui hoc eſt impoſſibile. Ergo etiam illud, quod præſcribis medium perveniendi in regnum Dei.

Senex exiſtens.] Non tam ſeipſum pro exemplo ſumit, qui jam ſenex eſſet, ſed in genere loquitur de quovis homine jam ſemel nato & adulto.

Verſ. 5. *Reſpondit Jeſus: Amen amen dico tibi, Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.*] Intellexit Chriſtus, qui factum ſit, quod Nicodemus reſponſionem ad rem nihil pertinentem attulerit, nempe quia mentem verborum ſuorum non perceperit. Ideo ea nunc declarat, indicans qualem generationem intelligat, quando dixit, hominem debere denuo naſci: nempe quod

non

non de carnali, ſed de ſpirituali generatione ſermonem faciat, quæ in hominis animo peragitur, vi & operatione Spiritus divini. Eſt autem in verbis iſtis, *Ex aqua & Spiritu*, Hebraiſmus ejuſmodi, quali etiam uſus eſt Johannes Baptiſta, de Chriſto inquiens: *Ipſe vos baptiſabit Spiritu Sancto & igne*, id eſt, igneo Spiritu, ſeu Spiritu Sancto, qui eſt velut ignis, aut etiam ſpirituali igne, qui eſt Spiritus Sanctus. Ita Chriſtus quoque hoc ſibi vult, regenerationem fieri *ex aqua & Spiritu*, id eſt, ex ſpirituali aqua, quæ eſt Spiritus Sanctus. Etenim tam per ignem quam per aquam denotari ſolet vis Spiritus Sancti, qua animi hominum repurgantur. De repurgatione ac mundatione iſta extat talis prophetia apud Eſaiam: *Effundam aquas ſuper ſitientem & flumina ſuper aridam; effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum*, Eſai. 44. 3. Et apud Ezech. 36. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ita Johannes quoque Apoſtolus puritatem vitæ Chriſti per aquam ſignificat, cum ait: *Tres ſunt, qui teſtantur in terra, Spiritus, Aqua & Sanguis*, id eſt, miracula Chriſti, vitæ ſanctitas, & mors. Tales Hebraiſmi plures dantur in Sacris Literis: ut *gratia & veritas*, id eſt, vera gratia Johan. 1. 17. *vita & reſpiratio*, id eſt, viva reſpiratio Actor. 17. 25. vel reſpiratio, quæ vitam dat Geneſ. 2. 7. *pax & veritas*, id eſt, vera pax Eſai. 39. 8. Similis loquendi modus eſt in illis Pauli verbis Coloſſ. 2. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam*, id eſt, per inanem fallaciam Philoſophiæ, vel per Philoſophiam, quæ inanis fallacia eſt. Ita etiam *in regione & umbra mortis* Matth. 4. 16. id eſt, in umbroſa ac tenebroſa regione mortis: Arabs vertit, *in regione umbræ mortis:* Qui volunt, Chriſtum hic agere de vi baptiſmi, atque ex his verbis probare nituntur, neminem poſſe venire in regnum Dei, qui non fuerit baptiſatus, carent ſolido fundamento. Chriſtus enim hic loquitur de regeneratione, quæ opus tale eſt, ut per id homo in animo ſuo prorſus immutetur, ac renovetur. Hoc autem per aquæ baptiſmum in homine effici poſſe, non tantum probari nequit, verum etiam per experientiam manifeſte refutatur. Videmus enim, pauciſſimos ex illis, qui in infantia baptiſati ſunt, ubi ad ætatem pervenerint, edere aliqua regenerationis ſpecimina, ſed pleroſque eſſe peſſimos ac profligatæ vitæ homines, Ethnicis ac Judæis haud meliores: ſi quid vero boni illis ineſt, id vel à natura habent, vel à bona inſtitutione in Religione Chriſtiana, quæ ſi bene intelligatur, vim habet hominem regenerandi. Quod adultos attinet, faciat aliquis periculum, an ſolus aquæ baptiſmus abſque aliis mediis, quale eſt diligens inſtitutio, ex impio homine pium & probum effecturus ſit. Equidem hoc foret facile medium perveniendi in cœlum: latiſſima hæc eſſet porta, & ſpatioſa via, ſi nudus baptiſmus tantam vim haberet. Quid enim facilius eſt, quam aliquem pauxillo aquæ aſpergere, aut eum in aqua intingere? Etiam Ethnici olim talem vim adſcripſerunt ſuis baptiſationibus ac luſtrationibus, quæ in mari vel flumine fiebant; exiſtimantes, peccatorum turpitudinem iis poſſe expiari, & animi labes elui. Quam opinionem merito Poëta falſe irridet:

O nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Regeneratio eſt opus longe difficilius, ad quod diuturna pugna atque lucta cum carne ejuſque concupiſcentiis requiritur, antequam animus immutetur, & novus homo fiat, qui ſecundum Deum creatus eſt in vera ſanctitate & juſtitia. Aquæ baptiſmus non eſt eum in finem inſtitutus, ut per eum homines regenerentur, ſed ut ii, qui per Spiritum & per verbum jam ſunt regeniti, eo tanquam viſibili ſigno palam coram Eccleſia Jeſu Chriſti teſtentur ac profiteantur, quod ſicut corpora ipſorum aqua elementari abluuntur, ita etiam ipſi, ſemel peccato mortui, impoſterum in novitate vitæ ambulaturi ſint. Vide Rom. 6. 1, 2, 3, 4. Si quis dicat, per aquæ baptiſmum peccatum originale, quod vocant, aboleri, eodem res recidet. Nam etſi concedatur, dari ejuſmodi originale peccatum, quale vulgo abſque omni ratione creditur, tamen dum iidem dicunt, omnia actualia hominum peccata, ab originali peccato, tanquam ramos è radice ac trunco enaſci, id ſufficiens argumentum eſt, eos per baptiſmum à labe originalis peccati non eſſe liberatos, qui poſt baptiſmum adhuc in peccatis manent, & flagitioſe vivunt.

Verſ. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.*] Quod ſuperius dixerat Chriſtus, eum qui velit compos fieri regni Dei, oportere ex Spiritu naſci; id declarat modo, inſtituens comparationem inter carnalem & ſpiritualem generationem, quaſi dicat: Quemadmodum is qui ſecundum ordinarium naturæ curſum ex homine naſcitur, nihil aliud eſt, quam naturalis homo, vitamque ducit naturalem, ſeu naturæ ſuæ ductum ſequitur: ita is, qui per virtutem Dei ſeu per Spiritum repurgatur, & divina ſapit, eſt ſpiritualis, vitamque ducit ſpiritualem. Ille eſt ex ſanguinibus, & ex voluntate carnis & ex voluntate viri natus: hic autem ex Deo genitus eſt, Johan. 1. 13. Eſt autem naturalis generatio, adeoque & naturalis vita ita comparata, ut per eam nullum jus atque aditum nanciſcatur homo ad Regnum Dei, etiamſi millies iterum in uterum matris ſuæ ingrederetur, & ex ea naſceretur. *Caro enim & ſanguis*, quatenus caro & ſanguis eſt, id eſt, homo naturalis, quatenus talis eſt, *regnum Dei hæreditare nequit*, 1 Cor. 15. 50. Sed ſpiritualis generatio, qua fit, ut homo ſpiritualiter animatus ſit, & ſpiritualem vitam ducat, perducit hominem in regnum Dei. Errant, qui cenſent, Chriſtum hominem ſpiritualem hic opponere carnali, quatenus is in peccatis (ut loquuntur) corruptus eſt, & peccati concupiſcentiis deditus vivit. Hoc enim ad propoſitum Chriſti nihil facit, qui ſpiritualem generationem, de qua loqui cæperat, carnali, quam intellexit Nicodemus, opponit. Nicodemus autem, non ejuſmodi carnalem generationem intellexit, per quam homo in peccatis naſcitur, & ad peccandum proclivis eſt, ſed ſimpliciter tantum quatenus per eam homo in mundum naſcitur.

Falſum quoque eſt, naturalem generationem neceſſario homines producere vitioſis concupiſcentiis deditos. Naturales enim affectus ac concupiſcentiæ per ſe vitioſæ non ſunt; eas enim Deus homini in prima creatione implantavit ac inſevit: ſed tum demum vitioſæ evadunt, quando ab homine, ubi ad uſum rationis pervenerit ad res malas adhibentur.

Caro eſt.] Id eſt carnalis: ut & *ſpiritus eſt*, id eſt, ſpiritualis, Hebraiſmus.

Verſ. 7. *Ne mireris, quia dixi tibi, Oportet vos naſci denuo.*] Quia Chriſtus loquebatur de generatione tali, quam Nicodemus plane non capiebat; ideo vetat eum Chriſtus mirari, quod non poſſit ita oculis corporeis cerni, ſicut naturalis generatio.

Verſ. 8. *Ventus, quo vult, flat, & vocem ejus audis, ſed neſcis, unde veniat, & quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.*] Non debere Nicodemum mirari, quod Spiritualis generatio non ſit ſubjecta arbitrio oculorum, probat exemplo venti, qui etiam oculis non videtur, nec ſciri poteſt, unde oriatur, & ubi deſinat, neque tamen ullus homo de eo dubitat. Sumit autem exemplum à vento, quia de Spiritu cæperat loqui. Græcum enim vocabulum πνεῦμα utrumque ſignificat, & Ventum, & Spiritum: ut Gen. 1. 2. VIII. 1 & alibi. Tribuit autem hic Chriſtus vento voluntatem, (*Ventus, quo vult, flat,*) per proſopopœjam, quaſi ventus perſona aliqua eſſet, quæ pro ſuo arbitrio flet. Ita Paulus quoque ſæpe Legem, peccatum, & mortem introducit tanquam perſonas, Rom. 3. 19. v. 12, 14, 17. VII. 1, 8, 11.

Quo vult.] Id eſt, modo huc, modo illuc.

Et vocem ejus audis.] Id eſt ejus ſonum. Vox rurſus figurate vento tribuitur.

Sed neſcis, unde veniat.] Poteſt quidem ſentiri, à qua parte veniat ventus, an ab Oriente, an ab Occidente &c. Sed unde proprie ſit origo ejus, an ſit vapor ex terra ſeu exhalatio, an vero naturalis aëris commotio, id hominibus eſt incognitum. Imo in uno eodemque loco ſunt tam multi & varii venti, ut origo eorum nullo modo ad terram referri queat. Itaque adhuc in quæſtione manet, unde veniat ventus.

Et quo vadat.] Id eſt, ubi definat flare. Tam terminus ejus ad quem pertingit, quam terminus à quo venit eſt homini inviſibilis ac incomprehenſibilis. Ita Salomon quoque ait in ſuo Eccleſiaſte: *Quomodo ignoras, quæ ſit via Spiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: Sic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium*, Eccleſ. 11. 5.

Sic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.] Id eſt, perinde ſe habet etiam regeneratio. Cernitur quidem mirabilis operatio hominis regeniti, quod non amplius vivat eo modo, quo homines carnales ſolent, ſed quod vita ejus ſit ſpiritualis, divina & ſancta; ſed quomodo is talis factus ſit, ignoratur. Neque etiam finis, ad quem tendit homo renatus cernitur: nam is non eſt in præſenti ſeculo, ſed in futuro. *Finis ejus eſt vita æterna*, Rom. 6. 22. *Vita ejus cum Chriſto abſcondita eſt in Deo*, Col. 3. 3. *Ejus Reſpublica in cœlis eſt*, Phil. 3. 20. Falluntur admodum, qui hoc venti exemplum, quod hic Chriſtus affert, ita ad regenerationem trahunt, ut ſtatuant, Spiritum Sanctum pro ſuo beneplacito, abſque ullo alio reſpectu, aliquos homines regenerare, aliquos autem & quidem pleroſque relinquere non renatos. Primum enim, ut monuimus, vento nonniſi figurate voluntas tribuitur. Non enim ille revera flat prout vult, perinde ut homo aliquid pro ſuo arbitrio facere poteſt vel omittere: ſed flat neceſſario, prout à ſua cauſa impellitur. Deinde Spiritus Sanctus etiam ipſe proprie loquendo voluntatem non habet æque ac ventus; cum perſona non ſit, ſed virtus Dei. Et operationes, quæ Spiritui Sancto in Sacra Scriptura adſcribuntur, ſunt proprie Dei ipſius operationes, quos ille per Spiritum ſuum perficit; Spiritui Sancto autem figurate tribuuntur: ut alibi explicavimus. Deum vero ex beneplacito ſuo, abſque alio omni reſpectu, aliquos homines relinquere non renatos, id veritati maxime repugnat. Culpa enim ejus rei, quod tam pauci hominum regenerentur, non eſt in Deo, qui *vult, ut omnes homines ſerventur*, 1 Tim. 2. ℣. 3, eoque fine generale medium converſionis ac regenerationis omnibus proponit; ſed in hominibus, qui quia injuſtitiam magis amant, quam veritatem, ad regenerationem ejuſmodi & novam vitam inepti ſunt.

Verſ. 9. *Reſpondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?*] Nondum capere poteſt Nicodemus, quomodo ſe habeat hæc ſpiritualis generatio. Quod non debet nobis adeo mirum videri, neque ſtupiditas mentis ei (ut à multis fit) tribuenda eſt, quam diu in eo ſtatu perſeverat, ut à Chriſto informari velit. Quam pauci admodum etiam hodie ſunt inter Chriſtianos, qui bene intelligant quid ſit regeneratio, quique non gravioribus longe ſcateant erroribus, quam Nicodemus unquam; cum is non crediderit, non eſſe neceſſarium Legem Dei ſervare, prout hodie credunt illi, qui putant, poſſe aliquem eſſe renatum, & tamen habitu ac conſuetudine peccandi conſtrictum teneri. Vide hac de re ad Rom. 7.

Verſ. 10. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Reprehendit eum Chriſtus ob ignorantiam, quod tantus Doctor, & unus è præcipuis Legiſperitis ea ignoret, quæ quivis etiam idiota, qui modo in Sacris Literis verſatus ſit, ſcire poteſt. Nam & in Veteri Teſtamento extant loca de renovatione mentis ſeu ſpirituali generatione agentia, eamque prædicentia. Nobilis eſt locus ille apud Jeremiam: *Ecce dies venient, dicit Dominus, cum perficiam cum domo Iſraëlis, & cum domo Juda fœdus novum* &c. *Hoc eſt fœdus, quod faciam cum domo Iſraëlis poſt dies illos, dicit Dominus: Indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribam*, Jer. 31. verſ. 31, 33. Et apud Ezechiëlem: *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, eaque faciatis*, Ezech. 36. 26, 27. Nicodemus debuiſſet cogitare, ſi Deus Adamo primo homini potuit ſpiritum vitalem inſpirare, & naturalem vitam ei donare, nihil cauſæ eſſe, cur nequeat idem etiam meliori ſpiritu hominem afflare, eumque ad ſpiritualem vitam perducere. Loca allegata Prophetarum clara quidem ſunt;

ſunt; etiam hæc de nova creatione conſideratio non adeo ardua eſt: & tamen Phariſaica ſapientia, quæ omnem ſanctimoniam in externa aqua & ablutione ponebat, obſtitit huic homini erudito, quominus cogitationes eo uſque attolleret.

Verſ. 11. *Amen amen dico tibi, quia quòd ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.*] Nonnulli putant, hanc fuiſſe proverbialem locutionem, quæ adhibebatur ad rem, quæ plane certa erat, affirmandam. Erant in Judæis præcipue duo vitia, reprehenſione digna: primum erat ſumma in rebus divinis inſcitia, carnaliſque ſenſus, juxta quem Sacras Literas interpretabantur. Alterum vitium erat eorum ingens obſtinatio atque incredulitas, ut nullis etiam maximis ſignis ſe permoveri atque inflecti ſinerent. Prius vitium Chriſtus ſuperius in Nicodemo redarguit: alterum redarguit hoc loco; oſtendens, ſe non de incertis rebus teſtari, ſed de iis, quæ bene comperta haberet, & tamen ſe fidem apud eos non invenire.

Et quod vidimus, teſtamur.] Verbum *vidimus* hic non proprie ſumitur, ſed ſignificat certo & infallibiliter ſcimus, perinde atque ſi oculis intueamur. Loquitur autem de voluntate Patris ſui cœleſtis de regeneratione & pœnitentia hominum; quæ voluntas Chriſto perfectiſſime cognita fuit. Vide ſupra cap. 1. verſ. 18. Quod Chriſtus hic de ſe in plurali tanquam de multis loquitur, id argumento eſt, quam ex illo loco Gen. 1. 26, *Faciamus hominem*, fragile admodum nectatur argumentum, ad probandum, in uno Deo plures eſſe perſonas: niſi quis dicere velit, etiam in uno Chriſto plures eſſe perſonas. Quod enim nonnulli Interpretes autumant, Chriſtum hic non de ſe ſolo loqui, ſed de ſe & Johanne Baptiſta ſimul, ejus non tantum nullum oſtendi poteſt indicium, ſed etiam id ſequenti ſermone refellitur, qui ad Johannem Baptiſtam trahi & accommodari nequit.

Et teſtimonium noſtrum non accipitis.] Vos Phariſæi, Legiſperiti, aliique veſtri populares, auditis quidem teſtimonium meum auribus veſtris, aſpicitis etiam oculis miracula, quæ à me fiunt, animi quoque nonnullorum moventur, ſed tamen iſta omnia non agunt in vobis radices, ut ea divina eſſe agnoſcatis.

Verſ. 12. *Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?*] Senſus eſt: ſi cum terrena vobis dicerem, non credidiſtis. Pergit Chriſtus in redarguenda Nicodemi ignorantia, utiturque argumento à minori ad majus. Cum enim terrena in oculos incurrant, cœleſtia autem ab omni ſenſu & intellectu remota ſint, utique deberent intellectu faciliora eſſe terrena cœleſtibus. Hoc ergo vult Chriſtus dicere: Si hanc rem de regeneratione non intelligitis, quam vobis ſimilitudine ſumpta à rebus terrenis, quæ ſemper ob oculos veſtros verſantur, nimirum à carnali generatione, ac vento, illuſtravi; quomodo eam intelligeretis, ſi nude & abſque figuris ac ſimilitudinibus naturam ejus vobis exponerem? Verbum *credere* hoc loco ſignificat, intelligere, vel cum intellectu credere, ut ſupra cap. 2. 22.

Quomodo credetis.] Id eſt, non credetis, vel intelligetis.

Verſ. 13. *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui erat in cœlo.* Probat Chriſtus, ſe eum eſſe, qui poſſit cœleſtia loqui & hominibus annunciare. *In cœlum aſcendere* hoc loco ſignificat arcana atque myſteria cœleſtia ſcrutari ac noſſe. Ut Agur in Proverbiis de ſe ait: *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia humana non eſt in me. Neque didici ſapientiam; an ergo ſcientiam ſanctorum noſſem? Quis aſcendit in cœlum, & deſcendit?* Proverb. 30. 2,3,4. Quibus verbis Agur ſuam inſcitiam agnoſcit, indicatque, divinam ſapientiam (quam Ithiël & Uchal ab eo diſcere cupiebant) homines latere. Ideo dicit: *Quis aſcendit in cœlum?* id eſt, nullus hominum poteſt in cœlum aſcendere, ut ibi divinam ediſcat ſapientiam, & poſtea inde redire atque deſcendere, ut eam homines doceat. Quæ phraſis inde nata eſt, quia myſteria divina à noſtro intellectu admodum remota ſunt, ideoque inveſtigari nequeunt. Nihil autem magis à terra & à nobis hominibus diſtat, quam cœlum. Hinc inquit Deus apud Eſaiam: *Sicut exaltantur cœli a terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris*, Eſai. 55. 9. Ita de iis rebus, quæ nobis proxima, comprehenſu facilia, notaque ſunt, dicitur, eas non eſſe in cœlo, ut eo aſcendendum ſit, indeque afferendæ ſint. Ut Paulus ſcribit ad Romanos: *Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cœlum? hoc eſt Chriſtum inde deducere*, &c. *Sed prope te verbum eſt, in ore tuo, & in corde tuo*, Rom. 10. 6,8. Quæ verba mutuata ſunt è Deut. 30. 11, 12, ubi Moſes idem de Lege dicit. Ferme eodem ſenſu etiam loquitur Aſaphus, cum non poſſet capere, cur impii feliciores ut plurimum ſint in mundo, quam pii, *donec intravi*, inquit, *in ſanctuarium Dei & animadverti finem eorum*, Pſal. 73. 17. Ubi *intrare in ſanctuarium*, eadem ſignificatione dicitur, qua in præcedenti loco, *in cœlum aſcendere*. Hoc modo non pauci Interpretum celeberrimorum hæc verba exponunt, ut Camero, Muſculus, Maldonatus.

Niſi qui deſcendit de cœlo.] Verba hæc duplicem admittunt ſenſum, figurate & proprie. Figurate dicitur in Scriptura, id de cœlo deſcendiſſe, quod humanas vires ſupergreditur, aut quod homines ipſi efficere nequeunt, ſed à Deo proficiſcitur. Sic Johannis baptiſmus dicitur de cœlo eſſe Matth. 21. 25, id eſt, à Deo & non ab hominibus inſtitutus. Ita Chriſtus ait eſſe *panem illum, qui de cœlo deſcendit*, Joh. 6. 58. Similes locutiones ſunt illæ: *Omne datum bonum & omne donum perfectum eſt ſuperne deſcendens à Patre luminum*, Jac. 1. 7. *Non eſt hæc ſapientia ſuperne deſcendens*, Jac. 3. 15,17. *Secundus homo, Dominus eſt de cœlo*, 1 Cor. 15. 47, ubi Apoſtolus mox addit: *Qualis eſt cœleſtis, tales erunt & cœleſtes*, id eſt, ex cœlo, verſ. 48. *Nova Hieroſolyma, quæ deſcendit de cœlo*, Apoc. 3. 12. *Vidi novam Hieroſolymam, à Deo de cœlo deſcendentem*, Apoc. 21. 2,20. Ita ut ſenſus hujus verſiculi ab initio ſit: Nemo ſcit atque intelligit cœleſtia, præter eum, quem Deus dedit hominibus Doctorem ac Magiſtrum, ideoque eum perfectiſſima cognitione rerum cœleſtium implevit. Si autem proprie intelligenda ſint verba Chriſti, quod ſcilicet eſſentialiter Chriſtus de cœlo deſcenderit, ſenſus erit: Nemo novit res cœleſtes, niſi is qui in ipſo cœlo fuit, ubi divinam ſapientiam a Deo edidicit, atque de cœlo rurſus in terram rediit.

Filius hominis, qui in cœlo erat.] Declarat, quis ſit ille, qui de cœlo deſcendit, ac cœleſtia myſteria ſecum attulit: nempe eum eſſe Filium hominis. Quocunque igitur ſenſu præcedentia verba accipiantur, indicat Chriſtus Nicodemo, ſe vere eſſe Magiſtrum illum qui a Deo venit, ut ipſe ſupra verſ. 2 Chriſtum vocaverat. Non eſt autem ulla ratione incredibile, Chriſtum poſtquam verus homo natus eſt, in cœlo apud Deum ipſum perſonaliter fuiſſe, & tum in iis rebus, quas his in terris Dei nomine ad ſalutem humani generis peragere debuit, a Deo in cœlis informatum fuiſſe, tum etiam ſummam gloriam, quæ ipſi præmii loco pro obedientia ejus conſtituta fuit, coram ſpectaſſe. Imo facit id ad majorem gloriam hujus magni Legati, tanquam unigeniti Filii Dei; quod divina mandata non per ſomnium aut viſionem, vel per Angelorum annunciationem, ut alii Prophetæ, qui cum Chriſto comparati nihil niſi ſervi erant, ſed ex ore ipſius Dei acceperit. Moſes accepit Legem in monte Sinaitico, in loco ab hominibus remoto & excelſo. Summa majeſtas Filii Dei requiſivit omnino, ut hac in parte modo omnium excellentiſſimo ſupra Moſen extolleretur, quanto ipſe Moſe eſt præſtantior, & doctrina ejus perfectior ac ſublimior eſt, doctrinâ Moſis, id eſt, ut in ipſum cœlum uſque aſſumeretur, ibique mandatis a Deo inſtrueretur. Quapropter ſenſus poſterior præcedentium verborum priore eſt potior, quod nimirum Chriſtus proprie ac perſonaliter de cœlo deſcenderit. Neque hanc rem dubiam reddit ullo modo, quod tempus, quo Chriſtus in cœlo fuerit, præcise expreſſum non ſit. Sufficit, Chriſtum id de ſe affirmare, & Euangeliſtam idem teſtari ſupra cap. 1. 2. Poteſtque non abſurde dici, id factum eſſe poſt baptiſmum ab eo ſuſceptum, & poſtquam Spiritu Sancto unctus eſſet, ante tamen quam munus ſuum auſpicaretur: cum nimirum per dies 40 jejunavit in deſerto. Quemadmodum enim Moſes totidem diebus abſque cibo ac potu in monte Sinai a Deo conſervatus eſt, antequam ipſi Legem traderet: ita etiam credibile eſt, Dominum Jeſum vere cœleſti cibo, Dei ſcilicet converſatione atque conſpectu, refectum fuiſſe per illos 40 dies & noctes, ita ut toto illo tempore, nullo naturali alimento indigeret, vel ex ejus defectu moleſtiam ullam ſentiret. Et hæc conjectura, multo eſt probabilior quam eorum ſententia, qui deſcenſum Chriſti de cœlo ita explicant, quod ſecunda perſona Trinitatis, id eſt, ipſe Deus Altiſſimus de cœlo deſcenderit, & humanam naturam aſſumſerit. Nam (ut taceam alias abſurditates plurimas, quas hæc ſententia ſecum trahit, de quibus actum eſt alibi) non convenit etiam verbis Chriſti, qui expreſſe dicit, *Filium hominis* eſſe eum, qui de cœlo deſcendit. Secunda autem perſona Trinitatis non eſt Filius hominis, ſed ille homo Jeſus Chriſtus, qui certo tempore ex Maria Virgine genitus eſt. Neque eſt, quod quis objiciat, hominem mortalem, qualis tunc Chriſtus fuit, non potuiſſe videre Deum, cum ipſe Deus ad Moſen dixerit: *Non poteſt me videre homo & vivere*, Exod. 33. 20. Hoc enim intelligendum eſt de homine ita ut in ſe & natura ſua eſt, conſiderato. Deo autem impoſſibile non eſt, tantas vires homini concedere, vel naturam ejus ad tempus ita immutare, aut a corruptione præſervare, ut Dei præſentiam ac majeſtatem ferre poſſit: quemadmodum legimus, Chriſtum in monte fuiſſe tranſfiguratum, & terrenam ejus formam in cœleſtem fuiſſe converſam Matth. 17. 2.

Obſervandum autem eſt, Græcum participium ὤν tam *erat*, quam *eſt* verti poſſe: ut vel ſic reddi poſſint verba, *Qui in cœlo erat*; vel ſic, *Qui eſt in cœlo.* Sed non *eſt*, verum *erat*, vertendum hoc loco eſſe, ex eo evincitur, quod Chriſtus de ſe tanquam de hominis Filio loquatur. Chriſtus autem tunc cum iſtud loqueretur, in terris & non in cœlo fuit; idcirco dicere non potuit, *Qui eſt in cœlo.* Nulla enim humana perſona poteſt uno eodemque tempore in terra & in cœlo eſſe. Atque hæc verſio confirmatur eo, quod ipſe Chriſtus dixit Joh. 6. 62. *Si videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius.* Ubi in Græco eſt ἦν, quod vocabulum aliter reddi non poteſt, quam *erat*. Quin & Euangeliſta cap. 1. 1, 2 dicit: *Sermo erat apud Deum.* Si quis nihilominus malit vocabulum ὤν vertere *eſt*, tum ſenſus eſſe poteſt verborum Chriſti talis, quali Paulus de fidelibus dixit, quod ipſorum πολίτευμα, id eſt, converſatio in cœlis ſit, Phil. 3. 20. vel quod in cœlis collocati ſint una cum Chriſto Jeſu Epheſ. 2. 6. Quod multo magis de Chriſto dici potuit, qui per Spiritum Sanctum, qui in ipſo habitabat, ſemper liberum habebat acceſſum ad intimos myſteriorum divinorum theſauros. Nonnulli Interpretes hæc verba, *Qui in cœlo eſt*, ita accipiunt, quaſi dictum eſſet, Qui in cœlis erit: præſens pro futuro: quæ locutio ſæpiſſime in Sacris Literis occurrit. Sed non video, quid id hic ad rem faciat, ut Chriſtus de ſua futura aſcenſione in cœlum loqueretur; at hoc faciebat ad rem, ut diceret, ſe in cœlo fuiſſe, ibique divina myſteria didiciſſe. Præterea præſens pro futuro tunc accipi ſolet plerumque, quando res de qua agitur, mox ac brevi futura eſt. Chriſtus autem verba hæc locutus eſt in ipſis ferme muneris ſui Prophetici primordiis: itaque veriſimile non eſt, eum de eo, quod poſt aliquot annos & poſt peractam demum muneris ſui functionem fieri debebat, tunc temporis locutum eſſe.

Ex dictis perſpicuum eſt, quam vanum ſit iſtud ſupremæ Deitatis Chriſti argumentum, quo ex iſtis verbis, Qui eſt in cœlo, concludi hodie ſolet, Chriſtum ſimul in cœlo atque in terra fuiſſe, quod nonniſi de Deo ſupremo dici queat. Cumque Chriſtus expreſſe de Filio hominis loquatur, verba Chriſti ita explicantur, quod Filius hominis, quatenus etiam divinam naturam, quæ eſt ubique, habet ſecum unitam, tunc in cœlo fuerit. Nihil nunc dicam de eo, quod in hac explicatione pro conceſſo ſumatur, quod omnino prius probandum erat, nempe talem unionem divinæ naturæ cum humana natura Chriſti factam eſſe. Dato jam non conceſſo, unionem iſtam factam eſſe, ſequetur, humanam naturam ſimul quoque in cœlo & in terra fuiſſe. Ubi enim cunque divina natura fuit, ibi etiam naturam humanam fuiſſe neceſſe eſt, ſi hæc cum illa indivulſo nexu (ut iſti volunt) fuit conjuncta: aut dicendum foret, divinam naturam Chriſti tantum in terris, & non in cœlo, cum humanitate ſuiſſe unitam; quod quomodo intelligi aut concipi debeat, ne Angelus quidem ullus in cœlis divinaverit, niſi dicatur, partem aliquam divinæ

eſſentiæ

eſſentiæ hic in terris cum humana Chriſti natura unitam fuiſſe, reliquam autem eſſentiæ divinæ partem, quæ in cœlis fuit, non unitam manſiſſe. Hac ratione autem Chriſtus non ſecunda perſona Trinitatis, quæ (ut illorum opinio fert) totam divinam eſſentiam habet, ſed pars tantum ejus foret, quæ ſe cum humana natura univerit. Bone Deus, quo non homines adducit amor præconceptæ opinionis, ut malint abſurdiſſima quæque ſtatuere, quam manifeſtæ veritati cedere!

Verſ. 14. *Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.*] In verſu præcedenti Chriſtus innuit, ſe ſcire atque intelligere cœleſtia, inter quæ etiam eſt regeneratio hominis; cum ipſe in cœlo fuerit, omniaque myſteria divina didicerit: ex quo ſequitur, Chriſti doctrinæ omnino credendum eſſe; ſiquidem ex ea intelligi queat, non ſolum quid ſit regeneratio, ſed etiam unde oriatur, quomodo perficiatur, ac peragantur, ad quem denique finem tendat: id quod extra doctrinam Chriſti multo minus intelligi poteſt, quam naturalis generatio, aut venti flatus. Hic jam explicat Chriſtus porro, quomodo Deus hanc regenerationem in hominibus effecturus ſit, nempe non ſolum per prædicationem doctrinæ Chriſti, ſed etiam ita, ut Chriſtus ipſe doctrinam ſuam morte ſua confirmaturus, atque in reſurrectione ſua vivum exemplar regenerationis exhibiturus ſit. Hic enim eſt ultimus regenerationis finis ac ſcopus, (ut ſupra indicatum) reſuſcitatio ex mortuis, per quam homines ad novam ac immortalem vitam regenerabuntur. Hiſtoria de exaltatione ænei ſerpentis deſcripta eſt Num. 21. 8, 9. Cum enim populus adverſus Deum & Moſen murmuraret, ob defectum panis ac potus in deſerto, immiſit ei Deus ſerpentes igneos, (id eſt, qui morſu ſuo totum corpus inflammabant) quorum è morſu plurimi moriebantur. Verum ubi agnitis peccatis ſuis coram Moſe populus ad frugem rediit, mandavit Deus Moſi, ut æneum conficeret ſerpentem, cujus aſpectu omnes à ſerpentibus icti ſanabantur. Jam non eſt ullum dubium, quin Chriſtus hic, ut & infra cap. 8. 28, & 12. 32, 34, verbo *exaltandi* ad exaltationem ſuam in crucem reſpexerit, quæ per illam ænei ſerpentis exaltationem fuit figurata. In Hebræo textu Deus inquit ad Moſen: *Fac tibi preſterem* (id eſt, ignitum ſerpentem, ſeu æneum ſerpentem, qui ſimilitudinem gerat ſerpentis igniti) *& impone eum perticæ.* Hebraica autem vox, quæ Latine pertica redditur, ait Rabbi Judæorum Salomon, denotat idem quod patibulum, furcam, ac crucem. Vide Grotium.

Exaltavit Serpentem.] Id eſt, imaginem ſerpentis, ex ære factam, quæ colore vivum ſerpentem referebat. Hæc ſerpentis imago fuit figura Chriſti. Serpens enim ipſe vivus erat venenatum animal, imago vero ejus habuit in ſe virtutem morſos ſanandi. Ita Chriſtus quoque, qui purus ab omni veneno peccati fuit, in cruce pependit, ſpeciem referens hominis peccatoris, vel ut Paulus loquitur *in ſimilitudine carnis peccati*, Rom. 8. 3, ſervavitque eos, qui à peccato, tanquam ignito ſerpente, lethaliter morſi læſique erant. Imago & effigies ſerpentis erat ſimilis ſerpenti: Chriſtus quoque in cruce ſimilis erat facinoroſo, juxta prophetiam Eſaiæ: *Inter maleficos numeratus eſt,* Eſai. 53. 9. Marc. 15. 28. Luc. 22. 37. Serpens afferebat mortem, effigies ſerpentis ſalutare remedium: Ita per unum hominem venit condemnatio, & per unum hominem juſtificatio, Rom. 5. 18. Per unum hominem venit mors, & per unum hominem reſurrectio mortuorum 1 Cor. 15. 21. Notandum hic eſt, vim ſanandi non fuiſſe in æneo ſerpente, ſed aſpectum ænei ſerpentis fuiſſe conditionem ac medium obtinendæ ſanitatis, vim autem ſanationis à ſola gratia Dei fuiſſe. Quod egregie expreſſit Auctor libri ſapientiæ cap. 16. 5, 6, 7, 8. *Supervenit illis ſæva beſtiarum ira, morſibuſque tortuoſorum colubrorum peſſundati ſunt. Sed non ad extremum uſque manſit ira tua, ſed ut admonerentur, ad breve tempus turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis recordationem mandati Legis tuæ. Nam qui ſe ad illud convertebat, non per hoc quod videbat, ſanabatur, ſed per te ſervatorem omnium. Atque hoc pacto oſtendiſti hoſtibus noſtris, te eſſe, qui liberas ab omni malo.* Ita quod mors Chriſti vim habeat peccata noſtra expiandi apud Deum per fidem (quæ reſpondet aſpectui ſerpentis ænei) id totum divinæ gratiæ eſt imputandum. Mors enim Chriſti ipſa per ſe, & abſque gratia ac miſericordia Dei, vim iſtam non habuit, ut Deo plenaria ſolutione pro peccatis totius mundi ſatisfaceret, adeoque homines à lethali morſu peccatorum ſervaret. Quod cum hodie Chriſtiani factum eſſe credant, commenti ſunt, Chriſtum debuiſſe eſſe ipſum Deum ſummum, ut hac ratione, quia non merus homo, ſed Deus ipſe in humana natura mortuus eſt, perfecta ſolutio pro peccatis noſtris fieret.

In deſerto.] Deſertum ſub Veteri Fœdere fuit figura mundi, qualis fuit Chriſti tempore, vacuus ſcilicet & inops omnis virtutis ac pietatis, plenuſque venenatis ſerpentibus variorum ſcandalorum ac peccatorum.

Ita.] Id eſt, ſimili cum efficacia ac virtute: ut patet ex verſu ſequenti.

Oportet.] Ex Dei gratioſa ordinatione, qui hoc ſalutare remedium homines à morte ſervandi inſtituit: ut Chriſtus ipſe v. 16 indicat. Vide etiam Matth. 26. 54. Marc. 8. 31. Luc. 9. 22. XVII. 25. XXIV. 7, 26. Joh. 12. 34.

Exaltari.] Id eſt, in crucem tolli.

Filium hominis.] Hominem quidem, ſed innocentem.

Verſ. 15. *Ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*] Hic Chriſtus exprimit conditionem, quæ decreto Dei de redemptione per mortem Chriſti annexa eſt, nempe fidem in Chriſtum. Quæ fides in eo conſiſtit, ut ex animo credatur, cum à Deo miſſum eſſe, atque adeo doctrinam ejus eſſe verum Dei verbum. Cum vero doctrina Chriſti hoc quoque urgeat, ut peccati conſuetudo deponatur, ſanctèque & pie vita tranſigatur, (in qua ſanctitate regeneratio ſita eſt) manifeſtum eſt, ſanctitatem ac pietatem in fide in Chriſtum ſimul includi. Qui enim pie non vivit, indicat, ſe id neceſſarium non putare, adeoque non credere, id à Chriſto in doctrina ejus præceptum eſſe. Quicquid enim ille præcepit, id factu neceſſarium eſt, ſi quis ſervari velit. Præterea hic advertendum eſt, fideles frui tamdiu hoc mortis Chriſti fructu, quamdiu in fide vera perſeverant.

ſeverant. Nam ſi ab ea deſciſcant, horrendum judicium & ſempiternam damnationem expectare debent, Hebr. 6. 4 & ſeqq. Inſuper notandum, Deum in hunc finem miſiſſe Filium ſuum (etiam abſque conſideratione mortis ejus) ut homines in eum credant. Idcirco etiam doctrinam Chriſti tot ſignis ac miraculis, quæ per eum operatus eſt, confirmavit. Sed per mortem Chriſti fides iſta inſigniter & magis quam per ulla miracula confirmatur; præſertim quando cum ea mox ſubſecuta reſurrectio ejus conjungitur.

Non pereat, ſed habeat vitam æternam.] Vis mortis Chriſti eſt homines à morte atque interitu æterno ſervare: medium, quod tanquam conditio requiritur, eſt fides. Reſpicit autem his verbis Chriſtus ad illud ſuum ſuperius dictum v. 3. *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei*, id eſt, non poteſt ab interitu ſervari, & vitam æternam adipiſci. Sicut ergo fides in Chriſtum, qui de cœlo deſcendit, indeque cœleſtem attulit ſapientiam, eſt medium conſequendæ regenerationis: ita eadem etiam medium eſt obtinendæ vitæ æternæ. Cujus obtinendæ modum ac rationem Nicodemus à Chriſto reſcire volebat.

Verſ. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*] Potuiſſet mirari Nicodemus, Chriſtum dixiſſe, quod ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita etiam oporteat exaltari in crucem Filium hominis: ideo innuit hoc loco, id mirum non eſſe; cum Deus id ea ratione ordinarit, & quidem ex mera charitate erga humanum genus. Itaque prima cauſa atque origo noſtræ regenerationis ac porro ſalutis eſt Deus. Non enim dicit Chriſtus, Filium hominis oportere ideo exaltari, quia Phariſæi ac Scribæ tanto adverſus eum flagrant odio, ut quieturi non ſint, donec eum Romanis crucifigendum tradant; ſed ait, Deum dediſſe eum, nempe in mortem. Hinc cum Pilatus ad Chriſtum diceret: *Non loqueris mecum? an neſcis, quod poteſtatem habeam crucifigendi te, & abſolvendi? reſpondit ei Jeſus: Non haberes poteſtatem ullam in me, niſi tibi datum eſſet deſuper*, Joh. 19. 10, 11. Cauſa impulſiva autem, quæ Deum movit ad filium ſuum in mortem dandum, eſt amor ejus erga homines. Hæc eſt radix ac fons, ex quo divinum hoc decretum profectum eſt. Quod etiam Paulus teſtatur, cum ait: *Commendat Deus ſuam erga nos charitatem, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, Rom. 5. 8. *Deus dives exiſtens in miſericordia, propter ſummam charitatem ſuam, qua dilexit nos etiam nos qui mortui eramus in peccatis, vivificavit cum Chriſto*, Epheſ. 2. 4, 5. Et Johannes inquit: *In hoc apparuit charitas Dei erga nos, quoniam Filium ſuum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In eo eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*, 1 Joh. 4. 9, 10. Quod autem non vulgaris, ſed immenſa charitas Deum ad id impulerit, id ferme ſingula verba Chriſti arguunt. Primum enim ait: *Ita Deus dilexit mundum.* Ubi vocula *ita* non ſimpliciter ſignificat, quid dilectio Dei bono noſtro operata ſit, ſed, quam magna & immenſa iſta ejus dilectio fuerit: quaſi dicat. Tam impenſe atque effuſe Deus mundum dilexit. Quam dilectionem Dei Paulus graphice expreſſit, dum nominat *ſummam charitatem, & abundantes divitias gratiæ ejus*, Epheſ. 2. 4, 7. Secundo dicit, Deum dilexiſſe *mundum*, id eſt homines, qui viles, miſeræ & graviſſimis peccatis onuſtæ creaturæ, ideoque inimici ejus erant, Rom. 5. 8, 10. Tertio *mundum* Deus dilexit, id eſt, non tantum Judaicum populum, cum quo Fœdus pepigerat, ſed totum genus humanum, quod damnationi æternæ propter peccata ſua erat obnoxium. Vide Epheſ. 2. 1 & ſeqq. 1 Timoth. 2. 4. Rom. 11. 32. Quarto dicit, eum dediſſe *Filium ſuum*, & quidem non vulgarem aliquem, quorum multos habet, ſed *unigenitum*, id eſt, omnium dilectiſſimum ipſique conjunctiſſimum. Paulus ait, Deum dediſſe *proprium* Filium ſuum, id eſt, qui præ aliis omnibus filiis modo eminentiſſimo nomen hoc gerit, Rom. 8. verſ. 32. Quinto non ſimpliciter Deus dedit Filium ſuum, ſed ut tanquam ſerpens in deſerto exaltaretur, id eſt, cruci affigeretur. Hoc enim ſibi probandum ſumſit his verbis. Itaque verbum δίδωμι, *do*, idem hic ſignificat, quod παραδίδωμι, *trado*, nempe in manus peccatorum, ut ſuam in eo libidinem expleant. Hoc modo verbum hoc uſurpatur, Matth. 20. 18. Marc. 10. 33. Luc. 18. 32. Rom. 8. 32. Totum vero id, quod de charitate Dei ſumma hic Chriſtus differit, nequaquam convenit cum eo, quod hodie à Chriſtianis creditur credique jubetur, iram Dei immenſam fuiſſe cauſam mortis Chriſti, quæ non potuerit ſedari neque placari aliter, quam ſanguine innocentis Filii ejus.

Filium ſuum unigenitum.] Hic videtur Chriſtus alluſiſſe ad illam Abrahami hiſtoriam, qui Iſaacum filium ſuum unigenitum, quem unice diligebat, obtulit, Gen. 21. 12. Qua in re Iſaacus fuit typus ac figura Chriſti. Ex eo autem, quod Chriſtus unigenitus Dei Filius dicatur, tantum abeſt, ut probari poſſit, eum eſſe ipſum Deum ſummum, ut id potius contra, eum non eſſe arguat. Unigenitus enim Filius Dei Altiſſimi, non poteſt eſſe ipſe Deus Altiſſimus, quia alioqui ſui ipſius Filius eſſet. Quod vero illi objectant, Deum nihil ſingulare hominibus præſtiturum fuiſſe, ſi eis merum hominem tantum dediſſet: contra dici poteſt, Deum nihil prorſus præſtiturum fuiſſe, ſi id dediſſet, quod dare non poterat, nempe ſeipſum. Deus enim Filium ſuum in mortem dedit. At ſi Filius Dei Deus ipſe eſt, ſequetur, eum dediſſe ſeipſum in mortem; quod fieri non potuit, cum immortalis Deus mori nequeat. Hi quoque non intelligunt, quam arcto amore Deus omnes filios, qui ipſum amant, eique obediunt, complectatur. Cum ergo Chriſtus in amore Dei & obedientia omnes Dei Filios, qui unquam fuerunt, longe anteceſſerit, ſequitur utique, eum etiam Deo dilectiſſimum fuiſſe, Deumque adeo rem magnam & humana mente incomprehenſibilem præſtitiſſe, dum hunc obedientiſſimum atque innocentiſſimum Filium ſuum pro nobis in mortem dedit. Qui hanc rem parvi æſtimat, is proferat nobis aliquid majus & ſublimius, ſed non ex ſuo cerebro, verum ex Sacra Scriptura.

Ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.] Hic eſt finis principalis, ob quem Deus Filium ſuum in mortem dedit: nempe ineffabile

bile bonum vitæ æternæ, quod omnes, qui in ipſum credunt, conſequentur. Explicationem horum verborum vide verſu præcedenti. Hic quoque videmus graviter hallucinari eos, qui ſtatuunt, Chriſtum pro illis ſolis, qui ab æterno electi ſunt à Deo, & non pro omnibus hominibus mortuum eſſe. Charitas enim Dei complectitur mundum univerſum, id eſt, omnes homines, ita quidem, ut etiam fidem antecedat. Deus dilexit mundum, atque ex hac dilectione tradidit unigenitum Filium ſuum in mortem. Cui in bonum? Ei certe, quem dilexit, nempe mundo. Alioqui Chriſtus dixiſſet potius: Sic Deus dilexit eos, quos ab æterno elegit &c.

Verſ. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum, in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſervetur mundus per ipſum.* Declarat ulterius ſummam Dei dilectionem, & finem miſſionis Chriſti. Nimirum Deus ſæpenumero in Sacris Literis Veteris Teſtamenti deſcribitur tanquam vindex ac ultor omnis impietatis, tanquam Deus Zelotes, qui viſitat iniquitates Exod. 20. 9. XXXIV. 7. Eſai. 13. 9. Jerem. 2. 8. Oſ. 5. 10. VIII. 5. Nahum. 1. 2. Cum igitur homines ſuorum peccatorum ſibi eſſent conſcii, poterant cogitare, Deum miſiſſe Filium ſuum, ut ipſos judicaret & ad ſupplicium traheret. Sed Chriſtus negat Deum hoc fine Filium ſuum miſiſſe. *Judicare* hoc loco idem ſignificat, quod damnare, punire, & ſupplicia extendere: ut etiam 1 Cor. 11. 32. Hebr. 13 4.

Sed ut ſervetur mundus per ipſum.] Id eſt, ut ab æterna morte ereptus conſequatur vitam ſempiternam.

Verſ. 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt; quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.*] Declarat & confirmat Chriſtus, quod dixerat, ſe non veniſſe in mundum, ut judicet mundum; quia venit in hunc finem, ut omnes in ipſum credant; quomodo paulo ante dixerat. Qui autem credit in eum, non judicabitur. Proinde non venit, ut judicet mundum.

Qui autem non credit, jam judicatus eſt.] Poſſet aliquis dicere, Filium Dei ſaltem eos judicaturum, qui in ipſum non credunt. Verum hoc quoque Chriſtus negat: quia jam judicati ſint.

Quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.] Cauſam affert, ob quam increduli illi jam judicati ſint, nempe quia claræ & manifeſtæ veritati, de qua unuſquiſque hominum, ſimul ac eam audierit ac perceperit, in conſcientia ſua convincitur, imo quam Filius Dei morte ſua confirmavit, credere nolint, neque fiduciam ſuam in eo collocare. Quod certe indubitatum ſignum eſt depravati animi, qui ad impietatem propenſior eſt, quam ad virtutem: ut Chriſtus ipſe ſequenti verſ. 19 & 20 declarat. Quare cum illi lucem doctrinæ Chriſti fugiant, judicemque averſentur, ipſi ſe reos peragunt meriti ſupplicii: non ſecus ac fur, qui non vult coram Judice comparere, eo ipſo prodit, ſe furti reum eſſe. Pœna autem, cujus ſe reos eſſe increduli agnoſcunt, non eſt allata à Chriſto, ut ea incredulos plectat. Nullam enim Chriſtus novam pœnam incredulis propoſuit: quia non venit judicare mundum; ſed illi pœnæ ac judicio ſubjecti ſunt, quod Deus ante Chriſti adventum adhuc tam in genere peccatoribus, quam in ſpecie etiam non credentibus in Filium ſuum interminatus eſt. Illud eſt, cum Adamo & per eum omnibus præceptorum ſuorum tranſgreſſoribus dixit: *Quo die de hac arbore* (nimirum ſcientiæ boni & mali) *comederis, morte morieris*, Gen. 2. 17. Vide etiam Rom. 5. 18. Hoc vero, cum Deus per Moſen de Chriſto dixit: *Qui verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego repoſcam ab illo*, Deut. 18. 19. Vide dicta ad Matth. 25. 32.

In nomen unigeniti Filii Dei.] Id eſt, in unigenitum Filium Dei.

Verſ. 19. *Hoc autem eſt judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim mala eorum opera.*] Exponit hic Chriſtus judicium iſtud, cujus ſe reos faciunt increduli. In ſummis tenebris ignorantiæ de vera pietate & via vitæ, illuxit clariſſima lux Chriſtus. Hic cœleſti doctrina ſua homines edocuit, quomodo animos ſuos mutare, adeoque renaſci debeant. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione ac umbra mortis, lux orta eſt*, Matth. 4. 16. Eſai. 9. 2. Verum homines non curarunt hanc lucem, imo averſati ſunt eam, maluerunt-que manere in tenebris ſuis, id eſt, priſtino more ſuo vivere.

Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.] Senſus verborum non hic eſt, quod illi quidem lucem dilexerint, tenebras autem magis, quam lucem; ſed, quod tenebras dilexerint, pro eo, quod lucem diligere debuerant; imo quod lucem potius odio habuerint. Per tenebras intelligitur ejuſmodi vivendi ratio quando homo abſque omni regula ac lege, vivit, non ſequens rationis ductum, ſed impetum ſuarum cupiditatum: perinde atque ſi quis in tenebris ambulet, & neſciat quo vadat. Ita ſumitur hæc vox infra cap. 8. 12. XII. 35. 1 Joh. 1. 6. ij. 11. Quantis autem tenebris circumfuſa fuerit hominum vita ante lucis adventum, deſcribit Paulus de Judæis Rom. 2. 17 ad 25. De Gentibus Rom. 1. 18 ad finem, Epheſ. 2. 2, 3.

Erant enim opera eorum mala.] Ideo non dilexerunt lucem, quia non tantum opera illorum præterita erant mala, ſed etiam illa, quæ egerunt, poſtquam lucem viderunt, & quo ſpectet vis ejus, intellexerunt. Alioquin enim etiam eorum, qui lucem receperunt, id eſt, in Chriſtum crediderunt, opera præterita mala, imo quorundam plane impia fuerunt; ſed protinus ubi lucem cognoverunt, vitiis valedixerunt, vitamque impiam in meliorem commutarunt. His vero adeo allubuit ipſorum priſtina vivendi in peccatis conſuetudo, ut ea relicta ſanctiorem amplecti nollent. Morbus adeo ipſis placuit, ut ſanitatem quoque faſtidirent.

Animadvertendum autem hic eſt, quod Chriſtus ait, judicium in eo eſſe, quod lux in mundum venerit, & homines eam non dilexerint. Unde merito concludi videtur, ſi lux non veniſſet in mundum, eos non futuros fuiſſe judicio obnoxios: ut Chriſtus ipſe infra cap. 15. 22, inquit: *Si non veniſſem, neque locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent peccati ſui.* Et verſ. 24, *Si opera non feciſſem inter illos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem viderunt, & oderunt*

oderunt me & Patrem meum. Verum ſciendum eſt, homines illos, qui viderunt lucem & non receperunt, duplici judicio atque damnationi eſſe obnoxios. Primum illi, quæ omnibus impiis in genere deſtinata eſt: deinde ei, quæ in ſpecie illis conſtituta eſt, qui Chriſti dictis audientes non ſunt; ut ſupra ex loco Deut. 18. 19 probavimus. A poſteriori damnatione omnes iſti immunes ſunt, ad quorum aures Chriſti doctrina non pervenit, neque ullam occaſionem eam audiendi habuerunt. Quorum in numero omnes illi fuerunt, qui vixerunt in mundo, antequam lux in mundum veniret. Itaque etiam ab ejus damnatione liberi ſunt, etſi priori, quæ ad omnes impios ſpectat, ſubjecti ſint.

Verſ. 20. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.*] Quod homines tenebras dilexerint magis quam lucem, quia opera eorum fuerunt mala, probat hic generali & nota ſententia: cujus ſenſus eſt, natura ita comparatum eſſe, ut qui malefaciunt, lucem cœleſtis doctrinæ, quæ virtutes docet, non ament. Malefacientes autem hic iterum tales ſunt intelligendi, qui vitiis ſuis delectantur, neque iis renunciare volunt, etſi meliora videant probentque. Tales ſunt omnes illi, qui habitum peccati contraxerunt, & in quibus regnant cupiditates, ratione oppreſſa.

Et non venit ad lucem.] Id eſt, horret lucem, eamque refugit, veſpertilionis aut noctuæ inſtar. Tales ſimul ac intellexerint aliquomodo, quid ſibi velit & quo ſpectet cœleſtis doctrina, abeunt, & aures ſuas obturant.

Ne arguantur opera ejus.] Hæc eſt cauſa, cur tales oderint lucem, quia nimirum nolunt, ut turpitudo vitæ eorum ipſis ob oculos ponatur. Malunt ſeipſos hac in parte non noſſe, ne ipſi coram ſe ipſis erubeſcere cogantur. Huc facit, quod ſcribit Paulus: *Quæ occulte fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. Omnia autem iſta, quando à lumine arguuntur, manifeſtantur*, Eph. 5. 12, 13.

Arguantur.] Verbum ἐλέγχειν ſignificat hic, verbis corripere, convincere iniquitatis, ob oculos ponere turpitudinem: ut & alibi ſæpe. Vide Matth. 18. 15. Luc. 3. 19. XVII. 3. Johan. 16. 8. Epheſ. 5. 11.

Verſ. 21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur ejus opera, quia in Deo ſunt facta.*] Quod præceſſit declarat per antitheſin contrarii: quaſi dicat: Qui male agunt, non veniunt ad lucem, ſicut è contrario, qui benefaciunt, ad lucem accedunt. *Veritatem facere* ſignificat integritatis, candoris ac rectitudinis ſtudioſum eſſe, probamque vitam agere, phraſi Hebræa. Ita Hiſkias Rex ait: *Memento Domine, quod in veritate ambulaverim coram te: & integro corde*; 2 Reg. 20. 3. ubi poſteriora verba *integro corde*, declarant priora *in veritate*. Hoc autem eſt candidum atque ſincerum, quod ex animo fit; & quod candide & ex animo fit, id verum eſt, non falſum neque fucatum. Ita etiam apud Eſaiam cap. 10. 20. *Confident Domino in veritate*, id eſt, ſincero corde. Et apud Danielem Nebucadnezar ait de Deo: *Omnia opera ejus ſunt veritas, & viæ ejus ſunt rectæ*; Dan. 4. 34, ubi rurſus per poſteriora verba antecedentia explicantur. Vocat autem hic Chriſtus bona opera *veritatem*, quia loquitur de luce; lux enim patefacit, quæ opera bona vel mala ſint, quæ ſincera, vel fucata. Intelligendum vero hic iterum eſt, eos ad lucem venire, qui veritatem faciunt, id eſt, probam & rectam vitam inſtituunt, poſtquam ſcilicet illis lux illuxit, etſi antea improbe vixerint.

Venit ad lucem.] Non abhorret à cœleſti doctrina Chriſti, ac propterea eam recipit & amplectitur.

Ut manifeſtentur opera ejus.] De illis, quorum opera mala ſunt, dixerat, eos ad lucem non venire, ne opera eorum arguantur, id eſt, ne eis exprobrentur, neve ad turpitudinis eorum agnitionem adducantur. Hic vero in antitheſi, dixit, eos qui veritatem faciunt, ad lucem venire, ut opera eorum manifeſtentur. Ex quo patet, ſenſum horum verborum eſſe, eos in luce opera ſua cognoſcere, probare, & ſecundum eam dirigere atque inſtituere poſſe. Eſt autem hæc ſententia, non minus quam prior, proverbialis.

Quia in Deo ſunt facta.] Vocula ἐν, *in* poſita eſt pro κατὰ, *ſecundum*. Vult enim dicere; quia ſecundum Deum, id eſt, ſecundum Dei voluntatem facta ſunt. Ita *in Domino*, 1 Cor. 7. 39 nihil aliud eſt, quam ſecundum voluntatem Domini. Quia opera ejus voluntati divinæ ſunt conſentanea, propterea non eſt, quod lucem metuat ac fugiat, à qua laudem bonorum operum ſuorum, & certam promiſſionem cœleſtis præmii accipit.

PARS II.

Verſ. 22. *Poſtea venit Jeſus & diſcipuli ejus in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptiſabat.*] Poſtquam Euangeliſta colloquium inter Chriſtum & Nicodemum habitum deſcripſiſſet, affert iterum novum quoddam teſtimonium Johannis de Chriſto, quod ille perhibuit, antequam conjiceretur in carcerem. Quod teſtimonium eſt excellentiſſimum, ex iis omnibus quæ Johannes de Chriſto teſtatus eſt. Sicut enim præcipua hæc fuit officii ejus pars, de Chriſto teſtari, ſupra cap. 1. 7, ita etiam officium hoc ſuum iſto inſigni teſtimonio quaſi obſignare & claudere voluit. Non diu enim poſtea in carcerem compactus, & capite truncatus eſt: ut Matth. 14. 1 deſcribitur. Quem ſuum ex hac vita exitum ipſe quoque Johannes infra verſ. 30, non obſcure innuit. Deſcribit vero Euangeliſta prius uſque ad verſ. 27, occaſionem iſtius teſtimonii, quæ ex eo nata eſt, quod Chriſtus quoque baptiſaret.

Poſtea venit Jeſus & diſcipuli ejus in Judæam terram.] Colloquium ſuperius Chriſti cum Nicodemo habitum fuiſſe Hieroſolymis, eſt extra omnem dubitationem. Hieroſolyma autem etſi ſita eſſet in tribu Benjaminis, tamen tota regio utriuſque tribus, Benjaminis & Judæ, dicta eſt Judæa: ſicut etiam duæ iſtæ tribus ſæpiuſcule ſimpliciter tribus Judæ appellantur; quia tribus Benjaminis per illam cladem, quæ deſcripta eſt Jud. 21. 45 valde fuit attrita, adeoque unam quaſi tribum cum Juda conſtituit. Vide 1 Reg. 2. 32. IV. 20. XII. 20, confer cum ℣. 21.

Itaque

Itaque Judæa terra ita hic accipitur, ut Hieroſolymæ opponatur; quaſi dicat Euangeliſta, Chriſtum ex urbe Hieruſalem exiviſſe, ſed tamen non egreſſum eſſe extra territorium Judææ. Ita etiam Hieroſolyma & terra Judææ diſtinguitur Joh. 4. 43. VIII. 1. Vide etiam Luc. 21. 21.

Et baptiſabat.] Non ipſe per ſe, ſed per diſcipulos ſuos, ut explicatur Joh. 4. 2. Ita Paulus quoque ipſe prædicabat, ſed plerumque per alios tantum baptiſabat, expreſſe dicens, ſe non miſſum eſſe ad baptiſandam, ſed ad Euangelium prædicandum, 1 Cor. 1. 17. Ex quo facile intelligitur cauſa, cur Chriſtus ipſe non baptiſarit; quia nimirum munus ejus ac functio in longe ſublimioribus rebus conſiſtebat, quam in baptiſmo. Baptiſmus enim, quem ipſe adminiſtrare debebat, non aqua, ſed Spiritu Sancto peragi debebat, Matth. 3. 11, Idcirco autem de Chriſto dicitur, eum baptiſaſſe; quia ejus diſcipuli ipſius nomine & juſſu, nec non in profeſſionem doctrinæ ejus baptiſabant. Ex quo etiam diſcrimen inter baptiſmum Johannis, & baptiſmum Chriſti, quem per diſcipulos ſuos adminiſtravit, perſpicitur. Baptiſmus Johannis non poterat ab alio, quam à Johanne ipſo peragi; nulli diſcipulorum ejus licuit in nomine Johannis baptiſare: Chriſti baptiſmum autem etiam diſcipuli ejus adminiſtrare poterant. In parentheſi hic quoque notetur: quomodo potuerit Paulus dicere, ſe non eſſe miſſum ad baptiſandum, ſi baptiſmus eſt unicum aut ſaltem primum ac præcipuum medium regenerationis (ut vulgo creditur) ita ut nemo, qui non fuerit baptiſatus, ſervari queat?

Verſ. 23. *Erat autem & Johannes baptiſans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic: & veniebant, & baptiſabantur.*] Hoc narrat Euangeliſta, ut ſibi viam ſternat ad ſequentem hiſtoriam, ubi recenſet, quomodo id diſcipulos Johannis male habuerit, quod Chriſtus vel potius diſcipuli ejus baptiſarent, quodque omnes Johanne relicto Chriſtum ſequerentur: unde Johannes Baptiſta porro ſumſit anſam atque occaſionem Chriſtum præclaro hoc teſtimonio ornandi.

In Ænon.] Locus hic ſitus erat ad Jordanem verſus Meridiem, octo milliaribus (quorum ſingula mille paſſus continent) à civitate Scythopoli diſtans, ut teſtis eſt Hieronymus.

Prope Salim.] Hujus civitatis fit mentio Gen. 33. verſ. 18, non procul diſtabat à Sichem. Ideo autem ejus hic meminit Euangeliſta, quia volebat locum Ænon diſtinguere ab altero Ænon, cujus eſt mentio Ezech. 47. 17. Non alia vero de cauſa ibi baptiſabat Johannes, quam ut munere ſuo variis in locis fungeretur, pluresque homines adeo ad baptiſmum & pœnitentiam invitare poſſet.

Quia aquæ multæ illic erant.] Non hoc indicatur, quod multa illic fuerint flumina vel rivi, ſed quod tam alta ibi fuerit aqua, ut facile potuerit quiſpiam ei immergi. Johannes enim non aſpergebat homines neque perfundebat aqua manu ſumta, ut hodie fit inter Chriſtianos. Vide Matth. 3. 6. Fortaſſis etiam Jordanes ad Bethabaram ubi Johannes primum baptiſavit Joh. 10. 40, minus profundus tunc erat.

Verſ. 24. *Nondum enim Johannes conjectus erat in carcerem.*] Hoc addit Euangeliſtæ ideo, ne quis cogitaret, Johannem jam tum fuiſſe in carcere. Euangeliſta enim hoc loco ſolum recenſet ea, quæ Chriſtus poſt ſuum baptiſmum fecerit, antequam Johannes compingeretur in carcerem. Quia igitur aliquis dicere poterat, Quomodo Johannes potuit baptiſare, cum jam tunc fuerit in carcere; ideo præoccupat hanc objectionem, & dicit: *Johannes nondum tunc erat conjectus in carcerem.* Incarceratio Johannis finem fecit prædicationi & baptiſmo ejus, quemadmodum etiam crucifixio Chriſti finem prædicationi Chriſti impoſuit. Carcer quidem & crux debebatur falſis Prophetis. Sed Judæi falſos Prophetas ſemper tanto in honore habuerunt, ut nullum unquam ad carcerem vel ad mortem condemnarint; veros autem Prophetas pleroſque trucidarunt. Vide Matth. 23. 31, 32, 33.

Quæritur hic à nonnullis Interpretibus, Cur Johannes non ſtatim deſierit baptiſare, cum Chriſtus per ſuos diſcipulos baptiſare cœpit? duaſque ejus rei afferunt rationes. Prima eſt, quod Johannis magna fuerit celebritas, ita ut undique homines ad eum confluerent; itaque illum in baptiſando perrexiſſe, ut plures è populo indies ad ſe alliceret, eoſque poſtea ad Chriſtum ablegaret. Altera eſt, ne Johannis diſcipuli majore adhuc invidia adverſus Chriſtum inardeſcerent. Quia enim putabant, detrahi eo plurimum dignitati Johannis, quod etiam Chriſtus baptiſaret, cum tamen is tot inſignibus teſtimoniis Chriſti præ ſe excellentiam deprædicaret; multo utique magis ira & invidia accenſi fuiſſent, ſi Johannes plane deſiiſſet baptiſare. Quibus duabus rationibus etiam tertiam addunt, quia videri potuiſſet etiam ipſe Johannes indignari & ægre ferre, quod Chriſtus cœperit quoque baptiſare, & falcem ſuam quaſi in ejus meſſem mittere.

Verſ. 25. *Orta eſt igitur quæſtio à diſcipulis Johannis cum Judæis de purificatione.*] Quia baptiſabant, Johannes & Chriſtus eodem tempore, inde lis ac controverſia de baptiſmo exorta eſt. Videtur autem de eo fuiſſe quæſtio, An baptiſmus Johannis à Deo fuerit, an ab hominibus? Cum enim etiam alius cœperit baptiſare, nempe Chriſtus per ſuos diſcipulos, videbatur id imminuere auctoritatem baptiſmi Johannis, quaſi ille non eſſet legitimus, neque à Deo profectus. Non enim de eo fuiſſe quæſtionem, quinam baptiſmus alteri præferendus ſit, Chriſti ne an Johannis: ex ſequenti querela, quam diſcipuli Johannis coram ſuo Magiſtro inſtituunt vſ. 26 colligitur, ex qua apparet, diſcipulos iſtos Chriſti baptiſmum prorſus pro illegitimo habere.

A diſcipulis Johannis. Proprie in textu eſt, *ex diſcipulis Johannis*, id eſt, ab aliquo ex diſcipulis Johannis mota eſt iſta quæſtio. Similis locutio eſt Matth. 27. 9.

Cum Judæis. Syrus, ut & vetuſtiſſima exemplaria Græca habent, *cum Judæo quodam*, qui nimirum à Chriſto fuit baptiſatus, ſeu ab ejus diſcipulis.

De purificatione. Quemadmodum ſupra cap. 2. 2. Euangeliſta Phariſæorum lotionem manuum & vaſorum, vocaverat καθαρισμὸν, *purificationem*, quam Marcus appellavit βαπτισμὸν, baptiſmum ſeu immerſio-

merſionem atque ablutionem cap.7.4. Ita hic quoque baptiſmum Johannis & Chriſti vocavit καθαρισμὸν, purificationem: ut etiam Joſephus, ubi de Johannis baptiſmo agit, utitur verbo καθαίρειν, *purificare*; quod Matth.3.6 annotavimus. Vide etiam Heinſium ad hunc verſum.

Verſ.26. *Et venerunt ad Johannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptiſat, & omnes veniunt ad eum.*] Diſcipuli adeunt Magiſtrum ſuum, ut ei rem exponant, & invidiæ ſtimulos, quibus ipſi urgebantur, animo ejus ſubjiciant. Credebant rem ad contumeliam ejus ſpectare, quod alius munus ipſi debitum obiret: itaque magno cum fervore honorem magiſtri ſui tuendum ſuſceperunt.

Qui erat tecum] Non dicunt, Cum quo tu fuiſti, ſed, Qui tecum erat, tanquam inferior cum ſuperiori, qui à te petiit baptiſari, idque ſibi tum honori duxit.

Trans Jordanem.] In littore Jordanis in Bethabara: ut ſupra cap.1.28.

Cui tu teſtimonium perhibuiſti.] Quem tu tanto honore affeciſti, ut pro tua modeſtia eum præclaro ornares encomio, populoque eum monſtrares.

Ecce hic baptiſat.] Id eſt, hic æque ac tu baptiſmum adminiſtrat, ingerit ſe in tui officii munia, tuas partes ſibi ſumit, quod nobis non ſine magna tui muneris depreſſione objicitur.

Et omnes veniunt ad eum.] Omnes, id eſt, plerique; per hyperbolen: ut & infra verſ.32. Quaſi dicant: Homines jam te incipiunt vilipendere, & te relicto ad eum ſe converterunt, te non amplius curant. Similis hiſtoria legitur de Joſua, qui zelavit pro Moſe Num.11.28, & de Apoſtolis zelantibus pro Chriſto Luc.9.49. Quæ duo exempla nobis conducunt ad intelligendam cauſam, quare zelus, qui ex ſtudio partium proficiſcitur, inter opera carnis numeretur Gal.5.20. Hæc ergo eſt querela diſcipulorum Johannis: non quærunt autem, quid porro faciendum, quomodo huic malo occurrendum ſit; ſed rem judicio magiſtri ſui relinquunt.

PARS III.

Verſ.27. *Respondit Johannes, & dixit: Non poteſt homo quicquam accipere, niſi datum ei fuerit de cœlo.*] Sequitur jam inſigne encomium Chriſti, quo Johannes Chriſtum magnifice extollit, ſuam vero humilitatem & indignitatem reſpectu Chriſti agnoſcit. *Non poteſt, inquit, homo quicquam accipere, niſi datum ei fuerit de cœlis*, id eſt, nemo poteſt ſibi munus ſumere atque arrogare novam doctrinam ac ritus in Religione inſtituendi, niſi à Deo ad id fuerit vocatus; quo ſenſu Paulus dixit: *Quomodo prædicabunt, ſi non mittantur?* Rom.10. ℣.15. Interpretes quidam exiſtimant, Johannem id de ſeipſo locutum eſſe, & muneris ſui auctoritatem his verbis aſſerere voluiſſe, quod non ipſe id ſibi ſumſerit, ſed à Deo ſibi demandatum ſit. Sed non habuit Johannes ullam cauſam id de ſe teſtandi coram iis, qui diſcipuli ipſius erant, neque de munere ſuo, quod à Deo eſſet, dubitabant, imo qui magno cum zelo atque fervore partes ejus adverſus Chriſtum tuebantur. Itaque omnino ſtatuendum eſt, eum de Chriſto hæc dicere, & auctorem eſſe diſcipulis ſuis, ut longe aliter de eo ſentiant & erga eum animati ſint: cum is rem tantam aggreſſurus minime fuerit, niſi certo mandato divino eſſet impulſus.

Verſ.28. *Ipſi vos mihi teſtes eſtis, quod dixerim: Non ſum ego Chriſtus; ſed quia miſſus ſum ante illum.*] Propriis ipſorum verbis eos refutat. Ipſi enim in ſua querela mentionem fecerunt præclari teſtimonii, quod Johannes de Chriſto perhibuerit. Itaque hoc ſibi vult Johannes: Eo ipſo dum agnoſcitis, me de Chriſto teſtatum eſſe, mihi præbetis teſtimonium, quod dixerim, eum me præſtantiorem eſſe. Supra cap.1.15. Cur ergo non creditis iſti meo teſtimonio, quod ipſi mihi in memoriam revocatis? Cur non miſſam facitis hanc æmulationem, & non eum potius ſequimini, quam me?

Ante illum.] Nempe ante Jeſum, quem modo Chriſtum appellarat: ante ejus faciem, ut Matth.11. ℣.10 tanquam præcurſor, qui adventum magni Legati præcedit, eique viam parat.

Verſ.29. *Qui ſponſam habet, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.*] Quale ſit diſcrimen inter ſe & Chriſtum, indicat notiſſima ſimilitudine ſeu exemplo: quale nimirum eſt inter ſponſum & amicum ſponſi; oſtenditque Chriſtum eſſe Sponſum, ſe autem amicum tantum Sponſi. Quaſi dicat: Etſi in nuptiis multi ſint honorati homines, unus tamen eſt Sponſus, cui Sponſa connubio ſtabili jungitur, propriaque dicatur, reliqui autem ſunt vel amici Sponſi, vel convivæ.

Sponſus eſt.] Id eſt, is ſupremum & digniſſimum locum occupat in nuptiis. Recte autem Chriſtus cum Sponſo confertur Matth.22.2. 2 Cor.11.2. Epheſ.5.25,26, cujus Sponſa eſt Eccleſia: exemplo Dei, cui Judaicus populus deſponſatus erat, Jerem. 2.2. Oſe.2.19,20.

Amicus autem Sponſi.] Per amicum Sponſi intelligit Johannes eum, qui vulgo paranymphus dicitur, qui nimirum Sponſum ad nuptias & ad thalamum uſque nuptialem comitatur; de quo in libro Judaico Gemara Babylonica ita ſcribitur: *Fuit moris olim in Judæa, ut in nuptiis tum ſponſo paranymphus ſeu pronubus, tum ſponſæ pronuba adderetur, qui eis in deductione in thalamum inſervirent (attendendo ſcilicet, ne ab alterutra parte fraus committeretur adverſus Legem*, Deut.22.14, ut Gloſſa explicat) *Sed hic mos in Galilæa non fuit obſervatus. Imo in Judæa receptum erat, ut pronubi & pronubæ in eodem cubiculo pernoctarent, in quo ſponſus cum ſponſa cubabat*, &c. Hos amicos Sponſi & Sponſæ Chriſtus vocat *filios thalami*, Matth.9.15, id eſt, qui in thalamum una admittuntur. Tales paranymphos ajunt veteres Judæi etiam Adamum habuiſſe, Michaëlem ſcilicet Archangelum & Gabriëlem. Et cum de deſponſatione Dei cum Iſraëlitica Eccleſia loquuntur (de qua apud Prophetas) inquiunt, Moſen fuiſſe pronubum.

Quiſtat.] Id eſt, Sponſo miniſtrat. Stare enim eſt, miniſtrorum, ideo pro miniſtratione ſumitur, Gen.41.46. Zach.3.7.

Et au-

Et audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi.] Sæpius fit mentio in Sacris Literis vocis Sponſi & Sponſæ (Jerem. 7. 34. XVI. 9. XXV. 10. XXXIII. 11. Apoc. 18. 23,) per eam intelligitur amica collocutio atque confabulatio Sponſi cum Sponſa, qua alter alteri teſtatur intimum animi ſui gaudium atque amorem. Vide Canticum Canticorum Salomonis, quod nihil aliud eſt, quam ejuſmodi amatorium colloquium. Audire ejuſmodi amica colloquia Sponſi cum Sponſa, iiſque lætari, inter præcipua erat munia pronuborum; ut & alia plura procurare, quæ ad Sponſi lætitiam pertinebant.

Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.] Quod modo dixerat de gaudio pronubi ſeu amici Sponſi, hoc ad ſe nunc applicat. Vult enim dicere, ſe nunc pleniſſimo exultare gaudio, quod tanquam paranymphus Chriſto populum Judaicum adduxerit, audiatque quam amice ſecum colloquantur. Locutio iſta, *implere gaudium* ſoli Johanni propria eſt. Vide infra cap. 15. 11. XVI. 24, 1 Joh. 1. 4. 2 Joh. 12.

Verſ. 30. *Illum oportet creſcere, me autem minui.*] Perinde ac phoſphorus ante Solis exortum claro ſplendore coruſcat, ſed Sole oriente, obſcurius & obtuſius ſubinde lucet. Ita Johannes lucidiſſimæ ſtellæ inſtar fulſit antequam Chriſtus innoteſceret, ſed illo adveniente, auctoritas ejus apud populum decrementum, Chriſti autem incrementum ſumſit, ita ut ad Chriſtum fere omnes (prout conqueruntur diſcipuli Johannis ℣. 26,) ad Johannem pauciſſimi venirent.

Verſ. 31. *Qui deſuper venit, ſuper omnes eſt; qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur: qui venit de cœlo, ſuper omnes eſt.*) Cauſam reddit Johannes, cur oporteat auctoritatem ſuam minui, & tandem prorſus evaneſcere, Chriſti autem creſcere: quia nimirum is *ſuper omnes eſt.* Verba, *qui deſuper eſt*, id eſt, de cœlo, duplici modo accipi queant: vel ut iis ſignificetur divina virtus & potentia Chriſti, quam miracula edendo demonſtravit; ideo Johannes nulla fecit miracula, ut etiam hac in parte Chriſti major præſtantia præ illo eluceſceret. Vel, quod Chriſtus vere de cœlo deſcenderit, acceptis ibidem à Deo mandatis: ut ſupra verſ. 13 explicatum. Johannem autem voluiſſe dicere de Chriſto, quod ſit Deus Altiſſimus, qui de cœlo deſcenderit, adeo à veritate abeſt, ut eum poſtea manifeſte à Deo diſtinguat, tanquam legatum à mittente, & tanquam filium à patre verſ. 33, 34, 35. Omnia dona perfecta deſuper veniunt Jac. 1. 17, nec tamen ſunt Deus Altiſſimus, neque ex eſſentia ejus promanant.

Super omnes eſt.] Id eſt, ſuper omnes homines, etiam ſuper Prophetas, adeoque etiam ſuper me. Ita tamen Chriſtus ſuper omnes eſt, ut Deus adhuc ſit ſuper eum. Vide 1 Cor. 3. 23. XI. 3. XV. 27.

Qui eſt de terra, de terra eſt.] Id eſt, terrenus eſt; ut ſupra verſ. 6. *Quod genitum eſt ex carne, caro eſt*, id eſt, carnale eſt, *& quod genitum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*, id eſt, ſpirituale. Et apud Paulum 1 Cor. 15. verſ. 47. *Primus homo fuit ex terra, terrenus, ſecundus homo, Dominus* ſcilicet, *de cœlo*, id eſt, cœleſtis. Reſpicit autem Johannes primam hominis originem, qui eſt factus ex pulvere terræ, Gen. 2. 7. Hoc ergo ſibi vult Johannes: Qualis eſt origo hominis alicujus, talis eſt etiam ejus ſtatus atque conditio, & qualis eſt ejus conditio, ita etiam loquitur, ſeu talis eſt etiam ejus ſermo.

Et de terra loquitur.] Id eſt, terrena loquitur, non myſteria divinorum decretorum. Dum autem Johannes ita de ſe loquitur, non hoc intendit, ut indicet, quod quoad naturam ſuam ſit terrenus homo, qui originem ex terra habeat, neque etiam quod Chriſtus quoad naturam ſuam ex cœlo ſit, (etſi id reſpectu aliorum hominum dici poſſit, quatenus non ex terreno viri ſemine, ſed per vim Spiritus Sancti conceptus eſt) id enim utrumque ad præſentem materiam, de qua agitur, nihil pertinebat: ſed hoc tantum ſibi vult, munus ſuum & omnia ad id ſpectantia, in comparatione cum Chriſto, terrena eſſe, Chriſti autem munus ac functionem eſſe cœleſtem ac divinam. Non enim propterea oportuit Chriſtum creſcere, Johannem vero minui; quia Chriſtus erat Deus altiſſimus, aut alioqui divina aut cœleſtis aliqua perſona, Johannes autem nudus ac merus homo: ſed quia excellentius munus à Deo, quam Johannes acceperat. Ita ut, licet Johannis munus æque de cœlo, & à Deo fuerit Matth. 21. 25, tamen cum Chriſti munere collatum, adeo exile erat, ut merito dici poſſet, id de terra fuiſſe. Johannes enim baptiſabat tantum terrena aqua, Chriſtus autem virtute de cœlo, Matth. 3. 11. Johannes prædicabat pœnitentiam & cónverſionem, ſed ita ut cancellos Legis non tranſcenderet, id eſt, non requireret majorem pietatem ab hominibus, quam quæ in Lege præſcripta erat. Chriſtus vero omnia etiam abditiſſima myſteria regni Dei, quæ etiam Angelis ignota fuerunt, protulit in lucem.

Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Repetit, quod prius dixerat, *Qui deſuper venit*, ut oppoſitio tanto ſit evidentior.

Verſ. 32. *Et quod vidit & audivit, id teſtatur, & teſtimonium ejus nemo accipit.*] Quia de cœlo eſt, ideo cum de cœleſtibus rebus loquitur, loquitur ea, quæ ipſi ſunt certo cognita. Per duos enim hos ſenſus, viſum & auditum, homines potiſſimum ad cognitionem rerum perveniunt. Quod autem Chriſtus loquitur, eſt verbum Dei, verſ. 34. Vide ſupra cap. 1. 18, & infra VIII. 26. XV. 15. Hæc locutio Johannis indicat, Chriſtum non veniſſe de cœlo tanquam Deum Altiſſimum; hic enim ea, quæ ſcit, non habet ex eo, quod vidit & audivit.

Id teſtatur. Id docet, & annunciat hominibus.

Et teſtimonium ejus nemo accipit.] Nemo, id eſt, pauci, (Hyperbole uſitata) doctrinæ ejus aſſenſum præbent. Hoc ipſum etiam iſtis diſcipulis ſuis objicit, qui contra Chriſtum querimoniam inſtituebant, quod tam obſtinati ac pertinaces eſſent, ut Chriſto etiam ſe auctore nollent credere.

Verſ. 33. *Qui recepit ejus teſtimonium, obſignavit, quia Deus verax eſt.*] Occaſione præcedentium addit Johannes, quid illi conſecuti ſint, qui Chriſti doctrinam amplexi ſunt, eique ex animo fidem adjunxerunt.

Obſignavit.] Id eſt, profitetur palam. Sumpta eſt ſimilitudo à ſcriptis contractibus ac ſyngraphis, quæ impreſſo ſigillo firmantur. Quod enim contrahentes inter ſe conſignarunt, id tum validiſſime

profitentur, & approbant, quando ſigilla ſua ſcripto imprimunt.

Quia Deus verax eſt.] Nullus homo in mundo eſt, qui cum credat Deum eſſe, non etiam ſimul credat, eum eſſe veracem. Sed differentia inter Chriſtianos & alios homines, qui Chriſto non credunt, hæc eſt, quod Chriſtiani non in genere tantum, ut alii homines, ſed in ſpecie quoque in eo, quod Deus per Chriſtum revelavit credant quod Deus verax ſit. Contra vero, qui Chriſto non credit, Deum habet pro mendace, id eſt, non magis ei credit, quam ei, quem pro mendace habet. Hoc ſenſu dicit Johannes Apoſtolus: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium in ſe: qui non credit Deo, mendacem fecit eum, quia non credidit in teſtimonium quod teſtatus eſt Deus de Filio ſuo*, 1. Joh. 5. 10.

Verſ. 34. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ex menſura dat Deus Spiritum.*] Confirmat ſuperius dicta. Nempe qui Chriſto credit, obſignat, Deum eſſe veracem, quia Deus Chriſtum miſit, ut ſcilicet myſteria cœleſtia annunciaret hominibus.

Verba Dei loquitur.] Id eſt, nihil aliud loquitur, quam quod divinum ac cœleſte eſt. *Doctrina mea*, inquit Chriſtus, *non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*, Joh. 7. 16. Hæc omnia eo ſpectant, ut auctoritatem divinam Chriſto conciliaret. Johannes quidem Baptiſta etiam erat à Deo miſſus, ſed non erat, ille magnus Legatus, ſuprema poteſtate, & cœleſtibus mandatis inſtructus.

Non enim ex menſura Deus dat Spiritum.] Hebraica loquendi conſuetudine *ex menſura aliquid dare* ſignificat, parce dare: ſicut olim Deus cognitionem, ſuam Prophetis dederat. Vide Num. 11. 17. 2 Reg. 2. 9. Explicat autem Johannes his verbis id, quod de Chriſto affirmaverat, eum à Deo miſſum eſſe, & verba Dei loqui, indicatque Chriſti eminentiam ſuper omnes, qui unquam à Deo miſſi fuerunt, Deique verba locuti ſunt. Quaſi dicat: Omnes qui hactenus à Deo miſſi ſunt, & verba Dei locuti ſunt, nonniſi certam Spiritus menſuram acceperunt, quanta ſcilicet ad functionem muneris eorum requirebatur, & præter id quod acceperant, nihil ultra habuerunt, nec facere potuerunt. Chriſto autem Deus non certam menſuram ſpiritus ſui impertitus eſt, ſed immenſa ejus flumina in eum effudit. Loquitur autem Johannes de eo, quod Chriſtus in baptiſmo ſuo Spiritu Sancto unctus fuerit, & muneri ſuo initiatus ac conſecratus, Matth. 3. 16. Marc. 1. ỳſ. 10. Poſſunt autem verba iſta Johannis alium adhuc, generalem ſenſum habere, qui non ad Chriſtum ſolum, ſed ad fideles omnes Novi Fœderis ſpectet. Etſi enim Deus fidelibus ſub Novo Teſtamento ſpiritum ex menſura tantum conferat reſpectu Chriſti, dat tamen eum largiſſime etiam & abundanti menſura reſpectu Veteris Teſtamenti. Hoc tempore enim impleta eſt prophetia Joëlis: *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ &c. Et ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas effundam de Spiritu meo in diebus illis*, Joël. 2. 28, 29. Atque hoc eſt, quod Johannes Euangeliſta ſupra dixit: *Ex plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratia*, Joh. 1. 18. Et infra cap. 7. 38, Chriſtus ipſe ait: *Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus.* Ubi ſubjicit Euangeliſta verſ. 39, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Vide Actor. 2. 4, 17. IV. 13. X. 44. Tit. 3. 6. Eſai. 42. 1.

Verſ. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.*] Hic rationem reddit Johannes, cur Deus Spiritum ſuum Chriſto non ex menſura dederit: quia nimirum dilectiſſimus eſt Dei Filius, (Matth. 3. 17.) eique communicavit omnia myſteria regni Dei & perfecte tradidit, ut eis pro arbitrio uteretur, & cui velit ea revelaret. Vide Matth. 11. 27, & infra cap. 13. 3. XVII. 2.

Verſ. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.*] Quia ſuperius dixerat, Patrem Filio dediſſe omnia in manus, in quibus potiſſimum eſt vita æterna, inde ſic colligit ac concludit, quod is qui vitam æternam (quam ſolus Pater dare poteſt) habere cupit, debeat eam apud Chriſtum quærere, atque ex ejus manu accipere; ſed hac lege, ut in ipſum credat, id eſt, ipſi confidat, inque eo ſpem ſuam collocet, ut in eum, qui & poteſt & vult vitam æternam nobis largiri.

Habet vitam æternam.] Id eſt, jus habet & aditum ad vitam æternam; habet certam ſpem ejus adipiſcendæ. Vide ſupra cap. 1. 12. Rom. 8. 24.

Qui autem non credit Filio.] Ex contrario illuſtrat ſuperius dictum. Græcum verbum ὁ ἀπειθῶν, poteſt etiam verti, *qui non obedit*, id eſt, qui Chriſti verbis ac doctrinæ aures præbere detrectat. Hic habemus exemplum, clariſſimum, quod fides etiam obedientiam in ſe includat.

Non videbit vitam.] Id eſt, non erit particeps vitæ æternæ: ut ſupra verſ. 3.

Sed ira Dei.] Id eſt, divina ultio ac judicium, per Metonymiam: ut Rom. 1. 18.

Manet ſuper ipſum.] Id eſt, divino ſupplicio eſt obnoxius. *Manere* pro *eſſe* ſimpliciter, creberrime à Johanne Euangeliſta uſurpatur. Vide infra cap. 5. 38. XV. 11. 1 Joh. 2. 6, 10.

CAPUT IV.

I. Chriſti Colloquium cum Samaritana muliere deſcribitur; quomodo ſe ei Chriſtus cognoſcendum dederit: ad verſ. 28, & quomodo id mulier illa civibus Sichemiticis annunciarit: ad verſ. 31. II. Colloquium Chriſti cum diſcipulis ſuis de munere docendi: ad verſ. 39. III. Quomodo Samaritani in Chriſtum crediderint: ad verſ. 46. IV. Quomodo Chriſtus reguli cujuſdam filium Capernaumi ſanarit: ad finem Capitis.

PARS I.

Verſ. 1. *UT ergo cognovit Dominus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit & baptiſat, quam Johannes.*] In prima parte hujus Capitis deſcribit Euangeliſta colloquium,

quium, quod Chriſtus cum Samaritana muliere habuit. Primo autem refert, qua occaſione Chriſtus per Samariam iter fecerit; nempe cum ex Judæa in Galilæam tenderet, via eum recta per Samariam duxit.

Ut ergo cognovit Dominus.] Gr. ἔγνω. Cognovit partim per Spiritum Sanctum, qui in ipſo erat, partim ex aliorum relatu.

Quia audierunt Phariſæi.] Præcipue illi, qui erant Senatores Synedrii Hieroſolymitani. Vide ſupra 3.1. Sadducæi, qui nihil recipiebant, niſi quod expreſſe in Lege præceptum erat, nihili faciebant, omnes illas Ceremonias, quas Legiſperiti introduxerant. Quapropter Chriſti & Johannis baptiſmum eodem loco habuerunt, quo reliquos ritus Phariſæorum.

Quod Jeſus plures diſcipulos facit, & baptiſat, quam Johannes.] Senſus horum verborum non eſt, quod Phariſæi ægre tulerint, Chriſtum plures diſcipulos feciſſe, quam Johannem, quaſi ſcilicet illi maluiſſent Johannem plures diſcipulos habere, quam Chriſtum: ſed quod indignati ſint, hanc novam ſectam, cui initium dedit Johannes, quamque vigere moleſte ferebant, ut ex Luc.7. 30 patet, etſi Johannes eſſet è genere Sacerdotali, per Jeſum Chriſtum majora indies incrementa ſumere; per Jeſum, inquam, hominem Galilæum, humilis ortus, fabri filium (ut putabant) qua ratione auctoritati & exiſtimationi ſuæ plurimum detrahi credebant.

Verſ. 2. *Quanquam Jeſus ipſe non baptiſavit, ſed diſcipuli ejus.*] Cur hoc Euangeliſta addiderit, duæ reddi poſſunt cauſæ. Vel quod illi, qui Phariſæis renunciarunt, de Jeſu, ut ipſi tanto majus ipſorum odium conciliarent, dixerint, eum ipſum baptiſare. His ergo voluit contradicere Euangeliſta, & falſi redarguere, affirmans, Jeſum ipſum non baptiſaſſe, ſed tantum diſcipulos ejus. Vel quod voluerit Euangeliſtæ declarare his verbis, quomodo Chriſtus baptiſarit, nempe non per ſe, ſed per diſcipulos ſuos. Uſitatum enim eſt, ut alicui adſcribatur id, quod is etſi non per ſe, per alios tamen, vel miniſtros ſuos, vel addictos ſibi, facit. Vera autem cauſa, cur Chriſtus ipſe non baptiſarit, hæc eſt, quod ipſius dignitati haud convenerit, tam vile opus, quale erat baptiſmus aquæ, reſpectu aliorum graviorum ipſius muniorum, adminiſtrare. Quod enim Paulus de ſe dixit, Chriſtum ſe non miſiſſe ad baptiſandum, ſed ad Euangelium prædicandum 1 Cor.1.17, (quibus verbis indicat, Euangelii prædicationem multo eſſe nobilius opus, quam aquæ baptiſmum) idem longe juſtius de Chriſto dici poteſt, cui multo præſtantior baptiſmus, nempe baptiſmus Spiritus Sancti competebat, Matth.3. 11. Hinc perſpicuum eſt, in baptiſmo aquæ, etiam eo, per quem homines Chriſti fiunt diſcipuli, Spiritum Sanctum non conferri. Si enim conferretur, baptiſmus iſte eſſet ille ipſe baptiſmus, qui à Johanne Baptiſta Chriſto tanquam proprius adſcribitur, ac ſuo baptiſmo opponitur, cum inquit: *Ego quidem baptiſo aqua, ſed qui poſt me venit &c. ille vos baptiſabit Spiritu Sancto & igne*, Matth.3. 11. nihilque adeo cauſæ habuiſſet Chriſtus (nedum Paulus Apoſtolus) ſubterfugiendi hoc officium, & baptiſmum nonniſi per diſcipulos adminiſtrandi.

Sed diſcipuli ejus.] Per diſcipulos non intelliguntur Apoſtoli, quos Chriſtus poſtea è numero diſcipulorum ſuorum ſelegit, Matth.10. 1. Sed ſimpliciter eos intelligit Euangeliſta, qui doctrinam Chriſti ſuſceperant, eique adhærebant, uti Johannis diſcipuli doctrinæ Johannis adhærebant addictique erant.

Verſ. 3. *Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.*] Dubium non eſt, Chriſtum ſecedere voluiſſe propter Phariſæos, qui (ut ſupra annotatum) nihil boni in animis ſuis coquebant adverſus eum. Etſi enim etiam in Galilæa fuerint Phariſæi, non erat tamen ibi tanta eorum potentia, neque auctoritas, neque numerus, quanta Hieroſolymis, ubi magnam partem Synedrii conſtituebant. Verum non hæc ſola cauſa erat, cur Chriſtus reliquit tunc Judæam, & in Galilæam abiit: ſed & hæc præterea fuit, quia Johannes conjectus erat in carcerem, eoque curſus Euangelii in Galilæa fuit retardatus, ideo contendit eo Chriſtus, ut prædicationem Euangelii ibidem continuaret. Vide hac de re dicta ad Matth.4. 12, ubi etiam oſtenſum eſt, hoc iter Chriſti è Judæa in Galilæam, non aliud eſſe, quam quod Matthæus modo dicto loco, & Marcus cap.1. 14, & Lucas cap. 4. 14 deſcribunt.

Et abiit iterum in Galilæam.] Dicit *iterum*. Nam poſt baptiſmum à ſe ſuſceptum Chriſtus abierat ex Judæa in Galilæam. Supra cap.1. 44, inde vero redierat in Judæam ad feſtum Paſchæ cap.2. 13. Jam vero iterum abit in Galilæam.

Verſ. 4. *Oportebat autem eum per Samariam tranſire.*] Samaria enim media inter Judæam & Galilæam ſita erat, ut rectiſſima via per eam duceret. Alioqui potuiſſet Chriſtus alia via per ambages & circuitus in Galilæam venire. De Samaritani populi origine, vide ad Math.10. 5. & infra ℣.9.

Verſ. 5. *Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacobus Joſepho filio ſuo.*] In eo omnes Interpretes conveniunt, Sichar eandem fuiſſe civitatem, quæ antea Sichem dicta fuit. Hæc nomen ſortita eſt ſuum, à Sichemo filio Hemoris Hevitæ, qui Dinæ filiæ Jacobi vitium obtulerat, Geneſ.34, eratque locus hic propter multas res geſtas memorabiles celebris. Ibi enim Abrahamus primum fixit ſedem, cum è Chaldæa exiviſſet, Gen.12. 6. Ibidem Dina, ut dictum, conſtuprata eſt, ideoque omnes incolæ ab ejus fratribus cæſi ſunt Gen.34. 2,27. Ibidem filii Jacobi oves paverunt Gen.37. 12. Ibi oſſa Joſephi Iſraëlitæ ſepelierunt Joſ.24. 32. Hanc civitatem Jeroboam munivit, & in ea regiam ſedem fixit, cum decem tribus Iſraëlis à Roboamo avulſit 1 Reg.12.25, quia terra circumjacens admodum ferax erat. Aliaque plura eodem loci facta ſunt, quæ in Sacris Literis facile eſt reperire. Non ſine cauſa autem Euangeliſta hujus loci nomen expreſſit, nimirum ut tanto melius intelligeretur, quod infra verſ.6 & 12, mulier de puteo Jacobi memorat. Civitas iſta ſita erat inter duos montes, quorum alter Garizim (de quo poſtea verſ.20.) alter Hebal vocabatur: prout Benjam. Tutel. in ſuo Itinerario locum hunc nominatim deſcribit.

Juxta prædium, quod dedit Jacobus filio ſuo Joſepho.] Hoc legitur Gen.48.22, ubi Jacobus paulo

ante exceſſum ſuum ſic Joſephum alloquitur: *Ecce ego morior, & erit Deus vobiſcum, reducetque vos ad terram patrum veſtrorum. Dedi tibi partem unam terræ illius extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi gladio & arcu meo.* Nonnulli ex Interpretibus cenſent, partem hanc terræ eſſe illam, quam duo filii Jacobi Simeon & Levi ademerunt Hemori patri Sichemi, cum propter illatum Dinæ Sorori ſuæ ſtuprum urbem Sichem ſpoliarunt, omnemque populum interfecerunt, Gen. 34. 27. At hoc non eſt veriſimile, quia factum hoc Jacobo valde diſplicuit. Neque etiam probabile eſt, quod alii comminiſcuntur, cum Jacobus in Ægyptum abiiſſet, vicinos partem illam terræ occupaſſe, Jacobumque poſtea reducem armata manu & bello eam recuperaſſe. Jacobi enim & familiæ ejus non erat tanta potentia, ut aperto Marte poſſet cum vicinis confligere: quodque duo ipſius filii Simeon & Levi geſſerunt, id aſtu magis, quam vi armorum effectum eſt, dum ſcilicet iſtud ſibi tempus ad facinus hoc patrandum elegerunt, quo Sichemitæ doloribus ex circumciſione vexati ad ſe defendendum inhabiles erant. Itaque ſtatuendum potius verba illa Jacobi fuiſſe vaticinium ac prædictionem, quæ tum demum reipſa impleta ſit, cum Iſraëlitæ terram promiſſam armis occupaſſent. Nimirum Spiritu Prophetico proſpexit, poſteros ſuos terram illam poſſeſſuros; ideo ſibi more prophetico attribuit illam victoriam & terræ occupationem, quaſi jam ipſe terram illam poſſediſſet, quam demum per poſteros ſuos poſſeſſurus erat.

Verſ. 6. *Erat autem ibi fons Iacobi. Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem: hora vero erat quaſi ſexta.*] Fons iſte infra vocatur puteus verſ. 12, eum Jacobus ad civitatem Sichem effoderat. Etſi vero nulla de eo Veteris Teſtamenti teſtetur hiſtoria, apparet tamen, tunc viguiſſe talem de eo traditionem inter homines, cui Euangeliſta non contradicit, ſed eam potius approbat, dum eum non tantum Jacobi fontem vocat, ſed etiam indicat, eum in illa ipſa parte terræ fuiſſe, quam Jacobus filio ſuo Joſepho dederat. Præterea veriſimile eſt, Jacobum ibi pecoris cauſa fodiſſe illum puteum, ſicut & Abrahamus Gen. 21. 25, & Iſaacus Gen. 26. 15, 18 fecerant.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.] Fatigatio cauſa eſt ſitis. Ideo Chriſtus conſedit apud puteum, ut ſimul requieſceret, & expectaret, donec aliquis veniret hauſturus aquam, ipſique potum daret. Poſſet hic non immerito quæri; quomodo Chriſtus potuerit fatigari, ſi fuit ipſe Deus altiſſimus? Diſtinctio inter humanam & divinam naturam hic nihil juvat: nuda enim natura neque fatigari neque ſitire poteſt.

Supra fontem.] Vel *prope* & *ad* fontem, more Hebræorum, vel ſupra ſtructuram ligneam, vel lapideam, qua munitus erat puteus. Circa particulam *ſic* macerant ſe quidam Interpretes; ſed ſenſus ſimplex eſt, quaſi diceret Euangeliſta: Quia fatigatus erat Jeſus, ideo conſedit ſupra fontem. Vide ſimile hujus voculæ ſignificationem, Actor. 20. 11.

Hora vero erat quaſi ſexta.] Id eſt, ſecundum Hebræorum horologia, circa meridiem. Eo indicat Euangeliſta cauſam tum fatigationis, tum ſitis Chriſti. Jam enim Chriſtus per dimidium diem pedibus iter fecerat, & Sol tum maxime fervebat.

Verſ. 7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.*] Mulier *de* vel *ex* Samaria, id eſt, mulier Samaritana, ut ipſa ſe appellat verſ. 9. mulier ex terra Samariæ, de qua ſupra verſ. 4. Non poterat enim eſſe ex civitate Samaria, quæ duobus milliaribus ab illo loco diſtabat; ſed erat ex civitate Sichar. Venit autem non caſu fortuito, ſed Deo ſic procurante & gubernante. Et Euangeliſta non ſine cauſa narrat, eam Samaritanam fuiſſe, nempe ut occaſionem ſequentis colloquii indicaret.

Haurire aquam.] Veniebat cum ſitula, qua hauriret aquam: ut patet verſ. 28, & Gen. 24. 15.

Da mihi bibere.] Hoc dixit Chriſtus, cum illa jam hauſiſſet aquam.

Verſ. 8. *Nam diſcipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.*] Nempe in civitatem Samaritanam Sichar: quod illis licitum fuiſſe, mox oſtendetur. Rationem autem his verbis affert Euangeliſta, cur Chriſtus à muliere potum petierit: quia ſi diſcipuli ejus adfuiſſent, vel aliunde hydriam attuliſſent, vel alio aliquo vaſe, quod penes ſe habebant, aquam hauſiſſent. Neque hoc factum eſt ſine Numinis providentia, quod hac ratione mulierem hanc voluit adducere ad colloquium cum Chriſto, & porro ad reſipiſcentiam. Inde vero colligitur, Chriſtum paucos adhuc tunc diſcipulos habuiſſe ſibi adhærentes, quia omnes abierunt, ne uno quidem relicto. Nondum enim duodecim Apoſtolos elegerat.

Verſ. 9. *Dicit ergo ei mulier Samaritana: Quomodo tu cum ſis Judæus, à me poſcis bibere, quæ ſum mulier Samaritana? Nihil enim commercii habent Judæi cum Samaritanis.*] Chriſtum natione Judæum eſſe, mulier iſta proculdubio partim ex ſermone, partim ex veſtitu cognovit. Ita Ephraimitæ diſcrepabant in pronunciatione ab aliis Judæis, dum literam Hebræam ש *ſchin* efferre nequirent Jud. 12. 6. Galilæos quoque facile erat dignoſcere ex ſermone ab aliis Judæis, Matth. 26. 73. Quanto magis Samaritanos, ut pote peregrinum populum (ut mox demonſtrabitur) lingua, veſtitu, ac moribus diſpares à Judæis fuiſſe neceſſe eſt. Miratur autem, Chriſtum à ſe potum poſcere: cujus rei cauſa mox redditur.

Nihil enim habent commercii Iudæi cum Samaritanis.] Hæc non ſunt verba mulieris, ſed Euangeliſtæ, quibus cauſam indicat, ob quam mulier mirata ſit, Chriſtum ab ea poſtulare potum. Quod ut melius intelligatur, paucis exponemus originem Samaritanæ gentis, & cauſam implacabilis odii, quod inter eos & Judæos intercedebat; nec non quomodo Ethnicam ſuam religionem tandem deſeruerint, & Moſis Legem ſuſceperint: quanquam ea de re jam nonnihil ad Matth. 10. 5 diximus. Erant vero Samaritani origine Aſſyrii vel Babylonii: ut legere eſt 2 Reg. 17. Cum enim Salmanaſſar Rex Aſſyriæ decem tribus Iſraëlis in captivitatem abduxiſſet trans flumen Euphraten in Mediam verſ. 6, in terram Iſraëliticam deduxit coloniam ex aliis populis è Babylonia, Cutha, Ava, aliiſque civitatibus Aſſyriæ verſ. 24. A civitate Cutha populi iſti à Judæis Cuthæi, qui à Græcis Samaritani, vocantur, Joſeph. lib. 9. cap. ult. Cum ergo illic habitarent iſti, & ſuas Ethnicas ſuperſtitiones

ſtitiones & abominationes retinerent, immiſit eis Deus Leones, à quibus laniabantur verſ. 25. (Joſephus inquit, Deum peſte eos afflixiſſe: libro & Capite jam dicto.) Itaque cum intelligerent, divinitus ſibi hoc malum eſſe immiſſum ideo, quod uni Deo Iſraëlis debitum non exhiberent cultum, miſerunt ad Regem Aſſyriæ petitum, ut eis aliquis ex captivis Judæorum Sacerdotibus mitteretur, qui eos veram Judaicæ religionis rationem edoceret. Quod etiam factum eſt, atque ita à leonibus liberati ſunt: verſ. 26, 27, 28. Scriptor Judæorum R. Joſe rem ita enarrat. Ut innotuit in Aſſyria terram illam leonibus infeſtari, Salmanaſſar, vocatis ad ſe captivorum Senioribus, quæſivit ex eis cauſam iſtius mali. Illi reſponderunt, Deum, Dominum ac Regem illius terræ, non pati illic ullos incircumciſos: Sperantes, Regem dicturum illico: Redite igitur vos in veſtram patriam. Quæ ſpes eos fefellit. Rex enim dixit: Date igitur duos è medio veſtri, qui eant illuc & populum illum circumcidant, doceantque eum librum Legis. His dictis Regis cum illi refragari non auderent, miſerunt eo R. Doſithæum, & R. Zachariam: qui profecti cum lacrymis eos circumciderunt, & in libro Legis eos erudierunt. Cæterum illi ita Legem Moſis obſervarunt, ut tamen etiam Ethnicos ritus avitos retinerent, quos in Aſſyria didicerant: verſ. 29 & ſeqq. Longo autem tempore amicitiam cum Judæis coluerunt, donec tandem irreconciliabile odium atque inimicitiæ inter eos exortæ ſunt, idque occaſione reſtaurationis Hieroſolymæ. Cum enim Cores ſive Cyrus Judæis conceſſiſſet libertatem redeundi è Babylonia in patriam, Templumque reædificandi, 1 Eſd. 1. 1 & ſeqq. atque ita illi ſtructuram ſub Zorobabele inchoaſſent, Eſd. 3. 1, ægerrime id tulerunt Samaritani, & præter alios Judæorum hoſtes, ipſi omnes adhibuerunt modos ac rationes, quibus opus iſtud impedirent. Effeceruntque tantum calumniis atque falſis criminationibus apud Ahaſuerum Regem, cui perſuaſerunt, Judæos ubi exſtruxerint civitatem Hieroſolymam, illico jugum ejus excuſſuros, ut edicto Regis ab ædificando deſiſtere juberentur. Atque ſic opus ferme 42, annis intermiſſum fuit; uſque ad ſecundum annum Darii Regis Perſarum: de quo legere eſt Eſd. 4. Cum ergo permiſſu Darii Regis rurſus cœpta eſſet ſtructura ſub Nehemia, iterum ſe oppoſuerunt Samaritani. Erat tunc Præſes Samariæ Sannaballat, qui cum vi non poſſet hoc negotium diſturbare, dedit operam, ut aſtu Nehemiam ad ſe allectum interimeret; quo è vivis exempto, putabat opus haud proceſſurum. Vide Nehem. 4 & 6, & Joſephum lib. 2. cap. 5. Eliezer Judaicus ſcriptor perhibet, eos 180000 virorum manum adverſus Eſdram & Nehemiam collegiſſe. Inter alia ait: *Quid Eſdras & Zorobabel filius Salathiëlis, & Joſue filius Joſedeci fecerunt? Congregarunt univerſum populum in domum Domini, & 300 Sacerdotes ac 300 pueros adeſſe juſſerunt, tenentes in manibus 300 tubas, & 300 libros Legis. Hi ubi inflarunt tubas & clangorem ediderunt, Levitæque cecinerunt, Deum laudantes, Cuthæi* (ita vocantur Samaritani à civitate Cutha, ex qua erant oriundi, 2 Reg. 17. 24.) *in fugam conjecti ſunt virtute nominis Sancti* (id eſt, Jehovæ) *& vi ſcriptæ Legis in tabulis, & vi maledicti domus ſuperioris ac inferioris judicii, ne Iſraëlitarum quiſquam vel minimum cibi capiat à Cuthæis in æternum.* Ab hoc tempore edixerunt: *Carnem Cuthæi edere* (id eſt, carnem quæ à Cuthæo mactata erat & vendebatur) *perinde eſt atque ſuillam carnem edere. Nullus etiam Cuthæus debet fieri Proſelytus: neque ullus eorum habebit partem in reſurrectione mortuorum, ſicut dictum eſt; non nobis & vobis domus Domini ædificabitur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Hoc anathema miſerunt Judæis, qui erant in Babylonia, qui illud approbarunt, & iterarunt. Hujuſmodi odium adverſus Samaritas etiam Jeſus Sirach teſtatus eſt (qui non multo poſt illud anathema factum vixit) cum inquit: *Duas gentes odit anima mea; tertiam autem ſic odi, ut nullam aliam gentem: Samaritanos, & Philiſthæos, & ſtultum populum, qui habitat in Sichem,* Eccleſiaſtic. 50. 27, 28. Hinc jam patet, cur Samaritana mulier hic ad Chriſtum dixerit: *Quomodo tu, cum ſis Judæus, à me poſcis bibere, quæ ſum mulier Samaritana?* & cur Euangeliſta addiderit: *Nihil enim commercii habent Judæi cum Samaritanis.* Judæi Samaritanos eodem ferme loco habebant, quo Ethnicos. Dico *ferme:* erant enim apud eos quaſi medii inter Judæos & Ethnicos. Judæi Samaritanorum nullum cibo ac potu ſublevabant: neque etiam viciſſim à Samaritanis ſublevari poſtulabant. Cibi enim & potus ſubminiſtratio eſt ſignum & ſpecies commercii, quod juxta doctrinam Legiſperitorum (Miſnajoth Tract. de Bened.) nulli Judæorum cum homine alienæ religionis permiſſum erat. Licebat quidem Judæis ea quæ ad cibum pertinebant, à Samaritanis emere, ſi modo ſuſpicio impuritatis abeſſet (hinc integrum etiam fuit diſcipulis Chriſti, cibos emere in civitate Sichar) ſed gratis ac dono ea accipere nefas erat. Neque etiam fas erat ex eodem vaſe cum Samaritanis bibere, ne aquam quidem: omnia enim eorum vaſa pro impuris habebantur. Phariſæi autem temporibus Chriſti longe etiam quam alii Judæi, rigidiores erant. Si enim contingeret, ut in foro inter turbam Samaritanum attingerent, abluebant aqua totum corpus, rati ſe contactu ejus eſſe pollutos: quod idem etiam Samaritani faciebant, ſi quando aliquem alienæ religionis hominem contrectarent.

Jam etiam ſtrictim referemus, quomodo Samaritani abjecta Ethnica religione ſua, quam diu una cum Lege Moſis obſervarant, cultum veri Dei Iſraëlis ſuſceperint. Id vero hac occaſione factum eſt. Tempore Darii Regis Perſarum ultimi, fuit Pontifex Maximus Hieroſolymis Jaddus; qui habebat filium nomine Manaſſen. Iſte duxit uxorem Nicaſo filiam Sannaballati, qui origine Cuthæus ſeu Aſſyrius erat (ut & omnes Samaritani) præfectuſque erat Samariæ à Rege Dario. Hoc connubium, quod Legi prorſus erat contrarium, non poterant Judæi concoquere, quia nova nupta etſi ex illuſtri domo ac familia, gente tamen Ethnica erat. Inde orta eſt adverſus Manaſſen ſeditio, eique impoſitum, ut vel uxorem dimitteret, vel ab altari impoſterum abſtineret. Manaſſes neque uxore, neque altari carere volens, confugit ad ſocerum ſuum Sannaballatum, qui à Dario Rege & poſtea ab Alexandro Magno obti-

nuit poteſtatem in monte Garizim, (qui editiſſimus mons in Samaria erat & civitati Sichem proximus) condendi Templum ſimile Hieroſolymitano, inque eo generum Manaſſen Pontificem Maximum conſtituit. Anno ante natum Chriſtum 334. Hoc in cauſa fuit, ut plurimi è præcipuis Judæorum, qui uxores alienigenas duxerant, ad Manaſſem deficerent, ne uxores ſuas repudiare cogerentur. Imo hoc tantas turbas dedit inter Judæos, ut ſi quis Judæorum Hieroſolymis accuſaretur, vel illicitorum ciborum, vel violati Sabbathi, vel alicujus alterius peccati adverſus Legem admiſſi, mox refugeret ad Sichem in Samariam, ibique quereretur, ſe inique ac immerito eſſe reum factum. Vide Joſephum lib. 2, cap. 8, cum quo conſentit R. Abraham in Cabbala & liber Juchaſin. Alii Judæorum Scriptores (vide Gedaliam) tradunt, jam ante tempora Alexandri Magni Templum extructum fuiſſe in monte Garizim. Quod etiam probabile eſt: quia cum Samaritani una cum Deo Iſraëlis ſuis etiam Diis gentilibus ſervirent, non poterant una cum Judæis in Templo Hieroſolymitano ſacris operari. Itaque quod Joſephus ſcribit, ita intelligendum eſt, quod Sannaballat vetus Templum, quod in monte Garizim erat conſtructum, demolitus ſit, & novum ad modum & formam Hieroſolymitani Templi condiderit. Illo vero tempore, quo Manaſſes Pontifex fuit in Templo Garizimitano, cœperunt Samaritani Ethniciſmum dediſcere, & ſolum Deum Iſraëlis colere: unde factum eſt, ut ſe Iudæi magno numero ad eos conferrent. Poſterioribus temporibus autem propter hoc Templum magna contentio & diſſidium inter Judæos & Samaritanos fuit. Hinc Joſephus ſcribit lib. 12. cap. 1. *Sequenti tempore Iudæis cum Samaritanis perpetua concertatio & pugna fuit; pars unaquæque majorum ſuorum traditiones acriter defendebat: ideoque ſemper invicem adverſa habebant caſtra; propterea quod illi qui Hieroſolymis erant, Templum ſuum ſolum ſanctum eſſe dicerent, neque permitterent Judæis alibi ſacrificare, quam Hieroſolymis. Contra autem contendebant Samaritani, in monte Garizim ſacrificia ac reliquum divinum cultum peragi debere.* Ex quo facile jam intelligitur, quid ſit illud, quod Samaritana mulier infra verſ. 20, ad Chriſtum ait: *Patres noſtri adoraverunt in hoc monte* (puta Garizim) *& vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi oportet adorare.* Reſpicit enim illa ad hanc controverſiam, quæ de ſanctitate Templi inter utrumque populum vigebat. Tam alte vero animis Samaritanorum inſederat opinio de antiquitate ſuæ religionis, ut tempore Ptolemæi Philometoris Regis Ægypti pollicerentur etiam cum periculo capitis ſui ſe ex Lege Moſis probaturos, Templum Garizimitanum eſſe Hieroſolymitano antiquius ac potius. Utraque pars permiſit rem judicio Regis Ptolemæi. Samaritanorum cauſam egerunt Sobbæus & Theodoſius, Judæorum autem Andronicus. Antequam ad diſceptationem cauſæ venirent, pacti inter ſe ſunt, ne ulla alia argumenta, quam ex Lege, proferre liceret; qui ſecus faceret, ut illico morte afficeretur. Tanta erat in utraque parte bonæ cauſæ fiducia. Andronicus igitur, poſtulante Sobbæo & Theodoſio cœpit (ut Joſephus ſcribit lib. 13. cap. 5.) Hieroſolymitani Templi ſanctitatem & dignitatem demonſtrare, etiam Pontifices Maximos ordine ac diſtincte recenſere, quomodo per ſucceſſionem à patre ſuo quiſque hanc dignitatem acceperit. Oſtendit quoque, quomodo omnes Aſiæ Reges multis pretioſis & magnificis muneribus atque donariis hoc Templum ornarint: cum contra Templum in monte Garizim ſitum, quaſi non eſſet in rerum natura, in nullo honore ac pretio fuerit, à nulloque Rege curatum, aut dono aliquo honoratum ſit. His & ſimilibus argumentis, inquit Joſephus, Rex ab Andronico perſuaſus agnovit, Templum Hieroſolymitanum ex præſcripto Legis Moſaicæ eſſe exſtructum; tulitque pro Andronico ac Judæis ſententiam. Ita Sobbæus & Theodoſius ſupplicio affecti ſunt. Hoc factum eſt circiter 160 annis ante Chriſtum natum.

Triginta & aliquot annis poſtea, cum Judæorum res florerent, & recrudeſceret priſca inter eos & Samaritanos ſimultas, Johannes Hyrcanus Pontifex Hieroſolymitanus diruit Templum Garizimitanum funditus, poſtquam ferme 200 annos duraſſet: ut Joſephus auctor eſt lib. 13. cap. 17, cum quo conſonant etiam Judæorum Scriptores. Eo autem non contentus Hyrcanus, totam Samariam Judaico regimini ſubjecit; & expugnata civitate, Samariæ metropoli, non acquievit (ut ait Joſephus lib. 13. cap. 18.) *ſed civitatem prorſus ſolo æquavit, & aquas eo traduxit, quæ eam ita excavarunt & exederunt, ut nullum remaneret ſignum, ex quo hodie cognoſci poſſit olim ibi civitatem ſitam fuiſſe.* Ita Judæi Samaritanis imperitarunt. Paucis vero poſt annis iterum in Regum Syriæ poteſtatem devenerunt. Sed cum Syria adjecta eſſet Romano Imperio, Judæa quoque una cum Samaria in provinciam Romani Imperii redacta eſt. Cumque Auguſtus Romanorum Imperator eſſet, tradidit Herodi Samariam aliaque nonnulla oppida: qui Samariam ab imis fundamentis de integro reſtituit & quam magnificentiſſime exornatam Sebaſten appellavit, etiam Templum ſumptuoſiſſimum in medio urbis poſuit, Joſeph. lib. 15. cap. 11. Sed Samaritani hoc Templum ſuſque deque habuerunt, ac priſtino more ſuo in monte Garizim ſacra peregerunt ſua; ut ex verſ. 20, infra intelligemus. Atque hoc faciunt etiam hodie, ubi Pontifex eorum Maximus Sichemi prope montem Garizim habitat, aliiſque Samaritanis jus dicit, eiſque tempus Paſchatis aliaque feſta indicat.

Alioqui narrat Joſephus etiam de Samaritanis, eos ita eſſe comparatos, ut ſi Judæorum fortuna afflicta ſit, nullam cognationem cum Judæis velint agnoſcere (uti etiam nulla eſt) ſi autem videant proſperum Judæorum ſtatum, mox ſe illis aſſocient, & jactent, ſe proxima conſanguinitate Judæos contingere, genus ſuum ab Ephraimo & Manaſſe filiis Joſephi deducentes. Vide Joſeph. lib. 2. cap. 8. Hinc mulier quoque Samaritana vocat infra verſ. 12. Jacobum patrem Samaritanorum. Ita Samaritani, cum viderent, Alexandrum Magnum benignum ſe ac propitium Judæis exhibere, atque inter alia immunitatem à tributis per ſeptem annos eis conceſſiſſe, ipſi quoque pro Judæis ſe geſſerunt: ut Joſephus ibidem refert. Contra vero, cum Judæi ab Antiocho peſſime tractarentur nolebant Samaritani amplius

amplius esse Judæorum cognati, neque agnoscebant Templum Garizimitanum esse Dei Templum, sed aliud ei nomen Ethnici idoli dabant, dicebantque, se à Medis & Persis ortos, ibique collocatos esse; quod sane verum erat, Joseph. lib. 12. cap. 7.

Porro quod religionem ac mores eorum attinet, non recipiebant nisi Pentateuchum, seu quinque libros Mosis, Prophetarum scripta una cum reliquis libris Veteris Testamenti prorsus rejiciebant. Stricte inhærebant literæ, ut & hodie faciunt Judæi in Africa Charaim seu *scripturarii* dicti. Nefas ducebant alienæ religionis hominem attingere (ut & Pharisæi) & si id forte accideret, domi diligenter se abluebant. Hodie Sacerdotibus utuntur Levitis Judaicis, qui etsi Samaritanis in religione inserviant, eosque instituant, tamen cum illis matrimonia non contrahunt. Sacrificia & cultum religionis exercent in monte Garizim in quadam Synagoga, quam extruxerunt ibidem post eversionem Templi sui. Rationem cur tantopere montem Garizim colant, sumunt ex Lege Deut. 11. 29, ubi Moses ait: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram tuam, pones benedictionem* (quæ Deut. 28. 3. describitur) *in monte Garizim.* Cavent quoque, ne mortuos, aut ossa mortuorum ac occisorum, aut sepulchra attingant. Quando in Synagogam eunt, deponunt quotidianas vestes suas, abluunt totum corpus aqua, vestesque alias induunt, quas in hunc solum usum asservant. Quod etiam Messiam expectaverint, ex hujus Capitis vers. 25 liquet. Cum quinque libros Mosis receperint, sine dubio etiam prophetias, quæ in eis de Messia habentur, intellexerunt. Ut Gen. 49. 10. *Non auferetur Sceptrum a Juda*, &c. Et Deut. 18. ℣. 18. *Prophetam suscitabit Dominus Deus vester*, &c. Atque hoc tempus jam instare, communis erat per totam Judæam opinio & fama, ut ad Matth. 2. 5 adnotavimus. Judæi (ut & Patrum nonnulli, Gregorius, & Epiphanius) Samaritanis vulgo omnibus tribuunt, quod negent resurrectionem mortuorum, ut olim Sadducæi.

Ex hoc Samaritano populo hodie pauci sunt reliqui: qui loca illa visitarunt peregrinando, referunt, eos adhuc Synagogas suas habere Sichemi, Hierosolymis, Gazæ, Damasco, & Cairo; sed paucos esse numero. Vide Petrum à Valle. Arabs quidam Scriptor, (quem citat Josephus Scaliger lib. 7 de emendat. Temporum) scribit in rubro mari esse Insulam, quam incolant Samaritani, qui nullum cum aliis populis commercium habeant.

Vers. 10. *Respondit Jesus & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.*] Si scires donum Dei, id est, si scires, quantum beneficium tibi tametsi Samaritanæ mulieri à Deo contingat, dum tibi occasionem tam lepidam discendi viam salutis æternæ suppeditat.

Donum Dei.] Gr. τὴν δωρεὰν. Articulus τὴν indicat, eum de certo & insigni dono Dei loqui. Ita etiam vocatio Dei per Euangelium donum Dei vocatur Ephes. 2. 8.

Et quis sit, qui dicit tibi.] Id est, quis & quantus sit ille, quod nimirum sit Servator mundi, quem tu, æque ac Judæi, expectas. His verbis declaratur id, quod præcesserat. In eo enim situm erat donum Dei, quod rem ita direxerit, ut illa Christum ad puteum sedentem offenderet.

Tu petiisses ab eo.] Tu eum tua petitione prævenisses, & eum potius rogasses.

Et dedisset tibi aquam vivam.] Aqua in Sacris Literis varias habet significationes. Hic autem videtur doctrina Euangelii intelligi, quatenus in ea id continetur, quod ad vitam æternam consequendam necessarium est ac requiritur. Quemadmodum enim aqua naturalem sitim restinguit; & explet ita doctrina Euangelii explet inexplebilem sitim æternitatis, ad quam omnes homines summo & indesinenti cum desiderio anhelant. Aqua viva est, quæ ex ipsa scaturigine profluit, & se ipsam movet, quasi viva esset; opponiturque aquæ quiescenti & quasi mortuæ. Illa apta est ad bibendum, hæc minime; quia plerumque sordida est & fætet. Euangelium autem aqua viva vocatur, quia vitam æternam affert. Ita Christus seipsum vocat panem vitæ, Joh. 6. 35.

Vers. 11. *Dicit ei mulier: Domine, neque haustrum habes, & puteus est profundus; unde ergo habes aquam vivam?*] Ex sermone Christi & promissione, quam illi fecit, collegit mulier illa, eum non vulgarem hominem esse: idcirco eum honorifico titulo appellat, *Domine.* Interea vero per aquam vivam nonnisi naturalem aquam intellexit. Innuit autem his verbis, eum sibi promittere impossibilia: puteum enim esse profundum, ut absque situla & pertica, quibus instrumentis ille carebat, aqua ex eo hauriri non posset.

Unde ergo habes aquam vivam?] Ex puteo absque hydria vel situla aquam haurire non potes, & aliunde etiam nullam poteris aquam vivam afferre.

Vers. 12. *Num tu major es patre nostro Jacobo, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus & pecora ejus?*] Mulier ista duobus modis probare gestit, Christum non posse sibi dare aquam vivam: vel enim necesse foret, ut eam ex puteo hauriat, quod facere nequeat, cum destitutus sit haustro (quod superius objecit) vel ut alium puteum effodiat, quod his intelligit verbis; quasi dicat, Nonne vides, quam hic puteus magnus sit, quam profundus, quanta in eo sit aquæ copia, ut non solum Jacobus cum familia sua, sed etiam pecora ejus ex eo biberint? quomodo tu igitur alium puteum fodies? an tu sapientior vis esse Jacobo Patriarcha nostro?

Patre nostro Iacobo.] Quomodo Samaritani gloriati sint, se Jacobi esse posteros, supra vers. 9 est indicatum. Verumque id ex parte erat, quia etiam Judæi multi iis admisti erant, sed isti tamen pauci erant cum reliquis comparati.

Qui dedit nobis puteum.] Id est, is nobis posteris suis hunc puteum monstravit, quo præstantior non datur hic in tota vicinia. Itaque tu meliorem non invenies, neque mihi ex eo vivam aquam dabis.

Et ipse ex eo bibit, & filii ejus.] Indicat, salubrem in hoc puteo esse aquam.

Et pecora ejus.] Hoc indicat copiam magnam aquæ in puteo.

Vers. 13. *Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum.*] Quod mulier objecerat, eum non esse majorem Jacobo, Christus ex

modeſtia & vitans jactantiæ ac propriæ laudis ſuſpicionem, directe & expreſſis verbis non refutat. Interim tamen verbis iſtis innuit, ſe reipſa majorem eſſe Jacobo, dum oſtendit, quam magna ſit differentia inter aquam iſtius putei, & eam, quam ipſe dare poſſit. Hæc enim aqua, ait, ſedat tantum naturalem ſitim corporis, idque non in perpetuum, ſed ad breve tempus. Ubi enim in ventriculo concocta fuerit, effluit ex homine, & ſitis redit.

Verſ. 14. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*] Infra cap. 6. 34 ait Chriſtus: *Qui in me credit, ſitiet nunquam.* Ex quo intelligitur, per aquam hoc loco intelligi ſalutarem doctrinam Chriſti, quam quiſquis animo ſemel imbiberit, atque complexus fuerit, ei non opus eſt, ut eam iterum iterumque bibat, ſed ſufficit, ut eam tantum conſervet.

Non ſitiet in æternum.] Sitis, de qua hic Chriſtus loquitur, eſt inſatiabile deſiderium immortalitatis, quod omnibus hominibus, à natura eſt inſitum. Hanc ſitim nulla humana ſapientia poteſt extingere, quia viam conſequendi vitam æternam monſtrare non poterat; quo igitur plus ex ea bibitur, eo magis accenditur ſitis. At doctrina Chriſti, afferens certam ſpem immortalitatis, ad quam omnes homines naturaliter adſpirant, nata eſt omnem ſitim ac deſiderium hominum explere. *Chriſtus deſtruxit mortem, & illuminavit vitam ac incorruptionem per Euangelium*, 2 Tim. 1. 10. Qui per aquam hic baptiſmum aquæ intelligunt, turpiſſime hallucinantur. Quomodo enim probari poteſt, talem vim ineſſe aquæ baptiſmo, qualem doctrinæ Chriſti ineſſe modo oſtendimus? Spes immortalitatis pro fundamento ſupponit ſanctimoniam vitæ, *ſine qua nemo videbit Dominum* Hebr. 12. 14. Sanctimonia vitæ autem per baptiſmum aquæ non acquiritur, ſed non ſine divino auxilio per diutinum exercitium in ſervandis Dei præceptis comparatur. Vide quid ſupra dictum ſit ad cap. 3. 5. Neque etiam Spiritus Sanctus hic per aquam intelligitur, quia non omnibus hominibus communicatur, neque perpetuo manet in hominibus, nec ut perpetuo maneat, opus eſt.

Sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.] Chriſtus continuat allegoriam de fonte: quaſi dicat; Aqua, quæ naturalem ſitim ſedat, non eſt in homine, ſed extrinſecus in corpus infunditur, & rurſus ex corpore exit; unde fit, ut nova ſubinde ſitis exiſtat: ſed hæc aqua, quam ego dabo, erit in eo inſtar fontis vivi. Itaque qui eam biberit, & in ſe retinuerit, nunquam ſitire poteſt: quemadmodum ſi homo haberet fontem intus in corpore ſuo, nulla unquam corporis ſiti laboraret.

Salientis in vitam æternam.] Quo altius ſalit aqua è ſcaturigine, eo eſt præſtantior: eſt enim ſignum copioſæ aquæ. Ita qui doctrinam Chriſti demiſerit in animum ſuum, is largiſluum fontem in ſe habebit, cujus ſcatebræ in cœlum uſque emicabunt ac ebullient. In cœlo enim eſt vita æterna.

Verſ. 15. *Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire.*] Illa verba Chriſti accipit de corporea ac materiali aqua, putatque Chriſtum habere tam efficacem aquam, quæ ſemel pota ſitim extinguat in perpetuum. Itaque cupit hanc aquam habere, non ut poſſit æternum vivere, ſed ne amplius opus ſit adire puteum ad hauriendam aquam. Alii exiſtimant, eam ſic per ludibrium eſſe locutam ad Chriſtum; Amabo te, ſi habes talem aquam, tam præſtantem, da & mihi aliquid hujus aquæ: quomodo ſolent homines irridendi animo alloqui eos, quos pro nugivendis habent. Sed prior ſententia eſt probabilior. Idcirco eum rurſus Domini titulo ornat, indicans, ſe eum non pro ſimplici & proletario homine habere.

Neque veniam huc haurire.] Inde colligere eſt, mulierem iſtam pauperem fuiſſe, ut non haberet famulam ullam, ſed ipſa ſemper aquam ſibi afferre cogeretur.

Verſ. 16. *Dicit ei Jeſus: Vade, Voca virum tuum, & veni huc.*] Chriſtus probe norat, eam carere viro, ut verſ. 17, mox ipſe indicat. Duæ autem videntur fuiſſe cauſæ potiſſimum, ob quas Chriſtus juſſerit, ut virum ſuum vocaret. Primum quia donum, quod ei promittebat, non ſoli mulieri, ſed viro ejus quoque una conferre voluit, ut beneficium tanto majus eſſet. Non ſatis etiam per ſe decorum erat, alienæ uxori dona dare inſcio & abſente marito. Deinde quia Chriſtus optime ſcivit, quid reſponſura eſſet, quod ſcilicet virum non habeat, quæſivit hac ratione occaſionem, ei totum vitæ prioris curſum ob oculos ponendi & in memoriam revocandi, quod nimirum quinque viros habuerit, & is quicum nunc habitet, non ipſius ſit. Ubi rurſus notanda eſt Chriſti ſumma prudentia. Poterat enim hoc ipſi ſtatim ab initio ſine ulla occaſione dixiſſe; ſed potuiſſet videri oſtentationis animo hoc ipſum quæſiviſſe, ut pro Propheta haberetur: quemadmodum facere ſolent arioli & agyrtæ, qui etiam non rogati ultro hominibus vel præteritæ vitæ actiones commemorant, vel futura prædicunt, ut qui ſint, ab hominibus ſciatur. Sanctorum hominum animus atque ingenium longe abeſt à tali vanitate.

Et veni huc.] Una cum marito tuo.

Verſ. 17. *Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jeſus, Bene dixiſti, Virum non habeo.*] Quæritur hic: cur mulier iſta dixerit, ſe non habere virum, cum tamen habuerit eum, cui tanquam viro cohabitavit? Non enim veriſimile eſt, eam dicere voluiſſe, quod habeat quidem virum, ſed non legitimum. Sic enim ipſa ſuam prodidiſſet turpitudinem, quam illa his ipſis verbis celare voluit, cum dixit, ſe virum non habere. Cur etiam non ſtatim illum ſuum concubinum vocavit, cum à Chriſto eum accerſitum ire juberetur? Nam ut timeret, ne Chriſtus agnoſceret, eum non eſſe ipſius legitimum maritum, cauſam nullam habebat. Itaque videtur, deſiderium reſciendi quamprimum, qualem Chriſtus miraculoſam aquam habeat, eam adduxiſſe, ut diceret, ſe virum non habere.

Bene dixiſti; Virum non habeo.] Eo ſenſu, quo illa negaverat, ſe habere virum, non verum dixerat: volebat enim ita hoc à Chriſto intelligi, quod nullum omnino virum haberet; ne ſcilicet eum vocare cogeretur. Sed Chriſtus ita interpretatur ejus verba, quaſi verum dixiſſet, quod nimirum non habeat legiti-

legitimum maritum. Hic iterum Chriſti eximia elucet prudentia & manſuetudo. Non vult eam aperte impudicitiæ arguere, & turpiter actæ vitæ dedecora ei exprobrare: interea tamen oſtendit, ſibi facinora ejus non eſſe incognita. Nimirum noluit eam aſperitate correptionis offendere & à ſe avertere, quam ad frugem ac meliorem mentem reducere cupiebat.

Verſ. 18. *Quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir: hoc vere dixiſti.*] Chriſtus poterat ſimpliciter dicere: Bene dixiſti, nam quem nunc habes, non tuus eſt vir. Sed eo non contentus, hac occaſione ei exponit acta totius vitæ ejus, quot nimirum viros habuerit, ut tanto melius illa intelligeret, ſibi cum Propheta Dei rem eſſe. De ſenſu autem horum Chriſti verborum triplex hodie reperitur apud Interpretes ſententia. Alii volunt, quinque illos viros fuiſſe legitimo matrimonio cum ea junctos, ſed unum poſt alium cito deceſſiſſe. Alii vero cenſent, eos omnes fuiſſe legitimos, quos divortio facto ipſa dimiſerit contra Legis mentem, quæ ſolis viris permittebat uxores repudiare, non uxoribus viros. Alii denique exiſtimant, omnes iſtos fuiſſe illegitimos ejus viros; quod ex verbis ipſius mulieris colligunt, quæ verſ. 29, ad cives in civitate dixit de Chriſto: *Ille mihi dixit omnia, quæcunque feci:* quaſi dicat, omnia mea occulta peccata & in ſecreto commiſſa mihi enunciavit. Sed prima ſententia videtur aliis præferenda eſſe, cui etiam plerique Interpretes ſubſcribunt.

Non eſt tuus vir.] Non eſt legitimus tuus maritus, ſed ſcortator, vel (ut alii volunt) non eſt tuus vir, quia illegitimo divortio facto nondum à priori viro es ſoluta.

Verſ. 19. *Dicit ei mulier: Domine, video te Prophetam eſſe.*] Statim ab initio animadvertit illa, Chriſtum non eſſe hominem è trivio atque vulgarem; ideo eum ſubinde Dominum appellavit verſ. 11, 15. Nunc cum ſecreta ipſi revelavit, Prophetam eum eſſe agnoſcit.

Verſ. 20. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi oportet adorare.*] Quia Chriſtum credidit eſſe Prophetam, adeoque de omnibus rebus veritatem poſſe dicere, ideo proponit ei quæſtionem illam decidendam, quæ tum maxime agitabatur inter Judæos & Samaritanos: Quis ſcilicet ſit locus legitimus, ubi Deus ex præcepto ejus adorandus atque colendus ſit? Hieroſolymiſne? an in hoc monte?

Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.] Dum hoc dicit, digito monſtrat montem Garizim, ad cujus radices ſita erat civitas illa Sichar: ut verſ. 9 annotavimus. Ubi etiam indicatum, Samaritanos voluiſſe pro Judæis cenſeri, etſi origine Ethnici eſſent. Per Patres autem intelligit antiquiſſimos illos ac celeberrimos Patriarchas, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum, &c. Quod nonnulli putant, hunc fuiſſe montem illum, in quo Abrahamus filium ſuum Iſaacum mactare voluerit, caret omni fundamento. Hoc enim factum eſt in monte Moriah, Gen. 22. 2. Sed hoc verum eſt, Abrahamum non procul à Sichemo altare extruxiſſe, paulo ante oblationem Iſaaci Gen. 12. 6, 7. Item Jacobum Gen. 33. 18. Illis autem temporibus altaria ponebantur iis in locis, quæ cœlo eſſent proxima, id eſt, in montibus.

Et vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus.] Primum Deus elegerat Silo, ut ibi eſſet locus cultus ſui, ubi etiam erat Tabernaculum Fœderis Joſ. 22. 12. Jud. 21. 19. 1 Sam. 4. 3. Pſal. 78. 60. Jerem. 7. 12. Poſtea autem Deus deſignavit Hieroſolymam, ut in ea Templum conderetur. Alio autem in loco, quem Deus ipſe non aſſignaverat, ſacra facere haud licebat Deut. 32. 14, 26. Quomodo autem Sannaballat ſuo genero Manaſſi Templum in monte Garizim ædificaverit, & quomodo exinde paulo ante indicata contentio atque controverſia de loco vero ſacrorum peragendorum enata ſit, verſ. 9 ex poſuimus.

Ubi oportet adorare.] Verbum *adorandi* ſumitur hic laxiore ſignificatu, ita ut ritus ſacrificandi & totam cultus divini rationem in ſe comprehendat. Alioqui ſimpliciter Deum adorare, tam apud Samaritanos quam apud Judæos erat omni in loco licitum.

Verſ. 21. *Dicit ei Jeſus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem.*] Mulier agnoverat Chriſtum eſſe Prophetam: hoc igitur Chriſtus pro conceſſo & confeſſo ſumit, vultque ſibi ut Prophetæ credi.

Venit hora.] Id eſt, tempus iſtud jam præſto ac præſens eſt, ut verſ. 23 indicat. Præſens pro futuro.

Quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem.] Chriſtus non directe reſpondet ad mulieris quæſtionem, Quinam ſcilicet ſit locus verus ac legitimus Deum colendi? in monte ne Garizim, an Hieroſolymis? ſed facit Samaritanos & Judæos ratione futuri temporis pares, indicatque, nec Samaritas in monte Garizim, nec Judæos Hieroſolymis Deo impoſterum gratum cultum præſtituros: quia nimirum iſta ratio Deum colendi, quæ carnalibus hominibus tantum præſcripta fuit, & certo loco fuit affixa, ſit abolenda, aliaque in ejus locum introducenda, quæ cum Dei natura conveniat & ſpirituales homines magis deceat. Cauſa autem, cur Chriſtus ita reſpondeat, eſt, quod ſibi voluerit aditum parare ad ſequentem reſponſionem, in qua Chriſtus ſententiam pro Judæis pronunciat, ut hanc mulier æquiori animo ferre poſſet, ſi ex his verbis intelligeret, Samaritanos non eſſe à Deo penitus rejectos, ſed Judæis ratione cultus divini, de quo ipſe loquitur, fore omnino pares.

Verſ. 22. *Vos adoratis, quod neſcitis; nos adoramus, quod ſcimus: quia ſalus ex Judæis eſt.*] Verſiculo præcedenti innuit Chriſtus, quæſtionem de loco adorandi Deum abhinc minime eſſe neceſſariam: quia & Judæi & Samaritani hac in re pares erunt. Hic jam propius reſponſione ſua ad quæſtionem à muliere propoſitam accedit, docens, Judæorum cauſam hac in controverſia meliorem eſſe quam Samaritanorum, illoſque hactenus rectius Deum coluiſſe, quam hos. Poſſunt autem hæc verba dupliciter intelligi: vel quod Chriſtus de re illa loquatur, quæ utrinque adorabatur, nempe de Deo; vel de modo tantum & ratione (ſub qua etiam locus comprehenditur) Deum adorandi. Priori ſenſu hoc

ſibi

ſibi vult Chriſtus : Vos adoratis Deum, quem non noſtris; nos Judæi autem adoramus Deum, quem novimus. Cenſent enim nonnulli, Chriſtum id reſpexiſſe, quod Samaritani crediderint, Deum habere corpus non abſimile humano, quod Judæi non crediderint. Sed Samaritanos id credidiſſet, nuſquam legitur, etſi verum eſſe poſſit : cæterum etiam Judæos complures hujus ſententiæ fuiſſe, teſtatur ſcriptor quidam Judæorum R. Moſes Ægypt. lib. 1. Morch. cap. 1. Alii exiſtimant Chriſtum eo ſpectare, quod Samaritæ Deum crediderint unius tantum regionis & non totius mundi eſſe Deum. At ſi talis unquam inter eos vigebat opinio, credibile eſt, eam antiquis viguiſſe temporibus, cum primum ex Aſſyria in terram Samariæ veniſſent, & antequam Legem recepiſſent : poſtea vero cum in Lege inſtituti eſſent, inprimis Chriſti tempore, cum jam omnes Ethnicas ſuperſtitiones & abominationes abjeciſſent, hanc eos foviſſe de Deo ſententiam, non eſt vero contentaneum. Quare ſtatuendum potius, Chriſtum hic reſpondere ad quæſtionem mulieris, & deciſivam pronunciare ſententiam. Quaſi dicat : Quod vos Samaritani Deum in hoc monte adoratis, neſcitis quid faciatis, non poteſtis ullum de eo mandatum Dei producere, cum Prophetas omnes rejiciatis : nos autem quod Hieroſolymis Deum adoramus, conſtat nobis ejus rei ratio, cum Dei expreſſum ea de re mandatum habeamus. David enim primum monitu Prophetæ ſibi propoſuerat Domino ædificare donum Hieroſolymis 2 Sam. 7. 2, ſed deinde volente Deo à Salomone demum Templum extructum eſt, 2 Sam. 7 13. 1 Reg. 5. 3. Chriſtus ait, *Quod ſcimus*, quia ſe Judæis connumerat (ex quibus Meſſias erat venturus) & Dei adoratoribus ſe accenſet. Unde patet, eum Deum ſummum non eſſe.

Quia ſalus ex Judæis eſt.] Judæos præ aliis omnibus populis ac nationibus, adeoque etiam præ Samaritanis excelluiſſe perfecta Dei notitia, probat Chriſtus ex eo, quod Deus promiſerit, ex Judæis proditurum eſſe Meſſiam ac Servatorem mundi, quem etiam Samaritani expectabant ℣. 25. Hinc etiam poſt conditum Templum Hieroſolymis, Pontificum ordo continua & non interrupta ſerie ſemper duravit : etiam Prophetæ omnes hoc Templum ſua ornarunt præſentia. Quo ſigno Deus indicare voluit, etiam cognitionem voluntatis divinæ ab illo loco, & non à monte Garizim petendam eſſe. Unde etiam Deus voluit, ut in eodem Templo Hieroſolymitano Euangelium quoque à Chriſto & Apoſtolis prædicaretur, juxta prophetiam Malachiæ, cap. 3. verſ. 1.

Verſ. 23. *Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem, in Spiritu & veritate. Etenim Pater tales quærit, qui adorent eum.*] Conjunctio *ſed* reſpicit ad loca illa, in quibus Deus hactenus fuit adoratus : quaſi dicat. Hactenus adoratores certo in loco Deum adorarunt, nos Hieroſolymis, vos in hoc monte : ſed venit (id eſt, venier) tempus, quando non certo in loco Deus adorabitur, ſed in ſpiritu & veritate.

Et nunc eſt.] Id eſt, propediem & brevi aderit. Sic etiam infra cap. 5. 25, hæc verba ſumuntur. Significat, ſe non loqui de rebus longe poſt futuris, uti ſolebant antiquitus Prophetæ de talibus rebus vaticinari, ſed de rebus jam jam eventuris & brevi conſpiciendis. Quo dicto animum iſtius mulieris in bonam ſpem erigere voluit.

Quando veri adoratores.] Id eſt, perfecti & excellentiſſimi adoratores, Deo ante alios omnes gratiſſimi. Vide dicta ſuperius de hac voce *Verus*, cap. 1. 9. Per adorationem autem hic tota religio ac divinus cultus intelligitur.

Adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.] Vox *Spiritus* opponitur hic *corpori*, ſeu corporali cultui Dei, qui certo loco, tempori, & rebus, quæ nonniſi corpore peraguntur, alligatus eſt. Judæi in Templo Hieroſolymitano, Samaritani in monte Garizim Deum quaſi incluſerunt, perinde ac ſi nullo alio in loco adorari poſſet. Sub Novo Fœdere autem uniuſcujuſque fidelis hominis animus eſt Templum Dei, 1 Cor. 3. 16. VI. 19. Quiſquis in corde ſuo Deum adorat, eique ſervit, eſt ei acceptus, quocunque in loco vel angulo mundi ſit conſtitutus. Unde cernere eſt, religionem Novi Fœderis ſpiritualem, & non corporalem aut carnalem eſſe : qua de re ad ſequentem verſiculum plura dicemus.

Et veritate.] Veritas hic opponitur umbris & figuris, nempe Legi Ceremoniali, quæ *umbra tantum fuit rerum futurarum*, Col. 1. 17. Hebr. 8. 5. X. 1. Itaque per veritatem intelliguntur res illæ, quæ per umbras & figuras Legis fuerunt præſignificatæ.

Etenim Pater tales quærit, qui adorent eum.] Reddit Chriſtus rationem, cur veri adoratores in Spiritu & veritate Deum adoraturi ſint : quia nimirum Deus tales adoratores nunc quærit, tales ſoli grati ſunt ipſi & accepti, quia ſolus ſpiritualis cultus ei placet. Cur ergo, quæres, Deus olim populo ſuo carnalem & ceremonialem cultus rationem præſcripſit, ſi ipſi ſola ſpiritualis ratio placet ? Videlicet Ceremonialis illa Lex ſuo tempore, nondum adulta mundi ætate, etiam ſuum uſum habuit, dum per eam carnalis populus tanquam gravi jugo (Actor. 15. 10.) premebatur, quo ſic à peregrino Deorum falſorum cultu averteretur, animique ejus paulatim ad majora & ſublimiora adornarentur. Sed cum homines præcipuam pietatis partem in iſtis ceremoniis collocarent, & circumciſionis animi penitus obliviſcerentur, tum erat tempus, ut ceremoniæ iſtæ abrogarentur, & tanquam Zizania vero fructui noxia exſtirparentur. Quod primum factum eſt per prædicationem Euangelii, inprimis de libertate Chriſtiana (quod tempus Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 9. 10, vocat *tempus correctionis*) & deinde per everſionem utriuſque Templi Garizimitani & Hieroſolymitani.

Verſ. 24. *Deus eſt ſpiritus, & qui adorant eum, illos in ſpiritu & veritate oportet adorare.*] Cauſa hic à Chriſto affertur præcedentis dicti, cur Deo ſoli illi accepti ſint, qui eum in Spiritu & veritate adorant, eique ſerviunt, & non carnales nominis ejus cultores : quia ſcilicet Deus ipſe eſt Spiritus, propterea etiam ſolis ſpiritualibus rebus delectatur. In Græco verba hoc ordine ſunt poſita : Πνεῦμα ὁ Θεός, *Spiritus Deus*, ſcilicet eſt. Eodem inverſo ordine ſupra dictum fuit, cap. 1. 1. *Deus erat ſermo.* Voce autem

Spiritus

Spiritus hic intelligitur ſpiritualis ſubſtantia, ſubtilis, externis ſenſibus non ſubjecta, quæ nec oculis videri, nec manibus palpari poteſt. Hoc pacto etiam Angeli Spiritus dicuntur Hebr. 1. 14, & anima humana Luc. 23. 46. Actor. 7. 59. Hebr. 12. 23, & aër Gen. 1. 2. Joh. 3. 8, & ſimilia. Quantoque ſubſtantia aliqua ſubtilior eſt, ſenſuſque magis effugit, tanto magis ipſi hoc nomen Spiritus competit. Ita vero nomen hoc Deo cum aliis rebus commune eſt, ut ingens diſcrimen inter Deum & illos intercedat: partim quoad perfectionem, ſubtilitatem & incomprehenſibilitatem divinæ eſſentiæ, qua omnes alios ſpiritus longiſſime ſuperat; partim etiam eatenus, quod reliqui ſpiritus omnes à Deo ſint, & ab eo originem habeant.

Hinc jam intelligitur, quando Deo in Sacris Literis humana membra, oculi, aures, manus pedes, quin & alæ, adſcribuntur, id non proprie ſed figurate, & per ἀνθρωποπάθειαν, ut loquuntur, fieri. Talia enim membra nihil commune habent plane cum natura Spiritus. Attribuuntur autem Deo, propter noſtri intellectus imbecillitatem, ad exprimendas facultates & operationes Dei, quæ illis facultatibus & operationibus reſpondent, quæ ſunt in membris, aut per membra peraguntur. Huc etiam ſpectant illæ locutiones, quibus Deo humani affectus & animi commotiones, aliaque his ſimilia, tribuuntur. Ut cum Deus introducitur tanquam Monarcha aut Princeps aliquis de re graviſſima conſultans. Sic Gen. 1. 26, dicit Deus: *Faciamus hominem.* Et Geneſ. 11. 7. *Deſcendamus, & linguam eorum confundamus.* Ex quibus locutionibus vulgo Trinitas perſonarum in Deo probari ſolet, quaſi ſic Deus Pater ad Filium & Spiritum Sanctum locutus eſſet: quæ certe levidenſis admodum probatio eſt. Vel enim dicendum eſſet, plures eſſe Deos; alium qui locutus eſt, & alios, ad quos ille locutus eſt: vel ſi una iſtorum ſtatuatur eſſe eſſentia, ſequetur omnes tres ſimul locutos eſſe. Si enim Filius & Spiritus Sanctus eandem habent eſſentiam, quam Pater, non potuit non Filius & Spiritus Sanctus eadem verba tunc proferre, quæ protulit Pater: ut ita per nomen Dei ſeu Jehovæ tota Trinitas intelligenda ſit. Si ergo tota Trinitas locuta eſt, ubi erunt reliqui, ad quos verba hæc prolata ſunt. Hoc bene perſpexit Joh. Mercerus homo Calvinianus: cujus verba ſuper hunc locum vide.

Hinc etiam cernitur, formam Dei nullo humano intellectu concipi poſſe, multo minus eam per imaginem ullam exprimi poſſe & effigiari. Quæ enim forma vel idea ſpiritui dari poteſt, qui nec oculis cerni, nec manibus tangi poteſt? Cumque omne id, quod homines de Deo ſibi imaginari queunt in animis ſuis, multo vero magis, quod manibus efficiunt, longe vilius eſt & infra excellentiam divinæ majeſtatis ſubſiſtit; magna profecto contumelia iſti Deum Optimum Maximum afficiunt, qui Deum per imagines repræſentare & oculis hominum ſubjicere audent. Tanto vero magis in eo peccant, quia id expreſſe à Deo prohibitum eſt, Exod. 20. 4. Deut. 4. 16, 17, 18, 19. Eſai. 40. 18. XLVII. 5, 6. Actor. 17. 29.

Et qui adorant eum, illos in Spiritu & veritate oportet adorare.] Hoc ex præcedenti ſequitur. Cum Deus ſit Spiritus, ſequitur, ſola ſpiritualia ei placere: ideoque etiam ſolo Spiritus & animi cultu proſequendus eſt. Quod ipſum etiam Ethnicus vidit Poëta:

Si Deus eſt animus, (nobis ut carmina dicunt)
Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.

Hoc autem ita faciendum eſt, ut agnoſcamus divinam ejus majeſtatem, potentiam ac imperium, quod in nos habet, ejus ineffabilem bonitatem, immenſamque ſapientiam, qua etiam occultiſſimas cordium noſtrarum cogitationes ſcrutatur; ut nos coram eo quam maxime demittamus, ipſi nos toti tradamus, & parati ſimus voluntatem ejus in omnibus ſequi; ut eum ex toto corde amemus, ac ſimul timeamus tanquam liberi ac revereamur, & quicquid nobis præcipit, alacri ac prompto animo exequamur; ut tum animum noſtrum ab omni impuritate cogitationum & malarum concupiſcentiarum, tum corpus noſtrum ab omni labe peccati immune ſervemus. Non enim ita Deo Spiritu ſerviendum eſt, ut externa opera prorſus negligantur, quaſi animus maculari non poſſet, etiam ſi corpus noſtrum in cœno peccatorum volutetur: ut nonnulli tam vanas & peſtiferas cogitationes fovent. Omnia enim impura opera ex animo & corde tanquam ex fonte proveniunt Matth. 15. 19, rurſuſque ad animum redeunt, ac conſcientiam contaminant, & niſi accedat Dei gratia, & ſeria nec ſera pœnitentia, indelebili ſtigmate eam notant ac deformant. Neque etiam Dei cultus ſolo animi bono propoſito abſolvitur, ſed oportet, ut illud per bona opera executioni mandetur; quæ ſi non ſequantur, animus ne ſibi quidem poteſt ſatisfacere, nedum ut Deo poſſit. Quocirca ad ſpiritualem Dei cultum ea omnia requiruntur, quæcunque ſpiritus & animus, in cognitione divinæ voluntatis informatus, & vera reverentia erga Dei majeſtatem, nec non filiali fiducia plenus, facere jubet. Ideo etiam olim ceremonialia opera eatenus tantum Deo grata fuerunt, quatenus ex animo prompto & ſtudio ipſi placendi proficiſcebantur: quæ tamen poſtea per Chriſtum abrogata ſunt, quia virili mundi ætati non amplius conveniebant.

Verſ. 25. *Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus: cum venerit ille annunciabit nobis omnia.*] Meſſias venit, id eſt veniet. Præſens pro futuro: ut & Matth. 11. 17. Tam Samaritanos quam Judæos ſperaſſe adventum Meſſiæ, ſupra ℣. 9, annotatum eſt.

Qui dicitur Chriſtus.] Hoc addidit Euangeliſta, non mulier, ad explicandum nomen Meſſiæ. Quod enim Hebræis eſt Meſſias, id Græcis eſt Chriſtus, & Latinis unctus.

Cum venerit ille, annunciabit nobis omnia.] Non vult illa Chriſto contradicere, non vult etiam dicta ejus approbare, ſed differt hujus rei deciſionem uſque ad adventum Meſſiæ. Similiter hodie ſolent Judæi dicere *Elias ubi venerit, omnia nobis revelabit.* Ita etiam diſtulerunt Judæi olim controverſiam de altari quodam profanato ad adventum alicujus Prophetæ, 1 Macchab. 4. 46. Hinc etiam patet, merum figmentum hodiernorum Judæorum eſſe, qui dicunt, Samaritanos non credidiſſe, Meſſiam fore Prophe-

Prophetam. Hæc enim mulier annunciationem omnium rerum, quæ tunc ignorabat, adſcribit Meſſiæ; quæ ſane opus eſt nonniſi magno Prophetæ conveniens.

Verſ. 26. *Dicit ei Jeſus: Ego ſum, qui loquor tecum.*] Admiratione dignum eſt, quod Chriſtus huic mulieri Samaritanæ tam clare & diſertis verbis ſeipſum patefecerit, quod nulli adhuc Judæo fecerat: id quod ſane ingens beneficium fuit extraneæ atque ignotæ mulieri exhibitum. Sed non fuit illa Chriſto, qui cordium humanorum intimos norat receſſus, ignota, & ſine dubio vidit in ea ſimplicem, probum, & ſincerum animum; quem Deus potiſſimum reſpicit, ac propter eum ſæpius ad humanas infirmitates, qualibus & hæc mulier non carebat, connivet. Præterea ex ejus quæſtione liquet, quam Chriſto, quem Prophetam eſſe agnovit verſ. 20 proponit, eam avidam fuiſſe diſcendi. Judæi vero plerique erant inflato & maligno animo. Cur vero Chriſtus non protinus ipſi ſe patefecerit, in promtu cauſa eſt, quia voluit efficere, ut illa tanto magis ſibi fidem haberet, dum talia prius ex ipſo audivit, quibus adducta eſt ad agnoſcendum ipſum eſſe verum Prophetam. Neque etiam modeſtiæ Chriſti conſentaneum fuiſſet, ſe illico, neque expectata ulla occaſione, Meſſiam vel Chriſtum nominare.

Verſ. 27. *Interea vero venerunt diſcipuli ejus, & mirabantur, quod cum muliere loqueretur; nemo tamen dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?*] Interea, id eſt, dum Chriſtus ita cum muliere ſermocinatur. Hoc ſcribit Euangeliſta, ut indicet cauſam, cur Chriſtus non protraxerit longius ſermonem cum muliere, quia nimirum colloquium iſtud adventu diſcipulorum interruptum eſt.

Diſcipuli ejus.] Qui ſcilicet abierant in civitatem, ad emendum cibum: ut narratum fuit ſupra verſ. 8.

Et mirabantur, quod cum muliere loqueretur.] Non id mirabantur diſcipuli, quod cum Samaritana muliere loqueretur Chriſtus: nam ipſi ex Samaritana civitate redibant, ubi Samaritanos cibos emerant. Sed hoc mirabantur, quod ſolus, abſque ullis arbitris, cum peregrina & ignota muliere colloquium inſtitueret. Erat enim id contra conſuetudinem honeſtorum Judæorum. Hinc ſcriptum eſt in libro Judaico Aboth dicto cap. 1; *Joſe filius Jochanan ex Hieroſolyma inquit, cum mulieribus pauca loquere.* Quod libri iſtius Commentator non tantum de aliena muliere, ſed etiam de propria uxore intelligit. Si ergo indecorum habebatur, cum propria uxore multa verba facere, quanto magis cum aliena? Sed Chriſtus non dubitavit etiam cum mulieribus agere ac colloqui, quarum nonnullæ etiam Hieroſolymam uſque eum comitatæ ſunt, ipſique miniſtrarunt, Marc. 15. 41. Luc. 23. 55. Raro tamen id contingebat, nec ubique nec cum quibuſlibet agebat, ſed tum demum quando nullum erat ſiniſtræ ſuſpicionis periculum. Neque vero putandum eſt, diſcipulos mali quippiam de Chriſto cogitaſſe, ſed mirabantur tantum tanquam ſuper re, quæ præter conſuetudinem eveniebat. Divinare etiam non poterant, qua de re Chriſtus cum muliere iſta ſermonem habuerit. Sciebant enim, Chriſtum non ſolere niſi de divinis rebus verba facere, ſed mulierem Samaritanam, Judaicæ nationi inimicam, non credebant earum rerum addiſcendarum & audiendarum ſtudio teneri.

Nemo tamen dixit.] Tanta erat Chriſti auctoritas, & diſcipulorum erga eum reverentia, ut nemo auderet in actiones ejus inquirere.

Quid quæris?] Id eſt, num cibum vel potum ab ea poſcis?

Verſ. 28. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem, & dicit hominibus.*] Hoc refert Euangeliſta, indicans, quanto ardore hæc mulier erga res divinas, quas à Chriſto audivit, inflammata fuerit, ut etiam obliviſceretur ejus rei, cujus cauſa potiſſimum ad puteum venerat, id eſt, ut aquam haurire neglexerit, ſed curſu citato petierit civitatem, nunciatum, quam incomparabilem theſaurum repererit. Ita reliquerunt etiam diſcipuli retia ſua, Chriſtumque ſecuti ſunt, cum ab eo vocarentur, Matth. 4. 20.

Verſ. 29. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?*] Non dicit ad eos ſtatim: Inveni Chriſtum; quod illi non ſtatim credidiſſent; ſed vult eos ipſos rem explorare & experimentum ſumere. Verbum enim *videre* hic ſignificat non ſolum ſimpliciter oculis uſurpare, verum etiam experiri, & ſpecimen alicujus rei ſumere.

Qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.] Non prorſus omnia & ſingula, quæ inde à teneris fecit annis, ſed quot convixerit viris, quod ille naturali modo ſcire non poterat.

Numquid iſte eſt Chriſtus?] Nihil ſane detraheretur virtuti hujus mulieris, etſi diceretur, eam vacillanti ac dubia fide adhuc in civitatem iviſſe vocatum homines, ut per eos in ſua ſententia, quam de Chriſto conceperat, quod Chriſtus eſſet, confirmaretur. Quamdiu enim diſcipuli cum Chriſto converſati ſunt, antequam conſtanti fide agnoſcerent Chriſtum eſſe Meſſiam? Sed quia ipſa Chriſtum pro Propheta agnoverat verſ. 9, & ab ipſo audiverat, eum eſſe Meſſiam, probeque intelligeret; Prophetæ non convenire, ut ſe Meſſiam eſſe profiteretur, ſi non ſit: ſtatuendum eſt, eam in ſua de Chriſto ſententia certam magis, quam dubiam ac fluctuantem fuiſſe.

Verſ. 30. *Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.*] Similis fuit horum civium, quæ mulieris virtus. Non reſpuunt ejus narrationem tanquam muliebre ſomnium, aut fabulam, ſed ſicut illa hydria ad puteum relicta feſtinanter in urbem contendit, ita hi quoque rebus omnibus relictis exeunt ad Chriſtum. Et eos non diu cunctatos eſſe, indicio eſt, quod Chriſtum adhuc apud puteum invenerint.

PARS II.

Verſ. 31. *Interea vero rogabant eum diſcipuli ejus, dicentes: Rabbi, ede.*] Sequitur altera hujus Capitis pars, in qua Chriſtus occaſione ciborum, quos diſcipuli ipſi ex civitate attulerant, præclare diſſerit de ſuo docendi munere.

Interea vero.] Dum mulier it in civitatem, & homines inde accerſit.

Roga-

Rogabant eum discipuli.] Gr. ἠρώτων, *interrogabant* proprie. Utraque significatio hic potest habere locum: nempe quod eum discipuli interrogaverint; Cur non edat? & simul rogarint, ac precibus ad edendum invitarint. Apparet autem Christum, etsi appositi ipsi fuerint cibi, non mox edere cœpisse, sed animo defixum sedisse in contemplatione aliarum rerum, quæ magis ipsi curæ cordique erant, quam esus & corporis refectio. Sciebat absque dubio venturos ex civitate homines, quos mulier vocatum ivit; eos priusquam cibum caperet, Patri suo lucrifacere gestiebat.

Vers. 32. *Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo ad edendum, quem vos non nostis.*] Cibus iste qualis sit, ipse postea explicat vers. 34. Præbet hac in re discipulis suis exemplum, ut spiritualia corporalibus semper anteponant. Itaque tametsi esuriret, distulit nihilominus jam paratum prandium, quia se optima occasio offerebat Sichemitas de rebus divinis instituendi.

Quem vos non nostis.] Quem vos non observatis, non perpenditis.

Vers. 33. *Dicebant ergo discipuli inter se: Num quis attulit ei, quod ederet?* Tacite hoc inter se mussabant, ne Dominus exaudiret, quem ita observabant, ut interrogare eum vererentur.

Num quis attulit ei, quod ederet?] Quam parum intelligebat mulier, Christi supra vers. 15 de aqua sermonem, tam parum capiunt ea discipuli, quæ hic Christus ad eos de cibo loquitur. Dubitant autem, annon aliquis interea, dum ipsi in civitate fuerunt, cibum ei subministrarit: qui persuadere sibi non poterant, eum non urgeri esurie, cum & de itinere lassus fuerit, & jam merus esset meridies.

Vers. 34. *Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, & perficiam ejus opus.*] Clarius explicat discipulis suis, de quonam cibo loquatur: sicut mulieri quoque explicabat, de quali aqua sibi cum ea esset sermo. Ita alibi quoque discipulis clare & explicate ea proposuit, quæ aliis per parabolas locutus fuerat, Matth. 13. 36. 37. xv. 15, 16, 17. Illi debebant esse messores & operarii in spirituali illa messe, de qua Christus mox agit; consentaneum igitur erat, ut edocerentur hunc spiritualem cibum aliis rebus omnibus anteferre.

Ut faciam voluntatem.] Id est, ut exequar mandatum, mihi impositum ab eo, qui me misit, id est, à Patre meo. Voluntas ista est, procurare salutem omnium hominum. Hinc inquit Christus infra cap. 6. 39. *Hæc est voluntas Patris mei, ut nihil ex eo, quod dedit mihi, perdam, sed suscitem illud ultimo die.* Vide etiam cap. 5. 30. Executionem voluntatis paternæ vocat cibum suum, quia tam grata & jucunda ipsi fuit, quam esurienti lautissimus cibus. Quid enim gratius esse potest Sapienti, quam hominum quamplurimos in vera Sapientia erudire, & ad supremam felicitatem perducere? Ipsa obedientia, quæ divinis mandatis præstatur, jucundior est quam omnes cibi: quia conscientiam tranquillam reddit ac hilarem. *Judicia Domini* ait David, *desiderabiliora sunt auro, & quidem auro purissimo permulto, ac dulciora melle*, Psal. 19. 10, 11.

Ejus qui me misit.] Descriptio est Patris cœlestis, qua indicat, se hunc ipsum in finem missum esse, ut salutem hominum promoveat.

Et perficiam ejus opus.] Opus salutis humanæ per prædicationem pœnitentiæ. Vide infra cap. 17. 4.

Vers. 35. *Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimestre spatium superest, & messis venit? Ecce dico vobis, attollite oculos vestros, & spectate regiones: nam albæ jam sunt ad messem.*] Hoc fuit vulgare proverbium apud Judæos: Post quatuor menses veniet messis. Nam in mense Tisri, à quo Judæi civilem annum incipiebant, quique partim cum septembre nostro, partim cum Octobre coincidit, metebantur hornæ fruges; unde ortum est festum Collectionis Exod. 23. 16, vel Tabernaculorum Deut. 16. 13, 16. Sequenti Mense Marcheſuan, qui ex parte cum Octobre, ex parte cum Novembre concurrit, solebant agros subigere. Dein mense Cisleu, qui partim cum Novembri, partim cum Decembri convenit, & plerumque pluviosus erat, hyberna fiebat sementis. A medio hoc mense Cisleu usque ad medium mensem Nisan, qui partim cum Martio, partim cum Aprili coincidit, quatuor erant menses, cum incipiebat messis hyemalium frugum. Hinc agricolæ semente peracta solebant hoc se solari proverbio: *Quatuor mensibus elapsis erit messis.* Vult itaque Christus dicere: Ita soletis dicere, quando sementem facitis; sed nunc aliter dicendum est. Non enim amplius supersunt quatuor menses ad messem. Attollite modo oculos vestros, & videte, ut ubique maturis albescat campus aristis. Ego vos non misi, ut sementem faciatis, sed ut metatis. Alii ante vos jam seminarunt & laborarunt: vos oportet tantum in labores eorum introire. Nihil proinde restat, nisi ut maturos fructus metatis. Ad hunc sermonem Christo ansam dederunt discipuli, cum eum ad cibum capiendum hortati sunt. Christus igitur ostendit, non esse tempus, quo vacare debeat corporis curæ, & spiritualia seponere aut differre. Non licet enim messem differre, cum jam maturæ sunt fruges. Adest autem jam messis tempus: nam mox ex urbe maturæ fruges conspicientur, quas me oportet in horreum Patris mei congregare, ut nunc mihi non vacet de cibo capiendo cogitare.

Ecce dico vobis.] His verbis attentionem sibi conciliat, significans, se de rebus summi momenti loqui.

Attollite oculos vestros, & spectate regiones. Provocat ad testimonium oculorum, jubetque eos attollere oculos, & videre, ut Samaritani ex urbe Sichem ad se veniant: quos ille comparat cum albescentibus campis, quia ad messem, id est, ad pœnitentiam jam erant maturi. Apparet enim, quod non ex curiositate, egressi fuerint ex civitate, sed animum gesserint avidum videndi magnum Prophetam, & ab eo aliquid discendi. Loquitur autem Christus hic solum de natione Judaica, cui Samaritani eatenus accensendi erant, quatenus in locum 10 tribuum Israëlis, quæ exciſæ sunt, in terram Judaicam insiti fuerunt, Legemque susceperunt. Respicit tamen tacite ad universalem vocationem Gentium, inter quas etiam multi, imo plures quam inter Judæos ad messem apti ac maturi fuerunt. Etenim Philosophi inter Ethnicos tot præclaris doctrinis suis de virtutibus

multorum animos præpararunt, & ad meſſem Euangelii maturos reddiderunt. Itaque his verbis Chriſtus alludit ad generalem, poſtea futuram, omnium nationum terræ vocationem, non Judæorum ſolum & Samaritanorum, ſed etiam Ethnicorum. Vocatio ad Euangelium etiam alibi meſſis vocatur, Matth. 9. verſ. 37, 38. *Meſſis eſt multa, ſed operarii ſunt pauci. Itaque rogate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.*

Nam albæ jam ſunt ad meſſem.] Quando fruges jam albicant, maturæ ſunt, tempuſque tum eſt meſſis, quæ ſine damno differri non poteſt.

Verſ. 36. *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.*] His verbis Chriſtus exprimit, quantum præmium maneat eos, qui in docendi munere Domino fidelem ac ſedulam navant operam. Qui laborant, ſive arando, ſive ſeminando, ſive metendo, demum poſt meſſem peractam, mercedem accipiunt.

Et congregat fructum.] Nimirum merces eis dabitur ex eodem fructu, quem colligunt ac congregant. Vox *fructus* explicat vocem mercedis.

In vitam æternam.] In cœleſte horreum.

Ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.] Hiſce verbis Chriſtus indicat tempus, quo omnes operarii tam qui metunt, quam qui ſeminarunt, mercede ſua gaudebunt. Mos enim fert, ut operariis integra merces poſt meſſem, ut dictum eſt, ex collectis frugibus demum ſolvatur. Prophetæ Veteris Teſtamenti ſeminarunt, Apoſtoli ſub Novo Fœdere meſſem peregerunt. Vide infra verſ. 38.

Verſ. 37. *In eo enim verus eſt ſermo, quod alius ſit, qui ſeminat, & alius, qui metit.*] Sermo, id eſt, proverbium. Dubium enim non eſt, fuiſſe tale inter Judæos proverbium.

Alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit.] Hoc proverbium uſurpabant Judæi, quando ſignificare volebant, alium laboraſſe, & alium capere fructus. Chriſtus autem id uſurpat paulo alio ſenſu. Nimirum confirmat eo id, quod ſuperius dixerat, *ſimul gaudere & eum qui ſeminat, & eum qui metit.* Cum enim Chriſtus nominaſſet duos, qui ex labore ſuo gaudium percepturi ſint, potuiſſet aliquis quærere: An ergo alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit. Vulgo enim ſolet idem agricola, qui ſeminat, etiam metere, & fructu ſementis ſuæ frui. Reſpondet itaque Chriſtus, rem hic aliter ſe habere, & juxta vulgare ac tritum ſermone proverbium, alium hic ſementem facere, & alium metere.

Verſ. 38. *Ego miſi vos metere in quo vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Declarat ſuperius dictum, quod nimirum alius ſit qui ſeminat, & alius, qui metit: ſe enim miſiſſe eos ad metendum id, quod non ipſi, ſed alii ante ipſos ſeminarunt. Nihil certius eſt, quam Chriſtum hic Prophetas Veteris Fœderis intelligere, qui non in Judæa ſolum, ſed & in plurimus Ethnicis populis tum ſcripto, tum ore homines agnitione unius Dei Iſraëlis imbuerunt, & ſic quaſi ſementem, ex qua meſſis Euangelii naſceretur, fecerunt.

Ego miſi vos.] Decrevi vos mittere, ad hoc vos elegi, ut mittam. Ita etiam Matth. 10. 5. & Marc. 3. 14.

Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.] Idem his verbis dicitur quod antea. Prophetæ ararunt, occarunt, & ſeminarunt: Apoſtoli in eorum laborem ingreſſi ſunt, & quæ conſeverant, meſſuerunt.

PARS III.

Verſ. 39. *EX civitate autem illa crediderunt in eum Samaritanorum multi propter ſermonem mulieris, teſtantis, Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci.*] Ex civitate Sichar verſ. 5.

Crediderunt in eum Samaritanorum multi.] Ex verbis verſ. 40 liquet, eos in Chriſtum credidiſſe, id eſt, eum pro Meſſia, quem expectabant, aut ſaltem pro Propheta habuiſſe, antequam eum vidiſſent.

Propter ſermonem mulieris.] Quomodo potuerunt tam cito credere mulieri iſti, quæ facile poterat falli vel fallere? Nimirum cum ea quæ ſibi illa à Chriſto dicta eſſe narrabat, ad propriam ipſius infamiam atque ignominiam pertinerent, facile credere potuerunt, eam vera dicere. Quid enim utilitatis alioquin ex tali mendacio ad eam redundaſſet?

Verſ. 40. *Cum ergo veniſſent ad eum Samaritani, rogaverunt eum, ut apud ipſos maneret, & manſit ibi duos dies.*] Samaritani, quos verſ. 30, dixerat exiviſſe ex civitate ad Chriſtum, hic dicuntur ad eum perveniſſe. Eo enim reſpicit Euangeliſta, & deſcribit, quid Samaritani iſti fecerunt, poſtquam ad Chriſtum venerunt.

Rogaverunt eum, ut apud ipſos maneret.] Id eſt, ut apud ipſos divertere, & hoſpitio frui dignaretur: ut ſupra cap. 1. 39. Hoc fuit indicium eorum eximiæ humanitatis ac hoſpitalitatis, nec non animi diſcendi avidi. Non dubium eſt, eos Chriſtum invitaſſe ad ſe hoſpitio, non ad unum tantum atque alterum diem, ſed quouſque manere vellet, vel ipſi commodum eſſet. Sciebant enim, felicem eſſe locum illum, ubi Meſſias vel Propheta Dei degeret.

Et manſit ibi duos dies.] Quod Chriſtus ſuis interdixit diſcipulis, ne ingrederentur civitates Samariæ, neve Euangelium in iis prædicarent Matth. 10. 5, id ipſi tanquam Domino ac Meſſiæ facere integrum fuit. Tales enim leges, quæ non ad naturalem æquitatem atque juſtitiam ſpectant, ſitæ ſunt in Legiſlatoris arbitrio, ut eas pro varietate circumſtantiarum, & pro ratione temporis, loci ac perſonarum mutare poſſit. Præterea Chriſtus non ultro, ſed invitatus ad Samaritanos divertit: quando ſecus facere ipſa humanitas vetabat. Sed fortaſſis ne iſti quidem invitationi ac precibus eorum locum dediſſet, niſi ſciviſſet, inter ipſos copioſam ſe pœnitentiæ meſſem habiturum. Non moratus eſt autem diutius apud eos, quam duos dies, ut & avidos diſcendi animos eorum expleret, & ne tamen videretur eos Judæis præferre, ſi diutius apud eos commoratus fuiſſet.

Verſ. 41. *Et multo plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus.*] Plures ſcilicet Samaritani crediderunt, quam propter ſermonem mulieris crediderant. Indicat Euangeliſta, præſentiam Chriſti famam,

famam quam mulier de illo narrando ſparſerat, non tantum non minuiſſe, ſed longe ſuperaſſe. Idem accidit Reginæ è Saba, cum Salomonem vidiſſet ipſa & audiviſſet: qui ſine dubio etiam figura Chriſti fuit. Vide 1 Reg. 10. 6,7.

Crediderunt propter ſermonem ejus.] Sermones iſtos, quos cum Samaritanis habuit Chriſtus, Euangeliſta non deſcripſit. Dubium autem nullum eſt, eos valde inſignes & penetrantes fuiſſe, cum tam efficaces fuerint, ut iis etiam abſque miraculis ad credendum adducti ſint Samaritani. Nam Chriſtum ibi nulla edidiſſe miracula, exinde conſtat, quod Euangeliſta cauſam fidei eorum exprimens, ſolum ſermonem ejus ponat, ſine dubio non omiſſurus & miracula, ſi ulla feciſſet. Fuit etiam hoc, quod Samaritani abſque miraculis crediderint, ſignum animi eorum apti ad doctrinam Euangelii; cum plerique Judæorum ne miraculis quidem ad credendum ſe pertrahi paſſi fuerint. Atque hoc fuit præludium quoddam magni illius fructus, fidei, qui poſtea ex Ethnicis populis multo abundantior, quam ex Judæis collectus eſt.

Verſ. 42. *Et mulieri dicebant: Non amplius propter tuam narrationem credimus; ipſi enim audivimus, & ſcimus, hunc eſſe vere Servatorem mundi, Chriſtum.*] Senſus non eſt, quod illi non amplius mulieris narrationi crediderint, ſed quod poſtquam ipſi Chriſtum viderunt, magis adhuc ei crediderint. Similis locutio eſt Matth. 9. 13. ex Oſe. 6. 6.

Narrationem.] Gr. λαλιὰν. Quæ vox proprie denotat idioma, dialectum, pronunciationem: Ut infra cap. 8. 43. Matth. 26. 73. Marc. 14. 17. Hoc loco autem ſignificat idem quod λόγον, ſermo, narratio.

Et ſcimus.] Omnino ſumus in conſcientiis noſtris convicti.

Hunc eſſe vere Servatorem mundi, Chriſtum.] Subintellige, prout nobis narraſti, eum ſe talem eſſe profeſſum: verſ. 26. Non enim veriſimile eſt, mulierem hoc reticuiſſe. Mirum etiam eſt, Samaritanos conditione ac ſtatu ejus vili non fuiſſe ſcandaliſatos, quemadmodum Judæi.

Servatorem mundi.] Ita vocatur Chriſtus 1 Joh. 4. 14. Unde vero Samaritani de adventu talis Servatoris notitiam hauſerint, ſupra verſ. 9 indicavimus.

Chriſtum.] Seu Meſſiam. Hac voce declaratur vox Servatoris.

Verſ. 43. *Poſt duos autem dies, exiit inde, & abiit in Galilæam.*] Via è Judæa in Galilæam per Samariam recta ducebat. Opponitur autem hic Galilæa civitati in Galilæa ſitæ, ac nominatim Nazarethæ, quæ erat Chriſti patria: ut ſupra 3. 22 opponitur Judæa Hieroſolymæ. Cum enim ſupra indicatum eſſet cap. 1. 46. Nazaretham eſſe Chriſti patriam, affert hic Euangeliſta cauſam, cur non recta ſe Nazaretham ex Samaria contulerit; quam cauſam expreſſit verſu ſequenti.

Verſ. 44. *Ipſe enim Jeſus teſtatus eſt, prophetam in ſua patria honorem non habere.*] Quaſi dicat: Ideo ſe Nazaretham non contulit, quia bene norat, ſe illic propter educationem ſuam humilem, & pauperes parentes atque cognatos, floccipendi. Vide Matth. 13. 55,56. Hoc autem Chriſtus non illo ipſo tempore teſtatus eſt, cum è Samaria iret in Galilæam: ſed hoc ſibi vult Euangeliſta (qui poſt Chriſti mortem demum ſcripſit) id quod Chriſtus aliquando teſtatus eſt, etiam tunc ipſum moviſſe, ne in ſuam patriam Nazaretham iret, ſed in vicis ac pagis Galilææ commoraretur. Teſtatus vero id Chriſtus eſt Matth. 13. 57. Marc. 6. 4. Quod quidam Interpretes putant, Chriſti patriam hic intelligi illam regionem, in qua ſita erat Bethlehem; id non eſt veriſimile. Etſi enim ratione nativitatis illa fuerit vere Chriſti patria, id tamen tunc notum non fuit, ut ibi propter educationis & conſanguineorum vilitatem non potuerit eſſe deſpectus.

Verſ. 45. *Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis in feſto: nam & ipſi venerant ad feſtum.*] Hoſpitium ei alacriter præbuerunt, omnia humanitatis & charitatis atque obſervantiæ officia ei præſtiterunt. Nondum eos Euangeliſta ornat tali teſtimonia, quali ornavit Samaritanos, quod ſcilicet eum tanquam Meſſiam ac Servatorem mundi ſuſceperint: etſi nihilominus in eum crediderint, id eſt, eum pro ſingulari & eximio viro habuerint.

Galilæi.] Nimirum qui in vicis & pagis habitabant.

Cum omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis.] Hæc eſt cauſa, cur tam officioſe eum exceperint, quia nimirum operibus ejus miraculoſis, quæ viderant Hieroſolymis, adducti fuerunt ad credendum in eum. Multo autem hi fuerunt tardiores ad credendum, quam Samaritani, qui etiam abſque miraculis crediderunt.

In feſto.] Intellige Paſchæ. Supra cap. 2. 13,23.

Nam & ipſi venerant ad feſtum.] Juxta mandatum Dei, Exod. 34. 23.

PARS IV.

Verſ. 46. *Venit ergo Jeſus iterum in Canam Galilææ, ubi fecerat aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius ægrotabat Capernaumi.*] Cum Chriſtus è vicis ac pagis in urbem vellet concedere, non tamen Nazaretham conceſſit, ſed Canam. Adverbium *iterum* reſpicit priorem Chriſti eo profectionem, cum ad nuptias una cum diſcipulis ſuis eſſet invitatus. Supra cap. 2. 2. Cur autem iterum Canam venerit Chriſtus, hæc videtur fuiſſe, cauſa ut confirmaret eorum fidem, qui jam per miraculum converſionis aquæ in vinum ad credendum erant adducti, à quibus ſe gratanter exceptum iri ſciebat.

Ubi aquam vinum fecerat.] Deſcriptio eſt Canæ, quæ hoc miraculo inclaruit. Sita erat in tribu Aſer. Vide ſupra 2. 1.

Regulus.] Gr. βασιλικός, *Regius*; id eſt, aulicus quidam Tetrarchæ Herodis, quem Galilæi honoris cauſa Regem vocabant: ut patet, Matth. 14. 9. Marc. 6. 14. Syrus dicit expreſſe, *Miniſter Regis*; Arabs habet, *Homo Regius*. Officium, quod is geſſerit, non conſtat. Aliqui exiſtimant, eum Regiis teloniis fuiſſe præfectum. Judæum fuiſſe, ex vſ. 48 colligitur.

Cujus filius ægrotabat Capernaumi.] Errant qui cenſent, aulicum hunc in Cana habitaſſe, filium autem ejus Capernaumi decubuiſſe ægrotum. Quod enim Capernaumi habitarit, ex verſ. 51 ſatis liquet, ubi dicitur, eum deſcendiſſe (nempe Capernaumum) & ſervos ejus ipſi occurriſſe &c. Videtur hæc hiſtoria prius contigiſſe, quam illa de ſervo Centurionis in eadem civitate Capernaum Matth. 8. 5 unde credibile eſt, illum Centurionem hoc exemplo potiſſimum edoctum, in ſua neceſſitate tam firmam in Chriſtum fidem concepiſſe, ut ibidem vſ. 8 narratur.

Verſ. 47. *Hic audiens, Jeſum advenire, ex Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret ſuum filium: erat enim moribundus.*] Fama de adventu Chriſti prævenit eum.

Ut deſcenderet.] Nempe Capernaumum: quæ civitas ſita erat in monte; unde potius dicere debuiſſet, ut aſcenderet. Verum ſciendum eſt, Hebræos promiſcue uſurpare *aſcendendi & deſcendendi* verbum, ſive locus ſit editus, ſive depreſſus. Ut Jud. 15. 11. *Deſcenderunt ad ſcopulum petræ Hetham*, pro, aſcenderunt. Et Joſ. 7. 24. *Duxerunt eos ſurſum in vallem Achor*, pro, deorſum.

Et ſanaret ſuum filium.] Summa filii ægritudo traxit eum ad Chriſtum, de cujus miraculis jam inaudiverat: alioqui forte eum minime curaſſet.

Erat enim moribundus.] In agone mortis conſtitutus: morti proximus. Vide Luc. 8. 42.

Verſ. 48. *Dixit ergo Jeſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.*] Hinc apparet, Regium iſtum hominem Judæum fuiſſe. Ethnico enim homini Chriſtus id non objeciſſet, quia minus non fuiſſet, ſi talis abſque ſignis non credidiſſet: quanquam Samaritanorum, & mulieris Cananææ Matth. 15, & Centurionis, Matth. 8 exemplum, quanta etiam in Ethnicis eſſe potuerit fides, docet. Sed Judaicus populus, qui ſapientia eminebat præ Ethnicis, ideoque ad ſanctiſſimam Chriſti doctrinam etiam ſine ſignis ac miraculis agnoſcendam aptior erat, qui etiam Johannis Baptiſtæ teſtimonium de Chriſto audiverat, tam obſtinatus erat & contumax, ut abſque ſignis credere nollet. Ex eo vero, quod Chriſtus hoc iſti Regio exprobrat, objicit, patet eum perfecta fide non credidiſſe, Chriſtum poſſe ſanare filium ſuum: ſed eum quidem ex fama aliquam concepiſſe de Chriſto bonam opinionem, ſed ex eventu voluiſſe diſcere & experiri, quid poſſit: uti ſolent homines in periculoſis & deſperatis morbis ad celebrem Medicum interdum confugere, non certa, ſed dubia ſpe nixi de curationis eventu. Erat vero etiam hoc in eo culpandum, quod nonniſi temporalis commodi ſui cauſa, & non ob veritatem doctrinæ Chriſti cognoſcendam ſignum petierit.

Et prodigia.] Prodigium aliquid amplius ſignificat, quam ſignum. Nonnulli hæc ita diſtinguunt, quod ſignum fiat in rebus ejuſmodi, quæ etiam alias naturaliter fieri poſſunt, ſed non tam cito; ut eſt ſanatio morborum: prodigium autem ſit, quod naturaliter nequaquam poteſt fieri, ut reſuſcitatio mortuorum, reſtitutio viſus ei, qui a nativitate cœcus eſt. Vide Matth. 24. 24. Rom. 15. 19. 2 Cor. 12. 12. 2 Theſſ. 2. 9. Hebr. 2. 4.

Verſ. 49. *Dicit ad eum Regius: Domine, deſcende, priuſquam moriatur filius meus.*] Interrumpit Chriſti ſermonem, & nihil reſpondet, ad ipſius reprehenſionem: quaſi dicat; Mitte nunc iſtos ſermones, & noli moras nectere, ſed propera ad filium meum, antequam moriatur. Fides ejus longe minor erat, quam illius Centurionis Matth. 8. 8 qui credidit, Chriſtum etiam abſentem poſſe ſanare ſervum ſuum. Sed Regius iſte fuit ſimilis illi Naamano Syro, qui dixit: *Putabam, proculdubio egredietur ad me, & conſiſtens invocabit nomen Domini Dei ſui, & tanget manu ſua locum lepræ, & curabit me*, 2 Reg. 5. 11. Multo minus credidit hic Regius, Chriſtum potuiſſe filium ejus à mortuis ſuſcitare: quod maximum eſt omnium miraculorum.

Verſ. 50. *Dicit ei Jeſus: Vade, filius tuus vivit. Et credidit homo ſermoni, quem dixerat ei Jeſus, & profectus eſt.*] Jubet eum ire in pace, & bono eſſe animo. Vide de hoc Hebraiſmo ad Matth. 8. 13. Luc. 7. 5.

Filius tuus vivit.] Id eſt, ſanatus eſt: jam bene habet. Eſt etiam Hebraiſmus, quo ſignificatur, eum qui ſanus redditus eſt, à præſentiſſimo mortis periculo eſſe liberatum. Vide Geneſ. 20. 7. Joſ. 5. 8. 2 Reg. 20. 1. Eſd. 38. 1. Judæi in ſuo Thalmude habent fabulam quandam, quæ videtur ad exemplum hujus hiſtoriæ efficta eſſe, per quam Sanatas hoc miraculum Chriſti inter Judæos ſtuduit ſupprimere. Nam in libro Maſſecheth Berachoth cap. 5. §. 5. Miſna narrat de R. Chanina, *eum ſolitum fuiſſe pro ægrotis orare, & pro quibus orabat, de iis ſolitum dicere, hic vivet, ille morietur. Cumque interrogaretur, quomodo id ſciret, reſpondiſſe: Quando verba precationis meæ expedite promanant ex ore meo, exinde ſcio, ægrotum eſſe Deo acceptum*, (id eſt, à morbo liberatum & ſanatum iri) *ſed ſi contrarium fiat, ſignum eſt, eum in morbo extinctum iri.* Super hæc verba Miſnæ ita ſcribit Gemara: *Magiſtri noſtri tradunt, accidiſſe aliquando ut filius Rabbi Gamaliëlis* (illius antiqui, qui temporibus Chriſti vixit, ad cujus pedes Paulus fuit educatus Actor. 22. 3.) *ex morbo decumberet. Miſit itaque ſapiens ille duos diſcipulos ad R. Chaninam filium Doſæ, ut pro ægroto Deum oraret. Quos ille ut vidit, aſcendit in ſuperius cœnaculum, Deumque pro eo oravit. Deſcendenſque poſtea dixit ad illos diſcipulos: Ite, febris eum jam reliquit. Quæſiverunt diſcipuli: Num tu es Propheta? Reſpondit: Non ſum Propheta, neque Prophetæ filius; ſed quando oratio mea expedita eſt in ore meo, ex eo ſcio, ægrotum Deo charum eſſe; ſin minus, ſcio, eum à morbo non iri liberatum, ſed moriturum. Tunc illi conſederunt, & horam annotarunt; Cumque ad R. Gamaliëlem rediſſent, dixit ad eos: Optime rem curaſtis, & tempus probe obſervaſtis. Ita ſe omnino res habet, illa ipſa hora reliquit eum febris, & aquam ad bibendum poposcit.*

Et credidit homo ſermoni, quem dixerat ei Jeſus.] Hic fuit alter gradus fidei ejus. Credidit enim Chriſto, eum verum dicere, nempe filium ſuum bene valere; ſed eum Chriſti virtute eſſe ſanatum, vel non credidit plane, vel ſaltem dubitavit. Ideo ut id reſciret diligenter de hora, qua filius convaluiſſet, ſervos ſuos percunctatus eſt, verſ. 52.

Verſ. 51.

Verſ. 51. *Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & annunciaverunt dicentes: Filius tuus vivit.*] Deſcendebat, intellige Capernaumum.

Servi occurrerunt ei.] Animadverterunt ſervi, puerum non naturaliter, ſed virtute planè ſupernaturali ſanitati eſſe reſtitutum, dum eum non ſenſim, ſed ſubito reliquit febris, ita, ut perfectè ſanus eſſet. Itaque properant ad ſuum herum, tam læto nuncio eum beaturi. Quod autem puer virtute Chriſti, ad quem herum ſuum profectum eſſe ſciebant, ſanatus fuerit, forſitan non intelligebant, ſed tanquam rem dubiam uſque ad domini ſui reditum in medio relinquebant.

Verſ. 52. *Percontatus eſt igitur ab eis horam, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: Heri circa horam ſeptimam dimiſit eum febris.*] Quia adhuc dubitabat, ſpontene febris ceſſaſſet, an Chriſti virtute eſſet profligata, tempus diligenter inquirit, ut videat, an id ipſum cum eo tempore conveniat, quo Chriſtus dixit, Filius tuus vivit. Unde liquet, eum adhuc fluctuaſſe animo, an Chriſti virtute factum ſit, quod filius ipſius ſanatus ſit.

Heri circa horam ſeptimam.] Id eſt, circa primam horam pomeridianam juxta noſtra horologia. Sexta enim hora apud Judæos erat meridies. Erat autem à Cana Capernaumum iter ferme unius diei, itaque pridie poſt meridiem è Cana profectus eſt, ſervi autem ejus occurrerunt ei poſtridie.

Dimiſit eum febris.] Simul & ſemel, ſubito.

Verſ. 53. *Cognovit itaque pater, id factum eſſe illa hora, in qua dixit ei Jeſus, Filius tuus vivit. Et credidit ipſe, & univerſa domus ejus.*] Ex hac temporis circumſtantia cognovit, Chriſtum non ſolum ſciviſſe, filium ſuum ſanum eſſe, ſed etiam id ipſum verbis ſuis ac virtute effeciſſe.

Et credidit ipſe, & univerſa domus ejus.] Hic fuit tertius & ſupremus fidei ejus gradus, dum nimirum perfectiſſime credidit in Chriſtum, eum eſſe Meſſiam. Ita conſuetudine Hebræorum *fides*, vel verbum *credere* ſimpliciter poſitum aliquando accipitur pro infirma ac imperfecta, aliquando vero pro perfecta fide. Vide Marc. 9. 24. Luc. 17. 5. Joh. 2. 11.

Et univerſa domus ejus.] Intellige eos omnes domeſticos, qui fidei capaces erant, id eſt, qui ratione erant præditi, & tantum Chriſti miraculum expendere, atque ex eo dignitatem ejus colligere poterant. Itaque infantes (ſi qui etiam in domo fuerunt) horum, qui crediderunt, numero non fuerunt comprehenſi. Ita Lydia quoque illa purpuraria domeſticis ſuis bono exemplo fidei ſuæ præivit, Actor. 16. verſ. 14, 15. Et commentarienſis ille eodem Capite ℣. 33, 34. Et Criſpus archi-ſynagogus Actor. 18. 8.

Verſ. 54. *Hoc iterum ſecundum ſignum edidit Jeſus, cum veniſſet ex Judæa in Galilæam.*] Chriſtus bis ex Judæa in Galilæam profectus eſt, & ſingulis vicibus in Cana edidit ſignum. Primum poſt ſuum baptiſmum, cum Philippum invenit ſupra cap. 1. 44, ubi aquam tranſmutavit in vinum cap. 2. 2. Secundo cum ab inſidiis Phariſæorum ſe ſubduceret ſupra ℣. 3, atque tum hoc miraculum in Regii iſtius filio edidit. Videtur autem Euangeliſta id propterea addidiſſe, quia duo iſta miracula prima fuerunt ex his, quæ Chriſtus fecit in Galilæa, priuſque adeo acciderunt, quam illa, quæ Matthæus cap. 4. 23, aliique Euangeliſtæ conſignarunt.

Cap. V.

I. *Chriſtus ſanat quendam à 38 annis ægrotum: ad verſ. 17.* II. *Defendit hoc ſuum factum adverſus Judæos, ægre ferentes, quod id Sabbato fecerit, arguitque eos incredulitatis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Poſtea erat feſtum Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam.*] Quodnam fuerit hoc feſtum, de eo magna eſt inter Interpretes diſſenſio. In eo quidem conſentiunt ferme omnes, feſtum hoc fuiſſe unum è tribus primariis, quibus omnis maſculus comparere ſingulis annis Hieroſolymæ ex Lege tenebatur; quale erat Paſcha, Pentecoſte, & feſtum Tabernaculorum, Exod. 23. 14, 15, 16, 17. Euangeliſta enim ita hoc narrat, ut voluerit indicare cauſam, cur Chriſtus Hieroſolymam aſcenderit, quia nimirum unum ex præcipuis feſtis erat. Probabile autem eſt Johannem feſtum Paſchatis hic intellexiſſe: quia hoc erat primum & celeberrimum è primariis feſtis feſtum, ideoque κατ' ἐξοχὴν feſtum ſimpliciter dicebatur. Nec refert, quod articulus voci ἑορτὴ non ſit additus: ſic enim etiam Marc. 15. 6. Luc. 23. 17 legitur. Accedit Irenæi teſtimonium, qui lib. 2. cap. 39 tradit quoque, feſtum hoc Paſcha fuiſſe. Quocirca hæc fuit ſecunda Paſcha, cui Chriſtus poſt ſubſceptum à ſe baptiſmum Hieroſolymis interfuit. Prima enim fuit, cum vendentes & ementes ex Templo expulit ſupra cap. 2. 13. Inter quas duas Paſchas non ſolum ea contigerunt, quæ Johannes in duobus præcedentibus Capitibus recenſuit, ſed præterea multa miracula, vocatio quorundam præcipuorum diſcipulorum, & præclara illa concio in monte habita, & alia contigerunt, quæ ab aliis Euangeliſtis literarum monumentis conſignata ſunt.

Feſtum Judæorum.] Ita etiam ſupra cap. 2. 13. *Paſcha Judæorum.*

Verſ. 2. *Eſt autem Hieroſolymis ad portam pecuariam piſcina, quæ nominatur Hebraice Bethesda, quinque porticus habens.*] Gr. ἐν Ἱερουσολύμοις. *in Hieroſolyma.* Si hæc eſt illa piſcina, quam fecit Ezechias Rex una cum aquæductu 2 Reg. 18. 17. xx. 20, quæ erat extra civitatem, vocula *in* ſumenda erit pro *apud* vel *prope*, Hebræorum more loquendi.

Ad portam pecuariam, vel ovinam.] Gr. προβατικὴ: ubi non additur vox *portæ*. Hinc quidam ita vertunt verba Euangeliſtæ: Erat Hieroſolymis ad probaticam ſeu ovinam vel pecuariam piſcinam. Nehem. 3. 1, 32. xii. 39, expreſſe fit mentio *portæ gregis*: dubium igitur non eſt, hic quoque vocem portæ ſubaudiendam eſſe. Porta hæc nomen habuit ab ovibus, quæ per eam in civitatem agebantur, vel ad ſacrificia, vel ad uſum promiſcuum civitatis.

Piſcina.] Fuit ſtagnum quoddam, in quo pecus adaquari, & quod deſtinatum erat ſacrificio, lavari ſolitum eſt, antequam in Templum adduceretur.

Bethesda.] Syrus legit, Bethcheſda, id eſt, domus miſericordiæ. Hebræi enim quemvis locum, in quo aliquid fit *beth*, id eſt, domum vocant. Videtur autem hæc piſcina nomen hoc obtinuiſſe, ab hoc inſigni miraculo, quod in ea fiebat, ut hic deſcribitur. Putant nonnulli hanc piſcinam eſſe illam ipſam, quam Ezechias confici curavit, de qua 2 Reg. 20. 20. Sed iſta fuit ante urbem, ut videre eſt ex loco 2 Reg. 18. 17, hæc autem erat in urbe: niſi quis velit *in* ſumere pro *apud*, ut Hebræis ſolenne eſt loqui.

Quinque porticus habens.] Porticus iſtæ erant lapideæ & tecto munitæ propter ægrotos, qui ſanitatis acquirendæ cauſa ad hanc piſcinam expectabant ℣. 3. Porticus enim iſtæ non ſuper piſcinam, ſed circa eam erant.

Verſ. 3. *In his jacebat multitudo magna ægrorum, cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.*] Græca vox ἀσθενεία, *infirmitas*, denotat alias omnem morbum, ut Matth. 8. 17. Luc. 13. verſ. 11, 12, ſed hic videntur tales morbi enumerari, qui à medicis ſanari non poſſunt.

Cœcorum.] Qui viſum penitus amiſerant, ut nullis naturalibus remediis curari poſſent.

Claudorum.] Qui pedes fractos vel læſos habebant, ut claudicare, vel grallis uti cogeretur.

Aridorum.] Quorum membrum aliquod naturalis caloris defectu contabuit: ut Matth. 12. 10. Luc. 6. 6. 1 Reg. 13. 4. Quæ tabes ſi cum tempore ſumat vires & incrementum, incurabilis eſt. Dubium non eſt etiam pluribus aliis morbis laborantes repleviſſe illas porticus; quos Euangeliſta brevitatis cauſa omiſit.

Expectantium motum aquæ.] Exiſtimant quidam, terram in fundo illius piſcinæ, vim habuiſſe omnes morbos ſanandi, & aquam agitatione turbidam factam, eadem vi à terra imbutam fuiſſe. Solent enim ſæpe etiam in miraculis naturalia media adhiberi: ut exemplum Naamanis 2 Reg. 5. 14, & Regis Ezechiæ 2 Reg. 20. 7 docet. Sed certum eſt, nullam terram aut aquam à natura vi ejuſmodi eſſe inſtructam, ut omnes morbos ſanare poſſit. Natura enim plerumque peculiaria pro ſingulis morbis remedia ſuppeditat, pro quibuſdam etiam nulla habet. Ideo omnino ſtatuendum eſt, plane ſupernaturalem in hac aqua vim fuiſſe, ut ſequentia docent.

Verſ. 4. *Angelus enim conſtituto tempore deſcendebat in piſcinam, & turbabat aquam: Itaque qui primus ingreſſus erat poſt aquæ turbationem ſanus fiebat, à quocunque detineretur morbo.*] Non eſt credibile, Angelum conſpicua ſpecie deſcendiſſe: non ſolent enim Angeli multis hominibus apparere. Ideo etiam non dicit Euangeliſta, ægros expectaſſe adventum Angeli, ſed motum aquæ. Unde igitur cognitum eſt, motum illum aquæ per Angelum eſſe factum? Id vel piis hominibus divinitus revelatum fuit, vel inde id collectum eſt, quod Deus ſoleat in inuſitatis operibus ſuis uti miniſterio Angelorum. Sunt enim illi omnes *miniſtratorii ſpiritus, qui in miniſterium mittuntur propter eos, qui poſſeſſuri ſunt hæreditatem ſalutis*, Hebr. 14.

Conſtituto tempore.] Gr. κατὰ καιρὸν, *ſecundum tempus*. Quo anni tempore, & quoties in anno motus iſte aquæ fiebat, non dicitur. Aliqui cenſent, ſub feſtum Paſchæ id contigiſſe: alii tempore omnium trium ſolennium feſtorum, quæ Deus voluerit hoc miraculo inſignire & commendare. Sed probabilius eſt, nullum ſtatum tempus in anno fuiſſe, quo id fiebat; & fortaſſis hoc etiam non ſingulis annis accidebat. Deus enim non adeo profuſus in miraculis edendis eſſe ſolet. Hinc factum eſt, ut ſemper in porticibus magna copia ægrorum expectarit, qui alioqui nonniſi certo tempore, quo aquam turbatum iri ſciebant, huc ſe contuliſſent. Et hoc ipſum, quod raro res iſta eveniret, poteſt in cauſa eſſe, cur Joſephus Judaicarum rerum ſcriptor, qui alias res ſumma diligentia annotavit, nihil de hac miraculoſa piſcina ſcripſerit. Tertullianus quoque lib. adverſus Judæos cap. 3 ſcribit, piſcinam iſtam, non multo poſt Chriſti mortem, vim ſuam amiſiſſe, ſine dubio propter ingratitudinem Judæorum.

In piſcinam.] Gr. ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, *in piſcina*. Quæritur à nonnullis: Quid opus fuerit, ut Angelus in ipſam piſcinam deſcenderet, cum etiam extra eam conſiſtens, aquam movere potuerit? Sed non eſt de eo curioſius inquirendum: ſufficit, quod ſciamus, Deo ita placuiſſe, ut Angelus contactu ſuo, quod naturale eſt, aquam commoveret.

Et turbabat aquam.] Cur Angelus aquam turbarit, hæc videtur fuiſſe cauſa, quod hoc ſigno indicare voluerit, quando tempus ſit deſcendendi in aquam, ſeu quod voluerit hac ratione ſignificare, vim ſanandi aquæ eſſe communicatam: quæ eam non diu retinuit, ſed mox perdidit, ubi moveri deſiit. Motus iſte & turbatio aquæ augebat miraculum; nam alioqui tantum quieta & clara aqua, non turbida ad remedia & ſanationes adhiberi ſolet.

Itaque qui primus ingreſſus erat poſt aquæ turbationem.] Quæritur hic: Cur aqua iſta uni tantum, & quidem primo profuerit? Videtur Deus docere voluiſſe, etiam in divinis beneficiis, quæ nobis ex gratia conferuntur, induſtriam ac ſolertiam noſtram multum valere. Qui tardior ad hanc aquam ac negligentior fuit, beneficio ejus caruit.

A quocunque detineretur morbo.] Omnes circumſtantiæ indicant, vim ſanandi aquæ iſti non fuiſſe naturalem. Nimirum ſanabat illa certis temporibus; ſanabat nonniſi turbata; non unumquemque ſanabat, ſed eum tantum, qui primus ingreſſus fuerat; denique ſanabat ſine diſcrimine omnia morborum genera, qualiacunque eſſent.

Verſ. 5. *Erat autem quidam illic triceſimum octavum annum agens in infirmitate.*] Commemorat hoc Euangeliſta ad majorem hujus miraculi commendationem, quod morbus iſtius hominis inveteratus admodum fuerit, & diuturnitate temporis altas radices egerit. Sic Luc. 13. 11, narratur de muliere quadam, quæ 18 annis ſpiritu infirmitatis laborarit: & Luc. 8. 43 de muliere alia, 12 annis profluvio ſanguinis vexata. Chriſtus itaque hunc ex numero reliquorum ægrotantium, qui in porticibus jacebant, delegit, ut in eo vim ac potentiam ſuam demonſtraret, quo magis agnoſceretur, illum non ſponte naturæ, ſed ſua ope ac virtute ſanitati reſtitutum eſſe.

Non meminit Euangeliſta, quod genus morbi fuerit, quo homo iſte laboravit; ſed cum in lecto jacuerit, ut ℣. 8 docet, videtur fuiſſe paralyticus, ita ut mem-

ut membris captus non potuerit ſeipſum in piſcinam immittere. Hunc autem hominem fuiſſe illum paralyticum, cujus Matthæus meminit cap. 9. 1, ei omnes circumſtantiæ reclamant.

Verſ. 6. *Hunc cum vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet, eum jam multum temporis habere, dicit ei: Vis ſanus fieri?*] Hæc verba ita ſonant, quaſi Chriſtus fortuito eum in turba aliorum ægrorum conſpexiſſet, & miſeria ejus, quæ ipſum manuum ac pedum impotem lecto affixerat, commotus fuiſſet ad miſericordiam. Sed videtur tamen Chriſtus non caſu, ſed deliberato animo hunc ægrum præ aliis elegiſſe, ut in eo ſanando miraculum ederet, quod tanto erat majus, quanto gravior morbus erat: præſertim cum miſer iſte præ omnibus maxime indiguerit ope ac miſericordia, quia neminem habebat, qui eum tempore turbatæ aquæ in piſcinam immitteret.

Et cognoviſſet, eum jam multum temporis habere.] Id eſt, eum jam temporis multum egiſſe in morbo. Hoc etiam ita ſonat, quaſi tum demum ex certis indiciis id cognoviſſet Chriſtus. Verum probabilius eſt, hoc eum cognoviſſe virtute Spiritus Sancti in ſe habitantis, quem quando in ſe ſuſcitabat, nihil ipſum latere poterat.

Vis ſanus fieri?] Non poterat Chriſtus dubitare, eum libentiſſime velle ſanari, qui tot annis decubuerat ex morbo, qui ſanitatis recuperandæ cauſa tot annos egerat ad illam piſcinam. Quærit tamen ex eo, tum ut ſpem ei faceret ſanitatis à ſe obtinendæ, & adderet ipſi ad ſe orandum audaciam, tum ut indicaret, ſe beneficiis ſuis nonniſi volentes afficere. Poteſt enim alicui maleficium fieri etiam invito: at invito benefieri non poteſt. Interea vero Chriſtus gratia ſua prævenit petitionem ægri, & præter ſpem omnem ei ſanitatem offert primum, poſtea donat.

Verſ. 7. *Reſpondit ei infirmus: Domine, hominem non habeo, qui cum turbata fuerit aqua, immittat me in piſcinam; interim autem dum ego venio, alius ante me deſcendit.*] Ex verbis iſtis hujus ægri, ut & ex verſ. 13 apparet, eum neſciviſſe, quis eſſet Chriſtus: alias enim ſtatim ab eo ſanitatem petiiſſet. Videtur ille Chriſti verba ita intellexiſſe, quaſi Chriſtus quæreret, an cuperet ſe ab aliquo juvari, ut piſcinam ingredi, & ſanitatem conſequi poſſet. Idcirco reſpondet, ſe neminem habere, qui hoc officium ſibi præſtare vellet.

Hominem non habeo.] Id eſt, neminem habeo, per Hebraiſmum. Unde paupertas ejus intelligitur.

Verſ. 8. *Dicit ei Jeſus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula.* Oſtendit Chriſtus, ſe hoc ipſum præſtare poſſe, quod ille ab Angelo expectabat. Non exigit autem ab iſto homine fidem, ut alias ſolebat: quia iſte nihil adhuc de Chriſto audierat, neque ulla ejus miracula viderat. Non vult metere, ubi non ſeminaverat.

Tolle grabatum tuum & ambula.] Jubet eum ſurgere: nam ad illum uſque diem decubuerat. Jubet eum tollere grabatum, & ambulare, quod non tantum ſanitatis ſignum erat, ſed etiam roboris ac virium, quas homo perfecte ſanus habere poteſt.

Et ambula.] Id eſt, abi domum. Quorſum enim alias lectum ſuum portare debuiſſet? Solebat Chriſtus ut plurimum miraculis ſuis talia adjungere vel mandare, ex quibus veritas & certitudo miraculorum liquere poſſet. Cum aliquot hominum millia pauculis panibus ſaturaſſet, juſſit reliquias fragmentorum colligi, ex quibus patebat, quam ingens factum fuerit miraculum Matth. 14. 20. xv. 27. Leproſo, quem ſanaverat, imperavit, ut ſe oſtenderet Sacerdoti Matth. 8. 4. Luc. 5. 14. Cum Jairi filiam excitaſſet à mortuis, præcepit, ut ei cibus præberetur, Marc. 5. 43. Cum vinum ex aqua confeciſſet, juſſit id deferri ad architriclinum, Joh. 2. 8. Paralytico quoque illi, de quo Matthæus cap. 9. 6 mandavit idem, quod huic, de quo nunc agimus, ut tolleret grabatum ſuum, & domum abiret.

Verſ. 9. *Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum die illo.*] Singula verba demonſtrant magnitudinem hujus miraculi. Non enim ſimpliciter dicit, eum factum eſſe ſanum, quod ſufficiebat, ſed eum *ſtatim*, ut hæc verba protulit Chriſtus, ſanum eſſe factum, eum ſuſtuliſſe grabatum ſuum & ambulaſſe: quæ omnia eo fine repetit Euangeliſta, ut doceret, facta eſſe cuncta, prout dixit Chriſtus.

Erat autem Sabbatum die illo.] Non dicit Euangeliſta, diem illum fuiſſe Sabbatum (etſi revera fuerit) ſed illo die fuiſſe Sabbatum, id eſt, ceſſationem Judæorum, ab omni opere. Sabbatum enim Hebraice vocatur requies, ceſſatio. Addit autem hoc propter ſequentia, in quibus deſcribit, quomodo Judæi ex eo, quod die Sabbati hoc miraculum feciſſet Chriſtus, ſumſerint anſam eum infeſtandi. Quod nonnulli putant, Chriſtum idcirco Sabbato feciſſe miracula, quia olim moris fuerit tantum Sabbato & in Novilunio adire Prophetas, eorumque auxilium implorare, ut ex Sunamiticæ illius mulieris exemplo patet, de qua 2 Reg, 4. 23, parum eſt probabile. Cauſa verior eſt, Chriſtum voluiſſe hoc facto nimis ſuperſtitioſam Sabbati obſervationem redarguere, per quam fiebat, ut Judæi etiam opera charitatis & miſericordiæ prohiberent.

Verſ. 10. *Judæi ergo dicebant ei, qui curatus fuerat; Sabbatum eſt; non licet tibi tollere grabatum.*] Veriſimile eſt, non illos Judæos id dixiſſe, qui miraculo adfuerunt, ſed alios, & quidem aliquos ex primoribus, quibus curatus ille cum lecto factus eſt obviam, vel etiam quibus id renunciatum eſt, eum lectum ſuum portare: quod utrumque ex reſponſione ejus colligitur, quando inquit verſ. 11. *Qui me fecit ſanum, ille mihi dixit? Tolle grabatum*, &c. Idem liquet etiam ex eorum interrogatione verſ. 12. *Quis eſt homo ille?* Quod illi utique ſciviſſent, ut nihil opus fuiſſet interrogatione iſta, ſi præſentes miraculo affuiſſent.

Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum. Vetitum erat Sabbato qualecunque onus portare. Jer. 17. 21, 22, 24. Cur igitur Chriſtus contra Legem præcepit huic homini portare grabatum? Nimirum literæ Legis id quidem erat contrarium, ſed non ſenſui ac menti Legis. Grabatum enim tollere non propter uſum aut neceſſitatem corporis, ſed tanquam publicum teſtimonium divini beneficii, potius ſpectabat ad ſanctificationem, quam ad profana-

tionem Sabbati : qui dies eo fine inſtitutus erat, ut homines illo die divina beneficia deprædicarent, ac pro iis Deo gratias agerent. Dubium quoque non eſt, Chriſtum ſciviſſe, Judæos adverſus hanc grabati portationem murmuraturos, atque ita miraculum hoc, quod à nonnullis, etſi forte non paucis, viſum fuit, per totam urbem divulgatum ac percelebratum iri.

Verſ. 11. *Reſpondit eis : Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum & ambula.*] Non eo animo id dicit, quod culpam violati Sabbati velit in Chriſtum devolvere, ſed ſe potius tuetur auctoritate ac mandato ejus, qui tantum miraculum in ſe curando ediderat ; qui cum abſque omni dubio magnus Propheta & vir Dei ſit, innuit, eum longe melius quam illos intelligere, quibus rebus Sabbatum profanetur vel ſanctificetur. Ideoque non paſſus eſt ſe abduci à portando lecto, ſed illum domum uſque detulit : credens, ſe id debere ex officio facere, quia à Chriſto expreſſe hoc mandatum acceperat. Sapientes Judæorum ſtatuerunt, licere præcipiente Propheta Sabbatum violare ; exemplo eorum, qui juſſu Joſuæ Sabbato Jerichuntem expugnarunt, Joſ. 6. 15.

Verſ. 12. *Interrogaverunt eum ergo : Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula ?*] Hic produnt ſuam malitiam. Non enim quærunt, Quis eſt homo iſte, qui te ſanum fecit, ut eum tanquam Prophetam adorarent ; ſed, *Quis eſt, qui tibi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula ?* id eſt, quis eſt homo ille impius, qui tibi juſſit violare Sabbatum, qui merito idcirco eſſet puniendus. Quanquam credendum eſt, eos, tametſi hæc cauſa portationis grabati abfuiſſet, nihilominus hoc ipſum, quod Sabbato ægrum curaſſet, reprehenſuros fuiſſe : ut alibi fecerunt. Vide Luc. 13. 14.

Verſ. 13. *Is autem qui ſanatus fuerat, neſciebat quis eſſet : Jeſus enim ſubduxerat ſe ; quia turba, erat in illo loco.*] Mirum eſt hominem iſtum non protinus ſciſcitatum eſſe, quis fuerit is, à quo tanto affectus fuerat beneficio. Sed apparet, Chriſto tunc non adfuiſſe comites diſcipulos, ſed eum ſolum in porticus illas fuiſſe ingreſſum, peractoque miraculo, extemplo ſe ſubduxiſſe.

Jeſus enim ſe ſubduxerat.] Id eſt, ſubito inde diſceſſit.

Quia turba erat in illo loco.] Cauſam reddit Euangeliſta, cur ſe Chriſtus ſubduxerit ; quia nimirum aderat magna hominum frequentia, quæ miraculum hoc vidit. Ideo iſtic diu morari noluit, ne videretur laudem ac gloriam ex hoc miraculo captare.

Verſ. 14. *Poſtea invenit eum Jeſus in templo, & dixit ei : Ecce ſanus factus es ; ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi fiat.*] Apparet, hominem iſtum Templum adiiſſe, ut Deo pro ſanitate recepta gratias ageret. Templum enim erat potiſſimum locus orationis. Vide Luc. 18. 10. Actor. 3. 1. An Chriſtus caſu in eum inciderit in templo, an ultro ac de induſtria eum quæſitum invenerit, incertum eſt. Poſterius tamen probabilius eſt : quia Chriſtus proculdubio vidit animum ejus non improbum, ideoque ei ultro occurrit, tum ut ille ſciret, quis ſit iſte, à quo fuerit ſanatus, tum ut moneret eum, quomodo hoc beneficium debeat in utilitatem ſuam convertere.

Ecce ſanus factus es ; ne pecca amplius.] Chriſtus benefaciendo huic homini non tam ſpectavit ſanitatem corporis ejus, quam animi. Corpore ſanus factus, nondum ſanus erat animo, quia Chriſtum nondum norat ; fortaſſis etiam non intellexit, divinitus ipſi hunc morbum fuiſſe immiſſum in pœnam peccatorum ipſius. Inter maledictiones Legis pro peccatis & tranſgreſſionibus, continebantur etiam varii generis graviſſimi morbi, Deut. 28. 21, 22. Vide etiam ſub Novo Fœdere 1 Cor. 11. 30. Apparet itaque, hunc hominem ante annos 38, vitam egiſſe turpem ac flagitioſam ; atque ob eam cauſam etiam gravi pœna à Deo affectus eſt. Ita parva peccati voluptas affert ſæpe graviſſimam afflictionem ; & quod una hora peccatur, interdum vix multorum annorum pœnitentia eluitur. Non fruſtra igitur Chriſtus hunc hominem admonuit, ut poſterum à peccando ſibi caveret. Vide etiam Matth. 9. 2, 6.

Ut ne quid deterius tibi fiat.] Hinc videmus, eos qui ſemel remiſſionem peccatorum conſecuti ſunt, (ſicut hic homo conſecutus erat, dum pœna peccati ab eo fuit ablata) non tantum à periculo denuo peccandi non eſſe immunes, ideoque cautos eſſe debere, ſed etiam poſſe in deteriorem ſtatum incidere : & ſi accepti beneficii immemores ad priſtinum peccatorum ſuorum volutabrum revertantur, graviores ſibi pœnas accerſere, 2 Petr. 2. 21. Videtur morbus iſte, qui duravit 38 annos, tam gravis fuiſſe, ut ei nihil deterius contingere potuerit. At Chriſtus nihilominus ei minatur aliquid deterius, ſi ad priora flagitia ſua relaberetur. Nos ſæpe putamus dolores noſtros, aut miſerias eſſe tantas, ut nihil eis addi poſſit : ſed Deus tamen eas multiplicare & graviores reddere poteſt, ſi nos punire velit.

Verſ. 15. *Abiit homo ille, & nunciavit Judæis, Jeſum eſſe, à quo ſanatus fuerat.*] Cum ex circumſtante populo in Templo didiciſſet, nec non ex facie & veſtitu cognoviſſet, Jeſum eſſe, cui debeat ſanitatem ſuam, renunciat Judæis, qui ex eo prius quæſiverant, quis ſit homo ille, qui ipſum ſanum fecerat. Illi quidem animo malitioſo quærebant id ipſum, ut verſ. 12 oſtendimus, ipſe vero bono animo id illis annunciat : nimirum non eo fine, ut eum tanquam Sabbati contemtorem accuſaret, ſed potius ut eum tanquam magnum benefactorem ſuum grato animo coram iis laudaret ac celebraret.

Verſ. 16. *Et propterea perſequebantur Judæi Jeſum, & ſtudebant eum interimere, quod iſta feciſſet Sabbato.*] Cauſa, quam primores Judæorum huic perſecutioni ſuæ in ſpeciem obtendebant, erat, quod Sabbatum violaret : ſed veriſſima cauſa erat ipſorum malignitas & invidia ; quod gloriam & celebritatem nominis Chriſti, quam ſibi miraculis ſuis apud populum comparaverat, ferre non poſſent. Hoc enim eſt livoris & invidiæ ingenium, ut ſemper aliquod quærat involucrum, quo ſuam nuditatem, cujus eam pudet, tegat.

Et ſtudebant eum interrimere.] Ad tantum faſtigii pervenit odium eorum adverſus Chriſtum, ut culpam ejus morte dignam judicarent. Verba hæc in nonnullis exemplaribus Græcis deſiderantur, quia credi-

creditum eſt, ea hæc ex verſ. 18 eſſe tranſlata. Sed Syrus & Arabs illa legit.

Quod iſta feciſſet Sabbato.] Vide ad Matth. 12. 11.

PARS II.

Verſ. 17. *Jeſus autem reſpondit eis: Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.* Hic incipit altera pars hujus Capitis, in qua ſe Chriſtus defendit adverſus iniquam criminationem Judæorum.

Jeſus autem reſpondit eis.] Verbum *reſpondendi* ſæpe quidem adhibetur ab Hebræis, etſi nulla dicta præceſſerint, ad quæ reſpondendum fuerit. Vide Matth. 11. 25. Sed hic videntur aliquid prius dixiſſe, ad quod Chriſtus reſpondet: id vero Euangeliſta referre ſupervacuum duxit, quia facile intelligitur, eos ipſum ſine dubio tanquam tranſgreſſorem Sabbati accuſaſſe. Et iſta reſponſio Chriſti indicat, eos inter alia hoc etiam forte dixiſſe, quod non liceat Sabbato operari, cum Deus ipſe hunc diem ſanctificaverit. Ad quod jam Chriſtus reſpondet.

Pater meus uſque adhuc operatur.] Quaſi dicat: Etſi Deus, Pater meus, die ſeptimo ita requieverit, ut nullas novas creaturas amplius producat, cum omnes, quotquot ipſi viſum eſt, in ſex diebus creaverit; nihilominus non deſinit virtute ſua operari etiam Sabbato, ea nimirum, quæ ad conſervationem & bonum creaturarum ſuarum, nec non ad gloriam nominis ejus faciunt. *Ille operit nubibus cœlum, & largitur terræ pluviam, facitque ut proferant montes gramen. Dat jumentis cibum ſuum, & pullis corvorum, qui crocitant*, Pſal. 147. 8, 9. *Facit ſolem ſuum oriri ſuper malos ac bonos*, Matth. 5. 45. Producit innumeros homines & animantia, ſanat ægrotos, & mille alia opera facit divina providentia ſua, partim in bonum hominum, partim in malum, & pœnam idque ſine ullo diſcrimine temporis, tam Sabbato, quam alio die.

Uſque adhuc.] Id eſt, uſque in hunc diem à mundi initio, Matth. 11. 12. Johan. 2. 10. XVI. 24. 1 Johan. 2. 9.

Et ego operor.] Hebraiſmus eſt. Senſus enim eſt: Quemadmodum Pater meus operatur, ita & ego operor, id eſt, ita ego etiam Sabbato facio opera divinæ potentiæ, quæ nullus hominum facere poteſt, niſi adſit ei Dei manus; opera, quæ non tam mea ſunt, quam Dei ipſius propria, quæ ille per me operatur. Deus autem in ſuis operibus Sabbati lege non tenetur.

Verſ. 18. *Propterea ergo magis ſtudebant eum Judæi interimere, quia non ſolum ſolveret Sabbatum, ſed & Deum diceret Patrem ſuum, æqualem ſe faciens Deo.*] Supra verſ. 16 memoravit Euangeliſta, Judæos ſtuduiſſe Chriſtum interficere propter violationem Sabbati: hic vero adhuc aliam ex verbis Chriſti arripiunt anſam, quæ majorem habebat ſpeciem, quod nimirum ſe Dei Filium faceret. Itaque ſanguinarius eorum animus, magis adhuc adverſus eum inflammatus eſt, cum talem blaſphemiam (ut putabant) ex ore ejus audirent.

Sed & Deum diceret Patrem ſuum.] In Græco eſt; πατέρα ἴδιον, *patrem proprium*: cui voci *proprius* peculiaris vis ineſt; ut & Rom. 8. 32. Intellexerunt enim, Chriſtum non vulgari modo Deum patrem ſuum vocare, ut & omnes Judæi vocabant (Joh. 8. ℣. 41.) ſed ſingulari quadam ratione, aliiſque hominibus non communi. Nomen Filii Dei autem in excellentiſſima ſignificatione ſumptum competebat ſoli Meſſiæ: ut videre eſt Matth. 16. 16. XXVI. ℣. 63. Itaque illi ex verbis ejus colligunt, eum ſe pro Meſſia gerere. Quod enim exiſtimarint, eum ſe talem Dei Filium profiteri, qui ab omni æternitate ex eſſentia Patris ſit genitus, atque ipſe Deus Altiſſimus ſit, procul abeſt ab omni veri ſimilitudine. Jam vero ſi qui ſumebat ſibi nomen & partes Prophetæ non eſſet, multo magis, qui mentiebatur ſe eſſe Meſſiam, morte erat plectendus, Deut. 13. 5. Proinde cenſebant, ſe ſatis cauſæ habere vitam ejus oppugnandi.

Æqualem ſe faciens Deo.] Non in eo, dum Deum Patrem ſuum vocaret, ſed dum ſe ratione operationis æquavit Deo, quaſi ipſi ſic liceat omnia facere, ut Deo licet, & quaſi æque, ac Deus, Sabbati lege non teneretur. Qua in re illi gravem Chriſto faciebant injuriam. Is enim non ſua propria aut humana faciebat opera, ſed divina, quæ quia Deo ipſo auctore fiebant, legi Sabbati non ſubjacebant.

Verſ. 19. *Reſpondit itaque Jeſus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, Non poteſt Filius à ſeipſo facere quicquam, niſi quid videat Patrem facientem.*] Verba *à ſeipſo* non ſolum complectuntur in ſe poteſtatem ac jus, ſed etiam robur ac vires & ſcientiam operandi. Etenim tam vis & ſcientia operandi, quam poteſtas viribus utendi, non erat Chriſti propria, ſed ipſi à Patre communicata. Proprie verba hæc opponuntur ei quod quis non à ſeipſo habet, ſed ab alio: ut ex ſequentibus intelligitur. Ita hæc verba uſurpantur infra cap. 7. 14. XII. 49. XVIII. verſ. 34.

Niſi quid videat Patrem facientem.] Ἐὰν μὴ, *ſi non* ſumitur pro ἀλλὰ, *ſed*: ut & Gal. 2. 16. Joh. 15. 4. Ut ita ſenſus ſit: Filius nihil poteſt à ſeipſo facere, ſed hoc tantum quod videt Patrem facientem. Sumpta autem eſt in his verbis ſimilitudo à diſcipulis, qui diligenter intenti ſunt in ſuum magiſtrum, quando eos inſtruit ac inſtituit, ut eum imitari poſſint. Propterea etiam utitur Chriſtus verſiculo ſequenti verbo *monſtrandi*: nempe quod Pater tanquam magiſter Filio monſtrat, id Filius intente ſpectat, & imitatur; à ſe ipſo autem & ſine tali monſtratione nihil poteſt facere. His verbis igitur ſe Chriſtus defendit adverſus accuſationem Judæorum, dum oſtendit, ſe non ſimpliciter ac ſine diſcrimine Deo ſe æqualem facere. In operando quidem indicat ſe æqualem eſſe Deo eatenus, quod omnia, ea faciat, quæ Pater facit: Sed in modo operandi eſſe inæqualitatem magnam. Pater enim omnia operatur à ſeipſo, ſe autem nihil poſſe à ſeipſo facere, ſed hæc ſolum omnia, quæ ipſi Pater monſtrat, & ad quæ facienda ei vires, ſapientiam ac poteſtatem concedit.

Quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.] Explicat ſuperiora, ſenſuſque eſt: Opera quæ Filius facit, ſunt prorſus talia, qualia Pater facit.

Ille

Ille imitatur Patrem in operando, perinde ut discipulus magistrum suum. Ita etiam adverbium ὁμοίως, *pariter*, *similiter* sumitur Luc. 6. 31. *Sicut vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*: id est, qualia officia vobis præstari vultis ab hominibus, talia & vos illis præstate. Et Luc. 10. 37, cum Legisperitus agnosceret, Samaritanum saucio homini fuisse proximum, dixit illi Christus: *Vade & tu quoque fac similiter*, id est, talia quoque opera misericordiæ exerce. Itaque illi toto cœlo errant, qui vocem *similiter* vel *pariter* explicant *eodem modo*, id est, æque propria, à natura insita, & à nullo alio accepta, vi ac potestate, atque Pater. Hoc pacto enim non solum directe contradicunt verbis Christi, quæ præcesserunt, quod nimirum Filius nihil possit facere à seipso: sed etiam id nihil ad rem facit. Vis enim responsionis Christi in eo est, quod opera, quæ faciebat Christus, sint Patris opera; qui cum legi Sabbati non sit subjectus, idcirco nec se redarguendum esse, quod ea facit in Sabbato. Quod autem is opera ista eodem plane modo, & eadem virtute aut potestate faciat, huc non spectat. Quacunque enim virtute Christus opera ista faciat, si modo illa sint Patris opera, id est, talia, quæ ipsi Pater monstravit, ipsumque docuit, necessario sequitur, ea reprehendenda non esse, etsi Sabbato fiant.

Verba quoque hæc absurdissime producuntur ad probandam altissimam Christi Deitatem, cum sic ex iis colligitur: Quicquid Pater facit, id facit quoque Filius. Ergo Filius quoque creavit cœlum & terram, adeoque non minus est Creator ac summus Deus, quam Pater. Quis enim nescit, vocem *omnia* semper ad subjectam materiam esse restringendam, nec latius extendendam, quam permittit res, de qua agitur? Nam si illimitate velis hanc vocem sumere hoc loco, licebit quoque sic argumentari: Quicquid Pater facit, id Filius quoque facit. Ergo Filius quoque genuit Filium, & in mundum misit, & in mortem tradidit, omniaque ea ipse fecit, quæ Pater circa Filium fecit. Quapropter vox *omnia* tantum de ejusmodi operibus, de quibus hic sermo est, intelligenda est, nempe de miraculis, quæ Filius apud Patrem vidit, seu quæ Pater Filio monstravit, id est, ad quæ facienda ei vim ac potestatem scientiamque concessit. Quis velit dicere, Filium creationem cœli ac terræ apud Patrem vidisse, & ab eo didicisse, vel Patrem ei creationem monstrasse, eamque docuisse? Hic ipse loquendi modus, quo Christus hoc loco utitur, arguit, Christum non esse Deum Altissimum; quia ita de Deo Altissimo loqui non licet.

Multo etiam absurdius est, quod nonnulli ex his verbis probare conantur, Christum seipsum excitasse à mortuis, quia eum Pater excitavit: omnia autem quæ Pater facit, Filius quoque facit. Si Pater etiam mortuus fuisset, & seipsum excitasset, tum demum sequeretur, id, quod illi volunt, Filium quoque seipsum excitasse.

Vers. 20. *Pater enim diligit Filium, & omnia ostendit ei, quæ ipse facit, & opera majora his ostendet ei, ut vos miremini.*] Causam his verbis indicat Christus, cur ipsi Pater omnia ostendat; ea vero est summus Patris erga Filium amor. Perseverat Christus in similitudine sumta à Magistro, qui unum è suis discipulis præ reliquis amat, eique omnia secreta artis suæ communicat, nihilque eum celat.

Et majora his ostendet ei opera.] Hoc facit ad majorem ejus rei illustrationem, quomodo se ipse Patri æqualem faciat; nempe quod etiam in ipsis operibus non sit omnimoda & perfecta æqualitas inter se & Patrem: Patrem enim sibi majora adhuc opera monstraturum, quam quæ hactenus fecerat. Unde patet, ad hanc æqualitatem aliquid adhuc posse addi, ut major fiat. Pater eos, qui læsi erant morsibus ignitorum serpentum, sanavit, Num. 21. 10. Idem Ezechiam aliosque à lethali morbo servavit 2 Reg. 20. 5. Ita Filio quoque monstravit, quid facere ad exemplum Patris sui debeat: Sed reliquum est, ut Filius Patrem suum etiam in majoribus rebus imitetur. Notandum enim est, Christum adhuc persequi cæptam similitudinem de magistro discipulum suum erudiente. Idcirco etiam rursus voce *monstrandi* vel *ostendendi* utitur. Sensus enim non est, Patrem Christo postea demum, post hæc verba prolata, majora opera ostensurum, quæ tunc nondum noverat, seu facere nondum poterat: sed vult indicare hac locutione, admirabilem divinæ gubernationis modum, quod Deus tali ordine in suis operibus utatur, ut à parvis initiis ad sublimiora subinde ascendat: quo divina ejus potentia quasi per gradus hominibus innotescat. Sicut ergo Pater ordinem ejusmodi in suæ providentiæ operibus servat, ita & Filius eundem servat.

Ut vos miremini.] Tacite perstringit summam Judæorum contumaciam, ut qui per miracula hactenus à se facta, eo adduci non potuerint, ut mirarentur. Si enim hoc miraculum, quo hominem à 38 annis graviter decumbentem solo verbo ac jussu suo perfecte sanum reddidit, admirati fuissent, non ei profanati Sabbati crimen impegissent, neque sanguinariam persecutionem adversus eum instituissent. Itaque Christus præstantiam ac magnitudinem futurorum operum volens exprimere, ait se talia miracula editurum, quæ ipsos etiam vel invitos in admirationem raptura sint. Non dicit, ut vos credatis, sed, ut vos miremini. Impius enim populus magnitudine illorum miraculorum, de quibus loquitur hoc loco Christus, adductus quidem est ad admirationem, sed non ad credendum. Mirabantur resuscitationem Lazari, dicebantque: *Hic homo multa signa facit*, Joh. 11. 47, non tamen credebant in eum, sed magis adhuc irritati sunt, & ad struendas vitæ ejus insidias incitati.

In his duobus versiculis præclarum continetur argumentum, quod Christus non sit Deus summus. Ait enim diserte: *Filius nihil potest facere à seipso*, (id est, propria virtute & potestate) *nisi quid videat Patrem facientem.* Et infra vers. 30. *Non possum ego facere à meipso quicquam.* Jam vero certum est, Deum summum omnia à seipso facere posse. Unde consequitur, Christum summum Deum non esse. Hoc insigne argumentum, homines inveterata opinione de suprema Christi Deitate dementati, duplici modo solvere ac enervare conantur. Quidam concedunt, Christum hic de seipso loqui, quatenus est Dei Filius. Alii vero contendunt, eum tantum

secundum

ſecundum humanam naturam de ſe loqui. Priores rurſus duplicem afferunt reſponſionem. Etenim nonnulli ajunt, voces à *ſeipſo facere*, non ſignificare propria virtute aut propriis viribus facere, ſed aliquid adverſus Patris conſilium, voluntatem ac mandatum facere, vel, uno verbo, Patri mandatiſque ejus reſiſtere ac repugnare. Verum primo hæc ipſa locutio arguit, Chriſtum non eſſe Deum ſummum. Supponit enim illa, conſilium, voluntatem, & mandatum Patris, eſſe normam ac regulam Filii, ad quam ille ſe in operibus ſuis componat, & contra quam nihil facere poſſit. Atqui Dei Summi non eſt, ſe ad alienum conſilium, voluntatem ac mandatum componere, ſed ipſius eſt, omnia pro ſua voluntate, conſilio ac beneplacito facere. Ergo Chriſtus non eſt Deus ſummus. Idem etiam ex illis verbis intelligitur, *niſi quid videat Patrem facientem*, vel, ſed quod videt Patrem facientem. Unde ſequitur, Chriſtum id facere non poſſe, quod non videt Patrem facere. Si autem ille foret Deus ſummus, poſſet utique omnia facere, etſi non videret Patrem ea facientem. Tertio Chriſtus ad objectionem Judæorum, nihil quod ad rem pertineret, reſpondiſſet. Objiciebant Judæi Chriſto, tanquam crimen, quod ſe Deo æqualem in operando faceret. At ſi juxta hanc explicationem Chriſtus ſuppoſuiſſet, ſe eſſe Deum ſummum, omniaque opera ſua facere propria ac naturali virtute, æque ac Pater facit, tum neque affirmaſſet ſe æqualem facere ſeipſum Deo, neque negaſſet, ſed tantum dixiſſet, ſua opera voluntati atque conſilio Patris non eſſe contraria. Quid vero hoc ad rem faciebat? Si vero verba *à ſeipſo* idem ſignificent, quod propria virtute, ſapientia & auctoritate, tum Chriſtus egregie diluit objectionem, oſtendens, diſcrimen inter ſua & Patris ſui opera; ex quo intelligere poterant Judæi, ſe non omni ex parte ſe æqualem Deo facere.

Alii reſpondent, Chriſtum ideo dicere, ſe nihil à ſe ipſo facere poſſe, quia operandi potentiam non à ſeipſo habeat, ſed eam à Patre, per æternam ex eſſentia ejus generationem acceperit.

Hanc reſponſionem Auctor hic non refutat, ſed ſe refert ad librum Johannis Crellii de Uno Deo Patre, à ſe è Latino in Germanicam linguam converſum: à pag. 49 ad finem Capitis.

Verſ. 21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita & Filius, quos vult, vivificat.*] De Patre idem ſubintelligendum eſt, quod mortuos ſuſcitet ac vivificet, quando velit, & quos velit, quod de ſeipſo Chriſtus dicit. Sed hoc non opus erat de Patre addere expreſſe, quia id erat extra controverſiam, & nemo dubitare poterat, quin Pater in omnibus operibus ſuis libera utatur voluntate, Pſal. 135. 6. Verſu præcedenti Chriſtus dixerat ad Judæos, Patrem ſibi majora adhuc opera monſtraturum, quæ illis ipſis quoque admirationi futura ſint. Hoc jam declarat Chriſtus, oſtendens, quænam iſta majora opera futura ſint; quod nimirum mortuos ſuſcitaturus ſit: id quod longe majus ac præſtantius opus eſt, quam ægrotos ſanare. Id autem ait Chriſtus ſe facturum exemplo Patris ſui, qui pro arbitrio ac beneplacito ſuo mortuos ſuſcitat. Ita Pater ad ſupplices Eliſæi preces filium Sunamiticæ mulieris ſuſcitavit 2 Reg 4. 35. Hinc vivificatio mortuorum inter præſtantiſſima opera, quæ Deo adſcribuntur, numeratur. Vide Deut. 32. 39. 1 Sam. 1. 6. Tob. 13. 3. Sap. 16. 13.

Et vivificat.] Hæc vox declarat priorem. Nam ita Deus ſuſcitat mortuos, ut eos in vitam vere reſtituat.

Ita & Filius, quos vult, vivificat.] Id eſt, vivificabit. Præſens pro futuro: ut infra plenius intelligetur. Poteſt etiam *vivificat*, idem denotare, quod *habet potentiam vivificandi*: ut infra innuit verſ. 26. Hactenus Chriſtus nondum ullum excitaverat è mortuis, ſed miracula ejus potiſſimum conſiſtebant in curandis morbis: poſtea autem etiam mortuos ſuſcitavit, ut filium viduæ in civitate Nain Luc. 7. 15, filiam Jairi Luc. 8. 54, & Lazarum Joh. 11. 43. Non quod etiam antea potentiam id faciendi non habuerit, ſed quia divinæ ſic viſum eſt ſapientiæ, à minoribus miraculis ad majora ſubinde progredi: ut ſupra ad verſ. 19 indicavimus.

Quos vult.] Id eſt, pro ſuo arbitrio ac libera voluntate. Chriſto in terris verſante permulti hominum mortui ſunt, neminem tamen ex illis Chriſtus ſuſcitavit à mortuis, præter illos tres modo nominatos: non quod non eaſdem cauſas in aliis reſuſcitandis habuerit quas in iſtis, ſed quod ita ipſi placuerit, hos præ cæteris deligere, in quibus ſpecimen divinæ ſuæ potentiæ ederet. Neque vero hoc pugnat cum eo, quod Chriſtus ſupra verſ. 19 dixit: *Filius nihil poteſt facere à ſeipſo.* Nam hoc ipſum, quod vivificat, quos vult, non habet à ſeipſo; ſed poteſtatem hanc accepit à Patre: ut verſ. 26 ipſe teſtatur. Chriſti quidem vis etiam maxima & excellentiſſima miracula patrandi, in arbitrio ac poteſtate ejus ſita fuit; nihilominus tamen ille ſæpius miracula editurus oravit Deum, eumque invocavit: teſtatus hoc ipſo, ſe potentiam operandi ab ipſo habere, ideoque ipſi à ſe honorem deberi. Vide Joh. 11. 41, 42. Animadvertendum autem eſt, Chriſto non eſſe inſolens, (cujus rei alibi habuimus exempla) de iis rebus, de quibus occaſione ſibi data agebat, ita loqui, ut ſimul ad alia altiora reſpiciat, quæ his ſunt ſimilia, vel aliquam cum his affinitatem habent. Ita hic quidem Chriſtus loquitur de reſuſcitatione aliquot paucorum mortuorum, quæ ab ipſo in terris facta eſt; ſed ita tamen, ut ſimul reſpiciat ad illud maximum omnium miraculorum, quod edet in die noviſſimi judicii, quando omnes mortuos, quotquot ſunt, in vitam revocabit. Certum eſt, Chriſtum illos ſupra dictos mortuos, non ſimpliciter in hunc tantum finem ſuſcitaſſe, ut iis qui morte ipſorum contriſtati erant, vel etiam ipſis mortuis beneficium exhiberet temporale; ſed etiam ut id eſſet ſignum futuræ univerſalis reſurrectionis mortuorum, adeoque ut hac ratione confirmaret ſuam doctrinam in hoc principali articulo, quod non ſolum omnes mortui reſurrecturi ſint, ſed quod ipſe quoque is ſit, qui habeat poteſtatem ac vim vitam reſtituendi. Quia autem univerſalis illa duabus in rebus conſiſtet; in juſtificatione ac bea-

ac beatificatione piorum, & in condemnatione impiorum notandum eſt, vificationem hoc loco tantum de priori judicii parte accipi, innuique, Chriſtum vivificaturum, id eſt, ad vitam æternam reſuſcitaturum, quos volet, ſeu quos dignos judicabit. Unde porro è contrario efficitur, eum etiam damnaturum, quos volet. Quæ damnatio ſi in oppoſitione ad literam acciperetur, in eo conſiſteret, quod Chriſtus eos, quos vivificare noluerit, in morte ſit relicturus, ut in ea æternum permaneant. Sed videtur Chriſtus hic voce vivificationis voluiſſe juſtificationem & felicitatem bonorum exprimere, quia ſimul ad illud miraculum, quo nonnullos è mortuis vivificaturus erat in terris, digitum intendere voluit: & præterea quia poſtea verſ. 25 de ſpirituali vivificatione, quæ per ejus doctrinam fieri debebat, agere in animo habuit: Ita reſurrectio mortuorum ſimpliciter pro ſola reſurrectione juſtorum ponitur, Luc. 20. 35. 1 Cor. 15, per totum Caput. 1 Theſſ. 4. 13 & ſeqq. Eodem ſenſu inquit Chriſtus Apoc. 1. 18. ſe *habere claves mortis & inferni*, id eſt, ſe poteſtatem habere infernum recludendi, & emittendi, hoc eſt, à mortuis ſuſcitandi, quos velit. Vide hac de re plura infra ad finem verſ. 23.

Verſ. 22. *Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.*] Probat Chriſtus, Filium vivificare, quem vult, quia Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio. Vocula *nec* vel *neque* peculiarem hic habet emphaſin: quaſi dicat; Non ſolum Pater dedit Filio poteſtatem ac vim vivificandi, quos vult, ſed etiam judicium ipſum ei tradidit. Judicare mundum eſt quidem proprium Dei opus, Gen. 18. 25. Pſal. 82. 1. Olim primum mundum judicavit immiſſo diluvio: Sodomam & Gomorrham judicavit igne cœlitus demiſſo. Populum quoque ſuum ſæpius judicavit, dum graviſſimis eum plagis afflixit, maxime dum 10 tribus Iſraëlis à Salmanaſſare, & reliquas duas tribus, Judæ ſcilicet & Benjaminis, à Nabuchodonoſore in captivitatem abduci curavit. Verum nunc ſub Novo Fœdere poteſtatem judicandi mundum plane & in totum Deus Chriſto Filio ſuo commiſit: ut Chriſtus ipſe hoc loco, & Paulus Actor. 17. 31, & Petrus Actor. 10. verſ. 42. 1 Petr. 4. 5 teſtatur. Hanc vero poteſtatem ei dedit tunc temporis, cum eum à dextris ſuis collocavit in cœlis, & ad Regiam majeſtatem evexit, adeoque eum Dominum omnis creaturæ in cœlo & in terra conſtituit. Judicare enim eſt proprie Regum munus, Pſal. 72. 1. Dicit autem *dedit*, etſi tum nondum reipſa dediſſet, nimirum propter rei certitudinem, quod id immutabili Dei decreto ei eſſet aſſignatum; quin etiam propterea, quod id ei brevi dandum eſſet.

Obſervandum etiam eſt, voce *judicii* totum regimen atque divinum totius mundi imperium, inprimis autem gubernationem Chriſtianæ Eccleſiæ Dei comprehendi: quæ univerſalis gubernatio Chriſto perfecte data eſt, Epheſ. 1. 21, 22, 23. 1 Cor. 15. 27. & ſeqq. Judicium enim eſt præcipua pars Regiæ poteſtatis, ita ut qui id habet, is habeat & reliquum. Hinc *judicare* ſæpenumero in Scriptura Sacra pro *imperare*, *regnare* ac *gubernare* ſumitur, Jud. 10. 3. XII. 7, 8, 10, 11, 13. 1 Sam. 4. 18. Pſal. 82. 1. Et Rectores ac Principes appellantur Judices, Jud. 2. verſ. 17, 18. iij. 10. Ruth. 1. 1.

Hic rurſus ſe offert firmiſſimum argumentum, quod Chriſtus non ſit Deus ſummus. Summus enim Deus judicat ac imperat propria poteſtate, quam à nullo accepit. Chriſto autem judicandi & imperandi poteſtas data eſt à Patre; & quidem in tempore, cum nimirum eum propter omnibus numeris abſolutam obedientiam uſque ad mortem crucis à mortuis ſuſcitavit, & à dextris ſuis in cœlo collocavit, Phil. 2. 9. Epheſ. 1. 21. Quod enim quidam reſpondent, Patrem Filio dediſſe judicium tum, cum eum ab æterno ex eſſentia ſua genuit, id reſponſionem vix meretur. Id ipſum enim, quod ei judicium datum ſit, ſive per generationem, ſive alio modo, ſive ab æterno, (quanquam hoc impoſſibile eſt & ſeipſum perimit) ſive in tempore, oſtendit, eum ſummum Deum non eſſe. Hoc verum eſt, Patrem Filio dediſſe judicium, cum eum genuit, id eſt, cum eum in perfectiſſimo ac ſupremo gradu filium ſuum effecit: quod factum eſt, cum eum juxta typum in Davide adumbratum Pſal. 2. 6, 7, à mortuis excitavit, & ad dexteram ſuam locavit Actor. 13. 32. Rom. 1. 4. Neque etiam hic obtendi poteſt, Chriſto ſolummodo ſecundum humanam naturam judicium iſtud datum eſſe. Humana enim natura (ut volunt hujus exceptionis Auctores) in Chriſto perſona non eſt, ſed natura tantum, id eſt, attributum quoddam, non ſuppoſitum. Regere autem & judicare eſt actio ſoli perſonæ competens. Itaque Chriſto, quatenus perſona eſt, judicium hoc datum eſſe neceſſe eſt. Præterea nihil erat opus ut humanæ naturæ poteſtas judicandi peculiariter conferretur, cum jam per hypoſtaticam (ut ajunt) unionem cum divina natura, omnem divinam poteſtatem ac judicium plene ac reipſa accepiſſet.

Verſ. 23. *Ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui miſit eum.*] Affertur hic cauſa finalis, ob quam Pater Filio omne judicium dederit: ut nimirum homines hanc ejus divinam dignitatem ac poteſtatem, per quam Deo æqualis eſt, agnoſcentes, ei obedientiam, cultum ac honorem talem deferant, qui ipſi tanquam divino ac cœleſti Regi competit, Pſal. 2. 11, 12. Nam honorem, qui Chriſto debetur, divinum honorem ac cultum eſſe, exinde patet, quod debeat eſſe talis, qualis Patri defertur; cui ſane omnium confeſſione divinus cultus debetur. Atque hinc fortiſſimo argumento concluditur, Chriſto etiam cultum invocationis competere. Nam is qui hunc cultum Chriſto deferre detrectat, non honorat eum, ſicut honorat Patrem. In eo conſiſtit ſummus honor ac cultus, quem Patri exhibemus, quod non tantum ſimpliciter genua coram eo noſtra flectamus, & humili corporis geſtu reverentiam noſtram erga eum teſtemur: (quod quidem per ſe æquum & conveniens eſt) ſed præcipue quod eum pro ſummo Domino ac Monarcha omnium rerum agnoſcamus, in cujus manu ac poteſtate ſita ſit ſalus noſtra & extremum exitium, quodque adeo eum ſuppliciter implorando, bonorum largitionem, & malorum averſionem ab eo obtinere ſtudeamus. Qui hæc eadem etiam in Chriſto agnoſcit, & eum

ſic co-

ſic colit, is honorat eum ac colit, ſicut Patrem.

Hic videmus quoque, eos prorſus immerito & iniquiſſime pro Idololatris haberi, qui Chriſtum pro ſummo Deo non agnoſcunt, & nihilominus ei divinum cultum deferunt, ſicut Patri. Qui tam inique eos criminantur, confitentur, Chriſto ſecundum humanam naturam, ſeu quatenus homo eſt, omne judicium à Patre datum eſſe, idque eo fine, ut omnes honorent eum, ſicut honorant Patrem. Ex quo clariſſime ſequitur, Chriſto quatenus homo eſt, illum ipſum cultum ac honorem competere, qui competit Patri.

Notandum vero eſt, hunc ipſum quoque cultum, qui Chriſto Filio competit, ſuos habere limites, eumque gradu quodam minorem ac inferiorem eſſe, quam eſt cultus Patris. Pater enim colendus eſt, tanquam cauſa prima & auctor noſtræ ſalutis: Chriſtus autem tanquam mediator, ſeu media cauſa. Idcirco honor iſte, quem nos Chriſto exhibemus, non conſiſtit in Chriſto, tanquam in ultimo fine, ſed tendit ad Patrem, qui eſt ultimus finis, in quo omnis honor ut ſcopo ultimo quieſcit. Hinc Paulus, cum dixiſſet, Deum extuliſſe Chriſtum in ſummam ſublimitatem, & donaſſe ei nomen quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine ejus flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum, utque omnis lingua confiteatur, Jeſum Chriſtum eſſe Dominum, addit, *ad gloriam Dei Patris*, Phil. 2. 11. Vide etiam Joh. 14. 13. xv. 8.

Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui miſit eum.] Hoc eſt conſequens ſuperioris. Si enim Filius honorandus eſt, ſicut Pater honoratur, neceſſario ſequitur, eum qui non honorat Filium, etiam Patrem non honorare. Videtur hic *non honorare* ſumi pro inhonorare ſeu contumelia afficere; uti Judæi afficiebant Chriſtum, dum eum tanquam violatorem Sabbati convitiis lacerabant: quæ contumelia ad Patris ipſius opprobrium ſpectat, quia opera, quæ Chriſtus fecit, & ob quæ proſcindebatur maledictis, Patris opera erant, quæ ipſi dederat Pater, ſeu ad faciendum vim ac facultatem conceſſerat, hunc ipſum in finem, ut ab iis honoraretur, æquè ac Pater. Itaque Judæi dum Chriſtum contumelioſe tractarunt, ipſi verum Sabbati uſum non obſervarunt. Verus enim ac legitimus Sabbati uſus eſt, honorare Patrem. Dum ergo non honorant Filium, ſimul non honorant Patrem, illo ipſo die, quo eum maxime honorare deberent.

Dici etiam merito poteſt, eos non honorare Patrem, qui Filio, quatenus eſt verus homo, divinum adorationis honorem denegant. Demonſtravimus enim, divinum cultum, qui Patri debetur, etiam Chriſto deberi, ideo quia ei Pater dedit omne judicium. Jam vero agnoſcunt illi, Chriſto datum eſſe judicium eatenus, quatenus homo eſt. Ergo qui ei honorem adorationis denegat, quatenus homo eſt, denegant ei hunc honorem, quatenus ipſi omne judicium datum eſt, ac porro quatenus ipſi honor idem competit, qui Patri. Imo iſti homines non ſolum denegant Chriſto debitum honorem ac cultum, ſed etiam eum contumelia afficiunt, dum tanquam idololatras accuſant & damnant eos, qui ipſi hunc honorem deferunt. Quod dum faciunt, Chriſtum pro idolo habent, & illis falſis Diis accenſent, quos quia dorat, maledictus eſt, Jer. 17. 5.

Qui miſit eum.] His etiam verbis emphaſis ineſt. Indicat enim iis Chriſtus, contumeliam qua Filius afficitur, idcirco tendere in contumeliam Patris, quia ille miſit eum, atque ſic ei honorem ſuum communicavit. Omnis enim legatus ſuſtinet perſonam mittentis, & honor idem ipſi debetur, qui mittenti: quem honorem ei mittens eo ipſo communicat, dum eum mittit. Unde ſumma conjunctio Chriſti cum Deo intelligitur. Deus enim honorem ſuum non ſolet dare ulli alieno Eſai. 42. 8. Imo nemini eam modo tam illuſtri atque excellenti dedit, quam huic Filio ſuo; quia neminem unquam tanta cum poteſtate atque auctoritate, neque tali cum officio miſit, atque hunc miſit.

Ex eo, quod Chriſtus ſupra verſ. 21 dixit, *Filium vivificare, quos vult*, patet, quanta ſit poteſtas iſta, & quam perfecta atque excellens, quam Deus Chriſto longe ſupra alios legatos ſuos, qui unquam fuerunt, communicavit. Significatur enim his verbis, eum hac in parte nulli legi eſſe obnoxium, ſed in ejus arbitrio ac beneplacito poſitum eſſe, à mortuis ſuſcitare, aut in morte relinquere, id eſt, ſalute æterna beare, vel condemnare, quoſcunque voluerit. Atque hoc etiam poſtulat Regia Chriſti eminentia. Non eſt enim Rex, qui ita legibus adſtrictus atque conſtrictus eſt, ut ei nihil omnino liceat facere, niſi quod in lege præſcriptum eſt: ſed eſt tantum miniſter ac ſervus eorum, quorum utilitati leges illæ ſerviunt. Poſtulat idem ſeſſio ejus ad dextram Dei, qua tam perfecta deſignatur poteſtas, quæ à ſuperiori poteſtate nullis certis limitibus circumſcripta eſt. Vide Gen. 41. 40, 44. Deinde ſi Chriſtus ita certis alligatus eſſet legibus, ut nihil pro ſuo facere poſſet arbitrio, nihil prodeſſet nobis animus ejus ad miſericordiam pronus, nihil nos juvaret, quod ille afficiatur ſenſu noſtrarum infirmitatum; quem affectum Deus ſingulari cura voluit Chriſto per tot perpeſſiones ingenerari, noſque de eo certiores reddere, ut tanto firmiori fiducia ad opem & auxilium ejus confugeremus. At ſic nos ex eo, quod Chriſtus humanam naturam habeat, æque ac nos, quod animam ſuam pro nobis poſuerit, quod nos non erubeſcat fratres ſuos vocare, imo quod Deus noſtram ſalutem totam in manus ejus dederit, non perciperemus plus ſolatii, quam ſi Deus ipſe ſalutem noſtram per ſe curaret. Hac ratione enim Chriſti miſericors animus non ultra poſſet ad nos juvandum moveri, quam leges, quibus adſtrictus eſt, permitterent. Cumque leges iſtæ nonniſi à voluntate & charitate Dei erga nos originem ſuam habeant, non foret Chriſti erga nos charitas & propenſio (quod vim & efficaciam ejus attinet) major, quam eam in Deo ipſo concipere poſſumus. Verum ut hunc articulum de libera & non aſtricta Chriſti poteſtate rectius intelligamus, duo hic animadvertenda ſunt. Primo quam late pateat libera & illimitata hæc Chriſti poteſtas. Deinde quatenus illa tamen legibus adſtricta ſit. Et, ut de re poſteriori primo agamus loco, quia Domino Jeſu ſumma poteſtas & imperium à Deo hunc in finem datum eſt, ut voluntatem

tem divinam de noſtra ſalute exequatur; voluntas autem Dei eſt, ut omnes, qui crediderint in Deum per Chriſtum, ad vitam æternam perducat, reliquos vero perdat in æternum: inde ſequitur, Chriſti poteſtatem eatenus reſtrictam & limitatam eſſe quatenus ipſi liberum non eſt, ſervare ullos alios, quam qui credunt, & quatenus alios, qui non credunt, damnare tenetur. Breviter: Chriſtus adſtrictus eſt legibus Novi Fœderis, ut quæ non ab ejus voluntate, ſed à Dei voluntate pendeant: hinc ipſe dicit, ſuam doctrinam non eſſe ſuam, ſed Patris Joh. 7. 16. Novum enim Fœdus ſolis credentibus promittit vitam æternam; cæteris minatur damnationem. Cum vero fides in Chriſtum, qualis eſſe debeat, clare in doctrina Novi Fœderis deſcripta ſit, cumque etiam certæ leges à Deo ſint propoſitæ, ad quarum obſervationem omnes obligantur, qui ſalutarem habere volunt fidem: non eſt integrum Chriſto leges iſtas mutare, vel in ſuo regimine ab iis diſcedere. Quod vero prius ſpectat, nimirum quam late ſe extendat Chriſti poteſtas, ſciendum eſt, generalem legem de ſervandis credentibus, & damnandis infidelibus, duplici modo accipi poſſe: vel ſtricte ſecundum rigorem juris, vel benigne ſecundum æquitatem, quæ rurſus diverſos gradus ſuos habet, quatenus vel magis vel minus à rigore recedit. In hac æquitate igitur ac benigna legum divinarum interpretatione maxime libera Chriſti poteſtas ſpectatur: ita ut qui ſecundum rigorem Legum Novi Fœderis damnari meretur, quia fidei ejus nonnihil perfectionis deeſt, per gratiam & benignitatem Chriſti ſervari poſſit. Itaque quatenus benignitas & æquitas in legibus Novi Fœderis locum habere poteſt, eatenus & tam late ſe porrigit libera Chriſti poteſtas. Duabus autem potiſſimum in rebus benignitas & æquitas locum habet. Primo in ejuſmodi ignorantia, quæ adhuc aliquatenus excuſabilis eſt, dum alius alio plus occaſionis, & majora animi dona, aut minora impedimenta ad cognoſcendam perfectam Dei voluntatem habet. Deinde in humana fragilitate, & lapſibus, dum alius alio plus virium, vel minus ſcandali habet, ad voluntatem Dei perfecte ſervandam. In quibus duabus rebus Chriſtus libera præditus eſt poteſtate, non agere ſummo ac ſtricto jure cum hominibus, ſed uti miſericordia, & humanæ infirmitatis ſenſu affici, ſi modo illi de cætero fiduciam ſuam in eo collocent, ac miſericordiam ejus ſupplices implorent, nec non probitate animi ac magnis virtutibus, præſertim charitate, patientia & modeſtia ornati ſint. In eo proinde, ut dictum eſt, conſiſtit prima & præcipua pars liberæ ac incircumſcriptæ poteſtatis Chriſti in negotio noſtræ ſalutis; quæ etiam Regiæ ejus dignitati convenit. Regum enim hoc proprium eſt, pro arbitrio de rigore juris remittere, eumque clementia ſua mitigare ac moderari. Altera pars iſtius liberæ poteſtatis eſt in ſpirituali vivificatione ſita, de qua Chriſtus poſtea loquitur verſ. 25, quod nimirum homines tenebris ignorantiæ demerſos & compedibus peccatorum conſtrictos ſplendore Euangelii ſui irradiare & animas eorum quaſi ex morte in vitam revocare poſſit. Qua in re ſimiliter libertas poteſtatis ejus latiſſime extenditur. Liberum enim ipſi eſt, quoſcunque velit homines, & quocunque velit tempore, & per quoſcunque, velit homines, & quocunque velit modo, veritatis luce colluſtrare, vel uni plus lucis quam aliis impertiri, vel lucem Euangelii ſui in una gente extinguere, & in alia accendere. Præter hæc duo modo commemorata, ſunt adhuc alia, in quibus Chriſti libera ac nullis certis legibus limitata poteſtas agnoſcenda eſt, ad quæ præcipue pertinet regimen ac gubernatio Eccleſiæ ejus, quæ nomen ipſius profitetur. Etſi enim gubernatio iſta, adeoque & Chriſti poteſtas ad hanc generalem legem ſit adſtricta, ut ſalus & bonum Eccleſiæ, niſi ipſi contumax ac refractaria ſit, promoveatur ac conſervetur; vel ſi refractaria ſit, ac rebellis, puniatur aut etiam prorſus rejiciatur: tamen quia lex iſta nimis eſt univerſalis, multique caſus & circumſtantiæ temporis, loci ac perſonarum eam limitare poſſunt, omnes iſtæ circumſtantiæ & caſus, Chriſti liberæ ſubjacent poteſtati. Nimirum in diſtribuendis beneficiis tam corporalibus quam ſpiritualibus, in ordinatione Paſtorum ac Doctorum Eccleſiæ, in directione laboris eorum ad Dei gloriam & veritatis propagationem ſpectantis, in immittendis Eccleſiæ ſuæ afflictionibus ac perſecutionibus, in tolerandis delinquentibus, vel etiam puniendis. In quibus rebus omnibus ut varii & infiniti ſunt caſus, ita omnes liberæ voluntati ac poteſtati Chriſti ſunt ſubjecti. Ut rem in compendium mittam, quandocunque leges divinæ, quibus Chriſti poteſtas circumſcripta eſt, in certis caſibus ac circumſtantiis mutationem aliquam admittunt, ita ut abſque violatione legum illarum aliquid fieri vel intermitti queat, & quando diverſa via & diverſis mediis ad illum ipſum finem perveniri poteſt, quem regimen Chriſti ac gubernatio ſecundum Dei voluntatem debet habere præfixum; tum Chriſtus habet liberam ſemper hoc vel illud eligendi poteſtatem. Hoc præterea tenendum eſt, Chriſti poteſtatem non ſolum generalibus Dei legibus, de quibus hactenus locuti ſumus, ſed etiam nonnullis ſingularibus decretis atque ordinationibus divinis limitatam eſſe & adſtrictam, ita ut decreta iſta Chriſto immutare liberum non ſit: qualia ſunt illa, quæ in Apocalypſi Johannis continentur deſcripta, aut olim etiam in Prophetarum ſcriptis indicata. Quanquam & iſta ſic magna ex parte comparata ſunt, ut in iis magna circumſtantiarum varietas locum habeat, quæ etiam liberæ Chriſti poteſtati ſubeſt. Peculiaribus Dei decretis, quibus Chriſti poteſtas adſtricta eſt, merito etiam accenſetur dies ultimi judicii, cujus tempus Pater in ſua ipſius habet poteſtate, ut Chriſtus ipſe teſtatur Actor. 1. verſ. 7. Quod autem hucuſque de Chriſti poteſtate, diſſeruimus, qua regit homines, idem etiam in regimine inviſibilium creaturarum, quales ſunt Angeli boni & mali, locum habere facile intelligitur.

Verſ. 24. *Amen amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſivit ex morte in vitam.*] Dixerat Chriſtus ſupra verſ. 22 Patrem Filio dediſſe omne judicium, & verſ. 23 eum qui non honorat Filium, non honorare Patrem, qui miſit eum; quibus dictis indicavit non obſcure, quid illi expectare habeant, qui Filium non honorant. Nunc contra exprimit ſummam felicitatem

eorum,

eorum, qui Filium honorant; nempe quod non ſint venturi in judicium, ſed conſecuturi vitam æternam. Unde porro ſequitur, eos qui Filium non honorant, in judicium venturos eſſe. Honor autem Filii conſiſtit in eo, ut quis audiat ejus ſermonem, id eſt, ita audiat doctrinam ejus, ut ei quoque fidem adjungat.

Et credit ei qui me miſit.] Non dicit, & credit mihi, ſed Patrem ſuum nominat, cum tali deſcriptione, *qui me miſit*, ut oſtendat, unde doctrina ejus tanta polleat vi & auctoritate, ut qui ei credit, habeat vitam æternam: nimirum quia ſermo ejus eſt Patris ſermo, quem ipſe tanquam Legatus Patris annunciat. Alibi adſcribitur fidei in Chriſtum vita æterna, Joh.3. 16,36.

Habet vitam æternam.] Id eſt, habet jus & privilegium vitæ æternæ. Vide ſupra cap.3. 36.

In judicium non venit.] Id eſt, non eſt obnoxius æternæ damnationi. Alioquin omnes homines in judicium veniunt, cum nimirum ſententia de iis ſive læta, ſive triſtis pronunciabitur in die noviſſimo, & unicuique ſecundum opera ejus fiet retributio. Vide 2 Cor.5. 10. Apoc.20. 12,13. Judæi ſtatuunt quadruplex hominum genus non venturum eſſe in judicium: eum qui extrema paupertate laborat; qui quotidianam crucem habet malam conjugem; qui alieno ære ita obſtrictus eſt, ut eo liberari nunquam queat; & qui colica paſſione vexatur. Putant enim quatuor iſtas plagas ſufficere, ut iis omnia peccata expiari poſſint. Et in libro Juchaſin ſcribunt: *Tres non vident faciem Gehennæ* (quod perinde eſt, atque ſi dicant, non venient in judicium) *qui extreme pauper eſt; qui colico morbo laborat; quique onuſtus eſt ære alieno:* alii etiam addunt eos, qui Magiſtratus munere funguntur. De Colica paſſione inquiunt: *Primi Haſidæi decem aut viginti diebus ante mortem doloribus colicis ſe caſtigabant, ut ita omnes ſuas labes eluerent, adeoque puri & mundati in illum mundum venirent.*

Sed tranſivit è morte in vitam.] Repetitur præcedens ſententia aliis verbis, conſueto Hebræis more. Eodem loquendi modo utitur quoque Johannes Apoſtolus 1 Joh.3. 14. Hoc vero ſibi vult, eum qui in ipſum credit, etſi moriatur, non manſurum tamen in morte, ſed ex ea, tanquam ex tenebroſo carcere, egreſſurum in lucem æternæ vitæ.

Tranſivit.] Id eſt, habet certam ſpem ac jus tranſeundi.

Verſ. 25. *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, cum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.*] Cum Chriſtus ℣.21 dixerit, Patrem Filio majora opera monſtraturum, quam illud erat, quod tunc fecerat, & poſtea pro exemplo adduxerit reſuſcitationem ac vivificationem eorum, quos velit, confirmat & declarat idem hoc verſu: indicatque tandem eventum ipſum id demonſtraturum, quod mortuos voce ſua ſit reſuſcitaturus. Reſpicit quidem ſemper adhuc ad id, quod verſ.21 dixerat, Patrem ſibi majora opera monſtraturum, quod nimirum non ſolum ægrotos ſit ſanaturus, ſed mortuos quoque ſuſcitaturus; ſed ita ſicut etiam verſ.21 annotatum, ut ad ſublimiorem & præſtantiorem reſuſcitationem reſpiciat. Proponit autem duplicem mortuorum reſuſcitationem: primo ſpiritualem, per quam homines in peccatis mortui voce Euangelii ejus ad ſpiritualem vitam excitabuntur; idque facit hoc verſ.25, dein ſuſcitationem à morte corporali, quæ in illo die perficietur verſ.27, uſque ad 31. Quanquam ſunt Interpretes alii, qui de corporali, alii rurſus, qui de ſpirituali reſuſcitatione hæc omnia intelligunt.

Amen amen dico vobis.] Eſt formula aſſeverandi: quaſi dicat; Dico & teſtor certam ac indubiam veritatem. Jam tertio his verbis utitur in hoc ſuo ſermone. nempe ſupra verſ.19,24 & hic; indicans ſe de rebus graviſſimis ac certiſſimis loqui, quæ neceſſario eventuræ ſint, ideoque dicta ſua alta mente reponenda.

Venit hora.] Id eſt, tempus, uſitato Habraiſmo.

Et nunc eſt.] Hæc verba arguunt, Chriſtum non de reſuſcitatione mortuorum loqui, quæ ultimo die judicii futura eſt, quæ hucuſque nondum facta eſt, etſi jam ſedecim ſecula & quod excurrit, effluxerint. Sed ex verbis iſtis ſatis liquet, eum de re loqui ejuſmodi, quæ brevi futura erat. Quod enim nonnulli verba hæc eodem ſenſu accipi putant, quo Johannes inquit: *Filioli, noviſſima hora eſt*, 1 Joh.2. verſ.18 non vident, magnam eſſe differentiam. Noviſſima hora enim ſeu tempus in ſe multum temporis complectitur, & per eam intelligitur univerſum tempus à Chriſti nativitate, vel ab ejus prædicatione ad finem mundi uſque durans, quia alius jam hominum ſtatus non erit futurus. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos vocat id *conſummationem ſeculorum* Hebr.9. verſ.26. Totum tempus ab initio mundi ad ejuſdem interitum in tres partes diſpeſcitur. Prima eſt à condito mundo uſque ad Legem; altera ſub Lege; tertia ſub Chriſto. Proinde *nunc* plane aliud ſignificat hoc loco, quam apud Johannem noviſſima hora.

Cum mortui audient vocem Filii Dei.] Loquitur de mortuis in peccato, ut Paulus ad Epheſios ait: *Vos qui mortui eratis in delictis & peccatis*, Epheſ.2. 1. Et ad Coloſſenſes: *Vos qui mortui eratis in delictis & præputio carnis veſtræ*, Col.2. 13. De iiſdem mortuis inquit Petrus: *Propterea etiam mortuis prædicatum eſt Euangelium*, 1 Petr.4. 6. Tales in peccatis viventes mortui dicuntur, quia morti æternæ ſunt obnoxii. De hujuſmodi mortuis & illa Pauli verba accipi poſſunt, quibus Deum deſcribit, quod ſit is, *qui vivificat mortuos*, id eſt, qui non tantum Judæos, ſed exteras quoque gentes per Euangelium vocat ad vitam æternam, Rom.4. 17.

Vocem Filii Dei.] Id eſt, prædicationem Euangelii, cujus tanta erit efficacia, ut per eam homines in umbra ac tenebris mortis ſedentes in lucem ac vitam reducantur. Audient autem eam non ſolum auribus corporis, ſed & animi, id eſt, fidem ei habebunt. Alioqui nuda corporalis auditio eos à morte non vindicabit. Appellat ſeipſum Filium Dei, quod raro facit, ſed plerumque utitur titulo Filii hominis: nimirum hic ſeipſum conſiderat tanquam magnum Legatum Dei, qui miſſus eſt ad ſalutem totius mundi; ob quam cauſam ipſi nomen Filii Dei in ſummo gradu competit. Vide Johan. 10. verſ.36.

Et qui audierint.] Eo ſcilicet modo, quo dictum eſt. Hæc verba rurſus argumentum præbent, Chriſtum hic de ſpirituali reſuſcitatione mortuorum in peccatis loqui. Significat enim, eos duntaxat victuros, qui vocem ejus audierint: die autem ultimi judicii omnes homines vocem ejus, ſeu mavis vocem Archangeli audient, qui à mortuis reſurgent.

Vivent.] Seu, vi vere incipient, quia cognitionem veritatis, & ſpem vitæ æternæ conſequentur, poſtea autem etiam ipſam vitam æternam. Gaudebunt in Domino, quia ſummam charitatem Dei ex inæſtimabili beneficio vitæ æternæ, quæ per Chriſtum promiſſa eſt, agnoſcent, inque animis ſuis ſentient. *Domine, tu habes verba vitæ:* inquit Petrus Joh. 6. 68.

Quidam Interpretes exiſtimant, Chriſtum in hoc verſ. 25, eatenus reſpicere ad ſuperiorem verſ. 21, quatenus ibi de ſuſcitatione quorundam paucorum mortuorum, nempe filii illius viduæ, filiæ Jairi, & Lazari locutus eſt: quod putant eum hic aliquanto clarius proponere voluiſſe. Sed Chriſtus non habuit cauſam de hoc miraculo tam multis & tam magnificis verbis agendi, cum quilibet facile agnoſcere potuerit, qui id oculis ſuis uſurpavit. Etſi enim vivificare mortuum ſit miraculum valde inſigne & eximium, longe tamen majus ac præſtantius opus eſt, hominem ſpiritualiter mortuum ad ſpem vitæ æternæ excitare. Neque etiam illa tria exempla oſtenderunt, in Chriſto inexhauſtum fontem vitæ eſſe, ſicut indicat ſequenti verſ. 26, ſiquidem etiam Apoſtoli & in Veteri Teſtamento Prophetæ excitarunt mortuos, in quibus tamen non inerat ejuſmodi fons vitæ. Quapropter Chriſtus omnino de tali vivificatione loquitur, quæ plurimis, imo unicuique, qui ejus cupit fieri particeps continget. Senſus enim talis è verbis elucet, quemlibet, qui audierit vocem Filii Dei, victurum eſſe: quæ verba indicant, non ſine libera id futurum hominum voluntate. Id quod de illis dici non poteſt, qui ſimpliciter ex Chriſti voluntate ac beneplacito à corporali morte ſuſcitati ſunt.

Verſ. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo.*] Vocem Chriſti, id eſt, doctrinam Euangelii tantas habere vires, ut omnes, qui eam audiunt, ad ſpem vitæ æternæ excitari poſſint, demonſtrat his verbis: quia nimirum Pater ei hanc vim impertitus eſt. Conſiderat autem hic Patrem, tanquam eum, qui in ſeipſo habet largum fontem vitæ, à quo vita promanat in omnes, quos vult vivificare. Ita inquit, etiam Filio talem fontem vitæ conceſſit, ut eum in ſe habeat: id eſt, dedit ei divinum verbum ſuum de remiſſione peccatorum, & vita æterna; quod ex eo profluit, quando vocem ſuam dulciſſimam emittit, & hominibus hæc ingentia Dei Patris ſui beneficia annunciari curat. Qui inde bibit, reviviſcit in animo ſuo & vitales vires acquirit. Ita Chriſtus ſupra in colloquio cum muliere Samaritana doctrinam ſuam vocat aquam ſalientem in vitam æternam, Joh. 4. 14.

Ex eo, quod Chriſtus habet vitam in ſeipſo, infirmiſſimum à nonnullis ſumitur argumentum altiſſimæ divinitatis Chriſti. Aliud enim eſt, vitam *à ſeipſo* vel *ex ſeipſo* habere, quod nonniſi Deo Altiſſimo competit; & aliud vitam *in ſeipſo* habere. Illud nemini communicari poteſt, hoc autem dedit ac communicavit Filio. Unde potius contrarium ex hoc loco probari poteſt, Chriſtum Deum Altiſſimum non eſſe: cum Deus Altiſſimus ita habeat vitam in ſeipſo, ut nemo eam ipſi dederit, Chriſto autem à Patre data ſit.

Verſ. 27. *Et poteſtatem dedit ei etiam judicium exercendi, quia Filius hominis eſt.*] Hoc egregie fluit ex præcedentibus. Quemadmodum enim Pater Filio dedit vim vivificandi, id eſt, ſalutarem & vivificam doctrinam Euangelii, ita ei quoque dedit poteſtatem exercendi judicii, id eſt omnes qui vocem ejus audierint, reipſa vita æterna beandi, reliquos autem, qui vocem ejus ſpreverint, in æternæ damnationis barathrum præcipitandi. Confer cum Matth. 25. 31 & ſeqq.

Quia Filius hominis eſt.] Hæc verba miſere torquent & exercent Interpretum ingenia; ſiquidem videre nequeunt, quomodo id quod Chriſtus ſit Filius hominis, cauſa ſit, quod Pater ei judicium dederit: cum potius contrarium ex eo ſequi debuerit; nempe quia Chriſtus eſt Filius hominis, ideo non ipſi, ſed alicui ex præſtantiſſimis Angelis hæc divina poteſtas univerſale judicium exercendi, conferenda erat. Hinc quidam cenſent, hæc verba non ad ſuperiora, ſed ad ſequentia pertinere; quaſi dictum ſit: Quia Filius hominis eſt, nolite mirari, id eſt, ne miremini, talem poteſtatem Filio hominis datam eſſe. Nonnulli putant, Chriſtum alludere ad locum Danielis cap. 7. 13, 14, quaſi dicat: Ideo Pater ei dedit poteſtatem exercendi judicii, quia eſt ille Filius hominis, qui Danieli in viſione monſtratus eſt, & cui Antiquus ille in ſolio reſidens dedit poteſtatem, honorem & imperium. Sed dubium non eſt, Chriſtum his verbis tacite reſpicere ad ſummam ſuam humilitatem, quod etſi in forma Dei fuerit, dum divina virtute ac ſapientia inſtructus apparuit in terris, ſe tamen ad conditionem viliſſimorum & abjectiſſimorum hominum demiſerit, & Deo ad mortem uſque obediens fuerit. Propterea etiam eum Deus in ſummam extulit ſublimitatem, eumque Judicem vivorum ac mortuorum conſtituit, Phil. 2. 8, 9. Itaque per Filium hominis non ſolum ſimpliciter humana natura, ſed humana conditio ac ſtatus miſer intelligendus eſt.

Verſ. 28. *Ne miremini hoc: nam venit hora, qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus.*] Senſus non eſt, quaſi id, de quo hactenus locutus eſt, non ſit admiratione dignum. Supra enim verſ. 20 ipſe dixit, Patrem ſibi majora opera monſtraturum, ut illi mirentur; Sed hoc ſibi vult Chriſtus, id quod hactenus propoſuit, etſi per ſe omnium admiratione dignum ſit, tamen rem fore tam exiguam reſpectu ejus, quod mox dicet, ut admirationem non mereatur. Ita enim hominibus uſu venire ſolet, ut admiratio majorum rerum extinguat admirationem minorum. Hinc manifeſtum eſt, id quod hoc loco dicit Chriſtus de modo ac ratione, qua peragendum ſit judicium, non ad proxime antecedentia ſpectare, ne ſcilicet Judæi mirentur, Patrem ſibi dediſſe poteſtatem judicium exercendi. Quod enim hoc loco dicitur, non eſt aliquid majus, ſed tantum eſt deſcriptio

ſcriptio judicii iſtius ſeu rerum, quæ in judicio illo fient. Itaque videtur Chriſtus ad id reſpicere, quod v. 21 dixerat, ſe vivificare, quos velit: quod etſi ſit tale opus, quod magnam mereatur admirationem, nihilominus id quod nunc proponit, magis adhuc mirandum eſt, nempe quod non paucos aliquot homines, ſed omnes mortuos ſuſcitaturus ſit. Quanquam & cum proximis, ſi quis velit, iſta connectere poſſit. Admirabilior enim eſt judicii illius deſcriptio, quam ſola illius nominatio.

Nam venit hora.] Declarat his verbis, quomodo judicium hoc, cujus poteſtatem dedit ſibi Pater exercendum ſit. Dicit ſimpliciter, *Venit hora*, id eſt, tempus; non addit, *Et nunc eſt*, ut ſupra verſ. 25. Hoc enim tempus tunc non adeo propinquum erat.

Quæ omnes qui in monumentis ſunt.] Non aliqui tantum, qui in ſuis lectis mortui jacent, ut Jairi filia, aut in capulo, ut filius viduæ in Nain, ſed qui in monumentis conditi ſunt, & quidem non per aliquot dies tantum in eis jacent, ut Lazarus, ſed qui jam longo tempore in iis jacuerunt, ita ut corpora eorum in pulverem ac cineres converſa ſint. Eos tantum commemorat, qui in monumentis jacent; quia plerumque mortui monumentis imponi atque humari ſolent. Itaque illi à reſurrectione non excluduntur, qui vel à feris devorati ſunt, vel igne cremati, vel aqua ſuffocati: ut multis millibus martyrum primitivæ Eccleſiæ uſu venit. Locus hic totus ſumptus eſt ex Dan. 12. 2, ubi in Hebræo ſic habetur: *Qui jacent in pulvere terræ, expergiſcentur, alii ad vitam æternam, alii ad opprobrium & ignominiam æternam.* Non poteſt autem ex hac locutione ullo modo inferri, nos iiſdem in corporibus reſurrecturos: quod Paulus Apoſtolus diſerte & expreſſe negat 1 Cor. 15. 35 & ſeqq. 2 Cor. 5. 1. Sed ſicut Chriſtus alibi utitur modis loquendi inter Judæos familiaribus, ut Matth. 8. 11, videre eſt, ita hic quoque facit. Judæi enim ſentiunt, hominem totum cum corpore & anima ſub terra recondi, ac corpus quidem in ſepulchro jacere, animam autem in inferno verſari, in loco quodam ſubterraneo, ubi mortui congregantur: qua de re vide dicta ad Luc. 16. verſ. 23. Juxta hanc igitur opinionem ita illi reſurrectionem mortuorum concipiunt, quod animæ cum iiſdem corporibus ſub terra unitæ atque conjunctæ, è terra prodituræ ſint.

Audient vocem ejus.] *Dominus ipſe* (inquit Paulus) *cum celeuſmate & voce Archangeli, & cum Dei tuba deſcendet è cœlo, & qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent*, 1 Theſſ. 4. 16. Vide quoque 1 Cor. 15. verſ. 52. Matth. 25. 31. Itaque vox Archangeli vox Chriſti erit; quemadmodum vox Filii Dei eſt vox Patris. Eſt autem hic figurata locutio. Mortui enim proprie vocem nullam audire poſſunt, quantacunque ſit, ac porro nequeunt etiam ulla voce reſuſcitari; ſed ſimilitudo ſumta eſt à dormientibus, qui magna ac ſonora voce è ſomno excitari poſſunt. Hoc modo igitur & mortui per Chriſti potentiam excitabuntur: cujus rei vox Angeli & tubæ ſignum erit.

Verſ. 29. *Et prodibunt, qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerint, in reſurrectionem judicii.*] Prodibunt non ſolius vocis vi & efficacia, ſed virtute Chriſti, qui eis vitam reſtituet. Exibunt autem non ſolum è monumentis, ſed etiam ex omnibus locis, ubi erunt, Apocal. 20. verſ. 13.

Qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ.] Duplex erit reſurrectio: alia ad vitam, nempe æternam ac beatam; alia ad judicium, id eſt, ad ſempiternam damnationem. Reſurrectio ad vitam (quam Hebræi vocant vivificationem) per excellentiam Reſurrectio ſimpliciter appellatur: apud Lucam dicitur *Reſurrectio juſtorum*, cap. 14. 14. Vide ibi dicta.

Qui vero mala egerint, in reſurrectionem judicii.] Id eſt, ad damnationem & exitium æternum: ut ſupra verſ. 24. Verba hæc verſ. 29 vehementer ab illis torquentur, qui ſtatuunt, omnes illos ad vitam æternam reſurrecturos, qui ab æterno, abſque ullo reſpectu bonorum operum aut fidei eorum ad id electi ac deſtinati ſunt; cæteros autem ad judicium reſurrecturos, quia etiam immutabili decreto Dei, ſine reſpectu malorum operum ac infidelitatis eorum, ab æterno jam reprobati atque damnati ſunt: bona vero & mala opera eſſe tantum ſigna vel electionis vel reprobationis in hominibus. Sed quis non videt, Chriſtum hic non ſignum diverſæ reſurrectionis, ſed veram & ipſiſſimam cauſam iſtius diverſitatis, cur alii ad vitam, alii ad judicium reſurrecturi ſint, indicare voluiſſe? Quid enim nobis prodeſſet ſignum noſſe electionis aut reprobationis? Reſurrectio ipſa erit aliquando ſignum iſtius rei. Si quis dicat, hoc nobis prodeſſe ſcientiam hujus ſigni, quia bona opera ſint ſignum electionis noſtræ, ut nos iis ſolemur: libet quærere, ſintne bona opera neceſſaria ad reſurrectionem vitæ, nec ne? Si non ſunt neceſſaria, non poſſunt eſſe certum ſignum electionis. Si neceſſaria ſunt, utique ſunt cauſa reſurrectionis ad vitam, & contra, mala opera ſunt cauſa reſurrectionis ad condemnationem. Nullum dubium eſt, Chriſtum eodem modo hic de bonis & malis operibus loqui, quo loquitur Matth. 25. 35, & ſeqq. ubi dici certe non poteſt, opera tanquam ſigna conſiderari, ſed tanquam veram cauſam diverſæ ſententiæ de hominibus à Chriſto ferendæ.

Sententiæ eorum, qui etiam hunc locum verſ. 28 & 29, de ſpirituali reſurrectione extraneorum & Ethnicorum populorum intelligunt, obſtat, quod hic expreſſe fiat mentio judicii, & quod dicatur de iis, qui ad vitam reſurgent, eos bona feciſſe; quod de Ethnicis, hominibus perditis ac contaminatiſſimæ vitæ, nequaquam dici poteſt.

Verſ. 30. *Non poſſum ego quicquam à me ipſo facere: prout audio, judico; & judicium meum juſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me Patris.*] Ne quis forte cogitaret, Chriſtum cum homo ſit, in judicio ſuo errare poſſe, eximit his verbis hunc ſcrupulum, oſtenditque, ſe nequaquam errare poſſe, quia poteſtatem judicium exercendi à Patre accepit. Itaque ſicut ſupra verſ. 19 de ſuis miraculis dixit, ſe nihil facere, niſi ac quæ facienda Pater ſibi auctoritatem ac vim conceſſit; ita hic quoque indicat, ſe non poſſe per ſeipſum judicare, ſed ſe ita judicaturum, ſicut à Patre edoctus atque inſtructus ſit.

Prout audio, judico, & judicium meum juſtum eſt.]

Particula & hic posita est pro *ideo*, *propterea*, consuetudine Hebræa. Sensus enim est, quia non pro suo arbitrio ac beneplacito, judicaturus sit, sed prout à Patre (qui in suo judicio errare nequit) audierit, ideo se etiam errare non posse, sed judicium suum fore verum ac justum. Supra vers. 19 dixerat, se nihil posse à seipso facere, sed tantum, quod videat Patrem facientem: hic dicit, se nihil posse à seipso judicare, sed tantum, prout à Patre audiat. Ibi utitur verbo *videndi*, hic verbo *audiendi*: ibi enim loquitur de operibus, hic de judicio. Qui alio præmonstrante & instituente aliquid facit, eum oportet oculos intendere in præeuntem, ut facta ejus imitari discat: qui autem ex alterius voluntate ac præscripto judicat, eum oportet aures arrigere ad dicta illius, ut discat, quomodo judicandum sit.

Quia non quæro voluntatem meam, sed ejus qui me misit, Patris.] His verbis confirmat Christus præcedentem rationem, qua probavit, judicium suum justum esse, quia non à seipso, sed secundum voluntatem Patris judicet. Est hæc una è præcipuis erroris causis, quando quis suam in judicando sequitur voluntatem, quæ persæpe malus admodum est consiliarius. Hinc vulgo Judices, qui suas proprias cupiditates, utilitatem, honorem, vindictam, & similia, spectant, in judiciis suis à recti orbita deviare solent. Nihil tale, ait Christus, in se inveniri, ut qui nihil quærat, nisi quod Patri placet, ejusque voluntati est consentaneum. In eo autem consistit voluntas Patris, ad quam ipsum oporteat judicium suum dirigere, ut omnes qui in nomen ejus credunt, servet; infideles autem damnet, ac male perdat.

Qui me misit.] Hæc descriptio Patris non sine emphasi apponitur: indicat enim causam, cur in judicando non suam, sed Patris sui voluntatem spectet; quia nimirum is non solum Pater suus sit, sed quia etiam ab eo in hunc finem missus sit, ut secundum ipsius voluntatem judicet.

Ex hoc loco, ut & ex Joh. 6. 38, *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem ejus qui me misit:* rursus nobis nascitur argumentum firmum, quod Christus non sit Deus summus. Quomodo enim dicere potuisset, se non quærere suam voluntatem, vel non venisse, ut suam voluntatem faceret? Quam enim aliam ob causam venit, quam ut faceret voluntatem Dei summi? Si igitur ipse est Deus summus, certe negare non potuit, se venisse, ut suam voluntatem faceret.

Vers. 31. *Si ego testor de meipso, testimonium meum non est verum.*] Judicium suum justum esse, demonstrat irrefragabili testimonio, non sui ipsius, quod invalidum fuisset, sed Patris, cujus testimonium nemo potest rejicere. Cum vero dicit, si ipse de se testetur, testimonium suum non fore verum, hoc sibi vult, id non fore firmum, ac validum, id non iri receptum, etsi verum esset. Nemo enim in sua propria causa potest esse testis. Judæi ajunt: Nemo hominum testatur de seipso. Causa est, quia cum unius hominis testimonium etiam in aliena causa non sufficiat, sed duo vel tres testes omnino requirantur Deut. 17. 6, multo minus in propria causa unius hominis testimonium sufficit.

Vers. 32. *Alius est, qui testatur de me, & scio, verum esse testimonium, quod testatur de me.*] Nonnulli existimant, Christum per *alium* istum intelligere Johannem Baptistam: quia mox ejus infert mentionem. Sed probabilius est, eum de Patre loqui, utpote cujus testimonium longe aliorum omnium testimonia antecellat. Quod enim Johannes de ipso testatus est, id etsi verum fuerit, tamen in verbis tantum consistebat. At testimonium Patris non solum de cœlo auditum fuit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit*, Matth. 3. 17, sed etiam signis ac miraculis, ceu validissimis veritatis argumentis est palam in hominum oculis comprobatum. Ad hoc testimonium potissimum provocat Christus, ut patet vers. 37. Johannis testimonium commemoravit tantum ex abundanti, & ex occasione, ut Judæos malitiæ & pertinaciæ tanto magis convinceret. Itaque in voce *alius* peculiaris vis sita est: quasi dicat; Ego de me ipso non testor, sed est alius me longe major ac præstantior, qui de me testatur.

Notetur hic: Si Pater, qui absque controversia est Deus Altissimus, alius est, quam Christus, sequitur Christum non esse Deum Altissimum. Distinctio enim illa, quod sit alius ratione personæ, & non sit alius, ratione essentiæ, tam subtilis est, ut eam hominum nullus queat intelligere, præter eos, qui eam excogitarunt. Nam si Christus non habet aliam essentiam quam Pater, non est etiam alia persona, quam Pater. Duæ enim personæ unius essentiæ, non sunt nisi una persona.

Et scio verum esse testimonium, quod testatur de me.] Id est, scio, eum, talem esse testem, cui non potestis contradicere, cujus testimonium neutiquam potestis rejicere, vel in dubium vocare.

Vers. 33. *Vos misistis ad Johannem, & perhibuit testimonium veritati.*] Christus producit in medium tria testimonia; primo Johannis Baptistæ; secundo Patris, qui testatur per opera sua; tertio Sacræ Scripturæ. Testimonium Patris quidem sufficiebat, & unum erat instar omnium testimoniorum; sed redundanter addit etiam Johannis Baptistæ testimonium, & quidem ita, ut ostendat, eos ipsos illum sibi testem elegisse, & idcirco eum repudiare non posse. Quasi dicat: Ego non testabor de me ipso, sed vobis proponam vestrum proprium testem Johannem Baptistam, quem pro fide digno agnovistis, hoc ipso, dum eum non solum testem elegistis, sed quodammodo etiam Judicem constituistis.

Misistis ad Johannem.] Ad virum tantæ inter vos auctoritatis, ut ipsi dubitaretis, annon ille sit Messias. Vos legatos insignes ex Sacerdotibus ac Levitis, à Synedrio ad id designatos, ad illum ablegastis: Supra cap. 1. 19. Itaque Johannes non per se vel proprio motu, quod apud vos potuisset esse suspectum, sed vobis ipsis requirentibus ac sciscitantibus, de Messia testatus est. Deinde eum non de me, sed de ipso, an ipse esset Messias, interrogastis: Luc. 3. 15. Quare is si voluisset, de seipso testari potuisset, quia vos contra receptam consuetudinem testimonium ejus in propria ipsius causa recipere parati fuistis: sed ille contra se, & pro me testatus est. Porro quia Johannem tanti æstimastis, ut eum pro Messia haberetis, merito etiam tanti deberet apud vos esse ejus testimonium, ut ipsi crederetis, cum

cum ille non de ſe, ſed de me teſtatus ſit, me Meſſiam eſſe.

Et perhibuit teſtimonium veritati.] Non dicit, perhibuit mihi teſtimonium, ſed veritati: indicans Johannem nihil gratiæ, nihil auctoritati hominum dediſſe hoc teſtando, ſed ab ipſa veritate impulſum hoc teſtimonium perhibuiſſe. Vide ſupra cap. 3. 26, 28. Quidam diſtinguunt hæc duo, teſtari de aliquo, & teſtimonium perhibere: illud putant habere locum, quando quis ſive bonum ſive malum quippiam de aliquo loquitur; hoc vero tantum, quando quis boni aliquid teſtatur.

Verſ. 34. *Ego autem non accipio teſtimonium ab homine, ſed hæc dico, ut vos ſervemini.*] Verba λαμβάνειν τὴν μαρτυρίαν, *accipere teſtimonium* alio ſignificatu hic ſumuntur, quam ſupra cap. 3. 11, 32, 33. 1 Joh. 5. 9. Significant enim hic idem quod *poſtulare, requirere, indigere.* Senſus enim eſt: Ego non indigeo ullo humano teſtimonio, neque id quæro. Sic accipitur etiam hoc verbum *accipiendi* infra Verſ. 41, 44.

Sed hæc dico, ut vos ſervemini.] Id eſt, hoc teſtimonium Johannis allego veſtri cauſa, ut quia mihi non creditis, qui tot miracula & ſigna facio, ſaltem teſtimonio Johannis, quem ipſi judicem hujus rei feciſtis, quique de me teſtatus eſt, convicti credatis, atque ſic æternam ſalutem conſequamini. Hinc cernere eſt, Chriſtum ſalutem etiam eorum ſerio & ex animo quæſiviſſe, qui non ſervabuntur.

Verſ. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis ad breve tempus exultare in luce ejus.*] Cum dixiſſet paulo ante, ſe Johannis teſtimonium allegaſſe, non quod eo indigeret, ſed ſalutis eorum cauſa; indicat modo, eos potuiſſe ſervari, ſi teſtimonio Johannis credidiſſent. Illum enim fuiſſe ait lucernam ardentem ac lucentem, quæ ipſis Chriſtum, qui eſt via ſalutis & vitæ, monſtravit. Lucerna prius accendatur oportet & ardeat, poſtea lucet. De Elia, in cujus ſpiritu ac virtute venit Johannes, inquit Syrachus: *Erupit tanquam ignis, & ſermo ejus ardebat tanquam fax*, Eccleſiaſtic. 48. 1. Petrus Apoſtolus vocat ſcripta Prophetarum *lucernam lucentem in obſcuro loco*, 2 Petr. 1. 19. Videtur Johannes, cum hæc Chriſtus loqueretur, jam fuiſſe in carcere.

Vos autem voluiſtis ad breve tempus exultare in luce ejus.] Quaſi dicat: Initio fuit apud vos in magno pretio, & teſtimonium ejus magnifeciſtis, ita ut ipſum quoque pro Meſſia haberetis; poſtmodum autem cum maxime ei debuiſſetis fidem adjungere, quando de me teſtatus eſt, quando me digito oſtendit, credere ei noluiſtis.

Ad breve tempus.] Græce, πρὸς ὥραν, *ad horam.* Vide Philem. verſ. 15. Indicat his verbis eorum inconſtantiam ac levitatem, quod cœperint Johannem faſtidire & contemnere, ſimul ac de Chriſto teſtari cœpit. At ſi conſtantes lucem iſtam ſecuti fuiſſent, perveniſſent ejus ductu ad Chriſtum, adeoque æternum ſervari potuiſſent.

Verſ. 36. *Ego autem teſtimonium habeo majus Johannis teſtimonio. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa, inquam, opera, quæ ego facio, teſtantur de me, quod Pater miſerit me.*] Verba iſta vel ad proxime antecedentia ſpectant, & tum ſenſus erit; Teſtimonium quidem Johannis magnum eſt, quia fuit lucerna lucida; ſed ego habeo majus teſtimonium, quod mihi mea opera præbent. Si teſtimonio Johannis non vultis credere, credite meis operibus. Vel ſpectant ad Verſ. 34, & tum erunt confirmatio ibidem dictorum: quaſi dicat; Non indigeo ullius hominis teſtimonio; habeo enim ego teſtimonium majus, quam humanum.

Opera enim.] Oſtendit quodnam ſit majus iſtud teſtimonium, quam fuit Johannis: idque ait eſſe opera ſua. Nimirum cum Johannes homo fuerit, facile potuit aliquis teſtimonium ejus in dubium vocare, & cogitare, eum ex gratia teſtatum eſſe, non ex veritate. Id vero de miraculis Chriſti dici non potuit, ut quæ ita comparata fuerint, ut ea nemo facere potuerit, niſi poteſtatem à Deo accepiſſet. Quam validum & irrefragabile fuerit operum Chriſti teſtimonium, quod is à Deo venerit, conſtat ex eo ſatis, quod multi principes Judæorum, qui alioqui homines erant pleni arrogantiæ, ſuperbiæ, ac pertinaciæ, qui ſemper magis ſuam quam Dei gloriam quæſiverunt, per miracula Chriſti adducti ſint ad credendum in eum, etſi ob cauſas modo memoratas id palam profiteri non ſint auſi, Joh. 12. 42. Hæc miracula etiam effecerunt ut Nicodemus, unus è Senatoribus Synedrii, & Phariſæorum Sectæ addictus, Chriſtum pro Magiſtro à Deo miſſo agnoſceret, diceretque: *Scimus, te à Deo veniſſe magiſtrum; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*, Joh. 3. 2. Inquit, *Quæ tu facis.* Quæ verba magnam vim habent, ad miracula Chriſti ab omnibus aliis, vel diabolica fraude, vel humano artificio, vel qualicunque alia ratione confictis, diſtinguenda. Neque enim neſcii erant Phariſæi, ut pote in divina diſciplina verſatiſſimi, poſſe fieri, ut illi etiam portenta faciant, quibus nihil eſt cum Deo conjunctum. Talia autem tantaque, qualia & quanta Chriſtus edebat, nonniſi à divina virtute profluere potuiſſe, probe intelligebant. Neque enim inanibus præſtigiis oculos illorum paſcebat, neque ejus generis portenta oſtendebat, quæ aut diabolica virtus aſſequi, aut humana calliditas imitari poſſet: ſed miracula ejus omnia fuerunt benefica, & naturæ terminos excedentia, & ad Dei gloriam ſpectantia. Patebat quippe hoc omnibus, Chriſtum nequaquam ad eum finem miracula ſua referre, ut hoc quaſi artificio populum à ſanctiſſimi Numinis reverentia, ad falſorum Deorum, inaniumque ſimulachrorum cultum traduceret; ſed potius ut ab omni impuritatis contagione abſtractum, ardentiſſimo Dei ſtudio inflammaret. Non ſolum enim nihil de divini numinis majeſtate detrahebat, ſibique arroganter aſſumebat; aut ad quamvis aliam, ſive rem, ſive perſonam tranſferebat: ſed quicquid erat, quicquid poterat, quicquid mente complectebatur, quicquid ore proferebat, aut opere perficiebat, ſummo illi Patri ſemper acceptum referebat; illum ſolum, ut primarium omnium rerum, & ſic ſalutis etiam noſtræ auctorem, diviniſſimo honore colendum eſſe, ſtudioſe inculcabat. Ex quibus omnibus liquet, mirum non eſſe, tantam efficaciam miraculorum Chriſti etiam in hominibus, alioqui improbis & ipſi infenſis, fuiſſe.

Quæ dedit mihi Pater.] Non dicit: quæ ego facio, ſed, quæ Pater dedit mihi, id eſt, quæ mihi

mandavit Pater, & ad quæ facienda mihi vim ac facultatem conceſſit. Quia enim à Judæis accuſabatur profanati Sabbati, quod juſſerit paralytico tollere grabatum, ſupra verſ. 10,11, ideo opera ſua non ſibi, ſed Patri ſuo adſcribit.

Ut perficiam ea.] Id eſt, ut ea faciam, & ſic me ab ipſo miſſum eſſe demonſtrem cunctiſque pateſaciam.

Ipſa, inquam, opera, quæ ego facio.] Repetitio hæc non caret emphaſi: quaſi dicat; Non verba, non homines, ſed opera ipſa, quæ non alius, pro me, ſed ego ipſe facio, teſtantur de me.

Quod Pater miſerit me.] Id eſt, quod quæ loquor & facio, non à me ipſo, ſed ex voluntate & mandato Patris, tanquam legatus ejus, loquar & faciam.

Verſ. 37. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me: neque vocem ejus audiſtis unquam, neque ſpeciem ejus vidiſtis.*] Sunt qui hæc verba intelligant de illo teſtimonio, quod Pater Filio ſuo de cœlis præbuit, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus*, &c. Matth. 3. 17. Sed probabilius eſt, verba iſta ſpectare ad proxime dicta, Chriſtum opera, quæ ipſe facit, Patris teſtimonium vocare, quia ea virtute & juſſu Patris faciebat. Pater eſt teſtis, opera ſunt teſtimonium. Et hoc alibi etiam innuitur, cum dicitur, Patrem glorificare Filium ſuum, id eſt, per miracula & ſigna quaſi ſanctificare & tantam auctoritatem conciliare, ut ex iis facile cognoſci potuerit, eum eſſe Filium Dei, Joh. 12. ℣. 23, 29. XIII. 31. XVII. 1, 4, 5.

Neque vocem ejus audiſtis unquam.] Id eſt, nullum cum eo habuiſtis commercium, non noſtis eum tam intime ac ego. Viſus enim, quo facies videtur, & auditus, quo vox auditur, ſunt præcipui ſenſus, quibus aliquis cognoſcitur.

Verſ. 38. *Et verbum ejus non habetis manens in vobis, quia quem miſit ille, huic vos non creditis.*] Particula *&* idem hic valet, quod *& tamen.* Senſus enim eſt: Ipſi non intelligitis, quæ ſit natura ac voluntas Dei, & tamen doctrinam, quam ille vobis per me mittit, in animum non admittitis.

Manens.] Hæc vox idem ſignificat, quod infra cap. 8. 37. *Sermo meus non habet locum in vobis.* Vide dicta ſupra cap. 3. 36.

Quia quem miſit ille, huic vos non creditis.] Probat, Dei ſermonem in iis non habere locum, quia legato ejus credere tam pertinaciter recuſent. Quomodo poteſt ille Regis mandata ſcire & facere, qui legato ejus aures præbere non vult.

Verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtantur de me.*] Hoc eſt tertium teſtimonium, quod Chriſtus hic allegat; Sacra Scriptura, (puta Veteris Teſtamenti) ad quam eos remittit. Ideo enim Chriſto non credebant, ſed ei reſiſtebant, quia putabant, doctrinam ejus eſſe Moſi & Scripturæ contrariam. Itaque hoc vult Chriſtus dicere: Quandoquidem Scripturæ tantum tribuitis, ut putetis, vos in ea vitam æternam reperturos, legite Scripturam diligenter & attente, ac tum videbitis me non tantum nihil contrarium ipſi docere, ſed eam potius de me teſtari, me eſſe illum mundi Servatorem, qui vobis promiſſus eſt. Hoc pacto magnam eorum cæcitatem ac inſcitiam notat, quod cum tanta intelligentia Scripturæ gloriarentur, Chriſtum tamen in ea non cernerent. Similiter eos perſtringit alibi, Matth. 12. 3. XIX. 4. XXI. 16. XXII. 31, 32. Verbum *ſcrutari* non ſignificat ſimpliciter *legere*, ſed accurate & attente verum ſenſum inveſtigare. Poſſunt etiam verba hæc ita accipi, ut non ſit imperativus *Scrutamini*, ſed indicativus: quaſi dicat: Vos tanta diligentia Scripturam evolvitis, & omnes voces, imo ſyllabas, ac literas & apices excutitis, quia creditis vos vitam æternam in ea reperturos &c.

Scripturas.] Omnia illa Scripta, quæ pro divinis recepiſtis.

Reliqua ſunt ſuppleta uſque ad Cap. 11. à Joachimo Stegmanno.

CAPUT VI.

Argumentum & Partes.

Pergit Johannes Euangeliſta in deſcribendis Chriſti miraculis atque doctrina. Hoc Capite duo inſignia miracula narrat, & occaſione primi natum Chriſti cum Judæis Capernaumiticis colloquium. Tres igitur ſunt hujus Capitis partes. I. *Deſcribitur miraculum primum in deſerto factum loco, ubi Chriſtus quinque panibus hordeaceis & duobus piſciculis quinque millia virorum ſatiavit: ab initio Capitis uſque ad verſ.* 16. II. *Deſcribitur alterum miraculum editum à Chriſto, quod ad diſcipulos in mari noctu navigantes venerit per mare ambulans: uſque ad verſ.* 22. III. *Deſcribitur Colloquium, quod habuit Chriſtus cum Capernaumitis de cibo & potu cœleſti: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Poſt hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.*] Etſi hoc videatur fuiſſe Johannis Apoſtoli conſilium, ut quæ ab aliis Euangeliſtis erant prætermiſſa, ſuppleret: tamen hoc loco refert duo miracula, quæ etiam cæteri jam narraverant Euangeliſtæ. Cauſa ejus rei hæc videtur fuiſſe, quod voluerit narrare diviniſſimum Chriſti ſermonem de corpore & ſanguine ſuo habitum, & quis fuerit ſermonis iſtius Chriſti effectus; quod utrumque à nullo Euangeliſtarum erat narratum. Non poterat autem hiſtoriam, totam ſermonis hujus, prout geſta eſt, plene explicare, niſi explicata prius ſermonis habiti occaſione. Itaque ut ab aliis omiſſa referret exactius, etiam ea referre maluit, quæ ab aliis omiſſa non erant: quia hæc illis anſam & occaſionem dederunt. Cæterum in deſcriptione prioris miraculi, de ſatiatis aliquot millibus hominum

num pauculis panibus, ita ſe gerit Apoſtolus, ut Primo narret ea, quæ ad miraculi facti occaſionem ſpectant, deſcribens & locum, & tempus, & perſonas, circa quas hoc editum eſt miraculum: Secundo, quomodo Chriſtus aditum ac viam ſibi puraverit ad miraculum hoc patrandum: Tertio quomodo ipſum miraculum factum ſit: Quarto denique, quid hoc miraculo peracto fuerit conſecutum.

Poſt hæc.] Intellige *hæc*, quæ ſuperiori Capite ſunt narrata. Sed non eſt intelligendum, hiſtoriam cap. 5 & hiſtoriam cap. 6, ita temporis ratione inter ſe connexas fuiſſe, ſicut eas Johannes in narratione ſua connexuit: verum ſciendum eſt, inter utramque plurimum interceſſiſſe temporis, & ad minimum aliquot menſes. Hiſtoria enim Capitis 5, de ſanitate reſtituta homini, qui 38 annis lecto affixus fuerat, geſta eſt Hieroſolymis ſub tempus feſti Judæorum, quod à pleriſque Interpretibus creditur fuiſſe feſtum Pentecoſtes: hiſtoria vero Capitis 6, geſta eſt in Galilæa ſub tempus Paſchæ, ut teſtis eſt noſter Euangeliſta verſ. 4. Præterea ſi conferantur alii Euangeliſtæ inter ſe, permultas alias res geſtas inter utramque hanc hiſtoriam interveniſſe, minime obſcurum eſt.

Abiit Jeſus trans mare Galilææ.] Cauſam, cur Chriſtus eo abierit, non explicavit Johannes; ſed ex aliis Euangeliſtis non una colligi poteſt. Unam indicare videtur Matthæus cap. 14. 13 narrans, Chriſtum audita cæde Johannis Baptiſtæ, navigio feceſſiſſe in locum deſertum ſeorſim. Unde patet, tyrannidem Herodis, qui Johannem decollari curavit, & Chriſtum quoque videre geſticebat, Luc. 9. 9, in cauſa fuiſſe, quod Chriſtus abierit trans mare Galilææ. Nolebat ſcilicet Chriſtus, ut in ſe quoque tyrannus peccaret, & homicidium homicidio cumularet: itaque ſe ſubduxit periculo, illudque feceſſione devitavit; quamvis alioqui miraculoſa virtute potuiſſet illud à ſe avertere, quandoquidem hora mortis ejus à Deo præſtituta nondum aderat. Sed Chriſtus exemplo ſuo docere voluit, non eſſe ad miracula confugiendum, neque à Deo extraordinaria media eſſe expetenda, vel expectanda, quamdiu nobis ordinaria media expediendæ ſalutis ſuppetunt.

Alteram cauſam, cur abierit trans mare Galilææ Chriſtus, affert Marcus, quod cum diſcipuli ex ſua legatione fatigati rediiſſent, & requieto indigerent, quam eo loco habere non poterant, ubi propter hominum confluentium multitudinem, ne cibum quidem illis commode ſumere liceret, feceſſerit in locum ſecretiorem. Ita enim ait Marcus cap. 6. 30. *Et convenerunt Apoſtoli ad Jeſum, & renunciaverunt ei omnia, & quæ egerant, & quæ docuerant. Et dixit illis: Venite vos ipſi ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite paululum. Erant enim multi venientes & abeuntes; & ne cibum quidem capere opportunitatem habebant. Et abierunt in deſertum locum navigio ſeorſim.* Ex quo elucet, quanta fuerit Chriſti benignitas, conſulentis diſcipulorum ſuorum laſſitudini, & commoditatem ac quietem eorum procurantis. Quæ benignitas & æquitas merito imitanda eſt heris omnibus, quorum plerique dura ſervitute premunt ſuam familiam, nec ullo ſenſu miſeriæ domeſticorum ſuorum afficiuntur: qui cum Chriſtiani audire velint, ne Moſaicæ quidem Legis perfectionem aſſecuti ſunt, in qua quietis non hominum ac famulorum ſolum, ſed & jumentorum habebatur ratio, Exod. 20. 10.

Tertiam cauſam addunt nonnulli ex verſ. 4, hujus ſexti Capitis Johannis: quam exponemus & expendemus inferius in hujus verſiculi examine.

Trans mare.] Locum deſignat Euangeliſta, ubi ſequens editum eſt miraculum: ſed laxe admodum & generaliter; quem poſtea ſpecialius exprimit. Quomodo Chriſtus trans mare abierit, id explicatum vide ad ſequentem verſ. 2.

Mare Galilææ.] Dictum eſt alibi, ex idiomate linguæ Hebrææ omnem aquarum eluvionem & exundationem mare vocari. Eſt igitur & hic impropria maris appellatio: proprie enim hoc mare tantum lacus erat: Qui lacus à diverſis locis diverſa ſortitus eſt nomina. Hic vocatur mare Galilææ, à regione tota, qua continebatur. Dicitur quoque mare Tiberiadis à civitate, quam alluebat, quæ ab Herode in honorem Tiberii Cæſaris extructa, ab ejus nomine fuit appellata. Vocatur etiam lacus vel ſtagnum Geneſareth, Luc. 5. 1. Conf. cum Matth. 4. 18, ab adjacente terra Geneſareth. Lacum iſtum efficiebat Jordanis fluvius in locum humiliorem incidens, habebatque centum quadraginta ſtadia longitudinis, & quadraginta ſtadia latitudinis.

Verſ. 2. *Et ſequebatur eum turba multa, quia viderant ejus ſigna, quæ ediderat in infirmis.*] Deſcribuntur perſonæ, quæ & objectum, & teſtes fuerunt ſequentis miraculi. Per turbam intelliguntur homines è plebe, nec generis nobilitate, nec ſapientiæ nomine clari. Hæc enim eſt ſors Euangelii, ut *non multi ſint ſapientes, ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, qui Chriſtum ſequantur: quod notavit Paulus Apoſtolus 1 Cor. 1. 26: ubi etiam addit, *Deum ſtulta hujus mundi elegiſſe, ut ſapientes pudefaciat, & infirma mundi elegiſſe, ut pudefaciat valida, & ignobilia mundi ac pro nihilo habita elegiſſe, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt aboleat; ne glorietur ulla caro in conſpectu ejus.* Hoc utiliter admodum monuit Apoſtolus, ne, quia Euangelium à potentibus & magni nominis hominibus contemni videmus in mundo, illud etiam apud nos vileſcat, & pretium ſuum amittat. Oſtendit enim Apoſtolus, Deum iſtos contemtores viciſſim contemnere, & in oblatione gratiæ Euangelicæ potentibus imbecilles, ſapientibus & doctis idiotas, nobilibus ignobiles ac deſpectæ ſortis homines prætuliſſe. Non quod Deus ſapientes, nobiles, ac potentes omnino rejecerit, vel viam eis ad Eccleſiam aut ſalutem æternam præcluſerit. Non dicit enim Apoſtolus: Nulli ſunt ſapientes ſecundum carnem, nulli potentes, nulli nobiles. Sed, *Non multi:* indicans, tamen aliquos fuiſſe. Res ipſa quoque docet, ſapientiam, nobilitatem, ac potentiam non eſſe res per ſe malas: ut propter eas ſolas aliquis rejici aut damnari à Deo mereatur. Imo ſi quis vitia, quæ iſtis rebus hominum culpa adhærere ſolent, ſejungat & ab iis ſibi caveat, poſſunt res iſtæ multum conducere gloriæ divinæ, & præclariſſimarum virtutum tum occaſio eſſe, tum inſtrumentum. Sed quia homines, qui in mundo magni ſunt, ac vel ob ſapientiam, vel ob divitias, vel ob nobilitatem ac potentiam in pretio habentur, plerumque

iſtis

iſtis fortunæ muneribus capiuntur & inebriantur, ita ut animo ob ea efferantur, & valedicere illis Chriſti cauſa, cum opus eſt, neſciant; homines contra deſpectæ ſortis, aſſueti paupertati, laboribus, contumeliis, longe aptiores ſunt, ad crucem Chriſti portandam & ad ſuſtinenda adverſa quæque, quæ Chriſtianam pietatem ac fidem comitari ſolent: ideo dicit Apoſtolus, Deum hos præ illis elegiſſe; cum ſcilicet talem præſcripſit ſalutis viam, quæ ſit accommodatior ſtatui, conditioni, genio ac ingenio pauperum, quam divitum, plebejorum quam nobilium, rudium quam eruditorum, privatorum quam Principum. Sed de eo alias.

Sequebatur eum turba.] Matthæus cap. 14. 13 addit, turbam hanc pedibus eſſe Chriſtum ſecutam, cum Chriſtus trajecerit navigio: quod idem dicit Marcus, & inſuper narrat, turbam præveniſſe Chriſtum, Marc. 6. 33. Quæritur hic non immerito, quomodo id fieri potuerit, ut cum Chriſtus navi vectus ſit cum diſcipulis trans mare in ulteriorem ripam, turba pedeſtri itinere eo pervenire potuerit? Quæ difficultas videtur non abſurde tolli ab Interpretibus, qui cenſent particulam *trans* non deſignare adverſum littus, quo perveniri non poſſet niſi trajecto lacu, ſed has omnes regiones, nempe Tiberiadem, Deſertum, Bethſaidam, Capernaum, cis lacum ſitas fuiſſe, Galilææ reſpectu. Chriſtum igitur, qui cis lacum erat, non totum tranſfretaſſe lacum in ulteriorem partem & oppoſitam, ſed ſinum tantum aliquem, ſeu partem lacus, circa promontorium aliquod trajeciſſe, & in locum deſertum perveniſſe, qui nihilominus citra lacum, non ultra lacum fuit: atque hac ratione fieri potuiſſe, ut turbæ terra eum ſequerentur, quin etiam prævenirent eum in locum, quo ipſe poſtea appulit; quia etſi plerumque citius mari, quam terra itur, tamen Chriſtus promontorium circuibat, turbæ recta tendebant via.

Quia viderant ejus ſigna, quæ ediderat in infirmis.] Cauſam reddit Euangeliſta, cur turbæ Chriſtum ſecutæ ſint. Chriſtus obibat urbes, oppida, pagos, & paſſim miracula edebat in ſanandis ægris ac dæmoniacis. Ad iſta miracula, nunquam antea viſa vel audita, obſtupeſcebat populus: & ita partim novitas & inſolentia, partim utilitas miraculorum faciebat, ut undique magnus eſſet ad Chriſtum concurſus. Hæc miracula erant quaſi literæ teſtimoniales, à Deo datæ, quibus Chriſtus ſe à Deo miſſum eſſe probabat. Erant autem talia Chriſti miracula, ut non potuerint, niſi Deum, habere auctorem: quia non tantum naturæ vires omnes ſuperabant, ut ſatis pateret, ea à Domino naturæ proficiſci, qui omnibus creaturis potentior ſit, ſed etiam quia fiebant ad confirmandam doctrinam, mere cœleſtem, & tam ſapientem ac perfectam, ut nullus hominum eam excogitare potuerit, præterea tam ſanctam, ut ex officina Satanæ omnis ſanctitatis hoſte proficiſci nequiverit. Itaque quod Phariſæi ac Scribæ miracula iſta Beelzebuli dæmoniorum principi adſcribebant; id tam craſſa erat calumnia, ut eam res ipſa aperte refelleret. Nam præter modo dicta, hoc ſolum eos falſi convincebat, quod Chriſti miracula omnia fuerint ad ſalutem, commodum & utilitatem hominum comparata. At à Diaboli ingenio abhorret, hominibus prodeſſe, iis paſſim & ubique benefacere; quippe cujus hæc unica voluptas eſt, nocere humano generi: ejus ille malis gaudet & paſcitur; ejus perniciem toto ſpirat pectore. Hoc proprium eſt Satanæ, videntes oculorum uſu privare, non cœcis viſum reſtituere: ſanis immittere morbos, non ægros ſanitate donare: occidere vivos, non mortuos in vitam revocare. Tam evidens proinde erat, Chriſti miracula non habuiſſe auctorem Satanam, ut res propemodum manibus palpari poſſet. Ideo nec ipſi Phariſæi id credebant, etiamſi dicerent, contraque propriam conſcientiam, ex mera malignitate hac macula Chriſtum coram populo conſpurcabant. Hinc Chriſtus arguens eos, indicat, eos, id ſibi objiciendo, tanto ſcelere ac blaſphemia ſe obſtringere, quæ neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittenda ſit. Cæterum uti miracula iſta in initiis promulgati Euangelii ſumme erant neceſſaria, dum doctrina Chriſti fuit nova & antea inaudita, quam ſi mundus recepiſſet ſine miraculis, hoc ipſum fuiſſet maximum omnium miraculorum miraculum: ita hodie poſtquam ſatis confirmata eſt Chriſti doctrina, & non amplius nova, non mundo incognita eſt, adeo non ſunt neceſſaria, ut fidei Chriſtianæ interſit, ne amplius edantur. Olim miracula gignebant fidem; eamque juvabant; nunc obſunt fidei, & eam deſtruunt: ut qui hodie miracula requirunt, eo ipſo prodant fidei ſuæ infirmitatem. Nunc enim ſunt illa tempora, de quibus dixit Chriſtus: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, Joh. 20. 29.

Verſ. 3. *Subiit vero in montem Jeſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.*] Locum, ubi fuerit Chriſtus, cum miraculum ſequens ederet, ſpecialius deſignat. Mons iſte erat in loco deſerto, ut ait Matthæus cap. 14. 13. Marc. 6. 32. Luc. 9. 10, qui Lucas etiam innuit hunc locum fuiſſe prope *Bethſaida*. Unde liquet etiam, hunc montem fuiſſe in citeriore lacus parte, non in ulteriore: ut ſupra diximus, Bethſaida enim erat cis lacum, reſpectu Hieroſolymæ. Hunc montem Chriſtus ſubiit cum diſcipulis, poſtquam trajecit, ut eos neceſſaria quiete reficeret: ut indicat Marcus cap. 6. 31. Amabat Chriſtus montes, & in eos non raro ſecedebat, tum orandi cauſa, tum quietis. Unde (ſi quis allegoricum non aſpernatur ſenſum) diſci poteſt, eum qui veram quærit animæ ſuæ requiem ac refectionem, in montem cum Chriſto aſcendere debere, id eſt, rebus terrenis relictis, ſurſum elevare cor ſuum, & non terreſtria, ſed ſuperna curare, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens, Col. 3. 1, 2. Conſcendendus ſubinde eſt homini Chriſtiano, tum precibus, tum piis meditationibus, ille, de quo Poëta,

——— ——— ——— altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos, hiemeſque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum:
Celſior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.
Claud. in Paneg. Mallii Theod.

Præterea cum videmus Chriſtum cum diſcipulis in monte inculto, in loco deſerto ac inamæno ſedentem, cum interea Scribæ ac Phariſæi in urbibus loca auguſtiſſima & amæniſſima occuparent, in iiſque regna-

regnarent: mirari non debemus, quod etiamnum hodie, in angulis lateant, & pene tineas paſcant veri Chriſti miniſtri, vix locum, ubi degant, in mundo invenientes; homines autem impii, Antichriſto dediti, ac impoſtores rerum ubique potiantur, & gratia hominum, & omnium rerum abundantia undiquaque affluentes.

Verſ. 4. *Prope autem erat Paſcha feſtum Judæorum.*] Jam antea Johannes tempus ſequentis miraculi indicaverat, cum dixit ℣ſ. 1. *Poſt hæc abiit Jeſus* &c. Sed iſta temporis deſignatio nimis generalis fuit. Nunc paulo ſpecialiorem ſubjungit, cum ſcribit, rem ſub tempus inſtantis Paſchæ geſtam eſſe. Hic putant nonnulli inſinuari tertiam cauſam, ob quam Chriſtus trans mare Galilææ in locum deſertum ſeceſſerit: quod nimirum declinarit hoc feſtum, eique intereſſe nolens de induſtria ſe in locum hunc incultum ac ſecretum receperit. Sed hæc cauſa nobis minime probatur: cum enim Chriſtus Legis obſervantiſſimus fuerit, non eſt veriſimile, eum ullum neglexiſſe feſtum, cui celebrando Lex omnes in genere mares obſtrinxerat. Adde quod non ſolum cum diſcipulis Chriſtum in illo loco inculto hæſiſſe teſtetur hiſtoria ſacra, ſed ibidem turbam multam Chriſto adhæſiſſe: unde, ſi vera eſſet iſtorum conjectura, ſequeretur, etiam turbam iſtam feſti Paſchalis ſolemnitatem neglexiſſe; quod multo minus eſt credibile. Eſt autem non levis diſſenſus inter Interpretes, quotum Paſcha hoc fuerit ab inchoatione prædicationis Chriſti. Alii tertium, alii quartum eſſe cenſent: hac de re ſententiam, quam nos veriſſimam eſſe credimus, vide in Appendice Marco ſuperius adjuncta, ubi agitur de feſto Azymorum, ſeu Paſchate, ad finem tractatus.

Feſtum Judæorum.] Hoc addit Euangeliſta propter Græcos ſeu Ethnicos, quorum gratia Euangelium ſuum conſcripſit. Alioqui propter Judæos id addere non erat neceſſe.

Verſ. 5. *Attollens ergo oculos Jeſus, & videns multam turbam ad ſe venire, dicit Philippo, unde ememus panes, ut edant iſti?*] Incipit Johannes deſcribere, quomodo ſibi Chriſtus aditum ſtruxerit ad miraculum, quod ſequitur, edendum. Ubi & cauſa impellens Chriſtum ad miraculum faciendum, & colloquium, quod habuit Chriſtus cum diſcipulis ſuis conſiderandum eſt. Cauſa impulſiva fuit, quod attollens oculos, videret turbam multam venire ad ſe. Matthæus narrat, Chriſtum, viſa turba, *commiſeratione intima commotum eſſe erga eam, & ſanaſſe eorum ægrotos*, cap. 14. 14. Marcus ait itidem, eum *miſertum eſſe ſuper eos, quia erant ſicut oves non habentes paſtorem, & cœpiſſe docere eos multa*, cap. 6. 34. Idem confirmat Lucas, inquiens: *Et excipiens eos, loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui ſanatione opus habebant, ſanabat*, cap. 9. 11. Unde perſpicitur, quam viſcera Chriſti prona ſint ad miſerationem erga eos, qui ipſum affectantur. Talia exempla debent animos noſtros erigere, & fiduciam noſtram alere. Neque enim credendum eſt, Chriſtum procliviorem fuiſſe ad miſericordiam, cum in terris verſaretur, quam nunc eſt in cœlis, ubi extra omnem mali patientiam, imo extra periculum quoque ac metum mali, eſt poſitus. *Non enim habemus Pontificem*, inquit Scriptor divinus ad Hebræos, *qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato*, Hebr. 4. 15. Ille *ex iis, quæ paſſus eſt, didicit obedientiam*, id eſt, quanti conſtet obedientia, quamque ſit res ardua ac difficilis, Deo obedire uſque ad mortem, Hebr. 5. 8. Itaque mali non ignarus, miſeris ſuccurrere novit. Ex quo patet, eum etiam multo nunc proniorem ac promptiorem ad miſerationem eſſe, quam ante mortem fuerat. Quocirca ſi eum miſeratio cepit turbæ, quæ nondum credidit in ipſum, ſed tantum miraculorum ejus admiratione attonita, moleſtiam itineris in ipſius gratiam ſuſceperat: quanto magis nunc eum afficiet afflictio verorum Chriſtianorum, ab illo ſolo pendentium, & illum unice reſpicientium. Non fuit autem ſterilis illa Chriſti erga turbam miſericordia, neque intra animum tantum, vel intra verba ſtetit, ſed triplici effectu ſe prodidit. Nam & ægros, qui aderant, ſanavit, & verbi cœleſti pabulo animos eorum refecit, & tandem etiam corpora eorum, ex totius diei inedia & pedeſtri itinere languentia, neceſſario cibo pavit. Movent hic difficultatem quidam Interpretes; quomodo Johannes, qui Jeſum in monte ſedentem, innuit, vidiſſe turbam ad ſe venientem, conciliandus ſit cum Marco, qui ſcribit, Chriſtum exeuntem è navi vidiſſe turbam, quæ ipſum prævenerat, Marc. 6. 34. Sed de minutis ejuſmodi hiſtoriæ circumſtantiis non eſt multum laborandum. Poterat enim pars aliqua turbæ jam præveniſſe, & alia adhuc venire. Poterat quoque fieri, ut Chriſtus navi egreſſus turbam, quam in loco illo deſerto offendit, docuerit prius, ac poſtea in montem ſeceſſerit, ut paulum cum diſcipulis requieſceret: unde cum proſpiceret, ſubinde majorem congregari, ac confluere turbam, eos jam appetente veſpera reficiendos duxit. Aut etiam illud apud Marcum & Matthæum, *Egreſſus* ſolicet è navi, *vidit turbam*, poteſt latitudinem pati, ut ſenſus ſit: Chriſtum egreſſum è navi, conſcendiſſe montem cum diſcipulis, atque ibi ſediſſe, & tum vidiſſe turbam ad ſe confluentem.

Dicit Philippo: Unde ememus panes, ut edant iſti?] Sequitur colloquium Chriſti cum diſcipulis, quo animos eorum ad ſequens miraculum præparabat. Sed poſſet quiſpiam mirari, cur hoc colloquium Chriſtus cum Philippo inchoarit, & non cum alio ex Apoſtolis. Quanquam hoc arbitrarium fuerit, tamen ejus ratio reddi poteſt. Nam Matthæus & cæteri Euangeliſtæ teſtantur, duodecim Apoſtolos, cum jam adveſperaſceret, acceſſiſſe ad Jeſum, eumque ſubmonuiſſe, ut turbam dimitteret. Quod Apoſtolis indefinite tribuunt Euangeliſtæ, id credibile eſt nominatim dixiſſe Philippum, nomine reliquorum Apoſtolorum. Cum itaque is anſam ſermone ſuo dediſſet Chriſto, non mirum eſt, Chriſtum quoque eum in ſpecie eſſe allocutum. Hanc rationem probabiliorem puto, quam eſt illa, quam Maldonatus ex quibuſdam Patribus ſuis affert, quod Chriſtus ideo Philippum potius, quam alium Apoſtolorum interrogarit, quia ipſe maxime omnium fide indigeret: eum enim fuiſſe, qui quaſi in fide vacillans dixit: *Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis*, Joh. 14. 8. Non video enim, cur Philippus magis

fide

fide indiguiſſe dicendus ſit, quam v. gr. Thomas, quem hiſtoria reſurrectionis Chriſti ex omnibus Apoſtolis maxime incredulum fuiſſe docet. Imo Philippus fuit inter primos, qui in Chriſtum crediderunt Joh. 1. 43.

Verſ. 6. *Hoc autem dicebat, tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid facturus eſſet.*] Videtur Euangeliſta timuiſſe, ne quis ex interrogatione Chriſti anſam ſumeret exiſtimandi, eum neſciviſſe, quomodo neceſſitati tantæ multitudinis ſuccurrendum eſſet. Itaque occurrit huic ſuſpicioni, & monet, eum probe ſciviſſe, ut eventus oſtendit, ſed tentandi animo tantum interrogaſſe Philippum. Tentatio iſta nihil aliud fuit, quam exploratio, quantum in fide, inque rerum divinarum notitia, ex tot hactenus viſis miraculis, profeciſſet. Eodem ſenſu de Deo dicitur, quod tentarit Abrahamum, Gen. 22. 1. Tentatio, qua Deus & Chriſtus homines tentant, à tentatione Diaboli & malorum hominum, potiſſimum ſine diſtinguitur. Diabolus enim & homines malitioſi hunc ſibi finem in tentando habent propoſitum, ut noceant, ut ſeducant, ut ad flagitia impellant. Hoc modo negat Jacobus Deum unquam tentare homines: *Nemo cum tentatur*, inquit, *dicat, ſe à Deo tentari. Nam Deus tentari malis non poteſt, nec ipſe tentat quenquam. Sed unuſquiſque tentatur, dum à propria cupiditate abſtrahitur & inescatur*, Jacob. 1. 13, 14. Sed Deus, ut & Chriſtus, cum homines tentat, materiam virtutis eis ſubminiſtrat. Sic Chriſtus hoc loco tentando Philippum tum illi præbet anſam edendi ſpecimen fidei ac profectus ſui, tum ipſe occaſionem quærit, illum ac reliquos Apoſtolos informandi, denique hac tentatione ad majorem miraculi attentionem eos excitare voluit. Norat Chriſtus diſcipulorum ſuorum oſcitantiam & hebetudinem, ut divinæ potentiæ in ipſo relucentis incurioſi eſſent, ut ſupinis oculis multa miracula aſpicerent: itaque non ſimpliciter & abſque præparatione ad miraculum edendum accedit, ſed prius ſomnum diſcipulis ſuis excutiendum, eoſque velut è veterno expergefaciendos duxit. Eſt vero tentatio iſta, quam hic Johannes Chriſto tribuit, ſpecies quædam diſſimulationis ac ſimulationis. Diſſimulavit enim Chriſtus ſcientiam, ſeu ſimulavit, ſe neſcire, quid ſit faciendum: adeoque præ ſe tulit id, quod non erat, & aliud verbis ſignificabat, aliud habebat in animo. Unde cernitur, non omnem ſimulationem ac diſſimulationem eſſe in vitio ponendam, aut cum ſinceritate pugnare: nempe quando non tantum mere innoxia eſt, & nec Dei gloriam, nec homines lædit, ſed etiam cum utilitate aliqua inſigni aliorum eſt conjuncta. Raro tamen & nonniſi neceſſitate urgente, nec diu ſimulatione utendum eſt, ne paulatim ſimulationi aſſueſcamus, & candorem ac ſinceritatem dediſcamus. Facile enim fit, ut vitia nobis allubeſcant, ſi ad eorum ſæpius accedamus confinia, & in iis diutius commoremur. Simulatio & diſſimulatio etiam cum vitioſa non eſt, tamen vitio propior eſt, quam virtuti, id eſt, candori. Candor enim in aperiendis animi ſenſibus cernitur; ſimulatio autem ac diſſimulatio in tegendis. Itaque facilis eſt ab hac ad proximum vitium tranſitus, niſi quis ſibi probe caveat.

Verſ. 7. *Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque eorum modicum quid accipiat.*] Non multum ſe adhuc in fide profeciſſe oſtendit Philippus. E tot miraculis à Domino editis poterat agnoſcere, quanta vis divini Spiritus in Chriſto habitaret. Non poterat etiam neſcire, quomodo Deus in deſerto abſque pane aluerit populum Iſraëliticum per annos 40, item quomodo Eliſæus Prophera aliquando panem multiplicarit 2 Reg. 4. 42, ne de oleo ab eodem aucto quicquam dicam Ibid. verſ. 1, neve alia divinæ potentiæ exempla commemorem. Debebat igitur credere Philippus, Domino eſſe in expedito rationes cibandi populum tam ingentem, etſi terrena media nulla ſuppeterent. Sed ille naturalibus mediis intentus, ad ſupernaturalia non attollit oculos: itaque illis deficientibus, de ſatiandis tot millibus deſperat. Similis diffidentiæ exemplum fuit in Moſe, qui cum Deus promitteret, ſe daturum populo murmuranti carnes ad comedendum per totum menſem, dixit: *Sexcenta millia peditum ſunt hujus populi, in cujus medio ego ſum; & tu dicis, Dabo eis carnem ad comedendum integro menſe? An greges ovium & armenta boum jugulabuntur, ut eis ſufficere poſſint ad cibum? an omnes piſces maris congregabuntur in unum, ut eos ſatient?* Num. 11. 21, 22. Ex hujuſmodi diffidentiæ exemplis nobis perfecta in Deum fiducia diſcenda eſt, ut quemadmodum Deus dicto loco reſpondet Moſi, credamus: Manum Domini nunquam eſſe decurtatam. Tentat & nunc Deus ſuos, & vult experiri eorum fiduciam atque conſtantiam. Et nunc conſtituit pios in deſerto ac vaſta quaſi ſolitudine. Neque enim ulla tam horrida ſolitudo, ac deſtituta omni ſolatio hominum, & referta ſæviſſimis beſtiis eſſe poteſt, atque ſunt vere ſanctis etiam cultiſſima mundi loca. Nam inter illos ipſos, etiam, qui Chriſtum profitentur, alii immanius, quam ulli ſerpentes, leones, tigrides in eos ſæviunt, igni & aqua illis interdicunt; alii cum juvare poſſint, non juvant, ſed deſerunt eos, ut illi longe majori miraculo vivant, & neceſſaria accipiant, quam ſi agerent in vaſtiſſimo aliquo deſerto, ubi nihil cibi, nihil aquæ, & omnia nocentiſſimis feris repleta eſſent. Itaque hic fide, hic patientia, & ut cum Poëta dicam; *Hic animis opus eſt, hic pectore firmo.* Verum hæc obiter.

Ducentorum denariorum.] Quid ſit denarius, & quid valeat, alibi dictum eſt. Vide ſupra dicta ad cap. 20. Matthæi, verſ. 2. Budæus lib. de Aſſe auctor eſt, ducentos denarios valere viginti coronatos. Tantum pecuniæ tunc fuiſſe in τῷ γλωσσοκόμῳ ſeu marſupio Chriſti, ſunt qui non improbabiliter colligant ex Marco. Quod pace Maldonati dictum eſto, qui ringitur & indignatur, hoc exemplum Chriſti & Apoſtolorum eripi pingui mendicantium Monachorum gregi, qui fictam paupertatem ſuam & mendicandi impudentiam hoc exemplo palliare ſolent. Sed ſatis clarè dicitur apud Marcum, Apoſtolos, poſtquam admonuiſſent Dominum, (puta per Philippum) tempus adeſſe dimittendæ turbæ, & Chriſtus tentans eos juſſiſſet, ut ipſi, quo veſcerentur, eis præberent, reſpondiſſe (ſcilicet per eundem Philippum) *Euntes ememus pro ducentis denariis panes,*

panes, & dabimus eis, quo veſcantur, Marc. 6. 37. Hoc non potuiſſent dicere, niſi eis tanta ſumma in promptu fuiſſet. Elucetque in eo Apoſtolorum liberalis & humanus animus, quod tantam pecuniam, &, ut veriſimile eſt, omnem quam habebant, parati fuerint in uſum populi expendere; tametſi non credebant eam ſufficere poſſe tam immenſæ multitudini ſatiandæ. Quod nonnulli per interrogationem verba Apoſtolorum legunt apud Marcum, id fit abſque omni ratione.

Verſ. 8. *Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri.*

Verſ. 9. *Eſt hic puerulus quidam, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſciculos: ſed hæc quid ſunt inter tam multos.*] Andreas iſte fuit primus omnium Chriſti diſcipulorum. Vide Joh. 1. 41. Sed in fide non profecerat plus quam Philippus, vel alii Apoſtoli. Cæteri Euangeliſtæ rem ita narrant, indiſtincte, quod Apoſtoli indicium Chriſto fecerint de quinque panibus & duobus piſciculis. Sed Johannes diſtinctius ſcribit, Andream id dixiſſe. Ita Apoſtoli omnes, cum ſimul loqui non poſſent, hic per os Andreæ locuti ſunt: quemadmodum id, quod præceſſit, per os Philippi. Dedit autem Chriſtus ipſe anſam Andreæ id de panibus ſibi indicandi. Marcus enim ait, Chriſtum quæſiviſſe: *Quot panes habetis?* & imperaſſe, ut abirent ac viderent; & tunc demum, re cognita, diſcipulos Domino nuntiaſſe, Marc. 6. 38.

Eſt hic puerulus quidam, qui habet quinque panes.] Alios Euangeliſtas legendo, poſſet quis exiſtimare, panes iſtos fuiſſe Apoſtolorum proprios. Ajunt enim Apoſtolos dixiſſe: *Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces.* Sed ex hoc Johannis loco apparet, panes iſtos fuiſſe venales. Ita Johannes poſt reliquos ſcribens Euangeliſtas, & ab eis prætermiſſa ſupplens, tametſi hic referat miraculum etiam ab aliis narratum, tamen in ipſa quoque ejus deſcriptione circumſtantias non paucas refert ab aliis prætermiſſas: ut, quod miraculum hoc editum ſit paulo ante feſtum Paſchæ; ℣. 4, quod Philippus illud de ducentis denariis dixerit ℣. 7, de panibus Andreas verſ. 8, 9. Item quod hordeacei fuerint panes; quod Chriſtus juſſerit fragmenta colligere ℣. 12, quod populus poſt editum miraculum dixerit: *Hic eſt vere Propheta, qui venturus erat:* adeoque eum verum Meſſiam eſſe agnoverit, & Regem creare voluerit, quodque Chriſtus ea de cauſa fugerit, ℣. 14, 15.

Verſ. 10. *Dicit autem Jeſus: Facite homines diſcumbere. Erat vero gramen multum in eo loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia.*] Hactenus fuit occaſio miraculi, & quædam ad illud faciendum paraſceve ac præparatio. Sequitur jam ipſum miraculum: in cujus deſcriptione res quinque annotat Euangeliſta. Prima eſt turbæ diſcubituræ certo ordine collocatio. Secunda panis benedictio. Tertia ciborum diſtributio. Quarta totius turbæ exſaturatio. Quinta reſiduorum fragmentorum collectio. Quod Chriſtus juſſit populum conſidere, id etiam humanitatis fuit, qua non leviter auxit ſuum beneficium: feſſis enim itinere & inedia quies erat neceſſariæ. Quod vero ordine certo, quem alii Euangeliſtæ, ac inprimis Marcus deſcripſit, collocari eos juſſerit; fuit ſingularis ſapientiæ. Sic enim & numerus multitudinis facilius poterat cognoſci, & commodius fieri diſtributio. Laudanda hic & diſcipulorum obedientia eſt, qui quamvis non intelligerent, quid ſibi vellet ille diſcubitus, quamvis crederent, nullam dari rationem cibandorum tot millium: tamen Domino jubenti parent ac miniſtrant. Ita nimirum mos Deo Chriſtoque ſemper gerendus eſt, etiamſi nobis rationes, præceptorum ejus non conſtent.

Diſcubuerunt viri.] Ex Matthæo liquet, præter viros, etiam mulieres & pueros adfuiſſe: ſed iſtæ & iſti in cenſum non veniunt.

Quaſi quinque millia.] De particula *quaſi* vide dicta ad Luc. 3. 23, & iſtius cap. Append.

Erat gramen multum in eo loco.] Erat enim vernum tempus: quod ex eo liquidum eſt, quia fuit proximum Paſchæ: verſ. 4.

Verſ. 11. *Accepit autem Jeſus panes, & gratias agens, diſtribuit diſcipulis, & diſcipuli diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſciculis, quantum volebant.*] Semper legimus Chriſtum, quoties panem in manus ſumſit ad edendum, vel diſtribuendum, cum precatione ac gratiarum actione id feciſſe. Idem fecit & Paulus Actor. 27. 35, qui etiam nos docet, cibos ſanctificari per verbum Dei, & preces: 1 Tim. 4. 5. innuens, abſque iis impurum eſſe ac illegitimum eorum uſum. Dum Chriſtus gratias agit, intellige Deo, monſtrat ſe non eſſe primarium cibi & miraculi faciendi auctorem: adeoque non Deum Altiſſimum. Gratias autem agit pro pane; indicans non tantum pro ſpiritualibus (quanquam pro his maxime) ſed etiam pro terrenis ac corporalibus donis Deo agendas eſſe gratias. Et ſi gratiæ agendæ ſunt pro temporalibus bonis: ergo ea etiam petere ac precari à Deo par & æquum eſt. Quod propter ſuperſtitioſos quoſdam notandum duxi, qui nonniſi ſpiritualia à Deo precanda eſſe autumant. Quaſi non ut ſpiritualium, ita & corporalium bonorum dator auctorque ſit Deus! vel quaſi non ſit dignus Deus, ut etiam de minimis rebus nomen ejus invocemus, aut illi eas acceptas feramus!

Diſtribuit diſcipulis, & diſcipuli diſcumbentibus.] Quod miniſterio diſcipulorum uti Dominus in diſtribuendo pane ac cibo illo voluerit, & eos quaſi inſtrumenta miraculi ſui eſſe, fecit, ut dum virtutem ſuam etiam in manibus eorum exerit, illi tanto magis miraculi magnitudinem perſpicerent, & ad fidendum ſibi animarentur. Nam ne ſic quidem ſatis potentiam ejus potuerunt agnoſcere: quod probavit illorum in mox ſequenti tentatione diffidentia, ut notavit Marcus, qui poſt hiſtoriam de jactatione eorum in mari addit: *Non intellexerant enim de panibus illis, quoniam cor eorum fuit callo obductum*, Marc. 6. 52. Miniſterium autem illud Apoſtolorum fuit præludium ac figura quædam iſtius miniſterii eorum, quo deinceps Chriſtus uſus eſt, in paſcendis ſpirituali cibo Euangelii ſui, omnibus totius orbis terrarum populis.

Verſ. 12. *Ut autem expleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperfuerunt, fragmenta, ne quid pereat.*] Non imaginariam illis Chriſtus cœnam præbuit, qua oculi tantum paſcerentur, ventre jejuno manente, ut faciunt præſtigiatores, vel ut faciebat

Heliogabalus, qui paraſitis ſuis ſæpe cœnas inſtruebat cereas, modo ligneas, aliquando etiam ex ebore, auro, vel argento paratas, atque ſic imagine ciborum deludebat illos Ixionios ſuos, ut ipſe nominabat, amicos. Non tale hic fuit convivium Chriſti: non oculos ſolum, ſed & ſtomachos convivarum ſuorum pavit. Et non tantum fecit, ut unuſquiſque modicum quid acciperet, quod Philippus, vix pro ducentis denariis emptis panibus fieri poſſe rebatur; non aliqua ex parte ſolum lenivit ac levavit eorum eſuriem, ſed effecit, ut omnes explerentur, ac ſaturarentur, ut fames omnibus plane eximeretur. Dabatur enim ſingulis, *quantum volebant*, ut ſuperiori verſiculo dictum eſt. Saturitatis indicium fuit, quod tam multa fragmenta ſuperfuerint.

Colligite, quæ ſuperfuerunt fragmenta, ne quid pereat.] Ex fragmentorum multitudine maxime miraculi magnitudo apparuit. Etiamſi nihil reſidui ex panibus manſiſſet, ſatis magnum fuiſſet miraculum, quod tot millia tam paucis panibus fuerint ſatiata. Sed nunc illuſtrius factum eſt miraculum, & acceſſit ei ingens ſuperpondium, quando plura ſuperaverunt fragmenta, quam panes fuerant. Non fruſtra igitur ea colligi Chriſtus imperavit. Sed & frugalitatis Oeconomicæ hic Chriſtus præbuit exemplum, dum perire non ſinit, ſed aſſervari jubet ſuperflua in futurum uſum. Unde intelligitur, non ſimpliciter ſervare aliquid in craſtinum, ſed ſolicitum eſſe de craſtino, vitioſum eſſe & à Chriſto prohibitum, Matth. 6. 34.

Verſ. 13. *Collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt comedentibus.*] Totidem cophinos impleverunt, quot erant Apoſtoli. Credibile eſt enim ſingulos Apoſtolorum habuiſſe cophinum ſeu corbem, eoſque hos cophinos pane, quem Chriſtus frangendo multiplicabat, repletos fuiſſe ad ſuum quiſque ordinem, qui deinceps vel in ipſis cophinis, vel in manibus Apoſtolorum, cum eum ex cophinis porrigerent diſcumbentibus, creverit. Inde igitur factum eſt, ut Apoſtoli, cum fragmenta colligerentur, ſinguli plenum cophinum reportarint, id eſt, tantum quantum à Chriſto acceperant. Notanda hic eſt Chriſti liberalitas in eos, qui ipſi adhæreut. Non ſatis ei eſt implere neceſſitates fidelium ſuorum, ſed, ut ipſe alibi loquitur, dona ſua offundit *menſura bona, conferta, agitata, & ſuperfluente in ſinum eorum*: Luc. 6. 38, exemplo ſuo docens omnes bonorum Dei diſpenſatores, ut non parca manu, ſed liberali beneficia ſpargant, curentque ut ii quibus beneficiunt, quoſque ſuſtentant, non tantum vivere quocunque modo, ſed etiam commode & paulo largius ſine defraudatione genii vivere poſſint. Notandum & hoc eſt, Chriſtum non rogatum hoc beneficium præſtitiſſe eſurientibus. Corrumpunt beneficii gratiam, qui ſe multum rogari patiuntur. *Moleſtum enim verbum eſt*, ut inquit, Seneca, *& oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, Rogo.* Hinc etiam vulgo jactatur, nihil carius emi, quam quod precibus emitur. Hoc ergo tormentum rogandi qui remittit proximo egenti, & beneficiis ſuis petitionem prævenit, geminat liberalitatem ſuam, ita ut ſemel dando, bis dediſſe beneficium cenſendus ſit.

Fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis.] Quærit Chryſoſtomus, quamobrem ex panibus tantum, & non etiam ex piſcibus fragmenta remanſerint. Et Maldonatus ſe fatigat, ut ejus rei rationem reddat. Sed errant uterque. Marcus enim expreſſe notat etiam ex piſcibus fragmenta ſuperfuiſſe. Vide Marc. 6. 43.

Verſ. 14. *Illi ergo homines, cum vidiſſent ſignum, quod fecerat Jeſus, dicebant: Hic eſt vere Propheta, ille qui venturus erat in mundum.*] Deſcribit jam Euangeliſta quartam & ultimam partem hiſtoriæ, quid nimirum poſt miraculum factum, ſit conſecutum, ſeu quis fuerit miraculi narrati effectus. Indicat ergo homines ex illo miraculo agnoviſſe, Jeſum eſſe Meſſiam. Hæc enim verba: *Hic eſt vere Propheta ille venturus in mundum*; continent deſcriptionem Meſſiæ; in cujus expectationem cum tunc temporis omnes fuerint erecti, non eſt mirum, populum iſtum, poſtquam inter multa alia miracula hoc tam eximium ac palpabile ſignum conſpexiſſet, inductum eſſe, ut crederet, Jeſum eſſe verum Meſſiam. Hinc eſt, quod, ut mox narratur à Johanne, voluerit eum Regem creare: quod facere in animum non induxiſſet, ſi eum pro ſimplici Propheta, & non pro Meſſia ipſo habuiſſet. Egregia vero & laude digna foret hæc turbæ iſtius de Chriſto perſuaſio atque confeſſio, niſi ex carnali cauſa profecta fuiſſet, ut mox videbimus. Cæterum melius & ſapientius homines iſti etſi idiotæ & rudes, ex miraculis Chriſti concludunt, eum eſſe Prophetam illum qui venturus erat, ſeu Meſſiam, quam hodie plerique etiam è doctiſſimis Chriſtianorum, eum eſſe Deum Altiſſimum. Quæ iſtorum collectio ſi bona eſſet, ac legitima, eodem jure, & pari conſequentiæ vi liceret idem de Elia & Eliſæo colligere. Nam & hos non tantum alia miracula, ſed etiam in ſpecie aliqua hujus generis, quale eſt hic à Johanne deſcriptum, edidiſſe legimus. Vide 1 Reg. 17. 14, 15, 16. 2 Reg. 4. 3 & ſeqq. Ibid. ℣. 42 ad fin.

Verſ. 15. *Jeſus ergo cognoſcens, quod eſſent venturi & ſe rapturi, ut Regem ſe facerent, receſſit rurſus in montem ipſe ſolus.*] Videntur gratum animum pro accepto beneficio voluiſſe teſtari erga Chriſtum: ſed magis, certum eſt, eos ſibi potius ac ventri ſuo voluiſſe conſulere quam Chriſto. Carnales enim homines fuiſſe, & nihil niſi terrena ſpirantes, Chriſtus ipſe indicat infra verſ. 26. Cum ergo vidiſſent, eum paucos panes ita multiplicaſſe, ut quinque hominum famelicorum millia ad ſatietatem cibarit, rati ſunt ſe, qualem animo ſibi finxerant, & qualem optabant, Meſſiam inveniſſe, qui omni rerum copia ipſos locupletare poſſet. Iſtas carnales eorum cogitationes Chriſtus cognovit ſpiritu ſuo ac virtute divina, qua poterat etiam abditos mentium humanarum receſſus introſpicere: ſed credibile eſt, iſtas eorum cogitationes non in animo tantum latuiſſe, ſed jam erupiſſe in ſermones, & illos jam ea de re inter ſe conſultare, ac quandam conſpirationem inire cœpiſſe.

Receſſit rurſus in montem.] Hinc apparet, eum prius ex monte deſcendiſſe ad turbam ſub monte ſtantem, ut eam doceret & cibaret. Matthæus cap. 14. 23 narrat, Chriſtum in montem aſcendiſſe orandi cauſa. Hic autem Johannes indicat, eum turbam fugiendo

fugiendo ſe ſubduxiſſe in montem. Sed poterat utrumque fieri: & ſine dubio factum eſt. Verum Johannes id ſolum retulit de fuga, quod Matthæus & cæteri Euangeliſtæ omiſerant: id autem quod de orando ſcripſit Matthæus, referre ſupervacuum duxit. Quod Chriſtus noluerit à turba populi Rex fieri, mirum non eſt. Primum enim *Regnum ejus non erat ex hoc mundo*, Joh. 18. 36, non debebat ille Rex terrenus eſſe, ſed cœleſtis ac ſpiritualis. Illi autem terrenum Regem ipſum creare volebant. Deinde volebant creare Regem iſti, qui creandi Regis jus ac poteſtatem legitimam non habebant: volebant eum creare per ſeditionem ac tumultum, qui crimen perduellionis adverſus legitimum Magiſtratum redolebat. Etiamſi Chriſtus per decreta Dei potuiſſet Rex terrenus fieri, tamen ut hac ratione fieret, inconveniens erat. Itaque qui ex hoc exemplo Chriſti Regiam dignitatem refugientis probant, non licere hominibus Chriſtianis gerere civiles honores ac Magiſtratus, infirmo admodum videntur mihi uti argumento.

PARS II.

Verſ. 16. *UT autem veſpera facta eſt, deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare.*] Alteram hic orditur Johannes hiſtoriam, in qua deſcribit ſecundum miraculum Chriſti in mari factum. Ubi duo conſideranda ſe offerunt: primo diſcipulorum ingens diſcrimen, in quo fuerunt noctu navigantes & fluctibus agitati; deinde eorundem ex tanto periculo liberatio.

Ut autem veſpera facta eſt.] Habemus in hac hiſtoria duorum miraculorum, factam mentionem duarum veſperarum, quæ uno eodemque die fuerunt. Quod optime liquet ex Matthæo, ubi ante miraculum cibationis facta eſſe vel fuiſſe veſpera dicitur Matth. 14. 15, & rurſus poſt miraculum hoc editum verſ. 23 idem dicitur. Ex quo intelligi poteſt, quid ſit, quod Judæi in Lege juſſi ſint inter duas veſperas Paſcha jugulare, Exod. 12. 6. Prima veſpera incipiebat ante occaſum ſolis, non poſt occaſum, ut quidam opinantur, ſpatio intermedio inter meridiem & ſolis occubitum. Nam tempus, quod Matthæus primo loco veſperam vocat, Marcus ita deſcribit cap. 6. 35, *cum jam multa hora*, ſeu multus dies, *eſſet*. Lucas vero dicit: *Dies cœperat inclinare*, cap. 9. 12. Propterea quæ narrantur à Matthæo inter priorem & poſteriorem veſperam facta, aliquot horarum ſpatium requirunt. Secunda veſpera incipiebat à ſolis occaſu & totum crepuſculi tempus complectabatur.

Deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare.] Sine Chriſto, qui ſolus receſſit in montem, ut verſu præcedente dictum eſt. Voluit Chriſtus rurſus eos tentare, ſeu experiri eorum fidem, quantum ex miraculo panum profeciſſent: ideo reliquit eos ſolos, & voluit eos ſe abſente navigare in tenebris. Johannes hoc ordine narrat hiſtoriam, quaſi Chriſtus prius abierit in montem, & poſtea demum diſcipuli ſe receperint ad mare. Sed ex Matthæo, ut & ex Marco, patet, Chriſtum diſcipulos prius amandaſſe, quanquam invitos, quia ſine ipſo diſcedere nolebant, (idcirco dicit Matthæus & Marcus, *compulit* eos, nempe juſſu ſuo, ubi etiam obiter notetur ſignificatio verbi *compellendi*. Confer. cum Luc. 14. 23.) ipſum vero remanſiſſe aliquantiſper apud turbam, donec eam dimitteret. Unde perſpicitur, Chriſtum non ſubito ſe propipuiſſe ac profugiſſe in montem, ſed ſenſim, ablegatis primum diſcipulis, & poſt dimiſſa turba, in montem ſe contuliſſe.

Verſ. 17. *Et aſcendentes in navim, ibant trans mare verſus Capernaum: & tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jeſus.*] Non ſtatim, ut juſſi ſunt, conſcenderunt navem, ſed diu Chriſtum in littore expectarunt: tandem cum fruſtra expectaſſent, tenebris ingruentibus, navigium ingreſſi ſolverunt.

Ibant trans mare verſus Capernaum.] Græcè ἤρχοντο εἰς πέραν. Vulgata verſio habet: *Venerunt in Capernaum.* Male. Nondum enim in Capernaum venerant, ut docent ſequentia; ſed demum eo contendebant. Et hoc indicat ipſa ſignificatio verbi ἤρχοντο, quod eſt præteriti imperfecti. Non pugnat autem Johannes cum Marco, etſi ille dicat, diſcipulos iviſſe, ſeu viam ingreſſos eſſe, verſus Capernaum, hic autem ſcribat, eos juſſos à Chriſto præire ſibi ad Bethſaidam. Nam Bethſaida in via occurrebat proficiſcentibus Capernaum. Neque etiam vel Marcus ſecum & cum Matthæo, vel Johannes cum utroque pugnat, qui narrant, diſcipulos cum Chriſto hac navigatione, non Bethſaidam, non Capernaumum, ſed in terram Genneſareth, ſeu Gadarenorum, perveniſſe. Vide Matth. 14. 34. Marc. 6. 53. Una enim eademque navigatione primum appulerunt Bethſaidam, ut propiorem, poſtea venerunt Capernaumum, ubi à Chriſto ſequens diſputatio de corpore & ſanguine ejus eſt inſtituta; inde porro profecti ſunt in ulteriorem lacus partem, in terram Genneſareth, ſeu potius Gadarenorum, vel Gergeſſenorum. Vide ſupra dicta ad Matth. 14. 34. Sunt, qui hiſtorias iſtas diverſas putent ob ejuſmodi diſcrepantias: ſed id veriſimile non eſt.

Verſ. 18. *Et mare, vento magno flante, inſurgebat.*] Periculum, in quo erant Apoſtoli, deſcribitur. Non una res eos angebat: primo erant in medio mari, ut inquit cum Matthæo Marcus, ubi nullum humanum auxilium expectare poterant: deinde nox erat tenebroſa, quæ per ſe plena horroris eſſe ſolet: tertio ventus non ſolum vehemens, ſed & contrarius erat, ut duo memorati Euangeliſtæ notarunt: denique, quod maximum erat, aberat Dominus, qui omnibus malis mederi poterat. Vide, ut miſceat Dominus triſtia lætis. Non diu illi cum Chriſto quieverant in monte, & miraculoſo convivio interfuerant: poſt paucas horas ecce ſine Chriſto periclitantur in mari. Talis eſt vita hominum; præſertim Chriſtianorum, ut ſtabili tranquillitate gaudere nequeant. Si bene calculum ponas, non in mari modo, ſed in terra quoque fluctus, procellæ, vada, & ſcopuli occurrunt, ut adeo naufragium ubique ſit metuendum.

Verſ. 19. *Provecti ergo quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta, vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & appropinquantem navi, & timuerunt.*] Jam deſcribitur diſcipulorum è periculo liberatio ac conſola-

tio : dum exponitur Chriſti ad eos adventus. Ita ille ſolet mediis intervenire malis ac neceſſitatibus ſuorum, ut tum maxime præſto ſit, quando res videntur eſſe maxime deſperatæ. Inde eſt, quod non ante venerit ad Apoſtolos, quam, ut reliqui Euangeliſtæ tradunt, circa quartam vigiliam noctis, id eſt, ultimam, quæ eſt matutina : non ante, quam eſſent, in medio mari, tempeſtate ſatis ſuperque vexati, & propemodum ad extremum diſcrimen adducti. Novit ille opportunum opitulandi tempus. Vult interdum exerceri patientiam noſtram : ideo non ſtatim ſuccurrit. Sed auxilium tamen ejus nunquam deſperandum eſt, etiam tum, cum ad extrema ventum eſt. Obſervandum ad piorum conſolationem & hoc eſt, quod habet Marcus, Chriſtum adhuc in terra exiſtentem vidiſſe eos laborantes in remigando, cap. 6. 48. Aberat ab illis corpore, ſed aderat ſpiritu ſuo, quo etiam è longinquo proſpiciebat eorum neceſſitatem. Quanto magis nunc in cœlis reſidens, ſpiritu ſuo adeſt ſemper & ubique fidelibus ſuis hoc mundi æquor ſulcantibus ?

Quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta.] Perinde ac ſi diceret : Milliaria tria vel quatuor, intellige Italica, quorum quatuor faciunt unum Germanicum. Conſtat ex Joſepho, mare hoc ſeu lacum fuiſſe longum ſtadia centum, id eſt, Italica milliaria tredecim ; latum vero ſtadia quadraginta, id eſt, milliaria quinque, & paulo amplius. Notanda vero hic eſt prudentia & fidelitas noſtri Euangeliſtæ, in narrando. Rem enim incertam certo non pronuntiat, ſed dubitanter. Erant, inquit, *quaſi viginti quinque aut triginta ſtadia.* Sic & ſupra verſ. 10, & cap. 1. 39. ij. 6. iv. 6. xi. 18. xix. 14,39. xxi. 8. Vide quoque Matth. 14. 21. Marc. 6. 44. viii. 9. Luc. 3. 23. xxii. 59. Actor. 4. 4. v. 7. x. 3. xix. 34. Chriſtiani hominis eſt cautum eſſe in affirmando, ut non tantum non mentiatur, ſed nec dicat mendacium : illud boni viri eſt, hoc prudentis quoque. Etſi vero Euangelici ſcriptores ſacri divino ſcripſerint inſtinctu, & Spiritus Sancti fuerint amanuenſes, tamen non viſum eſt Deo neceſſarium, ut omnes etiam minutiſſimas circumſtantias ipſis per Spiritum Sanctum ſuggereret, in quibus cardo hiſtoriæ non verſatur.

Vident Jeſum ambulantem ſupra mare.] Hoc erat divinum miraculum. Naturaliter enim fieri nequit, ut homo ſuper liquidas aquas ambulet. Neque tamen inde ſequitur, Chriſtum eſſe Deum ſummum. Nam virtus & potentia Dei id, quod ſupra naturam eſt, in quolibet homine poteſt efficere : ut exemplum habemus in Petro Matth. 14. 28,29.

Et appropinquantem navi.] Marcus ait : Eum voluiſſe ipſos præterire ; proculdubio tentans eos, an ſe eſſent agnituri.

Et timuerunt.] Matthæus & Marcus addunt, quod præ timore exclamarint. Quid vero eſt, quod adeo timuerunt ; cum potius conſpecto Domino lætari atque exultare debuiſſent ? Non exprimit cauſam noſter Johannes : ſed expreſſit Matthæus cum Marco. Nimirum non cognoverunt Dominum, ſed arbitrati ſunt ſpectrum ſe videre.

Verſ. 20. *Ille vero dixit eis : Ego ſum, ne timete.*] Eximit ipſis falſam de ſe opinionem, ac ſimul metum ex illa opinione ortum, indicans, quis ſit. Poterant ex ipſa voce eum jam agnoſcere. Petrus tamen adhuc addubitans, novo experimento vult ſibi fidem fieri : de quo vide Matthæum.

Verſ. 21. *Voluerunt ergo recipere eum in navem, & ſtatim navis erat apud terram, ad quam tendebant.*] Qui putant hanc hiſtoriam eſſe diverſam ab illa, quam Matthæus & Marcus deſcripſerunt, hoc potiſſimum urgent, quod Johannes indicet, Chriſtum non receptum in navem, ſed tantum dicat, diſcipulos voluiſſe eum recipere ; ex duobus autem Euangeliſtis illis appareat, eum receptum fuiſſe. Sed non eſt hæc ratio tanti momenti, ut propter eam aliæ majoris momenti rationes, quæ arguunt, unam eandemque eſſe hiſtoriam, ſint deſerendæ. Commode enim poteſt per Synecdochen membri in verbis Johannis una cum voluntate factum ipſum intelligi. Neque enim Johannes negat factum, ſed cum utrumque verum ſit, & quod voluerint diſcipuli Chriſtum recipere, & quod receperint, priori poſito, vult ex eo poſterius intelligi. Nempe ſtatim ut audierunt diſcipuli Domini vocem & cognoverunt, voluerunt eum in navem recipere, & ſine dubio, ut intraret, rogarunt. Interea intervenit Petri ad Chriſtum ambulatio, qua peracta, una cum Petro Chriſtus in navem receptus eſt ; ut refert Matthæus : atque tum demum navis ad terram appulſa eſt. Johannes qui prætermiſit narrationem de Petro, omittit quoque cum ea conjunctam receptionem Chriſti in navem : poſt voluntatem recipiendi ſtatim indicans, quis fuerit navigationis finis.

Et ſtatim navis erat apud terram.] Non ſtatim poſtquam Chriſtus dixiſſet, Ego ſum. Sed ſtatim (ſupple ex aliis Euangeliſtis) poſtquam Chriſtus conſcendit navem. Et hoc erat novum miraculum. Chriſto abſente parum promoverant tota pene nocte remigando : at ubi Chriſtus venit, momento abſoluta eſt navigatio & ad littus pervenerunt. Notandum eſt, in uno miraculo, hic à Johanne deſcripto non unum miraculum, ſed multa contineri. Primum ac potiſſimum fuit, quod Chriſtus calcavit fluctus maris, & in ſuperficie aquarum ambulavit. Alterum, quod effecit, ut & Petrus ſuper mari ambularet. Tertium, quod undas maris ac tempeſtatem compoſuit. Quartum, quod ſimul atque in navem aſcendit, navis ad terram momento appulerit.

PARS III.

Verſ. 22. *Poſtridie turba conſtituta trans mare, cum vidiſſet illic non fuiſſe aliud navigium, niſi unum illud, in quod intrarant diſcipuli ejus, & Jeſum non introiiſſe ſimul cum diſcipulis ſuis in navigium, ſed ſolos ejus diſcipulos abiiſſe.*] Accedit jam Euangeliſta ad tertii membri deſcriptionem, quod eſt potiſſimum, &, ut ita dicam, caput hujus Capitis cujus gratia etiam priora duo miracula videtur recenſuiſſe, quamvis ab aliis Euangeliſtis jam narrata. Hoc membro autem continetur inſignis Chriſti ſermo de ſpirituali cibo ac potu corporis & ſanguinis ejus. Ubi primum antecedentia quædam, quæ occaſio proxima ſermonis ſequentis fuerunt, deſcribit Euange-

Euangeliſta, deinceps ipſum ſermonem, ac denique eventum ſermonis, ſeu quid poſt eum habitum acciderit.

Turba conſtituta trans mare.] Gr. ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς πέραν τῆς θαλάσσης. Vulgata habet: *Turba quæ ſtabat trans mare.* Indicat, turbam ſubſtitiſſe ac pernoctaſſe in illo ipſo loco, ubi miraculoſe ſaturati erant quinque panibus. Quod videtur contrarium ei, quod dicit Matthæus, Chriſtum dimiſiſſe turbam. Sed poterat à Chriſto turba dimitti, & tamen in illo loco manere: nempe poterat Chriſtus jubere, ut abirent in vicina oppida aut pagos, ad pernoctandum, poterat illis valedicere, ut hanc dimiſſionem explicat Marcus, inquiens: καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *& valedicens eis*, Marc. 6. 46. Turba autem poterat nihilominus, paulum recedens à Chriſto, in illa ora ac parte lacus ſubſiſtere: quanquam credibile eſt etiam, partem iſtius turbæ potuiſſe ſe in vicina oppida recipere.

Trans mare.] Id eſt, in illo loco, qui erat trans mare, ſeu quem ſupra verſ. 1, trans mare eſſe dixit: alioqui locus ille erat cis mare. Potuit etiam turba dici ſubſtitiſſe trans mare reſpectu diſcipulorum, qui à turba diſceſſerunt trans mare in Capernaum, ut dicitur verſ. 17, & rurſus turba illis Capernaumi exiſtentibus erat trans mare.

Cum vidiſſet, illic non fuiſſe aliud navigium, niſi illud, in quod intrarant diſcipuli ejus.] Hoc eo fine refert Johannes, ut oſtendat, non ſolum diſcipulos, qui viderunt Jeſum in mari ambulantem, ſed univerſam quoque illam turbam cognoviſſe, Chriſtum abſque ullo navis adjumento trajeciſſe, atque ſic miraculi iſtius innumerabiles teſtes fuiſſe.

Verſ. 23. *Aliæ vero venerunt naves à Tiberiade prope locum illum, ubi ederant panem, poſteaquam gratias egiſſet Dominus.* Hic verſiculus in parentheſi legendus eſt. Cohæret enim verſ. 22 cum verſ. 24. Occurrit autem Euangeliſta his verbis tacitæ dubitationi; quia poterat aliquis cogitare: Si non erat illic alia navis præter eam, qua diſcipuli trajecerunt, quomodo igitur potuit poſtea ingens illa turba trajicere? Hunc ſcrupulum ut eximat, narrat, ut dixi, in parentheſi, veniſſe poſtea alias naves à Tiberiade, quibus trajecerint, venerintque Capernaumum, ut mox additur verſ. 24.

Poſtquam gratias egiſſet.] Gr. εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου, id eſt, *gratias agente Domino.* Innuit, gratiarum actioni ac precibus Chriſti adſcribendum eſſe miraculum illud multiplicationis panum. Tanta eſt vis orationis.

Verſ. 24. *Cum igitur vidiſſet turba, Jeſum illic non eſſe, neque diſcipulos ejus, aſcenderunt & ipſi in navigia, & venerunt in Capernaum, quærentes Jeſum.*] Poſt iſta verba *cum igitur vidiſſet*, ſubintelligendum eſt verbum, *inquam.* Cohæret enim hic verſus, ut monui ſupra, cum verſu 22. Credibile eſt, turbam propterea ab illo littore non receſſiſſe, ſed illic ſubſtitiſſe, tametſi à Chriſto eſſent dimiſſi & abire juſſi, quia viderant, Dominum in illa lacus parte remaniſſe, ſolis diſcipulis navi trans mare profectis. Credebant igitur, poſtero die ſe rurſus conſpectu ejus eodem in loco fruituros. Sed cum poſtridie Chriſtus nuſquam appareret, & diſcipulos abiiſſe ſcirent, decreverunt diſcipulos ſequi Capernaumum, ibique Chriſtum quærere. Non omnino malum erat turbæ iſtius ingenium, niſi quod etiam vitiis ſuis non careret. Iſta enim Chriſtum ſectandi & quærendi ſedulitas merito laudanda & imitanda eſt.

Verſ. 25. *Et invenientes eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?*] Dicuntur Jeſum inveniſſe trans mare, id eſt, Capernaumi; cum ipſi antea fuerint trans mare, cum adhuc eſſent in illo loco, ubi panem comederant, ℣. 22. Nimirum quando unus eſt in hac parte maris, alter in altera iſti adverſa, tum & hic illi & ille huic eſt trans mare.

Quando huc veniſti?] Gr. πότε ὧδε γέγονας, id eſt, *quando huc factus es?* Mirantur, quomodo tam cito pervenerit Capernaumum: cum una nox tantum interceſſerit, terra autem iter erat multorum dierum. Non tamen interrogant, quomodo venerit, ſed quando venerit, ut ex ejus reſponſo intelligant, quomodo venerit. Suſpicantur eum miraculo aliquo veniſſe: quia navi non poterat, cum nulla adfuerit præter unam diſcipulorum, qua viderant eum vectum non eſſe; terra quoque propter loci diſtantiam intra tam breve ſpatium venire non poterat.

Verſ. 26. *Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia ediſtis panes, & ſaturati eſtis.*] Reſpondet quidem Jeſus, ſed non ad interrogationem, quia vel videbat illos jam id miraculo factum eſſe intelligere, quod eo venerit, vel malebat, ut id à diſcipulis ſuis, quam à ſe reſciſcerent. Relicta igitur quæſtione minus neceſſaria, aliud quod utilius & majus erat ipſis proponit. Ita Chriſtus & alibi ſæpius parum utiles quæſtiones ſolvebat ſilentio, ad utiliora ſermonem deflectens. Vide inter alia Luc. 13. 23, 24. Joh. 12. ℣. 34, 35. Continet autem hoc loco Chriſti reſponſio apertam reprehenſionem illius turbæ, quam videbat Chriſtus non ſatis laudabili animo ſe ſectari. Sapiebat id blanditiem quandam & adulationem, cum dicerent: *Rabbi, quando huc veniſti?* Volebant indicare, ſe ipſum noſſe, ſe eſſe eos, qui pridie ejus diei quinque panibus ab eo multiplicatis fuerant ſatiati; atque ita cupiebant ab eo ſimile miraculum elicere, quo denuo ſatiarentur. Chriſtus ergo perſpectos habens intimos ſenſus eorum ac cogitationes, tangit ulcus eorum.

Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna.] Atqui ſupra dixerat Euangeliſta ipſe, verſ. 2, eos ſecutos eſſe Chriſtum, *quia viderant ejus ſigna, quæ ediderat in infirmis.* Et hoc ipſum erat ſignum inſigne, quod eos panibus paucis cibaverat, & propterea eum quærebant. Ita eſt: ſed illi in iſtis ſignis non quærebant, quod ſpirituale, ſed quod carnale erat; non fructum animæ, ſed corporis. Animæ fructus erat, ut crederent in Chriſtum, ut vitam æternam conſequerentur: fructus corporis, ut cibo paſcerentur, ut Chriſtus morbos corporis ab eis auferret, ut multiplicando frumentum, oleum, vinum aliaque ad vitam neceſſaria, ipſos locupletaret.

Sed quia ediſtis panes, & ſaturati eſtis.] Hoc eſt ingenium mundanorum ac carnalium hominum, ut etiam in rebus religionis, dumque Chriſtum ſequuntur, agant ventris ſui negotium. Quærunt quidem

homines Jeſum, ſed plerique tantum propter eſum: quærunt pabula, non mentibus, ſed dentibus: curant ea, quæ carnem ſpectant, non ea quæ ſpiritum. Talis fuit & ille Luc. 12. 13, fortaſſis & ille Luc. 9. verſ. 57. Non fruſtra enim ei Chriſtus reſpondet: *Vulpes habent foveas, & volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet.* Apparet Chriſtum mentium ſcrutatorem pervidiſſe, eum temporalia & terrena commoda apud ſe quærere, non cœleſtia atque æterna. Itaque eum paupertate ſua quaſi objecta Gorgone abſterruit.

Verſ. 27. *Operemini non cibum, qui perit, ſed cibum, qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater obſignavit, ille Deus.*] Indicato & perſtricto eorum ulcere, medetur ei ſalutari admonitione. Docet primum quid non debeant facere: poſtea quid debeant.

Operemini non cibum, qui perit.] Operari cibum, eſt operam dare cibo acquirendo. Etſi vero ſimpliciter Chriſtus loquatur, verba tamen ſimpliciter intelligenda non ſunt, ſed comparate; quaſi dicat: Non tam cibum, qui perit, operemini, quam eum, qui manet in vitam æternam. Eſt enim hic Hebraiſmus valde uſitatus, ut comparate intelligenda, ſimpliciter efferantur. Vide Matth. 9. 13, & quæ ad eum locum dicta ſunt. Tantum abeſt, ut Chriſtus ſimpliciter prohibeat, cibum terrenum & panem neceſſarium operando & laborando quærere, ut id ipſum diſerte præceperit per Apoſtolum Epheſ. 4. ℣. 28. 1 Theſſ. 4. 11. 2 Theſſ. 3. 12. Hoc ergo ſibi vult Chriſtus hoc loco, quod dixit Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Sed homines plerumque invertunt ordinem, & præpoſtera agunt ratione: primum, & ante omnia, quærunt panem & res hujus vitæ, regnum autem Dei volunt, ut adjiciatur eis. Atque ſic pulchre exprimunt in vita ſua Horatianum illud:

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſque.

Cibum, qui perit.] Vilitatem cibi terreni indicat; quæ eſt rationis loco, cur tam ſtudioſe quærendus non ſit. Indignum eſt, hominem Deo ſacrum adeo perituris incumbere rebus. Ethnicum illud fuit: *Cum ſis mortalis, quæ ſunt mortalia cura.* Sed ſtultum admodum: cum ob id ipſum quia mortales ſumus immortalitas nobis quærenda ſit, &, ut Plinius Secundus ait, *dum vita ſuppetit, enitendum, ut mors quam pauciſſima, quæ abolere poſſit, inveniat.* Vocat autem Chriſtus cibum terrenum periturum, vel pereuntem: non ſolum quod uſu conſumatur ipſo, & natura corruptibilis ſit, nec duret in æternum, quodque aliquando ſit prorſus abolendus 1 Cor. 6. 13; ſed etiam quod non habeat vim conſervandi nos in æternum. Reficit ille quidem corpora noſtra & ſervat vitam noſtram, ſed non diu, ad breve tempus tantum: cito deficit ac perit vis ejus, & cum ea vita noſtra. Non poteſt cibus iſte dare nobis incorruptibilitatem, quia ipſe eſt corruptibilis. Effectus non poteſt eſſe cauſa ſua præſtantior: & nemo dat, quod non habet.

Sed cibum, qui permanet in vitam æternam.] Per hunc cibum intelligi cibum ſpiritualem, dubium non eſt: ſed quid per ſpiritualem cibum intellectum velit proprie Chriſtus, non ſatis liquet, & inter Interpretes variatur ſententiis. Alii voluntatem Dei intelligunt: quia Chriſtus dixerit alibi: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*, Joh. 4. 34. Alii doctrinam Euangelii: alii fidem: alii carnem Chriſti crucifixam: alii Chriſtum ipſum cibum appellari putant. Ego fidem potiſſimum hic intelligi exiſtimo, ſed ita, ut cætera ſimul comprehendantur. Itaque perinde mihi eſt, quodcunque horum ponatur, dummodo reliqua non excludantur, ſed includantur. Nam voluntas Dei in doctrina Euangelica continetur, & non alia eſt, quam ut fidem habeamus in Chriſtum, ut eum animo complectamur, utque carne ejus crucifixa, id eſt, morte ad vitam æternam reficiamur. Quiſquis igitur hanc voluntatem divinam facit: & quiſquis doctrinam hanc Euangelii penitus animo infixam gerit: & quiſquis viva fide credit in Chriſtum: & quiſquis morte Chriſti cruenta in ſpirituali vita ſua alitur, ac reficitur: is operatur cibum, qui permanet in vitam æternam. Hinc & Chriſtus inferius promiſcue iſta ponit, & modo fidem indicat eſſe id, quod operari debeamus verſ. 28, 29 modo ſeipſum, ſcilicet fide vera apprehenſum, appellat *panem vitæ*: ℣ſ. 35, 48, 51 modo carnem ſuam ℣ſ. 53, 54, 55, 56.

Qui permanet in vitam æternam.] Commendat hunc cibum ſpiritualem, & oſtendit, quanto ſit hic cibus illo cibo, quem turbæ maxime quærebant, præſtantior. Ille perit; hic permanet in vitam æternam. Dicitur autem permanere, per metonymiam effecti, quia eſt cauſa nobis permanendi in æternum, quia efficit, ut nos vitam æternam conſequamur. Eodem ſenſu dicit Propheta: *Verbum Domini manet in æternam*, Eſai. 40. 6. 1 Petr. 1. 24, 25. Idem Chriſtus hic docet alluſione ad cibum facta, quod ſupra docuit metaphora ſumpta ab aqua, Joh. 4. 13, 14. Ibi dicit de aqua terrena vilitatem ejus oſtendens: *Quiſquis bibit ex aqua iſta, ſitiet rurſus.* Hic ſimiliter cibi terreni vilitatem ponit ob oculos: *Operemini non cibum, qui perit.* Ibi cœleſtem aquam terrenæ opponens extollit eam: *Quiſquis autem biberit ex aqua illa, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed aqua illa, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hic extollit cibum cœleſtem ac ſpiritualem: *Sed operemini cibum, qui permanet in vitam æternam.* Ita Chriſtus pro variis occaſionibus variis utitur metaphoris & alluſionibus: unde mirum non eſt, quod interdum κακοζηλίαι & duræ locutiones exiſtant in verbis Chriſti. Comparationes enim pariunt ut plurimum tales locutiones, & gratiam eis conciliant, quæ alias extra comparationem inſuaves & abſonæ forent. Talis κακοζηλία eſt hoc Capite infra, cum Chriſtus ſe panem vocat vivum, qui de cœlo deſcendit; cum dicit, carnem ſuam eſſe verum cibum, eumque manducari jubet: de quo ſuo loco.

Quem Filius hominis dabit vobis.] Pronomen relativum in Græco ὅν. id eſt, *quam*, tam ad cibum ſeu eſcam, quam ad vitam æternam referri poteſt. Nec quicquam intereſt, ſive ad hanc, ſive ad illam

vocem

vocem referatur. Vulgatus Interpres ad cibum retulit: non male; quia de eo quærebatur. Poterant enim cogitare auditores Christi: Unde vero sumemus, aut petemus istum cibum? Respondet Christus: Filius hominis eum vobis dabit; intellige, si eum quæsieritis, si, ut jubeo, eum operari velitis. Sic etiam melius constat comparatio cum Mose, qui cibum dederat Israëlitis, de quo infra ℣. 31, 32. Favet denique huic sensui collatio hujus loci cum loco Joh. 4. 14, paulo ante citato. Ibi dicit bis: *Aqua, quam ego dabo.* Credibile igitur est, eum hic quoque loqui de cibo, *quem Filius hominis dabit.* Nec tamen absurde quidam relativum *quam* malunt connectere cum vita æterna, propter futurum *dabit:* quod magis proprie de vita æterna dicitur. Hanc enim Christus futuro demum tempore daturus est: cibum autem spiritualem etiam nunc dat. Hinc infra ℣. 32, dicitur in præsenti: *Pater meus dat vobis panem cœlestem illum verum.* Ex utroque sensu cernitur, quanta sit Filii istius hominis præstantia.

Hunc enim Pater obsignavit, ille Deus.] Ne quis miraretur, quod dixerat, Filium hominis dare posse sive cibum permanentem in vitam æternam, sive ipsam vitam æternam: subjicit rationem: quia eum Pater obsignavit. Impropriam esse hanc locutionem, facile intelligitur: sed quid sibi velit, non tam facile est dicere. Ideo locus hic misere torsit Interpretes: ut apud Maldonatum videre est. Simplicissimus videtur esse sensus, quod Christus velit indicare, Patrem sibi dedisse auctoritatem ac potestatem divinam, dato sibi Spiritu Sancto, quo miracula divinissima patrare poterat. Metaphora enim hic ducta est à diplomatibus, Regum ac Principum, quæ tum demum auctoritatem habent, quando sigillo Regio obsignata ac communita sunt. Ita Christus quoque habebat auctoritatem divinam, quia obsignatus erat sigillo Spiritus Sancti, quod patebat ex ingentibus ac innumeris, quæ edebat, miraculis. Spiritum Sanctum cum sigillo comparari in Sacris Literis notum est. Vide 1 Cor. 1. 21. Ephes. 1. 13. IV. 30. Si quis vero ipsa miracula putet hic sigillo vel obsignatione designari, perinde est. Potest enim res ita concipi, quod Spiritus Sanctus sit sigillum, seu instrumentum, quo signum imprimitur: miracula autem sint sigillum, seu signum ipsum instrumento impressum. Facit ad illustrationem hujus loci ille, qui est supra Joh. 3. 33, ubi idem verbum ἐσφράγισε, *obsignavit*, habetur: *Qui accipit testimonium ejus, obsignavit, Deum esse veracem*; id est, quasi sigillo impresso confirmavit ac testatus est.

Pater obsignavit, ille Deus.] Cur vero non tota Trinitas obsignavit? Atqui opera ad extra, ut ajunt, sunt communia toti Trinitati. Cur ergo hic solus Pater dicitur obsignasse? Nempe quia Pater solus est *ille Deus*, intellige summus, ut Christus ipse statim per oppositionem declarat. Notandum vero hunc totum sermonem Christi habitum esse in Synagoga Capernaumi, vers. 59.

Vers. 28. *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei?*] Intellexerunt Judæi, se à Christo abduci ab isto carnali opere ac labore, quo quærebant carnalem cibum, ad aliud opus ac laborem Deo gratiorem. Quærunt ergo: quodnam sit istud opus, quod ipsis faciendum sit. Et hoc quæsitum erat signum bonæ indolis: si modo ex puro cordis fonte promanasset. Talem quæstionem etiam Petri Auditores concione ejus permoti proponunt Apostolis: *Quid faciemus, viri fratres?* Actor. 2. 37.

Vers. 29. *Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit.*] Hic Christus directe ad eorum interrogationem respondet; quia de re necessaria interrogabant: non ut supra vers. 25, ubi eos Dominus directo responso non est dignatus. Clare satis explicat, quid supra vers. 27, intellexerit per cibum, quem illos operari jussit: nempe fidem in se tanquam in Messiam ac Legatum Dei. Duriuscula quidem est locutio, fidem cibum dici: sed hanc κατάχρησιν peperit comparatio, sumta ex occasione cibi. Elegans tamen est hæc κατάχρησις, & apta similitudo; quia sicut pane ac cibo alimur nutrimur & sustentamur, ita ut ille sit causa conservans nobis vitam temporariam: hoc modo & fides est nutrimentum animæ nostræ ac stabilimentum, estque causa afferens nobis vitam æternam. Notetur autem, alibi fidem ab operibus distingui; hic autem ipsam *opus* dici: quia nimirum non in nuda mentis speculatione, vel cognitione otiosa, aut illuminatione consistit, sed actuosa, & operosa esse debet, omniaque bona opera Euangelica in se complecti, & ex se parere. Hæc enim est viva, id est, vera & perfecta fides, de qua Jacobus cap. 2. 14 ad fin. Dicitur vero *opus Dei* fides, non quod eam Deus efficiat ac producat (quanquam & hoc suo sensu verum est, sed eo hic non respicitur) verum quod eam Deus præcipiat, à nobis requirat, eam nobis præscripserit, vel quod ipsi grata sit, ipsi placeat. Sermo enim est de operibus, quæ nos facere ac operari debemus: ut patet ex interrogatione Judæorum vers. 28. Simili sensu usurpat etiam Apostolus hanc phrasin *opus Domini*, 1 Cor. 15. 58, & 1 Cor. 16. 10. Ita etiam *sacrificia Dei* Psal. 51. 19 dicuntur.

Vers. 30. *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu signum facis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?*] Prior quæstio non malum redolebat animum: sed hic produnt carnalem sensum suum, quem Christus intus latentem, penetranti acie spiritus sui perspexit, nec frustra eis objecit adhuc antequam nudarent ingenium: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Præ se ferebant, se velle facere opera Dei: nunc cum ab eis requiritur, ut credant in Christum, ut eum pro Messia suscipiant, tergiversantur, & novum prius postulant miraculum, & quidem tale, quo ventres eorum iterum pascerentur. Quid vero est, dices, quod hic detrectent, eum pro Messia recipere, quem supra jam pro Messia agnoverant, cum dicerent: *Hic est vere Propheta ille qui venturus erat in mundum?* Hinc Regem eum constituere voluerunt, etiam invitum, ℣. 14, 15. Nempe hic patet, quam mobile, varium ac inconstans sit vulgi ingenium.

Quod petiit, spernit: repetit, quod nuper omisit: Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto. *Horat.*

Sed potest etiam responderi, in illa turba hominum, quæ quinque panibus à Christo cibata fuit, ut

ſemper fieri ſolet, fuiſſe alios probioris, alios deterioris ingenii. Qui probiores erant, dixerunt viſo miraculo, eum eſſe Prophetam illum, ſeu Meſſiam. Cæteri, quos ſolus venter impellebat ad ſequendum Chriſtum, ſunt iſti, qui hic cum Chriſto diſceptant, & credere in eum recuſant, niſi ita ſemper paſcantur.

Verſ. 31. *Patres noſtri manna manducaverunt in deſerto; ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare.*] Indicant, ſe non temere Moſi credidiſſe, eique adhærere, quia tam evidens miraculum ediderat, quod non uno die duravit, ſed per quadraginta annos. Tacite elevant & extenuant illud Chriſti miraculum, quo ſaturati erant: quod id ſemel tantum factum ſit, cum Moſes tam longo tempore in deſerto populum longe majorem, nempe ſexies centena millia virorum, quotidie paverit. Notatu dignum eſt, quod cum multa memoranda ſigna alia edita fuerint per Moſen (nam & decem plagis afflixit Ægyptum, & populum, diviſo mari, ſicco pede per ſundum ejus traduxit, & alia id genus patravit) illi tamen cæteris omnibus omiſſis, hoc potiſſimum in medium producant, quod faciebat ad farciendum ac ſaburrandum ventrem. Scilicet oratio eſt index animi. Ex abundantia cordis os loquitur. Carnalis erat eorum animus, ventris erant mancipia, nihil niſi ea, quibus repletur abdomen, ſpirabant: idcirco ab eis potiſſimum de cibo contexitur oratio. Irritaverat tantum gulam eorum Chriſtus, miraculoſe auctis panibus eos ſatiando: & ita miraculum, quod efficere debuiſſet, ne ſignum ullum amplius peterent, id maxime, ut peterent, effecit. Voluerunt enim ut Chriſtus ipſis ita ſemper cibum ſuppeditaret. Cum *manna* nominant, opponunt illud panibus hordeaceis & piſciculis illis, quibus eos Chriſtus paverat: quaſi dicat; Quid eſt tuus ille cibus, quem nobis præbuiſti? Longe melius fuit manna illud, quod ederunt patres noſtri in deſerto. Tam dulcis, tam delicatus, & palato gratus erat ille cibus, ut non fruſtra panis Angelorum ſit dictus. Vide Pſal. 78. 25. Vide etiam, quæ ad commendationem Mannæ dicantur Sapient. 16. 20, 21.

Sicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare.] Ne rem fictam ac fabuloſam videantur narrare, Scripturæ teſtimonio dicta ſua confirmant: ubi etiam Manna iſtud commendatur, dum panis ex cœlo datus, ſeu cœleſtis appellatur. Locus Scripturæ eſt Pſal. 78. 23, 24.

Verſ. 32. *Dixit ergo eis Jeſus: Amen amen dico vobis, non Moſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.*] Poteſt fieri, quod illi Moſen nominaverint, in ſua objectione, etſi Johannes eum non expreſſerit. Sed etiamſi non nominaſſent, vidit tamen ſine dubio Chriſtus, eos intra animum ſuum Moſen miraculi in Manna facti auctorem facere, & tacite illum ſibi opponere. Ideo negat Moſi illud miraculum eſſe adſcribendum: quia ne miniſter quidem, & inſtrumentaria cauſa fuit iſtius miraculi. Dudum viget iſte error inter Judæos, quod Moſi plus quam oportet, tribuant. Neſciunt homines tenere medium: ſemper laborant extremis; & affectibus abripiuntur ultra verum & æquum. Si quem oderunt ac vituperant, protinus ad tartara detrudunt: ſi quem laudant, & ſuſpiciunt, continuo tollunt in cœlum, & nimiis honoribus onerant magis, quam ornant. Simile quid in hodiernis Chriſtianis quoque cernitur, qui non contenti ea tribuere Chriſto, quæ ipſi in Sacra Scriptura tribuuntur, ex ſuo affectu ei aliquid amplius honoris conantur adjicere, eumque Patri coëſſentialem & ipſum Deum illum unum, quem ſolum Patrem eſſe Scriptura teſtatur, 1 Cor. 8. 6. Joh. 17. 3 faciunt. Quaſi vero Chriſto non ſatis abunde veri honoris ſit, ut vel ab hominibus aliquid ei adjici poſſit, vel ille falſo honore delectetur!

Falſus honor juvat, & mendax infamia terret,
Quem, niſi mendoſum, & mendacem? *Horat.*

Non Moſes dedit vobis.] Illi dixerant, Patres ſuos comediſſe manna. Chriſtus vero non reſpondet: Moſes non dedit patribus veſtris, ſed non dedit *vobis*. Quia nimirum ſignificaverant, ſe in patribus ſuis quodammodo manna illud comediſſe. Deinde ita loquitur Chriſtus, quia Judæi iſti cum patribus ſuis erant una natio, unum genus hominum. Ob eandem cauſam infra dicit Chriſtus: *Moſes dedit vobis Legem*; *Moſes dedit vobis circumciſionem*, Joh. 7. 19, 22.

Non dedit vobis panem de cœlo.] Prius negavit, Moſen dediſſe illum panem; nunc negat eum etiam vere ex cœlo eſſe. At quomodo, inquies, hoc negari poteſt: cum hoc non illi dixerint, ſed Scriptura ipſa, quam citarunt? Reſpondeo. Chriſtus non negat id eo ſenſu, quo Scriptura dicit: ſed negat eo ſenſu, quo illi intellexerunt. Illi credebant, panem illum datum eſſe ex cœlo ſupremo, quod eſt Dei ipſius ſedes: cum is tantum fuerit ex aëre ſublimi, qui etiam cœlum dicitur. Unde aves dicuntur volucres cœli, Matth. 6. 26. XIII. 32.

Sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.] Opponit Moſi Patrem ſuum, mannæ panem verum, cœlo illi aëreo cœlum ſummum & κατ' ἐξοχὴν ſic dictum. Negat tacite Manna fuiſſe panem verum: non quia natura ſua ros tantum proprie loquendo fuerit, non panis; ſed quia non ita præſtans, ita perfectus, & efficax fuerit, atque eſt panis iſte ſpiritualis, quem hic Chriſtus commendat. Non negat, eum panem fuiſſe, ſic enim eum ipſa Scriptura vocat: ſed tantum negat verum panem fuiſſe. Verum autem hic perfectum ſignificat, & opponitur imperfecto ac minus excellenti: ut alibi non ſemel. Vide Joh. 1. 9. XV. 1.

Dat vobis panem.] Dabat Deus Judæis ſpiritualem ac vere cœleſtem panem ac offerebat per Chriſtum, etiam hoc ipſo ſermone, quem Chriſtus cum eis habebat. Sed illi non accipiebant: ideo etiam effectu ipſo non dedit. Fidem ne Deus quidem ipſe dare efficaciter poteſt, niſi quis accipiat: id eſt, niſi Deo pareat, Deo ſe ſubjiciat, & voluntatem ſuam eo flectat, quo à Deo ducitur. Hinc dicit ipſe Deus: *Quis dabit populo huic talem mentem, ut timeant me?* Deut. 5. 29. Quaſi dicat: Ego non poſſum dare. Non quod non poſſit, ſi vellet vim adhibere: quis enim Dei poſſit reſiſtere omnipotentiæ? Sed quia ad id, ut quis Deum timore laudabili timeat, virtus

& pro-

& probitas animi & propria voluntas hominis requiritur. Si Deus vim irreſiſtibilem adhibeat, ſi cogat, jam nulla erit hominis virtus.

Verſ. 33. *Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo.*] Commendat magis magiſque hunc panem ſpiritualem. Manna dicebatur panis Angelorum: at hic eſt panis ipſius Dei: panis prorſus divinus. Manna non proprie de cœlo deſcendit, ſed tantum ex aëre: at hic panis vere de cœlo ipſo deſcendit. Manna dabat vitam temporariam per annos 40, uni populo iſraëlitico: at hic panis dat vitam æternam omnibus populis ac nationibus mundi. Dat, ſcilicet quantum in ſe eſt, ſeu dandi vim habet.

Verſ. 34. *Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper nobis da hunc panem.*] Perſtant illi nihilominus in ſuo carnali ſenſu. Perinde ut illius Samaritanæ mulieris cogitationes non poterant à materiali aqua abſtrahi ad ſpiritualem Joh. 4. 15, ita nec iſtorum ſenſus à cibo corporali. Tantum de ventre ſuo ſunt ſoliciti: quando audiunt cibum, aut panem nominari, tametſi addatur, cœleſtem, vel de cœlo deſcendentem, ſtatim putant eum ad ventrem pertinere, non ad mentem. Itaque perinde eſt, ac ſi dicerent; O Domine, hoc ipſum eſt, quod nos unice quærimus & optamus, ut habeamus ſemper, quod edamus abſque noſtro labore, ſicut habebant patres noſtri in deſerto panem valde eximium. Tu vero nobis promittis panem adhuc præſtantiorem. Si hunc tu nobis dare potes, ut eo ſemper fruamur, & ne pleno timeamus jejunia ventre, nos te ambabus ulnis ſuſcipiemus pro Meſſia ac Rege noſtro.

Verſ. 35. *Dixit eis Jeſus: Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam.*] Quia non intellexerant, de quali pane loqueretur, ſed exiſtimabant, de pane carnali agi: idcirco dicit clarius, quid per cœleſtem panem intelligat, nempe ſeipſum. *Ego ſum*, inquit, *ille panis vitæ*, de quo vobis loquor. Prius fidem vocavit cibum, qui permanet ad vitam æternam, ℣ſ. 29: nunc occaſione Mannæ, quam de cœlo datam dixerunt Judæi, ſeipſum appellat panem, oſtenditque, ſe eſſe verum Manna & perfectum panem cœleſtem, cujus typus tantum & umbra fuerat Manna. Res tamen eodem recidit. Nam Chriſtus non aliter eſt panis ac cibus noſter ſpiritualis, quam quatenus animo eum ac doctrinam ejus amplectimur, illi adhæremus, in eo cogitationes omnes ac mentem defigimus, ejus promiſſis paſcimur, & vegetamur, denique eum imitamur. Id vero nihil aliud eſt, quam in Chriſtum credere. Si durum eſt, dicere, Fides eſt cibus: multo durius eſt, dicere, Chriſtus eſt panis. Sed duritiem iſtam comparatio gignit, & excuſat. *Panis vitæ*, eſt panis vivificus, qui *dat vitam*, ut ſupra dixerat ℣ſ. 33, intellige æternam.

Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet unquam.] Idem eſt, venire ad Chriſtum, & credere in Chriſtum: ita ut poſterius ſit prioris exegeſis & declaratio. Non enim niſi per fidem ad Chriſtum venitur. Explicat etiam non obſcure, quomodo ipſe ſit panis noſter, ſeu cibus, quatenus nimirum in eum credimus. Quia vero ad ſuſtentandam vitam noſtram terrenam, non panis ſolum ac cibus requiritur, ſed etiam potus: ideo Chriſtus ſe etiam aquæ aſſimilat, ut oſtendat, quicquid ad vitam æternam requiritur, in ſe uno reperiri. Panis eſt, tollere eſuriem & famem; aquæ, tollere ſitim: & hac ratione panis & aqua dant vitam prorogantque homini. Ita & Chriſtus dat vitam æternam, auferendo omnem famem & ſitim. Dupliciter eſuries iſta ac ſitis intelligi poteſt: vel corporaliter vel ſpiritualiter. Utroque modo verum eſt, quod qui venit ad Chriſtum, non eſuriet, & qui credit in eum, non ſitiet. Spirituali modo à nobis Chriſtus aufert omnem eſuriem & ſitim, dum bonum illud ſummam beatæ immortalitatis, ad quod naturali ferimur inſtinctu, quodque unum omnia vota ac deſideria noſtra explere & animos noſtros tranquillos reddere poteſt, nobis confert. Corporalem vero etiam famem ac ſitim tunc à nobis auferet, cum nos in eum ſtatum & in eum locum deducet, ubi fideles ejus *non eſurient amplius, neque ſitient amplius, neque in eos cadet ſol, neque ullus æſtus: quoniam Agnus, qui eſt in medio throni, paſcet eos, & deducet eos ad vivos fontes aquarum, abſtergetque Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, Apocal. 7. 16, 17.

Verſ. 36. *Sed dixi vobis, quòd & vidiſtis me, & non creditis.*] Verba *dixi vobis*, vel ad mox ſequentia referri poſſunt, vel ad præcedentia. Si ad ſequentia referantur, quæſtio erit, quando & ubi hoc eis Chriſtus dixerit. Et totidem ſane verbis id eis dixiſſe nuſquam legimus, ſed ſi ſententiam, non verba ſpectes, dici poteſt id illis dixiſſe, cum reprehendit eos ℣ſ. 26, quod non tam ſignorum cauſa, quæ viderant, quam ventris paſcendi cauſa ipſum quærerent. Quodſi ad præcedentia referantur illa verba, *Sed dixi vobis*: duplex poterit eſſe ſenſus. Primo quaſi dicat; Sed ego hoc, quod ſim panis vitæ, quod qui in me credit, non eſuriet, nec ſitiet, dixi modo vobis, etiamſi vos viſis meis operibus non credatis. Mihi enim incumbit, meique eſt officii, hoc vobis dicere atque inculcare, ſive vos credatis, ſive non credatis. Alter ſenſus eſt, quaſi dicat; Ego me dixi eſſe panem vitæ, & ſic metaphorice atque improprie vobiſcum locutus ſum, propterea quia videntes non videtis, neque creditis. Indigni eſtis propter veſtram malitiam, ut aperte vobiſcum loquar. Jam optionem damus lectori, ut ex his tribus ſenſibus eligat, quemcunque voluerit. In primo è poſterioribus duobus ſenſibus, particula *quia* ſumitur pro *quamvis*; in altero retinet ſuam ſignificationem cauſalem. Indicat enim, cauſam à Chriſto reddi, cur appellaverit ſe panem, talique parabolico uſus ſit ſermone. Dixit autem Chriſtus, eos ſe vidiſſe, quia viderant opera ac miracula ejus, quæ demonſtrabant, quis eſſet. Non loquitur de viſu oculorum, ſed animi; & *videre* hic ſignificat cognoſcere.

Verſ. 37. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & venientem ad me, non ejiciam foras.*] Docuerat Chriſtus hactenus, in quem credere deberent, nempe in ſe, & cauſas credendi indicarat: quin & incredulitatem illis exprobraverat. Nunc tacite reddit cauſam, cur illi in ſe non credant: quia nimirum non ſint ipſi dati à Patre. Nam quicquic ei dat Pater, ad ipſum venit, id eſt, in ipſum credit: ut ſupra explicatum ℣ſ. 35. At hac ratione, inquies, Judæi

erunt

erunt extra culpam, & non accuſandi, ſed excuſandi erunt, cum tamen Chriſtus videatur eos accuſare voluiſſe. Quomodo enim illi venire ſeu credere poterant, ſi Pater eos non dabat? Sic certe culpa penes Patrem eſt, non penes Judæos. Imo vero omnis culpa eſt penes Judæos, & nulla prorſus penes Patrem. Pater enim dabat eos Chriſto, ſed illi ſe non patiebantur dare, & reluctabantur Patri ſe danti. Itaque actu ipſo & effectu ipſo dati non ſunt à Deo. Neminem enim Deus dat, niſi volentem, niſi ſibi obſequentem. Tales vero illi non erant: ergo ſua culpa à Deo dati non ſunt. Vide ſupra, quæ diximus ad verſ. 32 de illis verbis, *Pater dat vobis panem verum.* Notandum eſt, phraſibus iſtis Scripturæ, *datum eſſe à Deo, audire à Deo, diſcere* vel *doceri à Deo, eſſe ex Deo, natum eſſe ex Deo* & ſimilibus, nihil aliud, quam probitatem animi ſignificari. Notetur etiam neutrum hic pro maſculino ſumi. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, id eſt, omnes quos dat mihi Pater, ad me venient. Vide ſimilia loca, Matth. 18. 18. 1 Corinth. 1. 27, 28. Apocal. 21. 27. Infra verſ. 39.

Et venientem ad me, non ejiciam foras.] Oſtendit, voluntatem ſuam non eſſe diverſam à Patris ſui voluntate, ſe unum idemque cum eo ſpirare: ut quemadmodum per Patrem non ſtat, quominus omnes homines ſerventur, ita nec per ſe ſtare; & ſi qui pereant, culpam neque in Patre, neque in ſe eſſe. Pater dat omnes Filio, miraculis confirmando ejus doctrinam, & ſic ſufficientes cauſas eis ad credendum præbendo. Filius vero neminem in ſe credere volentem rejicit, ſed ſuſcipit omnes, cujuſcunque ſint ſtatus, conditionis, ætatis, ac ſexus. Dat autem Pater homines Chriſto, tanquam Magiſtro perfectiſſimo, erudiendos, & in veritate ac pietate perficiendos. Ut quis fiat diſcipulis Chriſti, non prærequiritur jam perfecta ſanctitas, ſed requiritur ſolum animus probus ac docilis ad virtutem pronus atque idoneus: velut ad ſcholam ſi quis veniat, non opus eſt, ut jam ſit doctus, ſed tantum, ut velit diſcere, ut literas amet, ut docilem gerat animum. Talem animum ſi quis etiam ad Chriſti ſcholam afferat, is paulatim per doctrinam ejus evadet in virum Dei perfectum, ad omne bonum opus inſtructiſſimum.

Verſ. 38. *Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.*] Redditur hic à Chriſto ratio, cur neminem ad ſe venientem ſit rejecturus, quia hæc ſit voluntas Patris, à quo miſſus eſt, ut nemo veniens ad eum, ſeu in eum credens, rejiciatur ac perdatur, ſed ut omnes credentes ſerventur: ipſe autem hunc in finem venerit, ac de cælo deſcenderit mandatis à Patre acceptis, ut Patris, & non ſuam voluntatem exequeretur. Quomodo Chriſtus de cœlo deſcenderit, vide explicatum ſupra ad cap. 3. 13, ubi etiam Chriſtus prius ſe aſcendiſſe docet in cœlum, quam inde deſcenderet. Loquitur enim ibi de Filio hominis, qui cum in terra natus ſit, de cœlo certe deſcendere nequit, ni prius aſcenderit. Qui Chriſtum Deum ſummum eſſe ſomniant, ac proinde in cœlo fuiſſe ſtatuunt, antequam ex Maria Virgine naſceretur, (ideo enim de cœlo deſcendiſſe credunt, ut naſceretur) dicant primum; quomodo Deus ſummus de cœlo deſcendere poſſit, cum infinita ejus eſſentia ac perſona, ex illorum ſententia, ſit ubique? dicant ſecundo: quomodo Deus ſummus à quoquam mitti poſſit, & eſſe alterius alicujus legatus, qui mandata & præcepta ad exequendum à mittente accipiat? dicant tertio: quomodo Deus ſummus potuerit venire & de cœlo deſcendere, ut non faceret ſuam voluntatem, ſed alterius alicujus? Secundum humanam naturam, inquient. Atqui humanam naturam nondum habuit, ſecundum ipſos, cum deſcenderet, quia ideo deſcendiſſe volunt, ut humanam naturam aſſumeret. Non poteſt ergo, niſi de divina natura hic locus accipi. Sed quia ita loqui de Deo ſummo, quatenus naturam divinam habet, abſurdum eſt, neceſſario fatendum eſt, Chriſtum Deum ſummum non eſſe, & ſermonem hic eſſe de deſcenſu Chriſti è cœlo, poſt nativitatem ejus ex Maria Virgine.

Verſ. 39. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in ultimo die.*] Hic continetur ſumma totius religionis Chriſtianæ; idcirco eam iterum repetit & inculcat verſu mox ſequenti. Exprimitur enim hic perfectiſſima Dei voluntas, quæ fuit abſcondita à condito mundo, & revelata eſt hiſce temporibus noviſſimis per Chriſti Euangelium: eaque concernit ſalutem totius generis humani. Nam in eo ſita eſt hæc voluntas, quod Deus velit, ne quiſquam eorum, qui in Chriſtum credunt, pereat, ſed omnes per Chriſtum vitæ æternæ participes efficiantur. Expreſſa in his verbis eſt primo cauſa principalis ſalutis noſtræ, nempe Pater & ejus voluntas. Mirum hic iterum eſt, cur ſoli Patri tribuatur hæc voluntas, & non omnibus tribus perſonis: Nonne hoc evidens indicium eſt prærogativæ Patris præ omnibus perſonis? Dum etiam voluntati Patris ac beneplacito ejus attribuitur noſtra ſalus, indicatur, nihil extra Deum fuiſſe, non ullum meritum, ſive noſtrum, ſive alienum, quod eum movere potuerit ad nos ſervandos. Ipſius benigna voluntas eſt unica cauſa tanti boni. Hinc gratia ſervati eſſe non ſemel dicimur, Epheſ. 2. 5, 8, & vita æterna dicitur donum Dei, Rom. 6. 23. Secundo expreſſa eſt hoc loco cauſa ſecunda ſeu media, per quam nos Deus ſervare vult: & hæc eſt Chriſtus. Ait enim: Hæc eſt voluntas Patris, ut ego non perdam, ut ego ſuſcitem eum &c. Tertio expreſſum eſt medium, quo ſervari debemus: illud vero eſt fides in Chriſtum. Quarto denique expreſſa eſt ipſa ſalus, quæ in eo conſiſtit, ut non perdamur, ut habeamus vitam æternam, ut ſuſcitemur ex mortuis à Chriſto in die ultimo.

Ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.] Hebraicus idiotiſmus: pro, ne quicquam ex eo, quod dedit mihi, perdam. *Quod dedit mihi*, intellige cum effectu: ac proinde hac phraſi intelliguntur vere credentes; ut ſequenti commate explicatur. *Non perdam*, eſt hic idem quod ſupra, *non ejiciam foras* ℣. 37, & quod infra ℣. 40, *habebit vitam æternam.*

Verſ. 40. *Hæc autem eſt voluntas ejus, qui me miſit, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & reſuſcitabo eum in ultimo die.*]

Δὶς κὰὶ τρὶς τὰὐτὰ καλά: ajunt Græci. Bona ſive pulchra bis aut ter repetenda ſunt: quanto magis neceſſaria? Quid autem melius, quid pulchrius, quid magis neceſſarium, quam eſt negotium ſalutis noſtræ? Non fruſtra igitur ſummam ejus Chriſtus non contentus ſemel expreſſiſſe, eam denuo proponit, ut eam animis noſtris fortius imprimat. Non prorſus autem eadem verba repetit, ſed nonnulla immutat illuſtrationis gratia. 1. Quod prius neutro genere dixerat, hoc nunc effert genere maſculino. Ibi enim dixit: *Omne quod dedit mihi.* Hic dicit: *Omnis qui videt Filium.* 2. Iſtis verbis, *Quod dedit mihi*, quid ſibi velit, explicat, cum loco eorum hæc reponit: *Ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum.* Hi nimirum ſunt effectu ipſo dati Chriſto à Patre, qui vident eum, & credunt in eum. 3. Pro illis verbis, *Ut non perdam ex eo*, quæ prius poſuerat; nunc iſta ſubſtituit, quæ clariora ſunt: *Ut habeat vitam æternam.* Oſtendit, fideles non ſolum evaſuros exitium & perditionem, id eſt, ſummum malum, ſed etiam conſecuturos ſummum bonum, id eſt, vitam æternam.

Qui videt Filium, & credit in eum.] Non ſatis habuit fidei meminiſſe, ſed poſuit etiam cauſam fidei. Videre enim Filium eſt cauſa credendi in ipſum. Ut quis ſervetur, neceſſe eſt, ut credat in Filium: ut credere poſſit, neceſſe eſt, ut videat eum. Videndus autem eſt Chriſtus animi oculis, non corporis, id eſt, cognoſcenda ejus doctrina, ejus officium diviniſſimum, ejus præſtantia atque ſublimis dignitas, in quam à Deo evectus eſt. Sine harum rerum cognitione, in Chriſtum credi non poteſt. Videre igitur hic idem eſt, quod cognoſcere. Sic Chriſtus & Deus à nobis in hac mortalitate videtur. Confer Hebr. 2. 9. 3 Joh. 2, & infra Joh. 14. 17.

Et ego reſuſcitabo eum in ultimo die.] Hoc addit, ne quis putet, mortem fidelium obſtituram, quominus conſequantur vitam æternam. Ait igitur: Etiamſi moriantur, non tamen peribunt; nam ego eos ſuſcitabo ex mortuis. Si daretur aditus ad vitam æternam ante ultimum diem, & ante reſurrectionem; uti hodie Chriſtianorum maxima pars ſentit, animas piorum ſtatim poſt mortem frui conſpectu Dei & gaudiis cœleſtibus; quid opus fuiſſet Chriſto hic mentione reſurrectionis, & ultimi diei? Potuiſſet abſque harum rerum mentione ad iſtam tacitam, cui hic occurrere voluit, objectionem reſpondere. Objectio erat talis: Quomodo tu dicis, eum qui credit in te, habiturum vitam æternam; cum etiam fideles moriantur? Ad hoc reſpondere potuiſſet Chriſtus ſententia vulgari de animabus poſita: Quid tum? etiamſi moriantur? animæ tamen eorum vivunt in cœlis. Sed videmus Chriſtum hac reſponſione non fuiſſe uſum; & non tantum hic, ſed nec uſquam alibi in Scriptura fieri talis beati ſtatus animarum mentionem, ſed adverſus mortem unicum ſolatium piis ac fidelibus proponi reſurrectionem ex mortuis, & quidem in die ultimo judicii. Vide inter alia infra hoc cap. verſ. 44 54. 1 Theſſ. 4. 13, 14. 1 Cor. 15, per totum Caput. 2 Tim. 4. 6, 8. Luc. 14. 14. Joh. 11. 24, 25. 1 Petr. 1. 5. conf. cum 7 & 9. Inde apparet, nihil veri ſubeſſe iſti vulgari de animabus ſententiæ, & non aliam eſſe iſtius commemoratæ objectionis ſolutionem, quam hanc, qua Chriſtus utitur de reſurrectione. Indicat enim, niſi fideles mortuos ipſe reſuſcitet, eos eſſe perituros, nec vitam æternam habere poſſe.

Verſ. 41. *Murmurabant ergo Judæi, quia dixerat: Ego ſum panis ille, qui de cœlo deſcendit.*] Subinde ruunt in deterius iſti Judæi. Placuerat illis initio Chriſtus, quod jejunos eorum impleſſet ventres, & panibus exſaturaſſet; ideo eum per mare, per terras ſecuti ſunt. Sperabant, ſe ſimili convivio ſæpius exceptum iri: & hoc non obſcure auſi ſunt poſtulare, adducto patrum ſuorum exemplo, qui in deſerto non ſerentes, non laborantes, aliti ſunt per annos 40, pane non è terra ſumpto, ſed cœlitus delapſo. Cumque Chriſtus meliorem panem & excellentiorem illis promitteret, qui vere cœleſtis eſſet, parabant dentes ſuos, exiſtimantes adhuc, eum de pane loqui corporeo. Sed poſteaquam Chriſtus declaravit, ſe eſſe iſtum panem, qui de cœlo deſcenderit, videntes hoc ad ventrem ſuum nihil facere, atque adeo ademptam ſibi ſpem paſtus corporalis, quem unice quærebant, indignantur, & pene in convitia & calumniam erumpunt. Nam & generis humilitatem illi & propemodum mendacium verbis ejus objectant: ut poſtea videbimus. Videmus autem eſſe antiquum morem Judæorum, ut murmurent, & quidem propter cibum: ita ut iſti Judæi videantur quaſi hæreditatem à majoribus ſuis murmurationem accepiſſe, qui etiam in deſerto olim, nunc propter cibum, nunc propter potum ſæpius murmurarunt. Itaque non fruſtra Apoſtolus monuit Corinthios, & in eorum perſona nos omnes: *Ne murmurate, ſicut quidam eorum murmurarunt, & perierunt ab exterminatore*, 1 Cor. 10. 10. Degeneris & perverſi ingenii eſt, id quod non intelligas, carpere, & Theonino dente arrodere. Si iſtis probus ac docilis fuiſſet animus, non murmurare, ſed modeſte interrogare, & quod neſciebant, diſcere debuiſſent.

Verſ. 42. *Et dicebant: Nonne hic eſt filius Joſephi, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit hic, deſcendi de cœlo?*] Exprimitur his verbis ſumma murmurationis Judæorum. Videntur non tam murmuraſſe propterea, quod ſe panem appellaſſet, quam quod ſe de cœlo deſcendiſſe dixiſſet. Hoc non poſſunt concoquere, quomodo homo iſte, qui in terris natus ſit, cujus parentes & natales noverant, potuerit de cœlo deſcendere. Quaſi adeo impoſſibile ſit Deo, ut hominem in terris genitum aſſumat in cœlum, & poſtea inde in terras mittat cum mandatis! Certe Eliam ſciebant in cœlum eſſe aſſumptum, & rurſus ſperabant inde deſcenſurum. Simile quid etiam Chriſto contigiſſe, poterant facile Chriſto aſſerenti credere, qui tot diviniſſimis miraculis conciliabat dictis ſuis fidem. Quid vero mirum eſt, Judæos illos infideles non potuiſſe capere, quomodo homo Jeſus Chriſtus potuerit de cœlo deſcendere; cum id etiam Chriſtiani multi hodie non capiant, nec Chriſto toties id de ſe affirmanti fidem adjungant? Ecquid vero cauſæ eſt, cur id credere nolint? An id putant eſſe ex earum rerum numero, quæ fieri non poſſunt? At rem hanc non eſſe impoſſibilem, Chriſtianis documento eſſe poteſt exemplum Pauli Apoſtoli, qui ſe in tertium cœlum

atque

atque adeo in paradiſum raptum fuiſſe non obſcure teſtatur 2 Cor. 12. 2,3,4. An dicent, non dubitare ſe de rei poſſibilitate, ſed de re ipſa, an facta ſit? Sed quomodo rem factam eſſe dubitare poſſunt Chriſtiani, cum eam factam eſſe audiant ex ore Domini ipſius, quod omnis doli expers eſt. Figurate, inquient, intelligenda ſunt verba Chriſti. Quamobrem vero? Legitima ſane veræ interpretationis methodus nos docet, tum demum à proprietate verborum diſcedendum & ad figuras recurrendum eſſe, quando verba propter impoſſibilitatem vel abſurditatem rei proprie intelligi nequeunt. Atqui hic nullam eſſe rei impoſſibilitatem, modo oſtendimus. Ut igitur verborum Chriſti proprietas retineatur æquum eſt. Sed hæc velut in tranſcurſu.

Nonne hic eſt filius Joſephi?] Hæc erat vulgaris de Chriſto opinio, eum Joſepho natum fuiſſe. Vide Luc. 3. 23. Latebat homines divina Chriſti ex Spiritu Sancto conceptio: quam nobis deſcripſerunt Euangeliſtæ noſtri Matth. 1. 18, & Luc. 1. 35. Voluit autem Deus latere aliquandiu hanc natalium Chriſti dignitatem atque excellentiam divinam, & Chriſtum exiſtimari eſſe Joſephi filium, ut haberent perverſi atque improbi ingenii homines, quo in Chriſto ſcandaliſarentur. Probis hæc credita ortus Chriſti vilitas nihil nocebat, neque ad fidem in Chriſtum obſtabat: ſed hominibus carni ac mundo deditis, & qualem cunque prætextum vitiis ſuis atque integumentum quærentibus illa fuit petra ſcandali ac lapis offenſionis. Ita nimirum voluit Deus impleri illud Prophetæ: *Rectæ ſunt viæ Domini, juſti ambulabunt in eis, prævaricatores autem impingent in eis*, Oſeæ 14. 10.

Quomodo ergo dicit hic, Deſcendi de cœlo?] Quaſi dicat: Non eſt verum, quod dicit; & ſic Chriſtum mendacii inſimulant.

Verſ. 43. *Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Ne murmurate inter vos.*] Tametſi non ad Chriſtum directus fuerit murmurantium ſermo, ſed inter ſe tantum de Chriſto muſſitarint, ille tamen directe ad eos convertit ſermonem, oſtenditque eos non habere ullam juſtam murmurandi & offendendi cauſam.

Verſ. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum; & ego reſuſcitabo eum in ultimo die.*] Quaſi dicat: Offendit vos externa carnis meæ vilitas, & ex Joſepho ortus. At primum ſcire debetis me alium, quam Joſephum habere Patrem, qui me miſit. Deinde non hæc eſt vera cauſa, quod in me credere nolitis, quicquid vos prætendatis: ſed vera cauſa, quæ in vobis latet, eſt animi veſtri perverſitas, quod ſitis toti carnales & ſeculo huic addicti. Hæc eſt cauſa, quod vos nihil moveant ampliſſima Patris mei promiſſa, quæ ex me auditis, nec diviniſſima ejus miracula, quæ in me videtis. Hæ quippe ſunt catenæ, hi funes, quibus Pater ad me trahit homines: quibus niſi quis ſe trahi patiatur, nunquam ad me veniet, nunquam in me credet. Tractio hic non intelligitur ulla violenta, aut irreſiſtibilis: ſic enim nulla virtus eſſet ejus, qui trahitur, & nulla culpa ejus, qui non trahitur. Judæi certe hic Domino reſpondere potuiſſent: Noli mirari, nec ægre ferre, quod in te non credamus, quod ad te non veniamus. Ipſe enim agnoſcis, neminem poſſe venire ad te, niſi à Patre tuo trahatur. Nos ad te non venimus, quia à Patre non trahimur. Si ille nos vi cogente, cui reſiſti nequit, traheret, utique ad te veniremus. Sed cum id ille non faciat, nos in culpa non ſumus. Hæc ſane Judæorum optima & irrefutabilis eſſet excuſatio. Quare ſtatuendum omnino eſt, tractionem iſtam Patris fieri tali modo, & talibus mediis, quibus, ſi quis velit eſſe improbus, poſſit reſiſtere; quibus trahitur, qui vult, & qui non vult, non trahitur. Trahit Deus homines, ut homines, id eſt, rationibus ac perſuaſionibus, non vi ut boves aut truncos. Hinc Oſeæ 11. 4, dicit Deus ſe *tracturum* populum ſuum *funiculis humanis*, quibus ſcilicet homines rationes trahi ſolent, id eſt, amore ac benignitate, & *vinculis dilectionis*, ut mox explicans addit. Sic igitur merito accuſat Chriſtus Judæos quod non venirent ad eum, quia quod non traherentur à Deo, ipſorum erat culpa; ipſi non paſſi ſunt ſe trahi; reſtiterunt Deo ſe trahenti; idque faciebat carnalis & à pietate averſus eorum animus. *Trahi à Patre* hoc loco nihil aliud eſt, quam *dari à Deo*: quod quid ſit ſupra diximus ad ℣. 37. Vide etiam infra verſ. 65. Chriſtus inferius Joh. 12. 32 inquit: *Ego ubi exaltatus fuero è terra, omnes traham ad me.* Et tamen videmus, non omnes homines poſt Chriſti exaltationem eſſe ad religionem Chriſtianam attractos. Traxit quidem Chriſtus omnes: ſed non omnes ſe attrahi paſſi ſunt: quia non omnes erant probo & ſequaci ingenio. Itaque perinde eſt, atque ſi diceret Chriſtus: Dabo omnibus ſufficientes cauſas, & occaſiones, ut quicunque voluerint, in me credere poſſint; & nemo maneat infidelis, niſi qui plane eſt improbus.

Verſ. 45. *Scriptum eſt in Prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audivit à Patre, & didicit, venit ad me.*] Confirmat Chriſtus, quod dixerat, teſtimonio Scripturæ. Eſt autem in verbis Chriſti enallage numeri, cum dicit, ſcriptum eſſe in Prophetis, id eſt, apud Prophetas, quod apud ſolum Eſaiam ſcriptum legitur cap. 54. 13. Sic Hebræi dicunt, *Sepultus in urbibus Galaad*, id eſt, in una aliqua urbium Galaad. Et *pullus aſinarum* dicitur, pro unius alicujus aſinæ. Vide Judic. 15. 16. Vel etiam dici poteſt, Chriſtum ideo ſic locutum, quia Hebræi Vetus Teſtamentum in tres ordines diviſerant, in Legem, Prophetas, & Hagiographa. Citat ergo Chriſtus indefinite ſecundam illam ſectionem Veteris Teſtamenti, cujus pars eſt Eſaias.

Et erunt omnes docti à Deo.] Gr. διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, id eſt, *docti Dei*. Genitivus *Dei* poteſt denotare cauſam efficientem, ut idem ſit doctus Dei, quod doctus à Deo. Sicut Eſai. 53. 4, *percuſſus Dei*, eſt percuſſus à Deo: & Matth. 25. 34, *benedicti Patris*, ſunt benedicti à patre. Sed poteſt etiam hic genitivus *Dei* notare objectum: ut doctus Dei dicatur, qui eſt doctus de Deo, vel in rebus Dei; quo pacto dicimus aliquem eſſe doctum aleæ, Muſicæ, linguæ Latinæ &c. non ſignificantes, eum ab alea, vel Muſica, vel à lingua Latina aliquid didiciſſe, ſed eum has ipſas res didiciſſe, & in eis exercitatum eſſe. Sic ergo doctus Dei intelligetur is, qui de rebus divinis, de voluntate Dei bene inſtitutus eſt, & in Lege Dei probe

probe eſt verſatus. Qui ſenſus confirmatur loco 1 Theſſal. 4. 9, ubi inquit Apoſtolus: *De fraterna charitate non habetis neceſſe, ut ſcribam vobis. Ipſi enim vos θεοδίδακτοι*, id eſt, docti Dei *eſtis, ut diligatis alii alios.* Uno verbo Græco ibi Apoſtolus extulit, quod hic Chriſtus duobus. Sed ſenſus idem eſt. Hoc enim ſibi vult Apoſtolus, Theſſalonicenſes tam bene inſtructos atque eruditos eſſe de Deo, deque ejus voluntate per Chriſtum patefacta in Euangelio, ut de eo, quod diligere debeant alii alios, non opus haberent ab Apoſtolo doceri. Ponitur autem in Prophetæ verbis effectus pro efficacia. Docti ſunt omnes Dei, ſive id, à Deo, ſive de Deo intelligas, quatenus homines habent ſufficientes occaſiones & media ad Deum cognoſcendum & amandum. Nota, idem hic eſſe, doctum eſſe Dei, quod *trahi à Patre.* Confirmaturus enim Chriſtus, ſuum ſermonem Scripturæ dicto, citat verba prophetæ quibus non tota ſententia, ſed pars tantum ejus illa de tractione Patris probatur. Non enim in his Prophetæ verbis dicitur, neminem ad Chriſtum venire poſſe, niſi Pater eum traxerit: ſed hoc tantum dicitur, fore, ut omnes ſint docti Dei. Itaque niſi doctum eſſe à Deo idem eſſet, quod eſt trahi à Patre, Chriſtus malè hoc Prophetæ teſtimonio ſuam de tractione Patris aſſertionem probaſſet. Quid autem ſit trahi à Patre, & quomodo homines trahantur, explicavimus ſuperius.

Sunt qui ex his verbis, & aliis nonnullis Scripturæ locis, colligant, ad id ut quis in Chriſtum credat, opus eſſe, ut à Deo immediate per inſpirationem, & illuminationem Spiritus Sancti, quam Verbum Dei internum vocant, doceatur: atque hunc eſſe ordinarium credunt modum, quo Deus homines convertat. Sed nihil tale ex his verbis Prophetæ à Chriſto allegatis jure colligi poſſe patet ex noſtra verborum interpretatione: præſertim ſi *docti Dei* pro doctis de Deo accipiantur, ut accipi poſſe oſtendimus. Verum etiamſi *docti Dei* ſignificent docti à Deo; non tamen mox ſequitur, eos immediate à Deo doceri, & per internam inſpirationem. Nam à Deo docentur etiam, qui per Magiſtrum aliquem à Deo miſſum docentur, qui per Legem Dei ſcriptam docentur, Pſal. 119. 99, 102, & qui per contemplationem rerum creatarum docentur Pſal. 19. 1, 2, & qui per judicia Dei ac ſimilia media docentur Eſai. 26. 9. Quod autem dicunt hoc verbum Dei internum eſſe ordinarium converſionis humanæ medium, id ipſa praxi tam ſub Veteri, quam ſub Novo Fœdere refutatur. Nam ſub Veteri Fœdere ordinarium medium Deum adhibuiſſe verbum externum per Moſen & Prophetas primo prædicatum, poſtea ſcriptum: ſub Novo quoque ſimiliter externum verbum per Chriſtum & Apoſtolos ad convertendos homines adhibitum eſſe, nemini ignotum eſt. Hinc Apoſtolus ait, *fidem eſſe ex auditu, auditum autem per verbum Dei*, nempe prædicatum: Rom. 10. 17, nam de prædicatione ibi ſermo eſt, ne quis de verbo Dei interno, & de auditione interna Apoſtolum loqui ſuſpicetur. Nihil autem opus eſſet, externo Dei verbo, ſi iſtorum hominum vera eſſet de interno verbo Dei ſententia: inutilis quoque Sacra Scriptura foret; nam & hæc externum tantum Dei verbum eſt. Hinc etiam iſti homines ſatis profane de Sacra Scriptura loquuntur, appellantes eam literam mortuam, Scripturam atramentariam, nudum corticem, inanem thecam, ſyllabas inefficaces, & neſcio quibus non aliis infamibus titulis eam dehoneſtantes ac depreciantes: quo ipſo ſatis indicant, quam inutilis ſit Sacra Scriptura, quando datur aliud verbum Dei, quod in hominum mentibus ſcribitur. At non ita Paulus Apoſtolus de Sacra Scriptura loquitur 2 Tim. 3. 16. *Omnis Scriptura*, inquit, à *Deo inſpirata eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Fallunturque vehementer iſti, cum ut lucum ligna, ita Sacram Scripturam nil niſi literas & ſyllabas nudas aut verba inania eſſe putant. Sic enim Deus nobis revera tantum verba dediſſet. Eſt in iſtis verbis, literis ac ſyllabis ſenſus divinus, eſt vis tanta, ut cum verba leguntur, audiuntur, ac intelliguntur, animum afficiant, penetrent ac moveant. Hinc de prædicato verbo Dei Euangelico ait Petrus, id eſſe ſemen Dei vivum, ex quo regeneremur 1 Petr. 1. 23. 25. Sed de his alias.

Quiſquis ergo audivit a Patre & didicit, venit ad me.] Relata ſunt, docere & audire ac diſcere. Ergo mutuo ſe ponunt. Cur igitur cum dictum ſit, omnes doceri à Deo, non omnes tamen effectu ipſo audiunt & diſcunt? Inde nimirum patet, homines non irreſiſtibiliter à Deo doceri, ſed ita, ut ſuppeditentur eis cauſæ ac media idonea ad diſcendum. Patet itidem hinc homines non doceri immediate per inſpirationem; nam qui ſic docentur, irreſiſtibiliter docentur. Poteſt autem iſtud *docere* Dei, & *audire ac diſcere* hominum, vel ad Legem Dei veterem, vel ad Euangelium ac doctrinam Chriſti referri. Priori modo ſenſus erit: Efficiet Deus quantum in ſe eſt, ut omnes, intellige Iſraëlitæ (de iis enim Propheta inprimis loquitur) per Legem ipſius ita ſint exculti, ut divinæ voluntati in omnibus prompto animo obtemperent. Quicunque igitur talem & tam promptum gerunt animum, qui ita Legem divinam audiverunt, ut eam in animum ſuum demiſerint, & ex ea obediendi Deo in omnibus promptitudinem didicerint, illi ad me veniunt. Poſteriori modo ſic erunt verba intelligenda; quod Deus docturus ſit omnes homines per Meſſiam, id eſt, tam clare & evidenter voluntatem ſuam eis propoſiturus, & tam ſtupendis miraculis eam confirmaturus, ut nemo niſi plane perverſus ac impius, ſit reluctaturus tantæ evidentiæ, confer Jerem. 31. 31. Hebr. 8. 8. & ſeqq. Quicunque igitur, inquit Chriſtus, probum & non impium gerens animum, audiverit Patrem per Filium loquentem in Euangelio, & diſcere voluerit, talis illico ad me veniet & accurret, non reluctabitur dictis meis, nec contumaciam ullam eis opponet.

Verſ. 46. *Non quod Patrem quis viderit, niſi qui eſt a Deo, hic vidit Patrem.*] Occurrit tacitæ objectioni, ne dicerent Judæi: Quomodo poſſumus audire à Patre & diſcere, cum eum nunquam viderimus? An ille ſe alicubi viſibilem præbet, ut eum audire & ab eo doceri poſſimus? Reſpondet Chriſtus: Non hoc mihi volo, cum de auditione Patris & de doctione ejus loquor, quod is corporaliter ac

viſibiliter quenquam doceat. Deum enim nemo mortalium corporeis oculis conſpexit unquam. Vide Joh. 1. 18, & quæ ad hunc locum dicta ſunt. Uni tantum Filio unigenito contigit hæc gratia, ut Deum oculis ſuis in cœlis viderit, & inde ab eo cum mandatis deſcenderit. Itaque oſtendit Chriſtus, à ſe illis diſcendam eſſe voluntatem Patris, & proinde eum, quicunque habeat animum promptum ac paratum ad audiendum atque diſcendum à Patre, ad ſe venire debere.

Verſ. 47. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.*] Poſtquam ad auditorum ſuorum murmurationem reſpondit, fontemque incredulitatis eorum ipſis monſtravit, redit ad inſtitutum ſuperius à ſe ſermonem, & repetit quod dixerat ℣. 40, eum qui credit in ſe habiturum vitam æternam; ſed repetit id cum aſſeveratione: *Amen amen dico vobis*, quaſi dicat; Dicatis vos & ſentiatis de me, quicquid velitis, hoc tamen pro certo vobis affirmo, à me ſolo & per fidem in me vitam æternam obtineri poſſe.

Habet vitam æternam.] Præſens pro futuro ponitur. *Habet* pro habebit. Quanquam etiam in præſenti fideles Chriſti adhuc in hoc ſeculo habent vitam æternam ſuo modo, quatenus jus habent plenum, & ſpem certam vitæ æternæ. Hinc dicitur ipſorum eſſe (non futurum demum) regnum cœlorum: dicuntur jam gratia ſervati, (non ſervandi) jam cum Chriſto vivificati, reſuſcitati, cum eo regnare ac ſedere in cœlis: Epheſ. 2. 5,6, dicuntur *habere apud ſeipſos meliorem poſſeſſionem in cœlis & permanentem*, Hebr. 10. 34. Mira locutio: Habetis, inquit Auctor divinus, *in cœlis* poſſeſſionem; & tamen, *apud voſmetipſos.* Sed tamen veriſſima eſt iſta locutio: nam ita loquitur Auctor, propter certitudinem conferendæ nobis vitæ æternæ, ad quam hic plenum jus & inviolabile pii Chriſtiani habent ita, ut ea excidere nequeant, dum tales ſunt ac manent.

Verſ. 48. *Ego ſum panis vitæ.*] Inculcat rurſus ſuperiorem ſententiam, & perſtat in ſemel cæpta allegoria. Vide quæ diximus ſuperius ad ℣. 35. Quibus nunc addo cum Chriſtus ſe panem vitæ vocat, eum nihil aliud ſibi velle, quam ſe eſſe verum Meſſiam. Quod idem ſignificatur, cum eum Johannes Euangeliſta vocavit *Sermonem* Johannes Baptiſta *Agnum Dei*, cum ipſe Chriſtus ſe vocat alibi *lucem mundi*, *oſtium ovium*, *paſtorem bonum*, *veram vitem*, &c. Hæc enim omnia eodem recidunt. Pro varia occaſione Chriſtus rem eandem diverſis verbis protulit. Deinde notandum, Chriſtum ſe hic appellare panem, & quidem vitæ, nempe æternæ, ut indicet neceſſitatem fidei in ſe. Quemadmodum enim ſine pane in terris vivere non poſſumus; hæc vita temporaria ſine pane non poteſt conſtare: Ita nec vita æterna haberi poteſt ſine Chriſto & fide in illum. Neceſſitatem panis omnes homines intelligunt: ideo omnes omnium hominum labores, artes, ſtudia, ac curæ ad lucrandum panem directæ ſunt. Nihil aliud agunt homines tota vita, quam ut panem quærant. Significat itaque Chriſtus hac panis metaphora, tanto ſtudio, tanto ardore, tantaque ſolicitudine homines ad ſe ferri debere, quanta feruntur ad panem acquirendum. Præterea ſicut panis voce, ex Hebræorum conſuetudine, omnia quæ ad hominis ſuſtentationem neceſſaria ſunt, comprehenduntur: Ita in Chriſto continentur omnia, quibus nobis ad vitam æternam opus eſt. Qui Chriſtum habet omnia habet: qui Chriſtum non habet, etſi habeat omnia, nihil habet.

Verſ. 49. *Patres veſtri ederunt manna in deſerto, & mortui ſunt.*] Ad ſuperiorem objectionem Judæorum de Manna, nondum ſufficienter reſponderat; itaque ad eam redit, & jam plenius eam refutat. Dixerat prius, Manna illud non fuiſſe vere cœleſtem panem, non fuiſſe panem vitæ, ſeu talem panem, qui vitam daret æternam. Hoc modo probat, dicens omnes eos, qui Manna iſtud ederunt in deſerto fuiſſe mortuos. Ergo evidens eſt, illud non habuiſſe vim vivificandi. Hæc verba Chriſtus infra iterum repetit ℣. 58.

Hunc locum per ſe facilem, difficilem reddidit quorundam curioſitas, & inutilis ſubtilitas. Primum putant, Chriſtum hic ſolummodo de impiis & incredulis murmuratoribus Judæis loqui, qui in deſerto ederunt Manna, non de bonis & probis, qui inter eos fuerunt: ideo non dixiſſe, *Patres noſtri* ederunt Manna, ſed *Patres veſtri*; quaſi objiciat ſuis auditoribus, eos eſſe germanos illorum Iſraëlitarum in deſerto murmurantium filios, illiſque prorſus moribus ac contumacia ſimiles. Verum non eſt probabile, Chriſtum hoc ſpectaſſe: probabilius eſt, eum de omnibus in genere locutum eſſe Iſraëlitis. Certum enim eſt, omnes fuiſſe mortuos, tam bonos, quam malos. Deinde quærunt, cum dicit Chriſtus, mortuos eſſe eos, qui Manna ederunt in deſerto; quanam de morte, temporali an æterna, Chriſtus loquatur? Nam ſi de temporali tantum, eadem morte mori palam eſt etiam credentes in Chriſtum: ac proinde panis hic ſpiritualis iſto reſpectu non erit Manna præſtantior. Sin de æterna loquatur, quomodo verum erit, æterna morte omnes illos eſſe mortuos, qui Manna comederunt; cum illud etiam Moſes, & Joſue, & Caleb, & Phinees, & Aaron, & alii non pauci pii comederint, quos conſtat, morte æterna non eſſe damnatos, vel damnandos? Sed iſta ſubtilitate nihil eſt opus. Chriſtus enim nihil aliud ſibi vult, quam Manna non habuiſſe vim conferendi vitam æternam, quam habeat panis ſpiritualis, de quo ipſe loquebatur: quomodo etiam ſcriptor divinus ad Hebræos ait, cibos illos victimarum, ſeu rerum conſervatarum ſub Veteri Fœdere *non profuiſſe eis, qui in iis ambularunt*, id eſt, iis operam dederunt, eoſque comederunt, Hebr. 13. 9. Profuerunt quidem illis ad ſuſtentationem corporis per aliquod tempus: ſed Auctor indicat, illos ex iis nullum verum commodum ac ſolidum emolumentum percepiſſe; non profuiſſe illos cibos ad ſpiritum, & ad vitam æternam conſequendam. Hac ratione igitur & hic Chriſtus innuit, Manna illud patribus Iſraëlitarum nihil profuiſſe ad vitam æternam: cum omnes, qui id ederunt, mortui ſint. Si dicas: Atqui etiam fideles ſub Euangelio moriuntur ſecundum carnem. Ita quidem: ſed fides eorum habet talem vim, ut eis profutura ſit etiam poſt mortem: quia propter illam fidem ſuam reſuſcitabuntur ad vitam æternam. Quam vim Manna illud non habet.

Nam

Nam etſi etiam quidam ex iis, qui Manna comederunt reſuſcitandi ſint ad vitam æternam, id tamen non fiet vi Mannæ, aut propter Mannam, ſed aliam ob cauſam, puta propter eorum pietatem. Manna nihil amplius potuit efficere, quam ad tempus edentes reficere: itaque vis ejus fuit temporaria, fugitiva & momentanea. Et hoc ſolum voluit Chriſtus ſignificare iſtis verbis, cum dixit, eos qui ederunt Manna in deſerto, eſſe mortuos.

Verſ. 50. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, ut quis ex illo edat, & non moriatur.*] Quaſi dicat: De tali pane vere dici poteſt, eum de cœlo deſcendiſſe, adeoque eſſe cœleſtem, qui eam vim habet, ut ſi quis de eo comedat, non moriatur, intellige in æternum. Opponit hunc panem Mannæ, & oſtendit, quantum inter utrumque interſit. Manna ne vitam quidem corpori ultra conſtitutum à natura tempus dare potuit: at panis iſte, de quo Chriſtus, vitam æternam tribuit, & à morte æterna conſervat.

Verſ. 51. *Ego ſum panis vivens, qui ex cœlo deſcendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis autem, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro vita mundi.*] Applicat ad ſe, quod modo de pane, qui de cœlo deſcendit, in genere dixerat: ingeminatque verba illa identidem, in quorum intellectu momenta ſalutis noſtræ verſantur. Ita & Paulus dixit: *Eadem vobis ſcribere, mihi quidem grave non eſt, vobis autem tutum*, Phil. 3. 1. Quemadmodum vulnera non ſemel, ſed frequenter appoſitis remediis curantur. Sic & maleſanis animis frequenter eadem ſalutaris doctrina applicanda eſt.

Panis vivens.] Eodem ſenſu, quo ſupra *panis vitæ*, id eſt, vitam dans, ac vivificans.

Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.] Oſtendit, quomodo ſit panis vitæ, vel vivens. Recte autem eſum panis iſtius ſpiritualis, id eſt, ſui, requirit: quia ſicut panis ac omnis cibus, quantumvis pretioſus ſit & exquiſitus, tamen hominem non reficit, non nutrit, nec quicquam ei prodeſt viſus tantum aut etiam contactus, niſi edatur quoque & in corpus trajiciatur; ita Chriſtus quoque non prodeſt, niſi comeſtus, & in animum receptus. Quod non poteſt fieri, niſi per fidem. Unde intelligitur per eſum ac manducationem panis hujus cæleſtis, id eſt, Chriſti, nihil aliud quam fidem intelligi. Et hoc recte intellexit Auguſtinus, qui ad illa verba Chriſti, *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*, ſic annotavit: *Hoc eſt manducare cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducaſti.* Sed is ipſe Auguſtinus, qui hoc tam bene expoſuit, quam nihilominus circa manducationem carnis Chriſti erraverit, mox videbimus.

Et panis autem, quem ego dabo.] Conjunctio & redundat: ut 2 Cor. 5. 3. Gal. 3. 4. Niſi quis malit hoc ſenſu verba accipere, quaſi dicat Chriſtus: Sed & panis, quem ego dabo, caro mea eſt. Prius ſeipſum vocavit panem, nunc etiam carnem ſuam panem vocat. Cum de ſeipſo loqueretur, dixit Patrem dare hunc panem vſ. 32, hic ubi de ſua carne loquitur, dicit, ſe panem hunc eſſe daturum: quia ut mox addit, ipſe carnem ſuam daturus erat pro ſalute mundi totius. Pater dedit nobis Chriſtum: Chriſtus autem dedit ſeipſum & carnem ſuam pro nobis. Dedit quidem & Pater Chriſtum pro nobis in mortem, at non invitum, ſed volentem, & ultro in ſe hoc onus, ſalutis noſtræ bono ſuſcipientem. Ait enim ipſe: *Nemo tollit animam meam a me; ſed ego pono eam a me ipſo: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*, Joh. 10. 18. Jure ergo ſibi etiam peculiariter tribuit: *Ego* dabo carnem meam pro vita mundi. Dedit autem Chriſtus carnem ſuam pro vita mundi, non ſolum quatenus morte ſua ſancivit Novum Fœdus, in quo nobis vita æterna promiſſa eſt, & ſic nobis jus morte ſua peperit ad vitam æternam; quo pacto jus Iſraëlitis ad promiſſa Veteris Fœderis datum eſt, poſtquam morte & ſanguine pecudis Fœdus illud confirmatum eſt: non ſolum quatenus per mortem ſuam adeptus eſt poteſtatem ſupremam nobis reipſa vitam æternam conferendi: verum etiam quatenus factus eſt victima pro peccatis noſtris, & ſic ſanguinem ſuum fudit non in ſolutionem, ſed in remiſſionem noſtrorum peccatorum. Quemadmodum & victimæ Veteris Fœderis expiatoriæ non in ſolutionem pro peccatis aut Satisfactionis vice, ſed in remiſſionem peccatoru mmactabantur: quòd ea conditione remiſſio peccatorum in Fœdere promiſſa erat, ut victimæ illæ Deo offerrentur & mactarentur. Ita & nobis cum in Novo Fœdere promiſſa eſſet remiſſio peccatorum hac lege, ut Chriſtus victima pro nobis fieret, & ſe trucidari pateretur, is ultro vitam ſuam pro nobis poſuit, ut ſic nos remiſſionis peccatorum ac vitæ æternæ fieremus participes. Qui Chriſtum morte ſua, debita peccatis noſtris contracta perſolviſſe ad minimum uſque quadrantem volunt, illi non modo omnem gratiam divinam tollunt, quam maxime dilaudat ac deprædicat Sacra Scriptura in negotio mortis Chriſti, & in remittendis peccatis noſtris; ſed etiam infinitis ſe difficultatibus & abſurditatibus involvunt, ut alibi oſtenſum eſt.

Verſ. 52. *Pugnabant ergo Judæi inter ſe, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ad edendum.*] Erat inter eos pugna verborum, id eſt, litigabant & diſceptabant, alio hoc, alio aliud dicente. Thema autem & quæſtio inter eos erat de eo, quomodo fieri poſſit, ut Chriſtus comedendam det hominibus carnem ſuam. Homines inepti, & tota mente in res carnales defixi, non intelligunt, locutionem, qua Chriſtus utitur, ſpiritualiter ac improprie eſſe intelligendam. Non poſſunt avelli à carnali ſenſu, exiſtimantes, Chriſtum velle, ut crudam carnem ejus proprie comedant, & more Anthropophagorum humanis carnibus veſcantur. Similis ſtupor mentis etiam in Nicodemo, quamvis Magiſtro in Iſraël & erudito in Lege extitit, ut non caperet, quomodo oporteret hominem denuo naſci, carnaliter & proprie id intelligens, Joh. 3. 4.

Verſ. 53. *Dixit ergo eis Jeſus: Amen amen dico vobis, niſi edatis carnem Filii hominis, & bibatis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobiſmetipſis.*] Quaſi dicat: Vos hoc habetis pro abſurdo & minus vero, quod de edenda carne mea dixi. At ego confirmo vobis adeo neceſſarium id eſſe, ut hæc ſola res ſano ſenſu accepta, ſit medium adipiſcendi vitam æternam.

Nobilis eſt hic locus ſpinoſa illa controverſia, quæ hodie inter Chriſtianos magna animorum vehementia agitatur: An Chriſtus in his verbis loquatur de Sacramento Euchariſtiæ? Affirmantem partem potiſſima pars eorum, qui Pontificiis partibus addicti ſunt, tuentur: ſunt tamen etiam è Pontificiis non pauci viri magni nominis (inter quos eſt Cardinalis Thomas Cajetanus, & Janſſenius Gandavenſis Epiſcopus, concordiæ Euangelicæ cap. 95, quin & Adrianus Pontifex quæſt. 1. art. 2. de Sacro Baptiſmo) qui negativam ſententiam firmiter adſtruunt. Quibus adeo iraſcitur Maldonatus, ut vix ſibi à convitiis temperet: operoſeque ac prolixè pro affirmante ſententia diſputat. Sed fruſtra ille brachia tendit contra torrentem, id eſt contra manifeſtam veritatem. Nam primum ſi hic de Euchariſtia ageretur, nemo abſque ea ſalvari poſſet, ac proinde etiam infantibus eſſet neceſſaria, non minus quam baptiſmus: quia ſicut dictum eſt, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit regnum Dei*, Joh. 3. 5, in quibus verbis de baptiſmo agi putant; ita non minus hic dicitur: *Niſi edatis carnem Filii hominis, & bibatis ſanguinem ejus, non habebitis vitam æternam.* Si ergo propter illa verba neceſſarium putant, ut baptiſentur infantes, cur non perinde neceſſarium cenſent propter iſta verba, ut infantibus Euchariſtia præbeatur? Sane Auguſtinus, qui alioqui (ut ſupra indicavimus) manducare, quod hic jubetur, nihil aliud eſſe dixit, quam credere, tamen ut erat varius & inconſtans in ſententiis ſuis, hunc locum de Euchariſtia agere credens, ſtatuit etiam parvulis Euchariſtiam neceſſario dandam eſſe: quin fatetur Maldonatus ipſe, ſex centos circiter annos viguiſſe hanc ſententiam in Eccleſia, quod Euchariſtia parvulis ſit neceſſaria ad ſalutem; idque propter hunc ipſum locum Joh. 6. 53. Secundo ſi hic ſermo eſſet de Euchariſtia, manifeſte contrarius eſſet Pontificiis hic locus, quia in eo non ſolum caro edi, ſed & ſanguis bibi jubetur; unde ſequitur, non ſub una, ut illi faciunt, ſed ſub utraque, ut loquuntur, ſpecie panis ſcilicet & vini communicandum eſſe. Nam quod reſpondent, in una ſpecie ſumi ſimul & carnem & ſanguinem, quia ubi caro eſt, ibi etiam ſit ſanguis, & ubi eſt ſanguis, ibi etiam ſit caro; in eo falluntur & fallunt. Edi enim jubetur à nobis caro Chriſti non viva, & ſanguinis plena, ſed crucifixa, exanimata, & exanguis: ſicut etiam ſanguis bibendus eſt non in corpore exiſtens, ſed effuſus & à corpore ſeparatus, atque ita ad bibendum aptus redditus. Et hæc eſt cauſa, cur Chriſtus ſub duabus ſpeciebus Cœnam Sacram inſtituit: alioqui fruſtra fuiſſet altera adhibita, ſi una ſufficere potuiſſet. Tertio ſi de Euchariſtia hic locus eſſet intelligendus, ſequeretur omnes ſervatum iri, qui Euchariſtiam percipiunt; promittitur enim hic verſu ſequenti omni manducanti carnem Chriſti & bibenti ſanguinem ejus, vita æterna. Atqui ipſimet agnoſcunt, multos qui Euchariſtia uſi ſunt, eſſe damnandos. Nec quicquam juvat Maldonatum reſponſio ejus, quod hoc argumento probari poſſet, etiam de manducatione, quæ per fidem fit, hic non agi, quia etiam multi per fidem manducant carnem Chriſti, & tamen pereunt. Falſiſſimum enim eſt, quenquam perire poſſe, qui vera & viva fide, quæ per charitatem efficax eſt, comedit carnem Chriſti. Vide dicenda ad ℣. 54. Adde quod Euchariſtia ſeu Cœna Domini nondum fuerit inſtituta, cum hæc Chriſtus loqueretur: quomodo ergo de ea hic agere potuit? Sed & contraria ſunt hæc Chriſti verba illis verbis inſtitutionis cœnæ. Ibi enim de pane dicit, *Hoc eſt corpus meum*. Hic autem de carne ſeu corpore ſuo ait, id eſſe cibum ſeu panem vitæ. Quod ibi ſubjectum eſt, id hic eſt prædicatum. Sed quid opus eſt multis, cum ipſe Chriſtus ſatis manifeſte infra indicet, verba ejus non de carnali & proprie dicto eſu, ſed de ſpirituali, ac proinde non de Euchariſtico eſſe intelligenda? ut videbimus ℣. 63. Calviniſtarum ſententiam, qui carnem Chriſti ſpiritualiter ore percipi in Euchariſtia docent, refutatam vide ad Matth. 26, ubi controverſia de Cœna Domini copioſius excuſſa eſt. Nos, antequam pergamus, unum adhuc adverſus eos, qui hunc locum de proprie dicta manducatione corporis Chriſti interpretantur afferemus argumentum ex Auguſtino, qui egregie & contra ſe ipſum (ſui credo oblitus) & contra eos, cum quibus nos nunc diſputamus, ſcribit. Tradit ille lib. 3, de doctrin. Chriſt. cap. 16, hujuſmodi regulam: *Si præceptiva locutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans; aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videatur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Et mox ſubjungit hoc exemplum: *Niſi manducaveritis, inquit Chriſtus, Joh. 6. 53, carnem Filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis; facinus vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Hæc tam clara Auguſtini verba conantur varie eludere Pontificii. Bellarminus & Maldonatus explicant Auguſtinum, quod non de omni corporali comeſtione carnis Chriſti locutus ſit, ſed tantum de craſſo illo comeſtionis modo, qualem Judæi intelligebant, qui fieret cum occiſione, cum dilaceratione membrorum, cum coctione &c. Talem manducandi modum flagitium ac facinus ab Auguſtino vocari. Sed hanc explicationem verba Auguſtini reſpuunt. In his enim ille nullum agnoſcit manducandi carnem Chriſti modum literalem & proprie dictum, ſed tantum figuratum & metaphoricum, qui conſiſtit in communicatione paſſionum Chriſti & memoria crucifixionis. Jam vero ſive quis craſſo illo modo Capernaumitico, ſive alio extraordinario ac miraculoſo abſque ulla corporis læſione, proprie tamen & ſubſtantialiter manducet carnem Chriſti, is figurate & metaphorice non manducat, ac proinde non eo modo, quo vult Auguſtinus manducari. Uno verbo, Auguſtinus oſtendit his verbis: Humanam carnem proprie dicta ſignificatione comedere eſſe per ſe nefas, & abſurdum, quocunque modo comedatur.

Sententia de proprie dicta manducatione carnis Chriſti & bibitione ſanguinis ejus, quantum Commentarii anguſtia patitur, refutata, nonnihil etiam nobis dicendum eſt de errore, qui circa ſpiritualem carnis Chriſti manducationem obrepſit. Non pauci ſunt è Chriſtianis, qui nobiſcum ſentiunt, verba Chriſti

Chriſti hoc loco de ſpirituali manducatione carnis, eſſe intelligenda, eamque per fidem fieri oportere: ſed fidem iſtam male definiunt. Cenſent enim, fidem nihil aliud eſſe, quam apprehendere & applicare ſibi atque appropriare meritum Chriſti, id eſt, ejus obedientiam & paſſionem, ſeu credere, Chriſtum pro peccatis noſtris, obediendo & patiendo plene ſatisfeciſſe divinæ juſtitiæ debitaque noſtra ſufficienter exſolviſſe. At talis fides cum etiam in maxime ſceleratis locum habere poſſit, non video, quomodo verum eſſe poſſit, quod hic Chriſtus dicit, omnem qui manducat carnem ejus, ſcilicet per fidem, habiturum vitam æternam: cum alibi teſtetur Scriptura, eos qui opera carnis faciunt, à regno cœlorum excludendos eſſe? Gal. 5. 21. 1 Cor. 6. 9, 10. Deinde abſurde omnino talis fides ab hominibus exigitur. Nam aut id reipſa factum eſt, quod Chriſtus perſolverit debita noſtra: aut non eſt factum. Si factum eſt, quid opus eſt, ut id credam? An id non erit verum, ſive ego credam, ſive non credam? An incredulitas mea rem factam infectam reddere poteſt? Sin factum non eſt, qui igitur credere poſſum, factum eſſe? niſi velim credere id quod falſum eſt. Aſt ut falſa credamus, puto, Deus à nobis non exigit. Si credas, inquis, tum id factum eſt? ſi non credas, non eſt factum. Quales ſunt iſtæ nugæ? Quaſi ſcilicet fides poſſit antecedere rem factam! Prius oportet res aliqua facta ſit, quam facta eſſe credatur. Fides non facit, ut res facta ſit; ſed veritas rei factæ facit ut credi poſſit: itaque veritas iſta rei ut fidem præcedat neceſſe eſt. Præterea talis fides tollit omnem pietatis neceſſitatem, ejuſque ſtudium vi ſua in hominibus extinguit. Quid enim opus eſt, ut is ſollicitus ſit de ſolvendo debito, qui perſuaſus eſt jam pro ſe debitum eſſe perfectiſſime ſolutum? Certe quo quis firmius id crediderit, eo minus de ſolutione debiti cogitabit. Niſi quis putet, Deum tam injuſtum fore, ut unum debitum bis ſibi ſolvi velit. Inquies: Etſi credam, debita mea eſſe à Chriſto perſoluta: tamen etiam ſimul credere debeo, me debere eſſe gratum iſtius beneficii, ac proinde pie vivere. Sed cur, quæſo, hoc poſterius debes credere? An ſi non ſis gratus, Chriſtus debita tua non exſolvit? An ille non etiam pro te gratus fuit? Annon etiam pro ingratitudine tua paſſus eſt? Si non: ergo non ſatisfecit pro omnibus tuis peccatis. Deinde deberemus quidem nos grati eſſe pro ſolutione debitorum noſtrorum, ſed erga Chriſtum tantum, non erga Deum. Deus enim nullum nobis beneficium, nullam gratiam exhibuit, ſi is debitum ſuum plene & abunde recepit. Sed Chriſtus ſolus magno nos ſibi devinxit beneficio, ſi ſolutionem pro nobis præſtitit. Qui quidem talem gratitudinem à nobis exigere poteſt, ut ipſius nomen celebremus, ac ſubinde ei pro tanto beneficio gratias agamus: at ut ita grati ſimus, ut debitum, quod ille perſolvit, nos iterum ipſi ſolvamus, exigere non poteſt. Sic enim nihil nobis prodeſſet ejus ſatisfactio, & perinde eſſet, atque ſi pro nobis nihil ſolviſſet, ſi nos nihilominus in obligatione ſolvendi debiti manemus. Denique ſi nos fide induamus perfectiſſimam Chriſti juſtitiam atque obedientiam, ut illi volunt, quid opus eſt, ut ei deinceps ſuperinduamus vilem imperfectæ pietatis ac juſtitiæ noſtræ propriæ centonem? Nonne ipſi urgent illud Eſaiæ, *univerſam juſtitiam noſtram eſſe inſtar panni mulieris immundæ*? Eſai. 64. 6. Quam male panno iſti conveniret cum ſplendida juſtitiæ Chriſti purpura?

Quo igitur pacto, quæres, caro Chriſti manducari & ſanguis ejus bibi per fidem debet? Ita, inquam: ut ex animo credamus Jeſum illum, cujus caro pro nobis crucifixa eſt, & ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum noſtrorum, eſſe verum noſtrum ſervatorem, Dominum ac Regem cœleſtem, eique propterea quia pro nobis tam truculentam ſuſtinuit mortem, adhæreamus, totique nos ei dicemus ac conſecremus, in omnibus ei obediamus, & illius cauſa nihil facere & pati recuſemus. Hæc eſt vera fides, per quam nobis caro & ſanguis Chriſti, ſeu mors ejus cruenta, in ſuccum & ſanguinem, ut ſic dicam, id eſt, in alimentum ac nutrimentum animæ noſtræ convertitur. Mors enim Chriſti eſt inſtar ſpiritualis cujuſdam cibi ac potus: quia ex ea vitalis quidam ſpiritus manat, qui per animos noſtros diffuſus vitam vigoremque ſpiritualem nobis ſuppeditat. Quid enim eſt, quod nos magis ad Chriſtum trahat rapiatque, quod nos magis ipſi devinciat, & adducat, ut cum ipſo mori, & non nobis ipſis amplius, ſed ei, qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, vivere velimus; quam amor ille ejus admirandus, quem teſtatus eſt nobis, mortem ignominioſiſſimam ac crudeliſſimam ſalutis noſtræ cauſa ſubeundo? quam ſpes illa, quam ex morte Chriſti concipimus, de promiſſorum divinorum certitudine? Verum hæc mortis Chriſti efficacia in nobis non poteſt habere locum, niſi Chriſtum Servatorem ac Dominum noſtrum eſſe agnoſcamus, niſi eum verum eſſe Meſſiam, illum à Deo promiſſum, indubitanter credamus. Inde enim fit, ut carnem & ſanguinem Chriſti non vilipendamus, non profanum ducamus, ſed ſummo habeamus in pretio, & tanquam ſanctum ac nobis ſalutarem revereamur. Sic demum vis mortis Chriſti ſe in animis noſtris exerit, ſic ea, non ſecus ac cibo ac potu, in ſpirituali vita noſtra reficimur, ac ſuſtentamur: ut ita quiſquis in Chriſtum tanquam verum Meſſiam credit, eique ſe totum mancipavit, merito carnem ejus & ſanguinem intra viſcera ſua recepiſſe, iiſque paſtus fuiſſe, dici poſſit.

Ex dictis patet, ad talem fidem, qua mortis Chriſti efficacia percipitur, atque ita caro Chriſti comeditur, & ſanguis ejus bibitur, requiri quidem piam meditationem, ac tum mortis ipſius ac circumſtantiarum ejus, tum finis ac fructus ejus conſiderationem: ſed tamen proprie loquendo manducatio carnis Chriſti non in iſta meditatione conſiſtit, ſed in fide ipſa, qualem modo deſcripſi. Poſſet enim aliquis meditari mortem Chriſti, & tamen in Chriſtum ita ut decet, non credere: atque ſic nihil ipſi prodeſſet meditatio. Si quis tamen meditationem cum vera fide conjunctam intelligat, in ea manducationem carnis Chriſti conſiſtere concedi poteſt. Sed jam tempus eſt, ut ad alia pergamus. Non enim nunc ſyſtema aliquod Theologicum ſcribimus, ſed Commentarium, in quo non ex profeſſo controverſiæ tractandæ, ſed tantum quatenus ad pleniorem ſacri textus intelligentiam faciunt, attingendæ atque enodandæ ſunt.

Verſ. 54. *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in ultimo die.*] Antitheſis iſta, quam ſubjungit ſuperiori ſententiæ, arguit inter manducationem carnis bibitionemque ſanguinis Chriſti, & vitam æternam, eſſe indivulſum ac neceſſarium nexum: ita ut non poſſit non ſervari, qui carnem Chriſti manducat, & ſanguinem ejus bibit. Sic dicitur alibi: *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, damnabitur*, Marc. 16. 16. Ubi cernitur, quale ſit diſcrimen inter fidem & baptiſmum. Cum fide neceſſario conjuncta eſt ſalus. Nam & qui credit, ſalvabitur; & qui non credit, non ſalvabitur, ſed damnabitur. Itaque & qui habet fidem, intellige veram, non poteſt non ſervari; & qui eam non habet, non poteſt ſervari. At non ita arcte cohæret ſalus cum baptiſmo. Etſi enim dictum ſit, *Qui baptiſatus fuerit*, ſcilicet poſtquam crediderit, *ſalvus erit*: non tamen additum eſt, Qui vero non fuerit baptiſatus, condemnabitur. Et res ipſa docet, multos eſſe baptiſatos etiam vero baptiſmo, nec tamen ſalvos fore; & multos tametſi non baptiſatos ſalvos fore. Cum ergo hoc loco manifeſtum ſit, vitam æternam cum manducatione carnis Chriſti inſeparabiliter copulari, patet, hunc locum perperam ad manducationem panis Euchariſtici trahi. Maldonatus ait, manducationem carnis Chriſti cum conditione intelligendam eſſe, nempe ſi fiat digne, ſi ut debet: & ſic etiam cum Euchariſtica manducatione neceſſario junctam eſſe ſalutem. At nos negamus, cum Chriſtus dicit, *Qui manducat carnem meam, habet vitam æternam*, conditionem ullam ſubintelligendam eſſe. Non poteſt enim manducatio carnis Chriſti & bibitio ſanguinis ejus de qua hic loquitur, vitioſe ac indigne peragi. Et hinc fortiter concludimus, Chriſtum hoc loco de Euchariſtici panis manducatione non agere. Euchariſticus enim panis indigne comedi poteſt, ut oſtendit Apoſtolus 1 Cor. 11. 27, 29. Caro vero Chriſti indigne comedi, & ſanguis ejus indigne bibi non poteſt: quemadmodum nec vera fides, per charitatem efficax, indigne & perperam haberi poteſt.

Et ego reſuſcitabo eum in ultimo die.] Vide, quæ diximus hac de re ſupra ad ℣. 40.

Verſ. 55. *Nam caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.*] Id eſt, mors mea cruenta, quam ſubibo, per quam ſanguis à carne mea ſeparabitur, tantæ erit efficaciæ in vere credentibus, ut iis ad ſalutem ita profutura ſit, ſicut hominibus ad vitam terrenam prodeſt cibus & potus. Adverbio *vere* non denotat Chriſtus proprietatem, ſed excellentiam hujus cibi ac potus. Non enim indicat, carnem ejus eſſe proprie dictum cibum, & ſanguinem ejus proprie dictum potum: ſed ſignificat, carnem ejus eſſe tam præſtantem cibum, & ſanguinem ejus eſſe tam excellentem potum, nimirum propter ſuam efficaciam, ut alii omnes cibi, etiam Manna illud antiquum, cum hoc cibo, & potus omnes cum hoc potu in comparationem venire indigni ſint.

Verſ. 56. *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo.*] Confirmat dictum ſuperius ℣. 54, oſtenditque arctam inter ſe & eum, qui carnem ejus comedit, ſanguinemque ejus bibit, amoris conjunctionem: unde ſequitur, eum neceſſario habiturum vitam æternam. At ſi quis Euchariſtiam ſumat, fieri poteſt, ut cum Chriſto non ita uniatur, ac ſpiritualiter coaleſcat. Ergo hic de Euchariſtia non eſt ſermo.

In me manet, & ego in illo.] Phraſis hæc frequenter apud hunc Johannem noſtrum occurrit: cujus ignorantia peperit monſtroſum & prorſus inſulſum dogma inter Chriſtianos de mutua trium perſonarum divinitatis inter ſe diſtinctarum penetratione ac inexiſtentia, quam illi voce non minus quam res eſt, monſtroſa ac barbara, Circumince ſſionem appellant. Iſtius vero dogmatis non aliud habent fundamentum, quam quod Chriſtus dixerit, Joh. 14. 11, *Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* At ſi iſta verba ſignificant circumince ſſionem iſtam Patris & Chriſti: neceſſe erit dicere, etiam in hoc noſtro loco novam quandam circumince ſſionem inter Chriſtum & manducatores carnis ejus ſignificari. Vide quoque loca ſimilia Johan. 14. 20. XVII. 21, 23, 26. 1 Johan. 2. 24. iij. 24. IV. 12, 13, 15, 16. Ex quibus locis facile quivis cordatus intelligere poteſt, nihil aliud iſta phraſi, quam ſummam charitatis & dilectionis conjunctionem denotari. Hic vero habet peculiarem emphaſin, cum ait Chriſtus, eum qui edit carnem ſuam, & ſanguinem ſuum bibit, in ipſo manere, & ipſum in illo. Alludit enim ad cibum & potum, qui trajectus in ſtomachum, & per membra digeſtus tranſit in ſubſtantiam corporis, ut jam idem ſit cibus & homo veſcens. Significat igitur hominem ſimili ratione per fidem in ſe, ſibi ſpiritualiter concorporari, & arctiſſimo vinculo ſpiritus, qui ex carne ac ſanguine ejus, ſeu morte ipſius pro nobis ſuſcepta, manat, ſecum conjungi, atque ita unum quaſi ſpiritum effici. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*: inquit Apoſtolus, 1 Cor. 6. 17, ut talis merito poſſit dicere cum Paulo: *Vivo non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus*, Gal. 2. 20.

Verſ. 57. *Sicut me miſit vivens Pater, & ego vivo per Patrem: & qui edit me, & ipſe vivet per me.*] Promiſit ſuperius carnem ſuam manducantibus & ſanguinem ſuum bibentibus, vitam æternam: jam oſtendit, unde manet vita iſta perennis, quis ejus ſit auctor ac fons, relegatque more ſuo auditores ad Patrem, à quo ſignificat & ſe vitam æternam acceptorum, & poteſtatem aliis eam conferendi adepturum. Senſus eſt: quaſi dicat; Quam certum eſt, me à Patre meo, qui eſt fons vitæ, miſſum eſſe, meque ejus beneficio à mortuis reſuſcitatum in æternum eſſe victurum; tam certum eſt, eum, qui in me credit, &, ex morte mea ſpe immortalitatis concepta, mihi ſervit, mea etiam opera ac beneficio ad vitam æternam perventurum.

Vivens Pater.] Ita Deus appellatur, non ſolum quod ipſe vitam in ſe & à ſe habeat, & quidem æternam, ſed quod omnis vitæ & temporariæ & æternæ in omnibus creaturis ſit auctor. Itaque hic titulus Deum non tantum diſcriminat à falſis numinibus, quæ minime vivunt; verum etiam ad omnibus aliis creaturis, quæ etſi vivant, non à ſe tamen vivunt, ſed à Deo vitam habent, & tamdiu habent, quamdiu vult.

Et ego vivo.] *Vivo*, pro vivam. Præſens pro futuro:

turo : ut Johan. 12. 26. XIV. 2,3,19. XVII. 10,13, 19,24. Loquitur enim de vita immortali atque æterna.

Per Patrem.] Gr. διὰ τὸν πατέρα. Præpositio διὰ apud Græcos, quando cum Genitivo construitur, significat usitate *per* : quando vero regit accusativum, idem est quod *propter* ; & denotat causam finalem ; aliquando tamen etiam idem quod *per* significat, & notat causam efficientem. Hoc loco utroque modo accipi potest. *Per Patrem*, id est, beneficio Patris : & *propter Patrem*, id est, ad gloriam Patris. Sic etiam in sequenti dicto Christi, *Vivet per me*, significat, vitam æternam consequetur meo beneficio, ex manibus meis, me dante ac conferente; vel etiam verti potest, *vivet propter me*, id est, ad gloriam meam sempiternam.

Et qui edit me.] Deest hic more Hebræorum particula comparationis, *ita* : quæ hoc modo suppleri debet : Ita etiam qui edit me, vivet. Prius dixerat : *Qui edit carnem meam.* Hic dicit, *Qui edit me.* Idem est carnem edere Christi, quod edere ipsum Christum. At edere Christum, nihil aliud est, quam credere in ipsum. Vide dicta ad ℣. 51 supra. Nota hic obiter, quomodo Christus possit esse summus Deus, cum per alium, id est, alieno beneficio vivat, vel propter alium, id est, propter alienam gloriam ?

Vers. 58. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, non sicut comederunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* His verbis concludit sermonem suum, & quæ hactenus dixerat in summam colligit ; quasi dicat : Scitote igitur, me esse illum panem, qui vere descendit de cœlo, non illud Manna, quod vos jactatis. Ita oratio Christi eo redit, unde digressa fuerat. Inde enim orta erat disputatio, quod Judæi extollentes illud Manna, quod patres ipsorum in deserto comederant, id panem ex cœlo vocaverant, atque ab eo simile signum postularant. Christus respondens toto hoc sermone suo ostenderat, se esse longe præstantiorem panem illo Manna, idque duplici de causa : primo quod vere ex cœlo altissimo, non ex nubibus tantum, ut illud Manna, descendisset ; secundo quod se manducantibus, id est, in se credentibus, daturus esset vitam æternam, quam Manna illud se manducantibus dare non potuerit. Hoc totum Christus hoc versiculo repetiit, brevi recapitulatione sermonem suum claudens.

Vers. 59. *Hæc dixit in Synagoga docens in Capernaum.*] Finito sermone Christi, accedit Euangelista noster ad describendum istius sermonis eventus. Ac primum notat locum, ubi sermo iste sit habitus : scilicet in urbe Capernaum, & quidem in synagoga. Nec frustra hunc locum expresse notavit Johannes, ut intelligeremus, quam incredulos, quam contumaces expertus sit Christus in illa urbe homines ; ut non sine causa Christus minatus sit gravissimum ac horrendum urbi isti interitum : *Tu Capernaum, quæ usque ad cœlum sublata es, usque ad inferos deprimeris*, Matth. 11. 23.

In Synagoga docens.] Mos erat in Synagogis instituere colloquia de rebus sacris, exercitii gratia : sed in eis tamen præsidebant Seniores aliqui, Doctores ac Magistri, qui etiam loco & cathedris erant ab aliis distincti. Hinc & Archisynagogorum mentio fit in Sacris Literis. Et de Scribis ac Pharisæis ait Christus, eos *sedisse in cathedra Mosis, & amare primas cathedras in Synagogis* Matth. 23. 2,6. Cæteri minoris ætatis, ac inferioris ordinis in subselliis considebant : pueri ac auditores juvenes ad pedes docentium disponebantur. Hinc Paulus ait, se *ad pedes Gamalielis* esse educatum, Actor. 22. 3. Et de ista consuetudine Judæorum capiendus est locus Actor. 24. 12, ubi ait Paulus : *Neque me in Templo invenerunt cum aliquo disputantem, aut coitionem turbæ facientem, neque in Synagogis, neque in urbe.* Etsi vero in illis colloquiis, licitum fuerit unicuique è populo aliquid proponere, ad ventilandum, non tamen credendum est, cuilibet licuisse docendi munus obire. Quod nos docet Tertullianus, qui adversus Marcionem lib. 4, inquit : *Sed etsi passim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum, nisi ab optime cognito, & explorato, & probato jam pridem in hoc ipsum, vel aliunde commendato.* Soli ergo Scholarchæ & Magistri differebant de Lege, eamque interpretabantur. Auditores, qui legentibus aderant, si quid ipsis occurrebat dubium, vel difficile, dignusque vindice nodus, interrogabant Doctorem, & explicationem desiderabant. Et vice versa Doctor de difficilioribus explorandi profectus gratia juniores interrogabat, ac respondebant interrogati. Id quod patet ex historia Luc. 2. 46. Christus etsi è numero Scribarum & Pharisæorum non esset, ei tamen nominis celebritas miraculis parta, & insignis quæ in eo relucebat, sapientia ubique audientiam conciliabat, ut ei permitteretur passim in Synagogis docere Matth. 4. 23. Luc. 4. 16, & seqq. 31. 33, 44.

Vers. 60. *Multi ergo ex discipulis ejus, his auditis, dixerunt : Durus est hic sermo ; quis potest eum audire.*] Hic ipse eventus, qui sermonem Christi consecutus est, describitur, quod nimirum eo gravissime offensi, vel, ut ipse Christus dicit vers. 61, scandalizati fuerint discipuli ejus, & quidem multi. Discipulos solos Johannes nominat, non quod non alii etiam sint scandalizati, sed ut gravitatem scandali insinuet, vultque à nobis colligi, si discipuli, qui minime offendi debebant, offensi sint, multo magis cæteros fuisse offensos. Per discipulos non intelligi Apostolos, palam est ex ℣. 67, 68, 69. Fuerunt ergo discipuli isti pars illius turbæ, de qua mentio est initio hujus cap. ℣. 2, quod Christum sequebatur ; ex ea enim credibile est multos fuisse, qui miraculis ejus permoti in ipsum crediderant. Sed ut facile fidem susceperant, ita rursus facile à fide resiliunt. Fides non egerat radices in illorum animis, sed hæserat tantum velut in superficie : fueruntque illi similes semini, quod cecidit in loca petrosa, cui Christus ipse in sua parabola homines ejusmodi in fide inconstantes assimilat.

Durus est hic sermo, quis potest eum audire ?] Adeo absurdum ipsis videbatur, quod Christus dicebat, manducandam ipsis esse carnem suam, & sanguinem suum bibendum ; adeo radebat id eorum aures, ut id ferre nullo possent modo : quia nimirum homines carnales carnaliter verba Christi accipiebant, quæ spiritualiter accepta nihil absurditatis habent.

Ridiculus eſt, hoc loco Maldonatus, qui perſtringit eos falſe, qui nolunt credere, veram ac proprie dictam carnis Chriſti manducationem nobis hic præceptam eſſe, dicitque eos ſimiles eſſe iſtis Capernaumitis incredulis, qui dicebant: *Durus eſt hic ſermo.* Atqui non videt, ſe & ſuos Pontificios potius eſſe his carnalibus Capernaumitis ſimiles: quia illi credebant, Chriſtum de corporali & proprie dicta manducatione corporis ſui loqui; idem credunt & Pontificii plerique cum Maldonato. Neque vero in eo reprehendendi erant Capernaumitæ iſti, quod rem duram & abſurdam putarent, carnem Chriſti corporaliter manducare, & in os ac ventrem mittere.

Revera enim id tam abſonum eſt, ut merito id omnes, quibus vel mica ſani judicii ineſt, præſertim Chriſtiani, abominari deberent. Certe Auguſtinus, ut vidimus ſupra, judicavit, ſi verba Chriſti de manducanda carne & ſanguine ejus bibendo proprie accipiantur iis videri facinus vel flagitium præcipi; ideoque ad figuram hic neceſſario confugiendum eſſe docuit. Sed in eo culpandi fuerunt illi, quod verba Chriſti proprie ſumerent, nec intelligerent, eum de ſpirituali manducatione habere ſermonem. Ita Nicodemus quoque ſupra cap. 3. 4, & Samaritana mulier cap. 4. 11, non in eo errabant, quod abſurdum ſtatuerent eſſe, hominem adultum denuo naſci corporaliter, vel aquam terreſtrem dari ejus efficaciæ, ut qui eam bibit, non ſitiat amplius. Erant enim iſta reipſa abſurda & impoſſibilia. Verum in eo hallucinabantur, quod corporaliter ac proprie intelligebant, quod ſpiritualiter ac figurate erat accipiendum. Pariter ergo & Capernaumitæ in hac re decipiebantur; & cum eis etiam Maldonatus, omneſque, qui cum ipſo in eadem ſunt ſententia. Quare dictum illud, quod torſit in immerentes, in ſe jam convertat, ac intelligat, ſeſe, inquam, cum ſuis eſſe ſimilem Capernaumitis, *animalem hominem, qui non percipit, quæ ſunt Spiritus Dei*, 1 Corinth. 2. 14, quin etiam ſe ills, hoc eſſe ſtupidiorem, quod ne hoc quidem intelligat, quod illi intellexerant, nempe Chriſtum & carnem ejus proprie manducare, rem indignam & abſurdam eſſe.

Verſ. 61. *Sciens autem Jeſus in ſeipſo, diſcipulos ſuos de hoc murmurare, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?*] Apparet eos murmuraſſe ita, ut quid dicerent, ad Chriſti aures non perveniret; ipſe vero id cognovit, nemine indicante, *per ſeipſum*, id eſt, per ſpiritum illum divinum, quo repletus erat.

Hoc vos ſcandalizat?] Quid ſit ſcandalum, & ſcandalizare, ac ſcandalizari, explicatum eſt alibi in hiſce Commentariis. Hoc loco id addere placet, quod ſcandalizari nunquam cadat in hominem probum ac pium, ſed tantum in malum. Scandalizari enim nihil aliud eſt, quam occaſione alieni facti vel dicti deteriorem fieri. At deterior nemo poteſt fieri, niſi ſit ante malus. Non poteſt enim locum habere comparativus gradus, ubi non eſt locus poſitivo: ut loquuntur Grammatici. Præbere occaſionem ſcandalo, non ſemper vitioſum eſt: nam & hic videmus, Chriſtum ſermone ſuo figurato anſam ſcandalizandi diſcipulis ſuis dediſſe. Hinc diſtinguitur vulgo inter ſcandalum datum, & ſcandalum acceptum: non quod illud etiam non accipiatur, & hoc nulla ratione dētur; ſed quod illud dantis culpa fiat, hoc ſine ejus culpa. Verum accipere ſcandalum, ſeu ſcandalizari ſemper eſt vitioſum, & nunquam ſine culpa accipientis fieri poteſt. Chriſtus quidem væ minatur iis, per quos ſcandala veniunt, quique adeo aliis malitioſe offendicula ponunt in via ſalutis, Matth. 18. verſ. 6, 7. Sed interim nemo eorum, qui ſcandalizantur, ſe excuſatum fore putet, ſi dicat: Hic vel ille me ſcandalizavit, & cauſa mihi fuit lapſus ac offendiculi, vel hic aut ille dedit mihi ſcandalum. Tuum enim erat non accipere etiamſi ille daret. Cur accipis, quod malum eſt? Cur non meminiſti illius moniti: *Dilecte, noli imitari, quod malum eſt, ſed quod bonum eſt. Qui bene agit, ex Deo eſt: qui autem male agit, non vidit Deum?* 3 Joh. ℣. 11. Viri boni apes ſunt: mali araneæ. Illi etiam mala convertunt in bonum, & ex vitiis quandoque ſumunt anſam ac ſtimulum ad virtutes: iſti etiam bonas occaſiones corrumpunt, & ex rebus optimis venenum exſugunt.

Poſſet vero quiſpiam cogitare, Chriſtum quadantenus in culpa fuiſſe, quod iſti ſint ſcandalizati. Nam ſi clarius locutus fuiſſet, ſi metaphorico atque allegorico iſto ſermone non fuiſſet uſus, ſed proprio & aperto, illi cauſam ſcandalizandi nullam habuiſſent. Verum abſit, ut hic vel minimam Chriſti culpam fuiſſe ſuſpicemur: ſed ſtatuendum eſt, quicquid hic fecit dixitque Chriſtus, divina factum eſſe directione ac voluntate. Vidit Deus iſtorum hominum pravas mentes: voluit eas detegi, & in apricum produci: voluit malos à bonis ſecerni. Si illi probi fuiſſent: nihil illis nocuiſſet figuratus iſte ſermo. Cur enim non nocuit Apoſtolis? Poterant quæ non intelligebant, recondere in animum ſuum, ſicut faciebat Maria mater Domini, Luc. 2. 51, & alio tempore Chriſtum interrogare. Sed quia degener & perverſus erat in eis animus, digni erant, ut illis Chriſtus per parabolas loqueretur; quemadmodum etiam fecit illis auditoribus non bonis, Matth. 13. 13.

Verſ. 62. *Si igitur videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius?*] Videtur Chriſtus pro ſua bonitate ſcandalo iſtorum diſcipulorum ſuorum aliquomodo mederi voluiſſe. Duo erant maxime, quæ eos in ſermone Domini ſcandalizabant: unum, quod ſe de cœlo deſcendiſſe dixiſſet; alterum quod carnem ſuam manducari ac ſanguinem bibi juſſiſſet. Priorem ſcrupulum videtur illis hoc verſiculo eximere voluiſſe Chriſtus; alterum ſequenti. Cæterum verba hujus verſiculi ſunt paulo difficiliora, quia in eis nonnihil deeſſe videtur ad plenum ſenſum. Sunt, qui nihil deeſſe cenſeant, ſed hunc verſum cum ſequenti conjungendum putent, ut ſenſus ſit: Nunc vos offendit, quod meam carnem comedere, & ſanguinem meum bibere vos jubeam. Cum autem videritis, hoc eſt, cognoveritis, me in cœlum aſcendiſſe, in quo antea fueram, tunc cognoſcetis, quod *Spiritus eſt, qui vivificat, caro mea nihil prodeſt, & quod verba quæ ego loquor, Spiritus ſunt, & vita.* Sublato enim Chriſto in cœlum, jam omnibus innotuit, non poſſe carnem illius à quoquam proprie loquendo manducari, & ſanguinem ipſius potus loco uſurpari. Nam caro & ſanguis jam non inſunt in

corpore

corpore Chriſti glorificato : & etiamſi ineſſent, à nobis tamen, qui in terra ſumus, quæ à cœlo remotiſſima eſt, quomodo caro illa & ſanguis ille manducari & potus loco adhiberi poſſet ? Sed hæc explicatio videtur eſſe paulo coactior : & obſtat ei, quod verba hujus verſiculi cum interrogatione ſint pronuntiata, ſequens autem verſiculus interrogatione careat. Communior itaque ſententia eſt, ad explendam orationem ac ſententiam præſentis verſiculi neceſſario aliquid ſubintelligendum eſſe. Verum quid ſubintelligendum ſit, de eo rurſus Interpretes ſcinduntur in partes non ſolum diverſas, ſed etiam plane contrarias. Alii volunt ſubintelligi : Cum videritis me in cœlum aſcendentem : quanto magis ſcandalizabimini ? quanto minus credetis ? Cum videbitis me in cœlo eſſe, vos in terra. Alii contra cenſent ſubaudiendum : Ubi videritis me aſcendentem in cœlum ; an tunc etiam ſcandalizabimini ? annon tunc credetis, me vere dixiſſe, quod è cœlo deſcenderim ? Annon ex eo, quod poſſum aſcendere in cœlum, patebit, me etiam potuiſſe inde deſcendere ? Nobis hic poſterior ſenſus maxime probabilis videtur. Lectori tamen nihil præjudico : habet hic tres ſenſus loci hujus expoſitos ; eligat, quemcunque voluerit.

Ubi erat prius.] Non video, quomodo apertius potuerit Chriſtus indicare, ſe poſt nativitatem ſuam ex Virgine reipſa fuiſſe in cœlo, quam fecit his verbis. Dubium enim non eſt primo, per locum illum, ubi erat prius, cœlum deſignari. Certum quoque eſt, non de perſona aliqua, quæ fuerit vel Deus Altiſſimus, vel Angelus, ſermonem eſſe, ſed de Filio hominis, id eſt, de homine Jeſu Chriſto ex Maria Virgine nato. Homo autem in terris natus, non poterat eſſe in cœlo, niſi poſt nativitatem ſuam eo aſſumeretur. Dices : Spiritu tantum erat in cœlo, non corpore. At tum non dixiſſet Chriſtus, *Ubi erat prius* ; ſed, *Ubi eſt ſemper*. Non tanquam de præterito locutus fuiſſet, ſed tanquam de re præſenti & adhuc durante. Chriſtus enim quamdiu in terris verſabatur, perpetuo mente ac Spiritu erat in cœlis. Hinc qui de Spiritu ſolo hæc verba accipiunt, locum Joh. 3. 13, ita explicant : Ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, *qui eſt in cœlo*, hoc eſt, *qui non ſemel, nec per intervalla, ſed perpetuo ad cœleſtia illa introſpicienda admittitur, ſicque velut in intimo Dei ſacrario ſemper verſatur*. Si perpetuo admittitur, ſi ſemper verſatur, cur hic non dicit, ſe ſemper eſſe, ſed tantum fuiſſe prius ? Ergo de corporali exiſtentia ſua in cœlis loquitur, non de ſpirituali.

Verſ. 63. *Spiritus eſt, qui vivificat ; caro non prodeſt quicquam : verba quæ ego loquor vobis, Spiritus ſunt & vita ſunt.*] Occurrit hic Chriſtus alteri ſcandalo, quod auditores ejus ex verbis de manducatione carnis ipſius ſumſerant. Locus autem hic non parum habet difficultatis : quia non ſatis liquet, quid per Spiritum hic Chriſtus intelligat. Quidam putant per Spiritum intelligi ſpiritualem verborum Chriſti ſenſum : quaſi Chriſtus ſignificet, verba ſua ſpiritualiter accepta afferre vitam, ſed carnaliter ſumta nihil prodeſſe. Alii per Spiritum res ſpirituales, per carnem res carnales denotari autumant ; ut ſenſus ſit : Res ſpirituales ſunt, non corporales, quæ ducunt ad vitam æternam, ſeu quibus vita æterna acquiritur : corporalis autem res, ut eſt caro mea, nihil prodeſt ad vitam æternam obtinendam. Proinde verba mea, quæ loquor, cum ſpiritualia ſint, & ad ſpiritum ſive actiones animi pertineant, animo ſolum, hoc eſt, fide ex animo ſincero profecta comedi percipique poſſunt, ſicque percepta vitam æternam pariunt. Alii rurſus per ſpiritum intelligunt vim & efficaciam ſpiritualem, tum ex Euangelio Chriſti, tum ex morte ejus manantem, quæ animos credentium in amorem & obſequium Dei ac Chriſti totos inflammat & rapit, atque ſic vitam æternam adfert : quaſi dicat Chriſtus : Ad vitam æternam conſequendam ſpiritu vobis opus eſt, qui carnem veſtram, quæ in vobis regnat, domet ; qui vos ad Deo parendum agiles promptoſque reddat : quam ad rem caro mea carnaliter comeſta, nihil vobis prodeſſe poteſt. Spiritum autem iſtum, qui vitam æternam adfert, ex verbis meis ac doctrina mea haurire debetis. Quocunque ex his tribus modo verba Chriſti intelligantur, liquet tamen, Chriſtum hic indicare, ſe in illis verbis : *Niſi manducaveritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum* &c. non de carnali ac proprie dicto carnis ſuæ eſu ac ſanguinis ſui potu eſſe locutum. Unde clariſſime cernitur, perperam hæc verba Chriſti hodie ad Euchariſtiam trahi, in qua creditur ipſiſſimum corpus Chriſti modo proprie dicto ore manducari : idque propter verba illa Chriſti male intellecta, *Hoc eſt corpus meum*, Matth. 26. 26, de quibus vide dicta ad hunc locum. Certe carnem Chriſti proprie comedere res per ſe tum impoſſibilis eſt, tum impia, tum denique inutilis. Impoſſibilis, quia caro ilia, in qua Chriſtus paſſus ac crucifixus eſt, jam non extat amplius, poſtquam Chriſtus glorificatus eſt, & *factus eſt Spiritus vivificans* 1 Cor. 15. 45. Hinc ſtatus ejus præſens, in quo *conſummatus eſt*, opponitur *diebus carnis ejus*, quibus in terris verſatus eſt, Hebr. 5. 7, 9. Sed etiamſi caro illa adhuc extaret, non tamen ſufficeret tot hominum millibus ad manducandum : præſertim cum nolint particulam carnis Chriſti capere ſingulos, ſed quemlibet manducare totum corpus Chriſti. Unde neceſſe foret, non unum Chriſti corpus, ſed multa millena millia corporum ejus extare, quæ tamen omnia ſint unum illud idemque corpus Chriſti, quod habuit in terris ; & hiſce abſumtis, neceſſe eſt, ut rurſus alia, vel potius eadem reexiſtant corpora, quæ abſumta nihilominus maneant integra, tanquam ſi nunquam abſumta aut comeſta fuiſſent. Quæ res ſi cui impoſſibilis & abſurda non videtur, neſcio ſane quid tandem ei impoſſibile atque abſurdum futurum ſit. Sed ponamus, fieri poſſe, ut verum corpus Chriſti ore manducetur, res tamen iſta foret impia, profana, & flagitioſa : tantum abeſt ut id cum honore Chriſti, & ad gloriam Dei, adeoque cum ſanctitate fieri poſſit. Nam ſi ſcelerati erant milites illi, qui corpus Chriſti ſanctiſſimum in crucem ſuſtulerunt, clavis tranſfixerunt, lancea confoderunt, & flagellis conciderunt : quanto ſceleratius eſt, idem corpus ore ac dentibus comminuere, deglutire, & in ventrem tranſmittere ? Hoc ſane Auguſtinum agnoviſſe ſupra monſtravimus. Denique cui bono id fieret, etiamſi nec impoſſibile, nec impium

impium eſſet? Ecce Chriſtus ipſe ſe explicat, quod *caro nihil proſit*, ſcilicet ad vitam ſpiritualem & æternam. Caro enim proprie comeſta in ventrem intrat, (ut de omni cibo corporali, qui in os intrat, aſſerit Chriſtus Matth. 15. 17.) non in animum, neque ad eum reformandum atque ad vitam æternam renovandum quicquam confert. Quod vero Maldonatus in varias ſe hoc loco formas vertens reſpondet, Chriſtum hoc ſibi velle, quod caro ſola ac nuda per ſe non proſit, ſed quod proſit cum ſpiritu conjuncta; in Euchariſtia autem eam cum ſpiritu comedi: id nihil eſt. Quæro enim, quid ille per ſpiritum intelligat? Si per eum intelligit vitam, adeoque vivam carnem Chriſti non mortuam & exanimatam, prodeſſe ſtatuit, non videt, Chriſtum cum præcipit, ut carnem ejus manducemus, & ſanguinem bibamus non de viva carne ſua loqui, & de ſanguine in corpore exiſtente, ſed de carne crucifixa, anima & ſanguine caſſa, deque ſanguine ex corpore effuſo. Sic enim caro ejus demum ad edendum, & ſanguis ad bibendum aptus eſt: ut & ſupra monuimus. Sed ille videtur per ſpiritum potius divinitatem Chriſti intelligere: ita ut ſentiat, corpus Chriſti quod per ſe ſolum non prodeſt ad ſalutem, quia cum divinitate ejus conjunctum eſt, ideo prodeſſe. At hoc novum monſtrum atque portentum eſt, dicere, divinitatem, ſeu divinam naturam Chriſti, atque adeo ipſum Deum Altiſſimum manducari ab hominibus, quando corpus Chriſti manducant. Hoc ſcilicet deerat adhuc, ut Deus ſummus hominum eſca fieret, & devoraretur. Ethnici ipſi ſaniores à tanta blaſphemia abhorruerunt. Hinc Cicero: *Ecquem*, inquit, *tam amentem eſſe putas, ut quo veſcatur, Deum eſſe credat?* Quodſi vero divinitas ipſa non comeditur, nec comedi poteſt, caro remanebit ſola, & ſola comeditur, quam nihil per ſe prodeſſe, ipſe Maldonatus fatetur.

Verſ. 64. *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim à principio Jeſus, quinam eſſent, qui non crederent, & quis eſſet traditurus enim.*] Poſtquam Chriſtus oſtendit, non eſſe in verbis ſuis ullam veram ſcandali cauſam; jam monſtrat in ipſis cauſam reſidere cur ſcandalizentur, cur ſermo ipſius durus ipſis videatur: & hæc erat ipſorum incredulitas, & animi improbitas. Non ſermo Chriſti durus erat: ſed durum erat cor eorum & lapideum, quod doctrinam Chriſti in ſe non admittebat, quod ſanctitate ejus non flectebatur, nec movebatur miraculis, à quo denique omnia ejus monita reſiliebant non ſecus,

\- - - - - - quam tecti à culmine grando,
Aut ſi quis parvo feriat cava tympana ſaxo.

Incredulitas ex animo malitioſo proficiſcitur, quando ſunt ſufficientes credendi cauſæ. Hinc Scriptor divinus ad Hebræos monet: *Videte, fratres, ne quando ſit in ullo veſtrum cor malum incredulitatis, ut deſciſcat à Deo vivo*, Hebr. 3. 12. Sunt quidam, qui ideo non credunt, quia non intelligunt: & iſti poſſunt eſſe non mali homines. Sed ſunt alii, qui ideo non intelligunt, quia non credunt; nec credere volunt; & hi ſunt homines peſſimi: quia nolunt verum eſſe, quod vitiis ac cupiditatibus eorum repugnat. Itaque manibus & pedibus reluctantur veritati, quo poſſint peccatis ſuis ſuaviter indormire.

Sciebat enim à principio Jeſus, quinam eſſent, qui non crederent.] Hoc addidit Johannes, ut oſtenderet, non temere iſtis diſcipulis incredulitatem eſſe à Chriſto objectam: ipſum enim cognitas habuiſſe omnium diſcipulorum ſuorum mentes, ut ſciret, qui animo ſincero ac probo accederent, quique vere crederent, in ſe tanquam Meſſiam, & qui ſecus. Sunt autem hæc verba in parentheſi legenda. Verba enim verſus ſequentis cum ſuperioribus cohærent.

A principio.] Principii vox ſemper ad ſubjectam materiam referenda eſt. Quod cum non obſervent illi, qui verba Euangeliſtæ noſtri, à quibus Euangelium ſuum orditur: *In principio erat Verbum*; de principio mundi interpretantur, à veritatis ſcopo quam longiſſime aberrant. Subjecta enim materia Johannis in ſcribendo, non fuit mundi creatio, ſed Euangelium, ſeu mundi inſtauratio: ut ibidem oſtenſum eſt. Hoc loco intelligendum eſt principium acceſſus diſcipulorum ad Chriſtum. Indicat autem Euangeliſta, non tunc demum ex eventu cognoviſſe Chriſtum, quinam eſſent increduli, non ſenſim ex eorum moribus & converſatione cum illis perſpexiſſe pravum ipſorum ingenium: ſed ſtatim eo ipſo tempore, cum primum ad ipſum ſe aſſociarent, cum diſcipulorum ſe gregi adjungerent, noviſſe eos intus & in cute. Cur ergo, inquies, eos ſuſcepit, ſi vidit malos & perverſos homines eſſe? Nimirum ut haberent anſam & occaſionem reſipiſcendi. Venerat ille, ut ſervaret, quod pererat. Igitur & perditos ſuſcipere debebat & ad ſe admittere, ut emendari & ſervari poſſent: quodſi non emendarentur, ut eſſent inexcuſabiles.

Et quis eſſet traditurus eum.] Is fuit Judas Iſcariotes: cujus Johannes peculiariter mentionem facit, ut doceat non hoc tantum, quod iſti deſciſcerent, præter ſpem & expectationem Chriſti non accidiſſe, ſed ne id quidem præter ſpem ejus eventurum, quod eum unus ex Apoſtolis, intimis diſcipulis ſuis, proditurus ſit: quippe cum & hunc noſſet jam à principio, id eſt, ex eo tempore, quo in numerum duodecim Apoſtolorum allectus eſt. Imo videtur Chriſtus de induſtria, Deo ſic volente, hunc Judam, depravatiſſimi ingenii hominem in contubernium ſuum ideo adſciviſſe, ut per eum Scriptura impleri poſſet, prædicens, Chriſtum ab uno è domeſticis ſuis eſſe prodendum. Hanc Scripturam ſane nullus è piis & probis hominibus implere poterat: ergo electus eſt impius, qui rem impiam perficeret. Deus Judam non fecit malum, ſed malum invenit, ejuſque malitia jam parata uſus eſt ad ſalutem humani generis.

Verſ. 65. *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quod nemo poſſit venire ad me, niſi fuerit ei datum ex Patre meo.*] Verſus iſte cohæret cum illis verbis verſus præcedentis, *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Quæ nunc confirmat: quaſi dicat; Dudum ego vos omnes novi, & non latet me, eſſe inter vos quoſdam, qui licet nomina ſua apud me profeſſi ſint, & ſe diſcipulorum meorum titulo ornarint, à me tamen animo averſi ſint, & me pro Meſſia vero reipſa non agnoſcant. Et propterea quia id ſciebam,

dixi

dixi vobis paulo ante in ſermone meo, quo offenſi eſtis, neminem poſſe venire ad me, id eſt, in me vere credere, niſi datum ei ſit à Patre meo. Dixerat id Chriſtus ſuperius ℣.44, quanquam paulo aliis verbis, ſed quæ eodem recidunt. Nam *trahi à Patre, & dari alicui a Patre*, ſubintellige, ut credat, idem eſt. Quid autem ſit trahi à Patre, ſuo loco diximus.

Ex Patre.] Idem eſt quod, à Patre: ut Rom.11. ℣.36. 1 Cor.8. 6. Matth.1. 18,20.

Verſ. 66. *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abiverunt retro, nec amplius cum ipſo ambulabant.*] *Ex hoc*, ambigue dictum eſt. Alii ſupplent, *ex hoc*, ſcilicet tempore. Alii vero *ex hoc*, interpretantur, propter hoc, ſeu, ob hanc cauſam: quaſi dictum ſit, Ex hac cauſa ortum eſt, quod multi abierint. Subjunguntur vero hic ab Euangeliſta ad illuſtrationem ſermonis Chriſti, præclara non manducantium carnem Chriſti, nec bibentium ſanguinem ejus primo, & deinceps etiam manducantium ac bibentium carnem ac ſanguinem Chriſti exempla. Qui deficiebant diſcipuli, reipſa oſtendunt, ſe non edere nec bibere Chriſtum, id eſt, in ipſum non credere. At qui fideles manſere Apoſtoli, vere eum edebant ac bibebant. Turpius eſt deſerere fidem, quam eam non ſuſcipere: quemadmodum & miles ſceleratior habetur, ſi deſerat caſtra, quam ſi in caſtra nunquam veniſſet. Apoſtata deterior eſt infideli, qui nunquam credidit: quia ille magnis fuit obligatus beneficiis, quorum expers eſt infidelis. Nam ut ait Auctor Epiſtolæ ad Hebræos, *jam ſemel fuit illuminatus, guſtavitque donum illud cœleſte, & particeps factus fuerat Spiritus Sancti, guſtavitque bonum Dei verbum, ac efficaciam futuri ſeculi.* Nihil horum contigit infideli. Idcirco etiam *impoſſibile* inquit eſſe idem Auctor, *ut tales denuo renoventur ad reſipiſcentiam*, Hebr.6. 4,5,6. Sal infatuatus non poteſt amplius reparari, Matth.5. 13. Et ne quis miretur tam duriter at rigide agi cum apoſtatis, audiamus, quantopere ſpiritus divinus eorum crimen ac peccatum exaggeret. Scribit Auctor citatus ad Hebræos loco modo dicto, *eos denuo configere ſibi Filium Dei, & ignominiæ exponere*, Hebr.6. 6. Et Hebr. 10. 29, *eos Filium Dei conculcare, & ſanguinem Fœderis, per quem fuerant ſanctificati, profanum ducere, & Spiritum gratiæ contumelia afficere.* Quodnam gravius ſcelus ac magis horrendum poſſit homo mortalis in terris committere? Ita & iſtorum Chriſti deſertorum, quos hoc loco deſcribit Johannes, an levem culpam eſſe putabimus? qui diſceſſu ſuo palam damnarunt univerſam & doctrinæ & vitæ Chriſti rationem: quaſi dicerent: Non eſt iſte verus Magiſter à Deo miſſus, ſed eſt impoſtor, homo nefarius, & ſeductor. Animadvertendum enim eſt, eos non ad tempus abiiſſe à Chriſto, duritie ac obſcuritate ſermonis ejus turbatos, quod etiam in homines non omnino malos cadere poſſet: ſed eos tantum odium concepiſſe adverſus Chriſtum, ut nunquam poſtea redierint ac reſipuerint, quod nonniſi in homines deploratos ac peſſimos cadere poterat. Videmus ergo in eis impletum eſſe id, quod modo ex Epiſtola ad Hebræos audivimus, impoſſibile eſſe, ut tales renoventur ad reſipiſcentiam. Vix commemoratione dignum eſt, quod ſcribit auctor non ſatis gravis, nec valde antiquus Epiphanius, Marcum & Lucam Euangeliſtas fuiſſe ex iſtorum diſcipulorum, qui ſermone Chriſti ſcandalizati ſunt, numero: poſtea vero illum à Petro, hunc à Paulo eſſe retractum. Sed hæc narratio refutatur hiſce Johannis verbis, quibus eos qui abierant, nunquam pedem retuliſſe & amplius Chriſto adhæſiſſe teſtatur. Præterea de Marco ex aliis auctoribus antiquioribus, & de Luca ex ipſiuſmet ſcriptis conſtat, eos Chriſti in terris ſectatores non fuiſſe, neque ea ſcripſiſſe, quæ oculis ſuis ipſi uſurparunt, ſed quæ fando ab aliis oculatis teſtibus acceperunt. Vide Luc.1. 2,3.

Verſ. 67. *Dixit ergo Jeſus illis duodecim: Num & vos vultis abire?*] Mira hic Chriſti benitas ac manſuetudo enituit. Poterat defectores illos vi retinere: poterat graviſſimis eos ulciſci pœnis, & noviſſima exempla in eis ſtatuere. Sed tantum abeſt, ut id fecerit, ut etiam reliquis fidiſſimis ſuis aſſeclis liberam dederit abeundi poteſtatem: indicans, quam religio Chriſtiana coacta eſſe non debeat, ſed libera ac voluntaria. Lactea ſunt illa Lactantii verba: *Nihil eſt tam voluntarium, quam Religio; in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Coactio hypocritas tantum facit, non veros Dei cultores. Nulla itaque eſt evidentior Antichriſti nota, quam homines vi ad religionem cogere, & in diſſidentes armis ac perſecutionibus ſævire. Poteſt Eccleſia illa vel religio non eſſe vera, quæ premitur & affligitur. Sed illa Eccleſia atque religio non poteſt eſſe vera, ſed neceſſario falſa ac impia eſt, & non Chriſti, ſed Antichriſti Spiritu regitur, quæ ferro flammiſque aut alio carnalis coactionis genere ob religionem alios infeſtat.

Exigit hic à nobis veritas ſuo jure patrocinium adverſus Maldonatum, qui in hunc locum ſcribens, videtur quodammodo diſtinguere coactionem in religione, conceditque ferme, libertate ad ſuſcipiendam religionem Chriſtianam opus eſſe, atque ad eam non vult quenquam cogi; ſed vi tamen retineri in ſuſcepta ſemel religione homines poſſe urget. Sic enim ſcribit: *Non licet ex hoc loco colligere, non poſſe eos, qui jam baptiſati fidem profeſſi ſunt, vi ab Eccleſia, quominus diſcedant, retineri.* Cur vero non licet id colligere. Annon cum Deus voluntarios velit habere cultores, pari libertate opus eſt hominibus in religione Chriſtiana retinenda, atque in ea ſuſcipienda? Nonne ipſe inter alias rationes, cur Chriſtus interrogarit diſcipulos ſuos illos duodecim: *An & illi velint abire?* hanc affert: *Ut liberum illis arbitrium relinqueret, quo in ſuſcipienda fide maxime opus eſt?* Ubi cum dicit, Chriſtum reliquiſſe Apoſtolis liberum arbitrium iſta ſua interrogatione; eo nihil poterat dicere verius. Sed deinde, cum addit: *Quo in ſuſcipienda fide maxime opus eſt*; eo nihil poterat addere ineptius. Non enim hic de ſuſcipienda fide agebatur: nam illi jam dudum fidem ſuſceperant; ſed agitur de remanendo in ea, vel de ea deſerenda. Itaque non quærit Chriſtus: An velint ad ipſum venire? Sed, An velint abire, vel manere? Ergo dicere potius debuiſſet Maldonatus, Chriſtum Apoſtolis *liberum arbitrium reliquiſſe, quo tum in ſuſcipienda, tum in abjicienda fide maxime opus eſt.* Sed audia-

audiamus argumenta, quibus evincere conatur Maldonatus, non licere ex hoc loco colligere libertatem à fide deficiendi, atque ab Ecclesia vera discedendi. Primum est : *quia*, inquit, *non faciebat Christus Apostolis proprie discedendi potestatem ; quin maxime volebat, ut ne discederent, idque agebat his verbis, ut eos in fide retineret.* Imo vero proprie & vere faciebat illis discedendi potestatem. Serio enim, non simulate, hoc dicebat : *Nunquid & vos vultis abire?* Aliud autem est, quod voluerit, ne discederent, idque his verbis egerit, ut eos in fide retineret. Hoc quidem verum est : sed interim & hoc verum est, quod vi eos retinere noluerit. Possuntque hæc simul stare : velle, ne quis discedat, idque verbis agere ; reipsa tamen potestatem discedendi ei concedere. Id quod in convertendis ad religionem hominibus cernere licet. Hic Christus vult, ut eam omnes suscipiant, idque agit omnibus modis ; interim tamen potestatem hominibus, vel ipso Maldonato fatente, proprie ac vere facit eam non suscipiendi : alioquin liberum illis non reliqueret arbitrium, *quo* ut dixit, *in suscipienda fide maxime opus est.* Secundum argumentum Maldonati est : *quia si potestatem illis abeundi proprie fecisset, Dominus erat etiam Sabbati, qui in lege sua dispensare poterat, nos non possumus.* Quasi vero lex ulla Christi extet, qua cogere invitos, ne deserant religionem ejus, aut vi retinere quenquam in Ecclesia jubeamur ; ita ut non possimus in illa dispensare, sicut Christus ! Annon contra & analogia fidei, & sana ratio pro lege est, neminem vi & ingratiis retinendum esse ? quia nimirum coacta religio non est religio, & Deus non homines in religione, sed se solum vult timeri. Unde consequitur, factum hoc Christi non fuisse peculiare & nos minime obstringens, sed tale, quod nobis quoque omnino sit imitandum.

Attamen, inquiet aliquis, aliam necesse est esse rationem eorum, qui nunquam jugo Christi cervices suas subdiderunt, & aliam eorum, qui libere & ultro in se hoc jugum receperunt, seque Ecclesiæ regimini subjecerunt, obedientiam & constantiam in fide sacrosancte polliciti. In hos enim Ecclesia jus habet tanquam in membra sua, in illos vero nullum. Vide 1 Cor. 5. 12. Uti in bellum proficisci unicuique liberum est, & nomen dare militiæ, vel non dare : Sed si semel adscriptus fueris ordinibus, non licet bello, cum lubet excedere & militiam deserere ; potestque jure desertor talis puniri, & cogi, ut maneat. Sic & in Christi castra se dare & non dare, arbitrarium est : at ex eis aufugere non licet. Hoc pœnæ subjacet, non illud. Respondeo. Verum sane est, diversam esse infidelium, & apostatarum vel hæreticorum rationem, ita ut in hos animadvertendi jus revera competat Ecclesiæ, in illos minime. Sed hoc interea probe observandum est, Ecclesiæ aliud jus puniendi non competere, quam spirituale. Itaque hac objectione nihil amplius effici potest, quam defectores ab Ecclesia vel à fide, jure posse spiritualibus pœnis ab Ecclesia mulctari, id est, ut hodie loquuntur, excommunicari, vel, ut Christus loquitur, pro Ethnicis & publicanis, quorum vitanda sit conversatio, habendos declarari. Sed carceribus, flagris, mulctis, exilio, igne, gladio, rota, patibulo sævire in quenquam religionis causa, à religione Christi alienissimum est ; ac proinde id faciendi jus neque Ecclesia, neque Magistratus politicus, (cui alias datus est à Deo gladius ad puniendos facinorosos in rebus politicis) habere potest.

Vers. 68. *Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem abibimus ? verba vitæ æternæ habes.*] Contraria juxta se posita magis eluceſcunt. Quanto turpior illorum abeuntium inconstantia ac improbitas ; tanto laudabilior & glorioſior Apostolorum manentium constantia ac pietas apparuit. Illi verba Christi non percipientes, clamant, durum esse sermonem, quem ferre & audire nequeant. Hi etsi forte & ipsi non satis verba Christi intelligerent, tamen agnoscunt palam esse *verba vitæ æternæ* ; quæ non propterea rejicienda sint, quod ipsi ea non caperent, sed tanquam sancta, tanquam divina nihilominus adoranda. Simon Petrus autem nomine Apostolorum omnium respondet, non quia Princeps & Caput eorum erat, uti somniant Pontificii, sed quod vel ætate major esset reliquis, vel quod ingenio & dicendi promptitudine super alios emineret.

Ad quem abibimus ? Verba vitæ æternæ habes.] Diogenes cum à præceptore suo Antisthene repelleretur non passus est se abigi, sed ostenso fuste, negavit ullum tam durum fustem dari, quo possit fugari. Similis est Apostolorum erga Magistrum suum amor ac fides. Non ulla verborum durities, non exempla pessima condiscipulorum, non ipsius Christi quodammodo dimittentis eos, ad abeundum invitatio, eos à Christo possunt avellere ; sed quærunt : *Ad quem abibimus ?* Quasi dicant : Absit, ut à te Domino ac Magistro nostro abeamus. Hoc vero non dicunt simpliciter, sed simul rationem verbis suis adjungunt, cur abire nolint : quod scilicet nemo sit, ad quem, relicto Christo, ire possint. At potuisset aliquis dicere : Potestis ire ad Mosen, ad Pharisæos, ad Scribas, ad Patrum vestrorum traditiones. Propterea addunt : *Verba vitæ æternæ habes.* Quo dicto indicant, à solo Christo disci posse viam ac modum consequendæ vitæ æternæ. Alioqui si etiam ex Lege Mosis, vel ab aliis viam istam discere potuissent, ratio hæc, quam afferunt, cur à Christo abire nolint, nullius esset momenti. Christo soli debetur hæc laus, quod destruxerit mortem, & illuminaverit vitam ac incorruptibilitatem per Euangelium, 2 Timoth. 1. 10. Ita etiam in Actis Apostolicis vocat Angelus Euangelium Christi *verba vitæ hujus*, nempe æternæ, Actor. 5. 20.

Vers. 69. *Et nos credidimus, & cognovimus, te esse Christum, Filium Dei viventis.*] Illustrem hic edunt Apostoli de Christo confessionem, quam ut eliceret, Christus eos interrogaverat. Non enim ideo quærebat, num abire vellent ? quod ignoraret, quid facturi essent, vel quod de eorum fide ac probitate dubitaret. Sed voluit eis dare occasionem testandi amorem erga se, & veram confessionem de se proferendi, in testimonium ac damnationem illorum defectorum, qui, ut dictum est, discessu suo quodammodo damnabant Christum, & testabantur, eum non esse Messiam, sed seductorem. At contrarium expresse profitentur, ac testantur, Apostoli : *Nos credidi-*

credidimus & cognovimus, te esse Christum, Filium Dei viventis. Quasi dicat: Discedant alii, ac scandalizentur, qui cum nihil nisi carnalia quærant, humilitatem conditionis tuæ secundum carnem despiciant: quærant illi sibi alios magistros; expectent alium Messiam, qui carnali eorum palato arrideat, ut similes habeant labra lactucas. Nos apud te invenimus, quod unice quærimus, quodque nusquam apud alios invenire possumus, nempe vitam æternam, ad quam tu solus es, qui homines per Euangelium tuum potes adducere. Itaque ne tantillum quidem de eo dubitamus, quod tu sis verus ille Messias ac Redemptor Israëlis à Deo olim promissus, & nunc reipsa missus.

Et nos credidimus.] Id est, verbis tuis ac doctrinæ tuæ.

Et cognovimus.] Id est, miraculis tuis sumus in fide nostra confirmati. Notandum, quod fidei & cognitioni seu scientiæ optime in religione conveniat. Scientia est, quando rei alicujus certa & indubitata habemus argumenta. Fides vero, quando argumentis istis assentimur, seu rem propter ista argumenta veram esse statuimus. Argumenta autem pro diversitate materiæ seu rei subjectæ sunt diversa; aliis argumentis probantur res physicæ, aliis mathematicæ, aliis historicæ, aliis supernaturales. Ad omnia ista argumenta investiganda, examinanda, & percipienda requiritur ratio: & si quis ea perspexerit, scientia est; si firmiter iis adhæreat, fides. Scio in scholis vulgo ita distingui scientiam à fide, quod illa nitatur argumentis ductis à ratione, seu principiis naturalibus certis ac infallibilibus; hæc vero argumentis ab auctoritate sumtis. Verum Scriptura Sacra hanc distinctionem ignorat: nam etiam ea, quæ sola auctoritate divina nituntur sciri dicuntur in Sacris Literis. *Scimus*, inquit Apostolus, *quod si terrestris tabernaculi nostri domus dissolvatur, ædificium ex Deo habemus*, 2 Cor. 5. 1. At alter Apostolus: *Dilecti, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quod ubi apparuerit, similes ei erimus*, 1 Joh. 3. 2. Item: *Nos scimus, quod translati sumus à morte ad vitam, quoniam fratres diligimus.* Ibid ℣. 14. Vide quoque 1 Joh. 5. 13, 15, 18, 19, 20, & alibi passim. Non possum hic præterire id, quod scribit Thomas Hobbes in libello suo de Cive, vir doctus satis, sed acutus magis, quam solidus. Is inter scientiam & fidem tale discrimen ponit cap. 18. artic. 4, quod *scientia sit propositionem examinatione comminutam, & mansam lente admittere; fidei autem integram deglutire.* Cœcam nobis ac voracem nimis fidem depingit iste bonus vir, quæ sine examinatione omnia deglutiat. Sic equidem aliquando pro pane carbones, aut excrementa deglutire posset. Si qua in re diligenti examine opus est, certe in rebus fidei ac religionis. Hinc illa monita divina: Omnia probate, quod bonum est tenete, 1 Thess. 5. 21. Videte, ne quis vos seducat, Matth. 24. 5. *Cavete à falsis Prophetis*, Matth. 7. 15. *Non cuivis spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint*, 1 Joh. 4. 1. Pergit ille: *Prodest ad scientiam explicatio nominum, quibus id, quod inquirendum est, proponitur; imo unica via ad scientiam est, per definitiones. Ad fidem autem nocet hoc.* Qui sic? *Nam*, inquit, *quæ supra captum humanum credenda proponuntur, nunquam explicatione evidentiora, sed contra obscuriora, & creditu difficiliora fiunt.* Hoc vero ex Sacris Literis falsissimum esse constat. Quid enim? annon resurrectio mortuorum est res supernaturalis, cujus modus captum humanum superat? Et tamen Apostolus 1 Cor. 15. non solum argumentis variis eam futuram esse probat, sed etiam modum ejus explicat, quomodo fieri possit, ut licet corpora post mortem intereant ac dissolvantur, homo tamen idem resurgat, adhibens ad hanc rem illustrandam, tum simile petitum à seminibus in terram consitis, quæ non prius exoriuntur, & novo corpore amicta virent, quam pristinum corpusculum computruerit; tum simile à stellis sumtum, tum rationes complures. Sic & Christus (ne alia plura exempla accumulem) cum de regeneratione agit, re utique haud naturali, sed spirituali, & captum humanum excedente, nonne eam explicat & similitudine venti declarat, cum Nicodemus tam sublime mysterium non caperet? Joh. 3. 4. & seqq. Quid ergo? an id nocuit? an mysteria ista explicando non evidentiora, sed obscuriora ac creditu difficiliora facta sunt? Vanissimum proinde est, quod Hobbes subjicit: *Accidit-que homini, qui mysteria fidei ratione naturali conatur demonstrare, idem quod ægroto, qui pillulas salubres, sed amaras, vult prius mandere, quam in stomachum demittere; ex quo fit, ut statim revomantur, quæ alioqui devoratæ eum sanassent.* Lepida quidem & arguta similitudo: sed quia ad rem non quadrat, nihil efficit. Non enim nobis mysteria fidei proponuntur, tanquam pillulæ non mandendæ, sed integræ deglutiendæ. Nihil nobis credendum in Scriptura proponitur, cujus non justæ reddantur rationes. Hinc religio Christiana rationalis cultus dicitur. Rom. 12. 1, quia nimirum rectæ rationi est prorsus consentanea. Eatenus quidem res fidei dicuntur mysteria, quod antequam revelarentur, eas assequi non potuerit humana ratio: at postquam revelatæ sunt, cognoscit eas ratio, & approbat, verissimasque esse agnoscit, & tum mysteria esse desinunt. Sed quia hodie inter Christianos multa talia traduntur mysteria, quæ rationi prorsus repugnant, & referta sunt innumeris contradictionibus, propterea nolunt homines ea examinari, sed faciunt ex iis pillulas, quæ haud comminutæ nec commansæ deglutiantur. Verum de his non est hic pluribus agendi locus.

Te esse Christum, Filium Dei viventis.] Hanc eandem confessionem de Christo etiam alibi alia occasione edidit Petrus nomine suo ac totius Apostolici collegii. Vide Matth. 16. 16. Marc. 8. 27. Luc. 9. 18. Continet autem hæc confessio summam eorum omnium, quæ de Christo credenda sunt. Christum enim esse Græcis idem est, quod Messiam esse Hebræis, unctum Latinis. Complectiturque hic titulus tria Christi munera: Propheticum, Sacerdotale, & Regium; quia sub Veteri Fœdere tres isti, Prophetæ, Pontifices, ac Reges inungi solebant. Ad hæc autem tria Christi munera omnia revocari possunt, quæ de ipso credi debent. Notandum quoque est, Christum seu Messiam esse, & Filium Dei viventis esse, æquivalere. Quod primum ex locis parallelis patet. Nam Marc. 8. 29, ubi narratur eadem con-

feſſio, tantum dicitur: Tu es Chriſtus; quod autem ſit *Filius Dei viventis*, non additur. Unde apparet, hoc poſterius in priori includi; alioqui partem tantum confeſſionis Petri, non totam expoſuiſſet Marcus, nec fidelis hiſtorici functus fuiſſet officio. Vide quoque Luc. 9. 20, item 1 Joh. 5. 1. confer cum verſ. 5. Deinde patet id hinc, quod Reges ac Magiſtratus dicti ſunt in Sacris Literis Filii Dei altiſſimi Pſal. 82. 6. Cum ergo & Meſſias Rex eſſe debuerit, ſimpliciter & κατ' ἐξοχὴν dictus & Filius Dei, propter excellentiſſimum officium, & quia alios Reges omnes infinitis parasangis poſt ſe debebat relinquere. A Judæis ſane titulum Filii Dei tributum eſſe Meſſiæ, clariſſime liquet ex his locis: Matth. 26. 63. xxvii. 30, 43. Joh. 1. 49, certe non propter æternam generationem ex eſſentia divina, ſed propter Regiæ dignitatis excellentiam.

Verſ. 70. *Reſpondit eis Jeſus: Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?*] Non ſatis liquet, quid ſibi his verbis vel t Chriſtus, & quomodo quadrent ad modo factam Apoſtolorum confeſſionem. Verum, ut aliorum opiniones, miſſas faciam, probabile videtur, Chriſtum ſermonem Petri quodammodo corrigere voluiſſe. Dixerat enim ille: *Nos credidimus & cognovimus*, quaſi omnes duodecim Apoſtoli idem credidiſſent, cognoviſſentque. Oſtendit igitur Chriſtus, rem non uſque quaque ita ſe habere: unum enim eorum eſſe, qui id non credat. Quem cum Chriſtus nomine non deſignaret proprio, omnibus curam ac ſolicitudinem injecit, ut ſibi caverent ab omni improbitate, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam perficerent, Phil. 2. 12. Videtur etiam indicare voluiſſe, ſibi defectionem illam tot diſcipulorum non improviſam fuiſſe: quaſi dicat; Non eſt quod vos percellat res iſta, quam videtis, quod tanta multitudo diſcipulorum à me averſa ſit: nolite putare id mihi novum ac inſperatum accidiſſe. Noveram eos jam dudum probe; vidi eos fronte politos,

Aſtutam vapido geſtare in pectore vulpem.

Sed & nunc ſcitote, me vos quoque omnes intus & in cute noſſe, & compertiſſimum habere, inter vos duodecim, quos peculialiter elegi, & adamavi, & ad intimum conſortium admiſi, unum eſſe nebulonem. Qua de re nunc vos præmoneo, ut ubi dicta mea eventus comprobaverit, agnoſcatis, me id jam longe ante prævidiſſe, nec mihi animos veſtros incognitos fuiſſe.

Nonne ego vos duodecim elegi?] Intellige ad Apoſtolatum.

Et unus ex vobis diabolus eſt.] Ita vocatur Judas, vel quia delator ac proditor erat futurus Domini ſui, quod ſine criminatione atque calumnia fieri vix potuit. Diabolus autem Græca lingua calumniatorem ſignificat. Sic legimus Doëgum, tametſi vere nunciaverat Saulo rem inter Davidem & Abimelechum geſtam, quia tamen hoc criminandi animo fecerat, calumniatorem dictum eſſe: Pſal. 52. 1 & ſeqq. Vel quia fuit Diabolo, ſpiritui illi immundo, cui hoc nomen tanquam proprium ac peculiare hæſit, ſimilis malitia ac perverſitate: inprimis autem avaritia & furacitas animum ejus excæcaverat, Joh. 12. 6. In tam parvo numero Apoſtolorum repertum fuiſſe hominem tam nefarium: quid mirum eſt? cum minor longe fuerit numerus fratrum primorum in mundo, quorum duo tantum erant, Abel & Cain; alter tamen eorum fuit homicida. Major quidem quam fratrum illorum, ſed minor, quam Apoſtolorum, numerus fuit in Arca Noæ: octo enim animæ tantum in ea ſervatæ ſunt. At inter eas etiam Chamus fuit homo impuriſſimus. Multo igitur minus mirum eſt hodie in magna Chriſtianorum turba, & in numeroſa aliqua Eccleſia, quamvis vera, admixtos eſſe aliquos falſos fratres, & nomine Chriſtiano indignos. Non caruerunt talibus hypocritis etiam Apoſtolicæ Eccleſiæ: ut videre eſt ex ſcriptis ad Corinthios, Galatas, Philippenſes Epiſtolis. Magis mirandum eſt, quod Judam non emendaverit ſanctitas collegii Apoſtolici, & quotidiana cum Chriſto converſatio. Sed hac in re quoque Judas ſimilis fuit Diabolo, qui in loco ſanctiſſimo, nempe in cœlo, peccavit. Ut ergo illum cœli ſanctitas & conſpectus Dei ipſius non abduxit à peccato; ita nec Judam Chriſti familiaritas, & Apoſtolorum contubernium, quo nihil in terris poterat eſſe ſanctius.

Verſ. 71. *Loquebatur autem de Juda Simonis Iſcariota: hic enim traditurus erat eum, exiſtens unus ex duodecim.*] Amat Johannes à Chriſto obſcurius aut generalius dicta interpretari: ut ſupra cap. 2. 21. vi. 64. vii. 39. xi. 13. xii. 33. xiii. 11. xxi. 19. Ita & hic, cum in genere dixiſſet Chriſtus, unum è duodecim eſſe diabolum, neque quis is unus eſſet indicaſſet, ne lector de ſingulis ac immerentibus male ſuſpicaretur, voluit reliquos Apoſtolos à ſuſpicione proditionis vindicare, docetque, Chriſti verba de ſolo Juda eſſe intelligenda.

CAPUT VII.

Argumentum & Partes.

Deſcribit Euangeliſta hoc Capite memorabilem hiſtoriam ab aliis Euangelii ſcriptoribus prætermiſſam: quæ continet acta Chriſti ſub tempus feſti ſcenopegiæ ſeu tabernaculorum. Obſervat autem Johannes hunc in deſcribendo ordinem, ut I. *deſcribat, quid actum ſit, antequam veniret Chriſtus ad hoc feſtum Hieroſolymam: verſ.* 14. II. *Quid actum ſit, poſtquam venit ad feſtum, & Hieroſolymis comparuit, uſque ad ultimum diem feſti: ad verſ.* 37. III. *Quid actum ſit ultimo die feſti iſtius: uſque ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET ambulabat Jeſus poſt hæc in Galilæa: nolebat enim in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.*] Tempus quando hæc hiſtoria contigerit, non exprimit noſter Euangeliſta,

geliſta, niſi valde generaliter: *Poſt hæc.* Nam, ut jam non ſemel dictum eſt, non erat conſilium ejus, continuam omnium rerum à Chriſto geſtarum ſeriem perſequi: id enim jam fecerant alii Euangeliſtæ. Sed cum poſt cæteros ſcriberet ultimus, induxit in animum, velut ſpicilegium poſt meſſem peractam facere: itaque hinc inde aliquid excerpit, quod ab aliis indictum, memoratu tamen dignum erat, temporis ordine prorſus neglecto. Eſtque omnino non improbabilis eorum Interpretum conjectura, qui cenſent, factam eſſe à Johanne in narratione, hiſtoriarum tranſpoſitionem: ut nimirum prius geſta ſint ea, quæ Capite 6 deſcribuntur, poſtea ea, quæ ſcripta ſunt cap. 5, de ſanatione hominis per annos 38 ægrotantis: cum qua hiſtoria ſanationis hoc Caput 7 cohærere videtur, tum quod hic dicatur, verſ. 1. Chriſtum noluiſſe verſari in Judæa, quia eum quærebant Judæi interficere; qua de re legimus Cap. 5. 16, tum verſ. 21, hujus Cap. 7 dicat Chriſtus: *Unum opus feci, & omnes miramini.* Et rurſus ℣. 23, *Mihi indignamini, quod totum hominem ſanum fecerim Sabbato?* Quæ verba alio referri non poſſunt, niſi ad hiſtoriam Capitis quinti. Unde non immerito colligitur, ea quæ in Cap. 5 memorantur, non adeo diu, antequam acciderent, quæ hoc Capite 7 narrantur, contigiſſe: quia Chriſtus rei quaſi recens geſtæ cauſam hic reddit. Apparetque Chriſtum tempore interjecto inter ſanationem illius ægroti Sabbato factam, & feſtum hoc tabernaculorum Hieroſolymis non comparuiſſe, ſed in Galilæa verſatum eſſe, propterea quod Judæi violati Sabbati eum accuſantes interficere eum ſtuderent, ut hic refert noſter Johannes: tandemque jam in medio feſti tabernaculorum adveniſſe Hieroſolymam, atque in conſpectum Judæorum ſibi inſenſorum tunc primum poſt illam ſanationis hiſtoriam prodiiſſe: ubi cum adhuc recens eſſet miraculi illius Sabbato editi memoria, ideo Chriſtum rurſus ſe purgare coram populo. Cum ergo hiſtoria Cap. 6 geſta ſit ſub tempus Paſchæ, credibile eſt, hiſtoriam Cap. 5, accidiſſe tempore feſti ſecundi generalis, quod erat Pentecoſte. Cui deinde proximum fuit feſtum hoc tabernaculorum, de quo hoc Cap. 7 agitur, quod erat feſtum tertium generale. Ita ut hæc tribus Capitibus deſcripta narratio à Johanne, unius anni geſta circa tria feſta univerſalia complectatur. Quod ſi nolis concedere, dicendum erit, Chriſtum per integrum annum non veniſſe Hieroſolymam ad feſta ſolennia, aut ſi venit, non dixiſſe cauſam de ſanato illo ægroto proximis in feſtis, ſed demum poſt annum elapſum in feſto tabernaculorum. Quod utrumque ab omni abeſt veriſimilitudine. Nihil tamen hic definire auſim, propter voces *poſt hæc*, quas adhibet Johannes initio ſingulorum trium Capitum 5, 6, & 7, quibus videtur ſignificare, hiſtorias iſtas eo, quo ponuntur, ordine ſibi ſucceſſiſſe: niſi quis voces has laxe & indefinite ſumat, quaſi dictum ſit, Alio quodam tempore.

Ambulabat Jeſus.] Non de ambulatione otioſa, aut quæ animi tantum cauſa fiat, intelligendum eſt, ſed cum Euangelii prædicatione conjuncta. Notandum autem in prima hac Capitis hujus ſeptimi parte tria deſcribi à Johanne. Primo locum manſionis Chriſti, antequam iret ad feſtum tabernaculorum. Secundo colloquium, quod habuit cum fratribus ſeu cognatis ſuis. Tertio ſermonem ac judicium populi de eo Hieroſolymis, antequam ſe in feſto conſpiciendum præberet. Hic primum deſcribitur, id eſt, manſionis ejus locus, qui fuit Galilæa. Libenter Chriſtus in Galilæa verſabatur, tum quia ibi tutior erat, nec ita feriebat oculos, ſibi infeſtorum Sacerdotum, ac Phariſæorum, tum quia majori cum fructu videbat ſe in Galilæa poſſe munus prædicationis obire. Erant in Galilæa homines aptiores ad regnum cœlorum, quam in Judæa. Hinc diſcipulos ferme omnes ſuos Chriſtus in Galilæa collegit.

Nolebat enim in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.] Cauſam addit Johannes, cur in Galilæa maluerit ambulare atque morari, quam in Judæa Chriſtus. In Judæa magis erant homines Scribis, Phariſæis ac Sacerdotibus addicti; qui ſtruebant ei inſidias, & cum ferre fulgorem miraculorum ejus divinorum non poſſent, toti in eo erant, ut ipſum è medio tollerent. Maluit ergo Chriſtus ab eorum conſpectu eſſe remotior, ne eos præſens præſentes magis irritaret. Hoc loco autem cauſa, ob quam de ipſo interficiendo ceperint conſilium, erat, ut paulo ante innuimus, quod eum violaſſe Sabbatum crederent, ſanato triginta octo annorum ægro: de quo Cap. 5. 1 & ſeqq. Docuit Chriſtus exemplo ſuo, non eſſe homines irritandos ſine neceſſitate, nec fiducia divinæ protectionis accerſenda eſſe pericula, ſed defugienda, ſi detur, cedendumque furori adverſariorum, ut ſubtrahamus materiam turbarum ac ſeditionum.

Verſ. 2. *Erat autem prope feſtum Judæorum, Scenopegia.*] Feſtum iſtud erat unum è præcipuis feſtis, quorum celebrandorum cauſa quotannis maſculi omnes tenebantur commeare Hieroſolymam. Scenopegia eſt vox Græca, ſignificatque fixionem tabernaculorum. Inſtitutio hujus feſti deſcripta eſt Levit. 23. 34. Deut. 16. 13. Finis ejus erat, recordatio illius temporis, quo olim in deſerto incertis ſedibus vagantes, ſub tentoriis ac tabernaculis vitam egerant Iſraëlitæ, donec à Deo per Joſuam in terram promiſſam, in urbes ac domos ſtabiles ſunt introducti. Iſtius temporis & vitæ iſtius deſultoriæ in deſerto actæ volebat Deus Judæos ſemper meminiſſe, etiam in terra promiſſionis viventes, ne nimis eſſent laribus ac poſſeſſionibus ſuis addicti, ut cogitarent, ſe peregrinos eſſe in terris, non eſſe hic veram ipſorum patriam. Si id Judæos voluit Deus ſemper meditari; quanto magis Chriſtianis id perpetuo meditandum eſt, quibus dictum eſt: *In timore tempus peregrinationis veſtræ tranſigite*, 1 Petr. 1. 17. Πολίτευμα *noſtrum in cœlis eſt*, Phil. 3. 20. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*, Hebr. 13. 14. Vita illa vaga Iſraëlitarum in deſerto ad terram promiſſam tendentium, fuit typus ac figura Chriſtianorum, in hoc mundo tanquam in deſerto hinc inde oberrantium, & ad cœleſtem patriam anhelantium. Itaque feſtum Scenopegiæ nobis Chriſtianis per totam vitam noſtram eſt celebrandum. Si quid poſſidemus in terris, ei ſi non re ipſa, animo tamen valedicere debemus Luc. 14. 33. *Qui habent uxores, ſint ut non habentes; & qui flent, ut non flentes;*

& qui gaudent, ut non gaudentes; & qui emunt, ut non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes: præterit enim figura hujus mundi, 1 Cor. 7. 29,30,31. Qui ob nomen Chriſti extorres reipſa vagari coguntur in orbe, & exilium ſuum ubique circumferunt, illi Iſraëlitis ipſis in deſerto agentibus revera ſunt ſimiles: qui autem fruuntur ad tempus tranquilla ædium ac ſedium ſuarum poſſeſſione, ſimiles ſunt Judæis Palæſtinam incolentibus, qui non tenebantur reipſa in deſerto vagari, ſed in feſto Tabernaculorum memoriam iſtius vagationis quotannis recolere. Hos ergo & Chriſtiani in eo imitari debent, non externo ritu, ſed animo ac mente feſtum Scenopegiæ, non ſemel in anno, ſed quotidie celebrando; memores illius moniti Apoſtolici: *Superna quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Superna ſapite, non ea, quæ ſunt ſuper terram*, Col. 1. verſ. 1, 2.

Verſ. 3. *Dixerunt igitur ad eum fratres ejus: Tranſi hinc, & abi in Judæam, ut & tui diſcipuli videant opera tua, quæ facis.*] Poſt locum manſionis Chriſti notatum, incipit narrare Johannes colloquium, quod Chriſtus habuit cum fratribus ſuis occaſione inſtantis feſti Tabernaculorum. Primum autem hic occurrit quæſtio; quinam fuerint iſti fratres Chriſti? Recepta inter omnes Chriſtianos paſſim ſententia eſt, Chriſtum non habuiſſe ullos germanos fratres, eadem ſcilicet matre natos. Quæ ſententia etſi apodicticis argumentis ex Sacra Scriptura comprobari nequeat, probabilis tamen eſt, & fidem apud eos, qui Chriſti majeſtatem, Joſephi ac Mariæ ſanctitatem conſiderant, facile invenit: præſertim cum nec contraria ſententia ex Sacris Literis ullo vero argumento confirmari poſſit. Creditur itaque hoc loco vocem *fratrum* more Hebræo nihil aliud ſignificare, quam conſanguineos. Quinam vero fuerint hi conſanguinei, rurſus diverſa eſt Interpretum ſententia. Quidam enim (inter quos eſt Epiphanius) intelligunt, eos fuiſſe Joſephi filios è priori illius conjugio genitos, quorum noverca fuerit Maria Virgo: & hos putant nominari Matth. 13. 56. Marc. 6. 3. Quæ ſententia ſane magnam ſpeciem probabilitatis habet. Nam fratres Chriſti ita deſcribuntur in Scriptura, ut non obſcure indicetur, eos ad eandem cum Chriſto & matre ejus familiam pertinuiſſe. Vide Matth. 12. 46. Marc. 3. 31. Luc. 8. 20. Joh. 2. 12. Actor. 1. 14. Si non fuiſſent ex eadem domo, ex eadem familia, ſi non proximi, ſed remotiores fratres ſeu cognati fuiſſent, non fuiſſent perpetui aſſeclæ Mariæ Virginis & Chriſti. Sed una res maxime improbabilis huic ſententiæ obſtat, quod iſti, qui eam tuentur, cogantur aſſerere, illam quam Matthæus cap. 27. 56. & Marcus cap. 15. verſ. 40, 47. XVI. 1. & Luc. 24. 10. Mariam Jacobi & Joſetis appellant, fuiſſe non aliam quam Mariam Virginem, matrem Domini. Hoc nimis durum videtur: cur enim non potius eam ſimpliciter matrem Jeſu nominaſſent, ut alias? Proinde alii (inter quos eſt Hieronymus) fratres Domini appellari putant filios materteræ Chriſti, ſeu ſororis Mariæ Virginis, quæ à Johanne noſtro dicitur Maria Cleopæ cap. 19. 25. Qui volet hanc rem plenius tractatam videre, legat M. Antonium de Dominis lib. 2. de Republica Eccleſiaſtica. In eo vero non pauci Patrum, ut Hieronymus, Epiphanius, Chryſoſtomus aliique hallucinati ſunt, quod Apoſtolos Jacobum & Judam fratrum voce hoc Johannis loco deſignari ſtatuant. Id enim manifeſte ex hoc ipſo loco refutatur. Dicitur enim hic ℣. 5, iſtos fratres Domini tum fuiſſe adhuc incredulos. Atqui jam tum plenus erat Apoſtolorum duodecim numerus: ut patet ex cap. 6. 70.

Tranſi hinc, & abi in Judæam.] Malo animo eos hæc verba protuliſſe, tum eorum incredulitas credere ſuadet tum Chriſti reſponſio, qua eos mundanos & carnales homines fuiſſe oſtendit. Videntur illi Chriſti notare timiditatem voluiſſe, quod fugeret lucem: quaſi dicat; Quid tu hic in angulo obſcurus deliteſcis? cur te non confers in Judæam? cur non abis Hieroſolymam, ubi eſt maximus Judæorum undique concurſus, hoc præſertim tempore, quando tam celebre feſtum celebratur? Apparet tibi non ſatis eſſe animi, ut in conſpectum hominum venias, qui de te, & de doctrina ac miraculis tuis judicare poſſint. Hæc inſultatio ſine dubio acerba admodum fuit Chriſto. Multum intereſt, à qua manu ictus veniat. Magis dolent injuriæ ac contumeliæ à propinquis, ab amicis, à domeſticis illatæ, quam ab alienis. Sed talibus etiam injuriis Chriſtus debuit eſſe obnoxius, ut eſſet nobis perfectiſſimum omnis patientiæ exemplum.

Ut & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis.] Seipſos opponunt diſcipulis, quia ipſi non erant diſcipuli. Ita & alibi à diſcipulis diſtinguuntur: ut Joh. 2. 12. Sed Actor. 1. 14, cum ab Apoſtolis diſcernuntur, proculdubio jam ipſi diſcipuli Chriſti facti erant. Non ſatis autem intelligitur, quid ſibi velint, cum diſcipulorum Chriſti cauſam quodammodo agunt. Quidam exiſtimant, eos per diſcipulos iſtos, non Apoſtolos, & eos, qui circa Chriſtum verſabantur in Galilæa, intellexiſſe, ſed eos qui erant in Judæa, hortatoſque eum eſſe, ne illos negligeret, ſed ut adiens Judæam eos miraculis ſuis confirmaret. Sed nihil obſtat, quominus generaliter accipiantur eorum verba de omnibus diſcipulis tam Apoſtolis, quam cæteris tum in Galilæa, tum in Judæa exiſtentibus. Quaſi dicant: Abi in Judæam, publice in conſpectu principum populi facta miracula, quæ hic facis in angulo; ut ſi ea approbentur à Summis Sacerdotibus totoque Synedrio, diſcipuli quoque tui, qui nunc utcunque tibi adhærent, magis in fide ſua confirmentur, videntes, operibus tuis neminem poſſe refragari, eaque falſitatis reddere ſuſpecta.

Verſ. 4. *Nemo enim in occulto facit aliquid, & quærit ipſe in manifeſto eſſe. Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.*] Putant nonnulli, eos ex nominis Chriſti celebritate conciliare ſibi gloriam voluiſſe, ut nimirum homines, viſis Chriſti miraculis Hieroſolymæ in maxima frequentia factis, illos ſibi demonſtrarent digito, dicerentque: Hi ſunt cognati Jeſu illius, qui tam clarus eſt miraculis. Sed non eſt id credibile: videntur enim illi Chriſti miracula pro falſis, & pro meris præſtigiis habuiſſe. Itaque crediderunt vanitatem miraculorum ejus deprehenſum iri, ſi veniret Hieroſolymam, & accurato doctiſſimorum hominum examini miracula ejus ſubjicerentur.

rentur. Quod ergo hic Chriſtum hortantur, ut celebritatem nominis quærat, id ſimulate faciunt: credunt enim potius, eum pro gloria dedecus & infamiam reportaturum. Metiuntur autem Chriſti ingenium ex ſuo: cum ipſi eſſent homines mundo dediti, (ut eis Chriſtus objicit infra) & honore ac gloria hujus mundi nihil antiquius ducerent, putabant Chriſtum etiam gloriæ ſtimulo facile incitari poſſe.

Nemo in occulto facit aliquid & quærit.] Copula *&* videtur hic per Hebraiſmum poſita eſſe pro relativo *qui*. Et *aliquid* poſitum eſt pro eximio, præclaro ac ſingulari. Ut ſenſus ſit nemo in occulto facit aliquid magnum & eximium, qui vult eſſe celebris & volitare per ora hominum.

In manifeſto eſſe.] Gr. ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, id eſt, in luce, in celebritate, in publico eſſe. Opponuntur hic non obſcure: Facere aliquid in occulto, & quærere ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. Alias παῤῥησία ſignificat libertatem loquendi & confidentiam: ſed hic videtur denotare locum publicum, ac conſpicuum. Idem vocabulum occurrit ℣. 13.

Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.] Id eſt, Si vere facis divina miracula, ſi non præſtigiis homines deludis ac dementas, ſi cauſæ tuæ fidis, quid latitas? prodi in proſcenium, exi in conſpectum mundi, id eſt, omnium hominum. Qui ſibi & cauſæ ſuæ ſunt male conſcii, illi ſolent tenebras & angulos quærere. At tu ſi cauſam bonam habes, noli fugere lucem. Videant homines, examinent atque explorent tua miraculoſa opera: ſi deprehendentur eſſe divina, tanto majorem habebis gloriam. Mundum accipiunt pro multitudine hominum: ſicut & Phariſæi infra cap. 12. 19. Vide etiam cap. 18. 20.

Verſ. 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.*] Adeo incivilis ac immodeſta hæc oratio fratrum Domini viſa eſt (ut & revera erat) Johanni, ut ne quis tantam procaciam admiraretur, addendum putaverit, ac monendum, eos fuiſſe incredulos. Sunt qui hæc Johannis verba non ſimpliciter accipienda arbitrentur, quaſi nullo modo crediderint, ſed ita ut tantum indicetur, eos non ſatis, nec firmiter credidiſſe. Verum nulla eſt ratio ſolida, ob quam à proprietate verborum Johannis diſcedendum ſit. Obſtitit autem iſtis ad credendum, id, quod maxime eos ad credendum incitare debuerat, cognatio & propinquitas. Neſcio enim qua hominum perverſitate fit, ut quos natura arctiſſimis colligavit vinculis & ad amandum mutuo obſtrinxit, inter eos potiſſimum regnet odium, invidia & malevolentia: ut jam nullum pene majus ſoleat eſſe impedimentum credendi vel diligendi, quam ſanguinis proximitas. Queſtus eſt & alibi Chriſtus, Prophetam nuſquam minus eſſe in pretio, quam in patria ſua, inter cognatos ſuos, & in domo ſua, Matth. 13. 57. Marc. 6. 4. Luc. 4. 24. Joh. 4. 44. Nota quoque eſt hiſtoria Joſephi, quanta laboraverit inter fratres invidia, qui etiam hac in parte figuram geſſit Chriſti, Gen. 37. Verulamius hanc affert rationem, cur propinqui & una educati ad invidendum æqualibus, cum evehuntur, proni ſint. *Etenim*, inquit, *exprobrat hoc illis fortunam propriam, eoſque quaſi digito monſtrat, & frequenter eorum memoriam vellicat. Quin etiam in aliorum notam hæc fortunæ collatio magis incurrit. Invidia autem à fama & ſermonibus ſemper reflectitur, & conduplicatur.* Vide Sermones Fideles Tit. de Invidia.

Verſ. 6. *Dicit igitur eis Jeſus: Tempus meum nondum adeſt; tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.*] Quid hic Chriſtus per *tempus* intelligat, diſquiritur. Alii tempus conſequendæ gloriæ cœleſtis: alii tempus inclareſcendi ac innoteſcendi mundo: alii etiam tempus patiendi & moriendi intelligi autumant. Quod ultimum miror Maldonato maxime placuiſſe. Nam ratio, quam affert, parvi eſt momenti. *Hoc enim*, inquit, *tempus ſuum, aut quod idem eſt, horam ſuam Chriſtus vocare ſolet: ut infra* ℣. 30. & cap. 8. 20. XIII. 1. Atqui in iſtis locis non Chriſtus, ſed Johannes Euangeliſta loquitur. Deinde non ſequitur, ſi alibi per horam Chriſti tempus mortis ejus ſignificetur, etiam hoc loco idem ſignificari. Ex circumſtantiis textus & ſubjecta materia, judicandum eſt potiſſimum de ſignificatione vocis, non tantum ex aliis locis. Quid enim? An cum ſupra Joh. 2. 4, Chriſtus monitus à matre ſua de defectu vini, reſpondit: *Quid mihi tecum eſt mulier? nondum venit hora mea:* etiam eum de tempore paſſionis ac mortis ſuæ loqui exiſtimandum erit, quia alibi hora Chriſti tempus mortis ſignificat? Simplicius igitur interpretabimur, tempus, de quo hic loquitur Chriſtus, eſſe tempus proficiſcendi Hieroſolymam: ut ſic eadem ſignificatione, tempus Chriſti, & tempus fratrum ejus accipiatur. Hortabantur illi, ut iret in Judæam ad feſtum: reſpondet Chriſtus ita, ut non neget ſe iturum, ſed dicat, nondum ſibi opportunum tempus eſſe eo proficiſcendi. Quaſi dicat: Alia eſt conditio mea, alia veſtra. Vobis licet ſemper, quando vultis, Hieroſolymam tuto commeare: mihi non item, qui plurimorum odiis ac inſidiis ſum obnoxius. Itaque mihi tempus quam commodiſſimum & maxime opportunum circumſpiciendum eſt. In Græco non eſt χρόνος, ſed καιρός, quod non qualecunque tempus, ſed idoneum & opportunum ad aliquid agendum denotat.

Verſ. 7. *Non poteſt mundus vos odiſſe: me autem odit; quia ego teſtor de eo, quod opera ipſius mala ſint.*] Videtur Chriſtus his verbis reſpicere ad eorum ſuperius dictum: *Manifeſta teipſum mundo.* Quaſi dicat: Si ego veſtri ſimilis eſſem, facerem id, quod ſuadetis. At nunc multum inter me & vos intereſt. Mundus eſt veſter amicus: vos illum amatis, & ille vos. Me vero pro hoſte ſuo judicat mundus, & capitali odio proſequitur: non quidem ulla mea culpa; ſed quod vita ipſi ſim diſſimilis, quod eum arguam peccati, & mala opera ejus deteſter.

Non poteſt mundus vos odiſſe.] Non eſt hic ſimplex & abſoluta impoſſibilitas intelligenda, ſed moralis difficultas. Ita dicitur: *Non poſſunt filii thalami lugere*, Luc. 5. 34. Vide etiam Actor. 4. 20. 2 Cor. 13. 8. 1 Joh. 3. 9. Apocal. 2. 2. Matth. 12. 34. Idem hic Chriſtus dicit, quod infra ad Apoſtolos ſuos: *Si ex mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſt amaret: quia vero ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus*, Joh. 15. 19. Similitudo morum eſt cauſa amicitiæ; & contra diſſimilitudo,

odii ac inimicitiæ. Hinc tritum verbum eſt : *Similis ſimili gaudet.* Mundo igitur, id eſt, mundanis hominibus non poſſunt non placere, qui ipſi ſunt ſimiles ; & eos qui moribus, affectibus ac cupiditatibus ejus ſunt contrarii, non poteſt ille non odiſſe. Hoc experiuntur ſemper omnes pii : & non immerito Mundus inter tres Chriſtianorum juratos hoſtes, tertius numeratur. Paulus Apoſtolus inquit : *Quicunque volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*, 2 Tim. 3. 12. Id quod fit, non tam Dei decreto ac ordinatione, quam ipſa rei natura ita ferente : quam Deus abſque neceſſitate immutare non ſolet. Ab ipſis mundi incunabulis ſemper mali probioribus fuere infeſti : ut exempla Caini & Abelis, Iſmaëlis & Iſaaci, Saulis & Davidis, nec non eorum, qui Prophetarum ſub Veteri Fœdere perſecutores fuerunt. Vide Hebr. 11. 36, 37, 28. Matth. 23. 34, & ſeqq. Hanc rerum naturam Deus ſub Novo Fœdere tanto minus mutare voluit, quanto majorem ac perfectiorem patientiæ campum Chriſtianis ad ſublimiores virtutes vocatis dari oportuit.

Ego teſtor de eo, quod opera ejus mala ſint.] Chriſtus malorum hominum aures mordaci radebat vero, & ulcera eorum tangebat : dum in primorum populi avaritiam, ſuperbiam, hypocriſin invehebatur, & larvam pietatis, quam ſeducendo populo induerant, illis detrahebat. Hoc illi ferre non poterant : hæc veritas Chriſto odium peperit. Admoneri enim bonus gaudet ; peſſimus quiſque correptorem aſperrime patitur. Sed etiam cum Chriſtus ſileret, credebant tamen ſe ab eo intra animum damnari, & tacitæ cogitationis flagello verberari. Ita Nero Senecam, etſi jam à rerum publicarum cura ſemotum, & abditum, & ſibi ingrata veritate non amplius moleſtum, tamen pati non poterat, tacitas etiam cogitationes ejus reveritus, & id ipſum ægre ferens, ſupereſſe virum, cui actiones ſuæ non placerent. Vide quoque locum inſignem Sapient. 2. 12, 13, 14, 15, 16.

Verſ. 8. *Vos aſcendite ad feſtum hoc : ego nondum aſcendo ad hoc feſtum, quia tempus meum nondum impletum eſt.*] Vulgata editio pro *nondum aſcendo*, habet *non aſcendo.* Hinc nata eſt quæſtio inter Interpretes Latinam hanc vulgatam verſionem ſequentes : Quomodo Chriſtus ſalva veritate potuerit dicere, ſe non aſcendere, id eſt non aſcenſurum Hieroſolymam ad feſtum hoc, cum tamen poſtea aſcenderit ? Narratque Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, Porphyrium Philoſophum Ethnicum, qui ſcriptis impugnabat religionem Chriſtianam, etiam hunc locum objeciſſe Chriſtianis, ut Chriſtum mendacii aut inconſtantiæ convinceret. Itaque in hoc nodo explicando varie ſe torſerunt Veteres. Sed ſi legatur *nondum aſcendo*, ut habent exemplaria Græca, quæſtio omnis tollitur. Nam qui dicit, ſe nondum aſcendere, non negat ſe poſtea aſcenſurum : proinde ſi poſtea aſcendat, nihil contrarium dictis facit.

Tempus meum nondum impletum eſt.] Hoc idem eſt, quod ſupra dixit : Tempus meum nondum adeſt, verſ. 6.

Verſ. 9. *Hæc autem cum dixiſſet eis, manſit in Galilæa.*] Intellige ad tempus. Expectavit, ut fratres ejus præcederent ; & tunc eos ſecutus eſt, ut mox dicitur.

Verſ. 10. *Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad feſtum, non manifeſte, ſed quaſi in occulto.*] Quæritur, Cur Chriſtus noluerit cum fratribus ſuis ire Hieroſolymam, cum tamen eo iverit ? Putant quidam, ideo noluiſſe, ne videretur eorum pravam de ſe opinionem confirmare. Si enim tunc cum illis aſcendiſſet, viſus fuiſſet eorum votis aſſentiri, & propterea aſcendere, ut humanam ſibi pararet gloriam, quemadmodum illi deſiderabant. Sed vera videtur eſſe cauſa, quod voluerit Chriſtus non palam, ſed occulte quodammodo venire Hieroſolymam, ut mox declarat Johannes, quod non manifeſte aſcenderit. Non fidebat autem Chriſtus fratribus ſuis, quia erant increduli, & erga ipſum male affecti, qui ipſum facile prodidiſſent. Comitatum igitur eorum ſtudioſe vitavit.

Tunc & ipſe aſcendit ad feſtum.] Videtur aperte indicare iſtud *tunc*, Chriſtum ſtatim, poſtquam illi diſceſſerunt, & ipſum diſceſſiſſe, nec quicquam expectaſſe aliud, quam ut fratres prius diſcederent, ne eos haberet comites. Itaque credibile eſt, eum eodem quo illi, abiiſſe die, ſed aliquanto poſt fratrum abitum. Quanquam fieri potuit, ut uno vel altero die poſt fratres demum exiverit, & tamen ad primum feſti diem Hieroſolymam pervenerit. Fratres enim ejus proculdubio, ut uno atque altero die ante feſti initium Hieroſolymam venirent, dederunt operam, quo ſibi neceſſaria ad feſti celebrationem compararent. Ad primum autem feſti diem Chriſtum comparuiſſe Hieroſolymis credendum eſt. Cum enim ideo aſcenderit, ut præceptum Legis exequeretur, Lexque juberet, ut per dies ſeptem feſtum illud celebraretur, quis credat, Chriſtum non integrum feſtum celebraſſe, & ſic ex parte tantum Legem impleviſſe ?

Non manifeſte, ſed quaſi in occulto.] Non opus eſt, ut ſtatuamus, eum ſe inviſibilem reddidiſſe : non enim ſolus aſcendit, ſed una cum 12 diſcipulis, & non ſunt fingenda miracula, ubi non eſt neceſſitas. Sed potuit non regia ac publica via ire, potuit ſub noctem intrare Hieroſolymam, potuit in obſcurum hoſpitium, ubi ignotus erat, divertere, ibique per aliquot dies cum diſcipulis ſuis feſtum celebrare ita, ut à publico abſtineret. Non enim in Templo, ſed in urbe, vel etiam in campo poſitis ac fixis tabernaculis feſtum celebrabatur. Docuit Chriſtus hoc ſuo exemplo præcepta Dei non eſſe propter pericula negligenda vel omittenda ; ſed interim cautionem & prudentiam omnem eſſe adhibendam. Una ex parte expectorandus eſt omnis metus hominum, & metu Dei pellendus, ne intermittamus officium : altera vero ex parte cavenda eſt temeritas & audacia, ne in periculum noſmet abſque neceſſitate conjiciamus. Hoc eſt, quod monet Chriſtus alibi, ut ſimus *ſimplices ſicut columbæ*, nempe in faciendo officio, in profitenda veritate, ac ſervandis præceptis, & *prudentes ſicut ſerpentes*, puta in declinandis periculis, Matth. 10. 16. Quia vero utramque ſimul, & ſimplicitatem & prudentiam, conjungere, mediumque tenere inter metum ac temeritatem, admodum difficile eſt ; idcirco non fruſtra Jacobus, adhortans nos ad perfe-

ctam

ctam patientiam, monet: *Quodſi cui veſtrum deeſt ſapientia, petat eam à Deo, qui dat omnibus benigne, & non exprobrat*, Jac. 1. 5.

Verſ. 11. *Judæi ergo quærebant eum in feſto, & dicebant: Ubi eſt ille?*] Solet Johannes principes ac Seniores Judæorum ſimpliciter Judæos appellare: ut ſupra cap. 1. 19. ij. 18. v. 16, 18, & infra verſ. 13, 25. conſer cum 26. VIII. 22. conſer cum 13. IX. 18, 22. conſer cum 13, 15, 16. Et poteſt etiam hoc loco ita accipi Judæorum vox: ſed tamen nulla, ut ita accipiatur, cogit neceſſitas. Nam poſſunt in genere intelligi cives Hieroſolymitam, qui etiam verſ. 25 nominantur. Cum dicit Johannes, Judæos quæſiviſſe Chriſtum, putant quidam ſubintelligendum eſſe, ad necem; quia verſ. 25, dicunt quidam Hieroſolymitani: *Nonne hic eſt, quem quærunt interficere?* Sed iſtud poteſt non de illa quæſtione intelligi, de qua agitur hoc loco ℣. 11, poteſtque iſtud, *quærunt interficere*, nihil aliud ſignificare, quam volunt, cupiunt ac ſtudent interficere, aut etiam quærunt occaſionem eum interficiendi. Itaque hic cum Johannes generaliter de quærendo loquatur, & verba ſua non reſtringat, nolim ea reſtringere: ſed putem, quæſiviſſe eos Chriſtum ex curioſitate, quia antea miracula ejus Hieroſolymis viderant Joh. 2. 23. v. per totum; quæſiviſſe ex admiratione, quod eum non viderent in feſto, cum alioqui non ſoleret ullum feſtum ſolenne intermittere.

Et dicebant: Ubi eſt ille?] Qui ſentiunt, Judæos quæſiiſſe Chriſtum ad necem, putant verba iſta odium atque contentum quendam præ ſe ferre. Non enim dixiſſe, Ubi eſt Jeſus? Sed *Ubi eſt ille?* non tantum non addentes proprium nomen, quod eſt honorificum, verum etiam ignominioſum aliquod verbum intelligentes; quaſi per apoſiopeſin dictum ſit: Ubi eſt ille ſeductor, ille violator Sabbati? At ſi ſimpliciter intelligas, Judæos curioſitatis gratia Chriſtum quæſiviſſe, tum pronomen iſtud ἐκεῖνος, *ille*, nihil aliud ſignificabit, quam quod loquantur tanquam de homine noto, quem nolunt nominare, non ex dedignatione & contemptu, ſed quia metuebant offenſionem Seniorum: ut narratur ℣. 13.

Verſ. 12. *Et muſſitatio multa erat de eo in turbis: hi quidem dicebant, quod bonus ſit: alii autem dicebant, Non: ſed ſeducit turbam.*] Enarrat Euangeliſta varia vulgi de Chriſto judicia: quod cum ſit bellua multorum capitum, in tot capitibus multiplices & contrarias fovet ſententias. Alii ſunt, qui Chriſtum laudant & probant: alii improbant & ſeductorem appellant. Nemo eſt, qui omnibus placere poſſit. Ideo non decet conſtantem hominem ejuſmodi judiciorum de ſe varietate multum moveri; ſed Paulum Apoſtolum imitari, qui cum Corinthii quoque diverſa de ipſo ferrent judicia, aliis ipſum extollentibus, aliis deprimentibus dixit: *Mihi vero pro minimo eſt, à vobis judicari, vel ab humano die; imo nec ipſe de me judico. Nullius enim rei mihi conſcius ſum: ſed non in hoc ſum juſtificatus: verum qui me judicat, Dominus eſt*, 1 Cor. 4. 3, 4. Danda quidem eſt opera, ut omnibus placeamus, ad ædificationem, quod Apoſtolus iſte nobis præcipit Rom. 15. 1, 2, & exemplo ſuo docet 1 Cor. 10. 33. Sed ſi id fieri nequeat propter hominum iniquitatem, non eſt quod propterea animo diſcruciemur, vel ab officio deſciſcamus. Laudatur apud Romanos ille, qui cunctando Romanam reſtituit rem, quod non poſuerit rumores ante ſalutem. Quanto magis pius Chriſtianus rumores hominum & iniqua judicia curare non debet? cum enim ille etiam præſens manu affligi, verberari atque occidi ob nomen Chriſti ac juſtitiæ cauſa paratus eſſe debeat, quanto magis debet ferre malæ verbera linguæ, & contemnere ſi abſens verbis laceretur aut conſpurcetur. Scite quidam ex ſapientibus Ethnicorum, cum ei neſcio quis diceret, Male de te loquuntur homines & te convitiis proſcindunt: Quid tum? reſpondit: imo etiam occidant abſentem. Nimirum verba ſunt verba, quæ corpus non lædunt, nec fauciant. Notandum vero hic non ſolum male de Chriſto locutos fuiſſe homines, ſed etiam bene aliquos. Itaque hoc quoque ſolatio piis eſſe poteſt, cum à malis damnantur, & indignis traducuntur modis, ut cogitent, eſſe viciſſim probos aliquos, quibus judicibus vincant, & quorum calculo abſolvantur. Horum juſta approbatio, licet paucorum, majoris fieri debet, quam aliorum multorum iniqua vituperatio.

Alii autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbam.] Sunt qui exiſtiment, iſta verba dixiſſe principes, ſeu primores Judæorum: & priora illa ſolum protuliſſe turbam. Quod mihi non fit veriſimile. Cum enim Johannes dixiſſet, *Et erat muſſitatio multa in turbis*, explicat, quid muſſitarint, & muſſitatores iſtos duplicis generis facit: *Hi quidem*, intellige è turba, *dicebant, quod bonus ſit: alii autem*, intellige itidem ex turba, *dicebant, Non: ſed ſeducit turbam.* Etſi vero hi poſteriores turbam nominent, non tamen inde ſequitur, eos diſtinctos fuiſſe à turba. Poterant enim id dicere aliqui è turba, quæ tum erat congregata in feſto Hieroſolymis, quamvis non eſſent ex illa turba, quam putabant à Chriſto ſeduci.

Verſ. 13. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.*] Obſervandum hic, etiamſi generaliter Johannes loqui videatur de utraque parte tam male quam bene de Chriſto loquentium: tamen hæc verba tantum de bene loquentibus eſſe intelligenda. Nam qui male loquebantur, poterant libere ac tuto loqui palam: non erat quod Judæos ſeu principes populi metuerent. Ita etiam cum ſupra dixit: *Muſſitatio multa erat de eo in turbis*, iſtud vocabulum muſſitandi tantum de una parte turbæ accipiendum eſt, quæ dicebat, quod bonus ſit. Reliqui enim, ut muſſitarent, non erat opus. Imo credibile eſt, aperte & pleno ore ac clara voce locutos fuiſſe tanquam rem proceribus gratam. Notanda etiam eſt hic imperfectio eorum è turba, qui Chriſto favebant, eumque approbabant, quod non auſi fuerint palam de eo animi ſui ſententiam proferre, ſed muſſitarint tantum, metuentes ſibi à Senioribus. Quæ imperfectio & infirmitas toleratur quidem à Deo ad tempus; ſed ſi quis ſatis habeat temporis ad proficiendum, eum infirmitas iſta non excuſabit. Qui infirmi ſunt, debent aliquando firmi fieri. Nam qui ſemper infirmi manent, ſimiles ſunt pueris, qui nunquam creſcunt atque adoleſcunt,

leſcunt, ſed nani ſunt ac pumiliones, quorum ſane miſera eſt conditio.

Propter metum Judæorum.) Dicitur hic *metus Judæorum* non active, ſed paſſive. Non enim intelligitur metus, quo metuebant Judæi, ſed metus, quo metuebantur. Eodem ſenſu verba hæc uſurpat idem Johannes infra cap. 20. 19. Manifeſtum autem hic eſt per Judæos denotari Seniores ac primores Judæorum: qui ita κατ' ἐξοχὴν appellantur. Nam alioquin & illi, qui metuebant hos Seniores, Judæi erant.

PARS II.

Verſ. 14. *Eſto autem jam medio, aſcendit Jeſus in Templum, ac docebat.*] In hac ſecunda parte Capitis deſcribuntur acta Chriſti in ipſo feſto, quæ continent colloquium ejus habitum cum Judæis ſibi infenſis. Non dicit autem Johannes, Chriſtum tum demum: cum jam adeſſet medium feſti, aſcendiſſe Hieroſolymam; nam eum ſtatim initio feſti adfuiſſe Hieroſolymis ſupra oſtendimus. Sed dicit, eum tum demum aſcendiſſe in Templum. Unde patet, eum hactenus à Templo abſtinuiſſe; alioqui in occulto eſſe non potuiſſet. Nam quod quidam dicunt, eum veniſſe quidem etiam antea in Templum, ſed non ad docendum, tantum ad orandum; ob rationem jam dictam probabile non eſt. Nec verba Johannis id poſtulant: non enim unam rem de Chriſto affirmat, quod medio jam feſto aſcenderit in Templum ad docendum; ſed duas aſſerit, unam, quod tum primum in Templum aſcenderit, alteram, quod tum primum docuerit in Templo. Mirum autem merito videri poteſt, quomodo Chriſtus anſus fuerit prodire in publicum, & ſe dare in medium infenſiſſimorum inimicorum ſuorum, quos ſciebat coquere & agitare inter ſe conſilia de ipſo trucidando. Hinc nimirum elucet ſumma magnanimitas Domini noſtri Jeſu Chriſti. Erat in eo contemptor periculorum animus, qui nullo degeneri quatiebatur metu. Oſtendit ille fratribus ſuis, qui ipſi proterve timiditatem exprobrabant, quaſi angulos tantum & latibula captaret, publicam lucem defugeret, pectus ſuum non tangi ullo ignobili metu, & ſibi non noctuæ lucem fugitantis, ſed aquilæ oculos eſſe ad lucem ſuſtinendam, quamvis, ubi liceret prudentia uteretur, & ſe haud neceſſario diſcrimini interdum ſubduceret. Par animi fortitudo, imo major etiam, in Chriſto tunc apparuit, cum, ut ait Lucas, *complerentur dies aſſumtionis ejus, & ipſe firmavit faciem ſuam ad eundum Hieroſolymam*, quaſi ultro venienti ſe offerens morti, Luc. 9. 51. Major illa inquam, fuit quodammodo fortitudo, quia hic poſſet aliquis dicere, non mirum eſſe, quod tam animoſus fuerit, cum ſciret, nondum adeſſe horam ſeu tempus paſſionis ſuæ: ut indicat Johannes verſ. 30. Illic autem ſciebat, mortem jam inſtare, & tamen intrepidus illi ivit obviam.

Ac docebat.] Curioſe quærunt nonnulli hoc loco, quid Chriſtus tunc docuerit: recteque reſpondet Maldonatus, credendum eſſe, eum nihil niſi utile & ad ſalutem inprimis neceſſarium docuiſſe. Sed hoc non recte addit: *Itaque abſurdi plane & inepti hæretici ſunt, qui nihil exiſtiment, quod ad ſalutem noſtram fuerit neceſſarium, in Sacris Literis prætermiſſum.* Quaſi vero non is potius hæreticus ſit, qui affirmat aliquid ad ſalutem neceſſarium in Sacris Literis eſſe prætermiſſum. Et quaſi non major ſit ineptia & abſurditas, ex eo, quod omiſſa ſit aliqua Chriſti concio, in qua res ad ſalutem neceſſarias docuit, colligere, res iſtas ad ſalutem neceſſarias eſſe in Sacris Literis prætermiſſas! An enim Chriſtus eadem quæ hic docuit, non poterat alio etiam docere loco, & in aliis concionibus proponere, quæ in Sacris Literis deſcriptæ ſunt? An ſi iſta non continentur in concionibus Chriſti in Euangelio deſcriptis, non poſſunt contineri in Epiſtolis Apoſtolicis? Videat Maldonatus, annon ab illis ſuis Patribus propter hanc ſuam ſententiam habitus fuiſſet pro hæretico, qui dixerunt, *anathema eſſe debere Chriſtianis etiam Angelum, ſi annuntiaverit præterquam quod in ſcriptis Legalibus & Euangelicis acceperunt*, Auguſtinus contra literas Petiliani & Baſilii lib. 3. cap. 6. Et, *Quæ abſque auctoritate & teſtimoniis ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolorum, ſponte confinguntur, percutit gladius Dei*, Hieronymus in Agg. cap. 7. Item, *Quod de ſcriptis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Idem Hieronymus in Matth. cap. 23. Certe qui ſic loquuntur, non crediderunt aliquid ad ſalutem neceſſarium, eſſe in Sacris Literis prætermiſſum. Quod & ratio ipſa evincit, cum videamus, innumera etiam non neceſſaria ad ſalutem in Sacris Literis contineri. Quam enim hoc præpoſterum foret, & ab omni ratione alienum, ſi ea quæ ad ſalutem noſtram minus faciunt, tam copioſe & diligenter ſcripta eſſent, illis quæ prora ac puppis ſunt ſalutis noſtræ, ſilentio tranſmiſſis? Sed hac de re alibi pluribus.

Verſ. 15. *Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo iſte literas novit, cum eas non didicerit?*] Per literas intelligunt Sacras Literas, ex quibus apparet multa Chriſtum pro concione ſua allegaſſe. Mirabantur autem, eum verſatum eſſe in Sacris Literis, cum ſcirent, eum eſſe in fabri domo educatum, ſcholam nullam in juventute ſua frequentaſſe, à nullo Magiſtrorum ac Phariſæorum fuiſſe inſtitutum. Tantus vero erat Phariſæorum faſtus, ut crederent, neminem extra ſcholas ſuas ſapere ac doctum eſſe poſſe. Quæ arrogantia & hodie Doctoribus merito cavenda eſt, ne putent, neminem quicquam ſcire poſſe, niſi ſub ipſorum fuerit ferula, neve doleant ſuccreſcere juvenes, qui neſcio unde ſubito emergentes, ea ſciant, quæ illi ſenes canoque capite ignorant. Præterea commendata nobis eſſe debet hoc Chriſti exemplo Sacrarum Literarum ſcientia. Ille quidem eas non didicerat in ſcholis Phariſæorum, ſed tamen callebat eas, à Patre ſuo edoctus per Spiritum Sanctum. Nobis vero ſtudio, labore, & aſſidua lectione earum ſcientia acquirenda eſt. Merito ſane exclamat aurei oris ac nominis Doctor: *Audite, obſecro, ſeculares omnes. Comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel Novum Teſtamentum acquirite, Apoſtolos, Acta, Euangelia, continuos ac ſedulos Doctores.* Vide, ut Chryſoſtomus contra inſtitutum Eccleſiæ Romanenſis ad lectionem Sacrarum Literarum etiam ſeculares invitet.

vitet. Nondum ſcilicet tunc exorta fuit iſta hæreſis, quæ deinceps in Eccleſia Papiſtica enata eſt, ut Sacra Scriptura inter libros prohibitos referretur, & tanquam peſtis, tanquam venenum, & hæreſium omnium mater fugienda eſſe doceretur.

Verſ. 16. *Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.*] Eximit Chriſtus, mirantibus ſcrupulum, oſtendens, qui factum ſit, ut ipſe in ſcholis non inſtitutus humanis, tantam adeptus ſit rerum divinarum notitiam. Quaſi dicat: Vos miramini, quomodo ego à nullo hominum eruditus, acquiſiverim tantam Sacrarum Literarum ſcientiam; putatiſque meipſum proprio Marte ac ſtudio ita in Sacris Literis profeciſſe, adeoque doctrinam iſtam, quam ex me auditis, eſſe ex proprio ingenio ac cerebro meo natam. Verum toto erratis cœlo. Ego enim quicquid ſcio, quicquid doceo, non ex me habeo, ſed ex Patre meo, Deo illo ſupremo, cujus ſum ad vos legatus. Ille me inſtruxit tam copioſa rerum ſacrarum peritia: ut ſic nulla opus fuerit mea ad diſcendum induſtria, nullo ſtudio, nulla item mea ad inveniendam hanc doctrinam ſolertia.

Doctrina mea non eſt mea.] Contraria ſibi in ſpeciem videtur eſſe hæc oratio. Affirmat enim Chriſtus ſuam eſſe doctrinam, & rurſus idem negat. Hinc Auguſtinus exclamat: *Dicis, Mea doctrina non eſt mea. Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua?* Sed non eſt vera contrarietas in his verbis, tantum apparens: quia diverſo ſenſu & reſpectu affirmat Chriſtus ſuam eſſe doctrinam, diverſo vero negat. In vera contradictione eodem reſpectu idem de eodem affirmatur & negatur: quod hic non fit. Suam dicit doctrinam, quia eam docebat ac proponebat: quo ſenſu etiam Paulus Euangelium Chriſti ſuum vocat Rom. 2. 16. 2 Tim. 2. 8. Negat rurſus ſuam eſſe, quia non ipſe erat ejus auctor, ſed Deus. Sed hæc quidem difficultas facile tollitur: major eſt hic nodus ac difficilior expeditu illis, qui credunt, Chriſtum eſſe ipſum Deum Altiſſimum; Quomodo ſi id verum eſt, potuerit Chriſtus negare ſe eſſe auctorem ſuæ doctrinæ? Si ſimpliciter tantum doctrinam ſuam ad Patrem retuliſſet, & eum auctorem illius feciſſet, potuiſſet intelligi, eum una cum Patre eſſe illius auctorem: at nunc diſerte negat quoque, eam ſuam eſſe, & ſoli Patri eam adſcribit. Nulla ſane ratione fieri potuit, ut ſic Altiſſimus Deus loqueretur. Communiter ad hanc objectionem reſponderi ſolet: Chriſtum loqui ſecundum humanam naturam. Et hoc quidem verum eſt: ſed hinc, quia de ſe non loquitur, niſi ut homo, probamus eum non eſſe Deum Altiſſimum. At, inquiunt, ſecundum divinam naturam eſt ipſe auctor ſuæ doctrinæ. Hoc vero eſt principium petere. Nunc enim hoc ipſum impugnamus, quod ſit Deus Altiſſimus, quod divinam naturam habeat: in hac autem reſponſione id pro conceſſo ſumitur. Deinde ſi Chriſtus habuiſſet aliam naturam, præter humanam, ſecundum quam fuiſſet doctrinæ ſuæ primus auctor, an potuiſſet ſalva veritate de ſe ſimpliciter negare, quod ſit doctrinæ ſuæ auctor? Annon craſſe mentiri diceretur is, qui ſimpliciter negaret, ſe eſſe ſcripti alicujus auctorem, & intelligeret, ſe id non ſcripſiſſe pedibus ſuis? aut ſi quis accepto depoſito, illud poſtea in judicio abnegaret & diceret, ſe nihil ſcire de ullo depoſito; intelligens id de corpore ſuo, quod ſecundum corpus de eo neſciat? Videant homines iſti, quo eos ſtudium ſuam opinionem mordicus defendendi provehat, ut tacite Chriſto tam turpe vitium in dicendo affingant. Nimirum homines irreligioſi in loquendo & ambiguitate verborum alios ludere aſſueti, etiam Chriſtum ipſum audent ſibi facere ſimilem. Quis neſcit illas Jeſuiticas homonymias, ut verbis dicant. *Neſcio*, mente autem cogitent, Neſcio tibi, ſed mihi tantum, vel Neſcio ita ut tibi dicam? vel *Non habeo*, id eſt, hic in manica non habeo, quamvis alibi habeam? Talia illi vere dici poſſe contendunt. Ab hujuſmodi ſane luſu verborum non multum abfuiſſet Chriſtus, ſi quod ei reipſa inerat, de ſe toto ſimpliciter & abſque ulla expreſſa limitatione negaſſet. Eſtque hic obſervanda regula iſta immotæ veritatis, quod non liceat propter aliquem reſpectum, id ſimpliciter & abſque ulla limitatione negare de toto, quod ſimpliciter & abſolute de eodem toto dici poteſt ac debet. Alioqui mendaciis laxa aperietur feneſtra.

Maldonatus non contentus trita ire via, novam commentus eſt rationem ſolvendi nodum propoſitum: ſed nihilo meliorem priori. Ait enim: particulam *Non* habere hic vim particulæ excluſivæ, idemque valere, atque *Non ſolum*, ut ſenſus ſit: *Doctrina mea non ſolum eſt mea, ſed etiam ejus qui miſit me:* qua ratione etiam Chriſtus dixerit alibi diſcipulis ſuis: *Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, Matth. 10. 20. id eſt, non vos ſoli, ſed etiam Spiritus Patris veſtri. Quantum acumen eſt iſtius hominis, qui nobis vult facere

Candida de nigris, & de candentibus atra!

Hæc interpretatio plane contraria eſt menti Chriſti, qui Judæis vult perſuadere, ne putent, doctrinam ſuam eſſe à ſe excogitatam, vel ſua induſtria aut ſagacitate inventam. Atque hanc eſſe mentem Chriſti ipſe Maldonatus agnoſcit. Ita enim verba Chriſti exponit: *Veriſſimum ego ſenſum arbitror, qui ſimpliciſſimus eſt, ut ſuam vocet doctrinam, quam docebat, non ſuam, id eſt, non à ſe inventam, ſed acceptam à Patre.* At nunc idem Maldonatus & ſibi & Chriſto contradicit, cum dicit, ſenſum verborum eſſe, quod doctrina Chriſti non ſolum Chriſti ſit, ſed etiam Patris. Prior ſenſus negans eſt, hic contra affirmans. Deinde ſi conferas loca parallela, videbis neutiquam poſſe eſſe hunc Chriſti verborum ſenſum, ut *non* accipiatur pro *non ſolum*. Chriſtus enim ut operum ſuorum, ita & doctrinæ ſuæ originem prorſus à ſe ſemper removet & ſoli Patri tribuit. Quid enim clarius eſt illis verbis: *Cum exaltaveritis Filium hominis tunc cognoſcetis, quod ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor?* Joh. 8. 28. Et rurſus: *Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar: & ſcio, quod mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*, Joh. 12. 49, 50. Item: *Verba quæ ego loquor, à meipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit:*

facit opera, Joh. 14. 10. Sed & verbis sequentibus hoc loco repugnat Maldonati nova interpretatio, ut mox patebit.

Vers. 17. *Si quis velit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.*] Confirmat dictum superius, occurrens tacitæ objectioni. Poterant enim Judæi respondere: Tu quidem dicis, doctrinam, quam tradis, non esse à te confictam, sed à Deo profectam; at quomodo nos id verum esse possumus cognoscere. Regerit igitur Christus, cognosci id ab unoquoque facile posse, si modo velit voluntatem Dei facere. At hic rursus quidam nodum in scirpo quærunt, & de eo controversiam movent, quid sit velle voluntatem Dei facere. Legi nuper non sine admiratione quendam doctum virum hic magnas difficultates nectentem: *Christus videtur*, inquit, *hic aperte postulare, ut prius fiat voluntas Patris, quam cognoscatur, sive judicetur de doctrina. Sic enim videtur esse, ac si dixisset: Judicabit de doctrina, priusquam judicet de doctrina. Nemo enim quid facit, qui non idem judicet, & tum demum aliquid recte fit, cum fit judicio: quod autem recte fit, est ejusmodi, ut in eo animus conquiescat. Necesse autem est, id fiat Dei jussu in quo animus acquiescit: quod autem fit Dei jussu, cum judicio fieri necesse est. Cum ergo nemo possit facere voluntatem Dei, quam non agnoverit, quid est, quod Christus hic dicit: si quis voluerit ejus voluntatem exequi, judicabit vel cognoscet de doctrina? Vult enim (uti videtur) antecedere id, quod natura sua sequitur, nempe vult antecedere, exequi voluntatem, sequi autem, judicare de doctrina: at contra se res habere videtur; necesse est enim præcedere judicium, voluntatem autem sequi.* Vides, Lector, quam iste homo in vanum se fatigat, & cum umbra sua pugnat. Peccat enim mutatione termini. Nam Christus non dicit: si quis faciat voluntatem Patris, is cognoscet de doctrina; sed; *Si quis voluerit facere voluntatem Patris.* Certum est, prius cognoscendam esse doctrinam de voluntate Patris, quam quis eam faciat & exequatur. Itaque omnino inepte locutus fuisset Christus, si ita locutus fuisset, uti eum loquentem vir iste facit. Non requirit Christus ante doctrinæ suæ cognitionem, ut quis faciat actu & reipsa jam voluntatem illam Patris, quam ex sua doctrina debet demum discere: (hoc enim esset absurdum) sed prærequirit voluntatem ac promptitudinem ad faciendum, animum docilem, probum, ac paratum ad obsequendum. Quemadmodum si dominus aliquis famulum suscipiat, absurdum foret, si ab eo postularet, antequam eum in domum suam susciperet, ut prius omnia faciat & peragat munia, quæ ipsi imposterum mandaturus est. Hoc enim est impossibile. Sed hoc potest jure ab eo postulare, ut velit facere omnia quæ ipsi imperaturus est, ut promptum & alacrem afferat animum ad mandata exequenda. Vel, si puer aliquis adducatur ad ludum literarium, certe nullus præceptor tam ineptus erit, qui ab eo requirat, ut reipsa jam doctus sit, & eas disciplinas calleat, quas demum vult à præceptore discere: sed satis est, ut qui instituendus est, habeat animum ac voluntatem ad discendum, ut quicquid ipsi à præceptore injunctum fuerit, prompte in se suscipiat. Ita Christus quoque hoc loco non ipsam executionem mandatorum suorum ab eo requirit, quem de doctrina sua judicare jubet, sed requirit tantum animi probitatem, seu talem animi dispositionem, qua quis paratus est nihil detrectare eorum, quæ didicerit & cognoverit Deo grata esse. Hoc est, quod dicit, *Si quis voluerit facere voluntatem Patris.* At iste vir doctus, vetat distingui voluntatem faciendi voluntatem Dei, à faciendo: *Nam profecto*, inquit, *qui serio ducitur veræ pietatis studio, is jam hoc ipso sine controversia pius est.* Hoc vero perinde est, atque si dicat, puerum qui serio ducitur eruditionis studio, jam eo ipso esse eruditum; quo nihil dici potest ineptius. Sed scio, unde proveniat talis assertio: ex illa nimirum disciplina, quæ docet, omnem pietatem Christianam tantum in bene agendi proposito ac voluntate consistere, ipsum autem bene agere in hac vita esse impossibile. Cui doctrinæ nihil aliud nunc oppono, quam illud Doctoris cujusdam Ecclesiastici: *Bonis operibus implebitur cœlum, bonis propositis autem infernum.*

Cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.] Ex his verbis liquet, superius commemoratam Maldonati commentationem super illa verba, *Doctrina mea non est mea*, quasi dictum sit, *Doctrina mea non solum est mea, sed etiam Patris*, non posse consistere. Quod enim supra dixit Christus, *doctrina mea non est mea*, id hic dicit, se non à seipso loqui: & quod ibi dixerat, doctrinam suam esse ejus qui ipsum misit, id hic dicit, doctrinam suam esse ex Deo. Jam autem ista duo, *Esse ex Deo*, & *à seipso loqui*, ponit hic non tanquam conjuncta, sed tanquam opposita. Ergo etiam in præcedente versiculo, *Doctrina non mea*, & *Doctrina ejus, qui me misit*, opposita sunt & dissentanea, non consentanea: proinde non ita explicanda, *Non solum* mea, *sed etiam* ejus qui me misit; verum simpliciter negative, ut verba ipsa sonant.

Vers. 18. *Qui à seipso loquitur, propriam gloriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in illo non est.*] Christus duas notas proposuit, è quibus doctrinæ dijudicandæ sint: altera est ex parte auditorum, altera ex parte docentium. Nota ex parte auditorum fuit versu superiori: *Si quis voluerit facere voluntatem Dei, cognoscet* &c. Ubi ostendit, ad cognoscendam veram doctrinam animi probitate opus esse, abjiciendam malitiam, exuendos affectus, simplex ac purum cor esse adferendum. Probitas facit, ut quis rationis, quæ ad virtutem ducit, dictamen potius sequatur, quam appetitus, qui ducit ad vitia; ut præferat honestum rebus corpori jucundis, utilibus, aut honorem aliquem & gloriam, sed vanam, afferentibus. Improbitas contra facit, ut quis appetitus ductum magis, quam rationis sequatur, & vulgaria bona honesto, &, quæ cum honestate conjuncta est ex Dei voluntate, immortalitati, præferat. Unde fit, ut doctrinam, quæ est secundum pietatem, quæ maxime appetitui & carni contraria est, atque ab amore mundi ac bonorum hujus seculi homines avocat, facile approbent, & ex Deo esse agnoscant homines probi animi: improbi autem, quorum corrupta mens est atque judicium cupiditatibus carnis,

ab ea

ab ea maxime abhorreant. Nunc explicat Chriſtus alteram notam, quæ eſt ex parte docentium. *Qui a ſeipſo loquitur, gloriam propriam quærit*, &c. Ubi Chriſtus videtur ita argumentari: *Qui a ſemetipſo loquitur*, id eſt, qui ſuæ doctrinæ ipſe auctor & inventor eſt, *ſuam gloriam quærit*. Ego gloriam meam non quæro. Non ergo ex meipſo loquor, id eſt, *Doctrina mea non eſt mea*. Quod argumentum male Maldonatus morale tantum eſſe affirmat, non neceſſarium. *Fieri*, inquit, *poteſt, & vere ita fieri deberet, ut aliquis ejus ſententiæ, quam invenerit, gloriam non ad ſe, ſed ad Deum referat*. At hic ſermo eſt non ſimpliciter de eo, qui ſententiam aliquam invenit, ſed de eo, qui ita à ſemetipſo loquitur, ita doctrinæ ſuæ inventor eſt, ut tamen dicat ac prætendat, ſe à Deo miſſum eſſe, ut ſe mandata Dei afferre ad homines jactet. Nempe loquitur hic Chriſtus de Pſeudo-propheta, qui fingit ſibi novam doctrinam, & interim præfert Dei miſſionem & auctoritatem. Hunc talem, ait Chriſtus, propriam gloriam quærere. Pſeudo-prophetæ enim ejuſmodi ac ſeductores etſi Dei nomen ac gloriam prætexant, revera tamen ſi vitam, ſi actiones eorum inſpicias, Dei gloriam non curant, ſed Deum contumelia afficiunt, contra vero ipſi honorari & adorari volunt, proprios affectant honores, quærunt opes, captant commoda ac voluptates. Hinc alibi Chriſtus Pſeudo-prophetas ex fructibus eorum jubet cognoſcere, Matth. 7. 16, & ſeqq. Confer etiam deſcriptionem Pſeudo-prophetarum 1 Tim. 4. 1, & ſeqq. 6. 3, 4. 2 Tim. 3. 1. uſque ad 10. 2 Petr. 2. totum. Jud. Epiſt. totam.

Propriam gloriam quærit.] Gloriam propriam quærere, nemini competit, niſi Altiſſimo, qui à nemine dependet, qui nemini quicquam debet. Is cum neminem habeat ſe ſuperiorem, non poteſt, quicquid agit, ad alterius gloriam, niſi ad ſuam referre. Reliquis vero omnibus, qui extra ipſum ſunt, quia ab ipſo dependent, ab eo omnia, quæ habent, acceperunt, incumbit, ut non ſuam, ſed illius gloriam quærant. Hinc Apoſtolus ait: *Quid habes, quod non acceperis? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1 Cor. 4. 7. Non nobis debetur gloria ex omnibus rebus, quas agimus, aut habemus, ſed Deo: ut ſicut omnia ex Deo ſunt, ita etiam ad eum omnia redeant, ſeu omnia in honorem ac gloriam Dei tendant. Unde cernitur, quam non fruſtra Deus graviſſime iraſcatur ſuperbis, tumidis & arrogantibus: quia crimen læſæ Majeſtatis divinæ committunt, jus Dei invadunt, id, ſibi vendicant, quod ſoli Deo debetur, nempe honorem ac gloriam. Eſt autem Deus hac in re Zelotypus: non poteſt pati rivalem & gloriæ æmulum. *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo* Eſai. 42. 8, id eſt, non patiar, non feram, nec ullo modo permittam, ut mihi quis gloriam debitam eripiat, & in ſe vel in alium eam tranſferat.

Porro dum Chriſtus oſtendit his verbis, ſe gloriam ſuam non quærere, ex eo patet, Chriſtum nulla ratione eſſe auctorem doctrinæ ſuæ, ſed illum omnem ac totam ejus gloriam ad eum referre, qui ipſum miſit: unde ſequitur, falſam eſſe Maldonati illam interpretationem, qui Chriſtum ſupra ita loquentem fecit, quod doctrina ipſius *non ſolum* ipſius ſit, ſed etiam Patris. Hac ratione enim Chriſtus non ſolam Patris, ſed ſuam quoque gloriam quæſiviſſet, ſi ſe una cum Patre doctrinæ ſuæ auctorem feciſſet. Quod ab ipſius mente longe abeſt. Præterea hinc ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum ſummum. Jam enim oſtendimus, Deum Altiſſimum non poſſe non ſuam gloriam quærere, ſeu non poſſe alterius, quærere gloriam, quam ſuam. Hic autem Chriſtus negat, ſe ſuam gloriam quærere, ſed alterius; alibi vero addit, ſi ſeipſum glorificaret, ſeu ſuam ipſe gloriam quæreret, gloriam ſuam, nihil, id eſt, vanam atque inanem, fore, Joh. 8. 54. An ſic Deus Altiſſimus de ſe loqueretur? Equidem qui talia attributa, quæ ſoli Deo Altiſſimo competunt, à ſe removet ac de ſe negat, is ſatis declarat, ſe Deum Altiſſimum non eſſe.

Qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit ipſum, hic verax eſt.] Intelligitur hic talis quæſitio gloriæ Dei, quæ non in uno actu conſiſtat, vel in uno aut altero dicto eluceat, ſed quæ conſpiciatur conſtanter in omnibus dictis & factis ejus, qui ſe à Deo miſſum eſſe profitetur: ita ut nihil det hominum auribus, non ad ullius gratiam loquatur, nec ullius iram reformidet, ſed in omnibus Deum magis reſpiciat, quam homines. Alioquin enim etiam impoſtores ſimulare poſſunt, ſe Dei gloriam quærere; ſed ſimulata non diu durant, facile mutantur, & ſic ſeipſa produnt.

Et injuſtitia non eſt in eo.] Id eſt, alienus eſt à fraude, ac mendacio: non eſt impoſtor ac Pſeudo-propheta, quo nihil poteſt eſſe injuſtius ac ſceleratius.

Verſ. 19. *Nonne Moſes dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem? Quid me quæritis interficere?*] Dixerat ſuperius: *Si quis voluerit facere voluntatem ejus, qui miſit me, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a meipſo loquar.* Quibus verbis tacite auditoribus ſuis objecerat, eos propterea non agnoſcere doctrinam ſuam ex Deo eſſe, quia nolint facere voluntatem Dei, quia pietatem non ament, quia non habeant probum animum, ſed vitiis magis quam virtutibus delectentur; atque hanc unam eſſe cauſam, ob quam illi à ſua doctrina abhorreant. Hoc igitur loco id jam probat & confirmat, eos tales eſſe, quia Legem Moſis non ſervent. Iſtud vero rurſus probat hoc argumento, quod eum innocentem velint interficere. Ita connexio horum verborum optime conſtat: quam Interpretes quidam aſſequi non valentes, eo confugerunt, ut dicerent, non eſſe quærendam ullam cohærentiam inter hæc verba & ſuperiora. Etenim ſolere Euangeliſtas ſæpe miſcellanea quædam congerere, & ſermones Chriſti nullo certo ordine narrare, nec integros, ut à Domino habiti ſunt, memorare, ita ut nonnunquam initium, nonnunquam finis commodus deſit. Quin hoc verum ſit, quod dentur aliqua ejuſmodi loca apud Euangeliſtas, ubi ad hanc reſponſionem neceſſario confugiendum ſit, negari nequit. Documento eſſe poſſunt Matthæi cap. 7. & Lucæ cap. 6. Verum hic nulla cogit neceſſitas hac reſponſione utendi, cum verba optime inter ſe cohæreant, ut oſtenſum eſt.

Nonne Moſes dedit vobis Legem?] Cur non dicit: Nonne

Nonne Deus dedit vobis Legem? cur Moſen potius nominat? Credibile eſt, propterea feciſſe, quia ſolerent Moſen ipſi ſubinde opponere. Objicit ergo ipſis viciſſim Moſen, & oſtendit, eos tametſi Moſen adeo crepent, & tantopere ament, & ipſius zelatores eſſe videri velint, ipſi tamen dicto audientes non eſſe, ſed Legem ipſius, qua adeo gloriabantur & ſe efferebant, tranſgredi ac violare.

Nemo ex vobis facit Legem.] Generaliter Chriſtus loquitur, etſi potiſſimum eos tangere voluerit, qui animum habebant ipſum interficiendi: quales erant primates ac antiſtites populi. Poterat enim Chriſtus vere ita loqui, quamvis hujus criminis, quod hic illis in ſpecie & exempli gratia objicit, omnes rei non fuerint; quia aliis tamen flagitiis ſinguli erant inquinati, de quibus eos Chriſtus, ſi interrogatus fuiſſet, facile convincere potuiſſet. Si qui tamen in illa turba fuerunt, qui quoad Legem Moſis innocentes fuerunt, illi pauci admodum fuerunt, & propter paucitatem ſuam in numerum non venerunt, ac pro nullis habiti ſunt. Ita enim ſolet Scriptura pios paucos in magna impiorum copia non numerare. Ut cum dicit: *Non eſt juſtus, ne unus quidem. Non eſt qui intelligat; non eſt qui requirat Deum. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat, quod bonum eſt, non eſt uſque ad unum*, Rom. 3. 10, 11, 12. Quæ verba Apoſtolus citat ex Pſal. 14. 1, 2, 3. ubi tamen in eodem Pſalmo etiam populi Dei & generationis juſtæ, & afflictorum Deum invocantium fit mentio: Sed quia bonorum ubique ſumma eſt raritas & paucitas, ideo quaſi nulli eſſent, eorum non habetur ratio, & non computantur. Hinc alibi dicitur, Deum elegiſſe eos, qui non ſunt, 1 Cor. 1. 28.

Quid me quæritis interficere?] Reſpicit Chriſtus ad id, quod ſupra cap. 5. 16, 18, & cap. 7. 1, ſcriptum eſt.

Verſ. 20. *Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes; quis te quærit interficere?*] Exiſtimant quidam hoc dixiſſe non promiſcuum vulgus, ſed principes, Sacerdotes, ac Phariſæos, qui in necem ejus conſpiraverant, facinoris nimirum conſcientia tactos, ſed ut ſolent facere homines effrontes & effrenati, impudentiſſime id, quod vere objiciebatur, negantes. Neque hoc quidem ab eorum ingenio ac moribus abludit. Sed tamen id videtur obſtare, quominus illi id dixiſſe intelligantur, quod diſerte dicat Johannes, turbam id dixiſſe. Non ſolet autem ille primores populi turbam appellare. Probabilius igitur eſt, Seniores ac Phariſæos ſibi objecti criminis conſcios ſiluiſſe, ne anſam darent Chriſto ipſos coram populo pudefaciendi, populum vero conſiliorum, quæ inter proceres agitata fuerunt de Chriſto, ignarum nec ſibi male conſcium, indigne tuliſſe, ejus ſe criminis accuſari, quod eis nunquam in mentem venerat. Reſpondet ergo acerbe & contumelioſe, ut mos eſt hominibus profanis, ubi ſe affectos injuria, aut calumnia aſperſos autumant. Bene hoc loco Auguſtinus: *Quid poſſet aliud dicere turba turbulenta? quid poſſet aliud olere cœnum commotum?* Poterant illi innocentiam ſuam modeſtis verbis teſtari, & ſe placide purgare. Sed apparet, eos quamvis cogitati homicidii puri fuerint, tamen de cætero pravos & male moratos homines fuiſſe: ut non fruſtra omnibus in genere Chriſtus objecerit ſupra: *Nemo ex vobis ſervat Legem.*

Dæmonium habes.] Hoc ipſi non credebant verum eſſe: ſed dicebant tamen, quia hoc eis ſuggerebat ſplendida bilis. In ira homines veritatis non habent rationem. Hinc fit, ut matres ſæpe impotentioris animi ac linguæ, ubi commotæ fuerint ira erga ſuos liberos, eos ſpurios appellent, tametſi id falſum eſſe ſciant: & ſi verum eſſet, ſeipſas dehoneſtarent. Neque eſt, quod propterea quis ſe excuſatum putet, ſi convitietur alteri, & dicat poſtea, ſe non ex animo locutum; ſe enim ipſum haud credere ea vera eſſe, quæ alteri per iram objecit. Nihilominus enim ex animo malo, proficiſcuntur convitia, nec ſola lingua peccat, etiam cum animus dictis non aſſentitur, vel quando lingua præcurrit mentem. Docuit enim nos Chriſtus, quicquid ex ore egreditur, ex corde egredi, idque inquinare hominem: Matth. 15 18, 19. item ex abundantia cordis os loqui; ita ut bonus homo è bono theſauro cordis proferat bona, malus vero ex malo theſauro depromat mala, Matth. 12. 34, 35. Neceſſe eſt malam eſſe arborem, ex qua mali naſcuntur fructus: neceſſe eſt, fontem animi eſſe corruptum per longam peccandi conſuetudinem, ex quo tam amara ac fœtida maledictorum ac convitiorum aqua erumpit. Etiamſi id fiat te non cogitante, vel animum non adhibente. Nam ubi habitum ac conſuetudinem male loquendi lingua contraxit, ibi ſolent maledicta in primis hærere labris, ut, levi data occaſione, citius evolent, quam in conſilium adhibeatur animus. Qui tamen extra culpam non eſt, quia linguam paſſus eſt prava conſuetudine imbui.

Verſ. 21. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini.*] Inſigne mitis & manſueti animi exemplum hic Chriſtus præbuit, quod tam injuſto laceſſitus convitio, non ſolum convitia non repoſuerit, aut ullum dictum acerbum, ſed ſicco pede id præterierit, quaſi id non audiviſſet, aut ab illis dictum non fuiſſet. Nullum majus invicti & conſtantis animi argumentum eſt, quam ſurdas habere ad convitia aures, iiſque quaſi ad ſe minime pertinentibus adeo non turbari, ut ea ne ſenſiſſe quidem videaris. Cæterum quia negaverat turba, quenquam iniviſſe ullum de ipſo interficiendo conſilium, revocat eis Chriſtus in memoriam rem ante aliquot menſes factam, quæ tamen adhuc in recenti erat memoria, quomodo accuſatus ab eis fuerit violati Sabbati, & omnium animi adverſus ipſum fuerint exaſperati, propter beneficium homini per multos annos laboranti præſtitum: de quo cap. 5. 1, & ſeqq. Qua occaſione acta etiam eſſe de capite ejus comitia teſtatur hiſtoria. Ibid. verſ. 16, 18. Itaque Chriſtus probat hic ſuam innocentiam, & immerito illam hominis ægroti curationem Sabbato factam damnari oſtendit.

Unum opus feci] Vocabulum iſtud *unum* videtur innuere collationem imparium. Sed quomodo collatio iſta inſtituatur, & quid hic ſubaudiendum ſit, non ſatis convenit inter Interpretes. Alii cenſent hoc ſibi Chriſtum voluiſſe: ſi propter unum opus, quod feci, omnes tantopere miramini, quanto magis

magis miraremini, ſi plura ejuſmodi opera ediſſem? Alii vero putant Chriſtum non comparare unum opus ſuum cum multis aliis ſuis operibus, ſed cum multis operibus Judæorum, quæ Sabbato faciunt: opuſque hic non ſignificare factum miraculoſum, ſed ſimpliciter operationem ſeu laborem, qui in Sabbato prohibitus eſſe crederetur. Quaſi dicat: Ego unum tantum opus in Sabbato feci, quod ſanaverim hominem gravi morbo ac diutino afflictum, & omnes offenſi eſtis. At vos multa opera in Sabbato & ſæpe facitis: frequenter enim in Sabbato circumciditis infantes, eorumque plagas curatis, & nemo offenditur. Perinde eſt, quocunque modo verba Chriſti ſumantur. Tolerabilis eſt uterque ſenſus. Poſteriorem tamen ſequentia magis probabilem faciunt.

Et omnes miramini.] Mirari hic connotat indignationem, iracundiam, & offenſionem vehementem. Propterea quod hic dicit, Miramini, infra dicit, Indignamini, vel iraſcimini, ℣. 23.

Verſ. 22. *Propter hoc Moſes dedit vobis circumciſionem (non quod ex Moſe ſit, ſed ex patribus) & in Sabbato circumciditis hominem.*] Iſtud *propter hoc* facit locum obſcurum, ut non ſatis liqueat, quomodo verba cohæreant cum antecedentibus. Neque enim propterea, quia Judæi mirabantur opus illud unum à Chriſto factum, Moſes illis dederat circumciſionem. Itaque multum negotii faceſſivit hic locus Interpretibus. Sed inventa eſt tamen à viris doctis duplex non incommoda ratio hunc locum interpretandi. Prima eſt, ut voces *propter hoc* ad ſuperius comma referantur, & ſic legatur textus: *Unum opus feci, & omnes miramini propter hoc.* Et tum incipiat nova periodus: *Moſes dedit vobis circumciſionem.* Altera eſt, ut poſt voces διὰ τοῦτο, *propter hoc* vel propterea, ſubaudiatur particula ὅτι, *quia*; idque ex Hebræorum conſuetudine, cujus exempla aliquot notantur à viris eruditis: ut Gen. 38. 26. Pſal. 42. 7. Num. 10. 30. Quo pacto ſenſus erit: Propterea quod Moſes dedit vobis circumciſionem, (quanquam illud non ex Moſe eſt, ſed ex patribus) etiam in Sabbato hominem circumciditis, ſeu non obſtat vobis religio Sabbati, quominus hominem circumcidatis.

Moſes dedit vobis circumciſionem.] Id eſt, præceptum de circumcidendis pueris octavo die. Vide Levit. 12. 3. Quaſi dicat: Tanti apud vos eſt Moſes, ut quia ille vobis præſcripſit legem de circumcidendo, etiam Sabbati non habeatis rationem, ſed ſi octavus dies, circumcidendi pueri incidat in Sabbatum, illo ipſo die puerum circumcidatis. Et hoc cum ſæpe accidat, adeoque creberrime Sabbato opus circumciſionis ipſi faciatis, cur miramini, quod ego unum opus fecerim, & ſemel hominem Sabbato ſanaverim? Sententia & hodie Rabbinorum eſt: *Circumciſio pellit Sabbatum.*

(Non quod ex Moſe ſit, ſed ex patribus.)] In parentheſi hoc addit Chriſtus, & quaſi per epanorthoſin ſeu correctionem dicit, vel ut auctoritatem Moſis quodammodo elevet, cui illi plus juſto tribuebant; vel ut præoccupet tacitam objectionem, ne videretur circumciſionem Moſi, tanquam primo ejus auctori, adſcribere, cum Deus eam non Moſi primum, ſed Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, longe ante Moſen præſcripſerit: Geneſ. 17. 12. Moſes autem hunc ritum jam olim inſtitutum, ut & alia non pauca à majoribus accepta, Legi ſuæ juſſu Dei inſeruerit.

Verſ. 23. *Si circumciſionem accipit homo in Sabbato, ut non ſolvatur Lex Moſis; mihi indignamini, quod totum hominem ſanum fecerim in Sabbato?*] Deducit Chriſtus concluſionem ex ſuperioribus. Quando octavus dies circumciſionis incidit in Sabbatum, tum concurrunt duæ leges, una eſt de nullo opere faciendo in Sabbato, altera de puero circumcidendo die octava, non ulla alia. Hic neceſſe eſt, ut lex una alteri cedat; utraque enim obſervari non poteſt. Vos ergo legi Sabbati præfertis legem circumciſionis, & ne ſolvatis ac violetis datam à Moſe de circumciſione legem, negligitis legem de Sabbato. Si proinde vos ipſi id facitis, ut Sabbatum non obſervetis, propter circumciſionem, propter præcidendam cuticulam & exiguam corporis particulam: cur mihi vitio vertitis, quod cum non pars aliqua corporis homini adimenda, ſed totus homo ſervandus & ſanitati reſtituendus eſſet, non adeo ſuperſtitioſe obſervans Sabbati fuerim? Notandum hic eſt, quando eſt concurſus & conflictus duarum legum, ita ut utrique ſatisfieri nequeat, ſed neceſſario una ſervanda, altera omittenda ſit, ſinam dictare rationem, ut ea quæ minoris momenti eſt, cedat potiori. Concurrit autem vel ritualis lex cum alia rituali; ut factum eſt in hoc caſu, quem Chriſtus objicit Judæis, ubi circumciſio concurrebat cum Sabbato: vel moralis lex, cum rituali; ut in facto Chriſti, ubi concurrebat lex exercendæ charitatis erga proximum ægrotum cum Sabbato: vel denique lex moralis cum morali; cujus rei exempla poſtea proferemus. Illud ante omnia certum & clarum eſt, atque extra omnem controverſiæ aleam poſitum, quod ſemper Lex moralis potior ſit rituali, ac per conſequens hæc illi cedere debeat. Quod docet Chriſtus ipſe allegato illo ex Oſea loco Cap. 6. 6. *Miſericordiam volo, non ſacrificium.* Quibus verbis ſignificatur, quando vel ſacrificandum vel miſericordia exercenda eſt, potius ſacrificium, quam miſericordiam omittendam eſſe. Huc pertinet illud Samuelis ad Saulem Regem: *Melior eſt obedientia, quam victimæ; & auſcultare melius, quam offerre adipem arietum*, 1 Sam. 15. 22. Vide quoque Marc. 12. 33. Sed difficilior eſt dijudicatio, quando vel lex ritualis cum rituali, vel moralis cum morali confligit. Nihilominus & hic, ſanæ rationis ope res expediri poteſt. Datur enim tam in moralibus, quam in ceremonialibus ſemper aliquid majus vel minus, ſeu dantur aliqui rerum gradus, ſecundum quos legum momenta æſtimanda ſunt. Sic in conflictu circumciſionis cum Sabbato, merito prælata eſt circumciſio Sabbato, quia Sabbatum erat inſtitutum ad requiem corporis, circumciſio autem erat medium, quo in cenſum populi divini inſerebantur homines, & Deo conſecrabantur. Majus vero erat, recipi in numerum populi Dei ac porro participem fieri Fœderis divini, quam à labore corporis abſtinere: præſertim cum circumciſionis ritus non magno labore conſtaret. In moralibus autem diſcrimen rerum aliquanto manifeſtius etiam cerni-

tur. In exemplo, quando ita caſus fert, ut vel Dei, vel Magiſtratus civilis mandatum, cui alioquin obedientia non ſolum propter metum, ſed etiam propter conſcientiam præſtanda eſt, tranſgrediendum ſit; non difficulter hic quivis ſana mente præditus videt, prævalere debere Dei mandatum, eique alterum eſſe poſthabendum; cum Deus major ſit omnibus hominibus. Similiter judicandum eſt de præceptis charitatis, quorum alterum jubet diligere parentes, liberos, amicos ac innocentes, eoſque defendere: alterum vero diligere jubet inimicos, malos ac perſecutores. Equidem ſi horum præceptorum fiat concurſus, & neceſſario alterum alteri cedere debeat, ſecundum rectam rationem aliter fieri nequit, quam ut illud de amicis & innocentibus, huic de inimicis ac ſontibus præferatur: cum illi his ſint præſtantiores, & charitate noſtra digniores. Et ſic ſe res habet etiam in cœteris.

Verſ. 24. *Non judicate ſecundum aſpectum, ſed juſtum judicium judicate.*] Hoc præclaro epiphonemate claudit Chriſtus diſputationem ſuam adverſus Judæos: dehortans eos à proſopolepſia, in judicando, & adhortans ad ferendum rectum judicium in cauſa ſua, quod ſit ſecundum veritatem ac juſtitiam. Judicare ſecundum aſpectum Gr. κατ' ὄψιν, idem eſt, quod alibi dicitur *reſpicere perſonas*, vel *accipere facies*. Vide Levit. 19. 15. 1 Sam. 16. 7. Jac. 2. 1. Eſtque hoc vitium acceptionis facierum, ſeu reſpectus perſonarum, inprimis judicibus ſevere prohibitum: Deut. 1. 17. xvi. 19. eſt enim magnus judicii ſcopulus ac peſtis. Etenim nihil aliud eſt, quam non ſecundum æquitatem cauſæ, & ſecundum rem ipſam ut in ſe eſt, ſed juxta externam qualitatem ferre judicium, adeoque id magis ſpectare in judicando, quod quis ſit amicus vel inimicus, dives vel pauper, potens vel infirmus, doctus vel indoctus, notus vel ignotus & ſimilia, quam quod ſit nocens vel innocens. Proptrea autem hoc per Hebraiſmum appellatur acceptio perſonarum, ſeu facierum, quia facies maxime patet in corpore humano, oculiſque eſt ſubjecta. Hinc fit, ut ejus appellatione veniant omnia extrinſecus quodammodo apparentia, ſive perſonalia, ut eſt amicitia, potentia, opulentia, nobilitas, doctrina, & id genus alia, horumque contraria. Quocirca ſi quis in pari cauſa diſpar ferat judicium, ob certam diverſarum perſonarum qualitatem, quæ ad meritum cauſæ nihil faciat, is faciem accipere vel reſpicere perſonam dicitur. Notandum autem eſt, parem debere eſſe cauſam: nam ſi cauſa ſit diſpar, nulla committitur proſopolepſia, ſi diverſum pronuntietur judicium. Notandum & hoc eſt, qualitates externas aliquando ad meritum cauſæ facere, ideoque eas reſpiciendas eſſe. Exempli gratia, non eſt par cauſa ſervi, vel ſubditi, vel filii, quando verberat dominum ſuum, magiſtratum aut parentem, atque eſt domini ſervum, magiſtratus, ſubditum, parentis filium verberantis. Itaque in tali cauſa reſpiciendum omnino eſt, an qui peccavit, parens ſit, an filius, dominus ne ſit an ſervus, magiſtratus an ſubditus: quia iſtæ qualitates ad meritum cauſæ pertinent, & facti gravitatem augent vel minuunt. At quando v. g. pater æque ac filius inebriatus eſt, vel dominus æquè ac ſervus adulterium commiſit, vel is qui eſt in magiſtratu æque ac ſubditus prodidit patriam: tunc diverſæ iſtæ qualitates externæ ad meritum cauſæ nihil faciunt, parque eſt utrobique cauſa. Si igitur hic qualitates iſtæ nihilominus reſpiciantur, & ratio earum habeatur, ita ut mitius judicium de patre, domino, ac magiſtratu, quam de filio, ſervo, ac ſubdito feratur, propter has ſolas eorum qualitates, proſopolepſia eſt. Sed ut ad verba Chriſti redeamus, hoc ille ſibi vult: Vos ipſi circumciditis infantes die Sabbati. Ego in Sabbato hominem curavi. Illud recte factum putatis, quia juſſit Moſes: hoc damnatis, quia à me fit; etſi cauſa non tantum ſit par, ſed etiam mea melior: quia majus beneficium eſt; homini ſanitatem reddere, quam præcidere præputium. Adde quod ſanatio ægroti, ſine ullo labore, nec manuum opera, ſed ſolo verbo peracta ſit, cum circumciſio ſine miniſterio manuum fieri nequeat. Nonne hæc eſt proſopolepſia? nonne id eſt perſonam potius, quam cauſam reſpicere? Sed poteſt etiam ſimplicior eſſe ſenſus: quaſi dicat; Vos nihil niſi externa ad rem minime pertinentia ſpectatis, cum potius rem ipſam penitius introſpicere deberetis. Potiſſimum in me conſideratis vilem & abjectam carnis meæ conditionem, interim non attenditis ad ſanctitatem ac divinitatem doctrinæ meæ, quam affero, & tam ſtupendis miraculis confirmo. In miraculis quoque meis hoc inprimis ſpectatis, quod ea faciam in Sabbato, & ſic externis ad rem minus facientibus turbamini: negligitis autem, quod maxime conſiderandum erat, nempe ipſorum miraculorum magnitudinem, ex qua facile cognoſcere poſſetis, ſi liberet vobis animum advertere, me iſta non facere niſi divina virtute, ac proinde me à Deo miſſum eſſe. Certe qui habet poteſtatem tanta miracula faciendi, quæ non poſſunt niſi Deum habere auctorem, is quoque habet poteſtatem in ritualibus diſpenſandi. Hoc ergo eſt, juſtum judicium ferre, quod hoc loco exigit Chriſtus, non hærere in rebus externis, ſed ad rem ipſam attendere.

Verſ. 25. *Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymitanis: Nonne hic eſt, quem quærunt interficere?*] Interſerit Johannes ſubinde Chriſti dictis judicia auditorum ejus, quæ Chriſto anſam ad alios, atque alios ſermones dederunt. Hieroſolymitani iſti diſtinguuntur à turba, de qua ſupra ℣. 20. Illi fuerunt cives Hieroſolymis habitantes: turba fuit vulgus promiſcuum, quod confluxit ad feſtum Hieroſolymam ex aliis locis. Turba iſta aliunde veniens neſciebat, Chriſtum ad necem quæri à principibus: ut apparet ex ℣. 20. Sed Hieroſolymitani cives ſine dubio erant conſilii iſtius immanis conſcii. Itaque mirantur, permitti à Senioribus Chriſto, ut palam ac libere in templo doceat. Sed hoc ipſum erat providentiæ divinæ circa Chriſtum palpabile argumentum, ex quo illi, ſi meus non læva fuiſſet, Chriſti excellentiam agnoſcere debuiſſent. Sine dubio Deus principibus metum incuſſerat vel Romanorum, vel populi, ut nihil palam occæptare contra Dominum auderent. Facillime enim Deus efficere poteſt, ut homines metuant, ubi nihil eſt metuendum, & ſic levis quodammodo araneæ tela ſit fidelibus ejus præſidio. Hinc vulgaris verſiculus:

Si Deus

Si Deus adfuerit, fiet vel aranea murus;
Sin Deus abfuerit, vel murus aranea fiet.

Quem verſiculum inde natum ajunt, quod ſanctus quidam vir fugiens hoſtes ſe inſequentes, ingreſſus ſit in quandam ſpeluncam, confeſtimque Deo ſic dirigente acciderit, ut aranea denſam telam ſuam ori ſeu foramini ſpeluncæ obtenderet: unde factum ſit, ut perſecutores ad locum venientes, & retia araneæ conſpicati, non crederent, quenquam in ſpeluncam introiſſe, & ſic illis abeuntibus, ſanctum virum fuiſſe ſervatum. Nihil intereſt, vera an falſa ſit hæc narratio. Nam etiam ex apologis & fabulis ſapienter confictis aliquid boni diſci poteſt. Hæc certe narratiuncula pulchre nobis mirificam Dei in ſervandis bonis ſolertiam ponit ob oculos.

Verſ. 26. *Et ecce libere loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid vere cognoverunt principes, quod hic ſit Chriſtus?*] Deſcribit Johannes Hieroſolymitanorum illorum diſcurſus de Chriſto & ratiocinationes, quibus modo in hanc, modo in illam partem inclinabant, & ſic variis cogitationum fluctibus agitabantur. Hoc loco quodammodo propendent in meliorem de Chriſto ſententiam. Conjiciunt enim ex illa, qua Chriſtus in loquendo nemine prohibente utebatur, libertate, principes ac Seniores, qui necem ejus ſpirabant, jam mutaſſe ſententiam, eumque pro Meſſia agnoviſſe: alioqui manus ei injicerent, nec paterentur eum impune ſic in publico declamare. Sed poſtea rurſus in alias cogitationes delabuntur, & hanc conjecturam ipſi refutant. Ita nimirum qui rectam & planam veritatis viam ob carnales reſpectus ingredi nolunt, non habent ubi conſiſtant, ſed ſimiles ſunt fluctibus marinis, qui ventis variis huc illuc jactantur.

Verſ. 27. *Sed hunc ſcimus, unde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit, unde ſit.*] Hic jam in contrariam de Chriſto ſententiam deferuntur, & priores ſuas cogitationes retractant; quaſi dicant: Sed hoc non poteſt fieri; fruſtra id de principibus ſuſpicamur. Obſtat enim hæc ratio, quominus iſte pro Meſſia haberi poſſit, quod Meſſiæ ortus debeat eſſe ignotus, hujus autem natales & proſapia ignobilis nobis ſit probe nota. Futiliſſima ſane ratio: quæ tamen tantum pondus habuit apud illos, ut tot inaudita, quæ per manus Chriſti fiebant, miracula, & tot divinitatis ejus argumenta præ illa nihili ducerent. Scilicet ad non credendum hominibus carnalibus ſufficit vel umbra rationis: ad credendum ne ſolidiſſimis quidem & ſolis luce clarioribus documentis adduci poſſunt.

Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit, unde ſit.] Nemo ſcit, id eſt, nemo ſciet. Præſens pro futuro. Mirum vero eſt, cur hoc dicant Hieroſolymitani, cum & locus nativitatis Meſſiæ aperte nominatus ſit in Sacris Literis Mich. 5. 2, quod etiam inter Judæos ſatis fuiſſe notum conſtat ex Matth. 2. 5, & infra ℣. 42, præterea prædictum fuerit clare, eum ex tribu Judæ, & ex ſemine ſeu poſteritate Davidis oriturum eſſe: quod itidem ignotum non fuiſſe Judæis patet ex eodem ℣. 42, infra, & ex Matth. 12. 23. XXII. 42. Exiſtimant Interpretum quidam doctiſſimi, ex imperitia & ignorantia mera Scripturarum profecta eſſe hæc Hieroſolymitanorum verba: audiviſſe eos quidem aliquid de Meſſia, quod venturus ſit, ſed neſciviſſe quicquam de ejus ortu ac natalibus in Scriptura traditum eſſe: illos vero, qui infra dixerunt ℣. 42, *Nonne Scriptura dicit: Ex ſemine Davidis, & ex vico Bethlehem, ubi erat David, Chriſtus veniet?* fuiſſe doctores & in Scriptura exercitatiores. Verum non eſt admodum credibile, tantam fuiſſe in Hieroſolymitanis præſertim civibus ignorantiam. Veriſimilius eſt, hunc Hieroſolymitanorum ſermonem traxiſſe originem ab aliqua Rabbinorum traditione: hanc autem traditionem ortam fuiſſe ex locis aliquibus Sacræ Scripturæ perperam intellectis. Quænam autem fuerint iſta loca Scripturæ, è quibus hanc opinionem ſuam hauſerint Rabbini, de eo diſquirere, curioſum & ſupervacuum eſſe puto. Vide infra dicenda ad ℣. 42. Interea certum eſt, revera ita eveniſſe, ut etſi Hieroſolymitani dicant, *Hunc ſcimus, unde ſit*, nemo tamen eorum verum Chriſti ortum noſſet. Credebant enim illi Jeſum eſſe ex Galilæa, ex urbe Nazareth oriundum, credebant Joſephum eſſe verum ejus patrem: ſed in eo fallebantur: cum is ex Spiritu Sancto conceptus, ex caſta atque intacta Virgine Bethlehemi natus eſſet, nullumque verum patrem in terris haberet, ſed pater ejus verus, à quo immediate genitus eſt virtute Spiritus Sancti, eſſet in cœlis ipſe Deus: quam ob cauſam etiam Chriſtus Deum ſemper ſimpliciter Patrem ſuum appellare ſolitus eſt. Sic igitur hæc quoque traditio Rabbinorum vere in Domino Jeſu impleta fuit: adeoque argumentum iſtud, quod Hieroſolymitani afferunt ad probandum, quod Jeſus non ſit Chriſtus ſeu Meſſias, contra ipſos potius & pro Domino Jeſu valet.

Verſ. 28. *Clamabat ergo Jeſus in templo docens, ac dicens: Et me noſtis, & unde ſim noſtis; & à meipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos non noſtis.* Probabile eſt Hieroſolymitanos illos ſuperiora dixiſſe, non elata voce, ut ipſe audiret, ſed ſubmiſſiore inter ſe murmuratione eſſe uſos. Chriſtus igitur, ut oſtenderet, non ſe clam eſſe, quod illi inter ſe loquerentur, quin & tacitas eorum cogitationes ſibi eſſe notas, utque ſic eo ipſo divinitatem ſuam demonſtraret, alta voce clamat, ut ab omnibus, qui erant in templo, exaudiri poſſet. Quaſi dicat: Scio ego, quid vos inter vos muſſetis: novi animi veſtri ſenſa quæ palam proferre non audetis, ſed inter vos preſſo diſſeminatis murmure. Hoc ipſum ſane percellere poterat adverſarios ejus, cum etiam ad tacitos eorum ſuſurros ac cogitationes reſponderet.

Et me noſtis, & unde ſim, noſtis.] Hæc Chriſti reſponſio habet nonnihil perplexitatis. Hinc quidam cenſent, iſta per ironiam à Chriſto eſſe dicta, & ſenſu contrario eſſe intelligenda: quaſi dicat; Scilicet vos me noſtis, & unde ſim noſtis: Nequaquam ita eſt. Alii per interrogationem verba legenda putant: quaſi dicat; Ita ne vero vos me noſtis, quo ſim patre genitus? Quæ interpretatio eodem recidit. Mutat enim affirmantem ſententiam in negantem. Et Tertullianus adverſus Praxeam ſic negative hunc locum citavit: *Neque me ſcitis, unde ſim.* Sed non video cauſam, cur ab affirmante ſententia recedendum ſit. Poteſt enim eſſe ſenſus commodus affir-

mans hoc modo: Etſi me noſtis de facie, etſi noſtis domum meam ac familiam, quibus ortus ſim parentibus, ubi educatus ſim, & ubi habitem, tamen ego à me ipſo non veni, ſed à Deo. Vel, ſi magis: Verum quidem eſt, vos me noſſe, & unde ſim ſecundum carnem ſcire, nempe notam vobis patriam meam, parentes, & cognatos; ſed interim & hoc verum eſt, me à me ipſo non veniſſe, ſed à Deo miſſum eſſe, adeoque verum eſſe Meſſiam. Proinde veſtra illa regula Rabbinica falſa eſt, ſecundum quam judicatis, eum, quem vos noſtis, non poſſe eſſe Meſſiam. Notandum eſt, Chriſtum infra id Judæis adimere, quod hic illis concedit. Ait enim cap. 8. 14, *Scio unde venerim, & quo vadam. Vos autem neſcitis, unde venerim, & quo vadam.* Et verſ. 19. *Neque me noſtis, neque Patrem meum: ſi me noſſetis, etiam Patrem meum noſſetis.* Quomodo iſta concilianda ſint, ubi ad hæc verba ventum fuerit, dicemus.

Et à meipſo non veni.] Particula & videtur hic ſumi pro *ſed*: quod & alias non eſt inuſitatum. Vide Eſai. 14. 19, & infra verſ. 30. Dum negat Chriſtus, ſe à ſeipſo veniſſe, ſed ſe miſſum eſſe dicit, oſtendit ſe eſſe Meſſiam. Verus enim Meſſias non à ſeipſo, id eſt, non ſua ſponte, non proprio motu venire debuit, ſed à Deo mitti. Omnes qui à ſeipſis venerunt, & ſe pro Meſſia geſſerunt à Deo non miſſi, pſeudo-Chriſti & impoſtores fuerunt. Hodie poteſt aliquis à ſeipſo venire, & homines docere viam ſalutis ex Sacris Literis, etiamſi à Deo peculiariter non mittatur. Nihil enim nunc novi afferre debent, qui docent, ſed tantum repetere & inculcare ea, quæ Chriſtus docuit, & quæ Apoſtoli tradiderunt. At Meſſias debebat ea docere, quæ ante ipſum nemo docuit, & expromere abſcondita à conſtitutione mundi Matth. 13. 35. debebat ille eſſe Propheta, Sacerdos, & Rex populi divini, quem quiſquis non audierit, exterminandus erat è populo. Talem ſe nemo facere poterat, niſi mendax ac ſeductor. Solus Deus talem mittere poterat. Itaque Chriſtus merito hac periphraſi utitur, & ſe Meſſiam eſſe declarare volens, ait ſe non à ſe veniſſe, ſed ab eo miſſum eſſe, qui verus eſt, id eſt, à Deo. Verum ſimpliciter appellat Deum per excellentiam. Omnis enim homo mendax, ſolus Deus verax, Rom. 3. 4. Sic etiam Deus ὁ μόνος ἀγαθὸς bonus vocatur Matth. 19. 17, & ſolus ſapiens Rom. 16. 27. Jud. ℣. 25. Solus potens, ſolus immortalis 1 Tim. 6. 15, 16. nimirum quia & perfectiſſime iſta in ſe habet, & quia à ſeipſo talis eſt, non ab alio. Duplicem autem ſenſum habere poteſt iſta vox *veri*, quam hic Chriſtus Deo tribuit. Vel enim veracitatem in dictis, inque promiſſis ſignificare poteſt, quod alienus ſit ab omni mendacio, quod mentiri nequeat, ut alibi dicitur Hebr. 6. 18, vel etiam veritatem, id eſt, perfectionem Deitatis: quo pacto Chriſtus Patrem ſuum *ſolum verum Deum* vocat Joh. 17. 3. Sunt quidem & alii Dii, & ſuo modo etiam veri; nam non poteſt ſolvi Scriptura, quæ dixit iis, ad quos ſermo Dei factus eſt, *Vos Dii eſtis*, Joh. 10. 34, 35. Sed ſolus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt verus Deus modo eximio ac excellentiſſimo: quia Deitatem ſuam nemini debet, ſed omnes, quotquot præter ipſum Dii ſunt, ipſi Deitatem debent. Cæterum dum Chriſtus hic docet, ſe non veniſſe à ſeipſo, ſed ab alio miſſum eſſe, indicans quodammodo, ſi à ſeipſo veniſſet ſe non fore verum Meſſiam, ſignificat, ſe non eſſe ſummum Deum. Summus enim Deus ſi veniat, non poteſt niſi à ſeipſo venire: & ſi Meſſias debuiſſet eſſe ipſe Deus Altiſſimus, hoc inprimis indicium foret veri Meſſiæ, quod à ſeipſo veniret. At nunc contraria Chriſtus procedit via, & ſe Meſſiam eſſe probat, ex eo, quia non à ſe venerit, ſed ab alio miſſus ſit, qui ſit verus: unde ſequitur, eum quoque verum eſſe, non impoſtorem, non ſeductorem.

Quem vos non noſtis.] Quomodo Chriſtus dicit, eos non noſſe Deum? An illi non norant Deum Iſraëlis? Annon habebant Legem a Deo? Annon ex ea voluntatem Dei didicerant? Animadvertendum igitur eſt, illos quidem habuiſſe cognitionem Dei ſpeculativam, ſed non practicam. Norant illi, Deum Iſraëlis eſſe Deum verum, & præter eum non eſſe alium; norant etiam quomodo eſſet colendus: norant ejus ſapientiam, omnipotentiam, & ſumma, quæ genti ipſorum præſtiterat, beneficia. Sed hæc cognitio in eis fuit otioſa, ſterilis, & in bona opera non exuberans: non erat cognitio illa conjuncta cum vero Dei timore, reverentia atque amore. De talibus autem, qui hanc infructuoſam cognitionem Dei habent, Scriptura negat, eos Deum noſſe. Vide Tit. 1. 16. 1 Joh. 2. 3, 4. Si quis velit, poſſet etiam hæc Chriſti verba ita accipere, quod Judæi non noverint Deum, quatenus non habebant bene perſpecta ejus conſilia, ejuſque ſapientiam, qua uſus eſt in mittendo Meſſia. Illi ſperabant & animo præceperant Meſſiam potentem, opulentum, ſplendidum, & omnibus carnis ornamentis conſpicuum. At Deus illis miſit Meſſiam humilem, pauperem, & nulla carnali dignitate præditum, ita tamen, ut eum ſpiritualibus ac divinis donis cumulatiſſime exornaret, & ſic non carnali, ſed divina quadam ratione eum è vulgarium hominum ſorte ac numero eximeret. Hanc Dei ſapientiam illi non intellexerunt: ſed carnalia tantum requirebant & ſpectabant in Chriſto; ſpiritualia, quæ potiſſimum attendenda erant, non curabant. Jure igitur eis Chriſtus objicit, quod Deum non norint.

Verſ. 29. *Ego novi eum, quia ab ipſo ſum, & ille me miſit.*] Quædam Vulgatæ editionis exemplaria hunc verſum ita legunt: *Ego ſcio eum, & ſi dixero, me eum neſcire, ero ſimilis vobis, mendax.* Sed videntur hæc verba hic eſſe ab aliquo inſerta ex cap. 8. 55. ubi iſta verba habentur in omnibus exemplaribus tam Græcis, quam Latinis. Dicit autem Chriſtus, ſe noſſe Deum, tum quia faciebat perfectiſſime Dei voluntatem, eique in omnibus fuit obediens, tum quia cognita habebat exactiſſime divina decreta, conſilia, & agendi rationes, præſertim quæ ad Euangelium & ſalutem humani generis ſpectabant. Ad quod poſterius hic potiſſimum Chriſtus reſpicere videtur. Rationem enim addit: *Quia ab ipſo ſum, & ille me miſit.* Quaſi dicat: Non eſt mirum, me perſpectam habere optime ejus voluntatem & conſilia; fui enim apud ipſum, & ab ipſo venio, inſtructus & edoctus pleniſſime de rebus divinis. Ergo a me debetis diſcere, veram Dei cognitionem, & me tanquam legatum Dei ſuſcipere. Majora hæc ſunt & præſtan-

præſtantiora ornamenta ſcientiæ & ſapientiæ cœleſtis, quibus me Deus inſignivit, quam ſi me auro, gemmis, aut aliis carnis ſplendoribus exornaſſet.

Ab ipſo ſum, & ille me miſit.] Dupliciter hæc poſſunt ſumi. Vel ita, ut jam indicatum eſt, quod Chriſtus à Deo venerit proprie loquendo, ſeu de cœlo deſcenderit, poſtquam eo aſſumtus fuiſſet ad diſcendam & audiendam à Deo hanc, quam hominibus tradere debebat, doctrinam: qua de re vide dicta ſupra ad cap. 3. 13. & VI. 62. Et ſic id quod additur, *Et ille me miſit*, erit antecedens; illud autem *Ab ipſo ſum*, conſequens. Nam eum Deus ex terra in cœlos tranſlatum, rurſus de cœlo miſit: atque ita à Deo in terram venit. Vel etiam iſtud *Ab ipſo ſum* poteſt hunc habere ſenſum: quaſi dicat; Deus eſt auctor muneris ac officii mei; non meo arbitrio, non meopte motu ſuſcepi hoc officium, ſed à Deo ſum conſtitutus Meſſias, ille mihi hoc officium impoſuit, atque ad id obeundum me ipſe miſit in mundum. Et hac ratione illud, *Ab ipſo ſum*, erit prius, hoc vero, *Et ille me miſit*, poſterius. Nam prius Deus conſtituit, ut Chriſtus eſſet ſervator mundi, poſtea demum eum miſit in mundum, id eſt, voluit eum manifeſtari toti orbi, & publice munus ſuum auſpicari, atque obire.

Verſ. 30. *Quærebant ergo, eum comprehendere, & nemo injecit in eum manum, quia nondum venerat hora ejus.*] Male eos habebat, quod ea quæ privatim ac ſecreto inter ſe colloquebantur, Chriſtus cognoviſſet, & publice eos refutaret. Hoc igitur, quod erat argumentum divinitatis Chriſti, quod eorum animos maxime ad Chriſtum debebat convertere, hoc eos maxime avertit à Chriſto, & exaſperavit, imo efferavit, ut quaſi in furorem ruerent, & ipſius comprehendendi conſilia inirent. Merito dicas, illis fuiſſe taurina ingenia. Nam de tauris fertur, eos colore purpureo, quo maxime alioquin oculi delectantur & exhilarantur, in furorem agi. Quidam exiſtimant, hos qui hic dicuntur voluiſſe Dominum comprehendere, eoſdem fuiſſe cum Phariſæis illis ac Sacerdotibus, de quibus poſtea idem narratur: verſ. 32. Sed ſatius eſt, iſtos ut diſtincte poſitos à Johanne, diſtincte ſumere.

Et nemo injecit in eum manum.] Particula *Et* poſita hic eſt pro *ſed*: ideo ſic eam vertit Beza. Exemplum hic in Chriſto propoſitum eſt divinæ cuſtodiæ ac protectionis, etiam in medio capitalium ipſius hoſtium. Quis non miraretur, & ad hujuſmodi ſpectaculum non ſtupeſceret, ſi videret inter medios mille lupos unam ovem ſecure agentem ac gramen carpentem? cum vel unus lupus poſſet ſufficere dilaniandis mille ovibus. Nonne id merito haberetur pro miraculo? Tale miraculum hic certe fuit, ubi Chriſtus inermis, circumfuſus fuit tot millibus adverſariorum, qui lupinos dentes ſuos ipſi oſtendebant, iiſque frendebant adverſus eum, ſed lædere eum non poterant. Admiramur illa miracula Veteris Fœderis, cum tres juvenes conjecti in ardentem caminum à Rege Nabuchodonoſore, illæſi manſerunt in mediis flammis: Dan. 3. 25, vel cum Daniel Propheta in foveam leonum a Dario Rege miſſus, ſervatus eſt incolumis, quia Deus occluſerat ora leonum, ut nocere ſervo Dei non poſſent: Dan. 6. 23. Cur non eandem miraculi & divinæ potentiæ magnitudinem in hoc Chriſti caſu admiremur? Non poterant juvenes illi, aut Daniel, propiores eſſe morti, ſi humanitus loquamur, quam Chriſtus inter crudeliſſimos hoſtes. Non minori proinde miraculo ipſe eſt, atque illi, ſervatus.

Nondum venerat hora ejus.] Per horam Chriſti hic intelligi tempus paſſionis ac mortis Chriſti, nemo dubitat. Tempus iſtud certum & determinatum a Deo fuiſſe, hinc liquet. Sed annon tempus iſtud anticipari, vel produci potuerit, ambigi poteſt. Credibile enim eſt, Deum ejuſmodi decreta ſuſpendere interdum a conditionibus nonnullis, & quidem hujuſmodi, quæ pendent a libero hominum arbitrio; quod cum mutari queat, ſive in bonam, ſive in malam partem ſe flectere, conſequitur, etiam decreta illa mutationem pati poſſe. Quod autem non nulli philoſophantur, indignum eſſe Deo, ut decreta ſua ab ulla conditione ſuſpendat, illi dum Dei dignitatem tueri videri volunt, hoc prætextu funditus tollunt & exſcindunt omnem religionem. Nam ſi Deus ſalutis noſtræ decretum à fidei ac pietatis noſtræ conditione non ſuſpendit, actum eſt de omni fidei ac pietatis ſtudio. Sed de tempore mortis Chriſti citius concedi poſſet, id fixum fuiſſe ac immutabile, de aliis autem hominibus id nequaquam eſt admittendum. Nam etſi veriſimile ſit, Deum in genere conſtituere terminum, quouſque vitam ſuam unuſquiſque producere debeat, terminum tamen iſtum mobilem eſſe, & tempus mortis impietate aut ſaltem culpa hominis accelerari, vel etiam pietate ac precibus prorogari poſſe, ſatis clare Sacra Scriptura videtur indicare. Quid enim clarius loco Prov. 10. 27. *Timor Domini apponit dies: anni vero impiorum abbreviantur*? Vide quoque Exod. 20. 12. XXIII. 25. Deut. 4. 40. XXVIII. 20, 21, 22. XXX. 19, 20. 2 Reg. 3. 14. Pſal. 55. Pſalt. XCI. 96. CII. 25. Eſai. 38. 10. Qua de re videantur Epiſtolæ Simonis Epiſcopii ad Joh. Beverovicium. Interim hoc loco obſervandum eſt, mortem hominum, præſertim piorum, non ex hominum pendere arbitrio, ſed ex ſola Dei voluntate ac providentia. Tam teneram enim Deus agit ſuorum curam, ut in numerato habeat omnes greſſus eorum, omnes capitis eorum capillos, ut nihil ſive magnum, ſive parvum iis accidere poſſit temere, & abſque ejus ſcitu ac voluntate: quippe ſine quo ne paſſerculus quidem ex nido ſuo cadere poſſit in terram, Matth. 10. 29, 30. Quicquid ergo agant ac moliantur impii adverſus pios ac fideles, hoc eis nocere non poteſt, niſi tunc, ſi Deo videatur conſultum permittere. In exemplo Jobi res ſatis liquido cernitur. Non potuit ei nocere Satanas, antequam veniam à Deo impetraret. Nec plus ei nocere, nec diutius eum affligere potuit, quam Deo viſum eſt permittere. Vide Job. 1. 11. Quid non faciebat Rex Saul, ut Davidem occideret? nec tamen, Deo prohibente, id effectui dare potuit. Jezabel quoque regina

diris ſemet devoverat, ni Eliam Prophetam è medio tolleret. Nihil tamen efficere potuit: ſed ante eſt illa de feneſtra præcipitata, & ante linxerunt canes ejus ſanguinem, quam ullus Prophetæ pilus de capite decideret. Hæc tam accurata Dei circa bonos cuſtodia fiduciam noſtram erga Deum confirmare, & ſpes noſtras, quas in bonitate ejus collocavimus, erigere debet.

Verſ. 31. *Multi vero ex turba crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus quando veniet, nunquid plura ſigna faciet, his quæ iſte facit?*] Annotavimus jam ſupra turbam hoc loco diſtingi non ſolum à primoribus ac Senioribus Judæorum, ſed etiam ab Hieroſolymitanis civibus. Vide ſupra 20,25. Hieroſolymitani addictiores erant principibus ſuis, & Chriſto erant iniquiores: ideo etiam Chriſtum comprehendere voluiſſe, paulo ante dictum eſt. Turba autem vocantur hic advenæ illi, qui ex oppidis ac vicis, aliiſque locis concurrerant ad feſtum: ex iſtis igitur, quia minus alieno in Chriſtum animo erant, multi in eum crediderunt. Obſervandum eſt, nunquam abſque fructu aliquo verbum Dei annuntiari. Utcunque enim inſaniant primores populi, ſemper tamen vel ex infima plebe reperiuntur aliqui boni, probi, ac ſimplices, qui obviis ulnis doctrinam veritatis excipiunt.

Chriſtus quando veniet, nunquid plura ſigna faciet.] Erat communis veterum Judæorum opinio, Meſſiam venturum cum miraculis, & quidem tantis, quibus omnes Prophetas, ut pote princeps eorum, anteiret. Hinc etiam Matth. 12. 23 turba, cum vidiſſet Chriſti miracula, dixit: *Nonne iſte eſt Filius Davidis?* Simili igitur modo & hic ex miraculis Domini colligit turba, eum eſſe Meſſiam. Etſi enim nulla hoc loco commemoret Johannes à Chriſto facta eſſe miracula, tamen & illud miraculum curati ægroti, & alia multa turbæ non ignota fuiſſe apparet. Sunt vero quidam, qui ex verbis iſtius turbæ colligant, eam ſignificare, nondum ſe credere Meſſiam veniſſe, ac proinde eam non ſatis adhuc in Dominum Jeſum credidiſſe. Sed hæc interpretatio eſt aperte verbis Euangeliſtæ contraria, qui teſtatur expreſſe, multos è turba credidiſſe. Deinde non ſignificat turba iſta, vel multi iſti credentes è turba, Meſſiam nondum veniſſe, ac porro neque hunc eſſe Meſſiam. Sed contra potius argumentantur: Hic eſt Meſſias; quia Meſſias ſi veniat, non poſſet plura edere miracula, id eſt, nemo alius venire poteſt, qui plura miracula faciat, quibus ſe Chriſtum eſſe demonſtret, quam hic.

Verſ. 32. *Audierunt Phariſæi turbam hæc de illo murmurantem, & miſerunt Phariſæi, & principes Sacerdotum miniſtros, ut eum comprehenderent.*] Phariſæi primo loco nominantur, genus hominum Chriſto infeſtiſſimum, ſuperſtitioſiſſimum, & totam pietatem in externis collocans. Illis deinde adjunguntur Sacerdotes, & quidem primatii, ſeu principes Sacerdotum. Hi fuerunt auctores comprehendendi Chriſtum. Ita a Senioribus cæpta eſt iniquitas; & qui primi in virtute eſſe debebant, primi ſunt in ſcelere. Idque faciunt in ipſo feſto, quo maxime ſancti eſſe debebant, quodque ſumma cum religione ac pietate celebrari oportuit. Habemus in iſtis hominibus exemplum præpoſteræ pietatis, & perverſæ conſcientiæ. Credebant Chriſtum violaſſe feſtum Sabbati, quod hominem miſerum morbo diutino liberaſſet, ac ſanitati reſtituiſſet: & ipſi non ducunt ſibi religioni, in die feſto ſtruere inſidias homini innocenti, animum gerere ſanguinarium, quin & manus ei injicere. Chriſto ſcilicet non licebat in die feſto benefacere: illis vero licet malefacere. Chriſto nefas eſt vitam & ſanitatem homini donare: illis fas eſt vitam innocenti adimere. Quid talibus hominibus poteſt eſſe iniquius? Danda proinde eſt opera, ne quid ſimile in nobis reperiatur, ne, ut ait Chriſtus, percolemus culicem, & camelum deglutiamus, Matth. 23. 24. Cauſam vero, cur Phariſæi & primarii Sacerdotes juſſerint Chriſtum comprehendi, aſſignat Johannes, quia audierunt turbam de Chriſto murmurantem. Putant Interpretes quidam, per hos murmurantes hoc loco intelligi Hieroſolymitanos illos, qui volebant manus in Chriſtum injicere ſupra verſ. 25 & 30. Cenſent enim Phariſæos ac Sacerdotes, qui metu populi Chriſto manus inferre antea non audebant, tunc eſſe audaciores factos, cum viderent, ipſum populum, quem ſolum verebantur, eſſe in eum incitatum. Sed jam diximus ſupra Hieroſolymitanos iſtos a turba diſtingui, hic autem dicitur, turbam murmuraſſe. Probabilius igitur eſt, murmurationem hanc ad proxime dicta ab iis, qui è turba crediderant, eſſe reſtringendam. Nam & Euangeliſta ſatis clare eam reſtringit, cum ait: *Audierunt Phariſæi turbam hæc de illo murmurantem*; intellige *hæc*, quæ proxime præceſſerant. Itaque cauſa hæc maxime irritavit & accendit Phariſæos, quod cum viderent turbam in Chriſtum eſſe propenſam, ejuſque favere partibus, timuerint, ne ſi impunem relinquerent, is omnem a ſe populum averteret. Ita dicunt infra: *Si ſic dimittimus eum, omnes credent in eum*, Joh. 11. 48. Unde patet, murmurationem hic non ſumi in ſiniſtram partem pro detractione, ut alias, ſed pro honorificis de Chriſto ſermonibus, quos tacite inter ſe homines illi è turba miſcebant.

Verſ. 33. *Dixit ergo Jeſus: Adhuc modicum, tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum, qui me miſit.*] Quædam exemplaria habent: *Dixit ergo eis*; quædam pronomen omittunt. Sed hoc eſt minoris momenti: majoris eſt, quid ſibi Chriſtus his verbis velit. Ablegatos eſſe miniſtros ac ſatellites a proceribus populi ad ſe capiendum ſine dubio cognovit Chriſtus, divini ſpiritus ſui, quo repletus erat, virtute. Oſtendit igitur Chriſtus, fruſtra eos ſibi nunc necem moliri. *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Sum* pro *ero* hic eſt poſitum: præſens pro futuro; ut & *vado* pro vadam. Senſus ergo eſt: Vos nulla feſti hujus reverentia ducti, omnibus machinis me ſtudetis opprimere, & jam ſubmiſiſtis apparitores, qui me comprehendant. Sed nihil agitis: non eſt in veſtra poteſtate, me tollere è medio quando vultis. Ego etiam vobis invitis ac frendentibus, tametſi ad modicum tempus, tamen adhuc aliquantiſper vivam, & non modo in mundo ero, ſed etiam *vobiſcum* & inter vos verſabor, nec quicquam mihi nocere poteritis, quicquid machinemini: donec veniat tempus, a Deo deſtinatum, quod non

longe

longe abeſt, quo tollar a vobis. Et tunc me, quem nunc præſentem odiſtis, & amoliri ex oculis conamini, ipſi ultro abſentem quæretis, nec invenietis. Ita Chriſtus indicat, ſe non ſtatim moriturum, & nihilominus aliquanto poſt moriturum. Simulque indicat, ſe à mortuis reſurrecturum, & prædicit ſuam in cœlum aſcenſionem ad Patrem. Hac phraſi *Vado ad eum, qui me miſit*, ſeu *ad Patrem*, tria iſta ſignificantur, mors reſurrectio & exaltatio Chriſti.

Verſ. 34. *Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.*] Virtutem in columem odimus, inquit Poëta, ſublatam ex oculis quærimus invidi. Hoc Judæis uſu venturum prædicit Chriſtus. Tunc habebant eum præſentem, audiebant docentem, videbant miracula edentem: ſed non poterant eum ferre; ſudes erat in oculis eorum; nihil aliud agitabant & volvebant inter ſe, quam ut eum è numero viventium delerent. At Chriſtus minatur eis, fore tempus, quando ipſum requirent, & videre geſtient, ſed non invenient. Eſt autem hoc loco dignus vindice nodus: Quomodo dicatur, Phariſæos & Sacerdotes Chriſtum eſſe quæſituros poſt mortem, cum non modo eum non quæſiverint, ſed pertinaci odio eum ſemper proſecuti ſint, idque ſæviendo in diſcipulos Chriſti ſatis teſtati ſint? Ad hanc quæſtionem primum reſponderi poteſt, nihil credibilius eſſe, quam cum Chriſtus poſt mortem reſurrexiſſe diceretur, idque paſſim ſpargeretur ac conſtanter affirmaretur à diſcipulis, ipſi quoque Phariſæi viderent aliqua ejus indicia, (nam vigiles monumento appoſiti omnia, quæ circa ſepulchrum Chriſti acta ſunt, ipſis retulerant) deſideraſſe eos, Chriſtum reſuſcitatum ſuiſmet oculis videre. Hoc etſi ſcriptum non ſit, eſt tamen adeo probabile, ut de eo non de videatur eſſe dubitandum. Merito igitur Chriſtus hoc eis interminari potuit, quod cum maxime optaturi eſſent ſe videre, non fint viſuri. Singulari enim Dei conſilio factum eſt, ut Chriſtus redivivus ſolis diſcipulis exhiberetur videndus, nullis infidelibus. Noluit enim Deus nimis magnam vim animis hominum inferre, eoſque ad credendum quaſi cogere. Quis enim tunc non credidiſſet? Deinde reſponderi poteſt, Chriſtum non loqui proprie de perſona ſua, ſed de Meſſia in genere; ut ſenſus ſit: Quæretis ac deſiderabitis Meſſiam, qui non alius eſt, quam ego, ſed fruſtra eum requiretis, non invenietis eum, niſi in me credatis. Tertia etiam reſponſio non eſt contemnenda, quod non ideo dicat Chriſtus, *Quæretis me, & non invenietis*, quod Judæi ipſum revera eſſent quæſituri, ſed quod quamvis quærerent, inventuri non eſſent. Solent enim ad hunc modum Hebræi loqui, cum ſignificant, aliquid non extare amplius in terris: ut Pſal. 10. 15. *Quæretur peccatum ejus, & non invenietur.* Et Pſal. 37. 10. *Quæres locum ejus, & non invenies.* Vide quoque Ibid. ỳſ. 36. Eſai. 41. 12. Oſe. 2. 7.

Et ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.] Rurſus hic præſens poſitum eſt pro futuro. *Sum* pro *ero*, & *poteſtis* pro *proteritis*. Indicat autem, eos non adepturos vitam æternam, non perventuros in cœlum, quo ipſe erat perventurus. O infortunatos, qui mala ſua non intelligebant, cum eis illa Chriſtus interminaretur, homines! Cum dicit Chriſtus, *non poteſtis venire*, ſubintelligitur, dum tales eſtis. Nam ſi mutarent mores & abjicerent improbitatem ac incredulitatem, venire eo poterant.

Verſ. 35. *Dixerunt igitur Judæi ad ſemetipſos: Quo iſte iturus eſt, quod nos non inveniemus eum? Num in diſperſionem Græcorum iturus eſt, & docturus Græcos?* Per Judæos hic intelligi videntur principes Sacerdotum ac primores populi, ut ſæpe alibi, & credibile eſt, eos ipſos, qui miſerant ſatellites ad eum capiendum, quoſque allocutus fuerat Chriſtus, inter ſe hæc dixiſſe. Scribit autem Euangeliſta, hæc eos dixiſſe *ad ſemetipſos*: quo indicat eos clare non auſos iſta proferre, ſed alios aliis iſta tantum immurmuraſſe. Quin etiam ſunt Interpretes, qui contendant hac locutione ſignificari, eos intra ſe tantum iſta cogitaſſe. Hebræis enim eum qui cogitat, nec dicit, loqui tamen uſitate dici. Ideo Syrus hoc loco habet: *Dixerunt Judæi ad animam ſuam.* Putabant vero Chriſtum loqui de loco aliquo remoto in terra. Omnis cogitatio eorum erat de terra: cœlum, de quo Chriſtus loquebatur, non veniebat eis in mentem.

Num in diſperſionem Græcorum iturus eſt?] Per diſperſionem Græcorum quid intelligendum ſit, non ſatis perſpicuum eſt. Poſſunt enim intelligi Judæi diſperſi, qui extra Judæam ſub Græcorum, id eſt, gentium erant imperio. Vide Jac. 1. 1. 1 Petr. 1. 1. Sed poſſis etiam non abſurde intelligere ipſos Græcos ſeu gentes Ethnicas (quæ in Sacris Literis Græcorum nomine veniunt, à potiori ſcilicet parte ſic appellatæ:) quia mox ſequitur, *Et docturus Græcos*, ubi per Græcos intelligi Ethnicos, manifeſtum eſſe videtur. Diſperſio autem Græcorum poteſt ſignificare idem, quod, diſperſio inter Græcos: ut diſperſio Ponti, Galatiæ, Cappadociæ 1 Petr. 1. 1, id eſt, diſperſio in Ponto, Galatia, Cappadocia. Sed non opus eſt, ut ipſi diſperſi Judæi inter Græcos per hanc diſperſionem intelligantur: poſſunt enim intelligi loca, in quibus Judæi diſperſi erant inter Græcos. Ut ſenſus ſit: An abiturus eſt in loca ac regiones, ubi diſperſi ſunt noſtri Judæi inter gentes, ut ibi gentes ſeu Ethnicos doceat? Vide Salmaſium ſuper hunc locum. Cæterum iſti Chriſti adverſarii per ludibrium quaſi exagitabant Chriſtum, quod in diſperſionem Græcorum iturus eſſet, ubi ipſum ſequi non poſſent: & neſciebant, ipſos eo paulo poſt everſis Hieroſolymis ituros, & in ſervitutem abducendos eſſe. Deinde divinatio eorum de Chriſto non omnino vana fuit. Profectus enim eſt Chriſtus in diſperſionem Græcorum & docuit Græcos, ſed non eo modo, quo illi intelligebant, verum modo vicino, miſſis in univerſum orbem & ad omnes gentes Apoſtolis. Vide Epheſ. 2. 17. 1 Petr. 3. verſ. 19.

Verſ. 36. *Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis; & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire?*] Non intelligebant Chriſti ſermonem: quia animo erant excæcati. Chriſtus quoque deinduſtria ita loquebatur, ut ab hominibus indignis & perverſis verus verborum ejus ſenſus percipi non poſſet. *Si opertum eſt Euangelium noſtrum*, inquit Apoſtolus, *iis qui pereunt, opertum eſt, quorum Deus hujus ſeculi excæcavit mentes, id eſt, infidelibus,* 2 Cor. 4. 3, 4.

PARS III.

Verſ. 37. IN *noviſſimo autem die magno feſti ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*] In hac tertia parte Capitis deſcribitur ſumma eximiæ concionis Chriſti in maxima feſti celebritate habitæ, & ſimul eventus ejus, ſeu quid illa effecerit in hominibus.

In noviſſimo autem die magno feſti.] Feſtum totum durabat per ſeptem dies. Primus vero & ultimus dies erant maxime ſolennes, & ſumma cum religione celebrabantur: ultimus autem dies erat etiam primo ſolennior & celebrior. Itaque hic non fruſtra *dies magnus feſti* dicitur. Tunc enim frequentiſſimus erat populus, & abituriens majori cum zelo ac devotione rem divinam peragebat. Hoc igitur tempus Chriſtus accurate obſervavit, voluitque abeuntibus aculeum quaſi ac ſcrupulum infigere, vel ſi mavis, domum profecturis viaticum dare.

Stabat Jeſus.] Mos erat alioquin docentibus ſedere, Matth. 23. 2. Et ipſe Chriſtus alibi ſedendo docuiſſe legitur. Vide Matth. 5. 1. Luc. 4. 20. Joh. 8. 2. Matth. 13. 2, 3 xxvi. 55. Sed hic Chriſtus erexit corpus, & ſtando concionatus eſt, ut ab omnibus conſpici, & ſic melius exaudiri poſſet.

Et clamabat.] Adeo Chriſtus non timuit, nec fractus eſt animo propter vim, quam ipſi intentabant proceres Judæorum, miſſis ad eum comprehendendum lictoribus, ut etiam præſentibus illis lictoribus ac ſatellitibus, tanto liberius, confidentius & clariori voce loqueretur, populumque doceret. Nihil enim habet, quod metuat, qui Deum habet cuſtodem. Sine dubio clamor iſte Chriſti editus eſt voce humana majori, ut in ſumma populi frequentia & immani templi capacitate diſtincte ab omnibus poſſet intelligi.

Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.] Id eſt, ſi quis mœrore aut aliqua animi ægritudine afficitur, vel potius, ſi quis ſalutis æternæ deſiderio tenetur, ad me per fidem accedat: ego ſitim ejus reſtinguam; apud me inveniet requiem animæ. Vide Matth. 11. ver. 29. Veriſimile eſt, fuſiorem tunc habitum fuiſſe a Chriſto ſermonem; ſed Johannes compendium ejus tantum ac ſummam nobis expoſuit. Nemo autem non videt, Chriſtum hic uti figurato loquendi genere. Solet vero Chriſtus figuras & metaphoras ſumere ex re nata: ut ſupra cap. 4. 13. ad puteum ſedens & aquam à muliere Samaritana petens, ex re ſubjecta occaſionem arripuit de ſpirituali aqua diſſerendi. Et cap. 6, occaſione panum, quibus quinque millia hominum paverat, quibuſque ineſcata populi turba cum cupide ſequebatur, ſeipſum panem verum, cœleſtem nuncupavit, & de ſe ac carne ſua edenda locutus eſt. Hic cum Chriſtus ſe quodammodo fonti aquæ copioſo comparet, & ad bibendum omnes ſitientes invitet, non ſatis liquet, unde ſumta ſit hujus metaphoræ atque allegoriæ occaſio. Quam occaſionem non ſatis explicant, qui dicunt, Chriſtum alluſiſſe ad illa verba Eſaiæ cap. 55. 1. *Quiſquis ſitit, huc veniat ad aquas.* Hoc enim etſi verum ſit, nondum tamen liquet, quid anſam dederit Chriſto de ſiti & aqua loquendi. Nec ſatisfaciunt, qui ajunt, Chriſtum voluiſſe docere, ſe omnibus publice ad ſalutem propoſitum eſſe; itaque ſe rei maxime publicæ, qualis eſt fons publicus, aut flumen omnibus patens, comparaſſe. Sed ut hoc ipſum doceret, poterat ſeipſum ſoli, vel luci, ut facit infra cap. 8. 12. vel alii rei palam expoſitæ comparare. Reſtat ergo adhuc quæſtio; cur cum aqua, cum fonte ſe potius hoc loco, quam cum alia re conferat? Ad cujus quæſtionis ſolutionem propius accedunt, qui inquiunt, Chriſtum ſic locutum ex occaſione aquæ, ultimo feſti Tabernaculorum die, ex fonte Siloë magna pompa à populo hauriri ſolitæ. Moris enim fuiſſe apud Judæos, ut in hoc feſto Scenopegiæ aquam ex iſto fonte ſingulis diebus haurirent, & libarent, ſumma cum exultatione ac lætitia, populuſque accineret illud ex Eſaia: *Hauretis aquas in gaudio de fontibus ſalutis*, Eſai. 12. 3. Hoc vero nondum ſufficit. Nondum enim patet, quid ſibi voluerit illa aquæ hauſtio ex fonte Siloë. Itaque ut plena ſit reſponſio, addendum eſt, feſtum iſtud Scenopegiæ ſeu Tabernaculorum inſtitutum fuiſſe in memoriam vitæ Iſraëlitarum ſub tentoriis ac tabernaculis in deſerto olim traductæ, ubi cum populus ſiti conficeretur, & inopia aquæ laboraret, Deus ex petra eduxit vivos fontes aquæ, ita ut flumina ex illis orta Iſraëlitas ubique in deſerto ſequerentur, 1 Cor. 10. 4. In hujus rei memoriam Judæi non ſolum in hoc feſto ſub dio ſibi tabernacula faciebant, in quibus agebant, edebant ac bibebant, quin & dormiebant, ſed etiam aquam ex fontibus hauriebant copioſe, & bibebant. Hinc proinde Chriſtus ſumſit anſam atque occaſionem ſe cum fonte uberrimo, vel, ſi mavis, cum petra illa, quæ erat in deſerto, & ex ſe flumina copioſa emiſit, comparandi. Notandum autem eſt, quod Chriſtus ſitientes ad ſe vocet, id eſt, cupientes, volentes ac vehementer deſiderantes: non invitos ac reluctantes. Neminem Deus ſervabit, niſi volentem. Itaque hoc primum, hoc ſecundum, hoc tertium eſt, quod ad ſalutem requiritur, Velle. Velle autem iſtud non otioſum ac jejunum eſſe debet, ſed actuoſum & cum efficaci conatu conjunctum: quale ſolet in ſiti proprie dicta exiſtere. Si quis ſitiat, non quomodocunque tantum vult & optat, ut ſitim poſſit bibendo reſtinguere: ſed anxie quærit, currit, volat, & fatagit, ut acquirat, quod bibat. Talem operoſam voluntatem ac ſitim Chriſtus quoque ad ſalutem hoc loco requirit, ut omnia adhibeamus media, ne quid intentatum relinquamus, quod nobis ad ſalutem prodeſſe queat. Deinde jubet ad ſe venire, oſtendens, nuſquam alibi quærendam eſſe ſalutem, niſi apud ſe. Extra Chriſtum enim non eſt ſalus. Fruſtra ad Philoſophos, ad Phariſæos ac Scribas curritur: ſolus Chriſtus habet verba vitæ æternæ, ut ſupra Apoſtoli profeſſi ſunt, cap. 6. 68. Denique non ſolum venire ad ſe homines, ut docentem audiant, jubet, ſed etiam bibere. Quid enim prodeſt, etſi quis ad fontem veniat, ſi non bibat? Bibendo demum levatur ſitis. Bibere autem iſtud nihil aliud eſt, quam credere, ut ipſe Dominus mox explicat. Unde mirum non eſt, & ſupra *edere carnem Chriſti* & *bibere ſanguinem ejus* nihil aliud ſignificare, quam credere, cap. 6. 53, 54. Elegantes ejuſmodi allegoriæ ac catachreſes ex comparatione oriuntur,

tur, extra quam illæ locum & gratiam nullam haberent.

Verſ. 38. *Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*] Cum dixiſſet ſupra: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*; ratio conſequentiaque verborum poſtulare videbatur, ut nunc diceret: Qui venit ad me, & bibit. Sed Chriſtus hujus loco dicit: *Qui in me credit*; quia nimirum voluit explicare ac declarare, quid ſit venire ad ſe & bibere.

Sicut dixit Scriptura.] Auctoritatem dictis ſuis conciliat allegando Scripturam Sacram. Sed hic locus dici non poteſt, quantum & hujus temporis, & antiquorum exercuerit ingenia, dum non inveniunt, ubi verba iſta, quæ Chriſtus hic ex Scriptura citat, ſcripta ſint. At non intelligunt, Chriſtum non tam verba, quam ſenſum Scripturæ allegare. Poſſunt vero iſta verba, *Sicut dixit Scriptura* vel cum ſuperioribus conjungi, vel ad ſequentia referri. Si cum ſuperioribus jungantur, intelligendum erit, Chriſtum teſtimonio Sacræ Scripturæ probare velle, in ſe credendum eſſe; & ſic reſpici ab eo tum locum Eſai. 28. 16, qui etiam citatur in Novo Teſtamento Rom. 9. 33. 1 Petr. 2. 6, tum Deut. 18. 15, 19, ubi non quidem de credendo, ſed de audiendo ac obediendo fit mentio: ſed res eadem eſt. Nam fides in Chriſtum obedientiam includit. Si cum ſequentibus verba iſta, *Sicut dixit Scriptura*, connectantur, ſtatuendum erit deſignari à Chriſto illa Prophetarum loca, quibus Deus pollicetur, ſe Spiritum Sanctum largiter in homines effuſurum Meſſiæ temporibus. Quæ inter eminet locus Joëlis etiam in Actis ab Apoſtolo Petro citatus, Joël. 2. 28. Actor. 2. 17. Vide quoque Eſai. 44. 3. Ezech. 36. 25, 26, 27.

Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.] Ipſe Johannes mox interpretatur hæc de Spiritu Sancto intelligenda eſſe. Cur vero, dices, non ſimpliciter & clare dixit Chriſtus, Accipiet Spiritum Sanctum, vel, Implebitur donis Spiritus Sancti? Nimirum maluit Chriſtus magis emphatice hoc dicere per ejuſmodi allegoriam, cujus occaſionem ſumſit ab aqua illa, quæ ex fonte Siloë hauriebatur, vel potius, quæ promanavit ex petra in deſerto exiſtente, cujus tunc celebrabatur memoria. Spiritum Sanctum hic Chriſtus comparat cum aqua viva, id eſt, ſcaturiente ſeu è ſcatebris ebulliente, qualis in fontibus eſſe ſolet: opponiturque aquæ immotæ ac putenti. Aquæ non ſine ratione confertur Spiritus Sanctus, quia proprietates aquæ Spiritui Sancto conveniunt. Nam ut aqua ſitim corporalem, ita ille ſpiritualem ſedat: qua de re vide ſupra Joh. 4. 14. Et ſicut aqua ſordes abluit & emundat; ita Spiritus Sanctus quoque abluit & purgat nos ab omnibus peccati inquinamentis. Vide 1 Cor. 6. 11. Tit. 3. 5. Vivæ autem aquæ comparatur, ſeu tali, quæ vim ac vigorem habet maximum ad ſitientes recreandos (nam aquæ lacuſtres vel pluviales, quæ in ciſternis aſſervantur, perdiderunt vigorem ſuum nativum, nec potui, aptæ ſunt) ut nimirum indicetur, Spiritum Sanctum eſſe medium ad refocillandos hominum animos accommodatiſſimum. Quanquam etiam *aqua viva* per metalepſin ſignificare poteſt aquam vivificantem: uti ſupra cap. 6. 35, ſeipſum Chriſtus vocat *panem vitæ*, quia ut ipſe explicat verſ. 33, *dat vitam mundo.* Ita hoc in loco Spiritus Sanctus vocatur aqua vivens, quia vitam æternam adfert hominibus. Etſi vero multa ſint potus genera, quæ ſitim extinguant, & vires hominis reficiant, præter aquam, nihilominus tamen Chriſtus aquæ maluit comparare Spiritum Sanctum, quam alii alicui potus generi, partim quia aquæ potus eſt maxime naturalis, partim etiam, quia per ſe pura eſt & limpida, partim quia eſt potus paſſim obvius, omnibus gratis datur, uſuſque communis aquarum eſt. Quod poſtremum hic maxime Chriſtus ſpectaſſe videtur: quia omnes ſitientes ad hanc aquam vivam invitat, omnibus gratis eam offert. Sic etiam expreſſe dicitur Apocal. 21. 6. *Ego ſitienti dabo ex fonte aquæ vivæ gratis.* Et Apocal. 22. 17. *Qui ſitit, veniat, & qui vult; accipiat aquam vitæ gratis.* Non ſimpliciter autem hic Chriſtus aquam vivam promittit credentibus, ſed *flumina* aquæ vivæ: qua voce abundantiam & ſummam copiam doni iſtius cœleſtis voluit deſignare. Datus quidem eſt etiam ſub Veteri Fœdere ſanctis & piis viris Spiritus Sanctus, ſed non tam copioſe, non tam largiter, atque ſub Novo Fœdere, per manus Chriſti ad dexteram Dei collocati, effuſus eſt in Apoſtolos & reliquos fideles. Illic tantum guttæ quædam tanquam per ſtillicidia datæ ſunt: hic autem flumina tota profluxerunt in credentes; qua de re ſatis ſuperque teſtantur Acta Apoſtolica. Præterea videtur Chriſtus non ſolum abundantiam Spiritus Sancti plurali numero *fluminum* indicare voluiſſe: (nam illa etiam ſingulari voce fluminis apte ſatis expreſſa fuiſſet) ſed varia quoque & multiplicia donorum Spiritus Sancti genera. *Alii enim per Spiritum datus fuit ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri vero fides per eundem Spiritum: alii donum ſanationum per eundem Spiritum: alii operationes virtutum, alii prophetia, alii diſcretiones ſpirituum, alii genera linguarum, alii autem interpretationes linguarum,* 1 Cor. 12. 8, 9, 10. Singula autem iſta donorum genera non parca manu, ſed copioſiſſime effuſa ſunt, ut quodlibet horum donorum peculiare flumen quaſi conſtitueret, ut tot eſſent flumina, quot donorum genera. Tandem ne quid deſit ad ubertatem iſtam ac copiam Spiritus Sancti declarandam, addit Chriſtus, flumina iſta *fluent de ventre ejus.* Non dicit ſimpliciter, Habebit in ſe aquam vivam, ſed, fluent ex eo aquæ vivæ flumina. Quibus verbis ſignificat eos qui in ſe crediderint, non ſolum quantum ipſis ſatis eſt, Spiritus Sancti accepturos, non ſolum eorum ipſorum animos ac conſcientias per Spiritum Sanctum ſolatiis cœleſtibus ac ineffabilibus permulcendas & robore quodam divino adverſus omnes hoſtium inſultus armandas eſſe; verum etiam eos ita abundaturos omni donorum divinorum opulentia, ut ea etiam aliis communicare poſſint, vel ſaltem ut fructus donorum iſtorum redundaturus, quoque ſit ad alios. Atque ita innuit, credentium ſingulos fore etiam petræ illi, quæ fuit in deſerto, ſimiles. Nam ut ex illa à Moſe percuſſa profluxerunt flumina aquæ copioſiſſima, quibus Deus deſertum illud alioqui ſiccum & aridum irrigavit, ut deinceps, quoquò ſe verterent Iſraëlitæ, haberent ſemper in deſerto illo,

illo, quo ſitim pellerent: Ita & ex Apoſtolis aliiſque primis Chriſtianis tam abundantes rivi omnis ſcientiæ ac ſapientiæ divinæ in univerſum mundum, alioquin aridum & divina cognitione deſtitutum, dimanarunt, ut omnes omnium temporum homines ex iis ſalutarem veritatem haurire ſemper poſſint. Atque hoc videtur Deus ſignificanter prædixiſſe per Eſaiam Prophetam inquiens: *En ego facio novum quid, jamjam efflorescet, utique id cognoſcetis. Ponam in deſerto viam, & flumina in ſolitudine; & glorificabunt me beſtiæ agreſtes, dracones, & pulli ſtruthionum, quod dederim aquas in deſerto, & flumina in ſolitudine, ut potum habeat populus meus, electus meus,* Eſai. 43. 19, 20. Ubi ſermo eſt de re futura, de hac nimirum larga Spiritus Sancti effuſione per Chriſtum: ſed ita ut fiat alluſio ad rem præteritam, quæ in deſerto geſta eſt.

De ventre ejus fluent.] Id eſt, ex eo. Hebraiſmus eſt: quaſi dicat; ex intimis ejus viſceribus, hoc eſt, ex corde & animo ejus.

Verſ. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus; quia Jeſus nondum erat glorificatus.*] Subjungit Johannes, ut ſæpe ſolet, verborum Chriſti interpretationem. Videtur enim ille quaſi divinaſſe, futurum, ut lector citata ex Scriptura Sacra legens verba, erraret per Scripturam quærens, ubinam ea ſcripta eſſent. Itaque monuit non eſſe hæc verba ad literam quærenda, ſed ſenſum eorum duntaxat: Chriſtum enim non de aquis, ſed de Spiritu Sancto eſſe locutum. Intelligenda autem ſunt iſta Chriſti verba de Spiritus Sancti dono in genere, ita ut hæc Chriſti promiſſio etiam ad noſtra tempora pertineat. Primario quidem Chriſtum ſpectaſſe tempora illa poſt ſuam aſcenſionem mox ſecutura, negari non poteſt. Tunc enim maxime illuſtri ac conſpicuo modo implenda erat hæc Chriſti promiſſio. Sed tamen etiam negandum non eſt, ita concepta eſſe à Chriſto verba, hujus promiſſionis, ut ad omnes omnium temporum credentes extendi poſſint. Erant autem effecta quædam Spiritus Sancti, quæ erant illis temporibus propria, quædam rurſus, quæ ſunt noſtris temporibus communia. Propria illorum temporum erant miracula, ſeu ea omnia quæ non tantum præter naturæ curſum fiebant virtute divina, ſed etiam ita fiebant, ut omnibus conſtaret aut conſtare poſſet, ea non eſſe naturalia. Talia enim miraculoſa dona uti illis temporibus multum faciebant ad fidem Chriſtianam adhuc in orbe recentem ſtabiliendam ac propagandam: ita nunc poſtquam religio Chriſtiana ſatis eſt iis confirmata, non habent amplius locum, quo major ſit fidei locus, & impleri poſſit illud Chriſti, *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, Johan. 20. 29. Ad ea quæ illis temporibus erant propria, referri id quoque poteſt, quod qui tunc per Spiritum Sanctum cognitione divina ſive circa univerſam Chriſti religionem, ſive circa aliqua particularia ejus capita imbuebantur, ab omni errandi periculo fuerint immunes, eorumque dictis alii tanquam divinis ſimpliciter acquieſcere tenerentur. Nimirum quia tunc patebat certis atque in oculos incurrentibus indiciis, donum illud cognitionis cœlitus dari, nemini fas erat eis, qui dono iſto inſtructi erant, refragari. At hodie tam viſibiliter Deus dona ſua non impertit; itaque quinam Spiritu Sancto vere ſint præditi eoque regantur, nunc infallibiliter ſciri nequit. Interea tamen & ſpiritus cognitionis, ſapientiæ prudentiæ, & ſpiritus fortitudinis, zeli ac pietatis, nec non ſpiritus conſolationis, ſpei ac lætitiæ etiam in maximis afflictionibus, eſt noſtris æque ac primis Euangelii temporibus communis. Sed is nunc nonniſi labore, diligentia, lectione, meditatione, precibus aſſiduis comparatur: cum eum antea Deus etiam abſque labore largiretur.

Nondum enim erat Spiritus Sanctus.] Latinus Interpres Vulgatæ editionis auctor pro voce *ſanctus* ſubſtituit *datus*. Abſurdum enim ei viſum eſt, ſic de Spiritu Sancto loqui, quod nondum fuerit. Sed non intellexit, Spiritum Sanctum tunc eſſe inter homines, vel in hominibus, quando datur: & ſi non detur, non eſſe. Itaque rectiſſime ſic loqui Johannem noſtrum potuiſſe. Eſt enim Spiritus Sanctus nihil aliud, quam donum Dei, quo homines ſanctificantur, quam afflatus Dei ac virtus, quæ etſi in Deo tanquam in fonte ſuo ſemper exiſtat, tamen quia ab eo non ſemper emanat, quia non ſemper ea afflantur homines, non ſemper etiam inter homines exiſtit. Similis huic locutio eſt Actor. 19. 3, ubi diſcipuli Epheſini à Paulo rogati, an Spiritum Sanctum, fidem amplexi, accepiſſent, reſpondent: *Imo ne quidem, an Spiritus Sanctus ſit, audivimus.* Non eſt credibile, eos non audiviſſe, aut neſciviſſe, quod Spiritus Sanctus in Deo ſit naturaliter; ſed neſciebant, eum tunc paſſim & magna copia in hominibus Dei dono exiſtere. Sed non eſt mirum, quod & Latino Interpreti, & Auguſtino abſurda viſa ſit hæc lectio: *Nondum enim erat Spiritus Sanctus*; ut & hodie pluribus videtur; quia nimirum Spiritum Sanctum credunt eſſe tertiam perſonam divinam, atque ipſum Deum ſummum. De Deo verò ſummo certiſſimum eſt, non poſſe abſque ſumma abſurditate dici; quod nondum ſit vel fuerit aliquando. Quis enim ſic ex. gr. de Deo Patre loqui auſit? Cum ergo lucem ſacri textus ſuis opinionibus contrariam ferre nequeant homines, malunt textum interpolare ac mutare, quam ſuam erroneam mutare ſententiam. Alterutrum enim hic omnino faciendum eſt: nam ſimul ſtare lectio iſta & opinio iſta non poteſt. Sunt tamen, qui putent poſſe hanc lectionem cum iſta opinione conciliari per diſtinctionem inter ipſum Spiritum Sanctum ſeu perſonam ejus, & inter ejus dona ſeu effecta. Vide Bezam hoc loco. Verum hæc diſtinctio primum petit principium: id ipſum enim in controverſia eſt, an Spiritus Sanctus ſit perſona. Deinde quis unquam audivit dona alicujus perſonæ vel effecta nomine illius ipſius perſonæ appellari? Quis ferat dona vel effecta Dei Patris aut Filii, ipſum Patrem aut Filium dici? Nec video ſane ullam cauſam, cur dona illa, quæ à Spiritu Sancto tanquam tertia perſona divinitatis proficiſci dicuntur, poſſint Spiritus Sanctus appellari, & non poſſint etiam ſimiliter appellari Pater aut Filius: ſiquidem ea non minus à Patre ac Filio proficiſcuntur, quam à Spiritu Sancto, etiam ex adverſariorum ſententia. Sunt enim dona iſta effectus quidam potentiæ Dei naturalis,

ralis, quæ ex ipſorum opinione omnibus tribus divinitatis perſonis communis eſt, quemadmodum & tota divina eſſentia. Si igitur abſurdum eſſe, dicere, Deum Patrem nondum eſſe, vel nondum eſſe Filium, quia nondum certa ejus extent inter homines dona: abſurdum quoque erit ſic de Spiritu Sancto loqui, ſi Spiritus Sanctus eſt æque perſona divina atque Pater & Filius, etiamſi id etiam nonniſi de donis ejus intelligas. At ſi Spiritum Sanctum nihil aliud, quam divinam virtutem à Deo in homines manantem & varios in iis effectus producentem ſtatuas, nihil abſurdi in iſta locutione Johannis deprehendes: ut ſupra oſtenſum.

Quia Jeſus nondum erat glorificatus.] Reddit cauſam Euangeliſta, cur etſi non pauci jam crederent in Chriſtum, nondum tamen, eorum reſpectu, Spiritus Sanctus extiterit; ſeu nondum illis paſſim contigerit. Potuiſſet enim aliquis cogitare, cum Chriſtus de fluminibus aquæ vivæ loqueretur, eum ipſam vitam æternam intelligere: ſicut in Apocalypſi aqua viva videtur accipi locis ſupra citatis. Sed quia Johannes verba Chriſti exponit de Spiritu Sancto, potuiſſet aliquis mirari, cur Chriſtus in futurum promittat, cur non ſtatim eum largiatur. Itaque Johannes oſtendit, Chriſtum nondum habuiſſe in ſua poteſtate iſtud donum, ita ut flumina ejus poſſet credentibus largiri: nondum enim ei data fuerat omnis poteſtas in cœlo & in terra, quæ ei poſt reſurrectionem demum data eſt, Matth. 28. 18. Habuit quidem Chriſtus adhuc in terris ante glorificationem ſuam, aliquam ejus largiendi poteſtatem: nam & Matth. 10. 1. dederat Apoſtolis *poteſtatem ſuper immundos ſpiritus, ut ejicerent eos, & ſanarent omnes morbos atque languores*, & poſt reſurrectionem ſuam adhuc hic in terris, afflans eos dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, Joh. 20. 22. Sed hæc erant tantum præludia quædam, nullo modo comparanda cum ſumma illa Spiritus Sancti abundantia, quæ poſt glorificationem Chriſti effuſa eſt. Hinc Petrus in prima ſua concione, Chriſtum *dextera Dei exaltatum, accepiſſe demum promiſſionem Spiritus Sancti, eumque* in diſcipulos ſuos *effudiſſe*, clariſſime teſtatur, Actor. 2. 33. Ex quo ſatis perſpicitur, quid de Chriſto ſentiendum ſit, deque ejus natura, quam nimirum longe à veritate devient, qui eum Deum Altiſſimum aſſerunt: cum hic indicetur, fuiſſe tempus quando nondum fuit glorificatus, quando Spiritum Sanctum copioſe largiri non poterat; id quod de Deo Altiſſimo nonniſi abſurde diceretur. Adde quod Chriſtus ſeipſum non glorificarit, ut diſerte ait ſcriptor ad Hebræos cap. 5. 5. Sed *Deus ille Abrahami, Iſaaci, & Jacobi glorificavit, Filium ſuum Jeſum*, Actor. 3. 13. Quis vero eſt iſte Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi? Non ipſe Chriſtus: nam ille non habet Filium Jeſum. Neque etiam tota Trinitas: nam & illa nullum Filium habet. Ergo intelligitur ſolus Deus Pater, & hic ſolus dicitur eſſe auctor glorificationis Chriſti: proinde is etiam ſolus eſt Deus Altiſſimus, cui Chriſtus omnia, quæ habet, ipſe accepta refert.

Verſ. 40. *Multi ergo è turba, cum audirent hunc ſermonem, dicebant: Hic eſt vere Propheta.*] Jam exponit Euangeliſta noſter effecta concionis à Chriſto habitæ in ultimo die feſti: eaque duplicis generis, alia quæ in turba, alia quæ in miniſtris publicis ad comprehendendum Chriſtum miſſis contigerunt. In turba rurſus, prout homines vel probioris vel perverſioris animi fuerunt, diverſa extiterunt effecta. Per turbam autem intelliguntur, ut jam ante dictum eſt, homines plebeji, qui ex oppidis & variis locis ad feſtum convenerant; quos non ſolum à principibus ac ſenioribus populi, ſed etiam à civibus Hieroſolymitanis diſtinxit ſupra Johannes: verſ. 20, 25, 32. Inter hos alii erant, quorum corda aptiora erant ad recipiendum ſemen verbi Dei; aliorum autem corda fuerunt petroſa aut ſpinoſa, divini ſermonis ſemen vel non admittentia, vel ſuffocantia.

Hic eſt vere Propheta.] Qui tale ferebant de Chriſto judicium, è bonis fuerunt. Non enim in ſiniſtram partem, ſed in meliorem verba Chriſti interpretantur, eumque Prophetam eſſe agnoſcunt. Videntur autem iſti nondum profeciſſe tantum, ut Chriſtum pro ipſo Meſſia haberent, ſed tantum pro Propheta aliquo divino, quamvis forte pro eximio ac non vulgari. Ita etiam videmus Joh. 1. 25. Prophetam à Chriſto ſeu Meſſia diſtingui. Vide etiam Matth. 16. 14. Marc. 6. 15.

Verſ. 41. *Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus.*] Iſti prioribus meliores, aut ſi mavis, in fide de Chriſto perfectiores erant. Non enim ſimpliciter Prophetam tantum, ſed Meſſiam ipſum eſſe fatentur. Videnturque iſti, priores quaſi corrigere voluiſſe, & indicare plus eſſe Domino Jeſu tribuendum, quam quod ſit Propheta: quaſi dicant; Imo non ſolum Propheta eſt, ſed Meſſias ipſe.

Alii dicebant: Nunquid ex Galilæa Chriſtus venit?] Jam & malorum judicium de Chriſto profert Johannes: qui contradicebant illis bonis, arguebantque potiſſimum poſteriores, quod male judicarent, illum eſſe Meſſiam. Id enim fieri non poſſe, eam ob rationem, quod Meſſias non debuerit è Galilæa venire: Dominum Jeſum autem ex Galilæa veniſſe ſeu Galilæum eſſe atque ex Galilæa oriundum putabant. Hoc etiam Nathanaëlem initio turbavit, cum audiret à Philippo, Jeſum à Nazareta eſſe Meſſiam, ut non facile crederet, ſed diceret: *A Nazareta poteſt aliquid boni eſſe?* Joh. 1. 46. Et fuit ſane hoc non parvum obſtaculum, nec omnino injuſtum, quominus multi in Chriſtum crederent, cum non aliter ſcirent, quam eum eſſe Nazarænum, in Galilæa habere cognatos, in Galilæa maxime verſari, omnes diſcipulos ejus eſſe Galilæos, ipſum Galilæo, ut veriſimile eſt, uti ſermone, & ab omnibus paſſim haberi vocarique Galilæum: unde aliter concludere non poterant, quam eum carere nota veri Meſſiæ, qui Bethlehemi in Judæa naſci debuit. Itaque mirari quis poſſet, cur Chriſtus obſtaculum iſtud non removerit, cur non declaraverit turbis iſtis palam, ſe non Nazareti, ſed Bethlehemi eſſe in lucem editum. Equidem dubitandum non eſt, ſi hoc ſolum iſtis hominibus obſtaculo ad fidem atque ſalutem fuiſſet, indicaturum id illis fuiſſe Chriſtum, nec paſſurum, ut ob hujus rei ignorantiam æternum perirent. Sed vidit Chriſtus animum eorum eſſe pravum, vidit veritatem ab eis ſerio non quæri, ſed tantum prætextum captari velandæ incredulitatis

& ma-

& malitiæ. Digni ergo ērant, ut hoc arcanum ignorarent, & ſic anſam ſcandali & offenſionis haberent. Si probi fuiſſent, débuiſſent Nathanaëlem imitari, quem etſi quoque ſcrupulus iſte urgeret, quia tamen ſinceri fuit animi & veritatem quærebat, non paſſus eſt ſe à Chriſto abſterreri, ſed ultro eum adiit, & conſpecto uno tantum divinitatis Chriſti ſigno mox credidit, ſcrupulum illum de natalibus Chriſti vel non tanti faciens, vel eum ſibi cum tempore à Chriſto exemptum iri ſperans. Unde diſcere poſſumus, propter aliquas dubitationes ac nodos, quos ſolvere nequeamus, nunquam eſſe manifeſtam veritatem repudiandam. Atque huc facit etiam monitum illud Apoſtoli: *Quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Quodſi quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Veruntamen in eo ad quod uſque pervenimus, eadem incedamus regula, & idem ſentiamus*, Phil. 3. ℣. 15, 16.

Verſ. 42. *Nonne Scriptura dicit, quod ex ſemine Davidis, & ex Bethlehem vico, ubi erat David, Chriſtus venit?*] Et hic & ſuperiori verſu *venit* pro *veniet* dicitur. Præſens pro futuro. Apparet hinc, quam in univerſum omnibus Judæis vulgo notum fuerit, unde & ex qua tribu, & ex qua familia, & ex quo vico Meſſias venturus eſſet. Cur ergo inquies, ſupra dixerunt Hieroſolymitani: *Chriſtus quando veniet, nemo ſciet, unde ſit?* Credibile eſt, hos quidem non ignoraſſe, neque negaſſe id, quod hoc loco ex Scriptura de patria & ortu Meſſiæ profertur: ſed ex Rabbinorum inſtitutione credidiſſe, de parentibus ejus in ſpecie, de tempore nativitatis, deque ejus educatione non conſtiturum paſſim, ſed eum occulte educandum eſſe, ſubitoque jam adultum cum ſplendore ac pompa regia fulguris inſtar prodituram in publicum, ut omnes miraturi ſint, unde venerit. Vide dicta ſupra ad ℣. 27.

Verſ. 43. *Diſſenſio itaque in turba facta eſt propter eum.*] Gr. σχίσμα, id eſt, *ſciſſio*. Sciſſa eſt illa turba in partes, aliis à Chriſto, aliis contra Chriſtum ſtantibus. Fuerunt qui contenderent, Jeſum eſſe Meſſiam alii dubitabant, alii directe negabant, & ſeductorem eſſe aſſerebant. Quiſque pro ſe afferebat rationes, neque alter alteri cedebat: & ita quaſi in factiones diviſa eſt illa turba.

Propter eum.] Etſi propter Chriſtum fiant ſchiſmata ac diſſenſiones, Chriſtus tamen diſſenſionum atque diſcordiarum inter homines auctor ac vera cauſa non eſt. Quod enim Chriſtus ait Luc. 12. ℣. 49, 51. *Ignem veni miſſurus in terram: & quid volo, ſi jam accenſus eſt? Putatis me adveniſſe pacem daturum in terra? non, dico vobis, imo diſſidium:* id de occaſione tantum intelligendum eſt. Multum autem differunt iſta, Eſſe occaſionem mali, & Eſſe cauſam mali. Satanas & homines improbi ſunt vera cauſa omnium diſcordiarum, ſchiſmatum, ſeditionum atque turbarum, quæ occaſione religionis Chriſtianæ oriuntur, quia cedere veritati nolunt, & pro ſuis erroribus acriter pugnantes, cœlum terræ miſcere non dubitant.

Verſ. 44. *Quidam autem ex ipſis volebant comprehendere eum; ſed nemo injecit in eum manus.*] Exiſtimarim ego iſtos, qui hic dicuntur Chriſtum comprehendere voluiſſe, fuiſſe miniſtros illos ac ſatellites Sacerdotum, qui miſſi fuerant ad eum comprehendendum: ſupra verſ. 32, quia mox ſubjicitur verſu ſequenti: *Venerunt ergo miniſtri ad primarios Sacerdotes.* Particula illativa *ergo* videtur indicare, de iiſdem miniſtris hic eſſe ſermonem. Neque obſtat, quod ſcriptum ſit à Johanne, *Quidam ex ipſis*, id eſt, ex turba, *volebant comprehendere eum.* Miniſtri enim iſti erant turbæ permixti, ut merito turbæ accenſeri potuerint. Si quis tamen malit vulgarem ſequi Interpretum ſententiam, qui cenſent per eos, qui voluerunt Chriſtum comprehendere hoc loco, deſignari vel Hieroſolymitanos illos, quos ſupra legimus quoque idem tentaſſe ℣. 30, vel hos Judæos è turba, quorum proxime facta fuerat mentio, quod negarint Jeſum eſſe Chriſtum hoc argumento, quod Meſſias non debuerit è Galilæa venire; cum eo contendere nolim. Fruatur ſuo quiſque judicio. Præſertim cum hac in re ſalus Græciæ, ut ajunt, ſita non ſit.

Sed nemo injecit in eum manus.] Cur nemo in Chriſtum tunc manus injicere potuerit, cauſam unam vide expreſſam ſupra verſ. 30, alteram infra verſ. 46.

Verſ. 45. *Venerunt ergo miniſtri ad primarios Sacerdotes & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis eum?*] Alter effectus concionis Chriſti nunc deſcribitur, qui fuit in miniſtris ad capiendum Chriſtum miſſis: quem effectum miniſtros ipſos coram ſenatu, à quo miſſi erant, declarantes introducit Johannes, & ſimul narrat, quantas ea res turbas dederit in Senatu. Ex qua tota deſcriptione elucet, quanta providentia Dei fuerit circa Chriſtum, quamque is miraculoſa ratione è faucibus immaniſſimorum hoſtium ſuorum ſervatus ſit.

Venerunt ergo miniſtri ad primarios Sacerdotes.] Apparet Sacerdotes iſtos ac Phariſæos non fuiſſe in eo loco præſentes, ubi Chriſtus concionabatur. Supra quidem verſ. 32, cum miſerunt miniſtros iſtos, ut comprehenderent Chriſtum, videntur præſentes adfuiſſe. Ideo Chriſtus dicitur ad eos ſtatim poſt miſſos hos miniſtros verſ. 33, ſermonem ſuum direxiſſe. Videntur autem illi non ita tunc miſiſſe miniſtros atque lictores, ut ei ſtatim, atque illo ipſo momento manus injicerent; ſed tantum in mandatis dediſſe, ut paulatim, captato opportuno tempore, captum ad ſe in Synedrium ſive ſenatum adducerent. Hoc certum eſt, & ex hiſtoria ſatis liquet, miniſtros non eodem die, quo miſſi erant, rediiſſe. Miſſi enim ſunt ante noviſſimum diem feſti: redierunt vero ad dominos ſuos poſt habitam à Chriſto in noviſſimo die feſti illius concionem. Non obſcurum etiam ex hiſtoria eſſe videtur, primarios Sacerdotes ac Phariſæos tunc, cum redirent ad eos miniſtri, fuiſſe ad conſilium congregatos. Forte ita res inſtructa fuit, ut noluerint in ipſo feſto Chriſtum capi ob evitandum tumultum, ſed miniſtris tamen datum fuerit tempeſtive negotium, ut eum ſub finem feſti apprehenderent, ſibique iſterent in Concilio, quod in hunc finem convocaſſe videntur. In hoc igitur Concilio dum parati expectant reditum ſatellitum ſuorum, & acuunt dentes ſuos adverſus Chriſtum, ecce revertuntur ſatellites illi, ſed inanes ac re infecta.

Et dixe-

Et dixerunt eis illi : Quare non adduxiſtis eum ?] Sine dubio hæc verba cum ſtomacho & indignatione dicta fuere. Moleſtum enim erat & grave, quod ſpe jam devoratus bolus è faucibus eorum excidiſſet.

Verſ. 46. *Reſponderunt miniſtri : Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.*] Hic effectum auditæ concionis Chriſti ipſi miniſtri ore ſuo exponunt, & indicant cauſam veram, quæ impedivit conatum eorum Chriſtum capiendi. Conſideranda hic & vis divina prædicationis Chriſti, & ſinceritas iſtorum miniſtrorum. Non fruſtra de Chriſto Spiritu prophetico dictum fuit in Pſalmis : *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, Pſal. 45. 3. Documentum ejus rei, quam melle dulcior oratio fluxerit ex ore ejus, ſunt hi ſatellites, quorum corda ſermone Chriſti emollita, & repente mutata fuerunt. Illi venerant, ut caperent Chriſtum, & interim ipſi prædicatione ejus capti ſunt : & manus eorum ligatæ ſunt à Chriſto, qui hoc animo acceſſerant, ut Chriſti manus ligarent. Ligatæ autem ſunt manus eorum atque conſtrictæ non ferreis catenis aut funibus, ſed aurea quædam verborum catena ex ore Chriſti prodiit, quæ inviſibili ratione animos eorum una cum manibus devinxit. Eſt alioqui per ſe magna vis eloquentiæ : ut nos docent hiſtoriæ. De Hegeſia quodam oratore perhibent, eum adeo dicendo valuiſſe, ut cum mala atque miſerias hujus vitæ pathetica oratione hominibus ob oculos repræſentaret, earum imagine audientium pectora percuſſerit ita, ut multi voluntaria morte vitam commutarent. Philippus Alexandri Magni pater orationes contra ſe à Demoſthene habitas referentibus : *Ipſe*, inquit, *ſi audiſſem dicentem, bellum adverſus me ſuſcipiendum eſſe decreviſſem.* Propius ad exemplum Chriſti accedit, quod de Marco Antonio viro diſertiſſimo narratur, miſſos à Mario ac Cinna milites ad eum obtruncandum, adeo ſermone ejus fuiſſe delinitos & obſtupefactos, ut jam diſtrictos ac vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddiderint. Quemadmodum de populis neſcio quibus fabulantur, quod doliis ventos pluviaſque habeant incluſas, quibus aut irrigent terram ſuam, aut exſiccent : ita viri eloquentes flexanima ſua ſuada adeo dominantur, ut modo liquefaciant audientium animos, modo veluti callo tectos rurſus indurent ; ſemper ferme tanquam nervis alienis mobile lignum, huc illuc arbitrio ſuo ducant. Hic vero in Chriſto non humana fuit eloquentia, ſed divina. Et ſi humana tantum poteſt valetque eloquentia, ut exemplis modo docuimus, quid mirum eſt divinum eloquium tantæ efficaciæ in miniſtris iſtis fuiſſe ? Miniſtri iſti ac ſatellites fuerunt homines duri, rudes ac profani, uti ferme ſolet eſſe genus hoc hominum, & tamen ſaxea eorum corda reſiſtere divinæ potentiæ Chriſti non potuere. Quæ de Orpheo & Amphione cautu ac citharæ ſono ſaxa rupeſque moventibus referunt, poëtæ, fabulæ ſunt. At hic vere dici poteſt, Chriſtum ſaxa moviſſe loco, cum hominum alioqui immitium duriſſimos animos ita commovit, ut eos ſibi redderet obnoxios. Sed & eorum caudor ac non ſervilis in ſervis ingenuitas non minus eſt admiratione digna. Poterant illi ad Pontifices ac Phariſæos non redire : poterant poſtquam ad eos rediiſſent, cur Chriſtum non adducerent, aliam cauſam obtendere : poterant dicere, nullam ſe reperiſſe opportunitatem eum prehendendi, timuiſſe ſe inclinatam in eum turbam. Nihil horum fecerunt ; ſed ſimpliciter ac libere, id quod res eſt, confeſſi ſunt. *Nunquam ſic* inquiunt, *locutus eſt homo*, (id eſt, Hebraica locutione, quiſquam) *ſicut hic homo.* Quaſi dicerent : Quomodo adduceremus hominem tam divina, tam ſancta, & grandiora ore mortali proferentem ? Toti obſtupuimus ad ejus ſermonem, & velut attoniti hæſimus, ut nec animum, nec manus ad eum capiendum haberemus. Ita diſcipuli quoque illi Emmanutici vim divini ejus ſermonis inter ſe admirati ſunt : *Nonne cor noſtrum arſit in nobis, dum loqueretur nobis in via ?* Luc. 24. 32. Vide quoque potentiam Chriſti in dicendo deſcriptam Matth. 7. 28, 29. Luc. 4. 22.

Verſ. 47. *Reſponderunt ergo eis Phariſæi : Num & vos ſeducti eſtis ?*] Phariſæi erant ſenatorum præcipui ; & clavum tenebant Concilii : ut liquet ex Joh. 12. 42. conf. cum 9. 22. Illi igitur ante omnes reſpondent : & ut maxime erant Chriſto infenſi, concoquere non poterant, laudes ejus ſibi in os decantari.

Num & vos ſeducti eſtis ?] Quaſi dicant : Non eſt mirum, alios ſeduci, ac præcipue imperitam iſtam turbam, ſed vos qui nobis adhæretis ; qui noſtro ære conducti eſtis ; qui a noſtris partibus ſtare potius, quam ab illius, debebatis ; quorum eſt, noſtrum nutum, noſtrum imperium, noſtrum exemplum in omnibus ſequi ; vos, inquam, in partes ejus quoque inclinare, non poſſumus non mirari. Redarguunt ſcilicet iſtos ſervos ſuos imprudentiæ & cæcitatis, cum illi ipſi potius cæcitatis accuſandi fuerint, & hoc miniſtrorum exemplo revera immedicabilis pertinaciæ ac cæcitatis convincerentur. Lapidea quodammodo fuerunt ſatellitum illorum corda, quæ tamen ſe ſermone Chriſti emolliri paſſa ſunt : at Phariſæorum ac Sacerdotum animi omni lapide & ſaxo duriores fuerunt, qui nullis rationibus, nullis divinitatis Chriſti documentis poterant molleſcere. Si vel gutta bonæ mentis ac probitatis fuiſſet in eis, debuiſſent potius interrogare miniſtros, quidnam ille dixiſſet tanta laude, tantoque ſtupore dignum. Verum odio cœci id non rogant, ſed quaſi certo ſcientes, nihil magnum atque admirabile eum dicere potuiſſe, miniſtros objurgant, & Chriſtum tanquam ſeductorem traducunt. Itaque miniſtri iſti aliquando judices eorum erunt.

Verſ. 48. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis ?*] Argumento utuntur, quod apud cordatos ac prudentes eſt infirmiſſimum, ab auctoritate nimirum humana ductum. Hoc tamen argumentum, maximum pondus habere vulgo ſolet, apud eos, qui corticem tantum rei, non ipſam rem intuentur. Etenim, ut Poëta vere canit,

> - - - - - - - - Componitur orbis
> Regis ad exemplum : nec ſic inflectere ſenſus
> Humanos edicta valent, quam vita regentum.
> Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.
> *Claud.*

Itaque Phariſæi, ut erant carnaliter ſapientes, callide

utuntur hoc argumento, quod vocatur ad homi-nem, id eſt, tali, quod ſciebant apud homines impe-ritos ſolere eſſe efficaciſſimum. Quaſi dicant: Vos extollitis doctrinam ejus tanquam divinam. At non veſtrum eſt, nec ullius è turba, judicare de doctrina, quia eſtis laici. Si ille vere divinam diſſeminaret doctrinam, certe nos principes & Phariſæi, qui calle-mus Scripturas, qui habemus dona eruditionis & ſa-pientiæ, qui ſanctitate omnes ſuperamus, primi id agnoſceremus, eamque amplecteremur. Nunc vero cum videatis, neminem è magnatibus & ex collegio noſtro in ejus partes deſcendere, inde animadvertere poteſtis, eum eſſe impoſtorem, & doctrinam ejus eſſe hæreticam. Facile vobis ille poteſt ſua eloquen-tia & præſtigiis ſuis imponere, quia rem non intelli-gitis: ſed nobis doctoribus, ſed illuſtribus dignitate & judicio viris, ſed toti Synedrio verba dare difficile eſt. Quæ oratio ſatis ſpecioſa eſt & plauſibilis. Quis enim non agnoſcat, homines doctos, ſapientes ac rerum peritos melius poſſe de controverſiis religionis judicare, & citius veritatem inveſtigare, quam idio-tas ac imperitos? Itaque cum hodie quoque ſoleant Pontificii inprimis hoc argumento pugnare & ſuæ doctrinæ fidem iſta perſuadendi ratione conciliare, dum jactant Patrum, purpuratorum, Epiſcoporum, Academiarum, Conciliorum, cœnobiorum totiuſ-que hierarchici ordinis apud ſe dignitatem, gloriam, eruditionem & ſanctimoniam: oportet bene muni-tum adverſus hoc telum habere animum. Tenen-dum igitur eſt, ad veritatis cognitionem duo requiri, judicium bonum & animum probum. Et ad boni-tatem quidem judicii multum prodeſt doctrina at-que eruditio: per eam enim lævigantur & expo-liuntur ingenia, per eam intellectus illuminatur, & arte diſcernendi falſum a vero imbuitur. Sed doctri-na tamen ſola non ſufficit: in probitate animi plus eſt ſitum. Hæc enim ſi deſit, tantum abeſt, ut doc-trina multum juvet ad cognoſcendam veritatem, ut nihil magis obeſſe queat. Eſt illa tunc quaſi gladius in manu furioſi: & quæ antidotum ac velut amu-letum eſſe debebat adverſus errorem, vertitur in ve-ritatis venenum, ac peſtem. Armantur enim ea erro-res, & veritas ingenioſius oppugnatur. Jam vero probitas animi raro ſolet doctis viris, ut & divitibus, claris ac nobilibus in mundo ineſſe. Solent enim plerumque ſibi ipſis nimium placere, ſe admirari, & ingenii ſui fiducia tumere. Hinc & Apoſtolus *ſcien-tiam inflare* dixit, 1 Cor. 8. 1. Præterea ſolent amare mundum, honores, opes, gloriam, gratiam ac favo-rem hominum; contraria vero horum cane pejus & angue metuere. Unde jam facile poteſt intelligi, quam argumentum ab auctoritate doctorum ma-gnatum ac principum petitum, parum ſit ſolidum. Nam etſi una ex parte ob eruditionem ac peritiam, aptiores ſint ad inveniendam veritatem: tamen cum altera ex parte maxima habeant pietatis impedimen-ta, nec conſtare queat, an impedimenta illa ſatis amo-verint, & vero Dei timore, non affectibus ducantur, ſimpliciter eorum judicio neminem prudentem de-cet acquieſcere.

Verſ. 49. *Sed turba hæc, quæ non novit Legem, maledicta eſt.*] In Græco eſt: ὁ ὄχλος ἐπάρατός ἐστι, id eſt, *turba maledicti ſunt.* Quod per Syntheſin fi-guram Grammaticam dicitur, in qua magis ad ſen-ſum, quam ad verba reſpicitur. Sic etiam apud pro-fanos auctores legitur: *Turba ruunt. Pars in fruſta ſecant.* Turba enim, ut & pars, eſt vox collectiva, quæ multitudinem ſignificat, ſeu plures homines: itaque merito cum verbo pluralis numeri conſtrui poteſt. Conſtat ex ſcriptoribus de rebus Hebræo-rum, quam Scribæ Rabbini, ac docti inter Judæos, alto ſupercilio deſpexerint homines de plebe. Vix eos habebant pro hominibus, ſed beſtiarum ac ju-mentorum ferme loco. Tanta erat iſtorum ſaperda-rum arrogantia. Et verum ſane eſt, ut doctos ac po-litos ſuperbia, ita indoctos ac plebejos ruditate, ruſti-citate ac inſcitia, ut plurimum peccare. Sed ut dam-nandi ſimpliciter non ſunt docti vel doctrina, propter quorundam abuſum: ita etiam idiotarum ac vulga-rium hominum contemnenda non eſt conditio, pro-pter multorum ignorantiam. Nam uti ſuos nævos habet uterque ſtatus, ita ſunt etiam utrique ſtatui pe-culiares dotes, ſi modo adſit pius animus. Ac docti quidem poſſunt eſſe nobiliora & excellentiora gloriæ Dei inſtrumenta, ſi cum doctrina pietatem jungant. Non enim abs re dixit Hieronymus: *Sancta ruſtici-tas ſolum ſibi prodeſt; & quantum ædificat ex vita merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat.* Interim tamen & idiotarum ac inferioris ſortis hominum eſt etiam ſuus in Eccleſia Chriſti ac vinea Domini uſus. Qui non poteſt eſſe manus in corpore Chriſti, poteſt nihilominus eſſe pes: & qui non poteſt eſſe oculus, poteſt eſſe auris, vel lingua, vel aliud utile membrum: ut docet Apoſtolus 1 Cor. 12. 14 & ſeqq. Et propterea monet ibidem A-poſtolus, ut qui præſtantioribus ſunt donis prædi-ti, non deſpiciant inferiores. Nam inquit: *Quæ vide-ntur membra corporis infirmiſſima eſſe, neceſſaria ſunt: & quæ membra corporis putamus ignobiliora eſſe, iis ho-norem abundantiorem circumdamus, & quæ ſunt in nobis inhoneſta, abundantiorem honeſtatem habent. Quæ vero ſunt in nobis decora, illa decore non egent: ſed Deus contemperavit corpus, ei cui deerat abundan-tiorem tribuens honorem; ut ne ſit diſſidium in corpore, ſed membra itidem ſolicita ſint alia pro aliis.* Sic etſi inæquales Deus fecerit homines donis, ingenio, do-ctrina, ſtatu, dignitate, opibus, genere, natione ac ſimilibus, vult tamen omnes æquales fieri probitate, charitate & animi humilitate. Non enim dona Dei quenquam Deo acceptum reddunt, ſed virtus & probitas, quæ tam doctis, quam indoctis, tam nobi-libus quam ignobilibus ineſſe poteſt. At Phariſæi iſti ac Sacerdotes putabant ſe ob ſuam dignitatem ac eruditionem Deo propiores eſſe; propterea prole-tarium vulgus, tanquam propter imam ſortem Deo inviſum, floccipendunt, & maledictum eſſe judi-cant: non advertentes interim, plebem illam, quam maledictam credunt, præcurrere eos in regnum Dei, & præripere eis benedictionem divinam in Chriſto Jeſu omnibus credentibus propoſitam.

Verſ. 50. *Dicit Nicodemus ad eos, is qui venerat ad eum nocte, cum eſſet unus ex illis:*] Divina factum eſt directione, ut cum dixiſſent Phariſæi ad ſervos ſuos: *Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Pha-riſæis?* mox ſurgeret unus ex principibus & Phari-ſæis, qui illos mendacii coargueret. Nicodemus enim

enim iſte unus è Senatoribus Synedrii, ut vel ex hoc loco apparet crediderat in Jeſum, ejuſque erat diſcipulus tametſi occultus. Vide Joh. 3. 1. Sed & plures ejuſmodi occultos diſcipulos Chriſti inter principes fuiſſe teſtatur alibi Johannes cap. 12. 42. XIX. 38. Porro major etiam in eo divina providentia eluxit, quod Deus per Nicodemum hunc diſturbarit Conciliabulum illud inimicorum Chriſti. Potuiſſent enim illi alios rurſus mittere ſatellites adductum Chriſtum, vel producere adverſus eum neſcio quæ maleſana decreta. Verum ne id fieret, Deus effecit, pomum Eridos in medium eorum projiciens per Nicodemum, & congregationem eorum diſſolvens. Videmus hinc, quam multum ſæpe prodeſſe poſſint bonæ cauſæ, quamvis imperfecti & occulti, Chriſti diſcipuli. Imperfectio hæc erat Nicodemi, quod occultus diſcipulus Chriſti eſſet, quod palam Chriſtum profiteri non auderet, quod nimis homines metueret, quod diſſimulando veritatem caveret ne ejiceretur è Synagoga ac dignitate ſua excideret. Interim iſta diſſimulatio ejus profuit cauſæ Chriſti, ita ut ipſe fieret inſtrumentum Dei, quo Chriſtus è periculo liberaretur. Quo tamen Nicodemi exemplo nemo abuti debet ad ſuam perniciem, ut exiſtimet, ſibi licere premere in conſcientia ſua veritatem, eamque diſſimulare, hoc prætextu, ut Reipublicæ Chriſtianæ vel Eccleſiæ prodeſſe, ac malevolorum conſilia impedire poſſit. Eſt enim probe notandum, quod Maldonatus Jeſuitarum doctiſſimus, ad hunc locum annotavit, cujus verba elegantiſſima non poſſum non hic adſcribere: *Convenit aliquando aliquem eſſe Nicodemum, & Chriſtum ſuos apud hoſtes habere exploratores. Convenit, inquam, Eccleſiæ, convenit Chriſto, ſcienti ex malis noſtris bonum elicere: ipſis vero Nicodemis an conveniat, illi viderint; ego profeſſus & publicus Chriſti diſcipulus eſſe malim.* Sed notandum eſt, quod Chriſtus Servator noſter dixit: *Quiſquis confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Quiſquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo, qui in cœlis eſt,* Matth. 10. ỳſ. 32, 33. Dices: Annon ad ſalutem ſufficit habere fidem, & credere in Chriſtum? Poſſum vero habere fidem & credere in animo & corde meo, quamvis ore eam non profitear. Quid opus eſt, ut homines ſciant meam fidem? ſatis eſt eam Deo eſſe notam. Reſpondeo. Sufficit quidem fides ad ſalutem, ſed iſta fides cum profeſſione debet eſſe conjuncta, & cum aliis bonis operibus; Debet enim eſſe viva fides, ac porro non debet latere, ſed ſe prodere per certa ſigna atque indicia: non ſecus ac ignis, ſi ardeat, tegi & occultari non poteſt, ſed fumo vel flamma, vel ſaltem calore ſe prodit. Inter indicia autem fidei eſt externa confeſſio: quam vides hic à Chriſto tam ſevere exigi. Cum quo etiam Apoſtolus conſonat, qui ait: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit profeſſio ad ſalutem*, Rom. 10. 10. Non ergo ſolo corde, ſed & ore vult Deus & Chriſtus à nobis ſanctificari ac glorificari; vult ne homines magis metuamus, qui corpus tantum poſſunt occidere, quam ipſum, qui & animam & corpus poteſt perdere in Gehenna Matth. 10. 28. At ſi diſſimulavero fidem, inquies, potero gloriam Dei promovere, potero multis innocentibus eſſe præſidio. Verum hic meminiſſe debes, quid Scriptura dicat: *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. 3. 8. Deus gloriam ſuam promovebit, & innocentes ſervabit etiam ſine tuo peccato. Nulla re magis promovetur gloria Dei, quam aperta veritatis profeſſione. Hanc ergo viam ut teneas oportet, ſi gloriam Dei promovere geſtis. At tu vis præpoſtere neglectu officii tui gloriam divinam promovere. An tu putas, ob hoc ſolum te ſalutis æternæ præmio coronandum eſſe, quia quocunque modo gloriam Dei promoves ac bonis prodes? Erras. Deus enim ſæpenumero etiam peſſimorum hominum opera utitur ad gloriæ ſuæ & bonorum utilitatem: nec tamen eos propterea ſempiterna felicitate donabit. Et aliquando quidem coguntur mali etiam inſcii, imo & inviti prodeſſe gloriæ Dei ac fidelibus ejus. Quodſi vero ſponte & data opera bonam cauſam fideleſque Chriſti juvent: Deus quidem omnis boni operis remunerator, etiam hanc eorum virtutem compenſare haud negliget. Sed non eſt, quod exiſtimes, huic virtuti ſtatim vitæ æternæ præmium deberi. Habet Deus ſat bonorum etiam in terris, quibus multa bona opera compenſare poteſt. Qui vult perfectam conſequi remunerationem à Deo, perfecte quoque ſerviat Deo neceſſe eſt.

Verſ. 51. *Num Lex noſtra judicat hominem, niſi audierit ab ipſo prius, & cognoverit, quid faciat?*] Cautiſſime procedit Nicodemus, & ſuſpenſis veſtigiis, quaſi per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Vult Chriſtum à furore principum ac Phariſæorum liberare, ſed ita, ut non hoc ipſum agere videretur, ne ſeipſum ſuſpectum redderet. Non audet palam Chriſto patrocinari, ſed audet tamen quod erat plauſibile, in genere æquitatis patrocinium ſuſcipere. Eſt autem hæc naturalis æquitas, & omnibus gentium legibus comprobata, ne quis inauditus damnetur. Hinc laudatur & ab Ethnicis ſcriptoribus Rex ille, qui una aure excipiebat accuſantium delationes, & alteram aurem reo reſervabat. Contra vero falſe ridetur à Seneca Claudius Cæſar in ejus Apocolocynthoſi:

Deflete virum,	Una tantum
Quo non alius	Parte audita,
Potuit citius	Sæpe & neutra.
Diſcere cauſas:	

Hanc autem æquitatem Nicodemus non ſimpliciter urget, & ex natura defendit, ſed cum Phariſæi Legis ſcientia gloriarentur, turbæ ſeſe opponentes, quam non noſſe Legem dicebant, ille ad Legem provocat, & factum eorum non eſſe Legi conſentaneum oſtendit. Ex hoc exemplo Nicodemi cerni poteſt, quantum interſit, quomodo res proferatur ac proponatur, quantumque in omnibus rebus prudentia valeat: quam etiam Paulus Apoſtolus diligenter nobis inculcat illis verbis: *Sapienter ambulate erga extraneos, tempus redimentes. Sermo veſter ſit ſemper cum gratia, ſale conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere*, Col. 4. 5, 6.

Num Lex noſtra judicat hominem.] *Judicare* hic ſumitur pro *damnare*. *Judicat hominem*, Hebræo-

rum idiotiſmo dicitur pro *judicat quenquam*. Et, *Num Lex judicat*, nihil aliud eſt, quam *Num Lex patitur judicari*. Videtur autem Nicodemus inprimis reſpexiſſe ad illa Legis loca, Deut. 1. 16. XVII. 5. Nam expreſſe & ad literam verba iſta, quæ Nicodemus profert, in Lege nuſquam leguntur.

Verſ. 52. *Reſponderunt & dixerunt ei: Num & tu ex Galilæa es? Scrutare, & vide, quod Propheta ex Galilæa ſuſcitatus non ſit.*] Quamvis ſumma prudentia uſus fuerit Nicodemus, tamen offenſam collegarum ſuorum non potuit effugere. Odioſa enim malis res eſt veritas, ne leniſſimum quidem ejus ictum ferre poſſunt. Cæterum cum nihil haberent quod ſolide veritati poſſent opponere, opponunt convitia. Ita nimirum ſolent properare ad furias, qui ratione carent. Nihil reſpondent ad rem, quam Nicodemus propoſuerat, ſed dicunt: *Num & tu ex Galilæa es?* Quaſi dicant: Ita iſtius Galilæi (ſic enim per contemptum appellabant Chriſtum) cauſam agis; ita te interponis pro illo, quaſi communis tibi cum eo patria eſſet, quaſi & tu ex Galilæa eſſes oriundus.

Scrutare & vide, quod Propheta ex Galilæa ſuſcitatus non ſit.] Ne ſine ratione eum tam duriter alloqui videantur, annectunt aliquam non rationem, ſed rationis umbram. Argumentantur, Jeſum non eſſe Meſſiam, quia ſit Galilæus; ex Galilæa autem nullum unquam Prophetam fuiſſe ortum, nedum ut inde Meſſias oriretur. At primum falſum erat, Jeſum fuiſſe nativitate Galilæum: deinde incertum eſt, nullum unquam Prophetam ex Galilæa extitiſſe; ſunt enim, qui Deboram Prophetiſſam Galilæam fuiſſe probent: tertio etiamſi id certum eſſet, quæ tamen eſt ratio conſequentiæ: Hactenus nullus Propheta ex Galilæa prodiit. Ergo & impoſterum nullus prodire poteſt? Hoc modo ſequeretur, nullum eſſe verum Prophetam, qui primus in aliquo loco Propheta extitit: quia ante eum nullus alius ex iſto loco Propheta prodiit. Imo tandem ſequeretur nullum omnino fuiſſe unquam verum Prophetam, quia ante eum nullus potuit eſſe primus Propheta. Et quæ ratio eſt, ob quam Deus non poſſit Prophetam mittere ex ea regione, ex qua antea neminem miſit? An enim neceſſarium eſt, ut Prophetæ omnes ex uno loco prodeant? An Deus ſe uſquam alligavit ad locum? Adeo frivola & inepta ſunt ſæpe etiam ſapientum & celebrium virorum argumenta. Nemo igitur patiatur ſibi oculos præſtringi auctoritate hominum, quantumvis magni nominis. Solent enim, ut videmus, eſſe etiam magnorum virorum interdum magni admodum errores.

Verſ. 53. *Et abut quiſque in domum ſuam.*] Poteſt fieri, quod Nicodemus aliquid reſponderit, & vel dixerit, ſe nihil niſi æquitatem, etiam Lege præceptam, urgere, vel argumentum eorum frivolum eſſe oſtenderit. Sed Johannes quia res jam tumultu agebatur, non ratione, haud duxit operæpretium ulteriorem, quæ fuit in illo Concilio, diſceptationem deſcribere. Tantum exprimit, quis fuerit congregationis illius finis: quod nimirum irritatis animis, & re nulla concluſa, inde diſceſſum ſit. Ita Deus habet mirifica ad conatus adverſariorum eludendos media. Malorum coitiones, conſilia, ac molitiones ſimiles ſunt arcibus ac propugnaculis, quæ pueri ex arena conſtruere ſolent, quæ uno digito facile dirui ac diſſipari poſſunt. Simile exemplum irriti facti & diſſipati Concilii per Gamaliëlem habemus, Actor. 5. 34, & ſeqq.

CAPUT VIII.

Argumentum & Partes.

Continetur hoc Capite I. *Hiſtoria de adultera à Phariſæis ad Chriſtum adducta, ut ſuam de ea punienda ſententiam diceret: uſque ad verſ.* 12. II. *Sermones varii, quos habuit Chriſtus cum Judæis: nec non quis fuerit eorum eventus; uſque ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Jeſus autem abiit in montem Olivarum.*] Hæc cohærent cum fine præcedentis Capitis. Ibi dictum eſt, quo diſſoluto conſeſſu, abierint Sacerdotes & Phariſæi: hic narratur, quorſum abierit Jeſus, & quid porro egerit poſt finitum illud feſtum Tabernaculorum. Mons Olivarum fuit extra urbem Hieroſolymam, cui illa adjacebat: in eum Chriſtus ſeceſſit ſub noctem, ibique pernoctavit, ſine dubio tum orandi cauſa, tum ut ab inſidiis malevolorum tutior eſſet. Ob eaſdem cauſas etiam alias Chriſtus in iſto monte pernoctare ſolebat: ut patet ex Luc. 21. 37. Ita nobilitavit Chriſtus hunc montem primum orationibus ſuis, deinde paſſione ſua; nam ibi comprehenſus eſt: Luc. 22. verſ. 39, & denique aſcenſione ſua in cœlum. Vide Actor. 1. 12.

Verſ. 2. *Diluculo autem rurſus aderat in Templo, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.*] Non ſatis habuit, multo jam die venire in Templum, ſed aderat diluculo. Unde patet Chriſti ſedulitas, vigilantia, & fidelitas in muneris ſui partibus implendis, inque cultu divino. De Prophetis quoque antiquis ac de ſe dicit Jeremias, quod diluculo ſurgentes, mandata Dei tulerint ad homines. Vide cap. 25. 4. XXXII. 33. XXXV. 15. Hæc diligentia tum Præſulibus populi in obeundo munere, tum omnibus Chriſtianis in religionis exercitio imitanda eſt. Non enim ſolum aurora Muſis amica eſt, ut trito proverbio dicitur, ſed & Deo grata eſt. Diluculo amat coli, diluculo amat invocari, diluculo etiam amat dona ſua diſtribuere. Apud Salomonem clamat cœleſtis ſapientia; *Ego amo amantes me, & qui me mane quæſierint, invenient me,* Proverb. 8. 17. Non eſt de nihilo, quod Deus olim Mannæ rorem ante ſolis exortum colligi ab Iſraëlitis voluerit: (nam poſt ſolis ortum jam nulli erat uſui:) nimirum documentum præbuit mortalibus, placere ſibi matutinam diligentiam, eorum, qui ut gratiam ipſius obtineant, etiam ſolis ortum anticipant. Hoc probe intellexit ſanctus Rex & Propheta David, qui mane extollebat miſericordiam Domini, mane properabat offerre Domino ſacrificia laudis, mane quoque ſe exaudi-

exauditum à Domino paſſim gloriatur in Pſalmis. Vide Pſal. 5. 4. XLVI. 6. LIV. 18. LVII. 9. LIX. 17. LXXXVIII. 14 & alibi.

Verſ. 3. *Adducunt autem ad eum Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuentes eam in medio.*] Hiſtoriam iſtam de adultera multi adulterinam faciunt, vocantque in dubium, tanquam ab ipſo Johanne ſcripta non ſit. Suntque tria, quæ afferuntur ad id probandum: primo quod in quibuſdam exemplaribus tum Græcis, tum Latinis non reperiatur: ſecundo quod à Patribus non paucis omiſſa ſit: tertio, quod abſurda nonnulla in ſe contineat. Sed non ſunt tanti iſtæ rationes, ut propter eas hiſtoria iſta inter apocrypha numeranda ſit. Quod enim exemplaria nonnulla attinet, in quibus illa deſideratur, poſſumus eis opponere longe plura exemplaria vetuſtiſſima in quibus habetur, de quibus teſtatur Hieronymus tom. 2. dialog. 11. contra Pelag. Robertus Stephani quoque vidit ſedecim antiqua exemplaria manuſcripta, in quibus nullo excepto reperitur. Et Beza ſcribit, ſe in ſeptendecim exemplaribus, unico tantum excepto, eam legiſſe. Vide quartam editionem Annotationum ejus majorum ann. 1588. Habet etiam eam antiquiſſima verſio Arabica: ut alias plurimas editiones taceam, quæ ſunt inter antiquiſſimas. Non eſt autem mirum, quod in quibuſdam exemplaribus hæc aliæque nonnullæ periochæ ſacræ deſint. Monuit enim Hieronymus, fuiſſe tunc complurium audacium nimis exſcriptorum morem, ut aliter atque aliter pro multiplici judiciorum diſcrimine Euangelia interpolarent, augerent, minuerent, maxime ut quemlibet Euangeliſtam eadem ipſa, nec omnino diverſa dicere facerent. Poteſtque fieri, ut ex uno mala fide Euangelium Johannis deſcribente, idque mutilante, error iſte ac defectus dimanarit in alia exemplaria. Quod ad Patres, primum objicitur Euſebii teſtimonium, quod is lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. ult. hiſtoriam hanc in libris Papiæ ſcriptam fuiſſe dicens, eandemque in Euangelio ſecundum Hebræos reperiri affirmans, nulla de Johannis Euangelio mentione facta, haud dubie indicet, eam Johannis non eſſe. Sed animadverſum eſt jam à doctis quibuſdam viris, quod multos etiam doctiſſimos fefellerit lectio textus Euſebiani, vel etiam verſio verborum ejus Ruffini, qui ea male intellecta, male quoque tranſtulit. Sic enim ea vertit, imo pervertit: *Simul & hiſtoriam ſubjungit* (nempe Papias) *de muliere adultera, quæ accuſata eſt à Judæis apud Dominum.* Atqui apud Euſebium in textu nulla habetur adulteræ mentio, ſed mulieris quæ de multis peccatis fuerit accuſata apud Dominum: ut inſpicienti patet. Probabile proinde eſt, Euſebium de alia omnino muliere, non de hac, de qua modo quæritur, loqui. Certe neceſſarium non eſt, & nihil cogit, ut ejus verba de hac muliere accipiamus. Quod ergo Patres nonnulli Euſebio poſteriores hiſtoriam hanc omiſerint, id credibile eſt, eo factum eſſe, quod eos Ruffini interpretatio ſeduxerit, vel quod ipſi, æque ac Ruffinus, perperam verba Euſebii intellexerint, quod de Nonno Poëta & Theophylacto inprimis intellectum volumus. De Origene, qui fuit Euſebio antiquior, ſciendum eſt, non eſſe mirum, ab eo hanc hiſtoriam eſſe prætermittam. Is enim multa in Johannis explicatione prætermittit. Nam à Capitis 4. explicatione, omiſſo Capite 5, 6, 7, tranſilit ad cap. 8. ℣. 19. Chryſoſtomum etiam objiciunt quidam, quod in totum Johannem ſcribens Commentarios, hanc de adultera narrationem prætermiſerit. Sed notandum eſt, & hunc non omnia expoſuiſſe in ſuis illis ad populum concionibus in Johannem: ſive facilitatis, ſive brevitatis ac delectus alicujus gratia, ſive etiam deſcriptoris negligentia. Deinde facit ille mentionem hujus hiſtoriæ Homilia in Johannem 60, cum eam inter exempla recenſet, quibus probat, Phariſæos Chriſtum malitioſe ac ſubdole, ut ipſum accuſarent, interrogare ſolitos. Denique Chryſoſtomo & paucis iſtis, qui nobis objiciuntur, Patribus opponimus alios Patres eis ætate ſuppares, aut etiam majores: ut Tatianum, Ammonium, Athanaſium, Ambroſium, Auguſtinum, Cyrillum Alexandrinum, Proſperum, Hieronymum, Gregorium, Idacium, Sedulium, & alios innumeros. Tertio loco objiciuntur huic hiſtoriæ abſurda quædam, quæ in ea contineantur. Sed iſta nos in ipſius textus explicatione refutabimus. Cum igitur nihil ſolidi in ſe habeant argumenta, quæ contra hiſtoriam iſtam afferuntur, non eſt quod de ea dubitemus: præſertim cum rationes ſint, quæ pro ea militant, multo ſolidiores. Quas inter non poſtrema eſt, quod ita apte & arcte cohæreat cum textu Johannis, ut minime inſerta aliunde, ſed ipſo in loco nata eſſe videatur. Certe ſi ultimum verſum Capitis 7, & totam hanc hiſtoriam eximas, nullo modo reliqua hærere videbuntur. Tandem, quod eſt maximi momenti, plane admirabilis Chriſti ſapientia ex ea elucet, qua & adulteram ſervavit, & Legi divinæ nihil derogavit, & adverſariorum conſcientiam compunxit, & omnes docuit, apud ſe non in Lege juſtificationem eſſe quærendam. Hanc ſapientiam non eſt probabile in ullum alium hominem vulgarem cadere potuiſſe; ut proinde hæc narratio & Chriſto ſervatore mundi, & Johanne Euangelii ſcriptore divino ſit digniſſima.

Adducunt ad eum Scribæ & Phariſæi mulierem.] Credibile eſt, Phariſæos, cum pridie fruſtra Chriſtum prehendere conati fuiſſent, nec tamen odium eos quieſcere fineret, mox novam anſam ejus comprehendendi quæſiviſſe. Itaque adultera iſta poſtridie caſu deprehenſa, uſi ſunt hac occaſione ad inſidias Chriſto ſtruendas. Quærunt nonnulli: cur adulteram potius, quam adulterum vel cur non hunc ſimul adduxerint ad Chriſtum, cum uterque deprehenſus ſit in facinore. Sed hæc videtur eſſe curioſa quæſtio, parumque neceſſaria. Dici tamen poteſt forte adulterum non fuiſſe captum, ſed ſolam mulierem. Etſi enim uterque deprehenſus ſit, tamen ſolent viri aut vi aut arte facilius elabi, quam fœminæ. Ita ſenes illi Suſannæ accuſatores, qui mendacium ſuum ad veri ſimilitudinem compoſuerant, dicunt, ſe adoleſcentem, qui cum ea erat, quia fortior fuit ipſis, tenere non potuiſſe, Suſannam ſolam tenuiſſe. Adject. ad Dan. 13. ℣. 39, 40.

Verſ. 4. *Dicunt ei: Magiſter, hæc mulier deprehenſa eſt in ipſo facto adulterans.*] Quod Magiſtri titulo eum ornant, aſtu faciunt, ut eum hoc blandi-

mento tanto citius in fraudem pelliciant. Similis aſtutiæ exemplum vide Matth. 22. 16.

In ipſo facto.] Gr. ἐπαυτοφώρῳ, id eſt, in ipſo furto. Φὼρ enim Græce eſt fur. Sed per Synecdochen ſpeciei non ſine catachreſi ponitur furtum pro quovis facinore: præſertim cum adulteria etiam furtim committi ſoleant. Et ἐπαυτοφώρῳ dictum eſt pro ἐπ' αὐτοφώρῳ. Significant igitur in ipſo actu adulterii, ſeu ut Jureconſulti loquuntur, in flagranti delicto eſſe deprehenſam. Quod ideo addunt, ne Chriſtus probationes requireret; ut indicent non agi hic de ſuſpicione tantum, ſed rem eſſe tam manifeſtam, ut negari nequeat, ne ab ipſa quidem rea: Cum ergo de facto nulla ſit dubitatio, aut controverſia, nihil aliud reſtare, quam ut de jure ferat ſententiam.

Verſ. 5. *In Lege autem noſtra Moſes præcepit tales lapidari: tu igitur quid dicis?*] Non extat ullum in Lege expreſſum mandatum, ut adulteræ lapidentur, ſed ſimpliciter tantum, ut morte afficiantur, Levit. 20. 10. Deut. 22. 22. Sed veroſimile videtur, cum mortis genus expreſſum non ſit, rem populi judicio fuiſſe relictam, atque ita conſuetudine introductum eſſe, ut adulteræ omnes lapidarentur. Itaque non aliter ſumenda ſunt Phariſæorum verba, quam ſi dixiſſent: Moſes juſſit adulteras capitali ſupplicio affici, quod uſu receptо ſit per lapidationem. Non deſunt tamen viri eruditi, qui ſimpliciter verba accipienda putant: indeque colligunt, adulteram hanc nondum nuptam, ſed deſponſatam tantum fuiſſe. Nam in deſponſatas adulterium committentes, diſerte pœna lapidationis in Lege præſcribitur, Deut. 22. 20, 24.

Tu igitur quid dicis?] Exquirunt Chriſti judicium de adultera, non quod eum crederent habere poteſtatem, eam vel abſolvendi ac dimittendi vel puniendi: ſed quod illum nova multa docere viderent, de quibus Moſes nihil præcepit, volunt experiri, an hac in re Moſi contrarius nec ne ſit futurus. Uno verbo: proponunt iſtam quæſtionem Chriſto non tanquam Judici, ſed tanquam Doctori ac Magiſtro. Opponunt eum Moſi: Moſes hoc dicit; Tu autem quid? Quaſi dicant: Approbaſne an improbas Moſis iſtam ordinationem? Volumus ſcire tuam ſententiam.

Verſ. 6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut haberent de quo accuſarent eum.*] Videtur Johannes Euangeliſta timuiſſe, ne quis exiſtimaret Scribas iſtos ac Phariſæos bono animo ac diſcendi cupido hanc quæſtionem propoſuiſſe. Itaque præoccupans addit, eos hoc dixiſſe tentantes, & animo ipſum criminandi. Supra habuimus vocem tentandi in bonam partem uſurpatam cap. 6. 6. hic ponitur in ſiniſtram. Vide dicta ad locum iſtum modo citatum. Argute dictum eſt ab Eccleſiaſte: *Cor ſapientis eſt in dextera ipſius, & cor ſtulti in ſiniſtra ipſius*, Eccleſ. 10. ℣. 2. Quid? inquies; an ergo omnes ſtulti ſunt, qui in ſiniſtra parte corporis geſtant cor? Nequaquam. Nam etiam ſapientiſſimi in eadem corporis parte cor gerunt, in qua & ſtulti. Sed hinc patet, eum figurate loqui, non proprie. Nempe hoc ſibi vult, ſapientem omnia ſua conſilia, cogitata, dicta atque actiones dirigere in dextram, id eſt, bonam partem: contra vero inſipientem in ſiniſtram, id eſt, malam partem. Exemplum hujus rei habemus in Chriſto & Phariſæis. Chriſtus tentavit diſcipulos ſuos, cap. 6. 6, ſed cor ejus, dum id faceret, erat in dextram partem inclinatum, id eſt, nil niſi bonum diſcipulorum ſuorum ſpectavit. Phariſæi quoque hic tentant Chriſtum; ſed cor eorum in ſiniſtram atque in perniciem ejus erat intentum.

Ut haberent de quo accuſarent eum.] Non tam quærebant, ut eum coram Magiſtratu accuſare poſſent, quam ut ejus accuſandi anſam haberent coram populo. Volebant eum populo ſuſpectum atque inviſum reddere, quem videbant captum ejus ſermonibus ac miraculis, nimis ipſi adhæreſcere. Hoc igitur unice intendebant, hac ſua adulteræ iſtius adductione, & captioſa quæſtione, ut aliquid ex ore ejus elicerent contra Moſen, vel contra Legem; quod ſi fieret, haberent anſam populum adverſus eum tanquam Legis divinæ violatorem concitandi. Erat autem cornuta quæſtio iſta, quam illi proponebant, & tam callide inſtituta, ut quomodocunque Chriſtus reſponderet, in foveam incideret. Continebat enim quæſtio illa tale dilemma: Aut lapidanda eſt adultera, aut non lapidanda. Neceſſario videtur alterutrum reſpondendum fuiſſe: ſed ſi reſpondiſſet, non eſſe lapidandam, clamaſſent, eum convellere Legem, eum non poſſe eſſe à Deo, quia Deo ac Legi divinæ contraria doceat, ac proinde ipſum una cum adultera iſta tanquam Pſeudo-prophetam ac defectorem à Lege lapidandum eſſe. Quodſi reſpondiſſet, eſſe lapidandam, accuſaſſent eum mendacii ac inconſtantiæ, quod peccatores paſſim ad ſe invitaret, eis peccatorum remiſſionem pollicereturr, ſe prædicaret ad eos ſervandos veniſſe, ideoque cum eis ut plurimum converſaretur, interim vero peccatricem ipſe ſuo calculo morti truculentiſſimæ adjudicaret: atque ſic magnam invidiam Chriſto apud populum conciliaſſent. Simile dilemma & laqueus fuit ille, quem etiam legimus alibi eoſdem Phariſæos Chriſto tetendiſſe, cum quæſierunt: Liceretne dare cenſum Cæſari? Dabimus, inquiunt, annon dabimus? ſi dixiſſet ſimpliciter, dandum eſſe, non fuiſſet amicus populi, qui jugi Romani erat impatiens. Sin dixiſſet, non dandum, non fuiſſet amicus Cæſaris, & crimen læſæ Majeſtatis ei impegiſſent. Vide Marc. 12. 14. Sed quemadmodum illic Chriſtus poſita ſibi retia & objecti dilemmatis cornua mirabili ſapientia evitavit atque eluſit, ita & hoc loco.

Jeſus autem deorſum ſeſe inclinans, digito ſcribebat in terra.] Hoc eſt unum ex abſurdis illis, ob quæ quidam hanc hiſtoriam ſuſpectam habent. Videtur enim id eis novum & inſolens, nec commode explicari poſſe, imo redolere neſcio quam ſuperſtitionem, moribuſque Chriſti minime convenire. Verum tantum abeſt, ut quicquam abſurdi hæc Chriſti ſcriptio in terra contineat, vel Chriſto inconveniens ſit, ut ſi quis finem & intentionem Chriſti inſpiciat, nihil ſapientius, nihil magis ſe dignum Chriſtus facere potuerit. Certe non video, cur magis novum, inſolens, aut ſuperſtitioſum videri debeat, Chriſtoque inconveniens, quod certo conſilio ſcripſerit in terra digito, quam quod flagello è funiculis confecto ejecerit è templo

templo vendentes & ementes : Johan. 2. 15, vel quod facto ex saliva sua luto cæci oculos illeverit Joh. 9. 6 vel etiam, quod in Apostolos insufflaverit Joh. 20. 22. Si ista absurda non sunt, sed sapienter facta, cur illud absurdum aut indignum Christo videatur ? Imo tanta est in hoc facto sapientia, ut ausim affirmare, si omnes homines ingenia sua conferrent in unum, & excogitare vellent aptissimum aliquem modum eludendi tam ambiguam atque captiosam quæstionem, quam proposuerunt Pharisæi, nunquam eos reperturos aptiorem, atque iste est, quo usus est Christus. Hoc ergo tam aptum, tam sapiens factum Christi quisquis absurdum dicit, næ ipse valde absurdus est. At quomodo, dicunt nonnulli, id potest commode explicari, quod se Christus inclinarit, atque in terra digito scripserit ? cui bono id fecit ? quid scripsit ? quid ista scriptione sibi voluit ? Etiamsi ista explicare non possemus, non tamen propterea res ipsa tanquam absurda repudianda esset. Quam multa enim sunt in Sacris Literis, quorum exactam rationem dare non possumus : nec tamen ea rejicimus. Et ne longe exemplum petamus, explicet velim aliquis id, quod paulo ante commemoratum est, de adhibito à Christo ad illinendos cæci oculos luto ex saliva confecto : cui bono id fecit Christus ? quid sibi ea re voluit ? Annon absque eo visum restituere cæco poterat ? Quid opus erat ejusmodi ambagibus ? Sed Domino sapientissimo constabant hujus facti rationes, etiamsi nos eas indagare nequeamus. Ita igitur & de hac scriptione Christi in terra judicandum est. Deinde nonne sat commode explicatur gestus iste Christi, si dicatur, Christum ut declinaret ancipitem quæstionem, præ se tulisse, quasi non audiret, quæ ab accusatoribus illis dicebantur, sed aliis esset intentus cogitationibus ? Usitatum enim est, ut qui meditabundi sedent, digito aliquid scribant. Voluit ergo significare Christus, accusationem adulteræ ad se nihil pertinere, ut qui non esset judex politicus ; voluit quasi aliud agendo ostendere, sibi non vacare, ut ad eorum nugas animum attenderet ; eosque indignos esse, quibus aperiret sententiam suam, cùm nosset, quo animo eam expiscari vellent : denique voluit ista inclinatione sua opportunitatem præbere adversariis clanculum sese subducendi. Quod ut commodius fieri posset, Christus non semel, sed bis se inclinavit. Qua in re notanda est singularis Christi sapientia. Nam si tum demum, post illa verba sua, *Qui vestrum est absque peccato, primus in eam jaciat lapidem*, sese incurvasset ad terram, nimis aperte ostendisset, se id velle & agere, ut illi dilaberentur ; & sic periisset vis & venustas artificii, fierique potuisset, ut illi id agi videntes, Christo ægre facturi remanerent, adeoque finem suum Christus non assequeretur. Prudentissime igitur Christus statim ab initio propositæ quæstionis, data opera se avertit ab eis, & in terram defixis oculis se aliis occupatum simulavit, ut postea dato responso quasi ad incæptum redire videretur. Hanc sapientiam qui non capiunt, tanto magis confirmant, historiam istam non ab hominibus esse confictam, ut quibus ea absurda videatur, cum interim divina in ea lateat sapientia. Quid ergo, quæres, scripsit ? Quæro ego vicissim : Quid opus sit, ut id nos sciamus ? Si id nostra interesset scire, sine dubio id Scriptura non tacuisset. Nunc cum illa taceat, sobrii ingenii non est supra id quod scriptum est, sapere velle.

Nescire velle, quæ Magister optimus
Nescire nos vult, erudita insciitia est.

Quæro iterum : Unde constet, Christum omnino aliquid scripsisse ? Verbum enim γράφειν, quo hic utitur Johannes, non solum significat scribere, sed etiam pingere : quanquam & Latinis, qui pingit figuras aliquas ac delineat, generali vocabulo scribere dicitur. Et hoc sane est maxime verisimile, quod Christus nihil scripserit, quod legi posset, nullosque certos formarit characteres, nullas literarum notas expresserit, sed incertas, nihilque significantes figuras pinxerit, quales solent homines cogitabundi facere. Nam & Euangelista id non præteriisset, si quid significans scripsisset ; nec opus fuisset, ut verbis responderet Christus, si jam scripto respondisset. Consentaneum enim erat, ut si quid significans scribere voluisset, scriberet id, quod ad causam propositam pertineret, atque ita scriberet, ut à Pharisæis legi posset. Hoc autem eum non fecisse exinde patet, quod Pharisæi scribentem urserint, ut responderet ad quæstionem. Adde quod pavimentum Templi lapidibus stratum nullas literarum notas admitteret : nec probabile est, tantum fuisse pulveris in illo pavimento, ut verba integra in eo efformari potuerint. Unde liquet, quam abutantur ingenio, & se pœne ridiculos faciant etiam graves nonnulli auctores, qui, quæ verba Christus in terra scripserit, divinare conantur. Alii dicunt, eum scripsisse : *Terra estis, & de terra judicatis.* Alii putant scripsisse illud Propheticum : *Terra, terra, scribe hos viros abdicatos*, Jerem. 22. 30. Alii illud ejusdem Prophetæ : *Recedentes à te in terra scribentur*, Jerem. 17. 13. Alii rursus illud apud Matthæum : *Festucam, quæ est in oculo fratris tui vides ; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides*, Matth. 7. 3. Sunt qui conjiciant, eum scripsisse singulorum adstantium Pharisæorum vitia : v. g. Tu es adulter : tu es incestuosus : tu fur ac sacrilegus : tu prævaricator &c. Volunt alii hoc idem à Christo scriptum esse, quod postea respondit. Alii alia comminiscuntur ; Sed hæc omnia vana & futilia esse, ex iis, quæ diximus, facile perspicitur.

Vers. 7. *Cum autem perseverarent interrogantes eum, erigens se dixit ad eos : Qui vestrum est absque peccato, primus in eam jaciat lapidem.* Putabant illi, se Christum ita constrictum tenere, ut elabi non posset. Credebant enim, alterutrum esse responsurum : quod lapidanda sit, vel quod non sit lapidanda. At Christus neutrum respondit directe : sed ita artificiose quæstionem elusit, ut non tantum eum capere non possent, sed se potius captos & constrictos viderent. Nulla vox est quæ divinam sapientiam hujus responsi Christi possit exprimere. Non dixit, se velle, ne adultera lapidetur : & tamen hoc effecit ; idque effecit permittendo quodammodo, ut lapidetur. Non improbavit Legem, quæ adulteras morte punire jubet, sed eam integram & inviola-

tam ſervavit : & ſimul quoque ſervavit adulteram, ne ſecundum Legem puniretur. Quis ſperaſſet, poſſe & Legem & adulteram manere ſalvam : cum videretur omnino neceſſarium, ut vel Lex tolleretur, ut ſalva eſſet adultera ; vel adultera tolleretur, ut ſalva eſſet Lex ? Nonne proinde ſapientiæ pluſquam humanæ fuit, invenire medium quo utrique conſuleretur ? Quod autem Chriſto non fuerit animus hoc reſponſo Legem abrogare, conſtat primum ex eo, quod ipſe proteſtatus ſit Matth. 5. 17, ſe non veniſſe, ut ſolveret Legem, ſed impleret. Atqui ſolviſſet Legem, ſi cum Lex præcipiat, ut adultera morte plecteretur, Chriſtus id interdixiſſet, & contrariam de non puniendis adulteris legem tuliſſet. Deinde conſtat id ex ipſa Chriſti reſponſione, quam ita temperavit, ut ea non judices, non Magiſtratum legitimum peteret, ſed tantum accuſatores & inſtigatores illos, qui pœnam de adultera ſumendam eſſe urgebant, non animo Legis ſtudioſo, ſed ſanguinario ac immiſericordi. Jubet enim, ut qui immunis eſt à peccato, primus in eam mittat lapidem. Non erat autem judicum aut Magiſtratus, qui ferebat ſententiam, lapides mittere in damnatos, & ſuam ſententiam executioni dare. Sed de teſtibus & accuſatoribus extabat Lex, ut eorum manus prima primos conjiceret lapides in lapidandos, Deut. 17. 7. Vide quoque Actor. 7. 58. Neque ea res ratione carebat. Voluit enim Deus, ut illi hoc pacto teſtarentur, ſe non per calumniam inſtituiſſe accuſationem adverſus proximum, non falſum teſtimonium dixiſſe, ſed optime ſibi conſcios eſſe, reum illum mortem commeruiſſe. Nihil igitur aliud egit Chriſtus, quam ut accuſatores abigeret & à proſequendo juris contra ream proceſſu abduceret. Hoc autem Legi contrarium non erat. Nuſquam enim præcipiebat Lex, ut quis delinquentem accuſaret, & ad Judicem deferret : ſed Judici tantum præcipiebat, ut delatum & accuſatum ſecundum allegata & probata judicaret, ac puniret. Unde patet, ex dicto hoc Chriſti non eſſe colligendum, quod Chriſtus judicibus vetuerit pœnas de ſontibus ſumere præſertim capitales : ſed hoc tantum, quod improbarit accuſandi alios facilitatem, & quod à lite capitis proximo intendenda quam maxime abſtinendum eſſe docuerit. Phariſæi eo ipſo rigidæ obſervationis Legis & ſingularis ſanctimoniæ laudem quærebant, quod eſſent in delinquentes odii implacabilis, & executionem pœnæ ſecundum Legem ſtrenue contra eos urgerent ! At Chriſtus hanc affectatæ ſanctitatis larvam eis detrahit, & hypocriſin eorum detegit, oſtendens, ſatius eſſe, ut ipſi ſuam conſcientiam probe excuterent, & in ſe deſcenderent, quam ut in alios rigide animadverterent. Veram enim ſanctitatem in propriis criminibus excutiendis & amoliendis conſiſtere, non in alienis perſequendis. Neque exiſtimandum eſt, etiam accuſationem ac delationem omnem omnino damnari à Chriſto ; ſed eam tantum, quæ fit ultro, nulla cogente neceſſitate, vel animo ἐπηρειαστικῶς ſeu malevolentiæ pleno. Alioqui ſi quis jure cogatur, aut res ſit quæ ſalutem & incolumitatem publicam concernat deferre alicujus crimen, vel de eo verum edere teſtimonium, quin juſtum ſit, dubitari nequit. Sed ubi honeſte ac per leges declinare licet accuſandi & contra proximum, quamvis nocentem, teſtandi partes, ibi eas vitandas eſſe à Chriſto docemur. Atque hoc ipſum etiam naturalis juſtitia & recta ratio docuerat Joſephum Domini noſtri Jeſu Chriſti educatorem, qui cum Mariam Virginem, conjugem ſuam adulterii compertam crederet, potius eam diſſimulato crimine dimittere, quam eam ad judices deferre apud ſe decrevit : idque dicitur feciſſe, quia juſtus erat, id eſt, probus ac benignus. Vide Matth. 1. 19. Cui exemplo merito ſubjungit Ambroſius hoc univerſale epiphonema : *non tantum ab ultionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeveritate alienam eſſe juſti perſonam.*

Qui veſtrum eſt abſque peccato.] Græcus textus habet, ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, id eſt, *qui impeccabilis veſtrum eſt* ; quæ vox propriè ſignificat, non poſſe peccare. Itaque Chriſtus permittit quidem illis aliquo modo, ut hanc mulierem ad ſupplicium deposcant, & morti tradant, ſed conditione impoſſibili propoſita : ut nimirum tum id faciant, ſi in ea ſint conditione, ut ipſi peccare nequeant. Conceſſio autem, cum conditione impoſſibili, æquipollet negationi ſeu prohibitioni. Verum Chriſtus videtur non ſolum fragilitatis humanæ admonitione, quod peccare poſſint, eos ab accuſatione & pœnæ exactione avocare voluiſſe : ſed etiam hoc argumento, quod ipſi multis peccatis atque criminibus, & quidem graviſſimis, eſſent onuſti. Itaque perinde eſt, atque ſi diceret : Tum demum liceret vobis aut mirum non eſſet, vos urgere adeo necem iſtius fœminæ, ſi eſſetis ipſi prorſus natura impeccabiles, & extra omne peccandi periculum conſtituti. Sed nunc cum non tantum peccare poſſitis, & naturam habeatis, æque ac illa, peccandi periculo obnoxiam, ſed etiam crebro ac frequenter peccaveritis reipſa, & vel eodem quo illa, peccato, vel aliis æque turpibus flagitiis ſitis polluti, indignum ſane eſt, vos tantopere eam ad ſupplicium trahere velle ; quaſi ſcilicet ipſi non tantum peccatum nullum habeatis, verum etiam peccare non poſſitis. Sic Chriſtus illos non tantum poſſe peccare, non ſolum reipſa peccare, ac peccatores eſſe huic adulteræ pares, ſed inſuper quoque hypocritas turpiſſimos eſſe innuit, dum tangit conſcientiæ eorum vulnera hoc dicto, & ſignificat, eos qui tantum Legis ac religionis ſtudium præferrent, ut nullius peccatis parcere vellent, eſſe

Introrſum turpes, ſpecioſos pelle decora.

Atque id ipſum tam prudenter Chriſtus proponit, ut non ipſe illis, ſed ſua cuique conſcientia dicere videatur. Ad ſuam enim conſcientiam quemque remittit, & ut quiſque ſeipſum examinet, jubet. Idem quod hic Chriſtus taxavit in Phariſæis, taxarunt etiam Ethnici naturali lumine tantum inſtructi. Plautus ait : *Qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.* Et Cicero : *Carere omni vitio debet, qui in alterum paratus eſt dicere.* Idem : *Legem ſibi ipſi dicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt.* Juvenalis autem graphice :

Loripe-

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?

Verſ. 8. *Et rurſus deorſum ſeſe inclinans, ſcribebat in terra.*] Cum Chriſto propoſitum eſſet fœminam iſtam à pœna mortis liberare, hoc modo, ut accuſatores ejus ab accuſandi propoſito abduceret vel potius ab ea fugaret, idque vellet infixo conſcientiis eorum aculeo, & tacita ſcelerum, quibus ſibi conſciierant, exprobratione efficere: uſus eſt ſapientiſſime hac inclinatione corporis, & ſimulata ſcriptione, ut pudori eorum conſuleret, & adjuvaret quaſi eorum abitum. Nam eo ſpectante, puduiſſet eos palam exire: ſed cum Chriſtus pronus in terram defixiſſet oculos, illi hanc occaſionem libenter arripuerunt; ratique Chriſtum non videre, quid agerent, ſilentio ac ſine rubore dilapſi ſunt. Hoc vero ut aptius fieret, neceſſarium erat, ut hanc ſecundam inclinationem prima antecederet: uti ſupra oſtendimus.

Scribebat in terra.] In Græco eſt hic & ſuperius verſ. 6. εἰς τὴν γῆν, id eſt, *in terram.* Sed per enallagen caſus ponitur accuſativus pro ablativo: quæ enallage Græcis uſitata eſt. Sic Marc. 13. 16, ſecundum Græcum textum habetur: *Qui in agrum eſt*, pro in agro. Et Luc. 11. 7. *Pueri mei mecum ſunt in lectum*, pro in lecto. Et Joh. 1. 18. *Filius qui eſt in ſinum Patris*, pro in ſinu.

Verſ. 9. *Illi autem cum audiviſſent, & à conſcientia arguerentur, exibant alius poſt alium, incipiens à ſenioribus uſque ad ultimos, & relictus eſt ſolus Jeſus & mulier in medio ſtans.*] Præclarus eventus & felix ſucceſſus ſtratagematis à Chriſto adhibiti exprimitur. Hoc ipſum erat, quod Chriſtus intenderat & cupiebat, ut accuſatoribus diffugientibus, mulier mortis periculo eximeretur. Ita Chriſtus victor evaſit, & adverſarii ejus victi ſunt, qui victoriam ſe putabant habere in manibus. Diſcimus hinc, caute admodum cum perverſis hominibus agendum eſſe: & tametſi ſemper danda ſit opera, ne quid adverſus candorem ac ſinceritatem committamus, tamen licere interdum improbos homines aſtu quodam eludere. Quando cum adverſariis iniquis ac ſubtilibus cum ſophiſtis, cum cavillatoribus res eſt, non eſt aperta & directa incedendum via: ſed imitandi ſunt periti artis navigandi, qui ubi recta portum obtinere nequeunt, eum mutata velificatione aſſequi ſtudent. Ita & Chriſtianis in hoc turbido rerum humanarum pelago aliquando obliquandi ſunt ſinus. De Deo ipſo legimus dici à Regio Pſalte: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris*, Pſal. 17. 28, 29, non quod Deus unquam perverſe agat ac doloſe. Abſit, ut id vel cogitemus. Sed ſolet Deus tamen obliqua quodammodo via incedere cum hominibus perverſis, ut eos illaqueet, & vana ſpe aut ſpecie eos deludat. Nempe tegit Deus aliquando ſua conſilia, & nonnunquam aliud oſtentat, aliud facit. Sic & Chriſtus hoc loco egit. Oſtentabat ac præ ſe ferebat, ſe circa alia occupatum eſſe, ſcribendo in terra, interim hoc agebat, ut quæſitores importunos abigeret. Præterea ſi Chriſtus directe reſpondiſſet ad cornutum dilemma, triumphaſſent adverſarii: ſed iſte tali uſus eſt ſtratagemate, ut veritatem quidem diceret, ſed non aperte, verum tecte & oblique. Mentiri nunquam licet, & contrarium quid veritati dicere: ſed licet aliquando veritatem reticere, & ita loqui, ut ſenſum tuum non prodas. Veritas enim non omnis, nec ſemper, nec omnibus nec omni modo dicenda eſt. Qua in re ſumma prudentia & ſcientia opus eſt: ſed ſimul etiam conſcientia & Dei timore. Amant enim mali homines tales doctrinas in ſuarum fraudium & malorum dolorum velamen arripere: quos certum eſt, neminem magis quam ſeipſos decipere. Itaque nonniſi cum grano ſalis accipienda eſt vox illa Lyſandri: *Ubi leonina pellis non pertingit, oportet vulpinam aſſuere.* Hoc enim nonniſi ita faciendum eſt, ut à virtute nunquam abeatur, nec quicquam, quod per ſe malum eſt, deſignetur.

Incipiens à ſenioribus uſque ad ultimos.] Seniores primum ſenſerunt ictum, vel quia prudentiores erant, & magis perſpiciebant, quo verba Chriſti tenderent, vel quia majoribus & inveteratis flagitiis ſcatebant, ac propterea ſe pungi atque notari protinus ſenſerunt. Cum ergo ſibi eſſent præ aliis male conſcii, timentes, ne Chriſtus occulta cordium eorum ſcelera proderet, & in apricum produceret, fuga antevertunt omnes. Dum vero iſti Seniores & honorabiliores haud erubuerunt fugere, ſimul etiam reliquis fugiendi pudorem abſtulerunt.

Et relictus eſt ſolus Jeſus & mulier in medio ſtans.] Hoc eſt alterum abſurdum, quod nonnulli concoquere non poſſunt, ut propterea hiſtoriam totam rejiciendam & ex Sacro Codice eliminandam ſtatuant. Sed hoc adeo frivolum eſt, ut vix refutationem mereatur. Quid vero in eo abſurdi eſt, etiamſi ſolus Chriſtus cum ſola muliere manſiſſet? Annon ejus rei exemplum habemus in hocce eodem Johannis Euangelio ſupra cap. 4, ubi Chriſtum cum Samaritana muliere ſolum colloquentem Apoſtoli ex oppido redientes offenderunt? Deinde non animadvertunt iſti homines, cum dicitur, ſolum Chriſtum relictum eſſe & mulierem in medio, id dici duntaxat reſpectu Phariſæorum ac Scribarum, qui mulierem adduxerant. Ad iſtos enim ſolos ſermo Chriſti pertinebat, tanquam ad mulieris accuſatores. Interim quid opus erat ut exiret populus? quem ibidem adfuiſſe conſtat ex ỳſ. 2. Et etiamſi tandem exiſſet & populus, certum eſt nullam cauſam fuiſſe, cur exirent Apoſtoli, quos lateri ejus adhæſiſſe, ut ſolebant, dubitandum non eſt. Sed non exiiſſe populum ex ſequentibus ſatis patet, cum mox abſoluta fœmina, Chriſtus iterum ad populum ſermonem dirigat: ỳſ. 12.

Verſ. 10. *Erigens autem ſe Jeſus, & neminem videns, præter mulierem, dixit ei: Mulier, ubi ſunt accuſatores tui? nemo te condemnavit?*] Dicitur neminem vidiſſe, ſcilicet ex accuſatoribus, de quibus etiam mox quærit: Ubi ſunt accuſatores tui? Hoc autem quærit Chriſtus ex muliere, non quod neſciret, ſed tum ut hypocriſin & malitiam Phariſæorum auditoribus patefaceret, qui volebant videri amore juſtitiæ & Legis Moſaicæ zelo incitati mulierem adduxiſſe, ſed ſibi Legem & juſtitiam non fuiſſe cordi

ſatis

ſatis declararunt, mulierem relinquendo: tum & mulier intelligeret, ſua virtute atque prudentia accuſatores ejus eſſe fugatos, utque adeo cognoſceret ſuum ſervatorem, & integram ab eo ſalutem quæreret.

Nemo te condemnavit?] Vox condemnandi hic improprie ſumitur. Non enim accuſatorum eſt proprie condemnare, ſeu damnatoriam in quenquam ferre ſententiam, ſed judicum. Non eſt autem credibile, quenquam judicum tunc adfuiſſe, vel judices ipſos mulierem iſtam ad Chriſtum adduxiſſe. Ideo etiam hic ab ipſo Chriſto non judices, ſed accuſatores appellantur. Itaque ſenſus eſt: Nemone jam eſt, qui urgeat tuam condemnationem? qui te morti adjudicandam tradere velit? vel, ut Hebræi loqui amant, qui quærat animam tuam?

Verſ. 11. *Illa autem dixit: Nemo Domine. Dixit vero ei Jeſus: Neque ego te condemno. Abi, & non amplius pecca.*] Eodem ſenſu dicit Chriſtus, ſe mulierem illam non condemnare, quo modo hanc vocem de accuſatoribus uſurpatam diximus. Nam & Chriſtus judex politicus non erat, nec poteſtatem civilem ſibi arrogabat. Nihil ergo aliud vult Chriſtus dicere, quam: Ego quoque nolo mortem tuam; non ero auctor populo, qui ſalva conſcientia à ſupplicii tui exactione abſtinere poteſt, ut te lapidationis pœna afficiat, vel afficiendam curet. Notandum eſt, Chriſtum eam non abſolvere, ſed tantum non condemnare. Non enim dixit, ſe ei peccata remittere, ſeu eam à reatu peccatorum coram Deo liberam pronunciare. Ad hoc enim requirebatur, ut illa prius pœnitentiam ageret: de qua hic nihil legimus. Et tametſi crédibile ſit, eam animo factum hoc ſuum turpe deploraſſe; alioqui Chriſtus ejus prorſus impœnitentis miſeratione non fuiſſet commotus: tamen ad id, ut à reatu peccati iſtius abſolveretur, non ſufficiebat fugitivus & metu mortis ac periculi circumſtantis imagine extortus animi dolor, ſed conſtanti & cum vitæ totius mutatione in melius conjuncta opus erat pœnitentia. Saltem opus erat, ut illa in Chriſtum crederet: de quo etiam hic nihil meminit Euangeliſta. Fidei enim ea vis eſt, ut illam juſtificatio ac remiſſio peccatorum ſtatim ſubſequatur, etiam ante totius vitæ correctionem, ad quam longiori tempore opus eſt. Etſi enim fides iſta viva eſſe debeat, & bonis operibus animata, ut nos docet Jacobus cap. 2 circa finem, id eſt, debeat eſſe talis, fides, ex qua omnium bonorum operum ac virtutum fructus naſcatur; tamen id cum hac tacita conditione intelligendum eſt, ſi tempus ac vita ad ferendos fructus ſuppetat. Quibus autem poſt fidem ſuſceptam non conceditur tantum ſpatii, quantum ad bonorum operum fructus edendos requiritur, in iis ſufficit bene vivendi ſerium propoſitum, eoſque ſola fides etiam abſque operibus juſtificat. Cujus rei exemplum habemus nobis ob oculos poſitum in illo Latrone, qui ſtans in ultima quaſi vitæ tegula, in Chriſtum credidit, nec ullum tempus ad exercenda deinceps bona opera habuit, & tamen juſtificatus eſt, propter ſolam fidem.

Non amplius pecca.] Dimittit eam Chriſtus cum hoc neceſſario monito, ne videretur favere ſceleribus, & improbis hominibus laxam ad peccandum aperire feneſtram. Plane eadem verba inculcavit etiam Chriſtus ægro illi, quem in Sabbato ſanaverat ſupra cap. 5. 14. *Ecce ſanus factus es: ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi eveniat.* Dum non paſſus eſt Chriſtus adulteram ſecundum Legem puniri, dum dixit: *Ego te non condemno*; potuiſſet videri licentiam adulterandi hominibus concedere, vel abulteria ac ſimilia peccata non improbare. At nunc cum addit: *Abi, & non amplius pecca*; oſtendit, ſe etſi adulteram non damnet, damnare tamen adulterium, & ſe ita veniſſe ſervatum peccatores, ut peccata ipſa velit perdi atque aboleri. Hinc in Euangelio remiſſioni peccatorum ſemper pœnitentiæ ac vitæ emendandæ conditio annectitur: de iis vero, *qui voluntarie peccant poſt agnitionem veritatis*, dicitur, *illis non eſſe reliquam pro peccatis hoſtiam, ſed horrendam quandam expectationem judicii, & ignis ardorem, qui devoraturus eſt adverſarios*, Hebr. 10. 26, 27. Quod tamen non ita ſtricte ac ſimpliciter accipiendum eſt, quaſi jam prorſus & in perpetuum deſperanda ſit venia ac gratia divina illi, qui per fidem in Chriſtum juſtificationem ac remiſſionem peccatorum ſuorum conſecutus, poſtea ſe rurſus cœno peccati inquinaverit. Nam & talis ſi ſerio reſipiſcat, ſi ſordes peccati vera pœnitentia eluat, & pravum vitæ curſum in meliorem commutet, vi Novi Fœderis à gratia Dei arceri non poteſt. Regula enim illa Novi Fœderis ſemper eſt vera, quam Apoſtolus tradit Rom. 8. 1. *Nulla nunc eſt condemnatio iis, qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.* Si ergo etiam is, qui voluntarie peccavit poſt acceptam veritatis cognitionem, ad frugem rediens, non ſecundum carnem ambulet, ſed ſecundum ſpiritum, vigore hujus regulæ condemnari non poterit. Sed verba Auctoris ad Hebræos ita intelligenda ſunt, quod talibus qui poſt acceptam veritatis notitiam voluntarie peccant, non ſuperſit ulla ſpes ſalutis, ſi nimirum eos mors in iſto peccati ſtatu deprehendat, ſi ante mortem peccati habitum non excuſſerint, & vera vitæ emendatione ſanctiſque moribus præteriti temporis dedecora non obliterarint.

PARS II.

Verſ. 12. *Iterum ergo eis Jeſus locutus eſt, dicens: Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*] Altera pars hujus Capitis hic incipit, in qua Johannes varios Chriſti ſermones cum Judæis deſcribit; ita ut tum Chriſti dicta, tum Judæorum objectiones & Chriſti reſponſiones ordine referat, ac tandem etiam eventum hujus colloquii in fine ſubnectat.

Iterum ergo eis Jeſus locutus eſt.] Qui hiſtoriam de adultera ſuppoſitam & aliunde aſſutam eſſe ſuſpicantur, hac etiam ratione ſuſpicionem ac conjecturam ſuam firmant, quod hæc verba cum illa hiſtoria non bene cohæreant. Verum in eo plurimum falluntur. Conſiderandum enim eſt, Chriſtum cum diluculo veniſſet in Templum, & populum docere cæpiſſet, ut verſ. 2 narratur, à Scribis & Phariſæis adulteram adducentibus fuiſſe interpellatum, ita ut concio docentis interrumperetur. Poſtquam vero illi di-

illi diſceſſerunt, & mulier à Chriſto dimiſſa eſt, rediit Chriſtus ad cœptum prius ſermonem, & porro inchoatæ concionis ſuæ telam pertexuit. Euangeliſta igitur rem eo, quo geſta eſt, ordine narrans, inſerit hiſtoriam adulteræ inter unam & alteram concionis habitæ partem, abſolutaque narratione de adultera revertitur ad concionem, dicens : *Iterum ergo eis Jeſus locutus eſt*; id eſt, cum concionari ob intervenientes cum adultera Phariſæos & quæſtionem proponentes deſiiſſet, illis dilapſis, iterum concionari cæpit. Hæc connexio nihil habet aſperitatis ; nihil in ea coactum eſt, ac ſalebroſum. At ſi hiſtoriam hanc expungas, multo minus cohærebit Euangeliſtæ narratio. Quo enim referetur conjunctio *ergo?* quo item pronomen *eis* ? quæ voces, ſi retineatur hæc hiſtoria, aptiſſime reſpicient verba ℣ſ.2, ubi dictum eſt, *Et ſedens docebat eos.* Si his verbis ſtatim ſubjungas verba verſus 12. *Iterum ergo eis Jeſus locutus eſt, dicens: Ego ſum lux mundi* ; abſurda erit connexio. Inania enim & ſuperflua erunt iſta verba : *Iterum ergo eis Jeſus locutus eſt.* Potius iis omiſſis ſcripſiſſet Johannes : *Docebat eos, dicens: Ego ſum lux mundi.* Retenta vero, adulteræ hiſtoria, non erunt illa verba ſupervacua & inania, ut oſtendimus. Per pronomen igitur *eis* intelligitur idem populus, de quo ſupra dictum fuerat, eum conveniſſe ad Jeſum in templo docentem verſ.2. Unde manifeſtum eſt, tunc cum furtim è templo excederent Scribæ ac Phariſæi, qui adulteram adduxerant, populum non exceſſiſſe ; quia Chriſtus cæptum ad eos ſermonem hic continuaſſe dicitur.

Ego ſum lux mundi.] Superius verſ.2. tantum dixerat Euangeliſta in genere, *Docebat eos,* ſed non expreſſerat, quid docuerit. Itaque hic nobis ſummam illius doctrinæ ac concionis exponit. Summam, inquam. Credibile enim eſt, Chriſtum longiorem habuiſſe orationem : ſed mos eſt ſicut aliis interdum Euangeliſtis, ita & Johanni, prolixiores Chriſti ſermones contrahere in compendium. Vide Matth. 28. 18. Luc. 4. 21. Joh. 7. 27. Summa ergo concionis hoc loco habitæ à Chriſto fuit, quod docuerit, ſe eſſe *lucem mundi,* id eſt, verum Meſſiam. Nam eſſe panem vitæ, Joh. 6. 35, & agnum Dei, qui tollit peccata mundi Joh. 1. 29, & oſtium ovium Joh. 10. verſ.7, & paſtorem bonum Joh. 10. 11, & veram vitam Joh. 15. 1, & lucem mundi, & Meſſiam : Synonyma ſunt. Sed Chriſtus modo hoc, modo illo modo locutus eſt, prout ferebat occaſio. Obſervandum enim eſt primo, Chriſtum nunquam publice & palam ſe Meſſiam ſeu Chriſtum eſſe ſponte ſua dixiſſe, ſed id tantum per metaphoras & allegorias obſcure ſignificaſſe. Primum dico, publice id eum non aſſeruiſſe : privatim enim legimus eum dixiſſe ſe Meſſiam eſſe mulieri illi Samaritanæ Joh. 4. 26, & cæco jam ſanato Joh. 9. 37, ubi Filius Dei idem eſt, quod Meſſias. Deinde dico, eum ſponte ſua & ultro id in publico non dixiſſe. Nam publice alioqui interrogatus & quaſi coactus id etiam faſſus eſt : ut Joh. 10. 24, 25. Matth. 26. 64. xxvii. 11. Joh. 18. 37 niſi forte hoc quod Pilato dixit, etiam ad privatas aſſertiones referre malis, quia quæ dixit Pilato, remotis arbitris dixit. Sed tamen quia Pilatus erat Judex publicus, confeſſio ejus coram Pilato, tametſi ſolo, etiam pro publica confeſſione haberi poteſt. Et nequis caſu accidiſſe putet, quod ſe Dominus palam Meſſiam ſeu Chriſtum eſſe non dixerit, legimus eum etiam diſcipulis ſuis vetuiſſe ne cuiquam dicerent, ſe eſſe Chriſtum, Matth. 16. 20. Luc. 9. 21. Cauſa, ob quam ille tam ſtudioſe abſtinuerit ab hujus nominis uſurpatione, videtur fuiſſe, ne daret occaſionem malevolis calumniandi ac criminandi ſe coram Romano Præſide, quod affectaret regnum. Chriſtum enim ſeu Meſſiam eſſe eſt Regem eſſe. Etſi enim Chriſtus non eſſet Rex mundanus, facile tamen ab iis qui id ignorabant, potuiſſet Regis titulus in ſiniſtram partem trahi, & Romanis eſſe ſuſpectus. Maluit ergo Chriſtus figuratis ac tropicis loquendi modis id ipſum dicere, quam ſimpliciter. Secundo notandum eſt, Chriſtum figuras & metaphoras iſtas ſumſiſſe ſemper ex aliqua re præſenti, & occaſione oblata. Vide quæ diximus ſupra ad cap. 7. ℣ſ.37. Cum igitur & hic ſe vocat lucem mundi, probabilis eſt eorum conjectura, qui cenſent, Chriſtum hujus appellationis anſam ſumſiſſe ab ortu ſolis. Diluculo enim venerat in templum, ut dictum eſt ℣ſ.2. quo tempore exoriebatur Sol, & claro jubare ſuo omnes mundi partes colluſtrabat ac exhilarabat. Hinc ſumens dicendi materiam, ſe veram mundi lucem, id eſt ſolem nuncupat. Sol enim eſt lux totius mundi, non unius tantum regionis, aut partis mundi. Qua ratione ſe Chriſtus quodammodo opponit Moſi, aliiſque Prophetis, qui unam tantum nationem Judaicam doctrina ſua illuſtrabant : Chriſtus autem venit doctrina ſua Euangelica illuminaturus omnes homines, & omnes nationes. Sic & ſupra Johannes ipſe Chriſtum appellavit lucem veram quæ in mundum veniens, illuminat omnem hominem, cap. 1. 9. Et Simeon ille Senex eundem vocavit *Lumen ad revelationem gentium,* Luc. 2. 32. Et ante Simeonem Eſaias de Chriſto vaticinatus eſt, eum fore *lucem gentium*, Eſai. 49. 6. Quæ prophetia, atque adeo tituli hujus, quo ſe Chriſtus hic deſcribit, ſignificatio tum demum effectu ipſo impleta eſt, cum Chriſtus Apoſtolos ſuos in univerſum mundum emiſit, ut prædicarent Euangelium omni creaturæ, quæ eſt ſub cœlo. Quam ob cauſam etiam Apoſtoli ab ipſo Chriſto *lux mundi* nuncupantur Matth. 5. 14. Differentia tamen ingens eſt inter Chriſtum & Apoſtolos, etiamſi & hi & ille *lux mundi vocentur* : Apoſtoli enim nihil niſi inſtrumenta & miniſtri Chriſti fuerunt, per quos lucem Euangelii ſui diffudit per orbem terrarum. Chriſtus eſt lux mundi per ſe, Apoſtoli ſunt lux mundi per Chriſtum. Chriſtus eſt cauſa agens principalis : hi cauſa inſtrumentalis ac ſecundaria.

Ex dictis intelligitur, Chriſtum eſſe lucem mundi ratione muneris ſui, ſeu reſpectu ſuæ doctrinæ, quam de cœlo in mundum attulit. Quemadmodum enim lux facit, ut homines videre poſſint, quo eant, ut colores poſſint dignoſcere, & rem unam ab alia diſcernere : Ita Chriſtus doctrina ſua efficit, ut homines ſcire queant viam ſalutis æternæ, ut dignoſcere poſſint verum à falſo, bonum à malo, aut etiam verum bonum ab apparenti tantum bono. Deinde ſicut lux eſt res læta & jucunda aſpectu, contra vero tenebræ ſunt res tetra, & horrenda, ut merito dici queat,

queat, miſeram eſſe eorum conditionem, qui vivunt in tenebris, præ illis, qui luce fruuntur. Ita etiam doctrina Chriſti veram lætitiam adfert hominibus, eoſque è ſtatu miſerrimo traducit in ſtatum feliciſſimum: dum ſpe ſalutis certiſſima eorum animos perfundit, qui propter peccata ſua per omnem vitam ſuam metu mortis tenebantur. Hinc cum primum cœpit Chriſtus in Galilæa prædicare, dicitur impleta eſſe illa Prophetica prædictio: *Populus ſedens in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione ac umbra mortis lux orta eſt,* Matth.4. 16. Notum eſt, in Sacris Literis tum ignorantiam, tum animi mœrorem ac perturbationem, quæ ex calamitoſo afflictoque ſtatu naſcitur, ſignificari. Utrique malo medetur doctrina Chriſti.

Notandum & hoc eſt, Chriſtum etiam ratione ſanctitatis ſuæ, cujus exemplo perfectiſſimo hominibus præluxit, lucem mundi dici poſſe. Nam & Deus ipſe propter ſanctitatem lux dicitur. Ita enim noſter Johannes 1 Epiſt. 1. 5 ait: *Annunciamus vobis, quod Deus ſit lux*, id eſt, mera ſanctitas, *& tenebræ in eo non ſint*, id eſt, careat omni vitio ac imperfectione. Eodem ſenſu accipienda ſunt & illa Jacobi verba: *Omnis donatio bona, & omne donum perfectum eſt ſuperne, deſcendens à Patre luminum*, quod ſignificat per Hebraiſmum, à Patre lucidiſſimo, hoc eſt, ſanctiſſimo, & omnis lucis ſeu ſanctitatis in hominibus auctore, Jac. 1. 17. Sic etiam fideles Chriſti jubentur *lucere ſicut luminaria in mundo*: nimirum ſanctitatis exemplo, Phil. 2. 15.

Qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris.] Cum ſupra cap. 7. 37, ſe fonti aquæ vivæ comparaſſet Chriſtus, juſſit ut ad eum veniamus & bibamus: alludens ad aquam, quæ bibi ſolet. Atque iſtud bibere nihil aliud ſignificat, quam in ipſum credere. Hic autem ubi ſe confert cum luce, ſequi ſe jubet, quod itidem nihil aliud eſt, quam credere. Nempe hic etiam ſimilitudini à luce ductæ ſe accommodat. Qui enim vult evadere è tenebris, præeuntem lucem ſequatur oportet. Indicat autem ſimul Chriſtus hac locutione, ſtudium ac voluntatem noſtram requiri ad id, ut ab ipſo illuminemur. Neminem Chriſtus illuminat invitum, & fugitantem lucis. Hinc videmus eum non illuminaſſe Judæorum maximam partem: non quod ipſe noluerit, ſed quod illi noluerint. *Jeruſalem Jeruſalem*, ait Chriſtus, *quoties volui congregare filios tuos, ſicut congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Matth. 23. 37. Hic videmus, Chriſtum voluiſſe, illos autem noluiſſe. Et propterea addit Dominus ibidem: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Hæc unica cauſa eſt, cur & hodie Chriſtus non omnes homines illuminet, quia nolunt illuminari, averſantur lucem, claudunt ad eam oculos, vel ſaltem non veniunt ad eam, nolunt ſequi lucem prælucentem. Hanc cauſam Chriſtus ipſe indicavit Joh. 3. 19. *Hoc eſt judicium, quod lux venit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras, quam lucem: erant enim mala eorum opera.* Ex quo perſpicitur Chriſtum *lucem mundi* dici ratione efficaciæ tantum, non ratione effectus. Id quod probe obſervandum eſt adverſus Quanckeros & Euthuſiaſtas omnes, qui Chriſtum *lucem mundi* vocari contendunt, ideo, quod interne hominum infidelium animos per Spiritum Sanctum illuminet, & in eorum cordibus tam efficaciter operetur, ut non poſſint non converti, & non poſſint non credere, in quos vim ſuam exerere dignatur. Hæc ſententia habet in ſe hoc maximum abſurdum, quod omnem incredulitatis, ſcelerum ac flagitiorum, quæ in mundo vigent, culpam ab hominibus adimat, & in Deum tranſferat. Statuit enim eos tantum converti, credere, ac reformari, quos Chriſtus irreſiſtibili vi ſua intus illuminat. Unde nihil aliud poteſt ſequi, quam eos qui non convertuntur, non credunt, non regenerantur, ideo non converti, nec regenerari, quia Deus vim ſuam in eis non adhibeat, quia Chriſtus eos efficaciter non illuminet. Alioqui ſi id faceret, & illi crederent, & illi converterentur. Sic ergo homines erunt extra culpam: & tota culpa in Deum Chriſtumque devolvetur. Adde quod iſti homines in eo vehementer hallucinentur, quod ordinarium medium converſionis infidelium ponant internam Spiritus Sancti operationem: cum Scriptura Sacra doceat Spiritum Sanctum non dari niſi jam credentibus. Nuſquam legimus, aliquem accepiſſe Spiritum Sanctum, ut credat: ſed ideo ſolum dari hominibus Spiritum Sanctum legimus, quia credant. Eadem Scriptura docet, ordinarium medium converſionis hominum eſſe verbum Dei externum ſive lectum ſive auditum. Hinc Apoſtolus *ex auditu fidem eſſe* ait Rom. 10. 17. Vide dicta à nobis ſupra ad cap. 6. 45. Ratione hujus verbi Dei externi, quia id prædicabant, Apoſtoli fuerunt lux mundi. Eadem igitur ratione & Chriſtus *lux mundi* eſt: Chriſtus enim non aliter totum mundum illuſtravit, quam per Apoſtolos; ut ſupra jam indicatum eſt.

Non ambulabit in tenebris.] *Ambulare* paſſim in Sacris Literis per Hebræorum idiotiſmum denotat idem quod *vivere*. Eſt ergo *non ambulare in tenebris*, non vivere in erroribus, in peccatis, in miſeria & ſtatu infelici.

Sed habebit lumen vitæ.] Id eſt, animus ejus imbuetur cœleſti cognitione, quæ eum & hic vitam Deo dignam vivere doceat, & ad vitam æternam eum ſuo tempore deducat.

Verſ. 13. *Phariſæi igitur dixerunt ei: Tu de teipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt verum,*] Quæret hic quiſpiam: Unde vero hi Phariſæi? Atqui illi omnes dicuntur ſupra exiviſſe, initio à Senioribus facto uſque ad ultimos verſ. 9. Ad hanc quæſtionem reſpondent quidam, Phariſæos tunc quidem exiviſſe, ſed paulo poſt iterum in templum rediiſſe. Quam reſponſionem probare non poſſum. Neutiquam enim credibile eſt, Phariſæos modo in conſcientia à Chriſto convictos, ideoque conſpectum ejus fugientes, tam cito & tam facile redituros, & Chriſto palam ſe opponere eique obloqui auſuros. Vix enim illi exierant, cum Chriſtus cæpit iterum concionari: & ecce ſtatim adſunt Phariſæi, qui contradicant. Probabilius eſt igitur, alios fuiſſe Phariſæos, qui hic Chriſto contradixerunt, ab illis qui exierant. Illi fuerunt accuſatores mulieris, eamque adduxerant, quam deinceps in medio relinquentes diffugerunt. Hi autem erant populo immixti, erant inter auditores Chriſti, ut & alias ſolebant quaſi Corycæi & male

male ſeduli dictorum Chriſti aucupes concionibus ejus intereſſe.

Tu de teipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt verum.] Non hoc ſibi volunt Phariſæi iſti, non poſſe quenquam de ſeipſo verum teſtimonium perhibere. Non erant enim illi tam bardi atque inepti, ut ignorarent poſſe unumquemque etiam de ſe verum dicere. Sed mens eorum eſt, teſtimonium Chriſti non eſſe convincens, non ſufficiens ad fidem faciendam, non poſſe haberi pro valido pro rato, ac legitimo, quia de ſeipſo teſtetur. Dicunt autem id ea occaſione, quia Chriſtus teſtatus fuerat, ſe eſſe lucem mundi. Itaque reſponſionis eorum ſumma eſt: Audimus quidem te dicentem, quod ſis lux mundi: ſed quomodo id probas? tibi enim ſimpliciter de te ipſo teſtanti non poſſumus credere. Oportet ut demonſtres, quod dicis, ſi vis ut teſtimonium tuum pro vero habeamus. Videturque hic Phariſæi nihil iniqui poſtulare. Nihil enim ſine ratione, & ſine legitima probatione credendum, aut pro vero recipiendum eſt. In eo tantum peccant & iniqui ſunt, quod probationes adhuc & argumenta poſtulent, ubi argumentorum jam ſatis eſt & abunde eſt, poſtquam tot divina & inſignia viderant Chriſti miracula: quemadmodum Chriſtus oſtendit in ſua reſponſione.

Verſ. 14. *Reſpondit Jeſus & dixit eis: Etſi ego teſtor de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum; quia ſcio, unde veni, & quo vado: vos autem neſcitis, unde venio, & quo vado.*] Superius cap. 5. 31. dixerat Chriſtus: *Si ego teſtor de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Hic autem dicit: *Etſi ego teſtor de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.* Quæ videntur inter ſe contraria: ſed non ſunt. Illic enim loquitur Chriſtus per conceſſionem Rhetoricam, & ex opinione Judæorum: quaſi dicat, Et ita, ut vos de me judicatis, quod, ſi ego de me teſter, teſtimonium meum non ſit verum. At ego nego, me de me ipſo teſtari; eſt alius qui teſtatur de me, nempe Johannes, & qui major Johanne eſt, Pater. Hic autem Chriſtus id, quod ibi per conceſſionem tantum ſuppoſuerat, negat, & quod largitus quaſi Judæis fuerat, revocat: quaſi dicat, Nolui antea negare, quod, ſi ego teſter de me, teſtimonium meum non ſit verum; ſed oſtendi tantum etiamſi ita ſe res haberet, id mihi non poſſe nocere. At nunc ſcitote, etiam hoc me poſſe jure negare; adeoque falſum eſſe, quod urgetis, teſtimonium meum non eſſe verum, quia ego ipſe de me teſter. Nam etiamſi ego de me ipſo teſter, tamen verum eſt teſtimonium meum. Sic patet, nihil contarietatis eſſe in utroque Chriſti dicto, quorum in uno hypotheſis adverſariorum ad tempus conceditur; in altero directe negatur. Quod ut clarius adhuc illuſtrem, rem ita proponam. Formabant Phariſæi quodammodo talem ſyllogiſmum:

Si tu de teipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt verum.
Atqui tu teſtaris de te ipſo.
Ergo teſtimonium tuum non eſt verum.

Hujus Syllogiſmi propoſitione conceſſa, negat tantum Chriſtus Aſſumptionem Capite quinto. Hoc loco autem negat & Propoſitionem ipſam. Poſſet etiam aliquis iſta duo loca conciliare per diſtinctionem vocis *veri*, ut illa alio ſenſu hic, alio cap. 5. 31. accipiatur. Illic poteſt eſſe ſenſus: *Si ego de me ipſo teſtor, teſtimonium meum non eſt verum*, id eſt, validum ac ſufficiens ad probandum & convincendum. Hic autem poſſunt verba Chriſti de ſimplici veritate intelligi: quaſi dicat *Etſi ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt*, id eſt, non eſt falſum; non mentior, etiamſi de me ipſo teſter. Licet enim Phariſæi ſcirent, poſſe aliquem etiam de ſeipſo vera dicere, poterat tamen Chriſtus ita verba eorum accipere, quaſi mendacium ſibi objectarent, & ſe impoſtorem ac mendacem inde arguerent, quod ipſe de ſe teſtaretur. Erant enim verba eorum ambigue prolata, ut *verum* poſſet opponi tum falſo, tum illegitimo ac inſufficienti ad conciliandam fidem. Potuit ergo Chriſtus de veritate falſitati oppoſita ſumere eorum verba, & dicere: Nego hanc conſequentiam veſtram, quod falſum ſit teſtimonium meum, quia ipſe de me teſtor. Si igitur in utroque loco aliter atque aliter vocabulum *veri* accipiatur, prout oſtenſum eſt, peribit omnis contrarietas. Cordati lectoris eſto judicium, utram conciliandi horum locorum rationem præferendam putet.

Quia ſcio unde veni, & quo vado.] Rationem affert ſuperioris dicti, & probat, etiamſi ipſe de ſe teſtetur, nihilominus teſtimonium ſuum verum eſſe. Sed non ſatis liquet, quæ ſit iſta ratio, & quomodo ad id, quod probandum eſt, faciat. Idcirco varii varias hic afferunt interpretationes: quibus nos omiſſis, proferemus in medium, quod nobis maxime vero conſentaneum videtur. Dupliciter hæc verba cum prioribus connecti poſſunt. Primo ita, ut Chriſtus probet, teſtimonium ſuum ſecundum utramque *veri* ſignificationem verum eſſe. Ac primum quidem hiſce verbis probat, *teſtimonium ſuum eſſe verum*, id eſt, non falſum, proinde ſe non eſſe mendacem, tametſi ipſe de ſe teſtetur, quia *ſciat, unde venerit, & quo vadat*, id eſt, ſe eſſe Dei legatum, ab eo miſſum & mandatis inſtructum, rurſuſque in cœlum eſſe ad Deum rediturum. Summa eſt: quaſi dicat: Non mentior, quia ſcio me ea, quæ loquor, à Deo accepiſſe, ad quem propediem aſcenſurus ſum, quamvis vos id neſciatis, vel potius ſcire nolitis. Poſtea vero Chriſtus etiam probat infra *teſtimonium ſuum eſſe verum*, id eſt, tam validum & legitimum, ut ſicut erat verum ita pro tali etiam merito agnoſci, ac recipi à Judæis potuerit debueritque, quia nimirum Pater una ſecum teſtetur; vſ. 16, 17, 18. Hæc eſt una ratio connectendi hæc verba cum ſuperioribus. Altera eſt, ut Chriſtus non veritatem proprie dictam ſui teſtimonii hic aſſerere ſtatuatur, ſed tantummodo validitatem & auctoritatem, eo argumento, quia ipſe ſit non vulgaris homo, ſed divinus, ut pote qui à Deo venerit, & ad eum iterum ſit profecturus. Solet & alias inter homines fides haberi viris gravibus, & honeſtis, ac laude juſtitiæ, continentiæ, & innocentiæ claris, etiamſi ipſi aliquid de ſe teſtentur. De Xenocrate Athenienſe memorant hiſtoriæ, eum ali-

quando in judicio teſtimonium ſuum juramento confirmare voluiſſe, cumque jam ad aram accederet, univerſos judices conſurrexiſſe, ac, ne juraret, proclamaſſe; ſe enim ipſi etiam non juranti fidem habere. Tantam ille ſibi fidem apud ſenatum innocentia vitæ conciliarat. Non abſimilis honor ac fides habita quoque fuit Romæ Scauro Æmilio viro laudatiſſimo: qui cum pro roſtris accuſaretur à Vario Sucronenſe, quod à Rege Mithridate ob Rempublicam prodendam pecunia corruptus eſſet, cauſam ſuam ita egit: Varius Sucronenſis Æmilius Scaurum regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidiſſe ait. Æmilius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpæ negat. Utri potius creditis? Cujus dicti admiratione populus commotus, & integritatis ejus conſcius, ſe ipſi potius credere profeſſus eſt abſque omni alia probatione, Variumque ab illa dementiſſima actione, pertinaci clamore deſiſtere coëgit. Si igitur viris probis & gravibus, etiam quando de ſe ipſis teſtantur, merito fides datur, quanto magis danda eſt divinis viris, à Deo miſſis? qualem ſe Chriſtus hic eſſe affirmat, dum ait: *Scio unde veni & quo vado.* Ita infra quoque Johannes divinitatem Chriſti his verbis deſcribit: cap. 13. 3 *Sciens Jeſus, quod à Deo exivit, & ad Deum vadit.*

Vos autem neſcitis, unde venio, & quo vado.] *Venio* in præſenti dicit, pro præterito *veni*; & *vado* pro futuro *vadam*: per uſitatam enallagen temporis. Dicit autem Chriſtus, eos neſcire dignitatem ſuam divinam: quod non eſt ſimpliciter intelligendum, ſed perinde ac ſi dictum eſſet: Vos non vultis ſcire; vel, Vos non conſideratis, quod ſim Dei legatus. Verba enim Chriſti reprehenſionem Judæorum continent. At in eo non eſſent ulla reprehenſione digni, quod ſimpliciter neſcirent, ſi ſcire non potuiſſent. Significat ergo Chriſtus eos ſcire facile potuiſſe, ſi voluiſſent, ſi animum advertiſſent. Quamobrem quod neſciebant, culpa eorum factum eſt: & proinde id eis Chriſtus merito tanquam vitium objicit. Videtur vero Chriſtus hic negare & detrahere Judæis, quod prius affirmaverat, illiſque tribuerat; Joh. 7. 28. ubi dixit eis: *Et me noſtis, & unde ſim noſtis.* Hic vero dicit: *Vos neſcitis, unde venio, & quo vado.* Sed reconciliatio facilis eſt. Verum eſt utrumque, & quod Judæi ſciverint, unde fuerit Dominus Jeſus, & quod neſciverint: ſed diverſo reſpectu. Sciebant ejus patriam, norant ejus matrem & cognatos: ſed neſciebant ejus excellentiam divinam, quod eſſet à Deo miſſus, quod de cœlo mandatis Dei inſtructus deſcendiſſet. De priori loquitur Chriſtus cap. 7. 28. de poſteriori hoc loco.

Verſ. 15. *Vos ſecundum carnem judicatis: ego non judico quenquam.*] Pergit Chriſtus in reprehendendis Judæis, & cauſam quodammodo ac fontem mali commonſtrat, cur ſe à Deo veniſſe ignorent; quia ſcilicet ſecundum carnem judicent. Quod duobus ſumi poteſt modis. Vel ita: Vos ex carnali affectu, ac odio erga me orto ex ambitione atque avaritia, de me judicatis, meque rejicitis. Vel etiam hoc modo: Vos nihil niſi carnalia in me ſpectatis; videtis me pauperem, humili loco natum, carnali ſplendore atque potentia deſtitutum, & propterea me ſpernitis. Priori modo per *carnem* intelligitur caro Judæorum: quaſi dicat Vos ſecundum veſtram carnem judicatis; id eſt non prout ratio & æquitas, ſed prout caro ſeu carnalis affectus vobis ſuggerit. Poſteriori modo per *carnem* intelligitur caro Chriſti: quaſi dicat Vos de me ſecundum carnem meam judicatis, id eſt, ex rebus, quæ ad carnem meam ſpectant, tantum de me fertis judicium, & non attenditis ad ſpiritualia, quæ in me ſunt longe majora & præſtantiora.

Ego non judico quenquam] Quidam cenſent, hic κατὰ κρίνω repetenda, & ſubintelligenda eſſe verba, *ſecundum carnem*: quaſi Chriſtus ſe opponens Phariſæis dicat, Vos ſecundum carnem judicatis, ego non judico quenquam ſecundum carnem. Sed hoc non videtur bene convenire cum ſequentibus, ubi etiam hæc verba, *ſecundum carnem* ſubintelligenda forent, quaſi diceret Chriſtus: Et ſi ego ſecundum carnem judico judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui me miſit, Pater. Falſum enim eſt, Chriſtum ſecundum carnem judicare, etiam cum judicat una cum Patre. Sunt alii Interpretes, qui verbum *judicare* hic accipi putent pro teſtari; quod id etiam ſit judicare, id eſt, actum unum judicialem exercere. Sed hoc quoque durum eſt: nec puto ullum exemplum afferri poſſe, ubi judicare idem ſit, quod teſtari. Deinde Chriſtus non diceret, *Ego non judico quenquam*; ſed potius, Ego non judico me, vel de me, id eſt, non teſtor de me. At Chriſtus hic de alio loquitur non de ſe. Et præterea, quomodo Chriſtus negaret, ſe teſtari de ſe, cum paulo ante faſſus ſit, ſe de ſe teſtari ℣. 14. & infra idem affirmet ℣. 18. Denique aperta eſt in verbis Chriſti oppoſitio inter Judæos & Chriſtum: Vos, inquit, ſecundum carnem judicatis; ego neminem judico. Quæ oppoſitio periret, ac porro & gratia verborum, ſi Chriſtus ita locutus fuiſſe intelligatur: Vos ſecundum carnem judicatis; ego non teſtor de quoquam. Itaque verbum *judicandi* hic potius habet ſignificationem condemnandi, ut ſimplex κρίνειν, poſitum ſit pro κατακρίνειν: ut & alibi. Vide Joh. 3. 18. XVI. 11. Rom. 11. 1. 1 Cor. 11. 31. Negat ergo Chriſtus, ſe nunc judicare, id eſt condemnare quenquam; ſe ferre damnatoriam adverſus quemquam, ac proinde etiam adverſus Phariſæos ſententiam: quaſi dicat Vos etſi nullam juſtum cauſam habeatis, tamen me tanquam impoſtorem ac ſceleratum hominem damnatis: at ego, cum habeam mille cauſas, vos propter pertinaciam atque incredulitatem veſtram damnandi, & certiſſimo exitio deſtinandi, tamen id nunc non facio. Loquitur Chriſtus de præſenti tempore, quo non venerat ad judicandum ſeu damnandum peccatores, ſed ad ſervandum. Vide ſupra cap. 3. 17. & infra cap. 12. 47. Nam alioqui de futuro tempore loquens, dicit; quod Pater neminem judicet, ſed omne judicium dederit Filio. Joh. 5. 22. ubi etſi loquatur tanquam de re præſenti, tamen res ipſa indicat, verba de futuro tempore eſſe accipienda. Ita ſi adhibeatur illud vulgatum inter Theologos: Diſtingue tempora, & conciliabis ſcripturas; facile intelligetur, quomodo Chriſtus dum in terris fuit, dixerit ſemel, ſe neminem judicare; & rurſus, Patrem

trem judicare neminem, ſed ſibi datum eſſe omne judicium.

Verſ. 16. *Et ſi judico autem ego, judicium meum verum eſt; quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me, Pater.*] Alterutra particula hic eſt ſuperflua, vel *&*, vel *autem*. Similiter quoque verſu mox ſequenti, ut videbimus. Sufficiebat enim hic dicere: Et ſi ego judico; vel, ſi autem ego judico. Indicat autem Chriſtus, ſe jure poſſe, ſi vellet, eos damnare, eoſque adjudicare æterno exitio: quod tamen nunc facere nolit, ſed ſi faceret, damnationem ſuam ratam & certam fore. *Quia*, inquit, *ſolus, non ſum, ſed ego, & qui miſit me, Pater.*] Adjungit rationem dicti ſui, quia Pater ſubſcripturus ſit ſententiæ ſuæ in eos latæ, atque ita judicium ac decretum ſuum de illis approbaturus & confirmaturus. Maldonatus, qui *judicare* hoc loco idem valere vult, quod teſtari, nectit hic nobis nodum ſatis ſpecioſum, cum ait: *Si judicare acciperetur proprie, hoc eſt, proferre ſententiam, non bene hæc inter ſe cohærerent: Etſi ego judico, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me, Pater. Non enim judices, ut judicium pro vero, ſed teſtes ut teſtimonium pro legitimo habeatur, plures eſſe neceſſe eſt.* Sed reſpondeo: Ita quidem eſt, quod neceſſe non ſit ſimpliciter, ut judices ſint plures, quo judicium habeatur pro vero: ſed tunc tamen id neceſſe eſt, cum unius judicis ſententia poteſt in dubium vocari, ut accedat judicium & approbatio alterius judicis, cujus auctoritas eſt indubitata, cujuſque judicium eſt omni exceptione majus. Hoc pacto igitur bene verba Chriſti cohærere poſſunt.

Verſ. 17. *Et in Lege autem veſtra ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum ſit.*] Denuo una ex his vocibus redundat: vel *&*, vel *autem*: ut verſu præcedenti. Maldonatus hic rurſus objicit, confirmari his verbis ſenſum ſuum, quod *judicare* hic ſignificet teſtari: quia hic de teſtimonio Chriſtus loquatur. Ergo inquit, *loquebatur etiam tunc de teſtimonio, cum dicebat: Ego non judico quenquam, & ſi judico, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum.* Verum hoc non ſequitur. Chriſtus enim cum de judicio locutus eſt, occaſione verborum, quibus reprehenderat Phariſæos, quod male judicarent, fuerat quaſi digreſſus à ſuo inſtituto, in quo agebat de ſuo teſtimonio. Nunc igitur ab illa digreſſione redit ad propoſitum, & poſtquam dixiſſet, ſe non eſſe ſolum, ſed Patrem eſſe ſecum, inde ſumit auſam continuandi demonſtrationem ſuam de teſtimonio ſuo, oſtenditque etſi ipſe teſtetur de ſe, teſtimonium tamen ſuum eſſe verum, id eſt, fide dignum, nec ullo modo rejiciendum, quia ipſe ſolus non ſit, ſed una cum ipſo ſit Pater, qui teſtimonium ſuum auctoritate ſua confirmet. Contra Phariſæos autem & Scribas, apte Chriſtus utitur teſtimonio Legis, qui Lege maxime gloriabantur: unde emphatice videtur dictum, non ſimpliciter, *ſcriptum eſt in Lege*, ſed in Lege *veſtra*, quaſi dicat quam vos adeo jactatis, & quam ita vobis vendicatis, ac veſtram putatis, quaſi vos ſoli eam intelligatis ac obſervetis. Notandum etiam, verba iſta, quæ hic Chriſtus ex Lege citat, ad literam nuſquam in Lege legi: ſed Chriſtus non verba, ſed ſenſum reſpicit, qui in Lege continetur. Vide loca: Deut. 17. ℣. 6. XIX. 15. Verba Legis allegantur alibi à Chriſto Matth. 18. 16. & ab Apoſtolo 2 Cor. 13. 1.

Duorum hominum teſtimonium verum eſt.] *Verum* hic ſumitur non quatenus opponitur falſo. Certum enim eſt, etiam duorum, quin & longe plurium teſtimonium falſum eſſe poſſe: ut videmus in cauſa Nabothi 1 Reg. 21. 13. Suſannæ Adject. ad Dan. 13. 34. & Chriſti Matth. 26. 60, 61, & Stephani Protomartyris accidiſſe Act. 6. 11, ſed *verum* hic opponitur ei, quod non eſt liquidum & firmum ſatis ad probandum. Argumentatur autem Chriſtus hoc modo: Si duorum hominum teſtimonium eſt in judicio validum ſecundum Legem veſtram; quanto magis meum, etſi hominis quoque, ſed cum Dei ipſius teſtimonio junctum validum & indubitatum eſſe debet apud vos?

Verſ. 18. *Ego ſum, qui teſtor de me ipſo, & teſtatur de me, qui miſit me, Pater.*] Producit hic Chriſtus duos teſtes, quibus ſuam cauſam probat. Unus inquit, teſtis ſum ego ipſe: alter eſt, Pater meus, qui me miſit. Sed hic oritur difficultas; quomodo Chriſtus ſeipſum pro teſte numeret, cum reus in ſua cauſa teſtis eſſe non poſſit? Appellat hic Chriſtus ad Legem, ubi jubetur duorum teſtimonium recipi. At in Lege teſtes iſti duo debebant à reo eſſe diſtincti. Hic autem Chriſtus ipſe erat quodammodo reus; de ipſo enim erat controverſia, an eſſet Meſſias? an verus Dei legatus? an vero ſeductor & Pſeudopropheta? Quomodo ergo ipſe poteſt eſſe alter teſtis, alter vero Pater: atque ita duo teſtes eſſe? Reſpondent hic vulgo Interpretes, Chriſtum ſe dupliciter conſiderare, modo ſecundum divinam naturam, modo ſecundum humanam: ac ut hominem quidem conſideratum, fuiſſe inſtar rei; conſideratum vero ut Deum, fuiſſe teſtem, atque ſic divinam naturam teſtatam eſſe de ſua humanitate. Verum hæc reſponſio falſa nititur hypotheſi de duabus naturis in Chriſto. Aliter proinde reſpondendum eſt. Ac primo conſiderandum, ſatis fuiſſe Chriſto, ad probandam cauſam ſuam, Patris cœleſtis teſtimonium afferre, cujus unius teſtimonium plus valet quam non dicam duorum, ſed mille teſtium. Itaque etſi Chriſtus Legem hic alleget, de validitate teſtimonii duorum teſtium, non tamen eam ideo allegat, quod illa omni ex parte ad cauſam ſuam quadret, & cum ea conveniat, ſed tantum quod ſit aliqua ſimilitudo, & ſic per accommodationem tantum quandam applicat Legem illam ad ſuum negotium. Quare non opus eſt, ut hic requiramus ἀκριβειαν, & ad vivum omnia reſecemus; ſed qualicunque ſimilitudine debemus eſſe contenti. Chriſtus revera hac argumentatione ſua ex Lege nihil aliud ſibi vult, quam hoc: ſi duorum hominum teſtimonium ſecundum Legem veſtram pro vero ac fide digno habendum eſt; quanto magis pro tali haberi ac recipi debet Dei ipſius, qui Pater meus eſt, teſtimonium, quod ille de me perhibet? cum homines omnes mentiri queant, ſolus Deus nequeat. Ad hunc modum etiam Johannes noſter argumentatur in ſua Epiſtola: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt; quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo*

1 Joh. 5. 9. Sed Chriſtus hic argumentum ſuum paulo aliter propoſuit, & ut ſimilitudo inter Legis verba & cauſam ſuam magis appareret, ſeipſum pro altero teſte poſuit, ut ita duo teſtes fierent: quamvis revera unius Dei teſtimonium hic rem totam conficeret. Neque exiſtimandum eſt, Chriſtum omnino abſurde ſe, cum reus eſſet, teſtem facere. Poteſt enim & reus in cauſa ſua aliquomodo ut teſtis conſiderari, quando de innocentia ſua teſtatur, eamque argumentis probat. Ita igitur & Chriſtus poteſt dupliciter conſiderari: ſemel ut reus, quatenus in dubium vocabatur à Judæis ipſius doctrina & officium; deinde ut teſtis, quatenus vita ſua ſanctiſſima & aliis argumentis, ſe divinum eſſe hominem demonſtrabat. Supra ad ℣. 14. meminimus ex hiſtoria profana virorum quorundum inſignium, quorum virtus & perſpecta integritas tantum pondus & auctoritatem habuit in judicio, ut illis ſine ullo alio teſte crederetur. Ita illi ipſi quodammodo & rei & teſtes erant. Si iſti propter innocentiam & gravitatem ſuam poterant eſſe ſuo modo in cauſa ſua teſtes: cur abſurdum putetur, ſi Chriſtus quoque ſeipſum tanquam teſtem in cauſa ſua producat, cujus tanta fuit vitæ puritas & ſanctimonia, ut ipſos provocaret inimicos ſuos: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* infra ℣. 46. Johannes in Epiſtola ſua quoque Chriſtum ipſum ponit inter teſtes, qui de ipſo teſtantur. [Vide 1 Joh. 5. 7, 8.

Et teſtatur de me, qui miſit me, Pater.] Chriſtus de ſe teſtatus eſt tunc quidem perfectiſſima vitæ ſanctitate, poſtea autem etiam morte ſua, quam oppetiit doctrinæ confirmandæ gratia. Quos duos teſtes appellat Johannes loco citato, Aquam & ſanguinem: per aquam puritatem vitæ, per ſanguinem mortem Chriſti deſignans. Pater autem teſtatus eſt de Chriſto per ſtupenda opera ac miracula, quæ per manus Chriſti fiebant. Hoc modo Patrem de ſe teſtari Chriſtus ipſe explicavit ſupra cap. 5. 36.

Verſ. 19. *Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pater tuus?*] Credibile eſt, Phariſæos audientes nomen Patris, intellexiſſe Joſephum Chriſti nutritium, quem illi verum Chriſti patrem eſſe credebant. Is cum jam ſine dubio tum temporis defunctus eſſet, quærunt illi per ludibrium: Ubi eſt tuus Pater? Quaſi dicant: Quomodo pater tuus de te teſtari poteſt, cum jam non ſit in vivis? Alii putant, eos intellexiſſe, Chriſtum de Deo loqui, & illum Patrem ſuum appellare, ſed finxiſſe ſe non intelligere, & voluiſſe interrogatione ſua elicere ab eo aliquid clarius, quod in calumniam trahere poſſent: nempe ut diceret aperte Deum eſſe Patrem ſuum, vel Patrem ſuum in cœlo eſſe, quo haberent occaſionem eum accuſandi, aut etiam ſine accuſatione ulla lapidandi: ut ſupra volebant eum propterea interficere cap. 5. 18. Vide quoque infra cap. 10. 31, 33. Nihil tam mali eſt, quod non de Phariſæis credi poſſit. Hoc certum eſt, eos non diſcendi cauſa, ſed animo maligno Chriſtum de patre ejus interrogaſſe.

Reſpondit Jeſus: neque me noſtis, neque Patrem meum. Si me noſſetis, Patrem quoque meum noſſetis.] Quomodo hic Chriſtus dicat, Judæos ſe non noſſe, cum ſupra cap. 7. 28. dixerit: *Et me noſtis, & unde ſim noſtis*; id explicatum eſt à nobis ad ℣. 14. hujus Capitis. Nimirum norant illi Chriſtum quoad carnem, quoad faciem, & quoad carnalis ortus ac ſtatus humilitatem: Sed ignorabant ejus dignitatem, qua Deus eum ornaverat, & quæ ipſi porro conferenda erat. Sed videtur hic Chriſti reſponſio ad Phariſæorum quæſtionem parum eſſe accommodata. Quæſiverant illi, *Ubi eſt Pater tuus?* Chriſtus reſpondet: *Neque me noſtis, neque Patrem meum.* At illi poterant reſpondere: Nos vero propterea rogamus, ubi Pater tuus ſit, quia neque te, neque Patrem tuum novimus. Dici ergo poteſt, ſi ponatur Phariſæos per Patrem Chriſti intellexiſſe Joſephum, Chriſtum hoc modo reſpondere ad eorum interrogationem: Vos putatis, me de terreno patre loqui, & creditis, vos me & Patrem meum bene noſſe, dum me Joſephi filium, & illum meum verum patrem eſſe cenſetis. At erratis vehementer: nam nec me, quod non habeam ullum patrem in terris, ſed ſim Dei unigenitus Filius, nec Patrem meum eſſe Deum illum unum noſtis. Poſſunt etiam verba Chriſti ita ſimpliciter intelligi, quomodocunque Phariſæi Patris Chriſti vocem acceperint: quaſi dicat, Quæritis, ubi ſit Pater meus? At non opus eſſet, ut id quæreretis ſi me noſſetis. In me enim, & in operibus meis Patrem videretis. Pater enim per me & in me facit opera illa diviniſſima. Omnia quæ facio & dico, Patrem meum indicant ac referunt. Nullo in homine, & nulla in re ita elucet Patris ſapientia omnipotentia, & voluntas perfectiſſima, atque in me & doctrina mea. Si igitur me, ut oportet, cognoſceretis, ſi ad ea quæ facio & ad doctrinam meam probe attenderetis, facile etiam Patrem cognoſcere poſſetis, nec opus eſſet, ut ubi ſit Pater meus, inquireretis. Sed quia me non cognoſcitis, vel potius cognoſcere non vultis, ideo nec Patrem meum cognoſcere poteſtis. Ad eundem modum dixit diſcipulis ſuis Chriſtus infra cap. 14. 7, *Si noſſetis me, etiam Patrem meum noſſetis: Et jam nunc noſtis eum, & vidiſtis eum.* Cumque Philippus diceret: *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis:* (Ubi ferme eadem eſt quæſtio, quam hic proponunt Phariſæi, quamquam animo meliori prolata:) reſpondit Jeſus: *Tantum temporis vobiſcum ſum; & non cognoviſti me? Philippe, qui videt me, videt Patrem. Et quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem? Non credis, me in Patre & Patrem in me eſſe? Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: ſed Pater, qui in me manet, ipſe facit opera.* His verbis explicat Chriſtus modum, quomodo Pater ſuus, quem ſibi oſtendi illic diſcipuli, hic Phariſæi petebant, videri atque cognoſci poſſit; nimirum docet, in ſuis verbis ſeu doctrina & in operibus ſeu miraculis ſuis Patrem ab omnibus, qui modo ea conſideraverint, cerni poſſe.

Verſ. 20. *Hæc verba locutus eſt Jeſus in gazophylacio, docens in templo: Et nemo comprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.*] Locum annotat Euangeliſta, ubi Chriſtus hunc cum Phariſæis ſermonem habuerit, non tantum ob majorem hiſtoriæ fidem, ſed etiam ut admirabilem Dei providentiam circa Chriſtum nobis ob oculos ponat. Locus iſte fuit Gazophylacium, per quod hic non intelligitur arca ipſa, in qua ſervabatur pecunia ſacra, quæ à

populo in uſus Templi conferebatur: ſed pars illa Templi, in qua ſita erat hæc arca. Quem locum fuiſſe amplum & ſpatioſum, ex eo apparet, quod in eum omnibus tam viris, quam fœminis pateret aditus: ut nos docet hiſtoria de vidua paupercula unum quadrantem in arcam injiciente, Mar. 12. 41. Significat igitur Euangeliſta, Chriſtum in loco, ubi maxima erat populi frequentia, à quo loco nemo excludebatur, ubi facillime capi potuiſſet, diſſeruiſſe tam libere, adverſarioſque ſuos refutaſſe ac confudiſſe, nec tamen captum eſſe. Neve quis id caſu factum eſſe putaret, addit, id ideo factum, *quia nondum venerat hora ejus:* indicans, Deum non permiſiſſe, ut caperetur. Non ideo id factum dicit, quod noluerint eum inimici comprehendere; imo innuit, eos ſatis voluiſſe, nec defuiſſe eis voluntatem, ſed facultatem. Illi quidem nihil niſi necem Chriſti toto pectore ſpirabant; libentiſſime ei injeciſſent violentas manus, omnique ſtudio & conatu id egerunt, ſed obſtitit ſola vis divina atque protectio, quæ conatus eorum impedivit. Non in hoſtium Chriſti erat manu ac poteſtate, ut Chriſto nocerent, quando vellent: ſed in ſua poteſtate & ſuo arbitrio id Deus reſervavit, ut Chriſtus pateretur tunc demum, cum ipſe vellet, non cum adverſarii vellent. Atque hic notandum eſt, etſi mali & improbi habeant liberum arbitrium ad male agendum, tamen eos non ſemper male agere poſſe. Hoc eſt in eorum poteſtate, ut male agere cogitent, ut decernant & conſtituant apud ſe aliquid mali, utque tentent ac conentur nefaria conſilia ad actum deducere: ſed ipſe actus atque effectus non eſt in eorum poteſtate, verum ſubjacet divinæ directioni ac providentiæ, quæ eum pro ſuo beneplacito ac ſapientia, impedit vel permittit. Cujus rei conſideratio magnam piis conſolationem adfert, fiduciamque eorum firmat, ne quidquam temere aut caſu ſibi evenire poſſe credant, utque *patientes ſecundum voluntatem Dei, ipſi tanquam fideli Creatori, commendent animas ſuas in beneficentia*, 1 Pet. 6. 19. De hora Chriſti vide dicta ſuperius ad cap. 7. 30.

Verſ. 21. *Dixit ergo iterum eis Jeſus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini; quo ego vado, vos non poteſtis venire.*] Dubitant non nulli, an hæc quæ nunc refert Johannes, eodem die, eodemque in loco dicta ſint à Chriſto: quia cum Euangeliſta dixit: *Hæc verba locutus eſt Jeſus in gazophylacio*, videtur ſuperiorem clauſiſſe contionem. Nos vero non dubitamus, quin eodem in loco ac tempore, eademque in concione hæc à Chriſto prolata fuerint; quod vel ipſa particula *ergo* ſatis arguit, quæ indicio eſt, hæc cum ſuperioribus tanquam cohærentia connecti. Sed & pronomen *eis* judicat, ad eoſdem auditores ſermonem continuari. Eſtque omnino credibile, Johannem aliquid additurum fuiſſe, ſi alio tempore, & ad alios habitus fuiſſet hic ſermo. Nec obſtat, quod clauſiſſe videatur ſuperiorem concionem Euangeliſta verbis verſus antecedentis. Inde enim hoc tantum ſequitur, pauſam aliquam poſt illum ſermonem Chriſti ſuperius deſcriptum interpoſitam fuiſſe: & poſtea Chriſtum quaſi de novo hunc ſermonem inchoaſſe. Itaque iſtud *iterum* hunc poteſt habere ſenſum quaſi dicat, ſilentio interpoſito, vel Paulo poſt cœpit iterum ad eos loqui, & dixit. Quanquam ſunt quidam, qui particulam hanc *iterum* ad verba ſequentia, *Ego vado*, non prorſus abſurde referant: quaſi dicat, Dixit illis iterum, Ego vado; quia id jam ante ſemel dixerat cap. 7. 33.

Ego vado] Non addit, quo ſit abiturus, ſed addit ſupra loco citato cap. 7. quod ſit abiturus ad eum qui miſit ipſum. Qua phraſi & mortem ſuam, & reſurrectionem, & exaltationem ſimul ſignificat. Itaque hanc vim videtur hic habere particula *ergo*, ut indicet, Chriſtum occaſionem hoc dicendi ſumſiſſe ex eo, quod proxime Euangeliſta retulit de malitia Phariſæorum, eorum conatus Chriſtum comprehendendi divina providentia fuiſſe repreſſos. Perinde ac ſi dicat Euangeliſta: Ergo cum Chriſtus videret, perſeverare Phariſæos in ſceleſto conſilio ſuo ſe capiendi occidendique, dixit illis: *Ego vado, & quæretis me*, &c. Id eſt, Non eſt, quod adeo vitæ meæ inſidiemini, & me ad necem quæratis: veniet tempus propediem, cum ego ipſe ultro me vobis comprehendendum præbebo, mortemque ſubibo poſtmodum reſurrecturus & in cœlum aſcenſurus. Atque tunc, quem nunc præſentem faſtiditis, deinde ipſi abſentem quæretis.

Et quæretis me.] Quomodo intelligendum ſit, quod Chriſtus prædicit, Phariſæos ipſum poſt mortem quæſituros, habes explicatum ſupra cap. 7. ℣. 34.

Et moriemini in peccato veſtro.] Prædicit Chriſtus his verbis ſempiternum interitum, qui illos maneat. Vidit homines eſſe deploratæ malitiæ, ita ut nulla ſpes eſſet de eorum reſipiſcentia ac converſione: præſertim cum ſciret, eos omiſſa tam commoda occaſione credendi, quam habebant eo docente ac miracula faciente, poſtmodum non tantum tam opportunam occaſionem non habituros, ſed potius habituros maxima ad credendum obſtacula, per ipſius mortem, & diſceſſum ab eorum conſpectu. Facilius enim erat in Chriſtum credere, cum Chriſtus quaſi in forma Dei eſſet & floreret in terris, cum populus ab ejus ore penderet, cum miraculis ubique eſſet celebris, quam cum poſtea formam ſervi aſſumſit, & captus, & huc illuc raptatus, & flagris conciſus, & tandem in crucem actus eſt. Facilius quoque in eum credere poterant, cum eum viderent præſentem, quam deinceps cum ex eorum oculis ſublatus eſt. Hæc ergo cum prævideret Chriſtus, & eorum corda dura atque obſtinata bene noſſet, potuit non immerito prænunciare eis, quod morituri ſint in peccatis ſuis. Interea dubitandum non eſt, prædictioni iſti tacitam conditionem fuiſſe adjunctam: quam etiam expreſſe Chriſtus addit infra ℣. 24. Neque enim credendum eſt, poſt ejuſmodi prædictionem, impoſſibile fuiſſe ut Judæi illi ac Phariſæi converterentur. Nam ſi id fuiſſet ſimpliciter impoſſibile, cui bono Deus ad eos poſt mortem Chriſti miſiſſet Apoſtolos, ut ipſos ad converſionem ac fidem in Chriſtum invitarent? Conſtat ſane, Deum poſt Chriſti necem ac reſurrectionem adhuc quadraginta annos expectaſſe eorum reſipiſcentiam, & varia per Apoſtolos incitamenta adhibuiſſe, ut ad credendum adducerentur. An ergo

Deus tentaret rem impoſſibilem? Equidem hoc in Deum ſapientiſſimum neutiquam cadit. Quare ſtatuendum eſt, etſi valde arduum ac difficile eſſet, ut homines tam malitioſi ac contumaces converterentur, id tamen plane impoſſibile non fuiſſe, ſi vim ſibi animiſque ſuis facere voluiſſent.

In peccato veſtro.] Exiſtimant quidam per hoc peccatum in ſingulari numero poſitum intelligi certum aliquod peccatum; & alii quidem volunt deſignari crudelitatem eorum, quod ſanguinem ejus ſitirent, eumque interficere vellent; alii vero in genere incredulitatem eorum notari putant. Nec omnino rejiciendus eſt hic ſenſus: ſed probabilius tamen eſt ſingularem numerum hic poni pro plurali, per enallagen; quia infra ℣. 24. ubi Chriſtus hæc eadem verba repetit, in plurali loquitur. In peccatis autem mori, eſt propter peccata mori. Jam vero certum eſt, Phariſæos iſtos non propter unum peccatum, ſed propter plura peccata eſſe morituros. Quanquam etiam alium ſenſum habere poteſt hæc phraſis in peccato, vel in peccatis mori: nempe mori in ſtatu peccati vel peccatorum, ſeu mori antequam peccati jugum excutias, aut ſi mavis, mori ſine reſipiſcentia & vitæ emendatione. Si priori ſenſu phraſis hæc ſumatur, per mortem intelligetur mors æterna. Si poſteriori, mors temporaria.

Quo ego vado, vos non poteſtis venire.] Verba eadem ſupra cap. 7. 34. dicta ſunt: itaque eorum explicationem ibidem quære.

Verſ. 22 *Dicebant ergo Judæi: Num interficiet ſeipſum, quia dicit, Quo ego vado, vos non poteſtis venire?*] Credibile eſt, Judæos iſta non clara voce protuliſſe, ſed tantum inter ſe dixiſſe. Nam & ſupra cap. 7. 35, cum Chriſtus eandem ſententiam pronunciaſſet, ſimiliter inter ſe illos ſimilia dixiſſe narratur. Sed Chriſtum tamen non latuit etiam id, quod illi ſubmiſſa voce inter ſe loquebantur. Ibi autem aliud illi, quam hic, ſuſpicati ſunt. Dixerunt enim: *Num in diſperſionem gentium iturus ſit, & docturus gentes?* Hic autem dicunt: *Num ſeipſum interficiet?* Nimirum ita acceperunt Chriſti verba, quaſi ille dixiſſet: Vos me vultis occidere, ſed ego à vobis abibo in talem locum, in quem vos venire non poteritis, atque ita manus veſtras effugiam, ut etiamſi me quæſieritis ad interficiendum, non ſitis me inventuri. Sic igitur cogitabant antea, illum extra Judæam ad gentes remotas abiturum, ut eas doceret: nunc autem illa conjectura rejecta, aliud comminiſcuntur, & ſuſpicantur, eum forte ſeipſum interemturum, ne ipſi eum occidere ac inſultare morienti mortuoſque poſſint. Dicunt autem iſtud magis irridendi ſanctiſſima Chriſti verba animo, quam ut revera ita ſentirent. Ita ſcilicet ludit in rebus divinis pluſquam impia hominum irreligioſorum, religionis tamen ſpeciem gerentium, audacia.

Verſ. 23. *Et dixit eis: Vos inferne eſtis, ego ſum ſuperne; vos ex hoc mundo eſtis, ego non ſum ex hoc mundo.*] Videns Chriſtus dicta ſua non accipi niſi ſiniſtra manu, quæ ille dextra porrigebat, id eſt, irrideri tantum & perverſum ſenſum iis affingi, graviter perſtringit Judæorum malitiam, & non levi eos brachio objurgat.

Vos inferne eſtis, ego ſum ſuperne.] In Græco eſt, ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστέ, id eſt, *vos ex iis, qui infra ſunt, teſtis.* Sic etiam ad verbum ſonat id, quod è conrario Chriſtus de ſe affirmat: *Ego ſum ex iis, qui ſupra ſunt.* Ubi iſtud *ex iis*, ambiguum eſt: poſſunt enim vel loca, vel res, vel perſonæ ſubintelligi. Nam ſenſus eſſe poteſt: Vos eſtis ex iis locis, quæ infra ſunt; vel ex iis rebus, quæ infra ſunt; ego autem ſum ex iis locis, vel rebus, quæ ſupra ſunt. Poteſt etiam talis eſſe ſenſus: Vos eſtis ex iis perſonis, ac hominibus, qui infra ſunt; ego ſum ex iis perſonis, quæ ſupra ſunt. Perinde eſt, quocunque accipias modo: res enim eodem redit. Magis tamen de loco verba intelligenda eſſe ſuadet collatio cum ſimilibus verbis, quæ habentur ſupra cap. 3. 31. ubi pro eo, quod hic eſt, ἐκ τῶν ἄνω, poſitum eſt ἄνωθεν; & quod hic dicitur, ἐκ τῶν κάτω, ibi dicitur, ἐκ τῆς γῆς. Deinde idem ſuadent verba ſequentia, quæ eundem ſenſum habent: Vos ex hoc mundo eſtis, ego non ſum ex hoc mundo. Quanquam vox *mundi* non locum ſolum, ſed homines quoque mundanos ſignificare poteſt, ut poſtea videbimus. Cum vero Chriſtus ait, illos inferne vel ex iis quæ infra ſunt, eſſe, ſe autem eſſe ex iis quæ ſupra, non hoc ſibi vult, quod illi hic infra in terris nati ſint, ipſe autem in cœlis natus ſit, & de cœlo deſcenderit. Apertum enim eſt, Chriſtum hic de moribus loqui. Reddit enim hic Chriſtus cauſam, cur dixerit ſupra, eos in peccato ſuo morituros, ut ipſe Dominus explicat mox infra ℣. 24. Non potuit autem hæc eſſe cauſa interitus eorum in peccatis, quod in terris nati fuerint; ſed cauſa ejus rei erat in moribus & in animo eorum. Significat ergo Chriſtus his verbis, eos eſſe homines animo terreno, & terræ affixo, humi tantum & circa hæc inferiora repenti, eos non quærere ea, quæ ſupra ſunt in cœlis, ſed tantum inferna & terreſtria ſapere: ſe vero ex oppoſito nihil niſi cœlum & cœleſtia ſpirare, animoque agitare.

Vos ex hoc mundo eſtis, ego non ſum ex hoc mundo.] Aliis verbis idem dicit, quod modo dixerat; depravatos Judæorum mores ac vitioſum animum reprehendens. Ait eos eſſe homines mundanos, mundo huic addictos, qui nil niſi mundanas voluptates, mundanos honores, & mundanas opes quærant. Nempe mundum adorabant illi & colebant pro numine: & ſic etſi ſimulacra nulla pictoris vel ſculptoris manu efformata haberent, tamen idololatræ erant; juxta illum verſiculum:

Ambitioſus honos & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino nomine mundus habet.

Hæc eſt non ſancta, ſed profana Trinitas hominum hujus mundi, cui omnia ſua ſtudia, omnes labores, & omnem vitam ſuam devoverunt. Contra Chriſtus oſtendit, ſe non res hujus mundi quærere, non opes, non honores, non voluptates, quas quicunque quærunt, ſolent ut plurimum virtutis arduæ callem deſerere, & per fas ac nefas ad eas contendere. Poteſt etiam commodus eſſe horum verborum ſenſus, ſi per *mundum* non res hujus mundi, ſed homines vitioſos ac mundanos intelligas. Eſt enim hæc ſignificatio vocis *mundi* valde frequens in ſcriptura,

ptura, ut ea homines mundi hujus rebus dediti denotentur. Ita ſupra cap. 1 dicitur, *Mundus eum non cognovit.* Et paulo ante cap. 7. 4. dicebant fratres Chriſti ad eum: *Manifeſta te mundo.* Chriſtuſque reſpondens dixit: *Non poteſt vos mundus odiſſe* ℣ſ. 7. Quin & hoc capite ℣ſ. 12. cum ſe Chriſtus lucem mundi appellat, nihil per mundum, quam homines intelligit. Vide quoque Joh. 1. 29. III. 16, 17. IV. 42. VI. 33, 51. XII. 19, 31, 47, XIV. 17, 19, 22, 27, 31. XV. 18, 19. XVI. 8, 20. XVII. 9, 21, 23. 1 Cor. 1. 21. 1 Joh. 3. 13. v. 19. Vocantur autem *mundus* potiſſimum mali homines, partim quia majorem hujus mundi ſeu humani generis partem conſtituunt, partim quia omnia eorum ſtudia & actiones circa hujus mundi res occupantur, dum ſuam felicitatem in hoc mundo ſitam eſſe credunt. Ex hoc mundo jubemur exire 2 Cor. 6. ℣ſ. 17. non loco (id enim impoſſibile & abſurdum eſſe indicat idem Apoſtolus 1 Cor. 5. ℣ſ. 10.) ſed moribus & animo. Studia noſtra, cogitationes, ſpes, ſermones, actiones, & tota vita noſtra debet eſſe diverſa à ſtudiis, moribuſque atque actionibus hominum perverſorum ac improborum, ita ut etiam converſationem eorum, quantum licet, fugiamus & averſemur, ne approbare eorum pravos mores videamur. Ethnici ſapientiores dabant operam, ut vita eorum & mores à moribus hominum vulgarium hujus mundi eſſent diſcreti. Socrates, cum aliquando veniſſet in turbam hominum male feriatorum, dixit: Quæ præſens tempus & locus exigunt, ego non calleo: quæ ego calleo, nec loco præſenti ſunt apta, nec tempori. Et de Phocione Athenienſi quoque viro egregio memoriæ proditum eſt, quod oraculo aliquando Athenis recitato, eſſe unum virum, qui à concordi civitate diſſentiret, cum populus frenderet, & quiſnam is eſſet, tumultuans quæreret, ipſe progreſſus in medium dixerit: Quæſo, quieſcite, cives; ego is ſum, quem quæritis. Nam mihi nihil eorum, quæ agitis, placet. Sic & Chriſtianos oportet ſe non conformare vitioſis moribus hominum hujus ſeculi Rom. 12. 2. *Nolite communicare*, inquit Apoſtolus, *cum operibus infructuoſis tenebrarum, ſed ea potius redarguite* Eph. 5. 11. Vide quoque 2 Cor. 6. 14, 15, 16. Jacobus jubet, ut nos *incontaminatos ſervemus ab hoc mundo* Jac. 1. 27. quibus verbis explicat veriſſimam rationem, qua debeamus è mundo exire. Et qui ita ſe gerunt, ut ab iniquinamentis vitiorum hujus mundi ſe puros ſervent, illi dicuntur, non eſſe ex hoc mundo. Qualis inprimis erat Chriſtus; & propterea hic de ſe affirmat, ſe non eſſe ex hoc mundo, de Judæis autem dicit, eos eſſe ex hoc mundo, id eſt, ſe non eſſe ſimilem hominibus mundo deditis, in vita ſua ac moribus, illos vero eſſe talibus hominibus plane ſimiles, imo eorum ſocios, & ex eorum eſſe numero. Infra quoque Chriſtus Apoſtolos ac diſcipulos ſuos negat eſſe ex hoc mundo. Cap. 15. 19. Johannes vero in Epiſtola ſua Pſeudoprophetas ait eſſe ex hoc mundo 1 Joh. 4. 5.

Verſ. 24. *Dixi ergo vobis, quod moriemini in peccatis veſtris. Si enim non crediderilis, quod ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.*] Quaſi dicat: Propterea quia eſtis homines mere terreni, carnales, & mundo dediti, dixi vobis paulo ante nempe ℣ſ. 21, vos in peccatis veſtris morituros. Hoc enim quod mundum amatis, & nil niſi terrena quæritis, unice vobis obſtat, quominus in me credatis. Niſi autem credideritis in me, ſalvi eſſe non poteſtis, ſed neceſſario vobis erit pereundum, & in peccatis moriendum. Hanc cauſam & ſupra cap. 5. 44. Chriſtus attulit, cur illi non crederent: *Quomodo*, inquit, *poteſtis vos credere, qui gloriam alii ab aliis accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Ita Chriſtus illis ſcribis ac Phariſæis, qui videri tantum, non eſſe ſancti volebant, exprobrat & impingit in oculos peccata ipſorum mortalia, & ingentes eorum ſtrumas detegit, quas illi pulchro externæ ſanctitatis ac religionis dipapho tegebant. De eo quid ſit mori in peccatis, vide dicta ad ℣ſ. 21.

Quod ego ſum] Subintelligitur, *lux mundi*: Vide ſupra ℣ſ. 12. id eſt, Meſſias. Amat Chriſtus ita elliptice loqui: Confer, Joh. 4. 26. & infra ℣ſ. 28, 58. XIII. 19. Cauſa eadem eſt, ob quam ſupra diximus ad ℣ſ. 12, maluiſſe Chriſtum figuratis loquendi modis ſeipſum deſcribere, quam expreſſe dicere, ſe eſſe Meſſiam vel Regem illum à Deo promiſſum; quia nimirum ejuſmodi aſſeveratio cum ſtatu ejus humili & abjecto non conveniebat, & invidiæ atque calumniæ erat obnoxia. Tum demum Chriſtus publice ac diſerte ſe Chriſtum ac Regem eſſe profeſſus eſt, coram Synedrio & coram Pilato, cum jam eſſet moriturus, & hanc confeſſionem præclaram ſanguine ſuo obſignavit. Cujus confeſſionis præclaræ etiam Paulus meminit 1 Tim. 6. 13. Hanc ellipſin Chriſto uſitatam non intelligentes plerique Chriſtianorum, mira ſibi hic finxerunt myſteria. Qua de re vide, quæ dicentur ad ℣ſ. 58.

Verſ. 25 *Dicebant ergo ei: Tu quis es? Et dixit illis: Jeſus: Id quod à principio dico vobis.*] Quia Chriſtus dixerat, *Niſi crediderilis, quod ego ſum*, adeoque per ellipſin vel apoſiopeſin non addiderat, Ego ſum Meſſias, quærunt illi, Quis eſſet? Volebant ſcilicet elicere ex ore ejus apertam & expreſſam affirmationem, quod ſit Meſſias: ut haberent anſam eum criminandi. Itaque quæſtiones eorum & objectiones erant meræ inſidiæ, meri laquei, quos Chriſto tendebant.

Et dixit eis Jeſus: Id quod & à principio dico vobis.] Vidit Chriſti oculus, quem nihil fugiebat, tenſa ſibi retia; vidit quo illi animo interrogarent, quo illa quæſtione collimarent. Itaque captatores illos aſtutos ſapienter eluſit, non reſpondens ita prout illi voluerant, ſed ad ſuperiora dicta ſua eos remittens. Eſt autem hæc Chriſti reſponſio ſubobſcurior, deditque Interpretibus anſam varios ſenſus comminiſcendi. Textus Græcus ita habet τὴν ἀρχὴν, ὅ, τι, (vel ὅτι) καὶ λαλῶ ὑμῖν. Quæ verba Vulgatæ verſionis Latinæ auctor ſic tranſtulit: *Principium, qui & loquor vobis.* Hinc plurimi Veteres conati ſunt probare, Chriſtum eſſe ab æterno, quia ſe ipſum vocet *principium*, ſcilicet omnium rerum; unde concludebant eum eſſe abſque principio, & ſic ipſum Deum ſummum. Sed eſt hoc argumentum unum ex iis, quæ magnam puerilitatem & inſcitiam iſtorum Patrum Veterum, quos tamen hodie tantopere adorat Orbis Chriſtianus, demonſtrant, ut non imme-

rito recentiores viros doctos ejus argumenti pudeat. Qui non est omnino hospes in scriptis Veterum, facile potest animadvertere, eos sæpe colore disputandi abreptos, arripuisse interdum siculnea tela, & argumentis esse usos, quæ (ut Latino dicitur adagio) neque caput, neque pedes habent. Quale est etiam inter alia illud ductum ex verbis Psal. 110. ℣. 3. *Ex utero ante luciferum genui te:* quæ verba in fonte Hebræo nullum fundamentum habent. Vel illud petitum ex Gen. 19. 24. *Pluit Dominus à Domino.* Quod argumentum non possunt non ridere, qui Hebraicam linguam vel à limine salutarunt. Non memorabo etiam lepidum illud argumentum ex Psal. 45. 1. *Eructavit cor meum verbum bonum*, & similia, quæ boni isti Patres eructarunt (licet enim hoc verbo de iis uti, cum ipsi id ad Deum ipsum accommodare non sint veriti) ad æternam Christi generationem ac divinitatem stabiliendam. Sed ut redeamus ad verba Christi, perspicaciores ex adversariis jam ipsi perspexerunt, locum hunc male versum esse à Vulgato Interprete, cujus versione nititur totum hoc, quod pro suprema Christi Deitate formarunt Veteres, argumentum. Est enim in Græco non nominativus ἡ ἀρχή, sed accusativus τὴν ἀρχήν. Latina quidem vox *principium*, qua Græcam vocem reddidit Vulgatæ editionis auctor, est ambigua, ut & primi & quarti casus esse possit. Sed & Interpres iste, & omnes Veteres, qui ex hoc loco argumentati sunt, non aliter quam pro nominativo eam acceperunt. Hoc ergo est eorum πρῶτον φεῦδος in hoc loco. Alterum est, quod in Græco non sit pronomen ὅς, vel ὅστις, quod significat *qui*, ut habet Vulgata versio, sed conjunctio ὅτι, vel potius pronomina duo neutra Ὅ, τι. Ex quibus patet, verba Christi longe aliter vertenda esse. Taceo, quod hac versione posita, ad illam interrogationem Judæorum, Tu quis es? Christus non satis apte respondisset, nec verba etiam inter se bene cohærent: ut ipsi eruditiores ex adversariis annotarunt. Quorsum enim ad nomen principii, addidisset hæc verba: *Qui & loquor vobis?* Vide Maldonatum, si placet, super hunc locum. Jam ut rejecta vitiosa versione, nostram confirmemus, sciendum primo est, Græcæ linguæ usum ferre, ut vox τὴν ἀρχὴν adverbii loco usurpetur, ut tunc τὴν ἀρχὴν idem, sit, quod κατὰ τὴν ἀρχήν. Ejus rei exempla non pauca, præter profanos auctores, observata sunt in versione Græca Bibliorum, quæ est Septuaginta Interpretum. Vide Gen. 13. 4. XLI. 21. XLIII. 18. 20. Dan. 8. 1. Est ergo hic τὴν ἀρχὴν nihil aliud, quam à *principio.* Deinde notandum est, verba hic esse transposita, & præcedere debere voces ὅ, τι, ac tum demum sequi τὴν ἀρχὴν, vel κατὰ τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν. Trajectionis autem ejusmodi dantur etiam plura exempla in Sacris Literis. Inter alia vide infra Joh. 15. 10, ubi est, si ad verbum reddas: *Maneo ejus in dilectione*, pro, indilectione ejus. Vide quoque Rom. 12. 3. ubi sic verba juxta Græcum textum habent: *Dico enim per gratiam datam mihi, omni existenti in vobis*, pro, Dico enim omni existenti in vobis, per gratiam datam mihi. Tertio observandum est, non esse legendum hoc loco ὅτι, conjunctim, sed disjuncte ὅ, τι, ut etiam legit Theophylactus: quia si ὅτι legatur quæ conjunctio significat *quod*, nullus poterit esse commodus verborum sensus; at si disjungatur hæc vox, fient duo pronomina, quæ hic optime quadrant. Hisce observatis, sensus Christi verborum erit hujusmodi: Ego sum id, quod etiam à principio loquor vobis. Quæ à responsio Christi ad propositam quæstionem Judæorum est accommodatissima. Quærebant illi: Tu quis es? Christus non vult respondere directe, se esse Messiam, sed dicit, se esse id quod ab initio, scilicet concionis suæ, dixit eis. Initium autem concionis hujus est supra descriptum ℣. 12, ubi dixit: *Ego sum lux mundi.* Ad hoc ergo initium sermonis sui eos remittit, & sic indicat se esse lucem mundi. Quæ responsio aptissime ad interrogationem quadrat.

Vers. 26. *Multa habeo de vobis loqui & judicare; sed qui me misit, verus est: & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.*] Connexio ac cohærerentia horum verborum cum antecedentibus etiam non satis liquida est. Possunt tamen hoc modo explicari verba, ut sensus sit: quasi dicat, Vos de me quæritis, quis ego sim, cum id jam satis ex superioribus meis dictis potueritis intelligere. At ego de vobis, qui & quales sitis, multa possem dicere; est mihi ampla materia ea de re loquendi. Tanta est vestrorum morum corruptio, etsi vos sanctos esse fingatis, tanta rapacitas, tanta superbia, tanta pertinacia, tanta profanitas, ut id multis verbis vix explicare possim. Hunc esse sensum indicant voces *de vobis.* Non enim dicit *vobis*, sed *de* vobis.

Et judicare] Verbum hoc *judicandi* quo sensu hic accipiatur, incertum quoque est. Supra dixit: *Ego non judico quenquam,* ℣. 15, Hic dicit, se habere multa de Judæis judicare. Sed hæc non sunt contraria. Non enim dicit hoc loco, se quenquam, vel Judæos illos, judicare, sed tantum indicat, se eos judicare posse. Deinde *judicandi* vox aliter videtur sumi hoc loco, quam in illo loco superiori. Superius enim sumitur pro condemnatione ad interitum; ut ostendimus ad illum locum: hic autem videtur accipi pro accusare, redarguere, objurgare.

Sed qui me misit, verus est; & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo.] Iterum obscurum est, quomodo hæc verba ad propositum faciant, & quomodo cum superioribus connecti possint. Videturque omnino aliquid post particulam *sed* esse subaudiendum: nempe, sed istis omissis, hoc tantum vobis nunc dico, quod verus sit is, qui misit me, ac proinde & mihi credendum est, qui nihil nisi quæ audivi ab eo loquor in mundo. Vel etiam sic: sed scio vos quicquid ego dixero nihili facturos, ac susque deque habituros: interim tamen quemadmodum Deus, qui me misit verus est, & falli non potest: ita nec ego in iis, quæ dico, fallor; quia ea tantum, quæ audivi à Deo, loquor. Supra quoque non multum absimilis est huic locus, ubi dicit Christus: *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me.* Cap. 7. 28. Quem locum vide.

Loquor in mundo] Græce est, εἰς τὸν κόσμον, id est, in mundum, pro ἐν τῷ κόσμῳ, in mundo. Eodem modo, quo supra ℣. 6, & 8, dictum est, *in terram*, pro in terra. Vide ibidem dicta. Alii tamen putant

tant εἰς hic poſitum eſſe loco ὡς, quaſi dictum ſit, *ad mundum*: vel iſtud εἰς reſpondere Hebræorum *lamed*, quod eſt ſignum Dativi caſus, ut εἰς τὸν κόσμον, idem ſit, quod τῷ κόσμῳ, id eſt, *in mundum* ſignificet ſimpliciter, *mundo*. Atque ſic mundi nomine intelligentur homines, per Metonymiam ſubjecti: ut alias ſæpe. Vide ſupra ad ℣. 23.

Verſ. 27. *Non cognoverunt, quod Patrem eis diceret.*] Hoc annotat Euangeliſta perſtringens quodammodo Judæorum ſtupiditatem, quod, cum Chriſtus dixiſſet, *Sed qui me miſit, verus eſt*, non intellexerint, eum de Patre ſuo cœleſti loqui. Dicere Patrem, eſt, dicere de Patre: ut ſupra cap. 6. ℣. 71. *Dicebat Judam*, id eſt, dicebat de Juda. Et ſic etiam habet Syrus: *Non cognoverunt, quod de Patre loqueretur eis.* Vulgata vero habet: *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.* ſed ſenſus idem eſt.

Verſ. 28. *Dixit igitur eis Jeſus: cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quod ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.*] Particula illativa *igitur* indicat, cohærere hæc verba Chriſti cum eo, quod præceſſerat. Quaſi dicat Johannes: Quia Phariſæi non intellexerunt, eum de Patre ſuo loqui, propterea protulit mox talia verba, in quibus expreſſe Patris ſui fecit mentionem.

Cum exaltaveritis Filium hominis.] Per euphemiſmum Chriſtus exprimit hac voce mortem crucis, qua erat è medio tollendus. Tali deſcriptione mortis ſuæ & ſupra uſus eſt cap. 3. 14, & infra cap. 12. 32. Nempe Chriſtus ſicut Meſſiam ac Regem ſe nunquam profeſſus eſt palam ac publice, ita quoque aperte in publico nunquam dixit, ſe moriturum vel occidendum eſſe. Sed ſi quando mortis ſuæ mentionem faceret, id tecte ſemper & obſcure per locutiones improprias faciebat. Sic ſupra cum de morte ſua loqueretur, dicebat: *Ego vado*; & *quo ego vado, vos non poteſtis venire*, ℣. 21. Et cap. 3. 16, ellipſi uſus eſt: *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, non addidit, *in mortem*, quod tamen intellectum voluit. Alibi autem tali circumlocutione mortem ſuam exprimit: *Venit hora, ut glorificetur Filius hominis. Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi vero mortuum fuerit multum fructum adfert.* Cap. 12. 23, 24. Utque conſtet, conſulto Chriſtum clara mortis ſuæ mentione abſtinuiſſe, ſcribunt Euangeliſtæ, eum duodecim Apoſtolis tantum ſeorſim ſevocatis, communicaſſe hoc de morte ſua ſecretum, idque tum demum, cum ultimo iturus eſſet Hieroſolymam, ad mortem ibidem obeundam. Vide Matth. cap. 20. 17. Marc. 10. 33. Luc. 18. 31. Quærat igitur aliquis: Quænam fuerit ejus rei cauſa, quod Chriſtus ſtudioſe adeo celaverit mortem ſuam, nec ejus indicium hominibus palam facere voluerit? Reſponderi poteſt, eum duplici de cauſa id feciſſe, tum propter diſcipulos ſuos, tum propter adverſarios. Propter hos quidem, ne mortis ſuæ nuncio, animos eorum hoc ipſum unice cupientes exhilararet, eoſque adeo in incredulitate confirmaret. Propter illos vero, ne teneram adhuc & imperfectam illorum turbaret fidem, qui audita Domini ſui morte facile deſpondiſſent animum, & hoc ſcandalo ab ejus doctrina fuiſſent abſterriti. Videmus diſcipulos poſt longam cum Chriſto converſationem, jam in fide confirmatos, vix potuiſſe ferre & concoquere mentionem Chriſti obitus, cum ille jam inſtaret. Adeo dejecti erant mœrore ipſorum animi, ut eos Chriſtus nullis rationibus ac perſuaſionibus poſſet erigere. Quid ergo putamus factum fuiſſet, ſi ſtatim ab initio Chriſtus aperte omnibus ſe moriturum eſſe declaraſſet? Merito itaque Chriſtus tali cautione ac prudentia uſus eſt, ut in dicendo ac docendo ſe ad captum diſcipulorum & auditorum ſuorum attemperaret, non omnia quæ ſciebat vera eſſe, quovis tempore ac loco, & quoquo modo proferens, ſed conſiderans, quid aures & animi audientium ferre poſſint. Nam & alias legimus eum multa celaſſe ſuos diſcipulos propter eorum infirmitatem. Quod ipſe aperte eis ſignificavit, dicens: *Adhuc multa habeo, quæ dicam vobis, ſed nunc non poteſtis portare* Joh. 16. 12. Ex quo nobis quoque diſcendum eſt, delectum habendum eſſe earum rerum, quæ in publico proferendæ ſunt; nec omnia, quæcunque nobis in mentem vel buccam veniunt, eſſe promiſcue coram populo effutienda. Sunt quidam in religione Chriſtiana inſtar infantium, qui lacte opus habent, nec ſolidum cibum poſſunt concoquere. Qua igitur prudentia utuntur matres in nutriendis liberis, qua Medici in propinandis medicaminibus, ut ægrorum naturam, temperamentum ac vires probe conſiderent: quam prudentiam adhibent artium Magiſtri, ut tyronibus non ſtatim initio proponant ſublimia & difficillima artium ſpecimina, ſed virium ac profectus eorum rationem habeant. Eadem prudentia inſtructi eſſe debent illi, qui publico docendi munere funguntur. Quæ prudentia & dexteritas cum non cuique data ſit, non fruſtra monet Jacobus: *Ne multi ſitis Doctores, fratres mei, ſcientes fore, ut gravius judicium auferamus* Jac. 3. 1. Nimirum, ut Poëta ait,

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt

Verum, ut ad verba Chriſti revertamur, tenendum eſt, etſi voce exaltationis Chriſtus crucem ſuam primario deſignare voluit, tamen tanto lubentius eum hac uſum eſſe voce, ut ſimul ſuam in cœlum aſcenſionem & glorificationem denotaret. Quanquam id de aliis locis potius, ubi etiam exaltationis eſt mentio, intelligendum eſt, ut Joh. 3. ℣. 14. XII. 32, quam de hoc loco. Hic enim exaltationem ſuam Judæis tribuit. Inquit enim: *Cum exaltaveritis Filium hominis.* Quod indicio eſt, eum hic potiſſimum ac proprie tantum de morte ſua loqui. Niſi quis velit dicere, Chriſtum voluiſſe indicare, quod Judæi eum etiam in cœlum ſint exaltaturi, quatenus nimirum in crucem eum extollendo, in cauſa fuere, ut ille deinceps in cœlum ſit exaltatus.

Tunc cognoſcetis, quod ego ſum.] Subintellige rurſus, ut ſupra, *lux mundi*, ſive Meſſias. Sic enim Chriſtus per ellipſin, vel apoſiopeſin loqui amat. Vide ſupra ℣. 24. Sed hoc altioris indaginis eſt hoc loco,

loco, quod ait Christus, Judæos tunc cum exaltatus ab ipsis fuerit, id est, in crucem actus, cognituros, quod ipse sit Messias verus. Quomodo id verum sit, non satis patet: cum potius tunc maxime omnium animi ab eo aversi sint, quin & ipsorum discipulorum fides labefactata sit, cum tam truculenta morte è medio sublatus est. Hoc igitur quomodo intelligendum sit, variis sententiis inter Interpretes disceptatur. Potest vero triplex esse horum verborum sensus. Primo ut spectet Christus his verbis eos duntaxat, qui visis miraculis post datum cælitus Spiritum Sanctum ad Christum catervatim conversi sunt: ut legimus in Actis uno die ter, alio quinquies mille homines credidisse, Act. 2. 41. IV. 4. Secundo sensus esse potest; *Tunc cognoscetis*, id est, maximas cognoscendi occasiones habebitis: tametsi illi occasiones illas essent neglecturi. Jam enim tum, cum Deus exaltavit Filium suum, ablata fuit ab eo humilitas illa sortis ac conditionis ejus, propter quam in terris abjectus ac despectus fuit ab omnibus. Et Christi virtus major in discipulis ejus, quam in ipso in terris degente, eluxit: secundum illud Joh. 14. 12. Quanquam alia ex parte majora etiam ad credendum obstacula Judæi erant habituri: ut supra dictum ad ℣. 24. Tertio *cognoscere* potest sumi pro *experiri*; quasi dicat Christus: Nunc vos credere non vultis, me esse Messiam, sed veniet tempus, cum me morte crucis sustuleritis è medio, Deus autem me è mortuis resuscitatum gloria & honore cœlesti coronaverit, ut tandem multis malis exerciti ac pressi undique experiamini, me non fuisse impostorem, sed verum Messiam, & reipsa veritatem dictorum meorum sentiatis. Quomodocunque vero verbum *cognoscendi* accipiatur, manifeste tamen patet, Christum indicare, mortis suæ longe alium fore eventum, quam Pharisæi autumabant. Illi enim credebant, ubi modo Christus è vivis fuerit sublatus, actum fore de ejus doctrina, & omnem spem de ejus regno una cum ipso extinctum iri. At Christus ostendit, tum demum, post mortem suam, appariturum regnum suum, adeoque illos dum occidendo maxime sibi nocere volent, sibi maxime profuturos. Ita scilicet Deus novit etiam mala fidelium suorum in ipsorum bonum convertere. Vide Rom. 8. 28.

Et à me ipso facio nihil sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.] Indicat, se esse verum Dei legatum. Est enim fidelis legati, nihil facere, nihil loqui, nisi quæ ipsi à mittente mandata sunt. Seductores autem & Pseudoprophetæ quicquid faciebant & dicebant, à seipsis faciebant, & ex seipsis loquebantur. Itaque innuit Christus, post mortem suam manifestum fore, se non seductorem esse, sed verum Messiam, à Deo missum. Cæterum hoc modo Christum locuturum, si esset ipse Deus Altissimus, nequaquam est credibile.

Vers. 29. *Et qui misit me, mecum est: non reliquit me solum Pater, quia ego quæ placita sunt ipsi, facio semper.*] Id est, hoc quoque cognoscetis, seu experiemini, Deum, qui me misit, semper mihi adesse, me protegere contra omnes insidias & pericula, per me ac per manus meas edere miracula. Putatis vos, me solum esse, me esse nudum ac vulgarem hominem, quem facile possitis occidere, quique si occisus fuerit, plane perierit, actumque de eo sit. At vos graviter erratis. Est enim mecum, imo in me, Deus ille unus, qui Pater meus est, qui me ut unicum Filium diligit: dum me Spiritu suo regit, dum nihil patitur mihi accidere, nisi quod in summam meam gloriam & bonum redundet. Poterat Christus longe verius id dicere, quod de se olim dixit Poëta:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

Usitata est phrasis in Sacris Litteris, qua dicitur Deus esse cum aliquo, quando favorem, gratiam, & auxilium alicui exhibet. De Christo autem cum hæc phrasis usurpatur, perfectissimus Dei favor & gratia erga eum est intelligenda.

Quia ego quæ placita sunt ipsi, facio semper.] Reddit causam, cur Pater eum solum non reliquerit, nec relicturus sit. Notandum enim est, etsi hic Christus in præterito loquatur, de omni tamen tempore id esse intelligendum. Causa autem est, quod se in omnibus factis ac dictis suis voluntati divinæ attemperet, & ab ea ne latum quidem unguem discedat. Ex quo intelligimus, qua ratione & nos possimus efficere, ut Deus sit nobiscum, neve nos solos relinquat; si nimirum faciamus semper id, quod ipsi placet. Si nos faciamus, quæ grata sunt Deo, faciet & ille, quæ grata sunt nobis. Ita dicit Psaltes sanctus: *Deus facit voluntatem timentium se*, id est, facientium voluntatem suam, Psal. 145. 19. Cæterum hic Christus locutus est non ad placitum eorum, qui ipsum hodie credunt esse unum eundemque Deum summum cum Patre. Placuisset illis magis, si Christus dixisset, Patrem ideo secum esse, nec se solum relinquere, quia eandem habeat cum eo essentiam. Hinc volunt hæc verba Christi inverti, ut quod Christus hic pro causa posuit, id pro effecto accipiamus, & vicissim quod positum est pro effecto, ut pro causa sumanus. *Non enim*, inquit Maldonatus, *quia Christus faciebat, quæ Patri placita erant, ideo cum illo erat Pater, non futurus, nisi faceret; sed quia Pater cum illo erat, & quicquid ille agebat, agebat Pater, ideo neque faciebat, neque facere poterat, nisi quæ Patri placita essent.* Quid vero cogit nos, ut sic ordinem verborum Christi invertamus? Certe absque necessitate non licet à proprietate verborum Sacræ Scripturæ discedere. Alioqui nunquam constaret, quando verba proprie & ut jacent, sint intelligenda. Non sane eo inficias dari aliqua loca scripturæ, ubi sic inverso ordine verba accipienda sint: ut Psal. 17. 6. Luc. 7. 47. Sed istis in locis res ipsa, ut id fiat, cogiti; quia alioqui absurdus sensus emergeret. At hic si simpliciter verba sumantur, nulla est absurditas; proinde nulla etiam est verba Christi invertendi necessitas. Sola præconcepta opinio cogit istos homines hoc loco à simplicitate verborum recedere. Deinde ut simpliciter verba Christi hic accipiamus, suadent alia loca parallela, in quibus idem, quod hic de Christo dicitur. Vide Joh. 10. 17. Act. 2. 25, 26. Phil. 2. 8, 9. Heb. 1. 9.

Vers. 30.

Verſ. 30. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.*] Docet Euangeliſta, non omnino infructuoſam fuiſſe Chriſti concionem: etſi Sacerdotes & Phariſæi manſerint in ſua incredulitate obſtinati. Nam multi nihilominus è vulgo fuerunt, qui Chriſtum pro Meſſia agnoverunt. Quando ſemen verbi Dei ſeminatur in magna hominum turba atque frequentia, etſi majori ex parte cadat in terram ad viam ſitam, vel petroſam, vel ſpinoſam, tamen etiam ut plurimum aliqui, quamvis pauci & contemti, reperiuntur terræ bonæ ſimiles, qui corde bono ſermonem Dei excipiunt, ac retinent. Matth. cap. 13. 23.

Verſ. 31. *Dicebat ergo Jeſus ad Judæos, qui crediderunt ipſi: ſi vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis.*] Non dicit Euangeliſta, credentes iſtos in turba teſtatos aliqua ratione eſſe fidem ſuam: ſed Chriſtus etiam illis tacentibus perſpexit, eos animo credere, & doctrinæ ſuæ aſſentiri. Itaque eos etſi corpore reliquis permixtos, fide tamen diſcretos, peculiariter alloquitur, & in fide eos confirmat, atque ad conſtantiam exhortatur. Credibile eſt, Chriſtum cum hæc diceret reſpexiſſe ad illorum exemplum, de quibus vidimus ſupra cap. 6. ℣. 66. quod cum jam credidiſſent in eum, poſtea retulerint pedem, nec amplius cum eo verſati ſint. Perinde igitur eſt, atque ſi dicat Chriſtus: Vos qui jam agnoſcitis in cordibus veſtris, me eſſe verum Meſſiam, quos ego bene novi, & ab aliis diſcerno, vos, inquam, alloquor (eſt enim iſtud pronomen *Vos*, emphaticum) vos notate, quæ dicam. Si vultis eſſe veri ac perfecti diſcipuli mei, dare debetis operam, ut in ſermone ac doctrina mea perſeveretis, ne ſitis ſimiles illis, qui crediderant quidem in me, ſed levi de cauſa à fide reſilierunt. Oportet ut conſtantes ſitis. Non ſatis eſt, quod credatis, ſed conſtantia etiam ac perſeverantia opus eſt. Opportune ſane id Chriſtus monuit. Contingit enim non raro, ut bona aliqua cogitatio ſubeat animum, ſed cito evaneſcat. Multi ſunt, qui cum audierint verbum Dei cum gaudio illud ſuſcipiant, ſed quia radice carent, adeoque petroſæ terræ ſimiles ſunt, ad tempus tantum credunt, atque ingruente tentatione deficiunt. Monet igitur Chriſtus, ſatius eſſe non incipere, quam ubi inceperis, deſinere. Dimidium facti, qui cœpit, habet: inquit Poëta. Sed dimidium tamen, nondum eſt totum. Ad perfectionem ſemper tendendum eſt, & ut nobis nihil deſit eorum, quæ ad ſalutem requiruntur, allaborandum. Quo pertinent illa ſpiritus divini effata: *Qui perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit.* Matth. 24. 13. *In perſeverantia poſſidete animas veſtras.* Luc. 21. 19. *Ne abjicite fiduciam veſtram, quæ habet remunerationem magnam. Perſeverantia enim vobis opus eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Heb. 10. 35, 36. *Videte voſmetipſos, ne perdamus, quæ egimus, ſed ut mercedem plenam recipiamus.* 2 Joh. 8. Qui plenam vult accipere mercedem, plene quoque & ad finem ut Chriſto ſerviat oportet. Alioqui væ illi, cui dicetur in magno illo die noviſſimo: *Non inveni opera tua plena coram Deo.* Apoc. 3. 2. Proinde infigendum eſt memoriæ quam altiſſime id, quod Chriſtus de cœlo ſcripſit: *Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 10.

Vere diſcipuli mei eritis.] Id eſt, exinde patebit, vos eſſe veros diſcipulos meos. Conſtantia monſtrat, qui ſint veri & non fucati Chriſti diſcipuli. Amor qui deſinere potuit, nunquam verus fuit. Ita & fides vera non eſt, quæ deſinere poteſt. Hæc demum vera eſt, quæ conſtans eſt. Hinc Johannes noſter ait de apoſtatis: *Exierunt ex nobis; ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, utique nobiſcum permanſiſſent.* 1 Joh. 2. 19. Latent interdum hypocritæ in numero diſcipulorum: videntur eſſe diſcipuli, ſed non ſunt. Et quia ſimulata non diu durant, hos tandem in lucem protrahit tempus. Tales ergo cum deficiunt, non tum demum mali fiunt, ſed tum demum mali eſſe apparent; tum demum revelantur cordis eorum cogitationes Luc. 2. ℣. 35. Præclare Seneca: *Latro eſt, etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit.*

Verſ. 32. *Et cognoſcetis veritatem, & veritas faciet vos liberos.*] Jam illi aliqua ex parte veritatem cognoverant: alioqui credere non potuiſſent. Fidem enim cognitio antecedat neceſſe eſt. Tantum enim credimus, quantum cognoſcimus; & quæ quis neſcit, nemo credere poteſt. Multa quidem credimus vera eſſe, quorum modum perfecte non intelligimus. At interim quod illud ſit, quod credendum eſt, & verum eſſe, quid creditur, ratio noſtra percipiat prius neceſſe eſt; niſi quis hypocritas aut ſuperſtitione quadam occæcatos introducat, qui credere ſe profiteantur, quæ neque an ſint, neque an eſſe poſſint, intelligunt. Itaque hic Chriſtus nihil aliud ſibi vult, cum ait eos cognituros veritatem, quam plenius ac perfectius veritatem cognituros. Solet id Scriptura ſimpliciter affirmare, quod comparate eſt intelligendum. Sic Joh. 2. 11: *Et crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Si tum demum crediderunt, quomodo ante poterant eſſe ejus diſcipuli? Significatur igitur, eos etſi antea quoque crediderint, tunc tamen magis credidiſſe, adeoque in fide magis eſſe confirmatos, Vide etiam Joh. 12. ℣. 21. Per veritatem autem intelligitur doctrina Chriſti, non tantum, quia falſa non eſt. Nam hac ratione etiam Lex Moſis erat veritas: illa enim quoque falſa non erat; ut pote à Deo ipſo tradita. Sed veritas dicitur Chriſti doctrina, tum quia umbris, figuriſque, id eſt, ceremoniis caret, tum quia perfecta eſt, & omnibuſque numeris abſoluta. Sic Chriſtus, dicitur lux vera Joh. 1. 9. & vitis vera Joh. 15. 1. non quod non etiam proprie dicta lux ac vitis, vera ſit, ſed quod Chriſtus ſit perfecta lux, & perfecta vitis, quodque excellentiori modo effecta vel attributa lucis ac vitis Chriſto competant, quam proprie dictæ luci ac viti. Eodem modo & Pater vocatur *verus Deus* Joh. 17. 3. id eſt, perfectus.

Et veritas faciet vos liberos.] Promittit Chriſtus eis veram libertatem: bonum profecto inæſtimabile, & ut Poëtæ verbis utar,

— Non gemmis, neque purpura venale, nec auro.

Nihil

Nihil erat, quod magis deſiderarent libertate Judæi, quorum cervicibus nimis grave ac oneroſum videbatur jugum Romanorum. Sed in eo delirabant, quod qua in re conſiſteret vera libertas, non intelligerent: ut ex verbis eorum mox patebit.

Verſ. 33. *Reſponderunt ei: Semen Abrahami ſumus, neque cuiquam ſervivimus unquam: quomodo tu dicis, quod liberi eritis?* Controverſia hic eſt, quinam fuerint illi, qui Chriſto ſic reſponderint. Putant quidam, eos ipſos, qui jam in Chriſtum crediderant, hæc dixiſſe: quia ad illos Chriſtus direxerat orationem. Eſſe vero probabile, quod iidem reſponderint, quibuſcum Chriſtus loquebatur. Sed rurſus alia ex parte id probabile non eſt; quia paulo poſt eis Chriſtus objicit, quod ſtudeant eum interimere ℣. 37. 40. Quod de illis qui in ipſum crediderant, dici potuiſſe, neutiquam eſt veriſimile. Deinde objicit eis Chriſtus aperte, quod non credant; ℣. 45, 46, 47. Magis igitur probabile eſt, eos qui hic reſponderunt, fuiſſe incredulos, diſtinctos ab iis, qui crediderant, & quos Chriſtus allocutus fuerat. Sed quia Chriſtus in genere ad turbam locutus fuerat, cui immixti erant credentes, ideo reſpondent è turba quidam petulantiores, qui ad totius gentis ſuæ ignominiam ſpectare crediderunt, quod Chriſtus libertatem promitteret ſibi credentibus, & in doctrina ſua manentibus; quaſi ſcilicet omnes qui ipſi non crederent, pro ſervis & mancipiis haberet. Cum Chriſtus diceret, *cognoſcetis veritatem, & veritas vos liberos faciet:* duo Judæis videtur objeciſſe, ignorantiam & ſervitutem. Sed illi omiſſa ignorantia, toti in eo ſunt, ut libertatem ſuam aſſerant, & pudendum ſervitutis nomen à ſe removeant. Tantus amor libertatis eſt, tantum ſervitutis odium, ut ne nomen quidem ejus ferre poſſint. Ira & hodie ſunt, qui facilius patiuntur ſibi ebrietatem, homicidia, adulteria, quam ſervilem conditionem exprobrari. Homines præpoſteri ingenii: cum ſervum eſſe ſit fortunæ vitium, illa autem ſint vitia animi, quæ ſola maxime dedecorant ac dehoneſtant hominem.

Semen Abrahami ſumus.] Semen pro poſteris ſumitur Hebraica conſuetudine. Probant ſe non eſſe ſervos, ſed ingenuos, imo nobiles valde & illuſtres genere; ut qui ortum ducant ab Abrahamo, viro in orbe clariſſimo, & Deo amiciſſimo. At hæc eſt ſtultiſſima probatio. Nam etiam genere & ortu nobiliſſimi in ſervitutem redigi poſſunt. Multos etiam Reges ac Reginas, multos origine liberos fortuna fecit ſervos. Hinc Seneca: *Mariana clade*, inquit, *quam multos ſplendidiſſime natos, ſenatorium per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? Alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecit.* Et mox addit idem: *At ego, inquis, nullum habeo dominum. Bona ætas eſt: forſitan habebis. Neſcis qua ætate Hecuba ſervire cœperit, qua Craſſus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes?* Epiſt. 47.

Neque cuiquam ſervivimus unquam.] Et hoc non ſine mendacio dicunt. Servierant enim olim in Ægypto; ſervierant non ſemel vicinis regibus ac gentibus, ut teſtatur hiſtoria Judicum: poſtea ſervierant per annos 70 Babyloniis: & tunc quoque, cum ſic impudentes gloriantur, quod nemini ſervierint unquam, ſervi erant Romanorum. Sed fortaſſis illi intellexerunt ſervitutem ſtrictius dictam, negantque ſe eſſe tales ſervos, quales ſub haſta venundari ſolebant, ſeu mancipia mercede emta. Neque ab re abludit, quod quidam Interpretes ſuſpicantur, Judæos maligno & captioſo animo dixiſſe iſtud: *Nemini ſervivimus unquam*; ſperantes fore, ut Chriſtus reſponderet: Atqui modo ſervitis Romanis; ut ſic anſam haberent accuſandi eum, quaſi populi Dei ſub Romano Imperio ſervitutem approbaret.

Verſ. 34. *Reſpondit eis Jeſus: Amen amen dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.*] Clare Chriſtus explicat, de quali ſervitute loquutus ſit. Illi verba ipſius de corporali ſervitute acceperant: ſed Chriſtus oſtendit, ſe loqui de ſervitute ſpirituali, de ſervitute peccati. Miſeri homines, qui non intelligebant, hanc ſervitutem eſſe omni alia ſervitute graviorem. Credebant ſtulti, ſe eſſe liberos, quia corpore non laborabant in piſtrino, non urebantur flagris, tanquam mancipia: cum interim animo eſſent turpiſſima mancipia avaritiæ, injuſtitiæ: & aliorum flagitiorum. Talia autem cum eſſent mancipia, ſimul erant mancipia maledictionis legalis, mancipia mortis atque damnationis æternæ. Quid vero hac ſervitute poteſt eſſe infelicius? quid acerbius? Sed homines carnales nil niſi carnalia ſpectabant; rerum ad ſpiritum atque animum pertinentium incurioſi. Nihil eos magis angebat in terris, quam quod eſſent ſub Romanorum dominio; hoc omni ratione cupiebant excutere: & Meſſiam non alium expectabant expetebantque, quam qui ab hoc jugo eos liberaret. Talem ſi eis Deus miſiſſet Meſſiam, obviis ulnis eum excepiſſent. At nunc homines cæci non vident, Deum longe meliorem & præſtantiorem ipſis miſiſſe Meſſiam, qui eos ex deterrima ſervitute ſpirituali in veram & æternam libertatem aſſereret. Quid prodeſt, ſi corpore ſis liber, imo ſi Rex ſis in mundo, vel ut Chriſtus loquitur, ſi totum mundum lucreris, & anima tua mulcteris? Quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua? Matth. cap. 16. 26.

Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.] *Facere peccatum*, ſignificat habitum ac conſuetudinem peccati habere. Non enim protinus peccati ſervus eſt, qui unum aut alterum peccati actum committit. Sed is demum, qui ita peccato deditus eſt, ut cum ſe offert occaſio ad peccandum, tametſi non ſemper, ut plurimum tamen carnis ſuæ impetum ſequitur, & peccato ſe polluit. Ita & alibi ſumitur in ſcriptura phraſis iſta, *facere peccatum.* Vide Gal. 5. 21. 1 Joh. 3. 8, 9. Servus peccati eſt, quem peccatum redegit in poteſtatem ſuam, in quo regnat & dominatur ita, ut hominis illius membris tanquam inſtrumentis utatur ad vitioſos actus perpetrandos. Tales autem ſervi peccati ſunt duplicis generis: alii ita jam ſunt à peccato victi ac domiti, ut nihil amplius peccato reluctentur, imo iſta ſervitute delectentur, nec ullos, cum peccant, conſcientiæ morſus ſentiant: alii vero tametſi peccati vinculis conſtricti teneantur, tametſi imperata carnis & peccati

cati faciant, tamen faciunt ea animo adverſo, & aliquando etiam recalcitrant, atque jugum excutere tentant, ſed fruſtra. Ac hos quidem poſterioris generis peccati ſervos graphice nobis depinxit Apoſtolus Rom. 7. 8. & ſeqq. ubi ſub ſua perſona introducit hominem ſub peccati ac proinde mortis ſervitute gementem, à qua eum Lex non tantum non potuerit liberare, ſed eam magis etiam exaſperaverit. Quo in loco abſurdiſſimi ſane ſunt, qui exiſtimant, Apoſtolum de ſeipſo tanquam de renato verba facere. An enim credemus, Paulum tam Sanctum Apoſtolum non fuiſſe meliorem Medea illa ſceleſta, quæ apud Poëtam ad eundem modum gemit ac conqueritur:

Me trahit invitam nova vis; aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet; video meliora proboque,
Deteriora ſequor. - - - - - - -

Hæc eſt graviſſima peccati ſervitus, cum quiſpiam vel invitus ac reluctans peccato parere, ejuſque imperata exequi cogitur, non ſecus ac mancipium alienæ voluntati prorſus obnoxium. Tametſi enim magis ſit deploratus illius hominis ſtatus, qui peccato non repugnat, ſed ſervitutem illam animo approbat, eaque gaudet: tamen acerbius & moleſtius eſt iſtud jugum, quod quis invitus & gemens ferre cogitur, neque id à cervicibus ſuis dejicere poteſt. Hinc non abs re dixit quidam: *Libertatis ſervaveris umbram, ſi quicquid jubeare, velis.* Ad id ut quis peccati ſervus non ſit, id eſt, ut ſit renatus, non ſolum opus eſt, ut velit, cupiat atque conetur non peccare, ſed etiam ne reipſa peccet ſeu peccatum faciat. Nam, ut hic Chriſtus docet: *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Contra vero, *Omnis qui ex Deo natus eſt*, id eſt, qui eſt renatus, inquit Johannes, *peccatum non facit, quia ſemen Dei in eo manet; & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt*, 1 Joh. 3. 9.

Verſ. 35. *Servus autem non manet in domo in æternum: Filius manet in æternum.*] Oſtendit, quam miſera ſit conditio, eorum, qui ſunt ſervi peccati: idque per ſimilitudinem ſumtam à conditione ſervorum corporalium, longe diverſa à conditione filiorum; quippe cum hi habeant jus perpetuo manendi in domo patrisfamilias, illi non habeant. Eſt autem hic ſimilitudo imperfecta; quæ adhunc modum perficienda eſt: Quemadmodum nullus ſervus habet jus ac privilegium manendi ſemper in domo domini ſui, ſed hoc jus ſolis filiis familias competit: Ita etiam nemo ex iis, qui ſervi ſunt peccati, poteſt habere jus ad hæreditatem Dei, ad vitam æternam, ſed omnes tales ejicientur foras in tenebras exteriores. Dicit autem Chriſtus, ſervum non manere in domo, non quod non id aliquando fiat; ſed loquitur de eo quod plerumque in uſu eſt. Si quando accidit, ut ſervus in domo ſemper maneat, id caſu fit, & extraordinarie. Alioqui ea eſt conditio ſervi, ut vendi poſſit, ut ſi male frugi ſit, poſſit male perdi, aut ſubitò domo ejici atque exturbari. Sic à pio Abrahamo etiam ejecta fuit olim Agar ancilla inſtincta Saræ, qui dixit: *Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ*, Gen. 21. 10. Gal. 4. 30. Cæterum videtur hic ſimilitudo iſta non ſatis apte quadrare. Chriſtus enim loquutus eſt antea de ſervis peccati: qua autem ſunt ſervi peccati, non ſunt ſervi Dei, ſed Diaboli: Ergo ex hac ſimilitudine ſequeretur, eos in domo Diaboli non eſſe æternum manſuros. Verum primo non eſt in ejuſmodi ſimilitudinibus requirenda accurata omnium partium, quæ inter ſe comparantur, convenientia. Nam, ut vulgo dicunt Logici, Omne ſimile claudicat: &, Non neceſſe eſt, ut ſimilitudo currat quatuor pedibus. Deinde animadvertendum eſt, eos qui ſunt ſervi peccati, eſſe etiam natura ſua ſervos Dei, eoſque ſibi ſpem facere manendi in domo Dei perpetuo, id eſt, adipiſcendi vitam æternam. Hoc ergo indicat Chriſtus, iſtos qui cùm Deo ſervire debuerint, ſerviunt peccato, tanquam ſervos Dei nequam ac perfidos è domo Dei expulſum iri, nec hæreditatis ejus fore participes.

Filius manet in æternum] Id eſt, jus habet manendi, & hæreditatem adeundi. Intelligitur autem per *filium* in protaſi ſimilitudinis omnis filius patris familias: ſed in apodoſi intelligitur ſolus Chriſtus, ut ex ſequenti verſu liquet.

Verſ. 36. *Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*] Hic per Filium ſeipſum manifeſte deſignat. Ipſe enim eſt Filius Dei κατ' ἐξοχήν, Filius unigenitus ac ſingulariſſimus, qui etiam factus eſt primogenitus ex mortuis, quique conſtitutus eſt hæres omnium rerum, ita ut nemo ſine ipſo, & ſine gratia ejus capeſſere hæreditatem vitæ æternæ queat. Infert autem hic Chriſtus jam ex ſuperiori probatione concluſionem, oſtenditque ſe recte ſupra credentibus in ſe promiſiſſe, ſi manſerint in ſermone ſuo, quod veritas eos liberos factura ſit ℣. 32. Quod vero illis dixerat, *veritas vos liberos faciet*, id hic dicit: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Veritas enim illa eſt Filii veritas, ſeu doctrina, per quam ille homines liberos facit. Tacite hic Chriſtus innuit, eos veram libertatem à peccato & peccati pœnis, neque à Moſe, neque à Sacerdotibus ſuis conſequi poſſe, ſed ſi eam obtinere velint, apud ſe ſolum eam quærendam eſſe. Quaſi dicat: Non Abrahamus vos liberos genuit; non Moſes, non Sacerdotes veſtri vos victimis ſuis reddunt liberos. Sed Filius ſolus eſt, qui vos perfecte poteſt liberos efficere. Proinde hunc recipite, in eum credite, & in ejus diſciplinam vos date: & qui jam credidiſtis, & diſciplinam ejus animo amplexi eſtis, conſtanter in ea perſeverate uſque ad finem.

Verſ. 37. *Scio quod ſemen Abrahami ſitis: ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non habet locum in vobis.*] Judæi ſuperius duo dixerant: primo quod ſint ſemen Abrahami, ſecundo quod nemini unquam ſerviverint. Hoc poſterius Chriſtus priori loco refutavit, negans conſequentiam, quam verbis ſuis nectere videbantur. Sic enim quodammodo argumentabantur. Non ſumus ullius mancipia ſecundum carnem. Ergo non opus eſt, ut tu nos liberes. Ad hanc argumentationem Chriſtus reſpondens, miſſum facit antecedens Enthymematis; quod etiam negare poterat: ſed vitans contentiones minus neceſſarias, conſequentiam ſolam

oſtendit falſam eſſe, docens, dari præter carnalem ſervitutem, aliam longe miſeriorem, ex qua ipſe poſſit eos liberos reddere: nempe ſervitutem peccati. Nunc autem Chriſtus reſpondet ad prius dictum Judæorum, monſtrans, eos genus Abrahami fruſtra jactare, cum moribus ei non reſpondeant, ſed ab ejus pietate atque indole plane degenerarint. Pulchre olim Marius apud Salluſtium oſtendit, iis qui à majorum ſuorum virtutibus degenerant, generis nobilitatem magis dedecori eſſe, quam ornamento. *Cum*, inquit de nobilibus, *apud vos aut in ſenatu verba faciunt, pleraque oratione majores ſuos extollunt: eorum fortia facta memorando clariores ſeſe putant; quod contra eſt. Nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. Et profecto ita ſe res habet. Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Hinc & Juvenalis egregie monet Ponticum:

- - - - Sed te cenſeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, ſic ut nihil ipſe futuræ
Laudis agas. Miſerum eſt alienæ incumbere famæ.

Merito igitur Chriſtus retundit turgidam iſtam & inanem Judæorum jactationem, qui Abrahamo patre ſuperbiebant, cum mores ejus ac virtutes non imitarentur. Videtur autem Chriſtus initio mollius quodammodo cum eis agere, ne ipſos à ſe ſtatim abalienet. Agnoſcit enim eos eſſe ſemen Abrahami, quod poſtea ℣ſ. 39, 40 videtur negare. Erat autem utrumque verum, & quod fuerint poſteri Abrahami, & quod non fuerint. Fuerunt ſecundum carnem: non fuerunt ſecundum ſpiritum, & quoad mores. Priori ſenſu igitur Chriſtus hic concedit, ac largitur eis, quod ſint ſemen Abrahami: poſteriori, idem negat.

Sed quæritis me interficere.] Hæc verba indicant, Chriſto hic non eſſe rem cum iis, qui in ipſum credidiſſe ſupra dicuntur ℣ſ. 31. Non enim eſt veriſimile, iſtos tam brevi intervallo eſſe mutatos, ut illum, in quem modo crediderant, interficere vellent. Nemo repente fit turpiſſimus. Quomodo ergo iſti tam ſubito evaderent ſceleſtiſſimi, eoſque fidei ſuæ fructus ederent, ut de tollendo Domino cogitarent? Quare, ut & ſupra monuimus, ſtatuendum eſt, Chriſtum hic loqui cum iis, quibus & ante animum ac voluntatem ſe interficiendi objecerat. Quod ex ſequentibus magis adhuc eluceſcit. Dum vero Chriſtus dicit, eos quærere, ut ſe interficiant, oſtendit non obſcure, eos eſſe ſervos peccati, & dicta à ſe ſuperius in genere, ad eos ſpecialiter applicat. Quaſi dicat: Non eo quidem inficias, vos Abrahami eſſe progeniem, quoad carnem, ſed hoc vos nihil juvat. Nihilominus eſtis mancipia affectuum ac cupiditatem veſtrarum. Quod vel ex hoc ſolo liquet, quod me cupiatis interficere. Et ſic patet, vos Abrahami ingenium nulla ex parte referre.

Quia ſermo meus non habet locum in vobis.] Gr. ὁ λογος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν. Quod vulgata verſio ad verbum reddidit: *Sermo meus non capit in vobis.* Quæ locutio prorſus eſt inuſitata: proprie enim dicendum erat, Vos non capitis meum ſermonem; vel, ſermo meus non capitur à vobis. Quomodo ſumitur hæc vox Matth. 19. 11. Sed hic χωρεῖ ponitur pro χῶρον ἔχει, id eſt, locum habet. Alii putant χωρεῖν hic ſignificare *ingredi*, *penetrare*; ut Matth. 15. 17. Sap. 7. 23. Senſumque adeo eſſe hoc loco: Sermo meus in vos non ingreditur, non penetrat in animos veſtros. Quicquid ſit, reddit Chriſtus hic cauſam, cur illi quærant ſe interficere; atque ita ſint mancipia peccati: quia in animum ſuum non admittant ſermonem ſuum. Dixerat ſupra: *Veritas vos reddet liberos.* Veritas iſta non alia eſt, quam ſermo ejus. Recte igitur Chriſtus demonſtrat hanc eſſe cauſam, cur illi ſint ſervi peccati, quia ſermonem ſuum, ſeu veritatem quæ liberat, in ſe non habeant. Sine Chriſti doctrina nemo liber eſſe poteſt, ac immunis à peccato, à morte ac damnatione ſempiterna.

Verſ. 38. *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos igitur, quod vidiſtis apud Patrem veſtrum, facitis.*] Quia dixerat ſermonem ſuum non habere locum apud eos, ne forte dicerent, ſe ideo ſermonem ejus non recipere, quia falſus ſit, probat eum eſſe veriſſimum, dignumque qui ab ipſis recipiatur. Simulque ſibi viam ſternit ad oſtendendum, eos non Abrahami, ſed Diaboli eſſe genuinos filios. Objecerat eis Chriſtus, quod ſtuderent ſe interficere. Ad hoc reſpondere potuiſſent, Merito id facimus, quia es ſeductor: tales autem in Lege jubentur occidi. Oſtendit ergo Chriſtus, ſe non eſſe ſeductorem: quia nihil aliud loquatur, quam quod vidit apud Patrem ſuum cœleſtem. Quomodo Chriſtus viderit apud Patrem ea, quæ locutus eſt, de eo vide ſupra cap. 5. 19, 30. VI. 46.

Et vos igitur, quod vidiſtis apud Patrem veſtrum, facitis.] Incipit jam durius eos tractare, & negare, quod ſint vera Abrahami progenies, tacite innuens, eos alium quendam patrem habere, erubeſcendum admodum, non Abrahamum. Quis vero ſit iſte pater, poſtea clare ac diſerte effatur ℣ſ. 44. Non eſt otioſa hic particula *igitur*. Eſt enim hic illatio à pari: quaſi dicat, Quemadmodum ego Patrem meum imitor, ita & vos veſtrum patrem. Ego loquor ea, quæ vidi ac didici apud Patrem meum. Ergo & vos nihil aliud facitis, niſi quod à veſtro patre didiciſtis. Notandum & hoc eſt, in Græco eſſe ποιεῖτε, quod & indicativo & imperativo modo verti poteſt, id eſt, poteſt reddi, *facitis*, vel *facite*. Sunt ex Interpretibus quidam, qui malunt imperandi modo hoc verbum accipere. Sed illi rurſus in explicando diſcrepant. Alii enim volunt, hunc eſſe ſenſum Chriſti verborum: Quando ita nobis placet, facite quod didiciſtis à patre veſtro diabolo, id eſt, occidite me. Mihi certum eſt pati, quia hoc mandatum accepi à Patre meo. Alii contra, ſi verbum ποιεῖτε imperandi ſignificationem habeat, putant, minime dubium eſſe, quin Abrahamum eorum patrem dicat. Nec enim juberet eos Chriſtus, ut diaboli, ſed ut Abrahami opera facerent. Verum probabilius eſt, verbum ποιεῖτε hoc loco indicativo modo *facitis*, potius quam imperativo *facite* eſſe convertendum. Videntur enim verba Chriſti reprehendentis magis eſſe, quam jubentis aut exhortantis.

Verſ. 39.

Verſ. 39. *Reſponderunt & dixerunt ei: Pater noſter Abrahamus eſt. Dicit eis Jeſus: ſi filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis.*] Subodorabant illi nare ſagaci, Chriſtum alio patre ipſos proſatos eſſe dicere, non Abrahamo. Ergo repetunt & ingeminant; patrem ſuum non alium eſſe, quam Abrahamum. Quaſi dicant: Tu nos dicis facere, quæ apud Patrem noſtrum viderimus. Atqui nos non habemus alium patrem, quam Abrahamum. Nihil ergo mali facimus: quia Abrahamus nihil mali fecit. Aut ſi nos male facimus, quia dicis, nos id facere, quod apud patrem noſtrum vidimus, neceſſe eſt, etiam dicas, Abrahamum ipſum, qui noſter pater eſt male feciſſe. Volunt ergo elicere aliquid è reſponſione Domini adverſus Abrahamum Patriarcham, quo populum excitent in caput ac perniciem illius, tanquam calumniatoris Sanctiſſimi Patriarchæ.

Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis,] Apertius jam Chriſtus (non tamen prorſus aperte) negat, eos eſſe Abrahami filios. Propoſitionem ſolam hic Chriſtus ponit, aſſumtionem & concluſionem autem vult ab eis ſubintelligi; quæ ſi addantur, fiet perfectus Syllogiſmus, hoc modo: Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis. Atqui opera Abrahami non facitis. Ergo filii Abrahami non eſtis. Propoſitio Chriſti nititur hac morali regula, quod filii debeant patriſſare, & parentes ſuos in moribus ac præclare factis imitari. Qui id non faciunt, jure negantur eſſe patrum ſuorum filii. Hinc illud Virgilii.

Non tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Sic Deus apud Eſaiam Seniores populi Iſraëlitici, propterea quod à moribus ſuis degenerâſſent, & Sodomitarum mores imitarentur, appellat *principes Sodomorum*, & Iſraëlitas *populum Gomorrhæ*: Eſai. 1. ℣. 10. Et apud Ezechielem Hieroſolymitanis dicit: *Radix tua & generatio tua eſt de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Hettæa*, Ezech. cap. 16. 3. Gravis hac in parte error habuit Judæos, quod putarent ad id, ut filii Abrahami eſſent, ſatis eſſe, ſi ex ſtirpe ejus quoad carnem naſcerentur: non animadvertentes, à Deo hic magis ſpiritum quam carnem, fidem ac pietatem quam ſanguinem attendi. Inde eſt, quod dicit Apoſtolus: *Non omnes, qui ſunt ex Iſraële*, intellige ſecundum carnem, *ſunt Iſraël. Neque qui ſunt ſemen Abrahami, omnes ſunt filii: ſed in Iſaaco vocabitur tibi ſemen. Hoc eſt, non qui filii carnis ſunt, ii ſunt filii Dei; ſed qui ſunt filii promiſſionis, reputantur in ſemine*, Rom. 9. 6, 7, 8, & alibi inquit: *Cognoſcite, quod qui ex fide ſunt, ii ſunt Filii Abrahami*, Gal. 3. 7. & ii *benedicantur cum fideli Abrahamo*, ℣. 9. Oſtenditque Gentes etiam extraneas, etiamſi quoad carnalem propagationem ex Abrahamo ortæ non ſint, ſi modo fidem & mores Abrahami imitentur, pro ejus poſteris ac filiis à Deo haberi.

Verſ. 49. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo. Hoc Abrahamus non fecit.*] Probat Chriſtus Aſſumptionem Syllogiſmi, quem modo in verbis Chriſti implicite contineri diximus, id eſt, probat, eos non facere opera Abrahami: eo argumento, quod ipſum non modo innocentem, ſed etiam divinæ veritatis annunciatorem, Deique legatum, & pluſquam Prophetam, velint occidere. Merito Chriſtus hoc flagitium ſubinde inculcat; nam & paulo ante ℣. 37. id illis objecit, eoque probavit, quod eſſent ſervi peccati, & nunc rurſus id repetit, ut probet, eorum opera eſſe diſſimilia ab Abrahami operibus. Nullum enim gravius ab homine committi poteſt ſcelus, nec impietas altius poteſt aſcendere, quam ſi quis homicida fiat ejus, quem Deus ad homines miſit cum gratioſo voluntatis ſuæ muncio. Homicidium per ſe eſt inter graviſſima ſcelera, ſi quis nimirum innocentem occidat: quanto vero gravius eſt, non tantum innocentem, ſed pium & ſanctum hominem occidere? Quid ergo dicemus, quam grave ſit, non modo innocentem, non modo ſanctum ſed Prophetam, eumque non vulgarem, ſed Chriſtum Dei, qui Prophetarum omnium caput eſt, ſed unigenitum & chariſſimum Dei filium occidere? Tale ſcelus ac flagitium in neminem cadere poteſt, niſi ſit jam perditiſſimus & corruptiſſimus, atque ex omnium vitiorum colluvione conflatus. Itaque licet Chriſtus hic unum tantum flagitium iſtorum Judæorum nominare videatur, tamen hoc nominato, multa ſimul flagitia nominavit, eaque illis ineſſe probavit.

Hoc Abrahamus non fecit.] *Hoc*, id eſt, tale quid non fecit Abrahamus, nihil fecit huic ſimile. Omnia in Abrahamo fuere contraria. Ille divinæ voluntati in omnibus fuit obtemperans, ita ut patriam relinqueret Deo jubente, filium ſuum Deo immolare paratus eſſet; tantumque abfuit à nocendo bonis innocentibus, ut etiam ignotis benefaceret. Judæi contra voluntati Dei adeo reluctantur ut ne patriam terrenam amittant, cœleſtem malint amittere patriam, & Filium Dei ipſum immolare volunt, id eſt, ipſam Dei pupillam tangere, tantum abeſt, ut aliquid cogitent facere, quod Deo gratum acceptumque ſit. Notandum hoc loco, eſſe quoſdam viros eruditos, qui exiſtiment verba Græca, τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν debere ſic reddi Latine: *Hoc Abrahamus non feciſſet.* Monſtrantque, ferre id linguæ Græcæ conſuetudinem, ut ſic vertantur; ut nimirum præteritum perfectum pro pluſquam perfecto uſurpetur. Rationem quoque addunt, qua evincunt, ita hoc loco verba reddenda eſſe: quia alioqui ridicule ſupponeretur, ætate Abrahami talem fuiſſe temporum conditionem qualis tunc erat; & quia jure Judæi potuiſſent regerere, Abrahamum id non feciſſe, quod illi faciebant, quia nihil tale ejus tempore acciderit, quod nunc accidit. Vide Wolfgangum Muſculum in hunc locum, & Bullingerum. Vide quoque infra ad ℣. 56.

Verſ. 41. *Vos facitis opera Patris veſtri. Dixerunt itaque ei: Nos ex ſcortatione non ſumus nati: unum patrem habemus Deum.*] Poſtquam oſtendit, eos non facere opera Abrahami, oſtendit cujus opera faciant: Vos inquit, facitis opera patris veſtri. Perinde ac ſi dicat: Vos jactatis & ingeminatis ſubinde,

patrem veſtrum eſſe Abrahamum. At hoc, ſi ex vero res æſtimetur, falſum eſt: veſtra opera, ſtudia, mores, ac vita tota ſatis arguit, vos prolem Sancti illius Abrahami non eſſe. Habetis vos alium patrem, cujus genuini eſtis liberi, cujus ingenium ac indolem factis veſtris exprimitis, quem in operibus ejus imitamini. Nondum autem Chriſtus patrem iſtum nomine deſignat, ſed illis intelligendum relinquit: ſicut & ſupra ℣. 38. Infra demum, cum videret eos monitis ſuis non molleſcere, nec emendari, imo ſubinde deteriores fieri, diſerte nominat hunc patrem, dicens: *Vos ex patre Diabolo eſtis* ℣. 44.

Nos ex ſcortatione non ſumus nati.] Intellexerunt Chriſtum, alium illis aſſignare patrem, præter Abrahamum. Itaque incandeſcunt, & hunc patrem ſcire volunt. Non tamen interrogant, quis ſit ille pater: ſed probant, ſe alium patrem non habere, præter Abrahamum, ex quo ſecundum carnem originem ducant. *Nos*, inquiunt, *ex ſcortatione non ſumus nati.* Quibus verbis indicant, ſi ex Abrahamo non eſſent nati, ſecuturum, eos ex ſcortatione natos eſſe. Qui enim non eſt verus & legitimus patris illius filius, cujus ſe eſſe dicit, eum ſpurium atque ex ſcortatione natum eſſe oportet. Quaſi dicant: Quid tu negas, nos veros eſſe Abrahami filios? & neſcio quem alium nobis patrem tribuis? An tu nos putas vago natos concubitu? & audes nobis inhoneſtatem natalium objectare? Hic ſenſus videtur eſſe ſimpliciſſimus horum verborum. Aliæ interpretationes mihi magis contortæ videntur: ut quod quidam volunt eos ſignificare, ſe non eſſe Iſmaëlis filios, ac poſteros, qui non ex vera conjuge Abrahami, ſed ex concubina fuit genitus. At ſic nihil ad rem dixiſſent: nam Iſmaël nihilominus etiam Abrahamum patrem habuit. Qui vero negat, eos habere patrem Abrahamum, ſimul eos neque Iſaaci, neque Iſmaëlis filios eſſe affirmat. Alii exiſtimant, eos ſcortationem more Sacræ Scripturæ idololatriam vocare. Quis vero tunc eſſet ſenſus: Nos non ſumus ex idololatria nati? Senſum hunc nemo non videt eſſe abſurdum. Quod ſi hoc ſibi voluiſſent, ſe ab idololatris atque profanis gentibus non trahere originem, proculdubio aliter locuti fuiſſent.

Unum patrem habemus Deum.] Hoc addunt, quia videntur aliquomodo ſuſpicari, Chriſtum de ſpirituali patre loqui. Itaque mens eorum eſt, ac ſi dicerent: Aut tu, cum negas Abrahamum eſſe patrem noſtrum, ſed alium eſſe affirmas, intelligis per iſtum alium, carnalem patrem; aut ſpiritualem, Si carnalem, neceſſe eſt, ut nos ex ſcortatione natos dicas: quod ſalva conſcientia ac veritate dicere non potes. Si vero intelligas ſpiritualem patrem, eum nos non habemus alium, quam Deum, qui per Moſen ad majores noſtros locutus eſt, dixitque: *Filius meus primogenitus eſt Iſraël*, Exod. 4. 22. Videmus hinc quam ſibi homines etiam turpiſſimi, omnibuſque impietatis maculis inſignes quales Judæi iſti erant, in peccatis ſuis blandiantur, ut non tantum majorum ſuorum virtutibus, quas tamen non imitantur, ſe jactent, verum etiam Dei ipſius, cui non obediunt, liberos ſe eſſe exiſtiment. Hæc eſt illa ἀπάτη τῆς ἁμαρτίας, id eſt, ſeductio & fallacia peccati Hebr. 3. 13. quando peccatum aucupis inſtar dulce canit, & ſecretam gannit in aurem peccatoribus, eos non poſſe gratia Dei excidere, ſed à Deo in filiorum numerum adoptatos, etiamſi maxime carnis cupiditatibus indulgeant, ſemper tamen Dei manere filios. Contra ejuſmodi peccati ſuſurros muniendæ ſunt aures, animoque alte infigendum, quod hic Chriſtus docet, eos qui peccatis dediti ſunt, non Dei, ſed Diaboli eſſe progeniem, etiamſi vel ex ſanctiſſimis majoribus prognati ſint, vel olim fuerint in numerum filiorum Dei recepti.

Verſ. 42. *Dixit igitur illis Jeſus: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis me utique: ego enim ex Deo exivi, & venio. Neque enim a meipſo veni, ſed ille me miſit.*] Eripit hic Chriſtus Judæis alterum ſolatium, quo ſe ſuſtentabant probatque, Deum non eſſe patrem eorum ſpiritualem. Utitur autem rurſus ad id probandum argumento morali. Filiorum enim eſt, non tantum parentes ipſos diligere, ſed etiam eos, quos illi diligunt, quique ad illos pertinent, vel ab eis mittuntur. Ex hac ergo nota verorum filiorum Chriſtus per contrarium argumentatur; oſtenditque eos non eſſe veros Dei filios, quia ſe non diligant, qui à Deo miſſus ſit. Se autem ab illis non diligi, jam ſupra oſtendit, cum dixit, eos hoc agere ac meditari, ut ſe interficiant. Qui Dei filii ſunt, adeoque Deum patrem habent, illi habent indolem divinam, amant res divinas, ſapiunt eis ac facile recipiunt ea, quæ à Deo proficiſcuntur. Qui vero averſantur res divinas, qui odio proſequuntur eos, qui veniunt à Deo & divina illis mandata afferunt, hi immerito filiorum Dei nomen ac titulum ſibi vendicant. Ita Chriſtus quo modo ſupra probavit, eos non eſſe filios Abrahami, quia non habeant indolem Abrahami: eodem etiam nunc probat, eos non eſſe Dei filios, quia non habeant indolem divinam, quia animus eorum ac ſtudia ſint Deo contraria. Inprimis autem nobis hic regula Novi Fœderis tenenda eſt, quod Deum nemo poſſit habere patrem, niſi Chriſtum diligat. In eo Deus nunc vult diligi atque coli: *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui miſit illum*, Joh. 5. 23. Et *ſi quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema Maranatha*, 1 Cor. 16. 22. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet*, 1 Joh. 2. 22. Quomodo autem à nobis Chriſtus diligendus ſit, ipſemet docet infra cap. 14. 21. *Qui habet præcepta mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me diligeretur à Patre meo.* Et rurſus ibid. ℣. 23. *Si quis diliget me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum.*

Ego enim ex Deo exivi.] Sunt qui hæc verba ad æternam Filii ex Patris eſſentia generationem atque emanationem trahant. Quam levis conjectura iſtis hominibus ſufficit ad colligendam rem tam arduam, tam abſtruſam, tamque ab omni ratione alienam, quæ vix credi poſſet, etiamſi totidem verbis ſcripta extaret? nedum ut tam parva indicia ad eam probandam ſufficere poſſint. *Ex Deo* hic nihil aliud eſſe, quam à Deo, animadverterunt etiam plerique ex adverſariis: ut ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον hic idem ſit, quod infra cap. 16. 27. παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον. Alioqui ſi nimis urgeas voculam ἐκ, pari jure etiam de omnibus

bus fidelibus concludi poterit, eos ex eſſentia Dei genitos eſſe, quia dicitur, eos eſſe ex Deo infra ỳſ. 47. imo de omnibus creaturis quoque dicitur, quod ſint ex Deo, 1 Cor. 8. 6. Rom. 11. 36. Nihil igitur aliud hic Chriſtus ſibi voluit, quam ſe à Deo miſſum eſſe, & ſic in mundum veniſſe; non quidem ut naſceretur, ſicut alii interpretantur, qui hæc verba Chriſti ad incarnationem trahunt: ſed ut mandata Dei nobis exponeret. Chriſtiani hodie credunt, adventum Chriſti in mundum præceſſiſſe nativitatem ejus. At Scriptura Sacra contrario ordine loquitur, & prius eum natum, poſtea in mundum veniſſe aſſerit. *Ego ad hoc natus ſum*, inquit Chriſtus ipſe, *& ad hoc veni in mundum, ut dem teſtimonium veritati*, Joh. 18. 37. Et Paulus Apoſtolus ait Deum *miſiſſe Filium ſuum natum ex muliere, natum ſub Lege*, Gal. 4. 4. Ergo non propterea eum miſit, ut naſceretur.

Neque enim à meipſo veni, ſed ille me miſit.] Toties Chriſtus hoc inculcat: quaſi ſcilicet ſi à ſeipſo veniſſet, verus Meſſias non eſſet, ſed ſeductor. Unde patet, eum ſummum Deum non eſſe. Nam ſi verus Meſſias ipſe Deus ſummus eſſe debuiſſet, ut hodie maxima pars Chriſtianorum ſentit, contrario eſſet argumentandum modo: atque inde Chriſtus optime probaſſet, ſe eſſe verum Meſſiam, quia à ſe ipſo veniſſet. A ſeipſo enim venire nihil aliud eſt, quam proprio arbitratu, propriaque auctoritate venire. Deus autem ſummus aliter, quam propria auctoritate atque arbitratu venire non poteſt. Cum ergo Chriſtus negat ſe à ſeipſo veniſſe, id tantundem valet, atque ſi ſeipſum ſummum Deum eſſe negaret. Equidem cui non ſunt Saturniæ lemæ in oculis, is facile videt Chriſtum non aliter ſuum officium ac vocationem probare, quam alii Prophetæ veri probabant ſe non proprio motu atque arbitrio, ſed à Deo miſſos venire dictitantes. Opponitque ſe Chriſtus non obſcure falſis Prophetis, qui à Deo non miſſi, adeoque propria auctoritate veniebant; de quibus conqueritur Deus apud Prophetam: *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*, Jer. 23. 21. E talium prophetarum numero ſe Chriſtus eximit, & ſe Dei, à quo miſſus eſt, tuetur auctoritate: nolens ſibi credi, propter ſuam auctoritatem, ſed propter alienam. At ſic agere, non eſt Dei Altiſſimi.

Verſ. 43. *Propter quid loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum.*] Poſtquam Chriſtus probavit, Judæos neque Abrahamum, neque Deum habere patrem: jam eis declarat, quis ſit eorum verus pater ſpiritualis, dicitque non alium eſſe, quam Diabolum. Ita vero hanc rem aggreditur, ut prius cum eis expoſtulet, quod hactenus id ex dictis ejus non intellexerint. Quærit enim ex eis: Διὰ τί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; id eſt *Propter quid*, vel quare, *loquelam* vel locutionem *meam non cognoſcitis*, ſeu non intelligitis? Communiter exiſtimant Interpretes, Chriſtum hic per loquelam ſuam deſignare ſuam doctrinam, & accuſare Judæos, quod doctrinam ſuam non recipiant, & aures ab ea avertant. Quo ſenſu admiſſo, erit hic novum quodammodo argumentum, quo probat, eos non eſſe Dei filios, quia non agnoſcant locutionem atque doctrinam ſuam, quæ eſt ipſius Dei. Solent filii parentum ſuorum vocem agnoſcere, ſicut infra innuit Chriſtus de ovibus, quod agnoſcant vocem paſtoris ſui, Joh. 10. 27. Perinde ergo eſt atque ſi diceret Chriſtus: Si veſter Pater eſt Deus & vos ejus filii, qui fit, quod non intelligatis meam doctrinam eſſe divinam doctrinam? Quicquid divinum eſt, ſeu quicquid à Deo eſt, id filii Dei in rebus divinis exercitati facile agnoſcunt. Vos igitur cum non agnoſcatis divinitatem doctinæ meæ, indubitatum eſt, vos filios Dei non eſſe. Videtur tamen hic ſenſus eſſe paulo coactior: præſertim cum nuſquam Chriſtum alibi doctrinam ſuam λαλιὰν appellaſſe legamus. Malim itaque hæc Chriſti verba referre ad ea, quæ paulo ante præceſſerant; ubi dixerat: *Vos, quod vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*, ỳſ. 38. Et deinde: *Vos facitis opera patris veſtri*, ỳſ. 41. Hoc illi non intellexerant, de quonam patre loqueretur: objiciebantque primo Abrahamum, poſtea Deum eſſe patrem ſuum, neque ſe ex ſcortatione natos eſſe dicebant, & ſic injuria quodammodo ſe affectos à Chriſto querebantur, quaſi tacite illegitimitatem natalium eis exprobraſſet. Chriſtus igitur hoc vult dicere: Quid eſt, obſecro, quod loquelam meam, id eſt, id quod modo locutus ſum de patre veſtro, non intelligatis? Cur, quid mihi velim, non capitis, ſed modo hoc, modo illud, quod ad rem minime pertinet, injicitis ac reſpondetis?

Quia non poteſtis audire ſermonem meum.] Quæſtionis à ſe propoſitæ ipſe cauſam reddit: quaſi dicat Scio ego, quæ ſit iſtius rei cauſa. Non vultis intelligere mea verba, quia vobis ingrata ſunt: radit aures veſtras ſermo meus; ideo eas clauditis & obturatis inſtar aſpidis, quæ aures ſuas avertit à voce incantantium. Alioqui verba mea non ſunt adeo difficilia intellectu; facile poſſetis aſſequi, ſi velletis, de quo ego patre veſtro loquar: ſed de induſtria non percipitis, quo tendat meus ſermo; quia eum non poteſtis ferre, injucundus vobis eſt & peracerbus. Dicit, eos non poſſe audire ſermonem ejus, quia ægre, quia abhorrentibus animis audiebant. Ita ſupra audivimus Capernaumitas dicentes: *Durus eſt hic ſermo; quis eum poteſt audire?* cap. 6. 60. Indicant, moleſtum ſibi atque injucundum eſſe ejus ſermonem. Maxime vero hoc loco Judæis veritas moleſtiam creabat, qua nihil eſt mordacius teneris auriculis, quales improbi habere ſolent, qui cum malefacere non timeant, male audire tamen nolunt. Atqui juſtum eſt, ut qui facit, quod vult, audiat, quod non vult.

Verſ. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis facere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non ſtetit: quia veritas non eſt in eo. Quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt & pater ejus.*] Hic jam Chriſtus ſcapham ſcapham, & ligonem ligonem appellat, & patrem verum illorum ſceleratorum Judæorum, quem hactenus tecte ſignificaverat tantum, diſerte nominat. Quaſi dicat: Quia vos non vultis intelligere ſermonem meum, & data opera alio refertis verba mea, quam ego intendo; explicabo igitur me clarius, & dicam abſque circuitu & ambagibus,

quisnam sit pater vester, cujus genuina estis proles. Observanda est in tota hac Christi cum Judæis actione mire prudens ejus lenitas. Non statim ab initio in scelera eorum impetuose invectus est, sed primum significavit, non dixit, eos esse servos peccati: deinde concedit aperte, eos esse semen Abrahami, certo scilicet respectu, alio autem respectu id non aperte negat, sed tantum innuit. Postea cum vellet ut Diaboli se veram sobolem esse scirent, non nominavit Diabolum, sed bis tantum indicavit, eos alium habere patrem, quam Abrahamum. Tandem cum videret eos affectare stuporem, & nolle sermonem ejus atque intentionem intelligere, sed magis magisque fieri contumaces, demum quasi invitus atque coactus accedit ad duriora verba, edisserens eis mysterium hactenus absconditum, depingitque illos iis coloribus, quibus digni erant. Unde cernimus, in corripiendis malis aliquando acerbitate verborum uti licere, quando rei gravitas postulat. In primis hypocritis nefariis, & sub obtentu religionis veritatis ac pietatis cursum sufflaminantibus parcendum non est. Talium hominem acris reprehensor fuit Johannes Baptista. Vide Matth. 3. 7. Tales & alibi Christus ipso styli mucrone conscidit Matth. 23. per totum. Quis nescit, quanto rigore Petrus in Simonem magum, Paulus in Elymam usus sit? Vide Act. 8. 20. XIII. 10. Et ne sanctis tantum illis ac divinis viris id licuisse putes, legimus Paulum etiam Tito id præscribere, ut Cretenses illos semper mendaces, malas bestias, ventres pigros, acriter objurget, Tit. 1. 12, 13. Idem Apostolus obtestatur Timotheum, ut instet tempestive & intempestive, arguat ac increpet, 2 Tim. 4. 2. Ex quo patet, non omnem rigorem & acrimoniam in dicendo lenitati ac mansuetudini Christianæ esse contrariam. Interea tamen cautio adhibenda est, ne facile ad ejusmodi acrimoniam deveniamus. Prius mollia & mitiora remedia tentanda sunt; quibus si nihil proficiatur, tum demum ad duriora & amariora descendendum est. Deinde danda est opera, ne quis pravus & inordinatus affectus se admisceat, ne objurgationes acriores fiant animo ultionis cupido, vel studio lædendi, sed ut nihil nisi emendatio & ædificatio proximi quæratur. Plenum charitatis, mansuetudinis, longanimitatis, ac prudentiæ, &, ut uno verbo dicam, paternum animum gerere debet, is qui objurgat: qualem animum hic gessisse Christum videmus.

Vos ex patre Diabolo estis.] Hæc verba non de natura sunt intelligenda: (nam ratione naturæ & essentiæ suæ ex Deo erant, ut & ipse Diabolus) sed de moribus: id est, erant illi filii Diaboli, non secundum carnem, sed secundum spiritum; non Physice, sed Ethice, non carnali generatione, sed impietatis imitatione. Sicut filius Abrahami dicitur, qui facta Abrahami æmulatur: sic & filius Diaboli is dicitur, qui facit opera Diaboli: ut Christus ipse mox explicat. Ex similitudine morum æstimatur, an aliquis Dei vel Diaboli sit filius. Quam vero pudenda res sit, Diabolum habere patrem, nemo non videt. Si quis ergo detestatur & adversatur hunc patrem, is etiam peccata & vitia omnia aversetur oportet, alioqui non effugiet, quin tam pudendum habeat Patrem. Quod hic Christus in specie dixit Judæis, id in genere Johannes in Epistola sua pronunciavit de omnibus hominibus peccato deditis. *Qui facit peccatum*, inquit, *ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat*, 1 Joh. 3. 8.

Et cupiditates patris vestri vultis facere.] Continetur his verbis ratio, cur eos ex Diabolo esse dixerit, & simul explicatio, quid sit ex patre Diabolo esse. Videtur hic Christus ita argumentari: Quicunque facit cupiditates Diaboli, ille est ex patre Diabolo. Atqui vos vultis facere cupiditates Diaboli. Ergo. Supra dixit Christus ℣. 41. eos facere opera patris sui, id est, Diaboli; hic dicit, eos velle facere cupiditates ejus. Unde manifestum est, opera Diaboli in his cupiditatibus ejus includi. Sunt enim cupiditates Diaboli ea, quæ Diabolus cupit. Quid vero ille aliud cupit ac desiderat, quam ut homines operentur malum, ut omnis generis peccata committant? Animadvertendum etiam hic est, Christum non frustra non dicere simpliciter de Judæis: Vos cupiditates patris vestri facitis; sed, Vos cupiditates patris vestri *vultis facere*. Quibus verbis non hoc significat, eos velle tantum facere, & reipsa non facere cupiditates Diaboli: nam Judæi isti etiam actu peccatores erant gravissimi. Sed hoc sibi vult Christus, eos non illibenter, non refragante animo ac voluntate, sed sponte ac voluntarie facere, id quod Diabolo placet. Est enim inter eos qui peccant differentia. Non protinus omnis qui peccat, est filius Diaboli. Potest enim fieri, ut quis peccet ex ignorantia, ex humana fragilitate atque inadvertentia; talis adhuc potest esse filius Dei. Sed si quis peccet sciens ac volens, dedita opera, ex mera malitia, aut saltem ex supina negligentia atque adeo contemtu mandatorum Dei, is demum filius Diaboli evadit, & ad familiam tam abominandi patris pertinet.

Ille fuit homicida à principio.] Ut melius ostendat, quam Judæi sint Diabolo moribus similes, quamque non frustra dixerit, eos velle facere cupiditates Diaboli, describit paucis Diaboli ingenium, naturam atque opera: inprimis autem duo notat in eo attributa, in quibus Judæi maxime eum imitabantur, & cupiditates ejus volebant facere. Homicidium scilicet, & mendacium. De homicidio inquit: *Ille homicida fuit ab initio.* Vox *initii*, Seu principii semper ad subjectam materiam restringitur, & ad id, de quo agitur, accommodanda est. Hic ergo vel diaboli initium intelligitur, quod ex quo cœpit esse Diabolus, seu ex quo tempore à Deo rejectus est, statim insidiatus sit hominibus, ut eos perderet. Vel saltem intelligitur initium hominis, quod simul ac homo extiterit, statim Diabolus cogitarit, quomodo eum occideret. Non inscite Augustinus: *Ex illo tempore*, inquit, *ille homicida est, ex quo potuit fieri homicidium; & ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo.* Homicida autem fuisse dicitur Diabolus ab initio, quia primos mox parentes nostros Adamum & Evam artibus in errorem ac rebellionem contra Deum pellectos occidit, & non tantum mortis ipsorum causa extitit, sed etiam ut in omnes homines mors pervaderet,

deret, effecit. Cum autem Chriſtus dicit, eum fuiſſe homicidam ab initio, non indicat, eum initio tantum talem fuiſſe, poſtea vero deſiiſſe; ſed ſignificat eum & poſt initium talem manſiſſe, & adhuc talem eſſe. Non enim dicit, erat homicida *in initio*, ſed *ab initio*, intellige uſque ad hoc tempus: ita ut hac locutione continuatio iſtius homicidii ſignificetur. Certe non multo poſt initium ille armavit & inſtigavit Cainum in exitium fratris ſui Abelis. Incitavit & poſtea ſemper homines ad cædes mutuas, atque etiam hodie incentor eſt bellorum: gaudetque ſanguine, latrociniis, & hominum interitu. Dum vero hic Chriſtus homicidii nominatim meminit, tacite perſtringit Judæos, & vult ſubintelligi, eos eodem morbo ſtimulari in cædem innocentis hominis; quemadmodum ſupra ſemel atque iterum eis objecit, quod ſibi necem machinentur: atque ſic revera eos eſſe filios & inſtrumenta Satanæ, cujus voluntatem exequi ſtudeant, indicat.

Et in veritate non ſtetit.] Jam ab altero attributo deſcribit Diabolum, nempe à mendacio. Vulgo autem ita accipi ſolent hæc verba, quod non perſtiterit atque perſeveraverit in integritate & juſtitia naturæ ſuæ, in qua creatus erat à Deo. Eodem ſenſu ſcribit Judas, Angelos non conſervaſſe ſuam originem, ſed reliquiſſe proprium domicilium Jud. vſ. 6. Quo pacto veritas hic accipienda foret, pro rectitudine, puritate, juſtitia, atque adeo pro complexu omnium virtutum. Et ſane negari non poteſt, nonnunquam ita ſumi vocem veritatis in Sacris Literis: ut Joh. 3. 21. Rom. 2. 8. 1 Cor. 5. 8. XIII. 6. 3 Joh. 3. 4. Sed probabilius videtur veritatem hic ſtrictius & in propria ſignificatione ſumi, quatenus opponitur mendacio. De mendacio enim hic potiſſimum agitur, ut circumſtantiæ loci docent. Conſentaneum proinde eſt, veritatem hic eam intelligi, quæ in loquendo conſiſtit: in qua dicitur Satanas non ſtetiſſe, ſubintellige ἀπ' ἀρχῆς id, quod de homicidio dictum fuerat, *a principio*. Græce eſt: ὅτι οὐκ ἔστηκεν. Verbum ἔστηκεν multos fefellit, qui quia id ſignificat ut plurimum *perſtare*, *permanere*, ac *perſeverare*, inde intulerunt, non poſſe hic verba de ſola in loquendo veritate intelligi: quia ſic indicaretur, Diabolum veritatem aliquando, priuſquam mentiri inciperet, locutum eſſe; quid autem ille veri unquam prius ſit locutus, id nuſquam inveniri. At non animadverterunt, vocem illam Græcam non ſemper permanentiam ac perſeverantiam ſignificare: ſed aliquando tantum ſimpliciter rei exiſtentiam. Vide Matth. 12. 46. XVI. 28. Joh. cap. 18. 16. Itaque ſenſus verborum non alius eſt, quam Diabolum à principio non inſtitiſſe veritati, id eſt, ab initio ſtatim mentitum eſſe, cum ſcilicet diceret Evæ in paradiſo: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod quocunque die comederitis de hoc fructu, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*, Gen. 3. 5

Quia non eſt veritas in eo.] Id eſt, quia veritas in eo nullum locum habet; totus eſt ex mendacio, fallaciis, fraudibus ac dolis compoſitus. Eſt hoſtis omnis veritatis, procul eam fugit, & quanto poteſt odio eam proſequitur. Hæc eſt ejus natura, hoc ingenium.

Quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur.] Explicat, quomodo in Diabolo non ſit veritas, dum oſtendit, nihil magis ipſi proprium eſſe, quam mendacium loqui. Poteſt quidem Diabolus etiam aliquando verum loqui. Certe tunc cum clamabant dæmones, Chriſtum eſſe Filium Dei, vel Sanctum Dei, non mentiebantur Mar. 1. 24. Luc. 4. 34. 41. Sed innuit hic Chriſtus, Diabolum ſi quando verum loquatur, non ex ſe, non de proprio loqui, ſed eum id aliunde quaſi accipere. Mendacium autem eſſe rem ipſi propriam, quam à nemine didicerit, vel acceperit, ſed quam ipſe primus excogitarit.

Quia mendax eſt, & pater ejus.] Confirmat & explicat, quod dixerat, quaſi dicat; Propterea ex propriis loquitur Diabolus, quando mendacium loquitur, quia totus eſt mendacio deditus, & ſicut ab ipſo incepit primum mendacium, ita etiam poſtea ab eo ad alios dimanavit, ita ut quicquid mendacii in orbe eſt, ab eo ortum ſit. Mirum eſt repertos fuiſſe aliquos è Veteribus, qui pronomen *ejus* ad Diabolum retulerint; quaſi Chriſtus dixiſſet: Et ipſe Diabolus, & pater ejus mendax eſt. Ut ita ſtatuerint, Diabolum quoque habere neſcio quem patrem. Videatur Epiphanius Hæreſ. 38. & 40. nec non Hieronymus ad Eſai. 24. Singularis etiam hic ipſius Epiphanii ſententia eſt, qui multis probat, Diabolum, de quo Chriſtus hoc loco agit, eſſe Judam, cujus filii Judæi appellentur à Chriſto, quia illi potius prodenti Chriſtum, quam Chriſto Euangelium prædicanti, & tot miraculis illud confirmanti credere maluerint. Adductus vero in eam ſententiam eſt eo, quod paulo ſupra cap. 6. 70. Chriſtus Judam diabolum appellaverit. Itaque cum hic dicitur, *quia mendax eſt & pater ejus*, putat patrem Judæ ſive Cainum, ſive Diabolum deſignari. Quod neſcio quis dixit de Philoſophis antiquis, id merito etiam de iſtis Patribus Eccleſiaſticis dici poteſt, quod nihil tam ſtultum ſit, quod non ab aliquo ex iis dictum ſit. Adeo ineptæ & abſonæ aliquando ſunt eorum interpretationes, ut mirum ſit, quomodo eis in mentem venire potuerint. De Diabolo ipſo hic ſermonem eſſe, equidem tam clarum eſt, ut nonniſi qui de induſtria prævaricari velit, aliter poſſit verba Chriſti accipere. Patrem vero aliquem Diaboli comminiſci, plane inſanum eſt. Pronomen ergo *ejus* referendum eſt ad vocem τῷ ψεύδει, quod paulo ante præceſſerat: ut ſignificetur, Diabolum non modo ipſum per ſe *mendacem* eſſe, ſeu ad mentiendum pronum ac propenſum, ita ut libenter mentiatur, ſed etiam *patrem*, id eſt, auctorem, fontem atque propagatorem eſſe omnis mendacii. Per eum introducti ſunt in mundum omnes errores, falſæ religiones, falſi Dii, vanæ ſpes, fallaciæ, fraudes, perjuria, fædifragia, & quicquid omnino à veritate deviat.

Verſ. 45. *Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi,*] Hactenus Chriſtus duo præcipua attributa Diaboli, quibus ille inſigniter excellit, homicidium & mendacium, deſcripſit: ut oſtenderet, Judæos eſſe Diaboli veros filios, quia eum in iſtis vitiis imitarentur. Sed quod homicidium attinet, id Chriſtus non applicat ad Judæos, ſed ipſis

applicationem faciendam relinquit. Satis enim superius aperte dixerat, eos trucidandi se animum gerere. Posterius autem de mendacio, quia res per se non adeo clara erat, expresse hic ad Judæos accommodat: ostendens, eos mendacio magis, quam veritate delectari, ut merito ex illorum amore mendacii, & odio veritatis, concludi possit eos Diabolo esse simillimos, adeoque patris istius nefandi germanos filios. Videtur autem Christus, ut eos in mendacio convinceret, potius debuisse probare, quid ipsi mentiantur, vel mendacium loquantur, quam quod non credant veritati. Et potuisset sane Christus facile exempla mendacii eorum producere: sed animadvertendum est, gravius esse amare mendacium: eoque delectari, quam simpliciter mendacium aliquod proferre. Magis ex illo elucet animi perversitas, & ingenium Diabolicum, quam ex hoc. Potest enim hoc ex repentino aliquo affectu fieri ab eo, cujus animus peregrinatur tantum in malitia, non habitat. Illud vero judicium est inveteratæ ac confirmatæ in animo malitiæ. Non reprehendit autem Christus simpliciter in eis, quod non credant sibi veritatem loquenti. Potest enim hoc etiam in bonum ac pium virum cadere, ut ei qui veritatem loquitur, non credat; quia potest nescire, illum verum dicere. Sed Christus hoc in eis notat, quod ideo sibi non credant, quia veritatem loquatur. Quasi dicat: Si ego mendacium loquerer, si mendacia ad vos afferrem, reciperetis ea, & mihi fidem adjungeretis. Nunc ideo me rejicitis, quia non mendacium, sed veritatem loquor. Ita ob hoc ipsum mihi non creditis, ob quod maxime credere deberetis, nimirum quia veritatem loquor. Quod est manifestum indicium, vobis invisam esse veritatem, & ex adverso mendacium vobis esse gratissimum. Ex quo jure infero, ingenium vestrum esse Satanicum, vosque patrem habere Diabolum. Est hic emphaticum illud pronomen *Ego*; opponit enim se Diabolo quasi dicat, Diabolus, quia mendax est, & mendacia disseminat, facile apud vos fidem invenit, vultisque ejus desideria facere: at ego, quia verax sum, & nihil nisi veritatem ipsam propono, à vobis respuor ac repudior. Indicat Christus, Judæos non ex veritatis ignorantia, credere sibi noluisse; sed eos fuisse in conscientiis suis satis convictos, quod veritatem loqueretur; verum quia veritas illa adversa fuit ipsorum studiis ac cupiditatibus, propterea eos petulanter veritati restitisse. Vide Joh. 3. 19, 20.

Vers. 46. *Quis ex vobis arguit me de peccato? Si autem veritatem dico, quare vos non creditis mihi?*] Probat, eos nullam habere causam justam, cur sibi ac doctrinæ suæ credere non debeant: postea autem versu sequenti ostendit veram causam, ob quam illi licet ita se res habeat, quod nullam habeant legitimam causam non credendi, tamen sibi non credant. Poterant illi ad id, quod proxime Christus dixerat, regerere: Non propterea nos tibi non credimus, quia veritatem dicis; sed contra potius, quia mentiris. Dicis enim, te esse à Deo missum, & te ita geris, tanquam sis Messias: cum id falsum sit. Es potius seductor, es pseudopropheta. Huic tacitæ objectioni occurrens Christus ostendit, se pseudoprophetam non esse, sed ipsissimam veritatem à Deo afferre. Probat autem id ex innocentia & sanctitate vitæ suæ. Et perinde est, ac si vellet dicere: Si ego essem pseudopropheta, si mentirer, me à Deo missum esse, oporteret me esse hominem nequam, & omni genere improbitatis refertissimum. Non potest enim tale mendacium, nisi in hominem depravatissimum cadere, & nisi ex animo omni timore ac reverentia divini Numinis vacuo proficiscatur. Itaque fieri non posset, quin passim conspiceretis in me & actionibus meis signa superbiæ, vel avaritiæ, vel injustitiæ, vel ebrietatis, vel perversitatis, vel aliorum flagitiorum. At nunc cum nihil tale in me monstrare possitis, nullo jure mihi mendacium objicitis, & pseudoprophetam esse suspicamini. Pseudoprophetæ ex fructibus suis optime cognoscuntur. Non potest enim arbor mala, nisi malos fructus producere. In me nullos videtis malos fructus. Ergo ego non sum Pseudopropheta.

Quis ex vobis arguit me de peccato?] Sunt qui *peccatum* hic accipiendum esse censeant pro mendacio, quia opponatur veritati; quasi sensus sit: Quis vestrum potest in doctrina mea ullam falsitatem ostendere? quis me potest convincere in eo, quod vel minimum quid, quod veritati contrarium sit, doceam? Sed nihil necesse est, ut à proprietate vocis peccati recedamus. Et sensus ille, quem supra exposuimus, est multo plenior, & solidior. Cæterum admirabilis fuit ista in Christo παῤῥησία, quæ ex summæ ac perfectissimæ sanctitatis conscientia proficiscebatur, quod tam oculatos, tam lynceos, tamque sibi infensos adversarios tam confidenter provocare ausus sit: quasi dicat, Scio vos esse diligentissimos dictorum ac factorum meorum observatores: non potest vos latere, quomodo me geram sive publice, sive privatim; nota vobis est tota vitæ meæ ratio. Agite ergo; si quis vestrum est, qui sciat me aliquid unquam commisisse, quod virum bonum atque Dei timore præditum non deceat, exurgat, prodeat in medium, & me in eo convincat. Sine dubio tam acres Christi inimici, si quid in eo notassent criminis, illico tunc prorupissent, atque id Christo exprobrassent. Sed ne tantillum quidem erat, quod in eo carpere posset livor. Tanta fuit vitæ Christi puritas. Vere fuit agnus immaculatus ac irreprehensibilis 1 Pet. 1. 19. qui peccatum non fecit ullum, neque inventus est dolus in ore ejus 1 Pet. 2. 22. Non dicit autem Christus: Quis ex vobis accusabit me de peccato, vel quis objiciet mihi peccatum? Sed, quis me arguet, id est, convincet? quis justis argumentis, signis, vel testibus probabit de me aliquod peccatum? Alioquin enim Judæi sæpe Christo tum blasphemiam, tum Sabbati violationem, tum ingluviem ac vinolentiam objecerunt: sed nihil horum unquam probare potuerunt. Verbum ἐλέγχειν, convincendi significationem habere patet ex locis similibus, Matth. cap. 18. 15. Joh. 16. 8. Tit. 1. 9, 13. Videmus hinc, quanto studio enitendum sit iis, qui alios docent, ut non verbis tantum, sed & exemplo doceant, ut sint exemplaria gregis, ut monet Petrus 1 Pet. 5. 3. Etenim

Turpe

Turpe eſt doctori, quem culpa redarguit ipſum.

Facile eſt facienda docere, ſed faciendo docere, hoc artis eſt. Nullum eſt efficacius docendi genus, quam ſi cum verbis docentis vita conſentiat. Qui bene docet, & male vivit, is quod una manu ædificat, altera diruit. Non abluditab hac re, quod olim ſapientiſſimi inter Ethnicos virtutem ac innocentiam ad conſtituendum bonum Oratorem requiri ſtatuerunt, ſic definientes Oratorem, quod ſit vir bonus dicendi peritus. Ubi in definitione virtuti primum dedere locum, non tantum, quia bene dicendi peritia abſque virtute inſania quædam eſt, & quaſi gladius in manu furioſi; ſed etiam, quia ipſa per ſe virtus facunda ſit & diſerta, facileque perſuadeat. Eſt enim fidei plena, & magnæ apud homines auctoritatis, quod eloquentiæ caput eſt, cujus finis eſt perſuadere. Cato quamvis Stoicus magis, quam diſertus eſſet, uno tamen verbo res maximas efficiebat. Hæc nimirum virtutis eloquentia eſt. Virtus igitur non ſolum bonæ actionis, ſed & bonæ orationis magiſtra eſt. Vide ſi placet, apud Quintilianum lib. 12. Inſtit. Orat. elegantem diſſertationem de eo, quod non poſſit Orator eſſe, niſi vir bonus. Simile quid habet Apulejus in diſertiſſima Apologia ſua, ubi oſtendit, innocentiam eſſe maximam eloquentiam.

Si autem veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Poſtquam demonſtravit, ſe non eſſe pſeudoprophetam, ac proinde non mendacium, ſed veritatem ipſam docere, quærit, quam cauſam habeant, cur ſibi non credant? Quaſi dicat, Nullam cauſam habetis. Ubi enim conſtat veritatem eſſe, nulla cauſa eſt non credendi. Homines etiam hodie non ſunt contenti, ſi quis illis veritatem afferat, ſed volunt, ut qui veritatem affert, ſimul afferat antiquitatem, ſucceſſionem Epiſcoporum, conſenſum Patrum, auctoritatem Conciliorum, & neſcio quæ alia acceſſoria. Sed iſtis, qui habet veritatem, cum Chriſto dicere poteſt; *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Veritas nullis indiget phaleris: imo nuda veritas eſt optima, & fide maxime digna. Ut autem conſtet veritatem eſſe divinam & ſalutarem, ſatis eſt hodie, ut in Sacris Literis fundata ſit.

Verſ. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propter hoc vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*] Præcedenti verſiculo probavit Chriſtus Judæos nullam cauſam habere, cur doctrinam ſuam nolint recipere: cum ſit ipſa veritas: nunc veram cauſam monſtrat, ex qua fiat, quod eam non recipiant: quia nimirum ex Deo non ſint. Hallucinantur enim abſque omni dubio, qui putant hic argumentum eſſe inverſum ac permutatum, & potius dicere debuiſſe Chriſtum, *Propterea ex Deo non eſtis; nam non auditis.* Quod enim illi dicunt Chriſtum non hoc velle concludere, ipſos non audire verbum Dei, quoniam ex Deo non ſint; ſed contra velle probare, ipſos non ex Deo, ſed ex Diabolo eſſe, ex eo, quod verba Dei non admittant: falſum eſt. Non enim hic vult probare, eos ex Deo non eſſe. Hoc jam ſatis in ſuperioribus probavit: ſed tanquam probatum id jam ſupponit, & hanc dicit eſſe cauſam, cur verbum Dei non audiant, neque recipiant. Sunt etiam, qui ſe hic anxiæ ſatigent, ut Syllogiſmum bonum ex his Chriſti verbis forment. Si enim Syllogiſmum nectere velis ex verbis ita ut jacent, acceptis; vitioſus erit Syllogiſmus: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Judæi non ſunt ex Deo. Ergo Judæi verba Dei non audiunt. Qui Syllogiſmus in prima figura formatus habet minorem negantem: quod eſt contra regulas Logicas. Et hæc fortaſſis cauſa fuit Bezæ, ut commutandam ſeriem verborum Chriſti in hoc argumento putaret, ut modo diximus. Si enim ſic inverteretur argumentum, ut ille vult, fieret Syllogiſmus in ſecunda figura legitimus. Alii ſentiunt, invertendam eſſe illam Chriſti propoſitionem: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*; ut tranſponatur prædicatum in locum ſubjecti, & viciſſim, ita: *Qui audit verba Dei, ex Deo eſt.* Vos non eſtis ex Deo. Ergo non auditis. Qui Syllogiſmus etiam bonus eſt in ſecunda figura. Sed non placet hic quicquam in verbis Chriſti immutari. Itaque iterum alii ſunt qui dicunt, affirmantem hanc propoſitionem; *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*; continere virtute in ſe & hanc negantem, Qui ex Deo non eſt, verba Dei non audit. Quæ propoſitio ſi Majoris loco ponatur, licebit tum aſſumere: Atqui Judæi ex Deo non ſunt. Unde ſequeretur legitima concluſio: Ergo Judæi verba Dei non audiunt. Quomodo vero hic Syllogiſmus non conſtet ex puris negatis, varie ſe rurſus macerant. Quidam concedunt, Syllogiſmum eſſe omnibus partibus negatum, & tamen bene concludere, vi materiæ, ſeu propter terminorum reciprocationem, & naturalem rerum, ut cauſæ & effecti, conjunctionem ac conſecutionem: quia ſublata cauſa propria tollitur etiam effectus. Quidam vero ſtatuunt, negationem in Medio termino reſolvi hic in infinitam, quaſi dicatur: Quicunque ſunt ex eorum numero, qui non ſunt ex Deo, illi verba Dei non audiunt. Atqui Judæi ſunt ex eorum numero, qui non ſunt ex Deo. Ergo. Atque ſic ajunt non negantem, ſed affirmantem eſſe Syllogiſmi hujus Minorem. Verum animadvertendum eſt, Chriſtum non hoc velle probare atque concludere, Ergo Judæi non audiunt verba Dei; quemadmodum in hoc poſteriori Syllogiſmo concluditur. Hoc enim non erat opus, ut probaretur. Res erat manifeſta, quod illi verba Chriſti, quæ hic Dei vocantur, non audirent, id eſt, non reciperent. Sed hoc eſt, quod Chriſtus vult hoc loco probare, quod illi propterea non audiant, ſeu quod hæc ſit cauſa, cur doctrinam ſuam non recipiant, quia ex Deo non ſint. Hanc autem veram eſſe cauſam iſtius rei, probat hoc argumento: quod quicunque ex Deo eſt, verba Dei audiat. Unde patet, non poſſe ex his verbis, niſi hypotheticum formari Syllogiſmum. Perinde atque ſi dicerem: Qui habet alas, volat. Homo propterea non volat, quia non habet alas. Ubi non hoc volo concludere: Ergo homo non volat. Hoc enim ipſis ſenſibus obvium eſt. Sed hoc volo demonſtrare, cauſam cur homo non volet, hanc eſſe, quod careat alis. Ad eundem modum & hic procedit in argumento ſuo Chriſtus. Verum miſſis his Logicis ſpinis, (quæ tamen hic non ſunt omnino inuti-

inutiles, ad mentem & ſcopum verborum Chriſti melius intelligendum) conſideremus potius, quid ſit, *Eſſe ex Deo.* Hoc vero optime intelligi poteſt ex antitheſi, ſeu ex oppoſita phraſi, *Eſſe ex Diabolo*: quod nihil aliud eſſe Chriſtus ipſe ſupra explicavit, quam velle adimplere ac exequi cupiditates Diaboli, tanquam patris ſui; idque præterea declaravit expreſſis certis peccatis, nempe homicidio & mendacio, in quibus Judæi Satanam imitari voluerunt. Unde efficitur ut ſicut *ex Diabolo eſſe*, nihil aliud eſt, quam improbo eſſe animo, & ad flagitia ac ſcelera quævis prompto; ita contra *ex Deo eſſe*, idem ſit, quod probitate animi eſſe præditum, amantem eſſe virtutis ac veritatis, averſum eſſe à malo, & ſtudioſum eſſe veræ pietatis. Ideo autem tales ex Deo eſſe dicuntur, quia non tantum Deum habent auctorem, ſed etiam naturam ejus quodammodo participant, eique ſunt ita ſimiles, ac ſi ex eo ſati, & ejus veluti progenies & pars aliqua eſſent. Sumitur vero hæc phraſis in Sacris Literis aliquando ſtrictiori ac perfectiori, aliquando laxiori & imperfectiori ſignificatione. Priori ſignificatu deſignantur ii, qui jam per Euangelium Chriſti, Deique Spiritum ſunt prorſus renovati ac regenerati: quales ut fiant poſt acceptam veritatis notitiam, omnibus Chriſtianis contendendum eſt, Vide 1 Joh. 3. 9, 10. v. 1, 4, 18, 19. 3 Joh. 11. Hoc loco autem ſumitur phraſis iſta ſenſu poſteriori, id eſt, laxo & minus perfecto. Sermo enim hic eſt non de iis, qui jam voluntatem Dei in Euangelio revelatam cognitam habent, & in Chriſtum jam crediderunt, ſed de iis, qui nondum credunt, nec doctrinam Chriſti receperunt. Ab iſtis Chriſtus non requirit, ut jam perfecte pii ac regenerati ſint, quo fiant apti ad eam recipiendam: ſed hoc tantum requirit, ut ſint animo ad pietatem ac virtutem omnem diſpoſiti, ut virtutibus delectentur, & à vitiis abhorreant. Vide quæ diximus ſupra ad cap. 7. 17. qui locus ſi cum hoc conferatur, patebit, *Ex Deo eſſe*, nihil aliud eſſe, quam quod ibi dicitur, *velle facere voluntatem Dei*: quemadmodum hic paulo ante indicatum eſt à Chriſto, *Ex Diabolo eſſe*, ſignificare, *velle facere cupiditates Diaboli.* Qui ejuſmodi phraſi, *Ex Deo eſſe*, vel generationem ex eſſentia divina, vel decretum quoddam abſolutum prædeſtinationis ab æterno factæ denotari colligunt, ex iis quæ modo dicta ſunt, ſatis refutantur.

Verba Dei audit.] Intellige non ſimpliciter, ut ea tantum auribus excipiat. Nam ſic ea audire etiam illi poſſunt, qui ex Deo non ſunt. Et ſic ea etiam audiebant Judæi. Sed *audire* hic idem eſt, quod libenter & cum aſſenſu audire, credere, ac recipere doctrinam Chriſti, eaque delectari. Vocat autem hic Chriſtus verba ſua *verba Dei*, quia jam toties ſupra declaraverit, ſe non à ſeipſo loqui, ſed ea ſolum, quæ audivit à Deo, & doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed ejus à quo miſſus eſt.

Verſ. 48. *Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus ſis tu, & dæmonium habeas?*] Quia Chriſtus unicam cauſam, ob quam Judæi nollent recipere doctrinam ſuam, oſtendit eſſe ipſorum malitiam & improbitatem: quod vitiis immanibus dediti, ſanctitatis ac juſtitiæ, proinde & veritatis hoſtes eſſent: illi quia ſentiebant hæc nimis vere dici, propemodum in rabiem aguntur, & cum nihil in mundo eſſet rationum, quas veritati opponerent, nil niſi maledicta & convitia Chriſto reponunt. Quo agendi modo confirmant id, quod de ipſis Chriſtus dixerat, nempe quod non ex Deo ſint, ſed ex patre Diabolo.

Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus ſis tu?] Non legimus uſquam antea, eos Chriſtum Samaritanum appellaſſe. Sed apparet, ex hac eorum confeſſione, eos ſolitos fuiſſe & alias hac infami appellatione Chriſtum conſpurcare. Non credebant autem ipſi, cum eum Samaritanum dicerent, id verum eſſe. Dicebant & objiciebant tamen, quia nimirum ira furorque mentem præcipitaverat. Vide quæ dicta ſunt ad cap. 7. 20. Quanquam ſunt, qui putent, fuiſſe quoſdam è Judæis, qui Chriſtum vere Samaritanum eſſe crediderint: ideo quod Galilæa vicina eſſet Samariæ; ac propterea Galilæos aliquando Samaritanos vocatos eſſe. Sed hoc non eſt veriſimile. Interea probabile eſt, eos occaſionem aliquam habuiſſe, Chriſtum ita appellandi: nempe vel quod cum Samaritanis aliquando converſaretur, & per duos dies apud eos manſiſſet; Joh. 4. ℣. 40. vel quod Samaritanorum multi in eum crederent Ibid. ℣. 41. vel etiam quod illum hæreticum, ſchiſmaticum, apoſtatam à Lege, & populi Judaici hoſtem, æque ac Samaritanos crederent.

Et dæmonium habes.] Hoc etiam ſupra cap. 7. 20. objectum legimus. Vide etiam infra cap. 10. 20. Quo pertinet & illud, quod alibi dixerunt, eum in Beelzebule principe dæmoniorum ejicere dæmonia, Matth. 9. 34. XII. 24. Nunc autem objiciunt, ut oſtendant, eum Diabolico agi Spiritu, & Diaboli partes tueri, dum deroget illis, qui Dei ſolius peculiaris ſint populus, negans eos ex Deo eſſe, ſed patrem habere Diabolum affirmans.

Verſ. 49. *Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honoro Patrem meum; & vos contumelia afficitis me.*] Egregium hic Chriſtus præbuit exemplum, quomodo maledicta maledictis non ſint retalianda, ſed patienter ferenda. Samaritani objectionem, quia nihil aliud erat, quam impotentis iræ ejectamentum indignam duxit quam confutaret, cum ilia gloriæ divinæ nihil nocere poſſet, & ſatis alioqui conſtaret, eum è Samaritana gente non eſſe ortum. Docuit nos Chriſtus, multas calumnias optime tacendo refelli, & ad maledicta ſæpe non reſpondendo reſpondendum eſſe. Dæmoniaci vero appellationem ſilentio non præterit; quia hic agebatur de gloria Dei, potuiſſetque facile fides, & veritas, ac certitudo doctrinæ, nec non miraculorum ejus apud ſimplices labefactari. Nimirum ad ejuſmodi calumnias reticendum non eſt, quæ Dei gloriam, vel etiam bonam famam noſtram inter homines lædere poſſunt, ne quis modeſtiam (ut Salluſtiana utar phraſi) in conſcientiam ducat. Sed in reſpondendo & purgandis criminibus ſumma adhibenda eſt moderatio ac manſuetudo: qualem hic in Chriſto cernimus qui objectum crimen tam innoxie, tam leniter depulit, ut ſimpliciter tantum affirmationi calumniantium negativam ſuam opponeret, eamque argumentis quam modeſtiſſime probaret.

Sed

Sed honoro Patrem meum.] Oſtendit, ſe non dæmonis, ſed Dei Spiritu regi, hoc argumento, quod omnia ſua dicta & facta directa ſint ad honorem & gloriam Dei Patris ſui. Quaſi dicat: Nihil commercii, contractus ac ſyncretiſſimi mihi intercedit cum dæmone, cujus rei hoc eſt certiſſimum documentum, quod mihi honore ac cultu Dei nihil ſit antiquius, quodque Dei gloriam omni ſtudio ſemper promovere ſtudeam. Diaboli ingenium & natura eſt Deo adverſari, ejuſque nomen ignominia afficere: hoc ejus perpetuum eſt ſtudium, ut omnem Dei cultum ac gloriam calcet atque ſubvertat. Ego contra totus in hoc ſum, ut Deus verus, qui Pater meus eſt, ab omnibus colatur, honoretur ac glorificetur. Ipſe quoque nomen ejus deprædico, ipſi omnem gloriam tribuo, & quicquid ſcio ac poſſum, ipſi acceptum refero. Denique præcepta ac leges ejus tam accurate obſervo, ut vos Momi, qui in meis actionibus inſpectandis toti Argi eſtis & oculei, ne minimam quidem labeculam in vita mea deprehendere queatis. Adeo etiam fama de moribus meis mentiri veretur.

Et vos contumelia afficitis me.] Non tantum modeſte & citra omnem impatientiam Chriſtus crimen ſibi impactum diluit, ſed eadem modeſtia quoque illis crimen obiicit, & de injuria ſibi illata conqueritur. Oſtendit, dignum ſe fuiſſe, qui aliter ab eis tractaretur, ut pote qui ſit Dei ad ipſos legatus, imo Dei Filius modo excellentiſſimo, adeoque prorſus indignus omni contumelia. Pereleganter Apulejus in Apologia ſua: *Eſt pudentis & verecundi animi, etiam falſa vituperatione gravari; cum & hi qui ſibi delicti alicujus conſcii ſunt, tamen cum male audiunt, impendio commoveantur, & obiraſcantur: quanquam exinde ubi male facere cæperunt, conſueverint male audire. Quod ſi à cæteris ſilentium eſt, tamen ipſi ſibimet conſcii ſunt, poſſe ſe merito increpari. Enim vero bonus & innoxius quiſque rudes & imperitas aures ad male audiendum habens, & laudis aſſuetudine contumeliæ inſolens, multo tamen ex animo laborat, ea ſibi immerito dici, quæ ipſe poſſit alius vere objectare.*

Verſ. 50. *Ego vero non quæro gloriam meam; eſt, qui quærat, & judicet.*] Ne dicerent: Itane te tantopere afficit contumelia? Ita ne omnis probri impatiens es? Apparet te velle honorari & adorari; tibique cordi eſſe gloriam tuam. Occupat hanc objectionem dicens: Non eſt, quod exiſtimetis, me propterea conqueri de contumelia, quam mihi intuliſtis, quod adeo gloriæ meæ ſtudioſus ſim. Ego facile carere poſſum iſto honore, quem alioqui mihi debetis. Sed de gloria Dei agitur, & de veſtra ſalute: quam vos in ſummum diſcrimen adducitis, dum in me Deum offenditis, & per latus meum ipſi contumeliam facitis. Obſervandum hic eſt, Chriſtum non quæſiviſſe gloriam ſuam, per ſe ac ſimpliciter, ſed quæſiviſſe eam tamen, quatenus cum Dei gloria conjuncta eſt: & eatenus quoque hodie licet Chriſtianis gloriam ſuam quærere. Quam vero hæc locutio, *Ego non quæro gloriam meam*, minime conveniat ei, qui eſt Deus Altiſſimus, oſtendimus ſupra cap. 7. 18.

Eſt qui quærat, & judicet.] Hoc addit ideo, ne arbitrentur, cum ipſe præ modeſtia ſuarum nolit eſſe ultor injuriarum, poſſe ſe impune in eum debacchari, & animi ſui libidinem in eum exercere. Significat, etiamſi ipſe gloriam ſuam ambitioſe non quærat, eſſe talem alium, nempe Deum, cui honor ac gloria ſua curæ ſit, qui ægre ferat, ſe ab eis indigno tractari modo, & qui ſibi quidem pro patienter toleratis contumeliis redditurus ſit immortale præmium, & ſe gloria atque honore cæleſti coronaturus, illos vero pro illatis ſibi injuriis ſit graviſſime puniturus. Diſcendum hinc, quod quando nos gloriam noſtram negligimus, & ſolam Dei gloriam quærimus, Deus vicißim noſtram quærat gloriam; quando vero nos Dei gloria neglecta, noſtram quærimus gloriam, quod tunc Deus ſuam gloriam cum reprehenſione & ignominia noſtra quæſiturus ſit. Diſcendum quoque, non tuto deſpici ac violari pios & modeſtos, injuriarumque ſuarum contemtores, quia Deus tanto gravior injuriarum iſtarum ultor eſt, quanto iſti longius ab omni ultionis cupiditate ac cogitatione abſunt. Qui impatiens eſt, is vindictam præripit Deo, ut nihil opus ſit Deo vindice, cum ipſe jam ſit ſui vindex. At qui Deo jubente à vindicta abſtinet, ille patientia ſua obligat Deum ad vindictam. Nam & diſciplinæ intereſt omnino, injuriam vindicari: quia metu ultionis omnis iniquitas refrenatur; contra vero magna peccandi illecebra eſt ſpes impunitatis. Itaque cum piis & innocentibus interdixerit Deus vindicta, neceſſe eſt, ut eam ipſe præſtet; uti dixit: *Mihi ultio, ego rependam, inquit Dominus*, Rom. 12. 9. *Alioqui* ut argute diſſerit Tertullianus, *ſi tantum patientiæ pondus non modo non repercutiendi, ſed & aliam maxillam præbendi, & non modo non remaledicendi, ſed etiam benedicendi, & non modo non retinendi tunicam, ſed amplius & pallium concedendi, is mihi imponit, qui non ſit me defenſurus, in vacuum patientiam præcepit; non exhibens mihi mercedem præcepti, patientiæ dico fructum, quod eſt ultio: quam mihi permiſiſſe debuerat, ſi ipſe non præſtat, aut ſi mihi non permittebat, ipſe præſtaret.* Pulchrum & illud ejuſdem: *Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus eſt. Si injuriam depoſueris apud eum, ultor eſt: ſi damnum, reſtitutor: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?*

Verſ. 51. *Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.*] His verbis Chriſtus, omiſſa jam defenſione ſui, & telam contentionis quaſi abrumpens, revocat eos ad magis neceſſariam de ſalute curam, & ad ſuſpiciendam doctrinam ſuam eos exhortatur, unicum hoc medium eſſe demonſtrans, quo æternam perditionem poſſint effugere. Perinde ac ſi dicat: Quid opus eſt iſtis altercationibus? mittamus jurgia, & hoc potius, quod jam vobis dicam, attendite. Jam quidem non ſemel id vobis dixi, ſed & nunc iterum iterumque moneo & inculco, ut reſipiſcatis, & doctrinam meam recipiatis. Nam hoc ſcitote pro certo, etſi vos me adeo deſpiciatis, & floccipendatis, Deum tamen me eo dignatum eſſe honore, ut nemo niſi per me & per ſermonem meum ſervari queat. Doctrina mea, quam vos reſpuitis, eſt medium cer-

certiſſimum evadendi è ſempiterno interitu, & perveniendi ad vitam æternam. Non ſatis eſt, ut Moſis ſermonem ſervetis, ſed meum multo perfectiorem ut ſuſcipiatis neceſſe eſt. Itaque ſi quis adhuc ſanis conſiliis ac monitis apud vos locus eſt, capeſſite hoc medium, ne pereatis in æternum.

Si quis ſermonem meum ſervaverit.] Idem hic eſt *Servare ſermonem Chriſti*, quod ſupra ℣. 47. *audire verba Dei.* Sermo enim Chriſti nihil aliud in ſe continet, quam verba Dei; & non aliter audienda ſunt verba Dei, quam ut ſerventur, id eſt, in animum recondantur, plena eis fides adhibeatur, & ubi opus eſt, executioni mandentur.

Mortem non videbit in æternum.] Id eſt, non morietur morte æterna. *Videre mortem* Hebraiſmus eſt, ſignificans idem quod mori: ut contra *videre vitam* eſt idem quod vivere, vel vitæ participem eſſe, Vide Joh. 3. 36., Mors piorum temporalis non habetur pro morte, ſed pro ſomno. Hinc dormire, vel obdormiviſſe in Sacris Literis dicuntur. Quemadmodum per vitam ſimpliciter poſitam ſcriptura ſæpenumero intelligit vitam æternam, quaſi temporaria vita non ſit vita: ita & mortis ſimplici nomine ſolet ſcriptura æternam mortem deſignare, quaſi temporaria mors non ſit mors. Huc facit, quod Chriſtus ait, Deum non eſſe Deum mortuorum, ſed viventium: Matth. 22. 32. *Omnes enim vivunt Deo*: ut addit Lucas cap. 20. 38. Merito igitur pro mortuis non habentur, nec inter mortuos numerantur, qui etſi hominibus non vivant, vivunt tamen Deo. Quod quomodo intelligendum ſit, vide dicta ad Matthæi modo citatum locum. Notandum autem, Chriſtum hic minus dixiſſe, quam poterat dicere. Nam non tantum mortis æternæ expers erit, qui ſervat Chriſti ſermonem, ſed etiam gloria cæleſti donabitur.

Verſ. 52. *Dixerunt ergo ei Judæi: Nunc cognovimus, quod habeas dæmonium. Abrahamus mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum?* Tam miti & manſueto Chriſti reſponſo, tam amica & præclara invitatione atque admonitione, non tantum non emollita ſunt & inclinata ad reſipiſcentiam adverſariorum ejus pectora, ſed magis magiſque in malitia animos ſuos obfirmant; omnia dicta Chriſti trahentes in deterius, & convitiis convitia ſua cumulantes.

Nunc cognovimus, quod habeas dæmonium.] Putant ſe nunc reperiſſe aliquid, quod merito carpere, & in quo genuinum infigere poſſint. At illis accidit id, quod illi, qui, ut ait Poëta,

—— Fragili quærens illidere dentem,
Infringit ſolido: —— ——

Ut poſtea videbimus. Ajunt, ſe nunc cognoviſſe; quaſi dicant. Nunc habemus certum & indubitatum argumentum, quo in noſtra de te ſententia confirmamur, quod dæmonium habeas. Antea conjectura tantum nitebamur, nunc rem ipſam manibus tenemus.

Abrahamus mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum? Verba Chriſti eo ſenſu acceperunt, quaſi dixiſſet, fideles ne temporali quidem morte morituros. Hoc eis nimis abſurdum viſum eſt, ut putarint talem ſermonem non poſſe proficiſci ab homine ſanæ mentis, ſed tantum ab eo, qui à dæmone obſeſſus rationis ſuæ compos non eſt. Ut ergo Chriſtum ad abſurdum deducant, proferunt exempla ſanctiſſimorum & Deo amiciſſimorum hominum, qui Dei ſermonem exacte ſervaverint, & tamen à morte ſervati non ſint. Indeque argumentantur, furioſi ac lymphatici eſſe, promittere id obſervantibus ſermonem ſuum, quod nec laudatiſſimis contigit Patriarchis, aut Prophetis, quibus locutus eſt ipſe Deus. Quod Chriſtus dixit *Non videbit mortem*, id illi dicunt, *Non guſtabit mortem.* Apud Hebræos enim iſta ſunt ſynonyma: reſque eadem eſt, quamvis tranſlatio ſumta ſit à diverſo ſenſu; illic à viſu, hic a guſtu. In ejuſmodi phraſibus ponitur ſpecies pro genere; nempe videre, vel guſtare, pro ſentire. Sentiunt autem mortem, qui moriuntur. Diſcrimen, quod hic faciunt Origines & Chryſoſtomus inter *videre mortem* & inter *guſtare mortem* merito ridetur à doctis.

Verſ. 53. *Num tu major es patre noſtro Abrahamo, qui mortuus eſt? & Prophetæ mortui ſunt: quem tu teipſum facis?* Quaſi dicant: Vide quanta ſit tua arrogantia: quam te ſuper Abrahamum, quem merito tanquam patrem omnes veneramur, ſuper Moſen, omneſque Prophetas efferas. Eſtne hoc hominis pii ac modeſti? imo eſtne hoc hominis ſani? Annon hæc eſt Diabolica ſuperbia & jactantia, qui ſe omnibus anteponit? Facere ſeipſum aliquem, eſt tribuere ſibi id, quod non habeas. Vide ſupra cap. 5. ℣. 18, & infra cap. 10. 33.

Verſ. 54. *Reſpondit Jeſus: Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe.*] Ex hac reſponſione Chriſti liquet, *glorificare ſeipſum*, & *facere ſeipſum aliquid*, idem valere. Non negat Chriſtus, ſe majorem eſſe Abrahamo, Moſe & omnibus Prophetis; quod illis abſurdum videbatur: ſed negat ſe facere ſeipſum illis majorem, docetque Deum eſſe, qui ipſum majorem iis effecerit. *Si* inquit *ego me ipſum glorifico*, id eſt, ſi ego me ipſum facerem tam magnum, ſi me ipſe ſupra tantos viros efferrem, ſi mihi ipſe arrogarem & ſumerem tantam gloriam; *gloria mea nihil eſt*, id eſt, vana atque inanis eſſet mea gloriatio. Mirum equidem eſt, ſi Chriſtus eſt ipſe Deus ſummus, quomodo ſic de ſe loqui potuerit. Quomodo enim gloria, quæ à ſupremo Deo proficiſcitur & qua Deus ſupremus ſeipſum glorificat, vana atque inanis eſſe poteſt? Et quomodo Chriſtus glorificationem à Patre profectam, ea in parte opponeret glorificationi à ſe profectæ, quod illa vera ac ſolida ſit, hæc autem vana & falſa, ſi ipſe eſt idem ille unus Deus, qui Pater? Quod hic quidam dicunt, eum non ex veritate, ſed ex Judæorum opinione locutum, vel etiam ex communi præſumptione juris, qua nemini in judicio creditur, pro ſe dicenti: id merum eſt duntaxat effugium. Cur enim Chriſtus mallet ex opinione Judæorum loqui, quam ex veritate? Certe propter opinionem Judæorum, vel propter neſcio quam præſumtionem

nem juris falſum loqui Chriſtus non debuit. Saltem non debuit ſermone ſuo falſam opinionem de ſe in hominibus gignere, vel eis confirmare. Poterat Chriſtus, ſi iſtam præſumtionem juris ſpectare voluit, nolle ſibi credi pro ſe dicenti, ideoque nihil de ſe ſimpliciter aſſerere, quod alioqui vere aſſererе poſſet: Sed non opus erat propter hanc præſumtionem negare ea, quæ vere ipſi competebant. Talis enim negatio ſine falſitate adhiberi non poteſt. Denique Chriſtum ex veritate, non ex opinione hominum dixiſſe, *Ego non glorifico me ipſum*: patet clariſſime ex loco Hebr. 5. 5. Illud vero ridiculum eſt, quod affert Auguſtinus: *Hæretice*, inquit, *annon legiſti ipſum Filium dicentem, quod glorificat Patrem ſuum? ſic & ille Filium glorificat & Filius Patrem glorificat: pone pervicaciam, agnoſce æqualitatem, corrige perverſitatem.* Reſponſio tanto Doctore Eccleſiæ minime digna. Quis enim non videt luſum & homonymiam in verbo *glorificandi*? Etiam fideles homines dicuntur glorificare Deum: an ergo eſt æqualitas inter eos & Deum? Aliter, dices, homines glorificant Deum, & aliter Deus homines. Recte: ergo Chriſto quoque oſtendendum erat, quod non aliter, ſed eodem modo glorificet Patrem, quo hic illum glorificat. Et an obſecro, Pater etiam de ſe ita loqui poſſet: Ego ſi me ipſum glorifico, gloria mea nihil eſt? An Pater etiam unquam oravit Filium, ut ſe glorificaret, ſicut Filium id à Patre oraſſe legimus? Joh. 17. 1, 5. Ne alia nunc commemorem.

Eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis eſſe Deum veſtrum.] Aperte deſcribit illis Patrem ſuum, quod hoc nomine non alium deſignet, quam Deum illum unum. Non dicit autem ſimpliciter, qui eſt Deus veſter, ſed *quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe*: qua locutione negat quodammodo, Deum eſſe vere ipſorum Deum. Quodammodo, inquam: nam non omnino etiam negat. Erat enim Deus eorum, quia eum profitebantur: non erat, quia ipſi non obtemperabant, & rejiciebant eum, dum rejiciebant Chriſtum. Cæterum cum Chriſtus Deum Iſraëlitarum dicit eſſe Patrem ſuum, eccur non liceat ſic argumentari: Deus Iſraëlitarum eſt Pater. Chriſtus non eſt Pater. Ergo Chriſtus non eſt Deus Iſraëlitarum.

Verſ. 55. *Et non noſtis eum, ego autem novi eum. Et ſi dicam, quod non norim ipſum, ero ſimilis veſtri, mendax. Sed novi eum, & ſermonem ejus ſervo.*] Adimit illis cognitionem Dei, qua illi maxime gloriari ſolebant, Vide Rom. 2. 17. & ſeqq. Tit. 1. 16. Quaſi dicat: Quamvis dicitis, eum eſſe Deum veſtrum, tamen eum non noſtis. Jactatis quidem & profitemini nomen Dei, habetis illud in ore, ſed vera ejus notitia eſtis deſtituti. Neſcitis quis ſit iſte Deus, quæ ſit ejus voluntas, quam ſit beneficus erga pios, quam ſeverus in impios. Nam ſi hoc ſciretis, ejus præcepta ſervaretis, vitaretis hypocriſin; ac veræ ſanctitati ſtuderetis, magis ſpiritualia, quam carnalia ſaperitis, ac proinde nec me rejiceretis, qui ſanctiſſimam doctrinam vobis à Deo affero. Loquitur hic Chriſtus de cognitione Dei practica, non theoretica. Hanc habebant Judæi, ſed illa carebant. Illam intelligit ſcriptura, quoties de impiis negat, eos noſſe Deum, Vide 1 Joh. 2. ℣ſ. 3, 4. 2 Theſſ. 1. 8. 1 Joh. 3. 6. Includitur autem in practica cognitione Dei pietas, tanquam effectus in cauſa ſua, per Metonymiam: quia ſi illa vera ſit atque perfecta, pietatem omnino ex ſe parit. Cum ergo Judæi Chriſto objicerent inanem jactantiam & arrogantiam, quod ſe faceret neſcio quem eximium, & omnibus Sanctis viris eminentiorem: ipſe oſtendit, illos potius eſſe vanos jactatores, qui id ſibi tribuant, quod non habeant; dum dicunt Deum eſſe Deum ſuum, ejus cultu religione ac Lege ſuperbiunt; interim vero eum non norunt, non colunt ut decet, Legemque ejus non obſervant.

Ego autem novi eum.] Proinde nihil ex vana ambitione de me aſſero, nec fruſtra Deum Patrem meum appello. Eum enim ut Patrem meum veneror, ac colo, ipſi gloriam omnem tribuo, mihi nihil vendico; Ille me inſtruxit perfecta ſui ac voluntatis ſuæ cognitione. Si proinde Deum perfecte noſſe vultis, à me diſcatis oportet, & meum ſermonem atque doctrinam recipiatis, quam ſi ſervaveritis, ut dixi, de morte aliquando triumphabitis. Hæc cum prædico & affirmo, vos putatis me fingere: at ego non ficta, non ignota loquor; bene novi Deum ejuſque voluntatem.

Et ſi dicam, quod non norim ipſum, ero ſimilis veſtri, mendax.] Duo ſunt mendacium hominum genera. Unum eorum, qui Deum non norunt, & tamen jactant ſe eum noſſe, adeoque cognitionem Dei ſibi falſo arrogant. Sic enim ait Johannes in ſua Epiſtola: *Qui dicit, Novi eum, & præcepta ejus non obſervat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt*, 1 Joh. 2. 4. Alterum eorum, qui norunt Deum ac voluntatem ejus, negant vero ſe eum noſſe. Tales ſunt omnes, qui veritatem agnitam in cordibus ſuis premunt, eam propter metum hominum vel alias carnales cauſas profiteri non audent, ſed intra ſe & pectoris ſui latebras eam ſtrangulant. Omnes iſti mendaces ſunt & hypocritæ, in Deum & in veritatem ejus injurii. Ait igitur Chriſtus, ſi negaret ſe noſſe Deum, ſi reticeret veritatem, quam Deus à ſe prædicari ac omnibus manifeſtari voluit, non minus mendax eſſet quam illi. Ut enim illi è priori erant mendacium genere, ita ipſe eſſet è poſteriori genere. Docet Chriſtus, nullo modo cognitionem Dei diſſimulandam eſſe. Nam ut ipſe Dominus dixit alibi: *Non accenditur lucerna ideo, ut ponatur ſubter modium, ſed ponitur in candelabrum, ut luceat omnibus, qui ſunt in domo*, Matth. 5. 15. Marc. 4. ℣ſ. 21. Non propterea Deus dat hominibus talentum cognitionis ſuæ, ut id in terram defodiant, ſed ut negotientur, & quam plurimos homines lucrifaciant. Vide Matth. 25. 14. & ſeqq. Luc. 19. 12. & ſeqq.

Sed novi eum, & ſermonem ejus ſervo.] Quaſi dicat: Ne igitur ſim mendax, ſicut vos eſtis, repeto id, quod dixi, & iterum aſſero, me noſſe Deum; non nego notitiam ejus, ſed eam aperte profiteor. At ne dicerent: Facile tu potes id affirmare de te, quod Deum noris melius, quam nos; ſed quomodo id probas? Idcirco addit: *Et ſermonem ejus ſervo.* Sic explicat, quid ſit noſſe Deum, nempe ſermonem, id eſt, mandata ejus ſervare. Hic eſt optimus modus probandi, quod quis cognitione Dei

præditus sit. Multi multa amant de sua in rebus divinis scientia prædicare, cognitionemque Dei nemo non sibi adscribit: at cognitio vera Dei non in verbis, sed factis consistit: Hinc Jacobus: *Si quis sapiens & peritus inter vos, ostendat ex bona conversatione opera sua in mansuetudine sapientiæ*, Jac. 3. 13. quasi dicat; Sapiens es? ostende opera tua. Non verbis id jacta, sed reipsa & factis proba. Dum autem Christus se ita nosse Deum asserit, ut sermonem ejus servet, simul Judæos, quibus obiecerat, quod Deum non noverint, negat sermonem seu præcepta Dei servare. De se jure sane illud affirmare potuit, cum ipso provocante: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nemo criminis ullius eum reum peragere potuerit; & præterea in hac ipsa cum Judæis disputatione convitiis ac contumeliis ab eis oneratus atque consputus, ostenderit revera, ut docet Jacobus, opera sua in summa mansuetudine sapientiæ. Tanta mansuetudo Christi ac lenitas non aliunde profecta est, quam ex eo, quod Deum revereretur, præceptaque ejus animo infixa haberet. De Judæis etiam non minus jure pronunciare potuit Christus, quod non nossent Deum, sermonemque ejus non servarent: quia improbitas eorum satis manifesta erat, dum ipsum à Deo missum studebant truncidare, dum aperte veritati divinæ pertinaciter reluctantur, dum convitiorum plaustra conjiciunt in Christum, & se impotentes, iracundos superbos ac malitiosos esse abunde demonstrant.

Vers. 56. *Abrahamus pater vester exultavit ut videret diem meum: & vidit, & gavisus est.*] Quia invidiosam de Abrahamo instantiam attulerant, eam ex professo diluendam duxit, utque probet, non esse absurdum, quod illi absurdum putabant, si ipse sit major Abrahamo, ostendit quam ipse Abrahamus magni fecerit eum, quem illi tantopere aspernabantur. Dicit, *pater vester*, id est, de quo vos adeo gloriamini: nam & illi *pater noster* dixerant ℣. 53. & supra aliquoties eum nominarant. ℣. 33. 39. Poterat illum Christus & suum patrem appellare, sicut Matthæus appellat cap. 1. 1. sed quia Patrem suum versu 54. dixerat esse Deum, parum conveniens erat, ut jam Abrahamum patrem suum vocaret; præsertim cum vellet significare, se eo majorem esse. Deinde ideò potius *vester* dixit, quam *noster*, quia voluit tacite Judæos perstringere, atque indicare, eos esse degeneres Abrahami filios, quod cum pater ipsorum Abrahamus vehementer optaverit videre diem suum, ipsi minime optent, & quem ille absentem cum gaudio desideraverit, ipsi præsentem fastidiant, ac odio capitali prosequantur.

Exultavit, ut videret diem meum.] Id est, gestivit videre; cum gaudio expetivit, ut videret diem meum: nihil illi magis in votis fuit; nihil jucundius, nihil optabilius sibi accidere posse credebat, quam si diem meum videret. Ubi tecte latet antithesis: Vos autem contra nihil creditis esse acerbius, nihil vobis est molestius ac magis intolerandum, quam videre diem meum. Videte quantum inter vos & patrem vestrum intersit; quantum ab ingenio patris vestri degeneraveritis? Per *diem* Christi intelligitur tempus illud, quo Christus vixit in terris, & Euangelium prædicavit. Sic *dies Noë*, & *dies Lothi* dicuntur tempora, quibus vixerunt Noë & Lothus, Luc. 17. 26, 28. Sic & *dies Johannis Baptistæ* accipiuntur Matth. 11. 12. Cum ergo Abrahamo facta esset promissio de benedicto semine, valde exhilaratus est, & flagrantissime concupivit tam faustum ac felicem illum diem, quo semen istud nasceretur, oculis suis usurpare. Etsi vero initio Abrahamus sine dubio promissionem istam literaliter intellexerit, sicut etiam literaliter impleta est in Isaaco; tamen quia Abrahamus Propheta vocatur Gen. 20. 7. & multas habuit à Deo revelationes, non est dubitandum, quin etiam mysticus sensus hujus promissionis ipsi fuerit à Deo revelatus, quod Messias aliquando ex ejus posteritate sit oriturus. Idem igitur hic Christus de Abrahamo affirmat, quod alibi & de illo & de aliis etiam Patribus Veteris Testamenti dixit: *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, nec viderunt; & audire, quæ vos auditis, nec audierunt*, Luc. 10. 24. De Abrahami quoque in futurum prospicientis & ultra vitæ suæ terminos spem extendentis desiderio, videantur quæ habet Auctor Epistolæ ad Hebr. cap. 10. 10, 13, 14, 15, 16. Si autem Abrahamus aliquam habuit de Christo olim nascituro & regnaturo revelationem, uti omnino credendum, non dubium est, quin ille Christum crediderit se majorem fore, & ideo tanto desiderio flagravit videndi diem ejus. Quocirca Christus non obscure indicat his verbis, non debere id absurdum videri Judæis, si dicatur, ipse esse major Abrahamo, cum Abrahamus ipse agnoverit Messiam se majorem esse, quandoquidem id pro summa felicitate sua habiturus fuisset, si ipsi tempora Messiæ videre licuisset.

Et vidit, & gavisus est.] Videtur hic esse contradictio quædam. Cum enim dicit, Abrahamum exultasse, id est, cum exultatione desideresse, ut videret diem suum, indicat, eum non vidisse diem illum. Quid enim desideraret videre, quod jam videret? Hic autem asserit, eum vidisse, ideoque lætatum esse. Sed contradictio facile solvitur, si dicatur, Abrahamum non vidisse diem Christi oculis corporeis, sed hoc unice cupiisse atque optasse, ut corpore præsens præsentem videre posset Messiam: vidisse autem eum animi oculis, vidisse non præsentem, quod optabat, sed futurum spiritu Prophetico. Prophetæ habeant oculos, quibus longe in futurum prospiciebant, & futura tanquam præsentia videbant. Hinc etiam *Videntes* dicti sunt in Sacris Literis. Vide inter alia 1 Sam. 9. 9, 11, 18, 19. 1 Paral. 26. 28. xxix. 29. Verum objicit contra hanc interpretationem Maldonatus: *Mihi*, inquit *non videtur, quod Christus dicit, Vidit & gavisus est, aut de sola fide, aut de figura, vel prophetica revelatione intelligi posse. Cum enim dicit, Vidit, haud dubium, quin eo modo vidisse dicat, quo videre tantopere dixerat concupisse. Non autem concupiverat sola videre fide; quia antequam fidem haberet, cum nullam de Christo notitiam haberet, diem ejus videre concupiscere non poterat: postquam habuit, concupiscebat quidem, at non sola fide, quia fide jam Christi diem videbat. Neque per figuram, aut revelationem,*

nem, quia cum fidem jam certiſſimam haberet, nec revelatione illi opus erat, nec poterant ejus ſatiare deſiderium. Sentit ergo Abrahamum reipſa vidiſſe diem Chriſti, non quidem vivum ſed mortuum. Sed Maldonatus totum hunc diſcurſum & ratiocinationem ſuam uni paxillo ſuſpendit, qui ſi frangatur, corruet & diſſipabitur tota moles. Ponit enim pro conceſſo, quod cum Chriſtus dicit, *Vidit*, eodem modo vidiſſe Abrahamum dicat, quo dixerat eum videre tantopere concupiſſe. Hoc vero debebat probare, nec ſimpliciter dicere, id eſſe *haud dubium*; cum id maxime dubium ſit, & in eo totius controverſiæ cardo vertatur. Quid enim in eo abſurdi eſt, ſi prout diximus, verba Chriſti ad hunc modum explicentur: Abrahamus concupivit videre diem meum, intellige reipſa & oculis corporis; & quamvis ita prout cupivit, non vidit, tamen quatenus vidit, nempe animo & in ſpiritu, gaviſus eſt? Quod autem ipſius interpretationem attinet, illa primum nititur falſa, aut ſaltem dubia & incerta hypotheſi de animabus poſt ſeparationem à corpore ſenſu ac vita præditis. Deinde non eſt veriſimile, Chriſtum ad convincendos Judæos tale quid attuliſſe, de quo eis nihil conſtabat, quodque ſola Chriſti affirmantis auctoritate nitebatur; quæ apud nos quidem Chriſtianos indubitata eſt, ſed apud Judæos erat nulla. Præterea ſi Chriſtus id voluiſſet, quod ſentit Maldonatus, non in præterito dixiſſet, *Vidit, & gaviſus eſt*, ſed in præſenti, Videt & gaudet. Denique refutatur hæc Maldonati ſententia illo dicto Chriſti, quod paulo ante recitavimus ex Luc. 10. 24. *Dico vobis, quod multi Prophetæ & Reges,* (Matthæus loco Regum ponit juſtos, cap. 13. 17.) *voluerunt videre, quæ vos videtis, nec viderunt; & audire quæ auditis, nec audierunt.* Horum autem Prophetarum ac juſtorum in numero certe primo loco eſt Abrahamus. Vellem ſane videre, quomodo Maldonatus hunc locum cum ſuo interpretamento reduceret in gratiam.

Antequam hinc abeam, paucis commemorandum eſt, eſſe quoſdam, qui verba hæc *Et vidit, & gaviſus eſt*, aliter ex Græco transferri poſſe, imo debere contendunt, nempe per præteritum pluſquam perfectum ſubjunctivi; hoc modo: Abrahamus pater veſter cum exultatione concupivit videre diem meum, & ſi vidiſſet gaviſus fuiſſet. Quo eodem modo iidem etiam ſupra illa verba Chriſti, *Hoc Abrahamus non fecit* ℣. 40, vertenda cenſent, *Hoc Abrahamus non feciſſet:* de quo vide illic dicta. Quæ verſio ſi admittatur, Maldonati interpretatio multo minus poterit habere locum. Sed mihi tamen non uſque quaque probatur, ob hanc rationem, quod, ſi Chriſtus hunc in modum locutus fuiſſet, Judæi nullam prorſus anſam aut occaſionem habuiſſent, objiciendi ipſi, quod Abrahamum viderit. Etſi enim illi verba Chriſti perverterint, eique id affinxerint, quod non dixerat, ut mox videbimus, tamen neceſſe eſt, ut aliquam occaſionem, ac porro ſpeciem quoque habeat eorum objectio. Si Chriſtus dixit de Abrahamo, *Vidit & gaviſus eſt*, inde poterant ſumere anſam objiciendi Chriſto, quod Abrahamum ſe vidiſſe dixerit. Nec caret omnino ſpecie ac veriſimilitudine objectio; quia ſi Abrahamus ipſum vidit, conſentaneum quoque erat, ut ipſe viciſſim videret Abrahamum. Itaque alterum pro altero ponere aliqua cum ſpecie potuerunt. At ſi Chriſtus dixiſſet conditionaliter, & per pluſquam perfectum: *Et ſi vidiſſet, gaviſus fuiſſet*; nullum, colorem nullumque locum prorſus habuiſſet ipſorum objectio.

Verſ. 57. *Dixerunt igitur ad eum Judæi: Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidiſti?* Manifeſtum eſt Judæos ſophiſtice ac perverſe id colligere ex verbis Chriſti, quod ab eo dictum non fuerat, neque etiam in illis continebatur. Non enim Chriſtus dixerat, ſe vidiſſe Abrahamum, neque etiam, quod Abrahamus ſe viderit, ſed tantum, quod diem ſuum viderit, eumque futurum, & per Spiritum Propheticum, ut oſtendimus. Si dicas, eos pro eodem ſumſiſſe, diem Chriſti videre, & Chriſtum videre, quia dies alicujus ſine eo ipſo, cujus dies eſt, dari non poteſt; Sit ita: tamen non ſequitur, ſi Abrahamus vidit Chriſtum, Ergo Chriſtus quoque vidit Abrahamum. Nam ex. gr. Prophetæ viderunt, unum de domeſticis Chriſti ipſum proditurum, qui fuit Judas: neque tamen ſequitur viciſſim Judam eodem tempore Prophetas illos vidiſſe. Sic ergo patet, nullo jure Judæos hanc objectionem ex verbis Chriſti formare.

Quinquaginta annos nondum habes.] Largiter numerant Chriſti annos, qui ne quadrageſimum quidem attigerat annum, quia cum veram Chriſti ætatem neſcirent, maluerunt ponere annum, ad quem eum non perveniſſe minime erat dubium: quaſi dicant, Tu ne Abrahamum videris, qui vixit ante annos plus quam bis mille? Quamvis poneremus, te eſſe annorum quinquaginta, tamen plurimum ad huc reſtaret ad duo millia annorum. Sed ne hos quidem quinquaginta annos attigiſti. Vide igitur quam abſona, quam delira & cum omni ratione pugnantia loquaris. Ex his Judæorum verbis antiquiſſimus ſcriptor Irenæus ſumſit errorem graviſſimum, ut ſtatueret, Chriſtum vixiſſe in terris ad annum circiter quinquageſimum, addita cauſa, ut & ſenibus & juvenibus exemplum ſanctitatis præberet: Vide librum ejus contra Hæreſes ſecundum cap. 39. & 40. Craſſus ſane error in tanto Eccleſiæ Doctore; quem ſatis refutat univerſa hiſtoria ſacra & profana. Cum teſte Luc. 3. 1. Chriſtus anno 15. Tiberii Cæſaris inceperit eſſe quaſi triginta annorum ℣. 23. poſt quod tempus ſequeretur, eum annos prope viginti prædicaſſe, & anno Claudii Cæſaris octavo vel nono demum paſſum ac crucifixum eſſe. Id autem fieri non potuiſſe, tum hiſtoria Pilati, tum Herodis, tum famis illius, quæ fuit ſub Claudio, de qua Act. 11. 28. tum alia multa demonſtrant: de quibus nunc non eſt agendi locus. Et tamen ipſe ſcribit, fuiſſe in Aſia, qui ſententiam, quam ipſe aſſeverat, dixerint ſe ex ipſo Johanne Apoſtolo audiviſſe. Unde videre eſt, quantum traditionibus tribuendum ſit, quæ dicuntur ex Apoſtolorum ore extra ſcripturas exceptæ, & per traducem ſucceſſionis ad noſtra uſque tempora aſſervatæ.

Verſ. 58. *Dixit eis Jeſus: Amen amen dico vobis prius, quam Abraham fiat, ego ſum.*] Vulgo hæc verba ita reddi ſolent: *Amen amen dico vobis, priuſ-*

quam Abraham fieret, ego ſum. Habeturque hic locus pro Achille ab iis, qui credunt Chriſtum ab omni æternitate, vel ſaltem ante mundum conditum extitiſſe. Verum ſi prout nos vertimus, Græca verba transferantur, jam ſatis per ſe patet, locum hunc ad iſtorum hominum ſententiam ſtatuminandam ne hilum quidem facere. Græca autem verba ſic habent: Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. Quæ ſi ad verbum Latine reddere velis, ita ſonabunt; *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieri, ego ſum:* quemadmodum Arias Montanus in ſua tranſlatione reddidit. Ubi γενέσθαι, id eſt, *fieri* eſt infinitivus aoriſti ſeu indefiniti temporis qui Latine vel per præteritum *Fieret*, vel per futurum *Fiat* reddendus ſit. Qui vero Græcæ linguæ rudes non ſunt, facile intelligunt, & norunt ex Grammaticæ Græcæ regulis, Aoriſtorum eam eſſe naturam, ut ſignificationem ſuam mutuentur à verbis iſtis, quibuſcum junguntur, ita ut ſi cum præterito tempore jungantur; præteritum; ſi cum præſente. præſens, quod in futurum reſpiciat, ſignificare ſoleant. Cum igitur hoc in loco vox aoriſtica γένωμαι verbis præſentis temporis juncta ſit, quorum unum antecedit λέγω, alterum ſequitur εἰμί, vi conſtructionis Grammaticæ efficitur, vocem hanc γένωμαι per præſens ſubjunctivum *Fiat*, quod futuri ſignificationem habet reddendam eſſe. Rem vero ita ſe habere, ut dicimus, etiam ii non difficulter animadvertere poſſunt, qui linguæ Græcæ nullam dederuut operam, ſi inſpiciant duo hæc parallela loca apud eundem noſtrum Johannem cap. 13. 19. & XIV. 29. ubi etiam in poſteriori loco Græce habentur hæc verba πρὸ τοῦ γένωμαι, *antequam fieri*, in priori vero, quod idem valet, habetur πρὸ τοῦ γενέσθαι. Uterque autem locus non aliter vertitur ab omnibus Interpretibus, nec aliter verti poteſt, quam per præſens ſubjunctivum in futurum reſpiciens, *antequam fiat.* Cur ergo & hoc loco non eodem modo verti eadem verba debeant? Regulæ noſtræ ex Græca Grammatica allatæ contraria exempla nulla adhuc vidimus: quodſi tamen forte unum aut alterum reperiatur, tamen nulla eſt ratio, cur à trita & uſitata ad raram & inuſitatam ſignificationem, ubi nulla eſt neceſſitas, confugiamus. Recte enim tradunt bonæ Interpretationis Magiſtri, nunquam vel à conſueto ac uſitato, vel à proprio ſenſu recedendum, atque ad in conſuetum vel figuratum ſenſum veniendum eſſe, niſi cogente neceſſitate. Qui enim in communi vocum notione in intelligenda aliqua dictione conſiſtit, is velut communi & publica via incedit. Quam vero abſurdus foret, qui abſque ulla neceſſitate publicam & regiam viam deſerens per avia ferretur; vel qui ubi per portam ac oſtium domus, more uſitato, poſſet ingredi, mallet intrare per feneſtram: tam abſurdum quoque eſt, in interpretatione ab eo, quod commune & receptum eſt, ad id, quod rarum ac inſolitum eſt, quando nihil cogit, diſcedere. Idque hoc loco tanto magis obſervandum eſt, quod adverſarii ex his Chriſti verbis argumentantes ſuſtineant Opponentium partes, nos vero Reſpondentium. Opponentis autem eſt, non tantum oſtendere, quod verba ſic, ut ille vult, accipi poſſint; ad quod oſtendendum, unum vel alterum exemplum ſufficere poſſet: ſed probare debet, quod omnino ita accipi debeant, nec aliter accipi ſine abſurditate poſſint. Hoc vero non tantum uno aut altero exemplo, ſed ne multis quidem efficitur: ſed oportet, ut nulla exempla in contrarium dari poſſint. Nam ſi Reſpondens unam tantum aut alteram inſtantiam in contrarium afferre poſſit, jam evertetur Opponentis probatio. Quanto vero magis eam everti neceſſe eſt, tum, quando Opponeus non habet pro ſe niſi paucula aliqua inuſitata exempla, Reſpondens vero contra innumera & paſſim recepta? Deinde in his Chriſti verbis notandum & hoc eſt, probe, quod in verbis, *Ego ſum*, ſit ellipſis Chriſto uſitata, quam ſuperius hoc capite jam bis notavimus, nempe ℣. 24, & 28. ubi docuimus, in iis ſubintelligendum eſſe id, quod Chriſtus ab initio ſermonis ſui cum hiſce Judæis protulit ℣. 12. ubi dixit: *Ego ſum lux mundi*, id eſt, Meſſias ſeu ſervator hominum. Semper igitur, quando Chriſtus dicit ſimpliciter, *Ego ſum*, ſubaudiri vult, lux mundi, vel Chriſtus. Patet id etiam ex loco Joh. 13. 19. ubi Chriſtus ait: *à modo dico vobis, priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quod ego ſum.* Hic manifeſtum eſt, iſta verba *Ego ſum* ſimpliciter accipienda non eſſe, ſed ſupplenda eſſe eo, quo diximus, modo. Confirmatur idem locis Mar. 13. 6. & Luc. 21. 8. ubi dicitur: *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum.* At hoc Matthæus ſine ellipſi refert hoc modo: *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus*, Matth. 24. 5. Confer etiam Joh. 4. ℣. 26. Conſtat ergo ex uſu horum verborum, neceſſario & hic ellipſin iſtam concedendam eſſe. Nam alioqui ſi Chriſtus ſimpliciter exiſtentiam ſuam ante Abrahamum ſignificare volebat, nulla ratio erat, cur non potius diceret, Ego eram, vel fui. Quod enim quidam ajunt, Chriſtum dicendo, *Ego ſum*, alludere voluiſſe ad illa verba Dei Exod. 3. 14. ubi Deus dixit ad Moſem ſecundum Vulgatam interpretationem: *Ego ſum, qui ſum*; id vanum prorſus eſt. Animadverterunt enim jam pridem viri eruditi, in Hebræo textu ibi non dici: *ſum qui ſum*, ſed *Ero qui ero*, verbiſque iſtis non eſſentiam vel exiſtentiam Dei, ſed ejus in promiſſis præſtandis conſtantiam ſignificari. Quis ergo, inquies, erit verborum ſenſus, ſi ita vertantur verba Chriſti, *Priuſquam Abraham fiat?* Reſp. Valde egregius, & ſapientiſſimo ſervatore noſtro digniſſimus. Nimirum cum videret, Judæos tam impudenter verba ſua detorquere, & id ſibi affingere, quod nunquam dixit, non eſt dignatus quicquam ad eorum objectionem reſpondere, nec voluit cum eis amplius contendere, ſed prædicit eis, fore ut rejiciantur, & ad gentes gratia Dei transferatur, ni reſipiſcant: & ipſum pro Meſſia agnoſcant. Atque ad hujus rei intelligentiam meminiſſe oportet, quod ſcriptum legimus Gen. 17. 5. Abrahamum prius vocatum fuiſſe Abram, id eſt, Patrem excelſum: poſtea hoc nomen mutatum eſſe à Deo in Abraham, quod ſignificat patrem multitudinis ſeu multarum gentium. Hujus autem nominis ſignificatio tum demum perfecte & myſtico ſenſu impleta eſt, cum etiam Gentes in Chriſtum crediderunt, & ſic per fidem filii Abrahami evaſerunt: ut explicat Paulus Apoſtolus Rom. 4. 11. &

ſeqq.

ſeqq. & Gal. 3. 7, 29. Perinde igitur eſt, atque ſi Chriſtus diceret: Vos verba mea tantum cavillamini & pervertitis, indigna proinde eſt cavillatio veſtra, ut ad eam reſpondeam: ſed potius quod magis vobis neceſſarium eſt dicam. Affirmo igitur pro certo, & etiam atque etiam inculco, idque ante, quam eveniat illud, quod Abrahami nomine ſignificatum eſt, ſeu antequam vobis rejectis Gentes in filiorum Abrahami cenſum recipiantur, quod ego ſim illa, quam me ſuperius ab initio mei vobiſcum colloquii dixi, lux mundi, ſeu ſervator olim à Deo promiſſus, & nunc miſſus. Adverſus hunc ſenſum tam eximium, quæ objici ſolent, nullius ſunt ponderis. Primum objicitur, ſi hoc ſibi voluiſſet Chriſtus, tum non dixiſſet, πρὶν Ἀβραὰμ γένεσθαι, antequam Abraham fiat, ſed potius πρὶν Ἀβραὰμ γένεσθαι Ἀβραὰμ, id eſt, antequam Abraham fiat Abraham, ſeu pater multarum gentium. At hoc nihil eſt. Vocis enim Abrahami repetitio commode potuit omitti ad eum modum, quo omiſſa eſt à Marco cap. 13. ỳ. 27. & Luca cap. 21. 38. ingeminatio vocis *Dei*, quam repetit ac ingeminat Matthæus cap. 22 32. Quod enim Matthæus refert: *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*, id illi duo Euangeliſtæ ita habent: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Similem ellipſin vocis Dei vide 1 Cor. 14. 33. Et vocis Judæi Rom. 11. 28, 21. Deinde alii objiciunt, hanc noſtram expoſitionem nihil facere ad inſtitutum, ſeu ad ſermonem Judæorum. Quaſi vero ſermo ille Judæorum plenus cavillationis, perverſitatis ac mendacii fuerit ulla directa reſponſione dignus: & non multo convenientius fuerit Chriſti ſapientiæ ſermonem ſuum alio convertere ad rem graviorem, & ad Judæorum ſupercilium retundendum aptiſſimam, atque univerſæ antecedenti diſputationi accommodatiſſimam! Quam Chriſtus non ſemper ad interrogata vel objecta directe reſponderit, habemus & alibi exempla. Vide inter alia Joh. 12. 23, 35. XIV. 23. Luc. 13. 23, 24. ſupra cap. 7. 20, 21. Tertia objectio contra noſtram expoſitionem petitur à lapidatione Judæorum, mox ſequente; ſed hanc, ubi ad eam ventum fuerit, refellemus. Ad oſtendendam infirmitatem argumenti, quod ex hoc loco ſumitur ad exiſtentiam Chriſti ante nativitatem ejus ex Virgine Maria probandam, addere juvat: quod etiamſi verſio vulgaris verborum iſtorum Chriſti admitteretur, nondum tamen vincerent adverſarii. Poterat enim Chriſtus dicere ſe fuiſſe ante Abrahamum, non actu, ſed divina prædeſtinatione ac conſtitutione. Hoc pacto enim Chriſtus dicitur fuiſſe etiam ante jacta mundi fundamenta, (ergo etiam ante Abrahamum) quatenus fuit prænognitus & ad id ordinatus, ut ſit generis humani ſervator atque redemtor. Vide 1 Pet. 1. 20. Atque hic ſenſus pulchre convenit cum eo, quod Chriſtus ſupra dixerat, Abrahamum vidiſſe diem ſuum. Dies autem ille Chriſti etſi actu futurus erat tempore Abrahami, tamen in decreto ac deſtinatione Dei fuit quaſi præſens: ac porro & Chriſtus ipſe. Cumque hoc Dei decretum de Chriſto factum ſit longe ante Abrahamum, nempe ante mundi conſtitutionem, apte & appoſite Chriſtus ratione iſtius decreti divini potuit dicere, ſe fuiſſe ante Abrahamum. Neque eſt, quod quis hanc reſponſionem vel explicationem textus frigidam ac dilutam vocet, propterea, quod ſic non Chriſtus tantum, ſed omnia quæ in decreto divino fuerunt, fuiſſe dici poſſent, antequam Abraham fieret. Obſervandum enim eſt, Chriſtum non ſimpliciter dicere, ſe fuiſſe in Dei decreto, antequam Abraham fieret, ſed ſe fuiſſe lucem mundi, ſeu Meſſiam. Hæc enim verba ſubintelligenda eſſe omnino, ſupra docuimus. Itaque indicat Chriſtus, ſe ad hanc dignitatem tam ſublimen longe ante quam Abrahamus naſceretur, Dei decreto eſſe deſignatum. Cui nihil ſimile de aliis hominibus vel rebus in decreto Dei exiſtentibus dici poteſt.

Verſ. 59. *Suſtulerunt igitur lapides, ut projicerent in eum. Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit è templo, tranſiens per medium eorum, & ſic præteriit.*] Eventus quis fuerit habitæ hoc capite diſputationis cum Judæis oſtenditur. Nempe Judæi rationibus deſtituti, tandem ſaxa & lapides in ſubſidium advocant, iiſque diſputationem concludunt. Egregii ſane diſputatores! quorum diſputandi modum & hodie imitantur ii, qui eos, quos hæreticos vocant, quorum rationes rationibus convellere nequeunt, armis perſequuntur, & ad diſſolvenda argumenta adhibent acutiſſimum gladium carnificis, quo una cum argumentis capita argumentantium præcidant. Iſtos diſputatores eleganter quidam deſcripſit, quod diſſidentibus à ſe in religione opponant Syllogiſmum ex igne aqua & laqueo confectum, qui fortius, quam qui Primæ Figuræ dicuntur, concludat, cujuſque concluſionem mors ingrediatur. Sanguinaria profecto diſputandi ratio, & quæ magis tortoribus & carnificibus Judæorumque poſteris, quam Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis conveniat. Cæterum ex hac Judæorum lapidandi Chriſtum voluntate ducitur à nonnullis argumentum contra ſuperiorem noſtram verborum Chriſti expoſitionem. Ajunt Judæos intellexiſſe, Chriſtum aſſerere, ſe Deum eſſe, qui ab æterno adeoque & ante Abrahamum fuerit; quod cum non crederent, ſed blaſphemum ducerent, lapidibus in eum ſævire voluiſſe. Si vero noſtra ponatur interpretatio, Judæos nullam habituros fuiſſe lapidationis anſam. Miſera ſane argumentatio à furibundis Judæis, qui impetu cœco potius quam ratione ducebantur, ſumta. Unde vero ſciunt illi, Judæos intellexiſſe, Chriſtum ſe Deum æternum eſſe aſſerere? Quia, inquiunt, niſi id intellexiſſent, non habuiſſent anſam eum lapidandi. Quidſi ideo eum lapidare voluerunt, quod intellexerint, eum ſe Meſſiam eſſe dicere? Nam ut blaſphemos, ita & Pſeudoprophetas, quanto magis Pſeudo Chriſtos, Lex trucidari jubebat. Quidſi ideo, quod putarent ipſum tam abſurda, tam ſtolida & ab omni ratione aliena loquendo ſe tantum ludificare ac irridere? vel quod videretur dicere, quaſi Abrahamus nondum extiterit, atque ſic negare rem in Sacra Scriptura teſtatiſſimam? Quid ſi intellexerunt, eum ſignificaſſe, quod auferendum ab ipſis ſit regnum Dei, & Ethnicos in eorum locum pro filiis Abrahami adoptandos eſſe? Hoc certe nec in Paulo ferre potuerunt, cum de vocatione Gentium diſſereret, Act. 13. 47, 50. XXII. 21, 22. Quidſi denique hoc tantum intellexerunt, eum aliquid ſibi

tribuere divinum, & quod ſupra hominem eſſet, quamvis non ſupremam Deitatem? quale & illud erat, Matth. 26. 64, *Videbitis Filium hominis ſedentem in dextra virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli:* quod ipſi quoque blaſphemiæ damnarunt, etiamſi verbis iſtis rem ſibi tribueret, quæ Deo ſummo minime competebat. Sed demus tandem, eos ita intellexiſſe verba Chriſti, prout volunt adverſarii, & credidiſſe, eum ſe Deum æternum facere, an inde ſequitur, eos recte mentem Chriſti percepiſſe? Quidſi in eo falſi ſunt? Quidſi Chriſtum quovis modo & quavis occaſione è medio tollendi cupiditate excæcati, in hunc ſenſum verba Domini per calumniam detorſerunt? Num, quæſo, mentis ac verborum Chriſti interpretatio, quam iniquiſſimi & virulentiſſimi Chriſti adverſarii fecerunt, nobis pro regula ad eadem intelligenda eſſe debet? Quis igitur non videt, fallaciſſimam ac plane ineptam eſſe rationem iſtam, ex eo ductam, quod Judæi Chriſtum lapidare voluerint?

Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit è templo.] Quemadmodum argumentis & rationibus nihil efficere potuerunt Judæi, neque proficere contra Chriſtum, ita nec lapidibus. Evaſit Chriſtus è medio eorum incolumis divinæ providentiæ tectus clypeo. Cum dicit Euangeliſta, Chriſtum ſe abſconditiſſe, non eſt exiſtimandum, eum ſe in aliquem templi angulum abdidiſſe, ut nonnulli expoſuerunt, ſed, eum feciſſe ſe inviſibilem, idque non alia ratione, quam quod oculos Judæorum divina virtute retinuerit, ut eum videre non poſſent. Quo pacto legimus retentos fuiſſe oculos diſcipulorum illorum, qui tendebant Emmauntem, ne Chriſtum agnoſcerent, Luc. 24. 16. Inde vero rurſus non ſequitur, eum eſſe Deum Altiſſimum, ut ſolent talia adverſarii mox trahere in argumentum ſupremæ Deitatis Chriſti: ſed hoc tantum ſequitur, eum divina virtute miracula faciendi à Deo fuiſſe inſtructum.

CAPUT IX.

Argumentum & Partes.

Deſcribit Euangeliſta inſignem hiſtoriam de cæco nato & à Chriſto miraculoſe ſanato Qua in deſcriptione ita procedit, ut I. *Occaſionem miraculi, ſeu ea quæ anteceſſerunt miraculum, ac poſtea ipſum quoque miraculum, & modum, quo factum eſt, enarret: uſque ad* ℣. 8. II. *Deſcribit, quomodo hoc miraculum innotuerit primum vicinis ac popularibus, deinde Phariſæis, & quomodo hi propterea tumultuati, atque tam divinum miraculum obterere conati ſint, ſed cum id efficere non poſſent, quomodo in cæcum bilem ac virus acerbitatis ſuæ effuderint, eum è Synagoga proſcribendo: uſque ad* ℣. 35. III. *Refert, quomodo Chriſtus cæco illi à ſe curato plenius ſeipſum patefecerit, & Phariſæis cæcitatem voluntariam exprobraverit: uſque ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ET præteriens vidit hominem ex nativitate cæcum.*] Videtur Euangeliſta ita hanc hiſtoriam cum ſuperioribus connectere, quaſi non ſolum eodem die, ſed etiam illo ipſo momento, quo exibat è Templo ſubducens ſe à rabie Phariſæorum, qui correptis lapidibus eum petere volebant, acciderit. Cum enim Caput præcedens his verbis clauſiſſet, de Chriſto loquens: *Et ita præteriit*; mox incipiens hoc Caput ait: *Et præteriens vidit hominem cæcum:* ut poſſit videri quaſi uncinulis vel anſulis quibuſdam Capita iſta inter ſe conjunxiſſe ac velut confibulaſſe. Ego tamen omnino ſentio, alio tempore & alio die hanc hiſtoriam contigiſſe, putoque id irrefragibiliter evinci poſſe. Neque me movet illa ratio, quæ alios movit, ut idem, quod ego ſentio, ſtatuerent, quod non legamus diſcipulos adfuiſſe Chriſto exeunti è Templo, qui tum adfuerunt, cum cæcum curavit: neque illa, quod credibile non ſit, Chriſtum fugientem ad ipſa mox Templi limina reſtitiſſe, & ſanationi cæci vacaſſe. Sed illa me ratio, ut ſic ſentiam, adducit, quam non video alium quenquam ex Interpretibus attuliſſe, quod curatio iſta cæci facta ſit Sabbato, ut expreſſe dicitur infra ℣. 14. Superior autem diſputatio Chriſti cum Judæis contigit poſtridie poſt ultimum diem feſti Tabernaculorum: ut patet ex collatione cap. 7. 37. cum cap. 8. 1, 2, & 12. Vide ea quæ ad hos cap. 8. verſiculos commentati ſumus. Unde manifeſtum eſt, ſexto demum ad minimum die poſt illum Chriſti è Templo abitum, ſanationem hanc cæci in Sabbato peractam eſſe. Ad minimum inquam. Nam illa Sabbato proxime antecedente Eucænia contingere potuit. Confer infra cap. 10. 22. Itaque illud, quod dicitur, *Et præteriens vidit hominem*, non de illa præteritione intelligendum eſt, de qua ad finem cap. 8. ſed de alia, qua tranſibat per urbem, & vel in Templum, vel è Templo ibat.

Vidit hominem.] Non eſt abs re, quod quidam exiſtimant, verbum iſtud *Vidit*, non carere emphaſi: indicari enim eo, Chriſtum non caſu aliquo aut temere incidiſſe in hunc cæcum, ſed eum de induſtria illac tranſiviſſe, ut ſciens illis cæcum eſſe, eum curaret; & præterea Chriſtum cum ad eum veniſſet, conſulto ſubſtitiſſe, & oculos in eum conjeciſſe, atque aliquantiſper eum contemplatum eſſe, ut ita ex illa attenta Chriſti inſpectione, diſcipuli ejus occaſionem acceperint quæſtionem ſequentem proponendi.

Ex nativitate cæcum.] Hoc ad declarandam miraculi magnitudinem additur, quod cæcus iſte ab ipſa nativitate cæcus fuerit. Legimus & alibi cæcis à Chriſto oculos eſſe apertos, Matth. 9. 27. xx. 30. Marc. 10. 46. Sed eos cæcos natos fuiſſe non legimus. Miſera profecto fuit conditio hominis, qui ſolis nunquam aſpexit nitidum jubar, nec judicare de coloribus, nec quid eſſet in Orbe, vel qualis

Orbis,

Orbis eſſet, intelligere, aut animo concipere poterat. Unde colligi poteſt, quantum beneficium Chriſtus homini præſtiterit, qui, oculis redditis, tum denuo vere natus eſſe dici poteſt. Hoc miraculum per ſe magnum, magis adhuc auget Nonnus Poëta, qui paraphraſtico carmine complexus eſt Johannis Euangelium. Is cenſet cæcum iſtum ita natum fuiſſe, ut nulla omnino oculorum forma aut veſtigium in facie ejus appareret, Chriſtumque ipſi non aperuiſſe oculos, ſed novos è luto finxiſſe, atque ſic ſe verum Creatorem eſſe declaraſſe. Equidem Chriſtum ea virtute ac poteſtate divina præditum fuiſſe, ut etiam novos oculos creare potuerit, non videtur eſſe dubitandum: cum legamus & alibi Chriſtum curaſſe κυλλὸς, id eſt, mutilos ſeu mancos, id eſt, eos quorum truncata atque amputata erant membra, ita ut nova creatione membrorum opus fuerit, Vide Matth. 15. 30. Hoc autem, quod diximus, ſignificare vocem κυλλὸς, patet ex Matth. 18. 8. Mar. 9. 43. Inde vero non eſt protinus colligendum, quod Chriſtus fuerit rerum omnium Creator, adeoque Deus ſupremus: ut ſenſit ſine dubio Nonnus: ſed ſufficit colligere, eum conceſſam ſibi hanc à creatore mundi habuiſſe virtutem. Cæterum quod hunc cæcum attinet, id quod de eo affirmat Nonnus, mera eſt ejus conjectura, nullo nixa ſcripturæ fundamento. Certe veriſimile non eſt, Johannem, qui notavit eum a nativitate cæcum fuiſſe, non hoc quoque ad magnitudinem miraculi amplificandam additurum fuiſſe: quid? quod contrarium huic opinioni & aſſertioni Nonni aperte videatur aſſerere. Tribuit enim ei oculos, adhuc ante ſanationem: cum dicit Chriſtum oculis ejus impoſuiſſe lutum, & apparuiſſe ejus oculos. Vide ℣. 6, 10, 11, 14, 15, 17, 21, 26, 30, 32. Interea magnitudini miraculi, etiamſi illud commentum Nonni non addas, nihil decedit. Nam cum in cæco iſto, etſi oculorum formam habente, tamen totalis fuerit privatio viſus, certum eſt, cæcitatem talem nulla arte, nullis naturalibus remediis curari potuiſſe: ac proinde vi naturæ majore opus fuiſſe, ad illam tollendam.

Verſ. 2. *Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus, dicentes: Rabbi, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*] Dum ſic interrogant diſcipuli, non obſcure ſupponunt, cæcitatem à Deo immiſſam eſſe propter antegreſſa aliqua peccata. Eſtque iſta opinio etiam hodie inter homines pervulgata, ut morbi, afflictiones, caſuſque adverſi pro pœna peccati cenſeantur. Hinc mos eſt, ut homines illico impium judicent, cui mali quippiam vident contingere. Sic barbari illi Melitenſes, *cum vidiſſent viperam pendentem è manu Pauli dicebant: Omnino homicida eſt homo iſte, quem poſtquam ſalvus evaſit è mari, ultio non ſinit vivere*, Act. 28. 4 Notum quoque eſt, quam Jobi viri innocentiſſimi afflictionibus multum afflictionis addiderint amici ejus, qui judicabant eum ob peccata à Deo affligi, utque hoc ipſum fateretur, nimis importune urgebant. Hoc iniquum judicium merito Deus poſtea in amicis illis improbavit, & Jobum ſententia ſua abſolvit. Sed & Chriſtus hoc loco in reſponſione ſua docet, ut mox videbimus, perperam ejuſmodi inſtitui judicium: cum aliæ cauſæ afflictionis, præter peccatum, eſſe poſſint. Hoc quidem pium ac ſalubre eſt, ut quiſque de ſe ita judicet, ſi calamitas aliqua vel morbus incidat; ut nimirum cogitet, fortaſſis peccati alicujus cauſa ſe à Deo flagellari, ac proin ſele & conſcientiam ſuam probe excutiat, atque ſi conſcius ſibi ſit alicujus delicti, ut credat firmiter, delictum iſtud ſuum eſſe cauſam veram ſuæ vexationis. Tale enim privatum judicium parit in homine ſeriam pœnitentiam, & ἀμεταμέλητον, ut loquitur Apoſtolus, id eſt, haud pœnitendam, 2 Cor. 7. 10. Sed de aliis & de aliorum conſcientia ita judicare periculoſum eſt, & peccato obnoxium; niſi aperte conſtet de hominis, qui affligitur, impietate. Tunc enim non ſic colligimus: Affligitur, Ergo peccavit ſed ſic: Peccavit ergo jure affligitur. Poſterior hæc collectio eſt optima: ſed prioris mala eſt conſequentia. Nam per hanc conſequentiam etiam Chriſtus ipſe peccati damnaretur, quia tanquam peccator paſſus eſt. Ubi nobis non conſtat de vita ac moribus hominis in calamitate poſiti, ſatius eſt ſuſpendere judicium; aut ſi judicare velimus, ſemper in meliorem partem inclinare debemus. (*Charitas* enim *non cogitat malum*: 1 Cor. 13. ℣. 5. nempe ubi nullæ ſunt juſtæ male cogitandi cauſæ.

Quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?] Perplexa eſt admodum hæc diſcipulorum quæſtio, & rationi non uſque quaque videtur contentanea. Videntur enim quærere, an cæcus iſte peccarit, antequam naſceretur? Quæ quæſtio cum prorſus abſurda ipſo auditu videatur, varie eos conantur Interpretes ab hac abſurditate liberare. Quidam hic ad præſcientiam Dei confugiunt, & dicunt Apoſtolos non interrogare de peccato aliquo nativitatem antecedente, ſed eam ſubſecuto: non enim ipſos ignoraſſe, cæcum, antequam naſceretur, peccare non potuiſſe, ſed exiſtimaſſe, Deum ob prævia peccata ejus actualia illum punire potuiſſe. Verum an Deus futura hominum opera, antequam naſcantur, ut pote mere contingentia, quorum ea eſt natura, ut & fieri & non fieri queant, certo præſciat, propter multas rationes dubitatur; quibus recenſendis hic non eſt locus. Unum tantum hoc velim expendi à cordato lectore, quod ſcribit Apoſtolus Rom. 9. ℣. 11. Argumentatur ibi Apoſtolus, Deum in eligendo Jacobo præ Eſavo non reſpexiſſe ullam carnalem præeminentiam vel prærogativam, ſed ſolum voluntatis ſuæ liberrimæ beneplacitum. Ne quis vero diceret, eum tamen ſpectare potuiſſe opera illorum, quod nimirum alter eorum probus fuerit, alter malus; huic objectioni tacitæ occurrens inquit: *Nondum natis illis, cum nihil adhuc boni vel mali feciſſent, &c. Dictum eſt: Major ſerviet minori.* Quod argumentum Apoſtoli non procederet, data præſcientia futurorum contingentium. Sic enim nihilominus potuiſſet Deus rationem habere operum & probitatis ac improbitatis eorum, etiam antequam nati fuiſſent, & actu ipſo bene vel male egiſſent: cum ea quæ à Deo præſciuntur, ſint Deo quaſi præſentia. Sed ut ad propoſitum noſtrum redeamus, etiam admiſſa futurorum peccatorum in hominibus nondum natis Dei præſcientia, tamen vi-

detur ordini juſtitiæ divinæ repugnare, ut pœna actu inflicta ſuam cauſam promerentem tempore antecedat. Pœna enim eſt peccati perpetrati, non perpetrandi ſtipendium: & nemo ideo juſte puniri poteſt, quia peccabit, ſed quia peccavit. Alii proinde ſunt, qui ſtatuant, hanc Apoſtolorum interrogationem niti falſa quadam opinione de μετεμψυχώσει, ſeu tranſanimatione, id eſt, tranſmigratione animarum ex uno corpore in aliud, nimirum ex copore morientis in corpus naſcentis: qui error, quod olim viguerit inter Judæos, prout & hodie viget, ſupra in his Commentariis oſtenſum eſt. Vide 4. Appendicem ad cap. 3. Matth. de inſtitutis Phariſæorum, idem ad Matth. 14. 2. Putant ergo diſcipulos indicare, fieri potuiſſe, ut anima cæci in alio corpore exiſtens, ante nativitatem cæci peccaverit. Verisimilis eſt hæc ſententia: etſi Apoſtolos hujus tam abſurdi erroris contagione infectos fuiſſe non ſatis credibile quibuſdam videatur. Sed ſi ſpectetur Apoſtolorum magna adhuc imperfectio in rebus divinis, non eſt, quod quis id adeo incredibile putet: cum videamus eos etiam aliis falſis Doctorum Judaicorum opinionibus fuiſſe imbutos; ut de Elia venturo Matth. 17. 10, de carnali regno Chriſti, & ſimilibus. Quibus vero hæc ſententia non arridet, ii afferunt alias hujus nodi ſolvendi rationes, quos etiam in gratiam Lectoris amici hic referam, ut pro arbitrio ſuo inter plures ſententias delectum facere poſſit. Cenſent igitur nonnulli, hunc eſſe quæſtionis ſenſum: quaſi dicat, Neceſſarium eſt, ut alteruter peccarit, vel cæcus iſte vel parentes ejus. Sed cæcus ipſe peccare non potuit ante ſuam nativitatem: ergo parentes ejus peccaſſe neceſſe eſt. Alii rurſus volunt, eos etiam parentes cæci à peccato exemiſſe, & eo modo locutos eſſe, quo ſolemus de infantibus bello extinctis interrogare, Qua ſua culpa iſti perierunt; non quidem indicantes, eos ullam habuiſſe culpam, ſed potius non habuiſſe: ita etiam Apoſtolos quæſiviſſe, Quis hic peccavit, ſeu quanam culpa vel cæci vel parentum ejus factum eſt, ut iſte cæcus naſceretur? atque ſic interrogando ſignificaſſe, neque cæcum, neque parentes ejus peccaſſe, ſed admirabundos tantum, cum crederent cæcitatem eſſe peccati pœnam, nec videre poſſent, in quo peccatum iſtud reſideret, hæc verba protuliſſe.

Verſ. 3 *Reſpondit Jeſus: neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.*] Obſervandum, Apoſtolos non interrogaſſe ſimpliciter, utrum cæcus an parentes ejus peccarint: ſed an peccarint, *ut cæcus naſceretur*, id eſt, an peccato aliquo ſuo dederint cauſam huic cæcitati. In Chriſti ergo reſponſione, cum dicit, *Neque hic, neque parentes ejus peccarunt*, ἀπὸ κοινοῦ intelligenda ſunt illa verba, *ut cæcus naſceretur*. Et ſic Chriſtus negat cæcitatis iſtius cauſam fuiſſe ullum peccatum vel cæci, vel parentum ejus: alioqui non negat & cæcum & parentes ejus ſæpius peccaſſe. Mirum vero eſt, cum Chriſtus dicit, neque cæcum, neque parentes ejus peccaſſe, non veniſſe ei in mentem Originale, quod vocant, peccatum. Hoc enim hodie creditur paſſim à Chriſtianis eſſe cauſa mortis & morborum, præcipue in infantibus, qui actualibus peccatis adhuc carent. Si veram eſſe credidiſſet Chriſtus hanc de peccato iſto originis ſententiam, certe credibile non eſt, eum ad hunc modum reſponſurum fuiſſe, quod neque hic peccarit, neque parentes ejus. Neque juvat, quod quidam reſpondent, originalem labem, non eſſe propriam cauſam mortis atque morborum, ſed generalem tantum, & ut Philoſophi vocant, cauſam ſine qua non. Quicquid enim ſit, & qualiſcunque cauſa ſit, tamen id cauſam eſſe morborum negari non debet: at Chriſtus hic diſerte & ſimpliciter negat, ullum peccatum, ac proinde & originale, eſſe cauſam iſtius cæcitatis. Dicunt alii, Chriſtum ideo de Originali peccato nihil meminiſſe, quia diſcipuli non quærebant de iſto peccato, ſed tantum de peccato aliquo actuali: nam ſi ad illud in ſua quæſtione reſpexiſſent, non dixiſſent disjunctive, Hic ne peccavit, ſcilicet in lumbis Adami, an parentes ejus? quia in eo conveniebant, &, hoc tam cæco, quam parentibus ejus, imo omnibus hominibus erat commune. Proinde potius interrogaſſent: Qui fiat quod non omnes homines cæci naſcantur, cum omnes in lumbis Adami peccarint. Ad quæ reſpondeo, non de eo quæri, cur Chriſtus de peccato originis nihil meminerit, ſed cur, ſi datur peccatum tale originis, quod ſit cauſa morborum omnium inter homines, Chriſtus abſolute negarit cæcitatis cauſam eſſe peccatum tam cæci, quam parentum ejus. Hujus rei ratio danda eſt, non illius. Deinde quod diſcipulos attinet, id ultro & abſque controverſia conceditur, eos nonniſi de actuali peccato quæſtionem inſtituiſſe, ut id operoſe probare non ſit opus. Sed ex iſta eorum quæſtione liquet, quemadmodum & ex Chriſti reſponſione, neque illos, neque Chriſtum ullum tale peccatum originis agnoviſſe. Certiſſimum enim eſt, neque illos ita quæſituros, neque Chriſtum ita reſponſurum fuiſſe.

Sed ut manifeſtentur opera Dei in illo.] Poſt particulam *ſed*, aliquid ſubintelligendum eſt, vel, *hoc evenit*, vel, *ita natus eſt*: alioqui hiat ſententia. Oſtendit Chriſtus, cauſam cæcitatis in iſto homine fuiſſe liberrimam Dei in agendo poteſtatem. Eſt enim Deus abſolutiſſimus vitæ neciſque noſtræ, & omnium eorum, quæ ad corpus, valetudinem, commoditatem ac fortunas noſtras pertinent, dominus. In rebus quæ ad animam ac ſalutem noſtram ſpectant, reſtrinxit ipſe promiſſionibus ſuis & Fœdere nobiſcum inito jus ac poteſtatem ſuam, ut abſque culpa noſtra non poſſit animas noſtras affligere & æternam ſalutem nobis adimere. Corpus vero noſtrum & ſtatus noſter temporarius abſque omni limitatione poteſtati ejus ſubjectus eſt, ut etiam ſine ulla noſtra prævia culpa poſſit & vitam nobis adimere, & valetudinem, & opes, noſque egeſtati, morbis, afflictionibus, & variis caſibus ſubjicere. Neque tamen iſta poteſtate ſua unquam abutitur, id eſt, non utitur ea temere, ſed ſumma cum ſapientia, nempe tum demum, cum id videt & cum inſigni gloria ſua, & cum magno ipſorum hominum bono poſſe eſſe conjunctum. Ita Jobum hominem eximiæ integritatis permiſit Satanæ affligi & variis exerceri malis: quia voluit fidem, patientiam atque con-

conſtantiam ejus produci in apricum, ut confunderet ac pudefaceret ſatanam, qui virtutem ejus in dubium vocare auſus eſt. Ita ipſum unigenam ſuum dilectiſſimum Chriſtum, qui erat ipſa ſanctitas & innocentia, objecit furori acerrimorum hoſtium, & expoſuit acerbiſſimis doloris, contumeliæ, mortis denique truculentæ ſpiculis. Sed id fecit propter finem præſtantiſſimum cum immenſa ſua & Chriſti gloria, cumque ſempiterna noſtra ſalute junctum. Hunc finem etiam hodie Deus habet ſibi propoſitum, quotieſcunque pios ac fideles in palæſtram patientiæ vocat, & ſive ob veritatis profeſſionem, ſive ex naturalibus cauſis affligi ſinit. Quare in hoc quoque cæci exemplo monſtrat Chriſtus, non peccato ulli non aliis cauſis, ſed ſoli ſupremæ & abſolutæ Dei voluntati cæcitatem ejus eſſe adſcribendam, qui eam homini iſti immiſit non quia ille commeruerit, ſed quia Deo ita placuerit, ut ipſe eſſet inſtrumentum gloriæ ejus, vel objectum, in quo Deus ad manifeſtandam gloriam ſuam, oſtenderet ſuam potentiam, ſuam ſapientiam, ſuam abſolutam poteſtatem & denique ſummam ſuam bonitatem. Potentiam ſuam Deus in iſto cæco oſtendit, dum per Chriſtum virtutem ſuam naturæ limites excedentem exeruit, & morbum ejus naturaliter incurabilem curavit. Sapientiam vero ſuam Deus in eo ſpectandam propoſuit non tantum eatenus, quod per ejus cæcitatem alios homines non cæcos admonere voluit, ut pro facultate videndi quantum ſibi deberent, æſtimarent. Nunquam enim homines intelligerent, quantum beneficium ac donum Dei ſit viſus, ſi nulli omnino cæci in mundo eſſent. Sed etiam eatenus, quod ſanationem ejus converterit in confirmationem doctrinæ Chriſti, & in cruciatum, ægritudinem ac confuſionem adverſariorum ejus, ut poſtea patebit. Porro abſolutam poteſtatem ſuam ita Deus in hoc cæco demonſtravit, quod tunc non alium hominem, ſed hunc cæcum naſci voluerit, ut in eo viderent homines ſpecimen iſtius liberrimæ poteſtatis, qua diſpenſat dona ſua, prout vult. Ac tandem fecit, ut ſumma bonitas ſua in iſto cæco eluceret, dum eum ad tempora Chriſti reſervavit, dum ejus miſertus eſt, & non ſolum corpore, ſed & animo eum illuminavit, ut in ipſo contextu hiſtoriæ videbimus. Hæc igitur attributa Dei cum tam inſigniter manifeſtata ſint in hoc cæco, merito dicit Chriſtus, eum ſic cæcum eſſe natum, ut manifeſtentur in illo *opera Dei*. Non enim unum opus, ſed multa opera & actiones Dei, ut patet ex dictis, in eo ſunt manifeſtatæ. Quamvis enim unum opus ſanationis in eo peractum ſit, tamen in hoc uno opere multa alia opera divinorum attributorum concurrerunt.

Verſ. 4. *Oportet me operari opera ejus, qui me miſit, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari.*] Cur hoc Chriſtus addiderit, varii varias rationes adducunt. Alii putant, hoc ſibi Chriſtum voluiſſe: quaſi dicat, Sed nunc miſſam faciamus hanc quæſtionem; non eſt nunc tempus diſputandi, ſed operandi ac miraculum edendi: non mihi ſemper integrum erit miracula edere. Alii exiſtimant, quia Sabbatum erat, quando Chriſtus cæcum hunc ſanavit, eum voluiſſe excuſatione quadam præmunire diſcipulorum animos, antequam miraculum faceret, & oſtendere, ſibi id neceſſario faciendum eſſe etiam Sabbato, quia id ſibi mandatum ſit à Patre ſuo. Alii ſentiunt, Chriſtum voluiſſe à ſe removere hanc ſuſpicionem, quaſi gloriæ ſuæ aucupandæ cupiditate miracula ederet, & idcirco docere, opera iſta atque miracula non ſua eſſe, ſed Dei, à quo miſſus ſit, & à quo etiam certum ſit ipſi præfinitum tempus, quouſque opera iſta operari debeat. Salvo meliori lectoris judicio, ego putarim, ſimplicius dici poſſe, quod Chriſtus his verbis velit monſtrare, opera illa Dei, quæ manifeſtanda eſſe dixit in illo cæco, per ſe & per manus ſuas perficienda ac manifeſtanda eſſe. Itaque perinde accipienda ſunt ejus verba, atque ſi per pronomen relativum ea cum ſuperioribus conjunxiſſet, & dixiſſet: *Ut manifeſtentur opera Dei in illo, quæ me oportet operari, dum dies eſt:* ubi ſimul oſtendit Chriſtus, oblatam ſibi occaſionem ad glorificandum Deum & manifeſtandum opera ejus, non eſſe prætermittendam: non ſemper enim ſe poſtea occaſionem ad id faciendum habiturum.

Per *opera* ejus, qui miſit Chriſtum, id eſt Dei, dubium non eſt, quin miracula intelligantur; ſic enim Chriſtus ea vocare ſolet: ut Joh. 5. 17, 36. x. ℣. 37, 38. XIV. 10, 11, 12. XV. 24. Sed in iſtis miraculis elucebant ſimul non modo omnipotentiæ, ſed etiam bonitatis, ſapientiæ, ſanctitatis, aliarumque Dei proprietatum opera.

Cum dicit, *Oportet me operari*, indicat, mandato divino ſe obſtrictum ad miracula edenda, cui obtemperare omnino debeat, quodque ſibi tranſgredi non liceat. Quo etiam ſpectat, quod potius dixit, *Opera ejus qui me miſit*, quam mea, vel etiam Dei ſimpliciter, ut obligationem faciendi miracula, ipſo miſſionis nomine declararet. Quam vero Deo Altiſſimo minime conveniat, talia de ſe dicere, quis non videt? Quando Chriſtus cum Judæis rem habens ita loquitur, ut ſe Deo minorem eſſe, nihilque à ſeipſo facere vel dicere doceat, ſed omnia Deo Patri adſcribat: ſolent adverſarii hoc uti effugio eum non ex veritate, ſed ex Judæorum opinione loqui. At hic Chriſto non cum Judæis, ſed cum fidiſſimis diſcipulis ſuis res erat qui jam credebant, & confitebantur, eum eſſe Chriſtum Filium illum Dei viventis, & tamen eum videmus pariter Patri tribuere imperandi auctoritatem, ſibi vero nihil niſi obſequii gloriam relinquere. Profecto ſi Chriſtus eſſet Deus ſummus, ſaltem coram diſcipulis ſuis aliter locutus fuiſſet, quam coram Judæis.

Donec dies eſt.] Id eſt, dum eſt tempus opportunum. Utitur hic Chriſtus ſimilitudine ab hominibus ſumta, qui dum dies eſt, laborant & operantur, nocte quieſcunt: comparatque tempus ſuæ liberæ commorationis in mundo, cum die; tempus vero captivitatis ac perpeſſionis ſuæ cum nocte; ſignificans, ſibi dum adhuc liber eſt, dum ſuppetit tempus, non eſſe negligendam ullam occaſionem fungendi ſuo munere, quod ſibi injunctum eſt, ac proinde edendi miracula ac confirmandum doctrinam ſuam, & illuſtrandum gloriam Patris, quia poſtea futurum ſit, ut id ſibi facere non liceat, ubi ſcilicet venerit hora illa inimicorum ſuorum & poteſtas tenebrarum, Luc. 22. 53.

Venit

Venit nox, quando nemo poteſt operari.] Non dicit, Veniet nox, ſed *venit* in præſenti, ut indicet, diem ſuum jam quaſi ad occaſum vergere, id eſt, mortis ſuæ tempus non procul abeſſe. *Venit nox*, id eſt, inſtat, appropinquat, in proximo eſt tempus meæ paſſionis: propterea inſiſtendum eſt operi, cum tempus jam admodum breve habeam. Senſus itaque totius loci talis erit: Homines vulgo gnavi non ſolent negligere opportunitatem temporis, luceque operantur, ſi quid habent operis. Nox enim ad opus inutilis ac incommoda eſt. Si autem homines properant, ut opera ſua, quæ ad vitæ hujus uſum ſpectant, tempeſtive abſolvant, ante ſolis occubitum: quanto magis mihi annitendum eſt, ut opera illa ſedulo obeam, & juſto tempore ante mortem meam perficiam, propter quæ miſit me Pater.

Verſ. 5. *Quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi.*] Id eſt, quamdiu adhuc verſor libere ac palam inter homines, neceſſe eſt ut oſtendam, me eſſe lucem mundi, id eſt, Meſſiam. Hac enim phraſi ſolet officium Meſſiæ deſignari. Vide ſupra Joh. 1. ℣. 9. VIII. 12. Probabile interim eſt, Chriſtum dum ſe hoc deſcribit titulo, ad mox futuram cæci illuminationem alludere, & indicare velle, quod ipſe ſit ideo à Patre in mundum miſſus, ut animos quidem hominum primario, ſed & corporeos cæcorum oculos illuminet. Erat enim inter alia Meſſiæ proprium, juxta Prophetarum oracula, cæcorum oculos aperire, Eſai. 35. 5. Cum vero dicit Chriſtus, ſe eſſe lucem mundi, quamdiu in mundo eſt, non ſignificat, ſe poſteaquam è mundo exceſſerit, deſiturum eſſe mundi lucem ſeu Meſſiam. In hujuſmodi enim locutionibus non ſpectatur id, quid poſtea futurum ſit, ſeu poſt illum terminum, qui præfigitur, ſed tantum quid ante eum ſit futurum: quemadmodum in illis verbis Matth. cap. 1. ℣. ult. *Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Ad quæ verba quid dictum ſit, vide. Hoc tamen ſignificare Chriſtum dici poteſt, ſe non fore poſtea hoc modo lucem mundi, quo tunc erat, etſi nihilominus alio, idque perfectiori modo, lux mundi futurus eſſet. Nimirum poſtquam è mundo ſublatus fuerit, non erat amplius per ſe & ore ſuo Euangelium prædicaturus, non erat miracula præſens corpore ſuo, verbo ſuo, manu ſua facturus. Sed iſta deinceps per Apoſtolos ſuos fecit, & quidem multo magis & copioſius, non in una tantum regione, Judæa, ſed in univerſo orbe terrarum, lumine doctrinæ ſuæ hominum animos irradians.

Verſ. 6. *Hæc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & illevit lutum ſuper oculos cæci.*] Quæ ad occaſionem miraculi ſpectant, ſeu ea quæ miraculum iſtud anteceſſerunt, hucuſque vidimus: hic jam ipſum miraculum & circumſtantiæ ejus, quæ ad modum ſeu rationem, qua factum eſt, pertinent, deſcribuntur. Inſolens vero eſt ac novum plane hoc factum Chriſti, quod cum poſſet uno verbo, vel etiam manus contactu ſanare cæcum, tot ambagibus uſus ſit. Itaque ut de re perplexa, variæ enatæ ſunt Auctorum conjecturæ, quæ cum maximam partem allegoricæ ſint, & ad rem minus pertineant, non eſt, quod eas hic recenſeamus. Illud omnes fere Interpretes vulgo quaſi uno ore dicunt, Chriſtum hoc facto voluiſſe oſtendere, ſe eſſe illum, per quem primus homo è luto formatus ſit: ejuſdem enim eſſe artificis, hominem fingere & refingere; ex eadem materia facere opus & reficere. Qua collectione nihil poteſt eſſe vanius: cum hic Chriſtus ex luto nihil formarit vel crearit: (Nonni enim commentum de oculis cœci ex luto factis ſupra refutavimus) & etiamſi creaſſet, inde tamen non efficeretur, Chriſtum eſſe creatorem primi hominis. Quid enim habet creatio oculorum cæci ad Adamum? Annon potuit Deus, qui creavit Adamum, dare Chriſto homini vim creandi oculos cæci: quemadmodum & Apoſtolis poſtea dedit vim reſuſcitandi mortuos, aliaque ſupra naturam admiranda patrandi? Hoc eſt probabilius, quod à nonnullis dicitur, Chriſtum voluiſſe hac actione miraculum iſtud cæci animo melius imprimere, ut tanto magis beneficium ſibi præſtitum expenderet, & memoria retineret, nec non ut interrogatus ſanationem ſuam melius deſcribere & de ea teſtari poſſet. Nam ſi Chriſtus nudo juſſu & verbo repente eum ſanaſſet, moxque diſceſſiſſet, cæcus iſte nec ipſe, quid ſibi accidiſſet, & à quo hoc beneficium ſibi collatum eſſet, tam bene intellexiſſet, nec aliis quomodo ſanatus ſit, rationem reddere potuiſſet. Quæ conjectura probabilis, adhuc fiet probabilior, ſi addatur altera, quod Chriſtus voluerit experimentum ſumere fidei iſtius cæci. Sicut olim Deus per Eliſæum voluit experiri fidem illius Syri Naämanis, dum juſſit eum ire ad Jordanem, & in eo corpus abluere 2 Reg. 5. 10. Hoc ni feciſſet, à lepra ſua mundatus non fuiſſet. Ita hic quoque cæcus à Chriſto oblitus luto, & juſſus ire lavatum ad piſcinam Siloam, ni paruiſſet, videndi facultatem non obtinuiſſet. Eadem ratione factum eſt, quod Chriſtus decem leproſos apud Lucam non ante ſanavit, quam eos ad Sacerdotes mitteret: ut experiretur eorum fidem, quæ ſi non magna fuiſſet, facile in miſſis, nondum ſanatis vacillare potuiſſet. Luc. 17. 14. Ad has duas probabiles conjecturas accedit & tertia, quod Chriſto propoſitum fuerit opponere ſe Phariſæorum & Scribarum ſuperſtitioni & hypocriſin eorum detegere, qui Sabbatum violari credebant tam exiguo opere ſanationis, & interim divina vi in ſanatione adhibita non movebantur. Quemadmodum bonis materiam virtutis, & campum, in quo ſe exerceant, ita & improbis materiam impietatis exercendæ Deus & Chriſtus ſuppeditare amat. Si Chriſtus nullo adhibito molimine, ſolo verbo ſuo viſum reſtituiſſet cæco, nullam habuiſſent Phariſæi Chriſtum criminandi anſam. Sed facere lutum, & eo illinere oculos cæci, & jubere, ut eat ad piſcinam, & ſe lavet, illiciti in Sabbato operis habebat ſpeciem: quam illi facile ad calumniam trahere potuerunt. Videtur Chriſtus de induſtria interdum quæſiviſſe aliquid, quod homines maleferiatos irritaret. Sic & ſupra cap. 5. 8. cum ſanaſſet hominem 38 annorum morbo confectum, juſſit eum tollere grabatum ſuum & portare Sabbato; quamvis alioqui portatio iſta grabati minus eſſet neceſſaria, & facile intermitti potuiſſet: vel etiam alio potius die, non in Sabbato, ſanatio iſta potuiſſet fieri. Sed digni erant illi

illi ſcelerati pietatis ſimulatores, ut dentibus eorum objiceretur materia, in qua genuinum frangerent. Uti magna bonorum, ſed infirmorum, habenda eſt ratio, ne eos etiam rebus factu licitis offendamus; ita offenſio improborum ac nefariorum hypocritarum curanda non eſt. Ideo cum Chriſto aliquando narrarent diſcipuli, Phariſæos ſermone ipſius eſſe offenſos, nihil id moratus eſt, ſed dixit: *Omnis planta, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur* Matth. 15. 13. Cur vero Chriſtus lutum potius, quam aliud aliquid ad ſanandum cæcum adhibere voluerit: quamvis hæc res arbitraria fuerit, tamen non eſt abſurda eorum obſervatio, qui ideo luti in oculos impoſitionem, & ablutionem aquæ in curando hoc cæco adhibitam à Chriſto notant, ut tanto major & illuſtrior appareret vis miraculi. Nihil enim magis contrarium eſt viſui, quam lutum. Solet nimirum Deus in faciendis miraculis uti rebus maxime contrariis. Ita nihil eſt, quod aquas magis inſipidas & minus potui aptas reddat, quam ſal. Quis enim marinas bibat aquas? Atqui Eliſæus injecto in amaras aquas ſale, dulces & potabiles reddidit 2 Reg. 11. 20. Sic cum æs naturaliter noceat ictis à ſerpentibus, Deus tamen eximie volens vim ſuam oſtendere, æneum ſerpentem erigi in deſerto curavit, cujus conſpectus adverſus morſum ſerpentum venenatorum medicina eſſet Num. 21. 9.

Verſ. 7. *Et dixit ei: Vade, lava in piſcina Siloam, quod exponitur Miſſus. Abiit igitur & lavit, & venit videns.*] Miſit Chriſtus cæcum ad piſcinam, non quod in aqua illius piſcinæ ulla vis eſſet medica, quemadmodum nec in ſputo ac luto illo fuit, per ſe, ſed ut fidem atque obedientiam cæci probaret. Ita & à nobis, ut ſalvi fiamus, nihil aliud requirit Chriſtus quam fidem, ut credamus promiſſis ejus, & obedientiam, ut obtemperemus præceptis ejus, quorum ſumma eſt, ut nos abluamus & *mundemus ab omni immunditie carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei* 2 Corinth. 7. verſ. 1.

Piſcinæ Siloam mentio & alibi fit in Sacris Literis. Vide Nehem. 3. 15. Eſai. 8. 6. hanc piſcinam ortam eſſe ex fonte quodam ejuſdem nominis, qui fuerit ad radices montis Sion, ajunt; de quo fonte ita ſcribit Hieronymus in locum Eſaiæ modo allegatum: *Siloam autem fontem eſſe, qui non jugibus aquis, ſed incertis horis diebuſque ebulliat, & per terrarum concava & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus, nos præſertim qui in hac habitamus provincia.* Et idem in Jerem. 14. 1. *Uno quippe fonte Siloe, & hoc non perpetuo utitur civitas:* Contra legitur in collectaneis nominum propriorum, quæ ſunt in Bibliis Regiis: *Siloë fons, piſcina aut amnis ad radices montis Sion, perennibus aquis ebulliens, cujus fit mentio* Eſai. 8. 6. Sed Hieronymus, qui ſe ſcribit in illa provincia habitaſſe, tanquam oculatus teſtis, majorem fidem meretur. Ejuſdem piſcinæ Siloam fit mentio Luc. 13. 4. ex quo loco patet, turrim quandam ad hanc piſcinam fuiſſe exſtructam, quæ repente proſtrata 18 homines occiderit. Hanc eandem piſcinam eſſe illam, quæ etiam ſupra cap. 5. 2. memoratur, & Bethesda vocatur, id eſt, domus gratiæ ſeu miſericordiæ, ob mirificum ſanationis divinitus per eam fieri ſolitæ gratiam ſic dicta, quidam exiſtimant. Nomen ejus Siloach eſt Hebraicum, cui Græci in fine *m*, adjungunt loco literæ *h*. Quid ſignificet hoc nomen, Euangeliſta ipſe explicat, quod derivetur à mittendo, & idem ſit, quod *Miſſus*, quia nimirum aquæ ejus ex viſceribus terræ tanquam ſingulare donum à Deo emiſſæ ſint. Vocatur piſcina, Græce κολυμβήθρα, id eſt proprie, natatoria. Erat enim propter natationem & lavationem tantum illa aqua, non propter piſces ſervandos. Piſcina ergo dicitur, non quod piſces haberet, ſed quod ſimilis eſſet piſcinæ, ſeu ſtagno, ubi piſces aluntur. Dicitur autem in Græco textu: εἰς τὴν κολυμβήθραν, pro ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ. Vide ſimilem locum ſupra cap. 8. 6, 8.

Abiit igitur, & lavit, & venit videns.] Pulchrum fidei & obedientiæ exemplum in hoc cæco. Poterat inter eundum cogitare: Quid mihi prodeſſe poteſt lavatio in piſcina? quid lutum in oculos impoſitum? Quam multi cæci in hac piſcina laverunt, nec tamen curati ſunt? Hæc atque ſimilia potuiſſent ei in cogitationem venire, eumque à lavando avocare, ni adfuiſſet fides. Nam & de Naamano illo Syro legimus, eum ab Eliſæo juſſum ire ad abluendum corpus in Jordane, dixiſſe: *Putabam, quod egredietur ad me, & ſtans invocabit nomen Dei ſui, & tanget manu ſua locum lepræ, & curabit me. Annon ſunt meliores fluvii Damaſci Abana & Pharphar, omnibus aquis Iſraëliticis?* 2 Reg. 5. 11. Sed cæcus iſte ſine ulla hæſitatione credidit, & paruit: non ſine operæpretio. Illico enim conſecutus eſt obedientiæ præmium, videndi facultatem. Obedientiam infallibiliter ſequitur merces à Deo propoſita: obedientiam neceſſario efficit fides, ſi vera ſit, & viva. Qui credit, non poteſt non obedire: propterea multi non obediunt, quia fidem non habent. Hinc eſt, quod in Sacris Literis fidei ſoli adſcribatur ſalus, quia ſi illa ſit recte conſtituta, reliqua, quæ ad ſalutem requiruntur protinus ſequentur.

Et venit videns.] Non addit, quo venerit, ſed probabile eſt, veniſſe domum ad parentes ſuos: nam parentes habuiſſe in urbe habitantes patet ex ℣. 18, 20. Notandum eſt, hoc beneficium præſtitiſſe Chriſtum cæco iſti non rogatum, ſed ultro & propria motum miſericordia. Solebat quidem Chriſtus etiam interdum rogari prius ab aliis, quam eis benefaceret; ſed ne tum quidem beneficia ejus perdebant gratiam ſuam: quia prompte, & alacriter, nec ſuperbe ea dabat. At quæ ultro & non rogatus conferebat, ea ſine dubio erant multo gratiora. Pulchre Seneca, cujus librum de Beneficiis commendatum ſibi habere debent Chriſtiani, quos Deus ad benefaciendum aliis vocavit, & bonorum ſuorum diſpenſatores eſſe voluit: *Primum eſt*, inquit, *antecedere deſiderium cujuſque; proximum, ſequi. Illud melius, occupare antequam rogemur: quia cum homini probo ad rogandum os concurrat, & ſuffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum.*

PARS II.

Verſ. 8. *Vicini igitur, & qui viderant eum prius, quod cæcus eſſet, dicebant; Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat?*] Breviter expoſito miraculo, Johannes prolixius perſequitur ea, quæ illud ſunt conſecuta: ac primum deſcribit, quomodo miraculum pervenerit ad notitiam hominum, quantoſque fluctus excitaverit inter Chriſti adverſarios.

Dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat?] Deſcribit, quomodo propter illam mutationem, qua factus eſt ſubito è cæco videns, agnitus non ſit etiam ab iis, quibus erat antea notiſſimus: quales erant vicini, qui prope parentum ejus ædes habitabant, qui eum à teneris norant. Hinc eſt, quod inter ſe quærunt, & diſceptant: Hiccine eſt; an non hic, ſed alius? Simile quid evenire ſolet illis, qui ſpiritualiter illuminantur, & regenerantur, ut ab hominibus non agnoſcantur. Quando nimirum ex ebrioſis fiunt ſobrii, ex avaris liberales, ex ferocibus mites ac manſueti: uno verbo, quando ex lupis fiunt oves, nemo eſt, qui non miretur, paſſim omnes noti & amici dicunt: Hic eſt, non hic. Adeo notabilis eſt mutatio.

Et mendicabat?] Ad cæcitatem malum graviſſimum, acceſſit alterum, paupertas. Non erat opulentis parentibus ortus; alioqui non opus fuiſſet, ut mendicaret. *Sedebat*, inquiunt, *& mendicabat.* Sedebat ſine dubio ad templi limina, uti ſolent mendicantes in templi introitu excubare, & ab ingredientibus atque egredientibus ſtipem flagitare: qualis erat & ille claudus Act. 3. 2. Unde neceſſe erat, ut eſſet omnibus in civitate publice notus: nemo enim in templum inferre vel efferre è templo pedem poterat, quin eum conſpiceret. Itaque mendicatio ejus gloriæ Dei maxime inſervivit, quia miraculum in eo patratum non poterat non toticivitati innoteſcere. Cæterum quod ille mendicaverit, non eſt mirum, cum non poſſet ullo labore victum ſibi comparare: ſed hæc erat culpa primorum ac Rectorum civitatis, quod eum mendicare paterentur. Extat enim expreſſa Dei Lex: *Non erit, indigens, neque mendicus inter vos*, Deut. 15. 4. Patet hinc quoque Phariſæorum & Sacerdotum avaritia & hypocriſis, quod in aliis rebus minutis tam rigidi Legis obſervatores, hoc præceptum Dei tam manifeſtum negligerent, & cum ipſi eſſent ditiſſimi, alios mendicato pane ægre vitam tolerare ſinerent. Facilius ſcilicet erat crebro lavare manus, tempore Sabbathi ſuperſtitioſe à minimo quoque opere abſtinere, & alia externa ad pietatis oſtentationem facere, quam veram erga proximos egenos exercere charitatem. Utinam & hodie inter Chriſtianos non reperiantur multi Phariſæis iſtis ſimiles, in eo, ut formam duntaxat gerant pietatis, vim autem ejus abnegarint, 2 Tim. cap. 3. 5. utque culicem percolent, camelum vero deglutiant, ad nauſeam ſcrupuloſi circa quiſquilias & res minoris in religione momenti, omittentes interim quæ graviora ſunt Legis, judicium, miſericordiam, & fidem, Matth. 23. 23, 24.

Verſ. 9. *Alii dicebant, quod hic ſit: alii autem, quod ſimilis ei ſit. Ille vero dicebat: Ego ſum.*] Non ſcribit Euangeliſta, quod illum ipſum interrogarint, ſed tantum, quod inter ſe admirabundi & dubitabundi diſceptarint, quodque alii affirmarint, alii negarint eum eſſe, qui paulo ante in oculis totius civitatis mendicaſſet. Sed tamen credibile eſt, eos ipſum quoque compellaſſe, & ſciſcitatos fuiſſe ex eo quis eſſet: imo id factum eſſe, ſatis innuit ipſius reſponſio, & de ſe confeſſio. Quid enim opus fuiſſet, ut diceret, Ego ſum: ſi non fuiſſet rogatus? Tria autem ſunt, de quibus à populo ac vicinis fuit interrogatus. 1. An ipſe eſſet, qui fuerat cæcus, & ſedens mendicaverat? 2. Quomodo aperti ſint ejus oculi? 3. Ubi eſſet Jeſus, qui ipſum ſanaverat? Quæ omnia eo conſilio Euangeliſta tam accurate deſcribit, ut oſtendat, non temere miraculum iſtud eſſe creditum, ſed poſtquam res bene explorata, examinata, atque ab adverſariis Chriſti etiam exagitata eſt prius, tandem negari non potuiſſe. Diligens illa inquiſitio profuit ad certitudinem miraculi. Veritas enim quo magis excutitur examinatur, & exploratur, tanto magis eluceſcit, & ab omni falſitatis ſuſpicione liberatur. Inde fit, ut qui veritatem habent, non timeant ullum examen nec fugiant lucem, quia ſibi nullius fraudis ſunt conſcii. At contra mendaces & impoſtores nolunt ſua examinari, metuentes, ne fraudes & fallaciæ eorum deprehendantur & pateſcant. *Quiſquis, quæ mala ſunt, egerit*, ait ipſa veritas Chriſtus, *odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Qui vero dat operam veritati, venit ad lucem; ut manifeſta fiant opera ipſius, quod ſecundum Deum facta ſint*, Joh. 3. 20, 21. Ex quibus facile eſt judicare, quid ſentiendum ſit de iis, qui hodie religionis ſuæ myſteria talia proponunt quæ rimari, & examinari vetant, ſed cæca fide ſuſcipienda eſſe docent. Merito ſane ſuſpecta merx eſt, quæ inſpicienda non datur, ſed obtruditur clauſis oculis emenda. Si vera ſunt illa myſteria, ſi cum Verbo Dei conſentanea, cur non liceat ea explorare, & ad Lydium lapidem verbi divini examinare? Quid nocet, obſecro, auro vero, etiamſi ſæpius lydio lapidi affricetur, vel etiam igne exploretur? Ita & veritati myſteriorum religionis nocere non poteſt, etſi ſubinde mittantur ſub incudem examinis. Imo poſt crebram & longam inquiſitionem ſemper veritas magis eniteſcit, & clarior certiorque evadit. Videmus Chriſtum facta & doctrinam ſuam examinari voluiſſe: nec Apoſtoli ægre tulerunt, cum illa quæ docebant, auditores eorum conferrent cum ſcriptura, & ſcrutarentur, an ita ſe res haberet, Vide Act. 17. 11. Satis proinde illi, qui lucifugæ ſunt, qui clamant captivandam eſſe in rebus ſacris rationem, qui cæcam fidem in religione exigunt, produnt ſe cauſæ ſuæ non fidere.

Verſ. 10. *Dixerunt ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi?*] Poſtquam ex ipſius ore ac confeſſione, atque ex indubitatis vultus ejus lineamentis probe inſpectis conſtitit turbæ, eum ipſum eſſe & non alium, qui cæcus fuerat, ita ut jam omnis de eo dubitatio eſſet eis exempta: proponunt alteram quæſtionem, Qui factum ſit, ut ex cæco redditus ſit videns. Quæ ipſorum quæſtio, ſi non ex maligno & perverſo animo profecta eſt, id eſt, ſi non eo fine fuit inſtituta,

tuta, ut divinum illud factum obscurarent ac supprimerent, vel ut cæci aut Christi accusandi occasionem haberent, sed studio veritatis cognoscendæ, atque eo fine, ut veritate cognita, Deum meritis laudibus celebrarent, fuit proposita, non est ullo modo vituperanda; sed omnibus salutem suam amantibus, in rebus spiritualibus imitanda. Danda enim unicuique opera est, ut in rebus, quæ sunt maximi momenti, quales sunt res religionis, in quibus de salute animæ agitur, sit quam maxime certus. Verum quis non miretur supinam hominum in rebus divinis negligentiam? In rebus ad commodum, ad quæstum terrenum spectantibus sunt curiosissimi, & de iis volunt adeo certi esse, ut etiam tutissima excutiant, & nihil intactum & inexploratum relinquant; de veritate interim ac certitudine rerum religionis nihil aut parum soliciti. Pilatus, cum ex Christo audivisset, eum venisse, ut testaretur de veritate, quæsivit: *Quid est veritas.* Et hoc dicto exivit, haud præstolatus Christi responsum, Joh. cap. 18. 38. Inde patet, quam ipsi cordi fuerit cognitio veritatis. O quam multi hodie Pilati tales reperiuntur inter Christianos!

Vers. 11. *Respondit ille, & dixit: Homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, & unxit meos oculos, & dixit mihi: Abi ad piscinam Siloam, & lava. Postquam vero abii & lavi, videre cœpi.*] Simpliciter omnia narrat & candide. Simplex enim est veritatis oratio. Unde etiam cernitur simplex & apertum hominis istius ingenium. Quæritur hic, quomodo cæcus iste sciverit, Dominum vocari Jesum. Estque admodum verisimile, quod quidam hinc conjiciunt, multas facti circumstantias à Johanne in superiori narratione esse omissas: quas inter & hæc est, quod sine dubio à Christo fuerit prius compellatus, antequam oculis ejus lutum imponeret, atque is hac occasione quæsiverit, & resciverit vel ex ipso Domino, vel ex discipulis ejus, nomen illius, qui se compellaverat. Præterea videtur omnino statuendum, quamvis ea de re nulla fiat ab Euangelista mentio, cæcum istum habuisse aliquem ductorem (solus enim ire huc illuc non poterat) qui ductor facilius poterat nomen Domini exquirere, & postea ipsi indicare. Sed fieri etiam potuit, ut jam antea ex vulgari fama nomen Christi didicerit.

Homo qui dicitur Jesus.] Non colligit ex hoc tanto miraculo, Jesum esse Deum ipsum Altissimum, sicut hodie colligunt Christiani plerique ineptissime, sed hominem eum esse nihilominus credit, verum non vulgarem, sed Prophetam ℣. 17. & à Deo missum ℣. 33. sic Nicodemus quoque argumentatur supra Joh. 3. 2. *Rabbi, scimus te a Deo venisse magistrum.* Unde vero hoc scis Nicodeme? En addit rationem: *Nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi sit Deus cum eo.* Non dicit, Nisi sit ipse Deus summus; sed, Nisi Deus ipsi adsit virtute ac supernaturali sua efficacia.

Vers. 12. *Dixerunt ergo ei: ubi est ille? Ait Nescio.*] Hæc fuit tertia interrogatio turbæ illius ex vicinis & cæcum noscentibus collectæ. Volunt videre tanti miraculi auctorem atque cognoscere. Quo animo inquisiverint de Christo, incertum est. Vulgo creditur eos malitioso animo quæsivisse, ut eum comprehensum ducerent ad Pharisæos, & violati Sabbati accusarent. Sed nihil obstat, quominus etiam bono animo quæsiverint. Saltem credibile est, non omnes inimicum erga Christum gessisse animum.

Ait: Nescio.] Christus enim, postquam illum misit lotum ad piscinam, subduxerat se, nec à cæco sanato visus fuerat. Similiter se Christus subduxit, cum sanasset ægrotum illum, de quo supra cap. 5. ℣. 13. ita ut æger ille quoque curatus nesciret, quis & ubi esset Christus, nec scisitantibus posset eum indicare. Quo suo secessu Christus docuit, se non captare auram popularem & vanam gloriam ex miraculis, non id agere, ut spectaretur, ut à mirabundis digito monstraretur ac diceretur: Hic est. Quamvis vero Christus fugeret gloriam, tamen eum sequebatur. Egregie enim dicitur gloria habere crocodili naturam, ut sequentes fugiat, fugientes insequatur. Qui gloriam captant, & omnia ad ostentationem faciunt, isti veram gloriam non habent: at qui contemnunt gloriam, sed solam virtutem sectantur, eos gloria ultro arabit ac consequitur. Gloria enim est virtutis umbra. Uti umbra sequitur hominem in sole ambulantem, ita virtutem quoque comitatur gloria, tanto magis, quanto magis ab homine fuerit spreta. Præclare Cicero alicubi monet, non gloriam ipsam esse sectandam, sed ea solum, quæ sunt glorioſa.

Vers. 13. *Ducunt eum ad Pharisæos, illum quondam cæcum.*] Quomodo vulgo & plebi innotuerit hoc miraculum sanationis cæci, hucusque descriptum fuit: sequitur, quomodo id etiam ad notitiam procerum pervenerit. Narrat igitur Johannes, vicinos illos cæci & populares duxisse illum ad Pharisæos, id est, ad Synedrium, in quo quia primas obtinebant Pharisæi, ideo hic ab eis ut potioribus sit denominatio. Cur illum eo duxerint, non satis liquet. Plerumque creditur, eos id pessimo fecisse animo, ut vel cæco vel Christo nocerent, sperantes fore, ut presbyteri & primores ex ore cæci atque confessione sumant materiam agendi contra Christum tanquam contra legirupam. Sed non video, cur non potius factum eorum in dextram partem interpretari debeamus: cum Euangelista non expresserit ullum malignitatis eorum indicium. Ubi non sunt manifesta malitiæ argumenta, semper judicium nostrum in meliorem partem propendere debet. Præsertim cum sciamus, turbam & homines de plebe sincerioris animi fuisse, & erga Christum semper melius affectos, quam principes populi. Potuit igitur fieri, ut qui cæcum hunc sanatum ad Pharisæos duxerunt, eo animo id fecerint, ut cum scirent, Pharisæos Christi odio flagrare, & vitæ ejus struere insidias, monstrato eis tam manifesto ac divino miraculo, animos eorum ad mitiorem de Christo sententiam inclinarent, & eum nequaquam odio, nedum morte dignum esse ostenderent. Vel saltem potuit fieri, ut cum in re tanti momenti proprio non fiderent judicio, voluerint audire Antistitum ac Magistrorum suorum super ea re judicium. Sed quicquid sit, hoc est certum, divina factum esse providentia, quod illi cæcum istum ad Pharisæos duxerint, ut isti ex ore ejus audirent testimonium irrefraga-

fragabile, quo pertinacia eorum expugnaretur, aut si nihilominus contra niti pergerent, inexcusabiles redderentur.

Vers. 14. *Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit ejus oculos.*] Hoc addit Evangelista ideo, ut tempestive præmoneret, quam occasionem habuerint Pharisæi hoc tam illustre divinitatis Christi indicium carpendi, & siniſtre interpretandi, Vide ℣. 16. Poterat Christus alio tempore extra Sabbatum cæco isti hoc beneficium exhibere: sed de industria id videtur feciſſe Sabbato, ut improbis & hypocritis esset petra scandali & lapis offensionis. Vult Deus, ut impii habeant semper aliquem suæ nequitiæ & incredulitatis prætextum: qui tamen nihil nisi prætextus est, id est, nihil habet in se solidi, ac proinde eos coram Deo non excusabit. Qui volunt, ut Deus talibus argumentis homines in religione convincat, contra quæ ne pertinaciſſimi quidem hiscere vel mutire possint, illi religionis naturam non intelligunt, quæ requirit, ut homines habeant occasionem ac veluti campum, in quo se probitas vel improbitas eorum possit exerere. Ex eo, quia Sabbatum erat, quando Jesus curavit hunc cæcum, manifeste evicimus supra ad ℣. 1, miraculum hoc non eodem die atque tempore esse patratum, quo Christus lapidationis periculum, de quo ad calcem Capitis octavi, evasit.

Vers. 15. *Rursus ergo interrogabant eum & Pharisæi, quomodo videndi facultatem esset adeptus. Ille autem dixit eis: Lutum imposuit mihi super oculos, & lavi, & video.*] Rursus, inquit, interrogabatur cæcus, quia jam antea interrogatum scripsit à vicinis: nunc alterum examen instituitur etiam à Pharisæis. Sine dubio qui eum adduxerant, rem totam Pharisæis exposuerant, sed illi eo non contenti, volunt rei gestæ ordinem ex ore ipsius cæci pernoscere.

Ille autem dixit eis: Lutum imposuit oculis meis.] Rursus hic nudam veritatem, sine ambagibus, ac circuitu omni proponit. Non exprimit hic, quisnam imposuerit lutum, sed absque dubio hoc quoque dixit, Jesum id feciſſe, quemadmodum vicinis dixerat. Johannes enim strictim tantum & concise sermonem ejus refert: nam & de saliva, ex qua factum erat lutum, nulla hic fit mentio. Nominatum autem esse Jesum ab hoc cæco coram Pharisæis, ex eorum sermone satis liquet, quando dicunt: *Hic homo non est à Deo*; intelligentes Christum; de quo tamen non præcesserat mentio. Ergo apparet, à cæco fuisse nominatum, etsi ab Euangelista non exprimatur.

Vers. 16. *Dixerunt igitur ex Pharisæis quidam: Hic homo non est à Deo, quia Sabbatum non observat. Alii dicebant: Quomodo potest homo peccator talia signa facere? Et schisma erat inter eos.*] Habemus hic nobis proposita ob oculos duo genera hominum, in quibus tanquam in speculo videre possumus, quid possit in rebus divinis probitas animi, vel improbitas, quantumque situm sit ad fidem traditæ à Deo religioni adhibendam in recto aut pravo ingenio. Homines perversos ac improbos nihil movet magnitudo miraculi, quod tam clare testabatur, Jesum esse virum divinum, imo verum Messiam: Quia enim hoc semel apud se constituerant, non credere in Jesum & non recipere eum pro Messia propter carnalis sortis ejus vilitatem, ideo etiam manifestiſſimæ veritati, id est, soli ipsi contradicunt. Non potest enim sol clarius lucere in mero meridie, quam tunc lucebat hæc veritas, quod divina virtute factum fuerit illud miraculum: & tamen illi dicunt, *Hic homo non est à Deo.* Quæ potuit impudentior, iniquior ac sceleratior ferri sententia? Sed tamen ne hominibus obstinatis in malitia, speciosus aliquis deesset prætextus, suppeditavit eum ipse Christus, die Sabbati miraculum edendo. Hunc illi prætextum avide arripiunt, & sub specie religionis ac pietatis tanto audacius veritatem divinam ac pietatem impugnant. *Totius injustitiæ*, inquit Cicero, *nulla capitalior est, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.* Hujus rei egregium specimen hi Pharisæi exhibent. Erant homines à pietate à religione alieniſſimi, erant Legis maximi transgressores: & tamen volunt videri religioſiſſimi Legis ac Sabbati observatores. Hic homo, inquiunt, non est à Deo. Quare? *Quia non observat Sabbatum.* Quasi vero ipsi adeo Sabbatum observarent! Annon longe magis ipsi violabant Sabbatum, quando parricidialem & sanguinarium in Sabbato animum gerunt, consultantque de nece homini innocenti inferenda? Cur hic nullum sentiunt in conscientia scrupulum? Ergo non erat illis adeo de Sabbato cura, sed obtentus causa tantum adhibebatur. Deinde nullane dabatur in Sabbati observatione exceptio? Certe Christus dari non semel ostendit, Vide Matth. 12. 5, 11. Luc. 13. 15. xiv. 5. Apud istos tamen hic violati Sabbati prætextus plus valet, quam validiſſima argumenta in contrarium. Nempe ubi non est vera animi probitas & Dei timor, ibi levis una ratiuncula, carni ac incredulitati favens, præponderat sexcentis rationibus solidiſſimis pro fide & veritate militantibus.

Alii dicebant: Quomodo potest homo peccator talia signa facere?] Isti erant probioris animi, inter quos fortasse etiam Nicodemus fuit, ut supra cap. 7. 50. sed & præter Nicodemum, multos in Senatu fuisse principes, qui occulte credebant in Christum, sed aperte non profitebantur, ne è Synagoga ejicerentur, testatur infra Johannes noster cap. 12. 42. Sic dantur semper aliqui etiam inter pessimos non mali, quos tamen quia meticuloſi sunt, facile vincit pars deterior, & eorum sententias opprimit. Probitas autem istorum faciebat, ut melius de toto negotio judicarent, quam priores. Erat hoc speciosum argumentum: Sabbati observatio est à Deo præcepta. Ergo qui Sabbatum non servat, non est à Deo. Sed altera ex parte validius adhuc erat argumentum: Oculos aperire homini, qui cæcus natus est, non cadit nisi in Deum Omnipotentem. Ergo homo, qui id facere potest, non potest non esse à Deo: ex quo sequitur, talem non peccare, etiamsi non servet Sabbatum. Deus enim major est Sabbato, & potest de eo dispensare. Ex eo ipso autem, quod quis posset Sabbato facere rem talem, quæ nonnisi divina potentia fieri poterat, apparebat, hominem ejusmodi habere à Deo dispensationem (ut vocant) seu laxamentum ab obligatione Sabbati. Tantundem

dem enim id valebat atque ſi iſtam rem Deus ipſe faceret: ſine quo homo nihil poſſet efficere. Hinc Chriſtus ſupra cap. 5. 17, cum etiam ob ſimile miraculum Sabbato editum accuſaretur, ita ſe defendit: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Quaſi dicat, Deus, qui eſt Pater meus etiam Sabbato operatur, propterea & ego operor. Ego à me ipſo non præſtiti hoc miraculum, ſed Deus ipſe per me. Ergo hoc non poteſt eſſe peccatum, quod ego Sabbato feci, quandoquidem Deo ipſi placuit Sabbato id efficere.

Quomodo poteſt homo peccator talia ſigna facere.] Notandum eſt primo, eos per peccatorem, non qualemcunque hominem vitioſum intelligere, ſed pſeudoprophetam, & pſeudoChriſtum, qui ſe à Deo miſſum mentiatur. Talis eſt per excellentiam nequam & peccator, contra ſuam conſcientiam agens, & homines ſeducens. Deinde eos non dicere ſimpliciter, quod peccator non poſſit ulla ſigna facere, ſed quod talia ſigna, quale iſtud erat manifeſte divinum ac ſupernaturale, non poſſit facere. Nam alioqui & peccatores poſſunt ope Dæmonis aliqua edere miracula, ſed non talia. Vide infra dicenda ad ℣. 31.

Et ſchiſma erat inter eos.] Id eſt, jurgium & diſſenſio. Tale ſchiſma etiam ſupra fuit in turba cap. 7. ℣. 43. Inde autem exiſtebat ſchiſma iſtud, quod alii Chriſtum damnarent, alii defenderent, & partes ejus tuerentur. Quorum poſteriorum reſpectu ſchiſma malum non fuit. Recte enim faciebant, quod ſe iniquitati alterius partis opponerent, & innocentiæ ac veritati patrocinium præberent. Ex quo diſcimus, non omnem diſſenſionem ac ſchiſma vituperationem mereri, ut nec omnem concordiam eſſe laudabilem.

Verſ. 17. *Dicunt cæco iterum: Tu quid dicis de ipſo, quod aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quod Propheta eſt.*] Euangeliſta cæcum vocat eum, qui fuerat cæcus, etſi jam non eſſet. Sic vinum aqua vocatur, quia aqua fuerat, ſupra cap. 2. 9. Sic virga Aaronis dicitur, quæ jam erat ſerpens, Exod. 7. 12. Sic Simon leproſus appellatur, etſi jam non eſſet, ſed quia olim fuerat, Matth. 26. 6.

Tu quid dicis de ipſo, quod aperuit oculos tuos?] Extra omne dubium eſt, eos hanc quæſtionem nulla bona intentione proponere: ſed occultatum aliquem in ea latuiſſe hamum. Volunt judicium cæci de Chriſto audire, non ut ab eo aliquid diſcerent, (id enim ut in animum inducerent, ſuperbia eorum non patiebatur) ſed potius ut eum auctoritate ſua adducerent ad pronunciandam contra Chriſtum ſententiam. Multum enim id ſibi profuturum ſperabant, ſi is ipſe male de eo ſentiret, qui virtutem ejus in ſe erat expertus, & tanto affectus fuerat ab eo beneficio. Sic potuiſſent deinceps aliis facilius perſuadere ſuam de Chriſto ſententiam, ſi ante in ſuas partes cæcum miraculi teſtem potiſſimum pertraxiſſent.

Ille autem dixit, quod Propheta eſt.] Egregia virtus, candor & conſtantia in homine laico & idiota eluxit, qui non tantum recte ſenſit de Chriſto, & longe melius judicavit de re illa, quæ in controverſiam erat vocata, quam docti Phariſæi, ſed etiam ſenſum ſuum rectum aperte auſus eſt in medio ſenatus expromere. Sperabant Phariſæi, eum in ipſorum gratiam Jeſum tanquam Sabbati violatorem una ſecum damnaturum, aut certe minus honorifice de eo locuturum. Sed ille nihil dat gratiæ, nihil auctoritati eorum, nec metu ullo periculi patitur ſe à recti tramite dimoveri. Dignum, quod omnes Chriſtiani imitentur, exemplum, ut, ubi opus eſt, etiam in conſeſſu auguſtiſſimo hominum præpotentium intrepide veritati teſtimonium perhibeant; ne timeant eos, qui corpora occidunt, animabus autem nocere non poſſunt, ſed Deum potius revereantur ac formident, qui poteſt & corpus & animam perdere in Gehenna, Matth. 10. 28. ſpectat huc quoque præclarum Satyrici monitum.

—— Ambiguæ ſi quando citabere teſtis,
In certæque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas. *Juven.*

Videmus etiam hinc, quam etiam indoctiſſimi homines & rudiſſimi aptiores ſint ad cognoſcendam veritatem & ad judicandum de rebus divinis, ſi abſit improbitas, & carnalium rerum reſpectus, quam ſummi & eruditiſſimi Doctores qui cupiditatibus mundanis excæcati ſunt. Agnoſcit hic homo illiteratus & idiota Chriſtum eſſe Prophetam, id eſt, virum divinum, & vere miſſum à Deo: nec ei ad hoc judicium de Chriſto ferendum obſtabat id, quod doctis illis Prælatis obſtabat, nimirum quod Sabbato miracula ederet. Videbat enim hoc non eſſe tanti, ut evidentiæ miraculi divinitus editi opponi mereretur. Hoc ut videret, nihil aliud effecit, quam probitas & rectitudo animi. Phariſæis contra ne id viderent, nihil aliud obſtitit, quam improbitas ingenii & perverſitas.

Verſ. 18. *Non crediderunt ergo Judæi de ipſo, quod cæcus fuerit, & videndi facultatem ſit adeptus, donec vocarunt parentes ejus, qui videndi facultatem erat adeptus.*] Phariſæi hic ſimpliciter Judæi vocantur: ut & infra ℣. 22. Solet enim Johannes principes ac ſeniores populi hoc nomine κατ' ἐξοχὴν deſignare. Cæterum illi fruſtrati ſua exſpectatione à cæco, cujus reſponſio erat menti eorum prorſus contraria, ringuntur inopeſque conſilii neſciunt, quo ſe vertant. Ergo tandem rem apertiſſimam in dubium vocare conantur, & nolunt credere, eum fuiſſe cæcum, quem non vicinia ſolum, ſed tota civitas cæcum ac mendicum noverat. Ita pertinaces homines malunt negare manifeſtiſſima, ne veritatem ſibi adverſam fateri cogantur. Videmus id hodie quoque in multis religionis articulis. Athei ne Deum dari cogantur agnoſcere, negant omnia principia, tandem ne ſenſibus quidem credi volunt: qui tamen ſi agatur de pecunia, de aliquo terreno commodo vel incommodo de certitudine ſenſuum nullo modo dubitant. Non multum ab eis abeunt & Pontificii in ſuo articulo de Tranſubſtantiatione, & illi, qui Ubiquitatis monſtroſum dogma confinxerunt.

Donec vocarunt parentes ejus.] Tandem inveniunt

novum consilium, quo veluti de novo & reparatis viribus veritatem aggrediantur. Vident cæcum esse tenacem propositi, & ad prava non posse inflecti; tentant igitur parentes ejus, si forte ex eorum aliqua à filii testimonio discrepantia, ansam arripere queant, dicendi, rem omnem ex composito agi, cæcum illum à Christo subornatum, vel non fuisse vere cæcum, vel magica arte, non divina virtute fuisse curatum. Sed quo impensius illi satagunt veritatem opprimere, tanto magis illa prodit in lucem, & per omnia enititur obstacula, palmæ instar, quæ quo deprimitur gravius, eo adsurgit fortius. Ista enim accurata & anxia Pharisæorum inquisitione fit, ut omnes miraculi circumstantiæ exactius excutiantur, & quod hucusque videbatur adhuc obscurum & anceps, necdum satis probatum, id per hanc parentum examinationem illustrissimum & omni parte indubitatum evadat. Quod totum faciebat ad majorem Pharisæorum veritati reluctantium convictionem, & rei per Christum gestæ fidem ac gloriam. Apparet hos cæci parentes fuisse cives Hierosolymitanos, sed pauperes.

Vers. 19. *Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic-cine est filius vester, quem vos dicitis, quod cæcus natus sit? quomodo igitur nunc videt?* De tribus interrogant, An filius ipsorum sit, An cæcus natus fuerit? Quomodo nunc videat? Videntur autem eo ipso, dum quærendo ajunt, *quem vos dicitis, quod cæcus natus sit*, ostendere, quid sibi ab illis responsum velint, & præscribere quodammodo, ut dicant, eum non fuisse vere cæcum, vel saltem non à nativitate talem, ut si non possit plane negari miraculum, ad minimum de magnitudine ejus aliquid detraheretur.

Vers. 20. *Responderunt autem eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus, quod hic sit filius noster, & quod cæcus natus sit.*] Ad priores duas quæstiones simpliciter & magna cum asseveratione respondent, quia videbant in eo nihil esse periculi, nec posse sibi vitio verti, quod id fateantur, quod in tota urbe notum erat. Interea per hanc eorum confessionem confirmata est veritas illa, quam Pharisæi conabantur in dubium vocare. Et sic examinatio illa & inquisitio non modo non nocuit veritati, sed profuit. Factumque id adeo est divina directione sapientissima quod & hodie persæpe fit, ut hostes veritatis capitalissimi sint veritatis patefaciendæ atque in apricum producendæ instrumenta, & omnes eorum conatus ac machinationes contra eam, vertantur in ejus adjumentum & stabilimentum. Parum est Deo efficere, ut molimina improborum bonæ causæ nihil incommodent; sed insuper etiam efficit, ut eam juvent, ut promoveant. Venenum nimirum vertit in pharmacum, damnum in commodum, & propriis telis adversarios conficit. Ita totum quoque salutis nostræ negotium non per alios magis, quam per eosdem Pharisæos, Christi inimicos, promotum est: qui certe nihil minus cogitarunt Christum interficiendo, quam cælestem gloriam Christo, & nobis æternum solatium conciliare. Et tamen, Deo sic gubernante, illi dum nocere volunt, prosunt; dum mortem inferunt, vitæ sempiternæ causa existunt; dum se vicisse putant, maxime vincuntur, & quasi suomet gladio jugulantur. Hoc est capere & irretire sapientes in astutia eorum, ut impleatur, quod scriptum est: *Dominus novit cogitationes sapientum, quod vanæ sint*, 1 Cor. 3. 19, 20.

Vers. 21. *Quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis aperuit ejus oculos, nos nescimus. Ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de seipso loquatur.*] Ad tertium quæsitum, jam non pari, ut antea, candore respondent. Videbant enim id agi, ut crimen aliquod intentaretur; metuentes igitur sibi, aperte veritatem non audent profiteri. Credibile enim est, eos à filio suo audivisse, quomodo à Christo curatus fuerit: ut sic absque mendacio dicere non potuerint; *Quomodo nunc videat, nescimus, aut quis aperuit ipsius oculos, nos nescimus.* Videmus, quam parentes isti, qui cautiores & prudentiores esse volunt filio, ejus virtutem & probitatem non sint assecuti. Habemus in illis exemplum hominum in gratiam aliorum à recta veritatis orbita deflectentium, & magis homines, quam Deum ac pietatem respicientium. Metu namque hominum committunt tria gravissima crimina. Primum, dum mentiuntur, se nescire, quomodo ex cæco factus sit videns atque adeo id quod à filio didicerant, reticent, quasi nihil omnino ea de re audivissent. Secundo dum ingratos se exhibent erga Christum, cujus beneficium sibi in filio præstitum, ubique pleno ore deprædicare debuerant. At illi dissimulant & celant ibi, ubi maxime erat profitendum. Tertio dum periculum impendere sibi ac filio prospicientes, non tantum non assistunt filio, & ejus in se apologiam non suscipiunt, sed omnem invidiæ molem in filium devolvunt. Quod erat contra naturam & insitam parentibus φιλίαν. Vide quid efficiat metus, quando homines timent magis mundum, quam mundi Dominum. Licet quidem prudentia uti in periculis declinandis, ideo & Christus nobis serpentinam prudentiam commendat: sed nunquam ea ita utendum est, ut quicquam, quod contra officium est, admittamus. Nunquam placanda est invidia, virtute relicta. Prudentia illa serpentina nunquam debet à simplicitate columbina esse sejuncta; alioqui hæc non prudentia, sed astutia serpentina erit.

Vers. 22. *Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos. Jam enim constituerant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, ex Synagoga ejiceretur.*] Hic Johannes expresse declarat, meticulositatem parentum illorum in causa fuisse ut ad tertiam quæstionem non bona fide responderent, utque auctorem ac modum beneficii filio collati dissimularent. Simul quoque causam istius timoris indicat: quod nimirum territi fuerint constitutione à Judæis, id est, proceribus Judæorum facta, contra eos, qui Jesum pro Christo agnoscerent.

Ex Synagoga ejiceretur.] Gr. ἀποσυνάγωγος γένηται, id est, *à Synagoga*, subintellige, excluſus *fieret*. Quod apud Judæos erat, excludere è Synogoga, hoc hodie vocatur excommunicare. Notant autem docti tria fuisse Excommunicationis genera apud Hebræos. Unum dicebatur *Niddui*, id est, rejectio seu remotio. Alterum *Cherem*, id est, anathema. Tertium *Samatha*, pro qua voce Apostolus usurpat *Maranatha*, id est, Dominus venit,

1 Cor.

1 Cor. 16. 22. Solebant ergo Hebræi, ſi quis gravius deliquerat, primum eum movere cœtu, ſeu ſeparare à Synagoga, id eſt non à loco excludere, in quo conveniebant precandi cauſa, ſed à cœtu & ſocietate hominum, qui in locum illum conveniebant. Atque hæc fuit minor inter Judæos excommunicatio. Altera erat major, quæ tunc adhibebatur, ſi prior excommunicatio, ſive ſeparatio à cœtu nihil profecerat, atque tum delinquens anathemate feriebatur, quod in ſe continebat bonorum omnium ſectionem, ſeu confiſcationem, ut hodie vocant, qua omnes contumacis atque cœtui rebellis hominis facultates fiſco, non civili & profano (à quo dabatur redemtio, & reſtitutio in integrum poterat obtineri) ſed Sacro ſive Templi addicebantur: unde nulla redemtio. Ad hujus rei illuſtrationem facit locus Eſd. 10. 7, 8, ubi ſic habetur: *Promulgarunt per Judam & Hieroſolymam omnibus illis, qui redierant è captivitate, ut congregarentur Hieroſolymam: & quiſquis non venturus eſſet intra triduum, ex ſententia principum ac ſeniorum anathema fore omnes facultates ejus; ipſum vero ſeparatum iri à congregatione eorum qui à captivitate redierant.* Ubi videmus, utramque ſpeciem Excommunicationis, hoc edicto contineri: ſeparationem à cœtu Iſraëlitarum, quoad perſonam delinquentis, & anathema ſeu confiſcationem, quoad bona ejus. Quodſi ne tum quidem, poſt bonorum multationem, ad frugem rediret, qui deliquerat, tertio & poſtremo loco eum Samathiſabant, id eſt, non bona ſolum, ſed ipſe quoque anathemate devovebatur: & hæc erat graviſſima Excommunicationis ſpecies, quia hanc ſequebatur mors. Qui tali feriebatur anathemate, eum neceſſario oportebat mori, nec ulla erat ab hoc anathemate redemtio; idque juxta Legem illam Levit. 27. 28, 29, *Omne quod Domino devotum eſt, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non poterit vendi, nec redimi. Quicquid fuerit devotum, ſanctum ſanctorum erit Domino. Et omne devotum, quod devovetur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.* Harum trium Excommunicationis ſpecierum ſeu graduum primam ſecunda, tertia utramque includebat. Prima piis quidem Judæis erat formidabilis, quia per eam à Sacrorum communione ſubmovebantur. At qui minus pii erant, ea non magnopere movebantur: ſecundam, qua omnibus facultatibus ſpoliabantur, multo magis metuebant: tertia quia inſuper mortis pœnam intentabat, multo erat adhuc omnibus formidabilior. Atque hac occaſione addere juvat, ab hac conſuetudine Excommunicandi inter Judæos recepta, deſumtum etiam eſſe morem iſtum Excommunicationis, quam poſtea Chriſtus & Apoſtoli in Chriſtianis Eccleſiis inſtituerunt. Sed hoc notandum eſt, è tribus ſpeciebus Judaicæ Excommunicationis à nobis enumeratis primam tantum retentam eſſe, & Eccleſiæ Chriſti commendatam: reliquæ duæ in ea non habent locum. Non enim Eccleſiæ Chriſtianæ competit ulla coactiva poteſtas carnalis, quemadmodum competebat Eccleſiæ Judaicæ. Proinde qui hodie inter Chriſtianos etiam duas poſteriores ſpecies Excommunicationis in Eccleſia uſurpant, illos certum eſt Judaico, non Chriſtiano ſpiritu agi. Certe in Chriſti exemplo & in Apoſtolorum Eccleſiis nihil huic ſimile extat. Legimus quidem Apoſtolum Paulum aliquos tradidiſſe ſatanæ, quin & Eccleſiæ Corinthiorum juſſiſſe quendam in congregatione ſua ſatanæ tradere, ad interitum carnis, ut Spiritus ſervetur in die Domini Jeſu Chriſti: 1 Cor. 5. ℣. 5. 1 Tim. 1. 20. Legimus quoque eundem Apoſtolum graviſſimum anathematis fulmen, quod *Maranatha* vocatur, vibrare in eos, qui Dominum Jeſum non diligunt, 1 Cor. 16. 22. Sed hæc ſunt heterogenea, & cum iſtis Judaicis Excommunicationis ſpeciebus, in quibus carnalis adhibebatur coactio, nihil commune habent. Fiebant enim illa poteſtate quadam ſpirituali, divina ac miraculoſa, qua cum hodie nulla Eccleſia Chriſtiana ſit prædita, ex eo ſatis liquet, talia facta extraordinaria nulli hodie eſſe imitanda. Sola igitur Eccleſiis Chriſtianis relicta eſt prima Excommunicationis ſpecies, id eſt, excluſio & ſeparatio à ſocietate & corpore fidelium; de qua Chriſtus ait: *Dic Eccleſiæ. Si autem & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, Matth. 18. 17. Ubi etſi proprie ad ſingulos & privatos dirigatur Chriſti oratio, & quomodo ſe illi erga eos, à quibus læſi ſunt, gerere debeant, docentur, tamen non obſcure Eccleſiæ poteſtas datur utendi ea adverſus contumaces Excommunicationis ſpecie, qua utebantur primo loco Judæi adverſus tales. Vult enim Chriſtus, ut quemadmodum is qui apud Judæos à Synagoga ſeparatus erat, non cenſebatur amplius Iſraëlita, ſed eo loco & numero habebatur, quo ille qui non erat de Republica Iſraëlis; ita etiam is qui Eccleſiæ Chriſtianæ refractarius eſt, non amplius pro Chriſtiano, ſeu Eccleſiæ Chriſti membro habeatur, verum ita conſortium ac familiaritas ejus vitetur, atque ſolebant Judæi vitare conſortium eorum, qui à Synagoga erant rejecti. Jam vero pro tali aliquem declarare, qui ſit tanquam Ethnicus & publicanus omnibus fugiendus atque vitandus, non eſt unius alicujus privati hominis, ſed totius Eccleſiæ ſeu communitatis. Ex verbis Chriſti poſſet quidem colligi, licere alicui privato amicitiam & familiaritatem arctiorem ei à quo læſus eſt, renunciare, etiamſi is ab Eccleſia nondum ſit ſegregatus. Sed hoc pro ſe tantum facere poteſt, non pro aliis, id eſt, legem non poteſt imponere aliis, ut idem faciant. Ad talem legem ferendam totius Eccleſiæ conſenſus atque auctoritas requiritur. Et tunc, quando tali conſenſu lex fertur, omnes & ſinguli ad eam obſervandam obſtringuntur, ut jam ſingulis non ſolum liceat vitare conſortium & converſationem ſic excommunicati, ſed etiam non liceat non vitare abſque peccato. Qui enim cum tali communicat, is communicat & participat de peccatis ejus, & ſe eidem pœnæ facit obnoxium, non minus adverſus Eccleſiam contumax exiſtens, quam ille. Certe ſtatuendum omnino eſt, non eſſe hodie minorem poteſtatem atque auctoritatem Eccleſiæ Chriſti, quam olim fuit Eccleſiæ Judaicæ: niſi quod nunc carnales atque corporales pœnæ in ſpirituales commutatæ ſunt. Itaque privilegium illud ligationis & ſolutionis, quod illis Chriſti verbis continetur. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt*

ligata in cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo: Matth. 18. 18. Etſi ſuo modo, ut dictum eſt ad hunc locum, etiam ad ſingulos Chriſtianos privatim pertineat, tamen toti Eccleſiæ multo magis competit. Ad hanc Eccleſiæ Excommunicationem referri etiam debent illa loca: 1 Cor. cap. 5. 11. 2 Theſſ. 3. 6. 14. de quibus locis pluribus agere non eſt hujus loci: Occaſione ejectionis è Synagoga paulum exſpatiati, jam redeamus in viam.

Verſ. 23. *Propterea parentes ejus dixerunt, Ætatem habet, ipſum interrogate.*] Ad perhibendum teſtimonium juſta ætas ac matura requirebatur. Hoc ergo effugio illi utuntur, ſuum filium jam conſecutum eſſe legitimam ætatem, ut ſolus in judicio ſtare poſſit, & per ſe reddere rei geſtæ rationem: atque ſic impendenti tempeſtati caput ſuum ſubducunt, filium deſerentes, & ſolum ſub cultro linquentes.

Verſ. 24. *Vocaverunt igitur iterato hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo; nos ſcimus, quod homo hic peccator ſit.*] Sequuntur Phariſæi conſilium parentum illius, poſtquam nihil ab iis elicere potuerunt de ratione, qua filius eorum fuerit curatus, & denuo redeunt ad examinandum cæcum. Veriſimile autem eſt, eos cæcum exire juſſiſſe, cum parentes ad examen introducerentur, ut viderent an ſeorſim examinatorum conſentientia futura ſunt dicta: propterea hic dicitur, eos cæcum rurſus vocari atque accerſiri curaſſe. Similiter in hiſtoria Suſannæ legimus ſeparatim interrogatos à Daniele ſenes contra Suſannam teſtantes. Adject. ad Dan. 13. 51. Ita vero videntur Phariſæi ſermonem ſuum ad eum inſtituere, ut fingant, quaſi ex parentibus ejus certo reſciverint tale quid, ex quo indubitanter ſciant, Chriſtum eſſe peccatorem, proinde eum urgent, ne in re manifeſta & certis argumentis probata fruſtra veritatem neget, ſed fateatur, ſe antea mentitum eſſe, & ſe à Chriſto ſubornatum, ut ſe cæcum fuiſſe fingeret, & talis miraculi famam ubique ſpargeret. Etſi vero nullum argumentum proferant, quo cæcum illum convincant: tamen animadvertenda eſt ſingularis eorum calliditas, & notandæ ſunt tres machinæ in ſermone eorum, quibus conantur animum ejus labefactare. Primum inquiunt, *Da gloriam Deo*: fingunt ſe homines admodum religioſos, quibus nihil niſi gloria Dei curæ cordique ſit; & ſic eum divini nominis reverentia volunt à divini Numinis reverentia abducere. Secundo dicunt: *Nos ſcimus*; ubi auctoritatis ſuæ pondere hominem volunt opprimere: quaſi dicant: An tu neſcis, qui nos ſimus? quod ſimus Sacerdotes Dei, Rectores populi & Magiſtri, quorum auctoritate omnes ſtare oporteat? quanto magis tu, qui laicus es, rudis & idiota, debes noſtro magis, quam tuo credere judicio, qui ſumus docti, imo Doctores, qui ſumus in Sacris Literis exercitatiſſimi, & divinas res callemus ad unguem? An putas veriſimile eſſe, ut nos tot & tanti viri erremus potius, quam tu homo expers literarum & omnis ſcientiæ? Tertio ajunt de Chriſto, *Hic homo peccator eſt:* quibus verbis conantur pravam de Chriſto opinionem animo ejus inſtillare. Factum ipſum miſſum faciunt, ſed in auctorem facti involant, & quam maxime nigrum ac turpem eum in oculis cæci reddere ſtudent. Quid hac agendi ratione aſtutius, quid ſceleratius vel ſatanas ipſe comminiſci queat?

Da gloriam Deo.] Quidam ita interpretantur, quaſi dicere voluerint: Quod ex cæco factus es videns, noli Jeſu adſcribere, cui nihil debes, ſed tribue Deo gloriam iſtius beneficii, à quo omne bonum proficiſcitur. Sed non videtur hæc vera eſſe interpretatio. Is enim cùm Jeſu adſcribebat hoc beneficium, ſimul Deo tribuebat gloriam, quia agnoſcebat Jeſum eſſe Prophetam Dei verum, per cujus manus Deus hoc ſe mactaſſet beneficio. Melius ergo exponunt alii viri docti, qui notant hanc fuiſſe ſolennem quandam formulam apud Hebræos, qua adigebantur vel teſtes ad verum teſtimonium edendum, vel rei ad culpam coram Deo agnoſcendam. Eadem enim formula uſus eſt Joſua, Achanem obſtringens, ut verum fateretur. Vide Joſu. 7. 19. Sic ergo volunt Phariſæi hac gravi obteſtatione per nomen divinum animo illius ſanati cæci religionem injicere, ejuſque conſenſum ad damnandum Chriſtum extorquere. Perinde ac ſi dicerent: Cogita te non coram nobis hominibus ſtare, ſed coram tremenda majeſtate Dei, & rem tibi eſſe cum eo, qui ſcrutator eſt cordium ac renum. Cave igitur mentiaris, & mentiendo hac eum contumelia afficias, quaſi judices, eum ignarum eſſe rerum humanarum, ſed potius te eum tanquam conſcium omnium, quæ geruntur in mundo, & mendacii vindicem revereri, oſtende hoc ipſo, ut veritatem aperte profitearis, etiamſi propterea vita tibi amittenda foret.

Verſ. 25. *Reſpondit igitur ille & dixit: Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quod cum cæcus fuerim, nunc videam.*] Cum dicit, ſe neſcire, an Chriſtus ſit peccator, necne, non eſt id ſimpliciter intelligendum. Infra enim ℣ſ. 30, 31, 33. argumento firmiſſimo probat, eum non eſſe peccatorem. Sed perinde eſt, atque ſi dicat: An ille peccator ſit, ut dicitis, de eo diſputare nolo, nolo judicium ea de re ferre, non meum eſt hanc quæſtionem decidere. Poteſt etiam talis eſſe ſenſus: Vos dicitis, ſcimus eum eſſe peccatorem: at ego hoc neſcio, quod vos ſcire dicitis, imo (quod ſubintelligendum eſt) ſcio contrarium, eum non eſſe peccatorem. Quocunque modo verba iſta accipiantur, certum eſt, cæcum iſtum reſtitutum in ſua integritate conſtanter perſeverare, nec auctoritate illorum perverſorum judicum quicquam moveri. Non enim aſſentitur eis, non abblanditur; cum dicunt ſe ſcire, quod Jeſus ſit peccator, non acceptat id tanquam divinum oraculum: ſed ſatis indicat, ſe id non credere. Tantumque abeſt, ut in eorum gratiam mentiatur, aut veritatem reticeat, ut eam ipſis rurſus in os dicere non vereatur. Hoc *unum*, inquit, *ſcio, quod cum cæcus fuerim, nunc videam.* quaſi dicat: Quicquid vos dicatis, non efficietis, quin hoc verum ſit: non patiar mihi contrarium perſuaderi; nulla vis, nullum periculum me ab hac veritate depellet. Admiranda ſane fortitudo & in bono propoſito conſtantia hominis plebeji ac illiterati; qui nobis reipſa in ſe exhibuit viri magna-

magnanimi imaginem, quam verbis delineavit Horatius cum ait:

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Verſ. 26. *Dixerunt autem ei rurſus: Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?*] Spem ſuam à cæco deſtitutam videntes Phariſæi, nec ullas perſuaſiones apud eum habere locum, vix animi ſunt compotes, nec ſciunt quid agant. Poſtremo ad ſuperiores quæſtiones revolvuntur, & quod jam audiverant, rurſus audire volunt, jubentque eum ordiri ab ovo totam hiſtoriam. Quod ſine dubio hoc fecerunt conſilio, quod ſperarent, eum ſibi in omnibus non conſtiturum, & narrationem poſteriorem à priori aliqua in re variaturam, ut ita ex dictorum inconſtantia ac diſcrepantia poſſent eum arguere mendacii. Ita iſti mille artifices circumvenire & illaqueare ſtudent hominem ſimplicem & ab omni fuco ac fallacia alienum: quales homines non eſt res operoſa fallere iis, qui ſunt inſtructi dolis & arte veteratoria.

Verſ. 27. *Reſpondit eis: Jam vobis dixi, & non audiviſtis: quid iterum vultis audire? num & vos vultis ejus diſcipuli fieri?*] Intellexit ſine dubio nequitiam & improbitatem Phariſæorum, quod cæco odio ac rabie ferantur adverſus Chriſtum, & eum conentur omni ratione opprimere, quodque ea de cauſa nunc inſidioſe jubeatur ordinem rei geſtæ rurſus exponere. Itaque inſidias illas ſibi ſtructas ſagaciter & non ſine Numine, ut credo, ſubordoratus, directe non reſpondet, ſed aperte detrectat narrationem, non ſine ſcommate & naſo eorum perverſitatem perſtringens.

Jam vobis dixi, & non audiviſtis.] Quaſi dicat: Quouſque narrabo eadem? annon ſatis aperte ſemel vobis narravi rem, quomodo geſta ſit? annon ſatis audiviſtis? quorſum nunc eadem repetam? Quæritis, quaſi neſciatis: quaſi non audiſſetis. Oportet vos aliquid monſtri alere. Videtur in verbis iſtius cæci eſſe quædam contradictio. Nam ait, eos quod dixit antea, non audiviſſe, & tamen mox addit: *Quid iterum vultis audire?* indicans, eos antea jam audiviſſe. Sed conſiderandum eſt, verbum *audiendi* alia atque alia accipi ſignificatione: priori loco pro attentione animi, vel etiam pro rei approbatione & pro aſſenſu; poſteriori autem pro ſimplici aurium auditu. Ut ſenſus ſit: Dixi vobis jam ſatis, & expoſui rei geſtæ modum, ſed vos vel non conſideraſtis dicta mea, vel rem non recipitis, non creditis, & ita vos geritis, quaſi eam non audiſſetis. Quid ergo prodeſt, ut iterum dicam, ut iterum audiatis? Vulgatæ editionis Latinæ Auctor, fortaſſis propter hanc apparentem contradictionem, omiſit particulam *non*, quæ tamen in omnibus Græcis exemplaribus reperitur. Ita enim legit: *Dixi jam vobis, & audiſtis.*

Num & vos vultis diſcipuli ejus fieri? Hoc dicto graviſſime eos pungit & exagitat. Nihil enim acerbius ac contumelioſius dici poterat Phariſæis ſapientiæ opinione turgidis, nihil quod homines ſuperbos magis ureret, & ad inſaniam redigeret, quam eos velle aut poſſe ullius fieri diſcipulos, nedum Chriſti, quem internecino odio proſequebantur. Videmus, quanta in homine iſto fuerit animoſitas, ac confidentia, quam non vili timore ad conſpectum totius Synedrii emarcuerit, ſed bonæ cauſæ fiducia fretus, etiam inſultare veritatis hoſtibus, etſi potentibus, auſus fuerit. Nihil aliud autem hæc illius verba ſibi volunt, quam hoc: Cui bono velitis, ut ſemel expoſitam hiſtoriam vobis denuo referam, non video: niſi forte hæc ſit cauſa, quod qui hactenus averſi animis fuiſtis à Jeſu, jam tanta miraculi in me editi excellentia permoti atque convicti, mutaveritis ſententiam, velitiſque idcirco exactius rem totam cognoſcere, ut melius in ea confirmati, illum pro Doctore ac Magiſtro divinitus miſſo agnoſcatis, & in ejus vos diſciplinam detis. Dicite, quid vobis ſit animi. Nam hoc certum eſt, factum iſtud eſſe prorſus divinum, nec in eo quicquam eſſe Deo aut Legi contrarium. Particula illa *&* vos, non ſine emphaſi addita eſt. Tacite enim ſubintelligi vult: Sicut multi è populo, & ego ipſe. Ita innuit ſe eſſe Chriſti diſcipulum, & ſimul indicat, quid & illi, ſi ſaperent, facere deberent.

Verſ. 28. *Convitiati ergo ſunt ei, & dixerunt: Tu ſis diſcipulus illius: nos autem Moſis ſumus diſcipuli.*] Non poſſunt ferre tantam hominis laici παῤῥησίαν: itaque ut ſolent homines arrogantes & impotentis animi, in convitia erumpunt. Sed quæritur: quid hic ſit convitii in illorum verbis? Non enim imprecantur ei quicquam mali. Quid enim in eo mali eſt, quod jubent, ut fiat Chriſti diſcipulus? imo quid eo poteſt eſſe melius, & ſanctius? Verum attendendum eſt hic non tam verba, quam animum Phariſæorum ſpectari. Illi hoc pro ſummo malo habebant Chriſti eſſe diſcipulum, quem judicabant eſſe Pſeudoprophetam, impoſtorem & apoſtatam. Illorum ergo judicio nihil gravius, nihil magis infame erat quam quod imprecabantur cæco. Quicquid autem infamandi animo ab aliquo dicitur, convitium eſt, licet per ſe contumeliam non habere videatur. Sed deinde credibile eſt, Johannem non totam eorum orationem expreſſiſſe, ſed ſtrictim tantum ejus ſummam eſſe complexum. Itaque cum dicit, eos maledixiſſe ac convitiatos ipſi fuiſſe, proculdubio addiderunt, execrandi aliquam formulam, qua uti ſolent homines profani; puta hoc modo: Abi in malam rem cum tuo Jeſu, & eſto ejus diſcipulus; vel, Ut te Deus una cum illo male perdat. Unde magis magiſque elucet, qualis fuerit iſtorum religioſorum religio, & qualis pietas iſtorum ſanctulorum. Obſervandum vero eſt, quoſdam Græcum verbum εἶ, quod hic habetur, non per imperativum, ſed per indicativum reddere, ut non dictum ſit: Tu *ſis* illius diſcipulus; ſed, Tu *es* illius diſcipulus. Sic habet Syrus, ſic Arabs, ſic Beza & alii. Quapropter ſunt, qui in hoc convitium fuiſſe cenſeant, quod ei defectionem à Moſe objecerint, dum eum dicunt hujus factum eſſe diſcipulum, ſe vero eſſe Moſis diſcipulos. Iſta enim

oppoſitione indicant, hæc duo ſimul ſtare non poſſe, Jeſu eſſe diſcipulum, & Moſis diſcipulum.

Verſ. 29. *Nos ſcimus, quod Moſi locutus ſit Deus: hunc autem neſcimus, unde ſit.*] Rationem afferunt, cur malint Moſis eſſe diſcipuli, quam Domini Jeſu. De illo, inquiunt, ſcimus, Deum ei locutum eſſe, nempe in monte Sinaitico: de hoc vero neſcimus, unde ſit, id eſt, quis eum miſerit; certe non Deus, ſicut Moſen. Non loquuntur hic de ortu ejus, vel de loco nativitatis, quando dicunt, *Neſcimus, unde ſit:* Sed de officio & miſſione ejus. Mirum vero eſt, quod iſti, quod non viderant, quod ipſis præſentibus factum non eſt, ſed quod audiverant tantum, aut legerant, dicant ſe ſcire, quod nimirum Deus ad Moſen locutus ſit: id autem quod oculis ſuis uſurpabant, quod illis præſentibus gerebatur, quod tot ſtupendis à Chriſto confirmabatur miraculis, negent ſe ſcire. Si propter miracula, quæ à Moſe facta ſunt, vel circa Moſen, credunt, eum à Deo miſſum: cur non ob miracula ſimiliter credunt, Chriſtum eſſe à Deo? Moſes multo pauciora & minora fecit miracula, quam Chriſtus. Moſis miracula nunquam viderant: Chriſti miracula videbant oculis ſuis & manibus palpabant. Quanto juſtiores hic credendi cauſæ? Sed iſti homines affectu mero, non ratione ducuntur. Tantum ſcilicet valet ad credendum, vel non credendum, affectus. Itaque quod dicunt, *Hunc neſcimus, unde ſit*, id ideo neſciebant, quia nolebant ſcire: neſciebant volentes, ut loquitur Petrus 2 Pet. 3. 5. Ignorantia eorum erat affectata, quæ nullam meretur veniam; erat hæc animi eorum cæcitas voluntaria, ac proinde incurabilis. Nulla cæcitas gravior eſt, quam quando quiſpiam videre non vult: nullum remedium eſt pro tali cæcitate. Videmus hic hominem à nativitate cæcum, eſſe curatum virtute divina per Chriſtum; ſed voluntariam cæcitatem Phariſæorum à Chriſto curari non potuiſſe. Unde patet, hanc cæcitatem illa eſſe longe deteriorem.

Verſ. 30. *Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirum eſt, quod vos neſciatis unde ſit, & aperuit meos oculos.*] Tantus eſt mentis ſtupor, & ut modo diximus, cæcitas in Phariſæis, ut ipſe cæcus ſuper eo miretur. Factumque eſt mirabili Dei providentia, ut hic illuminatis illis Rabbinis concionetur cæcus, & Doctores doceat homo indoctus. Adeo neceſſe eſt deſipere eos, qui Deum deſerunt, & veritati repugnant, ut qui minimum ſapiunt inter mortales, ſapientiores ſint illis, quamvis ſibi ſapientiſſimi videantur. Primum eos arguit ſtupiditatis, deinde eos rationibus ſolidiſſimis convincit.

In hoc enim mirum eſt, quod vos neſciatis, unde ſit.] Quaſi dicat: Res profecto mira eſt, vel, non poſſum ſatis demirari, qui fiat, quod vos viri docti & ſapientes qui cæteros cognitione Legis, rerumque divinarum & humanarum ſcientia anteceditis, id non videatis, quod omnes vident, quodque neſciatis, unde ſit iſte illuminator meus, ſeu quod neſciatis, eum à Deo eſſe, cum tamen id facile, ſi velletis, ſcire poſſetis. Quo enim clariori, firmiorique argumento opus eſt, ad id, ut is ſe à Deo miſſum eſſe probet, quam quod potuit aperire meos oculos? Si hoc argumentum apud vos non valet: neſcio ſane quid apud vos valere poſſit. Nullum enim ſimile miraculum unquam in orbe factum eſt, ut poſtea addit. Ergo ſi huic miraculo credendum non eſt, nullis miraculis, proinde nec Moſis credendum eſt: aut ſi Moſis miraculis credendum eſt, neceſſario & huic miraculo credendum eſt, quod Jeſus ſit à Deo.

Verſ. 31. *Scimus autem quod peccatores Deus non audiat; ſed ſi quis Dei cultor ſit, & voluntatem ejus faciat, hunc audit.*] Argumentum ſuum pro Chriſto allatum confirmat; & magis magisque eos conſtringit: quaſi dicat: Dicebatis modo, *Nos ſcimus, quod hic homo ſit peccator.* At ego hic quoque mentem in vobis, & ſinceritatem deſidero. Evincam enim vel vobis ipſis judicibus eum peccatorem non eſſe. Sic argumentor. Nullos peccatores Deus exaudit. Atqui Jeſum Deus exaudivit, quia ſanavit meos oculos. Ergo Jeſus non eſt peccator. Quid hac argumentatione evidentius, quid ſolidius? Hanc tam claram veritatem ipſi per ſe videre potuiſſent, ſed quia eos occæcavit malitia, non videbant, & neſciebant id, quod etiam qui à nativitate cæcus erat, non ignorabat. Non immmerito itaque ille miratus eſt; & propemodum pro majori miraculo habuit tantam mentis hebetudinem in Phariſæis, quam ipſam oculorum ſuorum apertionem. Eſt hæc una è communibus notitiis, quæ animis noſtris quaſi à natura inſitæ atque inſculptæ ſunt, quod Deus nonniſi cultores ſuos & pios exaudiat: ideo mirum non eſt, quod & cæcus, qui Legem nunquam legit, hac notitia præditus fuerit. Quanquam poterat ille etiam ex Lege id diſcere, non quidem per lectionem, ſed per auditionem, cum Legem vel in Templo, vel domi prælegi audiret. Extat non procul à limine Moſaicorum librorum hiſtoria de Caino & Abele ſacrificantibus pariter, ſed diſpari eventu: quippe hujus ſolum oblationem reſpexit Deus, illius non reſpexit. Cujus rei non hæc cauſa fuit, quæ vulgo à nonnullis creditur, quod Abel pingue & opimum ſacrificium obtulerit, Cain vero macrum. Id quod exprimi ſolet artificioſis verſiculis in quibus ſic ajunt dixiſſe Abelem:

Sacrum pingue dabo, non macrum Sacrificabo.

Cainum vero contra ordine retrogrado.

Sacrificabo macrum, non dabo pingue Sacrum.

Cum enim Cainus fuerit agricola, non eſt mirum, quod macrum de frugibus terræ obtulerit ſacrificium, Abel autem paſtor gregis exiſtens, obtulerit pingue ſacrificium de primogenitis gregis ſui. Sed vera cauſa fuit, quod, ut ait Johannes noſter, *opera Caini mala eſſent, fratris autem ejus juſta*, 1 Joh. 3. ℣. 12. Ex hac proinde hiſtoria poterat facile dictante ratione confici talis Canon, quod peccatores Deus non exaudiat, ſed eum duntaxat qui cultor ejus eſt & voluntatem ejus facit. Sed & alia multa Veteris Scripturæ loca eandem ſententiam continent. Vide Pſal. 34. 16. LXVI. 18. CXLV. 19, 20. Eſai. 1. ℣. 15. LIX. 3. Jerem. 14. 12. Mich. 3. 4. Cæterum

hoc

hoc pronuntiatum iſtius cæci, etſi ut oſtendimus, fundatum ſit in Sacris Literis & ſana ratione: tamen videtur habere non parum difficultatis. Primum enim poſſet aliquis objicere: Si vera eſt hæc ſententia, quod peccatores Deus non exaudiat, actum eſt de nobis omnibus. Quis enim noſtrum non eſt peccator? Ipſe Johannes Euangeliſta noſter in Epiſtola ſua ſcribit: *Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, 1 Joh. 1. 8. Reſp. Animadvertendum eſt, duobus modis accipi vocem peccatoris: vel enim ſignificare eum, qui aliquando peccarit; vel eum, qui adhuc peccet. Sententia igitur cæci iſtius de priori genere peccatorum non eſt intelligenda, ſed de poſteriori: Johannes autem in verbis allegatis non loquitur de poſteriori genere, ſed de priori. Quod patet ex eo, quod ipſe mox ibidem mentem ſuam explicans, ſententiam eandem ita efferat: *Si dixerimus, quod non peccavimus, mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis*, ℣ſ. 10. Ubi quod prius dixit, *peccatum non habemus*, pro eo dicit nunc, *non peccavimus*: manifeſte indicans, ſe de præteritis peccatis loqui. Deinde diſtinguendi ſunt rurſus ii qui peccant in præſenti. Alii enim ſunt, qui peccant ex fragilitate, ex ignorantia, ex imprudentia, vel incogitantia: alii vero peccant animo deliberato, ſcientes ac prudentes, vel ut Scriptura loquitur, excelſo brachio, habitumque ac conſuetudinem peccandi contraxerunt. De his, non de illis accipienda ſunt verba cæci. Atqui dices, & tales qui non ex imprudentia, ſed ex habitu & conſulto peccant, legimus à Deo eſſe auditos. Exemplo eſt Achabus 1 Reg. 21. 29. & Manaſſes 2 Paral. 33. 13. Auguſtinus quoque hic objicit: *Si Deus peccatores non audiret, fruſtra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori*, Luc. 18. 15. Quem nodum Auguſtinus ipſe non ſolvit, ſed gladio Alexandri diſſecat, dicens, cæcum illum tanquam catechumenum aut neophytum locutum eſſe, qui necdum ſatis inſtitutus à Chriſto, generaliter pronunciaverit, quod generaliter verum non ſit. Vide Maldonatum in hunc locum. Sed oſtendimus jam ſupra, hanc ſententiam, quam cæcus hic pronuntiat, eſſe ſententiam ipſius Scripturæ Sacræ, quam neceſſe ſit omnino veram eſſe. Ergo aliter reſpondendum eſt. Nempe iterum diſtinctio adhibenda eſt inter eos qui ſcientes & ex conſuetudine peccant. Sunt enim ex his quidam ita in luto peccatorum hærentes, ut tamen non tantum animum habeant ex luto iſto ſe expediendi, verum etiam omni ſtudio atque conatu in id incumbant: quibuſdam contra lutum iſtud valde placet eoque delectantur, ut nec animum nec conatum habeant ex eo emergendi, & quamvis aliquando animus adſit, conatus tamen nunquam verus eſt & ſerius, & conſtans. Si de hocce poſtremo peccatorum genere verba cæci interpreteris, erunt ſemper & ſine exceptione vera. Nam exempla ſuperius memorata non ad hanc, ſed ad priorem claſſem peccatorum pœnitentiam agentium pertinent. Sed nondum ex omni difficultate emerſimus, quæ hiſce cæci verbis ineſt. Videtur enim ille non ſatis ſolide ac firmiter probare, Chriſtum non eſſe peccatorem, ex eo, quod miraculum hoc in ſe ediderit: cum etiam peccatores miracula facere poſſint, & quidem divina virtute. In Veteri Teſtamento legimus Balaamum hominem minime bonum vere prophetaſſe, Num. 24. 17. Saul quoque primus Rex Iſraëliticus, poſtquam ab eo Spiritus Domini receſſerat, in cuneo prophetarum medius, ut cæteri, prophetavit, 1 Sam. 19. 24. Sic in Novo Teſtamento Caiphas homo iniquus perhibetur prophetaſſe, quia erat Pontifex anni illius, Joh. 11. 51. De Juda etiam proditore Chriſti non videtur eſſe dubitandum, quod poteſtatem miracula faciendi una cum aliis Apoſtolis acceperit Matth. 10. 1. alioqui fuiſſet exceptus. Denique Chriſtus ipſe aperte teſtatur, futuros olim in judicio, qui dicturi ſint ad illum: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus?* quibus ille reſponſurus ſit: *Non novi vos. Diſcedite a me operatores iniquitatis*, Matth. 7. 22, 23. Ex his liquet, miracula ipſa per ſe non eſſe certum ſignum & argumentum ſanctitatis. Quomodo igitur conſiſtet argumentatio hujus cæci de Chriſto? Quomodo alii hanc objectionem ſoluturi ſint, neſcio: ego ita reſpondendum putem, quod hic cæcus per *peccatorem* intelligat pſeudoprophetam, ſeu eum, qui novam doctrinam afferens, mentiatur ſe à Deo miſſum eſſe. Eodem enim ſenſu vocem peccatoris accipit, quo eam accepere Phariſæi, quando dicebant de Chriſto: *Nos ſcimus, quod homo hic peccator ſit*; ℣ſ. 24. ubi non ſimplicem peccatorem, ſed κατ' ἐξοχὴν ita dictum intelligunt, qualis eſt is maxime, qui contra conſcientiam ſuam homines ſeducens, mendaciis & figmentis ſuis Dei auctoritatem prætexit. Tales ergo peccatores fieri non poteſt ut Deus exaudiat ita, ut per eorum manus miracula faciat. Sic enim Deus confirmaret mendacia eorum & falſam doctrinam. Ut Diaboli ope aliqua miracula faciant, fieri quidem Deo permittente poteſt: uti ſane de pſeudoChriſtis & de Anti Chriſto diſerte Deum permiſſurum id eſſe Scriptura teſtatur, Matth. 24. 24. 2 Theſſ. 2. 9. Sed Deus talibus virtutem ſuam ad ſtabilienda ipſorum commenta nunquam commodabit. Hoc poſſet contingere, ut aliquis falſæ doctrinæ diſſeminator, quam tamen ipſe non excogitavit, ſed ab aliis ſeductus veram eſſe credit, ſimul etiam veri quippiam doceat, & Deus ad hanc veritatem confirmandam miracula aliqua ad ejus precationem edat; quemadmodum de Jeſuitis fertur, quod cum primum in Indiam intuliſſent pedem, barbaris illis Chriſtianæ religionis principia & rudimenta ſecundum Sacram Scripturam propinaverint, & quod Deus hanc eorum doctrinam confirmaverit per miracula. An hoc verum ſit, non diſputo: imo credo, multa hic ut & in aliis rebus fingi. Sed tamen nihil in eo abſurdi eſſe arbitror, etſi id verum eſſe concedatur. Si enim illi nihil niſi quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, tum ſane Deus miracula faciendo per eos, non Pontificiam, ſed Chriſtianam religionem tantum confirmare, & barbaris illis, qui de Chriſto nihil antea audiverant, commendare voluit. Caſus igitur ejuſmodi nihil facit ad id, de quo hic ſermo eſt in verbis cæci: qui negat talem peccatorem,

torem, qui ſcelerate fingit ad multarum animarum ſeductionem, ſe cum nova doctrina à Deo miſſum venire, unquam ita exaudiri à Deo, ut doctrinam ejus miraculis confirmet. Et hoc eſt veriſſimum, ita ut nullam patiatur exceptionem. Proinde hoc ſenſu invictum eſt cæci argumentum de Chriſto. Chriſtus enim afferebat novam doctrinam, & quicquid doceret, dicebat ſe à Deo accepiſſe, ſibique tanquam Dei legato credi volebat. Si hoc, quod ille afferebat, falſum fuiſſet, impoſſibile eſt, ut Deus talis impoſtoris dictis fidem miraculis ſuis conciliaret. Ergo cum liquido pateret, Deum miracula per manus ejus edere, adeoque doctrinam ejus confirmare, neceſſario inde ſequebatur, Chriſtum impoſterem ac pſeudoprophetam non eſſe.

Antequam hinc abeamus, notandum eſt, cæcum hunc credidiſſe, Chriſtum precando effeciſſe, ut miraculum iſtud in ſe ederetur, ſeu eum ſibi à Deo ſanitatem impetraſſe. Et dubium ſane non eſt, Chriſtum in edendis miraculis etiam adhibuiſſe preces, tametſi non aperte & palam, ut patet ex loco Joh. cap. 11. 41, 42. verum tamen exiſtimandum non eſt, ſemper prius impetrandam fuiſſe ei à Deo vim patrandorum miraculorum, quam miraculum aliquod ederet. Habebat enim ille ſingulari Dei beneficio vim iſtam perpetuo in ſe habitantem ac reſidentem, ut non opus fuerit ipſi ſubinde, ſicut aliis Prophetis, ad divinos fontes recurrere. Si quando igitur preces adhibebat, id non alio faciebat fine, quam ut ſe poteſtatem hanc à Deo accepiſſe teſtaretur, & ſic primarium miraculorum auctorem eſſe Deum agnoſceret. Hæc vero Chriſti præſtantia nondum cæco illi fuit cognita. Interim hoc quod ille de Chriſto credidit, ad argumenti ejus firmitatem ſufficiebat.

Verſ. 32. *A ſeculo auditum non eſt, quod aliquis aperuerit oculos ejus, qui cæcus natus fuerat.*] Auget vim argumenti ſui, exaggerans magnitudinem miraculi in ſe editi. Nam ſi minus aliquod miraculum factum fuiſſet, (veluti ſi viſus reſtitutus fuiſſet ei, qui antea viderat) potuiſſet habere locum ſuſpicio, quod arte medica, aut Magica ac Dæmonis ope fuerit patratum: & ita argumentum minus fuiſſet validum. At hic oſtendit tantam eſſe miraculi excellentiam, ut nulli ejuſmodi ſuſpicioni ſit locus. Præfertque hoc miraculum omnibus miraculis, quæ unquam per Prophetas à condito mundo facta ſunt. Cum dicit, *à ſeculo auditum non eſt*, videtur etiam Moſen ipſum includere, qui nullum unquam tantum miraculum ediderit. Itaque Chriſtum illi non obſcure anteponit, quem Phariſæi Chriſto paulo ante prætulerant ℣ſ. 28, 29. Quaſi dicat: Multa quidem inſignia miracula memorantur, quæ olim Deus fecit per Moſen alioſque Prophetas; verum ſi evolvamus hiſtorias ab orbe condito, non inveniemus vel Moſen, vel quenquam alium potuiſſe hoc præſtare, quod iſte præſtitit, ut reſtitueret viſum homini, à nativitate ſua cæco, oculiſque ejus, depulſa perpetua nocte, lucem nunquam antea viſam infunderet. Si ergo Moſi & Prophetis propter minora credimus miracula: cur huic non credamus, propter miraculum poſt hominum memoriam inauditum, quo nullum unquam majus in orbe factum eſt? Sic fortiſſime cæcus iſte Phariſæos convincit ſummæ pertinaciæ, quod non vulgaribus, & qualibuſcunque miraculis, ſed ne maximis quidem & talibus, qualia nunquam antea in mundo viſa ſunt vel audita, commoverentur. Ideo & Chriſtus dixit: *Si non ea apud illos feciſſem opera, quæ nemo fecit alius, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt tum me, tum Patrem meum*, Joh. 15. 24.

Verſ. 33. *Si non eſſet hic à Deo, non poſſet facere quicquam.*] Infert ex ſuperioribus concluſionem, & argumentum ſuum ad Chriſtum applicat, oſtendens eum eſſe à Deo: quia alioqui nihil poſſet facere, ſubintellige, tam miraculoſum, quale eum feciſſe videbant. Generales enim ejuſmodi locutiones ſemper ſunt ad ſubjectam materiam reſtringendæ. Hic autem ſermo erat de miraculis. Revera autem videmus in hoc cæco exemplum ejus, quod ſcripſit Apoſtolus, *Deum quæ ſtulta ſunt mundi elegiſſe, ut confundat ſapientes*, 1 Cor. 1. 27. Quid ſtultius poterat eſſe apud mundum homine cæco, qui nullas unquam didicit, imo ne vidit quidem literas? quid ſapientius Phariſæis, quorum dicta quaſi oracula excipiebantur? Et tamen ſapientes iſti in congreſſu ab illo ſtulto ſuperati ſunt, & ad incitas in diſputando redacti, ut mutatis rerum vicibus ille ſapientiſſimus iſti ſtultiſſimi eſſe conſpicerentur. Ita nimirum, ut eodem loco ait Apoſtolus, *quod ſtultum Dei eſt, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum Dei eſt, fortius eſt hominibus*, 1 Cor. 1. 25. Ita Deus novit infatuare ſapientiam hujus mundi, ſicut ibidem Apoſtolus recitans verba Prophetæ inquit: *Abolebo ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium reprobabo. Ubi ſapiens: ubi ſcriba? ubi diſquiſitor ſeculi hujus! nonne infatuavit Deus ſapientiam hujus mundi?* ℣ſ. 19, 20. Eant jam Pontificii, & urgeant, ſtandum eſſe auctoritate ac dictis Doctorum, Epiſcoporum ac Conciliorum; clament abſurdum eſſe, ut laicus aliquis indoctus vel muliercula opponatur tot viris doctiſſimis, exercitatiſſimis, & ſanctiſſimis; multoque eſſe probabilius & cum ratione convenientius, ut quid verum aut falſum in religione ſit, videant illi, qui poſt multorum annorum ſtudia, indefeſſis laboribus, lucubrationibus, diſputationibus publicis & privatis, poſt imploratum Spiritus Sancti auxilium ad extremam diligentiam in quærenda veritate nihil reliqui feciſſe videntur, quam unus homo illiteratus, qui nec ingenium, nec judicium habet artibus perpolitum, & ad verum inveniendum aut perſpiciendum idoneum. Ecce hic laicus, idiota, homo literarum omnium rudis, cum Phariſæis & toto Concilio Seniorum nec ingenio, nec peritia comparandus, rectius de rebus divinis judicat, feliciuſque invenit ac perſpicit veritatem, quam univerſi illi reverendi totius Concilii Patres ac Præſules. Si hoc potuit tunc temporis fieri, quid prohibet, quominus & hodie fiat? Quid mirum eſt, ſi melius & acutius videat una muliercula, quæ habet ſanos oculos, quam mille viri, quorum oculi lippiunt? Facillime autem fieri poſſe, ut lippitudo occupet oculos hominum eruditione, dignitate & auctoritate in mundo præſtantium, utque judicium eorum carnis cupiditatibus corrumpatur, oſtendimus ſupra ad cap. 7. 48. Verſ. 34.

Verſ. 34. *Reſpondérunt, & dixerunt ei: In peccatis tu natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.*] Jam non ſuppetebant argumenta, quæ manifeſtæ veritati opponerent: ergo ſe vertunt ad convitia. Certiſſimum argumentum perditæ cauſæ eſt, quando quis in diſputando ad maledicta deſcendit. Quamdiu ſperabant, ſe aliquid ab eo variis interrogationibus expreſſuros, quod conducere ad criminandum Chriſtum poſſet, vel ſe eum in partes ſuas pertracturos, mitius & moderatius cum eo egerunt. At cum vident hominem nec auctoritate, nec blanditiis, nec perſuaſionibus à recto deduci poſſe, aperte in contumelias erumpunt. Male habebat eos hominis abjecti intrepidus nec ad ſplendorem auguſti Senatus paveſcens animus: ſed maxime eos pungebat veritas; hanc concoquere non poterant. Hæc illis erat ſudes in oculis. Exclamat hoc loco Maldonatus: *Sic ſolent hodie deprehenſi & convicti argumentis hæretici ad probra & injurias ſeſe convertere; & cum ad reſpondendum lingua hæreat, ad convitiandum ſoluta eſt.* Veriſſime dictum: dummodo per hæreticos Jeſuitæ & alii Pontificii potiſſimum intelligantur. Quis non miretur hominem iſtum alienas obſervare puſtulas, cum ipſe cum ſua Eccleſia maxime ſcateat ulceribus? Itaque ipſi nihil aliud reponunt illi, quos hic notavit, quam illud Chriſti: *Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo, & tum diſpicies, ut ejicias feſtucam ex oculo fratris tui,* Matth. 7. 5.

In peccatis tu es natus totus.] Ipſi ſcilicet ſancti erant, & abſque peccato. Cum vero illum totum in peccatis natum ajunt, Hebraiſmus eſt, cum hyperbole conjunctus, quo ſignificant, eum maximum peccatorem eſſe, qui & è parentibus peccatoribus natus ſit, & ipſe ab ineunte ætate nihil niſi peccare didicerit. Tu ergo, inquiunt, homo profaniſſime & impuriſſime, audes docere nos, qui ſumus ſanctiſſime nati, ſanctiſſime educati, & nunc viva ſumus ſanctitatis exemplaria? Hoc eſt, quod proverbio dicitur: ſus Minervam. Hunc Hebraiſmum non intelligentes, Patres antiqui Eccleſiaſtici, ex ejuſmodi locutione conſomniarunt vaniſſimum fidei articulum de Originali peccato. Potiſſimum enim hujus articuli præſidium collocant in illis Davidis verbis, quibus peccata ſua exaggerans inquit: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis calefecit me mater mea,* Pſal. 51. 7. Quis non videt hæc Davidis verba æquipollere iſtis, quibus hic Phariſæi alloquuntur cæcum: *In peccatis tu natus es totus?* Quid ergo? An illi hic quoque originale peccatum iſti cæco exprobrant? Atqui nec ipſi ab eodem peccato erant immunes. Si hic agnoſcendus eſt Hebraicus idiotiſmus, cur eundem non agnoſcunt, in Davidis verbis? Confirmatur Hebraiſmus iſte aliis etiam ſcripturæ locis, Vide Pſal. 58. 4. Eſai. cap. 48. 8. Simili loquendi modo utitur Jobus in re contraria: *Ab infantia mea*, inquit, *crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum,* Job. 31. 18. An forte etiam originalis aliqua miſeratio ac benignitas datur in hominibus? Imo ipſe David Pſal. 22. 9. ait ſe *ab uberibus matris ſuæ confiſum eſſe Deo, & in eum projectum eſſe ex utero.* Et Pſal. 71. 67. inquit: *Domine ſpes mea à juventute mea, in te confirmatus ſum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* Idem ergo David & originali peccato infectus, & originali juſtitia præditus fuerit neceſſe eſt. Quod quis non abſurdum eſſe agnoſcat?

Et ejecerunt eum foras.] Hic erat tandem finis iſtius diſputationis atque colloquii. Sic pugnant, ſic vincunt hoſtes veritatis. Cæterum ejectionem hanc varie interpretantur viri docti. Alii per eam intelligunt Excommunicationem, ac ſeparationem à cætu populi Iſraëlitici, & putant hic nihil aliud dici, quam quod factus ſit ἀποσυνάγωγος, qua phraſi ſupra uſus eſt Euangeliſta ℣ſ. 22. Neque id caret probabilitate. Cum enim cæco perſuadere non poſſent, ut prædicare Chriſtum deſineret, credibile eſt eos hanc viam ingreſſos, ut auditores ei præriperent. Nam poſtquam eum excommunicarunt & pro execrabili declararunt, neminiſas erat ejus conſortio ac familiaritate frui, ſed omnes eum ceu peſtem fugere tenebantur. Alii ejectionem hanc factam fuiſſe volunt ex Templo: alii vero ex Synedrio, ſeu ex loco judicii per apparitores: alii denique ex domo aliqua privata, in qua tunc fuerint Phariſæi. Cum Scriptura nihil certi hac in re definiat, poteſt hoc vel illo modo ejectio iſta accipi. Quiſque eligat, quod ipſi veriſimillimum videtur. Interea notetur, cæcum hunc primum eſſe, qui propter Chriſtum patitur perſecutionem.

PARS III.

Verſ. 35. *Audivit Jeſus, quod ejeciſſent eum foras, & cum inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?*] Illuminaverat Chriſtus hunc cæcum corpore, nunc eum etiam illuminat animo. Dignus enim erat pleniori cognitione Chriſti qui tanta conſtantia Chriſtum coram Phariſæis defenderat. Voluit ergo Chriſtus egregium athletam, qui fortiter pro ſe pugnaſſet, poſt victoriam dono cognitionis ſuæ coronare. Edidit ille inſigne grati animi ſui ſpecimen erga Chriſtum pro corporali beneficio, & hac ſua gratitudine novum & majus promeruit beneficium. Gratia enim gratiam parit: & ſicut ingratitudo exhaurit & exticcat fontem beneficentiæ, ita gratitudo beneficentiam acuit & provocat.

Audivit Jeſus, quod ejeciſſent eum foras.] Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi id neſciverit Chriſtus, niſi poſtquam ipſi ab aliis renuntiatum eſt. Nihil enim latuit Chriſtum eorum, quæ etiam intra ſepta & parietes agitabant Phariſæi cum cæco iſto. Ea inerat Chriſto ſapientia & vis ſpiritus, ut etiam remota & abdita cernere poſſet: ut docent hæc loca, Joh. 1. 48. Matth. 21. 2, 3. Marc. 14. 13. Sed cum dicit Euangeliſta, Chriſtum audiviſſe, indicat, rem hanc ita ſermonibus hominum fuiſſe divulgatam & paſſim percrebuiſſe, ut etiam ad aures Chriſti delata ſit.

Et cum inveniſſet eum.] Non caſu, non fortuito eum invenit, non temere in eum incidit, ſed ex profeſſo eum quæſivit. Vide quomodo hic meliori fortunæ locum fecerit injuria. Ejectum à Phariſæis Chriſtus quærit, invenit, & ſuſcipit. O felix ejectio,

quæ

quæ fecit, ut reciperetur à Chriſto! Ponamus & nos in lucro, quando ejicimur à mundo, à Phariſæis, id eſt, hoſtibus & oſoribus veritatis & bonorum perſecutoribus: tunc enim nos quærit Chriſtus, tunc in ſuam tutelam ſuſcipit. *Exite è medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite.* Et ne quis dicat: Quo nos ergo vertemus? Addit: *Et ego ſuſcipiam vos, & ero vobis pro patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus; dicit Dominus Omnipotens*, 2 Cor. 6. 17, 18.

Dixit ei: Tu credis in Filium Dei?] Id eſt, in Meſſiam; Chriſtus Meſſiæ ſeu Chriſti titulo de induſtria abſtinebat, quia cum nihil aliud, quam Regem ſignificaret, erat calumniis obnoxius: ſed malebat loco ejus uſurpare titulum Filii Dei, qui invidiæ minus habebat, & cum ſtatu ejus humili magis conveniebat, quam ille. Erat autem hoc paſſim in uſu etiam vulgi, ut Filii Dei cognomentum per excellentiam Meſſiæ tribueretur. Inde eſt, quod & iſte cæcus mox intellexerit mentione Filii Dei facta, de Meſſia eſſe ſermonem: ut infra videbimus.

Tu credis in Filium Dei.] Id eſt, paratus ne es credere in Meſſiam, ubi eum cognoveris? Nondum enim antea credere poterat, cum eum nondum noſſet, nec unquam oculis ſuis vidiſſet. Propterea ipſe Chriſto reſpondens dicit: *Quis eſt, Domine*, nempe ille Filius Dei, *ut credam in eum?* indicans, ſe paratum credere in eum, dum modo ſciat, quis ſit. Itaque patet, iſtud, *Tu credis?* nihil aliud ſignificare, quam Visne credere? Quanquam poſſet etiam dici, cæcum illum jam ante quoque ſuo modo in Chriſtum credidiſſe, etſi eum de facie nondum noſſet, quia credidit eum Prophetam eſſe, & miſſum à Deo, quia ſtrenue pro Chriſto & veritate dimicavit, denique ejus cauſa ejici ſe paſſus eſt, & gratiam Phariſæorum ac totius ſenatus huic veritati præpoſuit. Nonne hæc fuit egregia fides? Quare ſenſus quæſtionis Chriſti eſſe poſſet: *Tu credis in Filium Dei?* id eſt, adhuc ne conſtans es, & perſtas in illa fide, quam ingenue coram univerſo Senatu de Filio Dei profeſſus es? an adhuc idem tibi animus eſt, qui antea? annon labaſcis in fide iſta propterea, quod ejectus ſis, quod proſcriptus & ignominia affectus ſis, quod apud principes populi gratia excideris? Solent enim animi hominum, quamvis fortium & fervidorum ab initio, ſenſim in adverſis fatiſcere, maliſque quaſi defatigati ſuccumbere. Non ideo autem ſic quærere Chriſtus cenſendus eſt, quaſi neſciat, quid ipſi ſit animi: *Is enim noverat omnes, nec opus erat, ut quiſquam teſtimonium ei perhiberet de homine, quia ipſe ſciebat, quid eſſet in homine*, Joh. 2. ℣. 24, 25. Sed idcirco rogitat ipſum, ut occaſionem ſe cognoſcendi, & fidem ſuam profitendi ei ſubminiſtraret. Etſi vero non abſurde intelligi poſſit, Chriſtum de præterita, ſeu mavis jam præſenti fide, ut modo oſtenſum eſt, interrogare, magis tamen veriſimile eſt, eum, ut initio indicavimus, quærere de futura: nempe, An velit ita credere in Filium Dei, ut ſe ei applicet, ut ſe det in ejus diſciplinam? Hoc enim ei adhuc deerat. Vultque Chriſtus eum promovere ad perfectionem, & ad majorem fidei gradum. Habet enim fides ſuos gradus, ſuaque augmenta.

Verſ. 36. *Reſpondit ille & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum?*] Intellexit eum de Meſſia loqui: itaque vult ſcire, quis ille ſit, teſtaturque paratum ſe habere animum ad credendum in eum. Unde manifeſtum eſt, eum non aliter accepiſſe Chriſti quæſtionem, quam quod de futura, non de præterita fide interrogatus ſit. Credidit hactenus cæcus iſte, Chriſtum eſſe Prophetam, eſſe hominem ſanctum, & à Deo miſſum: ſed nondum credidit, eſſe Meſſiam. Hoc eum Chriſtus jam vult docere. Qui volunt Chriſti mentem fuiſſe, docere cæcum, quod ipſe ſit Filius Dei naturalis ex eſſentia Dei Patris ab omni æternitate genitus, & cæcum putant hoc protinus intellexiſſe, rem incredibilem nobis narrant, & cæcum nimis ingenioſum fingunt, qui ex ſola mentione Filii Dei uno momento & ut dicitur, quaſi ſtans pede in uno perceperit tam grande myſterium, ad quod addiſcendum hodie multo tempore, multoque labore opus eſt. Quanto ſimplicius eſt credere, eum per Filium Dei intellexiſſe Meſſiam, quem Judæi omnes nihil aliud quam hominem, futurum ſtatuebant, propter ſummam autem Dei dilectionem, & munus eximium Deo proximum, Filii Dei titulo κατ' ἐξοχὴν eum decorabant? eodem ſcilicet ſenſu, quo norant, viros ſanctos & Deo gratos, filios Dei in Scripturis appellari. Meſſiam vero illi omnibus Patriarchis, & Prophetis atque ſanctis hominibus anteponebant; itaque eadem quidem ſignificatione, ſed gradu omnium excellentiſſimo eum Filium Dei fore credebant. Cæterum apparet hunc cæcum, etſi nondum crederet ac ſciret, Meſſiam eſſe eum, à quo interrogabatur, tamen conjeciſſe & intellexiſſe ex voce, eum eſſe, à quo fuerat curatus. Propterea eum honorifice Dominum appellat, & ad unum ejus verbum, ubi is ſe eſſe Meſſiam indicaſſet, abſque ullis argumentis, & abſque omni tergiverſatione credidit. Nimirum expertus illius erga ſe benevolentiam, & ex miraculo iſto colligens, eum eſſe divinum virum, nihil amplius de fide ejus dubitavit, ſed perſuaſiſſimus fuit, non eſſe illum ſibi impoſiturum, aut ſe in errorem inducturum.

Verſ. 37. *Dixit autem ei Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.*] Hic Chriſtus ſeipſum fatetur eſſe Meſſiam; non tamen expreſſe dicit. Ego ſum ille Filius Dei, quod erat clarius & brevius, ſed loquitur in tertia perſona modeſtiæ cauſa, ut & alias ſolebat de ſe tanquam de alio loqui.

Et vidiſti eum.] Quomodo hoc intelligendum eſt? Nam eum hactenus oculis ſuis nondum viderat. Adhuc enim cæcus erat, cum luto oculis impoſito mitteretur ad lavandum in piſcina Siloam, interim vero Chriſtus alio diverterat, ipſe autem viſu recepto mox ad Phariſæos raptus fuerat: itaque tempus nullum habuit Chriſtum videndi atque cognoſcendi. Dupliciter igitur hæc difficultas tolli poteſt: primo ſi *videre* pro experiri accipiatur, ut ſenſus ſit: Expertus es vim & efficaciam ejus, quin & bonitatem ac amorem erga te, cum aperuit tuos oculos. Hoc ſenſu etiam ſupra accipi verbum *cognoſcendi* diximus cap. 8. 28. Deinde ſi ſtatuatur hic eſſe Enallage temporis Hebræis uſitata, ut præteritum pro præſenti ſumatur, & *vidiſti* poſitum eſſe cenſeatur pro *vides*.

Et qui

Et qui loquitur tecum, ipſe eſt.] Quaſi dicat: Et vides & audis eum. His enim duobus ſenſibus aliquis cognoſcitur; viſu & auditu. Magna fuit iſtius cæci felicitas, quod aperti ſint ejus oculi, ut videret & cognoſceret Chriſtum illum Domini, utque loqueretur præſens cum præſenti Filio Dei, quem videre Abrahamus, David & tot alii Prophetæ ac juſti concupiverunt, nec tamen viderunt; quem ubi infantem adhuc faſciis involutum conſpexit Simeon pius ille ſenecio, atque in ulnas recepit, dixit: ad Deum: *Nunc dimittis Domine ſervum tuum ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutem tuam*, Luc. 2. 29, 30. Viderunt quidem illum & audiebant loquentem alii quoque è populo & ipſi Phariſæi, ſed non videbant eum ut Chriſtum, ut Filium Dei. Itaque hic videmus, cæco iſti non ſolum corporis, ſed animi oculos eſſe apertos, ut videret animo eum, quem principes & Sacerdotes videre non poterant: ut mox audiemus.

Verſ. 38. *At ille ait: Credo, Domine. Et adoravit eum.*] Audiens præſentem adeſſe Meſſiam, nihil cunctatus credit, & hujus fidei confeſſionem protinus edit, tandem etiam eam facto ipſo teſtatur, provolutus ad genua Domini, & adorans exoptatum illum divini populi Regem. Non contulit cum carne & ſanguine, ut vidit Chriſtum, ſicut Paulus Apoſtolus de ſe loquitur Gal. 1. 16. id eſt, non adhibuit in conſilium amicos, parentes, vicinos ſuos, aut aliquos è Magiſtris ſuis; neque etiam præbuit aurem carni ſuæ ſine dubio diſſuadenti, ne crederet Meſſiam ac Regem eſſe hominem tam vilis & abjectæ ſortis. Plus in eo valuerunt ſpirituales reſpectus, quam carnales. Apparet animum propter probitatem fuiſſe optime ad fidem diſpoſitum. Nam ut ignis ſi incidat in lapidem, ferrum, aquam, glaciem ac ſimilem materiam indiſpoſitam, non accenditur: Sed ſi materia ſit bene diſpoſita, & apta ad concipiendum ignem, (qualis eſt fomes, ſtramen, lignum aridum, tædæ pingues) illico inflammatur. Sic ad flammam fidei concipiendam animus quoque aptus & rectè diſpoſitus requiritur. Probitate autem fit animus diſpoſitus & aptus: improbitate vero ineptus; quod in Phariſæis liquido cernitur, quibus ad fidem in Chriſtum nihil aliud obſtitit, quam animus pravus, & vitiis magis quam pietati addictus.

Et adoravit eum] Tanquam Meſſiam, tanquam Legatum Dei: atque ſic facto ipſo declaravit, ſe vere credidiſſe. Qui ſtatuunt, cæcum audito Filii Dei cognomine, extemplo intellexiſſe ac credidiſſe, eum eſſe æternum Dei Filium ex eſſentia ejus genitum, ac porro ipſum ſummum Deum, illi cenſent ipſum adoraſſe Chriſtum ut Deum Altiſſimum, & hanc potiſſimum adorationem cæci contra nos urgent. Verum ex adoratione Chriſti ſive ea quæ in terris ipſi exhibita eſt, ſive quæ nunc in cœlis reſidenti exhibetur, non poſſe ullum ſumi argumentum pro ſuprema ipſius divinitate, oſtenſum vide uberrime ſupra in his Commentariis ad Matth. 4. 10. Maldonatus objicit hoc loco: *Sciebat & ante, prophetam & virum ſanctum, & bene de ſe meritum eſſe, & tamen eum non adoraverat.* Unde colligit, illum nunc adoraſſe Chriſtum, ut Deum ſupremum. At primum non conſiderat, quod ipſe paulo ante demonſtravit, cæcum non vidiſſe Chriſtum antea unquam. Quid ergo mirum eſt, quod antea ipſum non adorarit? Secundo etiamſi Chriſtum ſciverit cæcus eſſe Prophetam, & virum ſanctum, & benemeritum de ſe, tamen neſcivit adhuc eum eſſe Meſſiam. Itaque non ſequitur conſeſtim, ſi eum non adoravit ut prophetam, ut ſanctum virum, ut bene de ſe meritum: ergo eum adoravit ut Deum Altiſſimum. Sed hoc tantum ſequitur, Ergo eum adoravit ut Meſſiam & Regem divinitus populo datum, qui major Prophetis, & omnibus ſanctis eſſet.

Verſ. 39. *Et dixit Jeſus: Ad judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.*] Hæc verba continent ſenſum anagogicum totius hiſtoriæ: oſtendunt enim quis uſus ejus ſit ac finis, quod nimirum in hoc cæci exemplo patere voluerit Deus miram muneris Chriſti, quod in prædicando Euangelio conſiſtit, rationem, diverſoſque ejus effectus.

Ad judicium ego in hunc mundum veni.] Venire in mundum, non ſignificat ex uſu Sacrarum Literarum, naſci; ut vulgo phraſis iſta accipi ſolet. Diſtinguit iſta duo expreſſe Chriſtus ipſe, cum inquit: *Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut dem teſtimonium veritati*, Joh. 18. 37. Sed venire in mundum denotat nihil aliud, quam prodire in publicum, inter homines inclareſcere munus aliquod publicum obeundo. Hoc ſenſu falſi Prophetæ dicuntur exiviſſe in mundum, 1 Joh. 4. 1. Sed major hoc loco difficultas eſt, quid per judicium Chriſtus intelligat. Quidam judicium hic uſurpari putant pro diſcretione & ſeparatione. Ubi enim fit judicium, ſeparatur & diſcernitur verum à falſo, juſtum ab injuſto. Arbitrantur ergo Chriſtum veniſſe in judicium, id eſt, ut oſtenderet diſcrimen inter vere videntes, & vere cæcos. Multos enim haberi pro cæcis, qui videant, & multos pro videntibus, qui tamen cæci ſint. Sed per Euangelium Chriſti optime hos ab illis diſcerni, & tum illorum viſum, tum horum cæcitatem patefieri. Alii per judicium Dei providentiam ac gubernationem ſignificari cenſent, quam etiam vulgo judicium Dei appellare ſolemus: quaſi dicat Chriſtus, Ad declaranda Dei judicia in hunc mundum veni, quæ in hoc maxime cernuntur, ut præter hominum opinionem, qui cæci ſunt, videant, qui vident, cæci fiant. Alii intelligunt per judicium majorem condemnationem: quemadmodum ſi diceret Chriſtus: ſe in hoc veniſſe, ut ex eo, quod alii crederent, & illuminarentur, increduli majore punirentur cæcitate, traditi in reprobum ſenſum. Nec obſtare putant, quod in verbis Chriſti nomen judicii ad utroſque, & qui ex cæcis videntes, & qui ex videntibus cæci fiunt, referri videatur, hi vero qui ex cæcis fiunt videntes, minime puniantur. Statuunt enim non eſſe neceſſe, ut ad utroſque nomen judicii referatur. Poſſe enim orationem ſic reſolvi: In condemnationem (intellige, eorum qui vident) ego in hunc mundum veni, ut cæcis videntibus, ipſi cæcitate feriantur. Sunt alii, qui judicium exiſtimant deſignare decreti divini executionem non qui-

dem illius quod de ſalute vel damnatione uniuſcujuſque factum eſt (hoc enim executioni dabitur demum in ultimo die critico) ſed illius, quo ſtatuit Deus probos per Euangelii Chriſti prædicationem illuminare, improbos autem excæcare. Omnes iſtæ interpretationes ſuam habent probabilitatem. Nam alias, quæ minus probabiles ſunt, etiam referre piget. Mihi vero ſuccurrit adhuc una interpretatio, quam prudentis lectoris judicio libenter ſubjicio: ut nimirum judicium ſumatur pro ultimo judicio, vel potius pro decreto Dei, quod die ultimi judicii pronuntiandum eſt, utque Chriſtus ſe iſtius decreti cauſam fore indicet. Quaſi dicat: Ego ideo veni, ut cauſam & materiam præbeam judicii ultimo die exercendi, ſeu, ego in cauſa ero, ut ultimo die alii cœlo, alii Gehennæ adjudicentur, dum per Euangelium meum efficio, ut qui cæci ſunt videant, & qui vident, cæci fiant. Judicium ſane pro cauſa judicii accipi poſſe docet aperte locus Joh. 3. 19. *Hoc eſt judicium, quod lux venit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras, quam lucem.* Ubi judicium pro cauſa judicii uſurpari nemo negat. Hoc tantum inter hunc locum, & iſtum, quem modo præ manibus habemus, intereſt, quod in hoc judicium unam tantum judicii partem, quæ ad malos & impios ſpectat, complectatur, & pro ſola condemnatione accipiatur, in noſtro autem utraque pars & quæ ad bonos & quæ ad malos ſpectat, judicii nomine comprehendatur.

Ex dictis vero facile perſpicitur, quomodo verba hæc Chriſti, quæ nunc examinamus, non repugnent illis ejuſdem verbis, quæ ſupra habentur cap. 3. ỳſ. 17, *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum*: vel illis cap. 8. 15, *Ego non judico quenquam:* In his enim allegatis locis *judicare* ſignificat ſententiam de aliquo damnatoriam pronunciare vel exequi: id quod fiet nonniſi in extremo judicii die. At cum Chriſtus dicit hoc loco, ſe veniſſe ad judicium, aliter vox judicii accipitur, ea nimirum ſignificatione qua judicium etiam in hoc ſeculo poſſit habere locum. Omnes enim hactenus enumeratæ *judicii* interpretationes ad hoc ſeculum pertinet.

Ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.] De vocula *ut*, quod aliquando cauſam finalem, aliquando ſolum eventum deſignet, fuſius explicatum vide in Appendice 6. ad cap. 1. Matth. ad ỳſ. 22. Quando cauſa finalis ea denotatur, tum intelligitur cauſa rei per ſe: quando eventus, intelligitur cauſa per accidens, præter cujus intentionem res accidit. Prioris ſignificationis exempla ſunt paſſim obvia. Poſterioris exemplum habes loco citato Joh. 12. 38. Cui addi poteſt etiam exemplum Pſal. 51. ỳſ. 6. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Nec non exemplum 1 Cor. 11. 19. *Oportet & hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Non enim hac intentione peccavit David, ut Deus juſtificaretur: neque hæreſes eo fine introducuntur ab hominibus, ut qui probati ſunt manifeſti fiant; ſed accidit ita, ſeu divina providentia res ita temperat, & evenire facit, ut ex peccatis hominum Deus juſtificetur, & graſſante hæreſi manifeſta fiat virtus eorum, qui probati conſtanteſque in fide ſunt. Jam ſi quæras, quo ſenſu noſtro in loco ſumatur hæc particula, *Ut*, dici poteſt, ſi abſolute rem conſideres, nonniſi eventum ea ſignificari ſeu cauſam per accidens. Non enim Deus mittens Chriſtum, vel Chriſtus in mundum veniens, id per ſe intendit atque quæſivit, ut quiſquam cæcus fieret, adeoque in æternum periret. Deus enim per ſe vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1 Tim. 2. 4. Et *Filius hominis non venit* per ſe *animas hominum perdere, ſed ſervare*, Luc. 9. 56. Sed ex hypotheſi tamen, ſeu ſuppoſita hominum quorundam malitia & obſtinata improbitate, non abſurdum eſt dicere, Deum hoc ipſum intendiſſe, & hoc fine Chriſtum ex profeſſo miſiſſe, ut tales homines excæcarentur, utque illis Chriſtus atque doctrina ejus eſſet petra ſcandali & lapis offenſionis, quo fierent inexcuſabiles, & juſte in æternum damnarentur. Itaque uterque ſenſus particulæ *Ut*, diverſo reſpectu poteſt hic habere locum.

Per eos, *qui non vident*, intelliguntur ii, qui pro cæcis habentur vulgo ab omnibus, ſive corpore, ſive animo. Et contra per eos, *qui vident*, intelliguntur tales, qui & corpore & animo optime videre exiſtimantur. Seu, per illos deſignantur homines probi, ſed indocti, rudes, & idiotæ, quin & corpore cæci: per hos autem improbi, ſed tum corporeis oculis præditi, tum animo alioquin acutum cernentes & doctrina ac ſapientia celebres, qui ſua ſapientia atque ingenio freti, divinam ſapientiam contemnunt, eamque pro ſtultitia reputant. Attendendum vero hic probe eſt, non ſimpliciter per non videntes, qui illuminantur, intelligi rudes & indoctos; neque ſimpliciter per videntes, qui excæcantur, intelligi doctos & artium variarum ſcientia excultos. Neque enim ruditas & inſcitia ipſa per ſe Deo grata eſt, vel propter eam quiſquam ſalvabitur: neque ſcientia ac doctrina Deo diſplicet, vel propter eam quiſquam condemnabitur. Quin potius inſcitia & inſipientia magnum ſæpe impedimentum eſt multis ad veritatem cognoſcendam, multo magis ad eandem propagandam, aut etiam defendendam: contra vero doctrina & cultura animi in artibus liberalibus, ad hanc rem plurimum conducit, ſi quis modo ea bene utatur. Neceſſe igitur eſt, ut cum inſcitia & imperitia idiotarum conjuncta ſit animi probitas, & cum doctrina ſapientum improbitas: tunc demum fiet, ut illi videntes, hi cæci reddantur. Alioqui ſi contingat, ut quis indoctus ſit, & improbus, ita ut ſe nihilominus ſapere credat, & alios præ ſe contemnat, neque ſe erudiri patiatur, is referendus eſt ad cenſum eorum, qui vident, nempe ſua opinione, ac proinde excæcabuntur. Ex adverſo autem, ſi quis ſit eruditus & per omnes artes atque diſciplinas liberales exercitatus, ac ſimul animo probus & humilis, ut ob ſuam ſcientiam non efferatur, ſed modeſte de ſe ſentiat, & meliora ac veriora docentibus obſequi paratus ſit, ille pertinet ad claſſem non videntium, quia non videt & non æſtimat nimium, quaſi non videret, ſuam ſcientiam, ac propterea à Chriſto illuminabitur. Raro quidem docti inveniuntur tam humiles, & tam probi, ut ſeipſos deſpiciant, & gloriam mundi non affectent, & ſub-

& ſubjiciant ſe diſciplinæ Chriſti: propterea ſcriptura ita in genere & univerſaliter loqui ſolet, quaſi omnes ſint inepti ad recipiendam Chriſti doctrinam, & quaſi Deus ſimpliciter abſcondiderit ſua myſteria coram ſapientibus & prudentibus, Matth. 11. 25. Interim tamen inveniri aliquos doctos vere probos, & animi humilitate præditos certum eſt, quin & omnes, quotquot ſunt, in orbe, eruditos, tales fieri poſſe, ſi velint, dubium non eſt. Ac utinam non citius inter idiotas & literarum expertes reperiantur jam plurimi, qui majores quandoque gerant, quam literati, ſpiritus, & cum nihil ſciant, tamen ſe omnia ſcire vana opinione ſibi perſuadeant. Inania vaſa ſemper plus tinniunt, quam plena: & cum altiſſima flumina quam minimo labantur ſono, exigui rivuli ingentem edunt ſtrepitum. Sic qui ſolide docti ſunt, ſæpe modeſtiores eſſe ſolent, faciliuſque intelligunt, totum id quod ſciunt, eſſe minimam partem eorum, quæ neſciunt. At qui ſemidocti ſunt, & ſumnis labris ſcientiæ aliquid deguſtarunt, illico putant ſe ad ipſam ſapientiæ arcem penetraſſe, neque ſibi amplius quicquam diſcendum reſtare ab aliis, ſed ſe jam ſapere, & quidem ſolos arbitrantur, reliquos volitare ſicut umbras. Socrates qui oraculi ſententia judicatus eſt Græcorum ſapientiſſimus, poſt multas lucubrationes, & exantlatos in ſtudiis labores, tandem ſe hoc unum didiciſſe profeſſus eſt, quod nihil ſciret. Adeo ardua res eſt, & ſummus ferme ſapientiæ apex, ſuam noſſe ignorantiam, & nuditatem. Quodſi vero etiam doctiſſimis & ſapientiſſimis expedit, quam minimum ſibi tribuere atque arrogare: quanto magis decet minus doctis meminiſſe illius verſiculi: Tecum habita, & noris quam ſit tibi curta ſuppellex. Quare, ut ad verba Chriſti redeamus, ſive quis doctus ſit, ſive indoctus, ſi animo ſit recto & humili, ſi non ſit magnus in oculis ſuis, ſi conſcius ſuæ ignorantiæ cupiat veritatem diſcere, ille eſt non videns, quem Chriſtus videre faciet & aperiet ejus oculos, ut ſedens in umbra & regione mortis, videat lucem divinæ veritatis. Et contra ſive quis doctus ſit, ſive indoctus, ſi altum ſapiat, ſi Argum ſe & oculatum putet, ac propterea animum diſcendæ veritatis non habeat, ſed ei potius improbe adverſetur, is hic videns appellatur quia videtur ſibi videre. Is ergo, quo magis ſe videre putat, eo magis ad lumen Euangelicæ doctrinæ caligabit & cæcutiet. Ubique enim in Chriſti religione atque doctrina inveniet aliquid, in quod impingat, quod ipſum offendat, & ſcandaliſet: ubique occurrent ſcopuli, ad quos alliſus animæ ſuæ faciat naufragium. Atque ſic implebitur illud Simeonis, quod Chriſtus poſitus ſit illis in reſurrectionem, his vero in ruinam: Luc. 2. 34. vel, ut Apoſtoli verbis utar, illis ſit odor vitæ ad vitam, his autem odor mortis ad mortem 2 Cor. cap. 2. 16.

Verſ. 40 *Et audierunt hæc quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Num & nos cæci ſumus?* Apparet Chriſtum ea, quæ ſuperius narrata ſunt, non locutum cum cæco, in loco aliquo ſecreto atque ab arbitris remoto, ſed in præſentia multorum hominum, quibus etiam Phariſæi fuerunt intermixti. Hi enim amabant paſſim aſſectari Chriſtum, & in turba latere, ut ſublegerent ſermonem ejus & facta ſpecularentur, ſi quid in crimen trahere poſſent. Vide Luc. 11. 54. Quo laudabilior eſt cæci hujus virtus, quod non puduit eum in conſpectu plurium, etiam ipſorum Phariſæorum, tradere ſe in diſciplinam Chriſti, fidem in ipſum profiteri, eumque ſubmiſſa adoratione venerari. O quam multis hodie obeſt pravus iſte & vere ruſticus pudor, ut publice in Chriſtum credere, eumque adorare non audeant! Nicodemus certe & alii multi è principibus hanc cæci virtutem non fuerunt aſſecuti, qui occulti tantum fuerunt Chriſti diſcipuli, & fidem, quam habebant in animo, propter Phariſæorum metum profiteri non audebant, Joh. 12. 42.

Num & nos cæci ſumus?] Senſerunt Phariſæi, notari atque perſtringi animi ſui cæcitatem. Quod non poſſunt ullo modo concoquere, cum ſe oculatiſſimos & ſapientiſſimos eſſe arbitrarentur. Itaque cum indignatione quærunt: Num tu nos populi proceres & doctores etiam putas eſſe animo cæcos, & inſipientes ac ſtupidos, ut non videamus ea quæ videnda ſunt? Num tu nos ignaris, errantibus ac peccatoribus annumeras? Hoc ex te ſcire volumus. Chriſtus ipſos non nominaverat, ſed generaliter ac indefinite locutus fuerat, & oblique tantum eos notaverat. Nunc ergo volunt, ut diſerte dicat, an de ſe fuerit locutus. Nempe hinc patet, quantus fuerit iſtorum hominum faſtus, quantus in eis animi tumor, ut pene ſacrilegum putent, aliquid ſibi de ſapientiæ & omnium rerum ſcientiæ laude detrahi. Hæc opinio & perſuaſio de propria ſapientia & ſanctitate fuit unicum impedimentum iſtis Phariſæis, quominus in Chriſtum crederent: hæc in cauſa fuit, ut media luce cæcutirent, atque etiam ipſis cæcis à nativitate, cæciores eſſent. Hanc ergo opinionem deponere unicuique oportet, qui cupit à Chriſto illuminari. *Nemo ſeipſum ſeducat*, inquit Apoſtolus, *ſi quis ſibi videtur eſſe ſapiens inter vos in hoc ſeculo, fiat ſtultus, ut fiat ſapiens. Sapientia enim mundi hujus ſtultitia eſt apud Deum*, 1 Cor. 3. 18, 19. *Et rurſus: ſi quis ſibi videtur aliquid ſcire, nondum quicquam novit, ſicut oportet noſſe*, 1 Cor. 8. 2. Maxime autem alte in animum recondere debemus illud Chriſti monitum, quod de cœlo ad Angelum Eccleſiæ Laodicenæ perſcripſit, his verbis: *Dicis, Dives ſum, & ditatus ſum, & nulla re mihi eſt opus. Et non noſti, quod ſis miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi, ut emas à me aurum igne exploratum, ut dives fias; & veſtimenta alba, ut induaris, nec appareat turpitudo nuditatis tuæ; & collyrio inungas oculos tuos, ut videas*, Apoc. 3. ver. 17, 18.

Verſ. 41. *Dixit eis Jeſus. Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis: Videmus; peccatum igitur veſtrum manet.*] Quaſi dicat, Non vultis pro cæcis haberi. At quanto feliciores eſſetis, ſi reverà cæci eſſetis: ſive corpore, ut tot tantaque miracula mea nunquam vidiſſetis; ſive animo, ut tanta rerum cognitione & ſcientia Legis non eſſetis præditi. Sic enim aut nullum, aut non tantum foret veſtrum peccatum, quod me non recipiatis. Verum nunc cum oculis veſtris corporeis tot argumenta meæ divinæ legationis videritis, cumque vobis

arrogetis ſummam rerum divinarum cognitionem, & vos ſapientiſſimos ac perſpicaciſſimos eſſe arbitremini, graviſſimo & irremiſſibili, dum tales eſtis, peccati reatu voſmet obſtringitis, & incredulitas veſtra eſt prorſus inexcuſabilis. Indicat Chriſtus hoc ſermone, quanto quiſque majores occaſiones, & plura invitamenta, & majorem aptitudinem habet ad credendum & obediendum Chriſto, eum tanto gravius punitum iri, ſi negligat officium. Nam, ut alibi docet, *cuicunque multum datum fuerit, multum repeſcetur ab eo: & apud quem depoſitum fuerit multum, amplius requiretur ab eo*, Luc. 12. 48. Hinc etiam dicitur, *melius fuiſſe nunquam cognoviſſe viam juſtitiæ, quam ea cognita* per eam non incedere, vel ab illa *regredi*, 2 Pet. 2. 21.

Non haberetis peccatum.] Habere peccatum, non idem hic eſt quod, peccare. Non enim hoc vult Chriſtus dicere, Phariſæos, ſi cæci eſſent, non peccaturos. Sed habere peccatum, eſt peccati reum eſſe. Itaque hoc vult Chriſtus dicere, quod, ſi cæci eſſent, peccati reatu non tenerentur, &, hoc quod non crederent, ipſis pro peccato non imputaretur, utpote qui aliquam haberent peccati ſui excuſationem. In quam ſententiam & alibi Chriſtus dixit: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent peccati ſui*, Joh. 15. 22. Quo in loco apertiſſimè *peccati ſui excuſationem habere*, & *habere peccatum* inter ſe opponuntur. Cum igitur peccati ſui excuſationem habere, haud quaquam ſignificet, non peccare, ſed peccati reum non eſſe; conſequens omnino eſt, peccatum habere, non eſſe peccare, ſed peccati reum eſſe. Eodem ſenſu ibidem paucis interjectis Chriſtus in hunc modum loquitur: *Si non feciſſem opera inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, Joh. 15. 24. Quis autem dixerit, illos, ſi Chriſtus admiranda illa opera non patraſſet, peccaturos non fuiſſe? Sed id recte dicitur, eos aliqua ſaltem ratione excuſabiles, & pœnæ non penitus obſtrictos futuros fuiſſe, ſi Chriſtus opera illa non patraſſet, quæ hominum illorum contumaciam arguerent, ut pote qui illis convicti, Deum tamen ac Chriſtum agnoſcere, eique obtemperare noluerint.

Peccatum igitur veſtrum manet.] Id eſt, imputabitur vobis peccatum veſtrum; eſtis rei graviſſimi peccati; nullo colore, nulla excuſatione poteritis peccatum veſtræ incredulitatis defendere, cum nullam ignorantiam ei prætexere poſſitis. Alii ſic, etiam non incommode, interpretantur: Peccatum veſtrum manet, id eſt, non auferetur à vobis per reſipiſcentiam, ac porro per remiſſionem. Nulla eſt ſpes veſtræ emendationis, ſed perpetuo peccatum iſtud in vobis hærebit, adeoque in peccato iſto moriemini. Superius autem membrum oppoſitum ſic interpretantur: Non haberetis peccatum, id eſt, deſineretis peccare, peccatum iſtud excuteretis, quia quæreretis peccati remedium, quia ad ſpiritualem medicum veniretis, quia accederetis ad Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, & ſic peccata vobis remitterentur. Illa tamen, quam priori loco poſuimus, phraſeos *Habere peccatum* ſignificatio, magis eſt ex uſu Sacræ Scripturæ.

CAPUT X.

Argumentum & Partitio.

Euangeliſta continuat captum Chriſti ad Phariſæos ſermonem, in quo docet ſe eſſe verum Meſſiam, per ſimilitudinem à paſtore bono & ovibus ſumtam. Sunt autem duo, quæ hoc Capite continentur. I. *Narratur concio Chriſti de vero ovium Paſtore, una cum concionis iſtius eventu: à Capitis initio uſque ad* ℣. 22. II. *Deſcribitur Chriſti diſputatio & colloquium cum Judæis in feſto Encæniorum habitum de eo, An ipſe ſit Meſſias; ubi una quoque eventus iſtius Colloquii, & quid poſt hoc colloquium geſtum ſit, paucis exponitur: uſque ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.*] Quod hæc verba cohæreant cum ſuperioris Capitis fine, quodque adeo hic continuetur Chriſti ſermo inchoatus ibidem ad Phariſæos, de eo nulla eſt apud Interpretes dubitatio: cum nulla ſit ratio, nullum indicium, cur alio tempore prolata eſſe hæc verba putemus. Imo pronomen *vobis* initio hujus Capitis extans, *Amen amen dico vobis:* & alterum pronomen *eis* ℣. 6, *Hanc paræmiam dixit eis:* indicio ſunt ſermonem hunc Chriſti ad Phariſæos referendum eſſe, de quibus cap. 9. 40. cum expreſſum non ſit, pronomina iſta ad alios habere relationem. Ideo non abs re cenſent quidam, caput hoc 10. ab illis verbis ſuperioris capitis inchoari debuiſſe: *Et dixit Jeſus: Ad judicium ego veni in hunc mundum*, &c, ℣. 39. Inde enim concio Chriſti incipit, quæ deinceps hic continuatur. Etſi vero certum ſit cohærere ſermonem ultimum capitis præcedentis cum initio hujus capitis, tamen quomodo cohæreat, non ſatis patet. Videtur enim hic Chriſtus novam quandam materiam dicendi ſumſiſſe, de qua in ſuperioribus non fuerat actum. Varii varios afferunt connectendi hoc caput cum antecedente modos, quos hic recenſere nihil attinet. Mihi hæc veriſſima & ſimpliciſſima videtur eſſe connexio, quod Chriſtus ſive ex eo ſumta occaſione, quod Phariſæi cæcum ejeciſſent, atque adeo una cum cæco ſe damnaſſent tanquam ſeductorem, ſive ex eo, quod Phariſæos conviciſſet cæcitatis, quod ſe verum Meſſiam atque à Deo miſſum eſſe non viderent, probet jam atque demonſtret ſe ſeductorem & Pſeudochriſtum non eſſe, ſed illum ipſum Meſſiam, qui à Deo olim promiſſus eſt per Prophetas. Nimirum Chriſtus redit hic ad illud, quod ſupra ſubinde inculcaverat, & variis ſimilitudinibus expreſſerat, ſe eſſe Meſſiam. Invitaverat antea homines ad ſe tanquam ad aquam vivam, unde qui biberet, conciperet in ſe fontem aquæ ſalientis

in vitam

in vitam æternam; deinde tanquam ad panem cæleſtem, unde qui ederet, viveret in æternum: poſtea tanquam ad lucem mundi, quæ illuminat omnium mentes & oculos. Quibus ſimilitudinibus nihil aliud ſignificabat, quam ſe eſſe verum Meſſiam. Hoc idem agit etiam hoc loco alia parabola, quo magis & altius inſideat animis omnium, quod eſt totius ſalutis humanæ caput. Parabola autem illa, qua Chriſtus ſe Meſſiam eſſe hoc loco indicat, ſumta eſt à paſtore ovium: eaque videtur alludi ad vaticinia Prophetarum, qui etiam eodem orationis ſchemate uſi ſunt, ut Meſſiam ſub imagine Paſtoris deſcripſerint. Inter hæc vaticinia illuſtre eſt illud Ezechielis: *Et ſuſcitabo ſuper eas* (id eſt, oves meas,) *paſtorem meum, & paſcet eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, ipſeque erit eis in paſtorem*, Ezech. 36. ℣ſ. 23. Cui geminum eſt, quod legitur cap. 37. ℣ſ. 24. *Et ſervus meus David erit Rex ſuper eos, & paſtor unus erit univerſis ipſis: & in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, facientque ea.* Quibus locis de Meſſia ſermonem eſſe, eumque Davidem appellari, ideo quod Davidis filius eſſe debuerit, & David typus ejus fuerit, quatenus Rex totius populi Iſraëlitici fuerat, id unum arguit, quod David ipſe jam multo ante mortuus fuerit, & in neminem alium, quam in Meſſiam, hoc Davidis nomen magis quadret. Vide etiam Eſai. 40. 10, 11. Zach. 13. 7.

Amen amen dico vobis.] Utitur conſueta ſibi aſſeveratione, tanquam rem magni momenti dicturus.

Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.] Prius deſcribit ſeductorem & falſum Meſſiam, poſtea ſequenti verſiculo verum. *In ovile ovium*, Gr. εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, id eſt, in aulam ovium. Aula eſt vox Græca de qua Scapula in ſuo Lexico ita ſcribit: *Athenæus lib. 5. tradit*, αὐλὴν *ab* ἄω *appellari locum apertum & vacuum ante ipſas ædes expoſitum, qui à ventis perfletur: unde & de ſubdialibus locis uſurpatur apud Homerum. Sic Philo de vita Moſis lib. 3.* τὸν ὑπαίθριον *appellatum dicit* αὐλὴν. *Quoniam autem in ejuſmodi locis ſubdialibus ſtabulari ſolent animalia, ideo ponitur* αὐλὴ *pro ſtabulo:* idque ex Homero confirmat. Deinde addit: *Item aula eſt domus regia, domus principis, ſic dicta, quod ante ejuſmodi domos eſſent ampla loca ſubdialia, vel quod ſatellites ibi ſolerent* διαγυλίζειν, *ut ſcribit Athenæus.* Ex quibus verbis patet, per αὐλὴν hic intelligendum eſſe ſtabulum ovium, non tecto opertum, ſed apertum & ſubdiale, ſepimento tantum circumdatum. In applicatione autem parabolæ nihil aliud per eam, quam Eccleſia Dei, vel cœtus populi divini intelligitur. Verum difficilior quæſtio eſt, quid ſit, intrare per oſtium in ovile ovium. Decepti ſunt hic plerique Interpretes, ut per oſtium hoc loco intelligerent ipſum Chriſtum, eo quod infra ℣ſ. 7. Chriſtus dicat, *Ego ſum oſtium ovium.* Itaque cenſuerunt, intrare per oſtium eos dici, qui in Chriſtum credunt, qui per eum vocati ad populum docendum veniunt, qui auctoritate ejus inſtructi afferunt doctrinam ab ipſo traditam. Hinc nuper etiam nonnemo argumentum ducere non dubitavit, quod Chriſtus extiterit reipſa ante nativitatem ſuam è Virgine, quia per eum, tanquam per oſtium, omnes veri Prophetæ & Doctores populi Dei ſub Veteri Fœdere ingreſſi ſint in Eccleſiam. Sed non animadverterunt iſti, Chriſtum infra ℣ſ. 7. ſe *oſtium ovium* vocare, non paſtorum. Hoc loco autem de oſtio paſtorum ſermo eſt, per quod paſtores ſoli intrant, non oves. Certe Chriſtus & ipſe paſtor eſt, & non obſcure innuit, ſe etiam per oſtium intraſſe: quomodo vero Chriſtus per ſeipſum intraſſe in ovile dici poteſt? An etiam ipſe in ſe credidit? An à ſeipſo vocatus venit? An à ſeipſo doctrinam ſuam accepit, & propria auctoritate eam promulgavit? Atqui hoc ipſum Chriſtus alibi fortiſſime negat, quod à ſeipſo venerit, quod à ſeipſo loquatur, & propria auctoritate quicquam faciat. Vide Joh. 5. 19, 30, 31, 43. VII. 16, 17, 28. VIII. 28, 42. Intrare igitur per oſtium in ovile, nihil aliud eſt, quam legitimo modo vocatum & miſſum à Deo, aggredi munus Meſſiæ. Nam ſicut legitimus modus intrandi in ovile eſt, per oſtium vel portam ingredi: ita quem Deus ipſe in Meſſiam eligit, & cui hoc munus imponit, quemque ipſe ad homines mittit, ille ſolus legitime ſe pro Meſſia gerit, & ſolus pro vero Meſſia habendus eſt. Hunc ſenſum egregie perſpexit & explicavit Maldonatus, quem vide, ſi placet, in hunc locum.

Sed aſcendit aliunde] Ex eo, quid ſit, intrare in ovile per oſtium, facile intelligitur, quid ſit, aliunde aſcendere: nempe non vocatum, neque miſſum à Deo, uſurpare ſibi nomen & auctoritatem Meſſiæ. Quemadmodum enim qui non per oſtium intrat, ſed tranſcendens ſepem irrumpit in ovile vel per foramen irrepit, illegitime ingreditur: ita illegitimo modo etiam is ad populum Dei tanquam Meſſias venit, qui ſeipſe ingerit, qui carens divina miſſione atque auctoritate, vendicat ſibi honorem atque officium iſtud, quod ipſi non competit.

Ille fur eſt & latro.] Id eſt, ille ſeductor eſt, & Pſeudochriſtus. Fures vocat Pſeudochriſtos, tum quia gloriam & honorem, vero Meſſiæ debitum, ſuffurentur, & in ſe injuſte transferant, tum (quo magis reſpexiſſe videtur Chriſtus) quod oves ſeu populum ſuum furentur, & vero Domino ſubducant. Vide ℣ſ. 10. Latrones vero eos appellat, quod animas hominum perdant, & in ſempiternum exitium deducant; falſa doctrina homines ſeducendo, & à Deo diviniſque mandatis eos abducendo.

Verſ. 2. *Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.*] Intellige, magnus ille Paſtor, id eſt, Meſſias: de eo enim ſolo hic agitur. Nam in eo hactenus hallucinati ſunt plurimi Interpretes, quod hic de omnibus paſtoribus, ſeu doctoribus, quicunque docendo atque regendo præſunt populo, ſermonem eſſe putarint: vel quia crediderunt, per oſtium hoc loco Chriſtum deſignari, ac proinde ſenſerunt omnes doctores veros & olim credidiſſe, & nunc credere debere in Chriſtum; vel quia ſtatuerunt ad paſtoris ſeu doctoris cujuſlibet munus requiri, ut ſit miſſus, & legitime à Deo vocatus, aut ſaltem per alios paſtores ordinatus. Ac priorem quidem errorem jam paulo ante refutavimus, dum oſtendimus, hoc loco Chriſtum per oſtium non intelligi. Alterum quoque, quod cuivis doctori neceſſaria ſit miſſio, erroneum eſſe manifeſtum eſt;

cum ipſa ratio dictet, ei duntaxat miſſione opus eſſe, qui novam aliquam & in mundo antea inauditam doctrinam ac religionem invehit atque annunciat, ita, ut ſe à Deo peculiariter miſſum eſſe ad eam annunciandam aſſerat. Breviter, ſi quis ſe pro Propheta Dei gerat, & velit dicta ſua accipi tanquam vocem ipſius Dei, ille neceſſe eſt, ut ſe miſſum eſſe legitimis argumentis probet. Talis ſi miſſus non ſit, non poteſt non eſſe mendax & impoſtor. Et de talibus impoſtoribus intelligenda ſunt illa verba apud Jeremiam cap. 23. 21. *Non miſi Prophetas, & tamen currebant.* At qui ſibi non arrogant Prophetarum titulum, neque de legatione ſingulari ſeſe jactant, neque novam doctrinam à Deo ſe afferre profitentur, ſed ea ſolummodo, quæ Prophetæ & veri Dei legati olim promulgarunt, ac variis modis confirmarunt, & ipſi ſtudioſe legunt, & aliis inculcant, atque ut illa tum ipſi intelligere, tum reliquis elucidare poſſint, magnopere curant; illi cur abſque peculiari miſſione id facere nequeant, cauſa nulla eſt. Saltem, inquies, opus eſt, ut tales paſtores ſint legitime ad hoc munus ab aliis paſtoribus ordinati. Verum ne eo quidem ſemper opus eſt. Nam etſi ordinarie ut id fiat propter bonum ordinem rationi conſentaneum ſit, tamen dantur caſus extraordinarii, cum etiam ſine tali ordinatione munus docendi ab aliquo ſuſcipi queat, ſi modo ſit ad docendum aptus, & reliqua habeat requiſita, quæ Apoſtolus commemorat 1 Tim. 3. 2, 3, 4, 5. Tit. 1. 6. & ſeqq. Caſus ejuſmodi ſunt v. g. quando tempore perſecutionis diſperſi ſunt fideles, ut ordinarios paſtores habere nequeant: item, quando ita corrupta eſt vita atque doctrina Paſtorum ordinariorum & maximæ partis Eccleſiæ, ut ſe emendari non patiantur. In hiſce ac ſimilibus caſibus quicunque donis ad docendum idoneis & pietate ſingulari præditus eſt, poteſt etiam abſque ordinatione aliorum paſtorum, munus docendi obire; dummodo id fiat, cum conſenſu eorum, quibus præire in docendo cupit. Sic in caſu perſecutionis legimus illos, qui poſt Stephani mortem diſperſi fuere, etſi à nemine fuerint ordinati, tamen doctrinam Chriſti ultro citroque publicaſſe, Act. 8. 4. xi. 19, 20, 21. Sed quid opus eſt de ordinatione paſtorum hic quicquam dicere, cum hoc loco de ea non agatur, & agi nequeat? *Per oſtium* enim *intrare*, non poteſt hic ſignificare legitimam habere ordinationem ab aliis paſtoribus. Nam & Phariſæi ac Scribæ, quibus veros paſtores opponi hic à Chriſto putant iſti, cum quibus nunc diſputamus, habebant quoque hanc inter ſe ordinationem: unde ſequetur, etiam illos veros paſtores fuiſſe. Deinde nec Chriſtus ipſe, nec Johannes Baptiſta, nec multi è Prophetis hanc ordinationem habuerunt: ergone per oſtium non intrarunt? ergone veri paſtores non fuerunt? Ex his ſatis, ut opinor, patet, *per oſtium ingredi*, hoc loco non ordinationem iſtam, ſed ſolam miſſionem à Deo immediatam ſignificari. Porro obſervandum eſt, Chriſtum neque de aliis veris Prophetis, etiamſi à Deo quoque miſſi fuerint, hic agere, ſed de ſolo Meſſia. Propoſitum enim ipſi eſt hoc loco demonſtrare, non in genere, quis ſit verus Propheta vel falſus; multo minus, quis ſit verus doctor vel non, ſed in ſpecie, quis ſit unus ille verus & magnus Paſtor, à Deo olim per Prophetas promiſſus, id eſt, Meſſias. Ejus proprietates hic Chriſtus deſcribit, eiſque opponit proprietates ſeductorum, non quorumvis, ſed eorum duntaxat, qui ſe Meſſiam eſſe mentiebantur. Itaque perpetua hic eſt inter verum Chriſtum & pſeudochriſtos antitheſis. Poſtea etiam expreſſe, ſe eſſe iſtum unicum Paſtorem bonum, quem hactenus deſcripſerat, declarat ℣. 11. manifeſte indicans, non de alio paſtore, quam de eo, qui κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, ſibi eſſe ſermonem. Alias rationes adhuc, cur nonniſi de Meſſia agi hoc in loco ſtatuendum ſit, audiemus mox ſequenti verſu, & infra ad ℣. 8. Interim negare nolim, Chriſtum ita propoſuiſſe verba ſua, ut per accommodationem ea quæ de Meſſia vero dixit, ad omnes veros Prophetas, vel etiam quoſvis bonos doctores, & quæ de Pſeudochriſtis protulit, ad quoſvis non ſolum falſos prophetas, ſed etiam malos doctores trahi poſſint. Nec abſimile vero eſt, eum tacite etiam Phariſæos pungere atque notare voluiſſe. Certe infra ℣. 12, 13. ſub nomine mercenarii non alios, quam illos intellexiſſe & perſtrinxiſſe videtur. Nimirum Chriſtus primario quidem agit de Meſſia & Pſeudochriſtis, ſed ſecundario ſimul proponit formam & ideam bonorum paſtorum in deſcriptione Meſſiæ, malorum vero paſtorum, quales erant Phariſæi ac Scribæ, in deſcriptione Pſeudochriſtorum.

Verſ. 3. *Huic aperit janitor, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat juxta nomen, & educit eas.*] Huic, id eſt, Meſſiæ. Nam ut dixi, de eo ſolo hic primario inſtitutus eſt ſermo. Quod vero dicitur, ei aperire janitorem, in eo alluditur ad morem illis temporibus uſitatum, ubi locupletiores non ſolum ad ædium ſuarum fores, ſed etiam in ovilibus janitores excubantes habebant. Quis vero ſignificetur per hunc janitorem, diverſimode diſceptatur. Alii Spiritum Sanctum intelligunt, alii Deum ipſum: alii Scripturam Sacram Veteris Teſtamenti. Atque ut hic Deus ipſe per janitorem intelligatur, non eſt improbabile. Is enim maxime curam & cuſtodiam ovilis gerit: is Meſſiæ poteſtatem dedit miraculorum edendorum, qua veluti clave ingreſſus eſt in ovile. Nec obſtat adeo huic interpretationi, quod janitor ſoleat eſſe minor & inferior paſtore: neque enim in ſimilitudinibus ac parabolis applicandis omnia ad amuſſim exigenda ſunt. Ita Chriſtus in parabola de nuptiis comparatur ſponſo, & Filio Regis, cui adornantur nuptiæ, & ſimul tamen etiam accenſetur ſervis, qui miſſi ſunt vocatum invitatos ad nuptias, Matth. 22. 2, 3. Nihilominus tamen probabilior eſſe videtur iſta ſententia, quæ ſtatuit, janitorem hic ſignificare Scripturam Veteris Fœderis, Legem ſcilicet & Prophetas. Ratio, cur hanc ſententiam probabiliorem judicem, eſt, quia quod Deus aut Spiritus Sanctus aperiat ovile, id commune eſt omnibus Prophetis veris ac Dei legatis. Hic autem, cum ſupra oſtenſum ſit, de ſolo Meſſia agi, admodum veriſimile eſt, Chriſtum voluiſſe notam peculiarem Meſſiæ ac propriam deſcribere. Eſt vero hoc proprium Meſſiæ, quod in nullos alios Prophetas quadrat, quod ei Scripta Veteris Teſtamenti aperuerint

ruerint oſtium, quod de eo prophetaverint, quod in illo impletæ ſint. *De quo ſcripſit Moſes in Lege*, inquit Philippus ad Nathanaëlem, *& Prophetæ, invenimus Jeſum Filium Joſephi*, Joh. 1. 45. Chriſtus ipſe de Mo'e ait: *Si crederetis Moſi, crederetis utique mihi; de me enim ille ſcripſit*, Joh. 5. 46. Et Petrus de Prophetis dicit; *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent*, Act. 10. 47. Sed incidit mihi quippiam, quod neſcio annon majorem adhuc probabilitatem habeat: nempe ut janitor ſeu oſtiarius iſte ſit Johannes Baptiſta. Is certe dum præcurſorem Chriſti egit, dum præparavit viam ante Dominum, id eſt, animos hominum diſpoſuit ad recipiendum Meſſiam venturum, egregie aperuiſſe oſtium Paſtori illi magno, id eſt, Meſſiæ, dici poteſt. Sed hac de re judicium eſto lectoris.

Et oves vocem ejus audiunt.] Per *oves* quid intelligatur, operoſe quoque hoc loco diſquiri ſolet. Vulgo per eas intelliguntur prædeſtinati à Deo nominatim ante omnia ſecula ad vitam æternam. Sed jam alibi demonſtratum eſt, prædeſtinationem hanc qualem iſti homines ſtatuunt, multorum abſurdorum ream eſſe: quare interpretatio iſta vitioſo nititur fundamento. Quid? quod illi ipſi, qui dogma hoc prædeſtinationis admittunt, hanc interpretationem impugnent. Ajunt enim multos eſſe prædeſtinatos, qui longo tempore vocem Chriſti non audiunt, qui longo tempore ſunt lupi: multos vero reprobatos, qui longo tempore audiunt, longo tempore Chriſtum ſequuntur. Vide Maldonatum. Verum Maldonatus rejecta hac de prædeſtinatis interpretatione, rem tamen ipſe acu non tetigit. Ait enim: *Oves ego cum aliis omnibus auctoribus eos interpretor, qui ſunt in Eccleſia. Nam Eccleſia ovile eſt.* Ergone omnes, qui in Eccleſia ſunt, oves ſunt? Annon multi in Eccleſia etiam ſunt hœdi, quos ſeparabit aliquando Filius hominis, ubi venerit in gloria ſua? Matth. 25. 31. 32. Deinde annon multi ſunt extra Eccleſiam, qui tamen ſunt oves? Hoc ſane Chriſtus aperte indicavit illis verbis: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient*, ℣. 16. Hic oves adducendæ in ovile, nondum erant in ovili, id eſt in Eccleſia, & tamen erant oves. Quod reſpondet Maldonatus, illos adducendos nondum fuiſſe oves, ſed quia futuri aliquando erant, per anticipationem oves appellari: id nullius eſt momenti. Nam quid cogit primum à proprietate verborum diſcedere? Secundo non videt ille, Chriſtum indicare non alios, quam oves, audire vocem ejus, & per auditionem vocis ejus adduci in ovile ſeu Eccleſiam. Ergo prius oportet, ut oves ſint, quam ſint in Eccleſia. *Quamdiu lupi ſunt illi*, inquit Maldonatus, *vocem paſtoris non audiunt.* Recte. At ſecundum ipſum lupi ſunt, quamdiu non ſunt in Eccleſia. Ergo nunquam audient vocem paſtoris, ac porro, nunquam erunt in Eccleſia. Patet igitur, eos ut aliquando in Eccleſia eſſe poſſint, antè oves eſſe oportere. Præterea hanc Maldonati interpretationem non poſſe conſiſtere, ſatis clare liquet ex eo, quod Chriſtus dixit Judæis: *Sed vos non creditis; non enim eſtis ex ovibus meis*, infra ℣. 26. Ubi ſi ovem eſſe, ſignificaret, in Eccleſia eſſe, ineptiſſima eſſet ratio: Vos propterea non creditis, id eſt, non eſtis in Eccleſia, quia non eſtis in Eccleſia. Ut ergo veram ſententiam exponam, tenendum eſt, duobus modis appellationem ovium Chriſti in Sacris Literis accipi. Aliquando oves Chriſti vocantur jam fideles, & perfecti Chriſtiani: aliquando illi etiam, qui etſi nondum Chriſtiani ſint, nondum credant, tamen animo ſunt probo, ſunt veritatis & pietatis ſtudioſi, vel ut Chriſtus ait, *volunt facere voluntatem Dei* Joh. 7. 17. & ideo apti ſunt ad credendum. Propter hanc cauſam etiam iidem *ex Deo eſſe* dicuntur ſupra cap. 8. 47. & alibi dicuntur *eſſe ex veritate*, Joh. 18. ℣. 37. In hanc ſententiam noſtram tandem ipſe Maldonatus deſcendere vi veritatis coactus eſt. Nam ſcribit ad ℣. 26. Chriſtum *eos, omnes vocare oves, qui quamvis nondum crederent, ita tamen erant comparati animo, ut facile eſſent, ſi ejus doctrinam audiſſent, credituri.* Et mox: *Itaque huc omnis ſententiæ ſumma redit, propterea eos non credere, quia nolunt, & quia maligno in ſe ſint animo.*

Quinam ſint *oves*, jam diximus, expendendum nunc, quid ſit *audire vocem* paſtoris. Hoc vero eſt, non ſolum corporis auribus ſermonem Chriſti excipere: nam & lupi aliquando vocem Euangelii auribus corporeis audiunt. Sed eſt, audito ſermoni credere, aſſentiri, eumque animo ſuſcipere, paſtori in omnibus obedire. Sumitur ergo *audire* pro exaudire, ut ſæpe alias, & ſupra cap. 9. 31. id eſt, cum effecto audire, Vide Eſai. 1. 19. Indicat igitur Chriſtus, oves, id eſt, homines probos facile aſſenſum præbere doctrinæ ſuæ, ubi ad aures eorum pervenerit: contra, eos qui non aſſentiuntur doctrinæ, ideo non aſſentiri, quod non ſint oves, quod animo ſint depravato.

Et proprias oves vocat juxta nomen.] Eſt nova Meſſiæ deſcriptio, quod is ita noras habeat oves ſuas, id eſt, homines veri amantes ac probos, ut nomine ſuo quemque eorum compellare poſſit. Ita Deus dicitur noſſe numerum ſtellarum, ut nominibus ſuis eas vocet, Pſal. 147. 4. Significat proinde, verum Meſſiam habere in numerato omnes, qui propter probitatem animi apti ſunt ad regnum cœlorum, nec ſinere, ut quiſquam pereat, niſi qui eſt filius perditionis, Joh. 17. 12. *Novit Dominus, qui ſui ſunt*, 2 Tim. 2. 18. Hoc Pſeudochriſti facere non poſſunt, ut diſtinguant inter probos & improbos, inter oves, & lupos, vel hædos: quia animos ac cogitationes hominum non vident. At verus Meſſias eſt ſcrutator cordium & renum: Apoc. 2. 23. & ſcit, quid ſit in homine, Joh. 2. 25.

Et educit eas.] Maldonatus, quia ſtatuit, ovem eſſe, nihil aliud eſſe, quam eſſe in Eccleſia: idcirco capere non poteſt, quomodo & quonam magnus ille paſtor Meſſias oves ſuas educat. *Nam ſi Eccleſia*, inquit, *ut diximus, ovile eſt, non poteſt niſi extra Eccleſiam educere, quod Chriſtus minime facit*: rejicitque Theophylacti ſententiam, qui dicit, Chriſtum educere oves ſuas ex medio infidelium. At ſi duplicem ſignificationem ovium, quam nos ſupra annotavimus, obſervaſſet, vidiſſet nullam hic eſſe difficultatem, & Theophylacti optimam ſententiam non reprobaſſet. Si per oves intelligas homines probos, ſed nondum credentes, adhuc extra Eccleſiam

existentes, immersos variis erroribus, aptissime sane de iis dicitur, quod eos Christus educat ex medio infidelium, ex mundo, ex tenebris errorum, ex umbra & regione mortis, deducatque eos in Ecclesiam suam, in lucem, in requiem animarum. Sic non paucos Judæorum eduxit è Synagoga, & postea ex Ethnicismo plurimos eduxit ad Christianam fidem. Quodsi vero per oves intelligas jam fideles, non opus est, ut à Christo extra Ecclesiam educantur: sed, ut Maldonatus ipse optime explicat, intra ipsum ovile, id est, intra Ecclesiam pascua sunt; pascuntur illi intra Ecclesiam, & ad spiritualia pabula doctrinæ Christi educuntur, dum verbo Dei eruditur, & in cognitione veritatis indies proficiunt.

Vers. 4. *Et quando proprias oves emittit, ante eas, incedit: & oves eum sequuntur: quia norunt vocem ejus.*] Vulgo usitatum est in quibusdam regionibus, ut pastores sequantur gregem, & ante se agant oves ex ovili ad pascua. Sed Christus hic respicit morem suæ gentis, ubi pastores præcedebant gregem; quod etiam hodie in nonnullis regionibus usitatum est. Præit autem pastor ovibus duplici de causa, tum ut eis viam monstret: tum ut occurrentia pericula amoliatur. Ita Christus non doctrina solum, sed etiam exemplo suo nobis præivit, & in omnibus viis nostris providentia sua nos antegreditur, ne quid mali atque adversi nobis accidat. Christum verum Pastorem & perfectissimum imitari debent omnes populi divini pastores, *ut in omnibus seipsos exhibeant exemplar bonorum operum*: Tit. 2. 7. *in sermone, in conversatione, in charitate, in Spiritu, in fide, in castitate*, 1 Tim. 4. 12. Non sunt illi veri pastores, qui gregi Dominico bono exemplo non prælucent, qui jubent auditores suos non spectare vitam suam, sed tantum attendere ad doctrinam; qui illud de Pharisæis dictum Christi subinde inculcant: *In cathedra Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ut servetis, servate & facite; secundum opera vero eorum ne facite* Matth. cap. 23. 2, 3. Quæ verba dum isti ad se applicant, satis ostendunt, se Pharisæis esse similes, id est, se non bonos, sed malos pastores esse. Deinde nihil aliud ex his verbis Christi sequitur, quam Legem & mandata Dei non esse deserenda, vel violanda propter malos docentium mores. Nempe ubi jam constat de veritate doctrinæ, non debet nos ab ea abalienare mala vita ullius Doctoris. At si nondum constet, certum est, nihil magis suspectam reddere doctrinam, quam flagitiosa eam tradentium vitam. Hinc & Christus ex fructibus, id est, ex operibus ut Pseudoprophetas cognoscamus monet: addens, quod non possit arbor bona malos fructus ferre, nec mala bonos Matth. 7. 16, 17. & seqq. Qui vult, ut alii credant doctrinæ ejus, ipse prius ei credat & se credere ostendat, necesse est. Alioqui si tu non credis, quo jure exigis, ut alius credat? Atqui se non credere doctrinæ suæ ostendit, qui non facit ipse quod docet; qui ea via ipse non incedit, quam aliis monstrat; qui docet alios humilitatem ac modestiam, & ipse interim superbus est atque arrogans; inculcat aliis sobrietatem, ipse vero est ebrietati deditus; dehortatur alios ab amore mundi, opum ac voluptatum, ipse existens avarus & voluptates ac bona hujus ævi plus diligens, quam Deum. Præclare monet Ethnicus Poëta omnes populi Rectores, quod etiam ad Doctores transferri potest:

> In commune jubes si quid, censesque tenendum,
> Primus jussa subi: tunc observantior æqui
> Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
> Auctorem parere sibi.

Et oves eum sequuntur.] Christus describens magnum illum Pastorem ovium, id est, Messiam, eadem opera atque occasione describit veras oves, earumque ingenium ac indolem. Ut ergo boni pastoris est anteire in pietate & bonis operibus, facemque præferre omnibus; ita ovium, id est hominum probi ac sinceri animi est, Magistri cælestis & perfectissimi Pastoris exemplum in omnibus imitari, vestigiis ejus insistere, ejus mores induere, & conformem vitæ ejus vitam ducere. Ubi tamen notandum est, officium imitandi Christum non ad omnia ea, quæ fecit, vel omisit Christus, facienda vel omittenda nos obstringere. Sunt enim quædam, in quibus eum imitari non possumus, ut miracula; quædam, in quibus non debemus, ut quæ ex auctoritate ejus singulari profecta sunt, & in quibus est magna, dignitatis & conditionis ratione, inter nos & ipsum discrepantia: quædam denique sunt, in quibus nobis licet eum non imitari, ut quæ nobis peculiari privilegio alias in Sacris Novi Testamenti libris concessa sunt. Quare cum Christum imitari jubemur, intelligendum est, præceptum istud non alio spectare, quam ad virtutes eas, quas nobis ex professo ipse in Lege sua præscripsit, ac evidenter tradidit. Ex præceptis ejus claris & perspicuis discere debemus, quid facere vel non facere nos oporteat. Ex exemplo autem ipsius, non tam quid, quam quomodo & quam perfecte id, quod nobis præceptum est, facere debeamus, nobis discendum est.

Quia norunt vocem ejus.] Solent oves non solum consuetudine, sed naturali etiam quodam instinctu proprii pastoris vocem nosse: quemadmodum & canem custodem à lupo, quantumvis simili, sola natura indice, distinguunt. Sic qui pietatem amant, & ad omnem probitatem facti sunt, facile agnoscunt doctrinam veri Messiæ, eamque à falsa seductorum doctrina discernunt. Huc facit illud, quod supra dixerat Christus: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, qui me misit, is cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar*, Joh. 7. 17. Qua de re plura dicemus infra ad ℣. 8.

Vers. 5. *Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo: quia non norunt alienorum vocem.*] Per alienum intelligitur pseudochristus, qui adsciscit sibi personam & nomen veri Pastoris atque Messiæ, per factiones, seditiones, rebelliones, tumultus, aliisque illegitimis modis emergere cupiens. Tales erant Theudas, & Judas ille Galilæus, de quibus Act. 5. ℣. 36, 37. Quos multi è populo secuti esse dicuntur: sed hi non erant oves, sed lupi potius, homines sceleribus dediti & novarum rerum studiosi. Qui vere probi sunt, & mansuetudine ac bonitate

ovibus

ovibus ſimiles, ejuſmodi ſeditionum faces & incentores non ſequuntur, ſed eos cane pejus & angue fugiunt.

Quia non norunt alienorum vocem.] *Noſſe* duplicem ſignificationem habet in Sacra Scriptura: unam vulgarem, qua idem eſt, quod ſcire & perſpectum habere; alteram minus vulgarem, qua denotat idem, quod approbare, amare, acceptare. Fit id ex conſuetudine linguæ Hebrææ, in qua ſæpe voces ad ſenſum aut intellectum pertinentes, pro verbis actionem voluntatis aut affectum ſignificantibus uſurpantur. Sic dicitur Deus obliviſci rerum quarundam, quarum rationem habere non vult, & quæ extra curam ſuam quodammodo ponit: contra vero eorum dicitur meminiſſe, quorum rationem ac curam habet. Sic dicitur quoque Deus noſſe eos, quos probat & amat ac pro ſuis agnoſcit; & è contrario eos non noſſe, quos improbat & averſatur, tametſi alioqui ſciat, qui ſint, quibuſve ſint præditi moribus, Vide Pſal. 1. 6. Amos. 3. 2. Nahum. 1. 7. 1 Cor. 8. 3. 2 Tim. 2. 19. Matth. 7. 23. xxv. 12. Rom. 11. 2. 1 Pet. 1. 20. Hoc poſteriori modo etiam hic ſumitur vox *noſcendi:* cum dicitur oves non ſequi alienum, ſed fugere ab eo, quia *non norunt* alienorum vocem. Si enim priori ſignificatu non poſſent, id eſt, ſi non intelligerent vocem alieni ita, ut neſcirent eam non eſſe veri paſtoris, ſed alieni vocem, ne fugere quidem eum poſſent. Itaque oves dicuntur non noſſe vocem alienorum, quia eam improbant, deteſtanturque.

Verſ. 6. *Hanc paræmiam dixit eis Jeſus, Illi autem non cognoverunt, quæ eſſent quæ loquebatur eis.*] Hæc verba inſerit in medio ſermone Chriſti Johannes, quo tranſeat ad expoſitionem parabolæ. Vocat autem hic parabolam ſeu ſimilitudinem iſtam de paſtore & ovibus paræmiam, etſi alioqui paræmia diverſum quid ſignificet. Proprie enim paræmia denotat dictum aliquod ſcitum elegans ac feſtivum: ſed Johannes pro ſermone quovis figurato uſurpat (Vide quoque infra cap. 16. 25, 29.) ac porro etiam pro parabola, ſeu comparatione allegorica. Sicut autem hic Johannes appellat paræmiam, quod proprie eſt parabola, ita Matthæus cap. 15. 16, contra vocat parabolam, quod proprie eſt paræmia.

Dixit eis Jeſus.] Nempe Phariſæis, de quibus Capite præcedenti ℣. 40. ad alios enim pronomen iſtud referri non poteſt. Offenderunt autem Phariſæi iſti facto ipſo, ſe cæcos eſſe, etſi id de ſe dici nolebant, cum non intellexerunt Chriſti paræmiam ſeu ſimilitudinem. Tanti Magiſtri, qui ſe ſolos habere acetum in pectore credebant, & omnium rerum ſcientiam ſibi vendicabant, ecce hic ſimplicem parabolam non capiunt, & non cognoſcunt, quid ſibi vellent ea, quæ Chriſtus loquebatur. Veriſimile eſt, Chriſtum de induſtria per parabolam ad eos eſſe locutum, quia, ut alibi dicit, videntes non videbant, & audientes non audiebant, neque intelligebant, *ut impleretur in eis prophetia Eſaiæ, quæ dicit: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos*, Matth. 13. 13, 14, 15. Intelligebant illi quidem verba, & ſenſum verborum Chriſti, ſed non percipiebant, quorſum ſpectaret hæc ſimilitudo, quem deſignaret Chriſtus per Paſtorem ovium, quem per furem & latronem. Itaque Chriſtus clarius hoc illis jam proponit, & explicat in ſequentibus, ſe eſſe Paſtorem illum, de quo hactenus egit.

Verſ. 7. *Dixit ergo iterum eis Jeſus: Amen amen dico vobis, quod ego ſim oſtium ovium.*] Variat hic Chriſtus ſignificationem oſtii: ut in ſimilitudinibus eleganter fieri ſolet. Oſtendimus enim ſupra alio ſenſu dictum eſſe ℣. 1. *Qui non intrat per oſtium in ovile*; alio vero dici hoc loco: *Ego ſum oſtium.* Ibi enim loquitur Chriſtus de oſtio, per quod paſtores ingrediuntur ſeu potius, per quod Paſtor ille magnus ingredi debuit: hic vero de oſtio, per quod oves ingrediuntur & egrediuntur; quod omnino diverſum eſt. Quid ibi per oſtium illud ſignificetur, ſupra explicavimus: nunc quomodo Chriſtus ſit oſtium ovium, explicandum eſt. Si ſententiam ſpectes, idem eſt, Chriſtum paſtorem eſſe, & oſtium eſſe: utrumque enim hoc unum ſignificat, neminem niſi per ipſum ſalvum eſſe poſſe, ſed diverſa metaphora. Apertius tamen hoc per oſtii metaphoram videtur declarari. Nam ſicut in ovile vel in quamvis domum nonniſi per oſtium itur, ita in ſocietatem fidelium, ac porro in regnum cælorum, non datur aditus, niſi per Chriſtum. Jure proinde Chriſtus occaſione ex eo ſumta, quod ſupra oſtii facta fuerit mentio, tametſi alio ſenſu, oſtium ſe hic appellavit, ut ſignificanter rem exprimeret. Eodem ſenſu ſe hic oſtium Chriſtus vocat, quo infra dicit: *Ego ſum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, Joh. 14. 6. Sed quomodo Chriſtus ſit oſtium ovium, ipſemet explicat paulo poſt ℣. 9. Notandum vero eſt, Chriſtum non hoc ſolum iſta ſimilitudine indicare, quod per ipſum perque doctrinam ejus aditus ad ſalutem pateat: ſed etiam quod nonniſi per illum pateat; quod non ſit alius modus & ratio conſequendi æternam felicitatem, niſi per ipſum. *Non eſt enim in alio ullo ſalus. Nullumque eſt aliud nomen ſub cœlo, datum inter homines, in quo oporteat nos ſervari*, Act. 4. 12. Deinde notandum eſt, Chriſtum eſſe oſtium non luporum, urſorum, leonum, non canum & porcorum, ſed ovium. Quo indicatur, eos qui ſalvi fieri cupiunt, debere eſſe mites, ſimplices, ac manſuetos, atque animo humiles. Plerumque oſtia ovilium ſolent eſſe humilia & anguſta, quibus nullus bos aut camelus, aut aliud vaſtum animal intrare poteſt. Sic etiam anguſta eſt porta, quæ ducit ad vitam æternam Matth. 7. 14, per quam nonniſi oves poſſunt ingredi.

Verſ. 8. *Omnes quotquot ante me venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audierunt eos oves.*] Eſt hic locus ex illis unus, in quibus locum habet regula illa Theologica, generales propoſitiones in Sacris Scripturis ex circumſtantiis loci, temporis, & ſubjectæ materiæ, ſeu rerum, de quibus agitur, reſtringi debere. Nemo enim non videt, hæc verba Chriſti generaliter, prout jacent, ſine abſurditate ingenti accipi non poſſe. Sic enim omnes ſancti & Prophetæ, quotquot ante Chriſtum fuerunt, & populum docuerunt, tanquam fures & latrones

damna-

damnarentur. Recte quidem hoc quidam obſervarunt, Chriſtum non dixiſſe ſimpliciter, Omnes, quotquot ante me fuerunt; ſed, *Omnes quotquot ante me venerunt:* quo ſignificarit, ſe non de omnibus omnino hominibus, qui ante ſe vixerunt in mundo, loqui, ſed de iis tantum, qui paſtorum titulo veniſſent. Sed hæc limitatio nondum ſufficit. Nam multi veri paſtores, & veri Prophetæ ante Chriſtum venerunt, quos Chriſtus fures atque latrones appellare non potuit. Quare ut hæc abſurditas vitetur, reſtringenda ſunt amplius hæc verba Chriſti, ut nimirum de illis tantum intelligantur, qui ita ante Chriſtum venerunt, ut ſe pro Meſſia geſſerint, ut ſe Chriſtum eſſe finxerint. Atque hinc cernitur, in tota ſuperiori parabola Chriſtum non in genere de omnibus veris vel falſis paſtoribus eſſe locutum, ſed tantum de uno magno & inſigni Paſtore, id eſt, Meſſia, deque oppoſitis ipſi pſeudochriſtis. Niſi enim verba Chriſti ſic limitentur, ut diximus, ille abſurditatis ſcopulus de veris prophetis evitari non poteſt. Notandum vero hic, quali ſtratagemate uſus fuerit ſatanas ante Chriſti adventum, ut præmiſerit nonnullos pſeudoprophetas & pſeudochriſtos, qui homines in Meſſiæ expectationem erectos ſeducerent, ut deinceps ubi verus Meſſias veniret, minus fidei apud homines inveniret. Hæc fuit ſumma Satanæ πανουργία atque vafrities, per quam innumeros homines circumventos eſſe atque deceptos certiſſimum eſt. Eodem aſtu eum uſurum & homines ſeducturum etiam ante ultimum Chriſti adventum, prædicit Chriſtus Matth. cap. 24. 5, 11. 23, 24.

Fures ſunt & latrones.] De quibus ſupra ℣. 1. dixerat, eos non intrare per oſtium in ovile, id eſt, illegitime ſe ingerere. Solent enim fures & latrones, oves furaturi non per oſtium ingredi, quod illis clauſum eſt, & ad quod aperiendum clavem non habent, ſed vel per ſepimentum aſcendere, vel effracto foramine aliquo in ovile penetrare. Idem faciebant Pſeudochriſti iſti, qui ante Chriſtum venerant: ſcelerate & contra omne jus & fas irrepſerunt atque ſe ingreſſerunt, ad ſe trahentes haud debitam ſibi Meſſiæ dignitatem, tanquam fures, nec non homines Deo ac Chriſto furantes, tandemque eos in temporarium & ſempiternum exitium deducentes. Legantur hiſtoriæ de Theuda, & Juda Galilæo apud Joſephum, nec non de Barcocheba eximio impoſtore & Pſeudochriſto, qui temporibus Adriani Cæſaris extitit; & patebit, quanta multitudo hominum illis ducibus & auctoribus miſere perierit.

Sed non audierunt eos oves.] Hoc addit quaſi pro argumento, è quo cognoſci poſſit, illos fuiſſe fures & latrones, quia oves non audierint eos, neque eos ſecutæ fuerint. Per oves jam ante diximus intelligi homines probos, manſuetos, quietos, Dei timore ac reverentia præditos. Tales igitur homines, inquit, non adhæſerunt eis, neque eis aurem præbuerunt. Sed quicunque ab illis ſeducti ſunt, fuerunt homines flagitiis omni ex parte maculoſi, avari, ambitioſi, voluptatibus dediti, & mundi de grege porci. Ut ſatis evidenter cognoſci potuerint iſti impoſtores non tantum ex ſe, verum etiam ex tali comitatu & talium aſſeclarum turba. Sic illi veri paſtores fuiſſent, vel potius, ſi quis illorum verus Paſtor, ſeu Meſſias fuiſſet, utique oves eorum vocem audiviſſent, ciſque obtemperaſſent. Oves enim ut ſupra dixit, norunt vocem veri Paſtoris: non norunt autem vocem alienorum. Sed cum oves eis non auſcultarint, inde patet, eos nihil aliud quam fures ac latrones fuiſſe.

Videmus hinc, quam multum in animi probitate ſitum ſit, quamque non facile probi à falſis doctoribus atque prophetis ſeduci queant. Tuti ſunt à ſeductione tum ipſa probitate atque rectitudine ſua, ut facile poſſint perverſitatem ſeductorum animadvertere, tum ſingulari Dei providentia, qui non permittit, ut tales homines in pernicioſos ſaluti ipſorum errores abducantur. Sed dices: Ergone nulli probi homines poſſunt fraudibus & ſophiſticis artibus illaqueari? Reſpondeo. Eſt ſane magna ſeductorum fraudulentia, ut negare nolim, etiam probos aliquando ſeduci poſſe, ſi ſibi non bene caveant, ſi ſalutis ſuæ incurioſi ſint, ſi non aſſidue divinum auxilium implorent. Scio enim ex probis etiam aliquando improbos fieri poſſe, & ex ovibus fieri poſſe ſupos, hominum ſcilicet negligentia atque culpa. Idcirco Scriptura monet tam ſolicite, ut nobis caveamus à falſis Prophetis, ut videamus, ne ſeducamur, neve nobis imponi patiamur. *Daturi enim ſunt,* inquit Chriſtus, *ſigna magna & prodigia, ita ut ſeducant, ſi poſſibile ſit, etiam electos, Matth. 24. ℣. 24.* Quibus verbis non id ſibi vult Chriſtus, per ſe impoſſibile eſſe, ac fieri nulla omnino ratione poſſe, ut electi ſeducantur. Quid enim alioqui monitione, ut ſibi caverent, opus eſſet? Sed hoc ſolum indicat Chriſtus, electos, ſi officium facere velint, ſi ſe adverſus iſtorum hominum fraudes muniant, efficere poſſe, ut in irritum cadant omnes maleferiatorum hominum conatus, quos ad eos ſeducendos ſint adhibituri. Unde ſequitur, tunc fieri poſſe, ut electi ſeducantur, ſi ſibi cavere, & adverſus præſtigias veteratorum iſtorum animos munire neglexerint. Itaque non dixi ſupra probos ſimpliciter ſeduci non poſſe, ſed non facile poſſe ſeduci. Quod ut rectius intelligatur, ſciendum eſt, falſa dogmata atque errores in religione eſſe duplicis generis. Alii enim errores ita ſunt comparati, ut ſalutem præciſe ac neceſſario adimant; ut pietati directe adverſentur, ut verſentur circa res omnino ad ſalutem neceſſarias, in quibus errari citra ſalutis diſpendium non poteſt. Alii vero ſalutem ac pietatem per ſe non tollunt, etſi eam aliquatenus impediant. In hos ergo poſterioris generis errores ut etiam probi homines incidant, atque à ſophiſtis ac planis inducantur, nihil prohibet. Sed hoc ſaluti eorum non obeſt, ſi modo à probitate ſua non deſciſcant. At ut implicentur erroribus prioris generis, ſi vere probi ſint ac Deum timentes, fieri nequit. Non eſt enim præſumendum, Deum, qui paternam gerit talium hominum curam, id ullo modo permiſſurum. *Quis eſt homo, qui timet Dominum?* inquit Regius Pſaltes, *docet ipſum viam, quam eligat. Anima ejus in bono commorabitur, & ſemen ejus hæreditario jure poſſidebit terram. Arcanum Domini eſt reverentibus ipſum, & teſtamentum ejus manifeſtatur illis,* Pſal. 25. ℣. 12, 13, 14. Deinde & hoc tenendum eſt, fieri poſſe,

poſſe ut etiam aliquando probi noxiis ſaluti erroribus, quaſi torrente quodam abripiantur, ſed non poſſe eos diu in tali durare ſtatu. Ad tempus tantum peregrinantur in malitia, non habitant. Exemplum habemus in Paulo. Is quidem abductus fuit in errorem valde peſtiferum, dum Chriſtum credidit eſſe pſeudoprophetam ac ſeductorem: atque idcirco magna rabie ac furioſe perſecutus eſt Eccleſiam, contumeliis Chriſtum afficiens, & fideles ad blaſphemandum nomen ejus adigens. Sed tamen quia animus ejus non fuit Dei timore vacuus, quia non perverſum ſed rectum fuit cor ejus, quia ex vera peccabat ignorantia, Deus illius miſertus eſt, nec paſſus eſt eum diu hunc tam grandem ac pernicioſum errare errorem, Vide 1 Tim. 1. 13, 14, 15, 16. Itaque, ut rem in compendium redigam, quando dicitur, oves non audire alienos, id eſt, probos à falſis prophetis ſeduci non poſſe, id primo intelligendum eſt cum hac conditione, ſi cautionem adhibeant, ſi faciant officium, ſi non è probis in improbos degenerent, & deſerta pietatis via ad impietatem dedita opera ſe convertant. Secundo id intelligendum eſt de erroribus capitalibus, cum quibus pietas ac ſalus nulla ratione poteſt conſiſtere. Denique accipiendum id eſt de perpetua ſeductione, non de ea, quæ ad tempus ſolummodo durat.

Verſ. 9. *Ego ſum oſtium: per me ſi quis ingrediatur, ſalvabitur; & ingredietur, & egredietur, & paſtum inveniet.*] Videtur hic verſus cum ſuperiori ſeptimo fuiſſe conjungendus, & ſequens decimus cum octavo: ut ſuſpicari quiſpiam poſſit, hic tranſpoſitionem aliquam eſſe factam. Sed ſi recte attendas, optime verba cohærere & recte ſic collocata eſſe videbis. Prius enim Chriſtus aſſertionem nudam de ſe vſ. 7. quod ſit *oſtium ovium*, & de pſeudochriſtis vſ. 8. quod ſint *fures atque latrones*, ponit: deinceps vero vſ. 9. explicat & confirmat illam de ſe aſſertionem, hanc autem de pſeudochriſtis explicat & probat vſ. 10. Oſtendit ergo Chriſtus hoc loco, quomodo intelligendum ſit, quod ſupra dixerat, ſe eſſe oſtium ovium: quia, inquit, *ſi quis per me ingrediatur, ſalvabitur.* Ingredi per Chriſtum nihil aliud eſt, quam in ipſum credere, doctrinam ejus ſuſcipere, & ad ejus præſcriptum vitam ſuam componere. Non ſunt autem hæc verba Chriſti de omnibus omnino temporibus accipienda, ſed tantum de temporibus Novi Fœderis, ſive de temporibus Meſſiæ. Nam quod eos attinet, qui ante adventum Meſſiæ pii & ſancti fuerunt, illi per eum ingredi non potuerunt, cum nondum Meſſias exiſteret, neque doctrina ejus eſſet promulgata: & tamen ſalvabuntur per Dei ſingularem gratiam. Falluntur proinde non mediocriter, qui ſanctos Veteris Teſtamenti etiam per Chriſtum ingredi debuiſſe, atque adeo in eum credidiſſe autumant. Aliud enim eſt credere Chriſtum eſſe venturum, aliud in eum credere. Ad hoc enim requiritur, cognitam habere ejus doctrinam, ejuſque mandata exequi, fiduciam in eo collocare, ad eum in neceſſitatibus ſuis confugere, ac denique ſe illi & animam ſuam commendare. Hoc autem Chriſto nondum exiſtente, & doctrina ejus nondum promulgata, fieri non potuit. Illud autem fieri potuit.

Salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſtum inveniet.] His verbis felicitas credentium in Chriſtum exprimitur: ſed ſimilitudine accommodata ad oves. In eo enim ovium felicitas conſiſtit, ut conſerventur a dentibus luporum, ut tuto ingredi poſſint in ovile & egredi, utque paſtum habeant abundantem. Summa igitur verborum Chriſti eſt, credentes conſervatum iri ab æterno exitio ac damnatione, eoſque ſub Chriſti præſidio & cuſtodia tutos fore ab omnibus omnium inimicorum ſuorum ſpiritualium inſidiis ac violentia, ita ut ſecure degere & in via ſalutis progredi queant, denique nihil illis defuturum ex iis rebus, quibus ad beatam vitam opus eſt. Hebraica phraſis *ingredi & egredi* nihil aliud ſignificat, quam vitæ munia obire, agere, atque verſari, Vide Deut. 28. 6. 1 Sam. 29. 6. 1 Reg. 3. vſ. 7. 2 Paral. 1. 10. Act. 1. 21.

Verſ. 10. *Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet ac perdat: ego veni, ut vitam habeant, & abundanter habeant.*] Explicat jam, quomodo & quare pſeudochriſtos illos appellaverit ſupra fures atque latrones: innuitque, ex operibus eorum facile agnoſci poſſe, eos merito ſic eſſe appellatos. Nam ut fur nihil aliud ſpectat, quam ſuum commodum, non quærit commodum ovium, imo potius quærit earum perniciem, quia propterea eas furatur, ut illas mactet ac perdat, atque hoc reſpectu etiam ſimul latro eſt. Sic quotquot fuerunt falſi Chriſti, non populi bonum ac conſervationem ſpectarunt, ſed ſuam gloriam, ſuum emolumentum, idque cum exitio atque excidio populi quæſiverunt. Idem & hodie dici poteſt de omnibus hæreſiarchis ac falſarum doctrinarum diſſeminatoribus, quorum caput eſt inprimis Antichriſtus qui cum ſuis emiſſariis, & per eos ſeducit orbem terrarum. Iſti omnes non bonum populi, non ſalutem animarum, ſed ſua quærunt commoda, inhiant opibus, ventrem ſuum curant, voluptatibus indulgent, oves non tondent, ſed deglubunt, imo devorant, exhauriunt hominum ſibi addictorum domos ac facultates, animas eorum hæreticis doctrinis necant lucri cauſa, atque in æternum interitum præcipitant. Nonne merito fures atque latrones dicendi ſunt? præſertim cum veros Dei cultores igne & ferro infeſtent, ubique adverſus eos perſecutiones excitent, & ut carcere, exilio, bonorum direptionibus, contumeliis, flagris, & horrendis ſuppliciis in eos ſæviatur, curent. Atque in hac tanta iniquitate hoc eſt omnium iniquiſſimum, quod qui ipſi ſunt maximi fures ac latrones, alios his nominibus infamare audeant, & perſæpe veros paſtores ac Dei ſervos tanquam fures ac latrones trucident. Qua in re geminum committunt flagitium: primo dum eos pro furibus & latronibus ducunt, qui non ſunt; deinde dum quos putant eſſe ſpirituales fures atque latrones, non ſpiritualibus mediis reprimere, ſed corporalibus pœnis tollere ſatagunt. Non eſt eadem ratio furti ſpiritualis, atque corporalis, nec eadem ratio eſt latrocinii, quo animæ occiduntur, & ejus, quo necantur corpora. Qui res corporeas furantur, & corpora occidunt, illi aliter quam corporalibus mediis coërceri non poſſunt. At qui ſpirituale furtum ac latrocinium exercent, iſtis coërcendis & revincendis commodiſſimus eſt

gladius

gladius ille ſpiritus, qui eſt verbum Dei, Epheſ. 6. ℣. 17. Hoc gladio debellavit Chriſtus omnes doctrinæ ſuæ adverſarios, & ipſum Satanam Matth. 4. ℣. 4, 7, 10. Hoc gladio armati Apoſtoli, quamvis alioqui corpore inermes, totum mundum devicerunt, & omnes fures ac latrones ſpirituales profligarunt. Quodſi quando ſpirituales fures latroneſque etiam carnalia arma arripiant, tum minus iniquum eſt, ſi carnalibus armis carnalia opponantur. Sed cum non eſt periculum, niſi à ſpiritualibus armis, ſi quis tunc ad carnalia confugiat, ſatis prodit, ſe ſpiritualibus armis non ſatis inſtructum eſſe, quibus ſpiritualia arma refellat.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundanter habeant.] Per oppoſitum docet, quantum ſit diſcrimen inter ſe & iſtos pſeudochriſtos. Illorum conſilium eſſe oſtendit, ſibi ipſis proſpicere, ſua commoda quærere, ovibus non parcere, imo eas perdere, dum modo ipſis bene ſit. At ſuum conſilium eſſe, ſalutem & utilitatem ovium unice curare, & illis etiam cum incommodo ſuo proſpicere. Illud, *ut vitam habeant & abundanter habeant*, accommodate ad oves dictum eſt, & perinde eſt, atque ſi dicas: Ut non ſolum habeant, unde vivant, ſed etiam unde abundanter vivere queant. Eſt hic abundantis & copioſi paſtus deſcriptio, qualis eſt quoque in illis Poetæ verbis:

Non liquidi fontes gregibus, non gramina deſunt;
Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.

Significat autem Chriſtus, finem atque propoſitum ſuum unicum eſſe, curare, ut fideles ejus vitam æternam conſequantur. In vita enim æterna demum perfecte beati erunt credentes, & non tantum votis ac deſideriis eorum ſatisfiet, ſed etiam ita abundabunt, ut plus habituri ſint, quam unquam optarunt aut deſiderarunt.

Verſ. 11. *Ego ſum Paſtor ille bonus. Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus.*] Quaſi dicat: Ego ſum Paſtor iſte bonus, de quo hactenus locutus ſum, id eſt, Meſſias. Non enim ſe Chriſtus qualemcunque paſtorem bonum vocat, quales & alii eſſe poſſunt, ſed illum unicum κατ' ἐξοχὴν ita dictum Paſtorem, olim promiſſum per Prophetas, & tamdiu expectatum, ſe eſſe dicit. Quod ſatis indicat articulus duplex emphaticus in Græco, ut omnes Interpretes annotarunt: ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός, id eſt], *ego ſum ille paſtor ille bonus.* Ex quo confirmantur ea, quæ hactenus diſputavimus, quod Chriſtus in tota parabola non agat in genere de bonis maliſve paſtoribus, ſed quando de bono paſtore agit, quod nonniſi de Meſſia loquatur, & illi non qualeſcunque falſos doctores aut prophetas, ſed pſeudochriſtos tantum opponat. Parum eſt ad laudem Chriſti, ſi dicatur eſſe paſtor bonus eo modo, quo prophetæ, Apoſtoli, aliique pii doctores fuerunt: ſed ille ſignificat, ſe peculiari & eximio modo paſtorem bonum eſſe, qualis ante eum nemo fuit, nec poſt eum eſſe poteſt. Paſtor enim hic ſignificat Regem, Rectorem & gubernatorem: idque conſuetudine Hebræorum, quibus paſcere eſt regere. Sed & Homerus Græcus Reges vocat paſtores populorum. Regimen autem iſtud intelligitur admodum beneficum & ſalutare: unde David propter beneficentiam Deum ipſum paſtorem ſuum vocat, Pſal. 23. 1. Hinc etiam Chriſtus Mich. 5. 2. prædicitur fore Dux, qui paſcet populum ſuum. Quanquam apud Micheam eſt *qui dominabitur*: ſed Matthæus cap. 2. ℣. 6. pro eo ponit, *paſcet*, tanquam ſynonymum. Significatur enim, Chriſtum *non in virga ferrea, ut gentes* Pſal. 2. 9. Sed in pedo benigni paſtoris populum ſuum eſſe gubernaturum. Sine dubio etiam, quando Meſſias, id eſt, Rex populi divini paſtoris titulo inſignitur, ad figuram ejus Davidem alluditur, qui à paſcendis ovibus ad paſcendum populum Dei traductus eſt.

Paſtor bonus.] Id eſt, excellenter & eximie bonus. Fuerunt enim & alii paſtores boni qui populi divini curam geſſerunt: Sed cum Chriſto comparati non ſunt digni, ut boni dicantur. Soli Chriſto per excellentiam hoc epitheton competit. Simili loquendi modo Chriſtus ipſe dixit: *Nemo eſt bonus, niſi unus Deus*, Marc. 10. 19. non quod nulla ratione alius quiſquam bonus ſit præter Deum, ſed quod nemo ſit tam perfecte, & tam excellenti gradu atque ſignificatione bonus. Tali loquendi modo quoque Euangelium Legi oppoſitum vocatur *gratia & veritas*: Joh. 1. 17. Fuit quidem gratia etiam in Lege, fuit & ibi veritas: ſed cum Euangelica gratia & veritate illa ne comparanda quidem eſt, ut propterea ſoli Euangelio gratia & veritas adſcribatur. Ideo autem tam eximie bonus paſtor Chriſtus appellatur, quia bonum ſummum, id eſt, vitam æternam ovibus ſuis affert: Alii paſtores populi Dei temporale tantum bonum ejus procurarunt. Chriſtus vero quia æternum procurat, tanto melior & præſtantior paſtor eſt illis, quanto bonum ſempiternum præſtat temporali.

Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus.] Obſervarunt Interpretes quidam haud inſcite, octo ſigna illius ſummi Paſtoris, id eſt, Meſſiæ in hoc toto Chriſti ſermone eſſe poſita. Primum eſt, quod per oſtium ingrediatur in ovile; ſecundum, quod oſtiarius illi aperiat; tertium, quod ovas ejus vocem agnoſcant; quartum, quod ſingulas oves nominatim appellare poſſit; quintum, quod oves educat; ſextum, quod ante eas incedat; ſeptimum, quod oves eum ſequantur; octavum, quod animam ſuam ponat pro ovibus. Atque hoc ultimum ſignum, hoc loco tanquam præcipuum Chriſtus affert; quia eo maxime à furibus & latronibus diſtinguitur, & ex eo clariſſime patet, illum non ſolum verum: ſed etiam eximie bonum paſtorem eſſe. Ponere animam pro aliquo eſt ſummum beneficium, quod homo homini præſtare poteſt: nullumque perfectius amoris documentum ſeu teſtimonium dari poteſt. Nihil igitur & Chriſtus potuit majus facere, quo teſtaretur, ſe eſſe bonum paſtorem, ſe oves ſuas diligere, ſibi earum ſalutem curæ cordique eſſe. Hoc ipſe Chriſtus indicavit, cum dixit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ſi quis ponat animam ſuam pro amicis ſuis*, Joh. 15. 13. Obſervandum vero eſt, eum quoque dici in Sacris Literis animam pro altero ponere, qui periculum moriendi ſubit,

ſubit, ut alterum à morte liberet, etiamſi reipſa mortem non oppetat. Id patere poteſt ex Priſcillæ & Aquilæ exemplo, de quibus teſtatur Paulus, quod ſuas cervices pro anima ipſius objecerint, quos tamen, ut pote vivos, ſalutat Apoſtolus in ſua ad Romanos Epiſtola, cap. 16. 3, 4. De Epaphrodito quoque ſcribit idem Apoſtolus, eum propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſiſſe, & animam ſuam poſthabuiſſe, Philipp. 2. 30. At Chriſtus paſtor ille bonus non acceſſit tantum ad mortem & appropinquavit, non periculum ſolum mortis incurrit, ſed reipſa mortem pro ovibus ſuis ſubiit, & quidem truculentiſſimam & acerbiſſimam. Unde tanto magis ejus erga oves amor elucet. Quanquam ſi mortem æternam reſpicias, & interitum, à quo nos Chriſtus liberavit, appropinquaſſe tantum ad eum, & periculum ejus ſolummodo, non ipſum interitum, ſubiiſſe dici poteſt. Neque enim Chriſtus ut nos ſervaret, & ab interitu vindicaret, interiit, neque ut interiret opus erat; imo opus erat ne interiret, quia alioquin oves una cum ipſo interiiſſent: quemadmodum ſi intereat paſtor, oves ſervari non poſſunt, ſed tum maxime lupis dilaniandæ ac diſcerpendæ relinquuntur. Sed tamen adiit Chriſtus ſponte periculum interitus, ſi rei naturam ſpectes. Occidi enim ſe paſſus eſt & violenta morte occubuit, ex qua niſi Dei ope ſingulari liberatus fuiſſet, naturaliter in ea æternum ipſi manendum fuiſſet. Proinde etiam cum gemitu & clamore valido preces illi obtuliſſe legitur, qui ipſum ſervare ac liberare à morte poterat, Heb. 5. 7. Vidit nimirum Chriſtus lupum venientem, id eſt, Diabolum, qui interitus noſtri habebat imperium, hoc eſt, tale imperium quod interitum nobis afferebat, eumque non extimuit ita, ut mercenario ſimilis fugeret, ſed cum eo acriter, mortem crucis ſubeundo, dimicavit, & per hanc temporariam mortem potentiam Diaboli abolevit, atque ſic ſæviſſimum hunc lupum ejuſque omnem metum a nobis penitus depulit. Ex quo paret, Chriſtum pro ovibus poſuiſſe animam ſuam eo modo, quo alius nemo ponere poteſt: adeoque hanc notam eſſe Meſſiæ peculiarem. Nullius enim mors tantam vim & efficaciam in frangenda potentia atque abolendo imperio ſatanæ habere poteſt, quantam habuit mors Chriſti. Ille enim Novum Fœdus, in quo remiſſio peccatorum nobis facta eſt, morte ſua ſancivit atque obſignavit: ille piacularis victima pro peccatis noſtris factus eſt, ut reatum peccatorum noſtrorum tolleret; qua ratione jus, quod Diabolus ad nos perdendos habebat, ſuſtulit eique eripuit. *Deleto* enim, ut Apoſtolus loquitur, *chirographo, quod adverſus nos erat, exſpoliavit principatus* diabolicos, *& palam oſtentavit poteſtates, triumphans de illis*, Col. 2. 14, 15. Ille terrorem mortis corporalis, qua maxime nos territabat ſatan, nobis ademit, dum morte & reſurrectione ſua oſtendit luculentiſſime dari exitum ex morte, piorumque mortem nil eſſe niſi tranſitum ad vitam æternam. Quando dicitur, Chriſtum poſuiſſe animam pro ovibus, iſtud *pro* non ſignificat *loco*. Neque enim Chriſtus loco noſtri proprie loquendo mortuus eſt. Non ratione mortis æternæ, quia eam Chriſtus non ſuſtinuit: non etiam ratione mortis temporariæ, quia hac nos adhuc morimur. Sed ſignificat particula iſta cauſam finalem, & idem valet *pro ovibus*, quod propter oves, id eſt, propter eas ſervandas. Aliqua tamen, ſed valde impropria ratione dici poteſt, Chriſtum loco noſtri aliquomodo eſſe mortuum, quatenus ipſe paſſus eſt graviſſima & acerbiſſima, ne nos pateremur propter peccata noſtra; etſi id, quod Chriſtus paſſus eſt, aliud fuerit, quam quod nos pati debebamus. Ipſa enim Scriptura quodammodo ita loquitur, dum inquit, Chriſtum dediſſe animam ſuam λύτρον ἀντὶ πολλῶν, id eſt, pretium redemptionis pro multis, Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. Ubi particula ἀντὶ proprie ſignificat *loco*, ut qui Græce docti ſunt, norunt. Atque innuitur hic factam quandam quaſi commutationem, quæ in omni redemptione locum habet, in qua pretium redemptionis datur, & captivus recipitur. Cum igitur & Chriſtus nos redemiſſe dicatur licet redemtio iſta fuerit metaphorica, negari non poteſt, etiam hic factam eſſe aliquam commutationem, dum nimirum animam ſuam dedit, & nos recepit, id eſt, è peccati ſervitute liberatos ſibi aſſeruit. Similis commutatio fuit in illis victimis Veteris Fœderis: nam ne homines, qui peccaverant, punirentur, ideo victimæ illæ mactabantur. Unde tamen nulla compenſationem Deo pro peccatis hominum facta eſſe conſequitur. Ergo nec Chriſtum compenſationem ullam, nedum plenariam, Deo pro peccatis noſtris perſolviſſe, ex ejuſmodi commutatione, qualem nos admittimus, concludi poteſt.

Verſ. 12. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & relinquit oves, & fugit; & lupus rapit eas & diſpergit oves.*] Chriſtus ut munus ſuum commendet, & ſe vere bonum & eximium Paſtorem eſſe demonſtret, opponit ſeipſum mercenario, oſtenditque, quanta ſit inter ipſum & mercenarium ſimilitudo. An aliquem Chriſtus hoc mercenarii titulo perſtringere voluerit, non eſt certum. Poſſunt enim verba ita intelligi, quod in genere tantum naturam & mores mercenarii exponere voluerit, & ſe ab eo diverſum eſſe docere. Si quis tamen probabilius putet, Chriſtum aliquem in ſpecie notare voluiſſe, dici poteſt, eum reſpexiſſe ad ſcribas & Phariſæos, eoſque tacite pupugiſſe. Mercenarium autem hic Chriſtus vocat non eum ſimpliciter, qui doctoris munere fungens ſalarium aut neceſſarium victum pro labore ſuo accipit ab auditoribus. Hoc enim ut fiat, Chriſtus ipſe ordinavit, teſte Apoſtolo, qui ait: *An neſcitis, quod qui ſacris operantur, de ſacrario edunt? & qui altari aſſident, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Euangelium annunciant, ut de Euangelio vivant*, 1 Cor. 9. ℣. 13, 14. Ordinavit autem id Chriſtus, Luc. 10. 7. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Quibus verbis etiam æquitatem iſtius rei oſtendit. Non eſt æqui hominis, nec civilis, nec omnino boni, velle ſibi ab aliquo ſerviri gratis. Apparet quoque ex his Chriſti verbis, quicquid paſtoribus ac doctoribus ratione muneris eorum confertur, id non eſſe eleemoſynam, quæ ex gratia datur, ſed eſſe mercedem pro labore, eſſe debitum, quod qui non reddat, injuſtus ſit. Ei

qui doctoris munere fungitur, integrum eſt, non exigere ſalarium, vel etiam oblatum non recipere; idque ſi faciat, laudabile eſt, præſertim ſi poſſit abſque ſalario vivere ita, ne muneri ſuo deſit. Sed in auditoribus id nulla ratione laudandum eſt, imo à nota injuſtitiæ neutiquam poſſunt excuſari, qui à paſtoribus ſuis exigunt, & hoc onus eis ultro imponunt, ut abſque ſalario ipſis inſerviant. Mercenarium proinde Chriſtus hic eum appellat, qui non ſincero erga oves ſalutemque earum amore, non gloriæ Dei & Chriſti promovendæ ſtudio ductus, ſuſcipit ac gerit munus paſcendi ſive docendi, ſed ſuam duntaxat commoditatem, ſuum quæſtum ac lucrum unice quærit. Poteſt aliquis accipere mercedem, & tamen non propter mercedem temporariam docere, ſed propter Chriſtum, propter mercedem cœleſtem atque æternam. Qui ergo nihil aliud ſpectant in ſuſcipiendo ejuſmodi munere, quam ut maximam capiant terrenam mercedem, ut corpori ipſorum bene ſit, illi merito pro mercenariis habendi ſunt. Deſcribit autem Chriſtus talem mercenarium, quod *non ſit paſtor*, nempe bonus vel verus. Nam alioqui & mercenarius, dum paſcit, paſtor eſt: ſed intelligit, eum eſſe paſtorem malum, nullius pretii, & infidelem. Malus autem & infidelis paſtor pro nullo habetur.

Cujus non ſunt oves propriæ.] Hæc eſt altera mercenarii deſcriptio: ſed aliquanto laxior. Poteſt enim aliquis paſcere oves non proprias, & tamen non eſſe mercenarius. Sed contra, quiſquis eſt mercenarius, is non proprias oves paſcit; & ideo quia propriæ non ſunt, ſed alienæ, negligentius eas curat. Quapropter mercenarii nomen nequaquam competit prophetis, Apoſtolis, aliiſque iis ſimilibus paſtoribus, qui etſi non proprie ſuas, tamen tanquam ſuas oves fideliter curarunt, & hodie curant; ita ut pro illis, non ſecus ac pro ſuis propriis animam ponere parati ſint. Paulus Apoſtolus ita ſcribit ad Corinthios: *Ego autem libentiſſime impendam, & expendar pro animabus veſtris*, 2 Cor. 12. 15. Et tamen Corinthii non erant ejus propriæ oves, ſed Chriſti. An ergo quiſquam eum mercenarii nomine de honeſtabit, & non propter tantum erga eos amorem potius eum pro vero paſtore agnoſcet?

Videt lupum venientem, & relinquit oves, & fugit.] Periculum à lupo ponit hic Chriſtus pro omni periculo: ſpeciem pro genere per ſynecdochen. Solet enim non ſolum à lupis verum etiam à leonibus, ab urſis, à furibus, à prædonibus, à militibus periculum imminere ovibus: ſed in ſolis lupis ponitur exemplum, quia id omnium eſt frequentiſſimum. Per lupum intelligit Diabolum, quem alibi ſcriptura propter eandem cauſam, ob quam hic lupus dicitur, nempe propter crudelitatem & rapacitatem, leonem appellat, inquiens: *Adverſarius veſter Diabolus ut Leo rugiens obambulat, quærens quem devoret*, 1 Pet. 5. 8. Alibi vocatur Draco magnus, ſerpens ille antiquus, qui ſeducit univerſum orbem terrarum, Apoc. 12. 3, 9. Diaboli autem inſtrumenta ſunt tum falſi doctores ac pſeudoprophetæ, qui falſis & hæreticis doctrinis animas hominum occidunt, tum perſecutores fidelium, qui corporibus eorum omne mali genus inferunt. Duobus enim modis Diabolus ovibus Chriſti nocere ſtudet, primo venenum falſorum dogmatum eis propinando per ſeductores; deinde ferro, igne, laqueo, carcere, exilio, & omni crudelitatis genere in eos ſæviendo. Contra utramque iſtam armaturam ſatanæ, debet bonus paſtor viciſſim armare populum Chriſti: Adverſus hæreſes quidem & ſophiſmata munire debet animos auditorum ſuorum, non ſimpliciter prohibendo lectionem librorum hæreticorum, ut hodie præpoſtere fit à non bonis paſtoribus. Eſt enim hoc contra monitum Apoſtoli, qui ait: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*, 1 Theſſ. 5. 21. Deinde hac ratione ſæpe veritati præcluditur aditus ad homines: cum veritas ut plurimum ſoleat infamari ab hæreticis hæreſeos nomine. Denique male ſic conſulitur ſaluti auditorum, quia dum neſciunt ſophiſmata hæreticorum, ſi quo caſu poſtea in hæreticum incidant, facile ab eo, ut pote minus inſtructi, perverti atque ſeduci poſſunt. Quare armandi ſunt auditores adverſus hæreſes, diligenti doctrina & inſtructione in rebus divinis. Docendi ſunt, quomodo ſophiſtica argumenta adverſariorum ſolvenda ſint; hortandi ad aſſiduam Sacrarum Literarum lectionem; earumque ſenſus verus eis fideliter inſtillandus eſt, tum publice, tum privatim: Monendi denique, ut ſi quid difficile occurrat, quod non intelligant, vel in quo hæreant, ut ad ſe recurrant, & à ſe conſilium ac infirmationem petant. Quodſi fiat, nihil illis nocebit, etiamſi etiam hæreticorum libros legant: imo hoc eis proderit, ut tanto magis in veritate confirmentur, videntes, quam futilibus ac plumbeis armis ſophiſtæ veritatem impugnent. Hic modus eſt optimus lupum venientem repellendi atque fugandi. Adverſus perſecutiones autem armandæ ſunt oves patientia; rerum mandanarum, & vitæ ipſius contemptu; inculcanda illis ſunt promiſſa divina, & exempla martyrum, atque inprimis Chriſti Domini noſtri. Non ſolum autem verbis inſtruendi & erudiendi ſunt auditores ad patientiam, verum etiam potiſſimum exemplo. Itaque etſi cæteroqui Chriſtianis fugere liceat tempore perſecutionis, imo injunctum ſit expreſſe ut ab una civitate fugiant in aliam Matth. 10. 23, tamen paſtoribus non facile fugiendum eſt. Non facile, inquam. Nam ſimpliciter id non licere dici non poteſt. Eſt enim interdum talis rerum ſtatus, ut manendo poſſit paſtor in diſcrimen conjicere ac perdere omnes oves, & ſervare eas fugiendo. Tunc ſane ratio dictat, fugam non tantum licitam, ſed & neceſſariam eſſe. Aliquando vero contingit, ut tametſi periculum non ſit, ut manſione ac præſentia ſua aliquid mali acceleret atque conciliet ovibus, tamen etiam præſentia ſua nihil eas juvare poſſit. Et in hoc caſu quin fugere paſtori liceat nihil cauſæ eſt. Sed quando res ita eſt comparata, ut manendo poſſit periculum ſive ſpirituale, ſive corporale ab ovibus avertere, & occurrere huic malo, de quo hic Chriſtus loquitur, ne ſcilicet oves à lupo rapiantur ac diſpergantur; tunc nullo modo fugiendum eſt, ſed etiamſi præſentiſſimum ſit vitæ periculum, manendum ac perdurandum eſt. Quanquam ſi poſſit ad tempus ſecedendo declinari periculum, id fieri nihil vetat. Nam & Chriſtum & Apoſtolos ſic fugiſſe legi-

legimus. Ex quo patet, magna hic utendum esse prudentia, sed tali, quæ sit amore gloriæ divinæ, salutisque auditorum temperata, ut medium teneatur inter timiditatem & cæcam temeritatem atque audaciam.

Et lupus rapit eas & dispergit oves.] Id est, alias oves rapit, alias dispergit. Summa est, oves miserrimo in statu relinqui. Nam sive rapiat oves lupus, actum est de eis, quia eas discerpet ac dilaniabit; sive dispergat, nihilominus perierunt, quia errantes vel in lupos iterum incidunt, à quibus devorantur, vel in hominum rapacium manus, à quibus mactantur. Ubi igitur tale periculum imminet ovibus Christi, & pastores possint isti malo præsentia sua mederi, nullis minis aut malis cedere debent. Sed & auditores vicissim eo amore prosequi pastores suos debent, ne eos temere periculo objiciant, imo ut parati sint ipsi vitam suam eorum conservationi impendere. Certamen quoddam amoris inter pastores & auditores esse debet, ut alii pro aliis animam ponere non dubitent. Accidit interdum, ut hostes veritatis promittant pacem & securitatem auditoribus, si modo à se relegent doctores suos. Sed tunc stulti & impii fuerint auditores, si id fecerint. Res per quam similis traditur in Græcorum historiis, quod aliquando Philippus Rex Macedonum, assiduis bellis Athenienses lacessens, postularit sibi dedi Oratores Athenienſium, quos dicebat lites & inimicitias inter se atque illos serere, omnisque mali fomitem ac causam esse. Hoc ubi audivit Demosthenes præcipuus ex Oratoribus, eleganti usus est apologo. Dixit enim lupos aliquando voluisse cum ovibus reconciliari, sed hanc eis præscripsisse conditionem, ut canes omnes, qui custodiæ causa ovibus aderant, sibi proderent; illos enim latratu suo ansam omnis discordiæ & mali præbere. Hos ergo si tollant tuto deinceps posse oves cum lupis conversari. Hunc apologum porro ad Philippum applicans, dissuavit Athenienſibus, ne Oratores sibi eripi paterentur: ostendens Philippum, submotis Oratoribus, tanto citius eos deinde oppressurum, quemadmodum lupis tanto magis prædæ fuissent oves, si canibus fuissent orbatæ. Hoc idem periculum sibi imminere cogitent auditores, si Ministris & animarum curatoribus orbentur. Proinde ut eos retineant, nullis impendiis, ne vitæ quidem, si opus sit, parcant.

Vers. 13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non est ei cura de ovibus.*] Hoc ipsum, quod mercenarius est, quod nil nisi lucrum suum ac commodum spectat, facit, ut fugiat, ut in periculo ovium stare non possit. Dum enim temporariis bonis gaudet, periculo se objicere trepidat, ne id quod unice diligit, amittat.

Et non est ei cura de ovibus.] Est quidem illi aliqua cura de ovibus, quamdiu nullus est periculi metus; curat enim oves propter solum commodum suum. Sed si ingruat periculum aliquod, fugam capessit, & fugiendo sibi tantum consulit, non ovibus; nihil curat, etiamsi oves pereant. Tales mercenarios, qui se tantum curant, non oves, graphice nobis depinxit Ezechiel Propheta, vel potius Deus ipse apud hunc Prophetam; ubi in hunc modum de malis pastoribus conqueritur: *Hæc dicit Dominus, Væ pastoribus Israëlis, qui pascunt semetipsos. Annon gregem pascere debent pastores? Pingue comeditis, lana induimini, quod crassum est mactatis, gregem non pascitis. Debile non confortastis, ægrotum non sanastis, confractum non obligastis, errantem ovem non reduxistis, & perditam non quæsivistis, quin cum sævitia & austeritate dominati estis eis: & errarunt absque pastore, fueruntque esca omni bestiæ agri, & dispersæ sunt. Erravit grex meus in omnibus montibus, atque in omni colle excelso, & in omni superficie terræ dispersus est grex meus nec est qui quærat, aut investiget.* Ezech. 34. 2 & seqq. Postea pœnas eis denunciat: ℣. 9. *Propterea audite pastores verbum Domini. Sic dicit Dominus Deus: Ecce ego contra pastores ero, & requiram oves meas de manu eorum, & faciam ut desinant ultra pascere gregem meum, & ne pascant amplius pastores semetipsos, sed eripiam oves meas ex ore eorum, nec erunt eis amplius in escam.* Vide totum caput de hac materia agens, ubi etiam bonus ille Pastor Messias ovibus promittitur.

Vers. 14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscor à meis.*] Rursus inculcat se esse illum eximie bonum pastorem, id est, Messiam seu Regem & benefactorem populi divini: simul vero etiam notas ac conditiones istius boni pastoris supra enumeratas sibi accommodat, ut inde probet, se vere pastorem istum esse. Inter illas autem conditiones erat, quod bonus pastor ita noscat oves suas, ut quamque nominatim vocare possit, & ita vicissim cognoscatur ab ovibus, ut non solum ex visu, sed etiam ex sola voce intelligant, verum pastorem esse. Hoc ergo docet sibi plane convenire. Cognoscit autem Christus oves suas non eo modo, quo alii etiam boni pastores oves cognoscunt, sed modo peculiari; non tantum ex signis externis, sed novit eas intus & in cute, novit animos ac cogitationes earum. Multi se oves Christi esse fingunt, sed Christus novit sub pelle ovina latere animum lupinum. Non tantum vero Christus novit oves suas ita, ut sciat, qui vere credant, qui simulate, sed etiam ita, ut veras oves amet, amplectatur & foveat. Ostendimus enim supra *cognoscendi* verbum sumi eo significatu in Sacris Literis non raro, ut approbationem & amorem denotet. Atque hoc sensu utroque etiam intelligendum est, quod de ovibus Christi dicitur, eas pastorem suum Christum cognoscere: nempe significatur, non solum, eas inter ipsum ejusque doctrinam & inter seductores discrimen facere nosse, verum etiam Christum toto corde diligere, eique penitus addictas esse.

Vers. 15. *Sicut cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus.*] Hoc addit, ut quanta sit inter se & oves conjunctio & amor declaret: tantus nimirum, quantus est inter ipsum & Patrem ejus cœlestem. Pertinet huc locus ille Matth. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Quorum verborum explicationem vide ad Matthæum.

Et animam meam pono pro ovibus.] Hoc etiam ad se applicat: nam supra in genere tantum dixerat: *Pastor bonus ponit animam suam pro ovibus,* ℣. 11.

Vide ibi dicta. Cum autem dicit, ſe *pro ovibus* tantum ponere animam, intelligit effectum ipſum. Nam alioqui ſi efficaciam mortis Chriſti & conſilium Dei ſpectes, Chriſtus pro omnibus hominibus, etiam peſſimis mortuus eſt, ita ut ſi modo ipſi vellent, mors Chriſti eis ad ſalutem prodeſſe poſſet. Hac diſtinctione obſervata, facile eſt conciliare loca ſcripturæ, in quorum nonnullis dicitur, Chriſtum dediſſe animam ſuam redemtionis pretium pro *multis* Matth. 20. 28. in aliis vero, eum dediſſe ſeipſum redemtionem pro *omnibus* 1 Tim. 2. 6. Hic Chriſtus dicitur animam ponere *pro ovibus*; alibi autem dicitur, mortuus eſſe pro *peccatoribus*, pro *inimicis*: Rom. 5. 8, 10. dediſſe carnem ſuam pro *vita mundi* Joh. 6. 51. eſſe propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed etiam pro *peccatis totius mundi*, 1 Joh. 2. 2. Vide quoque Joh. 3. 16. Confer dicta ad Joh. 17. 9.

Verſ. 16. *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.*] Aliud ſignum boni paſtoris, quod ſupra expreſſerat, ſibi accommodat. Dixerat enim ℣. 3. inter alia, paſtorem verum etiam *educere oves*, id eſt, undique diſperſas colligere & ex errore educere ac reducere ad ovile. Continetur hic vaticinium de converſione Gentium. Per oves enim alias, quæ non ſunt ex hoc ovili, intelligit homines probos & ad virtutem factos, qui non ſunt ex Judaica natione. Hos Chriſtus poſtea per Apoſtolos ſuos ex hoc mundo ſelegit, & per prædicationem Euangelii ſui in ovile ſuum, id eſt, in Eccleſiam traduxit. Prius erant quaſi duo ovilia; Judaicum unum, alterum gentile. Chriſtus vero ex utroque fecit unum: dum intergerini parietis ſeptum ſolvit, & ex duobus condidit in ſemetipſo unum novum hominem, Epheſ. 2. ℣. 14, 15. Quæ res hoc loco prædicta cum poſtea reipſa impleta ſit, multum profecto fidei doctrinæ ejus conciliat, eumque verum fuiſſe Prophetam arguit.

Et vocem meam audient.] Significat, Ethnicos prompto & alacri animo Euangelium ſuſcepturos. Certe eos majori cum gaudio ac voluptate, quin & majori numero in Eccleſiam Chriſti convolaſſe, quam Judæos, res ipſa docuit, & teſtatur locus Act. cap. 13. 42, 48. ubi qui dicuntur ordinati fuiſſe ad vitam æternam, nulli alii fuerunt, quam homines probi & recti animi, quos hic Chriſtus appellat oves.

Et fiet unum ovile, & unus paſtor.] Ex hoc loco natus eſt error valde antiquus, peſſimo interprete vulgo, quod Chriſtianam religionem amplexurus ſit univerſus orbis terrarum ante ultimum judicii diem. Utinam vero id non error ſit, ſed ipſiſſima veritas. At magis id puto optandum, quam ſperandum. Ex hoc certe loco nullo colore aut ſpecie id colligi poteſt: cum hic nihil amplius contineatur, quam prædictio de gentibus convertendis; id quod jam factum eſt ut modo oſtendi, & ſic prædictio ſuum eſt ſortita complementum.

Verſ. 17. *Propter hoc diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum accipiam eam.*] Redit ad id, quod de ponenda anima ſua dixerat, & ne quis ex mentione mortis ſuæ facta colligeret, ipſum Deo inviſum eſſe, ut qui paſſurus ſit eum occidi, vel ipſi invito vitam ereptum iri ab inimicis, ut qui pares ad reſiſtendum eis vires non ſit habiturus; utique huic errori occurrit. Ac primum oſtendit, promptitudinem ſuam ad mortem oppetendam eſſe præcipuam cauſam dilectionis Dei erga ſe. Hæc enim erat voluntas Dei, ut Chriſtus mortem non meritus, eam tamen ſponte ſubiret, propter bonum ſempiternum humani generis. Qua in re cum Chriſtus obediens fuerit Deo Patri ſuo, & in ſe ſuſceperit mortem, ac mortem quidem crucis, propterea eum maxime dilexit Pater, & propterea, (ut Apoſtolus hanc dilectionem Dei explicat) *Deus eum ſupra modum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen* &c, Phil. 2. 9. Quando dicit Chriſtus, ſe propterea à Patre diligi, quod animam ſuam ponat, non exiſtimandum eſt, hanc eſſe ſolam cauſam amoris divini erga ipſum, ſed hanc eſſe cauſam primariam & potiſſimam. Cum enim hoc opus Chriſti fuerit difficillimum & maximum, quo teſtatus eſt ſuam erga Patrem obedientiam, & erga homines charitatem, merito hæc una cauſa divinæ dilectionis ponitur pro omnibus.

Ut iterum accipiam eam.] Reſurrectionem ſuam his verbis exprimit: cujus mentionem ideo facit, ut tanto magis liqueat, ſe propterea à Patre diligi, quod vitam ſuam ponat. Senſus autem hujus totius verſiculi eſt, quaſi dicat Chriſtus: Non alia de cauſa magis me Pater dilectione ſua proſequitur, & mihi ſummam in cœlis gloriam deſtinavit, quam quod paratus ſim voluntati ejus in ſubeunda morte pro ſalute hominum ſatiſfacere; ego autem ea ſpe mori non recuſo, ut iterum reſurgam. Non enim ita moriar, ut in morte permaneam, ſed ut in vitam revocatus de morte triumphem.

Verſ. 18. *Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum accipiendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.*] Hic occurrit alteri erroneæ de ſe ſuſpicioni, quaſi invitus & propter reſiſtendi impotentiam moriturus ſit: monſtratque ſe a nemine ad moriendum cogi, ſed ultro ac ſponte ſua obiturum, quia velit hac in re Patri gratificari. Quaſi dicat: Quamvis vos Judæi vitæ meæ inſidias aſſiduè ſtruatis, tamen mihi nocere non poteſtis, quando vultis: non eſt hoc in veſtra poteſtate. Sed tum demum poteritis conatus veſtros ad exitum perducere, quando ego voluero, quando mea ſponte me permittam veſtræ libidini, & morti dedam. Chriſto fuiſſe vires tantas, ut reſiſteret violentiæ inimicorum ſuorum, ſatis ex eo patuit, quod milites ad ſe comprehendendum miſſos in horto montis Olivarum nudo verbo validiſſime proſtraverit, ita ut in terram præcipites caderent, Joh. 18. 6. Sed ipſe in *forma Dei exiſtens*, ut loquitur Paulus, *non duxit rapinam, æqualem eſſe Deo, ſed exinanivit ſeipſum, forma ſervi aſſumta, ſimilis hominibus factus, & habitu inventus, ut homo*, ſubintellige vulgaris, infirmus, nullas vires ad reſiſtendum habens, Phil. 2. ℣. 6, 7. In eo eſt ſumma obedientiæ Chriſti erga Patrem, & amoris erga homines laus, quod cum poſſet non pati neque mori, ſuſceperit in ſe ultro patien-

patiendi & moriendi onus, quod ipſi nemo poterat, ſi noluiſſet, imponere.

Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum accipiendi eam.] Habebat Chriſtus utramque hanc poteſtatem à Patre, qui ipſius arbitrio permiſerat, mortem ſuſcipere & non ſuſcipere: ſed ſi ſuſciperet, promiſerat ipſi ſecundum à ſe in cœlo dignitatis gradum. Ita enim inter ipſum & Patrem convenerat, ut deſcribit Eſaias Propheta: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus proſperabitur*, Eſai. cap. 53. 10. Jure igitur permiſſionis divinæ habebat Chriſtus poteſtatem ponendi animam ſuam: jure vero promiſſionis habuit poteſtatem eam iterum accipiendi. Illam poteſtatem habuit proprie, hanc improprie. Proprie enim loquendo habebat poteſtatem moriendi & non moriendi, improprie dicitur habuiſſe poteſtatem reſurgendi. Qui enim vere mortuus eſt, nullam proprie dictam poteſtatem habere poteſt. Nam quod hodie creditur, Chriſtum quoad humanam naturam mortuum, habuiſſe ſecundum divinam naturam ſeipſum reſuſcitandi poteſtatem, id nullum habet fundamentum. Chriſtus enim hic de ſe ut homine loquitur, qui mandatum de anima ponenda à Patre acceperit, ut videbimus verſu ſequenti. Idem igitur homo Jeſus Chriſtus, qui habuit poteſtatem ponendi animam, habuit etiam poteſtatem eam iterum accipiendi: quod nonniſi improprie dici nemo non videt. Deinde ſententia iſta de Chriſto ſecundum humanam naturam mortuo, & ſecundum divinam naturam non mortuo, per ſe abſurda & contradictoria eſt. Mortuum enim eſſe & non eſſe mortuum contradictoria ſunt, quæ de uno eodemque ſuppoſito ſeu perſona eodem tempore dici nequeunt. Dices, non eſſe iſta in Chriſto contradictoria, quia non ſecundum eandem partem opponantur: perſonam enim Chriſti mortuam eſſe ſecundum humanitatem, non mortuam autem ſecundum divinitatem. At ſi ejuſmodi partes eſſent in Chriſto, tum divina Chriſti perſona deſiiſſet eſſe perſona. Perſona enim Chriſti ſeu ſuppoſitum nihil aliud eſt, quam ipſa divina natura. Quæ ſi pars Chriſti ex humana & divina natura compoſiti evaſit, neceſſe eſt, ut deſierit eſſe perſona; cum id ſit de eſſentia ſuppoſiti ac perſonæ, ne ſit pars alterius: aut ſequetur, duas eſſe in una perſona perſonas, quarum altera pars ſit, altera totum. Quod utrumque abſurdum eſt. Præterea cum, ut modo dictum eſt, perſona divina Chriſti ſit ipſa divina natura, perinde eſſet dicere, perſonam Chriſti mortuam eſſe ſecundum humanam naturam, atque ſi diceres, divinam naturam Chriſti mortuam eſſe ſecundum humanam: quod etiam nemo non abſurdiſſimum eſſe agnoſcit. Quemadmodum enim abſurdiſſime diceretur animæ hominis aliquid competere ſecundum corpus, vel corpori ſecundum animam; ita ſine abſurditate dici non poteſt, divinæ naturæ mortem competere ſecundum humanam naturam. Porro ex hac ſententia ſequitur, Chriſtum non fuiſſe vere mortuum, ac per conſequens etiam non vere reſurrexiſſe. Divina enim perſona & natura, etſi dicatur ſecundum humanam naturam mortua eſſe, tamen improprie id dicitur; proprie enim loquendo altera divinitatis perſona mori non potuit. Sic igitur duo fundamentales articuli religionis Chriſtianæ de morte & reſurrectione Chriſti, vocantur in dubium, & vehementer labefactantur. Non potui non ridere, cum hoc loco legerem apud Maldonatum hæc verba: *Ex hoc loco & divina & humana Chriſti natura recte probatur. Divina, quia ſolius eſt Dei, poteſtatem habere ponendi animam ſuam. Humana vero, cum & veram ſe habere animam dicit, & à Patre mandatum accepiſſe.* Itane ſolius Dei eſt, poteſtatem habere animam ſuam ponendi? At ego putabam, ſolius Dei eſſe non habere hanc poteſtatem. Dei enim eſt non poſſe mori. Si enim Deus mori poteſt, poteſt deſinere eſſe Deus: quod abſurdum eſt. Quomodo ergo is, qui mori non poteſt, poteſt habere poteſtatem animam ſuam ponendi? Si ſecundum humanitatem dicas id fieri poſſe, vel factum eſſe: improprie tamen & non vere id factum eſſe debes agnoſcere. At veritatem mortis Chriſti in dubium revocare aut negare, eſt religionis Chriſtianæ fundamentum convellere. Denique ſi Chriſtus habuiſſet poteſtatem proprie dictam ſecundum quamcunque naturam ſeipſum à mortuis excitandi, nulla cauſa eſſet, cur ſcriptura ſoli Patri, id eſt, primæ divinitatis perſonæ, & non ſecundæ potius, Chriſti reſuſcitationem adſcriberet. Vide expreſſe tributam Patri reſurrectionem Chriſti Gal. 1. 1. Eph. 1. 17, 20. Act. 3. 13, 15. 1 Theſſ. 1. 10. Hinc etiam Pater hac nota quaſi propria deſcribitur, quod Chriſtum ſuſcitarit ex mortuis, Rom. 8. 11. Hebr. 5. 7. Quid quod Pater Filium genuiſſe denuo quaſi per reſuſcitationem innuitur, Act. 13. 33. Rom. 1. 4. Col. 1. 18. Apoc. cap. 1. 5. Et quomodo quæſo aliter fieri potuit, quam ut à Patre ſuſcitaretur Chriſtus, cum non alii ulli quam Patri animam ſuam moriens commendarit? *Pater*, dicit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum* Luc. 23. 46. Non alius igitur ipſi animam reddidit, quam qui eam in manus ſuas ſuſceperat. Ex dictis ſatis opinor liquet, Chriſtum improprie habuiſſe poteſtatem animam ſuam iterum accipiendi: quatenus nimirum certus erat ex divino promiſſo, ſe eam à Patre iterum accepturum. Eodem ſenſu dicitur de credentibus, quod habeant poteſtatem filii Dei, ſcilicet quoad immortalitatem, fieri Joh. cap. 1. 12. & quod animas ſuas ſervaturi vel vivificaturi ſint Luc. 9. 24. XVII. 33.

Hoc mandatum accepi à Patre meo.] Mandatum hoc fuit de ponenda anima, ſed tale, ut Chriſti permitteretur arbitrio, & cum promiſſione præmii ampliſſimi eſſet conjunctum. Ex hoc ergo Dei mandato pendebat, atque eo nitebatur, utraque illa poteſtas Chriſti, & ponendi animam & eandem reſumendi. Habuit poteſtatem ponendi animam ſuam Chriſtus, quia ita Pater mandavit: habuit poteſtatem eam iterum accipiendi, quia ita Pater promiſit. Quomodo hoc mandatum cum divinitate Chriſti ſuprema concilient, vehementer ſudant & æſtuant hodie Chriſtiani, ſed fruſtra. Nimis enim apertum eſt, in Deum ſummum non cadere, mandata à quoquam accipere. Notandum vero eſt, quod Chriſtus inprimis mandata acceperit à Deo, quatenus Legatus ipſius fuit. Legatum autem Dei Chriſtum

ſtatuunt Trinitarii non tantum ſecundum humanam naturam, ſed etiam, & quidem primo, ſecundum divinam. Miſſus enim creditur à Patre, antequam homo eſſet, imo ad hoc miſſus dicitur, ut homo fieret. Ex quo patet, eos hic ad illud ſuum uſitatum diſtinctionis aſylum inter humanam & divinam naturam confugere non poſſe. Cum igitur abſurdum ſit Deum ſupremum, qua Deus eſt, mandata à quoquam accipere, de Chriſto autem conſtet, eum mandata accepiſſe, neceſſario conſequitur, eum Deum ſupremum non eſſe.

Verſ. 19. *Schiſma igitur iterum factum eſt inter Judæos propter hos ſermones.*] Eventus ſermonis Chriſti deſcribitur. Dicit autem iterum factum eſſe ſchiſma ſeu diſſidium inter Judæos: quia ſupra quoque dixerat ſimiliter inter eos tale ſchiſma ortum fuiſſe cap. 9. 16. Vide quoque cap. 7. 43. Per Judæos autem hic καὶ ἐξοχὴν Phariſæi & proceres Judæorum videntur eſſe intelligendi: ad eos enim habita fuit potiſſimum Chriſti oratio.

Verſ. 20. *Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?*] Schiſma iſtud duas continebat partes: una erat peſſime de Chriſto judicantium, altera bene judicantium. Prius deſcribit adverſarios Chriſti deterrimam de Chriſto ferentes ſententiam. Dæmonium Chriſto tribuunt, ut & ſupra cap. 7. 20. VIII. 48. Vide dicta ad hæc loca. Inſaniam porro eidem tribuunt non ſimplicem, ſed eam quam efficiat Dæmon in corpore reſidens. Ideo autem videntur inſaniam Chriſto adſcribere, quia non intelligebant parabolicum Chriſti ſermonem. Sic Ovidius inter barbaros degens dicit,

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ulli.

Putabant illi, Chriſtum nihil ad rem loqui, ſed blaterare verba inania, ac dare ſine mente ſonum: cum non in Chriſti ſermone, quod non intelligeretur, vitium eſſet, ſed in ipſis male audientibus. Refert Seneca hiſtoriam quandam de fatua, quæ cum deſiiſſet videre, neſcivit ſe cæcam eſſe, ſubindeque querebatur, domum tenebroſam eſſe, & ut ex domo illa educeretur rogabat. Non multum abſimilis erat horum Judæorum inſania, qui Chriſtum inſanire credebant, quia eum non intelligebant, atque ita in Chriſtum rejiciebant culpam, quæ in ipſis erat.

Verſ. 21. *Alii dicebant, Hæc verba non ſunt dæmoniaci. Num dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?*] Hi erant altera & melior pars diſſidentium, qui Chriſtum tuentur, & adverſam partem refutant. Duobus autem argumentis refellunt objectionem de dæmonio; primum petunt ex Chriſti verbis, alterum ex recenti facto miraculoſo, quo cæcum natum ſanaverat. Verba Chriſti etſi non omnia intelligerentur, in tantum tamen à probis & attentis intelligi poterant, quod nullam redolerent inſaniam, ſed meram ſapientiam & ſanctitatem. Eorum qui inſaniunt verba, non ſimpliciter talia ſunt, ut ea intelligere nequeas, ſed talia, ut intelligas facile ea non cohærere, vanaque ac futilia eſſe. Recte igitur iſti ex verbis Chriſti, quæ inter ſe optime cohærebant, quamvis non omni ex parte intelligerentur, vindicant Chriſtum ab inſania, ac porro à commercio cum dæmone. Sed & alterum argumentum ductum à miraculo Chriſti non minus firmum eſt & validum. Primum enim id ſuperat vires Diaboli, aperire oculos homini à nativitate cæco; deinde eſt id contra naturam & ingenium ejus, hominibus benefacere. Exoculare homines & excæcare videntes, Diabolo convenit: ſed oculos aperire, ſanitatem hominibus reſtituere, divinæ eſt virtutis.

PARS II.

Verſ. 22. *Facta ſunt autem Encænia Hieroſolymis, & hyems erat*] Sequitur jam aliud colloquium Chriſti cum Judæis, cujus tempus primum deſcribit Johannes, quod id contigerit in feſto Encæniorum. Diſtabat hoc feſtum à Scenopegia, (in qua, aut circa quam quæ hactenus memorata ſunt geſta fuerunt) duobus ferme menſibus. Feſtum enim Scenopegiæ celebrabatur in autumno menſe Septembri, Encænia autem hyeme menſe Decembri. Eſt vero Græca vox Encænia, ἐγκαίνια, quæ ab ἐν, *in*, καινὸς, *novus* derivatur. Hinc nonnulli etymon vocis ſecuti vertunt, In novationes: alii initiationes ac dedicationes appellare malunt. Ex hoc nomine enim ἐγκαίνια, oritur ἐγκαινίζω, initio, dedico, conſecro Vide Heb. 9. 18. x. 20. Hic ſumitur pro feſto ad dedicationis Templi Dei atque altaris memoriam quotannis celebrandam inſtituto. Cæterum dedicatio hujuſmodi triplex reperitur, duæ in Canonicis Scriptis, tertia in libro Apocrypho. Prima fuit dedicatio templi primi à Salomone extructi, quæ copioſe deſcribitur 1 Reg. 8. capite toto. Secunda fuit ſecundi Templi, poſt primi deſtructionem, ac reditum ex captivitate Babylonica rurſus ædificati: de qua 1 Eſd. 6. 16, 17. Poſtrema dedicatio facta eſt, cum ſecundum illud Templum à Gentibus pollutum, & ex parte dirutum, eſſet à duce Juda Machabæo diligenter repurgatum, reparatum, novoque altari inſtructum. Vide 1 Macch. cap. 4. 59. Hoc loco quæ memorantur Encænia, videntur inſtituta fuiſſe ad poſtremæ hujus dedicationis, ſeu innovationis Templi per Judam Macchabæum factæ memoriam celebrandam. Primum enim hic dicuntur Encænia facta eſſe hyeme: at prima dedicatio non hyeme, ſed in autumno, menſe ſeptimo 1 Reg. 8. 2. ſecunda vero ineunte Vere contigit, menſe Adar Eſd. 6. 15. qui duodecimus fuit, ac partim Februario, partim Martio reſpondet. Deinde nec primæ, nec ſecundæ dedicationis Templi feſtum annuum inſtitutum aut obſervatum in Sacris Literis memoratur; neque illius ex Hebræorum ſcriptis aut uſu ullum documentum producitur. Contra vero tertiæ dedicationis Templi & altaris, octo dierum feſtum annuum, à Juda Macchabæo & fratribus illius, totaque Republica Judaica conſtitutum traditur 1 Macch. 4. 59. conf. ℣. 56. & quidem in hyeme celebrandum, nempe menſe nono, qui potiſſimum in Decembrem incidit. Et hoc feſtum ad ſua uſque tempora ſolenniter obſervatum fuiſſe Joſephus etiam declarat. Antiquit. lib. 12. cap. 11.

Et hyems erat.] Facit & hoc ad deſcriptionem temporis: & videtur hoc additum, ut cauſa redderetur ejus, quod ſequitur, cur ambulaverit Jeſus in Templi porticu, quæ Salomonis vocabatur. Æſtate enim in ipſo ſubdiali ambulare mos erat: hyeme magis in porticu, ubi tunc major ſolebat eſſe frequentia. Et hanc occaſionem ſtudioſe captaſſe videntur Chriſti inimici.

Verſ. 23. *Et ambulabat Jeſus in Templo in porticu Salomonis.*] A Salomone cum ſtrueretur Templum, legimus etiam porticum ab eo fuiſſe extructam 1 Reg. 6. 3. Sed porticum hanc cujus hoc loco fit mentio, certum eſt, non fuiſſe illam, quæ in libro Regum deſcribitur. Sublata enim illa fuit una cum Templo à Chaldæis. Veriſimile tamen eſt, ad imitationem Templi Salomonici, non modo illud, quod ſub Dario eſt conditum, ſed & hoc quod ab Herode inſtauratum eſt deinceps, eſſe formatum; ac porro etiam porticum ſimilem eodem loco, ac forma, qua Salomon ſuam ſtruxerat, fuiſſe reſtitutam; quæ propterea priſtinum ſuum retinuerit nomen. Solebat autem in ea templi parte denſa eſſe hominum multitudo. Idcirco & Apoſtolos legimus in hac porticu populum docuiſſe Act. 3. 11. v. 12.

Verſ. 24. *Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram ſuſpendis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.*] Anſam colloquii præbent ipſi Judæi: per quos hic per antonomaſiam intelligitur Judæorum ſeniores ac principes. Illi, ut & alias paſſim tendebant retia Chriſto, ita & hic novum inſtituunt verborum Chriſti aucupium. Chriſtus ſe Meſſiam eſſe nunquam palam & publice profitebatur, ſed variis locutionibus figuratis id exprimebat, ut ſupra ſe dicens eſſe panem vitæ, lucem mundi, paſtorem illum bonum &c. Idque Chriſtus ſtudio faciebat: quia etiam legimus, eum id ex profeſſo prohibuiſſe diſcipulis ſuis, ne cuiquam ſe Chriſtum eſſe dicerent, Matth. 16. 20. Cauſam iſtius rei ſupra indicavimus, Vide dicta ad cap. 8. 12. Ex deſcriptionibus tamen & circumlocutionibus iſtis, quibus utebatur Chriſtus, facile intelligebant naſutiores Judæi, eum ſe pro Meſſia gerere, & haberi velle. Itaque volunt, ut diſerte & claris verbis ſe eum eſſe dicat; atque ſic volunt eum in caſſes, quas Chriſtus ſtudioſe ſemper cavebat, impellere. Aggreſſi igitur ſunt Chriſtum catervatim, ac circumdederunt eum quaſi agnum lupi, ne evaderet.

Quouſque animam noſtram ſuſpendis?] Gr. ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις, id eſt, *quouſque animam noſtram tollis?* Per Hebraiſmum ſimplex verbum ponitur pro compoſito. Latini dicerent: Quouſque animos noſtros tenes ſuſpenſos?

Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.] Gr. εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ, id eſt, *dic nobis libere:* quaſi dicant, Nihil eſt quod metuas, mitte ambages & verborum circuitus, rem ipſam nude ac rotunde eloquere. Verba videntur ſpirare diſcendi deſiderium: ſed erat, ut ajunt, illitus melle gladius. Simulabant ſe cupere plenius à Domino edoceri; at interim nihil minus cupiebant, ſed venabantur tantum perdendi eum occaſiones. Atque hujuſmodi ſunt omnes impiorum quæſtiones: in ſingulis verbis latent inſidiæ.

Verſ. 25. *Reſpondit eis Jeſus: Dixi vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtantur de me.*] Aſtuti licet & toti ex verſutia, artibus, ac dolis compoſiti fuerint Judæorum primores, tamen dare verba non poſſunt Chriſto in omnes partes circumſpecto. Non latuit eum, quid ſibi vellet tam inſidioſa quæſtio: videbat, ex quali proficiſceretur animo. Itaque ſic reſpondet caute ac prudenter, ut ſatis aperte ſe dicat & agnoſcat eſſe Meſſiam, & tamen non dicat directe & expreſſe. Dixit veritatem, ſed non ſimpliciter. Multum enim intereſt, quomodo veritas dicatur: præſertim quando res eſt cum hominibus malignis omnia in ſequiorem partem rapientibus. Propterea & Apoſtolus ſedulo monet, ut *ſapienter nos geramus erga extraneos, tempus redimentes, ut ſermo noſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus, ut ſciamus, quomodo oporteat nos unicuique reſpondere*, Col. 4. 5, 6. Dum Chriſtus inquit, ſe illis dixiſſe, ipſos autem non credere, perinde eſt, atque ſi diceret: Ita eſt; ſum Chriſtus, quemadmodum jam ſæpe dixi, quamvis aliis verbis: Et vos hoc ſatis intelligitis, nec tamen creditis. Iſte eſt ſenſus verborum Chriſti: ſed hunc ſenſum tamen non tam diſerte expreſſit, quam illi volebant.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtantur de me.] Quaſi dicat: Ubi adſunt rerum teſtimonia, quid opus eſt verbis? Vos conquerimini animos veſtros plus ſatis ſuſpendi: at fruſtra in me conjicitis culpam, quod adhuc, utrum Meſſias ſim, dubitetis. Ego ſatis ſtrenue partes meas executus ſum, non verbis ſolum, ſed & factis declarando ac demonſtrando, me Meſſiam eſſe: non mihi igitur, ſed vobis ipſis & veſtræ duritiei incredulitati atque malitiæ ignorantiam veſtram imputate. Ignoratis, quia non vultis ſcire, imo quia vultis neſcire, quia de induſtria clauditis oculos, ne ultro ingerentem ſe vobis veritatem videatis, ne ex miraculis meis, quæ etiam vobis invitis feriunt oculos veſtros, perſpiciatis, me vere Chriſtum eſſe. Nullum erat certius argumentum, quod poterat magis homines perſuadere & convincere, ut crederent, Jeſum eſſe Chriſtum, quam erant miracula Chriſti. Non opus erat hic ingenio, non ſubtili ratiocinatione, ſed ſenſu ſolo capiebantur & palpabantur etiam ab indoctis & idiotis. Non fruſtra igitur Chriſtus ad illa potiſſimum provocat. Vide ſupra cap. 5. 36. & infra cap. 14. 11. xv. 24.

Quæ facio in nomine Patris mei.] Non ſibi tribuit opera ſeu miracula, quæ faciebat, ſed Patri. *In nomine Patris*, id eſt, auctoritate Patris, virtute Patris. Sic Apoſtoli *in nomine* Chriſti edebant miracula, id eſt, auctoritate & virtute à Chriſto data. Vide Actor. 3. 6. VI. 10. confer. cum 7. Ubique ſibi conſtat Chriſtus, docens miraculorum gloriam, non ſibi, ſed Patri ſuo deberi: nam quid crebrius inculcat, paſſim, quam ſe à ſeipſo nihil poſſe facere, opera ſua Patris eſſe opera, Patrem ſibi ea dediſſe, Patrem in ſe illa facere, & quæ his ſunt ſimilia? Hoc tamen tam conſtanter, tam clare, tam aſſidue affirmanti Chriſto hodie non creditur, ſed his contraria omnia creduntur, quod nimirum in ſuo nomine fecerit miracula, quod à ſeipſo omnia potuerit

tuerit facere, quod propria virtute & auctoritate omnia egerit. Hoc vero eſt directe & in os Domino contradicere.

Verſ. 26. *Sed vos non creditis; non enim eſtis ex ovibus meis, ſicut dixi vobis.*] Poſtquam oſtendit, eos habere ſufficientes credendi cauſas, jam oſtendit cauſam veram, cur tamen non credant, & ſic fontem incredulitatis eorum digito monſtrat. *Non enim*, inquit, *eſtis ex ovibus meis*: quaſi dicat, Non habetis ingenium ſimplex, probum ac docile; non eſtis ovibus ſimiles, ſed hircis, vel porcis, quia margaritas verba Dei conculcatis, imo lupis, quia aſſiduo flagratis mei devorandi ſtudio. Qui ſtatuunt, oves Chriſti dici eos, qui æterno Dei decreto ſunt immutabiliter ad vitam æternam prædeſtinati, contra vero non eſſe oves Chriſti eos, qui ab æterno ſunt reprobati & exitio à Deo deſtinati, miſere ſe hic torquent, ut hæc verba ſibi apertiſſime contraria eludant. Si enim ovem Chriſti eſſe eſt prædeſtinatum eſſe, tum hic erit ſenſus verborum Chriſti: Vos propterea non creditis, quia non eſtis è numero prædeſtinatorum, ſed eſtis reprobati ab æterno, atque damnati à Deo. Hac vero ratione Chriſtus non accuſaſſet Judæos, ſed excuſaſſet. Quæ enim in eo culpa eſſet Judæorum, quod non crederent, ſi propter æternam reprobationem credere non poterant? Potuiſſent illi dicere: Nos libenter crederemus, ſed Deus noluit, ut crederemus. Ille nobis oſtium fidei clauſit ſuo reprobationis decreto. Si ergo in eo aliqua culpa eſt, quod non credamus, non nobis ſed Deo eſt imputanda. Ut hunc nodum ſolvant, ajunt quidam particulam *quia*, vel, *enim* in verbis Chriſti non eſſe αἰτιολογικὴν, ſed partim συλλογιστικὴν, partim ἐκβατικὴν, id eſt, eam non deſignare cauſam rei, ſed partim conſequentiam tantum, partim eventum. Συλλογιστικῶς inferre Chriſtum, dum argumentatur ab antecedente ad conſequens, hoc modo: *Vos non creditis. Quiſic? quia non eſtis ex ovibus meis.* Quam concludendi rationem dicunt eſſe ſimilem illi: *Jam ſol ortus eſt, quia dies eſt. Poſſidete Regnum cœlorum, quia eſurivi, & vos mihi dediſtis manducare.* ἐκβατικῶς vero ita, inquiunt, poſſe verba Chriſti explicari, ut ſenſus ſit: *Vos non creditis*; atque hinc evidenter patet, *quod non ſitis ex ovibus meis.* Vide, lector, quanto molimine, quantis tricis opus ſit iſtis hominibus, qui nolunt plana incedere via. Quid attinet verba Scripturæ quaſi fidiculis torquere, cum ſimplex ſit veritatis oratio, & ſimpliciſſimus quiſque ſenſus ſit veriſſimus? Tam clarum eſt, in verbis Chriſti cauſam reddi incredulitatis Judaicæ, ut id etiam ex iis plurimi fateantur, qui alioqui prædeſtinationis dogma non rejiciunt, & mirum omnino ſit, quenquam reperiri, qui id neget. Sed quid dicent iſti, cum quibus nunc agimus, de parallelis ac geminis hiſce ejuſdem Chriſti verbis: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis?* Joh. 8. 47. An hic quoque negabunt particulam *quia* eſſe αἰτιολογικὴν? ſeu cauſam, cur Judæi non audiant, hanc reddi, quod non ſint ex Deo? At nos ad hunc locum oſtendimus, Chriſtum iſtis verbis non probare, quod Judæi non audiant verbum Dei, neque quod non ſint ex Deo, ſed theſin Chriſti eſſe, quod illi ideo non audiant, quod non ſint ex Deo. Et hoc tam certum eſt, quam quod eſt certiſſimum. Unde conſequitur, cauſam hic incredulitatis Judæorum omnino afferri, & cauſam hanc non aliam eſſe, quam quod non ſint ex Deo. Ex Deo autem eſſe & ovem Chriſti eſſe æquipollent. Itaque ſi ex Deo eſſe ſignificat prædeſtinatum eſſe, quemadmodum volunt id ſignificare phraſin iſtam, Ovem Chriſti eſſe, abſurdum illud objectum evitare non poterunt, quod nimirum hoc pacto Deus accuſetur, Judæi vero excuſentur in eo, quod non credant. Quanquam ne admiſſa quidem eorum expoſitione ſive συλλογιστικῶς, ſive ἐκβατικῶς abſurdum iſtud tollitur. Semper enim manet verum, Judæorum nullam in eo culpam eſſe, quod non credant, ſi ab æterno, ne crederent, fuit à Deo concluſum atque decretum. Et tamen Chriſtus hoc, quod non credant, eis objicit tanquam crimen, eoſque reprehendit hoc nomine. Quod equidem jure facere non poſſet, poſito prædeſtinationis ac reprobationis decreto. Ex quo efficitur, alium quam illi volunt, eſſe hujus loci ſenſum: eum ſcilicet, qui culpam incredulitatis Judæorum penes ipſos eſſe ſtatuat, quod facit noſtra interpretatio, non penes Deum.

Sicut dixi vobis.] His verbis manifeſte Chriſtus digitum intendit ad modo memorata verba Joh. 8. ℣. 47. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Continent enim illa prorſus eandem ſententiam, quæ hiſce continetur verbis: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.*

Verſ. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas cognoſco, & ſequuntur me.* Deſcribit ovium ſuarum naturam, ideo ut convincat Judæos, eos non eſſe ex ovibus ſuis, cum prorſus diverſum habeant ingenium ab ingenio ovium ſuarum. Perinde enim eſt, atque ſi ſic argumentaretur: Omnes oves meæ vocem meam audiunt. Vos non auditis vocem meam, id eſt, ut prius dixerat, non creditis. Ergo oves meæ non eſtis. Ubi nemo non videt, ſecundum noſtram expoſitionem Chriſtum validiſſime ſtringere Judæos, atque oſtendere, ipſorum malitioſum atque obſtinatum erga veritatem animum in culpa eſſe, quominus credant. Sed ſi de prædeſtinatione ac reprobatione verba Chriſti ſumantur, nimis elumbe erit hoc Chriſti argumentum continebit enim tantum crudelem inſultationem, miſeriæ hominum abſque ulla culpa ſua damnatorum: non juſtam culpæ reprehenſionem. Repetit autem deſcriptionem ovium ſuarum Chriſtus ex ſuperioribus ℣. 3, 4, 14, 16. Tria autem ovium attributa exprimit. Primum eſt, quod audiant vocem ejus. Non quamvis vocem audiunt, ſed ipſius. Non audiunt enim, neque norunt vocem alienorum, ſupra ℣. 5. Audiunt autem non perfunctorie, non corporis ſolum auribus, ſed animis attentiſſimis, ſimulque fidem & aſſenſum voci Chriſti præbent. Secundum eſt, quod ſicut illæ vocem paſtoris ſui, id eſt, Chriſti agnoſcunt, & paſtorem ſumma cum voluptate recipiunt, amant, reverentur, colunt, ita paſtor viciſſim eas agnoſcat, recipiat, curet, ſervet, ſanctificet atque juſtificet. Tertium denique eſt, quod non otioſæ in cœno volutentur ac deliteſcant, non temere vagentur per campos ac per ſylvas oberrent, verum

verum ſequantur paſtorem, componentes ſemet ad exemplum ac præſcriptum paſtoris ſui, à quo ſolo pendent, in quem oculos perpetuo intentos habent. His ovium ſuarum moribus innuit Chriſtus prorſus contrarios eſſe Judæorum mores: quaſi dicat Ovium mearum ſimplicitas docilis eſt, habent tractabile ingenium: at vos habetis animos ambitione turgidos, odio fermentatos, livore corruptos, avaritia infectos, variiſque hujus mundi cupiditatibus vitiatos; quibus malis ſi repurgaretis animos veſtros, & ipſi libenter audiretis & reciperetis vocem meam.

Verſ. 28. *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet quiſquameas de manu mea.*] Docet, quanta ſit felicitas ovium ſuarum, ut hac ratione Judæis cupiditatem injiciat ſe audiendi atque ſequendi. Dicit, ego *do*, id eſt, dabo, per Enallagen temporis præſentis pro futuro. Non dixit ſimpliciter dabitur eis, vel Deus illis dabit vitam æternam, ſed Ego dabo, ut nos tanto certiores de felicitate iſta redderet, dum non alio nos remittit, ſed in ſua poteſtate poſitam eſſe felicitatem noſtram oſtendit.

Et non peribunt in æternum.] Nempe quamdiu permanſerint oves. Nam alioqui ſi deſinant eſſe oves, perire poſſunt. Non eadem enim ratio eſt ovium ſpiritualium, quæ eſt proprie dictarum. Proprie dictæ oves non poſſunt mutari ita, ut oves eſſe deſinant; quia natura ſunt oves, non voluntate. Verum ſpirituales oves prout ſua ſponte ac voluntate factæ ſunt oves, ita deſinere poſſunt eſſe oves, quando volunt, & in hircos vel lupos tranſmutari. Atque hoc ſatis liquet ex ipſis admonitionibus atque exhortationibus tam crebris, quibus in Sacris Literis ad conſtantiam in fide ac bonis operibus exiſtimulamur. Hæ enim exhortationes, ſi oves Chriſti mutari non poſſent, tam forent ineptæ, atque ſi quis hortaretur ovem, ne deſinat eſſe ovis, aut hominem ne deſinat eſſe homo. Itaque cum Chriſtus dicit oves ſuas non perituras in æternum, nihil aliud vult, quam eas culpa paſtoris non perituras: cum interim propria culpa ſua perire queant.

Et non rapiet eas quiſquam de manu mea.] Occurrit quodammodo tacitæ objectioni, ne quis diceret: Ais, culpa tua non perituras oves, quia ſcilicet diligenter eas curabis ac fovebis. Sed quidſi alius te fortior veniat, qui eas rapiat à manu tua: quid proderit tua cura? Parum refert, an tua negligentia pereant, an infirmitate ac impotentia; ſufficit, quod perire tamen poſſint. Oſtendit igitur, ne hoc quidem eſſe metuendum, ut quiſquam ſit valentior ſe, qui oves è manu ſua poſſit eripere. Sibi enim tantum eſſe roboris ac virium, ut adverſus omnes hoſtes tutari oves ſuas poſſit, omniaque pericula ab eis avertere. Per *manum* potentia deſignatur. Conſentaneum huic dicto Chriſti eſt illud Apoſtoli: *Perſuaſum mihi eſt, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro*, Rom. 8. 38, 39.

Verſ. 29. *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus eſt; & nemo poteſt rapere ex manu Patris mei.*] Probat, neminem poſſe de manu ſua oves ſuas rapere, idque probat hoc argumento, quia nemo poſſit eas rapere ex manu Patris, qui ſit major ac potentior omnibus, ſe autem cum Patre unum eſſe. Satis apparet, eum ſibi potentiam conſervandi oves non tribuere tanquam propriam, ſed tanquam Patri propriam, ſibi autem à Patre communicatam.

Qui dedit mihi.] Subintellige oves: quæ vox per Ellipſin omiſſa eſt.

Major omnibus eſt.] Id eſt, potentior ac validior: quippe eſt omnium rerum creator & totius mundi Dominus abſolutus, cujus viribus atque potentiæ nulla res poteſt reſiſtere, neque in cœlis, neque in terris. Infra Chriſtus affirmat, Patrem etiam ſe majorem eſſe cap. 14. 28. Eſt enim & Chriſtus creatura Dei: omnis autem creatura ſuo creatore minor eſt.

Verſ. 30. *Ego & Pater unum ſumus.*] Iſta verba continent probationem conſequentiæ in ſuperiori argumento. Syllogiſmus enim ex ſuperioribus verbis formatur talis: Quod nemo poteſt rapere ex manu Patris, id etiam nemo poteſt ex mea manu rapere. Atqui oves nemo poteſt rapere ex manu Patris, qui eſt ſupra omnes. Ergo nemo etiam oves poteſt rapere ex manu mea. In hoc Syllogiſmo quia Major negari poterat, & dici: Quæ eſt conſequentia? addit Chriſtus conſequentiæ rationem: quia, inquit, *ego & Pater unum ſumus.* Quo poſito validiſſime redditur conſequentia, & neceſſario efficitur, quicquid ex manu Patris eripi non poteſt, id neque ex Chriſti manu poſſe eripi. Cæterum locus hic eſt diuturna controverſia nobiliſſimus. Quæritur enim, qualis unitas hic intelligenda ſit, an voluntatis ſolum, an etiam eſſentiæ? Ac eſſentiæ quidem unitas nullo jure aut veriſimilitudine hinc colligitur: tum quia identitas eſſentiæ Patris & Chriſti per ſe abſurditatibus infinitis ſcateat, tum quia nuſquam in Sacris Literis hac ſignificatione vocula *unum* uſurpetur, tum denique quia à genere ad ſpeciem certam affirmative argumentari non liceat. Cum enim multis modis aliqua unum eſſe poſſint, nulla eſt conſequentia; Pater & Filius ſunt unum: Ergo ſunt unum eſſentia numerica. Eccur vero non etiam ſic concludis: Ergo ſunt unum perſona? vel, Ergo ſunt unum eſſentia ſpecifica, non numerica? Si dicas, obſtare abſurda, quominus ſic concludatur; verum quidem eſt: ſed & illic non minora abſurda obſtant. Si hic rationem admittis, ut nolis ſuſcipere ſententiam abſurdam, cur illic quoque eam non admittis, ubi eadem aut ſimilia abſurda invenit ratio? Deinde cum Chriſti diſcipuli quoque dicantur unum, & quidem ita unum, ſicut Filius cum Patre unum eſt: cur non unam quoque eos habere eſſentiam colligis, Joh. 17. 21. Nonne propter abſurditates ex tali collectione reſultantes? At cum hic non minores reſultent abſurditates, quando ſic de Patre & Filio colligis, merito etiam ab hac collectione abſtinere debes. At nec circumſtantiæ loci iſtam eſſentiæ Patris ac Filii unitatem ullo modo evincunt. Si enim Chriſtus unus idemque cum Patre Deus ille ſummus eſſet, quid opus erat his ambagibus? *Nemo rapiet oves meas ex manu mea.* Quare? quia eas nemo poteſt rapere ex manu Patris mei, ut pote

ut pote omnibus majoris: Ego autem & Pater ſumus unus idemque Deus Altiſſimus. Quis non videt inutilem circuitum? Dixiſſet potius longe brevius, & verbis nullum alium ſenſum præ ſe ferentibus: quia ego ſum ipſe ſummus Deus. Hoc quia non dixit, ſed in ſervandis & vindicandis ovibus ſuis ad Patris omnium majoris potentiam recurrit, patet, ipſum cum ſe unum cum Patre eſſe ſubjicit, non eſſentiæ ſuæ cum Patre unitatem, ſed ſuum, ſicut in omnibus rebus, ſic & in ſervandis ovibus, cum Patre conſenſum voluiſſe indicare. Atque hoc ad rem maxime pertinebat. Nobis enim ad id, ut certi ſimus, neminem nos poſſe eripere ex manu Chriſti, ſatis eſt, ut ſciamus, Patrem communicaſſe Chriſto ſuam potentiam & ſuam ſapientiam divinam, ejuſque eandem eſſe, quæ Patris eſt, voluntatem in nobis æternum ſervandis. Ut vero Chriſtus unam eandemque habeat cum Patre eſſentiam, ad nos ſervandos minime requiritur. Notanda ſunt in hunc locum Calvini verba, quæ illi ipſa vis veritatis expreſſit: *Abuſi ſunt*, inquit, *hoc loco Veteres, ut probarent, Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον. Neque enim Chriſtus de unitate ſubſtantiæ diſputat, ſed de conſenſu quem cum Patre habet, quicquid ſcilicet geritur à Chriſto, Patris virtute confirmatum iri.*

Verſ. 31. *Suſtulerunt ergo rurſus lapides Judæi, ut lapidarent eum.*] Cum dicit, Judæos *rurſus* ſuſtuliſſe lapides, reſpicit ad ſimile factum Judæorum, quod deſcripſit ſupra cap. 8. 59. Ex quo colligere eſt, hanc hiſtoriam non longe poſt illam, ſaltem uno eodemque anno, accidiſſe: cum hic loquatur Euangeliſta de illa hiſtoria, tanquam adhuc recenti. *Suſtulerunt* autem dicit, non jecerunt: conati quidem ſunt projicere, ſed potentia divina ſunt impediti. Hic vero ajunt aſſertores ſuprèmæ Chriſti divinitatis, iſtos Judæorum lapides adverſum nos clamare; jubentque nos ex ipſis Judæis, Chriſti adverſariis, diſcere, Chriſtum non ſola voluntate, ſed eſſentia quoque ſignificare ſe unum eſſe cum Patre. Ad hoc enim verbum, inquiunt, Judæi lapides ſuſtulerunt, intelligentes, Chriſtum ſe ejuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe aſſerere. Verum malos duces & auctores ſequuntur adverſarii Judæos, qui verba Chriſti calumniari ac peſſime interpretari ſoliti ſunt, quo inſontem blaſphemiæ vel criminis alicujus damnarent. Nequaquam enim ex ſuperioribus Chriſti verbis iſtud colligi poteſt, quod ſe Deum, nempe ſummum, fecerit. Id quod huc pertinere poſſit, erat, tum quod dixerit, ſe vitam æternam dare ovibus ſuis, neminem eas rapturum de manu ſua, quippe qui unum ſit, id eſt, in ſalute ovium procuranda conſpiret, cum Patre, cujus potentia ſit immenſa: tum imprimis, quod Patris ſui titulo Deum illum ſummum identidem deſignarit; eo ipſo oſtendens, ſe peculiari quadam ſibique propria ratione illius eſſe Filium. Quo vero pacto hinc ſequitur, Chriſtum ſe facere Deum? Nam aut Dei vocem κατ' ἐξοχὴν accipimus pro ſummo illo Deo, aut ſimpliciter pro eo, qui divinam habeat poteſtatem, imperium ac dignitatem. Si priori modo; per ſummam calumniam id Chriſto objecerunt Judæi: qui eo ipſo, dum ad Patrem omnibus majorem in conſervandis ovibus provocat, ſummum illum Deum ſeſe haud quaquam eſſe oſtendit. Si poſteriori modo; quemadmodum id recte ex Chriſti verbis collegerunt Judæi, ita nullum ex eorum verbis argumentum coëſſentialitatis Chriſti cum Patre ſumere poſſunt adverſarii: imo dum ipſi eam ex verbis Chriſti colligunt, ſunt Judæis ipſis hac ratione deteriores. Quare non quomodo Judæi Chriſti verba acceperint, ſed quid Chriſtus dicere voluerit, ſpectandum eſt. Quanquam credibile non eſt, tam impudentes fuiſſe Judæos, ut Chriſto objecerint, quod ſe ſummum Deum eſſe diceret; cum tam aperte Filium illius ſe appellaret, & ab illo ubique diſtingueret. Sufficiebat illis ad blaſphemiæ crimen, quod divinum quiddam, & ultra quam homini mortali fas eſſet, de ſe loqui videretur. Certe nimis ingenioſos & acutos ſibi fingunt adverſarii Judæos, ut ὁμοουσίαν & coëſſentialitatem illam Filii cum Patre intellexerint, quam tot Ante-Nicæni Patres intelligere non potuerunt, donec in Concilio Nicæno poſt multas contentiones atque controverſias vix ac ne vix quidem eſt explicata.

Verſ. 32. *Reſpondit eis Jeſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo: propter quale eorum opus lapidatis me?*] Reſpondere hic ſumitur pro dicere ſimpliciter, per Hebraiſmum, ut ſæpe alias. Nihil enim Judæi antea dixerant. Per bona opera Chriſtus intelligit miracula: meritiſſimo autem ea appellat bona opera, quia erant mera beneficia. Non enim talia fuerunt Chriſti miracula, qualia erant pleraque Moſis miracula, quibus Pharaonem afflixit, aut Eliæ, qui ignem de cælo devocans exuſſit ſe comprehendere volentes. At Chriſtus miraculis ſuis nullum damnum inferebat hominibus, ſed ſuam virtutem divinam tantum in benefaciendo hominibus exercebat. Itaque duplex hic quodammodo vitium Judæorum notat Chriſtus, primo cæcitatem, quod bona opera à ſe edita non viderent; deinde ingratum animum, quod cum tot ejus benefacta in ſe eſſent experti, ipſum lapidare vellent.

Oſtendi vobis ex Patre meo.] Non ſimpliciter dicit, feci bona opera, ſed, oſtendi: indicans, ſe ea feciſſe illis videntibus, & palpantibus, ita ut negare aut ſaltem ignorare non poſſent. Quod hic dicit, ſe bona oſtendiſſe *ex Patre ſuo*, id ſupra dixit, ſe feciſſe opera *in nomine Patris ſui*, ℣. 25. eodem ſenſu, nempe virtute ac potentia à Patre accepta. Ut alibi, ita & hic Patri vim miraculorum edendorum fert acceptam.

Propter quale eorum opus lapidatis me?] Lapidatis, id eſt, lapidare vultis. Nondum enim lapides projecerant, ſed tantum eos ſuſtulerant, ut projicerent. Exigit ab eis Chriſtus lapidationis cauſam, non ſine aculeo: quaſi dicat, Quid ego unquam peccavi, aut lapidatione dignum commiſi? Malefici ſolent ejuſmodi pœnis merito plecti: at ego quid commerui, qui nemini unquam nocui, ſed innumera inter vos ſparſi beneficia, divinitus inſtructus Patris mei virtute. Docui errantes, pavi famelicos, mancos reſtitui, leproſos mundavi, ægrotos ſanavi, cæcis viſum donavi, dæmoniacos liberavi, omne malorum ac morborum genus à vobis profligavi, mortuos in vitam revocavi, nihil non feci, quod verus

Rex

Rex atque Meſſias populo ſuo facere debebat. Dicite velim; quodnam ex his opus lapidatione dignum putetis?

Verſ. 33. *Reſponderunt ei Judæi, dicentes: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu, homo cum ſis facis teipſum Deum.*] Reddunt cauſam, cur eum lapidare velint, & ſic pudefacti cohibent impetum lapidationis, tamdiu, donec oſtendant, ſe non ſine cauſa animum lapidandi ipſum ſumſiſſe. Amovent autem primo à ſe cauſam, quam illis imputabat Chriſtus: deinde afferunt aliam, quam ipſi veram & juſtam eſſe judicabant. Objiciuntque Chriſto blaſphemiam ideo quod homo cum ſit, faciat ſeipſum Deum. Particula *Et* in verbis illorum, *De blaſphemia &*, *quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum*; ſumitur pro, id eſt vel, nempe, ſcilicet. Verba enim quæ ſubjungunt, ſunt explicatio blaſphemiæ, qua in re conſiſtat. Erat autem blaſphemia juſta ſecundum Legem lapidandi cauſa; ſed in eo nihilominus peccabant, quod inique Chriſto blaſphemiam objicerent. Nihil & hodie uſitatius eſt, quam quod Chriſtiani alii aliis blaſphemiæ crimen intentent: idque maxime faciunt illi, qui ipſi maxime errant, & à pietate ac divini Numinis reverentia ſunt alieniſſimi. Malunt ſcilicet pſeudochriſtiani hodierni Judæos imitari immerito aliis impingendo crimen blaſphemiæ, quam Chriſto eſſe ſimiles in talibus calumniis ferendis. Cæterum & nobis hodie non aliam ob cauſam objicitur blaſphemia ab adverſariis, quam ob hanc, ob quam Judæi eam Chriſto imputarunt. Ideo enim quod Chriſtum, quem natura hominem, quanquam diviniſſimum, eſſe credimus, cultu divino afficimus, quod ei divinos titulos honoreſque tribuimus, accuſamur blaſphemiæ à Chriſtianis hodiernis. Quod cum audimus, Judæos nobis videmur audire, dicentes: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, nempe quia tu, homo cum ſis, facis teipſum Deum.* Nos agnoſcimus, Chriſtum qui natura nihil aliud quam homo eſt, eſſe ſimul Deum ac Dominum cæli & terræ à Patre exaltatum: hac utique in re diſcrepamus à Judæis. Noſtri autem adverſarii in eo conſentiunt cum Judæis, quod id blaſphemiam eſſe clamitent. Mirum vero eſt, blaſphemiam hodie Chriſtianis videri, ſi quis Chriſtum hominem, divinitatem à ſummo Deo accepiſſe dicat; & non videri blaſphemum, ſi quis eundem hominem Chriſtum, ipſum ſummum Deum eſſe ſtatuat. Ergone Deus Altiſſimus atque æternus potuit fieri homo mortalis, potuit naſci, potuit pati, potuit mori: & non potuit idem Deus Altiſſimus hominem mortalem efficere immortalitate, ſapientia ac poteſtate ſibi ſimilem? Ergone illud dicere pium eſt: hoc dicere impium? Vah quam perverſa ſunt judicia mortalium!

Verſ. 34. *Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra: Ego dixi, Dii eſtis?*] Per Legem intelligit Chriſtus totum volumen Veteris Teſtamenti: nempe à potiori illud denominans. Locus enim, quem Chriſtus hic citat, extat in Pſalmis Davidis Pſal. 82. 6. Alloquitur autem ibi Deus Judices ac Magiſtratus ſupremos. Eos Deus dixit Deos, non in hoc Pſalmo ſolum, ſed & in Lege Moſis: Vide Exod. 21. 6. xxii. 8, 9, 28. quibus in locis habetur apud Hebræos vox *Elohim*, de qua voce notat Rabbi David Kimchi celeberrimus inter Judæos: *Omne Elohim ſignificationem Judicis habere.* Ex hit locis patet, nomen Dei in Sacris Literis non ſemper Deum ſupremum ſignificare: ſed duplicem eſſe nominis iſtius ſenſum. Aliquando ſumitur, & quidem frequentiſſime pro eo, qui eſt ſummus rerum omnium creator ac moderator: & hoc ſenſu unus tantum dicitur eſſe Deus: Deut. 6. 4. Iſque nullus alius, quam Pater 1 Cor. 8. 6. Aliquando vero vox Dei ſenſu minus excellenti accipitur pro eo, qui ſublimem habet poteſtatem, à ſummo Deo ſibi communicatam: & hoc ſenſu multi dicuntur eſſe Dii, vide 1 Cor. 8. 5. ubi non modo dicit Apoſtolus eſſe tales qui dicuntur Dii, ſed etiam, qui ſint Dii, ſicut etiam ſunt multi, qui ſint vere domini. Hanc diſtinctionem nominis Dei in Sacris Literis fundatam nolunt hodie Chriſtiani agnoſcere: proinde quando legunt, Chriſtum in Novi Teſtamenti Scriptis vocari Deum, illico concludunt, eum eſſe Deum ſummum. Quod eſt magnum ſphalma, & redolet ignorantiam ſcripturarum, in quibus non ſoli Deo ſummo nomen Dei tribui ex modò allegatis locis patuit. Eſt autem Chriſtus Deus ſummus inter eos, qui ex gratia ſupremi Numinis communicata gaudent poteſtate divina. Omnes enim ſummos Magiſtratus, Reges, Principes, Imperatores, & Angelos atque Archangelos, Chriſtus dignitate, imperio, ac majeſtate ſuperat. Abſolute autem ſummus & Altiſſimus Deus eſt ſolus Pater, qui eſt à ſeipſo, & à quo ſunt omnia.

Verſ. 35. *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura.*] Per *ſermonem Dei*, qui factus eſſe dicitur ad eos, qui Dii dicti ſunt, intelligit illa verba Pſalmi: *Vos Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes.* Hunc autem ſermonem factum eſſe ad Judices ſuprema poteſtate in populo Iſraëlitico præditos jam ante oſtendimus, & aperte liquet ex Pſalmi iſtius ℣ſ. 2, 3.

Et non poteſt ſolvi ſcriptura.] Id eſt, indubitata eſt & certa Scripturæ auctoritas, ut quæ nec fallat, nec mentiatur. Unde efficitur, quicquid Scriptura affirmat, id non poſſe non eſſe veriſſimum. Proinde falluntur illi non leviter, qui ſtatuunt, Angelos, Reges, ac Magiſtratus ſupremos, quando Dii in Sacris Literis appellantur, non dici, nec eſſe vere Deos, ſed æquivoce tantum, & titulotenus duntaxat Deos eſſe, non reipſa. Si enim reipſa Dii non eſſent, Scriptura eos falſo vocaret Deos: atque ſic Scriptura ſolveretur, & mendacii arguerctur. Præterea quomodo illi non ſint vere Dii, quibus formalis ratio Deitatis vere ac proprie ineſt: nempe poteſtas divina. Nec refert, quod hanc poteſtatem non habeant à ſeipſis, vel in ſupremo gradu. Iſta enim modum rei ſpectant: modus autem rei rem ipſam non variat. Sic homo non habet vitam à ſeipſo, nec habet vitam tam excellentem, quam eſt Dei: nihilominus tamen veram vitam habet, & vere vivere dicitur. Eadem vero eſt ratio poteſtatis, ob quam ſupereminentes Rectores in terris, & Angeli in cœlis Dii dicuntur. Vera illa eſt nihilominus, etſi ab alio accepta ſit, etſi quoque ſit inferioris gradus.

Verſ. 36.

Vers. 36. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quod blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?*] Ostendit Christus his verbis, nullam se commisisse blasphemiam, quod se, homo cum esset, Filium Dei esse diceret. Illi quidem objecerant, eum seipsum facere Deum: Christus autem non hoc probat, se esse Deum, sed tantum, se esse Dei Filium, qui titulus illo minus augustus est. Etsi vero Christus illud non concludit, se Deum esse ac jure dici posse, tamen ex hoc Christi argumento id omnino sequitur, ipsi etiam titulum Dei verissime competere. Sed intelligendum est, ex hoc argumento rite quidem colligi, Christum esse Deum, sed non summum. Nimis enim jejuna & frigida foret ista argumentatio: si judices ob minus officium dicti sunt metaphorice Dii. Ergo ego propter majus officium multo magis possum dici proprie Deus, vel summus Deus. Quis non videt à metaphorica significatione ad propriam neutiquam valere consequentiam? Et tamen sic inepte argumentantem Christum faciunt ii, qui credunt, Christum hic se summum Deum esse probare velle. Sentiunt enim illi, Judices ac Magistratus nonnisi improprie ac metaphorice Deos dici, vocem autem Dei nonnisi Deo summo proprie competere, & hoc sensu Christum sibi hanc vocem tribuere. Quodsi verum esset, in argumento Christi nullus esset nexus, vel nervus. Transitus enim à metaphorica significatione ad propriam omnino consequentiam facit invalidam: quia in ea committitur μεταβασις, εἰς ἄλλο γένος. Tum demum valida est consequentia, si comparatio in eodem rerum genere consistat; nempe hoc modo: Magistratus, qui minus officium gerit, recte dicuntur veri Dii: Ergo multo magis ego, qui majus gero officium, verus Deus dici possum. Hoc enim Christus volebat probare se jure potuisse seipsum Deum appellare, idque vere ac proprie, licet expresse non appellet, sed tantum Filium Dei se esse dicat. Probat autem id argumento à minori ad majus ducto, ex eo, quod magistratus ac Judices dicti sint Dii ab ipso Deo. Cumque probare velit, se proprie ac vere potuisse nomen Dei sibi tribuere, necesse est, ut etiam judices ac magistratus proprie ac vere dicti Dii sint. Juvat hic apponere verba Augustini, ut pateat, quam optimo jure colligamus, Dei vocem creaturis quoque proprie ac vere tribui, ac proinde vocem hanc sua natura esse communem & appellativam. Is igitur in Psalmum 49. sic commentatur: *Du ergo, quorum Deus verus est, qui sunt aut ubi sunt? Dicit alius Psalmus: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit, &c. Videte in eodem Psalmo, quibus dicat, Ego dixi, Vos Dii estis & filii excelsi omnes, vos autem, ut homines, moriemini &c. Manifestum est ergo, quia homines dixit Deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per se ipsum, non ex alio justus est: & ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est, &c. Si filii Dei facti sumus, & Du facti sumus; sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis &c. Diis gentium dæmoniis terribilis, Dus a se factis filiis amabilis &c. Quibus amabilis, Deos illos fecit, quibus terribilis, non esse Deos convincit. Hi enim Dii sunt, illi Dii putantur. Hos Deos facit veritas, illos error existimat.*

Quem Pater sanctificavit & in mundum misit] His verbis continetur ratio, ob quam Christus se dicit esse Filium Dei. Nihil autem hæc ratio habet cum æterna Christi generatione ex essenti Patris, quam hodie unice urgent vulgo Christiani, commune. Multo minus hinc colligi potest, Christum esse Deum summum: quin potius contrarium hinc colligitur. Major enim est, qui sanctificat, quam qui sanctificatur; major, qui ordinat, quam qui ordinatur; & major is, qui mittit, quam qui mittitur. Deo autem summo nemo major esse potest. Agnovit id Musculus quamvis Trinitarius. Verba ejus sunt in hunc locum: *Quod a Patre se dicit esse sanctificatum, notat dispensationem redimendi humani generis, & inaugurationem in regnum, quam ut homo a Patre accepit. Maluit enim sanctificationem dispensationis in carne susceptæ, quam divinam ac sempiternam verbi generationem proferre. Unde adjecit etiam: Et in mundum hunc misit. Sublimitatem divinæ majestatis tempora illa nondum capere poterant: cum omnium ægerrime incarnationis humilitatem pauciſſimi quidam, quibus illa divinitus revelabatur, capere sustinuerint. Ergo non divinitatem verbi, sed humanitatem à Verbo susceptam concernunt hæc verba. Alioqui secundum divinitatem non est sanctificatus, sed sanctificans. Vide Hebræorum secundo: Et qui sanctificat, inquit, & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Secundum quod verbum est, sanctificat suos Christus: secundum quod homo, sanctificatus est Spiritu paterno. Hæc sanctificatio alias unctio vocatur. Sic Legis Esai. 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. De hac sanctificatione testata est apparitio columbæ &c.* Frustra igitur sunt omnes, qui hæc verba ad supremam Christi divinitatem trahunt. Certe ob hanc rationem, quam hic Christus affert, nec Pater Christi Deus est, quem esse omnes credimus; nec Spiritus Sanctus, quem esse credunt adversarii. Non potest autem Deus summus, alius ob hanc, alius ob aliam rationem Deus esse. Quocirca cum dicit, se à Patre sanctificatum, & in mundum esse missum, nihil aliud sibi vult, quam se donis Spiritus Sancti esse instructum ad obeundum munus Messiæ necessariis, & propterea vere se Filium Dei dicere posse. Per hanc enim sanctificationem evasit Christus Deo similis tum potentia, tum sapientia, tum sanctitate. Si igitur Reges ac Principes ob similitudinem potestatis, quam habent cum Deo, etsi longe minorem, Dii vere dicuntur: quidni Christus Filius Dei ac porro & Deus jure dicatur, ob similitudinem longe majorem? Cum vero hæc Christi sanctificatio sit prorsus singularis, qualis nulli hominum aut Angelorum contigit; inde consequitur si alii propter minorem sanctificationem filii Dei merito vocantur, multo justius Christum singulariſſima & diviniſſima ratione Filium Dei dici, quandoquidem is singulariſſima plane & nulli alii convenienti ratione sanctificatus sit. Ex quo patet, ut statuatur, Christum singulari præ cæteris omnibus & plane eximia ratione Dei Filium esse, qua nullus alius in Scriptura sit appellatus, non opus esse, recurrere ad absurditatum pleniſſimam ejus ex essentia divina generationem:

cum

cum Chriſtus ipſe hanc rationem ſingularem in ſingulari ſua à Patre ſanctificatione, atque in mundum miſſione collocet. Imo hinc perſpicitur non fuiſſe ullam aliam ſublimiorem rationem divinæ filiationis Chriſti, quam hanc, quod à Patre ſanctificatus atque in mundum miſſus ſit. Si enim ulla ſublimior tunc fuiſſet, eam potius attuliſſet. Fuit quidem tunc alia filiationis Chriſti cauſa, nimirum quam attulit Angelus Luc. 1. 35. Sed illa non erat hac, quam Chriſtus hic commemorat, major, quin potius minor. Idcirco hanc potius quam illam in medium afferre maluit. Secuta quidem deinceps eſt major & ſublimior filiationis cauſa, cum omnem in cœlo & in terra poteſtatem adeptus eſt; ſed hæc nondum in ipſo habebat locum. Nondum enim in cœleſti ſolio conſederat, neque ea tunc erat, illius conditio, quæ tantam dignitatem ac majeſtatem caperet. Quare Chriſtus hic eam attulit divinæ filiationis ſuæ cauſam, ob quam tum temporis perfectiſſima ratione Dei erat filius, & cujus extabant documenta luce clariora. Filiatio quippe Chriſti divina, quæ ſimilitudine ejus cum Deo continetur, pari, (ut ſic dicam) paſſu cum ejus unctione ac ſanctificatione progreſſa eſt, & tum demum ad ſummum faſtigium pervenit, cum Chriſtus perfectiſſima ratione unctus & ſanctificatus fuit. Atqui ſi tanti nominis non hæc fuit vera cauſa, quam Chriſtus affert, ſed alia ſuppetebat longe verior, longeque certior, nimirum quod fuerit ab æterno ex ſubſtantia Dei Patris genitus; qui factum eſt, ut eam reticuerit Chriſtus, & deluſerit potius adverſarios, quam ſolidis confutarit argumentis? aliud dicens, aliud cogitans. Nos homines ſimplices, ſimplici animo Chriſti verbis adhæreſcimus, credimuſque id ipſum plane ſenſiſſe Chriſtum, quod dicebat, nec ullam pro eo tempore majorem verioremque habuiſſe cauſam, propter quam ſingulari ratione Deum Patrem ſuum, ſe vero Dei Filium appellaverit.

Notandum autem eſt, prius Chriſtum fuiſſe à Patre ſanctificatum, & poſtea in mundum miſſum. Sanctificatus eſt primo, dum ex Spiritu Sancto conceptus eſt; ſed hic ad eam ſanctificationem non reſpicitur, ſaltem minus habetur ejus ratio: magis reſpicitur illa altera ſanctificatio, quam tunc contigiſſe legimus, cum Spiritus Sanctus inſtar columbæ de cœlo deſcendit in Chriſtum in Jordane, ubi baptiſatus erat, ſtantem, Matth. 3. 16.

Verſ. 37. *Si non facio opera Patris mei, ne credite mihi.*] Probat quod dixerat, ſe à Patre ſanctificatum, & in mundum miſſum eſſe: idque probat operibus ſeu miraculis, quæ edebat virtute Patris ſui. Iterum illa *Patris* vocat *opera*, non ſua, omnem gloriam eorum Patri tribuens. Dum autem Chriſtus dicta ſua operibus, quæ ab eo fiebant, confirmat, apparet, Chriſtum plus operibus tribuiſſe, & alios etiam plus eis tribuere voluiſſe, quam dictis ſuis. Nec enim ille ita poterat ſanctitatem vitæ ſuæ prædicare, ut miracula; cum illa ſoli Deo nota ſit, ut pote quæ in corde lateat; & nimis etiam eam jactare coram hominibus, non careat vitio. At opera miraculoſa ita comparata erant, ut in omnium oculos incurrerent, & ſuſpecta eſſe nullo modo poſſent. Nam in rebus naturæ limites ſuperantibus exerebantur; & in publicis pleraque locis fiebant, ubi omnium cenſuris expoſita erant. Et certe non ſine magni momenti cauſa, tam multæ hiſtoriæ de miraculis Chriſti, ſcriptioni Euangelii inſertæ ſunt, ut illæ dimidiam ferme ejus partem, ſi non amplius, conſtituant. Quæ nulla alia eſſe poteſt, quam quod omnino hæc miracula, evidentiſſimum veræ divinitatis Jeſu Chriſti, dum in terris degeret, fuerint indicium, quod erat omni exceptione majus. Loquitur autem Chriſtus hic per conceſſionem, quæ eſt figura Rhetorica, in qua id concedimus, quod maxime fieri nolumus. Hic Chriſtus concedit, ne credant, ſuppoſita certa conditione: interim maxime vult, ut credant. Ejuſmodi conceſſiones multum habent acrimoniæ, & elegantiæ. Similis conceſſio eſt in illis verbis Apocalypticis: *Qui inique agit, iniqua agat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.* Apoc. 22. 11.

Verſ. 38. *Si autem facio, etiamſi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quod Pater in me ſit, & ego in eo.*] Verba iſta, *etiamſi mihi non credatis, operibus credite*, nihil aliud volunt, quam Credite mihi. Propter opera, Vide infra cap. 14. 11. Sed illa locutio plus habet emphaſeos & efficaciæ.

Ut cognoſcatis & credatis.] Prius cognoſcere oportet rem, quam credatur. Stolidi proinde ſunt, qui fidem exigunt ab hominibus abſque ulla prævia cognitione. Non debet cognitio à fide ſejungi; ſed cognitio eam debet præcedere. Fides quidem eſt, credere quod non vides. Sed poteſt aliquid non videri, & tamen ſciri. Verbi gratia, Deum non videmus, ſed tamen eum exiſtere ſcimus. Itaque etſi fides ſit credere quod non vides, non eſt tamen fides, intellige rationalis & vera, credere, quod neſcias. Non requiritur quidem ad fidem perfecta & omnimoda rei cognitio atque ſcientia: ſed requiritur tamen, ut ſcias, quænam illa ſint, quæ credenda ſunt, atque intelligas, ea vera eſſe, ſaltem non impoſſibilia, adeoque credibilia, niſi quis hypocritas aut ſuperſtitione quadam occæcatos introducat, qui credere ſe profiteantur, quæ neque an ſint, neque an eſſe poſſint, intelligunt.

Quod Pater in me ſit, & ego in eo.] Hoc idem eſt cum eo, quod ſupra dixit: *Ego & Pater unum ſumus.* Quemadmodum autem ex illa phraſi non poteſt identitas eſſentiæ colligi, ita neque ex hac. Vide quæ dicta ſint ſupra ad cap. 6. 56. & infra ad cap. 14. ſſ. 10, 11, 20. Præterea Chriſtus probat ex operibus ſeu miraculis ſuis, Patrem in ſe eſſe, & ſe in Patre, vel, quod idem eſt, ſe & Patrem unum eſſe. Atqui ex miraculis non poteſt colligi identitas eſſentiæ cum Deo: Alioquin & Moſes, & Elias, & quotquot miracula divina fecerunt, ejuſdem eſſent eſſentiæ cum Patre. Manifeſtum proinde eſt, phraſibus illis nihil aliud, quam ſummam amoris atque conſenſus unitatem ac conjunctionem denotari, qualis inter Creatorem & creaturam, inter Deum & hominem Deo amiciſſimum eſſe poteſt.

Verſ. 39. *Quærebant ergo rurſus eum comprehendere; & exivit ex manu eorum.*] Hucuſque fuit colloquium Chriſti cum Judæis, ſequitur eventus colloquii. Ubi videmus Judæos ſemper ſibi ſimiles, id

eſt, refractarios, contumaces, impios ac homicidas eſſe. A lapidando quidem abſtinent, quia blaſphemiæ calumniam ita diluerat, ut ne ſpecies quidem reſtaret. Sed tamen dant operam, ut ei manus injiciant, forte tradituri eum Synedrio, ut alio prætextu damnaretur. Dicit autem Euangeliſta, eos rurſus id voluiſſe facere, quia etiam antea jam non ſemel idem tentaverant, Vide cap. 7. 30, 32, 44.

Et exivit ex manu eorum.] Erat jam quodammodo in manibus eorum: quia erat in anguſto loco, & circumdederant eum undique & quaſi indagine cinxerant: tamen ipſe divina virtute invenit ex eorum manibus exitum. Non deſcribit Euangeliſta, quomodo exiverit ex eorum manibus: ſed ſine dubio eodem modo exivit, quo ſupra cap. 8. 59. virtute miraculoſa oculos & manus eorum detinens, ut nec quo evaſerit, viderent, nec manus ipſi inferre poſſent.

Verſ. 40. *Et abiit iterum trans Jordanem, in locum, ubi erat Johannes primum baptiſans, & manſit illic.*] Locus, ubi primum baptiſavit Johannes, erat Bethabara, Joh. 1. 28. Erat autem locus iſte celebris propter trajectum, ubi magnus erat ſemper hominum confluxus. *Iterum* dicitur eo abiiſſe Chriſtus, quia & ante eo venerat, Vide cap. 1. 29, 36. Non fruſtra vero dicitur Johannes ibi primum baptiſaſſe; quia poſtea alibi baptiſavit: nempe in Ænon propre Salim, Joh. 3. 23.

Verſ. 41. *Et multi venerunt ad eum, & dixerunt: Quod Johannes quidem ſignum fecit nullum; omnia autem, quæcunque dixit Johannes de eo, vera ſunt.*] Non defuerunt paſtori ſuo oves. Multi enim crediderunt in Chriſtum, partim doctrina Johannis impulſi, partim ſignis Chriſti convicti. Noluit Deus ulla per Johannem fieri miracula, ne officeret miraculis Chriſti, cui reſervata fuit hæc miraculorum patrandorum gloria. Interim ipſe Johannes miraculum quoddam & prodigium fuit, inuſitatum vitæ genus in deſerto ducens. Qua re Deus tantam ipſi conciliavit auctoritatem, ut non tantum populus expectaret, & cogitaret in cordibus ſuis, annon ipſe eſſet Chriſtus: Luc. 3. 15. Sed etiam principes ac Sacerdotes ſolennem ad eum legationem expedirent, interrogantes, quiſnam eſſet, & annon ipſe eſſet ille dudum promiſſus atque exoptatus Meſſias, Joh. 1. ℣ſ. 19. & ſeqq. Quin & Herodes Tetrarcha tanti eum faciebat, ut ſciens eum eſſe virum juſtum ac ſanctum obſervaret eum, audienſque eum, multa faceret, & libenter eum audiret Marc. 6. 20. Deinde etſi Johannes miracula nulla fecerit, ex eo tamen eluxit ejus divinitas, quod quæcunque prædixit de Chriſto, ea vera eſſe compertum ſit: idque juxta notam, quam Deus ipſe conſtituit Deut. cap. 18. ℣ſ. 21, 22.

Verſ. 42. *Et crediderunt multi illic in eum.*] Non caruit Chriſtus meſſe in illo loco. Videntur autem iſti duplici argumento commoti, ut in Chriſtum crederent. Primum erat: Johannes nullum edidit miraculum, & tamen ei credidimus; quanto magis huic credere par eſt, qui facit miracula tam ſtupenda, ut non poſſint niſi divina virtute patrari? Alterum: Omnia quæ Johannes Baptiſta de iſto prædixit, vera ſunt; Ergo credendum eſt iſti, cui Johannes teſtimonium perhibuit.

CAPUT XI.

I. *Deſcribitur reſuſcitatio Lazari; ac primum quid eam anteceſſerit: uſque ad* ℣ſ. 43. II. *Reſuſcitatio ipſa: ad* ℣ſ. 45. III. *Quid eam ſit conſecutum.*

PARS I.

MIraculum hoc reſuſcitationis Lazari ex omnibus Chriſti miraculis, quæ ab eo in terris facta ſunt, eſt præſtantiſſimum ac celeberrimum, quod etiam primariis Sacerdotibus ac Phariſæis maxime anſam dedit de ejus capite agendi comitia. Factum enim eſt prope Hieroſolymam, quo fama rem deferre cito poterat: factum eſt præſente maxima hominum frequentia, è quibus plurimi ad fidem in Chriſtum ſuſcipiendam hoc miraculo adducti ſunt: factum eſt denique jam jam inſtante Feſto Paſchatis, cum jam undique è Judæa tota aliiſque locis confluxiſſet populus, ut ſe ante feſtum purificaret: quemadmodum innuit Euangeliſta ℣ſ. 55. Fuit autem miraculum iſtud tam inſigne & manifeſtum, ut nulla fraudis ſubeſſe poſſet ſuſpicio. Lazarus enim erat in ſepulchro, quod ingenti lapide erat munitum, jam quatuor dies à morte ejus elapſi erant, ita ut jam fætere inciperet: exivit è ſepulchro ad ſolam Chriſti vocantis vocem, in conſpectu plurimorum hominum, qui ejus rei teſtes erant: poſt ſuam reſurrectionem Lazarus inter Judæos per tempus haud mediocre verſabatur &c. Quæ omnia Euangeliſtæ noſtro anſam dederunt, ut hanc hiſtoriam plenius ac fuſius, quam ullam aliam deſcriberet.

Quæritur autem non immerito: cur tam notabilis hiſtoria à nullo alio Euangeliſtarum deſcripta ſit, quam à Johanne? Hujus rei hæc videtur fuiſſe cauſa, quod tum temporis cum tres reliqui Euangeliſtæ ſua ſcriberent Euangelia, Lazarus adhuc in vivis fuerit, facileque id ipſi periculum creare potuerit, ſi hiſtoria iſta, quæ Sacerdotes primarios ac Phariſæos adeo exaſperavit adverſus Chriſtum ejuſque ſequaces, publico ſcripto in vulgus ſpargeretur & memoriæ poſteritatis conſecraretur. Lazarum enim 30. annis poſt reſurrectionem ſuam vixiſſe (intra quod tempus tres priores Euangeliſtæ ſcripſerunt) autor eſt Epiphanius, qui id ſine dubio à fide dignis teſtibus reſcivit. Lazarum autem facile in periculum venire potuiſſe, ex eo patet, quod Euangeliſta ſcribit infra cap. 12. 10, 11. *Conſultabant autem primarii Sacerdotes, ut & Lazarum interimerent: quia multi ex Judæis propter eum abibant, & credebant in Jeſum.* At cum Johannes ſuum ſcripſit Euangelium, jam Lazarus evaſerat periculum, quia jam erat mortuus.

Tres vero, ut diximus, ſunt Capitis hujus partes: in quarum prima continetur deſcriptio eorum, quæ miraculum ipſum anteceſſerunt. Quæ pars rurſus in quinque partes diſpeſci poteſt. Primo narratur, quomodo Chriſtus ad Lazarum ægrotum vocatus fuerit, ſed non venerit: ad ℣ſ. 7. Secundo quo-

quomodo Chriſtus cum Lazarus jam eſſet mortuus, venerit, ut eum reſuſcitaret: ad ℣. 18. Tertio quomodo à ſororibus Lazari Maria & Martha, nec non à præſentibus Judæis exceptus fuerit; item quale colloquium Chriſti cum Martha de morte Lazari fuerit: ad ℣. 33. Quarto quomodo Chriſtus infremuerit ſpiritu & turbatus ſit atque illacrymatus ſit: ad ℣. 39. Quinto, quæ præparatio ad reſuſcitationem Lazari à Chriſto facta ſit: ad ℣. 43.

Verſ. 1. *Erat autem infirmus quidam nomine Lazarus, à Bethania ex vico Mariæ & Marthæ ſororis ipſius.*] Infirmus, id eſt, ægrotus. Erat autem non vulgaris aut mediocris infirmitas ac morbus, quo laborabat, ſed gravis admodum & periculoſus, ex quo etiam poſtea mortuus eſt. De morbis graviſſimis etiam alibi paſſim in Scriptura Sacra vox infirmitatis accipitur, Matth. 10. 8. Luc. 4. 40.

Lazarus.] Hic non fuit ille mendicus Lazarus, qui ante divitis veſtibulum jacebat ulceribus ſcatens, Luc. 16. 20.

A Bethania, ex vico Mariæ & Marthæ ſororis ipſius.] Id eſt, à Bethania, qui erat vicus Mariæ ac Marthæ: vide ſimilem locutionem ſupra cap. 1. 45. Errant proinde, qui exiſtimant, totum montis Oliveti ambitum dictum fuiſſe Bethaniam, atque in Bethania ſitum fuiſſe vicum Mariæ ac Marthæ, vide infra ℣. 18. Cur Bethania Mariæ ac Marthæ vicus vocetur, variant ſententiæ Interpretum. Alii cenſent, Bethaniam earum propriam fuiſſe poſſeſſionem. Alii putant ideo ſic vocari, quod ibi domicilium habuerint, ac fortaſſis etiam ibidem natæ ſint: quomodo Bethſaida Andreæ & Petri civitas appellatur, ſupra cap. 1. 44, quia ibi habitabant.

Cum Lazarus non minus quam ſorores ejus Maria ac Martha in Bethania habitarit, quæritur, cur Johannes Bethaniam non potius Lazari vicum quam Mariæ ac Marthæ nuncuparit? Nimirum ideo, quia Maria & Martha celebriores erant, ut quæ cum Chriſto magis converſatæ ſint, quam Lazarus, & quia Chriſtus apud illas ſolebat divertere.

Martha eſt nomen Syriacum, & idem ſignificat, quod Hebraicum Maria, vel Miriam, id eſt, amaritudo.

Verſ. 2. *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis; cujus frater Lazarus infirmus erat.*] Hanc deſcriptionem addit Euangeliſta, ut eam diſtinguat ab aliis Mariis, quæ Chriſtum ſecutæ erant. Factum autem iſtud laudabile Mariæ deſcribit Johannes capite ſequenti 12. Itaque non propterea ejus nunc hoc loco facit mentionem, quod ante ægrotationem Lazari contigerit, ſed quia tum cum hæc ſcriberet, jam evenerat, ac paſſim de eo omnibus conſtabat. De hac unctione vide, quæ diximus ad Matth. 26. 6. Ex hac deſcriptione Mariæ, quod ſit illa, quæ Dominum unxerit, & ex eo quod Chriſtus poſtea cap. 12. ℣. 7. dicat, eam unguentum iſtud aſſervaſſe in diem funerationis ſuæ, colligunt quidam, Mariam hanc fuiſſe Mariam Magdalenam, quæ ad ſepulchrum venit, ut Chriſtum inungeret, Mar. 16. 1. Verum falluntur. Chriſtus enim non loquitur de re futura, quam Maria factura erat, ſed de re præſenti, quam ipſo adhuc vivente fecerat. Maria autem Magdalena demum poſt mortem Chriſti ad ſepulchrum venit cum aromatibus, ut corpus ejus pollinciret: ut ex Marci citato loco videre eſt. Deinde apparet Mariam Magdalenam fuiſſe è Galilæa Matth. 27. ℣. 55, 56. & Marc. 15. 40. Lazarus autem cum ſuis ſororibus erat ex Bethania. De Maria Magdalena narratur, ſeptem dæmonia ex illa fuiſſe ejecta, Luc. cap. 8. 2. De Maria Lazari ſorore nihil tale legitur. Et quod inprimis notandum eſt, cum Lucas hiſtoriam de muliere, quæ Chriſtum unxit, narraſſet cap. 7. 36. uſque ad finem capitis, ſtatim ſequenti capite 8. 2. commemorat mulieres, quæ Chriſtum comitabantur, atque inter eas Mariam Magdalenam: quam non deſcribit ab illo opere unctionis, quod modo retulerat, ſed ab eo, quod ſeptem dæmonia ex illa ejecta fuerint; cum tamen potius ab hac unctione eam deſcribere debuerit, ſi ipſa eam peregiſſet.

Et exterſit pedes ejus capillis ſuis.] In narratione Euangeliſtæ eſt hyſteron proteron: quod prius geſtum eſt, poſteriori loco refert. Illa enim pedes Chriſti prius capillis ſuis exterſit, cum eos lacrymis ſuis madefeciſſet, & tum demum eos inunxit: ut ex Luca liquet cap. 7. 38. (N B. *Sed hanc Luc. 7. hiſtoriam aliam eſſe ab hac, oſtenſum eſt ad Matth. 26.*)

Verſ. 3. *Miſerunt ergo ſorores ejus ad ipſum dicentes: Domine ecce is, quem amas, ægrotat.*] Graviſſimus fratris morbus merito efficere debuit, ut ex eis alterutra ipſa ad Chriſtum proficiſceretur. Sed id partim ſupervacuum eſſe cenſuerunt, quia nihil erat, cur de Chriſti ſumma bonitate ac facilitate, præſertim in periculo ejus hominis, quem ipſe amabat, dubitarent; partim quia cura circa ægrotum & officium ipſi miniſtrandi id non permittebat. *Miſerunt ad ipſum*, non ad Lazarum, qui proxime nominatus erat, ſed ad Jeſum, cujus Euangeliſta capite præcedenti ℣. 40. meminerat. Id quod propter locum 1 Joh. 5. 22. obſervandum eſt. Erat autem tunc temporis Jeſus ad Jordanem, ubi Johannes baptiſare ſolebat, ut ex modo dicto ℣. 40. ſuperioris capitis videre eſt.

Domine, ecce is, quem amas, ægrotat.] In hac ſimplici narratione continetur petitio, ut veniat periclitanti auxilio, & ſimul gravis cauſa ac ſtimulus, cur opem ſuam denegare non debeat. Quaſi dicant: Domine tu amas Lazarum, ideoque non dubitamus, te mærore affectum iri, audito periculoſo admodum ejus morbo; neque intermittes adeo venire, ut eum conſoleris & ſanum reddas. Non ſperaſſe enim eas, quod Chriſtus abſens eum ſanaturus ſit, uti credidit Centurio ille apud Matth. cap. 8. 8. ſed quod ipſe ad eum venturus ſit, intelligitur ex ℣. 21. ubi Martha ad Chriſtum inquit: *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Hic habemus exemplum, quod etiam ii, quos Deus ac Chriſtus amat, à malis & afflictionibus non ſint immunes.

Verſ. 4. *Audiens autem Jeſus dixit: Hæc infirmitas non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut per eam glorificetur Filius Dei.*] Quomodo morbus iſte non erat ad mortem, cum Lazarus vere mortuus ſit, & Chriſtus id ipſum poſtea ℣. 13. diſciplis ſuis diſerte indicaverit? Nimirum hoc vult dicere, morbum

hunc ſingulari Dei conſilio eſſe ipſi immiſſum, non eo fine, ut moreretur ſimili modo, quo alii homines vulgo & ordinarie moriuntur, qui uſque ad univerſalem reſurrectionem in morte manent, ſed ut gloria Dei per ejus reſuſcitationem manifeſtaretur. Scopus morbi ejus non erat mors, ſed gloria Dei. Idcirco Chriſtus mortem ejus vocat ſomnum ℣ſ. 11. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut ex ſomno excitem eum.* Ita etiam de Jairi filia dixit: *Puella non eſt mortua, ſed dormit*, Matth. 9. 24.

Sed pro gloria Dei, ut per eam glorificetur Filius Dei.] Nempe dum Chriſtus eum reſuſcitavit à mortuis, apparuit, quam præclara & admiranda ſint opera Dei, quæ per Filium ſuum perficiebat: quæ res etiam ad gloriam ipſius Filii pertinebat, cui Deus tantam poteſtatem ac vires conceſſerat, Vide ſupra cap. 9. 3.

Interpretatio Auguſtini, ſtatuentis hanc gloriam in eo ſitam fuiſſe, quod ex reſuſcitatione Lazari eluxerit, Chriſtum eſſe Deum ſummum, indigna eſt tanto viro. Quomodo enim is poteſt eſſe ſummus Deus, qui ſtatim ejus Filius appellatur, ac proinde clariſſime ab eo diſtinguitur? Deinde ne minimum quidem ejus rei extat indicium, aliquem ex iis, qui hoc miraculum viderunt, cognoviſſe, Chriſtum eſſe Deum ſummum. Quomodo igitur id ex hoc miraculo eluxiſſe dici poteſt? Miraculum quidem hoc conjunctum fuit cum magna Chriſti gloria, ſed hæc Chriſti gloria ad Dei gloriam tanquam ad ultimum finem directa fuit. Pater enim glorificatur per Filium.

Per eam.] Id eſt, infirmitatem.

Verſ. 5. *Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus, & Lazarum.*] Hoc addit Euangeliſta, ut confirmet id, quod ambæ ſorores Chriſto renunciari curarunt ſupra ℣ſ. 3. *Domine, ecce, is quem amas, ægrotat.* Non ſolum autem Lazari meminit, ſed & duarum ejus ſororum, ut indicet, Chriſtum ſingulari amore totam hanc domum fuiſſe proſecutum; quia ſæpius ab eis hoſpitio fuerat exceptus, ſicut olim Elias à vidua Sareptana 1 Reg. 17. 9. & Eliſæus à Sunamitide 2 Reg. 4. 8. Hic videmus, beneficia, quæ ſanctis exhibentur, non perdi, nec ſuo carere præmio. Vide Matth. 10. 41, 42.

Verſ. 6. *Ut ergo audivit illum ægrotare, tum quidem manſit duos dies in eo loco, ubi erat.*] Vocula *quidem* hoc loco redundat: ut etiam Act. 19. 4. Cauſa autem, cur Chriſtus adhuc duos dies commoratus in illo loco fuerit, ubi tunc erat (nempe ad Jordanem, ubi Johannes quondam baptiſaverat ſupra cap. 10. 40.) & non è veſtigio Bethaniam properarit, hæc erat, ut tanto majus miraculum fieret. Expectavit enim, ut Lazarus non modo moreretur, ſed etiam ſepulchro mandaretur, imo ut etiam jam olere inciperet; quo malevolis omne eriperetur effugium, & occaſio dicendi, eum non fuiſſe vere mortuum, ſed tantum gravi animi deliquio fuiſſe ſopitum.

Verſ. 7. *Deinde poſtea dixit diſcipulis: Eamus in Judæam iterum.*] Poſtea, id eſt, poſt elapſos duos dies.

Eamus in Judæam iterum.] Id eſt, revertamur in Judæam. Vox *iterum* hic non ſignificat *ſecundo* vel *adhuc ſemel*, ſed *retro*, ut Gal. 4. 9. *Quomodo convertimini iterum* (id eſt, retro) *ad infirma & egena elementa?* Dicit autem regrediendum ſibi in Judæam, quia non ita pridem ex Judæa venerant, & ad trajectum Jordanis ſe contulerant, cum eum Judæi lapidare vellent, Joh. 10. 31, 39. Cauſa vero, cur hoc iter ſuum diſcipulis prius indicet, quod alias non ſolebat facere, eſt, quod diſcipulis per illum Judæorum conatum, Chriſtum lapidandi, metus incuſſus fuerit: proinde illos de hoc ſuo itinere præmonendos duxit, ne ſi improviſo eo proficiſceretur, animi eorum turbarentur.

Verſ. 8. *Dicunt ei diſcipuli; Rabbi, modo ſtudebant te Judæi lapidare, & rurſum illuc abis?* Modo, id eſt, paulo ante, non ita pridem. Tranſacti autem jam fuerant ab illo tempore circiter duo menſes. Colloquium enim illud, quod Chriſtus cum Judæis habuit in porticu Salomonis, quo irritati Judæi eum lapidare voluerunt, contigit Hieroſolymis in Encæniis, id eſt, initio Decembris, ut patet ex cap. 10. 22. Reſuſcitatio autem Lazari accidit paulo ante feſtum Paſchatis, ut patet infra ℣ſ. 55. Diſcipuli vero dicunt, *modo*, quaſi id illo ipſo die factum ſuerit, ut Chriſtum tanto magis à revertendo in Judæam deterrerent. Ita enim homines meticuloſi loqui ſolent, quibus ſemper ob oculos verſatur periculi imago, tametſi jam tranſacti. Eſtque hic magna diſcipulorum ſimplicitas & incogitantia notanda, quod non conſideraverint, Chriſto nihil mali atque adverſi accidere poſſe, ipſo invito: ubi autem hora paſſionis ejus venerit, eum ſe periculo non ſubducturum. Ita vero ſe gerunt, quaſi ſolum de Chriſto ſoliciti eſſent, cum interim maxime ſibi ipſis timerent.

Verſ. 9. *Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulet interdiu non impingit? quia lucem hujus mundi cernit.*] Duodecim horas eſſe diei dicit, juxta horologia Judæorum, qui ſingulos dies, ſive breves, ſive longiores eſſent, in duodecim æquales partes ſeu horas diviſerant. Duæ autem ſunt hujus reſponſionis Chriſti partes. Prima his verbis continetur: altera ℣ſ. 11. Hic reſpondet Chriſtus ad illud periculum, quod proponebant diſcipuli, & quo deterrere volebant, ne rediret in Judæam; dicitque, quemlibet diem certo ſpatio temporis definitum eſſe, quod nec augeri, nec minui poteſt. Conſtare enim diem quemvis duodecim horis: quo tempore ſi quis ambulet, ſive id fiat hora prima, ſive ultima, ambulat ſecure abſque omni periculo offenſionis. Nam clara luce impingere non poteſt, cum videat, ubi pedem ponere debeat. Sic igitur, ait Chriſtus, ſibi quoque certum temporis ſpatium eſſe aſſignatum, quo ambulet, id eſt, quo vivat, & mandato ſibi à Patre munere fungatur. Hoc tempus vocat diem, quo offendere non poſſit, ſeu quo nullum periculum ipſi ſit metuendum: ſe enim non poſſe mori ante, quam vitæ ejus nox adveniat. Ita etiam ſupra cap. 9. ℣ſ. 4. tempus vitæ ac commorationis ſuæ in terris vocavit diem, Vide Luc. 13. 32.

Si quis ambulet interdiu, non impingit.] Quia videt omnia offendicula, ut facile ea evitare poſſit, & cavere, ne impingat. (Hoc intelligendum eſt de eo,

eo, quod communiter ſit; alioqui poteſt homo ebrius vel improvidus etiam interdiu impingere.) Ita vult Chriſtus dicere, ſibi nullum à Judæis periculum eſſe pertimeſcendum quia nox vitæ ipſius, id eſt, hora mortis, quam Pater definivit, nondum præſto ſit, ſed adhuc dies luceat, in qua tuto ambulare poſſit. Errant proinde, qui putant, Chriſtum ſic locutum coram diſcipulis, ut eos ſolaretur, ne ſibi ab ullo periculo timeant, cum interdiu ambulent, id eſt, ſe, qui eſt lux mundi, ſequantur.

Verſ. 10. *Si quis autem ambulet noctu, impingit; quia lux non eſt in eo.*] Hæc verba proprie ad reſponſionem non pertinent, ſed continent univerſalem doctrinam, quam Chriſtus occaſione præcedentis reſponſionis, ex qua fluit, adidit; ut doceat, eos qui in ſuis operibus non ſpectant divinam voluntatem, in peccatum incidere. Illi enim ſunt ſimiles noctu ambulantibus, & offendicula non videntibus, quæ ante pedes eorum jacent.

Verſ. 11. *Hæc ait, & poſtea dicit eis: Lazarus amicus noſter obdormivit, ſed proficiſcor, ut a ſomno excitem eum.*] Sequitur altera pars reſponſionis Chriſti, qua oſtendit tam ſibi, quam ipſis neceſſarium eſſe, ut eo proficiſcantur, quia communis ipſorum amicus Lazarus obdormierit, qui è ſomno excitandus ſit. Ideo non dicit, Lazarus amicus meus, ſed amicus noſter, ut eorum animos ad miſerationem communis amici flecteret.

Obdormivit.] Ita in Scriptura loqui mos eſt de piis demortuis, vel de iis, quorum de morte honorifica fit mentio, 1 Reg. 2. 10. xi. 43. xiv. 20. xv. 6 & alibi. Vide dicta ad Matth. 9. 24.

Ut à ſomno excitem eum.] Quia Chriſtus mortem Lazari figurata locutione ſomnum vel dormitionem appellavit, continuat hunc tropum, vocatque reſuſcitationem ejus ex morte excitationem è ſomno. Erat autem Chriſto aliquem à mortuis ſuſcitare, tam facile, quam noſtrum alicui dormienti è ſomno excitare.

Verſ. 12. *Dixerunt ergo diſcipuli ejus: Domine, ſi obdormivit, ſervabitur.*] Eadem ratione, quam Chriſtus adhibuit ad perſuadendum diſcipulis, ne reverti in Judæam horreant, ipſi rurſus utuntur ad iter hoc diſſuadendum. Arripiunt enim verbum, *dormiendi*, & inde concludunt, ægrotum non eſſe in ullo periculo, ſed propediem convaliturum. Vulgo enim creditur ſomnus in ægroti eſſe ſignum convaleſcentiæ. Perinde ergo eſt, atque ſi dicant diſcipuli: ſi obdormivit, non eſt neceſſe, ut ejus ſuſcitandi cauſa eo te conferas, ſed ſatius eſt, ut quieſcat adhuc & dormiat, quo vires tanto citius recipiat. Uno verbo, diſcipulorum animus prorſus abhorrebat in Judæam abhorrebat.

Verſ. 13. *Hoc autem dixerat Jeſus de ipſius morte: at illi putarunt eum de dormitione ſomni dicere.*] Adeo parum adhuc in divina ſapientia profecerant iſti boni diſcipuli, ut Chriſti divinam potentiam nondum ſatis intelligerent, etſi toties tam ingentia miracula ipſius viderint.

Verſ. 14. *Tunc igitur Jeſus dixit eis aperte: Lazarus mortuus eſt.*] Cum videret Chriſtus eos figuratum loquendi modum non capere, clare ac propriis verbis indicavit diſcipulis ſuis, Lazarum eſſe mortuum. Non vocat autem eum hic iterum ſuum & illorum amicum; quia cum clare & aperte de morte Lazari ipſis indicium faceret, non opus erat ullo alio argumento, quo eis perſuaderet, ſibi in Judæam omnino eundum eſſe, ad eum ſuſcitandum.

Aperte.] Gr. παῤῥησία, *libere*: ut ſupra cap. 10. ℣. 24. & infra cap 16. 25, 29.

Verſ. 15. *Et gaudeo propter vos, (ut credatis) me illic non fuiſſe; ſed eamus ad eum.*] Verba iſta, *ut credatis*, in parentheſi legenda ſunt; vel potius quia tranſpoſita ſunt, in ſuum locum reponenda, hoc modo: Gaudeo propter vos, me illic non fuiſſe, ut credatis; id eſt, ut hoc pacto in veſtra fide de eo, quod ſim verus Meſſias, tanto magis confirmemini: ut ſupra cap. 2. 11. Videtur hoc miraculum potiſſimum Apoſtolorum cauſa eſſe factum, ut ante ejus mortem tam propinquam, qua offendi ac ſcandaliſari poterant, evidentiſſimum haberent argumentum, ipſum eſſe Meſſiam. Fides autem Apoſtolorum per abſentiam Chriſti hoc modo confirmata eſt, quia, ſi illic fuiſſet, tantum miraculum edere non potuiſſet. Neque enim opem ſuam, quæ nulli non homini obvia erat, ac parata, amico ſuo denegare potuiſſet, quin eum vel in vita conſervaret, vel cito à morte ſuſcitaret: quod utrumque multum de magnitudine miraculi detraxiſſet, fidemque adeo diſcipulorum impediviſſet, quia facile oboriri potuiſſet, dubitatio, an Lazarus vere fuerit mortuus, vel an non ipſe per ſe convaluerit. At cum jam quatuor dies in ſepulchro jacuiſſet, & cœpiſſet putreſcere, miraculum hoc fuit extra omnem dubitationis aleam poſitum. Quod utique diſcipulos in ipſorum fide de Chriſto validiſſime confirmare poterat. Elucet quoque hic in Chriſto divina ſapientia, dum etiam abſens ſcivit, Lazarum eſſe mortuum. Apparet etiam hinc, quam debilis adhuc ac infirma fuerit diſcipulorum fides, ut ſubinde fulcris & tibicinibus, quibus firmaretur, indigeret.

Sed eamus ad eum.] Loquitur de mortuo Lazaro, tanquam ſi adhuc viveret. Etſi enim vere mortuus eſſet, nihilominus vixit Chriſto, qui eum nullo negotio poterat in vitam revocare. Notanda hic etiam Chriſti modeſtia eſt, quod nihil addat, quid Lazaro facturus ſit. Cum ſupra ℣. 11. figurate mortem Lazari indicaſſet, dixiſſetque, eum obdormiiſſe, addidit, ſe iturum eo, ut ipſum è ſomno excitet. E quo ſermone nulla jactantia de magno aliquo miraculo patrando colligi poterat. Hic vero ubi expreſſe dicit, Lazarum eſſe mortuum, ſimpliciter dicit, *Eamus ad eum*, nihil addens, ſe eum à mortuis exciturum. Maluit enim miraculum reipſa demonſtrare, quam de eo ante tempus gloriari.

Eamus.] Monet hoc dicto diſcipulos, ut ſecum eant. Miraculum enim ad augendam eorum fidem fieri debebat. Illi vero propter metum ire cunctabantur: præſertim quia facile cogitare poterant, ex Hieroſolyma adfuturos ibi Judæos, qui mœrentes ſorores conſolaturi ſint, & per hos nuncium de adventu ipſorum in urbem illico delatum iri. Itaque ab itinere hoc animus eorum abhorrebat: Dominum tamen deſerere non audebant.

Verſ. 16. *Dicit ergo Thomas, qui dicitur Didymus,*

ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.] Thomas eſt nomen Hebræum, Didymus Græcum: utrumque ſignificat unum è geminis. An vero revera uno partu cum alio fratre ſuo ſit editus, an alia de cauſa ſic à parentibus fuerit appellatus, incertum eſt.

Ad condiſcipulos.] Qui æque ac ille propter hoc iter conſternati erant, vitæ ſuæ metuentes.

Ut moriamur cum eo.] Duobus modis hæc verba intelligi poſſunt: primo, ut vocibus *cum eo* Lazarus deſignetur; quaſi dicat, Eamus, & ſequamur defuncti Lazari veſtigia, ut perinde ac ille, moriamur. Quid enim in tanto à Judæis diſcrimine, aliud nobis expectandum eſt, quam mors? Nimis ſcilicet ille memor erat periculi iſtius, in quo Chriſtus nuper fuit Hieroſolymis ſupra cap. 10. 39. Bethania autem ab Hieroſolyma non procul diſtabat. Secundo accipi hæc verba poſſunt ita, ut voces *cum eo* ad Chriſtum ſpectent. Quia Thomas credebat, Chriſtum manus Judæorum non evaſurum, ſed morte ſublatum iri, idcirco hortatur condiſcipulos ſuos, ad oppetendam una cum Chriſto mortem. Quo animo autem hoc dixerit Thomas, de eo variæ ſunt variorum ſententiæ. Sed credibile eſt, magnum in eo certamen amoris erga Chriſtum & metus periculi fuiſſe, & metum in tantum eſſe ab amore ſuperatum, ut licet animus ejus metu non eſſet plane vacuus, tamen ſic eum reprimeret, ut cum Chriſto mori paratus eſſet. Etſi enim ſecundum primam interpretationem voces *cum eo* ad Lazarum referantur, tamen certum eſt, Thomam credidiſſe, Chriſto, mortem ibi ſubeundam eſſe, & ſibi ac ſociis ſuis una cum Chriſto ac Lazaro moriendum eſſe. Itaque Thomas condiſcipulos ſuos ad iter hoc, quod formidabant, exhortatur, quanquam formidoloſo etiam ac trepidanti animo. Neque admittenda eſt eorum ſententia, qui putant, Thomam condiſcipulos ſuos potius ab itinere dehortari his verbis voluiſſe; quaſi diceret: Videtis, quomodo ſe Chriſtus in præſentiſſimum vitæ diſcrimen conjiciat, num & nos volumus vitam noſtram in idem cum eo diſcrimen præcipitare? Cæterum apparet, Thomam id quod Chriſtus ℣. 9. innuit, ſe extra periculum eſſe, cum ambulet interdiu, vel non credidiſſe, vel quod probabilius eſt, non intellexiſſe.

Verſ. 17. *Veniens igitur Jeſus, invenit eum quartum jam diem in monumento agentem.*] Veniens, ſcilicet Bethaniam: ut additur in non nullis Græcis exemplaribus. Venit autem non ſolus, ſed una cum diſcipulis.

Invenit eum.] Nempe Lazarum, non Thomam, cujus proxime facta fuit mentio. Vide ſimilem locutionem 1 Joh. 5. 20.

Quartum jam diem in monumento agentem.] Gr. ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ, *habentem in monumento.* Eſt Hebraiſmus, qualis habetur etiam ſupra cap. 5. 5. Ait, eum, quatuor jam dies in monumento agere, unde patet, eum tunc ad minimum jam à quinque diebus fuiſſe mortuum. Non ſolent enim mortui eodem die, quo moriuntur, ſepeliri. Probabile eſt, Lazarum illo ipſo die mortuum eſſe, quo nuncius de morbo ejus ad Chriſtum venit. Hoc nuncio accepto Chriſtus adhuc duos dies permanſit in loco, ubi erat, id eſt, Bethabaræ, ut Euangeliſta memorat ℣. 6. Quarto die Chriſtus indicat diſcipulis ſuis, Lazarum eſſe mortuum, quam rem eos per illos duos dies celaverat. Quinto vel ſexto die venit Bethaniam. Bethabara enim diſtabat à Bethania duorum dierum itinere.

Verſ. 18. *Erat autem Bethania prope Hieroſolymam ferme ſtadiis quindecim.*] Stadium conſtat centum viginti quinque paſſibus: octo autem ſtadia faciunt milliare Italicum. Itaque quindecim ſtadia ſunt 1875, paſſus, id eſt, fere quarta pars milliaris Germanici cum dimidia. Ideo autem deſcribit Johannes Euangeliſta, quam procul Bethania abfuerit ab Hieroſolyma, quia cauſam indicare voluit, cur tam multi cives Hieroſolymis Bethaniam venerint ad mærentes ac lugentes ſorores conſolandum, ut mox narrabitur.

Verſ. 19. *Et multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut eas conſolarentur de fratre ſuo.*] Venerant multi è Judæis, intellige ex iis, qui Hieroſolyma habitabant: qui ſic κατ' ἐξοχὴν Judæi dicuntur, ut ſupra cap. 9. 18. primores Judæorum. Meminit vero propterea multorum Judæorum, qui eo venerant, ut oſtendat, miraculum iſtud non ſolum in præſentia habitantium Judæorum in Bethania, ſed & multorum inſignium hominum, qui Hieroſolymis eo venerant, factum eſſe: id quod ad majorem hujus miraculi celebritatem pertinet.

Ad Martham & Mariam.] Gr. πρὸς τὰς περὶ τὴν Μάρθαν καὶ Μαρίαν, *ad eas, quæ circa Martham & Mariam.* Græca locutio. Quanquam fieri poteſt, ut hac locutione non ſolum duæ iſtæ ſorores, ſed & earum tota domus, quæ ſimul cum eis in luctu fuit, ſignificata ſit: ut & Act. 13. 13.

Ut eas conſolarentur.] More inter Judæos recepto, qui etiam inter Chriſtianos viget. Conſolatio autem iſta durabat per ſeptem dies, ut & luctus.

Verſ. 20. *Martha ergo ut audivit Jeſum venire, occurrit ei: Maria vero domi ſedebat.*] Quia Martha curam gerebat totius domus ac familiæ, ut intelligitur ex Luc. 10. 38, ideoque huc illuc diſcurſabat, hinc factum eſt, ut ei extra ædes verſanti citius ad aures delatus ſit nuncius de Chriſto adventante, quam Mariæ, quæ in domo manſit cum hoſpitibus, qui ipſas viſitatum venerant, ingens autem lætitia, quam concepit Martha ex Chriſti adventu, non permiſit, ut Mariam ſororem ſuam de Chriſto certiorem faceret, & ad obviam ei eundum invitaret.

Verſ. 21. *Dixit autem Martha Jeſu: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.*] His verbis Martha quidem indicat, ſe credere, Chriſtum potuiſſe fratrem ſuum à morte ſervare: ſed fides iſta valde fuit debilis, dum non credidit, eum etiam abſentem potuiſſe illum ſanare. Tacitam quoque & modeſtam reprehenſionem hæc verba continent, quod Chriſtus tam tarde venerit.

Verſ. 22. *Sed & nunc ſcio, fore ut quæcunque petieris à Deo, det tibi.*] Hoc ſibi vult: Scio quidem, te ſi adfuiſſes præſens, fratrem meum in vita conſervaturum fuiſſe; ſed & nunc cum jam mortuus eſt, ſcio, te tantum pollere gratia apud Deum, ut nihil tibi denegaturus ſit. E quibus verbis magna imperfectio fidei ejus, & cognitionis de Chriſto elucet.

Cre-

Credidit enim tantum, Chriſtum Deo ita charum eſſe, ut ejus preces exaudiat ſemper, illoque orante ægrotos ſanet, & mortuos ſuſcitet: at non credidit, eum habere divinam vim in ſe manentem, qua poſſit ipſe miracula talia perficere.

Ut quæcunque petieris à Deo, det tibi.] Non dicit; Deus eum te orante reſuſcitabit. Hoc enim fuiſſet nimium poſtulatum. Nihilominus tacite hoc ſibi vult. Cur enim alioqui diceret: *Et nunc ſcio, fore ut tibi det Deus, quæcunque petieris?*

Verſ. 23. *Dicit ei Jeſus: Reſurget frater tuus.*] Ambigua hæc erat locutio. Poterat enim tam de univerſali reſurrectione mortuorum intelligi, quæ fiet die noviſſimi judicii, quam de præſenti reſurrectione, quam deſiderabat Martha. Verum Chriſtus more ſuo ſic modeſte loquitur, ne videretur eſſe miraculorum ſuorum jactator: cujus modeſtiæ etiam ſupra ℣. 2. exemplum habuimus.

Verſ. 24. *Dicit ei Martha: Scio reſurrecturum in reſurrectione noviſſimo illo die.*] Quia Chriſtus ambigue locutus fuerat in præcedentibus de Lazari reſurrectione, inde Martha putabat, Chriſtum de univerſali reſurrectione mortuorum loqui. Aliqui putant, Martham ſatis intellexiſſe Chriſti ſermonem, ſed voluiſſe hac ſua reſponſione anſam dare Chriſto, ut diceret aperte, an fratrem ſuum ſit ſtatim reſuſcitaturus. Credibile enim eſt, Martham ex verbis Chriſti concepiſſe ſpem aliquam, eum fratrem ſuum mox excitaturum: ſed quia illa obſcura adhuc erat & incerta, voluit liquido reſcire, de quanam reſurrectione Chriſtus loqueretur, dum ſignificat, ſe verba ejus de univerſali reſurrectione intellexiſſe; qua nullum peculiare beneficium, quo modò exhilarari poſſit, ſibi ac fratri ſuo exhibitum iri innuebat. De reſurrectione mortuorum, quæ in Lege expreſſe promiſſa non erat, poterat Martha nonnihil hauſiſſe è doctrina Phariſæorum, ſed notitia illa incerta & tenuis admodum erat: verum ex Chriſti variis ſermonibus, certo eam futuram eſſe, didicerat.

Verſ. 25. *Dixit ei Jeſus: Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, etſi mortuus fuerit, vivet.*] Quia Martha dixerat, ſe ſcire fratrem ſuum reſurrecturum, ſed demum *noviſſimo illo die* una cum aliis mortuis; ideo reſpondet Chriſtus, non eſſe opus, ut ad noviſſimum diem expectetur, quando ipſe præſens ſit: ſe enim eſſe reſurrectionem & vitam, id eſt, ſe eſſe eum, qui mortuos reſuſcitaturus & vitam eis daturus ſit. Qui ergo olim die illo noviſſimo omnes mortuos excitabit, ille poteſt ſemper quando vult, & quos vult, excitare. Continent igitur hæc verba præclaram promiſſionem, qua reſuſcitaturum ſe fratrem ejus indicat: cujus infra ℣. 40. ipſe Chriſtus meminit. Tantam autem virtutem ac poteſtatem ſe non à ſeipſo habere, ſed à Patre ſibi ex mera gratia & dilectione communicatam eſſe, teſtatur ipſe ſupra cap. 5. 19, 20, 21. Vide ibidem dicta.

Reſurrectio & vita.] Id eſt, cauſa reſurrectionis & vitæ, ſeu effector ejus & dator. Eſt Hebraiſmus, quo effectum pro cauſa ponitur, ſeu cauſa per effectum ſignificatur. Sic de Chriſto dicitur, quod *factus ſit nobis à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio*, id eſt, cauſa & auctor ſapientiæ, juſtitiæ & ſanctificationis, 1 Cor. 1. 30.

Qui credit in me, etſi mortuus fuerit, vivet.] Occaſione dicti ſui, quo ſe reſurrectionem ac vitam appellavit, ſeu effectorem reſurrectionis & vitæ, datorem eſſe indicavit, addit generalem doctrinam, quomodo poſſit quiſpiam tanti beneficii reſurrectionis ac vitæ particeps fieri; nempe per fidem. Loquitur autem hic Chriſtus de vita æterna, quod ſcilicet ille qui credit in ipſum, tametſi morte naturali ac temporali extinguatur, tamen aliquando in æternum victurus ſit; quandoquidem ipſe eum certo certius ſit ad immortalem vitam reſuſcitaturus: quod ſane excellentiſſimum fidei præmium eſt. Errant qui exiſtimant, Chriſtum hic de vita animarum loqui: quaſi dicat, Etſi qui credit moriatur corpore, anima nihilominus ejus vivit. Loquitur enim Chriſtus de toto homine, qui credit, & moritur, eum victurum eſſe: anima autem ſola per ſe non credit, neque moritur.

Videtur autem id, quod Chriſtus hoc loco dicit, non ſatis ad rem pertinere. Martha enim cupiebat fratrem ſuum ſtatim reſuſcitari, Chriſtus autem promittit reſurrectionem omnibus credentibus. Cum ergo Lazarus jam eſſet mortuus, adeoque jam credere non poſſet, videtur id parum feciſſe ad conſolandam Martham. Sed notandum eſt, Chriſtum voto Marthæ, quæ fratrem ſuſcitari volebat, jam ſatiſfeciſſe, cum dixit: *Reſurget frater tuus.* Nunc autem ex abundanti addit egregiam doctrinam non de temporali, quam Martha deſiderabat, ſed de æterna vita, quomodo omnes credentes aliquando ejus futuri ſint compotes. Non eſt enim novum Chriſto, occaſione rerum certarum de rebus ſublimioribus doctrinas proponere: cujus rei exempla alibi habuimus.

Verſ. 26. *Et quicunque vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?*] In his verbis eſt ſingularis elegantia. Superius enim dixerat, eum qui credit, etiamſi mortuus fuerit victurum: hic vero ait, credentem qui vivit, non moriturum; nimirum non moriturum eatenus, quatenus certam ſpem habet reſurrectionis ac vitæ æternæ, ita ut etiamſi naturali morte moriatur, tamen in æternum victurus ſit. Eſt ergo in his verbis elegans repetitio ejus, quod jam antea dixerat.

Credis hoc?] Poſſet aliquis quærere, Cur Chriſtus à Martha fidem requirat, ubi de reſuſcitatione Lazari agebatur, quaſi ipſam, non Lazarum ſuſcitaturus eſſet? ſed attendendum eſt, Chriſtum plerumque ante miracula ſua fidem exigere ſolitum non tantum ab iis, quos ſanaturus erat, ſed & ab iis, qui pro illis rogabant. Ita paralyticum Matth. 9. 2. propter fidem eorum, qui ipſum attulerant, ſanavit. Ita etiam Mar. 9. 23. dicit Patri illi, qui Filium ſuum dæmoniacum ad Chriſtum adduxerat: *Si hoc potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Vide dicta ad utrumque locum.

Hoc.] Nempe quod ſim reſurrectio & vita, id eſt, is, qui poſſim reſuſcitare mortuos.

Verſ. 27. *Ait illi: Etiam Domine. Ego credidi, te eſſe Chriſtum Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat.*] Ita eſt, inquit, credo, quod dixiſti, te eſſe illum, qui vitam dare potes mortuis.

Ego credidi, te eſſe Chriſtum.] Cauſam reddit,

cur illud credat; quia nimirum jam pridem credi-derit, eum esse Christum Filium Dei: æquum proinde esse, ut omnibus ejus dictis fidem adhibeat.

Christum Filium Dei.] Vide hac de re dicta ad Matth. 16. 16.

Qui in mundum venturus erat.] Id est, qui Judaico populo promissus fuit, eum esse venturum, quemque omnes summo desiderio expectant.

Vers. 28. *Et hæc locuta abiit, & clam vocavit Mariam sororem suam, dicens: Magister adest, & vocat te.*] Abiit illa vocatum sororem, intellige jussu Christi, ut ipsa indicat. Jussit eam ad se venire in eum locum, ubi ipse manserat; qui locus sepulchro erat propior, quod more Judæorum extra vicum erat. Nonnulli sentiunt, quia expresse Euangelista non refert, Christum Marthæ imperasse, ut vocaret sororem, eam id commentam esse, ut sororem suam tanto magis ad properandum impelleret. Sed cum Christus remanserit in illo loco extra vicum, & Mariam expectarit, probabile est, omnino, eum jussisse Marthæ Mariam vocare: id vero narrare Euangelista neglexit ideo, quia id verbis Marthæ satis indicavit.

Et clam vocavit Mariam sororem suam.] Clam vocavit eam absque dubio propter Judæos, qui aderant, ne id audirent. Metuebat enim, ne ab eis aliquod periculum Christo crearetur.

Magister adest.] Ita Christus in illa domo vocabatur,

Et vocat te.] Solam Mariam vocabat, ne videretur multitudinum hominum ad spectaculum convocare voluisse, etsi præviderit proculdubio, illos ultro esse venturos.

Vers. 29. *Illa ut audivit, surgit cito, & venit ad eum.*] Properavit ad Christum obedienti animo, & pleno spe certæ ac solidæ consolationis, multoque efficacioris, quam erant omnium illorum consolationes, qui eas visitatum venerant.

Vers. 30. *Nondum autem venerat Jesus in vicum: sed erat in eo loco, ubi occurrerat ei Martha.*]

Vers. 31. *Judæi ergo, qui domi erant cum ea, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam cito surrexisse, & exisse, secuti sunt eam, dicentes; eam exire ad monumentum, ut illic fleat.*] Putabant illi, Mariam subito animi dolore correptam ad monumentum properare, ut illic lacrymando dolorem suum egerat exoneretque: propterea eam sunt propere insecuti, ut eam consolarentur tum, cum maxime consolationis egeret. Solet enim dolor conspectu monumenti redintegrari ac recrudescere. Sed divina providentia eos alio fine è domo eduxit, ut etiam inviti, summi miraculi testes essent. Quod autem Judæi Mariam è vestigio secuti sint, eum exiret, Martham vero non, ejus hæc videtur esse causa, quod de Martha sciverint, ei curam rei familiaris incumbere, ideoque facile cogitare potuerint, eam non plorandi, sed negotiorum causa exivisse. De Maria autem, quæ nihil quod foris ageret habebat, citius suspicari id, quod Euangelista refert, potuerunt.

Vers. 32. *Maria igitur cum venisset eo, ubi erat Jesus, viso eo, accidit ad pedes ejus, dicens ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.*] Adorat eum tanquam Prophetam: neque hac in re reverita est Judæos, qui eam sequebantur, quos sciebat esse erga Christum male animatos, & hoc sui erga Christum amoris signum pessime interpretaturos.

Domine si fuisses hic.] Plane eadem oratione utitur, qua Martha soror ejus supra v. 21. Unde patet, eas ante Christi adventum sic inter se sæpius cum gemitu ac suspirio esse locutas: ô si Dominus hic fuisset, non fuisset mortuus frater noster! Propterea verba hæc, utraque ad Dominum veniens, in ore habet. Locuta autem est Maria hæc verba magno cum fletu, ut apparet ex versu sequenti.

Vers. 33. *Jesus autem ut vidit eam flentem, & Judæos, qui una venerant cum ea, flentes, infremuit Spiritu, & turbavit seipsum.*] Græcum verbum ἐμβριμᾶσθαι, significat quamvis fortem animi commotionem, sive ex ira oriatur, sive ex metu, sive etiam (ut hic in Christo) ex summo dolore seu luctu.

In Spiritu.] Id est, in animo suo. Vide de hac locutione dicta ad Marc. 2. 8. Sensus proinde est, Christum lacrymis Mariæ & Judæorum summopere animo fuisse commotum. Animus enim misericors facile sensu alienæ miseriæ afficitur, & lacrymis aliorum ad collacrymandum adducitur. Hinc perspicitur, affectus humanos ac commotiones animi per se peccata non esse, dummodo per eas non adducatur homo ad aliquid faciendum, quod est rationi adversum. Motus animi in Christo erant similes aquæ limpidæ in purissimo vitro commotæ, quæ commotione illa nil turbatur.

Et turbavit se ipsum.] Id est, contristatus est. Mos est loquendi Hebraicus. Hæc verba vel idem significant, quod præcedentia: vel de mutatione vultus ejus intelligenda sunt, ex qua animi commotio ac dolor cognosci poterat.

Vers. 34. *Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide.*] Quomodo Christus nescivit, ubi positus fuerit Lazarus, cum tamen adhuc in Bethabara existens sciverit, eum esse mortuum? Quæstio hæc ad Marcum à nobis enodata est, & alibi quoque ostensum, Christum quando res absentes vel cogitationes hominum scire volebat, Spiritum suum, id est, divinam vim in se residentem excitare debuisse. Alioquin enim tam erat ignarus earum rerum, quæ vires humani intellectus supergrediuntur, quam alii homines. Christus autem non semper voluit in se hunc spiritum excitare, præsertim quando nullam singularem videbat miraculi utilitatem.

Domine, veni & vide.] Veni nobiscum, & tum videbis. Apparet verba illa Christi, quibus quæsivit, ubi positus esset Lazarus, spem aliquam eis inspirasse de resuscitatione illius mortui; ideo tam alacriter dicunt: Veni & vide.

Vers. 35. *Lacrymatus est Jesus.*] Non potuit diutius jam tenere lacrymas. Lacrymare non fuit Christo indecorum, Vide Luc. 19. 41.

Vers. 36. *Dixerunt ergo Judæi: Ecce, quomodo amavit eum?*] Hunc tamen fructum lacrymæ Christi tulerunt, quod qui aderant, ex iis agnoverint animum ejus ad commiserationem pronum esse.

Vers. 37. *Quidam autem ex eis dixerunt: Non poterat*

terat hic, *qui aperuit oculos cæci, facere, ut & iſte non moreretur.*] Hoc non dicunt Chriſtum ſugillandi animo, quaſi crederent eum non potuiſſe Lazarum à morbo ſanare. Sed loquuntur id animo dubii, quæ cauſa, quod eum, quem tanto proſequebatur amore, paſſus fuerit mori, & ægrotanti medicam non tulerit opem; cum tamen longe majus miraculum edere potuerit, dum cœco nato viſum reddidit. Has autem circumſtantias tam diligenter recenſet Euangeliſta noſter, ideo, ut oſtendat, omnes Judæos, qui aderant præſentes, & hujus miraculi teſtes erant, agnoviſſe, Lazarum fuiſſe vere mortuum: dum alii ex lacrymis ejus ſummum amorem erga defunctum amicum colligunt; alii mirantur, cur amicum ſuum in vita non conſervarit, cum id facile præſtare potuerit.

Verſ. 38. *Jeſus ergo rurſus infremens in ſeipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis erat ei impoſitus.*] Id eſt, Chriſtus rurſus fuit in animo ſuo, dolore ad commiſerationem commotus, vel facies ejus iterum præ mœrore fuit mutata. Conſpectus enim ſepulchri, dolorem in animo renovavit: & credibile eſt, ſorores ambas apud monumentum denuo cœpiſſe, ut mulierum mos eſt, ejulare ac flebili voce lamentari.

Erat autem ſpelunca.] Mos erat apud Judæos, funera præcellentium virorum in exciſis ſpeluncis recondere, quarum introitus advoluto ingenti lapide claudebatur. Apparet hic ingreſſum in ſpeluncam devexam ac declivem & una parte altiorem, altera depreſſiorem fuiſſe: ideo lapis non fuit advolutus ad oſtium, ſicut apud monumentum Chriſti factum legimus Matth. 27. 60. Sed oſtio deſuper impoſitus.

Verſ. 39. *Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus fuerat: Domine jam oblet; quatuor enim dierum eſt.*] Chriſtus allocutus eſt miniſtros Marthæ & Mariæ, qui aderant. Opus enim robuſtis viris, erat, qui lapidem tam vaſtæ molis removerent, vide Marc. 16. 3. Cæterum qui poterat mortuum in vitam revocare, potuiſſet etiam facile lapidem uno verbo amoliri; ſed ſine neceſſitate Chriſtus miracula facere nolebant in iis rebus, quæ humanis manibus ac viribus præſtari poterant. Præterea faciebat id ad fidem faciendam, Lazarum eſſe vere mortuum: cujus rei certum indicium fætor ex ſpelunca exhalans præbuit iis, qui lapidem amovebant.

Domine, jam olet: quatuor enim dierum eſt.] Martha exiſtimavit, Chriſtum ideo tolli juſſiſſe lapidem, quod vellet ingredi in monumentum ipſe, mortuumque amicum ſuum videre. Itaque monet Dominum de graveolentia corporis, quaſi dehortatura eum, ne ingrederetur. Colligebat autem ex eo corpus jam male olere, quia jam per dies quatuor jacuerat in ſepulchro. Corpora defunctorum illis temporibus non capulo includebantur, ſed ſimpliciter linteis involuta deponebantur in ſpeluncis. Apparet autem ex ſequenti reſponſione Chriſti, Martham de reſurrectione fratris ſui addubitare cœpiſſe. Credebat enim, impoſſibile eſſe, ut homo mortuus, qui jam putreſcere cœpit, in vitam revocetur.

Verſ. 40. *Dixit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, fore, ſi credideris, ut videas gloriam Dei?* Chriſtus id Marthæ non his ipſis verbis dixerat, ſed quod idem valebat: nempe cum dixit, fratrem ejus reſurrecturum, ſupra ℣. 23. & ſe eſſe reſurrectionem ac vitam ℣. 25. & cum quæſivit, an hoc crederet? ℣. 26. Nominat autem hic Chriſtus non ſuam, ſed Dei gloriam, quæ erat ſcopus ac ultimus finis omnium miraculorum Chriſti: atque hæc gloria ac majeſtas divina præcipue quoque in hoc Chriſti miraculo eluxit.

Verſ. 41. *Suſtulerunt ergo lapidem è loco, ubi mortuus fuerat poſitus. Jeſus autem elevatis oculis ſurſum dixit: Pater gratias ago tibi, quod exaudieris me.*] Suſtulerunt lapidem, intellige famuli & miniſtri Marthæ & Mariæ.

Eo loco ubi mortuus fuerat poſitus.] Hæc verba neque in Vulgata Latina editione habentur, neque in Syriaca, ſed in pleriſque tamen codicibus Græcis leguntur.

Jeſus autem elevatis oculis ſurſum.] Hac de re vide ad Luc. 18. 13.

Pater, gratias ago tibi.] Pro omnibus beneficiis Deo agendæ ſunt gratiæ, quocunque etiam modo ea conſequamur. Ipſe enim eſt, à quo omne bonum donum ac perfectum deſcendit, Jac. 1. 17.

Quod audieris me.] Ex his verbis non ſequitur neceſſario, Chriſtum prius Patrem ſuum invocaſſe. Dicitur enim de Deo per Hebraiſmum, eum exaudire, quando beneficium aliquod exhibet, etſi non rogatus. Vide Pſal. 20. 2, 7. & Eſai. 65. 24. Itaque gratias hic Chriſtus agit Patri ſuo pro illa divina virtute, qua ipſum repleverat, qua non hoc ſolum, ſed & alia omnia fecit miracula. Non enim erat neceſſe, ut Chriſtus ſubinde virtutem hanc precibus à Deo obtineret, ſed ſemel ea unctus ac imbutus, ſemper eam habuit in ſe manentem, eaque pro arbitrio ſuo uti poterat. Quam miſera enim eſt interpretatio eorum, qui ajunt, Chriſtum hic petiiſſe à Patre, ut ſibi liceret per eum divinam ſuam virtutem exerere (id eſt) demonſtrare, ſe eſſe Deum altiſſimum) in excitando Lazaro. Patremque ejus hanc orationem exaudiviſſe? Vide Piſcatorem in hunc locum. Quid enim opus eſt, ut is Deum oret, qui ipſe eſt Deus Altiſſimus? An forte Chriſtus rogavit Patrem, ut liceret per eum humanæ naturæ ſuæ, æternam Deitatem demonſtrare? Quis vero hoc intelligat? imo quis non intelligat, id abſurdum eſſe & male ſonare.

Verſ. 42. *Ego vero ſciebam, me ſemper à te audiri: ſed propter turbam circumſtantem dixi, ut credant, me à te miſſum eſſe.*] Quaſi dicat: Non dico id propterea, quod mihi potentia iſta, qua hunc mortuum excitabo, tanquam novum beneficium, à te fuerit impetranda, ut alii de me ſentiunt. (vide ℣. 22. ſupra.) Tu enim mihi ſemper virtute tua aſſiſtis.

Sed propter turbam circumſtantem dixi.] Id eſt, Propterea id dixi, ne forte populus, qui me circumſtat putet, me mihi ipſi arrogare hanc virtutem ac poteſtatem, vel me uti auxilio principis dæmoniorum Luc. 11. 15. aut colere alium Deum, præter te, quem etiam ſe colere hic populus agnoſcit.

Ut

Ut credant, me à te miſſum eſſe.] Ut exinde colligant, & cognoſcant, me verum eſſe legatum tuum, dum vident, me omnia ad laudem & gloriam divini nominis tui facere, me mihi nihil tribuere, me potentiam Diaboli & mortis frangere.

PARS II.

Verſ. 43. *ET cum hæc dixiſſet, clamavit voce magna: Lazare veni foras.*] Non ſummiſſa voce quaſi Magica verba, quæ intelligi nequeunt, profert, ſed clara voce demonſtrat divinam ſuam potentiam, dum nuda voce mortuum facit reſurgere. Propoſitus hic nobis eſt typus futuræ univerſalis reſurrectionis, ubi Dominus cum celeuſmate veniet, & mortuos è ſepulchris evocabit, vide Matth. 24. 31. 1 Theſſ. 4. 16.

Lazare veni foras.] Non tantum dicit, ſurge, ut ad illam puellam apud Marcum cap. 5. 41. Sed jubet eum exire è monumento, quod majus eſt. Verba hujuſmodi non habent vim ullam in ſe agendi, ſed ſolummodo ſunt indicium potentiæ ac virtutis, quæ à loquente exeritur. Vide quæ dicta ſint ad Marc. 1. 5.

Verſ. 44. *Tum qui mortuus fuerat, prodiit, ligatus pedes & manus faſciis: vultus autem ejus ſudario erat obvinctus. Dicit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire.*] Prodit, qui mortuus fuerat ex morbo, non ſolum vivus, ſed & ſanus.

Ligatus pedes & manus faſciis.] Mortuorum corpora integra cum pedibus & manibus ſolebant variis linteis involvi infantium inſtar, qui faſciis ligantur: caput vero & facies ſudario tegebatur.

Solvite eum.] Hoc Chriſtus dicit iterum domeſticis ac famulis illarum duarum ſororum. Exiſtimant nonnulli, in hoc miraculo edendo novum editum eſſe miraculum, quod Lazarus è monumento exierit, cum eſſet ligatus manibus & pedibus. Sed ſtatuendum eſt, eum cum in vitam eſſet revocatus, ſeſe erexiſſe, & utcunque ſurrexiſſe: poſtea autem Chriſtum præcepiſſe ſolvi vincula, quibus ligatus erat, ut libere incedere ac domum ſe conferre poſſet.

Sinite abire.] Nempe domum. Chriſtus vero eum comitatus non eſt, ne videretur gloriam ſuam quærere, eumque ſecum velut ad triumphum ducere.

PARS III.

Verſ. 45. *MUlti ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & ſpectarunt, quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.*] Jam deſcribit Evangeliſta, quid miraculum hoc in circumſtante populo effecerit: nempe quod nonnulli crediderint in Chriſtum; nonnulli vero decurrerint ad Phariſæos, eiſque rei geſtæ nuncium detulerint.

Multi ex Judæis &c. Crediderunt.] Non omnes, qui aderant, ſed multi ex eis crediderunt, id eſt, magnitudine & certitudine hujus miraculi adducti ſunt ad credendum, non ſolum eum à Deo miſſum eſſe, verum etiam certo Meſſiam eſſe.

Verſ. 46. *Quidam autem ex eis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Jeſus.*] Quidam ex eis, intellige, Judæis qui miraculum hoc viderant, non ex iis, qui crediderant. Iſti fuerunt homines extremæ improbitatis, quorum animi ne tam evidentiſſimo quidem ac diviniſſimo miraculo convinci potuerunt, vide Luc. 16. 31. Tales in malitia obfirmati homines, ſolent abſurdiſſima quæque comminiſci potius, quam ad fidem cupiditatibus ſuis contrariam ſuſcipiendam animum appellere.

Abierunt ad Phariſæos.] Ad præcipuos ſcilicet, qui è Senatu ſeu Synedrio erant.

Et dixerunt eis.] Eo fine, ut Chriſto majus odium conflarent, & horum iracundiæ erga illum faces ſubjicerent. Hoc autem ideo narrat Euangeliſta, ut intelligatur origo & occaſio, ex qua Phariſæi ſenatum adverſus Chriſtum convocarunt, & de ejus capite comitia egerunt.

Verſ. 47. *Congregarunt ergo primarii Sacerdotes & Phariſæi Synedrium, & dicebant: Quid facimus? nam hic homo multa ſigna edit.*] Conjunctio *ergo* reſpicit ad præcedentia. Nempe cum quidam ex iis, qui miraculum oculis ſuis viderant, id Phariſæis renunciaſſent, tunc congregarunt Phariſæi Synedrium. Viſum enim eſt, jam tempus eſſe, ut huic malo ſerio occurratur, poſtquam miracula Chriſti ad ſummum quodammodo faſtigium venerunt. Itaque occaſio hujus Concilii non alia fuit, quam inſigne hoc miraculum reſuſcitationis Lazari.

Primarii Sacerdotes.] Nimirum Cajaphas, qui erat tunc temporis Pontifex Maximus, & Annas Socer ejus, qui ante illum Pontificatum geſſerat, cujuſque conſilio Cajaphas potiſſimum regebatur, vide Luc. 3. 2. & infra 18. 13, 24. Act. 4. 6. Vel Cajaphas & Sacerdotes reliqui è 24. (vide Matth. 2. ℣. 4.) qui tunc in Senatu fuerunt.

Et Phariſæi.] Senatum quidem convocavit Cajaphas & Annas, ſed impulſu & inſtinctu Phariſæorum: eorum ſcilicet, qui è Senatoribus erant Phariſaicæ ſectæ addicti. Sedebant enim Phariſæi in Synedrio non tanquam Phariſæi, ſed tanquam Sacerdotes primarii ex numero 24. vel tanquam Scribæ aut Seniores populi.

Synedrium.] Id eſt, Senatum ſeu Concilium, quod ex primariis Sacerdotibus, Scribis ac Senioribus populi conſtabat. Itaque id, quod hic tantum Sacerdotum primariorum & Phariſæorum fiat mentio, non etiam Seniorum, qui ad Concilium quoque pertinebant, argumento non eſt, hanc Concilii congregationem aliam fuiſſe, ab ea, cujus meminit Matthæus cap. 26. 3. Hoc enim ſibi vult Johannes; principes Sacerdotum Cajapham & Annam, potiſſimum incitantibus Phariſæis Senatum congregaſſe, id eſt, eos qui ad Concilium pertinebant, adeoque etiam ſeniores ad capiendum conſilium convocari curaſſe. Scopus autem & cauſa hujus convocationis erat, ut conſultarent de modo ac ratione Chriſtum è medio tollendi. Facile enim prævidere ac credere poterant, magnitudinem ac irrefragibilem veritatem hujus miraculi magnam Chriſto auctoritatem in populo conciliaturam: quod cum non poſſet non multum derogare ipſorum auctoritati ac poteſtati, quam ſibi in populum Dei arrogabant, ſerio,

ſerio ſibi deliberandum duxerunt, quomodo malum hoc averti poſſit.

Quid facimus?] Id eſt, quid nobis faciendum eſt? Locutio familiaris eſt illis, qui de re aliqua deliberant.

Hic homo multa ſigna edit.] Tanta fuit iſtorum hominum pervicacia, ut id quod eos ad credendum in Chriſtum adducere debuerat, odio & rabie animos eorum adverſus ipſum repleret. Eam ipſam ob cauſam, quod Chriſtus tam multa ſigna ederet, cum tot hominum bono ac ſolatio conjuncta; debebant potius deliberare, quomodo eum in civitate retinere, & maximis honoribus beneficia ejus tam ingentia compenſare poſſent.

Verſ. 48. *Si eum ſic omittimus, omnes credent in ipſum, venientque Romani, & tollent noſtrum tum locum, tum gentem.*] O homines vecordes! quaſi in ipſorum eſſet poteſtate, virtutem divinam, quæ per Chriſtum operabatur, inhibere aut impedire.

Omnes credent in ipſum.] Id eſt, agnoſcent eum pro Meſſia, & pro Rege populi ſuſcipient. Hoc nimirum erat malum illud magnum, quod adeo metuebant, ne univerſus Judaicus populus in eum crederet, id eſt, ne id faceret, quod Sacerdotes & Phariſæos primum & ante alios facere oportuit. Præ odio & invidia ipſi, quid loquantur, ignorant. Dum enim maxime miracula Chriſti obſcurare volunt, clariſſimum eis ipſi præbent teſtimonium. Nam agnoſcunt, tantam eis ineſſe vim, ut univerſum populum poſſint adducere ad fidem in Chriſtum ſuſcipiendam, ni id impediatur.

Venientque Romani.] Quid attinebat id adeo curare, deque eo ſolicitum eſſe? Etenim ſi is fuit Meſſias, ut miracula ejus firmiter teſtabantur, omnes debebant in eum credere, etiamſi Romani veniſſent, & locum iſtum ac gentem ſuſtuliſſent. Quod enim à Deo proficiſcitur, id omnibus humanis reſpectibus ac conſiderationibus anteponendum eſt. Sed præterea hæc eorum cura ac ſolicitudo vana fuit & inutilis. Nam ſi omnes in Chriſtum credidiſſent, Romani non veniſſent, locumque illum ac gentem non deleviſſent: quia ſi credidiſſent in Chriſtum, non fuiſſent facti Romanis rebelles, ſed ab eo didiciſſent, cuivis etiam infideli ac Ethnico Magiſtratui debitam præſtare obedientiam ac ſubjectionem: prout deinceps Apoſtoli docuerunt, Rom. cap. 13. 1. Eph. 6. 8. Col. 3. 22. 1 Tim. 6. 1. Tit. cap. 2. 9. 1 Pet. 2. 17, 18. Ipſe Chriſtus adeo omnem rebellionis ſuſpicionem fugit, ut cum eum populus Regem creare vellet, ſe ſubduceret, Joh. 6. 15. At contra quia Judæi in Chriſtum credere noluerunt neque eum pro ſuo ſpirituali Rege ſuſcipere, illud ipſum malum ſibi accerſiverunt, quod adeo timuerunt, veneruntque Romani, & locum & gentem eorum perdiderunt. Nam ut ait Salomon Prov. 10. ℣. 24. *quod formidat improbus, eveniet ei.*

Et tollent noſtrum tum locum, tum gentem.] Id eſt, civitatem hanc & Templum evertent, gentemque noſtram exſtirpabunt ac diſſipabunt. Hebraiſmus eſt in his verbis: cui ſimilem vide Oſe. 1. 6. Ita etiam per *hunc locum* urbs ac templum intelligitur Act. 6. 13, 14.

Verſ. 49. *Unus autem ex ipſis, Cajaphas, Pontifex Maximus anni illius, dixit eis: Vos nihil ſcitis.*] Dicitur Cajaphas Pontifex Maximus anni illius fuiſſe, non quod ſingulis annis Pontifices mutarentur, ſed quod ſæpe id fieret; ut ex Joſepho liquet: quem morem ambitio eorum contra Legem invexit, ut nimirum plures dignitate iſta defungi poſſent; cum juxta Legem debuerit Pontificalis dignitas eſſe perpetua & nonniſi cum vita ceſſare. Matth. 26. 3. Hieronymus putat, Cajapham munus Pontificale pretio ab Herode obtinuiſſe. Ideo autem Johannes indicat, Cajapham anno illo Pontificem fuiſſe maximum, ut ſignificaret cauſam, cur Prophetico Spiritu locutus ſit; prout ipſe mox declarat.

Vos nihil ſcitis.] Vos eſtis tam imprudentes ac obtuſi ingenii, ut in re tam facili longa deliberatione voſmet fruſtra fatigetis.

Verſ. 50. *Nec cogitatis, conducere nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.*] Hic habemus clariſſimum ſpecimen mundanæ ſapientiæ, quæ non ſpectat quid honeſtum juſtumque ſit, ſed tantum quid ſit utile. Eſt autem revera ſceleratiſſima ac impia doctrina, quam ſapientes hujus ſeculi defendunt, quod nimirum publicum bonum Reipublicæ aut populi ſit honeſtati ac juſtitiæ anteferendum; ita ut liceat tale facinus admittere, quod per ſe turpe eſt ac impium, ſi modo id in bonum ac conſervationem publici ſtatus, ſeu ſalutem populi (quæ ſapientibus iſtis Politicis ſuprema lex eſt) cedere queat. In tali enim caſu, ajunt id quod per ſe inhoneſtum ac injuſtum erat, immutare naturam ſuam, & propter commune bonum fieri honeſtum juſtumque. Hac mundana ſapientia hic utitur quoque Cajaphas, qui caput erat Synedrii. Non jubet conſiderari, an Jeſus ſit Propheta necne, an mali quippiam fecerit, an potius omnibus hominibus benefecerit, & quidem per miracula inuſitata: ſed hoc ſolum ſpectat, quid Judaico populo utile eſſe atque conducere poſſit. Cenſet autem Chriſti conſervationem, populi interitum, illius vero mortem ac interitum, populi conſervationem fore. Itaque hoc dat conſilium, ſatius eſſe, ut Chriſtus intereat, quam populus.

Ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat.] Cajaphas hoc ſermone ſuam ſententiam, quæ eo tendebat, ut Chriſtus tolleretur è medio, confirmat, & indicat, neminèm tam inſipientem eſſe in Concilio, qui non cenſeat, ſi alterutrum fieri debeat, ſatius eſſe, ut unus homo pereat, quam tota Judaica natio perdatur. Quis enim neſcit vulgare dictum; è duobus malis, ſi neceſſario unum ſubeundum ſit, quod minimum eſt, eligendum eſſe? Sed etiamſi vera eſſet Politicorum doctrina, & quamvis liceret, commune bonum populi præferre honeſtati atque juſtitiæ, id tamen hic locum non haberet. Cajaphas enim pro conceſſo ſumit, quod tamen falſum eſt, nec ulla ſolida ratione ab eo probari poterat, nempe, totam gentem perituram, ſi hic unus homo Jeſus diutius vivere permitteretur. Romani, ut ante jam innuimus, nihil erat, quod ſibi à Spirituali Rege metuerent, ac proinde etiam non erat quod populus mali quippiam à Romanis expectaretet, ſi omnes in Chriſtum credidiſſent. At Cajaphæ non tam curæ erat ſalus populi, quam in ſpeciem

tantum

tantum obtendebat, ſed potius conſervatio ſuæ ipſius dignitatis Pontificalis, atque auctoritatis Sacerdotalis, cui per doctrinam Chriſti qua populus ad Chriſtum convertebatur, plurimum detrahebatur. Ita ſalus publica & bonum Reipublicæ ſæpius privatarum tantum cupiditatum integumentum eſt.

Verſ. 51. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex Maximus anni illius, prophetavit fore, ut Jeſus pro gente moreretur.*] Hoc dixit non à ſemetipſo, id eſt, non temere, non caſu, ſed ſingulari directione Dei, qui ita verba ejus moderatus eſt, ut ille malum alioqui conſilium, quod in animo ſuo excoxerat, hujuſmodi proferret verbis, quæ tum animum ejus impium proderent, tum ſimul etiam prophetiam in ſe continerent. Conſilium enim illius fuit, præſtare, unum hominem ſupplicio affici, quam, ſi is ſuperſtes relinquatur, totum populum à Romanis exterminari. Conſilium autem Dei, quod in his ejus verbis latebat, fuit præſtare, ut unus homo Jeſus moreretur, quam ut totus populus in peccatis ſuis maneret & ſic æternum periret.

Sed cum eſſet Pontifex Maximus anni illius, prophetavit.] Indicat his verbis Euangeliſta cauſam, ob quam Cajaphas prophetaverit, non quod homo alioqui improbus dignus eſſet, ut per os ejus Spiritus Sanctus loqueretur; ſed quia Pontifex Maximus erat illo anno. Duplex autem poteſt eſſe horum verborum ſenſus. Primo, quod Cajaphas ideo prophetavit, quia erat Pontifex Maximus, quaſi Spiritus prophetiæ alligatus fuerit muneri Pontificis Maximi. Deinde, quod cum Deus voluerit myſterium mortis Filii ſui prophetico prænunciari Spiritu, id maluerit potius per ſummum Pontificem fieri, quam per alium vulgarem hominem. Qui poſterior ſenſus præferendus eſt priori, quia nuſquam legimus, donum Prophetiæ ita annexum fuiſſe Pontificiæ dignitati, ut eo omnes Pontifices Maximi fuerint prædi ti. Etſi vero Deus nunquam ſe ad certum hominum genus aut ſtatum adſtringat, quando res arcanas annunciari vult; quod exempla omnium Prophetarum demonſtrant: tamen ipſa dictat ratio, quando Deus talia revelare vult, quæ totius populi bonum ſpectant, id commodius per primores ac rectores populi fieri, quam per alios. Ita legimus, Pharaonem (Gen. 41. 2, 3, 4) Nabuchodonoſorem (Dan. 4. 2.) Balaamum (Num. 24. 5, 17.) illos quidem duos per ſomnium, hunc vero vigilantem futura vidiſſe. Urim & Thumim (id eſt, pectorale Pontificis Maximi, de quo Exod. 39. 8.) nemini licebat conſulere, niſi Regibus ac principibus populi. Cum ergo Cajaphas, utpote ſummus Pontifex, in ſuprema eſſet poſitus dignitate, & quaſi Princeps populi, uſus eſt Deus ore ipſius tanquam inſtrumento ad prophetandum, tametſi alioqui homo nefarius eſſet. Vide plura hac de re dicta ad Matth. 7. 22. Hinc autem Pontificii nullum poſſunt ſumere argumentum pro ſua ſententia, quod etiam improbus Pontifex poſſit ita aſſiſtentem ſibi habere Spiritum Sanctum, ut omnia quæ in rebus fidei docet ac præcipit, abſque omni controverſia, tanquam divina oracula, exoſculanda & adoranda ſint. Magnum enim diſcrimen eſt inter Spiritum Propheticum, & inter Spiritum Sanctum. Imo etiam ipſe Spiritus Prophetiæ eſt non unius generis: ſicut hic in Cajapha videmus, qui non tali Spiritu Prophetico verba hæc protulit quali ſolebant Prophetæ loqui. Prophetæ ex profeſſo à Deo erant miſſi, ut populo in nomine Dei peccata ejus ob oculos ponerent, judiciaque divina, nec non alia futura ei annunciarent: quem in finem non modica menſura Spiritum Prophetiæ accęperant, & ipſi quoque ſancti homines eſſe debebant, qui ipſi ab illis peccatis immunes eſſent, de quibus populum arguebant. Cajaphas autem non fuit Propheta ejuſmodi à Deo miſſus; ideo etiam talem Spiritum Prophetiæ non habuit, qualem habuerunt Prophetæ, ſed quemadmodum Deus vulgo improborum conſilia & facta, ſæpenumero arcano inſtinctu, quem illi à Deo eſſe non ſentiunt, ita dirigere ſolet, ut longe alium eventum ſortiantur, quam illi ſibi propoſuerant, ſic impii quoque Caiphæ neſarium conſilium hic eo direxit modo per Spiritum ſuum, ut id talibus proferret verbis, quæ myſterium ingens de inſigni fructu mortis Chriſti in ſe continebant.

Quod autem Spiritum Sanctum attinet, qui fidelibus ſub Novo Fœdere promiſſus eſt, longe præſtantius hoc donum eſt, quam Spiritus Propheticus, quem etiam maximi Prophetæ ſub Veteri Fœdere habuerunt. Ille enim habet vim homines non ſolum in omnem veritatem deducendi, ſed etiam animos eorum ab omni labe peccati repurgandi: ita ut hoc ſit certiſſimum argumentum atque indicium, hominem illum carere Spiritu Sancto, qui ſeſe peccatis & impietate contaminat; ideoque talis in eo quod loquitur ac præcipit, ad inſtinctum & arcanam Spiritus Sancti revelationem provocare non poteſt. Ita fieri quidem poſſet, ut ad exemplum Cajaphæ, Deus impii alicujus Papæ impium ſermonem Spiritu ſuo dirigeret, ſic, ut tacitam in ſe contineret prophetiam, quam tamen ille ipſe tam parum intelligat, quam Cajaphas divinam mentem verbis ſuis incluſam intellexit, aut alius quiſquam è Senatoribus Synedrii. Sed ut in Papa aliquo, qui ſit ſcortator, mœchus, draucus, inceſtuoſus, magus, idololatra, imo qui nec Deum, nec vitam æternam credat, quales non pauci inter Papas fuerunt, Spiritus Sanctus habitet, cujus ope in omnibus fidei controverſiis veram tradere doctrinam, & infallbilem deciſionem facere poſſit, id eſt contra naturam Spiritus Sancti. Quomodo enim fieri poſſet, ut Spiritus Sanctus, qui tantam vim in homine illo exerit, non eum etiam ab immunditie tam enormium & abominandorum ſcelerum ablueret, mundumque ac caſtum redderet? Præclare dixit unus ex antiquis Doctor Eccleſiæ: Sicut fætor columbas, & fumus pellit apes, ita peccata expellunt Spiritum Sanctum.

Ut Jeſus pro gente moreretur.] Id eſt, Deum permiſſurum, ut Jeſus occideretur, mortemque ejus ad eum finem directurum, ut cedat in ſalutem æternam iis è populo, qui adhuc aliqua divinæ majeſtatis reverentia ducuntur, & in Chriſtum credent. Morte enim Chriſti, quam ille propter doctrinam ſuam ſuſtinuit, præſertim poſtquam ex morte reſuſcitatus eſt, talibus hominibus certa fides facta eſt, doctrinam ejus vere Deum habere auctorem, atque hac ratione adducti ſunt ad credendum in Chriſtum, & pœnitentiam agendam.

Pro

Pro gente.] Id eſt, pro gente Judaica: ut ex verſu ſequenti & Luc. 7. 5. Joh. 18. 35. liquet. Mortuus autem eſt Chriſtus pro populo, ſeu gente, id eſt, pro optima parte gentis, nempe pro illis, quos mors Chriſti ad veram pœnitentiam adduxit.

Verſ. 52. *Nec tantum pro ea gente, ſed ut etiam filios Dei diſperſos congregaret in unum.*] Per gentem, ut diximus, intelligit Judaicum populum: per filios Dei autem diſperſos, intelligit omnes eos, qui ex reliquis populis Ethnicis crediturí erant in Chriſtum. Hos vocat filios Dei, non quod tunc jam eſſent, ſed quod olim futuri eſſent tales. Sic etiam ſupra dicit Chriſtus cap. 10. 16. *Habeo alias oves*, (id eſt, inter Ethnicos) *quæ non ſunt ex hoc ovili* (Judaici populi) *illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, fietque unus grex & unus paſtor.* Ubi Ethnicos, qui aliquando in eum erant credituri, oves ſuas vocat, etſi nondum tunc tales eſſent. Non eſt autem exiſtimandum, hoc loco per filios Dei, certas perſonas nominatim, quas Deus immutabili decreto ſuo ab æterno elegerit, intelligi: ſed in genere fideles è gentilibus intelliguntur, quicunque illi fuerint. Alioqui de illis dicitur, quod ex Deo nati ſint, adeoque ſint Filii Dei, qui apti ſunt ad doctrinam Chriſti ſuſcipiendam, id eſt, qui probo & ad pietatem propenſo ſunt animo.

Diſperſos.] Id eſt, qui non uno in loco ac regione, ut Judæi, ſed variis in locis, terris ac regionibus per univerſum Orbem habitant.

Congregaret in unum.] Id eſt, (ut ſupra Chriſtus loquitur cap. 10. 16.) ſimul cum ovibus è gente Judaica in unum ovile ſuæ Eccleſiæ, & ſub unum Paſtorem (qui eſt Chriſtus) redigeret. Confer Eph. cap. 2. 13.

Verſ. 53. *Ab illo ergo die, conſultabant una, ut interficerent eum.*] Non hic eſt iſtorum verborum ſenſus, tum demum cœpiſſe eos conſultare, an Chriſtus ſit interficiendus. Impium enim Cajaphæ conſilium ita aliis omnibus placuit, ut protinus concluderent, Chriſtum interimendum eſſe, ſive jure ſive injuria id fiat. Sed ſenſus eſt, eos deliberaſſe ab illo tempore de modo ac mediis, eum capiendi, accuſandi, & ad mortem damnandi: Marcus ait: *Primarii Sacerdotes & Scribæ quærebant, quomodo eum dolo prehenſum trucidarent*, cap. 14. 1. Duplici autem de cauſa hoc Euangeliſta commemorat. Primo, ut intelligatur, cum Chriſtus poſtea ad judicium adductus & conſentientibus omnium ſuffragiis damnatus eſt, nullam legitimam ac juſtam cauſam damnationis ejus fuiſſe, quandoquidem jam in hoc conventu ſine ulla prævia cauſæ cognitione, inauditus & abſens prædamnatus ſit; omniaque illa, quæ illi deinceps objecta ſunt, habitaſque de diſcipulis ac doctrina ejus quæſtiones, nihil niſi ſpeciem fuiſſe, qua decreti ſui impietatem incruſtabant, quaſi ex lege agerent, & non ante eum condemnarent, quam cauſa ejus juridice eſſet examinata. Deinde ut cauſam oſtendat, cur Chriſtus poſtea non amplius aperte ac palam in Judæa verſatus ſit, ut verſu ſequente dicitur: quia videlicet norat, quid de eo in Senatu decretum eſſet.

Ab illo die.] Exemplaria nonnulla Græca habent, *Ab illa hora.*

PARS III.

Verſ. 54. *JEſus ergo palam amplius non ambulabat inter Judæos: ſed abiit illinc in regionem, quæ eſt prope deſertum, in urbem quæ dicitur Ephraim; & ibi morabatur cum diſcipulis.*] Palàm non ambulabat, id eſt, ita in publico, ut ab unoquoque videri poſſet. Hoc vero Chriſtus non faciebat animo meticuloſo ac trepido. Quid enim ille metueret homines, qui etiam ſuper malos genios habebat poteſtatem? Sed ne ante tempus morti ſuæ deſtinatum, hoſtes ſuos irritaret, & ad majus odium adverſus ſe provocaret: utque per abſentiam ſuam in non plane deſperatis deſiderium ſui excitaret; quemadmodum ex ſequentibus intelligitur. Quæ Chriſti occultatio effecit poſtea, ut ingreſſus ejus in civitatem Hieroſolymam (quem deſcripſit Matthæus cap. 21.) tanto glorioſior & majori cum lætitia & applauſu populi fuerit conjunctus. Docuit etiam nos Chriſtus exemplo ſuo, nequaquam peccatum eſſe, furori inimicorum cedere; & ſatius eſſe, fugiendo materiem iræ ſubtrahere, quam manendo oleum camino affundere. Huc pertinet illud Amos 5. 13. *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.*

Ephraim.] Ubi ſita fuerit hæc civitas, incertum eſt. Aliqui putant, eſſe Ephratam, quæ alias Betlehem dicta fuit, ubi Chriſtus eſt genitus, quæque non procul à deſerto diſtabat. Sed veriſimillimum eſt, fuiſſe aliquam è civitatibus tribus Ephraim, quæ à ſua tribu nomen obtinuit: fortaſſis propterea, quia reliquiæ tribus Ephraim, quæ poſt magnam illam ſtragem à Jephtha editam (Jud. 12. 6.) ſuperſtites manſere, eo ſe contulerant.

Verſ. 55. *Prope autem erat Paſcha Judæorum; & aſcenderunt multi Hieroſolymam ex illa regione ante Paſcha, ut purificarent ſe.*] Hoc erat ultimum Paſcha, quod Chriſtus paucis poſt diebus cum diſcipulis celebravit.

Ex illa regione.] Puta ex illa, in qua ſita erat urbs Ephraim, quo ſe Chriſtus receperat; ubi eum iſti reliquerant.

Ante Paſcha, ut ſe purificarent.] Qui nimirum aliqua ratione ſe immundos reddiderant, paulo maturius veniunt Hieroſolymam, ut ſecundum Legis præſcriptum ſacrificiis expiarentur atque ad feſtum ſanctificarentur. Nulli enim immundo fas erat veſci agno Paſchali. Ideo Judæi infra cap. 18. 28. noluerunt ingredi Prætorium, ne contaminarentur, ſed ut Paſcha edere poſſent. Præterea poterant ex his aliqui etiam Nazoræi fuiſſe, qui vota ſua in tam ſolenni feſto exſolvebant. Alii quoque ſolebant dies aliquot ante feſtum precibus vacare.

Verſ. 56. *Quærebant ergo Jeſum, & loquebantur alii cum aliis in Templo ſtantes: Quid videtur vobis, an venturus non eſt ad feſtum?* Quærebant Jeſum, deſiderio videndi ejus miracula.

In Templo ſtantes.] Ubi Chriſtus ſolebat quoque comparere, & populum docere.

An venturus non eſt ad feſtum?] Dubitabant, utrum venturus eſſet: alii affirmabant, quia nunquam ſolebat abeſſe à feſto; alii negabant, propter periculum.

Verſ. 57. *Dederant autem primarii Sacerdotes & Phariſæi mandatum, ut ſi quis noſſet, ubi eſſet, indicaret, ut prehenderent eum.*] His verbis non redditur cauſa, cur illi Chriſtum quæſierint, quaſi illi hoc animo quæſiverint eum, ut eum primariis Sacerdotibus ac Phariſæis proderent: ſed mandatum hoc Sacerdotum refertur tanquam res ſingularis, ac diverſa; quod etiam arguit conjunctio *autem*.

Ut ſi quis noſſet, ubi eſſet, indicarent.] Talia edicta ſolent in graviſſimis criminibus promulgari cum annexa comminatione gravis pœnæ.

Ut prehenderent eum.] Ut eum in manus ac poteſtatem ſuam redigerent, & poſtea quomodo eum quam commodiſſime extinguere poſſent, conſilium caperent.

CAPUT XII.

Deeſt Partitio.

Verſ. 1. *Jeſus ergo ſex ante Paſcha diebus venit in Bethaniam, ubi erat Lazarus, qui fuerat mortuus, quem ſuſcitaverat ex mortuis.*] Conjunctio *ergo* reſpicit ad ſuperioris capitis 11. ℣. 54. & ſeqq. nempe cum alii jam præceſſiſſent eum Hieroſolymam, alii cum deſiderio expectarent, ipſe venit in Bethaniam. Chriſtus autem eo venit die, qui dicitur, Veneris, veſperi, cum Sabbatum inciperet (nam die Sabbati longum iter facere non licebat) adeo ut per Sabbatum in Bethania manſerit. Feſtum enim Paſchatis illo anno in Sabbatum incidebat; ut ad Matthæum annotavimus.

Ante Paſcha.] Gr. πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα, *ante ſex dies Paſchæ*. Locutio eſt Hebræa, vel ſi mavis, Syriaca.

In Bethaniam.] Qui vicus non procul ab Hieroſolyma erat remotus. Venit autem eo, ut ad implendam Prophetiam, aſino inſidens, Hieroſolymam ingrederetur: in quo ingreſſu, occaſione paulo ante editi in reſuſcitando Lazaro miraculi ſumma cum populi lætitia exceptus & deductus fuit: ut Matth. 21. deſcriptum legimus.

Ubi erat Lazarus.] Ubi Lazarus habitabat, & ubi poſt ſuam reſurrectionem remanſerat. Nolebat enim eum Chriſtus ſecum circumducere, ad vitandam ſuſpicionem propriæ gloriæ atque oſtentationis.

Verſ. 2. *Fecerunt igitur ei cœnam illic, & Martha miniſtrabat: Lazarus autem erat unus è diſcumbentibus cum eo.*] Fecerunt ei cœnam. Perſonale pro imperſonali: id eſt, apparata ei fuit cœna illic. Similis locutio eſt Mar. 3. 21. Cœna iſta ei parabatur die, qui vocatur, Saturni veſperi, cum jam Sabbatum præteriiſſet. Hinc unctionem Sabbatum non impediit. Judæis mos erat, aliquot diebus ante Paſcha amicos ſuos lautis excipere & tractare conviviis.

Hoc loco quæſtio incidit, quomodo hic Johannes cum Matthæo conciliandus ſit, apud quem Chriſtus cap. 26. 2. ad diſcipulos ſuos ait: *Scitis poſt biduum Paſcha fore.* Et deinceps ℣. 6. deſcribit demum hanc hiſtoriam de iſta Cœna. Hic autem inquit Johannes, cœnam iſtam habitam eſſe ſex diebus ante Paſcha. Sed jam ad Matthæum aliquoties monuimus, Euangeliſtas in narratione rerum geſtarum, non ſemper ſervare temporis ordinem, ſed ſæpius hiſtoriam aliquam deſcribere occaſione alicujus rei, quæ alio tempore, ante vel poſt, geſta eſt. Chronologia vero illorum ſex dierum, quorum hic Johannes meminit, ita ſe habet. Die Veneris veſperi, appetente jam Sabbato, Chriſtus venit Bethaniam: ibidem Sabbato feriatus eſt. Veſpertino tempore poſt exactum Sabbatum cœna hæc habita eſt. Poſtridie die ſolis Chriſtus aſino vectus intravit Hieroſolymam infra ℣. 12. eodem die veſperi rediit Bethaniam, ubi habebat hoſpitium Matth. 21. ℣. 17. Die Lunæ mane iterum abiit Hieroſolymam Matth. 21. 18. inque itinere edidit miraculum in ficu, quam areſecit. Cumque veniſſet Hieroſolymam, ingreſſus eſt Templum, ac tum omnia illa geſta ſunt, quæ Matthæus cap. 21. 23. & ſeqq. Eodem die Lunæ veſperi reverſus eſt in Bethaniam Marc. 11. 19. quo tempore diſcipuli ficum areſactam, fortaſſis quia jam obſcura lux erat, non viderunt. Die Martis mane repetiit Hieroſolymam, atque tunc Petrus areſactam ficum conſpexit, quia clara luce iter faciebant Marc. 11. 20, 27. Eo die omnes illi ſermones ſunt habiti, quos Matth. à cap. 21. 21. uſque ad cap. 26. refert. Eodem die veſperi probabile eſt, Chriſtum ſe in Bethaniam recepiſſe: quia Lucas dicit, eum interdiu docuiſſe in Templo, noctu vero exiviſſe, ac pernoctaſſe in monte Oliveti, ad cujus radices ſita erat Bethania, Luc. 21. 37. Die Mercurii videtur in Bethania manſiſſe, & veſperi eodem die verba illa locutus eſſe, quæ habentur apud Matthæum cap. 26. 2. *Scitis poſt biduum Paſcha fore*: ut ad Matthæum monuimus. Eodem die autem etiam habitum eſt Concilium illud, ſeu congregatio primariotum Sacerdotum, Scribarum ac Seniorum populi, cujus meminit Matthæus cap. 26. 3. & Johannes cap. 11. 47. Facta quoque tunc eſt illa veſpera proditio Judæ. Die Jovis veſperi Chriſtus venit Hieroſolymam, cumque ſuis diſcipulis Paſcha celebravit. Sequenti die Veneris Judæi agnum Paſchalem mactarunt inter duas veſperas. Maxima hujus hiſtoriæ pars ad Matth. 26. 6. explicata eſt.

Et Martha miniſtrabat.] Id eſt, illa erat inſtar matris familias, quæ omnia procurabat. In ejuſmodi epulis non ſolebant fœminæ ad menſam una accumbere. De Marthæ ſedulitate vide Luc. 10. 40.

Lazarus autem erat unus è diſcumbentibus cum eo.] Eum vere revixiſſe, poterat ex eo ſolo patere, quod comederit, vide Marc. 5. 43. Joh. 21. 13.

Verſ. 3. *Maria vero accepta libra unguenti nardi piſtici pretioſi, unxit pedes Jeſu, & exterſit capillis ſuis: domus autem impleta eſt odore unguenti.*] Prius illa lacrymas ſuas, quibus humectaverat Chriſti pedes, capillis ſuis exterſit Luc. 7. 38. & poſtea demum unxit pedes. Vide ſupra cap. 11. 2. Capilli ſunt maximum mulierum ornamentum; idcirco eos artificioſe plectere & accurate componere ſolent. Vide 1 Pet. 3. 3. Itaque id fuit ſignum valde mærentis animi, quod Maria capillis ſuis, qui complicati erant, pedes Chriſti exterſerit.

Domus

Domus autem impleta eſt odore inguenti.] Nardus enim habet odorem valde penetrantem, & fragrantem. Vide Cantic. Cant. 1. 11.

Verſ. 4. *Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Simonis, Iſcariotes, qui erat eum proditurus.*] Hic primus inchoavit hunc ſermonem animo malo ac fraudulento, reliqui, imprudenter aſſenſi ſunt.

Verſ. 5. *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum eſt pauperibus.*

Verſ. 6. *Dixit autem hoc, non quod pauperum ipſi cura eſſet, ſed quia fur erat, & marſupium habebat, & ea quæ immittebantur, portabat.*] Non erat ipſi cura pauperum, quia, ut additur, fur erat, & per conſequens alienæ miſeriæ ſenſu non tangebatur. Judas iſte eſt exemplum eorum, qui pietatem tantum commodis ac quæſtui ſuo obtendunt.

Sed quia fur erat.] Cogitabat, ſi unguentum hoc tam caro pretio fuiſſet venditum, habuiſſet quod furaretur. Furabatur autem vel quod ſibi metueret, ne è diſcipulorum numero excluderetur, vel propter pericula.

Quæ immittebantur.] Id eſt, quæ homines pii ac benefici Chriſto conferebant, ad neceſſitatem tum ipſius, tum pauperum.

Verſ. 7. *Dixit ergo Jeſus. Omitte eam, in diem funerationis meæ aſſervavit iſtud.*] Apud Marcum addit Chriſtus: Quid moleſtiam ei exhibetis? cap. 14. 6.

In diem funerationis meæ.] Vide Matth. 26. 12. Ex his verbis nonnulli colligunt, hanc Mariam fuiſſe Mariam Magdalenam, de qua Marcus cap. 16. ℣. 1. narrat, eam ad monumentum veniſſe ad ungendum Chriſtum. Sed Chriſtus loquitur hic non de re futura, ſed de præſenti: ut ex collatione Euangeliſtarum intelligitur. Præterea ſoror Lazari nunquam Magdalena vocatur. Adde quod ex Matth. cap. 27. 55, 56. Marc. 15. 40. pateat, Mariam Magdalenam è Galilæa fuiſſe; Lazari autem ſoror fuit è Bethania Joh. 11. 1. De Maria Magdalena perhibetur, ex ea ſeptem ejecta eſſe dæmonia Mar. cap. 16. 9. Luc. 8. 2. nihil tale de Lazari ſorore legitur. Et poſtquam Lucas cap. 7. 36. hiſtoriam de muliere, quæ Chriſtum unxit deſcripſiſſet, ſtatim ſequenti cap. 8. 2. enumerat fœminas quaſdam, quæ Chriſtum ſectabantur, atque inter eas nominatim Mariæ Magdalenæ meminit: quam ab aliis hac nota diſcriminat, quod ex ea Chriſtus ſeptem dæmonia ejecerit, cum potius cauſam habuiſſet, eam ex hoc peculiari facto deſcribendi, quod Chriſtum unxerit, ſi illa unxiſſet.

Verſ. 8. *Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.*] Habetis, pro habebitis. Præſens pro futuro: ut infra cap. 16. 10. & alibi.

Verſ. 9. *Cognovit ergo turba multa ex Judæis, eum illic eſſe: & venerunt non propter Jeſum tantum, ſed etiam ut Lazarum viderent, quem excitarat à mortuis.*] Chriſtus diem unum atque alterum commoratus eſt in Bethania: interea reſcivit turba, eum illic eſſe.

Ex Judæis.] Nempe Hieroſolymitanis: ut ſupra cap. 11. 19, 45. indicatur.

Sed etiam ut Lazarum viderent.] Fama adventus Chriſti etiam famam de reſuſcitatione Lazari reſuſcitavit. Non abſurde quidam conjiciunt, homines iſtos examinaſſe proculdubio Lazarum de variis mortis circumſtantiis, ubi fuerit, cum eſſet mortuus, quid in illo ſeculo, vel potius in inferno viderit, quid ſenſerit? Sed credibile eſt, eum nihil referre potuiſſe, cum mortuus nihil videre, nihil audire, vel ſentire potuerit. Quod vero non antequam eò Chriſtus veniret, exiverint ad Lazarum videndum, cauſa eſſe potuit, quod hoc tam ingens miraculum non uſque adeo in animum admiſerint & conſiderarint, ideoque temporis & moleſtiæ tantum impendere noluerint, ut ſolius Lazari videndi cauſa iter ſuſciperent. Sed poſtea ubi de adventu Chriſti audiverunt, ad utrumque videndum iter ingreſſi ſunt.

Verſ. 10. *Conſultarunt autem primarii Sacerdotes, ut Lazarum etiam interimerent.*] Primarii Sacerdotes conſultarunt, ſubintellige, una cum aliis Senatoribus Synedrii.

Conſultarunt.] Græca vox βουλεύω, *conſultare* ſignificat hic in conſilio vel poſt conſilium decernere ac conſtituere. Hoc ſignificatu ſumitur etiam vox iſta Act. 5. 33. 2 Cor. 1. 12.

Ut Lazarum etiam interficerent.] Chriſtum volebant interimere, eo prætextu, quod Sabbatum tranſgrederetur, quod ſe Regem Judæorum faceret, quodque multi in eum crederent. Lazarus autem quid mali fecit? An ideo interficiendus erat, quia revixerat? Quæ ipſius in eo culpa, quod eum Chriſtus à mortuis excitarit? Sed ſequenti verſiculo indicat Euangeliſta cauſam.

Verſ. 11. *Quia multi ex Judæis propter eum abibant, & credebant in Jeſum.*] Hæc fuit cauſa, cur Lazarum interimere voluerint primarii Sacerdotes, quia conſpectus ejus fuit perpetua commemoratio ingentis in eo editi miraculi, quo indies plures homines ad credendum in Jeſum permovebantur. An vero per Lazarum ſtabat, quominus illi in Jeſum crederent? Mera malitia in hominum iſtorum animis regnabat, ut non ſolum Chriſto miraculi iſtius gloriam, ſed & Lazaro beneficium à Chriſto acceptum inviderent: ideo eum interficere voluerunt. Ob eandem cauſam etiam cœcum è Synagoga ejecerunt ſupra cap. 9. 34. Quam parum illis ad ſaniorem mentem profuit conſilium Cajaphæ, quod conducat, ut unus homo pro populo moriatur; cum non contenti fuerint unum Jeſum è vita tollere, ſed hunc etiam prorſus innoxium hominem interficere voluerint, cui ne umbram quidem ac ſpeciem factionis ullam objicere poterant. Tantum in hominibus impiis potuit ambitio & cupiditas abſque limitatione dominandi.

Propter eum abibant, & credebant in Jeſum.] Id eſt, relicta civitate, exiverunt ad eum in Bethaniam.

Verſ. 12. *Poſtero die turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent Jeſum venire Hieroſolymam.*] Poſtridie id factum eſt, poſt habitam cœnam illam, in qua Chriſtum unxit Maria. Explicationem hujus hiſtoriæ uſque ad ℣. 17. vide ad Matthæum cap. 21. 1, 2. & ſeqq.

Turba multa, quæ venerat ad diem feſtum.] Quo magis appropinquavit feſtum, eo magis creſcebat Hieroſolymis populi multitudo, pluresque confluebant in civitatem undique.

Jeſum venire Hieroſolymam.] Nempe ex Bethania.

Verſ. 13. *Acceperunt ramos palmarum, & prodierunt ei obviam, & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraëlis.*] Rami palmarum erant ſignum lætitiæ ac triumphi.

Rex Iſraëlis.] Id eſt, ille promiſſus Meſſias. Ita Chriſtus paulo ante mortem ſuam Regni ſui ſpecimen edidit, & quale iſtud regnum ſit indicavit; nimirum non terrenum, quod in carnali ſplendore conſiſtat: ſed ſpirituale, in quo is divina virtute hominum animos ſibi obnoxios reddat.

Verſ. 14. *Inveniens autem Jeſus aſellum, inſedit ei, ſicut ſcriptum eſt.*] Inveniens, id eſt nactus & adeptus per diſcipulos ſuos. Vide Matth. 21. 2. Ita etiam verbum inveniendi ſumitur Luc. 1. 30.

Aſellum.] Intellige jam adultum & ejus ætatis, ut jam ſeſſorem pati poſſet, quamvis nemo adhuc in eo ſederit, Marc. 11. 2.

Verſ. 15. *Ne metue filia Sionis: ecce Rex tuus venit, inſidens pullo aſinæ.*] Ne metue, id eſt, vive ſecura, lætaque ô civitas Hieroſolyma. Apud Prophetam habetur: *Exulta valde & jubila*, Zach. 9. 9.

Rex tuus venit inſidens pullo aſinæ.] Hic cauſa redditur, cur Hieroſolyma debeat lætari ac ſecure agere; quia nimirum Rex ipſius veniat benignus, mitiſque in ſalutem ipſius ac ſolatium, in quo nulla locum habeat ambitio atque arrogantia: cujus rei indicium fuit ſimplex ille & nullo apparatu ac ſplendore conſpicuus in urbem ingreſſus.

Verſ. 16. *Hæc autem non cognoverunt diſcipuli ejus primo: ſed cum glorificatus eſſet Jeſus, tunc recordati ſunt hæc ſcripta eſſe de eo, & hæc illi facta eſſe.*] Non intellexerunt diſcipuli, prophetiam illam Zachariæ hanc rem ſignificare. *Cognoſcere* pro intelligere, uſurpatur etiam Matth. 12. 7. xxi. 45. & alibi.

Primo.] Id eſt, tum cum res gereretur.

Cum glorificatus eſſet Jeſus.] Id eſt, poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem: ut ſupra cap. 7. 39.

Tunc recordati ſunt.] Cum hanc hiſtoriam animo recolerent, ſenſum Prophetæ aſſecuti ſunt. Aſcenſio enim Chriſti in cœlum & miſſio Spiritus Sancti, qui eos deduxit in omnem veritatem, animis eorum opinionem de terreno regno Chriſti excuſſit, docuitque eos, Regnum iſtud in oculis quidem hominum eſſe vile & abjectum, ſed revera eſſe excellentiſſimum ac diviniſſimum.

Et hæc illi facta eſſe.] Ad verbum: *Et hæc fecerunt illi.* Perſonale pro imperſonali. Nempe turbam veſtimentis ſuis aſellum conſtraviſſe, Chriſtum in eo collocaſſe, veſtimenta etiam in terra extendiſſe, & clamaſſe: Hoſanna &c. magnaque cum exultatione ac triumpho eum in urbem deduxiſſe.

Verſ. 17. *Teſtabatur ergo turba, quæ erat cum eo, quod Lazarum vocaſſet è monumento, & ſuſcitaſſet eum ex mortuis.*] Quia mirum alicui videri poterat, qui factum ſit, quod tunc tanta populi turba è civitate Chriſto obviam proceſſerit, eumque tanto cum tripudio in urbem comitata ſit, cum nihil ſimile antea factum ſit, etſi ſæpius Hieroſolymam venerit: ideo reddit Euangeliſta ejus rei rationem verſu hoc & ſequenti, quod nimirum cives illi Hieroſolymitani, qui tum præſentes fuerunt in Bethania, cum Lazarus eſt à Chriſto ex mortuis excitatus, teſtati ſint ac retulerint reliquo populo, ſe ſuiſmet oculis miraculum iſtud ſpectaſſe. Idcirco cum Chriſtum adventare in urbe percrebuit, effudit ſe ex urbe ingens populi multitudo, & tantum miraculorum patratorem fauſta cum acclamatione excepit.

Verſ. 18. *Propterea etiam occurrit ei turba, quia audierat eum edidiſſe hoc ſignum.*

Verſ. 19. *Phariſæi ergo dixerunt inter ſe: Videtis, nos nihil proficere? ecce mundus eum ſecutus eſt.*] Quaſi dicant: Experimini jam reipſa, omnino neceſſarium eſſe, ut conſilium, quod dedit Cajaphas, executioni mandetur, atque ut homo iſte è medio ſubmoveatur. Quicquid enim alioqui facimus, etſi eum perſequamur, ipſum ſpernamus, factaque ejus nihili faciamus & coram aliis ea extenuemus, quo populum ab eo avertamus, id omne fruſtra eſt & irritum. Hoc unum medium reſtat, ut eum occidamus.

Ecce mundus eum ſecutus eſt.] Id eſt, innumerabilis turba hominum: viri, fœminæ, pueri, Judæi, & extranei, qui ad feſtum venerant. Eſt uſitata in omnibus linguis hyperbole.

Verſ. 20. *Erant autem quidam Græci ex iis qui aſcenderant ut adorarent in feſto.*] His verbis deſcribuntur illi Ethnici, qui neque natione Judæi erant, neque Judaiſmum ſuſceperant, inter quos non pauci erant homines pii, qui unum Deum creatorem cœli & terræ colebant. Talis erat Cornelius ille Centurio Act. 10. 2. Theſaurarius Reginæ Candaces Act. cap. 8. 27. & alii, qui Act. 17. 4. dicuntur *religioſi Græci.* Hi ſolebant adire Hieroſolimam, & in illa parte Templi, quæ atrium Gentium vocabatur, Deum adorare. Quod à Salomone ipſo inſtitutum fuit, dum in ſua oratione, Templum conſecrans, ſic inter cætera ait: *Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſraële, cum venerit è terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique) cum venerit ergo & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in ſede habitationis tuæ, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena; ut diſcant univerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſraël. &c*, 1 Reg. 8. 41. Joſephus tradit, in hoc Gentium atrio fuiſſe diſſepimentum quoddam, quod alienigenæ tranſcendere, & ulterius in Templum ingredi nefas erat. Hinc ſeditio ac tumultus adverſus Paulum coortus eſt, cum exiſtimarent Judæi, eum Trophimum Epheſium in Templum introduxiſſe, atque ſic locum Sacrum profanaſſe, Act. 21. 28, 29. Videntur autem iſti Græci, de quibus hic agit Johannes, fuiſſe ex Syrophænicia, in qua ſita erat Tyrus & Sidon. Hi enim facile cum Galilæis è Bethſaida (è qua oriundus erat Philippus) tanquam cum vicinis ſuis notitiam habere poterant, ut qui forte commercii cauſa in Galilæam ſæpius venerint. Talis Græca è Syrophænicia fuit illa mulier Chananæa, cujus filiam Chriſtum ſanaſſe ſcribit Matthæus cap. 15. 21. & Marcus cap. 7. 26.

Qui aſcenderant.] Id eſt, qui aſcendere ſingulis annis ſolebant Hieroſolymam ad feſtum Paſchatis. Unde apparet, eos non fuiſſe è longe remotis oris.

Ut adorarent in feſto.] Id eſt, ut ſimul cum Judaico

daico populo ſuas proces ad Deum mitterent. Summa enim majeſtas & gloria Templi Hieroſolymitani, ingeneravit etiam Ethnicis populis reverentiam erga Deum, quem Iſraëlitæ colebant. Facit autem hæc hiſtoria, quam hoc loco deſcribit Johannes, ad amplificandam gloriam Regni Meſſiæ, quod non anguſtis Judaici populi terminis includitur, ſed ſuper omnes nationes ac populos, quæ ſunt ſub cœlo, extenditur. Hoc enim fuit quaſi præludium quoddam ac præparamentum ad univerſalem vocationem Gentium.

Verſ. 21. *Iſti ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, vellemus Jeſum videre.*] Acceſſerunt ad Philippum, ſive quia caſu in eum inciderunt, ſive quia ipſis notus erat, propterea quod eſſet è Bethſaida.

Vellemus Jeſum videre.] In Græco eſt, ἤθελομεν, *volumus.* Eſt Hebraiſmus: cujus ſimilem vide Matth. 18. 6. xxvi. 39, 53. Luc. 17. 2. & alibi.

Videre.] Id eſt, proprius accedere, & cum eo colloqui. Nam ut eum viderent ſimpliciter, nullo indigebant monſtratore: facile enim ab unoquoque videri atque agnoſci poterat.

Verſ. 22. *Venit Philippus, & dicit Andreæ: & rurſum Andreas & Philippus dicunt Jeſu.*] Quia Chriſtus olim, cum mitteret Apoſtolos, vetuit, ne in viam gentium abirent, Matth. 10. 5. ideo dubitabat Philippus, an tales homines, qui è Gentibus erant, & incircumciſi, ad Chriſtum eſſent admittendi. Quocirca deliberat prius hac de re cum Andrea, qui in ordine Apoſtolorum Philippum præcedebat, quia prior fuit vocatus, adeoque plus commercii cum Chriſto habebat.

Et rurſum Andreas & Philippus dicunt Jeſu.] Uterque conſultum duxit, rem hanc ipſi Chriſto indicare; ipſo inconſulto non auſi aditum ad Chriſtum aliegenis concedere.

Verſ. 23. *Jeſus autem reſpondit eis dicens: Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.*] Etſi reſponſio iſta Chriſti generalibus verbis concepta ſit, ut videri poſſit, ad rem minime pertinere; tamen ex ea ſatis poteſt intelligi, eum Græcis illis, qui cum ipſo loqui volebant, aditum ad ſe non denegaſſe.

Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.] Antea Chriſtus interdixerat Apoſtolis ſuis, ne in viam gentium irent, quibus Euangelium demum poſt mortem ac reſurrectionem, id eſt, poſt glorificationem ejus prædicari debuit. Hinc poſt reſurrectionem ſuam demum dixit diſcipulis: *Ite in univerſum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ*, Mar. 16. 15. Quia vero jam videbat, tum primores Judæorum adeo ſibi adverſari, & in publico concilio decretum ſolenniter feciſſe de ſe occidendo, tum ex altera parte Græcos, homines Ethnicos, proprio motu & ultro ad ſe quærere aditum; inde concludit, jam adeſſe tempus ſuæ glorificationis, id eſt, mortis, reſurrectionis, & exaltationis ſuæ. Senſus proinde hujus reſponſionis eſt talis: Nulla cauſa eſt, cur Græcos iſtos non debeam ad colloquium meum admittere, cum hora illa jam venerit, ut Filius hominis glorificetur, id eſt, cum & Judæi & Ethnici agnoſcent, quis & quantus Filius hominis fuerit. An vero Græci iſti ad Chriſtum acceſſerint, Euangeliſta non meminit: ſed acceſſiſſe credibile eſt, quia id ipſis conceſſum fuit.

Venit hora.] Id eſt, jam inſtat, non procul abeſt.

Verſ. 24. *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi vero mortuum fuerit, multum fructum affert.*] Poſtquam Chriſtus, occaſione petitionis Græcorum, ſuæ glorificationis mentionem injeciſſet, ac indicaſſet, eam propediem eſſe futuram: docet nunc quo modo ac via ad iſtam gloriam ipſi perveniendum ſit; nempe per diriſſimam & ignominioſiſſimam mortem. Hanc autem doctrinam tradit hic potiſſimum propter ſuos diſcipulos, ut eis carnales cogitationes de terreno regno penitus ex animo eximeret. Expetebant Regnum abſque perpeſſione adverſarum rerum: mors Chriſti erat eis fabula, quam nullo modo intelligere, imo vix audire poterant. Quare ut eorum animos adverſus ſcandalum, quod ex morte ipſius oriri poterat, præmuniret, prædiciteis iterum mortem ſuam; prout id antea jam ſæpius fecerat. Vult autem dicere, ſe ad gloriam ſuam pervenire non poſſe, niſi prius moriatur; tum demum ſe reſurrecturum, in cœlum aſcenſurum, & Spiritum Sanctum ipſis miſſurum, cujus virtute inſtructi illi univerſum orbem terrarum fide in ſe eſſent impleturi. Hoc vero docet per ſimilitudinem deſumtam à grano frumenti ſeu tritici, quod nullum affert fructum, niſi in terram conjiciatur; & putreſcat.

Niſi granum frumenti ceciderit in terram.] Id eſt, niſi ſeminetur & ſubarando terra obruatur.

Et mortuum fuerit.] Id eſt, ab humiditate & calore terræ reſolvatur ac computreſcat.

Ipſum ſolum manet.] Id eſt, non multiplicatur, non affert ullum fructum. Eſt locutio Hebræis familiaris.

Si vero mortuum fuerit, multum fructum affert.] In eo conſiſtit decus grani frumenti, ſi pulchras fundat ſpicas, multumque fructum ferat. Ita indicat quoque Chriſtus ex ſua morte omnibus populis terræ copioſum & ingentem fructum enaturum, dum non Judæi ſolum, ſed & Ethnici in nomen ejus credent. Glorificatio enim Chriſti maxime in eo conſiſtit, quod omnes nationes & linguæ dicturæ ſint: *Dignus eſt Agnus, ille mactatus, qui accipiat poteſtatem, & divitias, & ſapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, Apoc. 5. 12. Adventus Chriſti reſpondet in hac ſimilitudine caſui vel ſeminationi in terram grani frumenti: quia quaſi de cœlo in tetram cecidit, cum advenit. Et quemadmodum granum frumenti non alio fine in terra ſeminatur, quam ut fructum ferat; ita & Chriſtus non alia de cauſa in mundum venit, quam ut omnibus hominibus fructum ſalutis afferat. Mortem autem ſuam Chriſtus comparat cum morte ſeu putrefactione grani. Etſi enim corpus ejus corruptum non ſit, tamen per mortem diſſolutio ac ſeparatio animæ à corpore facta eſt; ſicut in putrefactione grani fit diſſolutio & ſeparatio ſpiritus, qui poſt diſſolutionem illam in humore terræ operatur, ſibique novum corpus præparat, à corpore frumenti, in quo incluſus antea latebat.

Verſ. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam.*] Dum Chriſtus propoſito mortis ſuæ fructu, animos diſcipulorum contra omnia ſcandala, quæ ex ea naſci poſſent, munit, ſimul etiam eos ſuo exemplo ad patientiam omnium malorum, quæ illis propter nomen ſuum obventura ſint, præparat. Quaſi dicat: Non ſolum mihi hæc lex impoſita eſt, ut per afflictiones & mortem ad gloriam perveniam; ſed & veſtra non alia ſors eſt, quam ut vitam veſtram Regno Dei impendatis ac poſtponatis, ſi eam conſervare velitis. Ubique in mundo omnia vobis erunt infeſta, & maximæ contra vos inſurgent perſecutiones: eoque fiet, ut animas veſtras ad vitam æternam non ſitis conſervaturi, ſi eas in hoc perverſo mundo amare ac retinere laborabitis. Nam etiam animæ veſtræ ſimiles erunt grano tritici, quod non poteſt melius ſervari in perpetuum, quam ſi conjiciatur in terram ac putrefiat.

Animam ſuam.] Id eſt, vitam temporariam, & omnia quæ ad ejus ſuſtentationem ac commoditatem ſpectant.

Amat.] Ita ſcilicet, ut eam rebus divinis anteponat. Vide dicta ad Matth. 10. 31. xvi. 25.

Et qui odit animam ſuam.] Id eſt, minus amat, quam ea quæ ad Deum ſpectant: ut Luc. 14. 26. Vide ibidem.

In vitam æternam cuſtodiet eam.] Id eſt, efficiet, ut ad vitam æternam conſervetur.

Verſ. 26. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſuero, illic & miniſter meus erit; & ſi quis mihi miniſtraverit, honorabit eum Pater.*] Ne quis exiſtimet, rem eſſe nimis difficilem, vitam ſuam regni Dei cauſa ponere, ſuum proprium illis proponit exemplum, docetque, ſervum non debere pro injuria accipere, ſi dominum ſuum ſequi jubeatur: quaſi dicat, Vos eſtis mei miniſtri ac ſervi, ego ſum veſter Dominus: non debet ſervo grave videri, domini ſui premere veſtigia. Ego veſtri cauſa ac veſtro bono animam meam ponam: quare ſi quis miniſter meus ſit, cogitare debet, iniquum haud eſſe, ut ille me ſequatur, neque recuſet eandem, qua ego præeo, calcare viam. Hic Chriſtus tacite ſe Regem eſſe innuit, qui multos habeat miniſtros ac ſervos, ad ea peragenda & exequenda, quæ ad Regnum ejus pertinent.

Me ſequatur.] Id eſt, imitetur meum exemplum. Vide Marc. 8. 34. Luc. 9. 23. Apoc. 14. 4.

Et ubi ego ſuero, illic & miniſter meus erit.] Hoc ſolatii cauſa appoſuit: quaſi dicat, Res quidem ardua eſt ac difficilis, me etiam ad mortem uſque ſequi, & in ipſa morte ſubeunda imitari: ſed qui id faciet, non carebit ampliſſimo præmio. Ibi enim erit, ubi ego ero. Locus autem, ubi ego ero, eſt cœlum, locus perfectiſſimi gaudii ac felicitatis.

Et ſi quis mihi miniſtraverit, honorabit eum Pater.] Ad gaudium ac felicitatem addit etiam honorem, ne quid deſit eorum, quæ vota ac deſideria hominis implere poſſunt. Patri autem tribuit, eum collaturum eſſe honorem iſtum miniſtris ſuis, quemadmodum ipſi quoque contulit: quo dicto tacite indicat, eos qui ipſi ſerviunt, non tam ipſi ſervire, quam Patri, qui eos propterea magni facit, & honore ac gloria eos coronabit. Hinc patet, Chriſtum non eſſe Deum ſummum. Cur enim alioqui collationem honoris non ſibi ipſi, ſed Patri adſcriberet? Qua in re autem honor iſte conſiſtat, vide ſupra cap. 5. 44.

Verſ. 27. *Nunc anima mea turbata eſt; & quid dicam? Pater, libera me ab hac hora: ſed propterea veni in horam hanc.*] Nunc Chriſtus redit ad ſeipſum & cauſam ſuam, nempe ad mortem ſuam jam jam appropinquantem. Dixerat enim ℣. 23. *Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.* Cujus rei recordatio ſummam & inexplicabilem in eo excitavit triſtitiam: quam ille non alto corde premit, ſed palam profitetur, ad ſolatium omnium eorum, quos ut ſe ſequantur admonuit. Nimirum poterant diſcipuli cogitare: Facile eſt illi mori, qui cor gerit inſenſibile, quod nec mortem, nec dolorem horret. Nos autem ſumus homines fragiles, quibus natura, ut vivendi deſiderium, ita & horrorem mortis inſevit. Itaque oſtendit Chriſtus his verbis, ſe non minus, quam cæteri homines, ſentire dolorem & mortis horrori obnoxium eſſe, adeoque ſe ejus cogitatione ad ſummum animi angorem adduci. Qua naturali animi commotione ac perturbatione factum eſt, ut aptior eſſet, ad præbendum nobis, quod imitemur exemplum.

Turbata eſt.] Græcum verbum ταράσσω denotat vehementem animi motum, ut ſupra cap. 11. 33. Confer cum Matth. 26. 38. & ſeqq. Luc. 22. 44.

Et quid dicam?] Hæc ſunt verba hominis ex conſternatione animi conſilii inopis, & quid agat neſcii. Fluctuabat enim inter metum mortis & conſiderationem divini decreti, cui reluctari ac refragari non poterat.

Pater, libera me ab hac hora.] Interpretes quidam putant, hæc verba etiam per interrogationem legenda eſſe, hoc modo: Quid dicam? An ut me Pater, ab hac hora liberes? Non dicam hoc: quia propterea veni in horam hanc. Sed probabilius eſt, Chriſtum his verbis oraſſe Patrem, ut eum ab hac hora, id eſt, à morte liberaret; quemadmodum paulo poſt oravit, dicens: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, Matth. 26. 39. Hæc enim oratio eſt illi prorſus ſimilis. Ibi antequam oraret, dixit ad ſuos diſcipulos: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* ℣. 38. Hic vero dicit: *Nunc anima mea turbata eſt.* Ibi ſtatim ſe quaſi corrigit, & emollit verba ſua, dicens: *Sed non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, Pater.* Hic etiam talem mox correctionem ſubjicit: *Sed propterea veni in horam hanc.*

Sed propterea veni in horam hanc.] Quaſi dicat: Quid ego id flagito? Ego ex divino decreto propterea in hunc mundum veni, ut mortem ſuſtineam: itaque eam nolo defugere.

Verſ. 28. *Pater glorifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et glorificavi, & rurſus glorificabo.*] Quandoquidem fixum & ratum erat Patris ipſius decretum, ut ipſe moreretur, rogat eum, ut nomen ſuum glorificare velit, eo modo ne ipſum relinquat in morte, ſed ex ea reſuſcitet, atque ad paratam ſibi ante jacta mundi fundamenta gloriam evehat. Hac enim ratione nomen Dei majorem in modum inter homines glorificatum eſt.

Venit

Venit ergo vox de cœlo.] Ut etiam Matth. 3. 17. Utrum hæc vox revera Dei ipſius fuerit, an tantum Angeli alicujus, qui Dei loco locutus ſit: item an ex ſupremo cœlo, ubi Deus reſidet, an ex aëre, qui etiam cœlum appellatur, demiſſa ſit, diverſæ ſunt ac diſſonæ Interpretum ſententiæ.

Et glorificavi & rurſus glorificabo.] His verbis indicat Pater, ſibi glorificationem Filii non minus curæ eſſe, atque Filio curæ eſt glorificatio Patris. Glorificavit autem Pater Filium per ingentia illa miracula, quorum patrandorum vim ac facultatem ei conceſſerat, inprimis autem per ultimum illud miraculum reſuſcitati Lazari. Inpoſterum autem ſe eum glorificaturum promittit, ita, ut eum à morte in vitam revocaturus, & ad dexteram ſuam in cœlis collocaturus ſit.

Verſ. 29. *Turba ergo quæ adſtabat, & audierat, dicebat, tonitru eſſe factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt.*] Qui longius ac remotius à Chriſto ſtabant, & vocem diſtincte exaudire non poterant, dixerunt, tonitru eſſe factum. Videtur enim hæc vox tantum prope Chriſtum audita eſſe, & vehementi fragore ac ſono quaſi detonuiſſe.

Angelus ei locutus eſt.] Hoc dixerunt, qui propiores Chriſto adſtiterunt, & verba ipſa quæ prolata ſunt, perceperunt. Multi Hebræorum in ea ſunt ſententia, Deum ipſum cum hominibus nunquam loqui, ſed tantum per Angelos. Ille qui Legem tradidit in monte Sinaitico, & dixit: Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi Exod. 20. 2. non alius fuit, quam Angelus: ut patet Act. 7. 38. Heb. 2. 2.

Verſ. 30. *Reſpondit Jeſus & dixit: Non propter me hæc vox facta eſt: ſed propter vos.*] Quidam cenſent, Chriſtum his verbis tantum diſcipulos ſuos allocutum eſſe, qui credere poterant, vocem hanc ipſius cauſa eſſe editam, ad ipſum in gravi mærore atque angore recreandum. Verum veroſimilius eſt, eum hæc verba protuliſſe ad circumſtantem populum univerſum. Nimirum vult dicere: Quod Pater meus voce cœlitus miſſa tam inſigniter ſuam in me propenſionem teſtatus eſt, id non eſt factum ad me de amore ejus certiorem reddendum, qui ejus plane certus ſum, nec ulla nova probatione indigeo.

Sed propter vos.] Ut nimirum vos credatis, me eſſe à Deo miſſum, cujus virtus ſicut hactenus in me operata eſt, ita & inpoſterum in me magis adhuc ſeſe exeret. Tametſi igitur me homines tanquam facinoroſum damnabunt, hæc tamen vox perhibet clariſſimum teſtimonium, quanto in pretio & gratia ſim apud Patrem.

Verſ. 31. *Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.*] His verbis Chriſtus declarat & explicat vocem illam cælitus miſſam: *Glorificavi & rurſus glorificabo.* In eo enim conſiſtit glorificatio Chriſti, ut per ejus mortem mundus à principe ſuo, id eſt, Diabolo, qui hactenus tyrannice ipſi imperitavit, liberetur. Chriſtum de ſua morte loqui, indicat adverbium *Nunc*: nempe nunc cum in mortem trador, judicium adeſt mundi; ut etiam ipſe explicat ℣ſ. 32. mox ſequenti. Vox *judicii* ſignificat hic liberationem: quo ſenſu etiam accipitur Eſai. 1. 17. Judicate vel *judicium facite pupillo*, id eſt, liberate à malo. Et Pſal. 140. 13. *Scio quia faciet Dominus judicium inopis.* Hinc perſpicitur, vim mortis Chriſti non ad paucos tantum aliquos, quos Deus nominatim elegerit, ſed ad omnes homines totius mundi ſe extendere. Prius enim quam Satanas à Chriſto ejiceretur foras, dominium in omnes homines per totum orbem terrarum exercuit. Quod autem non omnes homines reipſa ſerventur, ejus culpa æque mortis Chriſti efficaciæ tribuenda non eſt, atque pharmaci optimi culpa non eſt, ſi æger, qui eo uti noluit, moriatur. Itaque non eſt Chriſti mens in his verbis, totum mundum reipſa è poteſtate Satanæ liberatum iri, ſed ſe ad eum liberandum facturum, quantum in ſe erit, dum pro ſalute totius mundi morietur.

Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.] Id eſt, de ſuo principatu atque imperio deturbabitur, poteſtaſque ejus ac tyrannis, quam hactenus in mundo exercuit, reprimetur. Poteſtas autem ac imperium Satanæ inprimis ſitum erat in eo, quod in plurimis locis mundi atque adeo ferme ubique terrarum nefariam idololatriam cum omni genere flagitiorum ac ſcelerum exercerat.

Princeps mundi hujus.] Sic etiam vocatur infra cap. 14. 30. xvi. 11. Vocatur etiam Deus hujus mundi 2 Cor. 4. 4. Quomodo vero Diabolus morte Chriſti è mundo ejectus eſt, cum Paulus adhuc poſt Chriſti mortem dicat, *nobis non eſſe certamen contra carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus, adverſus potentes tenebrarum hujus ſeculi, adverſus ſpirituales malitias in cœlis:* Eph. 6. 12. Et Petrus ſcribat, quod *adverſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens obambulet, quærens, quem devoret*, 2 Pet. 5. ℣ſ. 8. Tenendum eſt, dici eum ejectum eſſe, non quod non amplius in mundo verſetur, & non amplius ſuper multos homines dominium ſuum exerceat, ſed quod, quantum in Chriſto fuit, ejectus ſit, ita ut ſi modo homines vellent, nihil amplius poteſtatis in eos haberet. Sed quia homines ipſi portas ei rurſus patefecerunt, & ſe ultro ipſius imperio ſubjecerunt, ideo adhuc regnat in mundo: verum ſuper eos tantum, quos Apoſtolus appellat filios inobedientiæ Eph. 2. 2.

Verſ. 32. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me ipſum.*] Id eſt, ubi cruci affixus & in ea occiſus fuero: ut ſupra cap. 3. 14. Videtur hic conjunctio *Et* poſita eſſe pro *nam.* Chriſtus enim explicat, quomodo per mortem ejus mundus judicabitur, id eſt, liberabitur, & quomodo princeps mundi ejicietur: nempe quando in crucem tolletur, omnes ad ſe trahet, id eſt, Satanæ eos tanquam prædam è faucibus eripiet, & ad obſequium ſuum adducet.

Omnes traham ad me ipſum.] Omnes tam Judæos quam Ethnicos. Alii legunt *omnia* ad me traham, ſicut Paulus dicit, *Deum per eum reconciliaſſe omnia ſibi ipſi* Col. 1. 20. Sed ſenſus eodem recidit; nam utrobique tantum homines intelliguntur. Videtur autem Chriſtus hac locutione, *exaltatus fuero*, & *ad me traham*, vim mortis ſuæ atque efficaciam ſingulari modo exprimere voluiſſe. Nimirum loquitur de ſe tanquam de bellatore, qui in certamen cum Diabolo deſcendit. In bello autem prævalet is, qui ſuperiori de loco adverſus hoſtem pugnat. Indicat

igitur ſe ex cruce, quaſi ex ſublimi & valida arce dimicaturum & Diabolum proſtraturum eſſe. Cum Chriſtus exaltatus eſt, omnes ad ſe traxit, aquilæ inſtar, quæ in ſublime evolans prædam ſecum trahit. Alii putant, Chriſtum his verbis eo reſpicere, quod cum in cruce pependit, omnes homines ad ſe traxerit; dum omnes ſcilicet undique ad hoc ſpectaculum concurrerunt. Habet autem hanc vim mors Chriſti partim ipſa per ſe, dum eam propter doctrinam ſuam ſuſtinuit, partim conjuncta cum reſurrectione, qua ſimiliter doctrina ejus, confirmata eſt atque divinitus comprobata. Quiſquis igitur hoc probe perpendit non poteſt non fidem doctrinæ iſti adhibere, & ſecundum ejus præſcriptum vitam ſuam inſtituere: qua ratione opus ac regnum Satanæ deſtruitur. Hinc jam liquet, Chriſtum eos ſolummodo morte ac reſurrectione ſua ad ſe trahere, qui ſe trahi patiuntur, id eſt, qui rem altius in animum ſuum admittunt, & hoc eximio teſtimonio de veritate doctrinæ Chriſti ad eam amplectendam adducuntur.

Verſ. 32. *Hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.*] Verba hæc ſunt Euangeliſtæ, quæ ille interſeruit, figuratam Chriſti locutionem de morte ejus explicans.

Qua morte eſſet moriturus.] Nempe morte crucis, quam voce *exaltationis* intelligit. Vide ſupra cap. 3. 14.

Verſ. 34. *Reſpondit ei turba: Nos audivimus ex Lege Chriſtum manere in æternum. Quomodo igitur tu dicis, Oportere exaltari Filium hominis? quis eſt iſte Filius hominis.*] Quia populus ex ſermone Chriſti intellexerat, eum de ſua morte loqui, ideo interrogat quomodo id cum Sacra Scriptura conveniat, quæ teſtatur, Meſſiam manſurum in æternum.

Nos audivimus ex Lege.] Id eſt, ex Scriptura: ut ſupra cap. 10. 34. Dubium eſt, qua mente ac ſenſu Judæi Chriſto hanc quæſtionem propoſuerint: an ex eo velint concludere, eum non eſſe Meſſiam, quia Meſſias teſte Sacra Scriptura ſit manſurus in æternum, ipſe autem dicat, ſe moriturum? an vero tantum informari à Chriſto poſtulent, quomodo mors ejus cum Scriptura concilianda ſit? Sed ſi Judæorum ingenium ſemper Chriſto adverſum conſideretur, prior ſenſus eſt veriſimilior.

Chriſtum manere in æternum.] Loca Scripturæ, quæ id de Chriſto teſtantur, ſunt paſſim nota & obvia. Vide 2 Sam. 7. 16. Pſal. 89. 30. Cx. 4. Eſai. cap. 9. 7. Ezech. 37. 25. Dan. 7. 14. Sed Scriptura nuſquam dicit, Meſſiam non moriturum, quod illis erat demonſtrandum. Imo teſtatur potius, eum moriturum: præſertim apud Danielem Prophetam, qui diſertiſſime dicit, *Chriſtum excindendum eſſe* cap. 9. 26. Et apud Eſaiam non ſolum perpeſſiones ejus multæ ac ærumnæ recenſentur ac diſcribuntur, ſed expreſſe quoque dicitur, eum *animam ſuam in ſacrificium oblaturum eſſe*, Id eſt, eum vitam ſuam in mortem daturum eſſe, Eſai. 53. 2. ad finem cap. Et Pſal. 22. præter afflictiones ejus plurimas, etiam mors ejus aperte commemoratur, ubi David in typo queritur: *Perfoderunt manus meas & pedes meos*, ℣. 18. Scriptura vero ita de morte Meſſiæ teſtatur, ut ſimul doceat, eum iterum à morte reſurrecturum. Ait enim ipſe in perſona Davidis: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, Pſal. 16. 10. confer cum Act. 2. 27. Itaque cum Scriptura non pugnat, Chriſtum moriturum eſſe, & rurſus reſurrecturum atque in æternum victurum regnaturumque eſſe. Carnales Judæorum cogitationes de Meſſia in cauſa erant, quod in Sacris Literis hoc ſolum arriperent ac tenerent, quod ad ejus glorioſum ſtatum pertinebat: quæ autem de ejus humili atque abjecto ſtatu dicta ſunt, plane non intelligerent. In Chriſto vero ipſo, cum apparuit, facile humilem ac vilem ejus conditionem animadverterunt; at divinam ejus dignitatem ac poteſtatem agnoſcere noluerunt.

Quomodo igitur tu dicis, Oportere exaltari Filium hominis?] Cum ſupra ℣. 32. Euangeliſta referret Chriſti verba, non ſcripſit, Chriſtum dixiſſe, Oportere Filium hominis exaltari: Sed tantum, *Si exaltatus fuero.* Verum ex hac Judæorum objectione omnino intelligitur, Chriſtum in illis ſuis verbis etiam Filii hominis feciſſe mentionem; & credibile eſt, eum eadem aut ſimilia illis, quæ ſupra cap. 3. ℣. 14. protulit, hic quoque addidiſſe verba: *Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis.* Nam ſi ſimpliciter tantum Chriſtus dixiſſet: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnes ad me traham*; ſtupidum vulgus non intellexiſſet, quid ſibi velit, quod nimirum de ſua morte loquatur. Deinde videtur turba iſta omnino ipſa Chriſti verba retinere ac repetere, ut eum tanto melius convincere poſſit, quod contra ſcripturam loquatur: *Quomodo*, inquiunt, *tu dicis, Oportere exaltari Filium hominis? quis eſt iſte Filius hominis?* nempe de quo tu loqueris. Denique nulla cauſa excogitari poteſt, cur præter conſuetudinem ſuam voluerint hic Chriſtum Filium hominis vocare, ſi non Chriſtus ipſe ſe in ſermone ſuo ita appellaſſet. Itaque ſtatuendum eſt, Euangeliſtam ℣. 32. ſummatim tantum id expoſuiſſe, quod Chriſtus latius & pluribus verbis protulit.

Quis eſt iſte Filius hominis?] Quaſi dicant: Quando de Filio hominis audimus, intelligimus illum, de quo prophetavit Daniel, quod ejus Regnum duraturum ſit in æternum. Dan. 7. 13, 14. At tu loqueris de alio Filio hominis, qui mori debeat.

Verſ. 35. *Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum tempus lux vobiſcum eſt. Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant. Nam qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat.*] Chriſtus animadvertens, eos offendi morte ſua, & perſuaſos eſſe, eam in Meſſiam non cadere, monet eos, ne diutius in tenebris ignorantiæ oberrent, nec differant in ſe veram lucem credere, quia jam non longo tempore ſit inter eos verſaturus. Simul vero eos tacite cæcitatis ac pertinaciæ redarguit, quod in tanta luce, lucem non videant, ſed petulanter oculos ſuos claudant. Chriſtus ſe lucem vocat; ut ſupra ſæpius. Vide inter alia Joh. 8. 12. IX. 5. Tempus lucis vocat præſentiam ſuam inter eos, quam ſupra vocavit diem, & nocti, id eſt, abſentiæ ſuæ oppoſuit cap. 9. 4.

Ambulate, dum lucem habetis.] Id eſt utimini hac lepida occaſione, qua caliginoſi animi veſtri luce cœleſtis doctrinæ meæ in omni divina ſcientia ac co-

ac cognitione poſſunt illuſtrari. Quam ad rem requiritur, ut in me credatis: ut mox verſu ſequenti 36. explicat.

Dum lucem habetis.] Id eſt, quamdiu inter vos vivo. Chriſtus ita loquitur, quaſi poſt mortem ejus non poſſent amplius in ipſum credere. Non fuit quidem id omnino impoſſibile: ſed quam difficile fuiſſe putamus iis, qui in Chriſtum credere nolebant, cum præſentem viderent, miracula cernerent, doctrinamque divinam ex ore ejus audirent, poſtea in eum è vivis ſublatum credere? Poteſt quidem aliquis etiam noctu ambulare, ſed interdiu multo eſt certius ac tutius. Itaque hortatur eos Chriſtus, ut ambulent, dum lucem habent, dum dies eſt: quia deinceps in nocte abſentiæ ſuæ difficulter id futurum ſit.

Ne vos tenebræ deprehendant.] Id eſt, ne Deus verbum ſuum vobis plane ſubtrahat: Quod ſane jure facere poterat, quando illi lucem vitæ extinxerunt, Chriſtumque truculenta morte ſuſtulerunt: Sed pro ſua ineffabili miſericordia adhuc per tempus ſatis diuturnum, nempe per annos 40. poſt mortem Chriſti eis pepercit; quo tempore elapſo, demum horribilem in eos iram ſuam effudit, exciſa urbe ac Templo eoſque cæcitate invincibili, qua in hodiernum uſque diem tenentur, percuſſit.

Nam qui ambulat in tenebris, neſcit, quo vadat.] In textu eſt: Et qui ambulat in tenebris &c. Sed conjunctio *&* ſumitur pro *nam*: ut ſupra ℣. 32. Reddit enim Chriſtus cauſam, cur in luce ambulare debeant, & lucis uti beneficio. Nam in tenebris qui ambulat, neſcit quo vadat, palpitat manibus cæci inſtar, facile impingit, & cadit in foveam. Atque hujus rei ſpecimen miſerabile præbent Judæi, qui poſtquam Euangelii lux penitus ab eis ablata eſt, non ſolum contra Legem, ſed & contra mores civiles, imo etiam contra naturam ipſam egerunt: ut ex hiſtoria obſidionis Hieroſolymitanæ liquet, quæ docet, quam illi in tenebris indurati animi ſui, gratiaque divina deſtituti, furioſe tumultuati ſint, aliique in alios incurrerint atque impegerint, ita ut niſi accelerata fuiſſet obſidio, totus populus ſe ipſe conſumſiſſet ac perdidiſſet; ut Chriſtus Matth. 24. ℣. 22. indicat.

Verſ. 36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis. Hæc locutus eſt Jeſus, & abiens abſcondit ſe ab eis.*] Verba hæc continent explicationem figuratæ illius locutionis; *Ambulate dum lucem habetis.* Hoc autem ſibi vult: Quamdiu lux lucet in oculis veſtris, credite, lucem eſſe id quod videtis, id eſt, cœleſtem vobis annunciari doctrinam, quæ veſtros tenebroſos animos ad vitam æternam illuminare poſſit. Quomodo enim poſtea credetis, lucem eſſe, quando eam amplius non videbitis? Lux viſu cognoſcitur & dijudicatur. Qui ſolem clara luce oculis adſpicit ſuis, nec tamen credit ſolem eſſe, quomodo id noctu credet? Hic habemus exemplum, quod in *aliquid credere*, ſignificet ſimpliciter credere, aliquid eſſe. Vide parallela loca: Exod. 14. 30. 1 Sam. 27. 12. 2 Paral. 20. 20. Pſal. 106. 12, 24.

Ut filii lucis fiatis.] Id eſt, ut lucis evadatis participes. Hebraiſmus eſt: de quo vide ad Matth. 8. ℣. 12. Per Lucem autem hic intelligitur lux vitæ æternæ: ut ſupra cap. 8. 12. ubi in luce ambulantibus promittitur, eos habituros lucem vitæ.

Hæc locutus eſt Jeſus.] Nempe ea quæ à ℣. 35. deſcripta ſunt.

Et abiens.] Sine dubio rurſus abiit in Bethaniam, ut apparet ex Luc. 21. 37.

Abſcondit ſe ab eis.] Manſit in Bethania tantiſper, ne ſua præſentia Hieroſolymis ſibi ante tempus periculum acceleraret.

Verſ. 37. *Cum autem tot ſigna coram eis edidiſſet, non credebant in eum.*] Antequam Euangeliſta in hiſtoria ſua Euangelica pergat, addit ἐπφωνηματικῶς, quomodo poſt tot ſigna atque miracula, quæ Chriſtus edidit, pauciſſimi Hieroſolymitanorum crediderint: reſpicitque non ſolum ad proxime antecedentia, ſed ad totam quoque hiſtoriam, quam hactenus contexuit.

Cum autem.] Id eſt, *etſi* autem.

Tot ſigna.] Græca vox ποσα, ſignificat *tanta*, & *tam multa*; ut ſupra cap. 11. 9. Luc. 15. 29. etiam *tam longa* Joh. 14. 9. Vult itaque Chriſtus dicere, quod cum Chriſtus tam multa & tam magna miracula in ipſorum conſpectu fecerit, (nam & aquam in vinum mutavit, cæcum à nativitate ſanavit, Lazarum à mortuis excitavit &c.) omnia tamen illa infructuoſa fuerint, nec eos ad credendum adduxerint.

Coram eis.] Non clam & in occulto, ſed in propatulo, ipſis videntibus. Hinc ait Petrus Act. 2. 22. *Jeſum Nazarænum virum à Deo approbatum inter vos virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit per illum Deus in medio veſtri, ſicut & ipſi ſcitis.*

Non credebant in eum.] Maxima pars Hieroſolymitanorum eum pro divino legato non agnovit. Qui enim è turba, quæ ipſi obviam venerat, inque civitatem eum deduxerat, crediderunt, pauciſſimi admodum fuere, cum innumera reliquorum non credentium multitudine comparati.

Verſ. 38. *Ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit ſermoni noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt?*] Particula *ut* non denotat hic cauſam finalem, ſed eventum rei, id eſt, ſenſus horum verborum non eſt Judæos ideo non credidiſſe, ut prophetia Eſaiæ impleretur; ſed eventum docuiſſe, quod Eſaias vere prophetarit: quaſi dicat, Ita impletum ac reipſa factum eſt, quod Eſaias dixit eo loco, ubi de abjecto ac humili ſtatu Chriſti deque plurimis ejus perpeſſionibus prophetavit: nempe cap. 53. 1. Vide quæ de vocula iſta *ut* ad Matthæum diximus cap. 1. 22.

Domine.] Hæc vox non habetur in Hebraico textu: ſed 70. Interpretes eam clarioris intellectus cauſa addiderunt.

Quis credidit ſermoni noſtro.] Quotuſquiſque eſt, qui credat noſtræ prædicationi? id eſt, nemo eſt, vel admodum pauci, qui credant.

Sermoni noſtro.] Gr. τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, *auditui noſtro.* Ita ſumitur auditus etiam alibi pro ſermone prædicato & audito. Vide Matth. 4. 24. XXIV. 6. Gal. 3. ℣. 2. 1 Theſſ. 2. 13.

Et brachium Domini cui revelatum eſt?] Per brachium Domini intelligit Propheta divinam potentiam ac virtutem, quæ in miraculis Chriſti enituit. Ita Paulus quoque dicit, Deum Iſraëlitas *brachio excelſo*, id eſt, adhibitis ſignis atque miraculis, ex

Ægypto

Ægypto eduxiſſe, Act. 13. 17. Verbum *revelandi* denotat hic efficacem revelationem, qua fit, ut miracula illa, ab iis, à quibus conſpiciuntur, pro divinis agnoſcantur. Ita Chriſtus Patri ſuo gratias agit, quod myſteria Euangelii revelarit infantibus, & coram ſapientibus atque intelligentibus ea occultarit, Matth. 11. 25. non quod intelligentibus etiam revelata non fuerint, ſed quod ab infantibus tantum recepta & agnita, à ſapientibus autem & intelligentibus rejecta fuerint. Simili loquendi modo uſurpantur voces *vocationis* & *electionis*: quæ ſæpenumero pro efficaci vocatione atque electione accipiuntur, quando qui vocántur & eliguntur, dant vocationi & electioni apud ſe locum. Eadem ratio eſt vocum *dationis* & *tractionis*. Senſus proinde horum Prophetæ verborum eſt, quaſi dicat; Quotuſquiſque eſt, qui tam ingentia Dei opera atque miracula probe perpendat, inque animum ſuum admittat, adeoque potentiam divinam agnoſcat? Nam qui ea oculis attenti ac vigilantis animi non aſpicit, ei ſunt quaſi non revelata. Iſta locutio Scripturæ non intellecta anſam dedit multis, ut abſurdiſſime hunc locum interpretarentur; qualis eſt illa Piſcatoris interpretatio, qui ℣ſ. 37, & 38. ita exponit: *Ne quis incredulitate Judæorum, de qua dictum eſt, offendatur, Euangeliſta illius cauſam exponit; docens, in cauſa non fuiſſe Domini doctrinam, quippe quæ multis miraculis abunde coram eis confirmata eſſet; ſed arcanam voluntatem Dei, cui nonniſi paucis potentiam mortis ac reſurrectionis Chriſti revelare & fidem donare placuit: id quod Johannes teſtimonio Prophetæ Eſaiæ duplici confirmat.* Cur vero admonet Chriſtus hunc populum, ut in lucem credant, dum lucem habent, ſi credendi facultatem non habebant, & Deo paucis eorum tantum fidem donare placuit? Annon perinde abſurda eſſet hæc admonitio, atque ſi quis lapidem vel truncum aliquem alloqueretur & moneret, ut è loco ſuo abeat, cum in eo nulla ſit ſeſe movendi facultas? Sed de ſumma hujus ſententiæ abſurditate, in Epiſtolæ ad Romanos explicatione, ſi Deus annuerit, pluribus agemus.

Verſ. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias.*] Non poterant credere, propter illa impedimenta, quæ apud Prophetam exponuntur.

Quia iterum dixit Eſaias.] Senſus horum verborum rurſus non is eſt, eos propterea non potuiſſe credere, quia Eſaias prædixit, eos non credituros: ſed ideo credere non potuerunt, quia ut Eſaias prophetavit, occæcati & obſtinati erant.

Verſ. 40. *Excæcavit oculos eorum, & obduravit cor eorum, ne videant oculis, & intelligant corde, & ſeſe convertant, & ſanem eos.*] Non per ſe, & ex intentione, ſed ex accidenti, dum Deus voluit, ut Chriſtus in tam deſpecta & humili ſpecie, quæ nullo modo cum eorum carnali ſenſu congruebat, appareret; quo pacto illis factus eſt lapis offenſionis & petra ſcandali, Rom. 9. 32. 1 Cor. 1. 23. 1 Pet. 2. 8. Quocirca cum animos haberent nihil niſi carnalia ſpirantes, non poterant credere, id eſt, difficile illis fuit credere. Quo ſignificatu valde uſitato ac noto accipi etiam poteſt iſtud non poſſe Jer. 13. 23. Marc. 3. 20. & alibi. Apud Matthæum cap. 13. ℣ſ. 14, 15. & in Actis cap. 28. 27. locus hic Eſaiæ citatur ex verſione 70 Interpretum: hic vero neque ſecundum 70 Interpretes, neque ſecundum Hebraicum textum allegatur. Unde intelligitur, Euangeliſtas & Apoſtolos non ſemper loca Veteris Teſtamenti ad verbum recitare, ſed ea ſæpe ad ſuum propoſitum ac ſcopum, quem ſibi quiſque præfixit, accommodare. Apud Matthæum enim verba iſta allegantur tanquam cauſa, cur Chriſtus in Parabolis ad populum locutus ſit: quia nimirum ad claram Chriſti doctrinam & ſtupenda ejus miracula animos ſuos obduraverant, & quaſi oculos atque aures ſuas occluſerant. Apud Marcum cap. 4. 12. adducuntur tanquam pœna, qua Chriſtus eorum priſtinam pertinaciam ultus eſt; dum non amplius clare ac dilucide, ſed per ſimilitudines eos allocutus eſt, ut ita myſteria regni cœlorum, quæ in parabolis proponebantur, viderent quidem & audirent, non tamen intelligerent; adeoque aditus ad ſalutem, quam proterve contemſerunt, eis præcluderetur. Hic apud Johannem eadem verba Prophetæ Deo attribuntur, ſed (ut dictum eſt) modo quodam ſingulari, ut culpa omnis non penes Deum ſit, ſed penes homines. Cum enim Deus homines crearit rationales, per quam rationem vere homines ſunt, non tenetur in ſuis operibus ſe ad eorum carnalem ac brutum attemperare ſenſum; ſed ſufficit, opera ejus ita eſſe comparata, ut ab omnibus hominibus non carnalibus, ſed rationis ductum ſequentibus pro divinis ac ſapientia plenis agnoſci queant. Si quis igitur carnis ſit mancipium, & vim rationis opprimat, ipſius utique culpa eſt, quod opera Dei, quæ hominem cordatum & ratione utentem requirunt, non intelligat: præſertim quando opera Dei ita comparata ſunt, ut non adeo ſublimen & ſubtilem intellectum, qui paucis contingit requirant, ſed ſimplici ac vulgari intellectu, qui etiam in hominibus ſimpliciſſimis, ſana tamen mente præditis, reperitur, comprehendi poſſint. Talia autem erant omnia illa opera, quæ Deus per Chriſtum fecit, ad quæ aſſequenda non artificioſa ratiocinatione, non ſubtilibus conſequentiis opus erat, ſed quæ ſenſibus externis, oculis, & auribus, percipi poterant: qui modus rem percipiendi eſt facillimus. Si quis tamen urgeat, Deum occæcationis ac indurationis iſtius Judæorum cauſam majori ratione fuiſſe, tum dici poteſt, eum eatenus illam in hoc populo procuraſſe, quatenus noluit ullam majorem vim atque potentiam adhibere ad eos à cæcitate eorum liberandos: quam cæcitatem ipſi ſibi accerſiverunt, dum ſe miraculis Chriſti innumeris ad fidem adduci non ſunt paſſi. Sed prior explicatio eſt menti Euangeliſtæ magis conſentanea.

Ne videant oculis.] Tanta eſt animi eorum cæcites & durities, cujus cauſa fuit carnalis eorum ſenſus, ut etiamſi oculis ſint præditi, tamen non videant, & auribus præditi non audiant.

Et ſanem eos.] Unde ſequitur meum laborem atque operam, quam ſaluti eorum impendo, irritam prorſus ac ſine fructu eſſe.

Quidam ex Interpretibus hæc verba, *Excæcavit oculos eorum*, non de Deo interpretantur, ſed de Chriſto, quod nimirum tam humili ac deſpecta forma

forma & ſpecie ſua, in qua apparuit, oculos eorum excæcarit. Sed res eodem redit.

Verſ. 41. *Hæc dixit Eſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.*] Videtur Euangeliſta his verbis occurrere tacitæ objectioni. Potuiſſet enim aliquis cogitare, verba iſta ad rem præſentem non pertinere, cum Propheta de Judæis ſui temporis loquatur. Huic objectioni occurrit Johannes dicens, Eſaiam hæc dixiſſe, quando vidit gloriam Chriſti & de eo locutus eſt. Plerique enim Interpretum hæc verba accipiunt de Chriſto, quod nimirum Eſaias Chriſti gloriam viderit. Interea tamen obſervatione dignum eſt, quod in nonnullis antiquis exemplaribus Græcis legatur, *quando vidit gloriam Dei*: uti videre eſt in Græco Novo Teſtamento Tiguri in Helvetia expreſſo in Anno 1559. per Chriſtophorum Froſchoverum; quod etiam in magnis Bibliis Robberti Stephani in margine annotatum eſt. Sed & verba textus commode patiuntur, ut pronomen *ejus* ad Deum referatur. In ſuperiori enim ℣ſ. 40. de Deo fuit ſermo, de quo dixit Eſaias, quod oculos eorum (id eſt, Judæorum) excæcarit, & corda indurarit &c. Itaque nihil obſtat, quominus vocibus *ejus*, & *de eo* in ℣ſ. 41. Deus intelligatur. Neque ullum eſt dubium, quin Johannes de illa gloria loquatur, quæ eodem cap. 6. Eſaiæ ſtatim ab initio deſcripta eſt; ubi dicit Propheta, ſe vidiſſe Dominum in throno ſedentem, & Seraphim adſtantes, & audiviſſe clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Exercituum; plena eſt omnis terra gloria ejus.* Adeo ut commoti ſint poſtes liminum à voce inclamante, & domus impleta ſit fumo. Cumque Eſaias hac viſione exterritus eſſet, propter impuritatem labiorum ſuorum, narrat unum ex iſtis Seraphim ſumtam ex altari prunam admoviſſe ori ejus ac labiis, atque ſic amotam eſſe iniquitatem ejus & peccata ipſius eſſe expiata. Hac plena majeſtatis viſione recreatus eſt animo Eſaias, ita ut intrepide mandata Dei populo exponeret, etſi ſciret, ſe ideo contemtum inter eos fore. In hac vero viſione, in qua Eſaias vidit gloriam Dei, vidit quoque ſimul & Chriſti gloriam, quæ aliquando orbem terrarum perfectiſſima ratione impletura erat, quæque in hac viſione tanquam in imagine fuit adumbrata. Tunc enim Deus potiſſimum in throno majeſtatis ſuæ conſedit, id eſt, majeſtatem ſuam omnibus populis mundi manifeſtavit; tunc impleta eſt terra univerſa gloria ejus; tum demum Seraphim cœperunt canere, *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Exercituum; omnis terra plena eſt gloria ejus:* cum Deus Chriſtum in mundum miſit, & admiranda per eum edidit opera, cum eum à mortuis excitavit, & à dextris ſuis locavit, cum omnia pedibus ejus ſubjecit: cum Ethnicos per eum ad ſe convertit, & Judæos, qui ſe doctrinæ ejus præfacte oppoſuerunt, juſto ac merito judicio ſuo induravit, rejecitque (de quo agitur ℣ſ 9, 10. ejuſdem cap. 6. Eſaiæ) cum omnia per eum condidit ac reconciliavit, quæ in cœlo ac in terra ſunt. Tunc enim demum nota facta eſt principatibus ac poteſtatibus, quæ in cœlis ſunt, per Eccleſiam, quam ſibi ex omnibus nationibus collegit, multiformis ſapientia Dei, quæ abſcondita fuit à ſeculis in Deo, & primum per Chriſtum eſt in lucem prolata Eph. 3. 9, 10. Hanc tam immenſam Dei gloriam, cum viderit Eſaias in Spiritu, recte inquit Johannes, eum Chriſti gloriam vidiſſe, eumque de Chriſto locutum eſſe. Gloria enim Chriſti cum gloria Dei ita conjuncta atque connexa eſt, ſicut cauſa media cum cauſa finali: ſiquidem gloria Chriſti unice ac ſolummodo ad Dei gloriam directa eſt, eoque tendit, ut Deus laudetur, celebretur ac glorificetur. Ex dictis facile cernitur, nullum ſolidum argumentum ex hoc loco ſumi poſſe pro ea ſententia, quod Chriſtus ſit Deus ſummus. Vidit enim Eſaias gloriam Chriſti, non quæ tunc præſens erat, ſed quæ futuro tempore demum, eo quo dictum eſt modo, manifeſtari debuit. Ad quam gloriam maxime pertinebant inſignia illa miracula, quæ Chriſtus per Dei virtutem in conſpectu univerſi populi Judaici patrabat, quibus tamen Judæi, homines obſtinatiſſimi, permoveri ſe non ſunt paſſi, ut in ipſum crederent. Alioquin enim Johannes teſtimonium iſtud Eſaiæ ad confirmationem hujus rei adducere non potuiſſet. Itaque Eſaias plane eodem modo gloriam Chriſti vidit, quo legimus ſupra cap. 8. 58. Abrahamum vidiſſe diem Chriſti, nempe Prophetico modo in Spiritu & in viſione.

Verſ. 42. *Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non profitebantur, ne ex Synagoga ejicerentur.*] Hæc verba cohærent cum ℣ſ. 37. hoc modo: *Cum autem tot ſigna coram eis edidiſſet, non credebant in eum. Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt &c.* Hoc nimirum ſibi vult Johannes, etſi incredibilis incredulitas in Judaico populo apparuerit, tamen fuiſſe aliquos, qui ingentibus Chriſti miraculis ad fidem pertracti ſint; atque inter eos fuiſſe etiam multos ex primoribus, id eſt, è Senatoribus & aſſeſſoribus Synedrii. Hos enim vocari primores vel principes, ad Luc. 14. 1. indicavimus.

Crediderunt in eum.] Id eſt, erant in cordibus ſuis de veritate convicti, ſed ab animo tamen ſuo impetrare non potuerunt, ut Chriſtum palam ore profiterentur, & vitam ſuam ſecundum doctrinam ejus inſtituerent.

Sed propter Phariſæos non profitebantur.] Tanta erat auctoritas & poteſtas Phariſaicæ Sectæ inter Judæos, ut non modo Senatores è Synedrio, ſed Rex quoque Herodes ipſe, teſte Joſepho, eos metueret, regimenque totius regionis ex eorum conſilio & arbitrio adminiſtraretur. Imo apparet maximam partem Synedrii è Phariſæis conſtitiſſe. Hinc Johannes cap. 7. 45. Synedrium deſcribens ait, *Primarii Sacerdotes & Phariſæi.* Ita etiam Nicodemus & Gamaliel fuere Phariſæi ac ſimul principes ſeu Senatores è Synedrio. Plerique è ſcribis quoque ſeu Legis peritis, quorum multi etiam locum habebant in Synedrio, Phariſaicæ ſectæ addicti fuerunt. Itaque illi è primoribus, qui in Chriſtum crediderunt, formidabant, ne Phariſæi Collegæ ipſorum illud Senatus-conſultum, de quo legimus ſupra cap. 9. 22. adverſus ſe urgerent, & in ſe exequerentur: quod ſcilicet decretum fuit, ut ſi quis profiteretur Jeſum eſſe Chriſtum, ſynagoga moveretur.

Verſ. 43. *Dilexerunt enim gloriam hominum potius, quam gloriam Dei.*] Ejici è Synagoga & ab omni

commercio excludi, ſumma fuit ignominia. Qua ignominia cum iſti affici nollent, eamque vehementer horrerent, maluerunt larva ſimulationis lumen cognitionis ſuæ occultare.

Gloriam hominum.] Id eſt, ſuam propriam gloriam, quam nolebant inter homines amittere.

Gloriam Dei.] Id eſt, quæ Deo debetur, quæque ei tribuitur, quando quis ſanctiſſimam veritatem ejus coram hominibus aperte profiteri non veretur. Quid autem præmii ſperare habeant, qui propriam gloriam ſuam, quam publica profeſſione coram mundo proſtituere timuerunt, gloriæ divinæ anteponunt, indicavit Chriſtus illis verbis: *Quem puduerit mei ac ſermonum meorum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit in gloria ſua & Patris, ſanctorumque Angelorum*, Luc. 9. 26.

Verſ. 44. *Jeſus autem clamavit & dixit: Qui credit in me, non in me credit, ſed in eum, qui miſit me.*] Quo tempore Chriſtus hæc verba locutus ſit, diſcrepant Interpretes. Ad calcem v. 36. dixerat Euangeliſta, Chriſtum *abiiſſe, & ſe occultaſſe:* unde nonnulli colligunt, eum hæc protuliſſe, cum è latebris rurſus in publico compareret. Sed ſi argumentum hujus ſermonis Chriſti bene perpendatur, optime cohærent hæc verba cum admonitione ſuperiori verſus 36. ubi Chriſtus ait: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis.* Nam cum videret ſummam eorum pertinaciam, ut pauci miraculis ac doctrinis ſuis inſignibus moti crederent, & non omnes, qui credebant, ſe aperte profiterentur, metu hominum ac ignominiæ, proponit eis clara & diſtincta voce varias cauſas, cur in ſe credere debeant, vel quare eos pudere fidei in ſe non debeat. Primum autem oſtendit præſtantiam fidei in ſe, quod illa non in ſua perſona terminetur, ſed tendat in gloriam Patris. Dicit autem hoc Chriſtus clamando, ut indicet, parum illis ad credendum ſupereſſe temporis & ne quam poſſint ignorantiæ excuſationem prætexere. Fecit hic, quod ſolet in auctione præco facere, cum parum candelæ reſtat, validius clamat, ſi quis quid velit emere, cito emat, parum ſupereſſe temporis.

Qui credit in me, non in me credit, ſed in eum qui miſit me.] Hæc eſt prima cauſa, cur in ſe credere debeant: quia nimirum fides in ſe collocata, non in ſe tanquam ultimo ſcopo quieſcat, ſed in Deo Patre ſuo, à quo miſſus ſit: ſe nihil aliud eſſe, quam Legatum ejus ac miniſtrum, qui mandata illius exequitur. Itaque fidei in ſe dignitatem ac præſtantiam non ex ſua perſona, ſed ex Dei Patris ſui perſona æſtimandam eſſe. Unde porro ſequitur, eum qui recuſat in ſe credere, ſimul etiam recuſare in Deum Patrem credere. Hunc eſſe ſenſum horum verborum, tam manifeſtum eſt, ut à nemine, niſi qui præconcepta opinione occæcatus eſt, negari poſſit. Senſum hunc poſtulat ipſa hujus locutionis ratio & uſus, quem Chriſtus ſummo ſtudio obſervavit, quia à populo, quem clara & ſublata voce alloquebatur, voluit intelligi. Similis loquendi modus eſt Marc. 9. 37. *Qui me recipit, non me recipit, ſed eum qui me miſit.* 1 Theſſ. 4. 8. *Proinde qui hæc ſpernit* (id eſt, ſalutaria monita Apoſtoli) *non hominem ſpernit, ſed Deum.* Ita etiam Deus dixit Samueli, cum Iſraëliticus populus Regem flagitaret: *Non te rejecerunt, ſed me*, 1 Sam. 8. 7. Hinc naſcitur clariſſimum argumentum, quo probatur, Chriſtum non eſſe Deum Altiſſimum. Deus enim Altiſſimus eſt ultimus fidei ſcopus, & principale ejus objectum. Chriſtus autem hic negat ſe eſſe ultimum fidei ſcopum, negat in ſe fidem quieſcere, ſed ad eum tendere, & in eo conquieſcere, qui ipſum miſit. Ad hujus argumenti vim declinandam duo excogitata ſunt effugia. Primum eſt, quod Chriſtus hic ſecundum humanam naturam loquatur de ſe, cum ait: *Qui credit in me, non in me credit.* At primo naturæ humanæ nulla hic fit mentio, ſed Chriſtus loquitur ſimpliciter, & abſque diſtinctione de ſe toto, & de perſona ſua. Deinde Chriſtus ſe hic conſiderat, quatenus in ipſum creditur, credendumve eſt. In Chriſtum autem credendum eſt, ut in Dei Filium Joh. 3. 16, 18, 36. 1x. 35. atque adeo, ſi adverſariis credimus, ut in ipſum Deum ſummum. Unde, cum de Chriſto agitur, urgent illud Jeremiæ: *Maledictus homo, qui confidit in homine*, Jerem. 17. 5. Quæ cum ita ſint, ſenſus verborum talis erit: Qui in me tanquam unigenitum Dei Filium credit, non in me credit, ſed in eum qui me miſit. Ex quo ſequitur, fidem in Chriſtum, quatenus Filius Dei eſt, collocatam in ipſo non quieſcere, nec ipſum eſſe principale fidei objectum, ultimumque ejus finem; ac proinde eum Deum ſupremum non eſſe. Cæterum in loco Jeremiæ omittunt adverſarii verba, quæ ſequuntur; *Et ponit carnem brachium ſuum, & cor ejus recedit à Deo.* Quibus verbis illuſtrantur ſuperiora. Nam hunc dicit Propheta eſſe maledictum, qui ita confidit in homine, ut cor ejus recedat à Deo, id eſt, qui fiduciam ſuam non in Deo collocat, ſed confidit hominibus fragilibus & infirmis, qui nihil niſi caro ſunt; quod tunc faciebant Iſraëlitæ, qui in Ægyptiis ponebant fiduciam ſuam. At Chriſtus non eſt homo infirmus, præſertim nunc quando à dextris Dei eſt in cœleſtibus collocatus, omnemque poteſtatem in cœlo & in terra conſecutus eſt, Matth. 28. 18. Præterea qui in Chriſtum credunt, quatenus eſt talis divinus homo, eorum cor non recedit à Deo, ſed illi potius per Chriſtum accedunt ad Deum. Tertio, ut ad locum Johannis redeamus, Chriſtus ſe hic conſiderat, ut legatum Patris. Nam legato, qua talis eſt, adhibita fides non in ipſo, ſed in legante ultimo terminatur; cum inde omnis ejus pendeat auctoritas, iſque non ſua, ſed alienæ, nempe mittentis, dicta proponat. Et Chriſtus ſane ideo hoc dixit, ut fidem in ſe collocatam commendaret; nempe quia non in ſe conquieſcat; cum ex ſeipſo non loquatur, ſed in ipſum Patrem, qui ſe miſiſſet, tendat atque in eo terminetur. Quæ autem Chriſto, ut Patris legato, tribuuntur, ea non poſſunt naturæ humanæ, quæ perſonæ non eſt, adſcribi, ſed perſonæ ejus totique adeo Chriſto, quantus quantus eſt, adſcribenda ſunt. Non enim humana natura Chriſti ſola, ſed tota perſona eſt Dei legatus. Alterum effugium, quo argumentum noſtrum ex hoc loco Johannis petitum enervare conantur adverſarii eſt, quando ita hæc Chriſti verba exponunt, quaſi Chriſtus dixerit: Qui in me credit,

dit,

dit, non in me ſolum credit, ſed etiam in eum qui me miſit. Cum enim in tam multis Scripturæ locis præcipiatur fides in Chriſtum, ſine ulla mentione Patris, ut ſupra ℣. 36. & cap. 14. 1. certe in his verbis fides in Chriſtum excludi non poteſt. Reſpondeo. Quo jure hic additur, vel quæ neceſſitas cogit addere voculam *ſolum*? Quam facile eam addere potuiſſet Chriſtus, ſi hoc dicere voluiſſet. Sed quando Chriſtus dicit, *Qui in me credit, non in me credit*, non excludit ille vel tollit plane fidem in ſe, quaſi ſcilicet illi male facerent, qui in ipſum credunt; ſed hoc ſibi vult, quod fides in ſe aliquid amplius in ſe complectatur, & ulterius ſe extendat, quam ad ſuam perſonam; ſimiles huic locutiones ſupra allegavimus Marc. 9. 37. & aliis ex locis. Et unde homines iſti, quorum cauſa Chriſtus hæc verba protulit, ſcire poterant, quod is qui in ipſum credit, non in ipſum ſolum credat, ſed etiam in eum, qui ipſum miſit? Certe non aliunde, quam quod credere debebant, Chriſtum à Deo miſſum eſſe. Qui autem credit, aliquem ab alio eſſe miſſum, is ſatis novit non tantum legato, ſed & leganti credendum eſſe, ſed ita ut leganti credatur per legatum, ut qui præſens ſit, cum ille ſit abſens: adeoque fidem legato adhibitam non primario in eo terminari, ſed tendere ulterius, ad legantem ipſum. Quare hoc effugio ictus non evitatur, quamcunque in formam ſe vertant adverſarii.

Verſ. 45. *Et qui me videt, videt eum, qui me miſit.*] Hoc pertinet porro ad fidem in Chriſtum & fidei iſtius profeſſionem hominibus commendandam ac inculcandam: quia nimirum miraculoſa opera, quæ in ipſo conſpiciantur, non ab ipſo tanquam prima origine proficiſcantur, ſed à Patre, qui eum tanta virtute ac poteſtate inſtruxit. *Filius enim nihil poteſt à ſeipſo facere, niſi quid videat Patrem facientem*, Joh. 5. 19. Quocirca in iſtis ejus operibus, ſumma Patris majeſtas cernitur quæ homines merito movere deberet ut ipſi honorem deferant. Etſi enim Chriſtus non ſolum in operibus, ſed & in divina ſapientia, & ſanctiſſima vita ſua ſimillima imago Patris ſui fuerit, & (ut loquitur Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 1. 3.) *ſplendor gloriæ atque character ſubſtantiæ ejus*: tamen potiſſimum hic reſpicit Chriſtus ad ſua miracula, inter quæ præcipuum erat reſuſcitatio Lazari, quæ merito ad fidem adducere obſtinatum populum debebat.

De argumento, quod ex his verbis ſumere ſolent Trinitarii ad ſupremam Chriſti Deitatem probandam agemus commodiori loco infra ad cap. 14. 9.

Verſ. 46. *Ego lux in mundum veni, ut quiſquis credit in me, in tenebris non maneat.*] Quia in præcedentibus mentionem fecit ſuæ miſſionis, nunc cauſam ob quam miſſus ſit, exponit, quam ſæpius in ſermonibus ſuis ingeminare atque inculcare ſolet: nimirum ut ſit lux mundi, ſeu, ut homines in mundo illuminet. Vide Joh. 1. 9. III. 19. VIII. 12. Eſai. 42. 6.

Ut quiſquis credit in me, in tenebris non maneat.] Indicat, totum mundum tenebris obrutum eſſe, & ſicut naturales tenebræ diffugiunt oriente ſole, ita etiam ſpirituales tenebras ignorantiæ de divina voluntate, exorto doctrinæ Chriſti cœleſtis jubare, diſcuti in illis, qui in ipſum credunt, id eſt, doctrinam ejus amplectuntur. Qui ergo à luce iſta ſe illuminari non patitur, is manet in tenebris ſuis priſtinis. Chriſtus non cum quavis luce confertur, ſed cum luce ſolis, qualis una tantum eſt, quæ cum occidit, tenebræ totum orbem occupant. Ita non niſi unicus eſt Servatur Chriſtus. Cum itaque ſol iſte jam ad occaſum vergat, (id eſt, ad mortem) neque amplius in mundo lucebit, merito eum recipiendi tempus negligendum illis non eſt, qui in tenebris manere nolunt.

Verſ. 44. *Et ſi quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non judico ipſum. Non enim veni, ut judicem mundum, ſed ut ſervem mundum.*] In ſuperioribus innuit, quid boni, conſecuturi ſint illi, qui in ipſum credunt: hic autem indicat, quid mali immineat iis, qui divinæ quidem doctrinæ ejus auditores ſunt, ſed tamen fidem ei non habent: nempe quod ſint damnandi.

Ego non judico ipſum.] Id eſt, ego decretoriam damnationis ſententiam in eum non pronuncio: ut ſupra cap. 8. 15. *Qui enim non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei*, Joh. 3. 18.

Non enim veni, ut judicem mundum.] Id eſt, finis & cauſa adventus mei præſentis in hunc mundum non eſt, ut tanquam ſeverus judex decretum damnationis in infideles feram.

Sed ut ſervem mundum.] Eo tendit omnis meus labor & opera, hoc unum ſtudeo, ne quiſquam pereat, ſed ut omnes ad pœnitentiam ſe convertant, 2 Pet. 3. 9. Vide Joh. 3. 17.

Verſ. 48. *Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.*] Ne quis cogitaret, eos qui non credunt in ipſum, id prorſus impune laturos, nec judicandos eſſe; ideo exprimit non defore judicem talem, qui infideles judicaturus ſit. Idem eſt, Chriſtum rejicere, & verba ejus non recipere. Omnis enim, qui eum rejicit, ejus verba non recipit: & omnis, qui verba ejus non recipit, rejicit eum. Verba autem ejus non recipere, eſt non credere. Videtur Chriſtus alludere ad locum Deut. 18. 19.

Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.] Sanctiſſima ac diviniſſima doctrina mea, quam à me audierunt, & cui credere noluerunt, veluti teſtis adverſus eos ſtabit, clamabitque eos æternis ſuppliciis dignos eſſe, quod non crediderint. Sermo per proſopopœjam tanquam perſona introducitur.

Quem locutus ſum.] Verba hæc peculiarem vim habent. Nam *ſi non veniſſem* (inquit infra cap. 15. ℣. 22.) *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato ſuo.* Rupertus unus è Doctoribus Eccleſiæ non inſcite hunc explanavit locum, cujus verba non pigebit hic apponere ex libro ejus 10. ſub finem: *Quis tandem eſt ille Judex? Sermo, quem locutus ſum vobis ille judicabit eum in noviſſimo die. Ille, inquit, ſermo, quem audierunt, quem verum eſſe neſcire non poſſunt, ut pote magnificis operum teſtimoniis comprobatum, ille judicabit eum, ille arguet, ille convin-*

cet eum. Ubinam iſte talis judex ſedebit? quali de ſolio ſuo voces, aut ſententias judicii ſui dabit? Prope aderit, intus ſedebit, in conſcientia cujuſque juſtas ſententias terribiliter perſonabit. Hæc ille.

Quomodo autem hic potuit Chriſtus dicere, ſe non credentes non judicare, cum ipſe in die noviſſimo futurus ſit Judex? Nimirum hoc ſibi vult Chriſtus: Etſi ego adverſus infideles non feram ſententiam, neque aperte pronunciem, eos damnatione dignos eſſe; ſermo tamen iſte meus, quem auribus ſuis exceperunt, in ipſorum conſcientia eos convincet ac condemnabit. Simili loquendi ratione utitur Chriſtus ſupra cap. 5. 45. dum ſic Judæos affatur: *Ne putate, me accuſaturum vos apud Patrem; eſt qui accuſet vos, Moſes, in quo vos ſperatis.*

Verſ. 49. *Quia ego ex meipſo non ſum locutus: ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi præcepit, quid dicam & quid loquar.*] Cauſam Chriſtus reddit, cur ſermo ſeu doctrina ejus ſit incredulos judicatura: quia nimirum eam non ex ſuo cerebro finxerit, vel proprio motu atque arbitrio protulerit, ſed eam à Patre ſuo acceperit, qui omnia quæ loqui debuit, expreſſe ei mandavit. Proinde qui hunc ſermonem ac doctrinam ſuam ſpernunt, illi rejiciunt Dei doctrinam, adeoque ab ea merito judicabuntur.

Verſ. 50. *Et ſcio præceptum ejus eſſe vitam æternam. Quæ igitur loquor ego, ſicut dixit mihi Pater, ita loquor.*] Hoc addit Chriſtus ad majorem doctrinæ ſuæ commendationem, ut quæ non ſolum à Patre profecta ſit, ſed quæ etiam vitam æternam afferat credentibus.

Præceptum ejus.] Id eſt, doctrina ejus, quam mihi tradidit ac præcepit.

Eſſe vitam æternam.] Id eſt, cauſam ſeu medium eſſe conſequendi vitam æternam: ut infra cap. 17. 3.

Quæ igitur loquor ego, ſicut dixit mihi Pater, ita loquor.] Ego nihil aliud docui, quam quod mihi imperavit Pater. Vos jam videte, quid veſtri ſit officii, ne hanc doctrinam meam rejiciatis, ne iram Patris mei provocetis, jacturamque vitæ æternæ ſubeatis, quam abſque mandatorum meorum obſervatione adipiſci neutiquam poteſtis.

CAPUT XIII.

I. *Chriſtus lavat diſcipulis ſuis pedes, ejuſque rei rationem reddit: ad ℣ſ. 21.* II. *Prædicit unum è diſcipulis ſe proditurum, etiam digito proditorem demonſtrans ad ℣ſ. 31.* III. *Prædicit ſuam glorificationem, & diſceſſum ex mundo mox futurum. ad ℣ſ. 34.* IV. *Præſcribit diſcipulis novum præceptum dilectionis: ad verſ. 36.* V. *Prædicit Petro, qui ſibi nimis confidebat, eum ſe abnegaturum: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *ANte feſtum autem diem Paſchæ, ſciens Jeſus veniſſe horam, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, uſque ad finem dilexit eos.*] Incipit jam Euangeliſta deſcribere hiſtoriam paſſionis & mortis Chriſti. Incipit autem ab ultima cœna, quam Chriſtus habuit cum diſcipulis ſuis: unde ultro ad mortem diſceſſit. Qua in re de induſtria videtur, quæ ab aliis Euangeliſtis dicta erant, præterire; ea vero dicere, quæ prætermiſſa ab aliis erant. Alii ultimam cœnam inſtitutionemque Euchariſtiæ copioſe deſcripſerant, lotionem vero pedum, & concionem illam ad diſcipulos poſt cœnam habitam, præterierant. Quem defectum hic Johannes ſupplet.

Ante feſtum autem diem Paſchæ.] Cum Johannes aggrediatur ad narrandam Chriſti paſſionem ac mortem, præmittit prius brevem præfatiunculam: in qua tria proponit. Primo tempus, quando id factum ſit. Secundo Chriſtum tempus iſtud ſciviſſe. Tertio indicat Chriſti erga diſcipulos amorem. Tempus, à quo Johannes exorditur ſuam narrationem de eo, quomodo Chriſtus diſcipulis ſuis in Cœna laverit pedes, fuit die Jovis veſperi, quando ex Judæorum conſuetudine dies Veneris (qui erat tunc dies Paraſceves) ſumebat initium. Feſtum enim ipſum Paſchatis, quo die Judæi agnum comedebant, incipiebat die Veneris veſperi ab occaſu ſolis.

Sciens Jeſus veniſſe horam.] Id eſt, tempus adeſſe, quod Deus paſſioni ac morti ejus deſtinavit. Antea ſæpe Euangeliſta narraverat, cum Judæi vellent in Chriſtum manus injicere, eum refugiſſe, quia *nondum venerat hora ejus*: ut ſupra cap. 7. 30. viij. 20. Nunc è contrario dicit, eum non modo non refugiſſe, ſed etiam antequam Judæi ad eum comprehendendum veniſſent, ipſum ſe ſponte ſua ad mortem præparaſſe. Hora enim ejus jam venerat. Erat autem commodiſſimum patiendi ac moriendi tempus ſub feſtum Paſchæ, cum undique maxima hominum frequentia confluxiſſet, qui omnes mortis ejus teſtes eſſe poterant. Hoc tempus ipſe ſcivit, quo per mortem ad Patrem tranſire debebat, quia Pater ei id revelavit. Tempus vero ac horam, quando à Patre rurſus rediturus eſſet ad judicandum vivos & mortuos, neſcivit, quia Pater hoc in ſua propria poſuit poteſtate, Matth. 24. 36. Act. 1. 6. Marc. 13. v. 32.

Ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.] Non poterat Chriſtus ad Patrem tranſire niſi per mortem: ut ipſe apud Lucam indicat cap. 24. 46. Innuit autem Euangeliſta, Chriſtum non tantum ſciviſſe, ſe moriturum, ſed etiam non ita ſe moriturum, quemadmodum homines cæteri mori ſolent, ut uſque ad ultimum judicii diem, non eſſet reſurrecturus, ſed ita, ut mors ejus ex hoc mundo tranſitus ad Patrem brevi eſſet futurus. Itaque tranſitus iſte ad Patrem ſimul reſurrectionem & exaltationem ejus complectitur. Eſt autem hic inter *mundum* & *Patrem* quædam antitheſis; perinde ac ſi diceret: ut ex loco miſeriæ & laboris ad locum requietis ac felicitatis tranſiret. Quo dicto ſimul tacite cauſam reddit, quare mortem minime recuſaverit. Quis enim tranſitum à miſeria ad felicitatem recuſaret? Id nobis exemplum eſſe poteſt.

Cum dilexiſſet ſuos.] Deſcripturus Euangeliſta opus ſummæ Chriſti modeſtiæ ac demiſſionis, quomodo is Dominus ac Magiſter diſcipulorum ſuorum exi-

exiſtens, eorum pedes lavare dedignatus non ſit; his verbis cauſam reddit, ex qua tanta demiſſio profluxerit; ea vero eſt amor ejus ac dilectio. Per *ſuos*, Gr. τοὺς ἰδίους, *proprios* intelligit Euangeliſta omnes eos, qui Chriſti doctrinam ſuſceperant, proprie autem duodecim Apoſtolos, qui domeſtici ejus ac familiares erant.

Qui erant in mundo.] Hoc emphatice dicitur. Significat enim Euangeliſta tacite cauſam, cur Chriſtus ſuos hoc potiſſimum in tempore, quo ex hoc mundo ad Patrem tranſiturus erat, dilexerit: quia eos nimirum in hoc mundo, id eſt, inter media pericula relicturus eſſet. Ipſe brevi ex mundo tranſiturus erat ad fælicitatem, illi in mediis miſeriis & periculis debebant remanere. Idcirco omnino neceſſarium erat, ut ante ſuum diſceſſum ſingulare ſpecimen dilectionis ſuæ erga eos ederet. Videtur enim hic *diligere* accipi pro *ſpecimen dilectionis exhibere*, ut ſenſus ſit: ſicut hactenus Chriſtus plurimis indiciis & argumentis amorem ſuum erga Apoſtolos teſtatus eſt ita nunc quoque ad Patrem diſceſſurus ſummum eis amorem ſuum oſtendit, dum eis humillimum & viliſſimum lotionis pedum officium exhibuit. Lotionem pedum autem eſſe viliſſimum officium ac ſervile patet ex 1 Sam. 25. 41.

Uſque ad finem dilexit eos.] Id eſt, uſque ad mortem. Qui ſenſus horum verborum ſimpliciſſimus eſt.

Verſ. 2. *Et cœna facta, cum diabolus jam immiſiſſet in cor Judæ Simonis Iſcariothæ, ut proderet eum.*] Hic incipit Euangeliſta texere hiſtoriam lotionis pedum, & exprimit his verbis tempus, quando facta ſit: nempe poſt cœnam. Duæ autem in illo feſto Paſchatis habitæ ſunt cœnæ: in prima Agnus certis cum ceremoniis edebatur; quam mox excepit altera vera cœna, in qua varii cibi affatim apponebantur. Solo enim agno multæ perſonæ ſatiari non poterant. Hic igitur loquitur Euangeliſta, de prima cœna; qua peracta, antequam altera, quæ vera cœna erat inciperet, Chriſtus ſurrexit & diſcipulorum ſuorum pedes lavit. Abſolvit vero Chriſtus primam cœnam abſque eſu Agni, ſed reliquas tamen ceremonias uſitas obſervavit, ad exemplum Judæorum, qui erant in captivitate Babylonica, ubi etiam abſque agni mactatione & eſu, memoria Paſchatis celebrabatur, quemadmodum & ab hodiernis Judæis inde ab excidio Hieroſolymæ celebratur. Ante ſecundam autem & veram cœnam omnibus mos erat ſurgere, & lavare pedes: quod alioqui quiſque per ſe faciebat; hic vero Chriſtus hoc miniſterium omnibus præſtitit. Vide Tractatum noſtrum de Feſto Paſchatis annexum Marco Appendicis loco.

Cum Diabolus jam immiſiſſet in cor Judæ Simonis Iſcariothæ.] Diabolus per ſe poteſtatem non habet in ullum hominem, nec poteſt in cor ejus mali quicquam immittere, niſi quando aliquis propter vitæ ſuæ improbitatem à Deo prorſus eſt derelictus. Vide dicta à nobis ad Matth. 26. 21. & ad Luc. 22. 3. Indicat autem Euangeliſta his verbis ſummam impietatem iſtius proditionis, qua ſe fædavit Judas. Multa enim flagitia ex ſimplici voluntate & malis hominum cupiditatibus ortum ducunt: hoc autem flagitium à Diabolo ipſo in Judæ cor immiſſum eſt; facinus tam nefarium, ut nemo tam ſceleratus ac flagitioſus fuerit mortalium, qui id in animum inducere potuiſſet, niſi Diabolo auctore & in cor immittente. Immiſſio vero iſta diaboli in cor hominum abſque omni voluntatis coactione peragitur, ſed fit ſola ſuaſione & talium rerum ob oculos poſitione, quæ carni allubeſcunt; quas homines iſti libenter arripiunt, qui magis carnis & cupiditatum ſuarum impetu, quam ratione ducuntur. Itaque verbum immittendi hic ita accipiendum eſt, ut ſubintelligatur, Judam immiſſioni iſti atque inſtinctui Diaboli locum apud ſe dediſſe, ac voluntatem ſuam eo inclinaſſe, quo eam Satanæ inſtinctus & tentatio impellebat. Eodem ſenſu dicitur, aliquem à Satana tentari, quando quis tentationi ejus non reſiſtit, 1 Cor. 7. 5.

Ut proderet eum.] Non carent & hæc verba emphaſi. Docet enim Euangeliſta, etſi jam in animo Judæ firmum decretum proditionis ſediſſet, & diſcrimen jam eſſet præ foribus, Chriſtum tamen, cui mala illius mens ac nefarium conſilium non erat ignotum, haud intermiſiſſe hoc teſtimonio amoris, nempe lotione pedum, eum ad pœnitentiam invitare & exiſtimulare: quod tamen illius culpa poſtea in majus judicium ejus redundavit. Nam etiam Judæ pedes lavaſſe Chriſtum, exinde cernitur, quod lotio iſta facta ſit ante cœnam habitam: Judam autem cœnæ interfuiſſe conſtat ex Pſ. 26. hujus capitis, ubi dicitur Chriſtus fruſtum panis intinxiſſe, illique porrexiſſe. Cæterum inſtitutioni Euchariſtiæ Judas non interfuit: nam ſtatim poſt acceptum illud fruſtum ſurrexit & exivit. Itaque Lucas cap. 22. 21. in narratione hujus hiſtoriæ ordinem temporis accurate non ſervavit.

Verſ. 3. *Sciens Jeſus, Patrem omnia dediſſe ſibi in manus, & ſe à Deo exiviſſe, & ad Deum abire.*] Hoc addit Euangeliſta ad magis extollendam Chriſti modeſtiam, quod etſi de ſumma ſua dignitate & excellentia ſciverit, omnia nimirum tradita ſibi eſſe à Patre in manus, tamen ſe ad pedes diſcipulorum ſuorum lavandos demiſerit.

Patrem omnia dediſſe ſibi in manus.] Id eſt, dare promiſiſſe ac conſtituiſſe. Omnia ipſi tradita ſunt, quæ ad ſalutem & felicitatem fidelibus dandam pertinent Matth. 28. 18. & quidem poſt exaltationem ejus Act. 2. 36.

Et ſe à Deo exiviſſe.] Id eſt, ſe non vulgarem hominem eſſe, ſed Dei legatum, cui alioqui, ſi eminentiam ac dignitatem ejus ſpectes, nullo modo conveniebat, tam vile ſervitium, quale eſt lotio pedum, adminiſtrare.

Et ad Deum abire.] Id eſt, ſe mox à Deo exaltatum in cœlum: & in throno majeſtatis ad dexteram ejus collocatum iri. Ultima verba hujus verſiculi ita quidam interpretantur, ac ſi diceret Euangeliſta, ſciviſſe Jeſum, ſe ad Deum, unde exierat, redituram. Ut ita duæ tantum res ad præſtantiam Chriſti ſpectantes hic ab Euangeliſta memorentur: primo, quod ipſi Pater omnia dederit in manus: ſecundo, quod ad Deum redeat, à quo exierat.

Verſ. 4. *Surgit à cœna, & deponit veſtimenta, acceptoque linteo, præcinxit ſe.*] Surrexit nimirum à prima cœna, in qua agnus edi ſolebat. Hæc autem cœna non peragebatur ſtando, ſicut tempore exitus

ex Ægypto Exod. 12. 11. ſed recumbendo. Vide Tractatum de Paſchate, quem Marco adjunximus. Ideo dicit Euangeliſta, Chriſtum ſurrexiſſe à cœna. Surrexit autem poſt finitam illam cœnam, cum jam inchoanda eſſet altera cœna, quam ſolebat lotio pedum antecedere.

Et deponit veſtimenta.] Non omnia, ſed tantum ſuperiores veſtes. Nam Græca vox ἱμάτια in plurali ſignificat proprie tantum ſuperiorem veſtem. Vide Matth. 17. 2. Effertur autem plurali numero, quia ex pluribus particulis conſuta erat. Vide infra ad cap. 19. 23. Erravit proinde Origenes, qui ex plurali voce *veſtimenta* collegit, Chriſtum omnes prorſus veſtes depoſuiſſe, & ideo ſe linteo præcinxiſſe, ne omnino nudus eſſet. Solebant autem ſervi ſummas veſtes deponere, quando miniſtrabant, ut expeditiores eſſent. Ita Chriſtus non tantum ſervile officium præſtitit, ſed etiam ſervili more id peregit.

Acceptoque linteo.] Ut eo pedes abſtergeret: ut liquet ex ℣. 5.

Præcinxit ſe.] Etiam hac in re ſervos imitatus eſt, qui cingulo ſolebant inferiores veſtes ſuas adſtringere atque ſuccingere, ne ipſis ad miniſtrandum impedimento eſſent. Vide Luc. 17. 8. Chriſtus autem hic ſe linteo præcinxit, ut verſu ſequenti dicitur, etiam ex more ſervorum, qui tale opus peracturi præcingebant ſe linteo, ne veſtes ſuas inter lavandum ſordidarent.

Verſ. 5. *Deinde immiſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.*] Nihil prætermiſit earum rerum, quæ ad officium ſervi pertinent. Non curavit ſibi eb alio aquam afferri, ſed ipſe eam hauſit ex lapideis vaſis, quæ ex conſuetudine Judæorum aqua plenæ in domibus ſtabant. Vide ſupra cap. 2. 6. Pelves ſine dubio jam ad uſum ſemper erant paratæ, quia uſu receptum erat, ut ante ſecundam cœnam pedes lavarentur.

Et cœpit lavare pedes diſcipulorum.] Hic deſcribit Euangeliſta in genere, quod Chriſtus diſcipulis ſuis laverit pedes. Verſiculo autem ſequenti in ſpecie refert, quid Petrus, cum lavandus eſſet, dixerit ac fecerit. Verba, *cœpit lavare & extergere*, nihil aliud ſignificant, quam, *lavit & exterſit.* Vide quæ dicta ſint de hoc loquendi modo ad Luc. 3. 8.

Extergere.] Hoc itidem ſolebant ſervi facere, qui lavabant pedes.

Verſ. 6. *Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dixit ei: Domine, tu mihi lavas pedes?*] Ex his verbis quidam colligunt, Chriſtum à Petro lavandi feciſſe initium. Prius enim, ut monuimus, Euangeliſta generaliter dixit, Chriſtum omnibus diſcipulis ſuis laviſſe pedes; hic autem ſigillatim explicare voluit, quomodo à Petro inceperit; nempe quod venerit ad Simonem Petrum, lavandi initium faciens. Sententiam hanc id veriſimilem facit, quod credibile non ſit, cæteros Apoſtolos non recuſaſſe, æque ac Petrus, ut ſibi Chriſtus lavaret pedes, ſi eos prius quam Petrum lavare voluiſſet: & ſi aliquis eorum recuſaſſet, non minus id Euangeliſta de illo atque de Petro narraſſet. Sed loto primum Petro poſt longam recuſationem, doctoque à Chriſto, non habiturum cum ipſo partem, niſi ſineret ſibi lavari pedes, non mirum, ſi paſſi alii fuerint idem ſibi fieri.

Domine, tu mihi lavas pedes?] Tune vis meos pedes lavare? Similis locutio eſt ſupra cap. 10. 32. Duo illa pronomina *tu* & *mihi* emphatica ſunt. Vult enim dicere: *Tu*, qui es Filius Dei viventis (Matth. 16. 16.) vis *mihi* homini & conditione abjectiſſimo, & moribus peccatori (Luc. 5. 8.) lavare pedes? Ex his verbis perſpicitur, non alia cauſa prohibuiſſe Petrum lavari ſibi pedes, quam ſumma reverentia erga Chriſtum, & conſideratione eximiæ ejus dignitatis. Non enim intellexit Chriſti conſilium, quidque ea re vellet ſignificare. Eadem ratione Johannem quoque Baptiſtam legimus recuſaſſe Chriſtum baptiſare Matth. 3. 14.

Verſ. 7. *Reſpondit Jeſus & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis nunc; ſcies autem poſtea.*] Quaſi dicat; Nunc non intelligis, quid mihi hac actione velim, quibus cauſis ad hoc faciendum adductus ſim. Si enim intelligeres, non recuſares. Certum quidem eſt, Chriſtum pedes diſcipulorum laviſſe, ut exemplum charitatis & humilitatis traderet diſcipulis: ut ipſe declarat infra ℣. 13, 14, 15, ſed non fuit hæc præcipua cauſa, verum erat aliud myſterium; quod hac lotione ſignificare voluit. Nimirum voluit ea adumbrare perfectam à peccatis ablutionem ac repurgationem, quæ ab illis requiritur, qui partem cum Chriſto habere volunt. Hic erat principalis hujus facti ſcopus: quia vero factum hoc fuit admodum humile & abjectum, exinde ſimul ſumma Chriſti demiſſio eluxit: ut videbimus ℣. 10.

Scies autem poſtea.] Nempe ubi virtute Spiritus Sancti fueris repletus, cum munus Apoſtolicum ſimili diligentia adminiſtrabis, omnemque dabis operam, ut eos quos ad me convertes, ab omnibus peccatorum ſordibus à capite uſque ad plantas pedum repurges. Tunc id intellexit Petrus, cum prout monuit eum Chriſtus, *fratres ſuos confirmavit* Luc. 22. 32, cum ſcripſit ad eos: *Proinde depoſita omni malitia, & omni dolo, & ſimulationibus, & invidentiis, & omnibus obtrectationibus, ut modo geniti infantes, lac rationale ac dolo carens expetite* 1 Pet. cap. 2. 1, 2.

Verſ. 8. *Dicit Petrus ei: Non lavabis pedes meos in æternum. Reſpondit ei Jeſus: Niſi lavero te, non habes partem mecum.*] Ex ſuperioribus Chriſti verbis facile poterat Petrus intelligere, Chriſtum graves habere hujus facti ſui tam abjecti rationes, quæ etſi eum tunc laterent, ſuo tempore tamen eas erat ſciturus. Sed apparet eum vel non attendiſſe ad verba Chriſti, vel exiſtimaſſe, eum nihil aliud quam ut exemplum humilitatis præberet, intendere: quæ cauſa ipſi non ſatis idonea viſa eſt, cur velle deberet ejuſmodi officium ſibi præſtari, & exemplum tale in ſuis pedibus edi, propter ſummam inter ſe & Chriſtum diſparitatem.

Niſi lavero te, non habes partem mecum.] Non eſt Chriſto inſolens, ut de rebus viſibilibus loquens, ad ſublimiorem & arcanum ſenſum reſpiciat. An enim ideo Petrus ſimpliciter non erat partem habiturus cum Chriſto, ſi ſibi non paſſus eſſet pulverem & ſordes pedum mundari? Hoc vero non multum

abfuiſſet

abfuiſſet à ſuperſtitione Phariſæorum, quam ipſe Chriſtus redarguit apud Matthæum, cum Phariſæi offenderentur, quod diſcipuli ejus illotis manibus cibum caperent, dixitque: *Illotis manibus edere non coinquinat hominem* Matth. 15. 20. Voluit igitur Chriſtus hac lotione pedum aliquid altius ſignificare, & dicere: Niſi verbo meo & Spiritu repurgavero, quicquid in te adhuc impuri eſt, non habebis partem mecum. Id autem quod in Petro adhuc repurgandum fuit, erat ſumma ejus temeritas & confidentia, quæ in eo apparuit, quod tantopere aſſeveraret, ſe ſolum non iri offenſum, etſi omnes cæteri offenderentur Matth. 26. 33. Præterea non erat, ut decebat, vigilans; quia in ſummo Chriſti diſcrimine una cum aliis diſcipulis ſomno indulſit. Ibid. ℣. 40. Adde ejus præcipitem iracundiam, quod haud exſpectato Chriſti mandato gladium ſtrinxerit, & aurem Malcho præciderit, ibid. ℣. 51. Tandem trepidatio & puſillanimitas magna in eo eluxit, cum turpiter Chriſtum abnegavit, & cum execratione ſui ipſius pejeravit, quod Chriſtum non noſſet, ibid. ℣. 70, 74. In aliis Apoſtolis expurganda erat ambitio Matth. 20. 21, cupiditas vindictæ Luc. 9. 54, & ſimilia vitia. Quomodo autem Chriſtus ſordes iſtorum vitiorum in eis abluerit & emundarit, hoc in modo allegatis locis cernitur. Ad hanc ſpiritualem lotionem pertinent omnes iſti ſermones Chriſti, quos Johannes in ſequentibus capitibus deſcribit. Hæc aqua eſt etiam ſpiritualis ille ignis, quo Chriſtus ſuos baptiſat, Matth. 3. 11.

Non habes partem mecum.] Id eſt, non eris particeps beneficiorum meorum, quæ ego mundo attuli. Beneficia autem illa ſunt, quod ſimus hæredes Dei & cohæredes Chriſti, Rom. 8. 17. Propter iſta Chriſti verba olim in primitiva Eccleſia mos invectus eſt, ut qui ad Cœnam Domini accedebant, prius pedes lavarent. Crediderunt enim, Chriſtum hac lotione pedum voluiſſe indicare, animos prius repurgari oportere, antequam corporis & ſanguinis Chriſti participes fierent. Auguſtinus Epiſt. 119. cap. 18.

Verſ. 9. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non ſolum pedes meos, ſed etiam manus & caput.*] Petrus audiens, quantum ſua referat, ut pedes ſibi laventur, plus etiam offert, quam requirebatur, ut nimirum totum corpus, ſi velit, lavet. Ita per manus & pedes totum corpus deſignatur Joh. 11. 44.

Verſ. 10. *Ei qui lotus eſt, non opus eſt, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: & vos mundi eſtis, ſed non omnes.*] Continetur his verbis Chriſti ſimilitudo ſumta ab iis, qui è balneo exeunt. Hi in balneo mundarunt totum corpus, ſed quia inter exeundum terram pedibus attingunt, atque adeo pedes rurſus conſpurcant, non indigent niſi pedum ablutione. Ita Chriſtus vult ſignificare, eos qui per lavacrum regenerationis mundati ſunt, id eſt, qui doctrinæ ejus credunt, & ut ex præſcripto ejus vitam ſuam inſtituant, apud animum ſuum firmiter conſtituerunt, non egere jam ulla à gravibus peccatis, quibus antea polluti erant, mundatione. Jam enim *puri ſunt propter ſermonem* Chriſti, quem audiverunt & ſuſceperunt Joh. 15. Corda eorum jam ſunt purificata per fidem, ut loquitur Petrus Act. 15. 9. Sed ſatis eſt, ſi illa tantum peccata ſeria pœnitentia & conſtanti emendationis propoſito eluant, in quæ aliquando in ipſo pietatis curſu ex accidenti, atque ex mera fragilitate & inanimadvertentia incidunt. Ut enim viator, etſi corpus non contaminet, pedes tamen ambulando conſpurcare ſolet: ita etiam Chriſtianis uſu venit ſæpiuſcule, ut in quotidiana converſatione aliqua labecula aſpergantur, etſi à gravibus peccatis immunes ſint. Sed qui partem habere volunt cum Chriſto, tenentur etiam ab hoc cœno, etiam minimo, pedes ſuos repurgare. Unde intelligere eſt, quanta perfectio in vita ac moribus requiratur ab iis, qui æternæ ſalutis cupiunt evadere participes.

Sed eſt mundus totus.] Id eſt, reliquo corpore, præter pedes. Similis locutio eſt 1 Cor. 15. 27.

Et vos mundi eſtis.] Ita ſcilicet, ut nonniſi lotione pedum indigeatis. Animus veſter eſt candidus, propoſitum laudabile, Spiritus promptus Matth. cap. 26. 41. etſi adhuc caro infirma ſit.

Sed non omnes.] His verbis Judæ conſcientiam cupit expergefacere: is enim neque animo neque corpore purus erat, ſed in animo coquebat nefarium conſilium proditionis, quod ei Satanas indiderat.

Verſ. 11. *Norat enim eum, à quo prodebatur: propterea dixit, Non omnes eſtis mundi.*] Cauſam reddit Euangeliſta, cur dixerit Chriſtus, *Sed non omnes.* Quod vero Chriſtus noverit ſuum proditorem ante tempus exinde nullo pacto ſequitur, Chriſtum eſſe Deum ſupremum. Potuit enim id ſcire per Spiritum illum, quo à Deo unctus fuit.

Verſ. 12. *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, rurſum recubuit, & dixit eis: ſcitis, quid fecerim vobis?*] Poſtquam Chriſtus hoc modo ſermonem commutaſſet, nullus è reliquis diſcipulis recuſavit pedes ſuos lavari.

Rurſum recubuit.] Nempe ad menſam; atque tunc demum vera cœna habita eſt, quam Chriſtus inſtitutione Euchariſtiæ concluſit.

Scitis quid fecerim vobis?] An intelligitis, quid hac lotione pedum veſtrum voluerim ſignificare?

Verſ. 13. *Vos vocatis me, Magiſter & Dominus: & recte dicitis. Sum enim.*] His me titulis non injuſte ornatis. Sum enim veſter Magiſter, cum vos in via vitæ inſtituam; ſum quoque Dominus veſter, cum vos liberem ab æterno interitu. Non explicat autem eis myſterium iſtud, quod lotione illa pedum adumbravit; id enim ante effuſionem Spiritus Sancti intelligere non poterant: ſed factum ipſum eis ponit ob oculos, quod per ſe erat humile & abjectum, adeoque opus magnæ modeſtiæ. Indicat vero eis ingens diſcrimen, inter ſe illoſque quoad ſtatum & conditionem: quanquam tanta cum modeſtia, ut magis reverentiam eorum, quam ſibi exhibeant, vocantes eum Magiſtrum ac Dominum ſuum exprimat, quam ſuum de ſe ſenſum. Neque repugnat modeſtiæ, quod dicat, *Sum enim.* Modeſtia enim veritatem non tollit: quæ Chriſtum impulit, ut approbaret diſcipulorum de ſe exiſtimationem.

Verſ. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare.*] Chriſtus diſcipulos ſuos ad perfectam humilitatem exiſtimulare volens, ex hoc facto ſuo argumen-

gumentum format à majori ad minus: nimirum, ſi ego veſter Magiſter ac Dominus vobis meis diſcipulis ac ſervis tam humile ac ſervile officium præſtiti, ut pedes veſtros laverim: quanto magis decet, ut vos diſcipuli & ſervi mei, qui omnes inter vos æquales eſtis, ad omnia officia etiam viliſſima præſtanda invicem ſemper parati ſitis, & ut Paulus loquitur, *ex animi demiſſione alii alios vobis præſtantiores eſſe exiſtimetis*, Phil. 2. 3.

Vos quoque debetis alii aliis lavare pedes.] Etſi Chriſtus per lotionem pedum omnis generis officia & opera modeſtiæ ac charitatis, quæ Chriſtiani inter ſe exercere debent indicare voluerit; neſcio tamen, annon laudabile foret, ſi lotio pedum in Eccleſiis Chriſtianis inſtitueretur, ut nimirum frater fratri, quando tanquam hoſpes ad eum venit, vel alia occaſione pedes lavet, ut ita perpetuum eſſet humilitatis inter Chriſtianos exercitium. Certe olim in nonnullis Chriſtianorum Eccleſiis poſt Apoſtolica tempora ritus hic diu ſervatus eſt: ac nominatim in Eccleſia Mediolanenſi uſque ad Ambroſii tempora, qui vixit circa annum Chriſti 374. Chriſtianum alioqui teneri alteri lavare pedes, tempore neceſſitatis, ſi is forte ob diuturnum morbum vel aliam ob cauſam ipſe id facere nequeat, extra omnem eſt dubitationem.

Verſ. 15. *Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.*] Longum iter eſt per præcepta, breve per exempla: ut ille ait. Semper exempla verbis ſunt efficaciora ad docendum. Poteſt enim aliquis docere alterum, quod ipſe præſtare nequeat, vel nolit.

Ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.] Horum verborum generalis ſenſus eſt, nimirum ut & vos alii aliis exhibeatis officia humilitatis, quale hoc eſt, quod ego modo præſtiti.

Verſ. 16. *Amen amen dico vobis, Non eſt ſervus major domino ſuo, neque legatus major eo à quo miſſus eſt.*] Rationem ſuperiorem confirmat: & quia Apoſtoli debebant eſſe præcipua Eccleſiæ lumina, partim quoad ſublime munus ſuum, partim quoad præſtantiam donorum divinorum; doctrinam eis valde utilem tradit, qua ipſos ab arrogantia dehortatur, quæ ut plurimum magnos honores comitari ſolet, docetque, quo ſublimiores fuerint ac præſtantiores, eo magis ipſis incumbere, ut ſe demittant, & aliis ſervire haud detrectent. Vide dicta à nobis ad Matthæum cap. 20. 26, 27.

Non eſt ſervus major domino ſuo.] Hoc erat notum proverbium, quo Chriſtus etiam Matth. 10. ℣. 24. utitur. Repetit tacite id, quod ex eorum confeſſione antea dixerat, ſe eſſe dominum ipſorum. Itaque etſi ad ſummam dignitatem fuerint evecti, tamen innuit eos non debere pudori ducere, ut id ipſum faciant, quod ipſorum Dominus fecit. Servus enim non debet ſuperbior eſſe & elatior domino ſuo. Vide Luc. 6. 20.

Neque legatus major eo, à quo miſſus eſt.] Superius ſe dominum eorum vocavit, hic ſe vocat mittentem. Eum enim in finem eos inſtituerat, & porro per ſuum Spiritum, quem in eos effuſurus erat, magis adhuc in omni veritate eos inſtituere debebat, ut eos mitteret in univerſum orbem, & in prædicando Euangelio eorum opera uteretur.

Verſ. 17. *Si hæc noveritis, beati eritis, ſi ea feceritis.*] Verbum *noſſe* hic ſumitur pro *credere*: ut & ſupra cap. 4. 25. & alibi. Hoc enim ſibi vult: Si credideritis, humilitati eo modo, quo vobis & verbis & exemplo prævi, ſtudendum eſſe, & reipſa id feceritis, beati eritis. Hinc patet, fidem, quæ facto non comprobatur & non exeritur, vanam & inutilem eſſe. Imo fides abſque operibus noxia eſt magis quam utilis. *Qui enim novit recte facere.* (id eſt, qui credit, bene faciendum eſſe) *& non facit, peccatum ei eſt*, Jac. 4. 17. Quis eſt hodie inter Chriſtianos, qui non dicat, Ego ſcio & credo omnia, quæ mihi in Euangelio proponuntur? Sed talibus inculcanda eſſent hæc Chriſti verba: ***Si hæc noveritis, beati eritis, ſi ea feceritis.***

In voce *beati* videtur latere quædam emphaſis. Nimirum indicat illa, rem non eſſe adeo facilem, id quod ſcis ac credis, reipſa facere. Nullus erat ex Apoſtolis, qui non intellexerit illico, ſervum domino ſuo non eſſe majorem. Sed exemplum Domini imitari, & reipſa ei conformem fieri, eſt tantæ molis opus, ut merito pro beato æſtimandus ſit, qui tam ſublimem charitatis ac humilitatis gradum attigerit. Is enim beatus vocatur, qui in re ardua omnes difficultates vincit, vel qui aliquid magni & præclari conſequitur quod alii non facile aſſequi queunt. Beati autem dicuntur hic, qui in modeſtia Chriſtum imitantur, quia certa eis facta eſt promiſſio ſummæ dignitatis in beata vita, atque ita jam ſpe beati ſunt. Qui enim ſunt humillimi in terris, illi erunt altiſſimi in cœlis, Matth. 18. 4.

Verſ. 18. *Non de omnibus vobis loquor: ego ſcio quos elegerim: ſed ut impleatur Scriptura: Qui edit mecum panem ſuſtulit adverſus me calcaneum ſuum.*] Cum dicit, ſe non de omnibus loqui, non hoc ſibi vult, ſe nolle ut omnes Apoſtoli id, quod modo docuit, ſciant & faciant, adeoque beati fiant: ſed indicat, ſe non de omnibus hanc ſpem habere, ut id quod docuit, teneant ac præſtant: quaſi dicat, Non de omnibus dico, eos beatos fore, quia non omnes id ſcient & facient. Reſpicit ad Judam.

Ego ſcio quos elegerim.] Chriſtus non loquitur de electione ad fidem vel ad ſalutem, quæ ſemper in Sacris Literis Deo Patri adſcribitur, Chriſto nunquam. Pater enim eſt primus auctor & cauſa principalis noſtræ ſalutis: Chriſtus autem eſt cauſa media, per quem & in quo electi ſumus. Sed loquitur hic Chriſtus de electione ad munus Apoſtolicum. Rationem enim affert, cur dixerit, ſe non de omnibus Apoſtolis loqui: quia ſcilicet omnes, quos elegit & pro domeſticis ſuis ſuſcepit, intus & in cute noverit, adeoque ſciat, quomodo quiſque animatus ſit, quid animo ſuo volvat, & quid de unoquoque ſperandum ſit. Unde patet, ſenſum horum verborum non eſſe, quod Chriſtus quoſdam Apoſtolorum elegerit, quoſdam non elegerit; quaſi Judam non elegiſſet. Ipſe enim inquit ſupra cap. 6. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi? & unus ex vobis eſt diabolus.* Qui locus ſimiliter docet, Chriſtum ut illic, ita hic quoque, non de electione ad ſalutem loqui. Abſurdum enim foret dicere, unum ex illis diabolum eſſe, qui ad ſalutem electi erant. Duplex autem horum verborum, *Ego ſcio, quos elegerim*, poteſt

eſſe

eſſe ſenſus. Primus eſt, quaſi dictum ſit: Scio quales illi, quos elegi tunc fuerint, cum eos eligerem; nempe cæteri omnes probo candidoque animo fuerunt, Judas autem improbo. Et propterea dixi non omnes eſſe beatos. Hoc pacto electio pro cauſa iſtius ſcientiæ adduceretur: quaſi dicat, Quomodo non noſſem eos, quos ipſe elegi? Alter ſenſus eſt: ſcio quales illi, quos elegi, quique tunc omnes boni fuerunt, nunc ſint. Prior ſenſus magis cum verbis convenit; quia electionis meminit, cum alioqui ſimpliciter dicere potuiſſet, Scio quales ſitis omnes: alter vero ſenſus eſt magis veritati conſentaneus. Non enim credibile eſt, Judam tunc cum à Chriſto eligeretur, tam improbum fuiſſe, atque poſtea. Nam Chriſtus, qui animum ejus habebat perſpectum, non elegiſſet eum ad munus Apoſtolicum. Quanquam ſtatuendum eſt, ejus in animo jam tum delituiſſe aliquam pravitatem, quam ſi voluiſſet virtute & ratione ſuperare poſſet, & non minus quam cæteri præclarum gloriæ Chriſti vas evadere, ſed quia occaſionem ſe emendandi, quam commodiſſimam habuit in Chriſti ſchola ac contubernio, neglexit, avaritiæque ac furacitati addictus fuit, Deus eum merito deſeruit, & pro inſtrumento proditionis, quæ dudum in Sacris Literis prædicta fuit, adhibuit.

Sed ut impleatur Scriptura.] Hic eſt abrupta oratio, quæ ita ſupplenda eſt: ſed hoc factum eſt, ut impleatur Scriptura. Ut ita totius loci hic ſit ſenſus: Hoc vero, quod non omnes, quos elegi, puri ſint, ſed unus ſit ex eis proditor, eſt ſingulari Dei providentia factum, ut nimirum impleatur Scriptura. Videtur enim Chriſtus his verbis non ſe ſolum ſolari voluiſſe, ſed inprimis quoque Apoſtolos informare, ne offendantur iſta Judæ proditione: ut ex ſequentibus intelligitur.

Qui edit mecum panem, ſuſtulit adverſus me calcaneum ſuum.] Verba hæc ſumta ſunt ex Pſal. 41. 10. ubi David in perſecutione ab Abſalomo conſtitutus de ſua miſeria conqueritur dicens: *Etiam amicus meus, in quo confidebam, qui comedit cibum meum, ſuſtulit adverſum me calcem.* Quibus verbis David (ut cenſent Interpretes Hebræi, ac nominatim Chaldæus Paraphraſtes) ad Achitophelem reſpicit, qui ſimiliter Davidis proditorem egit, ut Judas Chriſti. Quo ipſo Chriſtus tacite innuit, eundem fore Judæ exitum, qui Achitophelis fuit, qui ſeipſum ſuſpendit, 2 Sam. 17. 23. Quapropter David ut in aliis rebus plurimis, ita etiam hac in parte Chriſti typus ac figura fuit.

Qui edit mecum panem.] Quem menſæ meæ adhibui, quem in numerum domeſticorum meorum & fidorum amicorum recepi. Menſa communis erat etiam apud Ethnicos ſignum magnæ amicitiæ & familiaritatis. Ideo vetat Paulus cum eo, qui nominatur frater, & inordinate ambulat, etiam cibum capi, id eſt, amicitiam ac familiaritatem coli 1 Cor. 5. 11.

Suſtulit adverſus me calcaneum ſuum.] Id eſt, me quærit opprimere, equi calcitrantis inſtar, vel in modum hominis ſublato pede aliquem conculcantis.

Verſ. 19. *A modo dico vobis, priuſquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego ſum.*] Oſtendit Chriſtus, ſe non tantum hominum cogitationes noſſe, ſed etiam futura ſibi non eſſe ignota.

Ut cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum.] Ut cum videritis, ita factum eſſe, ut modo prædixi, credatis, me eſſe illum, de quo extat talis prophetia in Sacra Scriptura. Si vobis, non prædixiſſem nunc, id futurum, facile cum id fiet, ſcandaliſari poſſetis: nunc vero magis, quando id fiet, in fide veſtra confirmabimini. Credere enim hic ſignificat, magis magiſque credere, vel in fide confirmari. Nam eos jam ante credidiſſe, Jeſum eſſe Meſſiam, ipſimet teſtati ſunt, cum Petrus omnium nomine dixit: *Domine, ad quem abibimus? tu verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & ſcimus, te eſſe Chriſtum Filium Dei viventis*, Joh. 6. 68, 69. Vide etiam Matth. 16. 16. Similis locutio eſt etiam ſupra cap. 2. 11.

Verſ. 20. *Amen amen dico vobis, qui recipit, ſi quem miſero, me recipit: qui vero me recipit, recipit eum qui me miſit.*] Quoniam eventurum erat, ut Judas fieret Domini ſui proditor, Chriſtus reliquos Apoſtolos ad conſtantiam hortatur in demandato ſibi munere, oſtendens, miniſterium eorum fidele ac grave non cariturum ſuis ſolatiis: Deum enim curaturum, ut ſemper extent homines boni & probi, qui omnem benevolentiam eis ſint exhibituri, idque ſibi fore tam gratum, quam ſi ſibi ipſi officia iſta præſtarentur.

Qui vero me recipit, recipit eum qui me miſit.] Quicquid mihi boni præſtatur, id Pater, qui me miſit, ita accipiet, ac ſi ipſi præſtaretur. Vide Matth. 10. 40, 41. Hic vero Judas potuiſſet quoque utilem ſibi ad emendationem elicere doctrinam, niſi jam à Deo in reprobum ſenſum datus fuiſſet. Nam ſicut Deus Pater beneficia in Chriſtum collata ſuſcipit, tanquam ſi in ſe collata eſſent: ita etiam iſtud maleficium turpiſſimum, quod Judas commiſſurus erat in Chriſtum, non aliter interpretabitur, quam ſi adverſus ipſum Deum commiſſum eſſet.

PARS II.

Verſ. 21. *CUm hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt Spiritu, & teſtatus eſt, dixitque: Amen amen dico vobis, unus ex vobis prodet me.*] Quod Chriſtus antea obſcuris & ex ſcriptura ſumtis verbis dixerat, eum qui manducat panem ſecum, calces adverſum ſe ſublaturum; id ipſum jam aperte & clare effert, quod nimirum unus ex illis ſit eum proditurus. Sed dum hoc dicit, ſubita animum ejus inceſſit perturbatio ac triſtitia, partim ex conſideratione periculi ſui, partim ex deteſtatione tam horrendi ac nefarii facinoris.

Et teſtatus eſt.] Id eſt, libere & aperte pronunciavit. Vox *teſtandi* ita nude ponitur, quando ad aliquid, quod præceſſerat, reſpicit.

Verſ. 22. *Diſcipuli ergo aſpiciebant alii alios, dubitantes, de quo diceret.*] Vocula *ergo* vel eſt ſuperflua hoc loco; ut Matth. 7. 12. vel hanc vim habet, quaſi dicat Euangeliſta: Cum id intellexiſſent diſcipuli, alii alios adſpexerunt. Hic autem aſpectus ex

animi conſternatione & admiratione ortus fuit. Vix enim credere poterant, tantum ſcelus in aliquem ex ſuo ſodalitio cadere poſſe. Nimirum ex ſuo ingenio probo rem æſtimabant. Matthæus cap. 26. 21. & Marcus cap. 14. 18. ajunt eos valde fuiſſe hoc audito contriſtatos.

Dubitantes, de quo diceret.] Lucas narrat, eos inter ſe mutuo quæſiviſſe, ecquis ex ipſis eſſet hoc facturus, cap. 22. 23.

Verſ. 23. *Erat autem unus diſcipulorum ejus recumbens in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus.*] Hic erat Johannes, qui hanc hiſtoriam conſcripſit. Confer cap. 21. 20. cum 24. Non recubuit autem Johannes proprie loquendo capite ac manibus in ſinu Chriſti, ſed accumbebat Chriſto proximus. Chriſtus accumbebat ſupremo ac primo loco, Johannes ſecundo. Vide quæ diximus ad Luc. 16. 22.

Quem diligebat Jeſus.] Ita ſeipſum quoque deſcribit Johannes infra cap. 19. 26. Indicat autem, ſe præ aliis omnibus diſcipulis fuiſſe dilectum. Omnes quidem diſcipulos diligebat Chriſtus, & ad finem uſque dilexit eos, ut ſupra teſtatur ipſe Johannes ℣. 1. Sed Johannem dilexit maxime, eoque cauſa quodammodo redditur, cur Chriſto proximus accubuerit.

Verſ. 24. *Innuit ergo huic Simon Petrus, ut percontraretur, quiſnam eſſet, de quo diceret.*] Nolebat Petrus ipſe palam Chriſtum interrogare, ſed nutu monet Johannem, ut quia proximus eſſet, ſubmiſſa voce Chriſtum ſciſcitaretur. Cupiebat autem id ſcire, partim ut qui innocentes erant extra omnem ſuſpicionem ponerentur, partim ut ſibi à proditore caverent. Etiam hic Petri præ aliis fervor enituit. Semper aliis in oratione præit. Vide hac de re Matth. cap. 16. 16.

Verſ. 25. *Ille vero cum ſeſe inclinaſſet in pectus Jeſu, dicit ei: Domine, quis eſt?*] Admovit Johannes caput ſuum ori Jeſu, ut ei in aurem inſuſurrare nomen proditoris poſſet.

Dicit ei.] Sine dubio voce ſummiſſa, ne reliqui audirent.

Verſ. 26. *Reſpondet Jeſus: Ille eſt cui ego intinctam buccellam dedero. Et cum intinxiſſet buccellam, dedit Judæ Simonis Iſcariothæ.*] Reſpondit Chriſtus proculdubio etiam ſubmiſſe & in aurem, ut ſolus Johannes verba ejus exciperet. Vide dicta à nobis ad Matth. 26. 23.

Cui ego intinctam buccellam dedero.] Hic non agitur de intinctu amararum herbarum in aceto: is enim præceſſerat in prima cœna in qua Cæremoniæ Paſchalis cœnæ peragebantur. Sed ſermo hic eſt de ferculo quodam jurulento, in quo jure Chriſtus panis buccellam intinxit, ac Judæ porrexit.

Verſ. 27. *Et poſt ſumtam buccellam, tunc ingreſſus eſt in illum Satanas. Dicit igitur ei Jeſus: Quod facis, fac cito.*] Etiam Lucas ita loquitur de Juda, quod in eum introierit Satanas. Cap. 22. 3. Vide ibidem dicta à nobis. Non eſt autem hoc ita intelligendum, quod Satanas in Judam ingreſſus ſit corporaliter, quomodo corpora obſeſſorum ſeu dæmoniacorum intrare & occupare ſolet; ſed quod Judas plane apud ſe decreverit, quod hactenus machinatus eſt in animo ſuo, ad effectum deducere. Locutione non abſimili utitur Petrus ad Ananiam: *Cur Satanas implevit cor tuum?* Act. 5. 3. Quando nimirum nihil ſupereſt amplius in homine, quod Satanæ reſiſtat, ſed lumen rationis ſanæ prorſus oppreſſum eſt. Hieronymus recte: *Introiit non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum operationem.*

Quod facis.] Id eſt, quod facere vis & in animo habes: ut ſupra ℣. 6. Præſens pro futuro.

Fac cito.] Non te impedio: ego jam paratus ſum pati, quod Deus de me conſtituit. Verba hæc non præcipientia, ut effectui det ſceleratum animi ſui decretum, ſed ſunt ſignum animi prompti & parati ad omnia.

Verſ. 38. *Hoc autem nemo accumbentium intellexit, quorſum ei dixerit.*] Ne Johannes quidem id intellexit. Etſi enim ex verbis Chriſti Judam proditorem eſſe, percepit; tamen quia non putavit id tam cito futurum, non intellexit etiam, quo tenderent verba Chriſti.

Verſ. 29. *Quidam enim putabant, quoniam marſupium habebat Judas, Jeſum ei dixiſſe: Eme quibus opus eſt nobis ad feſtum; aut ut egenis aliquid daret.*] Putabant id reliqui præter Johannem Apoſtoli.

Quoniam marſupium habebat Judas.] Vide ſupra cap. 12. 6.

Eme quibus opus eſt nobis ad feſtum.] Hinc manifeſtum eſt, Chriſtum hanc cœnam ante feſtum Paſchatis peregiſſe. Si enim dies ille verus Paſchæ dies fuiſſet, non potuiſſent cogitare diſcipuli, Chriſtum præcepiſſe Judæ, ut iret quam primum emere ea, quibus opus erat ad feſtum, reliquis nimirum diebus. Primus enim dies, Sabbati inſtar ſanctus erat, ut nemini emere vel vendere quicquam illo die liceret: quod Apoſtoli non poterant ignorare. Cum vero nihilominus putarint, Judæ injunctum eſſe, ut emeret neceſſaria quædam pro feſto, inde apparet, eos credidiſſe, Chriſtum poſtea una cum reliquis Judæis feſtum diem Paſchatis celebraturum eſſe. Cur vero Chriſtus cœnam Paſchalem cum conſuetis ritibus ante tempus peregerit, ejus rei cauſam quidem non intellexerunt, neque illis in mentem venit, Chriſtum ipſum in hoc feſto agnum Paſchalem fore, & mactatum iri: interea tamen, quod Chriſtus cœnam Paſchalem abſque mactatione agni abſolverit, non adeo eis mirum viſum eſt, quia id non erat novum, imo valde uſitatum, ut ita celebraretur Paſcha etiam ab aliis, præſertim extra Judæam conſtitutus. Quin probabile eſt, etiam in ipſa urbe Hieroſolyma ſine mactatione agni memoriam Paſchatis celebratam aliquando fuiſſe ab iis, qui ob cauſas graviſſimas, publicum bonum & ſalutem populi concernentes, ante ipſum Paſchatis feſtum peregre abire cogebantur, & ad legitimum tempus Paſchæ redire non poterant. Itaque facile etiam de Chriſto cogitare poterant Apoſtoli, eum certis ex cauſis, ipſi ſoli notis, adductum, juſtum tempus Paſchæ anticipaſſe. Quicquid enim ex ſermonibus Chriſti præteritis de morte Chriſti ſcire aut conjectari poterant, id nihil erat niſi obſcura quædam nebula, & res ejuſmodi, quam in animum ſuum nullo modo volebant admittere.

Verſ. 30. *Ille igitur accepta buccella, ſtatim exivit: erat autem nox.*] Adverbium *ſtatim* clare oſtendit, Judam

Judam non interfuiſſe inſtitutioni Euchariſtiæ, quæ ad finem cœnæ, & quidem demum poſt circumlatum ultimum *calicem poſt cœnam* (Luc. 22. 20) adjuncta à Chriſto eſt: ut ex Matthæo & Marco colligitur. Hinc etiam patet, Lucam hanc hiſtoriam de Juda cap. 22. 21, 22. & ſeqq. plane extra ordinem poſuiſſe. Nihilominus tamen non pauci ſunt è Doctoribus antiquis tam Græcis quam Latinis, qui Judam etiam hujus Sacri ritus participem fuiſſe cenſent.

Erat autem nox.] Prima enim cœna incipiebat poſt occaſum Solis. Erat autem nox non ſolum ratione temporis, ſed etiam in animo iſtius perditi hominis.

PARS III.

Verſ. 31. *CUm ergo exiviſſet, dixit Jeſus: Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt in eo.*] Quamdiu Judas præſens fuit, omnem orationem Chriſtus in eum conſumſit, ut eum à concepto ſcelere revocaret, variis modis indicans, ſcire ſe, quis ſe eſſet traditurus. Poſtea vero, quam ille abiit, eo ſermonem ſuum convertit, ut reliquos undecim conſoletur, inſtruat, confirmetque ſalutaribus documentis.

Nunc glorificatus eſt Filius hominis.] Quidam Interpretes ita hæc verba accipiunt, quaſi dicere voluiſſet Chriſtus: Hactenus ex tot ſtupendis miraculis, & ex divina doctrina, ſatis Filii Dei gloria eluxit, quæ in eo conſiſtit, quod à Deo miſſus ſit. Verum videtur hic potius eſſe ſenſus: Nunc cum abiit proditor, ut me tradat in manus inimicorum meorum, jam præſto eſt hora illa, qua Filius hominis glorificandus, id eſt, ad ſummam gloriam evehendus eſt; videlicet per mortem crucis, per quam conſecutus eſt omnem poteſtatem in cœlo & in terra, nomenque, quod eſt ſupra omne nomen Phil. 2. 9. Ita etiam dixit ſupra Chriſtus cap. 12. 23. *Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.*

Glorificatus eſt.] Id eſt, mox glorificabitur. Præteritum pro præſenti ponitur more Hebræis uſitato. Chriſtus ſe hic gerit inſtar fortis in bello ducis, qui accepto nuncio futuri eo die prælii, geſtit lætitia, quod venerit dies, quo immortalem gloriam ſit conſecuturus. Pariter hic Chriſtus ſe ſolatur, dum tempus paſſionis ac mortis ſuæ acerbiſſimæ tempus glorificationis ſuæ vocat, quia ſcivit, ſe de morte & diabolo victoriam glorioſiſſime reportaturum, & cum ſplendido triumpho in gloriam immortalem atque immenſam tranſlatum iri. Chriſtus quidem etiam antea per inſignia miracula ſua glorificatus eſt, dum iis abunde demonſtravit, ſe Dei eſſe legatum: ſed glorificatio illa vix tenuis umbra fuit illius gloriæ, quam per mortem & mox conſecutam exaltationem adeptus eſt. Supra cap. 12. 23. Loquitur autem Chriſtus hæc verba non ſolum ad ſeipſum conſolandum, dum ſibi cœleſte præmium mortis ſuæ ob oculos ponit: ſed etiam ad conſolationem ſuorum diſcipulorum, ne ignominia paſſionis ſuæ terrerentur, & in fide vacillarent, ſed ut intelligerent, mortem ſuam fore introitum ad ſummam & excellentiſſimam gloriam.

Et Deus glorificatus eſt in eo.] Id eſt, per eum: per Hebraiſmum. Dum nimirum inenarrabilem Dei charitatem ac bonitatem hominibus annunciavit, veram rationem Deum colendi docuit, omniaque tam eximia opera ſua ei adſcripſit, & ſe non ſuum, ſed Dei honorem quærere teſtatus eſt. Vide ſupra cap. 5. 29. vij. 18.

Verſ. 32. *Si Deus glorificatus eſt in eo, & Deus glorificabit eum in ſemetipſo: & ſtatim glorificabit eum.*] Vocula *εἰ, ſi*, ſumitur pro *quoniam*, vel *quandoquidem*: ut & Matth. 22. 45. Act. 4. 9. & alibi. Nimirum ex eo, quod Deus per ipſum glorificatus eſt, probat, etiam Deum ſe viciſſim glorificaturum. *Honorantes me*, inquit Deus, *viciſſim honorabo*, 1 Sam. 2. 30. Poterat autem Chriſtus etiam hinc argumentum ſumere, quod Deus ipſum glorificaturus ſit; quia mors ejus ad honorem Dei verget. Nam in miraculoſa ipſius reſuſcitatione divina potentia & gloria maxime enituit. Deus autem propriam ſuam gloriam non negliget, ſed quam diligentiſſime curabit. Ita de Petro dicitur, eum morte ſua glorificaturum Deum Joh. 21. 19.

In ſemetipſo.] Id eſt, per ſemetipſum. Similis Hebraiſmus fuit ſupra ℣. 31. Non per Angelos, ſed per ſeipſum glorificabit Filium; nimirum per inſignia illa miracula, quæ circa mortem ejus contigerunt, dum ſol contra naturam obtenebratus eſt, velum Templi ſciſſum eſt, terræ motus ingens eſt factus, Petræ fiſſæ ſunt Matth. 27. 41, 51. inprimis autem dum eum reſuſcitavit à mortuis, & ad dextram ſuam collocavit. Vide ſupra cap. 12. 28.

Et ſtatim glorificabit eum.] Non diu poſt mortem ejus, ſed eo ipſo ſtatim momento, quo expirabit, exerent ſe glorificationis ejus ſigna manifeſta, ut qui ea videbunt, dicturi ſint: *Vere hic fuit Filius Dei*, Matth. 27. 54.

Verſ. 33. *Filioli, adhuc pauliſper vobiſcum ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Judæis, Quo ego vado, vos non poteſtis venire, ita & vobis nunc dico.*] Hoc & ſequentibus verſiculis uſque ad finem Capitis tria narrantur, quæ Chriſtus poſt cœnam ſuam ad diſcipulos locutus eſt. Primo mortem ſuam ipſis prædixit; ſecundo novum eis præſcripſit mandatum. Tertio Petro indicat, quod ſe ſit abnegaturus. Sciebat Chriſtus, mortem ſuam ſummam triſtitiam ac luctum diſcipulis ſuis allaturam; propterea omnis generis conſolationes adhibet. Hinc eſt, quod utatur blanda appellatione, Filioli, paternum erga eos amorem ſuum declarans. Ita Paulus quoque appellat Galatas: Gal. 4. 19. & Johannes eos, ad quos ſcribit, fideles, 1 Joh. 2. 1, 12, 28. iij. 7. 18. iv. ℣. 4. v. 22.

Adhuc pauliſper vobiſcum ſum.] Nempe eo modo, quo hactenus vobiſcum fui. Nam quod poſt reſurrectionem ſuam per dies 40 cum illis fuit, id non naturali, ſed ſupernaturali ratione factum eſt. Ideo etiam illi non tam confidenter, ut antea, cum ipſo egerunt, ſed ſumma cum reverentia eum adoraverunt. Vide Matth. 28. 17. Et Chriſtus ipſe diſtinguit hoc tempus ab illo, quod ante ſuam reſurrectionem cum eis exegit cum apud Lucam ait: *Hi ſunt ſermones, quos locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum*, Luc. 24. 44. quaſi tunc jam non eſſet

cum

cum eis. Merito autem dixit hic, *pauliſper vobiſcum ſum*; quia vix ſupererant 15. vel 16. horæ à cœna ad mortem ejus. Chriſtus enim hæc circa 10. aut 11. ferme horam noctis ſecundum noſtra horologia, locutus eſt: poſtero autem die circa horam tertiam pomeridianam expiravit.

Quæretis me.] Senſus eſt, ut ſupra cap. 7. 34. Quando me quæretis, ſubintellige, non invenietis me.

Et ſicut dixi Judæis.] Nimirum ſupra cap. 7. 34. *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.*] Chriſtus tam hic, quam ſupra cap. 7. ad Judæos non loquitur de ſua aſcenſione in cœlum, quaſi ſenſus ſit, diſcipulos non poſſe in cœlum euntem ſequi, & eo pervenire, ſi ſe quærant: ſed loquitur de morte ſua, quam ſubiturus ſit, & diſcipuli eum non ſint in ea obeunda ſecuturi. Non quod mortales homines mori non poſſint: ſed quod nondum tanta fuerint fide, tamque conſtanti, ut pro Chriſto mori poſſent. Atque ſic Petrus verba Chriſti intellexit, cum infra ℣. 37. Chriſto dicit: *Quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te ponam.* Sed Chriſtus indicat ei ſtatim, tantum abſuturum, ut ipſe ſe ſequuturus ſit, ut potius intra paucas horas ter ſit ſe abnegaturus.

Ita & vobis nunc dico.] Chriſtus quidem eadem verba ad diſcipulos ſuos profert, quæ ſupra ad Judæos cap. 7. 34. locutus eſt, ſed alio tamen ſenſu. Iſti enim amici, illi inimici erant. Vide ibidem.

PARS IV.

Verſ. 34. *Præceptum novum do vobis, ut alii alios diligatis: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis alii alios.*] Poſtquam Chriſtus hactenus diſcipulis ſuis indicavit obſcure & non ſine conſolatione mortem ſuam, nunc paterna illis tradit monita, qualia ſolent aut peregre abituri aut morituri patres filiis ſuis dare: quaſi dicat, Quandoquidem à vobis jam ſum diſceſſurus, filioli mei chariſſimi, ut ſciatis quomodo vos me abſente gerere debeatis, præcipio vobis, ut alii alios diligatis mutuo. In dilectione enim atque amore mutuo ſita eſt veſtra temporaria & æterna felicitas. Quod quiſque poſtulat ſibi fieri, idem faciat etiam aliis. Charitas non quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum ſpectat. Ejus rei hoc ipſo in loco exemplum in Chriſto habemus. Ille diſcedens nihil hic præcipit, quod ipſius bonum ſpectet, ſed tantum de diſcipulis ſuis eſt ſolicitus, ut inter ſe pacem colant, vitamque tranquillam ac beatam ducant: id quod aſſequi eos alia ratione non poſſe, quam per charitatem, docet.

Præceptum novum do vobis.] Charitas quidem etiam in Veteri Teſtamento præcepta fuit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum:* Sed iſta, quam Chriſtus præſcripſit charitas, longe major eſt & perfectior, quam quæ ſub Veteri Fœdere exigebatur. Ideo etiam ſuum exemplum producit in medium, & dicit: *Sicut ego dilexi vos.* Quaſi dicat: Quemadmodum ego vos tantopere dilexi, ut præter alia innumera argumenta quibus per totum converſationis meæ vobiſcum ſpatium teſtatus ſum meum erga vos amorem, nunc paratus ſim vitam meam pro vobis impendere: ita oportet ut vos quoque alii alios diligatis, ut non geſtibus tantum, non verbis, non levibus officiis, amorem teſtemini erga alios, ſed vitam quoque veſtram ponere & in diſcrimen pro aliis adducere, præſertim ſi id ad promovendam ſalutem eorum conducere poſſit, minime dubitetis. In eo enim maxima dilectio conſiſtit, ut Chriſtus ipſe infra cap. 15. 13. teſtatur: *Majorem charitatem nullus habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Et quando Chriſtum hac in parte imitamur; tum implemus novum hoc mandatum; ut ait Johannes: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille* (id eſt, Chriſtus) *pro nobis animam ſuam poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*, 1. Joh. 3. ℣. 16. Ex quo intelligitur, quanta ſit differentia inter hoc novum præceptum charitatis & præceptum Veteris Fœderis de eadem charitate. Sub Veteri Fœdere quidem tenebatur fratrem frater amare, ſicut ſeipſum, ſed ut animam pro ipſo poneret, non erat lege obſtrictus. In temporaria enim vita ejuſque commoditatibus conſiſtebat præmium totum Legem ſervantibus propoſitum. Ut autem quis ſe fratris ſui cauſa hoc præmio ac felicitate, qua nihil ſublimius vi Legis ſperare poterat, privaret, vitam ſuam prodigendo, ab eo non requirebatur. Alia vero eſt Chriſtianorum ratio, quorum felicitas non in hac temporali, ſed in æterna ac cœleſti vita ſita eſt, quam amittere nequeunt, etſi temporalem hanc vitam pro fratribus ſuis impendant, imo quam eo ipſo acquirunt & ſibi comparant, quando tam perfectam charitatem erga fratres ſuos exercent. Sicut igitur Chriſtiani non tenentur vi hujus præcepti, æternam vitam fratrum ſuorum cauſa impendere; ita etiam Judæi ſub Veteri Fœdere non erant obligati terrenam hanc vitam pro fratribus ſuis ponere. Et ſi quis id fecit, is fecit ultra officium; nec dubium eſt, talem charitatem majori aliquo præmio, quam quod ad hoc ſeculum ſpectet, à Deo remuneratum iri. In Paulo Apoſtolo habemus exemplum cujuſdam nimii & abundantis amoris, dum optavit ipſe anathema fieri à Chriſto pro fratribus ſuis Rom. 9. 2. Sed ad tantam charitatem nulla lege aut præcepto Chriſti erat obſtrictus. Præterea optabat rem, quæ fieri non poterat. Hac ipſa enim promptitudine ad animæ quoque ſuæ ſalutem impendendam pro fratribus ſuis, ſublimiorem ſibi adhuc gloriæ gradum in cœlis comparavit.

Ut & vos diligatis alii alios.] Tanquam fratres & condiſcipulos.

Verſ. 35. *Ex hoc omnes cognoſcent, vos eſſe meos diſcipulos, ſi charitatem habueritis alii erga alios.*] Solent variæ ſectæ varias habere notas, è quibus ab aliis diſcernuntur. Johannis diſcipuli inſignes erant auſteritate vitæ, ac jejuniis. Phariſæi è veſtitu ſingulari cognoſcebantur, multiſque ceremoniis. Qua vero nota dignoſcendi ſunt Chriſti diſcipuli verique ejus imitatores? non alia, quam charitatis. Nemo certius ſectæ ſuæ ſignum gerit, quam qui Magiſtrum ſuum quam maxime imitatur. Præcipua autem virtus, quæ in Chriſto eluxit, fuit ſumma ejus dilectio erga omnes homines. Nota hac charitatis inſignita fuit primitiva Eccleſia Hieroſolimitana; quippe in qua

omnium

omnium fuerit cor unum & anima una, Act. 4. 32. Si veteres illi Chriſtiani hodie reſurgerent, & viderent quam charitas ubique refrixerit, quam contentiones ob res leviculas acerrimæ paſſim ferveant, quam barbarorum in morem bella cruenta inter Chriſtianos gerantur, an etiam diſcipulos Chriſti eſſent agnituri? Hanc charitatis notam inprimis ii conſiderare deberent, qui ſe ſolos veros diſcipulos Chriſti & veras Eccleſias eſſe adeo putant, ut confratres ſuos conſcientiæ cauſa oderint, perſequantur, & variis modis infeſtent. Charitatis proprium eſt, id etiam quod ſcienter committitur, prompte condonare, atque in meliorem partem interpretari: quanto magis id, quod ex ignorantia proficiſcitur: quales ſunt errores, qui ex imbecillitate judicii non poſſunt agnoſci, & conjuncti ſunt cum propoſito Deum hac ratione colendi, ſalutiſque ſuæ promovendæ, præſertim ſi adſit mitis ac manſuetus, nullique noxius ſpiritus. De hoc perfecto præcepto charitatis, quam late pateat, vide infra cap. 15. ℣ſ. 12, 13.

PARS V.

Verſ. 36. *Dicit ei Simon Petrus: Domine quo vadis? Reſpondit ei Jeſus: Quo ego vado, non potes me nunc ſequi: poſtea autem ſequeris me.*] Hoc eſt tertium, quod Chriſtus poſt cœnam cum diſcipulis ſuis locutus eſt, quod Petro prædixerit ejus abnegationem: quam ad rem Petrus ipſe occaſionem ei præbuit, ſua temeraria quidem, ſed ex bono animo, ſummaque erga Chriſtum charitate, profecta pro ipſo moriendi promptitudine.

Domine quo vadis?] Id eſt, quo vis abire. Præſens pro futuro. Putabat Chriſtum velle in locum quendam remotum ac periculoſum ſe conferre.

Quo ego vado, non potes me nunc ſequi.] Chriſtus ita reſpondet, ut cupientem ſequi Petrum, non deterreat, ſed doceat, & abjecta ſpe poſtea ſequendi, conſoletur. Interea tamen tacite audaciam & jactationem ejus voluit perſtringere, quod plus de ſe polliceatur, quam, quibus tunc erat viribus, præſtare poſſet.

Poſtea autem ſequeris me.] Id eſt, ſuo tempore, cum fides tua corroborata fuerit per Spiritum Sanctum, animuſque tuus majores acquiret vires. Vide infra cap. 21. 18.

Verſ. 37. *Dicit ei Petrus: Domine, quare non poſſum te ſequi nunc? animam meam pro te deponam.*] Quid obſtat, quo minus poſſim? Putaſne me horrere aliquam itineris moleſtiam vel difficultatem?

Animam meam pro te deponam.] Si neceſſitas poſtulet, non gravabor me tui cauſa in periculum mortis conjicere. Vide de hac locutione ſupra cap. 10. ℣ſ. 11.

Verſ. 38. *Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me abnegaveris.*] Itane? inquit Chriſtus: tune tantum haberes animi, ut vitam tuam pro me profundas? Hac interrogatione Chriſtus, indicat, ſe id quod quærit ex Petro, non credere.

Non cantabit gallus.] Intellige illud gallicinium, quo tres vigiliæ nocturnæ diſtinguuntur. Johannes & Lucas rem hanc ita narrant, quaſi in domo geſta ſit. Itaque apud Matthæum & Marcum vocula τότε, *tunc*, idem valet, quod, circa illud tempus.

CAPUT XIV.

I. *Chriſtus ſolatur ſuos diſcipulos ob diſceſſum ſuum triſtes: ac primo docet, in domo Patris ſui multas eſſe manſiones; ubi ſimul reſpondet Thomæ de via ad cœlum, & Philippo de videndo Patre: ad verſ.* 12. II. *Solatur eos, quod majora eſſent opera facturi, quam ipſe fecerit: ad verſ.* 15. III. *Adhortatus eos ad ſervanda ſua præcepta, ſolatur eos promiſſione de mittendo Spiritu Sancto: ad verſ.* 18. IV. *Solatur eos ſuo reditu: ad verſ.* 21. V. *Solatur eos ſua & Patris ſui erga eos dilectione: ad verſ.* 25. VI. *Solatur eos rurſus miſſione Spiritus Sancti: ad verſ.* 27. VII. *Solatur eos ſua pace: ad verſ.* 28. VIII. *Concludit ſuum ſermonem, eumque confirmat.*

PARS I.

Verſ. 1. *Ne turbetur cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite.*] Nunc ſequitur ſermo ille Chriſti bene longus, & divinorum ſalutariumque tum præceptorum tum conſolationum plenus, quem Chriſtus poſt cœnæ Sacræ inſtitutionem ad diſcipulos ſuos habuit. Habitus autem eſt hic ſermo à Chriſto partim tum cum adhuc cum diſcipulis ad menſam accumberet, partim cum jam à menſa ſurrexiſſent. Prima pars continetur hoc capite 14. altera ſequentibus Capitibus.

Ne turbetur cor veſtrum.] Cum Chriſtus Capite præcedenti ℣ſ. 33. dixiſſet diſcipulis ſuis: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*; contriſtati ſunt valde diſcipuli, tum ſua cauſa, quod ſoli eſſent remanſuri, putantes ſe illum nunquam viſuros poſtea, adeoque excludendos eſſe ab ejus regno, tum ipſius Chriſti; quia nondum intelligebant, quorſum eſſet iturus, cogitabantque eum in neſcio quem periculoſum locum eſſe abiturum, quoniam dixerat, eos quo vadat, ipſum ſequi non poſſe. Itaque hoc cap. 14. non uno eos erigit ſolatii genere, atque inprimis hoc ℣ſ. 1. eos jubet abjicere triſtitiam & bono eſſe animo, certamque ac firmam in ſe reponere fiduciam; quippe omnia illa certo certius eventura, quæ de ſumma Regni ſui gloria prædixerat.

Creditis in Deum, & in me credite.] Triſtitia diſcipulorum fuit ſignum diffidentiæ & nutantis animi. Si enim illa ſibi in animum revocaſſent, quæ Chriſtus de ſuo erga eos amore deque ſumma, quæ ipſis in regno ſuo parata ſit, gloria, dixit antea, iiſque fidem dediſſent, non adeo triſtitia animos eorum occupaſſet. Abiret enim Chriſtus, quo vellet, ſive

illi

illi poſſent ipſum ſequi, ſive non, fides tamen verbis ac promiſſionibus ejus habita triſtitiæ nubem omnem diſcuſſiſſet. *Fides enim eſt, quæ vincit mundum*: 1 Joh. 5. 5. ac proinde & triſtitiam. Conatur itaque Chriſtus triſtitiam radicitus ex animis eorum eximere, dum fidem eorum labantem erigit. Vult autem Chriſtus dicere: Quemadmodum à teneris aſſueti atque edocti eſtis in Deum credere, verbis ac promiſſis ejus fidem habere, ita credite & mihi, verbiſque meis confidite, ut pote quem dudum pro Dei Filio atque Uncto agnoviſtis. Creditis in Deum tanquam creatorem & conſervatorem rerum omnium: jam vero etiam in me credite tanquam conditorem & conſervatorem Eccleſiæ. Ego, qui vos amore arctiſſimo hactenus ſum complexus, nulla ratione vos deſeram, & præſidio vobis ero in æternum.

Creditis in Deum.] Ante hæc verba ſubintelligenda eſt particula ſimilitudinis *ſicut*; ut ſenſus ſit: ſicut in Deum creditis, ita credite & in me. Exemplum ſimile vide infra ℣. 19. & ſupra cap. 5. 17.

Verſ. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſin minus, dixiſſem vobis.*] Ut eorum fidem erigat, & animos efficacibus ſolatiis repleat, Septem beneficia ac felicitates eis ponit ob oculos, quæ ipſis ſint expectandæ. Prima eſt, quod in domo Patris ſui non una ſit manſio, ſed infinitæ: itaque illis non eſſe metuendum, ut excludantur, locum etiam pro illis omnibus illic fore. Domus Patris eſt cœlum, locus æternæ beatitudinis. Sicut autem id figurate appellavit domum, ita & loca, ubi electi erunt, vocat manſiones. Nos autem in cœlo non ita habitabimus, ut in domo, ubi ſe quiſque clauſis tuetur foribus; ſed modo incomprehenſibili ac ineffabili. Semper Dei faciem videbimus, 1 Joh. 3. 2. Dubium autem non eſt, loca beatorum in cœlis gradibus quibuſdam præſtantiæ & eminentiæ diſtincta fore: quod Paulus quoque de diverſa gloria corporum differens ſubindicat, cum ait: *Alia eſt gloria Solis, alia eſt gloria lunæ, & alia gloria ſtellarum. Stella enim ſtellam gloria ſuperat*, 1 Cor. 15. 41. *Juſti fulgebunt ſicut ſplendor cœli, & qui ad juſtitiam multos erudierunt, ſicut ſtellæ lucebunt*, Dan. 12. 3. Apoſtoli, ut pote principes Chriſtiani populi ſedebunt in duodecim thronis & judicabunt duodecim tribus Iſraëlis Matth. 19, 28. Qua in dignitate nemo eis par erit.

Sin minus, dixiſſem vobis.] Hæc verba duplici poſſunt modo intelligi, pro duplici connexione ſequentium verborum: *Abeo paraturus vobis locum*; quæ vel cum ſequenti textu, vel cum hiſce verbis, *dixiſſem vobis*, connecti poſſunt. Primus ſenſus eſt, quaſi diceret Chriſtus: Si ſe res non ita haberet, ut dixi, quod in domo Patris mei ſatis ſuperque ſit ſpatii, quod capere poſſit omnes, qui ingredi cupiunt, non vos vana ſpe lactaſſem, ſed clare vobis rem, uti eſt, dixiſſem, prout meus eſt mos. Jam vero indicavi vobis, vos habituros locum in domo Patris mei, cum ad Petrum, & in ejus perſona ad vos omnes dixi; eum me poſtea ſecuturum eſſe: ſupra cap. 13. 36. Sic ergo oportet, ut poſt hæc verba, *dixiſſem vobis*, ſit punctum: deinde vero nova incipiat periodus: *Abeo paraturus vobis locum.* Alter ſenſus eſt, quaſi dictum ſit: Si non ita eſſet, quod in domo Patris mei multæ ſint manſiones, dixiſſem vobis, me abire, ut parem vobis locum. E duabus iſtis interpretationibus videtur prima eſſe eligenda: quia eſt clarior & planior. In ſecunda autem hæc occurrit obſcuritas, quod ex ea ſequeretur, Chriſtum ideo illis non dixiſſe, ſe abire, ut paret illis locum, quia multæ ſint manſiones in domo Patris ſui, adeoque neceſſarium non ſit, ut paret locum, cum in tanta manſionum copia deeſſe locus nemini poſſit. Hoc autem cum ſequenti textu non bene congruit, ubi Chriſtus dicit, ſe ubi abierit, & paraverit illis locum, rurſus ad eos venturum eſſe. Quid enim opus erat, ut Chriſtus illis pararet locum, ſi jam indicaverat, non defuturum ulli in tot manſionibus locum?

Verſ. 3. *Abeo paraturus vobis locum, & cum abiero & præparavero vobis locum, rurſus venio, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.*] Verba hæc ita cohærent cum antecedentibus, quaſi dicat Chriſtus: Si non eſſent tot manſiones in domo Patris mei, dixiſſem id vobis. Nunc autem cum tam amplæ ac multæ manſiones ſint, abeo, ut parem vobis locum. Nimirum Chriſtus hic utitur ſimilitudine ſumta ab itinerantibus, quorum unus præcedit, ut paret pro reliquis hoſpitium, ut ubi venerint omnia inveniant parata.

Rurſus venio & accipiam vos ad meipſum.] Pergit in cæpta ſimilitudine. Qui enim hoſpitia comitibus præparant, ſolent redire ad eos, & in hoſpitium eos deducere. De reditu Chriſti de cœlo ſic loquuntur Angeli ad diſcipulos: *Hic Jeſus, qui aſſumtus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*, Act. 2. 11. De ultimo vero adventu ſuo hic Chriſtus loquitur, quo venturus eſt ad judicium; tunc enim electos ſecum ducet in cœlum, 1 Theſſ. 4. 17.

Ut ubi ſum ego.] Id eſt, ubi ego ero. Nondum enim Chriſtus ibi erat. Similis locutio eſt ſupra cap. 3. ℣. 13. vij. 34.

Et vos ſitis.] Ita ſcilicet, ut ſitis participes meæ gloriæ, Rom. 8. 17.

Verſ. 4. *Et quo ego abeam ſcitis, & viam ſcitis.*] Senſus eſt, quaſi dicat: Jam ergo ſcitis locum, quo ſim abiturus. En vobis dixi; nempe in domum Patris mei, ubi multæ ſunt manſiones, & ubi vobis etiam parabo locum.

Et viam ſcitis.] Scitis quoque, qua via ad illum locum veniendum ſit: id etiam vobis dixi. Quod enim Chriſtus ſuperius dixerat cap. 13. 33. ſe pauliſper cum eis futurum, eos ſe quæſituros, eoſque non poſſe eo venire, quo ipſe abeat, & quæ mox de ſua dilectione addit; ea omnia erant talia dicta, quibus tacite mortem ſuam deſignabat. Per hanc enim viam mortis oportebat eum ingredi in domum Patris ſui.

Verſ. 5. *Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo abeas; & quomodo poſſumus viam ſcire?*] Hic Thomas, qui in rebus fidei infirmior erat, interrupit ſermonem Chriſti, & quia vel ex imbecillitate judicii, vel præ ſummo mærore non intellexit eum, ex ſuo exemplo judicat de aliis quoque diſcipulis, quod eum non intellexerint. Vult ergo Chriſtum commove-

movere, ut clarius loquatur, confeſſione omnium ignorantiæ.

Et quomodo poſſumus viam ſcire?] Videtur Thomas ita accepiſſe Chriſti verba, quaſi dixiſſet, debuiſſe diſcipulos ſcire viam; cum tamen nunquam diſerte eis dixerit, quo ſit abiturus. Si quis enim neſciat locum, quo eundum ſit, ne viam quidem eo ducentem ſcire poteſt.

Verſ. 6. *Dicit ei Jeſus: Ego ſum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.*] Chriſtus ut demonſtret anxiam ſuam ſolicitudinem & amorem erga diſcipulos ſuos, nihil de ſeipſo reſpondet, qua via ad Patrem iturus ſit, ſed prolixe docet eos, quomodo ipſi venire ad Patrem & vitam æternam conſequi poſſint. Dum autem ſe *viam* vocat, intelligit vitæ ſuæ curſum; qui eſt tanquam trita via, qua qui ambulat, id eſt, qui exemplum ejus imitatur, is ad Patrem venturus vitaque æterna potiturus eſt.

Et veritas.] Conjungit veritatem cum via, indicans, ſibi ut pote magiſtro veritatis perfecte credendum eſſe, quando docet, qua via ad Patrem veniendum ſit, (nempe per exemplum vitæ ſuæ ſanctiſſimæ) & qui ſibi credat, eum non erraturum, ſed ad optatum locum perventurum. Euangelium eſt ſermo veritatis, Eph. 1. 13.

Et vita.] Id eſt, is qui vitam æternam conferendi abſolutam poteſtatem habet: ut ſupra cap. 11. 25. Quod ipſum maximam vim habet nos adducendi, ut ipſum imitemur, & verbis ejus fidem habeamus. *Qui ſequitur me*, inquit Chriſtus, *non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, Joh. 8. 12. Alii putant, in his verbis, *Ego ſum via, & veritas, & vita*, Hebraiſmum eſſe, & nomen veritatis, & vitæ, tanquam viæ epitheta adjecta eſſe; quemadmodum ſi dixiſſet: Ego ſum via vera & viva, vel ad vitam ducens. Sic ſupra cap. 1. 18. *Gratia & veritas*, id eſt, vera gratia. Et cap. 3. 5. *Aqua & Spiritus*, id eſt, aqua ſpiritualis. Idem Hebraiſmus eſt Matth. 3. 11. *Spiritu & Igne*, id eſt, ſpirituali igne.

Nemo venit ad Patrem, niſi per me.] Explicat his verbis priorem ſententiam. Indicat enim, ſe ſolum, & non alium eſſe, per quem ad Patrem veniri poſſit: quaſi dicat, Nulla eſt via extra me: ſolum verbum meum eſt verum & ab omni falſitate alienum: ego ſolus largiri poſſum vitam æternam, quæ eſt apud Patrem. Pereleganter Bernhardus: *Sequamur, Domine, te per te; quia tu es via, veritas, & vita. Via in exemplo: veritas in promiſſis: vita in præmio.*

Verſ. 7. *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum cognoviſſetis: & jam nunc noſtis eum, & vidiſtis eum.*] His verbis Chriſtus reſpondet Thomæ, qui dixerat: *Neſcimus, quo abeas: & quomodo poſſumus viam ſcire?* Reſpondet ergo Chriſtus: *Ego ſum via, veritas, & vita. Si me noſſetis, & Patrem meum noſſetis.* Quaſi dicat: Dicitis, vos viam neſcire; ego ſum via. Qui autem novit viam, etiam locum novit ac terminum, ad quem via tendit. Si igitur me, qui via ſum, noſſetis, ſimul etiam noſſetis locum, & ſciretis, quo vadam, nempe ad Patrem meum. Non nominat vero cœlum, quod in cœlum iturus ſit ad Patrem, ſed Patrem ipſum; cujus attributa divina in Chriſto liquidiſſime eluxerunt, ejus nimirum ſapientia, bonitas, ſanctitas, & potentia.

Et jam nunc noſtis eum, & vidiſtis eum.] Indicat his verbis, ſe illis non omnem prorſus Patris cognitionem detrahere. Dicit enim, eos noſſe illum & vidiſſe illum, nempe in ejus Filio tanquam in imagine. Sed neſciebant, Chriſtum eſſe imaginem & expreſſam effigiem Patris. Itaque viderunt illi Patrem, & tamen non viderunt: norant eum, & tamen non norant. Viderunt vivam Patris imaginem, inque ea ipſum Patrem; ſed recte & plene non viderunt, neque cognoverunt eum: quia ignorabant, eum quem viderunt & norunt, eſſe vivam Patris effigiem, & Patrem in Filio cognoſci.

Verſ. 8. *Dicit ei Philippus, Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*] Philippus non bene intellexit verba Chriſti, cum dixit, eos vidiſſe Patrem. Non audet quidem dicere expreſſe, non ita eſſe, ne contradicere præceptori videatur, ſed modeſte ab eo petit: Oſtende nobis Patrem. Putavit autem corporeis oculis Patrem videri poſſe, immemor illius ſententiæ: *Non videbit me homo, & vivet*, Exod. 33. 20. Aut quia legerat, Deum olim ſæpius hominibus corporea ſpecie apparuiſſe, voluit, ut talis apparitio illis quoque contingeret.

Et ſufficit nobis.] Id eſt, non erimus tibi quærendo & interrogando amplius moleſti. Videtur enim timuiſſe, ne Chriſto moleſti eſſent, tam ſæpe eum eadem etiam de re interrogantes.

Verſ. 9. *Dicit ei Jeſus: tantum temporis vobiſcum ſum, & non cognoviſti me? Philippe qui vidit me, vidit Patrem: & quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem?*] Chriſtus perſtringit Philippi tarditatem ac ſtuporem, quod nondum norit ſe, qui tamdiu inter illos verſatus ſit, eos docuerit, opera multa inter eos ediderit. Videtur autem Chriſtus Philippo non recte reſpondere. Philippus enim non dixerat: Oſtende nobis te; ſed, *Oſtende nobis Patrem.* indicans, ſe & alios diſcipulos Chriſtum quidem ſatis vidiſſe, Patrem autem non vidiſſe. Chriſtus vero non reſpondet: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti Patrem; quemadmodum ut reſponderet, ratio poſtulare videbatur, ſed reſpondet: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me?* Nimirum reſponſio iſta nititur illo ſuperiori dicto Chriſti: *Si noſſetis me, & Patrem meum noſſetis*, vſ. 7. Qui proinde poſtulat Patrem ſibi oſtendi, eumque videre cupit, indicat, ſe Chriſtum non noſſe: nam ſi hunc noſſet, etiam Patrem noſſet.

Philippe, qui vidit me, vidit Patrem.] In Chriſto enim tanquam in imagine vera omnia illa apparuerunt ſigna è quibus admirabilis natura Dei cognoſci poteſt; divina ſcilicet potentia, ſapientia, ſanctitas, juſtitia, benignitas. Non loquitur enim Chriſtus de viſione, quæ corporis, ſed quæ animi oculis fit, quæque cognitio magis proprie quam viſio appellatur. Ideo cum Philippus Patrem corporeis oculis videre vellet, non dixit ad eum Chriſtus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non vidiſti me; ſed, *& non cognoviſti me.*

Et quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem?] Id eſt, quomodo tu potes poſtulare, ut videas Patrem, cum eum jam dudum videre (id eſt, cognoſcere) potueris, dum me vidiſti, id eſt, dum mecum converſatus es, & me cognoviſti.

Ex his verbis Chriſti, *Qui vidit me, vidit Patrem*, vulgo probari ſolet, Chriſtum eſſe eundem illum Deum Altiſſimum, qui Pater eſt, id eſt, unam eandemque naturam divinam utriuſque eſſe. Sed quia res aliqua diverſimode cognoſci poteſt, vel quoad eſſentiam, vel quoad externam figuram, vel quoad certas qualitates, ac proprietates, quæ rem illam ab aliis diſtinguit: quomodo, quaſo, hinc probari poteſt, Chriſtum hic de cognitione eſſentiæ ſuæ Patriſque ſui loqui? Cum Chriſtus ſupra dixeret ℣. 7. *Si me noſſetis, noſſetis & Patrem meum*: & rurſus hoc ℣. 9. ad Philippum: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me?* indicavit, diſcipulos ſuos hactenus neque ſe, neque Patrem ſuum penitus & exacte cognoviſſe. Quomodo autem diſcipuli Chriſti tam longo tempore cum eo converſati ignoraſſent, eum eſſe Deum Altiſſimum, eum eſſe ſecundam perſonam Trinitatis, quæ de cœlo deſcenderit in uterum Mariæ Virginis, eumque ſecundum divinam naturam habere eandem cum Patræ eſſentiam? An ipſis id Chriſtus nunquam indicavit, & rem iſtam, qua nihil magis ſcitu eſt neceſſarium, eos celavit? Nulla enim id alia ratione ſcire potuerunt, quam vel divina revelatione, vel Chriſti ipſius inſtitutione. Atqui adverſarii volunt, Petri ſanctiſſimam confeſſionem, quam omnium Apoſtolorum nomine edidit: *Tu es Chriſtus, Filius Dei viventis*, Matth. 16. 16. hoc ſibi velle, quod Chriſtus ſit Filius ille Dei, qui ex eſſentia Dei ab æterno ſit genitus. Cur ergo Chriſtus hic dicit, eos ſe non noſſe? Quomodo etiam diſcipuli Patrem, quantum ipſorum intererat ſcire de ejus eſſentia, ignoraſſent? An illi neſciviſſent, Deum Iſraëlis, qui eos ex Ægypto eduxit, Legemque per Moſen tradidit, Deum eſſe Altiſſimum? Nam ex adverſariorum ſententia ſenſus verborum Chriſti talis foret: ſi noſſetis me, quod ſim Deus Altiſſimus, noſſetis & Patrem meum, quod ſit Deus Altiſſimus. Quare perſpicuum eſt, Chriſtum hic non de cognitione eſſentiæ agere, quia diſcipuli tantum ad minimum Patrem ejus quoad eſſentiam norant, quantum Chriſtus ab eis jure poſtulare poterat. Secundo extra omnem controverſiam eſt, Patrem eſſe aliam perſonam, quam eſt Filius: quomodo igitur ex his verbis (etiamſi concederetur, de cognitione eſſentiæ utriuſque ſermonem eſſe) probari poteſt, Chriſtum eſſe unius ejuſdemque eſſentiæ cum Patre? Quid enim uſitatius eſt, quam ut de duabus diſtinctis perſonis, quæ ſibi ſunt ſimiles vel forma, vel moribus, vel animo atque ingenio, dicatur: Qui hunc novit, novit & alterum? Quando filius aliquis ſimilis eſt patri ſuo, dici ſolet vulgo: Hic eſt alter pater. Quis vero inde concludat, hunc cum patre ſuo eandem numero eſſentiam habere? Tertio ex hac ſententia ſequeretur, Chriſtum eſſe Patrem. Nam ſi ex eo, quod qui Chriſtum videt, & novit, is etiam Patrem videat ac norit, colligendum eſt, Chriſtum eundem eſſe, qui Pater, neceſſarium utique eſt, Chriſtum eſſe Patrem, quod ne adverſarii quidem conceſſerint. Quarto *cognoſcere* aliquem nunquam ſignificat eſſentiam alicujus cognoſcere, aut aliquem ſecundum naturam & eſſentiam ejus cognoſcere; ſed ſemper aliquid aliud cognoſci hac locutione ſignificatur, nempe ejus figura, mores, virtutes, vitia, vel alia adjuncta. Quod igitur hæc Chriſti verba attinet, *Qui vidit me, vidit Patrem*, ea ne adverſarii quidem dixerint de corporali viſione intelligenda eſſe. Qui enim Chriſtum corporeis oculis vidit, is nihil aliud quam naturalem hominem vidit. Unde ſequeretur, etiam Patrem hominem eſſe. Sed Chriſtus hic, ut antea quoque monuimus ponit *videre* pro *cognoſcere*, id eſt, animi oculis videre. Quid autem Apoſtoli in Chriſto cognoſcere debebant, ex quo colligere potuiſſent, eum eſſe Deum Altiſſimum? Nihil aliud certe, quam divina ejus attributa: qualis erat ejus ſumma benignitas & amor, dum ardenti ſtudio humanæ ſalutis flagravit; divina ejus ſapientia, quæ in doctrina ejus eluxit; divina ſanctitas, cujus exemplum perfectiſſimum in tota vita ſua exhibuit; & divina omnipotentia, quam tot inaudita miracula ab eo patrata clare loquebantur. Hæc vero omnia nullum ſufficiens argumentum præbent, quod Chriſtus ſit Deus Altiſſimus. Etenim de ſua doctrina in qua divina bonitas ac ſapientia conſpicitur, ait ipſemet eam non ſuam, ſed Patris ſui doctrinam eſſe. Supra cap. 7. 16. Opera quoque ſua adſcribit, non ſibi ipſi, ſed Patri ſuo, non tantum alibi, ut Matth. cap. 12. 28. Luc. 11. 3. Joh. 5. 19. ſed in hoc ipſo capite ℣. 10. Ex ſanctitate etiam vitæ ejus colligi nequit, eum eſſe Deum Altiſſimum: quia ſanctitas iſta nobis ad imitandum pro exemplo proponitur, neque imitatu impoſſibilis eſt ei, qui eadem virtute Spiritus Sancti, quo Chriſtus præditus fuit, impletus fuerit. Quiſquis igitur Chriſtum bene novit, id eſt, doctrinam ejus exacte tenet, omniaque ea pio & attento animo perpendit, quæ Deus circa Chriſtum & per Chriſtum fecit; is habet veram cognitionem Patris, qui eſt ſolus verus Deus, Joh. 17. 3. per quam conſequi poteſt vitam æternam. Cognitio Patris in cognitione Chriſti continetur, & ex hac illa haberi poteſt: ſicut cognitio rei vivæ ex cognitione imaginis ejus haberi ſolet. Hinc Chriſtus imago Dei inconſpicui vocatur Col. 1. 15. ſplendor gloriæ Dei & character ſubſtantiæ ejus Heb. 1. 3. Non gloria ipſa, ſed ſplendor & effulgentia gloriæ: non ſubſtantia ipſa, ſed character ſubſtantiæ. Quæ omnia eatenus de Chriſto dicuntur, quatenus ſumma ſimilitudo inter eum & Deum intercedit. Hoc autem de eo dici non poſſet, ſi ipſe Deus Altiſſimus eſſet.

Verſ. 10. *Non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe? Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: ſed Pater, qui in me manet, ipſe facit opera.*] Illuſtrat præcedentia. Quia enim ipſe in Patre eſt, & Pater in ipſo, ideo qui ipſum videt & novit, poteſt etiam Patrem videre & noſſe. Chriſtus autem erat in Patre, id eſt, arctiſſime cum eo conjunctus, nempe per exactiſſimam ſuam obedientiam, quam non ſolum voluntatem ejus hominibus annunciando, ſed etiam mortem crucis ſubeundo teſtatus eſt.

Filius

Filius manet in Patre, dum in omnibus ejus præceptis permanſit. Pater vero eſt in Chriſto, per ſuum Spiritum & virtutem qua operatus eſt in eo admiranda opera: ut ipſe Chriſtus hoc loco mox declarat. Vide dicta ſupra ad cap. 10. 36.

Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor.] Probat, quod dixerat, ſe in Patre, & Patrem in ſe eſſe: probat autem id primum ex doctrina ſua, quæ non ſua, ſed Patris ſit. Vide ſupra cap. 7. 16, 17. Quicquid loquebatur, id perinde erat, atque ſi Pater ipſe per os ejus loqueretur. Neque ſolum ex mandato Patris intelligitur, verba Chriſti divina eſſe, ſed etiam ex ipſo verborum ejus genio, in quibus tanta ineſt ſapientia & efficacia divina, ut non pro humana, ſed pro divina agnoſcenda ſit, etiamſi nemo moneat, eam à Deo profectam eſſe.

Sed Pater, qui in me manet, ipſe facit opera.] Nunc ſecundo probat ſe in Patre, & Patrem in ſe eſſe, ex operibus, quæ etiam non ſua ſint, ſed Patris. Is in ipſo & per ipſum operabatur per Spiritum Sanctum, cui Chriſtus opera ſua attribuit, Matth. 12. 28. Luc. cap. 11. 20. Itaque Pater non eſſentialiter fuit in Chriſto (eſſentia enim ſua manſit ſemper in cœlis, quo etiam Chriſtus nos docuit oculos & orationes noſtras dirigere Matth. 6. 9.) ſed per ſpiritum ſuum ſanctum, quo eum unxerat, Matth. 3. 16. Luc. 4. 18.

Verſ. 11. *Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me eſſe: Sin minus, propter opera ipſa credite mihi.*] Quia dura erat hæc locutio, quod ipſe ſit in Patre, & Pater in ipſo, ita ut Judæi eum propterea lapidare vellent Joh. 10. 38, 39. idcirco id adhuc ſemel repetit & aſſeverat.

Sin minus, propter opera ipſa credite mihi.] Cum opera magis efficacia ſint ad perſuadendum, quam verba, perinde eſt, atque ſi Chriſtus diceret: Si tam increduli eſtis, ut verbis non credatis, ſaltem operibus credite, quæ divina eſſe negare non poteſtis. Eodem etiam modo dixit ſupra cap. 10. 37, 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etiamſi mihi non credatis, operibus tamen credite; ut cognoſcatis, & credatis, Patrem in me eſſe, & me in illo.*

Hactenus fuit primum ſolatium diſcipulorum.

PARS II.

Verſ. 12. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet: & majora iſtis faciet?*] Ex ea occaſione, quia præceſſerat operum mentio, quibus diſcipuli credere debeant, aliud ſolatium animis eorum inſtillat; inſigne ſcilicet beneficium, quo credentes in ſe ſint afficiendi. Id autem eſt, quod non ſolum eadem, ſed majora quoque opera præſtituri ſint, quam ipſe hactenus præſtiterat. Atque hanc promiſſionem non Apoſtolis ſolis facit, verum omnibus in genere, qui in nomen ejus crediderint. Nimirum *dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi quid lethale biberint, non nocebit eis, ægrotis manus imponent, & convaleſcent*, Marc. 16. 17, 18.

Majora iſtis faciet.] Quæritur ab omnibus Interpretibus: quænam ſint illa majora, quam ipſe fecerat miracula, quæ diſcipulos ſuos facturos dicit? Plerique reſpondent, majus illud fuiſſe, quod ſola Petri umbra ægrotos ſanarit, Act. 5. 15. id quod à Chriſto factum eſſe non legimus. Alii huc referunt miraculoſum donum linguarum. Chriſtus una tantum lingua locutus eſt, quia in Judæa tantum verſatus eſt. Apoſtoli autem ſinguli variis loquebantur linguis, quibus ad convertendos varios populos ac gentes indigebant. Verum Chriſtus hic non modo varia illa intelligit miracula, quæ ipſe poſt ſuam exaltationem tam Hieroſolymis quam inter gentes extraneas per Apoſtolos ſuos edidit, de quibus in Actis Apoſtolorum legimus; ſed præcipue etiam intelligit miraculoſam converſionem Gentium per prædicationem Euangelii: quod fuit opus præſtantiſſimum ac diviniſſimum ex iis omnibus, quæ Chriſtus fecit, poſtquam conſedit ad dextram Dei, dum Spiritum Sanctum in Apoſtolos effudit, & per homines tam infirmos, miſeros, & abjectos totum quaſi orbem terrarum concuſſit, quodque efficere ne potentiſſimi quidem Reges maximis exercitibus ſuis, ne ſapientiſſimi quidem Philoſophi ac Oratores ſua eruditione atque eloquentia potuerunt, id ille per hunc ſpiritum ſuum, per ſtultitiam prædicationis de cruce, per tam viles homunciones effecit, ut ſibi tot populos tamque varia hominum genera ſubjugaret, & ad obſequium ſuum adduceret. De Petro legimus, eum unica concione 3000. hominum convertiſſe. Chriſtus dum in terris vixit, paucos Judæos convertit: at poſt mortem ac reſurrectionem ſuam, per ſpiritum profectus prædicavit ſpiritibus, qui erant in carcere, 1 Pet. 3. 19. id eſt, gentibus, quæ ſedebant in umbra mortis, conſtrictæ compedibus atque eatenus tenebrarum & ignorantiæ, eaſque imperio ac regimini ſuo ſubjecit. Itaque Chriſtus per Apoſtolos majora opera præſtitit abſens, quam præſens in terris. Opera iſta adſcribit fidelibus hoc loco, quia per eos, ſeu eorum opera, miniſterio ac labore ea præſtiturus erat. Dum autem in genere de fidelibus loquitur, reſpicit illa mirabilia dona Spiritus Sancti, quæ etiam aliis fidelibus præter Apoſtolos ſunt communicata (Vide Act. 2. ℣. 38. 19. 31. x. 44. & alibi) etſi fideles iſti majora ſigna non fecerint, quam Chriſtus. Hoc enim dictum Chriſti non de ſingulis fidelibus in ſpecie, quaſi quilibet è fidelibus majora opera facere debuerit, quam ipſe, ſed de fidelibus omnibus ſimul ſumtis accipiendum eſt. Hinc manifeſtum eſt, miracula Chriſti non eſſe argumento, quod ipſe ſit Deus ſupremus: quandoquidem hic dicit fideles ſuos majora etiam opera facturos, quam ipſe fecerit. Si quis dicat, opera fidelium ipſius propria opera eſſe, quia per ipſius ſpiritum in ipſis producta ſunt; ei reſpondemus, etiam Chriſti opera eſſe Dei Patris opera, quia ea per Spiritum Sanctum in eo operatus eſt: ut ipſe Chriſtus modo faſſus eſt ℣. 10. & alibi fatetur: imo de illo ipſo Spiritu, per quem Apoſtoli miracula fecerunt, ait ipſe Chriſtus infra ℣. 16. *Ego vero rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Et ℣. 26. *Paracletus ille, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.*

Verſ. 13. *Nam ego ad Patrem meum vado, & quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glori-*

rificetur Pater in Filio.] His verbis, quæ in unam periodum conjungi debent, indicat Chriſtus modum, quo fideles ejus majora miracula, quam ipſe fecit, facturi ſint. Nimirum vult dicere: Quando ad Patrem abibo, omnia quæ petieritis veſtri cauſa faciam, quæ ad meam Patriſque mei gloriam ac honorem ſpectabunt. Sumit Chriſtus hic ſimilitudinem ab eo qui ad Regem proficiſcitur, eique amicorum ſuorum vota ac poſtulata quam diligentiſſime commendat. Notandus hic eſt Hebraiſmus: *Ego ad Patrem meum vado, & faciam*, Id eſt, ego vadens ad Patrem vel profectus, faciam &c.

In nomine meo.] Id eſt, hac fiducia, quod Pater mea cauſa, & propter me id facturus ſit. Ita enim precantur Chriſtiani, ut Deus hoc vel illud faciat, Chriſti cauſa. Hebræi ſolebant Deum orare, ut populo ſuo benefaceret patrum cauſa, propter Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, & Davidem. At ſub Novo Fœdere novus eſt orandi modus *per Chriſtum* vel *Chriſti cauſa* Rom. 1. 8. & alibi. Quæ conditiones precibus Chriſtianorum, ſi exaudiri debeant, annexæ ſint, vide ad Matth. 18. 19.

Ut glorificetur Pater in Filio.] Hæc verba tam ad verbum *faciam*, quam ad verba *quicquid petieritis* pertinent. Nimirum omnia ad Patris ſui gloriam vult facere, & vult facere omnia, quæ petierint ad Patris ſui gloriam.

Verſ. 14. *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.*] Repetit, quod dixerat, aſſeverandi cauſa, ut tanto magis ſpem eorum confirmaret.

PARS III.

Verſ. 15. *Si diligitis me, præcepta mea ſervate.*] Tertium conſolationis genus adhibet Chriſtus, ad quam his verbis aditum ſibi parat: quaſi dicat, Si me diligitis, ne veſtrum erga me amorem in eo oſtendatis, quod diſceſſum meum ægre feratis, ſed in eo potius, ut mandata mea diligenter obſervetis. Quod ſi feceritis conſtanter, ego rogabo Patrem, dabitque vobis alium Paracletum, &c.

Præcepta mea.] Inprimis novum illud præceptum, ut alii alios diligatis. Ita antequam deſcribatur, quomodo Apoſtoli acceperint Spiritum Sanctum, dicitur prius; eos *fuiſſe unanimiter in eodem loco.* Act. 2. ℣. 1. per quam unanimitatem ſe ad accipiendum Spiritum Sanctum aptos reddiderunt.

Verſ. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.*] Hæc eſt tertia conſolatio & beneficium, quod Apoſtolis per ipſius diſceſſum contingere debebat: quod nimirum eis miſſurus eſſet Spiritum Sanctum à Patre. Quem Spiritum Sanctum duobus exprimit nominibus: primo dum eum vocat paracletum, poſtea vero Spiritum veritatis. Dicit autem ſe rogaturum Patrem: quia perſeverat in cœpta ſimilitudine de illo, qui ad Regem profectus dat operam, ut ſuis precibus amicorum ſuorum cauſam promoveat. Proprie enim loquendo Spiritum Sanctum non ſupplici prece atque rogatione Apoſtolis à Patre impetravit, quemadmodum in diebus carnis ſuæ etiam pro ſe ipſo oravit Joh. 11. 41, 42. Sed poſtquam ipſe flumine Spiritus Sancti inundatus eſt, ex eo etiam Apoſtolis impertitus eſt: ut Petrus in ſua concione Act. 2. 33. clare teſtatur inquiens: *Dextera itaque Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus Sancti accepta, effudit hoc quod vos nunc videtis & auditis.* Quapropter non opus erat, ut Chriſtus tunc rogaret Patrem, cum omnem poteſtatem in cœlo & in terra, omneque judicium accepit. Loquitur autem hic Chriſtus de ſe & de Patre ſuo pro ea modeſtia, quæ ipſi in ſtatu illo carnis conveniebat. Ita pro Apoſtolis quoque in hac vita Deum oravit, eaque precatus eſt, quæ ad futurum munus eorum erant ipſis neceſſaria. Infra cap. 17. Interea hic rurſus habemus argumentum, quod Chriſtus non ſit Deus ſummus. Deus enim ſummus ut ab alio aliquid petat, neceſſe non eſt. Etſi vero Chriſtus Spiritum Sanctum ipſe abſque precibus à Patre miſerit, non convenit tamen talis locutio Deo ſummo. Quod autem & Spiritus Sanctus non ſit Deus ſummus, ex eo patet, quod mittatur à Patre; quod in Deum ſummum non cadit.

Et alium paracletum dabit vobis.] Infra ℣. 26. *mittet.* Hæc verba bis repetenda ſunt hoc modo: Ego rogabo Patrem, ut vobis det alium paracletum, & ille dabit vobis alium paracletum, nempe ſi mandata mea ſervaveritis. Eſt Hebraiſmus. Græca vox Paracletus ſignificat *Conſolatorem*, vel etiam *Advocatum*, qui cauſam rei agit in judicio. Utraque ſignificatio hic locum habet, maxime poſterior. Nam Spiritus Sanctus tum mæſtitiam, quam ex ipſius diſceſſu conceperant, habitans in eis adimet, tum cauſam eorum coram mundo aget, quemadmodum Chriſtus eam aget apud Patrem. Quo ſenſu etiam ipſe Paracletus nuncupatur 1 Joh. 2. 1. Cumque hic dicit, ſe Patrem rogaturum, id continet deſcriptionem muneris advocati. Erit autem Spiritus Sanctus Apoſtolorum advocatus, quia coram Regibus ac Præſidibus pro ipſis loquetur Matth. 10. 20 quia omnia illis revocabit in memoriam, quæ Chriſtus eis locutus eſt: Infra ℣. 26. qui inimicos eorum efficaciſſime arguet ac convincet Joh. 16. 8. In judiciis, ut dictum eſt antea, proprie συνήγορος ſeu advocatus vocatur, qui cauſam rei defendit. Itaque Spiritus Sanctus hac advocati appellatione opponitur malo Spiritui, qui κατήγορος, ſeu accuſator in Scriptura appellatur, Apoc. 12. 10.

Ut maneat vobiſcum in æternum.] Non tantum paucos aliquos annos, ut ego, ſed perpetuo uſque ad obitum veſtrum. Ex eo, quod Spiritus Sanctus hic, ut & alibi, Johan. 14. 7, 8, 13, 26. Luc. 2. ℣. 26. 1 Cor. 2. 20. xij. 11. Act. 15. 28. Rom. 8. ℣. 26. tanquam perſona introducitur, hodie vulgo probari ſolet, Spiritum Sanctum non eſſe ſolùm virtutem Dei, ut vocatur alibi, ſed rem quoque per ſe ſubſiſtentem atque perſonam, & quia Dei Spiritus eſt, qui ab æterno in eo & apud eum fuit, ſtatuitur eſſe perſona Deitatis, ſeu tertia perſona Trinitatis. Verum hac probatione nihil eſt infirmius. Quid enim uſitatius eſt non modo in Sacris Literis, ſed & in omnibus linguis & apud omnes nationes, quam ut per figuratum loquendi modum, qui Proſopopœia vocatur, res quæ perſonæ non ſunt, tanquam

quam perſonæ introducantur, & quidem non ſine ſingulari elegantia & emphaſi orationis? Ut hic, ubi Chriſtus triſtes ob abitum ſuum diſcipulos conſolari vult, efficacius & elegantius dicitur, Spiritum Sanctum fore eorum conſolatorem vel Advocatum, quam ſi ſimpliciter virtus Dei appellatus fuiſſet; ſicut appellatur alibi, cum dicitur: *Et inducmini virtute ex alto* Luc. 24. 49. Quemadmodum enim Conſolator flexanima oratione & argumentis efficacibus triſtitiam mærentibus eximit: ita indicatur, hanc virtutem Dei exempturam diſcipulis præſentem triſtitiam, dum per eam omni veritatis cognitione imbuentur, adeoque intelligent tum neceſſitatem tum utilitatem diſceſſus Chriſti; quia tam inſignia dona illis non fuiſſent communicata, niſi Chriſtus ad Patrem abiiſſet. Talium figurarum, ſeu proſopopœiarum exempla in Scripturis ſunt innumera. Nam loqui, teſtari, docere, conſolari, velle, conſtituere, mitti, venire, prædicere, vel annunciare, eſt opus nonniſi perſonis competens: & tamen de ſanguine dicitur, quod loquatur Heb. 12. ℣. 24. de lege, quod dicat Rom. 3. 19. de Scriptura itidem Joh. 7. 38. XIX. 37. de cœlis, quod annuncient gloriam Dei, quod firmamentum indicet opus mannum ejus, quod dies diei, & nox nocti in dicet ſcientiam Pſal. 19. 2, 3, 4. quod aurora, ſol, luna, ſtellæ, cœli, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, cæti & omnes abyſſi Deum laudent, Job. 38. 7. Pſal. 148. 3, 4, 7. quod natura doceat 1 Cor. 11. 14. quod unctio doceat 1 Joh. 2. 27. quod opera Chriſti teſtentur Joh. 5. 12. quod ſanguis & aqua teſtetur 1 Joh. 5. 8. quod ventus ſpiret, ubi vult Joh. 3. 8. quod manus Dei conſtituat Act. 4. 28. quod virga Dei conſoletur, Pſal. 23. ℣. 4. quod auxilium mittatur à Deo Pſal. 20. 3. & redemtio Pſal. 111. 9. quod Deus mittat miſericordiam ſuam & veritatem Pſal. 57. 4. quod iram ſuam mittat Pſal. 71. 50. quod verbum ſuum mittat Pſal. 107. 20. quod Regnum Dei veniat Matth. 6. 10. quod fides Gal. 3. 23. dies Luc. 23. 29. hora, Joh. 4. ℣. 21, 23. ira Dei Eph. 5. 6. veniat. Præterea ex aliis locis, in quibus Spiritui Sancto opera ſolis perſonis convenientia attribuuntur, clariſſime liquet, nonniſi figurate & per proſopopœiam id fieri: ut cum Chriſtus infra cap. 16. 13. dicit: *Cum venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Quis non videt, hic Spiritum Sanctum figurate tanquam legatum introduci, qui quaſi in Chriſti locum venturus ſit, omniaque illis expoſiturus ac revelaturus ſit, quæ ad perfectam doctrinæ ejus cognitionem & ad gloriam ejus ſpectant. Quia vero legati fidelis ac boni eſt, nihil à ſeipſo loqui, ſed ea ſolum quæ audivit & accepit à mittente, ideo etiam de Spiritu Sancto idem dicitur. Quomodo enim alicqui proprie de Spiritu Sancto dici poſſet, eum non loqui à ſemetipſo, ſed tantum quæcunque audierit loqui, & aliis annunciare? Idem judicandum eſt de omnibus illis locutionibus, quibus Chriſtus in hoc prolixo ſermone ſuo utitur: ut cum Spiritum Sanctum Paracletum appellat hic & ℣. 26. & cap. 15. 26. cum dicit, eum mittendum eſſe à Patre, infra ℣. 26. eum de Chriſto teſtaturum cap. 16. 26. eum mundum convicturum cap. 16. 8. eum in omnem veritatem Apoſtolos ducturum cap. 16. 13. eum Chriſtum glorificaturum cap. 16. 14. Horum locutionum optimus interpres eſt ipſe eventus. Si enim ea omnia in Sacris Literis conſiderentur, quæ Spiritus Sanctus in Apoſtolis effecit & operatus eſt, patebit, ea omnia facta eſſe non tanquam à perſona aliqua proprie dicta, ſed tanquam a divino afflatu ac virtute, quæ Apoſtolis indita eſt. Idem cernitur quoque ex loco Pauli Rom. 8. 27, 28. ubi dicitur: *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inerrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quæ mens ſit Spiritus, quia ſecundum Deum interpellat pro Sanctis.* An proprie poteſt dici Spiritus pro nobis interpellare, ſeu orare, vel quod gemat ſeu ſuſpiret, & quidem quod ſecundum Deum, id eſt ſecundum voluntatem ejus interpellet? Quis non cernit, id figurate dici de Spiritu Sancto, & ideo ei iſta tribui, quia ea omnia in cordibus hominum efficiat? Sic cum dicitur, *Spiritum omnia ſcrutari, etiam profunda Dei*, 1 Cor. 2. 10. ſatis manifeſtum eſt, Spiritui Sancto id adſcribi, quia id ipſum in homine, in quo eſt, operetur: qua ratione etiam charitati id adſcribitur, quod in homine, cujus animum occupavit, producit, quodque proprie loquendo homini ipſi adſcribendum eſt, 1 Cor. 13. 7, 8. Obſervandum enim eſt, Spiritum Sanctum duobus modis conſiderari, vel quatenus eſt Dei vel Chriſti Spiritus, & ab eo procedit; vel quatenus homini communicatur, & in eo habitat. Priori modo conſiderato Spiritui Sancto adſcribuntur ea, quæ proprie loquendo Deo & Chriſto ipſi competunt, quæque illi per Spiritum Sanctum operantur: ut quod varia ac diverſa dona inter homines diſtribuat 1 Cor. 12. 11. quod Apoſtolis quæ ventura ſunt annunciabit Joh. 16. 13. Et in noſtro textu, cum Spiritus Sanctus Paracletus vocatur, quod Apoſtolos conſolaturus ſit, iiſque patrocinaturus; proprie dictus ſenſus eſt, Deum vel Chriſtum id per Spiritum ſuum, quem in eos effundet, eſſe facturum. In poſteriori autem conſideratione Spiritui Sancto tribuuntur ea, quæ alias ab ipſo homine vi & inſtinctu ejus efficiuntur: ut paulo ante vidimus.

Verſ. 17. *Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec novit eum. Vos autem noſtis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.*] Hic altero titulo inſigni deſcribit Chriſtus Spiritum Sanctum, quod ſit Spiritus veritatis, id eſt, quod veritatem doceat, qui Apoſtolis omnem veritatem, & neceſſariam notitiam omnium divinorum myſteriorum inſtillaturus ſit, qua tum ad propriam ſalutem ſuam, tum ad obeundum ſublime munus ſuum indigebunt: uti id infra declaratur cap. 16. 13. ubi dicitur, quod Spiritus Sanctus eos deducet in omnem veritatem. Et 1 Joh. 2. 27. ait Apoſtolus: *Non habetis neceſſe, ut quiſquam doceat vos, verum ſicut eadem unctio docet vos de omnibus*; id eſt, Spiritus Sanctus, quo uncti eſtis.

Quem mundus non poteſt accipere.] Hoc adjicit Chriſtus, ut præſtantiam hujus doni innuat: ut pote quod non paſſim mundo communicetur. Per *mundum* intelligit homines mundo & carni deditos, qui nullo earum rerum deſiderio tenentur, per quæ

animus eorum vera ſapientia imbui poſſet, ſed omnes ſuas cogitationes ac ſtudia ad voluptates corporis direxerunt.

Quia non videt eum, nec novit eum.] Cauſa redditur, cur mundus hunc Spiritum veritatis accipere nequeat. Græcum verbum θεωρέω proprie ſignificat, non ſimpliciter videre, ſed attendere, ſeu cum attentione ſpectare. Mundus autem non attendit, nec conſiderat hunc Spiritum, quia nonniſi ea attendit & ſpectat, quæ in oculos corporis incurrunt; hic vero Spiritus eſt inviſibilis. Viderunt quidem oculis corporeis homines mundani ac carnales inter Judæos magnam vim Spiritus iſtius in Chriſti miraculis, ſed eam non conſiderarunt, non admiſerunt in animum: ideoque revera eam non viderunt.

Nec novit eum.] Id eſt, mundani homines non capiunt eum. Hoc idem dicit Apoſtolus: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim ſunt illi, nec poteſt ea cognoſcere:* id eſt, intelligere, animo comprehendere, 1 Cor. 2. 14. quemadmodum qui hebeti & ſtupido ſunt ingenio, quando eis res ſublimes & ſubtiles proponuntur, eas capere & intelligere nequeunt. Ubi per hominem animalem (Græce ψυχικὸς) intelligit eum, cujus curæ ac cogitationes tantum tendunt ad vitam temporariam conſervandam ac feliciter tranſigendam. Conſuetudine enim Hebræa anima ſumitur pro vita terrena: Matth. 2. 20. x. 39. Luc. 9. 24. atque ita animalis eſt, qui nihil niſi vitam hanc curat. Sic ergo *Spiritus veritatis* opponitur ſpiritui mendacii, qui regit homines carnales ac mundo addictos, dum loco veri boni falſa & fallacia bona eis proponit, adeoque intellectum eorum falſa & adulterina ſapientia imbuit. Quia vero mundus Spiritum veritatis non novit, propterea etiam eum negligit, & non curat. Ignoti enim nulla cupido. Poſſet autem mundus hunc Spiritum cognoſcere, ſi carnales concupiſcentias abjiceret, & puro ac defæcato animo veræque ſapientiæ avido, divinas res, quæ illi per Spiritum veritatis proponuntur, conſideraret. Talem enim animum hic Spiritus poſtulat.

Vos autem noſtis eum.] Apoſtoli cognoverunt hunc Spiritum, id eſt, intellexerunt, eum eſſe Dei Spiritum, quia animo probo & attento tum opera Chriſti ſpectarunt, tum ſermonibus ejus divinis aures præbuerunt.

Quia apud vos manet.] Videtur vocula ὅτι, *quia* hic poſita eſſe pro *itaque*, *ideo*, *quapropter*: ut & 1 Joh. 3. 20. & alibi. Spiritus Sanctus enim prius debet cognoſci, quam in homine habitet: & propterea mundus non poteſt Spiritum hunc accipere, id eſt, Spiritus iſte propterea non poteſt in hominibus mundanis habitare, quia eum non norunt; quam cauſam Chriſtus hic ipſe adfert.

Manet.] Verbum μένειν, *manere* ſignificat quidem proprie talem præſentiam ejus qui manet, quæ ad aliquod tempus durat, ac interdum denotat perpetuam & indefinentem manſionem, ut cum dicitur iram Dei manere ſuper incredulos Joh. 3. 36. Hic vero ſignificat tantum ſimplicem exiſtentiam ſeu habitationem propter verba ſequentia: ut & ſupra cap. 5. ℣. 38. & 1 Joh. 2. 5, 6, 14, 24. ubi eſſe & manere pro eodem accipitur.

Et in vobis erit.] Id eſt, eſt in vobis & manebit in vobis conſtanter. Nam ſicut ſupra *manere* poſitum eſt pro *eſſe* ſimpliciter, ita hic *eſſe* ponitur pro *manere*.

PARS IV.

Verſ. 18. *Non relinquam vos orphanos: venio ad vos.*] Quarta conſolatio hic continetur, quod non relicturus ſit illos orphanos, ſed ad eos rediturus. Orphani ſunt liberi à patre & matre derelicti, qui parentibus orbati ſunt. Tales erant Apoſtoli, cum eorum pater & magiſter jacuit in ſepulchro: Rediit autem ad eos, cum à mortuis eſt ſuſcitatus, & vivus eis apparuit, & in cœlum profectus Spiritum Sanctum in locum ſuum ad eos miſit, ut ipſorum eſſet Pater perpetuo, neve adeo orphani manerent.

Venio ad vos.] Id eſt, veniam. Præſens pro futuro. Veniam autem ponitur pro rurſus veniam ſeu revertar: ut infra ℣. 28. & Matth. 12. 44. Interpretes quidam Chriſtum hic cenſent loqui de ultimo ſuo adventu ad judicium. Sed hoc pacto Apoſtoli toto vitæ ſuæ tempore orphani manſiſſent: nam ad illum uſque adventum vita illis non ſuppeditavit. Parum igitur ſolatii ex hoc Chriſti ſermone hauſiſſent. Itaque probabilius eſt, verba Chriſti accipienda eſſe, de miſſione Spiritus Sancti, per quem ad eos venit. Videtur autem Chriſtus propter imbecillitatem diſcipulorum ita loqui, qui nondum intelligebant, quanta ſit vis & efficacia Spiritus Sancti, quamque ipſe vices Chriſti abunde ſit expleturus.

Verſ. 19. *Adhuc paululum, & mundus me amplius non videbit. Vos autem videbitis me, quia ego vivo, & vos vivetis.*] Hoc verſiculo declarat ſuperiorem conſolationem, quod poſt ſuam reſurrectionem ad eos ſit rediturus: opponitque eos ratione hujus beneficii mundo, qui ipſum non videbit: quaſi dicat, Brevi per mortem & ſepulturam ex oculis mundi auferar, ut me non ſit amplius viſurus. Per mundum intelligit eos qui doctrinam ejus reſpuerunt.

Vos autem videbitis me.] Non ſemel me videbitis, ſed crebro: quin & manibus veſtris me contrectabitis.

Quia ego vivo.] Quia reſurgam à mortuis. Vivo, id eſt, vivam. Præſens pro futuro.

Et vos vivetis.] His verbis videtur Chriſtus reſpicere ad illam Apoſtolorum formidinem, quæ eos inceſſerat, ne una cum ipſo ad mortem abriperentur. Vide ſupra cap. 11. 16. Itaque indicat hic, eos ex omni vitæ periculo ſalvos fore, ſeque viſuros eſſe. Alii exiſtimant, quia Chriſtus ſuæ vitæ per reſurrectionem recipiendæ fecit mentionem, eum hac occaſione voluiſſe docere Apoſtolos, quod ſicut ipſe ad vitam æternam reſurget, ita & illi reſurrectionis ſuæ fructum percepturi ſint & vitæ æternæ participes evaſuri. Non enim inſolitum eſt Chriſto, ut ex voce una occaſionem ſumat diſſerendi de rebus ſublimioribus extra ordinem materiæ, de qua agebatur.

Verſ. 20. *In illo die vos cognoſcetis, me eſſe in Patre meo,*

meo, & vos in me & me in vobis.] Tunc temporis cum tanquam victor ac triumphator mortis vobis apparebo.

Cognoſcetis.] Id eſt, perfectius quam antea. Id enim, quod dicit eos poſtea cognituros, jam antea cognoverant, ſed valde imperfecte. At poſt Chriſti reſurrectionem, ea quæ ipſis prius incredibilia viſa ſunt, oculis ſuis conſpexerunt, Chriſtus etiam illis obſcura veterum prophetiarum teſtimonia enucleavit, Luc. 24. 45.

Me eſſe in Patre.] Id eſt, me in perfecta obedientia omnium mandatorum ejus perſtitiſſe: quod ille etiam reſuſcitando, & magis adhuc me exaltando comprobabit. Vide infra cap. 16. 10.

Et vos in me, & me in vobis.] Primum & ſumitur pro *ſicut*. Chriſtus enim vult dicere, eos tunc cognituros, quod ſicut illi in ipſo manebunt, per fidem ſcilicet & obedientiam, ita & ipſe in illis manſurus ſit, per auxilium ac defenſionem. Ita videmus hic clare, hanc locutionem, qua dicitur una perſona eſſe in altera, nihil aliud ſignificare, quam arctiſſimam conjunctionem & animorum propenſionem, quæ inter eas intercedit.

PARS V.

Verſ. 21. *Qui tenet præcepta mea, & obſervat illa, is eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.*] Hic quinta affertur conſolatio, quam ita proponit Chriſtus, ut triplicem promiſſionem in ſe complectatur. Primo enim dilectionem Patris, ſecundo dilectionem ſui ipſius, tertio manifeſtationem ſui ipſius promittit hic Chriſtus. Simul autem indicat, promiſſiones has non ad Apoſtolos ſolum, ſed & ad omnes, qui ipſum diligunt, ſpectare. Hos vero qui ipſum diligunt, deſcribit hoc verſiculo, quibus ſignis atque indiciis cognoſci poſſint.

Qui tenet mea præcepta.] Id eſt, qui præceptis meis fidem adjungit, eaque pro vere divinis habet: ut ſupra Cap. 5. 38.

Et obſervat illa.] Id eſt, facit ea, vivit ex præſcripto eorum, & obedientiam eis præſtat. Abſque obedientia enim fides magis obeſt, quam prodeſt. Nam *ſervus ille, qui domini ſui voluntatem novit, neque ſe comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cœdetur multis plagis*, Luc. 12. 47.

Is eſt, qui diligit me.] Hæc enim eſt natura dilectionis, ut nihil adverſum faciat ei, quem diligit.

Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.] Pater quidem nos prior dilexit: nam *in hoc eſt charitas Dei, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit Filium ſuum, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris*, 1 Joh. 4. 10. Sed quando nos Chriſtum diligimus, tum nos Deus magis diligit, quam antea. Dilectio ejus, quæ noſtram dilectionem anteceſſerat, per noſtram dilectionem augetur ac incrementum ſumit.

Et ego diligam eum.] Intellige ſimiliter, magis quam antea. Nam & Chriſtus prævenit nos dilectione ſua.

Et manifeſtabo ei meipſum.] Hoc in genere de omnibus manifeſtationibus & apparitionibus Chriſti intelligendum eſt. Primum quando corporaliter ſe manifeſtavit poſt ſuam reſurrectionem Mariæ Magdalenæ, Nathanaëli, illis undecim, imo quingentis fratribus ſimul. Poſtea quando ſe ſpirituali modo manifeſtavit per effuſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos. Tandem manifeſtat ſe Chriſtus omni tempore magis magiſque fidelibus ſuis, id eſt, per Spiritum Sanctum & gratiam ſuam auget cognitionem ſuam in illis, qui initium doctrinæ ejus bene cuſtodiunt, ut in ea corroborentur, creſcant, & ſubinde proficiant. *Arcanum Domini revelatur timentibus ipſum, & fœdus ſuum docet eos*, Pſal. 25. 14. Vide etiam Eph. 3. 3. Perfectiſſima vero ratione manifeſtabit ſe nobis Chriſtus in futura vita, ubi eum in ſtatu gloriæ videbimus, & æternum cum eo manebimus.

Verſ. 22. *Dicit ei Judas, non Iſcariotes: Domine, quid eſt, quod nobis manifeſtaturus ſis teipſum, & non mundo?*] Quia Chriſtus dixerat, ſe iis tantum manifeſtaturum qui ipſum diligent, & non mundo; inde ſumit anſam quærendi Judas, quomodo id conveniat cum eo, quod Meſſias in univerſo mundo regnaturus ſit. Qui fieri poteſt, ut non toti mundo ſit manifeſtus: *Ego te dedi lucem gentium*, inquit Deus Eſai. 42. 6. XLIX. 6. Hæc quæſtio autem nata eſt ex carnali opinione, qua Judas adhuc & reliqui Apoſtoli pleni erant, quod Chriſti terrenum regnum futurum ſit, & omnes Judæi cum eo ſint regnaturi. Si intellexiſſet, Regnum Chriſti non carnale, ſed ſpirituale fore, intellexiſſet quoque, quomodo futurum ſit, ut licet Chriſtus divinum & cœleſte imperium in univerſum mundum exerceat, tamen nonniſi illi imperium ejus agnoſcant & intelligant, qui ſpirituales habent oculos, ad res ſpirituales cognoſcendas; reliqui autem id ignorent. Nam etſi & iſti imperium ac poteſtatem ejus ſentiant, dum judicia ſua in eos exercet, tamen neſciunt, nec intelligunt, à qua manu ictus veniant. Ex hac autem quæſtione apparet, Judam probe intellexiſſe, Chriſtum de alia longe perfectiori manifeſtatione loqui, quam quæ hactenus ipſis contigerat, dum eum corporeis oculis viderunt, auribus corporis audierunt, & eum Filium Dei ac promiſſum Meſſiam eſſe agnoverunt.

Non Iſcariotes.] Hoc addit, quia ſuperius cap. 13. ℣. 26, 31, de eo fuerat locutus. Itaque Judam Thaddæum, Jacobi fratrem hic intelligit.

Quid eſt.] Gr. τέγονεν, *quid factum eſt*, id eſt, quid cauſæ eſt, qui fit. Eſt Hebraiſmus.

Verſ. 23. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*] Chriſtus reſpondet Judæ, non debere eum mirari, quod ſe nolit mundo manifeſtare, mundum enim ſe non diligere: itaque ſe exemplum Patris ſui ea in parte imitari, qui nonniſi illis ſe manifeſtet, qui ipſum diligunt, id eſt, præcepta ejus ſervant. Si quis vero ſe diligat, uti faciunt illi, qui præcepta ſua ſervant, ad eos promittit non ſolum ſe venturum, ſed & Patrem ſuum, apud ipſum hoſpitium habituros, imo æternum cum eo manſuros.

Qui honor eſt ſignum maximæ dilectionis. Vide Matth. 11. 25. & ſupra cap. 6. 44.

Sermonem meum.] Id eſt, præcepta mea: ut ℣ſ. 21.

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.] Magnum argumentum amoris eſt, quando Rex aliquis ad hominem vilem & plebejum venit, multo magis quando apud eum hoſpitatur. Ita ſignificat Chriſtus, non decere, ut talia ſigna amoris unicuique paſſim à ſe & à Patre ſuo exhibeantur, ſed illis tantum, qui ipſos diligunt. Non loquitur autem Chriſtus de eſſentiali adventu & inhabitatione Dei Chriſtique in homine, ſed de inhabitatione ſuæ gratiæ ac Spiritus. Similis locutio eſt Zach. 2. 10, 11. *Lætare filia Sionis, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus: Et adjungent ſe gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi populus, & habitabo in medio illarum.* Ubi Deus de tali habitatione ſua loquitur, quod ſit templum ſuum inter eos habiturus.

Hic vero merito quæritur, cur nulla etiam Spiritus Sancti facta ſit mentio, quod in fidelibus habitaturus ſit, ſi eſt æque ac Pater & Filius divina perſona, imo ille ipſe Deus? Vide hac de re alibi à nobis dicta.

Verſ. 24. *Qui non diligit me ſermones meos non obſervat; & ſermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris.*] Hæc eſt inverſa oratio. Senſus enim eſt: qui ſermones meos non obſervat, is me non diligit; quod ex ſuperioribus concluditur, hoc modo: Qui diligit me, ſervat meos ſermones. Ergo qui non ſervat meos ſermones, non diligit me: ac proinde mirandum non eſt, me & Patrem meum ad hominem mundanum, qui meos ſermones non obſervat, non eſſe venturum, cum is tanto honore prorſus indignus ſit.

Et ſermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris.] Redditur ratio, cur Pater non ſit venturus ad eum, neque apud eum manſurus, qui Chriſti ſermones non obſervat; quia nimirum ſermo Chriſti non ipſius, ſed Patris ſit, à quo originem traxit. Ille nequaquam honorabit eum, qui ſermonem ejus ſpernit. Cur vero ſermo Chriſti non eſt ipſius, ſed Patris, ſi eſt ille ipſe ſummus Deus? Vide ſupra cap. 7. 16.

Quem auditis.] Quem per illud tempus, quo vobiſcum verſatus ſum, à me audiviſtis. Vide ſupra cap. 7. 16. viij. 28. 12. 49, 50.

PARS VI.

Verſ. 25. *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens.*] Sequitur ſexta conſolatio ſumta ab operatione Spiritus Sancti, quod is eos ſufficienter informaturus ſit in iis rebus omnibus, quas nunc non ſatis intelligant.

Hæc locutus ſum vobis.] Id eſt, hæc ad vos conſolandos ſtrictim diſſerui, quantum temporis & manſionis meæ apud vos permiſit anguſtia. Non me latet, vos adhuc indigere inſtitutionis ac doctrinæ, neque vos ea, quæ modo à me audiſtis, ſatis percepiſſe; ideo Spiritus Sanctus Paracletus ille, ad vos mittetur, ut vos omnia perfecte edoceat.

Apud vos manens.] Ita loquitur, quaſi jam cum illis non ſit amplius: quia tempus diſceſſus ejus jam præſto erat. Vix enim hora una aut duæ erant reſiduæ ad id tempus quo captus eſt.

Verſ. 26. *Paracletus autem ille, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.*] Non ſimpliciter Spiritum Sanctum nominat, ſed cum epitheto Paracleti, ut ſupra, quia hic titulus & deſcriptio Spiritus Sancti multum faciebat ad conſolationem diſcipulorum

Quem mittet Pater.] Adſcribit miſſionem Spiritus Sancti Patri ſuo; infra autem cap. 16. 7. ſibi ipſi. Nimirum Spiritus Sanctus proprie eſt Patris Spiritus ac virtus, à quo emanat, quo etiam Chriſtum unxit: qui eum rurſus in Apoſtolos ſuos effudit. Ita Chriſtus eſt proxima cauſa miſſionis Spiritus Sancti, Pater autem eſt prima cauſa & principalis. Qua de re hodie magna eſt lis atque controverſia inter Romanam & Græcam Eccleſiam; illa aſſerit, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: hæc autem, à Patre per Filium. De reliquo in doctrina de Trinitate conſentiunt. Etſi vero utraque in hac de Trinitate ſententia procul à vero deviet, ſanior tamen eſt Græcorum de Spiritus Sancti proceſſione locutio, quam Latinorum, quia prærogativam, quæ debetur Patri, præ Filio ſartam tectam relinquit.

Illi vero qui ex miſſione Spiritus Sancti inferunt, eum eſſe perſonam, cum mitti proprie perſonarum ſit, nobis argumentum validum ſuppeditant, quod Spiritus Sanctus non ſit Deus Altiſſimus. Deus enim Altiſſimus à nemine mitti poteſt, ſed ipſe mittit alios, eiſque mandata dat prompte & obſequioſe exequenda; talia mandata accipere & alienæ voluntatis ac imperii executorem eſſe, in Deum Altiſſimum neutiquam cadit. Neque hic humanæ & divinæ naturæ diſtinctio locum habet: cum Spiritus Sanctus humana natura præditus non ſit. Si dicatur, non totam divinam eſſentiam mittere, vel mitti, ſed perſonam Patris mittere perſonam Spiritus Sancti (quod Chriſtus infra cap. 16. 7. ſibi ipſi tribuit) ſequitur, Spiritum Sanctum quatenus eſt perſona Deitatis, non eſſe Deum Altiſſimum, cum Deus Altiſſimus mitti nequeat. Præterea objectio iſta contraria eſt vulgatæ ſententiæ de Trinitate, in qua creditur ſingulas perſonas habere totam eſſentiam divinam: quia alioqui divina eſſentia diviſa eſſet, atque ſic nulla è tribus perſonis Deus Altiſſimus foret.

In nomine meo.] Id eſt, mea cauſa, ſeu propter me: ut ſupra ℣ſ. 13. Quia ego Patrem rogabo, ut vobis alium Paracletum mittat, ſupra ℣ſ. 16. ideo in mei gratiam vobis eum mittet.

Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.] Ultima iſta verba, *quæ dixi vobis*, ad utrumque pertinent, & ad doctrinam & ad ſuggeſtionem. Nempe: ille vos omnia, quæ dixi vobis, docebit, & omnia ea vobis ſuggeret.

Docebit.] Id eſt, clarius explicabit, & faciet ut melius intelligatis ea, quæ nunc vobis obſcura videntur.

Suggeret.] Id eſt, in memoriam revocabit, ſi quid vobis exciderit.

PARS VII.

Verſ. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non prout mundus dat, ego do vobis. Ne turbetur cor veſtrum, neque formidet.*] Hæc eſt ſeptima conſolatio, qua Chriſtus diſcipulis ſuis valedicit, eiſque bene precatur. Quando Hebræi aliquem ſalutabant, vel diſcedentes alicui valedicebant, inquiebant: Pax tecum. Ita Chriſtus infra cap. 20. 19. cum clauſo oſtio improviſus venit ad diſcipulos ſuos, ſalutavit eos. Et Luc. 10. 5. ait Chriſtus ad diſcipulos: *In quamcunque domum introieritis, primum dicite, Pax huic domui.* Pacis autem nomine, Hebraica phraſi, omnis felicitas ac proſperitas intelligitur.

Pacem meam do vobis.] Iterat apprecationem ſuam, ex impulſu ſummæ charitatis; quaſi dicat, Deus vobis adſit propitius, Deus vobis adſit propitius. Inter *relinquere pacem*, & *dare pacem* nihil intereſt; niſi hoc forte, quod relinquere, ſit abituri, dare etiam manſuri. Non ſine emphaſi Chriſtus dicit, *meam pacem.* Felicitas enim, quæ à Chriſto proficiſcitur, (extra quem nulla eſt ſalus Act. 4. 12) exſuperat omnem felicitatem, quæ ab hominibus optari poteſt.

Non prout mundus dat.] Id eſt, plerique homines è mundo, qui tantum ore ac verbis aliis bene precantur, in animo interim parum eis curæ eſt, quomodo res cedat; multo minus autem id, quod precantur & vovent, præſtare poſſunt. Chriſtus contra precatur pacem ſuam non tantum ex animo charitatis ſinceræ pleno, ſed etiam quod precatus eſt, poteſt reipſa largiri. Ita vocabulum *benedicere*, quando de Deo uſurpatur, denotat ſæpenumero idem quod *benefacere.* Vide Gen. 12. 2. XXIV. 1. XXVI. 12, &c.

Ne turbetur cor veſtrum, neque formidet.] Septimam conſolationem ſuam Chriſtus claudit iiſdem verbis, quibus primam inchoaverat; & repetit præcipuum argumentum, quod ſupra ℣ſ. 19. ad eos conſolandos adhibuerat. Prius facit hoc verſu: poſterius ſequenti.

Ne turbetur cor veſtrum.] Nempe mea cauſa, & ex commiſeratione mei.

Neque formidet.] Id eſt, veſtra cauſa ne ſitis ſoliciti, quis veſter ſtatus poſt meum abitum futurus ſit.

PARS VIII.

Verſ. 28. *Audiſtis me dixiſſe vobis: Abeo & redeo ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quod dixerim, Vado ad Patrem; quia Pater meus major me eſt.*] Audiſtis, inquit, nempe ℣ſ. 12. & 19.

Me dixiſſe vobis: Abeo & redeo ad vos.] Chriſtus utitur hic more optimorum Oratorum, qui orationes ſuas non ſolum ea re concludunt, de qua potiſſimum egerunt, ſed argumenta quoque, quæ ad rem illam probandam attulerant, ſaltem præcipua, repetunt, ut res tanto magis animis auditorum infigatur, quando ea in fine inculcant, quæ maxime illos ſcire & attendere intereſt.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quod dixerim, Vado ad Patrem.] Præcedentem Concluſionem: *Ne turbetur cor veſtrum*, magis amplificat, oſtenditque eos non ſolum non debere turbari ac triſtari ſuper abitu ſuo, ſed potius lætari. Non ſignificat autem Chriſtus, ſe ab illis non diligi, ſed eſt modus loquendi patris cum filiis, amici cum amicis, dolentibus ob Patris amicive diſceſſum, qui majorem illi gloriam, & his majus bonum ac commodum allaturus eſt: Si amaretis me, non doleretis, ſed gauderetis potius. Amantis enim eſt, amici bonis non dolere, ſed lætari. Sciebat Chriſtus, illum ipſum dolorem Apoſtolorum ex ipſorum erga ſe amore proficiſci: ſed ex amore, qui non ex ratione, ſed ex ſenſu proveniebat, aut potius ex ignorantia, quod nondum ſatis quo iret intellexiſſent. Etenim ſi ſciſſent eum ad Patrem ire, ut ad ejus conſideret dexteram, minime ob ejus diſceſſum dolituri fuiſſent, ſed potius gaviſuri. Sed & imbecillitatem eorum magnam norat Chriſtus. Nam etſi intellexiſſent aliquo modo, quo eſſet iturus, tamen animus eorum tantum virium non habuit, ut conſideratione ſummæ gloriæ Chriſti dolorem ac triſtitiam vincerent & excuterent.

Gauderetis utique.] Quemadmodum gaviſi ſunt poſtea, cum oculis ſuis viderunt eum in cœlum aſcendentem, Luc. 24. 52.

Quia Pater meus major me eſt.] Affert rationem, cur diſcipuli gaudere debeant diſceſſu ſuo ad Patrem, quia Pater major, id eſt, potentior, glorioſior; ac beatior ſit, quam ipſe, & ubi proprius cum eo junctus fuerit, inque ipſius domicilium tranſlaturus fuerit, ipſe quoque iſtius potentiæ, gloriæ ac beatitudinis particeps futurus ſit. Chriſtum enim hic tantum de ſuo bono, quod ſibi allaturus ſit diſceſſus ſuus ad Patrem, loqui, non autem de bono ac utilitate diſcipulorum, quæ eis tunc ſperanda erat, intelligitur ex verbis præcedentibus; quia ſimpliciter dixit: *Si me diligeretis*, non autem, ſi me & vos diligeretis, vel ſi & meum & veſtrum bonum in votis haberetis. Quanquam abitus Chriſti nihilominus etiam Apoſtolis aliiſque fidelibus in ſummum commodum & utilitatem ceſſit; quia ivit ad Patrem, ut ab eo gloriam & poteſtatem acciperet, ut fidelium ſuorum æternum bonum ac ſalutem commodius promoveret: quod hic in terris tam perfecte fieri ab eo non poterat. Ita ut diſceſſus Chriſti etiam Apoſtolis multo utilior ſit, quam corporalis ejus præſentia in terris. Ex eo, quod Chriſtus hic inquit, Patrem ſe majorem eſſe, fortiſſime demonſtratur, Chriſtum non eſſe Deum. Deo enim ſummo nemo major eſſe poteſt. Quod argumentum latius tractatum videat lector, ſi placet, apud Crellium libro de Uno Deo Patre.

Verſ. 29. *Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*] Hæc verba non ſpectant ad proxime præcedens dictum, *Pater eſt major me*, ſed ad id, quod dixerat, *Vado ad Patrem.* Reddit autem hic Chriſtus cauſam, cur de abitu ſuo, antequam fieret, eis dixerit: nimirum ut ubi viderint, id reipſa fieri, illi magis magiſque ſuam in eo fidu-

fiduciam collocent; credantque, etiam reliqua promiſſa ſua implenda eſſe, dum videlicet eis promiſit Paracletum Spiritum Sanctum, & reditum ſuum ad eos. Vide ſupra cap. 13. 19. & infra cap. 16. ℣ſ. 4.

Verſ. 30. *Non loquar amplius multa vobiſcum: venit enim princeps hujus mundi, ſed in me non habet quicquam.*] Hoc verſiculo cauſa redditur à Chriſto, cur ſermonem ſuum abrumpere cogatur, quia nimirum hora mortis ſuæ jam appropinquet: quaſi dicat, Temporis brevitas obſtat, quominus plura vobiſcum loquar. Adeſt enim jam tempus ut auctore & impulſore Satana principe hujus mundi tradar in mortem truculentiſſimam.

Princeps hujus mundi.] Id eſt, Diabolus: qui ita vocatur, quia in homines malos ac impios, quos Apoſtolus vocat *filios inobedientiæ* Eph. 2. 2. v. 6. qui omni generi improbitatis atque peccati dediti ſunt, imperium exercet: idque non ullo legitimo jure, ſed tantum Dei permiſſu, qui ſpiritus ſui ductum ſequi recuſantes merito regimini ac poteſtati hujus inimici tradit. Propter hanc poteſtatem, quam Diabolus in mundo uſurpat, vocatur etiam *Deus hujus mundi*, 2 Cor. 4. 4. & *princeps poteſtatem habens in aëre*, Eph. 2. 2.

Venit.] Nempe per ſua inſtrumenta, per homines nefarios, in quos ingreſſus fuerat, & quos obſederat, id eſt, quos eo impulit, ut Chriſtum dira morte crucis afficerent. Hæc erat ilia *poteſtas tenebrarum*, Luc. 22. 53. Vide ſupra dicta à nobis cap. 12. 31.

Sed in me non habet quicquam.] Id eſt, nullum in me jus habet: quia ille non habet jus & poteſtatem, niſi in peccatores; ego autem peccatum nullum feci. Vide ſupra cap. 8. 46. In Apocalypſi Johannis cap. 12. 10. Diabolus appellatur *Accuſator fratrum, qui accuſat eos in conſpectu Dei* (tanquam judicis) *die & nocte*. Chriſtum autem non habuit, de quo accuſaret.

Sed in me non habet.] in Græco textu eſt, *Et in me non habet*. *Et* ponitur pro *ſed* per Hebraiſmum, qualem vide Act. 10. 28. & alibi.

Verſ. 31. *Sed ut cognoſcat mundus, Patrem à me diligi, & ſicut præcepit mihi Pater, ita facio; ſurgite, abeamus hinc.*] Hiſce reddit rationem, cur nihilominus mortem ignominioſiſſimam ſubiturus ſit, etſi innocentiſſimus & expers omnis peccati: nimirum ut mundus univerſus ſuum erga Patrem amorem perſpiciat, in eo, quod cum Patri ita placuerit decernere, ſibique imperare, ut fiat ſacrificium pro peccatis mundi, prompte ſit ei morem geſturus.

Quomodo mors Chriſti à Deo decreta ſit, & nihilominus Diabolo adſcribatur de eo vide ſupra dicta cap. 13. 18.

Et quod ſicut præcepit.] Vocula iſta *Et* videtur hic poſita eſſe pro *ideo, propterea*. Ut cognoſcat mundus, Patrem à me diligi, ideo ſicut præcepit mihi Pater, ita facio.

Surgite.] Hic demum Chriſtus cum diſcipulis à cœna ſurrexit. Non erat enim inſolens, ut poſt peractam cœnam aliquandiu adhuc ad menſam recumberetur, ſermonibuſque tempus tereretur.

Abeamus hinc.] Nempe trans flumen Cedron, in hortum, quo ſæpius commeare ſolebat, ibique à Juda proditus eſt. Infra cap. 18. 1, 2. An Chriſtus ſequentem ſermonem uſque ad cap. 18. adhuc in cœnaculo, ſtans poſt cœnam, an vero egreſſus è domo inter eundum habuerit, diverſæ ſunt ſententiæ. Qui prius ſtatuunt, confirmant id verbis Johannis Euangeliſtæ, qui cap. 18. 1. ſcribit: *Hæc cum dixiſſet Jeſus, exivit cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus.* Sed quia Chriſtus non tantum dixit hic diſcipulis ſuis *Surgite*, ſed etiam, *Abeamus hinc*, neque poſtea dicitur quicquam, unde colligi poſſit, eum adhuc in cœnaculo poſt hoc dictum ſubſtitiſſe; credibilius eſt, Chriſtum in via dixiſſe ea, quæ capitibus 15. 16. recenſentur. Precationem autem Chriſti, quæ continetur cap. 17. certum inprimis eſt, non in domo, ſed ſub dio habitam eſſe, ubi ad cœlum elevavit oculos ſuos, & ab aliis hominibus aliquantum ſeceſſit. Quod vero locum Joh. 18. 1. attinet, ejus talis poteſt eſſe ſenſus, quod poſtquam Chriſtus iſta omnia locutus fuiſſet, partim ad menſam, partim extra domum per urbem eundo, exiverit extra civitatem trans torrentem Cedron. Portæ enim urbis non claudebantur. Si quis dicat, tam longum ſermonem non ſatis commode potuiſſe inter eundum per urbem haberi, quia eum omnes diſcipuli audire non potuiſſent: ſatis eſt, ſi ab iis auditus eſt, qui proximi latus Chriſti ſolebant cingere; quales erant Petrus, Jacobus & Johannes.

CAPUT XV.

I. *Chriſtus, adhibita ſimilitudine de vite & palmitibus, monet diſcipulos ſuos, ut conſtantes in fide permaneant: ad ℣ſ. 7.* II. *Admonet eos, ad ſervanda præcepta ſua, ac inprimis ad mutuam inter ſe dilectionem: ad ℣ſ. 18.* III. *Conſolatur eos adverſus odia & perſecutiones mundi: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Ego ſum vitis vera, & Pater meus eſt agricola.*] Nihil poterat diſcipulos ſuos Chriſtus ad mortem diſcedens, docere magis neceſſarium, quam ne ſe unquam ab ipſo, id eſt, à fide ac dilectione ejus avelli paterentur; quod eleganti admodum & omnibus nota metaphora à vite ſumta declarat. Occaſionem autem ad hanc metaphoram ac comparationem videtur Chriſtus accepiſſe à calice, quem ad finem cœnæ in memoriam ſanguinis ſui effundendi inſtituit, quam inſtitutionem Johannes omiſit, quia ſatis luculenter ab aliis Euangeliſtis deſcripta eſt. Solenne autem eſt Chriſto, ut ex rebus præſentibus, de quibus aliquid dictum & actum eſt, occaſionem ſumat loquendi de aliis rebus magni momenti: ut ſupra cap. 4. 10, 32, 35. vj. 27, 51. Cum ergo in inſtitutione illa vinum in calice ſanguinem ſuum appellaſſet, & paulo ante dixiſſet, ſe non bibi-

bibiturum amplius ex fructu vitis Luc. 22. 18, 20. hinc de vite incipit loqui, & se ait vitem esse, & quidem cum articulo emphatico, ἡ, id est, *illam* vitem, non vulgarem aliquam, sed illam veram vitem, quæ per excellentiam ita dicitur, cujus fructus vel succus recreat fideles ac reficit ad vitam æternam. Ita supra cap. 6. 51. dicit, se esse panem vivum, & cap. 10. 8. se esse ostium ovilis; & ℣. 11. ibid. se esse bonum Pastorem, illum scilicet, qui alibi clare describitur, & de quo Prophetæ prophetarunt. Vinum dicitur *sanguis uvæ* Gen. 49. 11. & in fabella dicitur Judic. 9. 12. vinum exhilarare Deum & homines. Vocat se autem vitem veram, non quod opponat se viti illi illaudatæ, quæ cum ex ea uvas speraret dominus, protulit labruscas Esai. 5. ℣. 4: sed eo modo, quo se supra cap. 6. 32. vocat *panem verum*, non quod verus naturalis panis esset, sed quod longe excellentiori ratione hominem satiet, quam panis proprie dictus. Ita Johannes vocat eum supra cap. 1. 9. veram lucem, non quod sit proprie dicta lux naturalis, qualis est Sol, sed quod homines multo perfectius illuminet, quam lux solis. Sic igitur & hic Christus, se vitem veram nuncupat, quia in eo multo excellentius id omne reperitur, quod in vite laudari solet.

Et Pater meus est agricola.] Hic Christum plantavit id est, servatorem mundi constituit. Quod rursus arguit prærogativam Patris præ Christo, ex qua sequitur, Christum non esse Deum supremum. Etsi enim quis dicere posset, Christum hic meminisse agricolæ tantum per similitudinem, quam sumit à vinea, tamen irrefragibile est, Christum à Deo, Patre suo Servatorem mundi, constitutum esse ac prænognitum 1 Pet. 1. 20. Act. 2. 36. x. 42. eum non à seipso in mundum venisse, sed à Patre suo missum esse. Hinc etiam omnem suam doctrinam, præcepta & opera ad Patrem suum retulit, eique adscripsit. Quanquam sequentia verba indicant, Christum etiam alia de causa agricolæ meminisse, propter curam & culturam, quam agricola circa vitem adhibet.

Vers. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus adferat.*] Duplex agricolæ circa vites cura est. Prima, qui inutiles sunt palmites, ad radicem usque resecare: secunda, utiles non omnino ad radicem secare, sed purgare, id est, inutiles extremitates eorum recidere, quo plus roboris sumant, plusque afferant fructus. Ea ipsa duo docet Christus Patrem facere circa homines: eos qui penitus inutiles sunt, nullumque fructum ferunt, penitus resecare & in ignem mittere; eos vero qui fructum ferunt, purgare, ut plus fructus proferant. Primum facit per horrenda sua judicia, quibus impios vexat, vel etiam eos ita deserit, ut in reprobum sensum incidant, & à fide deficiant. Alterum vero facit, adhibens varia salutaria media, aliquando etiam, imo plerumque crucem & afflictiones immittens dum homini valetudinem, divitias, honores, & carnalem potentiam ac similia adimit, quæ tanquam luxuriantia germina ac stolones excrescunt, & fæcunditati obesse possent: qua ratione animi hominum liberiores & aptiores redduntur ad res divinas curandas, & majorem salutis æternæ rationem habendam. Hic etiam clarum habemus argumentum, solam fidem absque operibus, id est, fidem infructuosam ad salutem non sufficere. Christus enim considerat palmites, quatenus sunt in vite; per quos palmites intelligit homines, qui per fidem cum Christo conjuncti sunt. Ex his igitur omnes ii exscindentur à Christo, qui ad fidem suam fructus bonorum operum non adjungunt. Nihil prodest palmiti, quod viti adhæreat, si fructum non ferat. Ita nihil quoque prodest homini, quod in Christum credat, si bonorum operum sterilis sit.

Palmitem in me non ferentem fructum.] Id est, palmitem in me existentem, & fructum non ferentem.

Tollit.] Id est, amputat & exscindit: non quidem protinus, sed post longam patientiam & diutinam expectationem emendationis.

Purgat.] A stolonibus, & inutilibus excrescentiis, quæ fructum impedire possunt.

Vers. 3. *Jam vos puri estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*] Quia de purgatione mentionem fecerat, ut discipulos consoletur, arrepta ex eo verbo occasione, ne forte cogitarent, se quoque esse palmites ejusmodi, qui acri purgatione adhuc indigeant, docet eos jam esse purgatos. Quod tamen non ita simpliciter accipiendum est. Supra enim cap. 13. ℣. 10. idem dixerat, eos mundos esse (excepto Juda) ita tamen, ut adhuc indigerent lotione pedum. Itaque hic etiam ita intelligendum est, eos puros esse, ut tamen purgatione illis aliqua opus sit. Cum enim Christus eadem verba repetat, *Vos estis puri*, æquum est, ut idem subintelligatur, quod cum istis verbis cohæret. Erant quidem puri quoad bonum & laudabile propositum; Spiritus eorum promptus erat, sed caro infirma, Matth. 26. 41. Dicit, vos jam estis puri, quia Judas jam erat ab eis sejunctus, & quasi inutilis palmes à vite resectus, ita quidem ut in eorum contubernium non esset rediturus amplius. Per puritatem autem discipulorum, non intelligit solam fidem, seu puritatem ab incredulitate, sed & puritatem à peccatis. Potest enim palmes in vite esse, & tamen non esse purus, sed stolones vel aridos ramusculos gerere, qui non patiuntur illum ferre fructus: hujusmodi palmes in periculo est, ne exscindatur. Ita potest etiam aliquis animo in Christum credere, id est, doctrinam ejus totam pro vera agnoscere, & tamen à periculo excisionis non esse immunis, quia à peccatis non prorsus repurgatus est.

Propter sermonem, quem locutus sum vobis.] Subintellige, & quem vos pio animo susceptistis, ac vera fide estis complexi. Verbo Dei inest vis purgandi homines à peccatis, si ei ab hominibus fides adhibeatur. Ut enim vulgo omne præmium ac pœna eam vim habet, ut hominem à transgressione legis abducat; ita multo magis id efficere potest inæstimabile præmium, quod Deus in Euangelio Christi obedientibus promittit, & gravissima pœna æternæ damnationis improbis proposita. Illi sane nimis extenuant vim verbi divini, & dignitati ejus plurimum detrahunt, imo id prorsus inutile ac supervacuum faciunt, qui sentiunt ac docent, solo Dei verbo externo,

terno, absque peculiari vi à Deo homini immissa, non posse hominem à peccatis purgari atque converti. Si enim ita se res haberet, cui usui esset verbum Dei? Certe omnis in prædicando verbo labor inanis foret. Libet vero quærere, quæ causa sit, cur verbum Dei per se, nullam vim habeat? In mundanis legibus videmus promissionem præmiorum, & minas gravium pœnarum multum valere, & efficaciæ habere ad homines, qui leges istas intelligunt & considerant, in officio continendos. Si tantas vires habent exiles & humanæ tantum promissiones ac pœnæ; eccur vero immensum illud vitæ æternæ præmium, & horribile supplicium sempiterni exitii non habeat eas vires, ut hominem à peccatis avocet, & ad promptam obedientiam adducat, si modo is rem sana mente perpendat? At dicunt illi: gratiam Dei operari per verbum & una cum verbo. Quod si hunc sensum habet, verbum Dei, quando prædicatur, per se nihil operari, sed gratiam Dei omnia per verbum operari, ita ut hominum certorum mentes aperiat, & corda tangat, ut verbum suscipiant, reliquorum autem & quidem plurium animos sinat in sua manere cæcitate atque caligine, ut etsi sonum verbi Dei audiant, id tamen in animum non demittant: merito quæri potest, unde probari queat, gratiam Dei eo modo semper & ordinarie operari? Fieri quidem potest, ut Deus nonnunquam hominis alioqui refractarii ex mera gratia mentem aperiat, ut ad ea, quæ ex verbo Dei audit, animum applicet. Sed quæstio est, de ordinaria via ac medio, quo Deus ad homines convertendos utitur, an Deus ita, ut illi volunt, per gratiam istam semper & non alia ratione operetur. Si conversio hominis à sola gratiæ Dei peculiaris operatione provenit, verbum Dei erit supervacaneum & frustra à Deo datum: & si homines verbum Dei audiant, neque emendentur, non erit hominum culpa, sed verbi Dei, quod nullam vim habet eos convertendi, imo Dei ipsius, qui hominibus vires eas per gratiam suam non suppeditat, sine quibus nihil utilitatis ex verbo ipsius possunt percipere. Quomodo vero Deus ejusmodi homines punire potest, quos ipse non vult ex cœno vitiorum extrahere, dum eis vires sufficientes ac necessarias (quas ipsi sibi sumere nequeunt) denegat? Verum ut hæc res melius percipiatur, sciendum est, verbum Dei esse instar medicamenti alicujus pretiosissimi. Medicus est Deus, qui ex mera misericordia ac gratia sua ineffabili præstantissimum ac divinum medicamentum animarum nostrarum, id est, verbum suum nobis per Christum cœlitus demisit. Ut autem medicamentum operari possit, duo requiruntur: primo ut pharmacum istud per se vires habeat, id in corpore humano efficiendi, ad quod ordinatum est; deinde ut in homine etiam sit talis vis atque facultas, quæ vicissim in medicamentum agat, illud calefaciat, ac digerat, & in debitum ac competentem locum deferat. In cadavere vel in corpore viribus jam exhausto ac deficiente ne efficacissimum quidem pharmacum quicquam efficiet. Eadem etiam est ratio verbi Dei. Sublimia & desideratissima promissa sunt vis illa in verbo Dei latens, quæ hominum animos movere potest. Qui enim habet spem, horum divinitus promissorum bonorum, ille purificat seipsum, ait Johannes 1 Joh. 3. 3. Vis autem quæ in homine requiritur, est intellectus, quo res istas, quæ ipsi in verbo Dei proponuntur, serio consideret atque expendat; nimirum quam miserrima futura sit conditio hominum impiorum, quam magna sit charitas Dei, qua humanum genus complexus est, quam inenarrabile sit gaudium illius felicitatis, quam per obedientiam homines consequi queunt, & quam infinitum ac inæstimabile damnum inobedientia hominibus afferre possit. Si hæc duo concurrant, nihil opus est, ut alia peculiaris gratia ac vis divina adhuc extrinsecus accedat, quæ voluntatem obediendi hominibus inferat ac ingeneret. Interim non negamus, Deum aliquando homines, quorum animus pravus non est, sed cupiditatibus carnalibus irretitus, ita ut vires non habeat se ab earum vinculis expediendi, gratia sua adeo sublevare, ut quæ ex verbo Dei audiunt, pensiculatius considerent, animusque eorum vires acquirat ad cupiditatum carnalium jugum excutiendum. Sed hæc gratia Dei non omnibus passim contingit; illis inprimis, minime, qui data opera conscientiæ vim faciunt, & oppressa ratione in peccatis perseverant. Præterea gratia ista non semper est arcana vis spiritualis, sed sæpe, imo plerumque consistit in externis mediis, in cruce & afflictione, quæ multum valet ad studium virtutum in hominibus accendendum, in consortio proborum, quorum conversatio pia & exemplum sæpenumero majorem vim habet, quam ipsum Dei Verbum, inque aliis his similibus mediis.

Vers. 4. *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseretis.*] Ex eo, quod se vitem nominaverat, & discipulos suos comparaverat cum palmitibus, elicit adhortationem, ut omnem dent operam, quo in ipso permaneant, & ipse in illis. Per fidem Christo sumus insiti; manemus autem in Christo, quando constanter studemus, ut ejus exemplo sancte vivamus. *Qui dicit, se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ita ambulare*, inquit Johannes 1 Joh. 2. 6. Vide etiam supra cap. 10. 38. XIV. 10. Christus autem manet in nobis, quando nobis spiritum suum, cujus per fidem facti sumus participes, gratiæque suæ auxilium non subtrahit. Utrumque autem à nobis requiritur, tum ut in Christo maneamus, tum ut demus operam, ut Christus in nobis maneat: posterius istud necessario ac inseparabili nexu cum priori conjunctum est. Nam si nos in Christo maneamus, eo modo, ut dictum est, haud dubie & ille manebit in nobis. Hinc iterum patet, hominem non esse prorsus destitutum atque orbatum omnibus viribus in iis rebus, quæ ad salutem ejus pertinent. Exigitur enim ab eo, ut in Christo maneat, scilicet per obedientiam: quod si faciat, Christus etiam in eo manebit. Si autem is nequeat in Christo manere, sed Christus ipse debeat eum in se retinere, etiam invitum, cur id ab illo exigitur?

Sicut palmes non potest ferre fructum.] Redditio est causæ; tanquam dicat: Manete in me, quia sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Quodsi fructum

fructum non tuleritis, Pater meus agricola tollet atque exſcindet vos.

A ſemetipſo.] Id eſt, per ſe ſolum, ac ſine vite, ſeu propriis viribus, quas extra vitem habeat. Sic etiam verba hæc adhibentur ſupra cap. 5. 30. vij. 7. viij. 28.

Niſi manſerit in vite.] Græcæ voces, ἐὰν μὴ, *ſi non*, vel *niſi* ponuntur pro ἀλλὰ, *ſed:* ut ſupra cap. 5. 19. Gal. 2. 16. more Hebræorum. Senſus enim non eſt, palmitem tunc poſſe à ſemetipſo fructum ferre, quando manet in vite: ſed hoc ſibi vult Chriſtus, eum non poſſe fructum ferre, quando ſeparatus fuerit à vite, ſed tunc fructum ferre, ſi in vite maneat.

Ita nec vos, niſi in me manſeritis.] Niſi conſtantes ſitis in propoſito atque conatu meis præceptis obediendi meumque exemplum imitandi, non feretis ullum fructum, id eſt, peccatis ac vitiis eritis onuſti. Quapropter Chriſtus per iſtud *manere in ſe* non ipſa bona opera aut obedientiam intelligit, ſed ſtudium & conatum, qui quando conſtans eſt, & immutabilis, fructus bonorum operum omnino ex ſe parit. Gradatim autem, non repente & in uno momento homo devenit eo, ut nullum fructum ferat. Primum enim animus à vero Dei cultu, qui in Spiritu & veritate peragitur, ad res externas ac ceremonias, quæ nihil conducunt ad animi emendationem, traducitur; poſtea talis ſanctitas fingitur, quæ nomen ſolum, non actiones ullas virtutum in ſe continet: denique frena carni prorſus laxantur, & lata mundi via cutritur, ac nullis non ſceleribus & vitiis indulgetur.

Verſ. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere.*] Explicat ſuperiorem ſimilitudinem, & ad ſe ac diſcipulos accommodat.

Qui manet in me, & ego in eo.] Hebraica dictum eſt phraſi, quæ Latine ſic eſt reſolvenda: Qui manet in me, & in quo ego maneo. Verba iſta ultima, *Et ego in eo*, videntur eſſe ſuperflua: non poteſt enim quiſquam in Chriſto manere, quin Chriſtus viciſſim maneat in eo. Sed Chriſto placuit ita loqui, ut mutuam & arctam inter ſe & fideles ſuos, tanquam inter vitem & palmites conjunctionem ſignificaret. Palmites enim fructum afferunt, quia vitis humorem eis ac vitam tribuit. Eſt autem hæc locutio ſimilis illi, qua Chriſtus dixit, ſe in Patre, & Patrem in ſe eſſe. ſupra cap. 14. 11, 20.

Quia ſine me nihil poteſtis facere.] Quia Chriſtus ſupra dixerat, eos non poſſe fructum ferre, niſi in ſe manſerint; ex eo clare cernitur, & horum verborum ſenſum eſſe, eos nihil boni poſſe facere, id eſt, nullum fructum poſſe ferre, niſi in ſe maneant. Ut ita voces χωρὶς ἐμοῦ, *ſine me*, nihil aliud ſignificent, quam extra me, à me ſeparati, mecum non conjuncti, ſicut palmes cum vite. Quo ſenſu etiam voces hæ ſumuntur Eph. 2. 12. ubi Paulus de Epheſiis ait, eos fuiſſe olim χωρὶς Χριστοῦ, *ſine Chriſto*, id eſt, extra Chriſtum, alienos à Chriſto ac ſejunctos. Sic etiam Matth. 14. 21. *Manducantium fuerunt quinque millia* virorum χωρὶς, *ſine mulieribus & parvulis*, id eſt, præter mulieres & parvulos. Et Joh. cap. 20. 7. dicitur de ſudario, quod *non cum linteaminibus fuerit poſitum, ſed ſeparatim* (Gr. χωρὶς) *involutum.* Senſus proinde verborum Chriſti eſt, ab iis, qui in ipſo non manent, id eſt, qui à præceptorum & exempli ejus norma deflectunt, nihil boni ſperandum eſſe.

Verba hæc Chriſti malè intellecta magni erroris cauſa extiterunt, qui hodie viget in orbe Chriſtiano. Ex eis enim probare nituntur plerique, nos ſine Chriſto, id eſt, ſine peculiari ejus auxilio & gratia, quæ nobis perpetuo adſit, vel ad omne opus bonum concurrat, ex nobis ipſis, nihil omnino boni, quod ad mores ſpectat, facere poſſe. Sed iſti non conſiderant, magnum diſcrimen eſſe inter eos, qui ſunt extra Chriſtum, & eos qui Chriſto ſunt inſiti per fidem, ſicut palmes viti inſitus eſt. Qui prorſus extra Chriſtum ſunt, id eſt, qui de Chriſto nihil ſciunt, vel in eum non credunt, illi ſane nihil boni poſſunt facere; quia viribus quæ ad id requiruntur, quas Euangelium homini ſuppeditare potis eſt, ut carnis concupiſcentias, quibus dediti ſunt homines cognitione Chriſti carentes, edomare poſſint, deſtituti ſunt. Quanquam notum eſt, etiam multos ex Ethnicis, qui à vera notitia non Chriſti ſolum, ſed Dei quoque, alieni fuerunt, præclaris virtutibus ornatos fuiſſe, ideoque non carituros omni prorſus remuneratione: ut Paulus docet, Rom. 2. 15. Verum de iis, qui per fidem Chriſto ſunt inſiti, qui voluntatem Dei ex verbo ejus didicerunt, & quotidie adhuc diſcendi occaſionem habent, in quibus etiam per conſiderationem rerum ſublimium, quas ex Euangelio audiunt, propoſitum ac ſtudium obediendi præceptis Chriſti excitatur; de iis, inquam, dici nequit, eos abſque ſingulari gratia & ope Chriſti, quæ ad unum quodque opus neceſſario concurrat, nihil poſſe facere boni. Tales enim non ſunt ſine Chriſto, ſed ſunt in Chriſto, & eam ipſam ob cauſam, quia in Chriſto ſunt, fructum ferre poſſunt: non ſecus ac palmes, qui in vite eſt. Palmes non affert fructum *à ſemetipſo*, id eſt, ſi ſolus ſit, & à vite, ex qua illum oportet humorem ac vim omnem trahere, ſeparatus ſit. Neque Chriſti mens fuit docere, quod palmites nullum fructum ex ſe ferant, ſed quod non ferant fructum, niſi in vite maneant. Imo ſatis indicat, etiam palmites vi ſua propria fructum ferre, ſi modo in vite permaneant. Ideo enim monet diſcipulos ſuos, ut in ſe maneant; ut fructum ferre poſſint. Sed fundamentum falſæ iſtius opinionis eſt, quod homines iſti verba Chriſti χωρὶς ἐμοῦ. *ſine me*, non intelligant, cur verborum iſtorum ſenſus facile ex præcedentibus, uti modo explicavimus, colligi poſſit. Nempe *ſine me* eſt, non in me manentes *nihil poteſtis facere.* Chriſtus enim duo iſta opponit, *in me manere* & *ſine me.* Si igitur *ſine me* aliud aliquid ſignificaret, quam *non in me manentes*, ſequeretur, Chriſtum ſic argumentari: Vos nihil poteſtis facere, niſi in me manſeritis (ſicut verba ỳſ. 4.) Ergo etiamſi in me manſeritis, nihil poteſtis ipſi facere; ego enim ſolus omnia facio. Quis vero non rideat ita argumentantem? Perinde atque ſi quis de palmite hoc modo diſputaret: Palmes ſi in vite non manſerit, nullum fructum ferre poteſt: ergo etiamſi in vite manſerit, non ipſe, ſed ſola ſine ipſo vitis fructum ferre poteſt. Quis

eſt tam ruſticus, qui tam ineptum diſputatorem non exſibilet? Nos vero ſic recte colligimus: Niſi in Chriſto manſerimus, nihil poſſumus boni facere; ergo ſi in illo manſerimus, aliquid boni facere poterimus. Quis non videat, hoc recte ſequi? Id in palmite magis apparebit. Palmes niſi manſerit in vite, non poteſt fructum facere; ergo ſi in vite manſerit poterit. Si enim hoc non ſequitur, cur non idem de ſaxo dicitur: Saxum niſi in vite manſerit, nullum fructum afferre poteſt? Nam ſi palmes manens in vite, fructum afferre nequeat, ſed vitis ſola affert fructum, tum perinde eſt atque ſi Saxum eſſet in vite aut aliud aliquid, quod nullam cum vite communionem habet, neque vim ferendi fructum ex ea attrahere poteſt. Hac ratione Chriſtiani omnes forent, velut inanimati lapides, vel trunci, qui etſi Chriſto ſint per fidem inſiti, & cognitione ejus præditi, tamen nullas vires habent ad ferendos fructus Euangelio conſentaneos. Verum non carere eos iſtis viribus, ipſe Chriſtus indicat, dum eos cum palmitibus comparat: qui non minus vim habent fructiferum humorem ex vite ad ſe trahendi, & fructum producendi, quam vitis habet vim eundem ſubminiſtrandi. Adde quod Chriſtus hic hortatur Apoſtolos ſuos, ut in ſe manerent, quo fructum ferre poſſent. Quæ ex hortatio ſane vana & inutilis eſſet, ſi fructus ferre non poſſent, etſi in ipſo manerent: imo etiam injuſta atque iniqua foret. Qui enim non facit, ad quæ Chriſtus hortatur, eum certa manet pœna. Eum autem punire, qui non facit, quod facere non poteſt, eſt manifeſta injuſtitia.

Verſ. 6. *Niſi quis manſerit in me, ejectus eſt foras, ſicut palmes, & exaruit: & colligunt eos, & in ignem mittunt, & ardent.*] Superius vſ. 4, & 5. Chriſtus primam attulit cauſam, cur diſcipuli ejus operam dare debeant, ut in ipſo maneant, & viciſſim ipſe in illis, quia nimirum ex eo conſequetur, ut fructum afferant; quod magnum præmium poſt ſe trahit. Nunc alteram producit cauſam, oſtendens, quid mali ac damni expectandum illis ſit, ſi in ipſo non manſerint. Idem ſcilicet illis fiet à Deo, quod inutilibus fieri ſarmentis ſolet ab agricolis: primum à vite præciduntur, deinde colliguntur, congeruntur in ſtruem, areſcunt, & in ignem comburenda mittuntur. Ita etiam fructum non ferentes Chriſtiani in hac vita præciduntur, dum gratia & protectione Chriſti beneficâ excidunt, ut non amplius eorum curam gerat, ſed ſinat eos perſequi perverſam viam ſuam; deinde dum eos judiciis ſuis variis ulciſcitur; ac tandem in die illo noviſſimo in ignem eos conjiciet æternum. Cujus rei typum egregie depinxit Ezech. cap. 15. 2, 3, 4.

Ejectus eſt foras.] Id eſt, ejicietur. Aoriſtus pro futuro. Nempe ubi à vite reciſus fuerit, extra vineam projicietur.

Et exaruit.] Id eſt, exareſcet. Quia nimirum à vite abſciſſus, omni humore caret.

Et colligunt eos.] Id eſt, colliguntur: perſonale pro impersonali. Simul etiam in hac collectione includitur colligatio in faſciculos.

Et ardent.] Comburuntur & abolentur. Quod hic Chriſtus (ut Ezechiel in loco allegato) de palmitibus dicit, id apud Matthæum dicit de zizaniis cap. 13. 41, 42. Et de infrugiferis arboribus idem dicit Johannes Baptiſta, Matth. 3. 10. Videtur hic Chriſtus tacite reſpicere ad Judam, cujus tam infelix fuit exitus: vult ergo, ut reliqui diſcipuli ſibi caveant.

PARS II.

Verſ. 7. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quicquid volueritis petetis, & fiet vobis.*] Sequitur jam ſecunda pars hujus capitis, in qua Chriſtus diſcipulos ſuos ad ſervanda præcepta ſua atque in primis ad charitatem, exiſtimulat: adhibitis quatuor argumentis. Primum ſumitur à ſumma utilitate, quod, ſi id fecerint, omnia quæ petierint, conſecuturi ſint.

Et verba mea in vobis manſerint.] His verbis docet, quomodo in ipſo manere poſſint, ſi nimirum verba ejus non ſolum memoria teneant, ſed in animo ſervent ita, ut ea conſiderent, de iis dies & noctes meditentur, ut de Lege Moſis dixit David Pſal. 1. 2. Sic enim verbum Dei non patietur eos eſſe infrugiferos, ſed ardorem ac ſtudium præceptis divinis obtemperandi in eis perpetuo excitabit.

Quicquid volueritis petetis.] Subintellige, quicquid ad Dei gloriam & veſtram ſalutem, nec non ad vitæ hujus neceſſariam conſervationem ſpectat. Præter iſta enim nulla precum exauditio Chriſtianis promiſſa eſt. Vide ſupra cap. 14. 13.

Verſ. 8. *In hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum multum afferatis; & eritis mei diſcipuli.*] Hoc eſt alterum argumentum, cur præcepta ejus ſervare debeant; & duas continet partes: nempe quia & Patris ſui gloria hac ratione propagabitur, & quilibet exinde cognoſcet, eos eſſe veros diſcipulos ſuos. Fidelium Chriſti pia & ſancta converſatio vergit ad Dei gloriam. Ita alibi monet Chriſtus diſcipulos ſuos: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, Matth. 5. 16.

Glorificatus eſt.] Id eſt, glorificabitur. Præteritum vel Aoriſtus pro futuro. Hebraiſmus.

Ut fructum multum afferatis.] Particula ἵνα, *ut*, non denotat hic cauſam finalem, ſed poſita eſt loco ſi: quaſi dicat, In hoc glorificabitur Pater meus, ſi homines viderint, vos multum fructum afferre, & ſic vos non nomine ſolum, ſed reipſa meos eſſe diſcipulos. Eodem modo accipitur hæc conjunctio ſupra cap. 4. 34. vj. 29. Infra cap. 17. 3.

Verſ. 9. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea.*] Hic totus ſermo cohæret, & divellendus non eſt, continetque tertium argumentum, quo eos ad obſervationem præceptorum ſuorum (quæ per dilectionem intelligit, ut mox dicetur) exhortatur. Argumentum vero iſtud ſumtum eſt à duplici exemplo dilectionis, primo Patris erga Chriſtum, ſecundo Chriſti erga diſcipulos. Senſuſque eſt: Sicut me dilexit Pater, & ego vos, ita & vos viciſſim manete in dilectione mea.

Itaque ante verbum *manete*, ſubintelligi debet particula ſimilitudinis, *ita*. Similis locutionis exempla habuimus ſupra cap. 5. 30. vj. 57. Præcipuum enim,

enim, quod his verbis Chriſtus docere voluit, eſt, non quod Pater ſe diligat, non quod ipſe eos diligat, ſed quod illi debeant ipſum diligere. Quam ad rem ut eos magis inciter, duas affert rationes: alteram quod ſe Pater diligat, & æquum ſit, ut illi diligant, quem Pater tantopere dilexerit; alteram, quod ipſe quoque eos diligat, ita reciprocum eos ſibi amorem debere. Quocirca verba, *manete in mea dilectione*, non ſignificant, date operam ne vos unquam deſinam diligere, ſed, pergite me diligere. Dilectio enim Chriſti denotat hic dilectionem, qua Chriſtus diligitur: ut dilectio vel charitas Dei, notat charitatem, qua Deus diligitur, Luc. 11. 42. Joh. 5. 42. 1 Joh. 2. 5, 15. Eſtque hic duplex tropus: primo Synecdoche, qua ponitur pars pro toto; dilectio enim Chriſti eſt pars tantum pietatis ſeu obſervationis mandatorum ejus; ad quam hic exhortatur Chriſtus diſcipulos: deinde eſt Metonymia, qua ponitur cauſa pro effecto. Dilectio enim Chriſti eſt cauſa, obſervationem præceptorum ejus in nobis producens: obſervatio autem præceptorum eſt effectus & ſignum, è quo dilectio noſtra erga Chriſtum cognoſcenda eſt.

Verſ. 10. *Si præcepta mea obſervaveritis, manebitis in dilectione mea; ſicut ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in dilectione ejus.*] Quia dixerat, eos in ſua dilectione manere debere, oſtendit nunc, unde cognoſci poſſit, & quodnam futurum ſit ſignum, ex quo appareat, illos ipſum diligere, nempe ſi præcepta ſervent. Ita loquitur etiam ſupra cap. 14. ℣. 15. *Si diligitis me, præcepta mea ſervate*, id eſt, demonſtrate veſtram erga me dilectionem obſervatione præceptorum meorum. Et Johannes ait: *Qui ſermonem ejus ſervat, vere in eo charitas Dei perfecta eſt*, 1 Joh. 2. 5. id eſt, ille perfecte oſtendit, ſe Deum diligere.

Sicut ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in dilectione ejus.] Docet ſuo ipſius exemplo, quod obſervatio præceptorum, ſit ſignum dilectionis. Oſtendit enim ſe quoque non aliter demonſtraſſe ſuam erga Patrem dilectionem, quam præcepta ejus ſervando. Conjunctio *Et* hic ſumitur pro *quia* Hebraica conſuetudine. Senſus enim eſt: Sicut ego præcepta Patris mei ſervavi, quia diligo eum. Eodem ſenſu Chriſtus ſupra dixit cap. 14. 31. *Sed ut cognoſcat mundus, me diligere Patrem, & ſicut præcepit mihi Pater ita facio:* id eſt, propterea ita facio, ſicut præcepit mihi Pater.

Poteſt hic iterum quæri: quomodo dicere Chriſtus potuerit, ſe Patris præcepta ſervare, ſi ille eſt ipſe ſummus Deus, qui Pater eſt? Si dicatur, Chriſtum loqui ſecundum humanam naturam, non ſecundum divinam, nodus non ſolvetur. Nam nihilominus quæritur: Cur Chriſtus ſecundum humanam naturam, non divinæ naturæ ſuæ quæ cum humana hypoſtatice unita fuit, ſeu ſecundæ perſonæ Trinitatis præcepta ſervaverit potius, quam Patris? Cur Patrem nominatim, cur ſolum exprimit? Nimirum quia Pater ſolus eſt, qui Chriſto mandata dedit: ac proinde ſolus eſt Deus ſummus.

Verſ. 11. *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium veſtrum impleatur.*] Pronomen *hæc* non ad proxime præcedentia reſpicit, ſe ad præcipuum adhortationis caput; nempe ut ſtudeant fructum afferre. His enim in verbis affert quartum argumentum iſtius adhortationis, quod ducitur à magno bono, quod exinde conſecuturi ſint. Id vero his verbis exprimit, *ut gaudium meum in vobis maneat*, id eſt, gaudium, quod ex præſentia mea paternaque de vobis cura percipitis. Quod nihil aliud eſt, quam ſi diceret: ut hæc verba mea, & admonitio vos in mea abſentia mei loco conſoletur. Ita enim ſemper gaudebitis de me, ſi memores ſitis meorum dictorum, & ſic ut moneo feceritis. Vide Infra cap. 17. 13.

Et gaudium veſtrum impleatur.] Hæc admonitio Chriſti non ſolum hunc fructum diſcipulis afferet, quod illis ſemper ſolatio & gaudio futura ſit, ſed etiam ſi ſe ita geſſerint, ut Chriſtus monuit, quod gaudium in æterna vita plenum ac perfectum conſequentur. Nihil in eo abſurdi eſt, quod Chriſtus gaudium diſcipulorum ſuum gaudium vocet. Suum enim vocat, quia à ſe oriatur, nempe ex ſua præſentia & cura de diſcipulis. Diſcipulorum autem gaudium eſt, quia in illis eſt, & illi eo fruuntur. Obſervatio præceptorum Dei adhuc in hoc mundo affert homini perfectiſſimum gaudium, quod humanus animus in hoc mortalitatis ſtatu capere poteſt. Quis enim major ac pretioſior theſaurus poteſt homini in hac vita contingere, quam bona ac illæſa conſcientia? quæ tantam in animo ejus tranquillitatem & conſtantiam parit, ut omnia, quæ extra ipſum ſunt, generoſo pectore vincat. Hic murus aheneus eſto, Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Verſ. 12. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis alii alios, prout dilexi vos.*] Cum gaudium illud, cujus antea meminit, ex obſervatione præceptorum naſcatur, ideo repetit principale mandatum ſuum de dilectione inter ſe mutua, quod ſupra quoque eis præſcripſit cap. 13 34. Illic id mandatum *novum* vocaverat, hic mandatum *ſuum* vocat: non quod alia quoque mandata, ipſius non ſint, ſed quia hoc de dilectione peculiari ratione & per excellentiam ipſius ſit. Dilectionis enim mandatum ex omnibus præceptis, quæ Chriſtus tanquam Mediator Novi Fœderis tradidit, maximum & ſumme neceſſarium eſt, adeoque dignum, ut præ aliis omnibus, Chriſti præceptum, dicatur. Quemadmodum ſi Pater multos habens filios, de uno eorum aliquo, qui ſibi obſequentiſſimus ac cariſſimus ſit, dicat: Hic eſt meus filius; non negans, alios eſſe, ſed ſignificans, hunc maxime eſſe. Crebro autem hoc præceptum Chriſtus ingeminat atque inculcat, quia ad ædificationem Eccleſiæ, ad quam fundandam & propagandam Apoſtoli vocati erant, maxime erat neceſſarium.

Prout ego dilexi vos.] Exempla multum efficaciæ præceptis addunt, idque tanto plus, quanto illa perfectius id quod præcipitur, ob oculos ponunt: quale hoc eſt Chriſti exemplum.

Verſ. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*] Declarat illa verba, *prout ego dilexi vos*, indicatque, tantam eſſe ſuam erga diſcipulos charitatem, ut à nullo homine major exigi queat. Quid enim homini carius,

quid dulcius eſt in mundo vita? Job. 2. 4. Qui ergo hanc amicorum cauſa expendere non gravatur, is revera ſpecimen edit maximæ dilectionis. Dilectio alioquin à ſe incipit: dilectio igitur, quæ ſui ipſius obliviſcitur alterius cauſa, eſt perfectiſſima.

Animam ſuam.] Id eſt, vitam, idiomate Hebræo.

Ponat.] Ponere animam voluntariam mortem ſignificat: ut ſupra cap. 10. 15.

Pro amicis ſuis.] Tantum amicorum facit mentionem, quia de Apoſtolis loquitur, qui amici ejus erant, id eſt, quos ſummo amore proſequebatur. Cæterum is etiam pro inimicis eſt mortuus, etiam pro illis, qui eum morti adjudicarunt ac crucifixerunt. Nullum enim eſt tantum flagitium, quod ſanguine ejus expiari ac deleri nequeat in iis, qui fidem in eum ſuſcipiunt. Hoc vero multo magis commendat charitatem Chriſti. Vide Rom. 5. 6,7,8.

Hoc loco occurrunt duæ quæſtiones enodandæ. Primum, An homo Chriſtianus teneatur pro inimicis ſuis vitam profundere? Secundo, Quo caſu, & quibus ex cauſis debeat vitam pro amicis ſuis expendere? Quod ad primam quæſtionem, in ea nos informare poteſt exemplum Chriſti. Is enim pro inimicis ſuis mortuus eſt, quia mors ejus potuit illis ad ſalutem æternam utilis eſſe, etſi reipſa pauciſſimi hunc fructum ex ea, propria ſua culpa, percipiant. Ita ſi talis caſus Deo ſic dirigente incidat, ut ſpes ſit, noſtram mortem poſſe etiam ad promovendam inimicorum noſtrorum ſalutem conducere; omnino ad ſubeundam pro iis mortem hoc præcepto obligamur. Extra talem cauſam nullo modo. Nam proprie loquendo Chriſtus etiam nonniſi pro iis mortuus eſt, qui per fidem amici ejus facti ſunt. Quod ad ſecundam quæſtionem attinet, triplices ſunt potiſſimum caſus ſive cauſæ, ob quas aliquis vitam pro amicis ſuis ponere poſſit. Vel enim de gloria Dei agitur: vel de ſalute æterna amici; vel de temporaria ejuſdem vita ejuſque bonis. Si de gloria Dei agatur, cenſent quidam, primo diligenter attendendum eſſe, an amici noſtri vita gloriæ Dei, & promotioni veritatis utilior ſit, quam noſtra; &, ſi videamus morte amici noſtri gloriæ Dei plus deceſſurum, quam noſtra, debere nos mortem pro eo oppetere: Sin minus, nequaquam, ſi nimirum noſtra vita plus gloriæ Dei prodeſſe poſſit, quam illius. Deinde volunt, certum eſſe debere, ſi vitam noſtram amici cauſa in diſcrimen adducamus, ejus vitam certo conſervatum iri. Verum iſtæ diſtinctiones non videntur è natura veræ charitatis eſſe deſumtæ. Vera enim charitas tam ſcrupuloſa non eſt, & prout alii affectus, quando inflammantur, ita & illa non concedit tantum ſpatii ad ratiocinandum ac deliberandum, præſertim quando res moram non patitur, & ſubitum ac improviſum ingruit periculum. Chriſtus tanquam Magiſter pro diſcipulis ſuis mortuus eſt, etſi ob cauſas, quæ alioquin in aliis hominibus non facile locum habere poſſunt: tamen etiam in exemplum perfectiſſimæ charitatis. Porro quod amici ſalutem attinet, dubium non eſt ullum, quin ſi poſſimus morte noſtra efficere, ut aliquis Chriſtianam religionem ſuſcipiat, adeoque ſalutis æternæ compos evadat, vitam noſtram huic rei impendere teneamur. In eo enim nobis Chriſtus exemplo ſuo præluxit, quod humanæ ſalutis cauſa mortem ſuſceperit, ut nos quoque ob hominum ſalutem omnia, quæ habemus, ac proinde & vitam noſtram libenter amittere parati ſimus. Qui tali in caſu & talem ob cauſam vitam ſuam perdit, certum eſt, eum illam in extremo judicii die cum æterni præmii fœnore recepturum. Paulus paratus erat pro fratribus ſuis etiam æternæ vitæ jacturam facere Rom. 9. ℣. 3. quanto magis nos decet eſſe paratos, ad temporariam vitam noſtram, & quidem cum certa ſpe æternæ remunerationis, ponendam propter ſempiternam hominum ſalutem. Tertio quod temporalem amici noſtri vitam ſpectat, non eſt dubitandum, quin hoc Chriſti præceptum & natura dilectionis id ipſum exigat, ut vitam amici noſtri etiam abſque ullo gloriæ Dei vel ſalutis ejus reſpectu, vita noſtra redimamus. Talem charitatem videmus etiam vigere in ſeculi hujus filiis, quando arcto inter ſe neceſſitudinis atque amoris nexu devincti ſunt: ut non tantum conjux pro conjuge, parentes pro liberis, vel liberi pro parentibus, ſed etiam amici alii pro aliis mori non recuſent. Quis eſt, cui notæ non ſint hiſtoriæ ſive fabulæ de Pylade & Oreſte, Damone ac Pythia? Quod autem eſt majus & arctius amicitiæ vinculum, quam quo Chriſtianos communis fides ac veritas divina mutuo adſtrinxit? Ut autem ob amici temporaria commoda, ac bona, quantacunque ſint, Chriſtianus vitam ſuam prodigat, nullo pacto poſtulat hoc Chriſti mandatum; imo id indignum foret, ut Chriſtianus vitam ſuam gloriæ Dei & hominum ſaluti conſecratam ob res vanas atque caducas perdat.

Verſ. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.*] Occaſione illorum verborum, quibus diſcipulos vocaverat amicos ſuos, docet, quomodo amici ſui permanere poſſint: quemadmodum ſolet ex ſermone ſermonem nectere, & occaſiones captare omnes, diſcipulos inſtituendi. Permanebunt autem ejus amici, ſi ſervent præcepta ejus.

Eſtis.] Id eſt, eritis. Præſens pro futuro: ut ſupra cap. 8. 31. Hoc modo amici mei manebitis: ita ſemper à me amabimini: ita omnia à me expectare poteritis, quæ à bono amico ſperari par eſt. Vide Rom. 5. 8, 9, 10.

Verſ. 15. *Non amplius vos dico ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ipſius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.*] Reddit Chriſtus cauſam, cur eos amicos appellaverit, quod cum illis communicaſſet, quicquid ſecreti à Patre accepiſſet, de ſalute eorum: quod ſingularis amicitiæ ſignum eſt. Idque declarat per antitheſin ſervorum, cum quibus familiariter agere, & ſecreta communicare non ſolemus.

Non vos amplius dico ſervos.] Id eſt, non habeo vos pro ſervis; non ago vobiſcum tanquam cum ſervis, etſi jure poſſem. Quod enim alioqui fuerint Chriſti ſervi, & ipſe eorum dominus, innuit ipſe, cum inquit: *Non eſt ſervus major domino ſuo.* Vide ſupra cap. 13. 16. & infra ℣. 20.

Quia ſervus neſcit, quid faciat dominus ipſius.] Id eſt, quid velit facere, quid in animo habeat facere. Domini non ſolent animi ſui arcana ſervis revelare; non

non ſolent eos in ſecretorum ſuorum conſcientiam admittere, ſed tantum fidos amicos.

Vos autem dixi amicos.] Vobiſcum ago tanquam cum amicis.

Quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.] Probat ſe cum eis agere ut cum amicis, quia omnia Patris ſui ſecreta eis patefecerit. Dicit, *quæ audivi* à Patre, pro, quæ accepi à Patre: ut ſupra cap. 3. 32. viij. 26. Quæ autem illis nota fecit, hæc erant, de reſurrectione ſua, de aſcenſione in cœlum, de miſſione Spiritus Sancti, de vocatione Gentium Joh. 10. 16. de univerſali judicio, & de vita æterna. De quibus rebus omnibus quidem Deus priſcis temporibus prophetavit: & eas per obſcuras quaſdam figuras adumbravit, ſed ante Chriſti adventum eas non revelavit, Eph. 3. 5. Itaque vox *omnia* non eſt latius trahenda, quam res de qua ſermo eſt, patitur: nimirum omnia, quæ ulla ratione ad conſolationem eorum faciebant. Similis locus eſt Act. 20. ℣. 27. Nonnulla vero myſteria, quæ tunc portare ſeu capere non poterant, poſtea demum illis patefecit, miſſo Spiritu Sancto: ut quod Regnum ejus ſit ſpirituale, quod Moſis lex finem ſortita ſit; prout ipſis, prædixerat Infra cap. 16. 12.

Verſ. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & conſtitui vos, ut vos abeatis, & fructum feratis, & fructus veſter maneat, ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.*] Hoc addit Chriſtus ad ſuum erga diſcipulos amorem magis commendandum, quod ſcilicet non fuerit ab illis prius ſe amantibus ad eos redamandum provocatus, ſed quod ipſe eos prior amaverit, elegerit, & in amicorum ſuorum numero poſuerit.

Sed ego elegi vos.] Loquitur hic de electione ad munus Apoſtolicum, Matth. 10. 1. Luc. 6. 13. Chriſtum enim hic non loqui de electione ad fidem vel ad ſalutem, patet ex collatione horum locorum ſupra cap. 6. 70. & cap. 13. 18. Apoſtolum Chriſti eſſe, magna fuit dignitas, ac proinde ſignum ſummi amoris erga eos, quos ad hoc munus eligere dignatus eſt Chriſtus.

Et conſtitui vos.] Scilicet Apoſtolos, ſeu poſui vos in officio Apoſtolico. Ita ſumitur etiam verbum τίθημι Act. 13. 47. xx. 28. Rom. 4. 17. Heb. 1. 2, &c. Quilibet magiſtratus prius eligitur, hoc eſt, deſignatur, deinde declaratur, & in officio ipſo conſtituitur. Ita Chriſtus Apoſtolos prius elegit, deinde velut in poſſeſſione Apoſtolatus poſuit mittens ad prædicandum Euangelium.

Ut vos abeatis.] Duplicem cauſam Chriſtus ponit, cur eos ad tam ſublime munus elegerit. Prima eſt, ut ex eo duraturum & æternum fructum ſuo tempore perciperent. Verbum *abire* ſæpe ſuperfluum eſt ac redundat. Vide quæ diximus de eo ad Matth. 8. 13. Hic vero ut & Marc. 16. 15. ſignificationem ſuam retinere poteſt: ut indicetur, eos non debere in ſuo munere expectare, donec homines ipſi ſtudio veritatis diſcendæ ad illos accedant, ſed eos debere ire in univerſum mundum, & homines idoneos ad regnum cœlorum quærere.

Et fructum afferatis, & fructus veſter maneat.] Hæc verba duplici modo accipi poſſunt. Primo, ut ſenſus ſit. Ut fructum afferatis, fructum non periturum, ſed perpetuo permanſurum. Hoc ſenſu poſito, Chriſtus hic non loqueretur de illo fructu, quem illi Deo per ſuum munus Apoſtolicum afferre debebant, homines quam plurimos ad Chriſtum adducendo ac convertendo; ſed de fructu, quem illi ipſi pro ſuo labore erant recepturi, nimirum de cœleſti præmio vitæ æternæ. De quo fructu etiam Chriſtus loquitur ſupra cap. 4. 36. cum ait: *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Deinde ſenſus eſſe poteſt talis: Ego vos elegi ad tam præclarum munus, ut per hominum converſionem Deo ad gloriam ejus fructum afferatis, utque veſter fructus, qui vobis præmii loco debetur, ſit æternus & perpetuo manſurus. Sed prior ſenſus poſteriori videtur præſtare: quia eo potiſſimum tendit hic Chriſti ſermo, ut amorem ſuum diſcipulis teſtetur; qui in eo quoque conſiſtit, quod eos ad tale munus elegerit, quo ſi rite fungantur, fructum nunquam interiturum ex eo capere poſſint.

Ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.] Lectio Græca hic eſt ambigua: nam δώσῃ verti poteſt, *det vobis*, vel *dem vobis*. Priori modo vertit Syrus & Latinus interpres. Poſterior verſio convenit cum eo, quod Chriſtus alibi dicit: *Quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam*, Joh. 14. ℣. 13. Hæc autem eſt altera cauſa, ob quam Chriſtus eos ad tam eximium munus gratioſe elegerit; ut nimirum habeant liberum acceſſum ad Patrem, & non tantum liceat eis quicquid voluerint petere, ſed etiam certi ſint, ſe obtenturos omnia. Dum enim à Chriſto miſſi ſunt, ſimul etiam à Deo miſſi ſunt, ejuſque ſunt legati. Tantæ autem dignitatis miniſtri majorem quam alii habent petendi libertatem, nihilque eis denegatur. Quam late autem id intelligendum ſit, ſupra ad cap. 14. 13. declaravimus. Quodſi vero poſterior ſenſus ſuperiorum verborum priori præferatur, tum vocula ἵνα, *ut*, non denotabit hic cauſam finalem, ſed conſequentiam tantum, nempe ſi fructum Deo gratum afferant, fore, ut nihil in nomine ſuo à Patre petant, quod non obtineant. Vide ſupra ℣. 7. Matth. 21. 22.

In nomine meo.] Vide ſupra ad cap. 14. 13.

Verſ. 17. *Hæc præcipio vobis, ut diligatis alii alios.*] Videtur hic *præcipio* accipi pro *dico*. Quod enim hactenus diſſeruerat, non erat ullum præceptum, ſed continebat narrationem de ſummo ſuo amore, quo eorum erga ſe amorem prævertit, quoque eos ad mortem uſque dilexit. Ut ita verba hæc ſint concluſio præcedentium: quaſi dicat, Quæ hactenus vobis de ingenti meo erga vos amore diſſerui, non ut gloriarer, dixi, ſed ut mutuam inter vos charitatem accenderem: ut nimirum ita alii alios diligatis, ſicut ego dilexi vos.

PARS III.

Verſ. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote, me priorem, quam vos, ab eo odio habitum.*] Videbant Apoſtoli, doctrinam Euangelii non ſine magno odio ac perſecutione mundi poſſe diſſeminari. Nam qui Chriſtum confitebantur, è Synagoga ejiciebantur, & Chriſto ipſi ſtruebantur inſidiæ,

deque capite ejus agebantur Comitia. Itaque eos Chriſtus novo conſolationis genere munit adverſus mundi tempeſtates, & perſecutionis metum: utiturque ad eam rem ſex argumentis.

Scitote me priorem, quam vos, ab eo odio habitum.] Primum argumentum petit à ſuo exemplo: quaſi dicat, Quando vos mundus odio habebit ac perſequetur, ne miremini, ſed cogitate, quomodo mecum egerit mundus, quomodo me etiam, prius quam vos, odio habuerit. Ego vobis exemplo meo præeo: proinde ſolatio vobis eſſe debet, quod me ejuſdem perſecutionis ſocium, aut potius ducem habeatis, cujus veſtigiis vos æquum eſt inſiſtere. Per mundum intelligit in genere omnes homines concupiſcentiis ſuis ac mundo addictos.

Scito.] Gr. γινώσκετε, *cognoſcite*, id eſt, attendite, ac conſiderate.

Verſ. 19. *Si ex mundo eſſetis, mundus, quod ſuum eſt, diligeret: quia vero ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.*] Hoc eſt ſecundum argumentum ductum à cauſa iſtius odii: quæ non alia eſt, quam quod eos Chriſtus è mundo elegiſſet, & ſegregaſſet; propterea ait, non poſſe aliter fieri, quam ut mundus eos oderit, ſicut idem è contrario diligit eos, qui ipſi adhærent.

Si ex mundo eſſetis.] Id eſt, ſi eſſetis homines mundani, ſi nihil niſi mundum ſpiraretis, ſi idem quod mundus ſentiretis, eaque amaretis & magnifaceretis, quæ mundus amat & magnifacit. Ita dicitur, eos ex Deo eſſe, qui idem ſentiunt, idem ſpirant, quod Deus: & eos ex Diabolo eſſe, qui ſic animati ſunt, & id ſpirant, quod Diabolus. Supra cap. 8. 44. 1 Joh. 3. 12. IV. 4, 6.

Mundus, quod ſuum eſt, diligeret.] Amaret vos, tanquam ſuos, ad ſe pertinentes, ſecum conſentientes, ac ſibi deditos.

Elegi vos ex mundo.] A turba mundanorum hominum vos ſegregavi, & mihi conſecravi, ut meum ſitis peculium. De Chriſtianis dicitur, eos *effugiſſe inquinamenta mundi per agnitionem Domini ac ſervatoris Jeſu Chriſti*, 2 Pet. 2. 20. Verbum hoc ἐκλέγω, *eligere* ſæpius in Veteri Teſtamento ſumitur hoc ſignificatu, quando de Judaico populo vel patribus antiquis dicitur, Deum eos elegiſſe, eoſque ſibi ſanctificaſſe. Vide inter alia 2 Macchab. 1. 25.

Propterea odit vos mundus.] Uti ſimilitudo morum ac vitæ cauſa eſt ſæpe magnæ dilectionis & arctiſſimæ amicitiæ inter homines, ita ex diſſimilitudine in his verbis exiſtunt non raro maximæ ſimultates & odia. Hinc videmus, inter totas nationes interdum ob ſolam morum diſcrepantiam & diverſum vivendi genus ſumma fervere odia. Homines vero mundani tanto majori odio proſequuntur pios ac probos, quia propria ſua conſcientia convincuntur, horum vitam ſua meliorem eſſe, putantque illos pietate ſua exprobrare ſibi peccata ſua ac diffamare, quod illi pati nequeunt. Vide Sapient. 2. 12. Sicut peccata probis, ita virtutes improbis ſcandalo ſunt atque offendiculo: quia vim habent animos inquietandi & ad ſe trahendi. Improbis autem id moleſtum eſt, qui turbari quietem ſuam nolunt.

Verſ. 20. *Mementote ſermonis illius quem dixi vobis. Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.*] Tertium argumentum ducit à vulgari proverbio: *Non eſt ſervus major domino ſuo.* Dixerat autem hoc illis, paulo antea: Joh. 13. 16. ſed ſenſu nonnihil diverſo. Uſus ibi ea ſententia fuerat, ut doceret, non debere recuſare eos, facere quod ipſe prior feciſſet, id eſt, lavare pedes: hic vero utitur, ut doceat, non debere eos recuſare pati, quod ipſe prior paſſus eſſet. Quo ſenſu etiam Chriſtus hac ſententia uſus eſt Matth. 10. 24. *Chriſto paſſo in carne*, inquit Petrus, *& vos eadem cogitatione armamini*, 1 Pet. 4. 1. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, exemplum vobis relinquens, ut ſequamini veſtigia ejus*, 1 Pet. 2. 21.

Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.] Ita vobiſcum agetur, ut mecum: cauſa enim in vobis eadem eſt, quæ in me fuit: quia non eſtis ex mundo, ſicut ego non ſum ex hoc mundo.

Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.] Quomodo meam doctrinam ſuſceperunt, ita & veſtram ſuſcipient. Meam vero doctrinam non ſuſceperunt, ſed rejecerunt. Ergo & veſtram rejicient. Rejectio doctrinæ Apoſtolicæ à Judæis occaſio fuit, ut Euangelium ad Ethnicos tranſferretur, Act. 13. 46. Apoſtolorum doctrina non alia erat, quam Chriſti, ſed quia ab Apoſtolis tradebatur & diſſeminabatur in mundo, ideo ipſorum vocatur.

Verſ. 21. *Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum, quia non noverunt eum qui miſit me.*] Hoc eſt quartum argumentum, quod Chriſti cauſa ipſis perſecutiones obtingent.

Hæc omnia.] Id eſt, odium mundi, perſecutiones, doctrinæ veſtræ contemptus.

Propter nomen meum.] Id eſt, ex odio mei nominis, vel erga me: ut Matth. 10. 22. Alioqui ſignificat *propter nomen meum*, idem quod in mei gratiam, ex amore mei: ut ſupra ℣. 16. & cap. 14. 13. Apud Matthæum ait Chriſtus, *propter me*, cap. 5. ℣. 11. Hoc autem magnum diſcipulorum ſolatium continet, quod ob nomen Chriſti odia & perſecutiones pati debuerint. Cum enim Chriſtum ejus rei conſcium eſſe noſſent, poterant certi eſſe auxilii ac remunerationis ejus; quam etiam illis promiſit Matth. cap. 5. 11. Hoc ſe ſolatio ſuſtentarunt Petrus & Johannes, quando gaudentes à conſpectu Synedrii abierunt, quod digni habiti eſſent, qui pro nomine Jeſu contumelia afficerentur, Act. 5. 41. Vide etiam 1 Pet. 4. 16.

Quia non noverunt eum, qui miſit me.] Cauſam his verbis indicat, cur ſe oderint homines: quaſi dicat, Arrogantia aliiſque cupiditatibus carnis ita ſunt occæcati, ut non conſiderent, neque intelligant, à quo miſſus ſim. Ideo mirum non eſt, homines adeo cæcos, tanta cum vehementia & fervore inconſiderato in vos facere impetum atque incurrere. Præſtantiam ſuam ex præſtantia ejus, qui miſit ipſum, vult æſtimari Chriſtus.

Verſ. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato ſuo.*] Oſtendit ignorantiam iſtius rei, quod à Deo miſſus ſit, eſſe peccatum inexcuſabile; ejuſque rei duas reddit cauſas: unam hoc verſiculo, alteram ℣. 24.

Si

Si non veniſſem.] Id eſt, Si non prodiiſſem in publicum, & publice non comparuiſſem. Hoc enim ſignificat verbum *venire*, ut alibi explicavimus.

Et locutus fuiſſem eis.] Si eis ſanctiſſimam doctrinam, quæ omni reprehenſione major eſt, pleno ore & ſingulari cum virtute (Joh. 7. 46.) non prædicaſſem: ſi expreſſe non dixiſſem, eam mihi à Patre traditam eſſe, & ſi eam evidentiſſimis Prophetarum teſtimoniis non confirmaſſem.

Peccatum non haberent.] Intellige in eo, quod neſciant, à quo miſſus ſim. Hoc enim latius non eſt trahendum, quam res permittit.

Nunc autem non habent, quod prætexant peccato ſuo.] Nullum colorem, nullam excuſationem tanti criminis ſui poſſunt afferre: cum à me nihil intermiſſum ſit, è quo ſummam dignitatem meam potuerint agnoſcere.

Verſ. 23. *Qui me odit, & Patrem meum odit.*] Quintum argumentum atque ſolatium contra odium mundi, eſt, quod odium iſtud, quo mundus Chriſtum proſequitur, Patrem ipſum afficiat. Cum enim Chriſtus à Patre miſſus ſit, & hoc illi facile ſcire potuerint ac debuerint, patet, contumeliam, qua illi Chriſtum afficiunt, redundare in ipſum Patrem. Unde porro diſcipuli concludere poterant, ſi Deus ipſe tantam contumeliam & odium à mundo patitur & diſſimulat, multo magis ipſis convenire, ut odia hominum æquo ferant animo. Deus autem odia iſta ſuo tempore meritis vindicabit pœnis, adeoque nec earum injuriarum obliviſcetur, quas illi Chriſti ac porro Dei ipſius cauſa ſuſtinent.

Verſ. 24. *Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum.*] Hic affertur altera cauſa, cur ignorantia Judæorum de eo, quod Chriſtus à Patre miſſus ſit, excuſari nequeat: ea vero ſumta eſt ab ejus operibus. Sola Chriſti doctrina poterat ſufficere ad eos convincendos, quod à Patre miſſus ſit. Nunc cum acceſſerint præterea inaudita ejus miracula, quæ etiam ſola per ſe rem conficere poterant, tanto minus peccatum illorum excuſari poteſt.

Inter eos.] Proprie textus habet *in eis*, ſed *in* hic ſignificat *inter*: quaſi dicat, cum inter eos verſarer.

Quæ nemo alius fecit.] Neque Moſes, neque Elias, neque Eliſæus, neque Prophetarum ullus id fecit, ut morbos qualeſcunque etiam graviſſimos verbo curaret, ut cœcos à nativitate homines viſu donaret, mare & ventum juſſu ſuo compeſceret: & tamen de iſtis crediderunt Judæi, eos à Deo miſſos fuiſſe. Et quicquid illi præſtiterunt, Chriſtus etiam præſtitit, & quidem longe majori cum poteſtate: cum quatriduanum mortuum reſuſcitavit, cum panes multiplicavit &c.

Peccatum non haberent.] Vide ſupra ℣ſ. 22.

Nunc autem & viderunt.] Tam inſignia opera.

Et oderunt & me & Patrem meum.] Proprie Chriſtum oderunt: Pater vero odium iſtud ſibi imputat, & ad ſe pertinere cenſet. In Chriſto enim doctrinam & opera Patris ſpreverunt, & quidem abſque ulla cauſa, quæ ſpeciem aliquam æquitatis haberet. Similem imputationem vide Matth. 25. ℣ſ. 40, 45. Vide etiam 1 Sam. 7. 8. x. 19.

Verſ. 25. *Sed ut impleatur ſermo, qui in ipſorum Lege ſcriptus eſt: Oderunt me immerito.*] Confirmat dicta ſua teſtimonio Scripturæ. Eſt vero in his verbis ἔκλειψις Hebræis uſitata, & neceſſario ſubintelligendum eſt aliquid, quo ſenſus expleatur; v. g. hoc modo: ſed quod me ita ſine cauſa oderint, fit propterea, ut impleatur, quod ſcriptum eſt &c.

Ut impleatur.] Vocula *ut* hic iterum non denotat cauſam finalem, ſed eventum tantum: quaſi dicat, Dum me ita oderunt, impletur id, quod Davidi, qui meam in typo perſonam repræſentavit, contigit, & de quo ille olim conqueſtus eſt. Vide de vocibus, *ut impleatur* dicta ad Matth. 1. 22.

In ipſorum Lege.] Legem vocat, omnem veterem Scripturam Sacram: ut & ſupra cap. 10. 34.

Oderunt me immerito.] Verba hæc ſcripta ſunt ex Pſal. 35. 19. ubi ſic habetur: *Ne lætentur de me, qui ſunt mihi injuſte inimici, qui oderunt me immerito.* Huc faciunt etiam verba Pſal. 69. 5. *Plures ſunt quam capilli capitis mei, qui oderunt me immerito.*

Verſ. 26. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.*] Hoc eſt ſextum & ultimum argumentum & ſolatium, quod deſumit à duplici teſtimonio adverſus hoc implacabile odium inimicorum ſuorum: teſtimonio videlicet Spiritus Sancti & ipſorum Apoſtolorum. Quaſi velit dicere: Etſi adeo exoſus ſim mundo, non deerunt tamen tales, qui etiam in mea abſentia cauſam meam agent ac defendent. Ac primum quidem dicit, Spiritum Sanctum eſſe venturum, qui erit Paracletus, id eſt, advocatus ac defenſor cauſæ ſuæ. Vide ſupra cap. 14. 16.

Quem ego mittam vobis à Patre.] Id eſt, efficaciam, ut eum vobis mittat Pater. Continuat enim figuratam locutionem, qua Spiritum Sanctum advocatum vocavit; qui à Judice rogatu partis læſæ addi ſolet, ut cauſam ejus agat in judicio. Ad eum modum indicat ſe quoque advocatum, id eſt, Spiritum Sanctum à Patre ad ſui defenſionem obtenturum; idque tanto citius, quia non tam ipſius, quam Patris cauſa defendenda erat. Pater autem miſit Spiritum Sanctum per Chriſtum, quem unxerat Spiritu Sancto & virtute Act. 10. 38. & hic poſtea in feſto Quinquageſimæ eum in Apoſtolos effudit Act. 2. 31.

A Patre.] Hoc eſt, è domo Patris mei: ut Marc. cap. 5. 35.

Spiritus veritatis.] Indicat hoc teſtimonium fore certum ac validum. Quia enim advocatus iſte de cœlo veniet, ideo teſtimonium ejus erit verum & irrefragibile.

Qui à Patre procedit.] Si Angelus de cœlo veniret, & mihi teſtimonium perhiberet; crederent mihi: nunc vero mihi teſtimonium præbebit, cauſamque meam defendet, non creatus aliquis Spiritus, ſed ipſius Patris mei Spiritus, virtus illa divina, quæ ab eo procedit ac emanat.

Ille teſtabitur de me.] Teſtatus eſt Spiritus Sanctus, cum in Apoſtolos illapſus, ea per illos variis loquebatur linguis, eaque faciebat miracula, quæ pertinaciſſimum quemque ut in Chriſtum crederet, facile permovere poſſent. Spiritus Sanctus enim erat,

qui per Apoſtolos omnia & faciebat, & loquebatur. Vide Matth. 10. 20. Cum vero res tam miraculoſæ à nullo alio, quam à Deo Patre provenire potuerint, indicium id erat certiſſimum, Patrem cauſam ejus, ſeu doctrinam, quam ille nomine Patris annunciavit, confirmare.

Verſ. 27. *Et vos autem teſtabimini, quia ab initio mecum eſtis.*] Gr. μαρτυρεῖτε, *teſtamini.* Præſens pro futuro. Teſtimonio Spiritus Sancti alterum teſtimonium adjungit, nempe ipſorum Apoſtolorum: quod etiam ſolum debuiſſet ſufficere, abſque ejus modi donis Spiritus Sancti, & merito eis, ut pote probis & integræ vitæ hominibus, fides habenda erat: præſertim cum eorum tam multi eſſent; in Lege vero ad veritatem rei alicujus comprobandam teſtes non plures duobus aut tribus requirerentur. Conjungit autem Chriſtus teſtimonium Apoſtolorum & Spiritus Sancti, ut Petrus quoque fecit Act. cap. 5. 32.

Quia ab initio mecum eſtis.] Viris honeſtis ac probis credendum eſt, & credi etiam ſolet, quando de ejuſmodi rebus teſtantur, quas oculis ſuis ſpectarunt, auribus ſuis exceperunt. Tales oculati & auriti teſtes fuere Apoſtoli, qui à principio cum Chriſto fuerunt, id eſt, ab eo tempore, quo Chriſtus docere ac prædicare cœpit, ut Petrus ait, *à baptiſmate Johannis uſque ad eum diem, quo aſſumptus eſt in cœlum*, Act. 1. 21, 22. omniaque viderunt, quæ fecit ac docuit, quidque cum eo geſtum ſit. Inter quæ res maxime inſignis & memorabilis fuit reſurrectio ejus à mortuis, de qua Petrus tam aſſeveranter teſtatur: *Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, fecitque ut manifeſtus fieret; non omni populo, ſed teſtibus, qui prius deſignati, erant à Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus una cum eo, poſtquam reſurrexit à mortuis*, Act. 10. 40, 41. Vide etiam Act. 2. 32. IV. 20. 2 Pet. 1. 16. 1 Joh. 1. 1.

CAPUT XVI.

Chriſtus pergit in ſuo ſermone. I. *Prædicit diſcipulis perſecutiones, quas paſſuri ſint à Judæis: ad* ℣ſ. 5. II. *Conſolatur eos ob diſceſſum ſuum miſſionem Spiritus Sancti eis promittens; indicatque ſimul quid Spiritus Sanctus acturus ſit: primo circa mundum; ſecundo circa Apoſtolos, tertio circa Chriſtum: ad* ℣ſ. 16. III. *Solatur diſcipulos reditus ſui promiſſione; & ſpe luctus eorum in lætitiam convertendi: ad* ℣ſ. 23. IV. *Aliam conſolationem affert, quod abitus ejus in cauſa futurus ſit, ut preces eorum à Patre in nomine ipſius factæ exaudiantur; quodque obſcuros ipſius ſermones melius poſtea intellecturi ſint: ad verſ.* 29. V. *Prædicit eis eorum diſperſionem: ad verſ.* 33. VI. *Concludit ſermonem ſuum nova conſolatione adverſus afflictiones & infeſtationes mundi, quod ipſe mundum vicerit: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Hæc locutus ſum vobis, ut ne ſcandaliſemini.*] Chriſtus continuat conſolatorium ſermonem ſuum, & cum multæ ſint hujus Capitis partes, ut diximus, in prima præcicit diſcipulis ſuis adverſitates & perſecutiones varias, quibus poſt diſceſſum ſuum ſint obnoxii futuri. Hoc vero verſiculo primo monſtrat cauſam, cur eis tam multa de imminentibus eorum calamitatibus dixerit.

Hæc locutus ſum vobis.] Hæc, inquit, quæ de mundi odio atque perſecutionibus adverſus vox dixi, non propterea dixi, ut curam ac ſolicitudinem animis veſtris affetam, ſed, ne ſi improviſa vobis evenirent, ſcandaliſaremini, id eſt, animo perturbati de fide dubitaretis. Nam prævisa minus tela ferire ſolent; quia præcaveri poſſunt: ita etiam animus adverſus afflictiones muniri atque armari poteſt, ſi prævideantur. Imo præmoniti à me, quid vobis eventurum ſit, tantum abeſt, ut cum id evenerit, occaſionem ullam de fide dubitandi, aut animi abjiciendi habeatis, ut potius magnum & fidei & conſolationis argumentum ſuis habituri, quod videatis omnia, quemadmodum vobis prædixiſſem, evenire.

Verſ. 2. *E Synagogis ejicient vos, ſed venit hora, ut omnis qui interfecerit vos, exiſtimet ſe cultum præſtare Deo.*] Chriſtus duos effectus recenſet, quos producet odium hujus mundi, quibus non vult eos ſcandaliſari, ſi ipſis eveniant. Primus effectus eſt, quod Judæi ejecturi ſint Apoſtolos è Synagogis, non ſolum ſimpliciter eos expellendo, ſed etiam Cherem ſeu anathema, id eſt, execrationem eis irrogando. Supra cap. 9. 22. Quæri autem poteſt: quid mali erat Apoſtolis, expelli è Synagogis Judaicis, cum inde fuerant ipſi ſeſe ſeparaturi, etiamſi eos nullus expelleret? Sed animadvertendum eſt, primo Chriſtum voluiſſe exprimere ſummum odium, quo Apoſtolos proſecuturi eſſent Judæi. Nulla enim re magis odium ſuum in aliquem declarare poterant, quam ſi eum tanquam hominem Ethnicum & Atheum Synagoga ſua prohiberent. Longe maximo autem & capitali odio Judæi ardebant adverſum eos, qui à Lege defecerant: quales Apoſtolos eſſe cenſebant. Deinde Apoſtoli tunc nondum intelligebant, illis non Moſen amplius, ſed Chriſtum profitentibus, nihil nociturum, etſi è Judæorum Synagogis ejecti fuerint.

Sed venit hora, ut omnis qui interfecerit vos, exiſtimet ſe cultum præſtare Deo.] Alter effectus odii mundi eſt, quod omnem daturi ſint operam adverſarii eorum, ut ipſos interficiant & è medio tollant. Præcipue autem hic de Judæis loquitur, qui ubique locorum ſeditiones adverſus Apoſtolos excitarunt, & perniciem eis machinati ſunt: ut in Actis Apoſtolorum legere eſt. Vocula *Sed* hic idem denotat, quod *imo*: ut & 2 Cor. 7. 11. quaſi dicat, Ejicient vos è Synagogis, imo quod majus eſt, interficient vos, & hoc facientes exiſtimabunt, ſe cultum præſtare Deo.

Hora.] Id eſt, tempus: Hebraiſmo uſitato. Vide ſupra cap. 5. 25.

Exi-

Exiſtimet ſe cultum præſtare Deo.] Oſtendit fore, ut illi in iſto ſuo cæco zelo adeo ſibi blandiantur, & ſibi placeant, ut crediturí ſint, ſe interfectione iſta, gratam victimam Deo afferre. Gratiſſimus enim Dei cultus putabatur à Judæis in mactatione victimarum & ſacrificiis conſiſtere. Chriſtum enim hic voce cultus (Gr. λατρείας) reſpicere ad Sacrificia, intelligitur ex verbo προσφέρειν, quod proprie ſignificat, *offerre ſacrificium*. Ubi Moſes præcipit Levitas idololatras occidere, ait: *Conſecrate manus veſtras hodie Domino unuſquiſque in filio & in fratre ſuo*: quo loco Chaldaica paraphraſis habet, *Offerte ſacrificium Domino*, Exod. 32. 29. Ita videtur *ſervire* & *ſacrificare* pro eodem ſumi Exod. 8. 1. confer cum ℣. 8. & ℣. 20. confer cum ℣ſ 25, 26, 27, 28. Item cap. 10. ℣. 7. confer cum ℣. 25. Quare Chriſtus hoc ſibi vult, Apoſtolos in ſummo fore periculo, ut quilibet poteſtatem habiturus ſit ipſos interimendi: quemadmodum adverſus ſeductores & idolatras tam ſevera lex erat ſancita Deut. 13. 9. xvij. 5, 6. Zach. 13. ℣. 3. Paulus ait de Apoſtolis, eos *reputatos fuiſſe velut oves mactationi deſtinatas*, Rom. 8. 36. ex Pſal. 44. ℣. 23. Exempla vero ejuſmodi violentiæ, qua Judæi in Apoſtolos uſi ſunt, vide Act. 8. 1. ix. 11. xij. 2. xxiij. 14.

Verſ. 3. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*] Cauſam affert, hujus tanti odii, quod ſcilicet neque Patrem, neque ſe noverint. Quibus verbis ſimul diſcipulos ſolatur, & ad patientiam exhortatur: quaſi dicat, Qui hæc vobis facient, illi magis commiſeratione digni ſunt, quia non norunt neque Patrem meum neque me. Patrem non norunt, dum neſciunt, eum eſſe adeo propenſum in genus humanum, eumque magis delectari cordis puritate, quod ego doceo, quam externo ac rituali cultu; cui illi tantum tribuunt. Me vero non norunt, quia ea non conſiderant, quibus convinci & adduci poſſent ad credendum, me a Patre miſſum eſſe. Unde ſatis liquet, hanc eorum ignorantiam nullo modo fore excuſabilem. Vide ſupra cap. 15. 22. Et Paulus ait de Judæis, eos *habere zelum Dei, ſed abſque ſcientia*, Rom. 10. 3.

Verſ. 4. *Sed hæc locutus ſum vobis, ut ubi venerit hora, memineritis eorum, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis à principio non dixi, quia vobiſcum eram.*] Reddit cauſam, cur eis hunc tam periculoſum ſtatum ipſorum prædixerit, quem videtur potius reticere debuiſſe, ne ſcandaliſarentur. Quaſi dicat: Hæc illi vobis facient, & ea prædixi vobis non ut ſtudeatis ea evitare, id enim fieri non poterit; ſed ut cum iſta evenerint, in memoriam revocetis vobis, ea à me prædicta eſſe, & ſic fortius inſtantia mala ſuſtineatis: ut etiam ſupra ℣. 1. indicatum eſt.

Hæc autem vobis a principio non dixi.] Affert rationem, cur eis dudum iſta de tam triſti ſtatu non dixerit, ſed ad tempus diſceſſus ſui id diſtulerit: quia nimirum ipſe cum eis fuerit, adeoque eos adverſus omnia pericula defenderit; nunc autem cum ab eis diſceſſurus ſit, & illi ſoli ſint manſuri, neceſſarium omnino fuit, ut iſta eis proponerentur, ne eos venientia ſubito pericula improviſos, & nec opinantes opprimerent.

Quia vobiſcum eram.] Quaſi tunc cum hæc loqueretur, cum eis non eſſet! Sic loquitur, quia brevi erat abiturus ab eis, ut paulo poſt ipſe indicat. Hic vero quæſtio oritur, quomodo Chriſtus dicat, nihil ſe illis de futuris dixiſſe perſecutionibus, cum tam copioſe de illis locutus fuerit antea apud Matthæum: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos, & ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis*, &c. Matth. 10. 16. & ſeqq. Et cap. 24. 9. *Tradent vos in afflictionem, & trucidabunt vos, & eritis exoſi omnibus gentibus propter nomen meum.* Ad hanc quæſtionem reſpondemus, Chriſtum quidem in genere ipſis denunciaſſe multas afflictiones antea; ſed has eis inferendas eſſe ab eorum popularibus ac propinquis, & quidem ſub religionis ſpecie, id eis nunquam tam clare & evidenter expoſuerat, quam nunc. Etſi enim in loco Matth. 24. 9. inter gentes, quibus exoſi eſſe debebant, etiam Judæi comprehendebantur, non tamen eos tam aperte digito monſtraverat, quam hic. Verba enim, *quia non norunt Patrem, neque me*, clare indicant, eum non de alia natione, quam de Judæis loqui, cum nonniſi inter eos vitam egerit, & illi ſoli occaſionem ejus cognoſcendi habuerint.

PARS II.

Verſ. 5. *Nunc autem abeo ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo abis?*] Hæc verba nonnulli Auctores cum præcedentibus jungunt, quaſi dixerit Chriſtus: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram; nunc autem, cum ad Patrem eam, dico vobis, quamvis nemo veſtrum interroget me, quo abeam. Sed hæc ipſa verba, *nemo ex vobis interrogat me, Quo abis?* indicant, ea à præcedentibus non pendere, neque ad ea pertinere. Quid enim hæc interrogatio, quorſum eat, commune habet cum eo, quod illis nunc demum, cum ad Patrem proficiſcatur, de afflictionibus locutus ſit? Quocirca ſtatuendum his verbis inchoari ſecundam hujus Capitis partem, in qua omni modo diſcipulos in eorum mærore conſolari ſtudet. Ac primo occaſionem ipſe ſumit ad eos conſolandos, injecta rurſus mentione ſui abitus ad Patrem, de quo egerat ſupra cap. 14. 3, 28.

Et nemo ex vobis interrogat me, Quo abis?] Videtur Chriſtus poſt prolata ſuperiora verba nonnihil in ſermone ſuo ſubſtitiſſe ac ſiluiſſe, experturus, quid ipſi ad ea dicturi eſſent, & utrum interrogaturi eſſent, quo abiret: ut haberet occaſionem eos melius inſtituendi. Sed cum illi præ luctu & animi perturbatione tacerent, duo in eis reprehendit. Primum, quod id omitterent facere, quod facere deberent: deinde quod id facerent, quod merito deberent omittere. Primum erat, quod nemo ipſorum interrogaret, quo abiret. Petrus quidem interrogaverat non multo ante, cap. 13. 36. *Domine, quo abis?* Et Thomas quoque dicebat cap. 14. 5. *Domine, neſcimus quo abeas, & quomodo poſſumus viam ſcire*; quibus verbis ſatis innuebat, ſe ſcire velle, quo eſſet abiturus. Sed Chriſti mens erat, eos nunc

cum

cum discessus ejus instabat, debuisse diligentius & accuratius interrogare, sicut solent amantes facere, qui identidem interrogant de iis, quæ ipsis auditu ingrata sunt; ut ita prout diximus occasionem haberet ad eos, quod libenter faciebat, exactius instruendos.

Vers. 6. *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*] Hoc est alterum, quod Christus in discipulis reprehendit. Indicat causam ipsorum silentii; ea vero est tristitia, quæ adeo occupavit eorum animos, ut interrogationis oblivisceretur: Simulque innuit, eos non debere adeo tristitiæ laxare habenas, ut ea impediantur, quominus porro interrogent de eo, in quo ipsis plurimum erat situm, quoque nihil erat efficacius ad luctum ac mærorem ipsorum reprimendum.

Implevit.] Est figurata locutio, per quam summa tristitia, qua nulla major esse potest, significatur: æque ut in vas nihil amplius infundi potest, quando plenum est.

Vers. 7. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego abeam. Nisi enim abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.*] Occasione tristitiæ, cujus modo fecit mentionem, affert primam consolationem; quæ in eo consistit, quod abitus suus ipsis futurus sit utilis. Perinde ac si diceret; Tristitia implevit cor vestrum ob discessum meum, sed si intelligeretis, quid vobis commodi sit inde proventurum, non tristaremini, sed vehementer gauderetis. Potuisset dicere, Mihi expedit: qua re ipsi tanquam summi amici sui felicitate merito gaudere atque lætari debuissent. Sed Christus rationem habens eorum infirmitatis, potius eos consolatur ipsorum utilitate proposita, quam sua.

Ego veritatem dico vobis.] Vult dictis suis attentionem conciliare, & fidem, ut credant, eum nihil falsi prolaturum: ut pote cum in ore ejus nullus repertus sit dolus 1 Pet. 2. 27.

Ut ego abeam.] Ad accipiendum Regnum, quod mihi à Patre meo destinatum est.

Nisi enim abiero, paracletus non veniet ad vos.] Propterea dicit, expedire illis, ut ipse abeat, quia expediebat utique eis, ut paracletus ad eos mitteretur, qui nisi ipse abiret, mitti non poterat: quia nimirum ista missio erat unum ex illis, quæ ad majestatem Regni Christi, quod in cœlis administrare debebat, pertinuerunt. Hinc Johannes supra dixit cap. 7. 39. *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Si autem abiero, mittam eum ad vos.] Supra cap. 14. ℣. 26. missionem hanc Patri adscribit: is enim est prima causa hujus missionis, Christus secunda & media. Vide ad dictum locum. Quam auguste autem & quanta cum majestate Christus Spiritum Sanctum de cœlo miserit, Lucas copiose descripsit Act. 2. Vide ibidem. Est autem in eo magna vis, cum non simpliciter dicit, Spiritum Sanctum esse venturum, sed se eum esse *missurum*. Sic enim firmius promissioni ipsius credere poterant, cum audirent, Spiritum Sanctum non ex alienis, sed ex ipsius manibus esse expectandum. Luc. 24. 49. promittit quidem Spiritum Sanctum, sed non addit, à quo mittendus sit, Act. 1. 4. vocat promissionem Patris. Supra cap. 15. 26. dixit, eum à Patre procedere: cap. 14. 26. Patrem eum missurum esse, sed subjungit, *in nomine meo.* Verum uterque & Pater, & ipse mittit Spiritum Sanctum, ut supra cap. 14. 16, indicavit, & Petrus Act. 2. 33. Quare magnam hoc afferebat consolationem discipulis in ipsorum tristitia, quod Spiritus Sanctus debuit illis mitti. Qui quam magnas res esset effecturus, declarat Christus in sequentibus.

Vers. 8. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.*] Hic Christus explicat, quid Spiritus Sanctus, ubi venerit, in mundo acturus sit, & quid utilitatis Apostolis ac discipulis suis allaturus: ostenditque tria acturum esse Spiritum Sanctum, quorum primum spectat mundum, alterum Apostolos, tertium Christum ipsum. I.
Primum continetur his verbis: *Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Supra ad cap. 14. ℣. 16, annotavimus vocem παράκλητον tum Consolatorem tum Advocatum denotare, qui partis læsæ causam suscipit & agit. Hic ergo introducitur tanquam advocatus, qui adversus mundum causæ Christi patronus erit, mundumque de justitia ejus convincet. Verbum ἐλέγχειν *arguere* non tantum significat ita aliquem irrefragabilibus argumentis de re aliqua convincere, ut is vel ore profiteatur, vel saltem conscientia sua agnoscat, rem ita se habere: sed denotat quoque simpliciter & quocunque modo aliquid probare ac demonstrare, etsi is cui demonstratur, id non agnoscat. Et hoc posteriori sensu verbum istud hoc loco accipitur. Christus enim per missionem Spiritus Sancti mundum, quod Judæorum maximam partem attinet, non ita coarguit & convicit, ut re ipsa causam Christi justam esse agnoscerent, & ad ipsum se converterent; sed ita, ut quilibet qui judicio sanæ rationis uti voluit, facile eam justam esse agnoscere posset.

Vers. 9. *De peccato quidem, quia non credunt in me.*] Incredulitatem vocat peccatum κατ' ἐξοχήν seu per excellentiam. Et sane hoc fuit gravissimum Judæorum peccatum ex iis omnibus, quæ unquam commiserunt, quod doctrinam Christi, quam ille tot stupendis miraculis ac signis confirmavit, non susceperint, sed eam rejecerint, ipsumque tanquam blasphemum & Legis transgressorem occiderint. Per mundum enim intelligit incredulam nationem Judaicam. Reliquæ enim nationes ac populi non poterant tunc incredulitatis hujus redargui, quia Euangelium eis nondum fuit annunciatum. Increduli autem Judæi ita per Spiritum Sanctum sunt peccati hujus convicti, dum, illo veniente, excellentissimo modo apparuit, Christum esse illum Prophetam, quem Deus Judæis è fratribus ipsorum se excitaturum promiserat Deut. 18. 18. eosque adeo divinam illam commeruisse pœnam, quam Deus comminatus est iis, qui ipsi dicto audientes non fuerint. Senserunt, eum morte superata in cœlis regnare; quandoquidem Spiritum Sanctum de cœlo super Apostolos effudit, eosque miraculosis donis tam multarum linguarum, nec non animo intrepido ac forti ad docendum & de resurrectione sua testandum instruxit. Inprimis vero per insignem illam concionem Petri

Apo-

Apoſtoli, à Spiritu Sancto in conſcientiis ſuis convicti ſunt. Cum enim Petrus illis ob oculos poſuiſſet, quomodo innocentiſſime trucidatus ab illis fuerit Chriſtus Filius Dei, & quomodo eum Deus ſuſcitaverit à mortuis, & ad dexteram ſuam collocarit in cœlis, unde miſerit hanc miraculoſam vim Spiritus Sancti, cujus videant & ſentiant effectus; legimus illos compunctos in cordibus ſuis, ad Petrum & cæteros Apoſtolos dixiſſe: *Quid faciemus, viri fratres?* Quibus verbis peccata ſua fatebantur ac deteſtabantur: ita ut quaſi tria millia animarum illo die in Chriſtum crederent, Act. 2. 37, 41. Huc accedit quod Apoſtoli poſt miſſionem Spiritus Sancti in nomine Jeſu Chriſti Nazaræni tanta aut etiam majora fecerint miracula quam ipſe in terris, adeo ut etiam ſola umbra eorum ægroti ſanarentur, Act. 3. 6. v. 15. Increduli autem, qui in ſua pertinacia & odio adverſus Chriſtum nihilominus perſtiterunt, potuerunt terribili illo judicio, quod non multo poſt Hieroſolymam perdidit, convinci in eo, quod Deus illas jam exequatur pœnas, quas ipſe interminatus eſt Propheræ illius vocem minime audientibus, Deut. cap. 18. 18. Sufficit enim, eos potuiſſe hoc documento convinci, etſi corda eorum tam indurata fuerint, ut ne evidentiſſimis quidem documentis cederent.

Verſ. 10. *De juſtitia vero, quia vado ad Patrem, & amplius non videbitis me.*] Res altera, de qua Spiritus Sanctus mundum arguet, eſt juſtitia. Eſt vero omnino juſtitiæ conſentaneum, ut qui Dei cauſa multis ſubjecti ſunt malis & afflictionibus, dignum præmium reportent. *Eſt hoc indicium*, inquit Paulus, *juſti judicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam patimini*, 2 Theſſ. 1. 5. Et ſcriptor ad Hebræos: *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, &c, Hebr. 6. 10. Quapropter etiam juſtum fuit, ut Deus Chriſtum, qui ignominioſiſſimam mortem Deo ſic jubente ſuſtinuit, è terra in cœlum tranſferret, eique nomen, quod eſt ſupra omne nomen, donaret. Ubi ille nunc ab omni malo atque ignominia liber de hoſtibus ſuis triumphat. Hoc vero Spiritus Sanctus arguet ac demonſtrabit, quia miſſio Spiritus Sancti de cœlo, & miraculoſa virtus, quæ ſe in nomine Domini Jeſu exeret, certum erat argumentum, Chriſtum in cœlum ad Patrem ſuum eſſe tranſlatum. Qua de re etiam Petrus in celebri ſua concione modo memorata agit, docens, Deum ſuſcitaſſe eum à mortuis, ſolutis doloribus mortis; eundem dextra Dei eſſe exaltatum & Spiritus Sancti promiſſionem accepiſſe à Patre, denique à Deo Dominum ac Chriſtum effectum eſſe, Act. 2. 24, 33, 36.

Et amplius non videbitis me.] Gr. θεωρεῖτε, *videtis*. Præſens pro futuro. His verbis indicatur nihil aliud, quam eum ex oculis eorum ſublatum iri, ac ſimul ab omnibus adverſitatibus ac perſecutionibus immunem fore: quod conſequens eſt illius, quod prius dixerat, ſe abiturum ad Patrem. Maluit autem dicere, *& vos amplius non videbitis me*, quam, mundus me non videbit amplius: quia ſoli Apoſtoli viſuri erant eum aſcendentem in cœlum: quaſi dicat, Vos me videbitis, non mundus, euntem ad Patrem, & poſtea me non videbitis amplius; tollar enim ab oculis veſtris, Act. 1. 9. Alii aliter hæc verba exponunt, hoc modo, quod reſurrectio ejus ex mortuis, quæ à tot oculatis teſtibus confirmata eſt, ejuſque in cœlum aſſumtio, mundum ſatis ſuperque convincet, Chriſtum fuiſſe præconeum juſtitiæ, etſi tanquam maleficus truculenta & infami morte crucis afficietur. Cujus exemplum patuit in Centurione, qui viſis circa mortem Chriſti miraculis, metu perculſus exclamavit: *Vere hic homo fuit Filius Dei*, Matth. 27. 54. Quid ille de Chriſto ſenſiſſet, ſi de reſurrectione ejus & aſcenſione in cœlum aliquid accepiſſet? Vide etiam Luc. 23. 48.

Verſ. 11. *De judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus eſt.*] Ad judicium, quod de controverſia inter partes litigantes habetur, pertinet etiam merita pœnæ & ſupplicii irrogatio. Levit. 24. ℣. 20. ut nimirum qui malum injuſte intulit alteri, malo viciſſim afficiatur. Jam vero Diabolus fuit præcipua cauſa inſontis mortis Chriſti, ut Chriſtus ipſe ſupra cap. 14. 30. indicat, inquiens: *Venit princeps hujus mundi, ſed in me non habet quicquam.* Quocirca juſtiſſime in eum jure talionis judicium exercebitur, dum regnum eius deſtruetur: quod illi inſtar mortis erit. Regnum autem ejus deſtructum eſt, cum idololatria aliaque peccata, per quæ in toto ferme mundo regnavit, exſtirpata ſunt: quod factum eſt virtute Spiritus Sancti. Atque hoc eſt, quod Chriſtus dixit ſupra cap. 12. 31, *Nunc eſt judicium hujus mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Hoc etiam Petrus in ſua concione innuit, dum verba Pſal. 110. 1, *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, manifeſte ad Chriſtum applicat, oſtendens, ea per exaltationem Chriſti eſſe impleta, Act. 2. 34. Et profecto potuerunt Judæi de hoc judicio ac deturbatione Diaboli convinci, quando viderunt, Euangelium Chriſti in univerſo orbe terrarum ab uno mundi extremo ad alterum perſonuiſſe Rom. 10. 18, nomenque Chriſti ubique locorum factum eſſe notum, atque ita regnum Diaboli eradicatione idololatriæ & fædiſſimorum flagitiorum in tot millibus Chriſtianorum eſſe everſum: idque factum per homines tam paucos, & viles, per ignobiles piſcatores, nulla carnali potentia, nulla ſapientia inſtructos, ſed ſola virtute Spiritus Sancti, quem Chriſtus in eos effudit: præterea tempore tam brevi, ut Paulus ſolus de ſe ſcribat, ſe ab Hieroſolyma & circum jacentibus regionibus uſque ad Illyricum Euangelium Chriſti impleviſſe, Rom. 15. 19. Hac igitur triplici ratione per Spiritum Sanctum, tanquam fidelem Chriſti advocatum cauſæ ipſius juſtitia toti mundo demonſtrata eſt, non ſine inſigni fructu in multorum piorum animis.

Verſ. 12. *Adhuc multa habeo, qua dicam vobis, ſed nunc non poteſtis portare.*] Sequitur Secunda actio Spiritus Sancti de cœlo venturi, quæ concernit Apoſtolos: ea erat, quod Apoſtolos in multis quæ ignorabant, quæque portare non poterant, inſtructurus eſſet. Cum Chriſtus difficilem admodum ſermonem ingreſſus eſſet, quaſi animadvertens, altiora ſe attingere myſteria, quam quæ intelligi tunc ab Apoſtolis poſſent, orationis curſum inhibuit.

Ita

Ita vero inhibuit, ut ſpem illis certam injiceret, fore, ut ea non longe poſt illis per Spiritum Sanctum revelet.

Sed nunc non poteſtis portare.] Officium boni Magiſtri poſtulat, ut ſe ad captum ac vires diſcipulorum ſuorum attemperet in docendo, neque omnia ſimul effundat, ſed aliqua maturiori ipſorum judicio reſervet. Vide 1 Cor. 3. 1, 2, 3. Hebr. 5. 11. Hoc Chriſtus quoque fecit, ſeque multa, illis ſcitu atque intellectu neceſſaria, nunc ſilentio prætermittere indicat.

Verſ. 13. *Cum autem venerit ille, Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcunque audierit loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis.*] Pronomen *ille* non cohæret cum ſequenti voce *Spiritus*, ſed reſpicit ad vocem *Paracletus*, cujus mentionem Chriſtus fecit vſ. 7. eumque venturum dixit.

Spiritus veritatis.] Vide ſupra cap. 14. 17.

Deducet vos in omnem veritatem.] Vox *omnem* non latius accipienda, quam ſubjecta materia patitur: in omnem intellige veritatem, quæ ad munus ipſorum Apoſtolicum, ad Eccleſiam Chriſtianam in toto mundo colligendam, ipſis erit neceſſaria. Quo pertinebat, ut naturam ſpiritualis regni Chriſti bene intelligerent, utque ceremonias legales cum eo nihil commune habere ac proinde abrogandas eſſe, & præterea Ethnicos quoque hujus regni participes eſſe debere ſcirent. Quod Petrus ne poſt acceptum quidem Spiritum Sanctum ſatis intelligebat, Act. 10. vſ. 34. Inveterata & alte in animis Apoſtolorum radicata opinio de terreno Chriſti regno potiſſimum eos ineptos reddiderat, ad ſublimia Regni Dei myſteria comprehendenda. Itaque per veritatem illa veritas intelligitur, quam nunc nondum capere atque intelligere poterant.

Deducet.] Græcum verbum ὁδηγήσω proprie ſignificat *monſtrare viam*: quod hic ſingularem habet emphaſin. Innuit enim Chriſtus, Spiritum Sanctum non qualicunque modo eos inſtructurum, ſed manuductoris inſtar, qui aliquem per ignotam viam ab initio uſque ad finem ducit, eos quoque per omnia genera neceſſariæ veritatis, facto à rebus minoribus initio uſque ad ſummum divinorum myſtericrum faſtigium eſſe ducturum. Ita autem Spiritus Sanctus Apoſtolos docuit, ut ſimul intellectum eorum acueret, & ignis inſtar à ſcoria carnalis opinionis & paternarum traditionum repurgaret, vimque eis & aptitudinem ad capienda divina myſteria, quæ modo capere non poterant, largiretur.

Mirum eſt, Pontificios ex hoc loco probare velle, Apoſtolos non omnia quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria erant, in ſuis ſcriptis tradidiſſe, ſed præter ſcripta Apoſtolica, opus eſſe Traditionibus non ſcriptis, quas illi viva voce docuerint: quæque in Eccleſia Romana per manus ſuccedentium aſſervatæ ſint. Ex hoc loco quidem intelligitur, Chriſtum Apoſtolis propter imbecillitatem intellectus eorum non omnia ad munus ipſorum pertinentia religionis Chriſtianæ myſteria revelaſſe, poſtea vero eos perfectam horum rerum ſcientiam ac cognitionem per Spiritum Sanctum accepiſſe. At quæ obſecro, eſt hæc conſequentia: Apoſtoli ante acceptum Spiritum Sanctum non omnia myſteria intelligere potuerunt; Ergo poſtquam Spiritum Sanctum acceperunt, & omnia myſteria perfecte intellexerunt, non omnia quæ hominibus ſunt ad ſalutem neceſſaria in ſuis ſcriptis tradiderunt? Imo contrarium potius inde meliori jure colligi poteſt: nempe quia in omnibus, quæ ad erigendam & conſervandam Chriſtianam Eccleſiam requiruntur, per Spiritum Sanctum perfecte edocti atque informati ſunt, conſentaneum eſt, eos pro exigentia muneris ſuis nihil eorum omiſiſſe ſcripto ad poſteritatem tranſmittere, quæ ad ſalutem hominum, ad quam promovendam unice directum erat eorum munus, erant neceſſaria. Facile enim vi Spiritus Sancti intellexerunt, quæ ore tantum proponuntur, facile in oblivionem venire, aut adulterari poſſe. Sed præterea quænam ſunt illa ſublimia myſteria, quæ juxta Pontificiorum ſententiam Apoſtoli tunc portare non potuerunt? Videlicet de Miſſa, de indulgentiis, de aſſumptione in cœlum Virginis Mariæ, de invocatione Sanctorum, de adoratione crucis vel imaginum, de purgatorio, de jejuniis & diebus feſtis, & ſimilibus: quorum potius ipſos pudere deberet, quam ea pro Apoſtolicis traditionibus mundo obtrudere. Sciendum quippe eſt, ea, quorum explicatio uſque ad Spiritus Sancti adventum à Chriſto dilata fuit, tam difficilia & ſublimia fuiſſe, ut abſque peculiari revelatione Spiritus Sancti ab Apoſtolis non potuerint comprehendi. Pontificiorum autem traditiones, quas illi Apoſtolicas vocant, ſunt vel tam faciles intellectu, ut eas etiam pueri & vetulæ quoque perfectiſſime tenere poſſint, tantum abeſt, ut Apoſtoli, qui à Chriſto inſtituti tanto tempore fuerunt, non potuerint eas intellectu ſuo capere: vel tam ſunt abſurdæ & rationi omni contrariæ, ut propterea percipi nequeant, quia implicant contradictionem, & ipſæ ſecum pugnant. Talis eſt doctrina de Trinitate, & quæ ei annexæ ſint de æterna Filii Dei generatione ex Patris eſſentia, de incarnatione Chriſti, de unione duarum naturarum in Chriſto, de communicatione idiomatum: quas omnes doctrinas doctiſſimi Pontificiorum fatentur ex Sacris Literis probari non poſſe, ſed traditiones eſſe Apoſtolicas. Petrus Scarga Jeſuita ſuper verba Chriſti Matth. 28. 18, ſcribit lib. 1. pag. 82. edit. ſecund. *Apoſtolos dogma Trinitatis propter ipſius difficultatem initio reticere ſolitos fuiſſe, eoque Petrum in illa prima ad Judæos concione nihil prorſus de divinitate Chriſti diſſeruiſſe, ſed tantum Dominum & Chriſtum a Deo factum, quem illi in crucem egiſſent, commemoraſſe; & Apoſtolum Athenis in Areopago, unum Deum univerſi conditorem prædicaſſe, de Chriſto hæc tantum attuliſſe, quod Deus eum a mortuis excitaverit, & mundi judicem conſtituerit:* rationemque porro ejus rei reddit, nempe *ne deitate Chriſti patefacta, multitudinem Deorum introducere viderentur.* Alter vero Jeſuita inſignis Petavius, ſcribit in libris ſuis de Trinitate, dogma hoc demum tempore Nicæni Concilii, quod anno Chriſti 325, celebratum eſt, poſt longum certamen cum Arianis, Eccleſiæ Romanæ eſſe patefactum. Si ergo id Apoſtoli non docuerunt, ne multitudinem Deorum introducere viderentur, ut ait Scarga, ſequitur, id non eſſe dogma Apoſtolicum. Si autem temporibus Concilii

Nicæ-

Nicænii, tam longo poſt Apoſtolos tempore demum eſt revelatum, ut aſſerit Petavius, quomodo probabunt, id ab Apoſtolis traditum eſſe, aut divinum dogma eſſe? Omnes Apoſtolicæ traditiones debuerunt ab Apoſtolorum ævo perpetuo & continuo in Eccleſia vigere. At hæc non viguit, ſed 225 anno Chriſti demum in lucem prodiit. Quid ergo de ea ſentiendum ſit, facile intelligitur: Saltem fatendum eſt, eam non eſſe ullo modo ad ſalutem neceſſariam. Quicquid enim Apoſtoli omittere in docendo potuerunt, id oportet non fuiſſe omnino ſcitu ac creditu neceſſarium: quia Apoſtoli nihil reticuerunt earum rerum, quarum ignoratio hominibus jacturam ſalutis afferre poterat. Hoc teſtimonium tam celebrium ac doctorum virorum bene perpendere omnes illi deberent, qui hoc myſterium, ut vocant, Trinitatis, ex Sacra Scriptura conantur exſculpere. An enim iſti poſſunt oculatiores eſſe, quam illi modo citati Doctores Pontificii? Ajunt, Pontificios id dicere propterea, ut ſuas Traditiones & Verbum Dei non ſcriptum hoc pacto ſtabiliant & evincant. Eſto: ſed cur præcipue hunc articulum religionis Chriſtianæ ſumunt pro exemplo? cur non dicunt, non eſſe ex ſcriptura probandum ſed tantum ex traditione, quod Deus unus ſit, quod Chriſtus ſit Meſſias, quod è Virgine ſit natus, quod detur reſurrectio mortuorum, & vita æterna. Nempe quia iſta tam clare & expreſſe in Sacris Literis ſcripta ſunt, (uti & omnia alia ad ſalutem neceſſaria) ut nemo tam impudens ac inverecundus ſit, qui negare poſſit, ea in Sacris Literis reperiri. Hunc autem articulum de Trinitate illi audacter producunt in proſcenium, & tanta fiducia id urgent, eum ex Sacra Scriptura demonſtrari non poſſe. Unde hoc ſaltem efficitur, dogma Trinitatis non eſſe claris & expreſſis verbis in Sacris Literis traditum, ſed longe petitis incertis atque controverſis conſequentiis demum eſſe eruendum. Ex quo tandem merito concluditur, id ad ſalutem neutiquam eſſe neceſſarium, eoſque iniquiſſime odio haberi & omni perſecutionum genere vexari, qui ei contradicunt. Sed age res ipſa loquatur. Producant locum aliquem, ubi expreſſe ſcriptum ſit, Deum eſſe unum eſſentia, & trinum perſonis; Chriſtumque & Spiritum Sanctum eſſe eundem Deum ſummum, qui Pater eſt. Quin contrarium facilius monſtrari poteſt: cum innumera loca in Novo Teſtamento inveniantur, è quibus patet, ſolum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe Deum ſummum. Ac de Spiritu Sancto quidem, quod Deus ſummus non ſit, invictum mox in ſequentibus habebimus argumentum, ut patebit in fine ℣. 15.

Non enim loquetur à ſemetipſo.] Pergit Chriſtus in figurata locutione, qua Spiritum Sanctum introducit tanquam legatum, qui de cœlo mittendus ſit, ad cauſam ſuam defendendam, & tanquam Magiſtrum ac Doctorem, qui Apoſtolos in omnem veritatem deducturus ſit. Probat autem Chriſtus his verbis, quod antea dixerat; eum ipſos in omnem veritatem eſſe ducturum, quia id quod docebit, non à ſemetipſo loquetur, id eſt, non ſuo proprio arbitrio, & prout ipſi videbitur, proferet. Idem Chriſtus etiam de ſe pronunciat ſupra cap. 7. 18. 14. 10.

Sed quæcunque audierit loquetur.] Quæcunque audierit, intellige à Patre, id eſt, quæcunque ipſi tanquam legato ſuo Pater loqui mandaverit. Hoc ipſum etiam Chriſtus de ſe affirmat. Supra cap. 5. ℣. 30. viij. 26.

Et quæ ventura ſunt, annunciabit vobis.] Revelabit vobis quid vel cum mundo, vel cum Judaico populo, vel cum Eccleſia impoſterum agetur. Hoc pertinet ad Propheticum Spiritum, qui non Apoſtolis ſolum, ſed & aliis fidelibus fuit conceſſus; de quo Act. 13. 1. Eph. 4. 11. Ita Agabus famem prædixit ſub Claudio Cæſare, Act. 11. 28. & Paulum vinctum deductum iri Romam, Act. 21. 11. Ita Paulus prædicit noviſſimis temporibus, multorum à fide defectionem, 1 Tim. 4. 1. 2 Tim. 3. 2. adventum Anti-Chriſti, 2 Theſſ. 2. 3. & ſeqq. Huc etiam pertinet tota Apocalypſis Johannis, in qua continentur prophetiæ de mirabili ſtatu Eccleſiæ Chriſti ab illo tempore uſque ad finem mundi. Apocalypſis.

Verſ. 14. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & renunciabit vobis.*] Hæc eſt tertia utilitas, quam afferet Spiritus Sanctus, quæ Chriſtum ſpectat: quod nimirum nomen ejus in terris glorioſum efficiet. Hac glorificatione inprimis reſpicit Chriſtus ad dictum proxime antecedens, oſtenditque, id cum ſumma gloria & honore nominis ſui conjunctum fore, quando diſcipuli ejus per Spiritum Sanctum futura annunciabunt. Alioqui Chriſtus etiam per Spiritum Sanctum glorificatur, quando is per prædicationem Euangelii teſtatur, eum eſſe Filium Dei & unicum illum Servatorem mundi: maxime autem quando id teſtificando efficit, ut multa millia in Chriſtum credant, ipſiuſque imperio ſe ſubjiciant: uti factum eſt unica concione Petri, qua uno die 3000. hominum ad Chriſtum converſa ſunt, Act. cap. 2. 41. Huc facit, quod eadem Apoſtolica teſtatur hiſtoria, *Dominum quotidie addidiſſe Eccleſiæ eos, qui ſalvi fierent*, Act. 2. 47. & quod legimus Act. 3. 6. Petrum *in nomine Jeſu Chriſti Nazareni* ſanaſſe hominem à nativitate claudum, & præclara concione habita, totum hoc miraculum Chriſto adſcripſiſſe: unde factum eſt, ut hominum 5000, fidem in Chriſtum ſuſciperent, Act. 4. 4.

Quia de meo accipiet, & renunciabit vobis.] Reddit Chriſtus cauſam, cur id quod Spiritus Sanctus docebit & annunciabit, in gloriam ſuam redundabit, quia nimirum id de ſuo accipiet, & ex ſuis archivis, ut legati ſolent.

Verſ. 15. *Omnia quæ habet Pater mea ſunt; propterea dixi, illum de meo accepturum, & renunciaturum vobis.*] Quia cogitare aliquis poterat, cur dixerit, Spiritum Sanctum de ſuo accepturum, & non potius, eum de Patris rebus accepturum, cum proprie à Patre procedat & mittatur; ideo hic indicat arctam ſuam cum Patre conjunctionem: quod nimirum Pater nihil tam arcanum habeat in ſuis conſiliis, cujus eum non faciat conſcium, quodque Pater ſcientiam rerum futurarum & omnia decreta ſua, quæ tangunt Eccleſiam, ſibi communicet. Vox *omnia* ea tantum in ſe complectitur, de quibus ſermo eſt: ea ſcilicet quæ Spiritus Sanctus Apoſtolis de rebus futuris annunciabit, aut quæ cæteroquin ad munus Apoſtolorum requiruntur.

Propterea dixi, illum de meo accepturum & re-

nunciaturum vobis.] Hoc ſequitur ex præcedentibus. Cùm enim ipſe & Pater omnia habeant communia, inde ſequitur, Spiritum Sanctum, quicquid à Patre accipiet, ſimul etiam de ſuo accepturum. Ipſe enim eſt conſors omnium bonorum paternorum, & hæres, Hebr. 1. 2. Vide etiam Luc. 15. 31. Chriſtus ſeipſum hic ſpectat tanquam alterum dominum una cum Patre, Spiritum Sanctum autem tanquam utriuſque œconomum ac diſpenſatorem, qui de ipſorum rebus accipiens, eas diſtribuat.

Verba hæc Chriſti, *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*, vulgo allegari ſolent ad probandum, Chriſtum eſſe Deum altiſſimum. Cùm enim dicit, Omnia ſua eſſe, quæ Pater habet, non dubium eſſe cenſent, quin eſſentiam quoque intelligat. Vocem enim *omnia* univerſalem eſſe, & res cunctas in ſe complecti, nihil excludere. Reſpondeo. Quod vox *omnia* non ſemper ita univerſaliter accipienda ſit, ut res cunctas in ſe complectatur, nulla excepta, ſed quod plerumque, latius non extendatur, quam res, de qua agitur, permittit; id non ex communi ſolum loquendi uſu, ſed etiam ex plurimis Sacrarum Literarum exemplis conſtat. Vide Matth. 17. 11. Marc. cap. 13. 23. Luc. 11. 41. Joh. 4. 25. xiv. 26. xv. ℣. 5, 15, 22. xvj. 13. xix. 28. Rom. 14. 2. 1 Cor. 2. 15. Gal. 3. 22. 2 Tim. 2. 10. Tit. 1. 15. 2 Pet. 3. 4. Apoc. 22. 5. In Actis Apoſtolicis memoratur, fideles *omnia inter ſe habuiſſe communia.* Quis vero inde velit inferre, eos omnes unam habuiſſe eſſentiam? Et Joh. 17. 10, ait Chriſtus ad Patrem, *Omnia mea tua ſunt.* An ergo & Pater habet eandem humanam naturam, quam habet Filius? Imo ne unicum quidem exemplum dari poteſt, quando de duabus aut pluribus diſtinctis perſonis dicitur, eas omnia habere communia, ut voce *omnia* etiam eſſentia illarum perſonarum comprehendatur. Et fortaſſis nullum reperietur exemplum, talis locutionis, in qua vox *omnia* tam laxa & univerſali ſignificatione accipiatur, ut nullam prorſus exceptionem patiatur. Omnia quæ ſunt in rerum natura, comprehenduntur cœli ac terræ ambitu. Cum ergo dicitur, Deum omnia creaſſe, quæ ſunt in cœlo & in terra, non tamen id illimitate prorſus intelligendum eſt: nam Deus ipſe excipitur, qui in cœlis eſt. Hinc Paulus Apoſtolus 1 Cor. 15. 27, cum dixiſſet Chriſto omnia ſubjecta eſſe à Deo, addit protinus: *Palam eſt excipi eum, qui ſubjecit ei omnia.* Quare hoc loco quoque vox *omnia* eſt ad ſubjectam materiam, de qua Chriſtus agit, reſtringenda. Omnia intellige, quæ Spiritus veritatis Apoſtolis revelabit, quæ ad munus ipſorum & bonum Chriſtianæ Eccleſiæ pertinent: quibus in rebus Pater nihil Chriſtum celavit, ſed omnia arcana conſilia ſua ei communicavit; ut ita jure dicere Chriſtus potuerit, Spiritum Sanctum id, quod Apoſtolos docebit, de ſuo accepturum, etſi id alioqui Patris ſit.

Porro in hoc verſiculo & duobus ſuperioribus continetur argumentum evidens, quod Spiritus Sanctus non ſit Deus ſummus. Nam primo dicitur ℣. 13, eum *nihil locuturum à ſemetipſo*, id eſt, proprio ſuo arbitratu ac voluntate: deinde, eum *quæcunque audierit locuturum:* Tertio eum id quod annunciabit Apoſtolis *de eo quod Chriſti eſt accepturum* ℣. 14. Ac priora quidem duo de illo dicuntur, ut ratio reddatur, cur Spiritus veritatis appelletur, quia nimirum *non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit loquetur.* Tertium vero ideo de eo dicitur, ut probetur, eum Chriſtum glorificaturum. Hinc jam perſpicuum eſt, Spiritum Sanctum Deum ſummum non eſſe. Quicquid enim loquitur Deus ſummus, à ſeipſo loquitur, & ob id ipſum verax eſt, quia à ſemetipſo loquitur. Non audit etiam ille ab alio, quid loqui debeat; nec legati inſtar à quoquam inſtruitur. Nihil accipit ille à quoquam; imo de ſuo omnibus largitur. Non glorificavit is Chriſtum, aliquid ab eo accipiendo, ſed ei dando. Quomodo igitur Spiritus Sanctus Deus ille ſummus eſſe poteſt? Cum Chriſtus alibi (ſupra cap. 7. 16, 17, 18. xiv. 10.) de ſeipſo idem affirmat, & teſtatur, doctrinam ſuam non ſuam eſſe, ſe non loqui à ſemetipſo, ſolent adverſarii ad diſtinctionem duarum naturarum in Chriſto confugere, ac dicere, Chriſtum ſecundum humanam naturam à ſemetipſo non loqui, ſecundum divinam naturam autem à ſeipſo. At hic rima iſta elabi non poſſunt, quia Spiritus Sanctus non habet humanam naturam. Ideo aliud effugium quærere coguntur. Primo quod verba ℣. 13. attinet, ajunt, ideo dici Spiritum Sanctum à ſemetipſo non loqui, quia nec ſit à ſemetipſo: quemadmodum ergo, inquiunt, non eſt à ſemetipſo, ſed à Patre Filioque procedit, ita non loquetur, niſi quæ à Patre & Filio accepit, ab illis procedendo; prout paulo poſt dicit Chriſtus: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet.* Reſpondeo. Hic primum id dicitur, quod ipſum per ſe ſatis demonſtrat Spiritum Sanctum non eſſe Deum ſupremum; nimirum quod non ſit à ſeipſo, ſed à Patre & Filio procedat. Deus enim ſummus à ſeipſo eſt atque exiſtit, à nemine proceſſit, nemini eſſentiam ſuam refert acceptam. Deinde quod dicitur, Spiritum Sanctum à ſemetipſo non loqui, quia nonniſi ea loquatur, quæ à Patre & Filio accepit, ab illis procedendo; id ipſum indicat, eum Summum Deum non eſſe, Deus enim ſummus à nemine accipit, quid loquatur, neque procedendo, neque ullo alio modo. Tertio proceſſio iſta Spiritus Sancti, quam illi intelligunt, ab æterno facta eſt, adeoque jam præterierat, ſeu mavis, tempore præterito facta eſt: Chriſtus autem hic loquitur in futuro, *De meo accipiet*; ſcilicet tunc temporis, cum à Patre mittetur, & futura annunciabit. Quarto cum hac interpretatione nequaquam cohæret, quod ſequitur, *Omnia quæ habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quid enim hoc, quod omnia, quæ Patris ſunt, ſint etiam Chriſti, commune habet cum eo, quod Spiritus Sanctus quicquid loquitur, per æternam proceſſionem à Chriſto accepit? Quæ conſequentia eſt: omnia quæ Pater habet, mea ſunt. Ergo Spiritus Sanctus id loquetur, quod per proceſſionem ab æterno factam à me accepit? Quis eſt, qui hoc intelligat? Quinto agebatur hic de teſtimonio, quod Spiritus Sanctus Chriſto perhibiturus erat, quoque eum erat glorificaturus; quod oportebat eſſe conſpicuum atque manifeſtum: alioqui quomodo per illud Chriſtum glorificare poterat? Proceſſio autem illa eſſentialis Spiritus Sancti non erat conſpicua. Non ergo tanquam argumentum afferri poterat, unde diſcipuli colligerent, Spiritus San-

cti opera in Chriſti gloriam redundare.

Alterum effugium, quo hic utuntur adverſarii, eſt, quod dicant, nihil aliud eſſe, Spiritum Sanctum *non loqui à ſemetipſo*, quam non loqui contraria iis, quæ Chriſtus locutus eſt ex voluntate Patris. Reſpondeo: Hoc ſi ita accipiendum eſt, tum poterit etiam de Patre dici, eum quoque non à ſeipſo loqui, quia nihil loquitur, niſi quod conſentaneum ſit voluntati Filii & Spiritus Sancti; & de Filio, reſpectu Spiritus Sancti, quia, ut fert ſententia adverſariorum, nihil Filius dixit ac locutus eſt, niſi conſentiente Spiritus Sancti perſona. Atqui hæc omnes abſurda eſſe vident. Adde quod iſtius effugii auctores fateantur, Spiritum Sanctum hic ſpectari, tanquam Chriſti legatum: id quod ipſe verborum contextus ſatis oſtendit. Ad hujus legationis proprietatem nil deeſſe poteſt, ſi Spiritus Sanctus perſona eſt. Quare verba illa, *Non à ſemetipſo loquetur*, & *quæcunque audiet, loquetur*, itemque *de meo accipiet & annunciabit vobis*, ita accipienda ſunt, prout legato conveniunt. At legato ita conveniunt, ut non ipſe primus ſit dictorum ſuorum auctor, ſed alterius tantum dicta ac mandata per eum patefiant iis, ad quos mittitur. Et proprie quidem dicti legati, (qualis foret Spiritus Sanctus, ſi perſona eſſet) eſt proprie mandatis inſtrui ab altero, & perceptam ejus voluntatem ac ſententiam ad alios deferre, iiſque exponere. Eſt enim legatus, qua talis, miniſter alterius, & alienæ voluntatis interpres. Quod vero attinet ad illa verba ℣ſ. 14, & 15, *De meo accipiet*, illa dicunt iſti, accommodate ad humanum dici ſenſum, quia Spiritus Sanctus tanquam legatus conſideretur. Reſpondeo. Si hoc ſibi volunt, Spiritum Sanctum nihil revera accepturum à Chriſto, quia omnia ſemper habuerit; ſed ita hominibus viſum iri: quid aliud faciunt, quam ut Chriſti verba eludant? Quaſi vero Chriſtus de eo loquatur, quid homines, falſo licet, ea de re opinaturi ſint, & non potius quid vere futurum ſit, licet aliqua verbis figura ſubſit! Num putamus, Chriſtum dicturum fuiſſe, Spiritum Sanctum ſeſe glorificaturum, quia homines falſo ſint exiſtimaturi, Spiritum Sanctum de eo, quod Chriſti ſit, accipere? An gloriam vana hominum opinione nixam, & præterea ad imminutionem quandam dignitatis Spiritus Sancti, hoc eſt, ſummi, ut illis placet, Dei pertinentem, pro gloria ſua Chriſtum agniturum fuiſſe arbitramur? Quodſi vero hæc illorum mens eſt, Spiritum Sanctum vere quidem accepturum aliquid de eo, quod Chriſti ſit, ſed tamen figuram ſeu tropum *accipiendi* verbo ſubeſſe ex rebus humanis petitum: tum nullo exemplo oſtendent, dici poſſe, eum accepturum ab alio, non à ſeipſo, ſed ab alio audita locuturum, qui primus ſit dictorum ſuorum auctor, & cui ea certo demum tempore ab alio tradita, aut quocunque modo inſerta impreſſaque non ſint. Quanquam præterea ſi Spiritus Sanctus non minus proprie legatus fuit Filii, quam Filius olim Patris; nulla hic ſermonis improprietas, vel in *audiendi* vel in *accipiendi* verbo admittenda eſt, quæ ullum in eo, de quo hic diſputatur, momentum habere poſſit. Significabitur enim omnino, ea quæ dixit Spiritus Sanctus, ei fuiſſe à Chriſto patefacta ac commiſſa. Id enim eſt legati ejuſmodi, qualis Chriſtus fuit, & qualem illi Spiritum Sanctum eſſe volunt.

Tertium effugium eſt eorum, qui Chriſti verba ita interpretantur; *Non loquetur à ſemetipſo*, id eſt, non loquetur potiſſimum de ſe & perſona ſua, deque iis rebus, quæ ad ipſius perſonam pertinent, quaſi ipſe ſit præcipuus ac principalis ſcopus eorum, quæ loquetur: *ſed quæcunque audierit*, id eſt, quæcunque ſcit eſſe voluntati ac decretis ejus, qui mittit ipſum, id eſt, Patris & Filii, conſentanea. Reſpondeo. Velim dent nobis exemplum aliquod, ubi vocula ἀπὸ, *a*, *ab*, uſurpetur pro περὶ, *de*. Vocula ἀπὸ, qua hic Chriſtus utitur de Spiritu Sancto loquens, idem ſignificat quod, *ex*, ut à ſeipſo loqui, nihil aliud ſit, quam ex ſeipſo, id eſt, ex propria voluntate ac auctoritate. Ut cum Chriſtus inquit: *Filius nihil poteſt facere a ſeipſo*, Joh. 5. 19. Senſus eſt, Filium nihil poſſe propria & non aliunde accepta auctoritate ac poteſtate facere. *Cum exaltaveritis Filium hominis, cognoſcetis, quia ego ſum, & quia a meipſo nihil facio*, id eſt, ex me ipſo, Joh. 8. ℣ſ. 28. *Nemo tollit eam* (id eſt, animam meam) *a me, ſed ego pono eam a me ipſo*, id eſt, propria voluntate & ex meo beneplacito, Joh. 10. 18. *Hoc autem non dixit a ſemetipſo*, nempe Cajaphas Pontifex, id eſt proprio motu atque arbitratu, Joh. 11. 51. *Verba quæ ego loquor vobis a meipſo non loquor*, id eſt, propria auctoritate, Joh. 14. 10. *Sicut palmes non poteſt fructum ferre a ſemetipſo*, id eſt, propriis viribus, Joh. 15. 4. Chriſtus ex Pilato quærit: *A teipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* Joh. 18. 34, &c. In omnibus iſtis locis, & in multis aliis, quæ hic recenſere, ſupervacuum eſt, habetur particula ἀπὸ, & ubique denotat idem quod *ex*, indicatque cauſam efficientem, à qua id, de quo ſermo eſt, provenit. Longe aliud autem ſignificat præpoſitio περὶ, *de*: objectum ſcilicet, circa quod ſermo verſatur, ſeu materiam ſermonis; ut cum Chriſtus ait: *Si ego de me ipſo teſtor, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt, qui teſtatur de me, & ſcio verum eſſe teſtimonium, quod teſtatur de me*, Joh. 5. 31, 32. Harum ergo duarum præpoſitionum permutatio nimis audax ac ſine exemplo eſt. Deinde hoc effugio nodus non expeditur. Chriſtus enim hac oppoſitione, *Non loquetur a ſemetipſo*, ſed, *quæcunque audierit, loquetur*, indicare vult quod ſi Spiritus Sanctus à ſeipſo loqueretur, non demonſtraretur eo, ipſum eſſe Spiritum veritatis; quemadmodum id quod non à ſeipſo loquetur, irrefragabile argumentum (ſaltem apud diſcipulos) erat, eum annunciaturum ea, quæ à Filio ac per conſequens etiam à Patre (cum omnia quæ Pater habet, etiam Filii ſint) audierit, id eſt, quæ ei Filius de arcanis Patris ſui revelare præceperit. Quomodo vero dici poteſt, teſtimonium Dei ſummi, (qualis Spiritus Sanctus eſſe creditur) quicquid etiam dicat, non eſſe ſufficiens ad demonſtrandum, eum eſſe veracem, & verum loqui vel docere? Præterea cum hoc effugium non neget, hic Spiritum Sanctum conſiderari tanquam legatum, cumque revera etiam proprie dictus legatus ſit, ſi perſona eſt; ex eo ipſo, quod ille nonniſi audita à Patre & Filio loquitur, id eſt, quæ ei Pater & Filius, cum ab eis mitteretur, dicenda commiſerunt, conficitur, eum

Deum ſummum non eſſe: ut ex iis quæ modo diſputavimus ſatis liquet.

PARS III.

Verſ. 16. *Pauliſper & non videbitis me: & rurſum pauliſper, & videbitis me, quia ego vado ad Patrem.*] Hic incipit tertia pars hujus Capitis, in qua Chriſtus rurſus conſolatur diſcipulos, promittens ſe brevi ad eos rediturum, nec diu ab eis abfuturum. In Græco eſt θεωρεῖτε, *videtis*: pro videbitis. Præſens pro futuro, conſueto Hebraiſmo. Ait tempus parvum ſupereſſe, quo illis ſit adfuturus, poſtea autem eos ſe non viſuros. Quid per parvum iſtud tempus intelligat, non conſonant Interpretes. Dubium autem non eſt, cum Chriſtus in eo ſit, ut diſcipulos ſuos ſoletur, eum tempus intelligere breviſſimum, quo poſtquam eum non viderint, rurſus eum conſpicient. Itaque tempus iſtud parvum, quod eo uſque extenditur, dum eum amplius viſuri non ſint, eſt tempus illud, quod adhuc ad mortem ejus reſtabat. Quod revera exiguum tempus erat, 15. aut 16. horarum: ad captivitatem autem ejus vix duæ horæ ſupererant. Vide ſupra cap. 13. 33.

Et rurſum pauliſper.] A mea morte uſque ad reſurrectionem; tempus trium dierum.

Et videbitis me.] Rurſus mea præſentia, meo conſpectu fruemini: rurſus nos videbimus: ℣. 22.

Quia vado ad Patrem.] Nam in morte non permanebo, ſed è morte in vitam, & è terra in cœlum ad Patrem tranſibo; prius tamen interea ad vos veniam: Et hoc ſane factum eſſe legimus, eumque 40. diebus poſt ſuam reſurrectionem cum iis eſſe converſatum, Act. 1. 3.

Verſ. 17. *Dixerunt ergo quidam ex diſcipulis ejus alii ad alios: Quid eſt hoc, quod dicit nobis, Pauliſper & non videbitis me; & rurſus pauliſper, & videbitis me: &, Quia ego vado ad Patrem.*] Contulerunt capita, & quid Chriſtus locutus ſit, inter ſe conſultarunt. Mirum eſt quenquam eorum non intellexiſſe, quod tam ſæpe iteraverat tam illis ſolis, quam in ipſorum præſentia aliis; quod nimirum moriturus, & poſtea reſurrecturus ſit. Vide ſupra cap. 7. 33. viij. 21, 22. xij. 33. xiv. 2, 4, 12, 28. ut & Matth. 16. 21. & alibi. Verum ex verſu ſequenti 18, intelligitur, eos non toto ſermone Chriſti fuiſſe perculſos, ſed hoc tantum verbum eos tenuiſſe ſuſpenſos, *Pauliſper*. Nempe non poterant ſibi perſuadere, mortem Chriſti tam propinquam eſſe, & jam jam inſtare.

Verſ. 18. *Dicebant ergo: Quid illud eſt, quod dicit, Pauliſper? neſcimus quid loquatur.*

Verſ. 19. *Cognovit autem Jeſus, eos velle ipſum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quod dixi: Pauliſper, & non videbitis me; & iterum pauliſper, & videbitis me?*] Cognovit id Chriſtus partim dictante Spiritu Sancto, quo indicante etiam cogitationes hominum norat, Marc. 2. 8. partim ex eorum inter ſe muſſitatione.

Et dixit eis.] Non expectat, donec illi interrogent, ſed uti bonus Magiſter prævenit eos ſua interrogatione.

Verſ. 20. *Amen amen dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos vero triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra evadet in gaudium.*] Idem hoc eſt, *Amen amen dico vobis*, quod ſupra dixit: ℣. 7. *Ego veritatem dico vobis.* De ſignificatione voculæ *Amen* vide Matth. 5. 18.

Flebitis vos & lamentabimini.] Chriſtus eis hoc non declarat, de quo inter ſe diſceptabant; nempe Quid id ſit, Pauliſper? Cauſa eſt, quia Chriſtus nolebat animos eorum magis ſauciare, & expreſſe dicere, paucas tantum ſupereſſe horas ad ſuam mortem. Maluit eos in ipſorum luctu ſolatiis erigere. Ait, *flebitis & lamentabimini*, indicans, ſummo dolore eos affectum iri, ubi viderint Dominum ac Magiſtrum ſuum capi, ludibrio haberi, flagellari, cruci affigi, ac ſepeliri. Vide Luc. 23. 27.

Mundus autem gaudebit.] Milites mihi illudent, Matth. 27. 28. Sed & primores populi, Ibidem, ℣. 39, 40, 41. Inprimis vero Phariſæi triumphabunt, quod ipſorum conſilia tam optatum eventum ſint ſortita. Ibid. ℣. 63.

Vos autem triſtes eritis.] Mundi gaudium de facto tam immani ac impio augebit non mediocriter veſtram triſtitiam.

Sed triſtitia veſtra evadet in gaudium.] Statim ſubjungit conſolationem, eos non mærendi ac lugendi cauſam habituros, ſed luctum eorum in maximum gaudium commutatum iri, & quidem brevi, poſt tempus modicum, ubi eum rurſus viderint.

Verſ. 21. *Mulier, cum parit, dolorem habet, quoniam advenit hora ejus: poſtquam autem peperit puerum, jam non meminit afflictionis, propter gaudium, quod homo ſit natus in mundum.*] Quod dixerat de Apoſtolorum triſtitia, & poſt ſecuturo gaudio, declarat Chriſtus vulgato exemplo puerperæ.

Dolorem habet.] Vehementes dolores doloribus parturientium comparare Scriptura ſolet. Pſal. 48. ℣. 7. Eccleſiaſtic. 48. 21. Eſai. 3. 8. xxj. 3. Jer. 4. ℣. 31. vj. 24.

Quoniam advenit hora ejus.] Id eſt, tempus pariendi.

Non meminit afflictionis.] Id eſt, dolorum partus.

Quod homo ſit natus in mundum.] Quod humanum genus fructu ventris ſui multiplicarit atque adauxerit. Quanquam mulierum gaudium magis propagationem domus ac familiæ ſuæ, quam totius humani generis reſpicit.

Verſ. 22. *Et vos igitur triſtitiam nunc quidem habetis, iterum autem videbo vos: & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.*] Hic applicat ſimile ſuperius ad Apoſtolos. Brevis erit triſtitia eorum, ut puerperarum. Non enim Chriſtus vult ſignificare hac ſimilitudine, eorum dolorem magnitudine æqualem fore dolori parturientium, ſed dolorem eorum in gaudium converſum iri brevi tempore, non ſecus ac parturientibus accidit, ubi puerulum in mundum pepererint.

Iterum autem videbo vos.] Mutuo nos videbimus; præbebo me vobis rurſus conſpiciendum. Non in eo conſiſtebat ſolatium, quod Chriſtus illos, ſed quod illi Chriſtum eſſent iterum viſuri. Chriſtus eos videre potuiſſet, ut illi eum non viderent, imo illi de eo nihil ſcirent.

Et

Et gaudebit cor veſtrum.] Id impletum eſt, cum Johannes infra inquit: *Gaviſi ſunt ergo diſcipuli videntes Dominum*, cap. 20. 20.

Et gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.] Per gaudium hic intelligitur cauſa gaudii. Poſtquam enim Chriſtum iterum viderunt, eoque gaviſi ſunt, multis deinceps caſibus afflictionibuſque toto vitæ ſuæ ſpatio fuerunt obnoxii. Sed gaudium, quod ex reſurrectione Chriſti ad vitam æternam ac immortalem, & ad inenarrabilem gloriam perceperunt, nunquam in iis deſiit; ſed ſemper etiam in maximis afflictionibus lætati ſunt. Vide Act. 5. 41. Hinc gloriabantur de afflictionibus Rom. 5. 3. Noverant enim perpeſſiones præſentis temporis minime pares eſſe gloriæ in ipſis revelandæ, Rom. 8. 18.

PARS IV.

Verſ. 23. *Et in illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, quæcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis.*] In illo die, id eſt, illo tempore, cum eo in ſtatu eritis, ut veſtrum gaudium nullum finem ſit habiturum.

Me non interrogabitis quicquam.] Græcum verbum ἐρωτάω tam rogare ſignificat, quam interrogare. Qui priorem ſignificationem retinent, & cenſent, Chriſtum hic reſpicere ad illas quæſtiones: *Domine, quo abis?* cap. 13. 36. &, *Quid eſt, quod dicit, Pauliſper?* ℣ſ. 17. quod nimirum diſcipuli poſtea, ubi in ſtatu gaudii de ipſius reſurrectione erunt, nil amplius interrogaturi ſint; illi neſciunt, quomodo id cum eo conciliare debeant, quod diſcipuli Chriſtum etiam poſt reſurrectionem ipſius interrogarint: *An hoc tempore regnum Iſraëlis reſtituendum ſit?* Act. 1 ℣ſ. 6. nec dubitandum eſt, eos etiam de aliis rebus, quæ ad intelligentiam Sacræ Scripturæ pertinent, Chriſtum interrogaſſe. Itaque verba ℣ſ. 22, *Iterum videbo vos*, de ultimo adventu ad judicium explicant; & illa, *Gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*, intelligunt de immortali illo gaudio in vita æterna. Tunc enim omni ſapientia atque cognitione implebuntur, ita ut opus illis non ſit futurum quicquam eum interrogare. Sed nihil cogit verba Chriſti ad illud tempus tam longe remotum referre, & Apoſtolos tam procul diſſito gaudio ſolari, qui præſenti & celeri ſolatio indigebant, idque habere poterant. Manifeſtum enim eſt, gaudium iſtud, quod ex Chriſti reſurrectione cœperunt, nullo unquam tempore ab eis receſſiſſe; atque adeo omnino ſtatuendum eſt, verba iſta, *In illo die*, prorſus ad hujus gaudii tempus reſpicere. Si igitur verbum ἐρωτάω, hoc loco vertatur, *rogo*: ut ſenſus ſit, *In illo die me non rogabitis quicquam* (quo ſenſu, ut diximus, ſæpiſſime in Sacra Scriptura verbum hoc uſurpatur) intellectus horum verborum erit clarus ac facilis, & cum ſequentibus optime cohærebunt. Nimirum Chriſtus vult dicere, eos in illo tempore perfecti gaudii nihil amplius à ſe præſente, ut hactenus, petituros, ſed à Patre, & quidem ita, ut quicquid petierint in nomine ſuo, ſint obtenturi. Duo igitur Chriſtus hoc loco dicit. Primum eſt, eos nihil amplius à ſe, ut antea, petituros. Cum enim illis Chriſtus præſens adeſſet, in omnibus periculis atque adverſis unicum illorum refugium fuit Chriſtus, ejuſque auxilium protinus implorarunt. Ut in illa maris tempeſtate: *Domine ſerva nos, perimus*, Matth. 8. 25. Etiam ex eo, quantum præſentiæ Chriſti tribuerint, intelligitur, quod Martha dicit: *Domine, ſi hic fuiſſes, non eſſet mortuus frater meus*, Joh. 11. 21. Alterum continetur his verbis: *Amen amen dico vobis, quæcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis.* Quibus verbis non modo indicat, quem ſe abſente invocaturi ſint, ſed etiam, quam efficaces futuræ ſint ipſorum preces, quando in nomine ejus orabunt, ita ut omnia exoraturi ſint.

In nomine meo.] Quomodo ſolet Chriſtiana Eccleſia orare: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Vide ſupra cap. 14. 13.

Dabit vobis.] Quod non ſine certis conditionibus intelligendum eſt: de quibus vide Matth. 18. 19.

Verſ. 24. *Uſque adhuc non petiiſtis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.*] Superiorem promiſſionem de precum exauditione declarat per antitheſin. Opponit ſcilicet ſtatum eorum præteritum, quo nihil in nomine ejus petierunt, futuro ſtatui, quo in nomine ejus orabunt, & omnia obtinebunt. Intelligit autem hoc Chriſtus de tempore ſuæ apud diſcipulos præſentiæ. Uſque ad illud tempus, Chriſtum cum eis fuerat: itaque ſi quid petendum erat, non à Patre in ejus nomine, ſed ab eo ipſo poſtulabant, *Domine ſerva nos perimus*, Matth. 8. 25. *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. 17. 5. *Domine, monſtra nobis Patrem*, Supra cap. 14. 8. Docet ergo eos, ut quod ante ab ſe petebant, poſtquam ipſe ad Patrem diſceſſerit, ipſius nomine à Patre petant: hactenus eos expertos non eſſe, quantæ virtutis ſit ejus nomine Patrem rogare, quia præſentem habuerant; experturos jam, cum ab illis diſceſſerit.

Petite & accipietis.] Exempla vide Act. 1. 24. viij ℣ſ. 15, 17. ix. 40, &c.

Ut gaudium veſtrum ſit plenum.] Senſus non eſt, ut hoc ipſum petant, ut gaudium ipſorum plenum ſit, ſed ut petant omnia quæ voluerint (intellige cum illis conditionibus, de quibus egimus ad Matth. cap. 18. 19.) ut eorum gaudium plenum ſit: quaſi dicat, Si vultis perfectum conſequi gaudium, ſinite me ad Patrem abire, & tum ab ipſo, meo nomine petite, & perfectius habebitis gaudium, quam nunc ex mea habetis præſentia. Opponit enim gaudium illud, quod ſe abſente habituri erant, illi, quod præſente ſe habebant, nec non ei, quod poſt reſurrectionem ſuam uſque ad exaltationem habituri erant: alluditque ad triſtitiam, qua propter ſuum diſceſſum afficiebantur. Quaſi dicat: Propterea meum à vobis diſceſſum tam ægre fertis, quia mea gaudetis præſentia. Atqui gaudium hoc valde imperfectum eſt: plenum & perfectum ex mea abſentia percipietis. Magis enim vos abſens, quam præſens conſolabor; quia *quicquid petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis.*

Verſ. 25. *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis, ſed venit hora, cum non amplius in proverbiis loquar vobis ſed aperte de Patre annunciabo vobis.*] Chriſtus con-

cluſurus ſermonem ſuum, cum videri potuiſſet aliquanto obſcurius & minus enuncleate fuiſſe locutus, id ipſum haud inficiatur, ſed inquit, tametſi multa minus clare protulerit tempus tamen venturum, quo aperte ac perſpicue omnia illis ſit expoſiturus. Græca vox παροιμία, *proverbium* ſumitur hic pro allegorico aut parabolico ſermone, qui abſque interpretatione non facile intelligitur. Videtur autem Chriſtus hic alludere ad id, quod ſuperius dixerat: Petite in nomine meo, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Hoc enim ita generaliter prolatum ænigma illis erat; quia non intelligebant, quid petere deberent.

Sed venit hora.] Horam Hebraico more, non pro unius horæ ſpatio, ſed pro quovis ponit tempore. Hoc autem tempus erat, poſt miſſionem Spiritus Sancti; ut ex ſequentibus licet.

Sed aperte de Patre annunciabo vobis.] Tunc vobis per Spiritum meum clare revelabo & edocebo vos diſtincte, quæ ſit Patris mei voluntas de regno meo, & quid à Patre petere debeatis.

Verſ. 26. *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, me rogaturum Patrem pro vobis.*] In illo die, id eſt, tunc temporis, cum Spiritum Sanctum acceperitis, & jam ſcietis quid petere debeatis. Cum antea dixiſſet, Patrem eis omnia daturum, quæcunque in nomine ſuo petierint; nunc majoris confirmationis ergo addit, Patrem ita propenſum in eos eſſe, ut illos ſua ſponte, & ſine ullius ſuffragio ac interceſſione, paratus ſit exaudire.

Et non dico vobis, me rogaturum Patrem, pro vobis.] Non hoc ſibi vult Chriſtus, ſe Patrem non rogaturum eſſe pro eis: ſed dicit, ſe nolle ejus meminiſſe, nolle id nunc in medium allegare ac proferre, quod Patrem pro eis rogaturus ſit; ſed ſe velle majus aliquid & amplius dicere, quod nimirum Pater tanto eos amore complectatur, ut etiam ſe non rogante, facilem eum in audiendis precibus ſint experturi.

Verſ. 27. *Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, me a Deo exiviſſe.*] Ipſe Pater adeo pronus ac propenſus eſt ad exaudiendas preces veſtras, ut neceſſarium non videatur, ut ego pro vobis rogem.

Quia vos me amaſtis.] Cauſam addit tanti amoris, quo Pater ipſos proſequebatur: quia ſcilicet illi Chriſtum dilexerant. Deus quidem etiam in Veteri Fœdere eos dilexit, qui ipſi obedientes fuere, Deut. cap. 7. 12. ſed dilectio Filii cauſa eſt novi & ſingularis plane amoris divini, quo Deus Chriſtianos complectitur.

Et credidiſtis, me a Deo exiviſſe.] Non dicit ſimpliciter, Et credidiſtis in me, ſed ſimul indicat, qua in re fides iſta conſiſtat, ut nimirum credatur, eum à Deo exiviſſe, ſeu ab eo miſſum eſſe. Hanc fidem Petrus ſuo & reliquorum nomine profeſſus eſt Matth. 16. 16.

Verſ. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*] Quia dixerat, illos amari à Patre, propterea quod crediderint ſe à Deo exiviſſe, confirmat hanc eorum fidem, quod non falſo aut temere id crediderint: quaſi dicat, Credidiſtis me à Patre exiviſſe, & recte feciſtis; non erraſtis in eo. Revera enim exivi à Patre &c.

Et veni in mundum.] In mundum venire, eſt mundo ſe palam & in publico exhibere, munus in mundo obeundum publice aggredi. Chriſtus itaque tunc in mundum venit, cum cœpit prædicare: *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit regnum cœlorum* Matth. 4. 17. Tunc Chriſtus nova & cœleſti doctrina, ac divinis miraculis inclareſcere, & mundo innoteſcere cœpit. Similem locutionem vide Joh. i. 9. iij. 19. vj. 14. ix. 39. xj. 27. xij. 46, 47. Quia Chriſtus hæc duo, *Exivi a Patre*, &, *veni in mundum*, conjungit, inde palam eſt, eum non loqui de alio egreſſu à Patre, quam de eo, quando à Deo in mundum miſſus eſt: ut Chriſtus loquitur ſupra cap. 3. 17. *Deus non miſit Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum.* Itaque Chriſtus eatenus à Patre exivit, quatenus legatus exit à mittente: nempe poſtquam mandata functionis ſuæ acceperit, proficiſcitur in eum locum, quo ablegatur. Illi vero ſententiam ſuam omnino probent neceſſe eſt, qui cenſent, Chriſtum hic loqui de tali exitu vel egreſſu ſuo quo ex eſſentia Patris ſive ab æterno, ſive certo tempore, ut hodie nonnulli ſepultam Veterum Patrum Platonizantium opinionem refodiunt, egreſſus ſit: item, quod *in mundum venire*, ſecundum Scripturæ ſtylum, idem ſignificet, quod *naſci* in mundo.

Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.] Ex eo, quod exitus ſui à Patre meminit, arripit occaſionem de ſuo ad Patrem reditu loquendi. Vox πάλιν, *iterum* non ſignificat hic idem quod *ſecundo*, quaſi jam ſemel ad Patrem iverit ante, nunc autem ſecundo eat: ſed ſignificat, *rurſus*, *retro*, Exivi à Patre, & retro ad illum eo. Vide etiam Marc. 5. 21. vij. 31. viij. 13. Infra cap. 18. 33.

Relinquo mundum & vado.] Id eſt, relinquam & vadam. Præſens pro futuro. Reliquit autem Chriſtus mundum, & ad patrem profectus eſt, quando poſt reſurrectionem ſuam aſcendit in cœlum.

Mire ſe hic torqueant neceſſe eſt, qui Chriſtum pro Deo Altiſſimo habent. Quomodo enim Deus Altiſſimus exivit à Deo Altiſſimo, & in mundum venit? Quomodo Deus Altiſſimus reliquit mundum, & profectus eſt ad Deum Altiſſimum? Cum enim Chriſtus ait, ſe à Patre exiviſſe ac veniſſe in mundum, & ſe rurſus relinquere mundum & ad Patrem ire; clare indicat, per id tempus, quo ipſe fuit in mundo, Patrem in illo loco, à quo exiit ipſe, nempe in cœlo manſiſſe, adeoque in terra non fuiſſe, Chriſtum contra dum in mundo verſatus eſt, non fuiſſe in illo loco, à quo exiit, id eſt, in cœlo. Si igitur & Chriſtus & Pater quoque eſt unus Deus Altiſſimus, ſequetur ex hac ſententia, unum illum Deum Altiſſimum uno eodemque tempore in cœlo & non in cœlo, in terra & non in terra fuiſſe. Quod manifeſte ſeipſum evertit.

PARS V.

Verſ. 29. *Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc aperte loqueris, & proverbium nullum dicis.*] Quinta pars hujus Capitis ſequitur, in qua Chriſtus prædicit eorum diſperſionem. Ad quam prædictionem ipſi Apoſtoli Domino anſam dederunt, cum dicunt: *Ecce nunc aperte loqueris &c.*

Nimi-

Nimirum Chriſtus non ſimpliciter dixerat, ſe ire ad Patrem, quod antea non ſatis intelligebant, ſed addidit, ſe relinquere mundum: è quibus verbis facile intellexerunt, de quali profectione ad Patrem loquatur.

Verſ. 30. *Nunc ſcimus, te ſcire omnia, nec opus eſſe tibi, ut quis te interroget; per hoc credimus, te a Deo exiviſſe.*] Chriſto attribuunt omniſcientiam, quia cognoverit, quid eis deſit, quid hactenus non intellexerint, ac proinde eis clarius dixerit, quo vadat.

Nec opus eſſe tibi, ut quis te interroget.] Non indiges, ut tibi narret is, qui verba tua non intelligit, ubi hæreat, & quid non intelligat: tu enim id ante noſti.

Per hoc credimus.] Id eſt, hoc nos in noſtra fide, qua credimus, te à Deo exiviſſe, magis magiſque confirmat: ut ſupra cap. 2 11.

Te a Deo exiviſſe.] Cur non credunt, eum fuiſſe Deum Altiſſimum, ſi nemo præter Deum poteſt hominum cogitationes noſſe? Nimirum videbant, Chriſtum eſſe verum hominem, & Deum talem ſcientiam communicare poſſe, cuicunque velit.

Verſ. 31. *Reſpondit eis Jeſus: Nunc creditis.*] Chriſtus cum bene noſſet, quam infirma eſſet fides diſcipulorum, etſi ſibi in ea firmi ſatis ac fortes viderentur, pro ſuo erga ipſos amore ipſis hic oculos aperire ſtudet, & dicit, eos modo quidem credere, aut potius credere videri, dum tutum eſt, dum abeſt periculum; ſed quam firma ſit iſta eorum fides, paulo poſt patefactum iri, ubi periculum increpuerit.

Verſ. 32. *Ecce veniet hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.*] Id eſt, brevi aderit tempus, jam præ foribus eſt. Vix enim aliquot horæ ſupererant.

Ut diſpergamini.] Ut me in diſcrimine deſeratis, & tanquam oves diſperſæ, huc atque illuc palantes erretis. Vide Matth. 26. 31.

Unuſquiſque in propria.] Quiſque ſe abdet in ſuum latibulum, ubi putabit, ſe tuto poſſe delitescere. Græcus textus habet: εἰς τὰ ἴδια, quod vocabulum etiam de tali loco uſurpatur, ubi quis non perpetuo habitat, ſed ad tempus tantum commoratur. Vide Joh. 1. 11.

Et me ſolum relinquatis.] Marcus ait: *Relicto eo, fugerunt omnes*, cap. 14. 51. Petrus eum eminus ſequebatur, Matth. 26. 58. Marc. 14. 54.

Et non ſum ſolus.] Conjunctio *&* poſita hic eſt pro *ſed*. Quia dixerat, eos ſe ſolum relicturos, conſolatur & erigit ſe ipſum Patris ſui præſentia: quaſi dicat, Sed quid ego dico, vos me ſolum relicturos? non manebo ſolus, aderit enim mihi Pater.

Quia Pater mecum eſt.] Id eſt, erit. Præſens pro futuro. Ille quidem brevi tempore me affligi patietur, ſed ita, ut paternam de me curam non deponat, neque me carere ſolatiis permittat. Vide ſupra cap. 8. 29. Cum aliquo eſſe, Hebraica phraſi denotat, aliquem ſublevare & auxilio juvare, Pſal. 23. 4. xlvj. 6. Joſ. 1. 9. 1 Sam. 16. 18. xviij 14, 28, &c. Act. 7. 9.

PARS VI.

Verſ. 33. *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis; ſed confidite, ego vici mundum.*] Chriſtus ſermoni ſuo prolixo quidem, ſed conſolationis pleno ac utiliſſimo, colophonem imponit, oſtendens, ſe omnia quæ hactenus ad eos locutus ſit, inprimis ultimum iſtud, quod Pater etiam in extremo periculo ipſum non ſit derelicturus, ad ipſorum conſolationem protuliſſe.

Ut in me pacem habeatis.] Id eſt, ut etiam in mediis periculis & afflictionibus tranquillo & ab omni trepidatione libero animo ſitis.

In me.] Id eſt, freti meis promiſſionibus. Si enim me Pater in afflictionibus non deſeret, & vos certe non deſeret.

In mundo afflictionem habebitis.] Multos quidem & graves perſecutionum inſultus in mundo vos ſuſtinere neceſſe eſt.

Sed confidite.] Eſtote bono animo, idque meo exemplo.

Ego vici mundum.] Ego mox vincam mundum. Præſens pro futuro. Vicit autem Chriſtus mundum perfectiſſima atque excellentiſſima ratione, dum Patri ſuo obediens fuit uſque ad mortem crucis: hoc modo enim aditus ei factus eſt ad cœleſtem gloriam, ubi non ſolum ab omnibus mundi probis & adverſitatibus immunis eſt, ſed etiam abſolutus Dominus mundi hujus effectus eſt. Dum autem vicit mundum, ſimul etiam fidelibus ſuis vires ſuppeditavit, quibus illi quoque mundum vincere poſſint. Etenim per ejus reſurrectionem & exaltationem fides atque ſpes noſtra mirifice confirmata eſt, 1 Pet. 1. 21. *Hæc eſt victoria, quæ vicit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, Jeſum eſſe Filium Dei?* 1 Joh. 5. 4, 5.

CAPUT XVII.

Hoc Capite continetur precatio Domini Jeſu ad Patrem facta, appropinquante jam tempore paſſionis ac mortis ejus. I. *Orat Chriſtus pro ſe ipſo, ut glorificetur à Patre: ad verſ. 9.* II. *Orat pro Apoſtolis: ad verſ. 20.* III. *Orat pro aliis fidelibus, qui per ſermonem ejus in ipſum credent: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Hæc locutus eſt Jeſus, & ſuſtulit oculos ſuos in cœlum, & dixit: Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet.*] Finita oratione, quam Chriſtus ante ſuam mortem poſt cœnam ad diſcipulos docendi ac conſolandi gratia bene longam habuerat, ardentiſſimas preces fundit ad Deum Patrem ſuum. Aliam vero eſſe hanc precationem ab illa, quam habuit in horto Matth. 26. 39. vel ex eo ſatis perſpicitur, quod infra

cap. 18. 1. ſcribit noſter Euangeliſta, Chriſtum abſoluta hac precatione demum abiiſſe trans torrentem Cedron, in hortum, ubi habita eſt illa precatio, quam Matthæus deſcribit.

Hæc locutus eſt Jeſus.] Id eſt, poſtquam diſcipulos ſuos ita, ut dictum eſt, docuiſſet & conſolatus eſſet, ad orandum Deum Patrem ſe convertit.

Suſtulit oculos ſuos in cœlum.] Orans diſcipulis præſentibus oculos ſuos elevat ad cælum; in horto autem ſolus ac ſeparatim orans, procumbit in faciem ſuam, Matth. 26. 39. Primum illud indicio eſt animi ad cœlum elevati: alterum hoc eſt ſignum humilitatis ac demiſſionis coram Deo. Sublatis etiam in cœlum oculis Chriſtus oravit, cum Lazarum ſuſcitaret Joh. 11. 41. item cum 5000. hominum panibus ſatiaret Matth. 14. 19. & cum ſurdum ſanaret Mar. 7. 34. Et merito ſane. Deus enim habitat in cœlo: ut nos docet Scriptura. Vide ad Matth. 6. 9. Geſtus iſte elevandi oculos ad cœlum eſt quoque ſignum fiduciæ, quæ ex bona conſcientia proficiſcitur. Hinc publicanus ille apud Lucam cap. 18. 13. non audebat oculos ſuos ad cœlum attollere, ut qui ſibi peccatorum ſuorum eſſet conſcius. Non eſt contemnenda eorum conjectura, qui exiſtimant, Chriſtum hanc orationem habuiſſe tunc cum Templum in conſpectu haberet, idque præteriret. Pars enim porticus Templi, quæ ſpectabat ſeptentrionem & Orientem, non procul à torrente Cedron diſtabat: ut ex Joſepho conſtat lib. 6. de Bello Jud. cap. - - - - - In prima parte Orationis Chriſti, in qua pro ſeipſo orat, duo conſideranda veniunt. Primo quid oret: ſecundo quibus argumentis utatur ad exorandum Patrem.

Pater.] Hoc titulo ſolet Chriſtus ut plurimum compellare Deum. Vide Matth. 11. 25. xxvj. 39, 42. Joh. 11. 41. xij. 27. Luc. 23. 34, 46. Interdum tamen ad teſtandam ſuam ergaDeum reverentiam ſimpliciter eum Deum vocat ſuum, Matth. 27. 46. Sed nomen Patris eſt blandius & gratius: quod nobis ob oculos ponit arctam conjunctionem & amorem, tum ejus qui oratur, tum ejus qui orat. Merito autem Chriſtus ea, quæ ſequuntur, à Deo petit, quem Patrem ſuum nuncupat. Quis enim alius iſta ei impertiri poterat, præter illum? quis etiam libentius id faceret, quam Pater, cujus ipſe erat unigenitus & obedientiſſimus filius?

Ex eo, quod Chriſtus Deum Patrem ſuum vocet, eumque invocet, clarum eſt, Chriſtum non eſſe illum ipſum Deum ſummum, neque in ejus propria poteſtate fuiſſe ea, quæ orabat. Eccur enim ea maluiſſet à Patre, quam à ſua propria natura divina petere? Imo quid omnino opus erat, ut peteret atque oraret, id, quod ipſe in manibus habebat, & præſtare poterat?

Venit hora.] Id eſt, tempus jam inſtat. Indicat hoc dicto cauſam ſeu occaſionem hujus precationis: quia nimirum jam adſit tempus illud, quo amarum calicem afflictionis quem Pater ei deſtinavit, bibiturus ſit, id eſt, quo ſit prodendus, capiendus, probris afficiendus & dira morte è medio tollendus.

Glorifica Filium tuum.] Hoc eſt poſtulatum Chriſti, hoc eſt quod petit à Patre. Glorificaverat quidem Pater Chriſtum etiam jam ante per tot prophetias de ortu & adventu ejus Deut. 18. 18. 2 Sam. 7. ℣. 13. Eſai. 7. 14. ix. 6, &c. per vocem de cœlo miſſam, *Tu es Filius meus dilectus*, Matth. 3. 17. xvij. 5. & rurſus per aliam vocem: *Glorificavi & glorificabo*, Joh. 12. 28. Glorificaverat eum teſtimonio Johannis Baptiſtæ: *Ecce Agnus Dei*, Joh. 1. 29. glorificaverat eum virtute divina, per quam tot & tanta edidit miracula. Vide Joh. 11. 4. glorificaturus etiam erat illum nonnullis miraculoſis ſignis circa mortem ejus. Sed maxima glorificatio in eo erat ſita, ut eum à mortuis excitaret, ad regiam dignitatem eveheret, & ad dextram ſuam collocaret in cœlis; quod ipſi à Patre promiſſum erat. Hanc ergo glorificationem jam à Patre petit. Hunc in finem etiam animam ſuam commendavit moriens in manus Patris, Luc. 23. 7. Et Hebr. 5. 7. dicitur, *eum preces & ſupplicationes cum clamore valido & lacrymis obtuliſſe ei, qui poterat ipſum ſervare a morte.* Notandum etiam hic eſt, eum non dicere, Glorifica me, ſed, *Glorifica Filium tuum.* Tacite enim ſubindicat cauſam, qua Pater moveri ad id faciendum poterat. Quomodo enim Pater unigenito Filio ſuo & obſequentiſſimo eam gloriam denegaret, quæ propter ſtrictam cum eo conjunctionem, in Patris ipſius gloriam redundatura erat? Joh. 13. 31.

Ut & te Filius tuus glorificet.] Subjungit jam Chriſtus rationes, & argumenta, quibus flectere vult Patrem, ut orationem ſuam exaudiat. Primum argumentum eſt à fine petitum, ut nimirum id faciat Pater eo fine, ut etiam Filius Patrem glorificet. Deus omnia facit propter ſuam gloriam. Quid enim aliud ab hominibus utilitatis capere poteſt? Inprimis autem quæſivit gloriam ſuam in iis rebus, quas per Chriſtum fecit. Hinc Angeli, cum natus eſſet Chriſtus, canunt: *Gloria ſit Deo in excelſis*, Luc. 2. 14. Cum ergo glorificatio Chriſti ad eundem quoque finem ac ſcopum ſpectaret, Filius Patrem viciſſim glorificaret; juſta utique cauſa erat, ut Pater Filium glorificaret. Filius quidem Patrem etiam antea in terris glorificavit, ut ipſe teſtatur infra ℣. 4. Sed perfectiſſima tamen ratione id fecit, cum profectus in cœlum Spiritum Sanctum in Apoſtolos effudit, inſtructoſque miraculoſis donis in univerſum mundum dimiſit, ut nomen unius Dei Patris ubique locorum clarum notumque facerent. Glorificat etiamnum Patrem, dum electum populum ſuum regit, tuetur, omnes eorum hoſtes profligat. Denique glorificabit eum, quando fideles ſuos reſuſcitabit ex mortuis, & in cœleſtia gaudia introducet, diabolum vero cum angelis ejus, omnibuſque impiis in ignem inextinguibilem præcipitabit. Imo hæc ipſa glorificatio Filii, per quam factus eſt Dominus, etſi ea non conſiderentur, quæ eam conſequuntur, ad gloriam Dei tendit, ut teſtatur Paulus Phil. 2. 11. Documentum enim eſt divinæ veracitatis & conſtantiæ in promiſſis, ut & immenſæ bonitatis atque potentiæ Dei, quam Paulus mirum in modum extollit Eph. 1. 19, 20.

Verſ. 2. *Sicut dediſti ei poteſtatem in omnem carnem, ut omnibus quos dediſti ei, det vitam æternam.*] Hic eſt expreſſa altera ratio, cur exaudiendus ſit, quæ in eo conſiſtit, quod æquum ac conveniens ſit, ut Pater eum glorificet, cui poteſtatem dedit in omnem carnem:

carnem: quemadmodum par & æquum eſt, ut regio diademate caput ejus evinciatur, cui datum atque conceſſum eſt jus regnandi ſive dono, ſive alia ratione. Tenendum autem eſt, Chriſtum cum hoc diceret, nondum reipſa poteſtatem in omnem carnem habuiſſe. Debuit enim prius *ſeipſum exponere ſacrificium pro reatu*, debuit *ſeipſum dare in mortem, & peccatoribus annumerari* Eſai. 53. 10, 11, 12. Vide etiam Luc. 24. 26. Phil. 2. 9, 10. xij. 2. 1 Pet. 1. ℣. 11. Act. 2. 36. Imo ſi hanc poteſtatem in omnem carnem reipſa jam habuiſſet, nihil opus fuiſſet Patrem orare, ut ipſum glorificet. Sed quia Pater ipſi poteſtatem iſtam non ſolum deſtinaverat, ſed & promiſerat certo, adeoque jus plenum ei ad hanc poteſtatem atque imperium dederat, ideo dicit, Patrem ſibi jam dediſſe hanc poteſtatem. Ita de nobis quoque dicitur, quod *nobis data ſit gratia ante tempora æterna*, 2 Tim. 1. 9.

In omnem carnem.] Gr. πάσης σαρκὸς, *omnis carnis*, per Hebraiſmum. Et rurſus alius Hebraiſmus in eo eſt, quod *caro* pro homine ponatur: ut & Matth. 24. 22. Rom. 3. 20. 1 Cor. 1. 29. Gal. 2. 16. 1 Pet. 1. 24. Videtur autem tacite omnes homines opponere Judæis, quorum peculiariter Rex deſignatus erat. Verum quod hæc poteſtas non tantum ſuper Judaicam gentem, ſed & ſuper orbem terrarum imo ſuper omnia quæ in cœlo ac in terra ſunt, ſe extendat, patet ex Matth. 28. 18. Joh. 5. 27. xiij. 3. 1 Cor. 15. 27. Eph. 1. 22. Hebr. 2. 7. Quomodo hanc poteſtatem ſuper impios aliquando exercebit Chriſtus, vide Apoc. 6. 15, 16, 17.

Ut omnibus, quos dediſti ei, det vitam æternam.] Exprimit ſcopum ac finalem cauſam hujus poteſtatis. Etſi enim poteſtas iſta, ut oſtendimus, etiam ſuper improbos ſe extendat, qua eos perdere poterit in æternum, tamen hic non eſt præcipuus ac principalis ſcopus ejus, ſed iſte, quem hic Chriſtus indicat. Confer cum cap. 6. 39, 40. Dicitur autem de Chriſto, eum dare vitam æternam, non tantum tunc, quando ſuos à morte ad vitam æternam excitabit, ſed nunc quoque, quando viam ſalutis æternæ per prædicationem verbi ſui hominibus pateſacit, atque adeo fidelibus ſuis ſpem ejus certam ingenerat, & in hoc ſeculo adhuc jus eis ad immortalitatem largitur. Atque ad hoc poſterius reſpicit ſequens verſus, ubi declaratur, quo modo ille vitam æternam det hominibus in hoc ſeculo.

Quos dediſti ei.] Sic deſcribit eos, quibus det vitam æternam. Illi autem, quos Deus dat Chriſto, non alii ſunt, quam fideles. Vide ſupra 6. 37, 39.

Verſ. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.*] Cum dixerit verſu ſuperiori, datam ſibi poteſtatem eſſe in omnem carnem eo fine, ut omnibus det vitam æternam; oſtendit nunc, quomodo, & qua ratione det vitam æternam: quaſi dicat, Hic eſt modus, hæc ratio ac via, vitam æternam, quam ego do, conſequendi. Similem locutionem vide ſupra cap. 3. 19. *Hoc eſt judicium*, id eſt, modus & cauſa in judicium veniendi: ut & Joh. 12. 50, *Et ſcio præceptum ejus eſſe vitam æternam*, id eſt, viam ac medium vitæ æternæ. Vide etiam 2 Pet. 3. 15. Deut. 30. 20. xxxij. 47.

Ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.] Medium adipiſcendi vitam æternam collocat in cognitione duarum perſonarum, nempe Patris, (quem innuit pronomine *te*) & Jeſu Chriſti, id eſt, ſui ipſius. Ambas autem perſonas ita deſcribit, ut ex deſcriptione earum ſublimitas & præſtantia facile poſſit intelligi. Patrem vocat *ſolum verum Deum*; non quod non etiam alii plures ſint veri Dii; quales ſunt ex. gr. Angeli, & ſummi Magiſtratus: qui certe non falſi, ſed veri Dii ſunt, quia veram divinitatem ſeu poteſtatem excellentem à ſummo Deo acceperunt. Notum enim eſt legentibus Sacros libros, vocem Dei aliquando tam laxa ſignificatione in Scriptura uſurpari, ut etiam Angelis & ſupremis Magiſtratibus, aliiſque quibus inſignis aliqua poteſtas a Deo conceſſa eſt, tribuatur. Vide hac de re dicta in Prolegomenis in Joh. Senſu autem perfectiſſimo & per excellentiam eo nomine intelligitur vulgò ille, qui eſt auctor & origo omnis Deitatis, Dominus ſupremus & Creator rerum omnium. Dum eum verum Deum vocat Chriſtus non tantum eum opponit Diis falſis, ſed etiam omnibus aliis, quibus nomen Dei quoque jure competit. Vox enim *veri* non ſolum falſo, ſed imperfecto opponitur. Ita Euangelium crebro veritas appellatur, reſpectu Legis; quæ utique falſa non fuit, ſed tantum imperfecta. Vide Joh. 1. 17. Gal. 2. 5. Eph. cap. 1. 13. Chriſtus itaque Patrem ſuum in ſummo gradu verum Deum appellat, quatenus nimirum Deitatem ſuam a ſeipſo habet, non ab alio, & in divinitate alios omnes Deos longe antecellit, imo omnes alii veram Deitatem aliquam habentes eam ipſi ferunt acceptam. Hinc patet jam cauſa, ob quam *ſolus* verus Deus vocetur. Etſi enim Chriſtus ſupra cæteros omnes majorem & ſublimiorem divinitatem a Patre ſuo acceperit, ita ut Apoſtolus de eo, adhuc in terris degente, dicat, eum Deo æqualem fuiſſe Phil. 2. 6. nimirum uti imago ſimillima ſuo archetypo eſſe ſolet: tamen quia acceptam datamque ſibi à Patre divinitatem habet; eo ſenſu, quo Pater, verus Deus non eſt, neque etiam in Sacris Literis dicitur, etſi alio ſenſu certo verus quoque Deus ſit.

Altera perſona, in cujus cognitione ſita eſt vita æterna eſt *Jeſus Chriſtus*, qui ita deſcribitur, quod eum Pater *miſerit*. De qua miſſione quando facta ſit, & quid in ea obſervandum, vide ad cap. 3. 17. ſupra a nobis dicta. Inde vero dignitas Jeſu Chriſti intelligitur, ut qui ſit legatus Patris, illius ſolius veri Dei. Honor enim & dignitas legatorum pendet a dignitate mittentium.

Cognoſcant.] Cognitio Dei, cui Chriſtus hic vitam æternam adſcribit, non tam conſiſtit in ſcientia & inveſtigatione naturæ ejus, quæ nobis in hac mortalitatis caligine ſemper erit imperſcrutabilis, quam in notitia quarundam ejus proprietatum & attributorum, nec non operum, potiſſimum autem ipſius voluntatis. In voluntate enim Dei comprehenditur, tum quid faciendum nobis vel omittendum ſit, tum quid præmii bonis ſperandum, & quid ſupplicii improbis pertimeſcendum ſit. Cognitio autem attributorum Dei & operum ejus, monſtrat nobis, quod jus ac quam poteſtatem in nos Deus habeat, quomodo noſtri curam gerat, & quid facere nobis poſſit

poſſit ac velit. Unde efficitur, ut is qui Deum ad hunc modum cognoſcit, ſe etiam ad debitam mandatorum ejus obſervationem ac obedientiam componat; ſine qua cognitio Dei prorſus vana & inutilis eſt. Neceſſario proinde hic in ſalutari cognitione Dei & Chriſti obedientia iſta ſubintelligitur. Hinc Chriſtus de ſeipſo ad Judæos ait: *Ego novi eum* (Patrem) *& ſi dixero, me eum non noſſe, ero ſimilis vobis, mendax; ſed novi eum, & ſermonem ejus ſervo*, Joh. 8. ℣ſ. 55. Et Johannes Apoſtolus: *Per hoc ſcimus, quod ipſum novimus, ſi præcepta ejus obſervemus. Qui dicit, Novi eum, & præcepta ejus non obſervat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt*, 1 Joh. 2. 3, 4. De tali cognitione loquitur etiam Deus apud Jeremiam cap. 22. 16. *Pater tuus exercuit jus & juſtitiam, cauſam pauperis at egeni ſuſcepit, & tam bene fuit ei. Annon hoc eſt me recte noſſe? inquit Dominus.* Paulus vocat hanc cognitionem Dei, *cognitionem veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem*, Tit. 1. 2. Similiter cognitio Jeſu Chriſti hic quoque non denotat proprie cognitionem naturæ ejus (quanquam fundamentum veræ cognitionis Chriſti, nec non ſolatii ac ſpei noſtræ eſt, ut intelligatur, eum eſſe *verum hominem*, quemadmodum fundamentum omnis cognitionis de Patre eſt, quod ſit *ſolus verus Deus*) ſed potiſſimum muneris ejus atque doctrinæ: quam qui recte intelligit: ac ſimul credit, eum eſſe illum a Deo promiſſum Prophetam, Pontificem Maximum, & cœleſtem Regem populi divini, is ei etiam fidem adjunget, fiduciam ſuam in ipſo collocabit, mandatiſque ejus obtemperabit. Quiſquis igitur talem cognitionem Dei ac Chriſti conſecutus fuerit, habebit vitam æternam, hic quidem in ſpe, olim autem in poſſeſſione.

Hic locus evidentiſſime evincit, Chriſtum non eſſe Deum Altiſſimum. Non memorabo jam id, quod Chriſtus hic expreſſe à Patre ſolo vero Deo tanquam Filius, & legatus ejus diſtinguatur: de quo vide quid dictum à nobis ſit ſupra ad cap. 3. 17. & alibi. Non etiam nunc urgebo id, quod Chriſtus Patrem hic roget & adoret: de quo etiam alibi actum. Sed hoc unum hic maxime attendi volumus, quod Chriſtus ſolum Patrem ſuum dicat verum Deum, per quem alius non intelligitur, quam unus ille ſummus Deus. Unde conſequitur, neminem alium unum illum ſummum Deum eſſe, quia nemo alius eſt Pater. Hoc tam clarum & manifeſtum argumentum variis modis eludere conantur adverſarii: ſed fruſtra; ut ſolidiſſime oſtendit Johannes Crellius in libro de Uno Deo Patre, ad quem lectorem remittimus. Actum enim agere non libet.

Non minus etiam ſolide hinc demonſtratur, Spiritum Sanctum non eſſe ſummum Deum, neque perſonam ullam ſupremæ Deitatis. Chriſtus enim monſtrat hic medium & rationem adipiſcendæ vitæ æternæ, eamque collocat in cognitione duorum Patris & Filii, Spiritus Sancti nulla mentione facta. Qui fieri potuiſſet, ut eum prætermitteret, ſi Spiritus Sanctus non minus quam Pater, ille verus Deus eſſet, adeoque non minus in illius quam Patris ac Filii cognitione vita æterna conſtitua eſſet? Reſponderi hic ſolet, Chriſtum hoc loco non ſimpliciter de cognitione loqui, quæ ad conſequendam vitam æternam neceſſaria ſit, ſed tantum de tali cognitione, qualem ante mortem ſuam & aſcenſionem in cœlum voluit ac potuit revelare. Pleraque enim, quæ ad perfectam ſalvificam cognitionem pertinent, debuiſſe reſervari ab eo ad miſſionem Spiritus Sancti; quorum in numero etiam erat hic articulus de cognitione Spiritus Sancti. Reſpondeo. Nullo modo dici poteſt, Chriſtum in cognitione Patris & Filii noluiſſe perfectam & ſalutarem cognitionem includere, quia ſingulas ejus partes in ſpecie non explicat. Sufficit, eum nominare præcipua illa capita, ad quæ omnia alia revocari poſſunt, quæ ad ſalutiferam cognitionem ſpectant. Nihil enim ad ſalutem neceſſarium monſtrari poteſt, quod non in cognitione Patris & Filii comprehendatur. Quod enim Spiritum Sanctum attinet, is pertinet ad promiſſiones divinas, quæ nobis à Deo per Chriſtum factæ ſunt, inter quas etiam eſt remiſſio peccatorum, & vita æterna. Sed ſi Spiritus Sanctus perſona divina adeoque ipſe ſummus Deus foret, nulla ratione poſſet ille in cognitione Patris & Filii contineri, ſed ſi cognitio ejus quatenus eſt ſummus Deus, ad ſalutem neceſſaria eſt, debuiſſet nominatim ejus, æque ac Patris & Filii, mentio fieri; cum non minus quam Pater omnis boni origo eſſet, imo cum ſanctificatio, qua populus Chriſti ſanctificatur, ipſius peculiare ac proprium opus ſit.

Verſ. 4. *Ego te glorificavi in terra: opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut facerem.*] Tertia ratio, qua Chriſtus ſuam petitionem fulcit, eſt, quod Patrem in terra glorificarit.

Opus conſummavi.] Quomodo glorificaverit Patrem in terra exponit. Id autem fecit, dum palam profeſſus eſt, ſe ab eo miſſum eſſe, dum doctrinam ſuam, quam à Patre acceperat, mundo annunciavit, ſignisque eam ac miraculis, quæ non ſua, ſed Patris eſſe aperte teſtatus eſt, confirmavit, Matth. cap. 9. 8. xv. 31. Marc. 2. 12. Luc. 5. 26. xviij. 43. dum in omnibus ſuis operibus Patris gloriam quæſivit, eique in omnibus mandatis perfectiſſime obſecundavit. Etſi vero obſequii & obedientiæ Chriſti præcipua pars, quæ in paſſione & morte ejus conſiſtit, nondum eſſet tunc præſtita, tamen cum hora ejus jam adeſſet, & ipſe ad eam præſtandam pleniſſime ac perfectiſſime paratus eſſet, ſtatuendum omnino eſt, eum hic quoque illam intellexiſſe gloriam, qua Pater per mortem ejus glorificatus eſt. Sic enim infra quoque, dicit ℣ſ. 11. ſe *non amplius eſſe in mundo*, quia mox erat è mundo migraturus: & Matth. 28. ℣ſ. 18. *datam ſibi eſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra*; quæ tamen ipſi proprie loquendo nondum actu ipſo data erat, ſed tantum deſtinata, brevi autem reipſa conferenda. Hinc jam intelligitur, cur dicat, *Opus conſummavi*; cum in cruce pendens demum, & jam jam expiraturus exclamarit: *Conſummatum eſt*, Joh. 19. 30. quod tamen etiam ita intelligendum eſt, ut mors, quæ eodem momento ſecuta eſt, ſimul includatur. Porro quod dicit Chriſtus, ſe glorificaſſe Patrem in terra, id opponit partim glorificationi, qua ipſe Patrem in cœlo glorificaturus erat (de qua ſupra ℣ſ. 1. & cap. 14. 13. locutus eſt) partim etiam glorificationi, quam verſiculo ſequenti à Patre petit. Plurimum autem id valebat ad glorificationem à Patre obtinendam, quod ipſe

prius

prius Patrem glorificaverit: æquitas enim ipſa poſtulat, ut benemerita penſentur. Quæ compenſatio tanto magis ipſi ſperanda erat, à Patre, quia is etiam ultro, quamvis nulla præcedant operum merita, maxima beneficia largiri ſolet.

Quod dediſti mihi, ut facerem.] Deſcribit his verbis opus illud, quod conſummavit; indicatque ſe id non pro ſuo libitu, ſed ex Patris voluntate & mandato perfeciſſe.

Verſ. 5. *Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipſum ea gloria, quam habui apud te, priuſquam mundus eſſet.*] Poſtquam Chriſtus tria graviſſima argumenta propoſuiſſet, cur à Patre glorificandus ſit; repetit jam rurſus petitionem ſuam ℣. 1. factam: ita tamen ut novum argumentum adjungat ad exorandum Patrem. Adverbium *nunc* innuit, hoc quod modo dicitur, ex antecedentibus inferri: quaſi dicat, Quandoquidem ego te glorificavi, opuſque conſummavi, idcirco & tu me viciſſim glorifica. Quid autem hic Chriſtus per gloriam intelligat, qua ſe à Patre glorificari petit, id ad ℣. 1. jam indicavimus, & porro inferius explicabimus.

Apud temetipſum.] Glorificationem, quam petit à Patre, dupliciter deſcribit Chriſtus. Primo his verbis, *apud temetipſum*, quæ opponuntur glorificationi, quæ apud homines partim jam facta erat, partim adhuc fieri debebat. Itaque dum petit Chriſtus, ut eum Pater apud ſemetipſum glorificet, nihil aliud vult, quam ut tranſferatur in cœlum, quo hominum nemo eum nunc ſequi poteſt, ut ibi factus Spiritus vivificus, & immortalis, ad dexteram Patris collocetur, atque in majeſtate, gloria ac poteſtate ipſi ſimilis efficiatur. Hæc ſuprema Chriſti glorificatio ab hominibus cerni nequit, ſed ſolo intellectu cognoſcitur, per conſiderationem operum providentiæ ac regiminis ejus, è quibus aliquatenus immenſa ejus majeſtas ac gloria elucet. Nam quod Stephanus protomartyr vidit, & dixit: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*, Act. 7. 56. id in viſione duntaxat factum eſt, in qua ipſi ſpecies tantum quædam gloriæ Dei & Chriſti, qualem humani oculi capere ac ferre poterant, objecta fuit. Atque ejuſmodi fuerunt etiam omnes illæ viſiones & apparitiones, quas Johannes in ſua deſcribit Apocalypſi. Et quando venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos, de quo Matth. 25. 31. & alibi, an in hac ipſa glorificati corporis ſui forma, quam nunc habet in cœlis, apparaturus, & humanis oculis conſpiciendus ſit, an in alia aliqua, affirmari nequit.

Ea gloria, quam habui apud te, priuſquam mundus eſſet. Hæc eſt altera deſcriptio gloriæ iſtius, quam hic Chriſtus a Patre flagitat.

Quam habui.] Nempe in prædeſtinatione ac promiſſione: ut mox intelligetur.

Priuſquam mundus eſſet.] Id eſt, ante mundum conditum. Continetur autem in hac deſcriptione tacita ratio & argumentum, cur ſibi Pater hanc gloriam reipſa dare debeat; quia nimirum eam jam dudum apud ipſum habeat quaſi depoſitam & paratam; jure proinde ſe eam poſcere. Hinc jam intelligitur, quanta ſit Chriſti excellentia, quod adhuc ante jacta mundi fundamenta jus habuerit ad tam ſublimem gloriam, quodque ei ex mera Patris gratia & beneplacito ſit præparata ac deſtinata. Huc pertinet, quod Judæorum Rabbini ajunt, ante ſolem creatum Meſſiæ nomen eſſe paratum.

Hæc Chriſti verba vulgo allegari ſolent ad probandum, quod Chriſtus ſit Deus Altiſſimus. Ex eo enim, quod Chriſtus petit illam gloriam, quam antequam mundus factus eſſet, apud Patrem habuit, colligunt illi, eum ante mundum conditum reipſa extitiſſe. Claritas autem iſta ſeu gloria, ajunt, quam habuit reipſa ante mundum conditum, alia eſſe non potuit, quam æterna Deitas; nam ſecundum humanam naturam non poterat quicquam ante mundi habere creationem. Verum argumentum hoc facile ſolvitur. Primo, ſi Chriſtus eſt Deus Altiſſimus, cur gloriam à Patre petit ullam? imo ſi hæc gloria, eſt ipſa ſuprema Deitas, cur petit id, quod nunquam poterat amittere? Quando enim quiſpiam petit aliquid, quod prius revera habuit, id certiſſimum indicium eſt, eum id non habere amplius, ſed aliquo caſu amiſiſſe. Deinde cur petit hanc gloriam à Patre, ſi eam ipſe tanquam Deus Altiſſimus tam perfecte, ac Pater, habuit, & eam ſibi ipſi quoque, abſque Patre dare poterat? Si dicant, eum rogare, ut Pater gloriam illam tribuat humanæ naturæ ſuæ, contradicent ſibi ipſis, dum alioquin nullo pacto volunt admittere, quod humana natura gloriæ iſtius, quæ ſoli Deitati propria eſt, poſſit fieri particeps. Præterea quam abſurdum foret, ſi Chriſtus petiiſſet, humanæ naturæ ſuæ dari æternam ac ſupremam Deitatem, id eſt, ſi petiiſſet, ut humana natura ipſius Deus æternus atque Altiſſimus fieret. Quodſi quis dicat, Chriſtum non totam & perfectam gloriam divinam petere, ſed partem tantum talem, qualis capax ſit humana natura; reſpondemus, Chriſtum non loqui de ulla parte, ſed eam omnino gloriam petere, quam apud Patrem habuit: omitto, quod ſuprema Deitas in partes dividi non poſſit. Deinde quid opus erat, ut Chriſtus divinam gloriam ſive totam, ſive partem ejus, communicari humanæ naturæ ſuæ peteret, ſi illa, (ut adverſariorum fert opinio) cum ſuprema Deitate indivulſo nexu fuit copulata? Sed regerunt, Chriſtum cum in forma ſervi in terris verſaretur, & ad Patrem preces funderet, ſeſe humiliaſſe, & divinam ſuam gloriam depoſuiſſe, atque ita ſe exinaniviſſe, ut Paulus loquitur Phil. 2. 7. ideoque eum humanæ naturæ ſuæ nihil de ſua Deitate communicare potuiſſe. At nimis inepte hoc dicitur, Deum Altiſſimum ſupremam Deitatem ſuam vel ad tempus deponere potuiſſe, id eſt, deſinere eſſe Deus Altiſſimus. An putant illi, divinam naturam, poſtquam in utero Virginis Mariæ cum humana natura unita eſt, deinceps aliquantiſper ab ea receſſiſſe? aut Chriſtum cum ſeſe humiliavit, eam exuiſſe? Dicent, eum in ſtatu humilitatis divinitate ſua uti noluiſſe. Sed ſi ille aliter Deitatem ſuam non depoſuit, quam hoc modo, ut ea tamen quando vellet, uti poſſet: quid opus erat, ut eam à Patre rurſus peteret, qui eo major & præſtantior non erat? Quomodo ergo, quæres, intelligendum eſt, quod Chriſtus petit illam gloriam, quam apud Patrem habuit, antequam mundus eſſet? quomodo eam habuit, ſi ante ſuam è Virgine Maria nativitatem non extitit?

Hoc

Hoc vero facile intelligitur ab eo, qui in Sacris Literis hospes non est, in quibus sæpissime de rebus, quæ à Deo certo constituta atque decreta sunt, ut fiant, dicitur, quasi jam actu ipso facta sint. Annon Paulus etiam de nobis dicit, *gratiam nobis datam esse in Christo Jesu ante tempora æterna*, 2 Tim. 1. 9. cum tamen nos tunc nondum reipsa extiterimus? Item, Deum *nos elegisse ante constitutionem mundi*, Eph. 1. 4. nos cum *Christo resuscitatos esse* Col. 3. 1. Scriptor Epistolæ ad Hebræos ait: *Vos direptionem bonorum vestrorum cum gaudio excepistis, scientes, vos habere, apud vos meliorem substantiam in cœlis & manentem*, Hebr. 10. 34. quod sane longe plus est, quam quod Christus hic de se affirmat. Dicit enim, se gloriam habuisse non apud se, sed apud Patrem; scriptor autem ad Hebræos ait, eos meliorem ac manentem substantiam seu possessionem habere in cœlis apud seipsos: quasi jam reipsa eam in cœlis possedissent, adeoque in cœlis essent. Ita quoque de fidelibus dicitur, eos jam *justificatos* & *glorificatos esse* Rom. 8. 30. quod de justificatione, quæ in futura vita consummabitur, deque ejusdem vitæ gloria intelligendum est: item, Deum *dedisse eis vitam æternam*, & eos *habere vitam æternam* 1 Joh. 5. 11, 12, 13. cum tamen eam non reipsa, sed in spe tantum habeant; Rom. 8. 24. Ita Christus loquitur de Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, eos *vivere Deo*, etsi mortui sint, quia nimirum certo vivent in resurrectione justorum, Luc. 20. 36. Similiter Paulus ait de nostris gloriosis corporibus, quæ habituri sumus post resurrectionem: *Scimus nos ædificium habere ex Deo*, 2 Cor. cap. 5 1. Ita dicunt quoque Thalmudici scriptores, Legem ante mundum fuisse. Ex quibus omnibus exemplis liquet, ex eo, quod Christus petit dari sibi gloriam, quam habuit apud Patrem ante mundi existentiam, neutiquam concludi posse, eum illam actu ac reipsa habuisse, atque adeo ante mundum conditum extitisse. Christus enim, ut jam explicatum est, loquitur de illa gloria & charitate, quæ ipsi à Patre pro perfecta ipsius obedientia designata ac sepositа fuit, intelligitque exaltationem suam ad dexteram Patris, & divinam potestatem atque imperium, quod Paulus appellat *nomen supra omne nomen*, quod Christo donatum est, ut in nomine ejus omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum, Phil. 2. 9. Hoc autem reipsa obtinere ac consequi non poterat, nisi post mortem suam. *Nonne sic oportuit Christum pati, & introire in gloriam suam?* ait Christus ipse Luc. 24. 26. Hanc igitur gloriam à Patre hic petit, quia tempus jam advenerat, ut opus, quod ipsi dederat Pater, morte susceptа perficeret. Et Christum hic non de reali possessione seu habitione istius gloriæ loqui, satis arguunt verba *apud te*: Quam habui *apud te*, subintellige depositam & assignatam, atque ad tempus præstitutum asservatam. Quod enim aliquis reipsa habet ac possidet, id non habet apud alium. Præterea potest aliquis hæreditatem filio suo destinare & parare, etiamsi eum nondum genuerit, sed demum gignendi animum ac spem habeat.

Alii difficultatem hanc cernentes, aliud comminiscuntur, dicuntque Christum non orare hic, ut Pater ipsi gloriam, quam jam ante habuit, id est, æternam ipsius Deitatem det, sed tantum, ut eam velit manifestare, & efficere, ut prædicetur ac celebretur. Sed hæc interpretatio primum cum verbis ipsis non convenit. Facile enim cernitur, verba ista, *glorifica me gloria illa*, nihil aliud significare, quam, *da mihi gloriam illam*: ut in exemplo, honorare aliquem honore, nihil aliud est, quam dare alicui honorem. Deinde si Christus gloriam illam jam revera habuit, adeoque summus Deus ipse fuit, quid opus erat petere ab alio, ut divinitatem ipsius patefaceret? An hoc ipse efficere non poterat? Adde quod Christus roget, ut Pater se glorificet *apud semetipsum*. Num vero Filius ex essentia Patris ab æterno genitus, unus idemque cum ipso Deus, apud Patrem clarus ac gloriosus non fuit? an voluit gloriam suam à Patre prædicari? Num vel Angeli gloriam ejus ignorarunt, vel eam non satis prædicarunt? Coronidis loco apponemus hic verba Augustini, qui alioqui acerrimus fuit hujus sententiæ detensor, quod Christus sit summus Deus. Eum tamen veritatis evidentia coëgit, ut locum hunc sic interpretaretur: *Ordo verborum est: Quam habui apud te, priusquam mundus esset. Ad hoc valet, quod ait: Et nunc glorifica me; hoc est, sicut tunc, ita & nunc; sicut tunc prædestinatione, sic & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mundum: fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti.* Et Paulo post: *Si enim de nobis dixit Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem; cur abhorrere putatur a vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, quando nos in ipso, ut membra ejus essemus, elegit? Sic enim nos electi, quomodo ipse clarificatus; quia priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Tandem vero concludit: *Secundum hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est, antequam mundus esset; ut esset claritas ejus ex resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cujus dexteram sedet. Cum ergo videret, illius prædestinatæ suæ clarificationis venisse jam tempus; ut & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione jam factum, oravit dicens: Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Tanquam diceret: Claritatem, quam habui apud te, in prædestinatione tua, jam tempus est, ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua.* Exposit. in Euang. Joh. Tractatu 105.

Vers. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti; & sermonem tuum servaverunt.*] Antea pro ratione, cur se Pater glorificare debeat, attulerat, quod ipse glorificaverit Patrem: nunc id ipsum exponit, quomodo & apud quos Patrem glorificarit; quod scilicet nomen ejus manifestarit hominibus &c. Nomen Dei hic sumitur pro Deo ipso, locutione Hebræorum: ut ita Christus nihil aliud velit dicere, quam: Ego te manifestavi. Erat quidem unus ille Deus Israëlis Judæis, inter quos solos Christus Euangelium prædicavit, jam ante notus, sed non tam eximia & excellenti ratione. Per Christum enim eluxit veritas & justitia Dei, dum promissionem suam de regno Messiæ reipsa implevit: quod sicut fuit præcipuus scopus eorum omnium, quæ Deus olim in suo populo fecit, ita etiam in eo clarissime fides ac veritas

Dei

Dei apparuit. Porro per Chriſtum patefacta eſt quoque ſumma Dei miſericordia in remiſſione peccatorum; ejus omnipotentia, dum ſuos à mortis & inferni faucibus eripiet; ejus benignitas, dum eos beatæ immortalitatis reddet participes. Ita Deus olim ad Moſen locutus eſt: *Apparui Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo nomine Dei omnipotentis; at nomine meo Jehovæ non ſum cognitus illis*, Exod. 6. 3. Nomen autem Jehovæ ſignificat *Ero* (Vide Exod. 3. 13, 14.) quod nomen ideo ſibi tribuit, ut indicaret, ſe in ſua promiſſione, qua Abrahamo & poſteris ejus regionem Chananæam promiſerat, immutabilem fore. Quemadmodum igitur Deus hoc nomine Jehovæ Abrahamo, Iſaaco & Jacobo non fuit cognitus, Judaico populo autem per Moſen hoc nomine ſe patefecit: ita etiam Judaico populo hoc eodem nomine Jehovæ, quatenus illud ad excellentiſſimam promiſſionem de Meſſia reſpicit, non fuit notus, ſed per Chriſtum demum eſt manifeſtatus. Imo Chriſtus Deum manifeſtavit nomine Patris, quod ſub Novo Fœdere Dei proprium nomen eſt, Eph. 3. ℣ſ. 14, 15. Joh. 1. 12. Hæc autem Chriſtus de Deo docuit magna cum potentia & *tanquam poteſtatem habens; non ſicut Scribæ*, Matth. 7. 29. dum doctrinam ſuam non ſolum vitæ ſanctimonia, ſed & innumeris miraculis confirmavit.

Hominibus, quos dediſti mihi de mundo.] Exprimit quibus hominibus manifeſtaverit nomen Patris ſui. In genere quidem omnibus hominibus, ad quos venit, vel ſi mavis, qui ad ipſum venerunt, prædicavit Euangelium; ſed ex iis pauciſſimi doctrinam ejus ſuſceperunt ac ſervarunt: ut ipſe in illa parabola de vario ſeminis proventu indicavit, Matth. cap. 13. 8, 23. Itaque hic quoque Chriſtus diſcrimen inter auditores ſuos facit, dum de nonnullis dicit, *Patrem eos ſibi dediſſe*, & eos *ſervaſſe ſermonem ſuum.* Et verſu ſequenti ait: *Nunc cognoverunt, omnia quæ dediſti mihi, abs te eſſe.* Ex quo patet id de iis intelligendum eſſe, qui non ſolum ratione prædeſtinationis, ſed & reipſa ipſi à Patre dati erant. Nam quoad prædeſtinationem Pater ipſi omnes homines dederat, quippe qui *vult omnes homines ſervari, & ad agnitionem veritatis venire*, 1 Tim. 2. 4. vel, ut Petrus loquitur, *vult omnes homines ad pœnitentiam ſe convertere*, 2 Pet. 3. 9. Sed *non omnium eſt fides* 2 Theſſ. 3. 2. Sunt enim multi homines ἄτοποι, *inſolentes & mali*, de quibus Apoſtolus ibidem conqueritur; de iis dici poteſt, eos Chriſto à Patre datos non eſſe, quia propter cordis ſui duritiem & malos mores ſe dari paſſi non ſunt. Quod enim Deus dat, id dat ſapientiſſima ratione, id eſt, ita ut ei qui ſe ſponte ac ultro dari non vult, nullam vim adhibeat: qua de re alibi. Iſti quos Pater Chriſto dedit, ſunt illi ipſi, de quibus alibi dicit, eos à Patre ſuo trahi, Joh. 6. 44. eos à Patre doctos eſſe Ibid. ℣ſ. 45. Tales autem ſunt ii omnes, qui probi ſunt animi & veritatem amantis, quorumque corda in peccatis & malis operibus nondum callum obduxerunt. *Hoc eſt judicium*, inquit Chriſtus, *quod lux venit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras, quam lucem: quia opera eorum mala erant. Quiſquis enim, quæ mala ſunt, agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem* (id eſt, qui candido eſt animo & veritatis ſtudioſo) *venit ad lucem*, &c, Joh. 3. 19, 20, 21. *Si quis voluerit voluntatem ejus* (Dei) *facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit*, Joh. 7. 17. Sicut proinde illi ſoli, qui doctrinam Chriſti receperunt, ſunt ii, quos Pater Chriſto dedit, ita illi quoque ſoli ſunt, quibus ille nomen Patris ſui manifeſtavit; ſcilicet tam efficaciter, ut manifeſtationem ſuſceperint.

De mundo.] Tunc temporis cum eis revelatio iſta ac manifeſtatio fieret, adhuc erant in mundo, id eſt, erant mundo dediti. Sed per Euangelium, quod eis prædicavit Chriſtus, illique ſuſceperunt, Deus eos ex mundo eripuit, ac ſegregavit, Chriſtoque dedit.

Tui erant.] Pergit eos deſcribere. Erant autem Patris, non tantum ratione juris ac imperii, quod Deus in eos habuit, tum reſpectu Creationis, tum reſpectu illius Fœderis, quod cum patribus ipſorum pepigerat; ſed etiam, quia ſe ipſi dicaverant, & ipſi pro modulo donorum, quæ habebant, ſerviebant, ipſiuſque eſſe volebant. Simili modo Chriſtus oves ſuas vocat omnes eos, qui parati erant vocem ejus audire, quos à reliquis qui vocem ejus audire nolunt, diſtinguit Joh. 10. 26, 27. Ita Paulo quoque dixit, ſe *habere multum populum Corinthi*, nempe tales, qui apti erant propter probitatem ad ſuſcipiendum Euangelium, Act. 18. 10.

Et mihi eos dediſti.] Quia Patris erant, ideo eos etiam Chriſto dare potuit. Sed neque hoc de ſola prædeſtinatione Dei intelligendum eſt, ſed de eo, quod reipſa eſt conſecutum, id eſt, quod reipſa & effectu ipſo Chriſto dati ſint, ita ut ſermonem Dei non rejecerint, neque ſeipſos indignos judicarint vita æterna, ut Paulus loquitur Act. 13. 46. De iiſdem ibidem ℣ſ. 48. dicitur, eos ordinatos eſſe ad vitam æternam.

Et ſermonem tuum ſervaverunt.] Doctrinæ tuæ, quam ego tradidi, fidem dederunt, eam menti ac memoriæ ſuæ inſcripſerunt, ſtuduerunt quoque vitam ſuam ad ejus præſcriptum componere, & reipſa compoſuerunt, quantum tempus & vires eorum tulere. Quamvis enim 11, Apoſtoli, de quibus hic potiſſimum loquitur Chriſtus, in diſcrimine Chriſtum deſeruerint, & Petrus eum etiam plane abnegarit; id tamen magis ex infirmitate, quam malitia aliqua factum eſt: quod ex eo liquet, quod rurſus omnes poſt reſurrectionem ad Chriſtum redierint. Id Judas non fecit: itaque eum etiam Chriſtus infra ℣ſ. 12. è numero eorum, quos ipſi dedit Pater excludit.

Verſ. 7. *Nunc cognoverunt, omnia quæ dediſti mihi, abs te eſſe.*] Videtur hic Chriſtus de ſua doctrina & miraculis loqui, quæ agnoſcit ſibi à Patre data eſſe, ſeu ea ſe a Patre accepiſſe. Nimirum hoc ſibi vult: Omnia quæ dediſti mihi ſeu mandaſti, ut doceam & faciam, illi cognoverunt, a te eſſe. Ita doctrinam & opera ſua admiranda Patri ſuo adſcribit; ut & alibi: Joh. 7. 16. viij. 28. xij. 49, 50. xiv. 24. Joh. 5. 19, 30, 36. Act. 2. 22. Etſi vero in initio non tam exacte cognoverint, cum tempore tamen, poſt auditas tot conciones Chriſti, poſt tot viſa miracula, magis magiſque ſunt in fide & cognitione ſua confirmati. Hinc ſupra cap. 6. 69. dicunt ad

Chriſtum: *Nos credimus & cognovimus, te eſſe Chriſtum Filium Dei viventis.* Vide etiam Matth. 16. 16. Similem cognitionem de Chriſto habuit Nicodemus, quam teſtatus eſt illis verbis Chriſtum alloquens: *Scimus te a Deo veniſſe magiſtrum: Nemo enim poteſt hæc ſigna edere, quæ tu edis, niſi ſit Deus cum eo* Joh. 3. 2. At longe aliter Phariſæi & Legiſperiti, nec non reliqui Judæi erant animati, qui doctrinam ejus Diabolo adſcribebant Joh. 8. 48. x. 20. miracula vero Beelzebuli principi Dæmoniorum, Matth. 12. 24.

Verſ. 8. *Quia verba, quæ tradiſti mihi, tradidi eis, & ipſi acceperunt; & cognoverunt vere, me a te exiviſſe, & crediderunt, me a te miſſum eſſe.*] Exprimit medium, per quod illi cognoverint, ſuam doctrinam & opera à Patre eſſe: nimirum doctrinam, quam Pater ipſi commiſerat, illis, propoſuit, & animis eorum ſæpius repetendo & inculcando impreſſit, denique miraculis inſignibus ei fidem conciliavit. Niſi enim doctrina iſta eis annunciata fuiſſet, non poſſuiſſent cognoſcere, eam à Deo eſſe. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille enarravit:* ait Euangeliſta noſter ſupra cap. 1. 18.

Et ipſi acceperunt.] Id eſt, crediderunt ei: ut ſupra cap. 1. 11, 12.

Et cognoverunt vere.] Non fucate & in ſpeciem tantum, ſed ſincero animo. Sic vox veritatis accipitur Luc. 20. 21. 1 Cor. 5. 8. & alibi.

Me a te exiviſſe.] Id eſt, me tuo juſſu prodiiſſe in publicum.

Et crediderunt, me a te miſſum eſſe.] Explicatio eſt ejus, quod antecеſſit: Chriſtus enim à Patre exivit, tanquam legatus à mittente. Si quis velit iſtud intelligere de illo exitu ſeu egreſſu Chriſti, quando poſt nativitatem ſuam in cœlis apud Patrem fuit, & mandatis ab eo acceptis de cœlo in terram deſcendit, is noſtro judicio non errabit. Hoc enim probabiliter paulo ante factum eſt, quam Chriſtus munus prædicandi auſpicaretur. Vide Joh. 3. 13. vj. 32, 33, 34, 35, 38, 50, 51, 58, 62.

PARS II.

Verſ. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi, quia tui ſunt.*] Altera pars hujus Capitis ſequitur. In prima parte Chriſtus pro ſe oraverat, ut à Patre glorificaretur, & rationes multas adduxerat, ut exaudiri ab eo deberet: eaque occaſione diſcipulos ac fideles ſuos deſcripſerat ℣ſ. 6, 7, 8. Nunc etiam orat pro ipſis ac nominatim pro Apoſtolis: idque facit primo in genere, deinceps in ſpecie, exprimens, quid pro illis petat.

Ego pro eis rogo.] Hic in genere orat pro iis, quos ſuperius ℣ſ. 6, 7, 8. deſcripſerat, quod eos ſibi Pater dederit, quod ſermonem ejus ſervaverint, quæque alia de illis fuſius recenſuit. Eum in finem autem eos ad hunc deſcripſit modum, ut oſtenderet, eos dignos eſſe, ut pro talibus orans à Patre exaudiatur. Poteſt dici, Chriſtum hic initium feciſſe ſui Sacerdotalis muneris. Sacerdotibus enim ſummis ſeu Pontificibus Maximis competebat populo benedicere Num. 6. 23, 24. Quæ benedictio vim precationis habuit. Et credibile eſt, Pontifices ſummos, cum populi peccata mactato hirco expiarent, ſuper alterum autem impoſitis capiti ejus manibus peccata populi confiterentur Levit. 16. aliquas etiam adhibuiſſe precationes.

Non pro mundo rogo.] Orationi pro Apoſtolis, opponit orationem pro mundo, pro quo dicit ſe non rogare. Per *mundum* intelligit omnes reliquos homines, qui erant præter fideles ſuos diſcipulos, qui maximam partem mundi conſtituebant. Pro iſtis, quatenus tales ſunt, inquit, ſe non orare; quia ejus rei, quam modo rogat, incapaces atque ita hac ſua oratione indigni ſint: ut nimirum eos Deus ſervet in nomine ſuo, ut ſint unum, ſicut ipſe cum Patre unum eſt; ut eos conſervet à malo, ut eos in veritate ſua ſanctificet &c. Ex eo, quod Chriſtus inquit, ſe non orare pro mundo, concludi nequit, eum nunquam pro iis, qui tunc adhuc de mundo erant, oraſſe: tametſi non id ipſum, quod hic pro ſuis diſcipulis rogat, pro illis oraverit. Multo minus hinc colligendum eſt, Chriſtum pro illis non eſſe mortuum, adeoque eorum ſalutem non quæſiviſſe. Eſaias enim dicit, eum etiam pro tranſgreſſoribus oraſſe Eſai. 53. 12. id eſt, pro iis qui ipſum crucifixerunt, qui tunc deterrima & ſceleratiſſima pars mundi erant. Et hiſtoria paſſionis ejus teſtatur, eum in cruce pendentem ſic pro iis oraſſe: *Pater remitte eis, quia neſciunt quid faciant.* Vide Luc. 23. 34. Etiam hoc ipſo capite ℣ſ. 20. rogat pro iis, qui per ſermonem diſcipulorum ſuorum crediturі ſunt in ſe: & quidem id ipſum rogat pro ipſis, ſi crediderint, quod pro diſcipulis ſuis rogaverat. Inſuper quomodo dici poteſt, Chriſtum nolle eorum ſalutem, qui ad huc de mundo ſunt, cum ipſe dicat, ſe *ſæpius congregare eos voluiſſe, quomodo gallina congregat pullos ſuos ſub alas*, Matth. 23. 37. & Petrus ſcribat, *Dominum nolle, ut quiſquam pereat, ſed omnes ſe ad pœnitentiam convertant.* Quem eundem in ſenſum Paulus: *Deus vult*, inquit, *omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire*, 1 Tim. 2. 4. Vide etiam Ezech. 18. 32. xxxiij. 11. Quomodo etiam negari poteſt, Chriſtum etiam pro mundo quoque mortuum eſſe, cum Paulus dicat: *eum dediſſe ſeipſum pretium redemtionis pro omnibus*, 1 Tim. cap. 2. 6. & Johannes, eum eſſe *propitiationem pro peccatis totius mundi*, 1 Joh. 2. 2? Cæterum in hac oppoſitione & antitheſi, qua mundum Apoſtolis opponit, continetur prima cauſa, quamobrem pro Apoſtolis ſuis rogans a Patre exaudiri debeat: quod nimirum illi non ſint de mundo, qui *in maligno poſitus eſt totus* 1 Joh. 5. 19. qui *Spiritum veritatis non poteſt recipere, quia non videt eum, neque novit eum*, Joh. 14. 17. Plurimum facit ad exaudiendas preces, ſi Regis filius teſtetur, ſe non promiſcue orare pro omnibus ſubditis fidelibus & infidelibus, ſed pro iis tantum quia obſequio ſuo demonſtrant, quanti Regem faciant.

Pro iis quos dediſti mihi.] Mundo opponit diſcipulos ſuos, cum ea deſcriptione, in qua continetur altera ratio, cur ſit exaudiendus. Quibus enim Pater libentius ac promptius ſuam exhiberet gratiam atque amorem, quam iis, quos ipſe Filio ſuo,

ſuo, ea quæ ſupra dictum eſt ratione dedit?

Quia tui ſunt.] Cum modo dixerit, eos ſibi a Patre datos eſſe, ne quis cogitaret, eos non amplius Patris eſſe, oſtendit, eos nihilominus ipſius eſſe. Quo ipſo indicat cauſam, & cur pro iis roget, & cur exaudiri debeat. Æquum enim eſt, ut pro iis oret, qui Patris ſunt: æquum etiam eſt, ut Pater exaudiat orantem pro iis, qui ipſius ſunt. Atque ſic hæc erit tertia ratio, qua Chriſtus orationi ſuæ pro Apoſtolis pondus addit. Cum Chriſtus hic de diſcipulis ſuis ait, eos Patris eſſe, perfectiori ſenſu id accipit, quam cum ſupra ℣. 6, idem de eis diceret. Ibi enim conſiderantur diſcipuli tanquam nondum credentes in ipſum, quatenus imperio ac providentiæ Patris erant ſubjecti, neque animo erant ab eo plane alieni. Hic vero ſpectantur, ut tales, qui Chriſto jam reipſa dati ſint, id eſt, in ipſum credant: quorum Deus majorem ac teneriorem curam gerit, quique ſe etiam totos ſervitio Dei per Chriſtum tradito devoverunt. Pro talibus igitur & Chriſtus meritiſſimo oravit, & ut Pater orantem exaudiret, juſtum ac par fuit.

Verſ. 10. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & glorificatus ſum in eis.*] Particula & initio hujus verſiculi poſita eſt pro *nam.* Reddit enim Chriſtus cauſam, quomodo fieri poſſit, ut Pater eos ſibi dederit, & nihilominus ipſius ſint: quia nimirum omnia bona cum Patre communia habeat; propterea etiam ea quæ ſua ſunt, quia a Patre ſibi data, nihilominus tamen Patris ſunt. Hoc autem ſic generatim acceptum, tunc cum Chriſtus loquebatur, magis de decreto & deſtinatione, quam de effectu ipſo erat intelligendum. Sed poſtquam Chriſtus aſcendit in cœlum & conſedit ad dextram Dei, reipſa hæreditatem ac poſſeſſionem omnium bonorum paterum adiit, Heb. 1. 3. Potuit tamen Chriſtus tunc vere ita loqui, quia decretum illud Dei certum erat ac immutabile, cum hanc hæreditatem ipſi Deus mentiri neſcius promiſiſſet, ipſique adeo & aditum ad eam ſua promiſſione dediſſet; & præterea quia tempus, quo effectu ipſo poſſeſſionem conſequi debebat, jam admodum propinquum erat. Ita dixit quoque ſupra ℣. 2. *datam ſibi eſſe poteſtatem in omnem carnem:* & Matth. 28. 18. *datam ſibi poteſtatem in cœlo & in terra.* Quænam autem ſint illa omnia, quæ Chriſtus cum Patre habeat communia, id intelligitur ex illis locis, quibus Chriſti exaltatio deſcribitur: omnia ſcilicet viſibilia & inviſibilia, cœlum, terra, & quæcunque in eis continentur, Pſal. 8. 7. Hebr. 2. 8. Eph. 1. 22. Itaque ſupra cap. 16. 15. horum omnium numero comprehenduntur etiam ea, quæ Spiritus Sanctus Apoſtolis revelare debuit. Vide ibidem argumentum eorum refutatum, qui ex hiſce verbis colligunt, Chriſtum eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre, adeoque ipſum Deum ſummum.

Et glorificatus ſum in eis.] Hæc eſt quarta ratio, qua Patrem ut ſe exaudiat, permovere geſtit. Ait, eos glorificaſſe ſe, id eſt, gloriam ſuam curaſſe ac propagaſſe, nomenque ſuum celebre ac glorioſum reddidiſſe: quod fecerunt, dum eum pro Domino ac Magiſtro ſuo, imo pro Filio Dei viventis agnoverunt, & profeſſi ſunt Matth. 16. 16. dum in nomine ejus prædicarunt Euangelium regni cœlorum Luc. 9. 2. Mar. 3. 14. ſuamque prædicationem miraculis in nomine ſuo confirmarunt. Mirifice enim id glorioſum Chriſto fuit, cum ſimul ac nomen ejus nominaretur ac pronunciaretur ab Apoſtolis, illico morbi ſanarentur, dæmones ejicerentur, mortui reſurgerent: quam miraculoſam poteſtatem illis Chriſtus conceſſerat, Matth. 10. 8.

Verſ. 11. *Et non ſum amplius in mundo, & iſti ſunt in mundo, & ego ad te venio. Pater Sancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.*] Hæc quinta ratio eſt, qua probat, debere Patrem ſuas pro diſcipulis preces audire: quod ipſe, qui eos hactenus tanquam pater filios protegebat, de mundo diſcedat, illoſque orphanos deſertoſque derelinquat, niſi illis Pater adſit. Dicit, ſe non eſſe jam in mundo, non quod tunc non eſſet, ſed quod paulo poſt futurus non eſſet. Præſens poſitum eſt pro futuro, ut antea ſæpius. Per *mundum* hic intelligit orbem terrarum, in quo homines degunt.

Et iſti ſunt in mundo.] Id eſt, ego eos diſcedens hic in terris relinquam, in mediis fluctibus gravium perſecutionum, neque tum per mortem abſens potero eos protegere, ut hactenus feci; proinde omnino Patris præſidio ac patrocinio indigent.

Et ego ad te venio.] Declarat vel potius confirmat, quod dixerat, ſe non eſſe, id eſt, non futurum, amplius in mundo. Æquum autem fuit, ut Pater eorum curam & cuſtodiam ſuſciperet, quos ipſe moriens deſtituebat. Hæc autem ratio non habet hoc tempore locum, cum Chriſtus reſurrexit à mortuis, & ſedet à dextris Dei, etſi corpore abſens ſit à ſuis. Habet enim nunc divinam poteſtatem, qua poſſit ipſe fideles ſuos adverſus omnes inimicos defendere, omniaque, quibus tam quoad animam quam quoad corpus egent, eis largiri. Adeſt enim eis Spiritu ac virtute ſua perpetuo ut promiſit ipſemet, dicens: *Ecce ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, Matth. 28. 20. Quod quomodo factum ſit, Marcus aliquomodo declarat, cum inquit: *Dominus autem cooperabatur, & ſermonem eorum confirmabat ſequentibus ſignis*, Marc. cap. 16. 20.

Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo.] Jam exprimit rem ipſam, quam pro Apoſtolis rogat, quoque magis exaudiatur rurſus variis rationibus petitionem ſuam fulcit. Repetit autem blandum *Patris* nomen, quo uſus fuerat ℣. 1. & 5. additque inſigne *Sancti* epitheton: quo ſignificat, ejus tum naturam tum voluntatem alieniſſimam eſſe ab omni malitia, ac proinde eum omni cultu ac veneratione dignum eſſe. Nomen hoc *Sancti* adeo eſt Deo proprium, ut abſque omni alia adjectione ſimpliciter *Sanctus* vocetur 1 Pet. 1. 15. vel *Sanctus Iſraëlis* Pſal. 71. 22. LXXVIII. 41, &c. Et hanc ob cauſam, ut perfectiſſima ſcilicet & perpetua ſanctitas ejus exprimeretur, ter nomen Sancti repetitur Eſai. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus exercituum:* non quod tres perſonæ Deitatis (ut nonnulli volunt) hac repetitione ſignificarentur. Uſitatum autem in ſcriptura eſt, ut Deo talia tribuantur nomina, quæ cum re, de qua agitur, conveniant: ut etiam hoc loco fit, ubi Chriſtus potiſſimum eo ſpectat, ut Deus diſcipulos ſuos in ſanctimonia conſervet. Ita cum Paulus lo-

queretur de patientia appellat Deum, *Deum patientiæ* Rom. 15. 5. Jam res ipſa, quam orabat Chriſtus pro Apoſtolis, erat, ut eos Pater in nomine ſuo ſervaret. Quod dupliciter poteſt intelligi. Primum ita, ut particula *in* accipiatur pro *per* more Hebræo, ut ſenſus ſit: ſerva eos per nomen tuum, id eſt, per te ipſum, & per tuam divinam providentiam, ne pereant. Etenim *nomen Domini eſt turris fortiſſima; ad ipſam curret juſtus, & exaltabitur*, Proverb. 18. ℣. 10. Deinde ita, ut vocula *in* propriam ſuam ſignificationem retineat, & ſenſus ſit: ſerva eos in cognitione & cultu nominis tui; quemadmodum de Angelo Eccleſiæ Epheſinæ dicitur, eum propter nomen Chriſti laboraſſe, Apoc. 2. 3. Et hac de re videtur hic Chriſtus loqui. Merito autem petit, ut Pater eos in nomine ſuo conſervet, cum ipſe mox ſit ab eis per mortem auferendus, neque adeo eos ſervare poſſit, ut qui ipſe indigus futurus ſit Patris ope & auxilio, à quo ſolo à morte ſervari poterat; quamobrem etiam cum clamore valido & lacrymis ei ſupplicavit Hebr. 5. 7. Rogat vero Chriſtus, ut eos Pater ita ſervet, ut in eo ſtatu pietatis & gratiæ divinæ, in quo erant conſtituti, conſtanter permanent: quod fieri poterat, partim per averſionem periculorum, quæ fidem ac conſtantiam eorum labefactare poterant, partim per Spiritum Sanctum, quem ipſis communicaverat. Hinc diſcimus, quam lubricus ac incertus ſit Chriſtianorum ſtatus, niſi divino auxilio fulciatur. Idcirco neminem decet ſecurum eſſe, ſed cum timore ac tremore ſalus unicuique perficienda, divinumque auxilium aſſiduis ac demiſſis precibus implorandum eſt.

Quos dediſti mihi.] Deſcribit eos, quos Pater ſervare debeat: quæ deſcriptio explicata à nobis eſt ad ℣. 6. Loquitur enim de iis, quos Pater ita ipſi dederat, ut ſe dari paſſi ſint, & reipſa Chriſti facti ſint. Complectitur vero hæc deſcriptio in ſe cauſam, cur eos Pater ſervare debeat, quia nimirum ab ipſo dati ſint.

Ut ſint unum, ſicut & nos.] Hæc eſt cauſa finalis iſtius ipſius precationis pro diſcipulis, ut ſint inter ſe unum, ſicut ipſe cum Patre unum eſt. *Quam bonum & quam jucundum eſt habitare fratres una*, Pſal. 133. ℣. 1. Unitas & concordia multum etiam valet adverſus hoſtes: quod pulchre declaravit etiam ille Scytharum Rex, qui moriturus filiis faſcem ſagittarum tradidit frangendum, quem nullus eorum frangere poterat, ſed ſingulas ſagittas facile fregerunt. Precatur autem Chriſtus diſcipulis ſuis talem unitatem, ut tum in voluntate, tum in dictis ac factis unum eſſent. Hoc enim requirebat quoque ipſorum officium, quod eis impoſuerat. Et hoc facile in eis præſtare poterat unus ille Dei Spiritus, qui diverſa quidem, ſed unius tamen corporis membra (qualia Apoſtoli inter ſe erant) regebat.

Sicut & nos.] Proponit Apoſtolis ſuis exemplum unitatis inter ſe & Patrem ſuum: quo pacto duo innuit; primo quod & illi debeant unum eſſe; deinde quam magna debeat eſſe ipſorum unitas. Par enim eſt, ut & Filii Dei & diſcipuli Chriſti utriuſque exemplum imirentur: quod exemplum & hodie omnes Chriſtiani ſibi proponere debent imitandum.

Hinc cernitur, quam fragile & elumbe ſit eorum argumentum, qui ex eo probare nituntur Chriſtum eſſe Deum Altiſſimum, quia ſit unum cum Patre. Chriſtus enim hic diſcipulis etiam ſuis precatur talem unitatem, qualis eſt ipſius cum Patre; quibus certe unitatem eſſentiæ numericæ precatus non eſt, neque precari potuit. Si quis dicat, Chriſtum hoc ſibi velle, ut diſcipuli ſint unum inter ſe voluntate & affectu, quemadmodum ipſe ſit unum cum Patre eſſentia; is Chriſtum abſurde loquentem faciet. Quid enim eſſentia hic ad rem pertinet? præſertim cum talis unitas, qualem Chriſtus diſcipulis optet, nempe voluntatis, doctrinæ & operum, etiam inter Patrem & Chriſtum reperiretur, eaque multo efficacius movere potuerit diſcipulos ad hoc exemplum imitandum, quam unitas eſſentiæ. Taceo, quod nullum exemplum dari poſſit neque in Scriptura, neque in natura, ut cum de duabus rebus dicitur, eas unum eſſe, unitas eſſentiæ intelligatur. Si quis iterum dicat, Chriſtum hic ad unitatem Spiritus, reſpicere, quem ipſe à Patre acceperit, & Chriſtiani ab utroque accipiant; id quidem concedi poteſt: ſed tum locus hic nihil faciet ad probandam theſin adverſariorum. De unitate Dei & Chriſti etiam fit mentio infra ℣. 21, 22. Vide etiam 1 Joh. 5. ℣. ubi de unitate teſtimonii agitur.

Verſ. 12. *Cum eſſem cum eis in mundo, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.*] His verbis ſignificat, ſe id quod Patrem pro illis rogat, ipſummet præſtitiſſe hactenus quam diligentiſſime, dum in terris verſaretur; eos fideliter inſtituendo, crebro admonendo, & exemplo ſuo eis præluendo, nec non infinitis miraculis, quæ oculis ſuis viderunt, fidem eorum corroborando. Quæ omnia media non inutiliter ac infructuoſe eſſe adhibita, res ipſa docuit.

Quos dediſti mihi, cuſtodivi.] Oſtendit non tantum ſe omnibus officii ſui partibus, quantum in ſe fuit, eſſe perfunctum, ſed etiam felicem eventum indicat, quod non fruſtra laboraverit, ſed omnes, uno duntaxat excepto, conſervati ſint.

Et nemo ex iis periit.] Id eſt, nemo vita privatus eſt, neque etiam à me defecit.

Niſi filius perditionis.] Per hunc intelligitur Judas Iſcariotes, qui erat unus è duodecim Apoſtolis: de hoc ſolo dicit, eum periiſſe, quia ſceleratum proditionis conſilium jam ad exitum perduxerat, & poſtea ſeipſum ſuſpendit ac ſtrangulavit, Matth. 27. 5. Act. 1. 18. Ita factus eſt horribile exemplum omnibus illis, quicunque à veritate defecerint. Vocat eum Chriſtus *filium perditionis*, id eſt, Hebraico idiomate, dignum perditione. Eodem modo Paulus etiam Antichriſtum appellat 2 Theſſ. 2. 3. Ita *filius Gehennæ* dicitur, qui Gehenna dignus eſt Matth. cap. 23. 15. *filius mortis*, qui morte dignus eſt, 2 Sam. 8. 12. Ex his verbis autem liquet, Chriſtum in hac ſua precatione uſque ad ℣. 20. præcipue ad duodecim Apoſtolos reſpicere: ſaltem, eum non ad omnes reſpicere, qui in eum crediderant: è quibus multi duris ſermonibus ejus offenſi, ab ipſo reſiluerant, neque amplius eum ſecuti ſunt, Joh. 6. ℣. 60, 66. Ad hæc verba Chriſti etiam infra reſpicit Johannes cap. 18. 9.

Ut

Ut Scriptura impleatur.] Conjunctio *ut* non cauſam hoc loco ſignificat, ſed eventum. Non enim indicatur, Judam ideo periiſſe, quia Scriptura id prædixit, ſed cum ita periiſſet, impletum in eo eſt, vel jure ad eum accommodari poteſt, illud, quod David olim de ſuo inimico protulit, Pſal. 109. 8. *Dies ejus erunt pauci, & officium ejus accipiet alter.* Vide Act. 1. 20.

Verſ. 13. *Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſe.*] Indicat his verbis, ſe dum per mortem ad Patrem proficiſcitur, aliquandiu à diſcipulis ſuis abfuturum, adeoque curam pro iis ſoli Patri incumbere, quam ille tanto libentius in ſe ſuſcipiet, quia ipſe non alio eat, quam ad illum.

Et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſe.] Hoc vult dicere: Quoniam ad te jam jam ſum abiturus, hæc pro illis, dum adhuc in terris ſum, iis præſentibus loqui atque orare volui, ut gaudium, quod ex mea habebant præſentia, non tantum non extingueretur me abſente, ſed potius augeretur in eis, & perfectius redderetur.

Gaudium meum.] Gr. τὸν χαρὰν τὴν ἐμὴν, *gaudium quod meum eſt*, id eſt, gaudium quod ex me habent ac percipiunt. Vide ſupra cap. 15. 11.

Verſ. 14. *Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.*] Jam ſexta ſequitur ratio, qua Patrem movet, ut ſuam pro diſcipulis orationem exaudiat: eaque eſt, quod eos odio habeat mundus, & quidem ideo, quod ſermonem Patris receperint. Particula & ſignificat hic idem, quod *ideo, propterea.* Per ſermonem Patris intelligit Chriſtus doctrinam Euangelii, quæ etſi etiam Chriſti fuerit, maluit eam tamen Patri adſcribere, tum quia ille primus ſit ejus auctor, (Vide ſupra cap. 7. 16.) tum quia id rationi huic, ob quam Deus preces ſuas exaudire debeat, momentum addit. Æquiſſimum enim eſt, ut Deus eorum tutelam ſuſcipiat, qui propter Euangelium ipſius mundi odio ſunt expoſiti. Quod vero dicit, ſe ſermonem Patris illis dediſſe, id duplicem ſenſum habere poteſt. Primo, quod eos in doctrina Euangelii erudierit ſimpliciter tantum, ut ei crederent: deinde quod eos erudierit, ut non ſolum ipſi crederent, ſed & aliis eam prædicarent. Hoc poſterius plus habuit momenti & virium ad flectendum Patrem. Verbum autem dandi hic etiam de tali datione ſumitur, quæ cum eorum acceptione fuit conjuncta: ita enim illis Chriſtus dederat ſermonem ut illi reipſa eum receperint & amplexi ſint. Erat quidem æquitati maxime conſentaneum, ut ii quibus concreditus fuit ſermo Dei, ab omnibus hominibus magni fierent & ſumma cum humanitate excicerentur, tanquam ſummi Regis legati. At Chriſtus indicat hic, contrarium evenire, & diſcipulos ſuos propter ſermonem Dei totius mundi odium incurrere. Quod non de ſimplici & levi odio intelligendum eſt, quod in animo ſolo conſiſtit, quanquam & hoc ipſum ſummæ impietatis eſt, ſed quod etiam in actus nefarios, in perſecutiones & omnis generis maleficia erumpit. Satis enim notum eſt, quomodo omnes Apoſtoli Chriſti à mundo excepti atque tractati ſint. Vide 2 Cor. 4. 8. & ſeq. Rom. 8. 36.

Quia non ſunt de mundo.] Ne quis miraretur, quod mundus tam male tractaret Chriſti diſcipulos, monſtrat ejus rei cauſam: quia non ſunt de mundo, id eſt, non ſunt homines mundani, non iis moribus, quibus homines mundani ſunt præditi, nec mundanis concupiſcentiis dediti. Ut enim ſimilitudo morum eſt amicitiæ cauſa, ita diſſimilitudo eſt cauſa odii. Similis ſimili gaudet. Hinc Chriſtus ſupra dixit cap. 15. 19. *Si ex mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſt, diligeret: ſed quia non eſtis ex mundo, ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Vide Sapient. 2. 12. & ſeq.

Sicut & ego non ſum de mundo.] Quia aliquis potuiſſet objicere, diſcipulos ſingulari vitæ ratione ſe à mundo ſegregare, adeoque ejus odium ſibi accerſere; ideo dicit, ſe quoque, qui Magiſter ac Dominus eorum ſit, de mundo non eſſe: itaque mirum non eſſe, ſi diſcipuli ſe ad magiſtri ſui exemplum componant ac conforment.

Verſ. 15. *Non rogo, ut tollas eos è mundo, ſed ut ſerves eos ex malo.*] Nova hic ſuccedit petitio, in qua Chriſtus primum, quid non petat, deinde quid petat, exponit. Quod non petit, eſt: *Non rogo, ut tollas eos è mundo.* Ad hoc dicendum anſam ipſi dederunt præcedentia verba, quibus aſſeruit, diſcipulos ſuos non eſſe ex mundo. Quo audito cogitare quis poterat: cum non ſint ex mundo, & mundus eos odit; ergo ſatius eſt eos tolli de mundo, quam manere in eo, & à mundo ſubinde vexari & infeſtari. Hujuſmodi cogitationibus igitur occurrens Chriſtus, dicit, ſe non rogare, ut eos Pater tollat è mundo. Etſi enim id eis expediret, eo reſpectu, quod hac ratione omnibus periculis ob confeſſionem Euangelii ſubeundis ſubducerentur, & inſuper metu illo liberarentur, ne in cœpto pietatis curſu deficerent vel regrederentur, atque ſic ſalutis jacturam facerent: tamen aliud poſtulabat ratio muneris ac officii eorum, ad quod à Chriſto delecti erant, ut orbem terrarum prædicatione Euangelii ab impietate revocarent. Propterea rogat Chriſtus potius, ut in mundo neceſſario manentes, ex malo ſerventur. Per malum autem intelligitur omnis malitia mundi, cujus telis fideles Chriſti diſcipuli ſunt expoſiti. Poteſt etiam intelligi omne id, quod diſcipulis impedimento vel offendiculo in via ſalutis eſſe queat, ſive id ſint peccata, ſive varia adverſa corporis ac fortunæ, quæ eatenus Chriſtus averti petit à diſcipulis, eoſque ex illis ſervari, quatenus eos prægravare & vires eorum ſuperare poterant. Quominus hic per malum intelligatur Satanas, obſtat præpoſitio *ex*, quæ extat in textu Græco, ἐκ τοῦ πονηροῦ, *ex malo.* Deus autem ita ſervat ſuos ex malo, ut id vel mitiget, vel tollat, vel denique vires ad vincendum ſubminiſtret. Priora duo facit ſæpenumero per Angelos ſuos, quos cuſtodes fidelibus ſuis apponit; tertium per Spiritum Sanctum, quem eis largitur.

Verſ. 16. *Non ſunt ex mundo, ſicut & ego non ſum ex mundo.*] Repetit teſtimonium, quod antea diſcipulis ſuis dederat: ut audientium diſcipulorum animos magis confirmaret ac conſolaretur, iterato hoc elogio, quod ab omni improbitate, (etſi non ab omni infirmitate) liberi ſint.

Verſ. 17. *Sanctifica eos in veritate tua. Sermo tuus*

veritas eſt.] Hæc eſt tertium, quod pro diſcipulis petit: ubi explicat ſimul quid per veritatem intelligat, nempe ſermonem Dei. Verba iſta, *Sanctifica eos in veritate tua*, duplicem admittunt ſenſum. Priori ſic loqui Chriſtus cenſendus eſt: Sanctifica eos, id eſt fac, ut magis magiſque in vera pietate augmentum ſumant, idque effice per veritatem quam tu Spiritu tuo Sancto velis in animis eorum imprimere atque obſignare. Veritas autem illa alia non eſt, quam doctrina Euangelii, quam tu mihi tradidiſti, & ego illis. Hoc loco videmus, ſanctos poſſe adhuc ſanctiores fieri, & ſanctitatem iſtam ex veritate Euangelii hauriri; quæ quo magis animis noſtris inſeritur & obſignatur, eò majores fructus pietatis producit. Alter horum verborum ſenſus eſt, quaſi dicat Chriſtus: Sanctifica eos, id eſt, ſegrega eos à mundo (ut Joh. 10. 36. & alibi) initia eos muneri, quod eis demandavi, idque non externis ceremoniis, ut olim Prophetæ ſub Lege & Sacerdotes Summi per unctionem conſecrari ſolebant, ſed tu eos conſecra in tua veritate, id eſt per Spiritum tuum Sanctum, cujus umbra ac figura fuit illa unctio. Et hoc congruit cum ipſorum ſtatu. Verba enim, quæ mundo proponere ac prædicare debent, non conſiſtunt in typis & figuris, ſicut Lex, ſed in veræ pietatis præceptis & in veræ felicitatis promiſſis. Ita veritas umbris Legis opponitur ſupra Cap. 1. 14, 17. IV. 23. Senſus poſterior videtur eſſe paulo difficilior ac ſubtilis, ſed melius cum ſequentibus convenit, quam prior.

Verſ. 18. *Sicut me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum.*] Cauſam reddit, cur eos ſanctificari à Patre petat. Erat res ardua & gravis, eos mittere in mundum, (vide 2 Cor. 5. 20. Eph. 6. 20.) & quidem ita, ut miſſio iſta cum Chriſti miſſione conferri mereretur: itaque Patris ſanctificatio, quocunque illa intelligatur modo, erat omnino neceſſaria. Quod Chriſtus dicit, ſe diſcipulos ſuos miſiſſe in mundum, quaſi de re præterita loquens, id ex parte tunc factum erat, cum eos mitteret ad prædicandum, quod jam appropinquaverat regnum cœlorum, communicatâ illis poteſtate miracula faciendi, ad majorem prædicationis eorum confirmationem. Vide Matth. 10. 1. Marc. 3. 14, 15. Luc. 9. ℣. 1, 2. Sed videtur Chriſtus magis reſpicere ad illam miſſionem, cum eis poſt reſurrectionem ſuam mandavit ire in univerſum orbem; de qua vide Matth. cap. 28. 19. Marc. 16. 15. Joh. 20. 21. Hæc enim miſſio fuit longe præſtantior & illuſtrior illa, non ſolum ratione loci, quo miſſi ſunt, ſed etiam ratione mandatorum, quibus utrobique inſtructi fuerunt. De hac vero miſſione in præterito loquitur, quia certo & propediem fieri debebat: qui modus præteritum pro futuro uſurpandi, admodum frequens eſt in Sacris Literis, quando de re certo & cito futura ſermo eſt. Confert autem Chriſtus Apoſtolorum miſſionem cum ſua miſſione, non tantum reſpectu functionis, ad quam miſſi erant (perinde enim, atque ille, Euangelium prædicare debebant, & homines prædicando ad Deum convertere) verum etiam reſpectu loci, quod æque, ac ipſe, in totum mundum miſſi ſint. Etſi enim Chriſtus dixerit apud Matthæum, ſe *non eſſe miſſum, niſi ad oves perditas domûs Iſraëlis* cap. 15. 24, id tamen nonniſi de eo tempore intelligendum eſt, cum verſaretur in terris, non autem de eo, quando ſupra omnes cœlos exaltatus eſt, & immenſa Spiritus Sancti copia repletus eſt, per quem ſpiritum profectus ſpiritibus qui erant in carcere prædicavit 1 Petr. 3. 19. Hoc reſpectu de eo dici poteſt, eum in Apoſtolis miſſum eſſe ac veniſſe. Eatenus enim ille per ſpiritum ad ſpiritus in carcere exiſtentes (id eſt, ad Ethnicos, qui mortis & diaboli erant mancipia atque captivi) venit, quatenus ſpiritum ſuum in Apoſtolos effudit, eoque ipſos miſit.

Verſ. 19. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut & illi ſint ſanctificati in veritate.*] Alteram cauſam Chriſtus proponit, cur eos Pater in veritate ſua ſanctificare debeat. Quoniam ipſe ad eos ſanctificandos omnia faciat, quæ ſunt ſuarum partium, æquum eſſe oſtendit, ut Pater tanto amore Filium ſuum complectens, etiam ſanctificare eos dignetur; præſertim cum Filius id, quod facit, mandato Patris faciat. Dum ſe ſanctificari pro eis ait, reſpicit conſecrationem ſuam ad munus ſacerdotale; quæ non mactatione pecudis alicujus, ut fiebat in conſecratione Levitici Pontificis Maximi Exod. 29. 1. & ſeq. ſed ſacrificio ipſius proprii corporis, quod in cruce mactatum primo, poſtea in cœlis oblatum eſt, peracta eſt, vide Hebr. 9. 12. Vocem *ſanctificationis* ſumi pro ſacrificio, cernitur Exod. 13. 2. Levit. 22. ℣. 2. Eccleſiaſtic. 35. 11.

Pro eis.] Indicatur his verbis cauſa finalis, cur ſe ipſum ſanctificet, quæ in ſequentibus verbis clarius explicatur. Sanctificatio quidem hæc Chriſti omnium fidelium bono facta eſt, ſed quia Apoſtoli præſtantiſſimi & quaſi principes ſunt omnium fidelium Matth. 19. 28, ideo eis potiſſimum ſanctificationis ſuæ fructum attribuit.

Ut & ipſi ſint ſanctificati in veritate.] Hic declarat præcedentem finalem cauſam, quam indicaverat vocibus, *pro eis.* Inter cætera enim inſignia mortis Chriſti effecta ac fructus, hoc quoque eſt, quod per Euangelium, quod morte Chriſti ſancitum eſt, in vita & moribus noſtris ſanctiores reddamur. Itaque quod Apoſtolos attinet, Chriſtus ſeipſum pro eis ſanctificavit, ut & illi ſanctiores ac perfectiores efficerentur, & ad tam ſublime munus ſuum, non carnalibus ceremoniis, ſed in ſpiritu & veritate conſecrarentur. Vide Hebr. 10. 10. & ſeq.

PARS III.

Verſ. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro iis, qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me.*] Hactenus Chriſtus oravit primum pro ſe, deinde pro Apoſtolis ſuis. Jam ſequitur tertia pars Capitis, in qua Chriſtus orat pro iis, qui per ſermonem ipſorum credituri erant. Hæc autem oratio primo in genere proponitur, poſtea declarat Chriſtus in ſpecie, quid pro eis petat. In genere oratio his verbis proponitur: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed etiam pro iis, qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me.* Ex oratione Chriſti pro Apoſtolis habita potuiſſet quiſpiam colligere, vim & efficaciam

caciam ejus etiam in eos redundaturam, qui per eorum doctrinam ad fidem in Chriſtum adducendi, adeoque in fide & pietate ipſis ſimiles futuri erant. Sed quia hæc collectio tamen poterat eſſe dubia & incerta, nec unicuique ſtatim obvia, ne reliqui fideles mœſtitiâ afficerentur, quaſi Chriſtus in ſua oratione eorum oblitus fuerit; idcirco addit eorum expreſſam mentionem. Id quod pertinet ad ſummum ſolatium, non ſolum Apoſtolorum, & eorum, qui prædicationis ipſorum interventu tunc temporis erant convertendi, verum etiam omnium fidelium in genere, qui unquam fidem in Chriſtum, quocunque modo eſſent ſuſcepturi.

Verſ. 21. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint, ut mundus credat me à te miſſum eſſe.*] Jam in ſpecie Chriſtus exprimit, quid nominatim precetur fidelibus: nempe unitatem. Intelligit autem unitatem tum intellectûs, tum voluntatis. Debent enim Chriſtiani unum eſſe in cognitione veritatis, etſi non in omnibus & ſingulis religionis Chriſtianæ partibus (quod quidem optandum foret) ad minimum tamen in rebus ad ſalutem neceſſariis. Deinde debet una eſſe eorum voluntas, in rebus, quæ ſpectant gloriam Dei & propriam aliorumque hominum ſalutem. In hac unitate etiam comprehenditur charitas, quæ ex unitate intellectûs ac voluntatis reſultat. Talem vero unitatem potis eſt producere unus ſpiritus, diffuſus per multa membra unius corporis, nec non conſideratio ejus, quod unum habeamus Deum, unum Dominum, unam ſpem, unam fidem, unum baptiſma, unum ſpiritualem cibum ac potum. Exemplum hujuſmodi unitatis enituit in primis Chriſtianis Hieroſolymis, Act. 4. 32, 34, 35. Vide etiam Rom. 12. 4, 5. 1 Cor. 10. 17. xij. 4. & ſeq. Eph. cap. 4. 3. & ſeq.

Sicut tu Pater in me, & ego in te.] Explicat, quomodo debeant eſſe unum: eo ſcilicet modo, & tam perfecto, quo ipſe cum Patre unum eſt. Deus autem eſt in Chriſto, quatenus per Spiritum Sanctum in eo habitat, eique ſuam auctoritatem divinam, & ſapientiam & potentiam in verbis & operibus conceſſit, vide 2 Cor. 5. 19. Col. 2. 9. Ita Johannes quoque de nobis dicit: *Per hoc novimus, eum (Deum) habitare in nobis, ex ſpiritu, quem dedit nobis* 1 Joh. cap. 3. 24. Chriſtus contra eſt in Patre, quatenus ab eo pendet, ei adhæret, & vim Spiritus Sancti in ſe trahit, inſtar palmitis è ſua vite, adeoque ſe ad voluntatem Patris ſui in omnibus dictis ac factis ſuis exactiſſimo cum obſequio componit.

Ut & ipſi in nobis unum ſint.] Voces *in nobis* indicant, eum non de quavis unitate loqui, (poſſunt enim homines etiam in malis rebus eſſe unum) ſed de tali, per quam fiat, ut homines fideles Deo ac Chriſto quaſi inſerantur, vimque ab eo hauriant intelligendi ea, quæ ipſis credenda, facienda atque loquenda ſint. Vide ſupra Cap. 15. 2. & ſeq. Huc pertinet quoque, quod Johannes de noſtra cum Patre ac Filio communione dicit 1 Joh. 1. 3. Vide etiam ſupra Cap. 10. 38. xiij. 15. xiv. 20.

Ut mundus credat, me à te miſſum eſſe.] Duas affert rationes, cur tantopere unitatem fidelibus ſuis precetur. Prima hîc expreſſa eſt, ut per unitatem fidelium in fidelibus in hoc mundo detur occaſio agnoſcendi, Chriſtum à Deo miſſum eſſe, adeoque doctrinam ejus veriſſimam eſſe: præſertim ſi attendant, fideles ex variis & quo ad mores ac ingenium diſſimilibus populis, religionibus, ſectis, vitæ generibus ac ætatibus eſſe collectos, & tamen tantâ concordiâ opus Domini promovere; item ſi attendant & effecta ipſa iſtius eorum unitatis atque concordiæ, quæ ab ea promanant. In Actis Cap. 2. 43. legimus, Apoſtolos metum populo incuſſiſſe, & ℣. 47. eos habuiſſe gratiam apud totum populum. Hinc autem intelligere eſt, quantum gloriæ Dei & hominum ſaluti noceant illi, qui inutilibus acerbiſque contentionibus ac controverſiis corpus Eccleſiæ Chriſti ſcindunt. Quæ res profecto magno impedimento eſt Judæis, Turcis, aliiſque infidelibus populis, quominus Chriſtianam religionem amplectantur.

Verſ. 22. *Et ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.*] Chriſtus ut flectat Patrem ad concedendam fidelibus ſuis unitatem, ſuum proprium proponit exemplum, atque ſe diſcipulis ſuis etiam in hunc finem, ut unum ſint, conceſſiſſe gloriam illam, quam Pater ipſi dederat. Non ſatis liquet, quam gloriam hic Chriſtus intelligat. Aliqui intelligunt gloriam vitæ æternæ; quam Pater Chriſto dederat, id eſt, aſſignaverat, & ipſe viciſſim ſuis diſcipulis. Quæ gloria ipſis haud levis ſtimulus ad concordiam & unitatem eſſe poterat. Alii intelligunt per hanc gloriam, omnia quæ Chriſtus jam tum à Patre acceperat, inter quæ præcipue eminebant miracula eximia, quæ per eum vel circa eum facta ſunt. Ita Chriſtus ipſe vocat miraculum reſuſcitati Lazari, *gloriam Dei* Joh. cap. xj. 40. De miraculis quoque intelligenda ſunt illa Johannis verba: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre* Joh. 1. 14. Hanc autem gloriam miraculorum ſuorum Chriſtus communicavit diſcipulis ſuis Matth. 10. 1, & porro communicare promiſit Marc. 16. 17, 18. Habuit vero etiam hæc gloria miraculorum magnam vim animos eorum concordiæ nexu conſtringendi. Verum poteſt hîc utraque gloria & vitæ æternæ, & miraculorum ſimul intelligi: ut ſenſus ſit, Chriſtum omnem gloriam, quam à Patre accepit hactenus, & impoſterum accipiet, diſcipulis ſuis dediſſe, ac porro daturum eſſe.

Verſ. 23. *Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & ut cognoſcat mundus, quod tu me miſeris, & dilexiſti eos, prout me dilexiſti.*] Declarat, quo modo gloriam ſuam diſcipulis dederit, eamque à Patre ſuo acceperit. Nulla enim major gloria eſſe poteſt, quam dum per communicationem maximorum bonorum Pater Filio & Filius diſcipulis ſuis ſe quaſi infudit.

Ut ſint conſummati in unum.] Ex eo, quod Chriſtus diſcipulis ſuis gloriam dedit, quam dederat ipſi Pater (id quod hiſce verbis, *Ego in eis, & tu in me*, declarat) duo ſequuntur. Primum eſt, quod hoc loco indicatur, nempe quod ſint conſummati in unum, id eſt, ut perfecte uniti ſint ac concordes. Cum enim Chriſtus in eis eſſet, ſicut Pater in ipſo, non poterant non animi eorum arctiſſimo concordiæ

vinculo copulari. Quid enim ad perfectiſſimam concordiam deſiderari poteſt in eis, in quibus idem ille Dominus, qui Spiritu Patris ſui repletus eſt, per Spiritum ſuum habitat?

Et ut cognoſcat mundus, quod tu me miſeris, & eos dilexiſti, prout dilexiſti me.] Hoc alterum eſt, quod ſequitur ex eo, quod Chriſtus ſit in diſcipulis ſuis, ſicut Pater eſt in Chriſto. Ex eo enim, quod Deus per Spiritum ſuum in Chriſto habitavit & operatus eſt, facile agnoſcere mundus poterat, Chriſtum a Deo miſſum eſſe: & ex eo, quod Chriſtus plenus Spiritus Sancti in ſuis diſcipulis habitet per Spiritum ſuum, ſimiliter cognoſci poteſt, Patrem eos diligere, & quidem eo modo, quo Chriſtum diligit; quandoquidem Chriſtus eadem illos gratia dignatus eſt, quam ipſe à Patre accepit.

Verſ. 24. *Pater, quos dediſti mihi, velim ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant gloriam, quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.*] Altera jam hæc eſt petitio Chriſti pro diſcipulis in genere. Prius precatus eſt eis unitatem ac concordiam in terris: nunc precatur, ut ſecum jungantur in cœlis, id eſt, æternam eis precatur felicitatem. Vocem *Pater* repetit Chriſtus non ſine cauſa. Hoc enim blandum nomen patheticum eſt; quia ingeminatio ejus eſt ſignum filialis fiduciæ in eo collocatæ.

Velim.] Gr. θέλω, *volo*, id eſt, opto, ac deſidero. Sic accipitur idem vocabulum Marc. 10. 35. vj. 25. Matth. 12. 38. Joh. 12. 21.

Ubi ſum ego.] Id eſt, ubi ero. Præſens pro futuro. Similis locutio eſt etiam ſupra Cap. 7. 34. xij. 26. Ubi autem Chriſtus poſtea fuerit, & nunc ſit, id ex hiſtoria aſcenſionis ejus in cœlum intelligitur Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. Act. 1. 9, & ex revelatione facta Stephano Act. 7. 11, intelligitur id quoque, & liquido patebit, quando veniet ad univerſale mundi judicium 1 Theſſ. 4. 6. In eodem igitur loco vult Chriſtus, ut etiam diſcipuli ejus ſint; in loco lucis inacceſſæ, ubi nulla hominum vel dæmonum malitia eis nocere poterit, ubi ſocietas ac converſatio eorum erit cum omnibus electis à condito mundo, cum ſanctis Angelis, imo cum Chriſto ipſo ejus cœleſti Patre. Animadvertendum enim eſt, Chriſtum non ſimpliciter orare, ut illic ſint, ubi ipſe eſt, ſed ut ſecum ſint. Ferme ad eundem modum dixit latroni Luc. 23. 43. *Eris mecum in paradiſo:* quo dicto innuit, eum in eodem ſecum ſtatu futurum.

Quos dediſti mihi.] Deſcriptio hæc eſt eorum, pro quibus orat, ut cum ipſo ſint. Hoc loco autem non ii ſolum hac deſcriptione continentur, quos Deus Chriſto jam reipſa dederat, quales erant tunc temporis Apoſtoli, aliique diſcipuli; ſed illi quoque, quos ipſi dare impoſterum decreverat, quatenus eis per Apoſtolos Euangelium prædicari curaturus erat, illique pertinaciam prædicationi iſti non eſſent oppoſituri. Tacite quoque in hac deſcriptione latet cauſa, ob quam Pater petitioni ſuæ locum debeat concedere: quia nimirum jam ad familiam Filii pertineant, & quidem ita, ut eos ipſe Pater Filio ſuo dederit. Solent autem familiares & domeſtici una eſſe cum heris ſuis, & cum illis verſari.

Ut videant gloriam.] Explicat ſummam felicitatem, quam fidelibus ſuis precatur. Per gloriam enim (Gr. δόξαν) intelligitur Chriſti glorioſus ſtatus in cœlis, cujus ſpecimen & tenuem quaſi umbram viderunt tres Apoſtoli in monte ſancto Matth. 17. 2. Marc. 9. 3. Luc. 9. 29. 2 Petr. 1. 17, 18. Nunc enim in cœlis non amplius habet carnem & ſanguinem, quæ regnum Dei hæreditare nequeunt 1 Cor. cap. 15. 50, ſed habet corpus perquam glorioſum Phil. 3. 21, & ſpirituale 1 Cor. 15. 44, imo immutatus eſt in ſpiritum vivificantem Ibid. ℣. 45. Sedet ad dexteram Dei, qui honor Deo proximus eſt, ita ut eum Angeli & omnia, quæ in terris & ſub terra ſunt, adorent Hebr. 1. 6. Phil. 2. 9, 10. Habet poteſtatem ſuper omnem carnem ſupra ℣. 2, imo ſuper univerſa, quæ ſunt in cœlo & in terra, Matth. cap. 28. 18, & hujus poteſtatis vi etiam judicium exercebit in orbem terrarum Joh. 5. 27. Act. 17. 31. Etſi vero Chriſtus tunc cum fideles ejus cum ipſo in cœlis futuri ſunt, non amplius exercebit in eos imperium; (ubi enim inimicos ſuos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum, reddet regnum Deo & Patri 1 Cor. cap. 15. 24, 25,) memoria tamen imperii ejus manebit, ac propter eam adoratio & cultus ipſi debebitur: ut & propter multiplicem gloriam ejus, quæ linguâ enunciari nequit. Atque hanc gloriam dicit Chriſtus hoc loco, fideles ſuos eſſe viſuros, & quidem non eminus quaſi in ſpeculo & obſcure, ſed præſentes: quod ſane ſummo cum ipſorum gaudio erit conjunctum. Imo indicat Chriſtus, eos non ſolum ſpectatores iſtius gloriæ ſuæ, ſed etiam participes eſſe futuros.

Quam dediſti mihi.] Ne quis jactantiæ tribueret, quod gloriæ ſuæ Chriſtus meminiſſet, addit hæc verba, quibus profitetur, ſe eam ex gratioſo Patris ſui dono ac munere habere: quod idem Apoſtolus teſtatur Phil. 2. 9.

Dediſti.] Id eſt, decreviſti, deſtinaſti, & mox reipſa conferes. Quod enim Deus decrevit ac præſtinavit, id tam certum eſt, quam ſi jam factum eſſet.

Quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.] Oſtendit hoc, quod Pater ſibi tantam gloriam dederit, non ſuo factum eſſe merito, ſed ex mera dilectione Patris ſui, quâ ſe adhuc ante jacta mundi fundamenta complexus eſt: quo tempore nihil adhuc promereri potuit, cum nondum exiſteret. Etſi enim alibi teſtetur Scriptura, Chriſtum propter ſuam obedientiam, quam ad mortem crucis uſque Patri ſuo præſtitit, ad tantam gloriam eſſe evectum (vide Luc. cap. 24. 26. Phil. 2. 9. Hebr. 2. 9.) tamen hic Patrem ſuum alloquens, maluit gloriam hanc beneficio Patris adſcribere: præſertim cum illa ipſa loca, quæ teſtantur Chriſtum propter ſuam obedientiam tantopere eſſe exaltatum, indicent ſimul, id magis ex Dei gratia, quam ipſius merito factum eſſe. Quod etiam res ipſa per ſe docet; quia obedientia ejus, etiamſi omnibus numeris abſoluta & perfectiſſima fuerit, nequaquam tamen comparanda fuit cum gloria illa, quam à Patre ſuo obtinuit.

Verſ. 25. *Pater juſte, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, me à te miſſum eſſe.*] Cauſam his verbis indicat, cur pro eis oret; quæ

quæ in eo conſiſtit, quod illi Patrem cognoverint. Primo autem Deum rurſus Patrem ſuum vocat, & quidem cum epitheto *juſti*. quo innuit, juſtitiæ & æquitati conſentaneum eſſe, ut Deus benefaciat illis, qui mundo valedixerunt, & ipſi ſervierunt.

Mundus te non cognovit.] Hoc addit ad commendationem ſuorum fidelium, quod hi eum cognoverint, quem mundus, id eſt, tot ſapientes & præclari homines non cognoverunt. Non cognovit autem mundus Deum, non ob defectum divinæ revelationis (Poterant enim eum aliquatenus cognoſcere ex operibus ejus Act. 17. 28. Rom. 1. 19, 20. & lux Euangelii luxit in mundo Joh. 1. 3, 4. iij. 19.) ſed propter ſuam obſtinationem ac improbitatem, Joh. cap. 3. 19, 20.

Ego autem te cognovi.] Hoc addidit, ut oſtenderet cauſam, unde diſcipuli ſui Patrem cognoverint. Nemo novit patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare Matth. 11. 25. Potuit autem Chriſtus Patrem bene noſſe, quia in cœlo fuit, & Deum vidit, eaque omnia ab eo ipſe audivit, quæ nobis deinceps revelavit, Joh. 1. 18. iij. 11, 13.

Et hi cognoverunt, me à te miſſum eſſe.] Hoc fuit fundamentum omnis cognitionis, quod Chriſtus à Deo miſſus ſit. Ex eo enim ſequebatur, eos obligatos fuiſſe doctrinam ejus tanquam divinam ſuſcipere, promiſſis ejus credere, & præceptis obedire. Quod cum illi feciſſent, par erat, ut etiam felicitatis domini ſui in cœlis fierent participes. Quod autem Chriſtus à Deo miſſus fuerit. id facile cognoſcere potuerunt, partim ex ejus excellenti & prorſus divina doctrina, partim ex miraculis, ut ex ſumma ejus ſanctimonia atque innocentia.

Verſ. 26. *Et notum ipſis feci nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me ſit in eis, & ego in eis.*] Hoc ſpectat adhuc ad cauſam, unde diſcipuli Patrem cognoverunt. Tanquam dicat: Ego cognovi te, & notum eis feci nomen tuum, & illi te cognoverunt. Nomen Patris ſumitur pro Patre ipſo, per Hebraiſmum. Intelligit autem hic non tam naturam Patris, quæ hominibus mortalibus incomprehenſibilis, quam divina ejus attributa; ejus ſcilicet paternam charitatem, gratiam ac benignitatem, ut & voluntatem ejus de ſalute humani generis, & de via ejus conſequendæ.

Et notum faciam.] Quod ad illud tempus referri poteſt, quo poſt reſurrectionem ſuam cum diſcipulis verſatus eſt, loquens de regno Dei Act. 1. 3. Luc. cap. 24. 41. nec non ad miſſionem Spiritus Sancti de cœlo, per quem Chriſtus diſcipulos plene edocuit.

Ut dilectio, qua dilexiſti me, ſit in eis.] Finiens precationem ſuam indicat cauſam finalem, ob quam eis jam notum fecerit Patrem ſuum, & adhuc magis notum facturus eſſet: eamque duplicem. Prima his verbis expreſſa eſt. Per *dilectionem* intelligit effecta dilectionis; quæ neceſſe eſt eſſe præſtantiſſima, cum hic de ea dilectione loquatur, qua Pater ipſum dilexit. Deus autem ipſum ſupra omnes creaturas dilexit. Cæterum nullum majus dilectionis iſtius effectum eſſe poteſt, quam cum eos, perinde ut Filium ſuum, à mortuis ſuſcitabit, & cœleſti gloria participabit. Interea non deſunt & alia dilectionis Dei effecta in Chriſtianis, ad quæ Chriſtus una reſpicere potuit.

In eis.] Id eſt, erga eos: ut 1 Joh. 4. 9.

Et ego in eis.] Hæc eſt altera cauſa finalis, cur notum eis fecerit Patrem. Quæ verba ſi de hac vita intelligantur, indicatur eis habitatio Chriſti in fidelibus per Spiritum Sanctum, de qua jam egimus. Si vero de futura vita accipiantur, ſignificabunt communicationem divinæ naturæ, per quam Chriſtus quaſi in fideles ſuos influet, eoſque ſibi immortalitate, gloria ac cœleſtibus gaudiis faciet ſimiles.

CAPUT XVIII.

Deſcribitur hiſtoria paſſionis ac mortis Chriſti. I. *Quid paſſus ſit in horto: ad verſ.* 12. II. *Quid paſſus ſit in domo Cajaphæ ſummi Pontificis: ad verſ.* 28. III. *Quid paſſus ſit coram Pilato.*

PARS I.

Verſ. 1. *Hæc cum dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & diſcipuli ejus.*] Hucuſque Johannes accurate deſcripſit, quomodo Chriſtus, peracta cœna, diſcipulos ſuos inſtruxerit ſanctiſſimis doctrinis, monitis, atque ſolatiis, & armarit non ſolum adverſus jam jam inſtantem tempeſtatem ſuæ paſſionis ac mortis, ſed etiam adverſus omnes afflictiones, ærumnas & adverſitates, quæ, poſt ipſius ad Patrem diſceſſum, illis in mundo erant ſubeundæ: quomodo etiam eos ardentiſſimis precibus providæ ac benigniſſimæ curæ ſui Patris cœleſtis commendarit. Nunc deſcribit, quomodo Chriſtus poſt abſolutas preces illico ſe in eum locum receperit, ubi proditus eſt; & quomodo ibidem initium paſſionis ejus factum ſit. Omiſit autem Johannes, qui poſt alios Euangeliſtas ſuum ſcripſit Euangelium, illam anxiam Chriſti precationem, in horto habitam, quia à reliquis Euangeliſtis ſufficienter deſcripta eſt.

Hæc cum dixiſſet Jeſus.] Id eſt, poſtquam Jeſus diſcipulos ſuos palam, ut dictum eſt, admonuiſſet, inſtituiſſet, conſolatus eſſet, & fideliter Patri ſuo commendaſſet.

Egreſſus eſt.] Non ex cœnaculo, ubi cœnaverant. Jam enim inde digreſſi fuerant: quod indicatum fuit ad finem cap. 14. iſtis verbis: *Surgite, eamus hinc.* Sed egreſſus eſt extra civitatem. Nam in alta pace totius regionis portæ noctu non claudebantur: inprimis ſub tempus feſti tam celebris, ubi civitas ingentis multitudinis non ſatis erat capax.

Trans torrentem Cedron.] Torrens iſte non habet nomen, ut quidam volunt, à Cedris arboribus, quaſi multi iſtic Cedri eſſent conſiti; ſed nomen eſt Hebræum, quod magnam obſcuritatem ſeu tenebras ſignificat. Torrens enim iſte decurrit per profundam & umbroſam vallem: unde fit, ut etiam colore atro ac fuſco eſſe videatur. Torrentis hujus

mentio

mentio fit, in hiſtoria Davidis, qui perſecutionis tempore, quam à filio ſuo Abſolomo paſſus eſt, hunc torrentem quoque tranſivit, 2 Sam. 15. 23. Qua in re etiam David fuit figura Chriſti, quemadmodum & Achitophel Judæ, & Abſalom Judaici populi figura fuit. Et 1 Reg. 15. 13. deſcribitur, quomodo Aſa matris ſuæ turpiſſima idola in torrente Cedron, id eſt, in valle torrentis Cedron exuſſerit. Ita legitur quoque Joſias ſimulacrum Baalis in valle Cedronis combuſſiſſe, 2 Reg. 23. 4. Ex Joſepho autem conſtat non tantum fluvium ipſum, ſed vallem quoque iſtius fluvii Cedron eſſe vocatam. Lib. 6. de bello Judaico cap. 3. Torrens iſte fluit inter civitatem Hieroſolymam, altius ſitam, & inter montem Oliveti.

Trans torrentem.] Græca vox χειμάῤῥου ſignificat fluvium, qui è pluvialibus aquis colligitur, & nonniſi hyberno tempore pleno fluit alveo, æſtate vero plerumque exareſcit, aut certe vadoſus eſt, ut pedibus tranſiri queat. Chriſtus igitur etiam eum tunc tranſivit, cum vadari poſſet, nec altas haberet aquas: ut ſolent flumina iſta, quæ inter montes fluunt, modo nimium ac ſubitò increſcere, modo decreſcere.

Ubi erat hortus.] Matthæus dicit fuiſſe villam, dictam Gethſemane cap. 26. 36. quæ ad radices montis Oliveti ſita erat. Hortus igitur iſte ad villam hanc pertinebat. Hoc loco pulchre nonnulli ex antiquis Patribus commentati ſunt, quod ſicut primus Adam peccatum in horto commiſit, per quod in univerſum genus humanum mors invecta eſt: Rom. 5. 12. ita ſecundus Adam quoque Chriſtus initium ſuæ paſſionis, per quam humanum genus à morte liberatum eſt, in horto auſpicatus ſit.

In quem introivit ipſe & diſcipuli ejus.] Apud Matthæum inquit Chriſtus ad diſcipulos ſuos: *Sedete hic, donec profectus, fuero illic precatus*, cap. 26. ỳſ. 36. Itaque non eſt abſurdum ſtatuere Chriſtum reliquiſſe diſcipulos in loco non procul à villa diſſito, Petrum autem & utrumque Zebedæi filium ſecum duxiſſe in hortum: ut apud Matthæum diſerte narratur.

Verſ. 2. *Noverat autem eum locum & Judas, qui prodebat eum, quia frequenter convenerat Jeſus illuc cum diſcipulis ſuis.*] Hoc narrat Johannes non ſolum propter ſequentem hiſtoriam de proditione Judæ, ſed etiam ne quis cogitaret, Chriſtum ſe in hortum contuliſſe, ut ſe ibi abderet, & hoſtium ſuorum manus effugeret. Si enim hoc quæſiviſſet, non ſe in hunc locum recepiſſet, qui proditori ejus non erat incognitus, ſed in montem Oliveti & in ſolitudines altius penetraſſet.

Quia frequenter convenerat Jeſus illuc cum diſcipulis ſuis.] Solebat Chriſtus ſemper preces ſuas peragere in loco ſecreto, ubi ſolus eſſe poterat. Sub tempus vero feſti hujus ſemper pernoctabat in monte Oliveti, Luc. 21. 37. xxij. 19. Maluitque Chriſtus eo loco capi, ubi orare ſolebat, quam ubi cœnaverat. Quid actum ſit cum Chriſto, antequam proditor ad eum capiendum accederet, expoſuit Matthæus cap. 26. 37. uſque ad 47.

Verſ. 3. *Judas ergo cum accepiſſet cohortem, & à primariis Sacerdotibus ac Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis.*] Intelligit hic Johannes cohortem illam, militum. quam Præſes Romanus ſolebat in feſto Paſchatis Senatui ſeu Synedrio adjungere, ad cuſtodiam Templi ac civitatis, ne qua oriretur ſeditio: de quo diximus ad Matth. cap. 26. 45. Ductor hujus cohortis infra ỳſ. 12, vocatur χιλίαρχος, tribunus. Probabile autem eſt, non integram cohortem, ſed partem tantum cum Juda fuiſſe.

Miniſtros.] Hi fuerunt Judæi è conſuetis Templi cuſtodibus, quorum numerus in feſto Paſchæ à Romano Præſide augebatur. Horum cuſtodum præfectus vocatus eſt Præfectus Templi, eratque auctoritate proximus Pontifici Maximo. Hic etiam proculdubio agmen hoc duxit. Vide dicta à nobis ad Matth. 26. 45.

A primariis Sacerdotibus & Phariſæis.] Id eſt, à Synedrio ſeu toto Senatu, qui ex profeſſo Chriſti hoſtis erat.

Venit illuc cum laternis, & facibus.] Erat tum temporis plenilunium (ut in tractatu de feſto Azymorum ſeu Paſchæ oſtendimus) ita ut laternis & facibus minime indigerent. Itaque oportet vel nebuloſam noctem fuiſſe, vel ideo faces & laternas ſecum accepiſſe, ut eum in omnibus latebris quærere poſſent, ſi ſe forte alicubi abdidiſſet.

Et armis.] Matthæus & Marcus ait, *cum gladiis & fuſtibus.* Sine armis nunquam ſolebant milites incedere: inprimis quando ad aliquem comprehendendum ablegabantur. Varii enim accidunt caſus, ad quos milites ſemper debent eſſe parati.

Verſ. 4. *Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit & dixit eis: Quem quæritis?*] Conſulto dixit Euangeliſta, Jeſum ſciviſſe omnia, ne quis putaret, Chriſtum imprudentem in manus hoſtium incidiſſe: cum enim non ignoraret, quorſum cohors illa veniſſet, non fugiſſe tamen, ſed obviam potius illi proceſſiſſe, & quodammodo ſe ultro in manus eorum tradidiſſe. Ita ſupra quoque dixit Euangeliſta cap. 13. 1. *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Proceſſit.] Gr. ἐξελθὼν εἶπεν, exiens dixit.

Quem quæritis?] Interrogatio iſta non eſt ignorantis (ſciebat enim Jeſus, quæ ventura erant ſuper ſe) neque metuentis & veluti fugituri, ſi illi ipſum ſe quærere reſpondiſſent; ſed potius interriti & laceſſentis. Quaſi dicat Euangeliſta: Quamvis non ignoraret, quem quærerent, interrogavit tamen, ut oſtenderet, ſe minime timere.

Verſ. 5. *Reſponderunt ei, Jeſum Nazarænum. Dicit eis Jeſus: Ego ſum. Stabat autem cum eis & Judas, qui prodebat eum.*] Non inquiunt, Te quærimus, ſed Jeſum Nazarænum. Quia tam audacter & impavide in eorum conſpectum proceſſerat, non putabant, ipſum eſſe, ſed aliquem ex ejus diſcipulis. Etſi enim aliquibus ex iis, qui aderant, prius poterat eſſe viſus, facile tamen eis forma ipſius potuit excidere, vel ad lumen facis non ſatis eſſe noſcibilis. Romanis autem militibus credibile eſt, eum prorſus ignotum fuiſſe.

Ego ſum.] Id eſt, ego ſum Jeſus ille Nazarænus, quem quæritis.

Stabat autem cum eis & Judas, qui prodebat eum.] Nimirum cum Chriſtus diceret, Ego ſum, & mili-

tes

tes hoc dicto perculſi caderent in terram, Judas oſculatus eſt Chriſtum. De qua oſculatione, & quid Chriſtus ad eum dixerit, ſcripſerunt cæteri Euangeliſtæ, Matth. 26. 49. Mar. 14. 45. Luc. 22. 47.

Verſ. 6. *Ut ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.*] Quemadmodum tota vita ſua Chriſtus tum demiſſionem animi ſui ac benignitatem, tum majeſtatem & poteſtatem ſuam divinam demonſtraverat, ita facit idem hoc loco. Demiſſio ejus ac modeſtia fuit ingens, quod ſibi oſculum à proditore ſuo infigi paſſus ſit: quod eum non æque ac milites in terram proſtraverit. Poteſtatis vero ac majeſtatis ſuæ divinæ ſpecimen in eo edidit, dum agmen inimicorum ſuorum, quaſi halitu ſuo, verba illa proloquens, Ego ſum, profligavit. Hoc autem fecit Chriſtus, non quod ſperaret, eos hoc miraculo ſtupefactos mutaturos capiendi ſe conſilium, neque manus ſibi injecturos, ſciebat enim obſtinationem animi eorum, ſed voluit declarare, non ſolum non poſſe eos, viribus ſuis, ſi iis uti vellet, reſiſtere, ſed ne ſuſtinere quidem halitum oris ſui; tantum abeſt, ut manus ſibi invito injicere poſſent: ut adeo omni ex parte inexcuſabiles eſſent. Idem vero illis contigit, quod David inimicis ſuis à Deo precatur: Pſal. 35. 4. *Agantur retrorſum & pudefiant machinantes mihi malum.* Euangeliſta quidem non meminit, quomodo ſurrexerint, proſtrati illi milites, ſed veriſimile tamen eſt, eos antequam ſecundo interrogarentur à Chriſto, ſurrexiſſe: idque non ſine permiſſu Chriſti, qui eadem virtute, qua eos in terram dejecerat, detinere jacentes potuiſſet.

Verſ. 7. *Iterum igitur interrogavit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jeſum Nazarænum.*] Tam eximium ſuperius miraculum non emollivit ſceleratorum iſtorum hominum animos, ut à nefario propoſito ſuo deſiſterent, ſed obfirmarunt animum ſuum ad eum capiendum. Quod cum Chriſtus probe noſſet, interrogavit eos ſecundo, tum ut imperterritum animum ſuum oſtenderet, tum ut pertinaciam eorum pateſaceret.

Verſ. 8. *Reſpondit Jeſus: Dixi vobis, quia ego ſum. Ergo ſi me quæritis, ſinite hos abire.*] Quaſi dicat: Cur me non comprehendiſtis, cum dicerem, Ego ſum? Jam vero non proſternuntur hac voce, ſicut antea proſtrati fuerant; quia ſatis jam Chriſtus divinam potentiam ſuam illis demonſtraverat.

Ergo ſi me quæritis, ſinite hos abire.] His verbis Chriſtus dat poteſtatem eis ſe capiendi: quaſi dicat, Si me ſolum quæritis, ecce me habetis, ſed à diſcipulis meis abſtinete manus, ut abeant, quo volunt. Hoc ſcilicet poſtulat munus boni Regis, ut magis de populo ſibi ſubjecto ſit ſolicitus, quam de ſeipſo. Similem charitatem ac fidelitatem David quoque erga ſuum populum demonſtravit, dum ſic Deum precatus eſt: *Ego ſum, qui peccavi, ego qui malum feci: oves autem iſtæ quid commeruerunt? Domine Deus mi, vertatur obſecro manus tua in me & in domum patris mei, populus autem iſte non affligatur*, 1 Paral. 21. 17.

Verſ. 9. *Ut impleretur ſermo, quem dixerat: Ex iis quos dediſti mihi, non perdidi quenquam.*] Hæc non ſunt Chriſti, ſed Euangeliſtæ verba; eſtque oratio abrupta & imperfecta, in qua ſubintelligendum eſt, Hoc Chriſtus dixit, vel, Hoc factum eſt, ut impleretur ſermo &c. Similis locus eſt infra cap. 19. 24. Vocula *ut* hoc loco quoque non cauſam, ſed eventum rei ſignificat. Nimirum tunc cum Chriſtus ſic locutus eſt, & milites non injecerunt ulli diſcipulorum ejus manus, impletus eſt ille ſermo.

Non perdidi quenquam.] Chriſtus ſingulari cura conſervari voluit diſcipulos ſuos, ne ullus è duodecim Apoſtolis vita privaretur, præter impium proditorem, ut omnes promiſſi Spiritus Sancti dono potirentur, Vide ſupra cap. 17. 12.

Verſ. 10. *Simon autem Petrus cum gladium haberet, eduxit eum, & percuſſit ſervum Pontificis Maximi, & abſcidit auriculam ejus dextram. Erat autem nomen ſervo Malchus.*] Ex aliis Euangeliſtis liquet, quid moverit Petrum, ut gladium ſuum evaginaret, & pro Chriſto pugnaret. Nempe cum Judas ſigno oſculi Chriſtum cohorti prodidiſſet, illicoque accedentes milites manus Chriſto injicerent, Matth. 26. 50. interrogarunt è diſcipulis quidam ut refert Lucas cap. 22. 49, an percutiendum ſit gladio: Petrus autem haud expectans Chriſti reſponſum ſtrinxit gladium: eoque amputavit auriculam ſervo Pontificis Maximi.

Cum gladium haberet.] Pro more itinerantium in illis oris. Vide Luc. 22. 38. & reliqua ad Matthæum explicata.

Malchus.] Johannes ſolus nomen hujus ſervi Pontificis expreſſit. Apparet autem eum non ex infima fæce ſervulorum Pontificis fuiſſe, ſed aliquem ex præcipuis: quam ob rem Euangeliſta nomen ejus præterire noluit.

Verſ. 11. *Dixit ergo Jeſus Petro: Reconde gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, annon bibam illum?* Apud Matthæum ait Chriſtus: *Converte gladium tuum in locum ſuum*, cap. 26. 52. id eſt, deſine pugnare: non eſt hic locus pugnandi, ſed patiendi.

Calicem quem dedit mihi Pater, annon bibam illum?] Pronomen *illum* redundat ex more Hebræo. Vult autem Chriſtus dicere: Vin' tu impedire, quominus id exequar, quod Patri ſummopere placet, mihique injunxit, ut ſcilicet patiar ac moriar. De hac phraſi *Calicem bibere*, vide ad Matth. 20. 22.

PARS II.

Verſ. 12. *Cohors igitur, & Tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & vinxerunt eum.*] In ſuperioribus hoc capite breviter expoſuit Euangeliſta, quid Chriſto evenerit in horto, ubi pleraque omiſit ab aliis Euangeliſtis tradita: ut anxiam Chriſti precationem, & ſermonem ejus, quem habuit ad populum Matth. 26. 55. Marc. 14. 48. Luc. 22. 52. ut & fugam diſcipulorum, Marc. 14. 50. Nunc refert, quomodo Chriſtus à cohorte vinctus, ad primarios Sacerdotes ductus ſit.

Et Tribunus.] Tempore Paſchatis moris erat, ut Romanus Præſes ad cuſtodiam Templi adderet integram turmam mille militum, quorum ductor

voca-

vocatus eſt χιλιαρχος, ſeu Tribunus. Hic ergo nunc etiam præſens eſt, rem tanti momenti ſedulo curaturus, ne ſi forte cœptis optatus defuiſſet eventus, abſentia ſua accuſaretur. Alioqui etiam inter Judæos erant Tribuni atque Chiliarchæ: ut videre eſt Num. cap. 31. 14. 1 Sam. 18. 13.

Et miniſtri Judæorum.] Id eſt, ordinarii cuſtodes Templi à Judæis conſtituti. Vide ſupra ℣. 3.

Vinxerunt eum.] Judas enim eos monuerat, ut caute agerent; poſſe enim eum ſe inconſpicuum reddere & inter manus tenentium evaneſcere. Vide Marc. 14. 44.

Verſ. 13. *Et abduxerunt eum primum ad Annam: erat enim ſocer Cajaphæ, qui erat Pontifex Maximus anni illius.*] Ad Annam primum ducitur Chriſtus, qui anno ſuperiori Pontificatum geſſerat Luc. 3. 2, quia domus ejus proxima illis fuit, & quia major ejus quam Cajaphæ generi ipſius fuit auctoritas; proinde eum conſulere voluerunt, quorſum & quomodo ducendus eſſet Jeſus. Vide infra ad ℣. 24.

Primum.] Poſtea enim eum duxerunt ad Cajapham ℣. 24.

Erat enim ſocer Cajaphæ.] Indicatur his verbis cauſa, cur ad Annam primo ductus fuerit Chriſtus: nimirum quia ætate major erat Cajaphâ, erat ei affinitate junctus, & per illius promotionem Cajaphas ad faſtigium Pontificiæ dignitatis pervenit.

Qui erat Pontifex Maximus anni illius.] Poſt hæc verba ſubjecit Beza in ſua Latina verſione: *Is vero* (nempe Annas) *miſit eum vinctum ad Cajapham Pontificem Maximum.* Quæ verba ille ex Cyrillo deſumſit, etſi in nullo Græco exemplari, ut nec in Syriaca, Arabica & Latina verſione, reperiantur. Et ſane fatendum eſt, etiamſi verba hæc in nullo exemplari legantur, aliquid tamen iis ſimile ſubintelligendum hic omnino eſſe. Ex aliorum enim Euangeliſtarum unanimi narratione conſtat, abnegationem Petri non in Annæ, ſed Cajaphæ domo factam eſſe. Vide Matth. 26. 57, 69. Et quod poſtea ℣. 15 refert Johannes, Simonem Petrum & alium diſcipulum ſecutos fuiſſe Jeſum, ex eo clare intelligitur, de duplici Chriſti abductione ſermonem eſſe; primo de abductione ex horto ad Annam, in cujus domum apparet eum non fuiſſe introductum, ſed remiſſum illico ab Anna; ſecundo de abductione ad Cajapham, ubi una cum duobus diſcipulis, qui eum ſecuti fuerunt, domum ingreſſus eſt. Quod enim Euangeliſta demum ℣. 24. infra inter primam & ſecundam abnegationem Petri interſerit illa verba: *Miſerat eum Annas vinctum ad Cajapham Pontificem Maximum*; hoc dicto ſupplet id, quod hoc loco dicere debuerat, ne quis exiſtimaret, totum id, quod de abnegatione Petri narratur, in domo Annæ contigiſſe. Idcirco etiam dicitur, Chriſtum *primo* ad Annam ductum fuiſſe; quo indicatur, eum non manſiſſe illic, ſed confeſtim ad Cajapham deductum eſſe.

Verſ. 14. *Erat autem Cajaphas is, qui conſilium dederat Judæis expedire, ut unus homo moreretur pro populo.*] Euangeliſta meminit verborum Cajaphæ, quæ protulit in congregatione Synedrii ſupra cap. xj. ℣. 50: ut intelligatur, quanto odio Chriſti is flagrarit, qui etiam abſque omni juris ſpecie, ſolo tantum publici boni prætextu, (quod tamen hac ratione non fuit promotum, ſed potius peſſundatum) mortis ſententiam de Chriſti pronunciavit: Unde etiam futilitas iſtius judicii de Chriſto facti elucet.

Verſ. 15. *Sequebantur autem Jeſum Simon Petrus & alius diſcipulus. Diſcipulus vero ille notus erat Pontifici Maximo, & ſimul introiit cum Jeſu in aulam Pontificis Maximi.*] Secuti ſunt Jeſum Petrus & alter diſcipulus, puta tunc, cum ab Anna duceretur ad Cajapham.

Et alius diſcipulus.] In Græco eſt articulus ὁ, *ille* alius diſcipulus, quaſi deſignans certum & notum aliquem diſcipulum, quem nominare nolebat. Cæterum ſunt non pauca exempla tam in hoc quam in aliis libris Novi Teſtamenti, ubi articulus Græcus redundat ac ſupervacuus eſt. Vide dicta ad Matth. cap. 26. 71. Hinc etiam Syrus Interpres ita hæc verba reddidit: *Et quidam ex aliis diſcipulis.* Non eſt autem credibile, Johannem ipſum ut quidam ſentiunt, hîc intelligi. Cum enim perinde ac Petrus, Galilæus eſſet, cauſæ erat nihil, cur non etiam à circumſtante populo interrogatus fuiſſet, uti Petrus interrogatus fuit infra ℣. 17. Non fuiſſe etiam aliquem alium ex duodecim, præter rationem jam dictam, hoc quoque indicat, quod Euangeliſta nullam habuiſſet cauſam, cur nomen ejus reticere voluiſſet, cum Petrum nominaſſet. Itaque ſtatuendum eſt, aliquem fuiſſe ex diſcipulis Chriſti occultis, adeoque non ex numero duodecim, neque ex 70. ſed ex habitantibus in urbe Hieroſolyma, qui in Chriſtum quidem crediderat, ſed eum palam profeſſus non erat, ideoque nomen ejus Euangeliſtæ ignotum erat. Multi autem erant tales occulti Chriſti diſcipuli, ut ſupra Cap. 12. 42 annotavit Johannes. Conjecturam eorum, qui cenſent, hunc diſcipulum fuiſſe illum ipſum, in cujus domo Chriſtus Paſcha comedit, propter illa verba apud Matthæum Cap. 26. 18. *Magiſter tibi dicit*, &c. ipſis relinquimus.

Diſcipulus vero ille notus erat Pontifici Maximo.] Quia ex urbe Hieroſolymitana erat, non ex Galilæa.

Verſ. 16. *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo diſcipulus ille alius, qui erat notus Pontifici Maximo, & locutus eſt oſtiariæ, & introduxit Petrum.*] Apud Hebræos in more erat, ut etiam mulieres ad oſtii cuſtodiam adhiberentur.

Et introduxit Petrum.] Nempe oſtiaria eum introduxit. Eſt enim ſermo concifus: & ſenſus eſt, eum locutum eſſe cum oſtiaria, ut Petrum intromitteret, eamque id feciſſe. Introduxit autem Petrum in aulam ſubdialem domus, quia ſtabat plane extra ſepta ædium Pontificis Matth. 26. 69.

Verſ. 17. *Dixit ergo ancilla oſtiaria Petro: Nonne & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum.*] Non quærit illa quaſi dubitabunda aut ignara, ſed aſſeveranter affirmat: quaſi dicat; Tu etiam es ex ipſius diſcipulis. Hebræorum enim idiomate interrogationes vim habent affirmandi id, quod quæritur: ut & infra ℣. 26. Vide Matth. 26. 69. Mulierem hanc non ex muliebri commiſeratione, ut nonnulli exiſtimant, ſed ex mera protervia & odio, quod una cum reliqua multitudine adverſus Chriſtum

ſtum conceperat, id dixiſſe, patet ex Matthæo, ubi Chriſtum contumeliæ cauſa Galilæum vocat Matth. cap. 26. 69.

Verſ. 18. *Stabant autem ſervi & miniſtri, qui prunas congeſſerant, quia frigus erat, & ſeſe calefaciebant: erat vero etiam cum eis Petrus ſtans & ſeſe calefaciens.*] Servi diſtinguuntur à miniſtris. Illi erant famuli Pontificis Maximi: iſti vero erant miniſtri Templi, quorum mentio fuit facta ſupra ỳſ. 12.

Qui prunas congeſſerant.] Ignem è carbonibus ardentibus excitaverant, ut tota aula lumine illuſtraretur. Vide Marc. 14. 54. Luc. 22. 56.

Quia frigus erat.] Uti ſolent verno tempore noctes eſſe frigidiuſculæ.

Erat vero etiam Petrus ſtans.] Modo ſtabat, modo ſedebat Marc. 14. 54, ut qui anxius eſſet, nec ſciret, quomodo ſe gerere deberet.

Verſ. 19. *Pontifex Maximus ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ejus, & de doctrina ipſius.*] Hic deſcribit Euangeliſta ſermonem habitum inter Chriſtum & Pontificem Maximum, cum ante eum conſtitiſſet: quem reliqui Euangeliſtæ ſilentio præterierunt; ut & Johannes ea prætermiſit, quæ illi annotarunt.

De diſcipulis ejus, & de doctrina ipſius.] Quærit ex illo, cur auſus ſit diſcipulorum comitatum ſibi adſciſcere, & iis ſtipatus incedere: quærit etiam, quæ fuerit doctrina ejus, quam in populo diſſeminavit; indicans, doctrinam ejus ſpectaſſe ad ſeducendum pōpulum & concitandam ſeditionem. Quærit autem eo animo, ut eliceret aliqua verba ex ore ejus, è quibus cauſam ipſum damnandi haberent.

Verſ. 20. *Reſpondit ei Jeſus: Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo, quo undique Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil.*] Chriſtus reſpondet, neque doctrinam ſuam, neque modum docendi fuiſſe ſeditioſum, quaſi dicat: Ego non docui in angulo aliquo aut latibulo, ut ſolent ſeductores & ſeditioſi, qui doctrinæ ſuæ timent, ſed libere ac intrepide coram omnibus hominibus, qui ad me venire & me docentem audire voluerunt, palam diſſerui.

In mundo.] Id eſt, non clanculum, ſed in propatulo.

Ego ſemper docui in Synagoga & in Templo, quo undique Judæi conveniunt.] Non ſolum in plateis, ubi vulgus indoctum concurrere ſolet, ſed etiam in Synagogis & Templo, ubi Legiſperiti, Scripturæ Interpretes, & qui ſapientiſſimi ſibi videntur, imo omnes, qui Judæi nuncupantur, confluebant: quorum judicio & examini doctrinam meam ſubjicere nunquam recuſavi.

Undique.] Gr. πάντῃ; quod etiam verti poteſt *ſemper:* ut hoc ipſo verſiculo paulo ante; *Ego ſemper docui,* ubi idem vocabulum πάντῃ in Græco habetur. Syriaca, Arabica, & Latina editio legit, *Omnes Judæi*, id eſt, quo omnibus & ſingulis Judæis venire, quæque docebantur audire, integrum erat.

Ego in occulto locutus ſum nihil.] Nihil celare ſtudui: non aliud docui privatim, quam in publico; quod eſt ſignum bonæ conſcientiæ, quæ cauſæ ſuæ non diffidit. Veritas enim non timet lucem. Chriſtus quidem nonnulla etiam privatim docuit diſcipulos ſuos, ut videre eſt Matth. 13. 36. Marc. 4. 10; ſed iſta non erant alia, quam quæ publice propoſuerat in parabolis: neque etiam eo fine iſta docebat in privato, ut diſcipuli ea ſibi tantum ſervarent, ſed ut ea ſuo tempore propalarent, & in tectis prædicarent Matth. 10. 27. Luc. 12. 3.

Verſ. 21. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid ſim ipſis locutus: ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego.*] Prius Chriſtus ex modo docendi ac prædicandi oſtendit, doctrinam ſuam non fuiſſe ſeditioſam. Nunc de ipſa doctrina reſpondet. Non dicit autem, quid docuerit, ſed provocat ad teſtimonium auditorum ſuorum, & ad eos Pontificem remittit. Indignum enim erat, ut Chriſtus huic impio ac ſcelerato homini margaritas cœleſtis doctrinæ ſuæ objiceret, qui non ſtudio & amore veritatis cognoſcendæ ductus ſciſcitabatur, ſed tendebat lethiferos Chriſto laqueos, & ideo captioſis eum quæſtiunculis urgebat. Præterea officio Pontificis Maximi haud erat conveniens, doctorem, qui palam in Synagogis & Templo coram omnibus docuit, quem ipſe audire & doctrinam ex ipſius proprio ore haurire poterat, armata manu capi, & tanquam latronem ad ſe adduci vinctum curare.

Interroga eos, qui audierunt.] Chriſtus in memoriam Pontifici revocat ordinem, quem lex præſcribit, ut à teſtibus fiat initium judicii ac condemnationis. Abſque teſtibus enim nemo condemnari poterat Deut. 17. 6. Quod vero Chriſtus provocat ad teſtimonium tam innumeræ multitudinis & tot millium auditorum ſuorum, inter quos etiam plurimi Phariſæi erant, indicium eſt bonæ ac juſtæ cauſæ.

Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego.] Chriſtus hæc dicens, manu monſtravit miniſtros, qui adſtabant, & eum comprehenderant. Hi antea miſſi ad Chriſtum capiendum, cum interrogarentur à primariis Sacerdotibus & Phariſæis, cur eum comprehenſum non adduxiſſent, reſponderunt: *Nunquam ita locutus eſt homo, ut iſte homo.* Supra Cap. 7. 46.

Verſ. 22. *Hæc autem eo dicente, unus è miniſtris, qui adſtabat, dedit alapam Jeſu, dicens: Itane reſpondes Pontifici Maximo?*] Quia Chriſtus etiam ad teſtimonium miniſtrorum provocabat, videtur iſte voluiſſe ſuſpicionem à ſe amoliri, ne favere Chriſto & ab ejus partibus ſtare videretur: ſicut Phariſæi ad illos, quorum antea facta eſt mentio, dicebant: *Num & vos ſeducti eſtis?* Joh. 7. 47.

Dedit alapam.] Gr. ἔδωκε ῥάπισμα, quod & de percuſſione, quæ fit ſimplici manu, & quæ fit baculo, accipi poteſt. Vide quæ diximus ad Matth. cap. 26. 67. Reus quilibet, qui eſt in manu ac poteſtate juſti judicis, ſimul eſt in præſidio ac protectione ejus adverſus omnes aliorum injurias ac violentiam. Ideo miniſtrorum judicii munus eſt, reum potius tueri, quam vim ei inferre. At iſte veterator facit contrarium, & non veretur in præſentia Pontificis, contra omne jus & fas, Chriſtum verberare. Quæ injuria Chriſti etiam inſuper contumelia cumulata eſt, dum Pontifex, qui facinus iſtud punire debuerat, ſilentio id approbat. Hac ratione enim ſignificavit, Chriſtum indignum eſſe, qui fruatur eâ immunitate, ac privilegio juris, quod etiam

maximis maleficis conceditur. Ita veritas illius proverbii enituit: Herus è famulis ſuis cognoſcitur. Romani, tametſi eſſent Pagani, hac in parte æquiores erant, quam Judæi, ut ex iis, quæ poſtmodum de Pilato narrantur, & in Romana hiſtoria leguntur, intelligitur. Itaque juſto Dei judicio factum eſt, ut Judæi Romanæ ſervitutis jugo ſubjicerentur, & ab iis commeritâ injuſtitiæ ſuæ pœnâ plecterentur.

Itane reſpondes Pontifici Maximo?] Ita dictum eſt quoque Paulo: *Conviciaris Pontifici Maximo Dei?* Act. 23. 4. Debetur quidem Magiſtratui omnis reverentia, ſed non ita, ut reo adimatur libertas dicendæ cauſæ, & ſe purgandi. Chriſtus jure omnibus reis conceſſo in judicio uſus eſt, & ita locutus eſt, prout cenſuit optime cauſæ ſuæ innocentiſſimæ expedire. Hic verò impurus homo in malam partem hanc reſponſionem Chriſti interpretatus eſt, quaſi Chriſtus Pontificem non dignaretur reſponſo, ſed juberet eum rem exquirere ex iis, qui publice docentem audierunt.

Verſ. 23. *Reſpondit ei Jeſus: ſi male locutus ſum, teſtificare de malo; ſin bene, cur me cædis?*] Chriſtus defendit ſe eo modo, quo ſolent illi, qui innocentiæ ſuæ ſunt ſibi conſcii: dum adverſario iſti ſuo concedit libertatem probandi, ſe dixiſſe aliquid, quod cum contumelia vel irreverentia ſummi Pontificis eſſet conjunctum; cum tamen probe ſciret, eum ex verbis ſuis nihil tale poſſe evincere. Qua in re ſumma primum Chriſti patientia apparuit, qui non, ut poterat, par pari retulit, ſed ignominiam concoquere, quam vindicare maluit, vide 1 Petr. 2. ℣. 23. Deinde patienter quidem ille hanc injuriam fert, ſed ita tamen, ut innocentiam ſuam demonſtrare haud negligat.

Sin bene, cur me cædis?] Id eſt, ſi id locutus ſum, quod ad defenſionem meam pertinet, & cum Pontificis contumelia neutiquam conjunctum eſt &c. Potuiſſet Chriſtus dicere: Quamvis male locutus fuiſſem, tamen tuum non erat me injuſſu Pontificis verberare. Sed Chriſtus ita fidit ſuæ cauſæ & innocentiæ, ut tacite innuat ſe, ſi male locutus fuiſſet, non recuſare plagas, etſi contra juris ordinem, ab eo, cui id non competit, infligantur. Docet etiam nos hoc exemplum Chriſti, quam late pateat Chriſtiana patientia, & præceptum illud Chriſti Matth. cap. 5. 39, quomodò ſit intelligendum. Chriſtus enim huic miniſtro non obvertit alteram maxillam, ſed ſuam defendit innocentiam. Ita præceptum illud admittit certas limitationes, ut ſuo loco explicatum eſt.

Verſ. 24. *Miſerat igitur eum Annas vinctum ad Cajapham Pontificem Maximum.*] Quod Euangeliſta iſtud hoc loco narrat, quod ſupra ad finem ℣. 13. dicendum fuerat, id non facit eum in finem, ut quod illic omiſerat, hic compenſet, ſed propter ſequentem narrationem de altera Petri abnegatione. Non enim hoc intendit Euangeliſta potiſſimum, ut deſcribat, quod Chriſtus ab Anna ad Cajapham ductus ſit, ſed quod *vinctus* eo ductus ſit. Quod enim ad Annam vinctus adductus eſt, poterat id Petrus proteroviæ militum adſcribere: ſed cum ſic vinctum abduci ad Cajapham Annas paſſus eſt, non poterat aliter cogitare Petrus, quam id Annâ conſcio ac jubente factum eſſe. Unde Petrus omnem ſpem æqui judicii de Chriſto inſtituendi, & cum ſpe animum ſimul abjecit.

Verſ. 25. *Stabat autem Simon Petrus, & ſeſe calefaciebat. Dixerunt igitur ei: Num & tu ex diſcipulis ejus es? Negavit ergo ille, & dixit: Non ſum.*] De hac ſecunda abnegatione Petri, vide dicta ad Matth. 26. 71.

Verſ. 26. *Dicit ei quidam ex ſervis Pontificis Maximi, cognatus ejus, cujus abſciderat Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?*] Sicut ad ſecundam abnegationem Petro anſam dedit, quod videret, Chriſtum vinculis non eſſe ſolutum; ita tertiæ abnegationis ejus occaſio fuit, mentio horti facta: unde poterat certo colligere, hominem illum ſe bene noſſe, atque adeo ſe tanquam rebellem & violenter magiſtratui reſiſtentem, accuſaturum eſſe.

Verſ. 17. *Rurſus ergo Petrus negavit, & ſtatim gallus cantavit.*

PARS III.

Verſ. 28. *DUcunt igitur Jeſum à Cajapha in Prætorium. Erat autem mane, & ipſi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, ſed ut ederent Paſcha.*] Sequitur tertia pars paſſionis Chriſti, quid nimirum coram Romano Præſide Pilato perpeſſus ſit, qui multo moderatior fuit, & mitius egit cum Chriſto, etſi eſſet homo Ethnicus, quam impius Cajaphas.

Ducunt ergo.] Pro ducitur. Perſonale ponitur pro impersonali per Hebraiſmum, de quo jam non ſemel monuimus. Vide inter cætera Marc. 3. 21. Chriſtus ab uno judice ad alium ducitur, ut innoteſcat tanto magis ipſius innocentia. Ductus autem eſt ad Romanum Præſidem, poſtquam à Sacerdotibus jam lata eſſet in eum mortis ſententia Matth. cap. 26. 66, & poſtquam multis contumeliis ac verberibus eſſet in Synedrii judicio exceptus atque vexatus.

A Cajapha.] Id eſt, è domo Cajaphæ.

In Prætorium.] De eo vide ad Matth. 27. 27.

Erat autem mane.] Hoc additur ad indicandum, quanta fuerit eorum in cauſa Chriſti feſtinatio. Cum enim veſperi illius diei Sabbatum eſſet inchoandum, metuebant, ne quo caſu interveniente, captivus elaberetur.

Et ipſi non introierunt in Prætorium.] Id narrat Euangeliſta, ut innuat cauſam, cur Pilatus ad eos è prætorio prodierit. Erat autem illo die, quo Judæi Chriſtum ad prætorium duxerunt, Paraſceve, cujus veſperâ mactabatur agnus, & mox poſtea edebatur. Idcirco noluerunt intrare domum Pilati hominis Ethnici, ne contaminarentur. Credebant enim contactum alienigenæ æquè impurum eſſe atque cadaveris. Vide Marc. 7. 4. Id autem ſola traditione Judæorum nitebatur: in Lege enim nuſquam interdicitur, ne quis domum alienigenarum ingrediatur. Cæterum juxta Legem Num. 9. 10, nefas erat immundis edere Paſcha, niſi altero demum menſe. Quæ res figurabat Chriſtianorum officium, de quo 1 Cor. 5. 8. Sunt qui exiſtimant, aliam

aliam præterea fuiſſe cauſam, cur illi in Prætorium introire recuſarint, ne ſcilicet viderentur partem habere in damnando Chriſto. Non licuiſſe enim Judæis, protinus poſt damnationem hominis ad mortem, ſacris cibis veſci annotavit doctiſſimus Judæorum Maimonides. Mira autem eſt iſtorum hominum ſanctitas, qui adeo ſpeciem damnationis vitant, cum in eum jam ante ſententiam mortis tulerint: quique ingreſſu in domum alienigenæ contaminari timent, cum non vereantur hominem innocentem in manus alienigenæ ad mortem tradere. In quo exemplo ingenium omnium hypocritarum egregie elucet, qui in rebus parvi momenti, vel adiaphoris, quæ à Deo neque mandatæ neque vetitæ ſunt, nimium ſcrupuloſi ſint pietatis oſtentatores, interea vero in enormibus flagitiis ſibi blandiuntur. Hoc eſt vere percolare culicem, & camelum deglutire, ut loquitur Chriſtus Matth. 23. 24.

Ut ederent Paſcha.] Id eſt, agnum Paſchalem, qui etiam Paſcha dicebatur.

Verſ. 29. *Exivit ergo Pilatus ad eos, & dixit: Quam accuſationem affertis adverſus hominem iſtum?*] Pilatus exivit ad eos, cum illi ingredi noluiſſent in Prætorium. Præſides ſolebant ſe moribus ac legibus Judæorum accommodare, ne illis anſa daretur ad ſeditiones. Alioqui dignitati Romani Præſidis haud fuiſſet congruum ad eos exire, qui ad eum ingredi dedignabantur. Sed ille in his rebus non adeo accuratus erat: in æquitate vero multo accuratior erat, quam illi: ut ex tota actione liquet, dum Chriſtum cujus innocentiam agnovit, modis omnibus dimittere ſtuduit. Et propterea ille, quamvis Ethnicus, longe melior fuit, quam illi, qui ſe populum Dei eſſe jactabant. Egreſſus autem eſt Pilatus ad eos in locum, ubi erectum erat tribunal: de quo videatur Joſephus.

Quam accuſationem affertis adverſus hominem iſtum?] Indicat, grande aliquod crimen eſſe oportere, quod habeant adverſus hunc hominem: quandoquidem alieno tempore & extra ordinem eum adducant; cum tamen mane judicia exerceri non fuerint ſolita.

Verſ. 30. *Reſponderunt & dixerunt ei: Niſi hic eſſet facinoroſus, non tradidiſſemus eum tibi.*] Cum Judæi debuerint Chriſti facinus aliquod ac crimen proferre, ſuam auctoritatem atque ſapientiam Pilato proponunt, vetantquet eum exiſtimare, quod ſine gravi ac juſta cauſa Chriſtum ad judicium adduxerint. Poſtea tamen crimina ejus recenſent, quod *populum ſeducat*, quod *prohibeat dare cenſum Cæſari*, quod *ſe Chriſtum Regem eſſe aſſerat*: ut Lucas narrat cap. 23. 2.

Verſ. 31. *Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Itaque Judæi dixerunt ei: Nobis non licet interficere quenquam.*] Supplicia capitalia Judæis erant adempta à Romanis; ut ipſi fatentur hoc verſiculo: Sed alia ratione maleficos punire illis integrum erat; ut flagellare, vel loris verberare. Hinc Chriſtus diſcipulis ſuis prædicit: *In Synagogis flagellabunt vos*, Matth. 10. 17. Ita Paulus à Judæis quinquies 40, plagas accepit, una minus: & ter fuit virgis cæſus 2 Cor. 11. 24, 25. Hinc apparet, Pilatum non judicaſſe Chriſtum accuſatum, dignum eſſe morte, cum eum proprio ipſorum judicio ſubjecerit. Sine dubio autem ægerrime illi hanc Pilati reſponſionem tulerunt, cum illa ex ore eorum expreſſerit confeſſionem rei, quæ eos maxime anxios habebat, quod nimirum jus ac libertatem ſceleratos capite plectendi amiſiſſent.

Nobis non licet interficere quenquam.] Hoc dicto innuunt, Chriſti culpam morte dignam eſſe: ejus autem inferendæ poteſtatem ſibi non competere. Hinc patet, Judæis ab eo tempore, quo Judæa in modum provinciæ Romano imperio adjecta eſt, ademptum fuiſſe à Romanis jus gladii: ut plerique Interpretes ſentiunt. Cenſent quidem nonnulli, Judæos hoc loco nihil aliud ſibi velle, quam non licere ſibi tali mortis ſupplicio, nempe crucis (quod More Romano ſeditioſis irrogabatur) quenquam afficere. Apud Judæos enim quatuor tantum mortis genera erant uſitata, quibus facinoroſos plectebant, inter quæ crucis ſupplicium non erat: ſed tantum ſtrangulatio, quæ fiebat laqueo, decollatio, quæ fiebat gladio, lapidatio, & combuſtio; ut Rabbini Judæorum annotarunt. Sed prior ſententia non tantum teſtimonio Judaicorum ſcriptorum comprobatur; ſed etiam videtur veriſimilior ideo, quod ſimpliciter dicant: Nobis non licet *interficere* quenquam. Quod omne genus mortis in ſe complectitur. Præterea ſi habuiſſent poteſtatem quenquam morte multandi, non diſtuliſſent tamdiu Chriſti ſupplicium, ſed protinus eum è medio ſuſtuliſſent: ut pote cum timerent, ne elaberetur, & in conſcientia ſua de innocentia ejus, quæ facile Pilatum inducere poterat, ut eum dimitteret liberum, convicti eſſent. Quod autem Stephanum lapidibus obruerunt Act. 7. 59. id magis per tumultum ac ſeditionem, quam per Judicialem proceſſum factum eſt. Atque hoc modo etiam Chriſtum lapidare voluerunt ſupra cap. 8. 59. x. 31. Sapienter autem Romani Judæos jure capitalium ſuppliciorum privarunt, quia eo facillime abuti poterant adverſus eos, qui Romanorum partes haud adverſabantur, ſed æquo animo ferebant illam ſervitutem, quales erant omnes homines probi, qui boni conſulebant, quicquid divina manus ipſis immittebat.

Verſ. 32. *Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixerat, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.*] Id eſt, ita impletum eſt, quod Chriſtus dixit.

Significans, qua morte eſſet moriturus.] Chriſtus duo de morte ſua prædixit diſcipulis: primum, quod manibus Ethnicorum ſit è vita tollendus; ſecundo quod cruci ſit affigendus. Sic enim inquit ad diſcipulos ſuos: *Filius hominis tradetur primariis Sacerdotibus ac Scribis, & condemnabunt eum morte, tradentque eum Gentibus, ut illudant, & flagellent, & crucifigant eum*, Matth. 20. 18, 19. Et alibi: *Ecce appropinquavit hora, ut Filius hominis tradatur in manus peccatorum* (ita Ethnici vocabantur) Matth. cap. 26. 45, Trahunt huc aliqui etiam illa Chriſti verba: Joh. 3. 14. xij. 32.

Verſ. 33. *Introivit ergo Pilatus iterum in prætorium, & vocavit Jeſum, dixitque ei: Tune es Rex Judæorum?*] Adverbium *iterum* hic non ſignificat ſecundo, ſed retro, ut *introivit iterum* nihil aliud ſignificet, quam regreſſus eſt vel reverſus eſt in prætorium.

Vide ſupra cap. 16. 28. Regreditur autem in prætorium ideo, ut remotis arbitris Jeſum liberius de cauſa accuſationis examinare poſſet: neque dignitati ejus conveniebat, diutius ſtare foris coram Judæis. Interea vero Judæos timuiſſe, Chriſtum ita ſe purgaturum, ut à Pilato abſolveretur, dubium non eſt.

Tunes Rex Judæorum?] Tune es ille Rex, quem Judæi exſpectant? an talem te eſſe profiteris? Vide dicta ad Matth. 27. 11.

Verſ. 34. *Reſpondit ei Jeſus: à teipſo tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?*] Judæi Chriſtum non ſolius nominis ac tituli reum peragebabant, ſed quod regiam poteſtatem ac jus ſibi arrogaret, populumque à Romano Cæſare averſum redderet, eique tributum ſolvi prohiberet. Itaque Chriſtus ita reſpondet, ut ſimul innocentiam ſuam in eo, de quo accuſabatur, demonſtraret. Quaſi dicat: Tu officio Præſidis jam à tot annis præclare functus es, & Cæſareæ Majeſtatis honor ac dignitas tibi unice cordi curæque fuit; dic quæſo, an per hoc tempus de me aliquid compereris, quod ullam ſeditionis aut proditionis ſuſpicionem redoleat? Quodſi ipſe nihil tale in me deprehendiſti, ſed alii tibi hujuſmodi rumoribus aures impleverunt, vide ne voce ac titulo Regis decipiaris. Sic voluit Chriſtus id à Pilato elicere, quo viam ſibi ſterneret ad ulteriorem reſponſionem, qua declaravit, quale regnum ſuum eſſet.

Verſ. 35. *Reſpondit Pilatus: Numquid ego Judæus ſum? Gens tua & primarii Sacerdotes tradiderunt te mihi: quid feciſti?*] Innuit hac reſponſione ſua Pilatus, ſe non eſſe cauſam accuſationis ejus, ſed Judæos; & accuſationem iſtam, quam illi inſtituunt contra ipſum, magis ex ipſorum legibus, ſcriptis, ac traditionibus proficiſci, quam à ſe, qui non Judæus, ſed Romanus ſit, & de ipſorum Meſſia ac negotiis nihil ſciat. Quaſi dicat: An ego Judæus ſum, ut ſciam, qualem illi Regem è ſuis ſcriptis ſperent atque expectent?

Gens tua.] Id eſt, tui populares, Judæi.

Et primarii Sacerdotes tradiderunt te mihi.] Quaſi dicat: Tui conterranei, iique non vulgares, ſed primarii Sacerdotes, præcipua populi tui capita, qui rei iſtius optime gnari ſunt, adduxerunt te, poſtulantque à me executionem ſententiæ, quam in te tulerunt.

Quid feciſti?] Jam ergo ipſe confitere, quid commiſeris mali contra leges veſtras, quo eos tantopere offendiſti. Hinc liquet, Pilatum Judæorum accuſationem, quod Chriſtus Romanum Imperium turbet, populumque ad ſeditionem adverſus Cæſarem incitet, pro falſa habuiſſe, eique fidem non adhibuiſſe.

Verſ. 36. *Reſpondit Jeſus: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei certaſſent, ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.*] Reſponſio quæ præceſſit, anſam dedit Chriſto, ut Pilato exponeret, qualitatem ac naturam regni ſui. Non negat, ſe Regnum ſibi vendicare, illud nimirum Regnum quod Deus per Prophetas populo ſuo promiſit; ſed negat, ſe hac ratione obſtringere ſe crimine læſæ majeſtatis Cæſareæ, ut Judæi calumniabantur. Regnum enim ſuum non eſſe ejus naturæ ac generis, cujus eſt Romanum Imperium, nempe mundanum, quod in carnali poteſtate ac eminentia conſiſtit; ideoque nullo modo ad ipſius detrimentum aut præjudicium ſpectare: imo regni ſui eam eſſe naturam, ut omnes ejus ſubditi cuivis magiſtratui, ſub quo degunt, adeoque etiam Romano obtemperent, cenſus ac tributa libenter perſolvant, & reliqua carnalia officia præſtent.

Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei certaſſent.] Chriſtus probat, Regnum ſuum non eſſe mundanum, atque adeo Romano imperio nihil obeſſe: quaſi dicat, Si ego tale mihi regnum arrogarem, quod Romano Imperio eſſet contrarium, & quod te impedire deceret, longe alia inſtructus eſſem potentia. Adſciviſſem ad mei defenſionem milites, qui pro me pugnaſſent; uti ſolent facere, qui ad Regnum mundanum adſpirant. Nunc autem paucis contentus fui diſcipulis, iiſque maxima ex parte inermibus ac imbellibus, qui cum numero inimicorum meorum ne comparandi quidem ſunt: & his etiam interdixi, ne armis uterentur.

Ne traderer Judæis.] Imperaſſem meis miniſtris, ut me armata manu defenderent, ne in manus inimicorum meorum venirem. Ita vox *tradendi* uſurpatur, Matth. 4. 12. Hoc loco notandum eſt, ſicut Chriſtus pro ſuo Regno non pugnavit, quia non ex hoc mundo erat: ita non decere quoque hodie veritatem Euangelii armis defendere, ſed exemplo Chriſti potius permittendum, ut in manus adverſariorum noſtrorum tradamur.

Verſ. 37. *Dixit ergo ei Pilatus: Num igitur Rex es tu; Reſpondit Jeſus: Tu dicis, me Regem eſſe. Ego ad hoc genitus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut dem teſtimonium veritati. Quiſquis eſt ex veritate, audit vocem meam.*] Hoc ſibi vult Pilatus: Dum diſtinguis inter Regnum tuum & mundanum, exinde intelligo, te tamen Regnum aliquod tibi aſſerere.

Tu dicis, me Regem eſſe.] Id eſt, recte dicis: ſum Rex, certo ſenſu & ſuo modo. Hebraiſmus eſt. Non intelligit autem id de reali poſſeſſione atque adminiſtratione regni ſui, ſed de jure, quod ipſi divina ordinatione competebat. Ita David quoque, qui Chriſti typus ac figura fuit, quamdiu Saul in vivis fuit, poſſeſſione Regni Iſraëlitici gaviſus non eſt, etſi longo jam tempore antea in Regem unctus eſſet. De hac libera Chriſti profeſſione coram Pilato vide ad Matth. 27. 11. & 1 Tim. 6. 13.

Ego ad hoc genitus ſum.] Sum Rex non recens creatus, ſed natus ſum Rex; à nativitate ipſa Rex ſum. Hoc idem Angelus annunciavit Virgini Mariæ: *Dabit ei Dominus Deus thronum Davidis patris ipſius, regnabitque in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis*, Luc. 1. 32, 33.

Et ad hoc veni in mundum.] Ad hoc prodii in publicum, & munus meum palam inter homines obiturus comparui; ut ſupra cap. 3. 17, 19. 12. 39. 12. 27.

Ut dem teſtimonium veritati.] Hic ſubintelligendum eſt: In eo conſiſtit meum Regnum, non ut vi & armis homines cogam ad obſequium, ſed ut veritatem doceam, eamque prædicando animos hominum ad me traham. Per veritatem autem intelligit doctrinam Euangelii: quæ partim in præceptis conſiſtit, partim in promiſſis. Itaque tanquam legiſlator in mundo apparuit; leges autem dare ac præſcribere eſt Regiæ dignitatis.

Quiſquis eſt ex veritate.] Id eſt, quiſquis veritatem amat, quiſquis diſcendæ veritatis deſiderio tenetur. Ita Paulus contentioſos homines dicit eſſe ex contentione Rom. 2. 8. Hebræi eos qui veritatis ſtudioſi ſunt appellant filios veritatis: eo modo, quo etiam dicunt filios ſapientiæ Luc. 7. 35.

Audit vocem meam.] Subjicit ſe meæ diſciplinæ; ultro & bibenter mihi tanquam Regi ſuo obtemperat. Unde è contrario colligi vult, eos qui mendacium diligunt (quales erant Judæi, ſupra cap. 8. ℣. 55.) à ſe abhorrere, ſibi neutiquam favere, ſed maxime odiſſe: ideoque mirum non eſſe, ſe à talibus accuſari. Cum veritas odium ac inimicitiam pariat.

Verſ. 38. *Dicit ei Pilatus: quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet rurſus exivit ad Judæos, & dixit eis: Ego nullum invenio crimen in eo.*] Ex reſponſione Chriſti intellexit Pilatus, Regnum ejus non eſſe ejus generis, quod Romano Imperio nocere poſſet, Regnum iſtud in ſpeculatione conſiſtere, & aërium quoddam imperium eſſe: adeoque diutius eum audire non curat, ſed obiter tantum quærit, quæ ſit iſta veritas, cujus ſe doctorem profiteatur; hocque dicto exit, nec inquirit amplius, ratus, rem ad judicium & munus ſuum neutiquam pertinere.

Ego nullum invenio crimen in eo.] Gr. οὐδεμίαν αἰτίαν, nullam cauſam: ut infra cap. 19. 4, 6. Senſus horum verborum ferme idem eſt, qui fuit verborum Gallionis Achajæ Proconſulis ad Judæos, adverſus Paulum inſurgentes: *Cum quæſtio ſit de ſermone, & nominibus, & Lege veſtra, ipſi videritis: judex enim ego iſtarum rerum eſſe nolo*, Act. 18. 15. Quaſi dicat: Sunt res, quæ pro & contra diſputari poſſunt, proinde ad meum tribunal non ſpectant.

Verſ. 39. *Eſt autem vobis conſuetudo, ut unum dimittam vobis in Paſcha; vultiſne ergo dimittam vobis Regem Judæorum?*] Hoc totum uſque ad finem Capitis explicatum vide ad Matth. 27. 15. & ſeq.

In Paſcha.] Per Paſcham hic intelligitur integrum feſtum octo dierum, ut Luc. 22. 1.

Dimittam.] Id eſt, pœnam remittam, liberum abire ſinam: ut infra cap. 19. 10.

Regem Judæorum.] Id eſt, veſtrum Regem. Hoc dicit eos irridens: quaſi dicat, Veſtrum tamdiu exoptatum & expectatum Meſſiam. Articulus enim Græcus ὁ vim habet ſignificandi certum & ſingularem aliquem Regem.

Verſ. 40. *Clamaverunt ergo rurſum omnes, dicentes: Nequaquam iſtum, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.*] Græca vox λῃστὴς ſignificat proprie graſſatorem, qui vias publicas infeſtas reddit, homines trucidans ac deſpolians; idem nomen etiam ſeditioſis tribuitur, qualis fuit hic Barabbas, qui in ſeditione etiam homicidium admiſit. Vide Mar. 15. ℣. 7. Luc. 23. 19.

CAPUT XIX.

I. *Euangeliſta pergit in deſcribenda paſſione Chriſti: ac primum recenſet, quid porro paſſus ſit coram Præſide Pilato: ad verſ. 17.* II. *Quid paſſus ſit in loco Calvariæ uſque ad mortem: ad verſ. 31.* III. *Quid egerint milites poſt ipſius mortem cum ipſius corpore: ad verſ. 38.* IV. *Quomodo ſit ſepultus: ad finem Capitis.*

PARS I.

Verſ. 1. *Tunc ergo accepit Jeſum Pilatus, & flagellavit.*] Johannes continuat paſſionis ac mortis Chriſti hiſtoriam, ac primo deſcribit, quomodo Chriſtus flagellatus ac ſpinis coronatus fuerit; quantam curam adhibuerit Pilatus in Chriſto liberando, & quid tandem moverit Pilatum, ut damnationi ejus conſentiret.

Tunc ergo accepit Jeſum Pilatus.] Cum videret, ſe fruſtra in Chriſto liberando laborare, incipit cum Chriſto agere more Romano, tanquam cum facinoroſo. Flagellatio fiebat, eo fine, ut veram accuſationis cauſam exprimeret. Quanquam Pilatus, conſcius Chriſti innocentiæ, cupiebat potius hac ratione Judæorum odium adverſus Chriſtum placare. Vide plura de hac re ad Matth. 27. 19.

Verſ. 2. *Et milites contexentes coronam è ſpinis, impoſuerunt capiti ejus, & pallio purpureo induerunt eum.*] Qualis Rex erat eorum judicio, talis erat & corona. Vide ad Matth. 26. 29. ubi Matthæus hoc recenſet tanquam poſt latam in Chriſtum ſententiam factum: quod etiam eſt veriſimile; quia Pilatus potiſſimum ideo Chriſtum flagellari curavit, quod voluerit Judæorum iram ſedare, & porro ut Chriſtum dimitteret, ſedulo annixus eſt. Sic patet, Euangeliſtam hoc extra ordinem temporis narrare.

Pallio purpureo.] Id eſt, pallio coloris lucidi, nonnihil ſimilis purpuræ. Vide ad Matth. 27. 28, 29.

Verſ. 3. *Et dicebant: Ave Rex Judæorum; & dabant ei alapas.*] Gr. ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα: bacillis eum cædebant. Vide de hac voce ſupra cap. 18. 22.

Verſ. 4. *Exivit ergo rurſum Pilatus foras, & dixit eis, Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis, me nullum in eo crimen invenire.*] Id eſt, ne minimam quidem culpam reperio, ob quam flagellandus ſit: ideo poſſetis hac caſtigatione eſſe contenti. Ita accuſat ſeipſum Pilatus injuſtitiæ, qui impio populo tantum indulſit, ut in ejus gratiam hominem inſontem flagellaret.

Verſ. 5. *Exivit ergo Jeſus foras, gerens ſpineam coronam, & purpureum pallium. Et dixit eis Pilatus: Ecce homo.*] Vulgo creditur, Pilatum voluiſſe his verbis ad miſericordiam flectere Judæos, quaſi dicat, Videte hunc miſerum, flagellis conciſum, & ſpinis coronatum hominem: moveat vos ejus miſeria, & abſolvite eum, culpa, quam ipſi imputatis. Sed fortaſſis hoc ſibi voluit Pilatus, Videte hunc miſerabilem hominem; eſtne in illo deprehendere vel minimum ejus rei veſtigium, cujus eum accuſatis, quod nimirum ſibi Regiam arroget poteſtatem. Pilatus enim, qui omnem movit lapidem, ut Chriſtum liberaret, ſine dubio indicare voluit, eos in juſte illum iſtius criminis inſimulare.

Verſ. 6. *Cum ergo vidiſſent eum primarii Sacerdotes*

& miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non invenio in eo crimen.] Sacerdotes clamandi faciebant initium, miniſtri ſequebantur.

Crucifige, crucifige.] Vide ad Matth. 27. 22.

Accipite eum vos & crucifigite.] Videtur Pilatus hoc dixiſſe, pertæſus, & offenſus Judæorum contumaciâ atque iniquitate. Quaſi dicat: Si hunc vultis crucifigi, ipſi id facite veſtro periculo. Mihi nequaquam convenit hominem innocentem damnare. Non concedit autem his verbis poteſtatem illis id faciendi, ſed tantum cupit culpam à ſe in illos derivare.

Verſ. 7. *Reſponderunt ei Judæi: Nos Legem habemus, & ſecundum Legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſeipſum fecit.*] Cum animadverterent Judæi, ſe accuſatione ſua nihil proficere poſſe apud Pilatum, qua Chriſto impingebant crimen perduellionis adverſus Romanos, aliam ingreſſi ſunt viam, urgentque adverſus eum Legem ſuam, ac inprimis illàm de falſis prophetis, quæ ſic ſonat: *Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, interficietur* Deut. cap. 18. 20. Et perinde eſt, ac ſi dicant: ſi interficiendus eſt, qui ſe Prophetam facit, cum non ſit; multo magis morte afficiendus eſt, is, qui ſe Meſſiam facit, qui non vulgaris Propheta futurus eſt, Deut. 18. 18.

Quia Filium Dei ſeipſum fecit.] Vehementer errant, qui cenſent, Judæorum accuſationem in eo ſitam fuiſſe, quod Chriſtus ſe Filium Dei profeſſus ſit, qui ex eſſentia Patris ab æterno natus eſt, adeoque ſit ipſe Deus Altiſſimus. Chriſtus enim id nunquam de ſe affirmavit; ſed cum ipſi à Judæis maxima daretur occaſio & cauſa exponendi, qua ratione ſe Filium Dei vocaret, hoc ſolum dixit: *Quomodo dicitis vos, me quem Pater ſanctificavit & in mundum miſit, blaſphemare, quia dixi, Filius Dei ſum?* Joh. cap. 10. 36. Ex quo patet, eum eatenus ſe Filium Dei dixiſſe, quatenus à Patre ſanctificatus, atque in mundum miſſus fuit, id eſt, quatenus deſignatus fuerat Meſſias. Judæi itaque per Filium Dei intelligunt Meſſiam, quem illi ſimpliciter & per excellentiam Filium Dei vocabant: uti ad Matth. 16. 16. prolixe probavimus. Quapropter & hoc falſum eſt, quod Judæi reſpexerint ad illam Legem Levit. 24. ℣. 16. *Quiſquis nomen Domini blaſphemaverit, morte moriatur:* quaſi Chriſtus Deum blaſphemaſſet, quod ſe pro Deo ipſo geſſerit.

Fecit ſeipſum.] Id eſt, profeſſus eſt ſe talem eſſe: ut Cap. 5. 18. viij. 53. x. 33.

Verſ. 8. *Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis metuit.*] Videtur in Pilato homine Ethnico fuiſſe aliqua Dei reverentia, qui antea timuit innocentem hominem damnare; nunc autem magis adhuc timet, cum tam mirabilia de ipſo audiret, quod ſe Filium Dei eſſe profiteatur. Cogitavit enim ſine dubio, eum eſſe Filium alicujus Dei, quales multos Heroas ac Divos habebant Romani & Græci, de quibus credebant, eos à Diis ortos eſſe. Credibile quoque eſt, Pilatum aliquid de miraculis Chriſti ingentibus inaudiviſſe. Vide dicta ad Matth. 27. 54.

Verſ. 9. *Et rurſus ingreſſus eſt in Prætorium, & dixit Jeſu: Unde es tu? Jeſus autem reſponſum ei non dedit.*] Quia Judæi novam afferebant accuſationem adverſus Chriſtum, ideo Pilatus etiam novum inſtituit examen.

Unde es tu?] Judæi dixerant, eum ſe pro Dei Filio gerere: vult igitur Pilatus ſcire, unde ortus ſit, à quibus prognatus ſit parentibus. Vide ſupra Cap. 7. verſ. 27.

Jeſus autem reſponſum ei non dedit.] Hoc loco Chriſtus ipſe hoc fecit, quod diſcipulos ſuos docuit, ne margaritas projicerent ante porcos, vide Matth. cap. 26. 63. Quid boni aut æqui ſperare poterat ab illo, qui in gratiam irati populi eum flagellari juſſit, cum tamen ipſe eum inſontem eſſe agnoſceret ac profiteretur? Præterea non poterat Pilatus vim Hebraicæ locutionis, *Filius Dei*, intelligere, etſi Chriſtus ipſi, quo pacto ſe Filium Dei dixerit, explicaſſet. Deinde Chriſtus jam ſatis innuit, quis eſſet, cum confeſſus eſt, ſe ad hoc natum eſſe, & ad hoc veniſſe in mundum, ut Rex eſſet eorum, qui veritatem amant, ſupra Cap. 18. 38.

Verſ. 10. *Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis me poteſtatem habere crucifigendi te, ut poteſtatem habere dimittendi te.*] Quia Pilatus avidus erat ſciendi, quis & unde Chriſtus eſſet, ſilentiumque Chriſti trahebat in ſui contemptum, minis eum aggreditur. Gloriatur autem ſe habere poteſtatem, ut Chriſtum pro lubitu atque arbitrio ſuo poſſit etiam contra jus & æquitatem omnem in crucem agere: qua in re plus ſibi arrogat, quam ipſi à ſuperiori Magiſtratu ad adminiſtrandam juſtitiam poſito competebat.

Dimittendi te.] Id eſt, te abſolvendi, & liberum à culpa pronunciandi, adeoque ſine pœna abire ſinendi. Vide ſupra Cap. 18. 39.

Verſ. 11. *Reſpondit Jeſus: Non haberes poteſtatem ullam adverſum me, niſi hoc datum tibi eſſet ſuperne: propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*] In verbis *adverſum me*, latet quædam emphaſis: quaſi dicat; Tametſi cum aliis hominibus agere poſſis pro libitu, eoſque ſive jure, ſive injuria damnare, tamen adverſus me non haberes hanc poteſtatem, cum Deus mei ſingularem & extraordinariam gerat curam, niſi divino id conſtitutum fuiſſet decreto, ut per injuſtum judicium è vita tollar. Deus autem hanc poteſtatem Pilato non alia ratione dedit, quam quatenus eum in injuſto judicio non impedivit, ut ſic decretum divinum de morte Chriſti ad executionem perduceretur. Apud Lucam ait Chriſtus turbæ ſe comprehendenti: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum* Cap. 22. 53.

Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.] Hæc verba reſpiciunt aliquid, quod Euangeliſta hoc loco non dicit, ſed facile ſubintelligi poteſt. Nempe hoc vult dicere: Quia is ſum, quem Deus ſingulari cura proſequitur, id quod Judæi facile ex Prophetarum prædictionibus, & ex collatione cum eiſdem meæ vitæ atque doctrinæ, nec non miraculorum cognoſcere potuerunt, tu vero non ita facile id ſcire potueras & debueras; idcirco illi gravius peccatum committunt.

Qui me tradidit tibi.] Quiſquis in cauſa eſt, quod coram te nunc ſtem vinctus. Primum quidem Judas,

das, deinde primarii Sacerdotes, & denique populus.

Majus peccatum habet.] Hoc ſibi vult. Tu quidem non es omnino à peccato & culpa immunis, dum me, quem innocentem agnoſcis, non tantum non defendis, ſed etiam me flagris injuſte oneras: ſed minus tamen peccas, quia non tam facile ſcire potes, quis ſit is, in quem adeo ſævis. Judæi autem ſcire queunt perfacile; ideo gravius eſt illorum peccatum, quam tuum. Injuria, quæ infertur, plurimum aggravatur, ſi quis ſciat aut ſcire poſſit dignitatem ejus, adverſus quem committitur. Hinc etiam liquet, non omnia peccata eſſe æqualia: ut & ex Luc. 12. 48.

Verſ. 12. *Ex eo tempore ſtudebat Pilatus eum dimittere; Judæi vero clamabant, dicentes: Si hunc dimiſeris, non es amicus Cæſaris. Quicunque ſe Regem facit, contradicit Cæſari.*] Chriſti reſponſio tetigit conſcientiam ejus, ut ſentiret ſe peccati convinci. Itaque denuo omnes tentat modos, ut Chriſtum liberet. Quibus vero modis id efficere tentarit, Euangeliſta non recenſet, ſed ſine dubio variis argumentis Chriſti innocentiam aſſeruit & Judæis ob oculos poſuit.

Non es amicus Cæſaris.] Hic fuit ultimus & validiſſimus Jndæorum aries, quo animum Pilati expugnarunt, poſtquam priora crimina, quæ adverſus Chriſtum afferebant, nihil valere apud Pilatum intellexerunt: dum nimirum urgent hoc maxime & repetunt, quod prius objecerant, Chriſtum ſe Regem facere, indicantque Pilato, ſi facinus hoc impunitum abire ſinat, de eo tanquam patrono ſeditionis nihil aliud poſſe judicari, quam quod Cæſari fidelis non ſit, nec munere ſuo rite fungatur. Judæi ipſi erant maximi Cæſaris inimici, quem utpote extraneum magiſtratum averſabantur: nunc autem, cum de condemnando Chriſto agitur, ita ſe gerunt, quaſi fideliſſimi Cæſaris amici eſſent, & quaſi Chriſtum è medio tollere non alia de cauſa ſtuderent, quam quod Cæſaris eſſet hoſtis ac perduellis.

Contradicit Cæſari.] Id eſt, reſiſtit & opponit ſe Cæſari. Eſt locutio Hebraica: ut & Luc. 2. 34. Probant his verbis, Chriſtum eſſe hoſtem Cæſaris, quia ipſius jugum excutiat, populum à debita Cæſari obedientia ſolvat, cenſus & vectigalia pendere prohibeat, faciatque populum ſibi addictum. Verum crimina hæc falſa eſſe, Pilatus ipſe agnovit, cum Chriſtus naturam Regni ſui deſcriberet, quod nimirum ex hoc mundo non eſſet cap. 18. 36, atque adeo Romano Imperio obeſſe nequeat.

Verſ. 13. *Pilatus ergo cum audiſſet hunc ſermonem, eduxit Jeſum foras, conſeditque in tribunali, in loco, qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabbatha.*] Cæſar qui tunc temporis imperabat, erat Tiberius, qui, ut ex hiſtoricis Tacito & Suetonio conſtat, admodum ſuſpicax erat, quique facillime leves etiam lapſus pro crimine læſæ Majeſtatis reputabat. Apud talem dominum querela totius provinciæ multum valere poterat, eique periculum ingens creare: quod cum formidaret Pilatus, maluit rem injuſtam committere, quam aliquid pati juſti judicii ſui cauſa. Hujuſmodi ingenio ut plurimum præditi ſunt omnes, qui negotia Rerumpublicarum ſeu politicæ tractant. Vide dicta ad Matth. 27. 24.

Eduxit Jeſum foras.] E prætorio ſcilicet. Apparet enim, Pilatum reliquiſſe Chriſtum in prætorio, & ſolum ad Judæos exiviſſe, cum ultima vice tentaret Chriſti dimittendi modos. Cum vero nihil obtinere apud Judæos poſſet, eduxit eum in locum, ubi poſitum erat tribunal, è quo Judex pronunciabat ſententiam.

Conſeditque in tribunali.] Hoc erat extra prætorium in circo in tabulato quodam tegulis tecto. Vide ad Matth. 27. 27.

Qui dicitur Lithoſtrotos.] Græca vox eſt λιθόστρωτος, qua deſignatur locus minutioribus lapidibus varii coloris ſtratus, qui tam artificioſe diſponuntur, ut figuræ & effigies variæ in iis conſpiciantur. Talis artificioſe ſtraturæ meminit quoque Plinius lib. 36. cap. 15, & Venetiis in Templo Sanctæ Mariæ hodie etiamnum videri poteſt.

Hebraice autem.] Non ſecundum idiotiſmum puræ linguæ Hebrææ, ſed ex conſuetudine illius linguæ, quæ tunc in Judæa vigebat, quæ cum Syriaca commixta erat.

Gabbatha.] Quæ vox ſignificat locum editiorem atque excelſum. Tribunalia enim apud Romanos erigebantur & attollebantur altius, ut decretum, quod ferebatur, à circumſtante turba tanto commodius exaudiretur.

Verſ. 14. *Erat autem Paraſceve Paſcha, hora vero quaſi ſexta; & dicit Judæis: Ecce Rex veſter.*] Dies qui Sabbatum quodlibet antecedit, vocabatur Paraſceve, quia ad Sabbatum neceſſaria eo die præparabantur: ut Luc. 23. 54. Apud Marcum vocatur προσάββατον, ante Sabbatum Cap. 15. 42. Quando vero additur vox Paſchæ, (ut hoc loco) vel aliud magnum feſtum, tum denotat paraſcevem illius feſti. Tunc temporis autem erat hic dies ſimul Sabbati & Paſchæ paraſceve, quia Paſcha incidebat in Sabbatum: ut infra ℣. 31, innuitur. Ideo vero Euangeliſta adeo accurate notavit circumſtantiam temporis, ut indicet, Chriſtum illo ipſo die crucifixum eſſe, quo Paſcha mactari debebat, adeoque ſignificet, nunc verum Paſcha Chriſtum, cujus figura fuit agnus ille Paſchalis, mactatum eſſe, per quam mactationem nobis aditus ad vitam æternam factus ſit.

Hora vero quaſi ſexta.] Quomodo hoc cum Marco conciliandum ſit, qui Cap. 15. 25, inquit, Chriſtum circa horam tertiam crucifixum eſſe, explicuimus ad Matth. 27. 45.

Ecce Rex veſter.] Objicit illis & exprobrat, quod tam ſtolidi ſint, ut talem hominem pro Rege ſuo habuerint.

Verſ. 15. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt primarii Sacerdotes: Non habemus Regem, niſi Cæſarem.*] De eo quod clamant, *Tolle, tolle*, vide ad Matth. 27. 22, 24.

Regem veſtrum crucifigam?] His quidem verbis ille Judæorum ſtultitiam irrifit, & exagitavit, interea tamen, Deo ſic gubernante, ipſiſſimam veritatem locutus eſt. Ita veritas ſæpenumero accipit teſtimonium etiam ab impiis, quod ipſi non intelligant. Cujus exemplum ſupra habuimus in Cajapha Cap. xj. 50, & rurſus in Pilato infra ℣. 19.

Non habemus Regem, niſi Cæſarem] Nomina iſta *Rex* & *Cæſar* ſunt quidem quoad præcellentiam in vulgari ſermone diſtincta. Cæſarem enim eſſe majus eſt, quam Regem eſſe. Sed illi ſumunt nomen Regis in ſignificatione excellentiſſima pro ſupremo Rectore, qui ſummum habet imperium: quo ſenſu non ſolum Cæſar poteſt Rex vocari, ſed Deo quoque ipſi hoc nomen tribuitur, 1 Sam. 8. 7. Pſal. 5. 3. x. 16. Elucet autem ſingularis Dei providentia non ſolum in ipſo negotio, ſed etiam in his Judæorum verbis, quibus ſpei ſuæ de Meſſia renunciant, nullum alium ſe habere Regem præter Cæſarem profitentes; adeoque ſeipſos rebellionis ac ſeditionis reos faciunt, dum libertatem ſuam adverſus Cæſarem graviſſimis bellis ac tumultibus tueri nitebantur: ut apud Joſephum de Bello Judaico legere eſt. Hoc autem facit ira, ut interdum homines loquantur, quod illis maxime noxium eſt. Aliàs dicere ſolebant Judæi: Non habemus Regem, niſi Deum. Sic habetur in ipſorum Thalmude.

Non habemus.] Id eſt, non agnoſcimus.

Verſ. 16. *Tunc ergo tradidit eum ipſis, ut crucifigeretur. Aſſumſerunt autem Jeſum & abduxerunt.*] Hic jam Pilatus pronunciat ſententiam de Chriſto, eumque crucis ſupplicio adjudicat, poſtquam prius ad teſtandam innocentiam ſuam manus laviſſet, & tota multitudo populi vociferata eſſet: *Sanguis ejus veniat ſuper nos & liberos noſtros*, Matth. 27. 24, 25. Tradidit autem Pilatus Jeſum non in Judæorum manus, ſed in manus militum, qui Romano more decretum mortis exequebantur: dicitur tamen Judæis eum tradidiſſe, quatenus odio eorum tantum indulſit, & deſiderio eorum ſatiffecit. Vide Luc. 23. ℣. 25. & Act. 2. 23. ubi Petrus ait, eos manibus ſceleratorum cruci affixum interemiſſe.

Aſſumſerunt autem Jeſum.] Id eſt, Jeſus aſſumtus eſt: ut Marc. 3. 21. nimirum ab iis, quorum munus erat decreta executioni mandare, nempe à militibus.

Et abduxerunt.] Primo in prætorium, deinde extra civitatem.

PARS II.

Verſ. 17. *Et portans crucem ſuam, exivit in dictum Calvariæ locum, qui dicitur Hebraice Golgotha.*] Hinc incipit ſecunda pars hujus capitis, in qua deſcribitur, quid Chriſtus in loco, ubi crucifixus eſt, perpeſſus ſit. Involvit autem ſilentio pleraque, quæ contigerunt tum cum educeretur ex urbe, quæ reliqui Euangeliſtæ annotarunt, Matth. 27. 32. Marc. 15. 20. Luc. 23. 26. uſque ad 32.

Et portans crucem ſuam.] Eouſque ſcilicet, donec hominem Cyrenæum, nomine Simonem, ex agro venientem, invenirent, cui crucem ejus portandam impoſuerunt, Matth. 27. 32. Marc. 15. 21.

In dictum Calvariæ locum.] Vide ad Matth. 27. 33.

Verſ. 18. *Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jeſum.*

Verſ. 19. *Scripſit autem etiam titulum Pilatus, & impoſuit cruci. Erat vero ſcriptum: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.*] Hoc uſque ad ℣. 23. explicavimus ad Matth. 27. 37.

Scripſit.] Id eſt, ſcribi curavit: ut ſupra ℣. 1, flagellavit, id eſt, flagellari curavit.

Titulum.] Seu inſcriptionem. Syrus & Arabs optime habent Tabulam. Erat enim tabula lignea dealbata, & in ea cauſa mortis atramento ſive nigro colore majuſculis literis erat ſcripta. Itaque hallucinantur non leviter, qui ſtatuunt inſcriptionem hanc tabulæ fuiſſe inſculptam: ad ſculpendum enim tempus illud nimis breve erat.

Verſ. 20. *Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus erat: & erat ſcriptum Hebraice, Græce & Latine.*] Quod dicit, prope civitatem fuiſſe locum, ubi crucifixus erat Chriſtus, indicat eo ingentem numerum ac copiam Judæorum præſentem fuiſſe crucifixioni Chriſti, cum non procul à civitate ipſis eſſet eundum. Omnes enim duntaxat propter inſcriptionem legendam exiviſſe, non eſt credibile.

Verſ. 21. *Dixerunt igitur Pilato primarii Sacerdotes Judæorum: Ne ſcribe, Rex Judæorum; ſed, illum dixiſſe, Rex ſum Judæorum.*] Illa enim inſcriptio, quam impoſuerat Pilatus, poterat hunc ſenſum habere, quaſi Judæi eum pro Rege ſuo habuerint.

Verſ. 22. *Reſpondit Pilatus: quod ſcripſi, ſcripſi.*] Id eſt, quod ſemel inſcribi curavi, id volo, ita ſcriptum maneat.

Verſ. 23. *Milites ergo cum crucifixiſſent Jeſum, acceperunt ejus veſtimenta (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inſutilis, à ſummo contexta tota.*] Vox pluralis ἱμάτια, *veſtimenta* anſam dedit nonnullis Veterum abſurde ſtatuendi, quod Chriſtus quinque veſtibus ſeu tunicis indutus fuerit tum, cum crucifigeretur, è quibus quatuor milites, qui fuerunt executores decreti; ſinguli unam acceperunt, de quinta autem ſortiti ſint. Sed nos ſupra cap. 13. 4. oſtendimus, vocem ἱμάτια, etſi in plurali numero efferatur, tamen nonniſi unam veſtem deſignare, ſuperiorem ſcilicet veſtem, ſeu pallium, quod è multis conſtabat partibus: quanquam interdum etiam in genere pro quacunque veſte accipitur; ut Act. 20. 33. Sciendum autem eſt, Chriſtum non plures duabus veſtibus geſtaſſe, Superiorem nimirum & inferiorem. Illa quia conſuta erat è pluribus partibus milites eam inter ſe diviſerunt, ut ſinguli portionem aliquam de ea ſumerent. Hæc autem, quæ Chriſti corpori proxima fuit, quia integra erat ac inconſutilis, indignumque videretur, ut ſcinderetur in partes, de ea ſortiti ſunt. Videtur vero hæc interior tunica fuiſſe linea; moris enim tunc erat inter homines vulgares, ut ſi quis duas gereret veſtes una ex eis lanea eſſet, altera linea: & lanea quidem ſuper lineam ſuper induebatur. An vero Chriſtus etiam induſium geſſerit, propterea dubium eſt, quia Johannes nihil de eo meminit. Veteres quoque Eccleſiæ Doctores perhibent, Chriſtum nudum in cruce pependiſſe. Duravit autem hic mos diutino tempore, ut homines præter duas illas tunicas nullo uſi ſint induſio, ſed linteo tantum tegebant membra corporis pudibunda, quæ conſpici non debent. Judæi autem geſtabant brevem veſtem interiorem lineam, quæ à lumbis

lumbis uſque ad femora, qualem Deus Aaroni ac filiis ejus geſtare præcepit Exod. 28.42. Superior igitur veſtis, ſeu pallium, quod ex quatuor partibus conſtabat, ut videre eſt Deut. 22. 12. & laxum erat, qualibus Judæi tunc utebantur ferme ad morem Græcorum, milites inter ſe partiti ſunt. Sed & inferiorem tunicam Chriſto detraxerunt, ut ad Matthæum annotavimus.

Erat autem tunica inſutilis, à ſummo contexta tota.] Nimirum textilis erat ferme ad eum modum, quo hodie tibialia aut interulæ necti ſolent. Etſi enim modus hic ferreis inſtrumentis nectendi tunc temporis forte in uſu non fuerit, potuit tamen vigere alius ſimilis modus. Colligitur autem ex his Johannis verbis, ſi milites hanc tunicam diſcidiſſent, partes nulli uſui futuras fuiſſe, perinde ac ſi quis textilem interulam divideret in partes. Qui vero exiſtimant opere quodam nimis exquiſito & artificioſo contextam fuiſſe hanc Chriſti tunicam, illi hac in parte modeſtiæ ac ſimplicitati Chriſti multum detrahunt. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 74. ſcribit potius: *Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat, ut qua Galilæorum pauperes utantur? Apud eos enim maxime hujuſmodi veſtis genus, ut pectoralia, ſurſum verſus contextum.* Quæ verba perſuadent, facilem factu fuiſſe, & ſine ullo pectine, aut textoris opera, manibus ad inſtar reticulorum confectam.

A ſummo contexta.] Nimirum hæ tunicæ in longum, non in tranſverſum, à ſummo uſque ad imum, à ſtantibus texebantur.

Verſ. 24. *Dixerunt ergo inter ſe: Ne ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus futura ſit; ut ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſte mea jecerunt ſortem. Milites quidem igitur hæc fecerunt.*] Quod nonnulli putarunt, ſortitionem hanc micatione digitorum eſſe factam, probabile non eſt. Credibilius eſt, eos talis ſeu teſſeris de tunica luſiſſe, qui luſus jam apud Romanos inoleverat: idque magis congruit verbis Pſal. 22.19. ubi expreſſe dicitur, *ſuper veſte mea jecerunt ſortem.* An vero milites tantum de una illa inconſutili tunica, & non etiam de particulis pallii ſortiti ſint, diſputatur quoque inter eruditos. De ſola tunica ſortitionem factam videtur indicare Johannes hoc loco, contrarium tamen ex aliis Euangeliſtis colligitur. Matthæus enim habet: *Partiti ſunt ejus veſtimenta, ſortem jacientes*, cap. 27.35. Marcus vero ait: *Partiti ſunt veſtimenta ejus, jacta ſorte ſuper ea, quis quid tolleret*, cap. 15.24. Lucas ſcribit: *Partientes vero veſtimenta ejus, jecerunt ſortem*, cap. 23.34. Veriſimile autem eſt, cum pallium ex quatuor partibus conſtiterit, partem unam altera fuiſſe meliorem ac optabiliorem, adeoque eos etiam de illis ſortilegio eſſe uſos. Ad locum Pſal. 20. 19. quod attinet, *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſte mea jecerunt ſortem*; in eo Hebraica vox לבוש, generale nomen eſt, ſignificans quamlibet veſtem; ut ita ſenſus ſit: Diviſerunt inter ſe veſtimenta mea, & ſuper omnes veſtes meas ſortem jecerunt.

Ut Scriptura impleretur.] David id de ſe quaſi proverbialiter aut figurate locutus eſt, indicare volens, inimicos ſuos de bonis ſuis, quæ ipſi abſtulerunt, tanquam de opima præda, quam raptores ac prædones inter ſe ſorte partiri ſolent, lætatos fuiſſe ac triumphaſſe. At Deus tam mirabiliter rem direxit, ut hoc rurſus in Chriſto perfectiori ratione impleretur, non tantum in modum proverbii, ſed reipſa & ad literam; ut intelligatur, in eo cuncta impleta eſſe, quæ antiquis contigerunt.

Verſ. 25. *Stabant autem juxta crucem Jeſu, mater ejus, & ſoror matris ejus, Maria Cleopæ, & Maria Magdalena.*] Hic deſcribit Johannes ſummum amorem & ſolicitudinem, quam geſſit Chriſtus de graviter afflicta matre ſua. Stabat autem illa ita juxta crucem, ut tamen propter cohortem militum, qui crucem circumſteterant, nimis prope accedere non poſſet. Hinc Matthæus dicit, mulieres, (è quibus nominat Mariam Magdalenam) à longe ſtetiſſe cap. 27.55.

Mater ejus.] Mæſta & anxia mater, non periculo, non triſtiſſimo ac lugubri ſpectaculo, non contumeliis ullis ſe abſterreri ſinit, quin unico ac dilectiſſimo filio ſuo ad extremum uſque adhæreat, ultima ejus mandata exceptura: ſicque reipſa teſtata eſt, ſe meminiſſe illius vaticinii Simeonis: *Etiam animam tuam pertranſibit gladius*, Luc. 2.35.

Mariæ Cleopæ.] Hîc poteſt ſubintelligi uxor, vel filia Cleopæ. Eam autem filiam Cleopæ fuiſſe, non uxorem, exinde patet, quod vocetur mater Jacobi & Joſis Matth. 27. 56. Jacobi pater vero fuit Alphæus: Matth. 10. 3. Alphæus igitur fuit maritus ejus, non Cleopas. Atque id confirmat etiam Arabica verſio, quæ hic diſerte addit, Cleopæ filia. Sed rurſus in contrarium, quod illa uxor Cleopæ fuerit, non filia, hoc militat, quod cum Johannes dixiſſet, eam fuiſſe ſororem matris Jeſu, ſupervacuum fuerit patrem ejus Cleopam nominare, æque ac ſupervacuum duxit patrem matris Domini (quem hunc eundem Cleopam fuiſſe neceſſe foret) nominare: verum ille utramque ſororem peculiariter deſcribit, dum priorem vocat matrem Jeſu, alteram vero Cleopæ ſcilicet uxorem. Ita manet hæc controverſia, utrum illa Cleopæ filia an uxor fuerit adhuc indeciſa.

Verſ. 26. *Cum vidiſſet ergo Jeſus matrem & diſcipulum adſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.*] Diſcipulus iſte erat Johannes ipſe, qui ſe ita deſcribere ſolet: ut ſupra cap. 13. ver. 23. Vide infra cap. 21. 20, 24. Hoc loco haud inſcite quidam adverterunt, Johannem ſeipſum ita deſcribere, quod eum dilexerit Jeſus, at non ſcribere, quod matrem ſuam dilexerit. Nimirum amor erga diſcipulum, quatenus diſcipulus eſt, longe major erat in Chriſto, quam amor, quem natura liberis erga parentes inſevit. Ideo Chriſtus apud Matthæum extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: *Ecce mater mea & fratres mei: Quiſquis enim facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, is eſt frater meus, & ſoror, & mater*, Matth. 12.49, 50.

Mulier, ecce filius tuus.] Hoc dicit de Johanne, quem ipſi ſui loco relinquit: quaſi dicat, Hic erit mei loco, & meas implebit partes, filiali cum obſervantia tui curam in ſenectute gerendo.

Verſ. 27. *Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam diſcipulus in propria.*] Quaſi dicat, Hæc mea mater, à qua nunc diſcedo, abhinc

tua

tua propria mater ſit, eam tanquam matrem tuam cole, & cura, nihilque ei deeſſe patiare.

Recepit eam diſcipulus in propria.] Id eſt, in domum ſuam, in qua habitabat, eique de neceſſariis ad vitam proſpexit. Exinde colligitur, Joſephum Mariæ conjugem, cum hæc gererentur, jam fuiſſe mortuum, quia Johannes in ſe curam Mariæ matris Domini ſuſcepit.

Verſ. 28. *Poſtea cum ſciret Jeſus, omnia jam peracta eſſe, ut conſummaretur Scriptura dixit: Sitio.*] Johannes reticet ea, quæ cæteri Euangeliſtæ narrant, de illuſione ac contumeliis, quibus Chriſtus in cruce pendens proſciſſus eſt, de duobus latronibus, inter quos crucifixus fuit, de maximis tenebris, deque verbis, quæ Chriſtus ad Patrem ſuum locutus eſt: ſed refert tantum, quomodo Chriſtus Spiritum ſuum non violenter, ſed ferme quando ipſe voluit, exhalaverit.

Omnia jam peracta eſſe.] Id eſt, ad impletionem omnium eorum, quæ ad humilem ac ſervilem ſtatum pertinent, deque eo prædicta ſunt, nihil amplius reſtare, quam ut in graviſſima ſiti acetum ipſi propinaretur.

Ut conſummaretur Scriptura.] Hæc verba cohærent cum ſequenti, *Sitio*, ut ſenſus ſit: Cum Jeſus ſciret, omnia jam impleta eſſe, dixit: Sitio; ut etiam hoc ultimum, quod de ipſo prædictum fuerat, impleretur. Reſpicit autem Euangeliſta ad locum Scripturæ Pſal. 69. 22. de quo ad Matth. 27. 34.

Sitio.] Sitis iſtius cauſæ erant intenſiſſimi dolores, quos patiebatur, & quod ſanguis eum defecerit.

Verſ. 29. *Vas igitur erat poſitum aceto plenum. Illi vero impleverunt ſpongiam aceto, & hyſſopo circumdatam admoverunt ori ejus.*] Per vocem ὄξος, *acetum* intelligitur vinum myrrhatum, quo facinoroſi in deliquiis recreabantur. Vide ad Matth. 27. 34, 48.

Et hyſſopo circumdatam.] Id eſt, arundini vel cauli hyſſopi impoſitam porrexerunt Chriſto ſpongiam. Vide ad Matth. 27. 48.

Admoverunt ori ejus.] Non tam ad ſitim extinguendam, quam ad eum reficiendum. Vide ad Matth. modo dictum locum.

Verſ. 30. *Cum autem accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſummatum eſt; & inclinato capite tradidit Spiritum.*] Conſummatum eſſe dixit totum illud, quod in hac vita ex Patris ſui voluntate perficere & exequi debuerat. Chriſtus enim hic non loquitur, de tali conſummatione, qua umbræ ac figuræ Legis eaque quæ Prophetæ prædixerunt, impleta ſunt. Chriſtus enim nondum à mortuis reſurrexerat, neque in cœlum aſcenderat, quod etiam ad prædictiones illas pertinebat.

Et inclinato capite.] Morientis inſtar, quem jam extremæ vires deficiunt.

Tradidit Spiritum.] Nempe Deo. Quæ locutio apud pios Judæos uſitata fuit, qui credebant, Deum poſt mortem hominum animas judicare. Propterea ipſi animas ſuas reddebant, à quo eas acceperant. Hinc Salomon ait: *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum*, Eccleſiaſt. 12. 7. Chriſtus autem expiravit circa nonam horam, eo tempore, quo jam fiebat initium mactandi Agni Paſchalis. Vide Matth. 27. 50.

PARS III.

Verſ. 31. *Judæi ergo, ut non manerent in cruce corpora Sabbato, quoniam erat Paraſceve, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura ac tollerentur.*] Tertia pars hujus Capitis hinc incipit, quæ continet deſcriptionem ejus, quid milites cum corpore Chriſti, poſtquam expiraſſet, egerint: ubi iterum Johannes tranſilit memorata ab aliis Euangeliſtis miracula, quæ ſtatim poſt mortem Chriſti contigerunt.

Ut non manerent in cruce corpora Sabbato.] More Romano & aliarum gentium ſupplicio affectorum corpora inſepulta relinquebantur; ut & hodie ſuſpendio vel rota necatorum. Et ne quis è cognatis corpora noctu auferret, cuſtodia apponebatur. Philo tamen teſtatur, die natali Cæſaris, ut etiam damnati lætitiæ publicæ parti participes aliquomodo fierent, corpora eorum fuiſſe humata. Alias id non facile fiebat; nunquam certe abſque permiſſu ſingulari Præſidis aut Magiſtratus. Cur autem Judæi Pilatum oraverint, ut de cruce tollerentur corpora crucifixorum, in cauſa fuit Lex de ſuſpenſis, quæ ſic ſonat: *Non permanebit cadaver in ligno, ſed eadem die ſepelietur: quia maledictus eſt à Deo, qui pendet in ligno; & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem*, Deut. cap. 21. 23. Quam Legem Philo Judæus libro de ſpiritualibus legibus ita declarat: Oportebat eos in locum communis ſepulturæ deferri, & in terra recondi, ne ea quæ ſuper terram ſunt, contaminarentur: id eſt, ne homines & aër per eos polluerentur. Quanquam ex Thalmude & ex aliis Judæorum ſcriptoribus liquet, ſuſpenſos loco quodam peculiari ſepeliri ſolitos. Sed ſcopus totius legis iſtius non ſolum erat, ne homines immundi redderentur, & aër, ſed etiam ne tota terra profanaretur, eo ipſo, ſi tam tetrum ac horrendum in ea extaret ſpectaculum. Ideo in lege dicitur, maledictum eſſe à Deo, qui pendet in ligno. Dum ergo Judæi vi hujus Legis petunt demi corpora de cruce, indicant, ſe Chriſtum pro homine maledicto à Deo habere. Hinc Paulus verba iſta legis Gal. 3. 13. ad Chriſtum accommodat. Tollebantur autem corpora de cruce non à Judæis, ſed à Romanis militibus: ſed nihilominus, quia præter capitalia ſupplicia, in reliquis relicta Judæis erat libertas ſecundum Legem ſuam vivendi, idcirco cavent ſtudioſe, ne etiam hac in parte aliquid à Romanis fiat, quod contra Legem eſſet.

Quoniam erat Paraſceve.] Tanto magis properandum illis erat in demendis corporibus, quia non ſolum dies Paraſceves erat (de quo ſupra vſ. 14.) ſed etiam quia hora jam venerat, qua Agnus Paſchalis mactabatur, & neceſſaria ad Sabbatum & ad feſtum Paſchatis præparabantur.

Erat enim magnus dies ille Sabbati.] E ſeptem diebus feſti Azymorum, primus & ultimus dies, erat ſanctior & ſolennior aliis, ita ut non liceret ullum opus facere perinde ac Sabbato: ut videre eſt Exod. cap. 12. 16. Cum vero eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, primus dies Azymorum in Sabbatum incide-

incideret, ideo duo ſancti dies concurrebant; ac propterea dicitur dies ille magnus Sabbati. Præterea die primo maxima erat congregatio & confluxus populi; altero die licebat unicuique ſi vellet domum reverti; ut patet ex Deut. 16. 7.

Rogaverunt Pilatum] Miſerunt ad eum in civitatem: ipſe enim præſens non aderat in loco crucifixionis. Neque ſane convenit ulli Judici, poſt ſententiam à ſe in facinoroſos latam, ſupplicii ſpectatorem eſſe, ne videantur morte & cruciatu hominis miſeri delectari atque ex eo ſpectaculo voluptatem aliquam captare.

Ut frangerentur eorum crura.] Hoc fiebat conſuetudine Romanorum. Quia enim crucis ſupplicium lentam afferebat mortem, ideo facinoroſis per crurum fractionem mors accelerabatur, ſed cum maximo dolore. Frangebantur enim illis crura ingenti malleo. Itaque Judæi orant, ut fractione crurum finis quam primum fieret vitæ ſuſpenſorum, ut corpora eorum demi poſſent. Alioqui fractio crurum apud Romanos erat pœna ſingularis, quemadmodum hodie apud Chriſtianos eſt ſupplicium rotæ.

Verſ. 32. *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus erat cum eo.*] Hoc dicitur de militibus, non de iis, qui ex civitate venerunt, ſed de illis, qui Chriſtum cruci affixerant.

Verſ. 33. *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura.*] Vel ex certis indiciis cognoverunt, eum jam eſſe mortuum, vel Centurio ipſis dixit, qui videtur jam antea Chriſtum mortuum eſſe advertiſſe, Matth. cap. 27. 54. Marc. 15. 39. Luc. 23. 47.

Non confregerunt ejus crura.] Admirabilis hic iterum Dei providentia ſe exſeruit, dum Pilatus quidem conſenſit, ut ſuſpenſi de cruce tollerentur, & ſi vivi eſſent, crura eis frangerentur; ſed milites prius circa latrones in frangendis eorum cruribus fuerunt occupati, & tam diu morati ſunt, donec Chriſtus interea expiraret. Itaque nulla erat cauſa, cur ei crura frangerentur. Fortaſſis etiam ipſi Judæi poſtularunt, ut poſtquam primo latroni crura fregerunt, tranſirent ad alterum, Chriſto omiſſo, ut tanto diutius cruciaretur.

Verſ. 34. *Sed quidam ex militibus lancea latus ejus fodit, & ſtatim exivit ſanguis & aqua.*] Cauſam, cur miles iſte Chriſti latus tranſfoderit, non indicat Euangeliſta, ſed ſine dubio hæc fuit, quod voluerit explorare, an Chriſtus vere mortuus ſit, an vero tantum animi deliquio fuerit correptus; atque adeo an ictum iſtum lanceæ ſit ſenſurus. Probabile eſt, Judæos id ipſum militi injunxiſſe, ut qui Chriſtum cita morte eripi doloribus fractionis crurum noluerint. Ridiculum eſt, quod ſcribunt quidam, militem hunc vitio oculorum laboraſſe, & cum credere nollet, Chriſtum jam eſſe mortuum, ictu iſto lanceæ eum experimentum ſumere voluiſſe. Multo magis vero riſum meretur, quod alii tradunt, (vide inter alios Baptiſtam Mantuarum, & celeberrimum Jeſuitam, Pontificiorum Apoſtolum apud Chinenſes, Xaverium in ejus Perſico Euangelio) eum prorſus cœcum fuiſſe. Quomodo enim latus Chriſti inveniſſet? an alius quiſpiam manum ejus duxit. Militem hunc fuiſſe equitem, cenſent omnes illi, qui credunt Chriſtum tam ſublimi in ligno fuiſſe ſuſpenſum, ut à pedite contingi non potuerit. Sed oſtendimus alibi, cruces non nimis altas fuiſſe, quibus affixi pendebant, ut pedes pendentium vix duos pedes ſupra terram eminerent: adeo ut vulgaris lancea, qualem pedites geſtare ſolent, facile ad Chriſti latus pertingere potuerit. Ideo etiam nullo equite fuit opus, cum Chriſto ſpongia cum aceto in hyſſopi caule vel ſcapo porrigeretur. Matthæus enim dicit, iſtum cucurriſſe, non equo vectum eſſe, qui acetum Chriſto ſilenti præbuit, cap. 27. 48. Præterea Græca vox σπεκλάτωρ, qua Johannes hic utitur, non equitem, ſed peditem denotat. Utrum dextrum, an ſiniſtrum latus Chriſti tranſfixum ſit, inter doctos quoque controverſum eſt, & acriter diſputatur: ſed abſque omni fundamento, cum de eo altum ſit in Sacris Literis ſilentium. Vulnus hoc in latere fuit quintum ex iis, quæ corpori Chriſti inflicta ſunt: duo enim accepit in manibus, duo in pedibus; quorum omnium veſtigia extitiſſe in Chriſto & conſpecta fuiſſe poſt ejus reſurrectionem, conſtat ex verbis Chriſti infra cap. 20. 27.

Et ſtatim exivit ſanguis & aqua.] Hoc à multis pro miraculo habetur, cum naturali modo non fiat, ut ex mortui corpore aqua & ſanguis profluat. Sed miraculo tum demum locus eſt, cum nulla prorſus naturalis cauſa dari poteſt. Animadvertendum vero eſt, verba Euangeliſtæ non ita eſſe accipienda, quaſi aqua & ſanguis ita ex vulnere Chriſti promanarit, ut ſeparatim aqua, & ſeparatim ſanguis, adeoque quaſi duo rivi diſtincti profluxerint; ſed aquam cum ſanguine ita fuiſſe permiſtam, ut facile cognoſci potuerit, non fuiſſe merum ſanguinem, neque etiam meram aquam. Duæ autem ſunt hac de re præcipuæ ſententiæ. Prima eſt eorum, qui putant, cor Chriſti fuiſſe tranſfixum. Ex anatomia enim corporum humanorum, & aliorum animalium conſtat, inter cor & pericardium eſſe humorem quendam aqueum, qui à natura ad refrigerium cordis, ut ſeſe tanto aptius moveret, deſtinatus eſt. Humor iſte in mortuorum corporibus copioſior eſt, quam in viventium, quia ſpiritus vitales morientium à partibus frigidis in aquam reſolvuntur. Hinc fit, ut humor iſte in mulieribus & ſenibus, qui frigidioris naturæ ſunt, abundantior ſit, quam in viris. Huic aqueo humori facile aliquid ſanguinis potuit admiſceri, quia ſine dubio venæ aliquæ ſimul ruptæ ac tranſfoſſæ fuerunt, in quibus ſanguis nondum erat coagulatus, cum jam primum Chriſtus expiraſſet. Præterea nullus ſanguis eſt ſine mixtura aquæ, quæ à ſanguine coloratur, quando una cum eo movetur. Verum hæc ſententia eſt ab aliis prolixe & accurate refutata (vide Bartholinum diſſert. de latere Chriſti cap. 4. & xj. & ſeq.) monſtratumque, in thoracis cavo reperiri in cunctis humanæ ſpeciei corporibus humorem, qui aquæ cruentæ referat mixturam, qualis eſſe ſolet aqua, in qua cruda caro abluitur vel maceratur. Humor iſte pro ſingulorum varietate modo parcior eſt, modo copioſior. In Chriſto autem per acutiſſimos dolores facile augeri potuit. Itaque etſi ictus cor non attigerit, neque ullam venam ſanguineam ruperit, tamen aqua ſanguinea ex vulnere effluere potuit,

potuit, quia corpus pendebat.

In Papatu traditur, matrem Jesu aquam hanc excepisse, tanquam rem sacram, & hodie adhuc monstratur. Sed cum Euangelista nullam ejus rei faciat mentionem, merito id ad Anti-Christi fabulas referimus.

Si quod mysterium in hac aqua latere existimandum est, dici potest, ea innocentem Christi mortem esse designatam: ac mortem quidem per sanguinem, innocentiam autem per aquam, quæ est signum puritatis: ut ad Matth. 27. 24. ostendimus. Ab hac aquæ cum sanguine mixtura ortum est, quod primi Christiani semper in Cœna seu Eucharistia vinum aqua diluerint; cum vinum in Cœna sit signum memoriale ac Symbolum sanguinis Christi, qui in cruce effusus est.

Vers. 35. *Et qui vidit, testatur & verum est testimonium ejus. Et ille scit, se vera dicere, ut vos credatis.*] Inversa est ista locutio & transposita. Sensus enim est: Qui id testatur, vidit. Testimonium autem istud non tantum simpliciter eo spectat, quod viderit, sanguinem & aquam ex latere Christi fluere, sed, etiamsi ex superioribus certo non constaret, Christum vere fuisse mortuum, tamen ex hoc ictu clare id liquere potuisse, qui si Christus vixisset, omnino lethalis fuisset, etsi cor non tetigerit.

Ut vos credatis.] Ut omnes Christiani, quibus ista scribo, magis magisque in eo confirmentur, Christum verissime mortuum fuisse, atque adeo etiam verissime à mortuis resurrexisse.

Vers. 36. *Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os ipsius non comminuetur.*] Id est, dum istud factum est, impleta est Scriptura.

Os ipsius non comminuetur.] Euangelista duo citat testimonia ex Scriptura, quæ hoc loco impleta sunt. Primum est de non frangendis ossibus Christi; alterum de transfixione lateris. Quod ad prius attinet, dubium nullum est, quin in eo respiciatur ad legem illam, qua prohibitum est, ne agni Paschalis, qui figura Christi fuit, os ullum frangeretur, Exod. 12. vs. 46. Sunt enim eadem illa verba, quæ in lege habentur. Quod autem quidam censent, Euangelistam respicere ad verba Psal. 34. 21. ubi de piis hominibus dicitur, Deum custodire omnia ossa eorum, ne ullum ex eis frangatur, id probabile non est. Verba ista Psalmi loquuntur de universali providentia Dei de omnibus piis, quæ proinde in omnibus ac singulis piis implentur. Cum enim dicitur, ossa piorum custodiri & asservari, est Hebraica phrasis, qua insignis & perfecta conservatio ac defensio indicatur, quod nimirum Deus non solum externa, sed & interiora servet integra ac salva. (Vide Clavem Flaccii.) Hic autem loquitur Euangelista de certa prædictione vel typo, qui in Christo excellentissima ratione impletus sit, & quidem in propria significatione. Christi enim os nullum proprie & vere fractum est, etsi de cætero immensos cruciatus sustinuerit. Causa autem, cur Christi os non debuerit ullum frangi, videtur esse, quia fractio ossium res prorsus atrox & horrenda est, quæ sanctissimo Christi corpori neutiquam conveniret. Etsi enim crucifixio ipsa per se horrendum spectaculum fuerit, non tamen per eam, ut nec per ictum lanceæ, corpus Christi adeo fuit mutilatum, quam si ossa ejus insuper fracta fuissent. Debuit enim integer sepulchro imponi, ut etiam hac in parte divina providentia de piis, qua de re agit locus allegatus Psal. 34. eluceat. Hic autem quæritur; Quomodo Christo juxta typum agni Paschalis os comminutum non sit, cum pedes ejus clavis transfixi fuerint. In exanimi enim & carne nudato corpore humano cerni potest, ossa pedum tam arcte cohærere, ut clavus trans adigi sine læsione ossis non facile queat. Sed responderi potest, clavum non per os, sed inter duo ossa validissima transiviſſe, ita ut os unum ab altero divideretur.

Vers. 37. *Et rursus alia Scriptura dicit: Aspicient, quem transfixerunt.*] Locus hic sumtus est ex Zach. cap. 12. 10. ubi textus integer ita habet: *Et effundam super domum Davidis, & super habitatores Hierosolymæ Spiritum gratiæ, & precum; & aspicient me, quem confixerunt, & plangent super me quasi super unigenitum, & dolebunt, sicut doleri solet in morte primogeniti.* Quibus verbis vaticinatur Propheta de ingenti beneficio, quo Deus domum Davidis & cives Hierosolymitanos post reditum eorum è Babylonica captivitate affecturus sit, quando ædificatione peracta incolent rursus civitatem, quod nimirum iis tam contrita & ad obsequium prompta datum sit corda, ut ardentissimis precibus gratiam ejus imploraturi sint, & aspecturi, id est, se conversuri ad eum, quem antea crebris peccatis atque recalcitrationibus quasi confixerant. Hoc loco enim de seria ac sincera pœnitentia agi, testantur verba sequentia, ubi dicitur, eos super Deum plancturos, quasi super unigenitum. Quod vero locum Johannis Euangelistæ attinet, notandum est, non omnia hæc verba facere ad ejus propositum. Non enim eo fine allegat hunc Zachariæ locum, quod Judæorum pœnitentiam ac dolorem voluerit significare, quo peccatum ac scelus suum in crucifigendo Christo admissum prosecuti fuerint, sed potius, quod dum Dominum gloriæ crucifixerunt & latus ejus transfixerunt, in summo gradu & perfectissimo modo malitiæ atque impietatis, qua olim ab eorum patribus Deus quasi confixus fuit, mensuram impleverint. Si quid enim unquam alte (ut sic dicam) vulneravit animum Dei, id certe truculentissima mors innocentissimi ac unigeniti Filii ipsius fuit. Similis figurata locutio, qua dolor summus innuitur, est in illis verbis Simeonis ad Mariam Matrem Domini: *Etiam animam tuam pertransibit gladius*, Luc. 2. 35. Itaque verbum *Aspicient*, hic nihil facit ad Euangelistæ scopum: necessario tamen id quoque citare coactus est, quia cum verbis, quæ proprie huc pertinent, ita cohærebat, ut divelli non posset. Quod enim Interpretum nonnulli sentiunt, Euangelistam voluisse simul Judæorum resipiscentiam & dolorem super hoc tam immane factum indicare, cujus exemplum eluxit postea in conversione 3000 & 5000 hominum Act. 2. 41. IV. 4. id non est verisimile. Quæ enim causa, quæ occasio hic erat, ut Euangelista hoc loco resipiscentiæ eorum mentionem faceret? Deinde tanta est malitiæ ac odii eorum, quo adversus Christum & fideles ejus in hodiernum usque diem flagrant, pertinacia, ut conversio aliquot millium ex eis quasi pro nihilo ducenda sit. Hinc etiam

Paulus

Paulus eorum ſtatum ac conditionem potius caſum, ruinam ac rejectionem, quam converſionem aut pœnitentiam vocat, Rom. 11. 11, 14. Non eſſe autem infrequens, ut Scriptores Novi Teſtamenti teſtimonia Veteris Teſtamenti citantes, integra loca producant, quorum tamen non omnia verba, ſed quædam tantum, ſeu pars eorum ad ipſorum propoſitum facit, demonſtravimus ad Matth. 12. 18. Ex dictis liquet, quam fragile ſit argumentum, quo hinc vulgo probatur ſuprema & altiſſima Chriſti Deitas. Argumentum iſtud eſt tale: Deus Altiſſimus tranſfixus fuit à Judæis. Chriſtus tranſfixus eſt à Judæis. Ergo Chriſtus eſt Deus Altiſſimus. Non poſſe enim oſtendi aliud tempus, ajunt illi, quando Deus Altiſſimus tranſfixus ſit, quam hoc, quo Chriſtus in cruce tranſfixus eſt. Verum ex eo nulla ratione ſequitur, Chriſtum eſſe Deum Altiſſimum. Quis enim ſermonis vulgo uſitati, cujus etiam in Scriptura permulta exempla reperiuntur, ignarus eſt adeo, ut neſciat dici optime, contigiſſe id alicui, quod alteri contigit, qui cum illo arcto amoris & amicitiæ vinculo, vel alia ratione conjunctus eſt. Ita dicit idem Propheta Zacharias ad Judaicum populum, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi Dei*, cap. 2. ℣. 8. An ideo concludendum eſt; populum Dei eſſe pupillam oculi Dei? Ita Chriſtus inquit diſcipulis ſuis: *Qui vos recipit, me recipit: qui vos audit me audit; qui vos rejicit, me rejicit*, Matth. 10. 40. Luc. 10. 16. An igitur propterea diſcipuli ſunt Chriſtus ipſe? Similis locutio eſt Matth. 25. 40, 45. Act. 9. 4, 5. & alibi. Quis non intelligat, hujuſmodi locutionibus non unitatem eſſentiæ, ſed aliam conjunctionem arctam inter iſtas perſonas denotari: nempe conjunctionem amoris, qua Chriſtus cum diſcipulis ſuis unitus eſt? Quis vero Deo charior, quis animo ejus conjunctior fuit unquam, quam Jeſus Chriſtus homo, etſi aliam prorſus ac diſſimilem habuerit naturam? Nam apud eundem Propheram Zachariam (ſub figura Judæ Macchabæi, ut quidam Interpretes ſtatuunt, literali ſenſu ad eum reſpici) vocat Deus Chriſtum *virum proximum ſuum*, id eſt, ſuum amicum dilectiſſimum, Zach. 13. 7. An quiſquam dicere velit, populum Iſraëliticum Deo magis carum, aut magis curæ cordique fuiſſe, quam ſit unigenitus & ſanctiſſimus Filius ejus? Si igitur Angelus in ſuperius adducto loco Zach. 2. 8. dicere potuit, eum qui tangit populum Iſraëliticum, tangere Dei pupillam, id eſt, partem corporis delicatiſſimam, quæ ne minimam quidem puncturam pati poteſt: cur non ſimili loquendi figura dici quoque poſſit, Deum tranſfixum eſſe ab iis, qui Chriſtum chariſſimum Filium ejus tranſfixerunt, etſi Chriſtus non fuerit ejuſdem eſſentiæ cum Deo; quemadmodum nec Iſraëliticus populus ejuſdem eſſentiæ fuit cum pupilla Dei?

PARS IV.

Verſ. 38. *POſthæc autem rogavit Pilatum Joſephus ab Arimathæa (ut qui eſſet diſcipulus Jeſu, ſed occultus propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jeſu: & permiſit Pilatus. Venit ergo & ſuſtulit corpus Jeſu.*] In hac quarta parte hujus Capitis paucis deſcribit Johannes ſepulturam Chriſti. Cæterum hoc totum explicatum à nobis eſt ad Matth. 27. 55, 56.

Verſ. 39. *Venit autem & Nicodemus (is qui venerat ad Jeſum nocte primum) ferens miſturam myrrhæ & aloës, libras quaſi centum.*] Hoc de Nicodemo alii Euangeliſtæ omiſerunt.

Primum.] Id eſt, prius; nempe ſupra cap. 3. 1. Is etiam Chriſtum ſupra adverſus Phariſæos defenderat, cap. 7. 50.

Myrrha & aloës.] Duæ diverſiſſimi generis plantæ, uno eodemque nomine *aloës* veteribus notæ notatæque ſuerunt. Altera fuit arbor aromatica, ad thymiamata vulgo uſurpata: altera herba, ex qua ſuccus amariſſimus eliciebatur, qui catharticus erat. Jam vero Euangeliſtam hic non amarum hunc ſuccum intelligere, ſed aloën aromaticam, exinde patet, quod ad pollincturam corporum nihil aliud adhibitum fuerit, præter unguenta & aromata ſuaviſſimi odoris. Nicodemus autem corpus Chriſti non inunxit, quia tempus deficiebat propter jam incipiens Sabbatum; quam ob cauſam etiam mulieres demum poſt finitum Sabbatum veniunt ad Chriſtum ungendum Marc. 16. 1. Luc. 24 1. Adde quod pondus librarum centum, nimis magnum eſt, quam ut unctioni unius corporis paratum exiſtimari queat: cum quatuor ad ſummum libræ uni funeri ungendo ſufficere potuerint. Non ergo ad ungendum tantum Chriſtum ſimpliciter aromata illa Nicodemus attulerat, ſed ad corpus odore imbuendum: ut etiam legimus, eum corpus Chriſti faſciis involviſſe una cum miſtura illa odorificorum aromatum. Nullo enim alio fine adhibebantur hæc aromata, quam grati odoris cauſa. Aloës autem vulgaris & medicæ ſuccus nihil habet odorificum. Quare omnino cenſendum eſt, Nicodemum aromaticam aloën in pulverem redactam cum myrrha commiſcuiſſe. Veteri in Teſtamento tribus locis fit mentio aloës cum myrrha junctæ, Ut Pſal. 45. 9. *Veſtimenta tua redolent myrrham & aloën.* Prov. 7. 17. *Aſperſi cubile meum myrrha, aloë & cinnamomo.* Cant. 7. 13, 14. *Propagines tuæ ſunt quaſi paradiſus cum omnigenis arboribus thuriferis, myrrha & aloë, cum omnibus præſtantiſſimis aromatum.* Quibus in locis, cum ſolum modo ratio habeatur odoris jucundiſſimi, ſine dubio nonniſi aloë aromatica odorifera intelligitur, non ſuccus ille alvum movens, qui nullum odorem habet. Dubitandum igitur non eſt, Nicodemum etiam illam aromaticam & ſuave-olentem aloën ſecum una cum myrrha attuliſſe. Inferet hic aliquis; Aloën medicam virtute quadam ſua & amarore inſigni repugnare putredini; ideo cum unguentis aliis adhibitam condiendis mortuis. Quid tum? Non hoc potiſſimum quæſivere Judæi in corporibus ungendis, ut quam diutiſſime perdurarent, æternitatemque medicaminibus obtinerent: ſed ut bene olerent. Herodotus lib. 2, ubi funerationem quæ apud Ægyptios uſitata fuit, accurate perſequitur, treſque ejus recenſet modos, nuſquam amarum ſuccum aloës adhibitum commemorat. Ab Ægyptiis autem Judæi morem condiendi corpora mortuorum mutuati ſunt.

Libras quaſi centum.] Hinc apparet, eum fuiſſe hominem locupletem, & magno erga Chriſtum amore flagraſſe. Sciendum vero eſt, præſtantium virorum corpora in magno aromatum cumulo deponi ſolita: ut de Rege Aſa legere eſt 2 Paral. 16. 14. *Poſueruntque eum in lecto, quod impleverant aromaticis ſpeciebus, paratis unguentario opere.* Sic & Jacobi Patriarchæ corpus Hebræi memorant aromatibus induruiſſe, ita ut nulla manu tangeretur. Quibus locis collatis apparet, hanc pollinĉturam per aromata ſumtuoſiorem fuiſſe illâ, quæ per unctionem fiebat. Vide etiam ad Matth. 26. 12. à nobis dicta.

Verſ. 40. *Acceperunt ergo corpus Jeſu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis funerare.*] Per lintea intelliguntur faſciæ lineæ, quibus totum corpus tanquam infantis una cum manibus & pedibus involvebatur (ut ſupra Cap. xj. 44.) & à ſudario, cujus infra Cap. 20. 7 fit mentio, diverſa erant. Inſpice Matthæum, ubi unius lintei tantum fit mentio. Cap. 27. 59.

Cum aromatibus.] Quia tumultuarie omnia fiebant & feſtinanter, propter inſtans & jam præſens Sabbatum, non potuerunt corpus Chriſti ungere, ſed aromata ſimpliciter tantum depoſuerunt.

Ut mos eſt Judæis funerare.] Nempe ita, ut cadavera faſciis involvant, aromatibus & unguentis condiant. Sepeliendi morem patrium fuſius & accuratius deſcribit Rabbi Moſche, filius Maimon, volumine ſecundo ſui operis, cujus titulus eſt: Maimoni, in tractatu de luctu Cap. 4. Verborum ejus ſententia hæc eſt: „ Mos eſt in Iſraële circa mortuos „ & eorum ſepulturam, ut cum quis mortuus eſt, „ ejus oculos occludant, & ſi os habuerit apertum, „ claudatur, faſcia maxillis circumligata, ne iterum „ aperiatur. Obturatur etiam locus, per quem ex„ crementa ejiciuntur, ſed hoc poſtquam corpus „ fuerit lotum. Unguentis deinde ex diverſis aro„ matum generibus confectis ungitur, & detonſo „ capite, convolvitur corpus albis veſtibus lineis ad „ hoc ipſum paratis, & quæ non ſunt magni pretii, „ ut poſſit æqualitas ſervari inter divites & pauperes. „ Tegitur quoque facies mortui, priuſquam impo„ natur feretro, ſudariolo, cujus pretium non ex„ cedat quartam partem ſicli. Feretro deinde impo„ ſitum, humeris hominum geſtatur uſque ad ſepul„ turam: & ibi antequam corpus tradatur ſepultu„ ræ, quædam recitantur à majoribus eorum ad hoc „ conſcripta, quibus divina juſtitia commendatur, „ & hominum peccata exaggerantur, quibus mor„ tem commeriti ſunt, ac oratur Deus, ut ita juſti„ tiam ſuam exerceat, ut ſe miſericordem quoque „ obliviſci nolit. Poſtea cadaver ſimul cum feretro, „ in quo ſupinum jacet, in fovea poſitum, tegitur. „ Denique ad lugentes itur, & quædam apud eos re„ citantur ad conſolandum. Quibus peractis ab„ eunt quiſque ad ſua negotia: nec ullum diſcrimen „ apparet inter divites & pauperes, inter nobiles & „ ignobiles, nec in ſepultura mortuorum, nec in „ conſolatione viventium. Hæc ille. Cæterum in eo ungendi modus Judæorum diſcrepat ab unctione Ægyptiorum, quod illi corpora tantum extrinſecus ungant, hi vero etiam intus, poſtquam ea exenteraverint, ita ut etiam cerebrum per nares extraherent. Vide etiam, quæ de conſuetudine Judæorum mortuos abſque ſarcophago ſepeliendi diximus ad Matth. 27. 60.

Verſ. 41. *In eo autem loco, ubi erat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.*] In eo loco, id eſt, extra urbem in ſuburbio.

Monumentum novum.] Ne quis ſuſpicari poſſet, alium quempiam ſurrexiſſe à mortuis. Vide ad Matth. 27. 60.

Verſ. 42. *Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quod monumentum illud prope eſſet, poſuerunt Jeſum.*] Loco verborum, *propter Paraſceven Judæorum*, Syrus habet, *quia Sabbatum intrabat:* Arabs autem, *quia poſtremum erat paraſceves Judæorum.* Euangeliſta enim non vult ſimpliciter dicere, eos Chriſtum ideo in monumentum, quod prope erat, poſuiſſe, quia erat Paraſceve ſed quia Paraſceve jam ſpectabat ad finem; & Sabbatum appropinquabat.

Quod monumentum illud prope eſſet.] Hoc propterea addit, ne quis miraretur, quomodo corpus Chriſti potuerit tam cito ſepeliri, cum jam Sabbatum ingrueret: nimirum monumentum non procul diſtabat, potuitque adeo corpus ſine mora in illud imponi. Qui loca illa viſitarunt, ajunt, id circiter 50 aut 60 paſſus à Calvaria diſtare.

CAPUT XX.

I. *Narratur, quomodo Chriſtus à mortuis reſurrexerit: ad* ℣ſ. 11. II. *Quomodo apparuerit Maria Magdalenæ: ad* ℣ſ. 19. III. *Quomodo apparuerit diſcipulis ſuis, abſente Thoma: ad* ℣ſ. 26. IV. *Quomodo iterum apparuerit diſcipulis, præſente Thoma: ad* ℣ſ. 30. V. *Epilogus hujus Capitis, in quo redditur cauſa à Johanne, cur non plura ſigna ad confirmandam reſurrectionem Chriſti deſcripſerit.*

PARS I.

Verſ. 1. *Primo autem die hebdomadis Maria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: cernitque lapidem ſublatum à monumento.*] Enarrat jam Euangeliſta hiſtoriam reſurrectionis Chriſti, & quomodo diverſis vicibus diſcipulis ſuis apparuerit.

Primo autem die hebdomadis.] In Græco eſt: τῇ δὲ μιᾷ τῶν Σαββάτων, *unâ autem Sabbatorum*; ubi duplex eſt Hebraiſmus. Primum *una* ſumitur pro *prima*: ut Gen. 1. 5. *Factaque eſt veſpera, & mane, dies primus*, Hebr. *dies unus.* Deinde Sabbatum ponitur pro hebdomade: quæ de re vide ad Marc. 16. 9. & Luc. 18. 12. Primus iſte dies hebdomadis apud nos nunc eſt dies Solis, ſeu Dominicus, qui ex Judæorum conſuetudine incipiebat die Sabbati à Solis occaſu. Ad diem Solis autem coactæ ſunt mulieres unctionem corporis Chriſti differre, quia Sabbato fuerant impeditæ.

Maria

Maria Magdalena.] Inter fœminas, quæ Chriſtum ad ſepulchrum comitatæ ſunt (Matth. 28. 1. Marc. 16. 1. Luc. 24. 1. confer cum xxiij. 51, 56.) hanc ſolam nominat, quia inter eas eminebat, & forte plurimum ſumptûs in unguenta impendit. Sic Matthæus meminit duorum obſeſſorum ſeu dæmoniacorum Cap. 8. 28. Marcus unius tantum Cap. 5. ℣. 2, quia is magis inſignis erat.

Cum adhuc tenebræ eſſent.] Cum adhuc obſcura lux eſſet, noxque adhuc diei eſſet quaſi permiſta. Vide Matth. 28. 1. Marc. 16. 2. Ex quo intelligitur, quantus fuerit harum piarum fœminarum ardor, quantumque ſtudium, Chriſto ultimum pollincturæ officium præſtandi.

Lapidem ſublatum à monumento.] Id eſt, ab introitu ſeu oſtio monumenti amotum & avolutum. Hoc fecerat Angelus, qui magno cum terræ motu de cœlo deſcenderat. Vide Matth. 28. 2.

Verſ. 2. *Currit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, & dicit eis: Suſtulerunt Dominum è monumento, & neſcimus, ubi poſuerint eum.*] Hanc hiſtoriam Euangeliſta uſque ad ℣. 19 non integram, nec eo ordine, quo geſta eſt, recenſet. Hoc modo autem ſe res habuit: Cum Maria Magdalena ad monumentum una cum aliis mulieribus veniſſet, vidiſſetque revolutum eſſe lapidem, quo monumentum obſtructum fuerat, inclinato corpore proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos, infra ℣. 11, 12, quorum unus quæſivit ex ea primum, quid ploraret? ℣. 13. & deinceps illa verba ad eam locutus eſt, quæ Matthæus refert Cap. 28. 6, 7, 8. Tunc demum præcepit ei Angelus, ut quantocyus diſcipulis reſurrectionem Domini annunciaret. Dum ergo Maria Magdalena feſtinanter executura mandatum ſe obvertit, videt Jeſum ſtantem, quem principio credidit eſſe hortulanum, poſtea autem pro viſo & oſtento quodam habuit. Cumque Jeſus eam affatus eſſet illis verbis, quæ narrantur ℣. 17, abiit illa ad diſcipulos ℣. 18, Petroque & Johanni indicavit primum, non quod Chriſtus reſurrexiſſet, ſed quod lapis à monumento amotus, & corpus Domini ablatum ſit. Hunc eſſe verum ac genuinum hiſtoriæ iſtius ordinem, confirmatur ex Luc. 24. 10, 11, ubi Petrus tum demum ad monumentum currit, cum mulieres id, quod viderant & audiverant, ipſi ac reliquis undecim renunciaſſent. Clarius autem id etiam patet ex ſermone & narratione Cleopæ, dum in itinere Emmauntico Chriſto ipſi refert, mulieres quaſdam ex iis egreſſas ad monumentum terruiſſe ipſos, & dixiſſe, ſe corpus ejus non inveniſſe in ſepulchro, & viſionem Angelorum vidiſſe, qui dixerint, eum vivere; ac tum abiiſſe quoſdam è diſcipulis (nempe hi erant Petrus & Johannes) ad monumentum, remque ita inveniſſe, ut mulieres narraverant: eodem Luc. cap. ℣. 22, 23, 24. Non eſt autem temere ac ſine cauſa factum, quod Euangeliſta hic verum ordinem haud ſervarit. Nimirum voluit prius virorum teſtimonium proferre, quam mulierum. Mulieres enim facilius decipi poſſunt, quam viri: ideo teſtimonium earum minus habet valoris ac fidei, quam virorum. Hinc Ethnicus Scriptor Celſus teſtimonium Mariæ Magdalenæ irridet & falſe traducit. Itaque Johannes, quia rem maximi momenti & ſimul difficilem creditu deſcribebat, ſuum & Petri teſtimonium præmittendum duxit. Petri quidem, quia is jam morte ſua rem iſtam confirmaverat: ſuum vero, quia ipſe quoque, dum hoc ſcribit, paratus erat, teſtimonium ſuum ſanguine obſignare.

Et venit ad Simonem Petrum & ad alterum diſcipulum.] Illa quidem venit ad omnes undecim ſimul congregatos, ſed duobus iſtis, qui inter alios eminebant, peculiariter quæ viderit & audiverit, exponit. Petrus & Johannes etiam alibi conjunctim nominantur Luc. 22. 8. Act. 3. 4.

Quem diligebat Jeſus.] Ita ſeipſum deſcribit Euangeliſta ſupra Cap. 13. 23.

Suſtulerunt Dominum.] Id eſt, ablatus eſt Dominus. Perſonale pro imperſonali per Hebraiſmum. Putabat autem illa, corpus ejus à furibus eſſe aſportatum propter magni pretii aromata.

Ubi poſuerint eum.] An eum alicubi in via abjecerint, an vero in aliud monumentum repoſuerint. Hinc cernitur, eam mandatum Angeli non eâ fide atque curâ executam fuiſſe, ut de reſurrectione Chriſti tum ipſa certa fuerit, tum diſcipulos certos reddiderit. Quod autem dicitur ℣. 14. & ſeqq. eam Chriſtum vidiſſe, & Chriſtum cum ea locutum fuiſſe, id facile fieri potuit, ut illa pro viſo aliquo aut apparitione Angeli habuerit: quod etiam propemodum ex verbis diſcipulorum Emmauntem tendentium colligere eſt, quæ paulo ante allegavimus ex Luc. 24. 21, 22, 23.

Verſ. 3. *Exivit ergo Petrus, & alter ille diſcipulus, & venerunt ad monumentum.*] Exivit ex urbe ad monumentum.

Ad monumentum.] Id eſt, intra ſepimentum illud, quo cinctum erat monumentum: de quo vide ad Matth. 28. 2.

Verſ. 4. *Currebant autem duo ſimul; ſed alter ille diſcipulus præcurrit citius Petro, venitque prior ad monumentum.*] Johannes enim erat junior & agilior Petro.

Verſ. 5. *Et cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina: non tamen introivit.*] Stabat ille in prima parte ſeu intra ſepimentum, quod circumdatum erat monumento, pronuſque proſpexit in ipſam monumenti ſpecum. Deſcriptionem monumenti vide ad Matth. 28. 2.

Linteamina.] De quibus ſupra Cap. 19. 40.

Non tamen introivit.] Fortaſſis præ metu vel horrore, qui eum propterea invaſit, quod lintea ſola abſque corpore Chriſti conſpexiſſet. Nam id ex incuria atque negligentia factum eſſe, ut quidam ſentiunt, non eſt probabile.

Verſ. 6. *Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita.*] Petrus ſerius venit aliquanto ad monumentum, quia ſenior erat.

Et introivit in monumentum.] Nempe in ipſam foveam ſeu ſpecum monumenti, ubi jacuerat Chriſti corpus.

Verſ. 7. *Et ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteis poſitum, ſed ſeorſim involutum in unum locum.*] De ſudario vide ſupra Cap. xj. 44.

Verſ. 8. *Tunc ergo introivit etiam alter ille diſcipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque & credidit.*] Introivit, intellige, in foveam ipſam.

Viditque & credidit.] Poſtquam Petrus introiviſſet in ſpeluncam ſeu foveam, & ad oculum monſtraſſet Johanni locum, tum demum credidit Johannes, Chriſti corpus ablatum eſſe, quod Mariæ Magdalenæ narranti credere noluerat, ac ne tunc quidem plane crediderat, cum lintea, eminus in foveam proſpiciens, poſita vidiſſet.

Verſ. 9. *Nondum enim noverant Scripturam, quod oporteret eum ex mortuis reſurgere.*] Cauſam reddit Euangeliſta, cur nondum crediderint, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, ſed in ea opinione permanſerint, corpus ipſius alio fuiſſe tranſlatum: quia nimirum neque ipſe neque Petrus adhuc bene intellexerint tunc ea, quæ Scriptura de reſurrectione ejus prodidit. Sæpius quidem Chriſtum id prædicentem audiverant, ſed res tam ſublimis erat, & ipſorum intellectus erat tam debilis, ut dictis Chriſti plenam fidem non poſſent adjungere. Hinc Lucas Cap. 24. 12, ait de Petro, eum cum vidiſſet lintea ſola jacentia, abiiſſe mirantem apud ſemetipſum, quod factum fuerat.

Scripturam.] Id eſt, ſenſum Scripturæ non percipiebant, quæ per figuras & typos rem ſignificaverat. Ut inter alia Pſal. 16. 8, *Non derelinques animam meam in inferno:* quæ verba à Davide prolata Petrus ipſe deinceps poſt acceptum Spiritus Sancti donum de reſurrectione Chriſti exponit, Act. 2. 26. Et Paulus allegat locum Pſal. 2. 7, *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* eumque explicat de reſuſcitatione & exaltatione Chriſti, Act. 13. 33. Huc facit etiam ſignum Jonæ Prophetæ Matth. 12. 40. item locus Pſal. 110. Vide Luc. 24. 27.

Verſ. 10. *Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.*] Id eſt, Petrus & Johannes redierunt ad reliquos diſcipulos, in locum, ubi erant congregati.

PARS II.

Verſ. 11. *Maria vero ſtabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, inclinata proſpexit in monumentum.*] Nunc deſcribit Euangeliſta copioſius, quod ſupra ℣. 2. paucis tantum attigerat. Nimirum cum Maria ad monumentum veniſſet, ad ſepimentum monumento circumdatum, extra illud ſtetit, flevitque, quia conſpecto monumento luctus ac dolor ex morte Chriſti in animo recruduit.

Proſpexit in monumentum.] Ingreſſa ſcilicet eſt intra ſepimentum, & inclinato corpore in ſpecum proſpexit. Vide ad Matth. 28. 2.

Verſ. 12. *Et vidit duos Angelos in albis veſtibus ſedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.*] Hi Angeli non ante ſe videri ab ea paſſi ſunt, donec intra ſepimentum veniens, oculis ſuis lintea ſola relicta abſque corpore cerneret: alioqui adhuc ante ſepimentum præ metu fugiſſet.

In albis veſtibus.] Vide Matth. 28. 3.

Unum ad caput, & alterum ad pedes.] Sedebant extra oſtium ſpecus, ex utraque parte, unus ad dexteram, quo caput Chriſti jacuerat, alter ad ſiniſtram, quo jacuerant pedes. Vide Matth. 28. 2, 6.

Verſ. 13. *Et illi dixerunt ei: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Suſtulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerint eum.*] Johannes in plurali loquitur indefinite, *dixerunt ei*: ſed Matthæus id explicat, quod id unus tantum dixerit, cap. 28. 5.

Mulier, quid ploras.] Non interrogat Angelus ideo, quod cauſam fletus ejus ignoraret. Sciebat enim, eam Jeſum Nazarænum quærere, ut ſcriptum eſt Matth. 28. 5. ſed conſolandi cauſa eam ſic interrogat, quaſi dicat: Noli flere. Eſt Hebraiſmus, de quo actum eſt fuſius ad Matth. 27. 46.

Dominum meum.] Id eſt, corpus Domini.

Et neſcio ubi poſuerint eum.] Ut ſupra ℣. 2. Ad hæc verba reſpondet Angelus, quod apud Matthæum deſcribitur: *Non eſt hic; ſurrexit enim, prout dixit. Venite, videte locum, ubi jacuerit Dominus: & propere abeuntes, dicite diſcipulis ejus, eum ſurrexiſſe à mortuis; & ecce præit vobis in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis*, Matth. 28. 6, 7.

Verſ. 14. *Et cum hæc dixiſſet, convertit ſe retrorſum, conſpexitque Jeſum ſtantem, nec ſciebat Jeſum eſſe.*] Poſt illa verba, *Et cum hæc dixiſſet*, ſubintellige, *reſponſumque Angeli audiviſſet.*

Convertit ſe retrorſum.] Avertit faciem & oculos à monumento verſus hortum.

Nec ſciebat Jeſum eſſe.] Oculi ejus retenti fuerunt vi divina, ut eum non cognoſceret, prout etiam illorum duorum diſcipulorum oculi, Luc. 24. 16.

Verſ. 15. *Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa putans hortulanum eſſe, dicit ei: Domine, ſi tu ipſum aſportaſti, dicito mihi, ubi poſueris eum, & ego eum tollam.*] Prius dixerat Chriſtus: *Salvete*, Matth. 28. 9. Plures enim mulieres Mariam comitabantur; ſed illa præibat. Non vocat eam nomine proprio, ſed alloquitur eam tanquam alienam & ignotam.

Putans hortulanum eſſe. Apparet, Chriſtum ejuſmodi indutum fuiſſe veſtitu, ut poſſet ſuſpicari, eum eſſe hortulanum ac olitorem, qui hortum illum coleret.

Domine, ſi tu eum aſportaſti.] Eum ſcilicet, quem ſcis me quærere. Erat autem valde credibile, hortulanum aſportare corpus Domini potuiſſe, cum alius tam facilem aditum ad monumentum habere non potuiſſet.

Ego eum tollam.] Exiſtimabat illa, corpori Chriſti in hoc monumento, quod alienum erat, locum negari, ideoque hortulanum ope aliorum adjutum tranſtuliſſe id in aliud monumentum. Itaque ait, ſe corpus in alium locum tranſportari curaturam, ne tam eximii viri corpus ludibriis inimicorum ejus pateat.

Verſ. 16. *Dicit ei Jeſus: Maria. Illa ſe convertens dicit ei: Rabboni, quod dicitur, Magiſter.*] Nominando eam Chriſtus videtur voce tali eſſe uſus, ex qua eum facile agnoſcere poſſet.

Illa ſe convertens.] Apparet, Chriſtum ad illius ſuperiora verba aliquid reſpondiſſe, ex quo intelligere potuerit, eum corpus non ſuſtuliſſe. Atque tum illam diſcedentem, revocavit Chriſtus, nomine eam

eam compellando, Maria: ad quam vocem illa ſe convertit ad Chriſtum, abſque dubio ſummo cum gaudio, ſed cum terrore miſto.

Dicit ei: Rabboni.] Hic titulus ſolebat Chriſto in terris dari, Marc. 10. 51. Dum vero id dicit Maria, advolvitur ad pedes ejus, Matth. 28. 9.

Verſ. 17. *Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum: ſed vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, & Deum meum, & Deum veſtrum.*] Chriſtus prohibet ei ſe tangere, poſtquam illa jam prehendiſſet ejus pedes, Matth. 28. 9.

Nondum enim aſcendi ad Patrem meum.] Reddit rationem, cur ſe attingi nolit. Quæ ratio, quomodo cum prohibitione ſuperiori cohæreat, duæ ſunt præcipuæ ea de re Interpretum ſententiæ. Prior eſt, quod Maria Chriſtum ita attigerit atque complexa ſit, quaſi eum non viſura amplius, & quaſi timeret, eum ſtatim ad Patrem aſcenſurum, ſeque non habituram deinceps ullam occaſionem ipſum adorandi; ideo dicit Chriſtus ad eam: Noli me tangendo & amplectendo moras nectere; ſatis adhuc habebis temporis me amplectendi, antequam ad Patrem proficiſcar. Nunc non eſt tempus, ut circa pedes meos occuperis, ſed abi quam primum ad meos fratres, dic eis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Poſterior ſententia, (quæ videtur priori veri ſimilitudinis palmam præripere, quia dubium prorſus eſt, an Mariæ aſcenſio Chriſti ad Patrem in tanta animi perturbatione ullo modo in mentem venerit) eſt, quod Maria eo animo Chriſti amplexa ſit pedes, ut ſperarit jam perpetuo adhærere Chriſto, ut qui jam per ſuam reſurrectionem glorioſum ſtatum regni ſui eſſet erecturus. Hunc errorem Chriſtus ei exemturus indicat, perpetuam præſentiæ ſuæ fruitionem ad aliud tempus & alium locum ſpectare, eam nimirum in cœlo locum habituram apud Patrem, ad quem propediem aſcenſurus ſit, ad parandum ſuis locum. Videtur autem Maria ex eo quod Chriſtus ſe tangi vetaret, collegiſſe, corpus Chriſti, quod videbat, non illud ipſum eſſe, quod monumento illatum fuit. Ideo cum mulieres ad Apoſtolos venirent, renunciant quidem illis viſionem, quæ ipſis ad monumentum apparuit, corpus autem ipſum dicunt ſe non reperiſſe, Luc. 24. 22. Nam etiam tum, cum id narrarunt, crediderunt, corpus Chriſti eſſe ab aliquo aſportatum: ut ℣ſ. 2. cernere eſt. Hinc etiam Petrus & Johannes poſtquam eis mulieres omnia recenſuiſſent, quæ contigerant, nihilominus non alio animo aut intentione ad monumentum cucurrerunt, quam videre, an corpus adhuc in ſepulchro jaceat, & poſtquam oculis ſuis id abeſſe conſpexerunt, non aliter ea de re perſuaſi fuerunt, quam id ab aliquo eſſe in alium locum deportatum. *Nondum enim noverant Scripturam*, (inquit Euangeliſta ℣ſ. 9.) *eum oportere ex mortuis reſurgere.* Inde fuit, quod Apoſtoli, cum eis Chriſtus apparuiſſet, credere nollent, ipſum eſſe, donec eis manus ac pedes ſuos contrectandos offerret Luc. 24. 39. & Thomas ne propriis quidem oculis fidem adhibere vellet, ſed digitis ſuis vellet explorare, an verum Chriſti corpus eſſet: infra ℣ſ. 24. Exinde volunt nonnulli probare, Judæos de animabus humanis eam tenuiſſe ſententiam, quæ Pythagoræis vulgo adſcribitur, quod nimirum illæ, poſt mortem hominum à corporibus ſeparatæ, aliud corpus ſuſcipiant, forma quidem ac ſpecie priori ſimile, cæterum intangibile atque immortale. Maria Magdalena videtur initio animo conſternata putaſſe, vere Chriſtum eſſe; poſtea autem ubi ſe recollegit, tantum pro apparitione Angeli id habuit. Qui homines defuncti etiamnum hodie apparere ſolent, nihil aliud ſunt, quam ſpectra diabolica. Papiſtis autem, qui apparitiones iſtiuſmodi pro veris habent, ea res plurimum affert lucri & crumenas eorum implet, quia cognati defunctorum in ſacrificium Miſſæ pro animabus multum coguntur impendere.

Vade ad fratres meos.] Id eſt, ad meos diſcipulos. Erat enim ille jam *primogenitus inter fratres*, Rom. cap. 8. 29. Hoc autem honorifico & blando titulo vult Chriſtus dejectos mærore animos diſcipulorum ſuorum erigere ac ſublevare. Vide ad Matth. 28. 10.

Et dic eis.] Sequentia ſcilicet: *Aſcendo ad Patrem meum* &c. Pertinet hoc ad honorem fœminei ſexus, quod Chriſtus unam è fœminis ad Apoſtolos miſerit. Hoc vero effecit mulierum pia ſedulitas ac zelus, quæ ad monumentum maturius venerunt, quam virorum quiſquam.

Aſcendo.] Id eſt, brevi aſcendam. Præſens pro futuro. Ideo autem id diſcipulis annunciari curat, ut intelligant, eum non hunc in finem reſurrexiſſe ex mortuis, ut diu cum ipſis verſaretur in terris, ſed cito ex oculis eorum ſubductum & ad Patrem evectum iri in cœlum. Poterat quidem Chriſtus ſtatim illo ipſo die ad Patrem ſuum aſcendere, ſed placuit ipſi adhuc 40, dies cum ipſis converſari, ut infirmitati eorum ſuccurreret, & fidem eorum de reſurrectione ſua perfectam firmamque redderet, quo deinde certius & aſſeverantius de ea teſtari poſſent.

Ad Patrem meum.] Deum hic magna cum emphaſi vocat Patrem ſuum. In eo enim Chriſtus paternum ejus amorem maxime expertus eſt, quod is ipſum excitaverit à mortuis & ad vitam æternam denuo veluti genuerit. Quemadmodum enim Chriſtus per reſurrectionem ex mortuis perfectiſſima ratione Dei Filius evaſit, ut Paulus Act. 13. 33. Rom. cap. 1. 4. teſtatur: ita etiam Deus per reſuſcitationem Chriſti perfectiſſimo modo, Pater ejus effectus eſt.

Et ad Patrem veſtrum.] Non intelligit duos Patres, quorum unus ſuus Pater ſit, alter diſcipulorum: ſed vult dicere, ſe aſcendere ad Patrem ſuum, qui ſimul quoque ipſorum Pater ſit. Quapropter tuto eos fiduciam ac ſpem ſuam poſſe in ipſo collocare, quemadmodum ipſe quoque in eo collocarit, ejuſque benignitate à mortuis reſuſcitatus ſit. Quod poteſt eſſe majus ſolatium iis, qui per fidem Chriſto adhærent, quam quod communem cum eo Patrem habeant?

Et ad Deum meum.] Hic rurſus non intelligit alium Deum, quam illum ipſum, quem antea Patrem ſuum vocaverat: quaſi dicat, Aſcendo ad Patrem meum, qui etiam veſter Pater, Deus meus, & Deus veſter eſt. Deum alicujus eſſe, Hebraica phraſi ſignificat, benefactorem eſſe alicujus. Vide

Luc. 20. 37, 38. Quo vero majori beneficio potuit Deus Chriſtum afficere, quam cum eum ſuſcitavit à mortuis, eo fine, ut ad dexteram ejus in cœlos evectus, Dominus cœli ac terræ conſtitueretur? Quod Chriſtus Patrem Deum ſuum vocat, ex eo validiſſime probatur, eum non eſſe ipſum Deum ſummum. Id autem Chriſtus non hoc loco ſolum facit, ſed & alibi. Vide Apoc. 3. 12. ubi in uno verſiculo quater appellat Patrem Deum ſuum: item Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. Eph. 1. 17. Hebr. 1. ℣. 8, 9. Mich. 5. 4.

Verſ. 18. *Venit Maria Magdalena annuncians diſcipulis, quod vidiſſet Dominum, & quod hæc dixiſſet ſibi.*] Vult dicere, ſe vidiſſe eum, quem credidit eſſe Dominum. Nam dubitavit poſtea, annon illa viſio alicujus Angeli fuerit, qui vero corpore humano caret, præſertim poſtquam Chriſtus ipſi, ne ſe tangeret, prohibuit.

PARS III.

Verſ. 19. *Cum ergo veſpera eſſet die illo primo hebdomadis, & fores eſſent clauſæ illic, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, ſtetitque in medio ipſorum, & dixit eis: Pax vobis.*] Quia apparitio hæc eſt una ex præcipuis, in qua Chriſtus ſe diſcipulis ſuis conjunctim, ſolo Thoma, qui abſens erat, excepto, conſpiciendum præbuit: idcirco eam Euangeliſta noſter tanto diligentius, enumerans omnes circumſtantias, deſcripſit, expreſſitque & diem & horam, qua facta eſt, ut tanto magis rei geſtæ fidem conciliaret. In eo enim conſiſtit fundamentum totius religionis Chriſtianæ, ut per teſtes irrefragabiles evincatur, Chriſtum vere reſurrexiſſe ex mortuis. Eadem autem eſt hæc apparitio, quæ etiam deſcripta eſt Luc. cap. 24. 36. & ſeq.

Cum ergo veſpera eſſet.] Quæ hactenus Euangeliſta hoc capite deſcripſit, ea geſta ſunt tempore antemeridiano: hoc autem, quod nunc refert, factum eſt veſperi illo ipſo die. Sed eadem veſpera Chriſtus cum duobus diſcipulis Emmaunti, qui vicus 60. ſtadiis diſtabat ab Hieroſolyma) cænavit Luc. 24. 29, 30, illique duo diſcipuli adhuc eadem veſpera profecti ſunt Hieroſolymam, ubi undecim Apoſtolos ſimul congregatos invenerunt, eiſque expoſuerunt, quomodo illis Chriſtus in via occurrerit, & quomodo eum agnoverint in fractione panis, Luc. 24. ℣. 30, 33, 35. Atque tum demum Chriſtus in medio eorum apparuit. Ex quo intelligitur, jam plurimum noctis proceſſiſſe, ita ut veſpera hæc jam ad ſequentem diem accenſenda ſit. Propterea vox ὀψία hoc loco potius *ſero*, quam veſpera reddenda eſſet. Nimirum hoc ſibi vult Euangeliſta. Illo die jam ſero admodum &c. venit Jeſus; ut Matth. 26. 20.

Die illo primo hebdomadis.] Id eſt, die ſolis: ut ſupra ℣. 1.

Et fores eſſent clauſæ.] Non urbis portæ: Sed fores domus & conclavis illius, in quo erant congregati. Ita vero clauſæ erant, ut peſſulis & repagulis bene munitæ eſſent, ne ſubito invadi ac deprehendi poſſent.

Ubi erant diſcipuli congregati.] Indicat his verbis cauſam, cur Chriſtus tam ſera nocte ad diſcipulos venerit, ut ſcilicet eos ſimul congregatos inveniret.

Propter metum Judæorum.] Hæc cauſa fuit, non tantum nocturnæ congregationis, ſed etiam quod tanta cura fores clauſæ ac munitæ fuerint: quia ſi palam interdiu congregati fuiſſent, facile id incurrere in oculos Judæorum, & tumultum aliquem adverſus eos excitare potuiſſet. Pari modo etiam clauſis foribus congregati erant diſcipuli, Act. 12. 13. Dicitur enim, Petrum aliquoties pulſaſſe fores, & janitricem ſubauſcultaſſe, ut eum ex voce agnoſceret nec auſam aperire, donec rediens intro interrogaret, an intromittendus eſſet.

Venit Jeſus, ſtetitque in medio ipſorum.] In medio ſtetit, ut nimirum ab omnibus videri poſſet. Cæterum quod dicitur, Chriſtus veniſſe, *cum clauſæ eſſent fores*, id ita à multis accipitur quaſi Chriſtus corpore ſuo per clauſas fores penetraſſet, ita ut ipſe ingreſſus ſit, fores autem non fuerint apertæ. Verum id ex verbis Euangeliſtæ probari nequit. Non enim dicit, Chriſtum per clauſas fores veniſſe, vel tranſiviſſe, ſed eum veniſſe tunc temporis, cum fores propter metum Judæorum clauſæ eſſent. Quod Chriſtus tunc adhuc naturale corpus habuerit, de eo nemo dubitabit, qui credit, Chriſtum in eodem corpore, quo crucifixus fuit, quodque ſepulchro impoſitum eſt, reſurrexiſſe; inde factum eſt, ut ipſe ſua vulnera & ſigna clavorum in manibus ac pedibus ſuis monſtraret diſcipulis. Naturale autem corpus non poſſe penetrare aliud corpus, ab omnibus recte ſentientibus Philoſophis paſſim creditur, ideo quod duo corpora non poſſint eſſe ſimul in uno eodemque loco, ſed neceſſe ſit, ut unum cedat alteri. Itaque ſi Chriſtus per clauſas fores penetraſſet, eodem tempore & Chriſtus in foribus, & fores in Chriſto fuiſſent: quod ſine contradictione concipi non poteſt. Longe enim diverſa ratio eſt corporis ſenſibilis & Spiritus, cujus natura nobis eſt prorſus incomprehenſibilis, quique etiam minima foramina ac poros penetrare poteſt. Quare omnino ſtatuendum eſt, tum cum Chriſtus introivit ad diſcipulos, fores ſe ultro aperuiſſe, quemadmodum factum eſt Act. 12. 10. ita tamen ut id non adverterent diſcipuli, neque ſcirent, unde & quomodo ad eos venerit.

Ex hac falſa opinione, quod Chriſtus per fores corpore ſuo penetrarit, ortus eſt error Marcionitarum, qui Chriſtum corpus naturale habuiſſe negarunt.

Pax vobis.] Eſt formula ſalutationis ex more Hebræo, de quo vide alibi dicta à nobis.

Verſ. 20. *Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, ac latus ſuum. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.*

Verſ. 21. *Dicit autem eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos.*

Verſ. 22. *Et cum hæc dixiſſet, afflavit eos; & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.*

Verſ. 23. *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Horum verſuum explicatio deſideratur.

PARS IV.

PARS IV.

Verſ. 24. *Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venerat Jeſus.*] Hæc ſecunda apparitio Chriſti, quæ toti Apoſtolorum collegio facta eſt, fuit etiam inter præcipuas & memorabiles. Itaque cum reliqui Euangeliſtæ eam ſilentio præteriiſſent, Johannes defectum hunc ſupplere neceſſarium duxit.

Unus ex duodecim.] Nomen hoc *duodecim* choro Apoſtolorum adhæſit, etſi Judas, qui fuit duodecimus jam excidiſſet ex illorum conſortio. Quanquam apud Matthæum *undecim* dicuntur, cap. 28. ỳſ. 16.

Qui dicitur Didymus.] Græca vox Didymus non eſt Thomæ cognomen, ſed interpretatio nominis Thomæ. Thomas enim Hebræis, & Didymus Græcis, idem eſt quod Latinis unus ex geminis. Vide ſupra cap. 11. 16.

Non erat cum eis.] Abſque dubio certæ eum avocaverant & detinuerant occupationes. Nam eum propter metum ſe à conventu abſtinuiſſe, veriſimile non eſt.

Verſ. 25. *Dixerunt igitur ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille vero dixit eis: Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum, & immiſero digitum meum in veſtigium clavorum, & immiſero manum meam in latus ejus, non credam.*] Johannes hic tantum ſummam eorum refert, quæ reliqui Apoſtoli Thomæ dixerunt. Sine dubio enim illi non ſolum eum ſe vidiſſe narrarunt, ſed etiam quid locutus ſit, & quod manibus vulnera ejus contrectarint, quodque coram eis ederit, & quæ plura Lucas recenſet cap. 24. 36.

Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum.] Vulnera ſcilicet, clavis illis ferreis, quibus cruci affixus fuit, facta.

Et immiſero digitum meum in veſtigium clavorum.] Plane non vult oculis etiam ſuis credere, quia exiſtimabat, poſſe fieri, ut tantum ſpecies quædam ac figura externa vulnerum appareret, reipſa autem nulla vulnera eſſent: ſed vult ſuis manibus vulnera illa explorare.

Et immiſero manum meam in latus ejus.] Nempe in vulnus illud, quod in latere ejus lancea factum erat. Veſtigia clavorum vult digitis ſuis explorare, quia clavi illi craſſitiem ferme digitorum habebant: lateris autem vulnus vult explorare manu tota, quia apparet lanceam, qua Chriſtus ictus fuit, lato cuſpide fuiſſe præferratam, ut ita latum quoque vulnus ea inflictum ſit, in quod manus tota inſeri potuerit.

Non credam.] Perinde ac ſi diceret: Solis oculis meis nolo fidere; quia facile viſus à ſpectro aliquo aut phantaſmate decipi poteſt. Niſi veritatem reſurrectionis ejus meis manibus exploravero, non potero in animum inducere, ut credam, vera eſſe, quæ vos mihi narratis. Par eſt credi, hanc incredulitatem Thomæ non ex malo animo profectam eſſe, ſed ex perturbatione animi ſtupentis ad magnitudinem rei, quæ quo lætior eſt, tanto minus credibilis videtur. Eſt autem etiam hac in parte divinæ providentiæ artificium agnoſcendum. Eo ipſo enim, quia non confiſus ſolis oculis, inſuper manibus quoque propriis veritatem accurate indagare laboravit, maxime idoneus & locupletiſſimus teſtis reſurrectionis Chriſti effectus eſt, ut non ſolum ad teſtimonium oculorum ſuorum, quod aliquis poſſet in dubium vocare, ſed etiam manuum ſuarum provocare poſſet. Hinc egregie Gregorius inquit: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium diſcipulorum profuit; quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur.* Quin etiam cæterorum Apoſtolorum fides mirum in modum eſt hac ratione confirmata, dum ſe Chriſtus Thomæ in omnibus adeo facilem præbuit, prout ipſe poſtulabat ac deſiderabat. Imo quod Apoſtoli in univerſum tam tarde ac difficulter adducti ſint ad credendum, Chriſtum vere reſurrexiſſe, id firmiſſimum argumentum reſurrectionis Chriſti eſt; quandoquidem illi poſtea tam firmiter & aſſeveranter de ea teſtati ſunt, qui ipſi tam ægre eam credere potuerunt. Ex eo enim liquet, ipſis irrefragabilibus documentis dubitationem omnem ea de re eſſe exemtam.

Verſ. 26. *Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio ipſorum, & dixit: Pax vobis.*] Venit die ſolis ſequenti, quo rurſus congregati erant. Apparet, quia Chriſtus ipſo die reſurrectionis ſuæ ſe eis in congregatione manifeſtavit, eos poſtea hunc diem hujuſmodi congregationibus conſecraſſe: qui mos in Eccleſia Chriſti in hodiernum diem uſque retentus eſt. Sic convenerunt quoque diſcipuli hoc eodem primo die hebdomadis ad frangendum panem, Act. 20. 7. Vide etiam 1 Cor. 16. 2. Dies iſte vocatur dies Domini Apoc. 1. 10. Atque hæc cauſa eſt, cur Chriſtus non ante, quam poſt octo dies ſeſe Thomæ exhibuerit, quia nimirum non ante omnes erant congregati. Chriſtus autem voluit ſe manifeſtare Thomæ in præſentia omnium diſcipulorum, ut tum ille teſtimonio reliquorum diſcipulorum, tum hi, ſi forte incredulitate Thomæ labefactata fuerunt, iterata hac manifeſtatione in fide ſtabilerentur. An vero hæc apparitio Chriſti eodem in loco, in quo ante octiduum nempe Hieroſolymis facta ſit, ſunt qui ambigant, propterea quod credibile non ſit, cum Chriſtus juſſerit eos per mulieres in Galilæam ire, promittens fore, ut ibi ſe viderent, eos tamdiu poſt ejus præceptum Hieroſolymis commoratos eſſe ac profectionem diſtuliſſe: ideo putant iſti, eos Nazarethæ in Galilæa fuiſſe congregatos. Verum Euangeliſta ita rem narrat, ut minime obſcure ſignificet, eodem loco, id eſt, Hieroſolymis hanc atque illam apparitionem factam fuiſſe. Cur autem nondum diſcipuli in Galilæam diſceſſiſſent, juſtam videntur cauſam habuiſſe, quod octo illi præcedentes dies fuerint feſti, quorum hic octavus dies ſolis erat ultimus Azymorum, adeoque æque ſacer ac primus.

Januis clauſis.] Non ſine cauſa factum eſt, quod Chriſtus omnia illa repetierit, quæ fecit in prima apparitione, quod nimirum eodem tempore ad diſcipulos venerit, & eodem modo, januis ſcilicet clauſis, ingreſſus ſit, quodque in medio conſtiterit, &

dixerit: *Pax vobis*; ut antea. Poteſtque hæc ejus rei ratio reddi, quod voluerit Chriſtus, eodem prorſus argumento, eodemque modo, quo cæteris Apoſtolis fidem fecerat, & Thomæ facere, quia crediturum ſe negaverat, niſi eodem modo illum vidiſſet, quo ſe illi vidiſſe affirmabant, clauſis ingreſſum januis, in medio conſtitiſſe, ipſis manus ac pedes ſuos contrectandos præbuiſſe. Qua in re præclarum ſane nobis Chriſtus exhibuit exemplum, quod imitemur, ut imbecillitates aliorum, qui infirmi ſunt, feramus, eorumque in gratiam etiam infra dignitatem noſtram nos demittamus: prout monet Paulus Apoſtolus Rom. 15. 1.

Verſ. 27. *Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte in latus meum, & ne eſto incredulus, ſed credens.*] Non exſpectat, ut Thomas aliquid dicat, ſed prævenit eum ſermone, & id ipſum ei ultro offert, ſine quo dixerat is ſe non eſſe crediturum, iiſdem ferme verbis utens, quibus Thomas uſus fuerat: non dubie propterea, ut non modo eum de reſurrectione ſua certiorem redderet, verum etiam tacite ei incredulitatem ejus exprobraret. Perinde ac ſi diceret: Ades dum homo modicæ fidei, qui neſcis aliter quam tactu credere, infer digitum tuum huc, & tange manus meas, manumque tuam profer, ac immitte eam in latus meum, prout deſideraſti.

Et vide manus meas.] Id eſt, palpa manus meas tuis digitis. Digitis enim videre non poterat. An Thomas Chriſtum reipſa palparit, digitoſque ſuos in veſtigia clavorum immiſerit, an vero ſolo aſpectu fuerit contentus, Euangeliſta non meminit: ſed credibile eſt, eum id feciſſe, quod ei juſſerat Chriſtus, atque tum exclamaſſe: *Dominus meus & Deus meus.* Huc facit, quod Johannes in genere de ſe aliiſque Apoſtolis ſcribit: *Quod vidimus, quod manus noſtræ contrectaverunt*, 1 Joh. 1. 1.

Et ne eſto incredulus, ſed credens.] Hic clarius ipſi exprobrat incredulitatem ejus, oſtenditque, non debuiſſe eum ſpernere adeo argumenta illa reſurrectionis ſuæ, quæ ex aliis condiſcipulis ſuis audiverat, ut quæ ſufficientia fuerint ad veritatem comprobandam. Hinc autem intelligi datur, quod incredulitas etiam aliquatenus à noſtra propria culpa & à noſtro libero arbitrio proficiſcatur: quando ſcilicet intellectum noſtrum non intendimus, neque excitamus, ad id probe & exacte conſiderandum, quod nobis credendum proponitur, & quando ſat evidentibus ac ſolidis rationibus nolumus dare locum, quibus alii facile convincuntur. Idque evenit plerumque, quando nimis præconceptis opinionibus addicti ſumus, neque rem animo defæcato & ab omni partium ſtudio libero perpendimus, vel etiam per negligentiam ſupinam obiter tantum ac perfunctorie res divinas tractamus.

Verſ. 28. *Et reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus.*] Nullo modo audiendi ſunt, qui Thomam hæc verba non ad Chriſtum, ſed ad Deum Patrem protuliſſe cenſent; quaſi mirabundus, oculis in cœlum ſublatis, dixerit: ô Deum immortalem, quid video? quid tango? Non legimus autem alibi in tota Euangelica hiſtoria, Apoſtolos Chriſtum appellaſſe Deum, quam hoc in loco primum, poſtquam ex miraculoſa reſuſcitatione ejus à Deo facta manifeſte apparuit, eum eſſe pro divino Domino colendum.

Verſ. 29. *Dicit ei Jeſus: Quia vidiſti me, Thoma credidiſti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.*] Illud *vidiſti* etiam tactum comprehendit. Solo enim viſu atque aſpectu noluit eſſe contentus. Ita viſus etiam auditum conſignificat, Exod 20. 15. Mar. 15. 4.

Credidiſti.] Id eſt, credis. Præteritum pro præſenti. Chriſtus quidem laudat Thomam, quod crediderit; ſed quod non citius crediderit, antequam vidiſſet atque palpaſſet, reprehendit, ideoque eum minus beatum prædicat, quam alios.

Beati.] Id eſt, beatiores ſunt, qui non viderunt & tamen crediderunt. Poſitivus pro Comparativo. Thomas beatus erat, quod tam gravi errore fuerit liberatus: ſed beatior fuiſſet, ſi teſtimonio Apoſtolorum credidiſſet abſque viſu & tactu. Beatus pro beatiore etiam ponitur Luc. 11. 28. & bonus pro meliore ſumitur, Matth. 18. 8. Marc. 9. 43. 1 Cor. cap. 7. 8. Utilis pro utiliore, Matth. 5. 30.

Qui non viderunt, & crediderunt.] Id eſt, qui non vident, & tamen credunt (præteritum pro præſenti) vel etiam, qui non videbunt, & tamen credent. Præteritum pro futuro. Hinc cernitur, in quo potiſſimum laus ac dignitas fidei conſiſtat: nempe non in eo, quod credamus id, quod ipſi oculis noſtris videmus, & manibus noſtris contrectamus; teſtimoniis enim ſeu argumentis ejuſmodi, quæ etiam in exteriores ſenſus noſtros incurrunt, ad credendum etiam inviti quaſi cogimur: ſed in eo, ſi talibus locum demus argumentis, quæ magnam habent veriſimilitudinem, quibuſque intellectus noſter nihil ſolidi poteſt opponere; tametſi pertinax aliquis ac moroſe incredulus, qui nihil niſi quod videat & tangat, vult credere, invenire aliqua poſſit, quæ eum in incredulitate detineant. Quod ut rectius intelligatur, ſciendum eſt, duo eſſe argumentorum genera, quæ rei alicui fidem facere poſſunt. Alia ſunt, quæ ſimul ac homo ratione præditus, ſibi una cum neceſſariis circumſtantiis propoſita, cognoverit, ſtatim recipere iiſque aſſentiri etiam invitus cogitur. Talia ſunt argumenta (præter teſtimonium externorum ſenſuum, per quod Apoſtoli decem fidem de reſurrectione conſecuti ſunt) demonſtrationes Mathematicæ, quarum tanta eſt certitudo, ut nemo ſanæ mentis in mundo, qui eas intelligit, iis refragari queat. Quæ demonſtrationes certis & indubitatis principiis ac regulis nituntur, quæ vel omnibus hominibus natura notæ ſunt, vel in certa ſcientia ac diſciplina pro fundamento collocantur; & per legitimam ac evidentem conſequentiam ex iis concluduntur. Alia vero argumenta ſunt talia, ut rem, quæ probanda eſt, apud eos qui acri ſunt judicio præditi, valde probabilem ac veriſimilem reddant. Hujus generis fuit etiam, inter alia innumera, hoc teſtimonium Apoſtolorum de reſurrectione Chriſti: quod facile quidem ad homine pervicace ac contentioſo poterat in dubium vocari, quia impoſſibile non eſt, & crebro quoque evenit, ut homines mentiantur, falſumque teſtimonium perhibeant, ſive ex malitia, ſive ex errore, in quem per imprudentiam inducti

inducti ſunt. Sed ſi omnes circumſtantiæ ſuis momentis ponderentur, nullus homo cordatus ac intelligens teſtimonium iſtud poteſt rejicere. Nullam enim habet ſpeciem veritatis, non unum hominem, ſed decem, qui teſtimonium probitatis ac integritatis ab omnibus antea habuerunt, tam ſubito & quaſi momento eſſe mutatos, ut ex mera malitia ac perverſitate animi conſpirarent in apertum mendacium, & falſum teſtimonium ederent, in honorem ejus, à quo decepti ſunt, dum eis certam ſpem ac promiſſionem ſuæ reſurrectionis fecit quæ tamen reipſa conſecuta non ſit; cum præterea ex tali teſtimonio nullum emolumentum, honorem, vel gloriam ac voluptatem perciperent, ſed ob id omnium hominum odiis ac perſecutionibus ſe exponerent. Neque etiam credibile eſt, non unum, ſed decem ſanos homines, qui mentis ac ſenſuum ſuorum erant compotes, ita ſe dementari paſſos eſſe, ut putarent, ſe videre, & tangere, quod non videbant, neque tangebant. Quocirca Thomas ſatis inconſiderate & contra omnem æquitatem egit, quod acquieſcere decem condiſcipulorum ſuorum teſtimonio noluerit. Hac ratione enim & eodem jure potuiſſet univerſus mundus teſtimonium omnium Apoſtolorum, & ipſius Thomæ quoque rejicere, & dicere: Niſi Chriſtum ipſi viderimus oculis noſtris, & digitos noſtros in veſtigia clavorum ac vulnerum ejus immiſerimus, non credemus, eum reſurrexiſſe à mortuis. Talis autem fides, cum quis non videt, & tamen credit, idcirco eſt multo præſtantior ea, cum quis videns, vel irrefragabilibus documentis coactus credit: quia ad illam conſequendam ab homine adhibetur labor & induſtria, dum rem propius intuetur, & rationes pro & contra examinat, quidve magis vel minus conſentaneum vero ſit, conſiderat, & id tandem amplectitur, quo firmiſſimæ ac ponderoſiſſimæ rationes inclinant. In eo enim præcipue laus ſapientiæ ſita eſt, non ut ſcias, quod neſcire non potes, qualia ſunt, quæ in ſenſus incurrunt, & ipſa ſe ingerunt; ſed ut acrimonia judicii tui veritatem in profundo quaſi latentem eruas, vel ut tanquam prudens Judex, utriuſque partis controverſiis & argumentis auditis, ea in lance ſanæ rationis tuæ libres ac ponderes, tandemque rectam ſententiam feras. Atque huc referenda eſt illa eximia fides omnium piorum ſub Veteri Fœdere, qui caruerunt expreſſa vitæ æternæ promiſſione, & tamen intellectus ſui induſtria hanc optimam de Dei bonitate & æquitate conceperunt opinionem, fore, ut cum in hac vita virtus ac pietas eorum remunerationis expers fuerit, poſt mortem in futuro ſeculo præmium aliquod conſequatur: quin & ex eo, quod Deus hunc univerſum mundum per ſuam omnipotentiam produxerit, collegerunt, non eſſe impoſſibile Deo, hominem mortuum ad vitam revocare. De iſtis merito dici poteſt, eos longe beatiores eſſe, quia non viderint & nihilominus crediderint. Etenim abſque ſcala divinæ promiſſionis ſola induſtriæ ſuæ virtute in ſublimem fidei montem aſcenderunt. Nos ſub Novo Fœdere habemus ſcalam & medium certæ & expreſſæ promiſſionis, quam Chriſtus ſanguine ſuo obſignavit, minuſque adeo laboris impendimus ad conſequendam fidem de ſalute noſtra, quam illi. Cæterum etſi illorum fides hoc reſpectu ſit præſtantior noſtra, non ſumus tamen nos illis minus beati, quia Deus ipſe hoc medium ex mera gratia nobis obtulit, atque hunc magnum diem ſalutis nobis illuceſcere fecit, quo omnes homines ad fidem pervenire poſſint: quod ſub Veteri Fœdere piis non contigerat. Huc pertinet etiam fides cunctorum piorum omnium temporum, qui in anguſtia ac neceſſitate poſiti, præſens non vident Dei auxilium, & nihilominus conſtanter credunt, illud ſuo tempore non defuturum. Hi ſane beatiores ſunt illis, qui ancoram fiduciæ ſuæ in manibus ſuis vel ante oculos habent, quia fides eorum nobilior atque excellentior eſt, quam iſtorum. Fides non debet coacta eſſe, ſed ſpontanea; & ſolertia intellectus ac ſanæ ratiocinationis acquirenda eſt.

Movetur etiam hic quæſtio; Cur Thomam Chriſtus reprehenderit, cæteros Apoſtolos non reprehenderit, cum nec illi crediderint, niſi poſtquam eum oculis ſuis viderunt? Ad quam reſponderi poteſt, id factum ideo, quod nemo Apoſtolorum tantam incredulitatem oſtenderit, quantam Thomas, quodque nemo eorum ſic obſtinaverit animum ad non credendum, ut diceret, ſe etiamſi vidiſſet, tamen niſi digitum ſuum in veſtigium clavorum, & manum in latus ejus intuliſſet, non crediturum, prout fecerat Thomas.

PARS V.

Verſ. 30. *Multa quidem igitur & alia ſigna edidit Jeſus, in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro.*] Dubium eſt, de quibus hic ſignis Euangeliſta loquatur. Quidam interpretes, de omnibus eum loqui putant, quæ ab initio ſuæ prædicationis ad eum uſque diem fecerat Chriſtus: alii autem de illis tantum, quæ ad probandam reſurrectionem ſuam poſt ipſam reſurrectionem fecerat. Quæ poſterior ſententia probabilior videtur priori. Nulla enim fuiſſet ratio, cur Euangeliſta adderet hæc verba, *in conſpectu diſcipulorum ſuorum*, ſi de iis etiam quæ ante reſurrectionem fecerat, loquebatur. Nam quæ ante fecerat Chriſtus ſigna, ea non ſolum coram diſcipulis, ſed coram univerſo fecit populo: quæ autem poſt reſurrectionem fecit, ea nonniſi coram diſcipulis ſuis fecit, ut eorum ſtabiliret fidem, ut reſurrectionem ſuam poſtea tanquam teſtes oculati minime hæſitanter aliis prædicarent. Deinde ſi hoc Johannes ad omnia, quæ toto narraverat libro, retuliſſet, non dixiſſet: Multa Jeſus alia ſigna edidit, ſed potius: Multa alia Jeſus & docuit & fecit, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Non enim de ſolis egerat in hoc libro miraculis Chriſti, ſed etiam præclaros ſermones atque doctrinas ejus varias deſcripſerat, è quibus plures ſine dubio non ſolum ipſe, ſed alii quoque Euangeliſtæ deſcribere omiſerunt. Denique ſi ſequens caput 21. etiam Johannis Euangeliſtæ eſt (qua de re poſtea dicetur) duos hujus libri feciſſet epilogos; unum hoc loco, alterum autem cap. 21. ver. 21. his verbis: *ſunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur ſingula, nec ipſum arbi-*

tror

tror mundum capere posse, eos qui scribendi sunt, libros. Objiciet aliquis Johannem nullum à Christo post resurrectionem factum narrasse signum. Sed si per vocem σημεῖα, signa intelligantur miracula, pro miraculo haberi potest, quod Christus bis miraculoso modo ad discipulos suos ingressus fuerit. Etsi enim is corpore suo per clausas non penetraverit fores, nihilominus ita ad eos introivit, ut illi nescirent, quomodo & unde in medium eorum venerit. Similiter pro miraculo reputandum, quod ex oculis duorum discipulorum Emmaunti subito disparuerit. Verum videtur Euangelista hic vocem signorum in laxiore significatu accepisse, & omnia, quæ Christus ad declarandam resurrectionem suam fecerat, signa vocasse; ut quod Mariæ Magdalenæ se manifestarit, quod sua vulnera ac clavorum vestigia in manibus ac pedibus discipulis suis ostenderit, quod coram eis cibum ceperit. Itaque sensus est: Multis quidem aliis rebus suam Christus resurrectionem declaravit, quas hoc libro scribendas non judicavi, contentus narrasse eas, quæ satis mihi esse visæ sunt, ut ejus credatur resurrectio. Quod enim signum capturæ ingentis piscium, quæ sequenti capite describitur (si id modo Johannis est) attinet, dici potest, id non ad confirmandam resurrectionem, de qua discipuli jam certi erant, sed aliam ob causam, de qua postmodum suo loco, factum esse.

Quæ scripta non sunt in hoc libro.] In libro scilicet hoc Euangelii.

Vers. 31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*] Tacite reddit causam, quamobrem alia, quæ commemorari poterant, signa prætermiserit, quia necessaria ad credendam Christi resurrectionem non erant, cum ea quæ narraverat, satis essent.

Hæc autem scripta sunt.] Pauca quidem, sed præcipua, quæque adeo ad fidem resurrectioni Christi conciliandam sufficiunt.

Ut credatis, Jesum esse Christum Filium Dei.] His verbis ultimum scripti hujus sui finem ac scopum indicat, qui est, ut ex hac narratione & evidentibus documentis resurrectionis Christi quivis hominum habeat ansam credendi, eum esse verum Messiam, & servatorem mundi, quem Deus Abrahamo ac Davidi promiserat; quem se Jesus ipse professus est, confirmans id talibus ac tantis miraculis, quæ cum vaticiniis Veteris Fœderis fuerunt apprime consentanea. Videtur ab Euangelista dicendum potius fuisse; ut credatis, Jesum è mortuis resurrexisse. De illis enim, ut diximus, agebat signis, quæ ad probandam Christi resurrectionem recensuerat. Sed quia propterea resurrectionem probaverat, ut crederemus eum, qui resurrexerat, Christum Filium Dei esse (per resurrectionem enim à mortuis excellentissima ratione factus est Filius Dei, Rom. 1. 4.) maluit ultimum, quam medium finem, cur scripsisset, nobis ostendere.

Hoc loco notandum, errore gravissimo eos teneri, qui statuunt, ultimum hujus Euangelii Johannis scopum esse, quod demonstrare voluerit, Jesum esse Deum Altissimum, Verbum illud ab omni æternitate ex essentia Dei productum. Nomina enim ista, quæ Johannes Domino Jesu tribuit, dum eum vocat Christum, id est, unctum, & Filium Dei, potius contrarium arguunt. Etenim Deus Altissimus à nullo unctus est, nullius etiam est Filius. Quamvis vero Johannes hic tantum de signis agat, quæ ad probandam resurrectionem Christi spectant, tamen hinc concludi potest, Johannem in toto libro suo non alium ulteriorem finem scribendi sibi propositum habuisse. Nam si Christus est Deus Altissimus, nulla alia ratione id demonstravit discipulis, quam resurrectione sua, dum (ut vulgo creditur) propria virtute sua resurrexit à mortuis. Si autem Euangelista ea quæ ad confirmandam resurrectionem ejus narravit, non eo fine scripsit, ut ex iis intelligatur, Christum esse Deum Altissimum, multo minus reliqua omnia, quæ toto hoc narravit libro, ad eum finem erunt directa. Sed hac de re in Prolegomenis hujus Euangelii Johannis pluribus egimus.

Et ut credentes vitam habeatis.] Declarat effectum fidei istius, & fructum, quem ex ea consecuturi simus. Per fidem non nudus assensus intelligitur, sed viva & efficax fides, quæ obedientiam mandatorum Christi in se complectitur. Quando enim creditur, Jesum esse Christum, simul creditur, doctrinam ejus veram esse; doctrina autem ista obedientiam mandatorum à nobis exigit.

Vitam habeatis.] Id est, jus & privilegium vitæ æternæ: ut supra cap. 15. 36. v. 24.

In nomine ejus.] Id est, ipsius causa, vel propter ipsum. *Non est enim ullum aliud nomen sub cœlo, quod datum est hominibus, per quod oporteat nos servari*, Act. 4. 12.

CAPUT XXI.

I. *Christus se porro manifestat quibusdam discipulis ad mare Tiberiadis: ad vers.* 15: II. *Jubet Petro oves suas pascere, prænunciatque ei, quo genere mortis sit obiturus: ad vers.* 20. III. *Petrus interrogat de Johanne, quid ei eventurum sit: ad vers.* 25. IV. *Conclusio totius libri additur in fine Capitis.*

PARS I.

AN Johannes Euangelista ipse hoc Caput scripserit, an vero ab aliis post mortem ejus demum adjectum fuerit, apud Interpretes controversum est. Multi enim eruditi viri censent, duos postremos versiculos Capitis præcedentis continere conclusionem totius hujus libri, atque iis Euangelistam Euangelio suo finem imposuisse. Sed quemadmodum ultimum Caput Deuteronomii, & ultimum Caput libri Josuæ, post Mosis & Josuæ mortem, quæ in illis describitur, à Synedrio Hebræorum fuit additum: ita putant isti, hoc Caput ultimum Euangelii Johannis post obitum ejus ab Ecclesia Ephesina esse annexum, ut ostenderet, id impletum esse reipsa, quod

quod Chriſtus Euangeliſtæ Johanni de vita ejus longæva, deque morte violenta ab eo non ſubeunda ſignificaverat. Reliqua autem, quæ hoc narrantur capite, eſſe ideo adjuncta, ut tempus, locus, & occaſio ſciretur hujus prædictionis Chriſti ea de re factæ. Hanc ſententiam probant illi hoc argumento, quod ad finem hujus capitis, ℣ſ. 25. ferme eadem concluſio, qualis fuit capite præcedenti, legatur. Non eſt autem veriſimile, Johannem ipſum bis unum idemque opus ſuum concludere voluiſſe. Tametſi enim prior concluſio, quæ extat in fine capitis ſuperioris tantum ad illa ſigna reſpiciat, quæ ad comprobandam Chriſti reſurrectionem faciebant; iis tamen verbis concepta eſt, ut ex eis facile appareat, Johannem ſimul toti libro ſuo colophonem imponere voluiſſe. Præterea ℣ſ. 24. dicitur: *Hic eſt diſcipulus, qui de his teſtatur & hæc ſcripſit; & ſcimus, verum eſſe teſtimonium ejus.* Johannes ſane ipſe non ſcripſiſſet, *ſcimus*, ſed ſcio: ut ſupra cap. 19. 35. Itaque vox iſta pluralis *ſcimus*, indicat, hoc caput à pluribus, nempe, ut probabile eſt, ab Eccleſiæ Epheſinæ ſenioribus eſſe huic operi appoſitum: qui iſtis verbis innuere voluerunt, ſe neque de iis, quæ Johannes ipſe in hoc libro conſignavit, neque de iis, quæ poſt mortem ejus in aliis ejus ſcriptis comprehenſa invenerunt, quicquam dubitare. Nam ſi Johannes ipſe hoc ſcripſiſſet, dixiſſet potius: Qui vidit, teſtatus eſt, & teſtimonium ejus verum eſt; prout dixit ſupra cap. 19. 35. Verum hæc utcunque ſe habeant, certum nihilominus eſt, hoc caput non minus quam totum Euangelii librum omnibus temporibus pro authentico habitum, & Apoſtolicæ veritatis atque auctoritatis eſſe creditum fuiſſe. Sufficit ſcire, ea quæ hoc narrantur capite, ab ipſo Johanne eſſe conſcripta, ſive is poſtea ipſe, ſive alius aliquis huic operi adjunxerit.

Verſ. 1. *Poſtea manifeſtavit ſeipſum Jeſus iterum diſcipulis ad mare Tiberiadis, manifeſtavit autem ſic.*] Superiori capite Euangeliſta aliquot appariciones Chriſti poſt reſurrectionem ejus deſcripſit, quæ factæ ſunt Hieroſolymis. Hæc autem, quæ deſcripta eſt in prima hujus capitis parte, accidit in Galilæa, quo Apoſtoli juſſu Chriſti ſe receperant.

Poſtea.] Id eſt, poſt ſuperiora duo ſigna, quæ ante recenſui, vel poſt illas duas appariciones, quibus Chriſtus ſuam reſurrectionem diſcipulis ſuis demonſtravit.

Manifeſtavit ſeipſum Jeſus.] Ita etiam dicitur Marc. 16. 14. Quo indicatur, Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam non amplius ita, ut ante mortem ſuam, perpetuo cum diſcipulis ſuis cohabitaſſe, ſed ſubinde tantum per intervalla, quando ipſi viſum eſt, modo his, modo illis ſe conſpiciendum præbuiſſe.

Iterum.] Id eſt, alio tempore; neque hoc vocabulo reſpicit ad numerum apparitionis, ſed ad locum, quaſi dicat: Antea ſe Chriſtus Hieroſolymis manifeſtavit, nunc autem ad mare Tiberiadis in Galilæa.

Ad mare Tiberiadis.] Hoc mare eſt idem illud, quod alibi Galilæum nuncupatur Matth. 4. 18. & lacus Geneſareth Luc. 5. 1.

Verſ. 2. *Erant ſimul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat ex Canâ Galilææ, & Filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo.*] Hi omnes erant in uno contubernio. Euangeliſta quidem locum non nominat, ſed probabile eſt, Bethſaidam fuiſſe, unde Petrus, Johannes & Jacobus erant. Credibile eſt, eos eo profectos fuiſſe, ut Chriſtum illic præſtolarentur, interim vero piſcatoriam eos veteri ſuo inſtituto exercuiſſe.

Nathanaël.] Ille verus Iſraëlita, in quo non fuit dolus; quo teſtimonio eum ornavit Chriſtus Joh. 1. 48.

Et alii ex diſcipulis ejus duo.] Videntur iſti ex numero LXX illorum diſcipulorum fuiſſe, quos Chriſtus ad prædicandum Euangelium emiſerat Luc. 10. 1. Si enim duo iſti ex Apoſtolis fuiſſent, proculdubio eos nominaſſet Euangeliſta, quemadmodum nominavit alios Apoſtolos. Apparet autem, eos quoque Galilæos fuiſſe.

Verſ. 3. *Dicit eis Simon Petrus: Abeo piſcatum. Dicunt ei: Imus & nos tecum. Exierunt & aſcenderunt in navigium ſtatim: & illa nocte nihil ceperunt.*] Apoſtoli cum à Chriſto ſegregati eſſent, & nec dum ad prædicandum miſſi eſſent, ne otioſi eſſent, & ut victum ſibi compararent, qui per id tempus, quod cum Chriſto tranſegerunt, ipſis non defuit, ad artem ſuam piſcatoriam redierunt. Matthæus vero qui à telonis vocatus fuerat, & ſine dubio aliunde, quo viveret, habebat, ad telonii negotium non eſt reverſus, quo non ſemper patet reditus, nec locus quotidie vacat.

Exierunt.] Ex illo loco, ubi erant, ad mare.

Et aſcenderunt navigium.] Vel in ſuum proprium, quod antea deſeruerant, aut in aliquod conductitium: quod idem de retibus intelligendum.

Et illa nocte nihil ceperunt.] Nox maxime opportuna eſt ad piſces capiendos, quia tunc retia à piſcibus cerni nequeunt, & ſecurius ad ripam piſces adnatant. Itaque hoc ipſum ad augendam miraculi magnitudinem pertinet, quod noctu, quo tempore major piſcium copia capi ſolet, nihil ceperint; orto vero die, cum minus copioſa, diffugientibus piſcibus, piſcatio eſt, tantam ceperint piſcium multitudinem ut trahere rete non poſſent. Unde apparet, utrumque à Chriſto factum eſſe, & quod tota nocte laborantes nihil profecerint, & quod poſtea interdiu tantam copiam ceperint. Nam ſi permiſiſſet Chriſtus, ut ea nocte aliquid caperent, occaſionem tam commodam miraculum faciendi non habuiſſet; quam ex eo ſumpſit, quod nihil tota cepiſſent nocte. Cum vero fruſtra tota nocte ſe fatigaſſent, ad unum vero Chriſti verbum deinde tantam ſubito cepiſſent copiam, quid exiſtimare aliud potuerunt, quam divina id factum eſſe virtute? Generalis & perquam utilis hinc capi poteſt doctrina, quod ſine Deo ejuſque benedictione ac providentia omnis labor manuum noſtrarum infructuoſus ſit ac inutilis. Hinc David: *Niſi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, & tarde ſedere, qui manducatis panem doloris*, Pſal. 127. 1, 2.

Verſ. 4.

Vers. 4. *Mane autem jam exorto, stetit Jesus ad littus; nesciebant tamen discipuli Jesum esse.*] Quidam ex antiqui existimant, Christum mercatoris specie stetisse in littore, quasi vellet ab eis pisces emere, atque ideo eum non noctu, sed jam interdiu apparuisse: quia mercatores ante lucem ad aquam venire non solent. Quidam etiam mysterium hic latuisse putant, quod discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in littore steterit, censentque indicari, Christum jam totum hujus vitæ cursum confeciſſe, & per resurrectionem ad portum ac littus perveniſſe, cum discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ jactarentur.

Nesciebant tamen discipuli Jesum esse.] De industria Christus ita se exhibuit, ne cognoscereturquia voluit prius tanquam ignotus cum eis miscere sermones, ut ex ipsorum responso faciendi miraculi occasionem sumeret. Similem ob causam noluit à duobus illis discipulis, qui Emmauntem versus iter faciebant, agnosci, ut per viam cum illis colloquens, specie hominis peregrini, scripturas ipsis interpretandi occasionem haberet.

Vers. 5. *Dicit igitur eis Jesus: Pueri, num quid obsonii habetis? Responderunt ei: Non.*] Blande eos appellat, pueros: qua appellatione etiam Johannes noster utitur 1 Joh. 11. 14. 18.

Nunquid obsonii habetis?] Græca vox προσφάγιον significat quemlibet cibum, qui præter panem adhibetur, inprimis autem pisces: ut id copiose demonstravit Franciscus Nansius parte secunda ad Nonn. cap. 21. 60. Quæstio autem ista Christi non ex ignorantia profecta est, sed ad quærendam miraculi occasionem instituta fuit.

Responderunt ei: Non.] Simpliciter atque præciſe respondent, nolentes sine causa infelicem piscationem homini ignoto declarare, qua per totam noctem usi fuerant. Id autem deinde ab illis elicit Dominus novis injectis sermonibus. Credibile enim est, Christum, antequam illis consilium daret mittendi retia in dextram partem navigii, ex ipsis quæsiviſſe, quam feliciter eis captura succederet.

Vers. 6. *At ille dixit eis: Conjicite rete in dextram navigii partem, & invenietis. Conjecerunt ergo, & non valebant amplius illud trahere præ multitudine piscium.*] Jussit non in incertam, sed in certam, id est, in dexteram partem navigii rete conjicere, ne casu factum videretur, quod in eam jacientes partem, tantam piscium copiam comprehendissent, utque adeo tanto magis agnosceretur miraculum. Quod autem Christus ad dextram, & non ad sinistram partem jusserit jaci rete, causa hæc fuisse videtur, quod dextra pars navigii versus littus fuerit obversa, ubi interdiu rariſſimi pisces esse solent. Apparet etiam navigium ipsum non procul abfuiſſe a littore, quia Christus in littore stans cum illis loqui potuit.

Et invenietis.] Tantam copiam, quæ votum ac desiderium vestrum explebit.

Conjecerunt ergo.] Mirum, eos ad verbum hominis ignoti statim rete jeciſſe, cum per totam noctem nihil capere potuissent, & de die minor spes esset felicioris piscationis. Sed ita comparatum natura est, ut ea consilia, quæ vera esse cupimus, facile sequamur. Quin & quam placidum, mite ac tractabile fuerit eorum ingenium hinc elucet, dum tam promte morem gerunt consilio ignoti hominis, quod alius morosior ex impatentia ac tœdio frustra suscepti tota nocte laboris, non sine asperitate verborum, rejeciſſet.

Et non valebant amplius illud trahere præ multitudine piscium.] Christus effecit, ut è longinquo illuc pisces subnatarent. Manifestum satis est, hac piscium captura aliquod singulare mysterium significatum esse. Nimirum hoc pacto adumbratus est fructus, quem allaturus sit fidelis Apostolorum labor in nomine Domini Jesu susceptus, quando munus piscandi homines, ad quod vocati erant Matth. 4. vs. 19. obibunt. Nox conferri potest cum illo tempore, quo Apostoli in Judæa Euangelium prædicarunt, quod quidem valde commodum & opportunum fuit; quia Judæis primo debebat Euangelium annunciari, ipsi etiam præ omnibus aliis gentibus miracula Christi oculis suis conspexerant, & recens testimonium de resurrectione Domini à talibus hominibus primi excipere auribus poterant, quos norant quidem idiotas, indoctos, & ad tantum opus prorsus ineptos Galilæos fuisse, postea autem paucis post mortem Christi diebus viderunt eos tanta cum sapientia & tanta cum animi præsentia in publico docentes, nec non divina virtute miracula edentes, inter quæ etiam erat donum variarum linguarum, quas nunquam dedicerant: quibus rebus Judæi facile moveri potuissent, ut se in retia Regni Christi pertrahi paterentur. Sed quia capi noluerunt, jussi sunt Apostoli ad dextram navigii partem rete conjicere, id est, ad gentes se convertere, eisque Euangelium annunciare: ubi tantam ceperunt piscium multitudinem, ut Apostolus Paulus de se solo scribat, se ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus, usque ad Illyricum, omnia impleviſſe Euangelio Christi Rom. 15. 19. Vide etiam cap. 10. 18.

Vers. 7. *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus, cum audisset Dominum esse, amiculum præcinxit (erat enim nudus) & abjecit se in mare.*] Discipulus ille est Johannes noster Euangelista. Vide supra cap. 13. 23. XIX. 2.

Dominus est.] Animadvertit Johannes, hanc tam felicem piscationem non fuisse fortuitam aut naturalem: ideo in Christum mox cogitationes suas conjecit.

Amiculum præcinxit.] Græca vox ἐπενδύτης seu ἐπένδυμα non significat tale indumentum, quod proprie apud nos indusium vocatur, & corpori proximum in gestando est, sed tale, quod aliis indumentis super injicitur. Hæc superior vestis paulo honestior erat gestatu, quam sola inferior: idcirco Petrus illam mox induit (quod Euangelista hic voce præcingendi indicat) ut coram Christo honestius vestitus compareret, parum veritus, quod eam per mare gradiendo madidam redderet.

Erat enim nudus.] Non toto corpore ac simpliciter, sed vestem superiorem, quam postea resumsit, deposuerat, ne sibi laboranti impedimento esset. Hebræi enim nudum vocant, qui superiori veste

veſte exutus eſt, & non habet, niſi induſium vel inferiorem veſtem: ut patet 1 Sam. 19. 24. Eſai. 20. 2. Act. 19. 16. Sic apud Jobum dicitur nudis veſtis detrahi cap. 20. 6. Ei autem qui plane nudus eſt, veſtis detrahi nulla poteſt.

Et abjecit ſe in mare.] An mare eo loco tam profundum fuerit, ut Petrus nare coactus ſit; Euangeliſta non dicit. Sed quia navigium vix 200 cubitos à littore diſtabat, credibile eſt, eum tranſvadaſſe, & humiliori jam prope littus mari pedibus inceſſiſſe, etſi forte altior paulo aqua fuerit, ita ut totum ferme corpus tegeret. Hoc fuit ſignum ferviđi in Petro animi, quo ſemper præ aliis excellere ſtuduit: hinc etiam in tentatione magnam fortitudinem ſuam oſtentare voluit Matth. 26. 33.

Verſ. 8. *Alii vero diſcipuli navigio venerunt (non enim longe aberant à terra, ſed circiter cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.*] Uti laudavit Euangeliſta Petri alacritatem, ita excuſat aliorum diſcipulorum tarditatem, quod non ſe etiam in mare, ſicut Petrus, conjeciſſent, & ad Chriſtum ire properaſſent. Redditque duas iſtius rei cauſas, quod non procul à terra abfuerit navigium, ac proinde, quod non multo ſerius ad Chriſtum venire navigio potuerint, quam Petrus eundo.

Circiter cubitis ducentis.] Cubiti ducenti paſſus ſexaginta, pedes trecentos efficiunt.

Trahentes rete.] Hæc eſt altera cauſa, cur cæteri diſcipuli Petrum in mare ſe præcipitantem ſecuti non ſint, quia ſi id feciſſent, rete dimiſiſſent è manibus, & ſic jacturam piſcium feciſſent, totuſque piſcationis illius admirabilis fructus periiſſet, niſi novo miraculo Chriſtus jacturæ iſti occurriſſet.

Verſ. 9. *Ut ergo deſcenderunt in terram, cernunt prunas poſitas, & piſcem impoſitum, & panem.*] Græca vox ὀψάριον idem denotat, quod ſupra προσφάγιον, quemcunque cibum, qui una cum pane editur; quo potiſſimum piſces comprehenduntur. Hinc hoc loco vox iſta redditur *piſcis*, quem diſcipuli viderunt prunis impoſitum. Hoc ſignificatu etiam hæc vox uſurpatur ſupra cap. 6. 9.

Et panem.] Separatim intellige, non prunis impoſitum. Quæritur hic ab interpretibus, unde Chriſtus prunas, piſcem, & panem habuerit, cum antea ab Apoſtolis quæſiverit, an haberent aliquid obſonii? Quidam volunt Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam majorem, quam antea, exeruiſſe potentiam, iſtaque omnia ex nihilo procreaſſe, eodem modo, quo Deus creavit cœlum & terram. Sed nihil attinet miraculum iſtud tam longe petere, quia fieri potuit, ut iſta ei ab Angelis allata ſint, prout Eliæ olim & Habacuco Prophetis: vel alibi exiſterentia Chriſtus ipſe illa iſtic ſtitere. Deinde quæritur, quam ob cauſam Chriſtus prandium hoc diſcipulis, antequam illi ad eum venirent, præparaverit? Cujus rei duæ inprimis afferri poſſunt cauſæ. Primo quod Chriſtus voluerit docere, non diſcipulorum induſtriæ, ſed ſuæ virtuti ac potentiæ tam copioſam piſcationem tribuendam eſſe. Ex eo enim, quod viderent diſcipuli in littore paratum ignem, piſcem & panem, quæ intelligere poterant eum iſtic non reperiſſe, neque ſecum attuliſſe, facile etiam de magna illa captura piſcium judicium ferre potuerunt. Secundo, voluit indicare, ſe paulo ante vſ. 5, non propterea ab illis petiiſſe, ecquid haberent obſonii, quod aut ipſe indigeret, aut ſi indigeret, opus ſibi eſſet, ab illis petere: poſſe enim ſe omnia divina virtute, vel Angelorum miniſterio adipiſci.

Verſ. 10. *Dicit eis Jeſus: Afferte ex piſcibus, quos modo cepiſtis.*] Jubet de illis captis piſcibus plures afferri, ut juſtum ac perfectum prandium pro omnibus fieret; idque non ſua cauſa juſſit (Chriſtus enim poſt reſurrectionem carnali cibo ac refectione non indiguit) ſed ipſorum cauſa, ut ſermonem eo longius cum illis conſereret. Ita poſtulavit etiam à Samaritana muliere aquam ſupra cap. 4. 7. non ſua cauſa (poterat enim unico verbo efficere, ut aqua è puteo aſcenderet) ſed mulieris cauſa, ut haberet occaſionem de aqua vitæ cum illa loquendi. Præterea voluit Chriſtus, ut diſcipuli tactu & guſtu cognoſcerent, & illum quem ſuper prunas videbant, & cæteros, quos ceperant piſces, non phantaſma, ſed veros piſces eſſe. Forraſſis & myſticus ſenſus ſubeſt, quod voluerit Chriſtus demonſtrare, tam eos quos ipſe convertit, quam qui opera Apoſtolorum poſtmodum convertentur, ad eundem finem ſalutis deſtinatos eſſe.

Modo.] Id eſt, paulo ante: ut ſupra cap. 11. 8.

Verſ. 11. *Aſcendit Simon Petrus & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus & cum tot eſſent, non eſt ruptum rete.*] Petrus aſcendit, ſubaudi in navigium, quod reliqui diſcipuli jam ad littus adduxerant.

Et traxit rete in terram.] Non ipſe ſolus; ſupra enim dixerat, omnes qui in navi erant, vix rete præ multitudine piſcium trahere potuiſſe: ſed aliis adjuvantibus. Solus autem Petrus nominatur, quia forſitan præcipuus inter eos extitit, atque in opere illo piſcationis dux; vel quia, ut prompтior ad obediendum dictis Domini, primus omnium in navim aſcendit.

Plenum magnis piſcibus.] Minores non numerantur, quorum alioqui major capi ſolet numerus, quam magnorum.

Centum quinquaginta tribus.] Fruſtra ſe cruciant, qui numero iſto myſterium neſcio quod contineri exiſtimant. Inprimis autem ridenda eſt eorum ſubtilitas, qui centenarium numerum deſignare cenſent Gentiles olim credituros, quinquagenarium vero ſignificare Judæos, quorum pauciores quam Gentiles converſi ſunt, ternarium denique notare myſterium Sanctæ Trinitatis, in quod omnes erant credituri. Omnino certum eſt, numerum piſcium à Johanne indicatum non alio ſpectare, quam ut miraculi magnitudo ex eo intelligatur. Id quoque extra dubium eſt, varii generis piſces fuiſſe; atque eo ſignificatum eſſe concedi poteſt, quod Apoſtoli ex omnis generis nationibus homines ad Chriſtum adducturi ſint.

Et cum tot eſſent, non eſt ruptum rete.] Miraculo id quoque adſcribendum eſt, quod rete tot tantiſque plenum piſcibus, & vi in terram tractum, ruptum non fuerit, efficiente ſcilicet tacite Chriſto, ne rumperetur, & piſcium magna pars diffugeret. Quæ res etiam myſticum ſenſum habere poteſt, ut

rete multitudine piſcium non diſruptum ſignificet admirabilem unitatem eorum, qui per Apoſtolorum prædicationem in Regnum Jeſu Chriſti introducentur. Poteſt etiam dici eo ſignificari ingentem vim & efficaciam religionis Chriſtianæ, per quam omnes, qui eam amplectuntur, ad portum æternæ ſalutis poſſunt pertingere, non ſecus ac piſces omnes uno reti ad littus attracti ſunt.

Verſ. 12. *Dicit eis Jeſus: Venite, prandete. Nullus autem diſcipulorum audebat eum interrogare: Tu quis es? Quum ſcirent Dominum eſſe.*] Quod ad prandium eos Chriſtus invitat, ideo facit, ut (ſicut dictum eſt antea) tangendo, guſtando, edendo experirentur veros piſces eſſe, non præſtigias oculorum: & quia poſt tantum laborem exantlatum refectione indigebant. Non eſt autem dubitandum, quin Chriſtus ipſe quoque cum illis ederit. Cum enim ſe ideo illis manifeſtavit, ut fidem ipſis reſurrectionis ſuæ faceret, ipſa ratio poſtulabat, ut cum illis veſceretur. Certe apud Lucam ob hanc ipſam cauſam cibum ſibi dari juſſit, & de piſce allato, deque favo apiario, quem ipſi appoſuerunt diſcipuli, edit in eorum conſpectu cap. 24. 41, 42, 43. Adumbratum autem hoc prandio eſt cœleſte epulum, quo Apoſtoli poſt vitæ hujus labores, ad quos vocati erant, & poſt bene geſtum officium, reficientur.

Prandete.] Græca vox δεῦτε non ſolum prandium notat, ſed omnem quoque cibum, qui mane ſumitur, ſeu jentaculum.

Nullus autem diſcipulorum audebat eum interrogare: Tu quis es?] Senſus eſt; etſi Chriſtus apparuerit in forma corporis plena majeſtatis, adeoque minus conſueta, tamen neminem diſcipulorum auſum eſſe de veritate præſentiæ ejus dubitare, ac quærere: Quis tu es?

Cum ſcirent, Dominum eſſe.] Cognoſcebant eum ex facie, ex voce, ac ſermone, denique ex miraculis.

Verſ. 13. *Venit ergo Jeſus, & accepit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.*] Dum veniſſe dicitur Jeſus, nihil aliud ſignificatur, quam quod acceſſerit, & recubuerit cum ipſis in terra.

Et accepit panem, & dat eis.] Diſtribuit Chriſtus ipſe panem & piſces inter diſcipulos ſuos. Quamvis enim jam cognitus ab illis eſſet, voluit tamen, ut eorum de ſe opinionem confirmaret, more ſuo uti, & officio fungi Patris familias. Judæorum enim inſtituto, Patris familias erat, panem & cibum diſtribuere inter diſcumbentes. Vide Matth. 14. 19. Marc. 6. 41. Luc. 9. 16. XXIV. 30. ſupra cap. 6. 11. Voluit etiam ſignificare, ſe eſſe Eccleſiæ Patrem familias, qui unicuique fidelium competentem donorum ſuorum menſuram tribuat. Vide Matth. 25. verſ. 15. Quod etiam in ſequenti ſermone ſuo ad Petrum & Johannem habito declarat.

Obſervandum hoc loco eſt, Euangeliſtam nihil de eo meminiſſe, quod Chriſtus oculos in cœlum ſuſtulerit, quodque gratias egerit, quemadmodum antequam moreretur, facere conſueverat. Vide ſupra Joh. 6. 11. Matth. 14. 19. Nimirum ante reſurrectionem Chriſtus conſtituerat ſuit in ſtatu humiliatis, in quo adhuc indigebat divina ope ac benedictione in omnibus, ideoque eam precibus à Deo ambiebat: poſt reſurrectionem autem jam de illa poteſtate, quæ ipſi ſuper cœlum & terram deſtinata erat, tantum reipſa participaverat, ut ipſe poſſet abſque precibus omnia, quæ vellet, impertiri & ad uſum fidelium ſuorum conſecrare. Uno verbo: Ante reſurrectionem ſe geſſit, ut homo; poſt reſurrectionem, ut pluſquam homo, id eſt, ut Deus. Quod autem Emmaunte panem benedixit Luc. 24. vſ. 30. Id potuit potiſſimum ideo feciſſe, ut ex eo à duobus illis diſcipulis agnoſceretur. Quo pacto nihil fecit ſuæ dignitati contrarium, ſecundum quam ad benedicendum, id eſt, ad petendam à Patre benedictionem non amplius erat obſtrictus: quia Patri nondum tam perfecte in potentia æqualis erat factus quam factus eſt poſtea, cum ad dexteram ejus conſedit; & præterea Pater nihilominus erat fons & auctor ejus, quidquid divini Chriſtus habuit.

Verſ. 14. *Ita jam tertia vice manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, poſtquam ſuſcitatus fuerat ex mortuis.*] Hæc verba non ad numerum apparitionum, ſed ad numerum dierum referenda ſunt. Primo enim Chriſtus eodem die, quo reſurrexit à mortuis, aliquoties & diverſis perſonis ſe manifeſtavit: Mariæ Magdalenæ, duobus diſcipulis Emmaunti, & decem diſcipulis Hieroſolymæ congregatis. Secundo apparuit poſt octo dies undecim diſcipulis eodem loco congregatis. Tertio ſe manifeſtavit hic diſcipulis piſcantibus.

PARS II.

Verſ. 15. *Cum ergo prandiſſent, dicit Jeſus Simoni Petro: Simon Fili Jonæ, diligis me pluſquam hi? Dicit ei: Etiam Domine, ſcis quod amem te. Dicit ei: Paſce agnos meos.*] Quæ hactenus narravit Euangeliſta, ea interceſſerunt inter Chriſtum & diſcipulos in genere, neque dubium eſt, tempore prandii varios de variis rebus ſermones à Chriſto & diſcipulis agitatos eſſe. Peracto prandio autem Chriſtus Petrum ſingulariter alloquitur, quem quaſi denuo muneri Apoſtolico initiare voluit, & in locum, è quo tum abnegatione ſua quodammodo exciderat, reſtituere.

Cum ergo prandiſſent.] Adeoque commodum eſſet colloquii tempus.

Simon Fili Jonæ.] Cum Chriſtus Petrum primum ad Apoſtolicum munus vocaret, dixit ei: *Tu es Simon Filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, quod eſt, ſi interpreteris, Petrus.* Id eſt, Petra. Supra cap. 1. 43. Et ſuper hanc Petram dixit, ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam; quod quomodo intelligendum ſit, explicavimus Matth. 16. 16. At tam graviter lapſus, ut Chriſtum ter turpiſſime abnegaret, nequaquam ſe geſſit ut Petra, ſed oſtendit ſe fragilem & ad fundamentum Eccleſiæ Chriſti minus idoneum lapidem eſſe; ideoque nomen Petri, ſeu Petræ, merito amiſit, atque à Chriſto antiquo nomine appellatus eſt.

Diligis me, plus quam hi?] Videtur Petrus peculiarem amorem erga Chriſtum præ aliis demonſtrare voluiſſe, in eo dum è navigio in mare ſe dedit, atque ad Chriſtum contendit. Ad hoc factum Chriſtus

una

una ex parte reſpicit, alia autem ex parte ad illa Petri verba, quæ ante paſſionem Chriſti protulit: *Etiamſi omnes ſcandaliſentur in te, ego nunquam ſcandaliſabor.* Et rurſus: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo* Matth. 26. 33, 35. Quibus verbis amorem ſuum erga Chriſtum præ aliis diſcipulis omnibus, haud perpenſis bene viribus ſuis, jactavit. Itaque Chriſtus, qui ipſum in Apoſtolicam reſtituere dignitatem, à qua propter negationem ſuam ceciderat, apud animum ſuum conſtituit, tam ſapienter ſermonem ſuum ejuſque temperat, ut Petrus ternâ amoris confeſſione tum Chriſto, quem ter negaverat, ſatiſfaceret, tum aliis diſcipulis, ſuper quos ſe inſolentius extulerat; dum amorem quidem ſuum erga Chriſtum teſtatur, non tamen ita, ut ſe, quemadmodum antea, ſuper alios efferret.

Etiam Domine, tu ſcis quod amem te.] Quam late extendenda ſit iſta vox *Etiam*, declarant ſequentia. Non enim dicit Petrus: Ita eſt Domine, diligo te pluſquam hi; uti Chriſtus interrogaverat. Sed ſimpliciter de animi ſui ſinceritate atque candore tantum teſtatur: *Tu ſcis, quod te amem.* De reliquorum autem diſcipulorum amore, majorne an minor ſit ſuo, judicium ferre non vult; ſed permittit id judicio Chriſti.

Tu ſcis, quod amem te.] Hoc dicto Petrus provocat tum ad omniſcientiam Chriſti, qua etiam cogitationes hominum perſpectas habebat, tum etiam ad experientiam, quod ſcilicet hactenus ſemper amor ejus in omnibus factis, excepto hoc unico caſu abnegationis, erga Chriſtum eluxerit: ita ut de Petri amore erga Chriſtum dici queat, quod de Davide dicit Scriptura, eum feciſſe, quod rectum videbatur in oculis Domini toto vitæ ſuæ tempore, præterquam in negotio Uriæ 1 Reg. 15. 5.

Dicit ei: Paſce agnos meos.] Id eſt, rege Eccleſiam meam, cura eam ac gubernа. Ita etiam verbum *paſcere* ſumitur Pſal. 80. 2. LXXIX. 70, 71. Matth. cap. 2. 6. Exhibet hic Chriſtus in ſe exemplum ſummæ lenitatis, charitatis, ac miſericordiæ. Non exigit à Petro ullam aliam ſatiſfactionem aut pœnam, pro tam gravi peccato atque ignominia abnegationis, qua ab ipſo affectus fuit: ſed ſola ac ſimplici, ſincera tamen & ex puro animo profecta confeſſione amoris ejus contentus eſt, rurſuſque ei mandat munus paſcendi agnos ſuos, ſeu Eccleſiam ſuam regendi. Poſtquam Petrus confeſſus eſt ex animo, ſe Chriſtum diligere, tum demum Chriſtus ei demandat gregem ſuum, ut eum paſcat: unde ſequitur, niſi is Chriſtum dilexiſſet, cum gregis ſui curam illi commiſſurum haud fuiſſe. Nimirum amor erga gregem eſt primarium ac potiſſimum in fido paſtore requiſitum. Qui eo præditus eſt paſtor, is vitam ſuam ponet pro ovibus, vide ſupra cap. 10. 11. Dicit etiam Chriſtus: Paſce agnos *meos*, non tuos. Nam quos Petrus ad fidem adduxit, eos non ſibi ipſi, ſed Chriſto acquiſivit. Quapropter omnes fideles paſtores decet, ita oves Chriſti paſcere, ut non tanquam domini imperent earum conſcientiis, aut alias rigide cum eis agant, ſed gerant ſe tanquam boni ſervi illius principis Paſtorum Chriſti, cujus propriæ ſunt oves, qui eas amat, magnifacit, & cuſtodit tanquam pupillam oculi ſui, magna etiam patientia ac longanimitate adverſus eas utitur, ſi quando exerrent, uti docet hoc loco exemplum Petri. Quomodo autem Petrus poſtea gregem Chriſti paverit, & quomodo omnes veri paſtores atque antiſtites Eccleſiæ Chriſti eam paſcere debeant, ipſemet præclare oſtendit, cum ſic in Epiſtola ſua alloquitur Eccleſiarum Seniores: *Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, inſpectionem habentes non coacte, ſed libenter; non turpis lucri cauſa, ſed prompto animo: neque ut dominantes cleris, ſed facti exemplaria gregis* 1 Petr. 5. 2, 3.

Verſ. 16. *Dicit ei rurſus ſecundo: Simon fili Jonæ, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quod amem te. Dicit ei: Paſce oves meas.*] Alterutra ex his vocibus, *rurſus ſecundo*, ſuperflua eſt, & redundat: ut Matth. 26. 42. Quia Petrus Chriſtum ter abnegaverat, ideo etiam trinam confeſſionem amoris ab eo poſcit: nam ℣. 17. tertio eum interrogat. Ex quo nobis etiam capiendum eſt exemplum, quomodo diſciplina Eccleſiaſtica exercenda ſit, ut nimirum in gravioribus delictis majora emendationis teſtimonia & argumenta requirantur.

Paſce oves meas.] Prius dixerat *agnos*, nunc dicit *oves*: quia duæ iſtæ voces ſine diſcrimine tanquam unum idemque ſignificantes ponuntur, ut videre eſt ex collatione Matth. 10. 16. cum Luc. 10. 3.

Verſ. 17. *Dicit ei tertio: Simon fili Jonæ, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quod tertio dixiſſet ei: Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia noſti; tu noſti, quod amem te. Dicit ei Jeſus: Paſce oves meas.*] Ideo contriſtatus eſt Petrus, quia ex eo, quod tertio eum interrogaſſet Chriſtus, ſuſpicabatur, Chriſtum prima & ſecunda declaratione amoris ipſius non contentum, de ſinceritate amoris ſui erga ſe addubitare.

Ex hoc loco triumphos ſibi ſtruit Antichriſtus, qui ſe Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium eſſe jactat, putatque valido hic tibicine auctoritatem ſuam ſtabiliri, dum Chriſtus Petro & nulli alteri ex Apoſtolis ter curam Eccleſiæ ſuæ demandavit. Verumenimvero jam indicata eſt à nobis cauſa ſuperius, cur Chriſtus ter Petrum de amore ipſius erga ſe interrogaverit, & ter gregem ſuum ei commendaverit: nimirum ut triplicis negationis maculam triplici ſingularis amoris profeſſione deleret, atque ita rurſus in gratiam receptus in dignitatem Apoſtolicam reſtitueretur. Deinde ſi ſoli Petro Chriſtus paſcendas oves ſuas tradidiſſet, quid agendum habuiſſent reliqui Apoſtoli? imo quid illis omnino fuiſſet opus, niſi ut vel otiarentur, vel Petri eſſent mancipia? Cur vero Chriſtus non etiam ſupra cap. 20. 22, 23, ſolum Petrum, ſed omnes afflavit Apoſtolos, & ut acciperent Spiritum Sanctum dixit? Quid vero de Paulo Apoſtolo dicemus, qui plus omnibus laboravit 1 Cor. 15. 10? Notandum præterea, Chriſtum Petro Apoſtolo non omnes oves ſuas concredidiſſe, ſed tantummodo eas, quæ erant ex circumciſione; eas autem quæ fuerunt ex præputio, demandaſſe Paulo Gal. 2. 7, 8. Si proinde Romanus Pontifex verus Petri ſucceſſor eſſe vult, inſiſtat Petri vocationi & veſtigiis, atque hoc unum agat, ut incredulos Judæos convertat, reliqui autem gregis, qui ex Ethnicis ad Chriſtum converſus eſt, curam aliis relinquat.

Vers. 18. *Amen amen dico tibi, cum esses junior, cingebas teipsum, & ambulabas, quo volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo noles.*] Hoc versiculo Christus Petro significat, quali morte sit obiturus: ut versu sequenti Euangelista ipse declarat. Nimirum quia Petro commiserat oves suas pascendas, voluit ei demonstrare, sic diligendas esse à bono pastore oves suas, ut etiam mori pro eis paratus sit; præsertim, cum ipse Dominus oves suas sanguine suo pretiosissimo emerit.

Cum esses junior.] Id est, quamdiu eris junior. Verbum ἦς, *esses*, nullum certum tempus designat. Petrus enim tunc, cum hoc Christus loqueretur, adhuc juvenis erat.

Cingebas teipsum, & ambulabas, quo volebas.] Christus indicat Petro, eum violenta morte sublatum iri, idque facit alludens ad communem consuetudinem vel statum juventutis & senectutis. Solent enim juvenes robustiores ac magis expediti esse corpore, quam senes: itaque ipsi sibi sufficiunt; neque ad corporis sui ministerium ulla alterius indigent ope; ipsi se vestiunt, ipsi se exuunt, ipsi per se sine duce, sine scipione, recti vegetique, quocunque libet, incedunt. Senes contra aut morbis, aut ætate debilitatis membris, aliorum, qui se vestiant, qui se cingant, qui se ducant sustententque, indigent ministerio. Idem significat Christus eventurum Petro; dum est junior, eum seipsum cingere vestireque, id est, corporis sui habere potestatem, illudque conservare: sed fore, ut ubi senuerit, ab aliis cingatur, id est, ejus corpus non in ipsius, sed in aliorum potestate sit, qui de illo, quicquid libuerit, faciant, qui morte illum afficiant.

Cum autem senueris.] Id est, ubi ad hanc tuam ætatem adhuc 40. anni accesserint.

Extendes manus tuas.] Homo senex atque decrepitus, seipsum vestire impotens, quando ab aliis vestiendus est, cogitur extendere manus & brachia sua: ita, inquit Christus, tu quoque extendes manus ac brachia tua, quando loco vestis injicientur tibi vincula & manicæ, ac porro in carcerem, vel etiam ad mortem duceris. Qui ligantur atque vinculis constringuntur, manus extendere coguntur. Confer Act. 21. 11.

Quo noles.] His verbis violenta mors significatur. Non est vero hoc simpliciter ita accipiendum, quasi futurum sit, ut Petrus invitus pro veritate Dei patiatur quicquam vel mortem subeat; cum eum legamus gaudentem rediisse è Concilio, in quo fuerat flagris cæsus Act. 5. 41. Sed Christus loquitur de carnis naturali voluntate. Omnes homines enim naturâ mortem horrent ac reformidant, etiam sanctissimi: ut in Christi exemplo videre est Matth. 26. vers. 39.

Vers. 19. *Hoc autem dixit, significans, qua morte glorificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me.*] Hic interpretatur & explanat Euangelista verba Christi ultima, quibus dixerat, Petrum ab alio cingendum & ducendum, quo nollet. An vero etiam ad illa verba respexerit, *Extendes manus tuas*, incertum est.

Qua morte glorificaturus esset Deum.] Id est, qua morte esset morituros. Veteres Christiani, quibus à fine Actorum Apostolicorum ad tempora Trajani nihil certi extare in historia Christiana dolebat, ut illum hiatum temporis explerent, multa licenter & inepte, atque inter alia etiam de Petri Romam adventu, deque eo post gestum ibidem 25. annis Episcopatum crucifixo fabulati sunt. Sane quod crucis supplicio affectus sit, impossibile non est, verum id ex certa historia non constat, sed conjecturis tantum id rimati sunt ex illis Christi ad Petrum verbis: *Quo ego abeo, non potes me nunc sequi; postea vero sequeris me* Joh. 13. 36, quasi dixerit Christus: Postea eadem morte finies vitam, quâ ego. Idem ex verbis versus præcedentis, collegerunt, ubi dicitur: *Extendes manus tuas*; ubi autumant Christum etiam ad mortem crucis respexisse, cui facinorosi extensis ac dispessis manibus affigebantur. Deinde conjecturam hanc sumserunt ex usu illorum temporum inter Romanos recepto, qui ferebat, ut homines peregrinæ conditionis, qualis Petrus erat, non alio mortis genere, quam crucis afficerentur, at contra cives Romani, è quibus Paulus Apostolus fuit Act. 22. 28, gladio plecterentur. Quanquam istud posterius de civibus Romanis solo gladio plectendis, falsum est: nam solebant etiam aliquando securi feriri. Quemadmodum autem conjectura de Petro in crucem acto non est prorsus spernenda, & tanquam absurda rejicienda: ita ridiculum & fabulosum est, quod narrant, eum capite in terram obverso, pedibus autem in sublime porrectis crucifigi voluisse, eo quod se indignum judicaret, qui eodem modo, quo Dominus ejus Christus, in cruce penderet. Præterea hoc quoque incertum est, unde expiscati sint, quod Petrum Romæ passum somniant. Nam à Christi in cœlum receptu ad quartum annum Neronis, certo certius est ex historiis, Petrum Romam non venisse. Quia vero legerant apud Tacitum & Suetonium, supplicium de Christianis sub Nerone sumtum anno septimo circiter imperii ejus, ariolati sunt Petrum & Paulum etiam tunc Romæ, diversis tamen temporibus supplicio affectos. In quo sane frustra sunt. Nam semel tantum in Christianos sub Nerone sævitum fuisse legitur, ubi non cruce, nec gladio in eos animadversum, sed tædâ, ut alligati ad palum, unco in mentum aut guttur impacto, & pice desuper stillante, usum luminum nocturnorum præstiterint. Multo probabilior est conjectura eorum, qui, Petrum Babylone in Asia periisse censent: nam dispersis in Asia 1 Petr. 1. 1, qui ex circumcisione erant, Euangelium prædicasse constat, & primam Epistolam Babylone exaravit 1 Petr. 5. 13.

Glorificaturus esset Deum.] Magnam ea res continet consolationem, quod piorum mors ob veritatis professionem suscepta, in gloriam Dei tendat. Est autem Hebraica phrasis idem significans, quod dare gloriam Deo, id est, veritatem tanquam inspectante judicanteque Deo confiteri: (vide supra cap. 9. 24.) quod qui pro tuenda moriuntur veritate, maxime faciunt; inde martyres dicti, quod & verbis testentur, & suo sanguine obsignent veritatem. Pro qua virtute quæ ipsis vicissim gloriæ corona in cœlis sit reposita, vide Matth. 5. 11. x. 32.

Rom.

Rom. 8. 17. 2 Timoth. 2. 11. Apocal. 20. 4.

Et cum hoc dixiſſet, dicit ei: ſequere me.] Apparet Chriſtum dicentem ſurrexiſſe & abire cœpiſſe. Dum ergo Petrum ſe ſequi juſſit, id quidem de corporali ſequutione intellexit, ſed ita tamen ut aliud quippiam ſimul innuere voluerit. Videtur Chriſtus reſpexiſſe ad illa verba, quæ paulo ante mortem ſuam ad Petrum protulerat: *Quo ego abeo, non potes me nunc ſequi, poſtea vero ſequeris me*, Joh. 13. 36. In priori illo, cum dicit, *non potes me nunc ſequi*, Chriſtum veracem fuiſſe, Petrus eum ter negando comprobavit. Hic vero poſtulat Chriſtus, ut oſtendat Petrus, ſe etiam iniſto poſteriori veracem eſſe, cum dixit: *Poſtea ſequeris me.* Sequere ergo me, inquit, id eſt, imitare meum exemplum: deinceps enim paratus eris pro me in carcerem, & in mortem ire. Quiſquis autem ſequitur Chriſtum in mortem uſque, is eundem quoque ſequetur in gloriam; ad quam Chriſtus non aliter pervenire poterat, quam per mortem, Luc. 24. 26. ad quam etiam omnes certo pervenient, qui ſanguinem ſuum propter nomen ejus profundere non dubitant.

PARS III.

Verſ. 20. *Converſus autem Petrus videt diſcipulum illum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuerat in cœna ſuper pectus ejus, & dixerat: Domine quis eſt ille, qui te prodit?*] Cum Chriſtus ſurgeret & abiret, Petrus eum ſequi cœpit, cumque reſpexiſſet, Johannem quoque ſequentem vidit.

Quem diligebat Jeſus.] Seipſum ita deſcribit Johannes, ut ſupra cap. 13. 23.

Qui & recubuerat in cœna ſuper pectus ejus.] Cur hæc verba addita ſint hoc loco ad deſcriptionem Johannis, cum alias ſimpliciter tantum à dilectione Chriſti erga eum deſcribatur, divinare difficile eſt. Eorum tamen conjectura non prorſus ſpernenda eſt, qui arbitrantur, Euangeliſtam voluiſſe cauſam indicare iſtis verbis, quamobrem Petrus dubitarit, an Johannes violenta & crudeli morte eſſet noriturus; quia nimirum ſciebat, eum à Chriſto unice diligi, ita ut etiam in cœna ſuper pectus ejus recubuerit.

Verſ. 21. *Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dicit Jeſu: Domine, hic autem quid?*] Quidam Interpretes exponunt, Petrum cum vidiſſet Johannem Chriſtum etiam ſequentem, cum ille non juſſiſſet, ut ſe ſequeretur, quaſi admirantem hominis audaciam, qui non juſſus, non vocatus Chriſtum ſequeretur, dixiſſe: *Hic autem quid?* Sed ex reſponſione Chriſti facile perſpicitur, Petrum ſatis intellexiſſe, quid ſibi vellet Chriſtus illis verbis, quibus eum ſe ſequi præcepit, quod nimirum indicarit, ſibi Chriſtum in violentam mortem eſſe ſequendum. Itaque cum hunc Chriſto tantopere dilectum diſcipulum videret etiam ſequentem, ex curioſitate, quid huic eventurum eſſet, quærit. Proinde in iſtis verbis, *Hic autem quid?* aliquid ſubaudiendum eſt, quid nimirum *patietur* vel *ſuſtinebit*? Nulla etiam cauſa eſt, cur Petrum indigne tuliſſe exiſtimemus, quod Johannes etiam Chriſtum ſequeretur: invidiam enim ullam ipſi tribuere abſurdum eſt.

Verſ. 22. *Dicit ei Jeſus: Si velim eum manere, donec veniam, quid ad te? tu ſequere me.*] Si velim eum manere, id eſt, ſi velim eum vivere, aut in vita permanere. Ita etiam verbum manendi accipitur, 1 Cor. 15. 6. Phil. 1. 24, 25. Quaſi diceret Chriſtus: Quidſi hunc velim in præſidio, in quo eum collocavi, manere, neque ab ullo alio deturbari, id eſt, morte violenta affici, donec ego veniam, & tanquam ſummus Imperator eum revocem; quid tua refert?

Tu ſequere me.] Tu fac, quod tuum eſt, & ſequere me etiam in mortem truculentam, in quâ ego tibi exemplo meo præivi, ut glorifices ea Deum, quemadmodum ego feci.

Verſ. 23. *Exivit ergo ſermo iſte inter fratres, diſcipulum illum non moriturum. Sed non dixerat ei Jeſus: Non morietur; ſed, ſi eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*] In textu eſt, *quia diſcipulus ille non moritur.* Præſens pro futuro. Sumſerunt reliqui diſcipuli, qui adſtabant, verba Chriſti, *donec veniam*, de ultimo ejus adventu ad univerſale judicium; ideoque in eam opinionem delapſi ſunt, Johannem non moriturum, ſed uſque ad ultimum judicium Chriſti ſuperſtitem in terris eſſe manſurum. Eſtque credibile, hanc ſententiam inter Chriſtianos viguiſſe uſque ad obitum Johannis; præſertim cum viderent, Johannem ad valde provectam perveniſſe ætatem: ut ex Tertulliano patet, qui in libro de Anima ait: *Obiit & Johannes, quem in adventum Domini fuiſſe manſurum, falſa erat ſpes.* Crediderunt autem tunc temporis Chriſtiani, ultimum diem propinquum eſſe, ut ex 1 Theſſ. 5. 1. 2 Theſſ. 2. 2. intelligitur, pioſque, quos dies ille vivos deprehenderit, non eſſe morituros, 1 Cor. 15. 51. Credibile eſt etiam, Chriſtum in colloquiis ſuis poſt reſurrectionem de illo die apertius quam antea locutum, ut de complemento Regni ſui; de quo eum per dies quadraginta coram diſcipulis diſſeruiſſe auctor eſt Lucas Act. 1. 3.

Sed non dixerat ei Jeſus: non morietur.] In textu non eſt *Sed*, verum *Et*. At iſtud & ponitur pro *ſed*. Non dixerat Chriſtus, Johannem nunquam eſſe moriturum, prout illi verba ejus accipiebant.

Sed, ſi velim eum manere, donec veniam.] Hæc repetitio Chriſti verborum oſtendit emphaſin non eſſe in verbis *ſi velim*, ſed in illis, *donec veniam*; quaſi dicat: Donec ego ipſe veniam, & non alius, eumque è ſtatione revocem. Quorum verborum ambiguitate decepti diſcipuli in falſam opinionem incidérunt, cùm debuiſſent aut magiſtrum interrogare, aut quod ambigue dictum erat, pro ambiguo relinquere, donec ſenſum exitus ipſe, interpres optimus, declararet.

Verſ. 24. *Hic eſt diſcipulus, qui de his teſtatur, & hæc ſcripſit: & ſcimus, verum eſſe teſtimonium ejus.*] Johannes ſcripſit Euangelium ſuum, cum Petrus, & cæteri, qui aderant diſcipuli, jam non eſſent in vivis. Cum ergo eorum nullus jam ea de re teſtari poſſet, indicatur his verbis, nihil tamen cauſæ eſſe, cur de hac hiſtoria dubitetur; ſiquidem is ipſe diſcipulus, de quo hic ſermo fuit, de eo teſtetur, & ſua propria manu id conſignarit.

Et hæc ſcripſit.] Qui hoc Caput ultimum etiam

Johannis Euangeliſtæ eſſe putant, ex hiſce verbis id demonſtrant, in quibus expreſſe affirmatur, eum hæc modo commemorata ſcripſiſſe. Verum an ille hæc ſcripſerit, ſeu ſcripto complexus ſit, de eo non eſt quæſtio: hac de re nemo eſt qui dubitet. Sed quæritur, an Johannes ipſe id libro huic ſuo adjunxerit, an vero ab aliis, nempe ab Eccleſia Epheſina, vel, ut veriſimile eſt, ab Epiſcopo ac Senioribus illius Eccleſiæ, poſt mortem Johannis, ex relictis ab eo ſcriptis, fuerit additum. Credibile enim eſt, Johannem initio longe plura de rebus geſtis Chriſti & Apoſtolorum conſignaſſe, quam in hoc Euangelii ejus libro continentur: poſtea quam autem alios ante ſe jam iiſdem de rebus ſcripſiſſe vidit, ex prolixiori ſcripto breve feciſſe compendium, & ea potiſſimum complexum eſſe, quæ alii ſicco pede præterierant.

Et ſcimus.] Hinc clariſſime cernitur, hæc verba non eſſe Johannis, qui nunquam in numero plurali de ſe loqui ſolet. Si ipſe de ſe loqueretur, dixiſſet ſine dubio, *Scio.* Proinde apparet, hæc verba eſſe Eccleſiæ Epheſinæ.

Verum eſſe teſtimonium ejus.] Id eſt, firmum ac fide dignum: ut ſupra cap. 5. 31. viij. 13. Sciebant autem de veritate teſtimonii hujus tum ex innocentiſſime ac ſanctiſſime acta vita ejus, tum ex iis, quæ fecerat, miraculis. Sciebant etiam eventum veritatem declaraſſe, dum eo mortis genere defunctus eſt, quod Chriſtus hic ſignificaverat.

PARS IV.

Verſ. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur ſingula, ne mundum quidem ipſum arbitror capturum eos, qui ſcriberentur, libros.*] Hic eſt totius libri epilogus.

Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus.] Sermo eſt de miraculis, quorum recens adhuc erat memoria, quia teſtes eorum paulo ante mortem obierant.

Si ſcribantur ſingula.] Omnia & ſingula cum omnibus circumſtantiis, quam accuratiſſime, ita ut nihil prætermittatur.

Arbitror.] Hic loquitur, qui hoc ſcripſit, in numero ſingulari: nempe quia Epiſcopus Eccleſiæ Epheſinæ nomine ipſius id ſcripſit. Sic etiam in Apocalypſi Johannis literæ, quæ ad integras Eccleſias ſpectant, ad Epiſcopum diriguntur, cap. 2. 1, 8, 12, 18. iij. 1, 7, 14.

Ne mundum quidem ipſum capturum eos, qui ſcriberentur, libros.] Sunt, qui hunc eſſe ſenſum arbitrentur, mundum libros non capturum, id eſt, non recepturum, non admiſſurum. Sed hoc nihil facit ad rem, ubi Euangeliſtæ conſilium eſt, ſummam multitudinem rerum à Chriſto geſtarum ſeu miraculorum ejus indicare. Eſt itaque hic locutio hyperbolica, & quidem ſatis dura & cum catachreſi conjuncta, ſi paucitas annorum, quos Chriſtus hic in terris egit, & immenſa magnitudo mundi, ſeu ſpatii iſtius, quod eſt inter terram & cœlum, conſideretur. Sed ejuſmodi locutiones non tantum in omnibus linguis & apud omnes nationes ſunt uſitatæ, verum etiam in Sacris Literis plura earum exempla reperiuntur. Ita Gen. 11. 4. dicitur, homines voluiſſe extruere ſibi urbem & turrim, cujus faſtigium pertingeret uſque ad cœlum, id eſt, turrim quam altiſſimam. Eodem modo Nabuchodonoſorem per ſomnium vidiſſe arborem dicitur, quæ altitudine ſua pervenerit ad cœlum, & extenſa fuerit ad finem totius terræ, id eſt, arborem valde excelſam & patulam, Dan. 4. 8. Non abſimilis eſt & illa Phariſæorum locutio, ubi de Chriſto ajunt: *Ecce mundus eum ſecutus eſt*, id eſt, magna populi multitudo, Joh. 12. 19. Vide etiam Matth. 17. 20. xxiij. 37. 24. Luc. 11. 46. Joh. 7. 38. Act. 24. 5. Rom. cap. 1. 8.

Forte is qui hæc adſcripſit, fuit Johannes dictus Preſbyter, cujus ſepulchrum ſe Epheſi, diſtinctum ab illo Johannis Apoſtoli, vidiſſe memorat Hieronymus, & cui Veterum nonnulli adſcribunt duas Epiſtolas poſteriores.

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA